18142

D. N.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII, ORDINIS PRÆDICATORVM,

Philosophi & Theologi in primis nostræ ætatis eruditissimi, totius Rationalis, Naturalis, Diuinæ ac Moralis Philosophiæ compendium, innumeris ferè locis castigatum, & in duos Tomos digestum: quorum quæ

TOMVS PRIMVS

CONTINEAT, SEQVENS PAGINA INDICABIT.

His adiecimus in libros Physicorum, de Anima, Metaphysicorum eiusdem Quæstiones, quarum omnium Conclusiones mira breuitate nuper collectas, in margine subiecimus.

Ad hæc omnia accedit index copiosissimus verborum & sententiarum, quæ toto Opere comprehenduntur.



LVGDVNI,
Apud hæredes Iacobi Iunctæ,
M. D. LXVIII.
Cum priuilegio Regio.

36
9

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA
Sala: A
Estante: 44
Número: 47

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

i 11814733

18142

D. N.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII, ORDINIS PRÆDICATORVM,

Philosophi & Theologi in primis nostræ ætatis eruditissimi, totius Rationalis, Naturalis, Diuinæ ac Moralis Philosophiæ compendium, innumeris ferè locis castigatum, & in duos Tomos digestum: quorum quæ

TOMVS PRIMVS

CONTINEAT, SEQVENS PAGINA INDICABIT.

His adiecimus in libros Physicorum, de Anima, Metaphysicorum eiusdem Quæstiones, quarum omnium Conclusiones mira breuitate nuper collectas, in margine subiecimus.

Adhæc omnia accedit index copiosissimus verborum & sententiarum, quæ toto Opere comprehenduntur.



LVGDVNI,
Apud hæredes Iacobi Iunctæ,
M. D. LXVIII.
Cum priuilegio Regio.

36
9

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 44
Número: 77

BIBLIOTHECA UNIVERSITARIA GRANATENSIS

S.H.181

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR Grace & priuilege du Roy, est permis aux heretiers de feu Iaques Ioncte marchands Libraires de Lion, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & distribuer toutes les Oeuures de Chrysostomus Iauellus. Et fait defence à toutes autres personnes de quelque qualité qu'elles soyent, de n'imprimer, ou faire imprimer lesdittes Oeuures, en vendre, ou debiter, d'autres que celles qui seront par lesdits Ioncte imprimées, és pays & terres de sa Maiesté, durant le temps & terme de sept ans, à compter du iour que la premiere impression desdittes Oeuures sera parachevée: si ce n'est du consentement desdits Ioncte, sur peine de confiscation, & autres peines à plein declarées par les patentes dudit Seigneur. Données à Paris le x. iour de Ianuier, 1563.

Signées de Vabre.

Tractatuum, qui in hoc primo Tomo habentur, catalogus.

Tractatus de præcognoscendis.	*pag.* 5
De partibus propositionis.	10
De propositione.	15
De quinque prædicabilibus.	34
De prædicamentis.	47
De syllogismis formalibus.	74
De suppositionibus.	83
De ampliationibus.	94
De consequentiis.	97
De probationibus terminorum.	106
De syllogismo demonstratiuo.	114

His, vt absolutam haberes logici negocij facultatem, subiecimus tibi Tractatus duos ad quos Autor tyrones remittit: scilicet,

De locis Dialecticis Petri Hispani.	*pag.* 144
D. Thom. de Syllogismo sophistico.	148
Epitome — *In octo libros Physicorum.*	157
In quatuor libros de Cælo.	203
In duos de generatione & corruptione.	230
In tres priores Meteorôn libros.	254
In tres libros de Anima.	290
In parua Naturalia.	319
In duodecim libros Metaphysices.	357
Tractatus de Transcendentibus.	458
Commentarius in librum de causis.	475

Quæstionum quæ huic primo Tomo insunt, enumeratio.

Quæstiones — *In octo libros Physicorum.*	*pag.* 507
In libros tres de Anima.	623
In duodecim libros Metaphysices.	709

PIO V. PONTIFICI MAXIMO, PHILIPPVS TINGIVS, SANCTISSIMOS OSCVLATVS PEDES, S. P. D.

OMNIA, Pie Pontifex Maxime, in te conspiciuntur quæ tibi studia hominum atque admirationem conciliant: sed in iis cùm cætera magna sint, est illud maximum. Nam quòd te homines suspiciant, & vereantur eam in terris dignitatem adeptum, quæ maxima augustissimáque est, id habes cum iis commune, qui Pontifices maximi per tot annos, quibus religio hæc sanctissima est instituta, Christianæ reipubl. præfuerunt. At quòd tibi vitæ integritate, innocentia, sanctitate, pudore, religione, non gratia, non inani commendatione nobilitatis, nõ titulis aut maiorum imaginibus ad tantum inter homines fastigium peruenire licuerit, in eo habes tu quidem qui tibi pares sint sanctissimos homines non ita multos, qui maiorum memoria diuinam inter homines potestatem assecuti, eam, cùm cætera vita agenda, tum vitæ exitu comprobauerunt: sed ij ipsi neque sæpè olim, & nostra memoria perrarò admodùm extiterunt. Acsi, ad id quod maximum est, quæri accessio vlla potest, alia etiam conspiciuntur in te maiora. Nam quod difficilimum omnium in vita est, vt animi moderatio & vitæ constantia, cùm sit acta cum laude, summos honores consequatur: ita te homines diuinam potestatem gerentem admirantur, ita tuentem eundem, maiestatem nominis magnitudine animi, auctoritate, imperio: vt ad vitæ priuatæ consuetudinem, quam virtus, sanctitas summa, frugalitas admiranda quædam moderaretur nihil additum animaduertant, comitas eadem, facilitas in cõgressu, moderatio summa, faciles aditus viris bonis, improbis indictum bellum, prouecta honesta studia, præmia ingenuis artibus, & dignis homine libero, supplicia malefactis hominum constituta. Hinc, quod consentaneum est, & maximè expetendum in summis imperiis sapientes homines crediderunt, sanctitatis in iis æmulatio, pudoris, grauitatis, moderationis, in quos tanquam à capite exemplum tantæ virtutis manat. Hinc æquabilitas in ciuitatibus, concordia, otium pax. Quæquanquam ita verè dici de te possunt, vt assentandi suspicionem, vitæ constantia, ac virtute illa incredibili tua tollas: non faciam tamen, vt ea commemorando, modestiæ ac pudori tuo faciam iniuriam: quem tibi vnum fructum multò

vberiorem, quã laudẽ, gloriã existimationẽ hominum statuisti: Illud quidẽ, æquo animo patieris cùm statuerim hoc te tẽpore elegantioribus formis excusa Iauelli scripta doctißimi hominis, & Theologi summi, multis eadẽ accessionibus locupletata, Sanctißimo tuo nomini atque Augustißimo inscripta edere, quibus causis adductus hoc mihi esse agendũ censuissem, demonstrare. Ac præclarè mihi quidẽ cadere visum est, vt te mihi patronum tantum, hominis doctißimi scriptis eendis adoptarẽ, quem idem ordo sanctißimus ac religiosißimus, qui te ad summum orbis terræ imperium extulit, ad summam rerum diuinarũ atque humanarum cognitionem euexisset. Est enim hoc proprium Dominicanorũ familiæ, vt claros nobis atque insignes fastos eorum monumentis efficiant, qui vitæ sanctitate, religione, pietate, eruditione, doctrina, sapientia, sanguinéque adeò & vita profundenda Christiani nominis maiestatem aduersus communes hostes tueantur. Hinc Dominicus ordinis princeps, qua sanctitate vir, qua constantia? Hinc qui diuinarum rerum scientiam è diuinis fontibus libasse creditus est, clarus Thomas maiorum gloria, clarior sanctitate, diuinus vir & omni hominum laude maior. Hinc Benedictus IX. Pontifex maximus, summo Dei immortalis beneficio Christianæ reipub. traditus, incredibili hominũ incommodo ereptus: hinc Vincẽtius, hinc Petrus, atq; is quidẽ nõ doctrina solũ, sed vitæ deuotione clarus, hinc tot Antistites, tot in amplißimum collegiũ ob vitæ sanctitatẽ, eruditionẽ incredibilẽ, pietatẽ & studiũ Christianæ reipub. defendendæ asciti Patres: hinc qui te nũc Pontifice tanto florẽt, quorũ incredibili studio, virtute, grauitate, cõstãtia maximè respub. aduersus tantam procellam tẽporis secura atque immota stat. Quibus sanè hominibus præclarißimè de Christiana religione meritis gratũ me in primis facturũ speraui, si laborantibus pro cõmuni causa hoc adiumenti suppeditarem, vt viri doctißimi clarißima monumenta, quibus cùm omnẽ disserendi facultatẽ, tum diuinæ, moralis, ac naturalis Philosophiæ vim omnem est complexus, emendatiora mea opera hoc tempere, auctioráque legerent. Atque in eo mecũ esse actũ præclarè puto, vt cùm hoc mihi cum aliis cõmune sit, qui obseruãtia, pietate, studio atq; inductione animi in te quadã singulari nominis tui Sanctißimi gloriæ & laudi fauẽt, mihi tamẽ hæc facultas data sit, hoc tibi, quicquid est, largiendo munere, me simul tibi vitã, fortunas Sanctißimo omnium parenti quicunque in hac religione censentur, addicendi, consecrãdi, deuouendi. Neque verò hoc mihi modò curæ est, vt hoc tibi meũ munus, quod per se tamẽ tibi gratissimũ futurũ spero, dignũ tui nominis maiestate cẽseas, sed, vt per illud ipsum, singulari mea in te voluntas, obseruantia, pietas, qua quidem concedo nemini, hac mei animi significatione declaretur: qui si quidem vnus est in omni munere spectandus, nõ despero fore, vt eum apud te locum gratiæ obtineam, quem rectis hominum studiis, pietati, religioni, quæ planè me tibi deuinctum tradit, patere voluisti. Vale Pater verè Sanctißime ac Beatißime, ac te nobis diu incolumẽ sospitémque serues. D. Lugduni Cal. Aug. M. D. LXVII.

REVERENDI MAGISTRI CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII, ORDINIS PRAEDICATORVM,

COMPENDIVM LOGICAE ISAGOGICVM AD EAM QVAE EST APVD ARISTOTELEM.

ORDINATVRVS Logicæ cõpendium pro neophitis intendo non recedere à via Peripatetica. Quod dico vt præseruem me à sophistarum captiunculis, quæ magis addiscentes confundunt, quàm dirigant. In quibus nonnulli per totam vitam laborant & insudãt, & nunquam ad veras doctrinas pertingunt. Neque enim verè scire desiderant, sed id tantum quòd se cum disputãtes irretiant, atque decipiãt. Erit igitur adolescentibus præsens compendiũ vt introductoriũ ad ea omnia, quæ Aristoteles diffuse in singulis suæ logicæ libris pertractauit. Diuidemus autem ipsum in vndecim tractatus:

Primus erit. De aliquibus, vt vniuersalibus principiis præcognoscendis.
2 De partibus propositionis.
3 De propositione:
4 De quinque vniuersalibus siue prædicabilibus.
5 De anteprædicamentis, & prædicamentis: & postprædicamentis.
6 De syllogismo formali.
7 De suppositionibus propriis & impropriis: relatiuis & absolutis.
8 De ampliationibus & appellationibus.
9 De consequentiis.
10 De probationibus terminorum.
11 De syllogismo demonstratiuo, in quo continebitur tota doctrina Aristotelis in libro poster.

IN hoc primo tractatu agendum est de aliquibus vniuersalibus vt principiis, sine quorum præcognitione, tenderemus in omnibus sequentibus per incognita. Hæc autem erunt septem: & sic præsens tract. continebit septem capita.

Primò quis fuerit veræ logicæ primus & sufficiens author.
2 Quid sit logica siue dialectica.
3 Quod sit logicæ adæquatum subiectum.
4 Quæ sit logicæ vtilitas vel necessitas.
5 Qualis scientia sit, & sub qua parte scientiæ continetur.
6 Quomodo in partes suas diuidenda sit.
7 A quo primo incipiendum est in logica.

CAPVT I.

Quis fuerit veræ logicæ primus author.

IN primo capite declarandum est quis fuerit veræ logicę primus author. Tu igitur aduerte quod Aristo. in 2. libro Elenchorum ca. vltimo, refert modum, quo reliquæ scientiæ & artes primò inuentæ sunt. Deinde quomodo successu temporis complementum susceperunt, Refert, etiam modum, quo logica inuenta est primò, & sufficienter tradita.

Quomodo sciẽtia & artes sunt inuentæ.

Quantum ad primum inquit Aristoteles, quod quælibet scientia & ars ab aliquibus primis inuenta quidem est, & excogitata, valde tamen imperfectè à posterioribus autem paulatim & subtilius elaborata adeo incrementum suscepit, q; tandem completa est. Tu tamen aduerte quod vt inquit Aristoteles, illud primũ in qualibet arte & scientia inuentum, licet paruum sit vtilius tamen ac melius est posterioribus inuentis & additis, est enim primum scientiæ aut artis principium. Licet autem prima principia inuenta sint paruà in magnitudine, sunt tamen maxima in virtute, quoniam ab ipsis totum pendet. Nam sicut arbor mirę altitudinis virtualiter continetur in paruo seminis grano, ex quo generatur: sic ars & scientia virtualiter continentur in primis ac breuibus principiis, à primis authoribus inuentis.

Sicut autem principium primum artis & scientiæ à primo inuentum quantumcunque paruum sit, est tamen optimum, sic & difficillimum est: neque enim primus inuentor accepit ab alio, neque in parte, neque in toto: sed longa & sagaci inuestigatione tãdem à se inuenit. Hinc est quod vt inquit Aristoteles principia prima inuenire perdifficile est, facile est autẽ inuentis addere. Ideo ex secundo Metaphysicæ agẽdæ sunt gratię primis inuentoribus. Nam si illi non fuissent, posteriores arti aut scientię non addidissent, nec ad complementum perduxissent. Hoc igitur modo aliæ artes & scientiæ inuentæ sunt, ac sufficienter traditę: quia scilicet primi prima inuenerunt principia, parua quidem magnitudine & pauca numero, sed maxima & plurima virtute. Deinde famosiores magísque exercitati addiderunt multa, & posteriores ex multis collegerunt magis certa superfluis aut incertis, aut erroneis reiectis, sicque tandem ars & scientia huiusmodi non solùm incrementũ, sed & complementum susceepit. Per hunc modũ dicit Aristoteles in secundo elenchorũ omnes scientiæ rhetoricę inuẽtæ & acquisitæ sunt. Nam post primos rhetoricæ inuentores secutus est Thesias, post Thesiam Theodorus, post illum multi multa inuenerunt & addiderunt. Hinc ars ipsa maximum iam habet incrementum. Et in secundo Metaphysicæ exemplificans de musica inquit, Nam si Timotheus non fuisset, multam melodiam non haberemus, Si autem Phirnis, scilicet non præcessisset Timotheum, Timotheus non fuisset scilicet instructus in principiis musicæ, nec eam auxisset. Aliæ igitur artes & scientiæ primos habuerunt authores à quibus principia, deinde posteriores, à quibus paulatim augmentum & sufficientiam recepimus.

Quomodo logica fuerit inuẽta & aucta.

Quantum ad secundum aduerte, vt testatur Aristoteles in fine libri secundi Elenchorũ, quod licet aliæ artes & scientiæ ante Aristotelem inuentæ & augmentatæ fuerint per famosos authores, vt patet de scientia naturali per Thaletam & Melissum & Empedoclem, & Heraclitum: licet admixtam multis erroribus tradiderint, quos ipse Aristoteles in omnibus physicæ partibus reprobat: De mathematicis per Pythagoram & Euclidem antiquißimos Aegyptios. De diuinis per Mercurium Trimegistum & Hesiodum. De moralibus per Socratem & Platonem: & sic intellige de reliquis artibus; tamen logicæ scientia ante Aristotelem inuenta non fuit. Nihil inuenimus de ea ordine traditum, quo vt regula sciendi dirigi posset addiscentis intellectus ad alias scientias acquirendas. Nam, vt legimus apud Platonem in Gorgia & Protagora & Euthidemosi quam logicam sophistæ conabantur ostendere se habere, non ad sciendum, sed ad decipiendum vtebantur, totúmque studium eorum erat reddere discipulos non verè, sed apparenter scientes, cum verè nihil in fine addiscendi retinerent nisi captiunculas, friuolásque, ac deceptorias rationes. Hos igitur Socrates & Plato semper insectati sunt, vtpote non bonarum artium doctores, sed & deceptores ac illusores humani ingenij. Verùm, quia nec Socrates, nec Plato artem hanc adepti sunt: ideo doctrinalem ordinem nec in sophistis reprobandis, nec in propriis conceptibus enucleandis seruare potuerunt, & licet potentes essent ad interrogandum siue dubitandum: non tamen ad respondendum & soluendum propter logicæ carentiam. Vnde Socrates fatebatur se quidem scire interrogare, at respondere nescire. Vt igitur vera sciendi regula directiua humani

intellectus in artibus & scientiis inueniretur, datus est nobis ab authore naturæ Aristotele, qui suo penè diuino ingenio primus logicam veram inuenit, & secundum omnes partes ordinauit ac perfecit, vt declarabimus infrà diuidentes logicam descriptam ab Aristotele in partes: & assignabimus earum sufficientiam. Quoniam igitur Aristoteles hanc primus inuenit & perfecit, ideo vt primo inuentori gratiæ habendæ sunt. Quod & ipse innuit in fine secundi Elenchorum dicens, De rhetoricis erant multa & antiqua dicta. De syllogismis autem omnino nihil habuimus prius aliud dicere quàm quod attritione quærentes per multum tempus laborauimus. Si autem videtur nobis considerantibus velut ex his quæ à principio erant habere artem hanc sufficienter super alia negocia, quæ ex traditione adaucta sunt, reliquum erit omnium vestrum vel eorum, qui audierunt hoc opus, omissis quidem artis indulgentiam, inuentis autem multas habere gratias. Hæc de præsenti capite dicta sint.

CAPVT II.

Quid sit logica vel dialectica.

IN secundo capite ordo doctrinæ requirit vt manifestemus quid sit logica siue dialectica. Oportet enim in vna quaque arte & scientia præcognoscere quid significetur per nomen illius scientiæ, & artis, de qua tractandum est, aliter addiscens semper per incognita tenderet. Verùm antequàm descendamus ad veram logicæ diffinitionem, præscire te oportet quid sit propriè diffinitio, & quomodo differt ad descriptione, & etymologia, & interpretatione: Deinde deueniemus ad propositum nostrum.

Quid sit definitio. primo Topicorum.

Tu igitur aduerte quid in doctrina Aristotelis, Diffinitio, est oratio indicans quid sit res per essentialia: id est, per ea quæ sunt de essentia, & substantia rei, & sine quibus rei natura dari non potest. & hæc est vera, & propriissima diffinitio. Ver. gra. Homo est animal compositum ex corpore humano, & anima rationali: hæc est vera diffinitio, quoniam dicit, & manifestat naturam hominis sufficienter, & facit ipsum differre à quolibet alio animali, & datur per substantialia hominis, quæ sunt corpus humanum, & anima rationalis, & verunque est substantia. Diximus quod diffinitio est oratio: quoniam solus vnus terminus nõ facit diffinitionem, sed oportet saltem esse duos, quorum vnus sit genus, tanquam magis communis. & alter differentia conuertibilis cum diffinito, vt tibi declarabimus in tract. de prædicabilibus. requiritur & copula: id est, verbum substantiuum, vt prædicetur diffinitio de diffinito, vt hic, Homo est animal rationale: homo est diffinitum, animal rationale est diffinito. Per ly est prædicatur diffinitio de diffinito, ex consequenti constat quòd diffinitio est oratio. Diximus indicans quid sit res per essentialia, vt distinguatur diffinitio vera à descriptione, & etymologia, & interpretatione.

Descriptio quid.

est enim descriptio oratio indicans quid sit res per accidentalia propria: id est, quæ soli descripto conueniunt. vt descriptio hominis est hæc, Homo est animal staturæ rectæ, risibile, & beatificabile. nam statura corporis recta, & risibilitas, & beatificabilitas sunt proprietates consequentes solam naturam hominis. Quid autem sit rei proprietas, & quomodo emanat à forma rei, & eius specifica differentia dicemus in tract. de prædicabilibus.

Etymologia vero est manifestatio vnius termini minus noti addiscenti per alium terminum magis notum, & prius notum apud eundem: stando tamen in eodem idiomate, vt quando exponimus hunc terminum sol, quasi solus lucens: & cælum, quasi omnia inferiora celans, siue tegens: & lepus, quasi animal leuium pedum.

Interpretatio quid

Interpretatio autem est vnius termini declaratio ex vno idiomate in alio. vt Kirios Græcè, est dominus Latinè, & physis Græcè, est natura Latinè. & in hoc sensu omnis sermo ex vno idiomate versus in alium dicitur interpretatus, & versio est translatio siue interpretatio, & vertens dicitur interpres, siue translator. Constat igitur quomodo per ly essentialia differt vera diffinitio à descriptione, & etymologia, & interpretatione.

His declaratis accedendum est ad diffinitionem veram logicæ, & descriptionem, & etymologiam, & interpretationem.

Quantum ad veram diffinitionem sic vniuersaliter diffinitur. Logica est scientia rationalis discretiua veri à falso.

Logica quid sit.

Dicitur scientia rationalis, vt distinguatur à scientiis, & artibus realibus: quales sunt physica, mathematica, & metaphysica, & cæteræ. Quare autem, & quomodo sit scientia rationalis declarabitur tibi in cap. quinto.

Dicitur discretiua veri à falso, vt in hoc distinguatur à cæteris speciebus scientiæ rationalis, quæ sunt grammatica, rhetorica, & poëtica. Nam grammatica versatur, & regulat intellectũ circa sermonem congruum, & incongruum. Rhetorica circa sermonem comptum, & incomptum, siue ornatum, & inornatum. Poëtica circa sermonem delectabilem, & indelectabilem. Logica verò facit intellectum discernere inter sermonem verum & falsum. Nam, vt tibi declarabitur, per logicam scire poteris, quæ oratio sit vera, aut falsa. Idem intellige de diffinitione, de diuisione, de consequentia, de syllogismo, de quocunque alio modo argumentandi. De vero autem, & falso grammaticus, vt grammaticus, similiter rhetoricus & poëta vt sic, non curant. Sufficit enim grammatico si orationem congruam fecerit, & rhetorico si ornatam, & poëtæ, si delectabilem, Si autem cum hoc sit vera, erit sibi per accidens.

Quantum ad descriptionem, sic describi consueuit. Logica est omnium artium, omnium scientiarum aptissimum instrumentum, sine qua nulla ars, nullaque scientia perfectè sciri potest, & hæc quidem descriptio sequitur ex præmissa diffinitione. Nam sicut ex eo quod homo est animal rationale essentialiter, sequitur quod sit animal risibile, & disciplinabile vt proprium sibi, sic ex eo quod logica est scientia rationalis discretiua veri & falsi, sequitur vt sibi proprium, quod sit nostro intellectui in acquirendis cæteris artibus, & scientiis aptissimum instrumentum. Huic descriptioni consonat ea quæ solet ascribi diuo Augustino, & hæc est, Logica est ars artium, & scientia scientiarum, qua aperta omnes aperiuntur, & qua clausa omnes aliæ clauduntur. Eidem concordat ea, quæ formatur à Petro Hispano in principio summularum suarum sub nomine dialecticæ. Sumit autem dialecticam pro tota logica, & non pro parte topica, de qua acturi sumus in octauo tract. Sic autem describit eam. Dialectica est ars artium: id est, directiua intellectus vt regula acquirendi alias artes, & scientia scientiarum: id est, directiua eodem modo intellectus in acquirendis aliis scientiis, ad omnium methodorum: id est, scientiarũ principia viam habens. Nam logica dat nobis viam, & modum cognoscendi principia aliarum scientiarum: ex principiis autem cognitis acquirimus scientiam pendentem ex principiis cognitis per logicam. Via autem, quam dat nobis logica ad cognoscendum principia omnium scientiarum, est ars diffinitiua, diuisiua, inductiua, argumentatiua, de quibus omnibus pertractat logica, vt declarabimus in locis suis.

Et aduerte, quòd scientias appellat methodos. Est autem methodus propriè apud Græcũ, quod Latinus propriè appellat callẽ: est autem callis via stricta, breuis & recta, cità ducens viatorem ad optatum terminum. Transumptiuè igitur scientiæ acquisitæ per logicã dicuntur methodi: quoniã per logicam breui tempore, & rectè ac verè addiscuntur. Hinc patet, quòd qui absque logica docent, aut dictant, & scribũt, & qui addiscunt, semper inordinatè, & infinita prolixitate procedunt, nec vnquam ad veram, & firmam rei notitiam perueniunt, nec se in dubiis resoluere, nec contra impugnantes se defensare possunt. Optimum est ergo ante omnes scientias logicam acquirere, nec cum logica velle alias simul acquirere. Dicit enim Aristot. in secundo Metaphysicæ quòd absurdum est simul quærere scientiam, & modum sciendi, & per modum sciendi, vt dicit Commentator Auerroes, intendit logicam, quæ dat modos generales, & regulas, secundum quas in qualibet scientia procedendum est. Has autem regulas docebimus in tractatu sexto, & septimo, & octauo, & decimo. Constat igitur tibi quid sit logica diffinitiuè, & descriptiuè.

Quantum ad etymologiam, & interpretationem eius, aduerte, quòd logica quantum ad id, à quo nomen imponitur apud Græcum, interpretatur de sermone scientia apud Latinum. est enim logos sermo. ethicos scientia. & vt sic nisi aliud addatur communis est grammaticæ, & rhetoricæ, & poëticæ, & logicæ propriè dictæ. Omnes enim sunt scientiæ de sermone, sed diuersa ratione, vt docuimus suprà.

Quantum autem ad illud cui nomen imponitur, interpretanda est logica scientia de sermone vero, & falso, & sic est scientia distincta à grammatica, & rhetorica, & poëtica, contenta tamen sub logica vniuersaliter dicta, vt est scientia de sermone & cætera. Et, quoniam considerare ac pertractare habemus de logica directiua veri, & falsi, & non

non absolutè, & vniuersaliter dicta, ideo sua etymologia ac interpretatio erit hæc, vt non detur per manifestiora, logica est scientia sermonis veri, & falsi in qualibet scientia, & arte diiudicandi, vt ab his quæ videntur primo aspectu vera, & non sunt, & ab erroribus ac falsis liberemur, vt veritatem defensare, falsitatem impugnare, sophisticas rationes contra verum soluere discamus, & rectum limitem in omni rationis opere prosequiac consetuare. Dialectica verò exponitur à Petro Hispano, quasi duorum sermo vel ratio: scilicet arguentis, & respondentis in disputatione. Verum melius est, vt exponatur dialectica quasi disputatiua, deriuatur enim apud Græcum à dialegome, quod est disputo Latinè. Hæc, de præsenti capite dicta sint.

CAP. III.

Quod sit eius subiectum circa quod versatur.

IN tertio cap. inuestigandum est, quod sit subiectum in logica, circa quod versatur. Sed antequam descendamus ad resolutionem propositi duo proponenda sunt: primo quot modis consueuit accipi subiectum in doctrina Aristo. secundò quas conditiones oportet attribuere subiecto scientiæ, & artis.

Subiectũ quot modis accipitur.

Quantum ad primum aduerte, quòd subiectum dicitur quadrupliciter, primò de eo quod præponitur verbo in oratione, vt homo est animal, homo apud logicum dicitur subiectum, animal dicitur prædicatum, est dicitur copula. & aduerte quòd id quod dicit grammaticus suppositum, dicit logicus subiectum: & quod dicit appositum, dicit logicus prædicatum, & quod dicit verbum dicit logicus copulam. Copulat enim, & coniungit verbum prædicatum cum subiecto. Secundò dicitur de omni substantia, quæ in se recipit aliquam formam vel accidens, & in hoc sensu dicimus manum esse subiectum caloris, quia in se recipit calorem, eodem modo lapis, in quo sit figura Mercurij dicitur subiectum figuræ. corpus in quo recipitur anima dicitur subiectum animæ. intellectus in quo recipitur scientia dicitur subiectum scientiæ. Tertiò dicitur de partibus materialibus ex quibus aliquid componitur, & in hoc sensu lapides, & ligna, & clauĩ, & cementum dicuntur subiectum domus: vt pro eodem sumatur subiectum, & materia ex qua resfit. Quartò dicitur de eo, circa quod agendum, aut curandum, aut cognoscendum intendit homo, & in hoc sensu domus est subiectum ædificatoris, dum fabricatur: corpus humanum est subiectum medici dum medicatur, cælum est subiectum astronomi dum circa ipsum speculatur: ens mobile siue corpus mobile est subiectum physici &c. Et dicitur subiectum circa quod versatur artifex, & sciens siue speculans, & considerans. Relictis aliis modis pro nunc, intendimus declarare quod sit subiectum logicæ iuxta quartum modum.

Subiectũ scientiæ, quæ habeat conditiones.

Quantum ad secundum aduerte quòd subiectum sumptum quarto modo, tres oportet habere conditiones simul iunctas, ita quòd si vna deficit non erit verè subiectum. Primò oportet esse principale consideratum in scientia. Vnde nullum secundariò aut cõmuniter consideratum potest esse verè subiectum in scientia. Ver. gra. In arithmetica par, & impar binarius aut ternarius, aut quæcunque alia numeri species nõ possunt esse verè subiectũ, sed numerus vt numerus: primò enim & principaliter cõsiderat de numero, consequẽter autem de proprietatibus & specialibus numeri. secundò oportet quòd omnia considerata in arte, aut scientia considerentur non secũdum se, sed in ordine ad ipsum. Ver. gra. Ideo domus est subiectum artis ædificatoriæ, quoniam circa ipsam ædificandam artifex principaliter, & prima intentione intendit, & in ordine ad ipsam considerat lapides vt sunt apti construere domũ, similiter & ligna, & alia. &c. non enim considerat lapides vt sunt inanimati, neque ligna vt vegetabilia, neque clauos ferreos vt minerales. hæc enim ad consideratione physici pertinent: sed vt partes aptæ, ex quibus construatur & firmetur domus. Tertiò oportet vt per subiectum scientiæ, & artis sufficienter differat ipsa à quacunque alia. ideo grammatica differt à rhetorica, quia in ea subiectum est oratio cõgrua, in rhetorica autẽ oratio cõpta. & arithmetica differt à geometria, quia in ea subiectum est numerus, in geometria autem quantitas continua diuisa in lineam, & superficiem & corpus, vt declarabimus in prædicamento quantitatis.

His prænotatis aduerte, quòd, cũ logica sumatur duplicitèr, vt suprà iam diximus scilicet vniuersalissimè, & propriè: vniuersalissimè quidem vt sub se continet grammaticam, & rhetoricam & poëticam & logicam argumentatiuam. propriè verò vt est scientia distincta à prædictis & dicitur scientia rationalis argumentatiua: subiectum in illa vniuersalissimè sumpta, est ens rationis, idest ens fabricatum ab intellectu & non habet esse extra intellectum, quales sunt termini siue dictiones componentes orationem congruam aut ornatam aut delectabilem, aut veram, & suum oppositum, & argumentatio quæ componitur ex propositionibus modo quo dicemus in tractatu sexto. Et quidem quòd ens rationis sit subiectum in logica vniuersalissimè sumpta, probatur sic. Sicut se habet scientia realis vt physica, mathematica & metaphysica ad ens reale, quod est ens extra intellectum, vt homo, terra, cælum &c. sic scientia rationalis se habet ad ens rationis: sed scientia realis versatur circa ens reale, vt subiectum: ergo scientia rationalis circa ens rationis. Sed logica vniuersalissimè sumpta, est scientia rationalis, vt dicemus infrà: ergo subiectũ logicæ vniuersalissimè sumptę est ens rationis. Subiectum autem logicæ propriè sumptæ est ens rationis sub discursu intellectus: quod est idem quod argumentatio. Et probatur sic. Idem est subiectum in tota sciẽtia rationali, & in qualibet eius parte, sub diuersa tamen ratione: sed ens rationis est subiectum in tota scientia rationali, quæ est logica vniuersalissimè sumpta: ergo & in qualibet eius parte sub distincta ratione. Partes autem totius scientiæ rationalis sunt: Grammatica, cuius subiectum est ens rationis congruum, & incongruum: & Rhetorica, cuius subiectum est ens rationis ornatum, & inornatum: & poëtica cuius subiectum est ens rationis delectabile, & indelectabile: & Logica propriè dicta, cuius subiectum est ens rationis ratiocinatiuum, quod est idem quod argumentatio. Præterea, vt videbis infrà, tractabimus de terminis, & nomine, & verbo per respectum ad orationem: quoniam sunt componentes orationem, & de oratione per respectum ad propositionem, & de propositione per respectum ad argumentationem, & illic erit status. Cum igitur omnia considerata in logica propriè dicta considerentur in ordine ad argumentationem, sequitur argumentationem, quæ est idem cum ente rationis discursiuo, vt ita loquar, esse in ea subiectum. Hæc de præsenti cap. dicta sint, ne ingeniũ nouitij confundamus. Nam quid sit ens rationis, & ens reale abundantius dicemus in principio tractatus quarti.

Quæ logicæ partes.

CAP. IIII.

Quæ sit Logicæ vtilitas, & necessitas.

IN quarto capite declarandum est si logica propriè dicta, est nobis vtilis, & necessaria. Sed antequam ad resolutionem propositi descendamus, manifestandum est quibus modis aliquid sit vtile, & necessarium. Tu igitur aduerte quòd vtile est illud, quod propter aliud appetitur, vt deseruiat appetenti consequi optatum. Sic equus dicitur vtilis, quia deseruit sessori in delatione propriæ personæ, aut alicuius oneris. Vtile autem est aliquid duobus modis. Primò aliquid dicitur vtile quod licet in se, & secundùm sui naturam non sit appetibile, nec amabile, imò abhominabile, tamen in ordine ad aliquem finem amatum consequendum est appetibile. Hoc modo medicina fœtida & abhominabilis, dicitur vtilis, pro quanto deseruit infirmo ad consequendam sanitatem, quæ alias nullo modo est appetibilis. secundò aliquid dicitur vtile, quod est in se est appetibile, & per respectum ad alterum consequendum. Hoc modo medicina delicata, & odorifera est vtilis: quoniam non solùm in ordine ad consequendam sanitatem, sed etiam, secundum se est amabilis.

Vtile quid dicatur, & quot modis.

Necessarium dicitur aliquid sine quo res non potest esse aut fieri aut acquiri aut seruari. vt cibus est necessarius volenti viuere, & nauis necessaria volenti transfretare. Hoc autem licet pluribus modis dicatur, pro nunc sufficient duo modi. Primò aliquid est necessarium sine quo res desiderata non potest absque maxima difficultate acquiri. sic equus dicitur necessarius eunti in Franciam, quoniam & si pedester posset iri, id tamẽ summè difficile sibi foret. secundò aliquid est necessarium sine quo vllo modo potest finis intentus haberi. sic cibus est necessarius, similiter, & respiratio intendenti viuere.

Necessarium quid & quot modis.

His præhabitis dico pro resolutione propositi, quòd Logica non est vtilis primo modo, nam licet in se sit aspera, & difficillima addiscenti, tamen in se non est abhominabilis. cùm sit vera scientia & perfectiua ac acuitiua ingenij vt aliàs declarabimus. Cum igitur scire vniuersaliter sit nobis appetibile, sequitur quòd logica in se sit appetibilis sicut grãmatica, & rhetorica ex consequenti non est vtilis primo

modo: est autem vtilis secundo modo: quoniam & si in se sit appetibilis, tamen ex sua prima inuentione ordinatur vt deseruiat intellectui in acquisitione aliarum scientiarum, & ideo est vtilis secundo modo. est enim logica intellectui inquirenti, & venanti veritatem in aliis scientiis, sicut canis solertissimus venatori.

Num logica sit necessaria,

Quo ad necessitatem aliqui dicunt ipsam necessariam primo modo & etiam secundo, Arbitrantur enim, quòd sine logica nulla scientia potest omnino acquiri: sicut ædificator sine arte, non potest ædificare. Sed id non videtur rationabiliter dictum, nam ante Aristot. inuentorem logicæ, vt sibi attribuit, apud Aegyptios & Arabes & Græcos sapientissimi fuerunt & præcipuè in mathematicis, vt testatur Aristoteles in procemio metaphysices, & iuristæ habent scientiam ciuilem, & tamen non incumbunt studio logicæ. & ideo melius est sic distinguere. Logica est duplex scilicet naturalis, & artificialis: naturalis est discursus innatus cuilibet vtenti ratione. Nam cùm distinguatur homo ab intelligentiis, ex eo quòd illę sunt merè intellectuales, homo autem rationalis: illæ simpliciter intelligunt, homo autem cum discursu: hinc videmus idiotam loquentem formare consequentias conditionales, syllogismum expositorium, & multis modis arguere, & hac naturali via argumentatiua processerunt antiqui & procedunt iuristæ. Verum, quia natura per artem perficitur, & sine arte valdè defectibiliter operatur, vt patet in cantante, siue citharizante ex naturali habitudine, antequam artem musices addiscat: ideo logica artificialis necessaria est primo modo, naturalis autem secundo modo. Nam artificialis dans modum rectè & absque errore definiendi, diuidendi, argumentandi, ac respondendi disponit & facilitat intellectum, vt promptè, & expeditè, & ordinatè, & resolutè se exerceat in prædictis actibus, quibus venatur veritatem, & falsitatem deuitat, & sine his, summa difficultate, & longissimo tempore, & admixtione multorum errorũ, verum ipsum attingeret: ergo ei est necessaria logica primo modo: secundo autem modo, logica naturalis est necessaria: quoniam hominis natura non simplici intelligentia, sed discursu à noto ad ignotum procedit. Vnde dixit Aristoteles in primo Metaphysicæ, quòd hominum genus arte & rationibus, idest argumentationibus viuit. idest operatur. Vtraque autem logica est argumentatiua, ergo constat quomodo est vtilis & quomodo necessaria. Hæc de præsenti cap. dicta sint.

CAP. V.

Qualis scientia sit logica, & sub qua parte scientiæ vniuersaliter diuisæ locanda sit.

IN quinto capite manifestandum est, qualis sit scientia logicæ, & sub qua parte scientiæ vniuersalissimæ diuisæ contineatur. Ne igitur oporteat idem sæpius inutiliter repetere, præponemus in primis vniuersalem scientiæ, siue philosophiæ (vt volunt alij) diuisionem. Deinde determinabimus propositum.

Quantum ad primum aduerte, quòd ex doctrina Aristotelis colligitur hæc vniuersalis philosophiæ siue scientiæ diuisio.

Scientiarum, alia speculatiua, alia practica.

Speculatiuarum, alia realis, alia rationalis.

Realium speculatiuarum, alia physica, alia mathematica, alia metaphysica.

Rationalium speculatiuarum, alia grammatica, alia rhetorica, alia poëtica, alia logica siue dialogica. idest disputatiua.

Practicarum alia actiua, alia factiua.

Practicarũ actiuarum, alia ethica, alia politica, alia œconomica.

Practicæ factiuę diuiduntur in artibus quas famose dicimus Mechanicas, & communiter sunt septem scilicet lanificium, militia, nauigatio, agricultura, medicatio, venatio, & ars fabrilis. Ad has reducuntur omnes aliæ, vt facilè cognoscere poteris.

Et ne hæc diuisio sit penitus incognita nouitio, dicemus compendiosè quid sit vnumquodque prædictæ diuisionis membrum, donec ad philosophiam transeamus. Tunc enim exactè de vnoquoque membro quid sit, & quid sub se contineat pertractare intẽdimus. Tu igitur aduerte, quòd apud Aristotelem (vt docet in libro sexto Ethicorum.) Scientia vt distinguitur ab opinione, & à fide, est certa, & euidens rei cognitio, quam intellectus acquirit per syllogismum demonstratiuum, vt declarabimus in tractatu decimo, per hoc quòd dicitur certa cognitio, distinguitur scientia ab opinione. Quæ enim opinamur, non firmiter cognoscimus, nec eis adhæremus nisi cum formidine alterius partis. Per hoc quòd dicitur euidens cognitio distinguitur à fide. Nam ea propriè credimus, quibus firmiter assentimus, licet sint nobis immanifesta, vt credimus Deum creatorem mundi in tempore, licet potuerit eum creare ab æterno.

Scientia speculatiua est illa cuius finis est scire siue cognoscere subiectum suum, vt scientia de cælo, de Deo, de anima &c, est speculatiua. Neque enim per nostrum scire possimus Deum aut cælum aut animam operari.

Scientia practica est illa cuius finis non est tantùm scire, sed operari circa obiectum suum, vt scientia medicatiua & domificatiua, neque enim addiscens ædificare, contentatur scire ædificare, sed intendit ædificare.

Sientia speculatiua realis est illa quæ versatur circa ens reale, quod habet esse extra intellectum: qualia sunt corpora naturalia & cælum & diuinæ substantiæ, & quantitas continua & discreta.

Scientia speculatiua rationalis est illa quæ versatur circa ens fabricatum ab intellectu, & quòd non haberet esse nisi existeret intellectus: quales sunt termini & dictiones ex quibus componitur oratio, & ex orationibus componitur argumentatio, similiter omnis sermo congruus & incongruus ornatus & inornatus, delectabilis & indelectabilis, verus & falsus. Hæc enim omnia non essent nisi intellectus ea fabricaret, intellectus autem est ratio: ideo dicuntur ens rationis. id est ens fabricatum à ratione.

Scientia speculatiua realis physica est illa quæ versatur circa ens mobile, quod est ens naturale, vt cælum & elementa, & elementata.

Scientia speculatiua realis Mathematica est illa, quæ versatur circa ens quantum continuum & discretum. Quantum continuum est linea, superficies, corpus, & omnes species figurarum, & de his omnibus pertractat Geometria. Quantum discretum est numerus, & de numero, ac proprietatibus numeri pertractat Arithmetica.

Quid autem sit grammatica & rhetorica & poëtica & logica, in quas diuiditur speculatiua rationalis, & circa quæ versentur, iam diximus suprà.

Practica actiua est illa quæ versatur circa humanas operationes regulandas, vt bene ac moraliter fiant.

Practica actiua ethica est quæ regulat proprias operationes cuiuslibet hominis volentis benè & virtuosè viuere.

Politica autem quam Latinè, dicimus ciuilem est quæ regulat ex regentis prudentia publicas, & ciuium actiones vt iustè & pacificè fiant.

Oeconomica verò, quam domesticam aut familiarem dicimus Latinè, est, quæ regulat ex patris familiâs prudentia & autoritate operationes totius familiæ, secũdum quòd vnum quemque familiæ gradum decet. gradus autem sunt vir, & vxor, parentes & filij dominus & seruus, ex his enim integratur familia in specie humana vt docet Arist. in 1. Politicorum.

Practica factiua est illa quæ versatur circa artificia manualia, quæ communiter exercentur plebeis animis, gratia lucri, & non gratia perficiendi intellectum, nec assequendi fœlicitatem. & ideò dicuntur mechanica, quia faciunt hominem intendere extrà se, & non intrà se, sicut adulter quærens allenam dissipantem, & relinquens sibi sociatam ad bonum proprium & constitutionem familiæ.

Distinctio autem sua in septem artes mechanicas notissima ac vulgatissima est, ideo eam pertranseo. Constat igitur tibi vniuersalis scientiæ, siue philosophiæ diuisio, & compendiose quid sit quodlibet diuisionis membrum. Dixi compendiosè, quoniam si ad vnguem & per omnia vellẽ de his tractare, nouicij ingenium, qui ex simplici grammatica se ad logicam transfert, non docerem sed confunderem. Intendo autem Deo propitio in philosophia naturali, & metaphysica, & morali, & politica & œconomica peripatetica resolutè, & diffusè de singulis pertractare. Nunc sufficit velut paruulis cibum leuiorem propinare, donec solidiorem naturæ virtus ferre valeat.

His prænotatis facilè tibi constare potest qualis scientia sit logica, & sub qua specie diuisionis generalis scientiæ contineatur. nam si interrogeris, qualis scientia sit, respondendum est quòd rationalis & non realis ratione iam assignata. Item respondendum quòd speculatiua & nõ practica. Et si obiciatur, q̃ non quæritur gratia sui, sed gratia acquirendi alias

Hæc est praxis absoluta ratio.

di alias scientias per argumentationem, respondẽdum est quòd non propter hoc impeditur quin sit speculatiua. nam quando dicitur quòd scientia practica est illa, quæ ordinatur ad opus, intelligendũ est ad opus quod sit alterius potentiæ quam intellectus, puta sit actus voluntatis aut manus aut pedis. Si autem ordinatur ad regulãdum opus intellectus, puta quomodo formanda sit oratio affirmatiua, aut negatiua, quomodo argumentandum sit ad probãdum conclusionem physicã vel mathematicam, nõ obstat quin sit speculatiua, aliter nec Arithmetica esset speculatiua, ordinatur enim ad numerationem, quæ est opus intellectus. similiter Astronomia non esset speculatiua, quoniam ordinatur ad mensurandum quantitatem cæli & stellarũ & eorum motum. Eodem modo nec grammatica nec rhetorica essent habitus speculatiui, cum vna ordinetur ad formandum sermonem congruum & vitandum incongruum, altera ad formandum sermonem ornatum, & vitandũ inornatum. Constat igitur qualis sciẽtia sit logica, & sub qua parte scientiæ vniuersaliter diuisæ cõtineatur. Hæc de præsenti capit. dicta sint.

CAPVT. VI.

Quomodo logica in partes suas diuidenda sit.

IN sexto capite aduerte antequam descendamus ad diuisiones logicæ, quod omnis recta & valida diuisio debet esse per membra opposita, vt hæc, colorũ alius albus, alius niger. Si autem dicatur, hominũ alius albus, alius magnus, diuisio non est valida, quoniam non opponuntur album & magnum, quoniam stant simul in eodem. Membra autẽ diuisionis validæ, non se compatiũtur in eodem, sed si vnum affirmatur, alterum negatur ab eodem. Verbi gratia, Si sortes est magnus, ergo non est paruus. Non sequitur autem quod si sortes est albus nõ sit magnus, quoniam potest esse magnus & albus. Item membra validæ diuisionis debent sufficienter euacuare diuisum, ita q̃ nihil contineatur sub diuiso, quod nõ contineatur sub aliquo mẽbro diuisionis. Vnde hæc diuisio est valida: Animalium aliud rationale, aliud irrationale. non enim potest inueniri animal, quin sit rationale, aut irrationale. Hæc autem non est valida, animalium aliud bipes, aliud quadrupes. nam inuenitur animal quod nullum habet pedem, vt vermis, aliud est quinto pes & aliud octupes, &c. Oportet igitur sic diuidere logicam, quòd partes diuidentes sint oppositæ, & sufficienter euacuent diuisum.

Tu igitur aduerte, quòd in doctrina Aristo. fundatur triplex diuisio logicæ.

Logica naturalis & artificialis.

Prima est hæc, Logicæ alia naturalis, alia artificialis, siue ingeniosa. naturalis est inditus discursus, quo naturaliter homo vtitur in cogitando de agendis, & per sermonẽ explicando conceptus suos ac conferendo. Componit enim ex suo ingenio orationes ex terminis, & propositiones & varios modos arguẽdi format, modo syllogismum, modo enthymema, modo inductionem, modo ab exẽplo. Et hac quidem naturali logica regulati fuerunt antiqui in speculationibus suis, & eadem regulantur ciuiles, & negotiatores, & litigantes, & artifices mechanici, & breuiter omnis homo ratione vtẽs. Et hæc quidẽ naturalis logica, est innata promptitudo ad talem discursum, ita quòd nõ ab alio acquiritur, sed rationale animal naturaliter consequitur, inæqualiter autem iuxta maioris ac minoris ingenij differentias. Nam sunt aliqui adeo depressi ingenij, quòd vix vno gradu deprehẽduntur differre à bruto. Isti pro maiori parte non logica naturali, sed instinctu & motu passionũ, more animalium operantur. Quidam autem sunt, qui vt diuini apparent, & adeo vigent ingenio & subtilitate intellectus, quòd videtur eis sufficere promptitudo naturalis discurrendi, argumentandi, & respondendi. Medij autẽ sunt innumeri.

Logica autem artificialis est quæ ex ingenio & lõgo vsu homo adinuenit sub certis regulis infallibilibus, modos & species propositionũ (de quibus dicemus infra) certas regulas quibus discernimus vtiles modos arguendi ab inutilibus, & verum modum definiendi, diuidẽdi, & determinandi. dubia proposita secundum subiectam materiam, vt declarabimus in suis propriis tractatibus. & hæc est quam Arist. dicit in secundo Elenchorum se inuenisse & ẽpleuisse, & de qua nunc pertractaturi sumus.

Logica vtens & docens.

Secunda diuisio est hæc: Logica artificialis distinguitur in docentem, & vtentem. Docens quidẽ est quæ tradit formam definiendi terminos, & cõponendi veras propositiones, & ex eis per certos modos & figuras formandi veros syllogismos & consequentias & alia argumẽtandi genera, de quibus loquemur infrà. & communiter non à proprio ingenio, sed à docente acquiritur. Hæc est quam diximus regulare intellectũ in aliis sciẽtiis acquirendis, & de qua diximus quòd ad omnium methodorum principia viã habet. Logica vtens, est ipsamet docens, quam postquã didicimus, applicamus aliis scientiis acquirendis, vt optimũ instrumentum regulatiuum intellectus in definiendo, diuidendo, verum à falso discernendo, in deducendo cõclusiones ex propriis principiis, vt tibi manifestũ erit in Philosophia naturali. Neque enim scires definire, neque diuidere ens mobile, neque probare proprietates subiecti scientiæ naturalis, nisi in logica didicisses modum definiendi, diuidendi, & demonstrandi. Tu tamen aduerte quòd licet sit eadem realiter, ratione tamen distinguitur inquantum docens, & inquantum vtens. Nam inquantum docens cõsideratur in se, inquantum vtens respicit alias scientias.

Tertia diuisio est hæc: Logica docens sufficienter diuiditur in tres partes. Prima est in qua tractatur de terminis incomplexis, & hæc diuiditur in duas. In prima cõsideratur de terminis secundæ intentionis, & iste est liber Prædicabilium. In secunda cõsideratur de terminis primæ intentionis, & iste est liber prædicamentorum, & postprædicamentorum. Secunda est in qua tractatur de terminis complexis, id est de oratione, & propositione, & hic est liber Peri hermenias. Tertia est in qua tractatur de argumentatione, & hæc diuiditur in quatuor. In prima agitur de argumentatione syllogistica absoluta & simplici, id est non applicata alicui materiæ & hic est liber Priorum: In secunda agitur de syllogismo demonstratiuo, & hic est liber Posteriorũ. In tertia agitur de syllogismo topico, id est, probabili, & hic est liber Topicorum. In quarta agitur de syllogismo fallaci, quem dicimus sophisticum, eo q̃ per ipsum solùm generatur deceptio, & hic est liber Elenchorum. Hæc est summa librorum, quos tradidit nobis Arist. inuentor logicæ. Reliquos autem minores tractatus quos appellamus parua logicalia, non habemus formaliter ab Aristotele. Sed posteriores traxerunt virtualiter ex prædictis libris Arist. ita quòd eorum principia iam habuimus ab Aristotele, vt tibi declarabitur, quando agemus de consequentiis & suppositionibus, &c. Et aduerte quòd sufficientia prædictæ diuisionis sumitur hinc, Argumentatio (vt dictũ est suprà) est principale consideratum à logico velut eius finis, non enim logicam quærimus nisi vt acquiramus habitum faciliter & rectè argumentandi ad quamcũque conclusionem. Argumentatio autem est quoddam totum constãs ex propositionibus, vt tibi declarabitur loco suo, propositio verò constat ex terminis. Cum igitur eadem scientia sit consideratiua totius & partium, necesse est logicum versantem circa argumentationem, considerare de argumentatione & partibus eius, partes autem eius sunt duplices scilicet propinquæ & remotæ. propinquæ sunt propositiones: remotæ autem termini incomplexi, nam propositiones componunt immediatè argumentationem. Termini autem incomplexi non cõponunt eam, nisi quia ingrediuntur propositionem. Ex quibus constat, quòd pars prima, in qua considerantur termini incomplexi, ordinatur ad secundam, in qua consideratur propositio, & secũda ad tertiam in qua consideratur argumentatio, & in ea cõpletur intentio logici. Constat igitur quomodo diuidẽda sit logica, & quæ sint eius partes sufficienter ipsam diuidentes. Hæc de præsenti capit. dicta sint.

CAPVT VII.

A quo sit incipiendum in logica, & quis ordo prosequendus ne confundatur ingenium nouicij.

IN septimo capite inuestigandum est à quo primo incipiendum sit tractare in logica, & quis ordo in tractãdis seruandus sit, ne nouicij ingenium confundatur.

Quantum ad primum aduerte quòd nonnulli cõsideratẽ logicam inquantũ est dialectica, id est, disputatiua, alij autem inquantum versatur circa argumentationem, quæ non solum potest fieri voce, sed & mente & scripto. Primi cõsiderãtes disputationẽ non fieri sine sermone, nec sermonẽ sine voce, nec vocẽ sine sono, ideo à sono tãquàm à priori & communiori definitiuè & diuisiuè dicunt inchoandum. secũdo loco à voce definitiuè & diuisiuè. tertio loco à nomine & verbo vt habent esse in voce & cõponunt orationem & propositionem vocalem, ex quibus cõponitur syllogismus siue argumẽtatio vocalis, qua fit disputatio inter duos. Hũc ordinem seruat Petrus Hispanus. & ratio ad hoc

mouēs eum fuit, quia cōsiderauit quòd Aristoteles in suo lib. Peri hermenias acturus de propositione definit nomen & verbum vt sunt eius partes integrales per vocem, quasi quòd non considerет de nomine & verbo, & oratione, & propositione, & argumentatione, nisi vt deseruiunt disputationi, cui nō deseruiūt nisi vt sunt in voce, reliquit ergo omnia prædicta vt fiunt in mente & in scripto, & intendit de modo magis famoso ac notiori ad sensum, qui est modus in voce.

Alij autē aduertētes ꝙ licet modus iste famosior & vulgarior sit, tamē experiētes ꝙ omnia prædicta habēt esse in anima, in voce & in scripto, nec vnquam proferūtur voce, nec scribuntur nisi prius mēte concipiantur, vnde & dixit Arist. in primo Peri hermenias, ꝙ ea quæ sunt in voce, sunt earum quæ sunt in anima passionū, id est conceptuū notæ. id est signa, ideo arbitrati non sunt incipiēdum à voce nec à sono, sed a termino, id est dictione. Nā terminus vt est in mente componit propositionem mentalem, & vt est in voce, componit propositionem vocalem, & vt est in scripto, componit propositionem in scripto, & quoniam nomē & verbum & oratio possunt esse in mente in voce & in scripto, ideo dicunt melius esse ꝙ definiantur per terminū vt pote magis communem quàm per vocem. Hāc igitur viā vt vniuersaliorem sequemur, & præcipuè quia non cōtrariatur priori sententiæ. Nam sicut est verum dicere, Sortes est homo, ergo sortes est animal, ita est verum dicere; nomen est vox significatiua, ergo est terminus significatiuus. In plus enim se habet terminus quàm vox, quoniā vox verificatur de nomine, nisi vt est in voce, terminus autē verificatur de nomine, in mente & voce & scripto. Incipiemus ergo à termino definitiuè & diuisiuè.

Quantum ad secundum aduerte, ꝙ cum termini incomplexi sint priores & simpliciores oratione & propositione in via cōpositionis, & propositiones sint priores syllogismo, quoniam cōponunt syllogismū, & nō econuerso: ordo scientiæ requireret quòd prius tractaremus de prædicabilibus & prædicamentis, & secundo loco de propositionibus vt tractat Arist. in lib. Peri hermenias, & tertio loco de syllogismis formalibus & topicis & sophisticis & demonstratiuis eo ordine quo de eis tractat Arist. in tota arte noua: verū, quia nouus logicæ auditor transit immediatè ab arte grammaticæ ad logicā, & logicus accipit à grāmatico nomē & verbum & aliquas alias partes orationis (vt dicemus) prout componunt propositionem, & propositio componit syllogismū, ideo ne nouitij ingeniū inuoluatur, expedit prius tractare de partibus orationis, deinde de oratione & enuntiatione, sicut etiam tractat grammaticus modo grammatico. & secūdo loco tractabimus de syllogismo formali, & tertio loco de prædicabilibus, & quarto loco de prædicamentis. Nā absque notitia propositionis & syllogismi, non posset nouitius in illis erudiri modo logico, vt tibi manifestū erit. Deinde procedemus ad alios tractatus eo ordine quem tibi manifestabimus loco suo. Constat igitur tibi à quo incipere intendimus, & quē ordinem seruare ne nouitij ingenium inuoluatur. Hæc de præsenti cap. dicta sint.

Tractatus primi finis.

TRACTATVS SECVNDVS de Partibus propositionis.

IN tractatu secundo agendum est de Partibus propositionis, quæ apud Logicum præcipuè sunt nomen, & verbum: & quoniam scire non poteris quid & quotuplex sit nomen apud logicum, similiter & verbum nisi prius noueris quid sit terminus, & quotuplex sit, & quod dico de termino intellige de voce. Primum enim quod ponitur in definitione nominis & verbi est terminus apud communiter tractatores de logicalibus, apud autē Arist. est vox: vt tibi declarauimus in tract. præcedenti cap. 7. ideo hunc tractatum diuidemus in 4. cap.

Primum, Quid & quotuplex sit terminus.
Secundum, Quid & quotuplex sit nomen & verbum.
Tertium, Quid & quotuplex sit oratio,
Quartum, Si logicō sufficiūt duæ partes orationis, scilicet nomen rectum, & verbum rectum.

Quid & quotuplex sit terminus. Cap. 1.

IN primo capitulo inuestigandū est quid sit terminus, & quot sint vniuersaliores diuisiones eius. Hic igitur duo agenda sunt. Primò definiemus terminum declarantes singulas definitionis particulas. Secundò assignabimus communes, & vniuersales diuisiones termini.

Quantum ad primum aduerte, quòd hic nō intendimus loqui de omni significato, in quo sumitur terminus in doctrina Aristotelis: sumitur autem tribus modis. Primo sumitur pro maiori, & minori extremitate, & medio, & dicuntur tres termini, ex quibus cōponitur omnis verus syllogismus, & hoc modo loquemur in tractatu de syllogismo formali, & absoluto. Secundò sumitur pro definitione rei, quæ dicitur apud Arist. terminus, quoniam in se claudit, & terminat totam rei definitæ essentiam. & de hoc modo loquemur in tract. de syllogismo topico & demonstratiuo. Tertio sumitur pro omni eo, ex quo propinquè constituitur oratio, & propositio, & in quod resoluitur. Et dico propinquè quoniā sicut apud grāmaticum dictio componitur ex aliquibus remotè, & ex aliquibus propinquè, sic apud Logicū oratio & propositio ex aliquibus componitur vtroque modo. Nā apud grāmaticū dictio componitur propinquè ex syllabis, quoniam seipsis & non mediātè alio: componitur autem remotè ex literis, quoniā non ex seipsis, sed mediante syllaba. Sic in proposito apud Logicū oratio & propositio componūtur propinquè ex terminis, quoniam seipsis & non mediante alio: componuntur autē remotè ex syllabis & literis, literæ enim componunt syllabas, & syllabæ terminos, & termini orationem. Et in hoc tertio sensu solùm intendimus in hoc tract. loqui ac definire terminum. Sed aduerte, ꝙ in tertio sensu adhuc tripliciter sumi potest scilicet cōmuniter, strictè & strictissimè. Communiter sumitur pro omni dictione propinquè cōponēte orationē, & sic nō solū nomē & verbum, sed etiā aliæ orationis partes, vt pronomē, præpositio, aduerbiū &c. dicūtur termini. Strictè sumitur pro omni eo quod est vel potest esse subiectū & prædicatū & copula in propositione. In quo sensu nec signa vniuersalia, nec particularia, nec aduerbia sunt termini, quoniam non sunt nec possunt esse per se ipsa prædicatum aut subiectum, sed modi, siue determinationes eorum, similiter aduerbia sunt determinationes verbi vt bene currit, hodie venit &c. Strictissimè autē sumitur pro omni eo quod est vel potest esse extremū propositionis, extremum autem dico subiectū & prædicatū, & in hoc sensu copula non est terminus, quia nō est extremum, sed vnitiuum extremorum, vnit & copulat prædicatum & subiectum. & in hoc sensu definiuit eum Aristo. in libro Priorum dicens, quòd terminus est in quem resoluitur propositio vt in subiectum & prædicatum.

His præpositis aduerte, quòd hic habemus definire terminū nō strictè, nec strictissimè sumptū, sed communiter, aliter non possemus ipsum diuidere, vt diuidemus infrà. Nam vna ex diuisionibus erit hæc, terminorū vnus est per se significatiuus, alius non per se significatiuus. Constat autem ex prædictis ꝙ terminus non per se significatiuus, non est terminus strictè, nec strictissimè sumptus.

Definientes igitur terminum communiter & absolutè sumptū dicimus quod est pars propinqua cōstitutiua orationis & propositionis. Dicitur pars propinqua, id est immediata orationis & propositionis ad differentiā literarū & syllabarum, quæ non nisi mediante termino componūt orationem. vnde aduerte ꝙ sicut se habent lapides & ligna, & fundamentum, & paries ad compositionem domus, sic literæ & syllabæ & termini ad constitutionē orationis. nā lapides & ligna non componunt immediatè domum, sed cōponunt immediatè fundamentum, parietem & tectum, hæc autem immediatè domum: ideo illæ remotæ, hæ autē propinquæ nuncupātur. Sic in proposito, literæ & syllabæ nō cōponunt immediatè orationem, sed terminum, terminus autem immediatè orationem. patet ergo terminū esse immediatam & proximam partem orationis, ad differentiam literarum & syllabarū. Dicitur cōstitutiua orationis, quoniā hic procedimus ex priori: ad differētiā resolutionis quæ supponit cōstitutū ex partibus. Dicitur ergo constitutiua orationis, quoniam hic intēdimus præparare materiā syllogismi, quæ est propositio. Ideo inuestigamus in primis, ex quibus constituitur immediatè propositio, & in tract. de syllogismo aperiemus ex quibus propinquè & immediatè constituitur syllogismus. Hæc autē definitio conuenit termino in mente, in voce, in scripto: quoniam terminus in mente, est pars propinqua orationis mentalis, & in voce, est pars propinqua orationis vocalis, & in scripto, est pars propinqua orationis scriptæ.

Viso quid sit terminus apud Logicum communiter & absolut

absolutè sumptus; assignandæ sunt generales diuisiones eius, vt sciamus iuxta quod mēbrum ponendus est in diffinitione nominis & verbi & orationis.

Terminus per se significatiuus. Prima diuisio. Terminorum, aliquis est per se significatiuus, aliquis nihil per se, id est per se sumptus significatiuus. Terminus per se significatiuus est ille, qui vltra seipsum aliquid intellectui repræsentat, vt homo, animal, lapis: repræsentat enim homo intellectui animal rationale, & animal repræsentat animatum sensitiuum. & per se motiuū, & lapis corpus terreum durum offendens pedem. Nam significare est aliquid intellectui repræsentare. Vnde idē est terminum esse per se significatiuum, & esse per se repræsentatiuū alicuius apud intellectū. Dicitur vltra seipsum quoniam repræsentare seipsum intellectui est commune omni termino, cum sit intelligibilis ab intellectu, cuius obiectū est ens cōmunissimum vt se extēdit ad ens reale & ens rationis vt dicemus aliàs. Terminus nihil per se significatiuus est ille qui per se sumptus vltra seipsum nihil intellectui repræsentat, vt buf & baf & biltris. Dico per se sumptus, vt excipiā quādo proferuntur ex intētione irridendi. Tunc enim ex proposito irridētis sumuntur vt per se significatiui, sed id nō est ordinarium. Nā plerūque proferūtur, aut exeūt ex ore sine proposito aliquid vltra seipsum significandi. Ad hoc autē quòd sit per se significatiuus, oportet vt naturaliter, vel ad placitū in aliquo idiomate ordinariè & consuetudine firmata, sic vel sic vltra seipsum significet.

Terminus naturaliter, est ad placitū significans. Secunda diuisio est hæc. Dimisso termino nihil per se significatiuo, vt pote inutili proposito nostro, quādo nō cōponit orationē ordinariè vt subiectum & prædicatum, nec est pars nec determinatio eorum ad differētiam signorum vniuersalium & particularium, diuidēdus est terminus per se significatiuus. Et prima diuisione diuiditur in terminum per se significatiuum naturaliter, & in terminum per se significatiuum ad placitum. Terminus per se significatiuus naturaliter est ille, qui apud omnes homines idē vltra seipsum repræsentat intellectui, vt homo & animal in mēte. est autē homo in mente species, siue similitudo, siue cōceptus hominis. se habet enim huiusmodi similitudo siue conceptus, vt vera imago, puta Cæsaris, quæ apud omnes ex sui natura repræsentat Cęsarē. Sed aduerte quòd nō solùm terminus in mēte est significatiuus naturaliter, sed & quidam termini dum proferūtur, & quędā animalium signa, vt dū infirmus gemit, apud omnes repræsentatur dolor, & dum canis latrat apud omnes repræsentatur ira. Terminus autē per se significatiuus ad placitum, est ille, qui non apud omnes idem, sed in diuerso idiomate diuersa repræsentat, vel tantùm in vno idiomate aliquid determinatè repræsentat, in alio autē nihil. Et causa huius est, quia huiusmodi termini nō significāt ex instinctu naturę, sicut interiectiones, quę nō sunt bene transferibiles ex vno idiomate in aliud, sed impositi sunt ad sic significandum ex decreto & authoritate primorum instituētium, quibus sic placuit, rationabiliter tamē, in vnoquoque idiomate res singulas sic vel sic nominare. Et aduerte quòd vltra hoc quòd terminus ad placitum differt à significatiuo naturaliter in hoc quòd nō apud omnes idē repręsentat, dum profertur, nec significat ex instinctu naturæ, sed decreto primi authoris: in duobus aliis differt, scilicet in modo proferēdi, & in significato. Nā terminus ad placitum perfectè & distinctè profertur, modo nō adsit ineptitudo linguæ ex parte proferētis. Termini autem naturaliter significatiui propter impetum passionis, amoris, aut timoris, aut gaudij, aut iræ, vt in pluribus truncatè proferuntur, etiā remota ineptitudine linguæ. Differunt etiā ex parte significati, quoniā termini ad placitum significāt cōceptum intellectus: illi autē magis indicāt affectum appetitus, quam cōceptū intellectus. Sed ne nouitius inuoluatur, hic sisto, donec fiat capax solidioris doctrinæ.

Terminus Categorematicus & syncategorematicus. Tertia diuisio est hæc. Dimisso termino per se significatiuo naturaliter pro nunc, terminus significatiuus ad placitum multas sub se continet diuisiones, quarum frequēs est vsus in doctrina peripatetica, ex quibus vna est quòd quidā est categorematicus, quidā syncategorematicus. Categorematicus est ille qui tā per se sumptus quā cum alio, tā in propositione quam extra, aliquid vltra seipsum intellectui repręsentat, vt homo, lapis, curro, amo, nā homo per se solum significat animal rationale, lapis tale corpus, curro actum currendi, amo actum amandi. Syncategorematicus est ille, qui per se solum sumptus, nihil extra seipsum apud intellectum significat. Si autē sumatur cum alio, pura cum nomine substantiuo vel cum verbo, simul significat, inquātum determinat nomē aut verbum. Et sic signa vniuersalia & particularia, & præpositiones, & aduerbia, & coniunctiones sunt termini syncategorematici. id est cōsignificatiui. Nā signa vniuersalia determināt nomē substantiuum positū in subiecto ad stādū pro omnibus aut pro nullo, vt omnis homo currit, nullus homo currit. Signa autem particularia determināt subiectum particulariter, vt quidā homo currit, quidam homo non currit. Præpositiones autem determinant nomen ad constructionem pro certo casu puta ablatiuo vel accusatiuo. Aduerbia determinant verbum pro determinato loco, vt aduerbia localia, vel pro determinato tēpore, vt aduerbia tēporis, vel pro determinato modo quātitatis vel qualitatis, vt aduerbia quantitatis & qualitatis. Cōiunctiones autē determināt terminos & orationes, secundum modum copulatiuum, vel disiunctiuum, vel illatiuum, exemplum primi, &, atque, exēplum secūdi, vel, aut, exemplum tertij, ergo, igitur, itaque. Inter syncategorematicos terminos nō comprehenduntur interiectiones: quoniā vt docuimus, significant naturaliter, nec pronomina primitiua, quoniā sumuntur loco proprij nominis, & certā significāt personā. De deriuatiuis autē videtur quod sic, quoniā sunt vt determinationes nominum substātiuorum, vt meus liber, tuus pater, nostra patria &c. Similiter participium non est terminus syncategorematicus, cōplectitur enim nomē substātiuum & verbum, vt legens loquitur. id est homo qui legit loquitur. Ex his omnibus sequitur, quod cùm sint octo partes orationis, tātū nomē & verbum sumēdo cum nomine pronomē primitiuum, & cū verbo participium, sunt termini categorematici: aliæ autē partes sunt termini syncategorematici apud logicum, & causam huius dicemus postquā definierimus nomē & verbū.

Terminus primæ & secūdæ intentionis. Quarta diuisio. Terminorum categorematicorum quidā est primæ intentionis, quidam secundæ. Prima intentio apud veros peripateticos est primus conceptus fundatus immediatè in re, quæ est ens reale, vt primò appręhēditur ab intellectu, vel animal rationale est prima intentio quam format intellectus, & immediatè fundatur in natura hominis. Secunda autē intentio est secundus conceptus formatus ab intellectu, fundatus in re nō immediatè, sed mediātè primo conceptu. vt esse prædicabile de pluribus differentibus numero in quid, est secundus cōceptus, quē format intellectus de homine. nā postquam appręhendit quòd homo est animal rationale, aduertit quòd vt est animal rationale, conuenit omni contento sub homine, & sic est prædicabilis de quolibet suo indiuiduo in quid, & tunc format secundum conceptum, dicens quòd natura hominis ex eo quòd est animal rationale est prædicabilis de pluribus differentibus numero in quid. & quod dico de homine intellige de qualibet natura specifica contenta sub animali. Terminus igitur primæ intentionis est terminus significās primum conceptum, fundatum immediatè in essentia rei, vt homo, capra, leo. Terminus autem secundæ intentionis est terminus significans secundum conceptum fundatum in natura rei mediante primo conceptu, vt genus, species, differentia, singulare, &c. Et ne confundatur intellectus nouitij hic sisto. In tractatu autem de vniuersalibus siue prædicabilibus diffusius & altius de terminis primæ, & secundæ intentionis loquemur. Et aduerte quòd diuisio termini in terminos primæ impositionis, & secundæ impositionis apud nos qui sequimur viam realium, non differt à præcedenti. Nam homo in mēte excogitatus, & voce probatus, & in scripto positus, significat primum cōceptum: ideo est terminus primæ intentionis in mente, in voce, in scripto. Et iste terminus species excogitatus in mente, & in voce, & in scripto, est secundæ intentionis, quia significat secundum conceptum modo quo diximus. Non ergo est necesse vltra diuisionem factam inter terminos primæ, & secundæ intentionis, assignare eam, quæ dicitur primæ, & secundæ impositionis vt penitus distinctam à præcedenti, quæ fuit inter primæ, & secundæ intentionis. hæc enim continetur in illa.

Terminus communis & singularis. Quinta diuisio. Terminorum quidam communis, quidā singularis. Communis est qui de pluribus prædicatur. vt homo, animal, lapis, & apud grammaticum dicitur nomen appellatiuum, quoniam pluribus conuenit. Terminus singularis est qui de vno solo prædicatur. vt Plato, & Sortes, & apud grammaticum dicitur nomen proprium, quoniam vni soli conuenit. Et aduerte quòd terminus singularis apud logicū potest fieri quatuor modis, primò per nomen indiuidui, vt Plato studet: secundò per nomen commune

Singularis terminus quatuor modis.

adiuncto

adiuncto pronomine demonstratiuo, vt hic homo studet: tertiò per nomen circumlocutum id est per multas circunstãtias singularizatum, vt Sophronisci primogenitus, filiis scribit: quarto per ly, quod apud logicum, & philosophum est signum demonstratiuum, vt ly homo, ly animal &c.

Terminus magis vniuersalis, et minus vniuersalis.

Sexta diuisio. Terminorum quidam magis vniuersalis, quidam minus vniuersalis, & vtrúque membrum continetur sub termino communi. Magis vniuersalis est qui prædicatur de pluribus quàm minus vniuersalis; nam magis vniuersalis prædicatur de omnibus, de quibus prædicatur minus vniuersalis, & in hac diuisione cõtinetur animal & homo, nam animal prædicatur de omnibus, de quibus prædicatur homo, & de aliis pluribus, vt de omni animali specie, homo autem tantum de contentis sub homine in diuiduis, & iuxta hãc diuisionem assignabimus ordinationem contentorum in quolibet prædicamẽto, procedendo à generalissimo ad specialissimum.

Terminus finitus & infinitus.

Septima diuisio. Terminorum tam singulariũ quàm communium quidam est finitus, quidã infinitus. finitus est determinati & certi significati: qui scilicet significat vnã certam ac determinatam naturam, & de nulla alia verificatur, vt homo significat solam naturam rationalem, animal solam naturam sensitiuam, &c. Infinitus est qui negat vnam naturam, eam scilicet, quam significat terminus finitus, & verificatur de quacunque alia, ideo dicitur infinitus, id est indeterminatus in significando, & terminus finitus fit infinitus per appositionẽ non, vt non homo, non lapis, nõ animal. Nam nõ homo negat naturam hominis, & verificatur de quacunque alia. Vnde lapis est non homo, leo est nõ homo &c. Et aduerte quòd quando terminus finitus infinitetur per non, fit tota vna dictio, vt nonhomo: si autem ponatur non per se, & homo per se, dicitur terminus nõ infinitatus, sed negatus, vt nõ homo currit, & per terminum negatum fit propositio negatiua: hæc enim est negatiua, non homo currit, hæc autem est affirmatiua, nõ homo, puta leo currit.

Terminus positiuus & priuatiuus.

Octaua diuisio. Terminorum quidam est positiuus, quidam priuatiuus. Positiuus est qui significat aliquam formam siue habitum perficientem suum subiectum, vt visus perficit oculum, lux aërem, iustitia animum &c. Priuatiuus est qui significat negationem talis formæ, relinquens tamen aptitudinem in subiecto, eo quòd est aptũ habere talem formam, vt cæcitas, tenebra, iniustitia, mors, surditas &c. Cæcitas enim significat negationem visus in oculo habere visum, modo & tẽpore quo est aptus videre. Dicitur notanter quod est aptum habere talem formam, quoniam si non est aptum, non verificatur de eo terminus priuatiuus, sed terminus positiuus negatus, vt non videns, non lucens, nõ audiens. Vnde de lapide hæc est falsa, Lapis est cæcus, vel surdus, vel tenebrosus: hæc autẽ est vera Lapis est non videns, non audiens, non lucens.

Abstractum & cõtractũ.

Nona diuisio. Terminorum quidam abstractus, quidam concretus. Abstractus est qui significat formam per se sine connotatione subiecti, vt color, sapor, albedo, dulcedo, anima, iustitia, &c. Concretus est qui significat formam connotando subiectum, vt coloratum, album, nigrum, amarum, iustum &c. Et aduerte quòd hæc diuisio coincidit cũ illa, de qua erit sermo in antepræcdicamentis, scilicet Terminorum quidam est denominans, vt grammatica, hic est idem quòd abstractus, quidam denominatiuus, vt grãmaticus hic est idem quòd concretus.

Terminus incomplexus, & cõplexus.

Decima diuisio terminorum quidam incomplexus, quidam complexus. Incomplexus est ille, qui est terminus simplex, vel cõpositus, vel vniens in se plures terminos per se significatiuos ad placitũ, ita tamẽ quòd habeãt vim vnius. exemplum primi, homo, capra, leo: exẽplum secundi, scutifer. Iarmiger: exemplum tertij paterfamilias, primogenitus, Sanctus Georgius, Summus pontifex. Complexus est ille, qui in se aggregat plures terminos per se significatiuos ad placitum, qui non habent vim vnius, sed siue aggregati, siue separati retinent suum proprium significatum. Et sic terminus complexus semper est oratio, aliquando sine verbo, vt homo albus, animal volatile, in qua secũda pars determinat, & limitat primam, aliquãdo cum verbo, vt homo est albus. Vnde logici vniuersaliter dicunt, quòd terminus incomplexus est vt dictio. Complexus autẽ vt oratio. Tu tamẽ aduerte quòd terminus complexus communiter nominatur per orationem infinitiuam, vt Deum esse trinũ, hominem esse risibilem, quæ oratio dicitur esse quid complexum, & enunciabile, vt ibi manifestabitur, cum loquemur de modalibus.

Terminus cum tempore significat, & sine tempore.

Vndecima diuisio. Terminorum quidam significant sine tempore, quidam cum tempore. Significare sine tempore est significare rem absolutè sumptã non mensuratã aliqua differentia temporis, cuius differentiæ sine partes sunt præsens, præteritum & futurum, & hoc modo significat nomẽ & pronomen sumptum loco nominis. Nam dum dico homo, aut animal, homo significat rem, quæ est homo absolute, & non in quantum præsentem, aut præteritam, aut futuram. Tu tamen aduerte ꝙ licet nomen significet sine tempore nihil tamen prohibet aliquod nomen significare tempus aut partem tẽporis, vt hæc nomina: tempus, hora, dies, hebdomada, mensis annus. Nam licet significent tẽpus, non tamen aliquid distinctum à tempore, & mensuratum tempore. Per oppositum autem significare cum tẽpore est significare rem adiuncta aliqua differẽtia temporis. Et hoc modo verbum, & participium significat cùm tẽpore. Verbi gratia curro, & currens, significant cursum pro tempore præsenti, & non aliter, cucurri pro præterito &c. Vnde significare sine tempore, vt dicemus infra, propriè cõuenit nomini, oppositum autem conuenit verbo.

Terminus vniuocus, & aequiuocus.

Duodecima diuisio. Terminorum quidã vniuocus, quidã æquiuocus, quidam analogus. Vniuocus est qui sub vna definitione naturam vnã significat, siue sit vna specie, siue vna genere, vt homo sub hac definitione, quòd est animal rationale, significat naturam humanam, quæ est vna specie, & animal sub hac diffinitione, quòd est corpus animatum sensitiuum, significat naturam animalis quę est vna genere. Aequiuocus est qui sub distinctis rationibus, & absque ordine, & immediatè plures naturas significat distinctas specie, vt canis significat immediatè canem cælestem, sub hac definitione quòd est sydus in ore signi leonis, & canem latrabilem sub hac definitione quòd est animal iracundum, & canem marinum, sub hac definitione ꝙ est animal aquaticum simile cani terrestri. Analogus est, qui sub distinctis rationibus vel sub vna inæqualiter participata plures naturas quodã ordine prioris, & posterioris significat. Exemplum primi. Sanum sub hac ratione quòd est esse adæquatũ in humoribus significat animal sanũ, sub hac ratione quòd est esse causatiuum sanitatis significat medicinam sanam, sub hac ratione quòd est esse indicatiuum sanitatis, significat vrinam sanam. Prius tamen dicitur de animali, posterius autem de medicina, & vrina: quoniam non nisi in ordine ad animal sanum. Exemplum secũdi. Ens sub hac ratione quòd est cui debẽtur esse, significat primò substantiam, deinde accidens, quoniam substantia est ens simpliciter, & accidens est ens secũdùm quid, & solum in ordine ad substantiam. Hic terminãtur vniuersaliores diuisiones, quæ in doctrina peripatetica frequenter sunt in vsu, tam in libris terminorum logices, quàm Philosophiæ. Prepositæ autem sunt, vt nouitius paulatim assuescat, & ne simus coacti frequenter singulas repetere. Hæc de primo cap. dicta sint.

CAPVT II.

Quid & quotuplex est Nomen & Verbum apud Logicum.

Primo Perier. Ca. ij.

IN secundo capite inuestigandum est quid & quotuplex sit nomen & verbum apud logicum, sunt enim principales partes propositionis, vt tibi manifestum erit. Primò igitur agendum est de nomine, secundò de verbo. Et quoniam hic intẽdimus agere de partibus propositionis, & de propositione, & de syllogismo, non solùm in voce, sed & in mente, & in scripto, ideo definiemus ea non per vocẽ, sed terminum, qui est communis nomini & verbo in mente in voce in scripto. in reliquis autem non recedemus à via, & modo definitiuo seruato à Petro Hispano, qui logicã suã formauit vt compendium logicæ totius traditæ nobis ab Aristotele, excepto libro posteriorum. Non enim Petrus Hispan. formauit tractatum aliquem correspondentem libris posteriorum, hac fortè ratione, quoniam existimauit nouitium penitus incapacem syllogismi demonstratiui. Nos autem faciliori modo, quo poterimus particularem tractatum formabimus, vt paulatim assuescat nouitij ingenium, & ne subito auditu libri posteriorum confusus retrocedat. Licet autem Aristo. in libro Perihermenias, & Petrus eius imitator definiant nomen & verbum per vocem, & nos per terminum, tamen non erimus oppositi, nisi in hoc, quòd nos magis amplè, illi autem magis strictè definierũt. Cõsiderarunt enim partes orationis solùm vt sunt vocales, nos autem vt possunt esse mentales, & vocales, & scriptæ. Vnde sicut dicit Aristo. & Petrus quòd nomen est vox, similiter & verbum, dicemus nos ꝙ est terminus sub quo

quo continetur terminus vocalis qui dicitur vox &c.

Primò igitur agẽtes de nomine definiemus quid sit apud Logicum, & si multiplex est.

Nomen quid.

Quantum ad primùm aduerte quòd nomen ad mẽtem Aristotelis in voce, & in scripto est terminus per se significatiuus ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat finita & recta.

Primò dicitur, quòd est terminus, quoniam nomen est pars propinqua orationis & propositionis, vt patet. Et quoniam terminus est quid magis commune quàm sit nomen, vt patet ex op. præcedenti. Nam & verbum est terminus, nõ tamen est nomen. ideo in hac definitione ponitur terminus vt genus. Nam vt declarabimus in tract. de syllogismo dialectico, primus terminus in definitione positus, est loco generis, quoniam communior est ipso definito, reliqui autem ponuntur loco differentiæ, vt declarabimus.

Secundò dicitur, per se significatiuus, vt excipiantur termini non per se significatiui, vt buf, & baf, & termini syncategorematici vt signa vniuersalia & particularia, vt omnis, nullus, aliquis, quæ licet apud grammaticum sint nomina, non tamen apud logicum, quoniam per se sumpta non possunt esse prædicatum nec subiectum propositionis, sed tantum determinant subiectum, aut prædicatum, vt docuimus in tertia diuisione terminorum.

Tertiò dicitur ad placitum, ad differẽtiam termini significantis naturaliter: vt interiectiones, quæ constant non esse nomina, quoniam non declinantur per casus, nec sunt subiectum aut prædicatum propositionis, nisi in suppositione materiali, vt heu est interiectio, heu est bisyllabum, & ad differentiam termini, id est conceptus in mente, qui naturaliter significat vt declaratur primo Peri her.

Quartò dicitur sine tempore ad differẽtiam verbi, quod significat cum tempore. Quid sit significare sine tempore, & cũ tempore iam docuimus in vndecima diuisione terminorum, & diximus ꝙ non inconuenit aliquod nomen significare tempus, vel partem temporis, vt dies, hora, nõ tamen cum tempore. Vide tu illic.

Quintò dicitur, cuius nulla pars separata aliquid significat, id est si nomen diuidatur in partes suas, quæ sint syllabæ, vt pater, & omne nomen simplex, vel quæ sint dictiones, vt in nomine compositio, vt est paterfamilias, vel scutiferus, & sumantur per se, id est extra totum nomen nihil significant. Quod sic intelliges, aut nihil omnino significant, vt mare: nam nec ma, nec re, per se sumpta aliquid significant, vel si aliquid significant, non tamen habent illud significatũ, quod habent in toto nomine. V. G. Hoc nomen dominus significat principem. Si autem resoluatur in do, & in minus, do vtiq; significat, scilicet actum dandi, & minus significat oppositũ magis, sed vt componunt ly dominus nihil significant, scilicet de significato ly dominus. Idẽ intellige de nomine compositio, cuius partes separatæ, & si aliquid significant, non tamen illud quod significat totum nomen compositum, vt paterfamiliàs significat rectorem familiæ, pater autem per se sumptus significat genitorem, & familia familiam, ita ꝙ in toto significant vnum, separatæ autem significant duo. Et hæc expositio est communis apud veros logicos. Vnde Auicenna recitat in Logica sua aliquos dixisse, quòd verbum incomplexum est cuius nulla pars separata aliquid significat, scilicet quod sit de intellectu & significato totius, quoniã nihil prohibet aliquid aliud significare, vt magister: nã magis aliquid significat: & ter, sed non retinẽt significatũ quod significat magister, nec in totum, nec in partem. Et sic patet quòd hæc definitio conuenit nomini tam simplici, quàm compositio, tam primitiuo, quàm deriuatiuo, dummodo intelligatur, vt exposuimus.

Sextò, dicitur finitus ad differentiã nominis infiniti, quod & si apud grãmaticum sit nomen, nõ tamen apud logicum, quoniã apud ipsum nomen est illud, quod potest esse subiectum & prædicatũ in propositione. Subiectũ autem & prædicatum oportet vt determinate aliquid significent, aliter propositio esset inutilis, nec deseruiret syllogismo formãdo ab intellectu, ꝙ inquirenda veritate. Vnde & terminus ęquiuocus inutilẽ facit propositionẽ, nisi sumatur determinatè. Verbi gratia, canis cælestis lucet, sed vt docuimus in diuisione septima terminorũ, terminus infinitus nihil determinatè significat, ideo cũ non possit esse subiectum & prædicatum propositionis non est nomen apud logicum nisi secundum quid, vt dicatur nomen non simpliciter, sed nomen infinitum, sicut solemus dicere quod chimera non est nomen reale, sed nomen fictum, quia nihil significat, sed imaginariè.

Sed dices, apud logicum hæc est propositio. Non homo currit, ergo potest esse subiectum, & per consequẽs nomen. Respondetur. Tales propositiones sunt inutiles si teneatur nomen infinitum in sua infinitate & in determinatione. Si autem determinetur sic dicendo, Non homo, id est asinus currit, tunc propositio erit vtilis, sed nomen infinitum non remanet infinitum, sed æquiualet finito.

Septimò, dicitur rectus ad differentiam obliquorum, qui non sunt nomina apud logicũ. Nomen enim est apud ipsum quod secũdum se aliquid significat, & secundũ se potest esse subiectum propositionis. sed obliqui neutrum habent ex se. Non primum, quia significatum trahit à recto sicut, & deriuantur ab eo. Rectus autem sicut nõ deriuatur ab alio, sic non accipit significatum ab alio casu, sed habet à se. Non secundum, quia si apud logicum formatur propositio per verbum impersonale, vt Platonis interest legere: ly Platonis non est subiectum, nisi resoluatur in rectum sic, Ille cuius est legere est Plato. Sic intellige de aliis. Præterea solus rectus sufficit ad formandã propositionem perfectam & maximè de secundo adiacente, ad quam non sufficit nomen obliquum. Hæc enim est perfecta, Deus est, homo est, hæc autem imperfecta. Dei est, hominis est. Non ergo obliqui merentur dici nomina, sed sint casus nominum. Hæc de diffinitione nominis apud logicum realem & peripateticum dicta sint.

Quantum ad secundum, scilicet quotuplex sit apud logicum, id est in quantum potest esse subiectum & prædicatum propositionis, constat, ex dictis quod non est multiplex, quoniam solum nomen rectum & finitum potest esse secũdum se, subiectum & prædicatum in propositione modo quo exposuimus. Vnde logicus à grammatico sumit sibi rectum vt necessarium ad formandum absolutam propositionem significatiuam veri & falsi. Reliquos autem casus sumit ad bene esse, & magis propter seruãdam congruitatem quàm veritatem sermonis, ne videatur logicus despicere regulas grammatices. Hæc de nomine dicta sint.

De Verbo vbi prã.

Quantum ad verbum aduerte quòd ad mentem Aristot. verbum tàm in voce quàm in scripto sic definiendum est. verbum est terminus per se significatiuus ad placitum cùm tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat finitus & rectus extremorum vnitiuus.

Terminus ponitur loco generis sicut in definitione nominis, quia est cõmunior verbo, Nã omne verbũ est terminus: sed nõ econuerso. per se significatiuus ponitur eadem ratione sicut in definitione nominis similiter ad placitũ ad differentiam interiectionum, & verbi mẽtalis: quoniam significant naturaliter, vt diximus in definitione nominis. Cùm tempore ponitur ad differentiam nominis, & pronominis. & cõuenit in hoc cùm participio quod venit à verbo. Quid sit significare cum tempore, & quare verbũ & participium significat cum tempore, vide in diuisione vndecima terminorum. Cuius nulla pars separata aliquid significat, intelligendum est de verbo tam simplici quàm composito, sicut exposuimus in definitione nominis, in hoc enim verbũ conuenit cùm nomine. Finitus ponitur ad differẽtiam verbi infiniti. Infinitatur autem verbum sicut & nomen per appositionem negationis, vt non curro, non laboro. quod quidem apud logicum non est verbum: quoniam nihil determinatè significat, sicut nec nomen infinitum. Vnde faceret propositionem intutilem, nisi determinetur. sicut diximus de nomine infinito, sic dicendo Sortes non currit, id est scribit. Rectus ponitur ad differentiam verbi obliqui, est autem verbum obliquum apud logicum, verbum præteriti & futuri temporis, & verbum cuiuslibet modi præter modum indicatiuum. Vnde quædam sunt verba obliqua ex tempore tantum, sicut verba præteriti temporis, & futuri indicatiui modi, vt amaui, amabo. Quædam autem ex modo tantum, vti imperatiua tempore præsenti. Quædam ex modo, & tempore, vt verba optatiua, & subiunctiua, & infinitiua temporis præteriti & futuri. Ideò autem apud logicum non sunt verba, quoniam non faciunt primò & per seipsa propositionem veram aut falsam, sed per reductionem ad verbum indicatiui modi, & temporis præsentis. Nam hæc non est vera Cæsar fuit, nisi quia aliquando fuit verùm dicere Cæsar est. Similiter, hæc non est vera, Eclipsis erit, nisi quia aliquando erit verùm dicere: eclipsis est. Quoniam igitur solùm verbũ rectum, id est modi indicatiui præsentis temporis facit per seipsum propositionem veram & falsam, & sola propositio indicatiua præsentis temporis facit syllogismum demonstratiuum, id est

scientialem, vt tibi declarabitur in tracta. de syllogismo demonstratiuo, ideò dignatur logicus recipere à grammatico solum verbum indicatiuum præsentis temporis, & præcipuè sum, es, est: quoniam in ipsum, vt dicemus, resoluuntur omnia verba dicta adiectiua. Extremorum vnitiuus, vt in hoc distinguitur à nomine & pronomine sumpto loco nominis, nam illa sunt, vel possunt esse extrema in propositione, id est subiectum & prædicatum, verbum autem non, sed habet vnire extrema. Vnde dicitur apud logicum copula, quoniam copulat prędicatum cum subiecto. Item in hoc distinguitur à participio, quòd licet significet cùm tempore vt verbum, tamen nõ potest esse copula, nec facit per seipsum orationem perfectam, dicendo sortes legens, sed est necesse subintelligere verbum. Verbi gratia sortes est legens, vel sortes legens est studiosus. Constat igitur quid sit verbum apud logicum, & quare solum verbum rectum, id est quod non deriuatur ab aliquo priori, quale est verbũ solum indicatiui modi temporis prę̃sentis, mœretur dici absolutè verbum. Reliqua autem tempora, & modi dicãtur obliqui siue casus verbi recti, quoniam descendunt, & deriuantur ab eo.

Quotuplex autem sit verbum apud logicum, non est immorandum, ex quo solum verbum rectum meretur apud ipsum dici verbum ex ratione iam dicta. Sed apud grammaticum, ideò est multiplex verbum, vt patet in coniugationibus verborum, & in regulis suis, quoniam non attendit ad formandum propositionem veram aut falsam, sed congruam, & vitare incongruam, & quoniam per omnes temporis differentias, & omnes modos verborum formari potest, & alio modo per verbum actiuum, alio modo per passiuum &c. ideò apud grammaticum verbum multipliciter diuiditur. Nam grammaticus concedit istam vepote congruam, homo est asinus quam negat logicus, vt falsam. Hæc de secundo cap. dicta sint.

CAP. III I.

Quid sit & quotuplex sit Oratio apud logicum.

Primo Peri hermenias.

IN tertio cap. postquam actum est de partibus orationis agendum est de ipsa oratione, vt de toto constituto: cuius præcognitio ideo necessaria est, quoniã scire non possumus quid sit enunciatio & propositio, vt tibi manifestabitur infrà, nisi prius notum fuerit quid, & quotuplex sit oratio. Hic igitur tria agẽda sunt, primò quid sit, secundò quotuplex sit, tertiò quæ orationis species sit propositio.

Quantum ad primum aduerte, quòd ad mentem Aristotelis oratio in voce & in scripto, sic definiri debet. Oratio est terminus per se significatiuus complexus ad placitum, cuius partes separatæ aliquid significant.

Primò, dicitur est terminus per se signific. ea ratione, qua dictũ est de nomine & verbo, & ponitur loco generis, quoniam cõmunior est. Nam omnis oratio est terminus per se significatiuus, sed non ecõuerso. Dictũ est enim, cp nomen & verbũ sunt termini per se significatiui, nõ tamen sunt oratio.

Secundò, dicitur complexus ad differentiam nominis & verbi, quorum nullum siue simplex, siue compositũ, est terminus complexus. Quid autem sit terminus complexus vide in diuisione decima terminorum, & illic inuenies quomodo propriè conuenit orationi.

Tertiò dicitur ad placitũ, ad differentiam orationis mentalis, quæ significat conceptum mentalem complexum, qui conceptus significat naturaliter, sicut diximus de nomine, & verbo mentali, Præterea, quòd oratio in voce, & in scripto significet ad placitum, probatur sic. Partes suæ, scilicet nomen, & verbum significant ad placitum, vt docuimus in cap. præcedenti, ergo & ipsum totum constitutum ex eis, quod est oratio.

Quartò, dicitur cuius partes separatæ aliquid significant, id ponitur ad differentiam nominis & verbi, quorum partes, vt docuimus in eorum definitionibus, non significant aliquid separatæ, modo quo illic exposuimus, partes autẽ orationis sunt termini categorematici, intelligendo de partibus principalibus sicut intendit Aristotel. & non de partibus secũdariis, quæ possunt esse præpositiones, aduerbia &c. Termini autem categorematici tàm in oratione, quã extra retinent suum significatum, vt docuimus in diuisione tertia terminorum. Vnde si fiat hæc oratio, homo albus currit, homo extra hanc orationem significat animal rationale, sicut & in oratione, & albus significat habens albedinem. Tu tamen aduerte, quòd licet sit commune omni orationi habere partes quæ separatæ aliquid significant, non tamen id fit vno modo in omni oratione, nam si oratio sit sine verbo, vt homo albus, partes suæ aliquid significant modo, quo significat dictio. Si autem fiat oratio simplex per verbum, vt homo est animal, partes suæ separatæ eodem modo significant, scilicet vt dictio. Si autem fiat oratio subiunctiua, vt si veneris ad me dabo tibi equum, partes suæ sunt duæ orationes vt patet. Vnde si separentur, significabunt non vt dictio, sed vt oratio. Verùm quia resolujtur in duas orationes, & duæ orationes in terminos componentes, vt ego dabo tibi equum, ideo commune est omni orationi, quòd partes suæ separatæ aliquid significent, aut vt dictio, aut vt oratio.

Sed dices. Quare in hac definitione non apponitur finitus & rectus, sicut in definitione nominis & verbi, præcipuè quia dictum est quòd nomen infinitum non potest esse subiectum nec prædicatum, nec verbum infinitum potest esse copula, similiter nec nomen obliquũ, nec verbũ obliquum.

Respondetur quòd ideo nõ opponitur, quia in definitione nõ debent poni nisi quę conueniunt omni contento sub definito, non omnis autem oratio formatur ex nomine, & verbo finito, & recto. Nam hæc est oratio, non homo currit: & hæc, Catonis est legere, & hæc, homo curret. Quando autem diximus, quòd nomen infinitum, & obliquum non possunt esse subiectum, non sumus locuti de oratione, sed de propositione, quoniam sola oratio indicatiua præsentis temporis, vt dicemus est propositio. Quoniam igitur aliqua oratio potest componi ex nomine infinito, & obliquo, similiter ex verbo, & aliqua non, puta propositio, ideò non dicitur rectus neque finitus, sed abstrahit ab vtroque. Constat igitur quid sit oratio apud logicum.

Quantum ad secundum aduerte, quòd apud Logicum oratio prima diuisione diuiditur in orationem perfectam & imperfectam, deinde vtrunque diuisionis membrum subdiuiditur, vt videbis infrà.

Oratio perfecta est illa, quæ perfectum sensum generat in animo audientis, id est quæ audita quietat, quo ad significatum intentum à proferente vel scribente, animum auditoris. Verbi gratia. Sortes intendit notificare Platoni statum regis, & dicit, Rex valet fortis in bello contra hostes. Hac oratione audita quiescit animus audientis. Quòd si dicat, Rex contra inimicos, & non vltra procedat, imperfectum sensum generat in animo audientis, id est non quietat ipsum, ideo dicitur oratio imperfecta. Nam audiens, quòd Rex contra inimicos, & vltra non proceditur, dubitare incipit vtrum præualeat, an succumbat contra inimicos suos, patet igitur orationis prima diuisio apud Logicum.

Oratio perfecta continet quinque species, quæ sunt indicatiua temporis præsentis, & omnium temporum modi indicatiui, vt Petrus amat, amabat, amauit, amauerat, amabit: imperatiua, vt fac ignem, deprecatiua, vt ora Deum pro me. optatiua, vt vtinam te videam doctum. coniunctiua, vt si veneris ad me, honorabo te. Omnes istæ dicuntur perfectæ, quoniam auditæ quietant animum audientis quo ad earum significatum, nec ipsum suspensum tenent.

Tu tamen aduerte, quòd imperatiua, & deprecatiua non differunt penes modum nec tempus verbi, sed penes appositos respectus. Nam vtraque fit per modum imperatiuum, sed deprecatiua fit propriè ad superiorem, imperatiua autem ad inferiorem. Item aduerte, quòd coniunctiua ad hoc quòd sit oratio perfecta oportet, vt complectatur duas orationes, aliter non quietat animum audientis, vt patet, reliquæ verò species per vnicam orationem quietant audientem, ideò per seipsas sunt perfectæ.

Oratio autem imperfecta tres continet species secũdum quòd tribus modis potest formari. Nam formatur per nomen substantiuum cùm adiectiuo, vt homo albus animal risibile. vel per duo substantiua per appositionem, vt animal homo, Deus pater, Deus filius. Et hæc est prima species, & formatur per solum infinitiuum, vt Sortem currere. Si autem apponatur sum, es, est, cum termino modali erit perfecta: vt Sortem currere est possibile. Et hæc est secunda species, & formatur per verbum incipit, & desinit, vt sortes incipit, sortes desinit. Si autem apponatur infinitiuum efficitur perfecta, vt sortes incipit cõualescere, sortes desinit scribere, & hæc est tertia species. Item aduerte, quòd oratio perfecta potest fieri per vnicum nomen, vel vnicum verbum, & maximè quando fit responsiua interrogatiuè. Vt si quisà te petat. Quis venit domum? & respondeas, Petrus, Vel sic, nunquid sortes venit? & respondeas: venit. Constat igitur quomodo diuidenda sit oratio apud Logicum.

Quantũ ad tertium aduerte, cp sola oratio indicatiua est primò, & per se propositio. Dico primò & per se, quoniã alię species non fiunt propositio, nisi reducantur ad indicatiuam.

Vnde

Vnde ista, si homo volaret, haberet alas, non est propositio, nisi reducatur in istam, si homo volat habet alas. Et indicatiua præteriti aut futuri temporis, non est propositio nisi reducatur ad inducatiuam præsentis tẽporis. Nam ista, Adam fuit, ideo est vera, quia aliquando fuit verum dicere, Adam est scilicet quando Adam existebat. Ratio autem, propter quam apud logicum sola oratio indicatiua est primò & per se propositio, est, quia intentum logici est vti oratione ad inuestigandum verum & falsum, ergo eam propriè recipit, quæ secundùm se significat verum & falsum, & hæc est indicatiua. Nam aliæ potius deseruiunt affectui mentis quàm quòd sint ordinatæ ad enunciandum verum & falsum conceptum animi aut intellectus. Quod patet hinc, Imperatiua indicat voluntatem superioris per imperium, optatiua indicat desiderium siue affectum optantis. Deprecatiua indicat affectum inferioris erga superiorem per supplicationem. Coniunctiua autem licet videatur exprimere verũ aut falsum conceptum mentis, non tamen determinatè, sed suspensiuè, est enim conditionalis quæ vt dicemus in cap. de hypotheticis nihil ponit in esse. Indicatiua autem determinatè dicit verum aut falsum. Nam hæc est determinatè vera, homo est animal, & hæc determinatè falsa, homo est lapis, ideo sola meretur dici propositio. Proponitur enim intellectui vt per eam formet syllogismum, & per syllogismum deueniat in veram conclusionis noticiam. Constat igitur quæ orationis perfecta species meretur logicè dici propositio. Vnde aduerte, quòd logicus non tantum magni facit orationem congruam & ornatam, quantum veram, ita quòd etiam si esset incongrua & inornata, modo verum & falsum enunciet, accepta est apud logicũ, propterea logicus acceptat istã, Deus seruitur ab homine, licet eam reprobet grãmaticus negans seruior inueniri pasiuum. Hæc de præsenti cap. dicta sint

CAP. IIII.

Si logico sufficiunt duæ orationis partes scilicet nomen rectum, & verbum rectum.

IN cap. quarto inuestigandum est, si duæ orationis partes scilicet nomen & verbum rectum sufficiunt logico? Tu igitur aduerte, quod logicus rationabiliter recipit tantùm duas, vt sibi necessarias, grammaticus autem octo. Ratio vero differentiæ est hæc. Logicus & grammaticus differunt fine. Intendit enim logicus scire discernere verum à falso, grammaticus autem intendit scire discernere congruum sermonem ab incongruo. Ad consequendum primum sufficiunt nomen & verbum, quoniam sufficiunt ad componendum propositionem, quæ est significans verũ vel falsum, vt tibi manifestabitur in trac. sequẽti: ad formãdum congruum sermonem, & distinguendum ab incongruo non sufficiunt nomen & verbum, sed oportet vti præpositionibus, & aduerbiis & coniunctionibus, &c. Et ideo vt grammaticus habeat omnem modum formãdi sermonem congruum, necessariæ sunt sibi plures partes orationis quam nomen rectum & verbum rectum. Et quoniã iste duę sibi sufficiunt, ideo appellat eas categorematicas, id est per se significatiuas, alias autem syncategorematicas, id est. simul significatiuas. Quis autem sit terminus cate. & syncate. diximus in diuisione tertia terminorum.

Sed dices. Logicus indiget pronomine demonstratiuo, vt quando descendit sub subiecto propositionis vniuersalis affirmatiuæ, vel negatiuæ dicendo, omnis homo est animal, ergo & hic homo est animal, & hic est animal &c. Item indiget participio, vt dicemus in trac. sequenti, quando resoluit propositionem factam de verbo adiectiuo in suum participium & sum es est, vt sortes currit, sortes est currens, ergo saltem quatuor partes orationis sunt ei necessariæ. scilicet nomen & pronomen, verbum, & participium.

Respondetur nomen & pronomen apud logicum sunt, vt vna pars, quoniam vtitur pronomine loco nominis, & participium stat cum nomine, & verbo. Cum nomine quidem, quoniam potest esse subiectum propositionis sicut & nomen, vt legens currit, & stat cùm verbo, quoniam significat cum tempore, vt docuimus suprà, & ideo apud logicum idem tificantur nomini & verbo, licet apud grammaticum remaneant distinctè.

Constat igitur quot sint partes orationis necessariæ dialectico ad formandam propositionem, & ex propositionibus syllogismum. Hæc de præsenti cap. dicta sint.

Tractatus secundi Finis.

TRACTATVS TERTIVS.

de Propositione & speciebus eius.

IN hoc tertio tracta. agendum est de propositione, gratia cuius, præmissmus tractatum præcedentem, in quo actum est de partibus eius, & de genere per quod definienda est, & hoc est oratio vt tibi manifestabitur. Diuidemus autem ipsum in sex capita.

Primò agendum est de propositione diffinitiuè & diuisiuè, prima diuisione.

Secundò agendum est de categorica simplici & de omnibus eius diuisionibus.

Tertiò agendum est de propositione hypothetica & eius speciebus.

Quartò agendum est de propositione categorica modali.

Quintò agendum est de æquipollentiis propositionum categoricarum simplicium, quæ sunt oppositæ contrariæ, subcontrariæ, contradictoriæ, & subalternæ.

Sextò agendum est de equipollentiis modaliũ oppositarum.

CAP. I.

De propositione, quid sit, & eius prima diuisione.

IN primo capitulo agendum est de Propositione quid sit: & quotuplex in genere, siue prima diuisione.

Quantum ad definitionem aduerte, quòd sic definitur de mente Aristotelis. Propositio est oratio verum vel falsum significans indicando.

Primò dicitur oratio, loco generis: est enim in plus oratio quàm propositio. dictum est enim in tract. præcedenti, quòd oratio perfecta distinguitur in quinque species, ex quibus sola indicatiui modi est propositio: ergo omnis propositio est oratio perfecta, sed non econuerso, ex consequenti est genus propositiõis, propositio autem est species orationis perfectæ. Sicut animal est genus hominis, homo autem est species animalis. Nam omnis homo est animal, sed non econuerso.

Secundò dicitur verum vel falsum significans: pro cuius notitia aduerte, cp cum propositionũ, alia sit affirmatiua, alia negatiua, vt declarabimus infrà significare verum in affirmatiua est significare rem sicut est. Verbi Gratia hæc est vera, homo est rationalis, quia sic est ex parte rei. vnde hominem esse rationalem est verum. Significare verum in negatiua est significare rem sicut non est. Verbi Gratia hæc est vera: homo non est asinus, quia sic est in re vnde hominem non esse asinum est verum. Significare falsum in propositione affirmatiua est significare rem aliter quàm sit. Verbi Gratia hæc est falsa, homo est lapis, quoniam significat hominem, esse lapidem, & tamen aliter est. Significare falsum in propositione negatiua, est non significare rem sicut est. Verbi Gratia hæc est falsa, homo non est animal, quia non significat sicut est. Nam homo est animal, ergo falsum est ipsum non esse animal. Dicitur ergo in diffinitione, verum vel falsum significans ad differentiam orationum imperfectarum, vt homo albus, asinus rudibilis, & oratio infinitiua, vt Sortem currere, & oratio famularis, vt Sortes incipit, nisi enim aliud addatur, non solum non quietant animum audientis, sed nec dicunt aliquid de vero aut falso nisi compleantur per aliud. Verbi Gratia, Si ly homo albus addatur homo est albus. Si ly sortem currere addatur, est verum vel possibile vel contingens. Si ly Sortes incipit addatur, esse bonus. Constat ergo cp per se sumptę nihil dicunt de vero aut falso.

Tertiò dicitur indicando quod dupliciter exponitur, primò sic, indicando, id est, est oratio modi indicatiui verum vel falsum significans. Vnde alij definiunt propositionem dicentes, quod propositio est oratio indicatiua verũ vel falsum significans. Et id ponitur ad differentiam orationum perfectarum, quæ fiunt per alios modos, per imperatiuum: optatiuum, &c. Nam iste vt docuimus in tract. præcedenti in cap. tertio potius deseruiunt nobis ad manifestandum affectum mentis, quàm verum aut falsum cõceptum intellectus. Orationes etiam modi indicatiui temporis præteriti & futuri, non significant primo & per se verũ & falsum, nisi reducantur ad vnam temporis præsentis indicatiui vt in eodem loco docuimus. Sola ergo oratio indicatiua temporis præsentis meretur dici propositio, quia sola sufficit ad formandum syllogismum: aliæ autem non, nisi reducantur ad illam vt tibi manifestum erit in tract. de syllogismo formali. Secundo ab aliquibus exponitur ly indicando id est asserendo. Verùm id non videtur conuenire omni propositioni, sed tantum propositioni in materia naturali, quæ necessariò est vera:

Sola indicatiua est propositio.

ra,& in materia remota quæ de necessitate est falsa. In materia autem contingenti cum possit esse vera & falsa, non potest dici assertiuè, sed opinatiuè quod significet verum aut falsum, ideo melius est stare in prima expositione quæ etiam est de mente Aristot. in primo Periher. Quid autem sit, & quomodo fiat propositio in materia naturali, & contingẽte, & remota dicemus infrà in hoc met tractatu. Constat igitur quid sit propositio apud Logicum.

Quantum ad primam diuisionem propositionis aduerte. ꝙ ad mentẽ Aristotelis in primo Periher. diuiditur primo in categoricā & hypotheticam. dicitur categorica Græcè, prædicatiua Latinè: categorizo enim Græcè, & Latinè. est prædico Dicitur hypothetica Græcè, suppositiua Latinè, est enim Græcè hyp. sub, Latinè, & thesis Græcè, positio Latinè. Ratio autem diuisionis est hæc, quia omnis propositio significat verum aut falsum, & est quid compositum, & omne compositum est resolubile in sua immediatè componentia. Vel ergo propositio componitur ex terminis immediatè, & in eos resoluitur immediatè, & non in aliud immediatè, & sic est categorica, quæ componitur immediatè, ex subiecto, & prædicato, & copula, modo, quo dicemus infrà. Vel componitur immediatè ex duabus orationibus per aliquam coniunctionem, puta ergo, si, &, vel, & immediatè in eas resoluitur, & ille immdiatè in terminos, & sic est hypothetica, vt dicemus in cap. tertio huius tractatus. Categorica verò diuiditur in simplicem & modalem. Simplex est in qua prædicatū simpliciter dicitur de subiecto, vt homo est animal. Modalis est in qua prædicatum dicitur de subiecto non simpliciter, sed cum modo & determinatione, vt homo est animal necessariò, homo est albus contingenter. Et de modali agemus in ca. quarto huius trac. Hæc de primo ca. dicta sint.

CAPVT II.

De propositione categorica & omnibus eius diuisionibus.

IN secundo cap. inuestigandum est, quid sit propositio categorica, & quot sint eius diuisiones, & de singulis agendum est excepta modali, de qua agemus loco suo. primò igitur definiemus eam, deinde accedemus ad diuisiones.

Quantum ad definitionẽ aduerte, quòd ad mentem Aristotelis sic definitur. Propositio categorica est propositio quæ habet subiectum, prædicatum & copulam tanquam principiales partes sui. Ponitur propositio loco generis. Omnis enim propositio categorica, est propositio, sed non econuerso. Nam & hypothetica est propositio, & tamen non est categorica. Dicitur quæ habet subiectum &c. hoc totum ponitur ad differentiam hypotheticæ, cuius partes principales sunt duæ orationes, in quas immediatè resoluitur, vt patet in ista, si tu curris, tu moueris. Principales partes & immediatæ non sunt termini, sed istæ duæ orationes, tu curris, & tu moueris. Primæ autem & mediatæ sunt termini, ex quibus hæc oratio cōponitur, tu curris, & hæc tu moueris. Dicitur igitur quòd principales partes categoricæ nō sunt orationes, sed termini ex quibus immediatè componitur, quorum vnum est subiectum, alterum prædicatum, alterum copula: vt homo est animal, homo est subiectum, animal, prædicatum, est, copula, coniungit enim prædicatum cum subiecto. Sed aduerte: vt scias quomodo in omni categorica est subiectum copula & prædicatū, quod fit tribus modis, primo per verbum sum, es, est, de tertio adiacente. Est autem categorica de tertio adiacente quando post sum, apponitur alius terminus: vt Sortes est animal: in hac constat de subiecto & prædicato & copula. Secundo fit per verbum adiectiuum. Est autem apud Logicum omne verbum adiectiuum, præter sum, es, est, in quod resoluitur omne verbum adiectiuum & in suum participium: vt Sortes currit sic resoluitur. Sortes est currens. Sortes est subiectum, currens prædicatum, est copula. Tertiò fit per verbum sum, es, est, de secundo adiacente. Est autem categorica, de secundo adiacente, quando post, sum, es, est, alius terminus non sequitur, vt Deus est, cælum est. & in hac est assignare subiectum prædicatum & copulam, alio modo quàm in prædictis: assignatur autem dupliciter, primo sic, Deus est, id est Deus est habens esse, Deus est subiectum, habens esse est prædicatum, est copula. secundo sic, Deus est, id est Deus est existẽs. Deus est subiectum, existens prædicatum, est copula. Nonnulli dicunt quòd in categorica de secundo adiacente, est gerit vicem copulæ & prædicati, & id videtur innuere Aristoteles in primo Periherme. vbi definiens verbū inquit, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur nota, id est verbum semper se tenet à parte prædicati. Constat igitur quid sit propositio categorica simplex.

Sed dices, quare magis dicitur categorica, id est prædicatiua quam subiectiua, cum tam subiectū quàm prædicatum sint partes eius? Præterea quare terminus præcedens verbū sum, es, est, dicitur subiectum, subsequens autẽ dicitur prædicatum, & ipsum verbum substantiuum dicitur copula?

Respondetur ad primum, quòd omne compositum denominandum est à parte sua digniori, vnde homo dicitur rationalis & intellectualis ab anima intellectuali, quæ dignior est in eo quam sensitiua & vegetatiua. Prædicatū autem dignius est subiecto, quoniam est sicut forma, subiectum verò sicut materia, & dicemus infrà, quòd talia sunt subiecta, qualia permittuntur à prædicatis. Congruè igitur dicitur categorica, id est prædicatiua & non subiectiua.

Ad secundū dicitur, quòd ideò terminus præcedens verbum dicitur subiectum, quia de eo dicitur prædicatum ita quòd subiicitur prædicato. Vnde & grammaticus appellat ipsum suppositum. Terminus verò subsequens verbum dicitur prædicatum, quia prædicatur & dicitur de altero, id est de subiecto. Vnde apud grammaticum dicitur appositum. Et aduerte, quòd totale subiectum est omnis terminus præcedens copulam, siue vnus, siue plures sint. V. G. homo est animal. homo est subiectū. homo magnus & honoratus est princeps in ciuitate, subiectum sunt omnes illi termini præcedentes, pars autem subiecti quilibet eorum. Idem intellige ex parte prædicati.

Sed dices. Quare subiectum & prædicatum per se inuicem notificantur siue definiuntur, cum definitio circularis videatur inutilis.

Respōdetur, quia habent respectū ad inuicem, subiectum enim respicit prædicatum, & prædicatum respicit subiectum, sicut filius respicit patrem, & pater filium. Respectiua autem conuenienter per se inuicem notificātur & definiuntur, quoniam mutuam habent dependentiam. Sed de hoc altius loquemur in tracta. de prædicabilibus. pro nunc sustine tu iuuenis ne inuoluaris. Constat igitur tibi quid sit propositio categorica.

Quantum ad eius diuisiones aduerte, vt habeas plenam de eis notitiam, sic disponendæ sunt.

Prima diuisio. Propositionum categoricarum, alia affirmatiua, alia negatiua.

Secunda. Alia vera, alia falsa.

Tertia. Alia alicuius quantitatis, alia nullius.

Quarta. Alicuius quantitatis alia vniuersalis, alia particularis, alia indefinita alia singularis.

Quinta. Alię participāt vtroq; term. alię altero, alię nullo.

Sexta. Participantium vtroque termino, aliæ participant vtroque termino eodem ordine, aliæ ordine conuerso.

Septima. Participantiū vtroq; termino siue eodem ordine siue conuerso, quædam formantur in materia naturali, quædam in materia contingenti, quędā in materia remota.

Octaua. Participantium vtroque termino eodem ordine tam in materia naturali, quàm in materia cōtingenti & in materia remota quædam sunt contrariæ, quædam subcontrariæ, quædam contradictoriæ, quædam subalternæ.

Nona. Participantiū vtroq; termino ordine cōuerso & in triplici materia siue naturali siue cōtingēti siue remota quędam cōuertuntur conuersione simplici, quædā conuersione per accidens, quædam conuersione per contrapositionem.

Omnes istæ diuisiones dantur de propositione categorica simplici, quæ dicitur de inesse, id est in qua prædicatū simpliciter & sine determinatione facta per aliquẽ sex modorum, scilicet verum, falsum, necessarium, contingens, possibile, impossibile, dicitur de subiecto. Quæ autem ex his diuisionibus conueniant etiam categoricæ modali dicemus in cap. quarto huius tract. De singulis autẽ diuisionibus agendum est in specie & ordine, quo præpositæ sunt.

Verū antequam descēdamus in speciē, quoniā aliqua prædictarū diuisionū datur de substātia ꝓpōnis, aliqua de qualitate, aliqua de q̃titate, vt tibi declarabit̃ infrà, ideò ad vñem notitiā diuisionum, quæ fiēt toto hoc nostro opere, ne simus coacti idē sæpius repetere, præponendi sunt oēs vniuersales modi, quibus solet fieri diuisio. Tu igitur aduerte, quòd in doctrina Aristotelis diuisio fit quatuor modis generalibus. *In Topicis, secundo etiam Posteriorum.*

Primo generis in species.
Secundo totius in partes.
Tertio vocis significata.
Quarto diuisio secundum accidens.

Diuisio generis in species, fit duobus modis primo gñis in species subalternas, vt quādo diuiditur corpus ꝑ aīatū & inanimatū, & aīatū ꝑ sensitiuū & nō sensitiuū, secundo generis in spe

in species specialissimas, vt quando diuiditur color per albedinem & nigredinē. Et hāc diuisionē cognosces in Trac. de Prædicabilibus.

Diuisio totius in partes fit quinque modis primò quando totum diuiditur in partes subiectiuas indiuiduales, vt quando diuiditur homo, in Sortem Pla: Ioannem Petrum, &c. Secundò quando totum diuiditur in partes essentiales, vt ens naturale compositum diuiditur in materiam & formam, sicut diuiditur homo in animam & corpus, tertiò quando diuiditur totum continuum in partes suas integrales, vt domus in fundamentum, tectum, & parientem, & corpus animalis in partes, quæ sunt membra sua, ex quibus integratur corpus. quartò quando diuiditur totum discontinuum in partes suas, inter quas & si non sit continuitas, est tamen ordo & proportio. Hoc modo diuiditur exercitus in milites, equites pedites, &c. quintò quando diuiditur totum potentiale siue potestatiuum in partes suas potestatiuas, vt quādo diuiditur anima per potentias suas & virtutes suas, vt tibi manifestabitur in libro de Anima, & infrà manifestabimus tibi in libro de Syllogismo Topico.

Diuisio vocis in sua significata fit tribus modis. primò vocis vniuocæ in significata vniuocę, vt quādo diuiditur homo in sortem & platōnem &c. secundò, vocis æquiuocæ in significata æquiuocata, vt quando diuiditur cancer in stellam siue signum cæleste, & aquaticum animal. & morbum. tertiò vocis analogicæ in significata analogata, vt quando diuiditur sanum, in animal sanum, vrinam sanam, medicinam sanam, cibum sanum, aërem sanum, exercitium sanum, &c. Et hanc diuisionem cognosces in trac. de prædicamentis.

Diuisio secundum accidens fit tribus modis, primò subiecti in accidentia, vt hominum alius paruus, alius magnus, alius albus, alius niger, alius medio colore coloratus. Secundò accidentis in subiecta, vt accidentium, quæ sunt in homine, aliud in anima, vt scientia, aliud in corpore, vt agilitas &c. Tertiò accidentis in accidentia, vt accidentium, quædam dura, quædam liquida, quædam lucida, quædam tenebrosa, & hæc diuisio manifestabitur tibi in philosophia naturali & præcipuè in libro de Generatione.

Isti igitur sunt modi vniuersales famosiores apud Aristotelem, quibus fieri consueuit diuisio.

Quantum ad primam diuisionem, quæ est per affirmatiuā & negatiuam aduerte quòd affirmatiua dupliciter definitur: primò sic, Categorica affirmatiua est propositio, in qua prædicatum affirmatur de subiecto, vt homo est albus. Sed aduerte, quòd tunc prædicatum affirmatur de subiecto quādo negatio non præcedit copulā, quòd si præcedit negatio, negatur prædicatum de subiecto, & efficitur negatiua, vt hic Sortes non est albus. Si autem subsequitur non efficitur negatiua, sed permanet affirmatiua, vt homo est non albus. Item aduerte quòd alio modo affirmatur prædicatum de subiecto in affirmatiua vera & in falsa, nam in vera affirmatur re & voce quia sic est in re, sicut dicitur, vt homo re & voce est risibilis. In falsa autem affirmatur voce tantum & non re. Nam licet dicam quòd homo est asinus, tamen non sic est in re, secundò definitur sic. Affirmatiua est in qua verbum principale affirmatur de subiecto, vt homo est animal. Dicitur in qua verbū principale affirmatur ad differētiā verbi secundarij, quod si negatur vel affirmatur, propter ipsum non fit propositio affirmatiua nec negatiua. Vnde ista non est negatiua, Sortes qui nō currit, mouetur, nec ista est affirmatiua. Sortes qui currit, nō mouetur. Nā in prima licet verbum secundarium, quod est, currit, negetur, tamen principale quod est mouetur, affirmatur, ideo permanet affirmatiua. In secunda autem fit opposito modo, ideo permanet negatiua. Et ratio huius est, quia verbum secundarium se tenet à parte subiecti, quod patet resoluēdo in suum participium siue actiuum, siue passiuum, vt hic. Sortes qui nō currit, id est. Sortes non currēs mouetur, Sortes qui currit, id est sortes currens non mouetur: Subiectum autem coniunctū participio affirmatiuo negatiuo nō facit propositionem esse affirmatiuā vel negatiuam, sed negatio cadens super verbū principale siue immediatè, vt quando subsequitur subiectū, vt homo non est asinus: siue mediatè, vt non homo est animal, dum modo sumatur negatio negans, & non infinitans terminum, cui opponitur, nam si infinitaret, non faceret negatiuam. Vnde hæc non est negatiua. Non homo currit, quoniā ly non homo est nomen infinitum, &c. Vnde non homo currit, æquipollet isti, asinus qui est nō homo currit. Constat autem hanc esse affirmatiuā. Patet igitur quid sit categorica affirmatiua.

Categorica negatiua dupliciter definitur. Primò sic, categorica negatiua est propositio, in qua prædicatū negatur de suo subiecto vt homo non est lapis. Secundò sic, est propositio in qua verbum principale negatur. Dicitur verbum principale ad differentiam verbi secūdarij, quod vt docuimus siue affirmetur, siue negetur, non facit propositionē affir. aut nega. Et aduerte, quod propositio potest fieri affir. vel nega. dupliciter: scilicet explicitè & implicitè. Si explicitè, fit per nomen & verbum indicatiui modi, vt homo est risibilis. Si implicitè potest fieri per vnicum terminum, vt quando dicimus, homo est risibilis, & econuerso: ly ecōuerso æquipollet vni propositioni, quæ est hæc, risibile est homo. Item aduerte quòd diuisio per affirmatiuam & negatiuam non solum conuenit categoricæ, sed etiam hypotheticæ & modali. quomodo autem fiat hypothetica affir. & negat. similiter modalis, dicemus agentes de eis. Nunc autem sustine, ne confundaris vt nouus auditor. Hæc de prima diuisione dicta sint.

Propositio vera vel falsa.

Quantum ad secundam diuisionem categoricæ, scilicet per veram & falsam, aduerte quòd categorica vera tam affirmatiua quā negatiua dupliciter diffinitur. Primò sic, vera est, quæ significat verum, id est significat rem sicut est, si est affirmatiua, vel significat rem sicut non est, si est negatiua. Sed de hac satis diximus in cap. præcedenti in declarando definitionem propositionis. secundò autem sic definitur. Vera est illa, cuius significatum primarium est verum. Significatum autem primariū est illud, quod exprimitur per orationem infinitiuam. Verbi gratia hæc est vera, Deus est bonus: quoniā Deū esse bonū est verū. Sic enim est in re. Dico cuius primariū significatum est verum ad differētiam secundarij. secundarium autem est quod continetur in primario & sequitur ad illud. Verbi gratia primarium huius, homo est rationalis, est esse rationalem: ad hoc autem sequitur esse animal, esse animatum, esse corpus esse substantiā. Iuxta igitur significatum primarium & secundariū iudicāda est propositio vera, quoniā est vera primò & per se ex eò, ex secūdariò autem est tantū consequenter. Nam bene sequitur quòd si Sortes est homo, sor. est animal. sed non econuerso, vt declarabimus in tract. de consequentiis. Similiter falsa dupliciter definitur. Primò sic, falsa est quæ aliter significat quā sit sit in re. vt hæc est falsa, homo est asinus, quia significat hominem esse asinum, & tamen aliter est in re, quia in re non est asinus, sed homo siue rationalis. & de hac definitione iam diximus in cap. præcedenti in definitione propositionis. Secundò sic, falsa est illa cuius primarium significatum est falsam. Verbi gratia, hæc est falsa, homo est asinus, quia hominē esse asinum est falsum, cum sit rationalis, & asinus irrationalis. Quod si fieret iudicium secundum secundarium significatum, quod est esse animal, esset vera. Nam hæc est vera, homo est animal, non tamen sequitur, ergo est asinus, vt declarabitur tibi in tract. de consequentiis. Hæc de secunda diuisione dicta sint.

Ex primo Peri.

Quantum ad tertiam diuisionem, scilicet quòd aliqua est alicuius quantitatis, aliqua nullius. Alicuius quantitatis est illa, cuius subiectum stat pro aliquo, vel pro aliquibus vel pro omnibus vel pro nullo, vt declarabitur in diuisitione sequenti. Nullius quantitatis est illa cuius subiectum suspenditur à propria denominatione, ratione probationis termini præcedētis ipsum, qualis est exclusiua exceptiua reduplicatiua, de quarum probatione acturi sumus in trac. de probationibus ter. tunc enim apparebit tibi quomodo istæ probantur non ratione subiecti, vt probatur vniuersalis particularis &c. sed ratione signi siue syncategorematicis, vt exclusiua per tantū, reduplicatiua per inquantum, exceptiua per præter, &c. Tu igitur sustine donec exercitatus magis fueris, & ad prædictū trac. deuenerimus. Hæc de tertia diui. pro nūc dicta sint.

Quantū ad quartam diui. s. ꝙ propositionū alicuius quantitatis alia est vniuersalis, alia particula. alia indefi. alia sing. duo agenda sunt: primò declarandū est, quomodo hæc diuisio est sufficiēs: secūdò ꝑtractādū est de quolibet eius mēbro.

Quantum ad primū aduerte ꝙ quantitas propositionis attenditur penes subiectū prout stat pro pluribus, aut pro vno solo. Potest igitur considerari subiectū dupliciter. Primò si stat pro vno solo. Secundò si pro pluribus: si pro vno solo, ita ꝙ vni soli conuenit facit propositionem sing. si pro pluribus, hoc dupliciter, quia vel pro pluribus indeterminatè, vel determinatè: si indeterminatè, sic facit propositionem indefi. si determinatè dupliciter: quia hæc determinatio subiecti vel fit per signū vniuersale affirmatiuum, vel negatiuū, vt omnis, nullus, & sic est propositio vniuersalis, vel fit per signū particulare affir. vel nega. & sic est propositio particularis. Constat igitur ꝙ hæc diuisio est sufficiens. Et si quæras quid sit

quantitas propositionis. Respondeo quòd sicut quãtitas substantiæ propriè accipitur iuxta mensuram longitudinis, & latitudinis & profunditatis, sic quantitas propositionis sumitur iuxta mensurã subiecti, prout verificatur prædicatiuè de vno vel pluribus. Cõstat igitur quomodo hæc diuisio est sufficiens, & quid sit, & vnde sumitur quantitas propositionis.

Intelligitur autẽ in subiecto aliqua ratio quantitatis discretæ, diligẽtius inquirenda.

Quantum ad secundum aduerte, quòd propositio vniuersalis dupliciter definitur. Primò sic, propositio vniuersalis tam affirmatiua, quàm negatiua est illa, in qua subiicitur tertia communis signo vniuersali determinatus.

Primò dicitur in qua subiicitur tertiæ communis, id est ponitur in subiecto tertiæ communis, id est qui potest conuenire & prædicari de pluribus, & apud Grammaticum dicitur nomen appellatiuum, vt homo, capra, leo.

Secundò dicitur signo vniuersali determinatus, signa vniuersalia sunt, quædam affirmatiua, vt omnis, quilibet, quisque, negatiua sunt, nullus, nihil, neuter. dicuntur vniuersalia, quia faciunt stare subiectum pro omnibus, aut pro nullo, vt ista est vniuersalis affirma. omnis homo est animal. Verificatur enim subiectum pro quolibet homine in singulari. Nam si omnis homo est animal, ergo & iste, & iste, & iste, & sic de omnibus aliis est animal.

Tertiò dicitur determinatus, id est modificatus siue limitatus ad standum non absolutè, sed pro omnibus, aut pro nullo. diximus enim in tertia diuisione terminorum, quòd signa vniuersalia sunt termini syncategorematici: quoniam sumpti cũ alio, id est cũ nomine substantiuo, & determinant ipsum in propositione ad standũ pro omnibus, aut pro nullo.

Sed aduerte, quod signum vniuersale ad hoc quod faciat propositionem vniuersalem simpliciter & propriè debet apponi subiecto in recto & explicitè. Nam si apponitur subiecto in obliquo, non facit eam vniuersalem simpliciter, sed secundum quid. Vnde ista cuiuslibet hominis asinus currit, non est vniuersalis absolutè: quoniam signum non apponitur ly asinus, quod est principale subiectũ, sed ly hominis, quod quoniam est obliquus est secundarium siue partiale subiectum. Vnde prædicta propositio absolutè est indefinita, vt tibi declarabitur. Dicitur explicitè: quoniam si ponitur implicitè vel virtualiter vel cum distinctione, non facit propositionem vniuersalem formaliter, sed tantum interpretatiuè. Sicut sunt istæ, totus sortes est minor sorte, totum quod est in mundo est in oculo meo. Non homo currit, & cætera.

Quomodo autem sint vniuersales interpretatiuè declarabitur tibi in tracta. de probationibus terminorum, vbi distinguemus de toto, & quomodo ista æquipoleat vniuersali negatiuæ, non homo currit, declarabitur tibi in capite, de æquipollentiis categoricarum. Nunc autem sisto ne te inuoluam. Similiter aduerte, quòd vniuersalis affirmatiua potest fieri dupliciter, scilicet collectiuè, vt omnes Apostoli sunt duodecim, & distributiuè, vt omnis homo est risibilis. Et iterum distributiuè potest fieri dupliciter, scilicet absolutè & accommodè. Verùm quomodo fiant & quomodo verificentur, declarabitur tibi in tracta. de suppositionibus, pro nunc sustine, Hæc de propositione vniuersali dicta sint.

Propositio particula.

Propositio particularis est illa, in qua subiicitur terminus communis signo particulari determinatus.

Dicitur in qua subiicitur tertiæ communis, ea ratione qua & in propositione vniuersali.

Dicitur signo parti. determinatus, ad differentiam propositionis vniuersalis. Est autem signum particulare determinatio termini communis, qui est subiectum in hac propositione, per quod designatur subiectũ accipi non pro omnibus sub eo contentis, sed pro aliquibus, vel pro aliquo, vt quidam homo currit, ergo vel iste, vel iste, vel iste currit, & sufficit quod verificetur pro aliquo, posito quod tantũ vnus currat.

Et aduerte, quòd propositio particularis potest fieri multis modis. Primò quando subiectum est tertiæ communis cum signo particulari tam affirmatiuè quàm negatiuè, vt quidam homo currit, quidam homo non currit. Secundò per ly aliquid sumptum adiectiuè, vt aliquid est in manu tua. Hæc est particularis virtualiter: quoniam ly aliquid sic exponitur aliqua res est in manu tua. Dico sumptum adiectiuè: quoniam sumptum substantiuè facit propositionem indefinitam vt dicemus. Tertiò quando subiicitur tertiæ communis cum signo vniuersali, sed signo præponitur negatio, vt non omnis homo currit, hæc enim æquipollet huic, quidam homo non currit. Quartò quando subiicitur termi. communis cum signo vniuersali affirmatiuo, sed præponitur negatio & postponitur: vt hic, non omnis homo non currit, æquipollet enim huic, quidam homo currit. Sed tertium & quartũ modum declarabimus sic esse in cap. de æquipollentiis categoricarũ. Hæc de propositione particulari dicta sint.

Propositio indefini.

Propositio indefinita est illa, in qua subiicitur terminus communis, nullo signo vniuersali vel particulari determinatus, vt homo currit.

Primò dicitur in qua subiicitur terminus communis eadem ratione, qua dictum est in definitione propositionis vniuersalis & particularis.

Secundò dicitur nullo signo ad differentiam propositionis vniuersalis, & particularis.

Tertiò dicitur nullo signo vniuersali vel particulari ad differentiã exclusiuæ, in qua ponitur signũ, tantùm, & in reduplicatiua, in quantũ, quę signa: quoniã nõ sunt vniuersalia, nec particularia, ideo nõ faciũt propositionẽ aliquius quãtitatis.

Sed dices, quare dicitur indefinita, cum æquipollcant particulari. Nam idem sensus est dicere, aliquis homo currit, & homo currit.

Respondetur, dicitur indefinita, id est indeterminata, quia acceptio sui subiecti non determinatur ad certam quantitatem secundum modum enunciandi per signum vniuersale vel particulare, licet supponat subiectum determinatè, vt dicemus in tract. de suppositionibus, & quando dicitur quòd idem sensus est dicere, quidam homo currit. & homo currit, conceditur quo ad suppositionem, & verificationem, sed non conceditur quo ad modum enunciandi, & sic intendimus ipsam esse indefinitam, & non quò ad verificationem & suppositionem. Sed pro nunc sustine, donec tractemus de suppositionibus. Hæc de propositione indefinita dicta sint.

Propositio singul.

Propositio singularis est illa, in qua subiicitur terminus discretus vel terminus communis cum pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei, vt Plato currit. Iste homo comedit. Ille homo dormit.

Primò dicitur in qua subiicitur terminus discretus, ad differentiam propositionis vniuersalis & particula. & indefinitæ, in quibus subiicitur termi. communis, apponitur autem terminus discretus, termi. communi: quoniam discretus de vno solo est aptus prædicari & Grãmaticus appellat nomen propriũ qã vni soli cõuenit, vt Plato. Cõmunis autẽ est aptus de pluribus prædicari, vt homo & animal, & Grammaticus vocat ipsum nomen appellatiuum, quod pluribus conuenit.

Secundò dicitur, vel terminus cõmunis cum pronomine demonstratiuo. Nam licet terminus cõmunis de se stet pro pluribus, tamen per pronomen demonstratiuum restringitur ad standum pro vno solo indiuiduo, ideo æquipollet termino discreto. Vnde ista propositio, hic homo currit, demonstrato Sorte, æquipollet isti, Sortes currit.

Tertiò dicitur primitiuæ speciei, ad differentiam pronominum deriuatiuæ speciei. Sunt autem pronomina demonstratiua primitiuæ speciei ego, tu, sui, ille, ipse, istæ, hic, & is. Deriuatiuæ autem sunt meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras. Idcò autem ea, quæ sunt primitiuæ speciei cõstituunt propositionem singularem: quoniam trahunt subiectum ad supponendum pro vno solo, vt istæ homo demonstrato Sorte currit, & ego, scilicet Petrus curro, & tu, scilicet Plato curris. Ea verò, quæ sunt deriuatiuæ speciei, vt meus, tuus, non constituunt propositionem singularem, non enim restringunt subiectũ, cui apponuntur ad standum pro vno solo, sed potest verificari de pluribus. Verbi gratia, Petrus habet decẽ asinos. & dicit. Meus asinus currit. ly asinus nõ stat pro isto tantũ, vel pro illo tantũ, sed pro omnibus disiunctiuè. Nam si meus asinus currit, & habeo decẽ, ergo vel istæ, vel istæ, qui est meus currit. Pronomina autẽ de mõstratiua primitiuæ speciei restringũt ter. cõmunẽ ad standũ pro vno solo demonstrato, vt ego, scilicet Petrus scribo, Tu verò, scilicet Plat. dormis. Cõstat igitur qd sit, ppositio singularis.

Tu tamen aduerte, quod non solùm potest fieri per termi. discretum, & per ter. communem cum pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei. sed & per ter. relatiuum, vt posito quod Sophronisicus habet tantùm vnum filium, cuius nomen ignoretur, si dico Sophronisci filius studet Papię, est singularis propositio. similiter si dico, Pater Calię venit. est singularis: quoniam isti ter. relatiui equipollent termin. discretis. Item potest fieri per termi. discretum circunlocutum, vt si dico, Vir crispus rubeus, & claudus cantat in platea. Istæ enim circunstantiæ manifestant talem hominem, & non alium, ideò reddunt propositionem singularem. Patet igitur quid sit propositio singularis & quot modis fieri contingit.

Item aduerte, quod si quis te interrogat de substantia. siue natura propositionis, dicendo, Quæ propositio est ista. Sortes est homo, respondere habes, Categorica, & quæ est ista.

Si tu

Si tu currris, tu moueris, respondere habes hypothetica. Si aũt quis te interrogat de qualitate propositionis, dicendo. Qualis est ista sortes currit, respõdere habes affirmatiua. & Qualis est ista, homo non est asinus, respondendum est, negatiua. Si verò quis te interrogat de quantitate propositionis dicendo. Quãta est ista: omnis homo currit, respondendum est, vniuersalis, & sic de aliis. Vnde logici pro hoc triplici quæsito formauerunt hunc versum.

Quæ. ca. vel ip. qualis. ne. vel af. v. quanta. par. in fin. idest.

Quæ categorica, vel hypothetica. Qualis, negatiua, vel affirmatiua. V. quanta, vniuersalis vel particularis indefinita vel singularis.

Sed dices. Quæ est substantia propositionis, & quæ eius quantitas, & quæ eius qualitas?

Respondetur subiecta est eius natura siue essentia, puta quod sit quid compositum ex talibus partibus. scilicet ex subiecto prædicato & copula, vt categorica: vel ex duabus orationibus per aliquam coniunctionẽ coniunctis: vt si tu curris, tu moueris, vt hypothetica. Quantitas eius est extẽsio subiecti ad standum pro vno vel aliquibus vel omnibus vel nullis. Qualitas eius est secundum quam dicitur qualis: vt affirmatio, negatio, veritas, falsitas, necessitas, contingentia, possibilitas, impossibilitas. Nam omnia ista qualificant propositionem. Vnde interroganti qualis sit ista, homo est animal, respondere debemus, quod est affirmatiua vera: non solum possibilis sed etiam necessaria.

Quantum ad quintam diuisionem, quæ est hæc, propositionum categoricarũ, quædam participant vtroque termino, quædam altero, quædam nullo. aduerte, quod cum termini componentes categoricam sint subiectum & prædicatum, quæ etiam dicuntur extrema propositionis, participare termino vel terminis, est conuenire in subiecto vel in prędicato, vel in vtroque. Non participare autem est non conuenire. His præmissis aduerte, quod duas categoricas participare vtroque termino, est eas conuenire in subiecto & prædicato, ita quòd subiectum primæ est subiectum secundæ, & prædicatum primæ est prædicatum secundę, nec in alio differunt nisi quod vna est affirmatiua, altera negatiua, vt sunt istæ duæ homo est animal, homo non est animal. participare in altero termino tantum, scilicet vel solum in subiecto, vt hic: homo est animal, homo est rationalis, vel in prædicato tantum vt hic: homo est animal, asinus est animal. Participare nullo termino, est non conuenire in subiecto nec in prædicato, vt hic, homo est risibilis, asinus est rudibilis.

Et aduerte quod hic loquimur de participatione formali & virtuali. quod dico, quoniam licet istæ duæ conueniant virtualiter: homo est animal, risibile est animal: non tamen formaliter, quoniam formaliter non sunt idem homo & risibile, dato quod essent idem re, quod tamen non conceditur in via Thomistica.

Iterum aduerte, quòd hæc diuisio data est, vt cognoscatur oppositio contraria, subcontraria, contradictoria subalterna propositionum categoricarũ de quibus acturi sumus infrà. Nam illa supponit participationem propositionum oppositarum vtroque termino formaliter & non solùm virtualiter vt tibi declarabitur in diuisione octaua.

Quantum ad diuisionem sextam, quæ est qꝑ propositionũ categoricarum participãtium vtroque termino formaliter, quędam participant vtroque termino eodem ordine, quędã ordine conuerso. Aduerte igitur quod duas categoricas participare eodem ordine vtroque termino, est sic, quod est subiectum in prima est subiectum in secunda, & quod est prędicatum in prima est prædicatum in secunda, vt hic, Sortes est homo. Sortes non est homo. & semper intelligendum est formaliter, & non virtualiter tantum. Duas autem categoricas participare vtroq; termino ordine conuerso, est sic, quod est subiectum in prima est prædicatum in secunda, & quod est prædicatum in prima est subiectum in secunda. vt hic homo est animal rationale, animal rationale est homo. Et hæc diuisio deseruiet quando loquemur de conuersionibus propositionum categoricarum, vt tibi manifestabitur.

Quantum ad septimam diuisionem, quæ est hæc. Propositionum participãtium vtroque termino siue eodem ordine siue conuerso quædam fiunt in materia naturali, quædam in contingenti, quędam in remota. aduerte, qꝑ illæ fiunt in materia naturali in quibus prędicatum semper, & inseparabiliter conuenit subiecto, & id fit multis modis, primò quando genus, aut differentia, aut definitio, aut proprietas, aut qualitas naturalis prædicatur de re. Exemplum primi, homo est animal: secundi, homo est rationalis. Tertij, homo est animal rationale: quarti homo est risibilis: quinti, Ignis est calidus, mel est dulce, nix est alba. Item quando idem prædicatur de seipso: vt Sortes est Sortes.

Illæ autẽ fiunt in materia contingenti, in quibus prædicatum potest aduenire & remoueri à subiecto, absque hoc qꝑ corrumpatur subiectum, & propter hoc distinguũtur à propositionibus in materia naturali, quoniam in illis si auferatur prædicatum, nõ permanet subiectum. Nam si homo cessat esse animal, aut rationalis, aut risibilis, & si ignis cessat esse calidus &c. nec homo nec ignis permanẽt, sed corrumpũtur, & desinunt esse. Tu igitur aduerte, qꝑ omnis propositio, in qua prædicatum est accidens commune, & separabile, & etiam inseparabile, modo non fluat à principiis speciei, fit in materia cõtingẽti, vt istæ, homo est albus. Aethiops est niger, aqua est calida &c. Dico modo non fluat à principiis speciei: vt perseruem rerum proprietates, vt est risibilitas in homine, par & impar in numero, curuum & rectum in linea, fumũ calorẽ in igne. Illę nanq; faciũt propositionẽ in materia naturali. Quid verò sit fluere à principiis speciei declarabit tibi in trac. de Prædicabilibus in c. de proprio & accidente.

Illæ vero fiunt in materia remota, in quibus prædicatum non potest verificari de subiecto imò, ad inuicem repugnãt. Istæ autem sunt in quibus subiectum & prędicatum sunt opposita contraria vel contradictoria vel priuatiuè vel relatiuè opposita. Exemplum primi. Album est nigrum. Secundi, homo est non homo. Tertij. Cæcus est videns. Quarti, pater est filius. Et aduerte, quòd dicuntur fieri in materia remota, scilicet repugnanti, quoniam naturæ subiecti & prædicati in omnibus prædictis repugnant adinuicẽ, nec se cõpatiuntur. Inde est quòd omnis affirmatiua in materia remota semper & de necessitate est falsa: negatiua autem semper & immutabiliter vera. In materia verò naturali est opposito modo. Nam affirmatiua semper est vera, negatiua semper falsa. In materia contingenti est medio modo, quoniam tam affirma. quàm nega. aliquando est vera aliquando falsa. nam quando prædicatum inest subiecto, affirmatiua est vera, negatiua falsa, quando prædicatum remouetur, affirmatiua est falsa, negatiua est vera. Hæc de septima diuisione dicta sint.

De prop. oppositiõe.

Quantum ad octauam diuisionem, quæ fuit hæc. Propositionum categoricarum participantium vtroque termino eodem ordine triplici materia. scilicet naturali contingenti & remota, aduerte, quòd inter eas fit quadruplex oppositio. scilicet contraria, subcontraria, contradictoria, subalterna.

Cõtraria.

Oppositio contraria fit inter eas, quarũ vna est vniuersalis affirmatiua, & altera vniuersalis negatiua, de eisdẽ subiectis & pdicatis vniuocè & æquè lamplè & æquè strictè acceptis.

Primò dicitur quarũ vna est vniuersalis &c. Nã vt distinguantur à contradictoriis, debent esse eiusdem quãtitatis & diuersæ qualitatis. Si eiusdem quantitatis: ergo vtraque est vniuersalis, vel particularis: non secundum, quia non essent contrariæ, sed subcontrariæ, vt dicetur infrà, ergo primum. Si diuersæ qualitatis, ergo vna est affirmati. & altera negati.

Secundò dicitur de eisdem subiectis & predicatis: vt omnis homo est albus, nullus homo est albus, & defectu huius istæ duæ non sunt contrariæ, omnis homo est albus, nullum risibile est album. Tu tamen aduerte quòd subiectum & prædicatum possunt esse idem tripliciter. primò secundum vocem tantum, & non secundum significatum, secundò secundum significatum tantum, & nõ secundum vocem, tertiò secundum vocem, & secundum significatum. Exemplum primi, omnis canis latrat: nullus canis latrat Secundi. Omnis homo currit, nullũ rationale currit. Tertij Omnis homo est animal nullus homo est animal. Prima identitas non sufficit ad contrarietatem, ideo dicitur in definitione, acceptis vniuocè: constat autẽ quòd canis est ter. æquiuocus, secunda autem sufficit ad contrarietatem virtualem seu æquiualẽtem sed non ad formalem, tertia verò sufficit ad contrarietatem propriè dictã & formalem. vnde licet istæ duæ, omnis homo currit, nullum rationale currit. sint contrariæ virtualiter eo qꝑ secundum significatum homo & rationale sunt idem, non tamen formaliter, quoniam formaliter non participant vtroque termino secundùm vocem & secũdum significatũ.

Tertiò dicitur æquè amplè & æquè strictè acceptis. Defectu huius apud multos istæ duæ non sunt contrariæ. Omnis homo est animal, nullus homo est animal, quoniam in prima potest teneri tam pro masculis quàm pro fœminis. in secunda solum pro masculis. Tu tamen aduerte, quòd secundùm vsum in vtraque accipi consueuit pro masculis, ideo acceptantur: vt veræ contrariæ. Item defectu huius istæ duæ non sunt contrariæ. Omnis homo est albus nullus

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

homo fuit albus, quia in prima restringitur ad præsentes, in secunda autem ampliatur ad præsentes vel præteritos. Sed pro nunc sustine, donec pertractemus de ampliationibus & appellationibus. Tu tamen aduerte, quòd prædictæ non sunt contrariæ non solum ratione dicta, sed quia copula non tenetur eodem modo in prima, & in secunda. Nam in prima est ly est, in secunda est ly fuit. Vnde in definitione intelligendum est quòd contrariæ debent esse de eisdem subiectis & prædicatis & copulis. Hæc de contrariis dicta sint.

Contradictoriæ. Oppositio cõtradictoria est inter eas, quarum vna est vniuersalis affirmatiua, altera particularis negatiua. vt omnis homo est animal, quidam homo non est animal: vel altera est vniuersalis negatiua, & altera particularis affirmatiua. vt nullus homo currit, quidam homo currit, de eisdem subiectis & prædicatis & copulis, vniuocè & æquè amplè, & æquè strictè acceptis. Omnia debent intelligi sicut expositum est de contrariis.

Vt autem habeas maiorem noticiam de contradictione, aduerte ex doctrina Aristotelis, quòd quatuor conditiones requirit, & defectu cuiuslibet earum enitatur contradictoria oppositio.

Prima est quòd sit affirmatio eiusdem de eodem, & negatio, dummodo sumatur idem secundum rem & vocem. vt Sortes currit, Sortes nõ currit. Defectu cuius, ista apud logicum non sunt contradictoria formaliter, sed virtualiter, siue æquipollenter tantũ ex parte rei. Cicero currit, Marcus non currit, posito enim q̃ sint synonyma ex parte significati quia idem homo dictus est Marcus & Cicero, tamẽ distinguũtur voce siue termino, quoniã duo sunt termini, Marcus & Cicero, ideo non sunt contradictoria formaliter, sed æquipollenter. Aequipollenter quidem, quoniam idem indiuiduum intelligitur per Marcum & Ciceronem, formaliter autem non, quoniam logicus obseru at oppositionem de virtute sermonis, philosophus autem, qui est artifex realis. de virtute rei & significati. Vnde apud physicũ ista contradicunt. Materia prima est ens in potentia, Primum subiectum non est ens in potentia. Pro eodem enim accipit materiam primam & primum subiectum.

Secunda est quòd duæ propositiones contradictoriæ referantur ad idem & secundum idem. & propter huius defectum, istę non cõtradicũt, Aethiops est albus dẽtes. Aethiops non est albus pedes, non enim fit prædicatio secundum eandem partem.

Tertia est. Quod teneantur similiter, ideo istæ duæ non contradicunt, nullum animal est genus, animal est genus. Nam in negatiua stat animal pro suppositis, in affirmatiua stat pro natura communi. Sed id non intelliges. donec in tract. suppositionum exercitatus fueris, ideo sustine.

Quarta est quòd referantur ad idem tempus. Et defectu huius, istæ duæ non contradicunt, sortes venit hodie, Sortes nõ venit heri. Et aduerte quòd omnes istæ cõditiones exprimuntur in diffinitione contradictionis, quæ extrahitur ex doctrina Aristotelis præcipuè in quarto Metaphysicæ, & est hæc. Contradictio est affirmatio & negatio, id est. propositio affirmatiua, & negatiua eiusdem prædicati de eodem subiecto, ad idem secundum idem, similiter & pro eodem tempore. Hæc de contradictoriis dicta sint.

Subcõtrariæ. Oppositio subcontraria est inter eas, quarum vna est particularis affirmatiua, vel indefinita: altera autem est particularis negatiua vel indefinita, de eisdem prædicatis, & subiectis, & copulis vniuocè acceptis, & eodem modo supponentibus.

Primò dicitur propositio affirmatiua negatiua particulares aut indefinitæ, vt excludamus duas singulares. Nam illæ sunt contradictoriæ secũdum rem & significatum, licet non in figura, quoniam in figurá vt declarabitur tibi infrà, oportet vnam esse vniuersalem affir. vel negatiuam, alteram autem particularem affir. vel neg. vt patebit in figuris, quas infrà describemus. Quare autem duæ singulares non sint subcontrariæ ratio est hæc, quia duæ subcontrariæ possunt esse simul veræ, vt quidam homo currit, quidam homo non currit, duæ autem singulares non possunt esse simul veræ nec simul falsæ, sed vna vera & altera falsa in omni materia, vt si hæc est vera sortes non est asinus, hæc necessariò est falsa. Sortes est asinus. Ergo sunt contradictoriæ.

Secundò dicitur de eisdem subiectis, &c. intelligendum est eodem modo sicut dictum est in oppositione contraria.

Tertiò dicitur vniuocè tentis, defectu cuius istæ non sunt subcontrariæ, Quoddam sanum est animal, Quoddam sanum non est animal.

Quartò dicitur eodem modo supponentibus, defectu cuius, istæ non sunt subcontrariæ, homo est species, homo non est species. nam in prima homo supponit pro natura communi, in secunda pro natura partica in suppositis, Sic quidem dicimus pro nunc, in tract, autem suppositionum manifestabimus quomodo ista non est indefinita, homo est species. sed singularis, & ideo manifestius tibi erit, quòd non sunt subcontrariæ, non solum quia non supponit homo in prima & secunda eodem modo, sed quoniam sunt singulares, quas necesse est, vt diximus, esse oppositas contradictoriæ secundùm rem & significatum.

Subalterna. Oppositio subalterna est inter eas quarum vna est vniuersalis affirmatiua & altera particularis, aut indefinita, aut singularis affirmatiua. Vel vna est vniuersalis negatiua, & altera est parti. aut inde. aut singu. negatiua de eisdem subiectis & prædicatis & copulis, &c. vt dictum est in aliis oppositionibus.

Hic tria sunt declaranda, primò quare dicuntur subalternæ, secundò quare duæ singulares affirmatiua & negatiua sunt subalternæ & non subcontrariæ.

Ad primum dicitur quòd ideo vniuersalis affir. & particularis affirmatiua dicũtur subalternæ, quia vna sub altera ponitur scilicet partic. sub vniuersali. Vnde vniuersalis se habet, vt antecedens, partic. vt consequens. Nam bene sequitur. Omnis homo est animal, ergo quidam homo est animal, & homo est animal, & iste homo est animal, vt tibi manifestũ erit in suppositionibus. Non autem sequitur econuerso, quia ab inferiori distributiuè ad superius affirm. non valet consequentia: non enim sequitur, aliquis homo est stultus, ergo omnis homo est stultus. Et aduerte quòd sicut dicuntur subalternæ per respectum suppositionis, quem habent particulares ad vniuersales, sic dici possent superalternæ, per respectum super positionis, quem habent vniuersales ad particulares. Sed primis placuit sic denominare ab inferioribus, quorum est subiici & supponi superioribus.

Ad secundum dicitur quòd ideo duę sing. affir. & neg. sunt subalternæ, quoniã sicut valet cõsequẽtia ab vniuersali affir. vel neg. ad partic. & inde affir. & neg. sic valet ad sing. affir. & neg. Nam si hæc consequentia valet, omnis homo currit, ergo aliquis homo, & homo currit, sic valet, ergo iste & iste currit. quoniam. vt declarabitur tibi in trac. suppositionum, signum vniuersale affirmatiuum & negatiuũ distribuit terminum immediatè sequentẽ, & licet descendere ad sua singularia diuisiuè. Sed pro nunc sustine ne confundaris, donec habebis de suppositionibus notitiam. & ideo sunt subalternę sicut partic. & indefi. Non autem sunt subcontrariæ ratione iam dicta, quoniam subcontrarias contingit esse simul veras, duæ autem singularis negatiua & affirmatiua. in omni materia ita se habent quòd si vna est vera, altera est falsa. & non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ, & ideo, vt diximus, non sunt subcontrariæ, sed contradictoriæ. Constat igitur tibi quomodo propositiones categoricæ participantes vtroque termino & eodem ordine, constituunt quatuor genera oppositionum. Et quoniam possunt formari in materia naturali & remota & contingenti, ideo figurabimus tibi tres figuras. Prima erit de oppositis in materia naturali, secunda de oppositis in materia remota, tertia de oppositis in materia contingenti, vt patet infrá.

Figura oppositionum in materia naturali.



Figura

Figura oppositionum in materia remota.



Figura oppositionum in materia contingenti.



De veritate et falsitate in propositionibus. Pro completa intelligentia quatuor generum oppositionum tam in materia naturali quam remota & contingenti, de quibus signauimus præpositas res figuras, declarandum est quomodo se habent ad veritatem & falsitatem, & primò quomodo possunt esse simul veræ, vel falsæ, vel vna vera, & altera falsa, in materia naturali, secundò quomodo in materia remota, tertiò quomodo in materia contingenti.

Tu igitur aduerte, quod in materia naturali, duæ contrariæ ita se habent quod semper affirmatiua est vera, & negatiua est falsa, nec possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Et ratio huius est, quia in materia naturali, prædicatum de necessitate semper verificatur, & conuenit subiecto, ergo propositio vniuersalis negans prædicatum inesse subiecto semper est falsa, & vniuersalis affirmatiua semper est vera.

Similiter duæ subcontrariæ in materia naturali ita se habent, quod particularis affirmatiua semper est vera, & negatiua semper est falsa, nam hæc est vera de necessitate, omnis homo est animal, bene sequitur, ergo & quidam homo & homo & hic homo est animal, vt tibi declarabitur in tract. de suppositionibus. Item si vniuersalis negatiua semper est, falsa sequitur & partic. neg. esse falsam, quoniam sub negatiua vniuersali defenditur ad omnia supposita distributiuæ negatiuæ. Nã bene sequitur, nullus homo est animal, ergo nec quidam homo, nec homo, nec Plato est animal. Vnde patet quod quoniam vniuersalis negatiua est falsa, partic. & inde. & sing. negatiua est falsa. Et sic patet quod in materia naturali, natura & conditio contrarium est quod vna sit vera, & altera falsa, nec vnquam si sint simul veræ, nec simul falsæ, dummodo seruetur prædicatio directa. Quod dico, quoniam in prædicatione indirecta, non inconuenit vtranq; esse veram, vt hic, omne animal est homo, nullum animal est homo. Nam, vt patet, vtraq; est falsa: quoniã vtraq; est indirecta: minus enim vniuersale est prædicatum quàm subiectũ. Sed in doctrina peripatetica semper loquendum est propriè & directè. Quid autem sit prædicatio directa & indirecta manifestabitur tibi in tract. de vniuersalibus, & in trac. de syllogismo formali, ideo pro nunc sustine.

Contradictoriæ verò in materia naturali ita se habent, quòd si vna est vera altera est falsa, & econuerso. Nam hoc est primum principium quod defenditur in quarto Metaphysicæ ab Aristotele contra antiquos, scilicet quod in nulla materia duo contradictoria possunt esse simul vera, nec simul falsa, ergo nec in materia naturali. Et ratio huius est quia impossibile est idem simul & veræ affirmari & negari de eodem, sed in contradictoriis affirmatur & negatur idem de eodem. Nam si ista est vera, omnis homo est animal, & hæc est vera, quidem homo est animal, demonstro Sortem: si ergo dicis, quòd particularis negatiua est vera, scilicet quidam homo, demonstrato sorte, non est animal, ergo affirmatur & negatur simul & veræ idem de eodem, scilicet esse animal & non esse animal de sorte, quod est impossibile.

Subalternæ ita se habẽt in materia naturali, quod vniuersalis affir. & particularis affir. semper sunt veræ, quoniam particularis sequitur vniuersalem. Nam bene sequitur. Si omnis homo est animal, quod quidam homo sit animal, vt tibi declarabitur in tract. de consequentiis. Vniuersalis aut & particularis neg. semper sunt falsæ, quoniam prædicatum in materia naturali vt docuimus suprà non potest remoueri neque negari à subiecto. Vnde hæc semper est falsa. Nullus homo est animal, ex consequenti & ista, quæ est sua subalterna, quidam homo non est animal. Constat igitur tibi quomodo quatuor genera oppositionum se habeant ad veritatem & falsitatem in materia naturali.

In materia autẽ remota sic se habent contrariæ. Vniuersalis affirmatiua semper est falsa, vt omnis homo est asinus, & vniuersalis negatiua semper est vera, vt nullus homo est asinus, quia in materia remota, vt docuimus suprà, prædicatum repugnat subiecto: ergo propositio vniuersalis affirmatiua qua affirmatur prædicatum conuenire subiecto, est falsa, & negatiua, qua negatur prædicatum tale, puta asinum conuenire subiecto, puta homini, est vera.

Subcontrariæ eodem modo se habent, scilicet quod particularis affirmatiua semper est falsa. Nam bene sequitur, quòd si omnem hominem esse asinum est falsum, etiam sequitur quod aliquem hominem esse asinum sit falsum, vt tibi declarabitur in tract. consequentiarum.

Contradictoriæ, vt iam diximus, in omni materia ita se habent, quod si vna est vera, altera est falsa, & econuerso, ergo in materia remota.

Subalternæ ita se habent, quod vniuersalis affirmatiua & particularis affirmatutino sunt falsæ. Nam bene sequitur, si omnem hominem esse asinum est falsum, ergo & quendam hominem esse asinum est falsum, Vniuersalis autem & part. neg. sunt veræ. Nam bene sequitur, si nullum hominem esse asinum est verum, ergo quendam hominem non esse asinum est verum. sed aduerte, quod veritatem harum consequentiarum non apprehendes tu nouitie, donec consequentiarum tractatum adieris. Ideo pro nunc crede. Constat igitur quomodo quatuor genera oppositionum se habent ad veritatem & falsitatem in materia remota.

In materia contingenti, id est quando prædicatum adest & abest præter subiecti corruptionem, ita quod non est de essentia speciei, nec proprietas eius naturalis cõtrariæ ita se habent, quòd tam vniuersalis affirmatiua quàm vniuersalis negatiua sunt simul falsæ loquendo absolutè, & simpliciter, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus. & ratio huius est, quia in materia cõtingenti respectu accidentis separabilis prædicatũ inest aliquibus indiuiduis, & aliquibus nõ est, vt patet de albedine et calliditate de scientia de virtute in homine. Nã aliqui homines sunt albi, sunt callidi, sunt docti, sunt virtuosi, aliqui autẽ sunt opposito modo. Quando ergo aliquibus inest accidens separabile, vniuersalis negatiua est falsa, quando autẽ aliquibus non inest, vniuersalis affirmatiua est falsa, ergo vtraq; est falsa. Dixi loquendo absolutè, quoniã aliquo casu posito, vna est vera, altera falsa, puta. Dato casu quod tãtum decem homines essent in mundo, & omnes virtuosi, Hæc esset vera stante casu & non aliter, Omnis homo est virtuosus siue studiosus, & hæc est falsa, Nullus homo est studiosus. Dixi respectu accidentis separabilis, vt præsertim contrarias factas de accidente inseparabili. Illæ enim se habent in veritate & falsitate sicut contrariæ in materia naturali, licet enim non sit fluens à principiis speciei, tam inseparabiliter consequentur omne indiuiduũ talis speciei, puta nigredo omnem Aethiopem, albedo omnẽ niuem. Vnde istæ contrariæ nunquam sunt simul falsæ, sed vniuersalis affirmatiua est vera, negatiua autem est falsa.

Sed dices nunquid in materia contingenti sicut possunt esse

esse simul falsæ nunquid possunt esse simul veræ?

Respondetur quòd non, duplici ratione, primò, quia vniuersalis affir. signat prædicatum inesse omnibus indiuiduis continentis sub subiecto, vt omnis homo est albus, ergo iste, & iste, & iste, & de singulis est albus. Vniuersalis autē neg. signat prædicatum nulli cōtento sub subiecto inesse, vt nullus homo est albus. ergo nec iste, nec iste, & sic de singulis est albus, sed impossibile est, vt patet prędicatū nullis suppositis & omnibus inesse, ergo non possunt esse simul veræ. secundo si possunt esse simul veræ, ergo & duæ subcontrariæ, ergo & duæ contradictoriæ. prima consequentia patet, quoniam si hæc est vera, omnis homo est albus, & hæc est vera, quidam homo est albus, & si hæc est vera, nullus homo est albus, hæc etiam est vera, quidam homo non est albus, secunda autem consequentia probatur sic. si propositiones quatuor angulorum vt figurātur supra in tertia figura possunt esse simul veræ, ergo vniuersalis affir. & parti. neg. & vniuersalis neg. & partic. affir. possunt esse simul veræ. Istæ autē sunt cōtradictoriæ, vt patet in figura: ergo, si duæ contrariæ in materia contingenti sunt simul veræ, etiam duæ cōtradictoriæ, quod tamen est impossibile in omni materia vt diximus. Ex his corollariæ sequitur, quòd duæ contrariæ in materia contingenti non repugnant nec opponuntur in falsitate, sed in veritate. Quod autem repugnent in qualitate, sed non in quantitate, est commune contrariis in omni materia.

Subcontrariæ in materia contingenti & de accidente separabili ita se habent quòd vtraque est vera, vt quidam homo est albus, quidam homo non est albus. Nam prędicatum contingens separabile non necessario inest omni contento sub subiecto, ergo potest aliquibus nō inesse & de facto non inesse & tunc verificatur partic. neg. Neque necessario remouetur ab omni contento sub subiecto ergo potest aliquibus inesse, & de facto inesse, & tunc verificatur partic. affir. Dixi de accidente separabili, quoniam si fiunt de accidente inseparabili dicendum est de eis, vt diximus de sub contrariis in materia naturali, in quibus affir. semper est vera, & neg. semper falsa, & nunquā sunt simul veræ, nec simul falsæ.

Sed dices. Numquid possunt esse simul falsæ, sicut possunt esse simul veræ? Respondetur quod non, quia si hęc est falsa, quidam homo est albus, ergo & vniuersalis affir. est falsa, scilicet omnis homo est albus. Et si hęc est falsa, quidā homo non est albus, ergo & vniuersalis negatiua est falsa, scilicet nullus homo est albus. Ergo vniuersalis affir. & particularis negatiua, & vniuersalis negatiua & particularis affir. possunt omnes esse falsæ. Sed sunt contradictoriæ, quæ in nulla materia possunt esse simul veræ, neq; simul falsæ. Cōstat ergo quòd duę subcōtrarię in materia cōtingēti nō possunt esse simul falsæ, sed simul veræ, ex cōsequētij se habēt opposito modo respectu cōtrariarū. Nā diximus quòd illæ possunt esse simul falsę in materia cōtingēti. sed nō simul veræ: hic aūt est opposito modo. Ex his sequit corollariæ quod duę subcōtrarię in materia cōtingēti nō repugnāt in veritate, sed in falsitate. Quod autem repugnāt in qualitate sed non in quantitate, est commune omnibus subcontrariis in omni materia.

Sed contra. Videtur quòd possunt esse simul falsæ. & arguitur sic, istæ duæ sunt subcontrariæ, cum sint indefinitæ affirmatiua & negatiua. Homo albus omnem colorem habet, Homo albus nullum colorem habet, & vtraque est falsa, vt patet, ergo, &c. Nec obstat quòd non sunt duæ partic. sed duæ indefinitæ, quoniam idem est iudicium de partic. & indefinitis in hoc vt diximus suprà.

Respondetur. non sunt propriæ subcontrariæ, sed potius contrariæ ex parte prædicati propter ly omnem colorem. & ly nullum colorem. Contrariæ autem in materia contingenti, vt diximus, possunt esse simul falsæ. si autem vis eas reducere ad subcontrarias dices sic. Homo albus omnem colorem habet, Homo albus non omnem colorem habet, & tunc affirmatiua est falsa, & negatiua est vera: sic dicunt aliqui. mihi autē videtur quòd ex parte prædicati magis sapiant naturam cōtradictoriarum, quàm subcontrariarum. Hæc enim est vniuersalis affirmatiua ex parte prædicati, Homo albus omnem colorem habet, & hæc est particularis negatiua, Homo albus non omnem colorem habet, Et sic patet quod si subcontrariæ veræ & propriè formantur, non possunt esse simul falsæ.

Contradictoriæ in materia contingenti. sicut & in materia naturali & remota ita se habent quod si vna est vera, altera est falsa, nec vnquam possunt esse simul veræ, nec simul falsæ nulla exceptione facta. & ratio quidem est, quia si possent esse simul veræ aut falsæ, sequitur quòd de eodem indiuiduo verificatur affirmatio, & negatio, quòd est contra primum principium, quo dicitur in quarto Metaphysic. Impossibile est idem simul esse & non esse. Probatur consequentia, Istæ sunt contradictoriæ, Omnis homo est albus, & quidam homo non est albus. Si ista est vera, omnis homo est albus, ergo Sortes, est albus, quia sortes est homo. Et si ista est vera, Quidam homo non est albus, sit ille sortes, Ergo verum est dicere quòd sortes est albus, & non est albus, quod est contra primum principium. Quod non possint esse simul falsæ, declaratur sic. Si ista est falsa, omnis homo est albus, ergo sortem esse album est falsum quia cōtinetur sub homine. Si hæc est falsa. Quidam homo non est albus, sit ille sortes, ergo falsum est sortē non esse album, ergo oppositum est verum scilicet sortem esse album: sed sortē esse album est falsum, quoniam supponitur hanc esse falsam, omnis homo est albus, & sortem esse album est verum, ergo duo contradictoria non possunt esse simul falsa, sicut nec simul vera.

Subalternæ in materia contingenti ita se habent, quòd si vniuersalis affir. est vera. sua particularis affir. subalterna est vera. vt si omnis homo est albus, quidā homo est albus. Nam subiectum vniuersalis affir. stat pro omnibus suis suppositis, ergo ly homo stat pro omnibus hominibus. Si pro omnibus, ergo pro aliquo. Non autem conuertitur, scilicet quòd si particularis affir. est vera, vniuersalis affir. sit vera. Non enim sequitur quòd si aliquis homo currit, omnis homo currit. Et ratio huius est. Quia vt tibi manifestabitur in tract. de consequentiis. Ab inferiori ad suum superius affirmatiuæ, tentum distributiuæ, non valet consequentia, sicut patet hic. Non sequitur, homo currit. ergo omne animal currit, eodē modo nec hic. Quidam homo currit, ergo omnis homo currit. se habent enim quidam homo & omnis homo, sicut inferius & superius. Stat ergo quòd partic. affir. sit vera & vniuersalis sit falsa. Si autem partic. affir. est falsa, de necessitate vniuersalis est falsa. Nam si falsum est aliquem hominem currere, multo magis falsum est omnem hominem currere.

Hoc igitur modo se habent subalternæ affirmatiuæ in materia contingenti. Subalternæ autem negatiuæ ita se habent, quod si vniuersalis negat. est vera, particularis negat. est vera. Nam bene sequitur. Nullus homo currit, ergo quidam homo non currit, prædicatum enim vniuersalis negatiuæ remouetur ab omni contento sub subiecto, cum ergo quidam homo contineatur sub homine, vt indiuiduum vagū sub specie, si curreret remouetur vniuersaliter ab homine, ergo & à quodam homine. Quid autē sit indiuiduum vagum & signatum & species manifestabitur tibi in tract. de Quinque prędicabilibus. Si autē vniuersalis neg. est falsa in materia contingenti non oportet particularem negat. eius subalternam esse falsam. nam si istæ duæ sunt falsæ, nullus homo currit, quidam homo non currit, cum contradictoria partic. neg. sit vniuersalis affir. puta omnis homo currit quæ est falsa, vt docuimus suprà, sequitur quòd duæ contradictoriæ essent simul falsæ, quòd in nulla materia potest concedi. Constat igitur quomodo subalternæ in materia contingenti se habent ad veritatem & falsitatem.

Sed dices. Si duæ subalternæ in materia contingenti. possunt esse simul veræ, ergo non opponuntur in figura.

Respondetur ad hoc quòd duæ categoricæ eiusdem subiecti & prędicati opponantur in figura sufficit quòd opponantur aut in veritate, aut in falsitate, aut in quantitate, aut in qualitate, ex quo sequitur quòd quāto in pluribus opponuntur, tanto magis opponuntur, & quāto in paucioribus, tanto minus. Vnde contradictorię maximè opponūtur, quoniā vt docuimus, in nulla materia sunt simul veræ & simul falsæ, sed si vna est vera reliqua est falsa. In figura autem, vt patet superius, opponuntur in quantitate & qualitate, & sic omnibus modis opponuntur. Post cōtradictorias opponuntur contrariæ, quas docuimus in materia naturali et remota non posse esse simul veras, nec simul falsas, in materia autē contingenti posse esse simul falsas, sed non simul veras. In figura verò conueniunt in quātitate, sed differunt in qualitate. Post contrarias opponuntur subcontrariæ, quæ vt docuimus in materia naturali et remota repugnant in veritate et falsitate, in contingenti autem repugnant in falsitate, sed non in veritate. In figura verò conueniunt in quantitate, sed differunt in qualitate. Post subcontrarias opponūtur subalternæ, quę in materia naturali et remota, vt docuimus. sic se habēt, quòd in materia naturali. si vniuersalis est vera tā affir. quā neg. partic. affir. et neg. est vera, et econuerso idem intellige de falsitate. In materia verò cōtingenti sic se habēt vt docuimus quòd vniuersalis affir. est falsa, partic. non affir. est vera.

Nam

Nam licet omnem hominē currere sit falsum, tamen quendam hominem currere est verum. Si tamen ponatur vniuersalis vera, particularis est vera, sed non e contrario. Item si ponatur particularis falsa, vniuersalis erit falsa. Nam si falsum est quendam hominem currere, multò magis falsum est, omnem hominem currere. In figura verò conueniunt in qualitate, sed differunt in quantitate. Constat igitur quomodo apud Logicum subalternæ opponuntur in figura propter diuersam quantitatē, licet non opponantur in qualitate, nec semper in veritate & falsitate, licet aliquando sic, aliquando non, vt docuimus. Hæc de oppositionibus categoricarum participantium vtroq; termino eodem ordine dicta sint. Et sic compleuimus doctrinam octauæ diuisionis, in quā diuisimus categoricas participātes vtroq; termino eodē ordine.

De cōuersionibus. Quartum ad diuisionem nonam, quæ fuit quòd categoricarum participantium vtroque termino, ordine conuerso in triplici materia, quædam conuertuntur simpliciter, quædam per accidens, quędam per contrapositionem, sex agenda sunt, primò quid sit conuersio, de qua hic intendimus, secundò quot requiruntur ad veram conuersionem, de qua hic locuturi sumus, tertiò si tantùm tres sunt species conuersionis, scilicet simplex, per accidens, & per contrapositionē, quartò agendū est de conuersione simplici, quintò de cōuersione per accidēs, sextò de cōuersione per cōtrapositionem.

Conuersio quid sit. Quantum ad primum aduerte quòd in doctrina Aristotelis inuenimus triplicem conuersionem, scilicet terminorum quò ad prædicationem, correlatiuorum quò ad mutuā referentiam, propositionem quò ad extremorum, id est subiecti & prædicati transpositionem: ea, quæ est terminorum secundum prædicationem, solet dici conuertibilitas, & est æqualis prædicatio duorum terminorum, ita quòd de quocunque prædicatur vnus, prædicatur & alter, & hæc conuersio inuenitur inter subiectum & propriam passionem, vt inter hominem & risibile, inter speciem & differentiam essentialem, vt inter hominem & rationale, inter definitionē & diffinitum, vt inter hominem & animal rationale, & hæc omnia tibi manifestabuntur in tracta. de vniuersalibus, & in tracta. de consequentiis. Ea quæ est correlatiuorum solet dici conuertentia, & est quòd mutuò se referunt, vt pater filij pater, filius patris filius. Dominus serui dominus. Seruus domini seruus, & hæc conuersio manifestabitur tibi in prædicamento ad aliquid. Ea quæ est propositionum dicitur apud Logicum transpositio extremorum, modo quo nunc tibi manifestabitur. Relicta igitur cōuersione primò & secūdò modo dicta, inuestigādum est quid sit tertiò modo dicta.

Tu igitur aduerte quòd conuersio tertiò modo dicta solet sic definiri apud Logicos. Conuersio est transpositio prædicati in subiectum & subiecti in prędicatum duarum propositionum categoricarum participantium vtroque termino ordine conuerso, vt homo est animal, animal est homo. Verùm nisi aliud huic definitioni addatur ita conuenit conuersioni veræ sicut conuersioni falsæ. nam sicut in istis, homo est animal, animal est homo, transponitur subiectum in prædicatum, & prædicatum in subiectum, sic & in istis, omnis homo est animal, omne animal est homo, & tamen conuersio prima est vera, secunda autem est falsa, vt patet. Quoniam igitur hic intendimus loqui de vera cōuersione propositionum categoricarum, quę diuidenda est in simplicem & per accidens & per contrapositionem, addendum est prædictæ definitioni, vt ita conueniat conuersioni bonę quòd non malæ. Sic igitur definiatur, conuersio propositionum categoricarum est transmutatio subiecti in prędicatum, & prędicati in subiectum, ita quòd inter conuertentem, & conuersam & econuerso est vera, & formalis cōsequentia, vt hic, Nam bene sequitur, homo est rationalis, ergo rationale est homo, & hic bene sequitur, nullus homo est asinus, ergo nullus asinus est homo. Si igitur inueneris transponi prædicatum in subiectum & econuerso, & tamen inter conuertentem & conuersam non valere consequentiam, vt hic, omnis homo est animal, omne animal est homo, cognosces quòd ei non conuenit definitio veræ & bonæ conuersionis, cuius species singulas considerauri sumus. Hæc de primo dicta sint.

Quæ ad verā conuersionem requiruntur. Quantum ad secundum aduerte quòd in omni vera & bona conuersione quinque de necessitate requiruntur, primò quòd sint duæ propositiones ex eisdem terminis constitutæ, secundò quòd sint categoricæ, nam hypotheticæ non propriè conuertuntur, tertiò quòd ab vna ad aliam valeat consequentia, quartò quòd totum prædicatum primæ fiat subiectum secundæ. Totum autem prædicatum *est totum* quod sequitur copulam. nam, vt declarabitur tibi in conuersione simplici, si totum prędicatum non fiat subiectum, multæ sient fallaciæ, quintò quòd si propositio fiat de verbo adiectiuo, resoluatur in suum participium, & in sum es est, & participium & quicquid sit adiunctum participio, ponatur pro subiecto secundæ. V. G. Si hæc debet conuerti, Ethiops habent dentes albos, resoluatur ly habent in participium & sum, sic dicendo, Ethiops est habens dentes albos, & sic conuertatur, Habēs dentes albos est Ethiops. His seruatis nunquam fiet error in conuersione propositionum.

Species cōuersionis. Quantum ad tertium aduerte quòd cōuersio propositionum dupliciter considerari potest, primò inquantum deseruit reductioni syllogismorum, qui fiunt indirectè in prima figura, & qui formantur in secunda & tertia figura. Omnes enim reduci debent ad quatuor primos modos primæ figuræ, & reductio fit per conuersionem propositionum, vt tibi manifestabitur in trac. de syllogismo formali, secūdò inquātum est passio propositionum categoricarum siue sint de inesse, siue modales, siue sint alicuius quantitatis, siue nullius. Si consideratur primò modo, tunc pro veritate non sunt nisi duæ species conuersionis, scilicet simplex & per accidens. Istæ enim tantùm deseruiunt reductioni syllogismorum, vt patebit in trac. de syllogismo. Vnde & Aristo. nō fecit mentionem in libro Priorum nisi de his duabus prætermittens conuersionem per cōtrapositionem. Si autem consideratur secundo modo sic sunt tres, scilicet simplex per accidens, & per contrapositionem. Cuius sufficientię ratio hinc sumitur. In omni cōuersione est transmutatio prædicati in subiectū, & subiecti in prædicatum, vel ergo in huiusmodi transmutatione termini habent positionem contrariam, ita quòd si in conuersa sunt termini finiti, in conuertente transmutantur in infinitos vt declarabitur infrà, & sic fit conuersio per contrapositionem, quæ est tertia species. Vel habent consimilem positionem, ita quod in vtraq; propositione permanent finiti, & hoc dupliciter, quia aut habent consimilem positionem conuertibiliter, id est seruata eadem qualitate & quantitate & sic fit conuersio simplex, aut habent consimilem positionem, sed non conuertibiliter, quia necesse est mutare quantitatem, & sic fit conuersio per accidens, & id tibi manifestum erit infrà. Tres igitur sunt famosæ apud Logicos conuersionis species, quas etiam posuit Boētius in libro suo de syllogismis. Dico famosæ: quoniam nonnulli Moderni inuenerunt duas aliàs conuersionis species, quarum vna est *conuersio propositionum nullius quantitatis*, vt exclusiuæ & reduplicatiuæ, Nam sic conuertitur exclusiua, tantùm homo est rationalis, omne rationale est homo, reduplicatiua autem sic conuertitur, Homo inquantum homo est rationalis, Rationale est homo inquantum homo. Item propositionum modalium, vt hominem esse album est posibile, ergo posibile est hominem esse album. Item alij imaginati sunt duas alias species. Prima est quando mutatur qualitas & non quantitas, vt hic, omnis homo est animal, omne animal non est homo. Secunda est quando mutatur quantitas & qualitas, vt hic. Omnis homo est animal, aliquod animal non est homo. Verùm quia huiusmodi conuersiones non sunt in vsu, nec nobis deseruiunt pro reductione syllogismorū, ideo immorabimur circa primam & secundā speciem tangentes breuiter de tertia, omnibus aliis relictis.

De simplici. Quantum igitur ad conuersionem simplicem, duo agenda sunt, primò quid sit, secundò quot seruanda sunt, vt sit vera & bona conuersio, ita quòd à conuersa ad conuertentem valeat consequentia.

Quantum ad primum aduerte quòd sic diffinitur. Conuersio simplex est transpositio prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum, manente eadem quantitate & qualitate propositionum, absque alia terminorum componentium mutatione facta.

Primò dicitur transpositio loco generis, est enim tam cōmunius transpositio prædicati in subiectū & econuerso, quā cōuersio simplex. Nam omnis cōuersio, ppositionē est transpositio prædicati in subiectū & econuerso, & tamē non omnis cōuersio est conuersio simplex, cum eius sint tres species.

Secundò dicitur manente eadem quantitate & qualitate propositionum, ita quòd si vna est affir. parti. altera, scilicet conuertens sit affir. part. vt hic quidam homo est animal, ergo quoddam animal est homo. Etsi vna est vniuersalis nega. cōuertens sit nega. vniuersalis, vt hic nullus homo est asinus, ergo nullus asinus est homo. Et aduerte duo, primò quòd per hanc particulam, differt conuersio simplex à cōuersione per accidens, in qua mutatur quantitas, sed non qualitas, vt tibi declarabitur. Secundò quòd licet particularē indefinita &

singu-

ſingu.ſint diſtinctæ quantitatis quantum ad modum pronũciandi, & quantum ad terminum, qui ſubiiciatur, vt docuimus ſuprà, tamen quantum ad modum conuertendi reputantur ac ſi eſſent eiuſdem quantitatis, ita quòd qua conuerſione conuertitur particu. eadem conuertitur indefinita & ſingu. Vnde ad hoc quòd ſeruetur eadem quantitas ſufficit obſeruare ne conuertatur vniuerſalis in particularem indefinitam, aut ſingularem, nec econuerſo, ſcilicet particula. inde. ſingula. in vniuerſalem. Quod autem conuerſa ſit particu. & conuertens ſit inde. aut ſingu. aut econuerſo, propter hoc non mutatur quantitas: quoniam vt diximus in modo conuertendi reputantur eiuſdem quantitatis. Vnde patet quòd per conuerſionem ſimplicem, ſingularis poteſt conuerti in particularem, & indefinitam, modo omnes ſint affirmatiuæ. Nam bene ſequitur. Sortes eſt homo, ergo quidam homo eſt ſortes, ergo homo eſt ſortes.

Tertiò dicitur abſque alia terminorum &c. vt per hoc differat à conuerſione per contra positionem. Nam licet in ea non mutetur quantitas nec qualitas propoſitionum, tamen mutantur termini finiti inter infinitos, vt infrà declarabitur. Conſtat igitur tibi quid ſit conuerſio ſimplex.

Quantum ad ſecundum aduerte, vt ſimplex conuerſio ſit vera, & bona, ita quòd à conuerſa ad conuertentem ſemper ſit bona conſequentia ſeptem obſeruanda ſunt.

Primò ſi conuerſa ſit per verbum adiectiuum, antequam cõuertatur reſoluatur verbum in participium & ſum es eſt, & nunc participium & ſi quid adiungitur participio totum ponatur pro ſubiecto conuertentis, nam ſi ſolùm additum participio ponatur pro ſubiecto, fiet error. Verbi gratia, ſortes videt lapidem, non poteſt ſic conuerti, ergo lapis videt ſortem. Sed prius ſic reſoluatur. Sortes eſt videns lapidem, & tunc ſic conuertatur. Videns lapidem eſt ſortes. Idem intellige de omnibus aliis categoricis formatis per verbum adiectiuum.

Secundò, Si conuerſæ copula eſt ſum es eſt, & poſt copulam ſequitur caſus obliquus puta ablatiuus, antequam conuertatur ſumatur participium, quod eſt ens ſiue exiſtens, & ſimul cum caſu obliquo fiat ſubiectum conuertentis, aliter fiat error. Verbi gratia ſortes eſt, in pado, non poteſt ſic conuerti. Padus eſt in ſorte. Sed ſic, ens vel exiſtens in pado eſt ſortes. Idem intellige de omnibus conſimilibus.

Tertiò, Si ſubiectum conuerſæ ſit caſus obliquus, vt contingit in oratione facta per verbum imperſonale, antequam conuertatur reducatur ad rectum & tunc fiat ſic conuerſio, ſortis intereſt diſputare, Illæ cuius intereſt diſputare eſt ſortes. Me tædet viuere, Ille, quem tædet viuere, ſum ego.

Quartò nullus terminus diſtribuatur in conuertente, qui non ſit diſtributus in conuerſa, aliter arguereturà poſitione ſuperioris ad poſitionem inferioris, quæ conſequentia non valet, vt declarabitur tibi in tract. de conſequentiis, ſed pro nunc ſuſtine, ne inuoluaris. Hac de cauſa per conuerſionem ſimplicem non conuertitur particu. neg. in ſeipſam ſicut cõuertitur particu. affir. nec vniuerſalis affirmatiua in ſeipſam, ſicut cõuertitur vniuerſalis negatiua in ſeipſam, & huius ratio erit tibi manifeſta in trac. de ſuppoſitionibus, & in tract. de conſequentiis. Pro nunc crede ſic eſſe donec nouitius es.

Quintò tam in conuerſa quàm in conuertente, teneantur termini æquè amplè & æquè ſtrictè, aliter ſi in vna teneantur amplè, & in altera ſtrictè, & econuerſo, ſequuntur manifeſtiſsimi errores. Hæc autem tibi clara erunt in tract. de ampliatione & appellatione, pro nunc crede ſic eſſe.

Sextò teneantur termini æquè ſtricti ſecundum congruitatem grammaticalem, aliter ſequitur error. Verbi gratia. Hæc eſt vera, Nullus homo eſt mulier, Hæc autem eſt falſa, nulla mulier eſt homo: quoniam homo in conuerſa ſtat pro genere maſculino, in conuertente autem pro genere communi, reſtringatur ergo in conuertente ad genus maſculinum ſic. nulla mulier eſt aliquis homo.

Septimò ſignum appoſitum ſubiecto conuerſę apponatur toti ſubiecto conuertentis ſi oportuerit ipſum apponi. Verbi gratia. Quidam homo eſt albus, ergo quoddam album eſt homo. Nullus aſinus eſt volans, nullũ volans eſt aſinus. Dixi ſi oportuerit ipſum apponi, vt præſeruem propoſitionem conuertendam, cuius prædicatum eſt terminus diſcretus, vt hic. Quidam homo eſt Plato, ergo Plato eſt homo, Nõ enim oportet ly Plato apponi ſignum quidam, quia eſt indiuiduũ ſignatum. His igitur ſeruatis hunquam fiet error in conuerſione ſimplici, & à conuerſa ad conuertentem valebit conſequentia. Hæc de conuerſione ſimplici dicta ſint.

De cõuer- Quantũ ad cõuerſionẽ per accidens duo agenda ſunt, primò quid ſit, ſecũdò quot obſeruãda ſunt, ne in ea fiat error. *ſione per accidens.*

Quantum ad primũ aduerte antequam diffiniatur, quòd ſicut præcedens ſpecies dicitur conuerſio ſimpliciter, quia propoſitio cõuertibilis ſimpliciter conuertitur per ſeipſam & non mediante alia, vt hæc per ſeipſam cõuertitur in ſuam conuertentem, Homo eſt animal, animal eſt homo, & hæc, nullus homo eſt lapis, nullus lapis eſt homo. In econuerſione autem per accidens conuerſa non conuertitur in ſuam conuertentem per ſeipſam, ſed per aliam, nam oportet ſub conuerſa facere deſcenſum diſtributuum ex parte ſubiecti, deinde aliquam acceptam ſub tali deſcenſu conuerti ſimpliciter, & mediante ea conuertetur vniuerſalis affirmatiua vel negatiua per accidens. Verbi gra. Omnis homo eſt animal, ergo hic homo eſt animal, & hic homo, & hic homo &c. ergo per cõuerſionem ſimplicem quoddam animal eſt homo. Sequitur ergo mediante propoſitione ſimpliciter conuerſa quòd ſi omnis homo eſt animal, quoddam animal ſit homo. Dicitur ergo conuerſio per accidens, quia vniuerſalis affir. & neg. conuertitur in particularem affir. & nega. mediante particulari vel ſingulari cõuerſa ſimpliciter modo quo expoſuimus. & ſic dicitur cõuerſio per accidens, id eſt mediãte alia propoſitione, & non per ſeipſam.

His præpoſitis aduerte quòd conuerſio per accidens ſic definitur. Conuerſio per accidens eſt tranſpoſitio prædicati in ſubiectum & ſubiecti in prædicatum manente eadem qualitate, ſed mutata quantitate, in qua conuertitur affirmatiua vniuerſalis in particularem affirmatiuã, & negati. vniuerſalis in negati. particularem. Vt omnis homo eſt animal, ergo quoddam animal eſt homo, nullus homo eſt lapis, ergo quidam lapis non eſt homo.

Primò dicitur tranſpoſitio & cætera intelligendum eſt eadem ratione, qua & in definitione conuerſionis ſimplicis.

Secundò dicitur ſeruata eadem qualitate, ſed mutata quantitate, vt differat à conuerſione ſimplici & per contra poſitionem, in quibus non mutatur qualitas, nec quantitas.

Quantum ad ſecundum aduerte quòd in conuerſione per accidens, vt ſit bona conſequentia à conuerſa ad conuertentem tria obſeruanda ſunt.

Primò, non fiat tranſitus à ſuppoſitione ad ſuppoſitionem ſibi repugnantem. Repugnat autem materialis formali, & ſimplex perſonali, vt tibi declarabimus in tract. de ſuppoſitionibus. Defectu huius, hæc non eſt bona conuerſio. Nullus homo eſt ſpecies, ergo quædam ſpecies non eſt homo. Nam homo in conuerſa ſupponit perſonaliter. & eſt vera, in conuertente autem ſupponit ſimpliciter, & eſt falſa. Vt ergo ſtet homo in conuertente perſonaliter conuertatur ſic, ergo quædam ſpecies non eſt aliquis homo. Signa enim vniuerſalia & particularia ſi ſunt eiuſdem generis cum termino cui adiunguntur, trahunt ipſum ad ſuppoſitionem perſonalem, vt tibi declarabitur loco ſuo. Pro nunc crede ſic eſſe.

Secundò teneantur termini tam in conuerſa quàm in conuertente æquè amplè & æquè ſtrictè. Defectu huius hęc conuerſio non valet, nullus homo eſt mulier, ergo quædam mulier non eſt homo. Nam in conuerſa ſtat homo pro maſculis tantum, in conuertente autem ſtat pro maſculis, & fœminis. Vt ergo fiat vera conuerſio, & homo in conuertente teneatur pro maſculis tantùm ſicut in conuerſa, dicatur, ſic ergo quædam mulier non eſt aliquis homo.

Tertiò, vt videas apertè quod conuenienter conuertitur vniuerſalis affirmatiua in particularem affirmatiuam, & vniuerſalis negatiua, in particularem negatiuam, ſub vniuerſali affirmatiua accipe ſuam ſubalternam, & eam conuerte ſimpliciter, & tunc videbis quomodo per conuerſionem per accidens ſequitur ad vniuerſalem affirmatiuam. Verbi gratia, omnis homo eſt animal, ergo quidam homo eſt animal, hæc eſt ſua ſubalterna, & hæc ſic conuertitur per conuerſionem ſimplicem, ergo quoddam animal eſt homo. Ad iſtam ergo omnis homo eſt animal, ſequitur per conuerſionẽ per accidens, quoddam animal eſt homo. Eodem modo intelligе de vniuerſali negatiua & particulari negatiua. Nam bene ſequitur per conuerſionem ſimplicem. Nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo, & ad hanc ſequitur ſua ſubalterna, ſcilicet quidam lapis non eſt homo. Ad iſtam ergo nullus homo eſt lapis ſequitur per conuerſionem per accidens, quod quidam lapis non eſt homo. Hæc de conuerſione per accidens dicta ſint. *Conuerſio per cõtra-poſitionẽ.*

Quantum ad conuerſionem per contrapoſitionem, duo agenda ſunt. Primò quid ſit. Secundò declarandum quomodo vniuerſalis affir. conuertitur in ſeipſam per contrapoſitionem & ſimiliter quomodo particu. neg. in ſeipſam. *ex 2. Peri herme.*

Quant

Quantum ad primùm aduerte quòd ſic definitur. Conuerſio per contrapoſitionem eſt tranſpoſitio ſubiecti in prædicatum, & econuerſo, non mutata quantitate, nec qualitate propoſitionum, ſed mutatis terminis finitis in terminos infinitos, per quam conuertitur vniuerſalis affirmatiua in ſe, & particu. neg. in ſe.

Primò dicitur tranſpoſitio ſubiecti &c. eadem ratione ſicut dictum eſt in prima & ſecunda ſpecie.

Secundò dicitur, manente eadem quantitate, & qualitate propoſitionum, & in hoc non differt à conuerſione ſimplici, licet differat à conuerſione per accidens, vt autem differat à cõuerſione ſimplici, & per accidens, additur mutatis terminis finitis in terminos infinitos. Quid autem ſit terminus finitus, & terminus infinitus vide ſuprà in diuiſione ſeptima terminorum. Vniuerſalis autem affirmatiua ſic conuertitur, Omnis homo eſt animal, ergo omne non animal eſt non homo, particu. autem nega. ſic conuertitur. Quidam homo non eſt lapis, quidam non lapis non eſt non homo. Dicitur autem conuerſio per contrapoſitionem, quia termini non ſolùm tranſmutantur quò ad ſitum prout ſubiectum fit prædicatum & econuerſo, hoc enim eſt commune omni conuerſioni propoſitionum, ſed etiam quò ad ſignificatum. Nam ſignificatum ter. finiti opponitur ſignificato ter. infiniti vt patet ex definitionibus eorum vt docuimus in ſeptima diuiſione terminorum. Conſtat igitur quid ſit, & quare dicitur conuerſio per contrapoſitionem.

Quantum ad ſecundum aduerte quod omnis categorica alicuius quantitatis conuertibilis eſt per aliquam trium ſpecierum conuerſionum de quibus nunc agimus, & quoniam per ſimplicem non conuertitur niſi vniuerſalis nega. in ſe & particularis affirmatiua in ſe, & per conuerſionem per accidens non conuertitur vniuerſalis affirmatiua in ſe ſed in particu. affirmatiuam, & vniuerſalis nega. non conuertitur in ſe ſed in particu. nega. conuertitur autem per conuerſionem ſimplicem, reſtat conuertere vniuerſalem affir. in vniuerſalem affir. & particu. nega. in particu. nega. non poſſunt autem conuerti per conuerſionem ſimplicem, conſtat enim quòd ſi vniuerſalis affir. conuertitur in ſeipſam per conuerſionem ſimplicem non valet conſequentia formaliter, ſed tantùm gratia materiæ, puta quando terminiſunt conuertibiles, vt patet hic, omnis homo eſt riſibilis, ergo omne riſibile eſt homo, abſolutè autem non valet, vt patet hic, omnis homo eſt animal, non ſequitur, ergo omne animal eſt homo. Similiter non valet conſequentia formaliter ſi conuertatur particu. nega. in ſeipſam, ſed tantùm gratia materiæ. Verbi gratia, licet valeat hic. Quidam homo non eſt aſinus, ergo quidam aſinus non eſt homo, tamen non valet in omnibus. Non enim valet hic, quoddam animal non eſt homo, ergo quidam homo non eſt animal. Nam conuerſa eſt vera, conuertens autem eſt falſa. Neceſſe eſt ergo dare tertiam ſpeciem, per quàm infallibiliter & vniuerſaliter conuertatur vniuerſalis affir. in ſe, & particu. nega. in ſe. Hanc autem inuenit Boëtius, vt habemus ex libro ſuo de Syllogiſmo categorico, quæ dicitur conuerſio per contrapoſitionem ex cauſa, quam ſuprà diximus. & quoniam Ariſto. in lib. 1. Priorum de ea non fecit verbum, ideo dicit particu. neg. non conuertitur quoniam non conuertitur ſimpliciter nec per accidens. Vt autem ſcias quòd per contrapoſitionem conuenienter conuertuntur vniuerſalis affir. & particu. nega. in ſeipſas mutatis terminis finitis in ter. infinitos. Et primò quòd vniuerſalis affirma. puta omnis homo eſt animal, conuertatur in iſtam, omne non animal eſt non homo, declaratur ſic omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt non animal, nam cum animal, & non animal, contradicant, ſi animal affirmatur de homine, de eo negatur non animal. Tunc vltra. Si nullus homo eſt non animal, ergo per conuerſionem ſimplicem, nullum non animal eſt homo. Tunc vltra, Si nullum non animal eſt homo, ergo omne non animal eſt non homo. Nam cum homo & non homo contradicant. Si homo non verificatur de non animali, de eo verificatur non homo, ergo iſta eſt bona conuerſio, omnis homo eſt animal, ergo omne non animal eſt non homo. Quod autem particu. nega. puta quidam homo non eſt aſinus, bene conuertatur in ſeipſam mutatis ter. finitis in ter. infinitos, ſic conuertendo quidam non aſinus non eſt non homo, declaratur ſic. Quidam homo non eſt aſinus, ergo quidam homo eſt, non aſinus. Nam vt tibi declarabitur in tracta. de conſequentiis à negatiua de prædicato finito, ad affir. de prædicato infinito valet conſequentia. Tunc vltra, quidam homo eſt, non aſinus, ergo per conuerſionem ſimplicem, quidam non aſinus eſt homo. Tunc vltra, quidam non aſinus eſt homo, ergo quidam non aſinus non eſt non homo per locum à contradictoriis. Bene ergo ſequitur per cõuerſionem per contrapoſitionem quòd hæc ſit bona conuerſio. Quidam homo non eſt aſinus, ergo quidam non aſinus, non eſt non homo. Hæc de conuerſione per contrapoſitionẽ dicta ſint, quam non tradit nobis Ariſto. vt pote non neceſſariam ad reductionem Syllogiſmorum. Et præterea non verè ſeruatur identitas terminorum quò ad ſignificatum, cum ter. finitus & ter. infinitus habeãt oppoſita ſignificata. Ad formalem autem & perfectam conuerſionem, requiritur quòd cõuertens & conuerſa ſint propoſitiones participantes vtroque termino ordine tamen conuerſo & ideo hanc tertiam ſpeciem ſic pertractaſſe ſufficiat.

Vltimò aduerte, quòd Logici inuenerunt quatuor vocales, quibus deſignarent vniuerſalem affirmatiuam, & negatiuã, & particu. affir. & nega. conuertibiles vocales ſunt a, e, i, o, a ſignificant vniuerſalem affir. e vniuerſalem negatiuam, i particu. affir. o particu. nega. & compoſuerunt hos verſus declarantes propoſitum,

Aſſerit a, negat e, ſunt vniuerſaliter ambæ,
Aſſerit i, negat o, ſunt particulariter ambæ,

Ad cognoſcendum autem qua ſpecie conuerſionis conuertantur, compoſuerunt hunc verſum,

Ecce, tibi, ſim. armi. geros ac. arma. bono. eõ.

Et ſic exponitur. Sim. i. per conuerſionem ſimplicem conuertitur ecce, id eſt e in e, id eſt vniuerſalis negatiua in vniuerſalem negatiuam, tibi, id eſt i in i, id eſt particularis affir. in particu. affir. Ac id eſt per conuerſionem per accidens conuertitur armi, id eſt a in i, id eſt vniuerſalis affir. in partic. affirma. geros, id eſt e in o, id eſt vniuerſalis nega. in particu. nega. con. id eſt per conuerſionem per contrapoſitionem conuertitur arma, id eſt a in a, id eſt vniuerſalis affir. in vniuerſalem affir. Bono, id eſt o in o, id eſt particu. nega. in particu. nega. De indefinita autem & ſingulari non fit particularis mentio: quoniam eodem modo conuertuntur ſicut & particularis tam affirmatiua quàm negatiua. Hæc de conuerſionibus dicta ſint. Et hic terminatur cõſideratio de propoſitione categorica de ineſſe, & de omnibus eius præmiſſis nouem diuiſionibus. Sequitur conſideratio de propoſitione hypothetica, & omnibus eius ſpeciebus.

CAPVT III.

De propoſitione hypothetica, & eius ſpeciebus.

IN hoc tertiò capite agendum eſt de propoſitione hypothetica, de qua tria agenda ſunt. Primò quid ſit. Secundò quare dicitur hypothetica. Tertiò agendum eſt de ſingulis ſpeciebus eius.

Quantum ad primum aduerte, quod ſic definienda eſt, Propoſitio hypothetica eſt propoſitio in qua coniunguntur plures Categoricæ, vel plures Orationes, habentes modum categoricarum coniunctæ per notam coniunctionis tanquam principales partes ſui. *Hypothetica quid.*

Primò ponitur propoſitio loco generis, eſt enim communior propoſitio quàm propoſitio hypothetica. Nam & categorica eſt propoſitio, & tamen non eſt hypothetica, ſe habet igitur propoſitio ad propoſitionem hypotheticam ſicut genus ad ſpeciem.

Secundò dicitur in qua coniunguntur plures categoricæ, &c. ad differentiam categoricæ, in qua ſolùm coniunguntur ſubiectum, & prædicatum per copulam verbalem, vt homo eſt albus.

Tertiò dicitur vel plures orationes: quoniam contingit fieri hypotheticam, & præcipuè conditionalem per alios modos verbi, quàm per indicatiuum, per quem ſolùm fit vera Categorica, vt docuimus in cap. precedenti. Verbi gratia, hæc eſt conditionalis vera, ſi homo haberet alas, poſſet volare, ſufficit autem quod iſtæ orationes aſsimilentur categoricæ in eo quod habent ſubiectum prædicatum & copulam vt principales partes ſui, & quod reduci poſſunt ad veras categoricas ſic, ſi homo habet alas poteſt volare.

Nota.

Quartò dicitur coniunctas per notam coniunctionis, quia niſi ſic cõiungerentur, hypothetica non poſſet dici vna propoſitio, ſed plures ſimpliciter, ſicut hic. Sortes eſt homo. Brunellus eſt aſinus. Dicitur autem propoſitio cõiunctione vna. Vnde aduerte quod ſicut copula verbalis vniens prædicatum cum ſubiecto facit categoricam eſſe propoſitionem vnam ſimpliciter. ſic nota coniunctionis vniens plures categoricas facit hypotheticam eſſe propoſitionem per coniunctionem vnam.

Quintò dicitur tanquã principales partes ſui, vt in hoc formaliter & cõpletiuè diſtinguatur à categorica. Nam partes

principales propositionis sunt ille, in quas primò & immediatè resoluitur. Sicut autem categorica primò & immediatè resoluitur in subiectum & prædicatum, ita hypothetica primò & immediatè resoluitur in categoricas componentes ipsam, vel in orationes habētes modū categoricarum & illæ in terminos suos, merito ergo dicitur tanquam principales partes sui. Cōstat igitur tibi quid sit hypothetica propositio.

Hypothetica vnde dicatur. Quantum ad secundum aduerte quod hypothetica est terminus Græci idiomatis & Latinè sonat suppositiua, eo q̃ hypo est sub, & thesis positio. Dicitur ergo hypothetica idem quòd propositio suppositiua, eo quòd in hypothetica secunda propositio vel oratio supponitur primæ, vt sequens a b ea. Nā secunda se habet ad primam sicut consequens ad antecedēs, vt patet in ista. Si Sortes est homo, Sortes est animal. Nam ex eo quòd est homo sequitur quòd sit animal: & sic fundatur in prima, ideo dicitur supponi id est poni sub prima per consequentiam vt patet.

Sed dices, ergo sola conditionalis erit hypothetica, quia in ea sola subordinatur secunda primæ, ita quòd ordinariè id ob seruatur de necessitate consequentiæ. Nam in copulatiua nihil refert quæ ex categoricis ponatur in primo loco, & quæ in secundo, Verbi gratia, Sortes currit & Plato dormit nihil refert si secunda ponatur in primo loco, & prima in secundo sic, Plato dormit & Sortes currit. Idem intellige de disiūctiua, nihil em̄ differt si dicatur Sortes vel est homo, vel est asinus, & sic, Sortes vel est asinus vel est hō, ergo sola cōditionalis est hypothetica sumēd- hypothetica prosuppositiua.

Respodetur, si consideratur hypothetica quantum ad id cui nomen imponitur, & quantum ad famosum modum loquendi non solùm conditionalis, sed & copulatiua & disiunctiua, dicuntur hypotheticæ, eo quod in eis coniunguntur plures categoricæ per notam coniunctionis sicut & in conditionali. Si autem consideretur quantum ad id à quo nomen imponitur scilicet à suppositione, tunc sola conditionalis est verè & propriè hypothetica, quoniam in ea sola vt obiectio probat consequens, & ea, cui *supponitur* dicitur antecedens & huius sententiæ videtur fuisse Boëtius qui in libro suo de syllo. hypothetico inquit, propositio verò omnis aut catego. est quæ prædicatiua dicitur, aut hypothetica quæ conditionalis vocatur. Et in 1. lib. Topi. suorum inquit. Conditionalium propositionū quas Græci hypotheticas vocant, partes sunt simplices categoricæ quarum quæ prius est dicitur antecedens, & quæ posterius consequens, & sic constat solas cōditionales esse verè hypotheticas, alias verò magis secundum vsum loquendi.

Hypothetica species. Quantum ad tertium, aduerte quòd si teneatur hypothetica strictè vt etiam diximus, non se extendit nisi ad conditionalé expresse, ea enim est propriè suppositiua & ad eas virtualiter reducuntur omnes aliæ, vt causalis & rationalis, ad cōditionales. Nam in causali prima propositio est antecedens, secunda autem consequens, vt hic. Quia sol est super terram dies est. In rationali similiter, vt hic, Sortes est rationale, ergo est homo. Si autem sumatur secundum vsum famosum sub se continet conditionalem copulatiuam & disiūctiuam, & in his tribus speciebus concordant cōmuniter antiqui & solenniores logici. Quod dico, quoniam ex aliquibus moderninis non habetur determinatus numerus harum specierum. Nā aliqui ponūt quinq; illis tribus addētes duas scilicet causalem & temporalem: vt hic quando Sortes legit, Plato dormit. Quia Sortes legit, Plato addiscit. aliqui plures. Sed ne te inuoluā nolo singulas recitare. Sufficit tibi, q̃ quæcunq; aliæ assignantur non sunt veræ hypotheticæ, sed similitudinariæ præter eas, quæ ad conditionales reducuntur vt causalis & rationalis. Reliquæ autem vt localis, & temporalis & similitudinaria & comparatiua, non possunt dici hypotheticæ, nisi quia in eis continentur duæ orationes coniunctæ per aliquā notam coniunctiuam, siue sit aduerbium, siue coniunctio, vt patet in istis, Sortes dormit, vbi Plato comedit, ego dormio quando tu vigilas. Sicut Sortes interrogatur, *sic respondet*, tam bonus est Sortes: quā bonus est Plato. Vnde omnes istæ dicūtur esse categoricæ distinctæ, nec hypotheticæ sunt nisi per quandam similitudinem, eo quòd vna non supponitur alteri per modum necessariæ consequētiæ: sicut se habēt conditionales & reducibiles ad eas, vt causalis & rationalis. Sufficit igitur tractare in primis de vera hypothetica, quæ dicitur conditionalis. Deinde de copulatiua & disiunctiua, quæ secundum vniuersalem modum loquendi dicuntur hypotheticæ.

De conditionali. Quantum ad cōditionalem tria agēda sunt. Primò quòd sit. Secundò quotupliciter sit. Tertiò quid requiritur ad eius veritatem & falsitatem.

Quantum ad primum aduerte, quòd sic definitur. Conditionalis est propositio hypothetica, in qua coniunguntur plures categoricæ per hanc coniunctionem si, ex quibus categoricis prima dicitur antecedens, secunda autem consequens.

Primò dicitur propositio hypothetica, quæ est vt genus secundum modum famosum loquendi ad conditionalem, & copulatiuam & disiunctiuam.

Secundò dicitur in qua coniunguntur plures categoricæ, quod est intelligendum formaliter, vt hic si tu curris, tu moueris: vel virtualiter: vt quando coniunguntur duæ orationes habentes modum cathegoricarum, vt hic, si venisses ad me, saluassem te.

Tertiò dicitur per hanc coniunctionem *si*, vt ex hoc differat à copulatiua, in qua partes coniunguntur per hanc notam &. Et à disiunctiua in qua coniunguntur per vel.

Quartò dicitur, ex quibus prima dicitur antecedens, secunda autem consequens. Nam omnis conditionalis est consequentia. In omni autem consequentia, propositio prima dicitur antecedens, secunda autem consequens, quoniam ordine illationis sequitur ad primam. Nam hæc propositio Sortes est animal, sequitur ad istam antecedentem, Sortes est homo. Nam benè & necessariè sequitur, si Sortes est homo, Sortes est animal. Constat igitur quid sit conditionalis. Et aduerte, quod propter ordinem necessarium, quem cognoscimus inter orationes componentes conditionalem reducimus ad eam propositionē causalem & rationalem. Exemplum primi. Quia sol est in Cancro, dies longi sunt. exemplum secundi, Tu curris, ergo tu moueris.

Quantum ad secundum aduerte, quòd conditionalis potest fieri affirmatiuè & negatiuè. Affirmatiuè quidem quando nota conditionis affirmatur: vt hic: si tu es homo, tu es risibilis; negatiuè autem quando ipsa nota negatur: vt hic, non si tu es homo, tu es lapis. Vnde aduerte: quòd sicut affirmatio & negatio copulæ verbalis, facit categoricam affirmatiuam & negatiuam, sic affirmatio & negatio notæ conditionis, facit conditionalem affir. & nega.

Negatiua autem fit tribus modis primò quando negatio præponitur immediatè ipsi notæ, sed non toti conditionali vt hic. Tu es homo non si tu es asinus, secundo quando negatio præponitur toti conditionali, sed non immediatè ipsi notæ: vt hic nō si tu es homo tu es asinus. tertio quādo negatio præponitur toti conditionali & immediatè ipsi notæ: vt hic nō si tu es homo, tu es asinus, & hic est modus ordinarius formandi conditionalem negatiuam.

Affirmatiua verò regulariter fit vno modo, quando: scilicet nota conditionis præponitur toti conditionali: vt hic. Si tu es albus, tu es coloratus.

Quantum ad tertium aduerte quòd veritas conditionalis dupliciter manifestatur. primò sic, Ad veritatē eius requritur q̃ antecedens non posit esse verū sine cōsequente. id q̃ est si ponis antecedens, ponas cōsequens: vt hæc est vera, Si tu curris, tu moueris. Nam non potes ponere antecedens quin adsit consequens. Impossibile est enim te currere, si ponis te non moueri: Secundò sic. Ad veritatem conditionalis requiritur quòd oppositum consequentis repugnet antecedenti, ita quòd non possunt stare simul antecedens & oppositum cōsequētis. V. G. hæc est vera, si tu es homo, tu es animal. Nā te esse hominem, & te non esse animal, quod est oppositum consequentis, non se compatiuntur, nam ex opposito infertur oppositū, sicut enim sequitur. Tu es homo, ergo tu es animal, sic ex opposito sequitur, Tu non es animal, ergo tu non es homo. Et aduerte quòd isti duo modi, quibus manifestatur veritas conditionalis, tendunt in idem quo ad sensum. Nam ideo antecedens non potest stare sine consequente in vera conditionali, quia oppositum consequentis repugnat antecedenti. Et ratio dictorum est, quia cōditionalis est consequentia, vt declarabitur in tract. de cōsequentiis: quæ ergo requiruntur & sufficiunt ad veram consequentiam, requiruntur & sufficiunt ad veram conditionalem. Ad veram autem consequentiam, vt tibi declarabitur in principio tract. de consequentiis, oportet quòd oppositum consequentis repugnet antecedenti ideo hæc est vera, tu es homo, ergo tu es animal. Nam hæc duo repugnant, tu es homo & tu non es animal. Hæc autem est falsa. Tu es homo, ergo tu es Papa. Stat enim quod tu non sis Papa, & tamen quod sis homo. Cùm igitur vera conditionalis sit consequentia vera eadem requiruntur & sufficiunt in vtraque.

Falsitas autem conditionalis modis oppositis manifestatur. Primò sic, ad falsitatem conditionalis requiritur quòd ante

antecedens posit esse verum sine consequente, id est quod sitet antecedens etiam quòd remoueatur consequens, & ponatur eius oppositum. V. G. hæc est falsa. si tu es homo, tu es iustus, stat enim quòd tu sis homo, & non sis iustus. Secundò sic & redit in idem quo ad sensum. Ad falsitatem conditionalis requiritur & sufficit, quòd oppositum consequentis non repugnet antecedenti. Vnde hæc est falsa, Si tu es homo, tu sedes. Nam hæc duo non repugnant, tu es homo, & tu non sedes: & ratio quidem horum est: quia, vt dicimus, conditionalis est consequentia: Ad consequentiam autem falsam, vt videbis in tract. consequentiarum in principio, sufficit quod oppositum consequentis stet cum antecedente. Constat igitur quid requiratur & sufficiat ad veritatem & falsitatem conditionalis: Quod modi autem arguendi tam boni quam mali trahantur à conditionali, manifestabitur tibi in tractatu de consequentiis, vbi de hoc *particulariter tractabimus*. Pro nunc vt nouitius sustine.

Ex omnibus prædictis sequuntur ex communi sententia logicorum duo corollaria: quorum primum est quòd non oportet in specie considerare de possibilitate & impossibilitate: nec de necessitate & contingentia conditionalis: quoniam sub vera continetur necessaria & possibilis, sub falsa autem continetur impossibilis, nulla verò est contingens. dicitur enim quòd omnis vera est necessaria, ex consequenti possibilis, & omnis falsa impossibilis, ex consequenti non contingens, vt declarabitur tibi in cap. de modalibus. Vt autem scias quomodo omnis vera est necessaria, aduerte q̃ nō est necessaria quia scilicet antecedens sit necessarium & consequens similiter, vt hic, Si homo est animal, est animatus. Nam potest antecedens esse possibile & consequens similiter & esse contingens, & consequens similiter, & antecedēs impossibile & consequens similiter, & tamen conditionalis erit vera & necessaria. exemplum primi, si Sortes est iustus, delectatur iustitia. exemplum secundi, si Sortes sedet, quiescit exemplum tertij, si Sortes est asinus, est rudibilis. Omnes illę sunt veræ, quia non stat antecedens sine consequente vt patet, & tamen nec antecedens nec consequens sunt necessaria in se. sed dicitur necessaria ex infallibili sequela consequentis ex antecedēte Nā ex antecedēte *siue necessario siue possibili*, siue contingenti, siue impossibili necessitate illationis sequitur consequens, at stante hoc antecedente tu curris, necessariò sequitur, ergo tu moueris. Constat ergo in quo sensu omnis vera conditionalis est necessaria. ex consequenti est possibilis. Nam possibile altum sequitur ad necesse, sicut genus ad speciem. Quid autem sit possibile altum, declarabimus in ca. de modalibus: pro nunc sustine. Quomodo autem omnis falsa sit impossibilis, aduerte, quòd non dicitur impossibilis impossibilitate antecedentis aut consequentis. Stat enim antecedens & consequēs esse *impossibilia*, scilicet Sortes est asinus & Sortes est rudibilis & tamen hæc conditionalis est vera. si Sortes est asinus, Sortes est rudibilis. Dicitur igitur omnis falsa impossibilis, quoniā cum omnis vera sit necessaria, modo quo expositū est, & falsa opponatur veræ, oportet ipsam esse impossibilem, quoniam si dantur duo opposita puta Sortem esse asinum, & Sortem esse hominem, si vnum est necessarium, puta Sortem esse hominē. alterū est impossibile, puta Sortem esse asinum. Nam impossibile directè opponitur ipsi necesse, vt tibi declarabitur in cap. de modalibus. Cum igitur probatum sit omnem verā esse necessariam & falsa opponatur veræ, sequitur quòd si vera sit necessaria, falsa sit impossibilis, ex consequenti nulla est cōtingens. Nam vt dictum est, omnis vera est necessaria, omnis falsa est impossibilis.

Hinc patet veritas illius vulgatissimi dicti. Conditionalis vera nihil ponit inesse. Nam dato quòd conditionalis sit vera ex necessaria sequela consequentis ex antecedente, non sequitur antecedens & consequens poni in rerum natura. puta, licet sit verum dicere, Si tu es Papa, tu es vicarius Dei, tamen non sequitur de facto, te esse Papam, aut vicarium Dei. Hæc de hypothetica conditionali dicta sunt.

Decopulatiua. Quantum ad copulatiuam tria agenda sunt. Primò quid sit, secundò quotuplex sit, tertiò quid requiratur ad eius veritatem, & falsitatem, & possibilitatem & contingentium & impossibilitatem.

Quantum ad primum aduerte, quòd sic definitur, Copulatiua est propositio hypothetica, in qua plures categoricæ, vel orationes habentes modum categoricarum coniunguntur per notam copulationis & aut sibi æquiualentem.

Primò dicitur propositio hypothetica &c. vsque ibi, coniunguntur, quod totum intelligendum est sicut in definitione conditionalis.

Secundò dicitur per notam copulationis, & vt in hoc distinguatur à conditionali & disiunctiua, in quarum altera coniunguntur plures categoricæ per si, & in altera per vel.

Item vt distinguatur à categorica de subiecto, aut prædicato copulato. Pro cuius notitia aduerte quòd nota copulationis potest teneri copulatim & copulatiuè. Tenetur copulatim, quando mediat inter terminos, vt hic, Sortes & Plato sunt amici, copulatiuè autem quando mediat inter propositiones, vt hic, Sortes scribit & Plato dormit. ad hoc ergo quòd nota copulationis constituat hypotheticam copulatiuam, oportet, vt medict inter propositiones. Tu tamen aduerte quod nota copulationis accepta copulatim potest reneri diuisiuè & collectiuè, si diuisiuè, categorica de extremo copulato æquipollet vni *copulatiuæ veræ, quia* potest resolui in duas categoricas coniunctas per &, vt hic, Sortes & Plato currunt, ergo Sortes currit, & Plato currit, si collectiuè, non potest æquipollere vni copulatiuę verę, & cùm resoluitur vtraque categorica erit falsa, vt hic. Sortes & Plato trahunt nauem, supposito quod neuter per seipsam sufficiat, sed ambo simul & non aliter sufficiant.

Quartò dicitur, & sibi æquiualentem: quoniam non solùm ly &, sed etiam ly que, & ly atque, constituunt copulatiuam, æquipollent enim apud Grammaticum & Logicum. Constat igitur quid sit copulatiua.

Quantum ad secundum aduerte, quòd copulatiua diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, & vtraque diuiditur in veram & falsam. Item diuiditur copulatiua in necessariam & impossibilem, impossibilem & contingentem, & de omnibus in specie sic accipe.

Copulatiua affirmatiua est in qua nota copulationis affirmatur, vt hic, Sortes currit & Plato disputat.

Negatiua est in qua nota copulationis negatur, vt hic, non Sortes currit, & Plato disputat. Tu tamen aduerte quòd negatiua fit duobus modis, primò, quando præponitur toti copulatiuæ, vt hic, non tu curris & comedis. & hic est modus famosus & consuetus. secundò ponitur post primam categoricam sed ante copulam, vt hic, Tu curris non & tu comedis, sed istæ modus non est in vsu, ideo standum est in primò.

Copulatiua affirmatiua vera est illa, quæ requirit vtranque partem principalem veram, ita quòd non sufficit vnam esse veram, vt hic, Sortes est homo, & Sortes est risibilis. Hæc autem non est vera, Sortes est homo, & Plato est asinus: quoniam secunda pars non est vera, & ratio huius est. Quia sicut totum essentiale se habet ad existentiam, sic copulatiua affirmatiua vera ad veritatem, sed ad existentiam *totius essentialis oportet omnes suas partes esse*, quòd si vna deficit, desinit esse totum, vt pote de homine, cuius partes essentiales sunt anima & corpus vnitæ, ergo ad veritatem copulatiuæ affirmatiuæ veræ, requiritur vtranque partem principalem esse veram, & si vna deest, non permanet vera.

Sed aduerte quòd dicitur copulatiua affirmatiua vera, ad differentiam negatiuæ veræ, ad cuius veritatem sufficit vnam partem esse veram. Nam hæc est vera, Non tu es homo, & tu es asinus. Et quòd sit vera probatur sic. Sua affirmatiua est falsa, scilicet. Tu es homo, & tu es asinus, ergo negatiua *est vera: quoniam sunt duæ copulatiuæ, singulares* contradictoriæ. Contradictoriarum autem oportet alteram esse veram, & alteram falsam, vt docuimus in cap. præcedenti.

Copulatiua affirmatiua falsa, est illa cuius vtraque pars principalis vel saltem altera est falsa, vt hic, Sortes & asinus est & est rudibilis. Vtraque pars est falsa, & hic Sortes est homo, & est asinus.

Sed dices propter quid ad veritatem copulatiuæ affirmatiuæ, oportet vtranque partem esse veram, ad falsitatem autem sufficit vnam esse falsam.

Respondetur, quia plura requiruntur ad construendum quàm destruendum. Nam ad hoc quod homo sit sanus, oportet omnes humores esse adæquatos, ad hoc autem quod ægrotet, sufficit vnum inadæquari. affirmatiua autem vera est sicut totum constructum, negatiua autem vt destructum, & ideo ad eius constructionem veram, oportet omnes partes esse veras; ad destructionem autem, sufficit vnam deficere à veritate.

Copulatiua autem negatiua falsa est illa, in qua vtraque pars est falsa, vt hic, Non Sortes est homo, & *est risibilis*, & non sufficit vnam partem esse falsam: quoniam iam dixi-

mus quod ad copulatiuam negatiuam veram sufficit vnam partem esse veram, vt hæc, non tu es asinus, & tu es homo.

Copulatiua necessaria est illa, cuius vtraque pars principalis est necessaria, vt omnes copulatiuæ factæ in materia naturali, vt hic homo est rationalis, & est risibilis.

Copulatiua impossibilis est illa, cuius vtraque pars est impossibilis, & sunt omnes copulatiuæ factæ in materia remota, vt hic, Sortes est asinus, & est rudibilis. Aduerte tamen quod sicut ad falsitatem copulatiuæ affirmatiuæ sufficit partem vnam esse falsam, sic & ad impossibilitatem sufficit vnam partem esse impossibilem. Vnde hæc est impossibilis, Sortes est homo, & sortes est asinus.

Copulatiua possibilis est illa, cuius vtraque pars est possibilis, vt tu sedes, & tu dormis, nec sufficit vnam partem esse possibilem: quoniam si altera esset impossibilis, iam diximus, quod copulatiua esset impossibilis, vt hic, Tu sedes, & tu volas.

Copulatiua contingens est illa, cuius saltem vna pars est contingens, & altera non est impossibilis, nec alteri incompossibilis. Defectu primæ conditionis, hæc non est contingens, sed necessaria, Sortes est homo, & est rationalis. Defectu secundæ, hæc non est contingens, sed impossibilis, sortes est albus, & est asinus. Defectu tertiæ hæc non est contingens, sed impossibilis, Tu es, & tu non es, licet enim sit contingens te esse, quia potes non esse, & te non esse, quia potes esse, tamen simul te esse & non esse, non est contingens, imò impossibile, cum sint contradictoria, quæ impossibile est esse simul vera, Hæc de copulatiua dicta sufficiunt.

Quot modis autem possimus arguere in copulatiua, dicemus in tractatu de consequentiis in cap. de hypotheticis consequentiis.

De disiunctiua. Quantum ad disiunctiuam tria agenda sunt. Primò quid sit. Secundò quotuplex sit. Tertiò quid requiritur ad veritatem eius & falsitatem, & necessitatem, & impossibilitatem, & possibilitatem, & contingentiam.

Quantum ad primum sic definitur, hypothetica disiunctiua est propositio, in qua coniunguntur plures categoricæ per hanc coniunctionem vel, aut sibi consimilem, vt sortes est homo vel est asinus.

Primò dicitur propositio in qua &c. quod intelligendum est sicut in aliis definitionibus datis de conditionali & copulatiua.

Secundò dicitur per hanc coniunctionem vel, ad differentiam conditionalis, cuius nota coniunctionis est si, & copulatiuæ, cuius nota coniunctionis est &.

Tertiò dicitur aut sibi consimilem: quoniam nota disiunctionis apud grammaticos non solùm est vel, sed aut, & si quid aliud æquipollet.

Sed hic dubium, quia non videtur ly vel, contingere categoricas sed potius disiungere, aliter deberet dici propositio hypothetica coniunctiua & non disiunctiua. Præterea quod non coniungat, sed disiungat signum sumitur ex eo quod vera & propria disiunctiua fit de partibus impossibilibus, vt hic, vel tu es sanus, vel tu es æger. Vel tu es cæcus, vel tu es videns. Quod si fiat de partibus compossibilibus, non est propria, vt hic, tu es homo, vel tu sedes, ergo &c.

Ad hoc respondetur communi sententia, quòd inter coniunctiones, quædam coniungunt sensum & terminos siue propositiones, quales sunt coniunctiones conditionales & rationales & causales & copulatiuæ & istæ constituunt primam & secundam speciem hypotheticæ. Quædam autem coniungunt solùm voces, aut terminos, aut propositiones, sed disiungunt sensum ac significatum, & tales sunt ly vel, aut &c. Obiectio quidem concludit, quo ad significatum, non autem quo ad voces aut ter. aut propositiones &c. Et aduerte quod dico quo ad voces & terminos, vt includam disiunctiuam in voce, in mente, in scripto.

Aduerte etiam quòd sicut diximus notam copulationis teneri aliquando copulatim, aliquando copulatiuè, sic & coniunctio disiunctionis aliquando tenetur disiunctim, aliquando disiunctiuè. Disiunctim quidem quando ponitur inter prædicatum aut subiectum. Exemplum primi, Sortes est homo vel asinus. Exemplum secundi, Sortes vel Plato currit, & hæc dicitur categorica de extremo disiuncto, quæ aliquando potest resolui in vnam disiunctiuam, vt hic, Sortes vel Plato scribit. Nam bene sequitur, Sortes scribit, vel Plato scribit, aliquando autem non, vt hic Sortes vel Plato trahunt nauem, non enim sequitur quod sortes trahat nauē, aut Plato trahat nauem, supposito quòd neuter diuisim sufficiat. Disiunctiuè autem tenetur quando est nota inter duas propositiones categoricas, vt hic Plato currit, aut Plato quiescit. Constat igitur tibi quid sit hypothetica disiunctiua.

Quantum ad secundum aduerte, quod disiunctiua diuiditur in affirmatiuam & negatiuam, in veram & falsam, in necessariam & impossibilem, impossibilem & contingentem. Exemplum de affirmatiua, tu es homo vel asinus. De negatiua. Nō tu es homo vel asinus. De vera, tu curris vel quiescis. De falsa, tu es asinus vel rudibilis. De necessaria, Deus est vel sortes mouetur, de possibili, Sortes est asinus, vel tu es papa. de impossibili, Vel Deus nō est, vel tu es asinus. de contingentia. Antichristus est albus, vel tu curris. Verum hoc non sufficit, sed de singulis in specie agendum est, vt dicemus in immediatè sequentibus.

Quantum igitur ad tertium aduerte quod disiunctiua affirmatiua est illa, in qua nota disiunctionis affirmatur, vt tu es homo vel tu es asinus.

Negatiua est illa, in qua nota disiunctionis negatur: negatur autem si cadit negatio super illam, vt hic, Non tu es homo, vel tu es asinus. potest autem cadere dupliciter super illum, primò quando præponitur toti disiunctiuæ, vt hic, Non tu es homo, vel tu es asinus: secundò quando postponitur primæ categoricæ, sed præcedit notam disiunctionis, vt hic, sortes est asinus non, vel est homo. Sed primus modus est ordinarius & clarior, ideo sequere illum.

Vera est illa, cuius vna pars est vera, & alia falsa, vt sortes est homo, vel est asinus, & hæc est propria. Nā cum nota disiunctionis habeat disiungere significatum, & coniungere propositiones siue voces aut terminos, si vtraque pars esset vera, non disiungeret significatum. vt patet hic. Vel tu es homo, vel tu es risibilis, æquipollet enim copulatiuæ veræ scilicet tu es, & tu es risibilis, & ideo tenendum est quod ad veram & propriam disiunctiuam, oportet partem vnam esse veram, & aliam falsam. Si autem vtraque sit vera, erit disiunctiua vera quò ad modum pronunciandi, sed non propria, quò ad significatum.

Falsa est in illa, cuius vtraque pars est falsa. Nam si vna est falsa, & alia vera, iam diximus quod disiunctiua esset vera & propria. Vt ergo distinguatur falsa à vera, cū sit ei opposita, oportet vtranque partem esse falsam. Vnde hæc est falsa. Sortes est asinus, vel habet alas.

Necessaria est illa, cuius vtraque pars est necessaria, vel saltem vna, exemplum primi, Deus est vel homo est animal. exemplum secundi, Deus est, vel sortes mouetur. Licet enim vna pars sit necessaria, & altera contingens, tamē denominatur à digniori & veriori, quæ est necessaria.

Possibilis est illa, cuius vtraque pars est possibilis: vt sortes est albus, vel Plato currit. Nota tamen quod sufficit vnam partem esse possibilem, vt hic, Antichristus est, vel homo est asinus. nam ista vel est impossibilis, vel possibilis non impossibilis, quoniam vt dicemus ad impossibilem oportet vtranque partem esse impossibilem, ergo est possibilis.

Contingens est illa cuius vtraque pars est contingens, vt sortes est albus, vel ipse scribit. & ad cognoscendum disiunctiuam contingentem datur hæc regula. si copulatiua facta de partibus oppositis partibus disiunctiuæ est contingens, disiunctiua est contingens. Verbi Gratia. Hæc est contingens tu curris vel tu non moueris. sumatur oppositum de ly tu curris, scilicet tu non curris, & oppositum de ly tu non moueris scilicet tu moueris, & formetur hæc copulatiua. Tu non curris, & tu moueris. Patet quod est contingens, quoniam contingit te non currere, & tamen moueri, vt quando simpliciter ambulas, ergo & hæc disiunctiua est contingens. Tu curris, vel non moueris. Hæc de disiunctiua dicta sint, & per consequens de omnibus speciebus famosis propositionis hypotheticæ. Quomodo autem & quot modis liceat arguere à disiunctiua, manifestabitur tibi in tractatu de consequentiis.

CAP. IIII.

De propositione categorica modali.

Ex secun. Peri. her.

IN cap. quarto agendum est de propositione modali categorica, & hic sex agenda sunt. Primò in quo distinguitur categorica modalis à simplici categorica: secundò per quos & quot modis sit apud logicum vera & propria propositio modalis. Tertiò quid sit. Quartò quot fiunt. Quintò quo modo sumuntur in eis quatuor genera oppositionum. sextò declarabitur hæc distinctio famosa. Modalium alia est de sensu diuiso, alia de sensu composito.

Quan

Modalis & cathegoricæ discrimen. Quantum ad primum aduerte, quod simplex categorica est illa, in qua simpliciter & sine limitatione, aut alterius termini appositione prædicatum dicitur de subiecto, siue sit de secundò, vel de tertiò adiacente. exemplum primi. Deus est, homo est, cælum est, exemplum secundi, Deus est iustus, homo est animal, cælum est incorruptibile. & huiusmodi categoricæ dicuntur de inesse: quoniam sunt de simplici inhærentia prædicati ad subiectum. Categorica modalis est illa in qua prædicatur prædicatum de subiecto cum adiectione termini adiectiui determinantis substantiuum, vel appositione aduerbij ad ipsum verbum. Nam sicut adiectiuum determinat substantiuum, sic aduerbium determinat actum verbi. exemplum primi, homo albus currit. Nam currere non dicitur de homine simpliciter, sed de homine sic determinato, scilicet per album. exemplum secundi, Sortes currit velociter, currere prædicatur de Sorte non simpliciter & qualitercunque, sed cum velocitate. Dicitur ergo modalis à tali determinatione vel limitatione, quæ apud Logicum dicitur modus. Vnde sic definiri consueuit. Modus est adiacens rei determinatio, id est modus est limitatio siue restrictio apposita rei, id est substātiuo, quæ limitatio fit per adiectiuū, vt homo iustus dominatur, homo fortis defensat patriā. Quotuplex ergo est adiectiuū, totuplex est modus. Adiectiuū autē est duplex, scilicet nominis & verbi, Adiectiuū nominis est omne nomen adiectiuum adiacēs nomini substātiuo, vt bonus Deus, bonus homo, fortis equus, alba vestis. Adiectiuum verbi, est aduerbium adiacens verbo in oratione. Vt Sortes hodie venit, sortes bene currit.

Sed aduerte, quod aduerbia quatuor modis modificant & determinant verbum. Primò, gratia compositionis, id est indicant qualiter verbum componat prędicatum cum subiecto, vtrum scilicet necessariò vel contingenter vel possibiliter vel verè vel falsæ. Et sic per huiusmodi aduerbia qualificatur propositio, vt dicatur necessaria vel contingens & possibilis &c.

Secundò, modificant & determinant verbum, gratia rei verbi, id est significati, vt aduerbia qualitatis, vt dicendo, Sortes velociter currit, signatur quod cursus, qui importatur per verbum curro, non est qualiscunque, sed velox.

Tertiò, modificant verbum gratia temporis, & est quando significant actum verbi sub differentia temporis determinati, vt hodie legam in vespere, cras disputabo in mane.

Quartò, modificant verbum gratia modi, vt aduerbia hortandi vt eia aduocata nostra adiuua nos, quædam gratia optandi vt vtinam audias me, & horum quatuor modorum ratio hinc sumitur. Verbum quatuor modis consideratur. Primò, vt designat compositionem prædicati cum subiecto, propter quod dicitur copula apud Logicum, & vt sic aduerbium determinat verbum gratia compositionis prædicati cum subiecto. Secundò, vt significat actum suū. Et vt sic determināt verbum aduerbia qualitatis. quartò, vt significāt cum tempore ad differentiam nominis, vt docuimus in tracta. secundo, & vt sic determinant verbum aduerbia temporis. quartò. vt notat actum suum cum determinato modo, puta per modum imperantis, aut hortantis, aut desiderantis, comminantis, aut miserentis, & vt sic determinant verbum aduerbia imperandi, hortandi, optandi, miserendi. constat igitur quomodo differat simplex categorica à categorica modali, & quid sit modus, & quomodo adiectiuum est modus substantiui, & aduerbium modus verbi, & quot modis aduerbia determinant verbum.

Quibus & quot modis fiat modalis. Quantum ad secundum aduerte, quod apud Logicum tantùm isti sex modi constituunt propositionem modalem, scilicet necessariò, contingenter, possibiliter, impossibiliter, veræ & falsæ, qui possunt accipi nominaliter sic, necesse, cōtingens, possibile, impossibile, verum falsum: possunt etiam sumi aduerbialiter, vt necessariò, contingenter, tamen sumpta nominaliter consueto modo & propriè constituunt propositionem modalem. Quia igitur soli isti sex apud Logicū constituunt propositionem modalem, omnes alij relinquendi sunt, siue sint nomina adiectiua, siue aduerbia. Sunt enim magis deseruientes Grammatico quàm Logico. Præterea tantùm ista sex determinant verbum gratia compositionis prædicati cum subiecto, vt diximus suprá. Cum igitur ad Logicum spectet considerare de propositione, prout ex ea componitur syllogismus, eius est considerare quomodo isti modi constituunt & qualificant propositionem. Item aduerte quod licet verum & falsum annumerentur inter istos sex modos, tamen relinquentur: quoniam oppositio & ęquipollentia propositionum, quæ per eos constituuntur, fit eodem modo sicut in Categoricis de inesse, vt tibi declarabitur in cap. v. Nostra igitur intentio versabitur circa hos quatuor, necesse, contingens, possibile, impossibile.

Modalis quid sit. Quantum ad tertium aduerte, quod sic definitur. Propositio modalis est propositio categorica, quæ propriè & vsitatè modificatur aliquo istorum quatuor modorum, qui sunt necesse, contingens, possibile, impossibile, vt Sortem currere est contingens, vel Sortes currit contingenter.

Primò dicitur quod est propositio categorica: quoniam habet subiectum prædicatum, & copulam tanquam partes principales sui. Quod patet quādo fit per modum sumptum aduerbialiter, vt Sortes est homo necessariò. Nam Sortes est subiectum, homo prædicatum, copula est, necessariò autem neque subiectum neque prædicatum neque copula, sed modus signans hanc esse necessariam, Sortes est homo. Idem patet si fiat per modum sumptum nominaliter vt hic, Sortem currere est contingens. Nam infinitiua oratio est subiectum, contingens prædicatum, est copula.

Secundò dicitur quæ proprie & vsitate fit aliquo istorum quatuor modorum, ad differentiam earum quæ fiunt per hos modos verum & falsum, & ad differentiam earum, quę fiunt per hos modos, per se & per accidens, vt hic homo est animal per se, Sortes currit per accidens. Nam licet prima æquipolleat modali de necesse, & secunda modali de contingenti, tamen sunt formaliter modales. Et quidem quòd æquipolleant patet hic, si homo est animal per se, ergo necesse est ipsum esse animal, si Sortes currit per accidens, ergo contingens est ipsum currere. De illis autem quæ fiunt per hos modos verum & falsum, non est curandum: quoniā relinquendi sunt ratione suprà dicta.

Quot fiāt modales. Quantum ad quartum aduerte, quod si isti quatuor modi sumātur nominaliter quilibet eorum facit quatuor propositiones modales, & sic in summa fient quater quatuor, id est sexdecim. Pro cuius notitia aduerte tria. primò quod omnis modalis facta per modum nominaliter sumptum constat ex dicto & modo. Modus quidem tibi iam manifestus est, vt necesse possibile contingens impossibile. Dictum autem est oratio infinitiua. V.G. Sortem currere est cōtingens: ly Sortem currere est dictum, ly contingens est modus. secundò aduerte quòd licet dictum possit subiici, id est poni pro subiecto, & modus prædicari, id est poni pro prædicato & etiam econuerso, vt patet hic, Sortem currere est contingens, contingens est Sortem currere, tamē ordinarie modus debet prædicari, & dictū subiici, dummodo fiat modalis de sensu composito. Nam sicut se habet copula in categorica de inesse, sic modus in categorica modali. Constat autē quòd in illa se tenet copula à parte prædicati. Vnde Aristo. in primo Peri hermenias postquam definiuit verbū inquit, Et semper est eorum quæ de altero prædicantur nota. Ergo & modus in modali debet se tenere à parte prædicati. Dixi dummodo fiat modalis in sensu composito: quoniam vt declarabimus quando fit in sensu diuiso melius est vt mediet inter partes dicti, vt hic album possibile est esse nigrum.

Tertiò aduerte, quòd quilibet modus potest facere quatuor propositiones, quarum prima erit affirmatiua de dicto & de modo, vt Sortem currere est contingens, secunda erit negatiua tantùm de dicto, vt Sortem non currere est cōtingens, tertia erit negatiua tantùm de modo, vt Sortem currere non est cōtingens, quarta erit negatiua de dicto & de modo, vt Sortem non currere non est contingens. eodem modo formabis quatuor de possibili, & quatuor de necesse, & quatuor de impossibili, & sic omnes simul sumptæ erunt xvj.

Sed dices. si dictum debet subiici & modus prædicari, quare Aristoteles in libro secundo Peri hermenias sic situat modales, quod modus semper subiicitur, & dictum prædicatur? Sic enim ordinat eas possibile est Sortem currere possibile est Sortem non currere &c.

Respondetur secundum verum ordinem debet modus prædicari ratione iam dicta. Aristoteles autē in 2. Peri hermenias non tantùm attendit ad verum ordinem quantum ad declarandum oppositiones inter modales. Oppositio autem clarius & citius deprehenditur si modus subiiciatur. Nam fit oppositio per negationem additam modo & non dicto, vt istæ duæ, possibile est sortem currere, non possibile est sortem currere, opponuntur. Hac igitur de causa Aristo. situat modum in subiecto & dictum in prædicato.

Quomodo opponantur modales. Quantum ad quintum aduerte, quod sicut in categoricis de inesse quædam sunt cōtrariæ, quædam subcontrariæ, quędam contradictoriæ, quædam subalternæ, sic & in modalibus, sed valde differenter. Nam in categoricis fit oppositio

propter signa vniuersalia & particularia apposita subiectis, & propter negationem verbi gra. ratione ly omnis, & ratione ly nullus istæ duæ sunt contrariæ, omnis homo currit, nullus homo currit. Sed in modalibus nõ fit oppositio per signa, sed per modos qui correspondent signis. Vnde aduerte quod possibile & contingens correspondent ly quidam, & possibile non, & contingens non, correspondent ly quidam non. Propter quod sicut istæ sunt duæ particulares subcontrariæ de inesse, Quidam homo currit, quidam homo non currit, sic istæ sunt duæ partic. subcontrariæ modales. Possibile est Sortem currere, possibile est Sortem non currere. Necesse verò, correspondet omni, & impossibile nulli. Vnde sicut in illis de inesse, istæ duæ sunt contrariæ. Omnis homo est albus, & nullus homo est albus, sic in modalibus istæ duæ sunt contrariæ, Necesse est hominem currere, impossibile est hominem currere. Habitis subcontrariis, & contrariis modalibus facile est habere contradictorias & subalternas. Nam sicut in illis de inesse istæ sunt contradictoriæ, omnis homo currit, quidam homo non currit. Nullus homo currit, quidam homo currit, sic in modalibus istæ contradicunt Sortem non currere non est possibile, Sortem non currere est possibile, Sortem currere non est possibile. Sortem currere est possibile. Et sicut in illis de inesse istæ sunt subalternæ, omnis homo currit, quidam homo currit. Nullus homo currit, quidam homo non currit, sic in modalibus, istæ sunt subalternæ, Sortem non currere non est possibile, Sortem currere est possibile, Sortem currere non est possibile, Sortem non currere est possibile.

Sed dices, ista assignatio contradictoriarum & subalternarum videtur discordare ab immediatè supradictis. Nam assignatæ sunt contrariæ per propositionem de necesse esse & per propositionem de impossibile esse: ergo & cõtradictoriæ assignandæ sunt per easdem, vt scilicet dicatur quod propositio de necesse esse, & propositio de possibile non esse contradicunt. similiter propositio de impossibile esse, & de possibile esse contradicunt, eodem modo assignandæ sunt subalternæ. Hic autem quatuor genera oppositionum assignata sunt solum secundùm quatuor propositiones de possibili, vt patet, ergo assignatio ista discordat à supradicta.

Respondetur, licet discordet in terminis non tamen in sensu. Nam tota negatiua de possibile æquipollet toti affirmatiuæ de necesse. vt si non est possibile Sortẽ non currere, necesse est ipsum currere, negatiua autem de modo æquipollet toti affirmatiuæ de impossibili. nam Sortem currere nõ est possibile, ergo Sortem currere est impossibile. In sensu ergo præsens assignatio non discordat à prædicta. In terminis autem voluimus discordare, vt seruaremus naturam oppositarum propositionum. Dictum est enim in assignatione quatuor generum oppositionum in categoricis de inesse, quod omnes propositiones oppositæ tam contrariæ, quàm subcontrariæ, tam contradictoriæ quàm subalternæ debent esse eiusdem subiecti & eiusdem prædicati. Et ideo vt id seruaretur in modalibus assignauimus quatuor genera oppositionum, iuxta quatuor propositiones de possibili, quarum tota negatiua æquipollet toti affirmatiuę de impossibili. Vt igitur præ oculis habeas quatuor oppositionũ genera in modalibus, proportionata quatuor generibus oppositionũ in categoricis de inesse formauimus figuram sequentem,



Hæc de quatuor generibus oppositionum in modalibus dicta sint.

Quantum ad sextum aduerte, quod apud logicos & in doctrina peripatetica, Modalis est duplex. Vna in quatuor de sensu composito, altera de sensu diuiso: differunt autem primò in modali de sensu cõposito modus aut præponitur, aut postponitur toti dicto. vt hic album esse nigrum est possibile: vel sic, possibile est album esse nigrum: & vt appareat eius veritas vel falsitas, debet resolui oratio infinitiua in indicatiuam sic. Hæc præpositio est possibilis, albũ est nigrum, & sic statim apparet quòd est falsa: quoniam opposita essent in eodem scilicet albedo & nigredo: in modali autem de sensu diuiso, Modus nec præponitur, nec postponitur dicto, sed mediat inter partes dicti: vt hic, album possibile est esse nigrum: & sic exponitur. Res, quæ est alba, potest fieri nigra vel denigrari, & sic est vera: nam res, quæ hodie est alba, potest amittere albedinem: & recipere nigredinẽ. secundò differunt, quia modalis de sensu composito debet tota sine discontinuitate proferri, vt scilicet non fiat pausa inter partes dicti, nec inter dictum & modum, sed continuetur prolatio sic, album esse nigrum est possibile. Ea autem quæ est de sensu diuiso, proferri debet cùm discõtinuatione, vt scilicet proferatur subiectum dicti, & in eo fiat punctum, deinde proferatur modus cum copula & reliquo dicti, vt hic, album possibile est esse nigrum. Tertiò differunt, quoniam in ea de sensu composito, subiectum dicti stat pro re & pro forma sibi inhærente, id est, vt est sub forma, à qua denominatur, puta in ista, Album esse nigrum est possibile, stat ly album pro re vt in se habet albedinem. In sensu autem diuiso stat solùm pro re vt potest esse sub forma, puta in ista, Album potest esse nigrum, ly album stat pro re non inquantum est alba, sed pro re in se cõsiderata, quæ potest esse sub albedine & nigredine, non simul sed diuisim. Quartò differunt, quia omnes modales factæ de dicto, cuius subiectum & prædicatum denominatur à formis oppositis, vt hic, calidum esse frigidum est possibile, in sensu composito sunt falsæ, quoniam impossibile est oppositas formas esse in eadem coniunctim. In sensu autem diuiso sunt veræ, quoniam non inconuenit eidem in esse oppositas formas diuisim siue successiuè. Si autem fiant de non oppositis in vtroque sensu possunt esse veræ. Nam sumpta re frigida, puta niue, si formetur talis conditionalis in sensu cõposito, frigidum esse album est possibile, est vera: quoniam non repugnat rei frigidæ, vt est sub frigiditate esse albam simul, vt patet de niue, & multis lapidibus, si etiam formetur in sensu diuiso erit vera, sic dicẽdo, frigidum possibile est esse album, quoniam non repugnat rei potenti esse frigidam post frigiditatem recipere albedinem. Vnde solas modales factas de oppositis formis oportet distinguere per sensum compositum & diuisum, quoniam in vno sunt veræ, in alio falsæ, factas autem de non oppositis, non oportet sic distinguere, quoniam vtraque potest esse vera. Hæc pro nunc sufficiant ne tu inuenis confundaris. Hæc de præsenti cap. dicta sint.

CAPVT V.

De æquipollentijs categoricarum oppositarum de inesse.

IN capite quinto agendum est de æquipollentiis categoricarum de inesse & modalium. Ordo enim doctrinæ requirit vt pollquam de earum oppositionibus pertractauimus nunc de earum æquipollentiis consideremus, & prius quidem de æquipollentiis categoricarum de inesse, quoniam sunt priores modalibus, vtpote simpliciores. Igitur in præsenti capit. de æquipollentiis categoricarum de inesse, tria agenda sunt. Primò quid sit æquipollentia propositionum de qua hic intendimus. Secundò quot regulis sufficienter fit & de singulis regulis in specie pertractandum est. Tertiò soluentur duo dubia.

Æquipollentia quid sit.

Quantum ad primum aduerte, quòd sic describitur apud logicum æquipollentia est æquiualentia duarum propositionum in significato, sitarum in figura oppositionum per aduentum negationis facta, ita quod ab vna ad alteram est bona consequentia,

Primò dicitur æquiualentia, quoniam est genus & quid magis commune, omnis enim æquipollentia propositionum est æquiualentia, sed non omnis æquiualentia est in propositionibus, est enim in terminis incomplexis, vt duo synonyma æquiualent in significato, est etiam in rebus commutabilibus quo ad pretium, aliter in emptione & venditione non seruaretur æqualitas & iustitia, est & in bonitatibus rerum, vnde solemus dicere. hanc medicinam æquiualere illi.

Secundò dicitur duarum propositionum in significato, vt excludamus propositiones factas de terminis æquiuocis, quæ licet conueniant in voce non tamen in significato, vt hic, omnis canis lucet, nullus canis lucet.

Quæ modaliũ in sensu diuiso, vel composito.

Tertiò dicitur tacitum in figura propositionum, ad differentiam aliquarum propositionum, quæ ęquiualent in significato. vt istæ duæ, tantum homo est rationalis, ergo omne rationale est homo, & tamen non dicũtur propriẹ ęquipollere, quoniam æquipollentia, de qua hic intendimus, est tantum inter propositiones alicuius quantitatis, quæ participant vtroque termino eodem ordine. Constat autem hanc, tantum homo est rationalis, non esse formaliter alicuius quantitatis, nec est eiusdem subiecti, & prædicati cum ista, omne rationale est homo vt patet.

Quartò dicitur facta per notam negationis, quoniam vt declarabitur ex eo solo quod negatio præponitur & post ponitur, aut præponitur, & postponitur duæ præpositiones oppositæ æquipollent. Verbi Gratia, istæ duæ contradicunt. Nullus homo currit. Quidam homo currit. Si ly nullus præponitur non vt non nullus homo currit, æquipollet isti quidam homo currit. Nam bene sequitur, non nullus homo currit, ergo quidam homo currit.

Quintò dicitur, ita quòd ab vna ad alteram valet consequentia, quoniam cum declaratum fuerit duas propositiones æquialere in significato, vna sequitur ad alteram & econuerso, nam bene sequitur, non omnis homo currit, ergo quidam homo non currit, & econuerso: & hæc vltima particula apponitur, vt scias quantum tibi proderit scientia æquipollentiarum in arguendo & respondendo. constat igitur quid sit æquipollentia propositionum categoricarum de in esse, de qua nunc intendimus.

Quantum ad secundum aduerte, quod logici in tribus regulis comprehenduntur omnium propositionum oppositarum in figura, quarum quædam sunt contrariæ, quædam subcontrariæ, quædam contradictoriæ, quædam subalternæ. & aduerte quòd per regulas sequentes intendimus æquipollentiam fieri prædictarum propositionum quo ad qualitatem, & quantitatem, & veritatem & falsitatem earum.

Prima regula.

Prima igitur regula est hæc, negatio præposita signo vniuersali, vel particulari, facit æquipollere contradictorias. vt non omnis homo currit, ergo quidam homo non currit: non nullus homo currit, ergo quidam homo currit. Pro notitia huius regulæ aduerte tria.

Primò quod logici conuenienter incipiunt æquipollentias in contradictoriis, quoniam maximè opponuntur. Opponuntur enim in omni materia quo ad qualitatem & quantitatem & veritatem & falsitatem, vt docuimus suprà in cap. secundo huius tractatus. Contrariæ verò in nulla materia opponuntur quo ad quantitatem. Nec quo ad veritatem & falsitatem nisi in materia naturali & remota. Nam in materia contingenti vt docuimus in eodem cap. sunt simul falsæ. Subalternæ autem non opponuntur in qualitate. sed quantitate, nec in veritate & falsitate: possunt enim esse simul veræ, vt docuimus in eodem cap. subcontrariæ verò minimè opponuntur, & tamen non possumus dare regulam, per quam æquipolleant.

Secundò aduerte, ad hoc, quod negatio adueniens faciat propositionum oppositarum æquipollentiam, oportet quod sit negatio negans. Pro cuius notitia aduerte, q̃ in doct. peripatetica inuenimus triplicem negationem, scilicet negãtem infinitantem, & priuantem. Negans est illa, quæ quicquid post se inuenit destruit & suum oppositum inducit. Vnde si inuenit propositionẽ vniuersalẽ, facit eam particularem, & si affirmatiuam facit eam negatiuam, & econuerso, & si veram, facit eam falsam & econuerso. & hoc maximè verificatur in cõtradictoriis, quorum vnum est verum in omni materia & alterum falsum. Vnde negatio præposita facit æquipollere duas contradictorias in qualitate, quantitate, veritate, & falsitate. Negatio infinitans est illa, quæ apposita termino finito, facit ipsum infinitũ, id est indeterminatum in significato. Quid autẽ sit terminus infinitus, & terminus finitus, & quæ eorum significata, iam docuimus in tractatu secundo in diuisione septima terminorum. Negatio priuans est negatio habitus aut formę aut qualitatis perficientis subiectum, relicta tamen aptitudine in subiecto. & sic omnis priuatio, vt cæcitas, tenebra, mors, ignorantia &c. dicitur negatio priuans. Negatio infinitans & priuans pro nunc relinquantur donec pertractabimus de consequentiis. Nam æquipollentiis propositionum, quibus nunc intendimus, sufficienter deseruit negatio negans. De ea igitur vt facit æquipollere contradictorias data est præposita regula.

Tertiò aduerte quòd ideo negatio negãs præposita toti subiecto & signo contradictoriarum facit eas æquipollere: quia vt diximus, quicquid post se inuenit, destruit, & eius oppositum inducit. Inuenit autem contradictorias discordare in qualitate, quoniam vna affirmatiua, altera negatiua, vt omnis homo est albus, & quidam homo est albus: si igitur vniuersalis affirmatiuæ præponatur negatio, facit eam negatiuam, vt non omnis homo est albus, est negatiua sicut ista, quidam homo nõ est albus & econuerso, ergo facit eas æquipollere in qualitate. Item inuenit eas discordes in quantitate, quoniam vna est vniuersalis, altera particularis: si igitur negatio præponatur vniuersali, facit eã particularẽ & econuerso, vt non omnis homo est albus, est particularis, sicut ista, quidam homo non est albus, & econuerso: facit ergo æquipollere contradictorias in quantitate. Item inuenit eas discordes in veritate & falsitate. si igitur præponatur propositioni contradictoriæ falsæ, facit eam veram. Verbi Gratia, sit ista falsa, omnis homo est albus, sit ista vera, quidam homo non est albus, præponatur ergo nega falsæ: vt non omnis homo est albus, destruet falsitatem & faciet eam veram. Vnde ista, Non omnis homo est albus, est ita vera sicut ista, quidam homo non est albus. & econuerso, & quod dixi de vniuersali affir. & particu. negatiua, intellige etiam de vniuersali nega. & partic. affirma. Constat igitur veritas primæ regulæ.

Secunda regula est ista, negatio negans postposita signo vniuersali & toti subiecto facit æquipollere duas contrarias. Aduerte quòd hæc regula indiget duplici limitatione. Prima est quòd ponatur negatio immediatè ante copulam, ita quòd exerceat virtutem suam super copulam & totum prędicatum, & ponatur omnino post signum vniuersale, & post totum subiectũ, ita quòd nullo modo prẹualet supra signum, nec supra subiectum quo ad mutationem quantitatis. Defectu cuius istæ duæ non æquipollent, Omnis non homo est animal. nullus homo est animal, sed sic dicatur, Omnis homo non est animal, ergo nullus homo est animal. Vel sic, Nullus homo non est animal, ergo omnis homo est animal.

Secunda est, fiant duæ contrariæ, quæ teneantur vniformiter, scilicet distributiuè, & non altera collectiuè. puta vniuersalis affirmatiua, & altera distributiuè. puta vniuersalis negatiua, vt hic omnes apostoli Christi sunt duodecim. nulli apostoli Christi sunt duodecim: non enim istæ duæ æquipollent. Omnes Apostoli Christi non sunt duodecim, ergo nulli apostoli Christi sunt duodecim, nam hæc est vera, nulli apostoli Christi sunt duodecim, stat enim distributiue, ly nulli apostoli, hæc autem est falsa, omnes Apostoli Christi nõ sunt duodecim, quoniã affirmatiua est vera. scilicet omnes apostoli Christi sunt duodecim, quoniã ly omnes apostoli tenetur collectiuè.

Quod autem hæc secunda regula sit rectè, & sufficienter posita ratio hinc sumitur. Cõtrariæ vniuersaliter & in omni materia sumptæ, discordant in qualitate, & conueniunt in quantitate. In materia autem naturali & remota non solùm in qualitate, sed & in veritate & falsitate discordant, quoniã vt docuimus suprà, non possunt esse simul veræ, aut simul falsæ. In materia verò contingenti, non sic pugnant, quoniam ambæ possunt esse simul falsæ. Vt ergo non mutetur quantitas, ponitur post signum vniuersale & totũ subiectum neque enim habet vim supra subiectũ, neque supra signum nisi cadat suprà ipsum, & sic non destruit vniuersalitatem contrariarum. Vt autem mutet qualitatem ita quod si inuenit affirmatiuam, faciat negatiuam & econuerso, ponitur ante copulam & totum prædicatũ. Et sic facit vniuersalem affirmatiua æquipollere vniuersali negatiuæ, & econuerso, Vnde ista, Omnis homo nõ est asinus, est negatiua vniuersalis. & æquipollet isti, nullus homo est asinus. & ista, nullus homo non est asinus est affirmatiua vniuersalis. & æquipollet isti, omnis homo est asinus. Constat ergo quomodo contrariæ æquipollent per positionem negationis post subiectũ & ante copulã ac totũ prædicatũ. Et sic patet veritas secũdæ regulæ.

Tertia regula est ista, negatio præposita & post posita, facit æquipollere duas subalternas. siue affirmatiuas siue negatiuas. Hæc regula sic debet intelligi, negatio praeposita signo vniuersali vel particulari, tam affirmatiuo quàm negatiuo, & toti subiecto, & postposita signo ac toti subiecto, tamen ante copulam & totum prædicatum, facit æquipollere subalternas. vt hic, Non omnis homo non currit, ergo quidam homo currit, & econuerso. non nullus homo non currit, ergo quidam homo non currit & econuerso.

Ratio autem regulæ est hæc, Subalternæ conueniunt in qualitate, & discordant in quantitate, ergo sic situanda est negatio, quod mutet quantitatem, & relinquat eandem qualitatem, ita quod non destruat eam. Vt ergo mutetur quantitas, oportet eam præponere sicut diximus, de contradictoriis, nisi autem postponatur alia negatio, prima mutaret quantitatem & qualitatem, ita quod vniuersalem faceret particularem & econuerso, & affirmatiuam faceret negatiuam & econuerso. Vt ergo impediatur virtus negationis præpositæ, ne mutet qualitatem, postponitur alia impeditiua primæ. Vnde sicut prima per seipsam negat adiuncta alteri affirmat: quoniam duę negationes affirmant.

Constat igitur quomodo tres prædictæ regulæ sufficiunt ad æquipollentias de contradictoriis & contrariis, & subalternis. Pro quarum notitia, Logici hunc versum artificiosè composuerunt.

Præ contradict. post contract. præ postque subalter.

Et sic exponitur præ. id est præposita signo & subiecto, contradict. id est facit æquipollere contradictorias. Post, id est posita post signum & totum subiectum, contra, id est facit æquipollere contrarias. præ postque, id est proposita & postposita, vt docuimus, facit æquipollere subalternas. Vt autem oculo videas prædictas æquipollentias descripsi figuram sequentem.

Omnis homo currit.	Contrariæ repugnan.	Nullus homo currit.
Omnis homo non currit.	Contrariæ æquipollentes	Nullus homo currit.
Omnis homo currit.	Cõtradi. repu.	Quidã hõ non currit.
Non omnis homo currit.	Contradict. æquipoll.	Quidam homo non currit.
Nullus homo cur.	Contradic. repu.	Quidam homo cur.
Non nullus homo currit.	Contradic. æquipol.	Quidam homo currit.
Omnis homo currit.	Subalter. repu.	Quidã homo currit.
Non omnis homo non currit.	Subalt. æquipollen.	Quidam homo currit.
Nullus homo cur.	Subalt. repu.	Quidam homo nõ cur.
Non nullus homo non currit.	Subalter. æquipol.	Non quidam homo non currit.

Constat igitur tibi in præsenti ordinatione, quomodo contrariæ & contradictoriæ, & subalternæ ad inuicem repugnant, & ad inuicem æquipollent. Quare autem non descripserimus subcontrariarũ repugnantiam & æquipollentiam dicemus in immediatè sequentibus, vt compleamus tibi notitiam oppositionum & æquipollentiarum in propositionibus categoricis de inesse.

Quantum ad tertium duo dubia circa prædicta soluenda sunt. Primum est. Quare non assignatur quarta regula pro æquipollentia subcontrariarum? & præcipuè quia repugnant in qualitate & si non in quantitate, & in materia naturali & remota repugnant in veritate & falsitate sicut & contrariæ, licet enim in materia contingenti possint esse simul veræ, sicut & cõtrariæ simul falsæ, vt docuimus suprà, non tamen in materia naturali & remota, sed de necessitate si vna est vera, altera est falsa & econuerso.

Secundum est cum proprium sit negationis negare sicut affirmationis affirmare, vnde est quod duę negationes affirmant, & tamen duæ affirmationes non negant, imò magis affirmant. Idem ergo videtur dicendum de negationibus, quod quantò plures sunt, tantò magis negãt, sicut priuationes quãtò plures sunt, tantò magis destruant habitũ Vnde videmus quod infirmitates, quantò magis cõplicantur, tantò magis destruant sanitatem & disponunt ad mortem.

Ad primum respondetur quod cum æquipollentia fiat per aduentũ negationis præpositæ, aut post positæ, aut præpositæ & post positæ, & non fiãt alij modi ponendi negationem, nullo prædictorum modorum potest fieri æquipollentia in subcontrariis. Nam negatio præposita, vt in contradictoriis, & præposita ac post posita, vt in subalternis, mutat quantitatem, subcontrariæ verò non opponuntur secundùm quantitatem, ergo per negationem præpositam, aut præpositam & postpositam non possunt æquipollere: si verò, post ponatur, vt in æquipollentia contrariarum, aut post ponetur affirmatiuè aut negatiuè, non affirmatiuè, quia tunc nullo modo differret à negatiua, vt si huic, quidam homo currit, postponatur negatio, & dicatur, quidam homo non currit, patet quòd nullo modo differt à subcõtraria negatiua. Quæ autem æquipollent & si conueniant in significato, differunt tamen in compositione, vt patet in prædictis æquipollentiis. si autem postponitur negatiuæ fiet negatio dicendo, quidam homo non currit, quæ vitanda est tam à Logico quàm à Philosopho. Non ergo possunt æquipollere, & ideo tantum tres regulæ inuentæ sunt, quæ quantũ valeãt propter negationem aduenientem declaratur his versibus,

Non omnis, quidam non. Omnis non, quasi nullus.
Non nullus, quidam, sed nullus non valet omnis.
Alter, neuter, neuter non, præstat vtrunque.

Ad secundum dicitur quod negatio, vt negatio semper negat & destruit, sicut affirmatio, vt affirmatio semper affirmat. Quod autem oppositum inducat, hoc est ex conditione suæ naturæ, quæ est adeò maligna, quod quicquid post se inuenit destruit, & oppositum inducit, ex quo sequitur quod si inuenit affirmatum, facit negatum & econuerso: & hinc est quod duæ negationes affirmant. Nam si negatio de nouo adueniens, reperit aliam præcessisse, impedit præcedentem ne amplius neget, & virtutem eius ac effectum destruit, quo destructo inducit oppositum, quod est affirmare. nec valet similitudo sumpta ab affirmatione, quoniam affirmatio habet vim constructiuam, negatio autem destructiuam non solum eius quod affirmatio cõstruxit, sed etiam eius quod alia negatio sibi similis destruxit, & oppositum inducit. Nec est simile de infirmitatibus complicatis, quoniam non sunt puræ negationes, sed qualitates contrariantes sanitatibus oppositis. Hæc igitur de æquipollentiis categoricarum de inesse dicta sufficiant. & hic terminatur caput quintum.

CAPVT VI.

De æquipollentiis categoricarum modalium.

IN sexto capitulo agendum est, de æquipollentiis propositionum categoricarum modalium. Et hic quatuor agenda sunt. Primò, quot sint ordines modalium oppositarum, & per quas ordinantur. Secundò ponentur regulæ, per quas cognoscentur æquipollentiæ dictorum ordinum. Tertiò assignabuntur aliæ regulæ, per quas cognoscemus æquipollentias omnium propositionum sexdecim, quæ formantur per hos quatuor modos, possibile, impossibile, necessarium & contingens. Quartò soluetur dubium de his duobus modis, verum & falsum, quos supra diximus relinquendos.

Quantum ad primum aduerte, quod modalium æquipollentium quatuor assignantur ordines designati per has quatuor dictiones. Amabimus, edentuli, Iliacæ, Purpurea: & quælibet earum cõtinet quatuor syllabas cum quatuor vocalibus, scilicet a, e, i, u A, signat affirmatiuam de dicto & modo: u. totam negatiuam de dicto & de modo: e. negatiuam de dicto tantũ: i. negatiuam de modo tantum. Vnde versus, *Quot sint ordines modaliũ æquipollẽtium.*

Destruit. u. totum, sed à confirmat vtrunque.
Destruit e dictum. Destruit. i. que modum.

Isti ordines sic disponuntur, quod primus est amabimus, secundus edentuli, tertius Iliacæ, quartus purpurea. Primus & secundus opponuntur subcontrariæ, quartus & tertius contrariæ, quartus & secundus contrariæ, tertius & primus contradictoriæ: quartus & primus subalternæ, tertius & secundus subalternæ. Quilibet horum quatuor ordinum continet quatuor propositiones, prima est de possibili, secunda de contingenti, tertia de impossibili, quarta de necesse. Ea quæ est de contingenti, est penitus similis ei, quæ est de possibili, ita quod si ea quæ est de possibili, est tota affirmatiua, sic & ea quæ est de contingenti, & si tota negatiua similiter & illa &c. Nam possibile & contingens conuertuntur. Possibile est enim quod potest esse, & non esse, contingens verò, quod contingit esse & non esse. Propterea cuicunque æquipollet propositio de possibili, eidem æquipollet consimilis de contingenti, vt tibi declarabitur in regulis sequentibus.

Sed aduerte, quod possibile sumitur dupliciter, primò absolutè, secũdò cõtractè, vt distinguitur cõtra necesse, primo

mo modo est superius ad necesse & ad possibile cõtractum. Nam possibile absolutè est illud quod potest esse, & vt sic sequitur ad necesse. Nã bene sequitur, hoc est necesse esse, ergo est possibile esse. Vel enim est possibile, vel impossibile esse, non impossibile vt patet, ergo possibile. Possibile autem contractum est illud quod potest esse & non esse, & hoc conuertitur cum contingenti, & opponitur ipsi necesse, nec sequitur ad ipsum. Nam illud est necesse, quod non potest non esse, possibile autem contractum, quod potest esse & non esse. Hic ergo quando dicimus quod possibile & contingens conuertuntur, intendimus de possibili contracto, & non de possibili absolutè: & aduerte quòd possibile absolutè apud Philosophum dicitur possibile altum, id est communius quam necesse & possibile contractum. Possibile autem contractũ dicitur possibile contingens: vt declaratur in libro nono primæ philosophiæ. His præpositis descendendum est ad regulas æquipollentiarum.

Regula prima. Quantum igitur ad secundum aduerte quatuor regulas: per primam manifestatur æquipollentia totius affirmatiuæ de possibili cum tota affirmatiua de contingenti, & cum negatiua de modo de impossibili, et tota negatiua de necesse. Est ergo regula prima talis.

Cuicunq; dicto affirmato attribuitur possibile, eidem attribuitur contingens, & ab eodem remouetur impossibile, & ab eius opposito, id est à dicto negato, remouetur necesse. Sensus regulæ est iste. Ab affirmatiua tota de possibili, ad affirmatiuam totam de contingenti, valet consequentia. Vt fortem currere est possibile, ergo fortem currere est contingens. Ab eadem ad negatiuam de modo de impossibili, valet consequentia. Nam si fort. cur. est possibile, ergo fort. cur. non est impossibile. Ab eadem ad totam negatiuam de necesse, valet consequentia. Nam si fortem currere est possibile, Sortem non curr. non est necesse, quia potest currere & non currere. Si autem esset necesse eum currere, non posset non currere, patet ergo veritas primæ regulæ. Et aduerte quod tota prædicta regula manifestatur per primum ordinem dictum, Amabimus, vt patet in figura sequenti.

Figura	A	Sortem curr. est possibile.
Primi	Ma.	Ergo Sort. curr. est contingens.
Ordinis	Bi.	Ergo Sort. curr. non est impossibile.
Amabimus	Mus.	Ergo Sort. non curr. non est necesse.

Secunda regula. Secunda regula est hæc. Cuicunq; dicto negato attribuitur possibile, eidem attribuitur contingens, & ab eodem remouetur impossibile, et ab eius opposito, id est à dicto affirmato remouetur necesse.

Sensus huius regulæ talis est, à negatiua de dicto de possibili, ad negatiuam de dicto de contingenti, valet consequentia. nam bene sequitur, si fort. non currere est possibile: ergo fort. non curr. est contingens Ab eadem ad totam negatiuam de impossibili, valet consequentia. Nam bene sequitur si fort. non curr. est possibile. ergo fort. non curr. non est impossibile. Ab eadem ad negatiuam de modo tantum de necesse, valet consequentia Nam bene sequitur. si fort. non cur. est possibile, ergo fort. curr. non est necesse. Ergo regula est vera, de qua patet hic figura.

Figura	E	Sort. non curr. est possibile.
secundi	den	Ergo fort. non curr. est contingens.
ordinis	tu	Ergo fort. non curr. non est impossibile.
edentuli.	li.	Ergo fort. curr. non est necesse.

Tertia regula. Tertia regula, talis est. A quocunq; dicto affirmato remouetur possibile, & ab eodem remouetur contingens, et eidẽ attribuitur impossibile, et eius opposito, id est, dicto negato, attribuitur necesse.

Sensus huius regulæ talis est, à negatiua de modo de possibili ad negatiuam de modo de contingenti. valet consequentia. Nam bene sequitur. si fort. curr. non est possibile, Ergo fort. curr. non est contingens. Ab eadem ad totam affirmatiuam de impossibili valet consequentia, nam bene sequitur. si fort. curr. non est possibile, ergo fortem cur. est impossibile. ab eodem ad negatiuam tantum de dicto de necesse valet consequentia. Nam bene sequitur, si fort. cur. non est possibile, ergo non curr. est necesse, ergo constat veritas regulæ: cuius figura patet hic.

Figura	I	Sort. curr. non est possibile.
tertij	li	Ergo fort. curr. non est contingens.
ordinis	a	Ergo fort. curr. est impossibile.
Iliace	ce.	Ergo fort. non curr. est necesse.

Quarta regula. Quarta regula talis est. A quocunque dicto negatio remouetur possibile, ab eodem remouetur contingens, et eidem attribuitur impossibile, et eius opposito, id est dicto affirmato attribuitur necesse.

Sensus regulæ est iste. A tota negatiua de possibili ad totam negatiuam de contingenti, valet consequentia. Nam bene sequitur, si fort. non cur. non est possibile, ergo fort. non cur. non est contingens. Ab eadem ad affirm. de dicto tantum de impossibili, valet consequentia. Nam bene sequitur. si fort. non cur. non est possibile, ergo fort. non cur. est impossibile. Ab eadem ad totam affirmatiuam de necesse valet consequentia. Nam bene sequitur. si fortem non cur. non est possibile, ergo fort. cur. est necesse, & sic constat, veritas regulæ, figura eius patet infrà.

Nam hinc sequitur quarti ordinis.

Figura	pur	Sort. non cur. non est poss.
quarti	pu	Ergo fort. non cur. non est contingens.
ordinis	re	Ergo fort. non cur. est impossibile.
purpurea	a	Ergo fort. cur. est necesse.

Quantum ad tertium aduerte, quod vltra quatuor præmissas regulas, logici inuenerunt alias pro habendis æquipollentiis inter sexdecim propositiones modales, formatas ex his quatuor modis possibile, impossibile, contingens, & necesse. sunt autem tres, quoniam licet propositiones de contingenti, & de possibili sint distinctæ, tamen eodem modo æquipollent, eo quòd possibile & contingens conuertuntur modo quo diximus supra. Prima igitur deseruit propositionibus de possibili & impossibili secunda propositionibus de possibili & necesse. Tertia propositionibus de impos. & necesse. Quæ autem deseruiunt propositionibus de pos. deseruiunt etiam propositionibus de contingenti, quoniam idem est iudicium de vtrilq.

Prima igitur est hæc, omnes propositiones de possibili & impossibili æquipollent verbo similiter se habente, & modo dissimiliter. pro cuius notitia aduerte, quod dicitur verbum se habere similiter, quando negatur in vtraque, vel affirmatur in vtraque. Si autem affirmatur in vna & negatur in alia dissimiliter se habent. Idem intellige de modo se habente similiter vel dissimiliter. Hæc igitur regula sic intelligitur. Propositio prima de possibili, quæ est tota affirmatiua, æquipollet tertiæ de impossibili, quæ est negatiua de modo, vt fortem curr. est possibile, ergo fortem currere non est impossibile. Secunda de possibili, quæ est negatiua de dicto æquipollet quartæ de impossibili, quæ est tota negatiua, vt fortem non currere est possibile. Ergo fort. non curr. non est impossibile. Tertia de possibili, quæ est affirmatiua de dicto & negatiua de modo, æquipollet tori affirmatiuæ de impossibili, vt fortem currere non est possibile. ergo fortem currere est impossibile, ergo fort. cur. est impossibile, & hæc est prima de impossibili, quarta de possibili, quæ est tota negatiua, æquipollet secundæ de impossibili, quæ est negatiua de dicto, & affirmatiua de modo, vt fortem non cur. non est possibile, ergo fort. non cur. est impossibile, æquipollentiæ huius primæ regulæ patent in figura sequenti.

prima	Sor. cur. est poss.	ergo fort. cur. non imp. tertia
2	Sort. non curr. est possibile.	ergo fort. non curr. non est impos. 2.
3	Sor. cur. non est pos.	ergo fort. cur. est impos. 1.
4	Sort. non curr. non est poss.	ergo fortem non curr. est impos. 2.

Secunda regula est hæc. omnes quatuor propositiones de possibili, & de necesse, æquipollent dicto & modo dissimiliter se habentibus. Hæc regula sic intelligenda est. Si propositio de possibili sit tota affirmatiua, propositio de necesse sit tota negatiua, vt hic, fort. curr. est possibile. bene sequitur ergo fortem non cur. non est necesse, & sic æquipollent, prima de possibili. & quarta de necesse. si propositio de possibili est negatiua de dicto, & affirmatiua de modo propositio de necesse sit affirmatiua de dicto, & negatiua de modo vt hic Sort. non cur. est possibile, ergo fort. curr. non est necesse, & sic æquipollent, secunda de possibili, & tertia de necesse. Si propositio de possibili est negatiua de modo & affirmatiua de dicto, propositio de necesse, sit affirmatiua de modo, & negatiua de dicto, vti hic, Sort. cur. non est possibile, ergo fort. non curr. est necesse, & sic æquipollent, Tertia de possibili, & secunda de necesse. Si propositio de possibili est tota negatiua, propositio de necesse sit tota affirmatiua vt hic fortem non currere non possibile, ergo fortem currere est necesse, figura veritatis huius regulæ patet infrà.

prima

Prima for.cur. est posibile. ergo for.non cur.nõ est necef. 4
2 for.non cur. est pos. ergo for.cur. non est necesse. 3
3 for.cur.non est pos. ergo for. non cur. est necesse. 2
4 for. non cur. est pos. ergo for. cur. est necesse. 1

Tertia regula talis est. omnes propositiones de impossibili & de necesse æquipollent dicto dissimiliter se habente, & modo similiter. Hæc regula sic intelligenda est. si propositio de impossibili sit tota affir. propositio æquipollens de necesse sit neg. de dicto tantum, & sic æquipollent prima de impossibili, & secunda de necesse. Vt si for. currere est impossibile, for. non currere, est necesse. si propositio de impossibili sit negatiua de dicto tantum, propositio æquipollens de necesse, sit tota affir. & sic æquipollent secunda de impossibili, & prima de necesse. Vt Sortem non currere est im possibile, ergo for. currere est necesse. si propositio de impossibili est nega. de modo tantũ, propositio de necesse sit tota nega, & sic æquipollẽt tertia de impossibili & quarta de necesse. Vt for. currere non est impossibile, ergo for. non currere non est necesse. si propositio de impossibili est tota negatiua propositio æquipollens de necesse sit nega. tantum de dicto. Et sic æquipollent quarta de impossibili, & secunda de necesse. Vt for. non currere non est impossibile, ergo for. currere non est necesse, & sic patet veritas tertiæ regulæ, de quatuor autem propositionibus de contingente non datur specialis regula, quoniam idem est iudicium & æquipollentia de eis sicut de quatuor de posibili. Diximus enim posibile & contingens esse conuertibilia sumendo posibile contractum, & non posibile altum siue absolutum modo quo suprà docuimus. De tertia regula formamus sequẽtem figuram. Deinde describemus vniuersalem figuram, qua ad oculum videbis æquipollentias oppositionum omnium modalium.

prima for, cur. est posibile, ergo for. non cur. est necesse. 2.
2 for. non cur. est pos. ergo for. non cur. est necesse. 1
3 for. cur. non est pos. ergo for. nõ cur. nõ est necef. 4.
4 for. nõ cur. non est pos. ergo for. cur. est necesse. 3.

Figura vniuersalis æquipollentiarum in modalibus iuxta regulas quatuor priores.

Ordo quartus.	Ordo tertius.
Pur. for. nõ cur. nõ est pos. Cõtrariæ.	E. for. nõ cur est impos.
pur. for. nõ cur. non est cõtingens	li. for. cur. non est cõtingẽs
re. for. non cur. est impos.	a. for. cur. est impos.
a. for. cur. est necesse.	ce. for. non cur. est necef.



A. for. cur. est pos. Subcontrariæ. E. for. non cur. est pos.
ma. for. cur. est contingens, dem. for. cur. est contingens
bi. for. cur. non est impos. tu. for. non cur. non est impos.
mus. for. non cur. non est necef. li. for. cur. non est necef.
Ordo primus. Ordo secundus.

Hæc dicta sint de oppositione & æquipollentia modalium.

Quantum ad quartum soluendum est hoc dubium. Cum isti duo modi verum, & falsum numerentur inter modos sex facientes propositionem modalem, quare non memorantur in oppositione, & æquipollentia propositionum modalium.

Ad hoc respondetur quod propositio modalis potest sumi tripliciter, primò generalissimè. secundò generaliter tertiò specialiter. generalissimè dicitur modalis, cuius subiectum vel prædicatũ modificatur aliquo adiectiuo, vt homo albus cur. Princeps iniustus regnat. Sortes est homo ignorans &c. Generaliter dicitur, quando modus determinat compositionem prædicati cum subiecto, ita tamen quod oppositio & æquipollentia fit eodem modo, sicut in his de inesse. & sic verum & falsum faciunt propositionem modalem, sicut & isti modi, opinabile, imaginabile, intelligibile, credibile, & eorum opposita, Verbi gratia opinabile est æstatem futuram pluuiosam. Intelligibile est solem essem maiorem luna, &c. specialiter autem dicitur, quando modus ita determinat compositionem prædicati cum subiecto, quod constituit propositionem, cuius oppositio & æquipollentia non possunt fieri eo modo quo & in propositionibus de inesse, & in hoc tertio sensu soli quatuor modi scilicet possibile contingens. Impossibile necesse constituunt propositionem modalem. Vnde quia verum & falsum locantur in secundo sensu, ideo relinquuntur. Vt autem scias quod oppositio & æquipollentia fiunt in propositionibus formatis per hos modos verum, & falsum, prius resoluas eas in orationes, indicatiuas sic, Omnem hominem esse animal, est verum, id est, & hæc est vera. Omnis homo est animal. Nullum hominem esse animal, est falsum, id est, hæc est falsa. Nullus homo est animal eodem modo procede ad subcontrarias & contradictorias & subalternas, vt patet in sequenti figura.



Si autem volueris videre æquipollentias, sicut in categoricis de inesse, appones negationem modis, quibus dictum est in æquipollentiis propositionum de inesse scilicet contradictoriis præpones: contrariis postpones, subalternis præpones & postpones, subcontrariæ æquipolleri non possunt vt suprà ostendimus. Ver. gratia, si vis facere æquipollere in veritate duas contrarias in figura præmissa in veritate, sic facies. Omnem hominem esse animal est verum, ergo nullum hominem non esse animal est verum. Si autem vis eas facere æquipollere in falsitate sic facies. nullum hominem esse animal, est falsum, ergo omnem hominem non esse animal est falsum, eodem modo procedes ad æquipollentiam contradictoriarum & subalternarum locando negationem, sicut in illis de inesse.

Constat igitur quare duo modi scilicet verum & falsum relinquuntur nec faciunt propositionem propriissime modalem, nec constituunt aliam oppositionem, nec æquipollentiam, quam illæ de inesse, & sic terminamus hic tractatum tertium qui est de propositione categorica simplici & modali, & de hypothetica, & earum oppositionibus & æquipollentiis. Hæc de cap. sexto dicta sint.

FINIS.

TRACTATVS QVARTus de Quinque prædicabilibus, siue vniuersalibus, à Porphirij introductione ad prædicamenta Aristotelis, excerptus.

POstquam considerationem compleuimus de propositione & speciebus, eius, & suis proprietatibus, quę sunt cõuersio, oppositio, æquipollentia, ordo doctrinæ consuetus apud logicæ tractatores pro ordinatè instituẽdis nouitiis requirit, vt de terminis incõplexis cõmunibus & vniuersalibus pertractemus, ex quibus propositiones sciẽtifice præcipuè componuntur, & ex huiusmodi propositionibus formãdi sunt doctrinales & demonstratiui syllogismi. Sunt autem isti termini incomplexi quinque prædicabilia scilicet genus, species, differentia, proprium, & accidẽs, & decem categoricæ, quæ apud Latinum dicuntur decem prædicamenta scilicet substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, Vbi, quando, situs & habitus. Horum igitur notitia sic ordinãda est, prius agendum est de quinque prædicabilibus. Et hoc in præsenti tract. posterius autem de decem prædicamentis, & hoc in sequenti tract. Hunc autem tract. diuidemus in sex capit.

Primò agendum est de aliquibus: quorum præcognitio necessaria est antequam descendamus ad consideratione m singuli prædicabilis.

Secundò agendum est de genere.
Tertiò de specie.
Quartò de differentia.
Quintò de proprio.
Sextò de accidente.

CAPVT I.

De præcognoscendis.

IN hoc primo cap. tria in primis pręconsideranda sunt, quorum notitia præexigitur, ne tu nouitij absque ordine erudiaris & ne eadem sæpius repetere simus astricti.

Primò propter quid prius agendum est de quinque vniuersalibus siue prædicabilibus quàm de prædicamentis.

Secundò, vt definiamus vniuersale, & prædicabile de quo hic intendimus, inuestigandum est quot modis dicitur, & sub quo sensu consideratur à logico, nam metaphysicus & physicus, & logicus de vniuersali considerant.

Tertiò agendum est de sufficientia quinque vniuersalium, siue prædicabilium.

Notitia prædicabilium præcedit prædicamẽta.

Quantum ad primum aduerte, quod ideo prius de prædicabilibus agendum est quàm de prędicamentis, quoniã prędicamẽtum constat ex ordinata collectione plurium prædicabiliũ secundùm sub & suprà in recta linea prędicamentali & à latere. In recta quidẽ ordinantur genera & species vsque ad specialissima. A latere autẽ ordinantur differentiæ, vt tibi manifestabitur in quolibet prædicamẽto, ergo necesse est præcognoscere quid genus, & quotuplex genus, idem dico de specie, & de differentia. Præterea in quolibet prædicamẽto sunt quędam propria, quę distinguuntur cõtra communia, & se habent vt accidẽtia, ergo necesse est præcognoscere quid propriũ, & quot modis dicitur. Idem dico de accidente, aliter esset impossibile scientiã habere de prædicamẽtis. Rationabiliter igitur tract. prę sens prę cedit trac. de prædicamentis, & hac de causa cõposuit Porphyrius Isagogas. Vnde in principio libri sui inquit. (Cum sit necessarium ad eam, quæ est apud Aristotelem prędicamentorũ doctrinam, nosce quid genus, quid species, quid differentia, quid proprium, quid accidens, &c. tentabo breuiter, velut introductionis modo ea, quæ ab antiquis dicta sunt aggredi.)

Sed aduerte, quòd non solùm ad habendã prædicamẽtorũ doctrinã oportet præaccipere notitiã de prædicabilibus, sed etiam vt habeatur doctrina definitionis & diuisionis, & demonstrationis teste Porphyrio. Nam definitio vera propria datur tantum de specie vt declarabitur infrà. Et definitionẽ veram ac essentialẽ non ingrediuntur nisi genus proximum & differentia specifica, & excludendũ est proprium & accidens à definitione vt manifestatur in septimo lib. Metaphysicę, ergo si volumus rectè definire, oportet ista prę cognoscere. Præterea diuisio aliquando est generis in species, aliquando generis in differentias, aliquando speciei in indiuidua, aliquando subiecti in propria, aliquando subiecti in accidentia cõmunia, ergo vt habeamus doctrinam rectè diuidendi, atque definiendi, oportet ista præcognoscere. Præterea, sine notitia istorum non est posibile habere scientiam demonstrandi, ex consequenti nec aliquam scientiã acquirere: quoniam sola demonstratio facit scire, vt declarabitur in tract. de syllogismo demonstratiuo. In demonstratione autẽ oportet subiectum conclusioni esse aut genus aut speciem, prædicatum verò proprium, & cauere ne sit accidens, mediũ verò esse definitionem subiecti aut passionis. Definitionem autem oportet constare ex genere & differentia, ergo sine notitia quinque prædicabilium nec syllogismus demonstratiuus, nec aliqua scientia haberi potest. Vt ergo præparetur nobis via ad notitiam prædicamentorũ, ad peritiam definiendi, & diuidendi, & demonstrandi, merito præponitur nobis præsens trac. Et vt verbo complectamur. Qui sine prę habita istorum quinque prædicabilium notitia, ad acquirendũ cuiusque generis scientiã cõtendit, est sicut ambulans nesciẽs quo vadat.

Vniuersale quot modis sumatur.

Quantum ad secundum aduerte, quòd in doctrina peripatetica vniuersale multipliciter accipitur vt infrà.

Primò dicitur vniuersale signum distributiuum termini, cui apponitur, vt omnis & nullus & quilibet, & de hoc locuti sumus in tract. præcedenti agentes de quantitate propositionum & oppositione & æquipollentia.

Secundò dicitur vniuersale potentia animæ omnium cognoscitiua & non solũ in singulari, sed & in vniuersali, & hic est intellectus, cuius obiectum est ens communissimè sumptum, & per oppositum sensus est quid singulare, quoniam non nisi singulare cognoscit, & de hoc consideratur à physico in tertio libro de Anima.

Tertiò dicitur vniuersale, quòd est in se contentiuum omnium perfectionum, & causatiũ cuiusque rei extra ipsum, & sic Deus benedictus dicitur vniuersale in essendo, & in causando, & post Deum intelligentiæ cum corporibus cælestibus, & de hoc consideratur à metaphysico in lib. 12.

Quartò dicitur vniuersale illud quod est omnium vel plurium repræsentatiũ, & sic Deus est vniuersale, & species intelligibilis, quæ est repręsentatiua naturę cõmunis, & non solum singularis, vt species intelligibilis, qua intellectus intelligit naturam hominis, repræsentat hominem vt homo est, & non solum vt est hic, vel hic homo, & de hoc vniuersali pertractatur in lib. 3. de Anima sicut & de specie sensata.

Quintò dicitur vniuersale, quòd in pluribus est vel est aptum esse in multis, & prædicatur, vel prædicabile est de multis, & sic animali est vniuersale & homo & capra & leo. Nam natura animalis est in omni specie animalis, & de omni eius specie prædicatur, sic & natura hominis est in omni indiuiduo humano, & de hominibus singularibus prædicatur, vt Sortes est homo. Plato est homo, &c. & hoc dicitur vniuersale in prędicando, quòd sub diuersa ratione est de cõsideratione metaphysici & physici & logici. Nam si consideratur inquantum definibile est, & quo ad prædicata sua essentialia, puta homo inquantum est animal rationale, spectat ad metaphys. solus enim considerat, quod quid est, vt aliàs tibi manifestabitur. Si autem consideratur inquantum in rerum nat. habet esse in singularibus, & non aliter sic spectat ad physicum. Vnde prædicata accidẽtalia verificatur de tali vniuersali vt existit in singularibus, vt hæc est vera homo sanatur, quia aliquis homo sanatur. Si autem nullus homo existeret esset falsa. Hæc tamẽ semper est vera, etiam nullo homine existẽte, homo est animal rationale: vt manifestabitur tibi in tract. de suppositionibus. si verò consideratur inquantum tali naturæ communi attribuuntur ab intellectu prædicata intentionalia, quæ scilicet inuenit intellectus postquam apprehendit cõmunitatem & vniformitatem & conuenientiam eius in suis inferioribus, puta postquam intellectus apprehendit animal esse naturam sensitiuam, animatam, corpoream: aduertit id conuenire omni speciei animalis, & ideo attribuit sibi quòd animal est prędicabile de multis distinctis specie: vt de homine & leone, ex cõsequẽti attribuit sibi quod est genus, quod quidem prædicatum non reale, sed intentionale dicitur, quoniam est factum per opus intellectus speculantis super naturam cõmunem quantum sit ex se, sic consideratur à logico, & in hoc vltimo sensu habemus hic pertractare de quinque vniuersalibus scilicet de naturis: vt stant sub istis conceptibus secundis, quos dicimus intentiones secundas genus, species, differentia, proprium, accidens. Constat igitur relictis aliis modis, quomodo definiendum sit vniuersale de quo intendimus in hoc tract.

Prædicabile quot modis sumitur.

Assignatis modis, quibus dicitur vniuersale in via peripatetica, assignandi sunt modi, quibus sumitur prædicabile. Tu igitur aduerte quòd apud logicum, qui solus modos prædicandi considerat, famosiores sunt tres.

Primò illud dicitur prædicabile, quòd de vno, vel de pluribus aptum est prędicari, siue prædicetur vniuocè siue æquiuoce, siue analogice, siue directè, siue indirectè, siue per se, siue per accidens. Et hic dicitur communissimus modus, quo dicitur prædicabile. Hoc enim est commune generi, speciei, indiuiduo, quod saltem de se ipso prædicatur: vt Sortes est Sortes, & de hoc non intendimus hic.

Secundò illud dicitur prædicabile, quod de multis prædicatur siue vniuocè, siue æquiuocè, siue analogicè, & hoc modo non intendimus hic. Nam hoc modo sanum, canis, ita esset prædicabile & genus, quod non est verum, vt declarabitur, sicut animal, & species, sicut homo & capra, & hic dicitur modus communis.

Tertiò illud prædicabile dicitur, quod de multis & non de vno solo aptum & prædicari vniuocè, & est determinatæ naturæ, puta, aut substantia, aut quantitas, aut qualitas, &c. & sic de prædicabili intendimus hic. Positis igitur modis quibus prædicabile dicitur & quibus vniuersale, nunc definienda sunt iuxta sensum secundum, quem intendimus hic de eis pertractare.

Tu igit

Vniuersale quid sit

Tu igitur aduerte, quòd vniuersale apud Logicum est natura communis determinata, vt est in multis, vel non repugnat sibi esse in multis: vt animal, homo, lapis &c.

Dicitur natura communis, ad differentiam naturæ indiuiduatæ & singularis: vt est hic lapis, Sortes & Plato, quæ non est apta esse nisi in vno supposito. Dicitur determinata ad differentiarum sex transcendentium, quæ sunt Ens, Vnum, Verum, Bonum, Aliquid, Res.

De his formauimus specialem tractatum Isagogi. cum ad Metaphysicam, quem de sex transcendentibus nuncupauimus. Ista transcendentia non possunt dici vniuersalia in sensu, quem intendimus, quoniam insunt non solum in multis, sed in omni re cuiuscunque naturæ siue sit res substãtiæ, siue accidentis, siue increata, siue creata, siue corporea, siue incorporea. in omnibus enim inuenisitur. Nam & Deus est maximè ens, verum, bonum, vnum, aliquid, & res. Non ergo sunt vniuersalia, sed super vniuersalia: vt pote circundantia omne genus entis. Dicitur, vt est in multis. vel sibi non repugnat esse in multis, quoniam aliqua natura communis de facto est in multis, vt homo, capra, leo, & omnis natura specifica completa in mundo inferiori, quæ recipit perpetuitatem ex successione indiuiduorũ. aliqui excipiunt phœnicem, sed de hoc transeat. aliqua autem non de facto est in multis, sed ei non repugnat esse in multis, vt natura solis & lunæ & intelligentiarum, quorum natura specifica perpetuatur in vno indiuiduo, & ideo non est opus eam partiri in multis indiuiduis. est tamen in potentia primi ea multiplicare secundùm quod sapientia sua disponeret. Vnde non est impossibile creari plures soles & lunas & cætera. ex consequenti non repugnat naturæ solis & lunæ communicari pluribus suppositis, & vt sic est natura vniuersalis.

Est proprium speciei, vt sit in pluribus secundum esse obiectiuũ.

Prædicabile autem alio modo definitur à logico nominali, & à logico reali. ac verè peripatetico. Nam logicus nominalis dicit quòd prædicabile est terminus vniuocus aptus natus prædicari de pluribus vt ly animal de homine & asino, & ly homo de Sorte & Platone. Et sic nullus terminus discretus siue singularis, vt Sortes, nec transcendens, vt ens, & vnum, nec compositus siue complexus: vt hominem esse animal nec æquiuocus potest esse prædicabile & vniuersale, quòd idem est. Ad hoc ergo quod sit prædicabile & vniuersale, oportet quòd sit terminus communis, simplex, vniuocus aptus de pluribus prædicari. Quid autem sit terminus æquiuocus & vniuocus & analogus, manifestabitur tibi in tract. sequenti.

Logicus autem realis dicit, quòd prædicabile est natura communis, apta nata prædicari de pluribus vniuocè, id est est natura communicabilis multis siue speciebus siue indiuiduis, non in se considerata, sed vt stat sub hoc conceptu, scilicet prædicari de pluribus actu vel aptitudine & vniuocè: id est secundum eandem rationem, & non secundum diuersas. Verbi gratia, Genus est natura communis & non singularis: vt stat sub hoc conceptu secundo, qui dicitur secunda intentio: scilicet prædicari de pluribus differentibus specie: vt animal de homine, capra, equo, asino, & cætera & sic secundùm hanc viam vniuersale & prædicabile non dicunt naturam communem absolutè & in se consideratam, quia vt sic non cadit sub consideratione logici, sed Metaphysici, sed dicunt naturam communem, vt stat sub secunda intentione, quæ est conceptus secundus fundatus super primum, qui dicitur prima intentio. Qui conceptus secundus est prædicari de pluribus vniuocè, ita quod prædicabile nec est natura tantùm, nec cõceptus tantùm, quem nominales dicunt terminum mentalem, sed natura communis sub conceptu modo quo diximus. Et hanc viam intendo sequi, & in cap. sequenti in definitione generis manifestabitur quomodo genus, nec aliud vniuersale definitur, vt terminus mentalis, sed vt natura: vt stat sub secunda intentione. Constat igitur quot modis dicitur vniuersale, & prædicabile, & quid vtrunque sit secundùm illum sensum, quem hic intendimus. Et aduerte, quòd vtrunque est idem secundùm rem & conuertibiliter, sed differunt ratione. Nam natura communis dicitur vniuersale inquantum est apta esse in multis, dicitur autem prædicabile, inquantum est apta prædicari de multis vniuocè.

Quantum ad tertium aduerte, quòd vniuersale & prædicabile sumpta in vltimo sensu iuxta distinctiones præpositas, sunt tantum quinque, scilicet genus, species, differentia, proprium & accidens, quorum sufficientia sumitur ex hoc. Omne vniuersale & prædicabile iuxta vltimum præpositę diuisionis sensum, est in multis & prędicabile de multis: ego vel est prædicabile de multis vniuocè in quid, vel in quale. isti enim sunt vniuersalissimi modi prædicandi, vt declarabitur tibi in tract. sequenti, si in quid, hoc potest esse dupliciter, quoniam vel in quid de pluribus differentibus specie, & sic est genus: vel in quid de pluribus differentibus numero, & sic est species. Si in quale, hoc dupliciter, quia vel in quale, quod est de essentia rei, & hæc est differentia essentialis, vel generica, vel specifica, generica quidem, vt sensitiuum, specifica autem, vt rationale. Vel in quale quod est accidens in re, & hoc dupliciter, quia vel tale accidens est proprium fluens à natura rei, sicut risibile fluit à natura rationali, & sic est quartum prædicabile, quod dicitur proprium. Vel tale accidens est commune, non fluens à principiis rei, & sic est quintum prædicabile, quod facit propositionem accidentalem, vt homo est sedens, est currens, est sanus, est æger &c. Sed aduerte quod accidens siue proprium siue commune, constituunt quartum & quintum prædicabile, non respectu esse, sed respectu modi prædicandi. eo quòd proprium constituit propositionem per se, accidens autem constituit prædicationem per accidens, vt tibi declarabitur loco suo, quando, scilicet tractabimus de differentia quarti & quinti prædicabilis. Constat igitur tibi, quã sufficiẽs sit diuisio vniuersalis & prædicabilis in quinq; scilicet in genus, speciem, differẽtiam, proprium, & accidẽs, ita quod hæc conclusio est vera, Tantùm quinque sunt vniuersalia & prædicabilia iuxta sensum intentum à logico.

Quod si dicas, si tantùm quinque sunt vniuersalia & prædicabilia, ergo omnia vniuersalia & prędicabilia sunt quinque. Hoc autem est falsum, quoniam genus esset quinquè prædicabilium, similiter species & differentia &c. consequentia patet, quoniam ab exclusiua ad vniuersalem affirmatiuam valet consequentia: vt tibi declarabitur in tract. de consequentiis.

Respondetur, negatur consequentia, ad probationem dicitur quòd regula non tenet quando mutatur suppositio, constat autem quod ly quinque in exclusiua tenetur collectiuè, in vniuersali autem affirmatiua videtur teneri distributiuè. Vel dic quod ab exclusiua ad vniuersalem affirmatiuam non valet consequentia, in terminis numerabilibus. Hæc de primo cap. dicta sint.

CAPVT II.

De genere.

IN cap. secundo agendum est, de genere logico, quod est primum & magis commune inter quinque vniuersalia & prædicabilia. Et hic tria agenda sunt, primò, vt sciamus quod & quid sit genus logicum, declarandum est quot modis sumitur genus, secundò definiendum est, iuxta sensum intentum à logico, tertiò diuidendum est.

Genus quot modis sumitur.

Quantum ad primum aduerte, quòd hic nõ intendimus assignare quoscunque modos quibus consueuit sumi genus, sed tantùm illos, qui nostro proposito deseruiunt. Quod dico, vt præsertim me à modis, quibus sumitur genus apud grammaticum: vt genus masculinum, fœmininum, neutrũ, promiscuum &c. Hæc enim nullam habent similitudinem cum genere Logico, ideo relinquantur. Nostro verò proposito deseruit genus politicum siue ciuile, eo quòd, vt declarabitur, assimilationem habet cum genere logico, & ideo assignandi sunt modi, quibus apud ciuilem sumitur genus, vt per ipsos manu ducamur ad genus logicum.

Tu igitur aduerte, quòd genus ciuile duobus modis sumitur. primò pro collectione, siue aggregatione multorum hominum se habentiũ ad inuicem, & ad vnũ principium à quo esse traxerunt. Pro cuius notitia aduerte, q; genus sic dictum tria requirit, Primò, quòd sit hominum multitudo aggregata. Vnde neq; vnus homo, neq; duo, neque tres tantùm, constituerent genus ciuiliter, sed oportet quòd sit euidens multitudo, qualis est Romanorum, Græcorum. Hebræorum &c. Secundò, oportet quòd tales homines habeant inter se ordinem cognitionis siue cõsanguinitatis, sicut ad hoc q; talis vel tanta hominum multitudo sit & dicatur exercitus, oportet q; inter eos sit officiorum & potestatum ordo, aliter nõ erit exercitus. Hac de causa si homines aggregati non haberent ordinẽ parentelæ ad inuicem, non magis essẽt genus, quàm cumulus lapidum. Tertiò oportet quòd habeãt ordinem non solùm inter se, sed etiam ad vnum primum, à quo effectiuè per successionẽ traxerunt esse, & à quo denominantur. & in hoc sensu dicitur Romanorum genus, quia esse traxerunt à Romulo. & aduerte, quòd si vna ex his cõditionibus deficeret, non seruaretur ratio generis sic accepti, sicut nec ratio exercitus, præcipuè si non adesset vnus primus dux à quo

singuli ordines regulantur, & in quo stat plena autoritas.

Secundò sumitur genus apud ciuilem, pro primo principio generatiuo, vel conseruatiuo inesse vniuscuiusque, id est singulæ generationis, vt pater & patria & locus in hoc secundo sensu dicuntur genus. Pro cuius notitia aduerte, quod genus hoc secundo modo dictum requirit tria. Primò quod sit primum principium, à quo ordinata multitudo per successionem trahit esse. Vnde licet Sortes pater Platonis dici posit genus Platonis, quia est generans Platonem, tamen rectius primum generans à quo multitudo ordinatè genita, vt à primo fonte trahit originem, dicendum est genus hoc secundo modo. in quo sensu, Adam est hominum genus, Romulus Romanorum genus, Heber Hebræorum genus. Secundò quod sit primum principium essendi vniuocum & eiusdem speciei cum multitudine genita. Defectu cuius, nec Dominus, nec Cælum, nec Sol potest dici hominum genus: quoniam sunt principia æquiuoca vniuersalia, nec eiusdem naturæ cum genitis, licet sit verum dicere quod Deus & Cælum, & Sol generant hominem. Tertiò requiritur quòd tale principium disiunctiuè sit vel productiuum vel conseruatiuum talis multitudinis per successionem prouenientis, vt excludamus locum & patriam violentam. hæc enim non dant nec conseruant, sed potius destruunt genitum. Vnde nec aqua potest dici genus hominum, nec aër pestifer, nec terra infœcunda. Solus ergo locus naturalis, meretur dici genus hoc secundo modo acceptum.

Visis modis, quibus dicitur genus apud ciuilem, declarandus est modus quo sumitur apud logicum, deinde manifestabitur, quam similitudinem habet, & quam differentiam, genus ciuile primo & secundo modo sumptum, cum genere logico.

Tu igitur aduerte quod tertio sumitur genus pro eo, cui supponitur species, & hoc est genus logicum, in quo sensu color est genus, quia ei supponitur albedo, vt species & nigredo. & medij colores. Idem dico de animali, cui supponitur homo, capra, leo, canis &c. Hic declarandus esset sensus huiusmodi generis & definitionis suæ. Verum quia infrà replicabitur, ideo pro nunc sustine.

Viso quid sit genus tertio modo acceptum, quod est genus logicum, declarandum est quam cõuenientiam & differentiam habet cum eo genus ciuile primo & secundo modo acceptum. Tu igitur aduerte, quòd genus ciuile primo modo sumptum in vno conuenit cum genere logico, sed in duobus differt. Conuenit quidem in hoc quòd sicut genus ciuile importat collectionem multorum hominum ordinatorum inter se, prout descendunt ab vno primo. ad quòd respiciunt, sic genus logicum importat multitudinem specierum, quæ sub ipso continentur actu aut potentia, vt tibi infrà declarabitur & sunt ad inuicem ordinatæ. Sunt enim rerum species vt numeri, vt declaratur in nono lib. Metaphysicę. inter quas datur vna perfectissima, vt mensura aliarum, sicut in genere animalis datur homo, vt perfectissima species, & in genere metalli datur aurum. Differt autem in duobus, primò quia genus ciuile primo modo sumptum est quoddam totum per modum totius integralis, cuius partes sunt homines vnius cognationis descendentes ab vno primo, sed genus logicum non est totum integrale: quoniam totum integrale est compositum ex partibus, genus autem logicum non est compositum ex suis speciebus, imò est suæ species, ideo dicitur totum vniuersale. Quomodo autem differant totum essentiale & integrale, & vniuersale, & potestatiuum, manifestabimus in tracta. de Syllogismo topico. Secundò differt, quia genus ciuile primo modo sumptum non prędicatur in recto de his, quę sub eo continentur: quoniam totum integrale non prædicatur in recto de partibus. hæc enim est falsa, paries est domus, sic falsa est ista, Cæsar est genus Romanorum sumptum primo modo, genus autẽ logicum, cum sit totum vniuersale, prædicatur in recto de speciebus sub eo contentis. Nam homo est animal, & leo est animal &c. Et ratio huius est, quia totum integrale differt realiter à partibus, totum autem vniuersale non differt realiter, sed ratione à contentis sub eo, vt tibi in philosophia manifestabitur. Constat igitur quomodo conueniunt & quomodo differunt genus ciuile primo modo sumptum, & genus logicum.

Differunt etiam & conueniunt genus ciuile secundo modo sumptum, & genus logicum. Cõueniunt quidem in hoc, quòd sicut genus ciuile secundo modo sumptum est principium multitudinis ordinatę ab eo descendentis, sic & genus logicum est principium suarum specierum constitutiuum. nam animal adiuncto rationali constituit hominem, & adiuncto irrationali, constituit brutum. Differunt vero in hoc, quod genus ciuile secundo modo sumptum, est principium extrinsecum productiuum. Nec est de essentia eorum, quorum est principium, genus autem logicum est principium intrinsecum suarum specierum, & est sicut materia. Vnde species apud logicum constituitur ex genere & differentia sicut apud physicum res naturalis ex materia & forma. Sed pro nunc crede, donec in philosophia erudiaris. Constat igitur tibi quomodo conueniunt & differunt genus ciuile secundo modo sumptum, & genus logicum. Rationabiliter ergo præmisimus tres modos, quibus dicitur genus.

Genus quid sit.

Quantum ad secundum dimisso genere ciuiliter dicto, definiendum est genus logicum. Tu igitur aduerte, quod apud nominales sic definitur. Genus est terminus vniuocus prædicabilis in quid de pluribus differentibus specie.

Primò dicitur terminus, qui debet intelligi terminus mentalis, qui est conceptus intellectus, & non natura rei, quæ concipitur: quoniam apud eos natura rei, non est de consideratione logici, sed philosophi, qui est artifex realis. Logici autem est considerare conceptus & voces tam complexas quam incomplexas.

Secundò dicitur vniuocus: quoniam terminus æquiuocus, siue analogus, vt diximus suprà, non est aliquod vniuersalium. Vnde neque canis, neque sanum, neque ens, nec aliud transcendentium potest esse genus: quoniam non sunt vniuoca, vt tibi declarabitur in tractatu sequenti in anteprædicamentis.

Tertiò dicitur. prædicabilis in quid, ad differentiam differentiæ & proprij & accidentis, quæ prædicantur in quale. Nam facta interrogatione, qualis est homo, respondetur rationalis, risibilis, albus vel niger. Genus autem prædicatur in quid, vt quid est homo? respondetur, est animal. Quid est albedo? respondetur, est color.

Quartò dicitur, de pluribus differentibus specie, ad differentiam speciei specialissimæ, quæ prædicatur de pluribus differentibus solo numero & non specie, vt homo de hoc, & hoc homine, Idem intellige de asino & equo &c.

Hæc definitio tota accepta à logico reali præter primam particulam scilicet ly terminus. Nam apud realem genus non est terminus, id est conceptus mentis, sed natura communis vt stat sub concepta, qui est secunda intentio, siue vt alij dicunt, genus sumitur hic pro re substrata secundæ intentioni, quæ quidem res est ipsa natura communicabilis pluribus speciebus. & ideo Porphyrius sic definit, Genus est quod prædicatur de pluribus differẽtibus specie in eo quod quid sit, vt animal de homine & leone.

Primò dicitur, est quod prædicatur, ly quod refert illud quod est genus, illud autem non est terminus, nec cõceptus: quoniam hæc est falsa, homo est terminus, vt species est. Sortem vt indiuiduũ est, & hoc est cõsiderare res & naturas, vt stant sub intentionibus secundis. Ad philosophũ autem spectat cõsiderare & definire rerũ naturas, vt de eis verificãtur prædicata realia, quæ sibi cõueniunt remoto omni opere intellectus, puta animal, inquantũ mouet seipsum. & est sensitiuum, & cõpositum ex materia & forma &c. Ad obiectionem ergo, nego falsitatẽ consequentis. ad probationem dico quod non spectat ad solũ physicum & metaphysicũ considerare res & naturas nisi in hoc sensu, scilicet quo ad prædicata realia. Nam quantum ad prædicata intentionalia, vt diximus, spectant ad logicũ. Aliter Aristot. non fecisset tractatũ de Decem prædicamentis: quoniam cõstat quod sunt entia

realia,& vt realia ſimpliciter conſiderantur à metaphyſico, vt patet in lib. 5. Metephyſice.

Secundò dicitur quod prædicatur de pluribus. Aduerte hic duo,primò ly prædicatur,intelligendum eſt in aptitudine & non in actu,vt dicatur ſic, Genus eſt quod eſt prædicabile, vel aptum natum prædicari de pluribus. Nam poſito caſu quod omne animal deſineret eſſe præter hominẽ,adhuc animal eſſet genus,quoniam & ſide facto natura ſenſitiua, à qua dicitur animal,eſſet in ſolo homine & de eo prædicaretur,tamen ex ſui natura, quæ eſt communis, eſſet aptum eſſe in pluribus & prædicari de pluribus ſpeciebus. ſecundò ſubintelligendum eſt vniuocè & immediatè, & per lineam rectam & non à latere, propter primum excluduntur æquiuoca, vt canis & cancer, quoniam & ſi prædicantur de pluribus, non tamen vnica ratione, ideo non ſunt genus. propter ſecundum excluditur prædicatio de indiuiduis. Nam & ſi genus prædicatur de pluribus indiuiduis, vt hæc eſt vera, Sortes eſt animal, Plato eſt animal,tamen non poteſt dici genu indiuiduorum, quia non prædicatur de eis immediatè ſed mediãte ſpecie. propter tertium excluditur prædicatio de differentia.Nã genus non prædicatur per lineam rectã de illa,ſed à latere,neque enim ſupponitur generi,ſed locatur à latere, vt videbis in arbore, quam figurabimus infrà. licet ergo genus prædicetur de pluribus differentiis, in quas diuiditur,puta rationale eſt animal, & irrationale eſt animal, tamen non dicitur genus per reſpectum ad illas, quoniam non eſt prædicatio per lineam rectam, ſed per lateralem.

Tertiò dicitur de pluribus differentibus ſpecie.' pro cuius notitia aduerte quòd licet Porphyrius non immoretur ad declarãdum hanc particulam differentibus, tamen author minoris logicæ, Petrus Hiſpanus,propter nouitiorum inſtructionem diffuſè, hoc immoratur, & quoniam idem & differens opponuntur: & vnum oppoſitorum cognoſcitur per alterum, ideo prius manifeſtat modos, quibus dicitur idem,deinde transfert ſe ad modos quibus,dicitur differẽs. Quantum igitur ad modos identitatis ponit tres famoſos.& tertium ſubdiuidit in quatuor.

Primus modus dicitur idem genere, ſecundus idem ſpecie, tertius idem numero.

Idem autẽ numero partitur quatuor modis ſcilicet idem nomine, idem definitione, idem proprio, idem accidente, nunc ſinguli declarandi ſunt & reſoluendi vt infrà.

Aduerte igitur quod illa dicuntur eadem genere,quæ ſub vno genere continentur, vt homo & aſinus ſub animali, albedo & nigredo ſub colore.

Hic modus indiget duplici limitatione, Prima eſt, quòd contineatur ſub eodem genere proximè, & non ſub eodem genere abſolutè,aliter homo & pomum eſſent eadem genere quoniam continentur ſub corpore animato. Verum quia inter hominem & corpus animatum mediat aliud genus ſcilicet animal, ſub quo continetur homo & non continetur pomum, ideo homo & pomum non ſunt eadem genere, ſcilicet proximo, de quo ſolo hic intendimus. ſecunda quod contineantur ſaltem ſub eodem proximo genere logico,licet non phyſico:quod dico propter corpus corruptibile, vt terra, & incorruptibile, vt cælum, quæ licet non ſint eadem genere phyſico, vt declarauimus in decimo metaphyſicæ, ſunt tamen eadem genere logico, quoniam continentur immediatè ſub corpore, quod de eis ſecũdum vnam rationem prædicatur. Quæ quidem ratio eſt hæc, Corpus eſt ſubſtantia trina dimenſione, id eſt longitudine, latitudine & profunditate, ſignata. Hæc autem ratio competit terræ, & cælo, vt patet. Conſtat igitur quæ ſint eadem genere.

Eadem ſpecie ſunt, quæcunque ſub eadem ſpecie continentur, vt Sortes & Plato.

Hic modus indiget vnica limitatione,ſcilicet quod contineantur ſub eadem ſpecie ſpecialiſsima,quæ ſcilicet non habet ſub ſe alias ſpecies. Defectu huius Sortes & hic aſinus non ſunt eadem ſpecie, licet contineantur ſub animali,quod eſt ſpecies corporis animati. Nam animal non eſt ſpecies ſpecialiſsima, ſed ſubalterna, vt tibi declarabitur in capitulo ſequenti, pro nunc ſuſtine. Intelligatur ergo ſic,eadem ſpecie ſunt,quæ ſub eadem ſpecie ſpecialiſsima continentur, vt duo homines ſub homine, duo aſini ſub aſino.

Eadem autem numero ſunt, quæ non diſtinguuntur ſuppoſito,& in hoc diſtinguũtur eadem ſpecie & eadem numero. Nam eadem ſpecie licet ſint vnum in natura ſpecifica, non tamen ſunt vnum ſuppoſitum, ſed plura, vt ſortes & Plato, eadem autem numero ſunt vnum ſuppoſito, vt Marcus & Tullius &c. & omnia ſynonyma.

Eadem autem numero ſunt quadruplicia: quoniam quædam nomine,quædam definitione, quædam proprio, quædam accidente. Et in omnibus iſtis modis ſeruatur identitas numeralis,quia ſeruatur identitas ſuppoſiti. Nam licet multiplicentur nomina ſynonyma,tamen idem ſuppoſitum ſeruatur,vt Marcus Cicero ſcribit. Similiter licet ſortes ſit homo,& ſit animal rationale, & licet ſit homo & riſibilis,& licet ſit homo & ſit albus,tamen ſortes ſemper eſt idem ſuppoſitum, quoniam definitio & definitum ſunt idem eſſentialiter.Res autem & proprietas eius,& accidens commune exiſtens in ea, ſunt eadem ſubiecto, ex conſequenti non multiplicantur ſuppoſito,propter ea in omnibus quatuor prædictis modis ſtat identitas numeralis.

Sed dices quæ ſunt eadem proprio, vt ſortes riſibilis & eadem accidente, vt ſortes albus, non videntur eſſe eadem numero, quoniam non ſunt eadem ſpecie, nec eadem genere.Sortes enim eſt in ſpecie hominis,& ſua albedo in ſpecie coloris. quod verò non ſint eadem genere patet, quoniam ſortes eſt in genere ſubſtantiæ, & albedo in genere accidentis,puta in qualitate, ergo non ſunt eadem numero. probatur conſequentia, identitas numeralis eſt maxima identitas: maxima autem ſupponit minorem. Minor vero eſt identitas ſpecifica & generica, quoniam ſtant cum diſtinctione ſuppoſitorum quam excludit indentitas numeralis, ergo &c.

Reſpondetur, negatur conſequentia, ad probationem dico quod identitas maxima non ſupponit minorem, niſi quando identitas maxima eſt eſſentialis, qualis eſt inter ſynonyma. Nam ſi Marcus Tullius eſt idem homo numero eſt idem ſpecie & idem genere. Verum eſt enim dicere, quòd Marcus Tullius eſt homo eſt animal, & cætera. Si autem identitas maxima ſit accidentalis, non oportet ſupponere minorem. Hinc eſt quod ſtat accidentalis identitas numeralis ſiue ſuppoſitalis inter ſortem & riſibile & albedinem,quæ ſunt in eo ſine identitate eorum ſpecifica, & generica.

Poſitis modis quibus aliqua ſunt eadem, cum differens, & idem opponantur, & per ſeinuicem cognoſcantur, aſignandi ſunt modi,quibus aliqua differunt. Tu igitur aduerte, quod ſicut tribus modis iam aſignatis dicuntur eadem, ſic & tribus modis differentia ſiuè diuerſa. Sumitur enim hic differens communiter. Quomodo verò proprie diſtinguantur diuerſum, & differens, declarabitur in capitulo de differentia. Igitur quædam ſunt differẽtia genere, quædam ſpecie,quædam numero.

Differentia genere ſunt quæcunque ſub diuerſis generibus continentur, vt homo & arbor ſub genere. Nam homo continetur ſub genere quod eſt animal, & arbor ſub genere quod eſt planta.

Aduerte hic duo. primò quòd intelligitur ſub diuerſis generibus proximis. Non enim inconuenit aliqua eſſe & contineri ſub vno genere remoto, & tamen non dicentur idem genere, quoniam continentur ſub diſtinctis generibus proximis. Verbi Gratia,licet homo & arbor contineantur ſub corpore, quod eſt vnum genus, tamen non dicuntur idem genere, quoniam proximè & immediatè continentur ſub diſtinctis generibus proximis, quæ ſunt animal & planta .ſecundò aduerte, quo ad hunc modum reducuntur quæcunque ſunt ita diuerſa genera, quod neque ſub vno,neque ſub diſtinctis generibus continentur,vt decem prædicamenta, quæ dicuntur genera primò diuerſa, & dicuntur decem generaliſsima,vt declarabitur infra.

Differentia ſpecie quæcunque ſub diuerſis ſpeciebus continentur, vt ſortes & hic aſinus, ſortes enim continetur ſub homine, & hic aſinus ſub aſino.

Aduerte hic duo. primò quod intelligitur de diuerſis ſpeciebus ſpecialiſsimis & non ſubalternis. Nam licet ſortes, & hic aſinus contineantur ſub vna ſpecie ſubalterna, puta ſub animali,tamen non dicuntur vnum ſpecie,quoniam nõ continẽtur ſub vna ſpecie ſpecialiſsima,ſed ſub diuerſis,quę ſunt homo & aſinus.Secundò aduerte, quod ad hunc modum reducuntur quæcunque non ſolum ſub diuerſis ſpeciebus continentur,vt duo indiuidua diuerſarum ſpecierum,ſed etiam quæcunque ſunt diuerſæ ſpecies ſpecialiſsimæ, vt homo & aſinus,albedo & nigredo, dulcedo & amaritudo &c.

Differentia numero ſunt quæcunque diuerſum numerum conſtituunt, id eſt, quæ ſunt plura ſuppoſita & non vnum ſub vna ſpecie ſpecialiſsima contenta,& ſic omnia indiuidua eiuſ

eiuſdem ſpeciei differunt numero, vt ſortes Plato. Petrus Ioannes &c.

Poſitis & enumeratis modis, quibus aliqua ſunt idem, & quibus aliqua differunt, reuertendum eſt ad declarationem definitionis de genere, in qua dicitur quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, per quam perticulam differt genus à ſpecie ſpecialiſsima & à differentia ſpecifica, & à proprio.Hæc enim, vt declarabitur tibi infrà, prædicantur de differentibus ſolo numero, vt homo de Sorte & Platone & rationale quod eſt differentia ſpecifica de hoc,& hoc homine, & riſibile quod eſt proprium de hoc, & hoc homine.

Vltimò dicitur in definitione generis, in eo quod quid. vbi nota quod illud prædicatur in quid,ad quod conuenienter reſpondetur per interrogationem factam per quid: ſed per genus conuenienter reſpondetur ad interrogationẽ factam per quid.nam quando interrogatur quid ſit homo,conuenienter reſpondetur quòd eſt animal, quod eſt genus. Sed aduerte, quòd hæc ratio ſumitur à ſigno, ſed ex natura rei, ideo genus prædicatur in quid, quia habet modũ ſubſtantiæ, & quidditatis: ſicut & differentia & proprium habent modum qualitatis:ideo nõ in quid ſed in quale prædicantur, vt dicemus loco ſuo. Conſtat igitur quomodo definitio præmiſſa de genere verificatur quò ad ſingulas particulas.Rurſus ſic definitur. Genus eſt cui ſupponitur ſpecies, id eſt genus eſt illud ſiue illa natura communis modo ſupra expoſito,cui ſupponitur ſpecies. Pro cuius notitia aduerte, quod genus dupliciter conſiderari poteſt. Primò vt eſt natura communis prædicabilis de multis & ab eis participabilis, quæ differunt ſpecie, & ſic data eſt præmiſſa definitio. ſecundò vt reſpicit ſpeciem ſibi inferiorem. nam genus & ſpecies ſunt relatiua,vt dicemus infra, eſt enim genus ſpeciei genus & ſpecies generis ſpecies, & ſic de eo datur hæc ſecunda definitio, ſcilicet: Genus eſt cui ſupponitur ſpecies, quæ ſic habet intelligi. Genus eſt cui directe & immediate & tanquam ſub ſuperiori ſupponitur ſpecies.

Primò dicitur directè,ad differentiam differentiarum diuidentium genus,quæ non directè,ſed lateraliter reſpiciunt genus vt tibi manifeſtabitur in arbore Porphyriana, quam ſcilicet Prophyrius adinuenit & ordinauit.

Secundò dicitur immediatè,ad differentiam indiuiduorum,quæ ſupponuntur generi, ſed mediante ſpecie,vt ſortes ſubiicitur animali,ſed mediante ſpecie hominis, & hic aſinus ſubiicitur animali,ſed mediante ſpecie aſini.

Tertiò dicitur, & tanquam ſuperiori, ad differentiam indiuidui vagi cui ſupponitur indiuiduum ſignatum, non tanquam inferius ſub ſuperiori formaliter & eſſentialiter, ſed tanquam ſingulare certum ſub ſingulari incerto & indeterminato, in hoc enim diſtinguuntur indiuiduum ſignatum, & indiuiduũ vagum, vt tibi declarabitur infrà.indiuiduum autem ſignatum eſt quod ſignatur nomine proprio aut pronomine demonſtratiuo: vt ſortes & hic homo, & hoc facit propoſitionem ſingularem. Indiuiduum autem vagum,ſignatur nomine ſpecifico ſiue communi cum ſigno particulari: vt quidam vel aliquis homo. Patet igitur, quomodo ſecunda definitio data de genere eſt vera. Hæc de definitione generis tam prima quàm ſecunda dicta ſint.

Quantum ad tertium, ſcilicet quomodo diuidatur genus apud logicum & de mente Porphyrij, aduerte quod diuiditur in genus generaliſsimum & in genus ſubalternum. nam cũ non ſit proceſſus in infinitum aſcendẽdo in quolibet prædicamento in generibus, vt aliàs tibi manifeſtabitur in ſecundò metaphyſicæ & in primo poſt. &c. eſt deuenire ad vnum primum quod prædicatur vniuocè de omni contento ſub tali vel tali prædicamento: vt tibi declarabitur in tract. ſequenti,& hoc erit genus generaliſsimum: vt ſubſtantia in prædicamento ſubſtantiæ & quantitas in prædicamento quantitatis: & cum ſit deſcenſus à generaliſsimo ad ſpeciem ſpecialiſsimam per lineam rectam & per multos gradus, vt tibi manifeſtabitur in arbore Porphyrij inter media erunt genera ſubalterna, quoniam prædicantur de pluribus differentibus ſpecie in eo quo quid & ſubalternantur: id eſt ſupponuntur generi ſuperiori: vt corpus ſubſtantia,& corpus animatum ſub corpore, & animal ſub corpore animato. Videndum eſt igitur quid ſit genus generaliſsimum, deinde quid ſit genus ſubalternum, poſtremo elicietur corolla.ſum.

Tu igitur aduerte quòd genus generaliſsimum ſic deſcribitur apud logicum & Porphyrium. Genus generaliſsimum eſt illud ſuper quod non eſt aliud genus ſuperueniens, & ſic intellige. Genus generaliſsimũ eſt illud genus in ſingulo prædicamento, quod ſupra ſe non habet aliud genus, & ſub ſe continet omnia alia genera illius prædicamenti,vt in prædicamento ſubſtantiæ,generaliſsimum eſt ſubſtantia. quæ licet ſuprà ſe habeat ens & alia tranſcendentia, non tamen aliud genus. Tranſcendentia enim vt dicemus non ſunt genera,& ſub ſe continet alia genera in eodem prædicamento. Nam ſub ſubſtantia eſt corpus, & corpus animatum, & animal. Hæc igitur ſit prima definitio generis generaliſsimi.ex qua ſequitur ſecunda, quæ eſt hæc,Genus generaliſsimum eſt illud, quod cum ſit genus non poteſt eſſe ſpecies. Pro cuius notitia aduerte,quod genus generaliſsimum non reſpicit ſuperius genus, cum non habeat genus ſupra ſe, reſpicit autem inferiora in quæ diuiditur, vt ſubſtantia diuiditur in ſubſtantiam corpoream & incorpoream.Omne autem quod poteſt eſſe ſpecies, reſpicit aliquod ſuperius, vt genus,reſpectu cuius dicitur ſpecies,vnde ſubſtantia corporea ſiue corpus eſt ſpecies ſubſtantiæ.Cum igitur generaliſſimum non habeat genus ſuprà, ita eſt genus quod non poteſt eſſe ſpecies, ſpecies enim eſt alicuius generis in aliquo determinato prædicamento ſpecies, & ſic patet quod prima definitio eſt cauſa ſecundæ, quod quidem generaliſsimum diuiditur in decem capita decem prædicamẽtorum, vt tibi manifeſtabitur in tracta. ſequenti. Sunt autem hæc decem capita,ſubſtantia,quantitas,ad aliquid,id eſt relatio, qualitas,actio,& paſsio.vbi,quando,ſitus,& habitus.De quibus pro nunc nihil dicimus. Dicemus autem in tracta. ſequenti. Genus autem ſubalternum eſt illud, quod cum ſit genus,poteſt eſſe ſpecies.nam eſt medium inter generaliſsimum & ſpecialiſsimum, vt animal eſt medium inter ſubſtantiam & hominem, & non ſolùm inter ſubſtantiam, ſed inter corpus & hominem,& corpus animatum & hominẽ, ex conſequenti reſpicit ſuperius & inferius, vt reſpicit ſuperius,eſt eius ſpecies:quoniam eſt eius pars ſubiectiua,vt animal eſt pars ſubiectiua corporis animati, vt reſpicit inferius,eſt eius genus: quoniam eſt magis commune vniuocũ, & ſic animal quod eſt ſpecies reſpectu corporis animati, eſt genus reſpectu hominis & aſini & leonis, ideo ſubalternum dicitur,id eſt alternatim poſitum ſecundum ſub reſpectu ſuperioris, & ſecundum ſuprà reſpectu inferioris & ſecundũ ſub, eſt ſpecies, & ſecundum ſuprà eſt genus. Conſtat igitur quid ſit genus generaliſsimum,& genus ſubalternum.

Ex his corollariè ſequitur quòd nec ens nec alia tranſcendentia,vt vnum,verum,bonum, aliquid, & res, licet ſint ſuperiora & prædicentur de generaliſsimis, tamen non ſunt genera: quoniam ad hoc quòd aliquid ſit genus, oportet vt dicat determinatam naturam, & non verificetur de omni natura, nec contineat omnem naturam. Sed ens & alia tranſcendentia non dicunt determinatam naturam, imò continent omnem & verificantur de omni natura,non enim tantùm ſubſtantia eſt ens, vnum, verum, bonum, &c, ſed & quantitas & ad aliquid & qualitas, & omne contentum in quolibet prædicamento eſt ens,vnum, verum, &c. Non ergo ſunt genera, & aduerte quod Porphyrius aliam rationẽ adducit,dicens quod decem generaliſsima non conueniunt in ente vniuocè,ſed æquiuocè. Genus autẽ debet eſſe vniuocum, vt diximus ſuprà, ergo ens & alia tranſcendentia non ſunt genera.In tertio autem metaphyſicæ, Ariſto, aliam rationem adducit,quia ſcilicet omne genus diuiditur per differentias formales, quæ ſunt extra conceptum generis. Sed nihil eſt extra conceptũ entis: quoniã prædicatur de omnibus,ergo nec ens nec alia tranſcendẽtia ſunt genera.Verum quia huiuſmodi rationes potius ſunt metaphyſicales quã logicæ,ideo ſuſtine,& pro nũc fidẽ habeas ſic eſſe.Hæc de primo prædicabili dicta ſint, & hic terminatur ſecundũ caput.

CAPVT III. *De ſpecie.*

IN tertio cap, agendum eſt de ſpecie, cuius conſideratio rationabiliter ſubſequitur conſiderationem de genere: quoniam ſunt relatiua,eſt enim genus ſpeciei genus,& ſpecies generis ſpecies, relatiua autem per ſe inuicem cognoſcuntur ſicut per ſe inuicem definiuntur. De ſpecie igitur tria videndã ſunt Primò, quot modis ſumitur, vt ſciamus modum in quo conſideratur à logico.ſecundò quid ſit ſecũdum logicum,tertiò quomodo diuiditur apud logicum.

Quantum ad primũ aduerte quòd ſpecies in variis ſcientiis diuerſimodè ſumitur,apud grammaticum ſumitur pro originali diſpoſitione dictionis,prout originatur à priori dictione vel non originatur.Nam ſi non appellatur dictio primitiuæ ſpeciei, vt cæleſte. Apud rhetores & poëtas ſumitur pro aſpectu & diſpoſitione, quam oſtendit homo in facie, prout *Species quot modis.*

est tristis aut lætus, aut amicus, aut inimicus. Apud Physicum sumitur pro rei similitudine, & in libro secundo de Anima, sumitur pro similitudne, qua res sensibilis sensu apprehenditur, & dicitur species sensata, quæ imprimitur in sensu, sicut imago in speculo. Idem fit in intellectu, & dicitur species intelligibilis, de qua pertractatur in tertio de Anima, vbi inquit Aristoteles, quòd lapis non est in anima, sed species lapidis. Apud Metaphysicum sumitur pro forma exemplari, quæ apud Græcũ dicitur, Idea, iuxta quem sensum Plato naturas specificas appellauit ideas, de quibus satis disputatur in libro septimo Metaphysicæ. Apud communiter loquentes sumitur pro particularitate, & id frequentatum est apud iuristas, nam dicentes, & id in specie intendunt in particulari. Sumitur & pro pulchritudine. Vnde famosum est illud, Species Priami digna est imperio, & illud speciosius forma præ filiis hominum. Sumitur vulgatissimè pro aromate. Sed nullus horum modorum consideratur à logico, nec illi deseruit præter modum, quo sumitur pro pulchritudine, cuius & meminit Porphyrius in principio capitis de specie dicens. Species autem dicitur vniuscuiusq; forma, secundùm quam dictum est, priami quidem species, digna est imperio. A logico autem sumitur species pro natura communicabili pluribus indiuiduis, quæ sub determinato & certo genere ponitur: vt homo sub animali, albedo sub colore, dulcedo sub sapore, & relictis omnibus aliis modis de hoc vltimo hic intendimus, qui aliqualiter assimilatur speciei sumptæ pro pulchritudine. Nam sicut pulchritudo perficit iuuentutem, vt dicit Aristoteles in decimo Ethicorum, sic species actuat & perficit genus. Vnde comparatur ad ipsum vt forma ad materiam, sicut tibi manifestabitur in philosophia, pro nunc sustine.

Species quid sit. Quantum ad secundum aduerte quod de specie apud Logicum duplex definitio formatur. Prima conuenit soli specialissimæ, secunda autem conuenit communiter speciei subalternæ & specialissimæ, quomodo autem differant dicemus infrà.

Prima igitur est hæc. Species est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero tantum & in quid.

Primò dicitur quæ: id est, est illa natura communicabilis, ad differentiam naturæ indiuiduæ & singularis, quæ non species, sed suppositum dicitur.

Secundò dicitur, quæ prædicatur, aduerte sicut diximus in diffinitione generis intelligendum est non actu, sed aptitudine: vt sic exponatur, quæ prædicatur: id est apta quantum sit ex se prædicari de pluribus, nam stat quod sub natura communicabili pluribus sit tantum vnum indiuiduum, & tamen sit species: vt licet in creatione hominis fieret & tantum Adam: adhuc homo est species, quia natura humana ex se est apta cõmunicari pluribus. Idem intellige de sole & aliis erraticis astris, quæ omnia differunt specie, licet sub se de facto non habeant nisi vnum indiuiduum. Sed causa huius manifestabitur tibi in libro de Cælo.

Tertiò dicitur de pluribus differentibus numero tantum per quod distinguitur species specialissima à genere, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, & etiam de differentibus numero, sed mediate, hæc enim est vera, homo est animal, & hæc est vera. Plato est animal.

Quartò dicitur, & inquid, vt distinguatur à differentia & proprio & accidente, quæ prædicantur in quale & non in quid. Nam si interrogaris quid sit Sortes, Respondes, quòd est homo, ergo species prædicatur in quid.

Prædicatur species de differẽtibus numero naturæ completæ. Constat igitur quomodo prædicta definitio est vera. Sed aduerte, ad hoc quod aliqua natura cõmunis sit species, vltra conditiones positas & declaratas in definitione requiritur quod sit natura integra & perfecta, & nõ sit pars, propterea anima hominis non est species. sed pars speciei apud Aristotelem, quia anima non est homo, sed pars essentialis hominis, nec aliqua pars corporis est species, sed pars speciei integralis, & tamen anima prædicatur inquid de hac & illa, & illa anima, quæ differũt numero. Similiter manus & caput prædicatur de hac & illa manu, & caput de hoc & illo capite, & tamen non sunt species ratione dicta.

Secunda definitio est hæc, species est quæ ponitur sub assignato genere, & de qua genus in eo quod quid est prædicatur.

Aduerte primò, quòd hæc definitio differt à præcedenti, eo q̃ est communior, verificatur enim non solum de specie specialissima sicut præcedens sed & de subalterna. Nã animal ponitur sub certo & determinato genere, vt sub corpore animato, respectu cuius animal est species subalterna, & sic ascendes vsque ad generalissimum: vt tibi manifestabitur in arbore Porphyrij.

Aduerte secundò in hac definitione sic subintelligendum est species est quæ ponitur sub assignato genere directè & immediatè. vt per ly directè excludatur differẽtia, quæ non directè secundum ordinem præsentialem in ascendendo ponitur sub genere, sed à latere: vt patet in arbore Porphyrij, & per ly immediatè excludatur indiuiduum, quod nõ nisi mediante specie ponitur sub assignato genere: nam Sortes non ponitur sub animali, nisi mediante homine, neque hic triangulus ponitur sub figura nisi mediante triangulo.

Aduerte tertiò quòd licet secunda definitio generis & secunda definitio speciei videãtur circulares, tamẽ nõ sunt inutiles, quoniã licet absoluta nõ debeãt definiri circulariter, hoc non est incõueniẽs in relatiuis, eo q̃ per se inuicẽ cognoscũtur, ex cõsequẽti per se inuicẽ debẽt definiri. Genus aũt & species sunt relatiua, quoniã, vt inquit Porphyrius, genus est alicuius speciei genus, & species est alicuius generis species.

Quomodo autẽ secũda pars definitionis sit vera, in qua di citur, & de qua genus in eo quod quid est prædicatur, cõstat ex hoc q̃ genus de pluribus differẽtibus specie prædicatur in quid: ergo de qualibet eius specie, quæ sub eo ponitur, prædicatur in quid. nã bene sequitur, animal prædicatur de homine & asino & equo, & sic de singulis in quid, ergo & de homine in quid. Cõstat igitur quid sit species apud logicum.

Quantũ ad tertiũ, scilicet quomodo diuidatur species, aduerte q̃ apud logicũ & ad mentẽ Porphyrij diuiditur sufficienti diuisione in specialissimã & subalternã, nec datur medium. nam sicut omne genus. vt declaratum est suprà, est generalissimum, aut subalternũ, sic & omnis species est specialissima, aut subalterna. De specialissima dantur quatuor definitiones. Prima iam dicta est, quæ fuit ista, species est quæ prædicatur de pluribꝰ differẽtibus numero tantũ in eo quod quid. Secunda est hæc, species specialissima est illa, quæ cum sit species, non potest esse genus. Nam sicut genus generalissimum est illud, vt diximus suprà, quod cum sit genus non potest esse species, quia sub nullo superiori genere continetur, respectu cuius dicatur species, sic species specialissima est illa, quæ cum sit species, non potest esse genus, quia sub se non continet aliqua inferiora, respectu quorũ dicatur genus. Tertia est ista, species specialissima est illa, sub qua nõ est inferior species, nã sicut genus generalissimũ est illud sicut diximus, suprà quod nõ est aliud adueniẽs genus, sic species specialissima est illa sub qua nõ est inferior species. & aduerte q̃ hæc tertia est causa secũdę. & se habet ad illã vt antecedẽs ad cõsequẽs. Nã bene sequit, Species specialissima est illa sub qua non est inferior species, ergo ita est species, q̃ non potest esse genus. Quarta est ista, species specialissima est illa, quæ cũ sit tantũ species nõ diuiditur in species, sed tãtũ in indiuidua & propter hoc differt à specie subalterna: vt statim apparebit. De specie aũt subalterna datur duplex diffinitio, quarũ prima est ea, quæ præmissa est, scilicet species est, quæ ponitur sub assignato genere. Hęc tamẽ definitio cõmunis est speciei subalternæ, & speciei specialissimæ: vt suprà docuimus. secũda verò, quæ soli subalternæ cõpetit est hæc, species subalterna est illa, quæ cum sit species, non potest esse genus. nã sicut genus subalternũ, vt suprà docuimus, est illud quod cũ sit genus, scilicet respectu inferioris est species respectu superioris. Verbi gratia corpus animatum comparatũ ad animal vt suum inferius, est genus, comparatum autẽ ad corpus, quod est superius, est species, sic est de subalterna specie, puta de animali: nam cõparatum inferioribus puta vt est homo, asinus, leo, &c. est genus, comparatum autem superiori, id est, corpori animato, est species, quoniam minus commune est quàm corpus animatum: vt videbis in arbore Porphyrij.

Sed dices, quomodo idem potest esse genus & species, cum sint opposita sicut magis commune & minus commune?

Respõdetur respectu eiusdẽ est impossibile, quoniã vt obiectio probat sunt opposita, nec opposita possunt simul inesse eidẽ. Respectu aũt diuersorũ nihil prohibet, & vt sic non sunt opposita. Pro cuius notitia aduerte, quod in prædicabilibus de quibus nunc loquimur, datur generalissimum & specialissimum & media. Generalissimum quidem non respicit nisi inferiora. Specialissimum autem tantum superiora. Media verò respiciunt superiora & inferiora. Hac de causa generalissimum ita est genus, quod nõ species. Specialissimum ita est species quod non genus. Media verò: vt respiciunt superiora, sub quibus continentur, sunt illorum species: vt autem respiciunt inferiora, quæ continent, sunt illorum genera. Ver. gratia, in ordinatione prædicamenti substantiæ datur vnum

tur vnum generalissimum, quod est substantia, non habens suprà se nisi ens & alia transcendentia, quæ vt suprà docuimus, non sunt genera, datur sub substantia corpus, sub corpore, animatum corpus, sub animato corpore, animal, sub animali homo, sub homine Sortes & Plato, omnia inter media inter substantiam & hominem, vtpotè speciem specialissimam, sunt genera respectu suorum inferiorum, & species respectu suorum superiorum.

Sed dices. Quare species specialissima non est species sub alterna cum sub se contineat indiuiduum vagum, & indiuiduum signatum, & licet indiuiduum signatum non prædicetur de pluribus, sed de vno solo: quoniam nominatur termino proprio siue discreto, vt Sortes & Plato, tamen indiuiduum vagum prædicatur de pluribus, sicut species specialissima: quoniam nominatur termino communi cum signo particulari, vt quidam homo currit, ergo hic homo currit, vel hic homo currit & sic de singulis.

Respondetur, species specialissima ideo non est subalterna, quia non diuiditur in sua indiuidua, siue vaga, siue signata, per differentias formales constitutiuas indiuiduorum, sed per materiam, vt tibi declarabitur in philosophia. Sed pro nunc sustine. Ad hoc autem quod sit species subalterna, oportet, vt diuidatur per differentias formales constitutiuas inferiorum, vt quia animal diuiditur per rationale & irrationale, & rationale constituit hominem, irrationale verò brutum, ideo est species subalterna. Quia verò homo non multiplicatur in suis indiuiduis per differentias formales, sed per diuisionem materiæ, ideo non est species subalterna, sed specialissima, quam Aristoteles vocat indiuiduam siue indiuisibilem, quia non est diuisibilis in alias species sicut diuiditur subalterna. Vt autem omnia prædicta tibi pateant ad oculum descripsi infrà figuram, quæ vocatur Arbor Porphyrij.

Arbor Porphyrij.



CAPVT IIII.

De differentia.

IN cap. quarto agendum est de differentia, cuius consideratio rectè subsequitur considerationem generis & speciei: quoniam illa prædicantur in quid, differentia autem in quale, sed sicut quidditas & substantia rei præcedit naturaliter qualitatem rei; quoniam qualitas fundatur in substantia, sic prædicatio in quale posterior est prædicatione in quid. Vnde qui ordinatè de aliqua re interrogat, primò interrogat quid sit, secundò qualis sit, conuenienter ergo post genus & speciem agendum est de differentia. De qua tria videnda sunt, primò quot modis sumitur, vt sciamus modum in quo est tertium vniuersale, siue prædicabile, & possimus diffinire, secundò assignandæ sunt eius diffinitiones, & declarandæ, tertiò ponendæ sunt diuisiones eius.

Quantum ad primum aduerte quod ad mentem Porphyrij & Petri Hispa. dicitur tripliciter, scilicet communiter, propriè, & magis propriè. *Differentia quot modis sumitur.*

Differentia cõmunis est omne accidens separabile, quod inest alicui, per quod differt à quocunque alio non habente illud, vel saltem non æquali gradu, vel differt à seipso, vt Sortanus differt à Platone infirmo per sanitatem, quæ non inest Plato. & ipsemet Sor. existens sanus differt à seipso respectu illius temporis quo erat infirmus. Dixi vel saltem non æquali gradu. puta licet Sor. hodie & heri febricitaueritſi tamen heri intensius, hodie verò remissius. verum est dicere quod Sortes hodie febricitans differt à seipso febricitante heri.

Differentia propria est omne accidens proprium vel cõmune inseparabile ab eo in quo est, per quod differt à quolibet non habente illud, vt Sortes per visibile differt à brunello asino, & coruus per nigredinem differt à cigno; & aduerte quod tam proprium quàm accidens commune inseparabile, faciunt differre differentia propria, licet accidens proprium pertineat ad quartum prædicabile, de quo loquemur in cap. v. & accidens commune inseparabile pertineat ad quintum prędicabile, de quo loquemur in cap. sexto: quoniam vtrunque est accidens, & extra rei essentiam & diffinitionem, neque etenim proprium, neque accidens commune, siue separabile, siue inseparabile admittendum est in diffinitione, vt aliàs tibi manifestabitur.

Differentia magis propria est qua vna res differt ab altera essentialiter & quidditatiuè, ita quod remoto quocũque accidente, siue proprio, siue communi, siue inseparabili, siue separabili adhuc differunt per aliquod essentiale intrinsecum, vt homo essentialiter ante quodcunque accidens differt ab asino per rationale, vnde rationale est differentia magis prõpria & hæc sola continetur in arbore Porphyrij, eo quod sola diuidit genus essentialiter, & constituit specię, vt declarabitur infrà, & de hac tantùm hic agendum, eo quod communis & propria non cõstituunt distinctum prædicabile. Continetur enim communis in quinto prædicabili, & propria quo ad accidens proprium in quarto, & quo ad accidens commune inseparabile in quinto. Sed magis propria constituit tertium prædicabile, vt manifestabitur tibi in definitione eius.

Quantum ad secundum aduerte quòd aliter definitur apud nominales & aliter apud reales. Nominales definiunt sic. Differentia magis propria est terminus vniuocus prædicabilis de pluribus in quale essentiale, vt rationale quod prædicatur de Sorte & Platone in eo quod quale, quia ad interrogationem factam per qualis est Sortes, respondetur quod est rationalis. *Differentia quid sit.*

Terminum vniuocum sumunt in eo sensu, quem exposuimus in diffinitione generis data per nominales.

Dicunt prædicabilis de pluribus, aliter non esset prædicabile propriè dictum, vt patet ex diffinitione prædicabilis propriè dicti, quam assignauimus in 1. cap. huius tracta.

Non dicunt de pluribus differentibus specie vel numero, sed absolutè de pluribus, vt hæc definitio posit verificari de differentia generica, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie, vt sensitiuum de homine & asino, & equo &c, & de specifica conuertibili cum specie specialissima, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero tantùm, vt rationale de Sorte & Platone. Nam differentia magis propria abstrahit à generica & specifica, & ideo potest verique applicari, & si applicatur genericæ, prædicatur de pluribus differentibus specie. si autem applicatur specificæ, prædicatur de pluribus differentibus numero tantùm.

Dicunt in quale, ad differentiam generis & speciei quæ prædicantur in quid.

Dicunt in quale essentiale ad differentiam proprij & accidentis, quæ prædicantur in quale accidentale.

Hæc diffinitio acceptatur à realibus præter primam particulam: quoniam apud eos & de mente Porphyrij vniuersale & prædicabile, vt docuimus in cap. de genere, non sunt termini siue conceptus, sed natura communicabilis multis, vt stat sub secunda intentione, modo quo suprà exposuimus.

Tu igitur aduerte, quòd apud reales, differentia magis propria & de mente Porphyrij, quintupliciter diffinitur.

Primò ſic, differentia magis propria eſt quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quale, ſcilicet eſſentiale.

Primò dicitur, eſt quod, id eſt, eſt illud prædicabile vel vniuerſale, quod prædicatur. &c.

Secundò dicitur de pluribus differentibus ſpecie, & exemplificat Porphyrius de rationali, ſicut & Pet. Hiſ. dicit enim quòd rationale prædicatur de homine & de diis, quoniã ſumus rationales nos & dij, ſed illi immortales, nos autem mortales, & ſic ſecundum ipſum rationale eſt differentia generica, & non ſpecifica.

Sed hic eſt dubiũ, cum Porphyrius & Petrus nõ aſignent aliam diffinitionem de differentia, vt eſt quid prædicabile de pluribus videtur prætermiſiſſe veram & ſpecificam differentiam conuertibilem cum ſpecie ſpecialiſsima. Conſtat enim quòd cum ſit cõuertibilis cum ſpecie ſpecialiſsima, non prędicatur niſi de differentibus numero, ſicut & ipſa ſpecies: ergo Porphyrius & Petrus ſunt diminuti.

Reſpondetur Petrus ſequitur porphyrium, eſt enim eius breuiator. Porphyrius intendit diffinire differentiam, quam cognoſcimus & non aliter, experimur autem & eſt ſententia Ariſtotelis quod proprias & conuertibiles & eſſentiales differentias ſpecificas ignoramus, & ideo Porphyrius nõ diffinit eam, ſed ſufficit quod diffiniat eam, quam cognoſcimus & communi ſententia nominamus differentiam, hęc autem eſt generica, vt animatum & ſenſitiuum, & rationale ſecundum Porph. Ex hoc ſequitur quod ſi Porphyrius ſpecificam cognouiſſet, eam vtique diffiniſſet per prædicari de pluribus differentibus numero in quale eſſentiale, ſicut diffiniuit ſpeciem ſpecialiſsimam per prædicari de pluribus differẽtibus numero in quid. Non ergo fuit diminutus, quia non cognouit ſpecificam, ergo excuſatur. Quod ſi quis tanti fuerit ingenij, vt eam cognoſcat rectè vtique diffiniet per prædicari de pluribus differentibus numero in quale.

Sed dices ſi propria & ſpecifica differentia non eſt nota, ergo nulla erit vera & eſſentialis diffinitio.

Reſpondetur. Conceditur conſequentia. Verùm quia per multas differentias circunloquimur vnam ſpecificã conuertibilẽ cum diffinito, vel accipimus loco differẽtiæ proprium rei emanãs à ſubſtãtia, aut forma, aut materia rei, ideo dignamur dicere tales diffinitiones eſſe veras & eſſentiales. Verbi gratia quia ſecundum Porphyriũ rationale eſt cõmune diis & homini, & mortale eſt cõmune omni animali, licet vtraque ſit magis communis quàm homo, tamen ſimul ſumpta conuertuntur, & ideo per vtrunque ſimul ſumptũ circunloquimur differentiam propriam homini, diffinientes enim dicimus quod homo eſt animal rationale, mortale, & tunc patet quod licet rationale per ſe ſumptum ſimiliter & mortale, prædicentur de pluribus differentibus ſpecie, tamen ſimul ſumpta in diffinitione conuertuntur cum homine, & prædicantur de pluribus differentibus numero tantum, ſicut & homo. Solus enim homo eſt animal rationale, mortale.

Tertiò dicitur in eo quòd quale, ſcilicet eſſentiale, quod quidem declaratur ſigno & ratione. ſigno quidem quoniam ad interrogationem factam de homine qualis ſit, reſpondetur rationalis, mortalis: factã de aſino, reſpondetur rudibilis &c. ratione autem, quoniam vt declarabitur in prædicamento qualitatis, differentia habet rationem qualitatis: ergo ſicut qualitas eſt, per quam quales dicimur, ſic per differentiam efficimur quales. Verùm quia per proprium & accidẽs cõmune ſeparabile & ſeparabile dicimur quales, ideo ſubintelligitur in diffinitione differentiæ magis propriæ in quale eſſentiale, quoniam proprium & accidens qualificant accidentaliter, differentia verò magis propria eſſentialiter. Conſtat igitur quomodo verificatur primò diffinitio data de differentia magis propria.

Secunda diffinitio eſt hæc. Differentia magis propria eſt illa, qua abundat ſpecies à genere. Pro cuius notitia aduerte, quod genus in ſui ratione ſiue diffinitione nullam differentiam generis diuiſuam actu includit, neque enim animal, vt animal eſt rationale vel irrationale. Nã ſi animal in ſui ratione differentias ſuas diuiſuas actu contineret, in quocunque inueniretur, de eodem prædicarẽtur ſicut & genus. puta ſi de ſui ratione, eſſet rationale, cum aſinus ſit animal, eſſet animal rationale: ſi autem irrationale, cum homo ſit animal, eſſet animal irrationale. Conſtat ergo quod genus nullam ſuam differentiam diuiſuam eiuſdem includit actu. Sed ſpecies includit genus actu, cui ſubiicitur actu, & vltra genus includit alteram differentiarum diuiſarum generis, quoniam per ipſam conſtituitur, & per ipſam diſtinguitur actu à qualibet alia ſpecie. Verbi gratia homo includit animal actũ, & includit rationale actu, eo quod per rationale conſtituitur & diuiditur à quacunque alia animalis ſpecie. Cum ergo dicitur, Differentia eſt qua abundat ſpecies à genere, ſic intellige, Differentia eſt, quam in ſui ratione ſpecies ſupra genus actu includit, quam non includit genus, & in hoc ſenſu dicitur, quòd ſpecies abundat differentia à genere, eo quod genus ab vtraque differentia ſui diuiſiua abſtrahit, quas ſpecies oppoſitæ includunt, vt homo includit rationale, brutum verò irrationale.

Præterea. Dicitur differentia, qua abundat ſpecies à genere, quoniam omnia quæ ſunt de diffinitione generis, ſunt etiã de diffinitione ſpeciei. Sed ſpecies vltra omnia illa ſuper addit propriam differentiam. Verbi gratia. Animal ſic diffinitur. Animal eſt ſubſtantia corporea, animata, ſenſitiua. Hęc omnia ſunt etiam de diffinitione hominis, ſed ſuperaddit rationale mortale. Nam homo eſt ſubſtantia corporea, animata, ſenſitiua, rationalis, mortalis: propterea dicitur, quod differentia eſt, qua abundat ſpecies à genere.

Tertia diffinitio eſt iſta. Differentia magis propria eſt illa, quæ apta nata eſt diuidere genus, & ea, quæ ſub genere poſita ſunt. Pro cuius notitia aduerte, quod duo ſunt actus differentiæ, primus eſt diuidere genus. Nam vt probatur in decimo Metaphyſicæ, quodlibet genus diuiditur duabus primis differentiis contrariis. vt ſubſtantia per corpoream, & incorpoream, & quantitas per continuum & diſcretum, & linea per rectam & obliquam, & hoc tibi patet in arbore Porphyrij ſuprà poſita. Secundus actus eſt quod differentia ſimul cum genere cõſtituit ſpeciẽ ſiue ſubalternã ſiue ſpecialiſsimã. exemplũ primi, Corporeũ adiunctũ ſubſtantiæ conſtituit corpus, & incorporeum adiunctum ſubſtantiæ conſtituit ſubſtantiam ſeparatam, quam dicimus intelligentiam, & in diuina lege dicimus angelum. exemplum ſecundi, Congregatium adiunctum colori conſtituit nigredinem, eſt enim nigredo color congregatiuus viſus. Diſgregatium autem adiunctũ colori, conſtituit albedinem, eſt enim albedo color diſgregatiuus viſus. Ex his ergo cõſtat quod differẽtiæ contrariæ diuidentes genus conſtituunt ſpecies oppoſitas, contentas ſub genere diuiſo, quę licet conueniant in genere, tamen diuiduntur ſiue diſtinguuntur ab inuicem per differentias, quæ diuiſerunt genus & ſimul cum genere conſtituerunt ipſas ſpecies. Ideo bene dicitur, quod differentia magis propria eſt illa, quæ eſt apta diuidere genus, & ea, quæ ſub genere poſita ſunt.

Quarta diffinitio eſt hęc. Differentia magis propria eſt illa, qua differunt à ſe ſingula. Pro cuius notitia aduerte, quod ſicut apud phyſicum entia naturalia conueniunt in materia & differunt à ſeinuicem ſuis propriis formis, vt omnia metalla cõueniunt in aqua: nam eis prædominatur aqua, aliter non liquefierent, ſed differunt propriis formis, alia eſt enim forma auri, alia argenti &c. ſic & apud logicum ſingulæ ſpecies contentæ ſub vno genere conueniunt in genere, quod ſe habet vt materia, & differunt à ſe inuicem ſuis propriis differentiis, quæ emanant à propriis formis, vt rationale ab anima intellectiua. Conſtat ergo quomodo differentia eſt, qua differunt à ſe ſingula.

Quinta diffinitio talis eſt, Differentia magis propria eſt quæ conducit ad eſſe rei, & eius quod eſt eſſe rei pars eſt. Pro cuius notitia aduerte, quod differentia in duobus aſſimilatur formæ rei. Nam ſicut apud phyſicum forma dat eſſe compoſito etiam in artificiatis, vt forma gladij dat eſſe gladio: neque enim ferrum eſt actu gladius, antequam recipiat formam gladij: ſic apud logicum differentia, quæ ſumitur à forma, dat eſſe ſpeciei. Nam ex eo quod homo eſt rationalis habet eſſe hominis, & non ex eo quod eſt animal. Nam ex eo quod eſt animal, non habet eſſe niſi animalis, in quo non differt ab aliis ſpeciebus contentis ſub animali. Similiter forma apud phyſicum eſt pars eſſentialis rei compoſitæ & ſpectat ad quiditatem eius, ſic apud logicum differentia eſt pars eſſentialis ſpeciei. Sicut enim homo vt compoſitum naturale componitur ex materia & forma, puta ex corpore & anima: ſic homo, vt ſpecies, componitur ex genere & differentia, puta ex animali & rationali. Hæc tamen compoſitio differt ab illa, quoniam apud phyſicum illa eſt realis, diſtinguũtur enim realiter materia & forma vt potentia & actus, apud logicum autem eſt compoſitio generis & differentiæ ſecũdum rationem. quoniam genus & differentia non realiter differunt. Sed pro nunc ſuſtine, quoniam iſta non reſoluuntur vltimatè niſi apud metaphyſicum, vt docuimus in quæſtionibus noſtris metaphyſicalibus. Cõſtat igitur quo

quomodo differentia conducit ad eſſe rei, & eſt pars eius, vt diſtinguitur à proprio & accidente, quę & ſi dant aliquo modo eſſe rei, non tamen eſſentialiter, nec ſunt eſſentialis pars rei, neque ſecundùm rem, neque ſecundùm rationem, quoniam non ingrediuntur definitionem. Differentia autem ingreditur & complet, vt aliàs tibi manifeſtabitur. Conſtat igitur tibi omnes diffinitiones, quę dari conſueuerunt apud logicum de differentia magis propria, quibus omnes conueniunt tam differentiæ genericæ quàm ſpecificæ præter primam, quæ, vt ſonat non conuenit niſi genericæ, licet aliqui dicant quod conuenit etiam vltimę ſpecificæ non repugnanter, id eſt, quia nõ repugnat differẽtiæ, vt differentia eſt prædicari de pluribus differentibus ſpecie, aliter repugnaret omni differentiæ, ſicut non repugnat cęlo, vt corpus eſt diuidi in partes, verum hæc opinio quantum valeat pro nunc relin quatur, ne confundatur nouitiis, & ſtandum eſt in expoſitione, quam ſuprà poſuimus in ſolutione obiectionis factæ contra primam definitionem datam de differentia.

Quantum ad tertium aduerte quòd ad mentem Porphyrij, differentia quintupliciter diuiditur.

Prima diuiſio eſt hæc. Differentiarum quędam facit alterum, quædam facit aliud. Illa facit alterum, quæ facit differre habentem à non habente accidentaliter, vt accidens proprium & accidens commune ſiue ſeparabile ſiue non, quoniam neutrum eſt de eſſentia rei differentis, & id, ſcilicet facere alterum competit differentiæ communiter & propriè acceptæ, licet magis conueniat differentiæ communiter acceptæ quàm propriè. Nam propriè accepta & ſi non ſecundùm ſe, tamen in quantum proprium accidens fluit à principiis ſpeciei, videtur participare actum differẽtiæ magis propriè, quæ facit aliud, quoniam licet homo differat eſſentialiter ab aſino per rationale primò, tamen ſecundariò differt eſſentialiter per riſibile. Nam bene ſequitur homo eſt riſibilis, ergo diſtinguitur eſſentialiter & ſpecificæ ab aſino, quod non eſt verum de differentia communi. Non enim ſequitur, Homo eſt albus, ergo differt eſſentialiter à coruo, vt patet. Illa autem facit aliud quæ facit differre habentem à non habente eſſentialiter, vt differentia magis propria, quæ eſt de eſſentia rei differentis, vt ſenſitiuum in animali, & rationale in homine. Nam bene ſequitur, animal eſt ſenſitiuum, ergo differt eſſentialiter à planta: homo eſt rationalis, ergo differt eſſentialiter ab aſino.

Secunda eſt. Differentiarum quædam eſt ſeparabilis ab eo, cui inheſt, vt differentia communiter accepta, quæ fit per accidens cõmune. Quædam inſeparabilis, quæ ſcilicet fit per accidens proprium, & eſt differentia propriè dicta, vel per differentiam eſſentialem, quæ dicitur differentia magis propria. Nam & proprietas rei, vt riſibile, & differentia eſſentialis vt rationale ſunt inſeparabiles à re cui inſunt, quoniam alterum fluit ab eſſentia, alterum eſt de eſſentia rei.

Tertia eſt. Differentiarum inſeparabilium, quædam ſunt per ſe, quædã per accidẽs. Aduerte quod apud Porphyrium, differentiæ per ſe ſunt illæ, quæ ingrediũtur diffinitionem & iſtæ ſunt magis propriæ. vt ſenſitiuum, quod ingreditur diffinitionẽ animalis, & rationale quod ingreditur diffinitionem hominis. Differentiæ autem per accidens ſunt illæ, quæ licet prædicentur per ſe de ſubiecto, vt riſibile de homine, tamen non ingrediuntur diffinitionem rei, niſi ſumantur loco differentię eſſentialis, ſicut ſolemus diffinire aſinum per rudibile, & equum per hinnibile. & canem per latrabile, eo quòd proprias & eſſentiales ignoramus differentias. Igitur inter differentias per accidens in ſenſu dicto. numeramus accidentia propria, de quibus loquemur in capitulo ſequenti.

Quarta eſt. Differentiarum quædam ſuſcipiunt magis & minus, quædam non. Quæ ſuſcipiunt magis & minus ſunt differentiæ communiter dictæ, quæ fiunt per qualitates communes & præcipuæ in tertia ſpecie qualitatis, vt ſunt colores & ſapores & odores, & tangibiles qualitates. Nam de Socrate verum eſt dicere quòd differt à Plat. in albedine, quoniam & ſi vterque ſit albus, tamen magis albus eſt Socr. vel minus quàm Plat. Quæ autem non ſuſcipiunt magis & minus ſunt differentiæ proprię & magis propriæ, non enim dicitur vnus homo, magis riſibilis, aut magis rationalis quàm alius. Quid autem ſit recipere magis & minus, declarabitur tibi in trac. ſequẽti, cum loquemur de proprietatibus prędicamenti ſubſtantiæ. Pro nunc ſuſtine, ne idem inutiliter reperamus.

Quinta eſt, Differẽtiarum, quædam eſt diuiſiua, quædam conſtitutiua. Pro notitia huius quintæ diuiſionis aduerte primò quòd non datur niſi de differentia magis propria, quoniã illa tantum diuidit genus eſſentialiter & conſtituit ſpeciem, vt patet ex definitionibus ſuprà poſitis. Aduerte ſecundò, quod membra huius diuiſionis non oportet eſſe diſtincta realiter, ſed ſufficit quòd ſint diſtincta ſecundũ rationem, nam eadẽ differentia eſt diuiſiua & cõſtitutiua, ſed reſpectu diuerſorum, quoniã diuidit genus & conſtituit ſpeciẽ, vt autẽ diuidit dicitur diuiſiua, ſcilicet generis, vt verò cõſtituit dicitur cõſtitutiua, ſcilicet ſpeciei, & ſic diſtinguitur ratione à ſeipſa vt diuidit & cõſtituit. Verbi gratia. Rationale & ſuũ oppoſitum diuidunt animal vt patet in arbore Porphyrij, quoniam animaliũ aliud rationale, aliud irrationale, & vtrunq; iſtorũ ſimul cum genere cõſtituit ſpeciẽ: nam rationale addit animali conſtituit hominẽ, irrationale additum animali conſtituit brutũ. Aduerte tertiò q̃ differentiæ magis propriæ tres ſunt actus, primus eſt diuidere genus, & ab hoc dicitur diuiſiua, ſecũdus eſt conſtituere ſpeciẽ ſiue ſubalternã ſiue ſpecialiſsimam, vt ſenſitiuũ conſtituit animal. Rationale conſtituit hominẽ, & ab hoc dicitur cõſtitutiua. tertiò facit differre ab inuicem ea quæ cõſtituit, vt per rationale differt homo à bruto, & ab hoc dicitur differentia. Nam quæ differũt differẽtia differunt. Aduerte quartò quòd ex eo quòd differentia ſimul cum genere cõſtituit ſpeciẽ ſequitur corollariẽ q̃ ſola ſpecies diffinitur. Nam vera diffinitio cõſtat ex genere & differẽtia eſſentiali. Hæc autẽ duo cõſtituunt ſpeciẽ, ergo ſola ſpecies diffinitur. Vnde quęcunq; diffiniũtur & non ſunt ſpecies aut ſubalterna aut ſpecialiſsima, qualia ſunt decem generaliſsima, ſex trãſcẽdẽtia, omnia indiuidua cuiuſcũq; prędicamẽti, non veræ & propriæ diffiniũtur, ſed deſcribũtur. Quomodo autẽ differãt vera diffinitio & deſcriptio, manifeſtabitur tibi, in Tractatu de ſyllogiſmo topico. Bene ergo dixit Boẽtius, q̃, ſola ſpecies diffinitur. Conſtant ergo tibi diuiſiones datæ de differẽtia ſimul cũ definitionibus ſuis, eo modo ſiue illis modis quibus poteſt notificari. Hæc de præſenti cap. dicta ſint.

CAPVT V. *De Proprio.*

IN quinto cap. agendum eſt de quarto prædicabili quod dicitur proprium. Cuius cõſideratio ordinatè ſequitur conſiderationem generis & ſpeciei & differentiæ, ea narq; prædicantur eſſentialiter, Proprium verò prædicatur accidentaliter, ſed eſſentiale præcedit accidentale, ergo poſt conſiderationem illorũ trium ordo doctrinæ requirit, vt tractemus de proprio. Quare autem prius de proprio quam de accidente, cum vtrunque ſit accidentale, dicemus in cap. ſequenti. De proprio autem tria videnda ſunt. Primò quot modis ſumitur, ſecundò quid ſit proprium quod ponitur quartum prædicabile, tertiò ſi ſolus vltimus modus, quo dicitur proprium eſt vnum ex quinque prædicabilibus.

Quantum ad primum aduerte quod ad mentem Porphyrij, & in doctrina peripatetica, quatuor ſunt modi quibus dicitur proprium.

Primò illud dicitur proprium, quod competit ſoli vni ſpeciei, ſed non omni indiuiduo illius ſpeciei, imò reperitur in minori parte. vt eſſe logicum ſiue grammaticum, eſſe medicum, eſſe moralis & honeſtæ vitæ, competit ſoli homini, quoniam ſolus homo inter omnia animalia viget parte intellectiua, hæc autem inſunt ei propter intellectum & voluntatem, quæ ad partem intellectiuam ſpectant. Sed eſſe logicum ſiue medicum eſt proprium primo modo, dummodo importent eſſe actu logicum ſiue medicum, ſi enim importarent ſolam aptitudinem, non eſſent proprium primo modo, ſed quarto modo, ſicut & riſibile in homine, nam licet ſoli homines & pauci ſint actu logici ſiue medici, omnes tamen & ſoli ſunt apti eſſe logici, &c. aliter illud principium Ariſtotelis in primo ſuæ Metaphyſicæ eſſe falſum. Omnes homines natura ſcire deſiderant. Deſiderium autem ſciendi ſupponit aptitudinem naturalem ad ſciẽtiam. aliter vanum eſſet deſiderium. Et aduerte quod eſt ſimile de ridente & riſibili, nam eſſe actu ridentem conuenit ſoli homini, ſed non omni homini, quoniam non omnes actu rident. Sunt enim eadem hora aliqui flentes aliqui ridentes, eſſe ergo ridentem eſt proprium homini primo modo. Eſſe verò aptum ad ridendum conuenit ſoli & omni homini & ſemper, ergo eſt proprium hominis quarto modo, vt declarabitur.

Proprij quot modi.

Secundò illud eſt proprium quod omni indiuiduo alicuius ſpeciei & ſemper conuenit remoto impedimento & caſu, ſed non ſoli ſpeciei, ſic eſſe bipedem eſt proprium hominis ſecundo modo. nam eſſe bipedem & gradi duobus pedibus conuenit omni homini, qui ſit verus homo, ſed non ſoli homini, conuenit enim multis animalibus & præcipuè volatibilibus.

Dixi remoto impedimento, vt ſecludantur homines, qui ex infirmitate aut abſciſione non ſunt bipedes.

Dixi & casu, propter monstra, quorum aliqua aut nullius, aut vnius, aut plurium quàm duorum sunt pedum, de quibus iam locuti sumus in secundo Physicorum.

Dixi verus homo, vt excludam quædam animalia habentia effigiem humanam, vt dicitur quòd in India inueniuntur homines qui tãtum vnum habent pedem, & vnum oculum in fronte qui gradiuntur saltando. Isti non sunt magis homines quàm simia, ideo de eis non est hic sermo.

Sed aduerte, quòd quando dicitur illud est proprium secundo modo, quod omni, sed non soli conuenit. Exponendum est ly conuenit pro accidit, aliter esse animal est propriũ secundo modo. Conuenit enim omni homini, sed non soli, vt patet, licet autem conueniat omni homini, sed non soli, non tamen accidit homini, sed est de essentia eius, quoniam prædicatur de eo in quid.

Tertiò illud est proprium quod conuenit soli vni speciei, & omni eius indiuiduo, sed non omni tempore, imò solùm in tali tempore, puta esse canum vel canescere conuenit soli & omni homini, sed non nisi in senectute, loquendo de canescere naturaliter, id est secũdũ ordinẽ naturæ, & propriè.

Dico secundum ordinem naturæ, quoniam accidit ex aliis causis hominem canescere ante senectutem, & præcipuè ex longa & intẽsa animi tristitia, propterea inquit Boëtius, in primo de Consola, Metro primo. Intempestiui funduntur tempore cani. scilicet capilli. aut propter malã & intemperatam complexionem, qualis est phlegmatica & melancholica. vtraque nanque est frigida, & canicies ex frigiditate prouenit. Nam ideo non canescit homo in iuuentute, quia calor naturalis superabundat temperans frigidum, in senectute autem ex defectu caloris superabundat frigidum & humidum superfluum, ideo in senectute canescit homo, & inter alias complexiones sanguinea tardius canescit, post ipsam cholerica, propter caloris abundantiam temperantis frigidum & consumentis humidum indigestum siue superfluum.

Dico propriè, quoniam licet aliqua animalia, vt lupus & canis, videantur mutare pilos suos naturales in albos, nõ tamen propriè canescunt, sed potius griseſcunt. Nam causa propriè caniciei est superabundans frigiditas cerebri, quæ inest homini super omnia alia animalia, & ideo malè odorat homo, vt dicitur in secundo de Anima, quòd autem aliqua bruta mutent pilos in albos, non est ex superabundanti & indigesta frigiditate cerebri. cuius signũ est, quòd vsque in finem vitæ subtilissimæ odorant, sed est ex indigestis frigidis humoribus respersis per totum corpus, & præcipuè quando brutum est vorax, sicut lupus & canis.

Quartò illud est proprium, quòd conuenit soli vni speciei, & omni eius indiuiduo, & semper, id est pro omni tempore & necessario, vt esse risibile est proprium hominis hoc quarto modo. Nam homo, cũ sit rationalis, semper est aptus natus ridere, licet nõ semper actu rideat, & aduerte quod ly cõuenit exponendum est pro accidit, aliter rationale esset proprium quarto modo, qm̃ cõuenit soli & omni homini, & semper & necessariæ, cũ sit gradus eius distinctiuus à bruto, pro tanto autẽ non est propriũ, sed differẽtia, vt docuimus suprà, qm̃ est de essentia & de diffinitione hominis, proprio autem quarto modo id non cõpetit cùm sit accidens fluens à forma rei, aut materia, à forma quidẽ vt risibile & disciplinabile ab anima humana, à materia autem, vt corruptibile à compositione contrariorum elementorum. Constat igitur quot sint modi, quibus consuetum est sumi proprium. Nunc autem relictis aliis, immorandum est circa quartum, quoniam solus ille est quartum prædicabile, vt declarabimus.

Propriũ quid sit. Quantum igitur ad secundum manifestandum est quid sit in via peripatetica. Tu igitur aduerte, quòd nominales sic definiũt, ppriũ quarto mõ est terminus vniuocus prædicabilis de pluribus in eo q̃ quale accidentale & conuertibiliter.

Dicitur, terminus vniuocus loco generis, eo quòd est magis communis, nam vt patet supra apud nominales & genus & species, & differentia sunt terminus vniuocus, & tamen non sunt proprium, ergo in plus est esse terminum vniuocum, quàm esse proprium quarto modo.

Dr, prædicabilis de pluribus, aliter nõ esset verũ prædicabile cõpũtatũ inter quinque: vt docuimus in c. 1. huius tract.

Dicitur, de pluribus indistinctè non explicãdo distinctis, siue differentibus specie vel numero, quoniam aliquod proprium consequitur genus, vt esse aptũ dormire & vigilare consequitur animal. Solũ enim animal & omne & semper, scilicet pro aliquo tẽpore dormit & vigilat: vt docuimus in lib. de somno & vigilia. Aliquod aũt consequitur speciẽ specialissimã, vt risibile & flebile. primũ quidem prædicatur de pluribus differẽtibus specie sicut & genus, secundũ autẽ de pluribus differẽtibus numero, sicut & species specialissima.

Dicitur in eo q̃ quale, vt distinguatur à genere & à specie, quæ prædicãtur in quid, verum quia differẽtia prædicatur in quale, ideo vt distinguatur ab ea subiungitur, in quale accidentale. Nam differentia, vt docuimus suprà, prædicatur in quale essentiale, cũ sit de essentia eius cuius est differentia. Proprium aũt prædicãt in quale accidentale, cũ sit extra essentiam eius, cuius est proprium, & non sit pars eius.

Dicit, cõuertibiliter, aliter non esset, ppriũ quarto modo. Nam si prædicaretur de aliquo, de quo nõ prædicatur illud cuius est proprium, iam non conueniret soli illi, puta si risibile prædicatur de aliquo, de quo nõ prædicatur homo, non conueniret soli homini, ex consequenti non esset proprium hominis quarto modo, sed secundo modo.

Tota hæc diffinitio acceptatur à logico reali excepta prima particula, quoniam realis logicus, vt sæpe diximus, non concedit prædicabile esse terminum siue conceptum, sed naturam cõmunem pluribus, vt stat sub hoc conceptu, scilicet prædicari de pluribus vniuocè in quid, vel in quale &c. vt docuimus in cap. 1. & 2. huius tractatus.

Posita igitur definitione proprij secundùm nominales, videndum est quid sit ad mẽtem Aristotelis. Tu igitur aduerte, quòd in quarto Topico. sic definitur, proprium est quod inest omni soli & semper. & conuersim prædicatur de re, & non indicat quid est esse rei.

Per primam particulam, scilicet soli omni & semper distinguitur ab aliis modis proprij. nam iuxta primũ modum inest soli, sed non omni, iuxta secundum inest omni, sed non soli, iuxta tertiũ inest omni & soli, sed non semper, quarto autem modo inest soli, omni, & semper.

Per secundam particulam: scilicet & conuersim: id est conuertibiliter prædicatur de re, distinguitur ab accidente communi, quod est quintum prædicabile, quod non conuertitur cum eo cui inest. Nam licet ista sit vera, Omnis coruus est niger, hæc tamen est falsa, omne nigrum est coruus. In proprio autem quarto modo prædicatio cõuertitur. nam si omnis homo est risibilis, omne risibile est homo.

Per tertiam particulam, scilicet & non indicat quid est esse rei, distinguitur à definitione, Nam vt declarabitur tibi in tractatu de syllogismo Topico, definitio est oratio indicãs quid est esse rei per essentialia, id est declarans essentiam & naturam rei definitæ per sua principia priora & intrinseca, quæ sunt genus & differentia. Et quoniam proprium non est principium prius intrinsecum & essentiale ejus, cuius est proprium, sed est quid posterius fluens ab ipsis principiis, vt risibile originatur à rationali, nam ex eo, quòd homo est rationalis, *naturali* sequela concluditur, quòd est risibilis, & non concluditur econuerso à priori, sed à posteriori, ideo non indicant naturam rei à priori, sicut indicat vera definitio. Dico à priori, quoniam cum propriæ rerum differentiæ sint nobis incognitæ. venamur rerum quidditates per effectus proprios, & per suas proprietates, & vt in pluribus assumimus propria accidentia in diffinitionibus loco differentiarum. Sed hoc est indicare quod quid est rei à posteriori & non à priori. Et quando dicitur in diffinitione præmissa de proprio, q̃ non indicat quid est esse rei, intelligendum *est à priori ad differentiam* veræ diffinitionis. A posteriori autem non est dubium, aliter non verificaretur illud in primo de Anima, Accidentia, scilicet propria, magnam partem conferunt, id est multum nobis deseruiunt ad cognoscẽdum quod quid est, id est rei essentiam & naturam. Verum quia hæc sunt altioris negocij, id est Metaphysici, ideo tu nouici ne desperes, si nunc non penetras, sufficiat tibi superficialiter apprehendere. Constat igitur tibi quid sit proprium quarto modo secundùm nominales & reales, sed tu sequere viam realium, vtpote magis conformem doctrinæ peripateticæ.

Quantum ad tertium aduerte quod proprium non omnibus modis est vniuersale, sed tantum quarto modo. Nam solùm quarto modo prædicatur accidentaliter conuertibiliter modo quo exposuimus, & suum adæquatum subiectum est propriè species specialissima, ex consequenti sicut species specialissima prædicatur vniuocè & immediatè de pluribus differentibus numero, quæ sunt eius indiuidua, sed prædicatur in quid, sic eius proprium prædicatur de eisdem, sed in quale, ideo facit distinctum prædicabile ab omnibus aliis. Hæc de proprio dicta sint. Quomodo autem faciat distinctum prædicabile ab accidente, cum & ipsum proprium sit accidens, dicemus in ca. sequenti. Hæc de cap. 5. dicta sint.

CAPVT VI. *De Accidente.*

IN capit. sexto agendum est de quinto prædicabili quod dicitur accidens, cuius consideratio ordinatè sequitur considerationẽ de proprio, quoniã licet vtrunq; prædicetur de pluribus in quale accidẽtaliter in quantũ vtrũq; est accidẽs, tamen imperfectiori modo prędicatur quã propriũ. Nã proprium prædicatur conuertibiliter nõ autẽ accidens vt declarabitur. Item propriũ facit propositionem per se, non autem accidẽs. De accidẽte igitur quatuor videda sunt. Primò quot modis sumitur, vt sciamus modũ, iuxta quem ponitur quintũ prædicabile, secundò quid sit, vt est quintũ prædicabile, tertiò quomodo diuiditur, quartò quomodo facit distinctum prædicabile à proprio, cum & proprium sit accidens.

Accidẽs quot modis sumitur. Quantum ad primum aduerte quòd famosiores modi in via Arist. quibus sumitur accidens, sunt quatuor.

Primò sumitur pro omni eo, quod nõ est de ratione alicuius, & sic omnia, quæ non sunt de ratione hominis, sunt accidentia homini, cum igitur risibile nõ sit de ratione hominis, nec Sortes nec Plato sint de intellectu hominis, potest enim intelligi homo nõ intellecto Sorte & Platone, & huius signũ est, quòd hæc est indirecta, homo est Sortes, sequitur quòd in hac prima acceptione & proprietates speciei & indiuidua sint accidentia homini. & iuxta hunc modum in tractatu de syllogismo sophistico assignabitur fallacia accidentis.

Secundò sumitur accidens pro omni ente quod nõ est substantia, sed inhæret substantiæ, & diuiditur in nouẽ prædicamenta: vt declarabitur tibi in tract. sequenti. iuxta quem modum dicimus quãtitatem & qualitatem esse accidens, & appellatur accidens prædicamentale. Et est alterum membrũ diuisionis. qua diuiditur ens in substantiam & accidens.

Tertiò sumitur accidens pro omni eo quod euenit præter intentionem agentis: vt quando homo fodit agrum vt seminet, si fodiendo inuenit thesaurum, est accidens, & hoc accidens dicitur fortuna & casus, de quo agitur in 2. Physic.

Quartò sumitur accidens pro omni eo quod positum in prædicato facit propositionem per accidẽs siue illud sit substantia, siue accidens prędicamentale, siue non. Ad hoc autẽ quod fiat propositio per se oportet prædicatum esse de essentia, aut de ratione subiecti, aut proprium eius quarto modo, omnia ergo alia prædicata faciunt propositionem per accidens. Vnde hęc est per accidens. Animal est homo, & hæc homo est Sortes, & vniuersaliter quando inferius prędicatur de superiori, & omnis propositio in qua prædicatũ est accidens commune siue separabile siue inseparabile, quoniam tale accidens non est de diffinitione subiecti, nec eius proprium, aliter soli subiecto conueniret. Vnde hæc est propositio per accidẽs, homo est albus. nix est alba, Aethiops est niger, & solum quarto modo est prędicabile distinctum ab aliis. Et quidem quòd sit prædicabile probatur, quoniam prædicatur de pluribus vniuocè differentibus siue specie siue numero, nam nigredo prędicatur vniuocè de coruo & carbone & Aethiope, qui differunt specie & prædicatur de hoc & illo coruo, qui differunt numero. Quod autem sit distinctum ab aliis patet de genere & specie, quoniam prædicatur in quale, illa autem in quid: patet de differentia, quoniam illa prædicatur in quale essentiale, hoc autem in quale accidentale: de proprio etiam constat, quoniam proprium prædicatur in quale accidentale conuertibiliter, accidens autem inconuertibiliter. Constat ergo quot modis sumitur accidens, & iuxta quem modum sit prædicabile.

Accidens quid sit. Quantum ad secundum aduerte quòd apud nominales accidens. vt est quintum prædicabile, sic diffinitur. Accidẽs est terminus vniuocus, de pluribus prædicabilis in eo quòd quale accidentale non conuertibiliter.

Primò dicitur terminus vniuocus in eodem sensu, in quo est diffinitum genus & species & differentia & proprium secundùm nominales, & vt in secundo cap. exposuimus.

Secundò dicitur de pluribus prædicabilis, quoniam ex hoc habet quòd sit prædicabile propriè dictum, modo prædicetur vniuocè: vt patet ex diffinitione data de prædicabili in 1. cap. Et aduerte quòd non dicitur de pluribus differentibus specie siue numero, quoniã contingit accidens prædicari de differentibus genere: vt animal est album, nix est alba. Et de differentibus specie: vt coruus est niger, & homo est niger puta Aethiops, & de differẽtibus numero, vt fortes est albus, & Berta est alba, propter hoc igitur diffinitur accidens prædicabile prædicari de pluribus indistinctè siue specie siue numero.

Tertiò dicitur in eo quòd quale, quoniam ad interrogationem factam qualis est homo, respondetur albus, aut niger, aut sanus, aut æger.

Quartò dicitur accidentale, vt distinguatur à differentia, quæ, vt supra docuimus, prædicatur in quale essentiale, quoniam est de diffinitione eius, cuius est differentia.

Quintò dicitur conuertibiliter, vt distinguatur à proprio sicut iam supra docuimus.

Hæc diffinitio tota acceptatur à logico reali, præter primam particulam: quoniam, vt sæpe diximus, realis logicus non concedit prædicabile esse terminum vel conceptum, sed esse naturam communicabilem multis, vt stat sub hoc conceptu, quod est esse prædicabile de multis. Aliæ particulæ omnes acceptantur.

Apud realem autem logicum & ad mẽtem Porphyrij de accidente: vt est quintũ prædicabile datur triplex diffinitio.

Prima est hæc. Accidens est quod adest & abest præter subiecti corruptionem.

Aduerte quòd hæc diffinitio alio & alio modo intelligenda est à logico & à philosopho. Nam logicus considerat accidens secundùm modum prædicandi, philosophus autẽ secundùm modum essendi. Logicaliter ergo sic intelligatur. Accidẽs est illud prædicabile quod adest & abest: id est quod prędicatur affirmatiuè & negatiuè de suo subiecto, præter subiecti corruptionem: id est absq; hoc quòd remoueatur subiectum. Verbi gratia esse album, sedere, stare, currere, sunt accidentia homini, quia verificãtur de homine affirmatiuè & negatiuè, nã vtraq; harũ est vera, cum sint indefinitæ in materia contingenti. Homo est albus, Homo non est albus, & adhuc stat homo siue sit albus siue non sit albus, non solum autem verificantur istæ duæ sumendo hominem, vt stat pro distinctis suppositis, sed etiam respectu eiusdem, pro diuerso tamen tempore, nam verum est dicere, quod hic homo aliquando est albus, aliquando nõ est albus, & tamen stat subiectum. Realiter autem & apud philosophum sic intelligitur. Accidẽs est ens, quod adest & abest, id est quod aduenit subiecto iam constituto in esse quo ad substantiam & interest & illi, & remouetur ab eo, & tamen subiectum non desinit. Et definitio sic intellecta, verificatur propriè de accidente communi, quod scilicet non consequitur subiectum ex natura subiecti, vt excludam accidens proprium consequens naturã specificam, vt risibile in homine vel principia indiuiduãtia, quibus hic homo est hic homo. Ista enim non remouentur, quin corrumpatur subiectum. Hæc enim semper est falsa, homo non est risibilis, quia licet possit intelligi homo non intellecto risibili cum nõ sit de essentia eius, tamen non potest existere sine risibili, quoniam naturaliter fluit à natura hominis, sicut lux à sole. Licet autem prædicta diffinitio intelligi posit & exponi logicaliter & physicè, in præsenti loco exponenda est logicaliter, quoniam logicus non habet considerare accidens, vt ens est, sed vt prædicabile est.

Secunda diffinitio est hæc. Accidens est, quod contingit eidem, scilicet subiecto inesse & non inesse, vt esse sanum, tristem, lætum, honoratum, &c. est accidens forti, quoniam aliquando est sanus, aliquando æger, aliquando tristis, aliquando lætus, & hoc modo accidens conuertitur cum contingenti. Contingens est, quod potest esse & non esse. Et aduerte quòd per hãc secundam definitionem probatur prima. nam bene sequitur, accidens est quod potest inesse & non inesse subiecto. ergo accidens est quod adest & abest præter subiecti corruptionem.

Tertia diffinitio est hæc. Accidens, scilicet prædicabile est illud quod neq; est genus, neq; species, neq; differentia, neq; proprium, in est autem rei.

Dicitur, accidens prædicabile, vt excludam accidens inquantum est prædicamẽtale, puta albedinẽ in prædicamento qualitatis, corpus & superficiem in prædicamento quantitatis. Nam albedo est species coloris, corpus & superficies sunt genera quantitatis continuæ, non inconuenit ergo accidens prædicamentale esse species & genus, &c. Sed inquantum est prædicabile id sibi repugnat. Est autem prædicabile, ex particulari modo prædicandi, qui est prædicari de pluribus in quale accidentaliter inconuertibiliter, per hunc autẽ modum prędicandi negatur sibi posse esse genus & species, quia prædicãtur in quid. similiter esset differentia, quia prædicatur in quale essentiale, similiter esse proprium, quia prædicatur in quale accidentale: sed conuertibiliter. Constat igitur tibi, quid sit accidens, vt prædicabile.

Quantum ad tertium aduerte quòd apud Porphyrium datur tantum vna diuisio de accidente prædicabili, quod est accid

accidens commune distinctum contra proprium, quod est quartum prædicabile. Petrus autem Hispanus adiungit secundam.

Prima est, accidentium communium, quæ prædicantur per accidens de subiecto, quoddam est separabile, quoddam inseparabile. Separabile, vt homo est sedens; Inseparabile, vt coruus est niger. Ratio huius diuisionis est, quia aut accidens causatur in subiecto à causa naturali fixa, & perseuerante quasi immutabiliter, & sic est accidens commune inseparabile, vt nigredo in coruo, quæ causatur ex intensa caliditate & siccitate complexionali, quæ prædominantur in eo suprà frigidum & humidũ. Et nigredo in Aethiope, quæ causatur ex adustione regionis, à qua nullo tempore multum elongatur sol, habitant enim circa tropicum cancri, aut causatur in subiecto à causa instabili diuersimodè se habente pro diuerso tempore, & sic est accidens separabile, vt albedo & denigratio in sorte Italo, nam in æstate ad solem denigratur propter accessum ad caput nostrum, in hyeme autem dealbatur propter elongationem. Idem intellige de calore & frigiditate aëris in climate quinto & sexto & septimo, magis & vltra. Constat igitur quomodo hęc diuisio est sufficiens. Sed aduerte, quod hæc diuisio magis verificatur apud Physicum, quàm apud Logicum. Physicus enim considerat accidens prædicamẽtale & modum suum realem essendi in subiecto, Logicus autem considerat accidens sub modo intelligendi & prædicandi. Quantum igitur spectat ad Physicum, profectò verum est quòd aliquod est separabile, vt accidens aduentitium, sicut album & nigrum calidum & frigidum in homine, aliquod autem est inseparabiliter inhærens, vt calidum in igne, nigrum in coruo, album in niue, dulce vel austerum in hoc vel illo pomo, & breuiter omne accidens congenitum fluens à principiis indiuidui, & tali vel tali commixtione elementorum, apud Logicum autem omne accidens, quantum ad modum intelligẽdi vel prædicãdi est separabile, quoniam subiectum, quo ad essentialia sua potest intelligi & diffiniri non intellecto accidente siue proprio siue communi. Proprio quidem, vt possum intelligere ac diffinire hominem, nulla facta mẽtione de risibili. Constat enim prima apprehensio & quiditatiua diffinitio ex solo genere, & differentia communi autem aduentitio constat. Communi verò congenito, vt nigredine in coruo constat quod possum intelligere & diffinire quo ad principia essentialia, absque hoc quod fiat mentio de accidente congenito, possum enim intelligere hominem, qui est Aethiops inquantum homo est, vt inquit Porphyrius nitentem candore. Non enim Aethiops, vt homo habet nigredinem, sed ex regione adusta radiis solis. cuius signum est, quod si Aethiops deducatur ad regionem temperatam, paulatim per successionem generationis, geniti albescent. Hæc ergo diuisio accidentis per separabile, & inseparabile, licet in aliquo sensu posset intelligi logicaliter, absolutè tamen exponenda est physicæ, quod innuens Porphyrius posita prædicta diuisione, ne videretur contradicere diffinitioni datæ, qua dictum est accidens esse illud quod potest adesse & abesse & cætera, ex cõsequenti videtur omne accidens esse separabile, quasi soluens inquit, potest autem intelligi, & coruus albus & Aethiops nitens candore præter subiecti corruptionem. Ac si dicat, licet physicè non omne accidens postquam aduenit subiecto posit remoueri, tamen logicaliter quantum ad modum intelligendi subiectum potest remoueri modo quo diximus, nulla ergo est contradictio. Verum ergo est dicere, quòd apud Physicum datur accidens separabile & inseparabile quantum ad inesse subiecto. Sed apud logicum omne est separabile quantum ad hoc, quod est intelligere & diffinire subiectum.

Secunda diuisio quam ponit Petrus Hispanus est hæc. Accidentium quoddam est commune, quoddam est proprium. Aduerte quod accidens potest dici commune & proprium dupliciter, primò, quòd illud dicatur commune, quod aptum est inueniri in multis substantiis genere, & speciẽ dictis, vt calidum, frigidum, humidum, & siccum, asperum, lene, graue, leue.

Propriũ autem dicatur illud, quod vni soli generi vel speciei conuenit conuertibiliter, vt rerũ proprietates, vt summa lux, in sole & summum calidum in igne, par & impar in numero, risibile in homine. secundò, vt dicatur accidens cõe, cuius subiectum nominatur termino communi & non discreto, vt homo albus, coruus niger, illud autem dicatur accidens proprium, cuius subiectum nominatur termino discreto, vt Sortes albus vel albedo in Sorte. In hac secunda diuisione sumitur commune & propriũ in secundo significato, & non in primo, nam iuxta primũ distinguitur quartum prædicabile a quinto. Iuxta autẽ secundũ tam cõmune quã proprium continetur in quinto prædicabili. Constat igitur quomodo diuidatur accidẽs apud logicũ in prædicabilibus. Dico in prædicabilibus, quoniam alio modo diuidẽdum est in prædicamẽtis, vt tibi manifestabitur in tractatu sequenti.

Quod accidens sit prædicabile.

Quantum ad quartum vt scias, quomodo accidens facit quartum prædicabile distinctũ à quinto, cum tamen vtrunque sit accidens & non substantia, aduerte quòd accidens dupliciter considerari potest, primò vt est ens distinctũ contra substantiã, & quod in tractatu sequenti distinguemus in nouem prædicamenta accidentiũ, secundò vt dicitur prædicatum per accidens distinctũ contra prædicatum per se, iuxta quem sensum omne quod prædicatur per accidens de altero dicitur accidens, & omne quod prædicatur per se, dicitur per se, & iuxta eundem sensum accidẽs facit propositionem & prædicationem per accidens. Per se autem facit propositionem per se, quæ quomodo & quot modis fiat, declarabitur in tract. de syllogismo demonstratiuo.

Iuxta primum sensum non datur medium inter substantiam & accidens, quia vt manifestũ tibi erit in trac. sequenti, ens sufficienter diuiditur in substantiam & accidens, nam ens aut est aptũ esse in subiecto, vel non in subiecto. Si primum est accidens, si secundum, est substantia, & sicut inter duo contradictoria non potest dari mediũ, sic nec inter substantiam & accidens sic accepta, potest dari medium. Iuxta autem secundum sensum datur medium inter substantiam & accidens. Nam proprium non est substantia, nec est accidens. id est, prædicatum per accidens, non enim facit prædicationem per accidens, sed per se in secundo modo, qui modus manifestabitur tibi in trac. de syllogismo demõstratiuo. Ad propositum ergo dico quod accidens distinctum contra substantiam non facit quintum prædicabile distinctum à quarto, quoniam & ipsum proprium cõtinetur sub accidente primo modo sumpto. Accidens autem sumptum pro prædicato per accidens distincto contra prædicatum per se facit quintum prędicabile distinctum à quarto, quoniam illud est prædicatum per se, ex quibus sequitur quòd omne accidens commune inquantum facit prædicationem & propositionem per accidens, continetur in quinto prædicabili, & omne prædicatum prædicationis indirectæ, scilicet quando inferius prædicatur de superiori continetur in eodem prædicabili. In quo sensũ dum prædicatur homo de animali, homo est accidens in quinto prædicabili.

Vt autem scias quæ sit prædicatio indirecta & accidentalis, quæ faciunt quintum prædicabile declarandum est quid sit directa & indirecta, essentialis & accidẽtalis apud logicũ.

Tu igitur aduerte, quod prædicatio directa est illa, in qua superius prædicatur de suo inferiori, id est, magis commune de minus communi, vel æquale de æquali. Exẽplum primi, homo est animal, animal est corpus, corpus est substantia, substantia est ens, exemplum secundi, homo est risibilis, animal est sensitiuum, numerus est par vel impar.

Indirecta autem est quando inferius prædicatur de superiori, id est, minus commune de magis communi, vt substantia est corpus, corpus est animal, animal est homo.

Prædicatio essentialis est illa, in qua termini sunt eiusdem prędicamẽti, dum modo sit directa, vt homo est animal, quoniam subiectum & prædicatum sunt in prædicamento substantiæ, & prædicatur superius de inferiori. Idem esset si prædicaretur æquale de æquali, vt quando prædicatur differentia specifica de specie, vt homo est rationalis.

Prædicatio accidentalis est in qua termini sunt distinctorum prædicamentorum, vt homo est risibilis, homo est albus. Nam homo est in prædicamento substantiæ, risibilitas verò & albedo sunt in prædicamento qualitatis. Sed aduerte quod accidentalis est duplex. Quædam enim est accidentalis per se & fit quando prædicatur proprium accidens de proprio subiecto, vt homo est risibilis, numerus est par vel impar, & est in quarto prædicabili. Quædam est accidentalis per accidens & fit quando prædicatur accidens commune de subiecto, vt homo est albus, coruus est niger, & hæc est in quinto prædicabili, in eodem etiam est prædicatio inferioris de superiori, vt animàl est homo. Accidit enim animali esse hominem. Nam posito quod homo non esset, adhuc potest esse animal, quia potest saluari in alia specie, puta in equo, in leone, &c. propterea hæc & similes sunt per accidens & in quinto prædicabili, animal est homo, corpus est animal, substantia est corpus. Hæc de sexto capite dicta sint, in quo terminatur intentio nostra expositiua super quinque prædicabilia. Nec mireris tu nouitij, si relinquimus proprietates & communitates, quas assignat Porphyrius, & Petrus Hispa. & differentias quinque prædicabilium ad inuicem comparatorum, quoniam declaratis & expositis singulorum prædicabilium definitionibus quo ad singulas particulas, vt suprà exposuimus, poteris per te ipsum huiusmodi communitates & differentias comprehendere. Ideo hic sistendum est.

Tractatus quarti de quinque prædicabilibus finis.

TRACTATVS QVINTVS

de Anteprædicamentis, & prædicamentis, & postprædicamentis.

POst habitam considerationem de quinque vniuersalibus siue prædicabilibus, doctrinæ ordo requirit, quod de categoriis, quæ apud Latinum prædicamenta dicuntur, pertractemus. Ordinauit enim Porphyrius ISagoges ad habendam eam prædicamentorum doctrinam, quam tradidit nobis Aristoteles, præterea in tract. præcedenti actum est de rationibus & diffinitionibus ac diuisionibus quinque vniuersalium. In tract. autem presenti acturi sumus de ordinatione quinque vniuersalium, qua constituitur prædicamentum vt dicemus, ergo necesse fuit presciire ipsa quinque vniuersalia, vt in præsenti tract. sciamus ea ordinare in linea prædicamentali. Vane enim conatur ordinatè, qui prius non nouit ordinabilia. Rationabiliter ergo post doctrinam traditam de quinque vniuersalibus, agendum est in præsenti tractatu de prædicamentis. Quem diuidemus in tres partes sicut & Aristoteles videtur diuisisse.

Prima pars erit de anteprædicamentis.
Secunda de prædicamentis.
Tertia de postprædicamentis.
Partem primam diuidemus in quatuor capita.

Primò pertractanda sunt quædam, quæ præcognoscere oportet, ne per incognita procedamus, aut simus coacti ea sæpius repetere. Secundò agendum est de primo anteprædicamento sumpto in genere, quod continet tres definitiones scilicet æquiuocorũ, vniuocorũ, & denominatiuorum. Tertiò agendum est de secundo anteprædicamento sumpto in genere quod continet duas diuisiones terminorum. Quartò agendum, est de tertio anteprædicamento sumpto in genere quod continet duas regulas, quarum prima valet ad cognoscendum ea, quæ locantur secundùm sub & supra ordinatè, secunda autem valet ad cognoscendũ impermixtionem prædicamentorum.

CAPVT I. *De præcognoscendis.*

IN primo capitulo agendum est de his, quorum præcognitio necessaria est, antequam descendamus ad tractandum in specie de anteprædicamentis & de prædicamentis, & de postprædicamentis, & sunt quatuor. primò quid sit prædicamentum. secundò quid anteprædicamentum, tertiò quid postprædicamentum, quartò si ad logicum spectat & quomodo tractare de prædicamentis.

Prædicamentum quid sit.

Quantum ad primum aduerte, vt scias in quo sensu tractare intendimus de prædicamento, quod quatrupliciter summi potest. primò pro omni termino prædicabili siue de vno, vt Sorte, siue de pluribus vt homo. Nam cum prædicamentum à prædicando dicatur, quicquid de aliquo vel de aliquibus prædicatur, dici potest in hoc primo sensu prædicamentum. secundò pro omni termino, qui de pluribus prædicatur, vt ab hoc secundo sensu excludatur terminus discretus. tertiò pro genere generalissimo cuiuscunque prædicamẽti, in quo sensu substãtia, quãtitas, qualitas, ad aliquid, &c. dicuntur prædicamenta. quartò pro coordinatione plurium prædicabilium, quæ se habent, vt inferius & superius essentialiter in linea rectà prædicamentali, vt tibi in singulis prædicamentis declarabitur infrà, & in hoc quarto sensu acturi sumus de prædicamento diffiniendo quid sit.

Tu igitur aduerte, quòd vno modo diffinitur apud nominales. & alio modo apud reales. Nam nominales sic diffiniunt. Prædicamentum est coordinato plurium terminorum secundùm sub & suprà, & per ly plurium terminorum intendunt plurium prædicabilium. Nam, vt docuimus in tract. præcedenti, tenent prædicabilia non esse res siue naturas communicabiles multis, sed terminos siue conceptus, & quoniam reales non concedunt prædicabilia esse terminos, sed naturas communes modo quo in tract. præcedenti exposuimus, ideo non acceptant prædictam diffinitionem nisi aliud addatur. Igitur apud reales sic diffinitur, prædicamentum est ens dicibile, in complexum, ordinabile in genere secundùm sub & suprà, prout substat termino talem ordinem significanti.

Primò dicitur ens, ad differentiam non entis, vt est chimera, & negationes quæ non reponuntur in prædicamento. Nam vt probatur in libro sexto Metaphysicæ solum ens extra animam, quod est ens reale, reponitur in prædicamento, & sic excluditur ens rationis, & ens ficticium, & negationes & priuationes inquantum sunt negationes.

Secundò dicitur, ens dicibile, id est, de aliquibus prædicabile, ad differentiam singularium quæ non propriè reponuntur in prædicamento, eo quòd aliquibus subiiciuntur, id est, speciebus, sed de aliquibus non prædicantur cum non habeant inferiora. Vnde coordinatio cuiuslibet prædicamenti clauditur inter generalissimum & specialissimum.

Tertiò dicitur incomplexum ad differentiam complexorum quæ secundùm se tota in nullo vno prædicamento reponuntur, sed per partes in distinctis, vt hominem esse album, per ly hominem reponitur in prædicamento substantiæ, per ly album in prædicamento qualitatis. Quod si in eodem prædicamento reponitur, non tamen in vno genere, vel vna specie, sed secundùm vnam partem reponitur in genere, & secũdùm aliam in specie. Vt hominem esse animal. Constat enim hominẽ locari in specie, & animal in genere.

Quartò dicitur, ordinabile in genere ad differentiam transcendentium, quæ licet sint ens prædicabile & incõplexum, tamen non reponuntur in aliquo vno prædicamento, sed circundant omne prędicamentũ: prædicantur enim de decem generalissimis, & de omnibus contentis sub decem generalissimis. Quicquid autem reponitur in prædicamento, non egreditur limites illius prædicamenti, vt tibi manifestabitur infrá.

Quintò dicitur secundùm sub & suprà. Oportet enim vt omne per se & directè reponibile in prædicamento se habeat ad aliud vt inferius ad superius, vel econuerso. & dicitur per se & directè, vt per ly per se excludantur ea, quæ tantum reductiuè sunt per se in prædicamento, vt partes essentiales & integrales, quæ non sunt per se in prædicamento, sed gratia totius. Vnde materia & forma non sunt in prædicamento, nisi quia totum compositum est in prædicamento. & per directè excluduntur differentiæ, quæ non directa linea, sed à latere, vt patet in arbore Porphyrij, continentur in prædicamento.

Sextò dicitur, prout substat termino talem ordinem significanti, vt scias quòd prædicamenta non considerantur à logico, vt simpliciter sunt entia realia, sicut declarabimus infrà, sed vt stant sub conceptibus secundis, qui per terminos significantur, puta consideratur substantia vt generalissimum. Similiter quantitas & qualitas, &c. Constat igitur tibi quid sit prædicamentum.

Anteprædicamẽtũ quid sit.

Quantum ad secundũ aduerte, quod anteprędicamẽtum est præuium traditũ nobis ab Arist. conferens immediatè ad prædicamentorũ scientiam consequendã. Pro cuius notitia aduerte quod & prædicabilia tradita nobis à Porphyrio & etiã ab Arist. in lib. Topi. sub ratione prędicatorũ, & antepræ dicamẽta tradita hic ab Arist. cõferunt scientię prędicamẽtorum cõsequendæ. Sed diuersa ratione. Nam prædicabilia conferũt primo & mediatè: Impossibile est enim scire ordinem prædicamentalẽ, nisi præsciamus quid genus, quid species, & multiplices eorũ diuisiones, vt docuimus in trac. præcedenti, Anteprædicamẽta autem supposita notitia prædicabiliũ proximè & immediatè cõferunt, vt tibi manifestabitur. Sed aduerte quòd & postprædicamẽta conferũt, aliter non fuisset ab Arist. eorũ notitia annexa doctrinæ prædicamentorum. Conferunt tamen aliter quàm anteprædicamenta. Nam ex parte addiscentis anteprædicamenta sunt priora cognitione quàm prædicamenta & postprædicamenta. Sed postprædicamenta, complent notitiam prædicamentorum. Vnde anteprædicamenta sunt principium cognitionis prædicamentalis. Sed postprædicamẽta sunt terminus eiusdem cognitionis. Hinc est quòd aliqui dicunt anteprædicamenta conferre à priori, postprędicamenta verò à posteriori.

Postprædicamẽtũ quid sit.

Quantum ad tertium aduerte quòd postprædicamentum, vt ex præmissis potes coniecturare, est documentum traditum ab Aristot. pro complemento doctrinæ prædicamentalis. Dicit enim Aristot. in prædicamentis assignans propriet

proprietates prædicamentorũ, puta in prædicamento substantiæ; substantiæ nihil est contrariũ, q; eadẽ numero substantia, & si nõ simul, succeßiuè tamen est receptiua contrariorũ. Hęc autem nõ possumus perfectè scire, nisi cognoscamus quid sit oppositio, & quæ eius species, cuius vna est oppositio contraria. Itẽ oportet scire modos simultatis, & motus &c. & de singulis agendũ est in postprædicamentis. Ergo ad complendam prædicamẽtorum doctrinã, oportet in vltima parte tract. de postprædicamẽtis agere. Constat igitur tibi quid sit postprædicamentũ, & ad quid ordinatũ est.

Prædicamẽtorũ notitia quomodo ad Logicum spectat.

Quantum ad quartum aduerte, quoniam famosum est, logicam versari circa entia rationis & intentiones secũdas, prædicamẽta autẽ sunt entia realia & entia extra animam, vt tenet Arist. in lib. 6. Metaphysicæ, ideo nõ videtur, quòd ad logicum spectet pertractare de prædicamentis, sed ad Metaphysicũ, cuius officium est cõsiderare de maximè vniuersalibus in causando, quales sunt substantiæ abstractæ, & in prædicando qualia sunt transcẽdentia, & vniuersales modi essendi: vt potentia & actus, vnum & multa, finitum & infinitum, necessarium & cõtingens, per se & per accidens &c. Et decem prædicamenta. Vnde Aristo. in lib. 5. Metaphy. pertractat de substantia & quantitate & de ad aliquid, & de qualitate &c.

Vt igitur scias in quo sensu spectat ad logicum considerare de prædicamentis & in quo non, aduerte duas distinctiones, Prima est hæc. Ens rationis sumitur dupliciter, primò solùm pro eo, quod fabricatũ est ab intellectu, & extra intellectum nullum habet esse, & sic oratio, propositio, syllogismus, consequentia, antecedens, consequens, subiectum, prædicatum, vniuersale, singulare, suppositum, genus, species, differentia, & reliqui termini secundæ intentionis. dicuntur propriè entia rationis. secũdò sumitur pro omni ente reali non secundum se, sed in ordine ad rationem, & prout ratio circa illud negocians, attribuit sibi aliquod fabricatum per rationem, puta negocians circa animal attribuit sibi conceptum generis, & homini cõceptum speciei. Et Sorti conceptum singularis, & in hoc sensu omne ens reale potest dici ens rationis. Et quando dicitur, quòd logica versatur circa entia rationis & secundas intentiones, concedendum est primo & secundo modo, ita quòd nihil considerat ab ea, quin sit ens rationis primo aut secundo modo. Et quando dicitur quòd prædicamenta sunt entia realia, concedendum est secundùm *sui naturam, cum quo tamen stat*, quòd vt intellectus eis attribuit secundas intentiones puta conceptum generis generalissimi & subalterni & specialissimi & aliquas proprietates in ordine ad rationem, puta dici de subiecto, & non esse vel esse in subiecto, dici possunt entia rationis secundo modo, & vt sic considerantur à logico, secundũ autẽ naturã suam considerantur à Metaphysico.

Secũda distinctio est hæc, ens reale potest in aliqua scientia considerari dupliciter. primo modo reali. i. in ordine ad passiones reales, puta vt subiicit motui, vel tẽpori. vel loco, aut inquãtum est finitũ vel infinitũ, corruptibile, generabile, vel suũ oppositũ, secundo modo logicali, puta vt refertur ad subiici, & ad prædicari, & vt alia prædicata intentionalia attribuit ei ratio, puta esse ordinabile in gñe, aut in specie &c.

Primo modo scientiæ reales considerant de ente reali, vt Physica, & Mathematica & Metaphysica. secundo modo scientiæ rationales, inter quas est logica, considerat de ente reali, quod vt diximus sic consideratum potest dici ens rationis. secundo modo sumptũ iuxta distinctionẽ præcedentẽ, & sic constat tibi quomodo logicus de prædicamẽtis, quæ sunt entia realia, pertractat modo logicali, & nõ modo reali.

Sed dices, imò logicus considerat prædicamenta modo reali. Nam Aristoteles vt tibi manifestabitur in prædicamento *substantiæ & quantitatis & qualitatis considerat* eorum proprietates & cõmunitates reales modo reali, puta q; substantiæ nihil est contrarium, quòd est susceptiua contrariorum, quòd non recipit magis & minus &c. ergo &c.

Respõdetur, logicus habet considerare prædicamẽta principaliter & ex proposito modo logicali, q; autẽ aliquo modo reali, hoc est secundario & incidẽter, prout, scilicet talis cõsideratio modo reali cõfert cõsiderationi pleniori habendæ modo logicali, & hoc non videatur mirũ. Nam vt inquit Arist. in 4. Metaphysicæ, circa idem versatur Dialecticus & Metaphysicus. Vnde sicut Metaphysici est considerare de omnibus, sic & dialectici, sed diuersa ratione, vt tibi aliàs manifestabitur. Hinc est quod Arist. in scientia reali puta in physica aliquãdo vtitur rationibus logicalibus, quæ dicũtur rationes cõmunes, & in logica aliquãdo, pcedit modo reali, vt insinuet vniuersalitatem & cõformitatẽ, quæ sunt in Logica & Metaphysica, ideo dicuntur scientiæ cõmunes. Constat igitur tibi, quod obiectio præposita non prævalet determinationi factæ. Hæc de 1. cap. huius primæ partis Trac. 5. dicta sint. Nunc accedendum est ad specificam considerationem anteprædicamentorum.

CAPVT II.

De primo anteprædicamento in genere: videlicet diffinitione Æquiuocorum, vniuocorum, & denominatiuorum.

IN cap. secundo agendum est de primo anteprædicamento in genere quod dicitur diffinitio: quoniam tres continet diffinitiones conferentes ad cognitionem prædicamentorum, prima est de æquiuocis, secunda de vniuocis, tertia de denominatiuis. Primò igitur diffinienda sunt æquiuoca, secundò vniuoca, tertia denominatiua.

Æquiuoca quæ sint.

Quantum ad primum antequam deueniamus ad diffinitionẽ aduerte duo, primo voluit Aristoteles notificare æquiuoca & vniuoca, & denominatiua, vt admoneret addiscẽtẽ, nullum æquiuocũ reponendũ esse in prædicamento. Admoneret etiã totã coordinationem vnius prædicamenti debere constare ex vniuocis. Admoneret quoq; quomodo accidẽtia reducenda sunt ad substãtiam per prædicationẽ denominatiuã, neq; enim accidentia verificantur de substantia in abstracto, sed in concreto vt declarabitur. Hęc enim est falsa, homo est albedo, sed hæc est vera, homo est albus. Secundò aduerte, quòd æquiuocum est duplex, scilicet æquiuocãs & æquiuocatũ, æquiuocans est nomen siue terminus plura, id est diuersa secundũ naturam significans, vt canis significat animal latrãs, & sidus cæleste. æquiuocatum est ipsa res siue *natura diuersa per illud nomen significata, vt animal latrãs* & sidus cæleste, sunt æquiuocata huius nominis canis. eandem distinctionem intellige de vniuoco, nam aliquod est vniuocans, aliquod vniuocatum. Vniuocans est nomen siue terminus communis pluribus conuenientibus in vna natura communi, siue in vna ratione, id est diffinitione. Vt animal viuum est vniuocum vniuocans: quoniam prædicatur de omni specie animalis secundum hanc rationem, scilicet quod est substãtia animata sensitiua. Vniuocata sunt res conuenientes in vno nomine & in vna natura, vel saltem in vna ratione diffinitiua, vt homo, capra, leo, &c. sunt vniuocata huius nominis animal viuum. Hic Aristot. intendit diffinire æquiuocum æquiuocatum, & non æquiuocans. Idem intellige de vniuoco, his prænotatis aduerte quod æquiuoca sic diffiniuntur, æquiuoca, scilicet æquiuocata dicũtur quorum solùm nomen est commune, & ratio substantiæ est diuersa, quæ diffinitio sic intelligenda est.

Primò dicuntur id est significantur illa, quorum nomen &c. & aduerte quod Aristoteles diffinit ea per, dicuntur, & non per sunt: quoniam cum æquiuocata sint entia realia, non spectat ad logicum considerare ea quo ad esse, sed quo ad dici & prædicari, & hoc est considerare ea modo logicali, & non modo reali, qui ad Philosophum spectat, vt diximus in cap. præcedenti.

Secundò quorum solum nomen est commune: id est quæ in nullo præterquam in nomine conueniunt, quia sic placuit primo instituenti ea nominare, & sumitur nomen pro termino per se significatiuo categorematico siue sit nomen siue verbũ. nam & in verbo datur æquiuocatio. Plura enim omnino diuersa per idem verbum significantur. Vt hoc verbum habeo significat rem tenere siue posidere, & significat intelligere. Nam cum dicit loquens audienti, habes me, intendit, intelligis me.

Tertiò, ratio substantiæ est diuersa. aduerte, quòd hic non sumitur ratio pro sola & propria diffinitione, sed, p; quacũq; descriptione siue notificatione, qua manifestatur nobis rei æquiuocatæ natura. Præterea, hic non sumitur substantia vt distinguitur contra accidens. alioquin in sola substantia daretur æquiuocatio, quod est falsum, nam & magnitudo est æquiuocum nomen & acutum, & cętera multa, vt tibi nota erũt locis suis. Sumitur autem substantia vt extenditur ad significandũ cuiuscũque rei essentiã, siue sit verè substantia, siue quantitas, siue qualitas &c. est ergo talis prædictę diffinitionis intellectus, æquiuoca ęquiuocata dicuntur illa, quæ in solo vno nomine cõueniunt per appellationem, sed in ratione notificatiua essentię eorum nullo modo conueniunt: quoniam alia est ratio *vnius in intellectu*, & alia *ratio alterius* in eodem intellectu, sicut alia & alia est essentia eorum. Quæ omnia patent in animali latrante & pisce marino & sidere cælesti, nam licet hæc tria appellentur hoc nomine canis, tamen sicut alia est natura sideris cælestis & animalis latrantis, sic est alia, & alia ratio notificatiua essentiæ eorum. Constat igitur quid sit æquiuocum æquiuocatũ. Quomodo autem distinguatur per æquiuocum à consilio, & æquiuocum à casu, manifestabimus infrà.

De vniuocis.

Quantum ad secundum aduerte, quod apud Arist. vniuoca vniuocata (de his enim propriè intendimus, sicut diximus etiam de æquiuocis) sic diffiniuntur. Vniuoca dicuntur quorum nomen est cõmune, & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem, vt homo bos & leo sunt vniuoca respectu animalis: quoniam in nomine & in vna ratione animalis cõueniunt. nam hæc est vera homo est animal, & hæc, bos est animal &c. ergo conueniunt in vno cõmuni nomine, & hæc est vera, homo est substantia animata sensitiua, & hæc, bos est substantia animata sensitiua, ergo conueniunt in vna cõmuni ratione substãtię. Sic ergo intelligatur hęc diffinitio. Vniuoca dicuntur, id est significantur illa, quæ in vno nomine communi, & vna cõmuni ratione indicatiua substantiæ, id est essentiæ siue naturæ eorũ conueniunt, siue sit vera diffinitio, siue descriptio notificatiua substantiæ. Quod dico, quoniã si oporteret eorũ rationẽ esse veram diffinitionẽ, sola species specialissima esset apud logicũ vniuoca: quoniam vt diximus in trac. præcedẽti, sola species diffinitur. Verũ, quia apud logicũ non solũ species specialissima, sed & generalissimum & subalterna genera vsq; ad specialissimam speciẽ sunt vniuoca, & tamen non propriè diffiniuntur, ideo ly ratio sumenda est vt se extendit ad diffinitionẽ & descriptionẽ & notificationem essentiæ, quocunque modo posit haberi.

Sed aduerte quod vniuocum est duplex, scilicet logicum, & physicum, quæ in aliquibus conueniunt, & in aliquo differunt. nam conueniunt in tribus, primò in vno nomine, secũdò in vna ratione formata ab intellectu, tertiò in conueniẽtia æqualì illius rationis, oportet enim quòd illa vna ratio æqualiter vniuocatis cõueniat, nam si prius vni, & posterius alteri conuenit, non stat vniuocatio, sed erit analogia vt dicemus infrà. Hac de causa sanum non est vniuocum: quoniã ratio sani prius conuenit animali sano, posterius autem vrinæ & medicinæ: quoniam non conuenit eis nisi in ordine ad animal sanum. Hæc tria ergo oportet inueniri in vniuoco, tam logico quàm physico. Sed physicum addit quartũ, quod non est necessarium in vniuoco logico. Hoc autem quartum est vnitas naturę, nam quæ sunt diuersam naturarum non vniuocãtur in aliquo vno importante diuersas naturas etiã quod de eo habeatur vna ratio cõmunis, in qua conueniunt. Hac de causa corpus non est vniuocum physicum, sed logicũ tantùm: quoniã diuiditur per corruptibile vt est elementũ, & per incorruptibile vt est cælum, quę sunt omnino diuersarum naturarũ. eadem causa species specialissima apud physicum non vniuocãtur in genere suo proximo: quoniam cuiuslibet speciei natura diuersa est formaliter ab alia, quã diuersitatẽ indicant differentię essentiales diuidentes genus & constituentes speciem. Vnde in 7. Physico. dixit Aristo. quòd iuxta genera, scilicet apud physicum, licet non apud logicũ latent æquiuocationes. Sola autem species specialissima est vniuoca logicè & physicè: logicè quidem, quoniam est vnius nominis & rationis in quibus conueniunt omnia sua indiuidua æqualiter. Physicè autem: quoniam natura specifica ex se est vna. nec est apta plurificari formaliter per differentias formales, sed solũ per materiã qua plurificantur indiuidua, vt tibi manifestabitur in metaphysica. Sed pro nunc sustine. Constat igitur tibi, quid sit vniuocum, & quomodo conueniunt ac differũt vniuocum logicũ & vniuocum physicum.

De denominatiuis.

Quantum ad tertium vt scias quid sint denominatiua, de quibus hic intendimus, & quorum prenoticiam reputamus opportunam ad habendam prædicamentorum doctrinam præponenda sunt duo notabilia.

Primum est, quod denominatiua sunt triplicia. nam quædam sunt voce tantùm, quædam significatione tantùm, quędam voce & significatione simul. ea sunt denominatiua voce tantùm, quæ ita se habent quod denominans & denominatiuum dicũt eandem naturã, sed differunt solùm sicut apud grammaticũ per nomen primitiuum & nomen deriuatiuũ, & hoc modo, homo & humanitas, animal & animalitas, Deus & deitas, se habẽt, vt denominatiuum & denominãs: deriuatur enim homo ab humanitate, Deus à deitate, sed homo non dicit aliam naturam ab humanitate, nec animal ab animalitate, nec Deus à deitatẽ. Ea sunt denominatiua *significatione tantùm, quæ ita se habent* quòd denominãs & denominatum conueniunt in significato, sed nõ in nomine: nam aliud nomen imponitur denominanti, & aliud denominatiuo, ita quod non conueniunt in principio nec differũt in fine, & hoc modo apud moralesse habẽt virtus & studiosus. Dicitur enim studiosus ille qui habet & operatur secundum virtutẽ, & vulgariter dicitur virtuosus à virtute, ergo vt à denominãte dicitur studiosus denominatiuè secundum significationem, sed non secundum vocem: quoniam in voce & prolatione nullo modo cõueniunt virtus, & studiosus. Ea autem sunt denominatiua voce & significato, quę conueniũt in voce siue termino in principio & differunt fine à denominante, & dicunt siue addunt aliam naturã à natura denominantis, nam denominans dicit accidens, denominatiuũ autẽ dicit substantiam in se habentem tale accidens, hoc modo se habent apud logicum & physicum albedo & album, iustitia & iustus, sapientia & sapiens. Hic non intendimus loqui de denominatiuis nisi in tertio sensu: quoniam ea sunt propriè & formaliter denominatiua.

Secundò notandum quòd apud Philosophum denominans dicitur abstractum quasi simplex & pura forma, vt albedo, apud grammaticum dicitur primitiuum quasi non dependens nec originatum ab altero. Denominatiuum autẽ apud Philosophum dicitur concretum quasi compositum ex subiecto & forma vt album, apud grãmaticum autem dicitur deriuatiuum quasi descendens ab altero. Sed aduerte quòd logicus & grammaticus in hoc valde differunt. Nam logicus dicit illud nomen esse abstractum, quod significat formam secundum se, & non per modum inhærentis substantię. Nomen autem concretum dicit esse illud quod significat formã in subiecto vt album. Nam licet album puram qualitatem significet, vt dicemus infrà, tamen subiectum concernit. Grammaticus autem qui versatur circa dictiones & syllabas dicit illud esse nomen primitiuum quod est pauciorũ syllabarum. Deriuatiuum autem quod est pluriũ. Vnde apud ipsum iustus est primitiuum, iustitia est deriuatiuum, cum tamen quo ad veritatem rei sit oppositum: quoniam dicitur *homo iustus à iustitia & non econuerso. Vnde intellectus* logici rationabilior est, vt pote consideratiuus veri & falsi.

His prænotatis aduerte quòd denominatiua in tertio sensu sic describuntur ab Aristo. Denominatiua dicuntur quæcunq; ab aliquo, solo differentia casu, secundum nomen habent appellationem, vt à fortitudine fortis. Hæc descriptio sic intelligẽda est. Denominatiua, scilicet nomina, quæ apud physicum dicuntur cõcreta, dicuntur esse illa, quæ sunt differentia ab aliquo, scilicet nomine denominante siue abstracto, secundum physicum, solo casu, id est sola terminatione, *quoniam conueniunt in principio dictionis & differunt in* fine, vt iustus & iustitia, & secundum illud nomen, scilicet concretum habent appellationem, id est prædicãtur de subiecto, non enim denominantia siue abstracta prædicãtur de subiecto, sed denominatiua siue concreta. Hæc enim est falsa, homo est iustitia, sed hæc est vera, homo est iustus. Ex quibus omnibus patet quod ad veram & formalem denominationem acceptam in tertio sensu tres conditiones requiruntur. Prima est, quòd abstractum & concretum cõueniant in vno nomine quo ad principium dictionis, secunda quòd differant in fine, tertia quod concretum dicat aliam rem siue naturã à subiecto. vt hic, homo est albus: nam homo est substantia, album autem quod albedinem cum connotatione subiecti importat, spectat ad prædicamentum qualitatis, & sic patet quòd quando prædicatur differentia essentialis de genere aut de specie, vt animal est sensitiuum, homo est rationalis, non est vera & propria prædicatio denominatiua: quoniam differentia essentialis non dicit alienam naturam de eo cuius est differentia. Restat ergo vt vera denominatio fiat iuxta quartum & quintum prędicabile prędicatione directa: quoniam vt docuimus in tracta. præcedenti, dicunt naturam accidentalem adueniẽtem subiecto quod denominat, vt risibile est in prædicamento qualitatis & album & nigrum &c. Subiectum autem quod denominatur est in prædicamento substantiæ. Dixi prædicatione directa: quoniam indirecta parum existimatur in arte, cum sit merè accidentalis. Hæc de æquiuocis & vniuocis & denominatiuis, quæ comprehenduntur in primo anteprædicamento dicta sufficiant, & in his terminatur secundum caput.

CAPVT III.

De secundo anteprædicamento, duplici diuisione videlicet.

IN tertio cap. agendum est de secundo anteprædicamento in genere, quod continet duas diuisiones, quarum prima est de terminis per se significatiuis & categorematicis, qui de aliquo vel aliquibus apti sunt prædicari, secunda est de entibus quæ apta sunt in subiecto esse, vel de subiecto dici, & quæ non. Istæ autem duæ diuisiones anteprædicamenta hic

reponuntur,quoniam cognitioni prædicamẽtorum omnino opportunæ sunt,nam prima deseruit ad cognoscẽdum differẽtiam eorũ quæ ponũtur in prædicamẽto,ab his quæ nõ ponuntur,secunda autem deseruit ad cognoscendum differentiam eorum ab inuicem quæ reponuntur in prædicamẽtis, vt videbis. primò igitur manifestanda est prima diuisio, secundò secunda.

Quantum ad primum aduerte quod Arist.intendens premonere discentem ex quibus consset ordinatio & dispositio prædicamẽtalis inquit,eorũ quę dicuntur,quædã quidem secundum complexionem dicuntur,quædam sine complexione,quæ secundum complexionem dicũtur sunt homo currit, homo vincit,ea verò quæ sine complexione dicuntur sunt,vt homo, bos, currit,vincit &c,

Pro notitia huius diuisionis aduerte tria, primò quòd coincidit cum ea quam posuimus in trac. secundo assignantes diuisiones terminorum,& est decima diuisio, quæ fuit hæc. Terminorum alius complexus, alius incomplexus. Hic autem dicit Aristo. eorum quæ dicuntur,id est dictionum,quæ voce proferuntur,quædam sunt cum complexione id est sunt complexæ,quædam sine,id est sunt incomplexæ,secundò aduerte vt scias quid sit verè complexũ, & quid incomplexum de quibus intendit Aristoteles hic loqui quòd complexum est triplex. scilicet voce tantum,Significato tantum,voce & significato simul.

Complexum voce tantum est quãdo per plures voces per se significatiuas circũloquimur aliquam vnam rem, quam nescimus vno proprio nomine nominare. vt primogenitus Socratis filius Athenienſis.Incõplexũ tali complexo oppositum est,quãdo per vnam vocem per se significatiuam vniuocam rem vnam nominamus, vt Socrates,homo, asinus &c.

Complexum significato tantum est,quando vnam vocem tantũ quæ tamẽ plura habet significata proferimus,vt canis cancer,sanum. nam sub vna voce plura indistincte cõplectimur. Incomplexum tali complexo oppositum est, quando vnam vocem tantum habentem tantum vnum significatum proferimus,vt homo,capra,leo.&c.

Complexum voce & significato simul est, quando plures voces plura significantes proferuntur, vt homo albus, homo currit, homo est animal & hoc complexum semper est oratio aut perfecta,si est cum copula,vt homo est albus: aut imperfecta si est sine copula, vt homo albus. incomplexum huic complexo oppositum est, quando vna vox simplex vel composita significans vnum profertur,exemplum primi,homo animal,exemplum secundi armiger,scutifer,paterfamiliãs, œconomus.

Aduerte tertiò quòd Aristoteles hanc diuisionem fecit vt innueret quòd in prædicamento non reponitur secundum se totum complexum secũdo modo,& tertio modo dictum, quoniam omne reponibile secundum se totum in prædicamento dicit vnam & determinatam naturam, cum sit aut genus aut species,aut differentia. Sed complexum secundo, & tertio modo, non dicit vnam & determinatam, sed plures vt patet de cane,& de hac oratione homo est albus. nam homo importat substantiam,& albus qualitatem.Dixi secundo & tertio modo vt excipiam complexum primo modo, quoniam re est incõplexum licet voce sit complexum, ideo non excluditur à prædicamento.sicut nec incomplexum voce & re. Dixi secundum se totum, vt excipiam partes, namlicet totum hoc complexum homo albus, non reponatur in aliquo vno prædicamento,tamen secundum distinctas reponitur in distinctis prædicamentis, vt homo in prædicamento substantiæ & albus in prædicamento qualitatis.Restat ergo vt in prædicamentis reponantur sola incomplexa siue significentur nomine simplici, siue composita, siue circunloquuto. Hæc de prima diuisione dicta sint.

Secunda diuisio.

Quantum ad secundum aduerte quod Aristoteles relicto primo membro primæ diuisionis,subdiuidit secundum,scilicet incomplexa,& format secundam diuisionem continentem quatuor partes,& est talis, eorum quæ sunt, alia de subiecto dicuntur, sed in subiecto non sunt. Alia in subiecto sunt, sed de subiecto non dicuntur. Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt. Alia neque de subiecto dicuntur,neque in subiecto sunt.

Pro euidentia huius diuisionis quæ est diuisio incomplexorum tria aduertenda sunt, deinde exponemus singulas partes diuisionis.

Aduerte primò quòd hæc diuisio supponit vt scias modos generales, quibus res dicitur esse in aliquo, puta an sicut pars in toto,vel sicut totum in partibus, an sicut accidẽs in subiecto,vel sicut superius in suo inferiori:& quia Aristoteles modos generales essendi in numerauerat in quarto libro Physicorum agens de loco,noluit hic repetere,quoniam fortè libros de physico auditu prius tradiderat quàm artem veterem,verùm quia nouiciis in logicalibros de physico auditu nondum nouit ideo ad instructionem eius ne tendat per incognita, numerandi sunt hic modi essendi in, vt scias in quo sensu loquitur Philosop.cũ dicit alia sunt in subiecto &c.

Octo modi de essendi in.

Tu igitur aduerte,vt recolligit Petrus Hispa. in anteprædicamentis,modi essendi in, reducuntur ad octo.Primus est sicut pars integralis in toto,vt manus.brachiũ, caput in corpore humano.Secundus est conuersio.vt corpus humanum in suis membris,& tectum,paries;& fundamẽtum in domo & conuersio. Tertius est sicut species in genere, vt homo in animali,& omne inferius in suo superiori. Quartus est sicut genus in specie,& omne superius in suo inferiori. Quintus est sicut forma in materia, & ille subdiuidit, quoniam vt declarabitur in 1. phys.forma est duplex.scilicet substantialis,vt anima in homine,& accidentalis,vt albedo in manu; substãtialis dicitur propriè esse in materia,quoniam immediatè in ea recipitur. Accidentalis verò dicitur propriè esse in subiecto constituto ex materia & forma,& dicitur materia secunda. Sed pro nunc sustine,donec erudiaris in philosophia naturali.Sextus est sicut effectus in causa efficiente, vt flos in radice,regnum in rege.Septimus est sicut aliquid in fine,vt virtus in beatitudine. Octauus est sicut contentum in continente, vt locatũ in loco,& res temporalis in tempore. Vnde versus,

1 2 3 4 5
Insunt pars, totum, species, genus, & color igni.
6 7 8
Rex in regno, res in fine,locoque locatum.

Assignatis modis essendi in aduerte secundo quòd quãdo dicit Aristotel. alia sunt in subiecto, non accipit subiectum pro toto nec pro genere nec pro superiori,nec pro inferiori, nec pro materia in qua recipitur forma substantialis,sed pro corpore,in quo recipitur accidens,& dicitur subiectum inhæsionis siue sustentationis, quoniam accidens non potest esse apud Aristote. sine subiecto.

Aduerte tertiò quòd cum dicit Aristo.quædam dicũtur de subiecto,per ly dicuntur intendit prædicantur per ly de subiecto,intendit de inferiori,& non intendit de subiecto accidentis, sicut quando dicit, quædam sunt,in subiecto.

His prænotatis,prædicta diuisio quatrimembris sic debet intelligi,eorum quæ sunt,id est entium siue rerum,quędam dicuntur de subiecto, id est prædicatur de inferiori, vt patet in arbore Porphy.in prædicamẽto substantię descendendo à generalissimo per subalterna vsque ad specialissimam inclusiuè,nã substãtia prædicatur de corpore, corpus de animato, animatũ de animali, animal de homine, homo de Sorte & Platone,in subiecto verò non sunt,id est non inhærent,nec recipiuntur in subiecto,sicut accidentia quæ sustentantur per subiectũ,& hæc pars prima diuisionis conuenit omnibus generibus & speciebus & differẽtiis prædicamẽti substantiæ. Quædam non dicuntur de subiecto, idest non prædicantur de inferiori,nec sunt in subiecto,id est non recipiũtur,nec sustentantur per subiectum sicut accidentia, & hæc secunda pars diuisionis cõuenit omnibus indiuiduis signãtis,quæ continentur sub specie specialissima in prædicamẽto substãtiæ, nam sub indiuiduo nõ datur inferius,aliter indiuiduum non esset indiuiduum,sed genus aut species. Dixi indiuiduis signatis vt excipiam indiuiduum vagum,quoniam & si secundum rem,non prædicantur de inferiori sicut prædicatur species,tamen secundum vocem prædicatur.Prædicatur enim quidam homo de Sorte & Platone & Ioanne &c. Quædam dicũtur de subiecto,id est prędicatur de inferiori,vt in prędicamẽto quãtitatis incipiẽdo à generalissimo vsq; ad specialissimum inclusiuè.Nam quantitas prædicatur de continua & discreta,& continua prædicatur de linea & superficie, & corpore,& linea prædicatur de linea curua & linea recta,& sunt in subiecto,id est recipiuntur & sustentantur per subiectum quoniã sunt accidentia quorũ esse est inesse,vt dicemus infrà,& hæc tertia pars diuisionis, cõuenit omnibus generibus,& speciebus prædicamentorũ accidentium & eorũ differentiis. Quædã autẽ nõ dicuntur de subiecto,id est non prædicantur de inferiori,vt omnia indiuidua prædicamentorũ accidentiũ,vt hæc albedo,hæc dulcedo,hæc linea, hic locus &c.nã cum sint indiuidua,eis repugnat habere inferiora de quibus prædicẽtur.Sed sunt in subiecto: quoniã cũ sit accidẽtia sustentari non possunt sine subiecto, & hæc quarta pars con

conuenit omnibus indiuiduis nouem prædicamentorũ accidentiũ. Constat igitur tibi quis sit sensus secundæ diuisionis anteprædicamentalis. Constat etiã quantũ deseruiat cognitioni prædicamentorũ:nam per primam & secundã partem cognosces quomodo se habentã substantiæ vniuersales quã singulares in prædicamẽto substantiæ per tertiã & quartam cognosces quomodo se habẽt accidẽtia vniuersalia & singularia in nouem prędicamentis accidẽtium. Hæc igitur dicta sint de secundo anteprędicamẽto in genere,& hic terminatur tertium caput.

CAP. IIII.

De tertio anteprædicamento duabus videlicet Regulis.

IN quarto cap.agendũ est de tertio anteprædicamẽto in genere,quod duas regulas continet deseruiẽtes doctrinæ prædicamẽtorũ vt tibi manifestũ erit.Tu igitur aduerte q̃ prima valet ad cognoscendum ordinem eorum, quæ in eodem prædicamento ordinantur secundum sub & supra quomodo scilicet vnum de altero prædicatur,igitur circa primam regulam duo agenda sunt, primò declaranda est secundum verum sensum Arist. secundò assignandæ sunt cõditiones obseruandæ in ipsa regula,ne error in ipsa eueniat.

Quantũ ad primũ aduerte quod regula prima apud Aristotelem talis est,quãdo alterum de altero prędicatur vt de subiecto,quęcunque de eo quod prædicatur dicuntur,omnia etiã de subiecto dicũtur,vt homo prædicatur de quodã homine,animal verò de homine,ergo & de quodã homine prędicatur animal,quidam enim homo est homo,& est animal.

Hæc regula sic intelligẽda est. Quãdo superius, de inferiori vt animal de homine quicquid prędicatur de superiori essentialiter prædicatur etiã de inferiori.Verbi gratia quia in arbore Porphyrij,homo essentialiter prędicatur de Sorte, & de homine essentialiter prædicatur animal & de animali corpus animatum & de corpore animato corpus, & de corpore subsistantia,omnes iste consequentię valent per regulam istam,Sortes est homo,homo est animal,ergo sor.est animal. Homo est animal,animal est corpus animatum, ergo homo est corpus animatum,& sic ascende vsque ad generalissimum. Vnde patet quod hæc regula optimè deseruit ad cognoscendum ordinem essentialem inter superiora & inferiora in quolibet prædicamento.

Quantum ad secundũ aduerte quod Arist.hanc regulam non introduxit infallibiliter veram nisi in ordine essentiali superiorum & inferiorum in eodem prædicamento, in quibus nunquam est error. Qui autem volunt eam extendere ad aliud propositum,conantur apponere diuersas conditiones quibus non seruatis regula non valet.Quod igitur in ordine essentiali prędicamentali valeat absolutè,& sine aliqua limitatione patet ex se. Si autem vis ea vti in aliis propositis oportet vt serues sex conditiones.

Prima est vt arguas in prædicatis per se, prædicatur autẽ per se genus species differentia & proprium. Vnde bene sequitur,sor. est homo,homo est rationalis, ergo sor. est rationalis.Item sor.est homo,homo est risibilis,ergo sor. est risibilis.In prædicatis autem per accidens non valet. Vnde nõ sequitur, sor. est homo, homo est albus, ergo sor.est albus.

Secunda est,vt arguas in prædicatis per se & primę intentionis,vt hic sor. est homo.homo est animal,ergo sor. est animal.Nam in prædicatis secundæ intentionis non valet.Non enim sequitur. Homo est animal,animal est genus, ergo homo est genus.Nam genus est terminus secundæ intentionis.

Tertia est,vt seruẽs prædicationem directam præcipuè in secunda propositione. Vnde non sequitur, homo est animal, animal est asinus,ergo homo est asinus.

Quarta est quod non facias vtranque propositionem negatiuam.Vnde non sequitur.Homo nõ est asinus, asinus non est rationalis.ergo homo non est rationalis.

Quinta est quòd quando prima propositio fit per verbum adiectiuũ aut per sum es est, sed prędicatum est obliquum, primo modo resoluatur in suum participium & totũ quod sequitur copulam sit subiectum propositionis secũdæ, aliter sequitur error vt hic, homo habet manus, manus sunt duæ, ergo homo est duo. Non sequitur,sed dicatur sic, homo habet manus,habẽs manus est duo, ergo &c. arguitur quidem per regulam,sed secunda propositio est falsa: ideo neganda, secundo modo sumatur participium de sum es est, quod est ens cum ipso obliquo,& fiat subiectum secundæ propositionis, aliter sequitur error.vt hic: Nauis est in mari, in mari sunt pisces, ergo nauis est piscis. Non valet, sed dicatur sic, nauis est in mari,ens in mari est piscis,ergo &c.arguitur quidem per regulam, sed secunda propositio est falsa, neque enim omne ens in mari est piscis,& ideo neganda est.

Sexta est vt teneantur termini in vtraque propositione vniformiter. Nam si fiat transitus à concreto ad abstractum, aut mutetur suppositio sequitur error.exemplũ primi, Non sequitur. Homo est albus, album est accidens vel qualitas, ergo homo est accidens, vel homo est qualitas. exemplum secundi. Homo est animal, animal est trisyllabum,ergo homo est trisyllabum.fit enim transitus à suppositione formali ad suppositionem materialem.Ne igitur decipiaris aut concede prædictam regulam solùm in ordine prædicamentali, sicut eam introduxit Aristote.aut in aliis propositis concede eam cum limitationibus præpositis, & non aliter.alioquin erit tibi causa deceptionis & non veritatis. Hæc pro prima regula dicta sint.

Circa regulam secundam aduerte antequam descendamus ad eam,quòd Aristot.introduxit eam, vt cognoscas coordinationes prædicamentorum esse penitus impermixtas, ita quod nec idem genus,nec eadem species,nec eadem differentia potest poni in distinctis prædicamentis, nec distincta genera, nec distinctæ species, nec distinctæ differentiæ possunt poni in eodem prædicamento, modo,quo tibi exponemus. primò igitur assignabitur regula cum vero sensu Aristote.secundò defensabitur.

Quantum ad primum aduerte quod apud Aristotelem regula talis est diuersorum generum & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species & differentiæ, vt animalis & scientiæ, animalis quidem differentiæ sunt vt gresibile & volatile & bipes: scientiæ vero nulla harum est, neque enim scientia à scientia differt in eo quod est bipes. Subalternorum verò generum nihil prohibet easdem esse differentias. Superiora enim de inferioribus prædicantur,quare quæcunq; fuerint prædicati differẽtię,erunt eidem subiecti.

Pro notitia huius regulæ,declarandum est quæ sint genera subalternatim posita,& quę non,deinde exponetur regula.Tu igitur aduerte quod genera subalternatim posita sunt illa quorum vnum ponitur sub altero immediatè,vt animal sub animato,& animatũ sub corpore, & corpus sub substantia,vel duo sub vno tertio,vt animal & planta sub corpore. non subalternatim posita sunt illa,quorum vnum non ponitur sub altero neque immediatè,neque mediatè,neque duo sub vno tertio, vtpote quia non ordinantur in eadem linea prædicamentali, sed in diuersis vt animal & color non subalternantur.Spectat enim animal ad prædicamentum substantiæ,& color ad prædicamentum qualitatis.Constat igitur quid sit genera subalternari,& quid non.

Sensus autem regulæ talis est.Si dantur duo genera, quorum vnum non ponitur sub altero, neque ambo sub tertio, necesse est eorum esse diuersas species & differentias, ita quod impossibile est eandem speciem locari sub distinctis generibus non subalternatis, idem intellige de differentia. Verbi gratia asinus non potest locari sub animali, & sub colore. Rationale non potest locari sub animali, & sub numero,& ratio huius regulæ est hæc.Diuersorum principiorum diuersa sunt principiata,sicut diuersarum causarum diuersi sunt effectus. Sed genera sunt principia specierum & differentiarum, ergo quando sunt diuersa genera & non subalternatim posita, necesse est esse diuersã specie & differentia.ex opposito autem sequitur quod si duo sint genera subalternatim posita,non inconuenit eandem speciẽ sub vtroq; locari, sed immediatè sub vno mediate; sub altero vt homo immediate locatur sub animali, mediate autem sub corpore animato.nam hęc est vera,homo est animal,& hęc,homo est corpus animatum,quia animal est corpus animatum, & hoc est quod dicit Aristote. quia superiora de inferioribus prædicantur,differentiæ species erunt eædem.

Quantum ad secundum aduerte quod per hanc regulam non intendit negare,quin vna & eadem res non possit locari in diuersis prædicamentis. Hoc enim contradiceret doctrinæ suæ.Tenet enim in 3.Physi.eundem motum locari in prædicamẽto actionis & in prædicamẽto passionis,& scientiam & sensum locari in prędicamento qualitatis & relationis, & hominem generantem in prædicamento substantiæ & in prædicamento relationis. Sed intendit quod nulla res sub vna & eadem ratione potest sub diuersis prædicamentis locari, quod si locatur,hoc erit propter aliam, & aliã rationem.V.G.motus vt est à mouẽte est in prædicamẽto actionis,quia mouere est actio mouentis,vt autẽ recipitur in mobili, est in prædicamento passionis, quia mouere est passio moti siue mobilis,& scientia vt qualificat & perficit intellectum est in prædicamento qualitatis.vt autẽ refertur ad sci-

bile,est in prędicamēto relationis:qm̄ sciētia est scibilis sciētia.sicut sensus est rei sensatę sensus.vnde sensus inquantū est potentia animæ,est in prædicamento qualitatis, inquantum autem respicit obiectum sensatū, est in prædicamento relationis,& homo vt animal est in prædicamento substantiæ.vt generans sibi simile & dicitur pater est in prædicamento relationis,licet igitur coordinationes prædicamentorum sint impermixtæ non tamen res prædicamentales. Sed hæc tibi manifesta erant in 5.Methaphy. Pro nunc autem sustine.

Sed dices,si diuersa genera non subalternatim posita habent diuersas species & differentias, quare corpus, quod est species subalterna,vt declaratum est in tracta.præcedenti,locatur in prædicamento substātiæ,vt pater in arbore Porphyrij & in prædicamento quantitatis, vt tibi manifestum erit in parte sequenti. Similiter,quare rationale ponitur differentia animalis & differētia sciētiæ. Diuiditur enim animal per rationale,& irrationale & scientia per realē & rationalem.

Respondetur,corpus & rationale non secundum eandem rationem, imò quasi æquiuocè ad diuersa spectant prædicamenta,nam corpus vt est substantia non abstracta à quantitate & materia, est in prædicamēto substātiæ,& opponitur substantiæ incorporeæ:vt autē est trina dimensio,scilicet longitudo,latitudo & profunditas est in prædicamento quantitatis,vt tibi declarabitur in parte sequenti.Rationale autem vt dicit naturam intellectualem discursiuam siue argumentatiuam,qualis inter omnia animalia est homo , est differentia animalis:vt autem dicit habitum intellectus versantem circa ens rationis est differētia sciētiæ, sub qua continetur logica vt manifestauimus in tract. primi cap. quinto. Hæc de præsenti cap. dicta sint in quo compleuimus doctrinam de anteprædicamentis.

Primæ partis, Tract. quinti, quæ est de anteprædicamentis, Finis.

PARS SECVNDA TRactatus quinti,de prædicamentis.

EXpedita traditione anteprædicamentorum, accedendum est ad secundam partem eiusdem tract.quinti, quæ erit ,de doctrina decem prædicamentorum, tradita nobis ab Arist. à qua non deuiat Petr. Hispanus.sequitur enim viam peripateticam ad vnguem. Hanc igitur secūdam partem distinguemus in vndecim capita,

Primò quid requiritur ad hoc quod aliquid reponatur secundum se in prædicamento & quot sint?
Secundò agendum est de substantia.
Tertiò de quantitate.
Quartò de ad aliquid , id est de relatione.
Quintò de qualitate.
Sextò de actione.
Septimò de passione.
Octauò de quando.
Nonò de vbi.
Decimò de situ.
Vndecimò de habitu.

Post hæc aggrediemur doctrinam de postprædicamentis,vt compleatur intentio nostra in hoc quinto tractatu.

CAP. I.

Quid requiratur ad hoc quòd aliquid sit secundum se in prædicamento, & quot sint prædicamenta secundum doctrinam Aristotelis.

IN primo cap. inuestigandum est quid requiratur ad hoc quòd aliquid secūdum se reponatur in prædicamento. Deinde ,quot sint, & hoc secundum doctrinam peripateticam.

Quantum ad primum aduerte quòd quatuor conditiones requiruntur ad hoc quòd aliquid secundum se siue per se ipsum reponatur in prædicamento.Primò requiritur q̄ sit incomplexum,& huius rationem assignauimus in parte præcedenti , capite secundo declarantes quare complexum non secundum se totum,sed solum per partes reponitur in prædicamento.secundò requiritur q̄ sit vniuersale , ita q̄ sit aptum esse in multis & prædicari de multis,ex quo sequitur q̄ Deus non est reponibile in prædicamēto.Prophanum enim est dicere Deum esse quid vniuersale vel particulare,cū sit omnino implurificabilis,nec sub aliquo genere aut specie cōtineatur:vt tibi declarabitur in philosophia.tertiò requiritur q̄ sit ens extra intellectū:id est ens reale, & nō ens rationis quale est ens imaginatū,vt chimera, & secundæ intentiones , quas intellectus rebus attribuit , vt intentio generis & speciei & subiectum & prædicatum , & similia. Nam Aristot.in sexto Metaphy.diuidit ens in ens in anima, quod dicitur ens rationis , & ens extra animam , quod partitur in prædicamenta. Quartò requiritur quod sit ens limitatæ & determinatæ naturæ , puta quod sit substantia & non quantitas , quod sit quantitas & non qualitas.Ex quo sequitur quod sex transcēdentia non reponuntur in prædicamētis, sed superiora sunt, & de quolibet prædicantur,nam substantia & quātitas &c. sunt ens & verum & bonum & aliquid &c.

Quantum ad secundum aduerte,quod apud Aristo. prædicamenta sunt decem signata per decem dictiones incomplexas,de quibus inquit Aristot.Eorum,quæ secundum nullam complexionem dicuntur,id est dictorum incomplexorum singulum significat aut substantiā,vt homo. æquus, aut quantitatem,vt bicubitum:aut qualitatem,vt album,aut ad aliquid,vt duplum:aut vbi,vt esse in loco:aut quando,vt esse in tempore:aut situm,vt sedet,iacet:aut habitum: vt calciatum esse,armatum esse,aut facere,vt secare,vrere,aut pati, vt secari,& vri.Horum quidem sufficientiam diuersimodè assignant logici,atque Philosophi vt patet in 3.Physi.& in 5. Metap.Verum ne nouicius inuoluatur leuiori modo,procedentes pro nunc talem sufficientiā assignamus,prædicamēta dicuntur à modis prædicandi, modi autē prædicādi si debent esse veri & non ficticij neque chimerici,debent sumi à modis essendi. Quot ergo sunt modi generalissimi prædicandi & essendi,tot sunt prædicamenta. Tales autem modi sunt decem.Quod sic declaratur.Omnis modus essendi,aut est non in alio,aut in alio,aut ad aliud.Si non in alio,conuenit substantiæ:vt dicemus infrà:si in alio,dupliciter,quia aut res existens in alio cōuenit ei ratione materiæ,& sic est quātitas:aut conuenit ei ratione formæ.& sic est qualitas.Si ad aliud aduerte quod ad aliud importat respectū , qui est duplex,scilicet intrinsecus & extrinsecus.Intrinsecus facit prædicamentum relationis.Extrinsecus autem facit sex vltima prædicamēta.Quæ distinguuntur à quatuor primis per dominationē extrinsecam , quæ denominatio aut fit per actionem,& sic constituitur prædicamētum actionis,aut per passionem,& sic constituitur prædicamētum passionis:aut per tempus,& sic constituitur prædicamentum quando,aut per locum comparando ipsum ad totum locatum,& sic constituitur prædicamētum vbi,aut comparando locum ad partes locati,& sic constituitur prædicamētum situs, qui & positio dicitur,aut per ea,quæ adiacēt corpori humano,vt sunt vestes & arma & alia tegumenta , & sic constituitur prædicamentum habitus, qui videtur competere soli homini , & brutis,vt deputantur humano obsequio.Hęc pro nunc dicta sufficiant,neque enim poteris hęc plene capere absque Philosophia, quæ considerat materiam formam motum actionem passionem,tempus & locum.Sustine igitur,& sufficiat nobis assignasse tibi cōditiones requisitas ad hoc quòd aliqd reponatur secundū seipsum in prędicamēto,& quot sint prędicamēta superficialiter exemplando.sicut exemplauit Arist.

Quot sint prædicamenta.

Et aduerte quòd hic semper loquimur secundum doctrinam Aristo.vt excludant imaginationes Pythagoricas,quas refert Aristoteles in libro primo Metaphy. Posuit enim Pythagoras viginti prædicamenta , decem quidem ex parte boni,& decem ex parte mali.Quę nunc referre superfluum est, & inutile prædicamenti proposito. Ideo pertranseundum est.Hæc de prædicamenti cap.dicta sint

CAPVT II. *De prædicamento substantiæ.*

IN cap. secundo agendum est de prædicamento substantiæ , vtpote de primo & perfectiori.est enim fundamentum sustentatiuum omnium accidentium, de quibus extant nouem prædicamenta sequentia. De prædicamento igitur substantiæ tria agenda sunt ,primò diuidenda est, secundò diffinienda,& eius diffinitiones declarandæ , tertiò tractandum est de proprietatibus substantiæ.

Quantum ad primum , vt scias in quo sensu tractaturi sumus de substantia , formabimus duas distinctiones. Prima erit ad mentem Philosophi,secunda ad mentem logici.

Substantia diuisio.

Prima sit hæc,substantiæ apud physicum dicuntur prima corpora,ex quibus omnia inferiora cōponūtur,& sunt principales partes mundi inferioris & appellantur quatuor elementa.Item quod est primum fundamētum cuiuscunq; rei constitutiuū,aut sustentatiuū & cōseruatiuū dicitur rei substantia.In quo sensu,fundamentū est substantia domus.& cibus bene nutritiuus est substantia animalis. Item forma rei naturalis dicitur substantia eius:quoniam dat esse rei & cōseruat inesse,& ipsa remota desinit res esse. In quo sensu anima est substantia hominis & cuiuscunque animati. Item essentia & natura & quidditas cuiusque rei dicitur substantia eius. In quo sensu sumpta est substantia in diffinitione vniuocorum & æquiuocorum,vt exposuimus in parte precedenti. Item sumitur substantia pro omni eo quod substat accidentibus in quo sensu manus calida est substantia caloris,nix est substantia albedinis , Anima est substantia scientiæ & virtutis.& dimissis omnibus prædictis aliis significatis: quoniam ad philosophum purum pertinent,considerandus est in logica vltimus sensus : quoniam,vt videbis. Aristoteles describit substantiam per hoc quod est accidentibus substare.

Secunda igitur distinctio sit hæc. Substantia quantum ad id à quo nomen imponitur aliquando dicitur à subsistendo, id est a per se essendo,prout per se esse opponitur inesse alterī non simpliciter,sed inhærenter , & in hoc sensu quicquid non inest alteri,sed per se subsistit,vt sunt supposita & indiuidua naturalia, vt Sortes, hic asinus,hic lapis , sunt substantia. Et posito quod essent in alio,dummodo non inhæreant,sicut accidens inhæret subiecto,sunt substantia. In quo sensu partes essentiales compositi naturalis,quæ sunt forma & materia,sunt substantia,& partes integrales eiusdem, vt in homine caput,manus,pedes,ossa,caro,& nerui,sunt substantia.In eodem sensu Deus & intelligentię sunt nobilissimę substantiæ,quia per se & in seipsis & nō in altero,vt partes subsistūt. Aliquādo dicitur substantia à substando,quia sola substat accidentibus sustentans ea:quoniam,vt dicemus infrà , esse accidētis nō esse ens per se,sed in altero,id est in subiecto, quod est substantia. Et in hoc sensu,omnis substantia præter Deum dicitur substantia,omnis enim substantia præter Deum substat aliquibus accidentibus,vt tibi in philosophia manifestabitur. Et quoniā omnis nostra cognitio incipit à notioribus, & ad sensum nobis cōstat substantias corporales substare accidentibus,ideo Aristo.in prædicamentis contentatus est notificare substantiam, vt dicitur à subsstando , relinquens sensum pro nunc vt dicitur à subsistendo,vtpote magis occultū & spectantem ad altiorem scientiam,quàm sit logica.Hanc igitur substantiam à subsstando dictam Arist. antequam diffiniat, diuidit in primam & secundam, cuius diuisionis ratio est :quoniam cum substantia vt hic consideratur dicitur à subsstando,& alia sit vniuersalis vt animal & homo,alia particularis vt Sortes & Plato,substare contingit dupliciter,scilicet per se primò,& non per se primò,sed per aliud.si per se primò , sic est prima substantia quæ particularis est , si per aliud,sic est substantia secunda,quæ est vniuersalis,& hæc tibi manifesta erunt in diffinitionibus earum.

Sed dices.Quare non prius diffinitur substantia quàm diuidatur in primam & secundam.

Respondetur:quoniam substantia,vt dicitur à subsstando, non est quid vniuocum, sed analogum. Nam substare prius conuenit primæ substantiæ,deinde in ordine ad primam cōuenit secundæ. Neque enim homo est albus, nisi quia hic vel hic homo est albus,omne autem analogum cum declinet ad æquiuocum prius est diuidendum quàm diffiniendum. Quod autem analogum declinet ad æquiuocum patet ex eo,quòd vniuocum dicit vnam rationem tantùm , & æqualiter participatam à suis vniuocatis,ęquiuocum autem dicit plures rationes omnino diuersas conuenientes suis æquiuocatis,& absq; ordine,vt docuimus in parte præcedenti. Analogum autem vt medium magis declinans ad æquiuocum quàm ad vniuocum , dicit plures rationes in ordine tamen ad primum analogatum vt sanum, vel vnā inæqualiter participatam eo quòd primò,& per se conuenit primò analogato,posterius autem aliis in ordine ad primum vt ens,est enim ens,cui debetur esse,quæ quidem ratio primo & per se conuenit substantiæ:quoniam est ens simpliciter,secundario autem conuenit accidenti in ordine ad substantiam, nam accidens non est ens,nisi quia est entis,id est nisi quia respicit substantiam vt subiectum sustentatiuum.Et in eodem sensu substantia dicta à subsstādo,est analogum:quoniam eius ratio est hæc,substantia est quæ substat accidentibus,quæ quidem ratio primò & per se conuenit substantiæ primæ,deinde in ordine ad primā conuenit secundis,vt tibi manifestabitur per diffinitiones sequentes,ergo est analogum declinās ad æquiuocum.Et confirmatur:quoniam solet Analogum dici æquiuocum à consilio,ergo &c.Hæc de primò dicta sint.

Substantia prima & secunda quid sint.

Quantum ad secundum positis prædictis distinctionibus diffinienda est substantia prima & secunda, vt dicitur à subsstando,Tu igitur aduerte quòd ad mentem Aristot.substantia prima est,quæ propriè,principaliter & maximè substare dicitur.Item substantia prima est quæ neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur.

Primò dicitur,quæ propriè. Aduerte quod subintelligendum est quæ immediatè,vt excludatur materia prima,quæ licet sit primum subiectum substans formæ substantiali & accidentibus eius,non tamen immediatè,sed mediante forma substantiali in via nostra. Nam forma substantialis immediatè recipitur in materia, accidens autem in composito existente actu substantialiter , vt tibi manifestabitur in philosophia.Dicitur autem propriè ad differentiam superficiei, quæ videtur immediatè & propriè substare colori, nam vt inquit Aristote.infrà.Quanta est superficies,tantùm album dices,& tamen non propriè,sed apparēter substat; quoniam non per seipsam,sed virtute substātię,cui inest.Dicitur principaliter ad differentiam secundæ substantiæ,quę est genus, aut species. Nam licet hæc sit vera, homo est albus , non tamen est vera nisi quia hæc est vera , hic homo vel hic homo est albus,ergo albedo principaliter est in subsstantia singulari,quę dicitur substantia prima,& secundariò quoniam propter primam est in subsstantia vniuersali,quæ dicitur substātia secunda. Dicitur maximè , quia est ratio quòd secundæ substantiæ & partes primæ substantię subsistent accidentibus, non enim partes ignis sunt calidę nisi quia totus hic ignis est calidus, nec partes niuis sunt albæ , nisi quia tota hæc nix est alba. Constat ergo quomodo substantia prima est illa , quæ immediatè & propriè & principaliter & maximè dicitur substare , id est subesse accidentibus , tanquam primum eorum subiectum receptiuum.

Pro euidentia autem secundæ diffinitionis primæ substātiæ quæ dicitur quòd est illa quæ neque de subiecto,neque in subiecto esse dicitur, aduerte quòd per primam particulam differt prima substantia à secunda. Nam cum omnis secunda substantia sit vniuersalis,ex consequēti prædicabilis de pluribus oportet quòd dicatur de subiecto,id est de inferiori,vt genus de specie,& species de indiuiduo. Cum autem prima substantia sit singularis & sub singulari non detur inferius, vt patet in arbore Porphyrij,repugnat primæ substantiæ dici de subiecto,id est de inferiori,siue signetur per indiuiduū vagum, siue per indiuiduum signatum. Nam licet quidam homo dicatur de Sorte & Platone,non tamen vt superius de inferiori secundum rem , sed tantùm secundum vocem. Vtrunque enim dicit naturam singularem , sed alterum indeterminatè & alterum determinatè.Per secundam autem particulam differt ab omni accidente:quoniam omnę accidens siue vniuersale siue particulare est in subiecto in quo recipitur , nulla autem substantia siue secunda siue prima est in subiecto , cum sit ens per se , neque enim substantia pendet ab accidente,sed accidens à substantia.

Diffinita prima substantia diffinienda est secunda.Tu igitur aduerte quòd apud Aristot.secundæ substantiæ sunt species , in quibus sunt primæ substantiæ & genera specierum, vsque ad generalissimum. Nam aliquis homo , puta Sortes est in homine , sicut indiuiduū in specie & homo in animali vt species in genere & sic ascende vsq; ad generalissimum. Indiuidua igitur sunt primæ substantiæ , quia primo & per seipsas subsstant accidentibus. Species verò & genera sunt secundæ substantiæ,quia subsstant secundario accidentibus, nam sic non existunt in rerum natura nisi quia habent esse in primis.sic non subsstant accidentibus,nisi quia primę substant , in quibus sunt. Ideo enim albedo est in homine , quia est in aliquo homine in quo existit homo.

Hoc igitur modo descripta sit secunda substantia , vt dicitur substantia à subsstando.

Sed dices , secundæ substantiæ sunt in primis , aliter non prædicarentur in quid de primis. Nam hæc ideo est vera, Sortes est homo, quia natura hominis seruatur in Sorte, ergo primæ non sunt in secundis , aliter idem esset includens & inclusum,quod est impossibile.

Respondetur & conceditur quòd secundæ sunt in primis, & primæ in secundis,sed diuersa ratione.Nam secundę sunt in primis,vt superiora sunt inferioribus iuxta quartum modum essendi in assignatum in parte præcedenti. Primæ autem sunt in secundis iuxta tertium modum essendi in eadem parte præcedenti assignatum.Negatur autem esse impossibile idem esse includens & inclusum respectu diuersorum , sicut non est impossibile idem esse continens & contentum respectu diuersorum. Nam de anima verum est dicere quod continetur in corpore , sicut forma recepta in materia sua propria.Et verum est dicere quod continet corpus,quando conseruat corpus in esse integro & viuo quādiu est in corpore.qua separata corpus defluit in corruptionem.

Assignatis diffinitionib.primę & secūdę substātię,aduerte duo notabilia quę sunt ad mentem & de sententia Arist.qui-

bus adhuc euidentius declarantur diffinitiones suprà positæ, quorum primum est hoc. Inter ea quæ dicuntur de subiecto, & ea quæ sunt in subiecto, est hæc differentia, quod quæ dicuntur de subiecto, vt superiora de inferioribus prædicãtur de inferioribus nomine & ratione, vt animal de homine & homo de Sorte & Platone. hæc enim est vera, Sortes est homo & est animal rationale. Nam species prædicatur in quid de indiuiduis, ergo essentialiter, ergo nomine & ratiõe. Quæ autem sunt in subiecto, vt accidentia, si sumãtur in abstracto non prædicantur de subiecto, neque nomine, neque ratione, hæc enim est falsa, homo est albedo, homo est color disgregatiuus vitus, nam si homo est albedo, ergo est accidens, ergo substantia est accidens, q̃ implicat contradictionem. Si aũt sumantur in concreto, non inconuenit prædicari nomine de subiecto. Nam hæc est vera, homo est albus, quoniam est habens albedinem, nunquam autẽ prædicatur ratione, quoniã prædicari ratione, est prædicari essentialiter, accidentia autem non prædicantur essentialiter de subiecto, cũ sint extra essentiam eius, & possint adesse & abesse præter subiecti corruptionem, vt docuimus in tract. præcedenti. Ex hoc autem notabili aduerte q̃ vtraque diffinitio data de prima substãtia potest probari. & prima quidem sic. Illud, de quo omnia prædicãtur, aut in quo omnia alia sunt, propriè & principaliter & maximè substare dicitur. Sed de prima substantia omnia alia superiora prædicantur & omnia accidentia in concreto, & in ea sunt, ergo propriè principaliter & maximè substare dicitur. Secunda autem sic. Illud de quo omnia superiora prædicantur, & in quo omnia accidentia sunt, neque dicitur de subiecto, neque est in subiecto. Sed de prima substantia omnia superiora prædicantur vt patet in arbore Porphy. & in ea sunt omnia accidentia, quoniam est principale receptiuum accidentium, ergo neque de subiecto dicitur, neque est in subiecto.

Ex hoc igitur q̃ omnia prædicãtur aut sunt in prima substantia, sequitur vt inquit Arist. q̃ non existentibus in rerum natura primis substantiis impossibile est aliquid aliorum remanere, id est existere in rerum natura. nam si non existeret aliquod in indiuiduum naturæ humanæ, homo vt homo non existeret, quoniam ad mentem Aristotelis, vniuersale non existit nisi in singularibus, vt excludamus imaginatas ideas Platonicas, de quibus in logica non est loquendum, sed est officium metaphysici. Item nullum accidentium in existeret, quoniã natura cõis nõ subest accidẽtibus nisi vt habet esse in indiuiduis: nã hæc esset falsa, homo est albus, nisi aliqs homo existens esset albus, primũ ergo fundamentũ existẽdi substãtiis secũdis & in existẽdi accidẽtibus est prima substantia.

Secundum autem notabile est hoc. Sumendo substantiam à substando accidentibus, species specialissima est magis substãtia quàm genus. Omnes autẽ species specialissimæ, sub eodem genere contentæ, sunt æqualiter substantiæ. Primũ declaratur sic. Cum prima substantia sit maximè substãtia, vt declaratũ est in prima diffinitiõe sua, quoniã maximè substat accidentibus, substãtia illi propinquior est magis substantia quã remotior ab ea, sed species specialissima est propinquior primæ substantiæ quã genus. prædicatur enim immediate de prima substãtia, genus autẽ nõ prædicatur de ea nisi media specie specialissima. ergo est magis substãtia quã genus. secundum autem declaratur sic, omnes species specialissimæ sub se non habent inferiores species, aliter non essent specialissimæ, sed subalternæ, ergo omnes substant accidentibus æqualiter, quia immediate sub se continent primas substantias, quæ maximè & per seipsas substant. Nec obstat quod vna species substat pluribus accidentibus quàm alia: puta homo quam asinus, quoniam homo substat accidentibus corporalibus & intellectualibus, asinus autem tantum corporalibus. Hoc inquam non obstat, quoniam hæc æqualitas substãdi non attenditur penes pluralitatem aut paucitatem accidentium, sed penes æqualem propinquationem ad primas substantias, quæ æqualiter seruatur in homine & in asino. Nam sicut inter hominem & hunc hominem nullum est medium, sic nec inter asinum & hunc asinum.

Ex hoc autem secundo notabili declaratur diffinitio data de secunda substantia, in qua dictum est quod secundæ substantiæ sunt species & genera, in quibus sunt primæ substantiæ, & dicuntur secundæ substantiæ, quia secundario substãt. Dubitaret ergo aliquis cum tam genera quàm species sint secundæ substantiæ, quia secundario substant, Nunquid sunt æqualiter vel inæqualiter substantiæ? Respõdetur quod genera & species sunt inæqualiter, quia species magis substant quàm genus. Omnes autem species specialissimæ æqualiter, modo quo diximus. Constat igitur tibi ad mentem Aristotelis & logici realis quid sit prima & secunda substantia, & earum diffinitiones declaratæ sunt.

Sed dices. Cum Aristoteles intendat hic pertractare de prædicamentis quæritur quæ diffinitio ex suprà dictis conuenit substantiæ: vt est prædicamentum in se continens genus generalissimum & genera sua subalterna & species specialissimas vsque ad indiuidua.

Respondetur quod vsque huc Arist. non consideranit substantiam nisi vt dicitur à substãdo, in quo sensu vt docuimus non est quid vniuocum, sed analogum, & quando diuisit in primam & secundam, non diuisit eam vt genus generalissimum sed vt quid analogum in analogata. Ex consequenti quando diffiniuit primam per hoc quod est maximè substare & secundam per hoc quod est secundario substare nõ intẽdit de genere generalissimo. Quodlibet enim genus est vniuocum & non analogum nec æquiuocum, vt docuimus in trac. præcedenti. Ne igitur substantia vt constituit prædicamentum & vt est quid vniuocum, & vt diuiditur in arbore Porphyrij, remaneat tibi omnino incognita sic procedemus. Primò diffiniemus substantiam vniuersalissimè sumptam. Secundò substantiam contractam ad substantiam prædicamentalem, & quæ est generalissimum. Tertiò ordinabimus prædicamentũ substantiæ à generalissimo vsque ad indiuiduum.

Quantum ad primum aduerte, quòd substantia vniuersalissimè sumpta vt se extendit ad creatam & increatam, ad simplicem & compositam & ad eam, quæ est pars & quæ est totum, & breuiter vt distinguitur contra accidens sic diffinitur. Substantia vt substantia est ens non in subiecto existens, per cuius oppositum accidens vt accidens est ens in subiecto existens. Hæc substantiæ diffinitio cõuenit Deo & creaturę, & quoniã nihil est commune vniuocum Deo & creaturæ & necesse est genus generalissimũ esse vniuocum, constat quòd substantia sic diffinita non est substantia prædicamentalis, sed analoga sicut ens.

Quantũ ad secundũ aduerte quod substantia prædicamentalis & vt est genus generalissimũ sic diffinienda est, substantia est ens nõ in subiecto in esse participato siue finito existẽs, per hoc quod dicitur ens non in subiecto, differt à prædicamẽto accidentis. per hoc q̃ dicitur existens in esse participato excipitur Deus gloriosus, qui ex sua infinitate est extra omne genus, & substantia sic diffinita p̃dicatur vniuocè de omni substantia creata corporea & incorporea simplici & composita &c Constat igitur tibi quì sic substantia prædicamentalis secundũ logicũ realẽ. Si autẽ vis eam diffinire ad mentem nominaliũ, sic eam diffinies. Substantia prædicamẽtum est coordinatio plurium terminorum vniuocorum significãtium substantiam secundum sub & supra. Nam secundum eos plura prædicabilia, quæ p̃dicẽtur de inferioribus in quid significantia ens non in subiecto ordinata secundum sub & supra à generalissimo ad specialissimum, constituunt prædicamentum substantiæ.

Quantum ad tertium aduerte ne idem figuremus bis, & replicemus inutiliter, quod in tract. præcedenti inuenies arborem Porphyrij, in qua totam prædicamenti substantiæ seriem formatam videbis, quæ tibi sufficiet.

Viso quid sit substantia vt est prædicamentũ, accedendum est tertio loco ad pertractandum de proprietatibus & communitatibus substantiæ, quæ ad mentem Aristotelis sunt sex.

Prima est, neque substantia prima est in subiecto, neque substantia secunda, & quoniam omnis substãtia est prima vel secunda, quia vel est singularis vel vniuersalis: singularis est prima. si vniuersalis est secunda, ergo nulla substantia est in subiecto. Antequam probemus propositũ aduerte quòd hæc est communitas & proprietas substantiæ respectu diuersorum, communitas quidem est, quoniam non soli substantiæ, sed omni conuenit, in quo sensu dicere possumus risibile esse commune homini, quoniam conuenit omni homini. Proprietas autem est quoniã non conuenit nisi substantiæ. Nam cum omne ens sit substantia vel accidens, & omne accidens sit ens in subiecto, soli substantiæ nõ conuenit esse in subiecto. Nec obstat quòd dicit Arist. hoc non esse propriũ substantiæ, qm̃ cõuenit differẽtijs, scilicet substãtialibus, quasi qd̃ nõ sint substãtia. Hoc inquã nõ obstat, quoniã Arist nõ excipit differẽtias, quia nõ sint substantiæ secundũ rẽ, sed quia habẽt modũ qualitatis, & quia non ordinantur per lineam rectam, sed à latere in prædicamento substantiæ. Intentio est autem Arist. in prædicamẽtis assignare cõmunitates & proprietates eorum, quæ directè locantur in eis. Vnde si volumus facere hanc esse proprietatem substantiæ ad mentem Aristo. sic formanda est, proprium est substantiæ directæ & per lineam rectam locatæ in prædicamento, non esse in subiecto, & sic excluduntur differentiæ quantum ad modum significandi, licet non quantum ad rem significatam.

Hanc autem communitatem & proprietatem substantiæ modo exposito probat Arist. de prima & secunda substantia. De prima sic. Secunda diffinitio primæ substantiæ data est suprà per nõ esse in subiecto, neque dici de subiecto, ergo conuenit omni primæ substantiæ non esse in subiecto. Con. patet, quoniam diffinitio debet competere omni contento sub diffinito. De secunda autem probat inductione & syllogismo. Quid sit inductio & syllogismus dicemus in tract. sequenti. Inductione igitur sic probatur, nec homo est in subiecto, nec leo, nec animal, nec corpus, &c. & sic de singulis speciebus & generibus substantiæ, ergo nulla secunda substantia est in subiecto. Syllogismo sic. Quod est in subiecto, non prædicatur nomine & ratione de subiecto, hæc declarata est suprà in expositione primi notabilis: sed omnis secunda substantia prædicatur nomine & ratione de subiecto, id est, de inferiori quod sub ea continetur. Nam animal nomine & ratione prædicatur de homine, & homo de suis indiuiduis, ergo nulla substantia secunda est in subiecto.

Et aduerte quod cum dicit Aristoteles, nullã substantiam esse in subiecto, accipit subiectum pro subiecto inhæsionis, in quo sensu omne & solum accidens est in subiecto, & est quintus modus essendi in pro secundo membro, vt docuimus in parte præcedenti. Porro ex hoc non obstat huic proprietati quod partes substantiæ videtur esse in subiecto, quia non per se, sed in toto habent esse. Hoc inquam non obstat, quoniam intelligimus substantiam non esse in subiecto iuxta quintum modum essendi in pro secundo membro, partes autem non sunt in toto iuxta quintum modum, sed iuxta primum. Vide tu suprà. Hæc de prima communitate & proprietate substantiæ dicta sint.

Secunda proprietas. Secunda proprietas est hæc. Omnibus secundis substantiis & earum differentiis scilicet essentialibus conuenit vniuocè p rædicari.

Aduerte ad hoc quod hæc sit proprietas tria requiruntur. Primò quod sit contracta & restricta ad secundas substantias tantum. Nam si extendatur ad substantiam, vt est communis primæ & secundæ, & differentiis substantialibus non erit proprietas, sed communitas. Nam prima substantia prædicatur vniuocè de seipsa, & differentia essentialis de indiuiduis. Sic ergo intelligatur, proprium est secundis substantiis & earum differentiis essentialibus vniuocè prædicari. Secundò quod intelligatur prædicari vniuocè & essentialiter, aliter hoc non esset proprium substantiæ, quoniam, & proprium quarto modo puta risibile prædicatur vniuocè de his quorum est proprium, sed non prædicatur essentialiter, vt genus & species & differentia, sed accidentaliter vt docuimus in tract. præcedenti: est enim proprium extra essentiam eius, cuius est proprium. Tertiò quod intelligatur prædicari vniuocè & essentialiter de primis substantiis, vt excludatur accidens puta color & albedo. Nam licet prædicetur vniuocè & essentialiter de inferioribus suis, vt hæc albedo est albedo, hic color est color, hæc dulcedo est dulcedo, tamen non prædicatur vniuocè essentialiter de primis substantiis, hæc enim est falsa. Sortes est albedo, sic ergo intelligatur hæc proprietas. Proprium est secundis substantiis & earum differentiis prædicari vniuocè & essentialiter de primis. Quæ declarata sic probatur, secundæ substantiæ, & earum differentiæ prædicantur de primis nomine, & ratione, ergo vniuocè. Consequentia patet ex diffinitione vniuocorum, quam posuimus in parte præcedenti. Antecedens probatur, & quidem quo ad nomen patet, nam Sortes est homo & est animal, & est rationalis. quo ad rationem probatur. Superiora sunt de ratione quidditatiua inferiorum, vt docuimus in tract. præcedenti. Sed secundæ substantię tam genera quam species sunt superiores ad primas, vt patet in arbore Porphyrij, ergo prædicantur ratione de primis. Vnde sortes non solum dicitur homo, sed & animal rationale, quę est ratio hominis, & non solum dicitur animal, sed & substantia animata sensitiua, quæ est ratio animalis. Hæc de secunda proprietate dicta sint.

Tertia proprietas. Tertia proprietas habet tres partes, prima est. Substantia prima significat hoc aliquid. Secunda est, substantia secunda videtur significare hoc aliquid sub appellationis figura. tertia est, substantia secunda non significat hoc aliquid, sed quale quid.

Pro euidentia primæ partis aduerte, quod hoc aliquid tria requirit, Primò quod sit res singularis, vnde vniuersale non est hoc aliquid, secundò quid sit substantia. Vnde nullum accidens neque in concreto, neque in abstracto est hoc aliquid, tertiò quod sic substantia singularis perfecta in specie, qualia sunt supposita sub specie specialissima. vnde nulla pars essentialis nec integralis accepta in singulari, vt hæc anima, hæc manus, hoc caput est hoc aliquid, sed solum indiuiduum, de quo directè prædicatur species, est hoc aliquid, vt Sortes, hic leo, hic asinus.

Declarata prima particula probatur sic. Prima substantia significat indiuiduum & vnum numero, ergo significat hoc aliquid. Con. patet ex conditionibus assignatis. Nam idem est indiuiduum & vnum numero, scilicet in genere substantiæ & perfectum in specie, & hoc aliquid. Antecedens autem probatur, quoniam prima substantia non prædicatur de inferiori. cum sit vltima & terminus in serie prædicamentali, ergo significat indiuiduum & vnũ numero. Vndè dixit Aristoteles quod à prima substantia nulla est prædicatio. Non enim de subiecto, id est, de inferiori dicitur.

Pro euidentia secundæ particulæ aduerte quod significare hoc aliquid sub appellationis figura, est significare hoc aliquid & similitudine nominationis. Nam quando duo eodem nomine nominantur, videntur idem significare. Sed eodem nomine nominamus primam & secundam substantiam. Nam dicimus quod Sortes est homo, & quod homo est homo, ergo non est mirum si secunda substantia videtur significare hoc aliquid sicut prima.

Pro euidentia tertiæ particulæ aduerte quod significare quale quid, est significare substantiam multis suppositis communicabilem, & directè opponitur ei quod est hoc aliquid, & quoniam substantia secunda est species aut genus, quæ dicunt naturam communem multis, saltem secundum aptitudinem, hinc est quod secunda substantia non significat hoc aliquid, id est, substantiam incommunicabilem, sed quale quod, id est, substantiam communicabilem multis, & est ea, quæ est apta esse in multis & prædicari de multis vniuocè. Hæc de tertia proprietate dicta sint.

Quarta proprietas. Quarta quæ est communitas est hæc. Substantiæ nihil est contrarium. Dicitur communitas, quia non solum conuenit substantiæ, sed etiam quantitati, vt tibi manifestabitur in capite sequenti.

Pro euidentia huius communitatis aduerte tria, primò aliud est habere in se cõtrarium, & habere sibi contrarium. Nam primum est recipere in se formam, cui est alia forma contraria, vt recipere calorem cui contrariatur frigiditas, & post calorem esse aptum recipere frigiditatem, & econuerso. Secundum autem est, aliquid esse talis naturæ, quod alia natura sibi contrariatur, vt dulcedo dicitur habere sibi contrarium, quoniam est talis naturæ quod ei amaritudo contrariatur, & quoniam sunt contrarię se mutuo expellunt ab eodem subiecto, & per receptionem vnius corrumpitur altera, in communitate prædicta quando dicitur substantiæ nihil est contrarium, intelligitur in secundo sensu, & non in primo. Nam de primo dabitur sexta proprietas, vbi declarabitur quod proprium est substantiæ recipere in se contraria successiuè. Secundo aduerte quod contraria sunt duplicia, quædam communiter, quædam propriè. Cõmuniter sunt illa, quæ ita se habẽt quod vnum est vt priuatio, alterũ est vt habitus, quod est vt priuatio dicitur imperfectum respectu alterius, quod autẽ est vt habitus, dicitur perfectũ respectu alterius imperfecti. Propriè sunt illa, quę sunt duæ formæ actiuæ & passiuæ ad inuicem succedẽtes sibi inuicẽ in eodem subiecto, & se mutuo expellentes ab eodem, quales sunt qualitates tertię speciei, de quibus dicemus infrà, vt calidum frigidum, humidum siccum, durum molle, asperum lene, dulce amarum. In cõmunitate prædicta intelligitur quod substantiæ nihil est contrariũ in secundo sensu & non in primo. Ac si dicatur, substantia non est cõtraria substantiæ contrietate propriè dicta, qua contrariãtur duæ qualitates repugnantes actiuæ & passiuæ ad inuicem. Quod autem vna substantia contrarietur alteri in primo sensu non inconuenit, quoniam omne genus in prædicamẽto substãtię diuidiur duabus differentiis oppositis, quarum vna est perfectior altera, ex consequenti vna est vt habitus, altera vt priuatio, & quæ est perfectior cõstituit substantiã perfectiorem, vt rationale hominem, quæ autem imperfectior imperfectiorẽ, vt irrationale constituit brutũ. Vnde homo vt substantia perfectior contrariatur bruto imperfectiori contrarietate in primo sensu, non autem in secundo sensu, de quo intendit Aristoteles.

Tertiò aduerte quod substantia potest imaginari contrariari substantiæ cõtrarietate propriè dicta dupliciter. Primò

secundum se inquantũ est substantia. Secundo ratione alicuius sibi intrinseci adiuncti puta qualitatis actiuæ, aut passiuæ. In primo sensu impossibile est substantiam contrariari substantiæ vt probabitur, in secundo sensu verum est, nec id intendit negare Aristoteles: nam ponit quatuor elementa sibi inuicem cõtraria propter qualitates elementares contrarias, vt patet in libro secundo de Generatione. Quarta ergo communitas substãtiæ sic formanda est, nulla substantia contrariatur substantiæ contrarietate propriè dicta, nec secundum se, sed ratione qualitatum cõtrariarum. Quæ sic intellecta potest hoc modo probari. Subiecto receptiuo cõtrariorum, nihil est contrarium, hanc pro nunc crede, quoniam tibi manifestabitur in primo Physicorum. Sed vt videbis in proprietate sexta, Substantia est subiectum receptiuum contrariorũ, vt anima recipit virtutem & vitium, corpus sanitatem & ægritudinẽ, aqua calorem & frigiditatem; ergo substantiæ non cõtrariatur substantia modo supra exposito. Præterea, omnia verè & propriè cõtraria sunt in subiecto per diffinitionem contrariorũ. Sunt enim verè & propriè cõtraria formæ actiuæ & passiuæ eidem subiecto aptæ natæ in esse, à quo vicissim se mutuo expellunt &c. Sed substãtia nõ est in subiecto, vt patet per primã proprietatẽ, ergo substantiæ nõ contrariatur substantia modo supra exposito.

Quinta proprietas. Quinta cõmunitas est, quod substantia non suscipit magis & minus. Pro cuius euidentia duo aduerte, primò quod dicitur cõmunitas: quoniam non est propriũ substãtiæ, nam vt cognoscẽs in prædicamento quãtitatis, quantitas non suscipit magis, & minus. Secundò aduerte, quòd multũ differt substantiam magis & minus substare, & substantiã esse maiorem & minorem, & substantiam magis & minus suscipere. nam magis & minus substare est respectu accidentiũ, esse maiorem & minorẽ est propter maiores & minores extensiones & dimensiones. Suscipere autẽ magis & minus, quod idem est q̃ intendi & remitti, siue augeri & minui nõ quantitatiuè, sed perfectionaliter est, ꝓpter perfectius & imperfectius esse, qd̃ dat forma subiecto & participat à subiecto. Primum quidẽ cõpetit substantiæ, nam declaratũ est supra, quod prima substantia maximè substat, & quod species magis substat quàm genus, vt homo quàm animal: quoniam species propinquior est primæ substantiæ quam genus.

Secundum etiam competit substantiæ, nam ad sensum videmus quod vna & eadem substantia vno tempore est minor, vt fructus in principio, & idem fructus maturus est maior, tertium autem & de quo propriè intendit Aristoteles non conuenit substantiæ, nam sic suscipere magis & minus, est formam paulatim recipi in subiecto secundum esse magis ac magis perfectum, & hoc est intendi & augeri perfectionaliter. Minus autem & remitti & diminui profectionaliter est forma paulatim expelli à subiecto, ita quòd ab esse perfectiori deuenit ad esse minus, & minus perfectum, quod patet in aqua dum calefit intenditur calor, dum frigefit remittitur. Quod igitur, hoc tertium non cõueniat substãtiæ, probat sic Aristoteles. Homo non est magis homo nunc quam prius. nec vnus homo est magis homo quam alter, sicut per oppositum videmus, quod album est magis album nunc quam prius, puta paries de nouo dealbatus, & vnum album est albius altero, vt nix quam paries. Verum quia hæc probatio est magis exemplaris quam scientifica, ideo probanda est hæc communitas ratione sic, Omne quod suscipit magis, & minus duobus modis contingit: quoniam aut per remotionem à suo contrario, sicut dicimus quod calor aquæ intenditur, quando dum calefit minus admiscetur frigiditati. si autem magis admiscetur, remittitur, aut quia magis firmatur in subiecto, vt calor ignis receptus in ferro. Si autem debiliter recipitur velut in superficie, vt calor in manu remittitur. Sed substantia neutro modo potest suscipere magis, & minus, non primo quia non habet contrarium per quartam communitatem, non secundo per primam proprietatem: quoniam non est in subiecto, nec receptibilis in subiecto, ergo &c.

Nec obstat quod vna substantia est perfectior altera puta homo, quam asinus, & vna aqua frigidior altera, & vnus homo rationalior altero. Nam ad hoc quod substantia recipiat magis, & minus, non sufficit quod sit perfectior, aut imperfectior altera, sed quod vnamet dum generatur, sit apta nata successiuè fieri perfectior, aut imperfectior, quod non conuenit substantiæ; quoniam non fit per motum, sed per generationem instantaneam. Hoc tamen intelligere non potes donec ad quartum librum Physicorum perueneris, aut ad librum nonum Metaphysicæ. ideo sustine. ex eo autem quod vna aqua fit frigidior altera, aut ipsamet magis in vno tempore, quàm in alio, nõ arguitur q̃ aquæ substantia suscipiat magis, & minus sed q̃ frigiditas vt est in subiectania aquę sicut in subiecto. Similiter ex eo quod vnus homo videtur rationalior altero, vel idem homo magis vno tempore, quàm alio non concluditur intentum: quia non est rationalior quo ad substantiam animæ intellectiuæ, quæ est vnius speciei in omni homine, sed videtur rationalior, quia subtilius & prudentius vtitur ratione propter organa, & phantasmata magis disposita & ordinata. Sic pro nũc dictum sit, licet in Metaphysica intẽdam sustinere vnã formã substantialem eiusdem speciem cũ altera, esse perfectiorem quam altera, & tamen non recipere magis & minus. Verùm quia hæc transcendunt negotium logicum, ideo non est in eis immorandum. Hæc de quinta communitate dicta sint.

Sexta proprietas. Sexta, quæ est veræ proprietas substantiæ prædicamentalis est hæc, Maximè proprium est substantiæ. esse susceptibilem contrariorum, vt eadem manus aliquando est calida, aliquando frigida. Idem homo aliquando praua, s, aliquando studiosus: id est virtuosus, siue probus.

Pro notitia huius proprietatis duo notanda sunt, deinde probabitur.

Primò notandum quod hæc proprietas nõ conuenit substantiæ vniuersalissimæ sumptæ: quoniam non cõuenit Deo, in quo nullum suscipitur accidens, siue tale accidens habeat contrarium siue non. Nec conuenit materiæ primæ secundum viam nostram, nam primũ receptibile est forma substantialis, & mediantè illa recipiuntur accidẽtia in composito. Sed Aristoteles intendit hanc proprietatem verificari de substantia immediatè. cum igitur non conueniat substantiæ absolutè sumptæ, oportet vt intelligatur de substantia quæ ponitur in prædicamento, vt excipiatur Deus, & quæ est actus vel actu, vt excipiatur materia prima, quæ non est ens nec substantia actu per seipsam, sed in pura potentia, vt tibi declarabitur in 1. libro Physicorum.

Secundò quòd substantia eadem numero manens, successiuè & non simul, & per mutationem sui, & non solum per mutationem alterius, est apta nata suscipere in se contraria, etsi non omnia, saltem aliqua. Dicitur eadem numero manens: quoniam ad verificandam hanc proprietatẽ esse propriam substantiæ quarto modo, non sufficit quod duæ substantiæ suscipiant in se contraria, puta quod Sortes recipiat albedinem & Plato nigredinem, sed quod ipsemet Sortes sit aptus recipere vtrunque. Dicitur successiuè, quoniam cum contraria se mutuo expellant ab eodem subiecto. sunt enim actiua, & passiua ad inuicem & corruptiua. Non se compatiuntur simul in eodem subiecto & pro eadem parte, & in gradibus intensis, licet fortè se compatiantur in gradibus remissis, vt in tepido, sicut alias tibi in philosophia declarabitur. Sed nunc sustine.

Dicitur & per mutationem sui: quoniã cum cõtraria non se compatiantur simul in eodem, oportet quod substantia transmutetur ab vno contrario ad aliud, ita quod dum recipit vnum remoueatur aliud, vt aqua per calefactionem recipit caliditatem, & deperdit frigiditatẽ. Dicitur & non per mutationem alterius, per quod soluitur instantia quam facit Aristot. de Oratione & opinione, quæ eadem numero manens, recipit verum & falsum. Nam hæc oratio Sortes sedet, est vera Sorte sedente, & falsa Sorte surgente, quinto hæc proprietas conuenit alteri à substantia. Hæc inquam instantia, non valet: quoniam verum & falsum non recipitur in oratione, sicut in subiecto, sed sicut in signo, in re autem est, vt in causa, sed in intellectu vt in subiecto, & ideo non est necesse quod oratio mutetur, sed sufficit rem, quæ est causa, mutari, puta quod Sortes sedens desinat sedere & surgat, & sic mutetur, nam vt inquit Aristotel. ab eo, quòd res est, vel non est, dicitur oratio vera vel falsa. si autem oratio reciperet verum & falsum, vt subiectum & non vt signum, necesse esset ipsam mutari. Vnde quia intellectus siue anima intellectiua recipit veram & falsam opinionem, & orationem mentalem de re cõtingenti, necesse est ipsam mutari de vera opinione ad falsam & econuersò, pro varia differentia temporis.

Dicitur suscipere in se cõtraria, hic subintelligendũ est in se vt in subiecto quod, & nõ quo, vel propria virtute, & non virtute alterius, vt excludatur superficies, quæ videtur immediatè recipere cõtrarios colores. quos quidem non recipit, vt quod, sed vt quonam quia substantia non est extensa nisi per quantitatem, & non recipitur color nisi in subiecto extenso, propter hoc substantia recipit contrarios colores medio

medio quantitatis, & sic quantitas est subiectum immediatum quo, & virtute substantiæ, substantia autem est ex sua virtute medium receptiuum quod.

Dicitur & si non omnia, saltem aliqua, nam sufficit cuilibet substantiæ prædicamentali, si est apta suscipere in se contraria, competentia naturæ suæ, vt natura intellectualis contraria intellectualia, puta contrarias voliliones, & corpora cælestia contraria sibi non repugnantia, qualia sunt, rarum & densum, clarum & obscurum in luna, & contrarias differentias locales, vt sursum & deorsum, dextrum & sinistrum: ante & retro, vt declarabitur tibi in secundo libro cæli, & elementis, & elementatis sufficit recipere contrarias qualitates actiuas & passiuas. vt calidum, frigidum, humidum, siccum, & secundas profluentes à primis, vt tibi manifestabitur in libro quarto Meteorum.

Hanc proprietatem sic declaratam probat Arist. hoc modo, non videmus aliquid aliorum manens vnum numero su scipere in se contraria, neque enim idem numero color aliquando est albus, aliquando niger, neque eadem numero actio aliquando bona, aliquando praua. Similiter & in aliis quæ substantię non sunt. Videmus autem ad sensum quod eadem numero substantia est capax contrariorum, vt idem numero homo aliquãdo est calidus, aliquando frigidus, aliquando bonus, aliquando prauus: ergo maximè proprium est substantiæ prædicamentalis esse susceptiuum contrariorum, & hic terminatur consideratio de prædicamento substantiæ, ad mentem Aristotelis.

CAP. III.

De prædicamento Quantitatis.

IN cap. tertio agendum est de prædicamẽto quantitatis ad mentem Arist. & tria agenda sunt, primò ponentur diuisiones communes quantitatis, secundò de singulis membris diuisionum agendum est, tertiò agendum est de proprietatibus & communitatibus quantitatis prædicamentalis.

Quantum ad primum vt scias in quo sensu locuturi sumus hic de quantitate aduerte quinq; diuisiones.

Quantitatis acceptiones. Prima est, quantitatum alia est perfectionalis siue virtualis, alia dimensiua siue mensuratiua substantiæ in qua est. Quãtitas virtualis est ipsa rei bonitas siue profectio graduabilis secundum magis, & minus & maximè, iuxta quem sensum dicimus Sortem magnum oratorẽ, & Demosthenem maximum & ducem maioris autoritatis, militem verò minoris, & hæc quantitas est eiusdem vniuersalitatis cum bono transcendenti, vnde reperitur in Deo maximè & infinitè, & intelligentiis iuxta earũ gradus, & in corporalibus secundũ quòd seinuicem excedunt in perfectione substantiali vel accidentali, & de hac nõ sumus hic locuturi, quoniã spectat ad prædicamentum qualitatis pro quãto reperitur in creatis, vt excludamus eam, quæ est in Deo: quoniã sicut diuina substãtia nõ locatur in prædicamẽto, sic nec aliqua eius perfectio.

Quantitas dimensiua siue mensuratiua substantiæ in qua est, est accidens, quo redditur subiectum mensurabile continuæ vel discretæ. ita q̃ per illud dicimur quanti vel quoti, puta bicubitales vel tricubitales, decẽ aut viginti, & de hac tantũ locuturi sumus, & cõsequitur substãtiã prædicamẽtalẽ materialẽ siue corporeã tantũ, nam intellectualis natura vt intellectualis denudata est ab huiusmodi quantitate vt tibi manifestabitur in lib. 8. Phy. & in secundo Metaph.

Secunda est, quantitas vel quantum dimensiuum, duplex est, quoniam aliud per se, aliud per accidens, membra diuisionis manifestabimus infrá.

Tertia est, quantitatis per se, aliud genus est quantitas continua, aliud discreta.

Quarta est, quantitatis tam continuæ quàm discretæ, alia habet positionem, alia positione caret.

Quinta est, quantitatis continuæ quinque sunt species, linea, superficies, corpus, tempus, locus. Discretę verò duæ, numerus, & oratio.

Quantum per se & quantum per accidens quid. Quantum ad secundũ declaranda sunt singula membra singularum diuisionum. Relicta igitur quantitate virtuali quæ ad hoc negotium non spectat, & quantum dimensiuum primo diuisum est in quantum per se, & quantum per accidens. Aduerte quod quantum per se siue quantitas per se est illa, quæ propriè & essentialiter & ex se, etiam remoto quocunq; respectu ad alterum est diuisibilis quãtitatiue, vt linea quæ est essentialiter lõgitudo, & superficies latitudo, nam in omni longitudine, & latitudine est accipere partes, in quas diuisibiles sunt, vt ad sensum patet. Quantum autẽ per accidens est illud quod non propriè & essentialiter nec ex se, sed per respectum ad subiectũ in quo recipitur quod est per se quantum est diuisibile in partes quantitatiuas ad diuisionem sui subiecti quãti. In quo sensu qualitates sensibiles receptas in substãtia quãta, siue im mediatè in superficie, dicimus esse quantas per accidẽs. Diuidũtur enim ad diuisione m superficiei, secundùm naturã autẽ suã sunt indiuisibiles. Vnde dicit Arist. quod dicimus albũ multum, quia superficies in qua recipitur albedo est multa. Quãta enim superficies fuerit, tantum album dices. Sunt ergo huiusmodi quanta per accidẽs; quia, respiciunt quãtum per se, puta dicitur actio longa, quia longum est tempus, in quo durat, & motus multus, quia in multo tempore fit. Et aduerte quod non solũ qualitates sensibiles receptæ in quanto dicuntur quantæ per accidens, sed etiam formæ substantiales receptæ in materia quãta præter animam intellectiuam, dicuntur fieri & esse quantæ, & extensæ per accidens, sicut sunt omnes formæ naturales rerum inanimatarum, & animalium imperfectorum, vt tibi declarabitur in libro secundo de Anima. Sed pro nunc sustine.

Quãtitas continua quid. Quantũ ad notitiam partiũ tertiæ diuisionis aduerte quod apud Arist. & mathematicos, quantitas cõtinua est illa, cuius partes ad vnũ terminũ communẽ copulantur, id est, in qua est accipere aliquod vnũ indiuisibile secundũ talem dimensionem, quod est finis partis præcedentis, & principiũ partis sequentis, vt in linea est signare punctum indiuisibile secundum longitudinẽ, quod est terminus partis lineæ præcedẽtis, & principium partis sequentis & tale indiuisibile dicitur hic terminus communis, ad quem partes quantitatis continuæ copulantur. Quid autem sit tale indiuisibile in superficie & corpore, & loco, & tempore dicemus in sequentibus.

Quid discreta. Quantitas discreta est illa, cuius partes non copulantur ad vnum terminum communem, sed semper remanent discretæ, & separatæ. aduerte quod partes quantitatis discretæ non ita sunt separatæ ab inuicem, & distinctæ. quin sint ordinatæ secundùm prius, & posterius, sed dicuntur separatæ, quoniam nihil, vt communis terminus copulat eas ad inuicem. Verbi gratia, Sumo numerum denarium, cuius partes æquales sunt quinq;, & quinq;, inæquales autẽ sunt septem & tria, sex & quatuor, istæ quidẽ partes ita ordinatæ sunt, quod vnitates ordine suo cõponunt ens, puta quinq; & quinq; consurgentes ex prima, secunda, tertia, quarta, quinta vnitate, nõ tamen ita sunt ordinatæ, quod tertia vnitas sit finis ternarij, et principiũ binarij, nec quinta vnitas est finis primi quinarij, & principium secundi quinarij, sed vltima vnitas primi quinarij est finis eius, & prima vnitas secundi quinarij est principium eius, ideo dicuntur partes quantitatis discretæ non copulari ad terminum communem, sed permanere discretæ, id est, distinctæ, et separatæ, id est non continuatæ, licet quandiu componunt suum totum sint ordinatæ, sicut milites ordinati sunt quandiu componunt exercitum.

Quid quãtitas habẽs positionẽ. Quantum ad notitiam partium quartæ diuisionis aduerte quod quantitas habens positionem est illa, cuius partes copulantur ad vnum terminum communem, & sitæ sunt alicubi, Pro cuius notitia aduerte quod de ratione quantitatis habentis positionem duo sunt, primò quod partes eius copulentur ad vnum terminum communem modo quo expositum est. Defectu huius numerus non est quantitas habens positionẽ. Licet enim partes numeri, quæ sunt vnitates, habeant inter se ordinem, non tamen positionem, quia nulla vnitas est finis præcedentis vnitatis, & principium sequentis secundò quod partes sint situatæ alicubi & permanentes, ita quod non sint in continuo fluxu. Defectu huius nec tempus nec motus, nec oratio dum profertur sunt quãtitates habentes positionem. Consistunt enim in fieri, & de ipsis non habetur actu nisi indiuisibile, vt in tempore instans, in motu muratum esse, in oratione dum profertur syllaba vt litera, & hæc tibi manifestabuntur in physicis. Pro nunc sustine, quoniam hoc negotium transcendunt, ex his duabus conditionibus constat tibi quæ sunt quantitates habentes positionem, & quæ non. Nam linea, superficies, corpus, & locus, habent positionem. copulantur enim in eis partes ad vnum terminum communem, vt tibi manifestabitur in sequentibus, & sitæ sunt alicubi, quoniam non sunt in continuo fluxu vt patet. Numerus verò & oratio & tempus & motus sunt quantitates non habentes positionem, quoniam in nullo eorum seruatur vtraq; conditio. Nam & permutantia partium, In oratione dum profertur deficit vtraq;.

Species cõtinuæ & discretæ quantitatis. Quantum ad notitiam partium quintæ diuisionis assignanda est primò sufficientia specierum quantitatis continuæ. Deinde discretæ. Deinde de singulis speciebus agendum est, tu igitur aduerte, quod quantitatis continuæ quinque sunt species, scilicet linea, Superficies, corpus, locus, tempus,

tempus, quarum sufficientia hinc sumitur. Omnis quantitas continua est mensura substantiæ, aut ergo mensurat intrinsecè, aut extrinsecè. Mensurare intrinsecè est mensurare subiectum in quo est subiectiuè ipsa quantitas mensuratiua, extrinsecè autem est mensurare aliquid in quo non est subiectiuè ipsa quantitas mensuratiua, sed per applicationem, aut continentiam mensurat illud, vt exemplificabimus. Si ergo mensurat intrinsecè, hoc est tripliciter; quoniam aut secundum longitudinem tantum, & sic est linea: aut secundum longitudinem & latitudinem, & sic est superficies, aut secundum longi, & lati, profunditatem, & sic est corpus. Si extrinsecè, dupliciter, quia autem mensurat substantiam ab ea contentam, & circundatam in qua tamen non est subiectiuè, & sic est locus, locus enim, vt tibi manifestabitur in quarto Physicorum continet locatum, & non est subiectiue in eo, sed in corpore locante: aut mensurat substantiam vt est sub motu, & sic est tempus, quod non est subiectiuè in omni mobili cuius motum mensurat, sed in primo mobili, id est primo cælo moto motu tantum diurno, vt tibi manifestabitur in quarto Physicorum. Constat, ergo tibi ratio quare species quantitatis continuæ sunt tantum quinque. Quantitatis autem discretæ species sunt duæ: scilicet numerus, & oratio, quorum sufficientia hinc sumitur. Omnis quantitas discreta mensurat substantiam, & habet partes separatas, id est non copulatas ad vnum terminum communem: habet ordinatas modo, quo exposuimus suprà. hoc autem contingit dupliciter, quia aut illæ partes separatæ, licet ordinatæ, sunt permanentes, & sic est numerus, aut successiuæ, & sic est oratio in prolatione.

Posita sufficientia specierum quantitatis continuæ, & discretæ, de singulis speciebus agendum est, & primò de speciebus continuæ, secundò de speciebus discretæ. De singulis autem tria videnda sunt, primò quid sit, secundò quid est quantitas, tertiò quid continua vel discreta.

Linea quid. Incipiendo igitur a speciebus quantitatis continuæ prout ordinantur, aduerte quod linea apud Mathematicum sic diffinitur, linea est solà longitudo, cuius extrema sunt duo puncta. Dicitur longitudo sola, quoniam imaginatur causari ex fluxu puncti, punctum autem cum sit penitus indiuisibile, non potest imaginari fluere nisi in longum, & ideo dicitur quod est sola longitudo, vt distinguatur à superficie & corpore. Dicitur extrema sunt duo puncta, quoniam cum causetur à fluxu puncti imaginatur incipere à puncto, & terminari ad punctum. Tu tamen aduerte, quòd hæc diffinitio videtur competere soli lineæ rectæ finitæ, & non circulari, nec infinitæ. Nam in circulari idem punctum est principium, & finis, & infinita caret extremis. Repugnat enim infinitum terminari secundum quod est infinitum, & ideo linea absolutè sumpta sic definienda videtur. Linea est sola longitudo fluxu imaginario puncti per longum causata. Quod autem linea sit quantitas per se patet, quia est per se diuisibilis in partes quantitatiuas, & est mensura substatiæ, in qua est. Nam per lineam cognoscitur eius longitudo. Quòd verò sit quantitas cõtinua patet ex eo, quòd partes suæ copulãtur ad vnum terminum communem, id est idem punctum numero, quod terminat partem præcedentem, & initiat partem sequentem.

Superficies quid. Superficies sic diffinitur à Mathematico. Superficies est longitudo & latitudo sine profunditate, cuius extrema sunt duæ lineæ. Dicitur longi, & lati, quoniam imaginatur causari ex fluxu lineæ ad latus, ex linea ergo habet longitudinem, & ex fluxu eius in latus & habet latitudinem, & est sine profunditate, vt distinguatur à corpore. Dicitur cuius extrema sunt duæ lineæ, quoniam sicut linea incipit à puncto per longum & terminatur ad punctum, sic superficies incipit à linea, & terminatur ad lineam, & ideo sicut in linea extrema sunt duo puncta, sic in superficie extrema, sunt duæ lineæ. Tu tamen aduerte, quòd hæc diffinitio non videtur competere, nisi superficiei finitæ, sicut etiam diximus de diffinitione lineæ. Superficies igitur absolutè sumpta, sic videtur diffinienda. Superficies est longitudo & latitudo sine profunditate, causata ex imaginario fluxu lineæ in latum. Quod autem superficies sit quantitas per se, patet ex eo quòd est diuisibilis in partes quantitatiuas, & est mensura substantiæ in qua est. Nam per superficiem cognoscitur substantiæ longitudo, & latitudo. Quod verò sit quantitas cõtinua patet ex eo, quòd partes eius copulantur ad vnum terminum communem, qui est vna & eadem linea, quæ est finis præcedentis partis superficiei, & principium sequentis.

Corpus autem sic diffinitur apud mathematicum. Corpus est longitudo cum latitudine, & profunditate, cuius extrema sunt duæ superficies. Dicitur longitudo cum latitudine, & profundirate, quoniam mathematicus imaginatur, quod sicut linea causatur ex fluxu puncti in longum, & superficies ex fluxu lineæ in latum, sic corpus causari ex fluxu vel protractione superficiei in profundum. Vnde corpus à linea habet longitudinem, à superficiè latitudinem, & à protractione superficiei profunditatem, & sic corpus vt est species quantitatis est ipsa trina dimensio. Dico vt est species quantitatis, vt excipiatur corpus quod est genus subalternum in prædicamento substantiæ, quod non est trina dimensio, sed substantia subiecta trinæ dimensioni. Dicitur cuius extrema sunt duæ superficies: quoniam ille fluxus siue protractio superficiei in profundum incipit ab vna & terminatur ad aliam, ideo illæ duæ dicuntur extrema corporis. Tu tamen aduerte quod hæc diffinitio competit corpori finito, sicut diximus de linea & superficie, nam in corpore infinito repugnat dari duas superficies terminatiuas. Vnde corpus vt est species quantitatis absolutè sumptum sic videtur definiendum. Corpus est longitudo & latitudo, & profunditas causata ex tractu imaginario superficiei in profundum. Quod autem sit quantitas per se, patet ex eo quod si omnis dimensio per se sumpta est quantitas, multo magis trina dimensio simul sumpta. Sed corpus in prædicamento quantitatis est trina dimensio per diffinitionem datam, ergo est multo magis quantitas quam linea, & superficies. Quod autem sit quantitatis continua patet ex eo, quod partes suæ copulantur ad vnum terminum communem, quod est vna numero superficies, quæ est terminus partis superioris, & principium partis inferioris, & præterea constat corpus esse diuisibile in partes quantitatiuas, quarum quælibet adhuc est diuisibilis in partes eiusdem rationis.

Locus: quoniam est de consideratione physici, vt patet in quarto Physicorum, sic diffinitur ab Aristotele in quarto Physicorum, locus est superficies corporis continentis, id est, circundantis locatum. Quòd autem sit quantitas patet ex eo quòd mensurat locatum quod est substantia corporea, vt vas puta phiala, aut metecta mensuratur vinum, & sextario bladum, & facco farina. Quod verò sit quantitas continua patet ex hoc, quod locus est superficies, & superficies est quantitas continua, vt docuimus suprà, ergo locus est quantitas continua. tenet & argumentum per regulam anteprædicamentalem. Quando alterum de altero prædicatur & nec obstat quin locus sit species quantitatis continuæ distincta à superficie, licet sit superficies: nam superficies potest dupliciter considerari, primò inquantum est subiectiuè in continente, & sic dicitur quantitas continentis eius superficies, secundo inquantum respicit contentum in continente contentiua, licet non sit in contento subiectiuè, & sic dicitur locus.

Tempus similiter est de consideratione physici, & sic diffinitur ab Aristotele in quarto physicorum. Tempus est numerus, id est, mensura motus secundùm prius & posterius, & quoniam sensus huius diffinitionis non est intelligibilis à nouicio in logica, ideo sustine, donec erudiaris in physicis. quod autem sit quantitas patet ex eo quod est mensura substantiæ mobilis vt stat sub motu. Quod verò sit quantitas continua, patet quia partes suæ copulantur ad idem instans, quod est finis præteriti & principium futuri. Constat igitur tibi quo modo sunt quinque species quantitatis continuæ & quid sit vnaquæque earum.

Post consideratione de speciebus quantitatis continuæ agendum est de speciebus quantitatis discretæ. Sunt autem duæ, scilicet numerus & oratio. Numerus est multitudo ordinata aggregata ex vnitatibus. Dicitur multitudo, quoniam sola vnitas non facit numerum, sicut nec solum punctum facit lineam. Præterea, omnis quantitas est diuisibilis, sed sola vnitas non est diuisibilis, ergo, &c.

Dicitur ordinata, quoniam oportet quòd in numero vnitates consequenter se habeant. Dicitur aggregata ad differentiam partium quantitatis & continuæ, quæ continuantur & non solum aggregantur adinuicem.

Quod autẽ numerus sit quantitas patet ex eo quod mensurat substantiam. Nam per numerum denarium numeramus decem lapides, & per quaternarium quatuor elementa, numerare autem est mensurare. Quod verò sit quantitas discreta patet ex supradictis, quoniam partes suæ non copulantur ad vnum terminum communem, vt docuimus suprà. Quomodo autem distinguatur numerus, materialis à

rialis à numero formali, & quomodo solus numerus materialis sit in prædicamento quantitatis, formalis autẽ sit transcendens, non est præsentis negocij, sed in libro octauo Metaphysicæ, id tibi manifestabitur. Ideo pro nunc sustine.

Oratio quid sit. Oratio vt est in prædicamento quantitatis sic diffinitur, oratio est mensura distinctorum sonorum & distinctarum syllabarum atque dictionum pro vt ore profertur.

Dicitur mensura distinctorum sonorum: quoniam soni distincti & voces syllabicatę distinctę, quas oratio dum profertur mensurat, sunt immediatum subiectum orationis, & habent vicè substantiæ sicut & superficies dum recipit colorem primũ verò & principale subiectum, est aër expiratus.

Dicitur prout ore profertur, ad differentiam orationis in mente, & in scripto, nam in mẽte est in prima specie qualitatis: quoniam perficit & est subiectiuæ in intellectu. In scripto aũt est in quarta specie qualitatis: quoniã scriptura est species figurationis. Quod autem sit quantitas patet ex eo quod est mensura substantię modo quo dictum est. Quod verò sit discreta patet ex eo, quod partes eius, quæ sunt literæ & syllabæ & dictiones non copulãtur ad vnum terminum cõmunem, sed permanentes discretæ & ordinatæ componunt orationem. Licet autem sit discreta quantitas, est tamen species distincta contra numerum, quoniam numerus causatur per replicationem vnitatum, oratio autem causatur ordinatione syllabarum & dictionum absque replicatione, nec replicatio eiusdem prolationis numero fieri potest, cum sit res successiua. Constat igitur tibi quæ sint species quantitatis discretæ & quid sint.

Quantum ad tertium principale agendum est de proprietatibus & communitatibus quantitatis & sunt tres.

Prima est quod quantitati nihil est contrariũ, id est, quantitati non contrariatur quantitas, sicut nec substantiæ contrariatur substantia, vt declaratum est in cap. præcedenti.

Pro huius euidentia antequam probetur aduerte primò, quoniam non habere contrarium ita conuenit substantiæ sicut quantitati, non potest dici proprietas quantitatis quarto modo, sed vel dicetur communitas, cum non conueniat sibi soli. vel dicenda est proprietas secundo modo, quia licet non conueniat soli quantitati, conuenit tamen omni. Secundò aduerte quod intentio Philosophi est loqui de contrarietate perfecta & propriè dicta, quæ tres conditiones requirit, primò quòd sit repugnãtia inter duas formas, quæ sint eiusdem generis, vt repugnãtia inter albedinem, & nigredinem, quæ continentur sub colore, secundo quòd illæ formæ sint aptæ acquiri per motum & diuisibiliter, sicut calor & frigiditas, quæ gradualiter & paulatinè acquiruntur in subiecto per calefactionem & frigefactionem. tertiò quòd inter eas sit maxima distantia, ita quod sub eodem genere non possit maior inueniri, nec intelligi, nec imaginari. Vnde dulcedo, & amaritudo contentæ sub sapore sunt formæ propriè, & perfectè contrariæ: quoniam sapores magis distantes, & differentes non possunt inueniri, nec intelligi. cuius signum est quod omnes alij sapores dicuntur medij, & participant de vtroque aliquo modo. Istæ sunt conditiones propriæ, & perfectę contrarietatis, ex quibus si vna deest, non seruatur contrarietas perfecta. Tertiò aduerte quod Philosophus intendit quantitati, vt quantitas est, id est absolutè, & simpliciter sumptæ, nihil esse contrarium, quod dico; quoniam si consideretur comparatiuè, vel vt stat sub ratione relatiua, puta sub ratione magni & parui, & sub ratione multi, & pauci, videtur primo aspectu in quantitate esse contrarietatem. Nam magnum videtur contrariari paruo, & multum pauco, & tamen in veritate non potest ex his probari verã & propriam contrarietatem esse in quantitate, quoniam magis sunt in prædicamento relationis quàm quantitatis, nam res dicitur magna comparata alteri, & similiter parua, vt mons est magnus comparatus lapidi, & lapis est paruus cõparatus monti, & centum homines sunt multi comparati decẽ, & decem sunt pauci, comparati centum. Intentio ergo Philosophi est loqui de contrarietate perfecta, considerando quantitatem in se & absolutè, & non sub ratione cõparatiua, & relatiua.

Posita hac declaratione, probatur hæc conclusio. Quantitati, vt quantitas est, nulla quãtitas propriè & perfectè cõtrariatur. & primò probatur eam Aristoteles inductione dicens. Manifestum est, quoniam nihil est contrarium, vt bicubito tricubito vel superficiei vel alicui talium, &c. Verùm quia posset aliquis negare idem esse iudicium de omnibus aliis quantitatibus, ideo aliter probandum est, & arguitur, ratione sic. Quantitas autẽ est determinata numero, sicut bicubitum tricubitum, & quatricubitum, &c. aut non determinata, vt linea absolutè sumpta & superficies: & corpus. si est determinata, deficit sibi conditio secunda posita suprà, scilicet, quod oportet perfectè contraria paulatim & diuisibiliter acquiri, hoc autem repugnat quantitati determinatæ numero, constitit enim bicubitum in indiuisibili, sicut & binarius, similiter tricubitum sicut & trinarius. Si est indeterminata numero, deficit sibi tertia conditio, quæ est maxima distantia. Neque enim potest dari linea adeo longa, quin possit intelligi longior, & superficies latior, & corpus maius in infinitum. Nec est instantia de differentiis localibus in vniuerso, scilicet de centro mundi & superficie orbis lunæ concauæ, quæ videntur extrema maximè distantia secundùm motum grauium & leuium. Hoc inquam non obstat, quoniam & si sint extrema maximè distantia apud Physicum, qui considerat motum grauium & leuium, non tamen apud Mathematicum & Logicum, qui abstrahunt à materia & motu. Vnde Mathematicus & Logicus potest intelligere lineam longiorem in infinitum quam sit linea ducta à centro mũdi ad concauum orbis lunæ. ex consequenti extrema distantiora in infinitum quam sit centrum mundi concauum prædictum, ergo nec quantitas determinata numero, nec indeterminata habet aliquid proprie & verè contrarium.

Sed dices. Si non est vera contrarietas in quantitate, ergo in ea non est motus, quod est falsum, vt patet in quinto Physicorum. Patet consequentia: quoniam Aristoteles in quinto Physicorum non alia ratione negat motum in substantia, nisi quia in ea non est contrarietas, vt docuimus in cap. præcedenti, ergo, &c.

Respondetur ad hoc quod inter aliqua duo sit motus, non oportet quod sint perfectè contraria secundùm tres prædictas conditiones, sed sufficit quod habeant duas, scilicet fint termini à quo & ad quem eiusdem generis, & sint diuisibiliter ac paulatim acquisibiles, non est autem necesse quòd sint maximè distantes. nam à calido vt duo, ad calidum vt octo datur motus calefactionis, & tamen non maximè distant, cum sint media inter calidum vt vnum, & summè calidum. Et quoniam esse diuisibiliter acquisibile conuenit quantitati non determinatæ numero: vt patet de loco sursum & deorsum, quoniam sicut paulatim ab vno receditur per motum localem, sic paulatim ad alterum acceditur. ideo datur in quantitate motus, qui est motus augmẽti & decrementi. Localis autem motus est in prædicamento vbi, vt tibi declarabitur in quinto Physicorum, & tangemus de hoc in post-prædicamentis. Et quia hæc conditio deficit in substantia, quoniam cum producatur per generationem producitur indiuisibiliter, hac de causa non est motus in substantia. Et ideo non est simile de quantitate & substantia. Hæc de prima proprietate dicta sint.

Secunda est, quòd quantitas non suscipit magis & minus, antequã probetur aduerte duo, primò quòd hæc non est proprietas in quarto modo; quoniam conuenit alteri, scilicet substantiæ, vt docuimus in capite præcedenti, ergo non est proprietas nisi secundo modo, quia conuenit omni, sed non soli. Est ergo communitas respectu quarti modi, & proprietas respectu secundi modi. Aduerte secundò; quòd aliud est suscipere magis & minus, & suscipere maius & minus. Nam primùm est tendere de esse imperfecto ad esse perfectius, & perfectius per motũ acquisitiuum formæ recipiẽdæ in subiecto, secundum est extendi vel contrahi in maiorem, aut minorem dimensionem. primum dicitur augmentum secundùm maiorem & maiorem perfectionem, secũdum autem dicitur augmentum secũdùm maiorem & maiorem extensionem. Philosophus intendit quantitatem non suscipere magis & minus secundùm primum per sensum, & non intendit negare secundum, aliter negaret augmentum & decrementum in quantitate. Non enim est aliud augeri quantitatiuè quàm extendi secundùm dimensionẽ, minui autem est contrahi secũdùm dimensionem. Verum est ergo dicere, Quantitatem non intendi, sed extendi, non remiti, sed contrahi.

Hanc proprietatem non probat Aristoteles nisi inductione dicens, non videtur quantitas magis & minus suscipere, neque enim aliud alio magis cubitum, neque bicubitum, neque in numero, vt ternarius & quinarius, nihil enim magis tria dicentur quàm quinque, neque tempus aliud alio magis & minus dicitur: quare quãtitas nõ suscipit magis & minus. Verùm, quia philosophus non facit inductionẽ, nisi in quantitate discreta, & continua determinata numero, diceret aliquis non esse idem iudiciũ de continua quantitate non determinata numero, & de numero, quoniam illa non stat in diuisibili, hæc autem sic, ideo bene stat illam posse intendi & remitti

mitti, hanc autem non, propter quod probatur intentum de quãtitate absolutè sumpta tali ratione, Suscipere magis siue intendi causatur per depurationem vnius cõtrarij ab altero contrario, vt docuimus in cap præcedenti, suscipere autem minus causatur per admixtionem vnius contrarij cum altero cõtrario. Nã calore intẽdi est magis ac magis separari à frigiditate, remitti autẽ est magis ac magis misceri frigiditati, sed quãtitati vt quãtitas est, nihil est contrarium, ergo quãtitas vt quãtitas est, non suscipit magis & minus. Sic pro nunc dictum sit si autem aliter videbitur, dicemus in philosophia. Hæc de secunda proprietate quantitatis dicta sint.

Tertia proprietas

Tertia proprietas est hæc. Maximè propriũ quãtitatis est secundum eam æquale vel inæquale dici.

Pro notitia huius proprietatis aduerte duo, deinde probabitur. primò aduerte ad hoc, quòd hæc proprietas sit in quarto modo ita quod omni & soli quãtitati cõueniat & semper, oportet intelligere de quantitate finita. Nã sicut inter quantitatem infinitam & finitam nulla datur proportio, sic nec æqualitas, aut inæqualitas, sumendo quantitatem infinitam secundũ se totam. Quod dico, quia non inconuenit ex quantitate infinita sumere partem finitam, puta decem cubitorum, & comparare eam quantitati alteri, quæ sit quinque cubitorum, tunc constat quòd essent inæquales.

Secundò aduerte, q̃ intendit Philosophus hanc esse proprietatem quantitatis dimensiuæ, quoniam de hac solũ hic intendit; vt excludamus quantitatem perfectionalem, de qua locuti sumus in principio huius capitis, nam & secundum eam dicimur æquales vel inæquales, vt Sortes & Plato sunt æquales in scientia vel authoritate. Senex & iuuenis sunt inæquales viribus. Imò omnis ens actu comparatũ alteri potest dici æquale vel inæquale, quoniam comparatum illi aut est in eodem gradu bonitatis & perfectionis & sic est æquale, aut in maiori vel minori, & sic est inæquale.

Hæc proprietas sic declarata probatur ex diffinitione æqualitatis & sui oppositi, & ex diffinitione æqualium & inæqualium. Nam æqualitas est rerum differentium eadem quantitas. Inæqualitas autem est rerum differentium diuersa quantitas. Æqualia verò dicũtur quæ adinuicem comparata nec excedunt nec exceduntur. Inæqualia verò sunt, quorum vnum excedit aliud. Tunc sic, omnis excessus sumitur ex mensura & mensura ex quantitate, & solùm per ipsam, cum ipsa sola sit mensura substantiæ, ergo omni & soli quantitati conuenit vt per eam dicatur aliquid æquale vel inæquale. Hæc de prædicamento quantitatis sint dicta secundum logicos reales, & ad intentionem Aristot.

Quantum verò spectet ad nominales breuibus se expediunt, diffiniunt prędicamentũ quantitatis, deinde assignant genus generalissimum & genera subalterna vsq; ad specialissima & indiuidua.

Diffinientes autem dicunt quòd prædicamentum quantitatis est coordinatio pluriũ terminorum, scilicet vniuersaliũ & vniuocorum significantium quantitatẽ secundum sub & supra. Termini autem significantes quantitatem sunt illi, per quos respondetur ad interrogationem factam per quantum, aut quot, vt quantus est Sortes, respondetur, bicubitalis, quot sunt homines in templo, respondetur, decem. Bicubitale & decem important quantitatem. Verum quia vt sæpe diximus apud reales, nec prædicabile nec prædicamentum, dicunt solos terminos, sed naturam, vt stat sub illis terminis, ideo tu sequere viam realium vt conformiorem Aristoteli, & viæ Thomisticæ.

Quantum ad ordinationem prædicamenti, aduerte quòd assignãt eam sicut Aristoteles, & logici reales, excepto quòd non nominant orationem inter species quantitatis discretæ, sed assignant solùm numerum & ne videantur contradicere aut deuiare ab Aristote. qui numerat orationem in quãtitate discreta, dicunt quod Arist. nõ loquitur secundum mentem propriã, sed iuxta sententiã Architæ Tarẽtini. sic igitur ipsius prædicamenti seriem disponunt. Quantitas dimensiua est genus generalissimũ. Sed in quãtitate sunt duo genera subalterna, & neutrum est superius ad alterum, nec prædicatur de altero. scilicet. Quantitas continua. & quantitas discreta. Sub cõtinua sunt quinque species, scilicet linea, superficies corpus, locus, tempus. Horum indiuidua sunt hæc linea, hæc superficies, hoc corpus, hic locus, hoc tempus. Sub discreta est numerus, sub numero sunt species in infinitum vt binarius, ternarius &c. Sub qualibet numeri specie, sunt sua indiuidua: vt hic binarius, hic ternarius.

Hæc de prædicamento quantitatis dicta sint ad mentem nominalium, & realium.

CAPVT IIII.

De prædicamento ad Aliquid: id est relationis.

IN quarto cap. agendum est de prædicamento ad aliquid, de quo tria videnda sunt, primò quid sit, secundò quæ sint genera, siue species suæ, tertiò quæ sint proprietates siue communitates suæ.

Ad aliquid quid sit.

Quãtum ad primùm aduerte antequam deueniamus ad diffinitionem ipsius, quòd ad aliquid siue relatiuum est duplex, scilicet secundum esse & secundum dici. Relatiuum secundum esse est illud quod principaliter & essentialiter dicit respectum ad aliud; vt duplum & dimidium, pater & filius. Relatiuum secundum dici est illud, quod principaliter & essentialiter dicit absolutum, puta de genere qualitatis, vt scientia & sensus & opinio, aut de genere substantiæ, puta manus caput pes, nam licet scientia & sensus & opinio importẽt principaliter qualitatem & perfectionem siue in prima siue in secunda specie qualitatis, vt declarabitur in cap. sequenti. tamen secundariò & connotatiuè important respectum ad alterum. Scientia enim est scibilis sciẽtia, & sensus est rei sensibilis sensus, & caput licet principaliter importet partẽ substantiæ, tamen connotant respectum ad alterum, est enim caput capitati caput, & manus manuati manus. His prænotatis aduerte quòd apud Aristotelem & logicos reales, datur de ad aliquid duplex diffinitio, prima competit relatiuis secundum esse & secundũ dici secunda autẽ de relatiuis secundũ esse tantũ, & est correctiua primæ, nam prima datur secundũ sententiam veterũ, secundam autẽ dat Aristoteles secũdum mentem propriam.

Prima igitur diffinitio est hæc. Ad aliquid dicuntur quęcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, vt pater, filij pater. Dominus, serui dominus.

Primò dicit dicuntur, & non dicit sunt, vt innuat quod hic non tractat de relatiuis principaliter, vt sunt entia realia. Id enim spectat ad Metaphysicum. Vnde in lib. 5. Metaphys. ex proposito pertractat Aristote. de modis relatiuorum. Pertractat autem hic de eis intentionaliter secundum quòd referuntur ad dici & prædicari. Nonnulli arbitrantur quod Aristotel. vtatur hoc termino dicuntur, vt innuat quòd hæc diffinitio non est ex sua sententia, sed ex sententia Platonis, & ideo dabit secundam diffinitionem vt videbis, quæ erit ad mentem suam.

Secundò dicit. Quæcunque hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, id est, dicuntur esse omnia illa, quæ secundum illud quod important vel significant, referuntur ad aliud, vt ad terminum & dicit aliorum, id est in genitiuo casu, vt duplum refertur ad dimidium & econuerso, in genitiuo. Dicitur enim duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium, & pater filij pater, & filius patris filius.

Tertiò dicit, vel quomodolibet aliter ad aliud. Hoc exponitur dupliciter, primò sic vel quomodolibet aliter, id est vel posito q̃ non significent solùm respectum ad aliud, dummodo cõnotent respectũ. dicuntur ad aliquid, & sic per hanc particulam denotat relatiua secũdum dici, per primam autem denotat relatiua secundũ esse, secundò sic, vel quomodolibet aliter, id est vel referũtur ad aliud vt ad terminum non solum in genitiuo, sed quomodolibet aliter puta siue in datiuo siue in accusatiuo. Nam quædã relatiua dicuntur ad suum correlatiuum in genitiuo, vt dominus, serui dominus, quædã in datiuo, vt similis simili similis, vicinus vicino vicinus, quædam in ablatiuo, vt maius minore maius, quædam in accusatiuo, vt mons magnus ad montem paruum. Sensus ergo diffinitionis est iste, Relatiua dicuntur quæcunque essentialiter important respectum vel connotant respectum ad aliud, ita quòd se referunt in genitiuo, vel datiuo, vel accusatiuo, vel ablatiuo. Hæc est prima diffinitio.

Secunda talis est. Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse quod sunt est ad aliud quodãmodo se habere. Hæc diffinitio datur ab Aristo. vt correctiua præcedentis. ea namque vt diximus cõmunis est relatiuis simpliciter dictis, quæ sunt relatiua secũdũ esse, quæ propriè reponũtur in prædicamẽto ad aliquid, & relatiuis secundũ quid, quæ sunt relatiua secũdum dici, & quo ad principale significatũ sunt in alio prædicamẽto, quàm in ad aliquid, vt scientia, sensus, opinio in prædicamẽto qualitatis. Caput autẽ & manus & pes in prædicamẽto substãtiæ reductiuè. Dicit igitur Aristoteles, quod ad aliquid propriè & simpliciter sunt nõ quæcunque quomodolibet ad aliud sunt, vt dicit prima diffinitio, sed quibus hoc ipsum quod sunt est ad aliud se habere, quodãmodo, id est speciali modo & non quocunque modo. Hic autem modus specialis est

est, vt non secundariò, sed principaliter & essentialiter dicant respectum, vt in hoc distinguantur relatiua secundum dici à relatiuis secundum esse. Constat igitur quis sit sensus vtriusque diffinitionis.

Quantum ad secundum aduerte, quòd sub ad aliquid, vt est genus generalissimum, assignantur tria genera subalterna, quæ dicuntur relatio æquiparantiæ, relatio superpositionis, relatio suppositionis, & sic describuntur.

Relatio æquiparantiæ est illa, quæ in vtroque extremo denotat æqualitatem, ita quòd neutrum vt sic excedit alterum nec exceditur. species huius generis sunt vicinitas, similitudo, amicitia, æqualitas, & ad denotandum huiusmodi æqualitatem solent relatiua æquiparantiæ nominari eodem nomine cum suis correlatiuis, quia fundantur super eandem formam simul cum suis correlatiuis. vt duo albi, dicuntur similes, duo eiusdem quantitatis dicuntur æquales, duo in mutua dilectione dicuntur amici.

Relatio superpositionis est illa, quæ in suo relatiuo denotat maioritatem super correlatiuum, vt paternitas in patre super filium, dominium in domino super seruum. Vnde relatiua superpositionis dicunt respectũ excedentis ad excessum, id est maioris ad minus. Superponitur enim maius minori, vt pater filio, dominus seruo, magister discipulo.

Relatio suppositionis est illa quæ in suo relatiuo denotat minoritatem erga suum correlatiuum, vt filiatio in filio erga patrem, & seruitus in seruo erga dominum. Vnde relatiua suppositionis sunt illa quorum significata indigniora sunt significatis correlatiuorum, vt seruus, filius, discipulus: est enim filius natura inferior patre, & seruus domino. &c.

Species relationis æquiparantiæ dictæ sunt, species autem relationis superpositionis sunt duplum ad dimidium, triplum ad duplum, & sic ascendendo in numeris, dominus ad seruum, pater ad filium &c. Species autem suppositionis sumuntur econuerso, vt dimidium ad duplum, duplum ad triplum, seruus ad dominum. Et aduerte quòd hic non sumuntur superpositio & suppositio secundum sub & supra in linea prædicamentali, aliter vnum prædicaretur de altero, puta quòd seruus est dominus, quod est impossibile. Sed sumuntur secundum sub & supra in maioritate & minoritate, ideo vnum non prædicatur de altero, sed opponitur alteri oppositione relatiua, de qua dicemus infrà. Constat igitur tibi quæ sint genera subalterna & species in ad aliquid. De modis autem relatiuorum non est præsentis negotij pertractare, sed spectat ad librum quintum Metaphysicæ.

Quantum ad tertium agendum est de communitatibus & proprietatibus relatiuorum. Et hic duo agenda sunt, primò declarandæ sunt communitates & proprietates eorum quæ sunt quatuor, secundò assignanda sunt duo corollaria & declaranda.

Prima quæ est communitas, est hæc. Contrarietas est in relatione: nam virtus contrariatur vitio, & scientia ignorantiæ Sed hæc sunt in relatione, refertur enim virtus ad opus virtuosum & vitium ad opus vitiosum, & scientia ad scibile, & ignorantia ad ignoratum, ergo constat quòd contrarietas est in relatione. Aduerte quod dicitur communitas, quoniam non conuenit soli relationi, conuenit enim qualitati, vt dicemus in cap. sequenti. Item non conuenit omni relationi quoniam neque duplo neque triplo est aliquid contrarium. Est ergo communitas.

Sed aduerte, quòd hæc communitas indiget multa declaratione. Primò magis seruatur in relatiuis secundum dici quam secundum esse. Cuius signum est, quòd Aristote. exemplificat de relatiuis secundum dici, qualia sunt, virtus & vitium, scientia & ignorantia. secundò, hæc communitas est vera non ratione ipsorum respectuum, sed ratione fundamentorum. Nam quia virtus & vitium sunt qualitates oppositæ, super quas fundantur duo respectus, vnus super virtutem ad actum virtuosum, alter super vitium ad actum vitiosum, ideo dicitur quòd in relatione est cõtrarietas. tertiò aduerte quòd duo relatiua opponuntur relatiuè & contrariè. Relatiuè quidem, vt comparantur ad sua correlatiua. Contrariè autem ratione fundamentorum, quæ sunt qualitates contrariæ. quartò aduerte circa exemplum datum de scientia & ignorantia, quòd ignorantia non contrariatur scientiæ nisi sit ignorantia erronea, vt præseruem ignorantiam simplicis negationis, qualis est in idiota. Hæc enim non contrariè, sed priuatiuè opponitur scientiæ, vt declarabitur tibi in postprædicamentis. Hæc de prima communitate dicta sint.

Secunda, quæ est communitas, talis est. Relatiua suscipiunt magis & minus, vt aliqua duo dicuntur magis similia, quam alia duo. Verbi gratia duo calida intensa, sunt magis similia quam intensum calidum & remissum calidum. Præterea linea cubitalis & bicubitalis sunt minus inæquales quam cubitalis & decem cubitorum. Hæc autem est communitas quia non soli relationi conuenit. Nam conuenit qualitati. Item non conuenit omni, non enim conuenit relatiuis denominatis à numero, vt duplo, triplo & quatruplo. Consistunt enim in indiuisibili sicut & numeri. Sed aduerte quod hæc communitas non verificatur de relatiuis nisi propter fundamenta. Nam si fundamenta non suscipiunt magis & minus, nec etiam relatiua. Vnde, quia qualitates fundantes similitudinem & dissimilitudinem suscipiunt magis & minus, puta quia in vno extremo est perfectior albedo, in alio autem parum imperfectior, dicentur dissimilia. Si autem in alio sit adhuc imperfectior dicentur magis dissimilia, ex quibus patet, quod contrarietas, & intensio & remissio non conueniunt per se, sed per aliud relatiuis. Soli autem qualitati conueniunt primò & per se, vt tibi declarabitur in cap. sequenti.

Sed dices, Aristoteles vult quòd inæquale sicut dissimile suscipiat, magis & minus, sed inæquale fundatur in quantitate, de qua diximus in cap. præcedenti, quod non suscipit magis, ergo inæquale nec per se, nec ratione fundamenti suscipit magis & minus.

Respondetur quod suscipit magis & minus ratione fundamenti. Nam licet quantitas vt quantitas denominetur à numero, & non suscipiat magis & minus, tamen non inconuenit quantitati non denominatæ à numero suscipere magis & minus, vt declarabimus in quarto Physicorum in cap. de vacuo in quæstionibus nostris. Vel dicendum quòd quantitas suscipit magis & minus extensiuè, sicut qualitas intensiuè. & hoc sufficit ad saluandum quod relatiua suscipiunt magis & minus Hæc de secunda communitate dicta sint.

Tertia, quæ est proprietas, talis est. Relatiua dicuntur ad conuertentiam, vt pater, filij pater, & filius, patris filius. Pro cuius notitia declarandum est quid sit conuertentia, & quid dici ad conuertentiam. Tu igitur aduerte, quod differentia est inter conuertentiam & conuertibilitatem, & conuersionem. Nam conuertentia est mutua dependentia duorum correlatiuorum in aliquo casu, puta in genitiuo vel datiuo vel ablatiuo, & dici ad conuertentiam est aliqua referri inter se secundum mutuam dependentiam in aliquo casu, puta pater dicitur ad filium per conuertentiam, quia pater est filij pater, & econuerso filius est patris filius. In datiuo autem dicuntur relatiua æquiparantia ad conuertentiam, vt æquale est æquali æquale. simile est simili simile. Amicus est amico amicus &c. Et in hoc sensu conuertentia est proprietas vera relatiuorum, quia non conuenit alicui absoluto, vt absolutum est Conuertibilitas autem est æqualis duorum terminorum conuertibilium verificatio. Sunt autem termini conuertibiles, qui mutuo de seinuicem & æquè amplè verificantur, huiusmodi sunt subiectum & propria passio, vt homo & risibile. Diffinitio & diffinitum. Species & differentia specifica, vt homo & rationale. Nam de quocunque prædicatur vnum prædicatur alterum, & de se mutuo prædicantur. Et ab vno ad alterum, & econuerso in subsistendo valet consequentia: nam bene sequitur, homo est, ergo risibile est, ergo rationale est, ergo animal rationale est. Et hæc non est proprietas relatiuorum, sed potius terminorum incomplexorum conuertibilium. Conuersio autem est transmutatio prædicati in subiectum & econuerso, & est propositionum & non terminorum, vt suprà docuimus agentes de conuersionibus propositionum categoricarum. Constat igitur tibi quid sit relatiua dici ad conuertentiam?

Quarta est proprietas, quæ talis est, Relatiua sunt simul natura, ita quod posito vno ponitur reliquum & remoto vno remouetur reliquum. Neq; enim est intelligibile quod ponatur pater & non ponatur filius, aliter non diceretur ad conuertentiam, neq; est imaginabile quod ponatur duplum & nõ ponatur dimidium, respectu cuius dicitur dimidium.

Sed aduerte quòd hæc proprietas requirit duas conditiones. primò quòd sumantur relatiuè, & non quantum ad eorum fundamenta, nam quantum ad eorum fundamenta, non inconuenit vnum esse prius, alterum posterius, vt pater & filius ratione qua sunt homo. In ratione autem generantis & geniti sunt simul natura, quoniam generans est alicuius geniti generans, & genitum est ab aliquo generante genitum. secundò oportet quòd intelligatur simul natura actu vel potẽtia. Quod dico propter relatiua secundũ dici, qualia

ſunt ſcientia & ſcibile, ſenſus & ſenſibile. Virtus & opus virtuoſum. Nam non eſt neceſſe quòd ſi eſt ſenſibile in actu ſit ſenſus in actu, ſtat enim lapidem eſſe in fundo maris, & tamen à nullo ſentiri, & ideo ſic intelligendum eſt, Si vtrũque relatiuum in eſſe relatiuo eſt actu, ſunt ſimul natura actu. Si autem vtrunque in eſſe relatiuo eſt in potentia, ſunt ſimul natura in potentia. Hæc de quarta proprietate dicta ſint.

Poſitis proprietatibus & communitatibus relatiuorum aſſignanda ſunt duo corollaria ad mentem Ariſtotelis & logicantium realium.

Primum eſt, Relatiua poſita ſe ponunt, & perempto vno perimitur reliquum, & ſic intelligitur, ſi ponitur vnum ponitur reliquum & corrupto vno, corrumpitur reliquum. & hoc corollarium pendet à quarta proprietate. Nam bene ſequitur, relatiua ſunt ſimul natura, ergo ſimul incipiunt & deſinunt, ea enim ſunt ſimul natura quorũ eſt vnus ortus & occaſus, ergo poſita ſe ponũt, & perẽpto vno perimitur reliquũ.

Sed aduerte quod duæ conditiones requiruntur. Primò quòd conſiderentur in eſſe relatiuo, & nõ quo ad fundamenta ſcilicet inquantum res abſolutæ ſunt. Nam licet non ponatur filius vt filius niſi ponatur pater, vt pater, neque deſinat eſſe filius, vt filius niſi deſinat eſſe pater vt pater, tamen filius vt homo poteſt poni corrupto patre, vt homo eſt & econuerſo. Vnde ſolet dici quod hoc corollarium verificatur de relatiuis formaliter acceptis, & nõ materialiter ſiue fundamentaliter conſideratis. Secundò quòd ſumatur correlatiuum totaliter, & non ſolùm partialiter. Quod dico quoniam correlatiuum patris eſt filius. Vnde poſito quod vnus pater haberet decem filios, & moriantur aliqui, propter hoc non deſinit eſſe pater niſi partialiter. ſcilicet reſpectu filiorum defunctorum. Ad hoc autem quod omnino deſinat eſſe pater, oportet quod omnes filij deficiant, quoniam omnes ſimul ſumpti ſunt totale correlatiuum patris. Sed ad plenum tibi manifeſtabitur in quinto Metaphyſicæ ſequendo viam Thomiſticam.

Secundum eſt. ſi quis diffinit, id eſt determinat, & reſolutè nouerit vnum relatiuorum, noſcet & reliquum.

Vt ſi quis determinatè nouit quid ſit duplum, noſcet determinatè cuius ſit duplum, quia dimidij. & ratio huius eſt, quid vnum diffinitur per reliquum, & econuerſo, ita quod in diffinitione dupli ponitur dimidium & ecõuerſo, & in diffinitione domini ponitur ſeruus & econuerſo. Vnde in eodem inſtanti fertur intellectus in relatiuũ, & ſuum correlatiuum. Cum igitur diffinitio faciat determinatè ſcire diffinitum, & relatiua mutuo diffiniantur, ergo mutuò cognoſcantur.

Sed dices. Si mutuo diffiniuntur, ergo eſt circulus in diffinitionibus, qui reprobatur in primo Poſteriorum.

Reſpondetur, Prohibetur circulus in abſolutis, quia non ſunt de mutuo intellectu. licet enim animal ſit de intellectu hominis non tamen econuerſo. Quoniam autem relatiua ſunt de mutuo intellectu, ideo non incõuenit circulus in eorum diffinitionibus.

Hæc de prædicamento relationis dicta ſunt ad mentem philoſophi & logici realis.

Nominales verò de hoc prædicamento citò ſe expediunt. Nam diffiniunt illud eodem modo, ſicut & reliqua prædicamenta & aſsignant genus generaliſsimum, & genera ſubalterna, & ſpecies ſpecialiſsimas.

Diffiniunt autem ſic. Prædicamentum ad aliquid eſt ordinatio plurium terminorum, ſcilicet vniuocorum & de pluribus prædicabilium ſecundũ ſub & ſupra & ſignificantium relationem. Termini autem ſignificantes relationem, ſunt illi per quos conuenienter reſpondetur ad interrogationem factam de aliquo ad quid eſt. Nam ſicut in prædicamento ſubſtantiæ interrogatio fit per quid, & in prædicamento quantitatis per quantum & in prædicamento qualitatis per quale, ſic in prædicamento relationis fit interrogatio per ad quid. Vt quando quæritur ad quid refertur vel dicitur pater, reſpondetur ad filium, & dominus ad ſeruum &c.

Hanc autem huius prædicamenti ſeriem ſic diſponũt, genus generaliſsimum eſt relatio ſupple realis, vt excludamus relationem rationis, quæ cum ſit ens rationis in nullo eſt prędicamento, vt identitas, qua Sortes eſt idem ſibi ipſi. Sed de hoc agendum eſt in libro quinto Metaphyſicæ. Eſt autẽ realis & prædicamentalis relatio, quæ tres cõditiones habet primò quod extrema ſint entia realia, cuius defectu relatio prędicati ad ſubiectũ, ſpeciei ad genus, non eſt realis. ſecundò ꝙ extrema ſint entia realia realiter diſtincta ab inuicem, cuius defectu relatio identitatis, quæ eiuſdẽ eſt ad ſeipſum, non eſt realis. Tertiò ꝙ extrema ſint eiuſdem ordinis, id eſt ꝙ mutuã

Relationis realis intellectus.

habeant dependentiã ab inuicẽ, cuius defectu relatio inter Deum & creaturam ex parte Dei non eſt realis, quia Deus eſt penitus independens. Relatio igitur realis eſt genus generaliſsimũ. Sub relatione ſunt tria genera ſubalterna. ſcilicet, Relatio æquiparãtiæ, Relatio ſuperpoſitionis. Relatio ſuppoſitionis. Sub relatione æquiparãtię ſunt iſtę ſpecies, Vicinitas, amicitia, æqualitas, ſimilitudo, quarum indiuidua ſunt, hæc vicinitas, hæc amicitia, hæc æqualitas, hæc ſimilitudo. Sub relatione ſuperpoſitionis ſunt iſtę ſpecies, ſcilicet Paternitas, Dominium, Magiſterium, Maioritas, & ſua indiuidua ſunt hæc. Hæc paternitas, hoc dominium, hoc magiſterium, hæc maioritas. Sub relatione ſuppoſitionis ſunt iſtę ſpecies, ſcilicet filiatio, ſeruitus, diſcipiinatus, minoritas, & indiuidua ſunt hæc. Hæc filiatio, hæc ſeruitus, hæc minoritas, hic diſciplinatus & hic terminatur intentio noſtra. ſuper prædicamentum ad aliquid.

CAP. V. *De prædicamento Qualitatis.*

IN quinto cap. agendum eſt de prædicamento qualitatis ad mentem Ariſtotelis, & logici realis, de quo quatuor videnda ſunt. Primò de qualitate quid ſit. Secundò, quę & quot ſint ſpecies qualitatis. Tertiò agendum eſt de concreto qualitatis, quod dicitur quale. Quartò agendum eſt de communitatibus & proprietatibus qualitatis.

Qualitas quid ſit.

Quantum ad primum aduerte, quod apud Ariſtotelem qualitas eſt ſecundum quam quales dicimur, vt ſecundum iuſtitiam iuſti. Quæ quidem diffinitio datur ab effectu & à poſteriori, qualitas enim eſt cauſa formalis, qua efficimur quales, & ſi accipiatur vt ſonat, & non aliter exponatur, non conuenit ſoli qualitati prædicamentali. Nam & per differentiam eſſentialem dicimur quales, vt qualis eſt homo, reſpondetur, rationalis. Vnde & Porphyrius dicit in prædicabilibus quòd homo differt ab equo rationali qualitate, & per actionem dicimur, quales, ſimiliter per paſsionem. Vt qualis eſt Sortes reſpõdetur, eſt ſcribens, vel calefactus &c. Vt ergo ſit propria diffinitio qualitatis prædicamentalis, Sic intelligenda eſt. Qualitas eſt forma accidentalis ſecundum quam primò & per ſe dicimur, id eſt denominamur quales.

Per ly forma accidentalis excluditur differentia eſſentialis, quæ ſecundum rem non eſt qualitas, ſed tantum ſecundum modum prædicandi, ideo non eſt in prædicamento qualitatis, ſed ſubſtantiæ.

Per ly primò & per ſe excluditur actio & paſsio, quoniam per eas non dicimur quales niſi quia ſunt viæ ad qualitates, vt calefactio ad calorem, & frigefactio ad frigiditatẽ. Vnde ſecundariò & non primo & per ſe per eas dicimur quales.

Per ly dicimur, non eſt intentio Ariſtotelis, intelligere nos ſolos homines, quaſi quòd tantum homo recipiens qualitatem denominatur qualis, ſed eſt modus ſic loquendi. Vnde vt extẽdatur diffinitio vniuerſaliter poteſt ſic formari. Qualitas eſt forma accidentalis, ſecundũ quam omne receptiuum qualitatis primò & per ſe dicitur quale. Et ſic declarata & formata, conuenit omni & ſoli qualitati.

Qualitatis ſpecies.

Quantum ad ſecundum aduerte, ꝙ apud Ariſt. quatuor ſunt ſpecies qualitatis, quæ quidem non ſunt ſpecialiſsimæ, ſed ſubalternæ, quoniam quælibet earum eſt habens ſub ſe ſpecies, vt tibi manifeſtabitur.

Prima ſpecies.

Prima eſt habitus & diſpoſitio, pro cuius reſolutione quatuor agẽda ſunt. Primò quomodo cõparatur diſpoſitio ad habitum. Secundò quid ſit habitus & diſpoſitio, vt ſunt duo genera qualitatis condiſtincta. Tertiò in quo differũt & in quo conueniunt. Quartò quæ qualitates in hac prima ſpecie reponuntur.

Quantum ad primum aduerte, quòd diſpoſitio dupliciter cõſiderari poteſt, primò generaliter pro omni qualitate qua diſponitur ſubiectum ad operandum operationes ſibi debitas, ſiue ſint perfectæ, ſiue imperfectæ. ſecundò particulariter pro omni qualitate, qua imperfectè diſponitur ſubiectũ ad operãdum operationes ſibi debitas, licet imperfectas. In primo ſenſu diſpoſitio eſt genus ad diſpoſitionẽ particulariter dictam, & ad habitũ: & in hoc ſenſu tàm habitus quã diſpoſitio particulariter dicta ſunt diſpoſitio. Vnde in hoc ſenſu intelligendũ eſt illud q̃d dicit Ariſ. ꝙ omnis habitus eſt diſpoſitio, quoniã omnis habitus diſponit ſubiectũ ad operandũ. In ſecundo ſenſu diſpoſitio eſt ſpecies qualitatis diſtincta contra habitũ, ſicut diſtinguitur imperfectũ contra perfectũ & non prædicatur de habitu affir. ſed nega. Et in hoc ſenſu intelligitur illud quod dicit Ariſt. diſpoſitiones non neceſſe eſt habitus eſſe. Nã qui diſpoſiti ſunt, non omnino retinẽt habitũ. Cõſtat ergo quomodo diſpoſitio eſt genus, ad habitũ & diſpoſitionẽ, & quomodo eſt ſpecies diſtincta contra habitũ,

Quan

Quantum ad ſecundum aduerte, quòd habitus eſt qualitas radicata in ſubiecto de difficili mobilis, qua perfectè & permanenter diſponitur ſubiectum ad operandum operationes ſibi conuenientes, tam in bonum quàm in malum. Vnde omnis ſcientia perfectè acquiſita, eſt habitus. Omnis ars, omnis virtus, omne vitium, cum radicata hæc fuerint in anima, ſunt habitus, quia non de facili tranſmutantur nec remouentur à ſubiecto. Diſpoſitio verò condiſtincta contra habitum, quam Ariſtoteles appellat affectionem, eſt qualitas de facili mobilis & cito permutabilis à ſubiecto, non diſponens ipſum ad operandum niſi leuiter & imperfectè. Et exemplificat Ariſtoteles de calore & frigiditate, de ſanitate & ægritudine, & aliis huiuſmodi. Nam inquit Ariſtoteles cito afficitur homo circa eas, & cito permutatur, vt ex calido ſit frigidus & econuerſo, ex ſano æger & econuerſo, niſi forte in his, quæ per temporis longitudinem in naturam cuiuſque transferuntur, vt ægritudo longitudine temporis effecta inſanabilis, vt ptiſis, podagra hydropiſis paraliſis Tunc enim non diſpoſitiones ſiue affectiones, ſed habitus quis vocabit? Conſtat igitur quid ſit habitus, & diſpoſitio, vt ſunt ſpecies condiſtinctæ.

Quantum ad tertium aduerte quòd habitus & diſpoſitio conueniunt in forma ſignificata. Nam eadem qualitas poteſt dici diſpoſitio & habitus inquãtum actuat & qualificat ſubiectum diſponens ipſum ad operandum. Sed differunt in modo diſponendi. Nam ſi talis qualitas nondum ſit perfectè acquiſita nec formata in ſubiecto, dicetur diſpoſitio, vt ſciẽtia & ars & virtus, quando incipiunt de nouo acquiri, ſicut contingit in diſcipulis. Diſponitur enim ſubiectum imperfectè per ipſam. Si autem perfectè acquiſita fuerit, vt ars in artifice iam exercitato tunc diſpoſitio tranſit in habitum: & ſic conſtat quòd habitus differt à diſpoſitione in duobus, primò quia habitus eſt qualitas permanentior & diuturnior, Diſpoſitio autem eſt de facili tranſiens, niſi longitudine temporis & exercitio tranſeat in habitum. Secundò differunt, quia habitus poteſt dici diſpoſitio, ſed non econuerſo. Nam qui habet habitum diſpoſitus & aptus eſt operari ſecundum habitum remoto impedimento, & in hoc ſenſu diſpoſitio eſt quid ſuperius ad habitum & ſicut genus ad ſpeciem, vt docuimus ſuprá. Conſtat ergo quomodo conueniant & differunt.

Quantum ad quartum aduerte, quòd in hac prima ſpecie qualitatis continentur omnes qualitates habilitantes, & diſponentes ſubiectum ad operandum operationes ſibi conuenientes. Tales ſunt omnes qualitates & corporales, & ſpirituales diſponentes ſubiectum ad operandum, quę ſi firmatæ ſunt dicuntur habitus, ſi non firmatæ dicuntur diſpoſitiones. Corporales quidem ſunt ſanitas & ſuum oppoſitũ, pulchritudo & ſuum oppoſitum, elegantia & ſuum oppoſitum, robur & ſuum oppoſitum. Nam formæ contrariæ ſub eodẽ genere cõtinentur, ſpirituales ſunt habitus animæ tam morales quã intellectuales. Morales quidẽ ſunt tẽperantia, fortitudo, iuſtitia, & prudẽtia, & alij habitus, de quibus pertractauimus in tertio, quarto quinto Ethicorũ, & vitia eis contraria. Intellectuales ſunt. ſapientia, ſcientia, intellectus, id eſt notitia primorũ principiorũ ars tam liberalis quã mechanica, & opinio, & virtutes infuſæ. Omnia hæc ſunt in prima ſpecie qualitatis, vtpote habilitantia ſubiectũ ad operandũ.

Secunda ſpecies ſcilicet ſubalterna, dicitur naturalis potentia vel impotentia, de qua tria videnda ſunt. primò quid ſint, ſecundò quomodo conueniunt & differunt ab habitu & diſpoſitione, tertiò, quæ qualitates in hac ſpecie reponantur.

Quantum ad primum aduerte, quòd naturalis potentia eſt congenita & inſeparabilis rei proprietas, qua ex ſui natura vt principio formali potens eſt operari operationes ſibi conuenientes à natura, & potens eſt reſiſtere contrariis & nociuis, vt animal dicitur ſanatiuum ex virtute ſua naturali, quando potens eſt operari opera ſua naturalia, & poteſt reſiſtere malis accidentibus ne patiatur ab eis. Naturalis autem impotentia eſt cõgenita & inſeparabilis rei proprietas, qua ex ſui natura & complexione impotens eſt ad operandum operationes ſibi debitas, nec reſiſtere poteſt contrariis & nociuis accidentibus. Vt homo dicitur ægrotatiuus, quia naturalem impotentiam habet operandi opera ſua naturalia, nec reſiſtere poteſt contrariis, ſed de facili patitur ab eis. Et ſicut dictum eſt de ſanatiuo & ægrotatiuo, intellige etiã de duro & molli. Durum enim dicitur per naturalem vigorem, quo poteſt reſiſtere ſecanti vel percutienti vel perforanti. Molle verò dicitur per naturalem debilitatem, qua non poteſt reſiſtere ſecanti vel percutienti &c. ſed facile cædit eis, ita quod de facili ſecatur aut percutitur, aut proſternitur.

Quantum ad ſecundum aduerte quod habitus & diſpoſitio, & naturalis potentia vel impotentia, conueniunt & differunt. Conueniunt quidem, quoniam ſunt principia formalia ſubiecto in quo ſunt operandi, vt ſibi conuenit. Differunt autem in duobus, primò quoniam habitus & diſpoſitio ſunt qualitates aduentitiæ & non congenitæ, ſed acquiruntur aut exercitio & conſuetudine, ſicut habitus corporales & morales ſimiliter diſpoſitiones, aut inuentione aut doctrina vt habitus & diſpoſitiones intellectuales. Propterea non ſunt inſeparabiles à ſubiecto. Naturalis verò potentia & impotentia, non exercitio, non inuentione, non diſciplina. ſed ex forma rei, & ex complexione rei, vt patet in naturalibus ſimplicibus & compoſitis, aut à ſimplici eſſentia rei, vt in immaterialibus ſubſtantiis emanant. Ideo ſunt congenitæ & inſeparabiles à ſubiecto, & dicuntur naturales habitudines. ſecundò differunt quoniam diſpoſitio prædicatur de habitu modo quo declaratum eſt ſuprà, nunquam autem impotentia prædicatur de potentia vt patet.

Quantum ad tertium aduerte quòd in hac ſpecie reponuntur omnes aptitudines & inclinationes naturales, quibus vnaquæque res mouetur ad operandum vel conſequendum finẽ ſuum: vt caliditas in igne, grauitas in lapide, lux in ſole, & omnes rerum propriæ paſsiones, vt riſibile, rudibile, diſciplinabile &c. & omnes inclinationes ac diſpoſitiones, quę inſunt diuerſis indiuiduis ex influxu cauſarum ſuperiorum, quibus abſque habitu acquiſito, apti & inclinati ſunt ad varia humana opera & artificia, moralia & intellectualia, iuxta quas aliquid dicuntur ex naturali inclinatione iuſti, aliqui oppoſito modo, aliqui naturaliter temperati, fortes, magnifici, veraces, aliqui oppoſito modo & omnes diſpoſitiones corporales ingenitæ quibus redditur homo aptus ad diuerſa excercitia corporalia laudabilia abſq; habitu acq̃ſito, vt naturaliter curſores pugiles athletæ, gratioſi luſores ex naturali eutrapelia.

In eadem ſpecie qualitatis ſunt omnes animæ vegetatiuæ potentiæ, omnes animæ ſenſitiuæ potentiæ exteriores & interiores, omnes animæ intellectiuæ potentiæ, tam appetitiuæ quã intellectiuæ. Omnes potentiæ motiuæ tã directiuæ, quã imperatiuæ & executiuæ. De quibus omnibus plenam notitiam habebis in ſecnudo & tertio de Anima in epitomatibus noſtris naturalibus. Hæc de ſecunda ſpecie qualitatitis dicta ſint.

Tertia ſpecies dicitur paſsio & paſsibilis qualitas de qua tria videnda ſunt. Primò quid ſit paſsio & paſsibilis qualitas, ſecundò quæ & quot qualitates in ea reponuntur, tertiò ſoluetur dubium.

Quantum ad primum vt ſcias in quo ſenſu ſumitur paſſio hic, & in quo ſenſu paſsibilis, aduerte quòd paſsio tribus modis ſumitur, primò inquantũ reſpicit agẽs à quo eſt actio, cuius effectus eſt ipſa paſsio: vt calefactio paſsiua ſe habet ad calefactionem actiuam, vt effectus eius, vt dicetur tibi infrà & in hoc ſenſu non eſt ſpecies qualitatis, ſed prædicamẽtum particulare vt manifeſtabimus infrà. ſecundò ſumitur pro motu appetitus ſenſitiui, quo impellimur ad aliquid agendum, & quo alteratur corpus, qualis eſt timor, audacia, deſiderium, amor, odium, ſpes. ira, de quibus omnibus loquemur in tertio de Anima, & ſic paſsio eſt quidem in prædicamento qualitatis. quoniam qualificat ſubiectum, Interrogamus enim de Socrate qualis eſt, & reſpondetur, quòd eſt iratus aut audax aut timoroſus aut triſtis &c. Sed paſsio ſic dicta eſt in ſecunda ſpecie, ſicut eſt potentia animæ appetitiua: tertiò ſumitur pro qualitate ſenſibili: id eſt ab aliquo quinque ſenſuum perceptibili cito tranſiẽns nec denominans ſubiectum quale ſimpliciter, ſed ſecundum quid, vt tibi declarabitur, & ſic de ea eſt hic ſermo habendus. Sic autem diffinienda eſt. Paſsio eſt qualitas cito tranſiens inferens paſſionem vel illata ab aliqua paſsione: vt pallor proueniens ex timore vel ira, & rubedo ex verecundia. Paſsibilis verò qualitas non dicitur paſsibilis quaſi ſit apta pati tanquam ſubiectum patiens aut paſsibile, ſed dicitur paſsibilis, quia cauſat paſsionem in ſenſu, dum ſentitur. Verùm niſi aliud addatur, non diſtinguetur à qualitate, quæ dicitur paſsio. Nam vt diffiniuimus & ipſa infert paſsionem vel infertur à paſsione. Vt ergo diſtinguatur ſic diffinienda eſt. Paſsibilis qualitas, eſt qualitas firmata in ſubiecto, difficulter vel nunquam ſeparabilis à ſubiecto, inferens paſsionem ſenſui dum ſentitur, vel illata ab aliqua paſsione ſimpliciter denominãs ſubiectum ſuum quale.

Dicitur firmata in ſubiecto, ad differentiam qualitatis

quæ dicitur paſsio, quæ quaſi tranſeunter adhæret ſubiecto: vt rubedo ex verecundia.

Dicitur difficulter vel nũquam ſeparabilis, quoniam aliqua qualitas eſt congenita ſubiecto, vt albedo in niue, calor in igne, dulcedo in melle, amaritudo in abſinthio, & iſtæ dicuntur qualitates paſsibiles inſeparabiles, aliqua autem de nouo aduenit ſubiecto, ſed longitudine temporis adeò firmatur q̃ vix amoueri poteſt, vt color croceus ex ictericia, & palor ex phthiſi, & amaritudo in lingua ex colera aduſta.

Dicitur inferens paſsionem ſenſui dum ſentitur, aduerte quòd vt declaratur in libro de Anima, ſentire eſt pati, & ſenſatio eſt paſsio, prout ſenſibile agit in ſenſum, & ſenſus recipit impreſsionem à ſenſibili, ideo paſsibilis qualitas, quæ eſt apta ab aliquo ſenſu ſentiri, dicitur inferre paſsionem.

Dicitur ſimpliciter denominans ſubiectum quale, vt in hoc diſtinguatur à qualitate, quæ eſt paſsio. Nam licet ſit eſſentialiter qualitas, non tamen denominatiuè ſimpliciter, ſed tantum aliquo modo. Vnde dicit Ariſtoteles, quòd non dicimur rubei, facti rubei propter verecundiam, ſed paſsi ruborem. Pro cuius notitia aduerte quòd ad denominationem ſimpliciter dictam tria requiruntur, primò quod forma inſit ſubiecto pro aliquo gradu intenſo, & non ſimpliciter remiſsè. huius defectũ, tepidum non dicitur calidũ ſimpliciter, quoniam in tepido non eſt calor niſi remiſsè. ſecundò quòd forma informet ſubiectum ſecundum totum, vel pro maiori parte, huius defectu licet Aethiops ſit albus dentes tantũ, tamen non dicitur ſimpliciter albus, ſed ſimpliciter niger, quoniã per totũ exceptis dentibus eſt niger. excipitur autem quando ex parte eſt aptum denominari totum, vt licet ſimitas ſit tantum circa naſum, & gibus circa dorſum, & criſpitudo circa capillos, tamen homo denominatur ſimpliciter ſimus ex naſo, criſpus ex capillis, gibboſus ex dorſo. tertiò quòd pro aliqua notabili longitudine temporis forma inſit ſubiecto huius defectu, nec erubeſcentes dicuntur rubei, nec timentes pallidi, nec lauantes manus in aqua frigida frigidi, ſed ruborem pallorem & frigiditatẽ paſsi. Conſtat ergo quid ſiat, & in quo differant paſsio & paſsibilis qualitas. Et ſi bene aduertes inuenies quòd ſicut ſe habet in prima ſpecie diſpoſitio ad habitum, ſic in tertia ſpecie, paſsio ad paſsibilem qualitatem.

Quantũ ad ſecundum aduerte quòd in tertia ſpecie qualitatis continentur omnes qualitates, quæ percipiũtur quinque ſenſibus exterioribus: vt color & omnes ſpecies colorum, & ſonus & omnes ſpecies ſonorum, & odor & omnes ſpecies odorum, & ſapor & omnes ſpecies ſaporũ, & omnes qualitates tãgibiles primæ, vt calidũ, frigidũ, humidũ, ſiccũ, & ſecundæ: vt aſperũ & lene, durũ & molle, graue & leue. Oẽs enim immutãt ſenſum, ex cõſequẽti paſsionem inferũt ſenſui dum ſentiuntur. Item ſecundum eas fit alteratio. Alteratio autem maxime fit in tertia ſpecie qualitatis, vt tibi declarabitur in ſeptimo libro phyſicorum, ergo, &c. Cõſtat igitur tibi quæ qualitates in hac tertia ſpecie contineantur.

Quantum ad tertium aduerte, quòd dubium oritur circa prædicta. Nam Ariſtot. in prima ſpecie numerauit calorem & frigiditatem, & in ſecunda ſpecie numerauit durum & molle, & in tertia ſpecie, eadem numerata ſunt. ſed impoſſibile eſt diuerſorum generum & non ſubalternatim poſitorum eſſe eaſdem ſpecies, vt docuimus in anteprædicamẽtis. Conſtat autem quòd tertium genus non ſubalternatur ſecundo, nec ſecundum ſubalternatur primo, ergo calor & frigiditas non poſſunt contineri in prima & in tertia ſpecie, nec durum & molle poſſunt contineri ſub ſecunda & tertia. Reſpondetur calor & frigus dupliciter ſumuntur, primò inquantum ſunt principia actionis, ſecundò inquantum percipiuntur ſenſu & paſsionem inferunt ſenſui: primo modo: continentur in prima ſpecie, ſecundo modo in tertia eandem diſtinctionem intelligede duro & molli, primo modo ſunt in ſecunda ſpecie, ſecundo modo in tertia. Nec obſtat, quod dicitur. Diuerſorum generum &c. Intelligitur enim q̃ eadem res ſub eadẽ ratione, non poteſt eſſe ſpecies diuerſorum generũ. ſub diuerſa autem nihil prohibet; ſicut etiam ſcientia inquantum perficit ſubiectum eſt in prædicamento. qualitatis, inquantũ habet reſpectum ad ſcibile eſt in prædicamẽto ad aliquid. Hæc de tertia ſpecie qualitatis dicta ſint.

Quarta ſpecies dicitur forma & circa aliquid conſtans figura, & tria videnda ſunt, primo quid ſint forma & figura, ſecundò quæ reponuntur in hac ſpecie, tertiò remouebitur dubium.

Quantum ad primum vt ſcias in quo ſenſu forma conſtituit quartã ſpeciem qualitatis & quid ſint forma & figura, & quomodo differãt & conueniũt aduerte, quæ forma apud philoſophum tripliciter ſumitur, vt tibi declarabitur in Primo Phyſicorũ & in quinto & in primo de Generatione, primò ſumitur pro forma ſubſtantiali, qua cõpoſitum naturale conſtituitur ineſſe actuali, vt per animam informantem, homo eſt homo, leo eſt leo, & hæc non eſt in prædicamento qualitatis, quoniã non eſt accidens, ſed eſt in prædicamento ſubſtantiæ, non quidẽ primo & perſe, ſed reductiuè vt pars eſſentialis ſubſtantiæ compoſitæ, ſicut docuimus in prædicamento ſubſtantiæ, & de hac non eſt hic ſermo, nec intentio Ariſt. ſecundò ſumitur pro omni re, quæ verè eſt accidens, quæ dat eſſe ſubiecto, poſtquã conſtitutũ eſt ineſſe ſubſtãtiali per formã ſubſtantialẽ, ita quòd eſt poſterior natura vel tempore, quàm forma ſubſtantialis: natura quidẽ, vt accidentia propria, tẽpore aũt, vt accidentia aduentitia, & in hoc ſenſu forma accidẽtalis ſumpta vniuerſaliter, reperitur in prædicamentis omnibus nouem accidentiũ, præcipuè aũt in quantitate & qualitate, & in omni ſpecie qualitatis. nam habitus & diſpoſitio, potentia & impotentia, paſsio & paſsibilis qualitas, dant eſſe accidẽtale ſubiecto in quo ſunt. tertiò ſumitur particulariter & ſpecificè pro reaccidentali, quẽ procedit ex quantitate ſic vel ſic terminata lineis aut ſuperficiebus prout conuenit rei naturæ, & in hoc tertio ſenſu eſt quarta ſpecies qualitatis, & ſic diffinienda eſt ad mẽtem Ariſtotelis, forma eſt terminatio ſiue clauſura linearum & ſuperficierũ in corpore naturali compoſito ſiue animato ſiue inanimato, prout forma ſubſtantialis requirit. Ideo videmus aliam formam li neamẽtarem in homine, in equo, in leone, & in humana ſpecie tanta diuerſitate formarum in diuerſis indiuiduis. figura autẽ eſt ordinatio, ſiue terminatio aut clauſura linearum & ſuperficierum. Non vt reſpicit formam ſubſtantialem, cui proportionatur, ſed vt reſpicit quantitatem debitam corpori, cuius eſt figura. Conueniũt autem forma & figura in hoc, quòd eadem qualitas numero & ſecundum eſſentiam dicitur forma & figura. Sed ad inuicem comparata differunt in duobus. primò quia forma reſpicit formam ſubſtantialem, quæ tale linearum & ſuperficierum linearionem & protractionem requirit, figura autem reſpicit debitam quantitatem corporis. ſecundò differunt, quia forma propriè dicitur in rebus naturalibus tam animatis quàm inanimatis, figura verò in rebus artificiatis.

Quantum ad ſecundum aduerte quòd in hac ſpecie continentur omnes figuræ, de quibus pertractat Mathematicus, vt Sphæra, triangulus, quadratum, pentagonum, exagonum, & ſic in infinitum. Et curuitas & rectitudo, quæ ſunt circa lineam, & concauum & connexum & planum. quæ ſunt circa ſuperficiem. Et ſphæricum & pyramidale, quæ ſunt circa corpus. Nam per hæc omnia dicimur quales. ergo, &c.

Quantum ad tertium aduerte quòd dubium eſt de raro & denſo, de aſpero & leni. Nam primo aſpectu videtur eſſe qualitates, quoniam ſecundum ipſa corpus denominatur quale. Nam ſi interrogatur quale ſit hoc corpus, reſpõdetur, rarum vel denſum, aſperum vel lene: ex alio autem videtur ſpectare ad prædicamentũ ſitus, ſicut manifeſtabitur ex diffinitionibus ſuis ex alio videntur eſſe in tertia ſpecie qualitatis, computantur enim inter qualitates tangibiles, quas ſuprà diximus contineri in tertia ſpecie qualitatis.

Reſpondetur. Rarum & denſum, aſperum & lene, tripliciter conſiderari poſſunt. primò quantum ad illud quod ſimpliciter ſignificãt. Significatum autem innoteſcit ex diffinitione. Diffinitiones verò eorum manifeſtè reſpiciunt poſitionem. Nam ſecundum Ariſtotelem. Rarum eſt, cuius partes non cohærent, ſed diſtant ab inuicem: vt patet in aqua calefacta vel ebulliente. Denſum verò eſt, cuius partes bene cohærent, & valde propinquæ ſunt, vt patet in aqua congelata, & in terra ficca. lene autem eſt, cuius partes æqualiter ſituatæ ſunt nec vna ſupereminet alteri. Aſperum verò eſt cuius partes non æqualiter ſituantur, ſed vna ſupereminet alteri. Quantũ ergo ad ſuum ſignificatũ ſumptũ ex diffinitionibus, ſpectant ad prædicamentũ ſitus, ſiue poſitionis, de quo loquemur infrà. ſecundò poſſunt conſiderari inquãtum cauſantur ex diuerſa protractione linearũ & ſuperficierũ. nam in raro fit maior protractio, in denſo aũt breuior, & in leni fit protractio in rectũ, in aſpero aũt in curuo, aut cõcauo, &c. Et vt ſic ſpectant ad quartã ſpeciem qualitatis, ſicut rectũ curuũ concauum planũ, &c. tertiò poſſunt conſiderari vt immutãt ſenſum tactus & paſsionem cauſant in eo, ſicut cætere qualitates tangibiles & vt ſic ſunt in tertia ſpecie qualitatis, ſicut forma & figura inquantũ ſunt ſenſibilia cõmunia vt tibi declarabitur in ſecũdo de Anima. Sed pro nũc ſuſtine. Conſtat igitur tibi quomodo

quomodo ſunt quatuor ſpecies ſubalternæ prædicamenti qualitatis, & quid ſit vnaquæque earum, & quæ in vnaquaque contineantur. Nunc de quali quod eſt concretum qualitatis agendum eſt.

Quantum ad tertium principale agendum eſt de concreto qualitatis, quod dicitur quale. De quo tria agenda ſunt. Primò quid ſit, ſecundò quot modis ſumitur à qualitate, tertiò quomodo conuenit & differt à qualitate.

Quantum ad primum aduerte, quòd apud Ariſto. ſic diffinitur in plurali. Qualia dicuntur, ſiue ſunt, quæ ſecundum hęc denominatiuè dicuntur, vel quomodolibet aliter ab his. Quæ diffinitio ſic intelligenda eſt. Qualia ſunt cõcreta, quæ ſecundum hæc, id eſt ſecundum has quatuor ſpecies qualitatis denominatiuè dicũtur, vt iuſtus à iuſtitia, ſenſitiuus à ſenſu, albus ab albedine, triangularis à triangulo, vel quomodolibet aliter ab his, id eſt vel dicuntur quocunque alio modo à qualitate quã denominatiuè. nam, vt ponticus & auſterus & craſſus &c. Nam contraria ſunt quæ ſub eodem genere exiſtentia maximè diſtant, vt declarabitur tibi in poſtprædicamentis. Sed medij colores & medij ſapores non maximè diſtant ſub genere coloris & ſaporis. Magis enim diſtat album à nigro quàm pallidum à nigro, & magis diſtat dulce ab amaro, quam ponticum ab amaro. Et ideo non ſunt contraria contrarietate perfecta qualis eſt inter extrema. Secundò aduerte, quòd licet Ariſtoteles non excipiat à contrarietate niſi quartam ſpeciem, & medias qualitates tertiæ ſpeciei, tamen loquendo de propria & perfecta contrarietate, quæ requirit quod ſint formæ actiuæ & paſsiuæ adinuicem, & ſecundum eas fiat alteratio, non eſt in prima & in ſecunda ſpecie, ſed tantùm in tertia, vt tibi declarabitur in 7. Phyſicorum. Sed pro nunc ſuſtine. Quando autem dicit Ariſtote. quòd iuſtitia eſt contraria iniuſtitiæ, ex conſequenti omnis vitius vitio ſibi oppoſito, intelligendum eſt de contrarietate non propriiſsimè dicta. Illa autem eſt nõ propriiſsimè dicta, cui deficit ſaltem vna conditio propriiſsimæ contrarietatis, quæ ſunt quatuor. primò quòd ſint formæ eiuſdem generis, ſecundò quòd maximè diſtent, tertiò quòd ſint actiuæ & paſsiuæ adinuicem, quartò quòd non ſe ſimul cõpatiantur in eodem ſubiecto, ſed ſe mutuo viciſsim expellãt per motum alterationis. Omnes iſtæ conditiones inueniuntur in ſola tertia ſpecie qualitatis inter extremas qualitates, ideo in ea ſola inuenitur omnino perfecta contrarietas. In prima ſpecie & in ſecunda deficit tertia conditio, & ideo nõ eſt contrarietas perfecta in illis, & ſic patet quomodo intelligendum ſit quòd iuſtitia ſit contraria iniuſtitiæ. Tertiò aduerte cum dicit Ariſtoteles quòd in qualitate eſt contrarietas. Non ſumit qualitatem pro genere generaliſsimo, quoniam qualitas vt ſic non habet genus ſub quo contineatur. Neceſſe eſt autem contraria ſub eodem genere contineri. Sumit igitur qualitatem vt eſt in ſpeciebus ſuis. Quaſi dicat, In generibus ſiue ſpeciebus qualitatis eſt contrarietas vt declaratum eſt in tertia & in prima.

Secundum eſt, quod qualitas ſuſcipit magis & minus. Nam inter alba aliquod eſt albius, & minus album altero, & inter iuſtos aliquis eſt iuſtior altero. Pro euidentia huius aduerte duo, primò quod hæc non eſt proprietas, non enim conuenit ſoli qualitati, ſed etiam actioni & paſsioni, vt tibi manifeſtabitur in cap. ſequenti. nec competit omni qualitati: non enim conuenit contentis in quarta ſpecie, quæ denominantur à numero, vt triangulus & quadratum &c. Nam licet detur maior aut minor triangulus ſecundum maiorem aut minorem protractionem linearum, non tamen datur magis & minus triangulus. & ratio huius eſt, quoniam declaratum eſt in prædicamento quantitatis, quòd quantitas denominata à numero vt bicubitum & tricubitum non ſuſcipit magis & minus, ergo nec formæ & figurę ſuper quantitatem fundatę. Præterea non conuenit qualitatibus ſecundæ ſpeciei, quæ fluunt à rei eſſentia, quoniam rei eſſentia conſiſtit in indiuiſibili, ſic proprietates & potentiæ naturales fluentes ab eſſentia. Vnde ſicut vnus homo non eſt rationabilior altero, ſic nec riſibilior, aut minus riſibilis, niſi forte ſecundum actum, ſed tunc non dicitur magis riſibilis, ſed magis ridens. Conuenit autem maximè qualitatibus tertiæ ſpeciei, & aliquibus primę, & aliquibus quartę. Nam iuxta eas, quæ ſunt tertiæ ſpeciei, fit alteratio propriè dicta, vt tibi declarabitur in 7. Phyſicorum. Quòd conueniat aliquibus, quæ ſunt in prima ſpecie, vt virtuti morali, & ſcientię, & arti, patet, quoniã perfectius & perfectius poſſunt ineſſe ſubiecto, & aliquando in eis proficimus, aliquando deficimus. Quod conueniat aliquibus quartæ ſpeciei patet ex eo, quo dicimus

hanc lineam magis vel minus curuam quàm illam, similiter & corpus. Constat igitur quomodo hæc non est proprietas, sed communitas qualitatis. Aduerte secundò quòd suscipere magis & minus non conuenit qualitati, nec cuicunque alteri formæ accidentali in abstracto, sed in concreto. Nam in abstracto forma est in simplici & inuariabili essentia consistens. Quod autem in concreto patet ex diffinitione intensionis & remissionis. Nam formam intendi est magis ac magis radicari in subiecto, & dare esse perfectius ac perfectius subiecto. Remitti autem est opposito modo: clarum est ergo quòd forma dum intenditur aut remittitur concernit subiectum. Non ergo in abstracto, sed in concreto suscipit magis & minus. Propterea dicit Aristoteles, Iustitiam nanque à iustitia non multum aiunt magis ac minus dici, nec sanitatem à sanitate. Minus autem alterum altero, sanitatem habere, sic & iustitiam & grammaticam. Grammatitior enim vt alter altero dicitur, sic & iustior & sanior.

Tertium est, quod secundum solas qualitates dicitur simile & dissimile, vt albus albo similis dicitur, albus autem nigro dissimilis. Pro notitia huius aduerte duo. Primò quòd similitudo & suum oppositum dicuntur dupliciter scilicet generaliter & particulariter. Generaliter quidem sumitur similitudo pro quacunque conuenientia duorũ in aliquo prædicato siue sit prædicatum substantiale, siue accidentale. Dissimilitudo autem est disconuenientia duorũ in illo prædicato, & iuxta hunc sensum inuenitur simile & dissimile extra prædicamentum qualitatis. Nam & duo agentia & duo patientia dicuntur similia, aut dissimilia, & duo homines dicuntur similes in humanitate, & in esse rationali: & duo seruiendi cuntur similes in seruitute: & duo patres in paternitate. Patet ergo, quòd generaliter loquendo, sunt in prædicamento substantiæ & qualitatis & ad aliquid & actionis & passionis, particulariter verò sumitur similitudo pro conuenientia aliquorum in qualitate, quæ sit speciei specialissimæ, vt puta in albedine aut nigredine aut iustitia, aut grammatica. Dissimilitudo autem opposito modo, & sic est proprietas qualitatis in quarto modo, quoniam conuenit omni, & soli, sicut & æqualitas & suum oppositum conuenit soli quantitati. & quidem quod similitudo & suum oppositum sint in secundo sensu pro priæ qualitatis, patet ex diffinitionibus earum, quæ tibi manifestabuntur in metaphysica. Pro nunc sic accipe ad mentem Aristo. *Similitudo est rerum differẽtium eadem qualitas in specie*, vt duo lapides albi. Dissimilitudo autem est rerum differentium diuersa qualitas, vt duo homines, quorum vnus iustus, alter iniustus.

Secundo aduerte quòd simile & dissimile potest esse tribus modis. Primo omnino simile, secundo omnino dissimile. Tertio modo mixto, scilicet simile & dissimile. Omninò sunt similia, quæ in eadem qualitate specifica pro eodem gradu conueniunt, vt duo pugilli nigri in albedine. Omnino dissimilia sunt, quæ in vna qualitate pro nullo gradu conueniunt vt nix & fuligo siue carbo extinctus. Mixto modo similia sunt, quæ in eadem qualitate pro diuerso gradu conueniunt, sicut album vt tria, & album vt sex. Intentio autem Aristotelis est loqui de similitudine & suo opposito in secundo sensu & non in primo, & hoc siue conueniant in eadem qualitate pro æquali gradu, siue non &c.

Hæc de prædicamento qualitatis ad mentem Aristotelis & logici realis dicta sint. Quid autem nominales de eodem loquantur, cito me expediam. Tu igitur aduerte quod duo tantum de eo pertractant primo quid sit prædicamentum qualitatis. Secundo quæ & quot sint genera subalterna immediatè posita sub qualitate, vt est genus generalissimum.

Quantum ad primum sic diffiniunt, prædicamentum qualitatis est ordinatio plurium terminorum vniuersalium, & vniuocorum secundum sub & supra, significantium qualitatem. Hæc quidem diffinitio quoniam conformis est diffinitionibus aliorum prædicamentorum, quas suprà assignauimus ad mentem nominalium, ideo eodem modo eam intelliges & expones sicut supradictas. Termini vero significantes qualitatem sunt illi, per quos respondetur ad interrogantem quærentem de substantia qualis sit, vt qualis est Sortes, respondetur, iustus. Iustus significat qualitatem.

Quantum ad secundum aduerte, quod ordinant prædicamentum ipsum conformiter Aristotéli. Nam ponunt qualitatem genus generalissimum, sub quo locant quatuor genera subalterna, non tamen secundum sub & supra. Primum est habitus & dispositio, cuius species sunt grammatica, rhetorica physica, virtus moralis, vt temperantia iustitia &c. Eius indiuidua sunt, hæc grammatica, hæc rhetorica &c. Secundum est naturalis potentia & impotentia, cuius species sunt durum & molle &c. Eius indiuidua sunt hoc durum, hoc molle. Tertium est passio & passibilis qualitas, cuius species sunt dulcedo amaritudo, albedo nigredo &c. Indiuidua autem sunt hæc dulcedo, hæc amaritudo &c. quartum est forma & circa aliquid constans figura, cuius species sunt circulus triangulus quadratum &c. Indiuidua sunt hic circulus, hic triangulus, & sic habes in prædicamento qualitatis generalissimum, genera subalterna, species specialissimas & indiuidua. Hæc de prædicamento qualitatis dicta sint.

CAPVT VI.

De prædicamento Actionis.

POstquam tractatum est à nobis de quatuor primis prædicamentis ad mentem *Aristotelis, agendum est* de sex vltimis, scilicet de actione & passione, de quando & vbi, de situ & habitu, quæ Aristoteles pertransiit. Quoniam existimauit vt puto, quòd ex cognitione, & doctrina quatuor primorum, hæc vltima possint esse nota addiscẽti. Nam ad confirmationem huius dicit postquam compleuit tractatum de quatuor primis. (De reliquis autem, eò quòd manifesta sint nihil de his aliud dicitur, quàm quòd in principio dictũ est.) Verùm quia non omnis ad discẽs potest ex dictis excipere sufficientem doctrinam de his sex vltimis, ideo Gilbertus Porretanus, compleuit sex prædicamentorum vltimorum doctrinam, quæ sex principia nominauit, de quibus nunc agere intendimus, iuxta sententiam Gilberti, quæ peripatetica reputatur, licet nonnulli, sed pauci aliter sentiant. Primò igitur agendum est de prædicamento actionis. De qua tria agenda sunt. Primò distinguendum est de actione, vt scias in quo sensu hic loqui intendimus de actione. Secundò diffinienda est actio, vt facit prædicamentum distinctum ab aliis. Tertiò assignandæ sunt communitates, & proprietates huius prædicamenti, prout distinguitur ab aliis.

Quantum ad primum aduerte, quòd in doctrina Aristotelis, vt tibi Manifestabitur in libro nono Metaphysi. *Actio est duplex, scilicet immanens & transiens. Immanens* est illa, quæ remanet in agente & perficit ipsum & est subiectiuè in ipso, & istæ sunt actiones animæ, vt intelligere, velle, desiderare, sentire, & breuiter omnes actiones morales & intellectuales. Transiens est illa, quæ causatur ab agente, sed recipitur subiectiuè in passo, ita quòd licet agens sit eius principium, non tamen subiectum. vt calefactio aquæ est ab igne, sed non remanet in igne, sed recipitur in aqua. Idem enim per calefactionem actiuam est ab igne, & per calefactionem passiuam recipitur in aqua. Actio transiens solet distingui in actionem, & factionem. Actio est illa, per quam non videtur produci aliquis effectus remanens post ipsum, vt cantare citharizare, nauigare. factio est illa, per quam producitur effectus remanens post ipsam, vt fabricare, ædificare. Nam post fabricationem & ædificationem, remanet fabricatum, & ædificatum, idem intellige de aliis factionibus mechanicis. Hic non sumus locaturi de actione immanenti, quoniam, vt tibi declarabitur in lib. 9. Meta. est in prædicamento qualitatis in prima specie, cum sic velit dispositio, aut habitu perficiens agentem, ex consequenti non est in prædicamento actionis: locuturi ergo sumus tãtum de actione transeunte diuisi in actionem & factionem. Hæc enim sola constituit prædicamentum præsens,

Quantum ad secundum aduerte quòd *sic diffinitur* apud reales. Actio est secundum quam in id quod subiicitur agere dicimur. Vt secans dicitur agere in eo quod secat, puta in ligno, & ideo sectio est actio.

Hæc diffinitio sic intelligẽdà est Actio est forma accidentalis, secundum quam, id est per quam velut per causam formalem per modum emanantis & non permanentis, dicitur agens agere, id est causare aliquid in eo quod subiicitur, id est in materia, circà quam agit vt calefactio est actio, quoniam ignis per illam causat calorem in materia, circa quam vel in quam agit, puta in manu vel in ligno vel in aqua. Dicitur per quam velut per causam &c. pro cuius notitia aduerte quod agens potest dici agere in passum triplici medio. Primo per qualitatem sibi intrinsecam, & permanentem vt ignis per calorem suum agit in aquam, & sol per lucem in hæc inferiora. Secundo per actionem, cuius principium formale est ipsa qualitas intrinseca agenti. Tertio per instrumentum, vt secans securi secat lignum. Primo modo dicitur agere

agere forma permanenti. Secundo modo forma fluente, vtroque tamen modo causa formali. Tertio modo effectiuo instrumentali in genere causæ efficientis, vt igitur distinguatur actio à forma intrinseca agenti, & à causa effectiua instrumentali, dicitur in diffinitione, per quam velut per causam formalem per modum emanentis, siue fluentis ab agente, & non permanentis intrinsecè & subiectiuè in agente, & aduerte, quòd hæc diffinitio cõuenit omni actioni transeunti, siue post ipsam relinquatur effectus siue non. Nam licet per citharizare nihil relinquatur permanẽs, tamen ei competit diffinitio: quoniam per citharizationem citharizans agit in aërem & nauigans in aquam commouendo ipsam. Constat igitur tibi quod sit actio prædicamentalis.

Quantum ad tertium aduerte quod actioni attribuuntur vna proprietas, & duæ communitates.

Proprietas quidem est hæc, proprium est actioni ex se inferre passionem. pro cuius notitia aduerte quod inferre passionem non est idem quod causare passionem, aliter hoc non esset proprium actioni. nam ignis in hoc sensu infert passionem in manu, & sensibile in sensu. Vnde dicitur in secũdo de Anima quod sentire est pati, est autem propriè inferre passionem, sequi per consequentiam infallibiliter passionem ad actionem. Vt sit sensus, posita actione ex parte agẽtis, ponitur passio ex parte patientis, ita quod vno posito vel remoto, ponitur vel remouetur aliud, & in hoc sensu inferre passionem est proprium quarto modo actionis. Nam licet agens causet *passionem, non* tamẽ infert: quoniam non sequitur, ignis est, ergo passio est. Potest enim ignis esse, & tamen nihil actu calefieri. vt in suprema parte suæ sphæræ. Valet autem consequentia. Actio est, ergo passio est. cuius ratio est, quoniam actio & passio se habent vt causa in actu & effectus in actu, quæ simul sunt, vt tibi declarabitur in secundo Physicorum. Constat ergo quomodo & in quo sensu hæc est proprietas actionis.

Prima communitas est hęc. Recipiunt autem agere & pati contrarietatem, id est, vna actio est cõtraria alteri, similiter passio. nam calefactio est cõtraria frigefactioni, est ægrotatio sanationi. est autem cõmunitas, quoniam conuenit etiã qualitati, vt dictum est suprá. secũda autem communitas est hæc recipiunt agere & pati magis & minus, id est, vna actio est intensior & perfectior altera, similiter passio. Nam calefactio vt octo est intentior actiuè & passiuè quam calefactio vt quatuor. & hoc conuenit etiam qualitati, vt dictum est suprá. Tu tamen aduerte, q̃ aliter, & aliter cõueniunt hæc duo qualitati & actioni, & passioni, nã qualitati cõueniũt primò & per se: actioni autẽ, & passioni dependenter à qualitate, ita quod qualitas si est intensa, est causa intensæ actionis vel passionis ex quo sequitur quod si qualitates aliquæ sunt principia actionum & passionum, & non sunt contrariæ, nec recipiunt magis & minus, nec actiones & passiones fundatæ super eas, contrariantur nec intenduntur, nec remittuntur. istæ ergo communitates sic intelligendæ sunt, Agere & pati contrariantur, intendũtur & remittuntur, si qualitates, super quas fundantur, contrariẽ sunt. & recipiunt magis & minus. Hæc de prædicamẽto actionis dicta sint ad mentẽ realium.

Nominales autem cito se expediunt, sicut & de aliis quatuor primis. Nam diffiniunt actionem, vt est prædicamentum conformiter sicut & alia, & assignant genus generalissimum, & sua genera subalterna, & species specialissimas, & indiuidua.

Actionem vt est prædicamentum sic diffiniunt, prædicamentum actionis est ordinatio plurium terminorum: scilicet vniuocorum & prædicabilium, significantium actionem ordinatorum secundum sub & supra.

Termini autem significantes actionem sunt illi, per quos rationabiliter respondetur quærenti de aliquo in quid agit, nam interroganti in hoc prædicamento, assignatur quæstionum in quid. Vt in quod agit carpentarius, respondetur in lignum & in quod agit statuæ factor, respondetur in terram vel lapidem vel lignum vel æs.

Genera subalterna dicunt esse sex locata sub actione, vt est generalissimum. Sunt autem ista, generare, corrumpere, augere, minuere, alterare, mouere secundum locum. Quid sit vnumquodque eorum dicemus in postprædicamentis in capit. de motu. Species primi, & secundi generis sunt, generare hominem, corrumpere æquum. Indiuidua sunt, sic generare hominem, sic corrumpere æquum. Quarti, & tertij, generis sunt species. Augere in longum, minuere in latum. Indiuidua autem sunt, sic augere in longum, sic minuere in latum.

Quinti generis species sunt, calefacere, & frigefacere. Indiuidua autẽ sunt, sic calefacere, sic frigefacere. Sexti autem generis species sunt, mouere sursum, mouere deorsum. Indiuidua aũt sunt sic mouere sursum, sic mouere deorsum. Hæc de actione prædicamentali dicta sint secũdum reales, & nominales. Quomodo autem actio sit motus, & quomodo subiectiuè sit in passo, & non in agente, dicetur tibi in nono libro Metaphysicæ, pro nunc sustine.

CAPVT VII.

De prædicamento passionis.

IN capite septimo agendum est de prædicamẽto passionis, & hic tria agenda sunt, primò vt scias in quo sensu passio est prædicamentum, declarandum est quot modis sumitur, secundò quid sit, tertiò de proprietatibus eius.

Quantum ad primum aduerte quod in doctrina Aristotelis passio cõsueuit sumi sex modis. primo pro propria qualitate fluente à principiis naturalibus alicuius rei, vt risibilitas in homine, latratus in cane, hinnitus in equo, & dicitur passiones propriè siue specificè siue indiuiduales. secundò pro conceptu intellectus, iuxta quem sensum dicit Aristoteles in primo *Peri herme*. Sunt autem ea, quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ: id est voces sunt signa conceptuum. tertiò pro motu appetitus sensitiui, in quo dicuntur esse animi passiones, de quibus iam pertractauimus in lib. 3. de Anima, quales sunt amor, odium, desiderium, ira, &c. & isti motus dicuntur passiones: quoniam insurgunt cum alteratione corporis. Vnde dicitur quod ira est accensio sanguinis circa cor in primo de Anima, quarto pro pœna alicui inflicta siue iustè siue iniustè. Vnde pœna martyris dicitur eius passio, sicut & passio Christi. Quinto pro qualitate sensibili non firmata in subiecto, de qua *actum est in tertia* specie qualitatis, vt est rubor ex verecundia, sexto vt causatur, & infertur ex actione fluente ab agente vt calefactio passiua illata ex calefactione actiua emanante ab igne, vt calidus est. In nullo ex prædictis modis constituit prædicamentum distinctum ab aliis nisi sexto modo. Nam primo, & secundo & tertio, & quinto modo est in prædicameuto qualitatis, quarto autem modo continetur in prædicamento passionis tãquàm species eius, sicut verberatio, aut vulneratio aut occisio passiua. Sexto igitur modo pertractanda & diffinienda est.

Passio quot modis.

Quantum igitur ad secundum aduerte, quod sic diffinitur sumpta sexto modo. Passio effectus illatiũ quæ actionis. vt calefieri infertur ex calefacere. Pro cuius notitia aduerte tria, primò quod subintelligendum est immediatè, vt sit sensus, passio est immediatè effectus, &c. aliter hęc diffinitio non conuenit soli passioni. Nam calor causatus in aqua ab igne est effectus calefactionis actiuæ, & tamen distinguitur à calefactione passiua sicut distinguitur motus & terminus motus siue realiter, siue ratione. Verum quia calor in aqua non causatur à calefactione actiua, nisi per passionem, quæ est calefactio passiua, ideo hæc diffinitio conuenit sic intellecta soli passioni. secũdò aduerte quod passio alia ratione dicitur effectus actionis, & alia ratione illatio. Nam dicitur effectus pro quanto comparatur ad actionem sicut principiatum ad principium & causatũ ad causam. Dicitur autem illatio propter bonam consequentiam. Nam bene sequitur, Actio est: ergo passio est, nam si calefaciens calefacit, aliquid calefit. tertiò aduerte, quòd licet actio & passio sumpta sexto modo, constituant duo prædicamenta, tamen non distinguuntur realiter, vt tibi declarabitur in tertio Physic. vbi probabitur quòd sunt vnus motus numero. Sufficit autem quod distinguãtur ratione, & quoniam hæc transcendunt negocium logicum, ideo pro nunc sustine.

Prima proprietas.

Quantum ad tertium aduerte, quòd passioni attribuuntur duæ proprietates, prima est quòd passionis proprium est inferri primò & immediatè ex actione. Hæc iam declarata est in diffinitione passionis. secunda est, quòd passio est subiectiuè in patiente. Nã passio vel est motus. id est, alteratio causata ab agente in passo: vel forma recepta in passo. Sed vtroque modo est in passo, nã primo modo est motus. Motus autem est subiectiuè in mobili, quòd est patiens, ex tertio Physi. secundo autem modo est forma recepta ab agente, receptũ autem est subiectiuè in recipiente, quòd est ipsum passum: ergo vtroque modo est in patiente & non in agente.

Quod si inueniatur in agente, hoc erit per accidens: quoniam non est in agente vt agens est, sed vt repatitur, vel inquantum idem agit in seipsũ, ita quòd idem est agens & patiens, vt quando quid est percutiens seipsum. Hæc de passione dicta sint, quo ad reales.

Nominales verò sic diffiniunt prædicamentum passionis,

& aſsignant genus generaliſsimum & ſubalterna, & ſpecialiſsima & indiuidua vt infrà.

Prædicamentum paſsionis eſt ordinatio plurium terminorũ vniuocorum & vniuerſalium ſignificãtium paſsionem, ſecundũ ſub & ſupra, illi autẽ termini ſignificant paſsionem, per quos conuenienter reſpondetur ad interrogationem factam per à quo. Quæſitiuũ enim huius prædicamenti eſt ly à quo vt à quo homo generatur, à quo illuminatur aër, &c.

Sic autem aſsignant ordinationem huius prædicamenti. Paſsio, ſcilicet ſexto modo ſumpta eſt generaliſsimum. Sub quo ſunt ſex genera ſubalterna, ſcilicet generari, corrumpi, augeri, minui, alternari, ſecundum locum moueri. quorum diffinitiones manifeſtabuntur tibi in poſtprædicamentis in cap. de motu. Primi, & ſecũdi generis ſpecialiſsima ſunt, hominem generari, æquum corrumpi, indiuidua autem ſunt hunc hominem generari, hunc æquum corrumpi. tertij generis & quarti ſpecialiſsima ſunt augeri longum, minui in latũ, indiuidua ſunt, hoc augeri in lõgum, hoc minui in latum.

Quinti generis ſpecialiſsima ſunt calefieri & infrigidari, indiuidua ſunt hoc calefieri, hoc infrigidari. ſexti generis ſpecialiſsima ſunt, moueri ſurſum, moueri deorſum. indiuidua ſunt, hoc moueri ſurſum, hoc moueri deorſum. Hæc de prædicamento paſsionis dicta ſint.

CAPVT VIII.

De prædicamento Quando.

IN cap. octauo agendum eſt de prædicamento quando. De quo tria agenda ſunt, primò vt ſcias in quo ſenſu eſt prædicamentum declarandum eſt quot modis ſumitur, ſecundò diffiniẽdum eſt in illo ſenſu in quo eſt prædicamentum, tertiò aſſignandæ ſunt eius proprietates & communitates.

Quando quot modis ſumitur. Quantum ad primum aduerte, quòd quando conſueuit ſumi tribus modis. primò relatiue, vt Sortes comedit, quando Plato legit, id eſt illo tẽpore Sortes comedit, in quo Plato legit, ſecundo interrogatiuè, vt ſi interrogat quis, Quando Plato natus eſt? & reſpondetur heri, tertio indiffinitè, & tũc quando importat eſſe in tempore, id eſt menſurari aliqua differentia temporis, vt fuiſſe in tempore præterito, eſſe in tempore præſenti, fore in tempore futuro, ita quòd quando æquipollet denominari rem temporalem ab aliqua differentia temporis menſuratiua rei, & eſſe eius non abſolutè, ſed vt eſt ſub motu, vt tibi declarabitur in quarto Phyſico, & in hoc tertio ſenſu eſt prædicamentum, in primo autem, & ſecundo ſenſu potius ſunt ſpecies huius prædicamenti, quàm ipſum genus generaliſsimum, vt declarabitur tibi infrà.

Quando quid ſit. Quãtum ad ſecundũ aduerte, quòd in tertio ſenſu, quando exiſtens prædicamentum, ſic diffinitur. Quando eſt q̃ ex adiacentia temporis in re temporali derelinquitur. Pro cuius notitia aduerte, quòd ſicut ex applicatione vlnæ menſuratur quantitas panni, ſic ex applicatione temporis menſuratur duratio rei temporalis: ex eo autem quod vlna vt menſura applicatur panno, conſurgit reſpectus conformitatis inter vlnam, & pannum, quoniam quanta eſt vlna ſemel vel totiens replicata, tantus eſt pannus, eodem modo ex eo quod tempus applicatur rei temporali, & cognoſcitur eius duratio, conſurgit quidam reſpectus inter tempus, & rem temporalem, qui eſt reſpectus menſuræ, & menſurati: qui reſpectus importatur per quando. Quod idem eſt quod eſſe in tempore puta eſſe hodie, fuiſſe heri, fore cras. Sic ergo intelligenda eſt diffinitio, Quando eſt reſpectus, qui ex adiacentia, id eſt ex applicatione temporis ad rem temporalem, ſicut menſuræ ad menſuratum, derelinquitur in re temporali.

Prima ſecunda cõmunitas eſt. Quantum ad tertium aduerte, quòd duæ communitates attribuuntur ipſi quando, & vna proprietas. Prima communitas eſt quòd quando nihil eſt contrariũ, Secunda quòd quando non ſuſcipit magis & minus. ratio eſt, quoniã quando fundatur in tempore, tempus autem neq; intenditur, neque remittitur, licet magis & minus extẽdatur, neq; tẽpori eſt aliquid contrarium, cum ſit quantitas, quantitati autem, vt docuimus in prædicamento quantitatis, neque eſt aliquid verè & perfectè contrarium, neque intenditur & remittitur, licet magis & minus extendatur pro quanto vna quantitas eſt maior altera. Proprium autem quando eſt quod eſt in omni eo, quòd incipit eſſe in tempore: & ratio hujus eſt, Quia reſpectus menſuræ eſt in omni eo, quòd per menſuram menſuratur, ſed quando eſt reſpectus menſuræ inter tempus & rem temporalem, ergo eſt in omni eo, quòd incipit eſſe in tẽpore, id eſt menſurat tempore ſiue ſecundũ totum ſiue ſecũdum partes. Quod dico propter cælum, cuius motus ſi eſſet æternus, non menſuraretur tẽpore ſecundum totum, quia non haberet principium & finem in tempore. Menſuratur tamen ſecundum omnes partes: quoniam quælibet circulatio fit in tẽpore finito, in vigintiquatuor horis.

Aduerte vltimò, quòd quando ſolet diuidi in ſimplex & compoſitum, & per quando ſimplex intelligitur quãdo res temporalis menſuratur tempore imperceptibili & quaſi momento, vt ictus oculi, & per compoſitum intelligitur, quando res temporalis menſuratur notabili tempore, puta hora, die, menſe, anno. Sed hæc ſunt impropriè dicta, quoniam omne tempus quantumcunque breue eſt, quid continuum ex conſequenti compoſitum ex partibus quantitatiuis, & ſimiliter dicendum eſt de quando. Hæc de quando dicta ſint ſecundum reales.

Nominales verò ſic diffiniunt hoc prædicamẽtum. Prædicamentum quando, eſt ordinatio plurium terminorum vniuocorum, & vniuerſalium ſignificantium quando, id eſt eſſe in tempore, vt heri, hodie, cras, in hora, in die, in menſe &c. Ordinationem huius prædicamenti ſic aſsignant. Genus generaliſsimum eſt quando, ſub quo ſunt tria genera ſubalterna, ſcilicet eſſe in tempore, eſſe in æuo, eſſe in æternitate, quorum ſpecies ſunt heri, hodie, cras. Indiuidua ſunt nunc, in hoc die, in hoc menſe &c.

Sed aduerte, quòd hæc aſsignatio non eſt vera ad mẽtem Ariſtotelis, quoniam ſi quando reſpicit tempus, ſicut vbi locum, ſicut incorporea non ſunt in loco, ſic æterna, & æuiterna non ſunt in tempore, ergo ſicut de incorporeo non verificatur vbi niſi per quandam ſimilitudinem, ſic nec de æterno, & æuiterno verificatur quando, niſi per quandam conſiſtentiam, vt tibi declarabitur in quarto Phyſicorum, tam de vbi, quàm de quando, ſed pro nunc ſuſtine: queuiam excedunt negotium logicum,

CAPVT IX. *De vbi.*

IN cap. nono agẽdum eſt de vbi, de quo tria videnda ſunt, primò, vt ſcias in quo ſenſu eſt prædicamentum, & hic diffiniendum declarandum eſt quot modis ſumitur, ſecundò quid ſit vt eſt prædicamentum, tertiò aſsignabuntur communitates ſuæ.

Quantum ad primum aduerte, quòd cum vbi ſignificet eſſe in loco, tot modis ſumitur vbi, quot modis eſſe in loco, eſſe autem in loco ſumitur tribus modis, primò circunſcriptiuè, & eſt quando locatum circunſcribitur, & continetur à locante, & hoc modo omne corpus contentum in alio & ab eo circundatũ dicitur eſſe in loco circunſcriptiuè, in quo ſenſu nulla ſubſtãtia incorporea eſt in loco, neque ſibi competit vbi circunſcriptiuè. ſecundo diffinitiuè, ſiue determinatiuè, & eſt quando virtus agẽtis incorporei eſt finita, & ita applicatur vni loco, in quo operatur quod pro tunc non poteſt applicari alteri loco cum finita, & determinata ſit, & hoc modo angelus eſt in loco, & ſibi competit vbi in hoc ſecundo ſenſu, & non in primo, quoniam caret & quantitate repletiua loci. tertio contentiuè vniuerſaliter, ſiue repletiuè vniuerſaliter, & eſt quando virtus agẽtis eſt infinita, & operatur ac influit in omni loco, & hoc modo Deus ſolus eſt in loco, & competit ſibi vbi ſolum in hoc tertio ſenſu. Hic non eſt ſermo de vbi niſi in primo ſenſu, quoniam in ſecundo, & tertio eſt de conſideratione Metaphyſici. *Vbi quot modis ſumitur.*

Quantum ad ſecũdum aduerte, quòd vbi in primo ſenſu, & in quo facit prædicamentum diſtinctum ab aliis ſic diffinitur. Vbi eſt circũſcriptio corporis locati, à circunſcriptione loci procedens: Pro cuius notitia aduerte, quòd circunſcriptio ſumitur tripliciter, primò actiuè, & eſt idem quòd circundatio ſiue continentia, qua corpus locans circundat & in ſe concludit corpus locatũ, & in hoc ſenſu eſt vt actio, & ſi eſt in aliquo prædicamento eſt in prædicamento actionis: ſecundò paſsiuè, & eſt idem quòd concluſio qua cõcluditur locatum à locante, vt aqua à vaſe, & in hoc ſenſu eſt vt paſsio, & ſi eſt in aliquo prædicamento, eſt in prædicamento paſsionis. tertio reſpectiuè, & eſt idem quòd ordo locati ad locum, conſurgens inter locatum, & locum ex eo quòd locus circunſcribit, & locatum circunſcribitur, & in hoc tertio ſenſu circunſcriptio eſt prædicamentũ diſtinctum ab aliis. Vtrum autem vbi & locus diſtinguatur realiter vel tantùm ratione declarabitur tibi in quinto Metaphyſicæ. *Vbi quid ſit.*

Quantum ad tertium aduerte, quòd vbi attribuuntur duæ communitates, ſcilicet non habere contrarium, nec recipere magis & minus. & ratio eſt, quia quantitati nihil eſt contrarium, nec recipit magis & minus, vt dictum eſt in prædicamento quantitatis. Sed vbi fundatur in quantitate, quoniam in loco, ergo &c. nec obſtat quòd vbi ſurſum, & vbi deorſum videntur eſſe contraria. Hoc enim iam ſoluimus in prædicamento quantitatis. Nec obſtat, quòd in vbi eſt motus, ergo contrarietas. Nam hoc idem ſoluimus in prædicamento quantitatis. Hæc de prædicamento vbi dicta ſint, quo ad reales. *Vbi proprietates.*

Nominales verò ſic diffiniunt, prædicamentum vbi eſt ordinatio plurium terminorum vniuocorum vniuerſalium ſignificantium vbi ſecundum ſub & ſuprà. termini autem ſignificantes vbi, ſunt illi, per quos conuenienter reſpondetur ad interrogationem factam per vbi, vt ſunt iſti termini, hic, illic, iſtic, in templo, in platea, in domo.

Aſsignant autem ordinationem huius prædicamenti hoc modo. Genus generaliſsimum eſt vbi circunſcriptiuè ſumptum, genera eius ſubalterna ſunt vbi ſimplex, & vbi compoſitum. Vbi ſimplex, eſt illud quod à ſimplici, id eſt minimo loco procedit, vt vbi ipſius puncti. vbi compoſitum eſt illud quòd à loco cõpoſito. id eſt, habente partes manifeſtas quantitatiuas procedit, vt vbi lapidis & hominis, hæc enim occupant locum manifeſtè diuiſibilem. Simplicis vbi ſpecialiſsima ſunt nobis incognita, ex minima entitate, compoſita autem vbi ſpecialiſsima ſunt eſſe in domo, eſſe in platea. Indiuidua autem ſunt, eſſe in hac domo, & in hac platea, &c. Hæc de prædicamento vbi dicta ſint.

CAPVT X.

De prædicamento Situs, ſiue poſitionis.

IN cap. decimo agendum eſt de prædicamento poſitionis, de quo tria videnda ſunt, primò vt ſcias in quo ſenſu eſt prædicamentum, aſsignandi ſunt modi quibus dicitur poſitio, Secundò quid ſit, tertiò quæ ſint eius communitates, & proprietates.

Poſitio quot modis. Quantum ad primum aduerte, quòd poſitio tribus modis ſumitur, primo dicitur poſitio propoſitio, quæ vt veriſsima ponitur ſiue ſupponitur in aliqua ſcientia ad deducendum concluſionem, puta apud mathematicum hæc eſt poſitio, punctus eſt, cuius pars non eſt, & iſta, à puncto ad punctum licet lineam deducere. & de poſitione in hoc ſenſu non eſt hic ſermo, ſed potius ſpectat ad librum poſterum. ſecundò dicitur propoſitio ordo partium inter ſe, & per reſpectum ad totum, & in hoc ſenſu ſpectat ad prædicamentum quantitatis. Vnde, vt docuimus illic, quædam quantitates dicuntur habere poſitionem, quædam non. tertiò dicitur poſitio ordinatio partium aliculus corporis locati in loco. Non ſolùm enim locatum ſecundùm totum eſt in loco, ſed & partes ſunt ſic & ſic locatæ: quoniam aliqua ſurſum, vt caput in homine: aliqua deorſum, vt pes: aliqua à latere, vt brachiũ, &c. & in hoc ſenſu poſitio eſt prædicamentum ab aliis diſtinctum & diffiniendum.

Poſitio quid ſit. Quantum ad ſecundum aduerte quod ſic diffinitur, Poſitio eſt quidam ſitus partium, & generationis ordinatio, vt ſtatio. ſeſsio, &c. Pro cuius notitia aduerte, quòd ſicut vbi importat ordinem, & reſpectum totius locati ad totum locum, qui reſpectus fundatur ſuper circunſcriptionem, & concluſionem paſsiuam locati à loco, ſic poſitio importat ordinem partium locati, & reſpectum ad partes loci. Sicut enim totus locus correſpondet toti locato, ſic partes loci correſpondent partibus locati. Nam ab alia parte aëris continetur caput, ab alia pectus, ab alia brachium, &c. Sicut ergo vbi importat ſitum totius locati in toto loco, ſic poſitio importat ſitum partium locati in partibus loci correſpondenter. Qui quidem ſitus partium poteſt eſſe à natura, & ab accidente, & à voluntate. à natura quidem, vt in homine caput ſituatur in parte ſuperiori aëris continentis: pes autem in parte inferiori: ab accidente autem, vt ſi contingat hominem cadere capite verſo. à voluntate, vt ſi homo eligat ſic vel ſic ſtare, vel ſic iacere, vel ſic ſedere. His prænotatis ſic intelligenda eſt diffinitio, Poſitio eſt quidam determinatus ſitus, id eſt diſpoſitio, & ordinatio partium locati in partibus loci. per quam correſpondent partes loci partibus locati, quo ad concluſionem, & continentiam earum. Quæ quidem ordinatio poteſt eſſe à natura & dicitur in diffinitione, generationis ordinatio, id eſt ordinatio competens partibus locati, à generatione rei locatæ, poteſt etiam eſſe ab accidente, & à voluntate vt docuimus. Iuxta quam partium ordinationem, aliqua dicuntur ſtantia aliqua iacentia, aliqua ſedentia, & denominantur à ſpeciebus poſitionis quę ſunt iactio, ſeſsio, ſtatio, &c. Conſtat igitur quid ſit poſitio vt eſt prædicamentum.

Proprietates. Quantum ad tertium aduerte quòd duæ communitates attribuuntur poſitioni, & vna proprietas. Prima communitas eſt quòd poſitioni nihil eſt contrarium, ſecunda quòd poſitio non recipit magis, & minus. & ratio eſt, quia poſitio fundatur in loco, & locus eſt quantitas, & quantitati nihil eſt contrarium, nec ſuſcipit magis, & minus. ergo nec poſitio.

Proprietas autem eſt, quod ſubſtantiæ proximæ aſsiſtit, omnibus aliis formis ſuppoſitis. Pro cuius notitia aduerte quòd aſsiſtere eſt inhærere. Inhæret autem ſubſtantiæ omnibus aliis formis, id eſt prædicamentalibus formis, ſuppoſitis, quæ præcedunt ipſam poſitionem. Nam poſitio ſupponit vbi, ordinatio enim partium in loco, ſupponit ordinationem totius locati in loco, & vbi ſupponit motum localem, & iſte ſupponit qualitatem, & quantitatem, vt patet exercitato, ergo poſitio adhæret ſubſtantiæ omnibus aliis formis, ſcilicet accidentalibus ſuppoſitis, de quibus hactenus locuti ſumus in ſuperioribus prædicamentis. Hæc de poſitione dicta ſint ſecundùm reales.

Nominales verò hoc prædicamentum ſic diffiniunt. Prædicamentum poſitionis eſt ordinatio plurium terminorum vniuocorum & vniuerſalium ſignificantium poſitionem ſecundum ſub & ſupra. Termini autem ſignificantes poſitionem, ſunt illi, ad quos reſpondetur per interrogationem factam per quomodo, vel per qualiter, vt quando interrogatur quis. Quomodo vel qualiter ſortes eſt in loco vtrum iacens, vtrum ſedens, vel aliquo alio modo. Nam quæſitiuum huius prædicamenti eſt quomodo, vel qualiter. Ordinationem verò huius prædicamenti ſic aſsignant. Genus generaliſsimum eſt poſitio tertio modo ſumptã, eius ſubalterna ſunt poſitio à natura, poſitio ab accidente, ſiue à proposito. Species ſpecialiſsimæ ſunt ſituari ſurſum, ſituari deorſum, ſituari à dextris, ſituari à ſiniſtris, ſituari ante, ſituari retro. Seſsio. ſtatio, iactio, &c. Indiuidua verò ſunt hæc ſtatio, hæc ſeſsio, &c. Hæc de prædicamento poſitionis dicta ſint.

CAPVT XI.

De prædicamento Habitus.

IN hoc cap. vndecimo agendum eſt de prædicamento habitus. quod videtur eſſe determinatum ad hominem tantum, nam reliqua animalia niſi veniant in obſequium hominis non dicuntur habituata, neque enim veſtitur equus neq; armatur, neq; phaleratur. neq; phaleratur niſi propter ſeſſorem. De habitu igitur tria videnda ſunt. primò vt ſcias in quo ſenſu eſt prædicamentum, aſsignandi ſunt modi, quibus ſumitur habitus, ſecundò diffiniletur, vt eſt prædicamentum, tertiò aſsignandæ ſunt proprietates eius.

Quantum ad primum aduerte, quòd in doctrina Ariſtotelis, habitus ſumitur quinque modis. primo pro qualitate radicata, & de difficili eſt mobilis. & ſic eſt prima ſpecies qualitatis. Secundo pro forma debita alicui ſubiecto determinato, cui opponitur negatio eiuſdem formæ, cum aptitudine derelicta in eodem ſubiecto, vt oculo debetur viſus, cuius negatio eſt cæcitas, & intellectui debetur ſcientia, cuius negatio eſt ignorantia, & ſic de habitu agemus in poſtprædicamentis, in cap. de oppoſitis. Tertiò ſumitur vt deriuatur ab habere, vel haberi, iuxta quem ſenſum dicitur liber habitus à me, ſicut, & pecunia eſt habita à me, & aurum eſt habitum à me, & in hoc ſenſu tractatur de eo, in poſtprædicamentis in cap. de habere. quarto ſumitur pro veſte ſic, vel ſic figurata, & inciſa, & conſueta, puta veſtis militis, veſtis muliebris, veſtis monachi, & ſic eſt in prædicamento ſubſtantiæ, quantum ad entitatem, & in quarta ſpecie qualitatis quantum ad figurationem. Quinto ſumitur pro accidente conſurgente ex veſte vt veſtita, & homine vt veſtiente ſiue habente veſtem, & ſolùm in hoc vltimo ſenſu eſt prædicamentum diſtinctum ab aliis, & vt ſic diffiniendum eſt. *Habitus modi.*

Quantum ad ſecundum aduerte, quod ſic diffinitur. Habitus eſt adiacentia corporum, & eorum, quæ circa corpus ſunt. Pro cuius notitia aduerte quod ly adiacentia debet exponi cauſaliter, vt ſit ſenſus. Habitus eſt accidẽs reſpectiuum prouenens ex adiacentia ſiue applicatione mutua corporũ, & eorum quæ circa corpus, ſcilicet humanum ſunt. Sicut ſunt veſtes arma, calcæ, caligæ, biretum, caputium, &c. Vnde aduerè quòd ſicut quando non eſt tempus menſurans, nec res temporalis menſurata, ſed eſt reſpectus conſurgens ex adiacentia, & applicatione temporis ad rem temporalem, quem reſpectum circunloquimur per hoc quod eſt eſſe in tempore, ſicut vbi per hoc quod eſt eſſe in loco, ſic habitus, non eſt veſtis, nec homo habens ſiue circundans, ſibi veſtem, ſed eſt reſpectus conſurgens, & medians inter veſtem. & hominẽ, ex eo quod veſtis adiacet, & applicatur corpori, quem reſpectum circunloquimur per hoc quod eſt eſſe veſtitum, eſſe armatũ, eſſe calciatum. Sic ergo intelligenda eſt diffinitio. Habitus eſt accidens reſpectiuum prouenens. ex mutua adiacentia corporum humanorum & veſtium, & ponitur corpor *Habitus quid.*

corporum humanorum, & vestium, vt differat habitus à quando, & ab vbi, & à situ. Dicunt enim respectum prouenientem ex adiacentia temporis rei temporali, & ex adiacentia loci rei locatæ, & ex adiacentia partium loci partibus rei locatæ. Cõstat igitur tibi quid sit habitus vt est prædicamentum.

Proprietates. Quantum ad tertium aduerte, huic prædicamento assignatur duæ communitates, & vna proprietas. Prima communitas est quòd habitus suscipit magis, & minus, vt dux est magis, id est perfectius vestitus quàm miles, & eques est armatior pedite. Sed aduerte quòd cum habitus sit accidens respectiuum, non recipit magis, & minus, nisi ratione fundamenti, sicut etiam diximus in prædicamento ad aliquid. Vbi docuimus quòd similitudo, & dissimilitudo recipiunt magis, & minus, quia qualitas in quia fundantur, puta albedo & dulcedo suscipiunt magis & minus, cuius signũ est, quòd similitudo fundata in quarta specie qualitatis non recipit magis & minus. Nam figuræ, quæ denominantur à numero, non recipiunt magis, & minus, vt docuimus in prædicamento qualitatis. Quia igitur vestis, & alia indumenta, & armatura recipiunt magis & minus: quoniam sunt magis & minus preciosa, & magis ac minus decorant hominem, & magis ac minus seruant, & protegunt hominem, ideo habitus dicitur suscipere magis, & minus.

Secunda cõmunitas est, quòd habitus non habet contrarium, cuius ratio est, quia habens quod est corpus humanũ, & habitum quod est vestis siue indumẽtum sunt substantiæ. Substantiæ autem nihil est contrarium, vt docuimus in prædicamento substantiæ, ergo habitus qui fundatur in habente, & habito non habet contrarium. Præterea posito, & concesso quod habitus fundetur in habente, & habito non ratione substantiæ, sed ratione figuræ, non potest habere contrarium: quoniam in quarta specie qualitatis nulla est contrarietas, vt docuimus illic. Cùm igitur accidens respectiuum non habeat contrarium, neque recipiat magis, & minus, nisi ratione fundamenti, constat quòd habitus non potest habere contrarium. Si autem recipit magis, & minus, est quia fundamentum, vt diximus, recipit magis & minus.

Proprietas autem est, quòd habitus semper est in pluribus existens, est enim in homine habente vestem dum actu vestitus est, & in veste coaptata corpori. Nam habitus vt diximus causatur ex adiacentia, & applicatione corporis ad vestem, & econuerso. ergo existit in vtroque.

Sed aduerte, quòd hæc proprietas, potest esse falsa, & vera: falsa quidem, si ponatur habitus esse vnum accidens numero, puta habitus consurgens ex adiacentia huius vestis ad hoc corpus, & si proprietas intendat quod sit in pluribus subiectiuè: quoniam vt tibi declarabitur in philosophia, impossibile est vnum accidens esse in pluribus subiectis, recipit enim vnitatem, & pluralitatem à subiecto. Vera autem est, si intelligatur, quod sit in pluribus, sed in vno vt in subiecto, puta in habente, & in alio vt in termino, puta in re habita, vel econuersò, quod scilicet sit subiectiuè in re habita, vt ibi in locato, & actio in re facta, vt in termino autem sit in habente, sicut vbi in locante, & actio in agente vt in principio à quo & hoc verius reputatur. Hæc de prædicamento habitus dicta sint quò ad reales.

Nominales autem sic diffiniunt. Prædicamentum habitus est ordinatio plurium terminorum & vniuersalium, significantium habitum secundum sub & supra. Termini autem significantes habitum sunt illi, per quos conuenienter respondetur ad quæstionem quærentem de aliquo, qualiter est habituatus. Nam hoc prædicamentum caret proprio quæsitiuo, sed circunloquimur ipsum per hoc totum, scilicet qualiter est habituatus, & conuenienter respondetur, q̃ est vestitus, vel calciatus, vel armatus.

Ordinationem verò huius prædicamenti sic assignant. Genus generalissimum est habitus vltimo modo sumptus iuxta distinctionem assignatam suprà in principio huius capi. Genera subalterna sunt habitus totius, & habitus partis. Totius quidem, vt vestitum esse, togatum esse, partis autem vt coronarũ esse vel calciatum esse. Species specialissimæ sunt. Tunicatum esse, diploidatum esse, loricatum esse, chirotecatum esse, indiuidua sunt, Sortem sic vestitum esse, Platonem sic armatum esse. Sortem sic calciatum esse. Platonem sic pileatum, vel biretatum esse. Hæc de habitu prædicamento vltimo dicta sint secundum sententiam realium & nominalium.

Secundæ partis de Prædicamentis, Finis.

TERTIA PARS EIVSdem tractatus quinti de Postprædicamentis.

VT compleatur doctrina decem prædicamentorum, agendum est de postprædicamentis, quid autem sit prędicamentum, & anteprædicamentum, & postprædicamentum, iam diximus in principio huius tract. Similiter quomodo & qua ratione conferant cognitioni decem prædicamẽtorum, diximus in parte prima huius trac. cap. 1. Acturi igitur in hac tertia parte de postprædicamentis diuidemus ipsam in quinque capita: quoniam quinque ab Aristot. assignantur postprædicamenta, & de singulis in specie agendum est. Sunt autem hæc, Oppositio, prioritas, motus, simultas, habere siue habitio.

In primo capite agendum est de oppositione, & singulis eius generibus.
In secundo de prioritate & singulis eius modis.
In tertio de motu & singulis eius generibus.
In quarto de simultate, & singulis eius modis.
In quinto de habitione, siue de habere, & singulis eius modis.

CAPVT I.
De Oppositione.

IN primo capite agendum est de oppositione, & singulis eius generibus. & hic sex agẽda sunt, primò vt scias in quo sensu hic agendum est de oppositione, declarandi sunt modi, quibus dicitur, & diffinienda est iuxta sensum quem intendimus. Secundò assignabimus sufficientiam quatuor generum oppositionis: Tertiò agemus de oppositione relatiua, Quartò de oppositione contraria, Quintò de oppositione priuatiua, Sextò de oppositione contradictoria.

Oppositionis modi. Quantum ad primum aduerte, quòd oppositio est duplex, quædam est propositionum, quæ repugnant aut in veritate & falsitate, aut in quantitate, aut in qualitate, & de hac non est hic sermo, sed de ea pertractauimus in trac. secundo agentes de categoricis, est enim proprietas terminorum complexorum. quædam autem est terminorum incomplexorum, quorum significata adinuicem repugnant, vt homo & non homo, lux & tenebræ, albedo & nigredo: & de hac intendimus hic. nam tractatus istæ est de terminis incomplexis primæ intentionis. Et sic diffinitur. Oppositio est duorum terminorum incomplexorum repugnantia quò ad significatum, non permittentium se simul in eodem, neque enim potest idem esse simul euidens & cæcum. Et pater & filius respectu eiusdem.

Quantum ad secundum aduerte quòd vniuersalia genera oppositionis incomplexæ sunt quatuor, scilicet relatiua, contraria, priuatiua, contradictoria. quorum sufficientia hinc sumitur. Cùm oppositio sit repugnantia duorum terminorum, &c. vel vterque eorum significat ens, vel alter ens, & alter non ens: si primò dupliciter, quia vterque est terminus absolutus, & sic est oppositio contraria, vt album & nigrum: vel vterque est terminus relatiuus, & sic est oppositio relatiua, vt pater & filius, seruus & dominus. Si secundò dupliciter, quia vel alter significat non ens simpliciter, & sic est oppositio contradictoria, vel est non ens circa determinatum subiectum, & sic est oppositio priuatiua. Nam priuatio dicit negationem in subiecto determinato, & non absolutè, puta cæcitas est negatio visus in oculo. Vnde auris nõ potest dici cæca, quia non est apta habere visum, potest autem dici non videns, quia videns & non videns sunt contradictoria, & de quolibet ente verificatur alterum contradictoriorum. Constat igitur ratio quare sunt quatuor oppositionũ genera.

Quantum ad tertium aduerte quòd oppositio relatiua est repugnantia relatiui, & sui correlatiui respectu eiusdem subiecti, quia non se compatiuntur in eodem respectu eiusdem. neque enim Sortes potest esse pater Platonis, & filius eiusdem, quia sequeretur idem esse generans & genitum respectu eiusdem, & sequeretur eiusdem me maius & minus respectu eiusdem. vt si idem posset esse duplum & dimidium respectu eiusdem. Hæc autem impossibilia sunt & implicantia contradictionem, vt patet ad sensum. respectu autem diuersorum non opponuntur. nam Sortes simul est filius & pater, filius quidem A, & pater B.

Quantum ad quartum aduerte, quod oppositio contraria est repugnantia duorum contrariorum, non se compatientium simul in eodem subiecto, sed mutuo se expellentium ab eod

ab eodem: pro cuius notitia aduerte quæ sint verè contraria, & quotuplicia sint.

Contraria quidem sunt opposita, quæ sub eodem genere posita, scilicet proximo & maximè à seinuicem distant distantia formali & non materiali tantum, vt excludamus matrem & fœminam, & idem susceptibili vicissim insunt, id est, apta nata sunt in eodem subiecto numero successiuè recipi, a quo mutuo se expellunt, scilicet propria actione, vel mediante aliena. exemplum primi, vt calidum expellit frigidum. exemplum secundi vt siccum expellit humidum, mediante actione caloris, nisi alterum contrariorum insit subiecto à natura, vt calor in igne, grauitas in lapide, albedo in niue, hæc enim inseparabilia sunt.

Contraria sunt duplicia, quædam mediata, quædam immediata: mediata sunt inter quæ est medium, eiusdem generis: vt inter album & nigrum est rubeum & viride & alij medij colores, nec est necesse semper alterũ inesse subiecto. Potest enim corpus esse rubeum, & non album aut nigrum. Immediata sunt inter quæ non cadit medium eiusdem generis, vt inter sanum & ægrum, & quia inter ea non cadit medium necesse est alterum eorum semper inesse subiecto donec stat subiectum. Vnde necesse est omne animal esse aut sanum, aut ægrum. Sed aduerte quòd dicũtur immediata per remotionem medij positiui, non autem per remotionem medij per abnegationem. Nam licet non detur animal, quod non sit sanum aut ægrum, tamen datur lapis, qui non est sanus, nec æger. Præterea aduerte quòd cõtraria mediata sunt duplicia, nam quædam sunt quorum mediis nomina sunt imposita, vt mediis coloribus, mediis saporibus, multis mediis extremorum moralium: quædam autem sunt, quorum media sunt innominata, vt media inter bonũ & malum, quæ circumloquimur per hoc quod dicimus, hoc non est bonum, neque malum, & multa similia inueniuntur in moralibus, vt tibi declarabitur in ethicis.

Quantum ad quintum aduerte, quòd priuatiua oppositio est repugnantia habitus & priuationis, ita quòd non se compatiuntur in eodem subiecto, nec vicissim possunt eidem inesse. Pro cuius notitia aduerte tria. primò quòd habitus est forma realis dans esse reale subiecto determinato, vt lux est habitus aëris, quoniam dat aëri esse lucidum, & scientia est habitus intellectus, quoniam dat intellectui esse scientem. Priuatio autem est negatio ipsius habitus in subiecto determinato relinquens in subiecto aptitudinem ad ipsum habitum, non enim aufert principia naturæ, quibus est apta ex sui natura habere habitum. Verbi gratia cæcitas non aufert oculum, tenebra non aufert diaphaneitatem ab aëre, qua est aptus suscipere lumen. Secundò aduerte quod priuatiuè opposita sunt illa, quæ habent fieri circa idem subiectum ordine irregressibili, & tempore determinato à natura. Dicitur ordine irregressibili ad differentiam contrariorum, quæ vicissim insunt eidem subecto, nisi vt diximus alterum insit à natura. nam videmus aquam sæpe calefieri, & sæpe infrigidari & econtra. In priuatiuè autem oppositis videmus processum ad habitum ad priuationem, sed non est regressus per virtutem agentis naturalis, vt præseruemus agens diuinum. Nam videmus videntem fieri cæcum, & viuentem mori, sed non econtra. Dicitur tempore determinato à natura, quia non omni tempore subiectum est capax habitus, vt oculus catuli non est aptus videre ante nonum diem, & ideo nisi post nonum diem non potest dici cæcus, nec infans potest dici orbatus potentia generandi, quia non est aptus generare nisi in pubertate. Tertio aduerte, quod illa propositio, A priuatione ad habitum non est regressus, intelligenda est de habitu naturali & non aduentitio. Est autem habitus naturalis qui inest rei ex sui natura, & est rei naturam consequens: vt vita inest animali ex natura animalis, & visus inest oculo, & auditus auri ex natura rei. Habitus autem aduentitius est ille, qui aduenit rei ex propria acquisitione vel actione agentis extrinseci, ita quòd res ipsa ex sui natura nec habitum tãtùm, nec priuationem habet, sed est pene indifferens ad vtrunque. talis habitus est lumen respectu aëris. non enim ex natura sua est lucidus, sed fit lucidus illuminatione corporis luminosi. similiter se habet scientia ad intellectum humanum, qui ex natura sua & in sui principio est sicut tabula rasa, vt dicetur tibi in libro tertio de Anima. Vnde nisi via sensus acquirat scientiam, non est sciens. Dico ergo quod illa propositio. A priuatione ad habitum, non verificatur nisi de habitu naturali, vt patet ad sensum. nam videmus ignorantem fieri scientem, & obliuiosum fieri memorem, & aërem tenebrosum fieri lucidum, &c.

Quantum ad sextum aduerte quòd contradictoria oppositio, est repugnantia duorum terminorum incõplexorum, quorum significata non possunt de aliquo simul esse vera, cuius repugnantiæ non est dare medium, & significatur per eundem terminum sumptum affirmatiuè & negatiuè: vt homo & non homo, album & non album, sedere & non sedere. Ratio autem propter quam non datur medium in contradictoriis est, quia vnum extremũ est ens, & alterum non ens simpliciter. Sed inter ens & non ens simpliciter non potest dari mediũ nullo modo. Dico nullo modo quoniam medium est duplex, scilicet per participationem vtriusque extremi, quales sunt medij sapores, & per negationem vtriusque extremi. & est quando inuenitur subiectũ, cui neutrum extremum inest. Hoc declarato aduerte, quòd oppositio relatiua habet medium per negationem. Nam de lapide verum est dicere, quòd nec est pater, nec filius, nec dominus, nec seruus, &c. idem inuenitur in priuatiua. Nam de elemento verum est dicere, quòd nec est viuũ, nec mortuum. Idem inuenitur in cõtraria respectu contrariorũ immediatorum. Nam de terra verum est dicere, quòd nec est sana, nec infirma. Respectu autem contrariorum mediatorum inuenitur medium vtroque modo, per participationem quidem, vt inter album & nigrum datur rubeum & croceum, &c. per negationem autem vt de substantia incorporea verum est dicere, quod nec est alba, nec nigra, nec aliquo medio colore colorata. De contradictoriis autem neutro modo est verum dicere quòd habeant mediũ, quoniam vt probatur in quarto Metaphysicæ de quolibet est vera affirmatio vel negatio. Quid autem sit contradictio iam diximus in tract. tertio agentes de propositionibus contradictoriis. Hæc de primo post prædicamento dicta sint.

CAPVT II.
De Priori, & singulis eius modis.

IN capite secundo agendum est de priori & eius modis. Tu igitur aduerte, quòd apud antiquos quatuor ponuntur modi prioris, & Aristoteles addit quintum. Primus modus dicitur prius tempore, secundus prius natura, tertius prius ordine, quartus prius dignitate, quintus prius causalitate.

Prius tempore est illud quod est vel fuit in aliquo tempore in quo non fuit aliud, vt Priamus fuit prior tempore Hectore, Respectu autem futuri, illud dicitur prius tempore, quòd pro aliquo tempore erit, in quo nondum erit aliquid aliud, vt prius erit messis quã vindemia, & ad hunc modum reducitur esse prius quacunque duratione. vt licet nec Deus nec angelus mensurantur tempore, tamen verum est dicere quòd duratione, scilicet æternitate & æuo sunt priores homine. Ad eundẽ modum reducitur esse prius loco, quoniam locus & tempus sunt mensuræ rei extrinsecæ. vnde in descensu à primo cælo ad vltimum, verum est dicere sphæram Saturni esse priorem sphæra Iouis, &c.

Prius natura est à quo non conuertitur subsistendi consequentia, id est, quando duo sunt & ab esse vnius ad esse alterius valet consequentia, sed non conuertitur, tunc inter ea est prioritas naturæ, & hæc prioritas seruatur inter species numeri arguendo à maiori numero ad minorem, vt bene valet, quatuor sunt, ergo tria sunt: sed non valet, tria sunt, ergo quatuor sunt, & ideo tria sunt priora natura quàm quatuor. Idem modus seruatur inter genera & species suas. Nã quia à specie ad genus valet consequentia, sed non econtra affirmatiue, ideo genus est prius natura quàm species & sic quodlibet magis vniuersale quolibet minus vniuersali. Nam bene sequitur, homo est, ergo animal est, sed non sequitur, animal est, ergo homo est, ideo animal est prius natura quàm homo.

Prius ordine est illud quod præcedit aliud non quocunque modo, sed doctrina & cognitione, & sic principia scientiæ sunt priora quàm scientia, quoniam præcognoscuntur, & literæ sunt priores syllabis quoniam prius addiscũtur. Dixi non quocunque modo, quoniam sumendo prius ordine indifferẽtè inuenitur in primo modo, & in loco, & in secundo & dicitur ordine temporis, ordine loci, ordine naturæ, &c. *Prius ordine.*

Prius dignitate est illud quod præcedit aliud & est eminentius authoritate, potentia, doctrina, & titulo, sicut rex est prior duce & dux prior marchione, & marchio prior ciue, vnde rectores dici consueuere priores, & hic modus est maximè vsitatus in moralibus & politicis ad eundem modum reducitur prioritas speciei & prioritas formæ respectu generis & materiæ, quoniam species est perfectior genere, & forma est dignior materia vtpote actus eius. *Prius dignitate.*

Prius

Prius causalitate. Prius causalitatem est illud à quo aliud pendet, & non econuerso, vt natura rei est causa veritatis in propositione: vt quia homo est animal, hæc propositio est vera, homo est animal, & ideo rei natura prior est causalitate quàm oratio vera. Hæc de priori & singulis eius modis dicta sint.

CAPVT III.

De Simul & eius modis.

IN tertio cap. agẽdum est de simul, de quo quinque agenda sunt, primò quid sit simultas, secundò quot modis sumitur, tertiò agẽdum est de simul tempore, quartò de simul in conuertentia, quintò de simul secundum diuisionem.

Simultas quid. Quantum ad primum aduerte, quòd simultas importat in hoc loco negationem prioritatis & posterioritatis, vt generaliter ea dicantur simul quorum vtrunque existat, nec vnum præcedit aut subsequitur aliud in eo modo quo sunt simul. Verbi gratia quæ sunt simul tempore incipiunt esse in eodem tempore &c. Dico in eo modo quo sunt simul, nam bene stat quòd duo sint simul tempore, & tamen non sint simul natura, imò quod vnũ natura sit prius & alterum posterius: vt ignis & calor ignis, subiectũ & propria passio.

Simultatis modi. Quantum ad secundum aduerte, quòd hic non intendimus tractare de omnibus modis, quibus vniuersaliter aliqua dicũtur esse simul. Nam nõ solùm tribus modis hic numerandis, aliqua dicuntur esse simul, sed pluribus aliis, puta simul loco: vt quæ sunt in eodem loco, simul causalitate; vt duo simul trahentes nauem, simul authoritate, vt plures rectores, simul vnius populi, quorum vnus non agit sine altero, simul consensu & voluntate: vt duo veri amici. Sed de his modis, non est sermo hic. Intendimus autem tantùm de modis qui deseruiunt doctrinæ & cognitioni prædicamentorum, qui sunt tres: scilicet tempore, conuertentia, diuisione, & quomodo deseruiant cognitioni prædicamentorum dicemus agentes de singulis. Eorum igitur sufficientia sumitur hinc. Quæcunque sunt simul simultate deseruiente doctrinæ prædicamentorum, aut sunt simul tempore, aut simul natura: si simul tempore sic est primus modus, si simul natura, dupliciter, quia aut conuertentia, vt correlatiua, sic est secundus modus, aut diuisione vt differentiæ diuisiuæ generis, sic est tertius modus.

Simul tẽpore. Quantum ad tertium aduerte secundum Aristotelem, quòd ea dicuntur simul tempore, quorum generatio est in eodem tempore, ita quòd in eodem instanti incipiunt esse: vt si duo homines in eodẽ instanti oriantur dicuntur simul tempore ex parte incœptionis, quia vnus non est prior nec posterior altero. Idem intellige ex parte desitionis, vt si duo homines in eodẽ instanti moriantur. Possunt ergo aliqua esse simul tempore tribus modis: scilicet ex parte incœptionis tantùm, & ex parte desitionis tantùm, & ex parte vtriusque. In eodem modo simultatis continentur subiectum & propria passio, vt homo & risibile. Nam quocunque instanti ponitur homo ponitur risibile per naturalem sequelam, & quocunque instanti desinit esse homo, desinit esse risibile, quoniam est accidens, cuius esse est inesse subiecto. Tu tamen aduerte, quòd licet subiectum & passio sint simul tempore, non tamen natura, quoniam subiectum est causa, à qua passio fluit, causa autem natura est prior causato. Constat igitur quis sit modus primus simultatis deseruiens doctrinæ prædicamentorum. Deseruit autem in hoc, quod vt supra docuimus in omni prædicamento sunt quædam proprietates, vt ergo scias an sint tempore simultaneę, vel priores vel posteriores his quorum sunt proprietates, ponitur hic primus modus simul.

Simul cõuertẽtia. Quantum ad quartum aduerte, quòd secundus modus simul est simul in conuertentia, ea autem sunt simul in conuertentia, quando ab vno ad alterum est bona consequentia & econuersò, tàm in ponendo quàm in remouendo, id est affirmatiuè & negatiuè, ita quòd si ponitur vnum, ponitur reliquum & econuersò, & si remouetur vnum remouetur reliquum. Et hoc secundo modo omnia mutua relatiua sunt simul, nam bene sequitur in secundo adiacente, Si pater est, filius est, & econuersò. Item si pater non est, filius non est, & econuersò, & ratio huius est, quia vt docuimus in prædicamento ad aliquid correlatiua per seinuicem diffiniuntur & intelliguntur. Sed aduerte, quòd non sufficit huic secundo modo mutua consequentia, sed quòd vnum non sit causa alterius. Et sic verificatur de omnibus correlatiuis inquantum sunt correlatiua, quoniam vt sic sunt opposita oppositione relatiua: nullum autem oppositum est per se causa sui oppositi. Dico inquantum sunt correlatiua, quoniam si sumantur materialiter, puta inquantum substantiæ sunt non inconuenit vnum esse causam alterius, vt Sortes pater, inquantũ est substantia generat filium, non tamen pater formaliter pater, est causa filij formaliter filij, quoniam dicunt respectus oppositos. Et aduerte quòd hic modus secundus valet ad cognoscendum proprietates prædicamenti ad aliquid, inter quas est ista quòd proprium est relatiuorum dici ad conuertentiam.

Simul diuisione. Quantum ad quintum aduerte, quòd tertius modus est, esse simul in ratione diuisiua, ea autem sunt simul in ratione diuisiua, quæ ex æquo & absque ordine prioris & posterioris diuidunt, & participant aliquod commune illis superius, prout respiciunt illud commune. Sicut duæ differentiæ diuisiuæ vnius generis, & duæ species constitutæ ex illis differentiis, & constitutæ sub illo genere, vt rationale & irrationale simul: id est ex æquo diuidunt animal: neque enim prius rationale est animal neque magis quam irrationale. Dico prout respiciunt illud commune, quoniam si comparentur adinuicem, & non ad commune quod diuidunt, non inconuenit vnam esse priorem altera, & perfectiorem, vt rationale irrationali, idem dico de speciebus constitutis, vt homine & asino: in ratione autem animalis æquè & simul conueniunt. Constat igitur tibi quis sit tertius modus simultatis deseruiens cognitioni prædicamentorum. Deseruit autem ad cognoscendũ, q̃ in omni prædicamento sunt differentiæ oppositæ, simul diuisiuæ sui generis. Et vniuersaliter omnia inferiora dicuntur simul contineri sub suis superioribus iuxta hunc tertium ordinem. Et aduerte, quòd secundus & tertius modus dicuntur simul natura, sed distincta ratione: nam *secundus dicitur simul natura* propter conuertentiam, ita tamen quòd vnum non est causa alterius, vt excludamus subiectum & passionem suam, tertius autem est simul natura propter simultaneam diuisionem alicuius superioris, vt excludamus diuisionem analogicam, in qua vnum diuidens est prius altero, vt substantia est prior accidente, quæ diuidunt ens ibi, vt declarabitur in quarto Metaphysicæ, & sanum dictum de animali, est prius sano dicto de medicina. Hæc de simul vt est postprædicamentum dicta sint.

CAPVT IIII.

De Motu & eius generibus.

IN cap. quarto agendum est de Motu, vt est postprædicamentũ & hic sex agenda sunt. Primò, vt scias in quo sensu hic sumitur motus ponendi sunt modi, quibus apud Philosophum dicitur motus, secundò assignanda sunt genera motus & eorum sufficientia, tertiò agendum est de generatione & corruptione, quartò agendum est de augmento & decremento, quintò agendum est de alteratione, sextò agendum est, de Motu locali.

Motus modi. Quantum ad primum aduerte, quòd vt tibi declarabitur in sexto Physicorum mutari siue moueri, est aliter rem se habere nunc quàm prius. Motus ergo est dispositio qua subiectum aliter se habet nunc quàm prius. Omnis ergo variatio subiecti dicitur motus. motus autẽ dupliciter sumi consueuit, quoniam cum sit variatio id potest contingere in anima, & in re corporali. Si in anima solet dici motus, qui est actus perfecti, qui potius est de consideratione metaphysici quã physici & logici, & de eo non est hic sermo. Si in re corporali, solet dici motus qui est actus imperfecti, siue existentis in potentia, de quo pertractat Aristoteles in tertio Physicorum. Hic autem motus dupliciter sumitur, primò generaliter, secundò specialiter. primò modo idem est quòd mutatio communiter sumpta siue fit instantanea, id est fiat in instanti, ita quòd eius terminus acquiratur indiuisibiliter vel deperdatur indiuisibiliter, siue fit successiua, ita q̃ eius terminus acquiratur vel deperdatur diuisibiliter & in tempore: secundo modo idem est quòd motus propriè dictus, de cuius ratione est successio, & eius terminus acquiritur siue deperditur diuisibiliter, & necessariò fit in tempore, & repugnat ei fieri in instanti. Hic non sumitur motus propriè dictus, quoniam eius tantum tria sunt genera, vt tibi manifestabitur in 5. Physic. scilicet motus in quantitate, qui dicitur augmentũ & decrementum, motus in qualitate, qui dicitur alteratio, motus in vbi, qui dicitur motus localis. Hic autem de motu recitantur sex species subalternę, quæ etiam sunt genera, ergo hic sumitur motus generaliter dictus, vt sub se continet mutationẽ propriè dictam. quæ est in instanti, vt generatio & corruptio substãtialis & motum propriè dictum qui est in tempore & successiuus, vt augmentum & decrementum, & alteratio & motus secundum locum.

Genera motus. Quantum ad secundum aduerte, quòd Aristoteles in post

postprædicamentis enumerat sex species motus, & sunt istæ, generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, secundum locum mutatio. quarum sufficientia hinc sumitur. Omnis motus est via & processus ad aliquem terminum: omnis autem terminus est vel substantia, vel accidens, si substantia, vel est affirmatiuus. vel negatiuus, si affirmatiuus, est generatio, vt tibi declarabitur: si negatiuus, est corruptio. Si est accidens, vel est accidens connotans respectum, & sic est loci mutatio, vel est accidens absolutum, & hoc dupliciter, quia aut est qualitas, & sic est alteratio, aut quantitas. Et hoc dupliciter, quia aut est quantitas perfecta, & sic est augmentum: aut est quantitas imperfecta, & sic est diminutio, siue decrementum. Constat igitur tibi propter quid assignantur sex species motus generaliter dicti.

Generatio quid. Quantum ad tertium aduerte quòd Aristoteles in postprædicamentis non Immoratur ad diffiniendum singulas prædictas species motus, id enim reseruat ad librum quintum Phy. logici autem reales vt disponãt nouitium aliqualiter ad Phylosophiam diffiniunt eas & præcipuè Petrus Hispanus. *Incipiens* ergo à generatione inquit. Generatio est progressio à non esse ad esse. Pro cuius notitia aduerte quòd progressio dupliciter sumitur, primò pro motu localiin animali quo animal tendit per potentiam animæ motiuam de loco ad locum, & dicitur motus progressiuus, secundò pro quacunq; via, qua res acquirit esse. Progressio quidem primo modo dicta, est progressio propria, & de ea agitur in tertio de Anima, secundo autem modo dicta est per similitudinem. Nam sicut animal ambulans graditur de loco ad locum, sic res dum generatur procedit à non esse ad esse. Nam ante generationem non est, quia si esset non generaretur & post generationem est, & ideo per similitudinem quod generatur dicitur progredi à non esse ad esse. Sed aduerte quòd ly nõ esse & ly esse debent exponi substantialiter & nõ accidentaliter, vt sit sensus, Generatio simpliciter dicta, est progressio. id est via à non esse substantiali, ad esse substantiale. Nam si esset progressio à non esse accidentali ad esse accidentale, non distingueretur ab alteratione, vt tibi manifestabitur in quinto Physico.

Corruptio quid. Corruptio autem est progressio ab esse substantiali, ad non esse substantiale. nam cum opponatur generationi, contrario modo est progressio, & conuenienter dicitur progressio ab esse substantiali ad non esse, quoniam quòd corrumpitur est, & *desinit esse*, sicut ex opposito, quod generatur non est, sed incipit esse per negationem de præsenti & positionẽ de futuro, vt tibi manifestabitur in tractatu de probationibus terminorum.

Augmentum & diminutio quid. Quantum ad quartum aduerte quod augmentum & diminutio dupliciter considerantur. Primò vt fiunt in rebus animatis per potentiam animæ augmentatiuam, quę est potentia animæ vegetatiuę: secundo vt fiunt in rebus animatis, & inanimatis siue ab extrinseco, siue ab intrinseco per additionem vel substractionem quantitatis à quantitate. hic intendimus loqui *in secundo* sensu, & non tantum in primo. nam de primo tractatur in secundo de Anima. Augmẽtum igitur in secundo sensu sic diffinitur, Augmentum siue augmentatio, est præexistentis quãtitatis additamentum. quod sic probatur, quoniã augmentum est motus de minori quãtitate ad maiorem, sed non potest esse motus nec terminari à minore quantitate ad maiorem nisi minori, superaddatur maior, ergo diffinitio est vera. Decrementum autem aut diminutio, in secundo sensu, est prę existentis quantitatis minoramentum: & probatur sic. Decrementum est motus à maiori quantitate ad maiorem & minorem. sed non potest esse motus nec terminari, à maiori quantitate ad minorem, nisi minuatur præexistens quantitas, vt puta si erat quãtitas duorum cubitorum fiat vnius.

Sed aduerte quòd aliquando fit augmentum in quantitate sine acquisitione alicuius partis substantiæ, vt in rarefactione, & decrementum vt in condensatione. Nam quando aqua congelatur fit decrementum in quantitate, quoniam dimensiones contrahuntur, & tamen nihil de substãtia aquæ deperditur: & quãdo dissoluitur per calorem augetur, quoniam dimensiones prius contractæ extenduntur, & tamen nihil de substantia aquæ acquiritur. Aliquãdo autem fit augmentum & decrementum cum acquisitione & deperditione alicuius partis substantiæ, vt quando augetur paries per additionem laterum & decrescit per substractionem. Vtrũ autem possit fieri augmentum & decrementum sine alteratione, manifestabitur tibi in libro octauo Physicorum.

Alteratio quid. Quantum ad quintum aduerte quòd alteratio dupliciter sumitur: primò pro motu ad quamcunque qualitatem siue sit perfectiua subiecti, siue non, & in hoc sensu potest inueniri in prima & tertia & quarta specie qualitatis, secundò pro motu ad contrariam vel mediam qualitatem, quæ comparata alteri extremo est velut contraria, vt dicemus, & in hoc secundo sensu est alteratio propriè dicta, & est tantum in tertia specie qualitatis. Illis enim qualitatibus patitur & alteratur subiectum tam animatum quàm inanimatum, vt calefactione alteratur aqua, & animal secundum tactum, & de hac intendimus hic, & sic diffinitur. Alteratio est mutatio subiecti à qualitate contraria vt à termino à quo, ad qualitatem contrariam vel ad mediam, vt ad terminum ad quem. Pro cuius notitia aduerte quòd alteratio potest esse in qualitatibus *contrariis immediatis*, & tunc semper est mutatio ab extremo contrario ad extremum contrarium vt sanatio est mutatio ab ægritudine ad sanitatem, ægrotatio verò est opposito modo. Et potest esse inter qualitates contrarias mediatas, & tunc verificatur diffinitio, quod est mutatio à qualitate contraria ad contrariam vel ad mediam, vt patet in coloribus & sonis, & saporibus & odoribus. Vnde aduerte quòd in his contingit fieri alteratio tribus modis. Primo ab extremo ad extremum, & tunc est simpliciter à contrario in contrarium, vt calefactio, quæ est à frigido ad calidum. Secundo ab extremo ad medium, quod comparatum alteri extremo est velut contrarium, vt quando mouetur aqua ab intenso frigido ad tepidum, & dicitur tepefactio. Nam tepidum respectu frigidi intensi est calidum, & vt sic est contrarium frigido. Tertiò à medio ad medium, & tunc vtrunque medium est vt contrarium comparatum extremo, cui magis propinquat, vt quando mouetur corpus fuscum ad croceum. Nam fuscum se tenet ex parte nigri, croceum autem ex parte albi, & ideo virtualiter est motus à contrario ad contrarium, licet non formaliter.

Motus localis quid. Quantum ad sextum aduerte quod motus localis est duplex, scilicet rectus, vt motus grauium & leuium: & sphæricus, vt motus cæli, qui sic differunt, quòd motus rectus est ille, per quem mobile mutat locum & secundum totum, & secundum partes, relinquit enim totaliter primum locum, & tendit ad alium, vt lapis descendens, & ignis ascendens, per motum autem sphæricum non mutat mobile locum secundum totum, quoniam semper mouetur super eosdem polos, & circa idem centrum, & ideo semper manet in eodem loco secundum se totum: quoniam autem partes mutat locum, quoniam vna succedit alteri, & secundum totum vna recedit, altera ad eundem locum succedit, vt patet in partibus rotę. quæ sibi inuicem succedunt in puncto signato in spacio. Hoc notato aduerte quòd licet *hic sit sermo* de vtraque specie motus localis, principaliter tamen in primo sensu, & ideo sic diffinitur, motus secundum locum est mutatio de vno loco in alterum, scilicet secundum totum, ita quòd principaliter diffinitur motus localis rectus tanquam notior nobis. Cuius signum est quod Petrus Hispa. posita diffinitione, assignat sex differentias locales, de quibus pertractat Aristoteles in secundo Cæli, secundum quas videmus mobile motu recto moueri secundum totum & partes, non autem mobile motu sphærico secundum totum. Neque enim totum cęlum magis mouetur sursum quam deorsum, neque magis ante quàm retro, &c. aliter non esset motus cæli circa medium præcisè, sed à medio ad medium, quod *non conuenit mobili sphærico*, vt sphæricum est, vt tibi declarabitur in primo cæli. Intelligendo ergo de motu recto principaliter sic diffinitur, Motus secundum locum, est mutatio ab vno loco ad alium.

Constat igitur tibi, quomodo sunt sex species motus, quarum notitia deseruit doctrinæ decem prædicamentorum. Nam per generationẽ, & corruptionem cognoscimus quomodo acquiritur & deperditur substantia. per augmentum & decrementum, quomodo acquiritur & deperditur quãtitas, per alterationẽ qualitas: per motum localem vbi, siue locus. Rationabiliter igitur motus ponitur postprædicamentum.

CAP. V. *De habere, & eius singulis modis.*

IN quinto cap. agendum est de habere. & hic duo videnda sunt. Primò quot sint recitati ab Aristotele modi ipsius habere. Secundò ponetur eorum sufficientia.

Quantum ad primum aduerte, quòd Aristoteles non intendit vniuersaliter & absolutè numerare, modos habendi, sed famosiores & magis consuetos. Vnde inquit in fine, Fortè tamen & alij apparebunt modi de eo quod est habere. Sed qui consueuerunt dici, penè omnes numerati

sunt. Numerat ergo septem modos.

Primus. Primo dicitur quis habere qualitatem, vt Sor. habet scientiam, vel virtutem, vel albedinem &c. & hoc habere non est aliud quàm informari qualitate sibi inhærente, siue secũdum animam, siue secundùm corpus.

Secũdus. Secundo dicitur quis habere quantitatem, vt Sor. habet quantitatem bicubitalem, & Plato tricubitalem & hoc habere non est aliud quam extendi vel dimensionari tanta vel tanta quantitate intrinseca sibi inhærente.

Tertius. Tertio dicitur quis habere ea quæ adiacent corpori, & hoc dupliciter, quia aut adiacent toti corpori, vt vestis ad protectionem: aut parti, vt anulus digito, biretum capiti, calceus pedi ad protectionem & decorem, & hoc habere constituit vltimum prædicamẽtum, de quo actum est suprà.

Quartus. Quarto dicitur quis habere membrum, vt Sortes habet manum, & pedem, & vniuersaliter omne totum habet suas partes, sicut arbor habet ramos, & domus fundamentum & parietem & tectum. Et hoc habere non est aliud quam totum ex partibus sibi debitis constare.

Quintus. Quinto dicitur quis habere contentum, vt lagena habet vinum, & modius triticum, & vniuersaliter continens habet contentum, intelligendo de continentia locali & circundatiua, vt præseruetur continentia virtualis, vt anima continet corpus, & rex regnum. Hæc enim continentia nõ est locatiua, sed conseruatiua tantum, & hoc habere non est aliud quam locare, aut conseruare.

Sextus Sexto dicitur quis habere possẽsionem, vt agrum aut vineam, & hoc habere nõ est aliud quam rem suam possidere.

Septimus. Septimo dicitur quis habere vxorem, & nõ est aliud habere vxorem, quam esse vxoratum, vel cohabitare familiariter cum vxore, & ideo dicit Aristoteles, hunc modum esse alienissimum, id est *minus* proprium cæteris modis habendi. Vnde parum de eo curandum est in hoc proposito quoniã non deseruit doctrinæ prædicamẽtorum, alij enim manifestè deseruiunt. Nam primus deseruit prædicamẽto qualitatis. Secundus prædicamento quantitatis. Tertius prædicamento habitus. Quartus prædicamento substantiæ. Quintus prædicamẽto vbi. Sextus prædicamẽto relationis: dicitur, enim relatiuè possessor ad rem possessam. Septimus autem vt per se constat, nullo modo deseruit: ideo alienus est à præsenti proposito. Non enim hic agitur de habere, nisi vt est postprædicamentum: de ratione autem postprædicamenti est secundum omnem modum suum deseruire cognitione prædicamentorum,

Quantum ad secundum aduerte quòd sufficientia prædictorum modorum sic sumitur. Habere importat habitudinem habentis ad rem habitam, sicut amare habitudinem amantis ad rem amatam: haberi autem sicut amari, econuerso. Hæc autem habitudo vel est ad aliquod intrinsecum, quod est de substantia eius, & sic est quintus modus, quo modo totum habet partes, quæ sunt de substantia totius: vel ad aliquod extrinsecum, quo ad substantiam habentis, ita quòd non est de substantia eius, & hoc dupliciter, quia illud extrinsecum à substantia habentis, vel est sibi inhærens sicut accidens, vel non: Si primo modo, aut inhæret ratione formæ, & sic est primus modus, qualitas enim formam rei cõsequitur, aut inhæret ratione materiæ, & sic est secũdus modus, quãtitas enim consequitur materiam, vt tibi declarabitur in septimo & octauo Metaphysicæ. Si non est inhærens, hoc dupliciter, quoniam licet non sit inhærens, est tamen vnitum vel distans. Si vnitum, dupliciter, quoniam aut est vnitum vt continens & ambiens, & hic est quintus modus, aut est vnitum solum, vt adiacens vel adaptatum, & sic est tertius modus. Si distans hic est septimus modus, quem dicit Aristoteles esse alienum, id est improprium, iuxta quem modum vir dicitur habere vxorem, quæ non est sibi vnita nisi quo ad actum matrimonialem, & cohabitationem. Vnde vxoratus non habitans cum vxore, non copulans se vxori, non potest dici iuxta hunc modum habere vxorem, nisi quo ad nexum matrimonij. Hæc de postprædicamentis dicta sint.

TRACTATVS SEXTVS de Syllogismo formali, libris priorum Arist. correspondens.

HActenus perstrinximus quæ Aristoteles tradidit in tota arte veteri, quæ constat ex libro Prædicamentorum, & Periherm. & libro prædicabilium, quem superaddidit Porphyrius vt Isagogicum ad librum prædicamentorum. Nunc transeundum est ad artem nouam, in qua pertractare debemus de arte argumentandi, cuius in doctrina Aristotelis quinque sunt species. Syllogismus, Consequẽtia, Enthimema, Inductio, exemplum. Syllogismus autem diuiditur in formalem, id est absolutè sumptum non contractum ad aliquam materiam, in demonstratiuum: id est scientificum, in topicum, id est probabilem, in sophisticum, id est fallacem & deceptorium. De formali pertractat Aristoteles in libro Priorum, cui correspondet præsens tractatus. De demonstratiuo pertractat in libro posteriorum. Nam secundum quod innuit Aristoteles in primo priorum consideratio & doctrina de syllogismo formali, immediatè & principali intentione ordinatur ad demonstrationem. Vnde inquit, Postea verò: id est postquam de syllogismo formaliter & vniuersaliter sumpto tractatum fuerit, dicemus de demonstratione, prius enim dicendum est de syllogismo quàm de demonstratione eo quòd vniuersalior est syllogismus. Nam demonstratio syllogismus quidem est, non omnis autem syllogismus demonstratio. Quoniam igitur, Syllogismi demonstratiui doctrina sequitur immediatè librum priorum, ideo post præsentem tractatum, disponemus tractatum, de syllogismo demonstratiuo, cui correspondebit lib. Posteriorum Aristotelis, licet aliter proposuerimus in principio huius cõpendij. Deinde si Deus Optimus *auxiliatus nobis fuerit* formabimus trac. de syllogismo topico, postremo de syllogismo Sophistico.

In præsenti igitur trac. acturi de syllo. formaliter, & non contracto ad aliquam materiam diuidimus ipsum in sex capita principalia.

In primo agendum est de præcognoscendis, sine quorum præcognitione impossibile foret tradi veram & completam doctrinam de arte syllogizandi.

In secundo agendum est de prima figura, & singulis eius modis.

In tertio agẽdũ est de secũda figura & singulis eius modis.

In quarto agẽdũ est de tertia figura, & singulis eius modis.

In quinto agendum est de coniugationibus inutilibus ad mentem Aristotelis.

In sexto trademus regulas generales defensiuas modorum rectè & vtiliter concludentium, & præcipuè in prima & secunda figura.

CAPVT I.

De præcognoscendis.

IN cap. primo agendum est de his, quorum præcognitio necessario requiritur ad consequendam veram & completam artem syllogizandi. Sunt autem quinque. primò cum syllogismus sit quoddam totum constans ex propositionibus & terminis, agendum est de partibus eius propinquis & remotis inuestigando quid sint & quot requirantur. secũdò agendũ est de principiis regulatiuis syllogismi, per quę sciemus syllogismum vtilem, & inutilem, tertiò diffiniendus est syllogismus vt syllogismus est & singulæ diffi. partes declarandæ, quartò agendum est de forma syllogismi, quintò agendum est de sufficientia trium figurarum syllogismi, ita quòd non sunt nisi tres ordinariè, & non possunt esse plures efficaciter & vniuersaliter concludentes.

De partibus Syllogismi.

Quãtum ad primum aduerte quòd in omni toto materiali considerando procedere possumus via constructiua, & via resolutiua. In constructiua quidem incipimus à partibus remotis & simplicioribus & deuenimus ad partes propinquas cõpositas ex remotis, & ex propinquis debitè dispositis cõstituitur totum, vt patet in arte ædificandi: nã artifex intendẽs construere domum, primò parat lapides idoneos, secũdò ex eis sic vel sic ordinatis construit fundamentum & parietes, tertiò ex his debitè approximatis & figuratis, facit constare domum. In via autem resolutiua, procedimus modo opposito scilicet à cõposito ad simplicia. Nam qui destruit domum, resoluit domum in tectum & parietem & fundamentum, destructiuè, id est redigit tectum in tegulas separatim, & in ligna & in tabulas, & in clauos. Parietes autem & fundamentum redigit in lapides sparsim & separatim. His præmissis aduerte quòd syllogismus est quoddam totum constãs ex terminis & propositionibus, vt tibi declarabitur infrà, ergo in cõsideratione eius procedere possumus à partibus ad totum via constructiua, & econuerso via resolutiua. Primo modo processimus in 2. & 3. tracta. vbi actum est de terminis constitutiuis orationis & propositionis, & de propositione vt ordinatur ad constitutionem syllogismi, sicut lateres ordinantur ad parietem componẽdum, & paries ad domum, vtpotè par

partes domus remotę & propinquæ. secundo autem modo processuri sumus hic ad mentem Aristo. Vnde sicut in via cõpositiua, *incipimus* à partibus simplicibus & remotis & deuenimus ad partes propinquas, & à partibus propinquis ad ipsum totum, ita opposito modo procedimus in via resolutiua. Cum igitur pars propinqua & immediata sit propositio, remota autem sit terminus, incipiemus primo à propositione assignãdo quid sit, & quot requirantur ad syllogismum. Deinde dicemus de termino quid sit, & quot requirãtur ad constitutionem veri syllogismi. Hoc enim ordine processit Aristoteles in primo Priorum.

Propositio quid. Quantum ad propositionem aduerte quod Arist. in primo priorum sic diffinit eam, Propositio est oratio affirm. vel nega. alicuius de aliquo. Et sic debet intelligi. Propositio est oratio scilicet perfecta indicatiua, in qua prædicatur aliquod prædicatum de aliquo subiecto affirmatiuè: vt homo est animal, vel negatiuè: vt homo nõ est asinus. Et aduerte quod Petrus *Hispanus addidit*, vel *alicuius ab aliquo*: vt sit sensus clarior. Nam in affirmatiua prædicatur prædicatũ de subiecto attribuitiuè, in negatiua autem prædicatur remotiuè. Et ly de, signat attributiuè, & ly ab, signat remotiuè.

Sed dices. Cum vnius rei sit tãtum vna vera & sufficiens diffinitio, quare Aristoteles dat de propositione duas diffinitiones? Vnam enim dedit in libro Peri hermenias, dicẽs quòd est oratio verum vel falsum significans, alteram autem in primo Priorum, quam hic assignauimus.

Respondetur quòd vnius rei est tantum vna diffinitio cõsideranda sub vna & eadem ratione, si autem consideretur secundum diuersam rationem non inconuenit eam diuersimodè diffiniri. Vnde in proposito Aristoteles dupliciter considerauit propositionem. Primò inquantum enunciat rem sicut est vel aliter quam sit, & sic diffiniuit eam in libro Peri herm. per significare verum vel falsum, secundo inquantum componit syllogismum & ponitur pro conclusione probanda. vnde dicitur propositio, quia pro conclusione ponitur, & dicitur præmissa, quia præmittitur conclusioni, & sic diffinitur in primo Priorum per affirmatiuam aut negatiuam orationem de aliquo.

Sed dices. Quare in primo priorum, non diffinit eam per verum & falsum sicut in libro Peri her.

Respondetur. Quia in lib. priorum tractatur de syllogismo formali, qui abstrahit à veritate & falsitate propositionum & conclusionis, nam dũmodo fiat syllogismus secundũ debitum modum & figuram est validus de forma, etiam cũ præmissæ & conclusio sint falsæ, vt patet hic, omnis homo est asinus. Omnis equus est homo, ergo omnis equus est asinus. Argumentum est in barbara, & est verus de forma. licet non de materia. Non autem abstrahit ab affirmatione & negatione. quoniam vt dicemus infrà, necesse est vtranque præmissarum aut saltem alteram esse affir. Et si altera præmissarum fuerit nega. necesse est conclusionẽ fore negatiuã. Et ideo rationabiliter Aristoteles considerans hic propositionẽ inquantum est pars propinqua syllogismi, diffinit eam per orationem affirm. aut negat. & non per verum aut falsum.

Ex quot propositionibus fiat syllogismus. Viso quid sit propositio vt componit syllogismũ, declarandum est ex quot propositionibus de necessitate componitur. Tu igitur aduerte cũ si conclusio esset intrinseca syllogismo & de essentia eius tres essent necessariæ scilicet duæ præmissę & conclusio. Similiter si syllogismus non distingueretur à consequentia duæ solæ sufficerent, quæ vocantur antecedens & consequẽs: verum quia vt dicemus infrà declarantes diffinitionem syllogismi, conclusio secundum vnam opinionem est extrinseca à syllogismo, & ab eo distinguitur specie consequentia, ideo duæ sufficiunt, quarum prima dicitur maior, & secunda minor, vt tibi manifestum erit infrà & quomodo tres termini duas propositiones constituunt. Tenentes autem conclusionem esse de essentia syllogismi ponunt ipsum constare ex tribus propositionibus.

Terminus quid. Quantum ad terminum aduerte quòd Arist. considerans ipsum non inquantum constituit propositionem, sed inquantum in ipsum vltimatè resoluitur sic diffinit ipsum in lib. primo priorũ. Terminus est in quẽ resoluitur propositio, vt prædicatum & de quo prædicatur id est subiectũ. Nam sicut domus resoluitur immediatè in fundamentum & parietẽ &c. fundamentum autem & paries immediatè ac vltimatè in lateres, sic syllogismus immediatè resoluitur in propositiones & illæ vltimatè in terminos, ideo conuenienter dicitur cũ terminus est in quẽ &c. Sed aduerte, cũ hic non sumit terminũ in illa vniuersalitate, secũdũ quã de eo locuti sumus in secũdo trac. vbi famosiores eius diuisiões assignauimus, sed hic sestringit ad terminum categorematicum, & tandem ad nomen & verbum prout possunt componere propositionem vt subiectum & prædicatum, & in ipsa resolui. Et sic ab hac diffinitione termini, excludũtur termini consignificatiui, & signa vniuersalia & particularia, & breuiter omnes termini, qui per se sumpti, non possunt esse subiectum aut prædicatum in propositione componente syllogismum. Quot autẽ modis sumatur terminus in via Aristot. iam diximus in tracta. secundo, vide tu illic, nec enim est ratio repetendi.

Viso quid sit terminus, vt ingreditur propositionem componentem syllogismum & in quem ipsa propositio resoluitur, declarandum est ex quot terminis constat syllogismus formalis. Tu igitur aduerte quòd sicut duæ propositiones requiruntur, scilicet maior & minor, sic & tres termini in quos duæ propositiones resoluũtur, quorum primus dicitur medius terminus, secundus dicitur maior extremitas, tertius minor extremitas. Quare autem sic vocantur, & quomodo diuersimodè situati *constituunt* tres syllogismorum figuras, dicemus infrá. Pro nunc supponendum est tres terminos sufficere, qui tamen duas propositiones non cõstituerent, nisi vnus eorum, & est ille qui vocatur medium, bis sumeretur, ita quòd assumitur in maiori & minori propositione per replicationem. Nam cum duæ sint propositiones cõponentes syllogismum, & quęlibet earum habeat proprium prædicatum & subiectũ, necesse est duas propositiones constare ex quatuor terminis, aut ex tribus, ex quibus vnus gerat vicem duorum & hic est medius terminus, vt sic arguatur. Omnis homo est animal, Sortes est homo, ergo Sortes est animal. Constat quòd ly homo gerit vicem duorum: est enim subiectum in maiori, & prædicatum in minori. Quare autem tres termini requirantur & non plures nec pauciores, & quare vocentur maior & minor extremitas & medium dicemus infrà, pro *nunc tibi sufficiat scire, quid sit* pars materialis compositiua syllogismi formalis tam propinqua quàm remota, & quot sint ex necessitate.

Quantum ad secundum, scilicet principia regulatiua syllogismi aduerte quòd Arist. in primo Priorum duo assignat, scilicet dici de omni & dici de nullo, & per dici de omni regulantur syllogismi affirmatiui, & per dici de nullo, regulantur negatiui. Et aduerte quòd Aristot. in primo Priorum declarans quid sit dici de omni inquit, Dicimus autem de omni prædicari, quando nihil est sumere subiecti de quo non dicatur alterum. Et intendit quòd dici de omni est quando nihil est sumere sub subiecto, de quo non dicatur prædicatũ. Et hic seruatur in omni propositione vniuersali affirmatiua, sub cuius subiecto licet descẽdere distributiuè. Et hoc principium æquipollet huic maximę, Quicquid dicitur de subiecto distributo, *dicitur de quolibet sumpto sub subiecto pro* quo facta fuit distributio. vt in ista, Omnis homo est risibilis, & isti sunt omnes homines, ergo iste & iste & iste, & sic de singulis est risibilis. Declarans autem Aristo. quid sit dici de nullo inquit. Et de nullo similiter. Et intendit quòd dici de nullo est quando nihil est sumere sub subiecto, à quo non removeatur prædicatum. Et hoc principium æquipollet huic maximæ, Quicquid removetur siue negatur à subiecto distributo, negatur ab omni contento sub tali subiecto. Et id seruatur in omni vniuersali negatiua. vt in ista, Nullus homo est lapis, & isti sunt omnes homines, ergo nec iste, nec iste &c. est lapis. Et isti descensus distributiui affirmatiui & negatiui manifesti tibi fient in tracta. de suppositionibus. Constat igitur tibi quid sit dici de omni, & dici de nullo.

Dici de omni & dici de nullo.

Sed aduerte vt scias quomodo hæc duo principia sufficiẽter regulant syllogismos, quòd indigent tribus limitationibus. primò nõ regulant per se & immediatè nisi syllogismos perfectos, qui fiunt per quatuor modos primæ figuræ, eo cũ non reducuntur ad alios, syllogismos autem cõcludentes indirectè & secundæ & tertiæ figuræ, non regulant nisi prius reducantur ad *quatuor* primos primæ figuræ. Vnde Aristoteles in primo priorum antequã traderet duo principia regulatiua, distinxit syllogismum in perfectum & imperfectum, deinde dedit prædicta duo principia regulatiua perfectorum. Postea subiunxit vnum principium regulatiuum imperfectorũ, scilicet cõuersionẽ propositionũ Nam vt tibi manifestabitur infrà, modi concludentes indirectè, & modi secundæ ac tertiæ figuræ reducũtur ad quatuor primos per conuersionem simplicem, aut per accidens. Qui reducti regulãtur per dici de omni & de nullo, sicut & quatuor primi.

Syllogismus ad sensum. Secundo non regulant nisi syllogismos factos ad intellectum & nõ ad sensum. & voco syllogismum ad intellectum, in quo medium est vniuersale, ad sensum aut in quo mediũ

est singulare tantum singulariter, vt est syllogismus expositorius,cuius præmissæ sunt duæ singulares,& ideo ibi non est dici de omni, nec de nullo. In syllogismo autem facto ad intellectum,necesse est aut vtrarique præmissarum,aut alteram esse vniuersalem affirmatiuam,aut negatiuam, quoniã vt tibi manifestabitur ex puris particularibus indefinitis aut singularibus,non fit syllogismus validus ad intellectum, ex consequenti ergo necesse est in omni syllogismo ad intellectum seruari dici de omni, aut de nullo.

Tertio alio modo seruatur dici de omni,& de nullo in syllogismo concludẽte in materia necessaria & remota,& alio modo concludente in materia contingenti. Nam primo modo seruatur de omni & de nullo absolutè, scilicet pro omni differentia temporis. In materia enim necessaria prædicatũ semper conuenit subiecto etiã remoto esse existentiæ subiecti. Vnde hæc est vera, Adam est homo, est animal, est substantia &c. secundo autem modo nõ seruatur de omni & de nullo, nisi pro exigentia temporis, puta pro tempore præsenti in quo subiectum existit quoniam prædicata contingẽtia nõ verificantur de subiecto, nisi cum consistentia subiecti. Vnde hæc non est vera nisi pro hominibus existentibus, Omnis homo currit. Hæc autem est semper vera, Omnis homo est animal, vt tibi aliãs declarabitur. Ex his ergo sequitur, quod si quis arguat sic, Omnis homo currit, Adam est homo, ergo Adam currit: Non valet, quoniã in maiori non verificatur de omni nisi pro hominibus existentibus, in minori autem sub homine sumitur Adam, prout homo sumitur absolutè & nõ solum pro tempore præsenti. Vnde magis amplè sumitur homo in minori quã in maiori, ideo non sequitur argumẽtum. Nam dicemus in regulis generalibus defensiuis syllogismorum: q̃ oportet terminos teneri æquè amplè, & æquè strictè in præmissis & in conclusione, aliter sequitur multiplex error. His igitur limitationibus obseruatis, inueniẽs quòd prædicta duo principia sufficienter regulant syllogismos.

Syllogismus quid sit.

Quantum ad tertium, scilicet quid sit syllogismus formaliter sumptus aduerte, q̃ Arist. in primo Priorum sic diffinit. Syllogismus est oratio in qua positis quibusdam aliud quid ex necessitate contingit. quam diffinitionem Petrus Hispanus explicans inquit. Syllogismus est oratio, in qua quibusdã positis & concessis, necesse est aliud accidere per ea quæ posita sunt & concessa.

Primo dicitur oratio,& ponitur loco generis quoniã magis cõmunis est. Nam omnis syllogismus est oratio. sed non econuerso. Sed aduerte quod non est oratio vna categorica. Constat enim ex duobus præmissis, quarũ vtraque vt in pluribus est categorica. Vnde respectu categoricæ, verius diceretur q̃ est orationes, scilicet maior ordinatè in modo & in figura, quam q̃ sit oratio. Vt igitur scias quomodo est oratio aduerte q̃ hic est duplex opinio. Quidam dicunt q̃ est oratio non simpliciter dicta, sed est oratio argumẽtatiua, quæ complectitur duas categoricas debitè dispositas in modo & figura, & sic syllogismus est vna oratio complexiuè, sed est duæ orationes separatim acceptæ. Quidam autem dicunt q̃ est vna oratio non categorica vt patet, sed hypothetica complectens plures categoricas cõiunctas, vt principales partes sui. Quæ autem hypothetica sit, an copulatiua, an conditionalis est duplex sententia. Quidam dicunt quòd est copulatiua, quoniam ma. & minor debent coniungi per coniunctionem copulatiuam, vt sic arguendo in barbara, Omne animal est substantia, & omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Quidam verò dicunt quod est hypothetica rationalis, quoniam maior & minor coniunguntur cum conclusione per hanc coniũctionem ergo. Rationalis autem reducitur ad conditionalem vt docuimus in trac. tertio. Siue autem teneas primam sententiam siue secundam constat quomodo syllogismus est oratio & non orationes.

Secundo dicitur in qua quibusdam positis, id est duabus præmissis, scilicet maiore, & minore bene ac debite ordinatis in modo & in figura, vt declarabitur infrà.

Tertiò dicitur & concessis. Aduerte quod Aristoteles non ponit hanc particulam, sed Boëtius eam addidit, & Petrus Hispanus imitatus est Boëtium. Ratio autem, propter quam Aristoteles non posuit, sed Boëtius est hæc quoniam Aristoteles diffinit syllogismum simpliciter prout ordinatur ad syllogismum demonstratiuum. Boëtius autem ipsum diffinit vt ordinatur ad syllogismum dialecticum, siue probabilem. Distinguitur autem demonstrator à dialectico in hoc, quod demonstrator non petit ab eo, contra quem arguit, an concedat præmissas antequam conclusionem inferat, sed simpliciter eas ponit, quoniam procedit ex necessariis, & de necessitate cõcludit. Dialecticus autem quoniam non ex necessariis, sed ex probabilibus procedit, quæ possunt negari antequam concludat præmissas positas in modo & in figura, petit ab eo contra quem arguit an concedat eas, quoniam si non concedit concludere non poterit. Respectu ergo syllogismi dialectici efficacis dicitur in diffinitione, in qua quibusdam positis & concessis.

Quarto dicitur necesse est. Aduerte quòd per hoc distinguitur syllogismus ab exemplo, quod solam habet probabilitatem, vt dicit Aristote. in primo Posteriorum, eo quòd sit argumentum rhetoricum, id est suasiuum, & non vltra, & ideo ex eo non ex necessitate infertur intentum.

Quintò dicitur aliud accidere. Aduerte quod Iy aliud stat pro conclusione, ac si dicat, syllogismus est oratio hypothetica siue argumentatiua, in qua præmissis debitè positis & concessis de necessitate conclusio sequitur, quæ est distincta à duabus præmissis.

Sed hic sunt duo dubia primum est circa ly aliud, secundum est circa ly necesse.

Circa ly aliud dubitatur quomodo *conclusio sit aliud à* præmissis, cum componatur ex eisdem terminis, ex quibus præmissæ, excepto medio. vt tibi manifestabitur infrà. Item si ita est aliud quod non fit de essentia syllogismi.

Respondetur, si conclusio considerẽtur quò ad materiam qui sunt termini componentes non est aliud à præmissis, vt argumentum probat, si autem quò ad formam, sic est aliud. nam maior & minor extremitas non componunt præmissas nisi assumantur cum medio, & disponantur in debito modo & figura: componunt autem conclusionem relicto medio & ideo cõclusio est tertia propositio realiter & essentialiter distincta à duabus præmissis, & quoniã Ari. cõsideraui conclusionem quò ad formam, ideo dixit eam esse aliud.

Quantum ad illud, vtrum ita sit aliud quod non fit de essentia syllogismi, aduerte quòd ibi sunt duæ sententiæ. Vna tenet partem negatiuam, cuius ratio est. quia remota conclusione, adhuc remanet syllogismus perfectus in specie sua, remanet enim in debito modo, & debita figura, cum ibi sit debita dispositio trium terminorum & duarum propositionũ, vt disponuntur in barbara & cœlarent &c. ergo conclusio non est de essentia syllogismi, sed potius sequens necessario ad illum. Altera autẽ tenet partem affirmatiuã. cuius ratio est, quia syllogismus est consequentia formalis, est enim oratio hypothetica rationalis, in qua coniunguntur tres categoricæ per notam illationis, scilicet per ergo, aut igitur. In omni autem cõsequentia formali requiruntur essentialiter antecedens & consequens. Antecedens autem sunt duæ præmissæ & consequens est conclusio illata per notã illationis, ergo cõclusio est de essentia syllogismi, & quoniã hæc sententia est probabilior, ideo tenenda est, nec obst. quod dicit Ari. necesse est aliud, id est conclusionẽ sequi, non enim intendit conclusionem esse aliud à syllogismo, sed aliud à præmissis, modo præexposito. Ad argumentum autem alterius opinionis negatur antecedens, ad probationem dico quod probat seruari omnia quæ requiruntur ad verum antecedens requisitum in syllogismo inquantum est consequentia formalis, sed non seruantur omnia quæ ad totum syllogismum requiruntur, nisi ex præmissis vt ex antecedente, inferatur conclusio vt consequens requisitum ad perfectam consequentiam.

Conclusio est de essentia syllogismi, & aliud à præmissis.

Circa ly necesse dubitatur, quia aliquando concluditur conclusio contingens, vt hic, Omnis homo currit, Sortes est homo, ergo Sortes currit. aliquando conclusio impossibilis, vt hic, Omnis homo est asinus: Sortes est homo: ergo Sortes est asinus, Sed contingens & impossibile non necessario sequitur. Quod enim necessario sequitur, necessarium est, sed nec contingens nec impossibile est necessarium, ergo non est verum quod semper sit necesse conclusionem sequi, nisi quando conclusio est necessaria, & syllogizatur ex præmissis necessariis.

Respondetur. Hoc dubium soluitur per distinctionem de necessitate cõsequentiæ & cõsequentis, cõcluditur quidem argumẽtum de necessitate cõsequentis. sed non cõsequentiæ & de hac intendimus in diffinitione syllogismi. Quid autẽ sit vtraq; necessitas, & quo modo differãt, tetigimus in trac. tertio loquentes de cõditionali, de qua diximus in quo sensu omnis cõditionalis sit necessaria, & omnis falsa impossibilis. Constat igitur tibi quid syllogismus formaliter sumptus. Et aduerte q̃ omnes particulæ diffinitionis præter primam ponuntur loco differentiæ, vt scilicet distinguatur syllogismus ab aliis argumẽtationis speciebus, vt à cõsequẽtia, enthimemate, inductione, exemplo, & cõuersione. Quid sit cõsequẽtia, ma

Species argumentandi.

tia, manifestabitur tibi in tractatu de consequentiis. Enthimema autem est syllogismus truncatus in quo tacita altera præmissarum & præcipuè minore, *infertur statim conclusio.* vt hic. Omnis homo est animal, ergo Sortes est animal, tacetur autem minor, scilicet Sortes est homo. Inductio verò est progressus à particularibus sufficienter numeratis, ad vniuersale concludendum, vt hic. Iste homo & iste & iste, & sic de singulis est bipes, ergo omnis homo est bipes. Exemplum verò est quod singulariter propositum, aliud singulare ostẽdere contendit per aliquod simile in vtroq; repertum vt hic. Decet Carolum imperatorem obliuisci iniuriarum, sicut & Cæsarem decuit. Omnes autẽ huiusmodi argumentationes differunt à syllogismo, quoniã aut in eis nõ ponuntur plures præmissæ, aut si ponũtur nõ disponũtur in modo & in figura.

De forma syllogismorũ, figura videlicet, & modo.

Quantum ad quartum aduerte quòd sicut est duplex materia syllogismi, scilicet propinqua, vt propositio, & remota, vt terminus sicut declarauimus, sic duplex est eius forma. scilicet propinqua & remota, propinqua quidem est modus, vt barbara, celarem: Remota autem est figura, vt prima figura vel secunda &c. Modus autem est ordinatio duarum præmissarum, scilicet maioris, & minoris secundum debitam qualitatem & quantitatem. Debita autem qualitas est, quòd vtraque sit affirmatiua, vel saltem altera, quoniam ex puris negatiuis non fit validus syllogismus. Nam quando ex præmissis veris concluditur conclusio falsa non est validus syllogismus. *Contingit autem ex præmissis negatiuis veris concludi falsum.* vt hic, Nullus homo est lapis: Nullus iaspis est homo, ergo nullus iaspis est lapis. Constat præmissas esse veras, conclusionem autem falsam, ergo ex puris negatiuis est inualidus syllogismus. Debita verò quantitas est quòd vtraque præmissarum sit vniuersalis, vel saltem vna, quoniam ex puris particularibus, indefinitis, & singularibus nihil sequitur. Contingit enim ex puris particularibus veris concludi falsum: vt, hoc animal est asinus, homo est animal, ergo homo est asinus, ergo &c. Præterea ad debitam quantitatem spectat quod *si aliqua præmissarum fuerit particularis, conclusio* sit particularis, non tamen oportet esse econuerso. Nam contingit conclusionem esse particularem, & tamen vtraque præmissarum est vniuersalis, vt patet in baralip. & in darapti, & in felapton Ratio autem huius regulę est, quia talis debet esse vnio maioris & minoris extremitatis in cõclusione, qualis fuit in medio. Sed quando altera præmissarum est particularis. vnio cum medio est particularis. vt patet in darij & ferio ex parte minoris, ergo & in conclusione vnio extremitatum debet esse particularis Præterea, ad debitam qualitatem spectat, quòd si altera præmissarum fuerit negatiua, conclusio sit negatiua & econuerso. cuius regulæ ratio est: quia vnio vel separatio extremitatum in conclusione sequitur vnionem cum medio, vel separationem à medio in præmissis. Sed quando vna præmissarum est affirmatiua & altera negatiua, duæ præmissæ separantur in medio, ex eo quod vna coniungitur medio, à quo alia separatur, ergo oportet illas extremitates separari ab inuicem in conclusione, & sic conclusionem esse negatiuam.

Figura autem est debita ordinatio trium terminorum, scilicet maioris extremitatis, & minoris, & medij secundum subiectionem & prædicationẽ. Quæ quidem ordinatio consistit in hoc. quod medium sumatur cum maiori extremitate in præmissa prima, quæ dicitur propositio maior, deinde sumatur cum minori extremitate in præmissa secunda, quæ dicitur propositio minor, deinde excludatur à conclusione. Neq; enim medium potest intrare conclusionem aliter cõclusio nõ differret ab altera præmissarum. Nam si medium in conclusione coniungeretur cum maiore extremitate, nõ differret conclusio à propositione maiori, & si coniungeretur cum minori extremitate. non differret à propositione minori: vt ergo seruetur differentia inter præmissas & conclusionem medium excludendum est à conclusione. Constat igitur quæ sit forma syllogismi propinqua & remota.

Quantum ad quintum aduerte antequam descendamus ad specificam consideratione figurarum & modorum cuiuslibet figuræ inuestigandum est quot sint validæ syllogismorum figuræ. Et hic inuenio duas sententias, quarum vna est Aristo. in primo priorum. Secunda attribuitur Galeno.

Figuræ quot sint.

Secundum Aristotelem sunt tantum tres, quoniam cum figura sit ordinatio siue dispositio trium terminorum secundum debitam subiectionem & prædicationem, quorum principale est medium, tot erunt validæ syllogismorum figuræ quot modis contingit debitè variari medium secundum subiectionem & prædicationem in vtraque præmissarum. Hæc autem variatio contingit fieri vtiliter tribus modis. primo contingit medium subiici in propositione maiori, & prædicari *in propositione minori, & sic constituitur* prima figura sic arguendo, Omnis homo est animal, Sortes est homo, ergo Sor. est animal. secundo contingit medium prædicari in vtraque præmissarum, & extremitates subiici, & sic constituitur secunda figura sic arguendo. Nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis. tertio contingit medium subiici in vtraque præmissarum, & extremitates prædicari, & sic constituitur tertia figura, sic arguendo. Quoddam animal non est homo, omne animal est substantia, ergo quædam substantia non est homo. & *cum secundum Aristote. non possit pluribus modis variari* medium vtiliter & vniuersaliter, ita quòd syllogismus valeat in omnibus consimili forma arguendi retenta, vt declarabitur, sequitur quod tantum tres sunt syllogismorũ figurę.

Aliquãdo tamen legitur Aris. hac figura vsũ fuisse.

Secundum Galenum autẽ tribus prædictis additur quarta, in qua medium prædicatur in maiori; & subiicitur in minori sic arguendo, omnis homo est animal, omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia. Sed hæc regula non est necessaria, quoniam æquipollet regulæ anteprædicamentali in qua dictum est ad mentem Aristotelis. Quando alterum de altero prædicatur, Quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto, & in anteprædicamentis assignauimus limitationes eius, ne contingat error. Vide tu illic, & ideo non est opus addere quartam. tres ergo cum prædicta regula anteprædicamentali sufficiunt. Hæc de præcognoscendis pro acquirenda doctrina syllogismi forma, dicta sint, & hic terminatur cap. primum.

CAP. II. *De prima figura, & singulis eius modis.*

IN secundo cap. agendum est de prima figura, de qua tria videnda sunt. primò an sit perfectior vel imperfectior secunda & tertia, secundò assignandæ sunt regulæ obseruandæ in prima figura, ne circa eam contingat error in arguendo. tertiò agendum est de singulis eius modis tam directè quàm indirectè concludentibus.

Prima figura omnibus perfectior est.

Quantum ad primum aduerte, quòd vt diximus in cap. præcedenti prima figura est in qua mediũ subiicitur in ma. & prædicatur in minori. Cuius perfectio super secundam & tertiam & præcipuè quoad quatuor primos modos dire ctè cõcludentes ostenditur ex tribus. Primò ex eo quòd per eam concluduntur omnia conclusionum genera: scilicet affirmati, & vniuersalis, vt in barbara, & negati. vniuersalis, vt in celarent, & parti. affir. vt in darij, & parti. nega. vt in ferio. In secunda autem figura non concluduntur nisi vniuersalis negatiua & particularis negatiua, *vt tibi manifestabitur.* In tertia autem non concluditur vniuersalis, sed tantum particularis affirma. & nega. Quoniam igitur in prima cõcluduntur omnium conclusionũ genera, meritò perfectior est. Vnde vt ostendemus in tract. de syllo. demonstratiuo, est magis scientifica, & præcipuè quia per illam tantum concludimus cõclusionem vniuersalem affirmatiuam, de qua propriè est scientia, quæ est de vniuersalibus. Secundò est perfectior ex parte medij. Nam solũ in prima figura medius terminus mediat inter maiorem & minorem extremitatem & coniungit eas, ita quòd & positione siue situ & coniunctione est verè mediũ. In secunda autem figura & tertia nõ est mediũ positione inter extremitates cum in secunda prædicetur in vtraque præmissarum, & in tertia subiiciatur. Est autem medium solùm quo ad coniunctionem. Nam maior & minor extremitas in secunda figura coniunguntur in vno prædicato quod est medium & in tertia coniunguntur in vno subiecto, quod similiter est medium, ex parte. ergo medij termini prima figura est perfectior. Tertiò est perfectior ex eo quod quatuor primi modi non reducuntur ad priores, sed omnes alij secundæ & tertiæ figuræ & quinque indirectè concludentes reducuntur ad quatuor primos primæ figuræ, vt tibi manifestabitur. Constat ergo quomodo ex tribus causis est perfectior, & ideo merito ponitur primo loco.

Duæ regulæ.

Quantum ad secundum aduerte quod duæ generales regulæ obseruandæ sunt in prima figura quo ad quatuor primos modos directè concludentes.

Prima ex minori negatiua nõ sequitur.

Prima est. In prima figura minore existente negatiua nihil sequitur, id est non fit validus syllogismus formalis, qui teneat in omnibus seruato tali modo arguendi. Cujus ratio est, quia contingeret ex præmissis veris concludi falsum. vt hic. omnis asinus est animal: nullus homo est asinus: ergo nullus homo est animal. Constat præmissas esse veras: & conclusionem falsam. Diximus autem supra quotiens ex veris concluditur falsum, esse inualidum modum arguendi,

eadem regula seruanda est in omnibus modis tertiæ figuræ: Secunda vt tibi declarabitur.

Ex maiori particu lari non sequitur. Secunda est. Maiori existente particulari indefinita vel singulari in prima figura, nihil sequitur, id est inualidus est syllogismus, ratione suprà dicta, vt hic. Quoddam animal est homo. Omnis asinus est animal, ergo omnis asinus est homo. Constat præmissas esse veras, & conclusionem falsam, ergo est inualidus syllogismus. Eadem regula obseruanda est in secunda figura, vt tibi declarabitur quo ad omnes modos. Dixi notanter quo ad primos quatuor modos concludentes directè, quoniam istæ regulæ non sunt necessariæ indirectè. Nam in fapesmo, minor est negatiua, infrisesomorum maior est particularis. Quid autem sit directè, & indirectè concludere, dicemus in sequentibus.

Modi primæ figuræ. Quantum ad tertium aduerte quòd modi expressi ab Aristotele in primo Priorum & vt principales ac naturaliter concludentes sunt quatuor: scilicet,

Barbara, Cælarent, Darij, Ferio,

Quibus Boëtius in lib. de syllogismo categorico ex autoritate Theophrasti & Eudemi, & assensu porphyrij, addidit quinque modos concludentes indirectè, vnde Boëtius in prædicto suo libro inquit. Quatuor primos modos in analiticis suis id est in lib. j. Priorum posuit Arist. Cæteros verò quinque Theophrastus, & Eudeinus addiderunt quibus Porphyrius vir grauissimæ autoritatis visus est consensisse. Sunt autem isti quinque modi.

Baralipton, Cælantes, Dibitis, Fapesmo, Frisesomorum,

Tu tamen aduerte quòd Theophrastus, & Eudemus non fuerunt primi inuentores modorum omnium concludentium indirectè. Nam Aristoteles in primo Priorum manifestè ponit quartum, & quintum: scilicet fapesmo, & frisesomorum. Sic enim inquit. Cum autem prædicatiuus, & primatiuus, & vniuersaliter sumptus priuatiuus, semper syllogismus sit minoris extremitatis ad maiorem, vt si a quidem omni. b vel alicui: b autem nulli c: conuersis propositionibus necesse est c alicui a non inesse. Similiter autem & in aliis figuris. Semper enim per conuersionem fit syllogismus. & intendit Aristoteles, quòd quando vna propositio, scilicet maior, est vniuersalis affirmatiua, altera verò, id est minor vniuersalis negatiua, erit syllogismus cõcludens minorẽ extremitatem de maiore in prima figura, & hoc est indirectè concludere. Nam sicut directè concludere, est maiorem extremitatem prædicari de minore in conclusione, sic indirectè concludere est minorem extremitatem prædicari de maiori in conclusione. Hoc autem quod dixit Aristotele in fapesmo. Sic enim arguitur, omnis homo est animal, nullus asinus est homo, ergo quoddam animal non est asinus. Constat quòd maior est vniuersalis affir & mi. vniuersalis neg. & cõclusio particularis nega. indirecta. ergo Aristoteles posuit fapesmo Itẽ dicit quòd quando vna præmissarum: id est minor est particularis affir. & alteratid est mi. vniuersalis nega. erit syllogismus concludẽs minorẽ extremitatem de maiori in prima figura ex consequenti concluder indirectè, & hoc fit in frisesomorum. sic enim arguitur. Aliqua virtus est bona. nullũ vitium est virtus, ergo aliquod bonum non est vitium: ergo Aristoteles posuit frisesomorum, ex quinque ergo modis primæ figuræ concludentibus indirectè, duos habemus ab Aristotele, alios autem tres aduertere potuerunt Theophrastus & Eudemus. quòd innuit Boëtius vbi supra. Sic enim inquit. Hoc quod nuper diximus in secũdo Priorum analyticorum libro, ab Aristotele monstratur. Quod soli Theophrastus, & Eudemus principium capientes, ad alios in prima figura syllogismos adiiciendos animum adiecere. Licet ergo Aristoteles omnes modos indirectè concludentes non expresserit virtualiter tamen ab eo processerunt.

Descendentes igitur ad singulos modos aduerte prius pro vniuersali intelligentia omnium modorum primæ, & secundæ, & tertiæ figuræ, quòd continentur his versibus,

Barbara, Cælarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Cælantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Darapti.
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

In omnibus his modis continetur aliqua ex his quatuor vocalibus a e i o. A signat vniuersalem affi. e vniuersalem neg. i particularem affir. o particularem neg.

Omnes isti modi continent tres syllabas, prima signat propositionem maiorem, secunda minorem, tertia conclusionem, si quis autem modus continet quatuor syllabas vt Baralipton, vel quinque vt frisesomorum, tantum tres primæ deseruiunt, aliæ autem sunt propter complementum versus.

Quatuor primi primæ figuræ incipiunt ab his literis b c d f, & omnes sequentes tam primæ, quàm secundæ tertiæ figuræ incipiunt ab eisdem, & denotatur quod incipientes à B, reducuntur ad Barbara, & incipientes à C ad cælarent & incipientes à D ad Darij, & incipientes ab F ad ferio.

In omnibus modis exceptis quatuor primis ponitur aliqua ex his quatuor literis, s p m c: s signat quòd ille modus reducitur per conuersionem simplicem, p signat quod ille modus reducitur per conuersionem per accidens: m signat quod ille modus debet reduci per transpositionem præmissarum, vt scilicet maior fiat minor & econuerso: c signat quod ille modus reducitur per impossibile. Vnde versus,

Simpliciter verti vult s, p vero per acci.
Vt vult transponi, c per impossibile duci.

His prænotatis descendamus ad quatuor primos primę figuræ per quos secundum Aristotelem in primo Priorum fiũt syllogismi perfecti, per omnes autem alios sequentes & secundæ & tertiæ figuræ fiunt imperfecti. Non enim quatuor indigent firmari, neque reduci ad alios, omnes autem alij reducendi sunt ad quatuor primos, vt firmentur per illos, sicut tibi declarabitur, quatuor ergo primi sunt perfecti reliqui vero per quatuor primos perficiuntur.

Primus & perfectior est Barbara, eo quod in eo solo concluditur vniuersalis affir. & facit magis scire, vt tibi declarabitur in tracta. sequenti. Constat autem Barbara ex tribus assignantibus ma. & mi. & conclusionem vniuersales affir. & sic arguitur.

Bar Omne animal est mortale,
ba Omnis homo est animal,
ra. Ergo omnis homo est mortalis.

Regulæ obseruandæ. vt defendatur modus arguendi in Barbara, ponentur in vltimo cap. huius tractatus.

Secundus modus primæ figuræ, per quem concludit vniuersalis neg. est.

Cœ Nullum animal est lapis,
la Omnis homo est animal,
rent. Ergo nullus homo est lapis.

Regulæ defensiuæ modi arguendi in Cœlarent, ponentur in vltimo capite.

Tertius modus primæ figuræ, per quem concluditur particularis affir. est.

Da Omnis homo est rationalis,
ri Sortes est homo,
j. Ergo Sortes est rationalis.

Regulæ defensiuę modi arguẽdi in Darij, ponentur in c. vlt.

Quartus modus primæ figuræ, per quem concluditur particularis neg. est.

Fe Nullum bonum est malum,
ri Viuere est bonum,
o. Ergo viuere non est malum.

Regulæ defensiuæ modi arguendi in Ferio, ponentur in capite vltimo.

Primus modus primæ figuræ concludens particul. affirma. inderectè est.

Ba Omne animal est viuens,
ra Omnis homo est animal,
lip, Ergo quoddam viuens est homo.

Aduerte quòd reducitur ad barbara per conuersionẽ cõclusionis per accidens, nã tertiæ syllabæ apponitur P. Sic autem reducitur, omne animal est viuens. omnis homo est animal, ergo omnis homo est viuens. Nam vniuersalis affirma. conuertitur in particularem affirm. per accidens. vt docuimus in trac. tertio agentes de speciebus conuersionis.

Sed aduerte. quando dicitur, quòd Baralipton reducitur ad barbara per conuersionem conclusionis per accidens, id potest habere duplicem sensum, primus est quod conclusio de Baralipton conuertatur per accidens in vniuersalem affir. & hic sensus est falsus: quoniam cum sit propositio particularis affir. non conuertitur nisi per conuersionem simplicem in particularem affirm. secundus est quòd conclusio de Baralipton conuertat vniuersalem affirmati. per accidẽs. & hic sensus est verus: quoniam vniuersalis affirm. conuertitur per accidens in particu. affir. ita quòd vniuersalis est conuersa & particularis est conuertens, est ergo sensus quòd Baralipton reducitur ad barbara per conuersionem conclusionis actiuam per accidens, & non passiuam, quia & si non conuertatur in vniuersalẽ affir. conuertit tamen vniuersalẽ affir. per accidens, & hic est sensus Boëtij in lib. suo de syllogismo categorico. Vbi positis quatuor primis modis primæ figuræ agẽs de quinto qui hic nominatur Baraliptõ inqt. Quintus modus ex

ex duabus vniuersalibus affirmationibus est, particularem colligẽs hoc modo. Si a fuerit in omni b. & b fuerit in omni c, posset equidem concludi quòd a esset in omni c: sed quoniam ista vniuersalis propositio vt dictum est particulariter, id est, in particularẽ conuertitur, prætermisso eo quod a terminus de omni c termino prædicatur, conclusio esse dicitur quod c terminus de quoddam a termino prædicatur. Quod hoc exemplo monstrandũ est. Si enim sint propositiones sic, omne iustum bonũ est, omnis virtus iustum est, posset etiam concludi quod omnis virtus bonũ est. Sed quoniam ista propositio sibi particulariter conuertitur, id est, conuertitur in particularem, fit vt quoddã bonum sit virtus, & sic conclusio particularis syllogismi colligitur ex duabus vniuersalibus affirmatiuis. Hæc Boëtius. ex quibus constat quòd particularis affir. quæ est conclusio in Baralip. non est conuersa in vniuersalem affir. vt reducatur ad Barbara, sed quoniã est conuertens vniuersalem affir. Vnde potest concludi vniuersalis affir. quæ est conuersa, & tunc syllogismus est in Barbara, & potest concludi particularis affirmatiua quæ est conuertens vniuersalem affir. & tunc argumentum est in Baralipton.

Secundus primæ figuræ concludens indirectè vniuersalem negatiuam est.

Cœ Nullum animal est lapis
lan Omnis homo est animal
tes. Ergo nullus lapis est homo.

Reducitur ad cœlarẽt. si conuertatur conclusio simpliciter: id est, in vniuersalem neg. sic, nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis.

Regula defensiua modi arguẽdi in cœlantes. ponetur in capite vltimo.

Tertius modus primæ figuræ concludens indirectè particularem affirmatiuam.

Da Omne animal est viuens,
bi Homo est animal,
tis. Ergo quoddam viuens est homo.

Reducitur ad darij conuersa conclusione simpliciter, id est. in particularem affir. siue indefinitam sic, omne animal est viuens, homo est animal, ergo homo est viuens.

Regula defensiua modi arguendi in dabitis, ponetur in capite vltimo.

Quartus modus primæ figuræ concludens indirectè partic. negatiuam.

Fa Omne animal est substantia,
pes Nullus lapis est animal,
mo. Ergo quædam substantia non est lapis.

Reducitur ad ferio maiore conuersa per accidens. id est, partic. affir. vt omne animal est substantia, quædam substantia est animal. & minore conuersa simpliciter, id est, in vniuersalem negat. vt nullus lapis est animal, nullum animal est lapis & per transpositionem præmissarum sic conuersarum, vt scilicet, minor conuersa fiat maior, & maior conuersa fiat minor. Tunc enim syllogismus erit in ferio sic arguendo, Nullum animal est lapis, quædam substantia est animal, ergo quædam substantia non est lapis.

Regula defensiua modi arguendi in fapesmo ponetur in capite vltimo.

Quintus modus primæ figuræ concludens indirectè particul. negat.

Fri Quidam homo est animal.
seso Nullus asinus est homo
mo. Ergo quoddam animal non est asinus.

Reducitur ad ferio, maiore conuersa simpliciter, id est, in partic. affir. vt quidam homo est animal, quoddam animal est homo, & minore conuersa simpliciter. id est, in vniuersalem neg. vt nullus asinus est homo, nullus homo est asinus. & per transpositionem præmissarum conuersarum, vt scilicet, minor conuersa fiat maior, & maior conuersa fiat minor, & tunc argumentum erit in ferio. Sic arguendo, nullus homo est asinus, quoddam animal est homo, ergo quoddam animal non est asinus. Hæc de modis primæ figuræ tàm directè quàm indirectè concludentibus dicta sint.

CAPVT III.

De secunda figura, & singulis eius modis.

IN tertio capite agendũ est de secunda figura, in qua tria agenda sunt, primo quomodo se habet secunda ad primã, & ad tertiam quo ad perfectionem. secundo ponendæ sunt regulæ generales obseruandæ, ne fiat error in arguendo in secunda figura, tertio agendum est de singulis eius modis.

Figura secunda im Quantum ad primum aduerte quod est media secundum perfectionẽ inter primam & tertiam, nam est imperfectior prima quoad quatuor modos directè cõcludẽtes, quoniã in prima cõcluditur vniuersalis affir. in secũda autem nõ. Præterea medium in prima verè mediat inter extrema positione & coniunctione, in secunda autem tantùm coniũctione, quoniam prædicatur in vtraque præmissarũ. Præterea modi secundæ reducũtur ad modos primæ, vt tibi manifestabitur tanquã imperfecti ad perfectos. & non ecõuerso, ergo cõstat secundã esse imperfectiorẽ prima. Est autem perfectior tertia, quoniã in secũda cõcluditur vniuersalis neg. & parti. neg. in tertia aũt solum particularis affir & neg. ergo facit minus scire quàm secũda. præterea in secũda medium prædicatur in vtraque, in tertia verò subiiciturnobilius est autem prædicari, quàm subiici, quoniam prædicatum habet rationem formæ, subiectũ verò rationem materię. Constat ergo quòd est media quoad perfectionem inter primam & tertiam.

perfectior prima, & tertia perfectior.

Quantum ad secundũ aduerte ꝙ tres regulę obseruandę sunt, ne contingat error in arguendo in secunda figura.

Prima est, in secunda figura, nũquam maior sit particularis.

Secunda est, non sit vtraque præmissa affir, sed vna affir. & altera negatiua.

Tertia est, semper conclusio sit negatiua.

Regule. ex maiori particulari non sequitur.

Ratio primæ regulæ & secundæ, & tertiæ est, quia contingeret præmissas esse veras & conclusionẽ falsam, ergo esset inutilis modus arguendi. Diximus enim suprà, quòd in vero & formali modo arguendi. ex veris non concluditur nisi verum. Quòd autem maiori existente particulari, contingat ex veris concludi falsum, patet hic.

Homo est albus,
Nullus Aethiops est albus,
Ergo nullus Aethiops est homo.

Constat ma. esse veram, cum sit indefinita, & mi. esse veram ad sensum & tamen conclusio est manifestè falsa.

Ex duabus affirmatiuis non sequitur.

Quod verò existente vtraque præmissarum affirmatiua, contingat ex veris concludi falsum, patet hic.

Omnis homo est animal,
Omnis asinus est animal,
Ergo omnis asinus est homo.

Constat vtrãque præmissarum esse veram, quoniam animal prædicatur essentialiter de omnibus speciebus suis, vt declaratum est in tractatu quarto, conclusionem autem esse falsam nemo dubitat.

Quòd etiã si conclusio fiat affir. cõtingat ex veris cõcludi falsum patet in argumẽto pręcedẽti. Præterea, regula tertia sequitur ex necessitate à secũda, nam si est necesse in secũda figura alterã pręmissarũ esse negatiuã, oportet cõclusionẽ esse negatiuã, non est enim imaginabile alterã pręmissarũ esse neg & conclusionẽ fieri affir. vt patet discurrẽti. Constat igitur prædictas tres regulas obseruãdas esse in secunda figura.

Modi secunde figure.

Quãtũ ad tertiũ aduerte ꝙ secũda figura cõtinet quatuor modos directè concludẽtes, ex quibus duo primi cõcludunt vniuersalem neg. & duo sequentes particularẽ negatiuam.

Primus est

Cæ Nullum vitium est virtus,
sa Omnis iustitia est virtus,
re. Ergo nulla iustitia est vitium.

Reducit ad cælarent ma. conuersa simpliciter, id est, in vniuersalem negatiuam sic, nulla virtus est vitium, omnis iustitia est virtus. ergo nulla iustitia est vitium.

Regula defensiua modi arguẽdi in cęsare, ponetur in vlt. c.

Secundus modus est.

Ca Omne animal est viuens,
me Nullus lapis est viuens,
stres. Ergo nullus lapis est animal.

Reducitur ad cælarent, conuertẽdo minorem simpliciter, in vniuersalem neg. & conclusionẽ simpliciter. id est, in vniuersalem neg. & transponendo minorẽ in maiorẽ, & maiorem in minorem sic arguendo. Nullũ viuens est lapis, omne animal est viuens, ergo nullum animal est lapis.

Regula defensiua modi arguendi in camęstres, ponitur vltimo capitulo.

Tertius modus est.

Fe Nullus asinus est homo
sti Sortes est homo
no. Ergo Sortes non est asinus.

Reducitur ad ferio maiore conuersa simpliciter, id est, in vniuersalem negatiuam sic, nullus homo est asinus, Sortes est homo, ergo Sortes non est asinus.

Regula defensiua modi arguendi in festino, ponetur in capite vltimo.

Quartus modus est.

Ba Omnis virtus est laudabilis
ro Auaritia non est laudabilis
co. Ergo auaritia non est virtus.

Reducere per impossibile quid.

Reducitur ad Barbara per impossibile, est autem reducere per impossibile sumere oppositum conclusionis & alteram præmissarum & inferre oppositũ alterius præmissæ. V. gratia, in argumento præposito conclusio est hæc, Auaritia non est virtus, sumatur oppositum contradictorium, scilicet omnis auaritia est virtus, maior est hæc omnis virtus est laudabilis, minor est hæc, auaritia non est laudabilis, oppositum contradictorium est hoc, omnis auaritia est laudabilis. Arguatur ergo sic, omnis virtus est laudabilis, omnis auaritia est virtus, ergo omnis auaritia est laudabilis, quod est oppositum minoris. Regula defensiua modi arguendi in Baroco, ponetur in cap. vltimo. Hæc de modis secundæ figuræ dicta sint.

CAPVT IIII.

De tertia figura, & singulis eius modis.

IN cap. quarto agendum est de tertia figura, quæ est imperfectior secunda: quoniam per eam concluditur solùm particu. affir. & nega. & de singulis eius modis. De ea igitur duo agenda sunt, primò ponẽtur duæ regulæ generales obseruandæ, ne fiat in tertia figura Syllogismus inutilis, secundò agendum est de singulis eius modis.

Ex minori negatiua non sequitur.

Quantum ad primum aduerte duas regulas obseruandas ne fiat error. Prima est quod minor non sit negatiua, aliter ex veris concluderetur falsum, vt hic, omnis homo est animal, nullus homo est asinus, ergo asinus non est animal. Constat præmissas esse veras, & conclusionem falsam, ergo iste modus arguendi est inutilis in tertia figura.

Secunda est hæc, nunquam conclusio sit vniuersalis, aliter ex veris concluderetur falsum, vt hic, omnis homo est animal, omnis homo est substantia, ergo omnis substantia est animal. Constat præmissas esse veras, & conclusionem falsam, ergo esset inutilis modus arguendi, necesse est ergo in tertia figura minorem esse affirmatiuam, & conclusionem esse particularem siue affirmatiuam, siue negatiuam.

Modi tertiæ figuræ.

Quantum ad secũdum aduerte, quòd primus modus tertiæ figuræ, dicitur.

Da Omnis homo est substantia,
ra Omnis homo est animal.
pti Ergo quoddam animal est substantia.

Reducitur ad darij minore conuersa per accidens: id est in particu. affir. vt hic omnis homo est substantia, quoddam animal est homo, ergo quoddam animal est substantia.
Regula defensiua modi arguẽdi in darapti, ponetur in c. vlt.
Secundus modus dicitur,

Fœ Nullum animal est mortuum,
lap Omne animal est viuum,
ton. Ergo viuum non est mortuum.

Reducitur ad ferio minore conuersa per accidens, id est in parti. affir. vt hic. Nullum animal est mortuum, Quoddam viuũ est animal, ergo quoddã viuum nõ est mortuum.
Regula defensiua modi arguendi in fœlapton, ponetur in cap. vltimo.
Tertius modus dicitur,

Di Quidam homo est iustus,
sa Omnis homo est animal,
mis. Ergo quoddam animal est iustum.

Reducitur in darij conuersa maiore simpliciter: id est in partic. affir. & conuersa conclusione simpliciter. id est in partic. affir. & transponendo præmissas, ita quod minor fiat maior, & maior cõuersa simpliciter fiat minor, & cõcludatur cõclusio cõuersa simplicitur, vt hic, oẽs homo est animal, quoddam iustum est homo, ergo quoddã iustum est animal.
Regula defensiua modi arguẽdi in disamis ponetur in vlt. c.
Quartus modus dicitur,

Da Omnis homo est substantia,
ti Quidam homo est animal,
si. Ergo quoddam animal est substantia.

Reducitur ad Darij, conuersa minore simpliciter in, id est particulari affirma. vt hic omnis homo est substantia, quoddã animal est homo, ergo quoddã animal est substãtia.
Regula defensiua modi arguendi in Datisi, ponetur in capi. vltimo.
Quintus modus dicitur,

Bro Quidam homo non est iustus,
car Omnis homo est rationalis,
do. Ergo quoddam rationale non est iustum.

Reducitur ad Barbara per impossibile. Sic aũt reducetur. Sumatur oppositum conclusionis, quod est hoc, omne rationale est iustum. Sumatur minor vt stat, scilicet omnis homo est rationalis, & concluditur oppositum maioris, quod est hoc, omnis homo est iustus, tunc patet quod argumẽtum erit in Barbara, sic syllogizando, omne rationale est iustum, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est iustus.
Regula defensiua modi arguendi in Brocardo, ponetur in capi. vltimo.
Sextus modus dicitur.

Fe Nullum vitium est virtus,
ri Quoddam vitium est pessimum.
son. Ergo quoddam pessimum non est virtus.

Reducitur ad ferio conuersa minore simpliciter, id est in particulari affirmati. vt patet hic. Nullum vitium est virtus, quoddam pessimum est vitium, ergo quoddam pessimum non est virtus.
Regula defensiua modi arguẽdi in ferison, ponetur in c. vlt.
Hæc de tertia figura, & singulis eius modis dicta sint.

CAPVT V.

De coniugationibus inutilibus ad mentem Aristotelis.

IN cap. quinto tangẽdum est summariè, de combinationibus inutilibus, de quibus pertractat Aristoteles in libro priorum satis diffusè. Tu igitur aduerte, quòd cõiugatio siue combinatio sumitur hic pro dispositione trium terminorũ, scilicet maioris & minoris extremitatis & medij, & duarũ præmissarum ad inferendam cõclusionem. Talis igitur combinatio duplex est, scilicet vtilis, & inutilis. Vtilis est quando ex tribus terminis, & duabus præmissis veris rectè dispositis semper sequitur cõclusio vera seruata eadẽ forma arguendi, ita quòd impossibile est ex eadem arguẽdi forma stantibus præmissis veris sequi cõclusionem falsam. Quod si concludetur falsa aliqua præmissarum erit falsa, vel omnes: vt sic arguendo in darij. Omnis homo est asinus: Sortes est homo, ergo Sortes est asinus. Combinatio quidẽ est vtilis quo ad formam, sed peccat in materia, & ideo non est mirum si ex maiori falsa concluditur conclusio falsa, & quoniam in omnibus modis trium figurarũ ex veris nunquam cõcluditur falsum, sed verũ ex veris, & falsum ex falsis, seruatis regulis generalibus, de quibus actum est suprà, ideo sunt combinationes vtiles. Combinatio autem inutilis cognoscitur, quando consimili forma arguendi seruata ex præmissis veris cõcluditur conclusio aliquãdo vera, aliquando falsa. Verbi gratia. Si in prima figura sumatur minor negatua, ex veris concludetur verũ & falsum. Verum quidem si sumatur species & genus cum termino extraneo, id est qui est alterius generis, vt homo animal, lapis, & arguatur sic, omnis homo est animal, nullus lapis est homo, ergo nullus lapis est animal. falsum autem, si sumantur duæ species cũ genere, vt homo, asinus, & animal, & arguatur sic, omnis homo est animal, nullus asinus est homo, ergo nullus asinus est animal. Præterea, Cognoscitur combinatio inutilis, ex eo quòd in ea dantur termini in quibus omni & in quibus nulli. Dari terminos in quibus nulli: est dari tres terminos, ex quibus fiunt duæ præmissæ veræ secundũ aliquam combinationẽ, cũ quibus stat vniuersalis negatiua vera. V. G. si quis dicat quòd arguere ex puris particularibus, est combinatio vtilis, sumat animal, & hominem, & asinum, & arguat sic. Quoddã animal est asinus, quidam homo est animal: ergo quidam homo est asinus. Certum est quòd cum his duabus præmissis veris stat vniuersalis negatiua vera, scilicet nullus homo est asinus, ex quo sequitur hanc combinationem esse manifestè inutilem: quoniam tu concedis propter illam duo contradictoria esse simul vera, nam constat hanc esse veram, nullus homo est asinus, & tu concedis hanc esse veram, quidam homo est asinus, quoniam est conclusa ex duabus præmissis particularibus veris, quam combinationem tenes esse vtilem. Sed istæ sunt contradictoriæ, nullus homo est asinus, quidam homo est asinus, ergo tu concedis duo contradictoria esse simul vera. Dari terminos in quibus omni, est dari terminos ex quibus fiant duæ præmissæ veræ secundum aliquam combinationem, cum quibus stat vniuersalis affirm. vera. V. G. si tu dicis, quòd arguere in prima figura ex maiori particulari est combinatio vtilis, sumas speciem, & genus suum & terminum extranem à genere, puta hominem, animal, lapidem, & arguas sic. Lapis non est animal, nullus homo est lapis, ergo nullus homo est animal, certum est quòd cum his duabus præmissis veris stat vniuersalis affirmati. vera, scilicet omnis homo est animal, ex quo sequitur prædictam combinationem esse inutilem: quoniam tu concedis duas propositiones contrarias in materia naturali esse

Combinatio vtilis & inutilis, quæ.

Termini in quibus omni, & in quibus nulli.

esse simul veras. Constat enim hanc esse veram, omnis homo est animal, & tu concedis per prædictam combinationem, quem reputas esse vtilem, hãc esse veram, nullus homo est animal, & istæ sunt duæ contrariæ in materia naturali, ergo, &c. Vlterius concedis duas contradictorias esse simul veras, nam ad istam, nullus homo est animal sequitur, quod aliquis homo non sit animal: sed omnis homo est animal, & aliquis homo non est animal, contradicunt. ergo concedis contradictoria simul esse vera, quòd cum sit impossibile, sequitur prædictam combinationem esse inutilem. Constat igitur tibi quid sit combinatio vtilis & inutilis, & ex quibus depræhenditur. Hæc de quinto cap. dicta sint.

CAPVT VI.

De regulis defensiuis syllogismorum.

IN sexto cap. ponendæ sunt regulæ defensiuæ modorum trium figurarum, quibus obseruatis non fiet error in aliquo prædictorum modorum, quòd ita semper concludetur verum ex veris, aut falsum ex falsis, & nunquam falsum ex veris. Sed antequã descendamus ad modos speciales, ponendæ sunt regulæ generales deseruientes omni figuræ & omni modo, quæ sunt nouem.

Medium in syllogismo debet esse vniuocũ, vel analogum.

Prima est, nunquam medium sit terminus æquiuocus, nec analogus analogia plurium rationum. & propterea hic syllogismus non valet. Omnis canis latrat. Stella est canis, ergo stella latrat. neque iste valet, omne sanum est animal, vrina est sana, ergo vrina est animal. Dixi analogus, analogia plurium rationum: quoniam si analogum dicat tantum vnam rationem, sed inæqualiter participatam, quale est ens in via Thomistica, non impedit quin sit verum medium, & verus syllogismus. vt hic, cuilibet enti debetur esse: Substantia est ens: ergo substantiæ debetur esse. Idem concluditur de accidente, necesse est ergo medium esse vniuocum, vel analogum, analogia vnius rationis inæqualiter participatæ.

Syllogismus, constat tantũ ex categoricis.

Secunda est, quod neutra præmissarum sit hypothetica, sed vtraque categorica: quoniam modi, & figuræ, de quibus locuti sumus, dantur ab Aristotele de syllogismo categorico, & non hypothetico, syllogismus autem categoricus constare debet ex categoricis & non ex hypotheticis, & propterea hic syllogismus non valet in barbara, omne animal, si est rudibile, est asinus, omnis homo est animal, si est rudibile, ergo omnis homo est asinus. Non valet quoniam præmissæ sunt hypotheticæ, & conclusio est categorica.

Tertia est, maior, & minor extremitas, teneantur impermixtæ in præmissis, ita quòd maior extremitas, neque secundùm partem, neque secundùm totum replicetur in minori, & propterea nõ sequitur in Barbara. Omne secundum immediatè sequitur primum, omne tertium immediatè sequitur secundum, ergo omne tertium immediate sequitur primum: non valet: quoniam maior extremitas, quæ est hoc totum, immediatè sequitur primum, replicatur secundùm partem in minori, sed debet sic formari minor, omne tertium est secundum, & tunc argumentum valet in Barbara, sed minor est falsa.

Quarta teneantur termini in præmissis & in conclusione æque amplè, & æque strictè, nam si in præmissis teneantur ampliatiuè, & in conclusione restrictiuè, siue econuerso, nunquam argumentum valet, & hoc tibi manifestabitur infrà in multis.

Quinta est non fiat argumentum ex quatuor terminis neque expressè, neq; implicitè, aliter argumentum non tenet, vt tibi manifestabitur.

Sexta est, nunquam ponatur medium, neq; pars medij in conclusione, vnde non sequitur in Baroco, omnis homo differt ab asino, Brunellus non differt ab asino cum sit asinus, ergo Brunellus non differt ab homine, non valet, quoniam medium est hoc, differt ab asino, cuius pars ponitur in conclusione: scilicet differt, vnde debet sic concludi, ergo Brunellus non est homo, quod est verum.

Septima non fiat transitus à suppositione ad suppositionem sibi repugnantem. Repugnat autem materialis formali, simplex personali: Determinata siue confusa tantum distributiuæ: distributiua collectiuæ, Distributiua absoluta distributiuæ accommodæ.

Octaua est, syncategoremata rectè disponantur in præmissis, & conclusione, & defectu huius regulæ, multi commituntur errores in modis arguendi, vt tibi manifestabitur in sequentibus.

Nona est, concludatur conclusio, vt præcisè sequitur ex præmissis, & non aliter. defectu cuius multi tibi manifestabuntur errores in prædictis modis arguendi.

Positis regulis generalibus obseruandis, descendendum est ad modos particulares, in quibus committuntur error propter defectum alicuius regulæ ex prædictis.

Ex hypotheticis nõ fit syllogismus.

In Barbara hoc argumentum non valet, propter defectum secundæ regulæ. Omne rationale, vel irrationale est homo. Hæc est vera, quoniam cum sit disiunctiua, vna pars est vera, & sufficit. omnis asinus est rationalis, vel irrationalis, & hæc est vera eadem ratione: quoniam vna pars est vera, & tamen conclusio est falsa: scilicet omnis homo est asinus.

Hoc argumentum non valet: quoniam cum conclusio sit categorica debet concludi ex categoricis & nõ ex hypotheticis, constat autem ma. & mi. esse hypotheticas disiunctiuas. Vnde deberet sic argui, Omne rationale est homo, omnis asinus est rationalis, ergo omnis asinus est homo. & tunc argumentum verè est in barbara, sed minor est falsa.

Syllogismus non est ex quatuor terminis.

Item in barbara hoc argumentum non valet propter defectum quintæ regulæ, quicunque dicit Sortem esse animal dicit verum: Quicunque dicit sortem esse asinum, dicit sortem esse animal: quoniam asinus est animal, ergo quicunque dicit sortem esse asinum dicit verum.

Hoc argumentum non valet, quoniam constat ex quatuor terminis virtualiter, stat enim animal in ma. pro animali rationali tantum, & in mi. pro animali irrationali tantum. Constat autem quòd non est idem animal rationale & irrationale ex significato. Quòd si sumatur animal in vtroq; præmissarum pro eodem significato, constat minorem esse falsam, & ideo argumentum non valet de forma, quod si de forma valet, minor est falsa.

Maior extremitas nullo modo assumitur in minori.

In cœlarent hoc argumentum non valet propter defectum tertiæ regulæ, nullum animal dum dormit vigilat: omnis homo est animal dum dormit: ergo nullus homo vigilat: non valet: quoniam replicatur pars maioris extremitatis in minori propositione, scilicet ly dum dormit. Sed sic formari debet minor, Omnis homo est animal, ergo nullus homo dum dormit vigilat.

In præmissis non debet variari suppositio.

In darij hoc argumentum non valet propter defectum septimæ regulæ, omne indiuiduũ alicuius speciei est asinus. Nam demonstrata hæc specie, puta asinina, Omne indiuiduum illius speciei asininæ, est asinus: Sortes est indiuiduum alicuius speciei, vt patet, ergo sortes est asinus. Non sequitur: quoniam subsumitur minor ac si ly alicuius speciei staret distributiuè in maiori, quòd non est verum, sed stat & supponit determinatè, aut discretè. Vnde arguitur à non distributo ad distributum. Si autem deberet valere, oporteret sic arguere, Omne indiuiduum omnis speciei est asinus: sortes est indiuiduum huius speciei, puta humanæ: ergo sortes est asinus: Argumentum valet de forma, sed maior est falsa.

Item in Darij, hoc argumentum non valet propter defectum eiusdem regulæ omnes apostoli sunt duodecim, Petrus & Paulus sunt apostoli, ergo Petrus & Paulus sunt duodecim. Non sequitur, quoniam fit transitus à suppositione collectiua ad distributiuam, nam ly apostoli stat collectiuè in maiori, & tamen subsumitur Petrus & Paulus ac si staret distributiuè.

Syncategoremata nõ variantur in conclusione.

Item in Darij hoc argumentum non valet propter defectum octauę regulæ, omne risibile est animal: Præcisè homo est risibilis, ergo præcisè homo est animal, non sequitur, quoniam ly præcisè non debet poni in conclusione, est enim regula generalis, quòd non debet plus poni in conclusione cum maiori extremitate quàm positũ fuerit in propositione maiori cum prædicato illius, constat autem quod hoc syncategorema præcisè non fuit positum in propositione maiori, ergo non debet poni in conclusione. Sed debet sic concludi, ergo homo est animal,

In ferio hoc argumentum non valet propter defectum tertiæ regulæ. Quatrinum non valet solidum: Ducatum valet quatrinum: ergo ducatum non valet solidum. non sequitur, quoniam pars maioris extremitatis replicatur in minori propositione, scilicet valet, sed debet formari sic minor, Ducatum est quatrinum, ergo, &c. Tunc argumentum valet de forma, sed minor est falsa.

In baralipton hoc argumentum non valet propter defectum quintæ regulæ. Omne album est qualitas: Omnis nix est alba, ergo quædam qualitas est nix non sequitur, quoniam

quoniam in maiori ſtat album abſtractè, id eſt pro albedine, iuxta ſenſum, quem dicit Ariſtoteles in prædicamento qualitatis, quod album puram qualitatem ſignificat, aliter maior eſſet falſa, In minori autem ſi debet eſſe vera oportet quòd ſtet concretè, id eſt pro re ſiue ſubſtantia alba, ſecundum quod dicimus hominem album, niuem albam, & ſic cõſtat quòd aut maior aut minor eſt falſa, aut argumentum eſt ex quatuor terminis implicitè.

In celantes hoc argumentum non valet propter defectum quintæ regulæ. Pono caſum quòd nulla roſa ſit in mũdo, puta in hyeme, & arguitur ſic, nullum ſpirans odorem eſt roſa, quia per caſum roſa non eſt. omnis flos eſt ſpirans odorem: hæc eſt vera, poſito quod non ſemper ſentiatur à nobis. ergo nulla roſa eſt flos. Non ſequitur, quoniam argumentum eſt ex quatuor terminis, nam roſa in ma. ſtat pro roſa exiſtente, in concluſione autem ſtat pro roſa vt roſa, ita quòd abſtrahit ab exiſtente, & non exiſtente, & quoniam hæc eſt in primo modo per ſe, roſa eſt flos, ſicut iſta, homo eſt animal, ideo eſt ſempiternæ veritatis: cum igitur non ſtet roſa pro eodem in ma. & in concluſione argumentum non valet.

In Dabitis non valet hoc argumẽtum propter defectum ſeptimæ regulæ. Omnis homo eſt indiuiduus, ſiue ſingularis: aliqua ſpecies animalis eſt homo, quia animal prædicatur de homine in quid, ergo aliqua ſpecies animalis eſt indiuidua ſiue ſingularis. Non ſequitur, quoniam fit tranſitus à ſuppoſitione perſonali ad ſuppoſitionem ſimplicem, nam homo in ma. ſupponit perſonaliter diſtributiuè, in mi. autem ſupponit ſimpliciter, ſiue, vt dicunt nominales, materialiter. Hæc autem tibi manifeſta erunt in tract. de ſuppoſitionibus.

In ſapeſmo non videtur validus modus arguendi, eo ꝙ vtraque præmiſſarum eſt vniuerſalis, & tamen concluſio eſt particularis, quod videtur repugnare Ariſtoteli in lib. priorum. Vult enim Ariſtote. quod concluſio aſsimilari debeat alicui præmiſſarum, hic autem nulli ex præmiſsis aſsimilatur, cum ſit particularis, & ambę præmiſſæ ſint vniuerſales. Prætere a in ſapeſmo minor eſt negatiua, quod eſt contra regulam generalem poſitam in prima figura, in qua dictum eſt, quòd in prima figura minore exiſtente negatiua nihil ſequitur, ergo Syllogiſmo in ſapeſmo eſt inutilis.

Reſpondetur. Quando dicit Ariſtotel. in primo priorum, quòd oportet concluſionem aſsimilari alicui ex præmiſsis intendit quo ad qualitatem & non quo ad quantitatem, & intendit ꝙ ſi aliqua concluſio ſit negatiua oportet aliquam præmiſſarum eſſe negatiuam, & hoc verificatur in ſapeſmo, nam quoniam concluſio eſt negatiua, altera præmiſſarum: id eſt mi. eſt negatiua, non autem intendit quo ad quantitatem, nam & in tertia figura, darapti conſtat ex duabus vniuerſalibus, & tamen concluſio eſt particularis. Nec obſtat etiam quòd mi. ſit negatiua, quoniam regula poſita, ſcilicet quòd in prima figura mi. exiſtente negatiua nihil ſequitur, intelligitur de quatuor primis modis concludentibus directè. In ſapeſmo autem ſicut & in friſeſomorum concludimus indirectè, ideo nihil obſtat mi. eſſe negatiuam. Conſtat igitur quòd Syllogiſmus in ſapeſmo non eſt inualidus.

In friſeſomorum non videtur validus modus arguendi duplici de cauſa. Primò quoniam maior eſt particularis, quod eſt contra regulam poſitam, vt generalem in prima figura. Dictum eſt enim quòd in prima figura ma. exiſtente indefinita particulari vel ſingulari, nihil ſequitur. ſecundo quia non regulatur per dici de omni, vel dici de nullo, nam cum ma. ſit particularis, non fit ſubſumptio in mi. ſub ſubiecto diſtributionis. Conſtat enim, quòd ſubiectum ma. non ſtat diſtributiuè, ſed determinatè, ergo Syllogiſmus in friſeſomorum non eſt validus.

Reſpondetur, Regula poſita in prima figura, quòd maior non ſit particula, intelligitur de quatuor modis primis directè concludentibus, friſeſomorum autem concludit indirectè, ideò non obſtat. Præterea, non obſtat, quòd per ſe non reguletur de omni vel de nullo, quoniam cum ſit Syllogiſmus imperfectus, & perficiatur per reductionem ad ferio, ſufficit quòd mediante reductione ad ferio reguletur, conſtat autem quòd ferio habet maiorem vniuerſalem nega. & ſic conſtat, quòd friſeſomorum, licet non reguletur per ſeipſum per dici de omni vel de nullo, quoniam habet ma. particularem, tamen regulatur per reductionem ad ferio, neque enim dici de omni & dici de nullo ſunt regulatiua omnium Syllogiſmorum trium figurarum per ſe & immediatè, ſed quatuor primorum modorum primæ figuræ, aliorum autem per reductionem ad quatuor primos. Hinc eſt quod Ariſtoteles in primo priorum vocat ſyllogiſmos quatuor primorum modorum, ſyllogiſmos perfectos reſpectu aliorum, quoniam quatuor non perficiuntur per alios, ſed econuerſo. Conſtat ergo non obſtantibus prædictis ſyllogiſmum in friſeſomorum eſſe validum. Hæc pro defenſione nouem modorum primæ figuræ dicta ſint.

Secundo loco defenſandi ſunt quatuor modi ſecundæ figuræ, in quibus multi ſolent fieri paralogiſmi propter non obſeruantiam prædictarum regularum.

In Cæſare hoc argumentum non valet, propter defectum ſeptimæ regulæ. Nullum dextrum eſt ſiniſtrum cuiuſlibet hominis manus eſt ſiniſtra: ergo nullius hominis manus eſt dextra. Præmiſſæ quidem videntur veræ. de maiore patet, quoniam oppoſitum non prædicatur de oppoſito: De minori etiam patet, ſuppoſito quod homo habeat duas manus. vnam dextram, alteram ſiniſtram: & tamen concluſio eſt falſa, quoniam homo vt homo remoto impedimento habet manum vnam dextram, alteram ſiniſtram.

Hoc argumentum non valet, quoniam fit tranſitus à ſuppoſitione determinata ad ſuppoſitionem diſtributiuam, nam manus in minore ſupponit determinatè, in concluſione autem diſtributiuè, & ſic arguitur à non diſtributo ad diſtributum, & ideo argumentum eſt inualidum, nec eſt in Cæſare niſi apparenter.

In cameſtres hoc argumentum non valet propter defectum quartæ regulæ, omne mortuum ſiue corruptum eſt non ens: nam corruptio eſt progreſſus ab eſſe ad non eſſe. Nullus homo eſt non ens. ergo nullus homo eſt mortuus ſiue corruptus. non valet, quoniam ly homo non tenetur æquè amplè & æquè ſtrictè in minori, & in concluſione. Nam in minori ſtat pro præſentibus tantum, in concluſione autem ratione participij de præterito ſtat pro præſentibus & præteritis, vt tibi declarabitur in tract. de ampliatione & appellatione.

In feſtino hoc argumentum non valet propter defectum nonæ regulæ. Nullum animal præter hominem eſt rationale. Riſibile eſt rationale: ergo riſibile non eſt animal. Non ſequitur, quia in minori non debet ſubſumi riſibile, ſed aliquod diuerſum ab homine, quoniam in maiori exceptuatus eſt homo, ex conſequenti exceptuatur riſibile. Debet ergo ſubſumi, aliquod, quod non ſit homo, puta aſinus, & ſic formare mi. aſinus eſt rationalis, & tunc argumentum eſt bonum de forma, ſed mi. eſt falſa.

Aduerte inſuper quod argumentum non valet, quoniam non tota maior extremitas ponitur in concluſione. Nam ly præter hominem, eſt pars maioris extremitatis, quæ tamen non ponitur in concluſione, ideo argumentum non eſt bonum de forma.

In Baroco hoc argumentum non valet propter defectum ſextæ regulæ, omnis aſinus eſt aliud ab homine, quoniam differt eſſentialiter ab eo: Sortes non eſt aliud ab homine, quoniam homo prædicatur in quid eſſentialiter de Sorte, & de quolibet homine ſingulari: ergo Sortes non eſt aliud ab aſino. non ſequitur, quoniam pars medij, id eſt, ly aliud ponitur in concluſione, ſed debet ſic concludi, ergo Sortes non eſt aſinus. Hæc pro defendendis modis ſecundæ figuræ dicta ſint.

Tertio loco defenſandi ſunt modi tertiæ figuræ, qui ſunt ſex.

In Darapti hoc argumentum non valet propter defectum ſeptimæ regulæ, cuiuſlibet hominis alter eſt oculus dexter, cuiuſlibet hominis alter eſt oculus ſiniſter, ergo oculus ſiniſter eſt oculus dexter. Non ſequitur, quia arguitur à ſuppoſitione determinata ad diſtributiuam. Non oculus non diſtribuitur in maiori, ſed tantum ly hominis, & tamen ſubſumitur oculus in mi. ac ſi diſtribueretur in ma. non debet ergo ſubſumi oculus, ſed aliud, & formare ſic argumentum, cuiuſlibet hominis alter eſt oculus dexter, quilibet homo eſt animal, ergo animalis alter eſt oculus dexter.

Eodem modo intelligendum eſt hoc, cuiuſlibet contradictionis altera eſt pars vera, cuiuſlibet contradictionis altera eſt pars falſa, ergo pars falſa eſt pars vera. non debet ſic formari mi. ſed ſic, Quælibet contradictio eſt oppoſitio, ergo oppoſitionis altera eſt pars vera.

Item non valet hoc argumentum ex defectu eiuſdem regulæ in Darapti. Omnem hominẽ eſſe rationalẽ eſt neceſſe, omnem

omnem hominem eſſe animal eſt neceſſe, ergo animal eſſe rationale eſt neceſſe. non ſequitur, quoniã animal in mi. ſupponit ſimpliciter, in concluſione perſonaliter. Tu tamen potes totum concedere, & argumentum valere de forma & de materia, & concluſionem eſſe veram. Nam licet vniuerſalis ſit falſa, Omne animal eſſe rationale eſt neceſſe, nihil tamen prohibet particularem ſiue indefinitam eſſe veram. Hæc autem concluſio in darapti eſt indefinita, animal eſſe rationale eſt neceſſe, & æquipollet huic particulari, aliquod animal, puta hominem eſſe rationale eſt neceſſe.

In felapton non valet hoc argumẽtum propter defectum ſeptimæ regulæ, nullus homo eſt genus: Omnis homo eſt animal: ergo animal non eſt genus. Non ſequitur quia fit tranſitus à ſuppoſitione perſonali ad ſuppoſitionem ſimplicem, ſiue, vt dicunt nominales, ad ſuppoſitionem materialem, nam animal in mi. ſupponit perſonaliter, in concluſione ſimpliciter ſecundum reales, & materialiter ſecundum nominales.

In diſamis non valet hoc argumẽtum Propter defectum nonæ regulæ. Alicui homini ineſt ſanitas, omni homini ineſt riſibilitas, ergo riſibilitas eſt ſanitas. non bene concluditur, ſed debet ſic cõcludi, ergo cui ineſt ſanitas, ei ineſt riſibilitas.

Eodem modo dicendum eſt ad hoc, ab aliquo homine videtur aſinus, ab omni homine videtur luna: ergo à luna videtur aſinus. Non bene concluditur, ſed concludatur ſic, ergo à quo videtur luna ab eo videtur aſinus.

In Datiſi hoc argumentum non valet, propter defectum decimæ regulæ. Omne animal eſt in mundo, aliquod animal eſt in domo, ergo domus eſt mundus. non valet, quia antequam concludatur debet ſic reſolui. ma. & mi. Omne animal eſt ens in mundo, aliquod animal eſt ens in domo & tũc ſic bene concludetur, ergo ens in domo, eſt ens in mundo, quoniam domus eſt pars mundi, & pars continetur in toto.

In Brocardo hoc argumentum non valet propter defectum quintæ regulæ. Sortes non eſt minor Sorte, totus Sortes eſt minor Sorte, ergo minor Sorte non eſt minor Sorte, quod implicat contradictionem. Non ſequitur, quoniam Sortes non tenetur in eodem ſignificato in ma. & mi. nam in ma. tenetur pro ipſo ſuppoſito Sortis, & eſt vera, & in mi. tenetur pro partibus integralibus Sortis, quarum nulla ſigillatim ſumpta eſt æqualis Sorti, & hoc eſt tenere totum ſyncategorematicè, vt tibi declarabitur in tract. de probationibus terminorum, & ideo cum argumentum ſit virtualiter ex quatuor terminis, non valet.

In feriſon hoc argumentum non valet propter defectum ſeptimæ regulæ, nullum futurum eſt, aliquod futurum eſt homo, ergo homo non eſt. non ſequitur quoniam in mi. ſtat homo pro homine futuro, id eſt, generando, in concluſione autem ſtat pro homine præſente. Et ſic homo in mi. ſtat ampliatiuè, in concluſione autem appellatiuè. Hæc pro defenſione aliquali omnium modorum primæ & ſecundæ & tertiæ figuræ dicta ſint.

Tu tamen aduerte nouitie, quòd prædictas defenſiones ſeruare non poteris, donec intellexeris tract. ſuppoſitionum & ampliationum & appellationum & probationum terminorum: ideo pro nunc ſuſtine. Cum autem prædictos tract. intellexeris reuertere ad prædictas regulas defenſiuas, & tunc abſque dubio tibi manifeſtæ erunt: diſcéſque abſque difficultate ſuſtinere & defenſare tres figuras & ſingulos eorum modos ſyllogizandi. Et hic terminatur tract. de ſyllogiſmo formali categorico. Quod dico, vt excipiam ſyllogiſmum hypotheticum, qui conſtituitur ex præmiſsis hypotheticis, de quo nunc non intendimus tractare, ne nouitij ingenium confundatur. Pro nunc ſufficit habere notitiam de categorico, cuius duo ſunt modi, ſcilicet Syllogiſmus categoricus de ineſſe, & Syllogiſmus categoricus modalis. Primus conſtat ex categoricis de ineſſe, ſecundus ex categoricis modalibus. Categoricus de ineſſe eſt duplex, ſcilicet oſtenſiuus & ad impoſsibile. Oſtenſiuus eſt ille qui tantum vnum continet diſcurſum ex duabus præmiſsis vnam concluſionem concludentem, ſicut docuimus ſuprà in ſingulis modis trium figurarum. Syllogiſmus ducẽs ad impoſsibile, eſt ille, qui principaliter continet duos diſcurſus, quorum primus a, eſt præmiſsis ad concluſionem, ſecundus autem eſt à contradictorio concluſionis ad contradictorium alterius præmiſſæ, vt tibi manifeſtabimus in trac. de ſyllogiſmo demonſtratiuo. Tunc enim oſtendemus, quomodo fit, demonſtratio ducens ad impoſsibile, &c.

FINIS.

Figuram, quam de Medij Inuentione in ſingulis Syllogiſmorum coniugationibus & vtilibus & inutilibus excogitauerunt Antiqui, hic imprimi curauimus, ne quicquam omiſsiſse videremur, quod huius philoſophiæ partis ſtudioſis quoquo modo conduceret, cuius clarum intellectum vide in primo Priorum Ariſt. & Auer. Sec. ſecunda, cap. ſecundo, & Albertum ibidem.



TRACTATVS SEPTIMVS de Suppoſitionibus in nouem capita diuiſus.

POſt doctrinam de arte ſyllogizandi reſolutè à nobis ordinatam, ſupereſt vt tractemus de his, quæ communiter apud Logicos parua logicalia dicuntur. Sicut enim in philoſophia naturali, poſt ordinarios libros habemus parua naturalia veluti parua opuſcula, in quibus de ſenſu & ſenſato de ſomno & vigilia, de memoria & reminiſcentia, &c. pertractatur, in quibus completur rerum naturalium doctrina: ſic & in arte logices poſt ordinarios artis veteris & nouæ libros compoſita ſunt per ſummos dialecticos innitentes fundamentis & principiis peripateticis, quædam opuſcula, quæ parua Logicalia nuncupantur, ſine quibus penè impoſsibile eſt aſſequi veram & perfectam ſyllogizandi ac diſputandi ſcientiam, Eſt autem logica ars ſiue ſcientia argumentatiua atque diſputatiua. De his igitur nunc agendum eſt, & primo de ſuppoſitionibus, & ſecundo loco de ampliationibus, & tertio loco de appellationibus. Nam ſine horum notitia tractatus de ſyllogiſmo formali, remanet apud nouitium non intellectus. Diximus enim in illo tract. cap. ſexto quòd non oportet fieri tranſitum à ſuppoſitione ad ſuppoſitionem ſibi repugnantem, & quod termini teneantur in præmiſsis, & in concluſione æquè amplè, & æquè ſtrictè.

Poſt hæc agemus de conſequentiis, & vltimo loco de probationibus terminorum, ſine quibus tract. de conſequentiis ad plenum formari & intelligi non poſſet. Singuli horum tractatuum, & ſi non habeantur expreſsè ab Ariſtotele, tamen doctrinæ peripateticæ conſonant, vt tibi conſtabit poſt quam in Ariſtotele diſciplina tam in logicalibus quam in phyſicis atque metaphyſicis eruditus fueris. Reliqua verò parua logicalia, quæ ſophiſtæ inuenerunt non ſciendi gratia, ſed aut decipiendi aut confundendi, vtpote non ordinata ad aliarum ſcientiarum acquiſitionem, poſtponenda ſunt, non enim intendimus niſi logicam peripateticam, vt regulam

& art

& artem omium verè scientiarum directiuam.

In hoc igitur tract. acturi de suppositionibus ad mentem realium, quos existimamus magis inhærere menti, ac doctrinæ Aristotelis, diuidemus ipsum in nouem capita.

Primò, quid sit suppositio.

Secundò ponentur omnes diuisiones generales suppositionis.

Tertiò, tractabitur de suppositione materiali.

Quartò, de formali naturali.

Quintò, de accidentali simplici.

Sextò, de accidentali personali.

Septimò, de terminis habentibus virtutem confundendi & distribuendi.

Octauò, de pluribus signis distributiuis.

Nonò, de suppositione relatiua.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit suppositio.

IN capit. primo inuestigandum est quid sit suppositio. Verùm quia hic terminus suppositio multipliciter sumitur in doctrina Aristotelis, ideo vt scias in quo sensu hic diffinienda est, & de ea pertractandum, aduerte quòd quatuor modis potest sumi.

Suppositio quatuor modis.

Primò dicitur suppositio propositio, quæ in aliqua scientia acceptatur vt manifestè vera, nec indiget in illa scientia demonstrari, sed est velut principium suppositum ac firmatum in tali scientia, vt apud Geometram, hæc est suppositio, Omne totum est maius sua parte, apud Physicum hæc est suppositio, Motus est: Apud Metaphysicum hæc est suppositio, ens est cui debetur esse: Apud Logicum hæc est suppositio, Voces sunt signa conceptuum. & de suppositione hoc modo dicta, iam actum est in tractatu, de Syllogismo demonstratiuo: vbi de primis principiis actum est.

Secundò dicitur suppositio relatio inferioris ad superiorem, vt quæ est filij ad patrem, serui ad dominum. Nam sicut relatio superioris ad inferiorem dicitur superpositio, sic opposita dicitur suppositio, quoniam inferior ponitur sub superiori, & de hac locuti sumus in prædicamento ad aliquid, vbi assignauimus tres relationis species, scilicet æquiparantiæ, superpositionis, suppositionis.

Tertiò dicitur suppositio, positio termini sub termino in linea prædicamentali, in quo sensu indiuiduum supponitur speciei, & species generi, & genus inferius generi superiori, & sic ascendendo vsque ad generalissimum, & de hac satis actũ est in tractatu de prædicamentis, quoniam prædicametum est ordinatio plurium prædicabilium secundum sub & supra.

Quartò dicitur suppositio positio termini pro alio, id est pro aliquo suo significato, in quo sensu dicimus quòd in hac oratione, Deus est bonus, ly Deus ponitur pro suo significato, vt sit sensus, id quod significatur per ly Deus est bonum. Et in hoc quarto modo considerandum est hic de suppositione. & primo diffinienda est.

Suppositio quid sit.

Quantum ad diffinitionem eius aduerte, quòd diuersimodè solet diffiniri, nam Petrus Hispa. dicit, quòd suppositio est acceptio termini substantiui pro aliquo, id est pro aliqua re significata per terminum: ex quo sequitur secundum ipsum quòd termini non significatiui non supponunt, nec adiectiua vt adiectiua sunt. Sed id magis declarabitur infrà. Petrus autem Mantuanus sic eam diffinit, suppositio est statio termini in oratione, & declarans se inquit, Terminus æqualiter significat in oratione & extra orationem, sed non supponit nisi in oratione, quoniam à se nullus terminus habet vt supponat, sed à verbo, vel participio trahit suppositionem si à verbo vel participio, ergo in propositione. Constat enim propositio ex nomine & verbo. Paulus autem sic diffinit suppositio est acceptio termini in propositione pro aliquo vel pro aliquibus. Exemplum primi, Petrus scribit. exemplum secundi, Sortes & Plato currunt. Formalis autem & completa diffinitio, quam intendo seruare & declarare, sit hæc, suppositio est acceptio termini substantiui, vel substantiuè tenti in propositione extremaliter se habentis, pro aliquo suo significato.

Primò ponitur acceptio loco generis. est enim in plus quam suppositio vt patet, nam acceptio potest sumi actiuè & passiuè, & neutraliter: actiuè quidem dicit actum siue actionem accipientis, nam qui accipit acceptione accipit, sicut qui calefacit, calefactione actiua calefacit. passiuè autem dicit passionẽ, accepti, sicut calefactio passiua dicit receptionem caloris in calefacto. Neutraliter autem non dicit acceptionem actu actiuam neque passiuam, sed aptitudinalem, sicut risibilitas, & hæc est proprietas termini substantiui, scilicet quòd sit aptus natus accipi in propositione pro aliquo suo significato. Est ergo suppositio aptitudinalis sumptio passiua termini substantiui &c.

Secundò dicitur termini substantiui ad differẽtiam termini adiectiui: quoniam adiectiua propriè non supponunt, sed copulãt. non quòd vniant plures terminos ad inuicem, hoc enim modo copulant coniunctiones, vt nota copulationis vel conditionalis vel rationalis, sed quia vniunt se substantiuis, quibus adiacent & quæ determinant.

Adiectiua quomodo supponunt.

Tertiò dicitur vel substantiuè tenti, quoniam licet adiectiuũ vt adiectiuũ non supponat, tamen vt includit substantiuum, vel ponitur loco substantiui supponit, tunc enim est virtualiter substantiuum, vt hic iustus erit in memoria æterna. Pro cuius notitia aduerte quòd adiectiuũ quinque modis potest supponere. Primo quãdo est relatiuum, quoniam ponitur loco sui antecedentis, quod est substantiuum vt homo qui currit mouetur, ly qui supponit sicut ly homo, quoniam ponitur loco eius. secundo quandò sumitur in neutro genere absque suo substantiuo, tunc enim substantiuatur, vt album currit, id est res albedinẽ habens currit. Tertiò quando est pronomen demonstratiuum, quoniam indicat substantiuum, vt ille currit demonstrato Sorte. quarto quando est adiectiuum superlatiuum, quod propriè de vno inter multos verificatur, vt fortissimus defendit Troiam, id est Hector inter Troianos. quinto quando adiectiuum est participium, significat enim actum existentem in substantiuo, vt currens mouetur, id est homo qui currit, vel cui inest actus currendi mouetur. His igitur quinque modis potest adiectiuum supponere, quoniam habet in se vim substantiui. Quotiens autem tenetur merè adiectiuè & hoc est quando ponitur in propositione cum suo substantiuo, habet vim copulatiuam modo quo suprà diximus, & non supponendi.

Quartò dicitur in propositione ad differentiam significationis, quoniam terminus substantiuus in propositione & extra per se sumptus significat, sed non supponit nisi in propositione. Pro cujus notitia aduerte, quòd significare præcedit supponere, & supponere præcedit verificari. Nam significare est imponere terminum siue vocem ad aliquid certi repræsentandum, sicut quando imponitur ly homo ad significandum hominem apud Latinos, & ly theos ad significandum Deum apud Græcos. Vnde facere significare spectat ad primos authores, qui rebus nomina imponunt. Constat autem quod author antequam propositionem formet, potest ordinare & statuere talem rem per talem terminum repræsentandam & intelligendam, ergo significare est rem repræsentare siue extra propositionem, siue in propositione. Supponere autem est accipere terminum iam impositum ad significandum, vt stet in propositione pro aliquo suo significato vel supposito. Vnde sicut facere significare spectat ad primos authores, sic facere supponere spectat ad formantes propositionem. Nam formans propositionem singularem intendit subiectum aliter supponere quàm quando formet propositionem indefinitam, vt tibi declarabitur infrà. Verificari autem restringit supponere. V. G. in hac propositione, homo currit, ly homo supponit determinatè, sub quo licet descendere disiunctiuè, vt tibi declarabitur infrà, & licet possit supponere pro pluribus, quoniam non inconuenit quòd plures currant, modo non omnes homines currant, tamẽ sufficit quod verificetur pro vno. Nam dum modo Sortes solus currat, hæc est vera, homo currit, ex quibus omnibus constat quòd significare est in plus quàm supponere, & supponere quàm verificari. Supponere tamen & verificari est respectu propositionis tantum.

Disputant hic Thomistæ. Si est verum terminum supponere intus & extra propositionem, vel tantum in propositione. aliqui tenent partem affirmatiuam, scilicet quòd intus & extrà, aliqui autem negatiuam, scilicet quòd non nisi in propositione. Primi fundant se super dictum b. Tho. in prima parte, quæstio. 39. articulo quarto, vbi inquit quòd hoc nomen Deus habet ex modo significandi quod posit supponere pro persona, sicut & hoc nomen homo & in responsione ad tertium, dicit quod homo per se supponit pro persona, Deus autem per se supponit pro natura. Si ergo homo per se & Deus per se supponunt, sequitur quòd terminus substantiuus per se sumptus extra propositionem supponit.

Termini non per se, sed respectu prædicati supponit.

Qui autem tenent partem negatiuam dicũt intentionem b. Tho. esse quod nec Deus nec homo nec aliud substantiuũ, habet

habet vim supponẽdi nisi in ordine ad propositionem, quod cõstat in eodẽ loco in quo se fundat præcedens opinio. Nam postquam B. Tho. dixerat, quòd Deus supponit per se pro natura, ítatim declarans huiusmodi suppositione format hanc propositionem, vt cum dicitur Deus creat. Declarans etiam quomodo supponit pro persona, format propositionem, vt cum dicitur, Deus generat, Deus spirat, & quoniam hęc opinio est vniuersalior, ideo intendo sequi eã. Nec obstat quod dicit B. Tho, quòd Deus per se supponit pro natura & homo per se supponit pro persona. Nam per ly per se non intendit quòd per se sumptus extra propositionem supponat, sed intendit quòd ex se respectu cuiuscunq; prædicati absoluti supponit pro natura, vt Deus creat, Deus prouidet, Deus est bonus, Deus est sapiens &c. Nunquam autem supponit pro persona, nisi determinetur per prædicatum relatiuum, vt Deus generat, Deus est pater, Deus est filius, ergo Deus non ex se, sed respectu talis prædicati supponit pro persona.

Verba nõ supponũt.

Quinto dicitur extremaliter se habentis ad differentiam verbi, quod non supponit, sed est extremorum supponentiũ, id est subiecti & prædicati vnitiuum. Vnde dicitur copula, quoniam copulat prædicatum cum subiecto. Sed aduerte ep hoc intelligitur tantum de verbo sum es est. quoniá est irresolubile in prius verbum, ideo ipsum solum est primo & per se copula. Reliqua autem quæ dicuntur verba adiectiua, vt scribo, pugno, curro, quoniam resoluuntur in sum es est & in participium suum, ideo licet non superponant rationem sum es est, quoniam vt sic sunt copula, & non extremum, tamen ratione participij supponunt. quoniam participium est prædicatum, vt patet hanc resoluendo, homo currit, homo est currens.

Signa nõ supponũt.

Sexto dicitur pro aliquo suo significato, ad differentiam termini non significatiui, & syncategorematis. quod formaliter sumptum nihil per se significat, vt signa vniuersalia & particularia & dictio exclusiua & exceptiua &c. Verbi gratia si dico, aliquis homo currit, omnis homo currit, tantum homo currit: ly aliquis non supponit. nec ly omnis. nec ly tantum, sed tantum qualificat suppositionem. Nam aliquis trahit subiectum ad suppositionem determinatam, omnis ad distributiuam, tantum ad confusam.

Hæc pro declaratione diffinitionis datæ de suppositione dicta sint.

CAPVT II.

De generalibus diuisionibus suppositionis.

IN secundo cap. antequam deueniamus ad specificam considerationem de speciebus suppositionis. assignandæ sunt generales eius diuisiones, tu igitur has diuisiones aduerte.

Absoluta suppositio quæ est relatiua.

Prima, suppositionum, alia absoluta, alia relatiua. Absoluta est quæ fit de terminis absolutis sumptis in propositione, vt omnis homo est animal, nullus homo est lapis &c. Relatiua est quæ fit per terminos relatiuos grammaticaliter sumptos, vt qui, talis, qualis, alius, alter. vt homo qui legit disputat. Dixi grammaticaliter sumptos, vt excipiam relatiuum logicum de quo actum est in prædicamento ad aliquid, cuiusmodi sunt pater filius, dominus seruus, equalis, similis &c. Nam huiusmodi termini ita supponunt sicut absoluti. Vnde sicut in ista. Omnis homo est animal, ly homo stat distributiuè, sic & in ista, omnis dominus est superior seruo. De absoluta igitur acturi sumus in præsenti, de relatiua autem in fine tractatus.

Suppositio propria, et impropria

Secunda suppositio absoluta duplex est scilicet propria & impropria. Propria est, quando terminus supponit pro suo proprio & ordinario significato, vt hæc est propria, homo est rationalis, quoniam id quod est homo est rationale. Impropria autem est, quando terminus supponit non pro suo proprio & per se significato, sed sibi accommodato secundum communem vsum loquendi. Verbi gratia Apostolus significat indifferenter Apostolos, & poẽta indifferenter poẽtas, & tamen accommodatur soli Paulo, & poẽta soli Virgilio, sicut Philosophus soli Aristoteli. Vnde in hac propositione, Apostolus prædicat, Apostolus secundum suppositionem propriam supponit determinatè, secundum autem impropriam supponit discretè, quoniam intelligitur Paulus. Quandocunque ergo terminus sumitur in propositione pro alio quàm pro suo proprio significato, erit suppositio impropria, vt in hac propositione monasteriũ regitur bono capite, caput quidẽ sumitur propriè pro principali parte animalis, in qua vigent sensus: hic autem sumitur pro prælato, ideo supponit impropriè. Idem intellige quando sumitur pars pro toto. vel totum pro parte, & quando sumitur continens pro contento. In omnibus his seruatur suppositio impropria, quæ quoniam parum deseruit tractatui de syllogismis, & acquisitioni scientiarum realium, sed est magis de consideratione grammatici & rhetoris & poëtæ, ideo circa eam non immorabimur.

Suppositio formalis & materialis.

Hac igitur relicta reuertentes ad absolutam propriam diuidimus eam prima diuisione in materialem & formalem, cuius diuisionis ratio est. Quia cum suppositio fit acceptio termini substantiui in propositione extra materialiter se habentis pro aliquo suo significato, quotuplex est significatum termini supponentis, totuplex erit suppositio: significatum autem termini est tantum duplex, scilicet materiale & formale: ergo suppositio absoluta propria prima diuisione est tantùm duplex, scilicet materialis & formalis. Est autem significatum formale termini illud, ad quod significandum principaliter fuit impositum, & de quo verificatur sine signo materialitatis, vt significatum formale hominis est animal rationale. & lapidis est corpus durum offendens, & verificatur per seipsum non apposito signo materialitatis, sunt autem hæc signa materialitatis, ly, hæc dictio, hoc nomen, hic terminus, nam hæc est vera, homo est animal rationale, lapis est corpus durum. Quòd si apponeretur signum materialitatis, essent falsæ. Constat enim quòd hæc est falsa, iste terminus homo est animal rationale, & hæc, hic terminus lapis est corpus durum. Significatum autem materiale termini est ipsemet terminus, & dicitur significatum naturale, quoniam vnumquodque prius & naturaliter significat ac repræsentat seipsum, quàm aliquid extra se. Signum autem quando ponitur terminus pro seipso aut sibi consimili est hoc quod non verificatur nisi apposito signo materialitatis, vt ly homo est nomen, ly homo est bisyllabum, ly homo est declinabile. Si autem sumatur sine signo materialitatis, omnes sunt falsæ, vt homo est nomen. Nam homo ex vi sui significati formalis est animal rationale, & non vt sic est nomen, sed substantia corporea &c. Constat ergo ratio, propter quam suppositio absoluta propria diuiditur prima diuisione in materialem & formalem.

Suppositio autem formalis secundum terministas coincidit conuertibiliter cum personali, ita quòd omnis formalis est personalis & econuerso, ex consequenti terministæ non diuidunt vlterius formalem nisi in suppositionem discretam & communem, communem autem indeterminatam & confusam vt tibi infra declarabitur. Verùm apud reales non coincidit cum personali, sed est magis communis, & antequam deueniant ad personalem diuidunt suppositionem formalem in naturalem & accidentalem. Est autem huius diuisionis ratio, quia cum diffinitio suppositionis formalis fit acceptio &c. pro suo formali significato, vel accipitur terminus in propositione respectu prædicati per se, quod conuenit subiecto essentialiter vel consequitur subiecti essentiam, & sic in omni propositione per se tam primo quàm secundo modo datur suppositio naturalis siue essentialis, vt hic, Homo est animal, Homo est rationalis. Homo est risibilis, vel accipitur terminus in propositione respectu prædicati sibi conuenientis accidentaliter, vt homo est albus, homo currit. Et hanc diuisionem, scilicet in naturalem & accidentalem, ponit B. Tho. in tertio senten. distinct. prima, quæstio. secunda, artic. quarto.

Suppositio autem accidentalis apud reales diuiditur in personalem & simplicem, cuius diuisionis ratio est hæc. Suppositio accidentalis est respectu prædicati conuenientis subiecto accidentaliter, vel ergo conuenit subiecto vt habet esse extra animam in suppositis, & sic est personalis, quia verificatur prædicatum pro supposito vel suppositis, vt aliquis homo currit, ergo iste vel iste currit: vel conuenit subiecto non inquantum habet esse in suppositis, sed vt habet esse in anima, puta inquantum intellectus intelligit naturam communem vt prædicabilem de multis, & non vt habet esse in hoc vel illo supposito. vt quando dicit quòd homo est species, animal est genus, substantia est genus generalissimum, Rationale est differentia. Risibile est proprium. Album est accidens. Primo modo dicitur suppositio personalis, quia stat prædicatum pro suppositis, secundo modo dicitur simplex, quia stat prædicatum pro natura simplici & in se considerata, & prout intellectus attribuit sibi intentionem vniuersalitatis, puta speciei aut generis.

Et aduerte quòd terministæ reponunt suppositionem simplicem sub materiali. Vnde apud eos sicut in ista, Ly homo est nomen, ly homo supponit materialiter, sic & in ista, homo est species, animal est genus. quorum fundamentum est quòd non existimãt vniuersalia vt genus & species esse

naturas reales vt stant sub secundis intentionibus, sed esse terminos vniuocos prædicabiles de pluribus &c. In hac ergo propositione, homo est species secundum eos homo non supponit pro natura communi, sed pro termino. Talis autem suppositio est materialis, & ideo quam dicunt reales simplicem, dicunt ipsi materialem. Verùm quia magis est consonum viæ peripaticæ vniuersalia esse naturas quam terminos, non quidem extra singularia, vt Aristoteles in tota doctrina sua imponit Platoni & præcipuè in septimo libro Metaphysicæ, ideo realium quo ad suppositionem simplicem sententiam sequi debemus. Hæc de primis & generalibus diuisionibus suppositionis, nunc accedendum est ad cuiuscunque mmebri consideationem, incipiemus igitur à materiali absoluta propria.

Suppositionum figurata diuisio secundum Peripateticos.



CAPVT III.

De absoluta & propria suppositione materiali.

IN tertio capite iuxta ordinem diuisionum quæ supra dispositæ & ordinatæ sunt, agendum est de suppositione materiali, de qua tria videnda sunt, primò quid sit, secundò quomodo & in quæ diuiditur, tertiò assignadæ sunt generales regulæ, quibus cognosces quando termini supponunt materialiter & quando non.

Materialis suppositio quid.

Quantum ad primum aduerte quòd sic diffinitur. Suppositio materialis est acceptio termini substantiui in propositione extremaliter se habentis pro suo materiali significato. Tota hęc diffinitio quo ad singulas particulas, manifesta ta est in diffinitione suppositionis vt suppositio est. Vltima particula: scilicet pro materiali significato ponitur vt distinguatur à formali suppositione. Est autem materiale significatum termini, quando sumitur solùm pro seipso & sibi consimili & non pro eo ad quod significandum principaliter est impositum, vt docuimus supra. vt quando dicitur homo est nomen, animal est trisyllabum, constat quòd ly homo & ly animal sumuntur vt sunt termini, & non pro re ad quam significandam sunt imposita. Hæc enim est falsa. Hic terminus homo est res quæ est homo, neque enim res quæ est homo, est nomen, sed substantia rationalis. Idem intellige de animali.

Quantum ad secundũ aduerte quòd terministæ diuidunt suppositionem materialem in discretam & communem. Communem in determinatam & confusam. Confusam in confusam tantùm & confusam distributiuam. Confusam tantùm in confusam tantùm mobilem, & confusam tantum immobilem. Confusam distributiuam in confusam distributiuam mobilem, & confusam distributiuam immobilem, quas diuisiones & singularum partiũ diffinitiones & exempla vide tu in Paulo Veneto, quia nolo esse hic merus recitator, & singula eius exempla recipies exceptis his, homo est species, animal est genus &c. Nam quando prædicatum est aliquod quinque vniuersalium, subiectũ apud reales supponit simpliciter & non materialiter. Nos autem intendimus sequi viam realium. *Contra Paulum.*

Reales autem non multiplicant tot diuisiones de suppositione materiali, sed existimant sufficere addiscẽti, si diuidat eam in discretã & cõmunẽ & illic sistere. Aduertunt, enim quod suppositio materialis magis deseruit grammatico, qui versatur circa nomina quo ad articulos & declinationes & compositiones & deriuationes, & circa huiusmodi versatur suppositio materialis. Cum igitur in logica, & in aliis scientiis acquirendis per logicam sequendo viam peripateticam & non sophisticam, suppositio materialis non sit multum necessaria sufficit vt ad mentem realium vt diuidamus eam in discretam & communem.

Materialis discreta est acceptio termini substãtiui materialiter supponentis, cum pronomine demonstratiuo. Nam pronomina demonstratiua primitiuæ speciei faciunt propositionem singularem cuius subiectum tantum vni conuenit vt docuimus in trac. secundo agentis de quantitate propositionum. In omni autem propositione singulari sicut subiectum est terminus discretus vel æquipollet termino discreto, sic supponit discretè. Vt hæc est materialis discreta. *Materia lis discreta.*

Iste terminus homo, quem nunc scribo est nomen, est bisyllabum, est declinationis tertiæ, est numeri singularis, est generis communis.

Materialis cõmunis est acceptio termini substantiui materialiter supponentis sine pronomine demonstratiuo. Nam talis terminus non limitatus per pronomen demonstratiuũ, est terminus cõmunis, vt ibi, homo est nomen. Iste terminus homo ideo est communis, quia conuenit huic termino homo hic scripto, & huic termino homo ore nunc prolato. Idem intellige de quolibet nomine proprio, vt de Sorte & Petro &c. Nam licet quo ad significatum formale, sint termini singulares, quia tantum vni cõueniunt quod est indiuiduum signatum, tamẽ quo ad significatũ materiale sunt termini cõmunes, possunt enim conuenire termino in scripto & in ore & in mente. Vnde in hac propositione. Petrus est nomen, subiectum supponit suppositione materiali communi, potest enim verificari de hoc termino Petrus in voce in scripto in mente &c. Vnde vtraque istarum est vera. Petrus est nomen. Petrus non est nomen. Sensus secundæ est. Res quæ est Petrus, non est nomen, quia est substantia. Sensus primæ est hic terminus Petrus est nomen quia declinatur per genus & casum. Reliquas igitur diuisiones suppositionis materialis: vtpote non multum necessarias, nec vsitatas in scientiis realibus, relinquamus Terministis. *Cõmunis*

Quantum ad tertium aduerte tres regulas generales quibus cognoscitur suppositio materialis.

Prima est. Omnis terminus habens solum vnum significatum, scilicet formale, nunquam supponit materialiter, sed formaliter. probatur, quia non potest supponere nisi pro significato quod habet, sed habet tantùm formale, ergo nunquam supponit materialiter. tales termini sunt termini trãscendentes, vt ens, vnum, aliquid, res: qui ideo non habent nisi significatum formale, quoniam quocunque modo sumantur siue cum signo, siue signo materialitatis de omnibus & de seipsis verificantur. Nam sicut ista est vera, ens est ens ita & ista, ly ens. id est hic terminus ens est ens & est aliquid & est res, & est quid vnum, ens enim & vnum conuertuntur: vt tibi in philosophia prima manifestabitur. *Materia lis suppositio tribus cognoscitur.*

Secunda est. Omnis terminus habens vtrunque significatum, si apponitur ei signum materialitatis trahitur ad suppositionem materialem, vt ly homo est nomen. Si autem non apponitur ei signum materialitatis trahitur ad suppositionem formalem, & tunc aliquando propositio est vera, vt homo est animal, aliquando falsa, vt homo est nomen, quoniam homo sine signo materialitatis supponit pro significato formali, *de homine autem sumpto formaliter falsum* est dicere quod sit nomen, quoniam vt sic est substantia rationalis.

Tertia est, signũ particulare & vniuersale affirmatiuum & negatiuum, si est eiusdem generis cum termino substãtiuo cui additur, trahit terminum ad suppositionem personalem, vt aliquis homo currit. Si autem sumantur in neutro genere trahunt terminum ad suppositionẽ materialem: vt aliquod homo est nomen: id est aliquis ter. & ratio huius regulæ est, quia termini vt supponunt materialiter sunt neutri generis & indeclinabiles, vt distinguantur quando supponunt formaliter. Tunc enim sumuntur in suo proprio genere

genere siue masculino, siue fœminino &c. & sunt declinabiles: vt omnis homo est bipes, aliqua auis est nigra, aliquod lignum est durum. Quoniam igitur quando supponunt materialiter sunt neutri generis & indeclinabiles, ideo conuenienter apponitur eis in neutro genere signum vniuersale vel particulare. Ex quibus sequitur, quòd hęc est vera, omne homo est nomen, hæc autẽ est falsa, omnis homo est nomen.

Tres istæ regulæ sufficiant tibi, pro notitia termini quando supponit materialiter & quando non. Si alias vis, quære tu in terministis, has, reputo sufficere, prout contingit vti suppositione materiali in acquisitione scientiarum.

CAPVT IIII.

De suppositione formali naturali.

IN cap. quarto agendum est de suppositione formali naturali, de qua tria videnda sunt, primò quid sit, secundo quomodo diuiditur apud reales, tertiò assignabuntur regulæ generales de illa.

Formalis naturalis quid.

Quantum ad primum aduerte, quòd sic diffinitur. Suppositio formalis naturalis est acceptio termini &c. respectu prædicati essentialis vel consequẽtis essentiam subiecti: pro cuius notitia aduerte q̃ suppositio formalis naturalis est acceptio termini substantiui in propositione extremaliter se habentis pro suo significato formali, respectu prædicati essentialis vel consequentis essentiam subiecti. Dicitur autem prædicatum essentiale dupliciter. primò quia prædicatur In quid essentialiter de subiecto: vt animal de homine, homo de Sorte: secundò in quale essentialiter: vt rationale de homine, sensitiuum de animali. Dicitur verò prædicatum consequens essentiam subiecti, quod licet non sit de essentia, fluit tamen à principiis essentiæ: id est vel à forma, vt homo est risibilis, sequitur enim risibile, animam intellectiuam: vel à materia, vt homo est corruptibilis, procedit enim corruptibile à compositione contrariorum qualia sunt elementa, ex quibus homo componitur. In vtroque sensu est suppositio formalis naturalis. Et pro regula generali accipe quod in omni propositione facta in materia naturali est suppositio formalis naturalis, quia naturaliter prædicatum verificatur de subiecto, & non accidentaliter. Et aduerte quòd in trac. de syllogismo demonstratiuo prædicatum naturale est prædicatum per se in primo & secundo modo per se.

Quantum ad secundum aduerte quòd terministæ non diuidunt suppositionem formalem naturalem, quoniam eam non ponunt distinctam à personali, ideo non aliter diuiditur apud eos quàm suppositio personalis, de cuius diuisionibus dicemus infrà. Ratio autem propter quam non ponũt eam distinctam à personali est, quia non concedunt prædicatum reale siue sit essentiale siue accidẽtale, verificari de subiecto, nisi subiectum existat in rerum natura, ideo sicut ista est personalis aliquis homo currit, sic ista aliquis homo est animal, & sicut descendere sub illa licet disiunctiuè, sic sub ista, & sicut illa est falsa, nullo homine existente, sic & ista, apud reales autem in prædicatis essentialibus non requiritur existentia subiecti, quoniam propositio per se est sempiternæ veritatis, vt tibi declarabitur in prima philosophia. In prædicatis: autem accidentalibus, requiritur existentia subiecti quoniam nõ verificantur de subiecto nisi subiectum existat, & ideo distinguunt reales inter formalem naturalem & formalem accidentalem, quæ est respectu prædicati accidentalis. Tu tamen aduerte quòd aliter datur suppositio accidentalis respectu prædicati accidentalis conuenientis subiecto vt habet esse extra animam, & vt habet esse in anima. vt tibi manifestabitur infra.

Cum igitur reales teneant suppositionem naturalem distinctam à personali alio & alio modo distinguunt eas & diuidunt in sua inferiora.

Naturalem igitur sic diuidũt. Suppositionis naturalis alia discreta, alia communis. Discreta est acceptio termini discreti vel sibi æquiualentis respectu prædicati essentialis. vt sortes est homo, est animal, est corpus, est substantia, est ens. vel æquiualentis: vt hic homo est rationalis. Sophronie filius primogenitus est disciplinabilis. Communis alia indefinita, alia determinata. Indefinita est acceptio termini communis respectu prædicati essentialis sine aliquo signo: vt homo est animal. lapis est inanimatus. Determinata est acceptio termini cõmunis respectu prædicati essentialis cum aliquo signo, vt quidã homo est animal, & diuiditur in particularẽ & confusam. Particularis est acceptio termini cõmunis respectu prædicati essentialis cũ signo particulari: vt aliqs homo est risibilis siue rónalis. Cõfusa diuiditur in cõfusam tantũ & confusam distributiuam siue vniuersalem. Confusa est acceptio termini communis respectu prædicati essentialis, cum aliquo syncategoremate habente vim confundendi: vt si homo est animal, est sensitiuus, tantum homo est rationalis. Distributiua siue vniuersalis est acceptio termini communis respectu prædicati essentialis cum signo vniuersali, vt omnis homo est animal, Omne animal est viuens. Sed dices. Quare in suppositione naturali non fit mentio de descensu sub termino communi ad sua inferiora siue supposita, disiunctiuè vel disiunctim vel copulatiuè, sicut fiet descensus in suppositione personali: vt declarabitur. Respondetur. Ideo non fit descensus, quia apud reales ad veritatem propositionis per se non requiritur consistentia suppositorũ. Vnde nullo homine existente, hæc est vera & semper, homo est animal, animal est substantia. Ideo autem fiet descensus in personali, quoniam personalis propriè apud reales est respectu prædicati accidentalis, quod inest naturæ communi vt habet esse in suppositis. Hæc enim non est vera, Homo est albus, nisi quia hic vel hic est albus. Constat igitur quid sit Suppositio formalis naturalis & quomodo diuidatur.

Quantum ad tertium aduerte quatuor regulas deseruientes suppositioni formali naturali.

Prima est. In omni propositione, in qua prædicatum prædicatur per se de subiecto in primo modo vel secundo vel quarto, semper subiectum supponit naturaliter. Qui sint & quot modi per se, iam diximus in tractatu de syllogismo demonstratiuo. Exemplum primi, homo est animal rationale. Exemplum secundi, homo est risibilis. Exemplum quarti, paries albet albedine. Aduerte quòd non fit mentio de tertio modo per se, quia non est modus prædicandi, sed modus essendi siue existendi. Vnde cum dicitur Sortes est per se in domo, sic intelligitur. Sortes est solus in domo, ita quòd ly per se dicit priuationem consortij. Et hæc propositio, Sortes est per se, id est solus in domo, non signat subiectum supponere naturaliter, sed personaliter, quoniam ly solus est prædicatum accidentale & separabile à subiecto vt patet. Ratio autẽ huius regulæ est, quoniã prædicatũ per se, aut est de essentia subiecti, aut consequitur eius essentiam, tam in primo modo est de essentia, in secundo & quarto consequitur essentiam, vt tibi declaratum est in trac. de syllogismo demonstratiuo. *Formalis suppositio tribus cognoscitur.*

Secunda regula est. Omnis propositio cuius subiectum supponit naturaliter est semper & vniuersaliter vera, etiã si subiecto non apponatur signum vniuersale. vt hic, Homo est animal, quidam homo est animal, nam omnis talis propositio est in materia naturali, in qua prædicatũ conuenit omni & semper contento sub subiecto. Vnde licet priористicè, hæc non sit propositio vniuersalis, sed indefinita, homo est animal, est tamen vniuersalis posteriористicè loquendo. Non sic autẽ contingit in suppositione personali, quoniã propositiones in quibus subiectum supponit personaliter, vt in pluribus formantur in materia contingenti, & ideo nec pro omnibus, nec semper verificatur prædicatum de subiecto. Vnde priористicè & posteriористicè hæc est indefinita, Homo est albus.

Tertia regula est. In suppositione naturali non valet consequentia à propositione de tertio adiacente ad eam, quæ est de secundo, vt non valet, homo est animal, ergo homo est, & ratio huius regulæ est, quia in propositionibus per se prædicatum spectat ad essentiam & non ad existentiam, essentia autem abstrahit ab existentia & non existentia, vt tibi in prima Philosophia declarabitur. Præterea ly est in tertio adiacente in propositionibus per se dicit habitudinem & conuenientiam naturalem prædicati cum subiecto. Et ideo siue subiectum existat siue non, semper prædicatum per se est aptum verificari de subiecto, sed ly est in secundo adiacente dicit existentiam, & ideo nisi subiectum puta homo existat, hæc est falsa, homo est, & in hoc discordant terministæ & reales, nam vt declarabitur tibi in tracta. de consequẽtiis terministæ volunt quod à tertio adiacente ad secundum affirmatiue siue in prædicatis per se, siue in prædicatis accidentalibus valeat consequentia dummodo prædicatum non sit terminus distrahens neque diminutus, sed pro nunc sustine, donec erudiaris in consequentiis.

Quarta regula est pendens à tertia. In quacunque propositione subiectum supponit naturaliter, ad eius veritatẽ non requiritur quòd extrema existãt in rerum natura. nam hæc semper fuit & erit vera, homo est animal rationale, etiam posito quod nec homo nec animal existerent. Et ratio huius regulæ est apud reales, quia ad veritatem affirmatiuæ per se, sufficit habitudo & vnio prædicati cum subiecto immutabiliter, sed siue extrema existant siue non, hęc habitudo

& vnio immutabiliter seruatur, ita quod oppositum & repugnat, ergo regula est vera, & peripatetica, vt tibi manifestabitur in prima Philosophia. Hæc de suppositione formali naturali dicta sint.

CAPVT V.

De suppositione accidentali simplici.

IN capite quinto agendum est de suppositione accidentali simplici, nam in secundo cap. diuisimus formalem accidentalem in simplicem & personalem, quoniam licet vtraque sit respectu prædicati accidentalis, in hoc tamen distinguuntur, quòd simplex est respectu prædicati intentionalis: quod non conuenit alicui ex suppositis alicuius superioris. vt esse speciem non conuenit alicui homini, sed homini, vt homo est: personalis autē est respectu prædicati realis, quod cōuenit alicui superiori siue vniuersali ratione suorum suppositorum, vt hominem esse albū, conuenit homini non vt homo est, sed quia conuenit illi vel illi homini. De simplici igitur agendum est in præsenti capite. De personali verò in capite sequenti. De simplici autem tria videda sunt. Primò quid sit, secūdò quomodo diuiditur, tertiò assignabuntur regulæ generales de illa.

Simplex suppositio quid.

Quantum ad primum aduerte, quòd sic diffinitur apud reales. suppositio simplex est acceptio termini substantiui in propositione extremaliter se habētis pro suo formali significato respectu prædicati conuenientis subiecto non vt habet esse ad extra in suppositis, sed vt habet esse in anima per abstractionem ab omni suo supposito. pro cuius notitia aduerte, quòd natura communis, puta homo, animal, corpus dupliciter potest considerari ab intellectu, primò vt habet esse & diuersificatur in suppositis, & sic intellectus attribuit ei prædicata realia, quæ conueniunt naturæ cōmuni ratione suorū suppositorū, vt homo est albus, est sanus, est æger, & hęc faciunt suppositionem personalem. secūdò vt est communis multis & prædicabilis de multis, quæ conueniunt in eadem ratione diffinitiua ipsius naturæ communis, & vt sic considerata est vna, quoniam vt sic non est respicit supposita, per quæ diuersificatur, sed abstrahit ab eis, & in hoc sensu attribuit ei, intellectus prædicata intentionalia, quæ explicantur per aliquod quinque vniuersalium, vt homo est species, animal est genus, rationale est differētia &c. & hæc faciunt suppositionem simplicē apud reales. Quæ dicitur suppositio simplex à cōi natura simpliciter & abstractè sumpta & cōsiderata. Constat igitur quid sit, & respectu cuius prædicati.

Quantum ad secūdum aduerte, quoniam suppositio simplex non cōuenit ter. supponēti respectu suppositorum, imò conuenit vt abstrahit à suppositis, non est diuidenda vt diuiditur suppositio personalis, scilicet in discretā, & cōmunem, aut in determinatam & confusam &c. Nam omnia hæc diuisionum membra respiciunt supposita, & potest ad ea fieri descensus præter quam in discreta, vt tibi manifestabitur: ergo diuidenda est iuxta diuisionem prædicati, quod conuenit naturæ communi vt cōsideratur ab intellectu, potest autem iuxta triplicem actum intellectus, tripliciter considerari. primò vt est diffinibilis siue intelligibilis. Secūdò, vt prædicabilis de pluribus. Tertiò vt de ea est aliqua proprietas demonstrabilis. & iuxta hanc triplicem considerationem assignatur triplex suppositio simplex, prima fit iuxta primum actum intellectus, vt homo est diffinibilis, est intelligibilis, de eo potest haberi scientia. In omnibus his propositionibus supponit homo simpliciter, quia non licet descendere ad sua inferiora, cum abstrahat ab eis, vt stat sub prædictis prædicatis. Neque enim homo, vt est iste vel ille, sed vt homo diffinibilis intelligibilis scibilis est. Supponit autem simpliciter iuxta primum actum intellectus, qui est simpliciter apprehendere. Secunda fit iuxta secundū actum intellectus, qui est componere & diuidere, vt homo est species, animal est genus, Rationale est differentia. Tertia fit iuxta tertium actum intellectus, qui est discursus siue argumentari, vt risibile demonstratur de homine. Sic igitur diuidatur suppositio simplex.

Quantum ad tertium aduerte tres regulas generales pro suppositione simplici.

Simplex quomodo cognoscitur.

Prima est. Termi. supponēti simpliciter non est apponendum signum particulare, nec vniuersale, non autem particulare, neque eiusdem generis neque alterius generis. Ratio huius regulæ est, quia signa apposita termino communi in eodem genere trahunt ipsum ad suppositionem personalem, vt aliquis homo est albus. Si autem in alio genere puta in neutro trahunt ipsum ad suppositionem materialem, vt aliquod homo est nomen; omne homo est bisyllabum. Cùm igitur terminus supponēs simpliciter non supponat personaliter, quia non respicit suppositа, nec materialiter, quia stat pro natura in se considerata vt communis pluribus, nullo modo apponendum est signum particulare nec vniuersale, sed simpliciter enunciandum est quod homo est species, quòd animal est genus, quod rationale est differentia.

Secunda regula est. Omnis terminus supponens respectu prædicati concernentis actum animæ siue spectet ad actum primum, siue secundum, siue tertium, supponit simpliciter, vt homo diffinitur, homo intelligitur. Homo prædicatur de pluribus differentibus numero. Ratio huius regulæ constat ex diffinitione data de suppositione simplici.

Tertia regula. Omnis propositio cuius subiectum supponit simpliciter est singularis. Nam cum sit categorica, vt homo est species, oportet quod sit alicuius quantitatis, vt declaratum est in secundo tract. non potest esse vniuersalis nec particularis, quoniam nullum apponitur signum: nec indefinita, quoniam cum non respiciat suppositа non potest sub subiecto fieri aliquis descensus. Sed sub subiecto cuiuslibet indefinitæ licet descendere disiunctiuè vt tibi declarabitur in cap. sequenti, ergo à sufficienti diuisione est singularis.

Sed dices. In hac propositione homo est species, subiectum est terminus communis cum sit aptus prædicari de pluribus, ergo non potest esse propositio singularis. Consequentia patet, ex diffinitione propositionis singularis.

Respondetur. In hac propositione homo est species ly homo non est terminus communis, qua non respicit suppositа vt superius inferiora, sed tenetur discretè. quia stat pro natura apprehensa ab intellectu vt vna, & vt sic est singularis, quoniam excludit omnia sua suppositа. Vnde se habet vt forma abstracta à materia, quæ in se est vna. Et hæc natura intelligitur denudata ab omni conditione indiuiduali, per quam diuersificatur in suppositis. ideo æquipollent singulari abstracto, & terminus supponens pro ea stat singulariter. In hac igitur, homo est species, & in hac animal est genus, & in hac, Substantia est generalissimum, & in hac, ens est transcendens, subiectum tenetur singulariter, & hæc tibi manifestabuntur in septimo lib. primæ Philosophiæ, pro nunc tu nouisti supponas sic esse. Hæc de suppositione simplici dicta sint.

CAPVT VI.

De suppositione accidentali personali.

IN cap. sexto agendum est de suppositione accidentali personali, cuius vsus frequentior est in scientiis realibus. de ea igitur tria videnda sunt. Primò quid sit. Secundò ponentur omnes diuisiones suæ vsitatæ in scientiis. Tertiò assignabuntur regulæ generales de illa.

Quantum ad primum aduerte quòd sic diffinitur. Suppositio accidentalis personalis est acceptio termini substantiui vel substantiuè tenti in propositione extra materialiter se habentis, pro suo formali significato respectu prædicati accidentalis realis, conuenientis subiecto. vt habet esse ad extra.

Iste partic. prædicati accidentalis, & realis vt habet esse ad extra, ponuntur vt distinguatur suppositio personalis à naturali & simplici, & intellige vt habet esse ad extra, id est, in rerum natura pro aliqua differentia temporis, quoniam vt tibi manifestabitur in tract. de ampliatione, subiectum in suppositione personali aliquando tenetur pro eo quod est, aliquando pro eo quod est vel fuit, aliquando pro eo quod est vel erit, aliquando pro eo quod est vel potest esse, & tunc exēplificabitur. In hac igitur propositione homo est iustus, homo supponit personaliter, quoniam prædicatum iustus est prædicatum reale & accidentale, & conuenit homini pro aliquo suo supposito existenti. Hæc enim est vera. Homo est iustus, quia hic vel hic est iustus. Constat igitur tibi quid sit suppositio personalis distincta à naturali & simplici. Quòd distinguatur à materiali, nemini est dubium, quoniam in illa stat termin. pro materiali significato, hic autem pro formali.

Quantum ad secundum aduerte quòd diuisiones suppositionis personalis sic ordinantur.

Suppositio personalis, prima diuisione diuiditur in discretam & communem. Discreta est acceptio termini substantiui discreti, vel termini communis cum pronomine demonstratiuo in singulari numero, &c. respectu prædicati realis accidentalis conuenientis subiecto, vt habet esse ad extra. exemplum primi. Sortes est iustus, exemplum secundi, Iste homo est iustus. In petra scribis: & aduerte quòd si propositio coniuratur simpliciter, sicut subiectum in conuersa supponit personaliter discretè, sic prædicatum in conuertente eodem modo supponit. vt hic, Sortes est iustus, iustus est Sortes, & hic, Ille homo currit, vel tu curris, currens est ille homo, currens es tu.

Communis diuiditur in determinatam & confusam. Determinata est acceptio termi. communis substantiui &c. sine signo vel cum signo particulari tantum, sub quo licet descendere ad sua suppositа disiunctiuè, vt homo est albus, & licet sic descendere & isti sunt omnes homines, ergo iste homo, vel iste, vel iste & sic de singulis est albus, ergo homo est albus, & sicut de hac infinita, sic intellige de hac particulari. Quidam homo est albus. Quod si de nullo verificaretur prædicatum, propositio esset falsa, quoniam prædicatum non conuenit subiecto nisi ratione alicuius suppositi.

Confusa est acceptio termini substantiui communis &c. sub quo non licet descendere disiunctiuè, sed si descendatur descendetur disiunctim. Pro cuius notitia aduerte quòd descendere disiunctiuè, est formare plures disiunctiuas singulares, ex quibus necesse est vnam esse determinatè veram. Verbi gratia sub hac, Quidam homo currit, sic descenditur disiunctiuè, & isti sunt omnes homines, ergo vel iste homo currit, vel iste homo currit, vel iste homo currit &c. ita quòd necesse est vnam ex his esse determinatè veram, & dum modo vnus currat, hæc est vera, aliquis homo currit. Descendere autem disiunctim est formare vnam categoricam de extremo disiuncto quam non est necesse verificari determinatè pro vno: sed potest verificari pro pluribus & pro omnibus in confuso & indistinctè. Verbi gratia. In ista. Tantum homo est sapiens, ly homo supponit confuse & licet descendere sub eo disiunctim sic, & isti sunt omnes homines, ergo vel hic homo, vel hic homo, vel hic homo est iustus. Hæc est vna categorica de subiecto disiuncto, & non inconuenit quòd verificetur pro pluribus hominibus, vel etiam pro omnibus indistinctè, nam cum soli homini conueniat iustitia inter omnia animalia nihil obstat quin reperiatur *in pluribus, nec repugnat* quin reperiatur in omnibus.

Confusa diuiditur in confusam tantum & confusam vniuersalem. exemplum primæ, tantum homo est iustus, tantum homo est figuræ rectæ. Exemplum secundæ, Omnis homo est iustus.

Confusa tantum diuiditur in mobilem & immobilem. Confusa tantum mobilis est acceptio termini &c. sub quo licet descendere disiunctim, vt tantum homo est iustus, ergo tantum hic, vel hic, vel hic est iustus. Confusa immobilis *est acceptio termini substantiui &c. sub quo nullo modo licet descendere*, vt in ista, Tantum tres ciues seruant patriam. Non licet descendere, quoniam omnes istæ sunt falsæ, ergo tantum iste seruat patriam, vel tantum iste seruat patriam. Nec valet disiunctim ergo tantum iste, vel iste, vel iste: quoniam tres ciues collectiuè, & non disiunctiuè seruant patriam, posito casu quod sic sit. Et aduerte quod ministræ exemplificantes de confusa tantum immobili formant hanc propositionem, Necessario homo est animal, sub qua dicunt non licere descendere disiunctim ex parte subiecti, quoniam nullus homo singularis necessario est animal, sed contingenter, quoniam potest non esse. Id non recipiunt reales, quoniam dicunt illam esse suppositionem naturalem. in qua prædicatum est de essentia subiecti, & prædicatur essentialiter de omni contento sub subiecto, ergo necessariò & semper & immutabiliter. Vnde ita est necessaria ista, Sortes est animal, sicut ista, homo est animal. Nec obstat quòd Sortes possit non esse, quia in suppositione naturali, non requiritur existentia extremorum, sed immutabilis habitudo & vnio prædicati cum subiecto. Vnde hæc consequentia non valet, Sortes contingenter est, ergo contingenter est animal. Nec ista, Sortes necessariò est animal, ergo necessariò est: quia in prima fit transitus ab esse existentiæ ad esse essentiæ, in secunda autem fit transitus econuerso.

Confusa vniuersalis diuiditur in distributiuam & collectiuam. Distributiua diuiditur in mobilem & immobilem. Distributiua mobilis est acceptio termini &c. sub quo licet descendere copulatiuè ad omnia sua suppositа, vt omnis homo est mendax, ergo hic homo est mendax, & hic homo est mendax, & sic de aliis omnibus. Distributiua immobilis est acceptio termini &c. sub quo non licet descendere copulatiuè, vt si omne animal currit omnis homo currit. Non enim sequitur, ergo si hoc animal, puta asinus currit, omnis homo currit, & si hoc animal, puta equus currit, omnis homo currit. Constat enim conditionalem esse veram & tamen omnis copulatiua formata est falsa. Distributiua mobilis diuiditur in absolutam & accommodam. Absoluta est acceptio termini &c. sub quo licet descendere copulatiuè absolutè, & nulla appositione facta, vt omnis nix est alba, omnis stella lucet, ergo ista stella & ista & ista, & sic de omnibus, nulla exceptuata lucet. Accommoda est acceptio termini &c. sub quo non licet descendere copulatiuè absolutè, sed appositione facta, vel pro tali aut tali genere, vt omnes diligunt munera, scilicet Iudices iniusti, omnes homines resurgent, scilicet qui fuerint mortui, omnis qui petit, accipit, scilicet si debitè & rationabiliter petit, & hæc suppositio distributiua accommoda, necessaria est pro intelligentia sacræ Scripturæ, & in politicis legibus ac decretis.

Vniuersalis collectiua est acceptio termini &c. sub quo non licet descendere copulatiuè, sed aut non descendere, aut descendere copulatim. vt omnes Apostoli sunt duodecim, non sequitur, ergo istæ est duodecim, & iste est duodecim, & iste, & iste omnes sunt falsæ vt patet, sed descendatur sic, ergo iste, & iste, & iste, & omnes alij simul sumpti sunt duodecim, & aduerte quòd descendere copulatiuè est descendere per propositiones copulatiuas singulares, copulatim autem est descendere per vnam categoricam de extremo copulato. exemplum primi omnis nix est alba, ergo & hæc nix est alba, & hæc est alba &c. exemplum secundi. Omnia elementa sunt quatuor, ergo hoc est hoc, & hoc & hoc simul sumpta sunt quatuor. Constat igitur quid sit suppositio formalis, personalis, & quot sint eius diuisiones famosæ, & quid sit singulum membrum singulæ diuisionis.

Quantum ad tertium aduerte quòd singulis membris diuisionum suppositionis personalis assignantur certæ regulæ vniuersales, per quas cognoscES, quomodo, & in qua specie personalis suppositionis termini supponunt.

Personalis discreta quomodo cognoscitur.

Incipientes igitur à personali discreta, assignamus ei talem regulam.

Omnis terminus discretus, vel communis cum pronomine demonstratiuo singularis numeri, vel circunlocutus existens pars orationis siue ex parte subiecti, siue ex parte prædicati, siue præcedat signum particulare, siue vniuersale, siue affirmatiuum, siue negatiuum supponens personaliter, supponit discretè. exemplum primi ex parte subiecti. Sortes currit, Iste homo currit, Sophronici primogenitus currit. exemplum secundi ex parte prædicati, sine signo vniuersali, aliquod currens est Sortes, aliquod currens est iste homo, aliquod currēs est Sophronici primogenitus, cum signo autem vniuersali affirmatiuo, vt hic, omnes peccauerunt in Adam, omnes peccauerunt in primo homine, omnes peccauerunt in primo creato ad imaginem Dei. cum signo vniuersali negatiuo, vt hic, nullus asinus est Sortes, nullus asinus est iste homo, nullus asinus est primogenitus Sophronici. in omnibus his datur suppositio discreta personalis, in omnibus exemplis primi modi ex parte subiecti, & in omnibus exemplis secundi modi ex parte prædicati.

Determinatæ personali assignatur hæc regula, omnis terminus, quem nullum signum præcedit, vel si præcedit est signum particulare affirmatiuum, supponens personaliter, supponit determinatè, tam à parte subiecti quàm à parte prædicati. exemplum primi, homo est iustus. tam sub subiecto quam prædicato licet descendere disiunctiuè, vt patet exercitato, ergo tam subiectum quam prædicatum supponunt determinatè. exemplum secundi, Aliquis homo est iustus, tam prædicatum, quàm subiectum eodem modo supponunt.

Confusa mobilis.

Confusè tantum mobili assignantur istæ regulæ vt generales. Cuiuslibet vniuersalis affirmatiuæ prædicatum si est terminus communis, supponens personaliter supponit confusè tantum mobiliter. Vt omnis homo est bipes, ly bipes stat confusè tantum mobiliter, quia licet descendere disiunctim. nam bene sequitur omnis homo est bipes, ergo vel est hic bipes, vel hic bipes, vel hic bipes. Dicitur affirmatiuè: quoniam in vniuersali negatiua, distribuitur subiectum, & prædicatum vt hic, nullus homo est lapis, vt tibi manifestabitur in cap. sequenti. Dicitur terminus communis: quoniam si prædicatum esset terminus discretus, supponeret discretè, vt dictum est in regula assignata suppositioni personalis discretæ.

Cuiuslibet propositionis exclusiuæ tam affirmatiuæ quàm negatiuæ primi ordinis, dummodo negatio non cadat super notam exclusionis subiectum supponens personaliter, supponit

ponit confuſè tantùm mobiliter,quia licet ſub ſubiecto deſcendere diſiuncti.nam bene ſequitur, tantùm homo eſt albus per caſum,ergo tantùm hic homo, vel hic homo eſt albus. Dicitur tam affirmatiuè quàm negatiuè: quoniam ſicut in iſta tantùm homo eſt albus, homo ſupponit confuſè tantùm mobiliter,ſic & in iſta,tantùm homo non eſt albus. Dicitur dūmodo negatio non cadat &c.quoniam ſi negatio cadat ſuper notam excluſionis propoſitio erit tota negatiua,vt non tātùm homo eſt albus, & tunc mutetur ſuppoſitio ſubiecti. Dicitur primi ordinis: quoniam vt tibi manifeſtabitur in tract. de prob. tor. excluſiua ſit tribus modis,primo quando nota excluſionis antecedit ſubiectum, ita quòd cadit ſuper illud,vt tantum homo eſt riſibilis, & hæc eſt primi ordinis, ſecundo quando ipſa nota mediat inter ſubiectum, & prædicatum ſiue antecedat verbum ſiue ſubſequatur,exemplum primi,vt Plato tantùm ſcribit,exmplum ſecundi, Sortes comedit tantùm panem,& hæc eſt ſecundi ordinis. Tertio quando in prædicato ponitur nota excluſionis.Vt. habeo vnum librum tantùm,& hæc eſt tertij ordinis. Regula propoſita intelligenda eſt de excluſiua primi ordinis: quoniam æquipollet vniuerſali affirmatiuè de terminis tranſumptis, vt tantùm homo eſt riſibilis,ergo omne riſibile eſt homo,& in hac vniuerſali prædicatum ſupponit confuſè tantùm mobiliter,vt tibi declarabitur in ſequentibus.

Confuſè tantùm immobili aſsignatur hæc regula,quādo. cunque prædicatū non poteſt verificari de contentis ſub ſubiecto diuiſim,ſed ſolùm coniūctim,ſupponit ſubiectum confuſè tantùm immobiliter:vt hic,elementa mundi ſunt quatuor. Planetæ ſunt ſeptem, prædicamenta ſunt decem. nam ſi fiat deſcenſus diſiunctim ſub ſubiecto prædictarum propoſicionum,manifeſtè erit falſus. Verbi gratia,fiat ſic deſcenſus ſub prima,& omnia hæc ſunt elementa mundi.ergo hoc elementum, vel hoc, vel hoc eſt quatuor, manifeſtum eſt quòd deſcenſus eſt falſus: quoniam prædicatum numerale non verificatur de ſubiecto niſi coniunctim. Idem intellige de ſubiecto aliarum propoſitionum. Similiter hic eſt ſuppoſitio confuſa immobilis.Duo homines trahunt nauem & hic,Tres perſonæ ſunt trinus Deus:& hic, Pater, & filius ſunt vnum principium ſpirituſſancti.Qui verò ſint termini, qui communiter confundunt immobiliter, declarabuntur in cap. ſequenti.

Confuſæ diſtributiuæ mobili aſsignatur hæc regula, omnis propoſitionis vniuerſalis affirmatiuæ.& negatiuæ ſubiectum ſupponit confuſè diſtributiuè mobiliter, & licet deſcendere ſub eo copulatiuè. vt omnis homo currit, nullus homo currit.ex parte verò prædicati,in affirmatiua ſtat cōfuſè tātùm mobiliter. in negatiua autē diſtributiuè,vt omnis homo eſt albus, ly albus ſtat confuſè tantùm mobiliter, quia licet deſcendere diſiunctim, nullus homo eſt lapis, ly lapis diſtribuitur.quia licet deſcendere copulatiuè,idem intellige de prædicato particularis negatiuæ. Nam licet ſubiectum ſtet determinatè ſi eſt terminus communis, tamen prædicatum ſtat diſtributiuè propter negationem habentem vim diſtributiuam ſi non ſit impedita. Vnde in iſta aliquis homo non eſt albus, homo ſtat determinatè, quia licet deſcendere diſiunctiuè & ly albus diſtribuitur,quia licet deſcendere copulatiuè.Deſcende tu.

Confuſæ diſtributiuè immobili aſsignatur hæc regula.In omni conditionali, cuius ſubiectum præcedit ſignum vniuerſale affirma. vel nega. ſupponit ſubiectum diſtributiuè immobiliter in ordine ad totam conditionalem. vt hic, Si omne animal currit,omnis homo currit:& hic,ſi nullum animal currit,nullus homo currit. Non enim poſſunt ſic deſcendere,ergo ſi hoc animal currit,omnis homo currit.quia hoc animal non eſt omnis homo,idem intellige ex parte negatiuæ, non enim ſequitur, hoc animal, demonſtrato brunello, non currit,ergo nullus homo currit: poteſt enim Sortes currere,non currente brunello.

De diſtributiua abſoluta mobili, iam data eſt regula, de accommoda autem datur hæc, Quandocunque prædicatum vniuerſalis affirmatiuæ vel negatiuæ non verificatur de ſubiecto abſolutè,ſed per appoſitionem,ſubiectum ſuppONit diſtributiuè accommodæ: vt hic, omnes homines indigent poenitentia,appoſitiuè peccantes,nam infans eſt homo quia eſt animal rationale,& tamen non indiget pœnitentia, quia non peccat,& hic, non eſt inuentus qui placeret Deo, appoſitione in filiis peccatorum.

Collectiuæ aſsignatur talis regula, in propoſitione vniuerſali affirmatiua in qua prædicatum non verificatur de ſubiecto pro omnibus contentis ſub eo niſi ſimul ſumptis, ſubiectum ſupponit collectiuè,vt omnes Apoſtoli ſunt duodecim,omnes Senatores regūt ciuitatem conſtat enim.quòd omnes ſimul,& non aliquis diuiſim regit ciuitatem.

Hæc pro regulis aſsignandis cuilibet membro ſingulæ diuiſionis perſonalis ſuppoſitionis dicta ſint.

CAPVT VII.

De terminis habentibus virtutem confundendi tantùm mobiliter, & diſtribuendi, mobiliter & immobiliter.

IN cap. ſeptimo agendum eſt de ſignis & ſyncategorematibus,& terminis ſiue ſint nomina,ſiue verba, quæ habent virtutem cōfundendi,& diſtribuendi mobiliter vel immobiliter.& primò expediemus nos de terminis confuſiuis tantùm,ſiue mobiliter ſiue immobiliter, ſecundò de terminis diſtributiuis.

Quantum ad primum ponuntur octo regulæ,

De terminis confuſiuis tantū vel mobiliter vel immobiliter.

Prima eſt dictio excluſiua confundit confuſè mobiliter tantùm terminum immediatè ſequentem, ſi eſt terminus communis vt tantùm homo eſt riſibilis, quia ſub ly homo licet deſcendere diſiunctim, vt patet.

Secunda eſt,dictio exceptiua confundit confuſè tantùm mobiliter ſuum caſuale,ſi eſt terminus communis quia licet deſcendere ſub eo diſiunctè,vt nullum animal præter hominem eſt loquens:ly præter hominem,ſtat confuſè tantùm mobiliter.

Tertia eſt, dictio reduplicatiua confundit ſuum caſuale confuſè tantùm mobiliter, & prædicatum confuſè tantùm immobiliter. vt homo inquantum homo eſt rationalis, ly homo ſtat confuſè tantùm mobiliter, & ly rationalis immobiliter.

Quarta eſt,verba concernentia actum mentis,vt ſcire,intelligere,velle,credere,deſiderare, & opinari, & dubitare, & imaginari, confundunt confuſè tantùm mobiliter terminum immediatè ſequentem, ſi eſt terminus cōmunis, & non ſupponat ſimpliciter.vt ego ſcio aliquam cōcluſionem: ergo hanc vel hanc.Dico ſi eſt ter.communis:quoniam ſi eſſet terminus diſcretus, vel communis cum pronomine demōſtratiuo,ſupponeret diſcretè,vt ſcio hanc concluſionem, credo Socrati, imaginor Cæſarem. Dixi & non ſupponat ſimpliciter:quoniam ſub termino communi ſupponenti ſimpliciter non ſit aliquis deſcenſus: ſtat enim natura vt vna in ſe conſiderata. Vnde ſub iſta, Intelligo hominem, ſcio roſam,nullus debet fieri deſcenſus,quoniam ſumitur homo vt homo, roſa vt roſa vt diximus ſuprā.

Quinta regula,aduerbia,numeralia,localia, temporalia ſi adhærent verbo,cuius actus ſuper idem numero reiterari poteſt, confundunt confuſè tantùm mobiliter terminum immediatè ſequentem. vt bis vidi hominem, ergo bis vidi hunc,vel hunc vel hunc hominem. Hic & illic videtur homo,ſemper erunt elementa,&c. Si autem adhærent verbo, cuius actus ſuper idem numero reiterari non poteſt,confundunt confuſè tantùm immobiliter:vt bis comedi panem. ly panem ſtat immobiliter quia hic deſcenſus eſt falſus, bis comedi hunc,vel hunc, vel hunc panem, quia panis ſemel comeſtus non eſt iterato comeſtibilis, vt patet. idem intellige hic, Hic & Romæ venditur piper,Vbique eſt corpus,& hic, Semper erit homo,neque enim idem piper numero ſimul venditur hic & Romæ cum non poſsit eſſe idem corpus in duobus locis,nec idem corpus numero,occupat omnem locum,neque idem homo numero erit ſemper ſecundum curſum naturæ, cum ſit natura correptibilis vt patet.

Sexta regula eſt. Termini modales excepto neceſſe nominaliter ſumpti,& aduerbialiter,confundunt confuſè tantùm mobiliter omnes terminos communes non diſtributos ſiue præcedant modum ſiue ſequantur,ita tamen quòd fiat modalis de ſenſu compoſito. exemplum quando modus precedit, contingens eſt hominem eſſe album, impoſsibile eſt hominem eſſe lapidem. Exemplum quando modus ſubſequitur.Hominem eſſe album eſt contingens. Hominem eſſe lapidem eſt impoſsibile. Apud reales contingit deſcendere diſiunctim tam ſub ſubiecto quam ſub prædicato ipſius dicti. Nam bene ſequitur contingens vel poſsibile eſt hominem eſſe album,ergo vel hunc vel hūc hominem, ergo vel hoc,vel hoc album.Item bene ſequitur, impoſsibile eſt hominem eſſe lapidem,ergo impoſsibile eſt hunc vel hunc hominem eſſe lapidē,eodē modo deſcēde ſub lapide. Dixi termini modales exceptо neceſſe:quoniā propoſitio de neceſſe ſi eſt vera,eſt in materia naturali,in qua prædicatū eſt de eſſentia,vel cōſequitur eſſentiā ſubiecti, vt neceſſe eſt hominē eſſe animal, vel rationale, vel riſibile, &c. tunc ſuppoſitio eſt naturalis,in qua non ſit aliquis deſcenſus, vt docuimus in cap.quarto. Vnde in iſta,neceſſe eſt hominē eſſe animal tam ly hominem quàm ly animal ſtat immobiliter: quoniam in ſuppoſitione naturali non requiritur exiſtētia extremorum, & in hoc diſcordant reales à terminiſtis vt docuimus in eodem cap. Dixi ter. communes,vt excipiam diſcretos,vt hic contingēs eſt Sortem eſſe album,vel impoſsibile eſt Sortem eſſe aſinū.Terminus enim diſcretus non eſt capax ſuppoſitionis conſuſæ,eſt autem capax ſuppoſitionis diſcretę.Dixi non diſtributus: quoniam ſi fiat propoſitio modalis vniuerſalis de dicto ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, extrema dicti ſupponunt ſicut extrema categoricæ vniuerſalis affirmatiuæ, vel negatiuæ, quem modum ſupponendi declarauimus in cap.præcedenti,& in ſequentibus magis declarabimus.Dixi ita quòd fiat in ſenſu compoſito: quoniam non eſt eadem ratio de modali in ſenſu compoſito: & de ea in ſenſu diuiſo, Nam diuerſimodè probatur,vt tibi declarabitur in tract.de probationibus terminorum, ideo non ſeruatur eadem ſuppoſitio, in quo autem differant, & in quot iam diximus in tract.tertio cap.quarto.Vide tu illic.

Septima regula.Hæc verba promitto,debeo,obligor,Terminum communem non diſtributum, quem regunt, confundunt confuſè tantum immobiliter, vt Sortes promittit tibi denarium, ly denariū ſtat immobiliter,quia hic deſcenſus eſt falſus,promitto tibi hunc,vel hunc,vel hunc denariū. Nam poſſum tibi promittere denarium, qui nondum fabricatus aut formatus eſt, ideo non licet deſcendere.

Octaua regula. Dictio conditionis vt ſi, & rationis, vt ergo,omnes ſuos terminos communes non diſtributos confundunt confuſæ tantùm immobiliter, & hoc in ordine ad hypotheticam, vt ſi homo eſt,animal eſt. Homo currit, ergo animal currit,tàm ly homo,quàm ly animal confuſè tātum immobiliter in vtraque ſupponunt modo ſumantur in ordine ad hypotheticam. Pro cuius notitia aduerte quòd ly homo & ly animal dupliciter conſiderari poſſunt, primò vt ſunt pars categoricæ, nam hæc eſt categorica, homo currit cuius pars eſt ly homo, & hæc eſt categorica animal currit, & vt ſic ly homo, & ly animal ſupponunt determinatè, & licet deſcendere diſiunctiuè, cum ſint duæ indefinitæ: ſecundo vt ſunt pars hypotheticæ, & intendo quòd conſiderentur non inquantum componunt has duas categoricas, vt categoricas, ſed inquantum componunt has vt partes hypoteticæ per notam conditionis vel rationis, & hoc eſt ſumere in ordine ad hypotheticam, & non in ordine ad categoricam, vt categorica eſt, & in hoc ſenſu intelligendum eſt, quòd confundunt confuſè tantum immobiliter.

Sed dices. Videtur hic deſcenſus eſſe bonus. Si homo eſt, animal eſt, ergo ſi hic homo, vel hic homo eſt, animal eſt. repugnat enim ponere hominem ſine animali, cum animal ſit prædicatum per ſe in primo modo de homine.

Reſpondetur pro nunc, quòd regula intendit de deſcenſu valido de forma, & non de materia. Valet autem prædictus deſcenſus de materia, ſed non de forma. De materia quidem valet, quia in vtraque propoſicione prædicta homo & animal ſupponunt perſonaliter. Si autem formentur duæ propoſitiones de tertio adiacente in quibus homo, & animal habeant ſuppoſitionem naturalem, vt hic, ſi homo eſt animal, homo eſt ſenſitiuus, non licet aliquis deſcenſus, quia omnis deſcenſus eſt ad ſuppoſita. Sed vt docuimus ſuprà, in naturali ſuppoſitione non requiruntur ſuppoſita, nec exiſtentia ſuppoſitorum. Hæc enim conditionalis eſt vera, ante creationem mundi, ſi homo eſt animal, homo eſt ſenſitiuus. Hæc de regulis pro terminis confuſis tantum mobiliter vel immobiliter dicta ſint.

Quantum ad ſecundum, vt ſcias terminos habentes vim diſtribuendi mobiliter,vel immobiliter ponuntur quatuor regulæ generales.

Termini diſtribuendi mobiliter,vel immobiliter.

Prima regula. Omne ſignum vniuerſale affirmatiuum poſitum in recto terminum immediatè ſequentem, facit ſtare diſtributiuè, & immediatè ſequentem confuſè tantùm, dummodo ſit terminus communis, & ſignum non ſit impeditum per aliud ſuperueniens ſignum diſtributiuum, vt omnis homo eſt albus, ly homo diſtribuitur: quoniam licet deſcendere ſub eo copulatiuè, & ly albus confunditur confuſè tantùm mobiliter: quoniam licet deſcendere ſub eo diſiunctim. Dixi poſitum in recto, vt excipiam has propoſitiones. videns omnem hominem eſt animal. Nec ly videns diſtribuitur, nec ly animal confunditur: quoniam eſt vna indefinita, in qua prædicatum, & ſubiectum ſupponunt determinatè. Nec obſtat ly omnem hominem: quoniam cum non ſit ſubiectum, ſed pars ſubiecti, virtus ſigni non tranſit ad prædicatum. Secus eſſet ſi diceretur omnis videns hominem eſt animal, tunc ly videns diſtribueretur, & ly animal confunderetur. Item intellige in hac. Cuiuſlibet hominis aſinus eſt currens, ly aſinus non diſtribuitur, nec ly currens confunditur, ſed ſtat vtrunque determinatè: quoniam virtus ſigni vniuerſalis poſiti in obliquo non tranſit ſuper ea, ſolùm ly hominis diſtribuitur: quoniam eſt eiuſdem obliqui cum ſigno vniuerſali. Dixi dummodo ſit terminus communis: quoniam diſcretus non eſt capax diſtributionis, nec confuſionis, cum non habet inferiora, ad quæ fiat deſcenſus. Dixi, & ſignum non ſit impeditum: quoniam ſi aliud ſignum, vel ſyncategoram diſtributiuum ſuperuenerit mutat ſuppoſitionem. Verbi gratia in iſta, omnis homo eſt albus, ly homo diſtribuitur, & albus confunditur. Si autem ſuperueniat non, & dicatur non omnis homo eſt albus, cum hæc æquipolleat huic quidam homo non eſt albus, ly homo ſtat determinatè, & ly albus diſtribuitur propter negationem, quæ habet vim diſtribuendi ſi non eſt impedita, vt dicemus in regula ſequenti.

Secunda regula, omnia ſigna vniuerſalia negatiua, & omnis negatio non impedita, faciunt ſtare diſtributiuè mobiliter terminum communem mediatè, & immediatè ſequentem, ita quòd diſtribuunt ſubiectum, & prædicatum, remoto impedimento, vt nullus homo eſt albus, tam ſubiectum quàm prædicatum diſtribuitur: quoniam licet ſub vtroque deſcendere copulatiuè. Dixi terminum communem, vt excludam diſcretum. Dixi mediatè,& immediatè ſequentem, vt diſtinguatur à ſigno vniuerſali affirmatiuo, qui non diſtribuit niſi terminum immediatè ſequentem. Dixi remoto impedimento, quod poteſt eſſe duplex. primo. Si ſignum non apponatur ſubiecto in recto, ſed parti ſubiecti in obliquo, vt hic, Nullius hominis aſinus currit, nec ly aſinus, nec ly currens diſtribuitur, ſed tantum ly hominis: quoniam virtus ſigni negatiui, non ſe extendit vltra obliquum cui apponitur. Vnde cum hæc ſit indefinita, aſinus currit, ſtat ſubiectum, & prædicatum determinatè, ſecundo ſi aliud diſtributiuum ſuperueniat, vt hic, Nonnullus homo currit, Ly non impedit diſtributionem factam per nullus, & facit æquipollenter particularem affirmatiuam: nam æquipollet iſti,Quidam homo currit,in qua conſtat ſubiectum, & prædicatum ſupponere determinatè.

Tertia regula, quæ continet quatuor partes eſt hæc, Gradus comparatiuus, & ſuperlatiuus confundunt diſtributiuè terminum rectum ex natura comparationis, terminum autem rectum ex natura exceſſus confundunt confuſè tantùm mobiliter. Super terminum autem rectum à parte ante, id eſt, poſitum in ſubiecto,nullam habent vim. Verbi gratia equus eſt maior aſino altitudine cubiti, ly aſino ſtat diſtributiuè, ly altitudine cubiti ſtat confuſè tantum mobiliter, ly equus ſtat determinatè, cum ſit propoſitio indefinita. Si autem apponatur ſignum vniuerſale ſtabit diſtributiuè per primam regulam, vt omnis equus eſt maior aſino. Hæc eſt prima pars regulæ.

Secunda pars eſt hæc. Iſtę dictiones ita ſicut,tam & quàm, terminum immediatè ſequentem diſtribuunt, vt Hercules eſt ita fortis ſicut leo,ly leo ſtat diſtributiuè,canis eſt tam velox quàm lepus,ly lepus diſtribuitur,hæc eſt ſecunda pars.

Tertia pars eſt hæc. Hoc verbum differt, & iſti termini aliud, non idem, diuerſum, diuiſum, diſtinctum, diſtribuunt terminum ſequētem aliquod prædictorum, vt aſinus differt ab homine, eſt aliud ab homine, non eſt idem homini, eſt diuerſus, & diuiſus, & diſtinctus ab homine, ly homine in omnibus prædictis diſtribuitur, & ratio huius aſsignabitur infrá.

Quarta pars eſt hæc. Iſta verba, egeo, indigeo, careo diſtribuunt terminum immediatè ſequentem capacem diſtributionis: Id eſt,communem deducto omni impedimento, quod etiam debet intelligi in partibus præcedentibus. Verbi gratia. Sortes caret veſte, eget pecunia, ly veſte, & pecunia ſtant diſtributiuè: quoniam hæc propoſitio, Sortes caret veſte, æquipollet huic, Sortes non habet veſtem. Negatio autem per ſecundam regulam diſtribuit terminum ſequentem. Vnde aduerte, quòd ratio iſtius regulæ quo ad omnes partes prædictas ſtat in hoc, quia omnes termini prænominati includunt negationem, vt tibi manifeſtabitur in tractatu de probationibus terminorum, ideo habent ex negatione incluſiua virtutem diſtribuendi terminum ſequentem.

Quarta regula est hæc. Dictio exclusiua terminum sequentem mediatè: id est prædicatum si est terminus communis distribuit, vt tantum homo est rationalis, ly rationalis distribuitur. & ratio huius regulæ est, quia exclusiua æquipollet vniuersali affirmatiuæ de terminis transpositis, vt tantùm homo est rationalis, ergo omne rationale est homo, constat quod ly rationale distribuitur per primam regulam. Hæc de regulis pro terminis habentibus vim distribuendi dicta sint.

CAPVT VIII.

De pluribus signis distributiuis.

IN octauo capite agendum est de pluribus signis, quæ ponuntur in eadem propositione, & habent vim distribuendi. Hic igitur pro vniuersali resolutione tria aduertēda sunt.

Primò aduerte, quòd si subiectum propositionis sit terminus communis non distributus puta quia est subiectum indefinitè vel particularis, adueniente signo distributiuo, distribuitur. Verbi gratia in ista, homo currit, ly homo stat determinatè, si adueniat signum vniuersale affir. vel negat, distribuitur, vt omnis homo currit nullus homo currit. Si autem signo distributiuo adueniat aliud distributiuum, impedit distributionem, & aliam suppositionem inducit. Verbi gratia. In ista, omnis homo currit, ly omnis causat distributionem, si autem addas aliud distributiuum puta ly non, impediur virtus distributiua de ly. omnis, vt dicendo, non omnis homo currit, ly homo non amplius distribuitur, sed stat determinatè: quòniam æquipollet isti, Quidam homo non currit, in qua cum sit indefinita ly homo stat determinatè. Ex prædictis, ergo infertur apud Logicum hoc vniuersalissimum principium, & vt vniuersalissima lex, Quicquid mobilitat immobilitatum immobilitat mobilitatum. Cuius sensus est iste, Quodcunque signum distribuit terminum non distributū impedit distributionem distributi. Verbi gratia in hac propositione homo est albus, ly homo est terminus non distributus, si præponatur sibi signum vniuersale affirmati. vel nega. distribuetur, vt omnis homo est albus, vel nullus homo est albus. Si autem adueniat aliud signum distributiuum impedit distributionem terminii prius distributi, puta huic omnis homo est albus, superueniat nō, & dicatur sic, nō omnis homo est albus, ly nō impedit ne distribuatur homo, qui prius distribuebatur per signū vniuersale affir. sensus ergo illius principij erit iste, Quicquid distribuit nō distributū, immobilitat, id est impedit distributum.

Secundò aduerte, quòd ex illo principio vniuersalissimo, extrahuntur istæ regulæ, si duo signa affirmatiua distributiua cadant immediatè, ita quod virtus vtriusque signi æquè primo cadat super eundem terminum faciunt ipsum stare non distributiuè, sed determinatè, vt asinus est differens ab omni homine, ly homine stat determinatè. Si vnum sit affirma. & alterum nega. faciunt similiter stare determinatè, vt non omnis homo est albus. Si vtrunque sit negati. faciūt stare similiter determinatè, vt nonnullus homo est albus. Dixi quòd cadant immediatè: quoniam si inter illa mediat terminus distributus, non faciunt stare terminū super quem cadunt determinatè, sed confusè tantum, vt in ista, nullus homo non est albus, ly albus non stat determinatè, sed confusè tantū, nam æquipollet isti, Quilibet homo est albus, in qua constat quod ly albus stat confusè tantùm, sit prædicatum vniuersalis affirmatiuæ. Dixi ita quòd virtus vtriusque signi æquè primo cadat super illum terminum: quoniam si quoddam ordine caderet, ita quòd prius super aliquod præcedens terminum, quàm supra ipsum terminum, non faceret stare ipsum determinatè. vt hic, Nullus homo est omnis homo, ly homo à parte prædicati non stat determinatè, quia licet supra ipsum cadant duo signa, scilicet nullus & omnis, non tamen æque primo, sed nullus cadit primo super hominem in subiecto, deinde super hominem in prædicato. Similiter in ista, nullum differens ab ente est ens, ly ab ente non stat determinatè, licet cadant super ipsum duo distributiua: scilicet nullum, & differens: quoniam ly nullum prius cadit super differens quam super ly ente.

Tertiò aduerte, quòd si duo signa distributiua cadant super aliquem terminum, quorum non quodlibet per se sumptum distribuit terminum, super quem cadit, vnum non impedit distributionem alterius. vt hic, Omnis homo omne risibile est, ly risibile stat distributiuè: quoniā licet duo signa distributiua præcedant ipsum, scilicet omnis & omne, tamen primum per se sumptum nō distribueret ipsum dicendo omnis homo risibilis est, nam cum sit prædicatum vniuersalis affirmatiuæ, stat confusè tantùm mobiliter. Si autem duo signa distributiua quorum quodlibet per se sumptum est aptum distribuere terminum sequentem, cadant super eundem terminum, vnum impedit aliud ne distributio fiat ter. vltimo, vt hic Hector est fortior omni homine, ly homine nō distribuitur, quia cadunt super ipsum ly fortior, & ly omni, quorum vtrunque per se sumptum distribuit hominem, vt hic Hector est fortior homine. & hic, Deus illuminat omnem hominem &c. Hæc de pluribus signis cadentibus super eundem terminum habentibus vim distribuendi dicta sint, & hic terminatur consideratio nostra de suppositione absoluta.

CAPVT NONVM.

De suppositione Relatiua.

IN hoc cap. agendum est, de suppositione termini relatiui, sumendo relatiuum Grammaticū, vt qui, qualis, quantus, alius & cætera. Nam relatiuum logicum de quo actum est in prædicamento ad aliquid, supponit sicut terminus absolutus. Vnde in ista, nullus pater est filius. ly pater est, & ly filius ita stant distributiuè mobiliter, sicut in ista, nullum nigrum est album. De suppositione igitur, & de modis supponendi relatiuorum terminorum apud Grammaticum hic agendum est, & hic agenda sunt quatuor, primò quid sit relatiuum grammaticale de quo hic intēdimus, secundò quotuplex sit, tertiò qui sint modi generales quibus supponit, quartò qui sint modi speciales quibus supponit, scilicet an discretè, an determinatè an confusè &c.

Quantum ad primū aduerte, quòd apud Grammaticum sic diffinitur. Relatiuum est rei ante latæ: id est ante positæ repræsentatiuū siue recordatiuum. Nā relatio apud Grammaticū est rei ante latæ: id est positæ siue rei præpositę recordatio. Verbi gratia, in hac propositione, Sortes qui loquitur orat. ly qui est relatiuū, quia repræsentat Sortem ante positum in propositione. Sic enim exponitur, Sortes qui: scilicet Sortes, loquitur, orat. *Relatiuū quid sit.*

Sed dices, cum Grāmatica, & logica sint distinctæ scientiæ non habent considerare de eodem: quoniam versantur circa distincta obiecta, vt Grammaticus circa cōgruum & incongruum, Logicus circa verū, & falsum. Sed Grammaticus considerat de terminis relatiuis Grammaticalibus, vt patet in Prisciano, ergo non spectat ad Logicum cōsiderare de eodem.

Respondetur, licet relatiuam, de quo hic intēdimus, consideretur à Grammatico, & à Logico, non tamen eadem ratione, nam consideratur à Grammatico, vt per ipsum potest fieri oratio congrua, & incongrua. vt hic, Sortes qui currit mouetur, hæc est congrua, hæc autem est incongrua. Sortes quod currit mouetur. Apud Logicum autem consideratur inquantum ex diuerso modo supponendi, vt tibi declarabitur, potest reddere propositionem veram, & falsam. Constat igitur tibi quid sit relatiuum Grammaticale.

Quantum ad secundum aduerte, quòd vsitatæ, & famosæ visiones generales relatiui Grammaticalis sunt istæ. *Relatiuum quotuplex sit.*

Prima est. Relatiuorum quoddam est relatiuum substantiæ, vt qui, quæ, quod, quoddam est relatiuum accidentis. vt talis, qualis, tantus, quantus.

Secunda est. Relatiuorum substantiæ, quoddam est relatiuum identitatis, vt qui, quoddam diuersitatis, vt alius.

Tertia est. Relatiuorum substantiæ identitatis, quædam sunt nomina vt quis, qui, quæ, quod, quædam sunt pronomina, vt ille, ipse, iste, & is.

Quarta est. Relatiuorum substantiæ identitatis, quæ sunt pronomina, quædam sunt reciproca, vt sui, sibi, & possessiuum suus, sua, suum, quædam non reciproca, vt ille, iste, hic, & is.

Quinta est. Relatiuorum accidentis, aliud est identitatis, vt talis, qualis, tantus, quantus, aliud est diuersitatis, vt alter, & alterius modi.

Sexta. Relatiuorum accidentis identitatis, quædam sunt qualitatis, vt talis, qualis, quædam sunt quantitatis continuæ, & discretæ. Continuæ, vt tantus, quantus, discretæ, vt tot, quot.

Septima. Relatiua accidentis identitatis, aliquando signantur per nomina, vt talis qualis, tantus quantus, aliquando per aduerbia, vt taliter qualiter, tantum quantum, totiens quotiens.

Positis his diuisionibus assignandæ sunt descriptiones suorum membrorum principalium.

Relatiuum substantiæ est illud quod refert idem numero cum suo antecedente. vt Sortes qui disputat est doctus, ly qui, refert Sortem. Item homo qui comedit, viuit. *Relatiuū substātiæ.*

Relati

Accidentis. Relatiuum accidētis est illud quod refert idem in specie, & non idem in numero cum suo antecedente, vt Sortes est albus, & talis est Plato. Dico idem in specie, & non idem in numero, quia idem accidens numero, puta eadem albedo in numero non potest esse in distinctis subiectis, ergo nec in Sorte, & Platone.

Relatiuum identitatis substantiæ est quod refert, & supponit pro eodem numero, pro quo supponit suum antecedens, vt Plato qui currit mouetur, ly qui refert Platonem, & supponit pro eo.

Relatiuum diuersitatis substantiæ, est illud, quod refert idem numero cum suo antecedente, sed supponit pro alio, vt Plato disputat, & alius puta Sortes qui est alius à Platone legit, ly alius refert Platonem, sed non supponit pro Platone, sed pro Sorte.

Relatiuum identitatis substantiæ reciprocum, est illud quod refert antecedens per modum patientis, vt Sortes percutit se, ly se refert Sortem per modum patientis, quia percussio recipitur in Sorte. & aduerte quòd relatiuum reciprocum semper ponitur in obliquò: quoniam apud grammaticum licet nominatiuum posit esse patiens, vt Sortes verberatur, non tamen potest habere modum patientis, vnde modus patientis semper est in obliquis.

Relatiuum identitatis substantiæ non reciprocum est illud quod refert, & supponit absolutè pro eadem re numero & non per modum patientis, vt Sortes disputat, & ipse est doctus. ly ipse refert, & supponit absolutè pro Sorte.

Relatiuum accidentis identitatis est illud quod refert eandem qualitatem, aut quantitatem in specie. & supponit pro eadem in specie, vt Sortes est doctus, & talis est Plato, Sortes est magnus, & tantus est Plato.

Relatiuum accidentis diuersitatis est illud quod refert eandem qualitatem, aut quantitatem in specie, sed supponit pro alia distincta specie, vt Sortes est albus, & alterius modi est Plato, puta quia niger. Sortes est bicubitalis, & alterius modi est Plato quia cubitalis.

Relatiua quot modis supponāt in genere. Quantum ad tertium vt scias modos generales, quibus supponunt diuersa relatiua iuxta diuisiones prædictas aduerte quinque regulas.

Prima est. Relatiuum identitatis substantiæ reciprocum, & non reciprocum dummodo non sit possessiuum, supponit pro eodem numero, pro quo supponit suum antecedens, in comparatione tamen ad alterum extremorum. exemplum de non reciproco non possessiuo, vt aliquis homo est iustus, & ille defendit iustitiam, ly ille non supponit absolutè & indeterminatè pro aliquo homine, sed pro aliquo homine iusto, & propterea secunda pars copulatiuæ: scilicet & ille defendit iustitiam, non significat absolutè & indistinctè quòd aliquis homo defendit iustitiam, sed quòd aliquis homo iustus defendit iustitiam, & hoc est dictum in comparatione ad alterum extremorum. Nam ly iustus est extremum primæ categoricæ, quia est eius prædicatum, ex hoc sequitur quòd hæc copulatiua est falsa, aliquis homo est animal, & asinus est illud. nam secunda categorica est falsa. Significat enim quòd asinus sit illud animal quod est aliquis homo, & hoc est falsum vt patet. Hæc autem est vera, Plato est homo, & sortes non est ille, quia ly ille significat quòd sortes licet sit homo, non tamen est homo qui est Plato sed alius. Exemplum de reciproco. Omnis homo videt se: sicut ly homo distribuitur, sic ly se: sed intelligendum est quòd nō est sensus quòd omnis homo videat absolutè omnem hominem, sed referendo singulos ad seipsos, sic descendendo, Omnis homo videt se, ergo iste homo videt seipsum, & ille videt seipsum, & ille, &c.

Secunda regula. Relatiuum diuersitatis substantiæ & relatiuum possessiuum non supponit pro eodem, pro quo supponit suum antecedens, sed pro alio: exemplum de primo, Duorum contrariorum immediatorum vnum est in subiecto, alterum non. Patet quòd pro alio contrario supponit ly vnum, & pro alio supponit ly alterum, puta ly vnum supponit pro sano, & ly alterum supponit pro ægro, Exemplum de secundo: id est de possessiuo, aliquis homo currit, & suus asinus dormit, constat, quòd antecedens supponit pro homine, & relatiuum suus supponit pro asino.

Tu tamen aduerte quòd relatiuum possessiuum duo significat, vnum in recto: scilicet rem possessam, alterum in obliquo: scilicet possessorem, vt quando dicitur, Sortes currit, & suus asinus dormit, ly suus in recto significat asinum possessum, & in obliquo sortem possessorem. Sic enim intelligitur, & suus asinus: id est asinus sortis siue possessus à Sorte dormit. Cum igitur relatiuum possessiuum duo significet potest pro duobus supponere: scilicet pro re possessa in recto, et pro possessore in obliquo. Et sic erit verum quòd relatiuum possessiuum supponit pro eodem pro quo suum antecedēs, sed in obliquo & pro alio, sed in recto, vt docuimus. Verùm quia suppositio in recto est principalior, ideo regula non facit mentionem de suppositione in obliquo.

Tertia regula, Relatiuum identitatis accidentis, non supponit pro eodem numero, pro quo supponit suum antecedens, sed pro alio simili, aut æquali: vt sortes est albus, qualis est Plato, ly qualis non supponit pro sorte albo, sed pro Platone albo, qui est alius à sorte albo. Et hic. Sortes est cubitalis, quantus est Plato, ly quantus non supponit pro sorte, sed pro Platone.

Sed dices. Si non supponit pro eodem pro quo suum antecedens, ergo nō debet dici relatiuum identitatis. Est enim relatiuum identitatis quod refert & supponit pro eodem quo suum antecedens.

Respondetur, differt relatiuum identitatis substantiæ à relatiuo identitatis accidentis. & conuenit. Conuenit quidem in hoc quod vtrūq; refert idem aliquo modo identitatis, est enim identitas triplex, scilicet in substantia, quæ absolutè dicitur identitas, & identitas in qualitate, quæ dicitur similitudo. Est enim similitudo rerum differentium eadem qualitas & identitas in quantitate, quæ dicitur æqualitas, est enim æqualitas rerum differentium eadem quantitas. Differt autem in hoc quòd relatiuum identitatis substantiæ refert & supponit pro eodem numero substantialiter, pro quo suum antecedens supponit, vt sortes qui disputat est doctus. Relatiuum autem identitatis accidentis supponit pro eodem accidentaliter, quia pro identitate in qualitate, vt talis & qualis, vel pro identitate in quantitate, vt tantus & quantus. Verum quia identitas accidentalis non est simpliciter idēitas, sicut est identitas substantialis, ideo dicitur in regula apud logicum, quòd relatiuum identitatis accidentis non supponit pro eodem numero, pro quo supponit suum antecedens, sed pro simili aut æquali. Et hoc est quod diximus suprà, quòd supponit pro eodem in specie.

Quarta regula. Relatiuum diuersitatis accidentis, supponit pro dissimili illi, aut inæquali illi, pro quo supponit suum antecedens. vt nix est alba, & alius modi est fuligo, ly alius modi non supponit pro re alba, sed pro nigra quæ est dissimilis rei albæ.

Quinta regula. Omne relatiuum supponit eodem modo generali quo supponit suum antecedens. Nam modi generales supponendi sunt isti. Materialiter, naturaliter, simpliciter, personaliter. Intendit ergo hæc regula, quòd si antecedens supponit materialiter, sic & suum relatiuum: vt ibi. Ly homo est nomen, quod est primitiuum. Ly quod supponit materialiter sicut ly homo. Si antecedens supponit naturaliter, sic & relatiuum, vt homo est animal, qui scilicet, homo est substantia. Si antecedens supponit simpliciter, sic & relatiuum. vt animal est genus, quod est prædicabile de pluribus. Idem intellige de suppositione personali: vt homo currit qui mouetur. Hæc dicta sint de modis generalibus, quibus relatiua supponunt.

Quantum ad quartum, vt scias modos speciales supponendi relatiuorum, aduerte quinq; regulas. *De Relatiuorū suppositionibus in specie.*

Prima regula, omne relatiuum identitatis substantiæ in eadem categorica sui antecedentis, semper supponit eodem modo particulari quo supponit suum antecedens, ita quòd si antecedens supponit distributiuè, sic & relatiuum. Si confusè confusè, si determinatè determinatè, si discretè discretè. quòd probatur inductiuè, vt hic, omnis homo qui currit mouetur, ly homo & ly qui stant distributiuè, & hic, omnis homo est animal, quod est rationale, ly animal & ly quod stant confusè tantum. Et hic, Homo qui currit mouetur, ly homo & ly qui stant determinatè, & hic, Sortes qui dormit quiescit, ly sortes & ly qui stant discretè. Idem intellige de relatiuo identitatis substantiæ reciproco tam non possessiuo quàm possessiuo. Exemplum de non possessiuo, vt omnis homo videt se, ly homo & ly se stant distributiuè, nam bene sequitur, omnis homo videt se, ergo iste videt se, & iste videt se, & sic de singulis non absolutè, sed referendo singulos ad semetipsos. Exemplum de possessiuo, aliquis homo diligit filium suum. ly homo & ly suum stant determinatè. Et in ista, Pater sortis vocauit illum, ly sortis, & ly illum stant discretè.

Et aduerte quòd ex hac regula extrahuntur tres conclusiones. Prima est. Datur aliqua propositio vniuersalis affirmatiua

matiua, cuius prædicatum ita distribuitur sicut subiectum: vt in ista, Omnis homo videt se. secunda est, Quando prædicatum est relatiuum identitatis substantiæ, signum vniuersale affirma. ita habet virtutem distribuendi prædicatum sicut subiectum: vt patet in propositione præmissa. Dixi quando prædicatum est relatiuum: vt excipiam absolutum. Dictum est enim suprà, quòd in absolutis signum vniuersale affirma. distribuit terminum immediatè sequētem, & mediatè sequentem confundit: vt in ista, omnis homo est animal. tertia est, Dantur duo termini communes, sequentes signum vniuersale affirm. nō impeditum per aliud signum distributiuum superueniens, ex quibus remotior à signo distribuitur, & non propinquior: vt patet in ista, Omnis homo est videns se, ly videns quod est propinquius signo vniuersali affirma. confunditur, & ly se quod est remotius distribuitur.

Secunda regula, omne relatiuum diuersitatis substantiæ, non semper supponit eodem modo particulari, quo supponit suum antecedens, Sed diuersimodè, eodem quidem modo supponunt vt hic, Vnus homo currit, & alius dormit, ly homo & ly alius supponunt determinatè, & in hac, Omnis homo doctus doctè loquitur, & omnis alius ruditer loquitur, ly homo & ly alius stant distributiuè. Diuerso modo supponunt, vt hic, Omnis homo iustus iustè viuit, & alius iniustè, ly homo distribuitur, & ly alius stat determinatè. Aliquando antecedens supponit confusius quàm relatiuum: vt in propositione præmissa: aliquando econuerso, vt hic, aliquis homo disputat, & tantum alius currit, ly homo supponit determinatè: & ly alius confusè propter notam exclusionis.

Tertia regula, omne relatiuum identitatis substantiæ relatum hypotheticæ ad suum antecedens supponens confusè tantum, non supponit eodem modo, sed determinatè, habito respectu ad totam compositionem sui antecedentis. vt hic, Omnis homo est animal, & illud est rationale: ly animal stat confusè, & ly illud stat determinatè. Et ideo hæc secunda cathegorica, scilicet & illud est rationale, est falsa. Significat enim quòd illud quod est omnis homo, est rationale, & hoc est falsum significatum, quoniam nullum est animal quod sit omnis homo. Vnde non potest verè dici, quòd illud est rationale.

Quarta regula, omne relatiuum identitatis substantiæ, hypotheticæ relatū ad suum antecedens supponens discretè, aut determinatè, aut distributiuè, supponit eodem modo vt suum antecedens, habito respectu ad totam compositionem sui antecedentis, vel ad alterum extremorum. Exemplum de suppositione discreta, Sortes est hoc animal, quod est hoc, rationale, ly animal in antecedente, & ly hoc in secunda categorica stant discretè. Exemplum de suppositione determinata, aliquis homo currit. & tu es ille, ly homo & ly ille stant determinatè. Exemplū de distributiua. Quilibet homo est animal, & idē est rationalis: Sensus est, Quilibet homo est animal, & idem, id est quilibet homo est rationalis.

Quinta regula. Relatiuum accidentis siue identitatis siue diuersitatis, non semper supponit eodem modo particulari, quo supponit suum antecedens, sed secūdum exigentiam sui signi eodē modo supponit. vt in ista, aliquis homo est albus, & talis est cygnus, ly albus, & ly cygnus supponunt determinatè. Et in ista. Omnis homo rudis arat, & nullus talis disputat, ly rudis & ly talis stant distributiuè. Diuerso autem modo vt hic. Omnis homo albus currit, & talis disputat, ly homo albus stat distributiuè, & ly talis confusè tantùm, aliquando autē antecedēs supponit determinatè, & relatiuum distributiuè, vt hic aliquis homo est albus, & nullus talis est Aethiops, ly albus supponit determinatè, & ly talis distributiuè. Et hic, aliquis homo est niger, & omnis Aethiops est talis, ly niger stat determinatè, & ly talis stat confusè tantùm. Idem intellige de relatiuo diuersitatis accidens. Nam aliquando supponit eodem modo, vt suum antecedens, vt hic aliquis homo est albus, & aliusmodi est Aethiops, ly albus & ly aliusmodi stant determinatè. Aliquando autem supponunt diuerso modo, vt hic, aliquis homo est niger, & non aliusmodi est coruus, ly niger stat determinatè, & ly aliusmodi stat distributiuè, propter negationem, quæ non impedita distribuit terminum communem immediatè & mediatè sequentem, vt declaratum est supra. Hæc dicta sint de modo speciali supponendi relatiuorum. Et hic terminatur intentio nostra de suppositionibus tam absolutis propriis & impropriis quàm relatiuis.

TRACTATVS OCTAuus de *Ampliationibus, & Appellationibus in duo diuisus capita.*

POst tractatum de suppositionibus, expedit tractare de ampliationibus & appellationibus, quoniam, vt docuimus in tract. de syllogismo formali, sicut propter transitum à suppositione ad suppositionem sibi repugnantem, committuntur multi errores & quàm plures fallaciæ in arte syllogistica, sic & à transitu ab ampliatione ad appellationem. Nam nisi teneantur termini in præmissis & in conclusione æquè amplè & æquè strictè, syllogismus semper est inualidus, & ita potest concludi conclusio vera ex præmissis falsis sicut ex veris. Vt ergo scias vitare errores in arte syllogizandi, qui eueniunt propter ampliationem & appellationē terminorū, tradēda est resoluta doctrina in hoc tra. de amplia. & appellationibus. Diuidemus igitur ipsum in duo capita.

In primo agendum est de ampliatione.

In secundo de appellatione.

CAPVT I.

De Ampliatione.

IN primo cap. agendum est de ampliatione, hic ergo tria videnda sunt. primò quid sit ampliatio termini, de qua hic intendimus, secundò quæ & quot sint vniuersales regulæ ampliationum, tertio soluentur quædam dubia.

Ampliatio quid.

Quantum ad primum aduerte quòd de ampliatione inuenio apud logicos duas descriptiones, quarum vtraque recipi & defensari potest.

Prima est hæc. Ampliatio est extensio termini communis à minori suppositione ad maiorem. vt cum dicitur, homo potest esse antichristus, ly homo non solum supponit pro præsentibus, sed etiam pro futuris.

Aduerte quòd ly extensio ponitur loco generis, tanquam quid magis commune, & sumitur per similitudinem. Nam extensio propriè est dilatatio alicuius quanti, vt quādo ipsum quantum trahitur ad maiores dimensiones. Verbi gratia cera congelata si liquefiat extenditur, quoniam recipit maiores dimensiones, & occupat maiorem locum. per similitudinem autem in proposito est dilatatio termini communis inquantum sumitur in aliqua propositione ad supponendum pro pluribus suppositis quàm ante. Nam ampliatio attenditur principaliter in suppositione personali, quæ est respectu suppositorum, vt diximus in tract. præcedenti.

Terminus singularis non ampliatur. neque restringitur.

Dicitur extensio termini communis, ad differentiam termini discreti, qui non potest supponere aliquando pro pluribus aliquando pro paucioribus, sed tantum pro vno solo, & ideo iuxta terminum discretum non fit ampliatio neque appellatio.

Dicitur à minori suppositione ad maiorem non intensiuè sed extensiuè. Est autem minor suppositio personalis extensiuè, quando stat ter. communis in propositione pro paucioribus suppositis. vt hic, Homo est albus, ly homo stat tantum pro præsentibus, maior autem est, quando stat pro pluribus. vt hic, Homo potest esse albus, ly homo stat pro eo qui est homo, vel potest esse homo. vt tibi manifestabitur infrá. Vnde in prima homo restringitur, in secunda autem ampliatur.

Et aduerte per ly à minore suppositione, &c. distinguitur ampliatio ab appellatione, vt tibi erit notum in cap. sequenti. Hæc est prima descriptio.

Secunda talis est. Ampliatio est acceptio termini in propositione temporaliter supponentis vltra consignificationem verbi principalis vel participij eiusdem. Pro cuius notitia aduerte quòd ampliatio termini, est ampliata suppositio termini respectu verbi cui coniungitur pro diuersa differentia temporis. Verbi gratia. Hic terminus homo si coniungitur verbo præsentis temporis, vt dicemus in capitulo sequenti, stat solum pro præsentibus, vt homo currit. Si autem coniungitur verbo præteriti vel futuri temporis, stat pro præsentibus vel præteritis vel futuris, vt album fuit nigrum, vel album erit nigrum. Constat igitur quid sit ampliatio apud logicum.

Quantum ad secundum aduerte quatuor regulas generales. prima est, Omnis terminus supponens à parte ante respectu

respectu verbi de præterito, vel sui participij supponit pro eo quod est vel fuit. Verbi gratia, In hac propositione, homo fuit ab æterno: Ly homo non supponit solùm pro homine qui nunc est, nec solùm pro homine qui fuit, licet pro hoc disiuncto, homo qui est vel fuit homo, fuit ab æterno, & secunda pars est vera, supposito quòd mundus sit æternus in via peripatetica.

Pro confirmatione huius regulæ aduerte quòd idem dicendum est de verbo præteriti imperfecti sicut præteriti perfecti. Vnde in ista, homo currebat, ly homo supponit ampliatiuè pro eo, qui est, vel erat homo. Hoc autem non verificatur ratione sui participij, quoniam præsens & præteritū imperfectum habent idem participium. Verbum autem præsentis tēporis vt dicemus in cap. sequenti, restringit terminū ad supponendum solum pro eo quod est. Sic & participium eius inquantum deseruit tempori præsenti. Aduerte etiam quòd regula debet sic intelligi. Omnis terminus supponens à parte ante respectu verbi de præterito vel eius participio, supponit pro eo quod est vel fuit, nisi talis terminus restringatur, vt hic homo qui nunc est fuit, ly homo non ampliatur, sed stat solùm pro præsentibus per ly qui nunc est. Quare autem magis ampliatur à parte ante quàm à parte post dicam infrà.

Ex ista regula trahitur veritas harū propositionum. Puer fuit vir, Nam qui est vel fuit puer, fuit vir, & secunda pars est vera. Qui enim est vir in trigesimo anno, fuit puer in decimo anno. Virgo concepit. Nam quæ est vel fuit virgo, concepit. Quæ enim fuit virgo, in decimo quarto anno concepit, licet nunc non sit virgo.

Quod dictum est de verbo præteriti temporis, intellige de participio eiusdem. Nam in ista, homo est suscitatus à mortuis, ly homo supponit pro eo qui est vel fuit homo, & secunda pars est vera: & in ista, Cæcus est illuminatus, ly cæcus supponit pro eo qui est vel fuit cæcus, & secunda pars est vera. Vnde vt diximus in tractatu de syllogismo formali, hoc argumentum non valet in Darij, Omnis cæcus est illuminatus: Sortes est cæcus, ergo Sortes est illuminatus. nam in maiori supponit cæcus pro eo qui est vel fuit cæcus, in minori autem solùm pro eo, qui est cæcus, vt declarabitur in cap. sequenti. Vnde cum in maiori stet ampliatiuè & in mi. restrictiuè non valet argumentum. Hæc de prima regula dicta sint.

Secunda regula est. Omnis terminus supponens à parte ante respectu verbi de futuro vel sui participij, ampliatur ad supponendum pro eo quod est vel erit, vt hic. Homo generabitur, id est, qui est vel qui erit homo generabitur, & secunda pars est vera. Nam homo qui est, iam genitus est, ergo non generabitur: qui vero erit homo, & nondum est, ille generabitur.

Hæc regula resoluta est apud logicos, nec indiget alia expositione aut limiratione, & ex ea sequitur harum propositionum veritas.

Magnus erit paruus, id est, qui est vel erit magnus, erit paruus, & secunda pars est vera. Nam si puer quinque annorum, qui in secundo anno erit magnus, in decimo anno erit paruus. Corrupta erit virgo. Meretrix erit virgo. Nam quæ est vel erit corrupta, & quæ est vel erit meretrix, erit virgo, sit enim puella quinque annorum quæ sit futura meretrix aut corrupta in decimoquinto anno, ista quæ erit meretrix in decimotertio anno, erit adhuc virgo in decimo anno.

Mortuus ambulabit, id est, qui est vel erit mortuus, ambulabit, & secunda pars est vera. Nam sit homo qui hinc ad annum morietur. Verum est dicere quòd hinc ad mensem ambulabit, & forte hodie vel cras.

Tertia regula. Omnis terminus supponens à parte ante vel à parte post respectu horum verborum incipit & desinit potest & contingit, & suorum participiorum, & nominum verbalium desinentium in bilis, vel in bile, vel in or, ampliatur ad supponendum pro eo quod est, vel incipit vel desinit vel contingit vel potest esse. exemplum de incipit, Album incipit esse, id est, quod est album vel incipit esse album, incipit esse. Exemplum de desinit, calidum desinit esse, id est, quod est calidum vel desinit esse calidum, desinit esse. Exemplum de potest, album potest esse nigrum, id est, quod est vel potest esse album, potest esse nigrum. Exeplum de contingit. Calidum contingit esse frigidum, id est, quod est vel contingit esse calidum contingit esse frigidum. Exempla de eorum participiis & verbalibus nominibus quia non sunt multum in vsu, ideo pertranseo: quære tu. Sed aduerte quod licet secundum omnia prædicta verba posit fieri ampliatio, præcipuè tamen per verbum potest, & per nomen verbale terminatum in bile vt possibile. Nam potest & possibile faciunt propositionē de sensu composito & diuiso, vt tibi declarabitur in tract. de probationibus terminorum, & ideo eorum ampliatio est magis in vsu & restrictio.

Ex hac regula sequitur veritas harum propositionum.

Dulcissimum potest esse dulcius, id est, quod est dulcissimum vel potest esse dulcissimum, potest esse dulcius, & secunda pars est vera. Nam sumpta vua quando incipit maturari, & est aliquantulum dulcis, eritque hinc ad mensem dulcissima, hodie verum est dicere, quòd potest esse dulcissima, & hinc ad decem dies erit dulcior, ergo verum est dicere quòd dulcissimum, id est, quod potest esse dulcissimum, potest esse dulcius.

Infimum potest esse inferius, id est, quod est infimum vel potest esse infimum, potest esse inferius, & secunda pars est vera & declaratur sicut præcedens. Verbi gratia. Sumatur lapis, qui debeat descendere à loco supremo ad infimum per tria media A B C & D: sit locus infimus, quando lapis erit in B: verum erit dicere, quod lapis est vel potest esse infimus, & quando erit in C. erit inferior & continuè erit inferior, donec perueniat ad D: tunc enim erit infimus, quia de facto erit in loco infimo.

Ergo infimum, id est, quod potest esse infimum, potest esse inferius.

Ex eadem regula patet veritas harum propositionum, respectu participij & nominis verbalis.

Genitum est generabile, id est, quod est genitum, vel potest esse genitum est generabile, & secunda pars est vera, nam sicut quod potest esse calefactum, est calefactibile, sic quod potest esse genitum est generabile.

Corruptum est corruptibile, id est, quod est corruptum vel potest esse corruptum, est corruptibile, id est, potest corrumpi, & secunda pars est vera. Nam sicut quod potest esse visum, est visibile, aliter non posset esse visum nisi esset visibile, sic nihil potest esse corruptum, nisi sit corruptibile. ergo ista est vera, corruptum est corruptibile modo præexposito.

Quarta regula. Omnis terminus supponens à parte post in verbo actiuo, vel à parte ante in verbo passiuo, respectu verbi extendentis actum suum tam ad rem existentem quàm non existentem, vt sunt ista verba, cognosco, intelligo, imaginor, opinor, ampliatur ad supponendum pro eo quòd est vel est cognoscibile aut intelligibile aut imaginabile aut opinabile aut possibile esse. *Vt in istis intelligo* rosam, vel rosa intelligitur. Imaginor montem aureum, opinor alterum mundum, prædicatum ampliatur ad standum pro eo quòd est, vel est possibile vel intelligibile & cætera, dato quòd non sit in rerum natura. Vnde rosa non existente vt in hieme, si dico, intelligo rosam, sic habet intelligi, Intelligo rosam quæ est vel potest esse. Si dico, Opinor alterum mundum, sic habet intelligi. Opinor alterum mundum, qui est vel opinabilis est esse. Si dico imaginor montem aureum: sic habet intelligi. Imaginor montem aureum, qui est, vel qui est imaginabilis esse.

Istæ sunt præcipuæ & magis famosæ regulæ ampliationum apud logicum, ex quibus omnibus sequuntur tria corollaria.

Primum quando subiectum vel prædicatum est terminus ampliatiuus siue sit participium siue nomen, non valet consequentia, à tertio adiacente ad secundum adiacens. Exemplum de participio, Non sequitur, Homo est mortuus, ergo homo est. Homo est generandus, ergo homo est. Nam in antecedente homo ampliatur vt patet per primam & secundam regulam, in consequēte autem restringitur ad hominem præsentem, & ideo antecedens est verum, & consequens falsum. exemplum de nomine, Rosa est intellecta à me, ergo rosa est. non sequitur, quoniam in antecedente ampliatur rosa ad supponendum pro rosa, quæ est vel potest esse, vt est intelligibilis. In consequente autem restringitur ad rosam existentem de præsenti, propter copulam præsentis temporis.

Secundum, Hæc conuersio, non valet, Aliquis homo est futurus, ergo aliquod futurum est homo. sed debet sic conuerti, ergo aliquod futurum est vel erit homo.

Tertium. Hic syllogismus non valet, Omne præteritum fuit: Diluuium est præteritum: ergo diluuium est, quoniam in minori tenetur diluuium ampliatiuè pro eo quòd est vel fuit

fuit. In conclusione autem tenetur restrictè ad tempus præsens, ergo Syllogismus nõ valet. Docuimus enim in tracta. de Syllogismo formali, quod argumentum non tenet quando termini non tenentur æquè amplè & æquè strictè. Hæc pro regulis ampliationum dicta sint.

Quantum ad tertium aduerte, quòd in prædictis regulis multa videntur dici ad placitum, & absque ratione, & ideo multi non admittunt has regulas, & dicunt terminum non supponere nisi iuxta differentiam temporis cui adiungitur. Verbi gratia. Si iungitur tempori præsenti supponit pro tempore præsenti, si præterito, pro præterito, si futuro, pro futuro.

Primum dictum ad placitum est. quòd verbum de præterito, vel de futuro, vel eorum participia ampliant terminum à parte ante & non fit mentio de termino à parte post, cum tamen videatur eadem ratio. Nam in ista puer fuit senex, tam subiectum quàm prædicatum supponunt determinatè, ergo qua ratione ampliatur subiectum, eadem ratione & prædicatum.

Secundum dictum ad placitum est quòd terminus supponens respectu verbi de præterito vel de futuro, ampliatur ad standum pro his qui sunt vel fuerunt vel erunt. Non autem terminus supponens respectu verbi de præsenti, quoniam ille stat tantum pro his qui sunt. Hæc autem differentia videtur merè volũtaria, quoniam pro ea nulla adducitur ratio in regulis supradictis.

Tertium dictum ad placitum est, quod ista verba potest incipit, desinit, contingit, habent particularem vim ampliandi terminum à parte ante & à parte post, quod non habet verbum substantiuum, nec alia verba, & præcipuè in tempore prædicamenti modi indicatiui, vt excipiam verbum substantiuum & multa alia verba, quæ habẽt vim ampliandi in tempore præterito & futuro, vt patet per primam & secundam regulam. Cum ergo non assignetur causa talis regulæ, quæ est tertia in ordine, videtur voluntariè posita.

Quartum dictum ad placitum est, quòd solus terminus rectus à parte post verbi actiui, vel à parte ante verbi passiui, vel eius participij habentis naturam transeundi indifferenter ad possibile & imaginabile, ampliatur ad standum pro eo quòd est, vel est possibile esse, vel imaginabile. Hoc autem dictum videtur merè voluntarium, cum non assignetur ratio propter quam appareat quod id magis conuenit tali termino quàm alij.

Ad primum dicitur quòd regulas ampliationũ non oportet fundare tam in aperta ratione, quàm in vsu primorum authorum. nam quia primi authores videntur loqui secundum hos modos ampliatiuos. ideo posteriores eos respiciũt & quidẽ quòd authores primi vtantur his modis patet præcipuè apud Aristotelem, nam in primo priorum vtitur ampliatiuè hoc verbo contingit, & in primo elenchorum hoc futuro sanabitur, & in secundo Perihermenias hoc verbo potest. Quòd igitur respectu verbi de præterito vel de futuro, vel respectu suorũ participiorũ terminus rectus à parte ante amplietur, & nulla fiat mẽtio de termino recto à parte post, alia non est manifesta ratio, nisi quia authores primi sic visi sunt loqui. Nec id debet mirum videri, quoniam cum tractatus ampliationum multum adhæreat Grãmaticæ, in qua magis attenditur authoritas primorũ instituentium, quàm euidens ratio, sufficere debet pro approbatione regularum ampliationum eadem authoritas.

Quidam tamen cupiẽtes satisfacere his, qui in omnibus rationem quærunt, quos reprehendit Aristoteles in secundo Metaphysicæ, quoniam in multis oportet credere primis inuentoribus, dicunt huius rationem esse, quia terminus rectus à parte ante supponit de per se respectu huius verbi est inclusi in verbo ampliatiuo Sed terminus sequens verbum non supponit de per se respectu huius verbi est, sed solùm respectu participij à quo determinatur. Verum si aduertis, hæc ratio videtur ad placitum adducta, sicut & regula ampliationum. Et ideo melius est assentire primis authoribus, quàm rationi ineuidenti.

Ad secundum dicitur, quòd & si principaliter inhærendum sit primis authoribus, tamen aliquantulum euidenter ratio haberi potest, quæ in antedictis. & ratio quidem est hæc. Verbum substantiuum de præterito & futuro includit idem verbum de præsenti. vt patet resoluendo in suum participium, vt hic, Homo fuit, id est homo, qui est præteritus, homo erit, id est homo est futurus. Quod enim fuit, verum fuit aliquando dicere hoc est, & quod erit, verum erit aliquando dicere hoc est. Verbum autem substantiuũ præsentis temporis, vt ly est, non includit præteritum & futurum. Stat enim vt declarabitur tibi in sexto Physicorum, quòd aliquod pro hoc instanti sit, quòd tamen ante hoc instans non fuit, nec post hoc instans erit. Non est ergo eadem ratio, de verbo præterito & futuro, & de verbo præsentis temporis.

Ad tertium dicitur vt suprà, sed & aliqualis ratio est in promptu, Nam ista verba incipit & desinit, contingit, potest sunt talis naturæ, quòd eorũ actus possunt se extendere ad rem actu existentem & non existentem, id est ad rem præteritam vel futuram. Nam vt declarabitur tibi in tract. de probationibus terminorum, aliqua incipiunt esse per positionem de præsenti, & negationem de præterito, vt hic. Homo incipit esse. Homo nunc est, & ante hoc nunc non fuit, ergo homo incipit esse: aliqua autem incipiunt esse per negationem de præsenti, & positionem de futuro, vt motus incipit esse, Motus nunc non est, & post hoc nunc immediatè erit, ergo motus incipit esse. Idem intellige de hoc verbo desinit. Nam quædam desinunt per positionem de præterito, & negationem de præsenti, quædam autem per positionem de præsenti & negationem de futuro, & hæc omnia tibi manifesta erunt in tract. de probationibus terminorum.

Similiter actus istorum verborum potest & contingit, & suorum participiorum & suorum nominum verbalium, vt possibile & contingens, possunt transire super rem actu existentem & actu non existentem. Nam hæc est vera, homo currens potest currere. Nam si non posset currere. non curreret, & hæc est vera, Homo sedẽs potest currere. Nam remoto impedimento, per potentiam motiuam, potest homo quiescere per sessionem, & velociter moueri per cursum, De contingit hæc est vera, Hominem sedere contingens est, & hæc est vera, rosam generari in vere cõtingens est. In prima verificatur contingens de homine existente, in secunda verificatur de rosa nõ existente, & ideo non est mirum si prædicta verba habent vim ampliandi, quam non habent communiter omnia alia verba.

Ad quartum dicendum est, vt ad tertium. Nam verba, quæ concernunt actum animæ cognoscitiuæ, ita verificantur de existente sicut de non existente, dummodo non existens sit intelligibile, aut opinabile, aut imaginabile. & ideo non est mirum si sint verba ampliatiua. Et quidem quòd talia verba puta intelligo, cognosco opinor, imaginor, somnior verificentur tam de re existenti quàm non existenti, declaratum est in regula quarta, & eadem tibi manifestiora erunt in lib. 3. de Anima. Hæc de ampliationibus dicta sint pro quanto eas recipiunt Logici communiter. Quòd dixerim, quoniam Petrus Mantuanus terminista, apparuit negans absolutè ampliatiorẽ termini respectu cuiuscunq; verbi & temporis verbi, vt patet in logica. Verũ ne nouitij intellectus confundatur, hoc pertranseo. Si tamen tibi est appetitus id visendi & intelligendi, quære in Mengo. in parte secunda, vbi defensat ampliationem terminorũ contra Petrum Mantuanum, & illic inuenies fundamenta & argumenta Petri Mantuani, & Mengi Fauentini satis resolutas responsiones. Hæc de ampliationibus dicta sint.

CAPVT II. *De appellationibus.*

IN secundo capite agẽdum est de appellationibus. de quibus tria videnda sunt. Primò, quot sint modi famosi quibus dicitur appellatio. Secundò quid sit appellatio in sensu, de quo hic intendimus. Tertiò quæ, & quot sint regulæ magis vsitatæ de appellatione.

Appellationis modi.

Quantum ad primũ aduerte, quòd appellatio solet communiter dici quatuor modis. primo dicitur recursus à minori iudice suspecto ad maiorem propter iniustitiam latæ sentẽtiæ, & de hac considerat ciuilis, nõ autem Logicus, neq; Physicus, neque Mathematicus, neque Metaphysicus. secundo dicitur appellatio communicatio multorum in aliquo vno nomine, & sic ab appellatione dicitur nomen appellatiuum, quod pluribus conuenit, vt homo, animal, corpus, & de hac considerat Grammaticus distinguens nomen in proprium & appellatiuum, quod dicitur apud Logicum terminus discretus, & terminus communis. tertiò dicitur denominatio alicuius ab aliquo accidentalis, tam ab intrinseco quàm ab extrinseco: vt nix appellatur alba, id est denominatur alba ab albedine. Dixi tã ab intrinseco quàm ab extrinseco, quoniam res aliquãdo appellatur talis ab accidente sibi inhærente, vt aqua calida à calore sibi intrinseco, aliquando autem ab accidente inhærẽte alteri vt res appellatur locata à loco, & tamen locus non est subiectiuè in loco

loco, sed in locante. Idem intellige de re temporali, vt denominatur à tempore, & de agente vt denominatur ab actione. Et hæc tibi manifestabuntur in 3 & 4. Physico. Et de hoc modo appellationis locuti sumus in anteprædicamentis tractantes de denominatiuis. quarto dicitur restrictio termini supponentis, & vt sic opponitur ampliationi. Nam sicut ampliatio est extensio termini à minori ad maiorem suppositionem, modo quo exposuimus in cap. præcedenti sic appellatio opposito modo est restrictio termini à maiori ad minorem suppositionem, vt tibi manifestabitur infrà, & de hoc quarto modo tantum agendum est hic.

Quantum ad secundum aduerte quòd appellatio quarto modo sumpta, & vt opponitur ampliationi sic diffinitur. Appellatio est acceptio termini in propositione supponentis tantum pro differentia temporis verbi, cui adiungitur, ita quòd si adiungitur verbo præsentis temporis, supponit solùm pro præsentibus, vt homo currit, si verbo præteriti temporis, pro eo quod fuit. si verbo futuri temporis, pro eo quod erit, vt tibi declarabitur in sequentibus. Et aduerte quòd hæc descriptio non discordat ab ea quam ponunt reales dicentes quòd appellatio est restrictio termini communis à maiori ad minorem suppositionem. Nam in ampliatione supponit terminus pro pluribus cum pluribus differentiis temporis: vt pro eo quod est vel fuit, aut pro eo quod est vel erit, aut pro eo quod est vel potest esse, vel est intelligibile vel opinabile vel imaginabile esse. Ex consequenti supponit pro pluribus suppositis, quoniam pro præsentibus aut præteritis aut futuris aut possibilibus aut imaginabilibus. In appellatione autem supponit terminus pro paucioribus, *quoniam pro his tantum*, quæ sunt sub vna differentia temporis: vt pro præsentibus tantum, aut præteritis & futuris & possibilibus tantum. Et ideo bene dicitur quòd est restrictio termini à maiore ad minorem suppositionem, quia in appellatione terminus supponit pro paucioribus suppositis modo quo dictum est.

Triplex appellationis genus.

Quantum ad tertium aduerte quòd de appellationibus datur talis diuisio. Appellationum quædam est appellatio temporis, quædam ampliationis, quædam formæ.

Appellatio temporis est acceptio termini in propositione pro aliquo vel pro aliquibus secundum solam consignificationem verbi cui coniungitur vel sui participij: vt homo currit, ly homo appellat tempus præsens, quia supponit solùm pro præsentibus.

De appellatione temporis dantur duæ regulæ generales. Prima est. Omnis terminus supponens respectu verbi de præsenti non ampliatiui, nec distracti per participium ampliatiuum, tam subiectum quàm prædicatum appellat tempus præsens: id est supponunt solum pro præsentibus: vt homo est albus, homo currit. Dicitur non ampliatiui, vt excipiantur *ista verba incipit & desinit, contingit, potest*, & verba concernentia actum mentis: vt intelligo, cognosco, quæ vt docuimus in cap. præcedenti in tertia & quarta regula, habent vim ampliandi etiam in tempore præsenti: vt album potest esse nigrum, ly album stat pro eo quod est vel potest esse album &c. Dicitur nec distracti per participium ampliatiuum, vt excipiantur participia præteriti & futuri temporis: vt hic, homo est genitus, homo est generandus, ly homo stat pro homine, qui est vel fuit, vel erit, quia licet coniungatur verbo substantiuo præsentis temporis. tamen ratione participij præteriti, & futuri, non appellat tempus præsens, sed stat ampliatiuè.

Secunda regula est hæc. Omnis terminus sequens verbum præteriti, vel futuri temporis solummodo, appellat tempus præteritum, vel futurum: id est supponit tantùm pro præteritis siue pro futuris. vt hic album fuit nigrum, album erit nigrum, ly nigrum appellat tempus præteritum in prima propositione, supponit enim solùm pro eo quod fuit nigrum, & in secunda appellat tempus futurum: quoniam supponit solum pro eo quod erit nigrum. Dicitur terminus sequens, ad differentiam termini præcedentis, qui regitur à parte ante: quoniam vt tibi declaratum est in cap. præcedenti in regula prima, & secunda ampliatur ad supponendum pro eo quod est vel fuit, vel erit. Vnde in ista album fuit nigrum, ly album stat ampliatiuè, & ly nigrum appellatiuè.

Appellatio ampliationis est acceptio termini in propositione limitati per verbum, quod habet vim ampliandi, tam à parte ante quam à parte post, vel per suum participium. Verba autem habentia vim ampliandi à parte ante, & post sunt ista. Incipit, desinit, contingit, potest. V. G. Homo incipit esse iustus, tam ly homo quàm ly iustus stant ampliatiuè ratione verbi incipit, & supponunt pro eo quod est, vel incipit esse, tamen ly iustus appellat, & restringit inceptionem, ita quòd licet stet, & posit verificari pro eo quod est, vel incipit esse iustum, tamen restringitur ad standum pro eo solũ, quod incipit esse iustum. Subiectũ verò stat simpliciter ampliatiuè, *scilicet pro eo qui est vel incipit esse homo.*

Pro appellatione ampliationis datur hæc vniuersalis regula, omnis terminus rectus à parte post ita quòd sequatur verbum aliquod ex istis, incipit, desinit, potest, contingit &c. vel suum participium, vel suum verbale appellat, id est restringit illorum ampliationem, vt patet in exemplo dato de homine incipiente esse iusto, ita quòd verum est dicere quod incipit vel desinit, vel contingit, vel potest esse iustum.

Appellatio formæ est acceptio termini in propositione sequentis verbum vel eius participium, quod concernit actum mentis. Sunt autem huiusmodi verba intelligo, volo, cognosco, scio, opinor, imaginor &c. Terminus igitur sequẽs aliquod istorum verborum dicitur appellare formam, id est stare pro sua ratione formali, quam insinuamus per dictionem reduplicatiuam: vt cognosco patrem meum, id est sub ratione qua pater, ratio autem est, quia genuit me. Dico ergo cognoscere patrem meum, si cognosco eum inquantum genuit me. Similiter cognosco hominem, si cognosco eum inquantum est homo, id est vt est animal rationale.

Et aduerte quod appellatio formæ semper est ex parte prædicati, vnde dicimus quòd prædicatum formam appellat: id est stat formaliter, subiectum autem materialiter. Hac de causa multæ sunt propositiones, quæ aliquando sunt veræ, & aliquando sunt falsæ factæ per verba concernentia actum mentis secundum quod terminus præcedit aut subsequitur verbum. Verbi gratia, Si dico, Deum trium cognouit Aristoteles, est vera, quoniam Aristoteles cognouit Deum qui est trinus. Si autem dico, Aristoteles cognouit Deum trinum, est falsa, quoniam licet cognouerit Deum qui est trinus, non tamen cognouit eum inquantum est trinus, id est prout est vna substantia in tribus suppositis: nam hoc negasset Aristoteles. Item si dico, Cibum venenosum desidero, potest esse vera, quia possum desiderare fongium, qui est venenosus licet nesciam esse venenosum. Si autem dico, Desidero cibum venenosum, est falsa, quoniam sensus est, Desidero cibum inquantum scio ipsum esse venenosum & mortiferum, quem nullus sanæ mentis desiderat.

Item aduerte quòd inter species appellationis prima & tertia est satis in vsu apud doctores. & maximè tertia, vt tibi declarabitur in tracta. de syllogismo sophistico. Secunda autem minime est in vsu.

Item aduerte quod regulæ præpositæ de appellatione temporis & ampliationis magis acceptantur ex authoritate primorum authorum quàm ex euidenti ratione. Sicut etiã diximus de regulis ampliationum. Et ideo non est hic immorandum ad inuestigandum, quæ sit efficax & manifesta apud intellectum ratio de prædictis, sed sufficit quod recipiantur ex firmato vsu apud authores. Hæc de appellationibus dicta sufficiant.

Tractatus octaui de ampliationibus & appella. Finis.

TRACTATVS NONVS

De Consequentijs ad viam peripateticam in quatuor diuisus capita.

IN hoc nostro tractatu de Consequentiis non est intentio nostra immorari in recitandis modernorum logicorum variis & captiosis sententiis, quæ magis inuoluunt quàm illuminent addiscentis intellectum. Nostra ergo intentio est agere de consequentiis ad viam peripateticam prout sunt nobis via in acquirendis aliis scientiis, & compendiosius ac efficacius quacunque alia via argumentatiua. Hunc igitur tractatum diuidemus in quatuor cap.

Primò diffinietur consequentia.
Secundò ponentur suæ diuisiones vniuersales.
Tertiò assignabũtur regulæ gẽrales cõsequentię formalis.
Quartò descendemus ad regulas particulares.

CAP. I. *Quid sit consequentia.*

IN primo cap, ne tendamus per incognita, inuestigandum est quid sit consequentia. Sed antequam deueniam ad diffinitio

finitionem aduerte quòd consequẽtia potest tripliciter considerari, primò absolutè vt consequentia est non contrahendo ipsam ad bonam, nec ad malam, sed vt ab vtraque abstrahit. secundò vt contrahitur ad bonam, tertiò vt contrahitur ad malam. Item aduerte quod consequentia absolutè sumpta dupliciter potest diffiniri. scilicet quo ad materiam, & quo ad formam, sicut & domus, nam si dicatur q̃ domus est quid compositum ex lapidibus, & lignis, & cemento est diffinitio per materiam, quæ & materialis dicitur. Si autem dicatur quòd domus est habitaculum prohibens nos à frigore, & ab æstu, pluuia, & niue &c. est per formam, quæ etiam dicitur diffinitio formalis, siue per finem, Hic igitur ad vniuersalem doctrinam habendam de consequentia, diffinienda est primò absolutè vt est abstrahens à bona, & à mala, siue vt est communis bonæ, & malæ, secundò diffinietur consequentia, vt est bona, tertiò vt est mala.

Ex secundo de Animæ elici tur hic duplex diffiniendi modus.

Quantum ad primum aduerte quòd materialiter sic diffinitur. Consequentia est oratio plures continens propositiones coniunctas per notam illationis denotantem sequelam vnius ad alteram, vt homo est rationalis, ergo est risibilis.

Primò ly oratio ponitur loco generis, est enim magis communis quàm consequentia, nam & syllogismus est oratio, non tamen est consequentia, secundò dicitur plures continens propositiones, vt distinguatur ab oratione categorica, nam cõsequẽtia, est oratio hypothetica, hypothetica autem oratio continet plures categoricas coniunctè per aliquam coniunctionem. Sed aduerte quòd per ly plures intelliguntur duæ, vna præcedens notam illationis, altera subsequẽs: nam si plures quàm duæ, & ordinarentur in modo & in figura iam non esset consequentia, sed syllogismus vt docuimus in trac. de syllogismo formali. tertiò dicitur coniunctas per notam illationis, id est per ly ergo, vel igitur: quoniam denotat q̃ secũda propositio sequitur ex prima verè, aut putatiuè. Verè quidem, vt hic, Sol est super terrã, ergo dies est: putatiuè autẽ vt hic, Deus creauit mũdũ, ergo creauit ab æterno.

Formaliter autem sic diffinitur, Consequentia est habitudo vera vel existimata subsequentis propositionis ad præcedentem designata per notam illationis, illatiuè tentam.

Primò dicitur habitudo, quoniam sequentia, & sequela, & consequentia dicunt formaliter respectum, respectus autem est habitudo apud logicũ, vt docuimus in prædicamento ad aliquid, sicut paternitas est respectus, & habitudo patris ad filium, & filiatio econuerso. Sic & consequentia est habitudo subsequẽtis propositionis ad præcedentem. vt hic, Homo currit, ergo homo mouetur: nam ex eo quòd currit sequitur quòd mouetur, quoniam cursus est species motus & de quocunque prædicatur species, prædicatur genus. secundò dicitur habitudo vera vel existimata, quoniã hic diffinitur consequẽtia vt cõmunis est bonæ, & malæ, in veraque autem denotatur habitudo, sed differenter, quoniam in vera consequentia est vera habitudo, in mala autem est putatiua siue existimata, & ideo vt scias quòd hic diffinitur consequentia vt communis est bonæ, & malæ dicitur disiunctim quòd est habitudo vera vel existimata. tertiò dicitur designata per notam illationis illatiuè tantam: quoniam nota illationis habet vim conclusiuam ex sui natura, dummodo teneatur illatiuè, quoniam si teneretur materialiter, non designaret illationem, vt in hac propositione, ergo est coniunctio, sicut ergo est indeclinabile.

Quantum ad secundum aduerte quod diffinitio bonæ consequentiæ si diffiniatur quo ad materiam est hæc, Consequentia bona est oratio scilicet hypothetica rationalis, habens verũ antecedens, & verũ consequens eiusdẽ antecedentis tãquã principales partes sui, & notã illationis illatiuè tẽtam, vt Sortes est homo, ergo Sortes est animal. Antecedens est propositio quæ in bona consequẽtia præcedit notam illationis, vt Sortes est homo. Consequens est propositio subsequens notam illationis, vel quæ infertur ex antecedente mediante nota illatiua, vt ergo Sortes est animal. Si autem diffiniatur quo ad formam, sic diffinienda est, Consequentia bona, est consequentia, in qua est vera illatio siue vera sequela veri consequentis ex vero antecedente per notam illationis designata.

Primò ly consequentia ponitur loco generis, quoniam est in plus quam consequentia bona. secundò dicitur in qua est vera illatio & totum residuum dicitur ad differentiam consequentiæ malæ, in qua est illatio non vera, sed existimata, nec prima propositio est verum antecedens, nec secunda est verum consequens, nec nota illationis verè infert, sed hæc omnia tantùm sunt apparenter siue superficialiter in consequentia mala, vt tibi manifestabitur.

Quantum ad tertium aduerte quoniam consequentia bona & mala sunt oppositè cognito quid sit cõsequentia bona, de facili tibi constat quid sit mala. nam omnes conditiones oppositæ conditionibus conuenientibus consequentiæ benè manifestant tibi consequentiam malam. Est igitur consequentia mala, quæ licet sit oratio hypothetica rationalis, tamen non habet verum antecedens, nec verum consequens ex eodem antecedente, nec notam illationis verè illatiuam, nec est formaliter illatio vera siue sequela consequentis ex antecedente, sed omnia hæc in ea continentur quasi per quandam similitudinem ad consequentiam bonam. Vnde in rei veritatem consequentia mala non est propriè consequentia, licet nominetur consequentia.

Et si quæras in quo stet essentialis differentia inter consequentiam bonam & malam per quam infallibiliter cognoscuntur.

Respondetur secundum reales, bona consequentia essentialiter distinguitur à mala per hoc quòd in bona antecedens non potest esse verum sine consequente, in mala autem nihil prohibet antecedẽs esse verũ sine consequente. Exemplum de bona, Tu es homo, ergo tu es rationalis, nam non est possibile, quòd tu sis homo, quin sis rationalis: quoniam rationale est de diffinitione hominis, & prædicatur de eo essentialiter, vt docuimus in tractatu de prædicabilibus. Exemplum de mala, tu es homo, ergo tu es dies, nam bene stat quod tu sis homo, & tamen non sis dies, non enim est necesse hominem esse diuitem, quoniam hæc est in materia contingenti, Homo est dies.

Secundum terministas autem distinguitur bona à mala in hoc quòd in bona oppositum consequentis repugnat antecedenti. Tunc autem repugnat quando ex antecedente & opposito consequentis *non potest fieri vna copulatiua*, cuius vtraq; pars sit possibilis, Verbi gratia hæc est bona, Sortes est homo, ergo est animal, quoniã oppositum consequentis, scilicet ergo est non animal, non potest stare antecedente. Hæc enim copulatiua est impossibilis, Sortes est homo, & non est animal, quoniam animal est de diffinitione hominis, & hæc est in materia naturali, homo est animal, in qua negatiua semper est falsa. In mala autem oppositum consequentis non repugnat antecedenti, imò potest stare cum eo, cuius signũ est q̃ potest fieri vna copulatiua possibilis, cuius prima categorica erit antecedens, & secunda erit oppositum consequentis. vt gratia exempli, hæc est mala, Tu es homo ergo tu non vigilas. Nam oppositum consequẽtis, scilicet tu non vigilas, stat cum antecedente. Vnde hæc copulatiua est possibilis, quoniam vtraque pars est possibilis, Tu es homo, & tu non vigilas.

Et aduerte quòd reales & terministæ in hoc non dissentiunt, sed conueniunt secundum sensum. Nam si in consequentia bona antecedens non potest esse verum sine consequente, ergo oppositum consequentis repugnat antecedenti, & si in consequentia mala antecedens potest esse verum sine consequẽte, ergo oppositum consequentis stat cum antecedente, vt exemplificatum est. Constat igitur quid sit consequentia vt est communis bonæ & malæ, & quid sit bona, & quid mala, & per quid essentialiter differunt & infallibiliter cognoscuntur.

CAPVT II.

De generali diuisione consequentiæ bonæ.

IN hoc secundo cap. relicta consequentia mala, quæ propriè non est consequentia, vt docuimus in capite præcedenti, & quæ nobis non deseruit in scientiis acquirendis, sed potius est causa erroris, immorandum est circa diuisiones generales bonæ consequentiæ. Tu igitur aduerte quòd apud terministas & reales prima diuisio est in bonam, & malam siue in veram & falsam. & quid vtraque sit & quomodo differant dictum est in cap. præcedenti.

Secunda diuisio est, bona consequentia prima diuisione diuiditur in formalem & materialem.

Formalis quidem est illa in qua oppositum consequentis formaliter & manifestè repugnat antecedenti, ita quod apud nullum vtentem ratione, & scientem terminos imaginabile non est nec opinabile quòd oppositum consequentis posit stare cum antecedente. Vnde hæc est bona formalis, homo *currit*, ergo homo velociter mouetur. Nam nullus vtens ratione & sciens significatum huius termini currit, potest concipere nec immaginari quod homo currat, & quòd non velociter moueatur, nam motus velox est de ratione cursus.

Mate

Materialis est illa in qua oppositum consequentis repugnat antecedenti, sed non manifestè, potest enim quis imaginari & opinari quòd stet oppositum consequentis cum antecedente, licet imaginatio & opinio sit falsa. Vnde hæc est materialis, Homo est, ergo anima eius est immortalis. Nam oppositum consequentis non manifestè & ad sensum repugnat antecedenti. Multi enim licet falso opinantur hãc copulatiuam esse veram, Homo est, & anima eius est mortalis. Similiter hæc est materialis, Deus non est, ergo nullus homo est. quoniam licet in veritate oppositum cõsequentis repugnet antecedenti, tamen apud multos est imaginabile q̃ stet cum antecedente, vt apud illos qui negãt Deum esse. Vnde ipsi reputant hanc copulatiuam esse possibilem, Deus non est, & aliquis homo est. Qui tamen seipsos decipiunt. Patet igitur quid sit consequentia formalis & materialis.

Vsque huc reales & terministæ conueniunt, discordant autem reales à terministis in duabus regulis datis de consequentia bona materiali.

Dicunt enim terministæ, quod ex impossibili sequitur quod libet, id est si antecedens sit propositio impossibilis, consequens potest esse quæcunque alia propositio & consequentia erit bona materialis. vt hic, *A sinus est homo*, ergo baculus est in angulo, & hic, Deus non est, ergo gallus cantat. Dicunt etiam quod necessarium sequitur ad quodlibet, id est. Quacunque propositione posita pro antecedente si inconsequente ponitur propositio necessaria, consequentia erit bona materialis, vt hic gallus cantat, ergo homo est rationalis.

Ex impossibili sequitur quodlibet.

Has regulas non concedunt reales vt sonant, id est in sua vniuersalitate, quoniam diffinitio bonæ consequentiæ, non seruatur per eas, Diximus enim quod bona consequentia *est vera illatio & sequela consequentis ex antecedente.*

Per has autem regulas constat apud sanæ mentis virum non seruari veram sequelam nec dependentiam consequentis ex antecedente, in consequentiis prædictis. Nec oppositum consequentis repugnat antecedenti. Nam hæc duo non repugnant, A sinus est homo, & baculus non est in angulo. Nec ista duo repugnant, Gallus cantat, & homo non est rationalis. Reales igitur non concedunt primam nisi in hoc sensu. Ex antecedente impossibili sequitur quodlibet impossibile inclusum in tali antecedẽte impossibili. Nam bene sequitur, homo *est asinus*, ergo *est* irrationalis, ergo est rudibilis, ergo est indisciplinabilis, ergo est iumentum, ergo est quadrupes. Nam hæc omnia prædicantur de asino, & ideo concesso primo impossibili, sequuntur prædicta omnia impossibilia. secundam autem regulam concedunt in hoc sensu. Si consequens est necessarium sequitur ad quodlibet antecedens necessarium includens ipsum consequens. Nam quia hoc consequens est necessarium, ergo homo est risibilis, sequitur ad hoc antecedẽs, homo est rationalis, & ad hoc homo est animal rationale, & ad hoc homo est animal admiratiuum.

In hoc igitur sensu reales concederent prædictas regulas & non vniuersaliter. Verum si bene aduertis in sensu dicto faciunt consequentiam formalem. quoniam oppositum formaliter repugnat antecedenti, ita quòd non est imaginabile à viro sanæ mentis oppositum consequentis posse stare cum antecedente. Nam posito pro impossibili hominem esse asinum sequitur infallibiliter aliud impossibile, ergo est rudibilis. & posito hoc consequente necessario, homo est risibilis, antecedit ad ipsum ineuitabiliter, quod homo est rationalis. Vnde apud reales non datur consequentia materialis, nisi quæ dicitur bona de materia de qua statim loquemur.

Tertia diuisio est ista. Consequentia bona formalis est duplex, scilicet bona de forma, & bona de materia.

Bona de forma est illa in qua oppositum consequentis non potest nec est imaginabile posse stare cum antecedente, & talis modus arguendi valet in omni materia, nulla exceptione facta, vt quando arguitur ab inferiori ad suum superius affirmatiuè & sine distributione, & in omni modo arguendi quem assignabimus in capitulo quarto seruatis debitis limitationibus, vt tibi declarabitur. Nam sicut seruatis modo & figura, de quibus actum est in tract. de Syllogismo formali, semper fit validus syllogismus quo ad formam, sic seruatis regulis, de quibus agemus infrà, semper fit valida consequentia quo ad formam.

Bona de materia est illa in qua oppositum consequentiis repugnat antecedenti, nec est imaginabile stare cum antecedente, & tamen non quælibet sibi consimilis seruato eodem modo arguendi est bona. Verbi gratia, hæc est bona de materia. Tu non es homo, ergo tu non es animal. & tamen hic modus arguendi non tenet in omni materia. Nam hæc est similis in modo arguendi. Hoc, demonstrato asino, non est homo, ergo non est animal, & tamen non valet, quoniam antecedens est verum & consequens falsum, vt patet. Similiter hæc est bona de materia, Si tu es homo, tu es risibilis, ergo si tu non es homo, non es risibilis. Nam hæc est similis in modo arguendi, scilicet à destructione antecedentis, ad destructionem consequentis, Si tu es homo, tu es animal, & tamen non valet, ergo si tu non es homo, tu non es animal, quoniam demonstrato asino, antecedens est verum & consequens falsum.

Vsque huc conueniunt reales & terministæ. Sed terministæ eliciunt ex prædictis quod istæ duæ sunt consequentiæ bonæ formales, sed non de forma, Tantum pater est, ergo non tantum pater est. Tu scis te esse lapidem, ergo tu non scis te esse lapidem. Reales autem negant eas, quoniam non sunt neque bonæ, neque formales neque bonæ de forma, quoniam per nullam consequentiam bonam concluduntur contradictoria. Nam in omni consequentia bona formali si antecedens est verum consequens est verum, vt tibi manifestabitur infra. Non enim ex vero concluditur nisi verum stante valido modo arguendi, vt docuimus in tractatu de Syllogismo formali, ergo in prædicta consequentia si antecedens est verum, consequens est verum. Sed antecedens & consequens sunt contradictoria, ergo contradictoria sunt simul vera, quod est contra primum principium.

Et quoniam sequentes viam terministarum conantur *eas probare, ideo recitandæ sunt eorum probationes & soluentur.*

Hanc scilicet, tantum pater est, ergo non tantum pater est sic deducunt. Tantum pater est, ergo pater est: nam ab exclusiua ad suam præiacentem valet consequentia, quoniã bene sequitur, tantum homo est risibilis, ergo homo est risibilis. Tunc vltra, pater est, ergo filius est. nam ab vno correlatiuo ad aliud in propositione de secundo adiacente valet consequentia, vt dicemus infra. Vnde bene sequitur, pater est, ergo filius est, & econuerso, & negatiuè, vt pater non est, ergo *filius non est*, & econuerso. Tunc vltra, *filius est*, ergo aliud à patre est. Nam filius est aliud suppositum à patre vt patet, quia nihil seipsum generat. Tunc vltra aliud à patre est, ergo non tantum pater est, quoniam dictio exclusiua excludit quodcunque aliud à termino cui additur. Valet ergo à primo ad vltimum, Tantum pater est, ergo non tantum pater est.

Istam verò, tu scis te esse lapidem, ergo tu non scis te esse lapidem sic deducunt. Tu scis te esse lapidem, ergo est verum te esse lapidem, quia nihil scitur nisi verum, vt tibi alias declarabitur. Si *est verum te esse lapidem*, ergo tu non es homo, quia lapis & homo sunt termini disparati: sed ab vno disparato affirmatiuè, ad aliud negatiuè valet consequentia, vt patebit infra. Nam bene sequitur, Tu es lapis, ergo tu non es homo. Tunc vltra: Tu non es homo, ergo tu non es sciens. nam inter omnia inferiora tantum homo est sciens, ergo si non es homo, non es sciens. Tunc vltra: Tu non es sciens, ergo tu non scis te esse lapidem. Ergo à primo ad vltimum, Tu scis te esse lapidem, ergo tu non scis te esse lapidem.

Ad primum nego hanc consequentiam, Tantum pater est, ergo pater est. imò sequitur negatiua, scilicet ergo pater non est, quoniam dictio exclusiua excludit quodcunq; aliud suppositum à termino cui additur, ergo excludit filium, cum sit aliud suppositum à patre. Si excludit filium ergo pater non est, quoniam remouetur vno correlatiuo remouetur reliquum, ergo excluso filio pater non est, & quando probatur consequentia, quoniam ab exclusiua ad suam præiacentem valet consequentia, illa regula non valet in correlatiuis de secundo adiacente, valet autem vniuersaliter in terminis absolutis, vt tibi declarabitur infrà.

Ad secundam dico vt inquit Aristoteles in primo Physicorum arguens antiquos ponentes tantum vnum ens. Dato vno inconuenienti, multa sequuntur. Vnde dato antecedente, sequitur contradictoria esse simul vera, scilicet tu scis te esse lapidem, ergo non scis te esse lapidem, cum igitur non sit concedendum contradictoria posse esse simul vera, id est nullo modo est concedendum antecedens: quo non concesso, non sequitur ergo tu es lapis, nec sequitur tu non es homon, ec sequitur tu non es sciens, nec sequitur vltimatè, ergo tu non scis te esse lapidem, & sic patet quod non valet consequentia à primo ad vltimum. Hæc igitur dicta sint de

diuisionibus generalibus consequentiæ bonæ.

CAP. III.

De regulis generalibus consequentiæ formalis.

IN tertio cãpite relicta consequentia materiali, quoniam aut non datur, aut parum deseruit pro aliis scientiis acquirendis, assignandæ sunt regulæ generales magis famosę, quę solent dari de consequentia bona formali.

Prima est. Omnis consequentia, in qua contradictorium consequentis infert contradictorium antecedentis, est bona & formalis. vt hic, aliquis homo currit, ergo aliquod animal currit. Nam bene sequitur, nullum animal currit, ergo nullus homo currit. implicat enim contradictionem quòd nullum animal & quòd aliquis homo currat Nam si aliquis homo currit, aliquod animal currit, quia homo est animal, sed istæ duæ sunt contradictoriæ, aliquod animal currit & nullum animal currit, ergo constat quòd implicatur contradictio. Si autem contradictorium consequentis non infert contradictorium antecedentis, sed stat cum antecedente, consequentia est mala, & nulla, & semper neganda, vt hic, Tu es homo, ergo tu es doctus: Nam non sequitur, Tu non es doctus, ergo tu non es homo. imò stat & de facto est quòd pro maiori parte homines non sunt docti, & tamen sunt homines.

Secunda regula. Omnis consequentia, in qua antecedens est verum, & consequens verum, & in qua antecedẽs, & cõsequens sunt falsa, est bona & formalis. Exemplum primi. Tu curris, ergo tu moueris. Exemplum secundi, Tu es asinus, ergo tu es irrationalis. & hæc secunda regula fundatur in prima, quia scilicet contradictorium consequentis infert contradictorium antecedentis. Nam bene sequitur, Tu non moueris, ergo tu non curris, & bene sequitur tu non es irrationalis, ergo tu non es asinus. Si autem antecedens est verum, & consequens falsum consequentia non est bona, quoniam stante debito modo arguendi, vt inquit Aristoteles in primo Priorum ex veris non sequitur nisi verum: quod si ex veris concludatur falsum, neque syllogismus neque consequentia valet, vt docuimus in tract. de syllogismo formali. Vnde hæc non est bona. Tu es homo. ergo tu es Papa, & ratio huius fundatur in secunda parte primæ regulæ, scilicet quoniam contradictorium consequentis non infert contradictorium antecedentis. Non enim sequitur, Tu non es Papa. ergo tu non es homo, imò stat de facto quòd tu non es Papa, & tamen tu es homo.

Tertia est. Omnis consequentia, in qua antecedens & consequens sunt necessaria. vel vtrunque non necessariũ est bona & formalis. Exemplum primi, homo est animal, ergo est habens animam. Exemplum secundi, homo dormit, ergo quiescit. & ratio huius regulæ fundatur in prima, quoniam scilicet contradictorium consequentis, infert contradictorium antecedentis. Nam respectu primi bene sequitur, homo non est habens animam, ergo non est animal. & respectu secundi bene sequitur, homo non quiescit. ergo homo non dormit. si autem antecedens sit necessarium, & consequens non necessarium, consequentia non est bona vt hic, Homo est animal, ergo homo est videns. & ratio huius fundatur in secunda parte primæ regulæ, scilicet quoniam contradictorium consequentis non infert contradictorium antecedentis. non enim sequitur, Homo non est videns, ergo non est animal, imò de facto videmus quòd aliquis homo non est videns, vt cæcus, & tamen est animal, quoniam sentit & mouetur.

Quarta est. Omnis consequentia, in qua antecedens, & consequens sunt possibilia, vel vtrunque impossibile, est bona & formalis. exemplum primi, Tu es dux belli, ergo tu habes exercitum. Exemplum secundi, Tu es lapis, ergo tu es inanimatus. Et ratio huius fundatur super primam: nam cõtradictorium consequentis infert contradictorium antecedentis. quoniam bene sequitur, tu non habes exercitum, ergo tu non es dux belli. Exemplum secundi. Tu es lapis, ergo tu es inanimatus. & fundatur super idem, nam bene sequitur. tu non es inanimatus, ergo tu non es lapis. Si autem antecedens sit possibile, & consequens impossibile, consequentia non est bona nec formalis. vt hic, homo vigilat, ergo lapis vigilat. vel sic. homo loquitur, ergo mutus loquitur. Non valet. quoniam contradictorium consequentis, non infert contradictorium antecedentis, imò stat cum antecedente: nam bene stat quòd lapis non vigilet, & quod homo vigilet, & bene stat quod mutus non loquatur, & homo loquatur quoniam stat homo indefinitè.

Quinta est, Omnis consequentia in qua quicquid antecedit ad antecedens, antecedit ad consequens, & quicquid sequitur ad consequens, sequens est ad antecedens, est bona & formalis. Exemplum primi, Hæc est consequentia bona formalis, Homo currit, ergo animal currit. Ad antecedens antecedit ista, Plato currit, & antecedit ad consequens. Nam sicut ista est vera, homo currit, ergo animal currit, sic ista est vera, Plato currit, ergo animal currit, quoniam Plato est homo, ergo est animal. Similiter valet hic, Homo currit, ergo animal currit, ad consequens sequitur ista, ergo corpus currit, & ista, ergo substantia currit, & idem sequitur ad antecedens. Nam bene sequitur, homo currit, ergo corpus, ergo substantia currit. Nam sicut corpus prædicatur de animali, & de corpore substantia, vt patet in arbore Porphyrij, sic prædicantur de homine. Ex hac regula sequitur illa famosissima, A primo antecedente ad vltimum consequens quando consequentiæ intermediæ sunt bonæ & formales & non variatæ est bona & formalis consequentia: quòd manifestè & infallibiliter patet in linea prædicamentali. Nam fiat hæc consequentia, Sortes est homo, ergo Sortes est substantia. & probatur sic, Sortes est homo, ergo est animal, si est animal ergo corpus, si corpus, ergo est substantia. ergo à primo ad vltimum, Sortes est homo, ergo est substantia. & aduerte quod valet dummodo consequentiæ intermediæ sint bonæ & formales & non variatæ. Nam si aliqua ex intermediis non sit bona & formalis, consequentia non valet à primo ad vltimum. Vnde hæc non valet. Sortes bene bibit, ergo Sortes saluabitur. Solet enim sic probari, Sortes bene bibit, ergo bene dormit: si bene dormit non peccat, si non peccat saluabitur, ergo à primo ad vltimum Sortes bene bibit, ergo saluabitur. Non valet inquam, quoniam prima non est bona. Stat enim quod non bene dormiat, & tamen bene bibat. Similiter secunda non est bona, quoniam & si dum dormit non peccat, potest vigilans peccare. Dicitur & non variatæ. Pro cuius notitia aduerte quòd non variatur si consequens prioris consequentiæ est præcisè antecedens posterioris, vt patet in tota linea prædicamentali arguendo à specialissimo ad generalissimum. Si autem aliquid addatur, variantur intermediæ & tunc non valet consequentia à primo ad vltimum. Vnde hæc non valet. Tu in nullo loco es, ergo in aliquo loco es. Sic enim solet probari, Tu in nullo loco es, ergo tu non es Romæ, si non es Romæ & alibi es, ergo alibi es. Si alibi es, ergo in aliquo loco es. ergo à primo ad vltimum, tu in nullo loco es, ergo in aliquo loco es. Non valet inquam, quoniam secunda est variata. Nam antecedens secundæ continet plus quàm consequens primæ, scilicet ly & alibi es.

Sexta est. Omnis consequentiæ bonæ, si antecedens est concedendum, & consequens similiter, & si antecedens est negandum, & consequens similiter, dummodo consequentia sit scita esse bona. Exemplum primi, Tu es homo, ergo tu es risibilis: nam cum risibile sequatur ad hominem. vt proprium quarto modo, qua ratione concedis antecedens, debes concedere consequens. Exemplum secundi, Tu non es asinus, ergo tu non es rudibilis. Nam sicut risibile sequitur ad hominem, sic rudibile ad asinum, ergo qua ratione negandum est antecedens, negandum est & consequens, si autem antecedens est concedendum & consequens negandum, consequentia non est bona, vt hic, animal sentit, ergo planta sentit: non valet, quoniam contradictorium consequentis stat cum antecedente. Nam bene stat, quòd planta non sentiat, quoniam caret anima sensitiua, & quòd animal sentiat, quoniam constituitur animal per animam sensitiuam vt tibi hæc declarabuntur in libro de Anima. dicitur dummodo consequentia sit scita esse bona ab eo cui fit consequentia, nam si hæc consequentia fiat Philosopho, sol eclipsatur, ergo luna interponitur inter solem & aspectum nostrum, concedet totum, quoniam scit eam esse bonam. Si autem fiat idiotæ, concedet quidem antecedens, quoniam videt ad sensum solem obscurari, sed negabit consequens: quoniam nescit causam huius eclipsis. Istæ sunt regulæ famosæ & generales consequentiæ formalis, quas admittunt logici reales, & terministæ.

CAP. IIII.

De regulis particularibus consequentiæ formalis.

IN cap. quarto ponendæ sunt particulares regulæ consequentiæ formalis. Ordo enim doctrinæ exigit vt ab vniuersalibus regulis ad particulares descendamus.

Diuidemus autem præsens caput in septem partes.

In prima ponentur regulæ penes superius & inferius.

In secun

In secunda ponẽtur regulæ penes propositiones quantas.

In tertia ponentur regulæ penes propositiones non quantas.

In quarta ponentur regulæ penes terminos pertinentes & impertinentes.

In quinta ponentur regulæ penes probationes propositionum.

In sexta ponentur regulæ penes hypotheticas copulatiuas & disiunctiuas.

In septima ponentur regulæ, penes hypotheticas conditionales. Et aduerte, quòd omnes regulæ, quæ infra ordinabuntur, fundamentum habent in via peripatetica, vt tibi notum erit, cum exercitatus fueris in doctrina Aristotelis.

PARS I.

Regulæ penes superius & inferius.

IN parte prima huius capitis: assignandæ sunt regulæ particulares consequentiæ formalis iuxta superius & inferius. & aduerte quòd arguendo ab inferiori ad superius assignantur tres regulæ, & tres à superiori ad inferius.

Prima est ab inferiori per se ad suum superius, per se affirmatiuæ & sine distributione, & sine signo immobilitante, & in suppositione personali, valet consequentia formalis. vt tu es homo, ergo tu es animal.

Primò dicitur ab inferiori per se, pro quo nota quòd ea se habent vt superius & inferius per se & econuerso, quæ in linea prædicamentali ita se habent, quòd vnum subordinatur alteri, vt ascendendo à specialissimo ad generalissimum. Vnde hęc est vera consequentia, Homo est animal, ergo homo est corpus animatum. & hæc, Homo dormit, ergo animal dormit. Ea autem se habent vt inferius & superius per accidens quorum vnum est minus commune, & alterum magis, sed non subordinantur in linea prædicamentali, nec magis prædicatur de minus communi per se & essentialiter, sed per accidens, & hoc modo se habent, homo, & albũ. Nam de multis prædicatur album, de quibus non prædicatur homo. In his igitur non valet consequentia ab inferiori ad superius. Non enim sequitur, Homo currit, ergo album currit. Stat enim quòd nullum album currat, & quòd homo puta Ethiops currat.

Secundò dicitur affirmatiuè, quia non valet negatiuè, non enim sequitur. Nullus homo est quadrupes, ergo nullum animal est quadrupes.

Tertiò dicitur sine distributione, quoniam cum signo distributiuo non valet neque affirmatiuè neque negatiuè. Non enim sequitur, Omnis homo est risibilis, ergo omne animal est risibile. neque sequitur, nullus homo est asinus, ergo nullum animal est asinus.

Quartò dicitur, sine signo, id est sine dictione immobilitante. Non enim sequitur, Si tu es asinus, tu es rudibilis, ergo si tu es animal, tu es rudibilis. Stat enim quòd tu sis animal demonstrando canem, & tamen non sis rudibilis, quia canis non est rudibilis.

Quintò dicitur in suppositione personali, quoniam in suppositione materiali non valet vt hic, Homo est bisyllabum, ergo animal bisyllabum. nec in simplici, vt hic, Homo est species specialissima, ergo animal est species specialissima.

Secunda regula, ab inferiori ad suum superius, licet non valeat distributiuè nisi gratia materiæ, valet tamen in suppositione confusa mobili.

Primò dicitur, licet non valeat distributiuæ scilicet ordinariè & formaliter vt docuimus in regula præcedenti, valet tamen gratia materiæ, vt hic. Nullus numerus binarius est, ergo nullus numerus est. Nam quia binarius est primus numerus, remoto primo, remouentur subsequentes includentes primum. Omnis enim numerus sequens binarium includit binarium.

Secundò dicitur, valet tamen in suppositione confusa mobili. Nam quòd non valeat in suppositione confusa immobili, diximus in regula præcedenti: quòd autem valeat in suppositione confusa mobili, patet hic, omnis homo est animal, ergo omnis homo est animatus, est corpus, est substantia.

Tertia regula ab inferiori ad suum superius, negatione non præposita, sed postposita inferiori, & superiori, stante suppositione discreta vel determinata & personali, & cum debito medio, valet consequentia.

Dicitur negatione non præposita, quoniam præposita distribuit terminum immediatè & mediatè sequentem, vt docuimus in tractatu suppositionum. Diximus autem in prima regula quòd ab inferiori ad suum superius non valet consequentia cum distributione. Vnde non valet, non aliquis homo currit, ergo non aliquod animal currit. Stat enim quòd aliquod animal currat, puta canis, & tamen non aliquis homo currat.

Dicitur stante suppositione discreta vel determinata, quia in suppositione distributiua & confusa mobili, non valet.

Exemplum primi. Omnis homo non currit. Omnis homo est animal, ergo omne animal non currit.

Exemplum secundi, tantùm substantia non est accidens, & omnis substantia est aliquid, ergo tantùm aliquid est accidens.

Dicitur & personali, quoniam in suppositione simplici non valet. non enim sequitur, Homo non est genus, & homo est animal, ergo animal non est genus.

Dicitur cum debito &c. quoniam sine eo non valet. & probatur sic, pono quòd omne animal currat, & volo quòd demonstretur homo mortuus, puta Sortes, & arguatur sic, Ille homo, scilicet Sortes mortuus non currit, & homo est animal, ergo animal non currit. Non valet, quoniam antecedens est verum, & consequens falsum per casum positum, scilicet quòd animal omne animal currat. Non valet inquã, quoniam non sumitur debitum medium. Nam debitum medium est hoc, & homo est animal. sed est hoc, & ille homo, scilicet Sortes mortuus est existens animal. Istæ sunt tres regulæ generales arguendo ab inferiori ad suum superius modo præexposito. Econuerso autem sunt aliæ tres regulæ.

Prima est à superiori ad suum inferius sine distributione non valet consequentia. Vnde non sequitur, animal currit, ergo homo currit. potest enim animal, puta asinus currere, & tamen homo non curret. Sed aduerte quòd licet non valeat de forma, valet tamen in aliqua materia, vt in genere numeri, nam bene sequitur, numerus est, ergo binarius est: quoniam omnis numerus supponit binarium. *A superiori ad inferius.*

Secunda est, A superiori ad suum inferius distributiuè affirmatiuè cum debito medio valet consequentia. Vt omne animal currit, ergo Sortes currit.

Dicitur distributiuè, quoniam sine distributione non valet per primam regulam, nec sufficit suppositio confusa. non enim valet tantum animal currit. ergo tantum homo currit, nam patet consequens esse falsum, & antecedens verum.

Dicitur cum debito medio, quia sine eo non valet vniuersaliter. Non enim sequitur. Tu differs ab asino, ergo differs à brunello, sed dicatur sic, Tu differs ab asino, brunellus est asinus, ergo tu differs à brunello.

Tertia est. A superiori ad suum inferius negatione præposita & distribuente valet consequentia. Nam bene sequitur, nullum animal currit, ergo nullus homo currit.

Dicitur negatione præposita, scilicet ad superius, quia si postponatur non valet. Non enim sequitur, Animal non currit, ergo homo non currit: nam bene stat quod aliquis homo currat, & quòd aliquod animal, puta brunellus non currat: stat enim animal & homo determinatè & non distributiuè.

Dicitur distribuente, quoniam negatio præponitur superiori, & impeditur per aliam negationem, quod non distribuat ipsum superius consequentia non valet, vt hic, Nonnullum animal currit, ergo nonnullus homo currit. nam ly animal & ly homo non stant distributiuè, sed determinatè, vt docuimus in tractatu de suppositionibus. Vnde æquipollent istis, Aliquod animal non currit, ergo aliquis homo non currit, constat autem hanc consequentiam non valere, vt diximus.

Idem iudicium est de ista consequentia. Non omne animal currit, ergo non omnis homo currit, Non valet, quoniam ly non, non distribuit ly animal, sed stat determinatè. Quare &c cætera.

Hæc de regulis penes superius & inferius dicta sint.

PARS II.

Regulæ secundum propositiones quantas.

IN parte secunda assignandæ sunt regulæ consequentiæ formalis penes propositiones alicuius quantitatis, quæ scilicet sunt vniuersales, vel particulares, vel indefinitæ, vel singulares.

Et aduerte quod ex parte vniuersalium dantur tres regulæ, & ex parte particularium indefinitarum & singularium dantur quatuor regulæ.

Prima ex parte vniuersalium est hæc, ab vniuersali affirmatiua & negatiua ad suas subalternas, valet consequentia.

Exemplum primi, Bene sequitur, Omnis homo est albus,

ergo homo est albus, quæ est suà indefinita, ergo quidam homo est albus, quæ est sua particularis, ergo hic homo est albus, quæ est sua singularis. Exemplum secundi.

Nullus homo est albus, ergo homo non est albus, ergo quidem homo non est albus, ergo hic homo non est albus.

Secunda est. Ab vniuersali affirmatiua ad omnes suas singulares tam collectiuè quàm diuisiuè est bona cõsequentia. Collectiuè quidem, vt hic. Omnis homo currit, & isti sunt omnes homines, ergo & iste homo currit & iste, & iste & sic de omnibus aliis. Diuisiuè autem sic, Omnis homo currit ergo tu curris.

Et aduerte quod ratio regulæ est hæc, quoniam vt docuimus in tractatu de suppositionibus sub termino communi stante, & supponente distributiuè, licet descendere ad omnia sua supposita copulatiuè. Vide tu illic.

Sed aduerte quòd reales & terministæ in hæc regula conueniunt & disconueniunt. Conueniunt quidem in hoc quod quando fit vniuersalis affirmatiua in materia contingẽti, regula valet cum debito medio, vt hic, Omnis homo currit, & isti sunt omnes homines, ergo iste currit & iste & sic de singulis. Nam sicut antecedens est contingens, sic & consequens. Disconueniunt autem quando fit vniuersalis affirmatiua in materia naturali, vt omnis homo est animal Dicunt enim terministæ regulam non valere nisi gratia aliquando materiæ, quoniam antecedens esset necessarium, scilicet omnis homo est animal. & consequens contingens, scilicet iste homo, & iste est animal. Nolunt enim aliquam singularem in rebus corruptibilibus esse necessariam, quoniam quodlibet singulare corruptibile aliquando est, & aliquando non est. Reales autem dicunt singulares in materia naturali esse necessarias, eo quòd prædicatum semper verificatur de subiecto, posito quòd subiectum non existat, quoniam in tali propositione ly est non dicit existentiam subiecti, sed habitudinem prædicati ad subiectum. In materia verò contingenti, ly est dicit existentiam & habitudinem, quare non est simile. Tenet ergo regula vniuersaliter, & non solùm gratia materiæ, & hac viam sequimur in doctrina peripatica.

Tertia est ab vniuersali negatiua ad quãlibet singularem est semper & vniuersaliter bona consequentia. Nam bene sequitur, in omni materia tam naturali quàm contingenti, quam remota, vt hic. Nullus homo est rationalis, ergo nec iste nec iste, & sic de singulis. Nullus homo est sapiens, ergo nec iste, nec iste, & sic de singulis. nullus homo est asinus, ergo nec iste, nec iste &c.

Et aduerte, quòd ratio huius regulæ est eadem cum ratione secundæ, quoniam scilicet sub termino distributo licet descendere copulatiuè tam affirmatiuè, quàm negatiuè.

Istæ sunt tres regulæ generales penes propositiones vniuersales.

Ex parte autem particularium indefinitarum, & singularium, sit hæc prima regula. A particulari vel indefinita vel singulari ad vniuersalem, non valet consequentia, nisi gratia materiæ. Non enim sequitur, aliquis homo est albus, ergo omnis homo est albus. Dico nisi gratia materiæ, quoniã licet non valet tantum in materia contingenti, valet tamen in materia naturali & in materia remota. Nam prędicatum in materia naturali conuenit inseparabiliter omni contento sub subiecto, & in materia remota remouetur immutabiliter ab omni contento sub subiecto. Vnde in vtraque materia particularis, & indefinita, & singularis infert vniuersalem: nam bene sequitur, aliquis homo, & homo, & hic homo est animal, ergo omnis homo est animal, & bene sequitur in materia remota, aliquis homo, & homo, & hic homo nõ est asinus, ergo nullus homo est asinus. vnde docuimus in tract. de syllogismo demonstratiuo, quomodo propositio per se est de omni, etiã quod non apponatur signum vniuersale. vt hæc est per se, & de omni. Homo est risibilis, aliquis homo est rationalis, quoniam sunt virtualiter vniuersales.

Secunda est à particulari ad suam indefinitam, & econuerso, & affirmatiuè, & negatiuè, & in omni materia tam naturali quam contingenti & quam remota tenet consequẽtia, nam bene sequitur, aliquis homo currit, ergo homo currit & econuerso: aliquis homo non currit, ergo homo non currit, & econuerso. & in materia naturali aliquis homo est rationalis ergo homo est rationalis, & econuerso: & in materia remota, aliquis homo non est asinus, ergo homo non est asinus, & ecõuerso. & ratio huius regulæ est quia subiectum propositionis particularis, & indefinitæ si est terminus communis eãdem suppositionem habet, scilicet determinatam, vt docuimus in tract. de suppositionibus.

Tertia est à particulari, vel indefinita ad omnes suas singulares disiunctiuè sumptas est bona consequentia. nam bene sequitur, aliquis homo currit, ergo hic vel hic, vel hic currit. Idem intellige de indefinita. Nam bene sequitur, Homo currit, ergo hic vel hic &c. & ratio huius regulæ est, quia subiectum propositionis particularis, & indefinitæ, si sit terminus communis, supponit determinatè, sub quo licet descendere ad sua singularia disiunctiuè, vt docuimus in tracta. de suppositionibus.

Sed aduerte quod in hac regula sicut in secunda suprapo sita respectu propositionum vniuersalium differunt terministæ, & reales. nam terministę nolunt hanc regulam valere nisi in materia contingenti. Dicunt enim in materia naturali hanc non valere, Homo est animal, ergo hic homo est animal, vel hic homo est animal &c. quoniam secundum eos antecedens est necessariũ, & consequens cõtingens. quoniã, vt iam diximus, nolunt aliquam singularẽ esse necessariam in his corruptibilibus. Reales autem nolunt hanc regulam valere in omni materia, quoniam in materia contingenti, sicut antecedens est contingens, sic & consequens. In materia naturali, sicut antecedens est necessarium, sic & consequens, quoniam copula non dicit existentiã, sed necessariam habitudinem prædicati ad subiectum. In materia autem remota sicut antecedens est impossibile, sic & consequens, & hanc viam sequimur vt peripateticam.

Quarta est, ab omnibus singularibus sufficienter enumeratis ad suam vniuersalem tam affirmatiuè quàm negatiuè valet consequentia: nam bene sequitur, Hic homo currit, & hic, & hic, & sic de singulis nullo excepto: ergo omnis homo currit, idem intellige negatiuè, & hæc valet in omni materia, vt patet: & aduerte quod hæc regula coincidit cum illa, in qua dicitur, quòd ab inducentibus ad inductam valet cõsequentia. Inducentes enim sunt singulares sufficienter acceptæ. Inducta autem est vniuersalis tam affirmatiua quam negatiua. Hęc de regulis consequentiæ formalis penes propositiones quantas dicta sint.

PARS III.

Consequentiæ penes propositiones non quantas.

IN tertia parte assignandæ sunt regulæ consequentiæ formalis penes propositiones non quantas, quales sunt illæ, in quibus ingreditur dictio exclusiua, vel exceptiua, quorum prima est ista. Prima regula, ab exclusiua propositione primi ordinis affirmatiua ad suam vniuersalem affirmatiuam de terminis transpositis existentibus in recto, valet cõsequentia. vt tantùm homo, est id solus homo, est risibilis, ergo omne risibile est homo.

Dicitur primi ordinis, nam exclusiua habet tres ordines, vt docuimus in trac. de suppositionibus. & diffusius dicemus in trac. de probationibus terminorum, & tu vide illic. Dicitur igitur in præsenti regula ab exclusiua primi ordinis quoniam si fiat secundi. aut tertij ordinis, non valet consequẽtia. exemplum secundi ordinis, Homo tantum est animal, ergo omne animal est homo. nam cõsequens est falsum, vt patet, & antecedens est verum, vt tibi declarabitur in trac. sequentis: quoniam exponemus exclusiuam primi, & secundi & tertij ordinis.

Dicitur affirmatiua, quia in negatiua non valet, siue negatio præcedat notam exclusionis, siue subsequatur, modo fiat propositio negatiua. exemplũ primi, Non valet, non tantum homo est animal, ergo omne animal est homo. constat enim antecedens esse verum, & consequens falsum. exemplum secundi, nõ valet, Tantùm accidens nõ est substantia ergo omnis substantia est accidens: nam consequens est falsum vt patet: antecedens verò est verum, quoniam inter omnia entia, solùm accidens non est substantia.

Dicitur ad suam vniuersalem affirmatiuam, quoniã ad negatiuam non valet, vt hic. tantùm homo currit, ergo nullum currens est homo, constat enim antecedens esse verum vel saltem possibile, consequens autem est falsum, vt ad sensum patet.

Dicitur de terminis transpositis, quoniam subiectum exclusiuæ fit prædicatum vniuersalis affirmatiuæ, & prædicatum exclusiuæ, fit subiectum vniuersalis affirmatiuæ. vt hic, tantùm homo est rationalis, ergo omne rationale est homo.

Dicitur terminis existentibus in recto quoniam in obliquo non valet vt hic, Tantùm pecunia est hominis, ergo quilibet homo habet pecuniã, nam antecedẽs est verum posito q̃ homo non aliud possideat quàm pecuniã, & tamen consequens est falsum, aliter nullus esset egenus ergo non valet.

Secun

Secunda regula ab exceptiua negatiua, ad exclusiuam affirmatiuam, sibi correspondentem, valet consequentia, vt hic, nullum animal præter hominem est risibile, ergo tantum homo est animal risibile.

Dicitur ab exceptiua negatiua, quia ab affirmatiua non valet, vt hic, omnis homo præter Christum est mendax, ergo tantùm Christus est homo mendax. cõstat enim antecedens esse verum, & tamen consequens est falsum, & detestabile.

Dicitur ad exclusiuam sibi correspondentem. Pro quo aduerte, quòd tunc exceptiua negatiua correspondet exclusiuæ, quando pars extra capta fit subiectum exclusiuæ, & aggregatum ex subiecto, & prædicato exceptiuæ fit prædicatum exclusiuæ. Vnde hæc est correspondens huic exceptiuæ, nullus homo præter sortem est sapiens, ergo tantùm Sortes est aliquis homo sapiens. Hæc autem non bene correspõdet. Nullum animal præter hominem intelligit, ergo tantum homo intelligit: nam prædicatum huius exclusiuæ non continet subiectum, & prædicatum exceptiuæ, sed tantùm prædicatum: vt igitur bene correspondeat formetur sic, ergo tantùm homo est animal intelligens.

Tertia est ab inferiori ad suum superius affirmatiuè, dictione exclusiua opposita subiecto, valet consequentia, vt tantum homo currit, ergo tantum animal currit.

Dicitur ad suum superius affirmatiuè. Non enim valet negatiuè, vt hic, non tantum homo est sensitiuus, ergo non tantum animal est sensitiuum, est enim antecedens verum, vt patet, & consequens falsum.

Quarta est ab inferiori ad suum superius ex parte prædicati, & dictione exclusiua addita subiectis, non valet consequentia. Non enim sequitur tantùm homo currit, ergo tantùm homo mouetur. Nam resoluendo currit, & mouetur in sua participia, & formando vniuersalem affirmatiuam de terminis transpositis, constat tibi manifestè quòd arguitur ab inferiori ad suum superius distributiuè, quòd non valet, vt docuimus suprà. Verbi gratia tantum homo est currens, ergo tantum homo est motus. Dico quòd ly currens, quòd est inferius ad motum. & ly motus stãt distributiuè, vt patet per vniuersales de terminis transpositis. vt hic, Omne currens est homo, ergo omne motum est homo. Constat quòd non sequitur, quoniam antecedẽs est verum per casum possibilem, & tamen consequens est falsum: non enim inconuenit solum hominem currere, & asinum, qui non est homo, moueri.

Quinta est, à termino stante confusè tantùm mobiliter, vel determinatè ad eundem stantem distributiuè per appositionem dictionis exclusiuæ, non valet consequentia. exemplum primi. Non sequitur, omnis homo est animal, ergo tantum homo est animal. Nam animal in antecedente stat confusè tantùm mobiliter, & in consequente distributiuè, & constat antecedens esse verum, & consequens falsum. exemplum secundi. Non sequitur, Homo est animal, ergo tantum homo est animal. Nam animal stat in antecedente determinatè & inconsequente distributiuè, & constat antecedens esse verum, & consequens falsum.

Sexta est, à termino stante confusè distributiuè ex parte prædicati, dictione exclusiua addita subiecto, ad eundem stantem determinatè valet consequẽtia. nam bene sequitur, tantùm homo est animal, ergo homo est animal. Nam in prima animal distribuitur, in secunda stat determinatè.

Septima est, à termino stante confusè tantùm mobiliter, ad eundem stantem determinatè, respectu eiusdem syncategorematis vel distributionis, non valet consequentia. non enim sequitur, tantùm homo est animal, ergo animal est omnis homo. Hæc de regulis consequentiæ formalis, penes propositiones non quantas dicta sint.

PARS IIII.

Consequentiæ penes terminos pertinentes & impertinentes.

IN parte quarta agendum est, de regulis consequentiæ formalis, penes terminos pertinentes, & impertinentes. Sed prius aduerte quòd termini pertinentes dicũtur illi, quorum significata nullàm habent repugnantiam adinuicem, & possunt simul inesse, vt album, & dulce, homo & iustum siue iniustum, homo & risibile, &c. Impertinẽtes sunt illi quorum significata habent propositionem, & non se compatiuntur respectu eiusdem, vt qualitates contrariæ, & species eiusdem generis, quæ dicuntur disparatæ oppositæ, vt homo & canis, æquus, & asinus, & priuatiuè opposita, & relatiuè opposita, vt cæcus, & videns, seruus, & dominus. His prænotatis assignandæ sunt quinque regulæ.

Prima est, ab affirmatiua vnius contrarij vel disparati, ad negatiuam alterius contrarij, vel disparati est bona consequentia, sed non econuerso nisi in contrariis immediatis. exemplum primi, Tu es albus, ergo tu non es niger. exemplum secundi, Tu es homo, ergo tu non es asinus, sed econuerso non valet, nisi in contrariis immediatis. non enim sequitur, Tu non es niger, ergo tu es albus. Nam inter album & nigrum sunt medij colores, qui possunt affirmari sine albo. Posito enim quod tu non sis niger, potes esse rubeus, croceus pallidus, &c. Dicitur nisi in contrariis immediatis: quoniam in illis valet consequentia ab affirmatiua ad negatiuam, & econuerso, cum consistentia subiecti. Nam bene sequitur, Sortes est sanus, ergo non est æger, & econuerso, Sortes non est æger, ergo est sanus, & hic. Sortes iudex est iustus, ergo non est iniustus, & econuerso, Sortes iudex non est iniustus, ergo est iustus.

Secunda est ab vno conuertibili ad reliquum affirmatiuè & negatiuè, & seruata eadem qualitate, & quantitate, & sup positione in propositionibus valet consequentia. vt Sortes est homo, ergo est risibilis. brunellus non est homo, ergo non est risibilis, & valet econuerso, quia vnum infert reliquum affirmatiuè, & negatiuè.

Dicitur seruata eadem qualitate propositionis, id est, quod vtraque sit affirmatiua aut negatiua. Vnde non sequitur, Homo currit, ergo risibile non currit.

Dicitur seruata eadem quantitate. ita quod si vna est vniuersalis, altera sit vniuersalis, &c. & si in vna subiectum supponit determinatè, & in altera similiter. Vnde non sequitur, Homo currit, ergo tantum risibile currit. Nam ly homo supponit determinatè. & risibile confusè tantum mobiliter. neque sequitur hic, Homo currit, ergo omne risibile currit. Supponit enim homo determinatè. & risibile distributiuè.

Et aduerte quod ista regula complectitur quęcunque conuertibilia, siue sint transcendentia, vt ens, & vnum: siue generica essentialia, vt animal & sensitiuum: siue specifica essentialia, vt homo. & rationale: siue alterum conuertibile sit per sequelam naturalem, vt homo, & risibile, asinus, & rudibile.

Tertia est, ab vno correlatiuo totali ad alterum correlatiuum totale tam affirmatiuè, quàm negatiuè, stante propositione de secundo adiacente, valet consequentia pro omni differentia temporis, vt pater vel mater est, ergo filius vel filia est. neque enim pater tantùm, neque mater tantùm. sed vterque, neque filius tantum, neque filia tantum, sed vterque sunt adinuicem correlatiua. Dicitur affirmatiuè, & negatiuè, quoniam vt docuimus in prędicamento ad aliquid, posito vno correlatiuo, ponitur, & reliquum, & remoto vno, remouetur reliquum. Dicitur stante propositione de secundo adiacente: quoniam de tertio non valet, non enim sequitur pater est senex, ergo filius est senex, imò vt in pluribus sequitur negatiua. Dicitur pro omni differentia temporis scilicet præteriti, præsentis, & futuri, nam bene sequitur, pater fuit, & nunc non est, ergo filius fuit. & nunc non est sumendo patrem, & filium formaliter, & non materialiter. Item sequitur, pater est, ergo filius est. Item sequitur, pater erit, ergo filius erit. & rationem huius regulæ aduerte hinc pendere, quia in ratione patris sumpti formaliter, sumitur filius, & in ratione filij sumitur pater, ergo quo ad esse, & non esse, fuisse, & non fuisse: fore, & non fore, se inuicem mutuo consequuntur inseparabiliter.

Qui autem tenent quòd regula non valet, nisi pro tempore præsenti non considerant correlatiua formaliter, sed materialiter, & ideo non sunt audiendi.

Quarta est, à termino priuatiuo ad terminum infinitum in propositionibus existẽtibus affirmatiuis valet consequentia, sed non econuerso. vt Sortes est iniustus, ergo est non iustus. Dicitur in propositionibus existẽtibus affirmatiuis, quia in negatiuis non sequitur. vt hic, Lapis non est iniustus, ergo non est non iniustus. Constat enim antecedens esse verum, quia lapis non est aptus esse iustus, ergo nõ est iniustus. Consequens autem est falsum: quoniam negatio iustitię est in lapide, licet non priuatio. Nam iustus, & non iustus sunt contradictoria, quorum alterum de quolibet ente verificatur. Cum igitur lapis non sit iustus, est non iustus, hæc ergo est falsa. lapis non est non iustus. Dicitur sed non ecõuerso. Non enim sequitur, Hoc animal est non videns, puta catulus ante nonum diem, ergo est cæcum. Nam ad hoc quod sit non videns, sufficit quòd non videat, ad hoc autem quòd sit cæcum oportet quòd non videat eo tempore quo est aptus videre. Sed catulus ante nonum diem, non est aptus videre, & ideo licet sit non videns, non tamen potest dici cæcus.

Quinta est ab affirmatiua de prædicato infinito vel priuatiuo, ad negatiuam de prædicato finito, valet consequentia, sed nõ econuerso nisi cum debito medio. Nam bene sequitur, Sortes est non videns vel cæcus, ergo non est videns, lapis est non homo, ergo non est homo. Sed econuerso non valet: quoniam ordinariè ex negatiua non sequitur affirmatiua. Quòd si sequitur erit cum debito medio, vt hic. Tu non es homo, demonstrato asino, & tu es, ergo tu es non homo. Hæc de regulis consequentiæ formalis penes terminos pertinentes & impertinentes dicta sint.

PARS V.

Consequentiæ à probationibus propositionum.

IN parte quinta assignandæ sunt regulæ consequentiæ formalis, quæ sumuntur ex probationibus propositionum, sed aduerte, quòd has regulas non intelliges, nisi prius cognoueris modos vniuersales quibus propositiones probantur modo logico. Sunt autem isti modi quinque. Nam omnis propositio mediata, id est quæ per aliquod medium potest probari, aut probatur resolubiliter, aut exponibiliter, aut officiabiliter, aut descriptibiliter, aut per causas veritatis, & de his quinque modis, acturi sumus in tractatu sequenti, qui erit de probationibus terminorum. Pro nunc igitur sustine, donec in prædicto tractatu exercitatus fueris. Hic autem assignandæ sunt decem regulæ.

Prima est, ab omnibus propositionibus exponentibus simul sumptis, ad suam expositam, valet consequentia. Verbi gratia. Hæc propositio vniuersalis omnis homo est animal, habet duas exponentes. prima est ista, Homo est animal, secunda est ista, & nihil est homo, quin illud sit animal, ab his duabus simul sumptis ad expositam, valet consequentia, nam bene sequitur, Homo est animal, & nihil est homo quin illud sit animal, ergo omnis homo est animal. Dicitur simul sumptis, quia diuisim non valet. non enim sequitur, Homo currit, ergo omnis homo currit: quoniam ab indefinita ad vniuersalem non valet consequentia nisi gratia materiæ vt docuimus in parte secunda.

Secunda est. A propositione exposita siue exponibili, ad singulas suas exponentes diuisiuè & simul sumptas est bona consequentia. Exemplum de diuisiuè sumptis, Nam bene sequitur, Omnis homo currit, ergo homo currit, ergo nihil est homo, quin illud currat. Exemplum de simul sumptis. Omnis homo currit, ergo homo currit, & nihil est homo, quin illud currat.

Tertia est, ex contradictoria propositionis exponentis, sequitur contradictorium propositionis expositæ. Nam bene sequitur, Homo currit, & aliquid quod non est homo currit, ergo non tantum homo currit.

Et aduerte, quòd regula supponit propositionem expositam siue exponibilem esse exclusiuam, cuius exponentes sunt istæ, homo currit, & nihil non homo currit, ergo tantum homo currit. Contradictoria huius exponentis, nihil non homo currit, est ista, aliquid nõ homo, vel aliquid quod non est homo currit, & ex ista bene infertur contradictoria expositæ, scilicet, non tantùm homo currit.

Quarta est à propositionibus resoluentibus ad resolutam siue resolubilem est bona consequentia, & econuerso tam in materia cõtingenti quàm naturali. pro cuius notitia aduerte, quòd probatio propositionis per resolutionem fit per duas singulares factas non per terminum discretum, sed per pronomen demonstratiuum, & propositio resolubilis est indefinita vel particularis vel singularis, cuius subiectum est terminus discretus. V. G. Hæc indefinita, homo currit resoluendo sic probatur: Hoc currit, & hoc est homo, ergo homo currit. Dicitur igitur in regula, A resoluentibus, scilicet simul sumptis ad resolutam valet consequentia. Nam bene sequitur, hoc currit & hoc est homo, ergo homo currit. Dicitur & econuerso, id est à resoluta ad resoluentes. Nã bene sequitur in materia contingenti, Homo currit ergo hoc currit & hoc est homo, demonstrato Sorte. Item sequitur in materia naturali, homo est animal, ergo hoc est animal, & hoc est homo.

Sed aduerte, quòd terministæ discordant in hoc à realibus. Dicunt enim terministæ prædictam consequentiam non valere, quoniam secundum eos antecedens, scilicet homo est animal est necessarium. Sed consequens, scilicet hoc est animal & hoc est homo, secundum eos est contingens, quia non concedunt aliquam singularem in his corruptibilibus esse necessariam. Reales autem dicunt ipsam valere, quoniam antecedens & consequens sunt necessaria, & negant quin singulares in materia naturali sint necessariæ quando sunt de tertio adiacente: neque enim copula denotat existentiam extremorũ, sed habitudinem prædicati ad subiectum, vt sæpe diximus, & hanc viam sequimur.

Quinta est, Ab officiantibus ad officiatam. valet consequentia. Pro cuius notitia aduerte quod propositio officiabilis est illa cuius oratio infinitiua determinatur per aliquem terminum modalem, scilicet per possibile aut contingens, aut impossibile, aut necesse, & sic probatur. Verbi gratià hæc est officiabilis, necesse est Deum esse, & probatur sic. Hæc propositio est necessaria, Deus est quia adæquate significat Deum esse, ergo necesse est Deum esse. dicit igitur, regula, à propositionibus officiantibus ad propositionem officiatam valet consequentia, vt hic, Hæc propositio est contingens, homo currit, quæ adæquatè significat hominem currere (istæ sunt officiantes) tertio contingens est hominem currere. hæc est officiata.

Sexta est. A descriptione ad descriptum valet consequentia & econuerso, vel sic, à propositione describente ad propositionem descriptam valet consequẽtia & econuerso. Pro cuius notitia aduerte. quòd propositio descriptibilis est illa in qua verbum concernens actum mentis determinat incomplexum. Verba autem concernentia actum mentis sunt hæc, scio, cognosco, intelligo, imaginor, &c. Sic autem probatur. Verbi gratia. scio Deum, sic describitur, scio aliquid ea ratione qua Deus, ergo scio Deum. Antecedens est propositio describens, & consequens est propositio descripta siue descriptibilis. Dicit igitur regula, à describente ad descriptam valet consequentia. Nam bene sequitur, Cognosco aliquid sub ratione qua cælum, ergo cognosco cælum. & valet econuerso, vt cognosco cælum, ergo cognosco aliquid sub ratione qua cælum.

Septima est. A propositione de sensu composito ad propositionem de sensu diuiso non valet consequentia, nec econuerso. Pro cuius notitia aduerte, quòd propositio de sensu composito & diuiso consueuit fieri, vt in pluribus per terminum modalem, vt possibile est Sortem currere, sed tũc dicitur de sensu composito, quando modus ponitur dicto, aut postponitur, vt possibile est album esse nigrum. vel sic, album esse nigrum, est possibile. Dicitur autem de sensu diuiso quando modus mediat inter partes dicti, vt album possibile est esse nigrum, vel sic, album potest esse nigrum. Dicit igitur regula, quòd à sensu composito ad sensum diuisum non valet consequentia, nec econuerso: quoniam antecedens erit falsum & consequens verum, econuerso autem antecedens erit verum & consequens falsum. nõ enim sequitur possibile est album esse nigrum, ergo album potest esse nigrum. Nam antecedens est falsum & impossibile. Sensus enim est, Res, quæ est alba, id est Inquantum stat sub albedine, potest esse nigra, ita quod hæc potest esse vera, album est nigrum. Hoc autem est impossibile, cum sint contraria, quorum vnum est incompossibile alteri. Consequens autem est verum, sensus enim est, res quæ est alba, id est quæ est subiectum albedinis, potest esse subiectum nigredinis, non quidem simul, sed successiuè. Nam vt diximus in tractatu de Prædicamentis: proprium est substãtiæ esse susceptiuam contrariorum: constat ergo quòd consequens erit verum. Constat etiam quòd econuerso antecedens erit verum & consequens falsum & impossibile sic arguendo, album potest esse nigrum, ergo possibile est album esse nigrum.

Sed aduerte, quòd regula intendit consequentiam non valere, quando dictum propositionis modalis cõstat ex terminis disparatis siue oppositis, quorum significata non simul verificantur de eodem, nam si fiat modalis, cuius dictum non constet ex terminis oppositis, valet consequentia à modali de sensu composito ad eam, quæ est de sensu diuiso. Nam bene sequitur, necesse est Deum esse, ergo Deum necesse est esse, & econuerso, & hic, contingenter homo currit, ergo homo contingenter currit.

Octaua est, Ab vna causa veritatis, ad propositionem habentem illam causam, est bona consequentia, sed nõ econuerso. Pro cuius notitia aduerte, quòd propositio probabilis per causas veritatis est illa, quę habet multas causas veritatis disiunctiuè sumptas, vt tibi declarabitur in tractatu de probationibus terminorum. Dicit igitur regula, quod ab vna causa veritatis, ad propositionem habentem illam, est bona consequentia, & non econuerso. Nam bene sequitur, Dum homo currit, risibile currit. ergo homine currente, risibile currit. Implicat enim contradictionem, quòd pro aliquo tẽpore homo currat, & in illo risibile non currat; cum omnis homo sit risibilis infallibiliter & per se. Dicitur ab vna causa veritatis, quoniam à pluribus non valet. Verbi gratia quod homo habeat pulsum concitatum potest esse à pluribus causis, puta ab ira, à labore, à cibo, à febre. Vnde sic arguere. Sortes habet pulsum concitatum, ergo bene comedit & bibit, non valet consequentia, quia potest esse ab alia causa, vt tibi declarabitur in tractatu de syllogismo sophistico. Dicitur & non econuerso, quia non sequitur, Homine currente risibile currit, ergo dum homo currit risibile currit. Nam posito quòd nihil currat, tunc consequens est falsum, cum asserat hominem currere, & antecedens est verum, quia concluditur eius veritas per aliam causam veritatis, scilicet per conditionalem, quæ est hæc, si homo currit, risibile currit. Nam propositio denominata ab ablatiuo in consequẽtia potest habere tres causas veritatis, scilicet conditionalem, temporalem, causalem.

Exemplum primi. Homine currente, risibile currit, id est. Si homo currit risibile currit.

Exemplum secundi. Homine currente: risibile currit, id est dum homo currit, risibile currit.

Exemplum tertij. Homine currente risibile currit, id est quia homo currit risibile currit.

Nona est, à propositione verbi actiui, ad sibi correspondentem verbi passiui, est bona consequentia & econuerso. Nam bene sequitur, ego amo Deũ, ergo Deus amatur à me. Hæc regula est vera vniuersaliter, dummodo seruetur eadẽ suppositio terminorum, vt homo videt lupum, ergo lupus videtur ab homine. Nam in vtraq; homo, & lupus supponunt determinatè. Si autem mutatur suppositio non valet, vt hic promitto tibi denarium, ergo denarius promittitur à me tibi. Nam in prima ly denarium stat confusè, vt docuimus in tractatu de suppositionibus, in secunda autem determinatè. Vt ergo seruetur eadem suppositio, fiat passiua sic, à me tibi promittitur denarius.

Decima est. A propositione de tertio adiacente, ad eam quæ est de secundo valet consequentia affirmatiuè arguendo, dummodo non sit exclusiua, nec in materia naturali, nec prædicatum sit terminus distrahens, nec verificabilis tam de ente quàm de non ente, & seruetur eadem suppositio.

Dicitur affirmatiuè, quia negatiuè non valet. Non enim sequitur, Nullus homo est asinus, ergo nullus homo est.

Dicitur dummodo non sit exclusiua, quia in exclusiuis non tenet. non enim sequitur, Tantum homo est staturæ rectæ, ergo tantum homo est.

Dicitur nec in materia naturali, quia copula non dicit existentiam, sed habitudinem prædicati ad subiectũ. Vnde semper est vera siue extrema existãt, siue non. In secundo autem adiacente copula dicit existentiam. Vnde non sequitur, homo est animal, ergo homo est. Nam prima est sempiternæ veritatis, etiam ante mundi creationem, secunda autem non vera nisi homine existente, & in hac conditione discordant terministæ, à realistis. Tenent enim terministæ regulã valere tam in materia naturali quam contingenti, Reales verò tantùm in materia contingenti.

Dicitur nec prædicatum sit terminus distrahẽs, id est cum quo non stat præsens existentia subiecti. Tales termini sunt ista participia, Præteritus, futurus, mortuus, interfectus, generandus, & generabilis: in his omnibus regula non tenet. Non enim sequitur, homo est præteritus, siue mortuus, siue occisus, ergo homo est. nec sequitur, homo est generandus, vel generabilis, ergo homo est.

Dicitur nec verificabilis, &c. Tales termini sunt opinabile, imaginabile, fingibile, &c. Vnde non sequitur, Mons aureus est imaginabilis, ergo mons aureus est. Nec sequitur, Alter mundus est opinabilis, ergo alter mundus est. Nam opinari & imaginari possumus tam existentia quàm non existentia sicut & somniari.

Dicitur & seruetur eadem suppositio. Vnde non sequitur. Homo est nomen, ergo homo est, quoniam in antecedente supponit materialiter, in consequente personaliter. Nec sequitur, homo est species, ergo homo est, quoniam in antecedente supponit simpliciter, in consequente autem personaliter.

Hæc de regulis consequentiæ formalis penes probationes propositionum dicta sint.

PARS VI.

Consequentiæ in hypotheticis.

IN parte sexta assignandæ sunt regulæ consequentiæ formalis penes propositiones hypotheticas copulatiuas, & disiunctiuas & sunt sex.

Prima est. A tota copulatiua affirmatiua diuisiua, ad quamlibet eius partem, valet consequentia, sed non econuerso, nisi in aliquo casu. Nam bene sequitur, Sortes loquitur, & Plato audit, ergo sortes loquitur, ergo Plato audit.

Dicitur affirmatiua, quoniam in negatiua non valet. non enim sequitur, non tu es homo, & tu es asinus, ergo non tu es homo. Stat enim quòd tu sis homo, & non sis asinus.

Dicitur diuisiua, quoniam à copulatiua collectiua non valet. non enim sequitur, Sortes trahit nauem, & Plato trahit nauem, ergo sortes trahit nauem. Nam simul & non diuisim trahunt nauem, supposito quod neuter per se solùm sufficiat trahere nauem.

Dicitur, sed non econuerso scilicet à qualibet parte ad totam copulatiuam Non enim sequitur, Sortes comedit, ergo Sortes comedit & loquitur: stat enim quòd comedat & non loquatur.

Dicitur in aliquo casu. Casus autem est, quando ad partem copulatiuæ antecedit essentialiter aliud, quod de parte ipsa prædicatur, & sine quo pars ipsa nõ sequitur, vt hic, Homo currit, ergo currit & mouetur. Nam sine motu non ponitur cursus, & hæc est per se. cursus est motus, sic ista est per se, homo est animal. In hoc igitur casu consequentia valet à parte copulatiuæ ad totam copulatiuam, regulariter autem, & formaliter non valet.

Secunda est à propositione de toto copulato tam à parte subiecti quàm à parte prædicati diuisim tento & affirmatiuè, ad quamlibet eius partem, valet consequentia, sed non econuerso, nisi in eo casu, in quo dictum est in regula præcedenti. Nam bene sequitur ex parte subiecti, Sortes & Plato comedũt, ergo Sortes comedit, ergo Plato comedit: ex parte autem prædicati sic, Sortes comedit & loquitur, ergo loquitur, ergo comedit.

Dicitur tento diuisim, quoniam tento collectiuè non valet, vt hic Sortes & Plato sunt duo, ergo Sortes est duo, & hic Sortes & Plato ferunt hoc pondus, ergo Sortes fert hoc pondus.

Dicitur affirmatiuè, quoniam negatiuè non valet. Non enim sequitur. Non Sortes & Plato trahunt nauem, ergo Plato trahit nauem.

Dicitur sed non econuerso, quia non sequitur. Sortes comedit, ergo Sortes comedit & bibit.

Dicitur nisi in eo casu, &c. Nam bene sequitur, Sortes est homo, ergo est homo & animal. Sortes dormit, ergo dormit & quiescit.

Tertia est, à parte principali disiunctiuę affirmatiuæ ad totam disiunctiuam valet consequentia, sed non econuerso, nisi gratia materiæ. Nam bene sequitur, Tu es homo, ergo tu es homo, vel tu es asinus, quia ad veritatem disiunctiuæ sufficit vnam partem esse veram, vt docuimus in tractatu tertio agentes de propositionibus hypotheticis, econuerso autem nõ sequitur, scilicet à tota disiunctiua ad quamlibet partem. Non enim valet, Tu es homo, vel asinus, ergo tu es asinus, aliquãdo autem valet gratia materiæ, puta quando vna pars disiunctiuæ sequitur ad alteram, ita quòd vtraque pars est vera, & tunc potest vtraque pars inferri indifferenter ex tota disiunctiua, vt hic, Tu es homo vel animal, ergo tu es animal, ergo tu es homo.

Sed aduerte quòd apud reales, vt docuimus in tractatu tertio, disiunctiua, cuius vtraq; pars est vera, non est propria, sed impropria. Nam propria disiunctiua vera est illa, cuius vna pars est vera, reliqua autem non. dicitur enim disiunctiua, quia disiungit sensum apud logicum. Vnde apud reales stante disiunctiua propria, pro nullo casu, licet arguere à tota disiunctiua ad partem. Et hanc viam sequimur.

Iterum aduerte, quòd diximus de disiunctiua verificatur de propositione, cuius subiectum est totum disiunctum vel prædicatum. Nam ex parte subiecti bene sequitur, Sortes currit, ergo Sortes vel Plato currit: ex parte prædicati bene sequitur, Sortes comedit, ergo Sortes comedit, vel est asinus. Econuerso autem non in propositione de proprio disiuncto. non enim sequitur, Sortes comedit vel est asinus, ergo est asinus.

Quarta est. A tota disiunctiua affirmatiua cum destructione vnius partis ad positionem alterius valet consequentia. Nam bene sequitur, tu es mortuus, vel viuus: sed tu non es mortuus: ergo tu es viuus. Pro cuius notitia aduerte quòd destruere vnam partem est negare illam, & ponere alteram est affirmare.

Vnde qui sic arguũt, tu es asinus, vel tu nõ est asinus. Sed tu non

non es asinus, ergo tu es asinus, non arguunt, per regulam, quia nullam partem destruunt. Quod si dicant, destruimus primam partem, & concludimus alteram, ergo sic habent arguere, Tu es asinus, vel tu non es asinus: sed tu non es asinus, ergo tu non es asinus, & tunc nil falsi concluditur, sed tamen ineptè. Dicitur à tota disiunctiua affirmatiua, quia in negatiua non valet, non enim sequitur, Non tu es asinus, vel tu es asinus. Sed tu non es asinus, ergo tu es asinus.

Quinta est, à copulatiua negatiua ad disiunctiuam affirmatiuam factam de partibus contradictoriis copulatiuæ affirmatiuæ est bona consequentia, & econuerso. Nam bene sequitur, non tu es homo, & tu es asinus, ergo tu non es homo, vel tu non es asinus, & econuerso. nam bene sequitur, tu non es homo, vel tu non es asinus, ergo non tu es homo & tu es asinus.

Sexta est, à disiunctiua negatiua ad copulatiuam affirmatiuam factam de partibus cõtradictoriis disiunctiuè negatiuè. valet consequentia, & econuerso. Nam bene sequitur, non tu es asinus, vel tu es capra, ergo tu non es asinus, & tu non es capra, & econuerso, & aduerte quod ratio huius regulę ac precedentis est, quia copulatiua, & disiunctiua compositæ de partibus contradictoriis contradicunt, sed vt docuimus in tracta. certio agentes de æquipollentiis negatio præposita facit æquipollere suo contradictorio, & ideo vtraque regula est bene posita. Hæc de regulis consequentiæ formalis penes hypotheticas copulatiuas, & disiunctiuas dicta sint.

PARS VII.

Consequentiæ conditionalium.

IN parte septima assignandæ sunt regulæ consequentiæ formalis penes hypotheticas cõditionales, & sunt duæ. Prima est. In conditionali affirmatiua, à positione antecedentis, ad positionem consequentis valet consequentia, sed non econuerso nisi gratia materiæ. Nam bene sequitur, Si tu es homo, tu es animal: sed tu es homo, ergo tu es animal.

Dicitur in conditionali affirmatiua, quia de negatiua non valet. Non enim sequitur, non si tu es homo, tu es asinus, sed tu es homo, ergo tu es asinus.

Dicitur, sed non econuerso: non enim sequitur, si tu curris tu moueris: sed tu moueris, ergo tu curris.

Dicitur nisi gratia materiæ, quoniam si fiat conditionalis de terminis cõuertibilibus valet consequẽtia, & econuerso. Nam bene sequitur, Si tu es homo, tu es rationalis: sed tu es homo, ergo tu es rationalis. & econuerso, sed tu es rationalis: ergo tu es homo. Valet ergo quando formatur conditionalis ex diffinito, & proprio, & subiecto, & propria differentia, ex diffinito, & diffinitione. Item valet quãdo formatur de duobus correlatiuis per secundum adiacens. Nam bene sequitur si pater est, filius est: sed pater est: ergo filius est: & econuerso, sed filius est, ergo pater est.

Secunda est, in conditionali affirmatiua à destructione, id est negatione consequentis, ad destructionem, siue negationem antecedentis est bona consequentia, sed non econuerso nisi gratia materiæ. Nam bene sequitur, si lapis est viuus, lapis est animatus, sed lapis non est animatus, ergo non est viuus.

Dicitur in conditionali affirmatiua, quoniam in negatiua non valet, vt hic, non si tu es homo, tu es asinus. sed tu non es asinus, ergo tu non es homo.

Dicitur, sed non econuerso, scilicet à destructione antecedentis, ad destructionem consequentis. non enim sequitur, si tu curris, tu moueris, sed tu non curris, ergo tu non moueris, sat enim quòd tu non curras, & tamen quod moueaeris, vt si lente ambulas.

Dicitur nisi gratia materiæ. nam tenet in terminis conuertibilibus, & in correlatiuis de secundo adiacente, sicut & præcedens regula. nam bene sequitur, si tu es asinus, tu es rudibilis, sed tu non es asinus, ergo tu nõ es rudibilis. item sequitur, si pater est, filius est, Sed pater non est, ergo filius non est. nam sicut posito vno correlatiuo ponitur reliquum: sic remoto vno remouetur reliquum, vt docuimus in trac. de prædicamentis, Hæc de regulis consequentiæ formalis penes hypotheticas conditionales dicta sint, & hic terminatur intentio nostra de consequentiis, prout existimamus ad mentem peripateticam.

TRACTATVS NONI, de Consequentijs, Finis.

TRACTATVS DECIMUS *de Probationibus terminorum in sex capita diuisus.*

IN hoc tractatu intendo ordinare doctrinam de probationibus terminorum cõsuetam apud logicos. & vt deseruit non sophisticis altercationibus, sed euidentiori notitiæ de probationibus propositionum, & terminorum probabilium habẽdæ. diuidemus igitur præsentem tractatũ in sex capita.

In primo ordinabuntur præcognoscenda, sine quibus huius tractatus doctrinam nouitjus habere non posset.

In secundo agendum est de propositione resolubili.

In tertio de propositione exponibili, & de omnibus terminis exponibilius.

In quarto de propositione officiabili.

In quinto de propositione descriptibili.

In sexto de propositione probabili per causas veritatis.

CAPVT I.

De Præcognoscendis.

IN primo cap. declarãda sunt tria, sine quibus huius tract. doctrina haberi non posset. Primum est quot sint generales modi probandi propositionem vel terminos, penes quos variatur propositio. Secundum est, quæ & quales sint propositiones siue termini, quæ vel qui probari possunt. tertium est quot modis apud logicum propositio vel terminus probari potest.

Quot modi probãdi propos. vel termini nos.

Quantum ad primum aduerte quòd in doctrina peripatetica quatuor inueniuntur modi generales probandi aliquam propositionẽ. Primus est per causam, & hic est perfectissimus & faciẽs verè scire. Verbi gratia. Hæc propositio, homo est risibilis per causam sic probatur, omne, omne animal rationale est risibile, homo est animal rationale, ergo homo est risibilis. secũdus est per effectũ, & hic est frequentior in scientia naturali, quoniã in ea procedimus à sensatis, & ab effectibus nobis manifestioribus quàm sint causæ naturales, vt tibi notum erit in libro secundo Physicorum, tertius est per simile aut per oppositum contradictorium, vt tibi declaratum est in tractatu de syllogismo Topic. quartus est per reductionem ad aliquam vel aliquas propositiones notiores nobis, quàm sit ipsa propositio probanda. Verbi gratia. Si tu dubitas vtrum ista sit vera, Tantum homo est rationalis, manifestabitur tibi per has duas propositiones notiores, scilicet homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale, ergo tantùm homo est rationalis, sic autem manifestare est propositionem ineuidentem probare. Nam sicut reprobare vel improbare propositionem, est eius falsitatem notificare, sic probare est per aliam, aut alias euidentiores nobis eius veritatem declarare, ex his autem quatuor modis probatiuis propositionum Primus, & secundus. & tertius sunt reales, & spectant ad scientias reales, quales sunt mathemtica, & physica, & metaphysica, vt cognosces tempore suo, quartus autem est modus logicus, & de hoc solo intendimus pertractare in præsenti tractatu. Intentio enim nostra est declarare per quam aut quas propositiones notiores nobis probetur quælibet propositio probabilis, vel terminus faciens propositionem probabilem, sicut sunt signa vniuersalia, dictiones exclusiuæ, vel exceptiuæ, termini concernentes actum mentis, & multa alia, vt tibi manifestabuntur infrà descendentes ad particularia.

Quæ propost. vel termini probandi.

Quantum ad secundum aduerte quòd propositionum, & terminorũ apud logicum quædam sunt immediatæ, & quædam mediatæ, similiter terminorum quidam sunt immediati, & quidam mediati: propositiones immediatæ sunt illæ, quæ per alias notiores nobis non possunt manifestari, & istæ sunt propositiones, quæ non sunt per alias, sed per seipsas manifestæ, quales sunt propositiones singulares factæ cum pronomine demonstratiuo, vt hic homo currit. Non enim est resolubilis in priorem per quam possit clarius manifestari: quoniam, vt docuimus in tractatu de syllogismo demonstratiuo, Omnis nostra cognitio ortum habet à sensu. Nihil autem est notius sensu, quàm singulare demonstratum. mediatæ autem propositiones sunt illæ, quæ per aliam, aut alias notiores possunt manifestari resoluendo aut exponendo aut alio modo vt patetebit infrà. Termini immediati sunt termini simplices non resolubiles in aliquid notius, & tales apud logicum sunt pronomina demonstratiua singul

singularis numeri, vt ego, tu, ipse, iste, ille. hic, & is, & aduerbia demonstrandi. Huiusmodi enim carent medio per quod possint probari & per notius: quoniam nullus est terminus notior istis. Mediati autem sunt omnes termini resolubiles in aliquid prius & notius, & sunt omnes termini præter prædictos siue sint cõmunes siue discreti. Nam vt tibi manifestabitur etiam terminus discretus facit propositionẽ probabilem. Verbi gratia Sortes currit, potest sic probari. Hoc currit, & hoc est Sortes, ergo Sortes currit, & hæc potest probari, Tantùm Petrus est caput ecclesiæ, nam Petrus est caput ecclesiæ, & nullus alius à Petro est caput ecclesiæ, ergo tantùm Petrus est caput ecclesiæ. Constat igitur quæ, & quales propositiones sint probabiles. Similiter qui, & quales termini.

Quantum ad tertium aduerte, quòd apud logicum omnis propositio mediata, & omnis terminus mediatus potest vno quinque modorum probari, quorum primus est resoluendo, secundus exponendo, tertius officiando, quartus describendo, quintus per causas veritatis. Omnis igitur propositio probabilis siue terminus vel est resolubilis, vel exponibilis, vel officiabilis, vel descriptibilis, vel per causas veritatis notificabilis, & sic de his quinque modis tractabimus ordinatè.

CAPVT II.

De Propositione resolubili.

IN cap. secundo agendum est de propositione, quæ probanda est per resolutionem, & hic tria agenda sunt, primò quid significat in hoc loco resolutio, secundò quot propositiones sint resolubiles, id est, probandæ per resolutionem, tertiò quomodo fit huiusmodi resolutio.

Resolutio quid.

Quantum ad primum aduerte quòd resolutio in hoc loco significat reductionem propositionis probabilis in sua singularia principia, ex quibus notificatur eius veritas. Vnde sicut resolutio compositi, puta domus, importat reductionem domus in sua prima principia, ex quibus constat, puta in lapides, & ligna, &c. sic probatio propositionis per resolutionẽ importat reductionem talis propositionis in sua prima principia, quæ sunt propositiones nobis notiores, ex quibus ipsa propositio manifestatur, vt tibi paulo post declarabitur.

Quot propositiones resolubiles

Quantum ad secundum aduerte, quod apud logicum tres species propositionum probantur resolubiliter affirmatiuæ, & negatiuæ siue sint ampliatiuæ, siue non. Istæ autem sunt, indefinita, & particularis, & singularis, modo non fiat per pronomen demonstratiuum. Illa enim est immediatà, vt diximus in cap. præcedenti, & de omnibus exemplificabimus infrà.

Resolutio quomodo fiat.

Quantum ad tertium aduerte quòd probatio per resolutionem sic fienda est, sumendæ sunt duæ propositiones singulares factæ cum pronomine demonstratiuo, ita quod in prima prædicetur predicatum propositionis resoluendæ siue resolubilis, & in secunda prædicetur subiectum eiusdem & ex his duabus inferatur propositio resolubilis. exemplum de indefinita affirmatiua, Homo est albus, sic probatur. Hoc est album, & hoc est homo, ergo homo est albus. exemplum de particulari affirmatiua, aliquis homo currit, hoc currit, & hoc est aliquis homo, ergo aliquis homo currit. exemplum de singulari, Plato currit, Hoc currit, & hoc est Plato, ergo Plato currit, item vnigenitus Sortis filius currit, Hoc currit, & hoc est vnigenitus Sortis filius, ergo vnigenitus Sortis filius currit.

Hoc igitur modo probãtur apud logicum affirmatiua indefinita particularis, & singularis, cuius subiectum est terminus discretus vel circunlocutus. Negatiua autem dupliciter probari potest primo resolutoriè sicut affirmatiua, quando subiectum pro aliquo supposito demonstrato supponit. vt hic, Homo non est lapis, sic resoluitur. Hoc non est lapis. & hoc est homo, ergo homo non est lapis. si autem subiectum pro nullo supposito demonstrato supponit non potest probari resolutoriè, quia secunda resoluens semper erit falsa, vt hic. Chimera non est homo. Hoc non est homo, & hoc est chimera, ergo chimera non est homo. Patet quod secunda est falsa: quoniam nullum ens demonstratum est chimera, cum sit quid ficticium siue imaginatum tantum. Tunc ergo probanda est per suam oppositam contradictoriam sic, Hæc duo contradicunt, chimera est homo, chimera non est homo. sed affirmatiua est falsa, ergo negatiua est vera. Consequentia patet: quoniam duorum contradictoriorum, si vnum est falsum, reliquum est verum, & econuerso. Patet igitur quomodo duobus modis probari potest indefin. & particijl. & singul. neg.

Sed aduerte quòd non solùm simplex categorica affirmatiua indefinita particul. & singul. probatur resolutoriè, sed etiam ampliatiua, vt homo est mortuus, sic probatur, Hoc est mortuum, & hoc est vel fuit homo, ergo homo est mortuus. & ista, Homo incipit comedere: Hoc incipit comedere, & hoc est vel incipit esse homo, ergo homo incipit comedere. eodem modo probatur indefinita particul. & singular. cuius subiectum est terminus obliquus siue in genitiuo, siue in datiuo, siue in accusatiuo, siue in ablatiuo. Verbi gratia. Hominis interest bene viuere: huius interest bene viuere, & hoc est homo, ergo, &c. Sorti placet virtus, Platonem delectat legere. A Deo regitur mundus, omnes has resolue modo suprædicto, eodem modo firmatur indef. partic. & singul. quorum subiectum sit cum aduerbio quod habet aduerbium inferius. Verbi gratia. Aliquado tu legis sic probatur. Nunc tu legis, & nunc est aliquando, ergo aliquando tu legis. Alicubi tu es sic probatur, ibi tu es, & ibi est alicubi, ergo alicubi tu es. eodem modo probanda est indefinita, & parti. & sing. quando prædicatũ est participium præteritum vel futurum. Verbi gratia. Adam est pręteritus sic probatur. Hoc est præteritum, & hoc est vel fuit Adam, ergo Adam est pręteritus. Antichristus est venturus, sic probatur. Hoc est venturum, & hoc est vel erit antichristus, ergo, &c. eodem modo probanda est indefinita, & parti. & singul. de subiecto copulato, & disiuncto. exemplum primi, Sortes. & Plato currunt sic probatur. Isti currunt, & isti sunt Plato, & Sortes, ergo Sortes, & Plato currunt. exemplũ secundi, Hoc vel asinus est asinus, sic probatur. Hoc vel asinus est asinus, & hoc est homo, ergo homo vel asinus est asinus. Constat igitur tibi quomodo resolubiliter probanda est indefinita, & particul. & singul. siue sit simplex categorica, siue ampliatiua, &c.

Et aduerte quòd ex hoc modo probandi manifestatur veritas multarum propositionum ampliatiuarum, quæ primo aspectu videntur omnino falsæ, inter quas istæ sunt præcipuæ. Prima, senex erit puer, probatur, sumo puerum decem annorum qui viuat per septuaginta annos, & qui in duodecim annos adhuc erit puer, & arguitur sic: Hoc erit puer, quia in duodecimo anno adhuc erit puer, & hoc est vel erit senex, & secunda pars est vera, quia in septuagesimo anno erit senex, ergo senex erit puer.

Secunda puer fuit senex, probatur sumo senem centum annorum, qui cum esset septuaginta annorum etiam erat senex, & cum esset decem annorum, erat puer, & arguitur sic, Hoc fuit senex, quia cum nunc sit centum annorum, existens septuaginta annorum fuit senex, & hoc est vel fuit puer: & secunda pars est vera, quoniam cum esset decem annorum, erat puer, ergo puer fuit senex.

Tertia candela lucens est extincta, probatur, sumo candelam prius lucentem, nunc autem extinctam, & arguitur sic, Hoc est extinctum, & hoc est vel fuit candela lucens, & secunda pars est vera, ergo candela lucens, est extincta.

Quarta viuum est mortuum, probatur. sumo mortuum puta Adam, qui aliquando fuit viuus, & arguitur sic, Hoc est mortuũ, demonstrando Adam, & hoc est vel fuit viuum, & secunda pars est vera, ergo viuum est mortuum.

Multas consimiles inuenies in libris terministarum, quas tu quæres ad libitum, nec intendo hic tẽpus conterere, quoniam huiusmodi ampliationes & similes probationes, parũ perficiunt intellectum quærentem rei veritatem, per veram & essentialem probationem propositionis probandæ. Sed magis detinent intellectum in captiunculis inutilibus.

CAPVT III.

De Propositione exponibili.

IN cap. tertio agendum est de probatione propositionum & terminorum per mẽdum exponibilem, siue per expositionem, & hic tria agenda sunt. Primò declarandum est in quo sensu hic sumitur expositio, secundò quæ & quot propositiones, similiter qui & quot termini, per expositionem probandi sunt. Tertiò descẽdemus ad particulares propositiones & terminos ostendentes quoniam exponibiliter probantur.

Quantum ad primum aduerte quòd expositio propriè sumitur propositione ad extra, alicuius rei prius latentis.

Vnde dicitur exponi pecunia, quæ prius latebat in capsa vel bursa, quãdo expõditur. Per similitudinẽ ergo dicitur expositio, quando aliqua sentẽtia vel propositio vel terminus, per aliquid magis notum declaratur, & in hoc sensu sumitur hic expositio, & ab expositione denominatur propositio exponibilis. Huiusmodi autẽ expositio propositionis fit per duas propositiones, quarum prima dicitur præiacens & secunda dicitur vniuersalis negatiua sibi correspondens. Et ex his duabus

duabus infertur propositio exponenda siue exponibilis. Verbi gratia, Hæc vniuersalis affirmatiua, omnis homo est risibilis, sic probatur exponibiliter apud logicum. Homo est risibilis, & nihil est homo, quin illud sit risibile, ergo omnis homo est risibilis.

Quãtum ad secundum aduerte, quot genera propositionum probantur exponibiliter scilicet.

Vniuersalis affirmatiua: quocunque modo fiat.

Vniuersalis autem negatiua non exponitur, sed alio modo probatur, vt dicemus.

Exceptiua, affirmatiua & negatiua.

Exclusiua, affirmatiua & negatiua.

Reduplicatiua affirmatiua.

Termini autem probandi exponibiliter sunt isti.

Immediatè.
Necessariò.
Contingenter.
Ab æterno.
Semper.
Totus to. tum.
Infinitum.
Incipit.
Desinit.
Differt.
Gradus positiuus
Gradus comparatiuus.
Gradus superlatiuus.

Isti sunt termini exponendi siue exponibiliter probandi, de quibus sigillatim pertractabimus infrà.

Vniuersalis affirmatiua quomodo probatur.

Quantum ad tertium incipiẽdum est ab vniuersali affirmatiua, secundo loco agemus de exceptiua, tertio loco de exclusiua, quarto loco de reduplicatiua.

Vtautẽ habeas vniuersalem notitiam exponibiliter probandi vniuersalem affirmatiuam aduerte, quòd potest fieri quatuor modis.

Primo in recto tam in singulari quàm in plurali.

Secundo per verbum ampliatiuum.

Tertio per participium verbi ampliatiui.

Quarto per subiectum compositum.

Si fiat in recto & non per verbũ ampliatiuum tam in singulari quã in plurali, debet exponi per duas exponentes, scilicet per suam præiacentem, & per vniuersalem negatiuam, in qua ponitur hæc dictio quin inter subiectum & prædicatum. & ei subiungitur pronomen relatiuũ ille illa illud, vt hic, Omnis homo currit, sic exponitur, Homo currit & nullus est homo quin ille currat, ergo omnis homo currit. In plurali sic. Omnes homines currũt. Homines currũt, & nulli sunt homines, quin illi currant, ergo omnes homines currunt, Consimili modo exponatur si fiat in obliquo, excepto quòd in exponente vniuersali negatiua, ponetur semper in recto subiectum exponendæ, & relatiuum in consimili obliquo cum obliquo exponẽdæ tam in singulari quàm in plurali. In singulari vt hic, Cuiuslibet hominis asinus currit, sic exponitur. Hominis asinus currit, & nullus est homo, quin illius asinus currat: ergo cuiuslibet hominis asinus currit. In plurali, vt hic. Omnium contradictoriorum altera pars est vera, altera falsa, exponitur sic. Contradictoriorum altera pars est vera, altera falsa: Et nulla sunt contradictoria, quin illorum altera pars sit vera, & altera falsa, ergo omnium contradictoriorum altera pars est vera, altera falsa.

Si fiat vniuersalis affirmatiua per verbum ampliatiuum, eodem modo exponenda est excepto quòd in vniuersali negatiua exponente, verbum sumetur disiunctum. Verbi gratia. Omnis homo morietur, sic exponitur. Homo morietur, & nullus est vel erit homo, quin ille morietur, ergo omnis homo morietur: eodem modo exponetur, si fiat in plurali: si fiat in obliquo. Exerce teipsum in exemplis.

Si fiat per participium verbi ampliatiui, eodem penitus modo exponenda est. Verbi gratia, Omnis homo est præteritus: sic exponitur. Homo est præteritus: & nullus est vel fuit homo quin sit præteritus, ergo omnis homo est præteritus. Item omnis homo est generandus, homo est generandus: & nullus est vel erit homo, quin ille sit generandus: ergo omnis homo est generandus.

Si fiat de subiecto composito, puta de subiecto disiuncto; potest dupliciter exponi secundum quòd subiectum potest esse totum disiunctum, vel solũ prima pars disiuncti, si primo modo sic exponitur. Omnis homo vel asinus est asinus: homo vel asinus est asinus, & nihil est homo vel asinus, quin illud sit asinus, ergo omnis homo vel asinus est asinus. Si secũdo modo, sic exponitur, Omnis homo vel asinus est asinus. Homo vel asinus est asinus, & nihil est homo vel asinus quin illud sit asinus, ergo omnis homo vel asinus est asinus, & hic secundus modus exponendi est melior, quoniam in primo vniuersalis negatiua exponens est falsa, in secundo autem est vera, & ideo exponenda est secundo modo.

Constat igitur tibi quomodo omnis propositio vniuersalis affirmatiua, quocunque modo fiat probanda est exponibiliter. Et aduerte quòd ex hoc modo probandi terministæ saluant multas propositiones quæ primò aspectu videntur falsæ. Sicut sunt istæ, Omne quod fuit est. Omne quod erit est. Omne quod potest esse est. Omne quod non erit est. Omne quod non potuit nec poterit esse est. Quomodo autem saluẽtur, vide tu in tractatu Pauli Veneti de probationibus terminorum. Nam quia huiusmodi parum nobis deseruiunt in acquisitione scientiarũm realium, non est in eis immorandum.

Vniuersalẽ negatiuã probandi duas.

Reliquum est dicendum de vniuersali negatiua quocunque modo fiat, quomodo probanda est, an exponibiliter, an alio modo.

Aduerte igitur quòd apud logicos non probatur exponibiliter, sed aut per inductionem, aut per suum oppositum contradictorium, per inductionem sic, Nullus homo est asinus: Nec iste homo est asinus, nec iste, nec iste, nec iste, & sic de singulis, ergo nullus homo est asinus. Per oppositum contradictorium sic, Hæc est falsa, aliquis homo est asinus, quia non inuenitur suppositum de quo verificetur, ergo ista est vera: nullus homo est asinus: consequentia patet, quia istæ duæ sunt contradictoriæ, aliquis homo est asinus, nullus homo est asinus, & in omni materia, vt docuimus in tractatu tertio, necesse est vnam esse veram, & alteram falsam, cum igitur hæc sit falsa, vt ad sensum patet, aliquis homo est asinus, ista erit vera, Nullus homo est asinus. Hæc de probatione vniuersalis affirmatiuæ, & vniuersalis negatiuæ modo logico, dictum sit.

Exceptiua quomodo probatur.

Secundo loco agendum est de probatione exponibiliter propositionis exceptiuæ tam affirmatiuæ quàm negatiuæ, Pro cuius notitia tria agenda sunt, primò quæ, & quot sint dictiones facientes exceptiuam. Secundò quotuplex sit exceptiua. Tertiò quomodo probanda est apud logicum.

Quantum ad primum aduerte, quòd dictiones facientes exceptiuam sunt istæ, præter, siue præterquam, & nisi: differenter tamen constituunt eam, quoniam præter & præterquam constituunt tam affirmatiuam quam negatiuam. Nam hæc est vera, & congrua exceptiua, Omnis homo præter Sortem currit, & hæc, Omne animal præter hominem est irrationale, & hæc, Nullus homo, præterquam Christianus saluatur. Hæc autem dictio nisi, non constituit propriè loquendo exceptiuam affirmatiuam, sed tantùm negatiuam. Non enim congruè dicimus, omnis homo nisi Sortes currit, sed negatiuè sic. Nullus homo nisi Sortes currit.

Sed aduerte, quòd hæc dictio præter non in omni sensu constituit exceptiuam, similiter nec nisi. Nam præter solet sumi quatuor modis Primo sumitur pro fine, vt Rex potest regere populum præter auxilium alterius, id est sine auxilio alterius. Secundò sumitur per additionem. vt me oportet soluere mercatori decem ducatos præter solutos, id est vltra vel supra solutos. Tertiò sumitur per remotionem alicuius partis à toto, vt quando dicimus, quatuor præter vnum, id est extracto vno, remanent tria. sumitur exceptiuè, vt quando à consortio prædicati excipitur aliqua pars subiectiua, alicuius communis. Verbi gratia. Omnes homines præter Christianos sunt infideles. Et solùm in hoc quarto sensu, constituit propositionem exceptiuam. Dicitur enim exceptiua quando capitur pars extra totum, quæ non participat cum toto respectu alicuius prædicati.

Hæc dictio nisi solet sumi dupliciter. primò conditionaliter, & æquipollet huic, si non. vt quando dicimus, nisi dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat, &c. secundo sumitur exceptiuè, vt quando dicimus, Omnis homo nisi Christus peccauit, id est excepto Christo, & tamen si aduertis magis propriè dicitur, omnis homo præter Christum peccauit. Diximus enim supra, quòd nisi exceptiue sumptum, non constituit congruè loquendo nisi exceptiuam negatiuam, vt hic, non est inuentus fidelis patriẽ nisi Marcus Cato, id est nullus præter Marcum Catonem.

Quant

Quantum ad secundum aduerte quod exceptiua est duplex, scilicet propria & impropria: propria habet duas conditiones, & vnam proprietatem. Prima quidem conditio est, quod subiectum, à quo fit exceptio, supponat distributiuè, vt omne animal præter hominem est irrationale, ly animal distribuitur à quo excipitur homo, secunda est quòd pars extra capta signetur per terminum minus communem, quàm illud à quo excipitur, vt omnis homo præter Aethiopem est albus.

Quòd si illud à quo fit exceptio, non supponat distributiuè nec signetur pars extra capta termino minus communi erit impropria, vt hic, Homo præter Sortem sue aliquis homo præter Sortem currit. Nam ly homo & aliquis homo stat determinatè & non distributiuè: & hic, Homo præter hominem currit. Nam pars extra capta, est æquè communis sicut subiectum, à quo excipitur, & ideo vtraque est impropria.

Proprietas autem exceptiuæ propriæ, modo sit negatiua, est hæc, quod conuertitur cum exclusiua, siue æquipollet exclusiuæ affirmatiuæ, dummodo subiectum exclusiuæ sit pars extra capta, & prædicatum sit quid compositum ex subiecto & prædicato exceptiuæ, sic præcisè supponente. Nam bene sequitur, nullus homo præter Sortem currit, ergo tantum Sortes est homo currens. Dicitur & prædicatum sit quid compositum ex subiecto & prædicato exceptiuæ aliter non sequitur, vt hic: nullum animal, præter hominem intelligit, ergo tantum homo intelligit. antecedens enim est verum, sed consequens falsum. sed dicatur sic, ergo tantum homo est animal intelligens. Dicitur: sic præcisè supponente, quoniam si in exclusiua magis ample supponeret quam in exceptiua consequentia non valeret. vt hic, Nullus homo præter Sortem currit, ergo tantum Sortes est homo currens. Non valet, quoniam in exceptiua homo supponit pro masculis solum, in exclusiua autem supponit pro masculis, & fœminis: vt ergo in vtraque eodem modo supponat, fiat sic exclusiua, ergo tantum Sortes est aliquis homo currens.

Quantum ad tertium aduerte, quòd exceptiua propria affirmatiua probatur per duas exponentes, in quarum prima remouetur prædicatum à parte extra capta, & in secunda affirmatur prædicatum vniuersaliter de subiecto exceptiue sumpto cum parte extra capta infinitata, vel negata. vt hic, Omnis homo præter Sortem currit. Sortes non currit, & omnis homo non Sortes, vel qui non est Sortes currit, ergo omnis homo præter Sortem currit.

Exceptiua autem propria negatiua probatur per duas exponentes, in quarum prima prædicatum exceptiue affirmatur de parte extra capta, & negatur vniuersaliter in secunda de subiecto exceptiue sumpto cum parte extra capta infinitata vel negata, vel hic, Nullum animal præter hominem est rationale: homo est rationalis & nullum animal non homo vel quod non est homo, est rationale, ergo nullum animal præter hominem est rationale. Constat igitur quo modo exponibiliter probanda est exceptiua propria tam affirmatiua quàm negatiua.

De conclusionibus quas inferunt terministæ ex prædicto modo probandi, vide tu ad placitum in Paulo in tractatu de probationibus terminorum.

Exclusiuæ quomodo probantur.

Tertio loco agendum est de probatione exclusiuarum, & hic tria agenda sunt. Primò quæ & quot sint dictiones, per quas fit exclusiua. Secundò quot modis fit exclusiua. Tertiò quo modo probatur singula species exclusiuæ.

Quantum ad primum aduerte quòd dictiones constituentes propositionem exclusiuam sunt istæ, Solum, solummodo. præcisè, & tantùm. Sed aduerte quod ly tantum dupliciter sumi consueuit in via peripatetica, scilicet relatiuè, & exceptiuè. Relatiuè quidem, vt quando dicimus, tantum scio. quantum tu, tantum debeo tibi, quantum tu mihi. Exclusiue autem, vt quando dicimus. Tantùm iustus saluabitur. Tantum necessaria victui volo. In secundo sensu, & non in primo constituit propositionem exclusiuam.

Exclusiuarũ triplex ordo.

Quantum ad secundum aduerte, quòd communiter apud logicos, assignatur triplex exclusiua, scilicet exclusiua primi ordinis, exclusiua secundi ordinis, exclusiua tertij ordinis & hos quidem ordines facit dictio exclusiua secundum quòd diuersimodè situatur in propositione.

Exclusiua primi ordinis constituitur per dictionem exclusiuam præpositam subiecto, & potest fieri affirmatiua & negatiua. Affirmatiua vt hic, Tantum homo est rationalis, negatiua vt hic, non tantùm homo est bipes.

Sed aduerte quòd exclusiua primi ordinis tam affirmatiua quàm negatiua potest fieri duobus modis. Primo per simplicem siue solam dictionem exclusiuam, quam nulla dictio probabilis præcedit. vt hic, Tantùm homo currit, Non tantùm homo currit. secundo per dictionem probabilem præcedentem dictionem exclusiuam. vt hic, Necessario tantùm homo est rationalis, non necessario tantùm homo est rationalis.

Item aduerte quòd exclusiua primi ordinis conuertitur cum vniuersali affirmatiua de termi. transpositis, ita quòd ab vna ad aliam est bona consequentia, vt docuimus in tractatu de consequentiis, & si vna est vera, altera similiter. vt hic, Tantum homo est rationalis, ergo omne rationale est homo, & si vna est falsa, altera similiter, vt hic, Tantum homo est animal, ergo omne animal est homo. Constat igitur tibi quæ sit exclusiua primi ordinis & quot modis fiat, & cui æquipolleat.

Exclusiua secundi ordinis constituitur per dictionem exclusiuam mediantem inter subiectum, & prædicatum, siue præcedat copulam, siue subsequatur. exemplum primi, Homo tantùm est animal: exemplum secundi, Homo est tantùm creatura.

Et potest fieri duobus modis, sicut exclusiua primi ordinis, primo modo sic, Homo tantùm est risibilis: secundo sic, omnis homo tantùm est risibilis.

Exclusiua tertij ordinis constituitur per dictionem exclusiuam mediantem inter partes prædicati. vt hic, Sortes est habens tantùm vnam vestem, & potest fieri duobus modis, sicut ea quæ est primi, & secundi ordinis. primo modo sic, Sortes est comedens tantùm siue solummodo panem. secundo modo sic, aliqua propositio significat præcisè sicut est.

Quantum ad tertium aduerte quòd exclusiua affirmatiua primi ordinis probatur per duas exponentes, quarum prima est sua præiacens, & secunda est vniuersalis negatiua de subiecto exclusiuè infinitato vel negato, vt hic, Tantùm homo est rationalis. & nihil non homo, vel nihil quod non est homo est rationale, ergo tantùm homo est rationalis.

Exclusiua autem affirmatiua primi ordinis, quæ fit per dictionem probabilem præcedentem notam exclusionis, non probatur ratione dictionis exclusiuæ, sed ratione dictionis præcedentis. Verbi gratia, Necessario tantùm homo est homo, sic probatur: Tantum homo est homo, & non potest aliter esse, quin tantùm homo sit homo, ergo necessariò tantùm homo est homo.

Exclusiua autem secundi ordinis affirmatiua probatur sic, Homo est tantùm homo, homo est homo, & homo non est non homo, ergo homo est tantùm homo.

Exclusiua autem secundi ordinis facta secundo modo sit pradicto non probatur ratione dictionis exclusiuæ, sed ratione dictionis præcedentis. Verbi gratia, omnis homo tantùm est rationalis, sic probatur, homo tantùm est rationalis, & nihil est homo quin illud sit rationale, ergo omnis homo tantùm est rationalis, & sic exponitur vt vniuersalis affirmatiua ratione ly omnis.

Exclusiua autem tertij ordinis affirmatiua, sic exponitur. Verbi gratia, Sortes est animal tantùm bipes, probatur sic, Sortes est animal bipes, & Sortes non est animal non bipes, vel non est animal quod non sit bipes, ergo Sortes est animal tantùm bipes. & aduerte, vt infinitatio, siue negatio semper cadat super eundem terminum, super quem cadit dictio exclusiua.

Exclusiua verò tertij ordinis affirmatiua, facta secundo modo supradicto cum sit particularis affirmatiua, vt hic, Aliqua propositio significat præcisè sicut est, non exponibiliter sed resolubiliter probanda est: & sic, hoc significat præcisè sicut est, & hoc est aliqua propositio, ergo aliqua propositio significat præcisè sicut est. Constat igitur tibi quomodo exclusiuæ affirmatiuæ trium ordinum primo, & secundo modo factæ probari debeant modo logico.

Negatiua autem exclusiua primi ordinis fit duobus modis, primo quando præponitur negatio dictioni exclusiuæ, vt hic, non tantùm homo est animal: secundo quando postponitur, ita tamen quòd præcedit copulam, vt hic, tantùm homo non currit. Primo modo probatur sic exponibiliter, homo currit, & aliud ab homine currit, puta asinus, ergo non tantùm homo currit. secundo modo probatur sic, Tantùm homo non currit, homo non currit, & quodlibet non homo, vel omne animal quod non est homo currit, ergo tantùm homo non currit.

Negatiua exclusiua secundi ordinis, fit quando dictio exclusiua subsequitur subiectum, & negatio subsequitur eam, & præcedit copulam, vt hic, Sortes tantùm nō est defensans patriam, quæ æquipollet huic, Sortes solus non est defensans patriam: & probatur sic, Sortes non est defensans patriam & Sortes est quilibet non defensans patriam, ergo Sortes tantùm non est defensans patriam.

Negatiua exclusiua tertij ordinis, non est exponibiliter probabilis, quia negatio non præcedit copulam, sed subsequitur, & ideo habet rationem potius infinitantis, quàm negantis terminum cui apponitur. Vnde non fit neg. sed affir. vt hic, Sortes est non tantùm disputans, neque enim fit negatiua, nisi negatio cadat supra copulam, vt docuimus in tracta. tertio, & propterea est probanda resolubiliter, vt Sortes est non tantùm disputans, hoc est non tantùm disputans, & hoc est Sortes, ergo Sortes est non tantùm disputans. Constat igitur tibi quomodo probanda est exclusiua negatiua primi, & secundi ordinis, & quomodo ea, quæ est tertij ordinis, licet non sit verè negatiua, vt docuimus.

De conclusionibus, quas eliciunt, & probant terministæ esse veras ex prædictis regulis probatiuis exclusiuarum, vide tu ad placitum in Paulo in tracta. de probationibus termino.

De Reduplicatiuis. Quarto loco agendum est de reduplicatiuis, & hic tria agēda sunt, primò quæ sint dictiones, ex quibus fit propositio reduplicatiua, & in quo sensu faciunt illam, secundò quo modo probanda est reduplicatiua affirmatiua, tertio quomodo probanda reduplicatiua negatiua.

Quantum ad primum aduerte quòd dictiones cōstituētes reduplicatiuam sunt istæ, inquantum, secundùm quòd, prout. & sumuntur dupliciter primò specificatiuè, vt quando dicimus, Sortes inquantum hæres Platonis debet mihi centum: secundo reduplicatiuè, vt quando dicimus, Homo inquantum animal est sensitiuus. primo modo propositio cōstituta non est probanda exponibiliter, sed descriptibiliter, Verbi gratia, Sortes inquantum hæres debet mihi centum, sic probatur, Sortes ea ratione qua est hæres, debet mihi centum, ergo inquātum hæres debet mihi centum. secundo modo facit veram reduplicatiuam, de qua hic intendimus ostendere quomodo probanda sit.

Quantum ad secundum aduerte quòd redupl. affir. probanda est exponibiliter per tres exponentes, duas quidem absolutas & tertiam conditionatam, in quarum prima prædicatur affirmatiuè terminus reduplicatiuus de subiecto. In secunda prædicatur prædicatum reduplicatiuæ propositionis de eodem subiecto. In tertia autem prædicatur idem prædicatum conditionaliter de termino reduplicato per terminum transcendentem. scilicet per aliquid, quod cōnumeratur inter sex transcendentia, quæ sunt hæc, ens, vnum, verum, bonum, aliquid, & res. Verbi gratia, Papa inquantum pontifex est primus sacerdos, sic exponitur. papa est pōtifex, & Papa est primus sacerdos, & si aliquid est pontifex illud est primus sacerdos, ergo Papa inquantum pontifex est primus sacerdos. Eodem modo exponitur vniuersalis affirmatiua reduplic. & indefinita. Verbi gratia, omnis homo inquantum animal est sensitiuus, sic exponitur: Homo est animal, homo est sensitiuus, & si aliquid est animal, illud est sensitiuum: ergo omnis homo inquantum animal est sensitiuus. eodem modo tu expones istam, Homo inquantum est rationalis syllogizat. Constat igitur tibi, quomodo probanda sit reduplicatiua affirmatiua siue sit singularis de termino discreto, siue vniuersalis, siue indefinita.

Quantum ad tertium aduerte quòd reduplicatiua negatiua fit duobus modis, primo quādo negatio præcedit dictionem reduplicatiuam. vt hic, Sortes non inquantum homo est iniustus, secundo quando negatio subsequitur dictionem reduplicatiuam. vt hic, Homo inquantum homo, non est angelus. Quando negatio præcedit dictionē reduplicatiuam non est probanda propositio exponibiliter, sed per suum oppositum contradictorium. Verbi gratia, homo non inquantum homo est iniustus, sic probatur: sua contradictoria est falsa, scilicet homo inquantum homo est iniustus, quoniam si inquantum homo est iniustus, ergo omnis homo esset iniustus, per regulam generalem, qua dicitur quòd conuenit alicui tali inquantum tale conuenit omni tali: ergo si conuenit homini inquantum homo esse iniustum, omnis homo esset iniustus, quod est manifeste falsum. Quando autem negatio

Primo post. subsequitur dictionem reduplicatiuam exponitur sicut affirmatiua, vt hic, Sortes inquantum homo non est asinus: Sortes est homo, & Sortes non est asinus, & si aliquid est homo illud non est asinus, ergo Sortes inquantum homo nōn est asinus. Constat igitur tibi quomodo probanda est exponibiliter propositio reduplicatiua affirma. & neg.

Conclusiones quas terministæ inferunt ex hoc modo probandi vide in Paulo, in tracta. de probationibus terminorum.

Postquam docuimus quomodo propositio vniuersalis affirmatiua, & exceptiua, & exclusiua, & reduplicatiua probandæ sunt exponibiliter, superest prosequi de probatione terminorum, quos in principio huius capitis numerauimus & incipiemus à termino positiuo sumpto comparabiliter vt quando dicimus, ego sum ita siue æque fortis, sicut Hector. Tu igitur aduerte quòd positiuum sumptum comparabiliter per hanc dictionem ita vel æquè, debet exponi per tres exponentes: per duas quidem ambo extrema ad inuicem comparata conueniunt & per tertiam negatiuam, ex negatione sui comparatiui. Verbi gratia, ego sum ita fortis sicut aliquis homo mundi, sic exponitur: ego sum fortis, & aliquis homo mundi est fortis, & non aliquis homo mundi est fortior me, ergo ego sum ita fortis, sicut aliquis homo mundi. si autem sic formetur propositio, ego sum ita fortis, sicut omnis homo mundi sic exponatur, ego sum fortis, & homo mundi est fortis, & non omnis homo mundi est fortior me, ergo ego sum ita fortis sicut omnis homo mundi.

Sed aduerte quòd positiuus gradus comparabiliter sumptus, potest tripliciter accipi in propositione, primò cum ly magis, secundò cum ly minus, tertiò cum ly æquè vel ita. exemplum primi, ego sum magis sapiens quàm tu: exemplum secundi, ego sum minus sapiens quam tu: exemplum tertij ego sum æque sapiens sicut tu, tertio modo probatur sicut diximus primo & secundo modo probatur sicut gradus comparatiuus, de quo dicemus infra. & si dicas, propter quid oportet gradum positiuum sumptum comparabiliter exponi per tres exponentes. Respondetur hoc ideo oportere: quoniam in omni vera comparatione requiritur primo quòd res, in qua fit comparatio participetur ab vtroque termino, secundo requiritur quod res illa participetur ab altero termino magis vel minus, vel æqualiter. propter primum datur prima, & secunda exponens, propter secundum datur tertia. Constat igitur tibi quomodo probandus sit exponibiliter gradus positiuus comparabiliter sumptus per hanc conditionem æque vel ita.

Conclusiones admirabiles, quas ex hoc modo probandi inferunt terministæ, vide tu in Paulo in tract. de probat. termin.

Gradus comparatiuus. Gradus comparatiuus sumitur dupliciter, sicut & comparatio: scilicet impropriè, & propriè. Impropriè quidem fit duobus modis præcipuè, primo participatione, secundo significatione: participatione quidem fit, quando res, in qua fit cōparatio non participatur ab vtroque termino, vt quando dicimus, Mel est dulcius felle, nix est albior coruo, Ignis est calidior glacie. significatione autem fit tribus modis, primo quando gradus siue nomen comparatiuum non plus significat quàm suum positiuum, vt quando dicimus, pete consilium à seniore, & sumitur senior pro sene, & quando sumiter iunior pro iuuene. secundo quando minus significat quam suum positiuum, vt quando dicimus, Socrates est subtristior vel subalbior, id est parum tristis, vel parum albus. tertio quando significat oppositum, & tunc fit comparatio quasi ironica vt quando dicimus, fel est dulcius absintio vel aloë. De gradu comparatiuo impropriè sumpto non intendimus hic. spectat enim ad grammaticū, & rhetorem. Gradus autem propriè comparatiuus sumitur, quando significat magis quàm suus positiuus aut minus, & participatur ab vtroque extremo, & fit tribus modis, primo per nomē comparatiuum, vt fortior, secundo per nomen positiuum cum magis, vt Sortes est magis sapiens quam Plato, tertio per nomen positiuum cum minus, vt Sortes est minus diues quam Plato. Hic igitur intendimus declarare quomodo gradus comparatiuus propriè sumptus in triplici modo prædicto probandus est exponibiliter.

Comparatiui quomodo exponitur. Tu igitur aduerte quòd per tres exponentes probandus est, per duas quidem in quibus ambo comparationis extrema conueniunt, & per tertiam in qua secundum extremum negatur à primo per positiuum comparabiliter sumptum cum nota æqualitatis, quæ est hæc dictio ita. Verbi gratia, Sortes est fortior Platone sic exponitur: Sortes est fortis, & Plato est fortis & Plato nō est ita fortis sicut Sortes, ergo Sortes est fortior Platone. & ista, Tu fortior es aliquo homine sic exponitur: Tu es fortis, & aliquis homo est fortis, & non aliquis homo est ita fortis sicut tu, ergo tu es fortior aliquo homine. Ista autem, Tu es fortior omni homine, sic exponenda est. Tu es fortis, & homo est fortis, & non omnis homo est ita fortis sicut tu, ergo tu es fortior omni homine.

Eodem modo exponendum est positiuum comparabiliter sumptum cum magis, vt ego sum magis sapiens quam tu: Sic exponitur, ego sum sapiens, & tu es sapiens, & tu non es ita sapiens sicut ego, ergo ego sum magis sapiēs quam tu.

Si autem sumatur cum minus, vt hic, Tu es minus fortis quàm Hector exponitur sic: Tu es fortis, & Hector est fortis, & tu non es ita fortis sicut Hector, ergo tu es minus fortis quam Hector. Constat igitur tibi quomodo gradus comparatiuus, & positiuum comparabiliter sumptum cum magis aut minus exponi debeant.

Conclusiones quas inferunt terministæ, ex hoc modo probandi vide in Paulo in tractat. de probationibus terminorum.

Superlatiuus gradus. Superlatiuus gradus siue terminus, vt sapientissimus, dupliciter accipi potest: scilicet absolutè, & in genere. Absolutè quidem sumitur, quando in propositione post terminum superlatiuum nil aliud sequitur, vt quando dicimus Deus est optimus, Deus est sapientissimus. In genere sumitur, quando terminum superlatiuum sequitur aliud. vt quando post terminū dicimus, Hector est fortissimus Troianorum.

Item terminus superlatiuus sumptus in genere, siue vt dicunt alij sumptus respectiuè, dupliciter potest accipi: scilicet positiuè & negatiuè. Positiuè quidem sumitur: quando per excessum aliorum sumitur, & tunc conuenit vni soli, & verificatur illud, quod per superabundantiam dicitur, vni soli conuenit, & in hoc sensu, hæc intelligenda est. Socrates est sapientissimus hominem, vt tibi manifestabitur in propositione sua. Negatiue autem sumitur, non per excessum aliorum, sed quia nō exceditur ab aliis, & in hoc sensu, gradus superlatiuus potest conuenire multis. Puta non inconuenit quòd inter Romanos sint decem fortissimi, quia non dantur fortiores illis.

His præmisis aduerte quòd alio modo exponitur gradus superlatiuus absolutè sumptus, & alio modo respectiuè, positiuè, & alio modo respectiuè.

Absolutè sumptus exponitur per duas exponentes vt hic Deus est potentissimus, sic exponitur: Deus est potens & nihil est, nec potest esse potentius, nec æque potens in tota latitudine entium sicut Deus, ergo Deus est potentissimus. & aduerte quòd apud Aristotelem superlatiuus absolutè sumptus dicitur per hyperbolem, & est proprietas diuina, vt tibi declarabitur in prima philosophia.

Respectiuè positiuè sumptus exponitur per tres exponentes, vt hic: Hector est fortissimus Troianorum, sic exponitur Hector est fortis, Troiani sunt fortes, & nullus ex Troianis est ita fortis sicut Hector est fortis, ergo Hector est fortissimus Troianorum.

Respectiuè negatiuè sumptus exponitur per tres exponentes, vt hic Achilles est fortissimus Græcorum, sic exponitur: Achilles est fortis, Græci sunt fortes, & nullus Græcorum est fortior Achille, ergo Achilles est fortissimus Græcorum. & si aduertis isti duo modi exponendi conueniunt in duabus primis exponentibus, & differunt in tertia: nam in primo modo tertia fit per negatiuam positiui comparabiliter sumpti per hanc dictionem ita siue æquè, sed in secundo modo tertia fit per negatiuam gradus comparatiui, fortissimus omnium.

Eodem modo exponenda est ista. Socrates est fortissimus hominum. positiuè quidem sic, Socrates est fortis, homines sunt fortes & non omnes homines sunt ita fortes, sicut Socrates, ergo Socrates est fortissimus omnium hominum. Negatiuè autem sic, Sortes est, fortis, & homines sunt fortes & non omnis homo est fortior Sorte, ergo Sortes est fortissimus omnium hominum. Constat igitur tibi quibus modis exponendus est gradus superlatiuus tam absolutè quàm respectiuè sumptus positiuè & negatiuè.

Conclusiones, quas ex hoc modo probandi inferunt terministæ vide in Paulo in tracta. de probationibus termino.

Differt, aliud, & non idem probantur per tres exponētes, quarum duæ sunt affirmatiuæ de secundo adiacente, & tertia est negatiua, in qua negatur prædicatum à subiecto. vt hic, Homo differt ab asino, exponitur sic: homo est, asinus est: & homo non est asinus, ergo homo differt ab asino, ergo homo est aliud ab asino, ergo homo non est idem cum asino.

Ista autem Sortes differt ab omni homine sic exponitur, Sortes est, homo est: & Sortes non est omnis homo, ergo Sortes differt & est aliud, & non idem ab omni homine.

Hæc autem de præterito Sortes fuit aliud à Platone sic exponitur, Sortes fuit, & Plato fuit quando Sortes fuit, & Sortes non fuit Plato, ergo Sortes fuit, aliud à Platone.

Hæc verò de futuro, Sortes differt ab antichristo, sic exponitur Sortes erit, & antichristus erit: quando Sortes erit, & Sortes non erit antichristus, ergo Sortes differet ab antichristo, & per consequens erit aliud ab antichristo, & non idem cum antichristo. Constat igitur tibi quomodo isti ter. Differt, aliud, non idem exponendi sunt.

Sed aduerte quòd differt potest dupliciter sumi, scilicet positiuè & negatiuè: positiuè quidem sumitur, quando extrema quæ differunt possunt esse in eodem tempore, vt Sorte existente in eodem tempore, in quo existit Plato dicimus quòd Sortes differt à Platone. Negatiuè autem sumitur, quando negat vnum extremum ab alio dato quod vtrunque extremum non existat in eodem tempore, in quo sensu concedimus quòd Sortes senex differt à seipso puero, licet non sit amplius puer. Hæc enim negatiua est vera, Sortes senex non est ipsemet puer, ergo differt à seipso puero. Quando igitur tenetur positiuè, exponitur per tres exponentes, vt docuimus, quando autem tenetur negatiuè probatur vt diximus.

Item aduerte, quòd aliud & non idem substantiuè siue in neutro genere important distinctionem essentialem, sed in masculino genere siue adiectiuè important distinctionem non essentialem, sed personalem, siue suppositalem. Vnde vt tibi declarabitur in sacra Theologia conceditur quòd pater non est aliud à filio, sed alius, & conceditur quòd est alia persona & aliud suppositum à persona & supposito filij. & cætera.

Conclusiones, quas terministæ inferunt de ly differt ex prædicto modo probandi quando tenetur positiuè, Vide Pau. in tract. de proba. termi.

De hoc termino immediatè videndum est, quomodo eius propositio, quam ingreditur exponenda sit. tu igitur aduerte quòd hic terminus immediatè dupliciter sumi in doctrina peripatetica consueuit, primò vt est nomen, scilicet immediatus immediata immediatum, & plurale est immediati immediatæ immediata, secundo vt est aduerbium: in primo sensu significat rem sine medio, in secundo sensu importat statim. Iuxta primum sensum dicimus quòd in continuo partes sunt immediatæ. quoniam inter eas non cadit medium neque eiusdem, neque alterius generis, sed copulantur ad vnum terminum commune, per oppositum quæ consequenter se habent, vt digiti in manu, non dicuntur immediata, quoniam inter ea cadit medium saltem alterius generis, vt aqua & aër, vel aliud, vt tibi declarabitur in quinto libro *Physicorum, & in secundo* de *Anima*, sed pro nunc sustine. Iuxta secundum sensum importat negationem interpositionis alicuius instantis aut temporis, vt tibi declarabitur in exponendo.

Iuxta primum sensum propositio de immediatè, scilicet tento nominaliter, probanda est per consequentiam, cuius antecedēs sit cū negatione medij vt hic, sphæræ celestes sunt immediatæ, sic probatur: Inter sphæram & sphæram non datur nec est dabile medium, ergo sunt immediatæ. sed aduerte, quoniam huiusmodi probatio spectat ad Philosophum naturalem, ideo logici de hac mentionem non faciunt.

Iuxta autem secundum sensum propositio de immediatè scilicet sumpto aduerbialiter, qualiter probanda sit, hic est inuestigandum. Tu igitur aduerte quòd potest esse affirmatiua & negatiua. si affirmatiua, vel de præterito vel de futuro, si negatiua, vel negatione postposita, vel negatione præposita ly immediatè.

Si est affirmatiua de præterito, probanda est per duas exponentes, quarum prima est præiacens, & secunda est vniuersalis negatiua sibi correspondens, vt hic: Immediatè ante hoc instans fuit pluuia, sic exponitur: Ante hoc instans fuit pluuia, & nullum fuit instans ante hoc, quin inter illud & hoc fuerit pluuia, ergo immediatè ante hoc instans fuit pluuia.

Similiter probanda est affirmatiua de futuro, vt hic: Immediatè post hoc instans erit bellum, sic exponitur: Post hoc instans erit bellum, & nullum erit instans, post hoc, quin inter illud & hoc erit bellum, ergo immediatè post hoc instans erit bellum.

Si est negatiua cum negatione postposita ly immediatè siue de præterito, siue de futuro exponenda est eodem modo sicut affirmatiua, vt hic, Immediatè post hoc instans non erit pax ciuitati, sic exponitur: Post hoc instans non erit pax ciuitati, & nullum erit instans post hoc, quin inter illud & hoc non erit pax ciuitati, ergo immediatè post hoc instans, *non erit pax ciuitati.*

De præterito exponenda est eodem modo, vt hic, Immediatè ante hoc instans non fuit æstas, sic exponitur: Ante hoc instans non fuit æstas, & nullum fuit instans ante hoc, quin inter hoc & illud non fuerit æstas, ergo immediatè ante hoc instans non fuit æstas.

Si est negatiua negatione præposita ly immediatè, non est exponenda, sed per suum oppositum probanda, vt hic, Non immediatè post hoc instans tu eris doctus, sic probanda est. Hæc est falsa, immediatè post hoc instans tu eris doctus, ergo *ista est vera*, non immediatè post hoc instans tu eris doctus. Constat igitur tibi, quomodo propositio de immediatè sumpto aduerbialiter tam affirmatiua quàm negatiua exponenda est.

Conclusiones, quas terministæ inferunt ex prædicto modo probandi, vide in Paulo in trac. de probationibus terminorum,

De necessario & contingẽti.

De hoc termino necessariò, & de suo opposito, scilicet de contingenti, pertractandum est, quomodo scilicet probanda sit propositio quam ingrediuntur. Tu igitur aduerte, ꝙ vt docuimus in tracta. tertio agentes de modalibus possunt sumi nominaliter & aduerbialiter. Exemplum de primo, Deum esse est necessariũ. Rosam esse est contingens. Exemplum de secundò. Necessariò cælum mouetur. Contingenter homo currit. Hic non est considerandum de eis nisi aduerbialiter, quoniam vt sic faciunt propositionem exponibilem. Si autem sumantur nominaliter faciunt propositionem officiabilem, vt tibi declarabitur infrá.

Item aduerte, quòd aduerbialiter sumpta aliquando constituunt propositionem affirmatiuam, aliquãdo negatiuam. Si negatiuam, dupliciter, quia aut per negationem sequentem, aut præcedentem.

Item aduerte, quòd aliquando cõstituunt propositionem in sensu composito, vt quando totaliter præponuntur, vt necessariò Deus est: vel totaliter subsequuntur, vt homo currit contingenter. aliquando in sensu diuiso, vt quando mediant inter subiectum & verbum, vt homo necessariò est animal, vel mediant inter verbum & prædicatum, vt homo est contingenter currens.

Si fiat propositio affirmatiua, tam de necessariò quàm de contingenter probanda est per duas exponentes, scilicet per primam præiacentẽ & per secundam qualitates per oppositas, quoniam si prima est affirmatiua, secunda est negatiua, & secundum exigentiam verbi, puta si verbum principale propositionis exponendæ est præsentis temporis, vel præteriti vel futuri eodem modo se habeat in secunda exponente. Verbi gratia de tempore præsenti, Necessariò cælũ mouetur, exponatur sic, cælum mouetur, & non potest esse quin moueatur, ergo necessariò cælum mouetur. De tempore præterito, Necessariò fuit diluuium, sic exponatur, Diluuium fuit: & non potuit esse, quin diluuium fuerit: ergo necessariò diluuium fuit. De tempore futuro, Necessariò iudicium erit, exponatur sic iudicium erit: & non poterit esse quin iudicium erit, ergo necessariò iudicium erit.

Affirmatiua de contingenter eodem modo exponitur. Verbi gratia contingenter Sortes currit, sic exponatur: Sortes currit, & potest esse quòd non currat: ergo & cætera. Eodem modo exponatur ista de præterito, Contingenter Cæsar fuit Imperator: & ista de futuro contingenter bellum erit. Si fiat negatiua cum negatione postposita sic exponatur. Verbi gratia, necessariò vacuũ non est: Vacuum non est, & non potest esse quòd vacuum sit, ergo &c. Si fiat de contingenter exponatur sic, Contingenter tu non curris: Tu non curris, & potest esse quod tu curras, siue tu potes currere, ergo &c. Eodem modo exponantur de præterito, & de futuro.

Si fiat negatiua cum negatione præposita, non est exponenda, sed probanda, vel reprobanda per suum contradictorium. Verbi gratia, non necessariò Sortes saluatur. Probatur sic, hæc est falsa, necessariò Sortes saluatur, ergo ista est vera, non necessariò Sortes saluatur. patet consequentia, quoniam cum sint contradictoriæ, oportet vnam esse veram & alteram falsam. De contingenter autem eodem modo probetur. Verbi gratia. Non contingenter cælum mouetur, sic probatur. Hæc est falsa, Contingenter cælum mouetur, ergo ista est vera, non contingenter cælum mouetur. Patet consequentia ex lege contradictoriarum.

Si autem fiat propositio affirmatiua vel negatiua negatione præcedente vel subsequente de necessariò & contingenter, in sensu composito, probanda est, vt dictum est. Si verò fiat in sensu diuiso vt hic, Homo necessariò est animal, homo contingenter currit, probanda est secundum exigentiam terminũ præcedentis. Verbi gratia, Homo necessariò est animal cum sit indefinita resoluenda est hoc modo: Hoc necessariò est animal, & hoc est homo, ergo homo necessariò est animal: prima verò resoluens, exponenda est hoc modo: Hoc est animal, & non potest esse quin sit animal, ergo *hoc necessariò est animal.* Eodem modo probanda est propositio de contingenter facta in sensu diuiso, vt homo contingenter sedet, resoluenda est hoc modo, Hoc contingenter sedet, & hoc est homo, ergo, &c. prima verò exponenda est hoc modo. Hoc sedet, & potest esse quòd non sedeat, ergo hoc contingenter sedet. Constat igitur tibi quomodo propositio de necessariò & de contingenter tam affirmatiua quàm negatiua, tam in sensu composito quàm diuiso, probanda sit.

Conclusiones autem quæ ex his inferuntur, vide in Paulo, in tract. de prob. termin.

Ab æterno.

De hoc termino ab æterno est videndum, quomodo propositio quam ingreditur probanda sit. Tu igitur aduerte quòd dupliciter sumi potest, scilicet nominaliter & est ablatiui casus, & aduerbialiter, & idem est quòd æternaliter, in æternum & perpetuo. Si nominaliter, propositio non est exponenda, sed resoluenda: est enim indefinita vel particularis. vt hic, Ab æterno mundus est creatus, sic resoluitur: Ab hoc mundus est creatus & hoc est æternum, per ly hoc demonstrando Deum, ergo ab æterno mundus est creatus. si sumitur aduerbialiter, est idem quòd æternaliter, & tunc aut propositio est affirmatiua aut negatiua. si affirmatiua est exponenda vt hic, Ab æterno fuit Deus, sic *exponitur: Ante aliquod tempus fuit Deus, & nullum fuit* tempus, quin ante illud fuerit Deus, ergo & cætera. De futuro sic exponitur: In æternum erit Deus, post aliquod tempus erit Deus, & nullum erit tempus, quin post illud erit Deus, ergo & cætera. Si negatiua aut negatio subsequitur, aut præcedit. si subsequitur, est hoc modo exponenda, In æternum cælum non mouebitur. Aliquo tempore cælum mouebitur, & erit aliquod tempus, post quod non mouebitur, ergo & cætera. si autem negatio præcedit, non est exponenda, sed per suum contradictorium probanda. vt *hic, Non in perpetuum Deus irascetur: Hæc est falsa*, in perpetuum Deus irascetur, ergo hæc est vera, non in perpetuum Deus irascetur. Patet consequentia per legem contradictoriarum.

Constat igitur tibi quomodo probanda est propositio, in qua ingreditur hic terminus ab æterno, siue nominaliter, siue aduerbialiter sumatur, &c.

Conclusiones, quæ hinc inferuntur, vide in Paulo vbi suprá.

De hoc termino semper videndum est quomodo probanda sit propositio, quam ingreditur. Tu igitur aduerte quòd ly semper conuertitur cum omni tempore, vt idem sit semper esse, & omni tempore esse. Ly autem semper siue ly omni tempore dupliciter sumitur: scilicet absolutè & respectiuè: absolute quidem, quando complectitur omnem temporis differentiam, scilicet præteriti, præsentis, & futuri, sicut quando dicimus, Deus qui est, fuit, & erit, absque principio & fine. Respectiuè autem sumitur, quando pro tota vna differentia temporis verificatur, vt quando dicimus ad mentem Aristotelis, Mundus semper fuit. Generatio semper erit, elementa semper permanent.

Si igitur fiat propositio de semper absolutè sumpto, sic exponenda est: Verbi gratia, Deus semper est: Deus aliquo *tempore est, & non est neque fuit, neque erit aliquod tempus*, in quo Deus non sit, ergo Deus semper est.

Si fiat propositio de semper respectiuè sumpto, aut est affirmatiua, aut negatiua: si affirmatiua sic exponenda est, Semper fuit mundus, aliquo tempore fuit mundus, & non fuit aliquod tempus in quo non fuerit mundus, ergo semper fuit mundus. De futuro autem sic, Semper erit Sol, vel semper sol lucebit, vel semper beati videbunt Deum: Aliquo tempore erit sol, & non erit aliquod tempus in quo non erit sol, ergo semper erit sol, eodem modo expone secundam & tertiam. Si negatiua, aut negatio subseq

subsequitur ly semper respectiuè sumptum, aut præcedit: si subsequitur sic exponenda est, Verbi gratia. Semper non fuit Aristoteles, aliquo tempore fuit Aristoteles, & fuit aliquod tempus, in quo non fuit Aristoteles, ergo semper. id est omni tempore præterito non fuit Aristoteles. De futuro autem sic exponenda est, *semper non erit abundantia: Aliquo tempore erit abundantia, & erit aliquod tempus in quo non erit abundantia*, ergo semper non erit abundantia. Si verò negatio præcedat, non est exponenda, sed per suum oppositum probanda. Verbi gratia. Non semper erit pax, sic probatur. Hæc est falsa, semper erit pax, ergo ista est vera, non semper erit pax, patet consequentia per legem contradictoriarum.

Constat igitur tibi quomodo probanda sit propositio de semper, siue absolutè, siue respectiuè teneatur, siue affirmatiuè siue negatiuè.

Conclusiones, quas inferunt terministæ ex hoc modo probandi, vide in Paulo vbi suprá.

Totus.

De hoc termino totus videndum est, quomodo probanda sit propositio quam ingreditur. Tu igitur aduerte quòd apud Aristotelem dupliciter sumitur. primò pro ente completo siue perfecto, in quo sensu dicimus totum esse illud cui nihil deest quod spectet ad sui integritatem, secundò sumitur pro qualibet parte alicuius totius. In primo sensu dicunt logici totum categorematicè, in secundo autem sensu dicunt totum syncategorematicè. In primo sensu communiter locatur inter subiectum & verbum, vt hic, nix tota est alba, vel inter verbum & prædicatum vt hic, Deus est totus bonus. In secundo autem sensu præcedit subiectum, vt hic, *totus Sortes est minor Sorte*, id est quælibet pars Sortis est minor Sorte.

In primo sensu non exponitur, sed sic probatur: Nix est tota alba, nix est perfectè alba, ita quòd nullus gradus albedinis sibi deest, ergo est tota alba. eodem modo probandæ sunt istæ, Ignis est totus calidus, Deus est totus bonus.

In secundo sensu debet probari exponibiliter hoc modo, tota domus est minor domo: Aliqua pars domus est minor domo & nulla est pars domus, quæ non sit minor domo, ergo tota domus est minor domo.

Hoc modo probanda est propositio affirmatiua de toto syncategorematicè sumpto. si autem fiat negatiua negatione præposita, vt hic, Non tota domus est minor domo. Non est exponenda, sed per suam contradictoriam probanda vel improbanda, vt patet hinc. Hæc est vera, tota domus est minor domo, ergo hæc est falsa, Non tota domus est minor domo, patet consequentia, per legem contradictoriarum. Si verò postponatur negatio, vt hic, tota domus non est alba, non est exponenda, sed per contradictoriam probanda hoc modo, Hæc est vera, tota domus est alba, ergo hæc est falsa, tota domus non est alba, patet consequentia, per legem contradictoriarum. Nonnulli volunt quòd probetur vt vniuersalis neg. eo quòd æquipollet illi, quomodo autem illa probetur, diximus in cap. tertio huius tractatus. vide tu illic.

Constat igitur tibi, quomodo probanda sit propositio de toto categorematicè, & syncategorematicè sumpto, siue sit affirmatiua, siue negatiua.

Conclusiones hinc illatas apud terministas, vide Paulo vbi suprá.

Infinitũ.

De hoc termino infinito videndum est, quomodo propositio quam ingreditur sit probanda. Tu igitur aduerte, quòd infinitum apud logicum dupliciter sumitur, scilicet categorematicè, & syncategorematicè. categorematicè significat ens quod non habet principium, neque finem, & ponitur in propositione à parte prædicati, vt Deus est infinitus. Motus cæli. & tempus sunt infinita, supposito quod mundus sit æternus ad mentem Aristotelis. syncategorematicè significat quod quocunque ente dato potest dari majus, vel quibuscunque datis possunt dari plura, & ponitur in principio propositionis. vt infinitum corpus est, infinitum spacium est extra cælum. infinitum sumptum catego. non facit propositionem exponibilem, sed resolubilem, vt Deus est infinitus, hoc est *infinitum*, & hoc est Deus, ergo Deus est *infinitus*. sumptum autem syncategorematicè facit propositionem dupliciter probabilem, primò exponibiliter, vt hic, Infinitum corpus est, aliquantum corpus est, & non tantum quin maius, & maius, & sic in infinitum, ergo infinitum corpus est, eodem modo exponenda est ista de præterito. Infinitum corpus fuit, & de futuro, infinitum corpus erit, in plurali autem sic exponenda est, infinitæ stellæ sunt, Aliquot stellæ sunt, & non tot quin plures in infinitum, ergo infinitæ stellæ sunt. eodem modo expone istam de præterito, infiniti dies fuerunt, & istam de futuro, infiniti dies erunt, supposita æternitate motus cæli. secundo probatur sic, infinitum corpus est, aliquantum corpus est, & duplum ad aliud, & triplum ad aliud, & quadruplum ad illud, & sic in infinitum, ergo infinitum corpus est, in plurali autem sic. infinita sydera sunt. Duo sunt, & tria, & quatuor & quinque, & sic in infinitum, ergo infinita sydera sunt, vterque istorum modorum vsitatus, & validus est, licet forte secundus sit manifestior.

Constat igitur tibi quomodo probanda sit propositio de infinito categoricè, & syncategoricè sumpto.

Conclusiones deductas ex hoc modo probandi, vide in Paulo vbi supra, & hæc dicta sint de propositione exponibili.

CAP. IIII. *De propositione officiabili.*

IN cap. quarto videndum est, quomodo propositio officiabilis probanda sit, & hic tria agenda sunt, primò quid sit, secundò quot modis sit, tertiò quomodo probatur.

Quantum ad primum aduerte quòd propositio officiabilis est illa cuius dictum siue oratio infinitiua determinatur aliquo sex terminorum modalium, vel verbo concernente actum mentis. exemplum primi, necesse est Deum esse, exemplum secundi, credo Deum esse omnipotentem. Termini enim siue verba concernentia actum mentis sunt ista, Scio, intelligo, credo, opinor, imaginor, volo, desidero &c.

Sed aduerte quòd termini modales, & verba concernentia actum mentis possunt in duplici sensu facere propositionem, scilicet in sensu composito, & in sensu diuiso. In sensu quidem composito præcedunt, aut subsequuntur orationem infinitiuam vt hic. necesse est Deum esse, vel sic, Deum esse est necesse, & hic, Scio hominem esse risibilem, vel sic, hominem esse risibilem intelligo.

Quantum ad secundum aduerte quod propositio officiabilis in sensu composito potest fieri duobus modis, primo per terminum modalem, & verbum importans actum animæ, vt prædiximus, secundo per hos terminos, per se, per accidens, per se primo, per se non primo, vt declarabitur.

Quantum ad tertium aduerte quòd propositio officiabilis siue fiat per terminum modalem, siue per verbum significans actum mentis, siue per hos terminos per se, per accidens, per se primo, per se non primo, dummodo fiat in sensu composito sic officianda, id est probanda est.

Necesse est Deum esse, sic probatur. Hæc propositio est necessaria, Deus est, quæ adæquate significat Deum esse, ergo necesse est Deum esse.

Scio hominem esse immortalem secundum animam, sic probatur: Hæc propositio est scita à me, Homo est immortalis secundum animam, quæ adæquate significat hominem *esse immortalem secundum animam*, ergo *scio* hominem esse immortalem secundum animam.

Per se primo homo est risibilis, probatur sic. Hæc propositio est per se primo, homo est risibilis, quæ adæquate significat hominem esse risibilem, ergo per se primo homo est risibilis.

Per se non primo, Sortes est risibilis, sic probatur. Hæc propositio est per se non primo, Sortes est risibilis, quæ adæquate significat Sortem esse risibilem, ergo &c.

Per accidens homo currit, sic probatur. Hæc propositio est per accidens, *homo currit*, quæ adæquate significat hominem currere, ergo &c.

Dixi dummodo fiat in sensu composito, quoniam in sensu diuiso non est officianda, sed probanda secundum exigentiam termini precedentis terminum modalem, aut verbum concernens actum mentis. Verbi gratia. Deum necesse est esse. Hæc est resoluenda hoc modo, hoc necesse est esse, & hoc est Deus, ergo Deum necesse esse. Hæc autem omnem hominem possibile est esse album exponenda est sicut vniuersalis affirmatiua: exponatur ergo sic, hominem possibile est esse album, & nihil est homo, quin illud possit esse album, ergo omnem hominem possibile est esse album.

Constat igitur tibi quid sit propositio officiabilis, & quotuplex sit, & quomodo probanda.

Conclusiones illatas ex hoc modo probandi, vide in Paulo in tracta. de probationibus terminorum.

CAP. V. *De propositione descriptibili.*

IN hoc cap. agendum est de propositione descriptibili, & hic quatuor agenda, primò quomodo sumitur hic descriptio, à qua denominatur propositio descriptibilis: secundò quid sit propositio descriptibilis, tertiò quot modis sit, quartò quomodo probatur.

Quantum ad primum aduerte quòd descriptio dupliciter sumitur, primò pro oratione in qua continetur genus, & rei proprietas. vt ista est hominis descriptio. homo est animal risibile, & per ly. rei proprietas differt descriptio à vera diffinitiõe: quoniã illa datur per genus, & propriã differẽtiã essentialẽ vt homo est animal rationale. secũdò sumitur pro quadam rei denominatione, nam rem sic vel sic denominare, est eã describere, in hoc loco non dicitur propositio descriptibilis à descriptione primo modo sumpta sed secundo modo. Nam de descriptione, & descripto siue descriptibili, primo modo acturi sumus in tract. de syllogismo topico, sicut & de diffinitione, & diffinito siue diffinibili.

Quantum ad secundum aduerte quòd propositio descriptibilis sic diffinitur, Propositio descriptibilis est illa, in qua verbum concernens actum mentis, determinat incomplexum positum in prædicato, dummodo nullus terminus mediatus præcedat verbum concernens actum mentis, vt ista est descriptibilis, ego cognosco rosam.

Dicitur incomplexum positum in prædicato: quoniam si ponitur in subiecto stat materialiter, & non formaliter, vt rosam cognosco, patrẽ meum cognosco, & tales propositiones non sunt descriptibiles, sed resolubiles sicut indefinitæ, aut singulares.

Dicitur, dummodo nullus terminus mediatus præcedat &c. quoniam si talis terminus præcedat verbum concernẽs actũ mentis, talis propositio non est probanda descriptibiliter, sed secundùm existentiam termini mediantis præcedentis, nam si fiat propositio indefinita vel partic. vel singularis per terminum discretum, resoluenda est, vt hic, Homo cognoscit seipsum: aliquis homo cognoscit seipsum, Sortes cognoscit seipsum. Si autem fiat vniuersalis affirmatiua, exponenda est vt hic, Omnis homo desiderat scientiam. Quis autem dicatur terminus mediatus, & immediatus, docuimus in primo cap. hulus tractatus.

Quantum ad tertium aduerte quòd propositio descriptibilis potest fieri duobus modis, primo per terminum incomplexum, cui correspondet incomplexum, vt intelligo vel cognosco cœlum, desidero panem, nolo bellum. secundo per terminum incomplexum, cui correspondet complexum, vt scio à conclusionem, scio syllogismum. scio consequentiam, scio inductionem &c. Descriptibilis primo modo, congruè fit per hæc verba intelligo, cognosco, desidero, volo, nolo: quoniam indifferenter determinatur incomplexum, & complexum ex parte rei. Nam congruè dicimus cognosco Sortem, & cognosco Sortem esse risibilem, secundo autem modo fit per hæc verba, scio, credo, opinor, dubito, nam obiectum eorum est complexum ex parte rei, vt scio hominem esse animal, credo Deum esse omnium creatorem, dubito papam esse Romæ.

Quantum ad quartum aduerte quòd propositio descriptibilis tam primo quàm secundo modo probanda est, vt infrá.

Primo modo sic, cognosco Sortem, cognosco aliquid sub ratione qua Sortes. ergo cognosco Sortem. Tu intelligis cælum, tu intelligis aliquid sub ratione qua cælum, ergo tu intelligis cælum,

Secundo aut modo sic, Scio a propositionem, scio aliquid antequam significatum a propositionis, quod scio adæquate significari per a propositionem. Credo hanc propositionem Deus est trinus, & vnus. Credo adęquatum significatum huius propositionis Deus est trinus, & vnus quod scio adæquatè significari per hanc propositionẽ, Deus est trinus & vnus, ergo &c. Dubito hanc propositionem, scilicet cælum est incorruptibile. Dubito adæquatũ significatũ huius propositionis, scilicet Cælum est incorruptibile, quod scio adæquatè significari per hanc propositionem, scilicet Cælum est incorruptibile, ergo &c.

Constat igitur, quid sit propositio descriptibilis, & quot modis fit, quo modo probanda est.

Conclusiones illatas ex hoc modo probandi vide in Paulo vbi suprá.

CAPVT VI.

De propositione probabili per causas veritatis.

IN hoc cap. agendum est de propositionibus quæ probandæ sunt per causas veritatis, & hic duo agenda sunt, primò quid sit propositio probanda per causas veritatis, secundò quæ sint huiusmodi propositiones, tertiò quomodo probandæ sint.

Quantum ad primum aduerte quòd propositio probabilis per causas veritatis est illa, cui possunt assignari multæ causæ disiunctiuæ, per quas redditur vera. Verbi gratia, Sortes habet pulsum concitatum. Huius possunt esse plures causæ, puta quia iratus est, quia velociter ambulauit, quia multum comedit, quia febricitat &c.

Quantum ad secundum aduerte quòd huiusmodi propositiones sunt illæ, quæ constituuntur per hæc verba incipit, & desinit, & per ablatiuum acceptum in consequentia. exemplum de incipit, Sortes incipit esse iustus. exemplum de desinit, Sortes desinit esse iniustus. exemplum de ablatiuo in consequentia, Sole existente in ariete fit æquinoctium.

Quantum ad tertium aduerte quòd alio modo probatur propositio de incipit, & alio modo propositio de desinit, & alio modo propositio de ablatiuo in consequentia. Nam propositio de incipit probatur per disiunctiuam compositam ex duabus copulatiuis, quarum copulatiuarum prima fit ex categorica affirmatiua de præsenti, & negatiua de præterito. Secunda autem ex negatiua de præsenti, & affirmatiua de futuro. exemplum primi, Rosa incipit florere, sic probatur: Rosa nunc floret, & ante hoc nunc præsens immediatè non floruit, ergo rosa incipit florere, & hic modus probãdi, qui dicitur per positionem de præsenti, & per negationem de præterito, deseruit rebus permanentibus. in quibus ex parte incæptionis est dare primum instans sui esse, vt tibi declarauimus in tractatu de primo, & vltimo instanti in lib. Physicorum, exemplum secũdi, Sol incipit moueri, sic probatur, Sol nunc non mouetur, & post hoc nunc præsens immediatè mouebitur, ergo sol incipit moueri. & hic modus probandi, qui dicitur per negationem de præsenti, & positionem de futuro deseruit rebus successiuis, quales sunt motus, tempus alteratio, motus localis, augmentum, & decrementum, in quibus non est dare primum sui esse ex parte incœptionis, sed vltimum sui non esse, vt tibi declarauimus in tract. prædicto.

Propositio de desinit probatur per disiunctiuam compositam ex duabus copulatiuis, quarum prima fit ex categorica negatiua de præsenti, & categorica affirmatiua de præterito. Secunda autem fit ex categorica affirmatiua de præsenti & negatiua de futuro. exemplum primi, Rosa desinit florere, sic probatur, Rosa nunc non floret, & immediatè ante hoc nunc præsens floruit, ergo rosa desinit florere. exemplum secundi, Sortes desinit esse, sic probatur, Sortes nunc est, & immediatè post hoc nunc præsens non erit, ergo Sortes desinit esse. Primus modus deseruit rebus successiuis. Nam hæc, cursus Sortis desinit esse, sic probatur, nunc non est cursus Sortis, & immediatè ante hoc instans præsens, fuit cursus Sortis, ergo cursus Sortis desinit esse. Secundus autem modus deseruit rebus permanentibus, & ratio horum est hæc. Quia in rebus successiuis, non est dabile vltimum sui esse, sed primum sui non esse. In permanentibus autem, est dabile vltimum sui esse &c. Sed pro nunc sustinet quoniam hæc tibi declarabuntur in trac. de primo, & vltimo instanti, quem ordinauimus in libro octauo physicorum in epitomatibus nostris.

Propositio de ablatiuo in consequentia, probatur per disiunctiuam compositam ex causali, vel temporali, vel conditionali. exemplum, Sole oriente fit dies, sic probatur. Quia sol oritur, fit dies, vel quando sol oritur, fit dies, vel si sol oritur, fit dies. Prima categorica est causalis, secunda temporalis, tertia conditionalis. *Ablatiuus in consequentia.*

Constat igitur tibi, quid sit propositio probabilis per causas veritatis, & quomodo probantur propositiones de incipit, & desinit, tam in permanentibus quàm in successiuis, & quomodo probatur ablatiuus in consequentia.

Conclusiones illatas ex his modis probandi, Vide in Paulo vbi suprá.

EXPLICIT TRACTATVS de Probationibus terminorum.

TRACTATVS VNDECIMus de Sillogismo demonstratiuo, in tredecim capita diuisus.

POst considerationem de syllogismo formali, & non contracto ad aliquam materiam, acturi sumus in præsenti tractatu, de syllogismo demonstratiuo, de quo per tractat. Arist. in libris Posteriorum. Talẽ nanque ordinem proposuit Aristoteles in primo priorum, vbi inquit, Dicen

Dicendum est per quæ, & quando & quomodo fit omnis syllogismus, scilicet formalis, & absolutè sumptus: Postea vero dicemus de demonstratione, prius enim dicendum est de syllogismo quàm demonstratione, eo quod vniuersalior est syllogismus. Nam demonstratio quidam syllogismus est, syllogismus verò non omnis demonstratio. Hæc Aristoteles, ex quibus constat libros Posteriorum immediatè sequi libros Priorum. Rationabiliter ergo post tractatum de syllogismo formali, expedit ordinare præsentem tract. qui correspondebit libris posteriorũ, sicut præcedens correspondet libris priorum. & aduerte, quòd qui cõposuerunt summulas in logica breuiantes logicam Aristotelis, nullum tractatum correspondentem libris posteriorum ordinarunt, vt patet in logica Petri Hispani, cuius rationem duplicem assignant eius expositores. Prima est quòd scientia de demonstratione tradita in libro Posteriorum, est nimis difficilis iuuenibus, hic autem nouitij incipiunt erudiri in logicalibus, ex cõsequenti non sunt capaces tantæ difficultatis, ideo non oportuit facere tractatum de syllogismo demonstratiuo. secunda est quòd scientia de syllogismo demonstratiuo est adeo fructuosa, & fertilis in libro Posteriorum, quòd abbreuiari non potuit.

Sed si bene aduertis vtraque ratio potius deberet concludere oppositum. Nam quia scientia libri Posteriorum, est maximè difficilis, & inacquisibilis à nouitijs eo modo quo traditur illic, ideo expedit resolutum, & plano stylo formare tractatum introductorium ad libros Posteriorum, in quo ingenium nouitij aliquantulum exercitatum potentius euadet ad intelligendum libros Posteriorum. secunda ratio parum valet. Nam licet doctrina posterioristica fructuosa & abundans sit, tamen non inconuenit eam breuiare, dimissis maioribus difficultatibus pro nunc, quæ tractantur ab Aristotele in libris Posteriorum. Nam & Priscianus, & Donatus & breuiari sunt, præterea Breuiari sunt libri Aristotelis de naturalibus, qui abũdantes & fertilissimi sunt, ergo & libri Posteriorum breuiari possunt. Conabimur igitur in præsenti tractatu compendiosè enucleare mentem & doctrinam Aristotelis, quam diffusè tradidit in libris Posteriorum: & præcipuè in primo. Hunc igitur tractatum diuidimus in tredecim capita.

In primo resoluenda sunt aliqua, vt prima fundamenta, sine quibus vera scientia de demonstratione in via peripatetica haberi non potest.

In secundo diffinienda est demonstratio per causam finalem & materialẽ, & duo errores extremi reprobandi sunt.

In tertio ex quibus præmissis fiat demonstratio potissima.

In quarto ex quibus & qualibus non fit demonstratio.

In quinto ex quibus & qualibus principiis fit demonstratio virtualiter.

In sexto quomodo omnes scientiæ conueniunt & disconueniunt in principiis communibus & propriis.

In septimo de differentia inter demonstrationem propter quid & demonstrationem quia.

In octauo in qua figura syllogistica, fiat præcipua demonstratio, quæ facit scire simpliciter.

In nono, de syllogismo generante in nobis ignorantiam.

In decimo, de processu demonstrationis in infinitum.

In vndecimo, de comparatione demonstrationum adinuicem quo ad perfectionem & nobilitatem.

In duodecimo, de comparatione scientiarum adinuicem.

In decimotertio, de medio in demonstratione potissima.

CAPVT I.

De Præcognoscendis ante demonstrationem.

IN primo capite agendum est de illis, quorum notitia præsupponitur demonstrationi. Hæc autem sunt quatuor. Primum est hoc principium. Omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiua fit ex præexistenti, id est, præhabita cognitione. Pro cuius notitia aduerte quòd apud antiquos de scientia nostra duplex fuit opinio. Vna quidem Heracliti & Socratis. Tenuit Heraclitus, vt innuit Aristoteles in octauo Physicorum, de nullo inferiori & corruptibili ente posse haberi scientiam, quoniam sunt in continuo fluxu, & nunquam in eodem statu permanent, vt patet in elementis & elementatis alterabilibus. Scientia autem est de re inuariabili & quæ non potest aliter se habere, vt declarabimus infrà, ergo, &c. Socrates autem tenuit quòd donec viuimus, non possumus de aliquo habere scientiam, propter fallaciam sensuum, à quibus magis illudimur quam erudiamur, vt patet in Phedone de Anima. Secunda opinio fuit Platonis, qui concedit quòd de entibus scientiam habere possumus, sed non de nouo, quoniam arbitratus est, animam creari cum omnibus scientiis, sed cum vnitur corpori quasi soporata omnium obliuiscitur, donec paulatim per viam sensuum reminiscatur, propterea tenuit in Phędro nostrum scire non fieri de nouo per viam sensuum, sed esse quoddam expergisci & reminisci. (Sed de his plenam noticiam habebis in libris de Anima, & in septimo libro Metaphysicæ, ideo pertranseo.) Contra igitur vtranque opinionem, ponit Aristoteles hanc conclusionem. Omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua, fit ex præexistenti cognitione. Quæ antequam probetur declaranda est. *Notitia discursiua hæc est.*

Aduerte igitur quòd eadem cognitio intellectiua, quæ habetur per acquisitionem dicitur doctrina & disciplina, sed diuerso respectu. Nam vt est à magistro docente disciplulum dicitur doctrina. est enim doctrina actus docentis: vt autem recipitur in discipulo à docente dicitur disciplina. Vnde doctrina & disciplina se habent vt calefactio actiua, & calefactio passiua. Dixi quæ habetur per acquisitionem, quoniam cognitio, quæ habetur per propriam inuentionem, non est doctrina, neque disciplina. Illa enim non habetur ab aliquo docente, sed per proprium studium venatione sensuum & virtute intellectus agentis, vt tibi manifestabitur in libro de Anima.

Item aduerte quòd per doctrinam & disciplinam intellectiuam non intendit Aristoteles solam scientiam propriè dictam, sed omnem cognitionem intellectiuam siue necessariam & certam, qualis est scientia, siue probabilem, qualis est opinio & prudentia, vt tibi manifestabitur.

Item aduerte quòd dicit omnem doctrinam, &c. fieri ex præexistenti, id est, ex prius habita cognitione indistinctè sumpta. Nam quædam fit ex præexistenti cognitione intellectiua, vt cognitio conclusionis, fit ex præexistenti cognitione primorum principiorum, quæ est cognitio intellectiua, quæ habetur lumine intellectus agentis, vt tibi declarabitur infrá. Cognitio autem primorum principiorum causatur ex cognitione sensitiua, in qua est status, neque enim necesse est sensitiuam causari ex priori sensitiua, aliter procederetur in infinitum. Sensus ergo conclusionis est iste, Omnis cognitio intellectiua acquisita per doctrinam & disciplinam, fit ex priori cognitione intellectiua vel sensitiua. Ex intellectiua quidem vt cognitio conclusionis, ex sensitiua autem, vt cognitio primorum principiorum.

Hanc igitur conclusionem sic declaratam, probat per inductionem Aristoteles hoc modo. Scientiæ mathematicæ causantur ex priori cognitione. Nam, vt patet in principio Euclidis, præponuntur quędam principia naturaliter cognita ex cognitione terminorum per viam sensus, vt punctus est cuius pars non est, totum est maius sua parte, Circulus est figura vna linea contenta. Et ex his principiis præcognitis mathematicus deducit conclusiones suas: ergo doctrina est. Et disciplina mathematica fit ex præexistenti cognitione. *Prima dis ciplina.*

Doctrina dialectica siue disputatiua, per quam acquiritur opinio, & quæ vtitur syllogismo & inductione, fit ex prius cognitis. Nam per syllogismum concluditur conclusio ex præmissis notioribus. Aliter syllogismus esset frustra, si præmissæ non essent prius & magis notæ quàm conclusio, vt tibi declarabitur infrá.

Doctrina persuasiua, quæ est ipsa rhetorica, quæ propter incertitudinem, non vtitur syllogismo nec inductione, sed enthymemate & exemplo, fit ex prius cognitis. Nam rhetoricus & orator, per vnum exemplum prius cognitũ aut per plura iam experta, concludit aliud singulare pro tempore futuro. Verbi gratia, Dicit orator, Dionysius petẽs munitiones & fortalitia tyrannizauit, & alius petens idem tyrannizauit, ergo & iste quia petit idem tyrannizabit. Enthymemate autem sic arguit. Sortes vicit palęstram, ergo meretur coronari. Cõstat ergo quòd omnis cognitio intellectiua siue sit vera scientia, vt in mathematicis: siue sit probabilis opinio, vt in dialecticis & disputatiuis & orationibus rhetoricis, quæ acquiritur per doctrinam & disciplinam, fit ex præexistenti cognitione siue ex aliquibus prius cognitis.

Secundum est hæc conclusio veluti corollariè sequens ex præcedenti principio, & est hæc. Antequam probetur conclusio per syllogismum demonstratiuum, oportet duo præcognoscere, scilicet quia est, & quid est. pro cuius notitia aduerte, quòd ad demonstrationẽ tria requiruntur, primo requiritur aliquod principium complexum verum, quòd in demonstratione est propositio siue præmissa, & tale principium appellatur maxima siue dignitas propter apertam veritatem, & super quam tota demonstratio fundatur, vt tibi declarabitur *Duæ præcognitiones sunt, & tria præcognita in omni disciplina.*

rabitur infrá. Secundò requiritur prædicatum proprium. quod est propria passio siue habens modum propriæ passionis: et hæc est maior extremitas. Tertiò requiritur subiectum siue natura illa de qua demonstranda est propria passio: & tale subiectum est minor extremitas, & ex subiecto & propria passione componitur conclusio demonstrabilis. Verbi Gratia. Volo demonstrare, omnem hominem esse risibilem, hæc est conclusio, Omnis homo est risibilis, & demonstratur sic, Omne animal rationale est risibile. hoc est principium complexum, cuius prædicatum est propria passio. Omnis homo est animal rationale, huius minoris subiectum de quo demonstratur passio est homo, ergo omnis homo est risibilis. Hæc est conclusio demonstrata constans ex passione & subiecto suo.

Cum igitur omnis doctrina & disciplina intellectiua inter quas ea quæ habetur per demõstrationem est præcipua, fiat ex aliquibus præcognitis, oportet antequam demõstretur conclusio, præcognoscere principia, ex quibus procedit demonstratio, & passionem demonstrabilem de subiecto, & subiectum de quo demonstranda est propria passio.

Vt autem scias quid de principiis complexis & de passione, & de subiecto præcognoscendum sit, aduerte quòd cum duæ tantum sint præcognitiones, scilicet quia est & quid est, oportet de principiis & subiecto, & passione, aut vtrunque præcognoscere, aut alio & alio modo. Primum non potest esse, quoniam de principiis complexis non possumus præcognoscere quid sint, sed tantum quia sunt, id est quia vera sunt, & ideo super veritatem eorum præcognitam fundatur conclusionis demonstrandæ veritas, nam cum principia quas dignitates dicimus sint notissimæ veritatis, non oportet ea diffinire. Datur enim diffinitio causa innotescendi. Præterea notificabitur tibi in septimo Metaphysicæ, quòd complexa sunt indiffinibilia. De principiis ergo præcognoscitur quia sunt vera, & non præcognoscitur quid sunt, quoniam sunt indiffinibilia. vt de hoc principio, De vnoquoque est vera affirmatio vel negatio, præcognoscitur ante omnem demonstrationem quòd est verissimum. De passione autem puta de risibili oportet præcognoscere quid est, saltem quòd dicitur, id est quid significatur per nomen, Nam cum sit quid incomplexum, & non sit per accidens, est diffinibilis. De ea autem non oportet præcognoscere quia est, quia per demonstrationem passionem in esse subiecto concluditur, vt risibile inesse homini. Quod autem concluditur per demonstrationem, non præcognoscitur, sed post, ergo de passione non præcognoscitur, sed concluditur quia est.

Quid rei etiã passio nis nonnunquam præcognoscere oportet, sed nõ in ipsa demõstratione.

De subiecto autem oportet præcognoscere vtrũque, scilicet quid est, & quia est. Quid est quidem, quoniam in demonstratione potissima vt tibi declarabitur infrà, medium est diffinitio & quid subiecti. Medium autem oportet præcognoscere, aliter procederemus ex ignoto ad ignotũ. Nam nisi præcognoscerem hominem esse animal rationale ineuidenter concluderem hominem esse risibilem. Oportet etiã præcognoscere de subiecto quia est, vel saltem non repugnat sibi esse. Nam cum de non ente non habeatur scientia, quoniam vniuersalissimum obiectum intellectus est ens, necessè est omne scibile esse ens. Ens autem est quod est vel potest esse, vel sibi non repugnat esse, ergo de quolibet subiecto scibili oportet præcognoscere non solum quid est, sed etiam quia. Constat ergo tibi quod ante demonstrationem oportet præcognoscere quia de præmissis, & quid nominis de passione, & de subiecto quid & quia. Dico autem de subiecto quid rei, & non solùm quid nominis, ad differentiam de quid quod de passione præcognoscitur.

Tertiò declarandus est ordo præcognitionis, qui est inter principia, id est præmissas & conclusionem. Nam dictum est, quòd antequam deducatur cõclusio ex principiis, id est ex præmissis, oportet ea præcognoscere quia sunt, scilicet vera, vt procedamus ex notioribus, aliquid autem potest esse prius cognitum conclusione duobus modis, scilicet prius tempore & prius natura. Declarãdum est ergò si præmissæ prius tempore cognoscuntur conclusione, vel solùm natura. Tu igitur aduerte, quòd in demonstratione sunt duo principia, ex quibus deducitur conclusio, scilicet propositio maior, quæ debet esse vniuersalis, & propositio minor, quæ potest esse vniuersalis vel particularis. Et quidem si loquamur de maiori, dicit Aristoteles quòd præcognoscitur tempore. Verbi gratia, Facio hanc demonstrationem, Omnis homo est risibilis: Sortes est homo, ergo Sortes est risibilis. Constat quòd iamdiu possum scire maiorem, & nunc scio conclusionem, quoniam ante deductionem nesciebam Sortem esse risibilem. Nam bene stat quod scientiam habeam in vniuersali, & non in particulari, quoniam fortè non aduertes hoc particulare contineri sub vniuersali. Si autem loquimur de præcognitione propositionis minoris, dicit Aristoteles quòd si demonstrans aduertit minorem contineri sub maiori, non præcognoscitur tempore, sed simul & in eodem instanti cum conclusione. Cum hoc tamen stat quòd præcognoscitur prius natura: quoniam cognitio conclusionis pẽdet à cognitione præmissarum & non econuerso. Stat ergo resolutio in hoc, quòd maior & minor cognoscuntur prius natura conclusione. Sed maior non solum natura, sed etiam tempore. Minor autem cognita contineri sub maiori, tantùm prius natura. Nam cognita maiori & minori, vt contenta sub maiori, statim & in eodem instanti cognoscitur conclusio. Notanter dixi, cognita minori vt contenta sub maiori, quoniam si in minori assumatur aliquid contentum sub vniuersali maiori, & hoc non cõstet demonstranti non statim habetur cõclusionis cognitio, sed prius oportet manifestare per aliquod medium, quod assumptum in minori continetur in vniuersali assumpto in maiori. Verbi gratia, Assumitur in maiori quòd omnis triangulus habet tres æquales duobus rectis. & subsumitur quòd figura descripta in semicirculo est triangulus.

Si demonstranti constat minorem contineri sub maiori, puta quia aduertit figuram descriptam in semicirculo esse triangulum, statim cognoscit conclusionem, si autem non aduertit, oportet eã probare, & sic non cognosceetur conclusio donec probatum fuerit minorem contineri sub maiori, & in eo casu, maior & minor cognoscuntur prius natura & tempore, ipsa conclusione. Cõstat igitur tibi quomodo principia siue præmissæ præcognoscuntur conclusione, & qua prioritate.

Quarto declarandum est vtrum sicut præmissæ præcognoscuntur conclusione, sic conclusio præcognoscatur antequam per inductionem vel per syllogismum demonstratiuum probetur. Huic quidem dubio respondens Aristoteles determinat veritatem, deinde soluit argumentum Platonis, qui videtur arguere contra determinationem fiendam.

Tu igitur aduerte quòd mens Aristotelis est, quòd cognitio conclusionis antequam demonstretur, est sicut esse effectus naturalis in causis suis præexistentibus. De illo autem constat quod habet esse in potentia siue in virtute in causis suis, scilicet in efficiente & in materia antequam producatur, non autem habet esse actu in rerum natura extra causas suas, nisi postquam productus fuerit. Habere autem esse in potentia siue in virtute est habere esse secundùm quid, quoniam est medium inter non esse simpliciter, & esse simpliciter. habere verò esse in actu per productionem, est habere esse simpliciter. Sic in proposito conclusio antequã demonstretur, est cognita secundum quid, id est in virtute in principiis suis. Nam qui cognoscit hoc principium, omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, cognoscit virtualiter quod omnis species trianguli, puta Isochelles Isopleuros, & scalenõ habet tres æquales duobus rectis. Actu autem & simpliciter, non est cognita, nisi postquam per inductionem aut demonstrationem probata fuerit, sicut nec effectus naturalis habet esse actu & simpliciter nisi postquàm extra causas productus fuerit. Hæc est determinatio Aristotelis quæ est media inter duas sententias extremas, quarum vna fuit Heracliti, vt tibi declarabitur in octauo Physicorum, qui tenuit quòd de nulla re possumus habere scientiam, ex consequenti conclusio nescitur neque secundum quid ante demonstrationem, neque simpliciter post demonstrationem. Altera fuit Platonis in libro Mennonis, qui tenet quòd conclusio ante demonstrationem est simpliciter scita, ita, quòd per demonstrationem non addiscimus de nouo conclusionem, sed tantùm reducitur ad memoriam, & sic nostrum scire est tantùm reminisci. Hanc autem imaginationem Plato, sic conatur probare, Sumatur aliquis imperitus Geometriæ, & proponatur sibi aliqua conclusio geometrica, puta quòd quadratum habet quatuor angulos rectos, & interrogetur si scit hanc conclusionem: si respondet quòd sic, ergo ante demonstrationem scit eam simpliciter, ex consequenti non addiscit eam de nouo, est enim contradictio, addiscere quod scimus: si respondet quòd nõ, interrogetur ordinatè incipiendo à primis principiis geometriæ, & procedatur ordinatè per interrogationes & responsiones vsque ad conclusionem sibi propositam, & videbis quòd cum ad conclusionem deuen

deuentum fuerit dicet se eam scire, ergo, & ante sciebat, sed quia oblitus erat, per interrogationes, & responsiones ordinatas reducitur ad memoriam, ergo per argumentationem non fit in nobis noua scientia, sed reminiscentia.

Hoc igitur Platonis argumentum soluens Aristoteles dicit quòd non inconuenit id quod de nouo addiscitur, fuisse prius scitum, sed non eodem modo. Nam nihil prohibet fuisse prius scitum in virtute, id est, in primis principiis, quæ sunt nobis naturaliter nota, & addisci de nouo, quo ad cognitionem actualem, & propriam per deductionem conclusionis ex suis principiis. Vnde imperitus geometriæ, cui proponitur prædicta conclusio, respondere potest, quòd ante deductionem ex principiis scit eam in virtute, & secundùm quid, inquantum lumine naturali cognoscit prima principia, in quorum cognitione virtualiter continetur cognitio conclusionis. Post deductionem autem ex principiis scit eam actu, & simpliciter & distinctè, & sic patet quòd non sequitur quod addiscamus id quod prius erat actu sciẽs, vt arbitratur Plato, sed quod prius erat scitum in potentia. Hoc autem non est inconueniens. Sicut non inconuenit rosam habentem esse potentiale in radice deduci ad esse actuale per causas suas naturales. Ex consequenti non inconuenit id quod ens est, de nouo generari, sic intelligendo, id quod est ens, in potentia, de nouo generari vt habeat esse actu.

Constat igitur tibi quomodo in via peripatetica hæc quatuor debent esse tibi nota, antequam demonstres, primò, quòd omnis doctrina, & disciplina intellectiua, causatur in nobis ex aliquorum præcognitione, secundò quod de principiis complexis præcognoscendum est quia, & non quid, de passione quid, & non quia, de subiecto autem quid, & quia, modo quo declarauimus: tertiò quòd præmissè præcognoscuntur conclusione, sed maior prius tempore, minor autem si cognoscitur contineri sub maiori, cognoscitur simul tempore cum conclusione, sed prius natura: quartò cõtra Platonem, quòd conclusio antequam demonstretur præcognoscitur secundùm quid in suis principiis, post demonstrationem autem cognoscitur, & scitur simpliciter, & actu, & propria, & distincta cognitione. Hæc de præcognoscendis ante demonstrationem dicta sint, & hic terminamus primum cap. Post quod inuestigandum est, quid sit demonstratio.

CAPVT II.

De Demonstratione quid sit.

Ex secundo cap. primi posteriorum.

IN secundo cap. inuestigandum est quid sit demonstratio, quod est principale consideratum in hoc tracta. & ab Aristotele in libro posteriorum. Hic igitur tria agenda sunt, primò antequam diffiniatur demonstratio, diffiniendum est ipsum scire, quoniam ad causandum siue acquirendum scientiam ordinatur demonstratio sicut instrumentum ad finem, prius autem oportet cognoscere quid sit finis quam medium ad finem, secundò diffinienda est demonstratio per causam finalem, & materialem, & vtraq; diffinitio per singulas particulas est manifestanda, tertiò ex determinandis excludendi sunt duo errores extremi, & media via est vera, vt tibi declarabitur in loco suo.

Quantum ad primum vt scias in quo sensu Aristoteles intendit diffinire ipsum scire, vt est finis demonstrationis, aduerte quòd in via peripatetica scire sumitur duobus modis, scilicet scire per se, scire per accidens. Scire per se est cognoscere conclusionem ex propositionibus, & præmissis per se, vt quando cognosco hominem esse risibilem per hanc maiorem, animal rationale est risibile, quæ est in secundo modo per se, & per hanc minorem homo est animal rationale, quæ est in primo modo per se, vt tibi declarabitur infra, & ex his præmissis per se concluditur hominem esse risibilem. Scire per accidens est rem cognoscere per præmissas per accidens, vt quando probatur quod homo ædificat sic arguendo, album ædificat, homo est albus, ergo homo ædificat. Hoc est scire per accidens, quoniam conclusio, & præmissæ sunt propositiones per accidens, nec est verum scire. sed apparens, & modo sophistico, vt tibi declarabitur in fallacia accidentis.

Scire autem per se, est verum scire, sed est duplex, scilicet scire simpliciter, & scire secundum quid, scire simpliciter est scire conclusionem per causam propriam, & immediatam, vt quando scio hominem esse risibilem, quia est rationalis. Rationalitas enim est propria, & immediata causa risibilitatis. Scire autem per se, sed secundùm quid, est scire conclusionem, per signum, aut per effectum, aut per causam vniuersalem, & remotam, & hæc omnia tibi manifesta erunt infra, quando loquemur de demonstratione propter quid, & demonstratione quia. Nam demonstratio propter quid, facit scire, per se simpliciter, & perfectissimo modo. Demonstratio autem quia, facit scire per se secundùm quid & valde imperfectè.

His præmissis aduerte quòd Arist. non intendit hic diffinire ipsum scire vniuersaliter sumptum, sed contractum ad scire per se, & simpliciter & perfectissimè. Sic enim est finis demonstrationis potissime, quæ est sola demonstratio propter quid.

Sic igitur diffiniens ipsum scire modo prædicto inquit, Scire opinamur simpliciter vnumquodq;, & non sophistico modo, quod est scire secundùm accidens, cum arbitramur causam cognoscere, propter quam res est, & quoniam illius est causa, & non contingit hoc aliter se habere.

Scire quid sit.

Primò dicitur quòd scire simpliciter est rem per causam cognoscere, vt per hoc distinguatur à scire per effectum, vt quando scimus ignem esse calidum in summo, quoniam non solùm calefacit, sed etiam comburit, & destruit quicquid in eo immittitur.

Secundò dicitur, quoniam illius est causa, id est causa eius propria, & nõ communis tali rei scibilis, & alteri, vt per hoc distinguatur à scire per causam vniuersalem, & remotam, vt quando scimus lapidem non respirare, quia non est animatus, sed esse animatum non est causa propria respirandi, quoniam multa sunt animata, quæ non respirant vt arbores, & animalia imperfecta vt vermes, &c. propria autem causa respirandi est habere pulmonem. Vnde quando scio hominem respirare, quia habet pulmonem, scio simpliciter, quoniam scio per causam, quæ est illius respirationis causa.

Tertiò dicitur, & nõ contingit aliter se habere: id est & causa illius est infallibilis, & necessaria, vt per hoc distinguatur à scire per signa probabilia. vt quando scimus infirmum sanandum, quoniam vrina est clara, & apparet vt vrina sani, hoc enim signum fallax, & potest ac sæpe contingit aliter se habere. Nã vrina sæpe apparet vt sani, & tamen infirmus tendit ad mortem, oportet igitur causam propter quã aliquid scimus simpliciter, id est medium conclusionis, esse necessariam, & quoniam scibile ac scientia sunt correlatiua, oportet quod sicut causa sciendi est necessaria, ita scibile quæ est conclusio sit necessaria. Vnde conclusionem contingentem non possumus simpliciter scire, sed de ea opinionem habere. Constat igitur quòd scire simpliciter est per causam propriam, & necessariam, & de conclusione necessaria, quam causam, & quam conclusionem non contingit aliter se habere.

Prædicta igitur diffinitio de scire simpliciter sic sit manifestata, quã Aristoteles notificat à signo famoso, & communi hominũ sententia, quod est hoc. Tam scientes quam nescientes arbitrantes tamen, & fundantes sibi se scire, opinantur se scire, quando rem per causam propriam, & necessariam cognoscunt, ergo cum famosum non sit falsum, scire est per causam cognoscere, *quoniam illius est causa*, & non contingit eam aliter se habere. Hæc de scire simpliciter, & perfectissimo modo quid sit dicta sint. De scire autem secũdum quid, id est ab effectu, & per causam remotam dicemus infra, quando loquemur de demonstratione quia, siue à posteriori.

Quantum ad secũdum diffinienda est demonstratio quæ est instrumentum intellectus ad scire, & scientiam acquirendam. Sed antequam diffiniamus eam, aduerte quòd sicut nõ diffiniuit scire vniuersaliter sumptum, sed scire per se, et perfectissimè acceptum, sic intendit hic diffinire demonstrationem potissimam, quæ causat scire supra diffinitum, & ex quibus, & qualibus præmissis constat. Hæc autem dicitur demonstratio à priori, & demonstratio propter quid. De demonstratione autem quia quid sit, & quomodo faciat scire, & ex quibus constet, & quare dicitur demonstratio à posteriori siue ab effectu declarauimus infra.

His præmissis aduerte quòd Aristoteles duplicem assignat diffinitionem de demonstratione propter quid siue potissima. Vnam quidem per causam finalem, alteram per causam materialem. Nam sicut domus diffinitur per finem, sic Domus est quid protegens nos à frigore, & ab estu, & pluuia, &c. Nam propter has causas ædificamus domum: & diffinitur per materiam sic, Domus est quid compositum ex lapidibus, & lignis, & cemento, &c. Sic diffinitur demonstratio propter quid per finem sic, Demonstratio est syllogismus scientialis, id est causans in nobis scire, quod supra est diffinitum. & aduerte quòd ly, Syllogismus ponitur vt genus, est enim in plus: quoniam omnis demonstratio est syllogismus, sed non econuerso: ly scientialis est differentia, qua differt demonst

Demonstratio propter quid nam sit.

demonstratio à syllogismo dialectico, & sophistico. Nam dialecticus non causat in nobis scientiam, sed opinionem: sophisticus verò, nec scientiam, nec opinionem, sed errorem, & fallaciam, vt patet in lib. Elenchorum.

Per causam materialem sic diffinitur ab Aristotele. Demonstratio est syllogismus constans ex præmissis veris, primis, immediatis, notioribus & prioribus causisque conclusionis. Hanc Aristoteles dupliciter probat primò diffinitione data per causam finalem sic, omnis syllogismus faciens scire, & simpliciter, & perfectissimo modo, est ex præmissis veris primis &c. Sed demonstratio propter quid facit scire, & simpliciter, & perfectissimo modo, ergo est ex veris primis immediatis, &c. Minor quidem patet: quoniam est diffinitio data demonstratione propter quid per causam finalem, maior autē manifestabitur statim probando, & declarando singulas partes diffinitionis datæ per causam materialem, pro cuius euidentia ponuntur tres conclusiones.

Prima est. Omnis demonstratio faciens scire simpliciter, est ex veris, secunda est omnis demonstratio faciens scire simpliciter est ex primis, & immediatis, tertia est, omnis demonstratio faciens scire simpliciter, est ex prioribus, & notioribus, & causis conclusionis.

Demonstratio est ex veris.

Prima sic probatur ad mentem Aristotelis, omne quod demonstratur est verum: quoniam est ens, sed ens, & verum conuertuntur: quoniam vtrunq; est transcendens. tunc vltra, si omne quod demonstratur est verum, ergo demonstratio quæ facit simpliciter scire, est ex veris. patet consequentia. Nam si demonstratio faciens scire, esset ex falsis, ergo falsitas esset causa scientiæ, quod est impossibile: quoniam cum scientia sit vera cognitio, & causetur ex demonstratione, si demonstratio est ex falsis, ergo oppositum esset causa oppositi, scilicet falsitas esset causa veritatis, quod est impossibile, ergo constat quod necesse est demonstrationem facientem simpliciter scire, esse ex præmissis veris.

Ex primis & immediatis.

Secunda conclusio probatur sic Omnis demonstratio faciēs scire simpliciter est ex his, sine quibus sciētia haberi non potest. Hæc manifesta est. sed sine præmissis veris, & primis & immediatis, non potest haberi scientia, ergo &c. Minor probatur, quòd sine præmissis veris, non possit haberi scientia iam probatum est, quòd sine primis, probatur sic. Si demonstratio faciens scire simpliciter non esset ex primis, ergo non esset ex propriis principiis, ex consequenti non faciet scire simpliciter, sed secundùm quid, & secundum accidens, vt declarauimus in diffinitione data de scire simpliciter. Pro euidentia consequentiæ quæ fuit hæc, Si non est ex primis, ergo nō est ex propriis principiis, aduerte q̄ ly primis exponi potest dupliciter, primò ex primis, id est ex vniuersalissimis, quæ dicuntur principia prima, & dignitates, & maximè, vt non sunt contradictoria simul vera. Impossibile est idem simul esse, & nō esse. & de his non intendit hic Aristoteles: quoniā vt declarabitur infrà, tales primæ propositiones non ingrediuntur formaliter demonstrationem, sed tantùm virtualiter. Hic autem loquimur de ingredientibus formaliter demonstrationē, secundò ex primis: id est proximis ex quibus proximè infertur conclusio. V.G. Hæc conclusio homo est risibilis proximè infertur ex eo quod est animal rationale. Vnde sic demonstratur, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale. Istæ duæ præmissæ sunt primæ: id est proximæ ex quibus infertur hæc conclusio. ergo omnis homo est risibilis. Constat ergo quomodo demonstratio est ex primis.

Quod autem non possit esse demonstratio sine præmissis immediatis, probatur sic. Si esset demonstratio, & non esset ex præmissis immediatis id est indemōstrabilibus, non faceret scire, & sic esset frustra. Probatur consequentia. si non esset ex immediatis, ergo esset ex mediatis, & demonstrabilibus. Si ex demōstrabilibus, ergo nondum essent demonstratæ: si nondum demonstratæ, ergo essent incognitæ, si incognitæ, ergo non essent causa sciendi conclusionem, ex consequenti talis demonstratio non faceret scire: quoniam omnis nostra scientia fit ex aliquo notiori, & prius cognito, vt docuimus in primo capi. Oportet ergo demonstrationem constare ex præmissis immediatis, vel tandem resolui ad immediatas, vt tibi declarabitur infrá.

Ex prioribus & notioribus & causis.

Tertia conclusio sic probatur ad mentem Aristo. Omnis demonstratio potissima est ex his, sine quibus non possumus aliquid simpliciter scire. Hæc patet: quoniam talis demonstratio est ordinata ad scire simpliciter, ergo si non esset ex his, sine quibus non contingit aliquid scire simpliciter, talis demonstratio frustra fieret. Sed sine causis prioribus, & notioribus, causis dico conclusionis, non possumus aliquid scire simpliciter, ergo necesse est demonstrationem potissimam esse ex causis, &c. Minor probatur, & primo quòd sine causis conclusionis non possumus scire simpliciter cōclusionem arguitur sic. Scire simpliciter est rem per causam illius rei cognoscere vt docuimus suprà in diffinitione ipsius scire simpliciter, ergo si demonstratio potissima non procederet ex causis conclusionis, non faceret scire conclusionem simpliciter, istæ autem causæ sunt ipsæ præmissæ, quæ non solum sunt causæ in cognoscendo siue in inferendo conclusionem, sed etiam in essendo. vt hæc conclusio, Homo est risibilis, deducitur ex eo quod animal rationale est risibile, & ex eo quod homo est animal rationale, & vtraque præmissa est causa in essendo ipsius conclusionis. Risibilitas enim hominis emanat à natura rationali, vt à causa formali, secundo ex eo quod demonstratio potissima est ex causis conclusionis in essendo, & non solum in inferendo, sequitur quod est ex prioribus, omnis enim causa in essendo est prior suo effectu: quoniam effectus pendet à causa, & non econuerso, si igitur demonstratio potissima est ex præmissis, quæ sunt causæ in essendo conclusionis, non solùm est ex causis, sed etiam prioribus ipsa conclusione.

Tertio ex hoc quòd demonstratio potissima est ex causis prioribus conclusionis, sequitur quòd etiam sit ex causis notioribus ipsa conclusione. Nam vt declarabitur tibi in primo physicorum, innata est nobis via procedendi ex notioribus ad minus nota, aliter si procederemus ab ignotis vel æque notis ad cōclusionem, nullam acquireremus scientiam, oportet ergo demonstrationē potissimam vt faciat scire procedere ex præmissis, quæ sint causæ in essendo conclusionis demonstrabilis, & quæ sint ex consequenti priores, & notiores conclusione. Sed aduere quod cum demonstratio sit duplex, scilicet propter quid, de qua hic intendimus, & quia de qua loquemur, vtraque est ex notioribus, sed differenter: quoniam in demonstratione quia sufficit eam esse ex notioribus nobis, sed posterioribus secundum naturam, quales sunt effectus naturales, & sensati, per quos demonstramus causas naturales, vt tibi declarabitur in physicis, in demonstratione autem propter quid, oportet esse ex notioribus, & prioribus quo ad nos, & secundum naturam, quales sunt demonstrationes mathematicæ, & metaphysicæ, vt tibi declarabitur infrà, ponendo differentiam inter demonstrationem propter quid, & quia. Quoniam hic igitur diffinita est demōstratio propter quid, intellige quòd est ex notioribus non solum nobis, sed etiam secundum naturam. Nam ex eo quod notius est nobis, & prius ac notius secundum naturam, hominem esse rationalem quàm hominem esse risibilem, ideo demonstramus à priori & notiori hominem esse risibilem, quia est rationalis. Et quadratum constare ex quatuor angulis rectis, quoniam quatuor lineæ rectæ cadunt perpendiculariter supra seinuicem.

Hoc igitur modo manifestata tibi sit diffinitio data per materiam demonstrationis potissimæ & propter quid. Sed aduerte quoniam videbatur Aristoteli, se non declarasse, quid intendat per hoc quod dixit demonstrationem esse ex veris & primis, & per hoc, quod dixerat, ex immediatis, & per hoc quod dixerat ex notioribus, ideo hæc tria declarat in particulari, & primo quid intendat per ly primis. secundo quid per ly immediatis. tertio quid per ly notioribus.

Quantum ad primum aduerte quòd Aristoteles per ly ex primis dicit se intelligere ex propriis principiis vt excludat vniuersalissima principia, quæ dicuntur dignitates, quæ non ingrediuntur demonstrationem formaliter, sed tantùm virtualiter, vt tibi declarabitur. Nam per principia vniuersalissima, conclusio non scitur distinctè & simpliciter, vt tibi manifestabitur infrà: principia autem propria, ex quibus constare debet demonstratio propter quid, est diffinitio subiecti vel passionis, vel vtraque. vt huius conclusionis, Homo est risibilis, demonstratio fiet propter quid, si medium erit diffinitio hominis, aut diffinitio risibilis, aut vtraque, vt dicemus infrá. Tunc erit demonstratio ex primis, id est, ex propriis principiis: & faciet scire simpliciter, quoniam sciemus causam propriam & distinctam conclusionis. Constat igitur tibi, quid intendat Aristoteles per ly ex primis.

Quantum ad secundum aduerte quòd Aristoteles per ly immediatis intendit propositionem immediatam, quam dicit esse principium demonstrationis. Vt autem habeas claram notitiam de propositione immediata, Aristoteles diffinit eam, deinde diuidit in species suas.

Vt autem scias quid sit, aduerte quòd propositio mediata, est

est illa qua est altera prior secundum naturam, per quam potest demonstrari à priori, id est, demonstratione propter quid, & non solùm demonstratione quia. Verbi gratia. Hæc propositio est mediata, Homo est risibilis, quoniam habet priorem, scilicet homo est animal rationale, per quam potest demonstrari: nam quòd homo sit risibilis pendet ex hoc quòd homo est animal rationale & non econuerso. Propositio ergo immediata opposito modo diffinienda est, ita scilicet, quòd sit propositio, qua non sit altera prior, per quam possit demonstrari à priori. Verbi gratia, Hæc est immediata, homo est animal rationale, quoniam inter diffinitionem & diffinitum nullum est medium prius, quod possit esse prius principium demonstrationis: ex quo sequitur, quòd omnis propositio, cuius prædicatum est ratio siue diffinitio subiecti, est immediata & indemonstrabilis, bene ergo dicitur, quòd propositio immediata est propositio qua non est altera prior.

Immediata est diffinito de diffinito & negatiua vnius generalissimi de alio.

Sed quæres quid sit propositio quæ ingreditur diffinitionem propositionis immediatæ, ideo Aristoteles diffinit eam dicens.

Propositio est enunciationis altera pars, vnum de vno significans. pro cuius notitia aduerte quòd Aristoteles non diffinit hic propositionem in sua vniuersalitate, vt diffinuit in libro primo Perihermenias, dicens quòd est oratio verum vel falsum significans in dicendo, & quam distinxit in affirmatiuam & negatiuam, sed diffinit eam vt sumitur in syllogismo, vt est præmissa pro conclusione, & vt sic est altera pars enunciationis, cuius sunt duæ partes, scilicet affirmatiua & negatiua. Intendit ergo Aristoteles quòd propositio quæ est præmissa in syllogismo, est determinatè altera pars enunciationis, quoniam determinatè est affirmatiua vel negatiua, ita quòd non potest indifferenter esse affirmatiua vel negatiua. Nam in Barbara, præmissæ sunt affirmatiuæ, & non possunt esse negatiuæ. In ferio maior est negatiua, & minor affirmatiua, & non possunt aliter esse. Sensus ergo Aristotelis est, quòd propositio, quæ est præmissa in syllogismo, sit altera pars enunciationis, id est, sit determinatè enunciatio affirmatiua, aut negatiua, pro vt requirit figura & modus syllogizandi, de quibus actum est in tractatu de syllogismo formali.

Dicit autem significans vnum de vno, quoniam vt declaratum est in libro Perihermenias datur enunciatio vna, & enunciatio plures. Enunciatio vna est, in qua prædicatur vnum prædicatum re & nomine de vno subiecto, vt homo est animal, animal est substantia, plures autem est in qua plura prædicantur de vno, vel vnum de pluribus. Exemplum primi, Sortes est albus & doctus: Exemplum secundi, Sortes & Plato sunt homo, vel Sortes & Plato trahunt nauem. Intendit ergo Aristoteles, quòd propositio, quæ est præmissa in syllogismo, non solùm debet esse altera pars enunciationis modo quo exposuimus, sed debet significare vnum de vno, quoniam sicut in syllogismo concluditur vnum, id est, vna conclusio, sic propositio quæ est in syllogismo principium & præmissa debet esse vna & non plures. Vna autem est, quæ vt diximus significat vnum de vno, ex consequenti excluditur propositio plures.

Sed dices, cùm Aristoteles diffiniat propositionem per enunciationem, quæritur quid sit enunciatio, per quam diffinita est propositio. Respondetur quòd secundum Aristotelem in hoc loco, enunciatio est quæ quamlibet partem contradictionis assumit. Pro cuius notitia aduerte quòd contradictionis altera pars est affirmatiua, & altera negatiua, item altera pars est vera, & altera falsa. Intendit ergo Aristoteles quòd enunciatio omnis est affirmatiua vel negatiua, vera vel falsa. Hac de causa dicitur complecti partem quamlibet contradictionis, quoniam in se continet affirmatiuam & negatiuam veram & falsam.

Sed dices, cum Aristoteles diffiniat in hoc loco enunciationem per contradictionem, quæritur quid sit contradictio. Ideo Aristoteles respondens inquit, Contradictio est oppositio, cuius secundum se non est inuenire medium, cuius vna pars est affirmatiua, & altera negatiua: & vna pars est vera, & altera falsa in omni materia, scilicet naturali & remota & contingenti. Et per hoc distinguitur oppositio contradictoria ab omni alia oppositione, vt docuimus in postprædicamentis, & in tractatu de propositione. Constat igitur tibi quid sit propositio apud demonstratorem, & quid enunciatio, & quid contradictio. Et hæc omnia dicta sunt, vt scias resolutè quid sit propositio immediata, ex qua demonstratio procedit.

Posita diffinitione propositionis immediatæ, Aristoteles accedit ad diuidendum eam in species suas. pro cuius notitia aduerte quod Aristoteles principium immediatum in quatuor species diuidit, quarum prima dicitur positio. Secunda dignitas vel maxima. Tertia suppositio. Quarta diffinitio. Nam ista quatuor sunt indemonstrabilia, modo quo dicetur.

Immediata species.

Positio secundum Aristotelem est oratio, quam non oportet demonstrare, sed ponere & acceptare tanquam veram. vt apud geometrā, istæ sunt positiones, à puncto ad punctum contingit lineam rectam ducere. Anguli recti sunt æquales. Omne totum est maius sua parte. Dico quam non oportet demonstrare, quoniam pro veritate est demonstrabilis, cum prædicatum non sit de ratione subiecti, tamen non est necesse eam demōstrare in scientia, in qua est positio, & in qua acceptatur vt vera per se: non inconuenit autem eam demonstrari in alia scientia, vt in physica demonstratur ista, quod inter quælibet duo puncta, cadit medium, ex consequenti cadit linea, quoniam medium inter duo puncta non est nisi linea. Positio ergo est propositio indemōstrabilis ex cōsequenti est immediata in illa scientia, in qua est positio, & in qua assumitur vt principium & promissa syllogismi demonstratiui. Verbi gratia, Geometra volens demonstrare quòd anguli quadrati sunt æquales, sic arguit, Omnes anguli recti sunt æquales: sed anguli quadrati sunt recti, ergo, &c. Maiorem geometra non demonstrat, quoniam apud ipsum est positio, & acceptatur vt per se vera: Minorem verò probat, quoniam in quadrato linea super lineam perpendiculariter cadit, ergo constituuntur anguli recti. Constat ergo tibi quid sit positio apud demonstratorem.

Dignitas siue maxima est propositio, quam necesse est omnem addiscētem acceptare, & illi statim cognitis terminis absque alio discursu & argumentatione assentire, eo quòd sit per se nota ex euidentia terminorum. Et ista sunt principia prima quæ se habent in acquisitione scientiarum, sicut ianua in domo, vt vult Aristoteles in secundo Metaph. Nam sicut ianua domus omnibus patet, sic & ista principia omni ratione vtēti. Sunt autem hæc duo, omnium principiorum & dignitatum vniuersalissima & notissima, de quibus disputat Aristoteles in quarto Metaphysicæ contra negantes ea. Vnum quidem est affirmatiuum, & est hoc, de quolibet verum est esse vel non esse. Alterum autem negatiuum, & est hoc, non contingit idem simul esse & non esse. Et ly non contingit æquipollet ly non potest, vel impossibile.

Hæc igitur est dignitas siue maxima, quæ differt à positione in duobus. Primo quia dignitas est omnino demonstrabilis propter suam notissimam veritatem, quæ nobis naturaliter inserta est. Et ideo non potest per notiora principia notificari, positio autem licet acceptetur vt nota & indemonstrabilis in scientia, in qua est positio, tamen in alia scientia est demonstrabilis, vt diximus suprá.

Tu tamen aduerte quòd differentia propriè stat in hoc, Repugnat dignitati posse demonstrari, quia non esset naturaliter cognita, non autem repugnat positioni, quoniam & si non demonstretur in scientia, in qua est positio, demonstrari potest in alia, vt diximus: propter hoc tamen non inconuenit aliquam positionem esse simpliciter indemonstrabilem propter suam maximam euidentiam, vt hic, Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia. Paralellæ non concurrunt. Idem non intellige de istis, Ignis est calidus, terra est grauis, quoniam ad sensum patent, & ideo non possunt demonstrari per notiora. Quod si quis negat ea, aut proteruia aut carentia vsus rationis, negat ea.

Secundo differt, quoniam dignitatem necesse est omnem addiscentem & docentem habere & statim auditam approbare absque alio discursu, positionem autem non est necesse omnem addiscentem probare statim, quoniam cum constet ex terminis specialibus potest notificari per notiora vt per dignitates quæ constant ex terminis generalissimis, inter quos primo est ens, quod est primum, quod concipitur in mente, ex consequenti est primum cognitum. Et hanc differentiam secundam ponit Aristoteles in textu, vbi de positione inquit, quam non est demonstrare, sed ponere, neque necesse est habere aliquem docendum. De dignitate autem inquit. Quam verò necesse est docendum habere, dignitatem vel maximam consueuimus dicere.

Suppositio apud Aristotelem est pars subiectiua, id est, species positionis superaddens positioni affirmationem & negationem. Pro cuius notitia aduerte, quòd est aliqua propositio, cui statim notis terminis, & absque aliquo discursu

discursu, intellectus assentit. Et hæc dicitur dignitas, & est aliqua propositio, cui intellectus assentit absque discursu & demonstratione in scientia, cui incumbit adiscens, licet in alia scientia possint demonstrari, & hæc dicitur positio, quia ponitur & acceptatur vt vera, absque alia probatione in tali vel tali scientia. Hæc autem positio diuiditur ab Aristotele in suppositionem & diffinitionem. Nam licet vtraque sit positio, tamen differunt in hoc, quòd suppositio addit supra positionem affirmationem vel negationem, id est dicit esse vel non esse. Vnde suppositio est propositio affirmatiua, vel negatiua indemonstrabilis in illa scientia, in qua sumitur, cuius veritas ab addiscente supponitur, etiam quòd sibi non constaret ex euidentia terminorum. Vt in Geometria hæc est suppositio, A puncto ad punctum contingit lineam deducere. Diffinitio autem non addit esse vel non esse supra positionem, eo quòd licet diffinitio sit indemonstrabilis de definito, non tamen est propositio affirmatiua vel negatiua, sed est oratio absque copula, constans ex solo genere & differentia. Vnde diffinitio hominis est hoc complexum, animal rationale. nec vnquam apponitur copula nisi quando actu prædicatur diffinitio de diffinito. Vt quando dicimus quod homo est animal rationale, & dicit arithmeticus, quod vnitas est quid omnino indiuisibile secundum quantitatem.

Constat ergo quomodo suppositio & diffinitio sunt duæ species positionis, & quomodo differunt ab inuicem. Et sic patet quomodo Aristoteles rationabiliter diuisit principium demonstrationis immediatum in quatuor species, scilicet in positionem, & dignitatem, & suppositionem, & diffinitionem.

Sed dices. Non videtur diffinitio esse species principij immediati, quoniam principium immediatum est propositio immediata, cuius signũ est, quod Aristoteles statim quòd diffiniuit propositionem immediatam, & notificauit particulas diffinitionis, diuidit principium immediatum demonstrationis in quatuor prędictas species. Sed iam declaratum est diffinitionem non esse propositionem. Constat enim ex solo genere & differentia absque copula, vt animal rationale est diffinitio hominis: ergo diffinitio non videtur species principij immediati.

Respondetur, licet ante diuisionem principij immediati præposuerit Aristoteles diffinitionem propositionis immediatæ, non tamen subdiuidit principium immediatum in species suas, vt est idem præcisè cum propositione immediata, sed vt est in plus. Nam omnis propositio immediata est principium demonstrationis sed non econuerso, quoniam tam propositio immediata, quàm complexum immediatum, quale est diffinitio, potest esse principium demonstrationis immediatum, cuius signum est quod medium demonstrationis est principium, ex quo demonstramus conclusionem, & tamen medium non est propositio, sed terminus complexus, quoniam est diffinitio subiecti aut passionis, vt determinabimus infrá. Ex prædictis igitur constat, quomodo demonstratio est ex veris, & primis, & immediatis.

Quantum ad tertium, scilicet quomodo oporteat demonstrationẽ fieri notioribus, declarat Aristoteles per duas cõclusiones, quarum prima est quòd oportet demonstrantem magis credere & assentire & magis cognoscere principia esse vera, ex quibus demonstramus conclusionem quàm ipsam conclusionem. Quam quidem conclusionem sic probat Aristoteles. Propter quod vnumquodque & illud magis, vt si propter discipulum amo magistrum, multo magis amo discipulum. Et si propter solem reliquę stellæ lucent, sol magis lucet, Sed propter principia ex quibus demonstramus conclusionem credimus & assentimus conclusioni, & eam cognoscimus esse veram, ergo multo magis oportet credere & assentire principiis quàm conclusioni, & magis cognoscere ea esse vera, ergo demonstratio procedit ex principiis notioribus quam sit ipsa conclusio.

Vera est hæc in prædicatis vniuoce dictis de duob⁹ vel pluribus subiectis, & hoc in efficientibus principalibus.

Secunda conclusio est hæc. Non solum oportet demonstrantem magis cognoscere principia & illis magis credere quam conclusioni, sed etiam oportet quòd demonstranti nihil sit magis certum quam quod opposita principiis sint falsa. Verbi gratia, non solum oportet me cognoscere quòd hoc principium est maximè verum. De vno quoque est vera affirmatio vel negatio, sed quod etiam teneam suum oppositum esse falsissimum, ita quod nihil est eo magis falsum, scilicet quod contradictoria simul verificantur de eodem. Et ratio quidem huius conclusionis est hæc. Dictum est quod oportet demonstrantem firmissimè assentire & inhærere principiis, ex quibus demonstrat, sed non posset eis firmissimè inhærere, si dubitaret & non esset certissimus quòd eorum opposita sunt maximè falsa. Experimur enim quòd si dubitamus de falsitate vnius oppositi, non possumus absque dubio adhærere veritati alterius oppositi, sed semper timemus de eius veritate, donec nobis fiat euidentissima sui oppositi falsitas.

Constat ergo quomodo demonstratio ad mentem Aristotelis est ex notioribus, & certioribus principiis, quàm sit ipsa conclusio.

Sed aduerte, quòd propositio maior, quam assumit Aristoteles in probatione primæ conclusionis, primo aspectu videtur falsa. Non enim sequitur, propter albedinem homo est albus, ergo albedo est magis alba &c.

Tu igitur aduerte, quòd illa propositio est vera regulariter, & solùm in causis efficientibus principalibus, quæ sunt causæ efficiẽtes formaliter vel virtualiter sui effectus. exemplum de efficiente formaliter, manus propter ignem fit calida, ergo ignis est magis calidus. exemplũ de efficiẽte virtualiter, Terra in æstate fit calida, & sicca propter solẽ, ergo sol virtualiter licet non formaliter est magis calidus, & siccus quàm terra, est autem virtualiter magis calidus, & siccus, quoniam per maximam lucem suam, & motum, producit calorem, & siccitatem in inferioribus, vt tibi declarabitur in secundo libro de Cælo, & quoniam præmissæ sunt causæ efficientes principales notitiæ conclusionis, ideo oportet eas esse prius, & magis notas apud demonstrantẽ quàm ipsa conclusio.

In hoc igitur sensu dicta propositio est infallibiliter vera: quòd si volueris eam applicare causæ formali, aut materiali, aut effectiuæ instrumentali, aut finali, non valet, sed plerunq; cõcludes falsum. Nam in causa formali non tenet, vt hic, nix est alba propter albedinem, nõ sequitur, ergo albedo est magis alba: nec in causa materiali, vt hic, Homo est corruptibilis, propter materiam, nõ valet, ergo materia est magis corruptibilis. Nã vt tibi declarabitur in 1. Physi. materia est incorruptibilis, & tamen propter eam omnia inferiora sunt corruptibilia. nec in causa efficiente instrumẽtali. vt hic, Artifex fabricat gladium propter maleum, non sequitur, ergo maleus magis fabricat gladium quàm Artifex. nec in causa finali, vt hic, Sortes deambulat propter sanitatem, ergo sanitas magis deambulat. Cõstat igitur tibi in quo sensu valeat prædicta propositio, & in quo non.

Quantum ad tertium principale, quod proposuimus in principio huius capitis, aduerte, quòd ex eo, quòd determinauimus demonstrationẽ procedere oportere ex principiis prius, & magis cognitis q̃ cõclusio, orti sunt duo errores circa scientiã apud antiquos, quorũ vtrunq; reprobat Arist. Primus est eorum qui dixerunt ꝙ si oportet demonstrationem ad hoc ꝙ acquirat scientiam de conclusione prius cognoscere & magis principia q̃ cõclusionem, de nullo poterit haberi scientia, quia nulla conclusio poterit demõstrari.

Secundus autem error est eorum, qui dixerunt quod non obstante determinata veritate de præcognitione principiorum, de omnibus potest haberi scientia, & omnis conclusio potest demonstrari.

Ratio primi erroris stat in hoc, supponitur quod nihil potest sciri nisi per demõstrationem, ita quòd si aliqua propositio est indemonstrabilis, illa remanet incognita & nescita.

Posita hac radice arguitur sic, principia, ex quibus procedit demonstratio aut tendunt in infinitum, aut non, ita quod est status in illis, si primum, ergo nesciuntur prima principia quoniam in infinito, & in processu in infinitum, non est dabile primum, cum igitur demonstratio debeat procedere ex primis & prius ac magis cognitis principiis quàm sit cognita conclusio, sequitur quòd de nullo erit demonstratio, ex consequenti de nullo erit scientia, quoniam scientia per demonstrationem acquiritur, cum sit syllogismus faciens scire, vt supra declaratum est. Si secundum, ergo prima principia ad quæ est status, nesciuntur, nam nihil scitur, nisi per demonstrationem, sed prima principia non sunt demonstrabilia. Determinatum est enim quod demonstratio procedit ex prioribus & notioribus, sed nihil est prius ac notius, per quod possint demonstrari prima principia, aliter non essent prima si haberent priora, & notiora, ergo prima principia nõ possunt demõstrari, ergo nesciunt & ignorantur. Sed ignoratis primis principiis, ignoratur & conclusio, cuius notitia pendet ex notitia clara primorum principiorũ. Bene ergo sequitur quod siue principia demonstrationis tendant in infinitum siue non impossibile est de aliquo haberi scientia. Hæc fuit ratio authorum primi erroris, qui scilicet dicunt de nullo posse haberi scientiam.

Ratio autem authorum secundi erroris stat in hoc. Concesso quòd scire sit tantum per demonstrationem, adhuc stat quòd de omnibus potest haberi scientia, quoniam de omnibus potest haberi demonstratio, scilicet tam de principiis quàm de conclusionibus, quoniam & si non possint omnia in directum demonstrari, possunt tamen per circulum, puta quòd per principium demonstremus conclusionem, & per conclusionẽ demonstratã demonstremus principiũ, modo quo declarabimus infra fieri demonstrationẽ circularẽ.

Vtrunque errorem reprobat Aristo. destruens vtriusque erroris radicem. Primi erroris radicem, quæ fuit quòd nihil scitur nisi per demonstrationem, destruit dicens, quòd contingit aliqua scire absq; demonstratione, sed sciuntur ex clara euidentia terminorum, ita quòd cognito significato terminorum, statim & absque aliqua argumentatione illis assentimus, & hæc sunt prima principia, quorũ notitia adeo clara, & firma est, quod est causa noticiæ omnium conclusionum.

Stante hoc fundamento quòd aliquid scitur absq; demonstratione constat quòd ratio authorum primi erroris nihil concludit. Nam conceditur quòd non est processus in infinitum in principiis demonstrationis, sed est status, ita quòd est deuenire ad prima. & quando arguitur, ergo prima principia nesciuntur, negatur consequentia, & ad probationem negatur quòd nihil sciatur nisi per demonstrationẽ. Hoc enim verificatur solùm de conclusione, sed non de principiis, quoniam & si non demonstratione, tamen ex euidentia significati terminorum cognoscuntur, vt cognito quid significetur per totum, & per partem, statim innotescit nobis lumine intellectus agentis, quod totum est maius sua parte, & sic constat quòd ratio authorum primi erroris nihil concludit.

Ratio autem authorum secundi erroris, longe minus concludit, quoniam fundatur in falso, scilicet quòd licet demonstrationem fieri circularem. Id nanque reprobat Aristoteles satis diffusè in primo Posteriorum, quo reprobato constabit rationem eorum esse penitus inualidam. Quod autem non valeat demõstratio circularis, probandũ est ad mentẽ Arist.

De circulari demõstratione.

Sed ne per incognita procedamus prius declarandum est quid sit circulariter syllogizare & demonstrare. Tu igitur aduerte quòd tunc circulariter argumentamur, quando primò probamus ex præmisis conclusionem, vt hic, Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis: Deinde ex cõclusione, vt principio, & minore conuersa, probamus maiorem, sic, omnis homo est risibilis, omne animal rationale est homo (hæc est minor conuersa) ergo omne animal rationale est risibile, (& hæc fuit maior primi syllogismi.) & hic tibi constat quomodo committitur circulus, quoniam maior est probans in primo syllogismo, & in secundo est probata: item quod fuit conclusum in primo syllogismo, sumitur vt concludens in secundo. Committitur igitur circulus ad similitudinem motus circularis naturalis. Nam sicut in illo est progressus ab eodem ad idem, vt tibi manifestabitur in libro octauo Physicorum sic in tali modo syllogizandi, procedit intellectus ab eadem propositione probante, puta maiore, ad eandem probandam per regressum à conclusione ad eandem.

Declarato quid sit circulariter syllogizare probatur ad mentem Aristotelis in primo posteriorum, quòd demonstrare per circulum sit penitus inutilis modus, & vanus, quoniam per ipsum non acquiritur scientia, quæ est finis demonstrationis vt docuimus suprá.

Quòd sic probatur, suppono quòd in syllogismo circulari, idem sit conclusio, scilicet in primo syllogismo, & principiũ, scilicet in secundo syllogismo. Hoc iam manifestatum est. Suppono quod principium demõstrationis semper sit prius, & notius conclusione, & non solùm quo ad nos, sed etiã simpliciter, & hoc in demonstratione potissima, & à priori, de qua hic intendimus, & hoc iam manifestauimus supra notificantes diffinitionem datam de scire simpliciter, & diffinitionem datam de demonstratione per causam materialem. His suppositis arguitur sic, si fiat demonstratio circularis, ergo idem respectu eiusdem erit prius, & posterius non solùm quo ad nos, sed etiam simpliciter, & erit notius ac ignotius. Sed hoc est impossibile, quoniam vt patet implicat contradictionem, ergo & demonstratio circularis erit impossibilis, & si fiat carebit fine suo, qui est acquisitio scientiæ. Prima consequentia patet ex eo quod in demonstratione circulari idem est principium, puta minor in primo syllogismo, & vt sic est notius, & prius ex secundo supposito, & idem est conclusio, scilicet eadem maior in secundo syllogismo, & vt sic est posterius, & minus notum, vt patet ex supradictis, ergo si fiat demonstratio circularis idem respectu eiusdẽ erit prius, & posterius notius, & ignotius simpliciter, & quo ad nos, quod cum sit implicans contradictionem, & nullum tale sit admittendum nec demonstratio circularis est admittenda. Constat igitur quòd nec radix primi erroris, nec ea quæ est secundi erroris veræ sunt. Vtraque ergo sententia reprobata vtpote extrema, tenenda est media, quæ est Aristo. scilicet quòd aliquorum est scientia, & aliquorum non. Nam dicemus infra quòd de ente necessario, & per se, potest haberi sciẽtia, non autẽ de ente cõtingenti, nec de ente per accidẽs.

Sed aduerte quòd hic duo insurgunt dubia. Primum est circa illud quod dixit Aristoteles in reprobatione radicis primi erroris. Dixit enim quòd non omnis scientia acquiritur per demonstrationem, nam scientia primorum principiorum non acquiritur per demonstrationem: quoniã cum sint prima, non habent priora per quæ demonstrari possint. Sed ipsa scimus inquantum terminos cognoscimus. Sed ex hoc non videtur saluari diffinitio data de scientia ab Aristotele in libro sexto Ethicorum. Vbi vult quòd scientia sit habitus conclusionis per demonstrationem acquisitus. Cum igitur diffinitio debeat competere omni contento sub diffinito, necesse est vt omnis scientia per demonstrationem acquiratur, & quoniam prima principia non possunt demonstrari, ideo sequitur quòd non sciantur.

Respondetur scientia in via Aristotelis dupliciter sumitur, primò pro certa, & firma, & clara rei noticia quocunq; modo habeatur, siue experimento sensus, siue euidentia terminorum, siue syllogismo demõstratiuo, secundò pro certa, & firma rei noticia, non quocunque modo habita, sed tantùm per demonstrationem. In primo sensu est scientia communiter dicta, in secundo autem est scientia propriè dicta, scilicet vt distinguitur à quolibet habitu intellectus, vt ab habitu primorum principiorum, & opinione, & arte & prudentia, & sapientia &c. In 1. Posteriorum intendit de scientia in primo sensu, prout sub se continet habitum primorum principiorum tanquam euidentissimam noticiam ex terminis, & scientiam propriè dictam, quę causatur ex demonstratione. In sexto autem Ethicorum intendit de scientia in secundo sensu, prout distinguitur ab habitu primorum principiorum, eo quòd scientia propriè dicta causatur per demonstrationem. Habitus autem primorum principiorum causatur non ex aliquo discursu nec syllogismo, sed ex sola cognitione terminorum, & sic constat quòd nulla est contrarietas inter dictũ Arist. in 1. Poste. & dictum eiusdem in 6. lib. Ethi.

Secundum dubium consurgit ex eo quòd diximus in destructione secundi erroris, scilicet quòd circulus fit in syllogizando, quando ex conclusione sumpta vt principio, & minore conuersa probamus maiorem, vt postquam cõclusimus per primum syllogismum, omnem hominem esse risibilem reuertimur ad probandum maiorem, scilicet omne animal rationale est risibile, & conuertimus hanc minorem omnis homo est animal rationale. Sic autem conuertimus, omne animal rationale est homo, sed hæc cõuersio non valet: quoniam vt docuimus in tractatu tertio, agentes de conuersione, vniuersalis affirmatiua non conuertitur in vniuersalem affirma. sed in particularem affirmatiuam per conuersionem per accidens, ergo & cætera.

Respondetur, licet ordinariè, & vniuersaliter non conuertatur vniuersalis affirmatiua in vniuersalem affirmatiuam: quoniam non valet, omnis homo est animal, ergo omne animal est homo, tamen in particulari materia conuertitur, vt quando conuersa, & conuertens constant ex terminis conuertibilibus, sicut est in proposito. nam animal rationale, & homo, & risibile, sunt termini conuertibiles, & ideo cum in prædicto syllogismo tam primo, quàm secundo sint tres propositiones vniuersales affirmatiuæ formatæ de terminis conuertibilibus, possunt omnes conuerti in vniuersalem affirmatiuam, & sic patet quòd obiectio facta nihil valet. Concludit enim de terminis non conuertibilibus, quales sunt homo, & animal, & vniuersaliter species, & genus. Nos autem intendimus de terminis conuertibilibus, quales sunt diffinitio, & diffinitum, subiectum, & propria passio. Hæc de secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

Ex qualibus præmissis fiat demonstratio potissima.

Ex tertio & quarto capi.

IN tertio capite declarandum est ex qualibus præmissis fiat demonstratio potissima, quæ est demonstratio pro-

pter quid. Nam ordo ſcientiæ requirit, quod poſtquam declaratum eſt in cap. præcedenti ex quibus eſt tanquã ex materia, puta quia eſt ex veris primis immediatis, & notioribus, nunc declaremus earum qualitatẽ quæ habet rationem formæ, puta vtrum præmiſſæ demonſtrationis debeant eſſe neceſſariæ, & vniuerſales, & per ſe, & ſecũdum quod ipſum. Hic igitur ad mentem Ariſtotelis ſunt quatuor concluſiones probandæ. Prima eſt. Demonſtratio propter quid debet eſſe ex præmiſſis neceſſariis: ſecunda eſt, debet eſſe ex præmiſſis quæ ſint de omni: tertia eſt, debet eſſe ex præmiſſis quæ ſint per ſe: quarta eſt, debet eſſe ex præmiſſis, quæ ſint ſecundum quòd ipſum.

Verùm ne procedamus per incognita, & ne ſimus coacti idem ſæpius repetere, prius declarabimus quid ſit propoſitio neceſſaria, quid de omni, quid per ſe, quid ſecũdũ quod ipſum. Deinde ſingulas concluſiones probabimus.

Propoſitio neceſſaria quæ. Tu igitur aduerte quod propoſitio neceſſaria eſt ea, quæ ita eſt vera, quòd non poteſt eſſe falſa, ſed eſt immutabilis veritatis, vt omnis homo eſt rationalis. Nam ſicut ens neceſſarium eſt illud quod eſt, & non poteſt non eſſe, ſic propoſitio neceſſaria eſt quæ eſt vera, & non poteſt non eſſe vera, & in hoc diſtinguitur à propoſitione de poſsibili, & de contingenti, quæ poteſt aliquando eſſe vera, & aliquando falſa.

Propoſitio de Omni. Propoſitio de omni loquendo poſterioristicè, eſt illa cuius prædicatum verificatur de omni contento ſub ſubiecto, & omni tempore. vt homo eſt animal, linea eſt longitudo, & breuiter, quando prædicatum eſt diffinitio vel pars diffinitionis ſubiecti, vel proprium eius dummodo ſubiectum ſit terminus communis de pluribus prædicabilis. ſiue præcedat ſignum vniuerſale affirmatiuum ſiue non. Vnde poſterioristicè ita eſt de omni iſta, homo eſt animal, ſicut iſta omnis homo eſt animal. Dixi poſterioristicè, vt diſtingatur propoſitio de omni prioriſtica, ab ea quæ eſt poſteriorſtica. Nam non eſt de omni prioriſtica, niſi præponatur ſubiecto ſignum vniuerſale, nec eſt neceſſe quòd prædicatum omni tempore dicatur de ſubiecto, ſed ſufficit quod dicatur de omni cõtento ſub ſubiecto. Vnde hæc eſt de omni prioriſtica, omnis homo currit, non autem poſteriorſtica, & hæc non eſt de omni prioriſtica, homo eſt animal, ſed eſt indefinita, eſt autem de omni poſteriorſtica: quoniam prædicatum dicitur de omni contento ſub ſubiecto, & omni tempore. & aduerte quod omnis propoſitio de omni poſteriorſtica, eſt neceſſaria, ſed *non econuerſo*. Nam hæc neceſſaria eſt, Deus eſt: & iſta, Sortes eſt homo, & tamen non ſunt de omni: quoniam ſubiectum eſt terminus diſcretus, qui non eſt cõmunis pluribus, nec actu, nec aptitudine. Cõſtat igitur tibi qd ſit, propoſitio de omni poſteriorſtica, de qua ſolũ hic intendimus.

Propoſitio per ſe. Propoſitio per ſe eſt illa, cuius prædicatum eſt diffinitio, vel pars diffinitionis ſubiecti, vel econuerſo, id eſt cuius ſubiectum eſt de diffinitione prædicati, vel cuius ſubiectum exprimit cauſam prædicati. Vnde omnes iſtæ ſunt per ſe, homo eſt animal rationale, homo eſt riſibilis: Interfectus interiit interfectione, Album albet albedine, medicus medicatur arte medicatiua &c. Pro quorum notitia aduerte, quòd Ariſtoteles in primo Poſteriorum aſsignat quatuor modos per ſe, ex quibus primus, & ſecundus, & quartus ſunt modi prædicandi per ſe, tertius autem eſt modus exiſtendi per ſe.

Primus eſt, quando prædicatum ineſt ſubiecto, vt diffinitio vel pars diffinitionis, ſiue in recto, ſiue in obliquo. exemplum primi, Homo eſt animal rationale mortale: exẽplum ſecundi, Homo eſt animal: exemplum tertij, Triangulus eſt figura: exemplum quarti, Triangulus eſt ex tribus lineis facientibus angulos.

Secundus eſt, quando ſubiectum eſt de diffinitione prædicati, & ipſum ſubiectum eſt propria materia receptiua prædicati, & prædicatum eſt proprium ſiue proprietas ſubiecti in quarto modo dicendi proprium. Vnde iſtæ ſunt per ſe in ſecundo modo, Homo eſt riſibilis, linea eſt recta vel curua, numerus eſt par vel impar.

Tertius modus per ſe, qui eſt modus exiſtẽdi potius quàm prædicandi eſt: quando ly per ſe dicit ſolitudinem, id eſt negat conſortium à ſubiecto: vt quando Sortes ſolus eſt in domo, dicitur Sortes per ſe id eſt, non cum alio eſt in domo, & quando quis aliquid ſine ſocio operatur dicitur per ſe, hoc tertio modo, vt Sortes per ſe trahit nauem, id eſt, ſolus, & Sortes per ſe cantat id eſt: non cum alio, & quando ſubiectum non eſt in alio, nec dicitur de alio. Vnde hoc tertio modo primæ ſubſtãtiæ ſunt per ſe, quoniã nec dicũtur de inferiori, vt ſecũdę ſubſtãtię, nec ſunt in ſubiecto vt accidẽtia.

Quartus modus per ſe eſt, quando ſubiectum exprimit cauſam prædicati, vt interfectus interiit interfectione. Interfectio enim eſt propria cauſa interitus, & ideo hæc propoſitio eſt per ſe quarto modo, Interfectus interfectione interiit. Si autem ſubiectum non exprimit cauſam prædicati, nec eſt propria cauſa prædicati, propoſitio erit per accidens vt hic. Sorte ambulante corruſcauit. Neque enim ambulatio Sortis eſt propria nec per ſe cauſa corruſcationis.

Et aduerte quòd in hoc quarto modo ſunt aliquæ propoſitiones eſſentialiter, & aliquæ reductiuæ. eſſentialiter quidem ſunt iſtæ, Medicus ſanat, ædificator ædificat, ægrotans moritur. Nam ſubiectum dicit manifeſtè cauſam propriam prædicati. Nam ſi quæratur, propter quid medicus ſanat, reſpondetur, quia eſt medicus. Hæc autem eſt per accidens homo ſanat, quia homo vt homo non ſanat, ſed inquantum medicus, &c. Reductiuè autem ſunt iſtæ, Riſibile ridet, Viſibile videtur. Oculus videt, auditus audit. Audibile auditur. Tangibile tangitur, & per oppoſitum iſtæ ſunt per accidens Polycletus facit ſtatuã, album ædificat. Non enim Polycletus vt Polycletus, ſed vt artifex talis, facit ſtatuam, nec album vt album, ſed vt ædificator ædificat. Conſtat igitur tibi quid ſit propoſitio per ſe, & quot ſint modi per ſe, & aduerte quod ſicut omnis propoſitio poſterioriſtica de omni eſt neceſſaria, ita eſt per ſe, ſed non econuerſo. Nam hæc eſt per ſe, Hic homo eſt animal. & tamen non eſt de omni cum ſit diſcreta, & hæc eſt per ſe Sortes eſt riſibilis, & hæc, Hic interfectus interiit, & tamen non eſt de omni, vt patet.

Secũdũ quid ipſum. Propoſitio ſecundum quod ipſum eſt illa, quæ eſt de omni, & per ſe, cuius prædicatum conuenit ſubiecto adæquatè & primo, id eſt conuertibiliter & non per aliud, ſed inquantum tale. & per ſeipſum. Quod prædicatum dicitur vniuerſale poſteriorſticum, vt hæc eſt ſecundum quòd ipſum, Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, & hæc, homo eſt riſibilis, & breuiter quandocunque prædicatum conuenit ſubiecto, inquantum tale, & non propter aliquid aliud eſt propoſitio ſecundum quod ipſum. ſi autem conuenit ſubiecto non per ſeipſum, ſed per aliud non eſt propoſitio ſecundum quod ipſum. Vnde hæc non eſt ſecundum quod ipſum, figura habet tres angulos: quoniam figura non inquantum figura, ſed inquantum hæc figura puta inquantum triangulus habet tres angulos. Nec iſta eſt ſecundum quod ipſum, yſochelles habet tres angulos: quoniam yſochelles non inquantam yſochelles, ſed inquãtum triangulus habet tres angulos. Tu igitur aduerte pro regula generali, quòd quandocunque prædicatum verificatur de ſubiecto adæquatè, & reduplicato ſuper ſeipſum, fit propoſitio ſecundum ſeipſum. vt hic homo inquantum homo eſt rationalis, eſt riſibilis, eſt ſtaturæ rectæ. Hæc autem non eſt ſecundum qui ipſum, Homo inquantũ homo eſt animal: quoniã prædicatum nõ adęquatur ſubiecto, nec conuenit homini inquãtum homo, id eſt, ratione qua homo, ſed ratione qua animatũ ſenſitiuũ eſt animal.

Diximus quòd propoſitio ſecundum quod ipſum eſt de omni: quoniam cum prædicatum adæquetur ſubiecto, conuenit omni contento ſub ſubiecto, nam bene ſequitur homo inquantum homo eſt riſibilis. ergo omnis homo eſt riſibilis. Quod enim conuenit alicui tali inquantum tale conuenit omni tali.

Diximus quòd eſt per ſe: quoniam in propoſitione ſecundum quòd ipſum, prædicatum eſt diffinitio vel de diffinitione ſubiecti, & ſic eſt primus modus per ſe, vel eſt proprietas ſeu habẽs modũ ꝓprietatis, & ſic eſt in ſecũdo modo per ſe.

Vniuerſ le. Diximus, quòd prædicatum eſt vniuerſale poſteriorſticum, pro cuius notitia aduerte quod vniuerſale ſumitur dupliciter, primo ꝓ quolibet ſuperiori, reſpectu ſui inferioris, in quo ſenſu dicitur genus eſſe vniuerſale reſpectu ſuarũ, ſpecierũ, & ſpecies reſpectu ſuorũ indiuiduorũ, & in hoc ſenſu locuti ſumus de vniuerſali in trac. de Prædicabilibus. ſecũdo ſumitur pro prædicato adæquato, & cõuertibili cũ ſubiecto, qđ dicitur vniuerſale non quia ſit in multis aut dicatur de multis, hoc enim eſt vniuerſale in primo ſenſu, ſed qa eſt verſum, & receptũ in vno ſubiecto, extra qđ nõ inuenitur. vt quia riſibile, & rationale eſt receptum in ſolo homine, ita quod extra hominẽ non inuenitur, dicitur prædicatũ vniuerſale de homine. Idẽ intellige de habere tres reſpectu trianguli, & eſſe parem vel imparem reſpectu numeri, & in hoc ſecundo ſenſu intendit Ariſtoteles de vniuerſali in primo poſteriorum, quando dicit, vniuerſale autẽ dico quod cum de omni fit, & per ſe, & ſecundum quod ipſum eſt.

Viſo quæ ſit propoſitio neceſſaria, & quæ de omni, & quæ per ſe, & quæ ſecundum quod ipſum, probandum eſt primo quòd demonſtratio potiſsima, & abſoluta ſit ex præmiſsis neceſ

neceſſariis, ſecundò quòd ſit ex præmiſsis de omni, tertiò quòd ſit ex præmiſsis per ſe, quartò quòd ſit ex præmiſsis ſecundum quòd ipſum.

Demonſtratio eſt ex neceſſariis. Primum probatur ſic, demonſtratio potiſsima eſt ex his, quæ non poſſunt aliter ſe habere, ergo eſt ex neceſſariis. cõſequentia patet ex ratione neceſſarij. Antecedens probatur, demonſtratio potiſsima eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, vt patet ex diffinitione data de demonſtratione per cauſam finalem: ſed ſcire eſt rem, id eſt concluſionem cognoſcere per cauſam: id eſt per præmiſſas, quę nõ poſſunt aliter ſe habere, ergo demõſtratio potiſsima eſt ex præmiſsis, quæ nõ poſſunt aliter ſe habere, ex conſequenti eſt ex præmiſsis neceſſariis.

Eſt ex his quæ ſunt de omni & per ſe. Secundum probatur ſic, Demonſtratio potiſsima eſt ex præmiſsis, quarum prędicatum verificatur de omni contento ſub ſubiecto, & ſemper, & infallibiliter, ergo eſt ex præmiſsis de omni, patet conſequentia ex diffinitione ſuperius data de propoſitione de omni. Antecedens autem probatur: quoniam ſi in præmiſsis aſſumptis in demonſtratione potiſsima prædicatum non verificaretur de omni contento ſub ſubiecto, & ſemper, & infallibiliter, non eſſet demonſtratio ex neceſſariis vt patet. Sed concluſum eſt demonſtrationem potiſsimam eſſe ex neceſſariis, ergo &c.

Tertium probatur ſic, Cõcluſio demonſtrationis potiſsimæ eſt propoſitio per ſe, ergo præmiſſæ debent eſſe per ſe. Conſequentia quidem patet: quoniam ſicut non ſcitur concluſio vera niſi ex præmiſsis veris, ſic non demonſtratur cõcluſio per ſe niſi ex præmiſsis per ſe, licet enim poſsit ſyllogizari ex præmiſsis per accidens, non tamen demonſtrari, nec ſciri, niſi ex præmiſsis per ſe. Antecedens autem declaratur ſic de mente Ariſtotelis. Concluſio demonſtrabilis eſt propoſitio cuius prædicatum ſe habet ad ſubiectum, vt propria paſsio vel habens modum paſsionis: ſed quando prædicatur propria paſsio de ſubiecto, eſt propoſitio in ſecundo modo per ſe, vt declaratum eſt ſupra: ergo concluſio demonſtrationis potiſsimæ eſt propoſitio per ſe. Quod vero modi per ſe ingrediantur demonſtrationem potiſsimam dicemus alias.

Quartum probatur ſic. Demonſtratio conſtat ex duabus præmiſsis, & concluſione quæ ſunt propoſitiones per ſe, vt dictum eſt, quarum termini ſunt conuertibiles. & adæquati. vt patet hic, Omne animal rationale eſt riſibile: Omnis homo eſt animal rationale: ergo omnis homo eſt riſibilis. Sed quando termini ſunt conuertibiles, & adæquati, præmiſſæ ſunt ſecundum quod ipſum, & earum prædicatum eſt vniuerſale poſteriorſticum, vt docuimus, ergo demonſtratio potiſsima, de qua tantum nunc intendimus, eſt ex præmiſsis ſecundum quod ipſum, & confirmatur, quia vt declarabimus infra demonſtratio huiuſmodi ſit in prima figura in primo modo, & maior conſtat ex diffinitione ſubiecti, & propria eius paſsione, vt omne animal rationale eſt riſibile. Minor autem conſtat ex diffinito, & diffinitione, vt omnis homo eſt animal rationale. Concluſio verò conſtat ex ſubiecto, & ſua paſsione, vt ergo omnis homo eſt riſibilis. Conſtat autem quòd iſti tres termini, homo, animal rationale riſibile. ſunt adæquati, ergo conſtituunt propoſitiones ſecundum quod ipſum. Hæc de tertio capite dicta ſint.

CAPVT IIII.

Ex quibus & qualibus non eſt demonſtratio.

IN quarto cap. inueſtigandum eſt ex quibus, & qualibus non eſt demonſtratio. Nam ex quo in præcedenti cap. inueſtigandum eſt, ex quibus, & qualibus eſt, conſequens eſt inquirere ex quibus, & qualibus non ſit. Hic igitur ad mentem Ariſt. quinq; cõcluſiones determinandæ ſunt. prima eſt, Demonſtratio non eſt ex contingentibus, neq; poſsibilibus aliter ſe habere: ſecunda eſt, demonſtratio non eſt ex his quę ſunt per accidens: tertia eſt, demonſtratio non eſt ex extraneis: quarta eſt, Demonſtratio non eſt ex corruptibilibus: quinta eſt, demonſtratio non eſt ex principiis communibus.

Demonſtratio nõ eſt ex cõtingentib. Prima concluſio probatur ſic ad mentem Ariſtotelis. Demonſtratio potiſsima eſt ex præmiſsis neceſſariis, ergo non eſt ex contingentibus, neque poſsibilibus aliter ſe habere. Conſequentia patet, quoniam neceſſarium, & contingens opponuntur, ergo ſi eſt ex neceſſariis, non eſt ex contingentibus. Antecedens verò tripliciter probatur de nouo, licet, & in cap. præcedenti iam probatum ſit, tamen pro maiori doctrina iterum probandum eſt,

Primò ſic, Demonſtratio eſt ex his quæ ſunt per ſe, vt probatum eſt in cap. præcedenti, ergo eſt ex neceſſariis. Patet conſequentia, quoniam omnis propoſitio per ſe eſt neceſſaria, prædicatum enim ſemper, & immutabiliter dicitur de ſubiecto, vt homo eſt animal rationale, homo eſt riſibilis.

Secundò ſic. Concluſio demonſtrationis eſt neceſſaria, quoniam eſt ea quæ ſcitur per demonſtrationem. Sed quod ſcitur non poteſt aliter ſe habere per diffinitionem ipſius ſcire, ergo quod ſcitur, id eſt ipſa concluſio eſt neceſſaria, ergo eſt ex præmiſsis neceſſariis. Probatur conſequentia, quoniam vt tibi declarabitur in 2. Phyſ. concluſio cõparatur ad præmiſſas vt effectus ad cauſas, ſed effectus neceſſarius non poteſt eſſe à cauſa contingẽti, aliter effectus eſſet potior quàm ſua cauſa: ergo concluſio non poteſt demõſtrari niſi per præmiſſas neceſſarias. Dico demõſtrari, quoniã, vt inquit Ariſt. Contingit ſyllogizare neceſſarium ex non neceſſariis, ſicut verũ ex non veris, non autẽ demonſtrare. exẽplũ primi, omne currens eſt animal, omnis homo eſt currens per caſum, ergo omnis homo eſt animal, exemplum ſecundi, omnis lapis eſt animal, omnis homo eſt lapis, ergo oĩs homo eſt animal.

Tertiò ſic, & eſt argumentum à ſigno. Dicit Ariſ. ſignum autem eſt q; demonſtratio ſit ex neceſſariis, quoniam quando volumus inferre inſtantias contra arguentem quando diſputamus, dicimus: Tu non demonſtras, etiam quod opineris te demonſtrare, quoniam tu non procedis ex neceſſariis, ergo conſtat quòd oportet demonſtrationem eſſe ex neceſſariis, aliter non diſtingueretur ſimplex ſyllogizator à demonſtratore. Hinc patet inquit Ariſt. quàm ſtulti ſint ſophiſtæ illi, qui exiſtimant ſe demonſtrare, & ſcientiam acquirere, ſi habeant principium probabile, & verum. Seipſos decipiunt, quoniam non acquiritur ſcientia & quæ eſt certa, & euidens de concluſione notitia per principium probabile verum, ſed per neceſſarium infallibiliter verum, Conſtat ergo demonſtrationem non eſſe ex contingentibus, nec poſsibilibus aliter ſe habere, ſed ex neceſſariis.

Demonſtratio nõ eſt ex his quæ ſunt per accidens. Secunda concluſio, ſcilicet quòd demonſtratio non ſit ex præmiſsis, quæ ſunt propoſitiones per accidens, probatur tripliciter ad mẽtem Ariſtotelis. ſed aduerte quod Ariſtoteles per ly per accidens intendit de propoſitionibus. quarum prędicatum eſt accidens cõmune ſiue ſeparabile, ſiue inſeparabile, quæ ſunt in quinto prædicabili, de quo actum eſt in tracta. de prædicabilibus. De his enim non habetur demonſtratio neque ſcientia, quoniam poſſunt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, modo quo expoſuimus in prædicto tract. ergo poſſunt aliter ſe habere, ex conſequenti non poſſunt ſciri ex diffinitione ipſius ſcire. Non ergo intendit Ariſtote. de accidente proprio, quod fluit ex natura rei quale eſt riſibile in homine, ſimum, & aquilum in naſo, criſpum in capite Siccũ leue ſimpliciter. & calidum in ſummo in igne. Iſta enim, & ſi ſint accidentia, & in prædicamento qualitatis quo ad entitatem, tamen conſtituunt propoſitionem per ſe in ſecundo modo per ſe, & ſemper inſunt ſubiecto emanantia à principiis ſubiecti. & ideo de eis poteſt eſſe ſcientia, & per ea, & de eis poteſt eſſe demonſtratio Declaratis igitur his probatur præpoſita concluſio tripliciter.

Primò ſic, Omnis vera demonſtratio eſt ex præmiſsis, & concluſione neceſſariis quæ infallibiliter ſunt veræ, ita quod non contingit earum prædicata aliquando ineſſe. & aliquando nõ ineſſe, ſed ſemper & immutabiliter ineſſe, ſed propoſitiones per accidens non ſemper. & infallibiliter ſunt veræ quoniã earũ prædicatum contingit ad eſſe & ab eſſe præter ſubiecti correptionẽ, loquẽdo de accidẽtibus cõmunibus vt nunc intendit Ariſ. ergo conſtat quòd demonſtratio non poteſt eſſe ex præmiſsis per accidens. nec de cõcluſione per accidens. Vnde de his non poteſt haberi demonſtratio, homo eſt albus. Theſaurus inuenietur in agro. Sub cane pluet. ęgrotus ſanabitur, Sortes addiſcẽs erit perfectus philoſophus.

Secundo probatur ſic, Omnis demonſtratio eſt ex præmiſsis per ſe, & ſecundum quod ipſum, vt manifeſtatum eſt in cap. præcedenti. Sed propoſitiones per accidens, quæ conſtant ex accidentibus communibus, vt docuimus, non ſunt, nec poſſunt eſſe præmiſſæ per ſe, ergo ex eis non poteſt fieri demonſtratio.

Tertiò probatur ſic, Omnis vera demonſtratio, & potiſsima de qua hic ſolùm intendimus, facit ſcire per ſe per cauſam, & propter quid, vt docuimus in ſecundo cap. Sed ſyllogiſmus procedens ex præmiſsis per accidens, non facit ſcire per ſe, per cauſam, per propter quid. Nam quando ſyllogiſmus eſt ex premiſsis per accidens, neque maior extremitas ineſt medio per ſe, neque medium ineſt minori extremitati per ſe vt patet hic. Omne currens eſt album, omnis homo eſt currens, ergo omnis homo eſt albus. Nam caſu dato quod omnis homo ſit currens, & omnis homo ſit albus, & omne album ſit currens, neque album ineſt per ſe currenti, neque currens ineſt per ſe homini, ergo &c. Conſtat ergo

quod demonstratio non est ex his quæ sunt per accidens.

Demonstratio nõ est ex extraneis. Tertia conclusio, scilicet quòd demonstratio non fit ex extraneis probanda est ad mentem Aristotelis. Sed antequam probetur duo prænotanda sunt, primo quid sit demonstrare ex extraneis & ex propriis, secundo duo supponenda sunt.

Quantum ad primum aduerte quòd tribus modis possumus imaginare demonstrationem esse ex extraneis, primo quando probatur passio extranea à subiecto, vt si geometra velit probare lineam. a. esse pulchrã visu. Nam pulchrũ aut deforme visu non est de consideratione geometræ, sed propectiui, rectum aut obliquum est passio propria lineæ, vt ca dit sub sciẽtia geometrica. Vnde geometra probãs pulchrũ visu de linea, tendit ad extranea, qui autem probat curuum aut rectum de ea sistit in propriis. Secundo quando in aliqua scientia probatur aliquid de subiecto alterius scientiæ, vt si geometra probat aliquid de numero quod est subiectũ Arithmeticæ, vel de ente aut corpori mobili, quod non considerat à geometra, sed physico. tertio quando in aliqua scientia probatur conclusio spectans ad illam scientiam non per medium proprium illius scientiæ sed per medium spectans ad aliam scientiam, vt si physicus probet aliquam suam conclusionem per medium mathematicum, aut metaphysicum. His ergo tribus modis contingit demonstrationem fieri nõ ex propriis, sed ex extraneis, sed tertius modus est propriè ad intentionem Aristotelis.

Quantum ad secundum aduerte duo supposita quæ præponit Arist. antequam ad probationem præpositæ conclusionis deueniam, primũ est q̃ in omni demõstratione tria sunt. Primum est conclusio, quæ demõstratur. puta, omnis homo est risibilis, cuius prædicatum est propria passio, quæ per se inest subiecto. secundũ sunt dignitates, id est principia ex quibus probatur conclusio: tertiũ est subiectũ, de quo demõstratur passio, puta triangulus, de quo demonstratur habere tres angulos &c. Secundum suppositum est q̃ licet eadẽ sint principia cõmunia, quæ dignitates appellantur diuersis scientiis, puta hoc principiũ, Omne totũ est maius sua parte, & hoc, Si ab æqualibus æqualia demas, residua sunt æqualia. Sũt cõmunia geometræ & Arithmetico. Nã verificantur de lineis, & numeris, tamen idẽ subiectũ nõ est cõmune diuersis sciẽtiis. Sed quælibet scientia habet propriũ subiectũ iuxta quod distinguitur à quacũq; alia. Sed hoc tibi manifestabitur infrá. His præmissis probatur sic cõclusio præposita, Non cõuenit demonstrantẽ descendere de vno genere in aliud genus, id est de scientia in scientiã distinctã genere à scientia, in qua est demonstrans, puta non licet demonstranti descendere de geometria in arithmeticam, aut de physica in moralem, aut de logica in physicã, sed sistere in terminis & principiis suæ scientiæ, ergo non conuenit demonstrationem fieri ex extraneis, sed ex propriis. Consequentia patet, quoniã si aliqua demonstratio posset esse ex extraneis, hoc maximè esset ex eo, quia esset terminorũ diuersarũ scientiarũ ex descensu vnius artificis à propria scientia ad aliam distinctam omnino, puta à geometria ad physicã. Dico omnino, vt præseruem descensum à scientia subalternãte ad scientiam subalternatã. Nam hic descensus licet, vt tibi manifestabitur infrá. Antecedens autem tripliciter probatur, primò ex parte subiecti, secundò ex parte medij, tertiò ex parte passionis.

Ex parte subiecti sic, Si licet demonstrantẽ descendere de genere in genus ex parte subiecti, ergo liceret Arithmetico demonstrare aliquid contentum sub quantitate continua, quæ est subiectum geometriæ, puta quòd circulus caret angulis: sed hoc est falsum, quia continuum de quo est geometria, & arithmeticũ, de quo est Arithmetica, sunt duo genera subalterna quantitatis, quorum vnum non ponitur sub alio, ergo non licet demonstrantem in Arithmetica descendere in geometriam ex parte subiecti. puta probando aliquid de continuo, quod non est subiectum, nec continetur sub subiecto Arithmeticæ.

Ex parte medij sic. In omni demõstratione oportet quòd medium per quod probatur conclusio, & extrema, id est maior & minor extremitas, sint eiusdem generis, quoniam debent de seinuicem verificari per se & secũdum quod ipsum, vt docuimus suprá. Sed passiones & subiecta diuersarũ scientiarum sunt diuersorum generum, nam sicut differunt genere linea & ternarius, sic eorum passiones, quæ sunt rectum & curuum, par vel impar. Ergo eis non potest applicari vnũ commune mediũ per quod probetur passio de linea, & passio de ternario: nam tale commune medium aut falso prædicaretur de vtraque, aut per accidens.

Tu tamen aduerte quòd vt declarabimus infrà, quando vna scientia subalternatur alteri, vt prospectiua geometriæ, & musica Arithmeticæ, licet ex principiis subalternantis aliquid demonstrare in subalternata, quoniam subiectum subalternatæ continetur sub subiecto subalternantis, vt tibi declarabitur infra, nec tunc est descensus de genere in genus, sed de genere quasi in speciem generis, vt quando descendimus de linea simpliciter quæ consideratur à geometra, ad lineam visualem, quæ consideratur à prospectiuo.

Ex parte passionis sic, in omni demonstratione passio prædicatur per se de suo subiecto, vt in geometria, habere tres per se prædicatur de triangulo, sed passio subiecti vnius sciẽtiæ non prædicatur per se, sed aut nullo modo, aut per accidens de subiecto alterius scientiæ. Nam vt exemplificat Aristoteles, non spectat ad geometram demonstrare lineam rectam esse pulcherrimam linearum, quoniam esse pulchrum non prædicatur per se de linea, sed esse curuum aut rectum. Nec spectat ad eundem demonstrare quòd linea recta contrariatur circulari, quoniam contrarietas non est de consideratione geometræ, sed metaphysici, vt tibi declarabitur in libro decimo metaphysicæ. Constat igitur tibi quòd non licet demõstrãti descendere de vno genere scientiæ in aliud genus scientiæ, tam ex parte subiecti, quàm medij & passionis, sed oportet ipsum versari tantùm circa proprium subiectum & proprias passiones sui subiecti, & circa propria media, ex quibus habet demonstrare proprias passiones de proprio subiecto. Hinc sequitur corollariè paucissimos esse verè scientes, quoniam pro maiori parte, credentes se demonstrare procedunt non ex propriis, sed ex extraneis, & præcipuè ex mediis extraneis, aut communibus, vt declarabimus infrá.

Quarta conclusio, scilicet quòd demonstratio non fit ex corruptibilibus probatur tripliciter ad mentem Aristotelis deinde remouendum est quoddam dubium. *Demonstratio nõ est ex corruptibilibus.*

Primò probatur sic. Conclusio veræ demonstrationis est perpetua & incorruptibilis, ergo est ex præmissis perpetuis & incorruptibilibus, quæ scilicet sunt perpetuæ veritatis. Consequentia patet, quoniam sicut non potest demonstrari conclusio necessaria ex præmissis contingentibus, vt docuimus supra, sic non potest demonstrari conclusio perpetua, & incorruptibilis ex præmissis non perpetuis, & corruptibilibus, aliter semper verum demonstraretur ex non semper vero, quod patet esse impossibile. Antecedens autem sic probatur. In demonstratione potissima, de qua hic intendimus, conclusio constat ex propria passione & proprio subiecto, vt homo est risibilis. Triangulus habet tres angulos. Sed propria passio semper conuenit proprio subiecto & omni contento sub eo, cum sit proprium quarto modo, ergo constituunt propositionem perpetuæ veritatis, quæ est conclusio demonstrationis potissimæ. Constat ergo veram demonstrationem esse de conclusione perpetua, & incorruptibili, & ex præmissis perpetuis. Non ergo demonstratio est corruptibilium, nec ex parte conclusionis, nec ex parte præmissarum.

Secundò probatur sic, Omnis demonstratio potissima est de his & ex his quæ sciuntur per se & nõ per accidens. Nam omnis propositio per se scitur per se, cum sit immutabilis veritatis. Dictum est autem tam conclusionem quàm præmissas demonstrationis potissimæ esse propositiones per se, ergo sciuntur per se. Sed corruptibilia, vt corruptibilia, non sciuntur per se, sed per accidens, quoniam cum sint singularia non directè, sed reflexè intelliguntur, ergo vniuersalia sciuntur per se cum sint perpetua, & singularia sciuntur per accidens, cum sint corruptibilia, loquendo de singularibus naturalibus inferioribus. Ergo demonstratio non est de corruptibilibus, nec ex corruptibilibus.

Tertiò probatur sic, Omnis demonstratio potissima est ex his quæ sunt de omni posteriористico, vt docuimus suprá. Sed corruptibilia nõ sunt de omni posteriористico. non enim semper sunt, sed aliquando sic, aliquando non, aliter non essent corruptibilia. De omni autem posteriористica importat sempiternitatem temporis & vniuersalitatem suppositorum. Ergo demonstratio potissima non est corruptibilia.

Et aduerte quòd apud Aristotelem ex prædicta conclusione infertur hoc corollarium. Sicut demonstratio non est corruptibilium, sic nec diffinitio. Nam diffinitio aut est principium demonstrationis. vt quando est mediũ per quod demonstratur conclusio, vt per rationale demonstratur hominem esse risibilem: aut est tota demonstratio positione, id est ordine, differens, vt quãdo de re datur duplex diffinitio vna per

per materiam, alia per formã, siue per finem. Nam ea quæ per materiam datur, est conclusio demonstrationis, quæ autem per formam est medium. Verbi gratia. De ira datur duplex diffinitio. Vna per materiam, quæ est hæc, Ira est accensio sanguinis circa cor, Altera per finem, quæ est hæc, Ira est appetitus vindictæ. Et his duabus potest aggregari vna quæ erit hæc, Ira est accensio sanguinis circa cor, propter appetitum vindictæ, & hæc est virtualiter tota demonstratio, licet differat positione, id est ordine, quia vt sic nondum est disposita in modo & in figura syllogismi. Si autem sumatur diffinitio per materiam pro conclusione, & ea quæ est per formam pro medio, tunc fiet demonstratio ordinata in modo & in figura, vt hic, Omnis appetitus vindictæ est accensio sanguinis circa cor: sed ira est appetitus vindictæ: ergo ira est accensio sanguinis circa cor. Cum igitur diffinitio sit virtualiter ipsa demonstratio, aut principium, id est medium demonstrationis, sicut demonstratio non est corruptibilium, sic nec diffinitio, ex consequenti nec scientia.

Probata igitur quarta conclusione, & ex ea deducto corollario, aduerte quod Aristoteles contra determinata mouet dubium & soluit. Dubium quidem est tale. Dictum est demonstrationem non esse corruptibilium quæ aliquando sunt, aliquando non sunt, sed perpetuorum quæ semper sunt. Ex hoc ergo sequitur de eclipsi Lunæ, & Solis, & de tonitruo, & de naturalibus nullam posse fieri demonstrationem neque haberi scientiam, quoniam constat quod non semper sunt, sed aliquando sic, aliquando non.

Ad hoc respondens Aristoteles inquit quod secundum quod sunt huiusmodi, id est secundum quod de eis habetur demõstratio & scientia, semper sunt, secundum autem quod sunt particularia in se considerata, de eis non habetur demõstratio nec scientia. Pro cuius solutionis notitia aduerte quòd defectus lunæ & solis, & res naturales inferiores dupliciter considerari possunt, primò in se & in singulari, puta hæc eclipsis inquantum hæc, & hæc rosa inquantum hæc. Secundò per respectum ad causam suam naturalem. Primo quidem modo constat quòd non sunt semper, quoniam hæc vel illa eclipsis, & hæc vel illa rosa per determinatum tempus habet esse, quo transacto non sunt: & vt sic de eis non est demõstratio nec scientia. Secũdo autem modo dicuntur esse semper, nam causa eorum est certa & determinata & sufficiẽs, ita quod ea posita infallibiliter sequitur effectus, puta causa eclipsis lunæ est interpositio diametralis terræ inter solem & lunam. & causa eclipsis solis, est interpositio lunę inter solem & aspectum nostrum, vt tibi declarabitur in tractatu sphæræ, quibus causis positis & quandocunque ponuntur, infallibiliter sequitur eclipsis, & vt sic de eis habetur demonstratio & scientia, quoniam vt sic infallibiliter determinatis temporibus existunt semper. De naturalibus autem puta de rosa, aut niue, aut tonitruo eodem modo dicendũ est. Nam licet in se considerata & vt singularia sunt, non sint semper, tamen relata ad causas suas vniuersales remoto impedimẽto, determinato tempore sunt semper, vt in vere semper generatur rosa, in æstate tonitruum, in hieme nix &c. Constat ergo quomodo scientia & demonstratio est eorum, quæ sunt semper, & non est corruptibilium.

Demonstratio nõ est ex communibus. Quinta conclusio scilicet quòd demonstratio non est ex principiis communibus probatur, simpliciter ad mentem Aristotelis. Sed antequam probetur aduerte quod per principia communia intendit prima & vniuersalia principia, quas dicimus dignitates, & quæ diuersis scientiis applicari possunt. Verbi gratia. Omne totum est maius sua parte, non sunt opposita in eodem, Vbi est maius, & minus ibi est æquale. Hæc enim possunt applicari conclusioni geometricæ & arithmeticæ & physicæ &c. Sed id tibi plenius declarabitur in cap. sequenti. His prænotatis probatur conclusio præposita quadrupliciter.

Primò sic, nulla principia communia faciunt scire per se & simpliciter id, quod demonstratur, sed tantum in confuso. Omnis demonstratio potissima facit scire per se & simpliciter & non tantum in confuso id, quod demonstratur, ergo nulla demonstratio potissima & ex principiis communibus sed propriis. Minor patet ex diffinitione superius data de demonstratione potissima. Maior autem sic declaratur scire rem per principia communia, est scire in genere, sicut qui scit hominem inquantum est substantia & non vltra, scire autem per principia propria est scire in specie, vt quando scitur homo per rationale, quod est scire distinctè & simpliciter, vt igitur demonstratio potissima faciat scire per se & simpliciter, non sufficit quod sit ex veris communibus, sed ex veris propriis indemonstrabilibus & immediatis, id est proximis.

Secundò sic, si sufficerent principia communia ad demõstrandum, ergo Brisso demonstrasset quadraturam circuli *Ex primo physicorũ.* id est quadratum æquale circulo, quod est falsum, probatur consequentia. Brisso assumebat hoc principium commune. Vbi est dare maius, & minus, est dare æquale. deinde subsumebat, sed est dare quadratum maius circulo, puta si figuratur circulus intra quadratum, Et est dare minus quadratum circulo, puta si describatur quadratũ in circulo vt hic,



Ergo est dare quadratum æquale circulo. Sed quod Brisso non demonstret patet ex eo quod hoc principium, Vbi est dare maius & minus, &c. est commune geometræ & arithmetico, eodem enim principio probari potest quod vbi est maior & minor numerus, est etiam dabilis æqualis. Idem intellige apud physicum de velocitate & tarditate motus, & apud moralem de maiori & minori vitio ac virtute. Cum igitur illud principium non sit proprium geometræ, non facit scire simpliciter & per se, ideo Brisso non demonstrauit intentum suum.

Tertiò sic, probatum est demonstrationem non esse ex principiis extraneis nec diuersorum generum, id est quæ ad diuersa genera scientiarum possunt applicari, sed sunt propria illi scientiæ in qua assumuntur, vt diffinitio figuræ & vnitatis & numeri, sunt propria in scientiis in quibus consideratur figura, puta geometriæ, & vnitas, & numerus puta arithmeticæ. Sed principia communia sunt extranea, & diuersorum generum, applicantur enim scientiis distinctis genere, puta hoc principium, Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, potest applicari magnitudini & motui & tempori & numero, ergo ex principiis communibus non potest fieri demonstratio.

Quartò sic, In omni vera demonstratione oportet quòd medium, id est principium per quod demonstratur conclusio, & extrema ex quibus constat conclusio, id est maior & minor extremitas sint æque proxima & eiusdem generis. Declaratum est enim supra quòd non licet demonstranti descendere de genere in genus & maxime ex parte medij, nisi in scientiis subalternantibus & subalternatis de quibus loquemur infra. Sed principia communia, per quæ probatur conclusio in aliqua particulari scientia, non sunt æque proxima, nec eiusdem generis cum extremis, aliter non possent applicari distinctis conclusionibus diuersarum scientiarum, ergo demonstratio non potest esse ex principiis communibus, sed ex propriis, aliter nunquam erit vera & potissima demonstratio.

Constat ergo demonstrationẽ verã, & potissimã, non esse ex principiis communibus, sed propriis & proximis, & quæ sint eiusdem generis cum conclusione, quæ demonstratur.

Et aduerte quod Aristoteles ex præposita & probata conclusione deducit quatuor corollaria.

Primum est. Quælibet scientia particularis, vt physica, geometria & arithmetica, respicit metaphysicam, vt superiorem, quoniam ipsã probat principia propria scientiarum particularium. Scientię enim particulares non probant principia sua, sed supponunt ea vt vera, & tamẽ cum non constẽt ex terminis communissimis, vt primæ dignitates, probabilia sunt, & cum non probentur, sed supponantur à scientia particulari, in qua sunt principia propria, nec in alia scientia particulari, quoniam nõ est maior ratio in vna, quàm in alia, imò minor. Nam si nõ probãtur in ea in qua sunt principia, multo minus in quacunq; alia particulari: in qua non sunt principia, spectat ergo eorum probatio ad superiorem scientiam, quam particulares respiciunt, vt reginã, & hæc est metaphysica, vt tibi declarabitur in quarto metaphysicæ & in sexto. *Quælibet scientia indiget metaphysica quæ est dignissima inter omnes, & in omnes descendens.*

Secundũ est, quòd metaphysica est magis & maximè sciẽtia super omnes alias particulares. Nam ipsa pro subiecto habet ens inquantũ ens, particulares autẽ scientiæ habent pro subiecto partẽ entis, puta ens naturale siue mobile vt physica, ens quantũ continuũ vt geometria, ens quantũ discretum vt arithmetica: & hoc tibi declarabitur in 4. Metaphy. Item metaphysica versatur circa vniuersalissimas & primas causas, particulares autem circa particulares causas. Et hoc tibi declarabitur in procemio primi metaphysicæ. Itẽ finis metaphysicę est diuinorũ entiũ cognitio, particulariũ autẽ finis

& cognitio naturalium entium, aut entis quanti continui, aut entis discreti. Ex omnibus ergo his, constat metaphysicam esse maximam scientiam super omnes alias particulares, ideo Aristoteles in procemio primi Metaphysicæ vocat eam sapientiam, & deam scientiarum.

Tertiũ est, Metaphysica descendit in omnes scientias particulares, sicut Geometria in prospectiuam, & Arithmetica in musicam, sicut enim Geometria probat principia prospectiuę, & Arithmetica musicæ, sic Metaphysica probat stabiliendo principia scientiarum particularium. Itẽ omnia subiecta aliarum scientiarum sunt veluti partes subiectiuę subiecti metaphysicæ, vt tibi declarabitur in quarto metaphysicæ. Item metaphysica considerat de omnibus terminis scientiarum particularium, puta de substantia vt substantia, de corpore vt corpus, de quanto vt quantum, de quali vt quale vt tibi declarabitur in quinto metaphysicæ, particulares autem scientiæ non descendunt in metaphysicam, ergo dignior & excellentior est.

Quartum est, Difficile est cognoscere, si nos aliquid verè scimus. Dictum est enim quòd non scimus nisi per principia propria, sed difficillimum est scire, si principia per quæ probamus aliquam cõclusionẽ sint propriatur. Opinamur enim scire, dummodo habeamus syllogismum ex aliquibus veris & primis, sed non sufficit nisi habeamus ex propriis & proximis. Hæc de præsenti capite sint dicta.

CAP. V.

Ex quibus & qualibus principiis est demonstratio virtualiter.

IN quinto cap. inuestigandum est quæ principia ingrediantur demonstrationem virtualiter tanquam prima semina & fundamenta veræ scientiæ, quæ causatur in nobis ex demonstratione. Ordo enim requirit doctrinæ, vt postquam ostendimus ex cap. tertio quæ principia ingrediuntur demonstrationem formaliter, & in cap. quarto, quæ non, nunc inuestigemus quæ virtualiter ingrediuntur, & quoniam determinabimus quòd principia communia, & vniuersalissima quæ appellantur dignitates, sunt illa quæ virtualiter ingrediuntur, & super quæ demonstratio omnis scientifica firmatur. Ne deducamus addiscentem per incognita hic tria agenda sunt.

Primò assignanda est differentia inter principia communia & propria. Secundò explicandum est in specie quæ sint principia communia. Tertiò declarandum est quomodo scientię particulares in demonstrationibus suis vtuntur principiis communibus.

Quantum ad primum antequam assignemus differentiam inter principia communia & propria, prius declarandum est quid sit principium demonstrationis absolutè sumptum, id est vt sub se continet principium commune & principium proprium, & quomodò differt à non principio, deinde assignabimus differentiam inter principia communia & propria.

Tu igitur aduerte quòd principiũ vt principiũ demonstrationis ad mentem Aristotelis est propositio vera & necessaria indemonstrabilis absolutè, vel saltem in scientia in qua habetur ac recipitur pro principio.

Primò dicitur vera & necessaria, ad differentiam propositionis falsæ aut contingentis, nam cum principium demonstrationis sit causa scientiæ, quę est vera & firma de re scibili notitia, non potest causari ex falso, nec ex contingenti quod potest aliter se habere, & aliquando est verum, aliquando falsum, ergo propositio falsa aut contingens non potest esse principium demonstrationis.

Secundò dicitur indemonstrabilis, vt distinguatur principium à conclusione. Nam principium vt principium demonstrat, sed non demonstratur. Conclusio autem vt conclusio demonstratur, sed non demonstrat inquantum conclusio. Dico inquantum conclusio, quoniam non inconuenit conclusionem demonstratam in superiori scientia, puta in geometria, assumi vt principium in inferiori, puta in prospectiua. Tertiò dicitur in scientia, in qua est principiũ, ne suadeas tibi omne principium in quacunque scientia, esse omnino & simpliciter indemonstrabile, sed sufficit ipsum esse indemonstrabile in scientia, in qua est principium. vt in geometria hoc sumitur vt principiũ, A puncto ad punctum lineam ducere contingit, & tamen est demonstrabile simpliciter. Vnde demonstratur in sexto Physicorum, eo quod duo puncta non possunt se tangere, sed semper datur medium quod est linea. Sufficit ergo tibi quòd omne principium demonstrationis, vt principium est indemonstrabile, & quidem si sit indemonstrabile simpliciter, est principium simpliciter, vt primæ dignitates: si sit indemonstrabile sed quid puta, in tali vel tali scientia, est principium secundum quid.

Viso quid sit principium demonstrationis, de facili constat tibi conuenientia & differentia inter principium & non principium, quod est conclusio demonstrabilis. Conueniunt quidem in hoc quod tam de principio quàm de conclusione oportet addiscentem cognoscere quid significent, aliter vane laboraret addiscens. Significatum enim terminorum, est prima ianua intelligentiæ.

Differunt autem, quoniam ex principiis, alia demonstrantur, scilicet quæ sunt conclusiones. ipsa autem principia non demonstrantur, saltem in scientia, in qua sumuntur, vt principia, aliter non essent principia. Vnde sicut apud Mathematicum de vnitate, & triangulo, & recto supponitur quid significent, ita de principiis, & de conclusione, & in hoc conueniunt: & sicut vnitas, & magnitudo non demonstratur, sed alio ex his, ita dicendum est de principiis & conclusione, & in hoc differunt principia à non principiis.

Viso quid sit principium demonstrationis absolutè sumptum, & quomodo conuenit & differt à non principio, id est, à conclusione, diuidendum est in principium proprium & principium commune, & vtrunque diffiniendum, ex qua diffinitione apparebit eorum differentia ab inuicem.

Tu igitur aduerte, quòd sicut animal est genus continens sub se species, puta hominem, & leonem sic principium demonstrationis est genus, sub se continens principium proprium & commune. Principium quidem proprium ad mentem Aristotelis est illud quod est principium tantùm in vna scientia, in eo quod principium. Verbi gratia, apud Geometram tantùm, hoc est vnum ex suis principiis proprium, linea est longitudo absque latitudine & profundítate, & hoc, Rectum est illud, cujus medium non discrepat ab extremis. Hæc enim extra geometriam non verificantur. Dixi in eo quod principium, quoniam non inconuenit eandem propositionem in vna scientia esse principium, in alia esse conclusionem, vt declarabitur tibi infra in scientia subalternante, & subalternata. In ratione vero principij, non potest esse principium proprium nisi in vna scientia tantùm. Principium vero commune est, quod in pluribus scientiis potest assumi vt principium ad probandum conclusiones diuersarum scientiarum. vt sunt ista, Si ab æqualibus æqualia demas, residua sunt æqualia. Omne totum est maius sua parte. De quolibet est vera affirmatio vel negatio. Possunt autem applicari diuersis scientiis, si sumatur contracta ad propriam materiam diuersarum scientiarum. Verbi gratia, Hoc principium. Si ab æqualibus &c. sic applicatur geometriæ, si ab æqualibus magnitudinibus vel lineis vel superficiebus æquales magnitudines vel lineas vel superficies demas, residua sunt æqualia. Idem intellige de hoc, Omne totum est maius sua parte. Nam geometra sic trahit ad se, Omne totum continuum puta corpus aut linea, est maius sua parte. Arithmeticus autem sic trahit ad se, Omnis totus numerus est maior sua parte. Sicut etiam trahit ad se superius principium dicens, si ab æqualibus numeris æquales numeros demas, residui sunt æquales, vt si à duobus denariis, demas duo, residui sunt æquales, puta octo & octo.

Quantum ad secundum manifestãdum est in specie quæ sint principia communia & propria, & quomodo differant communia à propriis, & quomodo propria distinguuntur per suppositionem & petitionem & quæstionem, & diffinitionem, & quam differentiam habeant ab inuicem, pro resolutione igitur præmissorum, ponuntur tres conclusiones ad mentem Aristotelis.

Prima conclusio est hæc. Principia communia sunt dignitates, id est primæ propositiones, quæ constant ex vniuersalissimis terminis, vt de quolibet ente, est vera affirmatio vel negatio. Impossibile est idem simul esse & non esse. Non sunt opposita in eodem simul.

Hæc probatur sic. Principia communia sunt propositiones necessariæ, veræ, & per se intelligibiles, id est non per rationem exteriorem, id est argumentationem, sed per rationem interiorem, id est solo lumine intellectus, ita quòd sola intelligentia terminorum, quilibet sanę mentis acquiescit illis, nec potest mente negare, licet forte voce neget ex pro

proteruia, vt quidam ex antiquis, contra quos disputat Aristoteles quarto Metaphysicæ. Sed istæ conditiones & excellentiæ non competunt nisi dignitatibus & maximis, super quas omnis vera scientia fundatur, ergo principia communia sunt dignitates, quas diximus constare ex primis, & vniuersalissimis terminis.

Secunda conclusio, propria principia sunt propositiones, quæ constant ex terminis specialibus, quæ non sunt veræ nec intelligibiles per seipsas, sed per primas dignitates, ex consequenti per rationem exteriorem, id est argumentationem, licet sumantur vt indubitatæ veræ in scientia in qua sumuntur vt principia, vt in mathematica primæ petitiones, puta punctus est cuius pars non est, linea est longitudo & cætera, linea recta est breuissima extensio inter duo puncta. Angulus causatur ex contactu duarum linearum, & cætera. Hæc probantur sic, principia propria habent dignitates supra se, per quas possunt probari & stabiliri in scientia, siue Philosophia prima, vt patet per Aristotelem in quarto Metaphysicæ, ergo sunt propositiones, quæ non sunt veræ, nec intelligibiles per seipsas, sed inquantum reducuntur ad primas dignitates.

Tertia conclusio, Principia propria, quæ distinguuntur in suppositionem & petitionem & quæstionem, & diffinitionem, ita se habent, quod suppositio non est petitio, & petitio non est quæstio, & diffinitio non est suppositio, nec petitio nec quæstio. Hæc probantur declarando quid sit vnumquodque eorum, & quomodo differant.

Suppositio quid. Tu igitur aduerte, quòd suppositio est propositio demonstrabilis secundum se, quoniam habet priorem per quam possunt demonstrari. vt ista, A puncto ad punctum lineam ducere contingit, potest demonstrari per hanc, Duo puncta non possunt esse continua neque se tangere. ergo, &c. & tamen licet non demonstrata acceptatur, vt firmiter vera ab addiscente. *Petitio.* Petitio autem est propositio demonstrabilis sicut & suppositio. Non tamen demonstrata, & ab addiscente vel respondente nec respuitur nec acceptatur, sed *Quæstio.* dicit pro nunc transeat. Quæstio autem est propositio demonstrabilis, & non demonstrata, quam addiscens vel respondens non solum non acceptat, sed etiam est contrariæ *Diffinitio.* opinionis, donec sibi demonstrata fuerit. Diffinitio verò licet non sit propositio, quoniam constat ex solo genere & differentia absque copula, tamen est oratio indicens quid est essentia & natura diffiniti per prædicata essentialia, quæ sunt genus & differentia magis propria, vt tibi alias declarabitur. Constat igitur tibi quid sit suppositio, & petitio, & quæstio, & diffinitio. Quomodo autem conueniant & differant aduerte hinc. Eadem propositio est realiter suppositio, & petitio, & quæstio, sed ratione differunt. Nam si eam acceptat simpliciter respondens, ita quòd sit eiusdem sententiæ cum opponente, dicitur suppositio: si autem respondens non sit eiusdem nec contrariæ sententiæ cum opponente, dicitur petitio: quod si respondes sit contrariæ sententiæ cum opponente, dicitur quæstio. Quomodo autem differat diffinitio à tribus prædictis patet ex eo quod quodlibet illorum trium est propositio, diffinitio autem secundum se non est propositio, nisi dicamus illam esse propositionem, quando prædicatur diffinitio de diffinito, vt homo est animal rationale. Præterea, Diffinitio ad primam operationem intellectus spectat, vt tibi declarabitur in tertio de Anima, suppositio autem & petitio, &c. ad secundam, ergo, &c. Præterea, Omnis suppositio aut petitio aut quæstio est vniuersalis aut particularis, cum sit propositio cuius proprietates sunt particularitas & vniuersalitas, vt docuimus in tertio tractatu, Diffinitio nec vniuersalis nec particularis cum non sit propositio, ergo constat quomodo differt à tribus prædictis.

Quantum ad tertium declarandum est quo modo scientiæ particulares vtuntur in demonstrando principiis communibus. Deinde quomodo se habeant circa principia propria. Quantum ad principia communia, quæ sunt primæ dignitates, aduerte quod secundum Aristotelem in quarto Metaphysicæ sunt duo, Vnum negatiuum, scilicet non contingit, id est, non potest idem de eodem simul affirmari & negari. Alterum est affirmatiuum, scilicet de quolibet est vera affirmatio vel negatio, id est, de quolibet verificatur alterum contradictoriorum. Quomodo igitur scientiæ particulares vtantur his duobus communissimis principiis aduerte quod ad mentem Aristotelis distinguendum est de demonstratione ostensiua, & de ea, quæ ducit ad impossibile. Nam demonstratio ostensiua non vtitur primo principio negatiuo nisi contractu siue applicate ad speciales terminos, & ad maiorem extremitatem, concludendo aliquod prædicatum de minori extremitate, cum negatione sui oppositi contradictorij. Verbi gratia, Volo probare quod Sortes est animal, & non est non animal, & arguitur sic, Omnis homo est animal, & non est non animal. Sortes est homo, ergo Sortes est animal, & non est non animal, quia non potest de Sorte verificari animal, & non animal, per primum principium negatiuum, ergo si est animal, non est non animal.

Demonstratio autem ducens ad impossibile vtitur hoc primo principio affirmatiuo. De quolibet est vera affirmatio vel negatio. Non quidem in sua vniuersalitate, sed applicatum ad proprium subiectum. Verbi gratia geometra assumit, hoc principium ad demonstrandum hanc lineam esse rectam, quia non est obliqua, & Arithmeticus assumit idem ad probandum hunc numerum, esse parem, quia non est impar.

Sed dices, quis est modus vtendi prædicto principio in demonstratione ducente ad impossibile?

Respondetur quod est talis. Volo probare quòd asinus non est homo, & arguo sic. Omne animal est homo: Asinus est animal: ergo asinus est homo. Argumentum est in forma quoniam in darij, & conclusio est falsa ergo aliqua præmissarum. Non minor, ergo maior: tunc vltra, maior est falsa, ergo sua opposita contradictoria est vera scilicet non omne animal est homo, patet consequentia primum principium affirmatiuum, quoniam de quolibet est vera affirmatio vel negatio, ergo si hæc affirmatio est falsa, Omne animal est homo, hæc negatio est vera, non omne animal est homo. Hoc igitur modo demonstratio ducens ad impossibile, vtitur primo principio affirmatiuo. Ex quibus constat quod demonstratio ostensiua completur vnico discursu, procedendo à maiore ad minorem, & ab vtraque ad conclusionem & illic sistere. Demonstratio autem ducens ad impossibile, non completur nisi pluribus discursibus quorum primus est à præmissis ad conclusionem. Secundus autem est per reuersionem ad præmissas, modo quo argumentati sumus. Hæc de quinto capite dicta sint.

CAPVT VI.

Quomodo omnes scientiæ conueniunt, vel disconueniunt circa principia communia, & propria.

IN sexto capite declarandum est quomodo omnes scientiæ includendo metaphysicam & dialecticam se habent circa principia communia, deinde circa propria. pro resolutione primæ partis ponuntur tres conclusiones. Prima est, Omnes scientiæ conueniunt, & disconueniunt circa principia communia, & quidem quòd conueniunt declaratur sic, omnis scientia roboratur, & firmatur per principia quæ virtualiter ingrediuntur omnem demonstrationem, ita quòd est status, & vltima resolutio ad illa. Sed hæc sunt principia communia, & maximè duo prima, scilicet non contingit idem de eodem simul affirmare, & negare, & de quolibet est vera affirmatio vel negatio. nam his non acceptis, vt verissimus, nulla stabit demonstratio, nulláque certa notitia, & scientia. Quod autem disconueniant patet hinc. Omnes scientiæ particulares accipiunt, & vtuntur primis principiis communibus, vt primis veris, & non quærunt vltra: sed metaphysica non solùm vtitur eis, sed etiam probat ea contra negantem, vt patet per Aristotelem in quarto metaphysicæ. Pro cuius notitia aduerte quòd quælibet scientia potest se habere tripliciter circa principia communia. Primò probando aliquam conclusionem per ipsa, & in hoc omnes scientiæ conueniunt: quoniam conclusiones suas non efficaciter probant, nisi tandem reducant ad principia communia tanquam ad prima complexa, primò & maximè vera. secundò probando aliquid de ipsis primis principiis, puta quòd non possumus ea mente negare, licet forte voce, & quòd eorum oppositis non possumus intellectu assentire, & in hoc omnes scientiæ non conueniunt: quoniam id ad solam metaphysicam spectat, vt patet in quarto Metaphysicæ, tertiò probando ipsa principia communia non quidem à priori nec à posteriori ostensiuè, sed deducendo ad impossibile, vt tibi declarabitur in quarto metaphysicæ, & non absolute, sed huic vel illi neganti ea, & hoc iterum spectat ad metaphysicam. Constat igitur quo omnes scientiæ conueniunt, & disconueniunt circa prima principia communia.

Secunda conclusio est ista, Tam dialectica quàm metaphysica, vtuntur omnibus principiis communibus omnibus sciẽtiis, siue sint ipsæ primæ dignitates, vt non contingit idem de eodẽ simul affirmare, & negare & cætera, siue sint communes animi conceptiones, si ab æqualibus æqualia demas, residua sunt æqualia. Hæc conclusio sic probatur, Tam dialectica quàm metaphysica sunt scientiæ communes: quoniam versantur circa idem, id est circa ens, vt declarabitur tibi in quarto metaphysicæ, ergo habent considerare de omnibus, ergo sicut metaphysica versatur circa principia communia, sic & logica: diuersa tamen ratione, quoniam metaphysica demõstratiuè modo quo dictum est in conclusione præcedenti, dialectica autem solùm probabiliter disputat de principiis omnium scientiarum.

Tertia conclusio est ista, Dialectica non est determinatæ differentiæ, nec determinati generis subiecti. Probatur, omnis scientia, quæ est determinatæ differentiæ, aut determinati generis subiecti, arguit tantùm ad vnam partem contradictionis: scilicet probando, & concludendo solùm partem affirmatiuam, aut solùm negatiuam. sed dialectica arguit, & probat vtranque partem contradictionis: quoniam non procedit demõstratiuè, sed probabiliter, vt patet in Topicis, ergo ipsa dialectica, quæ est disputatiua, non est scientia determinatæ differentiæ, nec determinati generis subiecti.

Sed contra declaratum est in primo tractatu quòd subiectum in logica est ens rationis, vel argumentatio, ergo habet determinatum subiectum. Item est de secundis intentionibus adiunctis primis, ergo est determinatæ differentiæ. Respondetur, logica siue dialectica dupliciter sumitur, primò vt est docens, & tradens artem ac regulas syllogizandi, & demonstrandi, & diuidendi, & diffiniendi, &c. Et vt sic est vera scientia, & determinati generis subiecti, & determinatæ differentiæ: quoniam est scientia rationalis, & non realis. secundò vt est vtens, & vt sic est potius modus sciendi, est enim instrumentum disputandi. Tale autem instrumentum non est determinatæ differentiæ, nec determinati generis subiecti: quoniam de omni ente, contingit disputare arguendo ad quamcunque conclusionem tam affirmatiuè, quam negatiuè, & in hoc sensu dicit Aristoteles ipsam non esse alicuius vnius generis subiecti.

Et sic constat tibi quomodo omnes scientiæ conueniunt vel disconueniunt circa principia communia.

Scientiæ quomodo se habeãt circa propria principia.

Pro resolutione secundæ partis scilicet quomodo scientiæ se habeant circa principia propria, tria agenda sunt ad mentem Aristotelis, primo declarandum est quomodo in qualibet scientia sunt propriæ interrogationes, & propriæ responsiones, & propriæ disputationes, secundo mouendæ sunt tres quæstiones & soluendæ, tertiò ostendetur quod in scientiis doctrinalibus, id est mathematicis, minus decipimur quàm in aliis, puta quàm in physicis.

Quantum ad primum antequam descendamus ad propositum declarandum est, quomodo differunt interrogatio, & conclusio, & propositio. Tu igitur aduerte quòd eadem oratio sub diuersa ratione est interrogatio, & conclusio, & propositio, nam dicitur interrogatio ante syllogizationem respectu arguentis. Verbi gratia, Arguens antequam syllogizet interrogat respondentem, vtrum concedat istam, omnis homo est risibilis, & vt sic talis propositio est interrogatio. Quòd si respondens concedit, arguens non syllogizat ad eam concludendam, si autem non concedit, syllogizat ad eam concludendam, quę conclusa dicitur conclusio. Vnde interrogatio non differt à conclusione, nisi sicut oratio sumpta ante syllogizationem, & post, ita quòd ante dicitur interrogatio, & post dicitur conclusio, eadem oratio postquam est conclusa dicitur propositio, si assumatur vt præmissa ad probandam aliam. Verbi gratia, Si conclusum omnem hominem esse risibilem ex eo quòd est animal rationale, & probandum sit quod hic homo puta Sortes est risibilis, tunc ea, quæ fuit conclusio fiet propositio: id est præmissa sic arguendo, Omnis homo est risibilis, Sortes est homo, ergo Sortes est risibilis.

Viso quomodo differant interrogatio & conclusio, & propositio, probandum est, primum propositum, scilicet quòd omnis scientia habet proprias interrogationes, & arguitur sic. Idem est realiter propositio, & conclusio, & interrogatio ex declaratis, sed quælibet scientia habet proprias conclusiones, quas demõstrat per proprias propositiones, quoniam demonstratio est ex propriis: & non cõmunibus principiis, vt docuimus suprà, ergo omnis scientia habet proprias interrogationes. Sed aduerte quòd alio modo est interrogatio in scientiis demonstratiuis, & alio modo est in dialectica, quoniam in demonstratiuis non est interrogatio de præmissis, sed de conclusione tantũ, procedit enim demonstrator ex necessariis, & infallibiliter veris, & ideo non habet interrogare vtrum sint veræ, vel non: quoniam aut sunt per se notæ, aut reducit ad per se nota. In dialecticis autem fit interrogatio de conclusione, & de præmissis: quoniam dialecticus nõ procedit ex necessariis, sed ex probabilibus præmissis, quas cõtingit esse veras, & falsas pro diuerso tempore, nec dialecticus potest eas reducere ad per se notas. Hinc patet quòd nulla est repugnantia in dictis Aristotelis, quando dixit quòd demõstrator non interrogat, dialecticus autem interrogat. Intendit enim de interrogatione quo ad præmissas, non autem quo ad conclusionem. Constat igitur tibi, quomodo in omni scientia sunt propriæ interrogationes.

Et aduerte, quòd ex hac conclusione Aristoteles infert tria corollaria. Primum est, nulla interrogatio est indifferenter cuiuslibet scientiæ, sed alia est interrogatio in geometria, alia in medicinali, alia in physica, & sic de aliis. nam sicut diuersæ scientiæ habent diuersas cõclusiones, sic & diuersas interrogationes: quoniam, vt docuimus, eadem propositio est interrogatio, & conclusio, diuersa tamen ratione, vt dictum est.

Secundum est, In qualibet scientia subalternante aliquid dicitur propositio dupliciter: primò quia per illud aliquid demonstratur in scientia subalternãte, vt in geometria hæc est propositio. Omnes lineæ ductæ à centro ad circunferentiam sunt æquales: nam per ipsam geometra demõstrat hãc conclusionem, super datam lineam rectam contingit triangulum æquilaterum constituere. secundò quia per illam demonstratur aliquid in scientia subalternata. Vnde hæc est propositio geometrica, linea cadens super lineam perpendiculariter, causat angulum rectum. Nam per hanc demonstratur hæc conclusio in prospectiua, quæ subalternatur geometriæ, vt tibi declarabitur infrà, Oculis videt partem dextram, & sinistram obiecti visibilis, eo quòd ab illis causantur anguli recti linei visuales per conuersum linearum visualium rectarum.

Tertium est, Quilibet artifex specialis reddit rationem suarum interrogationum, & conclusionum per sua principia. Non autem reddit rationem principiorum, nisi induat vicem metaphysici, quoniam ad metaphysicum spectat probare principia scientiarum particularium contra negantem ea, vt tibi declarabitur in primo physicorum, & in quarto metaphysicæ.

Secunda conclusio est hæc. Quælibet scientia habet proprias, & determinatas responsiones. Hæc sequitur ex præcedenti cõclusione. Nam bene sequitur ꝙ si quælibet scientia, habet proprias interrogationes habet etiam proprias responsiones. Non ergo aliqua scientia habet de quolibet interrogare, nec de quolibet interrogato respondere, sed de his tantùm, quæ ad illam scientiam pertinent. Ideo dicit Aristoteles quòd non spectat ad scientem pro tali scientia de omnibus interrogare, nec secundum omnem interrogationem respondere, sed de his, quæ sunt secundum determinatã sciẽtiam. Verbi gratia. Si interrogatur physicus vtrum triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, non debet respondere vt physicus, quoniam hoc non spectat ad physicum, sed ad geometram. Si autem interrogatur physicus vtrum graue non impeditum descendat vsque ad centrum, obligatur respondere: quoniam id est de consideratione physici.

Tertia conclusio est hæc, In omni scientia sunt propriæ disputationes. Hæc pendet ex præcedentibus. Nam si in omni scientia sunt propriæ interrogationes, & responsiones, sequitur quòd etiam sint propriæ disputationes. Præterea inquit Aristoteles, si quis disputat cum geometra secundum quòd geometra, id est ex principiis geometriæ arguens, bene disputat, si verò non, non bene disputat. Constat ergo quòd sicut in geometria sunt propriæ disputationes, sic & in aliis scientiis. constat ergo tibi quomodo in omni scientia sunt propriæ interrogationes, & responsiones, & disputationes.

Quantum ad secundum principale aduerte, quòd Aristoteles contra prædeterminata mouet, & soluit tria dubia.

Primum, est cum determinatum sit quod quælibet scientia habet proprias interrogationes, puta geometria, proprias interro-

interrogationes geometricas, dubitatur vtrum detur aliqua interrogatio non geometrica.

Secundum est, vtrum propositiones, id est præmissæ quæ sunt secundum ignorantiam geometriæ, sint censendæ geometricę. Pro notitia huius dubij aduerte quòd propositiones secundum scientiam geometriæ sunt propositiones veræ, quę continent ex terminis geometricis, quibus intellectus assentit ex ipsa notitia terminorum, aut ex discursu perceptibili siue imperceptibili, vt omnes anguli recti sunt æquales: Non contingit parallellas concurrere. Propositiones autem secundam ignorantiam geometriæ, sunt illæ, quæ constant ex terminis geometricis, sed sunt falsæ, & oppositæ prædictis, vt anguli recti sunt inæquales, parallellæ concurrunt. De his ergo Aristoteles mouet dubium, an sint geometricæ vel non.

Tertiùm est vtrum syllogismus ignorantiæ, sit syllogismus vel paralogismus. Pro cuius notitia aduerte quòd syllogismus scientiæ, est illæ qui procedit ex veris præmissis, & propriis principiis scientiæ in qua fit. Verbi gratia, In geometria hic est syllogismus secundùm scientiam geometriæ, parallellæ non concurrunt: a & b sunt parallellæ: ergo a & b non concurrunt. Syllogismus autem ignorantiæ est illæ qui procedit ex falsis, & oppositis principiorum scientiæ, in qua fit. Verbi gratia, In geometria hic est syllogismus ignorantiæ. Parallellæ concurrunt: a & b sunt parallellæ: ergo Parallellæ concurrunt. Dubium est ergo vtrum talis syllogismus ignorantiæ, sit verus syllogismus, an paralogismus.

Ad primum dubium respondens Aristoteles tenet quòd aliquæ videntur esse interrogationes alicuius scientiæ, quæ tamen non sunt illius scientiæ. Pro cuius notitia aduerte quòd aliquæ interrogationes, & conclusiones videntur esse & sunt alicuius scientiæ, vt in geometria, hæc est, & videtur esse geometrica, Triangulus habet tres æquales duobus rectis, aliquæ autem videntur esse, & tamen non sunt, vt hæc videtur esse geometrica, & non est, Quinti toni ad quartum est proportio sexquiquarta. Quæ autem sit huiusmodi proportio docuimus in septimo physicorum in epitomatibus nostris physicis. Et tu vide in fine septimi physicorum. Quo modo autem differat conclusio geometrica, & conclusio geometriæ dicam infrá. Aliquæ autem non videntur, nec sunt, vt hæc, graue tendit deorsum, & leue sursum, nec est nec videtur geometrica, sed physica. Intendit: ergo Aristoteles respondens primo dubio, quòd ex interrogationibus, & conclusionibus, quæ videntur esse alicuius scientiæ, aliquæ sunt & videntur illius scientiæ, aliquę autem non sunt, licet videantur, vt exemplificatum est in geometria. Sed aduerte quòd differentia est inter conclusionem geometricam, & conclusionem geometriæ. Nam respectu primi sufficit quòd sit demonstrata per principia geometrię: respectu autem secundi oportet quòd constet ex terminis geometricis, & demonstretur per principia geometriæ, ex qua distinctione constat quòd hæc est geometrica, Quarti ad quintum tonam est proportio sexquiquarta, sed non est conclusio geometriæ, sed musicæ: hæc autem est geometriæ, Super lineam rectam contingit triangulum æquilaterum constituere.

Ad secundum dubium respondens Aristoteles dicit quod opinari hanc propositionem, Parallellæ subeunt, id est concurrunt, esse geometricam. & non geometricam verum est, sed supple diuersa tamen ratione. Pro cuius intelligentia aduerte quòd quoad materiam, id est ad terminos ex quibus componitur est geometrica, sicut & ista est physica quo ad terminos, Leue descendit, graue autem ascendit, quantum autem ad formam non est geometrica. quoniam est falsa, & contra principia geometriæ. Hoc enim est principium in geometria, Parallellæ non concurrunt, sicut & istud, omne totum est maius sua parte. & quoniam vnumquodque habet esse, & denominatur à forma, ideo absolutè loquendo, non est censenda geometrica. Sicut nec ista est physica, omne ens est immobile. Supponit enim physicus motum esse, & aliquo ens moueri. Vnde licet prædicta propositio constet ex terminis physicis, tamen censenda est non physica: quoniam repugnat principiis physicæ, vel dicenda est physica secundùm quid: id est extrema, sed non physica simpliciter, quoniam non ex forma.

Ad tertium dubium respondens Aristoteles inquit. In doctrinis: id est in scientiis demonstratiuis quales sunt mathematicæ non est paralogismus, sicut in dialecticis. Pro cuius notitia aduerte quòd syllogismorum quidam est apparens, sed non verus, sicut aurichalcum est apparẽs aurum, sed non est verum aurum. Verus est ille qui regulatur in debito modo, & debita figura, de quibus actum est in tractatu de syllogismo formali. Apparens est ille qui non regulatur debito modo nec debita figura: vt quando arguitur ex puris particularibus aut puris negatiuis, aut ex quatuor terminis, vt quando medium est terminus æquiuocus. Verus syllogismus est duplex: quoniam quidem est verus de forma, scilicet ratione modi, & figuræ, vt si fiat in barbara, aut cœlarent, aut in Cæsare, aut in darapti & cætera: & verus de materia, vt si fiat ex præmissis veris, & concludatur conclusio vera in debito modo, & debita figura. Vnde iste est verus de forma, & de materia, Omne rationale est risibile, omnis homo est rationabilis, ergo omnis homo est risibilis. Quidam autem est verus de forma, sed non de materia, quoniam aut vtraque præmissarum, aut altera est falsa, vt hic, Omnis homo est lapis, omnis asinus est homo, ergo omnis asinus est homo. patet quòd est in primo modo primę figuræ, sed vtraque præmissarum est falsa. Paralogismus: id est apparens, & non verus fit duobus modis, primo ex præmissis veris, sed non fit in debito modo, & debita figura, vt hic, Nullus homo est lapis, nullus asinus est homo: ergo nullus asinus est lapis. Valet quidem de materia, quoniam vtraque præmissarum est vera, sed non valet de forma, quoniam arguitur ex puris negatiuis, ideò est paralogismus. secundo quando fit ex præmissis falsis, & non fit in debito modo, nec in debita figura. vt hic. Asinus est homo, leo est asinus, ergo leo est homo. constat vtranque præmissarum, & conclusionem esse falsam, & arguitur ex puris indefinitis, ergo est paralogismus de forma, & de materia.

His præpositis aduerte quod Aristoteles intendit in dialecticis posse committi falsum syllogismum tam de forma quàm de materia, vt patet per ipsum in primo libro topicorum, qui est paralogismus secundo modo, & multo magis primo modo. In demonstratiuis autem non committitur paralogismus, nec primo, nec secundo modo: quoniam semper arguitur in debito modo, & debita figura, sed semper est verus syllogismus, licet aliquãdo peccet in materia. vt quando sic arguit geometra. Omnes parallellæ concurruntur & b sunt parallellæ: ergo a & b concurrunt. Constat quòd arguitur in prima figura in tertio modo, & tamen peccat in materia: quoniam maior est falsa, & est opposita principio geometriæ, quod est hoc, parallellæ non concurrunt. Et ratio propter quam in demonstratiuis scientiis non committitur paralogismus est hæc: quoniam in eis arguitur solùm ex tribus terminis, scilicet maiore extremitate, & minore, & medio bis sumpto ante conclusionem, & signo vniuersali apposito medio in prima figura, & non maiori extremitati. In prima autem figura fit præcipua demonstratio, & maximè in primo modo, vt manifestabitur tibi infra. Constat ergo quòd in doctrinalibus scientiis syllogismus ignorantiæ non est paralogismus, sed syllogismus peccans in materia, & non in forma, etiam quòd procedat ex oppositis principiorum scientiæ, in qua arguitur, vt docuimus à concursu de parallellis.

Quantum ad tertium: scilicet quòd in scientiis doctrinalibus minus decipiamur quam in aliis, puta in physicis, & hac de causa Aristoteles magis vtitur exemplis mathematicis in toto libro posteriorum quam aliarũ scientiarum, probatur ex intentione Aristotelis per duas conclusiones. Prima est hæc, scientiæ mathematicæ sunt certiores aliis, ideo minus decipimur in eis. secunda est, scientiæ mathematicæ sunt firmiores aliis ideo minus decipimur in eis.

Mathematicæ scientiæ aliis certiores & firmiores sunt.

Prima probatur tripliciter. Primò sic. Scientiæ mathematicæ sunt manifestiores intellectui, ergo sunt certiores. patet consequentia, quoniam maior manifestatio causat maiorem certitudinem. Antecedens autem sic probatur, probationes mathematicæ magis patent ad sensum quã in aliis scientiis, ergo manifestiores sunt intellectui, quoniam omnis nostra cognitio ortum à sensu habet: quòd ergo magis patet ad sensum, manifestius est intellectu. Quòd verò probationes mathematicæ magis pateant ad sensum declarat Aristoteles tali signo. Geometra non concedit absolutè istam, Omnis circulus est figura propter æquiuocationem huius termini circulus qui dicitur de poëmate Homeri, & de figura vna linea contenta. Nam concederet absolutè, posset sic argui. Omnis circulus est figura, Poëma Homeri est circulus, ergo poëma Homeri est figura, quòd constat esse falsum. Geometra ergo solùm concedit illam vt æquiualet isti, Omnis talis circulus est figura, scilicet demonstrando ad sensum circulum in terra descriptum, & hic propter euidentiam sensus

ſenſus non poteſt eſſe nec cauſari error in intellectu.

Secundò ſic. In mathematicis non datur inſtantia particulariter, ſed tantùm vniuerſaliter, in aliis autem contingit dare inſtantiam particulariter, & vniuerſaliter, ergo mathematicæ ſunt certiores aliis. probatur conſequentia. Nam notitia vniuerſalis certior eſt notitia particulari, & ſingulari. Illa enim non mutatur à veritate in falſitatem, ſed ſemper eſt vera, vt hæc eſt immutabiliter vera, omnis triangulus habet tres angulos, particularis autem & ſingularis mutatur à veritate in falſitatem ad mutationẽ rei particularis. Vnde hæc non ſemper eſt vera. Sol illuminat emiſpherium noſtrum, aliter nunquam eſſet nox.

Antecedens verò ſic probatur. In mathematicis prædicatum ineſt ſubiecto ſecundum quòd ipſum, ergo ineſt omni contento ſub ſubiecto, & ſi remouetur ab vno contento ſub ſubiecto remouetur ab omnibus. Verbi gratia, ſi quis probat aliquem triangulum habere tres angulos, probat de omni, quoniam habere tres angulos eſt proprium triangulo in quarto modo, & ſi quis probat aliquem circulum carere angulo, probat quòd omnis circulus caret angulo, quoniam carere angulo competit omni figuræ circulari, ſicut habere angulum competit omni figuræ rectilineæ. In aliis autem ſcientiis non ita cõtingit. nam in phyſicis non probatur omne corpus eſſe in loco, nec vniuerſalis negatiua oppoſita contrariæ, ſed particularis affirmatiua, & particularis negatiua, vt tibi declarabitur in 4. Phyſico. Conſtat ergo mathematicas eſſe certiores, quoniam in eis non datur inſtantia particularis, ſed vniuerſalis.

Tertiò ad idem ſic, mathematicæ procedunt ex propoſitionibus conuertibilibus, non autem aliæ ſcientiæ: ergo ſunt certiores aliis. probatur conſequentia, quoniam in conuertibilibus quo ad conuertentem & conuerſam non poteſt eſſe deceptio. nam ſi iſta eſt vera, omnis homo eſt riſibilis, & hæc eſt vera, omne riſibile eſt homo. in non conuertibilibus autem non ſic eſt, nam licet iſta ſit vera, omnis homo eſt animal, hæc tamen eſt falſa, omne animal eſt homo, quoniam homo & animal non ſunt termini conuertibiles, ſi igitur mathematicæ procedunt ex conuertibilibus, certiores ſunt aliis. Antecedens verò ſic probatur. In mathematicis demonſtratur paſsio cõuertibilis de ſubiecto per medium conuertibile cum vtroque. Verbi gratia, Demonſtrat geometra triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, ex eo quòd habet angulum extrinſecum æqualem duobus intrinſecis ſibi oppoſitis. Hæc autem tria ſunt conuertibilia, triangulus habere tres angulos æquales duobus rectis, habere angulum extrinſecum &c. Sic & iſta ſunt conuertibilia, homo riſibile, rationale.

Et aduerte quoniam mathematicæ procedunt ex conuertibilibus, licet in mathematicis arguere in ſecunda figura ex puris affirmatiuis, nam hoc argumentum valet. Omne riſibile eſt rationale. Omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt riſibilis. Et tu loco riſibilis, & hominis, & rationalis, ſume in mathematicis, habere tres angulos, triangulum, & habere angulum extrinſecum æqualem duobus intrinſecis ſibi oppoſitis. In phyſicis autem nõ licet, quoniam non ſemper procedunt ex conuertibilibus. Vnde hoc argumentum non valet in ſecunda figura. Omne quod mouetur eſt in loco: lapis in centro terræ eſt in loco: ergo lapis in centro terræ mouetur. Nam ſubiectum & prædicatum maioris, non ſunt termini conuertibiles. In plus eſt enim eſſe in loco quàm moueri.

Conſtat igitur tibi, propter quid mathematicæ ſcientiæ ſunt certiores aliis. Secunda autem concluſio, ſcilicet quòd mathematicæ ſint firmiores aliis ſcientiis probatur tripliciter ad mentem Ariſtotelis. Primò ſic, comparando præmiſſas ad concluſionem in mathematicis ſequitur vniuerſaliter, quòd ſi præmiſſæ ſunt veræ concluſio eſt vera, & econuerſo, quoniam in mathematicis vt diximus ſemper arguitur ex conuertibilibus & æqualibus ſecundum prædicationem, qualia ſunt ſubiectum & propria paſsio, & diffinitio ſubiecti vel propriæ paſsiones: & ideo ſi præmiſſæ ſunt veræ, concluſio eſt vera, & econuerſo, & hac de cauſa ſyllogiſmus in ſecunda figura ex puris affirmatiuis valet in mathematicis, vt diximus ſuprà. In aliis autem ſcientiis non ſic eſt, quoniam non proceditur ſemper ex conuertibilibus & æqualibus ſecundum prædicationem, ſed ex inæqualibus. vt in ſumendo genus & duas eius ſpecies, & ideo in aliis ſcientiis non valet argumentum in ſecunda figura ex puris affirmatiuis vt hic, Omnis homo eſt animal: Omnis aſinus eſt animal: ergo omnis aſinus eſt homo. Conſtat quòd præmiſſæ ſunt veræ & concluſio falſa, eo quod animal communius eſt quàm homo & aſinus. Quia igitur in mathematicis præmiſſæ & concluſio, & econuerſo, ſunt ſemper veræ, ſiue arguatur in prima figura, ſiue in ſecunda ex puris affirmatiuis, ideo ſunt firmiores cæteris ſcientiis.

Secundò probatur ſic. Comparando maiorem extremitatem & minorem ad medium, mathematicæ non recipiũt in ſyllogizando niſi ea quæ ſunt per ſe, aliæ verò ſcientiæ recipiunt non ſolùm ea quæ ſunt per ſe, ſed etiam ea quæ ſunt per accidens, ergo ſunt firmiores aliis ſcientiis. Patet conſequentia, quoniam firmior eſt veritas in his quæ ſunt per ſe quam in his quæ ſunt per accidens. Antecedens autem probatur, quoniam mathematicæ in demonſtratione recipiunt ſubiectum & propriam eius paſsionem, & diffinitionem ſubiecti aut paſsionis, quæ omnia de ſe inuicem prædicantur per ſe. Verbi gratia, riſibile prædicatur per ſe de rationali, rationale prædicatur per ſe de homine, & riſibile prædicatur per ſe de homine. In aliis autem ſcientiis recipiuntur quæ ſunt ertam per accidens, vt eſt iſta, aqua eſt calida, ignis eſt ſiccus. Aër eſt frigidus, vt tibi declarabitur in phyſicis. Cum igitur ea quæ ſunt per accidens non cauſent veritatem æquè firmam, ſicut ea quæ ſunt per ſe, conſtat quòd mathematicæ ſunt firmiores aliis ſcientiis.

Tertiò probatur ſic. Comparando medium ad propriam concluſionem, mathematicæ ſcientiæ non procedunt ad demonſtrandum aliquam concluſionem demonſtratione potiſsima, niſi per vnum medium, aliæ autem ſcientiæ per plura, ergo mathematicæ ſunt firmiores aliis. patet conſequentia, quoniam ſicut non poteſt eſſe error eunti ad terminum ad quem eſt vnica via ſic nec demonſtranti concluſionem, ad quam eſt tantum vnum medium. Antecedens autem ſic probatur. Declarabitur tibi in ſecundo Phyſic. & in tertio Metaphyſicæ, quòd mathematicæ non conſiderant niſi cauſam formalẽ & per eam ſolam demonſtrant, aliæ verò per plura cauſarum genera. puta ſcientiæ naturales conſiderant quatuor cauſarum genera, materialẽ, formalem, efficientem, finalem, vt tibi manifeſtabitur in ſecundo Phyſicorum & per eas demonſtrant, metaphyſica autem conſiderat omnia cauſarum genera præter materialem, quoniam abſtrahit à materia, & à motu, vt tibi declarabitur in tertio libro Metaphyſicæ. cum igitur mathematicæ ſolùm per cauſam formalem demonſtrent, conſtat quòd ſunt firmiores aliis ſcientiis, quo ad cognitionem noſtram. Quoniam igitur Mathematicæ ſunt noſtro intellectui certiores & notiores & firmiores, ideo minus decipimur in eis quàm in aliis ſcientiis, eo quod demonſtrationes eius ſunt in primo gradu certitudinis, vt tibi declarabitur in Philoſophia. pro nunc ſuſtine. Hæc de præſenti capite dicta ſint, In quo terminatur conſideratio de demonſtratione potiſsima, quæ facit ſcire ſimpliciter, & eſt demonſtratio propter quid & à priori, &c.

CAPVT VII.

De differentia inter demonſtrationem propter quid, & inter eam, quæ eſt quia.

IN ſeptimo capite ſecundum ordinem doctrinæ inueſtigandum eſt ad mentem Ariſtotelis quomodo differant demonſtratio propter quid, de qua ſuperius eſt actum, & demonſtratio quia, de qua nunc agendum eſt. Pro cuius notitia hic principaliter duo agenda ſunt. Primò quomodo differant in eadem ſcientia, Secundò quomodo in diuerſis ſcientiis.

Quantum ad primum aduerte, quòd demonſtratio propter quid in eadem ſcientia differt à demonſtratione quia in duobus. Primò demonſtratio propter quid in eadem ſcientia nunquam fit per cauſam remotam & mediatam, ſed proximam & immediatam, vt docuimus in diffinitione eius quæ datur per materiam. Demonſtratio autem quia, fit per cauſam remotam & mediatam, dummodo cauſa illa ſit nobis notior eius effectu. Secundò demonſtratio propter quid nunquam fit per effectum in eadem ſcientia, ſiue ſit effectus conuertibilis cum cauſa ſua, ſiue non. Demonſtratio autem quia fit in eadem ſcientia per effectum vtroque modo, dummodo effectus ſit notior ſua cauſa.

Et quidem quòd demonſtratio quia fiat per cauſam remotam declarat Ariſtoteles tali exemplo. Non eſſe animal eſt cauſa remota non reſpirandi, ſicut eſſe animal eſt cauſa remota reſpirandi, & non habere pulmonem eſt cauſa proxima non reſpirandi, ſicut habere pulmonem eſt cauſa proxima reſpirandi. Siquis igitur probat piſcem non reſpirare

rare quia non habet pulmonem eſt demonſtratio negatiua propter quid ſic arguendo in ſecunda figura, Omne reſpirans habet pulmonem, piſcis non habet pulmonem, ergo piſcis non reſpirat. Si autem probat hominem reſpirare ſic arguendo, Omne habens pulmonem reſpirat, homo habet pulmonem, ergo homo reſpirat, eſt demõſtratio affirmatiua propter quid, quoniam habere pulmonem eſt cauſa propinqua & immediata reſpirationis, vt tibi declarabitur in tractatu de aſpiratione & expiratione in paruis naturalibus, quæ per epitomata diſpoſuimus. Si quis autem probat parietem non reſpirare quia non eſt animal, eſt demonſtratio quia. Nam eſſe animal non eſt cauſa propinqua, ſed remota reſpirationis. Multa enim ſunt animalia quæ non reſpirant, vt omne animal carens ſanguine. Si quis igitur ſic arguit, Omne reſpirans eſt animal, paries non eſt animal, ergo paries non reſpirat, eſt demonſtratio quia. Conſtat igitur tibi quomodo fiat demonſtratio quia, per cauſam remotam.

Quod autem fiat per effectum conuertibilem notiorem cauſa ſua declarat Ariſtoteles tali exemplo, ſi quis probat planetas, id eſt, ſeptem ſtellas erraticas, ſcilicet Saturnum Iouem Martem Solem Venerem Mercurium & Lunam eſſe prope, id eſt, minus diſtantes à nobis quàm ſint ſtellæ fixæ, per hunc effectum quia non ſcintillant, demonſtrat per effectum conuertibilem negatiuè, ſic arguendo: Omnis ſtella non ſcintillans eſt prope, planeta eſt non ſcintillans, ergo eſt prope. Si autem probat ſtellam fixam eſſe diſtantem quia ſcintillat, demonſtrat per effectum conuertibilem affirmatiuè ſic arguendo. Omnis ſtella ſcintillans eſt diſtans, ſtella fixa eſt ſtella ſcintillans, ergo ſtella fixa eſt diſtans.

Alio autem exemplo declarat Ariſtoteles demonſtrationem quia fieri per effectum conuertibilem, & eſt tale, demonſtremus lunam eſſe figuræ circularis per hunc effectum, quia eius lumen circulariter creſcit, & decreſcit, & arguitur ſic, Illud, cuius lumen circulariter creſcit, & decreſcit eſt figuræ circularis: Sed in luna lumen circulariter creſcit & decreſcit, vt videmus ad ſenſum, ergo luna eſt figuræ circularis. Conſtat hanc demonſtrationem eſſe, quia & per effectum conuertibilem nobis ad ſenſum notiorem. Nam licet ex parte rei figura circularis ſit cauſa augmenti in lumine circulariter, tamen ex parte noſtra augmentum luminis circulariter eſt cauſa ſiue ratio, qua cognoſcimus lunam eſſe figuræ circularis, & ideo prædicta demonſtratio eſt quia, & non propter quid, & non eſt à priori ex parte rei, ſed à poſteriori, quoniam omnis effectus eſt poſterior ſua cauſa.

Quod verò demonſtratio quia, poſſit fieri per effectum non conuertibilem, patet ex prædictis. Nam qua ratione fit per effectum conuertibilem, ita etiam per non conuertibilem. Contingit enim effectum non conuertibilem eſſe notiorem nobis ſicut & effectum conuertibilem. Sed aduerte quòd effectus non conuertibilis, poteſt eſſe duplex. Quidam enim eſt communior cauſa, quidam minus communis. Si eſt communior, poterit per eum demonſtrari eius cauſa negatiuè in ſecunda figura, vt hic, Omnis ignis eſt deſiccatiuus: Nulla aqua eſt deſiccatiua, ergo nulla aqua eſt ignis. Conſtat quòd eſſe deſiccatiuum eſt effectus ignis ex ſua aptitudine naturali, & tamen eſt communior quàm ignis, quoniam competit etiam terræ. Nam ignis & terra habent ſiccitatem pro qualitate ſymbola, & idem tam ignis quam terra ſunt ex ſui natura deſiccatiua. Si autem effectus ſit minus communis quam cauſa ſua, & tamen notior poteſt per eum demonſtrari cauſa ſua affirmatiuè in prima figura, vt hic, Omne habens tres angulos eſt figura: Triangulus eſt habens tres angulos: ergo triangulus eſt figura. Conſtat quòd in plus eſt eſſe figuram, quam habere tres angulos: nam omne habens tres angulos eſt figura, ſed non econuerſo. Conſtat igitur tibi quomodo demonſtratio, quia fit in eadem ſcientia per cauſam remotam & per effectum conuertibilem, & non conuertibilem magis communem, & minus communem, notiorem tamen quam cauſa ſua, & in his omnibus differt à demonſtratione propter quid, quoniam nunquam fit per effectum, nec per cauſam remotam, ſed propinquam, & propriam, aliter non faceret ſimpliciter ſcire, vt docuimus ſuprà.

Quantum ad ſecundum principale ſcilicet quomodo differant in diuerſis ſcientiis demonſtratio quia, & demonſtratio propter quid, aduerte quòd de mente Ariſtotelis tres concluſiones probandæ ſunt. Prima eſt, ſi aliqua ſcientia ſubalternatur alteri ſecundum ſe totam ſubalternata dicit quia, & ſubalternans dicit propter quid, id eſt, in ſubalternata fit demonſtratio quia, & in ſubalternante demonſtratio propter quid. In quo ſenſu ſubalternatur perſpectiua Geometriæ, Muſica Arithmeticæ, Machinatiua ſtereometriæ, Naualis aſtronomiæ.

Secunda concluſio eſt hæc. Si aliqua ſcientia ſubalternatur alteri non ſecundum ſe totam, ſed ſolùm ſecundum partem, ſubalternata quo ad illam partem dicit quia, & ſubalternans propter quid.

Tertia concluſio eſt. Si ſint aliquæ duæ ſcientiæ, quarum vna non ſubalternatur alteri nec ſecundum ſe totam, nec ſecundum partem, conueniunt autem in aliqua vna propoſitione ſiue concluſione, reſpectu illius concluſionis altera dicit quia, altera propter quid.

Antequam deuentamus ad probationem prædictarum concluſionum, declarandum eſt quid ſit ſcientiam ſubalternari alteri ſecundum ſe totam, quid ſecundum partem, quid nec ſecundum totam, nec ſecundum partem, & tamen in aliqua vna propoſitione conuenire. *Nota de ſcientiarũ ſubalternatione.*

Tu igitur aduerte, quòd tunc vna ſcientia ſubalternatur alteri ſecundum ſe totam, quando eius ſubiectum adæquatum ſupponitur ſecundum ſe totum ſubiecto ſubalternantis, & non differt ab illo niſi quia addit ſuper illud differentiam accidentalem ſiue extraneam, & hoc modo proſpectiua ſecundum ſe totam ſubalternatur geometriæ. Nam ſubiectum vtriuſque eſt linea vel magnitudo, & proſpectiuè ſubiectum non addit ſuper lineam aut magnitudinem niſi viſuale, quæ eſt differentia accidentalis lineæ, non enim eſt de ratione lineæ eſſe viſuale, ſed eſſe longitudinem cuius extrema ſunt duo puncta. eodem modo ſubalternatur muſica arithmeticæ, quoniam ſubiectum vtriuſque eſt numerus, ſed muſica ſuperaddit ſonorum, eſt enim muſica de numero ſonoro. Eodem modo ſubalternatur machinatiua ſtereometriæ, quoniam vtriuſque ſubiectum eſt corpus menſurabile, ſed machinatiua addit ædificabile ſiue ædificatum, ita quòd machinatiuè ſubiectum eſt corpus menſurabile ædificabile ſiue ædificatum. eodem modo ſubalternatur ſcientia naualis aſtronomiæ. Vtraque enim conſiderat corpus cæleſte, ſed naualis ſuperaddit ſignum apparens in aëre cauſatum ex motu cæli in aëre, vt quando luna habet hallo, aut aër rubet in ſero. Sunt enim ſigna aut venti, aut tempeſtatis, aut ſerenitatis, &c.

Vnam autem ſcientiam ſubalternari alteri ſecundum partem eſt quando pars vnius ſcientiæ ſubalternatur alteri, & non tota ſcientia. & hoc modo pars ſcientiæ naturalis quæ eſt de iride, de qua iam egimus in Meteoris, ſubalternatur proſpectiuæ. Nam proſpectiua eſt de linea viſuali abſolutè ſumpta, ſcientia autem de iride, eſt de linea viſuali conuerſa ad nubem roridam, ex qua cauſatur iris, vt docuimus in epitomate noſtro ſuper meteora Ariſtotelis.

Vnam autem ſcientiam non ſubalternari alteri, nec ſecundum totum, nec ſecundum partem, ſed conuenire in aliqua vna concluſione, eſt quando, nec ſubiectum vnius, nec pars ſubiecti ſubalternatur ſubiecto alterius, ſed tantùm reſpectu alicuius concluſionis vna reſpicit alteram, vtpote dicentem cauſam, aut rationem talis concluſionis. Et hoc modo chirurgia ſubalternatur geometriæ quo ad iſtam concluſionem, Vulnus circulare tardius ſanatur, cuius concluſionis chirurgicus neſcit cauſam, vt chirurgicus eſt, ſed hoc accipit à geometra. nam ſi quæratur à chirurgico cur vulnus circulare tardius ſanatur, Reſpondebit quia ſic experitur. Si autem quæratur à geometra, Reſpondebit quia caret angulis. Nam quia circulus eſt figura vna linea contenta carens angulis. Omnis autem figura rectilinea habet angulos, vt patet in triangulo, & quadrato & pentagono.

His declaratis probatur ſic prima concluſio, In ſcientiis ſubalternatis ſecundum totum, ea quæ ſupponuntur, vt principia, demonſtrantur demonſtratione propter quid in ſubalternante, ita quòd principia ſcientiæ ſubalternatæ ſunt concluſiones demonſtratæ à priori, ergo ſubalternans dicit quid de principiis, & etiam de concluſionibus ſubalternatæ, ipſa verò dicit quia. Verbi gratia, Muſicus tenet quòd in diapaſon eſt proportio ſexquialtera, Arithmeticus autem diffiniuit proportionem ſexquialteram, & probat à priori inter 6 & 4. eſſe proportionem ſexquialteram, Muſicus verò ſupponit quia ſic eſt. Conſtat ergo prima concluſio.

Secunda verò ſic probatur ad mentem Ariſtotelis, Philoſophia naturalis quæ quo ad partem de iride ſubalternatur proſp

tur prospectiuè, dicit quia, prospectiua dicit propter quid. Sicut & geometria dicit propter quid de aliquo de quo prospectiua dicit quia. Sed aduerte quòd pars Philosophiæ naturalis, quæ est de iride, non solum subalternatur prospectiuæ, sed etiam geometriæ. Nam linea visualis reflexa in nube, de qua considerat physicus in scientia de iride, subalternatur lineæ visuali, de qua considerat prospectiuus, & linea visualis subalternatur lineæ absolutè sumptæ, de qua considerat geometra, ergo pars philosophiæ naturalis quæ est de iride mediante prospectiua subalternatur geometriæ.

Tertia autem conclusio sic manifestatur ad mentem Aristotelis, licet scientia medicinæ, & geometria non subalternentur secundum totum, nec secundum partem, tamen conueniunt in consideratione huius conclusionis, Vulnus circulare tardius sanatur, de qua conclusione medicus siue cirurgicus dicit quia: experitur enim sic esse, Geometer autem vt descẽdit in medicinam dicit propter quid. Scit enim geometer circulum non habere angulum, & hoc est scire causam propter quã vulnus circulare tardius sanatur. Nam vbi est angulus, partes sunt propinquiores, ex consequenti citius conjunguntur, hinc est quod vulnus triangulare citius sanatur, ex opposito vulnus circulare tardius sanatur, quia in circulo partes æquè distant à centro, & ideo vulnus circulare non sanatur nisi paulatim per totum circuitum, ex consequenti tardius sanatur. Constat igitur tibi, quomodo, & quibus & quot modis differunt demõstratio quia, & propter quid in eadem scientia, & in diuersis. Hæc de præsenti capite dicta sint.

CAPVT VIII.

In qua figura syllogistica fiat præcipua demonstratio, quæ facit scire simpliciter.

IN octauo cap. inuestigandum est cum sint tres figuræ syllogismorum, vt docuimus in trac. de syllogismo formali, in qua fiat demonstratio potissima, & hic duo videnda sunt, primò quod in prima figura præcipuæ fit demonstratio propter quid, secundo, quoniã in prima figura concluditur vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua, vt patet in barbara, & cœlarent, & quoniam omnis demonstratio potissima procedit ex veris, & primis, & immediatis siue sit affirmatiua, siue negatiua, ideo declarandum est quomodo non solum vniuersalis affirmatiua, sed etiam negatiua propositio potest esse immediata.

Demonstratio potissima fit in prima figura.

Quantum ad primum ponitur hæc conclusio. Demonstratio potissima tam affirmatiua quàm negatiua, fit præcipuè in prima figura. Affirmatiua quidem in barbara, negãtiua autem in cœlarent, & probatur sic, Prima figura facit magis, & simpliciter scire, ergo in ea fit demonstratio potissima siue sit affirmatiua siue negatiua. Patet consequentia, quoniam vt docuimus suprà, finis demonstrationis potissimè est facere scire simpliciter, ergo in ea figura præcipuè fiet, quæ facit scire simpliciter. Antecedens autem scilicet quod prima figura faciat scire simpliciter, probatur quatrupliciter ad mentem Aristotelis.

Primò sic, scientiæ mathematicæ vt arithmetica, & geometria, & prospectiua, quæ sunt certissimæ scientiæ demonstrant conclusiones suas in prima figura. Probant enim conclusionem vniuersalem in qua passio prædicatur adæquatè de suo subiecto, per præmissas vniuersales, vt quod omnis triangulus habet tres æquales duobus, ex eo quod omnis triangulus habet angulum extrinsecum æqualem duobus angulis intrinsecis sibi oppositis, ergo signum est quod prima figura facit magis, & simpliciter scire.

Secundò sic, In prima figura semper aut frequenter syllogizatur per medium propter quid, ergo facit magis, & simpliciter scire. Patet consequentia: quoniam quando syllogizatur per medium propter quid, fit demonstratio propter quid, hæc autem vt docuimus supra facit scire simpliciter. ergo &c. Antecedens autẽ probatur: quoniam quando syllogizatur cõclusio per medium propter quid, semper aut frequentius concluditur vniuersalis affirmatiua, vt quando concludimus omnem hominem esse risibilem eo quòd omnis homo est animal rationale. Sed vniuersalis affirmatiua non cõcluditur nisi in prima figura, ergo illa facit magis, & simpliciter scire.

Tertiò sic, In prima figura demonstramus diffinitionem de diffinito vniuersaliter, & non in secunda, nec in tertia, ergo prima facit magis, & simpliciter scire. Antecedens patet: quoniam cũ diffinitio conueniat omni contento sub diffinito demonstramus eã in barbara, vt patet quando demonstramus diffinitionem materialem per formalem de diffinito, vt hic, Omne *animal rationale est* quid *compositum* ex corpore, & anima intellectiua: Omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est quid compositum ex corpore, & anima intellectiua. Quod autem nec in secunda, nec in tertia figura possimus demonstrare diffinitionem de diffinito vniuersaliter, & affirmatiuè patet discurrẽti per omnes modos earum. Consequentia verò probatur: quoniam potissimum scire nostrum est, quando scimus diffinitionem de suo diffinito. Constat ergo quòd prima figura facit magis, & simpliciter scire.

Quartò sic, prima figura non indiget secunda, nec tertia, sed econuerso, ergo facit magis & simpliciter scire. Antecedens probatur: quoniam modi primæ figuræ concludentes directæ sunt modi perfecti, nec indigent reduci ad alios, sed alij ad ipsos, vt docuimus in trac. de syllogismo formali, ergo prima figura non indiget secunda, nec tertia, sed econuerso. Consequentia autẽ patet, quoniam prima facit scire per seipsam, secunda autem, & tertia non per seipsas, sed per reductionem ad primam, quod autem facit scire per seipsum, magis & perfectius facit scire, quàm quod facit scire per aliud. Constat ergo quod prima figura facit magis scire quàm secunda, & tertia.

Vniuersalis negatiua quando mediata, & immediata esse potest.

Quantum ad secũdum vt scias quando propositio vniuersalis negatiua est immediata prius oportet te cognoscere quando & quot modis fiat mediata, deinde per oppositum facilè scies quando & quomodo fiat immediata.

Tu igitur aduerte ad mentem Aristotelis in primo posteriorum ad hoc quòd vniuersalis negatiua sit mediata, id est habeat medium per quod demõstrari possit à priori, oportet alterum extremorum aut vtrunque esse in aliquo toto, id est subiectum aut prædicatum aut vtrũque contineri sub aliquo superiori generico, quod sit genus subalternum, aut generalissimum, ex quo fundamento sequitur quòd vniuersalis negatiua potest tribus modis fieri mediata, & demonstrabilis conclusio.

Primò quando prædicatum continetur sub aliquo superiori, subiectum autem sub nullo, in quo sensu hæc est mediata, Nulla substãtia est calor. Nam licet substantia non habeat genus sub quo contineatur, quoniam est genus generalissimum, habet tamen calor: quoniam continetur sub passibili qualitate, & hæc sub qualitate sicut subalternum sub generalissimo. Vnde prædicta propositio potest sic demonstrari a priori in secunda figura, in camestres, omnis calor est qualitas, nulla substantia est qualitas, ergo nulla substantia est calor.

Secundò quando subiectum continetur sub aliquo superiori, prædicatum verò sub nullo, in quo sensu hæc est mediata nulla virtus est quantitas, & hæc potest demonstrari in prima & secũda figura à priori. In prima quidem sic, nulla qualitas est quantitas, omnis virtus est qualitas, ergo nulla virtus est quantitas, in secunda autem sic, Nulla quantitas est qualitas, omnis virtus est qualitas, ergo nulla virtus est quantitas.

Terriò quando subiectum & prædicatum continentur sub aliquo superiori generico, in quo sensu hæc est mediata, nullum vitium est virtus, & potest demonstrari à priori in prima & secunda figura. In prima quidem sic, nullum vituperabile est virtus, omne vitiũ est vituperabile, ergo nullum vitium est virtus. In secuuda autẽ sic, omnis virtus est laudabile, ergo in camestres, nullũ vitium est virtus. Cõstat igitur tibi quot modis contingit fieri vniuersalis negatiua mediata.

Ad hoc autem quòd fiat immediata oportet quod neutrum extremorum contineatur sub aliquo superiori generico, ex consequenti quando vnum prædicamentum negatur vniuersaliter de alio, est propositio immediata. Vnde hæc est immediata, nulla substantia est quantitas, & hæc nulla quãtitas est qualitas, & sic de aliis. Pro cuius notitia aduerte, quòd, vt tibi manifestum erit in tertio metaphysicæ ens non est superius ad decẽ prædicamẽta, vt genus, nec descendit in ea, vt genus in species: quoniam non est vniuocum, sed analogum, vt docuimus in tractatu de quinque prædicabilibus, & ens non habet differentias essentiales, quibus diuidatur, & quibus constituat diuersas species, sicut inueniuntur in quolibet genere, vt docuimus in tractatu de quinque prædicabilibus. Descendit autem per seipsum in decem prædicamenta, & ideo sunt primò distincta, siue primò diuersa, nullum omnino medium vniuocum habẽtia & hac de causa propositio vniuersalis negatiua, cuius extrema sunt duo prædicamenta, est immediata, & indemonstrabilis simpliciter, & hinc est quod dicit Aristoteles coordinationes prædicamentorum esse impermixtas. Nam sicut nulla substantia est quantitas, sic nullum genus substantiæ est genus quantitatis, nec species substantiæ est species quantitatis, & idem intelige de omni prædicamento. Hoc autem intellige formaliter & non realiter, vt tibi declarabitur in tertio physicorum: quando declarabitur tibi quomodo actio. & passio sunt idem realiter, & tamen constituunt duo prædicamenta: quoniam distinguuntur formaliter, nec formaliter sumpta vnum prædicatur de altero. Hæc est enim falsa. Actio est passio, licet hæc sit vera. Res quę est actio est passio. Constat igitur quæ & quomodo fiat propositio vniuersalis negatiua immediata, & hæc dicta sint de capite octauo.

CAPVT IX.

De Syllogismo generante in nobis ignorantiam.

IN nono cap. agendum est de syllogismo opposito demonstrationi, per quem generatur in nobis ignorantia, & error, sicut per demonstrationem generatur in nobis scientia. Tu igitur in primis aduerte, quòd vterque syllogismus est bonus de forma, fiunt enim in modo debito & figura, sed nõ vterque est bonus de materia, vt tibi declarabitur. Nam syllogismus per quem acquirimus scientiam est semper ex præmissis veris, & de conclusionibus veris, vt declaratum est supra. Syllogismus autem per quem fit in nobis ignorantia, & deceptio, licet sit plerunq; bonus de forma, tamẽ nõ de materia, quoniam aut syllogizatur cõclusio falsa ex vtraq; præmissa falsa, aut ex altera falsa, vt tibi manifestabimus infra.

His igitur præpositis ad resolutionem procedendo duo agenda sunt, primò præponentur distinctiones de ignorantia in sensu, de quo hic intendit Aristoteles, secundò considerabimus de singulis membris.

Ignorantia prauæ dispositionis, vt simplicis negationis.

Quantum ad primum aduerte, quòd de mente Aristotelis in primo posteriorum, Ignorantia prima sui diuisione diuiditur in ignorantiam prauæ dispositionis, & in ignorantiam simplicis negationis.

Ignorantia prauæ dispositionis est deceptio causata in nobis vel possibilis causari per syllogismum peccantem in materia. Talis est ignorantia opinantis diametrum esse commensurabilem costæ: quoniam sibi fit talis syllogismus, omnes quantitates continuæ, & finitæ sunt adinuicem commẽsurabiles: sed diameter, & costa sunt quantitates continuæ, & finitæ, ergo sunt adinuicem commensurabiles. ex tali syllogismo generatur in eo ignorantia prauæ dispositionis, per quam decipitur, quoniam non aduertit maiorem esse falsam apud geometriam.

Ignorantia simplicis negationis, est simplex carentia veræ notitiæ alicuius conclusionis in intellectu, eo quod non habet principia ad illam, aut ex ætate aut ex ineruditione. in quo sensu dicimus infantem ignorare philosophiam, & rusticum ignorare geometriam, & de hac considerabimus in parte vltima huius capitis. & declarabimus vnde proueniat, non quidem ex syllogismo, sed aliunde.

Secunda distinctio, Ignorantia prauæ dispositionis potest esse circa propositiones immediatas & mediatas. Exemplum primi, vt ille qui credit, partem esse maiorem toto. Exemplum secundi, vt ille qui credit non omnem triangulum habere tres angulos æquiualẽtes duobus angulis rectis.

Tertia distinctio, Ignorãtia prauæ dispositionis siue sit circa propositiones immediatas siue mediatas, potest esse circa propositionem affirmatiuam & negatiuam. Exemplum primi, vt ille qui credit esse quod non est, vt extra mundum esse vacuum, quod tamen non est, vt tibi declarabitur in 1. cæli. Exemplum secundi, vt ille qui credit non esse quod est, vt qui credit cælum non esse corpus finitum, quod tamẽ est finitũ.

Quarta distinctio, Ignorantia prauæ dispositionis siue sit circa propositiones mediatas, siue immediatas, siue affirmatiuas siue negatiuas potest esse duplex, scilicet simplex & syllogistica. Simplex est deceptio facta in aliquo absque argumentatione. vt quando quis credit ex sola imaginatione sua & non aliqua ratione ductus mundum esse infinitum, vel credit simpliciter alicui sic dicenti, dato quod nullam afferat rationem. Syllogistica est illa deceptio quæ fit per argumentationem, qua ligatur respondens, vt pote nesciens soluere, hoc modo deceptus est, Zeno negans motum, quoniam nesciuit hoc argumentum soluere, si aliquid mouetur, aut mouetur in pleno. aut in vacuo: non primo, quia duo corpora non possunt esse simul: non secundo, quia non datur vacuum, ergo non datur motus.

Quantum ad secundum præmissis dictis distinctionibus videndum est primò quomodo syllogizabilis est propositio vniuersalis affirmatiua immediata & falsa. Secundò quomodo syllogizabilis est propositio vniuersalis negatiua immediata & falsa, tertiò quomodo syllogizabilis est propositio negatiua vniuersalis mediata & falsa. quartò quomodo syllogizabilis est propositio vniuersalis affirmatiua mediata & falsa.

Quantum ad propositionem vniuersalem affirmatiuam immediatam & falsam, aduerte quod non potest syllogizari nisi in prima figura, scilicet in barbara, quoniam in secunda non concluditur nisi negatiua, & in tertia non concluditur nisi particularis. Potest autem vt docet Aristoteles in 1. posterio. syllogizari per syllogismum ignorantię tribus modis. primo per duas præmissas falsas in toto, id est vniuersaliter. V.G. Volo syllogizare istam, Omnis quantitas est qualitas, & arguo sic. Omnis substantia est qualitas, Omnis quantitas est substantia, ergo omnis quantitas est qualitas. patet quòd conclusio & vtraque præmissarum est falsa vniuersaliter, quoniam suæ contrariæ sunt veræ vniuersaliter, vt patet. secundo per duas præmissas falsas in parte & non in toto. V.G. Volo syllogizare istam, Omnis substantia est quantitas, & arguo sic. Omne imperfectum est quantitas: omnis substantia est imperfecta, ergo omnis substantia est quantitas. Patet quod conclusio est falsa in toto, quoniam sua contraria est vera in toto, & vtraque præmissarum est falsa, sed non in toto, quoniam vtraque istarum est vera, aliquod imperfectum est quantitas, & aliquod imperfectum non est quantitas. Similiter vtraque istarum est vera, aliquod imperfectum est substantia, & aliquod imperfectum non est substantia. Tertio per maiorem veram, & mi. falsam. V.G. Volo syllogizare istam. Omnis substantia est quantitas, & arguo sic. Omnis linea est quantitas, hęc est vera: Omnis substantia est linea, hæc est falsa: ergo omnis substantia est quantitas.

Sed dices nunquid potest syllogizari ex ma. falsa & mi. vera sicut syllogizatur ex maiori vera & minori falsa?

Respondetur quod non, nisi in duobus casibus, primò sumẽdo pro medio terminum transcendentem vt hic, Omne ens est quantitas, omnis substantia est ens, ergo omnis substantia est quantitas. Si autem sumatur pro medio ter. prædicamentali, puta generalissimum alicuius prædicamenti, vtraque præmissa erit falsa, vt hic, Omnis qualitas est quantitas: Omnis substantia est qualitas: ergo omnis substantia est quantitas. secundo si arguatur per regulam anteprædicamentalem, vt hic, Omnis substantia est numerus. Omnis numerus est quantitas, ergo omnis substantia est quantitas. Si autem arguatur formaliter in prima figura, non est possibile ma. esse falsam, & mi. veram nisi vt diximus sumatur pro medio ter. transcendens.

Quantum ad propositionem vniuersalem nega. immediatam & falsam aduerte quod est syllogisabilis per syllogismum ignorantiæ in prima & secunda figura, quoniam in vtraque concluditur vniuersalis negatiua, non autem in tertia, quoniam in ea tantùm particularis negatiua & affirmatiua concluditur. Potest autem syllogizari duobus modis, vt patet per Aristotelem in primo posteriorum. primò quidẽ ex duabus falsis, & ex altera falsa in prima figura. exemplũ primi. Hęc est vniuersalis negatiua immediata & falsa. Nullus homo est animal. Nam sicut propositio affirmatiua vniuersalis in qua prædicatur diffinitio vel pars diffinitionis de diffinito est immediata & vera, quoniam inter diffinitionẽ & diffinitum, nullum cadit medium. sic eius negatiua vniuersalis est immediata & falsa. Hæc igitur nullus homo est animal. potest syllogizari sic in prima figura ex duabus falsis. Nullus asinus est animal: Omnis homo est asinus: ergo nullus homo est animal. Constat quod hic & cõclusio & vtraq; præmissa est falsa. Exemplum secundi. Syllogizo eandem conclusionem sic, Nullus lapis est animal; Omnis homo est lapis, ergo nullus homo est animal. constat quod ibi ma. est vera & mi. falsa. Potest etiam syllogizari ex ma. falsa & mi. vera, vt hic nullum risibile est animal, hæc est falsa. Omnis homo est risibilis, hæc est vera, ergo nullus homo est animal.

Secundo syllogizabilis est in secunda figura, ex vtraque falsa, & ex altera falsa siue sit ma. siue mi. Exemplũ primi. Sumo hanc, Nullus homo est animal: & arguo, sic in camestres, omne animal est rationale, hæc est falsa: Nullus homo est rationalis, hæc est falsa: ergo nullus homo est animal. Exemplum secundi. Sumo eandem & arguo sic, nullum animal est lapis, hæc est vera: Omnis homo est lapis, hæc est falsa, ergo in cesare, nullus homo est animal. Item potest esse ma. falsa, & mi. vera, vt sumo eandem, & arguo sic, nullum animal est risibile. hæc est falsa: Omnis homo est risibilis: ergo nullus homo est animal.

Quantum ad vniuersalem negatiuam mediatam & falsam qualis est ista, nullus homo est substantia (nam inter prædicatum & subiectum cadunt multa media, per quæ potest syllogizari, scilicet animal, corpus, animatum corpus, vt patet in arbore Porphyrij, ideo est mediata) aduerte q̃ est syllogizabilis per syllogismum ignorantię in prima & secunda figura. Exemplum primi. Sumo istam, nullus homo est substãtia & arguo sic, nullũ animal est substantia, omnis homo est animal, ergo nullus homo est substantia. Exemplum secundi, Sumo eandem & arguo sic, nulla substantia est corpus, omnis homo est corpus, ergo nullus homo est substantia. Constat ergo quod est syllogizabilis in prima & secũda figura. Potest autem ad mentem Aristotelis syllogizari duobus modis. Primo in prima figura potest syllogizari ex vtraq; præmissa falsa, & ex altera falsa, id est maiore sed minore vera. Exem plũ primi, Sumo istã, nullus homo est substantia & arguo sic. Nullus lapis est substantia: Omnis homo est lapis: ergo nullus homo est substantia. Exemplum secundi de ma. falsa. Sumo eandem & arguo sic, nullum animal est substantia. Omnis homo est animal, ergo nullus homo est substantia, patet quod ma. est falsa, & mi. vera, & aduerte quòd non potest syllogizari in prima figura ita quod ma. sit vera, & mi. falsa, si sumatur mediũ propriũ, id est q̃ est eiusdem prędicamẽti cum extremis conclusionis. Si autẽ medium sit alterius prædicamẽti ab extremis, vt patet in 1. Posteriorũ, tunc non est propriũ, sed dicitur extraneum, & tunc potest syllogizari vniuersalis negatiua mediata & falsa ex ma. vera & mi. falsa. V.G. Sumo hanc, nullus homo est substantia, & arguo sic, Nulla albedo est substantia: hæc est vera, Omnis homo est albedo, hęc est falsa: ergo nullus homo est substãtia. Cõstat igitur quomodo vniuersalis negatiua mediata & falsa est syllogizabilis in prima figura ex vtraq; præmissa falsa, & ex ma. falsa & mi. vera, & ex ma. vera, & mi. falsa.

Secundo potest syllogizari in secunda figura ex vtraque præmissa falsa in parte, & ex altera præmissa falsa, siue sit ma. siue minor. Exemplum secundi, Sumo hanc, nullus homo est substantia, & arguo sic. Nulla substantia est albedo, Omnis homo est albedo, ergo nullus homo est substantia. Ibi ma. est vera, & mi. falsa. Quòd autem ma. possit esse falsa, & mi. vera, patet hic. Omnis substantia, est albedo, nullus homo est albedo, ergo nullus homo est substantia. Exemplum primi. Sumo eandem & arguo sic. Omnis substantia est imperfecta, hæc est falsa in parte quoniam aliqua substãtia est perfecta, & aliqua imperfecta Nullus homo est perfectus, hæc est falsa in parte, quoniam inter homines aliquis est perfectus, aliquis imperfectus, ergo nullus homo est substantia.

Dixi ex vtraque præmissa falsa in parte, quoniam non potest vtraque esse falsa ex toto quoniam non potest inueniri medium, quòd sit vniuersaliter in omni contento sub vna extremitatum, & vniuersaliter remotum ab alia. Vnde tale medium vel est simpliciter extraneum cuilibet extremitatum, vel conueniens alicui illarum.

Si primum, semper negatiua erit vera, si secundum, nunquam quælibet præmissarum erit falsa in toto. Verbi gratia, Quia color est omnino extraneus ab homine & à substantia, si arguatur sic, nulla substantia est color: Omnis homo est color: ergo nullus homo est substantia, patet quod ma. est vera. Quia verò lapis est extraneus ab homine nõ autem à substãtia, cum sit substantia, si arguatur sic. Nulla substãtia est lapis: Omnis homo est lapis: ergo nullus homo est substantia patet quod ma. non est falsa in toto, quoniam aliqua substantia est lapis, & aliqua non. Constat ergo quomodo vtraque præmissa non potest esse falsa in toto.

Quantum ad propositionem vniuersalem affirmatiuam mediatam & falsam aduerte, quod nõ est syllogizabilis nisi in prima figura sicut nec propositio vniuersalis affirmatiua immediata & falsa. Nam, vt docuimus in tract. de syllogismo formali, tantum in prima figura & in primo modo concludit vniuersalis affirmatiua ex duabus vniuersalibus affirmatiuis, potest autem per syllogismum ignorantiæ syllogizari in prima figura duobus modis ad mentem Aristotelis in primo Posteriorum.

Primo ex vtraque præmissa falsa, quando syllogizatur per medium, quod est extraneum ab vtroque extremo. Verbi gratia, sumo hanc, omnis homo est sapor, & arguo sic, Omnis lapis est sapor, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est sapor. patet vtranque esse falsam, quoniam medium sumptum, id est lapis, non prædicatur de sapore nec de homine.

Secundo ex altera præmissarum existente falsa, & hoc tripliciter, quia aut medium est proprium aut extraneum, si proprium, tunc maior erit falsa & minor vera. V. G. Sumo hanc, omnis homo est circulus, & arguo sic, Omne animal est circulus: Omnis homo est animal ergo omnis homo est circulus, patet maiorem esse falsam, & minorem veram, quoniã mediũ, id est animal prædicatur de homine. Si est ex extraneũ, hoc dupliciter, quoniã aut extraneũ est solũ à minore, extremitate, & tunc ma. erit vera, & mi. falsa. Verbi gratia sumo hanc, Omnis homo est triangulus, & arguo sic, Omnis figura habens tres angulos est triangulus: Omnis homo est figura habens tres angulos: ergo omnis homo est triangulus. Patet ma. esse veram, & mi. fallam quoniã habere tres angulos est remotũ ab homine & extraneũ, est autem proprium triangulo, aut extraneũ est solum à ma. extremitate non autem à mi. & tunc ma. tantum erit falsa, sed mi. vera. Verbi gratia. sumo hãc, Omnis homo est color, & arguo sic. Omne animal est color, omnis homo est animal, ergo omnis homo est color. Patet maiorem tantùm esse falsam, eo quòd medium, id est animal, est extraneum à colore. Constat igitur tibi quibus modis est syllogizabilis propositio vniuersalis affirmatiua mediata & falsa. Hæc de ignorantia prauæ dispositionis dicta sint.

Nunc agendum est de ignorantia simplicis negationis, puta de ignorantia coloris, quæ est in cæco, & ignorantia sonorum, quæ est in surdo. & hic duo agenda sunt, primò de claran dum est vnde proueniat de necessitate talis ignorantia, ita quod est impossibile acquirere per inuentionem propriũ suum oppositum, id est scientiam tali ignorantiæ oppositam, secundò probandum est intentum. *De Ignorantia simplicis negationis.*

Quantum ad primum aduerte quod ad mentem Aristotelis in primo Posteriorum radix huius ignorantiæ est cæcitas, siue esse priuatum aliquo sensu à natiuitate. Verbi gratia, Si quis nascitur cœcus non potest per suam inuẽtionem habere notitiam de colore, & sic de necessitate ignorat quid sit color, quomodo immutat visum, quomodo distinguuntur species suæ &c. Idem intellige de priuato quocunque alio sensu, ita quòd deficiẽte nobis aliquo sensu, necesse vt ignoremus subiectum illius, siue obiectum, & proprietates talis obiectii, & contenta sub eo, & aduerte quod sempec hic loquimur de scientia obiecti sensibilis, quæ possit haberi per inuentionem distinctè & determinatè per proprios conceptus. Hanc enim probabimus impossibile haberi, si caremus sensu talis vel talis obiecti.

Quantum ad secundum probandum est intentum propositum, quod sub tali conclusione formatur. Definiente nobis aliquo sensu est impossibile habere scientiam de sensibilibus illius sensus. Pro illius probatione, præmitto ad mentem Aristotelis, quòd omnis vera notitia scientifica si debet haberi per inuentionem, oportet quòd habeatur aut per demonstrationẽ, aut per indictionem. Nam omnis notitia complexa habita per discursum, est notitia alicuius vniuersalis conclusæ ex præmissis vniuersalibus veris, vel conclusæ ex singularibus sufficienter enumeratis. Primo modo habetur per demonstrationem. Secundo modo per inductionem, vt patet ex diffinitione demonstrationis & inductionis, quas assignauimus suprà Hoc supposito probatur sic cõclusio præposita. Omnis notitia scientifica alicuius obiecti sensibilis, habetur ex inuentione aut per demonstrationem aut per inductionem, hæc patet, ex supposito. Sed siue habeatur per demõstrationem siue per inductionem, necessarius est nobis sensus illius obiecti sensibilis. Nã si haberur per inductionem, cognoscitur vniuersale per singularia. Singularia autem non cognoscimus nisi per sensum. Est enim sensus singularium. Verbi gratia, non possum per inductionem cognoscere hanc vniuersalem, Omne reubarbarum purgat choleram, nisi per sensum experiar & hoc & hoc & hoc reubarbarum & sic de singulis purgare choleram.

Si autem habetur per demonstrationem arguitur sic. Omnis demonstratio est ex vniuersalibus, & vniuersalia cognoscuntur per singularia. Cuius signum est, quòd etiam mathematica quæ videntur abstracta à materia sensibili, vt tibi declarabitur in tertio metaphysicæ, & in secundo physicorum, non cognoscuntur nisi per singularia. Verbi gratia. Cognosco hanc vniuersalem, Omnes recti anguli sunt æquales, quia video hos esse æquales, & illos & illos & sic de singulis. Constat ergo quòd siue acquiramus notitiam scientificam de obiectis sensibilibus per inductionem vel per demonstrationem, necessarius est nobis sensus. Et sic patet quòd deficiente nobis aliquo sensu, impossibile est nos habere

sciendi illius sensus, ex consequenti oportet nos persistere in ignorantia simplicis negationis obiecti sensibilis talis sensus. Hæc de præsenti cap. dicta sint.

CAPVT X.

De processu demonstrationis in infinitum.

IN cap. decimo agendum est de processu demonstrationis in infinitum, & hic quatuor principaliter agenda sunt. Primò quòd in demonstrationibus non contingit procedere in infinitum in prædicatis quiditatiuis. Secundo quòd non in prædicatis substantialibus. Tertio quòd non in prædicatis accidentalibus. Quarto quòd nullo modo.

In prædicatis quiditatiuis non est in demõstrãdo processus in infinitum.

Quantum ad primum, aduerte, quòd prædicata quiditatiua sunt prædicata diffinitiua, vt animal est prædicatũ quiditatiuum de homine, quoniã ingreditur eius diffinitionem, & sensitiuum est prædicatum quiditatiuum de animali, & sic ascẽde in arbore Porphyrij. Tu igitur aduerte quod procedere in infinitum in prædicatis quiditatiuis est non dare statum in diffinientibus, & diffinitis, ita quod non possumus assignare primum diffiniens supra quòd nõ sit aliud nec vltimum diffinitum infrà quòd non sit aliud, & quoniam Arist. in primo Posteriorum in hac materia est maximè diffusus ideo ne addiscentis, & nouicij ingenium confundatur, compendiosè procedendum est. Sufficient igitur tibi pro nunc duæ conclusiones.

Prima est. In demonstrationibus affirmatiuis, non est processus in infinitum in prædicatis quiditatiuis, probatur sic. Si datur talis processus in infinitum, nullum diffinibile, vel diffinitum poterit perfectè cognosci per diffinitionem suam quod est falsum. falsitas consequentis patet, quoniam si per diffinitionem rei non perfectè rem ipsam cognoscimus, de nullo dabitur perfecta & distincta cognitio, quoniam sola diffinitio indicat nobis rei scibilis naturã per prædicata essentialia, vt tibi manifestabitur in septimo metaphysicæ. Cõsequentia autẽ sic manifestatur. Sumo hominem vt diffinibilẽ per animal rationale, & arguo sic, Si per diffinitionem hominis debet homo perfectè cognosci, oportet quamlibet partem diffinitionis suæ perfectè cognoscere, ergo oportet perfectè cognoscere animal, & cum animal diffiniatur per sensitiuum, oportet sensitiuum perfectè cognoscere, & cum sensitiuum diffiniatur per animatum, oportet animatum perfectè cognoscere, & animatum diffinitur per corpus, & corpus per substantiã, & substantia per ens, & ens per a & a per b, & b per c, & sic in infinitum, non poterunt omnia diffinita & diffinientia cognosci: quoniã non possunt Infinita pertrãsiri & deuenire ad primum, quo ignorato impossibile est posteriora cognoscere, vt tibi declarabitur in 1. Phys. Ergo cõstat tibi quòd si est processus in infinitum in demonstrationibus quo ad prædicata, quiditatiua, nulla res poterit per diffinitionẽ suam perfectè, & distinctè, cognosci, & sic aufertur ab intellectu humano omnis vera, & distincta ac perfecta, cuiuscunque obiecti scientia.

Secunda conclusio est hæc. Si non est processus in infinitum in demonstrationibus affirmatiuis, ergo nec in negatiuis, probatur hæc conditionalis sic, Nunquam contingit syllogizare cõclusionem negatiuam, nec si est mediata reduci ad immediatam, nisi altera præmissarum existente affirmatiua: nam ex puris negatiuis non valet argumentum, ergo nulla apparet ratio quòd possit esse processus infinitus in negatiuis, stante processu finito in affirmatiuis.

In prædicatis subdãtialibus non procedit demonstratio in infinitũ.

Quantum ad secundum aduerte quod prædicatum substantiale ad mentẽ Aris. in. c. 1. Poster. est illud quod significat totum subiectum aut partem subiecti, & est in eodem prædicamento substantiæ sicut subiectum, exemplum primi, Substantia sensitiua est prædicatum substantiale de animali. exemplum secundi, Corpus est prædicatum substantiale de homine, est enim corpus pars hominis compositi ex corpore, & anima, & tale prædicatum substantiale tam primo quam secundo modo distinguitur contra prædicatum accidentale, eo quòd illud non est subiectum nec pars subiecti, sed significat aliquid in subiecto, vt cum dico homo est albus, significat albedinem inesse homini. Hoc declarato ponitur hæc conclusio. In demonstrationibus non est processus in infinitum in prædicatis substantialibus, neque ascendendo sursum, scilicet ad magis, & magis vniuersalia sine statu, neque descendendo deorsum scilicet ad minus, & minus communia sine statu, neque circulariter. Prima pars sic probatur. Si est processus in infinitum in ascendendo, ergo nihil possemus scire aliquid, quod sit de prædicamento substantiæ per diffinitionem suam: quod est falsum. consequentia sic deducitur, cum diffinitio constet ex genere, & differentia si illud sciretur per genus, & differentiam. Sed si esset processus in infinitum in ascendendo genera essent infinita, & non esset deuenire ad generalissimum, & oporteret ea omnia perfectè cognoscere, modo constat quòd esset impossibile omnia illa perfectè cognoscere, quoniam non est infinita pertransire, ergo constat quòd nihil possemus scire quod sit de prædicamento substantiæ per diffinitionem, si est processus in infinitum in prædicatis substantialibus in ascendendo. secunda pars sic probatur, nõ est processus in infinitum in ascensu, ergo nec in descẽsu. antecedens patet ex probatione primæ partis, consequentia probatur, quoniam in descensu est deuenire ad singulare, vt patet descendendo per arborem Porphyrij, puta vsque ad Socr. & Plat. sub homine. In singulari autem est status, quoniam singulare, vt singulare de nullo inferiori prædicatur.

Tertia pars sic probatur, si est processus in infinitum circulariter in prædicatis substantialibus, id est quæ sunt de prædicamento substantiæ, sequitur quod omnia genera de prædicamento substantiæ de seinuicem æqualiter prædicantur, quod est falsum, quoniam essent conuertibilia sicut homo, & risibile, & vnum non esset vniuersalius alio, & sic auferretur ordo lineæ prædicamentalis in qua disponuntur species, & genera secundum sub & supra vsque ad generalissimum, vt docuimus in tracta. de prædicamentis. Consequentia verò sic probatur, si datur talis processus in prędicamento substantię, ergo sequitur quòd postquam demonstrauero hominem esse animatum, quia est animal, & hominẽ esse corpus quia est animatus, & hominem esse substãtiam quia est corpus, per circulum reuertar, & demonstrabo substantiã esse hominem per hoc medium quòd est animal, sic arguendo, omne animal est homo, omnis substantia est animal, ergo omnis substantia est homo. Constat autem quod hæc demõstratio non esset de conclusione vera, nec ex veris, nisi substantia, & animal, & homo essent æqualis prædicationis de seinuicem sicut sunt æqualis prædicationis, homo rationale, & risibile, & quod dico de substantia, & animali, & homine, idem intellige, de animato, & corpore, & substantia. Cum igitur ex tali processu destruatur ordo prædicamentalis non est admittendus. Manifestum ergo est quòd demonstratio non procedit in infinitum in prædicatis substantialibus, neque sursum, neque deorsum, neque per circulum.

Quantum ad tertium probandum est quòd in demonstratione non proceditur in infinitum in prædicatis accidentalibus, sed aduerte prius quòd prædicatum accidentale est duplex, scilicet accidentale per accidens, & est illud quod cum subiecto facit propositionẽ per accidens, vt homo est albus, & accidentale per se, & est illud quod cũ subiecto facit propositionem per se, vt homo est risibilis. primo igitur probandum est propositum primo modo, deinde secundo modo.

In prædicatis accidẽtalibus non procedit demõstratio in infinitũ.

Respectu primi ponitur hæc conclusio. In prædicatis per accidens facientibus propositionẽ per accidens, non est processus in infinitum circulariter neq; sursum, neq; deorsum. Prima pars sic probatur, si est processus in infinitum circulariter in prędicatis per accidens primo modo, hoc potest esse tripliciter, primo vt comparantur adinuicem in eodẽ prædicamẽto, puta vt comparatur album ad coloratum, & coloratum ad qualitatem passibilem, & qualitas passibilis ad qualitatem, & iterum retrocedẽdo, & vt sic processus in infinitum est impossibilis per circulum, quia tunc omnia accidentia eiusdem prædicamenti essent adinuicem conuertibilia, & demonstraretur superius de suo inferiori, sicut etiam docuimus in prædicamento substantiæ. secundo vt comparantur ad omnia prædicamenta accidentium & sic iterum talis processus est impossibilis, quia sicut demonstrarentur accidentia respectiua de absolutis, sic & econuerso, quòd est omnino impossibile. tertio vt comparatur ad prædicamentum substantiæ, & sic iterum talis processus est impossibilis, quia cum prædicata sint finita, sicut & prædicamenta, tandem demonstraretur substantia de accidente, sicut accidens de substantia, quod est penitus impossibile.

Secunda pars conclusionis, scilicet quòd non sit processus in infinitum in prædicatis accidentalibus facientibus propositionem per accidens ascendendo sursum, probatur, Si talis processus est possibilis, vel est quando vnum prædicatur de vno, vt homo est albus, musicus magnus &c cætera non primo, quoniam cum omne vnum prædicatum sit in aliquo prædicamento, & prædicamenta sint finita, oportet etiam prædicata, quæ prędicantur vt vnum de vno esse finita. Non

secundo, quoniam si prædicata sunt finita, oportet multiplicationes eorum esse finitas, sicut si vnitates sunt finitæ oportet numeros esse finitos, sed prædicata sunt finita, quoniam, vt diximus, omne prædicatum est in aliquo prædicamento, & prædicamenta sunt finita, cum sint tantùm decem, ergo cum prædicata sint finita, eorum multiplicationes, in quibus plura prædicata prædicantur de vno subiecto, sunt finitæ, ex consequenti non est possibilis in ascendendo sursum prædictus processus in infinitum.

Tertia autem pars conclusionis deducitur ex secunda, nam si non est processus in infinitum in ascendendo, multo minus in descendendo: quoniam sicut in prædicamento substantiæ est status in indiuiduis, sub quibus non dantur inferiora, sic & in prædicamentis accidentium, nam sicut sub hoc homine non datur inferius, sic nec sub hac linea, nec sub hac albedine.

Respectu secundi: scilicet prędicati accidentalis facientis propositionem per se vt homo est risibilis, ponitur hæc conclusio. Non est processus in infinitum in prædicatis accidentalibus facientibus propositionem per se, neque sursum, neque deorsum, Antequam probetur conclusio aduerte, quòd talia prædicata sunt illa, quæ prædicantur de subiecto in secundo modo per se: in quorũ diffinitione ponitur subiectum, & dicuntur rerũ proprietates cõuertibiles cum his quorum sunt proprietates. vt risibile in homine, rudibile in asino, par vel impar in numero, habere tres angulos in trigono &c.

His declaratis probatur sic conclusio, si est processus in infinitum in prædicatis accidentalibus, quæ sunt prædicata per se, vt rerum passiones, & proprietates, ergo non contingit per demonstrationem aliquid scire simpliciter, quòd est falsum, quoniam vt docuimus in tract. secundo demonstratio propter quid, de qua nunc intendimus est syllogismus faciens scire simpliciter. Consequentia autẽ sic probatur, scire simpliciter est scire conclusionem per reductionem ad immediata, & indemonstrabilia, aliter non quiesceret intellectus inuestigantis, & addiscentis. Sed si datur talis processus, est impossibile reducere conclusionem ad immediata, & indemonstrabilia: quoniam supra passionem adaretur alia passio demõstrabilis communior, puta b: & super illam alia adhuc communior, & sic in infinitum, & cum non sit infinita pertranfire esset impossibile reducere cõclusionem ad immediata, & indemonstrabilia, ex consequenti nihil posset sciri simpliciter. Constat igitur quòd indemonstrando non est processus in infinitum in prædicatis accidentalibus, quæ constituunt propositionem per accidens, nec in illis, quæ constituunt propositionem per se.

Quantum ad quartum probandum est, quòd vniuersaliter, & nullo modo procedendum est in veris demonstrationibus in infinitum, pro cuius euidentia præponitur, quòd omnis demonstratio, & ex his quæ sunt per se. & hoc iam declaratum ex suprà, vbi docuimus demonstrationem non esse ex his quæ sunt per accidens, neque ex extraneis, neque ex his quæ possunt aliter se habere, qualia sunt contingentia. Præponitur vlterius quòd duplex est propositio per se quæ ingreditur demonstrationem. Vna in primo modo, & est illa in qua prædicatum est diffinitiuum subiecti, altera in secundo modo, & est illa in qua subiectum ponitur in diffinitione prædicati. exemplum primi, homo est animal rationale, exemplum secundi, homo est risibilis.

His præpositis ponitur duplex conclusio, quarum prima hæc est. Impossibile est procedere in infinitum in demõstrationibus inquantum constant ex his quę sunt per se in secundo modo. Hæc probatur tripliciter. primò sic, nullum subiectum habet proprias passiones infinitas, ergo impossibile est procedere in infinitum &c. Consequentia est manifesta. Antecedens autem sic probatur. Cum omnia præcedentia ingrediantur diffinitionem posterioris, vt patet ex doctrina data in tract. de prædicabilibus, siue de quinq; vniuersalibus. eiusdem essent diffinitiua infinita, quoniam sicut omne superius in predicamento substantiæ ingreditur diffinitionem inferioris, sic passio præcedens ingreditur diffinitionem passionis posterioris. Infinita autem diffinita non possunt complete cognosci, ergo de nullo subiecto haberetur resoluta demonstratio inquantum constat ex his quæ sunt per se in secundo modo.

Secundò sic. Impossibilis est processus in infinitum in his, quæ adinuicem sunt conuertibilia secundũ prædicationem. Nam omnis processus siue sursum, siue deorsum, siue sit finitus, siue non, est à minus communi ad magis commune, vel econuerso. Sed in conuertibilibus non datur magis, neq; minus commune, sed æque commune, ergo in eis non est processus in infinitum.

Sed omnes propriæ passiones, quæ scilicet fluunt à principiis speciei, sunt conuertibiles cum subiectis suis. Sunt enim propria in quarto modo, ergo in eis non est processus in infinitum.

Secunda conclusio est hæc. Non est processus in infinitum in demonstrationibus inquantum constat ex his, quæ sunt in primo modo per se, probatur. Si est processus infinitus in illis, ergo non contingit aliquid verè, & completè diffinire, quòd est falsum: quoniam cum diffinitio sit medium in demonstratione, vt tibi declarabitur infrà, auferetur omnis vera demonstratio, ex consequenti omnis vera scientia: quoniam non causatur, nisi ex demonstratione, vt declaratum est suprá. Consequentia probatur. Nam datur diffinitio causa cognoscendi diffinitum per sua principia essentialia, quæ sunt genus, & differentia: sed dato tali processu infinito, non posset cognosci complete diffinitum: quoniam oporteret superiora infinita diffinibilia cognoscere, sicut si volo per diffinitionem hominis cognoscere hominem, oportet cognoscere animal, & animatum, & corpus, & substantiam, & ens, & hic est status. Oportet etiam cognoscere rationale, & irrationale, sensitiuum, & insensitiuum, animatum, & inanimatum, corporeum, & incorporeum, & hic est status ex parte differentiarum. Cum autem sit impossibile infinita superiora genera, & infinitas differentias cognoscere, constat quòd concesso processu infinito in prędicatis primi modi per se remouetur omnis vera diffinitio, & omnis demonstratio potissima & omnis vera scientia. Necesse est ergo in demonstrationibus ponere statum. Hæc dicta sint pro præsenti cap. in quo studui breuiare prolixitatem Aristotelis. in 1. Posteriorũ propter vtilitatem addiscentiũ, ne confunderentur.

CAPVT XI.

De comparatione demonstrationum adinuicem quo ad perfectionem, & nobilitatem.

IN hoc capite agendum est de comparatione demonstrationum quo ad nobilitatem iuxta doctrinam Aristotelis in primo Posteriorum. Tu igitur aduerte quòd demonstrationum triplex est distinctio.

Prima est. Demonstrationum alia vniuersalis, alia particularis.

Secunda est. Demonstrationum alia affirmatiua, alia negatiua.

Tertia est. Demonstrationum alia ostensiua, alia ad impossibile.

Hic igitur tria agenda sunt, primò inuestigabimus quæ sit potior an vniuersalis an particularis, secundò an affirmatiua vel negatiua, tertiò an ostensiua vel ducens ad impossibile.

Quantum ad primũ aduerte antequam deueniamus ad inquisitionem propositi quòd demonstratio vniuersalis est illa, per quam domonstratur propria passio de suo primo & adæquato subiecto, & in qua maior extremitas, & minor, & medium sunt termini conuertibiles. Verbi gratia, Si demonstratur quòd homo est risibilis per rationale, est demonstratio vniuersalis. quia risibile primo, & adæquate homini conuenit inquantum est homo, & homo, & risibile, & rationale sunt adæquatæ prædicationis ex consequenti sunt termini conuertibiles.

Quæ potior demonstratio vniuersalis, an particularis.

Demonstratio autem particularis est illa, per quam demonstratur propria passio non de adæquato subiecto, sed de aliquo contento sub eo, siue sit eius species, siue singulare: exemplum primi. vt quando demonstratur habere tres angulos de ysochelle, quæ est species trianguli. Neque enim habere tres angulos competit ysochelli inquantum est ysochelles, sed inquantum est triangulus. exemplum secundi, vt quando demonstratur caliam vel sortem esse risibilem, neque enim risibile primo conuenit caliæ, sed homini, calię autem conuenit inquantum est homo, & hac de causa in demonstratione particulari, non est necessè tres terminos esse conuertibiles, constat enim quòd habere tres non conuertitur cum ysochelle, & risibile non conuertitur cum calia.

His igitur declaratis, pro resolutione propositi ponitur hæc conclusio. Demonstratio vniuersalis potior est demonstratione particulari. Qua probata recitabimus rationes sententium oppositum, & eas soluemus. Tribus autem rationibus probatur ipsa conclusio ad mentem Aristotelis.

Prima ratio est. Demonstratio vniuersalis magis facit scire quam particularis, ergo est potior. consequẽtia patet: quoniam cum demonstratio sit syllogismus faciens scire, quæ magis facit scire, potior est. Antecedens autem sic probatur.

Demonst

Demonstratio vniuersalis facit scire passionem de subiecto secundum seipsum, vt diximus, particularis autem facit scire secundum aliud. Puta quod Ysochelli competit habere tres angulos non secundum quod est ysochelles, sed secundum quòd est triangulus. Sed perfectius est scire secundum seipsum quam secundum aliud, sicut perfectius est esse lucidum per seipsum quam per aliud: quoniam primum est per essentiam, secundum autem per participationem, ergo clarum est demonstrationem vniuersalem esse potiorem quam particularem.

Secunda ratio est. Demonstratio vniuersalis est de magis ente quam particularis, ergo est potior. Consequentia patet, nam sicut scientia, quæ est effectus demonstrationis, non est nisi de ente, & quæ est de magis ente est perfectior, sic & demonstratio: sed vniuersale est magis ens quam particulare: quoniam vniuersale est incorruptibile, & abstrahit ab hic, & nunc, & sic vniuersale est semper, particulare autem est corruptibile, nec abstrahit ab hic, & nunc, præcipuè particulare quod plurificatur sub eadem specie, qualia sunt particularia inferiora, ergo demonstratio vniuersalis est potior particulari.

Tertia ratio est, demonstratio vniuersalis magis præseruat intellectum ab errore, & deceptione quam particularis, ergo est potior. patet consequentia, quoniam sicut spectat ad demonstrationem causare scientiam, sic & auferre ignorantiam ac deceptionem: ergo sicut ea, quæ causat magis scientiam est potior, sic & ea quæ magis præseruat ab ignorantia. antecedens verò probatur. Nam quis de facili potest decipi credendo triangulum æquilaterum secundum quod est æquilaterus habere tres: eo quod per demonstrationem particularem concluditur æquilaterum habere tres, non autem potest decipi credendo triangulum secundum quod est triangulus habere tres: quoniam sic est, & id concluditur per demonstrationem vniuersalem, alias rationes ponit Aristoteles ad probandum eandem conclusionem. Sed istæ tibi sufficiant pro præsenti tractatu.

Probata conclusione, formandæ sunt rationes eorum, qui tenent particularem demonstrationem potiorem esse vniuersali. Tu igitur aduerte quòd Aristoteles in primo Posteriorum format tres rationes, quarum singulas soluemus.

Prima est. Demonstratio particularis facit magis scire, ergo est dignior. Consequentia patet. Antecedens probatur, particularis facit scire secundum seipsum, vniuersalis autem secundum aliud. Nam quando demonstratur omnem ysochellem habere tres angulos æquales duobus rectis, scitur quòd omnis ysochelles secundum seipsum habet tres angulos æquales & cætera, quando autem demonstratur triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, scitur quòd ysochelles habet tres angulos non secundum quòd ysochelles, sed secundum aliud: id est inquantum est species trianguli.

Respondetur, negatur antecedens, ad probationem, nego quòd particularis faciat scire secundum seipsum, vniuersalis autem secundum aliud. imò est oppositum, vt docuimus in prima ratione. Ad probationem nego quòd demonstretur ysochellem habere tres angulos secundum seipsum, quoniam falsæ demonstraretur. non enim vt ysochelles, sed, vt est triangulus habet tres. Triangulus autem secundum seipsum habet tres, quoniam est primum & adæquatum subiectum huius passionis & non ratione alterius. Constat ergo quòd ratio hæc nihil concludit.

Secunda est. Demonstratio particularis magis præseruat intellectum ab opinione falsa, quam vniuersalis, ergo est dignior. Consequentia patet. Antecedens autem sic probatur. Quando demonstratur aliqua passio de suo subiecto vniuersaliter, puta de triangulo, quòd habet tres angulos, & de circulo, quòd vna linea continetur, & de numero quòd est par vel impar, & illud non demonstratur de aliquo in particulari, puta de ysochelle, vel de binario, potest intellectus opinari tale vniuersale esse separatum secundum esse à singularibus sicut imaginati sunt Platonici & Pythagorici, vt recitat Aristoteles in septimo metaphysicæ, quæ quidem opinio esset falsa, vt tibi declarabitur in primo & in septimo metaphysicæ, quoniam & si mathematica abstrahant à materia secundum rationem, vt tibi declarabitur in secundo physicorum, non tamen secundum esse. Quando autem illud demonstratur de aliquo particulari, puta habere tres de ysochelle, vel de hoc triangulo particulari, non potest huiusmodi falsa opinio causari in intellectu, quoniam demonstratur passio de hoc singulari, quod ad sensum constat esse in materia puta in ligno vel lapide. Ergo demonstratio particularis dignior est vniuersali.

Respondetur, negatur antecedens. Ad probationem dico quòd sanus & clarus intellectus non habet veram occasionem opinandi triangulum vel figuram vel numerum esse separatum à singularibus secundum esse, ex eo quod aliquid de eis demonstratur vniuersaliter, sed hoc est ex imperfectione intellectus. Vnde hæc falsa opinio non oritur ex vniuersali demonstratione, sed ex debilitate intellectus, non potentis iudicare quòd hæc duo stant simul, Mathematica abstrahunt à materia, & à singularibus secundum rationem, mathematica non abstrahunt à materia & à singularibus secundum esse. Constat igitur quòd hęc ratio non concludit.

Tertia ratio est, Demonstratio particularis est magis de ente quam vniuersalis, ergo est potior. Patet consequentia. Antecedens probatur. Demonstratio particularis est de particularibus, & vniuersalis de vniuersalibus: sed particularia sunt magis entia quàm vniuersalia, quoniam vniuersalia non habent esse nisi in particularibus: nam homo vt homo non existit nisi quia hic vel hic homo existit, ergo constat quòd demonstratio particularis est magis de ente, quam vniuersalis.

Respondetur ens potest tripliciter considerari. Primò in ratione essendi siue existendi, secundò in ratione subiecti alicuius passionis sibi inexistentis. tertiò in ratione obiecti mouentis potentiam cognoscitiuam & terminantis actum cognitionis. Primo modo particularia sunt magis entia, quoniam per se existunt, & vniuersalia non competit existere nisi quia particulare existit. secundo modo vniuersalia sunt magis entia, quia subiiciuntur per se primo suis passionibus. particularia autem non per se primo, sed secundario, nam vt declaratur apud Porphyrium in tract. de vniuersalibus, proprium inest primo speciei, & per speciem inest indiuiduis, neque enim Sortes est risibilis nisi quia homo est risibilis, tertio modo vniuersalia sunt magis entia, quia prius mouent intellectum ad intelligendum & directè, particularia autẽ indirectè, vt tibi declarabitur in libro de Anima. Posita hac distinctione aduerte quòd demonstration non debet iudicari esse magis de ente iuxta primum modum, sed iuxta secundum & tertium, & ideo vniuersalis est magis de ente vt docuimus suprá. Argumentum autem procedit iuxta primum modum, ideo non concludit. Nam hęc consequentia non valet, particularia magis existunt quam vniuersalia, ergo demonstratio particularis est potior vniuersali. Hæc igitur de perfectione & dignitate demonstrationis vniuersalis super particularem dicta sint.

Quantum ad secundum inuestigandum est si demonstratio affirmatiua est perfectior quam negatiua, vel econuerso. Sed antequam deueniamus ad resolutionem propositi aduerte quòd demonstratio affirmatiua est syllogismus formatus in modo, per quem ex præmissis affirmatiuis concluditur conclusio affirmatiua siue vniuersalis siue particularis, vt in prima figura per Barbara & Darij. Demonstratio autem negatiua est syllogismus formatus in modo, per quem concluditur conclusio negatiua ex altera præmissarum negatiua, & altera affirmatiua, quoniam ex solis negatiuis nihil sequitur. Vnde in prima figura fit demonstratio negatiua per celarent & ferio, & per omnes modos secundæ figuræ.

Demonstratio affirmatiua potior est negatiua.

His declaratis ponitur hæc conclusio ad mentem Aristotelis in primo posteriorum. Demonstratio affirmatiua est simpliciter ex absolutè nobilior negatiua, & probatur quinque rationibus.

Primò sic. Demonstratio affirmatiua procedit cæteris paribus ex paucioribus, ergo est dignior, & perfectior quam negatiua, Probatur consequentia. Quæ procedit ex paucioribus magis appetitur ab intellectu, eo quod clarius & citius facit scire, ergo est nobilior. Antecedens autem sic probatur, licet vtraque demonstratio procedat ex tribus terminis, qui sunt maior & minor extremitas, & medium, & ex duabus præmissis, tamen quo ad qualitatem, & quantitatem attentam ex parte medij, negatiua est ex pluribus. Quo ad qualitatem quidẽ, quoniã affirmatiua syllogizatur ex puris affirmatiuis, negatiua autem ex affirmatiua & negatiua, quoniã ex puris negatiuis, nihil sequitur. Quo ad quantitatem verò attentam ex parte medij, quoniam in affirmatiua pauciora media sufficiunt. Verbi gratia. Si volo demonstrare istam, Omnis homo est substantia, tria media sufficiunt, quæ sunt animal, corpus animatum, & corpus: si autẽ demonstro istã, Nullus homo est quãtitas, oportet vltra prędicta tria addere

substantiam, vt fiat resolutio totalis. Vnde postquam probatum fuerit quòd nullus homo est quantitas, quia est animal, & quia est corpus animatum, & quia est corpus, quorũ nullum est quantitas, oportet vltimo sic resoluere, Nulla substantia est quantitas, hæc est immediata: Omnis homo est substantia, hæc est resoluta per tria media prædicta, ergo nullus homo est quantitas. Constat quomodo affirmatiua est ex paucioribus, & negatiua ex pluribus, ex consequenti est dignior.

Secundò sic. Propositio affirmatiua digniori modo syllogizatur quam negatiua, ergo demonstratio affirmatiua est dignior negatiua. Patet consequentia, quoniam conclusio demonstrationis affirmatiuę est propositio affirmatiua, ergo si propositio affirmatiua dignius syllogizatur quam negatiua, pari modo demõstratio affirmatiua est nobilior, quoniã & demonstratio est syllogismus. Antecedẽs vero probatur. Nã affirmatiua per solas sibi similes id est per solas affirmatiuas syllogizatur. Negatiua autem non per solas negatiuas, sed oportet alteram præmissarum esse affirmatiuam, ergo dignius syllogizatur affirmatiua quam negatiua.

Tertiò sic. In augmento & resolutione demonstrationis affirmatiuæ non requiritur aliqua propositio negatiua, quoniam per solas affirmatiuas potest augeri. In augmento autem demonstrationis negatiuæ necessariò requiritur propositio affirmatiua, quoniam per solas negatiuas non potest augeri, imò requiruntur plures affirmatiuæ, quam negatiuæ. Nam si volo augmentare hanc demõstrationem negatiuam nullum animal est quantitas, omnis homo est animal, ergo nullus homo est quantitas, oportet ma. probare per vnã affirmatiuam & alteram negatiuam, sic arguendo, Nulla substantia est quantitas, omne animal est substãtia, ergo nullum animal est quantitas. mi. verò per duas. affir. sic arguendo, Omne sensitiuum est animal: Omnis homo est sensitiuus: ergo omnis homo est animal. Cum igitur negatiua indigeat affir. in sui augmento & resolutione, & non econuerso, constat affirmatiuam esse nobiliorem.

Quartò sic. Principium demonstra. affirmatiuæ est propositio affirmatiua. Principium autem demonstra. negatiuæ est propositio negatiua. Sed propositio affirmatiua est dignior negatiua, ergo demonstra. affirmatiua est dignior negatiua, Maior quidem constat ex eo quòd hoc primum principiũ affirmatiuum, De quolibet verificatur esse vel nõ esse, est principium super quod stabilitur, & ad quod resolutur omnis demonstratio affirmatiua, vt tibi declarabitur in quarto metaphysicæ. Hoc autem primum principium negatiuũ, Non contingit, id est non est possibile idem simul esse & non esse est illud super quod fundatur omnis demonstratio negatiua. Mi. autem sic probatur ad mentem Aris. propositio affir. est prior & notior negatiua, quoniam per affirmatiuam probatur negatiua & non econuerso, ergo est dignior. præterea affirmatiua dicit esse, negatiua autem non esse, sed prius & nobilius est esse quam non esse, ergo affirmatiua propositio prior & nobilior est negatiua.

Cum igitur propositio affirmatiua sit causa & principium demonstrationis affirmatiuæ, sequitur eam esse digniorem. Nobilioris enim causæ & principij est nobilior effectus.

Quintò sic. Demonstratio affirmatiua non dependet à negatiua, sed econuerso, ergo est dignior negatiua. Patet consequentia, quia dignius est non dependere quam dependere. Vnde & independentia arguit summam perfectionem in causa prima, vt tibi manifestatur in duodecimo, lib. metaphysicæ. Antecedens autem sic probatur. Non potest fieri demonstratio negatiua sine propositione affirmatiua, quoniam necesse est alteram præmissarum esse affirmatiuam, quæ non potest demonstrari nisi per demonstrationem affirmatiuam, Demonstratio autem affirmatiua fit sine aliqua propositione negatiua, vt patet in Barbara & darij, ergo constat demonstra. affirmatiuam non dependere à negatiua, sed bene econuerso. Ex his ergo rationibus patet demõstra. affirmatiuam esse potiorem negatiua.

Quãtum ad tertium inuestigandum est si demonstratio ostensiua est nobilior ducente ad impossibile, vel econuerso Hic igitur duo agẽda sunt primò declarandũ est quomodo differãt & quomodo fiãt, secũdò determinabitur propositũ.

Pro euidentia primi aduerte quòd secũdum Aristotelem in primo posteriorum. Demonstratio ostensiua & ducẽs ad impossibile differunt in quatuor. Primò differũt in hoc quod per ostensiuam concluditur conclusio manifeste vera & necessaria, siue sit demonstratio ostensiua affirma. siue negati. Per ducentem ad impossibile concluditur conclusio manifeste falsa & impossibilis. Exemplum de ostensiua affirmatiua. Omne sensitiuum est animal, omnis homo est sensitiuus, ergo omnis homo est animal. Exemplum de negatiua, Nullũ rationale est asinus: Omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est asinus. Exemplum de ducente ad impossibile. Pono quod tu neges istam, Animal rudibile non est homo, & concedas suam contradictoriam, scilicet omne animal rudibile est homo, tunc arguitur sic. Omne animal rudibile est homo, omnis asinus est animal rudibile: ergo omnis asinus est homo, patet quòd hæc conclusio est falsa & impossibilis. constat ergo quòd demonstratio ducens ad impossibile concludit conclusionem manifestè falsam, & impossibilem.

Secundò differunt in hoc quod in ostensiua præmissæ sunt notiores quò ad veritatem ipsa conclusione. Nam veritas conclusionis pendet ex veritate præmissarum, sed propter quòd vnumquodque & illud magis: In ducente verò ad impossibile oportet conclusionem magis constare esse falsam & impossibilem, quam aliqua præmissarum. Verbi gratia notius est hanc conclusionem esse falsam & impossibilem, omnis asinus est homo, quam istam omne animal rudibile est homo.

Tertiò differunt in hoc quod in ostensiua est processus secundum naturam, scilicet ex prioribus, & notioribus quo ad veritatẽ. Nam vt declarabitur tibi in primo Physicorũ, In nata est nobis via procedendi à notioribus, &c. In ducente, autem ad impossibile est processus contra naturam, quia nõ ex magis notis, quo ad veritatem, sed quo ad falsitatem. Nam ex conclusione manifestè falsa, retorquemus argumentum ad declarãdum falsitatem alicuius præmissæ, vt tibi declarabimus infrã.

Quartò differunt in hoc quòd ostensiua completur vnica argumentatione facta in modo & in figura, ea autem, quæ est ducens ad impossibile, non completur nisi pluribus factis argumentationibus, quòd tibi manifestabitur declarando quomodo vtraque fiat.

Tu igitur aduerte quòd ostensiua fit solum ex tribus terminis ordinatis in modo & in figura. ex qbus formantur duę præmissę concludentes affirmatiuam veram, & necessariam siue negatiuam. Exemplum de affirmatiua, Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. Exemplum de negatiua. Nullum animal est lapis. Omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis. Vtraque est ostensiua, quoniam vtraque completur vnico discursu.

Ducens autem ad impossibile non completur nisi quatuplici discursu, per quem manifestatur, & inquiritur veritas alicuius prius negati. Prima argumentatio est syllogismus concludens manifestum impossibile, vt hic, pono quod tu neges hanc. Aliquod animal non est homo, tunc sumo eius contradictoriam, quæ est hæc, Omne animal est homo, tunc arguo sic, omne animal est homo: sed asinus est animal: ergo asinus est homo. Secunda argumentatio est hæc consequentia. Hæc conclusio est falsa, ergo aliqua præmissarum est falsa. Patet consequentia, quoniam ex duabus præmissis veris non potest concludi conclusio falsa stante bono modo arguendi; quoniam ex veris non concluditur nisi verum. Tertia argumentatio est hæc consequentia, Sed in prima argumentatione minor non est falsa, ergo maior quæ fuit hæc, Omne animal est homo: quarta argumentatio est consequentia qua concluditur illud esse verum, quod prius negatum fuerat. Verbi gratia, Ita maior est falsa, omne animal est homo, ergo hæc est vera, aliquod animal non est homo, quæ est eius contradictoria, quæ prius fuerat negata. Patet consequentia, quoniam lex contradictoriarum est hæc, in omni materia si vna est falsa, altera est vera, & econuerso.

Nota modũ demonstrationis ducẽtis ad impossibile.

Quantum ad secundum determinabimus propositum duplici conclusione, Prima est, Demonstratio ostensiua negatiua, dignior est demonstratione ducente ad impossibile. probatur, procedit ex veris & magis notis præmissis quam sit ipsa conclusio, aliter non causaret in nobis scientiam de conclusione, hoc autem est falsum, quoniam iste est finis demonstrationis, ea autem quæ ducit ad impossibile, procedit ex falsitate conclusionis magis nota quam sit falsitas alicuius præmissæ, vt docuimus supra. Sed dignius est procedere ex maiori notitia præmissarum secundum veritatem, quam ex maiori notitia conclusionis secundum falsitatem, ergo demonstratio ostensiua negatiua est dignior ea quæ ducit ad impossibile.

Demonstratio ostensiua negatiua digniorẽ ducẽte ad impossibile.

Secunda est, demonstratio ostensiua affirmatiua dignior est

est ea, quæ ducit ad impossibile. probatur, Demonstra. affirmatiua. ostensiua dignior est negatiua, vt probatum est supra quinque rationibus, vt negatiua est dignior ducente ad impossibile per conclusionem præcedentem, ergo multo magis affirmatiua ostensiua est dignior ducente ad impossibile. Nam si est dignior digniore, longe amplius est dignior indigniore, qualis est illa, quæ ducit ad impossibile. Constat igitur tibi quod demonstratio vniuersalis est dignior particulari, & affirmatiua quam negatiua, & ostensiua quam ducens ad impossibile. Hæc de præsenti capite dicta sint.

CAPVT XII.

De comparatione scientiarum adinuicem.

IN hoc capite agendum est de fine demonstrationis quę est scientia per ipsam acquisita. Consequens enim fuit, vt postquam actum est de causa ageremus de eis effectu. Tu igitur aduerte quòd Aristoteles in primo Posteriorum de scientia, quinque pertractat, Primò de certitudine comparando scientiam ad scientiam, quæ nam earum sit certior. Secundò quæ scientia sit vna, & quæ non. Tertiò de quibus potest esse scientia, & de quibus non. Quartò de vnitate, & pluralitate principiorum scientiarum. Quintò de differentia, & distinctione scientiæ ab aliis habitibus intellectus, quale sunt opinio, & intellectus & ars, &c. De quibus pertractatur in sexto Ethicorum.

Quæ scientia certior.

Quantum ad primum aduerte, quòd ad mentem Aristotelis vna scientia potest esse certior altera vno trium modorum. Primò, quia vna de eadem conclusione dicit quid & quia, altera autem tantùm quia, & hoc modo scientia subalternans est certior subalternata. Puta de hac conclusione vulnus circulare tardius sanatur, Geometra est certior quam chirurgicus. Nam chirurgicus scit, & experitur solùm quia sic est, sed geometra scit quia sic est, scit propter quid, scilicet quoniam circulus caret angulis, ideo in vulnere circulari partes tardius propinquant, & clauduntur, cuius oppositum contingit in vulnere triangulari vel quadrangulari. secundò quia vna est de subiecto abstracto, altera est de subiecto applicato materiæ sensibili, & hoc modo scientiæ puræ mathematicæ, quales sunt arithmetica, & geometria certiores sunt scientiis mediis, quales sunt perspectiua, & musica, & astrologia. Nam arithmetica est de numero simpliciter, & abstractè, musica autem est de numero applicato voci, vel sono per cõsonãtia. Geometria est de magnitudine visuali, & simpliciter, perspectiua autẽ est de linea, & linea, astrologia est de figura, & magnitudine cæli, & de numero motuum cælestium. tertiò quia vna est de subiecto simpliciori, vel de paucioribus, alia autem quia addit supra subiectum prioris, & vt sic est de pluribus, & hoc modo arithmetica est certior, & prior, quam geometria. Nam vnitas, quæ est primum consideratum ab arithmetico simpliciter est quam punctum. Vnitas enim est ens indiuisibile. Punctum autem super vnitatem addit positionem, siue determinatum situo in continuo, vt tibi declarabitur in quarto Physicorum.

Constat igitur tibi quòd tribus modis vna scientia est certior, & prior altera.

De scientiarũ vnitate, & prioritate

Quantum ad secundum duo inuestiganda sunt, primò vnde habet scientiam vnitatem suam, secundò vnde trahit distinctionem ab alia.

Quantum ad primum aduerte quòd ad mentem Aristotelis in primo posteriorum, illa scientia est vna, quæ habet vnum subiectum circa quod versatur. vt physica est vna scientia, quia versatur circa ens mobile, & arithmetica est vna scientia, quia versatur circa numerum. ex opposito geometria, & arithmetica non sunt vna, sed duæ scientiæ, quoniam non versantur circa vnum, sed circa duo subiecta, quorum vnum est magnitudo, & alterum numerus.

Subiectũ scientiæ tria exigit.

Sed aduerte ad hoc quòd aliquid sit subiectum in aliqua scientia tria requiruntur. primò quod sit vniuocum, vel saltem analogum. Vnde si est æquiuocum non potest esse subiectum in scientia. Nam oportet subiectum considerari in scientia secundum vnam rationem formalem, æquiuocum autem non dicit vnam, sed plures rationes formales, vt declarabimus tibi in antepræd icamentis, & ideo non est subiectum in aliqua scientia. Dixi vel saltem analogum, vt seruetur vnitas metaphysicæ, cuius subiectum est ens, quod est analogum substantiæ, & accidenti, vt tibi declarabitur in quarto Metaphysicæ, quòd tamen dicit vnam rationem formalem, licet non æqualiter participatam à substantia, & accidente, sed prius conuenit substantiæ, posterius autem accidenti: est enim ens, cui debetur esse. secundò oportet quod habeat aliquas partes vel essentiales, vel subiectiuas: essentiales quidem sunt, ex quibus ipsum subiectum componitur, vt forma, & materia sunt partes essenciales entis mobilis, vt tibi declarabitur in primo Physic. Subiectiuæ autem sunt, in quas diuiditur subiectum scientiæ, vt genus in species, sicut diuiditur ens mobile in ens mobile ad vbi, & in ens mobile ad formam. Sed hæc tibi declarabuntur in principio philosophiæ naturalis. subiectum igitur scientiæ debet habere partes essentiales, aut subiectiuas. tertiò oportet quòd habeat passiones proprias demonstrabiles de subiecto. Hic est enim terminus scientiæ: vt scilicet, per demonstrationem notificentur passiones de subiecto, puta quòd triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis.

Item aduerte quòd non quæcunque vnitas subiecti dat vnitatem scientiæ, sed vnitas formalis. Nam stat quod eadem res cadit sub consideratione distinctarum scientiarum secundum quod consideratur sub distinctis rationibus formalibus. Puta homo consideratur à logico vt est species, à physico, vt est compositũ ex materia & forma, à medico vt est corpus sanabile & ægrotabile. A metaphysico vt est naturæ intellectualis. Vnitas ergo scientiæ trahitur ex vnitate subiecti non materiali, sed formali. Vnde sicut obiectum se habet ad potentiam, sic subiectum ad scientiam. Potentia autem trahit vnitatem ab vnitate formali, & non materiali ipsius obiecti sicut tibi declarabitur in secundo de Anima, eodem modo scientia dicitur vna ex vnitate formali, & non materiali sui subiecti. Constat igitur tibi vnde sumitur vnitas scientiæ.

Quantum ad secundum declarandum est vnde sumitur distinctio vnius scientiæ ab alia. Tu igitur aduerte, quòd ad mentem Aristotelis in primo Poster. Scientię accipiunt distinctionem ex principiis, ita scilicet, quòd si habent diuersa principia, quibus probantur conclusiones suæ, sunt distinctæ scientiæ. Pro cuius notitia aduerte, quòd si sint distinctissimæ naturæ, vt elementum, & cælum, homo & lapis, & tamen sub eadem ratione formali considerentur, quæ ratio dicitur principium scientiæ, ad eandem scientiam spectant, puta vox humana, & sonus organi ad eandem scientiam musicæ spectant: quoniam considerantur vt proportionabiles in consonantiis. Si autem si vna res, quæ possit secundum diuersam rationem considerari, non spectat vt sic ad vnam, sed ad distinctas scientias. nam diuersæ rationes formales sunt distincta principia, quibus diuersificantur scientiæ. Verbi gratia, Quia terra vt rotunda per aliud principium consideratur à physico, & per aliud ab astronomo, vt tibi declarabitur in secundo Physicorum, ideo spectat vt sic ad distinctas scientias, & distinctę sunt realiter physica, & astrologia. Hinc est quod eadem conclusio potest in diuersis scientiis demonstrari per diuersa media, quę sunt diuersa principia formalia. Puta hęc conclusio, terra est rotunda, demonstratur à physico per hoc principium, quoniam est grauis, & partes se comprimunt in centro mundi. Eadem demonstratur ab astrologo per hoc principium, quoniam per ipsam circulariter eclipsatur luna: eclipsis enim lunæ causatur ex interpositione terræ diametraliter inter solem, & lunam. Constat igitur quomodo causatur vnitas scientiæ ex vnitate subiecti & vnitate principiorũ.

Sed aduerte quòd vt inquit Aristoteles duo requiruntur ad hoc quod diuersa principia causent distinctionem vnius scientiæ ab alia. Primò quòd talia principia non fluant ex eisdem principiis prioribus in eodem genere scibili. Hac de causa scientia de triangulo non distinguitur à scientia de quadrato, quoniam licet per aliud principium probentur passiones trianguli, & per aliud passiones quadrati, tamen huiusmodi principia deriuantur ex eisdem principiis figuræ, & ideo consideratio de figura tam in genere, quam in specie, spectat ad scientiam geometriæ. secũdò requiritur quòd principia vnius rei, vt scibilis est non deriuentur ex principiis alterius rei scibilis. Hac de causa scientia de ysochelle non distinguitur à scientia de triangulo, & scientia de homine apud physicum non distinguitur à scientia de animali, & aduerte quòd hic intendimus de vnitate, & distinctione generica in scientiis. De vnitate autem, & distinctione tam generica, quam specifica pertractabitur in libro sexto primæ Philosophiæ.

De quibus scientia sit.

Quantum ad tertium inuestigandum est de quo sit scientia, & de quo non. Nam vanum fuisset pertractare de vnitate, & distinctione scientiæ, si de nullo posset haberi scientia. Hic igitur duo pertractanda sunt, primò de quo possit esse scientia, secundò de quo non.

Quantum ad primum aduerte, quòd de omni eo potest haberi scientia, de quo potest esse demonstratio, quoniam ipsa facit scire, vt docuimus suprá. Demonstratio autem est de vniuersali, & ente per se, & necessario, vt in capite tertio declaratum tibi fuit, ergo de his quæ sunt entia per se vniuersalia, & necessaria, vt sunt genera, & species rerum mathematicalium, & naturalium, potest haberi scientia.

Quantum ad secundum aduerte, quòd Aristoteles in primo posteriorum duo excipit de quibus non potest haberi scientia. Primum est quod est a fortuna vel casu, vt de inuentione thesauri dum foditur sepulcrum. Scientia haberi non potest, secùdum est singulare sensibile quod per sensum primo & directè cognoscitur.

Et quidem quod de eo, quòd est à fortuna, vel à casu non possit haberi scientia probatur sic, omnis scientia est de eo quod est necessarium, & per se, & semper vel frequenter. De hoc enim tantùm habetur demonstratio quæ facit scire, vt diximus supra in cap. tertio. Sed quòd est a fortuna vel casu, neque est necessarium, sed cõtingens neque est per se, sed per accidens, neque est semper, neque vt in pluribus, sed raro, & in paucioribus, & hæc omnia declarabuntur tibi in libro secundo Physicorum in cap. de fortuna, ergo de ente fortuito, & casuali non potest haberi scientia, ex consequenti, nec demonstratio.

Quod autem de singulari sensibili inquantum singulare sensibile est nõ possit haberi scientia probatur sic. Scientia non potest haberi per sensum, sed sensibilia singularia cognoscuntur per sensum, ergo de eis non potest haberi scientia. ma. probatur, quia scientia nõ potest haberi nisi per virtutem animæ apprehendentem vniuersale, & potentem habere conceptũ vniuersalem. Sed sensus non potest apprehendere vniuersale, nec habere conceptum vniuersalem, vt tibi declarabitur in 3. de Anima, eo q̃ est potentia alligata organo corporali, & ideo non apprehendit, nisi cum conditionibus singularibus, quæ sunt hic, & nunc a quibus abstrahit vniuersale. Quòd enim semper, & vbiq; est hoc vniuersale dicimus, ergo scientia non potest haberi per sensum. Quòd autem sensibilia singularia cognoscantur per sensum patet ex experientia, Neque enim visus videt colorem, vt color est. Hoc enim ad intellectũ spectat, cuius obiectum est natura vniuersalis. Videt autem hũc vel illum colorem, idem intellige de quolibet alio sensu. Constat igitur tibi quare de ente fortuito, & de singulari sensibili non datur scientia.

Et aduerte, quòd Aristoteles ex secunda conclusione, scilicet quòd de singulari sensibili non potest haberi scientia, trahit tria corollaria.

Primum est, sentire non est scire, & hoc est contra antiquos de quibus dicemus in tertio de Anima, quòd non distinguebant inter sensum, & intellectum. Nam sentire est cognitio particularis de re, scire autem est cognitio vniuersalis, quòd Aristoteles duplici exẽplo manifestat. Primum, est si quis visu cognoscat hunc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, propter hoc non sciret omnem triangulum habere tres æquales duobus rectis, quia per sensum non potest apprehendere causam vniuersalem huius passionis, sed per intellectum, qui ex singularibus venatur vniuersale, vt dicemus. Secundum est, si essemus in luna, & videremus ipsam eclipsari, cognosceremus quidem ipsam nunc eclipsari, non tamen haberemus scientiam de eclipsi: quoniam propter hoc nesciremus causam vniuersalem eclipsis quæ est interpositio diametralis terræ inter solem, & lunam. Hanc enim causam vniuersalem non solo sensu, sed per intellectum comperimus.

Secundum corollarium est hoc, licet sensus sit causatiuus scientiæ, quia omnis nostra cognitio originatur à sensu, & propositio vniuersalis habetur ex multis singularibus apprehensis per sensum, vt declarabitur tibi in 1. Metaphysicæ, tamen notitia scientifica est nobilior, & honorabilior. scientifica enim est de vniuersali, sensitiua autem de singulari. Vniuersalis autem est honorabilior; quoniam dicit causam. Vnde tibi declarabitur in 1. Metaphysic. quòd sapiens est qui scit vniuersalia, & maximè vniuersalia.

Tertium corollarium est hoc, licet non sit possibile per solum sensum scire aliquam conclusionem demõstrabilem, tamen sensus plurimum nobis confert ad sciendum. Prima pars constat ex primo corollario, quia per solum sensum non possimus apprehendere causam vniuersalem, quæ est medium demonstrandi (demonstramus enim risibile de homine per hanc causam formalem, quia scilicet est animal rationale,) quod homo est risibilis, secunda autem pars manifestata est in cap. de ignorantia, vbi declaratum est, quòd deficiẽte nobis aliquo sensu, necesse est deficere nobis scientiam obiecti illius sensus: ergo ex opposito si habemus talem sensum puta visum, confert nobis ad acquirendam scientiam illius sensus.

Quantum ad quartum inuestigandum est de vnitate & pluralitate principiorum sciẽtiarum. nam dictum est illam scientiam esse vnam, quæ est vnius subiecti, & habet eadem principia, illas autem esse distinctas, quarum diuersa sunt principia. necesse est ergo inuestigare si omnium scientiarum sunt eadem vel diuersa principia, vt possimus sustinere vnitatem & distinctionem in scientiis. *De vnitate & distinctione principiorũ in scientijs.*

Pro resolutione propositi, formantur quatuor conclusiones ad mentem Aristotelis.

Prima est: Impossibile est omnium syllogismorum esse eadem principia.

Secunda est, Impossibile est omnium syllogismorum falsorum esse eadem principia.

Tertia est, Impossibile est omnium syllogismorum verorum esse eadem principia.

Quarta est, Impossibile omnium scientiarum esse eadem principia.

Prima sic probatur, syllogismorum, quidam sunt veri & quidam falsi ex primo Elenchorum: sed verorum principia sunt vera, & falsorum falsa, quoniam vt declaratur in primo priorum, syllogismi veri non possunt fundari in falso. Nam ex vero non sequitur nisi verum, & falsi non possunt fundari in vero: quoniam ex vero non sequitur falsum. *Non omnium syllogismorũ sunt tali principia.*

Sed aduerte, quòd syllogismus potest dici dupliciter falsus: primò ex forma, scilicet quando non fit in modo debito & figura, vt si arguatur ex puris particularibus, aut puris negatiuis, & tunc non inconuenit ex præmissis veris concludere falsum, vt hic. Nullus lapis est animal, nullus homo est lapis, ergo nullus homo est animal. secundò, ex materia, scilicet quando fit in modo debito & figura & tamen præmissæ sunt falsæ, aut altera est falsa, & tunc non est possibile quòd ex præmissis falsis concludatur verum nisi raro, neque ex veris nisi verum, aliter talis modus in quo fieret, esset inualidus & inutilis modus arguendi. Quando igitur dicit Aristoteles quòd syllogismi falsi non possunt fundari in vero, intendit de falsis ex materia: quasi dicat, stante debito modo & debita forma arguendi ex falsis non concluditur verum, neque ex veris falsum, sed ex veris verum. Quòd si ex falsis aliquando concluditur verum hoc erit raro, vt hic. Omnis lapis est animal, omnis homo est lapis: ergo omnis homo est animal. Nam, vt dicit Aristoteles si vera conclusio syllogizatur ex præmissis falsis, hoc fiet tantùm in primo syllogismo, quoniam si præmissæ falsæ syllogizabatur, hoc fiet ex præmissis falsis, & sic præter quàm in primo syllogismo ex falsis semper concludetur falsum. Verbi gratia. Syllogizet quis minorem præpositi argumenti, scilicet omnis homo est lapis, sic arguet. Omne album siue omne durum est lapis, omnis homo est albus, siue omnis homo est durus, ergo omnis homo est lapis. constat præmissas esse falsas, & conclusionem esse falsam. Ex prædictis ergo constat, quòd non omnium syllogismorum sunt eadem principia.

Secunda conclusio: scilicet q̃ non omnium syllogismorum falsorum sunt eadem principia, probatur sic. Quædam conclusiones non solùm sunt falsæ, sed etiam contrariæ & incompossibiles: vt istæ, iustitia est iniustitia, timor est audacia, homo est asinus, æquale est maius eo. cui est æquale. Sunt autem incompossibiles, quoniam oppositum prædicatur de opposito, ergo principia per quæ syllogizantur hujusmodi conclusiones contrariæ & impossibiles non sunt eadem. patet consequentia, quoniam contrariorum & impossibiliũ contrariæ sunt causæ & principia. Videmus enim quòd quoniam sanitas & ægritudo sunt contrariæ, eorum causæ & principia non sunt eadem, sanitatis enim principium & causa est humorum contemperantia, ægritudinis autem intemperantia. Constat igitur quòd non omnium syllogismorum falsorum sunt eadem principia.

Tertia conclusio, scilicet non omnium verorum syllogismorum sunt eadem principia, probatur multipliciter ad mentem Aristotelis, primo sic, Punctus est principium verorum syllogismorum pertinentium ad quantitatem continuam quam considerat Geometra: incipit enim eius consideratio à pũcto, sicut Grammaticì à literis. Vnitas autem quæ est principium numeri quantitatiui, est principium verorum syllogismorum pertinentium ad quantitatem discretam quam considerat Arithmeticus. Sed punctus non est idem

idem cum vnitate, quæ est principium numeri quantitatiui, quoniam punctus supra indiuisibilitatem addit positionem in continuo, vnitas autem abstrahit à positione, & dicit solùm ea indiuisibiles in genere quantitatis: vt tibi declarabitur in decimo metaphysicę, ergo non sunt eadem principia, omnium verorum syllogismorum.

Secundò sic. Principia communia, vt de quolibet est vera affirmatio vel negatio, & non contingit idem simul esse & non esse, non sunt sufficientia ad omnem conclusionem demonstrandam, quia non ingrediuntur demonstrationem formaliter, sed virtualiter, vt declaratum est supra, ergo vltra principia communia, requiruntur principia propria. Sed diuersarum scientiarum sunt principia propria diuersa, diximus enim supra quod vna scientia distinguitur ab alia propter distinctionem propriorum principiorum. Ergo non omnium syllogismorum verorum sunt eadem principia.

Tertiò sic. Conclusiones veræ distinguuntur in veras contingentes: vt coruus est niger, & in veras necessarias: vt triangulus habet tres æquales duobus rectis. Sed contingentes syllogizantur per principia contingentia, & necessariæ per necessaria, aliter non proportionarentur ad inuicem, ergo non omnium verorum syllogismorum sunt eadem principia. Constat enim non esse idem contingens & necessarium cum sint opposita.

Nõ omniũ scientiarũ sunt eadẽ principia. Quarta conclusio, scilicet quòd non omnium scientiarum sunt eadem principia probatur ab Aristotele per rationes proprias, & primò sic. Quæritur si principia Geometrię sunt principia dialecticæ, & si principia dialecticè sunt principia medicinæ, vel non: si non, ergo non omnium scientiarum sunt eadem principia, si sic, ergo conclusiones geometriæ & medicinæ & dialecticæ sunt eadem, quòd constat esse falsum. probatur consequentia. Quæcunq; sunt eadem in tertio sunt eadem inter se, sicut quæ æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se. Sed secundùm te, omnes conclusiones geometriæ & medicinæ & dialecticæ sunt eadem in principiis, ergo sunt eædem inter se.

Secundò sic. Non quælibet conclusio ex quolibet principio indifferenter demonstratur, sed determinata ex determinato, puta hæc conclusio, Homo est risibilis, ex hoc quia est rationalis, & hæc, Luna eclipsatur, ex hoc quia interponitur diametraliter terra inter solem & lunam, ergo constat quod non omnium scientiarum sunt eadem principia. Et aduerte quòd hic semper intendimus de principiis propriis. Nam quo ad primum prima principia, omnes scientiæ conueniunt, quoniam fundatur in illis, sed quia non ingrediuntur formaliter demonstrationem, non sufficiunt ad demonstrandum omnes conclusiones.

Tertiò sic. Diuersorum generum scibilium diuersæ sunt scientiæ, vt quoniam quantum continuum differt genere à quanto discreto, ideo differt Geometria ab Arithmetica, ergo non omnium scientiarum sunt eadem principia propria. Probatur consequentia. Nam quia magnitudo differt à numero, ideo geometra habet alia principia, quibus demonstrat suas conclusiones, quam habeat Arithmeticus. Principia quidem Geometræ sunt ista, à puncto ad punctum lineã ducere contingit, Continuum est diuisibile in infinitum, Omnis tota magnitudo est maior sua parte, &c. Principia verò Arithmetici sunt ista, Numerus est multitudo ordinata ex vnitatibus. Partes numeri non copulantur ad vnum terminum communem. Numeri procedunt in infinitum in ascensu, sed non in descensu, &c. Constat igitur tibi quod non omnium scientiarum sunt eadem principia propria.

Scientia quomodo ab omnibus habitibus intellectus distinguitur Quantum ad quintum principale inuestigandum est quo modo differt scientia, quæ est effectus demonstrationis ab aliis habitibus intellectus, quales sunt opinio, & habitus primorum principiorum, qui dicitur antonomasticè intellectus & ars, &c. & hic quatuor agenda sunt. primò declarandum est quomodo & in quo sensu scientia differt ab opinione, & scitum ab opinato. Pro cuius notitia aduerte, quòd opinio potest sumi tribus modis, primò communiter, & sic est habitus cognoscitiuus cum assensu, & hoc modo se habet ad scientiam & fidem & opinionem propriè dictam: vt genus ad species suas. Nam scientia & fides & opinio propriè dicta conueniunt in hoc quod est esse habitum cognoscitiuum cum assensu, licet distinguantur propriis differentijs: vt tibi manifestabitur, secundò sumitur propriè, & sic est apprehensio vnius partis contradictionis cum formidine alterius partis: scilicet timendo ne altera pars sit vera. In quo sensu opinamur, hoc anno futuram abundantiam, cum timore tamen *Scientia, Fides, opinio.*

oppositi. tertiò sumitur strictè, & vt sic est apprehensio veri contingentis inquantum contingens est, & per medium contingens: & generatur in nobis non per demonstrationem, sed per syllogismum topicum. Hac distinctione præposita aduerte quòd ad mentem Aristotelis in primo posteriorum scientia differt ab opinione, & scibile ab opinabili, non primo, sed secundò & tertio modo. De primo quidem constat, quoniam diximus quòd se habet vt genus ad speciem, genus autem non distinguitur contra speciem, quoniam continet eam & prædicatur de illa essentialiter. Quòd autem in secundo & tertio sensu differat sicut oppositum ab opposito probatur sicut, scientia est de vniuersali & necessario, & acquiritur per medium vniuersale & necessarium, opinio autem est de particulari & contingenti & acquiritur per medium particulare & contingens, ergo constat quòd scientia differt ab opinione. Consequentia patet, quoniam conditiones earum sunt oppositæ, ergo differunt. Antecedens autem declaratum est ex superioribus. Dictum est enim scientiam causari ex demonstratione. Determinatũ est autem demonstrationem esse de conclusione vniuersali & necessaria, & ex præmissis vniuersalibus & necessariis. Opinio verò est causata per syllogismum probabilem, cuius conclusio & præmissæ sunt contingentes, vt declarabitur tibi in tractat. de locis. Constat ergo differentia inter scientiam & opinionem, vt arguatur sic: Sicut se habet demonstratio ad syllogismum topicum, sic scientia ad opinionem, quia sicut demonstratio est causa scientiæ, sic syllogismus topicus est causa opinionis: sed demonstratio distinguitur à syllogismo topico, ergo & scientia ab opinione.

Sed declarandum est quomodo & in quo sensu intendit Aristoteles scientiam differre ab intellectu. Pro cuius notitia aduerte quod apud Aristotelem intellectus sumitur quatuor modis. primo pro potentia intellectiua, quam in tertio de anima distinguit in intellectum possibilem, & agentem, secundo pro conceptu formato de re intellecta, tertio pro fantasia siue cogitatiua, quam in tertio de anima, vocat intellectum passiuum, quarto pro habitu primorum principiorum de quo pertractat in sexto ethicorum. Licet autem scientia vt est habitus per demonstrationem acquisitus differat realiter ab omnibus his quatuor modis quibus dicitur intellectus, tamen intentio Aristotelis in primo posteriorum est manifestare quomodo differt ab intellectu sumpto quarto modo, manifestatur autem triplici ratione: primò sic, intellectus quarto modo sumptus cum sit habitus primorum principiorum, in quibus fundantur omnes scientiæ, vt patet in quarto metaphysicæ, est principium scientiæ: sed scientia non est principium scientiæ, quia nihil est principium sui ipsius, aliter idem esset prius & posterius: ergo scientia non est intellectus quarto modo.

Secundò sic. Intellectus quarto modo est circa indemonstrabilia, quoniam cognitio primorum principiorum non acquiritur per demonstrationem, sed solo lumine intellectus agentis. Vnde se habent vt ianua in domo, in qua non errat, quoniam omnibus patet. Sed scientia est circa demonstrabilia, cum sit habitus conclusionis demonstratæ, ergo scientia non est intellectus.

Tertiò sic. Intellectus est de propositionibus immediatis, id est quæ per nullum medium notius probari possunt. Sed scientia est de propositionibus mediatis. Est enim de conclusionibus demonstrabilibus ex veris & notioribus vt docuimus supra, ergo scientia non est intellectus quarto modo sumptus. Constat ergo tibi quomodo differt scientia ab opinione & ab intellectu.

Tertiò declarandum est quomodo scientia, opinio & intellectus conueniunt & disconueniunt. Tu igitur aduerte quod ista tria conueniunt in hoc, quòd sunt circa verum, sed differenter. Nam scientia & intellectus sunt semper circa verum. Opinio autem est circa verum non infallibiliter, sed non repugnanter. Licet enim contingat ipsam esse falsam, tamen non repugnat ipsam esse veram. Vnde opinio vt opinio abstrahit à veritate & à falsitate. Item differunt, quia scientia & intellectus sunt circa necessaria, opinio autem circa contingentia, quæ possunt aliter se habere. Deinde in scientia fit resolutio vsque ad immediata necessaria, in opinione autem vsque ad immediata solum probabilia, quæ vera videntur aut omnibus aut pluribus, non tamen sunt necessaria, possunt enim esse falsa, vt quòd omnis mater diligat filium suum. Inuentæ sunt enim matres occidentes filios: vt Medea.

Quòd autem opinio sit circa contingentia, declarat Aristoteles

ſtoteles primo ex eo, quòd primo aſpectu apparet & eſt in promptu. Nam habitus & obiectum proportionantur, ſed opinio quæ eſt habitus dicit quid incertum & dubium, ergo eſt circa incerta & dubia, hæc autem ſunt contingentia poſſibilia aliter ſe habere, ergo opinio eſt circa huiuſmodi contingentia. ſecundo, quia nullus reputat ſe opinari, ſed firmiter ſcire, quando de aliquo obiecto exiſtimat quod non poteſt aliter eſſe, nec aliter ſe habere, ergo manifeſtum eſt opinionem propriè dictam eſſe circa contingentia, ſcientiam verò circa neceſſaria.

Quartò declarandum eſt ſi de eadẽ re, vel de eodem obiecto, puta de æternitate mundi poteſt haberi ſciẽtia & opinio. Tu igitur aduerte, quòd Ariſtoteles in primo Poſteriorum per quatuor concluſiones reſoluit propoſitum.

Prima eſt, Scientia & opinio non poſſunt eſſe de eodem obiecto ſimpliciter. Probatur ſic. Sicut ſe habent opinio vera & opinio falſa, ſic ſcientia & opinio ex conuenienti ſimilitudine. Sed de eodem obiecto ſimpliciter non poteſt ſimul haberi opinio vera & opinio falſa, ergo neque ſcientia & opinio. Ma. patet, quoniam ſicut opinio vera & falſa opponuntur, ſic ſcientia & opinio, eſt enim ſcientia cognitio certa, opinio autem eſt cognitio dubia & incerta, vt docuimus ſupra. Minor autem ſic probatur, Sicut ſi ſignificatum propoſitionis verę eſſet ſignificatum propoſitionis falſę propoſitio vera eſſet propoſitio falſa, ita ſi de eodẽ obiecto ſimpliciter; id eſt vt ſtat ſub vna conſideratione & vna ratione formali eſſet opinio vera & falſa, opinio vera eſſet opinio falſa, quòd eſt impoſsibile; quoniam implicat contradictionem, ergo de eodem obiecto ſimpliciter non poteſt haberi ſimul opinio vera & opinio falſa, ex conſequenti de eodem non poteſt haberi ſimul ſcientia & opinio. Præterea declarabitur tibi in ſecundo de Anima, quòd habitus & actus diuerſarum rationum accipiunt diſtinctionem à diſtinctis obiectis formalibus, cum igitur ſcientia & opinio, ſcire & opinari ſint habitus & actus diuerſarum rationum, non ſtat diſtinctio inter eas, ſi de eodem obiecto ſimpliciter, id eſt ſecundum eandem rationem formalem poſſet haberi ſcientia & opinio. Propterea dicit Ariſtoteles *in primo Poſterior.* quod eiuſdem opinio & ſcientia non omnino eſt.

Secunda eſt. Scientia & opinio poſſunt eſſe de eodem obiecto quodammodo, id eſt materialiter & non formaliter ſumpto. Sumitur autem materialiter quando conſideratur vt res, puta diameter, vt diameter, ſumitur verò formaliter, quando conſideratur vt ſtat ſub tali, vel tali prædicato, & hæc diſtinctio coincidit cum illa, qua dicitur quòd obiectum ſcientiæ & opinionis poteſt ſumi incomplexè, & hoc eſt ſumere materialiter, puta homo, linea, triangulus: & poteſt ſumi complexè, & hoc eſt ſumere formaliter, puta Diameter, vt commẽſurabilis, homo vt corruptibilis, mundus vt perpetuus.

Stante hac declaratione probatur ſic cõcluſio. De eodem obiecto materialiter ſumpto habetur vera, & falſa opinio, ergo de eodem poteſt haberi ſcientia & opinio. Patet conſequentia ex ſimilitudine, quam declarauimus in concluſione præcedẽti. Antecedens autem probatur. Nam de diametro poteſt quis opinari quòd eſt incommenſurabilis coſtæ: & hæc eſt vera opinio, quia ſic eſt vt opinatur? & de diametro poteſt alius opinari quòd eſt commẽſurabilis coſtæ, & hæc eſt falſa opinio, quia aliter eſt quàm opinatur, ergo de eodem eſt vera & falſa opinio, quia de diametro dummodo non cõſideretur ſub eodem prædicato, ſed ſub diuerſis complexis, quorum vnum eſt hoc. Diameter eſt commenſurabilis, alterum eſt hoc, Diameter eſt incommenſurabilis. Eodem modo dicẽdum eſt quod de eodem materialiter ſumpto ſecundum diuerſam rationem poteſt haberi ſcientia & opinio. Nam ſi quis exiſtimet hominem ita eſſe animal rationale quod non poteſt aliter eſſe, habet ſcientiã huius complexi, homo eſt animal rationale: ſi autem alius exiſtimet hominem ita eſſe animal rationale, quòd poteſt aliter eſſe, habet opinionem de eodem complexo. Conſtat autem quòd exiſtimare non poſſe aliter eſſe, & exiſtimare poſſe aliter eſſe, ſunt diſtinctæ & oppoſitæ rationes formales. Patet igitur quomodo de eodem obiecto ſumpto incomplexe poteſt eſſe ſcientia & opinio per reſpectum ad diuerſa prædicata. Et ſi ſumatur complexè, etiam reſpectu eiuſdem prædicati, ſed ſecundum diuerſam rationem formalem. Et in vtroque ſenſu verum eſt dicere quòd de eodem obiecto materialiter & non formaliter ſumpto poteſt eſſe ſcientia & opinio.

Tertia concluſio eſt. Impoſsibile eſt eundem hominem puta Sortem pro eodem tempore habere ſcientiam & opinionem de eodem obiecto formaliter ſumpto: id eſt, ſecundum idem prædicatum, & ſecundum eandem rationem, probatur, Si Sortes ſcit triangulum habere tres æquales duobus rectis, tenet pro certo non poſſe aliter eſſe, & ſi pro eodem tempore opinatur idem, non tenet pro certo ſic eſſe, quia non ſtat opinio cum totali certitudine, cum ſit contra diffinitionem opinionis propriè ſumptæ, ergo in eodem intellectu ſtant ſimul contradictoria de eadem concluſione: ſcilicet omnimoda certitudo, & non omnimoda certitudo: hoc autem eſt contra principium primum, quod eſt hoc, impoſsibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe: ergo concluſio vera. Dixi pro eodem tempore, quoniam pro diuerſo tempore, id non conuenit. Poſsibile eſt enim quòd Sortes addiſcens opinetur triangulum habere tres, non ratione ductus: ſed quia aſſentit Euclidi ſic dicenti, Quando autem geometriam iam didicit, ita quòd ſciat demonſtrare triangulum habere tres æquales duobus rectis, tunc de eadem concluſione habebit ſcientiam, de qua prius habebat ſolùm opinionem.

Quarta concluſio eſt, poſsibile eſt diſtinctos homines puta Sortem, & Platonem de eodem obiecto reſpectu eiuſdem prædicati, puta de hoc complexo, Triangulus habet tres æquales duobus rectis, pro eodem tempore habere ſcientiam, & opinionem. probatur, Stat quòd Sortes habeat de illa concluſione rationes neceſſarias, vtpote iam factus geometra, ſcit eam demonſtrare, & ſtat quòd pro eodem tempore Plato incipiat addiſcere geometriam, & exiſtimet eandem concluſionem eſſe veram, Non quia ſciat eam demonſtrare, ſed quia audit eam eſſe famoſam apud geometras: ergo de eadem concluſione pro eodẽ tempore Sortes habet ſcientiam, & Plato opinionem. Conſtat igitur tibi: quomodo de eodem obiecto habetur ſcientia & opinio, & quomodo non.

Hæc igitur dicta ſint de diſtinctione ſcientiæ ab opinione, & intellectus. De diſtinctione, autem habituum intellectualium completa: quomodo, ſcilicet diſtinguantur in rationem, id eſt, opinionem & ſcientiam, & intellectum, & artem, & prudentiam, & ſapientiam, Ariſtoteles pertranſit dicens quòd hæc quidem ſcilicet, ſcientia, intellectus, opinio, & ſapientia ſunt phyſicæ conſiderationis. Spectant enim ad librum de Anima, vbi agitur de intellectu. Illa verò, ſcilicet ars, & prudentia, ſpectant ad ethicam. Vnde Ariſtoteles in libro ſexto Ethicorum pertractat de eis diffuſè, & nos de his omnibus conſiderationem fecimus reſolutam in epitomatibus noſtris ſuper ethicam in libro ſexto, vt videre poteris. Vbi peregimus de partibus prudentiæ, & quoniam ſolertia ſpectat ad prudentiam, ſicut & euſtochia, de qua Ariſtoteles vix verbum fecit in ſexto Ethicorum: ideo ne ignota tibi remaneat, diffinit eam in fine primi libri Poſteriorum, & declarat multiplici exemplo. Diffinit autem ſic, Solertia eſt ſubtilitas quædam in non propeſpecto tempore medij. Et intendit quòd ſolertia eſt virtus inuentiua medij ad cõcluſionem in tempore imperceptibili, id eſt, ſtatim, Vnde in ſexto Ethicorum diffiniuimus eam quòd eſt idoneitas cito inueniendi medium, & ſecundum Ariſtotelem ille eſt maximè ſolers, quando cito cognoſcit cauſas medias, & ſcit expeditè reducere in vltimas. Quòd declarat Ariſtoteles triplici exemplo, Primum eſt hoc. Si quis videt Lunam ſplendere ſemper verſus Solem, ſtatim intelligit quòd hoc eſt, quia recipit lumen à Sole, hic dicitur ſolers ſolertia ſpeculatiua. ſecundum eſt hoc, Si quis videt pauperem, & diuitem litigantes ſimul, & ſtatim intelligit quòd hoc eſt quia dies pauperi pecuniam accommodauit, dicitur ſolers practicæ. tertium eſt, Si quis videt duos ante inimicos, & nunc factos amicos, & ſtatim intelligit quòd hoc eſt quia talis, vel talis pacificauit eos, vel quia concorditer conuenerunt, vt perſequantur, & confundant alium, dicitur ſolers practicæ. Conſtat igitur tibi, quid ſolertia ſit, & ſolers.

Solertia.

Sed aduerte quod ſicut eſt duplex iuſtitia, & temperantia: ſcilicet naturalis, & acquiſita. Naturalis quidem eſt qua quis à natiuitate inclinatur ad opera iuſta, & temperate viuendum, acquiſita autem eſt qua quis ex frequentitatis actibus, & longo exercitio efficitur iuſtus, & temperatus, ſic duplex eſt ſolertia: ſcilicet naturalis, & acquiſita, naturalis quidem eſt ingenij ſubtilitas innata ſequens animam intellectiuam dum corpori infunditur, qua idoneus eſt homo ad ſubito inueniendum medium pro aliqua concluſione deducenda tam practica quàm ſpeculatiua, & hic dicitur naturaliter promptus ad ſpeculandum, vel prudenter negociandum, cui opponitur tardius, & hebes ingenio ex ſui genitura. Acquiſita autem eſt promptitudo ingenij cauſata longo exercitio practico vel ſpeculatiuo ad inueniendum cito media opportuna, pro vt occurrit. Hanc ſolertiam habent veterani milites, & experti medici, & exercitati gubernatores rei publicæ. Hæc de præſenti capite dicta ſint.

Iuſtitia naturalis & acquiſita quæ.

CAPVT XIII.

De medio demonſtrationis potiſsimæ.

IN hoc cap. inueſtigandum eſt de medio demonſtrationis potiſsimæ, & hic complebimus conſiderationem noſtram pro nouitiis de ſyllogiſmo demonſtratiuo relinquentes difficiliora lecturæ libri Poſteriorum pro adultis. Tu igitur aduerte quòd in doctrina Ariſtotelis vnum clarum eſt, ſcilicet diſtinctionem eſſe medium. Nam quia demonſtratur paſsio de ſubiecto, vt riſibile de homine, & demonſtratio potiſsima eſt per cauſam, illud erit medium, quod eſt cauſa concludendi paſsionem ineſſe ſubiecto. Hoc autem eſt diſtinctio. Nam quia homo eſt animal rationale, ideo eſt riſibilis. Vtrum autem hoc medium ſit diffinitio ſubiecti tantùm, vel paſsionis tantùm, vel aggregatũ ex vtraque, vel vtraque quodam ordine. non videtur clarum apud Ariſt. & ideo hinc proceſſerunt variæ expoſitorũ ſententiæ, inter quos eſt Lynconienſis, & Egidius, & beatus Thomas, quorum ſententias hic recitabimus, ſed determinabimus ſecundum mentẽ beati Thomæ.

Lynconienſis tenuit medium in demonſtratione potiſsima eſſe diffinitionem ſubiecti, & non paſsionis, quod videtur eſſe de mente Ariſtotelis in prologo primi de Anima, vbi inquit quòd ipſum quod quid eſt, principium eſt omnis demonſtrationis, & quod diffinitiones, per quas non apparet cauſa accidentium: ſcilicet propriorum ſubiecti, ſunt dialecticæ, & vanæ, & in quarto Phyſicorũ dicit Ariſtoteles quòd tunc pulcherrimè vnumquodque diffinitum eſt, cum ex illa diffinitione apparet cauſa accidentium in ſubiecto. intendit ergo Ariſtoteles, quòd diffinitio ſubiecti dicat cauſam propter quam tale accidens proprium conuenit tali ſubiecto, puta riſibile homini, habere tres triãgulos. Sed illud propter quod ineſt propriam ſubiecto eſt medium in demonſtratione, ergo diffinitio ſubiecti eſt huiuſmodi medium. Et confirmatur quia dicit Ariſtoteles in ſecundo poſteriorũ, quòd medium in demonſtratione dicit quid, & propter quid, & hoc competit diffinitioni ſubiecti. Nam eadẽ diffinitio dicit quid reſpectu ſubiecti. Si enim interrogatur quid eſt homo, reſpõdetur quod eſt animal rationale. ſi autem quæritur propter quid homo eſt riſibilis, reſpõdetur quia eſt rationalis. & vt ſic dicit propter quid reſpectu paſsionis. Hæc fuit ſentẽtia Lynconienſis, quæ vt vera defendetur infrà pro quãto tenet diffinitionem ſubiecti eſſe medium in demonſtratione potiſsima. Pro quanto autem excludit diffinitionem paſsionis non ſuſtinebitur: quoniam id repugnat doctrinæ Ariſtotelis, vt tibi declarabitur præcipuè in doctrinis mathematicis.

Egidius autem in ſecundo Poſteriorum tenet abſolutè contra Lynconienſem ponens hanc concluſionem. Diffinitio paſsionis, & non ſubiecti eſt medium in demonſtratione potiſsima. quàm ſic probat. Scientiæ mathematicæ ſunt in primo gradu certitudinis ſecundum commentatorem in ſecundo Metaphyſic. ſed illæ non demonſtrant concluſiones ſuas per diffinitionem ſubiecti, ſed paſsionis: ergo non diffinitio ſubiecti, ſed paſsionis eſt medium in demonſtratione potiſsima, min. probatur. Nam geometra probans triangulum habere tres æquales duobus rectis. non aſſumit diffinitionem ſubiecti. ſed prædicati ſic demonſtrans, Omnis figura habens angulum extrinſecum æqualem duobus intrinſecis ſibi oppoſitis. habet tres æquales duobus rectis: ſed triangulus eſt talis figura, ergo. &c. ergo conſtat quòd apud mathematicum diffinitio paſsionis eſt medium in demonſtratione potiſsima. Sed aduerte quòd Ariſtoteles in ſecundo poſteriorum non ſolùm in mathematicis, ſed etiam in phyſicis manifeſtat paſsionem demonſtrari de ſubiecto per diffinitionem paſsionis, & non ſubiecti. Dicit enim quod ſi quæratur propter quid Luna eclipſatur, reſpondetur quòd propter interpoſitionem terræ inter Solem & Lunam, hæc autem eſt diffinitio eclipſis, quæ eſt paſsio in Luna. Item ſi quæratur propter quid inter vocem acutam, & grauem inuenitur conſonantia? reſpondetur, quia inter eas datur proportio numeralis, hæc autem eſt diffinitio conſonantiæ.

Cum igitur Ariſtoteles tam in mathematicis quàm in phyſicis ſiue in ſcientiis mediis, quales ſunt aſtrologia & muſica, exempli fiant de diffinitione paſsionis, & non ſubiecti, ſignum euidens eſt: quod eius mens fuit diffinitionẽ paſsionis, & non ſubiecti eſſe medium in demonſtratione potiſsima.

B. Thomas in ſecundo Poſteriorum, lect. prima, tenet quod non ſola diffinitio paſsionis, nec ſola diffinitio ſubiecti, ſed vtraque eſt medium ſufficiens in demonſtratione potiſſima. Hanc igitur opinionem vt veriorem declarabimus & ſuſtinebimus.

Pro eius declaratione aduerte quòd hęc opinio poteſt habere duplicem ſenſum. Primus, quòd vtraque diffinitio non vt diſtincta, ſed vt quid aggregatum ex vtraque ſit medium. Verbi gratia, Medium ad demonſtrandum riſibile de homine, ſit hoc totum, Animal rationale aptum natum ridere, cuius quidem pars prima eſt diffinitio hominis, pars autem ſecunda eſt diffinitio riſibilis. Sunt igitur aliqui dicentes hoc totum eſſe vere medium, & hanc eſſe mentem Ariſtot. & B. Thomæ. Quod probant ſic, Illud eſt vere medium in demonſtratione potiſsima, quod eſt maximè immediatum, & maximè proprium: ſed tale eſt aggregatum ex diffinitione ſubiecti, & paſsionis: ergo, &c. Maior patet. Nam declaratum eſt ſuprà quod demonſtratio eſt ex propriis, & immediatis. Minor autem ſic probatur, tale aggregatum eſt maximè immediatum ſubiecto, ratione diffinitionis ſubiecti, & eſt maximè proprium, ratione diffinitionis paſsionis. Quod ſi eſſet ſola diffinitio ſubiecti, non eſſet maximè propria paſsioni, & ſi eſſet ſola diffinitio paſsionis non eſſet maximè immediata ſubiecto. Vt ergo ſeruetur maxima immediatio reſpectu ſubiecti, & maxima proprietas reſpectu paſsionis, oportet aggregatum ex vtraque diffinitione eſſe medium.

Præterea, medium in demonſtratione potiſsima dicit quid & propter quid ſecundum Ariſtotelem in ſecundo Poſteriorum. Sed aggregatum ex vtraque diffinitione dicit quid de ſubiecto per diffinitionem ſubiecti, & propter quid de paſsione propter diffinitionem paſsionis, ergo tale aggregatum rationabiliter eſt medium in demonſtratione potiſsima.

Sed iſti ſic tenentes, deuiant à mente Ariſtotelis. Nam docuimus ſuprà quod ſecundum eum aliqua diffinitio eſt principium demonſtrationis puta ea quæ datur per formam aut finẽ, & aliqua eſt concluſio. Puta ea quę datur per materiam, hæc enim demonſtratur per formalem, ſicut demonſtrauit Ariſtoteles demonſtrationem eſſe ex veris primis, & immediatis. &c. quia eſt ſyllogiſmus faciens ſcire. Aliqua autem eſt tota demonſtratio poſitione differens, vt ea quæ aggregatur ex diffinitione ſubiecti, & paſsionis. ſicut iſta, Animal rationale aptum natum ridere, aut aggregata ex pluribus diffinitionibus ſubiecti, vt iſta, Ira eſt accenſio ſanguinis circa cor ex appetitu vindictæ: Modo arguitur ſic, Quod eſt tota demonſtratio, non eſt medium, neque principium demonſtrationis: ſed ſecundum Ariſtotelem diffinitio compoſita ex diffinitione ſubiecti, & paſsionis eſt tota demonſtratio poſitione differens: ergo non eſt medium, nec principium demonſtrationis. Præterea, ad mentem Ariſtotelis in ſecundo Poſteriorum medium in demonſtratione potiſsima debet eſſe de diffinitione ſubiecti, & paſsionis. modo debet eſſe definitio alicuius vnius diffiniti. Sed diffinitio aggregata ex diffinitione ſubiecti, & paſsionis non eſt diffinitio vnius diffiniti, ſed plurium vt patet, ergo, &c. ex quo ſequitur quòd licet ſit inconueniens demonſtrare aliquid per diffinitionem aggregatam ex diffinitionibus plurium diffinitorum, non tamen eſt inconueniens quando talis diffinitio eſt aggregata ex pluribus diffinitionibus eiuſdem diffiniti. Verbi gratia hæc concluſio, homo eſt diſciplinabilis, & docibilis poteſt conuenienter ſic demonſtrari, omne animal rationale compoſitum ex humano corpore, & anima intellectiua, eſt diſciplinabile, & docibile, homo eſt tale animal, ergo. &c. Error igitur ſic ſentientium hinc proceſſit quòd crediderunt ita conuenienter poſſe demonſtrari aliquam paſsionem de ſubiecto per diffinitionem aggregatam ex diffinitione ſubiecti & paſsionis, ſicut conuenienter demonſtrari poteſt per diffinitionem aggregatam ex pluribus diffinitionibus ſubiecti, vel paſsionis.

Relicta igitur hac opinione aduerte quòd ſecundus ſenſus prædictæ poſitionis, talis eſt, medium demonſtrationis potiſsimæ eſt vtraque diffinitio: ſcilicet ſubiecti, & paſsionis non vt aggregata, ſed vtraque vt diſtincta, & quodam ordine. Pro cuius euidentia aduerte quòd oportet primò demonſtrare paſsionem de ſubiecto per diffinitionem paſsionis. Verbi gratia, hæc concluſio, homo eſt riſibilis, primò ſic demonſtranda eſt, omne aptum ridere eſt riſibile, homo eſt aptus natus ridere, ergo homo eſt riſibilis. Sed hæc diffinitio paſsionis non ſufficit: quoniam vtraque præmiſſa indemonſt

demonstratione potissima debet esse vel reduci ad immediata. Constat autem quòd in demonstratione præposita licet maior sit immediata: quoniam inter diffinitionem passionis & passionem nullum datur medium, sicut nec inter diffinitionem, & diffinitum, tamen minor non est immediata: quoniam inter subiectum, & diffinitionem passionis cadit diffinitio subiecti. Vnde minor probanda est per diffinitionem subiecti hoc modo. Omne animal rationale est aptũ natũ ridere, homo est animal rationale, ergo homo est aptus natus ridere, & sic patet quo ordine tam diffinitio passionis quàm diffinitio subiecti sint medium in demonstratione potissima, & quòd hoc modo vtraq; præmissa sit immediata. Et hæc fuit mens B. Tho. vt patet in secundo posteriorum lect. prima, & est ad mentem Aristot. cuius signum sumitur ex hoc quod in primo posteriorum tractans de præcognitionibus dixit, quod oportet præcognoscere quid est non est solum de passione, sed etiam de subiecto. quod non oporteret nisi passio concluderetur de subiecto per diffinitionem: deinde diffinitio passionis concluderetur de subiecto per diffinitionem subiecti. Quòd manifestatur sic. si volo demonstrare hanc, Triangulus habet tres æquales duobus rectis, accipiam primò primum pro medio, quod est figura habens angulum extrinsecũ æqualem duobus intrinsecis sibi oppositis, & hoc est veluti diffinitio passionis, quod rursum demonstrandum est per diffinitionem subiecti, id est trianguli arguendo sic. Omnis figura rectilinea tribus lineis contenta, habet angulum extrinsecum æqualem duobus intrinsecis sibi oppositis. Sed triangulus est figura rectilinea &c. ergo &c. Hæc sententia videtur verior, & magis sufficiens, vtpote media concordans cum Lynconiense, quo ad diffinitionem subiecti, & cum Egidio quo ad diffinitionem passionis. Discordat autem à Linconiense in hac exclusiua. Tantum diffinitio subiecti est medium in demonstratione potissima, & ab Egidio discordat in hac exclusiua, solum diffinitio passionis est medium &c. Hæc de præsenti cap. dicta sint, & hic terminatur tractatus de syllogismo demonstratiuo, quem ordinauimus, vt introductorium pro nouitiis ad eam, quæ est apud Aristot. doctrinam in libris posteriorum. Erat mihi propositum post tractatum de syllogismo demõstratiuo, formare tractatum de syllogismo dialectico correspondentem libris Topicorum. Deinde tractatum de syllogismo sophistico correspondentem libris Elenchorum. Verùm quia Petrus Hispanus duos tractatus clarè, & subtiliter disposuit quorum primum tractatum de locis nuncupauit, secundum autem tractatum de fallaciis, quem etiam habemus editum à diuo Thoma: ideo propositũ mutaui, remittens nouitios ad prædictos authores. Laus Deo omnipotenti in sempiterna secula.

Additi sunt hi Tractat⁹ ad studiosorũ optatum commodum.

TRACTATVS
DE LOCIS DIALECTICIS PETRI HISPANI,

Cum Versorij Parisiensis annotationibus, correspondens libris Topicorum Aristotelis, & ad absolutam Logices considerationem huic operi recens additus ad quoruncumque studiosorum optatum commodum.

SVMMA TRACTATVS.

De Syllogismo Topico, seu Probabili: de Multiplicibus Argumentationis, Speciebus, Enthymemate, scilicet, Exemplo, Inductione, Syllogismo; de Locis dialecticis, tam intrinsecis, quàm extrinsecis: Multorum item terminorum, ad omnes artes & scientias communium, vniuersalis notitia.

Huius nominis Ratio Multiplicitas.

RATIO dicitur multis modis. Primò enim modo idem est quòd definitio, vel descriptio. vt hic, vniuoca sunt, quorũ nomen est commune, & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem. Alio autem modo idem est, quòd quædam virtus animæ: Alio modo idem, quòd oratio ostendens aliquid. sicut sunt propositiones, vel rationes disputantium. Alio modo idem est, quòd forma materiæ, vt in cultello ferrum est materia, dispositio verò inducta in ferro est forma. Alio modo idem est, quòd essentia communis prædicabilis de pluribus. vt essentia generis, vel speciei, vel differentiæ. Alio autem modo idem, quòd medium inferens conclusionem. & hoc vltimo modo sumitur ratio in definitione argumenti. Vnde versus,

Definit virtutem ostendit forma vel esse.
Est medium ratio, per quod concluditur ergo.

Quid nam Argumentum, Conclusio, Quæstio, ac Medium sit.

Argumentum est ratio rei dubiæ faciẽs fidem, id est medium probans conclusionem. Conclusio enim debet confirmari per argumentum. Est autem conclusio argumento, vel argumentis approbata propositio. sed antequam probetur est dubitabilis: & tunc est idem quod quæstio. quæstio enim sic definitur, Quæstio est dubitabilis propositio: Medium autem est, quòd habet duo extrema.

De Argumentatione, eiúsque ab Argumento, ac Medio differentia: & quæ eius, & quot species sint.

Argumentatio est argumenti per orationem explicatio, id est oratio explicans argumentum. Differt autem argumentum à medio, & argumentatione: quia medium dicitur, eò quòd habet duo extrema: argumentum autem addit super medium virtutem probandi conclusionem. vnde ad hoc quòd sit argumentum exigitur, quòd sit medium, & quòd habeat virtutem probandi conclusionem. Argumentatio autem dicitur oratio totalis composita ex præmissis, & cõclusione: & in illa manifestatur virtus argumẽti. aliquando enim totalis oratio potest inferre vniuersalem affirmatiuam, aliquando nõ nisi particularem affirmatiuam, aliquando non nisi vniuersalem negatiuam, aliquando verò non nisi particularem negatiuam. Et sic manifestatur tota virtus argumenti, cum ostendit supra quam conclusionem potest ipsum argumentum, & supra quam non potest: quod idem fit in argumẽtatione, vt supra patuit. Argumentationis quatuor sunt species, scilicet syllogismus, inductio enthymema, & exemplum.

Nota differentiam quæ videtur coincidere in idem.

De inductione.

DEfinitio autem syllogismi dicta est prius. Inductio, est à singularibus sufficiẽter enumeratis ad vniuersale progressio, vt Socrates currit, Plato currit, & sic de singulis: ergo omnis homo currit.

Ad hæc vide in secũdo prio. capit. 2. & ibi [...] Docto.

De Enthymemate, Exemplo: & quomodo reducantur ad syllogismum.

ENthymema est syllogismus imperfectus, id est oratio, in qua nõ omnibus præmissis positis infertur conclusio festinata, vt omne animal currit; ergo omnis homo currit. In hac enim argumentatione includitur hæc propositio, omnis homo est animal, quæ, si apponeretur, perfectus esset syllogismus. Aristoteles autem sic definit enthymema. Enthymema est ex icotibus & signis. Icos, autem idem est quod propositio probabilis. Signum autem, vt hic sumitur, idem est quod demonstratiua, vel probabilis, vel necessaria propositio: & hoc in inferendo, vnde signũ communiter, secundùm quòd hic sumitur, dicit necessitatem illationis: icos dicit probabilitatem ipsius propositionis in se, secũdum quam propabilitatem propositio dicitur vera. Vnde licet in enthymemate est tantum propositio vna inferens, & alia illata: tamen secundũ quòd propositio inferens apparet omnibus, vel pluribus esse vera. sic dicitur icos: quia iam, sic est probabilis, vt quilibet diligit diligentem se. Secundum autem quòd ipsa de necessitate infert cõclusionem, sic est signum: & sic eadem propositio est icos, & signum, sed secundum aliud & aliud. Si quis verò obiiciat, quòd debet definiri enthymema sic, Enthymema est ex icotibus, & signis, cùm tã tum sit vna propositio inferens, quæ est icos, & signum secundum diuersa: dicendum est, quòd licet sit tantùm vna propositio inferens actum, habet tamen in se virtutem duarum propositionum, quia habet in se virtutem propriam, & illius quæ subintelligitur: & sic est vna secundũ substantiam, & duæ secundũ virtutem: & ideo dicitur in plurali numero ex icotibus & signis. Sciẽdum autem, quòd omne enthymema debet reduci ad syllogismum, quia in quolibet enthymemate sunt tres termini, sicut in omni syllogismo, quorũ terminorum duo ponuntur in conclusione, & sunt extremitates: aliud autem est medium, quod nunquam ponitur in cõclusione. Illarum autem extremitatum altera sumpta est bis in enthymemate, altera semel: & extremitate semel sumpta, & medio, debet fieri propositio vna secundum exigentiam modi, & sic fiet syllogismus. Verbi gratia, In hoc enthymemate, omne animal currit: ergo omnis homo currit, homo, & currit sunt extremitates, animal est medium, sed extremitas hæc, scilicet homo, sumpta est semel: ergo ex ipsa, & medio fiat propositio vna sic, omnis homo est animal: & tunc completus erit syllogismus sic, omne animal currit: omnis homo est animal: ergo omnis homo currit. Exemplum autem est, quando per vnum particulare probatur aliud particulare, per aliquod simile repertum in ipsis, vt Leodienses contra Astorizenses pugnare malum est: ergo Astorizenses contra Cemotenses pugnare malum est. vtrobique enim est malum, affines contra affines pugnare.

De his in secũdo prior. cap. 27. & ibi, & per Modernos in primo Post. Quid enthymema ex Arist.

Allata definitio à instantia sumpta.

De exemplo.

De loco & eius diuisione in locum maximam, & in locum differentiam maximæ, ex quidnam sint ex argumentandi vsu differitur.

ARgumentum autem per locum confirmatur. Vnde danda est definitio loci, prout hic sumitur. Locus enim est sedes argumenti: vel id, vnde ad quæstionem propositam conueniens trahitur argumentum. quid autem sit quæstio dictum est prius. Et sciendum autem, quòd propositio, quæstio, & conclusio secundum substantiam, siue in subiecto idem sunt. eadem enim oratio propositio est, & quæstio, & conclusio. vt hic omnis homo currit. differunt autem secundum rationes, vel definitiones diuersas, vt prius patuit. Secundum enim, quòd dubitatur est quæstio: prout autem probata est per argumentum, est conclusio: prout autem ponitur pro alio in præmissis, est propositio. vnde propositio dicitur secundum, quòd est in præmissis ad probandum conclusionem. Enunciatio autem est, secundum quòd significat esse vel non esse, vt Socrates currit, Socrates non currit. Habito de definitione loci sequitur ipsius loci diuisio. Locus autem diuiditur in locum maximam, & in locum differentiam maximæ. locus maxima idem est, quòd ipsa maxima. Maxima autem est propositio, qua altera non est prior neque notior, vt omne totum maius est sua parte. Item, de quocunque prædicatur definitio & definitum. De quocunque prædicatur species, & genus. Locus verò differentia maximæ est ille, quo vna maxima differt ab alia maxima. verbi gratia istæ maximæ, De quocunque prædicatur species, & genus, De quocunque definitio, & definitum, differunt per terminos, ex quibus componuntur. vna enim componitur ex genere & specie: altera verò ex definitione & definito. Vnde isti termini simplices dicuntur differentiæ maximæ: & tam locus maxima quàm locus differentia maximæ dicitur locus: quia vtrunque confert firmitudinem, & robur argumento: vnde proportionabiliter sumitur hic locus ad locum in rebus naturalibus: quia sicut ille seruat res in esse, sic similiter hic locus conseruat argumentum.

Propositio, Quæstio, conclusio re idem, ratione autem quomodo diuersa dicantur.

Diuiditur locus differentia maximæ, per locum intrinsecum, extrinsecum, & medium: & quid ipsorum vnumquodque sit.

Item, locus differentia maximæ diuiditur per locum intrinsecum, & extrinsecum, & medium. Locus intrinsecus est, quando sumitur argumentum ab eis, quæ sunt de substantia rei. vt à definitione, vt si dicatur, animal rationale mortale currit: ergo homo currit. Locus extrinsecus est, quando sumitur argumentum ab eis, quæ sunt omnino separata à substantia rei, vt ab oppositis. vt si quæratur, vtrum Socrates sit albus, & terminetur sic, Socrates est niger: non ergo est albus. Locus medius est, quando sumitur argumentum ab eis, quæ partim conueniunt, & partim disconueniunt cum terminis in quæstione positis. sicut in vniuoco, & denominatiuo, quæ dicuntur coniugata. vt si quæratur, vtrum iustitia sit bona: & probetur, iustum est bonum: ergo iustitia est bona.

Locus intrinsecus à substantia quid sit, & quomodo diuiditur.

Locus intrinsecus diuiditur per locum à substantia, & per locum à concomitantibus substantiam. Locus à substantia, est, quando sumitur argumentum ab his, quæ sunt de substantia terminorum positorum in quæstione. Et diuiditur hic locus per locum à definitione, & locum à descriptione, & locum à nominis interpretatione.

Definitionis ad definitum & econtra, Quadruplex arguendi modus, ac loci: & à quo locus denominationem suscipiat talem.

Locus à definitiõe quadruplex est.

DEfinitio est oratio quid est esse rei indicans per essentialia. Locus à definitione est habitudo definitionis ad definitum: & continet quatuor argumenta & quatuor maximas. Primò subiiciendo definitionem affirmatiuè, vt animal rationale mortale currit: ergo homo currit. Vnde locus à definitione, maxima, Quicquid prædicatur de definitione, & de definito. Secundò, prædicando definitionem affirmatiuè, vt Socrates est animal rationale mortale: ergo Socrates est homo. Vnde locus à definitione, maxima, De quocunque prædicatur definitio, & definitum. Tertiò, subiiciendo definitionem negatiuè, vt animal rationale mortale non currit: ergo homo non currit. Locus à definitione, maxima, Quicquid remouetur de definitione, & à definito. Quartò, prædicando definitionem negatiuè, vt lapis non est animal rationale mortale: ergo lapis non est homo. Locus à definitione, maxima, A quocunque remouetur definitio, & definitum. Locus à definito est habitudo definiti ad definitionem. Et continet similiter quatuor argumenta, & quatuor maximas. Primò, subiiciendo definitum affirmatiuè, vt homo currit: ergo animal rationale mortale currit. Locus à definito, maxima, Quicquid prædicatur de definito, & de definitione. Secundò sic, prædicando affirmatiuè, Socrates est homo: ergo Socrates est animal rationale mortale. Locus à definito, maxima, De quocunque prædicatur definitum, & definitio. Tertiò, subiiciendo definitum negatiuè sic, homo non currit: ergo animal rationale mortale non currit Locus à definito, maxima, quicquid remouetur à definito, & à definitione. Quartò, prædicando eum negatiuè sic, lapis non est homo: ergo lapis non est ãnimal rationale mortale. Locus à definito, maxima, A quocunque remouetur definitum, & definitio.

Locus à definito quadruplex.

Et sciendum, quòd in omnibus locis denominatur locus ab inferente, & non ab illato. Vnde, quando definitio est inferens, est locus à definitione: quando autem definitum est inferens, est locus à definito.

De descriptione, & locis à descriptione sumptis.

DEscriptio est oratio esse rei significans per accidentalia, vt animal risibile, est descriptio hominis. vel sic, Descriptio est oratio constans ex genere & proprio. vt animal risibile. Locus à descriptione est habitudo descriptionis ad descriptum. Et continet quatuor argumenta, & quatuor maximas, sicut locus à definitione. Et formentur argumenta & maximè hic, sicut ibi, nisi, quòd ibi ponitur definitio & definitum, hic autem descriptio & descriptum ponitur.

De interpretatione duplici, & locis ab interpretatione ad interpretatum.

INterpretatio est duplex. quædam enim est quæ non conuertitur cum interpretato suo, vt lædens pedem est interpretatio huius nominis lapis. Alia autem est quæ conuertitur cum interpretato suo, vt amator sapientiæ est interpretatio huius nominis Philosophus: & hoc modo sumitur hic, & definitur sic. Interpretatio, est expositio vnius nominis minus noti per aliud nomen magis notum. Locus à nominis interpretatione est habitudo interpretationis ad interpretatum. Et continet tot argumenta, & tot maximas, sicut locus à definitione, vt amator sapientiæ currit: ergo Philosophus currit. Locus à nominis interpretatione, maxima, Quicquid prædicatur de interpretatione, & de interpretato. & si à parte prædicati, vt Socrates est amator sapientiæ: ergo Socrates est Philosophus, maxima, De quocunque prædicatur interpretatio, & interpretatum: negatiuè sic, Amator sapientiæ non inuidet: ergo Philosophus non inuidet. Locus à nominis interpretatione, maxima, Quicquid remouetur à nominis interpretatione, & à nomine interpretato. & similiter in prædicato, maxima, A quocunque remouetur interpretatio, & interpretatum. Et nota, quòd tot argumenta sumuntur ab interpretato, quot ab interpretatione, sicut in definito & descripto similiter, sicut dictum est.

De loco à Concomitantibus substantiam, & eius multiplicitate, déque multiplici toto distinctio: & de locis à genere ad speciem, & econtra, & modis in his arguendi, ac maximis.

SEquitur de loco à concomitantibus substantiam. qui est quando sumitur argumentum ab eis, quæ consequuntur terminos positos in quæstione. Et diuiditur sic. quia alius est à toto, alius est à parte, alius à causa, alius ab effectu, alius à generatione, alius à corruptione, alius ab vsibus, alius à communiter accidentibus. Locus à toto diuiditur sicut totum.

Est enim quoddam totum vniuersale, aliud integrale, aliud in quantitate, aliud in modo, aliud in loco, aliud in tempore. & similiter diuiditur locus à toto. quia alius est à toto vniuersali, alius à toto integrali, & sic de aliis. Totum vniuersale vt hic sumitur est superius & substantiale, vt animal: pars subiectiua est, quæ est inferius sub vniuersali, vt homo. Locus à toto vniuersali siue à genere est habitudo ipsius ad suam partem, siue ad suam speciem: & est semper destructiuus, vt lapis non est animal: ergo lapis non est homo. Locus à genere, maxima, Remoto genere siue toto vniuersali, remouetur species, siue pars subiectiua. Locus à specie siue à parte subiectiua est habitudo ipsius ad suum genus, siue ad suum totum: & est semper constructiuus. Et continet duo argumenta, primò subiiciendo speciem, vt homo currit: ergo animal currit. Locus à specie, siue à parte subiectiua, maxima. Quicquid prædicatur de specie, & de genere. Socrates est homo: ergo Socrates est animal. vnde locus à specie, maxima, De quocunque prædicatur species, & genus.

De toto integrali & eius parte, & de locis ab illis sumptis.

Aduerte quòd hoc cōplexum totum integrale, in proposito capitur secūdæ intentionaliter, ne decipiaris.

TOtum integrale est, quòd est compositum ex partibus habentibus quantitatem: & pars eius dicitur pars integralis. Locus à toto integrali est habitudo ipsius ad suam partem. & est semper constructiuus, vt domus est: ergo paries est. Locus à toto integrali, maxima. Posito toto integrali, ponitur quælibet eius pars. Locus à parte integrali est habitudo ipsius ad suum totum. & est destructiuus, vt paries non est: ergo domus non est. Locus à parte integrali, maxima. Parte destructa integrali, destruitur & suum totum.

De toto in Quantitate & parte eius, atque de Locis & modis arguendi in eis.

Et est terminus cōmunis sūptus confuse & distributiue vt patet.

TOtum in quantitate est quando vniuersale sumitur vniuersaliter, vt omnis homo, nullus homo. Locus à toto in quantitate est habitudo ipsius ad suam partem qui est constructiuus & destructiuus, vt omnis homo currit: ergo Socrates currit. Locus à toto in quantitate Maxima, Quicquid prædicatur de toto in quantitate, & de qualibet eius parte: vel, si vniuersalis est vera, quælibet eius singularis est vera. Destructiuè sic, nullus homo currit: ergo Socrates non currit. Locus à toto in quantitate Maxima, Quicquid remouetur à toto in quantitate remouetur à qualibet eius parte: vel, si vniuersalis est vera, quælibet eius singularis est vera. Locus à parte in quantitate est habitudo partium in quantitate omnium simul sumptarum ad suum totum. Et est constructiuus, & destructiuus, vt Socrates currit, Plato currit, Cicero currit, & sic de aliis: ergo omnis homo currit. Locus à parte in quantitate Maxima, Quicquid prædicatur de omnibus partibus in quantitate simul positis, & de suo toto. Negatiuè sic, Socrates non currit, Plato non currit, Cicero non currit, & sic de singulis: ergo nullus homo currit. Locus à parte in quantitate Maxima, Quicquid remouetur à partibus in quantitate simul sumptis, & à suo toto. Vel, si quælibet singularis est vera, sua vniuersalis est vera.

De toto ac parte in Modo.

TOtum in modo, est ipsum vniuersale sumptum sine determinatione, vt homo, Pars in modo, est vniuersale sumptum cum determinatione non diminuente, vt homo albus. Et, quia omnia formantur similiter argumenta & maximæ in hoc loco, & sua parte, sicut in genere & specie, ideo relinquantur exempla.

De toto in loco, & parte eius, & modis arguendi in illis.

TOtum in loco est dictio comprehendens omnem locum aduerbialiter, vt vbique. Pars in loco est dictio comprehendens vnum locum aduerbialiter, vt vel hic, ibi. Locus à toto in loco, est habitudo ipsius ad suam partem, & est constructiuus & destructiuus, vt Deus est vbique, ergo Deus est hic. Cæsar nusquam est: ergo Cæsar non est hic. Locus à toto in loco Maxima, Cuicunque conuènit totum in loco, & quælibet eius pars: vel quicquid remouetur à toto in loco, & à qualibet eius parte. Locus à parte in loco, est habitudo ipsius ad suum totum, & est destructiuus vt Cæsar non est hic: ergo non est vbique. Maxima. Cuicunque non conuenit pars in loco, nec eius totum.

De Toto in Tempore & eius Parte, ac eorum Locis.

TOtum in tempore est dictio comprehendens omne tempus aduerbialiter, vt semper, nunquam, pars in tempore est dictio significans aliquod tempus aduerbialiter, vt nunc, tunc, hodie, heri, Exempla huius sumuntur sicut in toto in loco.

De causa & eius diuisione in Quatuor Genera.

De hoc ij. Phys. tractatu de causis & ibi per Doct.

CAusa est ad cuius esse sequitur aliud secundum naturam. Et diuiditur in causam efficientem, materialem formalem, & finalem.

De causa efficiente, & modis arguendi in ea, ac suis locis.

CAusa efficiēs est, à qua primo fit motus ad hoc quòd fiat aliquid, vt domificator est primum mouens & operans, vt fiat domus, & faber, vt fiat cultellus. Locus à causa efficiente est habitudo ipsius causæ efficientis ad suum effectum. & est constructiuus, & destructiuus. Constructiuè tenet sic, domificator est bonus: ergo domus est bona. Locus à causa efficiente Maxima, Si causa efficiens est bona, ipsum quod fit bonum est. Destructiuè sic, domificator non est bonus: ergo domus non est bona. Locus à causa efficiente Maxima, Cuius causa efficiens non est bona, ipsum quod fit non est bonum: & econuerso, tenet locus ab effectu ad causam efficientem.

De materia & eius diuisione in permanentem ac transeuntem: & modis arguendi in ea, ac locis ad suum effectum, & econtra.

Relin[illegible] collige[illegible] definitione. pro Phy. te[illegible] cō. 71. c[illegible] infra, & ibi per Doct.

MAteria enim est, ex qua cum alio aliquid fit. Et est duplex, quædam enim est permanens, & quædam est transiens. Permanens, vt in cultello ferrum: Transiens, vt in pane farina & aqua. Et definitur etiam sic materia, materia est, quæ tantùm est in potentia. Locus à causa materiali est habitudo ipsius ad suum effectum. & est constructiuus & destructiuus. Constructiuè sic ferrum est: ergo arma ferrea possunt esse. maxima. Posita causa materiali, possibile est eius effectum poni. Destructiuè sic, ferrum non est: ergo arma ferrea non possunt esse. Locus à causa materiali, maxima, Remota causa materiali permanente, remouetur & eius effectus. Locus ab effectu causæ materialis permanentis, maxima, Posito effectu causæ materialis permanentis, ponitur eius causa. Locus ab effectu causæ materialis transeuntis tenet constructiuè, vt vitrum vel panis est: ergo filix vel farina fuit. materia enim transiens non manet, sed transfertur in aliam materiam, locus ab effectu causæ materialis transeuntis, maxima. Posito effectu materiæ transeuntis necesse est ipsam materiam præfuisse.

De causa formali, & eius effectu, ac de Locis ab ea sumptis, & modis in ea arguendi.

Im[illegible] quodl[illegible] bonū 1. vinū c[illegible] maxim[illegible] appetit[illegible] primo[illegible] sic. in cō. 81. c ibi p[illegible] Doct.

FOrma est quæ dat esse rei & conseruat eam in esse. Locus à causa formali est habitudo ipsius causæ formalis ad suum effectum. Et tenet constructiuè & destructiuè. Constructiuè sic. Albedo est: ergo album est. Locus à causa formali, Maxima, Posita causa formali, ponitur & eius effectus. Destructiuè sic. Albedo non est: ergo album non est. Maxima, Remota causa formali, remouetur & eius effectus. Econtra vero est de effectu causæ formalis.

De causa finali, effectu eius, ac locis & modis arguendi in ea.

FInis est gratia cuius aliquid fit. Locus à causa finali est habitudo ipsius ad suum effectum. Et est constructiuus, & destructiuus. Constructiuè sic, Beatitudo est bona: ergo virtus est bona. Locus à causa finali, maxima, Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Destructiuè sic, Pœna non est bona: ergo peccatum non est bonum. Locus à causa finali, maxima, Cuius causa mala est, ipsum quoque malum. Econuerso autem est de loco ab effectu causæ finalis.

Quid generatio: quid corruptio, ipsarum loci.

GEneratio est progressio à non esse ad esse. Locus à generatione est habitudo ipsius generationis ad suum generatum, & est constructiuus, & destructiuus. constructiuè sic arguitur, generatio domus est bona: ergo domus est bona. Locus à generatione, Maxima, Cuius generatio bona est, ipsum quoque bonum est. destructiuè sic, Generatio latronum est mala: ergo latro est malus. Locus à generatione, Maxima, Cuius generatio mala est, ipsum quoque generatum malum est. Econuerso autem est de loco à generato. Corruptio est progressio ab esse ad non esse. Locus à corruptione est habitudo corruptionis ad corruptum. & est constructiuus & destructiuus. Constructiuè, arguitur sic. Corruptio Antichristi est bona; ergo Antichristus est malus. Locus à corruptione, Maxima, Cuius corruptio bona est, ipsum quoque corruptum malum est. Constructiuè sic, corruptio, domus est mala: ergo domus est bona, Maxima. Cuius corruptio mala est, ipsum quoque bonum est. Econuerso est de loco à corrupto.

Quid vsus, ac locus ab vsibus sit & communiter Accidentium distinctione proposita, de eius Locis disseritur.

VSus vt hic sumitur, est operatio rei, siue exercitium ipsius, vt securis secare, equi equitare est exercitium, siue operatio. Locus ab vsibus est habitudo eius ad id, cuius est operatio siue vsus, vt equitare, siue scindere est bonum: ergo equus est bonus, vel securis est bona. Occidere est malum: ergo occisor est malus. Locus ab vsibus. Maxima, Cuius vsus bonus, ipsum quoque bonum: & cuius vsus malus est ipsum quoque malum. Communiter accidentia sumuntur dupliciter. Quædam enim sunt quæ aliquando se consequuntur, vt comptus & adulter: & ab his non sumitur locus dialecticus, sed sophisticus. Alia sunt, quorum alterum semper consequitur alterum, vt pœnitere sequitur deliquisse. & ab his sumitur locus dialecticus, vt pœnitet: ergo, deliquit. Locus à communiter accidentibus, Maxima, Si communiter accidentium posterius inest & primum. Destructiuè sic. Non deliquit, siue non peccauit: ergo non pœnitet. Locus à communiter accidentibus, Maxima, Si accidentiuum communiter primum non inest nec posterius,

De oppositis Relatiuè, & Locis in ipsis.

SEquitur de locis extrinsecis. Quid sit locus extrinsecus dictum est prius. Locorum autem extrinsecorum, alius est ex oppositis, alius à maiori, alius à minori, alius à simili, alius à proportione, alius à transumptione, alius ab authoritate. Item, oppositorum quatuor sunt species, scilicet oppositio relatiua, contrarietas, & oppositio priuatiua, & contradictio. Relatiuè opposita sunt, quando alterum non potest stare sine reliquo, vt pater & filius. Locus à relatiuè oppositis est habitudo vnius correlatiuorum ad alterum. & est constructiuus, & destructiuus, vt pater est: ergo filius est: & econuerso, vt, si pater non est filius non est. Locus à relatiuè oppositis, Maxima, Posito vno relatiuorum ponitur & reliquum: & destructo vno, destruitur & reliquum.

De contrarietate, contrariis & priuatiuè oppositis, ac suis arguendi Locis seu maximis.

COntrarietas est contrariorum oppositio, vt albus, niger. Contrariorum, quædam sunt mediata, vt album nigrum, inter quæ sunt medij colores: quædam sunt immediata, vt sanum & ægrum circa animal. Locus à contrariis est habitudo vnius contrariorum ad reliquum. constructiuè sic, hoc animal est sanum: ergo non est ægrum. vel hoc corpus est album: ergo non est nigrum. Locus à contrariis Maxima, Posito vno contrariorum, remouetur reliquum ab eodem. Destructiuè autem tenet tantùm in contrariis immediatis cum constantia subiecti, vt hoc animal non est sanum: ergo est ægrū. Locus a contrariis immediatis Maxima, Remoto vno contrariorum immediatorum ponitur reliquum manente subiecto. Priuatiuè opposita sunt, quæ habent fieri circa idem subiectum tempore determinato, & ordine irregressibili, vt cæcitas, & visus circa oculum. Locus à priuatiuè oppositis est habitudo priuationis ad habitum: vel habitus ad priuationem. vt Socrates est videns: ergo non est cæcus. vel est cæcus: ergo non est videns. locus à priuatiuè oppositis Maxima, Posito vno priuatiuè oppositorum, remouetur reliquum ab eodem. Destructiuè vero non tenet nisi cum constantia subiecti, & tempore determinato à natura. Catulus enim leonis non est cæcus, neque videns ante nonum diem. Et puer non dicitur edentulus, neque dentulus ante tempus determinatum.

De contradictione, ipsiusque locis.

COntradictio est oppositio, cuius secundum se nō est medium: inter esse enim & non esse non est medium. Locus à contradictoriè oppositis est habitudo vnius contradictoriè oppositorum ad reliquum, vt Socratem sedere non est verum: ergo Socratem nō sedere est falsum. Maxima. Si vnum contradictoriè oppositorum est verum, reliquum est falsum & econuerso.

De maiori, ac minori, & locis illis propriis. De similitudine item, ac proportione, ipsarum locis, ac discrimine

MAius prout hic sumitur, est illud, quod super ponitur alij in potentia, vel in virtute. Minus autem est quod supponitur illi: Locus à maiori est habitudo maioris ad minus, & est destructiuus, vt rex non potest expugnare hoc castrum: ergo nec miles. Locus à maiori maxima. Si illud, quod magis videtur inesse, non inest, nec id quod minus. Locus à minori est habitudo minoris ad maius: & est constructiuus, vt miles potest expugnare castrum: ergo & rex. Locus à minori, maxima, Si id quod minus videtur inesse inest, & id quod magis.

Similitudo est conuenientia rerum penes speciem. vel est rerum differentium eadem qualitas. Locus à simili est habitudo vnius similis ad reliquum, vt hic, sicut risibile inest homini, ita hinnibile equo: sed risibile est proprium hominis: ergo hinnibile est proprium equi. Locus à simili maxima, De similibus idem est iudicium. Destructiuè sic. Sicut inest risibile homini, sic inest hinnibile equo: sed risibile non inest homini vt genus: ergo hinnibile non inest equo vt genus. Locus à simili maxima, Si vnum simile inest, & reliquum: aut si vnum non inest, nec reliquum.

Proportio est conuenientia rerum penes habere. Locus à proportione est habitudo vnius proportionabilium ad reliquum, vt sicut se habet rector nauis ad nauem, ita se habet rector scolarum ad scolas: sed rector nauis est eligendus non Sorte, sed arte: ergo rector scolarum est eligendus non sorte sed arte. Locus à proportione maxima, De proportionabilibus idem est iudicium. Differt autem locus iste à loco à simili, quia in loco à simili accipitur comparatio secundum similitudinem: in loco à proportione accipitur comparatio secundum habitudinem.

De duplici transumptione, & authoritate, & suis locis.

TRansumptio est duplex. Quædam enim est, quando nomen vel oratio significans vnum transumitur ad significandum aliud per similitudinem, vt ridere transumitur ad significandum florere, vt cum dicitur pratum ridet. Oratio autem transfertur cum dicitur, littus aratur, pro, opera perditur. sicut solet dici, alicui qui incassum laborat: & ista transumptio pertinet ad sophisticum, & non ad dialecticum. Est alia transumptio, vt quando sumitur nomen magis notum pro alio minus noto, vt si debeat probari quòd philosophus non inuidet, & fiat translatio ad hoc, scilicet sapiens non inuidet: ergo Philosophus non inuidet: & ista pertinet ad dialecticum. Locus à transumptione est habitudo transumpti vnius ad aliud, vt sapiens non inuidet: ergo Philosophus non inuidet. Locus à transumptione maxima, Quod alicui conuenit cum nomine magis noto, & ei conuenit sub nomine minus noto. Differt autem locus ille à loco à nominis interpretatione: quia in loco à nominis interpretatione accipitur definitio siue descriptio nominis vel expositio eius, vt Philosophus exponitur per hoc quod dico, amator sapientiæ. In loco autem à transumptione non quæritur expositio nominis, sed pro vno nomine minus noto sumitur aliud magis notum, vel aliquid aliud per quod facilè probatur.

Authoritas.

Authoritas, vt hic sumitur est iudicium sapientis in scientia sua: vnde à rei iudicio solet denominari locus iste. Locus ab authoritate est habitudo ipsius authoritatis ad id, quod per eam probatur, vt Astronomus dicit, cælum esse volubile: ergo cælum est volubile. Locus ab authoritate maxima, Vnicuique experto in sua scientia est credendum.

De locis medijs.

De locis à coniugatis, & à casibus.

SEquitur de locis mediis. Quid autem sit locus medius dictum est prius. Locorum autem mediorum, alius à coniugatis, alius à casibus, alius à diuisione. Coniugata & casus differunt: quia vniuocum, siue principale, siue abstractum, quod idem est cum suo denominatiuo, dicuntur coniugata, vt iustitia ac iustus. Casus autem dicuntur ea, quæ cadunt à principali, vt iustus & iuste à iustitia. & hanc differentiam assignat Aristoteles in Topicis in secundo. Locus à coniugatis est habitudo vnius coniugatorum ad reliquum, vt iustitia est bona: ergo iustum est bonum, & econuerso, locus à coniugatis maxima. Quod vni coniugatorum inest, & reliquo: vel, si vnum coniugatorum est, & reliquum est. Locus autem à casibus est habitudo vnius casus ad alium, vt quod iustum est, bonum est: ergo quod iustè fit benè fit: & econuerso, locus à casibus maxima. Quod vni casui conuenit & reliquo.

De Multiplici Diuisionum acceptione, ac Locis.

Diuisionum, alia est per negationem, alia sine negatione, per negationem, vt Socrates, aut est homo, aut non est homo: sed non est non homo: ergo est homo. Locus à diuisione, Maxima. Si aliqua duo sufficienter conuiuidunt aliquid, posito vno, remouetur reliquum: & remoto vno, remouetur reliquum. Alia diuisio est, quæ non est per negationem. Et hæc fit sex modis: tribus per se, & tribus per accidens: per se primo generis in species, vt animalium, aliud rationale, aliud irrationale. secundo, totius integralis in partes integrales, vt domus alia pars est tectum, alia paries, alia fundamentum. tertio, vocis æquiuocæ in suas significationes, vt canis, aliud latrabile, aliud marinum, aliud cæleste sydus. Trium per accidens, vna est subiecti in accidentia, vt animalium, aliud sanum, aliud ægrum. secunda accidentis in subiecta, vt sanorum, aliud est homo, & aliud est brutum. tertio verò, accidentium in accidentia, vt alborum, aliud calidum, aliud frigidum. Locus à diuisione est habitudo vnius condiuidentium ad aliud, vt Socrates est animal aut rationale aut irrationale: sed non est irrationale: ergo est rationale. Locus à diuisione Maxima eadem est quæ supradicta est: & similiter formetur argumentum in qualibet alia diuisione constructiuè & destructiuè. Sciendum est autem quod in toto isto tractatu non sunt nisi vnum & viginti loci, quorum decem sunt intrinseci, septem extrinseci, & tres medij, quæ possunt his versibus haberi.

Carmina pro locis omnibus.

Diffi. descrip. interpres, totum quoque, causa.
Cor. gene. vsus, communiter acci.
Sic in regula Auctor & à simili maior minor quæ sunt extra.
Oppositiones transump. proportio sic sociata.
Sunt medij tantum diuisio coniuga casus.
Per species genera, species per singula scindant.
Per partes totum loces per significatum.
Cuncta per opposita subiectum qualia scindant.
Qualia per vsias per qualia qualia fendunt.

FINIS.

S. THOMAE AQVINATIS FALLACIARVM OPVS, SEV DE SYLLOGISMO SOPHISTICO TRACTATVS;

Huic operi nuper additus.

CAPVT I.

De diuersis ratiocinandi modis agit.

QVia Logica est rationalis scientia, & ad ratiocinandum inuenta: ratiocinari autem contingit rectè & non rectè: vtrunque ad Logici considerationem spectat: vt per rectam ratiocinationem ad veram cognitionem perueniat, & falsam ratiocinationem vitando, errorem falsitatis euitet. Vterque autem ratiocinãdi modus cõpetit vni homini, & ad seipsum, & ad alium. Nam & secum aliquis considerãs, potest rectè & non rectè ratiocinari, & cum alio conferens. Sed cum aliquis secum considerans ratiocinatur non rectè, præter intẽtionem hoc accidit: quia nemo suiipsius deceptionem intendit. Cum autem ad alterum aliquis ratiocinatur non rectè, contingit quandoque ex intentione ratiocinantis, hoc est cum aliquis de altero intendit vel experimentum sumere, vel victoriam habere ad sui gloriam. Ratiocinatio autem, quæ ad seipsum est, syllogismus solùm dici potest, siue aliqua alia species argumentationis. Sed ratiocinatio, quæ est ad alterum, non solùm dicitur syllogismus & argumentatio, sed etiam disputatio, vertitur enim inter duos, hoc est inter opponentem, & respondentem. Et ideo de falsis ratiocinantibus tractaturi primò, à disputatione inchoandum est.

Ratiocinãdi duplex modus.

CAPVT II.

Quid nam sit ipsa disputatio ostendit.

EST autem disputatio actus syllogisticus vnius ad alterũ, ad propositum ostẽdendum. In hoc quòd dicitur actus, tangitur disputationis genus. Per hoc quòd dicitur syllogisticus, tangitur disputationis instrumentum, scilicet syllogismus, sub quo comprehenduntur aliæ species argumentationis, sicut imperfectum sub perfecto. Et per hoc distinguitur disputatio ab actibus corporalibus, vt comedere, bibere, & ab actibus voluntatis, vt amare, & odire. Nam per hoc q̃ dicitur syllogisticus, ostenditur actus rationis. Per hoc autem q̃ dicitur vnius ad alterũ, tangũtur personæ opponẽtis, & respondentis, inter quos vertitur disputatio, ad differentiam ratiocinationis, qua homo secum ratiocinatur. Per hoc q̃ dicitur ad propositũ ostendendũ, tanguntur disputationis effectus, siue terminus, aut finis proximus. Et per hoc distinguitur disputatio à syllogismis exẽplaribus, qui nõ inducuntur ad propositũ ostẽdendũ, sed ad formã exemplificandam.

Disputatio.

CAPVT II.

Quot nam & quæ sint disputationis species.

DIsputationis vero quatuor sunt species, scilicet doctrinalis, dialectica, tentatiua & sophistica, quæ alio modo dicitur litigiosa. Doctrinalis siue demonstratiua est, quæ ad scientiam ordinatur, procedens ex veris, & per se notis & propriis scientiæ, de qua fit disputatio. Et hæc vertitur inter docentem & addiscentem. *Dispu. species. Doctrinalis.*

Dialectica verò disputatio est ex probabilibus procedens, & ad opinionem tendens. Probabilia autem dicuntur quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, aut præcipuis, vel magis notis. Tentatiua verò disputio est, quæ ordinatur ad experimentum sumendum de aliquo per ea, quæ videntur respondenti. Sophistica verò disputatio est tendens ad gloriam, vt sapiens esse videatur. Vnde dicitur sophistica, idest apparens sapientia. Procedit enim ex his, quæ videntur vera & probabilia, & non sunt, vel simpliciter falsas propositiones assumendo, quæ videntur esse veræ, & non sunt: vel in virtute falsarum propositionũ argumentando. Logicales enim argumentiones sunt in virtute verarum propositionum, scilicet maximarum, ex quibus tota virtus argumentationis pendet, sicut ista argumẽtatio, Sor. est homo, ergo Sortes est animal, procedit in virtute huius propositionis, de quocũque prædicatur species & genus quæ est simpliciter vera. Sophistica autem sic argumentatur. Est animal, ergo est homo, quasi in virtute huius propositionis de quocunque prædicatur genus, & species, quæ est simpliciter falsa. Relictis autem aliis disputationibus, ad præsens de his, quæ ad sophisticam pertinent intendamus. *Dialect. Tẽtatiua. Sophistica. ex quibus procedit.*

CAPVT IIII.

Quin nam sit sophisticæ disputationis finis.

QVia vero sophistica, (vt dictum est) ad gloriam tendit, volens sapiens videri, hoc autem consequi studet per hoc, q̃ de aduersario, cum quo disputat, victoriam habeat apparentem, quòd tunc maxime fit, si ipsum ad aliquod inconueniens ducat: ideo terminus disputationis sophisticæ est aliquod incõueniens, ad quod sophistica nititur ducere respondentem, Et hoc dicitur meta, vel finis, siue terminus. Vnde de duobus oportet tractare: Primo, de huiusmodi metis. Secundò, de modis argumentandi, quibus Sophistæ ad metas respondentes ducere nituntur.

CAPVT V.

Metæ quinque sophisticæ argumentationis finũ, videlicet Redarg. Falsum, Inopi. Solecisf. Nugatio, exponuntur.

SVnt autem metæ quinque, scilicet redargutio, falsum, inopinabile, solœcismus, & nugatio. Redargutio est prænegati concessio, vel præconcessi negatio in eadem disputatione vi argumentationis. Vt si respondens negauerit se carnes crudas comedisse, sophista contra sic argumentatur. Quicquid emisti comedisti: carnes crudas emisti. ergo carnes crudas comedisti. Si vi huius argumentationis respondens concedat quòd prius negauerat, est redargutus. Et talis modus argumentationis dicitur elenchus, si bonus sit syllogismus, vel apparens elenchus, si videatur & non sit, aut syllogismus aut contradictio. Est enim elenchus syllogismus cõtradictionis. Si autem non in eadem disputatione, vel non vi argumẽti, sed propria voluntate aliquis negat concessum, vel concedat negatum, non erit redargutio. Falsum autem vt hic sumitur, est aliquod manifestè falsum, quod respondens concedere cogitur vi sophisticæ argumentationis. sicut omnis canis est latrabilis: cæleste sydus est canis: ergo cæleste sydus est latrabile, Inopinabile est, quòd est contra communem opinionem. Differt à falso, quia aliquid est contra communem opinionem plurium, quod tamen non est falsum, vt stellam esse maiorem terra, & aliquem regem diuitem & felicem esse miserum & infortunatũ, si sit peccator. Ad quod potest aliquis sophisticæ sic duci. Quemcũque contingit aliquẽ hostem vincere est infœlix: quia ille, qui vincitur, est infœlix, sed regẽ cõtingit aliquem hostem vincere, quia *Inopinabile quomodo differat à falso.*

potest esse, quòd regem aliquis hostis vincat, ergo rex est infœlix. Solœcismus est vitiũ in contextu partũ orationis, cõtra regulas artis grãmaticæ factum, vt vir alba, & homines currit. Ad hoc potest aliq̃s sophistice sic deduci. Tu scis hoc, hoc est lapis, ergo tu scis lapis, quod grãmaticè non dicitur. Nugatio est eiusdem & ex eadem parte inutilis repetitio, vt hic, homo currit. Dico eiusdem, quia si esset diuersorum, non esset nugatio. Dico autem ex eadem parte, quia si idem ponitur in subiecto & prædicato, non erit nugatio, vt homo est homo. Inutilis autem repetitio dicitur, quia si idẽ repetatur ad maiorẽ expressionẽ, non erit nugatio, vt cum dicitur, Deus Deus meus respice in me. Ad hoc potest aliq̃s sophistice sic duci. Ite nasus est nasus simus: sed simus idem est quòd nasus simus: ergo ite nasus est nasus nasus simus.

CAP. VI.

Quæ scientias ista inconuenientia respiciant.

ET sciendum, quod ista inconuenientia respiciunt diuersas scientias. Nam redargutio est contra Metaphysicum, ad quem pertinet consideratio huius principij, contradictoria non sunt simul vera, nec simul falsa. Falsum est circa scientiam naturalem, quæ cõsiderat res sensibiles, in quibus veritas & falsitas est manifesta, & specialiter contra Mathematicam, in qua est maxima certitudo. In opinabile contra dialecticam, quæ procedit ex probabilibus, q̃ æ sunt secundum opinionem omnium, vel plurium. vel sapientum. Solœcismus est contra grammaticam. Nugatio est contra rhetoricam, cuius est ornatè loqui. Et sic dum in singulis scientiis respondens ad inconueniens ducitur, sophista opponens apparet omnia sciens esse.

CAPVT VII.

Argumentatio sophistica quod in aliquo fundetur, sicut & dialectica, & in quo, ostenditur.

NVnc restat videre de modis arguendi, q̃ibus sophista ad prædicta inconuenientia respondentem ducere conatur. Est autem sciendum, quòd sicut argumentatio dialectica habet firmitatem ex loco vero, ita argumentatio sophistica ad prædicta inconuenientia firmitatem habet ex loco apparenti. Locus autem verus firmitatem dialecticæ argumentationi prestans, est habitudo inferentis ad illatum, quę dicitur differentia maximę, vt genus, species, totum, & pars, ex quarum habitudine veritas maximę propositionis oritur, supra quam fundatur veritas dialectici argumenti. Sicut ex habitudine specieі ad genus sumitur hæc maxima, De quocunque prædicatur species, & genus. Ex qua hoc argumentum confirmatur. Sortes est homo ergo Sortes est animal. Et similiter locus sophisticus consistit in habitudine inferentis ad illatum, ex qua sumitur aliqua regula falsa, sed apparens vera, secundũ quã procedit sophisticũ argumentũ. sicut cum dicitur, cognosco venientem, veniens est Coriscus: ergo cognosco Coriscũ. Hic proceditur ab accidente ad subiectũ, id est à veniente ad Coriscũ: sed virtute huius maximæ q̃icquid est de accidẽte, & de subiecto. Quæ quidẽ maxima est falsa, propter diuersitatẽ accidentis, & subiecti: videtur tamẽ esse vera, propter conuenientiam vtriusq̃. Vnde ad locum sophisticum prædictum duo concurrunt. Vnum quod est causa apparentiæ, quia facit argumentum apparere verum, & dicitur etiam principium motiuum, quia mouet hominem ad hoc, quòd argumento sophistico assentiat, & hoc est in prædicto argumento, vnio accidentis ad subiectum. Aliud est principium defectus, quia facit, scilicet defectum necessitatis in argumento. Et vocatur causa non existentiæ, quæ in prædicto argumento est diuersitas subiecti, & accidentis. Ex his autem duobus contingit hominem falli, quia scilicet apparet aliquid & nõ est. Vnde locus sophisticus alio nomine fallacia dicitur, quia fallacia est causa fallendi quãtum est de se, licet per se aliquis nõ fallatur in actu, nisi signo rantia adueniente. Sicut autem loci dialectici distinguuntur penes diuersas habitudines, ex quibus maximæ & argumenta sumuntur, ita loci sophistici, siue fallaciæ distinguuntur penes principia motiua, ex quibus apparet esse firmitas in sophisticis argumentis. Hoc autem contingit dupliciter. Vno modo, ex parte vocis, quando propter vnitatem vocis creditur esse vnitas rei significatę per vocem, sicut ea, quę per hoc nomen canis significantur, videntur esse vnum, quia hoc nomen canis vnum est. Alio modo, ex parte rei, ex eo, scilicet q̃ aliquæ res, quæ aliquo modo cõueniunt, simpliciter vnũ esse creduntur, sicut supra dictum est de subiecto & accidente.

CAPVT VIII.

Loci sophistici quot nam sint tam in dictione, quàm extra.

LOcorum igitur sophisticorũ, siue fallaciarum, quædam sunt in dictione, & quædam extra dictionem. In dictione quidem locus siue fallacia est, quando principium motiuum siue causa apparentiæ est ex parte vocis. Extra dictionem verò, quando ex parte rei est causa apparentiæ. Ex parte autem vocis est principium motiuum, siue causa apparẽtiæ, ex eo quòd vna vox multa significat, quod contingit propter vocis multiplicitatem. Est autem multiplex triplex, scilicet actuale, potentiale, & phantasticum. Actuale est, quãdo vna vox nullo modo variata multa significat. Et hoc quidẽ, si sit in vna dictione, dicitur æquiuocatio: Si autem in oratione, dicitur amphibologia, vt liber Aristo. id est ab Aristotele factus, vel possessus. Multiplex verò potentiale est, quando vna vox aliquo modo secundum prolationem variata, multa significat. Quæ quidem in dictione est secundum accentũ, vt pendere secundum quòd graui vel acuto accentu profertur, multa significat. In oratione verò est secundum cõpositionem, vel diuisionem, vt duo & tria sunt quinq̃. hoc enim diuersa significat compositè, & diuisè prolatum. Phantasticum verò, id est apparens multiplex est, quãdo vna dictio secundũ rei veritatẽ, vnũ significat, sed videtur aliquid aliud significare, sicut hoc nomẽ homo significat quale quid, & videtur significare hoc aliquid, vt dicitur in prædicamentis. Et hæc dicitur figura dictionis, quasi dictionis similitudo. Sunt igitur loci sophistici in dictione quinq̃, æquiuocatio, amphibologia, accẽtus, cõpositio: & diuisio, & figura dictionis. *Multiplex triplex. Actuale. Potentiale. Phantasticum. Lo. indic. sophi. 5.*

CAP. IX.

De fallacia æquiuocationis, & eius tribus modis.

PRimò igitur dicendum est de æquiuocatione. Est autem æquiuocatio vnius & eiusdem nominis diuersa significatio. Fallacia autem æquiuocationis est deceptio prouenienes ex eo, quòd vnum nomen plura significat. Primum autem motiuum siue causa apparentię in æquiuocatione, est vnitas dictionis eiusdem simpliciter. Simpliciter quidem dicitur, ad differentiam accentus, in quo non est vna dictio simpliciter, sed solùm in potentia. Causa autem non existentiæ est diuersitas rerum significatarum.

Species verò siue modi æquiuocationis sunt tres. Prima species est, quando, vna dictio principaliter plura significat. vt hoc nomen canis, principaliter plura significat, videlicet, animal latrabile, piscem marinum, & cæleste sydus. Et formatur sic paralogismus, id est apparens syllogismus. Omnis canis est latrabilis: cæleste sydus est canis: ergo cæleste sydus est latrabile. Sed non sequitur, quia hoc nomen canis aliud significat in prima, aliud in secunda, secundum quòd vtraque accipitur vera, & sic non est verus syllogismus, cum non sit idem medium. Si autẽ accipiatur vt idem significans in vtraque. sic altera præmissarum est falsa. Et nota, quòd sicut in syllogismo oportet idem medium bis sumi in præmissis, ita oportet duas extremitates bis sumi in syllogismo, semel in præmissis, & semel in cõclusione. Vndẽ eadem ratione potest fieri paralogismus, si fit æquiuocatio in aliqua extremitatum, sicut hic. Grammatici discũt, sed grammatici sunt scientes, ergo scientes discunt. Non sequitur, Discere enim æquiuocum est. nam vnomodo idem est, quod intelligere docentem, & sic scientes discunt. Alio modo idem est, quod accipere scientiam. & sic scientes non discunt. *Secunda species.*

Secũda species æquiuocationis est, quãdo vnũ nomẽ principaliter significat vnum, & aliud non nisi metaphorice, siue transumptiuè. sicut hoc verbũ ridet, principaliter significat actum proprium ridendi hominis. metaphoricè autem siue transumptiuè, prati floriditatem. Et formatur sic paralogismus. Quicquid ridet habet os, pratũ ridet: ergo pratũ habet os. Et sic, Quicquid currit habet pedes, sed aqua currit: ergo aqua habet pedes. Non sequitur, quia ridere & currere primo sumitur propriè, & postea transumptiuè. Ad hanc etiam secundam speciem reducitur multiplicitas nominum analogorum, quæ dicuntur de pluribus secundum prius & posterius. sicut sanum dicitur de vrina, animali, & dieta, aliter & aliter. Et formatur sic paralogismus, Omne sanum habet vitam: vrina est sana: ergo vrina habet vitam. Non sequitur, quia sanum primò sumitur pro eo, quod principaliter significat sanitatem, secundò pro eo, quod posterius significat, scilicet pro signo sanitatis. Potest etiam ad hanc reduci multiplicitas propositionum, quando vna propositio vnam habitudinem significat per prius, & aliam per posterius. Et formatur sic paralogismus, in quocunque est sanitas, illud est animal: sed sanitas est in humorum adæquatione: ergo humorum adæquatio est animal. Non sequitur, quia in prima hæc propositio significat habitudinem accidentis ad subiectum, in secunda verò, habitudinem effectus ad causam.

Tertia species est, quæ prouenit ex diuersa significatione, quæ quidem attenditur secundum accidentia partium ora- *Tertia species.*

tionis, sicut secundum tempus, numerum, genus & similia. Et formatur sic paralogismus. Quicunque surgebat stat: sedens surgebat, ergo sedens stat. Non sequitur, quia sedens in minori sumebatur prout est temporis præteriti imperfecti, in conclusione prout est temporis præsentis.

CAP. X. *De fallacia amphibologiæ, & eius tribus speciebus.*

FAllacia amphibologiæ est deceptio proueniens ex eo, q̃ vna oratio pœnitus eadem plura significat. Et dico pœnitus eadem, ad differẽtiam orationis compositæ & diuisæ, quæ non nisi inquantum composita est, & diuisa, plura significat. Sicut autem æquiuocatio prouenit ex eo, q̃ vna dictio pœnitus eadem plura significat, ita amphibologia prouenit ex eo, quòd vna oratio penitus eadem plura significat. Vnde dicitur amphibologia ab amphi, quod est dubium, & buli, quod est sententia, quasi dubia sententia locutionis. Vel secundum quosdã dicitur ab amphi, quod est dubium, & buli, quod est sententia, & logos, quod est sermo. Vnde amphibologia, quasi dubia sententia sermonis. Causa autem apparentiæ siue principium motiuũ in amphibologia, *est* vnitas orationis plura significantis. Causa verò non existentiæ siue principium defectus, est diuersitas significationis. Sunt autem tres species amphibologiæ.

Prima species. Prima species prouenit ex eo, q̃ aliqua vna oratio principaliter plura significat, manente eadem constructione, propter diuersam habitudinem constructorum. sicut hæc oratio, lib. Arist. plura significat. Et licet semper eodẽ modo istę duæ dictiones construantur, tamen propter diuersam habitudinem diuersa significant. Potest enim intelligi secũdũ habitudinem effectus ad causam, vel possessis ad possidẽtẽ. Et formatur sic paralogismus, Quicquid est Arist. possidetur ab Arist. sed, iste liber est Arist. ergo possidetur ab Aristo Non sequitur, quia primo *contractatur nominatiuus* cum genitiuo in habitudine possessi ad possidentem, & in secunda in habitudine effectus ad causam.

Secunda species. Secunda species est, quæ prouenit ex eo, quòd vna oratio plura significat, propter diuersam partium constructionem, ex eo quod aliqua dictio potest construi cum alia transitiuè, vel intrãsitiuè. sicut hic, quicquid videt aliquis, hoc videt, sed colũnam videt aliquis: ergo columna videt. Non sequitur, quia li hoc construitur vno modo cum verbo videt transitiuè, & est accusatiui casus, & sic est vera. Est enim sensus quod qui videt aliquam rem, videt illã. Alio modo potest construi intransitiuè, & est nominatiui casus, & sic est falsa. Et est sensus, quòd qui videt aliquam rem, illa res videt. Et sic procedit conclusio. Similiter & hoc, quoscunque volo me accipere, volo quòd ipsi me accipiant: sed pugnantes volo me accipere, ergo volo quòd pugnantes me accipiant. Non sequitur, quia li me, potest construi cum hoc verbo accipere transitiuè, vel intransitiuè & in vno sensu est vera, & in alio falsa. Similiter hic quicunque sunt episcopi, sunt homines: sed isti asini sunt episcopi: ergo isti asini sunt homines. Non sequitur, quia minor est duplex, ex eo quod *li* episcopi, potest construi transitiuè, & est nominatiui casus, & sic est falsa. Potest etiam construi transitiuè & est genitiui casus & *sic est* vera. Et est attendendum, quòd diuersitas casuum pertinet ad fallaciam amphibologiæ, quia casus accidunt dictioni, secundum quòd vna dictio construitur cum alia dictione. Diuersitas verò aliorum accidentium pertinet ad æquiuocationem, quia alia accidentia accidunt dictioni, secundum quòd in se consideratur.

Tertia species. Tertia species amphibologiæ est, quando oratio vna significat plura, vnum principaliter, & aliud transumptiuè. sicut hæc oratio, Littus aratur, principaliter significat littoris scissionem, transumptiuè verò operis amissionem. Et formatur sic paralogismus quando *littus aratur*, terra *scinditur*: sed quando indocilis docetur, littus aratur: ergo quando indocilis docetur, terra scinditur. Non sequitur, propter prædictã multiplicitatem.

CAP. XI.

De fallacia compositionis & diuisionis, & eius tribus modis.

SEquitur de fallacia compositionis, & diuisionis. In quibus, vt supra dictum est, deceptio est prouenienses ex potentiali multiplicate vnius orationis. Dicitur autem vna oratio potentialiter multiplex, vel ex eo quòd eędem dictiones diuersimodè adinuicem componi possunt, vel adinuicem distingui. Sicut cum dicitur, quicquid viuit semper erit, hęc dictio, semper, potest componi cum hoc verbo viuit, vel diuidi ab eodem. Et quia oratio per compositionem partiũ constituitur, partes se habent ad orationem sicut materia, compositio sicut forma. Vbi ergo sunt eædem partes, sed non eadem compositio, est eadem oratio materialiter, & potẽtialiter, sed non formaliter, & actualiter. Et propter hoc est multiplex potentiale, vel quia oratio, quæ est vna, potentialiter plura significat. Etiam in hoc differunt istæ fallaciæ ab amphibologia, quia, in amphibologia semper idem componitur cum eodem, licet non vniformiter, vnde est eadẽ compositio, & per consequens oratio formaliter & actualiter est vna, & multiplex potentiale. Differunt autem hæ fallaciæ compositionis & diuisionis, quia quãdo oratio in sensu cõposito est falsa, est fallacia compositionis: quando autem in sensu diuiso est falsa. est fallacia diuisionis. Et nota, quòd tunc dicitur oratio composita, quando partes magis debitè ordinantur, & dicitur diuisa, quando partes minus debitè ordinantur. Causa autem apparentiæ siue principium motiuum in vtraque est vnitas potẽtialis orationis plura significãtis. Causa verò non existẽtię siue principiũ defectus, est diuersitas significationis, secundum q̃ intelligitur composita vel diuisa.

Sunt autem tres modi siue species vtriusque fallaciæ. Primus modus est, quando aliquod dictum potest supponi verbo vel *ratione totius*, vel *ratione partis*. Si enim *ratione totius* supponatur verbo erit oratio composita: si ratione partis, erit oratio diuisa. Et tunc si in sensu composito oratio est falsa, est fallacia compositionis, si autem in sensu diuiso, est fallacia diuisionis. Si autem in vtroque est falsa, tunc nulla est fallacia, quod & in aliis multiplicitatibus est intelligendum. Et formatur sic paralogismus, quemcunque possibile est esse album, possibile est quòd ipse sit albus: sed nigrum possibile est esse album: ergo possibile est quòd nigrum sit album. Non valet, quia illud dictum nigrum esse album potest supponi ei, quòd dicitur *esse possibile*, vel *ratione subiecti*, & tunc possibilitas attribuitur subiecto dicti, & est modalis de re, & tunc est diuisa, & vera. est enim sensus, quòd istæ, qui est niger, habet potẽtiam quòd fit albus: vel potest suppo ni ratione totius dicti, & sic est modalis de re, & de dicto: & est composita & falsa, est enim sensus, quòd hoc dictum, album esse nigrum, sit possibile. Vnde hic est fallacia compositionis. Potest etiã sic formari paralogismus, Quemcunqne esse nigrum est impossibile, non potest esse niger: sed album esse nigrum est impossibile: ergo album non potest esse nigrum. Non valet, quia media est duplex, sicut supra dictum est, & in sensu composito est vera, & in diuiso est falsa. vnde est fallacia diuisionis.

Secundus modus. Secundus modus prouenit ex eo, quòd aliquod prædicatum, in quo per coniunctionem copulatiuam, vel disiunctiuam plura adunantur, potest attribui subiecto coniunctim, vel diuisim. Si coniunctim, oratio est composita, si diuisim, oratio est diuisa. Et tunc si in sensu composito est falsa, est fallacia compositionis, si in diuiso est falsa, est fallacia diuisionis, vt patet in his paralogismis. Quicunque numerus componitur ex duobus, & tribus, est duo & tria: sed quinque non sunt duo & tria: ergo quinque non componitur ex duobus & tribus. Nõ valet: media enim est duplex, ex eo, quòd illud prædicatum duo & tria, potest intelligi remoueri à subiecto diuisim, & sic est vera: est enim sensus, quòd quinque neque sunt duo, neque sunt tria. Vel potest remoueri coniunctim, & sic est falsa. Est enim sensus, quòd duo & tria simul iuncta non sunt quinque, & in hoc sensu procedit conclusio, vnde est fallacia compositionis. Vel potest formari sic, Quæcunq; sunt duo, & tria, sunt duo: sed quinque sunt duo & tria: ergo quinque sunt duo. Hic similiter minor est duplex, & in sensu composito est vera, in diuiso falsa: vnde ibi est fallacia diuisionis. Simile est si in prædicato ponatur dictio disiunctiua, sicut hic. Omne animal est rationale, vel irrationale: sed nõ omne animal est rationale: ergo omne animal est irrationale. Non valet, nam prima est duplex, ex eo, quòd prędicatum *potest coniunctim attribui subiecto, & sic est composita* & vera: & est sensus, quòd de quolibet animali verum est dicere quòd est rationale vel irrationale. Vel potest diuisim attribui subiecto prædicatum, & sic est diuisa & falsa. Est enim sensus, quòd altera istarum propositionum est vera: omne animal est rationale, vel omne animal est irrationale, cum tamen vtraque sit falsa, & ideo est fallacia diuisionis. Potest etiam formari sic paralogismus. Quod non est rationale vel irrationale, neque est rationale, neque irrationale: sed non omne animal est rationale vel irrationale: ergo aliquod animal neque est rationale neque irrationale. Non sequitur: quia minor est duplex, & in sensu diuiso est vera, & in composito est falsa. vnde est fallacia compositionis.

Et sciendum, quòd, quando prædicatũ comparatur ad subiectum coniunctim, tunc coniunctio coniungit terminos & sic accipitur in vi vnius propositionis, quia duo termini con

coniunctim accepti sumuntur vt vnum prædicatum, & cum simul attribuantur subiecto, subiectum erit vnum. Ex vno autem subiecto & vno prædicato fit oratio vna. Quando vero duo termini in prædicato positi copulato vel disiuncto, diuisim subiecto attribuuntur, sic accipiuntur vt duo prædicata, & per consequens vt duo subiecta eis correspondentia: & sic intelliguntur vt duæ orationes per coniunctionem copulatiuam, vel disiunctiuam.

Tertius modus. Tertius modus est, quando vna dictio potest coniungi diuersis dictionibus in oratione positis. Erit autẽ secũdum hoc tunc composita, quando cõiungitur cum dictione, cui magis apparet, vel apta est coniungi: diuisa verò, quando ab ea diuiditur, sicut in hoc paralogismo, Quod potest vnũ solum ferre, plura potest ferre: sed quod solum vnum potest ferre, non potest nisi vnum ferre, ergo qui non potest nisi solùm vnum ferre plura potest ferre. Nõ sequitur, nam prima est duplex, ex eo quòd solùm potest coniungi cum hac dictione potest, cum qua magis videtur coniungi, & sic est composita & falsa, est enim sensus quòd iste, qui non potest portare nisi vnum pondus, potest portare plura. Vel potest diuidi ab hoc verbo potest, & coniungi cum hac dictione vnum, & sic est diuisa & vera. Est enim sensus, qui potest portare vnum solum pondus, potest portare quandoque plura: vnde est fallacia compositionis. Item, Quicunque viuit semper erit: iste asinus viuit: ergo iste asinus semper erit. Non sequitur, nam prima est duplex, ex eo quod *hoc* aduerbium *semper* potest construi cum hoc verbo erit, cum quo videtur componi magis, & sic est composita, & falsa. Vel diuidi ab eo, & componi cum hoc verbo viuit, & sic est diuisa, & vera, vnde est fallacia compositionis.

Econtrario verò est fallacia diuisionis in his paralogismis. Quocunque vides hunc percussum illo percussus est, sed oculo vides hunc percussum: ergo hic est percussus oculo. Non sequitur, nã minor est duplex, ex eo quòd iste ablatiuus oculo potest componi cum hoc verbo vides, cum quo magis videtur, & sic est composita, & vera. Vel potest diuidi ab eo, & componi cum hoc participio percussum, & sic est diuisa, & falsa: vnde est fallacia diuisionis. Item. Quicunque *est hodie* natus, hodie primo esse incœpit: sed tu es hodie natus, constat enim quòd hodie es, & es natus: ergo hodie primo cœpisti esse. Non sequitur, quia prima est duplex, eo quòd hoc aduerbium hodie potest componi cum hoc verbo es, & sic est composita, & vera. Vel cum hoc participio natus, & sic est diuisa, & falsa. Et notandum, quòd obliqui, & aduerbia magis videntur determinare verbum quàm participium, & magis verbum principale, quàm secundarium: quod implicatur in subiecto. Cum enim dicitur, Quicunque currit mouetur, mouetur est verbum principale, & currit secundarium in subiecto implicatum.

CAPVT XII.

De fallacia accentus, & eius quatuor modis.

SEquitur de fallacia accentus. Accentus prout hic sumitur est modus pronunciandi aliquam dictionem. Fallacia autem accentus est deceptio proueniens ex eo quòd aliqua dictio diuersimodè pronũciata diuersã significat. Sicut enim in fallacia secundum compositionem, & diuisionem est eadem oratio materialiter, & formaliter diuersificata secundum compositionem, & diuisionem, ita in hac fallacia est eadem dictio materialiter, formaliter diuersificata secundum modum pronuntiandi, & ideo sicut est ibi potentialis multiplicitas orationis, ita est hic potentialis multiplicitas dictionis. Causa apparentiæ in hac fallacia est materialis vnitas dictionis Causa verò non existentiæ est diuersitas significationis, id est dictionis diuersimodè pronunciatæ, vel prolatæ. Sunt autem quatuor modi huius fallaciæ, secundum quòd quatuor modis contingit diuersificari modos pronuntiandi dictionem. Primo modo nanque variatur per diuersos tonos. siue accentus, qui sunt tres, scilicet acutus, grauis, & circunflexus. Acutus accentus, siue tonus est, qui acuit, siue eleuat syllabam sicut cum dicitur, Martinus, in quo media syllaba eleuatur. Grauis verò accentus est, qui deprimit syllabam vel deponit, vt patet in media syllaba huius nominis Dominus, vel vltima huius nominis Lucas. Circunflexus autem accentus est, qui acuit syllabam & deprimit.

Primus modus. Primus ergo modus huius fallaciæ prouenit ex eo, quòd aliqua dictio potest pronunciari acuto, graui, vel circunflexo accentu. vt patet in hoc paralogismo, Quoscunque iustum est pendere. iustum est pati pœnam: sed bonos viros iustum est pendere: ergo bonos viros iustum est pati pœnam. Nam in prima sumebatur pendere prout profertur acuto accẽtu: & sic idem est pendere quòd pati pœnam. In secunda proferebatur graui accentu, & sic pendere idẽ est quòd dare pœnam. Secundo modo variatur modus pronuntiandi dictionẽ secundum diuersa tempora, quæ sunt duo. scilicet productũ, vt in syllaba longa, & correptum, vt in syllaba brcui.

Secundus ergo modus prouenit ex eo quòd aliqua syllaba alicuius dictionis potest corripi, vel produci, vt patet in hoc paralogismo, Omnis populus est arbor: sed aliqua gens est populus: ergo aliqua gens est arbor. Non sequitur, quia hæc dictio populus, *aliud* significat secundum quòd eius prima syllaba producitur: sic enim significat quandam arborem, & aliud secundum quòd corripitur, sic enim significat gentem. *Secundus modus.*

Tertio modo variatur modus pronuntiandi dictionem secundum diuersitatem spiritus, qui quidem diuersificatur secundum asperum, & lene. Asper quidem spiritus designatur per hanc figuram h. lenis vero spiritus est, quando sine aspiratione syllaba profertur.

Tertius ergo modus huius fallaciæ prouenit ex eo, quòd aliqua dictio potest leniter, vel aspere pronuntiari, vt patet in hoc paralogismo. Quicquid hamatur hamo capitur: sed vinum amatur: ergo vinũ hamo capitur. Non sequitur, quia primò hoc verbum hamatur profertur asperè, secundo leniter. Similiter hic, Omnis ara est in templo, stabulum porcorum est hara: ergo stabulum porcorum est in templo. Non sequitur, quia primò hoc nomen ara profertur leniter, postea aspiratur. Quartus modus prouenit ex eo, quòd aliquid potest proferri, vt vna dictio, vel vt plures. vt hic, tu es, qui es: sed quies est requies: ergo tu es requies. Non sequitur, quia hoc quod primo dico, qui es, sumitur vt oratio vna, postea vt vna dictio. Similiter hic, Quicquid Deus fecit inuitè, fecit inutus: racemos fecit Deus inuitè: ergo racemos fecit inuitus. Non sequitur. quia primò hæc dictio inuitè sumitur vt vna dictio, postea vt plures. *Tertius modus.*

Patet igitur ex prædictis quòd accentus secundum quòd ab eo denominatur hæc fallacia communius est quàm accentus, qui diuiditur per grauem, & acutum, & circunflexum: compræhendit enim sub se & hunc accentum, & alia tria, vt dictum est prius, scilicet asperum, lene, correptum, productum, vt vnum, & vt plura.

CAPVT XIII.

De figura Dictionis, & eius tribus modis.

SEquitur de Fallacia figuræ dictionis. Figura dictionis, prout hic sumitur, nihil est aliud, quàm similitudo vnius dictionis ad alteram. sicut dicitur aliquid ad figuram alterius factum, quòd ei assimilatur. Vnde fallacia figuræ dictionis est deceptio proueniens ex eo, quòd aliqua dictio similis alteri dictioni videtur eundem modum significandi habere, cum tamen non habeat. vt hæc dictio homo, videtur significare hoc aliquid propter similitudinem quam habet cum nominibus significantibus primam substantiam. Et sic patet, quòd in hac fallacia non est multiplex verum, sed phantasticum, quia vna dictio non plura significat secundum rei veritatem. sed habet vnum modum significandi, & videtur habere alium. Causa apparentiæ in hac fallacia est similitudo vnius dictionis cum alia dictione: causa verò non existentiæ est diuersus modus significandi. Sunt autem tres modi huius fallaciæ.

Primus modus prouenit ex eo, quòd dictio, quæ significat masculinum, sumitur ad significandum fœmininum, aut neutrum, aut econuerso. vt patet in hoc paralogismo, Quæcunque coloratur albedine, est alba: sed Catilina coloratur albedine: ergo Catilina est alba. Non sequitur, quia cum Catilina sit proprium nomen viri, non significat fœminium, licet significare videatur propter similitudinem dictionis, quam habet cum nominibus fœmininis, vnde non debet sumi sub fœminino distributio. Vel sic, Omnis substantia colorata albedine, est alba: sed vir est substantia colorata albedine: ergo vir est alba. Non sequitur quia mutatur hic fœmininum in masculinum. *Primus modus.*

Secundus modus prouenit ex eo, quòd aliqua dictio, quæ significat per modum vnius prædicamenti, videtur significare per modum alterius. sicut hic, Quicquid heri vidisti, hodie vides: album heri vidisti: ergo album hodie vides. Non sequitur, quia hic mutatur quid in quale. Vel sic, Quotcunque emisti, comedisti: crudum emisti, ergo crudum comedisti. Non sequitur, quia hic mutatur quantum in quale. Vel sic, Quantumcunque digitos olim habuisti hodie habes: sed paruos digitos olim habuisti: ergo paruos digitos hodie habes. Non sequitur, quia mutatur quantum *quantitatis* discretæ in quantum quantitatis continuæ. Et notandum, *Secundus modus.*

quòd non facit fallaciam figuræ dictionis mutatio prædicamentorum quantum ad rem significatam, sed quantum ad modum significandi. Albedo enim significat qualitatem, sed significat eam per modum substantiæ, quia non significat eam vt inhærentem. Album autem significat eam per modum qualitatis, quia significat eam vt inhærentem. Vnde hic non est fallacia figuræ dictionis. Quicquid heri vidisti hodie vides: albedinem heri vidisti: ergo albedinem hodie vides. Erit autem fallacia figuræ dictionis si procedatur sic, album vidisti, ergo album vides.

Tertius modus. Tertius modus prouenit ex eo, quòd aliqua dictio quæ significat quale quid, videtur significare hoc aliquid, & contingit quando quale quid transmutatur in hoc aliquid. Et dicitur significare quale quid, quãdo significat naturam communem generis vel speciei, secundum quòd pertinet ad tertium modum. Hoc aliquid verò significat substantiam particularem. Si enim sumatur quale quid significare secũdum quòd pertinet ad genus qualitatis sic mutatur quale quid in hoc aliquid, & pertinet ad tertium mediũ. Et formatur sic paralogismus. Sortes est alter ab homine, ipse est homo: ergo ipse est alter à se. Non sequitur, quia proceditur ab homine ad Sortẽ, & sic mutatur quale quid in hoc aliquid. Et ad hunc modum reducitur omnis exceptio prouenienes ex variata suppositione terminorum, vt homo est species. Sortes est homo, ergo Sortes est species. Hic proceditur à simplici suppositione ad discretam, & mutatur quale quid in hoc aliquid.

CAPVT IIII.

Quæ nam, & quos sint extra dictionem Fallacia.

SEquitur de Fallaciis extra dictionem, quæ in hoc differunt à fallaciis in dictione, vt supra dictum est, quia in fallaciis in dictione principium motuum siue causa apparentiæ est ex parte vocis, in fallaciis autem extra dictionem, ex parte rei. Sicut enim in fallaciis in dictione deceptio prouenit ex eo, quòd aliquæ res, quæ conueniunt secundum vocem, accipiuntur vt eædem secundum rem: ita in fallaciis extra dictionem deceptio prouenit ex eo, quòd aliquæ res aliquo modo conuenientes vel differentes accipiuntur, vt eædem simpliciter vel diuersæ. Sunt autem fallaciæ extra dictionem septem, quarum prima est secundum accidens: secunda secundum quid & simpliciter: tertia secundum ignorantiam Elenchi: quarta secundum petitionem principij, quinta secundum consequens, sexta secundum non causam vt causam: septima secundum plures interrogationes vt vnam. Accipiuntur autem hæ fallaciæ secundum quasdam vniuersales rerum conditiones. Nam entium aliud est per se, & aliud per accidens, & secundum hoc accipitur fallacia accidentis. Item secundum perfectum & imperfectum, fallacia secundum quid & simpliciter: secundum autem oppositum & non oppositum, fallacia secundum ignorantiam elenchi: secundum vero idem & diuersum, est fallacia petitionis principij: secundum prius & posterius, fallacia consequentis: secundum autem causatum & causam est fallacia secundum non causam vt causam: secundum autem vnum & multa fallacia secundum plures interrogationes vt vnam. Dicendum est ergo prius de fallacia accidentis.

CAPVT V.

De Fallacia accidentis, in quo nam consistat.

SCiendum est autem, quòd accidens hic accipitur secundum quòd in esse diuiditur per in esse per se & per inesse per accidẽs. Per se autem dicitur aliquid inesse alicui, quod in est ei secundum rationem propriæ diffinitionis. quod autẽ præter hæc inest aliquid dicitur inesse per accidẽs. Vnde ad hoc, quod est in esse per se, aut per accidens, tripliciter aliquid potest se habere. Quædam enim sunt, quæ omnino sunt idem secundum substantiæ rationem: vt vestis & indumentum, & in istis est solummodo per se & nullo modo per accidens. Quædam vero sunt, quorum vnum est omnino extraneum à ratione alterius, sicut se habet album, & homo, & in istis est solummodo per accidens, & nullo modo per se. Quædam verò sunt, quorum vnum quodammodo pertinet ad rationem alterius, licet non sint eadem secundum diffinitionem, & sic se habet superius, & inferius Nam superius ponitur in diffinitione inferioris, sed non tamen omnino est eadem diffinitio superioris & inferioris, vt animalis & hominis: cum diffinitio inferioris addat supra diffinitionem superioris. Et simile est de proprio & de specie: nam species ponitur in diffinitione proprij, non tamen species & proprium omnino sunt idem in diffinitione. Et in his quodammodo est per se, & quodammodo per accidens, in quantum partim secundum diffinitionem conueniunt, & partim differunt. In his autem, quæ primo modo se habẽt, necesse est vt quicquid est verum de vno sit verum de alio, eo quòd talia sunt penitus eadem secundum rationem, & differunt secundum nomen solùm, vnde in his non contingit esse fallaciam accidentis. Sed in omnibus aliis non est necessarium quòd quicquid est verum de vno, sit verum de alio. Et ideo, si ex hoc quòd aliquid est verum de vno, concludatur esse verum de altero, est fallacia accidentis. Contingit autem aliquando, vt quod est verum de vno: sit verum de alio, quando soluitur aliquid attribuitur vni, secundum quòd est idem alij, tunc enim ei & alteri inerit. Si vero attribuitur vni secundum, quòd est ab altero diuersum, non inerit alteri. sicut: si album attribuatur animali in quantum est idem homini, tunc oportet quod conueniat homini. Si autem vt est diuersum ab homine, non conueniet homini. Et si concludatur inesse homini, est ibi fallacia accidentis. Sicut si dicatur animal est quadrupes, homo est animal, ergo homo est quadrupes. Non sequitur, quia quadrupes non prædicatur de animali secundum quod animal est idem homini, sed secundum quod est ab homine diuersum. Vnde patet, quod in prædicto argumento medium diuersimodè accipitur. Nam primò accipiebatur secũdum quòd est diuersum ab homine, secundò secundum quòd est idem homini. Et ideo, quando est fallacia accidentis semper est diuersa acceptio medij. Dicitur autem diuersa acceptio medij quando medium secundum quòd conuenit cum vna extremitatẽ est diuersum ab alia.

CAPVT VI.

De tribus modis fallaciæ Accidentis.

FAllacia vero accidentis est deceptio prouenienes ex eo, quod aliquid assignatur similiter inesse rei subiectæ, & accidenti eius, vel similiter inesse vtrique eorum, quæ sunt aliqualiter per accidens vnum. Ex quo patet quòd in fallacia accidentis semper inueniuntur tres termini, sicut in syllogismo, quorum duo per accidens coniunguntur, qui quidem se habent sicut medium, & minor extremitas. Tertium verò quod assignatur similiter vtrique eorum inesse, est maior extremitas. Causa apparentiæ in hac fallacia est vnitas quædam & identitas eorum, quæ per accidens aliquo modo coniunguntur. Causa verò non existentiæ est diuersitas eorundem. Nam sicut dicit Philosophus in 1. Elenchorum Fallacia accidentis fit ex eo, quòd aliquis non potest diuidicare idem, & diuersum, vnum, & multa.

Sunt autem tres modi huius fallaciæ. Primus modus prouenit ex eo, quod proceditur ab accidẽte ad subiectum, vel conuerso. Sicut hic. Cognosco Coriscum, Coriscus est veniens, ergo cognosco venientem. Non sequitur, quia Coriscus, & veniens sunt vnum per accidens, & non per se. Vnde non sequitur quòd quicquid est verum de vno, sit verum de alio. Hic enim fallit, quando aliquid est verum de vno secundum quòd est diuersum ab altero. Sicut hic, Coriscus enim non subiacet cognitioni secundum quòd est idem venienti, vnde patet quòd est diuersificatio medij, & sic est fallacia accidentis. Similiter hic. Iste Canis est pater, & est tuus, ergo est pater tuus. Canis enim, & pater sunt vnum per accidens, vnde non sequitur, quòd quicquid est verum de vno, sit verum de alio, secundum enim, quòd Canis est pater, non conuenit ei esse tuum. *Primus modus.*

Secundus modus prouenit, quando id, quod conuenit superiori, concluditur de inferiori, vel conuerso. Sicut hic. Homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus. Non sequitur. Superius enim, & inferius aliquo modo sunt vnum per accidens, licet alio modo sint vnum per se, vt ex dictis patet. Vnde quòd verificatur vnum de vno eorum secundum quòd est idem alteri, necessè est, & de altero verificari. Et secundum hoc sumuntur argumenta dialectica à genere & à specie, siue ab inferiori & superiori. Quod autem verificatur de vno eorum secũdum quòd differt ab altero, non oportet de altero verificari, tunc enim est variatio medij & fallacia acidentis, sicut est in proposito. Nam esse genus non prædicatur de animali secundum q̃ est idem homini, sed secundum quòd ab eo differt, sicut superius ab inferiori. Similiter est hic. Triangulus est figura, sed proprietas triãguli est habere tres angulos. ergo est proprietas figuræ. Non sequitur, quia triangulus & figura non sunt omnibus modis idem, vnde non sequitur, quòd de vno verificatur, & de altero verificari. Similiter est etiam hic Sortes est alius ab homine, ipse est homo, ergo est alius à se. *Secundus modus.*

Tertius

Tertius modus. Tertius modus prouenit, quando proceditur à specie ad proprium, vel conuerso. Sicut hic. Homo est risibilis, risibile est proprium, ergo homo est proprium. Vel sic, homo est species, sed homo est risibilis, ergo risibile est species. Non sequitur, quia risibile & homo non sunt omnino idem secundum diffinitionem, ideo se habet vnum ad alterum aliquo modo per accidens, vt est extraneum, & propter hoc non est necesse quòd quicquid verificatur de vno, verificetur de alio.

CAP. XVII.

In aliquo paralogismo esse duas fallacias ostendit.

ET est sciendum, quòd non est inconueniens, si aliquibus prædictorum paralogismorum sint assignatæ duæ fallaciæ, scilicet figuræ dictionis, & accidentis, quia secundum quòd prouenit deceptio ex similitudine dictionis, est fallacia figuræ dictionis, secundùm autem quòd prouenit ex conuenientia rerum, est fallacia accidentis, homo enim & Sortes & quantum ad rem conueniunt, & quantum ad nomen similitudinem habent. Sciendum est etiam, quòd sicut fit paralogismus accidentis ex propositionibus categoricis, ita fit ex propositionibus hypotheticis, ex eo quòd medium diuersimodè accipitur, prout scilicet comparatum est ad vnam extremitatem, est diuersum ab alia, sicut hic. Si nullum tempus est, dies non est, per locum à toto in quantitate, & si dies non est, ergo nox est, per locum ab oppositis, sed si nox est, aliquod tempus est, ergo si nullum tempus est, aliquod tempus est. Patet enim quòd istud medium, quod est, diem non esse, est diuersum ab eo, quod est noctem esse. Ex hoc enim quod est diem non esse, sequitur noctem esse suppposito tempore, sicut ex hoc quod est videntem non esse, sequitur cœcum esse, supposito animali, quod est natum videre.

CAP. XVIII.

Quid sit fallacia secundùm quid & simpliciter.

SEquitur de fallacia secundum quid & simpliciter. Simpliciter autem dicitur, quòd nullo addito dicitur, vt Sortes est albus, vel Sortes currit. Secundùm quid autem dicitur quòd aliquo addito dicitur, vt iste currit bene, vel Sortes est albus dente. Hoc autem quod additur dupliciter se habet ad id cui additur. Nam quandoque non diminuit de ratione eius, cui additur, & tunc potest procedi ab eo, quod est secundùm quid, ad id, quod est simpliciter. Vt cum dicitur. Iste currit velociter, ergo currit. Velocitas enim nihil diminuit de ratione cursus, & est in prædicto argumento locus à parte in modo. Quandoque verò additum diminuit aliquid de ratione eius, cui additur, vt cum dicitur. Aethiops est albus dente. Nam hæc determinatio dente, diminuit aliquid de ratione eius, quod dicitur album. Nõ enim potest dici albus, nisi qui vel totus albus est, vel secundùm plures, & principaliores partes. Et ideò, si concludatur est albus dente, ergo est albus, est locus sophisticus siue fallacia secundùm quid & simpliciter. Fallacia ergo secundùm quid & simpliciter est deceptio prouenienes ex eo quòd dictum secundum quid sumitur, ac esset simpliciter dictum. Causa apparentiæ in hac fallacia est cõuenientia eius, quòd est secundùm quid, ad id, quod dictum est simpliciter. Causa verò non existentiæ est diuersitas eorundem.

CAP. XIX.

Quinque modi fallaciæ secundùm quid & simpliciter exponuntur.

SVnt autem quinque modi huius fallaciæ. Primus modus est, quando determinatio addita habet oppositionem ad id, cui additur, vt in hoc argumento, Cæsar est homo mortuus: ergo est homo. Non sequitur, quia esse mortuum habet oppositionem ad hominem, eo, quòd viuum est de ratione hominis, cum homo sit animal, & animal sit substantia animata sensibilis, & sic patet, quòd hæc determinatio mortuus, tollit hominis rationem. Similiter hic. Iste est bonus latro, ergo est bonus. Nam bonum per se simpliciter sumptum oppositionem habet ad latronem. Similiter est hic. Mendax verum dicit dicendo se dicere falsum, ergo dicit verum. Non sequitur, quia dicere verum opponitur ei quod est dicere falsum, & econuerso. *Secundus modus.*

Secundus modus prouenit ex eo quòd determinatio addita pertinet ad animẽ actum: nam aliqui actus animæ possunt esse & circa existentia, & circa non existentia. Sicut hic, Chimera est animal opinabile, ergo chimera est animal. Non sequitur. Nam opinabile additum animali diminuit de eius ratione. Simile est hoc, Cæsar est in memoria hominum, ergo Cæsar est. Et iterum, Tu habes fœlicitatem in voluntate tua, ergo habes fœlicitatem.

Tertius modus prouenit ex eo, quòd aliqua determinatio addita significat esse in potentia, sicut hic. Ouum potentialitate est animal, ergo est animal. Non sequitur. Nam esse in potentia diminuit de ratione eius, quod est esse simpliciter. *Tertius modus.*

Quartus modus est, quãdo determinatio addita significat partem sicut hic Aethiops est albus dente, ergo est albus. Nõ sequitur, quia esse in parte diminuit de ratione eius quòd est esse simpliciter. Sciendum tamen est quòd, si à parte consueuit, vel natum sit denominari totum, non accidet fallacia in hoc processu. vt si dicatur, Iste est crispus secundùm capillos, ergo est crispus, bene sequitur. Nam homo non denominatur crispus nisi secundùm capillos. Et hic modus se extendit ad alias partes, scilicet loci vel temporis & aliorum totorũ. sicut hic, Ista diæta est bona in locis ægrotatiuis, ergo est bona. Non sequitur, quia quod dicitur in locis ęgrotatiuis significat partem in loco. & non totum. Similiter hic, Bibere vinum est malum ægrotanti, ergo est malum bibere vinum. Et eadem ratio est in omnibus similibus. *Quartus modus.*

Quintus modus est, quando determinatio addita cogit terminum, cui additur stare materialiter, sicut hic, Sapiens vult admittere malum, ergo vult malum. Nam admittere malum non dicit malum simpliciter, sed secundùm quid. Similiter hic. Fur vult sumere bonum, quia pecuniam, ergo vult bonum, & eadem ratio est in similibus aliis. Sic ergo patet ex dictis, quòd hæc fallacia prouenit secundum rationem perfecti vel imperfecti. Nam determinatio diminuit ex eo quòd significat aliquid imperfectè. *Quintus modus.*

CAP. XX.

De Fallacia secundùm ignorantiam elenchi, & eius quatuor modis.

SEquitur de fallacia secundùm ignorantiam elenchi. Est autem elenchus syllogismus contradictionis, qui quandoque est vnus syllogismus, quandoque duo. Vnus quidem est, quando concludit contradictoriam alicuius propositionis prius datæ. sicut si detur aliquod animal esse incorruptibile, & procedatur sic. Omne compositum ex contrariis est corruptibile, omne animal est huiusmodi, ergo est corruptibile. Hæc enim conclusio contraria est prioris propositionis datæ. Duo enim syllogismi constituunt vnum elenchum, quando ex duobus syllogismis contradictoria concluduntur. Sicut si in syllogismo prædicto contraponatur alius talis syllogismus. Nullum beatum est corruptibile, aliquod animal est beatum, scilicet rationale, ergo aliquod animal non est corruptibile. Quia igitur de ratione elenchi est syllogismus simul & contradictio, quicquid est contra diffinitionem syllogismi, & contradictionis, est contra diffinitionem elenchi, & ideo, cum in qualibet fallacia defectus accidat per hoc, quòd aliquid omittitur de diffinitione syllogismi & contradictionis, ideo omnis fallacia reducitur ad ignorantiam elenchi, sicut ad generalem. Quia verò in diffinitione elenchi ponitur contradictio quasi differentia, quæ constituit speciem, ideò specialiter omissio eorum, quæ ad contradictionem requiruntur ignorantiam elenchi constituit secundùm quòd est fallacia specialis. Sed, quia fallacia esse non potest, si apparentia deest, oportet ad hoc quòd sit fallacia, vt sit apparens contradictio, & cum hoc aliquid ad veritatem contradictionis desit. Apparens autem contradictio esse non potest nisi sit vnius & eiusdem. Vnde hoc obseruato ex defectu aliorum, quæ ad contradictionem requiruntur, hæc contingit fallacia. Est enim contradictio oppositio vnius & eiusdem non rei tantùm, nec nominis tantùm, sed rei, & nominis secundùm idem & ad idem, & respectu eiusdem, similiter & in eodem tempore. Fallacia ergo secundùm ignorantiam elenchi est deceptio prouenienes ex eo, quòd non obseruantur ea, quæ sunt necessaria ad diffinitionem elenchi, & præcipuè ex parte contradictionis. Vnde & dicitur ignorantia elenchi, quia deceptio non accidit nisi per hoc quòd ignoratur diffinitio contradictionis. Causa verò apparentiæ in hac fallacia est similitudo diffinitionis deficientis ad contradictionem perfectam. Causa verò non existentiæ est diuersitas eorundem. *Contrad.*

Modi huius fallaciæ sunt quatuor. Primus peccat contra hãc particulam ad idem, vt hic. Duo sunt duplum ad vnum, non sunt autem duplum ad tria, ergo duo sunt duplum & non duplum. Non sequitur, quia omissio huius quod est esse ad idem, facit quòd non est contradictio. *Primus modus.*

Secundus modus peccat contra hanc particulam secundum idem, sicut hic. Hoc est duplũ ad illud secundum longitudinem *Secundus modus.*

tudinem, & non eſt duplum ad idem ſecundũ latitudinem ergo eſt duplum & non duplum. Non ſequitur, quia omittitur hæc particula ſecundum idem, quòd requiritur ad contradictionem.

Tertius modus. Tertius peccat contra hanc particulam ſimiliter, ſicut hic. Cælum mouetur circulariter, & non mouetur ſurſum & deorſum, ergo mouetur & non mouetur. Non ſequitur, quia omiſsio huius particulæ ſimiliter tollit contradictionem.

Quartus modus. Quartus modus eſt contra hanc particulam, & in eodem tempore, ſicut hic. Domus iſta eſt clauſa iſto tempore, & non alio, ergo eſt clauſa, & non clauſa. Non ſequitur, quia diuerſitas temporis impedit contradictionem. Et ſciendum eſt, quòd hæc fallacia cõmunis eſt cũ fallacia ſecundũ quid & ſimpliciter in hoc, quòd in vtraque proceditur ab eo, q̃ dicitur cum determinatione, ad id quod dicitur ſimpliciter. Sed hæc eſt differentia, quia in fallacia ſecundum quid & ſimpliciter determinatio diminuit de ratione eius, quod eſt ſimpliciter, quod non de neceſsitate accidit in hac fallacia, ſed hæ determinationes additæ diminuunt de ratione contradictionis. Bene enim ſequitur, hoc eſt duplum ad illud ſecundum longitudinem, ergo eſt duplum ad illud. Non tamen ſequitur quod ſit contradictio, ſi ad diuerſa referatur, patet etiam ex dictis, quòd hæc fallacia prouenit ſecundum generalem entium contradictionem: nam contradictio eſt omnis oppoſitionis principium.

CAPVT XX.

De Fallacia petitionis principij & eius quinque modis.

SEquitur de fallacia petitionis principij. Principium autem hic dicitur principale propoſitum. Tunc igitur aliquis petit principium, cum petit ſibi concedi principale propoſitum, quod debet probare. Quod quidem, ſi ſub eodem nomine petat nulla ſit fallacia, ſed petens videbitur deridendus. Sicut ſi velit probare, quòd homo currit, & petit eandem ſibi concedi. Si vero petat, quod vult probare ſub alio nomine, vel vocabulo poterit eſſe fallacia, & tunc propriè petit illud, quod eſt in principio, id eſt illud, quod inſe continet principale propoſitum. Fallacia ergo petitionis principij eſt deceptio prouieniens ex eo, quòd idem aſſumitur ad probationem ſuipſius ſub alio vocabulo Cauſa ergo apparentiæ in hac fallacia eſt diuerſitas concluſionis à præmiſsis. Cauſa vero non exiſtentiæ eſt identitas eorundem. Sunt autem quinque modi huius fallaciæ.

Primus modus. Primus modus eſt, quando diffinitum petitur ad probationem diffinitionis, vel econuerſo. vt ſi debeat probari, quòd homo currit, & arguatur ſic, Animal rationale & mortale currit, ergo homo currit, hic nulla eſt probatio, quia ſimiliter dubitatur de præmiſſa & de concluſione.

Secũdus. Secundus modus eſt, quando vniuerſale petitur ad probationem particularis. vt ſi debeat probari, quòd omnium contrariorum eſt eadem diſciplina, & aſſumatur iſta, Omnium oppoſitorum eſt eadem diſciplina, ergo & omnium contrariorum. Hic enim præmiſſa non eſt magis nota quam concluſio.

Tertius. Tertius eſt, quando petuntur particularia ad probationem vniuerſalis, vt ſi debeat probari, quod omnium oppoſitorum eſt eadem diſciplina, & aſſumantur iſtæ. Omnium contrariorum, omnium priuatiuè oppoſitorum eſt eadem diſciplina, & ſic de aliis, ergo & omnium oppoſitorum. Hic etiam concluſio in præmiſsis petitur.

Quartus. Quartus eſt, quando diuiſim petitur quod debet probari coniunctim, vt ſi debeat probari quòd medicina eſt ſcientia ſani & ægri. & ſumatur iſta, Medicina eſt ſcientia ſani & medicina eſt ſcientia ægri, ergo eſt ſcientia ſani & ægri, hic etiam petitur quod debet probari ſub aliis verbis.

Quintus. Quintus eſt, quando petitur vnum correlatiuorum ad probationem alterius. vt ſi debeat probari, quòd Sortes ſit pater Platonis, & ſumatur ſic, Plato eſt filius Sortis, ergo. Sor. eſt pater Platonis, hic petitur quòd debet probari ſub aliis verbis. Et eſt ſciendum, quod hæc fallacia non peccat contra vim illatiuam argumenti, bene enim ſequitur concluſio datis præmiſsis cum ſeruetur debita habitudo inferentis ad illatum, ſed peccat contra probationem argumenti. Nam probatio debet eſſe per magis manifeſta, quod hic non obſeruatur. Vnde hic non accidit deceptio ex eo, quòd concluſio infertur ex præmiſsis, cum illationes prædictę ſint ſecundum locos dialecticos, ſed accidit deceptio ex eo quod petitur idẽ concedi, ac ſi eſſet diuerſum. Vnde, ſi in præmiſsis modis arguendi ſumantur præmiſſæ ex eo quod ſuntmagis notę & non quaſi petitæ, non erit argumentum ſophiſticum, ſed dialecticum. Patet etiam ex dictis, quòd hæc fallacia prouenit ſecundum idem & diuerſum, prout non diſcernitur inter ea.

CAPVT XXI.

In quo conſiſtit conſequentis fallacia, & quo nam ab accidentis fallacia diſtinguatur, & eius duobus modis.

SEquitur de fallacia conſequentis. Conſequens autem hic dicitur, quod ad antecedens ſequitur in propoſitione conditionali. vt cum dicitur, Si Sortes eſt homo, Sortes eſt animal, Sortem eſſe animal eſt conſequens. Sor. eſſe hominem eſt antecedens. Eſt ergo fallacia conſequentis deceptio prouieniens ex eo quòd conſequẽs extimatur omnino eſſe idem antecedenti. Ex hoc enim contingit aliquem credere, quòd ſicut conſequens ſequitur ad antecedens, ita econuerſo antecedens ad conſequens ſequitur. Vnde patet quòd fallacia conſequentis in duabus conſiſtit conſequentiis, quarum vna eſt vera, altera falſa. Sicut ſi dicatur, Si quis currit mouetur, ſed Sortes mouetur, ergo Sortes currit. Hæc enim conſequentia, quæ primo ponitur, eſt vera, ſed iſta, ad quam proceditur, eſt falſa, ſcilicet mouetur, ergo currit. Vbi vero ponitur tantùm vna conſequentia, non eſt fallacia conſequentis. Vnde ſi ſic dicatur, Sortes eſt animal, ergo eſt homo, non eſt fallacia conſequẽtis ex modo arguẽdi, ſed magis fallacia accidentis. Nam ſicut fallacia conſequẽtis prouenit ex eo q̃ conſequens exiſtimatur omnino eſſe idem antecedenti, ita fallacia accidentis prouenit ex eo, quòd prædicatum exiſtimatur omnino eſſe idem ſubiecto. Vnde & hæc fallacia denominatur à conſequendo, illa verò ab accidendo, quòd eſt inhærere, & inde eſt quòd quando proceditur arguendo ſolùm ab aliqua cathegorica, per quam ſequitur aliquid ineſſe, eſt fallacia accidentis, quando vero ab aliqua conditionali eſt fallacia conſequentis. Et ideo Philoſophus dicit, quòd fallacia accidentis eſt in vno, & fallacia conſequentis eſt in pluribus, ſcilicet conſequentiis. Ex hoc etiam patet quòd conſequens eſt aliquo modo pars accidentis. Nam omne quod ſequitur aliquo modo accidit, non omne quod accidit ſequitur. Non enim ſequitur, ſi eſt homo, eſt albus, licet hæc ſit vera, homo eſt albus, & ideo vbicunque eſt fallacia conſequentis poteſt aliter ordinatis terminis fieri fallacia accidentis, ſed non conuertitur. Cauſa verò apparentiæ huius fallaciæ eſt conuenientia conſequentis cum antecedente, Cauſa verò non exiſtentiæ eſt diuerſitas eorundem.

Sunt autem duo modi huius fallaciæ. Primus prouenit ex *Primus modus.* conſecutione magis communis ad minus commune, ſiue magis commune ſit genus, ſiue accidens, vt patet in his paralogiſmis. Si aliquid eſt aſinus, eſt animal, ſed tu es animal, ergo tu es aſinus. Non ſequitur. Non enim conſequentia primo poſita conuertitur. Similiter eſt hic, ſi aliquid eſt mel, eſt rubeum, fel eſt rubeum, ergo fel eſt mel. Et iterum ſimile eſt hic, Si aliquis eſt fur errat de nocte, ſed tu erras de nocte, ergo tu es fur. In his omnibus putatur conſequentia conuerti, quæ non conuertitur. Vnde eſt fallacia conſequentis. Si autem ſumantur propoſitiones categoricæ in eiſdem terminis eſt fallacia accidentis, ſicut hic. Aſinus eſt animal: tu es animal, ergo tu es aſinus. Et iterum, Mel eſt rubeum, fel eſt rubeum, ergo fel eſt mel.

Secundus modus procedità conſequentia vnius oppoſiti *Secũdus.* ad ſimilem conſequentiam in alio oppoſito. vt ſi dicatur ſic, Si aliquid eſt generatum habet principium, ſed anima non eſt generata, quia ex nihilo creata, ergo non habet principium, ſed ſemper fuit. Non ſequitur, eſt enim in oppoſitis duplex conſequentia. Vna in ipſo, & altera in contrario, in ipſo quidem eſt conſequentia, quando ſicut ad antecedens ſequitur conſequens, ita ad oppoſitum antecedentis ſequitur oppoſitum conſequentis. vt ſi eſt iuſtum, eſt bonum, ergo ſi eſt iniuſtum, eſt malum. Conſequentia in contrario eſt quando ſicut ad antecedens ſequitur conſequens, ita ad oppoſitum conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis. vt ſi eſt homo, eſt animal, ergo ſi non eſt animal, non eſt homo. In oppoſitis autem ſecundum affirmationem & negationem non eſt conſequentia in ipſo, ſed in contrario, & ideo, quando proceditur in huiuſmodi oppoſitis ac ſi eſſet conſequentia in ipſo eſt fallacia conſequentis ſicut in prædicto exemplo patet. In his autem terminis eſt fallacia accidentis categoricis propoſitionibus ſumptis, vt ſi dicatur, omne generatum eſt corruptibile, vel habet principium, anima non eſt generata, ergo non habet principium. Eſt autem ſciendum, quòd ſicut primus modus peccat contra conſequentiam procedendo à poſitione conſequentis, ita ſecundus à deſtructione conſequentis. Eſt autem contrario modo procedendum, ſcilicet à deſtructione conſequentis, & à poſitione antecedentis. Patet etiam, quòd hæc fallacia prouenit ſecundum rationem prioris & poſterioris.

CAPVT XXII.

De Fallacia ſecundum non cauſam, vt cauſam

Fall. ſecũdum non cauſam vt cauſam. SEquitur de fallacia ſecundũ non cauſam vt cauſam. Cauſa aũt hic dicitur, quòd eſt in inferendo cauſa, ſecundum quòd præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis. Eſt ergo fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam, quando inter præmiſſas, ex quibus ſequitur concluſio, ponitur aliqua propoſitio, quæ nihil ad concluſionem operatur, & ſic non eſt cauſa, tamen ad hoc quòd fiat fallacia, oportet quòd videatur eſſe cauſa, quod ſit per hoc, quòd conuenit cum aliis propoſitionibus, quæ ſunt cauſæ interemptionis. Ex hoc autem, quòd propoſitio, quæ non eſt cauſa, ſumitur vt cauſa, non prouenit aliqua deceptio, niſi quando ex concluſione reditur ad præmiſſas, quod quidem fit in ſyllogiſmis ad impoſsibile, in quibus per hoc quòd concluſio eſt impoſsibilis, oſtenditur aliqua præmiſſarum poſsibilis fuiſſe, & ideo hæc fallacia non habet fieri niſi in huiuſmodi ſyllogiſmis. In ſyllogiſmis enim oſtenſiuis, in quibus directè aliquid concluditur, ad nullum inconueniens poteſt reduci reſpondens, ſi ſumatur aliqua propoſitio, quæ non eſt cauſa concluſionis, ac ſi eſſet cauſa. Eſt ergo cauſa apparentiæ in hac fallacia conuenientia propoſitionis, quæ non eſt cauſa cum illis, quæ ſunt cauſæ. Cauſa verò non exiſtentiæ eſt defectus habitudinis debitæ inter propoſitionem inferentem & illatam. Formatur autem ſecundum hanc fallaciam paralogiſmus hoc modo. Putas ne vita & anima ſunt idem? quo dato procedatur ſic, Anima & vita ſunt idem, mors & vita ſunt contraria, generatio & corruptio ſunt contraria, ſed mors eſt corruptio, ergo vita eſt generatio, ergo viuere eſt generari. Quòd eſt impoſsibile. nam qui viuit non generatur, ſed iam generatus eſt. Ergo primum fuit impoſsibile, ſcilicet quòd anima & vita ſunt idem quæ accipiebatur in præmiſsis. Non ſequitur, quia iſta propoſitio, anima & vita ſunt idem, non fuit cauſa concluſionis impoſsibilis. Quòd ex hoc patet, quia ea remota, adhuc ſequitur concluſio. Vnde per hoc, quòd concluſio eſt impoſsibilis, non poteſt oſtendi quòd prædicta propoſitio ſit impoſsibilis. Sed magis quòd iſta ſit impoſsibilis, ex qua ſequitur, quæ eſt iſta, mors & vita ſunt contraria. Ex huius enim falſitate ſequitur falſitas in concluſione. Mors enim & vita non ſunt contraria, ſed opponuntur vt priuatio & habitus. Patet etiam, quòd hæc fallacia peccat contra rationem cauſæ & cauſati.

CAPVT XXIII.

De fall. ſecundum plur. interrog. vt vnam quid ſit.

SEquitur de fallacia ſecundum plures interrogationes vt vnam. Eſt autem idem ſecundum ſubſtantiam enunciatio, interrogatio, propoſitio, & concluſio, ſed dicitur enunciatio ſecundum quòd ſignificat aliquid ſimpliciter eſſe vel non eſſe. Interrogatio ſecundum quòd ſub dubitatione proponitur. Propoſitio ſecundum quòd ſumitur ad alterius probationem. Concluſio verò ſecundum quòd ex præmiſsis probatur. Et ideo ſicut enunciatio eſt vna vel plures, ita interrogatio, propoſitio, & concluſio. Eſt autem vna interrogatio, in qua dicitur vnum de vno, vt homo eſt animal, vel homo eſt albus. Enunciatio vero plures quando dicuntur plura de vno, ex quibus fit vnum per accidens, vt Sortes eſt albus, & muſicus, vel vnum de pluribus; vt Sortes & Plato ſunt albi & muſici. Sciendum eſt autem, quòd, quando plura prædicantur de vno ex quibus eſt vnum per ſe, eſt enunciatio vna, cum dicitur, homo eſt animal rationale & mortale. Nam ex partibus diffinitionis fit vnum per ſe quod eſt natura ſpeciei. Si autem prædicantur plura, ex quibus *fit vnum per accidens, tunc eſt enunciatio plures, vt cum* dicitur Sortes eſt homo albus, ex homine & albo fit vnum per accidens. Prouenit ergo iſta fallacia ex hoc quòd ad interrogationem quæ eſt plures, datur vna reſponſio, ex eo quòd ſub vno modo interrogandi proponitur vt ſi dicatur, Putas ne Sortes & Plato currit? Ex eo enim quòd ſemel interrogatur de duobus, videtur eſſe vna interrogatio, cum tamen ſint plures. Cauſa ergo apparentiæ in hac fallacia eſt vnitas ex parte modi interrogandi. Cauſa verò non exiſtentiæ eſt pluralitas interrogationis.

Modi vero huius fallaciæ ſunt duo. Primus modus eſt *Primus modus.* quando interrogatio eſt plures, ex eo quòd vnum de pluribus in ſingulari prædicatur vel econuerſo, ſicut hoc, Putas ne homo & aſinus ſint animal rationale? Si dicatur non, procedatur ſic, Homo & aſinus non ſunt animal rationale, ergo homo non eſt animal rationale. Deceptio hic prouenit, quia ad interrogationem præmiſſam cum ſint plures: non eſt danda vna reſponſio, vt dicatur ſimpliciter ſic vel non, ſed plures, vt dicatur, Homo eſt animal rationale, aſinus eſt animal irrationale, vel nõ eſt animal rationale. Similiter eſt hic, Putas ne tu es homo & aſinus? Si dicatur non, cõcludatur ſic, ergo tu non es homo. Si dicatur ſic, ergo tu es aſinus. Et iterum hoc, putas ne æthiops eſt homo albus? Si non, Dicatur, ergo non eſt homo. Si ſic, ergo eſt albus. Secundus modus eſt, quando interrogatio eſt plures ex eo, quòd plura ſubiiciuntur, vel prædicantur in plurali numero, ſicut hoc, Putas ne mel, & fel ſint dulcia? Si non, concludatur, ergo mel non eſt dulce. Si ſic, Concludatur, ergo fel eſt dulce. In omnibus enim his non eſt danda reſponſio vna: Patet ergo quòd hæc fallacia prouenit ſecundum vnum & multa. Et hæc de fallaciis dicta ſufficiant.

FINIS.

F. CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII PHILOSOPHI ERVDITISSIMI AC LVCIDISSIMI IN VNIVERSAM NATVRALEM PHILOSOPHIAM EPITOME.

Cui quæ ſequuntur inſunt.

In octo libros Phyſicorum Epitome.
In quatuor libros de Cœlo Epitome.
In duos de Generatione & corruptione Epitome.
In tres priores Meteorôn libros Epitome.
In tres libros de Anima Epitome.
In Parua naturalia Epitome.

NVMERVS TRACTATVVM IN OCTO LIBROS DE PHYSICO AVDITV.

PRIMI LIBRI.

Primus Tractatus de cõmunibus toti Philoſophiæ naturali.
Secundus Tractatus de principiis naturalibus ad mentem Ariſtot.

SECVNDI LIBRI.

Primus Tractatus de Natura.
Secundus Tractatus de cauſis per ſe.
Tertius Tractatus de fortuna, caſu, & fato.

TERTII LIBRI.

Primus Tractatus de motu.
Secundus Tractatus de infinito.

QVARTI LIBRI.

Primus Tractatus de loco.
Secundus de vacuo.
Tertius de tempore.

QVINTI LIBRI.

Vnicus Tractatus de vnitate & diuerſitate motus.

SEXTI LIBRI.

Primus Tractatus de continuo.
Secundus Tractatus de diui. motus in partes quantitatiuas.
Tertius Tractatus contra errores antiquorum.

SEPTIMI LIBRI.

Primus Tractatus de primo motore in communi.
Secundus Tractatus de comparatione motuum.

OCTAVI LIBRI.

Primus Tractatus, ſi ſemper fuit motus.
Secundus Tractatus de primo motore, & primo motu.
Tertius Tractatus, qualis eſt primus motus.
Quartus Tractatus, qualis eſt primus motor.

EPITOME IN OCTO PHYSICORVM ARISTOTELIS LIBROS.

SVper primo libro Phyſicorum formamus duos tractatus.

In primo declarantur quędam communia toti Philoſophiæ naturali, & octo libris de Phyſico auditu.

In ſecundo ponitur opinio Ariſtotel. de principiis naturalibus, & determinatur de vnoquoque eorum.

Tractatum primum diuidimus in quatuor capita.

In primo inueſtigatur quid ſit ſubiectum in tota Philoſophia naturali.

In ſecundo declaratur diuiſio totius philoſophiæ naturalis in particulares libros.

In tertio declaratur tota diuiſio octo librorum de Phyſico auditu.

In quarto declaratur à quo ſit incipiendum in philoſophia naturali, & hæc pars correſpondet procœmio philoſophi.

CAPVT I.

Quod nam ſit ſubiectum totius naturalis Philoſophiæ.

CIrca Primum caput ponitur hæc concluſio, Ens mobile eſt ſubiectum in tota philoſophia naturali. Probatur ratione, & auctoritate: ratio eſt hæc: Quælibet ſcientia tractat de ente, quia vnumquodque ſcitur inquantum ens eſt, & de non ente non habetur ſcientia, vt dicitur in 1. Poſter. ergo diuerſæ ſcientiæ ſunt de ente diuerſimodè conſiderato, ſed ens primò diuiditur in ens rationis, & ens reale, de ente rationis conſiderat Logica, ens autem reale tripliciter conſideratur. Primò, inquantum eſt ſeparatum à materia, & à motu, ſecundum eſſe & diffinitionem, & de hoc conſiderat Metaphyſica, quæ principaliter eſt de entibus incorporeis, quæ non habent eſſe in materia, nec diffiniuntur per materiam, nec mouentur motu phyſico, cùm non ſint corpus. Secundò conſideratur inquantum ſeparatur à materia, & à motu ſecundum diffinitionem, & non ſecundum eſſe, ſicut linea, & triangulus, quæ non diffiniuntur per materiam ſenſibilem: non enim dicimus, Triangulus eſt figura lapidea, vel lignea, ſed ſolùm quòd eſt figura habens tres angulos æquales rectis duobus: & tamen ſemper habet eſſe in aliqua materia, quia non datur quantitas ſeparata, vt dicebat Plato, & de hoc ente eſt Mathematica. Tertiò conſideratur ens, vt habet eſſe in materia, & ſubiicitur motui, & diffinitur per materiam ſenſibilem: vt homo habet eſſe in carnibus, & oſſibus, quæ ſunt partes componentes ipſum ſecundum phyſicum, diffinitúrque per materiam ſenſibilem, ſic enim diffinitur ſecundum phyſicum, vt patet in 2. phyſi. homo eſt quid compoſitum ex carne, & oſſe, ſanguine, & neruo, ac rationali anima, & de hoc ente eſt Phyſica, ſed ens quod eſt in materia, & ſubiicitur motui eſt ens mobile, ergo Phyſica eſt de ente mobili, vt de ſubiecto. Secundò, probatur auctoritate Comment. in 4. Metaphyſices commen. 1. vbi ſic ait: Eſt vna quidem ſcientia, quæ tractat de ente inquantum ens, aliæ verò particulares conſiderant aliquam partem entis. nam mathematicæ de numeris & magnitudinibus conſiderant, naturales ſcientiæ de quadam parte entis, id eſt, de ente mobili, & de accidentibus eſſentialibus eidem inquantum eſt mobile, & de motu. Hæc ille. Patet ergo, quòd ens mobile eſt ſubiectum in tota philoſophia naturali. Quare verò non ſit corpus mobile, declarabitur in ſolutione argumentorum.

Ens mobile ſubiectum eſt adequatè totius Naturalis philoſophiæ. B. Tho. 1. Phyſ. li. 1.

CAPVT I.I.

Diuiditur tota philosophia Naturalis in omnes suos partiales libros.

Albertus voluit corpus mobile esse subiectum: quod verũ est de principali.

CIrca secundum cap. distinguenda est tota Physica in suas partes, vt habeatur eius sufficientia. Igitur aduerte, quòd tota physica diuiditur in octo partes, quarum hæc est sufficientia. Cùm ens mobile sit subiectum in tota physica, ergo ens mobile secundum diuersas rationes limitantes ipsum, est subiectum in qualibet parte ipsius physicæ. tunc sic, ens mobile octo modis potest considerari. Primò, vt est ens mobile simpliciter non contractum ad aliquam materiam particularem, nec ad aliquam speciem motus, sed solùm vt est ens mobile, & sic de eo tractatur in 8. libris Physi. qui dicuntur de physico auditu, quia Aristoteles eos scripsit, sed discipuli eum docentem audiebant. Nota tamen quòd de ente mobili non applicato loquitur in 6. primis libris, in 7. & 8. applicat se ad primum motorem. Secundò, consideratur vt est ens mobile secundum motum localem circularem, vel rectum, & sic de eo tractatur in libro de Cœlo, ibi enim pertractatur de motu circulari corporum cœlestium, & de motu recto elementorum, quorum aliquod mouetur sursum, aliquod deorsum. & sic in tali parte subiectum est ens mobile ad vbi, id est, secundum motum localem. Tertiò consideratur vt est ens mobile secundum alterationem, & secundum generationem, & corruptionem, & sic de eo tractatur in libro de generatione, ibi enim declaratur quomodo elementa generantur, & corrumpuntur, & quomodo elementa per elementa, ex quibus componuntur, alterantur, & generantur, & corrumpuntur, & augentur, vnde in hoc libro subiectum est ens mobile ad formam, id est, ens mobile illis modis, quibus acquiritur forma substantialis, vel accidentalis. Quartò consideratur vt est ens mobile compositum imperfectè, vt pluuia, nix, grando: hæc enim producuntur ex vapore sicco, vel humido, & sic de eo tractatur in libro Meteo. cuius subiectũ dicitur ens mobile mixtum imperfectè. Quintò consideratur vt est compositum perfectè, sed inanimatum, vt sunt omnia metalla, & lapides, quæ omnia producuntur in Mineris terræ, & sic de eo agitur in libro de Mineralibus, cuius subiectum est id quod dictum est. Sextò consideratur, vt est ens mobile animatum simpliciter, & in communi, & sic de eo ratione principij tractatur in libro de Anima, cuius subiectum est anima, vt dicetur in Epitom. super libro de Anima.

Physicorum libri octo de auditu dicũtur.

Septimò consideratur, vt est ens mobile animatum anima vegetatiua, vt sunt plantæ, & herbæ, & sic de eo tractatur in libro de vegeta. cuius subiectum est id quod dictum est.

Octauò consideratur, vt est ens mobile animatum anima sensitiua, & sic de eo agitur in libro de Animalibus: ibi etiam agitur de homine, vt est habens animam sensitiuam, inquantum autẽ est naturæ intellectualis spectat ad Metaphysicum, quia intelligere non est actio alicuius organi corporei, vt dicemus in tertio de Anima: quantum verò spectat ad Physicum tractatur de actibus animæ intellectiuæ in tertio de Anima. Hic terminatur principalis diuisio scientiæ naturalis, post quam sequitur secundaria diuisio, quæ est in paruis Naturalibus, vbi agitur de his actionibus, vt sentire, reminisci, dormire, vigilare, moueri secundum locum: de mor. & vi. iuuentute & senectute: inspiratione & expiratione: longitudine & breuitate vitæ: quorum sufficientiam, & ordinem disposuimus in Epitom. super libro de Sensu & Sensato: ideo vide illic.

CAPVT III.

Octo librorum de Physico auditu ratio redditur.

CIrca tertium cap. ponitur tota diuisio 8. librorum de Physico auditu. Vbi nota, quòd in 8. libris tria intenduntur. primum est tractare de his, quæ sunt communia cuilibet enti mobili, & hoc fit in 4. primis libris. ea autem, quæ conueniunt cuilibet enti mobili, sunt hæc, Omne ens mobile constituitur ex principiis naturalibus, quæ sunt materia, & forma, & priuatio, & de his agitur in primo libro. Item omne ens mobile habet naturam in se, quia ens mobile physicum dicitur naturale: naturale autem est quod habet in se naturam, ideo agitur in 2. libro de Natura. Item omne ens mobile est cognoscibile per causas suas naturales, ideo de causis agitur in 2. tam de causis per se, quam de causis per accidens, vt sunt fortuna, & casus. Item omne ens mobile potest aliquo motu moueri, ideo de motu agitur in tertio. Item omne ens mobile, vel est finitum, vel infinitum, cùm sit continuum in infinitum diuisibile, vt probatur in Sexto, ideo de infinito agitur in tertio. Item omne ens mobile est in loco, cùm sit corpus, ideo de loco agitur in quarto, & similiter de vacuo, quod reputabatur locus apud antiquos. Item omne ens mobile mouetur in tempore, quia omnis motus fit in tempore, vt probatur in sexto, ideo de eo agitur in quarto. Secundum quod intenditur est diuisio motus, quia enim varia mobilia variis speciebus motuum mouentur, ideo fuit necesse assignare diff. motuum. Nota igitur, quòd motus dupliciter diuiditur. Primò in species suas, quæ sunt alteratio, augmentum, &c. & de his speciebus motuum agitur in quinto, ex consequenti de vnitate, ac diuisione motuum. Secundò diuiditur in partes suas quantitatiuas, cùm enim motus sit quoddam continuum, est diuisibilis in semper diuisibilia, sicut magnitudo, super quam fit motus, & sicut tempus mensurãs motum, & de hac diuisione motus agitur in sexto. Tertium quod intenditur est inuestigare primum motorem, & primum mobile, & primum motum, & hoc dupliciter, vel imperfectè, vel perfectè, primo modo de his tractatur in septimo. Secundo modo tractatur de eis in octauo libro. Vltimò nota quòd 7. & 8. libri sunt quodammodo dispositio præuia ad librum de cœlo, & mundo: nam cùm in ipso libro de cœlo agatur de motu cœli & corpore eius, & motus primus sit motus cœli, & mobile primum sit ipsum cœlum, patet quòd septimus & octauus libri Physicorum disponunt intellectum ad agnitionem in libro de Cœlo: nam, vt diximus, declaratur in 8. libro, cœlum est primum mobile, & motus cœli est motus primus, & æternus, mouénsque primum mobile est primus motor.

CAPVT IIII.

A quo nam incipiendum sit in Naturali philosophia.

CIrca quartum cap. inuestigandum est à quo sit incipiendum in scientia naturali; vnde ponimus duas conclusiones, in quibus continetur totum prooemium philosophi.

Prima est, In scientia naturali incipiendum est à cognitione principiorum, causarum, & elementorum rerum naturalium. Hæc conclusio primò declaratur, secundò probatur. Nota igitur, quòd principium est id, à quo aliquid procedit, vt fons est principium fluuij, & sol est principium lucis, & pater est principium filij: principia igitur rerum naturalium sunt illa, à quibus res naturales procedunt: quid sit causa dicetur in 2. libro. elementum autem est illud, ex quo res naturalis componitur: primò ita quòd non resoluitur in priora corpora, vt lapis componitur ex terra, & aqua, terra verò & aqua non resoluuntur in priora corpora, quia nullum est corpus corruptibile prius quatuor elementis. Secundò probatur conclusio sic, Res naturales sciuntur, & intelliguntur per principia, & causas, & elementa sua: tunc enim scimus cum principia, & causas cognoscimus, vt patet primo Poste. ergo debemus incipere in scientia naturali à cognitione principiorum, & causarum, & elementorũ rerum naturaliũ, aliter nũquam haberemus sufficientem scientiam de rebus naturalibus

Secunda conclusio, In scientia naturali incipiendum est à magis vniuersalibus, & magis communibus, deinde deueniendum est ad particularia per applicationem: vnde primò inuestigandum est quæ sunt illa principia communia, quæ sunt in qualibet re naturali, puta materia, & forma in communi, deinde inuestigandum est in particulari quæ materia & quæ forma sit in diuersis speciebus rerum naturalium; alia enim forma est in cœlo, alia in lapide, alia in planta, &c. Hæc conclusio probatur sic, In qualibet scientia incipiendum est à notioribus nobis, sed notiora nobis sunt vniuersalia, & magis communia, ergo in scientia naturali incipiendum est à magis vniuersalibus? Maior sic declaratur, aliqua sunt notiora dupliciter. Quædam sunt notiora secundum se & ex natura sua, & hæc sunt entia perfecta, vt Deus, & substantiæ separatæ, quæ cùm sint maximè actu, sunt ex natura sua maximè cognoscibiles, licet ex debilitate nostri intellectus non cognoscantur à nobis. Quædam sunt notiora quo ad nos, & hæc sunt entia sensibilia, & corruptibilia, à quibus nostra cognitio ortum habet: dicit ergo philosophus, quòd in omni scientia est incipiendum à notioribus nobis, id est, à sensilibus, & non à notioribus secundum se: nam ad illa cognoscenda manu ducimur ex his sensilibus, & magis notis. Minor propositio, scilicet, Notiora nobis sunt magis vniuersalia, probatur à philosopho in triplici toto, primò sic, Totum sensibile est prius totum quàm suæ species, puta si videro aliquem venientem à longè, prius cognosco quòd est animal quàm homo, & prius cognosco quòd est homo quã hic homo, puta Socrates: ergo sic est secundum intellectum, quòd prius cognosco hominem esse substantiam quàm sit corpus, quàm sit animatus, & quàm sit animal. patet ergo, quòd

quòd magis vniuersalia sunt notiora nobis, & prius nota. Secundò sic, Totum diffinibile est prius notum quam partes diffinitionis suæ, vt prius scio quòd homo potest diffiniri, quàm sciam quòd animal, & rationale sint partes diffinitionis suæ, quoniam totum diffinibile se habet vt vniuersale, & confusum, ergo &c. Tertiò sic, Totum integrale est prius notum quàm suæ partes, puta prius cognosco hanc domum in confuso quam cognoscam quas, & quot partes habet, quot parietes, quot cameras &c. sed totum integrale comparatur ad partes suas vt magis confusum, ergo patet quòd magis communia, & magis vniuersalia sunt notiora nobis, & per ea deueniemus in cognitionem particularium: vt per cognitionem animalis deueniemus in cognitionem hominis, & affini, & equi &c. sic etiam contingit in physica, quòd per cognitionem materiæ & formæ deueniemus in cognitionem particularis materiæ, & formæ, iuxta igitur hanc determinationem incipiemus tractare de principiis rerum naturalium in vniuersali. Hæc de 4. capite. Nunc soluenda sunt quædam argumenta, quibus probatur ens mobile non esse subiectum in philosophia naturali.

An ens mobile sit subiectum in philosophia naturali.

Primò sic, Ens per accidens non est subiectum in aliqua scientia, quoniam non est scibile ex 6. Metaphysi. sed ens mobile, est ens per accidens, dicit enim compositum ex ente & mobilitate, quæ accidit enti, aliter omne ens esset mobile, & sic non daretur mouens immobile.

Ad hoc dicitur, quòd ly mobile aliquando sumitur loco passionis, & vt sic adueniens enti constituet vnum per accidens, aliquando sumitur loco differentiæ contrahentis ens commune ad speciales rationem, sub qua considerandum est in aliqua scientia, sicut & sanabile additum corpori dicit rationem formalem, sub qua corpus considerandum est in medicina, & vt sic nego, quòd dicat vnum per accidens: sic accipitur in proposito, nam mobile dicit differentiam siue rationem formalem, sub qua ens considerature à physico, sicut quantum dicit rationem formalem, secundùm quam ens considerature à mathematico.

Secundò, si ens mobile est subiectum, vel ens mobile inquantum ens mobile, vel inquantum hoc, vel illud ens mobile: sed non secundo modo, quia scientia non est de aliquo singulari, vt de subiecto, nec primo modo, quia omne ens mobile esset subiectum: nam quod conuenit alicui tali, conuenit omni tali, ergo &c.

Ad hoc dicitur, quòd est ens mobile, inquantum ens mobile, & negatur illa consequentia, ergo conuenit omni enti. Ad probationem dico, quòd illa maxima non est vera nisi in terminis primæ intentionis: vt cum dicitur homo inquantum homo est rationalis, vel risibilis &c. sed esse subiectum, vel genus, vel speciem sunt termini secundæ intentionis, in quibus non tenet, non enim sequitur homo inquantum homo est species, ergo omnis homo est species: sic non sequitur hic, ens mobile inquantum ens mobile est subiectum, ergo omne ens mobile est subiectum.

Tertiò, subiectum in scientia prædicatur de omni considerato in scientia, quoniam est vniuersale consideratum in scientia: sed ens mobile non prædicatur de omni considerato in scientia naturali, consideratur enim de materia, de motu, de loco, & vacuo, & tempore, & polis mundi, quæ constant non esse entia mobilia, omne enim mobile est actu, sed materia prima, vt sic, non est actu, ergo &c. constat autem quòd motus non est ens mobile, sicut albedo non est alba, & de ratione loci est immobilitas, ex 4. Physico. ergo &c.

Ad hoc dicitur, quòd non est necesse subiectum prædicari in recto de omni considerato in scientia, sed sufficit quòd prædicetur in recto, vel in obliquo, & secunda pars verificatur in exemplis adductis, nam licet materia non sit ens mobile, est tamen principium entis mobilis, & motus est vt passio entis mobilis: & locus, & vacuum, & tempus habentur vt mensura, vel contentiua entis mobilis: poſſ autem sunt, circa quos mouetur ens mobile motu sphærico.

Quartò B. Thomas dicit primo Posterio. & in primo cœ. quòd corpus mobile est subiectum in physicis, ergo non ens mobile.

Ad hoc dicitur, quòd in locis prædictis intendit de subiecto principali, & non de adæquato, hic autem intendimus de adæquato.

TRACTATVS SECVNDVS

In Primum Physicorum.

IN hoc tract. acturi sumus de primis principiis naturalibus ad mentẽ Ari. & diuidemus ipsum in 4. capi. In primo probabitur, quòd sunt contraria. In secundo, quòd sunt tria, & hæc sufficiunt. In tertio, quid sit vnumquodque eorum. In quarto, quomodo non eodem modo sunt principia, sed duo sunt principia per se, & tertiũ est principiũ per accidens.

CAPVT I.

Prima principia esse contraria ostenditur.

IN primo capite antequam probemus, quòd sint contraria, prius fiet distinctio de primo principio, vnde aduerte, quòd sumitur quatuor modis.

Primò, pro primo productiuo, & motiuo totius entis producti, & sic solus Deus dicitur primum principium, à quo omnia pendent,

Secundò, pro propositione per se nota, quæ solet appellari maxima, vel dignitas, vt de quolibet est vera affirmatio, vel negatio, & de hiuiusmodi, vt de fundamentis omnium scientiarum agitur in primo Posterio.

Tertiò, pro genere principiorum, & differentia specifica, vt constituunt speciem secundùm Logicum, vnde animal & rationale sunt prima principia intrinseca constituentia hominem.

Quartò, pro primo principio, ex quo producitur, & componitur primò res naturalis composita, & sic de eo locuturi sumus hic ad mentem philosophi.

Posita hac distinct. probatur, quòd prima principia naturalia sint contraria, nam habent tres conditiones conuenientes primis contrariis, ergo sunt contraria, consequentia patet, & probatur antecedens. *Tex. c. 4.*

Prima conditio primorum principiorum est, quòd non fiant ex aliis prioribus, aliter non essent prima, implicat enim primum fieri ex priori.

Secunda conditio est, quòd non fiant ex alterutris, nam sint prima principia A & B: si A fit ex B, ergo B est prius A, & sic A non esset primum principium. Item, si B fit ex A, ergo B est posterius A: nam principiatum est posterius suo principio in naturalibus, & hæc de causa quatuor elementa non sunt prima principia rerum naturalium contra Empe. quia generantur ex seinuicem, vt declarabitur in lib. de gene. & cor.

Tertia conditio est, quòd omnia fiunt ex primis principiis, nam sicut omnes scientiæ continentur virtualiter in suis primis principiis, vt declaratur in 4. Metaphy. sic omnes res producibiles naturales continentur in primis principiis, ex consequenti aptæ sunt produci, & fieri ex eis.

Modò autem declaratur, quòd prædictæ tres conditiones conueniant primis contrariis,

Et primò, prima contraria non fiunt ex prioribus contrariis, licet enim contraria secundaria fiant ex primis contrariis, vt dulcedo, & amaritudo ex humido, & sicco, vt declarabitur in 2. de anima, in capite de gustu, tamen prima contraria, vt caliditas, & frigiditas &c. non fiunt ex aliis prioribus, quia sunt primæ qualitates contrariæ, & implicat primum fieri ex priori.

Secundò, prima contraria non fiunt ex alterutris, quia vnum contrarium non producit aliud, imò destruit ipsum, vt patet de calido & frigido, vitio & virtute.

Tertiò, quicquid fit, ex contrariis fit, & id probat philosophus inductiuè sic, In omni motu & productione, terminus à quo, & terminus ad quem sunt contrarij; ergo quicquid fit, fit ex contrariis: consequentia nota, & probatur antecedens inductiuè, album non fit ex musico nisi per accidens, sed fit ex non albo, puta nigro, vel ex medio colore: sed album & nigrum, vel medius color sunt contraria, cum sint species disparatæ, ergo &c. Item magnum non fit per se ex albo, sed ex paruo. Item doctus fit ex non docto, & figuratum ex infigurato, & homo ex non homine, qui est aptus natus esse homo: patet ergo, quòd termini cuiusliibet productionis sunt contrarij, saltem largo modo, prout terminus à quo habet rationem priuationis, & terminus ad quem habet rationem formæ & habitus, & hæc est prima radix contrarietatis, ex 10. Metaphysi. cùm igitur conditiones primorum contrariorum conueniant primis principiis naturalibus, constat quòd sunt contraria. Vtrum autem omnia sint adinuicem contraria, dicam infra. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

Quot nam sint rerum naturalium principia.

IN secundo capite declarandum est quot sint huiusmodi prima principia naturalia, & ad mentem philosophi ponuntur quatuor conclusiones.

Prima conclusio, In productione naturali non requiruntur principia intrinseca infinita, vt opinabatur Democrit. & Anaxago. probatur, si essent infinita essent ignota, quia infini-

tum ignotum est, vt dixit supra Aristo. contra Anaxago. si essent ignota, & res naturales essent ignotæ, & sic deperiret scientia rerum naturalium, nam res principiatas per principia cognoscimus, ergo &c.

Secunda conclusio, Non sufficit vnum principium: probatur, principia naturalia sunt contraria, vt declaratum est in capite præcedente, repugnat enim terminus à quo, & terminus ad quem: sed contraria non sunt tantùm vnum, quoniam nil sibiipsi est contrarium, ergo in productione naturali non sufficit vnum principium.

Tertia conclusio, Non sufficiunt duo principia naturalia contraria: probatur, vnum contrarium non producit aliud contrarium, immo destruit, vt patet in calido & frigido, humido & sicco, ergo si essent tantùm duo principia naturalia contraria, nulla esset naturalis productio, sed destructio.

Quarta conclusio, Sufficiunt tria principia naturalia, scilicet forma & priuatio, quæ sunt contraria largo modo, & materia receptiua contrariorum successiuè: probatur, Frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora, & æquè bene: sed productio rei naturalis conuenienter potest fieri per tria prædicta principia: ad recipiendum enim sufficit vnum principium, scilicet materia & duo contraria, ex quibus si vnum expellitur à materia, & alteram recipitur, cõpletur rei productio, puta ad hoc quòd generetur ignis ex ligno sufficit materia ligni, vt priuata est forma ignis, à qua si remoueretur forma ligni, cum qua stat priuatio formæ ignis, & introducatur forma ignis, completur generatio ignis. Patet igitur quòd tria principia naturalia sufficiunt. Hæc de 2. capite sufficiant.

CAPVT III.

Quid nam vnumquodque principium sit, & quomodo sint contraria, & quàm dissimiliter priuatio à materia & forma principiũ sit.

IN tertio capite agenda sunt tria.

Primò declarandum est quid sit vnum quodque horum trium principiorum.

Secundò, si omnia sunt adinuicem contraria.

Tertiò, quomodo priuatio est alio modo principium quàm materia & forma.

Quantum ad primum aduerte, quòd hic non est sermo de materia, circa quam quæ alio modo dicitur obiectum, circa quod est scientia, vel ars, vel operans operatur: nec de materia in qua, quæ alio modo dicitur subiectum in quo recipitur accidens: nec de materia ex qua secundaria, quæ alio modo dicitur materia proxima, vt lacteres in domo, caro & ossa in animali, sed de materia primò prima, ex qua fiunt omnia cõposita naturalia, & apud græcos dicitur hyle, & vt colligitur ex primo Phy. & 8. Meta. sic describitur, Materia prima est primum subiectum in omni productione physica, ex quo fit aliquid cùm insit, non secundum accidens, nullam ex se formam habens, ingenerabilis, & incorruptibilis, per se, non cognoscibilis secundum se, sed tantùm per analogiã ad formam: primò dicitur primum subiectum, id est, primum receptiuum formæ generandæ, ad differentiã materiæ secundariæ, quæ resoluitur in priorem materiam, vt caro & ossa in elementa, & elementa in materiam primam, & illa est irresolubilis in priorem, aliter esset processus in infinitum in causa materiali, quod est contra philosophum in 2. Meta. hanc igitur materiam, ad quam resoluitur omnis secundaria materia, dicimus primum subiectum, primum receptiuum, primum sustentamentum omnis formæ eductę de eius potentia. Secundò, dicitur ex quo fit aliquid cùm insit, & non secundum accidens: id totum ponitur ad differentiam priuationis, quæ non inest rei productæ, vt dicemus infrà, licet enim antequam generetur ignis ex ligno, materia sit sub priuatione formæ ignis, quæ dicitur non igneitas, tamen generato igne, & recepta igneitate in materia, non stant simul igneitas, & non igneitas, quoniam præsente habitu cessat priuatio, vt adueniente luce fugatur tenebra: cùm igitur materia remaneat in producto, & non priuatio, dicitur conuenienter, ex quo fit aliquid, cùm insit, & non secundum accidens. Tertiò, dicitur nullam ex se formam habens: quia nullo modo est actu, ergo ex se est in potentia ad omnem formam, ex consequenti nullum ex se habet. vnde docuit Aristo. in 1. physi. quòd sicut se habet æs ad statuam, & lignum ad scannum, sic materia prima ad formas naturales. constat autem, quòd æs ex se nullam habet formam statuæ, nec lignum vllam formam scanni, ergo nec materia cum sit receptiua omnis formæ, aliquam habet ex se formam. Quarto, dicitur ingenerabilis & incorruptibilis per se: quod probat Philosophus in 1. physi. nam omne quod per se generatur, generatur ex materia prima: si ergo generatur, ex priori materia generatur, ergo materia prima haberet priorem, quòd implicat cõtradictionem, quoniam iam non esset materia prima. Dico autem per se quoniam subiectiuè non inconuenit eam generari & corrumpi. Dicitur quidem subiectiuè generari, quando nouam formam recipit, & subiectiuè corrumpi, quando spoliatur forma, quam habet per aduentum sequentis: sed hoc est generari & corrumpi per accidens, id est, non ratione sui, sed ratione formæ. Quinto, dicitur nõ cognoscibilis, &c. quoniam vnumquodque cognoscitur inquantum est actu: cum ergo non sit actu ex se, non est ex se cognoscibilis, & cùm fiat actu per formam, ergo est cognoscibilis per proportionem ad formã, vt plenius declarabitur in quæstionibus ordinariis.

Materia quid sit.

Notificata materia, notificandum est quid sit forma. Et aduerte, quòd hic non est sermo de forma absolutè prout se extendit ad formas abstractas, quoniam eas cõsiderare ad primum Philosophum spectat, vt dicit Aristo. in 2. physi. nec prout se extendit ad formas accidentales: quæ non recipiuntur immediatè in materia prima, sed in subiecto iam actu existente, vt calor in manu, lux in aere, sed de forma, quæ facit rem esse simpliciter, cum prius esset in mera potentia, & dicitur forma substantialis, quæ potest sic notificari, forma substantialis est quæ existens pars compositi, dat ei esse simpliciter, & recipitur in materia nuda, vt actus in propria potentia, appetibilis à materia, vt quoddam diuinum & optimum. Primò dicitur existens pars compositi, vt in hoc distinguatur à forma accidentali, quoniam compositum per se constat ex potentia & actu, ex 8. Meta. potentia autem attribuitur materiæ & actus formæ. Secundò dicitur, dat ei esse simpliciter, quoniam, vt declarat Arist. in princi. 2. physi. sicut artificiatum ante aduentum formæ nullo modo est actu, sic nec ens naturale ante aduentum formæ naturalis. vnde non est homo actu, nisi per aduẽtum animæ in materia disposita, &c. Tertiò dicitur & recipitur in materia nuda. nam cùm det esse simpliciter, requirit materiam nullo modo actuatã præcedenti forma, aliter adueniens enti iam constituto in actu, non daret esse simpliciter, sed secundum quid, vt forma accidentalis. quia ergo facit rem esse actu simpliciter, necesse est, vt recipiatur in materia nuda. Quartò dicitur, vt proprius actus in propria potentia, quoniã cùm forma substãtialis sit actus simpliciter, quia facit rem esse simpliciter, & materia prima sit potentia simpliciter, quoniam ex se nullo modo est actu, conuenienter dicitur proprius actus propriæ potentiæ, vtpote actus simpliciter potentiæ simpliciter, sicut actus secundum quid, potentiæ secundum quid, vt forma accidẽtalis recepta in subiecto existente actu, & existente in potentia secundũ quid ad talem formam. Quintò dicitur, appetibilis à materia, quoniã actus est perfectio potentiæ: & vnusquodque naturaliter appetit suam perfectionẽ. cùm igitur materia sit potentia passiua, & forma actus eius, congruè est appetibilis à materia. Sextò dicitur vt quoddam diuinum & optimum, quoniam cùm deus sit purissimus actus, omnis formã quæ est actus est participatio diuini actus, ex consequenti est quoddam diuinum & optimum, quæ enim diuina sunt vt sic, optima sunt. patet igitur quid sit forma.

Notificata forma declarandum est quid sit priuatio. Et aduerte, quòd hic non est sermo de omnibus modis priuationis quos ponit Philos. in 5. Meta. nec de priuatione formæ accidentalis, quæ apta nata est esse in subiecto, eo modo quo dicimus tenebram esse priuationem lucis, & cæcitatem priuationem visus, sed de priuatione formæ substantialis, quam apta nata est materia prima recipere, sic enim, proprie opponitur formæ substãtiali: potest igitur sic describi priuatio, vt est tertium principiũ naturale, est negatio formæ substãtialis in materia prima, vt est in potẽtia ad huiusmodi formã, & causa corruptionis in rebus inferioribus. Primò dicitur negatio formæ substantialis, ad differentiam negationis formæ accidentalis, vt cæcitas & surditas, illa enim non dicit negationem in materia prima, sed in proprio subiecto, vt in oculo & in aure. Et aduerte, quòd huiusmodi priuatio nominatur ab habitu siue forma substantiali adiuncta negatione. nam sicut igneitas est forma ignis, sic non igneitas dicit priuationem formæ ignis, & hoc est quod supra dixit Arist. quòd in omni productione termini sunt contrarij, quia priuatiuè oppositi, vt ex non igne fit ignis, ex non homine fit homo. Secundò dicitur, vt est in potentia ad huiusmodi formam. nam cùm plures formę non possint simul actuare materiam, dum est sub vna forma, est priuata alia, & quia est priuata, ideo est in potentia ad illam priuatio, enim dicit negationem in subiecto cum aptitudine ad habitũ, siue actum siue formã. Tertiò dicitur, & est causa corruptionis, &c. nam ex eo quòd nõ cõpletur appetitus materiæ

per vnam formã desiderat esse sub alia forma, qua priuata est, non potest autem esse sub alia forma nisi deperdat eam quam habet, non deperditur autem nisi per corruptionem compositi, ergo materia existens sub priuatione est causa corruptionis, & quoniam corruptio mala est, ideo dicit Philosophus in 1. Physic. quòd subiecta materia cum forma iam est eorum quæ fiunt sicut mater, altera verò pars contrarietatis, id est, priuatio imaginabitur ad maleficium, &c. Patet igitur quid sit vnumquodque trium principiorum naturalium. Quantum ad secundum aduerte, quòd forma potest comparari ad subiectam materiam, & ad priuationem, & quidem comparata materiæ non contrariatur ei, quoniam se habet, vt perfectibile & perfectio, & vnum recipitur in altero, & se compatiuntur, huiusmodi autem conditiones repugnant contrariis, ergo forma & materia non contrariantur, comparata autem priuationi contrariantur, quoniam prima radix contrarietatis est habitus & priuatio, forma autem habet rationem habitus, propterea non se compatiuntur in materia: nam adueniente forma cessat illius priuatio, sicut adueniente luce cessat tenebra: vnde propriè loquendo dicendum est, quòd cum tria sint principia rerum naturalium, duo sint contraria, & tertium, scilicet materia est subiectum duorum contrariorum, vnde inquit Philosophus in 1. Physi. oportet aliquid subiici contrariis, & contraria duo esse. Quantum ad tertium aduerte, quòd non omnia sunt eodem modo principia, quoniam materia & forma sunt principia per se, constituunt enim rem productam & sunt ei intrinseca, & post productionem permanent in re, & tandiu res saluatur quandiu vnitæ permanent, priuatio autem cum sit negatio non est principium per se in essendo rei productę, quoniam non permanet in re producta, licet enim antequam producatur ignis insit materiæ non igneitas, adueniente tamen igneitate, cessat non igneitas, & propterea ponitur principium per accidens: vnde dicit Aristot. in 1. Physic. quòd vno quidem sensu dicendum est principia naturalia esse duo, scilicet per se, vt materia & forma, & alio sensu esse tria, scilicet duo per se, & tertium per accidens, quod est priuatio: patet igitur quomodo hæc tria non sunt eodem modo principia, & hæc de principiis naturalibus ad mentem Philosophi dicta sufficiant. Nunc soluenda sunt quædam argumenta. Primum probat quòd non omnia fiunt ex contrariis etiam largo modo sumptis. nam dicit Aristo. soluens dubitationes antiquorum in 1. Physi. quòd omnia fiunt ex ente in potentia, pro quanto transeunt de potentia ad actum, sed ens in potentia non contrariatur enti in actu, imò quod erat in potentia transit in actum, & actus perficit potentiam, vnum autem contrarium non perficit alterum, ergo omnia non fiunt ex contrariis. Ad hoc dicitur, quòd vtrumque est verum, sed diuersimodè. nam ly ex, potest dicere terminum à quo, & potest dicere subiectum. si dicit terminum à quo, dicit contrarium, quoniam terminus à quo, vel est priuatio, vel forma opposita formæ introducendæ, quæ est terminus ad quem. si dicit subiectum, dicit ens in potentia, id est, materiam, quæ est in potentia ad recipiendum formam, per quam res generanda constituitur actu. est ergo verum, quod omnia fiunt ex contrariis ratione termini à quo qui contrariatur termino ad quem, & quòd omnia fiunt ex ente in potentia ratione materiæ, quæ est ens in potentia ad formam generandam. Secundum probat, quòd non sunt tria principia naturalia. nam priuatio non est principium, quoniam inter principium & principiatum est relatio realis, sed priuatio, cum sit non ens, non potest terminare relationem realem, requirit enim extrema realia, vt dicetur in 5. Metaphysi. ergo, &c. Ad hoc dico, quòd priuatio vt sit principium per accidens non est necesse esse ens reale, nisi ratione subiecti. vnde nisi priuatio diceret negationem in subiecto, non posset esse principium neque per se, neque per accidens, nec est necesse inter principium per accidens & principiatum esse relationem realem, imò illa propositio non verificatur vniuersaliter nisi de principio effectiuo & principiato. vnde Aristot. in 5. Metaphysic. non exemplicat in secundo modo relatiuorum nisi de potentia actiua & passiua, vt calefactiuum & calefactibile, & calefaciens, & calefactum.

Argumẽtorum solutio.

Tertium probat, quòd materia prima non est ens in pura potentia. nam potentia materiæ aut est idem cum materia, aut non. si idem, ergo materia non est vna, quoniam potentiæ ad formam multiplicantur vt forma. si non, ergo potentia comparatur ad materiam, vt actus ad potentiam, ex consequenti non est ens in pura potentia, sed quid compositum ex potentia & actu. Ad hoc dicitur, quòd potentia materiæ est ipsa substantia materiæ, & cum arguitur, ergo non est vna, negatur consequentia, quoniam potentia materiæ non multiplicatur realiter, sed formaliter tantùm, quod quomodo fiat declarabitur in quæstionibus ordinariis. Quartum probat, quòd forma non est principium. nam effectus non est principium, sed potius principiatum, forma autem est effectus, producitur enim à generante, aliter non produceret sibi simile: ergo non est principium. Ad hoc dicitur, quòd forma potest comparari ad efficiens, & ad productum compositum. intentio Philosophi est ponere eam esse principium respectu producti: vnde dixit in 1. Physic. quòd substantia materiæ cum forma est causa eorum quæ fiunt, sicut maternon inconuenit ergo formam esse effectum generantis, & principium intrinsecum constitutiuum geniti. Hæc dixerimus super 1. Physic. relinquentes opin. antiquorum, vtpote diffusè pertractatas ab aliis. Et nos hanc Epitomen non conficimus, nisi vt introductorium ad mentem Aristote.

EPITOME IN LIBRVM SECVNDVM Physicorum.

SVper Secundo libro Physicorum formatus tres tractatus.

Primus est de Natura.

Secundus de causa per se.

Tertius de casu & fortuna, quæ sunt causæ per accidens.

Tractatum de natura diuidimus in quatuor capita.

In primo ponitur diffinitio naturæ.

In secundo declaratur quot modis dicitur natura.

In tertio quæritur, vtrum Physica distinguatur à Mathematica.

In quarto quæritur, vtrum Physicus consideret materiam & formam rei naturalis, & vsque ad quem terminum.

CAPVT I.

Quid sit Natura.

CIrca primum caput in quo assignanda est diffinitio naturæ, sunt quatuor.

Primò ponitur quædam diuisio, ex qua inquiritur diffinitio naturæ.

Secundò ponitur diffinitio, & declaratur secundum omnes partes.

Tertiò declaratur quid sit habere naturam, & quid esse secundum naturam.

Quartò ponitur quoddam corollarium.

Diuisio est hæc, Entium quædam producuntur à natura, vt plantæ, & animalia, & simplicia corpora, quæ sunt elementa, quædam producuntur ab arte, vt gladius, domus, scannum, ensis, &c. & in hoc differunt, quia ea, quæ sunt à natura, habẽt in se principium alicuius motus, aut motus secundum locum, sicut grauia habent in se grauitatem, qua mouentur deorsum, & leuia habent leuitatem, aut motus augmenti & decrementi, vt animata habent animam, qua fit augmentum per conuersionem nutrimenti in substantiam rei animatæ, aut motus alterationis, vt elementa, quæ habent in se qualitates, quibus adinuicem alterantur, vt ignis per calorem alterat aquam, aqua humectat, &c. sed illa, quę producuntur ab arte, non habent in se principium alicuius motus, inquantum sunt artificiata, sed solùm inquantum habent materiam productam à natura, vt gladius inquãtum est ab artifice nullum habet principium motus: inquantum verò est ex ferro, habet grauitatem, qua mouetur deorsum: patet ergo, quòd naturalia vt naturalia sunt. habent principium motus in seipsis, artificiata verò vt sunt artificiata non habent principium motus in seipsis, nisi inquantum habent materiam, puta ferrum vel lignum, &c. Secundò ex hac diuisione ponitur à Philosopho diffinitio naturæ, quæ est hæc, Natura est principium, & causa motus & quietis in eo, in quo est primò & per se, & non secundum accidens. Hæc diffinitio declaratur primò quòd sit conueniens naturæ sic, Entia naturalia differunt ab artificiatis, quia habent in se naturam. sed habent in se naturam, quia principium alicuius motus habẽt in se, vt diximus in diuisione. ergo signum est, quòd natura est principium motus & quietis, &c. Secundò declaratur quo ad singulas partes: & primò dicitur principium & causa. Nota, quòd principium motus est duplex, scilicet actiuum, vt in animatis anima est principium actiuum motus, & passiuum. vt in grauibus & leuibus est grauitas & leuitas, quibus mediãtibus sunt apta nata moueri à generante, vt declaratur in 8. lib. & in cœlis est principium passiuum, quod quidem est potentia naturalis, nobis

Natura quid.

innominata,quæ sunt apti nati moueri motu perpetuo ab intelligentiis eis appositis,quãdo in diffinitione naturæ ponitur principium,sumendũ est ly principiũ disiunctiuè sic, Natura est principiũ actiuum vel passiuũ motus, &c. quia in aliquibus, puta in animatis natura est principium actiuum,puta anima,in aliquibus,vt in grauibus,est principium passiuum, puta grauitas. Dicitur secundò motus & quietis.Nota ꝙ ly &, non tenetur copulatiuè in omnibus mobilibus:nõ enim est verum,ꝙ omne mobile moueatur, & quiescat.nam cœlum secundũ philosophũ mouetur,non tamẽ quiescit:quia secundũ ipsum motus cœli est æternus, vnde natura in cœlo est principiũ motus, sed non quietis, sed sic intelligatur: Natura est principiũ motus & quietis in omni eo quod mouetur et quiescit, & est principiũ motus in omni eo quod mouetur:& quãtũ sit ex parte sui,etiam principiũ quietis: si tale mobile quiesceret. nam si cœlum quiesceret natura esset principiũ quietis, sicut tenẽt Theol. ꝙ de facto quiescet post iudiciũ.Dicitur tertiò in eo in quo est,ad differentiam causæ efficientis & finalis: quæ licet sint principiũ motus,non tamẽ sunt in mobili: vt ignis licet calefaciat aquã,non tamen est in aqua:& lucrũ licet moueat mercatorẽ,non tamen est in mercatore, potest tamen possideri à mercatore:& ideo nec causa efficiens,nec finalis potest dici natura.Dicitur quartò,primò,id est,non mediante alio priori,vt grauitas est natura in terra, qua non mediante alio mouetur deorsum à generante.& ex hoc excluditur motus rei cõpositæ:puta ꝙ animal moueatur deorsum non est ab anima vt à natura, sed est ab elemento dominante in animali,id est,à terra:nã animal ideo mouetur deorsum, nõ quia est animal,sed quia est ex terra,cui inest grauitas, anima ergo non potest dici natura quando mouetur animal deorsum quia non mouetur ab anima primò,sed mediante grauitate terræ,ex qua cõponitur animal, vt elemẽto prædominante.Dicitur vltimò per se & non secundũ accidens, ad differentiã artificiatorũ,quæ fiunt à principio extrinseco efficiente,vt domus & gladius fiunt ab artifice, aliquando fiunt à principio intrinseco:vt quando aliquis infirmatur,& est medicus,& seipsum sanat, tunc illa sanitas est à principio intrinseco,id est,à scientia medicinæ, quæ est in ipso infirmo,sed hoc est per accidens ꝙ idẽ homo sit medicus & infirmus,& ideo scientia medicinæ nõ dicitur natura,licet aliquando & per accidẽs sit principiũ sanationis in vno homine qui sit medicus & infirmus. Non sic est in rebus naturalibus,nã semper & per se habẽt in seipsis principiũ sui motus,vt semper ignis habet leuitatẽ, qua mouetur sursum.Tertiò declaratur quid sit habere naturã sic,Illa habẽt naturã quæ habẽt in se principiũ sui motus vt declaratũ est,& talia sunt entia naturalia in quibus principium sui motus est materia,aut forma,vnde materia,& forma dicuntur natura,vt declarabitur in cap seq.

Secũdum naturã.

Secundũ naturã vel à natura sunt res productæ naturaliter, vt propriæ passiones cõsequentes ipsam rẽ:vt homo est à natura. & risibile inest homini à natura,quia cõcomitatur hominẽ. Quartò ponitur corollariũ,qđ est tale:Cũ natura sit principiũ motus,nõ potest demõstrari ꝙ natura sit,&probatur sic:Quod est per se notũ nõ potest demonstrari,sed naturã esse est per se notũ,quia patet ad sensum,ꝙ aliqua habẽt in se principiũ motus,vt grauia & leuia & animata,ergo naturã esse nõ potest demõstrari,sed supponitur tãquã manifestũ. & ideo inquit Philosophus,Qui volunt demõstrare naturã esse,assimilantur cæco nato, qui vult iudicare de coloribus,quis color sit nobilior.cùm enim cæcus non cognoscat colores non potest iudicare de coloribus per aliquod magis notũ;sic opposito modo se habent qui volunt demonstrare naturam esse, quia cùm cognoscant naturam esse per sensum, quia videtur in multis principium motus,non possunt eam demonstrare per aliquod magis notum,& sic frustra laborant:conuenienter ergo Philosophus inuestigat quid sit natura, quã tamen supponit esse.Hæc de primo cap. sufficiant.

CAPVT II.

Quot modis dicitur natura.

Circa caput secundum nota,ꝙ Natura dicitur quinque modis,ex quibus tres ponuntur à Philosopho hìc.

Primus est.Natura dicitur materia rerũ naturaliũ, quæ est in potentia ad recipiendũ formã substantialẽ, vt natura hominis dicetur materia prima,quæ in se recipit animã intellectiuã,& hoc modo etiã antiqui Philosophi dicebãt materiã esse naturã,imò solã materiã dicebãt esse naturã,quia credebãt ꝙ sola natura esset substãtia,& omnes formæ substãtiales essent accidẽtia. Non enim distinguebãt inter formas rerũ naturaliũ,& formas rerũ artificiatarũ,quæ sunt accidentia:vt forma gladij est sua figura,quæ est accidẽs, cùm sit in quarta specie qualitatis.Licet ergo deciperentur in hoc ꝙ ponebant omnes formas esse accidentia, tamen in hoc dicebant verũ,scilicet naturã dici & prædicari de materia. Secũdo Natura dicitur de forma rerũ naturaliũ,vt anima est natura in homine, qa anima est principiũ motus & operationũ in homine.Itẽ qa forma rei facit ipsam actu esse naturalẽ,nõ enim homo est homo actu ex sola sua materia,sed tantũ in potẽtia,quãdo verò habet formã est actu homo,ergo forma est natura,& magis natura quã materia,qa forma facit rem esse actu,materia verò facit rem solũ esse in potẽtia,nõ enim ferrũ facit gladiũ actu,sed figura recepta in ferro. Tertio dicitur natura de generatione rerũ animatarũ,quæ dicitur natiuitas. Nã animata propriè dicuntur nasci.Sed hæc natiuitas dicitur natura,qa est via ad formam,quę est propriè natura,quando enim res animata nascitur,vel generatur acquirit formã suã, & ideo respectu formæ dicitur natiuitas esse natura, sed hic modus parum est in vsu.Quartò dicitur natura de proprietate cuiuslibet rei,vt cùm dicimus natura rheubarbari est sanare à febre,id est,ꝓprietas.Itẽ natura ignis est ascẽdere, id est, proprietas,& hoc modo natura potest inueniri in qualibet re absoluta,etiam in deo sicut dicimus,natura dei est indulgere peccati,id est,ꝓprietas.Quintò dicit natura de qualibet essentia rerũ,siue sit res increata,vt cũ dicimus,natura dei est æterna,id est,essẽtia,natura hõis est rõnalis,id est, essentia:sed nota, ꝙ quartus & quintus modus nõ sunt physicales,sed potius metaphysicales,qa reperiũtur in oĩbus entibus etiã incorporeis, ideo philosophus eos nõ posuit hìc in physicis.Vbi solũ agit de rebus corporeis & mobilibus,& si de incorporeis hìc agitur vt in octauo,hoc est inquãtũ habẽt ordinẽ ad motũ,puta agit de intelligentiis,vt mouẽt cœlos.Hæc de secũdo cap. sufficiant.

CAPVT III.

Physica quomodo distinguatur à Mathematica.

Circa tertium caput quæritur vtrum physica distinguatur à mathematica:& ibi fiunt duo.

Primò ponitur conclusio affirmatiua,quod distinguitur.

Secundò soluit Philosophus duo argumenta.

Conclusio probatur dupliciter. Primò sic, aliter format diffinitiones Physicus, & aliter Metaphysicus, ergo sunt distinctæ scientiæ. probatur antecedens: nam Physicus diffinit per materiam sensibilem,vt quando diffinit hominem, ponit in sua diffinitione carnem,sanguinem,& ossa. Hæc enim sunt materia, ex qua secundum physicum, componitur homo, sicut domus secundum artem componitur ex cemento, & lapidibus,& lignis, quando verò Mathematicus diffinit non ponit in sua diffinitione materiam sensibilem, sed solùm materiam intelligibilem, & subiectam solùm quantitati, & abstrahit ab omni qualitate sensibili: vt quando diffinit angulum,non dicit angulum esse quid descriptum in ære, aut ferro,quæ sunt materia sensibilis,sed dicit,quòd est ille, qui causatus est ex concursu duarum linearum: lineæ autẽ non significant materiam sensibilem, sed solam quantitatem: patet ergo quòd alio modo diffinit physicus,& alio modo Mathematicus:ergo sunt distinctæ scientiæ.Secundò sic scientiæ mediæ inter physicam & mathematicam differunt, ergo physica & mathematica differunt.probatur consequentia,quia si media differunt ab extremis, multo magis extrema inter se differunt: probatur verò antecedens sic, perspectiua est scientia media inter geometriam, & physicam, quia accipit lineam consideratam à geometria,& applicat eam ad visum,qui cõsideratur à physico,vt patet in 2. de Anima, & tamen distinguitur à Physica,quia subiectum physicæ est ens mobile,subiecto vero perspectiuæ est linea visualis: sed scientiæ quæ habent distincta subiecta, sunt distinctæ vt patet in 1. Poster. Item Musica est media inter Arithmeticam & Physicã, quia accipit numerum & proportiones naturales consideratas ab Arithmetico, & applicat sono considerato à Physico in 2. de Anima, & tamen distinguitur à Physica, quia habent distincta subiecta, est enim subiectum musicæ numerus sonorus,physicæ verò ens mobile. Item potest probari de astrologia, quæ est media inter geometriam & physicam. Accipit enim figuram circularem à Geometra,& applicat cœlo, quod est corpus physicum. Item numerum accipit ab arithmetico & applicat motui cœlorum, & signis, patet ergo quòd physica, & scientiæ mediæ & scientiæ mathematicæ distinguuntur.

Nunc soluemus duo argumenta.

Primum est,Physica & Geometria cõsiderant easdem res, ergo sunt eadem scientia: probatur antecedens. geometria considerat quantitates continuas, vt lineam,superficiem, & corpus & figuras. Sed hæc eadem considerantur à Physico, quia quæcunque sunt in re naturali per se considerantur à Physico,aliter non haberet completam scientiam de re naturali,sed linea, superficies, corporeitas, & figura sunt in re naturali, puta lapide vt patet, ergo Physica & Geometria considerant easdem res.

Secundũ.

Secundum est,Astrologia est pars Mathematicæ,quia considerat quantitates & figuras & numeros,& est eadem cum Physica, quia tam Physica, vt patet in lib. de cœlo, quàm Astrologia considerat figuram solis,& lunæ,& cœli, & terræ,&c.ergo Physica saltem secundum hanc partem,quæ est Astrologia,non distinguitur à Mathematica.

Solutiones. Distinctis scientiis idem cõsiderare distinctũ diuersis rationibus non inconuenit.

Ad primum respondet Philosophus quòd licet eadem considerentur à Physica & Mathematica,non tamen secundum eandem rationem:Et hoc nõ est inconueniens, nam homo consideratur à Logico inquantum est species, & à Physico inquantum est compositum ex contrariis elementis: sic in proposito considerantur linea,superficies,corporeitas, & figura à Mathematico absolutè,puta linea vt linea, à Physico verò considerantur,vt sunt terminantes rem naturalem:nã figura terminat & finit rem figurabilem: patet igitur quòd Physica,& Mathematica non sunt eadem scientia.

Ad secundum dicitur,quòd Astrologia non est pars scientiæ Mathematicæ, quia omnis scientia Mathematica considerat quantitates non applicando ad materiam, sed Astrologia applicat quantitatem ad corpus cœleste.ideo est media inter Physicam & Mathematicam:dicitur etiam, quòd licet Astrologia & Physica considerent eandem conclusionem, non tamen probant eam eodem medio, sed diuerso, puta hæc conclusio. Terra est rotunda, consideratur à Physico, & probatur hoc medio, quia omnes partes terræ sunt graues & appetũt esse in centro, ideo se cõculcant & faciũt figuram rotundam,vt propinquent centro tãtum quantum possunt, ab Astrologo eadẽ conclusio probatur hoc medio, quia eclypsis lunæ non apparet omnibus habitantibus in terra eadẽ hora,sed Orientalibus secũda,aut tertia hora noctis,Occidẽtalibus verò prima hora noctis,&c.hæc declarauit in tractatu sphęræ,nõ ergo sunt eadẽ sciẽtia Physica,&mathematica,ideo nec Astrologia.Hæc sufficiãt de tertio cap.

CAPVT IIII.

An Physicus consideret materiam & formam,& vsque ad quem terminum.

Physicus materiam & formã rei naturalis considerat.

Circa quartum caput quæritur, vtrum Physicus cõsideret materiam & formam:& respondet Philosophus per duas conclusiones: prima est, Physicus considerat materiam & formam rei naturalis: probatur tripliciter: primò sic, Physicus considerat naturam,sed natura dicitur de materia & forma,ergo Physicus considerat materiam & formam. Secundò sic,Ars imitatur naturam, sed ars considerat materiam & formam artificiati,vt artifex considerat materiam ex qua debet fieri gladius, puta ferrum, non enim ex omni materia fit gladius,& considerat quam figuram,& formam debet habere gladius, vt per suam formam distinguatur ab aliis artificiatis: ergo & Physicus debet considerare materiã & formã rei naturalis,puta ex qua materia fit aurum,& quæ sit forma auri. Tertio sic, Eadẽ sciẽtia considerat eã quæ sunt ad finem ordinata & ipsum finem: sed materia ordinatur ad formã vt ad finẽ,puta ordinãtur ligna & claui ad formã nauis, & forma introducta in lignis terminat & finit factionẽ nauis, sic in naturalibus, postquã anima est introducta in materia,terminatur generatio animalis, ergo Physicus cõsiderat materiam & formã rei naturalis.

Non quãcunque,sed formã in materia cõsiderat, vsque ad animam intellectiuam,

Secũda cõclusio, Physicus non cõsiderat omnem formã absolutè,sed tantũ illas, quæ habent esse in materia:probatur sic,Sicut medicus non cõsiderat corpus humanum absolutè, sed solùm inquantũ potest recipere sanitatem: similiter artifex non cõsiderat ferrũ absolutè, sed solùm inquãtum potest recipere figuram artificiati: sic nec Physicus considerat formas absolutè, sed solùm inquantum recipiuntur in materia & dant esse rei naturali, considerare verò de forma absolutè est officium metaphysici, sicut considerare corpus humanum & ferrum absolutè est officium Physici.

Ex his sequitur corollariè,ꝙ vltima forma,quæ consideratur à physico,est anima intellectiua, quia partim est in materia,inquantum dat esse homini,& est vnita corpori humano, partim est extra materiã,inquantũ intellectus non est affixus alicui organo corporeo: ꝙ quomodo sit declarabitur in 3. de Anima,quando igitur est separata à corpore non amplius est de consideratione physici quo ad substantiã suam præcisè, sed metaphysici, sicut etiam intelligentiæ, & Deus gloriosus non considerantur à Physico nisi inquantũ sunt mouentes,vt patet in 8.phys. secundum verò substantias suas cõsiderantur à metaphysico & theologo. Hæc de quarto capite sufficiant.

Argumẽtũ in diffinitionem naturæ.

Vltimò contra diffinitionem naturæ fiunt quædam argumenta,& soluuntur,Primum est hoc, Nulla substantia debet diffiniri per accidẽtia,sed per suum propriũ genus & differentiam, sed natura est substantia (dicitur enim de materia & de forma substãtiali,quarũ vtraque est substãtia reductiuè)ergo natura non debet diffiniri per accidentia, sed motus & quies sunt accidentia: ergo malè ponuntur in diffinitione naturæ.

Solutio.

Ad hoc dicitur, quòd diffinitio est duplex, prima est quidditatiua, & essentialis, & hæc nunquam est per accidentia, sed per proprium genus & differentiam.Secunda est descriptiua, & hæc potest esse per accidẽtia. vt homo est animal beatificabile,aliquando est per effectum,vt ignis est causa calefactionis: sic est in proposito, natura hìc describitur per effectum, motus & quies sunt effectus naturæ, vt causantur à natura.

Argu.

Secundum est, absolutum non debet diffiniri per relatiuum, sed natura est quid absolutum, & principium est relatiuum, dicitur enim principiati principium, ergo malè dicitur quòd natura est principium.

Solutio.

Ad hoc negatur, quòd natura sit quid absolutum, imò est relatiuum secundum dici,sicut etiam principium: nam natura est rei naturalis natura, & est materia vel forma, materia verò habet respectum ad formam, sicut potentia ad actum, vt declaratur in primo lib.& sic patet, quòd natura est quid relatiuum secundum dici, vnde conuenienter diffinitur per aliud relatiuum.

Tertium est,quies cùm sit priuatio,& negatio formæ non habet principium,quia omne habens principium est ens positiuum,ergo malè dicitur,quòd natura sit principium motus & quietis.

Ad hoc dicitur,quòd licet priuatio nõ habeat principium primò & per se,habet tamen secundariò,vnde natura intendit motum & acquisitionem termini motus, quo acquisitio per accidens fit quies,quia cessat motus.Dico ergo ad argumentum,quòd licet id quod habet principium primò,& per se sit ens positiuum, tamen id quod habet principium per accidens,& secundariò, potest esse ens priuatiuum. Hìc terminatur tractatus de Natura.

TRACTATVS DE causis per se.

Tractatum de causis per se diuidimus in sex capita.

In primo ostenditur quid sit causa.
In secundo agitur de causa efficiente.
In tertio agitur de causa formali.
In quarto agitur de causa materiali.
In quinto agitur de causa finali.
In sexto agitur de modis causarum.

CAPVT I.

Quid nam causa sit.

Circa primum caput discutiendum est quid sit causa. Vnde nota quòd de ratione causæ sunt tria. Primũ est, quòd à causa dependet effectus, sed diuersimodè: quia alio modo dependet effectus à causa materiali, & alio modo à causa efficiente, vt dicemus. Secundum est, quòd causa est prior suo effectu,quia effectus habet esse à causa sua,ergo causa præsupponitur esse,nisi enim causa haberet esse non posset dare esse effectui:vt nisi sol esset,non posset dare esse plantæ nascenti: & per hanc conditionem differt principium à causa, nam non est necesse omne principium esse prius suo principiato.vt declarat Theologus,qui tenet in Deo patrem esse principium filij,non tamen patrem esse priorem filio, & sic in deo, hæc est falsa, pater est causa filij, quia esset prior filio, cùm omnis causa sit prior suo causato. Tertium est quòd causa semper distinguitur realiter & essentialiter à suo effectu, quia cùm causa producat suum effectum,si non distinguitur essentialiter à suo effectu, ergo idem produceret seipsum, quod est impossibile: puta si Socrates generans non distinguitur essentialiter à filio suo genito, ergo Socrates generat seipsum, quod patet esse falsum: & per hanc conditionem differt etiam causa à principio, non enim est necesse omne principium distingui essentialiter à suo principiato:sustinet nanque Theologus in deo patrem esse principium filij,non tamen distingui essentialiter, quia pater & filius sunt vnus deus,vna substãtia:sed hæc pertrãseo,quoniã sunt altissimæ speculationis Theologicæ:igit ex his cõditionibus formetur sic diffinitio causæ.Causa est à qua dependet

Causæ diffinitio.

effectus,& est semper prior suo effectu,distinguitúrque essentialiter à suo effectu. Ex consequenti sic formetur diffinitio principij,Principiũ est id,à quo aliquid procedit, & non plus: ex quo patet, quòd principium est in plus quàm causa. nam omnis causa est principium , quia omnis effectus à sua causa procedit & dependet, non tamen omne principium est causa.nam priuatio est principium naturale,non tamen causa (vt diximus) & punctus est principium lineæ , non tamen causa, quia esset causa materialis, quòd est falsum , quia linea non componitur ex punctis, vt patet in Sexto Physicorum. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

Quid nam sit causa efficiens: & quotuplex sit.

IN secundo cap. declarandum est quid sit causa efficiens,& deinde ponentur quædam distinctiones de causa efficiente: sic igitur diffinitur,Causa efficiens est illa, quæ actione sua efficit effectum,vt ignis calefactione producit & efficit aquam calidam.Hęc diffinitio competit soli efficienti,qua nulla alia causa actione efficit effectũ.non enim materia per aliquam actionem est causa, sed seipsa inquantum recipit formam:nec forma per aliquam actionẽ est causa , sed seipsa inquantum facit rem esse in actu,vt anima seipsa facit animatũ esse actu. similiter finis per nullam actionem est causa nisi metaphoricè,vt dicemus. Patet ergo, quòd efficere per actionem suam effectum est competens soli causæ efficiẽti,& sic diffinitio est bona, quia competit soli diffinito , & facit ipsum differre ab aliis causis. Præterea, actio effectiua est à solo efficiente:ergo soli efficiẽti competit producere effectum per actionẽ suam, semper sumendo actionem effectiuè,& non formaliter, quæ quomodo differant, vide in Compendio minori in prædicamento actionis.Secundò,ponuntur quædam distinctiones de causa efficiente,quæ necessariæ sunt Physico,& Metaphysico, & Theologo.Dimitto distinctionem,quæ est in causam disponentem, præparantem, conciliantem, & perficientem. Hæc enim declarantur à B.Thoma in Comment. ponam ergo alias quatuor distinctiones.

Causa quot modis accipitur.

Prima est,Causarum efficiẽtium quædam producit totam substãtiam rei,& hic est solus Deus,qui dum creat, totam rei substantiam producit:quædam producit rem secundum partem,& hoc est agẽs creatum:quod solùm introducit formam in materia,sed non producit materiam, saltem materiam primam.Hanc distinctionem ponemus etiam in octauo Physic. vbi disputatur contra Auer. de creatione.

Secunda est, Causarum efficientium quædam vniuersalis, & est illa,quæ plures effectus distinctos specie producere potest, vt Deus, qui omnia sua virtute producere potest , & sol virtute sua cum aliis planetis producit hæc inferiora : quædã particularis,quæ solùm vnum effectum producere potest : vt homo solùm hominem generat , & ignis solùm calefacit : & talis arbor solùm talem effectum vel fructum producit.

Tertia distinctio. Causarum efficientium quædam sunt essentialiter subordinatę & sunt illæ,quæ ita se habẽt,quòd vna non potest causare sine alia,& quando vna causat omnes causant,vt omnes planetæ sunt causę subordinatæ,quia luna non causat aliquid in his inferioribus,nisi etiam causet Mercurius, & Venus,& Sol,& Mars,&c. similiter homo generans, & sol sunt subordinatæ causæ, quia homo non potest generare hominem, nisi sol per motũ suũ influat in his inferioribus. quædam sunt accidentaliter subordinatæ:& sunt illæ,quæ licet simul causent,tamen vna potest causare sine alia,vt baculus,& manus sunt accidẽtaliter causę subordinatæ ad mouendũ lapidem,potest enim manus mouere lapidem sine baculo,&c.

Quarta distinctio. Causarum efficientiũ quædam est totalis,& est illa,quæ per seipsam causat, vt ignis,quædã partialis, & est illa,quæ non per seipsam,sed alia cõcurrẽte potest effectum producere : vt quãdo Plato per seipsum non potest trahere nauem nisi concurrente Socrate , vterque dicitur causa partialis,ex quibus cõiunctis fit vna causa totalis & perfecta.

Posset addi quinta distinctio, quæ est, Causarum efficientium quędam est in fieri tantùm,quædam in fieri & conseruari.Exemplum primi,vt ædificator.Exemplum secundi,vt sol.

CAPVT III.

Formalis causa quid sit.

IN tertio cap. declarandum est quid sit causa formalis. Et primò supponitur distinctio quadrimembris de forma, quam posui in Compendio minori , in Tract. de locis. Hìc enim habemus diffinire formam quarto modo sumptam, quia sic est causa formalis, & non in aliis tribus modis. Sumendo ergo formam quarto modo, sic diffinitur,Causa formalis est illa, quæ dat esse intrinsecè & per seipsam rei compositæ ex materia & forma.vt anima est formalis causa,quia dat esse rei animatæ.Primò dicitur intrinsecè ad differentiam causæ efficiẽtis & finalis, quia non sunt causæ intrinsecæ,cùm non ingrediantur essentiam rei productæ: non enim ædificator ingreditur compositionem domus. Secundò dicitur,per seipsam, etiam ad differentiam causæ efficientis, quæ non efficit effectum nisi per actionem suam,vt diximus.Nota quòd ad rationem causæ formalis plura non requiruntur,licet aliqua consequantur ad eam , vt propriæ suæ passiones, & præcipuè duæ. prima est , quòd causa formalis facit rem differre à quolibet alio, vt per animam differt animatum à quolibet inanimato, & similiter per albedinem differt album à quolibet alio colorato.se habet enim causa formalis ad rem compositam,vt differentia magis propria ad speciem. sicut enim rationale facit differre hominem à quolibet alio animali, ita causa formalis siue substantialis, siue accidentalis facit differre rem compositam à quolibet alio non habente talem formam. Secunda est , quòd causa formalis quæ est ipsamet forma, habet restringere materiam. nam materia prima ex se est in potẽtia quòd sit sub forma ignis,vel aëris, vel hominis,vel plantæ, quando verò est actu sub tali forma, puta sub forma ignis,toto illo tempore,quo est sub forma ignis,restringitur & terminatur ne possit esse sub alia forma. & ideo dicitur, quòd forma limitat & coarctat amplitudinem materiæ. idem facit forma accidentalis.nam paries ex se potest fieri & rubeus,& niger & albus,quando verò receperit nigredinem, quæ est forma accidentalis,toto illo tempore, quo fuerit sub nigredine,non potest esse sub alio colore. Patet ergo quid sit causa formalis , & quæ sint suæ propriæ passiones. Hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

Materialis causa quid sit.

IN quarto cap. declarandum est quid sit causa materialis. Et primò supponitur distinctio de materia, quam posui in tract. de locis, in Compendio minori. Hìc enim solùm diffinitur materia tertio modo, scilicet, ex qua simul cùm forma fit res composita. sic igitur diffinitur. Materialis causa est illa, quę recipit formam & conseruat eam,&c.primò dicitur,quæ recipit formam,quia materia & forma sibiinuicẽ correspondẽt. nam materia ordinatur ad formã vt potentia ad actum, sed forma ideo est causa,quia dat esse materiæ & rei compositæ, vt dictum est suprà.ergo materia est causa , quia recipit formam. Dicitur secundò, & conseruat eam, quia nulla forma substantialis prẽter animam intellectiuam habet esse per se,sed in alio,scilicet, in materia,& ideo quando separantur à materia corrumpuntur, vt omnis anima brutorum corrumpitur quando animal moritur , & tantùm habent esse quandiu sunt receptæ in materia.ergo materia conseruat formam in esse. similiter nulla forma accidentalis habet esse nisi sit in aliquo subiecto , quod dicitur materia secunda , vt declarauì in secundo tract.in primum lib. Physic. ergo materia conseruat omnem formam siue accidentalem, siue substantialem. patet ergo diffinitio materialis causæ. Nec est instantia de anima intellectiua , quæ licet conseruetur in se postquàm est separata à materia , tamen non est actu causæ formalis nisi quando est in materia, quia quando est separata non dat esse rei compositæ , & ideo est necesse quòd conseruetur à materia in ratione formæ, licet non quantum ad suum esse. Hæc de quarto capite sufficiant.

CAPVT V.

Finalis causa quid sit.

IN quinto capite declarandum est quid sit causa finalis. Et nota,quòd dupliciter diffinitur. primò secũdum viam Thomisticam sic, Causa finalis est illa, quæ mouet agentem metaphoricè.primò dicitur,quæ mouet agentem, qui agens operatur propter finem: vt medicus dat remedium propter sanitatem. ergo finis mouet agentem ad operandum , vt sanitas mouet medicum ad exhibendum remedium. Secundò, dicitur metaphoricè. nam mouere contingit dupliciter , scilicet, propriè & metaphoricè. Mouere propriè est causare aliquid reale in re mota,siue sit forma substãtialis, vt in generatione, siue accidentalis, vt in augmento, vel alteratione , & sic mouere cõpetit soli causæ efficienti,siue sit generans,siue creans, siue alterans.Mouere metaphoricè est nihil causare in re mota, sed solùm trahere agentem ad sui amorem,vt scilicet,gratia sui aliquid fiat ab agente , puta sanitas trahit medicum ad suum amorem , vt gratia ipsius sanitatis amatæ detur medicina à medico , & hoc modo mouere metaphoricè competit soli causæ finali , est enim illa gratia cuius aliquid fit, vt inquit Philosophus in textu 2. Diffinitur sic secundum viam

Heruei

Heruei in 2.quo li.quęst.1. Causa finalis est illa,quæ dat quandam bonitatem naturalem rei ordinatæ ad finem, quam non habet ex se.verbi gratia,sanitas est causa finalis medicinę,quia sanitas dat medicinæ quandam bonitatem & appetibilitatem inquantum videtur bona , & appetitur vt causatiua sanitatis,dato etiam casu quòd secundum sui naturam generaret horrorem inquantum amara,vel fœtens,tamen sanitas facit ipsam desiderabilem,& hoc est quod dixi in Compen.minori.in tract.de locis,quòd prima dignitas finis est causare amorem in re ordinata ad finem.Hic sequitur distinc.de fine præcedenti, & fine vltimo, reperies eam in Compen. minori, in tract.1.de locis, & ponitur in text.2. Physic. ab Aristot. Hæc de quinto capite sufficiant.

CAPVT VI.

Causarum modi ponuntur, & quædam quæ omnes causas consequuntur.

IN sexto capite agendum est de modis causarum quot sunt: & nota , quòd omnes isti modi possunt applicari cuilibet generi causarum,scilicet efficienti,& materiali, & formali,& finali,omnes isti modi continentur sub quadruplici diuisione.

Prima diuisio.Causarum quædam est prior,id est, remota, vt sol est causa remota hominis geniti, quædam est posterior, id est,propinqua,vt homo est causa propinqua, immo proxima hominis geniti.

Secunda diuisio. Causarum quædam est per se , & est illa, quæ secundum virtutem suam producit effectum , vt generans per se mouet graue deorsum , imprimit enim grauitatem,qua mouetur deorsum, quædam est per accidens, & est illa , quæ non secundum virtutem suam producit effectum, sed inquantum coniungitur effectui per se , vel causæ per se. Exemplum primi. Remouens columnam est causa per accidens , quòd lapis descendat , quia remouet impedimentum. Exemplum secundi. Musicus ædificat. nam musicus coniungitur per accidens ædificatori , est enim per accidens quòd in vno homine sit musica & ars ædificandi.

Tertia diuisio.Causarum quædam est simplex,id est,nominata per terminum incomplexum , vt ædificator ædificat , ly ædificator est causa simplex. quædam est composita , id est, nominata per terminum complexum , vt ædificator rubeus crispus ædificat, ly ædificator est causa per se,ly rubeus crispus est causa per accidens : accidit enim ædificatori quòd sit rubeus crispus , vnde ille terminus complexus dicit vnum aggregatum ex causa per se & causa per accidens.

Quarta diuisio. Causarum quædam est in potentia , & est illa,quæ non actu causat,sed potest causare, & denominatur per nomen verbale,vt lector,qui potest legere,& ædificator, & dominator,& creator.Quædam est in actu,& est illa,quæ actu causat,& denominatur per participiũ præsentis temporis, vt illuminans , generans , creans,&c. Et nota secundum Philosophum, quòd omnia membra trium præcedentium diuisionum possunt distingui per potentiam & actum , puta causa prior est duplex,scilicet quædam in potentia, quædam in actu:similiter modo causa posterior est duplex,scilicet in potentia & in actu , & sic distingue sequentia , & tunc si rectè aduertes inuenies duodecim modos causarum. Hæc sufficiant de modis causarum.

Vnius effectus plures causę esse possunt vnius generis sed diuersorum.

Vltimò philosophus adducit quatuor , quæ consequuntur prædicta genera causarum , & modos earum. primum est. Vnius effectus possunt esse multæ causæ per se,hæc sic declaratur,Vnius effectus. puta statua habet causam efficientem per se,qui est statuæ factor , & materiam per se , quæ est æs, aut marmor,aut lignum,&c.& formam per se , quæ est figura in tali materia recepta:patet ergo,quòd vnus effectus potest habere plures causas per se, quæ tamen sint diuersorum generum:puta quòd vna sit in genere causæ efficientis , alia in genere causę materialis,nõ enim vnus effectus potest habere duas causas efficientes totales & sufficientes, vt declarabitur in 5.Metaph.potest tamẽ habere duas causas,quarum vna sit remota,& alia propinqua:sicut dicimus,q; sol & homo generant hominẽ,& potest habere duas causas partiales, ex quibus fiat vna sufficiens , vt Socra. & Plato trahunt nauim.

Causę sibi inuicem causę.

Secundum est.Duæ causę sunt sibiinuicem causę. Hoc declaratur sic,Efficiens est causa finis: nam efficiens sua actione facit finem esse actu,vt medicus sua medicatione facit sanitatem esse actu in infirmo,& finis est causa efficientis:nam finis mouet efficientem metaphoricè ad operandum , vt dictum est supra, puta sanitas trahit medicum ad operandum. similiter materia est causa formæ, quia recipit eam & sustentat eam,vt diximus supra,& forma est causa materiæ , quia dat esse materiæ & limitat eam,vt diximus supra.patet ergo quomodo causæ sunt sibiinuicem causæ.

Contrariorũ eadem est causa.

Tertium est. Contingit quòd eadem sit causa contrariorum in eodem genere causę. Hoc declaratur sic , Gubernator nauis quando est præsens & existens in naui in tempore tempestatis est causa quòd nauis saluetur , & non submergatur: quando verò est absens est causa quòd nauis deperdatur,cum non rectè ab alio gubernetur. ecce q; idẽ gubernator secundum præsentiã est causa salutis,& secundũ absentiã est causa perditionis in naui:salus & perditio sunt contraria:ergo, &c.

Posita causa ponitur effectus , si eodem sumantur modo.

Quartum est,quomodo valet consequentia à causa ad effectum affirmatiuè & negatiuè:vnde nota , quòd semper est bona consequentia quãdo sumuntur causa & effectus eodem modo,ita quod vtrunque sit in potentia , vel vtrunque sit in actu: vnde bene sequitur,ædificans est,ergo domus actu ædificatur,& si ædificator est,ergo domus potest ædificari , similiter intellige arguendo negando.quando verò sumuntur diuersimodè puta causa in potentia,& effectus in actu & econuerso,non est bona consequentia : non enim sequitur , lector est,ergo lectio actu legitur:sic ergo habent intelligi illæ duæ maximæ, posita causa ponitur effectus,dummodo sumantur causa & effectus eodem modo.& similiter,Remota causa removetur effectus eodem modo.Hæc de causis per se & modis causarum sufficiant.

Argumẽta.

Postremò soluenda sunt aliqua argumenta : Primum probat,quòd materia non est causa sic , omnis causa dat esse effectui,sed materia non dat esse effectui,quia si sic, ergo ipsa habet magis esse quàm effectus,quòd est falsum , quia materia habet esse solum in potentia , vt dictum est in Primo lib. in trac.secundo,effectus verò habet esse actu : consequentia verò probatur sic , propter quod vnum quodque tale & illud magis , sed effectus habet esse per materiam secundum rem. ergo materia habet magis esse quàm effectus.

Solutio.

Ad hoc dicitur.q; materia est causa,quia recipit formam, vt diximus: nec sequitur quòd habeat magis esse quàm effectus,quia illa propositio Philosophi propter quod vnũquodque,non tenet in causa materiali,sed præcipuè habet veritatem in causa efficiente principali vniuoca , vt dixi in Compendio maiori in lib. Poster.

Secundum probat,quòd forma non est causa sic , effectus non est causa,sed forma est effectus:producitur enim ab efficiente,puta asinus generans asinum, producit animam asini geniti.quæ est forma sua : ergo forma non est causa.

Ad hoc dicitur,quòd forma comparatur ad duo:primò ad producentem,& sic est effectus , & non causa , vt probat argumentum. Secundò comparatur ad rem productam & sic est causa, quia dat esse rei productæ , puta anima asini geniti dat esse asino genito:& sic est causa,licet sit effectus,comparata asino generanti.

Tertium probat, quòd finis non est causa sic , omnis causa est prior suo effectu:sed finis non est prior suo effectu, immo est vltimus effectus,qui producitur ab efficiente, vt sanitas est vltimũ,qd causatur à medico in infirmo:ergo non est causa.

Ad hoc dicitur,quòd finis sumitur dupliciter.primò vt intenditur ab agente.Secundò,vt producitur,vel acquiritur ab agente:primo modo non est vltimus effectus productus , est prior omnibus aliis causis,nam ædificans prius intẽdit habitationem,quæ est finis domus,quàm præparet lapides & cæmentum,& quàm componat hæc adinuicem , in qua cõpositione consistit forma domus , vltimò autem post domum factã fit habitatio in ea,ecce quòd habitatio secũdũ quod intenditur ab ædificatore est prior,& sic est causa , quia mouet ædificatorem ad ædificãdum , vt quoddam amatũ. secundum verò quod producitur est vltimus effectus , vt probat argumẽtum. & sic nõ est causa.Et hoc est,quod apud doctores solet dici,Finis vt est in intentione operantis est causa , vt est in executione nõ est causa,quia est vltimus effectus producẽtis.

Finis in intentione est causa.

Quartũ probat,quòd efficiens non est causa sic. si efficiens est causa ergo homo generãs est causa efficiens hominis geniti,sed hoc non,quia vel producit totam substantiam rei,vt Deus creans vel partem substãtiæ,puta formam, sicut equus producit equi animã,sed homo non producit partem hominis geniti,quia non producit materiam primam , hæc enim est ingenerabilis,vt dictum est in primo lib. trac.2. nec producit animam intellectiuam : quia hæc creatur à Deo , ergo homo generans non est causa efficiens hominis geniti.

Ad hoc dicitur , q; causa efficiens debet habere vnam ex tribus cõditionibus,scilicet vel producat omnes partes rei, vel vnã partem,vel saltem vniat partes rei adinuicem , licet non producat eas,& hoc tertio modo homo est efficiẽs hominis geniti , quia licet non producat animam , est tamen

causa

causa quòd anima vniatur materię disponit enim materiam organizando corpus humanum, & in corpore sic organizato introducitur anima intellectiua, vtrum verò hæc organizatio præcedat animam intellectiuam, pro nunc transeo, quia hoc resoluetur in Secundo de Anima diffiniendo animam: dicitur ergo homo causa efficiens hominis geniti, quia est causa quòd anima vniatur materiæ, ex qua vnione homo genitus habet esse actu. Hic terminatur tractatus de causis per se.

TRACTATVS DE FORtuna, & Casu, & Fato.

TRactatum hunc diuidimus in tria cap.
In primo agitur de fortuna & casu & fato.
In secundo probatur, quòd Physicus demonstrat per 4. genera causarum.
In tertio probatur quòd natura operatur propter finem, & quomodo aliquid est necessarium in rebus naturalibus.

CAPVT I.

Fortuna, Casus, & Fatum quid sit, & quomodo distinguantur: eorúmque quæ vulgò de his dicuntur ratio redditur.

CAput primum diuidimus in tres partes.
Primò diffinitur fortuna.
Secundò diffinitur casus, & declaratur quomodo differt à fortuna.
Tertiò diffinitur fatum, deinde declaratur quomodo opiniones antiquorum, & vulgarium sint veræ vel falsæ de fortuna. Diffinitio fortunæ inuestigatur per quatuor diuisiones, quarum prima est hæc, Causarum efficientium quædam est per se, quædam est per accidens: causa efficiens per se est illa, quæ influit in suum effectum directè, vel quæ intendit suum effectum: exemplum primi, ignis est causa efficiens per se aquæ calidæ, influit enim & agit in aquam per calliditatem suam, qua directè calefacit: exemplum secundi, Socrates vadens in forum vt emat panes, si emit panes est causa per se emptionis panum, intendebat enim ire in forum, vt emeret panes, causa efficiens per accidens est illa, quæ non influit in effectum directè, vel quæ non intendit effectum, licet effectus proueniat: exemplum primi, musicus ædificat domum: non enim homo vt musicus agit in domum, sed vt ædificator, & ideo musica & omnia quæ sunt in ædificatore, præter artem ædificandi, sunt causa efficiens per accidens domus: exemplũ secundi, Socrates fodiens sepulchrum reperit thesaurum, licet non intenderet inuenire thesaurum, Socrates est causa per accidens inuentionis thesauri.

Causę per se & per accidẽs in tellectus.

Secunda diuisio est ex parte effectuum sic, eorum, quæ fiunt quædam fiunt semper & nunquam deficiunt: vt sol quolibet mane oritur. & vespere occidit: quædam fiunt frequenter & in pluribus, vt homo nascitur cum duobus oculis: quædam fiunt rarò, vt homo nascitur cum sex digitis in manu.

Eorũ quæ fiunt diuisio.

Tertia diuisio est ex parte finis, sic, eorum, quæ fiunt, quædam fiunt propter finem deliberatum, vt Socrates fodit sepulchrum, propter mortuum sepeliendum, & medicus dat medicinam propter sanitatem infirmi; quædam non fiunt propter aliquem finem deliberatum, sed inconsideratè, vt Socrates ludens inconsideratè mouet tibiam, confricat barbam, corrodit vngues, &c. Isti dicuntur actus indeliberati & inconsiderati.

Quarta diuisio est ex parte agentium sic, eorum quæ agunt propter finem, quædam agunt propter finem cognitum ab eis, & deliberatum, & ista sunt agentia per intellectum: vt homo & angelus, & dicuntur agentia à proposito, id est, ex voluntate deliberata. Quædam agunt propter finem non cognitum ab eis, sed vt dirigũtur ab aliquo cognoscente finem, & ista sunt agentia sine intellectu, vt bruta & inanimata, quæ diriguntur in finem naturali instinctu à primo conditore cognoscente omnia: sic hirundo facit nidum talis formæ, non quidem intelligens nidum, sed vt directa à primo conditore, sic lapis tendit deorsum, vt directus à principio propter conseruationẽ suam, & ista agentia dicuntur agentia à natura, id est, ex naturali instinctũ sibi indito à primo conditore. Ex his diuisionibus, ponit Philosophus diffinitionem fortunæ, quæ est hæc, Fortuna est causa per accidens, in his quæ fiunt à proposito in minori parte, id est, rarò & propter finem. Dicitur causa per accidens, ad differẽtiam causæ per se intendentis effectum: necesse est enim, quòd effectus, qui est à fortuna, non sit intentus, quia si est intentus, non dicitur à fortuna, si ergo effectus fortuitus non est intentus, fortuna dicitur causa per accidens, nam diximus in prima diuisione, quòd causa per accidens est, quæ non intendit effectum, licet effectus proueniat: dicitur in his quæ fiunt à proposito, quia effectus non intentus, qui est ab agente instinctu naturali, non dicitur esse à fortuna, sed à casu, vt dicemus infra, vnde inuentio thesauri, quæ est à Socrate fodiente sepulchrum, dicitur esse à fortuna, quia Socrates ex proposito fodit sepulchrum: vnde nota q̃ eadem causa, quæ est causa per accidens effectus intenti, est causa per accidens effectus non intenti: & respectu effectus non intenti est fortuna: verbi gratia, Socra. est causa per se fossionis sepulchri, & ipsemet Socrates est causa per accidens inuentionis thesauri, & respectu huiusmet inuentionis, qui est effectus non intentus. Socrates dicitur fortuna, vnde fortuna est ipsamet causa per se, prout ei contingit aliquis effectus non intẽtus & inopinatus. respectu cuius dicitur causa per accidens. Dicitur in minori parte, id est, rarò, quia si effectus frequenter contingeret, non potest dici à fortuna, quia esset intentus, saltem secundario: verbi gratia, quoties Socrates vadit per viam lutosam calcei eius deturpãtur, licet Socrates non intẽdat deturpare calceos, tamen illa deturpatio non potest dici esse à fortuna, quia hoc ei accidit frequenter, quando per lutosam viã incedit. Ad hoc ergo, q̃ effectus dicatur esse à fortuna debet rarò euenire, vt raro euenit. q̃ Socrates tendens ad ecclesiã inueniat ducatũ in ea. Dicitur propter finẽ. Ad hoc enim q̃ aliquod agens dicatur fortuna est necesse q̃ intendat aliquẽ effectũ propter aliquẽ finẽ, cui effectui intento propter finẽ cõiungatur alius effectus non intẽtus, respectu cuius ipsum agens dicetur esse fortuna: verbi gratia, Socrates tendit in forũ vt emat panes, ecce effectus propter finem intentus: quãdo est in foro reperit inimicũ suum, à quo vulneratur: ly reperit inimicũ, est effectus non intẽtus, qui coniũgitur effectui intẽto, scilicet, rẽdere ad forũ, vt emat panes, & respectu illius effectus non intenti Socrates dicitur fortuna. Manifesta est ergo diffinitio fortunę secũdũ Arist. assignata.

Casus quid.

Casus diffinitur sic, Casus est causa efficiẽs per accidẽs in his quæ fiunt non à proposito, in minori parte, id est, rarò, & propter finẽ. Hęc declaratur sicut diffinitio fortunæ, quia nõ distinguitur ab ea, nisi in hac particula, non à proposito, per quã differt casus à fortuna: vnde dicit Philosophus, q̃ casus solùm est in agẽtibus sine proposito, vt sunt infantes, & stulti, & bruta animalia, & inanimata: vnde, si infans stet iuxta aquã, vt eam inspiciat, & cadat in ea, atque submergatur, dicetur esse effectus à casu, sed non à fortuna: nota tamẽ q̃ apud communiter loquẽtes, sumitur casus & fortuna indifferẽter, & in agentibus à proposito & in agentibus sine proposito,

Fatũ quid.

Fatum quid sit inuestigãdum est, licet Philosophus de eo mentionẽ non faciat in 2. Physic. sed nota, q̃ fatum non potest cognosci nisi sciatur quid est prouidẽtia, vt patebit. Notandũ igitur quòd omnis princeps intẽdit ordinare per conueniẽtia media, & leges optimas subditos suos in debitum finem, vt scilicet, operẽtur in ciuitate, & pacificè viuãt, &c. postquam sic ordinauit & disposuit in mente sua, constituit super subditos suos particulares gubernatores, & officiales, quibus tradit ordinatas leges, vt faciant eas à subditis obseruari. Sic Deus gloriosus, vt summus princeps, ordinauit in mente sua quòd omnes res per cõueniẽtia media tendãt in suum finẽ, & operentur secundũ conuenientiã naturæ suæ, puta q̃ ignis ascẽdat sursum, q̃ graue tendat deorsum, q̃ vnũquodque animal generet sibi simile, &c. & hæc ordinatio dicitur diuina prouidentia, vnde sic diffinitur, Prouidentia est ordinatio rerum in finẽ per conueniẽtia media in mẽte summi principis, id est, Dei cõstituta, hãc ordinationẽ obseruandã tradit Deus secundis causis dominãtibus his rebus corruptibilibus, vt rectoribus & gubernatoribus, istæ causæ secundæ dominantes mundo inferiori sunt planetæ & alia sydera, quæ vario suo influxu & motu & coniunctione & aspectu causant hæc inferiora corruptibilia, hæc igitur ordinatio vt cõmittitur causis cœlestibus obseruãda & exequenda, dicitur Fatum. Verbi gratia, Deus ordinauit in mente sua, Socratẽ nascituruin, tanto tempore victurum, talem artem executurum, hæc est prouidẽtia. Quòd verò nascatur, & tanto tẽpore viuat, & ad talem artẽ inclinetur, hoc est à corporibus cœlestibus, in tali situ & coniunctione & aspectu, vt scrutatur astronomus, & hęc executio dicitur fatum, vnde sic diffinitur, Fatum est executio diuinæ prouidentiæ, corporibus cœlestibus inserta, per quam inferiora mouentur in fines suos præordinatos. Ex hoc sequitur, q̃ fortuna & fatum sunt opposita: nam fortuna est respectu effectus non intenti nec ordinati, nec dispositi in mente

Fortuna quid.

mente ipsius operantis: fatum verò est respectu effectus fatãti id est, præordinati & intenti à summo principe, qui tamen exequitur à causis cœlestibus: & nota, quòd per causas cœlestes intelligo corpora cœlestia & intelligẽtias eis applicatas.

Gentilium de fato falsa intellectus.

In hoc sensu somniabant poëtæ, & philosophi fatum, cùm dicunt, Italiam fato, id est, ordinatione diuina executa per corpora cœlestia. item sic, Quo fata vocant, expone eodem sensu. item sic est intelligenda diffinitio Hermetis Trismegisti Aegyptij, quæ est hæc, fatum est complexio causarum singulis temporaliter tribuens, quæ deorum cœlestium sunt ordinata secundum rectam fidem, sic rectificetur, Fatum est connexio causarum cœlestium singulis rebus tribuens quæ sunt à Deo summo ordinata, sic formatã concordat cum Theologo, nullúmque continet errorem, sic patet quid sit fortuna & casus, & prouidentia, & fatum.

Nihil fit à fortuna falsum est.

Post hæc videndum est quomodo sunt vera, vel falsa quæ dicuntur à Philosophis antiquis, & à vulgo de fortuna. Notandum igitur, quòd apud Philosophos fuit triplex opinio de fortuna. Prima negat fortunam, & dicit, quòd nihil fit à fortuna: hæc est falsa, & sic improbatur, multa fiunt præter intentionem operantis, & rarò ei euenìunt, vt inuentio serpentis ei, qui metit frumentum in agro, & inuentio thesauri ei, qui arat in agro: ergo aliqua fiunt à fortuna, &c.

Fortunã esse vniuersi causam falsum est.

Secunda dicit, quòd fortuna est causa cœli, & stellarum, vt dicebat Democritus, quòd ex atomis concurrentibus à casu formatus est mundus: hæc est falsa, & sic improbatur ab Aristot. species rerum corruptibilium, vt homo, equus, leo, plantæ non fiunt à fortuna, sed à causa per se intendente conseruare speciem suam: puta producitur equus ab equo tantùm, & non ab alio animali, & homo ab homine solùm: ergo multò minus fiunt à fortuna cœli, & stellæ, quæ sunt incorruptibilia & digniora: dicendum est ergo, quòd cœli & elementa, & omnes rerum species productæ sunt ab aliqua causa per se ordinatè intendente & prouidente, & hic est Deus gloriosus secundum rectam philosophiam.

Fortunã nobis immanifestã esse inconuenientẽ est.

Tertia dicit quòd fortuna est incognita & immanifesta nobis, vt quoddam ens diuinum, veluti quædam substantia separata, in cuius manu reponuntur bona temporalia, tribuens ea & auferens quando placet, hanc opinionem sequuntur poëtæ, vt Iuuenalis,

Te facimus fortuna deam, cœlóque locamus:

hæc opinio non est vera secundum Philosophum, nisi in hoc, quòd fortuna est incognita, quia cùm sit causa per accidens, & effectus fortuitus cueniat rarò, est incerta, ergo est incognita, quia omne incertum potest aliter se habere, ergo non potest cognosci nec sciri, vt habetur in primo Poster. Quòd verò sit quædam substantia separata, est falsum, quia hæc substantia non est Deus, nihil enim incertè nec præter intentionem operatur, sed omnia ex proposito, & singulari prouidentia, nec potest esse alia substantia separata, quia secundum Aristotel. non dantur substantiæ separatæ, nisi illæ, quæ applicantur corporibus cœlestibus, vt proprij mouentes.

Vulgò de Fortuna dicta.

Apud vulgum dicuntur 4. de fortuna, primò quòd est sine ratione, quare cæca, eò quòd sine iudicio videtur plerunque tribuere bona temporalia homini scelesto & vitioso, & ea auferre à viro iusto, ac probo: hæc sententia est vera in hoc sensu secundum Philosophum, quia fortuna est incerta & rarò eueniens, ea quæ sunt rarò, non sunt cognoscibilia, nec de eis rationẽ habere possumus, & in hoc sensu potest dici fortuna esse sine ratione. Quare autem bona temporalia sæpe tribuantur vitiosis, & auferãtur à iustis, non est officium physici, sed theologi, qui reducit hoc in diuinam prouidentiam, & non in fortunam.

Prima sic.

Secundò apud vulgũ fortuna dicitur bona & mala, quòd est verum in hoc sensu, quando aliquod euidens bonum, nobis cuenit præter intentionem, dicitur fortuna esse bona, & illud euidens bonum dicitur eufortunium, & ille, cui tale bonum euenit, dicitur bene fortunatus: quando autem aliquid euidens malum euenit præter intentionem, dicitur fortuna esse mala, & illud malum eueniens dicitur infortunium: & ille, cui cuenit, dicitur malè fortunatus.

Tertiò apud vulgũ fortuna dicitur incerta, quod est verum quia eufortunia, puta inuentio thesauri, & infortunia, puta quod expolietur à latrone ille, qui tendit Romã propter indulgẽtiã, rarò eueniunt, quæ autẽ rarò cueniunt sunt incerta.

Quartò apud vulgum dicitur mutabilis, quòd est verum, quia homini potest accidere præter intentionem aliquod eufortunium, puta thesaurus inuentus, & eidem potest succedere infortunium, puta quòd occidatur ab inimico suo vt accipiat thesaurum, & in hoc dicitur mutabilis, prout eufortunium, & infortunium euenire potest. Quomodo autem seruetur fortuna & casus cum fato, & prouidentia, non est officium physici, sed theologi, ideo pertranseo. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

Physicus quomodo per omnia causarum genera demonstrat.

CIrca caput secundum declara dum est quomodo physicus demonstrat conclusiones suas per quatuor genera causarum. & primo supponuntur duo, primum est, tria genera causarum, vt forma, finis, & efficiens multoties sunt idem: nam forma & finis sunt idem numero: verbi gratia, anima intellectiua est forma hominis & est finis generationis hominis: quia quando est introducta anima intellectiua in materia, terminatur generatio hominis: nota tamen, quòd finis rei genitæ non est idem cum forma: nam finis rei genitæ est propria operatio rei, vt intelligere, est propria operatio hominis, hæc autem operatio nõ est idem cum forma substantiali, quia forma substantialis est substantia, & operatio est accidens. Item efficiens & forma rei genitæ sunt idem specie, licet non sint idem numero: nam ratio agendi principaliter est forma ipsius efficientis, & omne efficiens si est vniuocum producit sibi simile in specie, puta ignis producit ignem & homo hominem, & equus equum, qui sunt eiusdẽ speciei, ergo forma producentis vniuoci & forma rei productæ sunt idem specie, puta sunt eiusdem speciei forma hominis generantis, & forma hominis geniti, vtraque enim est anima intellectiua. materia verò nunquam est idem specie nec numero cum tribus prædictis, quia materia secundum se est ens in potentia, vt dictum est in primo libro: efficiens autem secundum se est in actu, & forma est actus, & finis est perfectio rei, cùm ergo materia, non sit in actu secundum se, nec sit actus, nec perfectio rei productæ, sequitur quòd nunquam est idem cum tribus prædictis causis, nec specie nec numero.

Forma, finis & efficiens sæpe coincidunt.

Secundum est, Physicus solùm considerat entia, quæ mouent & mouentur. Vnde mouentia, quæ solùm mouent, & non mouentur, sicut sunt substantiæ separatæ, & Deus gloriosus, non considerantur à Physico secundum substantias suas, sed a Metaphysico. Quæ verò mouent & mouentur, vt omnia corporea, siue incorruptibilia, vt cœli, siue generabilia & corruptibilia, considerantur à Physico.

Quæcunque mota mouent sunt Physice considerationis.

His suppositis probatur sic conclusio, Physicus considerat ens generabile & corruptibile, vt patet per secundum suppositum, ergo debet considerare omnes causas, quæ requiruntur in productione entis generabilis & corruptibilis: sed quatuor genera causarum ibi requiruntur: primò requiritur efficiens, nihil enim seipsum producit. secundò requiritur forma & materia, quia, vt dictum est in Primo lib. hæc duo sunt principia naturalia per se, quæ inueniuntur in omni re composita naturali. Tertiò requiritur finis. Quodlibet enim efficiens siue naturale, siue intellectiuum propter aliquem finem operatur. ergo Physicus considerat 4. genera causarum. Quomodo verò demonstrat per eas sic declarat philosophus exemplariter, primò demonstrat per causam materialem: probat enim Physicus, quòd omnis homo est corruptibilis sic, homo componitur ex contrariis elementis, ergo homo est corruptibilis. Secundò per causam efficientem, probat enim quòd dies æstatis sunt longiores sic, sol mouetur versus polum arcticũ in æstate, ergo dies sunt longiores, ecce quòd causa efficiens dici longioris est sol sic motus. Tertiò per causam formalẽ, probat enim physicus, quòd omne animal sentit sic, omne animal habet animam sensitiuam quæ est principium sentiendi. ergo omne animal sentit. Quartò per causam finalem, probat enim physicus, quòd dentes anteriores conuenienter sunt acuti sic, dentes anteriores sunt producti ad hunc finem, vt scindant panem, ergo conuenienter sunt acuti. Hic terminatur secundum caput.

CAPVT III.

Naturam agere propter finem docet: quomodo item ex materiâ & fine fomenda sit naturalium necessitas.

CIrca tertium caput nota quòd antiqui licet concederẽt physicum considerare causam materialem, tamen non concedebant ipsum considerare finem, quia opinabantur quòd natura ageret omnia à casu, & non propter aliquem finem intentum: similiter dicebant, quòd nihil est necessarium in rebus naturalibus ex fine, sed solùm ex necessitate materiæ. Et ideo Philosophus primò probat, quòd natura, ideo agens naturale operatur propter finem intentum. Et hoc quinque rationibus, ex quibus hic pono duas.

Prima

Prima est, agens & operans à casu operatur rarò, vt patet in diffinitione casus, & fortunæ, sed agens naturale non operatur rarò, immo semper vel saltem frequenter & eodem modo, puta semen frumenti, vt in pluribus producit frumentum, & aues & bruta frequentius eodē modo procreāt filios. ergo agens naturale non operatur à casu, sed propter finem intentum, licet aliquando & rarò deficiat, vt patet in monstris.

Secunda est, agens artificiale operatur propter finem, puta artifex facit serram talis figuræ ad secandum ligna: & galeam talis figuræ ad protegendum caput in bello. ergo & agens naturale operatur propter finem, puta formica congregat grana vt nutriatur in hyeme & conseruetur in esse: & hirundo facit nidum, & procreat filios, vt species sua perpetuetur. probatur consequentia, ars imitatur naturam inquantum potest, vt diximus supra, ergo si ars operatur propter finem, etiam multò magis natura operatur propter finem.

Secundò declarat quomodo sit necessitas in rebus naturalibus, & dicit quòd est necessitas ex parte materiæ, quæ tamen ordinatur ad necessitatem finis, & hæc declaratur in artificialibus, & postea in naturalibus: in artificialibus sic, necesse est quòd serra habeat dentes ferreos, sed debet habere dentes ferreos non quidem absolutè, sed vt possit secare ligna, ecce quòd necessitatem materiæ ordinamus ad necessitatem finis, nisi enim serra fieret ex ferro non posset secare ligna, sic est in naturalibus, vt necesse est dentes esse duros, & osseos, vt possint scindere, & conterere cibos: si enim essent molles, & carnei, non possent conterere cibum. similiter necesse est hominem habere multum cerebrum, vt habeat conueniens instrumentum ad intelligendum, vt declarabitur in libro de Anima. patet igitur, quòd in naturalibus est necessitas materiæ & finis, sed primam ordinamus ad secundam. Antiqui verò, quia dicebant naturam non agere propter finem, ponebant solam necessitatem ex parte materiæ. Hæc de tertio capite sufficiant.

Vltimò soluuntur quædam argumenta: Argumentum primum probat quòd nec fortuna, nec casus possunt diffiniri sic: fortuna & casus sunt incerti, incerta sunt incognita, incognita non possunt diffiniri, præcipuè quæ sunt incognoscibilia. ergo fortuna, & casus non possunt diffiniri.

Ad hoc dicitur, quòd fortuna consideratur dupliciter, primò secundum se inquantum est fortuna, & sic est certa, & cognoscibilis, quia certum est & ad sensum exprimitur, quod multa eueniant nobis rarò & præter intentionem, & sic sunt à fortuna, & hoc modo fortuna est diffinibilis & scibilis, & sic de ea habetur cognitio apud philosophum in 2. Physic. Secundò consideratur quantum ad effectum fortuitum, de quo non possumus scire quando, aut quomodo euenire debeat, & sic fortuna est nobis occulta & non cognoscibilis, nec sic est diffinibilis.

Secundum probat, quòd agens naturale non agit propter finem sic: omne agens propter finem cognoscit finem, vt quoddam sibi vtile, sed agens naturale non cognoscit finem: non enim arbor cognoscit fructus, qui sunt finis eius, nec lapis cognoscit centrum mundi, ad quod vt ad suum vtile & conseruatiuum mouetur. ergo agens naturale non operatur propter finem.

Ad hoc dicitur, quòd maior est falsa, sed bene hæc disiunctiua est vera, scilicet, omne agens propter finem cognoscit finem, vel dirigitur ab aliquo cognoscente finem, & tunc dico ad argumentum, quòd licet agens naturale non cognoscat finem, tamen dirigitur à primo conditore cognoscente finem conuenientem cuilibet rei: puta lapis dirigitur à primo conditore ad centrum, sicut sagitta dirigitur à sagittante ad tale signum, & hæc directio rerum in finem dicitur prouidentia, vt diximus supra in primo capite.

Tertium probat quòd necessitas in rebus naturalibus non est ex fine, sed solùm ex necessitate materiæ sic, quòd pluuia descendat non est ex fine vtili, puta ex eo quòd herba crescat, vel fructus producantur, sed ex necessitate materiæ, id est, vaporis eleuati & condensati.

Ad hoc dicitur quòd pluuia est propter necessitatem materiæ, quam tamen necessitatem natura ordinat ad necessitatem finis, scilicet, ad productionem herbarum & frugum, quæ non posset esse nisi plueret. quòd verò aliquando pluuia noceat, non est secundum intentionem naturæ, sed à casu, sicut etiam monstrum est à casu. Hic terminatur tertius tractatus super Secundo Physicorum.

EPITOME SVPER LIBRO TERTIO PHYSICORVM.

TRACTATVS PRIMVS de Motu.

SVper tertio libro Physicorum formamus duos tractatus.

Primum de motu, secundum de infinito. tractatum de motu diuidimus in quatuor cap.

In primo probatur, quòd Physicus debet tractare de omnibus his, scilicet motu, infinito, loco, vacuo, & tempore.

In secundo ponitur diffinitio motus.

In tertio inuestigatur in quo sit motus, vt in subiecto, an in mouente, an in mobili.

In quarto soluitur dubium famosum ortum ex dictis Philosophi, scilicet vtrum actio & passio sint duo prædicamenta, an tantùm vnum prædicamentum.

CAPVT I.

Motus, infinitum, locus, vacuum, ac tempus à Physico consideranda sunt.

CIrca primum caput probatur primò, quòd Physicus habet tractare de motu sic, Physicus tractat de natura, vt patet in secundo libro, præcipuè quia dicitur scientia physica, quasi scientia de Natura. ergo habet tractare de motu. probatur consequentia, motus ponitur in diffinitione naturæ, vt patet in Secundo. ergo, si Physicus debet cognoscere naturam, habet tractare de motu, quia ignoratis partibus diffinitionis ignoratur diffinitum. Secundò probatur, quòd habet tractare de infinito, loco, vacuo, & tempore sic, quicunque tractat de aliquo, habet tractare omnia, quæ per se consequuntur ad ipsum, vt Geometra, qui tractat de figura, habet tractare de recto angulo, & acuto, & obtuso: & qui tractat de homine, tractat etiam de risibili: vnde dicitur in 1. Poste. quòd in eadem scientia tractatur de subiecto, & de accidentibus per se consequentibus subiectum: sed infinitum, locus, vacuum, & tempus consequuntur motum & mobile: ergo hæc omnia tractāda sunt à Physico. Et primo infinitum consequitur motum & mobile intrinsecè, quia omne mobile est quoddam continuum, cùm sit diuisibile, & sit corpus, vt probatur in Sexto. similiter motus est quoddam continuū, sicut tempus: nec potest componi ex momentis, sicut nec tempus ex instantibus: sed continuum diffinitur per ipsum infinitum. dicitur enim continuum in Sexto libro, quod est diuisibile in infinitum: ergo Physicus habet tractare de infinito, quia per infinitum diffinimus continuum, & per continuum diffinimus motum, & mobile, vt sunt quanta. Quòd verò ad motum, & mobile consequantur locus, vacuum, & tempus, vt mensura, probatur sic: cum omne mobile sit corpus: ergo est in loco. & sic non potest moueri nisi sit in loco secundum veritatem, vel sit in vacuo secundum opinionem antiquorum, qui sumebant vacuum pro loco, vt declaratur in tractatu de vacuo. ergo locus, & vacuum, consequuntur motum & mobile, cùm non posit esse motus & mobile sine loco vel vacuo, secundum antiquos: tempus verò manifestè consequitur motum, tum quia omnis motus sit in tempore, vt probatur in Sexto, tum quia tempus est mensura motus, vt patet in Quarto. patet igitur quòd omnia prædicta sunt consideranda à Physico. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

Motus quid nam sit.

CIrca secundum cap. assignanda est diffinitio motus, & ibi fient quatuor. Primò ponetur distinctio de motu: est enim motus terminus æquiuocus, vt sciamus in quo sensu loquitur Physicus de motu. Secundò ponentur tres diuisiones, ex quibus inuestigat Physicus diffinitionem motus. Tertiò ponitur diffinitio motus cum declaratione B. Thomæ. Quartò ipsa diffinitio probatur per singulas partes suas.

Circa primum nota, quòd motus sumitur dupliciter. Primò sumitur pro qualibet actione immanente, quæ est in ipso agente, vt in subiecto, sicut sunt actiones potentiarum animæ, vt intelligere, quod est in intellectu, & velle, appetere, & sentire, &c. Et sic de motu non consideratur hic, sed potius in libro de Anima, & in Metaphysica, talis enim motus etiam est in Deo, quia & Deus gloriosus intelligit & amat.

Secundò sumitur motus pro qualibet actione transeunte: quæ quidem causatur ab agente, sed recipitur in patiente, vt calefactio est ab igne, & recipitur in aqua. similiter proiectio vel pulsio est ab expellente, sed recipitur in pulso, puta in lapide, & sic à Physico consideratur motus. Iterum nota quòd motus sumptus secundo modo, adhuc dupliciter consideratur. primò vt distinguitur à mutatione tanquam sibi opposita specie & sic de eo tractatur in 5. Physic. quando diuiditur mutatio in generationem & corruptionem, & motum, vt in tres species oppositas. Secundò sumitur largè, vt est quoddam commune ad mutationem, quæ est generatio & corruptio, & ad motum propriè dictum: & sic diffinitur hîc: vnde diffinitio, quæ nunc assignabitur de motu competit generationi, & corruptioni, & motui propriè dicto. hic igitur diffinitur motus in communi, qui est actio transiens, de actione immanente dicetur in Nono Metaphysicæ.

Potentia & actus quomodo diuidant ens.

Circa secundum nota quòd Philosophus ponit tres diuisiones, ex quibus venatur diffinitionem motus. prima est, ens diuiditur in potentiam & actum: hæc sic intelligitur, quodlibet ens vel est actus, vt sunt formæ, & accidentia actuantia suum subiectum, vt scientia est actus, facit enim hominem actu scientem, vel est potentia, vt materia prima, quæ est in potentia ad recipiendum formam, vel est compositum ex potentia, & actu, vt homo est compositus ex materia, & forma, vt ex potentia & actu, vltra hoc nota, quòd in omni prædicamento est potentia & actus: nam in substantia aliquid est substantia in potentia, vt rosa generanda, aliquid est substantia in actu, vt rosa florens. ex hac diuisione concludetur, quòd motus est actus, & non potentia: quia motus actuat suum mobile, sicut albedo actuat album, facit enim esse album actu. Secunda diuisio est hæc, ens diuiditur in substantiam & quantitatem, & ad aliquid, & qualitatem, & in cætera prædicamenta, non vt genus, nec vt vniuocum, sed vt analogum, vt discutiemus in Quarto Metaphysicę. ex hac diuisione concludit Philosophus, quòd motus non est extra prędicamenta, quia cùm sit ens, debet esse in aliquo prædicamento. *Motus nō est præter prædicamenta.* Et quoniam comparatur ad suum terminum ad quem vt imperfectum ad perfectum, debet esse in illo prædicamento, in quo est terminus eius, nam imperfectum reductiuè est in illo prædicamento, in quo est suum perfectum: sicut pars reductiuè est in illo prædicamento, in quo est suum totum, vnde manus hominis, & homo sunt in prędicamento substantiæ. ex quo sequitur, quòd generatio, & corruptio sunt in prædicamento substantiæ, quia terminus generationis est substantia, & augmentum est in quantitate, &c. hæc plenè declaranda sunt in 5. lib. Physic. Tertia diuisio est prædicamenti ad aliquid: nam quia motus refertur ad mobile & ad mouens, videtur esse relatiuum, saltem secundum dici, & non secundum esse, & ideo particulariter diuidit prædicamentum ad aliquid. nota igitur, quòd omnis relatio realis mutua, vel fundatur in quātitate, vt duplum & dimidium, & æquale & inæquale. vel fundatur super actione & passione, aliquando super actione actu existente, vt calefaciens refertur ad calefactum inquantum calefaciens actu calefacit, & calefactum actu calefit. aliquando super actione iam præterita, vt pater refertur ad filium, inquantum pater iam genuit, & filius iam genitus est, aliquando super actione in potentia, vt dominus refertur ad seruum, inquantum dominus potest gubernare, & seruus potest gubernari. Similiter doctor refertur ad discipulum, inquantum potest docere, & discipulus potest doceri. ex hac diuisione elicitur, quòd relatio potest fundari super motu actu existente, vt dicendo mouens refertur ad rem motam, aliquando super motu in potentia, vt dicendo motor refertur ad mobile: aliquando super moto in præterito, sumendo motum in communi, vt dicendo pater refertur ad filium, nam generatio est motus largo modo, vt dixi in primo capite.

Diffinitio motus.

Circa tertium aduerte, quòd ex his diuisionibus ponit Philosophus diffinitionem motus, quæ est hæc, Motus est actus existentis in potentia secundum quod huiusmodi. id est. motus est actus mobilis existentis in potentia ad vltimum terminum acquirendum per motum, secundum quod potest acquirere ipsum terminum: puta calefactio passiua est actus aquæ, secundum quod aqua potest acquirere talem gradum caloris acquirendum per calefactionem. Hæc diffinitio sic declaratur à Beato Thoma: aliquid est tantùm in actu & non in potentia, vt aqua iam calefacta perfectè est solùm in actu sub calore, & non in potentia ad calorem, & hoc non mouetur, sed iam motum est, quia acquisiuit terminum ad quem: aliquid est tantùm in potentia, & non in actu, vt aqua omnino frigida est solùm in potentia ad calorem, & nullo modo est actu sub calore. Et hoc nondum mouetur, quia est omnino in termino à quo, aliquid est in actu & in potentia, sed respectu diuersorum, vt aqua, quæ iam incœpit calefieri, est in actu sub calore, sed imperfectè, & est in potentia, quia per continuam calefactionem, si non interrumpatur, acquirere potest perfectiorem calorem, qui erit terminus motus, & hoc propriè mouetur. Dicimus ergo, quòd motus est actus imperfectus, iam receptus in mobili prout ipsum mobile est in potentia ad recipiendum perfectiorem actum. verbi gratia, calefactio est calor imperfectus iam receptus in aqua, secundum quod aqua est in potentia ad recipiendum maiorem calorem per ipsam calefactionem, si non interrumpitur, dico autem si non interrumpitur: quia, si calefactio statim interrumpitur postquā acquisitus est calor imperfectus in aqua, tunc ille calor imperfectus non esset motus, sed terminus motus, vt patet quando aqua fit solùm tepida & extrahitur ab igne, ex his patet quid sit motus, nec volo plura inserere, ne id, quod declaraui, obscurius fiat.

Quartò probanda est diffinitio prædicta secundum singulas partes, vt probat Philosophus. Primò probatur, quòd motus sit actus sic, motus facit mobile moueri actu, sicut albedo facit suum subiectum actu album, ergo motus est actus: probatur antecedens, quando calefactio est in aqua, actu calefit, quando motus localis est in lapide, actu mouetur, ergo motus facit suum mobile moueri actu. Secundò probatur, quòd sit actus mobilis existentis in potentia ad vlteriorem gradum acquirendum per motum, si non interrumpitur, sic, motus est actus illius, in quo semper inuenitur, sed semper inuenitur in mobili existente in potentia ad vlteriorem gradum acquirendum per motum, vt patet in motu locali, qui est in mobili; puta in lapide, & est in potentia ad acquirendum tale vbi, ad quod tendit per motum, similiter fit in augmento quod est in corpore, prout est in potentia ad talem quantitatem quam nondum habet. Tertiò declaratur tertia particula, quæ dicit, secundum quòd huiusmodi, id est secundum quod mobile est in potentia. Vnde nota, quòd mobile potest esse in actu & in potentia, sed respectu diuersorum: vt metallum est actu metallum per formam suam substantialem, sed est in potentia ad formam statuæ, quam potest recipere ab artifice, similiter aqua dum incipit calefieri est in actu sub calore imperfecto, sed est in potentia ad calorem perfectiorem, & ideo aqua non dicitur calefieri secundum quod est iam actu sub calore imperfecto, sed prout est in potentia ad perfectiorem calorem: Bene ergo dicitur, quòd motus est actus imperfectus mobilis existentis in potentia ad perfectiorem vel vlteriorem gradum secundum quod huiusmodi, id est, secundum quod est in potentia, & non in actu ad perfectiorem gradum acquirendum. Hæc de 2. capite sufficiant.

CAPVT III.

Motus in quo nam subiectiuè sit, an in mobili, an in mouente: & quomodo actio & passio sint vnus motus.

CIrca tertium caput inuestigandum est secundum Philosophum, in quo sit subiectiuè motus, an in mobili, an in mouente, & ibi fiunt duo.

Primò probantur tres conclusiones.

Secundò mouetur dubium, & soluitur.

Prima conclusio, Motus non est subiectiuè in mouente, vt mouens est, probatur sic, Motus est subiectiuè in eo quod est in potentia, vt patet ex sua diffinitione, sed mouens vt mouens non est in potentia, imò est actu, nam vnumquodque mouet inquantum est actu, vt ignis, calefacit inquantum est actu calidus: ergo motus non est subiectiuè in mouente, vt mouens est: dico autem vt mouens est, quoniam contingit quòd mouens, & mouetur, & mouet, sicut baculus mouetur à manu, & mouet lapidem, & hoc modo se habēt omnia mouentia inferiora corruptibilia, quę dum mouent mouentur, quia repatiuntur à suis mobilibus, vt Socrates mouens magnum lapidem repatitur à lapide, quia calefit, & laborat mouendo lapidem, se enim mutuo tangunt & communicant in materia, cùm vterque sit corruptibilis, si ergo contingat quòd motus sit subiectiuè in mouente, non est in eo inquantum est mouens, sed inquantum mouetur. *Motus nō est in mouente vt sic.*

Secunda conclusio. Motus est subiectiuè in mobili inquantum est mobile, probatur. Actus est subiectiuè in eo cuius est actus, sed motus est actus mobilis inquantum est mobile, vt patet ex sua diffinitione, ergo motus est semper in mobili, vt in suo proprio subiecto, sicut albedo est semper in corpore albo, vt in suo subiecto. *Motus est in mobili vt sic.*

Mouentis & mobilis idem actus, & motus est.

Tertia conclusio. Idem motus est actus mouentis & mobilis, vt eadem calefactio est actus ignis & aquæ: probatur. Idem motus causatur à mouente & recipitur in mobili: sed in quantum est à mouente est actus mouentis, & in quantum recipitur in mobili dicitur actus mobilis, quia perficit, & actuat ipsum mobile. Sed nota, quòd motus vt est à mouente dicitur actio, & vt recipitur in mobili dicitur passio, & sic actio & passio sunt vnus motus, vt dicemus infrá.

Dubium mouet Philosophus circa hoc quod dictum est, scilicet quòd motus est in mobili vt in subiecto, & quòd actio est actus agentis, & passio est actus patientis. Cõtra, aut actio & passio sunt diuersi motus, aut sunt vnus motus: si sunt diuersi motus, aut vterque est in agente, aut vterque est in patiente, aut alter, scilicet actio est in agente, & alter scilicet passio, est in patiente: non potest esse primum, quia dictum est, quòd motus est in mobili, vt in subiecto, & passio est motus, ergo est in patiente, quod est mobile. ergo saltem passio est in patiente: non potest dici secundum, quia, si actio est in patiente, cùm actio sit actus agentis. vt dictum est, ergo sequitur q̃ actus agentis sit in altero, quod est falsum, quia dictum est, quod actus semper est in eo cuius est actus: non potest dici tertium, quia si actio sit in agente, cùm actio sit motus, sequitur quòd motus sit in agente, & in mouente, vt mouens est, quod est contra primam conclusionem præmissam, & deinde sequeretur, quòd mouens inquantum mouens moueretur, & sic omne mouens moueretur. quod est falsum, quia probatur in octauo lib. quòd datur vnum primum mouens, quod solùm mouet & non mouetur. Si dicitur quòd actio & passio sunt vnus motus, contra, sequuntur quatuor inconuenientia. Primum est, quod idem motus erit actus duorum, nam actio est actus agentis, & passio est actus patientis. Secundum est, quòd hæc prædicatio erit vera, actio est passio, cùm per se sint idem realiter, quia per se sunt vnus motus. Tertium est, quòd si actio est passio, ergo agere est pati, & sic occidere est occidi, & docere est doceri. Quartum sequitur ex tertio si agere est pati, ergo omnis docens addiscit, & omnis addiscens est docens, ergo sequitur, quod actio & passio non sint vnus motus.

Ad hoc dubium respondet philosophus & dicit, quòd actio & passio non sunt duo motus. & ideo non soluit argumenta probantia, quòd non sint duo motus, quia verum concludunt præter illud in quo dicitur, quod sequitur si actio sit in patiente, quòd actus agentis sit in altero, hoc enim videtur inconueniens, & ideo illud argumentum soluetur cum aliis, concedit autem philosophus quòd sunt vnus motus, & respondet illis quatuor inconuenientibus per vnam distinctionem, quæ est hæc. Actio & passio sumãtur dupliciter: primò secundum rem, & sic sunt idem realiter, & sunt vnus motus. Secundò sumuntur quantum ad suas rationes formales, id est. diffinitiones, & sic non sunt idem formaliter, quia, alia est diffinitio actionis, & alia passionis, nam actio est motus vt causatur ab agente, & passio est motus, vt recipitur in patiente, vnde eadem calefactio est realiter actio & passio, sed dicitur calefactio actio, inquantum est à calefaciente, & dicitur passio, inquantum recipitur in calefactibili, puta in aqua: ex hac distinctione respondetur ad omnia inconuenientia prædicta.

Ad primum cùm dicitur, Idem motus erit actus duorum, scilicet agentis & patientis: dico quòd hoc non est inconueniens secundum diuersam rationem formalem, puta idem motus sub hac ratione inquantum est causatus à mouente dicatur actio, & sit actus agentis, & idem motus sub hac ratione inquantum est receptus in mobili, dicatur passio, & sit actus patientis, quia omne mobile est patiens.

Ad secundum dicitur, quòd, si actio & passio essent idem secundum rationes formales, bene sequeretur, quòd idem esset agere & pati, & similiter sequeretur tertium, & quartum inconueniens, scilicet, quòd omnis docens disceret. & quod hæc esset vera, actio est passio, sed, quia distinguuntur formaliter vt diximus, ideo nullum horum sequitur, vnde hæc non est vera, actio est passio: quia actio & passio sumuntur secundum rationes suas formales, quæ sunt distinctæ, vt diximus, sed bene hæc est vera, illa res, quæ est actio, est ipsamet res, quæ est passio, quia secundum rem sunt idem motus.

Ad illud inconueniens in quo dicitur, quòd, si actio sit in patiente, ergo actus est in alio, quàm in eo, cuius est actus, quod videtur inconueniens: ad hoc dicitur, quòd alia ratione actio est in agente, & alia in patiente: nam est in agẽte, vt causatur ab agente, & est in patiente, prout est motus, qui est subiectiuè in mobili, quod mobile est patiens: ex his ergo patet, quòd si quis quærat in quo sint subiectiuè actio & passio, respondendum est, quòd secũdum rem sunt in patiente, qtia secundum rem sunt vnus motus, qui est subiectiuè in mobili, vt in patiente, secundum verò rationes formales, actio est in agente & passio in patiente. Hæc de tertio cap. sufficiant.

CAPVT IIII.

Actio & passio an sint duo prædicamenta, an vnum tantùm,

Circa quartum caput soluendum est dubium duplex ortum ex hoc, quod dictum est, scilicet actio, & passio sunt idem secundum rem, & sunt vnus motus, imò quòd idem motus dicitur actio & passio secundum diuersam diffinitionem & considerationem: contra hæc fiunt duo argumenta.

Primum est hoc, si actio & passio sunt idem secundum rem, ergo non sunt duo prædicamenta, sed tantùm vnum, quia, cùm prædicamenta sint entia realia, videntur etiam distingui realiter, & sic sequitur, quòd, si actio & passio non distinguuntur realiter, quòd non sint duo prædicamenta.

Secundum est hoc, si motus est actio, vel passio, ergo motus est solùm in prædicamento actionis & passionis, sed hoc est falsum: nam probatur in 5. lib. quòd motus est in quantitate, qualitate, & vbi, & non in actione & passione, nec in aliis prædicamẽtis, ergo motus non est actio vel passio.

Ad primum respondet B. Tho. primò assignando sufficientiam prædicamentorum, quam pertranseo, quoniam eam assignaui in Compendio maiori super Logica in prædicamentis, & præterea de hoc faciam particularem quæstionem in 5. lib. Meta. Ibi enim B. Tho. eam replicat.

Ad hoc argumentum igitur sic respondet, negatur consequentia: quando verò probatur, quòd cùm omnia prædicamenta sint entia realia, ergo videntur distingui realiter. dicitur quòd nõ est necesse, quòd distinguãtur realiter, sed solùm formaliter: nam eadem res potest esse in diuersis prædicamẽtis secundum diuersam rationem formalem, vt scientia, inquantum autem refertur ad scibile ponitur in prædicamento ad aliquid. Similiter albedo vt qualificat subiectum suum, ponitur in prædicamento qualitatis: vt autem facit suum subiectum simile alteri, dicitur similitudo, & ponitur in prædicamento ad aliquid: sic in proposito idem motus inquantum causatur à mouente dicitur actio, & constituit prædicamentum actionis: inquantum recipitur in mobili vt in patiente, dicitur passio & constituit prædicamentum passionis. Patet ergo, quòd actio, & passio sunt duo prædicamenta, quia licet sint idem secundum rem, tamen distinguuntur secundum rationes suas formales.

Ad secundum respondet B. Tho. sic distinguendo, motus sumitur dupliciter, primò prout est actus imperfectus iam receptus in mobili, puta sumitur calefactio pro ipso calore imperfecto iam recepto in aqua & sic motus est in omnibus illis prædicamentis, in quibus est terminus acquisibilis per motum, hæc autem prædicamenta sunt quantitas, qualitas, & vbi, vt dicitur in 5. lib. nam per augmentum acquiritur quantitas, & per alterationem qualitas, & per motum localem acquiritur vbi, & per mutationem, quæ est generatio, acquiritur substantia, id est forma substantialis. Secundò sumitur motus prout est medium & via ad acquirendum perfectiorem actum in mobili, puta sumitur calefactio prout est via ad acquirẽdum perfectiorem calorem in aqua, si non interrumpitur, & sic est in prædicamento actionis vt est à mouente: & in prædicamento passionis vt recipitur in mobili, vt in patiente: patet igitur, quomodo sub diuersa ratione motus est in actione & passione, & quomodo est in aliis quibusdam prædicamentis. Hæc de quarto capite sufficiant, & sic terminatur tractatus de motu.

TRCTATVS SEcundus De infinito.

Tractatum de infinito diuidimus in quatuor capita.

Primò quot modis sumitur infinitum.
Secundò quid sit.
Tertiò si datur in rerum natura,

Quartò, si est cognoscibile, vltimò soluentur quædam argumenta.

CAPVT I.

Quot modis sumitur infinitum.

Circa primum caput, nota ex dictis Philosophi in 3. Phy. quòd infinitum sumitur quatuor modis: primò proeo, quod

quod non potest pertransiri, vel terminari, quia non est quantum, sic punctus & vnitas & ens incorporeum, vt substantiæ separatæ & Deus dicuntur infinita negatiuè, & de hoc non intendit Philosophus hîc tractare. Secundò sumitur pro eo, quod licet posit terminari, tamen cum maxima difficultate terminatur, vel pertransitur: vt via, quæ est ab oriente ad occidens, nec de hoc intendit Philosophus. Tertiò pro eo, quod non potest pertransiri propter impedimentum, vt profundum maris, vel centrum terræ, nullus enim potest pertingere ad profundum maris propter altitudinem aquæ, quia submergeretur, nec de hoc intendit Aristot. Quartò sumitur pro aliquo quanto continuo vel discreto, quòd est ãpium natum habere principium & finem & non habet, vt linea interminata & superficies, & numerus interminatus, & sic de infinito intendit Aristote. sed nota quòd si tale infinitum careat principio & fine, dicitur infinitum absolutè & simpliciter, vt linea imaginata in spatio infinito: si ãpitem caret altero extremo tantùm, vt principio vel fine, dicitur infinitum secundum quid, vt tempus præteritum, si esset mundus æternus, dicitur infinitum secundum quid, quia non posset assignari prima dies, in qua incœpit, assignatur verò vltima dies, quæ fuit heri. Hæc de 1. capite sufficiant.

CAPVT II.

Quid nam sit infinitum.

Circa secundum caput, scilicet, quid sit infinitum, nota quòd Philosophus solùm diffinit infinitum quarto modo, quod est verè & simpliciter infinitum, & de eo datur duplex diffinitio. Prima est Aristotel. quæ est talis, Infinitum est illud, extra quod semper est aliquid accipere, id est, infinitum est illud, in quo potest sumi pars post partem, & pars post partem, nec aliqua pars sumetur bis, nec vnquam deueniemus ad vltimam partem: vt si daretur linea infinita, possem ex ea accipere vnum cubitum, & iterum alterum cubitum, & iterum alterum, & sic in infinitum, & nunquam deueniremad vltimum cubitum, hoc est propriè infinitum. Anulus verò non est infinitus, nisi secundum similitudinem, quia licet posit sumi pars post partem, vna tamen pars pluries sumetur, vt patet ad sensum, ideo non est verè infinitus. Secunda diffinitio est Antiquorum Philosophorum. & est talis, vt refert Philosophus in 3. Physic. Infinitum est illud, in quo nihil est extra, id est, infinitum est illud, quod continet omnia, vel cui nihil deest. hæc diffinitio est falsa, vt probat Aristote. quia competit alteri: competit enim toti & perfecto, nam totum & perfectum est cui nihil deest, vt perfecta domus est cui nihil deest, sed infinitum non est perfectum, caret enim fine, qui est perfectio rei, ergo diffinitio totius & perfecti non competit infinito, & sic patet quòd antiqui malè diffiniebant infinitum. Hæc de secundo capite sufficiant.

Anulus non est infinitus nisi secundũ similitudinem.

CAPVT III.

Infinitum an sit in rerum natura.

Circa tertium caput vtrum detur infinitum agemus tria.

Primò, ponetur vna distinctio.

Secundò, ex hac distinctione ponentur quædam conclusiones.

Tertiò, soluentur quædam argumenta.

Infinitum secundum perfectionem, & secundum quantitatem.

Distinctio est hęc. Infinitum est duplex, scilicet, secundum perfectionem, & secundum quantitatem. Infinitum secundum perfectionem est illud, quod in se continet omnes perfectiones rerum, quæ sunt, & quæ possunt esse, vt deus gloriosus. Infinitum secundum quantitatem est duplex, scilicet, in actu & in potentia. Infinitum in actu est illud, quod est diffinitum in capite precedente. Infinitum in potentia est illud, quod licet quantum ad id quod est actu de eo sit finitum, tamen potest procedi in infinitum, vel diuidendo ipsum in partes infinitas, vel apponendo ei partes infinitas, vt sumatur linea cubitalis, ipsa quidem vt cubitalis est finita, prout verò potest diuidi in partes minores, & minores, & sic in infinitum est infinita in potentia, nam omne continuum est diuisibile in partes infinitas vt probatur in 6. Physico. Item sumatur corpus bicubitale, ei potest apponi alter cubitus, & fiet maius. & alter, & alter, & sic in infinitum, & sic procedetur in infinitum secundum appositionem partis ad partem. Infinitum in potentia est duplex, scilicet, secundum diuisionem, & secundum appositionem. Infinitum secundum diuisionem est quando aliquod continuum potest diuidi in partes infinitas, quæ continentur in potentia in ipso continuo. Infinitum secundum appositionem est quando alicui finito, puta corpori pedali possunt apponi partes infinitæ, tota distinctio figuratur ibi.



Ex hac distinctione ponuntur quatuor conclusiones, quarum prima est hæc. Datur infinitum secundum perfectionem. probatur, Deus est perfectionis & virtutis ac vigoris infiniti, vt probabitur in 12. Metaphysicæ. ergo datur infinitum secundum perfectionem. Antecedens pro nunc credatur, donec probemus illic. Secunda conclusio. Non datur infinitum actu secundum quantitatem. hæc probatur sic ex sententia Aristot. in Primo cœli, & in 3. Physi. Si datur infinitum actu secundum quantitatem. ergo datur secundum quantitatem continuam, puta linea, vel superficies infinita, vel corpus infinitum, vel secundum quãtitatem discretam, puta multitudo infinita, vt infinitæ formicæ: vel stellæ, &c. sed neutro modo potest dari. & primò probo quòd non detur corpus infinitum, ex consequenti nec linea, nec superficies, non enim reperitur linea, nec superficies nisi in corpore: probatio est hæc, si datur corpus infinitum, vel est immobile, vel est mobile, non primum, quia corpus naturale habet naturam, quæ est principium motus & quietis: ergo, si datur corpus infinitum immobile illud corpus non erit naturale, sed tantùm imaginatum, nunc autem loquimur de corpore naturali: si est mobile, ergo mouetur vel motu circulari, vel motu recto, vt sursum, vel deorsum, sed non potest moueri motu circulari, quia omne motum motu circulari habet centrum circa quod mouetur, & si habet centrum habet circumferentiam, sunt enim correlatiua, sed in corpore infinito non potest assignari centrum, nec circumferentia, quia circumferentia est terminans & finiens corpus circulare. ergo tunc sequeretur corpus infinitum finiri, & sic infinitum esset finitum, quod est impossibile: nec potest moueri motu recto, quia si mouetur motu recto: ergo ascendit, vel descendit, vel mouetur à latere, sed non potest hoc modo moueri, quia omne quod ascendit, vel descendit mutat locum, sed corpus infinitum non mutat locum: occuparet enim omnem locum, & sic non remaneret locus, ad quem posset moueri, si quis dicat, quòd mouebitur ad locum alium infinitum, contrà, nullus locus potest esse infinitus, quia, vt dicemus in tractatu de loco, locus est terminus, & finis corporis continentis. si est terminus, ergo terminat & finit: & sic non potest esse infinitus: & sic patet, quòd non datur corpus infinitum naturale actu. quod verò non detur numerus, vel multitudo rerum infinita actu, puta stellæ infinitæ, vel lapides infiniti: Probatur sic, omnis numerus continetur sub aliqua specie numeri, sicut omne animal continetur sub aliqua specie animalis. ergo, si datur infinitus numerus rerum, continetur sub aliqua specie numeri, puta sub centum, vel sub mille, &c. sed nulla species numeri est infinita, quia omnis species numeri est multitudo mensurata per vnitatem, quod autem est mensuratum est finitum, ergo non potest dari multitudo, vel numerus rerum actu infinitus, vtrum verò Deus possit producere actu infinitum, est Theologi considerare.

Tertia conclusio hæc est: Datur infinitum in potentia secundum diuisionem. probatur sic. In quolibet continuo puta in linea fit diuisio in partes semper diuisibiles, ita quòd nunquam deuenitur ad partem indiuisibilem, quia tunc sequeretur continuum componi ex indiuisibilibus, puta lineam ex punctis, & tempus ex nunc: ergo in quolibet continuo sunt partes infinitæ in potentia, in quibus potest diuidi, & sic datur infinitum in potentia secundum diuisionem, iuxta quod liber continuum est infinitum hoc modo.

Quarta conclusio, Datur infinitum in potentia secundum appositionem. probatur. in numeris secundum quod diuido continuum sic multiplico partes, & sic addo numero partium continui, puta si diuido continuum in decem partes, constituo decem, si diuido in 12. addo duo super decem, si diuido in 14. addo quatuor super decem: & sic de aliis, sed continuum potest diuidi in partes infinitas per tertiam conclusionem:

ergo numero possunt addi vnitates infinitæ, & sic patet quòd in numeris datur infinitum in potentia: per appositionem vnitatum in infinitum. Hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

An infinitum sit cognoscibile.

VTrum infinitum sit cognoscibile. Pro euidentia huius faciam duo.

Primò pono duas distinctiones.

Secundò pono quatuor conclusiones.

Prima distinctio, Infinitum dicitur tripliciter, scilicet, negatiuè, priuatiuè & contrariè, infinitum negatiuè, dicitur id, quòd non finitur, nec est aptum finiri, quia est indiuisibile, sic punctus & vnitas dicuntur infinita negatiuè. Infinitum priuatiuè, est id, quod non finitur, sed est aptum natum finiri, vt si daretur linea infinita, quæ est apta terminari punctis & non terminatur. Infinitum contrariè, est id, quod negat finitatem, & ponit infinitatem, sicut iniustitia negat iustitiam, & ponit habitum oppositum, tale autem infinitum est circa quantitatem continuam, vel discretam, vel circa qualitatem virtualem, quæ dicitur perfectio rei.

Secunda distinctio est hæc, infinitum sumitur dupliciter, primò secundùm se, id est, pro intentione infiniti, quasi abstractè. Secundò pro subiecto, id est, pro re, cui attribuitur infinitas, puta pro corpore, vel linea, vt stat sub infinitate. stãte hac distinctione pono quatuor conclusiones.

Infinitũ abstractè sumptũ est cognoscibile.

Prima, Infinitum secundum se consideratum quasi abstractiuè est cognoscibile, nam est diffinibile, & diffinitur in 3. physi. & de eo formantur plures propositiones veræ, puta quòd infinitum est immobile, & habet rationem partis, &c. Sed non possunt formari propositiones veræ de subiecto, nisi prius apprehendatur subiectum: ergo, &c.

Secunda. Infinitum negatiuè sumptum pro suo substracto puta punctus vel vnitas, est cognoscibile: quia omne quod est vel potest esse contingit scire ex primo posteriorum, sed punctus est, & vnitas est, vt patet: ergo cùm sint infinita negatiuè, tale infinitum est cognoscibile.

Tertia, Infinitum contrariè secundum quantitatem virtualem, id est, quod habet virtutem infinitam, est cognoscibile, nam vnum quodque est cognoscibile secundum quod est actu, sed deus est maximè actu, vt probatur in 12. Metaphysicæ, ergo tale infinitum est cognoscibile.

Quarta, infinitum contrariè, id est, secundum quantitatem continuam vel discretam non est cognoscibile, loquendo de infinito actu, quia tale non potest esse ex 3. phy. & primo cœli. ergo non potest cognosci: probatur consequentia, quia ex 1. Posteriorum, quod habet rationem non entis non est cognoscibile: hæc de quarto capi. sufficiant.

Argumẽta.

Vltimò superest soluere quædã argumẽta cõtra prædicta.

Primum probat quòd infinitum non debet considerari à physico, sic, de infinito non potest haberi scientia, quia in 1. physi. dicitur, quòd infinitum, vt infinitum, est ignotum, ergo si non potest cognosci non debet considerari à physico.

Cognoscitur aliquid & in se & in alio.

Ad hoc dicitur quòd aliquid potest cognosci dupliciter, primò per seipsum, & sic cognoscuntur entia positiua, de quibus possumus habere proprias diffinitiones, vt cognoscimus hominem per diffinitionem hominis. Secundò aliquid cognoscitur in alio, vt causa in suo effectu, vel per suum oppositum, vt entia priuatiua cognoscuntur per suos habitus, sic cognosco malum per bonum, quietem per motum, mortem per vitam. Et hoc modo cognoscimus infinitum, nam infinitum est priuatiuum finiti, & sic per finitum cognosco infinitum. Ad dictũ Philosophi dico quòd intelligitur sic, infinitũ est incognitum per seipsum cum hoc tamẽ stat, quòd cognoscatur saltem in cõfuso per finitum, vt per suum oppositum.

Secundum argumentum probat quòd non detur infinitum in potentia sic, Omne quod est in potentia potest fieri actu, vt rosa, quæ est in potentia potest produci actu tempore suo, aliter sua potentia esset frustra, sed infinitum non potest fieri actu, quia non potest esse actu infinitum, vt probatur per secundam conclusionem præpositam. ergo non potest esse infinitum in potentia.

Ad hoc respondet Aristo. in 3. Physi. sic, aliquid est in potentia dupliciter, primò aliquid est in potentia, vt fiat actu secundum se totum, & sint omnes partes suæ simul actu, sic entia permanentia producenda dicuntur esse in potẽtia, vt puer generandus est in potentia, vt secundùm se totum generetur. secundò aliquid est in potentia vt fiat actu non secundum se totum, sed secundum aliquam partem: sic entia successiua dicuntur esse in potentia, nam in eis iam vna pars transit, & alia futura est, alia verò, vt præsens, fit actu, sicut patet in tempore, & in motu, & in oratione, quæ est in voce. Et hoc secundo modo infinitum est in potentia: quod quidem licet secundum se totum non fiat, actu tamen secundum aliquas partes fit actu, vt quando diuido lineam aliquæ partes sunt actu, quæ sunt actu diuisæ, aliquæ autem sunt in potentia, id est, nondum diuisæ. Et quia continuum potest semper diuidi, dicuntur partes diuisibiles esse infinitæ in potentia.

Tertium argumentum probat quòd datur infinitum actu, saltem secundum si militudinem sic, ponitur casus quòd deus produxerit mundum ab æterno, sicut potuit produxisse, vt declarabitur in 8. physi. & tunc arguo sic, mundus est æternus, ergo homines infiniti mortui sunt, si enim mundus est æternus, non datur primus homo. tunc vltrà, infiniti homines mortui sunt, ergo infinitæ animæ separatæ sunt, omnes enim animæ intellectiuæ immortales sunt, vt probabitur in 3. de Anima. ergo datur infinita multitudo animarum actu.

Ad hoc argumentum variæ sunt solutiones, sed pro nunc, vt magis resolutam, pono eam, quæ est B. Thomæ in opusculo de æternitate mundi, vbi sic dicit, Arist. in 3. physi. & in Primo de cœlo semper loquitur de infinito corporeo & materiali, vt patet. vbi etiam declarat quod proceditur in infinitum in numeris ex diuisione continui. Negat ergo philosophus posse dari multitudinem rerum corporearum infinitam actu, vt infinitos homines, vel lapides, &c. Nondum verò demonstrauit quin possit dari multitudo infinita actu rerum incorporearum, vt infinitæ animæ, infiniti angeli, ideo ad argumentum dico concedendo totum, quòd philosophus non loquitur de infinito nisi in rebus materialibus, & corporeis, plura argumenta, & difficilia fiunt in hac materia apud theologos, sed excedunt præsens negotium: in theologia verò de eis plena habetur solutio & cognitio. hæc sufficiant de infinito, sequitur videre de loco.

EPITOME SVPER QVARTO LIbro Physicorum.

SVper Quarto libro Physicorum ordinamus tres tractatus iuxta tria principaliter considerata in eodem. Primus de loco, Secundus de vacuò, Tertius de tempore.

Circa tracta. de loco agenda sunt quatuor.

Primò quot modis sumitur locus.

Secundo quid sit locus.

Tertiò quomodo aliqua diuersimodè sunt in loco.

Quartò soluentur quædam argumenta.

CAPVT I.

Quot modis sumitur Locus.

CIrca primum nota, quòd locus consueuit sumi quatuor modis. Primo pro corpore locante, vel continẽte aliud, vt aqua dicitur locus piscium. Secundo pro virtute conseruatiua locati, quæ est in corpore locante, sicut dicimus tertium clima est locus elephantum, ibi enim maximè generantur & conseruantur. Et de hoc modo loquitur Porphyrius cùm dicit, pater & patria sunt causa generationis. Tertio sumitur pro illo circa quod maximè debet esse operatio alicuius, sic dicimus cœlum esse locum Dei, quia Deus maximè operatur in cœlo, & Roma est locus Pontificis, quia Romæ maximè operatur. Quarto sumitur pro vltima superficie corporis continentis tangentis superficiem corporis locati, quæ superficies, si est maior corpore contento, dicitur locus communis, sic vna camera est locus communis decem hominibus contentis in ea, si autem hæc superficies est æqualis corpori contento, dicitur locus proprius, vt tantum aëris quantum circundat Socratem secundum vltimam superficiem: est locus proprius Socratis. Et hoc quarto modo, tam de loco communi, quàm de proprio considerat philosophus in 4. physic.

CAPVT II.

Diffinitiones duæ de loco formantur.

CIrca secundum nota quòd datur duplex diffinitio de loco, vna secundum antiquos quæ est falsa. secunda secundum Aristo. & Commenta. Prima est, Locus est materia vel forma rei locatæ: puta anima quæ est forma hominis, vel spatium vacuum separatum continens locatum, puta si in spatio cameræ non esset aër, nec aliud elementum, ponerem verò in camera decem homines, dicunt antiqui, quòd illud spatiũ vacuum est locus decem hominum, sed hæc diffinitio est falsa, & probo sic, locus non est pars rei locatæ, potest enim remoueri res locata à loco, & tamen non minuit, nec lædi, vt aqua potest remoueri à cyatho, sed res non potest remoueri à parte sua sine diminutione, vel læsione, vt patet: ergo locus non est pars rei locatæ: sed forma & materia sunt partes essentiales rei naturalis locatæ. ergo locus non est forma, nec materia: Item non est spatium vacuum, quia in tractatu sequenti probabitur, quòd non potest dari vacuum. ergo diffinitio prædicta de loco est falsa. secunda est diffinitio Philosophi quæ est hæc, Locus est superficies vltima corporis continentis immobilis primum, id est, locus est superficies vltima corporis continentis locatum, quæ superficies est immobilis, & immediatè est tangens locatum, vt superficies concaua cyathi est locus aquæ, continet enim aquã, & tangit aquam. Cùm nihil sit medium inter superficiem concauam cyathi, & ipsam aquam. Hæc diffinitio clara erit, si declarabitur quomodo illa superficies sit immobilis: & propter quid apponitur ly primum. Notandum igitur, quòd, si sumatur ly immobilis absolutè diffinitio est falsa. nam patet, quòd si corpus continens puta, cyathus mouetur secundum locum, & sua superficies vltima mouetur, vt patet ad sensum, propter quod hic inuenitur duplex expositio: prima est Commenta. commen. 4. qui sic distinguit, aliquid est mobile dupliciter, scilicet, per se & per accidens, mobile per se est corpus Physicum, & ideo, cùm corpus locans puta aër sit corpus Physicum est mobile per se, mobile verò per accidens est omne accidens, quod est in corpore Physico. nam, si manus mea mouetur per se, albedo sua, & superficies sua mouentur per accidens, cùm moueantur ad motum manus sic, cùm locus sit superficies locantis, est accidens corporis Physici locantis, & sic est mobilis per accidens. Nam, si vas transmutatur localiter, superficies sua per accidens mouetur, non tamen per se, sic ergo intelligatur diffinitio secundum Commen. locus est superficies corporis continentis vltima & immobilis per se, licet mobilis per accidens, immediatè tangens locatum, secunda expositio est Beati Thomæ, & est hæc, superficies corporis continentis consideratur dupliciter: primò inquantum est hæc superficies, scilicet, accidens huius vasis continentis, & sic non est immobilis, nec sic habet rationem loci, secundò consideratur quantum ad ordinem, vel situm, quem habet ad centrum terræ, & polos mundi, & sic est immobilis, ille enim ordo nunquam mutatur, cùm cẽtrum terræ, & poli sint immobilia, vt declaratur in Astrologia, & sic intelligitur hæc diffinitio secundum Beatũ Thomã, locus est superficies corporis continentis vltima, mobilis quidem, vt hæc superficies, immobilis verò secundum ordinem, & situm ad centrum terræ, & polos cœli, quæ sunt immobilia, prima expositio est clarior, secunda est subtilior.

CAPVT III.

Diuersimodè aliqua dicuntur esse in loco.

CIrca tertiũ caput, primò ponetur quædam distinctio.

Secundò quædam conclusiones.

Circunscriptiuè vel diffinitiuè aliquid est in loco.

Distinctio est hæc, aliquid est in loco dupliciter, scilicet, diffinitiuè, & circunscriptiuè: circunscriptiuè dupliciter, scilicet, naturaliter & violentè, naturaliter vel violentè, dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Esse in loco diffinitiuè, est esse in aliquo sine occupatione spatij: sic scientia est in intellectu & species intelligibiles, sic angelus est in domo, sic anima beata est in cœlo. Cùm enim hæc omnia sint non quanta, non occupant spatium. Esse in loco circunscriptiuè est rem locatam contineri à locante cum occupatione spatij, sic omnia corpora inferiora sunt in loco, nam elementa ita disponuntur, quòd superius continet inferius, & omnia elementata continentur in aliquo elemẽto cum occupatione spatij, cùm quantitatem habeant. Esse in loco naturali circunscriptiuè est rem locatam corpoream esse in suo locante conseruante ipsam, in quo si non est, semper conatur moueri ad ipsum, vt ad suum conseruatiuum, sic pisces sunt in aqua, sic homines continentur in aëre, sic ignis semper conatur ascendere ad sphæram suam, vt ad suum conseruatiuum. Esse in loco violento circunscriptiuè est rem locatam corpoream contineri in locante contra inclinationem suam, à quo semper conatur recedere cessante impedimento, sic ignis detinetur in terra, sic aqua in nube, sic piscis in aëre, ideo ignis conatur ascendere, & aqua ex nube descendere, & piscis recurrit ad aquam cessante impedimento. Esse in loco circunscripciuè naturali vel violento per se, est rem locatam contineri in aliquo locante circundante ipsam secundum se totam, sic omnes cœli præter nonum sunt per se in loco hoc modo, nam superius circundat inferius, & breuiter omne elementum, & omne elementatum sunt in loco per se. Esse in loco naturali, vel violento circunscriptiuè per accidens, est rem locatam esse in locante non ratione sui, sed ratione alterius: sic partes totius sunt in loco per accidens, nam sunt in loco, quia totum est in loco, vt caput piscis est in aqua, quia totus piscis est in aqua. Dico autem, quòd partes totius sunt in loco per accidens quandiu sunt in toto, si autem separantur à toto, tunc sunt per se in loco, cùm habeant esse distinctum à toto, vnde manus Socratis diuisa à Socrate est per se in loco.

Tex. c. 37.

Secundò principaliter ponuntur quædam conclusiones.

Vltima sphæra nõ est in loco per se.

Prima est, Vltima sphæra, quæ est nonum cœlum secũdum Astrologos non est in loco per se: probatur, non habet superiorem sphæram circundantem, vel continentem ipsam, cùm sit vltima, ergo non est in loco per se: patet consequentia ex declaratione præmissa quid sit esse in loco per se.

Tex. c. 37. 38. 39. 40. 41.

Secunda conclusio, Vltima sphæra est in loco per accidens, probatur, omne quod mouetur localiter aliquo modo est in loco, vltima sphæra mouetur localiter, cùm moueatur motu circulari, ergo aliquo modo est in loco, non per se, vt probatum est per primam conclusionem, ergo per accidens.

Vltima sphæra nõ est in loco per accidens.

Tertia conclusio, Vltima sphæra non dicitur esse in loco per accidens, quia sit in loco per centrum terræ, à quo habet fixionem, vt ponit Auer. 4. Physi. commen. 43. & probatur sic, illud est in loco per accidens, quod est in aliquo existente in loco per se, vt dictum est suprà, quòd pars est in loco per accidens, quia pars est in toto quod est in loco per se: sed vltima sphæra non est in centro terræ, imò est oppositum, nam sicut terra circundatur à cœlo, ita & centrum eius, ergo falso dicit Auerroes vltimam sphæram esse in loco per accidens, quia est per centrum terræ.

Vltima sphæra est in loco per accidens, id est, per partes.

Quarta conclusio, vltima sphæra est in loco per accidens, quia est in loco per partes suas. vt tenet Themistius, & B. Tho. hæc declaratur sic, corpus, quod mouetur motu rectio, vt elementum sursum, vel deorsum, secundum se totum mutat locum, vt ignis ascendens ad sphæram suam deserit locum inferiorem & intrat locum superiorem, ideo est necesse quòd corpus sic motum sit in loco per se, & secundum se totum: corpus verò quod mouetur circulariter non secundum se totum mutat locum, quia mouetur super diametrum & polos suos, qui sunt semper in eodem situ, vt pater in motu cœli, quod mouetur super arcticum, & antarcticum polum, mutat autem locum secundum partes suas, prout vna succedit alteri, vt patet ad sensum in cœlo in signis zodiaci, quæ ita se habẽt, quòd vnum ascendit post alterum super nostrum horizontẽ à parte orientis, & sic successiuè tendunt ad occidentem, sunt autem signa zodiaci partes octauæ sphæræ, vt declararum est in tractatu de sphæra, cùm ergo corpus motum circulariter non secundum se totum mutet locum, sed solùm secundum partes, sufficit quòd secundum partes suas sit in loco: sed vltima sphæra mouetur circulariter, ergo vltima sphæra est in loco per partes suas, quod est esse in loco per accidens. Et id recte contenit, quoniam tota vltima sphæra est in partibus suis, quæ sunt in loco, cùm mutent locum, & sic soluatur, quòd vltima sphæra est in loco per aliquod sibi intrinsecum quę sunt partes, & non per aliquod penitus extrinsecum, quale est centrum terræ, vt posuit Auerroes; opiniones Alexandri, & Auicennæ, & Auempacæ dimitto, quoniam patent in com. B. Tho. cùm in probationibus suis solam opinionẽ Auerrois posuit, quoniã moderno tẽpore sustinetur ab Auerroistis,

CAPVT IIII.

Argumenta quædam diluuntur contra definitionem loci.

VLtimò ponenda & soluenda sunt quædam argumenta contra prædicta.

Primum probat, quòd locus non sit superficies, sic, locus & superficies sunt species distinctæ quantitatis continuæ, vt patet in prædicamentis, ergo vna non prædicatur de altera, cùm sint oppositæ disparatæ, vt homo & asinus, ergo hæc est falsa. locus est superficies.

Ad hoc dicitur, quòd antecedens est falsum, nam locus, & superficies se habent, vt species & genus: locus enim est species superficiei, quia omnis locus est superficies, non tamen econuerso, non enim omnis superficies est locus, sed solùm superficies continentis vltima tangens locatum: modò non est inconueniens, quòd genus prædicetur de specie, nam hæc est vera, homo est animal, similiter illa, locus est superficies, quia locus est species, superficies est genus: & quando allegatur Aristote. in Prædicamentis. dicitur, quòd ibi loquitur secundum opinionem famosam antiquorum, qui credebant locum & superficiem esse species oppositas quantitatis, sed in Quarto Physi. loquitur secundum opinionem propriam.

Secundum argumentum ad idem, nullum cõseruatiuum est superficies, non enim quantitas est actiua, sed potius qualitas vt ignis habet actiones suas, quæ sunt illuminare & calefacere, non vt est quantus, sed vt habet lucem & calorem, quæ sunt qualitates, sed locus est conseruatiuus locati, vt patet in quarto Physi. ergo locus non est superficies.

Ad hoc dicitur, quòd locus sumitur dupliciter, primò pro superficie tantùm, & sic non est conseruatiuus locati. Secundò pro superficie & qualitate corporis locantis conuenienti corpori locato, sic est conseruatiuus locati: sed Philosophus non diffinit in 4. Physi. locum secundo modo, sed solùm primo modo, ideo bene dicitur, quòd locus vt locus est superficies, locus verò vt conseruatiuus locati est superficies cum tali qualitate corporis locantis, puta superficies aquæ cum humiditate sua est locus conseruatiuus animalium aquatilium.

Tertium probat quòd locus non sit immobilis sic, corpus locans est mobile, vt vas est mobile, ergo sua superficies vltima tangens locatum est mobilis.

Ad hoc responsum est in secundo articulo secundum viam Auerro. & secundum B. Thomam.

Quartum est contra illam partem, primum sic, ly primum, vel sic exponitur, id est adæquatè & hoc nõ, quia continere locatum adæquatè est solùm competens loco proprio, qui est æqualis locato, ibi verò diffinitur locus, vt prædicatur de loco communi, & de loco proprio, aliter diffinitio non competeret omni contento sub diffinito: si dicas, quòd ly primum exponitur sic, immobilis primum, id est, omnino: cõtrà, superficies est mobilis, saltem per accidens, vt dictum est suprà, ergo hæc expositio est falsa.

Ad hoc respondetur secundum Cõmenta. commen. 41. & secundum B. Tho. quòd ibi diffinitur solùm locus proprius, & ly primum debet exponi adæquatè, cùm verò dicitur diffinitio loci debet competere omni loco, dico quòd competit omni loco proprio, siquis verò vult diffinire locum in communi, sic diffiniet, Locus est superficies vltima corporis continentis, quæ non est mobilis per se.

Vltimum argumentum probat quòd vltima sphæra est in loco per se & non solùm secundum partes, sic omne quod mouetur per se localiter, est in loco per se, sed vltima sphæra mouetur per se localiter, mouetur enim secundum se ab oriente ad occidens, ergo est per se in loco.

Ad hoc dicitur, quòd maior non est vera, nisi in eo quod mouetur localiter motu recto, quia, vt dictum est suprà, corpus motum motu recto sursum, vel deorsum secundum se totum mutat locum, modò vltima sphæra non mouetur motu recto, sed circulari, ideo non est necesse quòd sit per se in loco, licet moueatur per se, maior ergo est falsa de eo quod mouetur localiter circulariter. Hæc sufficiant de loco, sequitur de vacuo.

TRCTATVS SEcundus De Vacuo.

Circa tractatum de vacuo quatuor consideranda sunt.

Primò quid sit vacuum.

Secundò vtrum detur vacuum.

Tertiò si aliquid moueretur in vacuo, vtrum moueretur in tempore vel in instanti.

Quartò soluenda sunt aliqua argumenta.

CAPVT I.

Desinitio duplex Vacui assignatur.

Circa primum nota, quod sicut fuit duplex opinio de loco, ita est duplex opinio de vacuo: nã opinio antiquorũ de loco fuit, quod locus est spatium separatum æquale corpori locato: Opinio verò Aristo. est quod locus est superficies corporis continentis circundans corpus locatum. Ita dupliciter potest imaginari vacuum, primò vt quoddam spatium, secundò vt quædam superficies: secundum primam imaginationem sic diffinitur, vacuum est spatium non repletum corpore locato, tamen aptum natum repleti. Iuxta secundam imaginationem sic diffinitur, vacuum est locus, qui est superficies non repleta corpore, apta nata tamen repleti: primò dicitur non repleta corpore: vt si in cyatho emissa aqua nullum corpus reciperetur, nec aër, nec aliud, superficies interior cyathi diceretur vacuum, quia per casum datum non repleretur aliquo corpore: dicitur apta nata repleri, quia, vacuum se habet vt priuatio, vnde sicut cæcus est ille, qui non videt, & est aptus natus videre, ita vacuum est locus non repletus corpore aptus natus repleri, vnde non potest dici, quod punctus sit vacuum, quia licet punctus non repleatur corpore, tamen non est aptus natus repleri, hæc secunda diffinitio est secundum Aristo. & magis famosa. Hæc de primo capite sufficiant.

Tex. c. 57. 58. 59. 60.

CAPVT II.

Vacuum asserentium positiones duæ confutantur.

Circa secundum quærendum est vtrum detur vacuum in natura, pro quo primo notandum est, quòd antiqui dupliciter ponebant vacuum, quidam enim dicebant quod vacuum est spatium, vel superficies non repleta corpore locabili, & distinguitur sicut distinguitur locus à locato. Quidam vero dicebant quòd vacuum est in corporibus insertum & inditum, vt sunt corpora rara, puta lana & spongia, dicebant enim quòd in talibus corporibus sunt quædam porositates, vel vacuitates, & illis compressis talia corpora condensantur, credebant igitur per tales porositates in quolibet corpore raro vel condensabili dari vacuum insertum tali corpori, iuxta igitur has duas opiniones ponitur duplex conclusio.

Prima est, non datur vacuum in natura quod sit spatium distinctum à re locata: hæc probatur ab Aristo. pluribus rationibus, ego autem adduco fortiorẽ sicut si datur spatium vacuum, ergo nullus est motus rectus localis naturalis, nec violentus, quod est falsum, vt patet. probatur consequentia sic, & primò quo ad motum naturalem, omne quod mouetur naturali motu mouetur ad aliquam differentiam loci sibi conuenientem, in qua conseruatur, puta sursum, vt ignis, vel deorsum vt graue, istæ enim sunt differentiæ loci, vt patet in Secundo cœli. Sed si datur spatium vacuum, in eo non est sursum, nec deorsum, nec aliæ differentiæ loci, quia vacuum est vt priuatio, vt dictum est in Primo cap. priuatio est negatio, negatio est non ens, non ens nullas habet differẽtias, ergo à primo ad vltimum vacuum nullas habet differentias loci, & sic nihil mouebitur naturaliter ad locum suum, quod est falsum: secundò probatur quòd nullus erit motus violentus sic, aliquid mouetur violenter inquantum recedit à differentia loci sibi conuenienti, & tendit ad differentiam loci sibi disconuenientem, vt quando lapis recedit à loco deorsum & proiicitur sursum, sed si datur spatium vacuum remouetur sursum & deorsum, & aliæ differentiæ loci, vt probatum est, ergo pari ratione nullus erit motus violẽtus sicut nullus erit motus naturalis.

Vacuum quòd velut tũ s… ratum … stinct… à re l… ta, n… quan… turn… tura. Text.

Nota quòd Aristote. probat etiam non dari spatiũ vacuum in tex. commen. 71. quia fiet motus localis in instanti, sed hanc rationem quantum valeat pertractabo in cap. tertio.

Secunda conclusio, Non datur vacuum corporibus inditum vel insertum, vt credebant antiqui: nec sunt aliquæ vacuitates in corporibus raris, vt est lana, vel spongia: hæc probatur sic, si datur vacuum corporibus insertum, hoc est vt possint corpora rara condensari, & rarefieri, sed condensatio & rarefactio potest fieri sicut tali vacuo, ergo huiusmodi vacuum non est ponendum. Quòd autem rarefactio & condensatio possit fieri sine vacuo declarandum est. Et primò dicetur quid sit rarũ & densum, q d rarefactio, & cõdensatio, secũdò dicetur quot modis contingit aliqd rarefieri, & cõdẽsari.

Va… corp… bus… tum… datu… Tex. 79. 80. 8…

Circa primum nota, quòd rarum corpus est illud, quod habet parum de materia sub magna quantitate, vt aër vel ignis & lana, &c. Densum corpus est illud, quod habet multum de materia sub parua quantitate, vt lapis, & libra plumbi, vnde, si accipiatur libra lanæ, & libra plumbi, patet ad sensum, quare libra lanæ est maioris quantitatis quàm libra plumbi, quia videlicet libra lanæ est rara, & paruam materiam habet, & libra plumbi est densa, & multum de materia habet.

Rarefactio est dilatatio partium sine noua acquisitione alicuius partis, vt cùm cæra liquefit est rarefactio cæræ, quia suæ partes magis dilatantur & occupant maiorem locum, non tamen aliqua pars cæræ de nouo acquiritur, quæ prius non esset. Condensatio est restrictio partium sine deperditione alicuius partis, vt cùm aqua congelatur est condensatio aquæ, quia suæ partes magis restringuntur, & tamen nulla pars aquæ deperditur, nec corrumpitur propter ipsam congelationem.

Circa secundum nota quòd rarefactio & condensatio potest fieri tribus modis, primo per solum motum localem: nam, cùm aliquis mouetur localiter partes aëris quæ sunt ante ipsum condensantur, partes verò, quæ sunt post ipsum, rarefiunt, idem accidit cùm aliquid mouetur in aqua: secundo fit per motum alterationis, vt vas semiplenum aqua, si apponatur igni & ebulliat impletur aqua, ita quòd effunditur, quod fit quia per calefactionem rarefit ipsa aqua, & occupat maiorem locum quam prius, si autẽ remoueatur ab igne ad priorem quantitatem reducitur, quia frigefactione condensatur: sicut enim proprium est calidi dilatare, ita proprium est frigidi constringere. tertio fit per generationem, & corruptionem, cùm enim ex aqua generatur aër, ex vno pugillo aquæ generantur decem pugilli aëris, vt patet in li. de generatione. ergo aqua rarefit. Cùm verò ex aëre generatur aqua ex decẽ pugillis aëris generatur vnus pugillus aquæ: ergo aër cõdẽsatur, & sic patet quot modis fit rarefactio & cõdẽsatio.

His declaratis probo, quòd rarefactio, & condensatio possunt fieri sine vacuo sic, res aliqua rarefit ex hoc quòd partes suæ dilatantur & recipit maiorem quantitatem quàm prius, & condensatur ex hoc quòd partes constringuntur & reducitur ad minorem quantitatem. ergo non est necesse ponere in corporibus raris aliquod vacuum, vel aliquas vacuitates, quibus compressis talia corpora condensentur. Et sic patet quòd nulla ratione cogimur ponere vacuum.

Rarefa… ctioni & condensa… tionem fi… ne vacuo fieri con… tingit.

CAPVT III.

An si daretur vacuum fieret motus in non tempore, seu in instanti.

Circa tertium caput discutiendum est vtrum, si per impossibile daretur spatium vacuum, puta totum spatium, quod est à cœlo Lunæ vsque ad terram, & poneretur lapis sursum, qui deberet descendere, vtrum iste lapis per totum hoc spatium vacuum moueretur in tempore, vel in instanti. Ad declarationem huius dubij, nota, quòd duæ sunt opiniones solennes: prima est Commenta. qui tenet absolutè in 4. Physi. comment. 74. quòd motus in vacuo fieret in instanti, & fundat se super rationem Aristot. in 4. Physic. quæ talis est, sumatur spatium vacuum per imaginationem, & sit A: item sumatur spatium plenum aliquo corpore, puta aëre, & sit B: item sumantur duo mobilia, puta C, & D, vel sint duo lapides, quorum vnus debeat moueri in spatio vacuo, & alter in spatio pleno aëre, his sic dispositis probat Aristo. quòd lapis, qui mouetur in spatio vacuo, mouetur in instanti sic, qualis est proportio spatij vacui ad spatium plenum in subtilitate, talis est proportio ipsius motus in vacuo ad motum in spatio pleno in velocitate, quanto enim spatium est subtilius, tanto motus est velocior, quia spatium subtilius minus resistit mobili: vt patet, si duo lapides descendant, vnus in aëre, alter in aqua, ille, qui descendit in aëre, descendit velocius, quia aër est subtilior aqua, & minus resistit lapidi moto, sed inter spatium vacuum, & spatium plenum nulla est proportio in subtilitate, est enim spatium vacuum subtilius spatio pleno in infinitum, cùm in spatio vacuo nullum sit corpus quantumcunque subtile replens vacuum. Ergo inter motum, qui est in spatio vacuo, & inter motum, qui est in spatio pleno, nulla est proportio in velocitate, & sic motus in vacuo est in infinitum velocior quàm motus in spatio pleno. ergo erit in instanti, quia si esset in tempore quantumcunque paruo inter istos duos motus esset proportio, cùm duo tempora finita semper adinuicem proportionentur, siue proportione centupla, siue millesima, quæcunque sit illa. hæc est ratio Aristote. quam roborat Commenta. declarans quomodo concludit: nam quòd motus fiat in tempore contingit ex tribus causis: Primò ex situ, vt quando mobile est sursum, & debet moueri deorsum, quia in vno instanti mobile non potest esse sursum & deorsum, ideo mouetur in tempore. Secundò ex natura rei mobilis, vt quãdo mobile mouetur ad aliquod vbi sibi repugnans, puta dum lapis mouetur sursum, mobile, vt graue repugnat mouẽti, ideo mouetur in tempore. Tertiò ex spatio, vt quando spatium in quo aliquid debet moueri est plenum corpore subtili, vel denso, tunc est motus in tempore, ita tamen, quòd, quando spatium est plenum subtiliori corpore, fit motus velocior, & in minori tempore, quãdo autem est plenum densiori, motus est tardior & in maiori tempore. Ex prima causa inquit Commen. motus cœli est in tempore, ex secunda & prima motus rei animatæ est in tẽpore, ex tertia motus grauium, & leuium inanimatorum est in tempore. ergo, si mouetur graue, puta lapis in medio, vel spatio vacuo, nullo modo impediente ipsum lapidem motum, talis motus non erit in tempore, sed in instanti, & sic ratio Philosophi concludit. Secunda opinio est B. Tho. in Quarto Physi. qui tenet, quòd motus in vacuo esset in tempore, & primò probat suã conclusionem. Secundò respondet rationi Aristo. Probatio est hæc, sumatur spatium vacuũ, quod habeat imaginariè duos terminos, scilicet A, & B, & debeat moueri in ipso vacuo lapis ex A in B, vt patet in hac figura.

Motum fieri in tẽpore ex tribus contingit.

{ A } lapis motus ex A in B, { B. }

Manifestum est, quòd A, & B, sunt termini, vel duo extrema opposita, quia omnis motus est inter terminos contrarios, vt dictum est in 1. Physic. puta motus localis rectus est à sursum deorsum, vel ab ante ad retro, &c. Alteratio est à contraria ad contrariam qualitatem, vt calefactio à frigiditate ad calorem. his sic dispositis arguo sic, si lapis, qui mouetur in vacuo, mouetur in instanti: ergo in vno instanti erit in A, & in B, sed hoc est falsum. probatur primo consequentia, si in vno instanti non est in A, & in B, ergo in vno instanti erit in A, & in alio instanti erit in B: sed inter quælibet duo instantia datur tempus medium, vt probabitur in 6. Physico. ergo lapis mouebitur in spatio vacuo in tempore, & sic habebitur propositum, quòd scilicet motus est in tempore & non in instanti, falsitas verò consequentis probatur sic, Nullum mobile potest esse in terminis oppositis simul, & in eodem instãti, quia opposita nõ simul se compatiuntur, sed terminus A & B sunt oppositi, vt declaratum est: ergo mobile, puta lapis, qui mouetur in spatio vacuo, non potest esse in eodem instanti in vtroque termino, sed in vno instanti erit in A, & in alio erit in B, & sic motus erit in tempore. probata conclusione B. Tho. sic respondet rationi Aristo. ratio Philosophi non concludit nisi contra antiquos, qui opinabantur quòd tota causa, quare motus fiat in tempore, & sit velox, vel tardus, esset medium, vel spatium plenum. propter quod bene concludit Philosophus, quòd, si non est alia causa, & aliquid moueatur in spatio vacuo, quòd motus erit in instanti, sed dicit B. Tho. quòd causa, quare motus fiat in tempore, non solùm est spatium plenum, sed etiam oppositio terminorum inter quos est motus, vt exemplificatum est de A, & B, propter quod dato casu, quòd lapis moueretur in spatio vacuo, adhuc motus esset in tempore, quia & si spatium vacuum non impediret, tamen oppositio terminorum A & B, non patitur, quòd lapis pro vno met instanti mouetur ex A in B: ratio ergo Philosophi concludit contra antiquos: & non secundum veritatem absoluté. Ad rationem Commen. dicitur, quòd motus grauium, & leuium est in tempore non solùm ex tertia causa, sed ex prima, scilicet ex oppositione situum, vel terminorum, & ideo vt dictum est etiam dato spatio vacuo motus esset in tẽpore, quia pro vno met instanti mobile non potest esse in oppositis terminis. hæc de tertio sufficiant.

CAPVT IIII.

Argumenta quædam contra vacui determinationem soluuntur.

Vltimò soluenda sunt aliqua argumenta contra prædicta. Primò sic, quando lapis mouetur ad aliquem locum, vel recipitur in loco pleno, vel in loco vacuo: non in pleno, quia tunc duo corpora essent in eodem loco, scilicet corpus quo plenus est locus & lapis, ergo recipitur in vacuo. ergo datur vacuum.

Ad hoc dicitur, quòd recipitur in pleno: & non tamen duo corpora sunt in eodem loco, quia primum corpus replens locum cedit ipsi lapidi, vel per recessum suum, vel per condensationem, & ex hoc constat, quòd non est necesse secundum excedere tertio, nec tertium quarto, & sic totum vniuersum perturbari, vt opinabantur antiqui, quia primum corpus, vel secundum potest condensari, & ibi erit status.

Secundò sic, capiatur aqua calidissima, qua repleatur amphora, & eius foramen optimè obstruatur, ponatúrque tempore hyemis in loco frigidissimo, ita vt congeletur & condensetur, tunc occupabit minorem locum quàm prius, quando enim corpus rarum condensatur partes suæ constringuntur, & occupant minorem locum quàm prius, vt diximus suprà, ergo fundum vel alia pars amphoræ remanebit vacua, cùm propter foramen obtusum non possit ingredi aër ad replendum partem vacuam.

Ad hoc dicitur quòd admisso casu, de duobus fiet vnũ, vel ipsa aqua non congelabitur etiam si sit tempus frigidissimum, quia natura abhorret vacuum, vel in instanti congelationis amphora frangetur, vt aër possit ingredi: nec hoc debet videri miraculum, nam videmus, quòd vas plenum aqua puta ampulla, si habet duo foramina, nunquam aqua exiet si alterum foramen maius obstruatur, quia cùm non possit ingredi aër daretur vacuum.

Tertiò sic, sumantur duæ tabulæ planæ & se tangentes immediate secundum omnes partes, & vna eleuetur æqualiter ab alia, tunc sequitur quòd immediatè post hoc instans illæ tabulæ distabunt abinuicem secundum suas superficies, quæ sunt in medio tabularum, vel non: si sic, ergo aër est motus ad media tabularum in instanti, & sic fuit motus in instanti, quod est impossibile, vt probabitur 6. Physico. si non, ergo in medio tabularum erit vacuum.

Ad hoc dicitur dupliciter. Primò negatur casus, non enim duo corpora dura se possunt tangere immediatè, vt probat Philosophus in Secundo de Anima, imò semper est aër, aut aliud medium. dicitur secundò, quòd non possunt abinuicem æqualiter eleuari, quia repugnat ex natura rei motum fieri in instanti, vel dari vacuum, nę ergo hæc inconuenientia dentur, negatur casus.

Quartò, & vltimò sic, quando animal nutritur, nutrimentum recipitur vel in partibus plenis, vel in partibus vacuis: non in plenis, quia duo corpora essent simul, ergo in vacuis, sic ergo datur vacuum.

Ad hoc dicitur, quòd recipitur in partibus plenis quibusdam corporibus subtilibus quæ cedunt in aduẽtu nutrimenti, eodem modo soluitur argumentum de cineribus, sic enim arguitur, sumatur vas continens phialam aquæ, & impleatur cineribus, deinde super effundatur phiala aquæ, tota phiala aquæ recipietur in illis cineribus. ergo signum est, quòd in cineribus sunt aliquæ vacuitates, quæ posteà implentur ex illa aqua, aliter duo corpora essent in eodem loco, scilicet aqua, & cineres, hac experientia tenebant antiqui dari vacuum corporibus inditum vel insertum.

Ad hoc dicitur, quòd in cineribus sunt multæ porositates plenę aëre. qui recedit in infusione aquę. deinde propter ficitatem cinerum contrariam humiditati aquę corrumpitur magna pars aquæ, & conuertitur in aërem, qui exhalat, & cineribus insensibiliter, Et propter hoc videtur, quòd ipsum vas tantam aquam retineat plenum cineribus, sicut non plenum, sed sensus decipitur, quia nõ tota aqua infusa remanet in cineribus, sed magna pars conuertitur in aërem, qui exhalat, non ergo est necesse ponere in cineribus vacuitates, sed porositates prædictas plenas aëre. Hæc de vacuo sufficiant.

TRACTATVS TERTIVS
de Tempore.

Circa tractatum de tempore, qui valde difficilis est considerandæ sunt sex.
Primò quid sit tempus.
Secundò in quo sit tempus, vt in subiecto.
Tertiò quid sit instans, vel nunc, & vtrum sit idem nunc in toto tempore.
Quartò quæ sint illa, quæ mensurantur tempore.
Quintò vtrũ tempus habeat esse cõpletũ extra animam.
Sextò soluentur quædam argumenta.

CAPVT I.
Tempus quid sit explicatur.

Tempus sumitur tribus modis.

Circa primum, vt sciamus in quo sensu sit diffiniendum tempus apud Philosophum, notã quòd sumitur tripliciter. Primò pro bono statu alicuius, vt apud vulgum dicitur, Socrates habet bonum tempus, id est bene & gaudiosè viuit. Secundò pro temperie aëris vel intemperie, vt quando serenus est aër, nec plurimum est frigidus, aut calidus, dicitur hoc est bonum tempus, econuerso autem quando æstus, aut pluuia, aut grando superabundant, dicitur malum tempus, de his duobus modis non est sermo apud Physicum. Tertiò sumitur pro mensura motus, & rei successiuę. sicut enim vlna, vel cubito mensuramus pannum, ita tempore mensuramus quemlibet motum, vt dicemus. Et hoc tertio modo diffinitur à Philosopho in Quarto Physico. cuius diffinitio manifestatur per tres conclusiones quas ponit Philosophus.

Tempus nõ est motus. Tex. cap. 96.

Prima conclusio, Tempus non est motus. Probatur, motus dicitur velox, vel tardus: sed tempus non dicitur velox, vel tardum: ergo tempus non est motus. probatur minor, tempus non diffinitur per tempus, quia nihil per seipsum diffinitur, sed velox diffinitur per tempus: velox enim est quod breui tempore multum spatium pertransit, vt equus currens. tardum est, quod longo tempore paruum spatium pertransit, vt lumacha dum mouetur. ergo tempus non potest dici velox vel tardum.

Tex. c. 97.

Secunda conclusio, Tempus, licet non sit motus, tamen non percipitur sine motu. probatur sic, si multum percipitur de motu, etiam multum cognoscitur de tempore, dicimus enim, Socrates ambulauit 30. miliaria. ergo decem horarum tempus præteriit, si verò parum de motu cognoscitur etiam parum de tempore, si autem omnino motus non cognoscitur, similiter nec tempus cognoscitur decurrere, vt patet de hominibus, qui dormiebãt apud Sardos longo tempore, & reddebantur insensibiles ex quibusdam incantationibus, quando euigilabant dicebant se quasi nihil dormisse, quia primum instans, in quo cœperãt dormire, copulabant cum vltimo instanti in quo excitabantur, & sic non percipiebant tempus medium inter illa duo instantia, quia dum essent ita somno oppressi, nullum motum sentiebant: ergo signum est, quòd non cognoscitur tempus sine motu.

Ad hoc autem, quòd percipiatur tẽpus sufficit, quòd percipiatur aliquis motus indistinctè, etiam si sit motus phantasiæ, vel cogitatiuæ. nam dato casu, quòd Socrates sedeat speculans in camera, & nullum motum exteriorem sentiat, etiam ex solo motu phantasiæ suæ percipiet tempus præterire.

Tertia conclusio: Tempus est numerus motus secundum priius, & posterius, hæc est diffinitio temporis, quę sic declaratur. tempus est numerus, id est mensura: nam mensura potest dici numerus rei mensuratæ, quia mensura semel, vel pluries applicata mensurato mensurat ipsum, vt patet de vlna, quæ pluries replicata mensurat totum pannum, sed ly semel importat vnitatem, quæ est principium numeri, & ly pluries importat numerum: ergo quælibet mensura potest dici numerus, vel vnitas: tempus ergo est numerus, id est mensura. Secundò dicitur motus. vnde nota, quòd, si tempus est mensura, vel est mensura rei permanentis, vel rei successiuæ, non rei permanentis, quia mensura debet esse homogenea, id est eiusdem naturæ cum suo mensurato, vt dicitur in 10. Metaphysicæ: ergo res permanens, puta pannus debet habere mensuram permanentem, vt est vlna, & res successiua debet habere mensuram successiuam, in quo vna pars adueniat, alia transeat: sed motus est res successiua. ergo debet habere mensuram successiuam, quæ est tempus. dicit ergo Philosophus, quòd tempus est mensura motus. ne credatur esse mensura rei permanentis, nisi pro quãto esse rei permanentis subiicitur motui & variationi. vt est esse rei corruptibilis, quòd mensuratur tempore, vt dicemus infrà. Tertiò dicitur secundum prius & posterius, id est tempus mensurat motum secundum partem priorem, & posteriorem, quæ sunt in ipso motu. Vnde nota, quòd, quia res permanens, puta pannus, habet omnes partes suas simul existentes, ideo vlna est res permanens, quæ est mensura panni, vnde & vlna potest secundum se totam applicari panno, & pannus secundum se totum potest mensurari, motus verò, quia est res successiua, & suæ partes sunt in continuo fluxu, ita quòd vna est prior, id est præcedens, & alia posterior, id est sequens, similiter partes temporis sunt in continuo fluxu, prout vna præterit, alia aduenit, ideo motus secundum se totum simul nõ potest à tempore mensurari: sed secũdum partes suas, ita quòd pars prior motus mensuratur parte priori, id est præterita temporis, & pars posterior mensuratur parte posteriori, id est futura temporis, aliter enim, vt dicit Philosophus in textu nõ cognosceremus tempus nisi cognosceremus prius, & posterius in motu. Ex his patet. quomodo sit intelligenda diffinitio temporis. Quæ clarioribus terminis sic potest formari, tempus est mensura motus secundum partem priorem, & posteriorem ipsius motus. vel sic, tempus est mensura motus secundum quod applicatur parti præcedenti, & parti sequenti ipsius motus. Quis numerus sit ille, qui ponitur in diffinitione temporis dicetur in responsione argumentorum. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.
Tempus in quo sit tanquam in subiecto.

Circa secundum declarandum est in quo sit tempus tanquam in subiecto, vt sua propria passio. cùm enim tempus sit accidens, quia est quantitas, vt patet in 5. Metaphysicæ, & omne accidens sit in aliquo subiecto, tempus debet habere suum proprium subiectum. vnde nota, quòd secundum B. Tho. in commento super 4. Physi. & clarius in opusculo de instantibus, tempus est propria passio motus primi cœli, quòd est octaua sphæra secundum Arist. vel nona secundum Ptolemæum, & est in eo sicut in proprio subiecto. Cuius ratio est hæc, tẽpus est mensura motus, ergo primò & per se est mensura primi motus, qui est primi cœli, à quo causantur omnes alij motus in his inferioribus, si est primo & per se mensura primi motus, ergo est propria passio primi motus, & sic est subiectiuè in eo, sicut par in numero. Ex hac ratione secundum B. Tho. sequuntur duo corollaria. Primum est, tempus comparatur ad motum primi cœli, vt aceidens ad proprium subiectum, & vt mensura ad mensuratum, ad alios verò motus cõparatur solùm vt mensura ad mensuratum, non tamen est subiectiuè in eis. Secundum est, tẽpus est solùm vnum, quia suum subiectũ est solùm vnũ, nam est tantùm vnũ primum cœlum, quòd mouetur tantùm motu diurno, quando autem subiect

subiectum est vnum, suum accidens est solùm vnum, quia accidens nõ plurificatur nisi plurificetur suum subiectum, cùm igitur tempus sit proprium accidens primi motus, sicut primus motus est tantùm vnus, ita erit solùm vnum tempus, quod est mensura omnium motuum successiuorum. Hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.
Horum terminorum dilucidatio ponitur, vti, Nunc, Tunc, Iam, Modo, Olim: & quomodo idem nunc sit in toto tempore,

Circa tertium declarãdum est principaliter quid sit nunc. Secundò quid sit tunc, quid iam, quid modò, quid olim, quid repentè, hæc enim omnia simul declarantur à Philosopho. Tertiò inuestigandum est si est idem instans, vel nunc in toto tempore. Circa primum nota, quòd nunc significat duo, primò significat continuationem & diuisionem in tempore, sicut enim punctus continuat lineam, prout est terminus precedentis partis & principium sequentis, similiter diuidit lineam, si enim signetur punctus in medio lineæ intelligitur ipsa linea diuidi, sic & nunc est continuans tempus prout est finis vnius horæ & principium sequentis, similiter est diuidens vnam partem temporis ab alia, nam si accipiatur nunc in medio horæ diuidit ipsam in duas medietates. Secundò significat tempus presens, vel propinquum præsenti, sicut dicimus, Plato veniet nunc, sed hæc significatio est secũdum vulgarem opinionem, prima verò est propria. Tunc, significat tempus terminatum inter præsens tempus & aliquod nunc in præterito, vt cùm dicimus, quando combusta fuit Troia, tunc occisus est Priamus. Iam, significat tempus futurum, vel præteritum propinquum præsenti, vt iam maturescent vuæ, iam transiit ætas. Modò, significat tempus propinquum præsenti secundum præteritum, vt, modò princeps intrauit vrbem.

Nunc. *Tunc.* *Iam.* *Modo.*

Olim, significat tempus præteritum valde remotum à præsenti, vt, olim fuit destructa Troia. Nota tamen quòd aliquando sumitur etiã in futuro, licet non ita propriè, vt apud Virgi.

Olim.

Forsan & hæc olim meminisse iuuabit. Tertiò declarandum est, vtrum sit idem nunc in toto tempore, vel sit aliud & aliud. Et ibi ponitur hæc conclusio. est tantùm vnum nunc in toto tempore secundum rem, sed est aliud, & aliud secundum rationem, vel accidentaliter: hæc sic declaratur, sicut punctus imaginariè fluens causat lineam, & mobile variatum, puta lapis varians diuersum locum causat motum, sic nunc fluens imaginatur causare tempus, sed punctus causans lineam & mobile causans motũ est idem in toto motu secundum rem, est enim idem lapis secundum rem qui mouetur, & est diuersus accidentaliter: nam inquantum cognoscitur esse in alio situ, quàm prius esset deprehenditur causasse priorem partem motus, inquantum verò cognoscitur quòd erit in alio situ quàm nunc sit cognoscitur, quòd causabit sequentem partem motus. Esse verò in alio, & alio situ facit ipsum diuersum accidentaliter, sicut licet sit idem Coriscus secundum rem in agro, & in domo, tamen quando est in agro differt à seipso quando erat in domo propter varia vbi. Similiter est in proposito, licet sit idem nunc secundum rem in toto tempore, tamen vt imaginatur fluens est diuersum accidentaliter, quia vt imaginatur fluxisse causat præcedẽtem partem temporis, vt verò sic fluet causat sequentem partem temporis, est ergo idem nunc secundum rem in toto tempore, sed diuersum accidentaliter, quomodo autem differant nunc temporis, & nunc æui, & nunc æternitatis, & quomodo nunc stans, causet æternitatẽ est officium theologi. Hæc de tertio cap. sufficiant.

Idem est nunc in toto tempore realiter differẽs tamen secundum rationem.

CAPVT IIII.
Quæ nam sint illa quæ tempore mensurantur.

Circa quartum inuestigandum est quæ sunt illa quæ mensurantur tempore, vel non mensurantur, & ibi secundum Philosophum pono 6. conclusiones.

Motus omnis sit in tẽpore tex. c. 113.

Prima conclusio, Omnis motus continuus rei mobilis corporeæ mensuratur tempore, & secundum quod est motus, & secundum suum esse, id est, quantum ad durationem suam. Probatur primò, tempus est mensura motus, ergo est mensura omnis motus: probatur consequentia. Nam diffinitio debet conuenire omni contento sub diffinito. Secundò sic, omnis motus est in tempore, vt probabitur in 6. lib. Physic. ergo est in tempore, vel sicut pars temporis, vt hora & dies, vel sicut mensuratum tempore, non sicut pars temporis, quia iam probatum est, quòd motus non est tempus, ergo nec pars temporis, ergo est in tempore sicut mensuratus tempore.

Corruptibilia & generabilia sunt in tẽpore tex. c. 114.

Secunda conclusio, Omnia entia generabilia, & corruptibilia, vt sunt elementa, & elementa, licet secundum suam substantiam non mensurẽtur tempore, tamen secũdum suum esse, vel suam durationem mensurãtur tempore: dicitur primò secundum suam substantiam, quia sua substãtia, puta substantia hominis est res permanens, & tota simul, ergo non mensuratur tempore, quia tempus non est mensura rei permanentis, vt dictum est suprà: dicitur secundò secundũ suum esse, quia esse rei corruptibilis est variabile & subiectum transmutationi, vt patet in homine, cuius esse, & duratio per varias ætates, & per alterationes, per ægritudines, per corruptionem quasi assiduè transmutatur, quapropter arguitur sic, esse quod est subiectum motui, & transmutationi mẽsuratur tempore, sed esse rei corruptibilis, vt declaratum est, est subiectum motui, & transmutationi, ergo mensuratur tempore.

Incorruptibilia & æterna vt sic nõ sunt in tẽpore. tex. c. 114. 115. 116.

Tertia conclusio, Entia incorruptibilia corporea mobilia, vt sunt corpora cœlestia, quantum ad suum esse non mensurantur tempore, licet quantum ad suum motum localem mensurentur tempore: prima pars probatur sic, semper datur tempus longius, eò quòd mensuratur tempore, vt datur maius tempus quàm esse hominis. Nam si esse alicuius hominis durat etiam per centum annos, adhuc datur tempus longius quàm sint centum anni, puta dantur mille, vel duo millia, sed non potest dari longius tempus excedens esse rei incorruptibilis corporeæ. Nam ex quo tale esse est incorruptibile durat per omne tempus, & sic non mensuratur tempore. Item probatur sic, quicquid mensuratur tempore patitur, & alteratur tempore: solemus enim dicere, tempore tabescunt & senescunt omnia, sed esse rei incorruptibilis, vt cœlum non alteratur, nec senescit tempore, ergo non mensuratur tempore. Secunda pars probatur sic, Res incorruptibilis corporea, vt cœlum, quantum ad suum motum subiicitur variationi, quia semper est in alio & alio vbi, puta Sol in mane est in oriente, in meridie in medio cœli, &c. Ergo quo ad motum mensurantur tempore: vnde diximus suprà, quòd tempus primò, & per se est mensura motus primi cœli, consequenter autem aliorum motuum.

Quies mẽsuratur tempore. Tex. c. 118.

Quarta conclusio, Omnis quies mẽsuratur tempore: probatur, oppositorum est eadem mensura, sicut est eadẽ scientia, sed motus & quies sunt opposita, est enim quies priuatio motus, ergo sicut motus mensuratur tempore, ita & quies, vnde sicut dicimus Socrates ambulauit per totam vnam horam, ita dicimus, Socrates dormiuit per horam: ecce ly hora mensurat motum Socratis & quietem, quæ est dormitio.

Separata non mensurantur tempore.

Quinta conclusio, Entia separata vt Deus & angelus non mensurantur tẽpore: probatur, non mouentur nec quiescũt physicè, quia omne quod mouetur, aut quiescit physicè est corpus, vt probatur in 6. physi. ergo non mensurantur tẽpore, quo verò motu moueantur angelus, & anima separata, & qua mẽsura mẽsurentur est inquisitio theologi, ideo prãsẽo.

Non entia nõ mẽsurantur tempore. Tex. c. 120.

Sexta conclusio. Non entia quæ non sunt, nec possunt esse, vt diametrum esse commensurabilem costæ in quadrato, non mensurantur tempore: hæc probatur sic, Quæcunque mensurantur tempore generantur & corrumpuntur intempore, vt patet suprà, & sic pro aliquo tempore sunt, & pro alio tempore non sunt: sed non entia, quæ non sunt, nec possunt esse, vt hominem esse asinum, nec generantur, nec corrumpuntur tempore, nec pro aliquo tempore habent esse, nunquam enim homo est vel fuit, vel erit asinus, ergo talia non entia non mensurantur tempore: si quæratur quã mensura mensurentur, respondetur quòd nulla mensura, quia quicquid mensuratur est ens in potentia vel in actu. Hæc de quarto sufficiant.

CAPVT V.
Tempus an habeat esse extra animam.

Circa quintum declarandum est, vtrum tempus habeat esse completum extra animam, id est, vtrũ habeat esse per opus intellectus vel non.

Ad hoc respondetur, quòd rerum triplex est differentia. Quædam enim sunt, quæ habent perfectum & totale esse in rerum natura sine opere intellectus, & hæc sunt entia realia permanentia, vt homo, lapis, cœlum, &c. Quædam sunt quæ non habent esse extra intellectum, nec fundamentum in re, vt entia fictitia, sicut chimæra, & somnia, & mons aureus, &c. Quædam sunt, quæ habent fundamentum in re, sed complementum habent per opus intellectus, vt vniuersalia, sicut species, & genus: nam genus, puta animal, fundamentum habet in re, habet enim esse in homine, & asino, complementum verò, quòd est prædicari de pluribus, est per opus intellectus, inquãtum consideratur animal in communi abstrahendo ab omni specie animalis: vnde solet dici, quòd vniuersale quantũ ad suum materiale habet esse extra animam

animam, quantum ad suum formale quod est prædicari de pluribus, habet esse per opus intellectus. Similiter entia successiua, vt motus & tempus habent fundamentum in re, est enim realiter motus in re mobili, & tempus in motu, vt mẽsura in mensurato, suum verò formale, quod in motu est apprehendere partem priorem, & posteriorem, in tempore verò est numerare partem priorem, & posteriorem in motu, non est nisi per animam. Patet enim, quòd numerare est per opus intellectus, solus enim intellectus numerat, sic igitur respondetur, tempus quo ad suum fundamentum est in rerum natura, fundatur enim in motu, quo ad suum formale est numerus, vel numeratio partium motus, sed numeratio non est, nisi sit anima numerans, sicut non est ædificatio nisi sit aliquis ædificans: igitur tempus habet suum esse completum & formale per animam numerantem. Hæc de 5. cap. sufficiant.

CAPVT VI.

Quorundam argumentorum solutio.

VLtimò soluẽda sunt quædã argumẽta contra prædicta.

Primum probat, quòd tempus non est numerus sic, tempus est quantitas continua, eius enim partes copulantur ad terminum communem, quòd est instans, vel nunc, sed numerus non est quantitas continua, imò discreta, vt patet in prædicamentis. ergo tempus non est numerus.

Ad hoc dicitur, quòd numerus sumitur dupliciter. Primò secundum se, vt numerus est, & dicitur numerus quo numeramus, vt duo tria, &c. Secundò sumitur numerus, vt est applicatus rebus numeratis, dicendo duo lapides, tres vlnæ panni, &c. Primo modo semper est quantitas discreta, secundo modo est quantitas continua, prout applicatur rebus continuis, vt decem vlnę panni, licet decem vt decem sint quantitas discreta, tamen decem vt applicata vlnis panni, quæ sunt continuæ, sunt quantitas continua, sic est in proposito. si tempus esset numerus, vt quo numeramus, esset quantitas discreta, sed est numerus numeratus, id est, applicatus rebus numeratis continuis, quæ sunt pars prior, & posterior in motu, ideo ille numerus, qui est tempus, est quantitas continua, & sic minor est distinguenda, vt distinximus.

Secundum probat, quòd tempus non est numerus, id est mensura motus, sic, mensura debet esse notior mensurato secundum Philosophum in 10. Metaphysicę, sed tempus non est notius motu, imò est econuerso, quia vt dictum est tempus funditur in motu maximè primi cœli, vt passio propria in suo subiecto, sed subiectum secundum se est notius sua passione, ergo motus est notior tempore.

Ad hoc dicitur, quòd licet motus secundum naturam suam sit notior, inquantum est subiectum temporis, tamen quantum ad suam durationem quo ad nos est minus notus quàm tempus, non enim possemus cognoscere motum lapidis quantum duret, nisi per tantum tempus mensuretur. negatur ergo minor, Nam tempus est notius motu quo ad durationem ipsius motus, licet non sit notius inquantum motus est subiectum temporis.

Tertium probat, quòd tempus non potest diffiniri, tempus est non ens, ergo non potest diffiniri. probatur antecedens, tempus componitur ex partibus, quæ non sunt, scilicet ex præterito quod non amplius est, ex futuro quod nondum est, de præsenti autem solùm habemus nunc, quod est in continuo transitu, ergo est non ens.

Ad hoc dicitur, quòd totum est duplex, scilicet permanens, vt lignum vel lapis, & successiuum, vt motus, & tempus, totum permanens requirit partes, quæ sunt secundum se totas, totum verò successiuũ requirit quòd partes suæ non habeant esse secundum se totas, sed quòd copulentur ad aliquem terminum habentem esse in præsenti: ad argumentum, ergo dico, quòd tempus est totum successiuum, & licet suæ partes non habeant esse secundum se totas, tamen copulantur ad terminum communem habentem esse in præsenti, nam præteritum copulatur præsenti instanti, vt fini, & futurum copulatur præsenti instanti, vt suo principio.

Quartum probat, quòd habeat esse completum extra animam, sic, tempus est ens reale, ergo est, &c. probatur consequentia per diffinitionem entis realis, quæ est hæc, ens reale est id quod habet esse in rerũ natura secluso opere intellectus.

Ad hoc dicitur, quòd ens reale est duplex, permanens & successiuum. ens permanens habet esse in natura completè & perfectè sine opere intellectus, quia est totum simul ens successiuum, quale est tempus habet esse quo ad suum fundamentum, vt dictum est suprà in rerum natura, cõplementum verò est per opus intellectus, quia suæ partes sunt in continuo fluxu. Ad argumentũ dico quòd diffinitio debet sic intelligi, ens reale est id, quod habet esse in rerũ natura cõpletè vel incompletè secluso opere intellectus. Hæc de tẽpore sufficiant.

EPITOME SVPER QVINTO LIBRO Physicorum.

IN hoc tractatu comprehẽdimus totum quintum librum Physicorum, quem diuidemus in tres partes principales.

Primò inuestigabimus quot sunt species motus.

Secundò quis motus sit vnus vel diuersus.

Tertiò quomodo motus opponuntur adinuicem, & quo modo motus opponitur quieti & quies quieti.

CAPVT I.

Quot nam sint species motus.

CIrca primum vt sciamus quot sunt species veri motus per se, tria sunt agenda.

Primò dicendum quot modis contingit motum fieri ex parte mobilis, & mouentis & termini ad quem est motus.

Secundò dicendum quot sunt species mutationis.

Tertiò dicendum quot sunt species motus per se, hoc enim est principale intentum.

Circa primum nota, quòd motus contingit fieri tribus modis, vt ponit Philosophus in text. primò fit motus per accidens: exẽplum ex parte mobilis, musicus calefit, id est, homo, cui accidit esse musicũ, calefit: exemplum ex parte mouentis, musicus ædificat, id est, homo, cui accidit esse musicum, ædificat. exemplum ex parte termini ad quem est motus, si Socrates mutetur ex albedine ad nigredinem, & dicatur sic, Socrates mutatur in id, quod scitur, id est, mutatur in nigredinem, cui accidit quòd sciatur. dato enim casu quòd de nigredine non haberetur scientia, adhuc Socrates potest mutari ad nigredinem, ideo est accidens nigredini quòd sciatur. Secundò fit motus secundum partem: exemplum ex parte mobilis. Socrates sanatur in capite: exemplum ex parte mouentis. Socrates percutit lignum manu vel pede: exemplum ex parte termini, si Plato mutetur in albedinem, & dicatur sic, Plato mutatur in colorem, id est, in albedinem, quæ est pars subiectiua coloris, cùm sit species eius. Tertio fit motus primò & per se: exemplum ex parte mobilis, æger vt æger sanatur: exemplum ex parte mouentis, medicus, vt medicus sanat: exemplum ex parte termini, nigrum mutatur in album, vt album est. hæc de primò sufficiant.

Circa secundum, vt sciamus quot sunt species mutationis, nota, quòd mutatio aliquando est in plus quàm motus, Nam potest esse genus, & motus est species eius, vt dicemus. Aliquando opponitur motui prout mutatio potest esse terminus motus, & potest fieri in instanti, prout dicemus in 6. Physic. Motus verò semper fit in tempore. Igitur hic distinguitur mutatio in species suas, vt est genus, & in plus quàm motus. In sexto libro dicemus de mutatione, vt opponitur motui. Nota ergo, quòd tres sunt species mutationis, scilicet, generatio, corruptio, & motus: quarum sufficientia est hæc secundum Philosophum, omne quod mutatur vel mutatur de non subiecto in subiectum, id est, de non esse ad esse, vel de subiecto in non subiectum, id est, de esse ad non esse, vel de subiecto in subiectum, id est, de esse ad esse, vel de non subiecto in non subiectum, id est, de non esse ad non esse: si primo modo, sic est generatio, quæ quidem est duplex. Prima dicitur generatio simpliciter, & est quãdo res, quæ erat in potẽtia pura, fit actu, vt quando in vere generatur rosa, quæ in hyeme erat solùm in potentia, & subiectum huius generationis est materia prima, quæ est ens in pura potentia, vt dicitur in Primo Physicorum. Secunda dicitur generatio per accidens, vel secundum quid, & est quando res, quæ est actu, recipit nouum accidens, vt cùm aqua calefit recipit calorem, & cùm discipulus recipit scientiam generatur secundum quid, & subiectum huius generationis est ens actu: aqua enim cùm calefit, & discipulus cùm instruitur est actu homo, & aqua actu est aqua, si secũdo modo sic est corruptio, quæ est duplex, sicut generatio, scilicet simplex & secundũ quid, simplex quidẽ est, quãdo res quæ est actu, desinit omnino esse actu, vt dum homo moritur, corrũpitur simpliciter, quia desinit omnino esse homo. Secũdũ quid est, quando res, quæ est actu secundũ aliquid accidens desinit esse actu secundũ tale accidens, licet remaneat actu quantũ ad substantiam: vt aqua calida remota ab igne corrũpitur secundũ quid, quia desinit esse actu sub calore inquãtũ frigescit,

licet

Vide in Postprædicamentis in verbo, motus.

licet remaneat aqua actu quo ad substantiam suam. nam aqua calida est actu aqua: si tertio modo sic est motus. Illud enim propriè mouetur, quod existens actu sub aliquo accidente, remoto eo tendit ad aliud accidens oppositum, vt aqua dicitur moueri secundum alterationem quando existens actu frigida, remota frigiditate, tendit ad calorem. Sed nota, quòd aliquis posset dicere, quòd motus non distinguitur à generatione & corruptione: ergo sunt tantùm duæ species mutationis, & ideo Aristotel. probat, quòd motus non est generatio sic, quod generatur simpliciter, nondum est actu, vt dictum est, quod verò mouetur est actu, Nam dum augetur puer iam est actu, dum descendit lapis iam est actu: ergo motus non est generatio, nec est corruptio: Secundò sic, generatio & corruptio sunt contraria, ergo si motus est corruptio, motus contrariatur generationi, sed hoc est falsum, quia, vt dicemus infrà, motus contrariatur alteri motui vel quieti, ergo motus non est corruptio. Et sic patet, quòd sunt tres species mutationis. Quarta species non potest dari, quæ scilicet, sit à non esse ad non esse. quia omnis mutatio est inter terminos oppositos, vt inter album & nigrum, inter esse & non esse, &c. sed non esse & non esse non opponuntur, quia omnis oppositio est vel inter esse, & non esse, vt contradictio, & priuatiua, vel inter duo esse, quæ se non compatiuntur simul, vt omnia contraria, sicut album, & nigrum, sursum & deorsum, &c. Et sic patet sufficientia specierum mutationis.

Quot sint motus species.

Circa tertium declarandum est, quot sunt species motus per se, qui est tertia species mutationis: nam motus per accidens non consideratur à Physico, quia est indeterminatus ex sua natura. Motus igitur per se tres sunt species, scilicet, augmentum & decrementum, hæc duo sunt vna species motus, quia terminantur ad quantitatem. Alteratio, hæc est secunda species, & tertia est motus localis: Harum specierum sufficientia est hæc secundum Aristot. Cùm per omnem speciem motus acquiratur aliquod ens reale, vt per calefactionem acquiritur calor, & omne ens reale præter Deum sit in aliquo prædicamento, ergo omnis motus est in aliquo prædicamento, sed non potest esse in prædicamento substantiæ, nec in relatione, nec in actione, nec in passione, nec in quando, nec in situ, nec in habitu, ergo solùm est in quantitate, vt augmentum, & decrementum, & in qualitate, vt alteratio, & in vbi vt motus localis.

Motus nõ est in substantia.

Quòd non sit in substantia probat sic Aristote. vbi est motus ibi est contrarietas, quia motus est à termino contrario ad terminum contrarium, vt dictum est in 1. Physi. sed substantiæ nihil est contrarium, vt dictum est in prædicamentis: ergo in substantia non est motus. Quomodo hæc sit vera, quòd substantiæ nihil est contrarium, declaraui in Compendio maiori Logicæ in prædicamento substantiæ.

Motus nõ est in relatione.

Quòd motus non sit in prædicamento relationis probat sic Aristotel. in quocunque prædicamento est motus, nihil illius prædicamenti aduenit alicui de nouo sine sui mutatione: vt calor non potest aduenire aquæ sine alteratione ipsius aquæ, nec corpus potest recipi de nouo in aliquo loco sine suo motu locali: sed relatio potest aduenire alicui sine sui mutatione: ergo in relatione non est motus: probatur minor, ponatur casus, quòd solus Socrates hodie sit albus in mundo, & cras nascatur alius homo albus, certum est, quòd similitudo aduenit Socrati, quæ facit eum similem alteri albo, & tamen Socrates non mutatur, quia prius erat albus, sed similitudo est relatio: ergo relatio aduenit Socrati sine sui mutatione. Hæc ratio quantum valeat declarabitur in solutione argumentorum.

Motus non est in actione et passione.

Quòd motus non sit in actione, & passione, probat Philosophus pluribus rationibus, sed pro nunc duas solùm pono. Prima est, Si motus est in actione, & passione, ergo motus est in motu, quòd est falsum, sicut patet. probatur consequentia, Actio & passio sunt vnus motus, vt patet in tertio Physi. ergo motus est in motu. Secundò sic, si motus est in actione & passione, ergo est in eis, vt in subiecto, vel vt in termino acquisito per motum: non vt in subiecto, quia id, quod est subiectũ motus, mouetur, vt aqua alteratur, quia est subiectum, id est materia in qua recipitur alteratio, puta calefactio: sed actio non mouetur, cùm sit motus, ergo non est motus in actione, nec passione, vt subiecto, nec vt in termino acquisito per motum, quia, cùm actio sit motus & omnis motus terminetur ad quietem, sequitur, quòd per eundem motum acquiritur quies & motus sibi oppositus, est enim motus per se inter terminos oppositos: verbi gratia, si motus, puta calefactio, est in motu, vt in termino acquisito: ergo terminabitur ad calorem, in quo aqua quiescit pro aliquo tempore, & ad frigefactionem, & sic sequitur, quòd simul calefiet, & frigefiet, quòd est impossibile, cùm sint opposita: ergo motus non est in actione & passione.

Motus non est in quando.

Quòd motus non sit in quando, nec in situ, nec in habitu, Philosophus relinquit vt manifestum, sed B. Tho. sic probat. Et primò quòd non in quando. Quando, est esse in tempore, sed tempus est mensura motus, ergo sicut motus non est in motu, ita nec in quando. Secundò sic generaliter, in relatione non est motus, sed quando est relatio, dicit enim respectum temporis ad rem temporalem, & situs est relatio & habitus est relatio, vt patet in diffinitionibus eorum, quas ordinaui in Compẽdio minori super Logicam paruam, ergo sicut motus non est in relatione, sic nec in quando, nec in situ, nec in habitu.

Cùm ergo decem sint prædicamenta, & probatum sit quòd motus non est in substantia, nec relatione, nec actione, & passione, nec quando, nec situ, nec habitu, ergo solùm est in quantitate, in qualitate, & vbi: motus in quantitate dicitur augmentum, & decrementum, Motus in qualitate dicitur alteratio: motus in vbi dicitur latio vel motus localis, diffinitiones suas ordinaui in Compendio minori Logicæ in postprædicamentis. Hæc de primo principali sufficiant.

CAPVT II.

De motuum vnitate & diuersitate agitur.

CIrca secundum principale, scilicet quis motus sit vnus, vel diuersus tria agenda sunt.

Primò præponuntur quidam termini cum diffinitionibus suis, quia sunt necessarij in sequentibus.

Secundò ponuntur modi vnius & diuersi.

Tertiò declaratur quis motus sit dicendus vnus numero vel diuersus.

Simul, separatim, Tangere, Mediũ, Cõsequenter, Cõtinuũ, quid sit. Tex. c. 21. 22. 23. 24.

Circa primum præponũtur isti termini simul, separatum, tangere, medium, cõsequenter, continuum. Simul secundum locum sunt illa, quæ sunt in eodem loco proprio: & dicitur in loco proprio, quia ad hoc quòd sint simul, non sufficit quòd sint in vno loco communi, aliter omnia corpora dicerentur esse simul, quia continentur à cœlo, quod est locus communis omnium corporum inferiorum. Separata secundum locum sunt illa, quæ sunt in alio, & alio loco proprio, vt duæ aquæ, quæ sunt in duobus cyathis. Tangere, illa dicuntur se tangere, quorum extrema sunt simul, vt duo lapides se tangunt, quorum superficies sunt simul, id est, simul hærent. Medium est illud, in quod prius peruenit mobile si mouetur motu continuo, quàm ad extremum: vt si lapis moueatur in spatio A C, & diuidatur in B, B est medium: quia prius perueniet ad B, quàm ad C. Quot requirantur ad motum continuum dicemus infrà.

Consequenter illa dicuntur se habere, quorum vnum sequitur ad alterum, & nullum medium eiusdem generis est inter ea: vt duo & tria, tria se habent consequenter ad duo, quia sequuntur duo, vt aliquid prius positum, & inter duo ac tria nullum est medium eiusdem generis, id est, nullus numerus est medius inter ea. Continuum est illud, cuius extrema sunt vnum, id est, illud est continuum, cuius partes ad vnum terminum communem coniunguntur, & sic sunt vnum in tali termino, vt linea est continua, cuius partes vniuntur in vno puncto, quod est principium & finis respectu diuersorum.

Tribus modis motus dicitur vnus.

Circa secundum, scilicet quot modis dicitur motus vnus vel diuersus, nota secundum philosophum in textu quòd hoc dicitur tribus modis.

Primò motus dicitur vnus genere generalissimo: vt est ille, qui terminatur ad rem vnius prædicamenti: sic omnes alterationes dicuntur esse vnus motus genere generalissimo, quia terminantur ad qualitatem: per oppositum motus dicuntur diuersi genere generalissimo, qui terminantur ad res diuersorum prædicamentorum, sic augmentum & alteratio sunt motus diuersi genere. Augmentum enim terminatur ad quantitatem & alteratio ad qualitatem. Secundò motus dicitur vnus specie subalterna, vel specialissima. Ille est vnus specie subalterna, qui terminatur ad speciem subalternam, sic omnis coloratio est vnus motus hoc modo, quia terminatur ad colorem, qui est species subalterna sub se continens albedinem & nigredinem, vt species specialissimas, per oppositum coloratio, & motus localis rectus sunt motus diuersi specie subalterna, quia color & locus, qui sunt termini horum motuum, distinguuntur vt duæ species subalternæ. Ille est vnus motus specie specialissima, qui terminatur ad speciem specialissimam, sic omnis denigratio est vnus motus hoc modo, quia terminatur ad nigredinem, quæ est species specialissima sub se continens hanc vel illam nigredinem, vt sua indiuidua: per oppositum

dealbatio

dealbatio & denigratio sunt diuersi motus specie specialissima, quia prima terminatur ad albedinem, & secunda ad nigredinem. Tertio modo motus dicitur vnus numero, & est ille, qui terminatur ad rem vnam numero, vel indiuiduã, sic hæc sanatio est motus vnus numero, quia terminatur ad hanc sanitatem: puta quæ est in Socrate, per oppositum motus diuersi numero sunt illi, qui terminantur ad res distinctas numero, vt sanatio Socratis terminata ad sanitatem, quæ est in Socrate, & sanatio Platonis terminata ad sanitatem, quæ est in Platone. Hæc de secundo sufficiant.

Motus quomodo vnus vel diuersus numero esse dicatur. Tex.31. vsque ad 44.

Circa tertium, scilicet, quis motus sit dicendus vnus numero, vel diuersus, nota secundum Philos. quòd plura requiruntur ad vnum motum numero, quàm ad vnum motum specie. nam ad vnum motum numero tria requiruntur. primò, quòd mobile sit vnum numero in toto motu, nam si esset vnum specie non sufficeret. vt dicendo homo sanatur, sanatio non est vnus motus numero, quia ly homo est tantùm vnum specie, cùm sit species specialissima: similiter si caderet homo de turri, & in media turri moreretur, inde mortuus vsque ad terram caderet, nõ esset vnus motus numero, quia non est idem mobile, Nam in prima parte motus, mobile est homo viuus, in secunda parte est homo mortuus, vel cadauer. Secundò requiritur idem tempus nullo modo interpositum, vel interruptum, Nam si tempus mensurans motum interrumpitur non est vnus motus numero. verbi gratia ponatur aqua ad ignem in prima parte vnius horæ, in secunda parte eiusdem horæ extrahatur ab igne, in tertia parte eiusdem horæ iterum applicetur igni. Dico quòd calefactio huius aquæ non est vnus motus numero, quia fuit tempus interruptum, scilicet, secunda pars horæ in qua fuit extracta ab igne: ad hoc ergo quòd motus sit vnus numero requiritur quòd tempus continuè mensuret talem motum, & fiat aliqua interpositio. Tertiò requiritur vnus terminus numero ad quem terminetur motus, qui terminus in augmento, & decremẽto est quãtitas, in alteratione est qualitas, in motu locali est vbi, ex quo sequitur, quòd, si in hac hora dealbetur Socrates & Plato, quòd hæ dealbationes non sunt vnus motus numero, quia dealbatio Socratis terminatur ad albedinem, quæ est in Socrate, & dealbatio Platonis terminatur ad albedinem, quæ est in Platone, dealbatio verò Platonis per se sumpta est vnus motus numero, quia terminatur ad hanc albedinem Platonis. Ad vnum motum specie sufficit, quòd terminus ad quem sit vnus specie. Nam omnes dealbationes sunt vnus motus specie, quia terminantur ad albedinem, quæ est species specialissima. Quòd si alterabilia sint diuersa, propter hoc non impeditur quin sit vnus motus specie, vnde dealbatio, qua dealbatur paries, & qua dealbatur pannus, sunt vnus motus specie propter terminũ ad quem, qui est albedo. Ex his patet, quòd ille motus est vnus numero, qui est in vno mobili, & tempore non interrupto, & ad vnum terminum numero. Per oppositum ille motus est diuersus numero, qui est in pluribus mobilibus, tempore interrupto, & ad terminos plures numero.

Notandum vltimò quòd Philosophus assignat alios duos modos, quibus motus dicitur vnus, quos leuiter tango, quoniam faciles sunt. Primò ille motus dicitur vnus, qui est perfectus, & quia motus regularis circularis est perfectus, vt dicetur in Octauo libro, ideo motus cœli est maximus vnus. Secundò ille motus dicitur vnus, qui est regularis, motus regularis est ille, qui semper est æquè velox, Irregularis est ille, cuius vna pars est velocior, alia tardior, vt motus animalium. Et quia motus cœli est regularis, vt dicetur in 8. libro, ideo ille motus est maximus vnus, motus verò animalium, quia est irregularis non est maximus vnus, licet dicatur vnus inquantum est continuus. Quare motus animalium, & omnium incorporeorum inferiorum sit irregularis dicemus in 8. libro Physi. Hæc de secundo principali sufficiant.

Motus regularis & irregularis qui. Tex.c.45.

CAPVT III.

De motuum oppositione agitur.

Circa tertiũ principale, scilicet de oppositione motuum adinuicem dicenda sunt quatuor. Primò quomodo duo motus adinuicem contrariantur, Secundò quomodo duæ mutationes, quæ sunt generatio, & corruptio contrariantur. Tertiò quomodo motus contrariatur quieti. Quartò quomodo duæ quietes adinuicem contrariantur,

Circa primum ponuntur duæ conclusiones,

Motuum contrarietas nõ ex

Prima conclusio ad hoc quòd duo motus sint contrarij, non est necesse quòd termini, à quibus incipiunt motus, sint contrarij, hæc probatur sic, duo motus contrarij possunt incipere ab eodem termino, ergo non est necesse quòd termini à quo sint contrarij. Probatur antecedens, pono casum, quòd lapis & ignis sint in prima regione aëris, & quòd lapis descẽdat ad terram, ignis autem ascendat ad sphæram ignis, certum est, quòd motus lapidis, & ignis sunt contrarij, quia sunt ad loca contraria, scilicet deorsum & sursum, & tamen incipiunt ab eodem termino, scilicet à prima regione aëris, ergo antecedens est verum.

Secunda conclusio. Ad hoc quòd duo motus sint contrarij est necesse quòd termini ad quos terminantur sint contrarij. Probatur, penes idem sumitur vnitas & contrarietas motuum, sed vt dictum est, vnitas motuum sumitur ab vnitate termini ad quem, ergo contrarietas motuum sumitur à contrarietate terminorum ad quem. inde est, quòd sanatio & ægrotatio contrariantur, sanitas enim & ægritudo contrariantur, similiter dealbatio & denigratio, quia albedo & nigredo contrariantur. Et nota, quòd si motus terminatur ad media, vt ad rubeum, & croceum, quòd eodem modo iudicandi sunt contrarij, sicut illi, qui terminantur ad extrema, puta ad album & nigrum. nam duo medij colores contrariantur saltem contrarietate imperfecta, quæ qualis sit dixi in Cõpendio maiori super Logicam in prædicamentis.

Circa secundum ponitur hæc conclusio, duæ mutationes sunt contrariæ, quando per vnam acceditur ad vnum terminum & per aliam receditur ab eodem. Hæc declaratur sic, generatio ignis & corruptio ignis sunt mutationes contrariæ, quia per generationem ignis progreditur ad esse ignis, & per corruptionem receditur ab esse ignis, est enim corruptio progressio ab esse ad non esse.

Circa tertium ponitur hæc conclusio, Motus contrariatur, id est opponitur priuatiuæ quieti in termino à quo, hæc probatur sic ab Aristo. Motus opponitur quieti sicut habitus priuationi, sed non contrariatur quieti quæ est in termino ad quem, illa enim terminat & perficit motum, ergo opponitur quieti quæ est in termino à quo, verbi gratia moueatur Socrates ex ægritudine in sanitatem, hic motus dicitur sanatio, hæc sanatio opponitur quieti in ægritudine, sed non opponitur quieti in sanitate, sanitas enim acquisita terminat & perficit sanationem.

Circa quartum opponitur hæc conclusio, Quies in termino à quo, & quies in termino ad quem contrariantur, Probatur terminus à quo & terminus ad quem cuiuslibet motus sunt contrarij, quia motus semper est inter terminos contrarios, ergo quies in termino à quo, & quies in termino ad quẽ sunt contrariæ. verbi gratia, sanatio est motus inter ægritudinem & sanitatem, vnde sicut ægritudo, & sanitas contrariantur, ita quies sub ęgritudine & quies sub sanitate contrariantur. Hæc de tertio principali sufficiant.

Vltimò soluenda sunt quædam argumenta, contra prædicta, & primò contra primum caput fiunt tria argumenta. Primum probat, quòd non sunt tres species mutationis sic, secundum Philosophum in Postprædicamentis, generatio & corruptio sunt motus, ergo non distinguuntur à motu.

Ad hoc dicitur, quòd Philosophus in Postprædicamentis accipit motum communiter dictum, scilicet pro qualibet mutatione, hîc verò accipit motum propriè dictum, scilicet pro mutatione, quæ semper fit in tempore, & sic distinguitur à corruptione & generatione, nec prædicatur de eis, quia generatio, & corruptio fiunt in instanti, vt dicemus in Sexto libro, motus autem in tempore,

Secundum probat, quòd in substantia est motus sic, in omni eo quod mouetur est motus, sicut in omni albo est albedo, sed substantia mouetur, Aqua enim calefit, & Plato sanatur, & lapis descendit, &c, ergo in substantia est motus.

Ad hoc dicitur, quòd motus est in aliquo dupliciter. Primò vt in subiecto mobili. Secundò vt in termino acquisito per motum. Motus quidem est in substantia, vt in subiecto mobili, substantia enim est illa, quæ mouetur, vt probat argumentum, Motus autem non est in substantia, vt in termino, quia per motũ non acquiritur nisi accidens, vt per alterationem qualitas, per augmentum quantitas, per generationem verò acquiritur, & producitur substantia. intelligẽdum est ergo, quòd motus non est in substantia, vt in termino acquisito per motum. licet sit in substãtia, vt in subiecto mobili.

Tertium probat, quòd in vbi non fit motus, sic, secundum Philosophum in relatione non est motus, sed vbi est relatio, est enim conformitas, vel commensuratio rei locatæ ad locum, ergo vbi non est motus.

Ad hoc dicitur, quòd vbi dicit duo. Primò dicit locum, vt suum materiale vel fundamentum. Secundò dicit conformitatem, vt suum formale, quæ est relatio in vbi est motus ratione sui materialis quod est locus, non ratione sui formalis quod est conformitas.

Contra secundum caput fiunt tria argumenta. Primum probat quòd ad hoc quòd sit vnus motus numero requiritur etiam, quòd sit vnus motor sic, secundum Philosophum in 8. Physic. Motus lapidis sursum non est vnus motus, quia non est vnus motor, vult enim quòd diuersæ partes aëris sint mouentes lapidem prout vna impellit aliam, ergo requiritur vnus motor, si motus debet esse vnus.

Ad hoc dicitur, quòd, si motores sint distincti, & moueant successiuè, vt si Plato trahit nauem per horam, & Socrates per aliam horam, motus non est vnus, si verò plures motores collectiuè, & simul moueant, vt cùm Plato & Socrates simul trahunt nauem ad vnum motum, quia sunt sicut vnus motor sufficiens aggregatus ex duobus, quorum vterque per se est insufficiens: Concedo igitur, quòd ad vnitatem motus requiritur vnus motor simpliciter, vel vnus aggregatus ex pluribus, qui simul & collectiuè moueant.

Secundum probat, quòd non est necesse mobile esse vnum numero, ad hoc quòd motus sit vnus numero, sic, motus, quo mouetur homo viuus de turri, & antequam terminetur motus moritur per casum possibilem, est vnus motus, & tamen non est idem mobile, quia non sunt idem viuus, & homo mortuus. Quòd sit vnus motus probatur sic, est eadem quantitas in viuo & in mortuo homine, ergo est idem motus, probatur consequentia, vnumquodque mouetur, vt est quantum & diuisibile: ergo si est idem quantum, vel eadem quantitas, est idem motus.

Ad hoc dicitur, quòd licet secundum Commenta. argumentum concludit, non tamen secundum Beatũ Thomam. Nam commentator tenet quòd sit eadem corporeitas & quantitas in homine viuo & mortuo, Beatus Thomas tenet, quòd mortuo homine omnia accidentia mutantur, quia remota forma substantiali, quæ est anima dans esse homini, mutantur omnia accidentia, quæ consequuntur ipsam animam. Et ideo secundum B. Thom. negatur antecedens, scilicet quòd sit eadem quantitas in viuo & in homine mortuo.

Viui & mortui nõ sunt eadẽ accidẽtia.

Tertium probat, quòd illis tria non sufficiunt ad vnitatem motus secundum numerum, scilicet, vnitas mobilis, & temporis & termini ad quem, sed etiam requiritur continuitas spatij, super quod est motus sic, spatio interrupto cessat motus, puta si equus currat & inueniat foueam latam in via cessat currere: ergo motus eius interrumpitur, & sic non est vnus motus, ergo est necesse quòd spatium sit continuum.

Ad hoc, quòd spatium sit continuum, solùm requiritur in motu locali, si tamen parum interrumpitur per foueam strictam propter hoc non impeditur continuitas motus, potest enim equus foueam illam saltu pertransire. Ibi autem loquimur de qualibet specie motus, & ideo argumentum solùm concludit de motu locali.

Contra tertium caput sunt tria argumenta: primum probat quòd ad contrarietatem motuum non requiruntur termini ad quem contrarij, sic, Augmentum & decrementum sunt motus contrarij, & tamen termini ad quem non sunt contrarij, terminantur enim ad quantitatem, cui nihil est contrarium, vt dicitur in prædicamentis. ergo. &c.

Ad hoc dicitur, quòd licet in quantitate non sit contrarietas perfecta, tamen in ea est contrarietas imperfecta, quæ quomodo differant, declaraui in Compendio maiori super Logicam in prædicamentis.

Ad hoc autem, quòd motus sint contrarij, sufficit quòd termini ad quem sint contrarij imperfectè, sic est in proposito. Nam quantitas minor, ad quam terminatur decrementum, & quantitas maior, ad quam terminatur augmentum sunt contrariæ imperfectè, non enim simul se compatiuntur in eodem subiecto.

Secundum probat, quòd motus non contrariatur quieti sic, quæ adinuicem contrariantur sunt entia positiua, sed quies non est positiuum, imò est negatio, cùm sit priuatio motus, ergo non contrariantur.

Ad hoc dicitur, quòd ibi accipitur contrariari largo modo, prout idem est quòd opponi priuatiuè, sicut etiam consuetum est dicere, bonum & malum sunt contraria, licet potius opponantur priuatiuè, quia malum est priuatio boni.

Tertium probat, quod quies non contrariatur quieti sic, duæ priuationes non opponuntur, sed duæ quietes sunt duæ priuationes, vt patet, ergo non opponuntur, ergo non contrariantur: probatur maior, non opponuntur contrariè, quia non sunt entia positiua, nec contradictoriè, quia in contradictoriis vnum est ens, alterum non ens, sed duæ quietes sunt ambæ non ens, cùm priuatio sit negatio, quæ est non ens: nec opponuntur relatiuè, quia vna non refert aliam, vt patet, nec opponuntur priuatiue, quia in priuatiuè oppositis vnum est habitus, alterum est priuatio, sed duæ quietes, ita se habent, quòd vtraque est priuatio, ergo non opponuntur.

Ad hoc dicitur, quod opponuntur contrariè, sed nota quòd opposita contrariè sunt duplicia, quædam sunt opposita contrariè primò & per se, vt duæ qualitates, albedo, & nigredo. Quædam sunt opposita contrariè secundariò propter sua fundamenta, in quibus sunt, vt similitudo, & dissimilitudo sunt contrarię, quia fundantur in qualitatibus contrariis, puta in albedine, & nigredine, similiter duæ quietes sunt contrarię hoc modo, quia fundantur in accidentibus contrariis. verbi gratia quies in ægritudine & quies in sanitate sunt contrarię, quia ægritudo & sanitas sunt qualitates contrarię. Ad argumentum ergo dicitur, quòd licet contraria primò & per se sint semper entia positiua, non tamen est necesse quòd contraria secundariò sint entia positiua nisi quantum ad fundamenta sua, in quibus sunt. Hic terminatur tractat. comprehendens totum 5. librum Physico.

Epitomes Quinti libri Physicorum finis.

EPITOME

SVPER LIBRO SEXTO Physicorum.

Librum Sextum Physicorum comprehendemus in tribus tractatibus.

In Primo agemus de continuo, vtrum componatur ex indiuisibilibus, & possit diuidi in diuisibilia.

In Secundo agemus de diuisione motus & quietis in suas partes quantitatiuas, nam in quinto libro actum est de diuisione motus in partes subiectiuas, id est, in species suas.

Tertiò agemus tractatum, in quo reprobabimus errores Zenonis, Democriti & Heraclyti.

TRACTATVS PRIMVS.

An Continuum componatur ex indiuisibilibus, & in diuisibilia diuidatur.

Text.c.1. 2.3.4.

In primo tractatu, ne fiat confusio procedam per conclusiones: quarum prima est hæc, nullum continuum permanens, vt est linea, & superficies, & corpus componitur ex indiuisibilibus, puta non componitur linea ex punctis, hęc probatur sic, omnes partes integrales componentes aliquod totum ita se habent quòd vel continuantur adinuicem vel se tangunt vel consequenter se habent. Quid sit continuari, & tangere, & consequenter se habere, dictum est in 5. libro sed indiuisibilia, vt puncta non possunt adinuicem continuari, quia illa continuantur, quorum extrema sunt vnum, sed puncta non habent extrema, extremum enim præsupponit partem priorem, sed nulla pars est in puncto. cùm sit indiuisibile, ergo non possunt continuari, nec possunt se tangere, quia si duo puncta se tangunt ita se habent, quòd vel totum punctum tangit totum alterum punctum, vel pars tangit partem, sed totum non tangit totum, totum enim habet partes, sed punctus non habet partes, nec pars tangit partem eadem ratione, cùm non habeat partem, ergo non possunt se tangere, nec possunt consequenter se habere: quia illa consequenter se habent, inter quæ non est medium eiusdem generis, vt duæ arbores consequenter se habent, inter quas non est alia arbor media, sed inter duo puncta semper est aliquod medium eiusdem generis, quia semper est linea media: quod probatur sic, duo puncta non se possunt tangere, vt dictum est, ergo distant, ergo inter ea est aliquod medium, sed non potest esse aliud medium quàm linea: quod probatur, tale medium vel est indiuisibile, vel diuisibile, si indiuisibile, ergo inter ipsum & puncta adhuc erit distantia, cùm indiuisibilia non se tangant, & sic dabitur inter ea adhuc aliud medium: quod si est diuisibile erit idem iudicium sicut de primo, & sic procedetur in infinitum, quod est inconueniens: si est diuisibile, ergo est continuum, si est continuum, ergo vel est linea, vel superficies, vel corpus: non corpus, quia ipsum mediat inter duas superficies secũdum profunditatem, nec superficies, quia ipsa mediat inter duas lineas secundum latitudinẽ, ergo

erit linea.& sic patet quòd inter duo puncta semper est linea media.Cùm ergo puncta non sint continua, nec se tangant, nec consequenter se habeant,sequitur quòd continuum non potest componi ex indiuisibilibus. Et nota quòd eadem ratione potest probari inter duo nunc semper esse tempus medium, vt probatum est inter duo puncta semper esse lineam mediam. Si autem quæratur ex quibus componitur continuum, si non componitur ex indiuisibilibus,respondeo quòd componitur ex partibus continuis diuisibilibus, vt linea bicubita componitur ex pluribus lineis,quæ continuatæ adinuicem constituunt bicubitum, similiter superficies tricubita componitur ex pluribus superficiebus minoribus, & corpus tricubitum ex pluribus corporibus minoribus,&c.

Inter duo nunc mediat tempus.

Secunda conclusio,nullum continuum permanens potest diuidi in indiuisibilia, puta linea non potest diuidi in puncta, sed semper diuiditur in lineas minores vsque in infinitum: hæc probatur sic, ex eisdem partibus res componitur,& in easdem diuiditur, sicut domus componitur ex lateribus, & in eosdem resoluitur, sed vt probatum est nullum continuum componitur ex indiuisibilibus,ergo non potest diuidi in indiuisibilia. Item sic,si diuidi-ur in indiuisibilia,illa se tangerent,quia si non se tangerent adhuc haberent medium continuum,puta lineam,& sic non essent indiuisibilia.sed duo indiuisibilia non possunt se tangere, ergo continuum non potest diuidi in indiuisibilia, ex hac ratione declaratur id quod dicitur in Tertio Physi. quòd continuum est infinitum in potentia secundum diuisionem.

Tertia conclusio, Si magnitudo continua componitur ex punctis & motus qui est super eam componitur ex momentis, quæ sunt indiuisibilia sicut puncta in linea, & instans in tẽpore,sed hoc est impossibile, scilicet motum componi ex momentis;primò probabitur consequentia, secundò falsitas consequentis:ad probationem consequentiæ supponuntur duo, primum est, si motus est in aliquo mobili illud actu mouetur,sicut si calor est in aliquo illud actu est calidum: secundum est, impossibile est aliquid simul mouetur,& motum esse sicut impossibile est Socratem ire Thebas & fuisse Thebas,simul enim esset præsens & præteritum, prius ergo aliquid mouetur & posteà motum est.his suppositis sumatur magnitudo composita ex tribus indiuisibilibus quæ sint A, B, C, & sumatur motus super eam compositus ex tribus partibus quæ sint D, E, F, & correspondeant partibus indiuisibilibus magnitudinis, mobile verò sit G, vt vt patet in figura sequenti,

Si magnitudo ex indiuisibilibus componitur, & motus etiam.

Tex.c.5.

Rubrica.

In horum librorum figuris hæc obseruabis. Quoties literas duplicatas & proximas inueneris prima quidem textui fideli,secunda verò Auerrois textui deseruiet vt in hac subscripta figura. P. litera quæ prima est, & K. quæ secunda. Eodem pacto & si vnam alteri superpositã videbis, superior primo, inferior secundo aptabitur textui, vt in figura 23. textus E. litera quæ superior, et H. quæ inferior, similiter & F F, & Z. Quæ autem literæ vnæ tantùm erunt, hæ vtique vtrique textui accomodabuntur. Quòd si quid peculiare pro aliqua figura fuerit, id ibi propè adnotatum reperies.

Demonstratio probans quòd partes motus correspondeant partibus magnitudinis.



Ex his probatur,quod si magnitudo componitur ex indiuisibilibus quòd motus cõponitur ex momentis,sic,mobile mouetur per A.ergo mouetur secundum partẽ motus, quæ est D. Nam sibi correspondet vt in figura, si mouetur per A, ergo simul mouetur & motũ est,vel prius mouetur, & posteà motum est, non datur secundum, quia si prius mouetur & posteà motum est, ergo in A est pars,in qua prius mobile mouebatur:& alia pars,in qua posteà motum est, & sic A esset diuisibile,quod est contra præsuppositum: supponitur enim per impossibile,quòd A sit indiuisibilis.sicut B & C, nec datur primum, quia est contra secundum præsuppositum,ergo mobile non mouetur super magnitudinem compositam ex indiuisibilibus, sed solùm motum est, si solùm motum vel mutatum est, ergo per ipsum D non mouetur, sed mutatum est, & sic D est momentum, similiter E est momentum, & F est momentum,ergo totus motus componetur ex tribus momentis, quæ sunt D E F. Et sic patet quòd si magnitudo, super quam est motus, componitur ex punctis,etiam motus componitur ex momentis: falsitas verò consequentis,scilicet q̃ sit falsum, q̃ motus componatur ex momentis,probatur sic, si motus cõponitur ex momentis,sequitur quòd mobile sit motum,vel mutatũ super totam magnitudinem,super quam nunquam mouebatur,vel quòd pertransierit magnitudinem nunquam pertransitam, quod est impossibile,quia quod est verum de præterito aliquando fuit verũ de præsenti:consequentia probatur sic,mobile motum est per A in ipso D, & non mouebatur prius vt probatum est suprà. Item motu-n est per B in ipso E, & non mouebatur prius eadem ratione. Item motum est per C, & non mouebatur prius, eadem ratione. ergo mobile motum est super totam magnitudinem A B C, & nunquam mouebatur super eam, & sic probata est consequentia. Dicendum est ergo.quòd sicut magnitudo componitur ex partibus magnitudinis,quæ sunt continuæ & diuisibiles,ita omnis motus componitur ex partibus motus, quæ sunt continuæ & diuisibiles licet sint successiuæ.

Quarta conclusio:Si magnitudo componitur vel diuiditur in puncto, & tempus mensurans motum super magnitudinem componitur ex instantibus, & diuiditur in instantia, philosophus antequàm conclusionem probet,præponit tres conclusiones præambulas ad istam,& probat eas.

Prima conclusio præambula, Mobile velocius pertransit maiorem magnitudinem in æquali tempore quàm mobile tardius;probatur sic,sunt duo mobilia,quorum vnum sit velocius, vt formica & alterum tardius vt vermis, qui debeant mouere super lineam bicubitam in vna hora, his sic dispositis arguo sic,si per totam horam vermis pertransit medietatem lineæ bicubitæ,in eadem hora formica pertransit totam lineam. & fortè plus, vt patet ad sensum, ergo mobile velocius pertransit maiorem magnitudinẽ in æquali tẽpore.

Secunda conclusio præambula:Mobile velocius pertransit maius spatium in minori tempore: Probatur sic, sit formica & vermis, qui moueantur super lineam tricubitam,si vermis in vna hora pertransit primam cubitum, formica in media hora pertransibit primum & secundum cubitum, ergo velocius pertransit maius spatium in minori tempore.

Tertia conclusio præambula, Mobile velocius pertransit æqualem magnitudinem in minori tempore quàm mobile tardius: probatur sic, sit spatium tricubitum, quod habeant pertransire formica & vermis. si vermis pertransibit in vna hora,formica, pertransibit in media hora, quia aut transibit in maiori tempore quàm sit hora, & hoc non, quia formica esset tardior quàm vermis, quod est falsum, aut transibit in tota vna hora,& hoc non, quia formica esset æquè tarda sicut vermis.quod patet esse falsum:ergo transibit in minori tempore, quàm sit hora, puta in media hora, & sic habetur intentum.

His conclusionibus præambulis probatis,probatur,quòd si magnitudo diuiditur in indiuisibilia,etiam tempus mensurans motum super ipsam magnitudinem diuiditur in indiuisibilia: & probatur sic,tempus eodem modo diuiditur sicut magnitudo: ergo, si magnitudo diuiditur in indiuisibilia, etiam tempus: probatur antecedens, sumatur magnitudo decem cubitorum. quæ pertrãseatur à limaca in decem horis,ergo nouem cubiti pertranseuntur in nouem horis,& 8.in 8. horis,& 7. in 7. horis,&c. sic procedendo patet, quòd sicut diuiditur magnitudo per transitum limacę,ita diuiditur tempus mensurans ipsum motum, si ergo spatium diuideretur in indiuisibilia, etiam tempus similiter. sed quia spatium & motus diuiditur in semper diuisibilia,vt sunt continua etiam tempus, habet enim tempus continuitatem ex motu.

Quinta conclusio,Si spatium est finitum, tempus mensurans motum super spatium est finitum, ita quòd non potest esse spatium finitum,& tempus infinitum: hæc probatur sic, si tu ponis spatium finitum,& tempus infinitum, sit spatiũ decem cubitorum,tempus infinitum vocetur G, sumatur mobile,puta formica,quæ pertrãseat vnum cubitũ huius spatij certũm

certum est,quòd transibit in tempore finito, sit ergo vna hora,& aliud cubitum pertransibit in alia hora, & tertium cubitum in alia hora, dummodo moueatur æquè velociter:ergo pertransibit decem cubitos in decem horis,sed decem horæ non componunt tempus infinitum, imò finitum, ergo spatium,super quod est motus,est finitum,etiam tempus mensurans motum est finitum.Ex quo sequitur, quod, si spatium est infinitum,etiam tempus est infinitum,& econuerso.

Sexta conclusio: Nihil potest moueri in instanti, vel non potest esse motus in instanti: Antequam probetur hæc conclusio,probandum est quòd instans est indiuisibile in tempore,sicut punctus in linea:& probatur sic: si nunc est diuisibile,ergo diuiditur in partem præteritam,& partem futuram, quia omnis diuisio in tempore est per præterirum, & futurum, sed idem nunc non potest diuidi in partem præteritam & futuram, quia in tempore præterito esset aliquid de tempore futuro, & in tempore futuro aliquid de tempore præterito.Nam idem nunc est finis præteriti: ergo si nunc diuiditur in partem præteritam,& futuram.pars futura erit in tempore præterito,ex quo nunc est finis præteriti, similiter idem nunc est principium futuri, ergo si diuiditur in partem præteritam & futuram,pars præterita erit in tempore futuro inquantum est principium futuri. Cùm ergo nihil præteriti sit in futuro, & nihil futuri sit in præterito ipsum instans est penitus indiuisibile.

Instans, seu nunc est indiuisibile.

Tex.c.24.

In instanti non fit motus.

Tex.c.29.

Hoc supposito probatur quòd nihil mouetur in instanti, sed in tempore sic, si aliquid mouetur in instanti, ipsum instans est diuisibile:quod est contra prædicta.Probatur consequentia, sumatur spatium vnius miliaris, quòd debeat pertransiri ab asino in vno instanti. Item sumatur equus velocior asino, qui debeat pertransire idem spatium: tunc arguo sic, equus pertransit spatium vnius miliaris, ergo in minori tempore quàm asinus, velocius enim pertransit æquale spatium in minori tempore, vt probatum est suprà, sed asinus pertransit in vno instanti per casum datum, ergo equus pertransit in minori tempore quàm sit instans,puta in medio instanti: ergo instans est diuisibile,& sic patet quòd nihil mouetur in instanti.

Nihil quiescit in instanti.

Tex.c.30.

Septima conclusio.Nihil quiescit in instanti,sed in tempore. Probatur, opposita habent fieri circa idem:sed moueri & quiescere sunt opposita, vt habitus & priuatio, ergo habent fieri circa idem, sed motus omnis fit in tẽpore, vt dictum est, & non in instanti,ergo quies fit in tempore.& non in instanti.

Motum omne diuisibile est.

Tex.c.31.

Octaua conclusio, Omne quod mouetur est diuisibile secundum quantitatem:probatur sic,omnis motus est inter terminum à quo & terminum ad quem, tunc sic,mobile,quando est in termino à quo secundum se totum nondum mouetur, quando est in termino ad quem iam motum est, & amplius non mouetur, ergo quando mouetur, secundum partem est in termino à quo, secundum aliam partem est in termino ad quem,sed quod habet partẽ,& partem est diuisibile.

Ex hac conclusione sequuntur tria corollaria,primum est, quòd punctus non potest moueri nisi per accidens. scilicet, ad motum corporis in quo est. Secundum est, quod omne mobile per se,est corpus:quia omne quod mouetur per se est substantia, & est diuisibile secundum quantitatem, sed substantia diuisibilis secundum quantitatem est corpus, ergo omne mobile per se est corpus, & hoc est quod dixit Beatus Thomas, in procemio libri Physicorum, quòd in hoc libro probatur omne mobile esse corpus, & ideo corpus mobile non potest esse subiectum in hoc libro, sed ens mobile. Tertium est, nec anima, nec angelus, nec aliquod accidens possunt moueri per se motu Physico, cùm non sint corpus. Quo motu moueatur anima & angelus est negotium Theologi, vtrum sit verum quòd omne mobile sit diuisibile & corpus, declarabo in solutione argumentorum.

TRACTATVS SECVNDVS super sextum librum.

NHoc secundo tractatu agendum est de diuisione motus & quietis secundum partes quantitatiuas, & ne fiat confusio procedemus per conclusiones,

Motus diuiditur ad modum diuisionem.

Tex.c.3. usque 36.

Prima conclusio, Motus diuiditur secundum diuisionem mobilis;hæc conclusio primò declaratur. Secundò probatur. Nota igitur, quòd motus potest intelligi diuidi secundum diuisionem mobilis dupliciter: primò quòd vna pars mobilis moueatur,alia quiescente,puta quòd moueatur pes quiescente manu, & hoc non est necesse, quia licet possit fieri in animali habente diuersa organa.tamen hoc est impossibile in corpore solido homogeneo. Nam, si lapis moueatur sursum, omnes partes suæ simul mouentur, idem accidit in cœlo,& in ligno.&c. Secundò potest intelligi quòd motus diuiditur secundum partes mobilis, sicut diuiditur accidens secundum diuisionem sui subiecti, puta sumatur lignum album vnius cubiti & moueatur localiter,sicut albedo ligni potest diuidi in plures partes, sicut diuiditur superficies ligni, ita motus ipsius ligni potest diuidi per imaginationem in plures partes, sicut est diuisibile lignum in plures partes, & in hoc sensu loquitur Aristo. quòd motus diuiditur secundum diuisionem mobilis,id est,secundum quod mobile est diuisibile in plures partes, sic etiam motus. Declarata conclusio sic probatur, sumatur lignum cubitale, quod moueatur, & vocetur A C, & diuiditur in duas partes. scilicet, A B, & B C, motus verò, quo lignum mouetur,vocetur D F, probo, quòd sicut lignum diuiditur in duas partes,& motus eius potest diuidi in duas partes sic,totum lignum A C.mouetur toto motu D F,ergo pars ligni A B,mouetur prima parte motus, quæ sit D F,& pars ligni B C, mouetur secunda parte motus, quæ sit E F, ergo motus diuiditur secundum diuisionem mobilis: quòd pars ligni moueatur parte motus, probatur: aut mouetur toto motu,aut parte. non toto, quia alia pars ligni quiesceret, ergo mouetur parte motus, & alia pars, alia parte motus,& sic probata est conclusio.

Ostensio quòd motus ad diuisionem mobilis diuiditur.



Secunda conclusio,Motus diuiditur secundum diuisionem temporis mensurantis motum: probatur sic.sumatur equus, qui pertranseat spatium vnius miliaris in vna hora. & moueatur semper æquè velociter. Tunc sic, equus in hora pertransit hoc spatium, ergo in media hora pertransit medium spatium.ergo in media hora est medius motus eius,& in tertia parte horæ pertransit tertiam partem spatij,ergo in tertia parte horæ est tertia pars motus eius, & sic patet. quòd sicut diuiditur tempus,ita diuiditur motus,imò etiam spatium,super quod est motus. & nota quòd econuerso diuiditur tempus secundum diuisionem motus, nam si totus motus alicuius mobilis est in hora, medius motus est in media hora, &c.

Motus diuiditur secũdum tẽporis diuisionem.

Tex.c.37.

Tertia conclusio: Omne mobile quando mutatum est, id est,quando terminatus & finitus est motus eius, est in termino ad quem:verbi gratia, omne generabile,quando generatum est, est in esse, quod est terminus ad quem generationis, corruptibile verò quando corruptum est, est in non esse:hæc conclusio probatur sic,Mobile, quando motum est vel est in termino à quo,vel partim in termino à quo & partim in termino ad quem, vel est in termino ad quem: non primum, quia quando est in termino à quo, nondum cœpit moueri, nec secundum: quia quando est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, adhuc mouetur, ergo datur tertium, scilicet, quòd quando iam mutatum est,id est, quando finitus est motus, est in termino ad quem, ideo dicit Aristot. omne quod mutatur,quãdo mutatum est, est in illo ad quod mutatum est, id est, est in termino ad quem mutatum est.

Mobile quãdo mutatum est, est in termino ad quem.

Tex.c.40. usque ad 43.

Quarta conclusio, licet omnis motus fiat in tempore, tamen terminatur in instanti. prima pars probata est suprà. secunda pars,scilicet, quòd omnis motus terminetur in instanti probatur sic ab Aristotele, si motus terminatur in tempore,cùm omne tempus sit diuisibile, sumatur tempus, in quo parte terminatur motus formicæ, & diuidatur in duas partes,quæ sint A B & B C.

Terminatur motus in instanti.

Tex.c.44.

Demonstratio, ostendens quòd id, in quo aliquid primo mutatum est, non est tempus, neque aliquid diuisibile, sed instans & indiuisibile.



Tunc arguo sic, formica aut in vtraque parte temporis mutata est, aut in vtraque parte mutatur, aut in vna parte mutatur, & in alia mutata est: non datur primum, quia non esset mutata primo in toto tempore, sed in partibus temporis: non datur secũdum, nec tertium, quia supponitur, q̃ motus sit omnino terminatus, nec formica amplius mutetur, ergo necesse est motum terminari primo in indiuisibili tempo ris, quod est instans, ex quo sequitur secundum Philosophum quòd generatio & corruptio sunt in instanti, quia sunt termini motus, vt dicemus infrá.

Quinta conclusio, Non potest dari prima pars temporis in qua mobile incoepit moueri: hæc probatur sic, si datur prima pars temporis, in qua, puta formica, cœpit moueri super tabulam, sit illud tempus A B, tunc sic, tempus A B, est diuisibile, vel indiuisibile: si indiuisibile, ergo componitur ex instantibus, quod est contra prædicta: si diuisibile, ergo diuidetur in partem priorem & posteriorem, quia omnis diuisio temporis est per præteritum, vt prius, & per futurum vt posteriùs, ergo prima pars temporis, in qua parte incipit motus diuidetur in priorem partem & posteriorem, & sic prima pars habebit priorem, quod est impossibile, quia nihil est prius primo, & sic patet quòd non datur prima pars temporis in qua primo incipit motus. Item sic, tempus, & motus & spatium super quod est motus similiter diuidũtur vt dictum est suprà: sed non potest dari prima pars in spatio, quia cùm sit continuum est diuisibile in infinitum. & sic non potest dari prima pars quæ adhuc non sit diuisibilis in priorem & posteriorem, ergo similiter non potest dari prima pars motus, nec prima pars temporis, cùm omnia sint continua & diuisibilia in infinitum.

Non datur prima pars tẽporis, in qua mobile mouẽdi incipiat.

Tex.c. 46. 47. 48.49.

Sexta conclusio, Omne quod mouetur in toto vno tempore mouetur in qualibet parte illius temporis: vt si formica mouetur in tota vna hora, mouetur in qualibet parte illius horæ: probatur sic, formica, quæ potest moueri in tota hora, aut mouetur in nulla parte ipsius horæ, aut in vna parte mouetur, & in alia non, aut in qualibet parte mouetur: non primum, quia non moueretur in tota hora, si non mouetur in aliqua parte: nec secundum, quia non moueretur in tota hora, ex quo ponitur aliqua pars, in qua non mouetur, ergo datur tertium, quod est conclusio probata.

Quod primo mouetur in aliquo tempore mouetur in qualibet eius parte

Tex.c.51.

Septima conclusio, Ante mutari præcedit mutatum esse, id est, omne quod mutatur iam prius mutatum est: Hæc conclusio prius declaranda est, inde probanda. Notãdum igitur, quòd sicut punctus est terminus continuans lineam & diuidens, ita mutatum esse vel momentum, quod est idem, est terminus continuans & diuidens motum: sed aduerte, punctus sumitur dupliciter, primò pro puncto extrinseco, & hic est ille, qui est extremum in linea finita, & sunt duo, scilicet principium & finis lineæ, primum ita est principium, quòd nullo modo est finis, secundum ita est finis. quòd nullo modo est principium: Secundò sumitur pro puncto intrinseco, & est ille, qui est principium & finis in linea, finis præcedentis partis, principium sequentis. Et hic punctus continuat lineam & diuidit, & secundum q̃ sunt diuisiones in linea, & hæc puncta intrinseca multiplicantur, & de hoc puncto intrinseco loquimur in proposito, figura huius distinctionis patet infrá.

Mutari precedit mutatum esse.

Tex.c.52.

principium lin. pun.extrin. pun.intrinse. pun.intrinse. pun. intrinse. pun. intrinse. pun.intrinse. pun.intrinsecus. punctus extrin.

finis lineæ.

Sensus conclusionis est iste. Antequam terminetur aliqua pars motus iam mobile mutatum est: probatur sic, sicut se habet linea ad punctum intrinsecum, ita se habet motus ad mutatum esse. Nam mutatum esse est terminus continuans vel diuidens motum, sicut punctus lineam: sed ante omnem partem lineæ præcedit punctus intrinsecus, vt patet in figura præcedenti, ergo ante omnem partem motus præcedit mutatum esse. Item quando mobile cœpit moueri super aliquod spatium, verum est dicere, quòd secundum aliquod signum factum in spatio mobile iam mutatum est, ergo antequam terminetur motus iam præcessit mutatum esse, & nota, quòd tota ratio fundatur in hoc, quòd, quia linea & motus, & tempus sunt continua & diuisibilia in infinitum, idem non potest dari prima pars lineæ, nec motus, nec temporis, similiter non potest dari primus punctus intrinsecus, nec primum mutatum esse intrinsecum, nec primum instans intrinsecũ, ex quo sequitur, quod ante omnẽ partem lineæ datur punctus intrinsecus, & ante omnem partẽ motus datur mutatũ esse intrinsecum, & ante omnẽ partem tẽporis datur instans intrinsecũ.

Octaua conclusio, Ante omne mutatum præcedit mutari, id est, ante terminũ motus præcedit moueri: hæc probatur eadem similitudine sic, sicut se habet punctus intrinsecus ad lineam, ita se habet mutatum esse ad moueri: sed ante omnem punctum intrinsecum præcedit aliqua pars lineæ (est enim omnis punctus intrinsecus finis præcedentis partis & principium sequentis:) ergo ante omne mutatum præcedit mutari, quia mutatum esse est finis præcedẽtis partis motus, & principium sequentis. Ex quo sequitur secundum Aristot. quòd omne alteratum, prius alterabatur, & omne generatum, prius generabatur. & corruptum prius corrumpebatur. Quod quomodo sit verum de generatione & corruptione declarabitur in solutione argumentorum.

Nona conclusio, Si magnitudo est finita. tempus mensurans motus est finitum: hæc conclusio fuit probata in tracta tu præcedenti in quinta conclusione, ideo eam transeo, & breuiter nota, quòd si spatium est infinitum & motus, & tempus sunt infinita, & si mobile est infinitum, & tempus, & motus sunt infinita: similiter enim diuiduntur. & sunt continua.

Decima conclusio, Omne quod stat dum stat mouetur, nota quòd stare idem est quòd tendere ad quietem, & statio idem est quòd tendentia in quietem, cũc sic probatur conclusio, omne quod tendit in quietẽ dum tendit mouetur, Tendit enim in quietem per motũ, sicut lapis tẽdit ad quietem suam naturalẽ per motũ deorsum, sed omne qd̃ stat, tendit in quietem, vt declaraui, ergo omne quod stat dum stat mouetur.

Vndecima conclusio, Omne quod stat in tempore, & non in instanti, probatur omne quod mouetur, mouetur in tempo pore vt probatum est suprà: sed omne quod stat mouetur per conclusionẽ præcedentẽ, ergo omne quod stat. stat in tẽpore.

Duodecima conclusio, Omne quod stat in toto vno tempore, puta in tota vna hora, stat in omni parte illius temporis: probatur, omne quod mouetur in toto vno tempore mouetur in omni parte illius temporis, sed omne quod stat mouetur, vt declaratum est: ergo, &c.

Decimatertia conclusio, Non potest dari prima pars stationis: probatur, non potest dari prima pars motus, quia cùm motus sit continuus est diuisibilis in infinitum, & sic omnis pars motus est diuisibilis in partem priorẽ, & posteriorem, vt dictum est suprà, ergo nõ potest dari prima pars stationis: probatur consequentia, nam omne quod stat mouetur vt dictum est, ergo si in motu non est prima pars, nec in statione.

Decimaquarta conclusio, Non datur prima pars quietis, probatur, non datur prima pars temporis mensurantis quietem, ergo non datur prima pars quietis, probatur consequentia, omnis quies fit in tempore, vt probatum est suprà, ergo si non datur prima pars temporis, nec datur prima pars quietis. Quòd non datur prima pars temporis, probatur sic, tempus est diuisibile in infinitum, sicut omne continuum, ergo quælibet pars, quantumcunque parua, est diuisibilis in partem priorem & posteriorem, ergo non potest dari prima pars cùm semper possit habere priorem per diuisionem.

Decimaquinta conclusio, Id quod mouetur nõ potest esse in vno, & eodẽ loco per duo instantia. sed solùm per vnum instans

instans: probatur. Id quod est in vno & eodem loco per duo instantia est in eodem loco per aliquod tempus, quia inter duo instantia cadit tempus, ergo quiescit, nam quiescere est per aliquod tempus esse in eodem loco, ergo si id quod mouetur est in eodem loco per duo instantia, simul mouetur, & quiescit, quod est impossibile. Ex his sequitur quòd mobile quandiu est in motu pro quolibet instanti est in alio, & alio loco, sed quomodo id possit esse, notandum est quòd mobile dum mouetur non deserit statim primum locum, & intrat secundum, sed successiuè & paulatim deserens partem primi loci, intrat partem secundi loci, & quia tam locus primus quam secundus est continuus, ideo possunt diuidi in loca diuersa in infinitum, vt patet si sumantur duo loca quorum vnum sit cubitale, & secundum cubitale, & mobile etiam sit cubitale, mobile paulatim deserens primum intrabit secundum, & pro quolibet instanti erit in alio, & alio loco sibi æquali, figura patet ibi.



Tractatus secundi super sextum librum, finis.

TRACTATVS TERTIVS super Sextum librum.

IN tertio tractatu excludendi sunt tres errores. Primus est Zenonis Stoici, qui negabat motũ. Secundus est Democriti, qui ponebat indiuisibile vt punctum moueri.

Tertius est Heraclyti, qui ponebat omnia esse in continuo fluxu & motu, & nunquam quiescere, & sic negabat quietem.

CAPVT I.

Rationes Zenonis motum auferentes soluuntur.

A Tex.c. 75. vsque 85.

CIrca Zenonem nota, quòd Zeno negabat motum quatuor rationibus, quas omnes soluit Aristote. in 6. Physic. prima ratio talis erat, Omne quod mouetur super aliquod spatium prius transit medietatem spatij, quàm totum spatium, sed medietas spatij, cùm sit quoddam continuum, habet partes infinitas, est enim diuisibilis in infinitum, ergo omne quod mouetur super aliquod spatium pertransit partes infinitas, sed partes infinitæ non possunt pertransiri, est enim infinitum impertransibile, vt dictum est in Tertio Physico. ergo nihil mouetur saltem motu locali.

Ad hoc dicit Philosophus, quòd si spatium esset infinitum actu, ratio sua concluderet, sed est infinitum solùm in potentia secundum diuisionem, pro quanto quælibet pars continui adhuc est diuisibilis, & cùm dicit Zeno quòd partes infinitæ non possunt pertransiri, verum est de infinitis partibus actu, non autem de partibus infinitis in potentia: concludit ergo Zeno, quòd infinitum in potentia pertransiretur, quod non est inconueniens, Nam hoc modo quælibet pars temporis est infinita & tamen continuè transit.

Secunda ratio talis erat, omne, quod est in loco sibi æquali & adæquato, aut mouetur, aut quiescit in tali loco pro aliquo tempore, sed omne, quod mouetur in aliquo tempore puta in hora, in quolibet instanti est in loco sibi æquali: Nam lapis qui mouetur in aqua, semper est in tanta aqua circundante lapidem, quantus est ipse lapis, ergo omne quod mouetur in quolibet instanti, aut mouetur, aut quiescit, sed non mouetur, quia non est motus in instanti, vt probatum est suprà, ergo in quolibet instanti quiescit, & sic sequitur quòd sagitta, quæ etiam videtur velocissimè moueri, quiescat.

Ad hoc dicit Philosophus, quòd non est necesse omne quod mouetur in aliquo tempore, quòd moueatur, aut quiescat in quolibet instanti illius temporis, quia in instanti nec est motus, nec quies, sed bene necesse est, quòd moueatur, aut quiescat in qualibet parte ipsius temporis, partes autem temporis nõ sunt instantia, vt dictum est suprà, sicut nec puncta sunt partes lineæ, ideo ratio Zenonis non concludit contra Philosophum, sed bene concludit contra Zenonem. Nam, quia credebat tempus componi ex instanti, cogebatur dicere quòd mobile quiescebat in quolibet instanti, & sic fuit coactus negare motum vt nesciens respondere prædicto argumento.

Tertia ratio.

Tertia ratio talis est, & dicitur Achilles, quasi inuincibilis, sic, si aliquid mouetur localiter, sequitur, quòd, si limaca incipit moueri super spatium aliquod, quòd non possit attingi à cane velocissimo, quod tamen est absurdum, & manifestè falsum. Probatur consequentia sic, pono casum, quòd limaca transiret duos cubitos spatij antequam canis incipiat moueri, tunc incipit canis moueri. certum est, quòd in eo tempore, in quo canis transibit duos cubitos spatij, iam pertransitos à limaca, quòd limaca adhuc modicum spatij pertrãsibit: volo enim, quòd limaca continuè moueatur: & cùm canis pertransierit duos cubitos, adhuc habet transire illud modicum spatij iam transiti à limaca, & eo tẽpore, in quo canis trãsibit illud modicum spatij, adhuc limaca trãsibit aliud modicum spatij, quod nondum transiuit canis, & sic semper procedendo sequitur quòd canis nunquam attinget limacam.

Ad hoc dicit Philosophus, quòd, cùm canis incipiet moueri nõ solùm trãsibit duos cubitos spatij in hora, in qua transiuit eos limaca, sed etiam transibit plus, puta quatuor cubitos, & sic præcedet limacam. Et ideo falsum est quod in eodem tempore, in quo canis trãsit duos cubitos, quòd limaca transeat modicum spatij non pertrãsiti à cane in eodem tempore. Nam, vt dixi in illo tempore canis pertrãsibit duos cubitos & longè plus, ita quòd non solùm attinget, imò præcedet limacam, velocius enim mobile in æquali tempore pertransit maius spatium, quàm tardius, vt probatum est suprá.

Quarta ratio.

Quarta ratio est de tribus magnitudinibus, quæ est pure calculatoria, & eam B. Thom. clarè formalizat, nec possem ei aliquid addere, vide eam in textu commenti. 81. & 82.

Nota quòd prædictas rationes faciebat Zeno ad destruendum motum localem rectum, quòd autem non detur motus circularis arguebat sic, corpus circulare semper est in eodem loco, quia nunquam egreditur polos suos, vt patet in rota mota. Ergo non mouetur, quia id quod mouetur semper est in alio, & alio loco.

Ad hoc dicit Philosophus quòd licet corpus circulare non mutet locum secundum se totum, tamen mutat secundum partes, prout vna pars succedit alteri. Et hoc sufficit ad motum circularem. Ad motum rectum verò requiritur quòd mobile mutet locum secundum se totum & secundum partes, vt etiam declaratum est in tractatu de loco.

CAPVT II.

Democriti error diluitur, qui impartibile moueri astruebat.

Tex.c.86. 87.88.89. 90.

CIrca errorem Democriti, nota quòd ipse ponebat quædam corpuscula indiuisibilia, vt puncta, quæ dicebat esse in continuo motu, & ex eis formatum esse orbem, vt recitat Philosophus in 1. Physic. & dicebantur atoma, id est, indiuisibilia, Philosophus igitur arguit contra eum, vt probat quòd nullum indiuisibile secundum quantitatem, vt punctus, potest moueri per se, licet moueatur per accidens, ad motum enim corporis per accidens mouentur, vt linea & superficies, & puncta, & accidentia, quæ sunt in corpore mobili: & nota quòd dicitur indiuisibile secundum quantitatem, vt excludamus ea, quæ sunt indiuisibilia secundum substantiam, vt entia incorporea, vt anima & Deus, &c. Contra Democritum ponit Philosophus duas rationes, quas ego adduco.

Prima ratio, si indiuisibile vt punctus mouetur, ergo dum mouetur, aut est in termino à quo, aut in termino ad quem, aut secundum partem in vno termino, & secundum partem in alio: non datur primum, quia mobile dum est in termino à quo non incoepit moueri, sed quiescit, nec datur secundum, quia quando est in termino ad quem non amplius mouetur, sed iam motum est, nec datur tertium, quia si punctus esset secundum partem in vtroque termino, punctus esset diuisibilis in partes, ergo indiuisibile non potest moueri per se.

Secunda ratio talis est, si indiuisibile mouetur aut primò transit spatium minus, aut maius, aut æquale sibi: non primum, quia nihil est minus indiuisibili: non secundum, quia est in spatio semper sibi æquali: nam tantum de spatio correspondet ipsi mobili quantum est ipsum mobile, non tertium, quia spatium æquale indiuisibili non est nisi punctus in spatio, ergo si punctus mouetur, necesse est quod pertranseat omnia puncta, quæ sunt in spatio, sed hoc est impossibile, quia in quolibet spatio continuo possunt signari puncta infinita, cùm sit diuisibile in infinitum, & sic pertransiret infinita puncta actu, vel nunquam ad finem spatij peruenirет. & sic patet quod est impossibile indiuisibile secundũ quantitatẽ moueri.

CAPVT III.

Heraclyti error eliditur, quo quietem omnino negare visus est.

A Tex.c. 91. vsque 94.

CIrca errorem Heraclyti nota quòd ipse ponebat omnia semper moueri, & nunquam quiescere, puta aquam semper alterari, arborem semper augeri & crescere, cõtra quem

arguit philosophus q̃ nulla mutatio, nec motus vnus idem numero potest esse infinita, & hoc duplici ratione.

Prima ratio talis est, Omne quod est inter duos terminos, non est infinitum, quia infinitum caret terminis: sed omnis mutatio & motus fiunt inter duos terminos, vt generatio, & corruptio inter esse & non esse, alteratio inter duas contrarias qualitates, augmentum & decrementum inter imperfectam, & perfectam quantitatem competentem cuilibet rei secundum speciem suam, vt augmentum in homine est ad maiorem quantitatem quàm augmentum in cane, &c. ergo nulla mutatio vel motus est infinita.

Secunda ratio est specialiter de motu locali recto. Nam quomodo motus circularis possit esse infinitus, declarabitur in Octauo libro. Motus enim cœlorum potest esse infinitus & durare in æternum, sic ergo arguit Philosophus.

Quòd impossibile est motum esse ad aliquem terminum, impossibile est quòd moueatur ad illum terminum, nihil enim tendit ad impossibile, quia actio sua esset frustra, sed omne quod mouetur motu locali recto mouetur ad aliquẽ terminum, vt acquirat ipsum terminum, sed impossibile est, quòd mobile acquirat terminum distantem infinitum. ergo impossibile est, quòd moueatur ad terminum infinitum, si impossibile est quòd moueatur ad terminum infinitum, ergo non datur motus localis rectus infinitus: declaratur etiam exemplo, si hinc ad cœlum Lunæ esset distantia infinita, ignis nunquam tenderet ad sphæram ignis, quia cùm hæc distantia esset infinita, non posset acquirere locum sibi naturalem, similiter si hinc ad Romam esset distantia infinita, nullus tenderet Romam, & breuiter omne mouens & mobile & agens affectat quiescere in termino sui motus & suæ actionis: & sic patet q̃ nullus motus nec actio potest esse infinita, Nunc restant quædam argumenta, quæ soluentur infrà.

Argumenta. Vltimò quædam argumenta soluenda sunt: Primum probat quòd punctus potest tangere punctum, & sic nõ semper est linea media, signetur punctus in superficie concaua sphæræ Mercurij, & signetur alius punctus correspondens puncto priori in superficie cõcaua sphęræ ipsius Lunæ, Tũc sic, hęc duo puncta, aut se tangunt, aut non, si sic, habetur intẽtum, si non, ergo inter sphæram Mercurij, & sphæram Lunæ datur aliquod medium spatium, & cùm inter duas sphæras non sit aliquod elementum, nec aliud corpus replens tale spatium, sequitur quòd datur spatium vacuum contra Philosophum in Quarto physico. figura de duobus punctis signatis patet ibi,

Ad hoc respondetur, quòd propositio Philosophi, quæ est hæc, punctus non potest tangere punctum. Intelligitur in eadem superficie, puta si signantur duo puncta in superficie cõnexa sphæræ ipsius, hinc non possunt se tangere, si autem signentur in duabus superficiebus se tangentibus, dico quòd possunt se tangere. & ideo, cùm omnes sphæræ se inuicem tangant, vt declaraui in tractatu de sphæra, concedo quòd illa duo puncta signata se tangunt: Sed nota, quòd non se tangunt inquãtum totum tãgat totum vel pars tangat partem: cùm nec totum, nec pars sit in puncto, sed dicuntur se tangere in hoc sensu, quòd nihil est medium inter ea, vel secundum omne id quod sunt, sunt simul, patet igitur quomodo sit intelligenda propositio Philosophi.

Secundũ. Secundum probat quòd non omne mobile per se sit substantia corporea, imò aliquod accidens per se mouetur, sic, superficies parietis per se mouetur de albedine ad nigredinem quando per artificem denigratur vt patet, & tamen superficies est accidens, ergo aliquod accidens per se mouetur.

Ad hoc dicitur, quòd propositio philosophi sic habet intelligi. omne quod mouetur primò & per se est substantia corporea, & tunc dico ad argumentum: quòd superficies non primò, & per se denigratur, sed in virtute substantiæ ipsius parietis: sicut enim superficies non est receptiua coloris, nisi in virtute substãtiæ vt declaratũ est in prædicamẽtis: sic nec mouetur de colore ad colorẽ contrarium nisi in virtute substantię.

Tertium. Tertium probat idem sic, si omne mobile est corpus, quia omne mobile est diuisibile, ergo pari ratione omne corpus est mobile. cùm omne corpus sit diuisibile, sed hoc est falsum: quia corpus mathematicum est corpus, & est diuisibile, & tamen non est mobile, quia mathematica abstrahunt à materia, & à motu, ergo non est mobile.

Ad hoc dicitur, quòd licet omne mobile per se sit corpus, non tamen econuerso, nisi sic determinetur, omne corpus physicum est mobile: Nam ad hoc quòd aliquid moueatur motu physico est necesse quòd habeat in se naturam, quæ est principium motus, natura verò dicitur materia, & forma: ergo omne mobile per se est compositum ex materia, & forma, & hoc est corpus physicum. Concedatur ergo, quòd omne corpus physicum est mobile, non tamen omne corpus absolutè, vt excludamus corpus mathematicum, quod non est compositum ex materia sensibili, & forma naturali, sed solùm dicit trinam dimensionem.

Quartum. Quartum probat, quòd non omne quòd generatur prius generabatur, sic, generatio fit in instanti: ergo nõ omne quod generatur prius generabatur: probatur antecedens, forma substantialis est indiuisibilis, non enim suscipit magis & minus, vt declarauì in prædicamento substantiæ: ergo introductio eius est in instanti, sed generatio est introductio formæ in materia, ergo generatio est in instanti.

Ad hoc dicitur, quòd generatio sumitur dupliciter. Primò pro ipsa sola introductione formæ in materia disposita, & sic concedo quòd est in instanti, nec id quod generatur prius generabatur. Secundò sumitur pro alteratione præuia, qua generans disponit materiam ad introductionem formæ, & pro ipsa introductione formæ, & sic dico. quòd generatio hoc modo est in tempore, & sic intelligit Philosophus, quòd id quod generatur, id est, disponitur ad formam, prius generabatur, id est, prius disponebatur.

Quintum. Quintum probat, quòd aliquid mouetur localiter in instanti, sic, lumen quod causatur in mane in toto nostro hemisphærio diffunditur à Sole in instanti ab Oriente ad occidens, si enim diffunderetur in tempore antequam esset illuminata pars occidentalis, magna pars diei iam pertransisset, ergo lumen mouetur localiter in instanti.

Ad hoc dicitur, quòd argumentum peccat in duobus. Primò supponit lumen esse corpus, quod tamen est falsum: quia, cùm aër sit corpus & lumen recipiatur in aëre, duo corpora essent simul, non enim aër cedit quãdo recipit lumen. Secũdo supponit, quòd illuminatio sit motus localis, quod est falsum: nam secundum Philosophum est mutatio, & non motus: sicut enim generatio sumpta pro introductione formæ est terminus & finis alterationis præuiæ, ita illuminatio est terminus motus localis circularis, quem facit sol sub nostro hemisphærio in nocte. Quando enim in mane attingit primum punctum Orientis, statim in vno instanti illuminat totum hemisphęrium nostrum. licet hæc illuminatio augeatur secundum quod magis ac magis ascendit super nostrum hemisphærium. Ad argumentum ergo negatur consequẽtia, nam illuminatio non est motus, sed mutatio, quæ fit in instanti, hic terminatur totus sextus liber Physicorum.

EPITOME SVPER SEPTIMO libro Physicorum.

IN septimo libro Physicorum, philosophus determinat, quòd datur vnus primus motor in communi, & vnus primus motus, in 8. libro declarabit in particulari quis est ille primus motus, & qualis est, & dicet, quòd est motus cœli, qui est circularis, & perpetuus secundum ipsum philosophum, & dicet quis & qualis est ille primus motor à quo pendet omnis motus, & à quo omnes alij motores accipiunt virtutem mouendi. Et dicet, quòd ipse est infinitæ virtutis nullam habens quantitatem, sed penitus incorporeus.

Hunc septimum librum diuidimus in duos tractatus.

In primo probabitur, quòd datur vnus primus motor in communi.

In secundo determinabitur de comparatione motuum adinuicem.

PRimum tractatum diuidimus in tria capita.

In primo probatur, quòd datur vnus motor primus.

In secundo probabitur, quòd mouens & mobile in quolibet motu simul, & aliquo modo se tangunt.

In tertio declarabitur, quòd alteratio primò, & per se non est in prima, nec secunda, nec quarta specie qualitatis, sed solùm in tertia specie.

CAP

CAPVT I.

Quòd detur vnus primus motor.

CIrca primum caput præponuntur duo, ex quibus probatis concludetur, quòd datur primus motor. Primum quòd præponitur est hoc, omne quod mouetur, ab alio mouetur, ita quòd nihil mouet seipsum secundum se totum. Hoc probatur hic in Septimo libro, & in 8. In 7. libro sic, omne quod mouetur aut mouetur violenter, aut naturaliter, si violenter, ergo mouetur ab altero, scilicet, ab impellente ipsum contra naturam suam: vt cum lapis mouetur sursum mouetur ab impellente lapidem: si naturaliter, vel est animatum, vel inanimatum, si est animatum, mouetur ab altero, id est, ab anima, nam anima est causa motus progressiui, vt alterius motus in animato, si inanimatum, vt graue, puta lapis, vel leue, iterum mouetur ab altero, & probatur sic, omne totum mouetur ad motum suarum partium, nam quia partes mouentur totum mouetur. ergo motus rei inanimatæ dependet à motu partium suarum, & sic mouetur ab altero, id est, ad motum suarum partium. Quòd omne totum mouetur ad motum suarum partium sic probat Philosophus, quiescentibus partibus quiescit totum, ergo ad motum partium mouetur totum. Hæc ratio quantum valeat declarabitur in solutione argumentorum. Improbatur enim à Galeno & ab Auicen, patet igitur ex dictis, quòd nihil mouet seipsum, sed omne quod mouetur, mouetur ab altero, quomodo hęc propositio etiam probetur in Octauo libro, tunc dicetur, illa enim probatio est melior & resoluta.

Omne quod mouetur. ab alio mouetur. Text. c. 1.

In mobilibus & mobilibus non proceditur in infinitũ. Text. c. 7.

Secundum, quod præponitur est hoc, in mouentibus & mobilibus non proceditur in infinitum, sed est status in aliquo vno primo mouente, & hoc probabitur sic in 7. ratione quidem debili quæ pro nunc sufficit. Nam in octauo probabitur ratione efficaci: Sic igitur arguitur, si proceditur in infinitum in mouentibus, & motis, ergo A mouetur A B, & B, mouetur A, C. & C mouetur A. D, & D mouetur A B E, & sic in infinitum: sed hoc est impossibile, quia in vna hora daretur motus infinitus, quando enim A mouetur, & B, & C, & D, & E, & alia mouentur, sed ista mouentia, & mobilia faciunt motum infinitum: Infinitorum enim mobilium infinitus est motus, sed dicet aliquis mobilia, & mouentia infinita faciunt motus infinitos numero, quia quodlibet mobile facit vnum motum, non tamen ex hoc sequitur, quòd in vna hora sit vnus motus numero infinitus.

Demonstratio, ostendens per deductionem ad impossibile quòd non proceditur in infinitum in mouentibus, & motis, scilicet quia infinitum moueretur in finito tempore.

Figura hæc deseruit etiam textui octauo.

K. G Tempus





Ad hoc dicit Philosophus, quòd si ponatur casus, quòd omnia mobilia & mouentia infinita adinuicem continuentur, & fiat ex eis vnum mobile cõtinuum infinitum, tunc causabunt vnum motũ numero infinitum in vna hora, quod est impossibile. Et nota, quòd licet repugnet in particulari ex omnibus mobilibus fieri vnum continuum, non tamen repugnet considerando mobilia, vt mobilia sunt. sicut licet repugnet animali, vt homo est, habere alas, non tamen repugnat animali considerando animal in communi, non ergo proceditur in infinitum in mouentibus, & motis, hæc ratio, vt dixi obscura est, sed sustine vsque ad Octauum librum.

Ex his duobus præpositis probat Philosophus, quòd datur primum mouens quod mouet omnia alia, & non mouetur, imò est immobile. sic. Certum est quod aliquid mouetur, puta lapis, ergo mouetur ab altero: moueatur à manu, quæro de manu, aut mouetur, aut non: si mouetur, ergo mouetur ab altero, moueatur à brachio, aut mouetur, aut non, si mouetur, ergo mouetur ab altero, moueatur à Socrate, quæro de Socrate, aut mouetur, aut non, si mouetur, mouetur à cœlo, quæro de cœlo, aut mouetur, aut non. si mouetur, moueatur ab intelligentia, quæro de intelligẽtia aut mouetur, aut non: si mouetur, moueatur à superiori intelligẽtia. Et cum non sit procedere in infinitum in mouẽtibus, & motis: ergo tandem deueniemus ad vnam substantiam separatam, quæ mouet omnia alia, & ipsa non mouetur. Et sic ipsa erit primum mouens. Hæc probatio iterum fortificabitur in Octauo libro.

CAPVT II.

Mouens & mobile in quolibet motu simul esse ostenditur.

CIrca secundum cap. probat Philosophus, quòd in omni genere motus mouens, & motum sunt simul, & ibi fient duo. primò declarabitur conclusio. secundò probabitur in omni genere motuum.

Motus & motis sunt simul, in omni genere motus. Text. c. 10.

Circa primum duo sunt declaranda. Primò quomodo accipiatur ly mouens. Secundò quomodo sumatur ly simul. pro primo nota, quòd mouens est duplex, scilicet mouens vt finis, sic lucrum mouet voluntatem mercatoris, & mouens, vt efficiens, sic Plato mouet lapidem sursum. item mouens, et efficiẽs est duplex, similiter mobile, scilicet remotum & vniuersale, sic Sol est mouens vel efficiens inferiora corpora, & mouens proximum, vel immediatum, sicut hic ignis calefacit hanc aquam, & hic homo generat hunc hominem. In cõclusione sic intelligitur, in omni genere motus mouens, vt efficiens proximum, & immediatum, & motum proximum sunt simul. Secundò nota, quòd aliqua sunt simul quia sunt in eodem loco. vt diximus in Quinto, & sic non accipitur simul in conclusione prædicta, quia cùm omne mouens physicum, & mobile sint corpus, duo corpora essent in eodem loco. quod est impossibile, vt declaratur in 4. Physic. Secundò aliqua dicuntur simul. quia se tangunt, & inter ea nullum est medium, sicut duæ tabulæ in naui conclauatæ dicuntur esse simul, & hoc modo sumitur simul in conclusione præmissa, sic ergo formetur conclusio, in omni genere motus mouens efficiens proximum & motum proximum sunt simul, id est, se tangunt, & nihil mediat inter ea. nunc probanda est conclusio sic. In omni motu locali, & in augmento ac decremento, & in alteratione mouens proximum & motum proximum se tangunt, ergo & in omni genere motus: probatur consequentia. quia non sunt plures species motus quàm istę, vt dictum est in 5. physi. ergo si probatur quòd in his mouens & motum se tangunt. verum erit quòd in omni genere motus mouens & motum sunt simul, id est, se tangunt.

Text. c. 10.

Quòd in omni specie motus localis mouens, & motum sint simul probatur sic. species motus localis sunt quatuor, scilicet, pulsio, vectio, tractio, & vertigo, & in his omnibus mouens proximum, & motum proximum se tangũt. Antequam probetur minor diffiniendæ sunt, & diuidendę prædictæ species motus localis.

Pulsio. Pulsio est motus, quo mouens facit à se distare, vel elongare mobile.

Impulsio. Pulsio diuiditur in impulsionem & expulsionem: impulsio est motus, quo mouens à se pellit mobile, nec deserit ipsum vsque in finem motus.

Expulsio. Expulsio est motus, quo mouens à se pellit mobile, nec comitatur ipsum vsque in finem motus: sed deserit illud,

Vectio. Vectio est motus mobilis, quo mouetur per accidens ad motum ipsius vehentis, vt dum Socrates deferitur naui, aut equo, est vectio, quia Socrates mouetur ad motum equi vehentis, qui quidem equus mouetur per se.

Tractio. Tractio est motus, quo mobile mouetur ad mouens, vt propinquetur ipsi mouenti, & sic tractio opponitur pulsioni, nam in pulsione mobile distat à mouente, sed in tractione mobile propinquat mouenti.

Tractio fit tribus modis. Primo aliquid trahit mobile, vt finis, sic lucrum trahit mercatorem Venetias. sic intelligitur poẽta, trahit sua quenque voluptas. Secundo aliquid trahit mobile, vt alterans & causans in eo quãdam qualitatem, sicut ambra calefacta ex confricatione trahit paleam, sicut magnes, id est, calamita trahit ferrum, nam ex contactu calamitæ ferrum recipit qualitatem occultam, qua trahitur ferrum. Tertio aliquid trahit mobile motu locali tantũ fine alteratio

alteratione, vt cùm trahitur nauis ad litus, &c. Et hoc tertio modo consideratur ibi à Philosopho.

Vertigo. Vertigo est motus cõpositus ex pulsione & tractione. nam quando mouens mouet mobile vertigine, id est circulariter: In prima parte motus à se pellit mobile, in secũda parte motus ad se trahit mobile, vt patet ad sensum descripto circulo.

Positis his diffinitionibus probatur minor, scilicet quòd in omni specie motus localis mouens proximum, & mobile sint simul, sic, in pulsione mouens facit à se distare mobile, sed hoc non esset nisi in principio motus mouens tangeret mobile: vt nunquam distabit lapis à me, nisi proiiciam eum & sic tangam, aut mediante manu, aut brachio, &c. Ergo patet quòd in pulsione saltem in principio motus, mouens proximum & mobile sunt simul.

In tractu ex diffinitione sua mobile propinquat mouenti, & non deseritur mobile, donec propinquauerit. ergo si non deseritur à mouente, tangitur à mouente. Et sic in tractu mouens & motum sunt simul.

In vectione probatur, quicquid vehitur, aut vehitur motu, qui est pulsio, aut tractu, aut motu progressiuo, & id quod vehitur semper hæret ipsi vehenti, vt equitator hæret equo, & nauta est in naui: ergo patet ad sensum, quòd in vectione mouens, & mobile sunt simul.

In vertigine probatur, vertigo componitur ex pulsu, & tractu. sed in pulsu & tractu mouens & motum sunt simul, vt probatum est ergo in vertigine mouens & motũ sunt simul.

Tex. c. 11. Quòd in alteratione, alterans proximum & alteratum se tangunt, probat sic Philosophus, in motione, quæ est secundum sensum exteriorem, vt secundum visum, auditum, &c. Mouens proximum & motum sunt simul: ergo in omni alteratione id verum est. consequentia probabitur in cap. 3. quoniam ibi declarabitur, quòd nulla est alteratio primò & per se, nisi in tertia specie qualitatis, in qua sunt qualitates passibiles causantes passionem in sensu exteriori, vt etiam declarauimus in Compendio maiori super Logicam in prædicamentis. Nunc quidem probabitur antecedens.

Et primò in visu, & in hoc motu, qui est videre est necesse quòd similitudo rei visibilis recipiatur in aëre, qui est medius inter rem visibilem & oculum, & sic deferatur ad oculum: tunc sic, similitudo rei visibilis est mouens oculum ad videndum, & hæc similitudo tangit oculum, cùm per aërem intermedium deferatur ad oculum, ergo in hoc motu, qui est videre, mouens proximum & mobile se tangunt.

Secundò probatur in auditu. Nam sonus est mouens auditum, & non potest mouere nisi deferatur ad aurem intrinsecè: cuius signum est quòd si obturatur auris non sentitur sonus, ergo in hoc motu, necesse est mouens proximum, quod est sonus, tãgere mobile, quod est quædam miringa in aure, vt dicetur in 2. de Anima.

Tex. c. 12. Tertiò probatur de odoratu, in hoc motu, qui est odorare, necesse est speciem odoris deferri vsque ad nares intrinsecè, ergo in hoc motu conclusio est vera, mouens enim, qui est odor, tangit nares intrinsecè.

Quarto probatur in gustu, & tactu simul. Nam non fit gustatio nisi sapor tangat linguam, in qua fundatur gustus, nec fit tactus nisi aliquod calidum, aut frigidum, durum, aut molle vniatur alicui parti corporis, qua aliquid tangitur. Nã, vt dicemus in 2. de Anima, sensus tactus fundatur in toto corpore. patet igitur, quòd in omni motu alterationis, quæ est secundum sensus exteriores mouens proximum, & mobile sunt simul. Nota tamen, quòd in his motibus secundum sensum solùm odoratio, & gustatio, & tangere est verè alteratio, vt dicemus in 2. de Anima, pro nunc supponatur.

Tex. c. 13. Quòd in augmento & decremento mouens & motum, id est augmentans, & augmentatum sint simul, probat sic, augmentum fit, prout aliquid opponitur priori quãto. vt fit augmentum in domo, prout noui lapides apponuntur priori parieti, sed augens non potest apponere nisi tangat id, cui apponitur, vt patet ad sensum: ergo augens & auctum sunt simul & se tangunt. Decrementum autem fit prout aliquid subtrahitur à priori quanto, vt quando à situla aquæ subtrahitur cyathus aquæ, sed nõ potest fieri subtractio nisi subtrahens proximum tangat id à quo aliquid subtrahitur, vt patet ad sensum, ergo & in decremento mouens & motum proxima sunt simul. Et sic patet quòd in omni genere motus mouens proximum & mobile sunt simul, vel sunt vnita, vel se tangunt quòd idem est. Hæc de 2. sufficiant.

CAPVT III.

Quòd alteratio primò, & per se non in prima, nec secunda, nec quarta specie qualitatis, sed solùm in tertia specie fit.

CIrca tertium cap. probandum est, quòd omnis alteratio primò & per se non fit nisi in tertia specie qualitatis, vbi situantur obiecta quinque sensuum exteriorum.

Et primò probatur, quòd non fit alteratio in quarta specie qualitatis, quæ est forma vel figura, quæ qualiter differant declaraui in compendio maiori super Logicam in prædicamentis. Sic igitur probat Philosophus, in quibuscunque qualitatibus est alteratio, qualitas prædicatur in recto, & concretè de subiecto alterabili, & subiectum prædicatur de qualitate, vt hic, aqua est calida, & econuerso, calida est aqua, item Plato est sanus, & sanus est Plato, sed in quarta specie qualitatis forma & figura non prædicantur in recto de suo subiecto, nec subiectum prædicatur de figura, & forma in recto, hæc enim falsa, triangulus est lignum, vel lignum est triangulus, ergo signum est quòd non est alteratio in quarta specie. Præterea quando aliquid alteratur non perficitur imò imperficitur, nam alteratio propriè est quando in subiecto recipitur accidens disconueniens, vt cùm homo infirmatur, sed cùm subiectum recipit figuram vel formam suam perficitur, quia per ipsam habet esse, ergo non est alteratio secundum formam & figuram.

Tex. 14.

Secundò probatur, quòd non fit alteratio primò & per se in prima specie vbi sunt habitus, & dispositiones corporeæ & intellectuales, & morales.

Tex. 14.

Et primò in habitibus corporis, vt est agilitas, sanitas, robur, pulchritudo, &c. quos enumeraui in Compendio minori super Logicam paruam in prædicamentis, sic igitur probat Philosophus in relatione non est alteratio. Cùm in ea non fit motus, vt probatum est in Quinto lib. sed isti habitus corporei dicunt relationem, vt patet in diffinitionibus suis. Nam agilitas dicit respectum ad opus expeditum. Ille enim agilis est qui expeditè se mouet ad agendum. & sanitas dicit adæquationem humorum, quæ adæquatio est relatio, & pulchritudo dicit proportionem debitam omnium membrorum, quæ proportio est relatio, & sic de aliis: ergo in his habitibus non est alteratio, quomodo isti habitus dicant relationem videbitur in solutione argumentorum.

Secundò probatur, quòd non fit alteratio in habitibus moralibus, qui sunt fortitudo, temperantia, &c. & probatur sic, virtus est quædam perfectio virtuosi, perficit enim opus eius. Nam virtus in 2. Ethico. est quæ bonum facit habentem, & opus suum reddit bonum. tũc sic, virtus perficit virtuosum, ergo quando recipitur virtus non est alteratio in virtuoso, vanum enim est dicere subiectum alterari, quando perficitur, vt dictum est etiam de forma & figura, sic patet quòd secundum habitus morales non est alteratio. Nota tamen, quòd antequam recipiatur virtus, præcedit aliqua alteratio in appetitu sensitiuo, qua disponitur homo ad suscipiendam virtutem. Nam secundum Stoicos est necesse omnem passionem remoueri ab appetitu sensitiuo, quia dicebant virtutem esse quandam impassibilitatem, id est remotionem omnium passionum, vel secũdum Peripateticos est necesse passiones moderari & frænari, quia dicũt virtutem esse medium inter duo extrema, vt fortitudo est medium inter timores & audacias, sed pasiones nõ possunt remoueri, nec etiam temperari sine alteratione, vt diffusus constabit in 2. de Anima, ergo ad hoc quod recipiatur virtus in homine est necesse quòd præcedat aliqua alteratio in homine disposito ad virtutem.

Tertiò probatur, quòd non fit alteratio in habitibus intellectualibus, quæ sunt scientia, sapientia, prudentia, &c. sic, id quod recipitur in intellectu per solam quietationem passionum & residentiã motuum inordinatorum, qui sunt in homine, non recipitur per alterationem, sed sciẽtia & sapientia recipiuntur in intellectu per quietationem, & passionem, & residentiam motionum, quæ sunt inordinatæ: ergo habitus intellectuales non recipiuntur in intellectu per alterationem, probatur minor ex duplici exemplo. Primum est, si quis iam acquisita scientia inebrietur, aut infirmetur, aut opprimatur magna tristitia, nõ potest vti scientia iam acquisita. Cùm verò motus ebrietatis quieuerit & sanus erit, aut à calamitate liberabitur, tunc veluti quiescens vti poterit sciẽtia acquisita: ergo signum est, quòd sciẽtia causatur per quietationem motuum & passionum. Inde prouenit propositio famosa Arist. scilicet sedendo, & quiescẽdo fit anima prudẽs. Secundũ exemplum est, quòd pueri & iuuenes malè adiscunt, & cum difficultate speculantur, quia plurimus motus corporis est in eis, scilicet augmentum, & sequuntur motus passionũ, ideo nec sunt conuenientes auditores ethices, vt inquit Philosophus in 1. Ethic. cùm passiones dominentur eis, si autẽ per virtutẽ moralẽ & bonos mores ac exercitiũ studendi quiescãt à passionibus, tũc optimè

optimè fiũt sciẽtes, vt seniores, qui iam ex ætate à passionibus quiescunt, super omnia, aut suffragatur castitas adiscenti, vt testatur Comment. in 7. Physi. com. 20. ergo clarum est, quòd scientia causatur ex quiete, & residentia motuum inordinatorum, & passionum, & non per alterationem. Et sic patet quòd in prima specie qualitatis non est primò & per se alteratio. Non probat Philosophus quòd non fit in secunda specie, quæ est naturalis potentia, vel in potentia, quia tales qualitates insunt rebus à natura, & consequuntur formam substantialem, vnde eadem generatione producitur Socrates & risibilitas sua, & anima & omnes potentiæ suæ, potius ergo producuntur generatione quàm alteratione, & sic patet quòd omnis vera & propria alteratio est solùm in tertia specie qualitatis.

Nota tamen, quòd causa acquirendi scientiam per quietationem passionum, potius est secundum mentem Platonis quàm secundum Aristotel. sed pro nunc sufficiat, quoniam in tertio de Anima de his plenus tractatus erit.

Vltimò soluenda sunt quædã argumenta contra prædicta.

Argumentum primum. Et primum probat, quòd hæc propositio suprapposita sit falsa, scilicet, quiescẽtibus partibus quiescit totum. Contra quam sic arguit Auicenna, hæc propositio est impossibilis in aliquo mobili puta in cœlo, nam partes cœli non possunt quiescere, ergo ex ea sequitur impossibile, scilicet, totum quiescit, ex vno enim impossibili sequitur aliud impossibile, vt ex eo quòd homo est lapis, sequitur quòd est inanimatus. Cùm ergo illa ratio procedat ex impossibili & falso non potest per eam probari hæc conclusio, omne mobile inanimatum mouetur ab altero, quia ex falso non probatur verum, vt dicitur in Primo Posteriorum.

Ad hoc respondet Beatus Thomas, & Commẽta. in com. 2. quòd Aristote. loquitur solùm conditionaliter sic, si partes alicuius mobilis quiescunt totum mobile quiescit, potest autem consequentia facta in conditionali esse bona, licet antecedens, & consequens sint impossibilia: vt hic, si homo est asinus, homo est rudibilis, ex hoc tamen non ponitur in esse, scilicet, quòd homo sit asinus, nec sit rudibilis: sic in proposito hęc consequentia est bona, si partes mobilis quiescunt, puta partes cœli, totum cœlum quiescit, propter hoc tamen non dicit Philosophus quòd partes cœli quiescant: Bona ergo est ratio Philosophi, quia tantum loquitur conditionaliter, Auicenna autem credebat quòd loqueretur de inesse & de facto, ideo argumentum suum non concludit.

Secundũ. Secundum probat, quòd non omne mouens tangat mobile sic, sol calefacit terram, & tamen non tangit terram: item manus mouet lapidem baculo, & tamen non tangit lapidem: item ignis calefacit manum tempore hyemali, & tamen non tangit manum.

Ad hęc omnia respondetur, quòd non sumitur mouens, & motum proximum. Nam Sol primò causat aliquam qualitatem in cœlo Veneris, quod est contiguum cœlo Solis, & cœlum Veneris causat similiter aliquid in cœlo Mercurij, & cœlum Mercurij in Luna, & Luna in igne, & ignis in aëre, & aër in terra. Et omnes cœli ac elementa se tangunt, Sol igitur per hæc omnia media mouet ac calefacit terram. Et sic per hæc media tangit terram, similiter manus tangit baculum, & baculus tangit lapidem, baculúsque est mouens proximum. Nam est motus à manu, & est mouens lapidem, similiter ignis tãgit aërem intermedium inter ipsum ignem, & manum meam, & aër tangit manum meam. Ignis primò calefacit aërem, aër calefactus calefacit manũ, sicq; mouẽs proximũ est aër, nam est motum & mouens, motum quidem quia calefit ab igne, mouens autem, quia calefacit manum.

Tertium. Tertium probat, quòd in acquisitione scientiæ est alteratio sic, in acquisitione scientiæ, vt patet per experientiam est maximus labor, & aliquando adiscens infirmatur, aliquando capite dolet & grauatur, ergo ibi est alteratio.

Ad hoc respondet B. Tho. quod subiectum receptiuum alicuius accidentis est triplex. Primum est, quãdo est sufficienter dispositum, & nullum est impedimentum in ipso, tunc statim recipit accidens, vt aër serenus est sufficienter ad lumen dispositus, & ideo statim ad præsentiam Solis recipit lumen. Secundum est, quando non est dispositum ad recipiendum accidens, sed indiget alteratione, vt disponatur, vt stannum secundum se non est dispositum ad formam scutellæ, sed indiget liquatione & calefactione, vt recipiat illam formam. Tertium est quando secundum naturam suam est dispositum, sed est aliquod impedimentum prohibens, vt cùm aër est plenus nebulis, est quidem dispositus ex se ad lumen, sed indiget aliqua alteratione præcedente remouente tale impedimentum, puta calefactione Solis resoluente nebulas: sic est de intellectu humano, ipse quidem ex se est aptus ac dispositus ad recipiendum scientiam, sed quia homini plura insunt impedimenta, quibus prohibetur recipere scientiam, vt sunt motus corporis, infirmitas, debilitas sensuum, impetus passionum, ideo indiget aliqua alteratione præcedente, qua remoueantur hæc impedimẽta. dico igitur ad argumentum, quòd ille labor, aut infirmitas non est ex parte intellectus, sed ex parte corporis corruptibilis & alterabilis. Et ideo cùm anima erit separata, nullus ei erit labor in speculando. Hic terminatur primus tractatus super septimo Physicorũ.

TRACTATVS SECVNDVS
super Septimo Physicorum.

IN hoc secundo tractatu agenda sunt tria.

Primò declarabitur quotuplex est comparatio. & quot requiratur ad propriissimam comparationem.

Secundò declarabitur in communi qui motus sint comparabiles adinuicem.

Tertiò declarabitur quomodo comparantur ponendo aliquas regulas comparationis.

CAPVT I.

Quotuplex sit comparatio, & quæ ad veram requirantur comparationem.

CIrca primum nota, quòd comparatio vera, & abusiua sumitur tripliciter, scilicet communiter, propriè, & propriissimè. Comparatio communis est quando illud prædicatum, in quo aliqua duo comparantur, conuenit vtrique secundum vnam rationem, saltem analogam: vt substantia est perfectior accidente, nam perfectum prædicatur de substantia, & de accidente sicut ens, ens autem secundum B. Tho. prædicatur analogicè de prædicamentis, & de substantia, & accidente: similiter dum dico, deus est melior & sapientior creatura, ibi est comparatio communis, quia bonitas, & sapientia prædicantur analogicè de deo & creatura. nam creatura non est bona, nisi quia habet ordinem ad deum. Comparatio propria est, quando extrema comparabilia sunt eiusdem generis, vel speciei specialissimæ: prædicatum autem, in quo comparantur, est semper species specialissima: exemplum primi, coruus est nigrior columbo, coruus & columbus sunt eiusdem generis, quia continentur sub animali, nigredo autẽ species specialissima, in qua comparantur: exemplum secũdi Plato est albior Socrate. Comparatio propriissima est, quando prædicatum, in quo extrema comparantur est semper species specialissima, & extrema comparabilia semper sunt eiusdem speciei specialissimæ, vt Plato est albior Socrate, & de hac principaliter loquitur philosophus in Septimo physico. & dicit quòd tres conditiones requirit.

Prima est, quòd prædicatum in quo fit comparatio prædicetur de vtroq; extremo cõparabili vniuocè & non æquiuocè, propterea hæc comparatio nulla est, vox Socratis est acutior acu vel gladio, nam acutum est æquiuocum, nam vt prædicatur de voce non prædicatur de acu, nam vox dicitur acuta, quæ fortiter penetrat auditum, acus dicitur acuta, quæ fortiter penetrat tactum, vel corpus densum. *Tex. c. 21. 22. 23.*

Secunda conditio est, quòd prædicatum, in quo fit comparatio debet habere idem susceptiuum, id est, debet recipi in vtroque extremo comparabili eodem modo, vnde hæc comparatio est bona, Plato est albior Socrate, quia albedo recipitur in vtroque inquantũ habent superficiem: quæ est immediatum subiectum coloris: hæc autem cõparatio nulla est, scilicet, vox Socratis est maior Socrate, quia magnitudo recipitur in Socrate prout est substantia, sed magnitudo recipitur in voce, put vox est sonus fortiter immutãs auditũ.

Tertia conditio est, quòd prædicatum, in quo fit comparatio debet esse species specialissima, & similiter extrema cõparabilia, propterea hæc comparatio non est propriissima, Plato est sapientior, vel doctior Socrate, quoniam doctrina est genus. Cuius species sunt doctrina logicæ, doctrina philosophiæ, doctrina geometriæ, &c. Hæc autem est propriissima, Plato est magis geometra quàm Socrates, quoniam geometria, in qua conueniunt, est species specialissima & extrema comparabilia sunt eiusdẽ speciei, scilicet Plato, & Socrates: similiter hæc non est propriissima, equus est pulchior asino, quoniam pulchritudo non est species specialissima, nec equus & asinus sunt eiusdem speciei specialissimæ. igitur propriissima comparatio habet has conditiones, scilicet prædicatum in quo fit comparatio sit vniuocum, & recipiatur in vtroque extremo eodem modo, & sit species specialissi

ſpecialiſsima atque extrema comparabilia ſint eiuſdem ſpeciei. Hæc de primo ſufficiant.

CAPVT II.

Qui nam motus cui motui comparabiles ſint.

CIrca ſecundum, ſcilicet qui ſint motus comparabiles adinuicem, ita quòd vnus poſsit dici ęquè velox ſicut alter, vel velocior, aut tardior altero, pro horum notitia ponuntur quædam concluſiones, quas excipio à Philoſop. in 7. Phyſico.

Tex.c.21. 22.23. Prima concluſio, motus localis & alteratio, aut augmentum non ſunt comparabiles adinuicem, ita quòd non poteſt dici motus localis eſt velocior alteratione, aut æquè velox probatur ſic. Quæ ſunt adinuicem comparabilia propriiſsimè ſunt eiuſdem ſpeciei, vt dictum eſt: ſed motus localis & alteratio non ſunt eiuſdem, imò ſunt duæ ſpecies motus, vt dictum eſt in 5. Ergo non ſunt comparabiles adinuicem.

Secunda cōcluſio, Motus rectus & circularis nō ſunt comparabiles, quia localis circularis, & motus rectus localis non ſunt eiuſdē ſpeciei, nec ſunt ſuper magnitudinē eiuſdē ſpeciei, nam diſtinguūtur ſpecie magnitudo recta, & circularis, ſicut linea recta, & circularis, ergo etiam diſtinguūtur ſpecie motus localis rectus & circularis, ergo non ſunt comparabiles.

Tertia concluſio, Omnes motus locales recti ſunt adinuicem comparabiles, ſimiliter omnes motus circulares adinuicem, puta poſſunt dici motus ſtellarum fixarum eſſe æquè veloces: motus autem in planetis vnus tardior, alter velocior. probatur, omnes motus recti ſunt ſuper magnitudinem eiuſdem ſpeciei quæ eſt linea recta, & omnes motus circulares ſunt ſuper magnitudinem eiuſdem ſpeciei quæ eſt linea circularis, ergo ſunt adinuicem comparabiles.

Et nota, quòd tunc duo motus locales ſunt æquè veloces, quando duo mobilia pertranſeunt æquale ſpatium in æquali tempore, vt quando Socrates & Plato tranſeunt vnum miliare in vna hora, tunc autem eſt velocior vnus altero, quando pertranſit Socrates æquale ſpatium in minori tempore, puta vnum miliare in dimidia hora, vel tranſit maius ſpatium in æquali tempore, puta duo miliaria in vna hora.

Tex.cap. 32.33. Quarta concluſio, Omnes alterationes, per quas acquiritur vna qualitas ſecundum ſpeciem ſunt comparabiles in velocitate, & tarditate, puta omnes ſanationes, & omnes dealbationes poſſunt adinuicem comparari. probatur, contingit, quòd Plato & Socrates æquali tempore, puta in vna die ſanantur. ergo illæ ſanationes ſunt æquè veloces, & contingit quòd facies Socratis denigratur à Sole in vna hora, facies verò Platonis denigratur in duabus horis. ergo denigratio Socratis eſt velocior, & ſic ſunt comparabiles. Si autem quæras quot requirantur ad hoc, quòd duę alterationes ſint ęquè veloces, reſpōdet Philoſophus, quòd tria requiruntur primò, quòd ſit vna qualitas eiuſdem ſpeciei acquiſita per vtranque alterationem, puta ſit albedo acquiſita per duas dealbationes. Secundò quòd illa qualitas ſit æquè perfectè acquiſita per vtranque alterationem. Nam, ſi albedo perfectè acquiratur in vno ſubiectò alterabili per vnam dealbationem, & in alio remiſſè ac imperfectè, illæ alterationes non ſunt æquè veloces. Tertiò requiritur quòd duo alterabilia ſecundum æquales partes in æquali tempore alterentur: puta ſunt duo corpora, quorum vtrunque ſit bicubitale, & debeant dealbari, ſi medietas vtriuſque dealbatur in vna hora: & alia medietas in alia hora, iſtæ dealbationes ſunt æquè veloces, ſi autem ſolùm tertia pars de primo dealbatur in vna hora & pluſquam medietas dealbatur, de ſecundo in alia hora, tunc prima dealbatio eſt tardior, & ſecunda eſt velocior.

Quinta concluſio, Duæ generationes poſſunt dici æquè *Tex.c.34.* veloces, quando in æquali tempore generantur duo eiuſdem generis, vel eiuſdem ſpeciei. exemplum primi, ſi equus, & mulus generantur in ſex menſibus, iſtæ generationes ſunt æquè veloces. quia equus & mulus continentur ſub animali perfecto, vt ſub vno genere: & ideo, ſi in ſex menſibus generantur vermis, & equus non poſſunt dici generationes æquè veloces, quia diſtinguūtur genere vermis & equus, nam vermis eſt animal imperfectum, equus autem eſt animal perfectum. Exemplum ſecundi, ſi Plato & Socrates æquali tempore, puta ſex menſibus generentur ſunt generationes æquè veloces, ſi autem Plato generatur in 9. menſibus & Socra. in 10. prima eſt velocior, & ſecunda eſt tardior.

Notandum eſt poſtremò, quòd, quia dictum eſt ſuprà, quòd veriſsima comparatio eſt quando comparabilia ſunt eiuſdem ſpeciei, & quando id, in quo comparantur prædicatur vniuocè de eis, & eſt ſpecies ſpecialiſsima, ideo dicit Philoſophus quòd corollariè ſequitur genus eſſe æquiuocum ſecundum Phyſicum, puta animal, ſolam autem ſpecialiſsimam eſſe vniuocam, cuius ratio eſt, quia ſpecialiſsima ſpecies dicit vnam rationem, & vnam naturam repertam in ſuis indiuiduis, puta homo dicit vnam diffinitionem, & naturam humanam, quæ eſt in omnibus hominibus, animal verò licet dicat vnam rationem conuenientem cuilibet ſpeciei, quæ eſt hæc, animal eſt ſubſtantia animata ſenſitiua, tamen non dicit vnam naturam conuenientem cuilibet ſpeciei. alia eſt enim natura hominis, alia equi, &c. Et ideo diximus in prædicabilibus, quòd genus licet ſit vniuocum ſecundum Logicum, eſt tamen æquiuocum ſecundum Phyſicum, vnde dicit Ariſto. in 7. Phyſi. Iuxta genera latent æquiuocationes, ſimiliter ſecundum genus non ſit propriiſsima comparatio. Hæc de ſecundo ſufficiant.

CAPVT III.

IN tertio capite, ponendæ ſunt regulæ comparationis, quas aſsignat Philoſophus & declarandæ. Et primò nota, quòd in motu locali ponit ſex regulas, quarum quatuor ſunt affirmatiuæ, & duæ ſunt negatiuæ.

Prima, ſi aliqua potentia moueat aliquod mobile in aliquo tempore per aliquod ſpatium eadem potentia mouebit medietatem mobilis in eodem tempore per duplum ſpatium. verbi gratia, ſi potentia motiua, quæ eſt in brachio Socratis mouet lapidem duarum librarum per vnum miliare in vna hora, ipſamet potentia Socratis mouebit medietatem illius lapis, ſi diuidatur per duo miliaria in vna hora, quia quanto minus reſiſtit mobile mouenti, tanto plus, & longiori ſpatio poteſt moueri in æquali tempore, ſed minus reſiſtit potentiæ Socratis medius lapis, quàm totus lapis, quia eſt minoris ponderis & in duplo minus reſiſtit. ergo in duplo longiori ſpatio mouebitur in æquali tempore. Et nota, quòd hæc regula ſupponit, quòd figuræ totius mobilis & dimidij mobilis ſint ſimiles, & quòd medium in quo mouentur puta aër, ſit æquè ſubtile, & ſpatium ſit vniforme, hæc enim omnia poſſent impedire velocitatem motus. *Prima regula. Tex.*

Secunda, ſi aliqua potentia mouet aliquod mobile in aliquo tempore per aliquod ſpatium eadem potentia mouebit medietatem illius mobilis in medietate illius temporis per æquale ſpatium, verbi gratia, ſi Socrates trahit lignum centum librarum in pondere per duo miliaria in vna hora, ipſemet Socrates trahet dimidium illius ligni in media hora per duo miliaria: quia cùm minus reſiſtat medietas ligni velocius mouebitur quàm totum lignum: ergo vel mouebitur per longius ſpatium in æquali tempore. Et hoc contingit per primam regulam, vel mouebitur per æquale ſpatium per minus tēpus. Et hoc eſt quod concludit hæc ſecunda regula. *Secunda regula.*

Tertia, ſi aliqua potentia mouet aliquod mobile per aliquod ſpatium, medietas potentię mouebit medietatem mobilis per idem ſpatium in æquali tempore. verbi gratia, ſit Socrates, qui habeat potentiam motiuam in 8. gradibus, & ferat lignum decem ponderum per vnum miliare in vna hora: ſumatur Plato, qui habeat potentiam motiuam ſolùm in 4. gradibus, ita quòd ſeruetur proportio dupla inter 8. & 4. Item diuidatur lignum decem ponderum in duo media, ſcilicet quinque, & quinque pondera: dico, quòd Plato feret lignum quinque ponderū per vnum miliare in vna hora, quia ſicut inter potentiam motiuam Socratis & Platonis eſt proportio dupla, ita inter lignum decem ponderū, quod quinq; ponderum eſt proportio dupla. & quantū reſiſtit lignum decem ponderū potentiæ Socratis, tantum reſiſtit lignū quinq; ponderum potentiæ Platonis, quia ſemper ſeruatur proportio dupla: ergo tanta velocitate Plato mouebit medium lignum, quanta mouebit Socrates totum lignum, dummodo mediū, & figura ſint conformia, vt dictū eſt in prima regula. *Tertia regula. Tex.*

Quarta, ſi duæ potentiæ moueant duo mobilia per aliquod ſpatium in aliquo tempore, aggregatum ex illis duabus potentiis mouebit aggregatum ex illis duobus mobilibus per idem ſpatium in æquali tempore. verbi gratia, ſint Socrates & Plato, & Socrates per ſe portet lapidem decem ponderum, ſimiliter Plato portet lapidem alium decem ponderum, vterque per vnum miliare in vna hora, ſumatur Marcus, qui habeat tantam virtutem motiuam, quantam habent Socrates & Plato ſimul: dico quòd Marcus portabit per ſe ſolum vtrunque lapidem ſimul in vna hora per vnum miliare, quia tanta eſt virtus in ſolo Marco, quanta eſt collectiuè in Socrate & Platone: ergo portabit vtrunque lapidem æquali velocitate. *Quarta regula. Tex.*

Quinta, non ſi aliqua potentia mouet aliquod mobile per aliquod ſpatium eadem potentia mouebit mobile duplo maius per medietatem ſpatij in æquali tempore. verbi gratia, non eſt neceſſe ſi Socrates mouet lapidem decem ponderum per vnum miliare in vna hora, quòd ipſemet Socrates moueat lapidem viginti pōderum per medium miliare in vna hora, quia fortè maior erit reſiſtentia lapidis viginti ponderum, quàm ſit potentia Socratis, & ideo nullo modo mouebit ipſum lapidem, quia à proportione minoris inæqualitatis non ſequitur motus, aut actio. *Quinta regula.*

Sexta regula. Sexta, non ſi aliqua potentia mouet aliquod mobile per aliquod ſpatium in aliquo tempore, medietas illius potentiæ mouebit totum illud mobile per medietatem ſpatij in æquali tempore: verbi gratia, pono quòd Plato, & Socrates habeant æqualem potentiam motiuam, quòd & portent collectiuè vnum modium frumenti per vnum miliare in vna hora, non ſequitur quòd ſolus Plato portet ipſum modium frumenti per medium miliare in vna hora: nam fortè non poterit ipſum aliquo modo mouere, cùm maior ſit reſiſtentia ipſius modij quàm potentia ſolius Socratis.

Poſitis regulis comparationum in motu locali, Philoſophus ponit regulā in motu alterationis, & augmēti, quæ habet quatuor partes, & poſſunt formari quatuor regulæ ac declarari.

Tex.c.39. Prima, ſi aliquod alterans cauſat aliquantam qualitatem in aliquo ſubiecto in vna hora, cauſabit duplam qualitatem in eodem ſubiecto in duabus horis. verbi gratia, ſi ignis A, cauſat in vaſe aquæ duos gradus caloris in vna hora, ipſemet ignis cauſabit in eadem aqua quatuor gradus caloris in duabus horis, quia ſeruatur eadem proportio, ſcilicet, dupla, quæ eſt inter duo, & vnum, & inter duo ac quatuor, nota tamen quòd eſt neceſſe ipſum ignem ſemper eſſe æquè potētem, & ipſam aquam eodem modo propinquam igni: & æquè diſpoſitam.

Secunda, ſi detur alterans duplo potentius quàm præcedens, cauſat qualitatem duplam in eodem tempore. verbi gratia, detur ignis duplo maior quàm ignis A, de quo dictum eſt in præcedenti regula dico, quòd, ſi ignis A cauſabit duos gradus caloris in aqua in vna hora, hic ignis duplo maior cauſabit quatuor gradus caloris in aqua in vna hora, nam ex quo potentior eſt, maiorem effectum habet in aqua.

Tertia, ſi ignis duplo potentior cauſat quatuor gradus caloris in aqua in vna hora, ergo cauſat duos gradus in media hora, hæc clara eſt, dummodo ſemper æqualiter calefaciat.

Quarta, ſi ignis prædictus diuidatur in duo media, medietas ipſius ignis cauſabit duos gradus caloris in vna hora, nam bene ſequitur ſi totum cauſat quatuor, quòd dimidium cauſat duo, quia ſeruatur proportio dupla. Nota tamen quòd has regulas non intelliges ſine notitia proportionum, ideo eas ordinaui in fine huius ſeptimi.

Vltimo, Philoſophus ponit regulam negatiuam quæ eſt hæc, ſi aliqua potentia alterat aliquod ſubiectum totum in vna hora, non eſt neceſſe, quòd medietas illius potentiæ alteret idem totum ſubiectum in duabus horis, quia fortè nullo modo poterit ipſum alterare. verbi gratia, non eſt neceſſe quòd ſi vncia rheubarbari liberat, vel ſanat totum Socratē à febre in vna hora, quòd media vncia ſanet ipſum Socratem à febre in duabus horis, imò cōtinget quòd nunquā ſanabit eū, quia fortè media vncia erit improportionata illi ægritudini, cui tamē proportionatur tota vna vncia. Hæc de 3. ſufficiant.

Argumenta. Contra prædicta quædam ſiunt argumenta.

Primum probat, quòd in æquiuocis eſt bona comparatio ſic, hæc comparatio eſt vera: canis cœleſtis eſt maior cane latrabili, cùm ſit ſtella fixa, quarum quælibet viſo notabilis eſt maior terra, vt dicitur in tractatu ſphæræ. Et tamen canis cœleſtis, & latrabilis ſunt æquiuoci, ergo in æquiuocis ſunt veræ comparationes.

Ad hoc dicitur, quòd in ęquiuocis non eſt comparatio quo ad illa prædicata, quæ non conueniunt vtrique, ſicut in propoſito canis cœleſtis, & latrabilis non poſſunt comparari his prædicatis, eſſe lucidum, eſſe quadrupes, eſſe incorruptibile, quantum autem ad prædicata quæ conueniunt vtrique poſſunt comparari comparatione communi, quia vt ſic non ſunt æquiuoca. Nam eſſe corpus conuenit vtrique vniuocè ſecundum Logicum, & quia magnitudo vel paruitas in cane eſt inquantum eſt corpus, ideo prædicta comparatio eſt bona, ſimiliter hæc eſt bona, canis cœleſtis eſt nobilior, & perfectior, & durabilior cane latrabili.

Secundū. Secundum probat, quòd duæ generationes non ſunt comparabiles in velocitate, ita quòd poſſunt dici æquè veloces, vel vna velocior, & alia tardior ſic, ſi poſſunt dici æquè veloces, ergo fiunt in tempore. velox enim & tardum diffiniuntur per tempus, vt dictum eſt in Quarto Phyſico. ſed generationes non fiunt in tempore ſed in inſtanti, vt dicetur in 8. Phyſi. ergo non ſunt comparabiles.

Ad hoc dicitur, quòd generatio ſumitur dupliciter, primò pro alteratione præcedente introductionem formæ in materia. ſecundò pro ipſa introductione formæ. nam quando ex ligno debet generari ignis, primò neceſſe eſt ipſum lignum calefieri ſufficienter, ſecundò poſt calefactionem recipitur forma ignis in materia ligni, ipſa calefactio dicitur alteratio præcedens, ipſa receptio formæ ignis in materia ligni, dicitur introductio formæ, & illa propriè eſt generatio. Ad argumentum igitur dico, quòd ſumendo generationem pro alteratione præcedente, vt ſic fit in tempore, & ſic ſunt comparabiles adinuicem, ſumendo autem pro ipſa ſola introductione formæ, ſic fit in inſtanti, & non ſunt comparabiles. Philoſophus autem quando comparat generationes adinuicem, ſumit eas pro alteratione præuia.

Tertium probat Philoſophum eſſe diminutum in comparatione motuum in ſecundo capite. Nam non comparauit duo augmenta, aut decrementa adinuicem, ſed ſolùm comparauit motus locales, alterationes & generationes. *Tertium.*

Ad hoc dicitur ſecundum B. Tho. quòd ex quo declarauit quomodo motus locales comparentur adinuicem, etiam declarauit implicitè de augmento. Nam ſicut motus localis fit ſuper aliquam magnitudinem, quæ eſt quantitas, ita etiam augmentum fit vt acquiratur aliqua quantitas maior, quæ poteſt dici magnitudo. igitur dando regulam de motu locali, dedit etiam virtualiter de augmento & decremento, quia oppoſita per ſe inuicem cognoſcuntur. Hîc terminatur ſecundus tractatus, & vltimus ſuper ſeptimo lib. Phyſico.

TRACTATVS, IN quo variæ ac multiplices Proportionum ſpecies deſcribuntur.

PRoportio eſt duplex, ſcilicet communiter dicta, & propriè dicta: primo modo eſt comparatio duorum adinuicem comparatorum in aliquo vno prædicato vniuoco: vt dum comparantur Socrates & Plato in albedine, vel alia qualitate, in qua conueniunt. ſecundo modo eſt duarum quantitatum adinuicem habitudo, vt duo comparata ad vnum in ratione continentiæ, quoniam duo bis continent vnum, & inde oritur proportio dupla.

Proportio propriè dicta eſt duplex, ſcilicet rationalis & irrationalis. Rationalis eſt duarum quantitatum commenſurabilium vna communi menſura adinuicem habitudo, vt bicubitum, & quatricubitum, commenſurantur enim cubito multiplicato, vt patebit infrà. Irrationalis eſt duarum quantitatum continuarum finitarum incommenſurabilium vna communi menſura, ita quòd non commenſurantur numero nec vnitate, vt coſta & diameter in quadrato. Non enim poteſt aſsignari aliqua menſura, quæ menſurās coſtam, poſteà ipſamet aliquota præciſè menſuret diametrū, ſed ſemper aut excedet, aut deficiet. Differunt autem, quoniam irrationalis non conſideratur ab Arithmetico, ipſa enim eſt de vnitate & numero: & huiuſmodi proportio non poteſt ab aliquo numero, nec ab vnitate denominari: in geometria autem vtraque conſideratur, quoniam ipſa eſt de magnitudinibus continuis, ex quibus aliquæ ſunt commenſurabiles, aliquæ non. Conſtat enim Geometram conſiderare latera quadrati cōmenſurabilia, & diametrū incōmēſurabilem lateris.

Proportionum rationalium alia eſt æqualitatis, alia inæqualitatis, proportio æqualitatis eſt duorum æqualium adinuicem habitudo, vt duo & duo.

Proportio inæqualitatis eſt duorum inæqualium adinuicem habitudo, vt ſex, & tria.

Proportio inæqualitatis eſt duplex, quoniam alia eſt minoris inæqualitatis, alia maioris.

Proportio maioris inæqualitatis eſt maioris ad minus habitudo, vt ſex ad tria.

Proportio minoris inæqualitatis eſt minoris ad maius habitudo, vt duo ad quatuor.

Proportio maioris inęqualitatis continet quinquæ ſpecies, quæ ſunt iſte, multiplex, ſuperparticularis, ſuperpartiens, multiplex ſuperparticularis, multiplex ſuperpartiens.

Proportio multiplex, eſt quando maius continet minus pluries præciſè, & multas habet ſpecies, nam ſi continet bis, dicitur dupla: ſi ter, tripla, vt 3. & 6, 2. & 6. ſi quater, quadrupla, vt 2. & 8. & ſic in infinitum.

Proportio ſuperparticularis, eſt quando maius continet minus ſemel & aliquam eius partem, & habet multas ſpecies. Nā ſi continet ſemel & medietatē, dicitur ſexquialtera *Secunda regula.*

vel

vel emiola,vt 3.& 2.si tertiam partem dicitur sexq itertia,vt 4.& 3.si quartam,sexquiquarta,vt 5.& 4.& sic in infinitum.

Proportio superpartiens, est quando maius continet minus semel. & aliquas partes, & habet multas species. Nam si continet semel minus & duas partes dicitur superbipartiens,vt 5.& 3.si tres partes,dicitur supertripartiens,vt 8.& 5. si quatuor partes, dicitur superquatripartiens, vt 12.& 8.& sic in infinitum.

Proportio multiplex superparticularis est quando maius continet minus pluries, & aliquam eius partem, & habet multas species,nam si continet bis.& medietatem dicitur dupla sexquialtera, vt 5.& 2. si tertiam partem, dicitur dupla sexquitertia,vt 1.& 7.si quartam partem, dupla sexquiquarta,vt 4.& 9.& sic in infinitum.

Proportio multiplex superpartiens est quãdo maius continet minus pluries, & aliquas eius partes, & habet multas species, nam si continet bis,& duas partes, dicitur dupla superbipartiens,vt 3. & 8. si bis,& tres partes dicitur dupla supertripartiens,vt 4.& 11.&c.

Vt autem scias omnes prædictas species, & multiplicari descripsi tabulam in qua scies discernere has species vsque ad centum vt declarabo infrã.

Declaratis speciebus proportionis maioris inæqualitatis, agendum est de proportionalitate,de proportionabilibus,de commutatis proportionabilibus.

Proportionalitas est comparatio duarum proportionum adinuicem,vt sicut se habet 6.ad 4.ita 3.ad 2.est autem triplex,scilicet Arithmetica,geometrica,& musicalis.

Proportionalitas Arithmetica est duarum proportionum similitudo secundum differentiam & excessum,vt 4.& 6.3.& 1.differentia autem siue excessus est quantitas, qua maius excedit minus,& quoniam inter 4.& 6.& inter 3.& 1.est idem excessus:sicut enim 6.superant 4.in duobus,sic 3.superant vnũ in duobus,ideo inter ea est proportionalitas Arithmetica.

Proportionalitas geometrica est duarum proportionum similitudo secundum speciem, licet sit dissimilitudo secundum excessum,vt 6.& 4.3.& 2.nam vtrobique est proportio sexquialtera, non autem est idem excessus, quoniam 6.superant 4.in duobus,& 3.superant 2.in vno.

Proportionalitas musicalis est, extremorum proportionum adinuicem, & differentiarum adinuicem similitudo, vt si dicatur sic 6.4.3.6.superant 4.in duobus, & 4. superant 3.in vno. Iste ergo sunt differentiæ siue excessus duo 2. & 1.& inter hæc seruatur proportio dupla. Nam sicut se habent 6. & 3.sic 2.& vnum.

Proportionalitatum arithmeticarum & geometricarum alia continua, alia discontinua. Continua est, quando copulantur partes ad communem terminum, vt sicut se habent, 4. & 2. ita duo & vnum, ly duo est terminus communis.Discontinua est, quando duæ proportiones non copulantur ad communem terminum,vt hic sicut se habent 6.& 4.ita 3.& 2.

Proportionabilia Arithmetica sunt illa quorum differentiæ, & excessus sunt æquales, vt 6, & 4.3. & vnum, superant enim 6.4.in duobus,& 3 vnum in duobus.

Proportionalia geometrica sunt illa, quorum proportiones sunt eiusdem speciei,vt 8.& 4.6.& 3.quoniam vtrobique seruatur proportio dupla.

Proportionabilia Arithmetica commutata sunt illa, quæ sic se habent quòd sicut antecedens vnius se habet ad antecedens alterius,sic consequens vnius ad consequens alterius secundum differentiam & excessum. vt hic,sicut se habent 6.ad 4.tria ad vnum,ergo commutando sicut se habent 6.ad 3.ita 4.vnum,sed 6. superant tria in tribus,ergo 4.superant vnum in tribus.

Proportionabilia geometrica commutata sunt illa, quorum antecedentia adinuicem, & consequentia adinuicem habent eandem speciem proportionis,vt hic,sicut se habent, 6.ad 3.ita 4.ad 2.ergo commutando sicut se habent, 6.ad 4. ita tria ad duo,sed inter 6.& 4.est proportio sexquialtera,ergo & inter 3.& 2.

Vt autem intelligas tabulam proportionum maioris inæqualitatis aduerte, quòd in quadrato inferius descripto in latere A,& B,proceditur ab 1.vsque ad decem, in latere autem C,& D,à decem vsque ad centum, aduerte quod qualis proportio est inter numeros primæ lineæ procedendo ab A, ad B,talis est inter numeros subsequentium linearum correspondenter.verbi gratia,quoniam inter 3.& 1.est proportio sexquialtera,eadem est inter 6.& 4.inter 9.& 6.inter 12.& 8. & sic, descende vsque ad vltimam lineam in qua 30.& 20. sunt in eadem proportione. Item aduerte quòd in tabula traxi desuper lineas arcuatas, vt scias species proportionum comprehensas inter dictas lineas.

A, B,

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
2	4	6	8	10	12	14	16	18	20
3	6	9	12	15	18	21	24	27	30
4	8	12	16	20	24	28	32	36	40
5	10	15	20	25	30	35	40	45	50
6	12	18	24	30	36	42	48	54	60
7	14	21	28	35	42	49	56	63	70
8	16	24	32	40	48	56	64	72	80
9	18	27	36	45	54	63	72	81	90
10	20	30	40	50	60	70	80	90	110

C, D,

Figura proportionum.

EPITOME SVPER LIBRO OCTAVO Physicorum.

TRACTATVS PRIMVS.

ARistoteles in 8.Physic.incipit applicare ad materiam particularem ea quæ dixit in præcedentibus libris de motu & mobili, & mouente in communi, & licet aliqualiter incœperit hanc applicationem in septimo,vbi probauit dari primum motorem, tamen id perfectius exequitur in hoc 8. quem diui demusin 4.tractatus.

In primo inuestigabimus vtrum semper fuerit motus non explicando quia motus semper fiunt.

In secundo determinabitur, quòd datur vnum primum mouens penitus immobile, & vnus primus motus æternus.

In tertio inuestigabitur qualis est primus motus,qui ponitur æternus secundum Aristote.

In quarto,inquiretur qualis est primus motor penitus immobilis vtrum sit virtus infinita,& incorporeus,&c.

TRactatum primum diuidimus in tria capita.

In primo ponentur opiniones antiquorum.

In secundo probabitur hæc conclusio,secundum Aristote. semper fuit aliquis motus,& sic mundus est æternus.

In tertio, soluentur rationes Philosophi.Nos enim tenemus secundum fidem, mundum esse creatum à Deo non ab æterno, & sic non semper fuit aliquis motus Physicus, quia ante mundum creatum nullus motus erat,vt dicemus.

CAPVT I.

Opiniones duæ afferuntur eius quod est, an semper fuerit motus.

CIrca primum cap. primò ponitur opinio eorum, qui dicunt semper fuisse aliquem motum, quorum princeps est Democritus:ipse enim opinabatur mundum fabricatum ex atomis,quæ sunt in continuo motu, & quorum natura est semper moueri,quibus adinuicem concurrentibus credebat mundum esse factum à casu, non ex aliqua prouidentia,& non solùm opinabatur hunc mundum, quem nos inhabitamus esse productum ex atomis,sed dicebat quòd mundi infiniti producuntur in spatio infinito vacuo, quorum quilibet post aliquod tẽpus destruebatur ex dissolutione atomorum, & alius producebatur in alia parte spatij vacui infiniti, sed generatio mundi non fit sine alteratione præcedenti,quia introductionem formæ in materia præcedit alteratio, alteratio autem est motus. Cùm ergo Democritus semper posuerit esse generationem mundorum, etiam semper posuit aliquem motum esse.

Secundò ponitur opinio eorum, qui dicunt non semper fuisse motum, & esse tantùm vnum mundum, non esse æternum,& isti sunt Anaxagoras,& Empedocles,sed diuersimodé. Nam Anaxagoras dicebat quòd per tempus infinitum res omnes erant adinuicem mistæ, puta elementa non erant distincta,sed simul erant,terra,aqua, aër, cœlum, stellæ,&c. Et hanc mistionem appellabat chaos, id est,confusionem, quia omnia erant simul confusa, & tunc nullus erat motus in rebus,nec in elementis, sed omnia simul quiescebant. Deinde intellectus primus, quem nos dicimus Deum, incœpit segregare elementa, & cœlum, & alia abinuicem, & collocare terram in suo proprio situ, sic aquam, sic aërem, &c.

Et hac

Et hac segregatione productus est mundus,&incœpit motus esse in cœlo, in elementis, & elementatis. Cùm igitur non semper fuerit mundus secundum Anaxagoram, ergo non semper fuit motus. Empedocles verò dicebat, quòd lis & amicitia sunt principia mundi,sed diuersimodè: nam lis producebat mundum, & conseruabat, proprium est enim litis disgregare,& separare res abinuicem,&quia est necesse quòd elementa, & cœli sint separata & collocata in locis propriis, si debet esse mundus, ideo ponebat mundum produci ex lite, & conseruari quandiu regnabat lis, sed transacto aliquo tempore insurgebat amicitia, & omnia confundebat adinuicem, sic quòd & elementa, & cœli, & alia erant mista simul,& tunc destruebatur mundus,nullúsque erat motus donec regnabat amicitia,& iterum insurgente lite adhuc fiebat mundus, & tunc incipiebat motus, patet igitur secundum Empedoclem quòd pro aliquo tempore erat motus,scilicet regnante lite, & pro aliquo tempore non erat motus,scilicet regnante amicitia, ergo non semper & continuè fuit aliquis motus.Nota quòd Empedocles fuit poëta,& scripsit de mundo sub Metaphoris,ideo in hac sententia sua aliquod dignum intendebat, similiter Anaxagoras, sed pro nunc transeo, si vita comes fuerit, in primo libro Metaphysi.declarabo quid intendebant sub his metaphoris.

CAPVT II.

Semper aliquem fuisse motum, ac mundum æternum ex Sent. Aristot.ostenditur.

CIrca caput secundum probandum est secundum Aristot. quod motus semper fuit,& sic mundus est æternus:& ibi fient duo.

Primò probabitur hæc conclusio præambula, omnis motus præsupponit suum mobile prius esse,saltem natura.

Secundò defensabitur creatio contra Commenta.

Motus omnis suũ mobile præsupponit. à Text.c.3. vsque

Circa primum ponitur hæc conclusio præambula, omnis motus supponit suum mobile, vt prius saltem natura, probatur sic,omne accidens supponit suum subiectum,vt prius existens,aliter non posset recipi in suo subiecto, non enim calor reciperetur in aqua, nisi aqua prius existeret, sed motus est accidens mobilis,cùm recipiatur in mobili, & fit actus ipsius mobilis, vt dicitur in Tertio Physicor. ergo motus supponit suum mobile,vt prius existens.Et præterea,idem patet inductione,non enim est motus localis, nisi prius sit corpus mobile secundum locum, quod debet moueri, & sit mouens quod debet ipsum mouere, nec est alteratio nisi sit alterabile quod posit alterari,& sic de augmento,& decremento.

Decretum contra Auerroem.

Circa secundam nota quòd Commenta.in 8. Physico. in commento.4.improbat creationem,& dicit,quòd est impossibile aliquid creari, & fundat se super hanc propositionem Philosophi, omnis motus, & mutatio supponunt suum subiectum mobile,tunc arguit sic,omnis mutatio supponit suum subiectum, sed creatio est mutatio, id enim quod creatur, mutatur de non esse ad esse,ergo creatio supponit suum subiectum,si supponit suum subiectum esse.ergo creatio non est productio rei ex nihilo,vt dicunt Christiani,qui arbitrantur, quòd creare sit aliquid ex nihilo facere:præterea est communis opinio Philosophorum, quòd ex nihilo nil fit, ergo nihil creatur:præterea Christianum vulgus tenet creationem,quia credit quòd sit ex defectu producentis quòd indigeat materia,ex qua aliquid producatur.Et quia in deo nullus est defectus,nec aliqua impotentia,ideo dicunt.quòd deus non indiget materia in productione rerum: sed ex nihilo eas producit, ideo creat eas: sed inquit Commenta. non est ex defectu producentis.quòd indigeat materia,sed est ex ratione motus & mutationis,quæ secundum Aristote.supponunt suum subiectum,in quo mouens,& producens habet operari,falsa ergo est opinio Christiani,& Iudæi, qui dicunt mundum esse à deo creatum,id est,ex nihilo productum.

Istæ sunt rationes suæ,quibus sic respondemus.

Ad primam negatur minor,nam mutatio prædicatur æquiuocè de mutatione Physica,& de creatione,quia vt prædicatur de mutatione Physica supponit materiam, vt prædicatur de creatione,nihil supponit: vnde creatio verius dicitur simplex emanatio rerum à primo vniuersali agente,qui est Deus, quàm dicatur mutatio. Et in hoc deceptus fuit ipse Commenta.dum credidit creationem esse verè mutationem Physicam, & quando dicitur, id, quod creatur, mutatur de non esse ad esse,dico quod hæc est falsa, sed debet sic dici, id quod creatur ex nihilo producitur.

Ad secundam rationem dicitur, quòd nullus antiquorum cognouit hunc modum producendi per creationem, sed solùm per mutationem,& generationem naturalem,quæ præsupponit materiam, ideo dicebant ex nihilo nihil fit, scilicet generatione Physica,Plato autem & Aristotel.cognouerunt creationem,vt declarabitur in 12.Metaphysicę,ideo ipsi concederent quòd ex nihilo aliquid fit,nam vt dicemus,tunc intelligentiæ, & anima intellectiua producuntur à deo secundum Aristotel.& non producuntur ex materia,quia sunt immateriales,ergo producuntur ex nihilo,& sic creantur.

Ad tertiam rationem dicitur, quòd Christiani non ponunt Deum producere res ex nihilo, quasi sit potentiæ diminutæ, indigere materia,sed ratio est, quia dum deus producit rem, totam ipsam producit, & sic cùm deus produxit terram, & materiam & formam ipsius produxit, agens verò naturale non producit totam rem, sed formam introducit in aliqua materia prius existenti, sicut ignis introducit formam ignis in materia ligni dum comburit lignum, & ideo agens naturale supponit materiam, agens verò vniuersale, qui est deus, cùm producat totam rem, non supponit materiam, sed ex nihilo producit. Hæc sufficiant contra Commenta. in 12. Metaphysicę fiet quęstio de hac materia,& declarabitur quo modo Philosophi aliqui tenebant creationẽ, & aliqui nõ,&c.

CAPVT III.

Soluuntur rationes Philosophi apparenter concludentes motum semper fuisse,ac mundi æternitatem.

CIrca tertium caput ponuntur rationes Philosophi quibus probat motum semper fuisse & sic mũdum esse æternum, & sunt tres,duæ probant quòd motus semper fuit. Tertia probat quòd motus semper erit. à Text.3. vsque 12.

Prima talis est,si motus non semper fuit,ergo datur primus motus, ante quem non fuit prior motus, sed hoc est falsum,quod probatur sic, motus supponit mobile & mouens, vt patet per conclusionem præcedentem: quæro ergo, aut mobile & mouens sunt producta, aut sunt æterna, si producta,ergo sunt producta per mutationem Physicam,ergo antequam mobile inciperet moueri, & mouens mouere, fuit prior mutatio, qua sunt producta, & sic sequitur quòd ante primum motum daretur mutatio prior,quod est falsum,quia nihil est prius primo: si dicis quod mobile, & mouens sunt perpetua,& tamen mobile non semper mouebatur nec mouens semper mouebat,contra,aut mobile & mouens semper fuerunt in hac dispositione in qua nunc sunt, aut in alia, si dicis primum, ergo sicut nunc mobile mouetur, & mouens mouet,ita semper mobile mouebatur, & mouens mouebat, quia mouens naturale non impeditum semper mouet, nisi aliqua indispositio, vel impedimentum sit in eo, si dicis secundum, fuit necesse remoueri illa indispositione, vt incipere esse motus, sed non potest illa indispositio remoueri nisi per mutationem, ergo ante primum motum fuit prior mutatio, qua fuit remota indispositio à mobili & à mouente, & sic sequitur,vt prius,quòd ante primum motum fuit mutatio prior:quod cùm sit falsum patet quòd motus semper fuit. Et quia non potest esse motus Physicus nisi sint corpora mobilia, quę nõ possunt esse nisi mundus sit,ergo mundus semper fuit.

Secunda ratio sumitur ex tempore sic, tempus est æternum,ergo motus est æternus:tenet consequentia, quia tempus est mensura motus, ergo si mensura est æterna mensuratum est æternum. Tex.c.11.

Quòd tempus sit æternum,probat sic Aristotel. quodlibet nunc acceptum in tempore est principium & finis. ergo inquantum est principium habet tempus post se, & inquantum est finis habet tempus ante se, & cùm hoc verificetur de quolibet,nunc sequitur quòd tempus nunquam incœpit,quia daretur vnum nunc,quod tantum esset principium & non finis, sicut in linea finita datur primum punctum extrinsecum, quod est solùm principium & non finis, similiter sequitur quòd tempus nunquam desinet,quia daretur vnum nunc, quod solùm esset finis in tempore, & non principium,sicut datur punctum extrinsecum vltimum in linea,quod est solùm finis,& non principium,cùm ergo quodlibet nunc sit principium, & finis,sequitur quòd tempus est æternum:Si dicis quod non est verum, quòd quodlibet nunc sit principium, & finis in tempore, imò datur primum nunc quod solùm est principium,& vltimum, quod solùm est finis: contrà, Si datur primum nunc, quod solùm est principium. ergo ante ipsum nunc non erat tempus, sed hoc est falsum, quia non datur ante sine tempore. Nam ante & post diffiniuntur per tempus: ante enim est quod in priori tempore est, similiter si datur vltimum nunc, quod est solùm finis in tempore: ergo post ipsum nunc non erit tempus.sed hoc est falsum,quia non datur ly post sine tempore, cùm diffiniatur per tempus, patet ergo quòd tempus nunquam incœpit & nunquam desinet,& sic est æternum.

Tex.c. 12. 13. Tertia ratio: probat quòd motus nunquam desinet, & sic est perpetuus in futuris sic, si motus deficit. ergo post vltimum motum non erit amplius mutatio, quia non potest esse motus posterior postremo, sed hoc est falsum, quòd probatur sic, si motus desinit. ergo postquam defecerit motus: mobilia & mouentia aut corrumpentur, aut permanebunt, si corrumpentur, cùm corruptio sit mutatio, ergo post vltimum motum dabitur adhuc mutatio, quod est falsum, quia nullus potest esse motus posterior vltimo motu, si permanebunt, ergo vel in hac dispositione, in qua nunc sunt, vel in alia, si in hac, ergo qua ratione nunc mouent etiam semper mouebunt, si in alia, ergo mutabuntur ex hac dispositione ad aliam, & sic sequitur id, quod prius, scilicet, quod post vltimum motum dabitur mutatio posterior. Istæ sunt rationes Philosophi, quibus probat motum & mundum esse æternum in præterito, & in futuro, quæ quidem à parte futuri non repugnant fidei: nam apud theologum determinatur, quòd cœli & elementa durabunt in æternum, & semper erit aliquis motus, saltem in hominibus, qui post resurrectionem in corporibus suis habebunt aliquos motus, siue in cœlo, siue in inferno, qui motus quales sint est negotium theologi. Ex parte verò præteriti repugnant fidei, quia nihil est æternum, nisi solus deus, in quo nullus motus est, nec mutatio physica, & ideo non semper fuit motus physicus, vt ergo defendatur fides, soluendæ sunt rationes philosophi.

Quomodo soluendæ sunt rationes Aristote. asserentes mundi æternitatem.

Ad primam cùm dicitur: aut mobile & mouens sunt producta, aut sunt æterna, dicitur secundum fidem, quòd mouens primum non est productum, sed semper habuerit esse. Omne autem mobile siue sit cœlum, siue elementum, siue elementatum est productum, quia omne quod est præter Deum est productum à Deo, & cùm dicit philosophus si sunt producta, ergo sunt producta per mutationem physicam, negatur hæc consequentia, quia sunt producta à deo per creationem, quæ non est mutatio, vt dictum est contra Commenta. & sic non sequitur quòd detur mutatio, quæ sit prior primo motu, quod quidem sequeretur, si mobile esset productum per mutationem physicam. Ad aliam partem argumenti, in qua dicit Philosophus, quòd mouens si est æternum, aut erat in eadem dispositione in qua nunc est, aut in alia: dicitur, quòd erat in eadẽ dispositione in qua nunc est, & tamen non ab æterno mouebat, nec produxit ab æterno mundũ. & cùm dicit, quòd mouens manens in eadem dispositione si non est impeditum semper mouet, dicitur quòd hæc propositio est vera solùm in agente naturali, & in agente per intellectum quòd subiicitur tempori, sed agens primum, qui est Deus, non subiicitur tempori, nec mensuratur tempore, vt probatum est in 4. physico. sed sola æternitate, & ideo Deus potuit ex voluntate sua æterna producere mundum de nouo, & in tempore, nec est dicendum, quòd saltem expectabat tempus cõgruum in quo mundum produceret, quia ipse non est subiectus tempori, sicut sunt alia agentia creata.

Ad secundam rationem negatur quòd quodlibet nunc sit principium & finis, nam datur primum nunc, quando tempus incœpit, & datur vltimum nũc, quando tempus desinet, scilicet quando motus cœlorum cessabit in die iudicij secundum fidem: & sic conceditur, quòd datur vnum nunc, quod solum est principium, & vltimum nunc, quod solum est finis in tempore, sicut dantur eodem modo duo puncta extrinseca in linea finita. Et cùm dicit Philosophus, quòd sequitur q̃ ante primum nunc non esset tempus, quod est falsum, quia si est ante est tempus. Cùm ly ante diffiniatur per tempus, dicitur q̃ ly ante sumitur dupliciter, primò realiter & physicè & sic importat tẽpus reale. secundò sumitur imaginariè solùm secundum apprehensionem humanam, & sic non importat tempus reale, sed imaginarium: dicetur ergo ad argumentũ, quod concludit hoc solùm, scilicet ante primum nunc datur tempus imaginarium, non tamẽ reale, sicut credebat se probare Philosophus, similiter dicendum est de vltimo nunc, q̃ post ipsum non erit tempus nisi imaginarium. Et sic patet q̃ rationes Philosophi nõ possunt concludere contra fidem.

Ad tertiam rationem, non est necesse respondere, quia dictum est. fides etiam tenet, quòd mundus durabit in æternũ, & licet cesset motus cœlorum, & tempus, quod est subiectiuè in motu primi cœli, vt dictum est in 4. physi. tamen semper erunt aliqui motus physici in corporibus hominum, qui erunt beati vel miseri.

Notandum verò est, vt determinant diui Theologi, quod Deus potuit producere mundum ab æterno, quia non est necesse Deum præcedere mundum duratione, sed natura, sicut non est necesse Solem præcedere lumen suum tempore, sed natura, prout omnis causa est prior suo effectu tempore, aut natura, vt declaraui in Postprædicamentis, in cap. de priori. Et licet potuerit ipsum mundum producere ab æterno, non tamen produxit. & huius ratio est secundum B. Tho. in commento, noluit Deus res esse æternas, vt sua sufficientia manifestaretur in hoc, quòd omnibus aliis rebus non existentibus ipse in seipso omnem sufficientiam beatitudinis & perfectionis habebat, & deinde certo tempore creaturas produxit, vt in eis sua bonitas manifestaretur. Hæc de quarto sufficiant. Altiora quidem seruantur diuo theologo.

Vltimò soluenda sunt quædam argumenta:

Primò sic, omnis motus æternus est infinitus, durat enim tempore infinito, sed nullus motus est infinitus, vt probatum est in Sexto contra Heraclytum, ergo nullus motus potest esse æternus.

Ad hoc dicit Aristo. quòd motus est duplex, primus est inter terminos contrarios, vt motus est sursum, & deorsum: vel alteratio, quæ est inter contrarias qualitates, & hic non potest esse æternus, nec infinitus. Secundus est, qui est non inter terminos contrarios, sed ab eodem ad idem, vt patet in motu circulari, vt in motu Solis, qui est ab Oriente per Occidentem, iterum in Orientem, & sic talis motus potest esse æternus & infinitus per reiterationem, vt patebit infrà.

Secundò sic, nullum mobile potest esse æternum: ergo nullus motus potest esse æternus: tenet consequentia, quia omnis motus supponit suum mobile prius esse, vt dixit suprà Aristot. Antecedens verò probatur sic, nullum habens principium potest esse æternũ: omne mobile habet principium, est enim productum à Deo, vt dicemus in secundo, & in 12. Metaphysi. etiam secundum Aristot. ergo nullum mobile potest esse æternum.

Ad hoc dicitur, quòd antecedens est falsum, & cùm probatur, quia nullum habens principium potest esse æternum, dicitur, q̃ principiũ est duplex, scilicet, principium productiuũ rei, & principium durationis: Tunc dicitur ad ma. q̃ vera est de eo, quod habet principium durationis, non autem est vera de eo, quod habet solùm principiũ productiuum, Et ideo secundum veram philosophiam mundus potuit esse æternus, & tamen fuisset productus à deo, sicut si sol esset æternus, lumen suum esset æternum, & tamen esset productum à sole: & non negaret Aristoteles, vt dicemus infrà.

Tertiò sic, cuilibet motui opponitur quies, vt dictum est in quinto: ergo motui æterno opponitur quies: tunc vltra, ergo mobile, quod mouetur motu æterno, potest quiescere, & sic motus potest non esse æternus.

Ad hoc dicitur, quòd motus sumitur dupliciter, primò vt motus est, & sic cuilibet motui opponitur quies: Secundò vt est talis motus, puta circularis, & æternus, & sic est falsum, quòd cuilibet motui opponitur quies. Hic terminatur primus tractatus super Octauum Physicorum.

TRACTATVS SECVNdus super Octauum Physicorum.

IN hoc secundo tractatu habemus determinare: quòd datur vnum primum mouens immobile, & vnus primus motus æternus, qui est motus diurnus primæ sphæræ, & diuidimus eum in quatuor capita, In primo probabitur Hæc conclusio præambula, in entibus quædam semper mouentur, vt sunt cœlestia corpora: Quædam semper sunt immobilia, vt substantiæ separatæ mouentes cœlum & Deus gloriosus semper immobilis omnino: Quædam aliquando mouentur, & aliquando quiescunt, vt elementa & elementata & animalia.

In secundo probatur hæc conclusio præambula, omne quod mouetur, ab alio mouetur.

In tertio probatur hæc conclusio propinqua principali conclusioni, datur vnum primum mouens, quod est immobile, vel mouet seipsum: & hoc secundum Philosophum est prima sphæra simul cum intelligentia mouente. Intelligentias quidem dicimus secundum Philosophos substantias separatas, secundum theologos dicimus angelos, secludendo Deum, vel substantias incorporeas, etiam includendo Deum gloriosum.

In quarto, Probatur hæc conclusio, datur vnum primum mouens penitus immobile causans primum motum æternum: & ipsum primum mouens est incorruptibile.

CAPVT I.

Rerum omnium quo ad motum & quietem examinatur, probatúrque nec omnia quiescere, nec omnia moueri continuè.

Tex.c.31. 32. CIrca primum caput probanda est prima conclusio præambula, & probatur ab Aristotele, à sufficienti diuisione sic, vel omnia mouentur & nihil quiescit, vel omnia quiescunt & nihil mouetur, vel aliqua mouentur & aliqua quiescunt. ita tamen, quòd ea omnia, quę mouentur, semper mouentur, & ea omnia, quæ quiescunt, semper quiescunt, vel omnia quandoque mouentur, & quandoque quiescunt, vel aliqua semper mouentur, & aliqua semper sunt immobilia, & aliqua quandoque mouentur, & quandoque quiescunt, sed omnes aliæ partes diuisionis sunt falsæ, vt probabitur præter vltimam, quæ est conclusio præposita, ergo ipsa conclusio est vera.

Omnia moueri & nihil quiescere falsum est.

Prima pars diuisionis, scilicet, omnia mouentur, & nihil quiescit, est falsa, & probatur in omni specie motus. Primò non omne augmentabile semper augetur, vt dicebat Heraclytus, qui opinabatur, quòd si puer crescit in vno anno vnum palmum, quòd quolibet die crescere modicum, licet non perpendatur, sed dicit Philosophus hoc esse falsum: nam contingit quòd puer disponitur ad augmentum per tres menses, & in quarto mense, in virtute dispositionis præcedentis crescet euidenter, puta quatuor digitis, in aliis tribus mensibus iterum disponetur ad augmentum, & in quarto mense sequenti iam dispositus puer crescet duobus digitis vel plus, & sic patet, quòd non est necesse ponere augmentum continuum, & hoc declaratur exemplo, pono casum quòd per multos annos cadat gutta aquæ super lapidem, certum est quod transacto multo tempore fodietur lapis, & multæ partes lapidis remouebuntur à lapide, non tamen est necesse quod quælibet gutta aliquam partem lapidis remoueat, sed multæ guttæ præcedentes disponunt lapidem ad fossionem, vltima verò gutta fodit lapidem in virtute guttarum præcedentium: sic contingit in augmento, vt declaratum est, ergo non est necesse quòd ea, quæ augentur semper augeantur. Secundò non omne alterabile semper alteratur, aliter sequeretur quòd ille, qui infirmatur semper infirmatur & nũquam sanabitur quod est falsum. Tertiò non omne mobile localiter semper mouetur, aliter sequeretur quòd ignis ascendens semper ascenderet, & sic nunquam quiesceret in sphæra sua, quòd est falsum: quia vnumquodque quiescit in loco suo naturali, ergo falsum est, quòd omnia moueantur & nihil quiescat, vt opinabatur Heraclytus.

Tex.c.23.

Tex.c.24.

Secunda pars diuisionis est falsa, quæ fuit Zenonis, scilicet, nihil mouetur, sed omnia quiescunt: nam omne corpus naturale potest moueri, cùm natura sit principium motus & quietis. Et præterea sumitur vt principium à Physico, quòd aliquod mouetur, ergo non est disputandum contra Zenonem, qui negabat principium Philosophiæ naturalis, nam vt dictum est in principio Primi libri contra negantem principia non est disputandum.

Tertia pars diuisionis est falsa, scilicet, aliqua mouentur & aliqua quiescunt, ita tamen quòd omnia illa, quæ mouentur semper mouentur, & omnia illa, quæ quiescunt, semper quiescunt: & probatur sic, Ad sensum patet quod aliqua quæ augentur post debitam quantitatem acquisitam sub tali quantitate quiescunt, & quæ alterantur acquisita qualitate quiescunt, & quæ generantur acquisita forma substantiali quiescunt: nec amplius generantur. puta dum homo generatur acquisita anima intellectiua non amplius generatur, ergo falsum est, quòd nihil aliquando moueatur & aliquando quiescat.

Tex.c.25.

Quarta pars diuisionis est falsa, scilicet, omnia aliquando mouentur, & aliquando quiescunt & probatur sic, si aliquando omnia mouentur, ergo pro illo tempore nulla erit quies, sed hoc est falsum, quia si vnum oppositum est in natura, est & aliud oppositum: sed motus, & quies sunt opposita: ergo, si pro aliquo tempore est motus, etiam quies, non quidem in eodem mobili, sed in diuersis, nihil enim prohibet Platonem ambulare & canem dormire. Item si aliquando quiescunt omnia, ergo pro illo tempore nihil mouebitur, sed hæc opinio est Zenonis quæ iam improbata est in sexto.

Cùm igitur omnes partes diuisionis prædictæ sint falsæ, restat quòd quinta pars sit vera, quæ est prima conclusio præambula, scilicet quædam semper mouentur, vt cœli. quædam semper sunt immobilia, vt substantiæ incorporeæ & Deus, quædam aliquo tempore mouentur & aliquo tempore quiescunt, vt elementa, & elementata, & animalia.

CAPVT II.

Omne quod mouetur, ab alio mouetur.

CIrca secundum caput hæc conclusio præambula est probanda, omne, quod mouetur, ab alio mouetur: nota igitur, quòd in Septimo hanc probauit sufficienter quantum ad ea, quæ mouentur per accidens, quę mouentur ad motum alterius: vt quando mouetur homo in curru ad motum eius, & quando mouetur clauus ad motum tabulæ, cui infixus est, & quando mouetur lapis ad motum anuli. Item probauit sufficienter quantum ad animata: patet enim, quòd mouentur ab anima, & sic mouentur ab alio. Item sufficienter probauit quantum ad inanimata, quando mouentur per violentiam ad locum sibi inconuenientem, vt cùm mouetur lapis sursum, patet enim quòd mouetur ab aliquo pellente vel proiiciente, vel trahente, & sic mouentur ab alio. Item probauit, sed insufficienter quantum ad inanimata dum mouentur secundum naturam, vt dum ignis ascendit, & lapis descendit nullo pellente, vel trahente, quia igitur hæc pars est dubia & immanifesta, ideo circa eam immoratur & ponit tres conclusiones.

Tex.c.27. 28.

Inanimata seipsa non mouent.

Prima est, inanimata grauia & leuia, vt est terra, & ignis non mouent seipsa: probatur, sola animata mouent seipsa, quia habent in se principium sui motus, quod est anima, à qua mouentur, sed grauia & leuia non sunt animata, vt patet, ergo non mouent seipsa. Item quæ mouent seipsa quiescunt quando volunt nisi sit impedimentum, vt patet in animalibus, sed grauia & leuia non quiescunt quando volunt, carent enim appetitu, cùm sint inanimata: ergo non mouent seipsa.

Tex.c.28. 29.

Secunda conclusio, grauia & leuia mouentur per accidens à remouente impedimentum: hæc declaratur sic, pono casum, quòd sit lapis super tabulam, quandiu est super tabulam, non descendet in terram: sit Socrates, qui remoueat tabulam, tunc lapis descendet in terram: patet ergo, quòd quia Socrates remouit tabulam, quæ erat impedimentum lapidi, ne descenderet, potest dici Socrates mouens lapidem per accidens, sicut ille, qui aufert lignum obturans vegetem potest dici mouens vinum per accidens, ad remotionem enim ligni obturantis, vinum egreditur.

Grauia & leuia mouentur à generante.

Tertia conclusio, Grauia & leuia mouentur per se à suo generante: nota, quòd graue, vt lapis, potest generari à cœlo influẽte, & aliquando ab aëre, vt patet in lapidibus grandinis, leuia verò, vt aër & ignis, similiter possunt generari à cœlo, & tunc secundum Aristot. dicimus, quòd grauia & leuia mouentur per se à Cœlo, vel ab aëre, vt à suo generante: & probatur sic, quicunque dat formam dat ea, quæ consequuntur ad formam, vt qui dat animam homini dat potentias animæ, quæ consequuntur animam, sed generans, siue sit cœlum, siue aër, vel aliud, dat formam grauí & leui, ergo dat ea, quæ consequuntur formam grauis, & leuis, sed moueri deorsum & moueri sursum consequuntur formam grauis & leuis, ergo generans dat lapidi quòd moueatur deorsum, & igni, quòd moueatur sursum, & sic patet, quòd grauia, & leuia mouentur per se à generante, à quo habent formam suam: manifestum est ergo in omni genere mobilium, quòd omne, quod mouetur, ab alio mouetur. Hæc sufficiãt de secũdo cap.

CAPVT III.

Quòd necesse sit deuenire ad aliquod primum, quod vel sit immobile, vel seipsum moueat.

CIrca caput tertium probanda est hæc conclusio, datur vnum primum mouens, quod est immobile, vel mouet seipsum: Sed antequam probetur, ponuntur duo præsupposita: Primum est, mouens est duplex, primum est quod mouet propria virtute sua, vt ignis propria virtute sua calefacit lignum. Secundum est quod mouet non propria virtute, sed virtute sibi data ab alio mouente, vt baculus mouet lapidem non sua virtute, sed virtute sibi data à manu hominis, & mouens propria virtute dicitur primum mouens, quia potest aliquid mouere sine mouente superiori, & etiam sine mouente secundo, vt manus Socratis potest mouere lapidem sine baculo. Mouens autem virtute alterius dicitur secundum mouens, quia non potest aliquid mouere, nisi mediante primo, à quo habet virtutem, vt baculus non potest mouere lapidem nisi mediante manu, à qua recipit virtutem mouendi. Et nota secundum rectam philosophiam in toto vniuerso non est nisi vnum primum mouens, qui est Deus, quia ipse solus mouet omnia propria sua virtute, & non recipit virtutem ab altero, omnia verò mouentia creata, vt sunt angeli, & cœli, & animę dicuntur mouentia secunda, quia non mouent nisi recipiant virtutem à primo mouẽte Deo. Et sic patet, quòd si primum

Tex.c.34.

Tex.c.35. vsque 39.

mouens non mouet,nec ſecunda mouentia mouent. Secundum præſuppoſitum eſt in mouentibus & motis non proceditur in infinitum.hoc eſt probatum in Septimo debiliter,hîc autem certius probatur,&ſic ſi proceditur in infinitum in mouentibus& motis, ergo non eſt primum mouens, quia in infinitis nec eſt aliquod primum,nec vltimũ , ſi nõ eſt primum mouens,ergo ſecunda mouentia non mouent, quia ex primo præſuppoſito,ſecunda mouentia mouẽt in quantum recipiũt virtutem à primo mouente, ſi non eſt primum mouens ,nec ſecunda mouentia mouent, ergo nullus motus erit in mundo,ſed hoc eſt falſum ad ſenſum,ergo falſum eſt quod procedatur in infinitum in mouentibus& motis.

His præſuppoſitis probatur hæc concluſio ,Datur vnum primum mouens,quod vel eſt immobile,vel mouet ſeipſum ſic,certum eſt quòd aliquid mouetur , puta A , ſi A mouetur, aut mouetur à ſeipſo,aut ab alio , ſi mouetur ab alio , ſit B , & iterum quæram de B, ſi B mouetur à ſeipſo,aut ab alio,ſi mouetur ab alio,moueatur à C,& cùm non ſit proceſſus in infinitum,vt dictum eſt,ergo tandem deueniemus ad vnum primum mouens,quod vel non mouetur omnino,& ſic erit immobile,vel non mouetur ab alio,quia cùm primum mouens non recipiat virtutem ab aliquo ſuperiori , vt eſt dictũ in primo præſuppoſito,non mouetur ab aliquo ſuperiori,& ſic patet,quòd ſi mouetur, mouetur à ſeipſo,ſicut animal mouetur à ſeipſo inquantũ mouetur ab anima quæ eſt pars ipſius animalis,patet ergo quòd tandem deuenimus ad vnum primum mouens quod vel mouet ſeipſum , ſicut animal quod mouet ipſum ſecundũ partem,vel eſt penitus immobile , & exiſtens immobile dat virtutẽ mouendi omnibus mouẽtibus ſecũdis.

CAPVT IIII.

Quòd & ſi perueniatur ad aliquod primum ſeipſum mouens,neceſſe ſit tamen deuenire ad mouens penitus immobile.

à Tex. c. 40. vſque 44.

CIrca quartum cap. probandum eſt quòd nõ eſt ſtandum in aliquo primo mouente ſeipſum ſed vlterius deueniendum eſt ad vnum primum mouẽs,quod nec mouet ſeipſum, nec mouetur ab alio,ſed eſt immobile,& incorruptibile.Circa hoc igitur fient quatuor , primò declaratur quod eſt hoc primum mouens ſeipſum.Secundò declarabitur quod eſt impoſsibile quod primum mouens ſeipſum moueat ſeipſum ſecundum totum,ſed diuiditur in partẽ mouentẽ,&motã. Tertiò declarabitur ꝙ illa pars mouens non mouet ſe.nec mouetur ab altero,& ſic eſt mouens immobile.Quartò declarabitur,ꝙ hoc mouẽs eſt immobile & incorruptibile & ꝑpetuũ.

Circa primum nota ſecundum Philoſophum , quòd illud mouens ſeipſum eſt primum cœlum , ſimul cum intelligentia mouente,ita ꝙ ſicut animal dicit quoddam compoſitum ex corpore,& anima.ita primum mouẽs ſeipſum dicit quoddam cõpoſitum ex corpore cœleſti,& intelligentia mouente.ſed eſt differentia in hoc,quòd anima eſt forma animalis, ſed intelligentia nõ eſt forma cœli, ſed tantùm motor cœli. Hæc autem fient magis nota in 12. Metaphyſicæ.

Circa ſecundum nota.quòd eſt impoſsibile ꝙ primũ mouens ſeipſum ſcilicet.cœlũ primũ cùm intelligentia ſua moueat ſeipſum ſecundũ totũ & probatur ſic , ſi mouet ſeipſum ſecundum totum,ergo idem eſt mouens,& mobile, vel motum,nam inquantum mouet ſe,eſt mouens.inquantum mouetur à ſe,eſt motum & mobile,ſed impoſsibile eſt idem eſſe mouens& motum ,& probatur ſic , ſi idem ſecundum idem eſt mouens & motum, ergo idem ſecundum idem eſt in potentia & in actu,quia quodlibet mouens eſt in actu , vt calefaciens eſt actu calidum ,mobile autem eſt in potentia , vt aqua calefactibilis eſt in potentia ad calorem, ſed eſt impoſſibile quòd idem ſecundum idẽ ſit in potẽtia,& in actu, quia oppoſita eſſent in eodem,ergo impoſsibile eſt,quòd primum mouens ſeipſum moueat ſeipſum ſecundum totum. Cùm ergo poſitum ſit,quòd moueat ſeipſum , dicendũ eſt , ꝙ mouet ſeipſum ſecundum partem. Quod declaratur à ſimili, animal dicitur mouere ſeipſum ſecundum partem , quia diuiditur in partem motam,quæ eſt corpus , & in partem mouentem,quæ eſt anima,& ſic dicitur mouere ſeipſum ſecundum partem , id eſt,ſecundum animã,quæ eſt pars animalis, ſimiliter dicimus quòd primum mouẽs ſeipſum diuiditur in partem motam,quæ eſt corpus primi cœli,& in partem mouentem,quæ eſt intelligentia applicata primo cœlo,& ſic dicitur mouere ſeipſum ſecundum partem.id eſt,ſecundum intelligentiam,quæ largo modo dicitur pars cœli, ſicut anima dicitur pars animalis.dico autem largo modo , quia intelligentia non eſt forma cœli , vt dicemus in 12. Metaphyſicæ,& per conſequens non eſt propriè pars.

Circa tertium probandum eſt,ꝙ illa pars mouens,quæ eſt intelligentia applicata primo cœlo,eſt immobilis, & probatur ſic,ſi mouetur,aut mouetur ab alio , aut à ſeipſa , non ab alio,quia primum mouens ſeipſum non habet ſuperius, alioquin non eſſet primum mouens ſeipſum, cùm nihil ſit prius primo,nec mouetur à ſeipſa , quia omne mouens ſeipſum diuiditur in partem motam & in partẽ mouentem , ſed illa intelligentia non poteſt diuidi in partem ,& partem , cùm ſit ſubſtantia ſimplex , ergo ſequitur quòd pars mouens , id eſt illa intelligentia , ſit immobilis,& ſic patet,quod in toto vniuerſo datur vnum primum mouens immobile, quod eſt illa intelligentia applicata primo cœlo , quod eſt octaua ſphæra ſecundum Ariſtote. Et nota , quòd vſque huc nondum probauit Philoſophus Deum eſſe:non enim illa intelligentia eſt Deus,ſed eſt ſubſtantia incorporea producta à Deo & applicata primo cœlo , vt ipſum in æternum moueat ſecundum philoſophum. Quo modo autẽ ex hac intelligẽtia procedamus ad probãdum Deum eſſe,dicemus in vltimo tractatu.

Circa quartum probandum eſt , quòd hoc mouens immobile,id eſt,illa intelligentia ſit perpetua,& omnino immobilis,& tantùm vna. Quòd ſit perpetua probat ſic Philoſophus,effectus perpetuus habet cauſam perpetuam,ſed generatio rerum corruptibiliũ eſt effectus perpetuus , quia cùm mundus ſit æternus ſecundum Philoſophum ſemper fuit & erit generatio , ergo hæc generatio perpetua habet cauſam perpetuam,ſed cauſa generationis in rebus inferioribus eſt illa intelligentia, quæ applicata primo cœlo , mouet ipſum motu diurno,ex quo motu continuatur generatio , diuerſificatur verò ex motu proprio planetarum , vt mouentur ſub Zodiaco,vt declaraui in tractatu ſphæræ,ergo illa intelligentia eſt perpetua , & ſic illud mouens immobile eſt æternum, ſed nota quòd hæc ratio ſecundum fidem nulla eſt, quoniam nec mundus,nec generatio, nec motus eſt æternus vt improbatum eſt ſuprà. Bene autem concludit, quòd ſicut mundus poteſt eſſe productus à Deo ab æterno , ita hæc intelligentia poteſt eſſe æterna, non tamen de facto eſt æterna.

Quòd hæc intelligentia ſit tantùm vna, probat ſic,primus motus cœli,qui eſt diurnus,eſt tantùm vnus, ergo eſt tantùm vnum primum mobile,quod eſt primum cœlum , & vnum tantùm primum mouens applicatum primo cœlo , quod eſt hæc intelligentia,ergo hæc intelligentia eſt tantùm vna,conſequentia verò probatur, quia ad hoc quòd ſit vnus motus numero continuus requiritur quòd ſit vnum mobile numero, & vnus motor,qualiter autem motor debeat eſſe vnus,declaraui in 5. libro in ſolutione argumentorum.

Quod hæc intelligentia ſit omnino immobilis,& per ſe,& per accidens, probat ſic Philoſophus , omnis motor cauſans motum cõtinuum ſempiternum eſt omnino immobilis : ſed hæc intelligentia cauſat motum æternum continuum in primo cœlo,vel ſaltem poteſt cauſare ſecundum , ergo hæc intelligentia eſt omnino immobilis,probatur ma. propter hoc anima in corpore animalis non cauſat motum localem continuum & perpetuum , quia mouetur per accidens, nam cùm corpus Socratis mutat locum, etiam & anima ſua , & quantitas,& alia accidentia per accidens , id eſt , ad motum corporis mutant locum, ergo ſi aliquod mouens cauſat motum continuum,& perpetuum,ſignum eſt,quòd non mouetur,nec per ſe , nec per accidens , & ſic ſequitur illam intelligentiam eſſe omnino immobilem motu phyſico , dico autem motu phyſico , quia declarabitur in 12. Metaphyſicæ , ꝙ mouetur motu intellectus,qui eſt intelligere, & motu appetitus intellectus,qui eſt velle , ſed tales motus non ſunt phyſici,vt tunc declarabitur.Sed nota quòd hæc ratio philoſophi non valet ſecundum fidem , quia non eſt motus æternus,& cùm probet illam intelligentiam eſſe omnino immobilem ex motu æterno ſua probatio nulla eſt. Tu verò probabis eam ſic,per rationem B. Thom. in primo libro contra gentiles cap.15.Motus vel incœpit vel nõ incœpit, ſi nõ incœpit, ergo eſt æternus,& ſic mouens primum eſt æternum , quia effectus æternus non eſt niſi à cauſa æterna, ſi incœpit , ergo ab aliquo mouente incœpit,quæro de illo mouente, aut incœpit eſſe,aut non,ſi nõ incœpit,ergo eſt æternum,ſi in cœpit,ergo ab aliquo eſt productũ,quia nihil ſeipſum producit.

Quæro de illo producente , aut eſt productum , aut non, & cùm non ſit proceſſus in infinitum , tandem deueniemus ad vnum primum mouens non productum , & ſic erit æternum , & immobile omnino , quia non mouetur à ſuperiori, cùm non detur ſuperius , nec à ſeipſo , quia cùm vt ſimplex totum ſeipſum moueret ſecundum ſe totum , ſed nihil mouet ſeipſum ſecundum ſe totum, quia idem eſſet in potentia & in actu, quod eſt impoſsibile. hæc de quarto ſufficiant.

Argumenta. Vltimò,quædam argumenta ſoluenda ſunt:Primum probat quòd grauia & leuia non mouentur à generante ſic,mouens eſt ſemper ſimul cum ſuo mobili , ita quòd ſe tangunt, vt dictum eſt in Septimo Phyſico. ſed generans graue , puta lapidem , non tangit , nec eſt ſimul cum lapide , poteſt enim lapis generari à cœlo , & tamen cœlum non eſt cum lapide, vt patet,ergo,&c.

Ad hoc dicitur , quòd generans poteſt eſſe cum graui dupliciter. Primò ſecundum ſubſtantiam , ita quòd ſubſtantia generantis tangat ſubſtantiam grauis generati,& hoc non eſt neceſſe. Secundò ſecundum virtutem impreſſam in ipſo graui , & hoc modo ſunt ſimul , ſemper enim in lapide remanet virtus quædam,quæ dicitur grauitas impreſſa ſibi à generante, & qua mouetur naturaliter, dico igitur ad argumentum, quòd non eſt neceſſe mouens , & motum eſſe ſimul ſecundum ſubſtantiam , ſed ſolùm ſecundum virtutem impreſſam à mouente in ipſo mobili.

Secundũ. Secundum probat,quod illa ratio Philoſophi,quam adducit ad probandum intelligentiam applicatam primo cœlo eſſe omnino immobilem, eſt falſa:nam maior eſt falſa, ſcilicet omne cauſans motum æternum eſt omnino immobile, conſtat enim ſecundum ipſum Philoſophum , quòd intelligentiæ applicatæ ſphæris planetarum cauſant motum æternum,& tamen mouentur per accidens,quia,vt probatum eſt in tractatu ſphæræ, omnes ſphæræ planetarum rapiuntur , & mouentur à primo mobili ex Oriente in Occidens , illi autem contra nitentes mouentur motu proprio ab Occidente in Orientem,ergo ratio Philoſophi non valet.

Ad hoc dicitur , quòd intelligentiæ applicatæ ſphæris planetarum non mouentur,nec rapiuntur à primo mobili ſecundum ſe , ſed ſolùm rapiuntur ſphæræ planetarum , ideo ipſæ intelligentiæ non mouentur per accidens ad motum primi mobilis : bene argumentum concluderet , ſi intelligentiæ eſſent animæ,& formæ planetarum, quia ſicut eſt neceſſe moueri per accidens animam ad motum animalis , ita eſſet neceſſe moueri intelligentias ad motum planetarum , ſed non ſunt animæ, nec formæ planetarum, ſed ſolùm ſunt mouentes planetarum ſphæras,ſicut figulus mouet rotam.

Tertium. Tertium probat, quòd intelligentiæ non mouent corpora cœleſtia ſic,omne mouens tangit ſuum mobile,vt probatum eſt in Quinto libro,ſed intelligentia non tangit cœlum , quia nullum incorporeum tangit corporeum : cùm ergo intelligentia ſit incorporea,non tangit cœlum.

Contactus duplex: quãtitatiuus, & virtualis. Ad hoc dicitur , quòd tactus eſt duplex , primus eſt tactus quantitatiuus , & hic ſemper eſt inter duo corpora , quorum vtrunque eſt quantum,ſic duæ manus, duo lapides, duo cœli ſe tangunt , ſecundus eſt virtualis tactus , & hic eſt inter duo incorporea,vel inter incorporeum, & corporeum,prout res incorporea applicat virtutem ſuam alicui corpori, & operatur in eo ſic anima tangit corpus, ſic intelligentia tangit cœlum , ſic Deus tangit omnia creata , quia applicat virtutem ſuam omnibus rebus,& conſeruat eas.hîc terminatur ſecundus tractatus ſuper Octauum Phyſicorum.

TRACTATVS TERTIVS ſuper Octauum Phyſicorum.

IN hoc tertio tractatu inueſtigandum eſt quis & qualis ſit ille motus primus æternus, quem diximus in ſecundo tractatu cauſari à primo mouente immobili , id eſt, ab intelligentia applicata primo cœlo.Et diuidimus eum in quatuor capita.

In primo probatur, quòd motus localis eſt prior quolibet alio motu.Et ſic poteſt dici primus inter omnes alios motus, & mutationes Phyſicas

In ſecundo probatur , quòd nullus motus poteſt eſſe continuus perpetuus,niſi localis.

In tertio probat , quòd nullus motus localis , qui eſt inter terminos oppoſitos,poteſt eſſe continuus perpetuus.

In quarto probatur , quòd ſolus motus localis , circularis poteſt eſſe continuus & perpetuus. Et ſic determinabitur ſecundum Philoſophum , quòd ſolus motus cœli eſt primus continuus & æternus , ſecundum verò fidem poteſt eſſe continuus & æternus.

CAPVT I.

Motum localem cæteris omnibus priorem eſſe probatur.

à Text. c. 54. vſque 60.

CIrca primum caput probatur hæc concluſio , Motus localis eſt prior quolibet alio motu,ſcilicet,augmento,decremento,alteratione,generatione,& corruptione:probatur ſic,aliquid eſt prius altero tripliciter. Primò eſt prius natura, & eſt illud quod poteſt eſſe ſine altero,ſed non econuerſo, vt vnum eſt prius natura quàm ſint duo : quia vnum poteſt eſſe ſine duobus , non tamen duo poſſunt eſſe ſine vno. Secundò eſt prius tempore,& eſt illud quod fuit in tempore præterito magis remoto à præſenti,ſic Adam eſt prior tempore quàm Salomon. Tertiò eſt prius ſecundum ſubſtantiam , id eſt ſecundum perfectionem , vt homo eſt prior , id eſt perfectior equo.Modò probatur quòd motus localis ſit prior omni alio motu his tribus modis. *Tex. c. 56*

Et primò natura ſic. Aliquid poteſt moueri localiter ſine hoc quòd augmentetur, vel decreſcat, aut alteretur, aut generetur , vel corrumpatur : puta Socrates poteſt moueri ex domo ſua ad templum ſine hoc quòd augeatur , vel decreſcat, vel alteretur, ſi modeſtè incedit , ſed non poteſt aliquid augeri,aut minui,aut alterari,aut generari,aut corrumpi niſi ſit motus localis , ſaltem in cœlo , ſi enim primum cœlum quieſceret, & alij planetæ, omnis mutatio vt eſt augeri , minui,& alterari,& generari, & corrumpi ceſſaret. Cùm ergo motus localis poſsit eſſe ſine aliis motibus , non autem alij motus ſine ipſo,ſignũ eſt,quod eſt prior natura aliis motibus. *Tex. c. 55.*

Secundò probatur , quòd ſit prior tempore ac duratione ſic,æternum eſt prius duratione, & tempore non æterno, ſed motus localis , ſaltem cœleſtium corporum eſt æternus , ſecundum Philoſophum.Et nullus alius motus poteſt eſſe continuus æternus, ergo motus localis eſt prior tempore,& duratione aliis motibus.

Tertiò probatur quòd ſit prior perfectione ſic , Motus localis minus remouet à ſuo ſubiecto mobili,quàm alij motus, ergo eſt perfectior : probatur conſequentia. Tanto enim eſt perfectior motus,quãto minus tranſmittat ſuum ſubiectum: quòd verè minus remoueat probatur: per generationem, & corruptionem remouetur à materia vna forma, & introducitur alia;per augmentum,& decrementum remouetur vna quantitas, & introducitur alia:per alterationem & remouetur vna qualitas à ſubiecto , & introducitur alia : per motum verò localem remouetur vnus locus à mobili , & acquiritur alius locus, ſed locus non eſt ſubiectiuè in mobili locato.ſed in corpore locante , cùm ſit ſuperficies corporis locantis , vt dictum eſt in Quarto libro, ergo motus localis non remouet aliquid quod ſit ſubiectiuè in ſuo mobili. Et ſic patet , quòd eſt perfectior aliis motibus. Item motus localis primus eſt cauſatus à primo mouente immobili , in primo cœlo, vt dictum eſt in tractatu præcedenti , ergo eſt primus ſimpliciter inter alios motus. Hæc de primo capite ſufficiant.

CAPVT II.

Quòd motus alij à locali,continui nequaquam ſint.

à Text. c. 61. vſque, 63.

CIrca ſecundum caput probatur hæc concluſio , Nec augmentum,nec decrementum,nec alteratio,nec generatio , nec corruptio poſſunt eſſe motus continui , & perpetui, ſed ſolus motus localis:& probatur ſic,ſupponendo duo:Primum eſt omnes motus , & mutationes ſunt inter terminos contrarios,vel oppoſitos: hoc declaratum eſt in Primo Phyſico. vt augmentum , & decrementum ſunt inter perfectam, & imperfectam quantitatem , duæ alterationes ſunt inter duas contrarias qualitates,generatio & corruptio ſunt inter eſſe & non eſſe : ſolus autem motus localis poteſt eſſe inter terminos non oppoſitos,non omnis quidem, ſed ſolus circularis , qui eſt ab eodem in idem, vt dicetur infrà. Secundum eſt,omnes motus , qui habent terminos ad quem contrarios ſunt contrarij:vt dealbatio, & denigratio ſunt motus contrarij, quia albedo, & nigredo, quæ ſunt termini ad quem contrariæ,hoc declaratum eſt in Quinto libro.

His ſuppoſitis arguitur ſic , ſi augmentum & decrementum poſſunt eſſe continua & perpetua , ſimiliter duæ alterationes, ſimiliter generatio,& corruptio , ergo oppoſita poſſunt eſſe ſimul in eodem , quod eſt falſum : probatur conſequentia,ſi augmentum & decrementum ſunt continua,ergo non cadit quies media inter ea , ſi non cadit quies media, ergo ſimul dum mouetur ad perfectam quantitatem mouetur etiam ad imperfectam, & ſic ſimul dum corpus augetur etiam minuitur, quæ ſunt oppoſita. Item ſic, ſi generatio , & corruptio poſſunt eſſe continuæ , & perpetuæ, ergo inter generationem , & corruptionem Socratis poteſt non eſſe tempus medium:hoc eſt falſum:probatur falſitas,ſi nõ eſſet tempus medium inter generationem & corruptionem Socratis, ſequeretur quòd in eodem inſtanti , in quo eſſet completa generatio Socratis,etiam inciperet corruptio Socratis,quod

est inconueniens. Non enim natura producit aliquam rem, vt statim desinat esse, sed vt per aliquod tempus habeat esse, deinde vt corruptibilis desinat esse, ergo generatio, & corruptio non sunt continuæ perpetuæ: similiter vanum est dicere, quod natura faciat puerum augeri vsque ad debitam quantitatem, qua acquisita statim incipiat decrescere, imò per aliquos annos stat sub debita quantitate. Item vanum est opinari, quòd Plato sanetur, & statim adepta sanitate incipiat ægrotare. Et demum in omnibus his motibus frustraretur intentio naturæ, quæ ideo quærit motum: vt sub termino motus aliquandiu quiescat, patet ergo, quòd augmentum & decrementum, & alteratio & generatio, & corruptio non possunt esse motus continui perpetui, sed vnus succedit alteri post aliquod tempus intermedium. Quòd autem solus motus localis possit esse continuus perpetuus probabitur infrà. Hæc de secundo cap. sufficiant.

CAPVT III.

Nullus motus localis inter oppositos terminos continuus & perpetuus esse potest.

CIrca tertium cap. probatur hæc cõclusio, nullus motus localis, qui est inter terminos oppositos, potest esse continuus perpetuus. Nota quod termini oppositi in motu locali sunt differentiæ loci, quæ sunt sex, vt dicitur in secundo libro de Cœlo, vt sursum deorsum, ante retro, dextrum sinistrum: hæc conclusio primò probatur, secundò soluuntur quædam dubia; probatio est talis, motus localis, qui est inter terminos oppositos, aut est super magnitudinem rectam sicut motus lapidis super tabulam, aut est super magnitudinem circularem, non quidem circulariter, sed cum reflexione, puta si detur circulus, & diuidatur in A & B, & lapis moueatur ex A ad B, & posteà retrocedat, & moueatur ex B ad A, vt patet in præsenti circulo, dicitur esse motus localis inter terminos oppositos in circulo, sed vt sic non potest esse continuus perpetuus: ergo, &c.

Et primò probatur, quòd super magnitudinem rectam non sit continuus perpetuus sic, si motus super magnitudinem rectam debet continuari in perpetuum, ergo vel erit super magnitudinem infinitam, vel finitam: non primò, quia non datur magnitudo actu infinita, vt probatum est in tertio: non secundò, quia si motus super magnitudinem finitam debet perpetuari, oportet quod mobile moueatur à principio magnitudinis ad finem, & posteà retrocedat, & moueatur à fine magnitudinis ad principium vt patet hîc, & moueatur mobile ex A ad B: & ex B ad A, sed motus, qui est ex A ad B, & alius motus qui est ex B ad A, nõ possunt esse continui, quia duo motus contrarij non possunt esse continui, vt probatum est in secundo capite: sed isti sunt duo motus contrarij, quia sunt ad terminos contrarios, nam in præscripta figura A est sinistrum, & B est dextrum, ergo patet quòd motus localis super magnitudinem rectam non potest esse continuus, & perpetuus.

Ostentio quòd motus ex oppositis locis sunt contrarij.

Eiusdem ostentio in circulo.



Simili modo potest probari de motu locali in circulo, qui est ad terminos oppositos. Secundò probatur eadem conclusio sic, Motus reflexus non potest esse continuus & perpetuus: sed motus localis, qui est super magnitudinem rectam vel super circulum non tamen circulariter, si debet perpetuari, oportet quòd fit reflexus, vt scilicet, primò fiat à principio magnitudinis ad finem, deinde reflectendo à fine ad principium: ergo non potest esse cõtinuus, & perpetuus; probatur maior, in motu reflexo semper cadit quies media, & tempus interrumpitur mensurans motum, ergo motus reflexus non est continuus: probatur consequentia. Nam dictum est in Quinto, quòd ad vnitatem & continuitatem motus numeralis tria requiruntur, scilicet, vnum mobile numero, tempus non interruptum, ita quod non cadat quies media, & terminus ad quem vnus numero: ergo si in motu reflexo est quies media, non est motus continuus, quòd cadat quies media in motu reflexo, probatur sic, sumatur pila & proiicitur à manu Socratis ad signum factum in pariete, quod signum sit A, & ab ipso signo, iterum pila moueatur ad manum Socratis, vt fit in ludo pilæ, certum est, quòd iste est motus reflexus. Est enim à manu ad parietem, & à pariete ad manum, tunc pila dum proiicitur à manu accedit ad signum A, & dum reflectitur recedit ab A, ad ipsam manum, ergo vel accedit, & recedit in eodem instanti, vel vno instanti accedit & in alio instanti recedit: non primo, quia cùm accedere, & recedere sint opposita, opposita pro eodem instanti essent in eodem, scilicet in pila. ergo secundo modo, sed inter quælibet duo instantia est tempus medium, vt probatum est in Sexto: ergo pro aliquo tempore pila est in signo A facto in pariete & sic quiescit in A, quia dictum est in fine Sexti libri, omne mobile, quod est in vno loco pro aliquo tempore quiescit in tali loco, cùm ergo pila pro duobus instantibus sit in signo A, quiescit in A, si quiescit in A, ergo in motu reflexo est quies media: Et sic motus reflexus non est continuus cùm cadat quies in puncto reflexionis. Ex his ergo patet, q̃ nullus motus localis, qui est super spatium rectum, vel super circulum non circulariter, sed reflexiuè potest esse continuus & perpetuus. Secundò ex hac probatione vltima Philosophus soluit tria dubia: primum est, pono casum, quòd tint duo spatia bicubita, & sint duo mobilia æquè velocia, puta Plato & Socrates: & ista duo spatia diuidantur in duas medietates, & in medio primi spatij signetur A, in medio secundi spatij signetur B, vt fic,



Et volo, quòd Socrates incipiat moueri in secundo spatio A, B, vsque ad principium secũdi spatij vsque ad finem per A, tunc sic, quando Socrates attinget principium secũdi spatij, Plato accedet ad A, cùm sint æquè veloces, si accedit ad A, ergo vel in eodem instanti accedit & recedit ab A, vel in vno instanti accedit, & in alio recedit, non primo ne sint opposita in eodem, si secundo, ergo quiescit in A, vt probatum est de motu reflexo, si quiescit in A, ergo motus Platonis à principio spatij ad finem non continuus, & tamen supponitur quòd continuè moueatur.

Ad hoc dicit Philosophus, quod non est concedendum, q̃ Plato actu accedit & recedat ab A, sed solùm in potẽtia, quia in motu continuo non ponitur aliquod signum in spatio quod actu sit finis præcedentis partis motus & actu sit principium sequentis partis, sed solùm in potentia: non sic est in motu reflexo, nam punctus reflexus actu finit primum motum, & actu principiat secundum motum, & ideo cadit quies media in tali puncto, cùm actualiter mobile accedat, & recedat à puncto reflexionis: patet ergo, quòd non est simile de motu continuo & de motu reflexo.

Secundum dubium est ratio Zenonis, quę posita est in sexto & soluta imperfectè, hic autem perfectè soluitur. Arguebat sic Zeno si datur motus localis rectus, ergo infinitæ partes spatij pertranseuntur, quia est necesse, quòd mobile prius transeat medietatem & medietatem medietatis, & sic in infinitum, cùm ipsum spatium sit diuisibile in partes infinitas, Ad hoc dicit Philosophus, quòd quando mobile mouetur motu continuo, non fit aliqua diuisio actu in partibus spatij sed solùm in potentia. Et ideo ex hoc non sequitur, q̃ mobile trãseat partes infinitas actu diuisas, sed solùm diuisibiles in infinitas in potentia, quod nõ est incõueniens. Credebat autẽ Zeno concludere quòd pertransiret partes infinitas in actu.

Tertium dubium est, videtur quòd illud quod generatur in eodem instanti habeat esse & non esse, quod est impossibile, & probatur sic, sumatur aurum quod debeat generari ex terra: & generetur in toto vno anno, cujus principium, vel primum instans sit A, & vltimum instans sit B, tunc sic, in toto anno

to anno vsque ad vltimum instans B, Aurum habet non esse, in toto tempore post annum habet esse, ergo in vltimo instanti B, aurum habet non esse, prout B terminat annum, & in ipsomet instãti B, aurum habet esse, prout B principiat tempus sequens post annum, in quo aurum habet iam esse, & sic videtur quod id, quod generatur, in eodem instanti habeat esse & non esse, quod est impossibile.

Ad hoc dicit Philosophus, quod non est concedendum quòd res, quæ generatur in aliquo tempore, quod habeat non esse in vltimo instanti illius temporis, sed dicatur sic, res, quæ generatur in aliquo tempore habet non esse in toto illo tempore, præterquam in vltimo instanti illius temporis, quia in vltimo instanti incipit habere esse per positionem de præsenti, & negationem de præterito, sic enim probatur propositio de incipit in re permanenti, vt declaraui in logica minori de probationibus terminorum.

Ad argumentum verò sic respondetur, quando dicitur in toto anno vsque ad vltimum instans B, aurum habet non esse, hæc est falsa, sed dicatur sic, in toto anno secluso vltimo instanti B, aurum habet non esse, & tunc non concluditur nisi quòd in toto anno aurum habet non esse. Et in vltimo instanti cum tempore sequenti aurum habet esse, & sic nullum sequitur inconueniens. Nota tamen quod hoc dubium requirit, vt iam intellexeris tractatum de primo & vltimo instanti in re permanenti & successiua, sed pro nunc sustine. Intendo enim prædictum tractatum ordinare in fine totius epitomatis. Hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

Quòd solus circularis motus, continuus & perpetuus esse possit.

CIrca quartum caput probatur hæc conclusio, solus motus circularis potest esse continuus, & perpetuus: hæc probatur sic exponendo, motus circularis potest esse continuus & perpetuus, & nullus alius motus potest esse continuus, & perpetuus: ergo solus motus circularis potest esse continuus, & perpetuus: prima propositio probatur sic, Motus circularis non habet motum contrarium: ergo potest esse continuus & perpetuus: probatur consequentia: propter hoc enim alteratio & augmentum, & generatio, & motus reflexus non possunt esse motus continui & perpetui, quia habent contrarium, vt dictum est supra in 2. cap. ergo, si motus circularis non habet motum contrarium, potest esse continuus & perpetuus. Quòd motus circularis non habeat motum contrarium probatur sic: omnis motus, qui habet motum contrarium, est ab vno termino ad alium terminum oppositum, vt puta augmentum est ab imperfecta quantitate ad perfectam: decrementum verò opposito modo, sed motus circularis non est ab vno termino ad alium terminum, vt patet facto circulo, in quo signetur A, & moueatur lapis ab A in toto circulo, & reuertatur ad A vt hic: ergo motus circularis potest esse continuus, & perpetuus: sic verò probatur secunda propositio, scilicet quod nullus alius motus posit esse continuus, & perpetuus. omnis motus præter circularem, si est ab eodem ad eundem terminum, erit per eadem media & per reflexionem, ergo nullus motus præter circularem potest esse continuus & perpetuus: probatur consequentia, quia omnis motus, qui est ab eodem ad eundem terminum per eadem media & per reflexionem est compositus ex duobus motibus contrariis, qui non possunt esse continui, vt dictum est in secundo cap. verbi gratia, moueatur lapis super lineam rectam ab A, in B, & iterum B reuertatur in A, per eandem lineam, patet quòd motus primus, qui est ab A in B, contrariatur motui secundo, qui est à B in A, per eandem lineam, & sic non possunt esse continui, sed non sic accidit in motu circulari: nam mobile non mouetur ab eodem ad idem super idem medium, sed super diuersa media, vt super duos semicirculos. Quod patet in figura sequenti, in qua mobile mouetur ab A ad A, primò per semicirculum superiorem, secundò per semicirculum inferiorem vt patet hîc.



Demonstratio quòd motus circularis solus est vnus & continuus.



Et nota, quòd sicut declaratum est, quòd in motu reflexo locali aliquid mouetur ab eodem ad eundem terminum per eadem media, ita etiam contingit in aliis motibus, puta in alteratione, quæ est calefactio, si aqua fit calida transit à frigido ad calidum, per hoc medium, quod est tepidum, si autem iterum fiat frigida transibit per idem medium, quòd est tepidum à calido ad frigidum. Et ideo isti duo motus non possunt esse continui & perpetui: patet igitur, quare nullus motus potest esse continuus perpetuus, nisi circularis, & cùm probatum sit secundum Philosophum mundũ esse æternum, sequitur quòd motus corporum cœlestium qui est circularis sit æternus, secundum fidem verò potest esse æternus, Hæc de quarto capite sufficiant.

Vltimò soluenda sunt quædam argumenta contra prædicta. Primum probat, quòd motus localis non sit prior tempore aliis motibus sic, in animalibus progressiuis motus localis est posterior, patet enim quòd est necesse prius animal generari, & secundum aliquem gradum augeri antequàm incipiat pedibus incedere, ergo falsum est, quòd motus localis sit prior tempore aliis motibus. *Argumẽta.*

Ad hoc sic respondet Philosophus, Motus localis sumitur dupliciter, primò secundum se, & absolutè, & sic est prior, quia non potest esse generatio, nec augmentum, nec alteratio, nisi sit aliquis motus localis: puta motus cœli, qui est causa generationis, & alterationis in his inferioribus, Secundò sumitur, vt est in tali subiecto, puta in animali perfecto. & sic argumentum concludit, quòd est posterior, sed sufficit quòd sit prior secundum se & absolutè. *Secundũ.*

Secundum probat, quòd motus circularis cœli non potest esse continuus perpetuus sic, motus cœli est ad terminos contrarios, ergo non potest esse continuus perpetuus. Probatur consequentia, nam probatum est supra in secundo capite, quòd nullus motus, qui est inter terminos oppositos, potest esse continuus perpetuus. quòd autem motus cœli sit inter terminos oppositos, probatur; nam est ab Oriente ad Occidens, & ab Occidente ad Oriens, sed Oriens & Occidens sunt termini oppositi, cum Oriens sit dextrum, & Occidens sit sinistrum, vt habetur in secundo libro de cœlo, ergo motus cœli est inter terminos oppositos,

Ad hoc dicitur, quod motus cœli non est ad terminos oppositos per idem medium, vel per eandem lineam, sicut est motus rectus reflexus, sed est ad terminos oppositos per duos semiciculos. Nam mouetur cœlum ex Oriente ad Occidens per semicirculum imaginatum in hemisphærio superiori, vel super nos, mouetur autem ex Occidente ad Oriens per semicirculum imaginatum in hemisphærio inferiori. Et isti semicirculi causant diem ac noctem diuersimodè in hyeme, & in æstate, vt declarati in tractatu sphæræ: dico igitur ad argumentum, quòd motus cœli est continuus perpetuus, quia non est ad terminos oppositos per idem medium, sicut contingit in motu recto & reflexo.

Tertium probat idem sic, motus continuus perpetuus est infinitus, tunc sic, si motus cœli est perpetuus, ergo non mensuratur à tempore, sed hoc est falsum, quia tempus est mensura motus, ergo omnis motus, diffinitio enim debet competere cuilibet contento sub diffinito: probatur consequentia sic, Nullum infinitum mensuratur, vt dictum est in tertio Physi. sed secundum te motus cœli est infinitus cùm sit perpetuus, ergo motus cœli non mensuratur tempore. *Tertium.*

Ad hoc dicitur, quòd motus cœli sumitur dupliciter, primò secundum se totum, & sic dico, quòd mensuratur toto tempore, quod est etiam infinitum secundum Philosophum in principio huius libri Octaui. Et non est inconueniens vnum infinitum mensurari per alterum infinitum, bene est inconueniens infinitum mensurari per aliquod finitum. Et sic intellexit Philosophus in Tertio Physico. Secundò sumitur motus cœli secundum partem, puta motus cœli, qui est ab Oriente in Occidens in vna die, & sic mensuratur aliqua parte temporis puta 12. horis, Et, quia talis pars motus est finita, conuenienter mensuratur ab aliqua parte temporis finita. Dico igitur ad argumentum, quòd totus motus cœli infinitus mensuratur à toto tempore infinito, & partes motus cœli à partibus temporis. Et sic nullum sequitur inconueniens. Hæc de tertio tractatu sufficiant.

TRAC

TRACTATVS QVARTVS
super Octauum Physicorum.

IN hoc quarto tractatu inuestigandum est, qualis sit primus motor omnino immobilis, à quo est primus motus, & diuiditur in tria capita.
In primo probatur quòd est vnus.
In secundo quòd est virtutis infinitæ.
In tertio, quòd est omnino incorporeus nullam habens magnitudinem.

CAPVT I.
Quòd primus motor sit vnus.

IN primo capite probatur, quod motor primus, est talis, sic vnus, & ratio Philosophi est. datur in natura motus continuus sempiternus, vt probatum est suprà: sed motus continuus est vnus, vt declaratum est in Quinto libro, ergo datur vnus motus sempiternus, sed ad vnitatem motus requiritur vnitas mobilis, vt declaratum est in Quinto, & vnitas motoris, ergo datur vnus motor primus, sempiternus, & omnino immobilis. In hac ratione duo probanda sunt. Primò quòd ad vnitatem motus requiritur vnus motor. Secundò, quòd ad sempiternitatem vnius motus requiritur immobilitas omnino ipsius motoris. Primũ quidem declarat Philosophus in proiectis. nam quando Socrates proiicit lapidem per aliquod spatium aëris, puta per centum cubitos, ideo hic motus non est vnus, nec continuus (licet aliter videatur) quia motor non est vnus. Nam primus motor non est manus Socratis. Secundus autem est pars aëris tangens manum Socratis, Tertius est pars aëris sequens præcedentem, quæ impulsa à manu Socratis impellit hanc sequentem, & hæc impulsa impellit aliam, &c. donec omnino deficiat impetus factus à manu Socratis, & receptus in his partibus aëris, quæ sunt deferentes ipsum lapidem per tantum, vel tantum spatium. Quoniam igitur partes aëris non sunt vnus motor, sed plures, ideo motus lapidis non est vnus, sed plures sibi inuicem succedentes, sicut quando plures lateres eriguntur ordinatè, & primus percussus pede percutit secundum, & secundus tertium, vsque ad vltimum, vnde quot sunt lapides, tot sunt motus. Cùm igitur oppositorum sint oppositæ causæ, si plures motus sunt à pluribus motoribus, vnus motus requirit vnum motorem. Secundum probatur ex regularitate, & vniformitate, quam videmus in primo motu qui est motus diurnus, & arguitur sic, Motus primus est maximè regularis, ergo motor primus est omnino immobilis: probatur consequentia, quoniam ad sensum videmus irregularitatem motus procedere à varietate motoris. Nam quia mouẽtia inferiora non semper sunt in eadem dispositione, quia fatigantur in mouendo, ideo in inferioribus non datur motus vnus continuatus regularis, quia igitur motor primus causat motum maximè regularem, & æternum, signum est, quòd semper eodem modo se habet, ex consequenti est omnino immobilis, & inuariabilis. Et aduerte quòd Aristot. in Duodecimo Metaphys. probat vnitatem primi motoris, non ex vnitate primi motus, sed ex carentia materiæ, habet enim pro principio, quòd quæcunque carent materia non possunt numero multiplicari, verùm quantum hæc ratio concludat videbimus in Duodecimo Metaphys. in quæstionibus ordinariis. Hæc de vnitate primi motoris sufficiant.

CAPVT II.
Quòd primus motor sit virtutis infinitæ.

IN secundo capite, aduerte quòd firmanda sunt omnia fundamenta ex quibus deducetur conclusio tertij capitis, hîc principaliter intenta, scilicet quòd primus motor est virtutis infinitæ: huiusmodi autem fundamenta sunt quinque. Primò supponitur primum motorem mouere
Tex.c.78. tempore infinito. Secundò probatur virtutem finitam non
79.80. posse mouere tempore infinito. Tertiò deducitur motorem primum esse virtutis infinitæ. Quartò probatur, quòd virtus infinita non potest esse in magnitudine finita. Quintò quòd in magnitudine infinita non potest esse virtus finita, ex quibus concluditur, quòd si virtus finita est in magnitudine magnitudo erit finita, & si virtus infinita est in magnitudine, magnitudo est infinita.

Quantum ad primum aduerte, quòd suadet sibi Aristotel. primum motorem mouere tempore infinito, ex eo quod suo iudicio conclusit dari in rerum natura vnum motum æternum. Motus autem æternus requirit mouens æternum, quoniam ex necessitate motus infert mouens, non est autem mouens æternum nisi moueat tempore æterno & infinito, Supponit igitur Arist. ex suprà probatis motorem primum mouere tempore infinito.

Quantum ad secundum formanda est ratio Philosophi, & defensanda, sic igitur arguit, cùm in motu sit mouens & mobile, & tempus in quo fit motus, sit mouens finitum, & mobile finitum, necesse est vt moueat motum mobile tempore finito, & non infinito, nam sit mouens virtutis finitæ A, & mobile finitum B, & tempus in quo est motus C, & sumo partem ipsius mouentis quæ sit D, & moueat partem ipsius mobilis, quæ sit E, certum est, quod D mouebit E, in minori tempore quàm sit C, quoniam probatum est in Sexto, quod totum mobile in maiori tempore pertransit aliquod signum, quàm pars eius. Non ergo D mouebit E in C, quod ponitur infinitum, sed in tempore finito, & sic 3. Item sumo aliam partem mouentis finiti, & moueat aliam partem mobilis finiti, certum est quod mouebit in minori tempore, quàm sit C, ergo finito, & sic illud æquale ipsi 3. Iterum sumo aliam partem mouentis, & aliam partem mobilis, vt prius, & tempus, vt prius æquale ipsi 3. Tunc sic, cùm mouens, & mobile sint finita, manifestum est, quòd sumendo ab eis partem post partem seruando eandem quantitatem tandem consumentur, vt probatur in Primo libro Physicorum, & cùm pars moueat partem in minori tempore quàm totum moueat totum, manifestum est, quòd omnes partes temporis, in quibus omnes partes mouentis mouent omnes partes mobilis sunt finitæ, ex consequenti totum mouens finitum mouebit totum mobile finitum in tempore finito, & non in infinito. Ergo repugnat, quòd mobile finitum moueatur à mouente finito in tempore infinito.

Hæc ratio Philosophi patitur duas difficultates. Prima est quod Aristot. supponit falsum, scilicet, quod à quolibet mouente, & à quolibet mobili posit subtrahi pars, hoc enim est falsum in intelligentia indiuisibili, & in corpore cœlesti incorruptibili, ergo vel demonstratio Philosophi est particularis, vel supponit falsum.

Huic obiectioni dicit Comment. quòd & si non sit verum de facto, quod à quolibet mouente, & mobili posit subtrahi pars, hæc tamen conditionalis est vera, si à mouente, & mobili subtrahatur pars, mouebit pars partem in minori tempore, quàm totum moueat totum: verùm quia Aristot. non videtur loqui conditionaliter, sed de facto: inquit enim, ipsum D igitur moueat aliquam partem ipsius B. &c. Ideo respondeo B. Tho. melior est, scilicet, quod & si realiter non posit subtrahi à quolibet mouente, & mobili pars, potest tamen subtrahi per designationem imaginationis, vel intellectus, sicut & astrologi diuidunt cœlum per signa, & gradus, & minuta, quæ tamen diuisio non est realiter in cœlo. Et sicut verum est dicere, quòd Aries vel Taurus in minori tempore pertransit horizontem, quàm totus Zodiacus, sic in proposito intelligenda est ratio Philosophi quod designata pars virtutis mouentis, saltem per intellectum mouebit partem mobilis eodem modo designatam in minori tempore, quàm tota virtus moueat totum mobile respectu alicuius signi positi in spatio.

Secunda obiectio est, quia de facto secundum positionem Aristot. virtus finita, puta intelligentia Solis, mouet cœlum suum, quod tamen est finitum, vt probat in Primo cœli, pro tempore infinito, quia secundum Arist. vt credidit se probasse in hoc Octauo libro motus Solis, nec incœpit, nec desinet. Ergo non incõuenit finitũ mouere finitum tempore infinito.

Ad hoc dico, quòd Arist. non habet pro inconuenienti finitum mouere finitum per reiterationem tempore infinito, Ita tamen, quòd quælibet circulatio, qua totum mobile mouetur compleatur tempore finito. Et sic suprà probauit motum cœli esse æternum per reiterationem, sed hic non intendit per reiterationem, sed continuum transitum partis, post partem sine replicatione, qui transitus non potest seruari nisi imaginato mobili infinito, quod vtique non posset moueri, nisi à motore infinito, aliter maior esset resistentia mobilis, quàm virtus mouentis, & à proportione minoris inæqualitatis non prouenit actio. Et si dicas quòd si Arist. hic intendit de mobili infinito, & non per reiterationem procedit ex falso, & impossibili, quoniam iam probauit in Tertio Physicorum, & in Primo Cœli, præcipuè totum vniuersum esse finitum, & non posse esse infinitum, ergo ratio sua nulla est. Ad hanc obiectionem conatur respondere B. Tho. in comment. hic. Et ego defensaui eam in Duodecimo Metaphysicæ, in quæstionibus ordinariis, ideo sustine pro nunc, vel require illic.

Quantum

Quantum ad tertium, aduerte, quòd intendit Philosophus talem rationem, Mouens tempore infinito, est virtutis infinitæ, primus motor mouet tempore infinito, ergo, &c. Minorem huius extimat se probasse in superioribus, scilicet motum esse æternum, ergo dari motorem æternum immobilem, quem necesse est ponere primum, motus autem æternus est in tempore infinito, probatum est enim in sexto, quod si motus est infinitus, & tempus infinitum, maiorem autem probamus ex conclusione præcedenti, nam si mouens finitum non potest mouere tempore infinito, ergo ad mouendum tempore infinito requiritur virtus infinita mouentis, sed hæc ratio patitur instantiam etiam ex principiis Aristote. nam intelligentia lunæ mouet cœlum lunæ tempore infinito, & tamen non est virtutis infinitæ, ergo maior propositio inducta non est vera.

Ad hoc dico, quòd mouens tempore infinito est duplex, quoddam est mouens non à se, sed in quantum mouetur, vel recipit virtutem mouendi ab alio: sicut Sol mouet tempore infinito hæc inferiora, alterando & generando, & corrumpendo, inquantum æternaliter mouetur ab intelligentia sibi applicata, & tale mouens non est necesse habere virtutem infinitam, sed sufficit ipsum esse incorruptibile & semper debitè approximatum suo mobili. Quoddam autem est mouens à se, & ex se, ita quòd est prima causa motus infiniti. Et hanc necesse est esse infinitæ virtutis eò quòd à nullo virtutem determinatam recipit, sed absolutè habet à se, ergo illimitatè & infinitè. Quando igitur dicitur mouens tempore infinito, &c. sic intelligatur, mouens ex se, & à se, ita quòd est prima causa motus infiniti & æterni, est virtutis infinitæ: & in hoc sensu intendit concludere Arist. & non in primo, aliter tot essent motores virtutis infinitæ, quot sunt intelligentiæ applicatæ, cùm omnes moueantur tempore infinito secundum Aristotel. Quod tamen est falsum, quoniam vt disputabitur in Duodecimo Metaphysicæ, repugnat dari plura entia virtutis infinitæ intensiuè.

Quantum ad quartum, aduerte, quòd Philosophus facit hanc consequentiam, si virtus infinita mouens est in magnitudine finita, ergo æquali tempore, & etiam minori mouebant virtus finita, & infinita. Hanc consequentiam deducit sic, probatum est in Sexto, quòd nihil mouet in instanti, sed omnis motus necessariò est in tempore: sit ergo tempus, in quo virtus infinita mouet A, puta vna hora, sumatur alia virtus finita quæ moueat in tempore maiori, & sit B, puta tres horæ, tunc sic, cùm quacunque virtute finita posit sumi maior, sumatur virtus finita maior præcedenti: certum est, quòd mouebit in tempore minori, quàm sint tres horæ, mouebit ergo in duabus horis, & sumatur adhuc maior, quæ mouebit in tempore adhuc minori, & moueat in vna hora, & sumatur adhuc maior, quæ mouebit minus quàm in hora, & sic sequitur, quòd virtus finita mouebit in æquali tempore, quo mouet virtus infinita, & etiam in minori. Cùm ergo ex duobus impossibilibus sequatur de necessitate vnũ, scilicet, vel quòd virtus infinita moueat in instanti, quod est impossibile, quia repugnat motum fieri in instanti, vel quòd virtus finita moueat æquali tempore cum infinita, & etiam in minori, quod etiam est impossibile, quoniã demonstratum est supra virtutem maiorem agere æqualem effectum in minori tẽpore sequitur q̃ in magnitudine finita non posit esse virtus infinita.

Sed contra hanc rationem insurgit dubium, quoniam si ratio Philosophi concludit de virtute infinita, quòd non posit esse in magnitudine finita, concludit etiam de virtute infinita extra magnitudinem. nam non est minoris vigoris, imò, vt ita dicam, maioris si non arctatur aliqua magnitudine, sicut igitur sequitur ex deductione quam fecit Philosophus motum esse in instanti, vel virtutem finitam, & infinitam mouere æquali tempore, ita sequitur de virtute motiua infinita extra magnitudinem, cùm non sit minoris virtutis.

Ad hoc respondetur, quòd non est eadem ratio, quoniam virtus infinita in magnitudine mouet naturaliter, ex consequenti tantum quantum potest: virtus autem infinita extra magnitudinem mouet, vt apprehendit congruum finis consequendo, propter quem mouet, & non quãtum potest, & ideo non est eadem ratio. Et si dicas moueat virtus infinita extra magnitudinem toto suo posse, ergo mouebit in instanti, vel æquali tempore cum virtute finita.

Ad hoc dico, quòd non potest velle mouere toto suo posse, quoniam repugnat ex parte rei dari motũ infinitæ velocitatis, aliter velle suũ esset vanũ, sicut Deus nõ potest producere maximũ effectum, quõ potest, quoniã quocunq; dato, potest producere maiorem, aliter infinita virtus sua esset exhausta.

Quantum ad quintum, aduerte, quòd Philosophus tacitè supponit vnum, scilicet, si duæ sint magnitudines eiusdem generis, puta duo ignes, sicut augetur magnitudo, sic augetur potentia, vt maior est potentia in igne maiori quã in minori, & si minor adæquetur maiori, adæquabuntur etiã potentiæ. Hoc supposito sic arguit Philosophus, si in magnitudine infinita sit potentia finita, ergo dabitur æqualis potentia in magnitudine finita, & infinita eiusdem generis, quod est falsum, vt patet ex supposito facto: consequentia autem sic deducitur, sit magnitudo infinita, in qua sit potentia finita A, & magnitudo finita B, in qua sit potentia finita, & sit eiusdem generis, puta elementũ infinitum, & elementum finitum. Et potentia finita, magnitudinis finitæ, sit minor potẽtia finita, magnitudinis infinitæ in centum gradibus, nam inter quæcunque duo finita datur aliqua proportio, tũc sic cùm omni finito posit fieri additio, addatur magnitudini finitæ magnitudo, in qua sit potentia, vt decem, & alia in qua vt viginti, & alia in qua vt triginta, & sic addẽdo deueniemus ad magnitudinem finitam, in qua erit potentia, vt centum, & tunc erit æqualis potentia duarum magnitudinum eiusdem generis, quarum vna est infinita & altera finita. Cùm autem hoc sit impossibile, quoniam in his, quę sunt eiusdem generis, sicut augetur magnitudo augetur potentia, patet quòd in magnitudine infinita non potest esse potentia finita. Hæc de 2. cap. sufficiant.

CAPVT III.
Quòd Primus motor sit omnino immobilis, incorporeus, ac penitus indiuisibilis, nullam habens magnitudinem.

IN tertio capite probandum est principale propositum, scilicet, Motor primus est omnino immobilis, & incorporeus, & penitus indiuisibilis: & arguitur sic, nullã habet magnitudinem: ergo, &c. probatur antecedens, quoniam consequentia est nota, nõ habet magnitudinẽ infinitam, quoniam illa non datur. vt probatum est in tertio physico. nec finitam, quoniam probatum est in capite præcedenti non posse esse in magnitudine finita potentiam infinitam, sed motor primus immobilis est potentiæ infinitæ, cùm sit mouens tempore infinito, vt dictum est suprà, ergo constat ipsum esse penitus sine magnitudine & incorporeum, &c. Hæc de tertio capite sufficiant.

Nunc superest soluere aliqua argumenta: & primum probat, quòd primus motor non sit vnus: nam primus motus, qui est primi cœli, est à duplici motore, scilicet, coniuncto & separato, vt inquit Commentator in Vndecimo Metaphysicæ, ergo duo sunt motores primi. *Argumenta.*

Ad hoc dico, quòd motor coniunctus non est simpliciter primus, quoniam subordinatur motori separato, à quo mouetur in ratione amati, vt dicetur in Duodecimo Metaphysicæ, potest autẽ esse dici primus in ordine motorum coniunctorum, qui sunt intelligentiæ applicatæ, non ergo inconuenit, quòd duo sint motores primi diuersa ratione, & diuerso respectu, loquendo autem simpliciter est tantùm vnus. de quo autem intendat hîc philosophus, declarabitur in duodecimo metaphysicæ.

Secundum probat quòd vnitas motus non impeditur propter pluralitatem motorum, nam Sol & homo vna generatione generant hominem: ergo, &c. *Secundũ.*

Ad hoc dicitur, quòd propositio Philosophi intelligenda est de motore totali, & immediato: propter defectum primi tractus nauis, licet sit à pluribus, tamen est vnus quia sunt motores partiales: propter defectum secundi, generatio Socratis est vna, licet sit à Sole, & aliis planetis: & à Platone generante, quoniam sunt motores non immediati, sed subordinati.

Tertium probat, quòd in magnitudine finita sit virtus infinita: nam est aliquod corpus, puta cœlum, quod secundum Aristore. est incorruptibile: ergo habet virtutem, vt sit semper, ergo est infinitæ virtutis. *Tertium.*

Ad hoc dico, quòd intendit philosophus de infinita virtute intensiuè, quæ est principium actiuum, puta motiuum, cuius signum est, quia deducit ad hoc inconueniens, scilicet, q̃ motus esset in instanti, non autem intendit de virtute infinita extensiuè, siue duratiuè. Hæc enim cõsequitur naturam corporis elongati à contrariis, quale est cœlum,

Quartum probat, quòd primus motor non sit omnino incorporeus: nam secundum Aristot. in hoc octauo libro, necesse est ipsum esse aut in medio, id est in centro, aut in circunferentia: quod autem determinatur loco, non videtur omnino incorporeum: ergo, &c. *Quartũ.*

Ad

Ad hoc dico, quòd hæc determinatio non est per circunscriptionem suæ substantiæ, sed per incœptionem influentiæ in corpus cœli, ex quo enim mouet cœlum applicando virtutem & influendo, necesse est, vt ex aliqua parte cœli incipiat influere, & quoniam in qua parte apparet motus velocior videtur magis recipi virtus mouentis, apparet autem velocior in circunferentia propter maius spatium pertransitum: idem dicit Philosophus, quòd primum mouens est in circunferentia ratione maioris, & principalis influxus illic recepti. Hîc terminatur vltimus tractatus Octaui libri Physicorum. Ad laudem Primi, & totius vniuersi gubernatoris, qui est Deus trinus & vnus.

Epitomes in Octo libros Physicæ auscultationis. Finis.

TRACTATVS DE PRIMO & Vltimo Instanti.

Quæsitum de Primo, & Vltimo instanti.

QVæritur vtrum detur primum instans, in quo res habet esse, & vltimum, in quo non habet esse, & vltimum in quo habet esse, & primum in quo habet non esse. Pro decisione huius dubij tria agenda sunt.

Primò declarandi sunt præpositi termini, vt sciamus quid significent, quomodo differunt, quomodo probantur, vel exponuntur.

Secundò ponendæ sunt quatuor regulæ generales, quibus intellectis facilè resoluetur quæsitum.

Tertiò respondendum est ad quæsitum per distinctiones & conclusiones responsuas.

Quantum ad primum, aduerte quòd termini pertractati in hac materia sunt quatuor, scilicet vltimum non esse, primum esse, vltimum esse, primum non esse.

Vltimum non esse, & primi esse quid.

Significata eorum sunt hæc. Vltimum non esse significat instans, in quo res non habet esse, & tamen post illud habebit esse, primum esse significat instans, in quo res primò habet esse, quæ ante illud non habebat esse: vltimum esse, significat instans, in quo res habet esse, & post illud habebit non esse: primum non esse significat instans, in quo res primò habet non esse, quæ tamen ante illud habebat esse

Differunt autem sic, Vltimum non esse, & primum esse se tenent ex parte incœptionis rei: vltimum esse, & primum non esse se tenent ex parte desitionis.

Probantur autem siue exponuntur hoc modo, nam duo prima exponuntur sicut incipit, & duo vltima sicut desinit. Incipit vero dupliciter exponitur, quoniam aliter in successiuis, aliter in permanentibus. nam in successiuis exponitur cum negatione de præsenti, & positione de futuro, vt nunc incipit motus, sic exponitur, Nunc non est motus, & immediatè post hoc instans erit motus, ergo &c. In permanentibus autem exponitur cum positione de præsenti, & negatione de præterito, vt nunc incipit Socrates esse, sic exponitur, nunc est Socrates & immediatè ante hoc instans non fuit Socrates, ergo &c. Notandum ergo, quod vltimum non esse exponitur sicut incipit in successiuis, vt nunc motus habet vltimum non esse, sic exponitur, nunc motus non est, & immediatè post hoc nunc erit, ergo nunc habet vltimum non esse. Primum esse exponitur sicut incipit in permanentibus, vt nunc est primum esse Socratis, sic exponitur, nunc est Socrates, & immediatè ante hoc nunc non fuit Socrates, ergo nunc est primum esse Socratis. Desinit exponitur in successiuis cum negatione de præsenti, & positione de præterito, vt desinit esse motus, nunc non est motus, & immediatè ante hoc nunc fuit motus, ergo &c. In permanentibus ante exponitur cum positione de præsenti, & negatione de futuro, vt desinit esse Socrates, sic exponitur, Socrates nunc est, & immediatè post hoc nunc non erit, ergo &c. Secundum primum modum exponitur primum non esse, vt non est primum non esse motus, sic exponitur, nunc non est motus, & immediatè ante hoc non fuit motus, ergo &c. Iuxta secundum modum exponitur vltimum esse, vt nunc est vltimum esse summi gradus, nunc est summus gradus, & immediatè post hoc nunc non erit summus gradus, ergo &c.

Quantum ad secundum aduerte quatuor regulas generales, & firmissimas. Prima in quocunque est reperire primum esse, in eodem non est reperire vltimum non esse. & probatur sic, sumo primum instans, in quo res habet primum esse, & vocetur B: deinde sumo vltimum instans, in quo dicitur habere vltimum non esse, & vocetur A: Manifestũ est, quod A est ante B: Quæro ergo, aut A & B sunt idem instans, aut distincta, si idem, ergo sequuntur contradictoria simul vera, quoniam in eodem instanti non erit, & erit, si non sunt idem, sed distincta: quæro aut sunt immediata, aut mediata, non primum, vt probatum est in Sexto Physicorum, si secundum, ergo cadit tempus medium, sed in hoc tempore res non habebit esse, nec non esse: quod probatur pro prima parte sic, Ante B, res non habet esse, quia supponitur secundum te, quod in B habeat primum sui esse, & tempus est ante B, cùm non sit immediatum ipsi A, ergo &c. Secunda verò pars sic probatur, post A non habet non esse, quia supponitur quod in A habeat vltimum sui non esse, sed tempus est post A, quia non immediatum ipsi B, ergo &c. sed cùm hæc sint impossibilia, sequitur quòd in quocunque est dare primum esse, in eo non est dare vltimum non esse.

Secunda, In quocunque est dare vltimum non esse in eo non est dare primum esse: probatur sic, sumatur totum tempus mensurans adæquatæ esset rei, in qua est dare vltimum non esse, & vocetur A: sumatur etiam primum instans illius temporis, & vocetur B: tunc quæro, aut in B, habet vltimum non esse, aut primum esse: non secundum, quoniam, cùm loquamur de re, in qua datur vltimum non esse, si in B, habet primum esse, ergo in alio instanti ante B habet vltimum non esse. Et cùm hæc duo instantia non sint immediata in tempore medio, non habebit esse, quoniam secundum te habet primum esse in A, nec habebit non esse, quoniam post instans vltimi sui non esse, non habet non esse: patet ergo, quod in quocunque est assignare instans vltimi non esse, non est assignare instans primi sui esse. ergo in B habet vltimum non esse, & aduerte, quod istæ duæ regulæ se tenent ex parte incœptionis.

Tertia, In quocunque est inuenire vltimum esse non est inuenire primum non esse: probatur sic, si datur vltimum esse, & primum non esse, vltimum instans, in quo habet primum non esse, sit B, tunc patet, quòd A præcedet B, quæro ergo, aut A & B sunt immediata, aut mediata: non primum ex Sexto Physicorum, si secundum, ergo cadit tempus medium, in quo res nec habebit esse, quia post A non habet esse, nec habebit non esse, quia ante B non habet non esse, cùm autem hæc sunt impossibilia, sequitur quod vbi est dare vltimum esse non est dare primum non esse.

Quarta, In quocunque est dare primum non esse, non est dare vltimum esse: probatur sic, si est dare primum non esse, & vltimum esse, hoc non est respectu eiusdem instantis, ne sequatur contradictio, vt patet: ergo respectu diuersorum instans sit, ergo instans primi non esse A, & vltimi esse B, cùm cadat tempus medium, ergo in tempore medio habet vltimum esse, sequitur quòd post primum non esse adhuc habeat esse, ergo in B non habet vltimum esse, aliter sequitur, quòd in B habeat vltimum & non vltimum esse, quod est impossibile, patet ergo regulam esse veram. Et aduerte quod tertia & quarta regula se tenent ex parte desitionis.

Quantum ad tertium, vt determinetur quæsitum, ponuntur quędam distinctiones subnectendo conclusiones responsuas, quarum distinctionum prima sit hæc, rerum alia successiua, alia permanens.

Prima conclusio, Rei successiuæ non datur primum, nec vltimum sui esse, sicut est motus & tempus: hanc conclusionem diffusè probat Philosophus in Sexto Physicorum, & ejus suum fundamentum est, quoniam tempus & motus & magnitudo eodem modo se habent quo ad diuisionem, ergo sicut in magnitudine cùm sit continua ex consequenti sit diuisibilis infinitum, non est assignare primam & vltimam partem, sic nec est dare primam, & vltimam partem in motu.

Rerum permanentium, quædam est dependens à re successiua, quædam non. Secunda conclusio, Rei permanentis dependentis à successiua non datur primum, nec vltimum sui esse: & probatur sic, sequeretur dari primum, & vltimum esse in re successiua, quod est falsum per conclusionem præcedentem: probatur consequentia, veritas huius propositionis, Socrates currit, est res permanens dependens à cursu Socratis, qui est res successiua. Nam Socrate currente est vera, desinente cursu est falsa, si ergo concomitatur rem successiuam, idem erit iudicium de primo & vltimo sui esse in vtraque: cùm igitur successiua non habeat primum, nec vltimum sui esse, nec res permanens pendens à successiua habebit.

Rerum permanentium non dependentium à successiuis, quædam durant solum per vnum instans, quædam per aliquod tempus.

Tertia

Tertia conclusio, Rei permanentis durantis solùm per vnum instans, datur primum & vltimum sui esse: & probatur sic, primum est, ante quod non est aliud, sed est dare instans, ante quod non est aliud instans, in quo talis res habet esse. nam verum est dicere, Hoc mutatum esse nunc est, & ante hoc nunc non erat, ergo in hoc nunc est primum esse huius mutati esse. Quod autem sit dare vltimum esse, probatur sic, vltimum est, post quod non est aliud, sed est dare instans, post quod non erit aliud instans, in quo hoc mutatum esse habeat esse: ergo in hoc instanti habet vltimum sui esse, vnde idem instans est in quo res permanens durans pro instanti habet primum & vltimum esse, sed respectu primi esse sic exponitur, Hoc nunc est, & ante hoc nunc non fuit, ergo in hoc instanti habet primum esse. respectu autem vltimi esse sic exponitur, Hoc nunc est, & post nunc non erit, ergo in hoc instanti habet vltimum esse.

Rerum permanentium per aliquod tempus, quędam consistunt in indiuisibili, quædam habent latitudinem: exemplum primi, vt bicubitum, & superlatiua, vt albissimum, calidissimum, &c. exemplum secundi, vt album, nigrum, &c.

Quarta conclusio, Res permanens, cuius esse consistit in indiuisibili, habet vltimum sui esse: & probatur sic, si talis res, puta bicubitum, aut calidissimum debet corrumpi, corrumpetur per alterationem alicuius agentis in ipsam, & cùm tale agens illi approximauerit statim corrumpetur, quoniam non potest tam modicum minui, quòd amittet rationem sui esse, quod consistit in indiuisibili. Nam non potest tam modicum minui de albissimo, quod non erit amplius albissimum: sit ergo ita, quod hoc agens agere debeat in albissimum post hoc instans immediatè, tunc arguitur sic. In hoc instanti agens non agit in albissimum, & post hoc instans immediatè aget, ergo in hoc instanti albissimum habet vltimum sui esse: probatur consequentia, quia verum est dicere, In hoc instanti albissimum est, & immediatè post hoc instans non erit, ergo in hoc instanti habet vltimum sui esse.

Quinta conclusio, Res permanens, cuius esse non consistit in indiuisibili, habet primum sui esse: probatur duobus præsuppositis, primò, quòd talis res producatur per motum siue per alterationem, vt calidum per calefactionem. Secundò, quòd terminus ipsius motus sit ipsa res producta, & quando est terminus motus res ipsa fit: nam si non est ipsa res, nondum terminatus est motus nisi per accidens, quoniam secundum Aristotel. præsente habitu id est, acquisita forma cessat motus, stantibus his arguo sic, sit A vltimum instans temporis mensurantis motum, quo producitur res permanens habens latitudinem: & quæro, talis res aut habet esse in A, aut non, si non, ergo oportet dari alium motum, quo producatur in esse, & sic sequitur, quòd ille motus non terminabatur ad A, quod est contra præsuppositum. Diximus enim, quòd A sit vltimum instans temporis mensurantis motum, quo talis res producitur in esse: si habet esse in A: iterum quæro, aut habuit esse ante A, aut non, si sic, ergo habuit esse ante terminationem motus, quod est falsum, quoniam res producta per motum est terminus motus, & sic frustra esset ille motus, si duraret producta re. si non, tunc sic, non habet esse ante A, & habet esse in A, & post A, ergo in A habet primum sui esse.

Sexta conclusio, Res permanens cuius esse, &c. non habet vltimum sui esse: probatur sic, talis res, cùm desinit esse, desinit per alterationem causatam ab agente contrario intendente formam introducendam: sumatur ergo vltimum instans temporis mensurantis hanc alterationem, & vocetur B, ita quòd in B terminetur hæc alteratio, tunc arguo sic, In B terminante motum est terminus motus, vt dictum est in conclusione præcedenti, sed terminus motus est forma sequens, hæc enim est intenta ab agente contrario, ergo in instanti B est introducta forma sequens. Ergo in eodem instanti est corrupta forma præcedens, quoniam cùm sint disparatæ, vel contrariæ non se compatiuntur in eadem materia vel subiecto, si est corrupta, ergo habet in instanti B primum non esse, sed per quartam regulam assignatam suprà, in quocunque datur primum non esse, non datur vltimum esse, ergo, &c. Aduerte vltimò, quòd hæc sexta conclusio deseruit omnibus rebus permanẽtibus productis per generationem substantialem, quæ est terminus alterationis præuiæ. Ita quòd de eis verum est dicere, Rei permanentis generandæ datur primum esse, sed non vltimum non esse. Et rei permanentis corrumpendæ datur primum non esse, sed non vltimum esse. Hæc de quæsito sufficiant.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

EPITOME IN LIBROS DE Cœlo Aristotelis.

IN quatuor libris de cœlo, & Mundo Aristot. tria principaliter tractat.

In primo libro pertractat de Vniuerso, quantum ad suas proprietates.

In secundo de corpore cœlesti, quod est nobilior pars huius vniuersi.

In tertio libro, & quarto de elementis, prout grauia, vel leuia sunt: & de motu recto sibi naturali, quo ad propria mouentur loca.

TRACTA. I. LIBRI.

SVper primo libro formamus quatuor tractatus.

In primo pertractatur, quòd ipsum Vniuersum est perfectum, & ex quibus partibus principaliter componatur.

In secundo, quod vniuersum non est infinitum, secundum magnitudinem.

In tertio, quòd est tantùm vnum vniuersum, & non possunt esse plura, & sic non possunt esse infiniti mundi.

TRACTA. II LIBRI.

SVper secundum librum formamus tres tractatus.

In primo agitur de corpore cœlesti, vt de priori, & nobiliori parte vniuersi.

In secundo de stellis, cuius naturæ sint, & qualis sint figuræ, & qualiter moueantur.

In tertio de terra: non quidem quantum ad suas qualitates elementares, quæ sunt frigiditas, siccitas & grauitas: sed inquantum est centrum corporis cœlestis, & totius vniuersi.

TRACTA. III. LIBRI.

SVper tertium librum, in quo Philosophus agit de elementis quo ad numerum suum, & quomodo sunt adinuicem generabilia, & corruptibilia, formamus vnicum tractatum, in quo pertractabitur de numero elementorum & de generatione, & corruptione eorum adinuicem, breuiter tamen: nam Philosophus hic quasi per accidens loquitur de elementis, vt generabilia, & corruptibilia sunt: & ideo & principali intentione de eorum generatione, & corruptione, composuit librum de generatione, & corruptione, vbi diffusius id pertractat.

TRACTA. IIII. LIBRI.

SVper quartum librum, in quo Philosophus agit de elementis inquantum sunt mobilia secundum locum motu recto, formamus vnicum tractatum: in quo agetur de graui, & leui simpliciter, & respectiuè. & de motu naturali recto elementorum: cuius causa est ipsum graue & leue. nam causa, quare terra mouetur deorsum est grauitas sua: in igne autem leuitas est vt causa motus sursum.

TRACTATVS PRIMVS SVper primo libro de cœlo, de perfectione Mundi, in Quinque capita diuisus.

TRactatum Primum, in quo agitur de perfectione vniuersi, vel mundi, & ex quibus partibus constituitur, diuidimus in quinque capita.

In primo declaratur quid sit subiectum huius libri.

In secundo probatur quòd vniuersum, siue mundus est perfectus.

In tertio probatur, quod mundus componitur principaliter ex quatuor elementis, & corpore cœlesti: quod non est de natura elementorum, sed dicitur esse quintum corpus simplex, vel quinta essentia.

In quarto ostenditur, in quot differant corpus cœleste & quatuor elementa.

In quinto probatur, quòd præter quatuor elementa, & corpus cœli, non est dare aliud corpus simplex ingrediens compositionem vniuersi.

CAPVT

CAPVT I.

Quid nam sit subiectum libri de Cœlo.

CIrca primum cap. quid sit subiectum huius libri tres sunt opiniones. Prima est Alexandri, quam etiam B. Tho. approbat, qui tenet, quòd vniuersum est subiectum huius libri. cuius ratio est, quia Philosophus in hoc libro inquirit proprietates vniuersi, scilicet vtrum sit perfectum, vtrum sit finitum, vtrum sit vnum, vtrum sit æternum: ergo vniuersum est subiectum in hoc libro. illud enim est subiectum in scientia, cuius proprietates inquiruntur in scientia, vt patet in primo Posteriorum. Quid si dicas, quòd non solùm Philosophus agit de vniuerso: sed etiam de corpore cœli, & de elementis: ergo non solùm vniuersum est subiectum in hoc lib. Respondeo, quòd de cœlo & de elementis hîc non agitur, nisi vt ordinantur ad vniuersum, tanquam partes eius constitutiuæ, & vt habent determinatum situm in vniuerso, vt dicemus infrà: ex hoc autem non impeditur, quin vniuersum sit subiectum in hoc libro. Nam illud est subiectum in scientia, ad quod ordinantur omnia considerata in scientia.

Secunda opinio est Simplicij, qui tenet, quòd corpus simplex in communi, id est vt sub se continet cœlum, & quatuor elementa sit subiectum huius libri, & mouetur hac ratione, subiectum huius libri, vel est corpus simplex, vel ipsum vniuersum. non vniuersum, quia tunc Aristote. in hoc libro tractasset de omnibus partibus vniuersi, & sic tractasset ibi de omnibus elementatis, & de mineralibus, & de plantis, & animalibus, quod tamen non fecit. ergo non vniuersum, sed corpus simplex in communi est subiectum huius libri.

Hæc ratio non concludit, quia ad hoc quod vniuersum sit subiectum, non est necesse quod ibi tractetur de omnibus partibus vniuersi, sed solùm de principalibus, quæ sunt cœlum, & quatuor elementa. elementata autem vt dicemus infrà sunt partes secundariæ. Ideo de eis non fuit necesse tractare in hoc libro: sed in aliis libris particularibus Philosophiæ Naturalis.

Tertia opinio est D. Alberti in primo libro de cœlo, cap. primo, qui tenet quòd corpus mobile ad vbi, id est secundum motum localem, est subiectum in hoc libro, vnde ibi agitur de cœlo, vt mouetur motu sphærico, & de elementis inquantum mouentur motu locali recto sursum, vel deorsum.

Hæc opinio approbatur à B. Tho. in fine procemij, vbi inquit, & hoc consonat ei, quod consueuit dici apud Latinos, quòd in hoc libro agitur de corpore mobili, secundum locum, qui quidem motus communis est omnibus partibus vniuersi, scilicet cœlo. & quatuor elementis, igitur secundum viam B. Tho. possumus tenere, quòd vniuersum, vel mundus sit subiectum huius libri, vt tenet etiam Alexander, vel corpus mobile secundum locum, id est ad vbi, vt etiam tenet D. Albertus. Et hanc secundam viam tenuimus in primo Physic. in primo tractatu, vbi annotauimus vniuersalem diuisionem Philosophiæ Naturalis.

CAPVT II.

De vniuersi seu mundi perfectione.

CIrca caput secundum videndum est, vtrum vniuersum, quod dicitur mundus, sit perfectum. hæc enim est prima proprietas, quam Philosophus inquirit de mundo: ad cuius resolutionem primò propono duas distinctiones: secundò pono aliquas conclusiones.

Mundus quadrifariam. Prima distinctio, Mundus sumitur quatuor modis. primo pro quodam aggregato ex Deo, & intelligentiis, & aliis naturis corporeis, secundo pro quodam aggregato ex intelligẽtiis, & naturis corporeis, excepto Deo. tertio pro quodam aggregato ex omnibus naturis corporeis incorruptibilibus, vt sunt cœli, & corruptibilibus, vt sunt corpora inferiora, excludendo Deum, & intelligentias. quarto pro quodam aggregato ex solis rebus corporeis corruptibilibus, excludendo Deum, & intelligentias, & cœlos. & sic dicitur mundus inferior ab Aristote. in primo libro Meteo. vbi inquit, Necesse est hunc mundum inferiorem esse contiguum lationibus superioribus, id est motibus cœlestibus, vt inde gubernetur. Quando Aristo. probat in primo cœli, quòd mundus est perfectus, accipit mundum in tertio sensu.

Perfectum dupliciter. Secunda distinctio: Perfectum sumitur dupliciter, primò simpliciter, & est illud, cui nihil deficit, nec ei potest fieri additio, nec aliquid est perfectius eo, nec potest esse, secundò aliquid dicitur perfectum, secundum quid, vel in genere, & est illud de quo verificatur hoc nomen perfectum non absolutè, sed cum additione, vt cùm dicimus Plato est perfectus homo. hæc est perfecta domus.

Ex his distinct. pono tres conclusiones: prima, Mundus in tertio sensu, vt de eo loquitur Philosophus, non est perfectus simpliciter. probatur: diffinitio data de perfecto simpliciter competit soli Deo: vt patet per Comment. in Quinto Metaphysicæ cap. de perfecto, ergo non conuenit mundo.

Secunda conclusio, Mundus in tertio sensu est perfectus secundum quid: quia hæc est vera, mundus est perfectus mundus, sicut Plato est perfectus homo. & probatur sic: nihil deficit mundo de his, quæ pertinent ad principalem compositionem ipsius mundi. ergo mundus est perfectus mundus, probatur antecedens: principales partes mundi sunt corpora simplicia, scilicet, cœlum, & quatuor elementa. & hęc omnia sunt in ipso mundo, nec possunt esse plura, vt probabitur infrà. ergo nihil deficit mundo, quod sit pertinens ad principalem compositionem ipsius mundi. & hæc est vera: mundus est perfectus mundus, quod est esse perfectum, secundum quid. Quomodo autem hæc corpora sint in mundo, & non possint esse plura, probatur in vltimo capite huius tractatus.

Tertia conclusio, mundus in tertio sensu est perfecta magnitudo. hanc sic probat Philosophus, mundus est corpus, ergo est perfecta magnitudo: probatur consequentia, quia inter omnes quantitates continuas, quæ sunt linea, superficies, corpus, solum corpus est perfecta quantitas. nam linea habet solùm vnam dimensionem, scilicet, longitudinem: superficies habet solùm duas, scilicet, long. & latitu. corpus verò habet tres, scilicet, long. latitu. & profundit. & non dantur plures dimensiones, vt probatur per geometram. ergo mundus est perfecta magnitudo. Ex iis igitur patet, quòd mundus est perfectus dupliciter. primò inquantum est corpus: sed hæc ratio est communis cuilibet corpori. secundò inquantum continet omnia corpora simplicia, quæ sunt de primaria compositione mundi. & propter hanc rationem mundus dicitur vniuersus, id est, contentiuus omnis naturæ corporeæ, tam simplicis quàm compositæ. prædictæ duæ rationes sunt illæ, quas assumit Philosophus ad probandum perfectionem mundi.

CAPVT III.

Quòd mundus sit ex quatuor elementis principaliter compositus, & ex cœlo, quod alterius est naturæ à quatuor elementis.

CIrca cap. tertium, in quo probandum est, quòd mundus componitur principaliter ex quatuor elementis, & cœlo, quod non est de natura quatuor elementorum, tria agenda sunt. primò probandum est, vt præambulum, quòd corpus simplex non habet nisi vnum motum simplicem naturalem localem. secundò quòd mundus componitur ex quatuor elementis simplicibus. tertiò quòd præter quatuor elementa, cœlum est de compositione mundi, & est corpus quintum non de natura elementorum.

Circa primum dico tria. primò quid sit motus simplex localis. secundò quotuplex est. tertiò probabitur conclusio intenta.

Primum, motus localis simplex est ille, qui fit per lineam breuiorem, vel breuius spatium, per quod possit fieri à centro mundi ad cœlum ascendendo, vel ad centrum mundi descendendo directè sine aliqua obliquitate: vel circa centrum mundi circulariter solùm absque hoc, quòd aliquo modo descendat ad medium mundi, vel ascendat: verbi gratia, cùm ignis directè mouetur sursum sine aliqua circuitione habet motum localem simplicem. idem dico de terra descendente ad centrum directè, & de cœlo purè, & regularissimè moto circa terram: cùm ex omni parte sua sit æquè distans a terra.

Secundum, motus localis simplex in genere est solùm duplex, scilicet, rectus, & circularis. ergo solùm sunt duæ magnitudines simplices, super quas fit motus simplex naturalis, scilicet, linea recta, quæ imaginatur pertingere à cœlo ad centrum mundi, vel econuerso: & penes hanc sumitur motus rectus simplex elementorum: & linea circularis, quæ imaginatur circa centrum mundi. & penes hanc sumitur motus simplex circularis cœlorum circa medium mundi. in specie autem subalterna, motus simplices locales sunt tres. nam motus rectus diuiditur in motum sursum, quo mouetur elementum leue: & in motum deorsum, quo mouetur elementum graue. secundum speciem verò specialissimam sunt quinque. nam motus rectus deorsum diuiditur in duos, scilicet, in motum, quo mouetur terra deorsum: & in motum quo mouetur aqua deorsum, & differunt specie, sicut terra & aqua differunt specie, id autem probabitur infrà, pro nunc supponatur. similiter motus rectus sursum diuiditur in duos, scilicet, in motum, quo mouetur ignis sursum, & in motum quo mo-

uetur aër sursum, qui etiam differunt specie, sicut aër, & ignis. Motus verò circularis non diuiditur in plures species, quia omnia corpora cœlestia mouentur simpliciter circa idem medium mundi. patet igitur, quòd motus simplices naturales secundum genus sunt duo, secundum speciem subalternam sunt tres, secũdum speciem specialissimã sunt quinq;.

Tertium, nunc conclusio probatur, scilicet, quod vnum corpus simplex habet tantùm vnum motum simplicem sibi naturalem: puta terra, vt terra mouetur naturaliter solùm motu recto deorsum ad medium. Et probo dupliciter. primò suppono quòd forma corporis simplicis sit principium sui motus naturalis: nam forma est natura, vt probatur in secundo Physico. ergo est principium motus & quietis in re naturali, tunc sic corpus simplex habet tantùm vnam formam, quæ est principium sui motus. ergo habet tantùm vnum motum simplicem naturalem. probatur consequentia, quia à forma naturali non prouenit nisi vnum, sicut etiam à qualibet agente naturali: vt declaratur in nono Metaphysi. Secundò sic, suppono, quòd motus naturalis sit ad aliquem locum, qui est naturalis rei mobilis, ad quem naturaliter inclinatur. tunc sic, corpus simplex habet tantùm vnum locum sibi naturalem, in quo appetit conseruari. ergo habet tantùm vnum motum simplicem naturalem, per quem ad locum suum tendit. Hæc de primo principali sufficiant.

Secundò principaliter probandum est, quòd mundus componitur ex quatuor elementis, vt ex primis suis partibus. Dico autem primis suis partibus, quoniam etsi componatur ex speciebus elementatis, vt sunt inanimata, & vegetabilia, &c. Illæ sunt partes secundariæ mundi, quoniam non existerent, nisi componerentur ex elementis. Quòd ergo quatuor elementa, quæ sunt quatuor prima corpora simplicia, sint in mundo vt constituentia hunc mundum inferiorem, probatur dupliciter. Primò sic: ad sensum patet quòd duo elementa, scilicet, terra, & aqua sint in mundo, quòd autem sit aër declaratur, nisi esset aër in hoc spatio, quod videtur esse vacuum nihil possemus videre. nam necesse est ex secundo de anima, vt deferatur species rei visibilis ad oculũ per aliquod corpus diaphanum. ergo inter rem visibilem ad oculum mediat corpus diaphanum. hoc autem non est, nisi aër. vnde dicit Com. 2. de anima: si esset vacuum inter oculum, & rem visibilem, res non videretur, quia non esset medium differens speciem rei visæ ad oculum. Quòd autem sit elemẽtum ignis super sphęram aëris, probatur. semper, ignis hîc existẽs ascendit sursum si non impeditur, ergo signum est quòd sursum est locus eius naturalis, in quo situatur, & confirmatur sic: suprema regio aëris est calidissima, ita quòd in ea inflammantur vapores terrestres sicci, & ex eis fiunt stellæ cometæ, vt patet in primo meteororum. ergo signum est, quòd super sphęram aëris est elementum ignis, Ex cuius vicinitate summè calefit suprema regio aëris. patet ergo quòd in mundo sunt quatuor elementa simplicia corpora. Secundò probatur sic: tot sunt elementa corpora simplicia componentia mundum, quot sunt motus recti simplices locales.

Nam probatum est quòd vnus motus simplex non potest conuenire nisi vni corpori simplici, sed quatuor sunt motus recti simplices locales, ergo quatuor sunt corpora simplicia quæ mouentur iis motibus rectis simplicibus, hæc autem corpora dicuntur elementa. ergo quatuor sunt elementa componentia mundum. Quòd autem motus recti simplices sint quatuor, declarabitur in 4. lib. vbi tractabimus de graui & leui, vt sunt principia motus recti simplicis.

Tertiò principaliter probandum est quod præter quatuor elementa datur cœlum quod non est de natura elementorum. sed dicitur quinta essentia: & quòd cœlum sit corpus componens hunc mundum corporeum, patet ad sensum. Quòd autem non sit de natura elementorum, probandum est & maximè contra Platonem: qui tenet in Timæo quòd cœlum est de natura ignis. & probatio Philosophi est hæc: suppono quòd motus simplex localis attribuitur vni corpori simplici. tunc sic: omnis motus localis simplex conuenit alicui corpori simplici: sed motus circularis est motus simplex. diuisimus enim suprà motum localem simplicem in motum rectum, & motum circularem. ergo motus circularis conuenit alicui corpori simplici: sed non conuenit naturaliter alicui elementorum, quia cùm omne elementum sit graue vel leue. naturaliter mouetur motu recto sursum vel deorsum. ergo motus circularis conuenit alicui corpori simplici diuerso ab elementis: sed ad sensum patet quòd conuenit cœlo: proprium est enim sibi moueri circulariter: ergo cœlum est corpus simplex diuersum ab elementis: & propterea vocatur quintum corpus, vel quinta essentia. Ex quo sequitur quòd nõ potest dici cœlum esse igneum vel aëreum propriè, nec habet in se aliquam qualitatem elemẽtarem, scilicet nec grauitatem vel leuitatem nec frigiditatem vel caliditatem.

CAPVT IIII.

Cœlum, quod est quinta essentia, quomodo ab elementis distinguatur.

CIrca caput quartum considerandum est, in quibus differt cœlum ab elementis, cum probatum sit quòd non est de natura elementorum: & circa hoc dico quod differt in quatuor.

Primò, quodlibet elementum est graue, vel leue: vt patet ad sensum. cœlum autem non est graue nec leue. & probatur sic secundum Philosophum: omne graue vel leue naturaliter mouetur motu recto sursum vel deorsum, nam grauitas est principium mouendi deorsum, leuitas autem est principium mouendi sursum. sed cœlum non naturaliter mouetur motu recto, quia cùm motus circularis sit eius motus naturalis, vt probatum est suprà, si moueretur naturaliter motu recto sequeretur quòd idem motus simplex rectus conueniret pluribus corporibus simplicibus. nam conuenit elementis, vt dictum est suprà. ergo si conueniret etiam cœlo, clarum esset quòd pluribus corporibus simplicibus conueniret, quod tamen est falsum. nam probatum est suprà quòd vnus motus simplex naturaliter tantùm vni corpori simplici conuenit. Et sic patet quòd cœlum non est graue nec leue.

Secundò, quodlibet elementum est generabile & corruptibile. cœlum autem est ingenerabile & incorruptibile. & probatur sic secundum Philosophum, omne generabile & corruptibile habet contrarium à quo corrumpitur, sicut videmus quòd aqua corrumpitur, quia secundum qualitates suas contrariatur igni, sed cœlum non habet contrarium. ergo cœlum non est generabile & corruptibile. Minor probatur sic: contrariorum contrarij sunt motus, vt patet in terra & igne. quia enim terra contrariatur igni, ideo habent motus contrarios. nam terra descendit, ignis autem ascendit, sed motui ipsius cœli non est aliquis motus contrarius, vt probabitur in 5. capite huius tractat. ergo cœlum non habet aliquod contrarium, & sic est ingenerabile & incorruptibile.

Tertiò, quodlibet elementum est augmentabile & diminuibile. inquantum enim rarefit aqua, dicitur augeri. recipit enim maiores dimensiones & occupat maiorem locum vt diximus in 4. Physicorum: inquantum verò condensatur, dicitur diminui, vt quando congelatur. recipit enim minores dimensiones, & occupat minorem locum. sed cœlum non est augmentabile nec diminuibile, quod probatur sic: omne quod augetur vel diminuitur prius alteratur. non enim augetur animatum, nisi quia cibus alteratur per calorem naturalem & transit in subitantiam suam: nec rarefit vel condensatur nisi per transmutationem calidi vel frigidi: vt patet in aqua quæ rarefit per calorem, & condensatur ex frigiditate. sed cœlum non potest alterari, vt nunc probabitur. ergo non est augmentabile nec diminuibile.

Quartò, quodlibet elementum potest alterari ab alio elemento sibi contrario: vt aqua alteratur ab igne ex calore, sed cœlum non est alterabile, quod probatur dupliciter. Primò, quodlibet alterabile est corruptibile, & generabile: uia alteratio est dispositio præuia ad generationem & corrupt. sed cœlum vt probatum est non est generabile nec corruptibile. ergo non est alterabile. Secundò sic, cœlum non habet in se qualitates alteratiuas, quæ sunt in tertia specie qualitatis, secundum quas propriè est alteratio: vt dictum est in 7. Physico. quæ sunt caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas. ergo cœlum non est alterabile: probatur antecedens: istæ qualitates sunt tantùm in elementis, vt proprietates suæ, & in elementatis prout componuntur ex elementis: sed cœlum vt probatum est nec elementum est nec elementatum: imò est quinta essentia omnino differens à quatuor elementis. ergo in cœlo non sunt qualitates alteratiuæ: & sic cœlum non est alterabile. Quòd autem cœlum non sit corruptibile & sit inalterabile, declarat Philosophus non solùm rationibus prædictis: sed etiam communi opinione hominum, qui asserentes deos habitare in cœlo arbitrabantur quòd sicut Dij sunt incorruptibiles & inalterabiles, ita etiam cœlum, vt conformetur locus loçato. Hæc de quarto capite sufficiant.

CAPVT V.

Num præter quatuor elementa & cœlum detur aliud corpus simplex.

CIrca caput quintum inuestigandum est, vtrum sit aliud corpus simplex præter cœlum sumendo cœlum pro omni

omnibus sphæris corporum cœlestium, & præter quatuor elementa: & hîc dicemus duo. Primò ponitur hæc conclusio secundum Philosophum, præter cœlum & quatuor elementa non est ponendum aliud corpus simplex componens mundum. probatur sic: si datur tale corpus cùm sit naturale, ergo est mobile aliquo motu naturali simplici sibi proprio, scilicet qui ei soli conueniret. probatum est enim suprà, quòd vnus motus simplex non potest esse naturalis pluribus corporibus simplicibus, sed non potest assignari aliquis motus simplex, qui sit proprius talis corporis. ergo non est ponendum tale corpus. probatur minor: si potest assignari motus proprius talis corporis. ergo vel erit motus rectus sursum, & hic non, quia est proprius elementi leuis: vel est motus rectus deorsum, & hic non, quia est proprius elementi grauis: vel est motus circularis, & hic non, quia est proprius cœli, vt dictum est suprà: vel motus contrarius motui circulari, & hic non, quia motui circulari nullus motus contrariatur, vt probabitur nunc immediatè. ergo non est ponendum tale corpus simplex præter cœlum & elementa, quia nullo motu proprio esset mobile: & sic non esset corpus naturale. secundò probandum est quòd motui circulari nullus motus contrariatur. hoc enim fuit suprà suppositum, quòd euidentius declaretur, primò dicam quot requirantur ad hoc quòd duo motus sint contrarij, secundò probabo conclusionem.

Circa primum dico, quòd ad veram contrarietatem motuum localium saltem tria requiruntur. Primò quòd sint ad contraria loca: nam in 5. physico. sumitur contrarietas motuum ex contrarietate terminorum ad quos fit motus, puta motus terræ & ignis sunt cõtrarij, quia motus terræ est ad locum deorsum: & motus ignis est ad locum sursum, qui sunt contrarij. Secundò quòd fiant per eandem lineam, scilicet rectam. nam si vnus motus fiat per lineam rectam, & alius per arcum, dato casu quod fierent ad opposita loca. non essent contrarij: vt si lapis directè descendat, ignis verò quasi circungyrans ascendat, non sunt motus contrarij. Tertiò quòd si vnus motus contrarius est naturalis alicui mobili: quòd motus alter contrarius sit violentus eidem, puta si motus deorsum est naturalis terræ, motus sursum sit violentus eidem.

Circulari motui nullus alius motus cõtrarius est.

His habitis pono hanc conclusionem secundum philosophum, Motui circulari nullus motus localis est contrarius. probo dupliciter. primò sic, si motui circulari alius motus contrariatur, vel ille motus est rectus vel circularis. non rectus, quia motus rectus fit per lineam rectam: & circularis per circularem. ergo non contrariatur, cùm non fiant per eandem lineam: quod tamen requiritur ad motus contrarios, vt diximus: non circularis, quia omnes motus contrarij sunt ad loca contraria: sed motus circularis non est ad loca opposita, imò ab eodem puncto ad eundem punctum designatum in circulo: vt etiam declarauimus in octauo Physicorum. ergo motus circularis non contrariatur motui circulari. Secundò sic, applicando ad corpora cœlestia: si motui circulari ipsius cœli esset alius motus circularis contrarius, alter eorum esset frustra: quòd est inconueniens. quia vt inquit Philosophus in text. Deus & natura nihil agunt frustra. consequentia verò probatur sic, mobile, quod per te moueretur motu contrario motui ipsius cœli vel esset æqualis virtutis cum cœlo, vel maioris vel minoris: non primum, quia duo mobilia æqualis virtutis, si moueri debent motibus contrariis se mutuo impediant, & sic neuter eorum mouebitur. Non secundum, quia tale mobile omnino impediret cœlum ne moueretur. non tertium, quia cœlum impediret tale mobile ne moueretur. & sic patet quòd non possunt esse duo motus contrarij circulares. Quomodo autem motus planetarum non contrarietur motui primi mobilis, licet moueantur in oppositum contra motum primi mobilis declarabo in solutione argumentorum. Hæc de primo tracta. sufficiant: in quo consideratum est quomodo mundus sit perfectus, & ex quot corporibus simplicibus tanquam suis primis partibus componatur.

Vt autem prædictorum notitia firmior habeatur, formanda sunt quædam argumenta contra singula cap. & soluenda resolutè.

Contra primum cap. in quo dicitur, quòd corpus mobile ad vbi potest dici secundum Bea. Tho. esse subiectum huius libri, arguitur sic, Corpus mobile ad vbi non est vnius generis, quia quoddam est corruptibile, vt elementa, & quoddam incorruptibile vt cœlum: corruptibile autem & incorruptibile differunt genere: vt dicitur decimo metaphysicæ, ergo corpus mobile ad vbi vt se extẽdit ad quatuor elementa & ad cœlos, non est subiectum huius libri: probatur consequentia. Nam distincta genere ad distinctas scientias pertinent primo Posterio.

Ad hoc respondet Albertus primo cœli, sic, corpus mobile ad vbi sumitur dupliciter. primò quo ad prædicata sua & intrinseca & essentialia, puta considero terrã, vt est quid compositum ex materia subiecta priuationi, & sua forma, & quo ad suas qualitates alteratiuas. Cœlum autem considero quod est corpus sine materia secundum Comment, vel corpus compositum ex materia non subiecta priuationi. secundò consideratur sub hac ratione vt est mobile motu locali & non plus. si sumatur secundo modo, sic dico quòd sunt vnius generis, quia conueniunt in hac ratione generica quod est esse mobile aliquo motu locali simplici: ibi ergo consideratur de corpore mobili ad vbi, non inquantum diuiditur per corruptibile & incorruptibile, sed prout abstrahit à corruptibili & incorruptibili. non enim potest argui ex solo motu locali quòd aliquid sit corruptibile, vel incorruptibile: sicut arguì potest ex aliis speciebus mutationis. nam motus localis nihil aufert de substantia mobilis vt dicitur in octauo Physicorum.

Contra secundum cap. probatur quòd mundus non sit perfectus sic, Mundus continet multos defectus, vt monstra & plura mala, ergo non est perfectus. perfectum enim nullum est includens imperfectionem.

Ad hoc respondetur, defectus huiusmodi consideranturdupliciter, primò secundum se & ex natura sua, & sic dicunt imperfectionem. secundò considerãtur in ordine ad ipsum mundum: & sic non dicunt imperfectionem. perfectio enim mundi consistit in varietate, & diuersis gradibus entium, sicut perfectio picturæ in variis coloribus, quorum aliqui in se perfecti sunt, vt albedo, rubedo, aliqui autem imperfecti, vt nigredo, fuscum: omnes tamen comparati ad figuram quam decorant, dicunt perfectionem. sic est in mundo: monstra in se imperfectionem dicunt, comparata mundo quem varium faciunt dicunt perfectionem mundi.

Contra tertium cap. probatur, primò quòd vnum corpus simplex potest moueri & de facto mouetur pluribus motibus simplicibus sic: planetæ sunt corpora simplicia, & tamen mouentur pluribus motibus simplicibus: primus est ab oriente ad occidentem ad motum primi mobilis, secundus est ab occidente in orientem per signa zodiaci. ergo, &c. Item ignis mouetur motu sursum recto, vt patet in sphæra sua, vt contiguatur cœlo Lunæ mouetur circulariter ad motum orbis Lunæ, vt vult philosophus in primo Meteororum. ergo mouetur duplici motu simplici, scilicet recto, & circulari.

Ad hoc respondetur: quòd motus simplex potest comparari ad aliquod corpus simplex tripliciter. primò vt naturalis, secundò vt violentus, tertiò vt præter naturam, licet non contra naturam talis corporis simplicis, tunc dico ad argumentum quòd planeta licet moueatur pluribus motibus simplicibus, tamen vnus tantum est ei naturalis: quod autem mouetur ad motum primi mobilis, est in eo præter naturam vel quasi impertinens. similiter dico de igne quòd solus motus sursum est ei naturalis, quia causatur à principio suo intrinseco, quæ est leuitas. Motus autem circularis, quo mouetur ad motum orbis lunæ, est ei præter naturam, & quasi impertinens. si autem moueretur deorsum, esset motus violentus, quia repugnaret leuitati suæ.

Secundò probatur quòd plura corpora etiam distincta genere mouentur naturaliter vno motu simplici sic: patet q̃ terra naturaliter mouetur deorsum. & mineralia, & omnia vegetabilia, & omnia animalia terrestria. ergo vnus motus simplex conuenit pluribus corporibus.

Ad hoc respondetur quod motus deorsum primò & per se & naturaliter conuenit tantùm elemento graui: si autem conuenit aliis, non conuenit eis primò & per se: sed prout in eis dominatur elementum graue. verbi gratia, licet in compositione hominis omnia elementa concurrant, quia tamen terra ei dominatur ideo homo mouetur deorsum: non homo inquantum homo, sed homo vt in sui compositione dominatur terra. sic dico quòd simile est in aliis animatis & compositis inanimatis.

Contra quartum caput probatur, quòd cœlum sit leue, nam leue secundum philosophum in tex. est illud quod supereminet omnibus corporibus: sed cœlum supereminet omnibus corporibus & omnibus elementis. ergo est leue: imò leuissimum, quia supereminet sphæræ ignis.

Ad hoc dicitur quòd leuissimum est illud quod supereminet omnibus corporibus per motum suum sursum: vt patet

patet de igne, qui ascendens si non impeditur transgreditur omnia alia elementa. Hæc autem non conuenit cœlo, quoniam non mouetur motu sursum, & ideo solùm æquiuocè potest dici corpus leuissimum.

Secundò probatur, quòd sit alterabile, quia aliquæ partes cœli, puta aliqua signa zodiaci dicuntur esse calida, & sicca, secundum Astrologos, vt leo, aliqua frigida, vt scorpio, &c. Ergo secundum partes est alterabile, cùm habeat in se qualitates alterabiles.

Ad hoc dicitur, quòd calidum, & frigidum sumuntur dupliciter, primò formaliter, & sunt illa, in quibus caliditas, & frigiditas sunt sicuti in subiecto, vt in manu, vel in aqua. secundò virtualiter, & sunt illa, quæ non habent in se caliditatem, vel frigiditatem: sed sunt talis naturæ, quòd possunt causare in anima caliditatem, vel frigiditatem. Dico igitur ad argumentũ, quod partes cœli non sunt calidæ, vel frigidæ, vel sicçe formaliter: sed solùm virtualiter, inquãtum ex lumine suo, & ex influxu causant calorem, vel frigi. in istis inferioribus.

Tertiò probatur, quòd sit augmentabile. nam in cœlo est raritas & densitas, vt dicit Philosophus in secundo cœli, quod stella est densior pars sui orbis. ergo est augmentabile, nam vt dictum est suprà, augmentum vno modo fit per rarefactionem, & decrementum, & condensationem.

Ad hoc dicitur, quòd raritas, & similiter densitas est duplex. prima est quæ causatur ex actione qualitatum primarum, vt quando aqua rarefit ex calore, & condensatur ex frigi. & sic concedo, quòd in quocunque est raritas vel densitas, hoc est augmentabile & diminuibile. secunda est, quæ inest alicui corpori non per actionem qualitatum primarum: sed ex natura talis corporis, & inseparabiliter: sic dico, quòd raritas est in orbe cœli ex sui natura, & densitas est in stellis ex sua natura: Et sic non est verum in quocunque est raritas, & densitas hoc secundo modo sit augmentabile: vnde licet in cœlo sit raritas hoc modo, non tamen est augmentabile.

Contra quintum caput: primò probatur, quòd motus rectus opponitur motui circulari sic: magis differunt motus rectus, & motus circularis, quàm duo motus recti. ergo si duo motus recti, puta motus rectus sursum, & motus rectus deorsum sunt contrarij per Philosophum. multo magis motus rectus, & motus circularis sunt contrarij. antecedens probatur sic, Magis differt natura cœli, quæ est incorruptibilis, & natura elementorum, quæ est corrupt. quàm differant natura elementi grauis, & natura elementi leuis, cùm vtraque sit corruptibilis. ergo magis differt motus circularis, quo mouetur cœlum motu recto, & quo mouentur elementa, quàm duo motus recti elementorum.

Ad hoc respondetur, & conceditur, quòd magis differunt motus circularis, & motus rectus, quàm duo motus recti: sed negatur consequentia, scilicet, ergo sunt contrarij. nam ad motus contrarios locales, vt dictum est suprà, non solùm requiritur, quòd maximè differant, sed quòd fiant per eandem lineam: & ideo quia duo motus recti fiunt super lineam rectam, possunt esse contrarij: motus verò circularis, quia fit super lineam circularem, & motus rectus super rectam, ideo non sunt contrarij.

Secundò probatur, quòd motus circularis contrariatur motui circulari sic, Motus planetæ ab Occidente in Orientẽ est circularis, & contrariatur motui primi mobilis ab Oriente in Occidentẽ. ergo motus circularis cõtrariatur motui circulari. Quòd motus planetæ contrarietur motui primi mobilis, probatur. nam sunt ad loca contraria terminati: nam motus planetę terminatur ad Oriẽtem, & motus primi mobilis terminatur ad Occidentem: Oriens autem & Occidens sunt loca contraria. ergo & prædicti motus erunt contrarij.

Ad hoc dicitur quòd ad hoc, quòd duo motus circulares sint contrarij non sufficit, quòd terminẽtur ad loca contraria, sed debent fieri per eandem lineam circularem, & super eosdem polos: Modo negatur, quòd motus planetæ sint per eandem lineam, & super eosdem polos, sicut motus primi mobilis, imò secundum Astrologos motus primi mobilis est per æquinoctialem, qui diuidit primum mobile, & suum primum motum in duas partes æquales, & fit super polos mundi arcticum & antarcticum, Motus verò proprius planetæ fit per zodiacum declinantem ab æquinoctiali, & super polos zodiaci, qui etiam distant à polis mundi, sicut distat zodiacus ab æquinoctiali, in signo cancri, & capricorni maximis declinationibus solis, quæ dicuntur duo solstitia, patet igitur, quòd licet hi duo motus circulares sint ad contraria loca, non tamen sunt contrarij ex defectu aliarum conditionum. Hæc sufficiant pro primo tractatu.

TRACTATVS SECVNDVS super primo de Cœlo, quòd Mundus est magnitudo perfecta, in quatuor capita diuisus.

TRactatum Secundum, in quo Philosophus probat mundum esse finitum secundum magnitudinem, diuidimus in quatuor capita.

In primo tanquam præambulum probatur, quòd omne corpus naturale est aliqua specie motus localis mobile naturaliter, ita quòd repugnat dari corpus naturale immobile.

In secundo probatur, quòd non potest esse corpus circulare infinitum, quod sit mobile motu circulari, vt est cœlum.

In tertio probatur, quòd non potest esse corpus naturale infinitum, quod sit mobile motu recto, vt sunt elementa.

In quarto probatur, quod nullum corpus absolutè potest esse actu infinitum.

CAPVT I.

Quoduis naturale corpus aliqua specie motus naturaliter mobile esse.

CIrca primum caput duo agam. primò ponam aliquas descriptiones quorundam terminorum, ex quibus probabitur conclusio intenta. secundò ponam vnicam conclusionem, & probabitur. Termini describendi sunt isti, natura, corpus naturale, motus localis, motus localis naturalis, motus localis violentus. Natura est principium & causa motus, & quietis eius, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens. hæc diffinitio quomodo sit declaranda, secundum omnes partes suas, & quomodo aliquando non est principium actiuum motus, aliquando passiuum, declarauimus in secundo Physic. in primo tractat. nostræ Epitomes. Corpus naturale, est omne corpus compositum ex materia, & forma sua substantiali, habens in seipso principium sui motus. Dicitur compositum, quia nec sola materia, nec sola forma dicitur corpus, dicitur ex forma sua substantiali habens in seipso, &c. Ad differentiam corporis artificiati, cuius forma est accidens, in quarta specie qualitatis, & totum principium sui motus est extrinsecum, scilicet, artifex, à quo materia mouetur ad formam artificiati, ad quam secundum suam naturam non est in potentia.

Motus localis est ille, quo mobile mutat locum, vel secundum se totum, si mouetur motu recto, vel secundum partes, si mouetur motu circulari. cùm enim corpus sphericum moueatur super eosdem polos non mutat locum, secundum se totum, vt diximus etiam in sexto Physico. contra Zenonem.

Motus localis naturalis est ille, qui fit à principio intrinseco ipsius mobilis, quod quidem principium aliquando est actiuum, vt anima est principium actiuum motus in re animata, aliquando est principium passiuum, scilicet, ipsa materia, vt habet naturalem inclinationem ad talem motum: sic motus cœli est naturalis, quia in corpore cœlesti est naturalis inclinatio ad motum circularem.

Motus localis violentus est ille, qui fit à principio extrinseco, ad quem nullam inclinationem habet ipsum mobile, imò est contra naturam suam, vt motus lapidis sursum, qui causatur à proiiciente contra naturalem inclinationem ipsius, & hoc est, quod dicit Philosophus in tertio Ethi. violentum est à principio extrinseco non conferente passo, id est, ad quod passum non inclinatur naturaliter.

His descriptionibus præsuppositis, quibus & frequenter vtendum est in sequentibus pono hanc conclusionem, Omne corpus naturale est mobile aliquo motu loco naturali, probatur, omne quod habet in seipso principium intrinsecum motus, vel actiuum, vel passiuum est mobile aliquo motu naturali loçali, hæc patet ex diffinitione data de motu locali naturali, sed omne corpus naturale habet in seipso principium intrinsecum motus, vel actiuum, vel passiuum, hæc patet ex diffinitione data de corpore naturali. ergo omne corpus naturale est mobile aliquo motu locali naturali.

Ex hac conclusione sequitur, quòd si corpus infinitum non potest moueri: nullum corpus naturale potest esse infinitum cùm probatum sit omne corpus naturale esse mobile, secundum locum.

CAPVT II.

Quòd corpus circulariter motum non possit esse infinitum.

CIrca secundum caput probandum est, quòd corpus motum circulariter nõ potest esse infinitũ: & sic cõcluditur,

q̃ cœlũ non est infinitum.hanc conclusionẽ probat Arist.sex rationibus, ex quibus nos adducimus tres,& sufficient,non enim assumpsimus onus exponẽdi totum librũ ad literam.

Prima ratio talis est,supponitur q̃ totum cœlum moueatur tempore finito,patet enim quòd totum reuoluitur in 24. horis. tunc sic si cœlum est infinitum.ergo infinita magnitudo, quæ est ipsum cœlũ.per te mouetur secũdum se totum in tempore finito,vt patet ex supposito facto:sed hoc est impossibile, quia probatum est in sexto physi. per Arist.vt declarauimus ibidem,q̃ si mobile est infinitum,motus eius est infinitus,& tempus mensurans ipsum motum est infinitum.ergo patet quòd cœlum motũ circulariter non est infinitum.

Secunda ,nullum corpus figuratum est infinitum , quia figura est, quæ termino , vel terminis clauditur & terminatur : nullum autem terminatum potest esse infinitum : sed omne corpus motum circulariter est figuratum.est enim figuræ sphæricæ.ergo non potest esse infinitum : nam implicat contradictionem,quia figura non esset figura,est enim de ratione figuræ, quòd terminetur.

Tertia si corpus motum circulariter esset infinitum , ergo non haberet centrũ.nam centrũ est pũctus in medio circuli, à quo possunt trahi lineæ æquales ad circunferentiam. ipsa enim circunferentia terminat & finit corpus.si nõ habet circunferentiam.ergo nec habebit centrum sphæricum.tunc vltrà,si non habet centrum , ergo non est mobile motu circulari.nam de ratione motus circularis est , q̃ sit circa cẽtrum: sicut de ratione motus recti est,quòd fit à cẽtro per ascẽsum, vel ad centrum per descensum:si ergo corpus motum circulariter esset infinitum , non esset mobile secundum locum, quia cùm non moueatur circulariter (negas enim centrum) nulla alia specie motus localis est mobile naturaliter , vt probatum est in primo tractatu.

Ex his rationibus patet,quòd cœlestia corpora mota circulariter non sunt infinita secundum magnitudinem , & sic iam habemus,quòd mundus quantum ad suam nobiliorem partem , quæ est cœleste corpus , non est infinitum secundum magnitudinem.

CAPVT III.

Quod nullum corpus mobile motu recto potest esse infinitum.

Circa tertium caput probatur per Philosophum , quòd corpus naturale mobile motu recto sursum , vel deorsum non potest esse infinitum , & hoc primò ex parte locorum, ad quæ est motus rectus. Secundo ex parte grauitatis, vel leuitatis : quæ sunt principia motus recti. Ex parte locorum sic , locus sursum , & locus deorsum , qui est centrum mundi sunt finiti.ergo corpora , quæ mouentur motu recto ad talia loca non possunt esse infinita. probatur consequentia. Nam in quarto physicorum probatum est , quòd locus est æqualis locato. ergo si locus infinitus etiam corpus locatum in eo receptum,erit finitum : quòd autem locus sursum, & locus deorsum sint finiti , probat sic Philosophus , si vnum contrariorum est finitum , reliquum est finitum. continentur enim sub eodem genere , & maximè distant sub illo genere,vt declaratur in prædicamẽtis,&in 12.metaphys.sed locus sursum , & locus deorsum sunt contrarij , & locus deorsum,qui est centrum mundi est finitus,ad ipsum enim mouẽtur graula , & non pertransiunt vltra, imò ibi quiescunt : ergo & locus sursum, ad quem mouentur leuia est finitus.

Secundò sic, locus medius qui est totum spatium interpositum,inter cœlum Lunæ,& centrum mundi est finitus : ergo corpora contenta in hoc spatio sunt finita. cùm ergo in hoc spatio contineantur elementa,quæ mouentur motu recto,sequitur quòd nullum elementum sit infinitum . Quod autem locus medius sit infinitus.probatur sic,si extrema sunt finita,media inter extrema sunt finita : sed probatum est per actionem præcedentem,q̃ loca extrema , scilicet sursum , & deorsum sunt finita:ergo locus medius inter ea est finitus.

Secundò principaliter probatur ex parte grauitatis , & leuitatis , quòd huiusmodi corpora non possunt esse infinita sic,si corpus mobile motu recto esset infinitum , cùm omne tale sit graue, vel leue : ergo haberet grauitatem , vel leuitatem infinitam : sed hoc est impossibile : ergo nullum corpus mobile motu recto est infinitum.Primò probatur consequẽtia , secundò probatur falsitas consequentis . consequentia probatur sic : corpus graue, si est paruum , parum habet de grauitate:si est magnum,multum habet de grauitate. ergo quanto maius est tanto maiorem habet grauitatem : ergo si est infinitum secundum magnitudinem,habebit grauitatem infinitam.Quòd autem consequens sit falsum,& impossibile, probatur sic, si in corpore graui infinito esset grauitas infinita:sequitur,quòd moueretur deorsum in instanti , quod est falsum,quia non datur motus in instanti , vt probatum est in octauo Physicorum, consequentia probatur sic: corpus habens aliqualem grauitatem mouetur deorsum , in aliquanto tempore,puta in hora, ergo corpus habens maiorem grauitatem mouetur deorsum in minori tempore , puta in media hora , & corpus adhuc habens maiorem grauitatem mouetur in tempore adhuc minore , ergo sic procedendo secundum proportionem , ita quòd quanto fit maior additio grauitatis tanto fiat minus tempus in quo graue mouetur, sequitur quòd si corpus graue habens grauitatem infinitam moueatur in infinitum velociter .ergo mouebitur in instanti, quia velocitas infinita non potest esse , nisi in instanti.

Ex his rationibus patet quòd nullum elementum potest esse infinitum secundum magnitudinem , quia cùm elementa moueantur motu recto, elementum quidem graue mouetur deorsum, elementum autem leue mouetur sursum , ergo nullum corpus mobile motu recto est infinitum, & cùm elementa sint quatuor corpora simplicia componentia mũdum simul cum cœlo,de quo probatum est , quod est finitum , sequitur quod omnes partes primæ componentes mundum sint finitæ.

CAPVT IIII.

Quod nullum corpus posit esse infinitum actu.

Circa quartum caput probandum est, quòd nullum corpus absolutè potest esse actu infinitum:id quidem probatur à Philosopho pluribus rationibus, tum propriis , tum logicalibus,id est,communibus.sed nobis sufficit assumere primam,quam reputamus euidentiorem,& est hæc,si datur corpus actu infinitum , vel est heterogeneum , id est compositum ex dissimilibus partibus, sicut corpus animalis componitur ex carne,& osse , & sanguine: vel est homogencum , id est ex similibus partibus,quæ sunt eiusdẽ speciei, vt tota aqua componitur ex partibus aquæ , quarum quælibet est aqua, sed neutro modo corpus potest esse infinitum actu. ergo non datur corpus actu infinitum : probatur minor , & primò de corpore heterogeneo sic , si datur corpus heterogeneum finitum.ergo, vel partes suæ sunt infinitarum speciẽrum , vel finitarum. neutro modo potest esse. ergo non datur corpus heterogeneum actu infinitum,quod partes corporis heterogenei non sunt infinitarum speciẽrum. probatur sic, partes corporis heterogenei sunt corpora simplicia , saltem partes primæ, quia omne compositum componitur ex partibus simplicibus, vel saltem sunt reducibiles ad simplicia , vt in animali , licet enim suæ partes proximæ sint compositæ , scilicet caro & os,tamen sunt reducibiles in simplicia , id est, elementa : ex quibus primò componitur omne corpus corruptibile.tunc sic,corpora simplicia, ex quibus omne compositum corruptibile componitur non sunt infinita , secundum numerum, imò sunt tantùm quatuor , vt probatum est in primo tractatu, quæ dicuntur quatuor elementa. ergo partes corporis heterogenei non sunt finitarum speciẽrum. ergo non possunt cõponere corpus heterogeneum actu infinitum : quia ad hoc quòd aliquod compositum sit infinitum secũdum magnitudinem est necesse quòd omnes partes suæ , vel saltem aliqua sit infinita secundum magnitudinem . sed nulla suarum partium potest esse infinita , quia cùm partes suæ sint corpora simplicia quæ sunt elementa , & probatum sit in capite præcendenti quòd nullum elementum potest esse infinitum, quia sequeretur quòd haberet grauitatem vel leuitatem infinitam , quod fuit probatum esse impossibile , sequitur quòd nulla pars corporis heterogenei potest esse infinita secundum magnitudinem , & per consequens nullum corpus heterogeneum potest esse actu infinitum.

Quòd autem nullum corpus homogeneum possit esse infinitum actu , probat sic philosophus , si est tale corpus infinitum cùm sit naturale. ergo potest moueri aliquo motu locali sibi naturali.sed hoc est falsum, quia tale corpus aut mouebitur motu circulari , & hoc non , quia probatum est suprà quod corpus circulare si esset infinitum non posset moueri circulariter , eò quòd non haberet centrum circa quod est motus circularis: aut mouebitur motu recto.& hoc non, quia omne mobile motu recto est graue vel leue vt dictum est in primo tractatu. si ergo corpus infinitũ moueretur motu recto,sequitur quod haberet grauitatem vel leuitatem infinitam , vt probatum est suprà , quod tamen est falsum, nam tunc moueretur in instanti , vt declaratum est suprà, quod est impossibile.

Ex iis omnibus probatur quòd mundus sit finitus secundum magnitudinem sic,si mundus est infinitus aliqua prima pars componens mundum est infinita , quod est falsum. probatur consequentia , ex omnibus partibus finitis non potest resultare infinitum.ergo ad hoc quod mundus sit infinitus necesse est aliquam suarum partium primarum esse infinitam: constat autem nullam earum esse infinitam.nam huiusmodi sunt cœlum & quatuor elementa , de quibus probatum est, quod nullum est infinitum secundum magnitudinem. ergo mundus non est infinitus secundum magnitudinem.Hoc fuit principale præpositum probatum in hoc secundo tractatu.

Nunc reliquum est contra singula capita arguere.

Contra primum caput probatur quòd datur corpus naturale immobile quod non mouetur aliqua specie motus localis. & primo sic , cœlum est corpus naturale & non mouetur localiter. probo sic , cœlum est semper in eodem loco, quia semper seruãtur iidem poli in cœlo, scilicet arcticus & antarcticus, & idem centrum,quod imaginatur esse in medio mundi.ergo cœlum non mouetur localiter,quia est necesse quòd id,quod mouetur localiter transeat ab vno loco ad aliũ locũ.

Ad hoc dicitur, quòd si mobile mouetur motu recto,vt lapis descendens,est necesse quòd secundum se totum,& secundum suas partes mutet locum deferendo priorem locum omnino. si autem mouetur motu circulari , non est necesse quòd mutet locum secundum se totum,quia mouetur super eoldem polos , sufficit autem quòd mutet locum secundum partes suas prout vna pars succedit alteri. dico igitur ad argumentum quòd licet cœlum non mutet locum secundum se totum, tamen mutat secundum suas partes. nam vna pars cœli mane est in Oriente , vespere est in Occidente, vt patet de ortu & occasu signorum zodiaci , & hoc sufficit ad hoc quod cœlum moueatur circulariter.

Secundò, terra est corpus naturale , & tamen non mouetur localiter,quia Astrologus probat omnia elementa moueri præter terram , quæ in medio mundi sita ibi quiescit, nam si moueretur extra medium mundi moueretur versus aliquam partem quàm partem cœli,& sic ascenderet vt declaratur in primo capite sphæræ.ergo non omne corpus naturale est mobile localiter.

Ad hoc dicitur quod non est necesse omne corpus naturale moueri actu, nisi quando est extra locum suum. sed sufficit quòd sit aptum natum moueri. Dico igitur quod licet terra vt est sita in medio mundi non moueatur actu , quia quiescit in suo loco naturali,est tamen ex natura sua mobilis. nam si per casum poneretur extra centrum mundi, nisi esset impedita , naturaliter moueretur ad centrum sicut & quodlibet graue non impeditum descendit.

Contra secundum caput probatur quòd de facto datur corpus infinitum motum circulariter , quod est cœlum , sic, mouens infinitum debet mouere mobile infinitum.sed Deus est mouens infinitus, scilicet secundum virtutem. ergo debet mouere mobile infinitum:sed mouet primum cœlum, ergo saltem primum cœlum est infinitum. maior probatur sic , si mouens infinitum moueret mobile finitum , cùm finitum ad infinitum nullam habeat proportionem , sequitur quòd mouens infinitum moueret mobile finitum in instanti. quod est impossibile. ergo cœlum quod mouetur à primo motore, qui est Deus , qui est virtutis infinitæ , cùm moueatur in tempore,est actu infinitum.

Ad hoc dicitur quòd mouens infinitum potest considerari dupliciter , primò vt mouens ex necessitate naturæ & secundum suam totam potentiam , & sic concedo quòd si mobile esset infinitum,moueret in non tempore,quantum sit ex parte sua licet id repugnet ex parte rei. secundò consideratur vt mouens ex sua libera voluntate , secundum quam potest velocius & tardius mouere , & sic non est necesse mobile esse infinitum.sic etiam in proposito dico quòd Deus mouet cœlum non ex necessitate naturæ sed ex sua sapientia , & ex sua voluntate , secundum quam mouet tanta velocitate quanta est expediens rebus inferioribus conseruandis & producendis:non ergo est necesse primum cœlum esse actu infinitum.

Secundò sic.motus infinitus circularis requirit mobile infinitum circulare. nam probatum est in sexto Physicorum quòd hæc quatuor æqualiter se habent ad infinitatem,magnitudo super quam est motus.& mobile,& motus,& tempus, ita quod si vnum est infinitum,& reliqua sunt infinita. si ergo motus circularis est infinitus &corpus mobile motu circulari erit infinitum. sed de facto motus circularis est infinitus quia motus cœli secundum Philosophum in octauo Physicor. est æternus,ergo est infinitus.ergo mobile primum est infinitum.

Ad hoc dicitur quòd motus primi cœli non est infinitus secundum seipsum. sed solùm per reiterationem.nam quælibet circulatio cœli qua mouetur ab Oriente ad Occidentem iterum in Orientem ex Occidente est finita:terminatur enim in 24.horis,sed per reiterationem istæ circulationes tendunt in infinitum secundum Philosophum, ad hoc autẽ quòd motus circularis sit infinitus secundum reiterationem non est necesse quòd mobile sit actu infinitum , & sic est de cœlo, & motu cœli:vnde nõ est necesse cœlum esse actu infinitum.

Contra tertium caput probatur quòd potest esse corpus infinitum actu,quod moueatur motu recto vt mouentur elementa,sic, Ignis est mobilis motu recto sursum , vt patet, & ignis patet esse infinitus actu. ergo corpus mobile motu recto potest esse actu infinitum.Quòd ignis possit esse actu infinitus,probatur ex Philosopho in secundo de anima.vbi dicit, ignis est augmẽtabilis in infinitum:si apponatur combustibile vel quousq; fuerit cõbustibile. ergo ignis potest esse infinitus.

Ad hoc dicitur quòd ex dicto Philosophi non potes concludere ignem esse infinitum,sed solùm quòd non potest dari magnus ignis,quin possit fieri maior,sic in infinitum per continuam appositionem combustibilium. ita tamen quòd ignis factus quantumcunque magnus erit finitus,potest etiam dici quod Philosophus loquitur conditionaliter.hæc enim conditionalis est vera,si combustibile potest esse infinitum, ignis potest esse infinitus.tamen antecedens & consequens sunt impossibilia,sicut ista est vera, si homo est asinus, homo est rudibilis:& tamen antecedens &consequens sunt impossibilia.

Contra quartum caput probatur quòd potest dari absolutè corpus infinitum sic,Infinitum corpus Deus potest producere.ergo potest esse corpus infinitum,probatur antecedens, aliquantum corpus Deus potest producere , puta bicubitale & duplum ad illud , vt quadricubitale & triplum ad illud quod quadruplum ad illud,& sic in infinitum.ergo infinitum corpus Deus potest producere.

Ad hoc dicitur quòd infinitum secundum logicos dupliciter accipitur, scilicet, categorematicè,& tunc idem est quod carens principio & fine , vt si detur linea infinita in qua non potest assignari primum nec vltimũ punctum. Secũdò sumitur syncategorematicè , & tunc sic exponitur in rebus continuis,aliquantum corpus potest esse,& non tam magnum corpus , quin maius eo possit esse. ergo infinitum corpus potest esse. Quando dicit Aristoteles quòd non potest esse corpus actu infinitum sumitur ly infinitum categorematicé. Nam sumendo syncategorematicè,conceditur quod potest esse. *Infinitum dupliciter.*

Ad argumentum igitur concedo antecedens , quia infinitũ in antecedente sumitur syncategorema.sed negatur consequentia,quia in consequente tenetur catego.in quo sensu negatur posse dari corpus actu infinitum.

Secundò sic possumus imaginari magnitudinem infinitam, sicut etiam potest geometra imaginari lineam infinitam.ergo potest esse magnitudo infinita. probatur consequentia, nõ possumus aliquid imaginari nisi imaginatio nostra ab aliqua re extrinseca moueatur.dicitur enim in tertio de anima quòd sensus interiores nihil recipiunt , nisi prius fuerit receptum in sensu exteriori, vt non recipitur in phantasia mea similitudo Socrat.nisi prius fuerit recepta in oculo.ergo si imaginamur magnitudinẽ infinitam , signum est quòd in rerum natura est aliqua magnitudo infinita correspondens huic imaginationi.

Ad hoc dicitur quòd non est necesse omni nostræ imaginationi aliquid ad extra respondere secundum se totum , sed bene secundum partes.verbi gratia,imaginationi qua imaginamur montem aureum,non est necesse quòd inueniatur in natura mons aureus, sed sufficit quod inueniatur mons & inueniatur aurum.phantasia verò componens speciem montis & speciem auri adinuicem format hoc phantasma montis aurei. sic, dico in proposito, conceptui de infinito non est necesse quod ad extra correspondeat corpus infinitum , sed sufficit quod ei correspondeat corpus , quod si apprehenditur cum termino fundat conceptum corporis finiti, si autem apprehenditur sine termino fundat conceptum corporis infiniti.Hæc de secundo tractatu.

TRACTATVS TERTIVS
de vnitate Mundi,in tria capita diuisus.

Tractatum tertium , in quo declarandum est quòd est tantùm vnus mundus, diuidimus in tria capita principalia.

In primo probatur quòd est tantùm vnus mundus.

In secundo probatur quòd non possunt esse plures mundi.

In tertio

In tertio probatur quòd extra vltimum cœlum, quod secundum philosophum est cœlum stellarum fixarum, non est aliquod corpus sensibile, nec ea quæ consequuntur corpus sensibile, vt locus, tempus & vacuum.

CAPVT I.

Quòd sit tantùm vnus mundus.

CIrca primum caput nota quòd philosophus supponit quòd si essent plures mundi, quòd sicut iste mundus habet sua quatuor elementa, scilicet terram, &c. ita ille mundus haberet suam terram & aquam, &c. Et sicut iste mundus habet tot sphæras cœlestes, ita etiam ille: & sicut iste mundus habet suum primum motorem, quo primum mobile mouetur, ita & ille suum primum motorem haberet, quo suum primum mobile moueretur. ad probandum igitur quòd non sunt plures mundi, philosophus probat primo quòd non sunt duæ terræ, vna scilicet huius mundi, & altera alterius mundi. idem intellige de elemento aquæ, & aëris, & ignis. secundò probatur quòd non possunt esse duo prima mobilia, nec duo primi motores.

Circa primum, quomodo, scilicet possunt esse duæ terræ, vt plenè resoluatur pono quinque cõclusiones. 4. quidem præambulas. vnam verò responsuam ad principale quæsitũ.

Prima conclusio, Omnia grauia mouentur naturaliter ad suum locum naturalem, scilicet deorsum, & omnia leuia ad suum locum naturalẽ, scilicet sursum, si nõ fuerint impedita.

Secunda conclusio, Si esset alter mundus, terra illius mundi esset eiusdem speciei specialissimæ cum terra huius nostri mundi.

Tertia conclusio, Si aliquod corpus naturaliter inclinatur ad aliquem locum quantumcunque sit distans ab illo loco semper inclinatur ad illum.

Quarta conclusio, Quælibet corpora grauia eiusdem speciei, puta duo pugilli terræ, & similiter duo corpora leuia eiusdem speciei, vt duo pugilli ignis mouentur naturaliter ad vnum locum ad quem inclinantur.

Quinta conclusio, Si esset alter mundus, sequeretur quòd terra huius mundi moueretur naturaliter ad centrum alterius mundi, & similiter terra illius mundi ad centrum huius nostri mundi.

Prima conclusio probatur sic, quando graue mouetur deorsum motus eius in fine est velocior. & quando leue mouetur sursum motus eius in fine est velocior. ergo grauia naturaliter mouentur deorsum: & leuia sursum, antecedens patet ad experientiam, consequentia verò probatur sic, In hoc distinguitur motus violentus à motu naturali, quia motus violentus in fine remittitur & fit tardior, quia virtus motiua defatigatur & continuè debilitatur: motus verò naturalis in fine intenditur & fit velocior, & quia principium intrinsecum puta grauitas quantò magis propinquat suo loco naturali deorsum, tantò magis confortatur. cùm ergo videamus motum rei grauis deorsum in fine velocitari, signum est quòd naturaliter mouetur deorsum, vt ad suum locum naturalem. idem dico de corpore leui respectu motus sursum. præterea si graue quando mouetur deorsum mouetur violenter, ergo quando mouetur sursum mouetur naturaliter, quod nullus sapiens dicet. consequentia probatur sic, cuicunque mobili motus aliquis est violentus, motus contrarius inest eidem naturalis, puta quia descendere est violentum in igne, ascendere est igni naturaliter. ergo à simili, si descendit corpus graue violenter. ascendit naturaliter, quod est manifestè falsum, patet ergo quòd grauia naturaliter mouentur deorsum. vt ad suum locum naturalẽ, & leuia sursum.

Secunda conclusio probatur sic, si terra illius mundi, similiter aqua, ignis & aër non essent eiusdem speciei specialissimæ cum terra huius mundi, idem dico de aliis elementis, sequeretur q̃ mundus prædicaretur æquiuocè de illo & de nostro, quod tamen videtur esse contra opinionem antiquorum ponentiũ plures mundos, dicebant enim eos esse similes. ergo erant eiusdem speciei, quia similitudo propriè attenditur inter ea quæ sunt eiusdem speciei, vt declaratũ est in 7. Phys. Præterea elementa illius mundi haberent actiones similes actionibus huius mundi elementorum, nã si ignis huius mundi habet calefacere, & si aqua huius mundi habet humectare, ita & aqua illius mundi habet humectare, & ignis illius mundi habet calefacere & exsiccare. ergo sunt eiusdem speciei, nam ea quæ habent easdem proprietates & easdẽ actiones naturales, dicuntur esse eiusdem speciei. proprietatès enim fluunt à principijs speciei. patet igitur quòd si datur alter mundus, terra, & alia elemẽta illius mundi sunt eiusdem speciei specialissimæ cùm elementis nostri mundi.

Tertia conclusio probatur sic, corpus quod naturaliter inclinatur ad aliquem locum semper retinet in seipso principium intrinsecum quo ad talem locum inclinatur, puta terra semper retinet in seipsa grauitatem, qua vt principio intrinseco deorsum inclinatur & mouetur, ergo quantumcunque distet tale corpus à suo loco naturali tamen semper inclinatur ad suum locum: confirmatur, si esset lapis in sphæra ignis, ita inclinaretur ad locum deorsum, sicut si esset in sphæra aëris, & deducto impedimento descenderet: ergo, &c.

Quarta conclusio probatur sic, si duo pugilli terræ permittantur cadere, tendunt ad eundem locum deorsum, scilicet, cadunt per eandem lineam vnus post alterum. ergo duo corpora grauia eiusdem speciei mouentur naturaliter ad eundem locum numero, ad quem inclinantur: idem patet de duobus leuibus, quo ad locum sursum.

Quinta conclusio respensiua probatur sic, stantibus conclusionibus præpositis, omnia corpora simplicia eiusdem speciei mouentur ad vnum locum numero. hæc patet per quartam conclusionem: sed si essent duo mundi, terra illius mundi & terra huius mundi essent eiusdem speciei, hæc patet per secundam conclusionem. ergo terra illa, & terra illa moueretur ad eundem locum numero. tunc vlterà: sed terra huius mundi moueretur naturaliter ad centrum huius mundi. ergo etiam terra illius mundi moueretur naturaliter ad centrum huius mundi, & terra nostri mundi moueretur naturaliter ad centrum illius mundi, quod tamẽ est impossibile, quia naturaliter quiescit in centro huius mundi. ergo non est apta nata naturaliter moueri ad centrum illius mundi. cùm ergo sit impossibile, quòd dentur duo centra, ad quæ moueantur duæ terræ eiusdem speciei, concludit Aristoteles, quòd non sunt duo mundi.

Secundò principaliter probat Philosophus non esse duos mundos, ex vnitate primi mobilis sic: si essent duo mundi essent duo mobilia, tot enim corpora cœlestia haberet alter mundus, sicut iste: sed non possunt esse duo prima mobilia. ergo non sunt duo mundi. minor probatur, est tantùm vnus primus motor. ergo non est nisi vnum mobile primum, sibi enim correspondent primus motor, & primum mobile, antecedens probatur sic, substantia immaterialis non potest multiplicari sub eadem specie, sed primus motor est substantia immaterialis, & incorporea, vt probatur in octauo physi. & in duodecimo metaphysi. ergo non possunt esse plures primi motores. hæc ratio quantum concludat discutienda est in 12. metaphysi. pro nunc supponatur. Ex his prædictis ergo patet, quòd est tantùm vnus mundus.

CAPVT II.

Quòd nec simul, nec successiuè possint esse plures mundi.

CIrca secundum caput, licet de facto sit tantùm vnus mundus, quæritur vtrum ab aliquo producente possint causari plures mundi. & in hoc sic procedemus, primò ponuntur duæ distinctiones. secundò ex eis ponuntur quædam conclusiones responsuæ.

Prima distinctio, quòd possint esse plures mundi potest intelligi dupliciter, vel simul, ita quòd sint plures in eodẽ tempore, vel successiuè, ita quòd priori mundo corrupto producatur alter, sicut successiuè possunt esse plures phœnices, non tamen duæ pro eodem tempore.

Secunda distinctio, quòd possint esse plures mundi, potest intelligi dupliciter, vel quod sint concentrici, vel sint eccentrici. concentrici quidem essent, si super primum mobile constitueretur alia sphæra terræ, & super illam alia sphæra aquæ, &c. Et super sphæras elementorum constituerentur alia corpora cœlestia.

Eccentrici autem essent, si vnus esset totaliter extra alium vt duæ pilæ separatæ abinuicem: vel sic, si vnus esset in alia qua parte huius mundi, sicut aliqui opinati sunt, quod in luna sit terra, & alia elementa, & quæ d sint in ea variæ habitationes gentium. horum figuræ patent ibi.





Mundus alter inclusus in nostro, & tamen eccentricus.

Prima conclusio, Non possunt esse plures mundi successiuè. probatur, quia esset necesse priorem mundum corrumpi, sicut prior Phœnix corrumpitur, sed mundus non potest corrumpi. nam etiam cœlum corrumperetur, quod est falsum. nam probatum est in primo tractat. quòd cœlum non est compositum ex elementis contrariis; & quod est quinta essentia ex sua natura incorruptibilis.

Secunda conclusio, Non possunt esse plures mundi eccentrici, nec concentrici simul, probatur sic, hic noster mundus constat ex omni materia pertinente ad compositionem mundi. ergo non est alia materia, ex qua possit fieri alter mundus, vnde si tota materia terræ, & aquæ, & aëris, &c. est in hoc mundo, non remanet alia pars terræ, nec aquæ, &c. ex quibus possit produci, & componi alter mundus. Quod autem hic mundus constet ex omni materia pertinente ad compositionem mundi, probat sic Philosophus. Hic mundus continet omnia corpora simplicia, scilicet, quatuor elementa, & cœlum, & non possunt esse plura, vt probatum est suprà in primo tractatu, nec potest esse aliquod corpus simplex, nec aliqua pars corporis simplicis, vt pars terræ, vel aquæ, nec corpus mixtum extra cœlum, vt probabitur in capite tertio. ergo hic mundus continet in se omnem materiam, id est omne corpus simplex, ex quo potest componi mundus. & sic non potest produci alter mundus.

Hæc ratio Philosophi concludit de productione naturali, quæ est ex materia, vt patet in primo Physico. non autem de productione supernaturali, quæ est ex nihilo. concludit igitur Philosophus, quòd nullum agens naturale potest producere alium mundum, quia ei deficit materia, quæ supponitur actioni suæ cum hoc tamen stat, quòd Deus gloriosus potest etiam duos, & plures mundos producere, quia actioni diuinæ non est necessaria materia.

CAPVT III.

Extra cœlum, nullum est corpus sensibile, nec aliquod consequens corpus sensibile, vt locus, vacuum, tempus, &c.

CIrca caput tertium inuestigandum est, secundum Philosophum, quid sit extra cœlum. & ibi dico duo principaliter. primò vnam distinctionem de cœlo, secundò ponam aliquas conclusiones.

Distinctio est hæc, cœlum secundum Philosophum potest sumi tribus modis. primo pro vltima circunferentia, in qua includuntur omnia elementa, & elementata. secundo pro omnibus sphæris cœlestium corporum, vsque ad primam, quæ secundum Aristot. est sphæra stellarum fixarum. tertio pro ipsa prima sphæra stellarum fixarum, vt sub se continet omnes sphæras planetarum, & quatuor elementa, & corpora elementata. & in hoc tertio sensu accipit Philosophus cœlum, quando probat, quòd extra cœlum, id est, extra sphæram primam, & primum mobile non est aliquod corpus sensibile, nec locus, &c.

Data hac distinctione, ex Philosopho eliciuntur septem conclusiones.

Prima conclusio, Extra mundum, id est, extra primum cœlum in tertio sensu, non est, nec esse potest aliquod corpus sensibile, probatur sic, si extra primum cœlum esset aliquod corpus, vel esset simplex, vel compositum. non simplex, quia omne corpus simplex, vel est cœlum, vel est elementum, vt declaratum est in primo tractatu. sed non est cœlum, falsum enim patet esse, quòd extra cœlum primum, sit cœlum, non enim esset primum. nec est elementum, quia vel esset extra cœlum, vt in loco suo naturali, vel vt in loco violento: non vt in loco naturali, quia omnia elementa habent suum locum naturalem infra sphæram lunæ, prout se mutuo includunt, non vt in loco violento, quia omnis locus qualicui corpori est violentus, alteri corpori est naturalis, puta locus sursum, qui est violentus corpori graui, est naturalis corpori leui. sed non potest assignari aliquod corpus, cui locus extra primum cœlum esset naturalis. ergo extra cœlum non est, nec potest esse aliquod corpus simplex nec naturaliter, nec violenter. si dicis, quòd extra primum cœlum potest esse corpus mixtum, puta lapis. contra, vbi corpus mixtum, ibi etiam sunt corpora simplicia, quia componunt ipsum mixtum, & similiter sortitur locum naturalem, secundum corpus simplex, quod in eo dominatur, nam lapis naturaliter quiescit deorsum, propter terram in sui compositione dominantem. Cùm ergo extra primum cœlum non sit naturaliter aliquod corpus simplex, vt probatum est, non erit etiam aliquod corpus mixtum.

Secunda conclusio, Extra primum cœlum non est locus. probatur, si posset esse locus, posset in eo contineri aliquod corpus simplex, vel mixtum: sed per conclusionem præcedentem nullum corpus potest esse extra primum cœlum. ergo ibi non est locus.

Tertia conclusio, Extra primum cœlum non est vacuum. probatur, vacuum est locus, in quo non est corpus, potest tamen esse. est enim vacuum locus priuatus corpore, possibilis tamen repleri. sed per primam conclusionem extra primum cœlum non est corpus, nec potest esse. ergo extra primum cœlum non est vacuum.

Quarta conclusio, Extra primum cœlum non est motus. probatur, vbi est motus, ibi est aliquod mobile: vbi est mobile, ibi est corpus, omne enim mobile per se. est corpus, vt probatur in sexto Phys. sed extra primum cœlum non est corpus per primam conclusionem. ergo nec motus.

Quinta conclusio, Extra primum cœlum non est tempus: nam vbi est tempus, ibi est motus. est enim tempus mensura motus, secundum partem priorem, & posteriorem. ergo cùm extra cœlum non sit motus, nec erit etiam tempus.

Sexta conclusio, Deus, & intelligentiæ non sunt circunscriptiuè infra primum cœlum, nec extra primum cœlum. probatur, esse circunscriptiuè in loco est quantitatem rei locatæ commensurari loco: sed Deus, & intelligentiæ nullam habent quantitatem, cũ sint entia incorporea. ergo nec extra nec infra primum cœlum sunt circunscriptiuè.

Qualia verò sint hæc entia incorporea extra primum cœlum existentia, declarat sic Philosophus, inalterabilia, & impassibilia sunt, id est, incorruptibilia, optimam habentia vitam, in quantum eorum vita non est permixta materiæ, vt est vita rerum corporalium, & sufficientissimam vitam habent in quantum nullo exteriori indigent, & habent vitam æternam, cũ sint incorruptibilia. Hæ conditiones possunt conuenire intelligentijs. propriissimè verò competunt Deo glorioso, & sic ex omnibus prædictis cõcludimus vnitatẽ mũdi.

Nota tamen quòd tertium cap. sustinemus de mente Philosophi tantùm, vtrum verò Deus gloriosus ex sua potentia absoluta possit extra cœlum aliquod corpus producere, vel collocare, vt tenent quidam de corpore mediatoris Christi, est officium sacri theologi, ideo pertranseo. Nunc superest soluere quædam argumenta.

Contra primum caput probatur quòd si essent duo mundi terra huius mundi non moueretur, nec esset apta nata moueri ad centrum alterius mundi: si esset alter mundus, terra nostri mundi non haberet nisi vnam inclinationem, sicut etiam nunc habet, corpori enim simplici inest vna tantùm inclinatio, sicut inest vnus locus naturalis. sed terra ista per inclinationem, quam nunc habet inclinatur solùm ad medium huius mundi. ergo etiam si esset alter mundus, non esset apta nata moueri ad medium alterius mundi.

Ad hoc diceret Aristot. quòd si alter mundus fieret, terra nostra inciperet habere aliam inclinationem, qua esset apta moueri ad centrum illius mundi, theologi dicerent, quòd Deus ex sua potentia infinita posset facere, quòd terra haberet solùm hanc inclinationem, quam nunc habet per quam inclinaretur solùm ad medium huius mundi, & non ad medium alterius mundi.

Contra secundum cap. probatur, quòd possunt esse plures mundi, omnis terminus communis est aptus prædicari de pluribus, secundùm logicos: sed mundus est terminus communis, sicut homo, & lapis. ergo est aptus prædicari de pluribus mundis. ergo possunt esse plures mundi.

Ad hoc dicitur, quòd licet hic terminus, mundus, sit terminus communis, non tamen secundum rem potest conuenire pluribus mundis, quia cùm hic mundus constet ex tota sua materia, vt dictum est suprà, non remanet aliqua materia, ex qua possit alter mundus produci. sicut etiam hic terminus, sol, est terminus communis, & tamen non possunt esse plures soles, quia tota sua materia actuatur hac forma solis, quam nunc habet. similiter ly Deus est terminus communis, & tamen non possunt esse plures dei.

Ad hoc ergo quod aliquis sit terminus communis sufficit hanc disiunctiuam esse veram, Omnis terminus communis prædicatur de pluribus, vel est aptus natus prædicari de pluribus, si talia plura essent possibilia produci. & in hoc sensu mundus est terminus communis, quia est aptus prædicari de pluribus mundis, si plures mundi essent possibiles produci. Secũdò fit, bonum perfectum melius est multiplicare, quàm non multiplicare. nam bonum quantò est communius tantò est diuinius. sed mũdus est bonum perfectum (probatum est enim suprà in primo tractatu, quòd mundus est perfectus mundus) ergo melius est mundum multiplicari, quàm non multiplicari. & sic possunt esse plures mundi.

Ad hoc diceret Philosophus, quòd quando per multiplicationem bonorum non sequitur aliquod incõueniens, melius est ea multiplicari, quàm non multiplicari: si autem ad multiplicationem sequitur aliquod incõueniens, melius est ea non multiplicari. sic est in proposito, si darentur plures mundi, sequitur secundum Philosophum, quòd darentur duo primi motores. quod est impossibile, & elementa huius mundi inclinarentur ad loca alterius mundi, quod esset inconueniens. sic responderet Philosophus.

Contra tertium cap. probatur, quòd extra cœlum est locus, Deus potest producere extra cœlum duos lapides, quorum alter sit extra alterum. ergo essent in distinctis locis. & sic extra cœlum videtur esse locus.

Ad hoc dicitur, quod ly extra potest sumi dupliciter. primò negatiuè, & sic exponitur, extra, id est, non in alio, & sic concedo, quòd Deus posset producere duos lapides extra cœlum, quorum vnus esset extra alterum, id est, non in alio, sicut etiam verum est dicere, vna intelligentia est extra aliam intelligentiam, id est, non est in alia.

Secundò ly extra potest sumi affirmatiuè, & exponitur extra, id est, in alio loco, & sic nego, quòd Deus posset producere duos lapides vnũ extra alium, nisi etiã produceret distincta loca continentia tales lapides. secundò sic, hæc propositio per te est vera, extra cœlum nihil est. ergo extra cœlum est extra. si est extra, est locus, quia intus & extra sunt differentiæ loci. ergo extra primum cœlum est locus.

Ad hoc dicitur, quòd in hac propositione, extra cœlum nihil est, ly extra sumitur imaginariè. & non realiter. falsum est autem, quòd ly extra imaginariè sit differentia loci, nisi sit extra reale. sic ergo non sequitur, quòd extra mundum sit locus nisi imaginariè.

Tertiò sic Arist. primum cœlum vocat sphæram stellarum fixarum, sed extra ipsam est nona sphæra, quæ dicitur primum mobile secundum astrologos, ergo extra primum cœlum est aliud corpus.

Ad hoc dico, quòd Arist. negasset super octauam sphæram dari aliam, nona enim sphæra deprehensa est per Ptolemæũ, & alios astrologos, qui fuerunt post Arist. tamen dato quòd sit nona sphæra, hæc semper est vera, extra primum cœlum non est aliud corpus, siue primum cœlum sit octaua sphæra, secundum Arist. siue nona secundum Ptolemæum. Hæc de præsenti tractatu sufficiant.

TRACTATVS QVARTVS super libro primo de Cœlo, de æternitate mundi à parte ante & post, in quinque capita diuisus.

TRactatum quartum in quo Philosophus pertractat, vtrum mundus sit genitus vel productus ab aliquo efficiente, & vtrum sit corruptibilis, & vtrum sit æternus, ita quòd nunquam incœperit & nunquam desinat, diuidimus in quinque capita.

In primo ponũtur opiniones antiquorũ, & improbantur.

In secundo declarantur quædam significata quorundam terminorum, quibus vtitur philosophus in omnibus suis rationibus & conclusionibus ad probandum propositũ suum.

In tertio probantur hæ conclusiones, prima, Omne sempiternum est incorruptibile: secunda, Omne sempiternum est ingenitum, id est, nunquam fuit ab aliquo generatum.

In quarto probantur hæ conclusiones, Nullum sempiternum est corruptibile. Nullum sempiternum est generatum vel genitum.

In quinto ponitur conclusio responsiua quæ est hæc, Mundus est incorruptibilis & ingenitus. & sic sequitur quòd est infinitus secundum durationem, quod est esse æternum.

CAPVT I.

Antiquorum placita de mundi æternitate, & illorum improbatio.

CIrca primũ cap. nota quòd Philosophus in text. adducit tres opiniones loquẽtium de generatione & corruptione mundi.

Prima est Platonis, qui tenet in Timæo quòd mundus est generatus à Deo, & tamen est incorruptibilis, ita quòd licet incœperit esse per generationem, nunquam tamen desinet esse, & sic secundum Platonem est æternus à parte post, sed contra hanc opinionem, sic arguit Philosophus, Quando aliquam conclusionem volumus ostendere esse probabilem, probamus eam per propositiones quæ videntur veræ omnibus aut pluribus, sed in proposito videmus contrarium. nam omnia quæ generantur videmus etiam quòd post aliquod tempus corrumpuntur. ergo falsò dixit Plato quod mundus est generatus, & tamen est incorruptibilis. præterea si mundus est generatus, ex aliquibus principiis est generatus, ex primo Physicorum.

Quæro igitur de principiis illis, antequam ex eis constitueretur mundus vel poterant aliter se habere quàm nunc vel non. si non, ergo cùm ex eis ante non constitueretur mundus, nec nunc esset constitutus, quia stantibus principiis in eadem dispositione si actu non componunt aliquid, nunquam component, si illa dispositio non mutatur.

Si dicis quòd potuerunt aliter se habere, contra. ergo postquam mundus ex eis constitutus est, etiam possunt aliter se habere, & sic sequitur quòd si mundus est generatus, sit etiam corruptibilis. si enim principia constituentia sint variabilia, & ipsum constitutum est variabile, & sic est corruptibile.

Istæ rationes Philosophi contra theologum non concludunt. dicit enim theologus mundum omnem productum à Deo, quæ productio non est dici propriè generatio prout generatio præsupponit materiã, ex primo & quinto libro Phys. sed dicitur simplex rei emanatio vel creatio, quę est ex nihilo productio, & in tali productione non est necesse præexistere aliqua principia intrinseca, ex quibus constitueretur mundus: sed ex nihilo fuisse productum sua infinita potentia.

Secunda opinio est Democriti, qui dicit mundum esse productum ex concursu atomorum semper mobilium, & similiter per segregationem atomorum abinuicem, dicit aliquando mundum dissoluẽdum, & sic corrumpetur nec amplius reparabitur. Sed contra hanc sic arguit Philosophus, si mundus est productus, ergo præexistebat aliqua substantia ex qua est productus, sicut ante domum præexistunt lateres ex quibus fit domus. non enim mundus fit ex nihilo secũdum Physicos, igitur postquam mundus est corruptus, quæritur de illa substantia ex qua mundus componebatur, vel est in potentia, vt ex ea iterum formetur mundus, vel non. si sic, ergo mundus postquam erit corruptus iterum potest reformari, sicut domus destructa ex eisdem lapidibus permanentibus potest reparari. si non, ergo nec ante productionem mundi erat in potentia, vt ex ea fieret mundus, cùm remaneat eadem substantia. sicut si lapides post destructionem domus non habent potentiam, vt ex eis iterum fiat domus. ergo nec ante constructionem domus erant in potentia, vt ex eis fieret domus, supponendo semper quòd remaneãt iidem lapides. patet ergo quòd Democritus malè dixit, scilicet mundum esse productum & aliquando corrumpetur & nunquam reformabitur, imò si potest corrumpi potest etiam reparari, vt exemplificatum est de domo. Hæc ratio nulla est apud theologum. ipse enim dicit mundum productum ex nihilo, & non ex aliqua substantia existente in potentia ad formam mundi. similiter dicit mũdum posse destrui, quæ destructio dicitur annihilatio, postquam non est remanens aliqua substantia quæ sit in potentia, vt ex ea iterum formetur mundus. sicut enim creatio est productio rei ex nihilo, ita annihilatio est versio rei in nihilum, hanc tamen annihilationem non admitteret Philosophus.

Tertia opinio est Heraclyti Ephesij, qui dicit mundum esse productum ex igne, & aliquando conuertetur in ignem, & aliquo tempore transacto iterum producetur ex igne, & iterum conuertetur in ignem. & sic in infinitum. Similiter Empedocles dixit, ex dominio litis productũ esse mundum cùm segregantur elemẽta: ex dominio verò amoris corrumpitur mundus ex congregatione elemẽtorum, & iterum ex dominio litis. hæc opinio præcipuè quo ad Empedoclẽ sic improbatur à Philosopho. si mũdus producitur ex hoc solùm quòd elementa abinuicem separantur, & ex hoc solùm corrumpitur quòd elementa adinuicem congregantur, sequitur

quòd mundus non generatur nec corrumpitur secundum substantiam, sed solùm secundum dispositiones accidentales, id est secundum variam figuram, quia aliam figuram retinent elementa separata, & aliam elementa commista, figura autem est accidens cum sit qualitas. & sic patet quòd Empedocles tenet mundum esse ingenitum & incorruptibilem secundum substantiam, quæ etiam est opinio Philosophi, vt patebit infrà. generatur verò & corrumpitur accidentaliter, quod an sit inconueniens, pro nunc Philosophus non curat. sufficit enim sibi probare quòd est ingenitus & incorruptibilis secundum substantiam.

Nota circa has opiniones, quòd Simplicius in commento huius libri dicit Platonem & alios antiquos, non sic intellexisse, sicut eorum verba sonant, sed suam sapientiam occultarunt quibusdam fabulis & ænigmaticis dictis. Aristote. verò arguit contra eorum verba, magis quàm contra sensum, ne ex tali modo loquendi sumeretur error.

Alexander verò dicit quòd sic intelligebant sicut eorum verba sonant, & sic Aristote. improbat eos quo ad sensum, & quo ad verba, sed vt dicit Beatus Thomas in cõmento, quicquid horum sit, non est multum curandum, quia studium Philosophiæ non est ad hoc quod sciatur, quid sentiant homines, sed quomodo se habeat rei veritas.

CAPVT II.

Horum terminorum genitum ingenitum, corrupt. incorrupt. possibile impossibile, explanatio.

CIrca secundum caput declarandi sunt quidam termini, quibus vtitur Philosophus in sequentibus, ad probandum suum propositum & sunt sex, scilicet genitum ingenitum, corruptibile incorruptibile, possibile impossibile.

Ingenitum secundum Philosophum dicitur tribus modis. primo illud est ingenitum, quod nunc est, & prius non erat, non tamen incœpit per generationem, vt calefactio aquæ, vel generatio Socratis dicitur ingenita, quia dato casu quòd nunc Socrates generetur, generatio sua est, & ante non erat, & tamen hæc generatio non generatur, quod est probatum in 5. Physicorum. quòd mutationis non est mutatio, nec motus est ad motum, quia motus & mutatio esset in actione & passione, quod ibidem probatum est esse falsum. secundum ergo hunc primum modum, omnis motus omnisque mutatio potest dici ingenita, inquantum non incipit esse per generationem. Secundo illud dicitur ingenitum, quod quidem potest generari, & tamen nondum genitum est, sic puer hinc ad annum nasciturus dicitur ingenitus. Tertio modo illud est ingenitum quod nullo modo potest esse: vel quod non potest esse quin sit. respectu primi dicuntur contradictoria ingenita quia nullo modo possunt fieri, vt hominem esse hominem & non hominem, respectu secundi, necessarium absolutè dicetur ingenitum, vt Deum dicimus ingenitum, quia est & non potest non esse.

Genitum secundum Philosophum dicitur tribus modis. Primò illud dicitur genitum, quod actu incipit esse siue per generationem siue non, sic motus quo actu calefit aqua potest dici genitus, & hic modus opponitur primo modo ingeniti. Secundò illud dicitur genitum, quod licet nondum sit actu, potest tamen esse, siue per generationem siue alio modo, & hic modus est valde imperfectus & improprius. Tertiò illud dicitur genitum quod actu incipit esse per generationem, sic Socrates hodie natus dicitur genitus, & hic est perfectus modus quo aliquid dicitur genitum, præcipuè si iam habet esse per generationem.

Corruptibile dicitur tribus modis. Primò illud est corruptibile quod prius habet esse & post habet non esse, vel potest habere non esse siue per mutationem, quæ sit vera corruptio, vel non per mutationem. exemplum primi, Socrates est corruptibilis, quia prius habet esse & posteà habebit non esse, quæ dicitur vera corruptio. exemplum secundi, calefactio aquæ est corrup. non tamen per mutationem quæ sit vera corruptio, quia sicut non generatur generatio per generationẽ, vt diximus in modis de genito, alioquin esset motus in puncto actionis & passionis: ita non corrumpitur generatio nec alius motus per veram corruptionem.

Secundò, Illud est corruptibile quod potest desinere esse per veram corruptionem, sic omnia elementa & elementata dicuntur corruptibilia.

Tertiò, illud est corruptib. quod de facili potest desinere esse, sic paleam dicimus corruptibilem, quia de facili potest ab igne corrumpi, sic hominem dicimus corruptibilem, respectu lapidis, sed attende quòd secundus modus est proprius & magis in vsu.

Incorruptibile dicitur tribus modis.

Primò illud dicitur incorruptibile quod habet esse & potest non esse, non tamen per veram corrupt. sic omnis motus & mutatio potest dici incorruptibilis, quia licet possint desinere, vt patet de calefactione, non tamen per veram corrup. quia sicut motus non fit per motum, nec generatio fit per generationem, sic nec corrumpitur per veram corruptionem, & hic modus est conformis primo modo ingeniti.

Secundò illud dicitur incorruptibile, quod habet esse, & non potest desinere esse, imò semper habet esse, sic cœlum & entia separata dicuntur incorruptibilia.

Tertiò illud dicitur incorruptibile, quod cùm difficultate corrumpitur, sic adamas potest dici incorruptibilis, tu autem aduerte quòd secundus modus est proprius & magis in vsu. Ex omnibus prædictis modis tu notabis, tertium ingeniti, tertium geniti, secundum corruptibilis, secundum incorruptibilis, alij transeant ad libitum.

Quia in descriptione prædictorum ingreditur hic terminus, potest, à quo deriuatur possibile, dicendum est quid sit possibile & impossibile secundum Philosophum. vnde nota quòd possibile & impossibile sumuntur dupliciter. primò vt constituunt propositionem possibilem, quæ potest esse aliquando vera, aliquando falsa, vt Socratem currere: vel propositionem quæ non potest esse vera, vt ea quæ fit in materia remota, vt hominem esse asinum, & sic considerantur possibile & impossibile à logico. Secundò considerantur prout dicunt potentiam actiuam vel passiuam vel impotentiam realem, puta cùm dicitur possibile est Socrati portare decem pondera, id est, habet potentiam actiuam qua potest portare tot pondera: & sic considerantur à physico. igitur sumẽdo possibile in hoc sensu & impossibile, sic describantur;

Possibile est illud quod habet potentiam circa aliquod maximum vel excellens, verbi gratia, si Socrates potest ambulare in hora quatuor miliaria & non plus, dicimus potentiã Socratis esse circa quatuor miliaria tanquã circa aliquod maximum in quod potest & non in plus. vnde licet ambulet in hora duo miliaria, non denominabitur potentia sua ex duobus miliaribus. potest enim in plus. vnde solet dici quòd potentia attenditur circa aliquod maximum, quod potest virtus agentis. vnde potentia regis est in debellando totum vnum exercitum, & non solùm centum milites.

Impossile est illud quod habet potentiam, qua non potest in aliquod minimũ adiũctum maximo in quod potest. verbi gratia, si Plato potest portare centũ libras & non plus, in hoc numero terminatur potentia sua: si super centũ libras addatur vna libra, in ly vna terminatur potentia sua & debilitas, quia licet possit portare centũ, non tamẽ centũ & vnam.

CAPVT III.

Quodlibet sempiternum incorruptibile & ingenitum esse ostendit.

CIrca caput tertium ex declaratione prædictorum probantur duæ conclusiones.

Prima est, Omne sempiternum est incorruptibile. probatur, supponendo duo, Primum, omne corruptibile est possibile non esse, omne possibile apud physicum potentiam dicit, quæ est respectu alicuius determinati, vt potentia Socratis est vt portet decem pondera & non plus, idem dico respectu temporis, vt potentia hominis est vt viuat, verbi gratia, centum annis & non plus, quibus trãsactis habet non esse. omne ergo possibile pro tanto tempore determinato habet esse & pro tanto tempore habet non esse, & sic non pro omni tempore habet esse. Secundò supponitur quòd falsum & impossibile non sunt idem. nam omne impossibile est falsum, vt hominem esse asinum, non tamen omne falsum est impossibile. nam falsum est te esse regem, non tamen est impossibile. His suppositis arguo sic, omne sempiternum semper habet esse, dicitur enim sempiternum à semper essendo. si semper habet esse, ergo habet esse in tempore infinito. si habet esse per tempus infinitum, ergo non per aliquod terminatum tempus habet esse, & per terminatũ tempus habet non esse: tempus enim infinitum includit omnes partes temporis: sed omne corruptibile ex primo supposito est possibile non esse, & omne possibile dicit potentiam respectu alicuius determinati, ita quòd per tantum tempus habet esse & non plus. ergo omne sempiternum est incorruptibile, alioquin vt dicit philosophus idem pro eodem tempore esset & non esset, quòd est impossibile & falsum. nam in quantum sempiternum habet esse per totum tempus infinitum, quod comprehendit omnem partem temporis, inquantum corruptibile habet non esse pro aliqua parte temporis contenta in tempore infinito, ergo idem pro eodem

tempore, scilicet infinito esset & non esset.

Secunda conclusio, Omne sempiternum est ingenitum, sumendo ingenitum, tertio modo, hæc probatur supponendo quod genitum, tertio modo dicitur illud quod actu incipit esse, ita quòd prius non habebat esse, deinde habet esse, & sic omne genitum pro aliquo tempore habet non esse, scilicet antequam generetur & pro aliquo tempore habet esse, scilicet postquã genitũ est, ex hoc sic arguo, omne sempiternum semper & pro omni tempore habet esse, ergo est ingenitum. probatur consequentia, si esset genitum. ergo pro aliquo tempore haberet non esse, vt patet ex præsupposito, si pro aliquo tempore haberet non esse. ergo non esset sempiternum. esset ergo sempiternum & non sempiternũ, quod est impossibile. patet ergo quòd omne sempiternũ est incorruptibile, & ingenitum. Et nota quòd incorruptibile dicit perpetuitatẽ essendi ex parte temporis futuri, & ingenitũ dicit perpetuitatẽ essendi ex parte præteriti, ita quòd verum est dicere, semper fuit.

CAPVT IIII.

Nullum sempiternum corruptibile, vel genitum esse.

Circa caput quartum, postquàm probatum est, quòd omne sempiternum est incorruptibile, & ingenitum, adhuc probandæ sunt ad majorem doctrinam hæ duæ conclusiones negatiuæ. Prima, Nullum sempiternum est corruptibile. Secunda, Nullum sempiternum est genitum, & eodem medio probabuntur. sed ante probationem, secundum Philosophum præordinatur oppositio quadruplex, quæ potest formari ex ly semper, & ly esse, vnde nota quòd sicut in propositionibus categoricis reperiuntur quatuor genera oppositionum, quæ fiunt per signa vniuersalia & particularia, affirmatiua & negatiua, & dicuntur oppositio contraria, subcontraria, contradictoria, subalterna, vt patet in hac figura.



Sic ex ly semper & ly esse possunt formari quatuor propositiones, inter quas est quadruplex oppolitio, quod vt pateat formo talem figuram.



Ad intelligentiam huius figuræ nota, quòd rem semper esse, æquipollẽt vniuersali affirmatiuæ. significat enim omni tempore esse, & rem semper non esse, æquipollet vniuersali negatiuæ, significat enim nullo tempore esse. ergo sunt contrariæ, & non possunt esse simul veræ per legem contrariarum, quam explicuimus in primo tractatu, super logicam paruam, hæc autem, rem non semper esse, æquipollet particulari negatiuæ, significat enim aliquo tempore non esse. ergo istæ duæ sunt cõtradictoriæ, scilicet, rem semper esse, rem non semper esse. & sic non possunt esse simul veræ, nec possunt de eodem verificari per legem contradictoriarum, hæc autẽ, rem non semper nõ esse, æquipollet particulari affirmatiuæ, significat enim aliquo tempore habere esse. ergo istæ duæ sunt contradictoriæ, scilicet rem semper non esse, rem non semper non esse, & sic non verificantur de eodem.

Stante hac declaratione, probatur vtraque conclusio simul, scilicet nullum sempiternum esse corruptibile, nec genitum sic, si aliquod sempiternum est corruptibile & genitum, sequitur, quod contradictoria verificantur de eodem, quod est impossibile. probatur consequentia sic, sit aliquod sempiternum, quod per te est corruptibile, & genitum, & vocetur A_2 tunc arguo sic, A_2 inquantum sempiternum semper habet esse, & inquantum corruptibile ac genitum non semper habet esse, quia corruptibile, vt dictum est suprà, secundo modo est illud quod potest desinere esse: & genitum est quod nunc habet esse, & ante generationẽ suam non habebat esse. tunc sic, semper habere esse, & non semper habere per figuram præcedentem sunt contradictoria. ergo de ipso A, verificantur contradictoria, quòd cùm sit impossibile, dicendum est nullum sempiternum esse corruptibile, vel genitum, propter quod concludit Philosophus, quòd in corruptibile, & ingenitum sunt conuertibilia, id est, æ qualis prædicationis, vt sit verũ dicere, quòd omne incorruptibile est ingenitũ, & econuerso: similiter corruptibile & genitum sunt conuertibilia, omne enim genitum est corruptibile, secundũ Philosophum, & econuerso. propter quòd concluditur contra antiquos, & contra Platonẽ, quòd si mundus esset genitus, esset etiam corruptibilis, & per consequens cœlum esset corruptibile. nunc superest probare in particulari mundum esse incorruptibilem, & ingenitum, & sic sempiternum ex mente Philosophi.

CAPVT V.

Mundum, incorruptibilem & ingenitum esse.

Circa quintum caput, ponitur hæc conclusio principaliter intenta, & responsiua, Mundus est incorruptibilis, & ingenitus, & probatur tripliciter.

Primò sic, omne perpetuum à parte ante, est etiam perpetuum à parte post, sed mundus est perpetuus à parte ante, vt probauit Philosophus in Octauo Physic. ergo. est perpetuus à parte post. ergo est ingenitus. omne enim genitum prius habuit non esse, & post incœpit esse. similiter si est perpetuus à parte post. ergo non est corruptibile, omne enim corruptibile potest desinere esse. quòd autem omne perpetuum à parte ante sit etiam perpetuũ à parte post, patet ex dictis in quarto capite, & in tertio, vbi dicitur quòd sempiternum semper habet esse. ergo semper habebit esse, sicut semper habuit esse, sempiternum enim & perpetuum respiciunt omne tempus, & omnes partes temporis secundum Philosophi doctrinam.

Secundò arguitur, communiter omnes attribuunt Deo, & intelligentiis hunc locum, scilicet cœlum, quia ponunt deos esse perpetuos, sed perpetuis non conuenit locus corruptibilis. debent enim proportionari locus, & locatum. ex quarto Physicorum. ergo cœlum quod putatur esse locus Dei, & intelligentiarum debet esse incorruptibile. ergo & ingenitum, omne enim incorruptibile, secundum Philosophum est ingenitum, vt dicitur in quarto capite.

Tertiò, per omnem memoriam hominum, nec per scripturam, nec alia quauis via, quam possumus habere ab antiquissimis, apparet, quòd cœlum vsque nunc sit corruptum, vel antiquatum, vel quouis modo deterius se habens: & tamen si esset corruptibile in tanto tempore aliquod iudicium suæ corruptibilitatis appareret, cùm ergo non appareat, signum est cœlum esse incorruptibile, & per consequens ingenitum secundum doctrinam Philosophi, vt prædiximus.

Quoniam autem fides catholica tenet mundum esse productum à Deo non ab æterno, sed in tempore, & tamen quo ad partes suas principales, quæ sunt quatuor elemẽta, & corpora cœlestia esse incorruptibi. elementa enim & cœlum secundum fidem in æternũ permanent. & hc theologus tenet aliquod productum esse incorruptibile, cuius contrarium videtur sensisse Arist. declarandum est quo sensu loquitur Philosophus. & sic manifestabitur quomodo rationes suæ, & sua opinio non sunt contra fidem, sed solùm contra opiniones antiquorum, qui quodã modo impossibili arbitrabantur mundum esse genitum, & corruptibilem, vel incorruptibilem.

Ad huius euidentiam nota, quòd sicut docet B. Tho. in commento, est considerandum, quòd rationes Philosophi procedunt contra eos, qui ponunt mundum esse productum per generationem naturalem, & corruptibilem corruptione naturali. sed fides nostra ponit mundum productum per creationem, defectibilem verò per annihilationem ex potentia diuina, quæ non est necessitata, vt det esse mundo ab æterno, nec quòd producat eum ex materia, sed quando placuit & eo modo quo ei placuit. excellentia enim virtutis suæ toti enti dominatur, vnde ex quo sic producta sunt, vt sint in sempiternum, ex parte temporis futuri acquisierunt à primo conditore potentiam, & virtutem, vt semper sint postquam esse cœperunt, vt cœlum, & intelligentiæ, nec habent principium intrinsecum, quo possint non esse, cùm careat cœlum contrariis, & intelligentiæ sint immateriales, materia enim est principium corruptionis, ex octauo Metaphysicæ. concedimus igitur Philosopho, quod omne genitum generatione Physica est corruptibile, non tamen omne productum creatione est corruptibile, & quia fides tenet cœlum, & intelligentias esse productas creatione, ideo non sequitur cœlum, & intelligentias, nec mundum quo ad principales partes, licet incœperint esse per creationem, & in tempore quòd sint corruptibilia. possimus tamen concedere, quòd sint annihilabilia, id est per diuinam potentiam vertibilia in nihilum, si cessant conseruari. Hæc sufficiant pro præsenti tractatu.

EPITOME
SVPER SECVNDO LIBRO
de Cœlo in tres tractatus diuisa.

SVper Secundo libro de cœlo, formamus tres tractatus.

Primus est de corpore cœlesti.
Secundus est de astris.
Tertius est de terra, vt est centrum mundi.

TRACTATVS PRIMVS
super secundo libro de cœlo in quinque capita diuisus.

TRactatum primum, qui est de corpore cœlesti, diuidimus in quinque capita.

In primo persuadetur rationibus probabilibus cœlum esse incorruptibile.
In secũdo agitur de differentiis localibus corporis cœlestis.
In tertio agitur de numero cœlorum.
In quarto agitur de figura cœli.
In quinto agitur de motu cœli.

CAPVT I.

Cœlum esse incorruptibile, ac moueri sine labore.

Circa primum caput Aristot. tria agit. primò probat cœlum esse incorruptibile. secundò probat cœlum moueri sine labore. tertiò improbat opiniones aliorum.

Circa primum intendit talem rationem, probatum est in primo libro mundum esse non productum, nec corrupt. sed sempiternum per infinitum tempus durantem. ergo cœlum, quod est principalis pars mundi est corpus incorrupt. & in sempiternum durans. Quod etiam confirmatur auctoritate patrum antiquorum, qui instruxerunt homines in diuino cultu. ipsi enim dicunt esse aliquod corpus, velut immortale & diuinum mobile motu carente fine. & hoc corpus est ipsum cœlum, cui antiqui attribuebant cultum diuinum venerantes astra. ergo cœlum est corpus incorrup. & indeficiẽs. præterea antiqui attribuebant diis cœlum, velut existens corpus immortale cùm & dij, id est, substãtiæ separatæ sint immortales. præterea cœlum, vt probatum est in primo tract. super primum librum est impassibile, & inalterabile alteratione corruptiua. ergo est incorrup. probatur consequentia. nam alteratio corruptiua, quæ est secundum qualitates primas contrarias est via ad corruptionem. ergo si in cœlo non est talis alteratio, nec etiam erit corruptio. ex his igitur, quæ diximus in primo tract. super primo libro, & quæ nunc adducta sunt, patet cœlum esse incorruptibile.

Circa secundum, scilicet quòd moueatur sine labore formatur talis ratio, cœlum mouetur motu continuo, & vniformi, & naturali sempiterno. ergo mouetur sine labore, probatur consequentia, quia motus qui est cum labore est discontinuus, & cadit quies media, vt patet in animali, quando mouetur sursum, & nõ est vniformis, quia virtus motoris mouẽtis cum labore laxatur, & debilitatur, & ideo non semper eadẽ velocitate potest mouere, & non est sempiternus, quia mõtui qui est cũ labore admiscetur violẽtia. ergo non est sempiternus, & sic non est naturalis. Hancmet conclusionẽ. s. q̃ cœlũ moueatur sine labore posuit Philosophus in 8. Physicorum.

Circa tertium nota, q̃ ex hoc, quòd cœlum mouetur sine labore, & est corpus incorrup. non cõpositum ex elementis, ita q̃ non est graue, nec leue, vt diximus in primo tract. super primo libro Philosophus excludit tres opiniones, prima fuit poẽtarũ, præcipuè Homeri, qui finxit quod Atlas gigas humeros sustentat cœlũ, hæc opinio vana est. nam cœlũ ex prædictis mouetur sine labore, nec est graue, nec leue, cùm non sit cõpositum ex elemẽtis. si non est graue non potest cadere, si non potest cadere, non est necesse quod sustẽtetur. ergo vanum est q̃ Atlas sustentet cœlũ. secunda opinio fuit Empedoclis, qui dixit q̃ ideo cœlũ non cadit, quia motus eius est velocissimus, & ex velocitate sui motus prohibetur exire locum suum, & sic non cadit, sicut patet de aqua existente in situla, quæ situla, si circungyratur circa caput velociter, ex veloci circũgyratione, prohibetur aqua, ne exeat situlã, & ne deorsum cadat, hæc opinio vana est, quia licet paruo tẽpore velocitas motus posit esse causa, quòd cœlũ non caderet, tamen posset esse causa per tempus infinitum. nam si ex natura sua cœlum posset cadere, esset ei violẽtum ex velocitate motus, non cadere: sed violentum non est æternum, cùm sit contra naturam rei. cùm ergo cœlum ab æterno, secundum Philosophum, hoc motu moueatur, dicendũ est, quòd non cadit, non vt dixit Empedocles ex velocitate sui motus, sed quia non est graue, nec leue. & ideo non est aptũ cadere, nec ascendere. tertia opinio est Platonis in Timæo, qui dixit. ideo cœlũ esse æternum, & motũ suum æternũ, quia cœlũ est animatum, & anima cœli violenter sustentat cœlũ ne deficiat, & violẽter mouet illud, sed contra hoc arguit sic Philosophus, si anima cœli violenter mouet cœlũ, non ergo motu æterno, quia nullum æternum est violentũ: præterea sequitur, quòd si anima cœli mouet cœlũ continuè, & violenter, sequitur, q̃ illa anima sit in cõtinuo labore, & fatigatione, mouẽs enim violentũ laborat, propter resistentiã mobilis. & sic anima cœli erit peioris cõditionis, quã anima animaliũ corrup. quæ ex quiete & somno videntur non habere continuum laborem in mouendo. cũ ergo anima cœli videatur esse nobilior animabus vnitis corporibus corrup. vanũ est dicere, quòd violenter, & continuo labore sine cessatione moueat cœlũ motu æterno. Hanc opinionem attribuit Bea. Tho. Pla. quam pro nunc transeo.

CAPVT II.

Quomodo differentiæ locales sint in cœlo, & quomodo sumantur in vniuerso.

Circa secundum cap. nota, q̃ ea quæ dicta sunt in primo cap. sunt quasi præambula ad ea quæ dicturi sumus, & repetitio, vel confirmatio eorum, quæ diximus in primo lib. de incorruptibilitate, & æternitate mũdi, & cœli, nunc autẽ scrutãdũ est de differẽtiis localibus, scilicet sursum deorsum, ante retro, dextrũ & sinistrũ, an sint in cœlo, & quomodo, quã vt plene resoluatur, inuestigabimus quatuor. primò an istæ differentiæ locales sint in cœlo. secundò an sursum & deorsum sumantur secundum polum arcticum, & antarcticum. tertiò an polus arcticus sit deorsum, & antarcticus sit sursum. quartò an prædictæ differentiæ locales sint in cœlo distinctæ ex natura rei. vel solùm per respectum ad nos.

Circa primum dicam duo. primò quasdam suppositiones. secundò ex illis ponam aliquas cõclusiones, & probabuntur.

Prima suppositio, differentiæ locales in aliquibus corporibus sunt realiter, & ex natura talis corporis: in aliquibus autem corporibus sunt solùm per respectum ad nos. vel ad alterum, in corporibus quidem animatis. vt in plantis est sursum, & deorsum ex natura sua, nam ea pars in planta dicitur sursum, per quam sumitur nutrimentum, & hæ sunt radices. Deorsum autem in planta est pars, per quam emittit superflua. vt sunt folia, fructus. similiter in quolibet animali & in homine sursum est illa pars, ex qua sumitur alimentum, & hæc est os: deorsum autẽ est pars per quã emittit superflua, & hæc dicitur stercorari, vel aliquid loco eius. Dextrũ in animali dicitur pars à qua incipit motus localis ipsius animalis, sinistrum dicitur pars opposita dextræ. Ante in animali dicitur pars in qua situantur sensus exteriores, vnde & facies hominis dicitur pars anterior: retro dicitur pars opposita illi parti, in corporibus verò inanimatis non ponuntur tales differentiæ simpliciter & realiter, sed solũ respectiuè, puta in lapide non est sursum, nec deorsum, quia non nutritur, tamen per respectum ad nos potest dici aliquãdo sursum si est super caput nostrum, aliquando deorsum, si est sub pedibus nostris, similiter in lapide, non est dextrum & sinistrum realiter, quia non mouet seipsum localiter, sed mouetur à generante, vt patet in 8. Physic. tamen per respectũ ad nos potest dici aliquãdo dexter, si lapis sit à parte mei dextra, & potest dici sinister si transferatur ad partem meam sinistram, similiter in lapide non est ante & retro, simpliciter & realiter, quia in lapide non sunt aliqui sensus, tamen per respectum ad nos aliquando dicitur anterior. vt si ponatur ante faciem meam, & aliquando dicitur posterior si ponatur post tergum.

Atlantis fabula.

Secunda suppositio, in aliquibus animatis sunt tãtùm duæ diffe-

differentiæ locales simpliciter & realiter, vt in plantis est sursum, id est, pars qua nutriuntur, & deorsum, id est, pars qua emittunt superflua: aliæ verò quatuor, non sunt realiter in plantis quia non mouentur localiter. ergo non habent dextrum & sinistrum, nec habêt vires sensitiuas. ergo non habêt ante & retro, in aliquibus verò animatis vt in animalibus perfectis sunt omnes sex differentię locales simpliciter & realiter, nam animal perfectũ puta leo nutritur, & emittit superflua, & mouet se localiter. & vires sensitiuas exteriores habet.

Tertia suppositio, corpora in quibus differentiæ locales sunt simpliciter & realiter habet diuersas partes, in quibus sunt diuersę potentię & virtutes penes quas attenduntur prædictæ differentiæ locales, vt in planta, quia est realiter sursum, ideo sunt radices, & realiter deorsum, ideo sunt rami. in quibus autem istæ differentiæ non sunt realiter, non sunt diuersæ partes nec diuersa organa, quibus insint diuersæ virtutes, vt patet in lapidibus & in mineralibus. vt in metallis. Inde videmus in homine maximam diuersitatem partium & organorum, quia in eo perfectè reperiuntur sex differentiæ locales, deinde in aliis animalibus perfectis.

Quarta suppositio istæ differentiæ sic ordinantur, sursum & deorsum, sunt priores, ante & retro sequuntur duas priores, dextrum & sinistrum ponuntur in tertio loco. & sic declaratur, cùm differentiæ locales sint principia aliquarum operationum in re animata, sic et ordinantur motus qui sunt in re animata, ita ordinantur prædictæ differentiæ in re animata potest esse triplex motus, scilicet motus nutritionis, motus sensationis, qui dicitur sentire, & motus localis qui dicitur progressiuus. ibi enim non curamus de motu distinctionis & dilatationis, qui ponitur in animali imperfecto. sed motus nutritionis præcedit sentire, vt patet in planta, in qua est nutritio & non sensatio. ergo sursum & deorsum, quæ attenduntur secundum motum nutritionis sunt differentiæ locales priores iis differentiis, quæ sunt ante retro, quæ attenduntur secundum motum sensationis. Item sentire præcedit motum progressiuum, vt patet in conchylio in quo est sensus saltem tactus, & tamen non est in eo motus progressiuus, similiter in animali perfecto, vt in homine, prius sentit sensibus exterioribus quàm se moueat localiter, vt patet in infante. ergo ante & retro sunt differentiæ priores iis differentiis quæ sunt dextrum & sinistrum. quæ attenduntur penes motum localem, hæc de primo sufficiant.

Ex iis suppositionibus præpono aliquas conclusiones responsiuas.

Prima conclusio, In cœlo est dextrum & sinistrum realiter & simpliciter. probatur, vbi inuenitur determinatum principium motus localis ab vna parte ad aliam, ibi est realiter dextrum & sinistrum. hæc patet per primam suppositionem, sed in cœlo inuenitur determinatum principium motus localis ab vna parte ad aliam, scilicet sibi oppositam, cœlum enim mouetur determinatè ab oriente ad occidẽs, & in oriente incipit motus. ergo in cœlo est dextrum & sinistrum.

Secunda conclusio, In cœlo sunt omnes sex differentiæ locales, probatur, in cœlo est dextrum & sinistrum per præcedentem conclusionem. ergo sunt aliæ quatuor. probatur consequentia, si in aliquo sunt differentiæ locales posteriores, sunt etiam differentiæ priores, quia posteriores præsupponunt priores. sicut sensitiuũ præsupponit vegetatiuum. sed in cœlo sunt differentię dextrum & sinistrum. vt probatum est, & sunt posteriores aliis per quartã suppositionẽ. ergo in cœlo sunt etiam priores, scilicet sursum & deorsum, ante & retro.

Circa secundum principale inuestigandum est penes quid ponuntur sursum & deorsum in cœlo, & non solum hæ duæ, sed etiam ante & retro & dextrum & sinistrum, cùm enim ponantur realiter in cœlo, est necesse assignari in cœlo varia puncta, penes quæ prædictæ differentiæ dicuntur esse in cœlo. vt igitur hoc resoluatur faciam duo: primò ponam aliqua supposita, secundò aliquas conclusiones inferam.

Primum suppositum, in cœlo imaginantur tres lineæ, vna à polo arctico ad antarcticum. secunda à puncto orientis ad punctum occidentis. tertia à puncto meridiei ad punctum sibi oppositum. qui dicitur angulus terræ, & sic prædictæ tres lineæ terminantur ad prædictas puncta.

Secundum suppositum, partes cœli circa prædicta puncta existentes habent diuersas virtutes & potentias, variósque influxus in inferioribus, vnde sol in oriente nobiliores effectus producit, vt patet in gemmis & medicinalibus, similiter luna existens in puncto meridiei vel in suo opposito habet maiorem virtutem, siper tumescentiam aquarum & humidorum & præcipuè super fluxum & refluxum maris. Ex iis suppositis pono tres conclusiones & probo.

Prima cõclusio, Dextrum & sinistrum in cœlo attenduntur penes punctum orientis & occidentis: probatur, dextrum similtur ab ea parte in qua incipit motus, vt diximus in cap. præcedenti, sed in parte orientis incipit motus cœli, vt patet, ergo &c. Et cùm occidens opponatur orienti, sequitur quòd iuxta punctum occidentis attendatur sinistrum in cœlo.

Secũda cõclusio, Ante & retro ponũtur in cœlo iuxta punctum meridiei, & punctum sibi oppositum, qui dicitur angulus terræ, probatur sic, Motus incipiens à dextro tendit per anteriorem partem ad sinistrum, sed motus cœli incipit à dextro, id est ab oriente, & tendit per meridiem ad sinistrum, id est ad occidens: ergo signum est quòd punctus meridiei est pars anterior in cœlo, & cùm ante & retro opponantur, sequitur quòd punctus oppositus meridiei, qui dicitur angulus terræ, sit pars posterior in cœlo.

Tertia conclusio, Sursum & deorsum in cœlo attenduntur iuxta duos polos, scilicet arcticum, & antarcticũ, & probatur sic, secundum Philosophum. In nobis sursum & deorsum secundum partes magis distinctas, & distantes, quæ sunt caput & pedes. ergo & in cœlo debêt sumi secundũ partes cœli magis distinctas & distãtes: sed partes circa polos sunt magis distãtes abinuicem, nam secundum distinctionem polorum sumitur distinctio hemisphæriorum. ex iis igitur patet iuxta quæ puncta sumuntur sex differentiæ locales in cœlo.

Circa tertium inuestigandum est quis polus sit sursum, & quis deorsum, & facio duo. primò ponitur conclusio responsiua. secundò ponam duo correlaria.

Conclusio est hęc, Respectu primi mobilis, polus antarcticus est sursum, & arcticus est deorsum, probatur, Motus primi mobilis incipit ab oriente in quo ponimus dextrum. ergo si imaginamur hominem extensum à polo ad polum & extendentem brachia ab oriẽte ad occidens, si debet extendere brachium dextrum ad oriens, vnde incipit motus, est necesse quòd habeat caput in antarctico polo, & sic ille polus erit sursum. caput enim est pars sursum: & quod habeat pedes in arctico polo, & sic polus noster erit deorsum correspondens pedibus, præterea ille polus dicitur sursum, circa quem est nobilior pars cœli, semper enim pars sursum est nobilior parte deorsum: sed circa polum antarcticum est nobilior pars cœli, quàm circa polum arcticum, dixit enim quidam astrologus quod illic sunt nobiliores stellæ & maiores in magnitudine & influentia, quàm sint circa nostrum polum arcticum. ergo ille est superior, & noster est inferior.

Primum correlarium, respectu motus primi mobilis habitamus in hemisphærio inferiori, probatur, hemisphæria diuiduntur secundum polos ita quòd hemisphærium dicitur superius in quo polus superior semper apparet, & hemisphærium inferius dicitur in quo polus inferior semper apparet. cùm ergo nobis appareat semper polus inferior qui est arcticus secundum motum primi mobilis, sequitur quòd nos habitemus in hemisphærio inferiori, homines verò meridionales in hemisphærio superiori.

Secundum correlarium respectu motus planetarum, qui est ab occidente ad oriens, nos habitamus in hemisphærio superiori, meridionales verò in hemisphærio inferiori. nam cùm motus planetarum incipit ab occidente, sequitur quòd dextrum in cœlo respecta planetarum sit in occidente, & sinistrum in orien. & sic caput hominis imaginati extensi à polo zodiaci arctico ad polum zodiaci antarcticũ, erit in polo zodiaci arctico, & pedes in polo zodiaci arctico, aut super polos enim zodiaci distantes à polis mundi 23. gradibus, mouẽtur planetæ motu proprio. ex his ergo sequitur quòd cùm caput illius hominis ponatur versus arcticum, nos habitamus in hemisphærio superiori diuidendo hemisphæria, non secũdum polos primi mobilis, sed secundum polos zodiaci.

Circa quartum inuestigandum est vtrum differentiæ locales ponantur in cœlo ex natura rei & simpliciter, an solùm per respectum ad nos: & omissis variis opinionibus, dico quod sic non quidem quòd aliqua pars in cœlo semper sit dextra vel sinistra, cùm continuè voluatur, & pars quæ in mane est in orien. in vespere est in occiden. sed hoc prouenit ex diuersa influentia quam habet intelligentia mouens in variis partibus cœli. vnde notandum est quòd sicut anima intellectiua licet sit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis, tamen maiorem causat influentiam in vnam partem corporis quàm in aliam, puta magis influit in corde quã in manu, & magis in capite in quo vigent sensus, quàm in pede: sic etiam intelligentia applicata cœlo, vt suo proprio organo maiorem virtutem & influentiam causat in ea parte cœli in qua incip

incipit motus primi mobilis, id est in Orien. Et ideo ex natura rei Oriens dicitur dextrum in cœlo, quia ex Oriente cœpit cœlum moueri, si non est motus æternus. si autem est æternus secundum Philosophum, & incœpisset moueri, incœpisset ab Orien. quia verò intelligentia causat minorem virtutem in Occiden. ideo ex natura rei Occidens dicitur sinistrum in cœlo. Idem potest inuestigari de aliis differentiis secundum variam influentiam intelligentiæ in variis partibus cœli. Hæc sufficiant de secundo capite, nunc agendum est de pluralitate motuum cœlestium.

CAPVT III.

Quot sint corpora cœlestia ex numero motuum ipsorum ostenditur.

Circa tertium caput inuestigandum est, quare sint plures motus cœli, & hic dicã duo. Primò quòd est necesse dari plures motus in cœlo. Secundò quot sint corpora cœlestia.

Circa primum dico secundum Philosophum quòd ideo sunt plures motus in cœlo, vt seruetur generatio & corruptio in rebus inferioribus, nam ex motu primi mobilis qui est ab Orien. ad Occiden. non seruatur varietas generationis & corruptionis. ille enim motus est vniformis & per æquinoctialem diuiditur, & secundum ipsum altra semper se habent eodem modo & eadem propinquitate vel distantia ad nos, & ideo est necesse, vt detur motus planetarum sub zodiaco, per quem habent accessum ad nos dum sunt in signis septentrionalibus, scilicet in ariete, tauro, &c. vsque ad libram, & tunc fit generatio diuersarum rerum in nostro hemisphærio, per zodiacum etiam habent recessum à nobis dum mouentur sub signis meridionalibus, scilicet sub scorpio, sagi. capri. aqua. pisce, & tunc fit corruptio in nostro hemisphærio, vt patet in hyeme, & fit generatio variarum rerum in hemisphærio nobis opposito, si illic potest esse habitatio: vt ergo seruetur corruptio & generatio in rebus elementatis, & in variis partibus orbis, est necesse vt dentur plures motus in cœlo.

Adhuc tractatus ille latet.

Circa secundum, quot sint corpora cœlestia secundum opinionem Aristot. & Pto. & quo ordine disponantur, satis declaratum est in tractatu de sphæra.

CAPVT IIII.

Cœlum esse figuræ sphæricæ suadetur.

Circa quartum caput probandum est quod cœlum habeat figuram sphæricam, & hoc quinque rationibus.

Prima, primo corpori debetur prima figura, sed cœlum est primum corpus, inter omnia enim simplicia componentia mundum cœlum est prius & nobilius, ergo cœlo debetur prima figura, sed prima figura est figura sphærica, nam sola vna linea circulari continetur, figuræ verò rectæ lineæ, vt triangulus & quadratum, pluribus lineis clauduntur. cùm ergo figura sphærica sit simplicior aliis, erit etiam prior.

Secunda ratio, corpori perfecto debetur perfecta figura, sed cœlum est corpus perfectum, cùm sit incorruptibile, & figura sphærica est perfecta, quia ei non potest fieri additio, nam in linea sphęrica, principiũ & finis sunt idem: ergo cœlo conuenienter attribuitur figura sphærica.

Tertia ratio, cœlum est corpus aptissimum ad motum, cùm velocissimè moueatur, & semper, ergo debet habere figuram aptissimam motui. Hæc autem est sphærica, cùm enim careat angulis facillimè voluitur. anguli enim prohibent motum, vt patet,

Quarta ratio, cœlum continet omnia, ergo habet figuram capacissimam, & hæc est figura sphærica, vt probat Archimedes in libro de Isoperimetris: & id iam dictum est in tractatu de sphæra.

Quinta ratio, si cœlum non esset sphæricum, sed triangulare vel quadrangulare, cœlum esset frangibile, vel condensabile, vel rarefactibile: sed hæc omnia sunt falsa, cùm sit incorruptibile & inalterabile, ergo & cætera. probatur consequentia, si cœlum esset triangulare, cùm sphæra contineatur in sphæra, puta sphæra Saturni in octaua sphæra, & moueatur secundum motum oppositum ab Occidente in Orientem, sequitur quòd anguli sphæræ Saturni subintrarent vel penetrarent octauam sphæram, & tunc esset necesse octauam sphæram vel frangi vt latera penetrent, vel octauam sphæram cedere, sicut cedit aër, dum corpus subintrat, & sic esset condensabilis & rarefactibilis sicut aër. Confirmatur hæc conclusio opinione Platonis in Timæo, vbi inquit, modo congruam & decoram figuram dedit, animal quippe hoc, quod intra suum ambitum erat animalia omnia contenturum, eam figuram præcipuè requirebat, in qua figuræ omnes continerentur, quapropter sphæricum fecit, quæ quidem figura omnium perfectissima, sibique simillima iudicatur.

CAPVT V.

Qualis sit motus cœli, id est, motus diurnus.

Circa quintum caput inuestigandum est qualis sit motus cœli primi, qui dicitur motus diurnus, & dicam duo secundum Philosophum. primò quòd motus cœli conuenientius procedit ab Oriente per Meridiem ad Occidentem, quàm ab Oriente per punctum oppositum meridiei versus arcticum ad Occidentem. huius igitur ratio est secundum Philosophum, Motus nobilissimus conuenienter fit per partem nobiliorem cœli, sed motus primi cœli est nobilissimus cùm sit æternus, & primus, & simplicissimus. ergo conuenienter tendit per partem nobiliorem cœli. sed pars meridiei est nobilior, quàm pars sibi opposita: nam pars meridiei, vt diximus suprà, dicitur ante in cœlo, & pars opposita dicitur post. sed in quocunque sunt differentiæ locales, ante est differentia nobilior, quàm ipsum post, vt patet in homine, in quo pars anterior est nobilior, quàm posterior, ergo in cœlo pars meridiei est nobilior parte opposita. & sic conuenienter fit motus primi cœli ab Oriente per meridiem ad Occidentem.

Dico secundò, quòd motus primi cœli, qui est diurnus est semper regularis, id est æquè velox, quod probatur sic: omnis motus irregularis vel intenditur in principio, & remittitur in fine, vt patet in motu recto violento, nam dum lapis proiicitur sursum, in principio mouetur velociter, propter fortem impulsum proiicientis, & in fine mouetur tardè propter defectum impulsus. si autem est motus rectus naturalis, vt in descensu lapidis in principio est tardior, in fine est velocior, quia propinquat suo loco naturali, & virtus sua vigoratur. sed in motu cœli cùm sit circularis, & æternus, non datur principium distinctum à fine. In sphærico enim motu, sicut in linea sphærica idem est principium, & finis, ergo motus cœli non est velocior, vel tardior, in principio, vel in fine, & sic semper erit æquè velox, & sic regularis. Præterea motus corporis sit irregularis, quia vel motor non semper est in eadem dispositione, puta quia laborat & debilitatur in mouendo, vt patet in Socrate deferente magnum pondus: vel quia corpus mobile non semper est in eadem dispositione, puta quia alterabile, vel resistit moueti magis vno tempore, quàm alio tempore, nihil autem horum est in cœlo. nam intelligentia primi cœli est impassibilis, & incorporea, & corpus cœli est inalterabile, & incorruptib. ergo nulla est ratio, quare primum cœlum moueatur aliquando velocius, aliquando tardius, sed semper regulariter. Duas alias rationes ad idem adducit Philosophus, quas gratia breuitatis dimitto. ex his igitur patet qualis sit motus primi cœli. Nunc superest argumenta quædam soluere.

Contra secundum caput arguitur sic, vbi sunt distinctæ differentiæ locales, ibi sunt distinctæ partes, & variæ, vt patet in homine, in quo caput est alterius figuræ à pede, & pectus à dorso, sed in cœlo non sunt distinctæ, & variæ partes cùm sit corpus simplex, & vnius formæ, ergo in cœlo non sunt distinctæ differentiæ locales,

Ad hoc dicitur, quòd maior non est in omnibus vera, sed solùm in animatis corruptibilibus, sed sufficit ad hoc, quòd in aliquo sint distinctæ differentiæ locales, quòd vel habeat varias partes, vel in suis partibus vniformibus habeat diuersas virtutes, & potentias, & hęc secunda pars est in cœlo. nam alia virtus est in Oriente, alia in arctico. &c. vt diximus suprà. & propter hoc dicitur esse distinctæ differẽtiæ locales in cœlo.

Secundò sic, vbi est dextrum, ibi incipit motus localis, vt dictum est suprà: sed in nulla parte cœli incipit motus cœli, est enim æternus secundum Philosophum, ergo in nulla parte cœli incœpit, nec incipit.

Ad hoc dicitur, quòd licet in Oriente non incipiat motus ibi incœpit, vel incœpisset, si non esset æternus, & tamen secundum theologum dicimus, quòd incipit in Oriente, quia cœlum creatum est in tempore, & incœpit moueri,

Tertiò arguitur, quòd polus arcticus sit sursum, & antarcticus deorsum, sic, polus arcticus est nobilior, cùm versus arcticum terra sit magis habitabilis, ergo est sursum. probatur consequentia, quoniam dictum est suprà, quòd pars sursum semper est nobilior, & deorsum ignobilior: ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd terra versus antarcticum, secundum Albertum in libro meteo. est optimè habitabilis ex sui natura, licet non de facto habitetur, propter oppositum augis solis, qui nunc est versus antarcticum, quod qualiter sit declarauimus in tractatu de sphæra. negatur ergo quòd terra versus arcticum sit magis habitabilis, licet de facto, & quasi per accidens magis habitetur.

Quartò arguitur, quòd hæ differentiæ non sint in cœlo ex natura rei sed solùm per respectum ad nos, sic, nulla pars cœli est in oriente, quæ postea non sit in occidente, & econuerso, ergo nulla pars cœli pôt dici ex se dextra, & alia sinistra.

Ad hoc dicitur, quòd non ponitur dextrum in cœlo ratione alicuius vnius partis, quæ semper sit in oriente, sed ratione ipsius motoris coniuncti, qui primo influit, & applicat virtutem suam in parte orientali.

Contra tertium caput arguitur sic, est tantum vnum cœlum, ergo non sunt plures motus in cœlo. probatur antecedens, si sunt plures cœli, vel sunt continui, vel contigui. non sunt continui, quia essent vnum cœlum, continua enim sunt vnum: non sunt contigui, quia contigua corpora habent distinctas superficies, sed cœli non possunt habere distinctas superficies, nam cùm cœlum inferius contineatur in cœlo superiori, sicut locatum in loco, esset necesse quòd superficies conuexa cœli inferioris, & superficies concaua cœli superioris essent æquales, quia locus est æqualis locato, in quarto physi, sed non possunt esse æquales, sequeretur enim quòd circa idem centrum mundi possent describi duo circuli æquales. quod est impossibile, ex tertio libro geometriæ Euclidis.

Ad hoc dicitur, quòd sunt contigui, & habent distinctas superficies, & quòd superficies conuacua superioris cœli est maior superficie cõuexa inferioris cœli, & cùm dicitur quòd se habent, vt locus & locatum, ergo sunt æquales, quia Philosophus dicit in quarto physicorum, locus est æqualis locato, respondetur, quòd dictum Philosophi habet exponi quantum ad continentiam, id est, quantum est locatum, tantum præcisè eius locus capit, & continet.

Contra quartum caput arguitur, quòd cœlum non sit sphæricum, corpus sphæricum est vna superficie contentum, vt patet in tracta. de sphæra. sed cœlum non est contentum vna superficie, imò duabus, scilicet conuexa, & concaua, ergo non debet dici sphæricum, sed orbiculare.

Ad hoc dicitur, quòd contineri vna superficie conuexa, est de ratione corporis sphærici, vt sphæricum, quia hæc requiritur ex necessitate in omni sphærico. quòd autem habeat superficiem concauam est quasi per accidens, potest enim reperiri corpus sphæricum sine concauitate, vt pila lapidea. Dico igitur, quòd cælum est sphæricum, quia ex necessitate continetur vna superficie conuexa. Hæc sufficiant. Contra primum & quintum caput, non cadit difficultas.

TRACTATVS SECVNdus super secundo libro de Cœlo, in quinque capita diuisus.

Tractatum secundum super secundo libro de Cœlo, in quo acturi sumus de astris, diuidimus in quinque capita.

In primo agitur de natura stellarum.
In secundo agitur de motu stellarum.
In tertio agitur de ordine & situ earũ. præcipuè planetarũ.
In quarto agitur de figura stellarum.
In quinto soluuntur duo dubia ab Aristo.

CAPVT I.

Astra cuius naturæ sint.

Circa primum caput dicam duo, primò hanc conclusionem, Astra sunt de natura cœli, in quo sunt fixa, ita quòd stellæ fixæ sunt de natura sui cœli, & Saturnus sui cœli, &c. hæc probatur sic à Philosopho. dictum est in primo lib. quòd cœlum est natura quinta præter quatuor elementa, quia habet motum circularem sibi naturalem, quo non mouentur elementa, illa enim naturaliter mouentur motu recto tunc sic, mouentur naturaliter motu sui cœli, scilicet, circulariter, vt patet de sole, & luna, ergo sunt de natura sui cœli, & si quæras, quare ergo astrum suum lucet. & non totũ suum cœlum, Dico, quòd hoc ideo est, quia substantia ipsius cœli est magis condensata in ipso astro, ideo fit lucida. In reliquo verò corpore cœli est substantia magis rara, & diaphana, ideo est susceptiua lucis. vnde differunt corpus cœli, & astrum, sicut aqua simplex, & aqua congelata, quæ licet sint eiusdẽ naturæ, tamen congelata, quia est densior ideo efficitur lucida.

Cœlestia corpora per motũ & lumen causa sũt caloris in his inferioribus.

Dico secundò, quòd ex quo stellæ sunt de natura cœli non est dicendum, vt dicebant antiqui, quòd astra sint ignea, vel calida formaliter, licet causent calorem, & lumen. in his inferioribus: causant enim calorem per motum & radiũ suum luminosum, vt patet de sole, qui radiis suis terram calefacit, propter quid autem, vel quomodo ex motu, & lumine causent calorem, omissis pro nunc omnibus opinionibus, dico secundum bea. Tho. in commen. quòd motus localis corporis cœlestis ideo causat calorem, vel calefacit, quia est primus motuum, vt probatur in octauo physicorum: primum autem in genere est causa omnium sequentium in illo genere, ergo motus localis est causa alterationis. sed inter omnes species alterationum quæ fiunt secundum quatuor primas qualitates, calefactio est prima, nam calor est prima qualitas alteratiua cùm sit qualitas actiua, ergo conuenienter motus localis cœlestis est causa calefactionis in his inferioribus, & non solùm ille cœlestis, sed vt experientia patet, omnis motus localis velox causat calorem, nam ferrum ignitur ex forti confricatione super lapidem, & velox motus sagittæ intantum calefacit, quòd liquefacit plumbum, quòd ponitur in summitate sagittæ.

Vnde autem habeat lumen, quòd causet calorem, secundum bea. Tho. dico, quòd hoc habet inquantum est qualitas actiua primi alterantis, id est, cœli, & directè causat primam qualitatem corporum inferiorum, quæ est calor, & quia lumen excellentius est in sole, quã in aliis astris, ideo sol magis calefacit, alia verò astra calefaciunt plus, & minus, secũdùm quod magis, vel minus participant de lumine. vnde & luna in plenilunio magis calefacit, secundum quod dicit Philosophus libro de partibus animalium, vbi inquit, noctes plenilunij sunt calidiores. vnde quidam pisces mouentur ad superficiem aquæ. Nota tamen, quòd lumen non calefacit, nisi per reuerberationem radij, & reuerberatio quanto magis est directa, tanto magis calefacit. vnde sole existẽte super zenith capitis nostri, vel appropinquante ad nostrum zenith causatur maximus calor. & ideo maiorem calorem sustinemus in æstate sole existente in signis septentrionalibus, vt in geminis, cancro. leone, &c. in hyeme autem, quoniam elongatur à capite nostro decurrens per signa meridionalia. non multum calefit terra. similiter in meridie sentimus maiorẽ calorem, quàm in mane, vel in vespere, quoniam sol in meridie magis eleuatur supra nos, & fit magis directa reuerberatio radiorum ex terra, vel alio corpore solido reflectente radios, vnde inquit philosophus in tex. sole appropinquante ad nos, & oriente, vel existente supra nos maximè generatur calor. de hac etiam reuerberatione directa, & obliqua locuti sumus in tracta. de sphæra, vbi assignauimus rationẽ, quare duæ vltimæ zonæ, & media dicuntur inhabitabiles, patet igitur quomodo astra sunt de natura cœli, & quomodo causant calorem in inferioribus, licet non sint calida.

CAPVT II.

De Motu & situ Planetarum.

Circa caput secundum, in quo agitur de motu stellarum: inuestigandum est quomodo moueantur, manifestum est, quòd mouentur circulariter ab oriente in occidẽtem, sed dubitatur an moueantur per se, an solùm ad motum sui cœli, cui sunt infixæ, vt lapides in annulo, & non mouetur lapis nisi ad motum annuli, & in hoc cap. faciam duo principaliter, primò ponam tres conclusiones, & probabo. secundò declarabo vtrum cœli ex motu suo causent sonum.

Prima conclusio, Nullum astrum mouetur per se ab oriente in occidentem diuidendo orbem, sicut auis volans per aërem diuidit aërem. probatur sic, si astrum sic moueretur, ergo cœlum esset diuisibile, & sic corruptibile, diuiso enim disponit continuum ad corruptionem. præterea si astra sic mouerentur, ergo stellæ fixæ, quæ sunt circa polum arcticum citius finirent circulationes suas, quàm stellæ fixæ, quæ sunt circa æquinoctialem, vt stellæ quæ sunt in ariete, quæ habent describere maiores circulationes, cùm sint in medio cœli, sed hoc est falsum, stellæ enim fixæ manent semper in æquali distantia abinuicem, ergo signum est, q̃ omnes stellæ sunt fixæ in suo orbe, & non mouentur nisi ad motum sui orbis.

Secunda conclusio, Nullum astrum ita mouetur per se, quòd volutetur, vel circungyretur circa suum proprium centrum, dicitur mobile volutari, vel volui quando vertit vnam partem superficiei versus nos, & deinde aliam priori abscondita. hoc non potest figurari, nisi in materia eleuata. dicitur mobile circungyrare, quando eandem superficiem semper vertit ad vnam partem, sed sicut mola molendini in circuitu tendit. Quòd igitur astra non moueantur volutando probatur sic, suppono quòd omnis motus astrorum secundũ Aristote. fit ad concausandam aliquam influentiam in inferioribus, tunc arguo sic, ex motu volutationis astrorum non causatur diuersa influentia in inferioribus, ergo non debet poni motus volutationis in astris. probatur antecedens, omnia astra præter lunam habent omnes suas partes vniformes, ergo non habent aliquam distinctam influentiam secundum partem aliquam, quam non habeant secundum aliam, ergo non

non est necesse quod moueantur volutando. præterea inquit Philosophus, si astra volutantur, ergo omnia. probatur consequentia, quia cùm sint eiusdem naturæ, non est maior ratio, quare vnum astrum volutetur, & non aliud, sed non omnia videntur volutari, nam corpus quod volutatur non semper vertit eandem faciem versus nos, sed diuersas partes successiuè, sed aliquod astrum, vt luna semper vertit eandem faciem versus nos, scilicet suam superficiem, cum maculis apparentibus in ea, ergo luna non volutatur, & eadem ratione, nec aliud astrum.

Quòd autem non moueantur astra circungyrando, probat sic Philosophus, si circungyrarent astra, ergo omnia cùm sint eiusdem naturæ, & non sit maior ratio de vno, quàm de alio. sed in nullo apparet motus circungyrationis nisi in sole, dum oritur, qui tamen realiter non circungyrat, sed hoc prouenit ex debilitate visus, sicut etiam scintillare, quod apparet in stellis fixis non est in stellis, sed causatur ex maxima distantia, quæ est inter visum nostrum, & eas. visus enim ex maxima elongatione non potest perfectè apprehendere stellam fixam. ideo videtur ei, quòd tremat, vel scintillet, similiter visus noster vincitur à superexcellenti claritate solis, ideo videtur sibi, quòd sol circungyrat, & maximè in ortu, tunc enim magis potest defigi visus in sole propter vapores medios, qui quodammodo frænant claritatem solis. In meridie autem tam deficcati sunt vapores, & ideo non potest ea hora visus defigi in sole, ex his igitur patet, quòd non est necesse ponere astra circungyrari, & si aliqua circungyratio, vel scintillatio videtur in eis, id potius venit ex debilitate visus nostri, quàm ex natura ipsius astri.

Tertia conclusio, Omnia astra secundum naturam suam mouentur ad motum sui orbis, in quo sunt fixa. probatur à sufficienti diuisione, astra mouentur ab Oriente ad Occidentem, vt patet ad sensum, & non mouentur per se diuidendo suum orbem per primam conclusionem, nec mouentur volutando, aut circungyrando per conclusionem secundam, ergo mouentur solùm ad motum sui orbis.

Secundò principaliter declarandum est, vtrum cœli ex suo motu causent sonum. vnde nota, quòd antiqui patres præcipuè Pythagoras, & Plato, & Macrobius tenent ex motu cœlorum causari sonos harmonicos, & musicam hanc nostram esse quandam deficientem similitudinem illius musicæ cœlestis, de qua dixit Pythagoras, anima nostra ideo delectatur musica, quia trahit originem à cœlo, vbi ex motibus causatur musica admirabilis. & dixit Plato in Timæo, quòd in singulis orbibus cœlestibus sitæ sunt sirenes, id est decantationes laudis diuinæ. & dixit Macrobius super somnio Scipionis, quòd primi theologi statuerunt nouem musas, ita quòd octaua erat cœlum stellarum fixarum, & 7. in septem orbibus planetarum, & nona aggregata ex omnibus orbibus continens totam illam consonantiam. Cùm verò patres antiqui interrogarentur, quare non audimus illos sonos, dicebant ideo esse quia non audiuntur nisi à purissimo & eleuato sensu, & quia homines vt plurimum habent sensus depressos intendentes solùm iis corruptibilibus, in quibus est maxima vilitas & dissonantia, ideo non audiunt illos sonos. Pythagoras autem dixit se audisse eos, quia eleuatos sensus custodiebat, nec curabat hæc inferiora, dicebant etiam, vt refert Aristotel. quòd ideo non sentimus eos, quia sumus adeo assueti audire illos quòd non amplius aduertimus eos, sicut malleatores adeò sunt assueti audire sonos malleorum, quòd non ita percipiunt eos sicut non assueti.

Aristote. autem opinatur quòd ex motibus cœlorum nullus omnino causatur sonus, & probat sic contra antiquos, nos audimus sonos minores vt ictum lapidis, ergo multo magis audiremus sonos cœlestes si essent, quia essent maiores. corpora enim magna magnos sonos reddunt.

Secundò, talis sonus esset adeo vehemens, quòd omnia inferiora destrueret. nam si tonitruum scindit lapides, eradicat arbores, vertit ædificia: multo magis id ageret sonus cœlestium corporum, qui esset maior quocunque tonitruo.

Tertiò, in cœlo non sunt causæ productiuæ soni, ergo ibi non est sonus, probatur antecedens, causa productiua soni est aër extensus qui mediat inter percutiens & percussum, vt declarauimus in secundo de anima, sed aër non mediat inter sphæram & sphæram, vt omnes concedunt, ergo, &c. etiam causa productiua soni est violenta adinuicem duorum corporum confricatio, sed hæc non ponitur inter duas sphæras, sunt enim simpliciter planæ, non igitur est necesse inter duas sphæras ex motu suo causari sonum.

CAPVT III.

De vario situ & ordine planetarum.

Circa tertium caput, in quo inuestigatur ordo planetarum, dicam duo.

Primò quomodo situantur & quo ordine.

Secundò dicam de velocitate & tarditate suorum motuũ.

Circa primum nota quòd Astrologi antiqui, qui fuerunt tempore Platonis & Aristo. vt Callipus & Eudoxus, quos introducit Philosophus in duodecimo Metaphysicæ, sic ordinabant planetas, Saturnus Iupiter, Mars, Venus, Mercurius, Sol, Luna; ita quòd Solem immediatè situant super Lunam. moderni verò Astrologi, quorum caput est Ptolemæus, situant Solem in medio sic, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Et id rationabiliter, nam Sol est velut fons luminis, & ipsum quodammodo participant omnes alij planetæ, sicut omnia membra participant calorem cordis, ergo veluti princeps luminis in medio debuit constitui, vt commodius planetæ superiores & planetæ inferiores eius lumen & virtutem participarent, & nota quòd vt refert Beatus Thomas in commento huius 2. Anaxagoras eundem ordinem in planetis posuit, quem & Ptolemæus imitatur.

Circa secundum, scilicet, quis planeta velocius & citius compleat motum proprium qui est sub zodiaco oppositus motui diurno, Dico primò, aliqui planetæ quanto superiores sunt, tanto tardius complent suum motum proprium, patet in Saturno qui est superior Ioue, & complet suum motum per 30. annos, Iupiter autem in 12. & Mars in 9. quia est inferior Ioue, causa huius est secũdum Beatum Thomam maior impressio primi mobilis in propinquiorem sphæram, & quia magis propinquat Saturnus primo mobili quàm Iupiter, ideo Iupiter magis tardatur quàm Mars. alij assignant huius causam esse maiorem magnitudinem sphæræ Saturni, nam corpus sphæricum quanto maius est, tanto maiorem circulum describit, & sic tãto tardius complet circuitionem suam. quia igitur sphæra Saturni est maior quàm sphæra Iouis, & sphæra Iouis quàm sphæra Martis, ideo dicunt quòd Saturnus tardius cõplet motum suum quàm Iupiter, & Iupiter quàm Mars, licet non tardius moueatur. potest enim corpus maius sphæricum & corpus minus æquè velociter moueri, & tamen corpus minus citius complebit motum suum, eo quod describit minorem circulum. Dico secundò quòd non est verum in omnibus planetis quòd scilicet planeta superior semper tardius complet motum suum, patet in Sole & in Venere & Mercurio, quorum vnus est superior ad alterum, & tamen secundum astronomos ferè in vno anno omnes complent motum suum, causa huius est secũdũ Beatum Thomam in commen. Quia cùm motus sint ab intelligentiis quæ non solùm sunt agentia naturalia sed etiam voluntaria. mouent enim orbes quia affectant assimilari primo principio, id est, Deo, vt patet in duodecimo Metaphy. Ideo motus cœlorum sunt partim voluntarij, id est, intelligentiæ non omni sua virtute mouent, sed tantum quantum expedit generationi rerum inferiorum, & quia principalis causa generationis est Sol, & Venus & Mercurius ei colligantur deseruientes Soli ad producendum suos effectus in iis inferioribus, ideo quasi pari velocitate mouentur. Inde videmus Venerem semper præcedere aut subsequi Solem, Mercurium verò non plurimum elongari à Sole, sed velut pedisequum ei adhærere, alij verò dicunt id prouenire eò quòd eadem est proportio intelligentiarum mouentium orbes Solis & Veneris & Mercurij, qualis est proportio secundum magnitudinem ipsorum orbium, quos mouent adinuicem, puta quantum excedit in magnitudine orbis Solis orbem Mercurij, tantum excedit in potentia & virtute & perfectione intelligentia mouens Solem, intelligentiam mouentem Mercurium, & intelligentia Solis, quæ est perfectior ita cito mouet orbem suum magnum sicut intelligentia Veneris, quæ est minoris perfectionis mouet orbem suum minorem qui est orbis Veneris, & ad hanc sententiam declinat Auerroris in hoc secundo libro comment. 58. & nota quòd hæc opinio supponit motum cœli esse naturaliter & nullo modo voluntarium, ita quòd intelligentiæ mouent tota sua virtute, & sic intelligentia Mercurij non posset mouere orbem Solis, nec intelligentia Mercurij posset mouere orbem Veneris, si ei adderetur alia stella, adeo sunt determinata & proportionata adinuicem orbis vt mobilis, & intelligentia, vt mouens

CAPVT IIII.

Omnia Astra esse figuræ sphæricæ.

Circa caput quartum probandum est quòd omnia Astra habent figuram sphæricam, & hic faciam duo, primò

probatur conclusio. Secundò declaratur fundamentum rationis, quomodo sit verũ. Ratio sic formatur, Luna est sphærica, ergo omnia alia Astra sunt sphærica. probatur consequentia, omnia Astra sunt eiusdem naturæ, quia sunt de natura cœli, ergo qua ratione vnum est sphæricum alia omnia sunt sphærica. Quòd autem luna sit sphærica probat sic philosophus, Luna dum crescit vel augetur recipiens lumen à Sole augetur paulatim, & primò fit quasi cornicularis, deinde continuè crescens circulariter peruenit ad oppositionem Solis in signis oppositis, puta Sol in Libra, & Luna in Ariete, & tunc apparet nobis tota illuminata & sphærica, eundem modum seruat dum decrescit, ergo ex suo augmento & decremento constat eam esse sphæricam.

Quantum ad secundum, nota quòd hæc ratio fundatur in hoc quod omnes stellæ sunt eiusdem naturæ, vt diximus, quę autem sunt eiusdem naturæ possunt esse eiusdem naturæ specie, vt Plato & Socrates: vel eiusdem naturæ genere, vt homo & leo conueniunt in natura generica animalis. si ergo omnia Astra sunt eiusdem naturæ, potest dubitari an sint eiusdem naturæ specificæ an genericæ, hîc sunt duæ famosæ opiniones, vna Auerrois, alia Bea. Tho. Auerrois in hoc secundo lib. commen. 49. tenet quòd sunt eiusdem naturæ non solùm in genere, vt putat Auicenna, sed etiam eiusdem speciei specialissimæ. quod probat sic, si essent diuersarum specierum, ergo essent materialia: si habent materiam. essent generabiles & corruptibiles, quia materia videtur esse principium corruptionis. cùm autem probatum sit in primo libro quòd cœlum est ingenerabile & incorruptibile, ergo & Astra cùm sint de natura corporis cœlestis. sequitur ergo quòd si non habent materiam quòd non sint diuersarum specierum.

Beatus Tho. in hoc secundo, lectione 16. tenet oppositum, & probat sic, Quæ sunt eiusdem speciei, habent consimiles proprietates & operationes naturales. proprietas enim & operatio consequitur naturam specificã, vt quia omnis pars terræ est eiusdem speciei, ideo omnes partes terræ habent grauitatem & tendunt deorsum, sed non omnes stellæ habent easdem proprietates nec operationes naturales, imò habent oppositas. Quædam enim influunt in iis inferioribus caliditatem vt Sol: quædam frigiditatem, vt Saturnus: quædam inimicitias, quædã amicitias. &c. vt tenẽt astronomi de proprietatibus planetarum. ergo stellæ sunt diuersarum specierum. præterea in rebus incorruptibilibus est tãtùm vnum indiuiduum sub vna specie ideo enim multiplicantur indiuidua sub vna specie vt per successionem indiuiduorũ corrup. species perpetuetur. cùm ergo stellæ sint incorrup. sequitur q̃ si essent eiusdẽ speciei esset tantũ vna stella, cùm per eam solam posset species sua perpetuare. plures ad hanc conclusionem adducuntur rationes, præcipuè ab Alberto de Saxonia in hoc secundo, quæstio. 21. quam per teipsum videbis.

Ad rationem Auerrois Bea. Tho. respondet stellas habere materiam, sed negatur hæc consequentia, ergo sunt generabiles & corruptibiles, non enim omnis materia est principium corrupti. sed solum materia, quæ est in potentia ad formam, qualis est materia inferiorum. materia verò stellarum est solùm in potentia ad varia vbi, vt declaratur in 8. & in 12. metaphysicæ. & præterea dato quòd essent eiusdem speciei non minus sequitur quòd habeant materiam, quàm si essent diuersarum specierum, imò multo magis sequitur, nam quæ sunt diuersarum specierum possunt non habere materiam, vt sunt duæ intelligentiæ. quæ autem sunt eiusdem speciei ex necessitate habent materiam: nam secũdum philosophum in 12. metaphysic. ratio multiplicandi plura indiuidua sub eadem specie est materia.

CAPVT V.

Quorundam dubitatorum super prædicta solutio.

Circa caput quintum proponenda sunt duo dubia, & solluenda secundum philosophum. Primò quæritur, quare planetę quanto sunt superiores tanto pluribus motibus mouentur, quanto verò sunt inferiores, tanto paucioribus motibus mouentur, nam vt placet astronomis qui fuerunt Platonis tempore præcipuè Eudoxo, vt declaratur in 12. metaphysicæ, quinque planetæ superiores, scilicet, Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius mouentur 4. motibus. Sol autem & Luna, qui dicuntur esse infimi planetæ secundum Eudoxum & Arist. mouentur solùm tribus motibus: & tamen deberet esse oppositum, nam cùm octaua sphæra secundum Eudoxum moueatur vno motu, videtur conueniens quòd Saturnus solùm duobus motibus tanquam propinquissimus octauæ sphæræ, & Iupiter tribus, & Mars quatuor, & sic addendo aliis planetis inferioribus.

Ad hoc dubium respondet philosophus ex tali similitudine, potest esse aliquod corpus adeo bene dispositum quòd habet in se sanitatem optimo modo, nec indiget aliquo exercitio, aut medicamine quo eam acquirat. secundò potest dari aliquod corpus non sanum, quod tamen medico exercitio vel leui medicamine ex sua nobili complexione acquirit sanitatem. tertiò potest dari corpus non sanum, quod indiget pluribus medicinis & exercitiis, plurimum laborat antequam sanetur. & tandem sanatur. quartò potest dari corpus non sanum nec acquiret sanitatem positis quibuscunque remediis, sed tamen aliquo exercitio vel remedio acquiret aliquantulum meliorem dispositionem, licet non sanetur. Quintò potest dari corpus quod ex nulla actione est capax melioris dispositionis nec sanitatis, vt corpus plantæ vel lapidis, non est capax sanitatis.

Hos quinque modos vel gradus, quos attribuimus corpori respectu sanitatis, possimus attribuere entibus respectu perfectionis, id est, felicitatis consequendæ, nam primo est aliquod ens, quod habet ex se summum, & perfectum bonum, nec est necesse vt illud acquirat aliqua actione à seipso distincta, & id conuenit primo principio tantum, id est, Deo, qui seipso beatus est. secundo est aliquod ens quod vt propinquum primo principio vna actione vel vnico motu acquirit suum perfectum bonum, & hæ sunt intelligentiæ, quas dicimus substantias separatas, tertio est aliquod ens, quod pluribus variis actionibus suum consequitur perfectum bonum, id est felicitatem, & hic est homo. qui variis actionibus partis intellectiuæ & appetitiuæ suam consequitur beatitudinem. quarto est aliquod ens, quod licet non possit acquirere perfectum bonum, id est, beatitudinem, quæ consistit formaliter in intellectione rerum diuinarum, tamen per paucas operationes potest acquirere aliquod, quod est dispositio præuia ad beatitudinem, nam ad beatitudinem consequendam, in iis inferioribus duo præcedunt, scilicet conseruatio vitæ & sentire, & hæc sunt animalia bruta, & plantæ; quorum bruta habent conseruationem vitæ per nutritionem & sentire; plantæ verò habent conseruationem vitæ per mutationem. quinto est aliquod ens quod nulla operatione potest consequi nec est aptum natum consequi perfectum bonum, nec ea quæ sunt præuia ad ipsum, & hæc sunt inanimata, quę nec viuunt, nec sentiunt, nec intelligunt. vnde nullum habent motum ad perfectum bonum consequendum.

Hanc similitudinem sic applicamus ad propositum dubium, corpora cœlestia ordinantur ad regimen mundi inferioris, vnde regere mundum inferiorem, est suum optimum bonum, seu differenter, nam sphæra stellarum fixarum, & quinque planetæ superiores habent proprietatem & influentiam super esse & durationem rerum inferiorum, & bonam habitudinem earum, & ad hoc consequendum sphæra stellarum fixarum ex sua nobilitate perficit officium suum per inuicem motum secundum Aristote. multæ enim stellæ plus operantur per vnum motum quàm vna stella per plures motus, & ita planetæ superiores ad consequendum hunc finem suum indigent pluribus motibus, sed Sol & Luna qui censentur infimi planetarum secundum Aristote. non ordinantur ad esse, nec permanentiam rerum inferiorum, sed eorum influentia est super motus & mutationes & generationes inferiorum. vnde Sol dicitur pater generationis, & Luna dominatur humidis secundum motum, vt patet in fluxu & refluxu maris, & hæc quidem influentia non est optimum in inferioribus, sed quoddam præuium, nam optimum in re est esse, & permanentia, ad hoc autem ordinatur generatio & motus, qui sunt via ad esse. finis igitur ad quem ordinatur Sol & Luna est inferior fine ad quem ordinantur planetæ superiores, & ideo secundum Aristote. paucioribus motibus indigent ad consequendum hunc inferiorem finem.

Ex his igitur patet, quare superiores planetæ pluribus motibus mouentur, inferiores verò paucioribus, & id sequendo viam antiquorũ astronomorũ. nam moderni astronomi alii ordinem ponunt in planetis, vt diximus suprà, & ideo alio modo dicendum esse, de hoc vide bea. Tho. in cõmen. lect. 19.

Secundum dubium est, propter quid in octaua sphæra sunt plurimæ stellæ, quæ omnes vno motu mouentur, & sphęrę planetarum habent vnicam stellam, ita quòd septem sphæræ habent tantum septem stellas, quæ difformiter mouentur, vna quidem velocius vt luna in mense, alia tardius, vt Mercurius in anno, &c. vt diximus suprá.

Hui-

Huic dubio assignat tres rationes, quarum potiorem hîc adducimus, & est hæc, sphæra octaua est nobilior aliis sphæris, tum quia habet nobiliorem vitam, id est, intelligentiam sibi vnitam, qua potest dici largo modo viuere, tum quia reuoluit inferiores sphæras, tum quia mouetur vniformi, & simplicissimo motu, arbitratur enim Philosophus, quòd ipsa sit primum mobile, tum quia habet vniuersalem causalitatem super esse, & permanentiam rerum inferiorum: ex quo ergo nobilior est, debuit habere plures stellas, quibus sua nobilitas, & vniuersalis sua causalitas manifestaretur, inter omnia enim quæ sunt in corporibus cœlestibus stella est nobilior, & magis actiua, quod declaratur ex sua luce, quæ est qualitas actiua in corpore, vt diximus suprà de sole. conueniens ergo est, q̃ octaua sphæra abundet in multitudine stellarum per comparationem ad alias sphæras. hæc ratio sufficit.

Nunc superest argumenta soluere.

Contra primum caput. Contra primum caput probatur, quòd stellæ sint de natura elementorum, nam luna componitur ex partibus obscuris, quæ videntur esse terrestres, vt patet in macula lunæ, & ex partibus igneis: quæ continent aliquantulam lucem etiam secundum illam partem, in qua non illuminatur à sole, vt patet bene aspicientibus, quando luna est cornicularis. ergo cùm omnes stellæ sint eiusdem naturæ, sequitur quòd etiam aliæ sint de natura elementorum.

Ad hoc dicitur, quòd partes maculosæ in luna non sunt de natura terræ, sed vnde prouenjat illa macula, dimissis aliis opinionibus, quas adducit Beatus Thomas, in hoc secundo, lect. 11. & Auerrois commen. 49. addu cam solam sententiam commentatoris, quæ stat in hoc, talis macula procedit ex diuersitate partium lunæ, secundum quod aliquæ sunt rariores, & aliquæ densiores: nam partes, in quibus apparet macula, sunt rariores, ideo minus lucent. partes verò quæ sunt iuxta illas sunt densiores, & ideo magis possunt lucere: exemplum simile habemus in alabastro, nam pars alabastri densa, & non transparens est alba, ea verò quæ est transparens vt nitrum, est obscura tendens ad nigredinem. sic est in luna, partes densæ bene recipiunt lucem, partes verò rariores, licet recipiant lucem, tamen non reflectunt eam adeo vt luceant, & ideo apparent nigræ. & si quęratur propter quid luna est adeo difformis in partibus suis, dicatur quòd id sibi conuenit ex natura sua, sicut igni esse calidum.

Contra secundum. Contra secundum caput probatur, quòd astra habent aliquem motum per se, & sibi proprium. cuilibet corpori simplici debetur aliquis motus simplex sibi proprius, & per se. hæc declarata est in primo libro, tractatu primo, vbi ex motibus simplicibus inuestigauimus quandoque corpora simplicia: sed stella est corpus simplex cùm sit de natura corporis cœlestis, quod est corpus simplex. ergo stellæ debetur aliquis motus simplex sibi proprius vltra motum sui orbis.

Ad hoc dicitur, quòd corpus simplex est duplex, quoddam est quod habet rationem totius, vt terra, & aqua, & sic maior est vera, quoddam est quod habet rationem partis, vt cyathus aquæ, & sic non est necesse, quòd habeat motum sibi proprium distinctum à motu totius, sed sufficit quòd moueatur motu totius, sicut pugillus terræ mouetur eodem motu deorsum, quo mouetur terra. sic est in proposito, stella est pars sui orbis, licet sit densior pars, vt diximus in secundo capite, & ideo non est necesse, quòd habeat motum sibi proprium, sed sufficit quòd moueatur motu sui orbis.

Circa tertium. Contra tertium caput probatur, quòd planetæ quanto superiores, tanto velocius debent moueri suo proprio motu sic, octaua sphæra suo motu proprio, qui est motus diurnus (supponendo quòd ipsa sit primum mobile, secundum Aristotelem) velocissimè mouetur ex sua nobilitate, corpora enim cœlestia quanto superiora, tanto sunt nobiliora. tunc sic, sphæra quanto est nobilior tanto velocius suo motu proprio debet moueri, sed planeta, puta Saturnus, quanto est superior tanto est nobilior, ergo velocius debet moueri motu proprio, quàm planeta inferior, puta quod Iupiter, & tamen est oppositum, vt diximus in tertio capite.

Ad hoc dicitur, quòd argumentum probat, si planeta non tardaretur ab octaua sphæra, quæ secundum Aristote. est primum mobile, & planetas post se rapit, quòd quanto est superior, tanto velocius moueretur: sed quia rapitur ab octaua sphæra, & suus motus proprius est in oppositum, scilicet, ab Occidente in Orientem, ideo contingit eam tardius moueri, concedo igitur, quòd sibi derelicta, & non impedita velocius moueretur.

Contra quartum. Contra quartum caput probatur, quòd omnes stellæ sunt eiusdem speciei specialissimæ sic, omnes mouentur vno motu, scilicet circulari, qui est vnius speciei specialissimæ, ergo omnes stellæ sunt eiusdem speciei specialissimæ.

Ad hoc negatur, quòd omnis motus circularis sit eiusdem speciei specialissimæ, sed sufficit quòd sit eiusdem speciei subalternæ, sicut etiam non omnis motus deorsum, vt dicemus infrà, est eiusdem speciei specialissimæ, vnde sicut distinguitur specie aqua à terra, ita distinguitur specie motus aquæ deorsum, & motus terræ. sic dico de planetis, sicut distinguitur specie Saturnus à Ioue, ita distinguitur motus proprius Saturni, & motus proprius Iouis.

Præterea omnes planetæ conueniunt in eadem proprietate, quę est figura sphærica, ergo sunt eiusdem speciei specialissimę, probatur consequentia, quia proprietates cõsequuntur naturas specificas, vt risibile consequitur ad hominẽ: ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd non omnis proprietas est specifica, sed quędam consequitur naturam genericam, vt habere sensum est proprium animalis, vt est animal: quædam autem est specifica, vt risibile. sic dico quòd figura sphærica sequitur corpora planetarum, prout sunt eiusdem generis, & non quòd sint eiusdem speciei.

Contra quintum caput, contra primum dubium probatur quòd Sol debet moueri pluribus motibus, quàm Venus, & Mercurius sic, corpus nobilius plures debet habere operationes quibus suum finem consequitur, vt homo habet plures operationes, quàm planta, eò quòd est nobilior: sed Sol est nobilior planeta quàm Venus, & Mercurius, vt patet ex sua maiori luce, & influentia super inferiora in sua generatione. ergo debet moueri pluribus motibus, quàm Venus, & Mercurius, & tamen oppositum dictum est in quinto capite. *Contra quintum.*

Ad hoc dicitur, quòd quando corpus nobilius, & minus nobile tendunt ad duos fines, nobilius quidem ad finem nobiliorem, ignobilius ad finem ignobiliorem, tunc concedimus, quòd corpus nobilius debet habere plures operationes, vel motus ad consequendum suum finem nobiliorem, vt patet de homine qui tendit ad beatitudinem, & de bruto qui tendit solùm ad aliquod præuium beatitudini, vt diximus suprá. Quando autem corpus nobilius, & ignobilius ad eundem finem tendunt, non est necesse, quòd nobilius habeat plures operationes, imò ex sua nobilitate per pauciores motus suũ finem consequitur, sicut qui est nobilioris ingenij per pauciores discursus conclusionem suam resoluit. sic est in proposito, Sol & Venus ad eundem finem ordinantur, scilicet ad generationem, & mutationẽ rerum inferiorum, & ideo Sol ex sua nobilitate id attingit paucioribus motibus, quàm Venus. Hæc sufficiant, circa secundũ dubiũ non cadit difficultas.

TRACTATVS TERTIVS
super secundo libro de Cœlo, in quinque capita diuisus.

TRactatum tertium super secundo libro de cœlo, in quo acturi sumus de terra, non quidem vt est elementum, de ea enim vt sic dicemus in tertio libro, sed vt est centrum mundi, circa quod voluitur cœlum, diuidimus in quinque capita.

In primo ponuntur conclusiones antiquorum circa locum, & motum, vel quietem, & figuram terræ.

In secundo pertractatur, secundum veram opinionem Philosophi, vtrum terra sit sita in medio mundi, vt in centro.

In tertio pertractatur, vtrum terra sit immobilis, an semper moueatur.

In quarto pertractatur, vtrum terra sit figuræ sphæricæ.

In quinto pertractatur quanta sit magnitudo totius terræ in circuitu.

CAPVT I.

Antiquorum sententiæ de loco & motu, quiete & figura terræ.

Circa caput primum, Primò ponuntur opiniones de situ, vel loco terræ. Secundò de motu. Tertiò de figura. circa ptimum nota, quòd aliqui, vt Anaximander, & Anaxagoras, & Empedocles, & Plato dixerunt eam situatam in medio mundi, & vltimum elementum: aliqui verò vt Pythagorici, qui Philosophati sunt in Italia apud Tarentum, dixerunt ignem esse in medio mundi, circa quem ponebant terram vndique concludentem ipsum ignem, & quę se mouebat circa medium mundi, ac suo motu causabat diem, & noctem. existimabant enim cœlum, & astra quiescere, & solam terram circungyrare. hanc suam opinionem sic probabant, nobiliori corpori debetur nobilior locus, sed ignis est corpus nobilius inter elementa, ergo debet habere nobiliorem lo-

cum: sed locus nobilior est medium mundi. arbitrabatur enim quòd loca extrema essent nobiliora locis mediis. cùm ergo medium mundi, quod dicimus centrum, sit locus extremus, reputabant ipsum esse nobiliorem, & per consequens in eo esse situatum ignem, propter quod dixerunt ignem in centro mundi positum esse carcerem Iouis circundatum ex terra.

Sed hanc rationem soluit philosophus dicens, quòd medium vniuersi est duplex, scilicet medium magnitudinis, & sic est centrum mundi: & medium rei secundum naturam, & est illud quod conseruat ea quæ sunt in tali re. sic cor dicitur medium animalis secundum naturam, quia est conseruatiuum omnium eorum, quæ sunt in animali. sic sphæra stellarum fixarum dicitur medium rei secundum naturam vniuersi: quia suo motu, & influxu conseruat in esse, & in permanentia hæc omnia inferiora, vt diximus in tractatu præcedenti: quãdo ergo dicit Pythagoras quòd medium mundi est locus nobilior, non est verum de medio magnitudinis, sed de medio rei, quòd stellarum fixarum sphæra, & sic non est necesse ignem esse in centro terræ. sed potius in superiori loco, vbi magis propinquat sphæræ stellarum fixarum.

Circa secundum nota, quòd aliqui Pythagorici dicunt terram licet non sit in centro mundi, tamen moueri & gyrari circa centrum, & ponunt aliam terram sub terra nostra, quã dicunt, antichthonam, id est, oppositam terram nostræ terræ sicut ponitur pila super pilam, quidam autem Pythagorici dicunt, quòd non solùm duæ sunt terræ, sed plures, quæ tamen non videntur à nobis, eò quòd terra nostra semper est media inter eas, & aspectum nostrum. Quidam autem dicũt terram esse in centro mundi, & semper solui super axem mũdi, quam imaginantur astronomi transire per centrum mundi, & secundum suas extremitates contingere cœlum, quarum extremitatum puncta dicuntur duo poli mundi.

Circa tertium nota, quòd aliqui ponunt eam esse sphæricam, aliqui dicunt eam esse latam, vt tympanum, & signum sumunt ex hoc, quando sol oritur, & secundum medietatem vnam est super horizontem, & secũdum aliam medietatem, adhuc est sub horizonte videtur secari à terra, secundum lineam rectam, & non secundum lineam curuam, aut circularem, ergo signum est, quòd terra non est sphærica, sed lata. corpus enim sphæricum diuidit aliud corpus sphæricum arcualiter, sed huic signo respondet philosophus quòd terra diuidit solem arcualiter, dum oritur. quod autem videatur diuidi secundum lineam rectam hoc accidit propter distantiam visus nostri à sole, & maximè, quia visus noster existit in eadem superficie terræ, qua secat ipsum solem, nam si essemus in superiori regione aëris, videremus solem secari arcualiter, sicut etiam videmus in eclypsi solis ipsum secari circulariter à luna supponente soli, cò quòd non sumus in eadem superficie cum luna, sed in loco inferiori. hæ sunt opiniones antiquorum de situ, & motu, & figura terræ.

CAPVT II.

Num terra moueatur vel quiescat, & quis eius situs.

Circa caput secundum inuestigandum est, vtrum secundum veritatem terra moueatur an quiescat, & ex hoc ostendemus, in quo situ est, ad euidentiam huius quæsiti dicopria. primò quòd terra secundum omnes partes suas non est æqualiter grauis. quod declaratur sic, vna pars terræ est discooperta aquis, vt patet, ergo est minus grauis. probatur consequentia, ergo & stellæ, & sol ex radiis suis subtiliant & rarefaciunt, & exiccant terram discoopertam aquis, vt patet, ergo reddunt ipsam minus grauem, rariora enim & magis sicca, minus grauia apparent, per oppositum partes terræ cooperta aquis est magis condensata, & humectata, ergo est magis grauis. Dico secundò, quòd terra habet duplex centrum. scilicet, centrum grauitatis, & centrum magnitudinis. nam terra, vt dictum est, est difformiter grauis in partibus suis, ergo aliud debet esse centrum grauitatis, & centrum magnitudinis. in corporibus enim difformiter grauibus sunt varia centra, in corporibus autem æquè grauibus secundum omnes partes suas est idem centrum. tertiò ex hac distinctione pono duas conclusiones.

Prima, Terra quantum ad centrum suæ magnitudinis non est situata in medio mundi, probatur, si terra quo ad centrum suæ magnitudinis esset in medio mundi, ergo tota esset cooperta aquis, sed hoc est falsum, vt patet. probatur consequentia, si terra secundum centrum suæ magnitudinis esset in medio mundi, ergo secundum omnes partes suas æqualiter distaret à cœlo, supponendo quòd sit sphærica, vt declarabitur infrà, si omnes partes suæ æquè distarent à cœlo, ergo vna non esset decliuior alia: si vna non esset decliuior alia, ergo aquæ non magis defluerent ad vnam partem, quàm ad aliam, proprium enim est aquę decurrere ad partes humiliores, si aquæ non defluerent, ergo totam terram cooperirent, dicendum est ergo quòd pars discooperta aquis est propinquior cœlo, & pars cooperta est distantior à cœlo, & ideo ad partem cooپertam, vt ad decliuiorem defluunt aquæ.

Secunda conclusio, Terra quantum ad centrum suæ grauitatis est in medio mundi per suam grauitatem, vt dicit philosophus in textu, ita quòd pars quæ esset grauior depelleret aliam tandiu, quòd medium grauitatis totius terræ esset in medio mundi, & tunc starent duæ partes æquè graues contra seinuicem positæ, sicut duo pondera æqualia in æquilibra. si ergo starent in centro mundi, sicut in æquilibra. ergo signum est, quod medium mundi est locus naturalis ipsius terræ, quo ad grauitatem suam.

CAPVT III.

An terra sit immobilis, vel moueatur in medio.

Circa caput tertium inuestigandum est, vtrum terra, quæ quo ad grauitatem suam situatur in medio mundi, moueatur in tali medio, vel quiescat, & ibi dico duas distinctiones. secundò pono aliquas conclusiones.

Prima distinctio, si tota terra mouetur potest imaginari moueri, vel motu circulari, vel motu recto.

Secunda distinctio, si ponatur moueri circulariter, potest hoc fieri vel circa centrum sibi extrinsecum, sicut stellæ mouentur circa centrum mundi: vel circa proprium centrum, & super propriis polis.

Tertia distinctio, si imaginatur moueri motu recto hoc potest esse respectu totius terræ, vel respectu cuiuslibet partis terræ.

Ex his distinctionibus pono quinque conclusiones. prima, Terra non mouetur secundum se totã extra suum proprium locum motu recto. probatur sic, versus quamcũque partem si moueretur, appropinquaret cœlo, & sic ascenderet: sed est contra naturam terræ ascendere, ergo terra tota non mouetur extra locum suum motu recto. hæc ratio etiam assignatur in primo capite sphæræ.

Secunda cõclusio, Non inconuenit quamlibet partem terræ moueri motu recto. & declaratur sic, continuè de hac terrã discooperta aquis fluunt cum fluuiis multæ partes terræ ad profundum maris, & sic terra augetur in parte cooperta aquis, ita quòd vt dicit philosophus in secundo metеororum, in aliquibus locis, vbi erat mare, nunc est terra discooperta, & simi iter ex tali fluxu partium terræ diminuitur terra discooperta aquis, & per consequens non remanet idem medium grauitatis. sicut antè: medio autem grauitatis mutato illud quod de nouo factum est medium grauitatis, deorsum mouetur, vt sit medium mundi, & illud quod antè erat medium grauitatis ascendet versus partem discoopertam aquis, & tandem per talem fluxum, & motum illa terra quæ erat in medio mundi, si mundus duraret in æternum, erit in circunferentia, & ea quæ nunc est in circunferentia aliquando erit in medio mundi.

Ex hac conclusione sequitur hoc correlarium, quod ex tali fluxu partium terræ generantur magni montes. nam aliquæ partes terræ magis sibi inuicem hærent, & tenent se simul, aliquæ autem facilius defluunt. & ideo quando illæ partes, quæ non tenent se simul defluunt cum fluuiis ad mare: partes quæ tenent se simul consistunt, & causant eminentiam super terram, sicque fiunt montes, sed verum est, quòd per terræ motum, vel alio modo tandem cadunt, & destruuntur montes.

Tertia conclusio, Terra non mouetur circulariter circa centrum sibi extrinsecum. probatur, quia sequeretur quòd centrum grauitatis terræ non esset centrum mundi, quod est falsum, vt probatum est in capite præcedenti.

Quarta conclusio, Terra non mouetur circulariter circa proprium centrum, & circa proprios polos à meridie ad septentrionem, probatur quia polus arcticus videretur nobis aliquando magis eleuatus, aliquando minus, aliquando non videremus eum, puta quando nos circungyrantes simul cum terra essemus in parte meridionali. cùm ergo videamus polum nostrum supra nos semper æqualiter eleuatum, signum est quòd terra non circungyrat de meridie ad septentrionem, nec econuerso.

Quinta conclusio, Terra non mouetur circulariter circa proprium centrum ab oriente in occidentem. probatur, sequitur quòd si lapis directè proiicitur sursum, & directè descendat, quòd non descendet ad eandem partem terræ, vnde proiectus est sursum, quod tamen est contra experientiam. & probatur consequentia, nam interim quòd graue proiicitur sursum per te terra mouetur vlterius versus Occidentem, vel econuerso, ergo in descensu non cadet amplius super eam dem partem, quoniam illa pars iam mota erit vlterius. Exemplum huius patet in naui, proiiciet quis lapidem sursum non cadet in eadem parte nauis, sed in alia, & forte extra nauim, si velox valde sit motus nauis.

Præterea, si terra mouetur ab Oriente ad Occidentem, vel econuerso, vt dicunt antiqui, & quòd cœlum quiescat, esset impossibile seruare, quare non omni plenilunio esset eclypsis lunę, & semper eodem modo, & esset impossibile seruare distãtias maiores, & minores planetarum respectu stellarum fixarum, quæ tamen omnia ad sensum contingunt, vt probat etiam Astrologus. ergo dicendum est terram quidem secundum se totam quiescere in suo situ naturali, scilicet in medio mundi, & cœlum ipsum motu diurno moueri ab Oriente ad Occidentẽ, planetæ autem motu proprio econuerso, &c.

CAPVT IIII.

Num terra sit figuræ sphæricæ.

Circa quartum caput inuestigandum est, vtrum terra sit sphærica, & pono tres conclusiones.

Prima, Terra non est perfectè sphærica, nam in ea sunt montes, & valles, & planities. ergo non est perfectè sphærica. probatur consequentia, quia corpus perfectè sphæricum est illud, à cuius medio ad circunferentiam omnes lineæ ductæ sunt æquales. patet autem quòd si ducantur duæ lineæ, vna quidem à centro terræ ad summitatem montis, alia autem ad fundum maris, quòd prima est longior, ergo terra non est perfectè sphærica.

Secunda conclusio, Licet actu non sit perfectè sphærica, tamen ex natura sua est apta nata esse sphærica. probatur. omnia grauia ex omni parte cœli sunt eodem modo, id est, per lineam rectam tendentia ad centrum, & se comprimunt affectantes esse in centro, ergo ex natura sui constituunt terram sphæricam, aliter non æqualiter inclinarentur ad centrum, quòd autem actu non sit sphærica, hoc est per accidens, scilicet propter montes, & valles, qui tamen toti terræ comparati penè nihil sunt. vnde se habent, sicut nodus in pomo, quòd licet ex natura sua sit rotundum, tamen eius rotunditas aliquantulum impeditur ex illis nodis, per accidens tamen, quia accidit pomo quod illos nodos habeat.

Tertia conclusio, Terra est rotunda à septentrione ad meridiem. nam polum antarcticum nunquam videmus, ergo à septentrione ad meridiem mediat tumor terræ. item ab Oriente ad Occidentem est rotunda, nam Orientalibus citius oritur sol, & citius fit nox, ergo inter Orientem & Occidentem est tumor terræ. Quòd autem tota terra sit rotunda, sic declarat Philosophus ex astronomia, terra in eclypsi lunę secat lunam circulariter, ergo signum est, quòd terra est rotunda. si enim esset plana, vt tympanum, secaret lunam non circulariter. patet igitur quòd terra est rotunda. & quòd ex natura sua debet esse sphærica, licet per accidens non sit sphærica. tota sententia huius capitis habetur etiam in primo capite sphæræ in nostris annotationibus.

CAPVT V.

De quantitate & magnitudine terræ in circuitu.

Circa quintum caput inuestigandum est, quanta sit magnitudo terræ in suo circuitu, & ibi faciam duo. Primò ponam distinctionem. Secundò ex ea ponam aliquas conclusiones. distinctio est hæc, quia solet dici apud astronomos, quòd terra est sicut punctus respectu cœli, dico, quòd terra potest considerari tripliciter. primò quòd sit sicut punctus, id est, indiuisibilis omnino. secundò quòd sit sicut punctus respectu cœli, id est, quòd ex sua grauitate non causat diuersitatem in perceptione stellarum fixarum oculo existente in centro terræ, & ipso existente in superficie superiori terræ, & dico existente in centro terræ, dummodo imaginemur quòd medietas terræ, quæ est à centro ad circunferentiam remoueatur, ne visum impediat. tertiò quòd sit sicut punctus respectu cœli, id est, quòd si imaginemur ipsam terram locatã in octauo Cœli ipsam videremus, vt punctum, & quasi nullius quantitatis, ex hac distinctione pono conclusiones.

Prima conclusio, Terra non se habet, vt punctus primo modo. patet, terra est diuisibilis secundum se, vt clarum est, & habet in suo circuitu notabilem magnitudinem, vt dicemus, infrà ergo non est sicut punctus indiuisibilis.

Secunda conclusio, Terra respectu cœli stellati se habet, vt punctus secundo modo, probatur, nam secũdum astronomos, si oculus Socratis esset in centro videret medietatem cœli stellati, id est, sex signa zodiaci, & oculus Platonis existens in superficie terræ videret medietatẽ cœli, & si quid plus illud esset insensibile, vt probat Alfraganus in differẽtia quarta, & Ptolemæus in primo Almagesti cap. sexto. ergo quantitas terræ, quæ est à centro ad circunferentiam suam, est penè insensibilis respectu cœli octaui, & sic est velut punctus.

Tertia conclusio, Respectu octauæ sphæræ est sicut punctus tertio modo. probatur, plures sunt stellæ in octaua sphæra, quæ vix à nobis videntur, quæ tamen sunt maiores tota terra, vt probat Alfraganus. ergo si terra esset situata in octaua sphæra, & etiam fieret lucida, non posset à nobis videri, vel videretur esse minimæ quantitatis, & velut punctus.

Quarta conclusio, Et si terra respectu octauæ sphæræ se habeat vt punctus, non tamen si poneretur in sphæra solis, aut Veneris, aut Mercurij, aut Lunæ, imò comparata planetis habet sensibilem quantitatem. cuius signum, vt declarat Ptolemæus in septimo Almagesti, & in libro Theoricarum de passionibus planetarum, quòd in prædictis planetis causatur diuersitas aspectus ex ipsa terra. præterea probãt astronomi, quòd luna est tota terra minor. ergo sequitur quòd comparata his planetis inferioribus habet sensibilem quantitatem, & reputatur magna.

Quinta conclusio, Terra secundum se considerata est notabilis quantitatis, nam licet astronomi non concordent præcise in ambitu terræ, tamen omnes ei attribuunt notabilem circuitum. vnde Philosophus in hoc secundo in fine dicit, quòd mathematici sui temporis attribuunt terræ in circuitu quadraginta myriades stadiorum, id est, quadringenta millia stadiorum, quæ summa constituit quinquaginta millia milliariorum, secundum autem moderniores astrologos, præcipuè Alfraganum in differentia octaua, totius terræ ambitus est viginti millia milliarorum, & quadraginta. & aliæ sunt opiniones in se differentes, quas pertranseo, quoniam pertractantur in primo capite sphæræ. id nobis sufficit declarare in hoc loco, quòd terra in se considerata, est notabilis quantitatis. De habitatione verò eius vtrum tota sit habitabilis, & sub æquinoctiali sit temperata regio, non est præsentis negotij, sed id perscrutatur in tertio capite sphæræ, & secundum Albertum in secundo lib. meteororum.

Hic termino epitomen nostram super secũdo libro de Cœlo, reliquum est quædam argumenta soluere cõtra prædicta. *Contra secundũ caput.*

Contra secundum caput probatur, quòd terra non sit situata naturaliter in medio mundi sic. si esset in medio mundi. ergo esset nobilior inter elementa, quod est falsum, nam dicitur esse ignobilissimum elementum. consequentia autem probatur, pars quæ est in medio alicuius totalis reputatur nobilior, sicut cor quod positum est in medio animalis, est nobilissimum. ergo si terra est in medio ipsius vniuersi, videtur esse nobilior inter elementa.

Ad hoc dicitur, quod terra est in medio vniuersi non propter nobilitatem suam, sed propter suam ponderositatem, & est quasi fæx aliorum elementorum. vnde sicut fæces ad fundum tendunt. vt patet in oleo, & vino: ita terra tendit ad fundum vniuersi, & ei supereminent alia elementa. similitudo autem de corde non concludit, nam cor ideo positum est in medio animalis, vt posset influere spiritum, & calorem omnibus membris, quod quidem melius agit existens in medio, quàm in aliqua parte corporis extrema, sicut & sol ponitur medius inter planetas, vt commodius possit illustrare astra superiora & inferiora.

Contra tertium caput probatur, quòd moueatur terra existens in medio mundi, sic, terra est corpus naturale, ergo habet in se principium motus & quietis, ex diffinitione corporis naturalis, vt patet in secundo physicorum. si habet in se principium motus, ergo potest moueri, si potest moueri, ergo aliquando mouetur, aliter illa potentia esset frustra. *Contra tertium.*

Ad hoc dicitur, quòd terra habet in se principium sui motus, quo potest moueri non quidem absolutè, sed cum hac conditione quòd sit extra suum locum naturalem. vnde concedit quod si tota terra esset suspensa in regione aëris, nisi aliquid impediret ex sua grauitate tanquam principio sibi intrinseco descenderet ad centrum mundi. & cùm dicitur quòd si nunquam moueitur, ergo illa potentia esset frustra, dico quòd sufficit illam potentiam poni actu, quo ad partes terræ, quæ dum sunt extra locum suum naturalem actu mouentur deorsum: non autem est necesse id fieri respectũ totius, quoniam terra vt elementum, est semper situata in medio mundi, vt in suo loco naturali.

Primą, omni corpori simplici naturali debetur aliquis motus

tus ſimplex localis, hæc declarata eſt in primo lib. ſed terra eſt corpus ſimplex, vt patet in primo libro, & dicemus etiam in tertio libro, ergo terræ debetur aliquis motus ſimplex, ergo non ſemper quieſcit ſecundum ſe totam.

Ad hoc dicitur quòd cuilibet corpori ſimplici debetur aliquis motus ſimplex dummodo ſit extra ſuum locum naturalem, ſi enim eſt in ſuo loco naturali naturaliter quieſcit in eo, & ſic non eſt neceſſe, quòd actu moueatur in ſuo loco naturali, ſed ſufficit quòd ſit aptum natum moueri. ſic accidit de tota terra, quæ vt elementum eſt in ſuo loco naturali, & ideo non actu mouetur ſecundum ſe totam.

Contra quartum. Contra quartum cap. probatur ꝙ terra non ſit ſphærica, ſi eſſet ſphærica, ergo tota eſſet cooperta aquis, quod eſt falſum, probatur conſequẽtia, & ſuppono ꝙ eſſet etiã aqua ſphærica, vel tendens ac ſphæricitatẽ, & quòd tendãt aqua & terra ad idem centrũ mundi: tunc ſic, duo corpora ſphærica, quæ fundantur ſuper idem centrũ, ita ſe habẽt, ꝙ vnum circundat alterum ex omni parte, ſed ex præſuppoſito, aqua & terra fundãtur ſuper idem centrũ mundi, ergo cùm aqua ſit ſphærica, ſi etiam terra eſſet ſphærica, ſequitur quòd aqua ex omni parte circundaret terram, & ſic tota eſſet cooperta aquis.

Ad hoc dicitur, ꝙ ſi centrũ grauitatis terræ, & centrum ſuę magnitudinis eſſet idem, profectò argumentũ concluderet, ſed dicimus, ꝙ hæc duo centra diſſerunt in terra, vt diximus ſuprà, & centrũ magnitudinis nõ eſt in centro mũdi, ſed multum eleuatũ ſuper centrũ mundi, & ideo ſupereminet aquis.

Præterea, ſi terra eſſet ſphærica eſſet magis apta moueri ſphæricè, quã motu recto, figura enim ſphærica eſt aptiſsima motui ſphærico, & tamen hoc eſt falſum, quia terra eſt grauis. ergo magis apta moueri motu recto deorſum, ſicut & quælibet pars eius, idem enim eſt iudicium de toto & partibus homogeneis.

Ad hoc dicitur, ꝙ non eſt neceſſe omne mobile motu recto eſſe figuræ rectæ, ſed ſufficit, ꝙ moueatur per lineã rectã, & non circularẽ, & ideo dico ꝙ ſi detur lapis, ſiue ſphæricus, ſiue non eſt aptus moueri deorſum per lineam rectam, quia grauis eſt. vnde in corpore graui ex figura ſua nõ variatur motus eius naturalis, licet fortè coadiuuet ad cauſandã maiorẽ, vel minorem velocitatem, ſecundum quod ex varia figura citius, vel tardius ſcinditur medium, per quod fit motus.

Contra quintum. Contra quintũ cap. probatur quòd terra etiã in ſe conſiderata nullius eſt quãtitatis, quia ſi eſt alicuius quantitatis, ergo nos qui exiſtimus in ſuperficie terræ, nunquã videmus medietatem cœli, puta primũ gradum arietis, & primũ gradum libræ, quod tamen eſt falſum, & contra aſtronomos, probatur conſequentia. Ducatur linea per centrũ terræ ad extremitates cœli, puta ad gradum primũ arietis, & ad primũ gradum libræ. hæc diuidit cœlum in duas partes præciſe. item ducatur alia linea per ſuperficiem terræ eodem modo pertingens ad cœlum, certum eſt, quòd ſi terra in ſe eſt alicuius quantitatis, quòd linea recta in ſuperficie terræ non diuidit cœlum in duas medietates, ſed in portionem minorem, & in portionem maiorem. ergo ſequitur quòd homo exiſtens in ſuperficie terræ nunquam videt medietatem cœli.

Ad hoc dicitur, quòd verum eſt hominem exiſtentem in ſuperficie terræ non videre medium cœlum præciſè. ſed quid parum minus. & quia ille defectus eſt quaſi inſenſibilis, nec notabilis, aut manifeſtus, ideo ex ſua paruitate aſtronomus non curauit eum. ſufficit enim, ſiue oculus ſit in cẽtro terræ, ſiue in ſuperficie, quòd ſex ſigna videt, licet exiſtens in centro modicum quid plus videat, ſed non notabiliter plus. & huic reſponſioni concordat dominus Frãciſcus Capuanus in commento ſuper opuſculo ſphæræ cap. primo ibi, quod autem terra, &c. Hic terminatur tertius tractatus, qui eſt vltimus ſuper librum ſecundum de Cœlo. Reliquum eſt ordinare ſuper tertio, & quarto libro ſimul.

EPITOME

SVPER TERTIO, ET QVARTO libro de Cœlo, de qualitatibus motiuis ſecundum locum, quæ ſunt in elementis, in duos tractatus diuiſa.

QVoniam Philoſophus in tertio lib. de Cœlo, & quarto pertractat de elementis, quæ ſunt partes minus nobiles vniuerſi, quantum ad ſtias qualitates, quæ ſunt principia motus localis, vt leuitas & grauitas, & de motu locali ipſorum elementorum, in tertio quidem ſecundum opinionem antiquorum, in quarto autem ſecundum opinionem propriam, ne tempus conteramus in enarrandis antiquorum opinionibus, formabimus ſuper tertio & quarto libro ſimul duos tractatus.

In primo determinabitur de qualitatibus motiuis ſecundum locum, quæ ſunt in elementis.

In ſecundo determinabimus de motu & quiete elementorum, addentes conſiderationem de figura elementorum, & aduerte quòd conueniẽter hæc conſideratio præcedit conſiderationẽ, quę fit de elementis in libro de generatione. nam elementa poſſunt conſiderari, inquãtum ſunt mobilia motu locali per grauitatem & leuitatem, & inquantũ ſunt mobilia motu alterationis per caliditatem & frigiditatẽ, ſiccitatem, & humiditatem. ibi conſideratur primo modo: & in libro de generatione, ſecundo modo. & quia motus localis eſt prior inter omnes ſpecies motus, vt probatur in Octauo Phyſicorum. Ideo cõſideratio de elemẽtis, prout ſunt mobilia localiter, præcedit cõſiderationem, prout ſunt mobilia alteratione.

TRACTATVS PRIMVS

ſuper tertium & quartum librum de Cœlo in quatuor capita diuiſus.

IN primo tractatur vtrum inter elementa detur elementum ſimpliciter graue vel leue, & elementum ſecundum reſpectum graue vel leue.

In ſecundo pertractatur vtrum elementum exiſtens in ſuo naturali ſitu ſit graue vel leue.

In tertio pertractatur vtrum grauitas & leuitas ſint formæ ſubſtantiales elementorum.

In quarto pertractatur vtrum ex grauitate & leuitate poſsimus probare eſſe quatuor elementa, & non plura, nec pauciora.

CAPVT I.

An inter elementa detur corpus ſimpliciter graue vel leue, vel potius reſpectiuè.

CIrca caput primum faciam duo. primò ponam diffinitiones grauis & leuis ſimpliciter & reſpectiuè, ſecundo ponam aliquas concluſiones.

Graue ſimpliciter eſt illud, quod in quocunque trium elementorum ponatur, ſcilicet aquæ, aëris, ignis, eſt aptum natum deſcẽdere & illis ſubeſſe. Leue ſimpliciter eſt illud, quod in quocunque trium elementorum ponatur, ſcilicet terræ, aquæ, aëris, eſt aptum natum aſcendere, & illis ſupereminere. Graue reſpectiuè eſt illud quod cõparatum vni elemẽto eſt aptum natum deſcendere & comparatum alteri eſt aptum aſcendere, vt oleum eſt graue ſecundum quid, nam poſitum in aëre deſcendit, poſitum in aqua aſcendit. Leue reſpectiuè eſt illud quod comparatum vni elemento eſt aptum natum aſcendere, & comparatum alteri eſt aptum deſcendere, vt aër poſitus in aqua aſcendit, poſitus in igne deſcendit.

Ex iis diffinitionibus pono aliquas concluſiones.

Prima, Terra eſt ſimpliciter grauis, probatur, vt experientia docet, In quocunque elementorum trium ponatur ſi non eſt impedita deſcendit. ergo ex diffinitione grauis ſimpliciter terra eſt abſolutè, id eſt, ſimpliciter grauis.

Secunda concluſio, Ignis eſt ſimpliciter leuis. probatur, experientia docet, In quocuncue trium elementorum inferiorum ponatur, ſi non eſt impeditus aſcendit & illis eminet. ergo eſt ſimpliciter leuis, conſequentia patet ex diffinitione leuis ſimpliciter.

Tertia concluſio, Aqua & aër ſunt graues & leues reſpectiué. probatur, aqua ſi ponitur in viſceribus terræ ceſſante impedimento aſcendit, ſi autem ponatur in aëre deſcendit. ſimiliter aër incluſus in aqua ceſſante impedimento aſcendit. ſi autem poneretur in igne, deſcenderet niſi corrumpatur ab igne. ergo ſunt graues & leues reſpectiué. conſequentia patet ex diffinitione grauis & leuis reſpectiué. antecedẽs verò probatur ſic, grauiora naturaliter appetũt eſſe ſub leuioribus & leuiora ſupereminere grauioribus, ſed aqua eſt grauior aëre. ergo naturaliter appetit eſſe ſub aëre & eſt leuior terra. ergo naturaliter appetit ſupereminere ipſi terræ. ſimiliter aër eſt leuior aqua. ergo naturaliter appetit ſupereminere ipſi aquę, & eſt grauior igne. ergo naturaliter appetit ſubeſſe igni.

Sed nota, quòd aqua & aër non habent duas qualitates, ſcilicet grauitatem & leuitatem, nec vnam qualitatem commixtam ex grauitate & leuitate: ſed aqua habet vnam ſimplicem

plicem qualitatem, qua eſt apta nata ſubeſſe leuiori & ſupereſſe grauiori. ſimiliter aër habet vnam ſimplicem qualitatem, qua eſt aptus natus ſupereſſe grauiori, & ſubeſſe leuiori. Idem dico de quibuſdam elementatis quorum quædam ſunt ſimpliciter grauia ex prædominio terræ, vt lapides & metalla, quæ in nullo trium ſuperiorum elementorum quieſcunt, ſed non impedita ad terram deſcendunt, quædam ſunt ſimpliciter leuia ex prædominio ignis, vt vapores igniti ſicut eſt ſtella comata, quæ in nullo trium elementorum inferiorum quieſcit, vt diximus in primo Meteororum: quędam ſunt grauia & leuia reſpectiuè ex prædominio aëris, vt oleum quod ſupernatat aquam, eſt tamen ſub aëre, & ligna quæ ſupernatant eò quòd ſunt poroſa, & plura alia. ex iis igitur patet quomodo quædam ſunt ſimpliciter grauia vel leuia, quędam autem reſpectiué.

CAPVT II.

Num graue in proprio loco grauitatem, & leue ſimiliter habeant.

CIrca caput ſecundum perſcrutandum eſt, vtrum elementum graue puta terra exiſtens in ſuo loco naturali habeat grauitatem. Idem dico de leui reſpectu leuitatis, ibi faciam duo.

Primò ponam diſtinctionem.

Secundò aliquas concluſiones.

Diſtinctio eſt hæc, grauitas ſumitur dupliciter. primò pro qualitate quadam habituali conſequente formam ſubſtantialem rei grauis inclinante habitualiter non actu rem grauem ad motum, & dicitur grauitas habitualis. ſecundò pro qualitate quadam actualiter inclinante rem grauem ad motum remoto impedimento, & dicatur grauitas actualis: eadem diſtinctio poteſt fieri de leuitate, nota tamen quòd eſt eadem qualitas numero grauitas habitualis & actualis, ſed dicitur habitualis inquãtum poteſt inclinare rem grauem ad motum & non actu inclinat, & dicitur actualis inquantum actu inclinat. Ex hac diſtinctione pono aliquas concluſiones.

Prima, Elementum graue exiſtens in ſuo loco naturali habet grauitatem habitualem. probatur, grauitas eſt qualitas naturalis conſequens formam rei grauis, ſicut paſsio ſuum ſubiectum, ergo nunquam poteſt remoueri à re graui, niſi corrumpatur forma rei grauis. ergo res grauis ſiue ſit in loco ſuo naturali, ſiue non ſemper habet grauitatem nõ actualem, vt probabitur. ergo habitualem. Præterea eadem qualitate intrinſeca res mouetur ad ſuum locum & quieſcit in eo, ſed res grauis per grauitatem mouetur ad locum ſuum, quando eſt extra locum ſuum & non impedita. ergo per grauitatem quieſcit in loco ſuo, & ſic exiſtens in ſuo loco habet grauitatem habitualem, licet non actualem.

Secunda concluſio, elementum graue exiſtens in loco ſuo naturali non habet grauitatem actualem. probatur, elementum graue exiſtens in loco ſuo naturali non inclinatur ad motum actualiter, quieſcit enim naturaliter in loco ſuo. ergo non actualiter inclinatur ad motum, ſi non inclinatur actualiter ad motum. ergo non habet actualem grauitatem. patet conſequentia ex diſtinctione data.

Ex hac concluſione ſequitur correlarie quòd terra exiſtens in medio mundi non ponderat, quia non eſt actu grauis, ſiquis autem conatur extrahere eam ex ſuo ſitu naturali fit actu grauis, quaſi reſiſtens violentanti. ſimiliter aqua exiſtens in loco ſuo non eſt actu grauis, & hinc eſt quòd ſiquis ingrediatur ad profundum maris vel fluminis non ſentit pondus aquæ, licet ſupra ſe habeat magnam quantitatem aquæ, idem dico de aëre & de igne, dum exiſtunt in ſuo ſitu naturali. & hoc eſt confirmatum auctoritate Archimenidis, qui dicit in libro de ponderibus, nullum corpus in ſeipſo graue eſt, nec aqua in aqua, nec oleum in oleo eſt graue, ſed tu intellige de actuali grauitate.

Sed nota quòd debet intelligi concluſio, quando elementa permittuntur in ſua naturalitate, quòd ideo dico quia ſi aliqua pars ignis auferatur de ſphæra ignis & latera ignis non concurrant ad replendum illum locum, tunc aër accendetur, & ſic tunc ſequitur quòd aër exiſtens in ſuo proprio loco, habeat leuitatem actualem: quod quidem concedam ſtante hypotheſi, ne detur vacuum, ſed hoc non conuenit aëri vt aër, ſed ad fugiendum defectum naturæ, id eſt, vacuum. Hæc ſufficiant de ſecundo capite.

CAPVT III.

Num grauitas & leuitas ſint ſubſtantiales formæ his quibus attribuuntur.

CIrca caput tertium perſcrutandum eſt, vtrum grauitas & leuitas ſint formæ ſubſtantiales grauium & leuium, & ſine aliqua diſtinctione pono aliquas concluſiones.

Prima concluſio, Grauitas non eſt forma ſubſtantialis elementi grauis, idem intellige de leuitate, & probatur quadrupliciter, primò, grauitas & leuitas ſunt per ſe ſenſibiles ſecundum tactum, vt patet, ſed nulla forma ſubſtantialis eſt per ſe ſenſibilis, nec aliã ſubſtantia niſi per ſuas qualitates ſenſibiles, vt patet in ſecundo de Anima, remotis enim omnibus qualitatibus ſenſibilibus à pomo, non caderet ſubſtantia pomi ſub aliquo ſenſu. ergo grauitas & leuitas non ſunt formæ ſubſtantiales. Secundò ſubſtantia non eſt contraria ſubſtantiæ, vt dicitur in prædicamentis, ſed grauitas contrariatur leuitati. ſunt enim principia contrariorum motuum, ſcilicet ſurſum & deorſum. ergo grauitas & leuitas non ſunt formæ ſubſtantiales. Tertiò nulla ſubſtantia recipit magis & minus, ex libro prædicamentorum, ſed grauitas & leuitas recipiunt magis & minus, nam vna pars terræ eſt grauior altera, puta quando eſt magis condenſata: & vna pars aëris eſt leuior altera, puta quando eſt magis depurata. ergo non ſunt formæ ſubſtantiales. Quartò, manente eadem forma ſubſtantiali variatur grauitas & leuitas. ergo non ſunt formæ ſubſtantiales. conſequentia patet, quia forma ſubſtantialis conſiſtit in indiuiſibili, ſicut differentia ſpecifica. antecedens probatur. nam manente eodem fumo quando eſt calidus, eſt leuis & aſcendit: quando eſt refrigeratus, eſt grauis nec aſcendit, & tamen remanet eadem forma ſubſtantialis, ex quo remanet idem fumus numero.

Secunda concluſio, Grauitas & leuitas ſunt qualitates naturaliter poſteriores caliditate & frigiditate, humiditate, & ſiccitate. probatur, calefaciens primò intẽdit producere caliditatem, quoniam omne agens ſibi ſimile intendit, ad quam caliditatem conſequenter generatur grauitas vel leuitas, ſecundum quod exigit forma ſubſtantialis rei genitæ, ſimiliter frigefaciens primò intendit producere frigiditatem ad quam conſequitur grauitas vel leuitas, ſecundum quod materia eſt apta nata recipere alterum ipſorum, ſignum eſt ergo quòd leuitas & grauitas ſunt qualitates naturaliter poſteriores caliditate & frigiditate, humiditate, & ſiccitate.

Sed contra hanc ſecundam concluſionem videtur eſſe inſtantia talis, qualis eſt ordo inter motum localem & motum alterationis, talis videtur ordo inter principia horum motuum, ſed motus localis eſt prior motu alterationis & omni alia ſpecie motus, vt probatur in octauo phyſico. ergo grauitas & leuitas quæ ſunt principia motus localis ſunt qualitates priores caliditate & frigiditate quæ ſunt principia motus alterationis.

Ad hoc dicitur ꝙ motus localis eſt prior alteratione prioritate perfectionis, ſed non prioritate generationis, imò eſt vltimum ſecundum generationem. nam videmus in animalibus & in grauibus & in leuibus quod eſt neceſſe prius eſſe generationem animalis, quam etiã præcedit alteratio, vt dicitur in 6. phyſic. ante quam animal moueatur de loco ad locum, & eſt neceſſe prius generari ignem, quàm moueatur ſurſum, & quia hic loquimur de prioritate generationis quòd ſcilicet prius generantur caliditas & frigiditas quàm grauitas & leuitas. ideo negatur quòd motus localis eſt prior generatione quàm alteratio. ſi autem dicatur quòd eſt prior perfectione conceditur, ſed non eſt ad propoſitum concludendum.

CAPVT IIII.

Num ex grauitate & leuitate haberi poſsit, quatuor tantùm elementa eſſe.

CIrca caput quartum perſcrutandum eſt vtrum ex grauitate & leuitate poſsumus concludere eſſe quatuor elementa nec pauciora nec plura, & antequam probentur concluſiones, proponẽda ſunt aliqua: igitur præmito duo, primũ eſt quòd numerum elementorum poſſumus inueſtigare dupliciter, primò per combinationes compoſsibiles, quas conſtituunt caliditas & frigiditas, humiditas & ſiccitas. & ſic per has qualitates alteratiuas inueſtigabimus numerum elementorum in libro de generatione & corruptione. ſecundò poſſumus idem inueſtigare per numerum qualitatum motiuarum ſecundum locum quæ ſunt grauitas & leuitas. & ſic inueſtigatur in hoc quarto libro de cœlo: ſecundum eſt quod diximus in primo libro, quòd quilibet motus ſimplex eſt naturalis alicui corpori ſimplici ita quòd idem corpus non poteſt moueri duobus motibus ſimplicibus, nec idem motus ſimplex poteſt eſſe naturalis duobus corporibus ſimplicibus, ex quo ſequitur, quòd quot ſunt motus ſimplices recti diſtincti ſpecie, tot ſunt qualitates motiuæ quæ ſunt principia horum motuum ſimplicium, & tot erunt

corpo-

corpora ſimplicia mobilia motu recto & non plura, nec pauciora. Stantibus his pono quatuor concluſiones, tres quidem præuias, aliam autem reſponſiuam.

Prima concluſio, Ad ſaluandum omnes motus ſimplices rectos non ſufficit vna ſola qualitas motiua, vt exiſtens principiũ omnis motus ſimplicis recti. antequam probetur præmitto quòd ſenſu deprehendimus quatuor motus ſimplices rectos ſpecie diſtinctos, ſcilicet, motus ſimplex ad mediũ mundi, hic eſt motus terræ: & motus ſimplex à medio ſurſum, & hic eſt motus ignis: & motus ad locum vbi eſt aqua, id eſt, immediatè ſuper terram, & hic eſt motus aquæ, & motus ad locum vbi eſt aër, id eſt, immediatè ſub igne, & hic eſt motus aëris. hac declaratione facta, ſic probo concluſionem. Si eſſet tantùm vna qualitas motiua quæ eſſet principium horum quatuor motuum, ſequeretur quòd eadem qualitas naturalis inclinaret ad contraria loca, cùm videamus terram inclinari deorſum, & ignem ſurſum. Sed hoc eſt impoſsibile, quia omnis potentia naturalis eſt terminata ad vnum, ſicut calor terminatur ſolùm & per ſe ad calefaciendum & non ad infrigidandum. cùm ergo videamus terram & ignem inclinari ad contraria loca, ſequitur quòd eſt alia qualitas motiua in terra, & alia in igne.

Secunda concluſio, Ad ſaluandum quatuor motus ſimplices rectos diſtinctos ſpecie non ſufficiunt duæ qualitates motiuæ contrariæ, & probatur ſic, Si eſſent in elementis ſolùm duæ qualitates contrariæ, ſequeretur quòd non poſſemus ſaluare ea quæ apparent in elementis. nam ſint duæ qualitates contrariæ A, & B, & pono quod A inclinet deorſum, & B ſurſum, tunc quæro quare aqua eſt grauior aëre & magis inclinatur deorſum quàm aër. & non potes reſpondere niſi altero duorum modorum, primus eſt, quia aqua plus habet de A, quàm aër. ſecundus eſt quia proportio ipſius A ad B, eſt maior in aqua quàm in aëre. ſed nullus horum modorum ſufficit: non primus, quia magnus aër eſſet grauior parua aqua, nam plus de A, eſt in magno aëre quàm in parua aqua: nec ſecundus modus ſufficit, quia eſſent æquales gradus adinuicem in magna aqua & parua aqua, ſicut ſi aliquid ſit vniformiter tepidum, qualis eſt proportio caliditatis ad frigiditatem in toto, talis eſt in parte, vt ſi in toto eſſent quatuor gradus caliditatis & duo frigiditatis, tunc immediatè eſſent duo gradus caliditatis & vnus frigiditatis: ſed eadem eſt proportio quatuor ad duo & duorum ad vnum, nam vtrobique eſt dupla, & tamen apparet quòd omnia dicta conſequentia ſunt falſa. ergo falſum eſt quòd ſufficiant duæ qualitates contrariæ ad ſaluandum quatuor motus ſimplices in elementis.

Tertia concluſio, Ad ſaluandum quatuor motus ſimplices rectos ſufficiunt quatuor qualitates motiuæ, nec plures requiruntur. & probatur ſic, per has quatuor qualitates poſſumus ſaluare ea quæ apparent circa hos quatuor motus ſimplices. ergo illæ ſufficiunt. probatur antecedens, nam ſint hæ qualitates A, B, C, D: poſſumus dicere quod A inclinat ad medium mundi, & B inclinat ad locum ſurſum ſimpliciter, & C inclinat ad locum deorſum reſpectiuè, ſcilicet eſſe ſuper terram, & eſſe ſub aëre, & D inclinat ad locum reſpectiuè ſurſum, ſcilicet eſſe ſub igne & eſſe ſuper aquam immediatè. Item per has qualitates poſſumus ſaluare ea quæ apparent circa elementa, ex quibus pono quatuor.

Primò ſi quæratur, quare omnis aqua eſt omni aëre grauior, & omnis aër eſt omni aqua leuior: reſpondetur quòd hoc ideo eſt, quia omne B, quod eſt qualitas aquæ inclinat ad eſſe ſub aëre: & omne C, quod eſt qualitas aëris inclinat ad eſſe ſuper aquam, nam ſic ſe habent loca naturalia ad quæ inclinant.

Secundò ſi quæratur, quare magna aqua exiſtens in aëre eſt grauior parno globo terræ, cùm tamen paruus globus terræ ſit ſimpliciter grauis, aqua autem eſt ſolùm reſpectiuè grauis, vt dictum eſt ſuprà. reſpondetur quòd hoc ideo eſt, quia tam qualitas A, quæ eſt ipſius terræ, quàm qualitas B, quæ eſt ipſius aquæ, inclinant eſſe deorſum dum exiſtunt in aëre, & poſito quod eſſent æqualis magnitudinis, dico quòd vtraque qualitas inclinaret eſſe deorſum, ſed qualitas A, fortius inclinaret, quia terra eſt ſimpliciter grauis.

Tertiò, ſi quæratur in qua proportione terra eſt grauior aqua, reſpondetur quòd ſi terra & aqua exiſtant in aëre vel in igne, cùm vtraque inclinetur eſſe deorſum, & determinata velocitate licet non æquali, quòd habent aliquam proportionem adinuicem. Si autem aqua exiſtat in terra vel terra in aqua, nullam proportionem habent in grauitate, nam aqua exiſtens in terra nõ poteſt dici grauis, inclinaretur enim eſſe ſub terra. quod eſt falſum, imò inclinatur eſſe ſuper terram, & ideo poteſt dici leuis reſpectiuè, ſed nullo modo grauis reſpectu terræ. ſimiliter ſi terra ponatur in aqua, terra quidem dicetur grauis, quia inclinatur eſſe ſub aqua, ſed aqua exiſtens in loco ſuo naturali non poteſt dici grauis niſi habituali grauitate, vt diximus ſuprà: quia nullum elemẽtum exiſtens in loco ſuo naturali poteſt dici graue vel leue actu.

Quartò, ſi quæratur quare lignum & oleum in aqua ſunt leuia, ſed in aëre ſunt grauia, in aëre enim deſcendunt, ſed in aqua ſupernatant. reſpondetur, quòd ideo lignum ſupernatat in aqua, quia habet multum de aëre in ſeipſo propter poroſitates, intãtum quòd aër exiſtens in ligno ſi lignum ſit in aqua habet fortiorem tractum ſurſum quàm deorſum, & ideo facit ipſum aſcendere ad ſuperficiem aquæ: ſed in aëre, aër non haberet tractum ſupra ſe, nec infra. ſed terra traheret deorſum, & ideo lignum exiſtens in aëre deſcendit, ſimiliter de oleo in quo magis abundat aqua quàm aër, ſi eſt in fundo aquæ, aër trahit ipſum ad ſuperficiem aquæ. cùm aqua non trahat exiſtens in ſuo loco naturali, vt dictum eſt ſuperius, ſed ſi eſt in aëre, aqua trahit oleum deorſum, aër verò exiſtens in ſuo loco non trahit, quia in ſuo loco exiſtens non eſt grauis nec leuis actualiter, & ideo oleum deſcẽdit, & id totum prouenit ex dictis quatuor qualitatibus, ſcilicet A, B, C, D. per A, deſignatur grauitas terræ abſoluta, per D, deſignatur leuitas ignis abſoluta, per B, deſignatur grauitas aquæ reſpectiua, per C, deſignatur leuitas aëris reſpectiua.

Quarta concluſio reſponſiua, Per has qualitates quatuor motiuas poteſt concludi quòd quatuor ſunt elemẽta nec plura, nec pauciora. probatur ſic, quatuor ſunt qualitates motiuę quæ ſunt principia quatuor motuum ſimplicium, nec pauciores ſufficiunt, nec plures requiruntur per præcedentes concluſiones. ergo quatuor ſunt motus ſimplices recti diſtincti ſpecie. tunc vltrà, ſi quatuor ſunt motus ſimplices recti diſtincti ſpecie. ergo ſunt quatuor corpora mobilia ſimplicia iis quatuor motibus rectis ſimplicibus, & non poſſunt eſſe pauciora nec plura. nam dictum eſt in primo libro quòd vnus motus ſimplex eſt tantùm vnius corporis ſimplicis. ergo quot ſunt motus ſimplices recti diſtincti ſpecie, tot ſunt præciſè corpora ſimplicia mobilia iis motibus. cùm ergo quatuor ſint ij motus ſimplices. quatuor erunt corpora ſimplicia mobilia diſtincta ſpecie, & hæc corpora dicuntur quatuor elementa, ex quibus omnia inferiora mixta componuntur. ergo ſequitur quòd ex iis quatuor qualitatibus motiuis poſſumus concludere quatuor eſſe elementa præciſè.

Si autem quæratur quomodo iſti quatuor motus ſimplices diſtinguuntur ſpecie. dico quòd hoc contingit ex duobus. Primò quia qualitates motiuæ quæ ſunt principia formalia horum motuum diſtinguntur ſpecie, nam grauitas abſoluta terræ, & leuitas abſoluta ignis ſunt qualitates contrariæ, ergo diſtinctæ ſpecie: ſimiliter grauitas reſpectiua aquæ, & leuitas reſpectiua aëris ſunt contrariæ, licet non ita perfecta contrarietate ſicut duæ præcedentes, ergo quatuor motus recti ſimplices diſtinguntur ſpecie, quia cauſantur à quatuor principiis formalibus diſtinctis ſpecie & contrariis. Secundò hoc contingit ex locis ad quos ſunt ij quatuor motus, nam locus deorſum ſimpliciter ad quem mouetur terra, & locus ſurſum ſimpliciter ad quem mouetur ignis, ſunt contrarij & diſtincti ſpecie. ſimiliter locus deorſum reſpectiuè ad quem mouetur aër, ſunt contrarij, licet non perfectè, quia non maximè diſtant, & diſtincti ſunt ſpecie, qua neuter eorum poteſt eſſe locus naturalis aquæ & aëris ſimul. Quia ergo loca ad quæ ſunt prædicti quatuor motus ſimplices: diſtinguuntur ſpecie, non eſt mirum ſi quatuor motus ſimplices diſtinguuntur ſpecie: & per conſequens quatuor elementa mobilia iis quatuor motibus ſimplicibus diſtinguuntur ſpecie. hæc de præſenti tractatu ſufficiant. nunc ſupereſt quædam argumenta ſoluere.

Contra primum cap. probatur quòd terra non eſt grauis ſimpliciter, ſic, quod eſt graue ſimpliciter eſt graue in ſummo, ſed terra non eſt grauis in ſummo: ſicut calidum ſimpliciter vel abſolutè eſt calidũ in ſummo, nam ſumpta quacunque parte terræ, & comparata alteri parti, vel eſt maior, vel eſt minor, vel æqualis. ſi maior, ergo eſt grauior: ſi minor, ergo eſt minus grauis; ſi æqualis, ergo eſt æquè grauis. ergo terra non eſt grauis in ſummo. In ſummo enim non datur gradus, per conſequens terra non eſt grauis ſimpliciter: eodem modo poteſt argui de igne, quòd non ſit ſimpliciter leuis.

Ad hoc dicitur q̃ graue ſimpliciter dicitur tribus modis. Primò illud dicitur graue ſimpliciter quo nihil eſt grauius, & dicitur

& dicitur graue in ſummo. Secundò, dicitur illud graue ſimpliciter, cuius grauitati nullus gradus leuitatis eſt admixtus, ſic dicitur ignis calidus ſimpliciter, quia ſuo calori nullus gradus frigiditatis eſt admixtus. Tertiò dicitur illud graue ſimpliciter, quod eſt aptum natum deſcendere in quocunque trium elementorum ponatur. & ſic intelligimus quamlibet partem terræ eſſe grauem ſimpliciter, licet non ſit grauis ſimpliciter primo modo, vt argumentum probat. eodem modo diſtinguendum eſt de leuitate ſimpliciter reſpectu ignis, & ſic apparebit quomodo ſit leuis ſimpliciter.

Sed iterum inſtatur, probando quòd non quælibet pars terræ ſit grauis ſimpliciter tertio modo, nam corpora atoma, quæ videntur in radiis ſolaribus in aëre diſcurrentia, ſunt particulæ terræ & tamen non deſcendunt. ergo non quælibet pars terræ eſt grauis ſimpliciter tertio modo.

Reſpõdetur quòd vtiq; tales particulæ ſunt aptæ natæ deſcendere, ſed quòd non deſcendant, ratio eſt, quia ex ſua paruitate non poſſunt diuidere aërem exiſtentem ſub eis, & ideo in aëre detinentur, non quidem naturaliter, ſed violenter.

Contra ſecundum. Contra ſecundum caput probatur quòd elementum exiſtens in loco ſuo naturali eſt graue actu vel leue, ſic, ſi aliquis conatur eleuare partem terræ exiſtentem in loco ſuo naturali, terra reſiſtit eleuanti ex ſua ponderoſitate. ergo habet grauitatem actu.

Ad hoc dicitur quòd quando quis conatur extrahere terram ex loco ſuo illa grauitas habitualis fit actualis, vt reſiſtat violentanti, vnde dico quòd terra eſt actu grauis quoties detinetur extra locum ſuum vel abſtrahitur à loco ſuo per violentiam, ex hoc tamen non ſequitur quòd terra in ſe præciſè conſiderata exiſtens in loco ſuo ſit actu grauis.

Præterea ſi fiat foramen in terra, aqua quæ prius exiſtebat in loco ſuo deſcendit ad replendum foramen. ergo aqua exiſtens in loco ſuo eſt actu grauis.

Ad hoc dico quòd ſitus proprius aquæ eſt eſſe ſuper terram immediatè, vnde quando fit foramen per ſubtractionem terræ, aqua deſinit eſſe in ſuo ſitu naturali, & ideo deſcendit ad fundum foraminis, vt ſit immediatè ſuper terram. vnde ad argumentum dico quòd facto foramine in terra ſuper quam eſt aqua, aqua ſit actu grauis. quia deſinit eſſe in loco ſuo naturali.

Contra tertium. Contra tertium caput probatur quòd grauitas & leuitas ſunt formæ ſubſtantiales grauium & leuium, ſic, grauitas & leuitas ſunt principium intrinſecum motus & quietis in re graui & leui, ergo ſunt natura, ſi ſunt natura, certum eſt quòd non ſunt materia. ergo ſunt forma rei, certum eſt enim ex ſecundo Phyſicorum quòd natura non dicitur niſi de materia & forma rei naturalis.

Ad hoc dicitur, quòd diffinitio naturæ non competit omni principio intrinſeco motus & quietis, ſed ſolùm principio primo, quod eſt forma rei. & quia grauitas & leuitas non ſunt prima principia motus grauium & leuium, ſed ſolùm vt inſtrumẽta, vt dicemus in tractatu ſequenti. Ideo nego quòd grauitas & leuitas licet ſint formæ accidentales quòd ſint propriè natura.

Contra quartum. Contra quartum caput, probatur quòd poſſunt eſſe plura elementa quàm quatuor ſic, inter duo contraria non inconuenit dari plura media quàm duo, ſicut patet quòd inter albedinem & nigredinem dantur plures colores medij: ſed grauitas ſimpliciter terræ, & leuitas ſimpliciter ignis ſunt duo contraria extrema, vt ab omnibus conceditur. ergo non inconuenit inter eas dari pluſquã duas qualitates motiuas medias, & per conſequens dari pluſquam quatuor elementa.

Ad hoc dicitur quòd maior eſt vera, ſolùm quando media componuntur ex extremis, & non ſunt qualitates ſimplices, vt patet de coloribus mediis in quibus ſeruantur aliqui gradus albedinis & aliqui gradus nigredinis. Quando autem media ſunt qualitates ſimplices & non componuntur ex extremis, dico maiorem eſſe falſam: ſic eſt in propoſito, nam grauitas aquæ non eſt qualitas compoſita ex grauitate terræ & leuitate ignis, ſed eſt qualitas ſimplex, qua aqua eſt apta nata eſſe ſuper terram & eſſe ſub aëre. idem dico de leuitate aëris quòd eſt forma ſimplex, qua aër eſt aptus natus eſſe ſuper aquam & eſſe ſub igne.

Si autem quæratur, quare dicantur qualitates motiuæ mediæ ſi non cõponũtur ex extremis, dico quòd dicuntur qualitates motiuæ mediæ, quia ſunt principia mouẽdi ad loca media, quæ ſunt locus aquæ & aëris, ſicut dicuntur grauitas terræ & leuitas ignis qualitates extremæ, quia ſunt principium mouendi ad loca extrema, quæ ſunt centrum mundi & concauum orbis lunæ. Hæc ſufficiant pro præſenti tractatu.

TRACTATVS SECVNDVS ſuper tertio & quarto libro de Cœlo de Motibus & Figura elementorum, in quatuor capita diuiſus.

TRactatum ſecũdum ſuper tertio & quarto libro, In quo agendum eſt de motu & Figura elementorum, diuidimus in quatuor capita.

In primo perquirendum eſt à quo mouean tur effectiuè grauia & leuia.

In ſecundo quæritur ſi grauia & leuia non impedita moueantur naturaliter per lineas breuiſsimas.

In tertio quæritur ſi aër mouetur in proiectione lapidis vel alterius proiecti.

In quarto quæritur, ſi elementa habent ſecundum ſe aliquam figuram ſibi naturalẽ, puta circulare vel rectilineam.

CAPVT I.

Grauia & leuia à quo effectiuè moueantur.

CIrca primum caput inquirendum eſt à quo moueantur effectiuè grauia & leuia, & ibi dicam tres concluſiones, quarum prima hæc eſt, Licet loca naturalia ſint cauſa finalis & conſeruatiua grauium & leuium, tamen non ſunt mouentia effectiuè grauia & leuia. prima pars probatur, nam graue & leue naturaliter appetit eſſe in ſuo loco naturali & ibi conſeruatur, vt ignis ſurſum, & terra deorſum. ergo vt finem ſuum, & conſeruatiuum ex virtute cœli vt diximus in quarto phyſi. grauia & leuia ſibi conſtituunt loca naturalia. ſecunda pars ſic probatur, mouens effectiuè debet eſſe ſimul cum moto ex ſeptimo phyſico. ſed locus naturalis non eſt ſimul cum graui quando mouetur ad locum ſuum. Quando enim eſt lapis in loco ſuo naturali quieſcit in eo, quando autem non eſt in ſuo loco, mouetur ad ipſum ſi non eſt impeditus. ergo graue & leue non mouentur naturaliter & effectiuè à ſuis locis naturalibus.

Secunda concluſio, Graue & leue mouentur principaliter effectiuè à ſuo generante, ſiue illud ſit cœlum, ſiue planeta, ſiue aër. probatur ſic, qui dat formam rei graui dat effectiuè ea quæ cõſequuntur ad formam, vt qui dat formam homini dat eſſe riſibile & ridere ipſi homini. ſed generans dat formam rei graui, puta cœlum, vel planeta ſuo influxu cauſans lapidem dat formã lapidi. ergo & qualitates lapidis, ſcilicet duritiẽ & grauitatẽ & motũ, ſcilicet moueri deorſum.

Tertia concluſio, Graue & leue non mouentur effectiuè à ſuis formis ſubſtantialibus. probatur, omne quod mouetur à ſua forma ſubſtantiali mouet ſeipſum, quia omne tale habet in ſeipſo principium actiuum ſui motus: ſed graue & leue non mouet ſeipſum (omne enim mouens ſeipſum eſt animatum, ex octauo phyſicorum) ergo, &c. quòd ſi quæratur vtrum grauitas & leuitas poſſint dici principia actiua intrinſeca motuum in graui & leui: Reſpondeo ſecundum doctrinam quam communiter Thomiſtæ ſequuntur, quòd ſecundum diuerſam rationem poſſunt dici principia actiua & paſsiua. vnde aduerte quòd vnumquodque mobile proprio motu mouetur per aliquam qualitatem ſibi inhærentem quæ eſt ſicut principium paſsiuum ſui motus, cuiuſmodi eſt grauitas & leuitas in motu locali, iis etiam qualitatibus ineſt virtus ſuæ actus generantis ad motum localẽ, vnde eſt q̃ quãdoque hæ qualitates dicuntur principia actiua motus, inquantũ, ſcilicet ſunt inſtrumenta generãtis, quod eſt mouens primũ & principale grauiũ & leuiũ, quandoque verò principia paſsiua dicuntur, quia ſcilicet ſunt effectus generantis. effectus enim inquantum huiuſmodi habent rationem paſsiui, quia per paſsionem ſubiecti efficitur de quo educitur. quædam enim agentia non ſolùm proprios effectus cauſant, ſed ſimul etiam ſua inſtrumenta, & generans ignem non ſolùm cauſat motum cuius, ſed ad motum cuius facit leue in igne, vnde leue quandoque actiuam quandoque paſsiuam principium motus dicitur, &c.

Quòd ſi iterum quæratur quando generans eſſet corruptum, quæro à quo moueantur graue & leue, ſi non moueantur à ſua forma ſubſtantiali. Reſpondet Bea. Tho. in quæſtione de potentia Dei. q. 3. articulo 11. vbi dicit quòd mobile tandiu mouetur à principali agente, quandiu tenet virtutem ſibi impreſſam à principali agente, vnde ſagitta tandiu mouetur à ſagittante, quandiu manet vis impulſus ſagittantis. ſimiliter in ſemine dicitur, nam ſemen tandiu intelligitur moueri ab anima generantis, quandiu remanet virtus impreſſa ab anima generantis, ſic in oppoſito

tand

tandiu dicitur graue moueri à generante. quandiu remanet virtus impressa à generante in ipso graui. hæc autem virtus semper remanet in ipso graui, quoniam cõsequitur formam substantialem rei grauis, vnde dato casu quòd generans esset corruptum secundum se virtualiter, tamen remanet in ipso graui, & sic dicitur moueri à generante, siue formaliter ipso, scilicet existente in rerum natura, vel virtualiter propter suam virtutem impressam in re graui.

Et nota, quòd prædictæ conclusiones semper intelliguntur de mouente per se, nam mouens per accidens non est generans, sed remouens obstaculum, quod quidem dicitur mouens per accidens, quoniam remouens obstaculum non dat aliquam virtutem graui, qua moueatur, sed solùm remouet impedimentum, quo remoto, per virtutem sibi impressam à generante mouetur deorsum. sicut remouens tabulam super quam sit lapis non dat virtutem lapidi, sed lapis ex sua grauitate intrinseca sibi impressa à generante mouetur deorsum.

Hæc quæstio propter varias opiniones est difficilis, quoniam aliqui tenent, vt Gregorius. & Scotus, & Albertus de Saxonia, quòd graue mouetur per se, & effectiuè à sua forma substantiali, vt à mouente proximo, & immediato, à generante verò, vt à mouente primo & vniuersali; B. Tho. verò tenet in Octauo Physicorũ, quòd mouentur effectiuè per se immediatè, & proximè à suo generante. forma verò substantialis rei grauis, puta forma lapidis, est solùm principium formale sui motus, & grauitas est causa instrumentalis in motu lapidis, verum quia solùm epitomen nunc instituo, non expedit singulas opiniones exactè persequi, sed id seruatur particulari proposito, in quo sequemur amplissimam doctrinam Ioannis Caprioli defensoris B. Thomæ in secundo sententiarum, distinctione sexta, quæst. 1.

CAPVT II.

Num graue & leue moueantur ad loca sua per lineas rectas.

CIrca caput secundum perscrutatur, vtrum graue & leue naturaliter moueantur ad loca sua per lineas breuissimas. quæ dicuntur esse lineæ rectæ. Ibi est duplex opinio.

Prima dicit, quòd grauia & leuia mouentur per breuissimas lineas, quando possunt & non sunt impedita: si autem impediuntur tunc mutant appetitum descendendi per lineas breuissimas, & descendunt per lineas obliquas, per quas tũc saltem grauia fiunt propinquiora centro, sed hæc opinio non valet ex eo, quod si appetitus formæ rei grauis ita mutaretur, tunc forma grauis esset cognoscitiua, quod est falsum. nam sic mutare appetitum est proprium naturarum cognoscitiuarum, & quæ ex cognitione operantur.

Secunda opinio dicit, quòd graue appetit descendere magis per lineam rectam, quàm per obliquam: sed quòd descendat per hanc lineam, & non per illam, hoc est secundũ quod applicatur tali, vel tali resistentiæ, ita quòd ex applicatione alia, & alia ipsius grauis ad medium extrinsecum determinatur, quòd per talem vel talem lineam descendat. & huius ratio est, nam si aliquando plus appeteret descẽdere per vnam lineam, & aliquando plus per aliam, oporteret concedere suum appetitum intrinsecè mutari, & sic forma rei grauis esset forma cognoscitiua, quod est absurdum dicere,

Sed diceret aliquis, videtur instantia circa hoc esse, nam quando graue descendit per lineam rectam cum difficultate maiori impeditur eius descensus, quàm quando descendit per lineam obliquam, ergo signum est, quòd magis appetit descendere per lineam rectam, quàm per obliquam,

Ad hoc dico, quòd quando graue descendit per lineam rectam, difficiljus impeditur, quàm quando descendit per lineam obliquam, non quia habet maiorem appetitum descendendi per rectam, quàm per obliquam, sed quia quando descendit per lineam rectam minorem habet resistentiam,

CAPVT III.

An in lapidis proiectione in aëre, aër moueatur.

CIrca caput tertium dubitatur, si dum ab aliquo proiicitur lapis, aër in tali proiectione moueatur, & à quo mouetur lapis. de hoc sunt tres opiniones.

Prima opinio dicit, quòd proiectum postquam exiit à manu proiicientis mouetur ab aëre insequente ipsum proiectum, vnde hæc opinio imaginatur, quòd quando proiectum exit velociter à loco, in quo prius erat natura, abhorrens vacuum, velociter mittit aërem ad repellendum locum, qui quidem aër velociter sequens attingit proiectum, & ipsum vltrà pellit.

Sed hæc opinio est insufficiens, nam licet aër insequatur proiectum, ne fiat vacuum, tamen ille aër insequens non videtur esse causa motus in ipso proiecto, nam ille aër quando insequeretur proiectum, & attingeret ipsum, cùm sit facillimè diuisibilis, & proiectum non, latera aëris diuiderentur abinuicem, & sic aër diuisus non vltrà impelleret proiectum, & sic statim proiectum desineret moueri. quod est falsum ad sensum.

Secunda opinio dicit, quòd manus impellens proiectum impellit etiam aërem. sed adhuc dubium remanet, à quo moueatur ille aër, postquam manus proiicientis cessat mouere, & impellere ipsum, & sic tanta dubitatio remanet à quo moueatur ille aër, postquam distat à manu proiicientis sicut dubitatur, à quo moueatur proiectum.

Tertia opinio, quæ est B. Tho. & verior, dicit quòd proiectum postquam exiit à manu proiicientis mouetur à quadam vi, vel impetu sibi impresso ab ipso proiiciente, & quando illa virtus sibi impressa paulatim remittitur vsque ad nonum gradum, tunc proiectum desinit moueri. sufficientia huius opinionis manifestatur ex hoc, quòd per ipsam omnia apparentia saluantur in motu proiectionis, nam si quæratur quare proiiciens velocius proiicit, & ad maiorem distantiam lapidem, quàm plumam.

Respondetur hoc esse, quia in lapide partes sunt magis condensatæ, quàm in pluma, sicut & ferrum dum ignitur, intensius recipit calorem ignis, quàm palea.

Item si quæratur, quare lancea cum ferro in summitate intensius perforat tabulam, quàm solum ferrum, si non apponatur in summitate lanceæ.

Respondetur hoc esse, quia in lancea plus recipitur de impetu proiicientis, quàm in solo ferro.

Item si quæratur, quare rota figuli diu rotatur, etiam figulo non impellente eam. Respondetur id esse, quia virtus impressa à figulo non definit secundum se totam in vna rotatione, sed perseuerat per aliquod tempus, & ideo pluries rotatur etiam figulo non tangente illam.

Ex hoc ergo, quòd facilè saluamus ea, quæ apparent in motu proiectionis, signum est quòd hæc opinio est sufficiens, & verior.

Verùm quia in motu proiectionis est necesse aërem moueri, vt cedat proiecto dum mouetur, & ne detur vacuum, vt repleat locum, quem proiectum prius occupabat: merito dubitatur, an talis motus aëris sit aëri naturalis, an violentus, & huic dubio respondetur duabus conclusionibus.

Prima conclusio, In proiectione lapidis motus aëris præcedentis proiectum, vel qui cedit ipsi proiecto est violentus, probatur, condensatio aëris vltra suam naturalem densitatem est sibi violenta, sed in tali motu talis aër præcedens condensatur vltra suam naturalem densitatem, nisi enim condensaretur non cederet proiecto. ergo motus aëris sic condensati est violentus.

Secunda conclusio, Motus aëris insequentis proiectum est aëri naturalis. probatur, hic motus est à naturali inclinatione ipsius aëris, qua mouetur post proiectum, ne detur vacuum. cùm ergo hic motus insit aëri à principio intrinseco formali, sequitur quòd ei insit naturalis,

Sed contra hanc conclusionem datur talis instantia. Si motus aëris insequentis proiectum est aëri naturalis, sequitur quòd aër moueatur duplici motu sibi naturali. nam motu naturali mouetur aër ad suum locum naturalem, sicut alia corpora simplicia, vt dictum est in tractatu præcedenti: & secundum te mouetur motu naturali insequens proiectum. ergo aër habet duos motus naturales. quòd tamen est contra dicta in primo libro, vbi diximus quòd vnius corporis naturalis est tantùm vnus motus naturalis.

Ad hoc dicitur, quòd alicui corpori naturali inesse duos motus naturales potest intelligi dupliciter. Primò quòd eidem corpori insint duo motus naturales secundum propriam naturam illius corporis. vt si imaginaremur, quòd igni secundum propriam naturam ignis, competeret moueri rectè, & circulariter, sic dico quod est impossibile inesse eidem corpori naturali, duos motus naturales. & in hoc sensu propositum probatum est in primo cœli. Secundò quòd eidem corpori insint duo motus naturales, vnus secundum naturam propriam, alius secundum naturam communem. & voco secundum naturam communem illam inclinationem, quæ communiter est in omnibus corporibus naturalibus simplicibus, qua inclinantur ad motum talem, ne detur vacuum. nam non solùm aër mouetur ad remouendum vacuum. sed & alia elementa, imò etiam cœlum potius descenderet, quàm pateretur vacuum. & sic dico quod non est inconueniens eidem corpori naturali assignari duos motus naturales, vnde aër mouetur secundum propriam suam naturam naturaliter ad locum suum, sed secundum inclinationem communem, quæ etiam est in aliis corporibus simplicibus mouetur naturaliter, ne detur vacuum.

Vel dicendum est, quòd eidem corpori non conueniunt duo motus naturales, proprij ipsi soli corpori, sed bene possunt conuenire eidem corpori vnus motus naturalis sibi proprius, & alius motus naturalis communis sibi & aliis, in quantum habent talem inclinationem communem sibi inditam ad fugiendum vacuum.

CAPVT IIII.

Num elementis aliqua figura conueniat.

CIrca caput quartum inuestigandum est, vtrum elementis conueniat aliqua figura secundum naturam, vel non. & dimissis opinionibus antiquorum, quas recitat Philosophus in quarto cœli, in hoc capite faciam duo. primò ponam vnam distinctionem, secundò duas conclusiones.

Distinctio est hæc, figura potest competere alicui dupliciter. primò ex sua forma substantiali, & quia est talis speciei, puta figura hominis competit ei ex sua forma, id est, anima, & quia est talis naturæ, vel speciei, & hæc figura competit equo ex sua forma, ita quòd non posset mutari in aliam formam sine violentia, & corruptione. Secundò alicui competit figura non quidem ex sua forma, sed ex suo continente, quod est talis, vel talis figuræ, cui & ipsum contentum commensuratur, vt puta quia circunscribitur à continente, licet ex se ipso non habeat talem figuram, vel quia mouetur tali motu ad quem sequitur ipsum mobile figurari tali, vel tali figura: vt puta quia omnes terræ partes affectant propinquare centro, causant in tota terra figuram sphæricam, vt diximus secundo libro, tractatu vltimo. Ex hac distinctione pono duas conclusiones.

Prima conclusio, Nullum elementum habet aliquam figuram sibi naturalem, & conuenientem ei ex sua forma substantiali. probatur, si haberet talem figuram, ergo esset inseparabilis ab elementis, naturalia enim inseparabilia sunt, sed consequens est falsum, nam in homogeneis idem est iudicium de toto & partibus, cùm sint eiusdem naturæ, sed partes elementorum non habent aliquam figuram inseparabilem ab eis, nam pars terræ potest figurari modò triangulariter, modò quadrangulariter, tamen semper remanet eadem substantia terræ, vt patet ad sensum: similiter pars aquæ, & aëris, & ignis, quia non terminantur suis propriis terminis, varias recipiunt figuras, secundum quod commensuratur continentibus diuersimodè figuratis. ergo & tota aqua, & totus aër, & totus ignis ex natura sua non determinant sibi aliquam figuram ab eis inseparabilem.

Secunda conclusio, Elementa ex suis continentibus, quibus circunscribuntur, habent determinatam figuram, & ex motu suo naturali. probatur, cœlum est sphæricum, vt probatum est suprà, & continet elementum ignis. ergo ignis vt continetur à sphærico debet habere figuram sphæricam, alioquin non secundum omnem partem circunscriberetur à cœlo, & sic daretur vacuum, similiter ignis sphæricus continet aërem, ergo debet esse sphæricus, similiter aër continet aquam, & aqua terram. ergo omnia debent esse sphærica, vel tendere ad sphæricitatem. ex hoc sequitur, quòd si cœlum esset quadratum, ignis haberet ex cœlo continente figuram quadratam, sicut si cyathus est quadratus, aqua existens in eo recipit figuram quadratam.

Dico secundò, quòd elementa ex motu suo naturali habent determinatam figuram, vt patet in igne existente in his inferioribus, quoniam habet motum sursum, si non est impeditus semper apparet in eo figura pyramidalis. similiter quoniam omnes partes terræ tendunt ad centrum, ideo causatur in terra figura rotunda. Ex his ergo patet, quòd elementa ex sui natura nullam habent figuram, sed eam recipiunt à suis continentibus, vel propriis motibus. Superest nunc soluere aliqua argumenta.

Contra primum caput, probatur quòd graue non mouetur à generante, sic, omnis motus naturalis est à principio intrinseco. In hoc enim distinguitur naturale à violento, sed motus grauis est ei naturalis. puta descendere. ergo est à principio intrinseco ipsi graui, & non à generante, quod est extra ipsum graue.

Ad hoc dico, quòd principium motus est duplex, scilicet, effectiuum, & formale. ad hoc quòd motus grauis sit naturalis, sufficit quòd graue habeat in se principium intrinsecum formale, quod est forma substantialis ipsius grauis, non autem est necesse, quòd principium effectiuum sit intrinsecum graui ad hoc, quòd suus motus sit naturalis.

Præterea mouens, & motum debent esse simul, sed generans graue, & ipsum graue, dum mouentur non sunt simul. nam potest planeta suo influxu generare lapidem in aëre, & certum est quòd planeta, & lapis genitus non sunt simul, nec se tangunt. ergo graue non mouetur à suo generante.

Ad hoc dicitur, quòd maior habet veritatem solùm de mouente proximo, negatio autem quòd planeta sit mouens, & generans proximum ipsius grauis: imò generans proximum est aër, virtute tamen cœli, & planetarum. modò dico quòd aër generans, & lapis genitus in aëre sunt simul, saltem in principio motus, in toto autem motu generans est simul per virtutem impressam in ipso graui.

Præterea motus naturalis rei grauis in fine intenditur. ergo est à principio effectiuo intrinseco, & non à generante extrinseco. probatur consequentia. motus naturalis, & violentus sunt oppositi, ergo principium effectiuum motus naturalis est intrinsecum mobili, & principium effectiuum motus violenti est extrinsecum.

Ad hoc dicitur, quòd motus naturalis, & violentus non sunt oppositi ratione principij motiui effectiui, sed ratione principij formalis. nam dum mobile mouetur motu naturali habet inclinationem intrinsecam naturalem ad talem motum: dum autem mouetur violenter, non habet inclinationem naturalem intrinsecam ad talem motum, imò inclinatur in oppositum. quare autem motus naturalis intendatur in fine non est ex extrinseco principio effectiuo, sed ex principio instrumentali, quæ est grauitas, vel leuitas, quæ vigorantur in fine motus propter accessum ad locum sibi consequentialem, qui est finis motus, & quasi completiuum dispositionis naturalis ipsius mobilis.

Contra secundum caput probatur, quòd graue non appetit descendere per lineas breuissimas. nam eadem ratione & leuia appeterent ascendere per lineas breuissimas: sed hoc est falsum, & impossibile; nam detur casus, quòd sit lapis super sphæram ignis. certum est quòd sicut lapis naturaliter appetit esse sub igne, ita ignis naturaliter appetit esse supra lapidem. ergo si lapis per lineam breuissimam, quæ est recta, appetit descendere, eadem ratione & ignis per eandem lineam appetit ascendere. sed hic appetitus erit frustra, quoniam se mutuo impedirent, si per eandem lineam oppositis motibus mouerentur.

Ad hoc dicitur, quòd negatur consequentia, scilicet, si terra appetit descendere per lineam breuissimam. ergo & ignis ascendere appetit, &c. Nam, quia ignis impediretur à terra descendente, ideo propter resistentiam extrinsecam determinatur ad ascendendum per lineam obliquam, per quam minorem sustinebit resistentiam, eo quòd non obuiabit lapidi descendenti.

Contra tertium caput probatur, quòd nullo modo aër, qui mouetur ad motum proiecti mouetur naturaliter sic, si mouetur aër naturaliter in motu proiectionis. ergo eadem ratione ipsum proiectum mouetur naturaliter, quod tamen est falsum. patet enim quòd quando lapis mouetur sursum à proiiciente, quòd ille motus est violentus, & contra naturam lapidis, consequentia verò sic probatur, sicut proiectum impellitur à proiiciente, ita aër qui mouetur ad motum ipsius proiecti. ergo qua ratione hic motus aëris est naturalis, eadem ratione & motus proiecti aëris naturalis.

Ad hoc dicitur, quòd, vt dixi in tertio capite, non omnis pars aëris quæ mouetur in proiectione alicuius proiecti mouetur naturaliter, sed solùm pars aëris insequens proiectum, quæ ideo mouetur, ne detur vacuum. sed argumentum probat de parte aëris præcedentis proiectum, de qua, vt diximus, concedo quòd non mouetur naturaliter, sicut nec proiectum, & ideo argumentum nihil concludit. si autem argumentum procedat de parte aëris insequentis, nego quòd impellatur sicut & proiectum, imò mouetur ex naturali inclinatione communi ad supplendum, ne detur vacuum, quod etiam est commune cuilibet elemento, vt diximus.

Contra caput quartum probatur, quòd elementis secundum naturam suam conueniat aliqua figura sic, omne finitum continuum est figuratum, figura enim finit, & terminat: sed elementa sunt finita secundum continuitatem, & magnitudinem suam, vt probatum est in primo libro. ergo videntur secundum naturam suam esse figurata.

Ad hoc dicitur, quòd non est necesse omne finitum esse figuratum figura sibi competenti secundum naturam suam, sed sufficit hanc disiunctiuam esse veram, omne finitum est figurat

figuratum figura sibi propria, vel figura, quam recipit ex suo continente, cui commensuratur: sed hoc accidit in elementis, vt diximus in quarto capite.

Præterea guttæ aquæ, vt patet in rore, naturaliter sunt rotundę. ergo & tota aqua naturaliter est rotunda. probatur consequentia, quia in homogeneis idem est iudicium de toto, & de partibus.

Ad hoc dicitur, quod illa figura non inest guttis aquæ ex sua forma, sed vt magis possint resistere corrumpenti, in figura enim sphærica partes sunt magis vnitæ, & ideo hæc figura est aptior, qua resistatur corrumpenti. nec hoc solùm competit aquæ, sed & omnibus liquidis, vt patet in guttis metalli liquefacti, & in argento viuo, & in guttis vini. non ergo ex hac communi dispositione, quæ reperitur in omnibus liquidis, potest concludi naturalis figura aquæ.

Præterea, philosophus in secundo libro probauit aquam esse sphæricam, ex hoc quòd si non esset sphærica, partes suæ superficiales non æqualiter distarent à centro mundi, ergo aqua secundum naturam suam habet aliquam figuram.

Ad hoc dicitur, quòd talis figura non conuenit aquæ ex sua forma substantiali, sed propter locum & distantiam eius à centro mundi, & sic propter aliquod extrinsecum. locus enim est extrinsecus à locato, vnde non sequitur aquam esse figuratam ex seipsa, & ex suis principiis intrinsecis.

Præterea, probatum est in secundo terram esse rotundam. ergo secundum naturam suam habet aliquam figuram.

Ad hoc negatur consequentia. dictum est enim in quarto capite, quòd terra ideò habet figuram sphæricam, quia partes suæ appetentes centrum mundi, & se comprimentes circa centrum, causant figuram sphæricam: hæc ergo figura conuenit terræ non ex sua forma substantiali, sed ex motu suo, & ex loco, ad quem naturaliter tendit. hæc sufficiant.

Numerus tractatuum super libris de Cœlo.

Primi libri.

Primus tractatus de perfectione mundi.
Secundus tractatus de finitate mundi.
Tertius tractatus de vnitate mundi.
Quartus tractatus de ingeneratione mundi.

Secundi libri.

Primus tractatus de differentiis localibus, numero, figura, & motu cœlorum.
Secundus tractatus de astris.
Tertius tractatus de terra vt centro mundi.

Tertij & quarti libri.

Primus tractatus de qualitatibus motiuis, secundum locum in elementis.
Secundus tractatus de motibus, & figura elementorum.

Tabula super libris de generat. & corruptione.

Tractatus primus habet quatuor capita.

1 Quid sit subiectum in hoc libro.
2 Quid senserint philosophi veteres de generatione, & corruptione rerum, eorúmque opiniones improbantur.
3 Declaratur secundum viam philosophi, vtrum sit possibile aliquid generari, & corrumpi simpliciter.
4 Soluuntur quædam argumenta, & dubia.

Tractatus secundus habet tria capita.

1 Quomodo differt generatio ab alteratione, & corruptione simplici.
2 Quomodo differt augmentum à generatione, & corrupt.
3 Declarantur quædam dubia circa modum augmenti, & decrementi.

Tractatus tertius habet tria capita.

1 Quotuplex est tactus, & quis est ille tactus qui requiritur in actione, & passione, vel quomodo secundum philosophum agens naturale, & patiens se tangunt.
2 De agere, & pati.
3 De mixtione.

Tractatus primus super secundo habet 4. capit.

1 De numero qualitatum primarum elementorum, quæ sunt actiuæ, & passiuæ, & secundum quas fit primò alteratio, & corruptio in elementis, & elementatis.
2 Declaratur quomodo inter eas duæ sunt actiuæ, & duæ passiuæ.
3 Probatur ex numero harum qualitatum esse quatuor elementa, nec plura, nec pauciora.
4 Declaratur, quomodo elementa non solùm ex seinuicem alterantur, sed ex seinuicem generantur, & corrumpuntur.

Tractatus secundus habet quatuor capita.

1 Declaratur quomodo mixtum generatur ex elementis distinctis ab eis, vt resultas ex mixtione eorum adinuicem.
2 Quomodo elementa componentia mixtum remaneant in eo post mixtionem, an actu, an virtute.
3 Declaratur, an formæ substantiales elementorum remaneant in gradibus remissis in mixto, ita quòd prædictæ formæ possint intendi, & remitti.
4 Declaratur an illæ qualitates, quæ sunt in elementis remaneant eædem numero in mixto.

Tractatus tertius super secundo habet 4. capit.

1 De numero causarum, ac principiorum generationis, & corruptionis in rebus materialibus, tam simplicibus, vt sunt elementa, quàm mixtis.
2 De causa efficiente naturalium, secundum Platonem.
3 De causa efficiente perpetuæ generationis, secundũ Arist.
4 Soluuntur tria dubia orta ex dictis Aristotelis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

EPITOME IN LIBROS DE GENEratione, & Corruptione in tres tractatus diuisa.

SVper primo libro de generatione, & corruptione formantur tres tractatus.

Primus est de generatione, & corruptione simpliciter, & absoluté.

Secundus est de differentia inter generationem, & corruptionem, & alterationem, & alias species.

Tertius est de tactu, & actione, & passione, & mixtione. Hæc enim necessariò requiruntur ad generationem, & corruptionem elementorum, & rerum mixtarum, vt declarabimus in his tribus tracta. continetur tota intentio philosophi in primo libro de generatione.

TRACTATVS PRIMVS super primum librum in quatuor capita diuisus.

TRactatum primum diuidimus in quatuor capita.

In primo declarabitur, quid sit subiectum in hoc libro.

In secundo declarabitur, quid senserint philosophi veteres de generatione, & corruptione rerum, eorúmque opiniones improbantur.

In tertio declarabitur secundum viam philosophi, vtrum sit possibile aliquid generari, & corrumpi simpliciter.

In quarto soluentur quædam dubia.

CAPVT I.

Quod sit subiectum huius libri.

CIrca caput primum tria pertractabo. primò ponam conclusionem responsuam, & declarabo. secundò probabitur. tertiò ponam quoddam corollarium.

Conclusio hæc est. Ens mobile, vel mutabile ad formam in communi est subiectum adæquatum in libro de generatione, & corruptione. hæc sic declaratur, vt patet in libro 8. physico, motus quo acquiritur aliqua forma in re mobili, quinque sunt species, scilicet, generatio, & corruptio quę propriè dicuntur mutatio, vt patet ibidem. & per eas acquiritur forma substantialis: augmentum, & decrementum, & per ea acquiritur in mobili forma accidentalis, quæ est quantitas, alteratio per quam acquiritur in mobili, forma accidentalis, quæ est qualitas. per motum autem localem nulla forma acquiritur in mobili, quoniam vt patet in primo de cœlo, & octauo physic. terminatur ad locum, qui non est subiectum in re

in re mobili locata, sed in locante, vt patet in quarto Physico. propterea inquit Philosophus in octauo Physicor, quòd motus localis nihil mutat de substantia mobilis, quia per ipsum nulla forma acquiritur, nec introducitur in mobili. de mobili igitur secundum illas species quinque motus, quibus aliqua forma, siue substantialis, siue accidentalis acquiritur in re mobili, tractatur in hoc libro. vnde non solùm tractatur de generatione, & corruptione, quæ terminãtur ad formam substantialem, sed & de augmento, & decremento, & de alteratione. & propterea dixi in conclusione, mobile ad formam in communi, id est non solùm ad substantialem, sed etiam accidentalem, non determinando in particulari, quæ sit illa. Dixi autem subiectum adæquatum, quoniam subiectum principale, vel speciale potest dici ens mobile ad formam substantialem. ibi enim principaliter agitur de generatione substantiali, secundariò de augmento, & decremento, & de alteratione.

Secundò stante hac declaratione, sic probatur conclusio. Omnia, quę tractãtur in hoc libro considerantur sub hac ratione inquantum sunt mobilia ad formam in communi, non descendendo in particulari, siue ad formam substantialem, siue accidentalem, & per hanc rationem distinguitur hic liber à cęteris libris physicalibus. ergo ens mobile ad formam in communi est subiectum adæquatum in hoc libro. consequentia patet ex conditionibus subiecti adæquati, quas aliàs pertractauimus. quòd autem omnia sub tali ratione considerentur, probatur, nam vt videbimus in processu libri omnia considerantur ibi, vel inquantum sunt generabilia, & corruptibilia taliter, vel inquantum sunt mobilia ad formam, quæ est quantitas, vel vt sunt alterabilia, & sic inquantum sunt mobilia ad formam in communi, quæ est qualitas. nullo modo autem considerantur inquantum sunt mobilia localiter. ergo patet quòd omnia hic considerantur sub hac ratione communi, inquantum mobilia ad formam in communi. Quòd etiam per hanc rationem differat hic liber ab aliis, patet per diuisionem totius Philosophiæ naturalis, quam posuimus in primo tractatu, super primo libro Physicorum, vbi singulis partibus Philosophiæ assignauimus propria subiecta, & per quid distinguitur liber de cœlo à libro de generatione, & à libro meteororum, &c.

Tertiò ex hac conclusione sequitur hoc corollarium, Ens inquantum generabile, & corruptibile, licet sit subiectum speciale huius libri, non tamen est subiectum adæquatum. prima pars probatur, ibi principaliter agitur de generatione, & corruptione substantiali. ergo ens generabile, & corruptibile substantialiter est subiectum speciale huius libri. secunda pars probatur, in hoc libro non solùm agitur de ente, inquantum est generabile, & corruptibile secundum substantiam, sed etiam inquantum est augmentabile, & alterabile. ergo ens generabile, & corruptibile non est subiectum in hoc libro adæquatum. consequentia patet per conditiones subiecti adæquati, antecedens autem declarabitur in processu totius libri. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

Antiquorum sententiæ de generatione & corruptione.

CIrca caput secundum declarandum est quid senserint antiqui de generatione. & corruptione rerum. vnde node nota, quòd apud eos fuit duplex opinio in genere. prima fuit eorum qui posuerunt solùm vnam materiam omnium rerum, vt principium materiale actu, ex quo dicebant omnem rem produci. & isti negabant generationem substantialem ponentes solam alterationem. nam non concedebant aliquam rem de nouo generari secundum substantiam. cùm ponerent materiam rerum incorruptibilem, quam dicebant esse totam substantiam rei, vocantes omnes formas accidentia, sicut formas rerum artificiatarum, vt patet etiam in secundo libro Physicorum. concedebant autem vnam partem materiæ fieri hominem, aliam fieri asinum, non propter nouam generationem, sed propter aliam figurationem, vel situm partium materiæ, sicut vna pars ligni fit tabula, alia fit scãnum propter variam figurationem ligni, non quòd de nouo adueniat ligno aliqua forma substantialis, similiter dicebant de rebus naturalibus. & sic sequitur secundum eos, quòd sicut scãnum, & tabulam fieri non est fieri substantialiter, ita nec homo, & asinus, ex quo fiunt ex vna materia actu, quæ secundum eos est tota substantia rerum, hęc videtur fuisse opinio Parmenidis, & Melissi, vt eis imponit Philosophus in primo Physicor. qui opinabantur omnia esse vnum ens continuum secundum substantiam, tanquam vnam massam, quæ in diuersis partibus sit diuersimodè figurata, & signata, & hęc vniuersitas figurationis causat secundum eos diuersitatem in rebus.

Sed hæc opinio sic improbatur, si omnia essent vnum, & nihil de nouo aut generatur, aut corrumpitur secundum substantiam, sequitur quòd de nullo vnquam variatur responsio per terminos substantiales facta, verbi gratia, sequitur quòd si est verum dicere pro hac hora quòd Socrates est homo, in æternũm erit verum dicere, quòd est homo, ita quòd suum esse est corruptibile, quod tamen est falsum, vt patet ad sensum, nam dum viuit, verum est dicere quòd habet esse hominis: dum autem mortuus est verum est dicere quòd habet esse cadaueris, falsum autem quòd habeat esse hominis: consequentia verò probatur sic, propter hoc solum quòd materiæ partes aliter, & aliter figurantur nisi de nouo adueniat forma substantialis, non mutatur responsio facta per terminos essentiales, verbi gratia, si ex parte ceræ formetur vas sphæricum, deinde illa sphæricitas mutetur & fiat vas quadratum, semper erit verum dicere quòd vas quadratum & sphæricum sunt idem vas secundum substantiam licet mutetur figura quæ est accidens, ergo à simili secundum eos semper erit verum dicere quòd homo semper habet esse hominis, & quòd non corrumpitur secundum substantiam, sed solùm secundum accidentia & figuram; quæ cùm sint absurda non sunt concedenda.

Secunda opinio fuit eorum, qui ponebant plura principia materialia, ex quibus res producebantur & diuersificati sunt. Empedocles posuit solùm quatuor principia quæ nuncupabat elementa simul cum lite & amicitia vt causis efficientibus: Democritus & Leucippus posuerunt corpora atoma, Anaxagoras posuit principia homogenea, vt infinitas partes carnis, infinitas partes neruij, &c. Plato verò, vt ei imponit Philosophus, posuit puncta esse principia rerum corruptibilium, omnes hæ opiniones conueniebant in hoc quòd arbitrabantur ex congregatione & segregatione huiusmodi principiorum materialium, fieri generationem & corruptionem in rebus naturalibus. Anaxagoras tamen in hoc differebat ab aliis, quia imaginabatur generationem rerum fieri ex congregatione partium homogenearum, & separatione partium heterogenearum conculcantium infra se partes homogeneas, vnde imaginabatur quodlibet esse in quolibet secundum speciem, puta terram esse in aqua, & carnem in neruo, & econuerso, & dicebat carnem generari ex neruo, quando partes minutissimæ carnis quæ existebant diuisæ in neruo adinuicem, congregantur & separantur à partibus alterius speciei.

Hæc opinio Anaxagoræ diffusius habita est in primo Physicorum, & improbata pluribus rationibus Philosophi. nunc autem sufficit contra eam vnica ratione arguere, sic, non videtur quomodo possit Anaxagoras seruare tantum ignem quantum generatur ex paucis lignis præexistere actu in ipsis lignis absconditè, cùm absconditum in aliquo semper sit minus eo in quo absconditur, ergo falsum est dicere totam substantiam rei generandæ actu latere in alio ex quo extrahitur. hæ persuasiones sufficiant contra has opiniones: nam, vt inquit dominus Marsilius in primo de generatione quæstione secunda. ex talibus radicibus non videtur posse argui, donec veniat aliquis defendens aliquam prædictarum opinionum. & tunc ex dictis suis contra eum arguetur; sicut Philosophus arguit in quarto Metaphysicæ contra negantes prima principia. Hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.

An sit possibile aliquid generari vel corrumpi simpliciter.

CIrca caput tertium declarandum est vtrum secundum viam Philosophi sit possibile aliquid generari & corrumpi simpliciter, & ibi duo faciam, primò ponam diuisionem de generatione & corruptione, & singulas partes diffiniam, secundò ponam aliquas conclusiones responsuas. Diuisio est hæc, generatio apud Philosophum est duplex, similiter corruptio. scilicet generatio simpliciter, quæ dicitur substantialis: & generatio secundum quid, quæ dicitur generatio accidentalis: eodem modo distingue de corruptione.

Generatio simpliciter sic describitur, generatio simpliciter est quando de aliquo verum est dicere quod est ens actu, & prius non erat ens actu, sine additione facta, ly termino ens. verbi gratia cùm Socrates generatur simpliciter, verum est dicere quòd est ens actu, & ante non erat ens actu, sed solùm in potentia.

Corruptio simpliciter sic describitur, est quando de aliquo verum est dicere, nunc non est ens actu, & ante erat ens actu,

verbi gratia, Socrates mortuus nunc non est homo actu, & ante erat homo actu, ergo Socrates est corruptus simpliciter.

Generatio secundum quid est quando de aliquo verificatur ens actu, sed cum aliquo addito, vt cùm Socrates dealbatur, verum est dicere, Socrates est ens album, & ante non erat ens album. licet enim esset ens actu secundum substantiam, non tamen habebat albedinem actu. & hæc generatio dicitur alteratio, quæ in quot differat à generatione simpliciter dicemus in tractatu sequenti.

Corruptio secundum quid est quando de aliquo verificatur non ens, non quidem absolutè, sed cum aliquo addito. verbi gratia, quando manus definit esse calida, verum est dicere, manus nunc non est ens calidum. licet enim remaneat ens actu secundum substantiam, non tamen actu remaneat sub calore.

Potest etiam sic describi à posteriori velut à signo secundum philosophum, generatio vel corruptio simpliciter est quando de aliquo mutantur prædicationes essentiales. verbi gratia, si de pomo verum est dicere, pomum nunc habet esse actu, & ante non habebat esse actu, ergo est genitum simpliciter. si autem de eodem verum est dicere pomum nũc non habet esse actu, & ante habebat esse actu, ergo corruptum simpliciter. quando autem mutantur solùm prædicationes accidentales remanentibus essentialibus est generatio & corruptio secũdum quid. verbi gratia, si facies Socratis fiat nigra verum est dicere, facies Socratis nunc habet esse nigrum, & ante non habebat esse nigrum. licet enim ante haberet esse actu, non tamen inquantum nigra. si autem à facie Socratis remouetur nigredo, dicitur corruptio secundum quid. licet enim remaneat actu facies, non tamen actu nigra. Positis iis declarationibus adduco duas conclusiones secundùm philosophum.

Prima conclusio, Possibile est aliquid generari vel corrumpi simpliciter. probatur, de aliquo est verũ dicere quòd nunc est ens actu, puta de rosa tempore veris, & posteà desinet esse actu, puta tempore hyemali. ergo rosa simpliciter generatur & corrumpitur. antecedens patet ad sensum, consequentia est manifesta per descriptiones positas de generatione & corruptione simpliciter. Præterea de aliquo mutantur prædicationes essentiales, ergo generatur & corrumpitur simpliciter. consequentia est nota per descriptiones secundas, antecedens verò sic probatur, de Socrate pro aliquo tempore verum est dicire quòd habet esse hominis, & pro aliquo tempore quòd non habet esse hominis, sed esse cadueris, ergo Socrates simpliciter generatur & corrumpitur.

Secunda conclusio, Possibile est aliquid generari & corrumpi secundum quid. probatur, aliquid de nouo fit ens calidum, quod prius non erat calidum, & aliquid desinet esse calidum, quod nunc est calidum. ergo possibile est aliquid generari & corrumpi secundum quid. antecedens patet ad sensum, & consequentia est nota ex descriptionibus datis de generatione & corruptione secundum quid. Præterea, de aliquibus mutantur prædicationes accidentales remante eorum substantia, ergo generantur & corrumpuntur secundum quid. probatur antecedens, de manu stante substantia sua verum est dicere aliquando, est non calida, & calida: ergo prædicationes accidentales mutantur, & sic patet quòd generantur & corrumpuntur secundum quid, vt patet ex secundis descriptionibus. Hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

Quorundam dubitatorum super prædicta solutio.

Circa caput quartum soluenda sunt quædam argumenta, quæ oriuntur ex dictis philosophi, & primò quomodo hæc propositio assumpta à philosopho, scilicet, Generatio vnius est corruptio alterius, sit vera, nam per eam philosophus in textu, decimo septimo declarat contra antiquos, quomodo sit possibile generationem & corruptionem rerum simpliciter esse continuam, & per successionem perpetuari, quasi dicat, ideo rerum inferiorum est continua & inquieta generatio & corruptio, quia subiectum generationis & corruptionis, quod est materia prima, nunquam deficit. dum enim expoliatur vna forma recipit aliam, puta dum materia ligni priuatur forma ligni, per actionem ignis recipit formam ignis. & sic sequitur quòd cùm vnum compositum corrumpitur aliud generatur, & econuerso, & hoc sine intermissione. hanc igitur propositionem pertractantes agemus tria. primò declarabo quem sensum habeat secundum physicum, secundò adducam quasdam suppositiones ex quibus probabo ipsam esse veram, tertiò declarabo si est vera in omnibus generabilibus & corruptibilibus.

Quantum ad primum, dico quòd sensus philosophi est iste, Generatio vnius est corruptio alterius, ad generationem vnius compositi substantialis sequitur corruptio alterius compositi substantialis, vt ad generationem ignis ex palea, sequitur corruptio paleæ, & ad corruptionem ignis sequitur generatio alterius elementi.

Quantum ad secundum propono duas suppositiones, quibus vtemur in probatione conclusionis, prima est, plures formæ substantiales specificæ non possunt simul esse in eadem materia, imò vna aduenienie altera abiicitur. probatur sic, Duæ formæ disparatæ oppositæ non se compatiuntur in eodem subiecto, sed omnes duæ formæ specificæ sunt disparatæ oppositæ, vt forma equi & asini, vel terræ & aquæ. ergo non se compatiuntur in eodem subiecto nec in eadem materia. quid autem sit oppositio disparata, recurre adlogicam minorem in tracta. de consequentiis.

Secunda suppositio est, materia prima non potest existere nec permanere nudata omni forma, imò semper aliquam formam habet qua existat actu. probatur sic, ens in pura potentia non potest existere nisi per aliquem actum actuetur, sed materia prima est ens in pura potentia, ex primo & octauo physicorum, ergo non potest existere nisi actuetur per aliquem actum, actus autem est forma, dat enim rei esse actu, ergo cùm materia prima semper existat & non per seipsam, sequitur quòd semper habet aliquam formam. Stantibus his suppositionibus ponitur conclusio responsiua, Ad generationem vnius compositi substantialis sequitur corruptio alterius compositi substantialis, & econuerso. probatur sic, si aliquod compositum generatur, quæro de materia ex qua generatur, aut erat nudata omni forma, aut erat sub alia forma substantiali. non primum per secundam suppositionem: si dicis secundum, aut illa forma remanet cum forma rei generandę, aut abiicitur ad introductionem formę generandæ. si remanet, ergo duæ formæ disparatæ oppositæ essent simul in materia, quod est contra primam suppositionem. si dicis, quòd abiicitur, ergo aliquod compositum cuius erat illa forma corrumpitur, & sic patet quòd ad generationem vnius compositi substantialis, sequitur corruptio alterius. Quòd autem econuerso ad corruptionem vnius compositi, sequatur generatio alterius compositi, probatur sic, cùm aliquid corrumpitur cius forma remouetur à materia. tunc quæro aut illa materia remanet nudata omni forma, aut recipit aliam. non primum, quia contra secundam suppositionem: si dicis secundum, habetur intentum, ex hoc enim quòd aliqua forma recipitur in materia aliquod compositum generatur. patet igitur quòd hæc est vera, generatio vnius est corruptio alterius, & econuerso, ad sensum datum.

Circa tertium declarandum est, vtrum prædicta propositio sit vera in omnibus generabilibus, vnde nota quòd est vera in omnibus compositis substantialibus, vt probatum est, in accidentibus autem vt sunt qualitates, non est vera in omnibus. nam qualitates sunt in duplici differentia, quædam non habent contrarium, vt lũmen & scientia licet habeant priuationem oppositam puta tenebram vel ignorantiam: quædam habent contrarium vt qualitates quę sunt in tertia specie qualitatis. Item istæ qualitates habentes contrarium sunt in duplici differentia, quædam sunt separabiles à subiecto ita quòd non est necesse alteram esse in subiecto, vel non est necesse parietem esse album vel nigrum, potest enim esse rubeus. quædam sunt inseparabiles à subiecto, ita quòd est necesse alteram inesse subiecto vt qualitates primæ, scilicet caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, à quibus nõ potest expoliari elementum nec elementatum. si ergo loquimur de qualitatibus non habentibus contrarium, dico quòd non est necesse ad generationem talis qualitatis corrumpi aliam qualitatem, puta non est necesse ad generationem lucis corrumpi aliam qualitatem. & si dicas quòd corrumpitur tenebra, dico quòd tenebra non potest dici corrumpi, corruptio enim est entis, tenebra autem non est ens cùm sit negatio. si loquamur de qualitatibus habentibus contrarium, sed separabilibus, vt sunt colores & odores, & sapores, dico quòd in eis prædicta propositio non habet veritatem, nam dum generatur compositum ex elementis puta pomum, generantur & sapor & odor, & color pomi, & tamen nullus sapor aut odor præcedens corrumpitur. constat enim quòd in elementis ex quibus pomum generatur nullus erat color contrarius colori ipsius

ipsius pomi, idem dico de sapore & odore. si loquamur de qualitatibus primis: quarum vna semper necesse est esse in subiecto, dico quòd prædicta propositio habet veritatem. nam ad generationem caliditatis sequitur corruptio frigiditatis. & probatur sic, materia elementi aut elementati non potest stare sine altera prædictarum qualitatum, ergo si corrumpitur caliditas, est necesse generari frigiditatem, alioquin vtraque qualitas esset separabilis à materia quod est contra prædicta. similiter si corrumpitur humiditas generatur siccitas, si corrumpitur leuitas, generatur grauitas. patet igitur resoluendo quòd propositio Philosophi solùm habet veritatem in omnibus compositis substantialibus & in omnibus qualitatibus elementaribus, quarum aliqua semper est necesse inesse elemento aut rei elementatæ. Hæc de primo dubio sufficiant.

Dubium secundum, vtrum sit nobis euidens quòd aliqua generantur & corrumpuntur simpliciter, si enim est euidens & ad sensum patens. mirum est quomodo illi antiqui, qui negabant generationem substantialem, non aduerterunt hoc.

Ad hoc respondetur quòd euidentia est duplex, scilicet euidentia summa, & euidentia naturalis, euidentia summa est qua habita de aliqua re nullus circa rem illam potest falli, puta de primis principiis habemus summam euidentiam, & quòd nix est alba, & ignis calidus, &c. euidentia naturalis est quæ habetur ex experimentis & coniecturis sensibilibus ac fortioribus ad vnam partem cõtradictionis quàm ad aliam, puta quòd terra sit rotunda, habeo euidentiam naturalem, nam ex grauitate partium & ex eclypsi lunæ quæ fit arcualiter, vt declarat Philosophus in secundo cœli, fortiori argumento possumus concludere quòd sit rotunda, quàm quod non sit rotunda, quod est suum contradictorium. loquendo igitur de euidentia summa, dico quòd non est nobis summè euidens aliquid generari & corrumpi simpliciter, non enim circa hæc potuissent falli Philosophi antiqui, & si ore negassent non tamen intellectu sensissent oppositum, vt etiam dicitur in primo posteriorum de negantibus prima principia. si autem loquamur de euidentia naturali dico quòd est nobis euidens aliqua generari & corrumpi simpliciter. probatur, est nobis euidens aliqua generari & corrumpi ex experientia & ab effectu, quòd de rebus inferioribus mutantur prædicationes essentiales, & aliquando accidentales, vt dictum est in tertio capite: ergo est nobis euidens euidentia naturali quòd aliqua generantur & corrumpuntur simpliciter aliqua secundum quid. consequentia est manifesta, nam dictum est in tertio capite quòd mutatio prædicationum essentialium, vel accidentalium. est signum quòd aliqua generantur vel corrumpuntur simpliciter vel secundum quid.

Hæc dubia sufficiant pro quarto capite, in tractatu autem sequenti plura discutienda occurrent, præcipuè assignando differentiam inter generationem & alterationem, nunc soluenda sunt quædam argumenta.

Contra primum caput. Contra primum caput, scilicet quòd ens mobile ad formam non sit subiectum huius libri arguitur sic, Ens mobile ad formam non verificatur de omnibus consideratis in hac scientia, ergo non est subiectum adæquatum, probatur antecedens, ibi agitur de actione & passione & mixtione & generatione & corruptione, & tamen nullum horum est ens mobile ad formam, sequeretur enim generationem & corruptionem & passionem generari vel motum esse ad motum, quod est contra Philosophum in 5. Physico.

Ad hoc dicitur quòd non est necesse subiectum adæquatum verificari de omnibus consideratis in scientia in recto, sed sufficit quod verificetur de omnibus in recto vel in obliquo, vt etiam declarauimus in primo tractatu super primo libro Physicorum. dico igitur quòd licet ens mobile ad formam non prædicetur in recto de actione & generatione, &c. tamen prædicatur de eis in obliquo, nam hæc est vera, generatio & corruptio & actio & passio sunt passiones aut proprietates entis mobilis ad formam.

Prætereà arguitur sic, hic liber non denominatur ab ente mobili ad formam, sed dicitur liber de generatione & corruptione, ergo potius generatio & corruptio sunt subiectum in hoc libro quàm ens mobile ad formam, probatur consequentia, quælibet scientia sicut habet vnitatem, & distinctionem à suo subiecto ex primo posteriorum, ita debet denominari à suo subiecto, ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd non est necesse scientiam semper denominari per suum subiectum adæquatum, sed sufficit quòd denominetur aut à subiecto aut à principaliori passione vel proprietate subiecti sui quæ principaliter in tali scientia considerator, sic & in proposito inter omnes proprietates entis mobilis ad formam principalior est generatio: alteratio enim & actio & passio & mixtio, de quibus agemus infrà, ordinantur ad generationem vt quædam præuia, sufficit igitur quòd hic liber denominatur à principaliori proprietate sui subiecti, quæ est generatio.

Prætereà, si ens mobile ad formam est subiectum in hoc libro, debet præcedere librum de cœlo, quod tamen est falsum. probatur consequentia, forma substantialis est prior quàm locus, quia substantia est prior accidente ex septimo Metaphysicæ, sed hic agitur de generatione qua acquiritur forma substantialis, & in libro de cœlo agitur de motu locali quo acquiritur locus, ergo hic liber deberet præcedere librum de cœlo.

Ad hoc dicitur quòd forma substantialis dupliciter consideratur, primò quantum ad suum esse, & sic est prior loco vt probat argumentum, quia substantia secundum suum esse est prior accidente velut subiectum accidentis. secundò consideratur inquantum est terminus generationis, & similiter locus inquantum est terminus motus localis, & sic nego quòd locus sit posterior forma substantiali, nam motus localis ex octauo Physicorum est prior omni alia specie motus, præcipuè circularis qualis est motus cœli, igitur quia in libro cœli consideratur de loco non vt accidens, sed vt est terminus motus localis, & ibi in hoc libro agitur de forma non inquantum est substantia, sed inquantum est terminus generationis: ideo conuenienter liber de cœlo præcedit hunc librum.

Contra secundum. Contra secundum caput, probatur quòd nihil potest generari simpliciter, sic, nihil quod est, potest generari, iam enim genitum est si habet esse: sed omne ens est quod est, ergo nullum ens potest generari. argumentum est in Celarent, vt patet.

Ad hoc dicitur quòd argumentum peccat in forma, nec est in Celarent, nam ly ens non tenetur æquè amplè & æquè strictè in maiori & minori. In maiori etiam tenetur pro eo quod est, & potest esse propter ly potest, quod est ampliatiuum, in minore verò tenetur pro eo quod est solum, quia in minore non ponitur aliquis terminus ampliatiuus. Prætereà si aliquid generatur simpliciter, generatur ex nihilo, quod est contra omnes Philosophos. probatur consequentia, sicut se habet generatio secundum quid ad non ens secundum quid, ita se habet generatio simpliciter ad non ens simpliciter, sed generatio secundum quid fit ex non ente secundum quid, sicut calefactio fit ex ente non calido: ergo generatio simpliciter si esset possibilis fiet ex non ente simpliciter, sed non ens simpliciter, & nihil, conuertuntur vel æquipollent, ergo aliquid generaretur ex nihilo.

Ad hoc dicitur quòd non ens simpliciter sumitur dupliciter, primò vt negat ens in actu & in potentia, secundò vt negat ens in actu, non tamen ens in potentia: sic materia prima dicitur non ens simpliciter, quia ex se nullo modo est actu, licet sit in pura potentia.

Ad argumentum dico, si sumatur non ens simpliciter primo modo, negatur similitudo, scilicet sicut se habet generatio secundum quid ad non ens secundum quid, ita se habet generatio simpliciter ad non ens simpliciter. In secundo sensu concedo similitudinem, sed negatur quòd non ens simpliciter in hoc secundo sensu sit nihil, est enim ens in potentia & ex tali ente in potentia, quale est materia prima fit generatio simpliciter, vt declaratum est etiam in primo Physicorum in tractatu de principiis naturalibus.

Contra quartum. Contra quartum caput arguitur quòd non semper ad generationem vnius compositi substantialis sequatur corruptio alterius compositi substantialis, sic, quando generatur equus nihil corrumpitur, ergo illa propositio est falsa. probatur antecedens, si aliquid corrumpitur maximè corrumpitur forma embryonis, sed illa non corrumpitur, disponit enim materiam ad animam sensitiuam, ergo non corrumpitur.

Ad hoc dicitur quòd imò forma embryonis vel seminis in generatione equi corrumpitur. nec concedo quòd forma embryonis disponat ad animam sensitiuam introducendam in materiam: disponens enim ad animam sensitiuam est virtus infusa à patre generante. & quia non se compatiuntur in eadem materia forma embryonis & anima sensitiua, ideo, vt dicemus infrà, virtus infusa à patre corrumpit formam embryonis, vt introducatur anima sensitiua per se intenta à generante.

Prætereà, quando homo corrumpitur nihil generatur, ergo prædicta propositio est falsa. probatur antecedens, si aliquid generatur quando homo corrumpitur, ergo aliquid

quod erat in homine corrumpitur, sed hoc est falsum, & probatur sic, partes hominis sunt materia & forma, sed nec materia corrumpitur cùm sit ingenerabilis & incorruptibilis ex primo Physicorum: nec forma corrumpitur, forma enim hominis est anima intellectiua, quæ est incorruptibilis, vt probatum est in tertio de anima, ergo dum homo corrumpitur nihil quod sit pars hominis corrumpitur.

Ad hoc dicitur quòd forma hominis corrumpitur, sed forma in homine est duplex, scilicet forma partis & forma totius. forma partis est anima intellectus, & hæc non corrumpitur: forma totius est humanitas, quæ resultat ex vnione animæ intellectiuæ ad materiam, & hæc corrumpitur, dum separatur anima à materia, ex cuius corruptione generatur forma cadaueris. patet igitur quomodo ad corruptionem hominis sequitur generatio alterius compositi substantialis. Hæc sufficiant pro primo tractatu.

TRACTATVS SECVNDVS
super primo libro de Generatione, in tria capita diuisus.

IN hoc secundo tractatu declarandum est quomodo differt generatio & corruptio simpliciter ab aliis speciebus motus, & diuidimus ipsum in tria capita.

In primo declaratur quomodo differt alteratio à generatio. & corrup. simpliciter.

In secundo declaratur quomodo differt augmentum à generatione & corruptione.

In tertio declarãtur quædam dubia circa modum augmẽti & decrementi.

CAPVT I.
Alteratio quomodo differat à generatione & corruptione simpliciter.

CIrca caput primum fiunt tria, primò ponitur distinctio de generatione simplici. secundò assignantur differentiæ inter generationem, & alterationem. tertiò ponitur conclusio responsua, Distinctio est hæc, generatio simpliciter vel substantialis, quod idem est, sumitur dupliciter, primò pro ipsa mera introductione instantanea formæ substantialis in materia disposita: secundò sumitur pro alteratione præcedente introductionem formæ, sicut eam sumit philosophus in sexto Physicorum, vbi inquit, omne quod generatur prius generabatur, necesse est enim prius naturam disponi ad formam suscipiendam per alterationem præuiam vt dicemus in secundo libro: sumendo generationem secundo modo non differt ab alteratione, imò est ipsa alteratio: sumendo autem primo modo differt. & sic de ea hic intendimus. vnde omnes differentiæ quas assignabimus sunt intelligendæ de generatione hoc primo modo.

Differentiæ inter alterationem & generationem simpliciter sunt quinque. prima in alteratione subiectum est ens actu, puta dum aqua calefit, aqua iam est actu aqua, licet fit priuata caliditate quæ ei acquiritur per calefactionem, subiectum verò generationis substantialis est ens in pura potentia, quale est materia prima ex primo Physicorum.

Secunda est, in generatione subiectum est materia prima, in alteratione verò subiectum est quid compositum ex materia prima & sua forma substantiali. puta quando calefit manus, id quod est manus est quid compositum ex sua materia & sua forma, & hæc secunda differentia sequitur ex prima, &c.

Tertia est, In generatione substantiali fit ens simpliciter, id est res fit ens actu simpliciter, vt cùm generatur homo fit homo actu, qui prius erat solùm in potentia. In alteratione autem non fit ens actu simpliciter, sed secundum quid, puta dum sanatur homo non fit homo actu. Iam enim est actu secundum substantiam, sed fit homo actu sanus, quod est fieri secundum quid, id est secundum qualitatem.

Quarta est, omnem generationem præcedit aliqua alteratio, sed non omnem alterationem præcedit per se alia alteratio. & huius ratio est, quia impossibile est duo indiuidua diuersarum specierum habere omnia accidentia similia, imò aliquando habent opposita, puta hæc aqua habet humiditatem & frigiditatem, hæc terra habet siccitatem, & hic aër caliditatem. si ergo ex aqua debet generari terra vel aër, necesse est quòd per alterationem præcedentem remoueantur humiditas & frigiditas & introducantur qualitates puta siccitas, quæ est dispositio ad formam terræ: vel caliditas, quæ est dispositio ad formam aëris. cùm igitur generatio substantialis sit transmutatio vnius speciei in aliam speciem, sequitur quòd omnem generationem debet præcedere aliqua mutatio in accidentibus, quę dicitur alteratio.

Quinta est, omnis generatio est corruptio alterius, id est ad generationem vnius compositi sequitur corruptio alterius compositi, sed non omnis alteratio est sic, non enim est necesse quòd si per alterationem aliqua qualitas producitur quòd alia qualitas opposita corrumpatur.

Hæc differentia pro vtraque parte est probata in primo tractatu capite quarto, vbi etiam dictum est quòd in qualitatibus non habentibus contrarium, vt est lumen & scientia, non est necesse si vna producitur quòd alia corrumpatur: vide suprà. Positis iis differentiis propono conclusionem responsuam. Generatio substantialis, si sumatur in primo sensu suprà exposito, non est alteratio, probatur sic, per generationem substantialem producitur ens actu simpliciter ex tertia differentia, per alterationem autem producitur ens actu solùm secundum quid, puta secundum qualitatem aut quantitatem, &c. ergo non sunt idem. prætereà generatio substantialis terminatur ad formam substantialem ex quinto Physicorum, alteratio verò terminatur ad qualitatem, ergo non sunt idem. prætereà per generationem substantialem mutatur prædicatio essentialis, quando enim ex aqua generatus est aër, falsum est dicere, id quod erat aqua nunc est aqua, imò est aër: per alterationem verò non mutatur prædicatio essentialis, imò permanet, nam de manu calefacta verum est dicere id quod erat actu, manus etiam post calefactionem est actu manus, licet non esset actu calida. patet ergo quomodo abinuicem differunt vt duæ species disparatæ. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.
Generatio & corruptio quomodo ab augmento & decremento differant.

CIrca caput secundum declarandum est an differant generatio & corruptio ab augmento & decremento, & faciam tria, primò ponam distinctionem multimembrem de augmento, secundò conclusionem responsuam, quòd scilicet augmentum differat à generatione, tertiò ad maiorem doctrinam declarabo quomodo augmentum differt ab omni alia specie motus.

Quo ad primum, nota quòd augmentum sumitur primo modo pro intensione alicuius qualitatis. & decrementum pro remissione eiusdem, sicut dicitur in prædicamentis, quòd qualitas recipit magis & minus, id est augetur vel intenditur, vt calor in aqua si persistat iuxta ignem, & hoc modo ibi non loquimur de augmento, tale enim est alteratio, cùm fit motus in qualitate. secundo sumitur pro augmentatione quantitatis discretæ. sicut dicitur in tertio physicorum, quòd ex diuisione continui causatur numerus & augetur. tertio sumitur pro augmentatione quantitatis continuæ, quod potest fieri dupliciter, primò sine aliqua noua re aduenienti, sic per rarefactionem fit augmentum, vt cùm aqua congelata liquefit, dicitur augeri, quia ex rarefactione occupat maiorem locum, non tamen ibi aliquid de nouo apponitur præexistenti aquæ. secundò fit per aduentum alicuius rei nouæ quæ opponitur præexistenti, aut per continuitatem, si per aduentum nouæ aquæ augetur fluuius aut per contactum. sic per appositionem lapidum augetur parles, aut per conuersionem rei nouæ in substantiam illius cui aduenit per vnitrem & actionem animæ mediante calore naturali decoquente, omnibus aliis modis relictis hîc intendimus solùm de vltimo modo quòd in solis animatis reperitur, & completur, & expletur per potentias animæ vegetatiuæ, vt declaratur in secundo de anima, & augmentum dicitur abaugeri, sic describimus ipsum augeri in animatis est aliquid idem primo, id est, secundum se totum transmutari de minori ad maius quàm ipsum prius erat. Decrementum autem describitur opposito modo, vt patet ex se.

Circa secundum pono hanc conclusionem responsuam, Augmentum differt à generatione substantiali. probatur sic, In generatione substantiali non est idem esse substantiale ante generationem & post generationem, nam ante habet solùm esse in potentia, & post generationem habet esse actu sed in augmento res habet idem esse substantiale ante augmentum & post, homo enim infans, iam est homo actu, & homo adultus est homo actu, licet mutetur quantitas, ergo augmentum non est generatio simpliciter, prætereà generatio per se & primo terminatur ad formam substantialem ex quinto Physicorum, augmentum autem per se ter

terminatur ad quantitatem maiorem, ergo non sunt idem.

Nota quòd licet formaliter differant, tamen ad augmentum semper sequitur corruptio, simpliciter alicuius, scilicet, nutrimenti. non enim augetur animatum nisi transeat in sui substantiam nutrimentum, & non transit nisi prius corrumpatur per actionem animæ vegetatiuæ, & decoctionem caloris naturalis. Item ad augmentum semper sequitur generatio alicuius simpliciter saltem secundum partem, scilicet, carnis, nam animal non dicitur augeri nisi suæ substantiæ priori addatur noua caro, quæ generatur per conuersionem nutrimenti in substantiam nutriti, patet igitur quomodo augmentum formaliter differt à generatione, & corruptio. licet concomitetur ipsas.

Circa tertium nota, quòd augmentum non solùm differt formaliter à generatione, & corruptione, sed etiam differt ab alteratione, nam illa per se terminatur ad qualitatem, augmentum autem ad quatitatem, & differt à motu locali. nam per motum localem non est necesse sequi aliquam corruptionem, vel generationem in re mota localiter: augmentum autem fit per aliquod de nouo adueniens, id est per nutrimentum, & differt à nutritione. Inuenitur enim nutritio in sene, non tamen augmentum.

Nota tamen, quòd licet differat formaliter ab omnibus prædictis motibus, tamen illi requiruntur, & deseruiunt augmento, nam requiritur alteratio, non enim conuertitur nutrimentum in substantiam nutriti, nisi decoquatur per calorem naturalem. decoctio autem est alteratio, & requiritur motus localis quo deferatur nutrimentum ad partes naturales, in quibus decoquitur, puta in stomacho, vel alia parte sibi proportionata, & requiritur nutritio. nam nutrimentum debet conuerti in substantiam nutriti: sed hæc conuersio fit per nutritionem: ergo, &c. hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.
Quorundam dubitatorum in motu augmenti solutio.

CIrca caput tertium declaranda sunt quædam dubia, quæ contingunt circa modum, quo fit augmentum in animatis, & erunt tria. primò quæritur si augmentum fit per partes porosas, quæ sunt in corpore animato. secundò quæritur si id quod augetur remanet idem ante, & post augmentum. & dico idem numero. tertiò quæritur si animatum dum augetur, augetur continuè, vel non.

Circa primum pono vnum notabile, deinde conclusionem responsuam, nota quòd cùm nutrimentum debeat ingredi partes animati, vt augeatur hæc ingressio non potest fieri, nisi per diuisionem partium animati, vel per receptionem eius in partes porosas. aliter sequeretur quòd nutrimentum, & animatum nutritum essent simul. & sic duo corpora essent in eodem loco, ac se mutuo penetrarent, quod est contra Philosophum in quarto Physicor. capi. de vacuo. sed non est dicendum quòd partes animati diuidantur, dum nutrimentum ingreditur ad illas, esset enim maximus dolor, dum animal nutrietur, vt patet in incisione carnis per gladium ad quam sequitur dolor, igitur dicendum est, quòd nutritio, & augmentum fit ex eo, quod nutrimentum subintret partes porosas corporis, quæ prius erant plenæ aliquo substantiali, quod euaporat in aduentu nutrimenti, ne duo corpora permaneant simul. Facto hoc notabili pono conclusionem responsuam: augmentũ fit per receptionem nutrimentiin partibus porosis & iuxta positionem partibus præexistentibus. probatur sic, in augmento nutrimentum distribuitur partibus animati. ergo subintrant partes animati, & non per diuisionem partium. aliter sequeretur dolor, ergo per partes porosas, aliter nutrimentum, & partes rei nutritæ essent simul. Dico secundò, & per iuxta positionem, &c. nam nutrimentum ponitur iuxta partes non porosas, vel terminantes poros. non enim totum corpus animatum est porosum, aliter esset rarissimum, sed partes non porosæ dicuntur præexistentes, ergo augmentum fit per iuxta positionem partibus præexistentibus.

Circa secundum dubium dico duo. primò vnam distinctionem de vnitate numerali. secundò pono aliquas conclusiones, distinctio est hæc, aliquid dicitur manere idem numero tripliciter. primò cùm omnes partes permanent, nec aliquam partem de nouo acquirunt. secundò aliquid dicitur manere idem numero, quando eius principales partes permanent, licet minus principales corrumpantur, sic dicimus Socratem manere idem numero etiam post mortem, quia licet corpus corrumpatur, anima quæ est principalior pars remanet. tertiò aliquid dicitur manere idem numero propter continuam successionem partium similium, sibi inuicem succedentium, propter quam successionem conseruatur eadem dispositio & figura, sic dicimus Iordanem esse eundem fluuium, qui fuit iam per centum annos. nam propter continuam successionem partium similium aquæ assiduæ defluentium seruatur eadem dispositio, & figura in fluuio. Stante hac distinctione pono tres conclusiones. prima, id quod augetur non remanet idem numero, primo modo ante & post probatur, augmentum fit per aduentum nouæ partis appositæ præexistentibus partibus per actionem animæ conuertentis in substantiam aucti. ergo non remanet idem numero ante & post. antecedens patet ex quo assignamus fieri augmentum in primo dubio, consequentia est manifesta ex descriptione primi modi, quo diximus aliquid manere idem numero. Secunda conclusio, id quod augetur manet idem numero ante, & post. secundo modo probatur, in augmentato remanent eadem partes principales, scilicet eadem materia prima eadem forma substantialis partialis, puta anima, & eadem forma totius puta humanitas.

Tertia conclusio, Id quod augetur remanet idem numero, tertio modo ante & post, probatur, in augmento succedunt partes consimiles. nam additur caro noua, & pars ossis noua, præcedentibus partibus, ita quòd conseruatur eadem dispositio partium, & eadem figura, propter quam dicimus equum magnum esse idem numero equo, quando erat parvus, ergo remanet idem numero ante & post augmentum.

Circa dubium tertiũ, vt resoluatur, dico tria. primò vnam distinctionem. secundò ponam aliquas conclusiones. tertiò ad maiorem doctrinam pertractabo de nutritione quæ est præuia augmento quomodo fiat, & an sit continua. Distinctio est hæc augmentum potest dici continuum dupliciter. primò dicitur continuum quasi quod duret per totam vitam rei viuentis. secundò dicitur continuum non continuè durans, sed pro quanto tempore fit in toto illo tempore fit continuum, puta si Socrates in vno die crescit per vnum digitum, quòd per totum diem fiat augmentum sine quiete media.

Stante hac distinctione pono tres conclusiones, prima, Augmentum secundum se est continuum. secundo modo probatur augmentum secundum se est motus ad quantitatem. ergo est continuum. probatur consequentia, nam omnis motus est continuus ex sexto Physicorum. & diuisibile in semper diuisibilia, sicut etiam tempus in quo fit motus. ergo augmentum secundum se est continuum.

Secunda conclusio, Possibile est quòd animatum augeatur per longum tempus, non tamen vno augmento continuo, sed pluribus augmentis interueniente quiete media, probatur, videmus animata aliquo tempore augeri, puta plantam in æstate, & in hyeme non augeri, frigore constringente. iterum aduenente æstate augeri. & sic vicissim cadente media quiete. ergo possibile est animatum augeri per longum tempus, non tamen vno augmento continuo, sed pluribus, &c. nota tamen quòd licet omnia hæc augmenta adinuicem comparata non sint continua propter quietem mediam, tamen quodlibet in se consideratum est continuum cùm sit vnus motus, & sic est continuus ex quinto physic. idem enim est in motu vnitas, & continuitas.

Tertia conclusio, Augmentum non est continuum primo modo, id est durans per totam vitam animalis, hæc declarabitur adducendo, quomodo fiat nutritio. nota quòd per totam vitam animati est conuersio alimenti in substantiam nutriti ad restaurationem deperditi. vt diximus in tractatu de causa mortis & vitæ, vnde si fit maior conuersio quàm fuerat deperditio, causatur augmentum sensibile, vt patet in adolescentia, si autem tanta fit conuersio quanta est deperditio, non fit augmentum sensibile, vt patet in ætate iam virili: si verò fiat minor conuersio, quàm fuerit deperditio, non fit augmentum, imò decrementum, vt patet in vltimo senio.

Vt ergo id nobis constet de nutritione dicemus duo. primò quomodo fit, & præcipuè in animali perfecto, secundò si durat per totam vitam animalis. dico igitur secundum Physicos præcipuè Auicennam, & Albertum quòd hoc modo celebratur nutritio. primò alimentum recipitur in stomacho per virtutem tractiuam, vt diximus in secundo de anima in tracta. de potentiis vegetatiuis, & ibi mediante calore naturali decoquente separantur partes impuræ, vel terrestres, quæ sunt in alimento à partibus puris, & conuenientibus nutritioni. secundo partes illæ impuræ, ac crassæ mittuntur inferius in ventrẽ, inde per expulsiuã emittuntur. partes verò puræ mittuntur ad hepar, & ibi ex calore hepatis fit maior decoctio, ac purificatio. itaque à puris partibus adhuc segregantur partes quædam impuræ, licet non ita terrestres, & crassæ,

& crassæ. tertiò partes huiusmodi impuræ minus crassæ mittuntur ad vesicam, & conuertuntur in vrinam. partes verò puræ transmittuntur per amplam venam, ab hepate ad cor. Et in corde ex intenso calore cordis adhuc fit maior decoctio, ac purificatio. & iterum separantur partes impuræ à partibus puris, quæ tamen partes impuræ habent virtutem nutriendi, licet imperfectè: comparantur enim partibus puris, sicut panis fabarum pani frumenti, quorum vterque est nutriens, licet inæqualiter. quartò partes impuræ mittuntur à corde ad extremitates corporis ad nutriendum vngues, & pilos, & capillos. cùm enim sint partes magis terrestres conuenienter nutriuntur ex simili illis nutrimento, sicut bos ex fœno, vel rusticus ex castaneis, partes verò purissimæ secundum partem retinentur in corde pro nutritione ipsius cordis. aliæ verò partes iterum remittuntur ad hepar, in quo plurimæ sunt paruæ venæ, & ramificatæ. per quas transmittit has puriores partes ad singulas partes corporis, & in eis mediante calore diffuso per partes corporis, prædictæ partes nutrimenti corrumpuntur, & conuertuntur in substantiam ipsius animati sumentes formam ossis, nerui, carnis, secundum variam dispositionem. Quomodo autem ex tali alimento puro sumatur sperma pro generatione ex potentia generatiua sufficit dixisse in secundo de Anima in tractatu, de potentiis vegetatiuis. hoc igitur modo celebratur nutritio.

Secundò dubitatur, an hæc nutritio sit continua per totam vitam animati. ad hoc dicitur distinguendo nutritio sumitur dupliciter. primò pro conuersione nutrimenti in substantiam nutriti, & sic non est continua per totam vitam, nam dum animatum propinquat morti in tantum debilitatur calor naturalis, vel senio, vel malitia morbi, quòd non potest tantum agere in nutrimentum, quòd conuertat illud in substantiam animati. & hoc diximus in tractatu de causa mortis, & vitæ. secundò sumitur nutritio pro alteratione nutrimenti, & sic est continua per totam vitam. nam donec adest naturalis calor proprium est sibi calefacere, & decoquere nutrimentum. vnde sicut paruus ignis calefacit saltem combustibile appositum, licet non cõuertat in seipsum, sic calor naturalis, & in vltimo senio, & in gratiissimo morbo ad minus, calefacit cibum, licet non possit conuertere in substantiam nutriti. non tamen animatum potest diu viuere ex sola nutritione sumpta pro alteratione præcipuè in animalibus habentibus sanguinem, in quibus est intensius calor cordis, secus est in aliquibus aquaticis. hæc de augmento, & modo augmenti sufficiant, si plura sunt pertractanda require in secundo libro de Anima Alberti in tractatu de potentiis vegetatiuis, nunc sequuntur argumenta.

Contra primum caput, quòd alteratio est generatio substantialis. nam est progressio à non esse ad esse. cùm enim calefit aqua tendit à non esse calidum ad esse calidum. ergo est generatio substantialis. probatur consequentia ex diffinitione generationis substantialis assignata in 5. Physic.

Si dicis quòd diffinitio generationis sic habet intelligi, scilicet est progressus à non esse substantiali ad esse substantiale. alteratio autem est progressio à non esse accidentali ad esse accidentale, contra, in alteratione est progressus ab esse omnino in potentia ad esse in actu. ergo stat argumentum in robore suo, antecedens probatur, quando calefit aqua, calor introducendus erat omnino in potentia in ipsa aqua. & per calefactionem fit actu: ergo. &c. Si dicis quòd calor non est ille, qui producitur, eo quòd forma, nec substantialis, nec accidentalis producitur, nisi per accidens ex septimo Physicorum, sed ipsum compositum, vnde per calefactionem aqua calida est, quæ producitur per se, & quia aqua calida inquantum est aqua iam est actu. ideo non sequitur, quòd sit progressus ab esse omnino in potẽtia ad esse in actu.

Contra probo, quòd calor per se producitur. & sic adhuc stat argumentum sic, terminus productionis est qui producitur, sed calor, & similiter omnis alia forma est terminus productionis, habita enim forma cessat motus ex quinto Physic. ergo forma productionẽ terminat. maior probatur, omnis productio est via ad ipsum terminum. ergo terminus est ille qui producitur, ad quem producendũ productio ordinatur.

Respondeo. terminus productionis est duplex, scilicet quo & quod, terminus quo est ipsa forma, ad quã est productio, terminus vt quod est ipsum compositum. dico igitur ad maior, quòd loquendo de termino, vt quod est vera, de termino autem, vt quo est falsa, & quia calor & omnis forma est terminus vt quo, ideo argumentum non concludit.

Secundum contra idem caput, quòd subiectum alterationis sit materia prima, & non ens actu, propter materiam primam forma substantialis est ratio, quòd qualitates recipiantur in subiecto, nisi enim forma reciperetur in materia qualitates consequentes formam non reciperentur in subiecto. ergo materia prima multo magis est ratio, quòd qualitates recipiantur, quod per alterationem fit. probatur consequentia per regulam in primo posteriorum. propter quod vnum. quodque & illud magis.

Si dicis, quòd illa regula non tenet in causa materiali, sed solùm in efficiente, & vniuoca. & ideo cùm materia dicit causam materialem, argumentum non concludit.

Contra probo absolutè, quòd materia prima sit subiectum alterationis, sic, antequam forma introducatur in materia est necesse, quòd dispositiones ad formam generandam recipiantur in materia, sed non recipiuntur, nisi per alterationem, vt patet, quia omnis motus ad qualitatem est alteratio. ergo materia prima est subiectum immediatum alterationis. cùm in ea recipiuntur tales dispositiones, si dicis quòd dispositiones tales non recipiuntur in materia, nisi vt adhuc est sub forma præcedenti corrumpenda, & sic non sequitur materiam solam esse subiectum alterationis, imò compositum ex materia, & forma corrumpenda.

Contra in instanti, in quo forma generanda introducitur, quæro, aut materia habet dispositiones pro tali forma recipienda, vel non: si non, ergo forma recipitur in materia non disposita, quod est contra Philosophum in secundo de Anima, si sic, ergo tales dispositiones recipiuntur in materia nuda.

Si dicis, quòd forma corrumpenda est simul in eodem instanti cum forma generanda in materia, & sic non sequitur, quòd recipiantur in materia nuda.

Contra si sunt illæ duæ formæ in eodem instanti in materia. ergo duæ formæ disparatæ se compatiuntur in eodem, quod est falsum, quia cùm sint contrariæ essent opposita in eodem.

Respondeo, & dico quòd non sunt simul illæ duæ forma, sed in illo instanti: corrumpenda desinit esse per negationem de præsenti, & positionem de præterito. verum enim est dicere, hæc forma nunc non est, & ante hoc nunc fuit. ergo desinit esse: generanda verò incipit esse per positionem de præsenti, & negationem de præterito. nam est verum dicere, hæc forma nunc est, & ante hoc nunc non fuit. ergo incipit, dico igitur quòd materia est disposita in illo instanti, sed nego quòd sit nuda recipiens dispositiones, imò est sub forma generanda, quæ pro illo instanti incipit esse per positionem de præsenti.

Contra secundum caput arguitur, quòd augmentum sit generatio substantialis, augmentum terminatur ad substantiam, cùm per augmentum quod supponit nutritionem acquiratur noua substantia in re aucta. ergo est generatio substantialis, probatur consequentia, omnis mutatio ad substantiam est generatio substantialis, vt patet ex quinto Physicorum. ergo si augmentum terminatur ad substantiam erit generatio substantialis, si dicis quòd per augmentum acquiritur noua substantia secundum partem, id est, aliqua pars substantiæ, quæ prius non erat in re aucta, non tamen secundum totum, id est, non tamen tota substantia rei auctæ, quin ante augmentum iam erat actu. ad hoc quòd dicatur generatio substantialis, est necesse quòd tota substantia rei acquiratur & ideo argumentum non concludit.

Contra dupliciter. & primò quòd per augmentum secundum totum acquiratur noua substantia. nam ex dicto Philosophi in text. dum res augetur omnes partes suæ augentur, secundum proportionem. ergo omnes partes acquirunt nouam substantiam, si omnes partes acquirunt nouam substantiam ergo secundum totum acquiritur noua substantia, idem videtur esse secundum omnes partes, & secundum totum aliquid fieri.

Secundo probo, quòd per generationem substantialem non acquiritur tota substantia rei, quia non omnis pars substantiæ acquiritur. non enim acquiritur materia, quæ prius erat cùm sit ingenita: ergo, &c.

Respondeo ad primum. dico quòd non est idem, rem totam, vel secundum omnes partes acquirere nouam substantiam, & rem secundum se totam acquirere nouam substantiam, ad hoc enim quòd res tota acquirat nouam substantiam, sufficit quòd omnibus partibus eius fiat aliqua additio secundum substantiam, quæ tamen prius erant actu. ad hoc autem quòd res secundum se totam acquirat nouam substantiam est necesse, quòd prius existens solùm in potẽtia incipiat secundum se fieri actu, quod solùm fit per generationem, concedo

concedo igitur quòd per augmentum res tota, vel secundum omnes partes acquirit nouam substantiam non tamen secundum se totam, ideo non sequitur augmentum esse generationem, per quam res acquirit secundum se totam nouam substantiam, & nouum esse.

Ad secundum dico, quòd materia dupliciter consideratur. primò secundum se, secundò quantum ad suam actualitatem, dum res generatur, licet materia secundum se præexistat, non tamen secundum suam actualitatem. actuatur enim ex forma. verum ergo est dicere, quòd dum res generatur secundum se totam acquirit substantiam, quantum ad suam actualitatem. & sic potest dici, quòd materia fit, quia fit actu, quæ solùm erat in potentia.

Contra tertium caput arguitur, quòd augmentum non est motus ad quantitatem, non est aliquis motus in prædicamento quantitatis, ergo, &c. probatur antecedens, vbi est motus ibi est contrarietas ex primo Physicorum: sed in quantitate non est contrarietas ex Aristotel. in prædicamentis. ergo in quantitate non est motus: si dicis quòd in quantitate non est contrarietas propria, quæ est differentia duarum formarum maximè distantium sub eodem genere, tamen ibi est contrarietas impropria, vel imperfecta, quæ dicit excedentiam, & defectum: & quia hæc conditio seruatur in quantitate. datur enim ad sensum quantitas maior, quæ comparata minori est excedens, minor autem deficiens. ideo secundum hanc radicem contrarietatis est motus in quantitate. Contra, si propter hanc radicem contrarietatis est motus in quantitate. ergo eadem ratione est motus in substantia, quod est falsum ex quinto Physicorum. probatur consequentia, sicut in quantitate est contrarietas ratione excedentiæ, & defectus, ita est in substantia. nam ex 10. Metaphysic. quodlibet generans diuiditur in duas differentias oppositas, quarum vna est excedens, altera deficiens, id est, minus perfecta, sicut animatum comparatum inanimato. ergo eadem ratione erit motus in substantia sicut in quantitate. Si dicis quòd non est eadem ratio, quia licet in prædicamento substantiæ sit excedentia, & defectus tamen est substantiæ, & consistens in indiuisibili, ideo ad eam non est motus, sed mutatio contra, hæcmet conditio competit quantitati. ergo nec in quantitate erit motus, & sic stat argumentum in proposito primo. probatur antecedens, quantitas non recipit magis, & minus. ergo suum esse stat in indiuisibili, sicut patet ex Philosopho in prædicamento quantitatis.

Respondeo dupliciter. & primò quantitas sumitur dupliciter, primò vt quantitas est. secundò vt denominatur à numero, vt bicubitum, tricubitum. dico igitur quòd Aristotel. solùm negat quantitatem recipere magis, & minus, secundum quod denominatur à numero, & non secundum se accepta, vt patet per exempla Philosophi in tex. vbi inquit, non videtur quantitas suscipere magis, & minus, vt bicubitum, neque (vsque ibi proprium autem maximè) concedo igitur quòd quantitas secundum se recipit magis, & minus, & sic ad eam est motus, substantia autem, nec secundum se, nec alia ratione est recipiens magis, & minus, ideo ad eam nullo modo est motus. secundò dico, quòd in quantitate non solùm est contrarietas quantum ad excedentiam, & defectum, secundum etiam quantum ad maximam distantiam. inuenimus enim in quantitate loca maximè distantia in vniuerso, quæ sunt superficies connexa cœli supremi, & centrum mundi. propter quòd inquit Commentator in prædicamento quantitatis videntur hæc duo loca, quę dicta sunt esse contraria, postquam vnumquodque eorum est in vltimo elongatio nis, scilicet à suo cõtrario donec inueniatur elongatio maior, hæc ille. dico igitur quòd est motus in quantitate, quia in ea seruatur vera contrarietas quantum ad maximam distantiam, & non solùm quo ad excedentiam, & defectum.

Contra, stante hac responsione eadem ratione erit motus in substantia. nam sicut tu ponis in quantitate propriam contrarietatem ratione maximę distantiæ duorum locorum in vniuerso. ita licet concedere maximam distantiam inter duas substantias, quæ sunt in prædicamento, quæ erunt prima intelligentia mouens primum mobile, & materia prima. illa enim non datur perfectior, nec ista imperfectior cùm sit in pura potentia.

Respondeo, licet in prædicamento substantiæ datur maxima distantia, sicut in quantitate, vt argumentum probat: tamen quia deficit hæc conditio, quæ est recipere magis, & minus. quæ tamen conuenit quantitati secundum se, vt dictum est. ideo conuenientius ponitur motus in quantitate, quàm in substantia.

Quòd non detur diminutio, probatur, quia si datur, aut est à causa intrinseca, vel extrinseca, non ab extrinseca, quia cùm idem sit causa oppositorum, ex Octauo Physicorum. & augmentum, & diminutio sint opposita: eadem ratione augmentum esset à causa extrinseca. quod tamen est falsum ex Philosopho in textu, nec est à causa intrinseca, quia causæ intrinsecæ sunt forma & materia ex secundo Physicorum, sed istæ non sunt causæ diminutionis, cùm sint causæ conseruationis rei, sicut enim forma dat esse rei, ita materia recipit esse, quo res conseruatur.

Si dicis, quòd causa intrinseca est duplex, scilicet causa intrinseca essentialis. & hæc est materia & forma, & causa intrinseca effectiua, & hæc non est materia, nec forma, sicut cor est causa effectiua, in quantum mouet alias partes corporis ex libro de motu animalium. dico igitur quòd diminutio est à causa intrinseca effectiua, quæ est calor naturalis, & non ab intrinseca essentiali.

Contra, si calor naturalis est causa diminutionis. ergo idem est agens in seipsum actione corruptiua, quod est contra Philosophum in secundo de generatione, capite de actione. probatur consequentia, si est causa diminutionis est causa corruptionis substantiæ animatæ, quæ est subiectum ipsius caloris: sicut enim generatio præcedit augmentum, vt diximus suprà, ita corruptio est præcedens diminutionem, tunc vltra, si est causa corruptionis sui subiecti, ergo est causa corruptionis sui ipsius. corrupto enim subiecto corrumpitur accidens.

Si dicis, quòd licet nihil agat in seipsum per se actione corruptiua, agit tamen per accidens: sic & calor naturalis per accidens corrumpit seipsum, & non per se. intendit enim conseruari consumendo humidum radicale, ad cuius consumptionem præter intentionem naturæ, sequitur corruptio caloris.

Contra, si concedis, quòd calor naturalis sit causa solùm per accidens diminutionis. ergo tu debes assignare causam per se, quæ tamen non potest dari, quia probatum est, quòd materia, nec forma sunt causa diminutionis, nec causa extrinseca, sicut nec in augmento. consequentia verò probatur, omne per accidens reducitur ad aliquod per se, ex secundo, & octauo Physico. si ergo datur causa per accidens diminutionis, est assignanda etiam causa per se.

Respondeo, & dico, quòd assignatur causa per se diminutionis. sed hæc est extrinseca, & est intentio primi agentis. disponens enim animata etiam corruptibilia intendit ea augẽri, & diminui, vt hac incessitudine successio in his inferioribus conseruetur.

Contra primum dubium, probatur quòd non debentur pori in corpore animalis, per quos fiat augmentum, sic, tales partes porosæ, vel sunt vacuæ, vel sunt plenæ, non vacuæ, quia non datur vacuum in rerum natura, ex quarto Physic. non plenæ, quia cùm reciperent in se nutrimentum decoctum, & depuratum, duo corpora essent simul, scilicet, nutrimentum, & illud corpus replens partes porosas.

Ad hoc dicitur, quòd tales pori sunt pleni non quidem aliqua materia crassa, sed subtilli, quæ facilè cedit in ingressu nutrimenti. & ex hoc quòd huiusmodi materia de facili cedit, non est necesse duo corpora esse simul, & cùm huiusmodi pori sunt repleti nutrimento, aliud in eis non recipitur, donec prius nutrimentum fuerit corruptum, & iterum per calorem naturalem fiunt rarefactiones in corpore animalis, & fiunt noui pori, in quibus iterum recipitur nutrimentum, & sic successiuè.

Contra secundum dubium arguitur, quòd non remanet idem auctum ante, & post, sic, si alicuius totius partes mutantur, & ipsum totum mutatur. totum enim constituitur ex suis partibus, sed in aucto sunt aliæ partes, quàm erant ante. augetur enim animal, quia noua pars carnis additur præcedenti per conuersionem alimenti in substantiam nutriti. ergo non remanet idem auctum ante, & post. & sic Socrates infans, & Socrates vir non est idem numero.

Ad hoc dicitur, quòd concludit non remanere idem numero primo modo, vt suprà concessimus. cum hoc tamen stat, quòd remanet idem numero secundo & tertio modo, vt suprà patuit.

Contra tertium dubium arguitur, quòd augmentum non sit motus continuus, sic, secundum philosophum in hoc primo libro, differt augmentum à nutritione, quia nutritio est per totam vitam animalis, augmentum autem vsque ad terminatum tempus, puta in homine vsque ad tertium, vel quartum septennium. ergo non est continuum.

Ad

Ad hoc patet responsio per distinctionem datam de continuo in solutione tertij dubij. concedimus enim quòd augmentum maximè sensibile vero dicitur continuum quasi durans sine interpositione per totam vitam animalis, sed dicitur continuum pro tanto tempore, pro quo fit, puta pro vno mense.

TRACTATVS TERTIVS
super primo libro de Generatione. in tria capita diuisus.

IN hoc tertio tractatu agit Philosophus de tactu, & actione, & passione, & mixtione. nam in secundo libro agit de Generatione elementorum, sed elementum non potest ex alio generari, nisi agant, & patiantur adinuicem per alterationem, puta non potest ignis generari ex aëre, nisi ignis calefaciat, & exiccet aërem. ergo generationem præcedit actio, & passio, sed nec agens agit in passum, nisi agens tangat passum, vt dicit Philosophus in litera, & in septimo Physicorum probatur, quòd mouens, & motum sint simul. ergo actionem, & passionem præcedit tactus. item elementum non generatur ex elementis, nisi elementa adinuicem misceantur. ergo generationem præcedit mixtio, vt ergo in secundo non sit necesse frequenter replicare de tactu, & passione, & actione, & mixtione. de his conuenienter præposuit hunc tractatum, quem diuidimus in tria capita.

In primo agemus de tactu.

In secundo de actione, & passione, vel de actiuis, & passiuis quod idem est.

In tertio agemus de mixtione.

CAPVT I.
De Tactu.

CIrca primum caput, in quo agendum est de tactu dicam tria. Primò quotuplex est tactus. secundò quis est ille tactus, qui requiritur in actione, & passione, vel quomodo secundum Philosophum agens naturale, & patiens se tangunt. tertiò ponam correlarium.

Circa primum nota, secundum Philosophum in hoc primo lib. quòd tactus est triplex, scilicet mathematicus, naturalis, & metaphoricus. tactus mathematicus sic describitur à Philosopho. tactus mathematicus est coniunctio duarum magnitudinum, quarum extrema sunt simul. Ad cuius declarationem nota, quòd ad huiusmodi tactum tria requiruntur. primò quòd tangens, & tactum sint quanta, propter quod non potest dici intelligentia mouens vnita cœlo tangere cœlum tactu mathematico: licet enim cœlum sit quantum, tamen intelligentia est non quanta. secundò requiritur, quòd tangens, & tactum distinguantur situ. ita quòd vnum sit extra alterum. & propter hoc non potest dici, quòd accidens tangit subiectum, in quo est, nec forma tangit materiam, quia vnum est in alio, & non distinguuntur situ. tertiò requiritur, quòd extrema illarum magnitudinum sint simul, id est, non habeant aliquod medium, nec etiam sint vnum. quia dicerentur continua, & non contigua. & propter hoc duæ partes lineæ copulatæ ad vnum punctum, vt terminum communem non dicuntur se tangere, sed adinuicem continuari.

Tactus naturalis sic describitur à Philosopho, est coniũctio duarum magnitudinum habentium positionem, id est, distinctum situm, quarum extrema sunt simul actiua, & passiua adinuicem. ad huius declarationem nota, quòd omnes conditiones, quas includit tactus mathematicus includit etiam tactus naturalis. sed addit quartum, scilicet quòd tãgens agat in tactum, & tactum reagat in tangens. & dicuntur passiua, & actiua adinuicem. & hoc modo dicuntur elementa se tangere. nam si aqua vnitur igni, ignis patitur ab aqua, & corrumpitur. & similiter ignis agit in aquam, vel corrumpendo, vel saltem calefaciendo eam. ex hac diffinitione sequitur, quòd si duo corpora se tangunt, & vnum non agat in alterum. & econuerso, causando in eo aliquam qualitatem alteratiuam, non dicuntur se tangere tactu naturali, sed mathematico, vel metaphorico, vt dicemus.

Tactus metaphoricus est qui est inter duo quorum vnum tangit aliud sua virtute, licet non agat in eo aliquam qualitatem alteratiuam, vel sic causat in tacto qualitatem alteratiuam, non tamen econuerso. Hoc modo secundum Philosophum potest dici tristans tangere nos, quando per eius tristitiam aut dolorem mouet nos ad compassionem. sed non econuerso. non enim nos mouemus tristantem ad compassionem nostram nisi fortè & nos simus in tristitia constituti.

Circa secundum dico secundum Philosophum quòd inter agens & patiens naturale seruatur tactus naturalis, omnia enim agentia & patientia naturalia se mutuo alterant, & agunt & patiũtur adinuicem, vt dicemus infrà, sed nota quòd agens naturale, & patiens naturale dicuntur solùm agens & patiens generabile & corruptibile, ex quo sequitur quòd tactum elementum vel elementatum potest dici agens vel patiens naturale, vtrum autem sit necesse semper agens naturale tangere passum discutiemus in secundo cap.

Circa tertium ponitur hoc correlarium ex prædictis descriptionibus de tactu, sequitur quòd dum intelligentiæ applicatæ corporibus cœlestibus mouent cœlestia corpora, tangunt ea tactu metaphorico, quia licet dent aliquam virtutem corpori cœlesti, non tamen causant in eis aliquam virtutem, aut qualitatem alteratiuam, cœlum enim est penitus inalterabile ex primo libro cœli. Dum autem cœlum mouet inferiora corpora est ibi tactus naturalis ex parte corporis inferioris. recipit enim & patitur à cœlo qualitatem alteratiuam, vt aqua calefit à sole, & humida exiccantur, ex parte verò cœlestis corporis est contactus metaphoricus: quia cœlum non repatitur ab inferiori corpore nec recipit qualitatem alteratiuam, vt dictum est. Dum autem inferiora corpora se inuicem mouent, vt dum ignis mouet motu alterationis ipsam aquam calefaciendo, & sic alia elemẽta, ibi est tactus naturalis ex parte mouẽtis & ex parte moti, agunt enim & patiuntur adinuicem, & in seipsis mutuo causant qualitates alteratiuas: & propterea elementa ex se inuicem mutuo generantur & corrumpuntur, vt dicemus in secundo libro. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.
De agere & pati.

CIrca caput secundum agendum est de agere & pati, & ibi dicemus quatuor. Primò quæ sunt conditiones agentis & patientis, deinde soluemus tria dubia, quæ mouentur super tres propositiones Philosophi.

Circa primum nota quòd Philosophus in hoc primo postquam adduxit opiniones antiquorum & improbauit quo ad conditiones agentis & patientis, & quo ad modum quo ponebant causari actionem & passionem, posteà in textu 77. & 78. inuestigat secũdum propriam opinionẽ huiusmodi conditiones, primò quidẽ ex parte agentis & patiẽtis quantum ad substantiam, secundò quantũ ad modum agendi & patiendi.

Quantum ad substantiam, agens & patiens habent duas conditiones, quæ requiruntur de necessitate cuilibet agenti & patienti. Prima est, omne patiens debet esse tale in potentia quale est agens actu, verbi gratia, si aqua debet calefieri ab igne, debet esse in potentia ad calorem sicut ignis est actu calidus. si enim esset actu calida iam non calefieret nisi fortè secundum maiorem gradum, similiter si ignis non esset actu calidus non ageret in aquam, omne enim quod agit, agit inquantum est actu, ex 9. Metaphysicæ. secunda conditio est, omne patiens naturale debet esse passibile secũdum omnem sui partem & non solùm secundum aliquas partes & secundum aliquas non, vt lignum est aptum calefieri & comburi secundum omnes suas partes.

Quantum ad modum agendi omne agens & patiens habent tres conditiones. Prima est, omne patiens magis vel minus patitur secundum quod est magis vel minus dispositum, actio enim agẽtis ex 2. de Anima recipitur in patiente disposito. ergo secundũ modũ dispositionis est modus passionis. similiter modus actionis est secũdum modũ virtutis & potentiæ ipsius agentis. agens enim quãto vigoro sius tanto efficacius in patiens operatur. Secunda conditio, omne patiens debet esse diuisibile non quidem actu sed potentia, quod si ha bet intelligi, omne patiens corporeum naturale sic debet esse quod sit aptum recipere aliquid ab agente. primò secundum vnam partem, deinde secundum aliam, & secundum aliam, &c. verbi gratia quando lignum calefit, primò recipit calorem in vna parte, & deinde in alia, non tamen propter hoc est necesse partes ligni abinuicem actu diuidi. potest enim continuum existens totum successiuè calefieri, propter hoc dixit, omne patiẽs oportet esse diuisibile nõ quidem actu sed potentia, omne enim patiens naturale est corpus, quia omne mobile naturale est corpus, ex 6. Physicorũ. cùm sit continuum. Tertia conditio, omne patiens debet esse proximatum suo agenti. agens enim & passum etiam si ponantur in esse non sequitur actio & passio nisi appropinquet, vt patet si ponatur ignis distans à palea non sequitur combustio, hæc tamen proximatio secundum Philosophum est intelligenda vel per seipsum vel per aliquod medium, verbi gra-

gratia ignis non solùm calefacit corpus quod per seipsum tangit, sed etiam & si longè sit potest calefacere, vt si ignis calefacit aërem sibi proximum, & aër proximus aërem parum remotum, & ille manum meam, tunc ignis propinquat manui non per seipsum, sed per medium. Ex quo sequitur quod nullum agens quantumcunque vigorosum potest agere in corpus distans nisi ei propinquet saltem per medium, vnde & astra non agerent in nobis nec in terra nisi primò agerent in elementis mediis quibus nobis propinquant, hæc de primo sufficiant. Nunc soluenda sunt tria dubia quæ oriuntur ex tribus dictis.

Primum dubium est, vtrum hæc propositio quam ponit Philosophus in hoc primo libro text. commenti 44. sit vniuersaliter vera, scilicet, omne agens agit per contactum ita quod sit necesse agens tangere passum.

Vt id resoluatur primò pono aliquas distinctiones. secundò aliquas conclusiones.

Prima distinctio, agens duplex incorporeum, vt Deus, intelligentiæ & anima, corporeum vt cœlum, elementa & elementata.

Secunda, actio duplex, immanens vt sentire intelligere, transiens, vt calefacere scribere, &c.

Tertia, actio transiens duplex, transiens realis vel naturalis, vt calefactio ab igne vel sole, transiens intentionalis vel spiritalis, vt actio obiecti qua causat suam speciem intentionalem in sensu, ex secundo de anima, vt albedo agit in oculum causando suam speciem intentionalem in eo, de hac locuturi sumus in secundo de anima in tractatu de sensibus exterioribus.

Quarta, tactus realis naturalis est duplex, immediatus quo agens per seipsum tangit passum, mediatus quo per medium tangit passum vt manus per baculum tangit lapidem.

Stantibus iis distinctionibus pono duas conclusiones.

Prima nullum agens incorporeum tangit suum passum tactu reali naturali, sed solùm tactu Metaphorico qui potest dici tactus virtualis, prima pars probatur. Agens incorporeum non habet quantitatem. ergo non tangit passum tali tactu, hæc est enim conditio vna requisita ad tactum naturalem realem, vt diximus suprà, tangit tamen tactu Metaphorico quia applicat virtutem passo.

Secunda conclusio, omne agens corporeum, si est agens actione reali transeunte tangit suum passum immediatè vel mediatè. Dico primò actione transeunte reali, quia Philosophus in libro de generatione non pertractat de actione immanenti, sed in libro de anima, & in 9. Metaphysicæ, nec de actione transeunte intentionali qua agit obiectum in sensu, sed in secundo de anima, licet etiam in iis actionibus conclusio sit vera, vt dicemus in solutione argumentorum. Dico secundò mediatè vel immediatè, quoniam si est agens proximum tangit passum per seipsum: si est agens remotum tangit per media, vt ignis tangit manum per aërem medium quem primò calefacit. Hæc conclusio sic declarata probatur. Si agens corporeum agit in passum corporeum & non tangit ipsum nec mediatè nec immediatè. ergo inter agens & passum erit vacuum, si enim esset aliquod medium, per medium tangeret ipsum passum, & qui negat hoc negat sensum: tũc vltra, si inter agens & passum esset vacuum. ergo virtus agentis nunquã pertingeret ad passum quod non tangit, agit enim per influxum suæ virtutis in passum, sed virtus agentis non potest fluere in vacuo, quia vacuum non est, & dato casu quod esset adhuc non fluereret, quia vt patet in quarto Physicorum, Vacuum secundum antiquos non est nisi dimensio vel superficies non repleta, vtrunque autem est accidẽs cùm sit quantitas, sed accidens non fluit nec recipitur in accidente. ergo virtus agentis, quæ etiam est accidens non fluit in vacuo.

Prætereà si hoc esset verum, ergo qua ratione ignis calefacit per paruum spatium vacuum calefaceret etiam per maximum spatium, quod est contra experientiam, nam paruus ignis calefacit partem cameræ non tamen totam, consequentia verò sic probatur, magnum spatium si est vacuum non plus resistit agenti igni quàm paruum spatium vacuum, omnis enim resistentia fundatur in aliquo corpore & non in vacuo. ergo qua ratione calefacit per paruum spatium vacuum, calefacit etiam per maximum spatium vacuum, & sic sequitur quòd vnus ignis totam vnam ciuitatem calefacit, propterea bene dixit Aristot. in libro secundo de Anima cap. de visu contra Democritum, si esset vacuum, musca existens in cœlo non posset videri eo quòd per vacuum non potest esse actio, nec species intentionales obiectorum sensibilium possẽt per vacuum ad organa sensuum differri, patet ergo quomodo hæc conclusio est vera, omne agens agendo tangit passum, & in qua actione sit vera.

Dubium secundum est, vtrum hæc propositio Philosophi in primo libro de Generatione textu cõmenti 48. sit vera, scilicet nihil agit in seipsum, sed in alterum, vt id resoluatur dico duo. Primò duas distinctiones. Secũdò aliquas conclusiones.

Prima distinctio, actio est duplex, scilicet perfectiua, vt intelligere quæ est perfectio intellectus, & corruptiua, vt ægrotatio vel calefactio in aqua, qua abiicitur sua naturalis frigi.

Secunda distinctio, aliquid potest agere in seipsum tripliciter, scilicet primò & per se, vt quando idem omnino secundum se totum esset agens & patiens, puta quòd homo seipsum primò moueret & à seipso primò moueretur. Secundò per se licet non primò, vt quando idem ageret in seipsum secundum partem, puta quòd homo moueat se, quia anima mouet quæ est pars. Tertiò per accidens, vt quando medicus sanat seipsum non inquantum medicum sed inquantum infirmum. accidit enim medico esse infirmum.

Stantibus iis, pono tres conclusiones.

Prima, impossibile est idem primò & per se, id est, secundum se totum & non concurrente alio esse agens & patiens, respectu cuiuscunque actionis siue perfectiuè, siue corruptiuè, probatur sic, omne agens, aut est voluntarium, aut cognoscitiuum, aut naturale, id est, sine cognitione agens. si est voluntarium vel est Deus de quo constat quòd nihil agit in seipso actione, quæ sit accidens, vt patet in duodecimo metaphysicæ, nam actio Dei est substantia Dei, vel est intelligentia, & de ea constat quòd ad omnem actionem suam cooperatur prima causa, aliter esset æquè perfecta & simplex sicut prima causa. si ad actionem cooperatur prima causa. ergo non primò & per se, sed concurrente alio est agens & patiẽs: vel est homo, & de eo constat quod non potest habere actum volitionis nisi concurrente cognitione rei volitæ. voluntas enim non fertur in incognitum, & tamen cognitio non concurrit ad hoc quod voluntas recipiat in se volitionem, patet igitur quòd voluntas quæ causat & recipit in se volitionem, non primò & per se causat eam, sed concurrit cognitio, licet primò & per se patiatur, id est, recipiat volitionem. Si autem agens est cognoscitiuum vel est intellectus vel sensus: si primum, patet quòd intellectio non causatur à solo intellectu, sed ad hoc concurrit species intelligibilis ex qua simul cum intellectu fit vnum sufficiens principium actus intelligendi, vt diximus in tertio de anima & in solo intellectu recipitur. ergo intellectus primò & per se non est causans intellectionem, & eandem in seipso recipiens: si secundum, patet quòd sensatio causatur non à solo sensu, sed à specie obiecti sensibilis simul cum sensu, vt diximus in secundo de anima, recipitur tamen in solo sensu, patet igitur quòd sensus non primò & per se causat sensationem & eam in seipso recipit. Si autem agens fuerit naturale, id est, agens sine cognitione tunc in istis inferioribus concurrit semper materia, scilicet, in patiendo, est enim materia potentia receptiua, & tamen non concurrit in agendo. omne enim agens vel coagens debet esse actu. quòd non competit materiæ cùm sit in pura potentia. ergo in inferioribus non est idem secundum se totum agens & patiens, sed est agens per suam formam, & patiens per materiam. similiter in cœlo idem primò & per se, non est agens & patiens, nam vt dictum est in octauo physicorum, cœlum mouens seipsum, non mouet seipsum primò, sed distinguitur in partem mouentem quæ est intelligentia & in partem motam quod est corpus cœli, cùm igitur non dentur plura agentia & passa, patet inductiuè, quod nullum agẽs primò & per se agit in seipso.

Secunda conclusio, Possibile est idem agere in seipsum per se, id est, secundum partem maximè actione perfectiua, probatur, intellectus per se producit actum intelligendi, & in ipso intellectu recipitur, actio enim immanens remanet in agente, ex nono metaphysicæ. ergo intellectus est agens in seipso per se, dico autem per se, non tamen primò, quia actus intelligendi non producitur ab intellectu solo, sed ab intellectu actuato specie intelligibili, vt dixi in conclusione præcedenti. Item sensus visus agit in seipso, quia producit actum videndi & recipitur in ipso visu, sed non primò, ad visionem enim concurrit species rei visibilis quã actuatur visus. ergo sensus agit in seipso per se. Item voluntas producit actum volendi per se & recipitur in voluntate. ergo patet quòd possibile est idem agere in seipso per se licet non primò & maximè actione perfectiua.

Tertia conclusio, Nihil agit in seipso per se actione corruptiua, probatur, Quodlibet ens diligit sui conseruationem, ergo

ergo non corrumpit ſeipſum per ſe, præterea ſequeretur quod appetitus naturalis errarat, quod eſt falſum, & probatur conſequentia, nam ſi aliquid ageret in ſeipſo actione corruptiua quæ ſit diſpoſitio ad corruptionem, erroneè ageret, vnumquodque enim eſt agens ex ſua actione perficiatur, ex nono Metaphyſicæ. ergo non eſt agens ad ſui corruptionem, & nota quòd quando Philoſophus in libro primo dixit quòd nihil eſt agens in ſeipſum propriè intelligit de actione corruptiua, vnde illam propoſitionem probans inquit, ſi idem ageret in ſeipſo, nihil eſſet incorruptibile, nos autem ad maiorem doctrinam declarauimus quomodo ſit vera etiam in actione perfectiua. Hæc de ſecundo dubio ſufficiant.

Dubium tertium eſt quomodo propoſitio Philoſophi in text. commenti 48. ſit vera, ſimile non poteſt agere in ſimile, & probat, quia idem ageret in ſeipſo actione corruptiua, quod patet eſſe falſum per dubium præcedens. vt id reſoluatur dico duo. Primò aliquas diſtinctiones. Secundò aliquas concluſiones.

Prima diſtinctio, actio poteſt cõſiderari tripliciter. primò quãtum ad primum, vt cùm ignis incipit calefacere lignum, ſecundò quantum ad medium, vt cùm aliqualiter calefecit, tertiò quantum ad finem, vt cùm eſt terminata calefactio.

Secunda diſtinctio, ſimilia dupliciter. primò aliqua dicuntur ſimilia quando conueniunt in vera qualitate & in æquali gradu, vt duo pugilli niuis dicuntur albi, & æquè albi & hæc dicuntur omnino & ſummè ſimilia. Secundò dicũtur ſimilia quando conueniunt in vna qualitate, ſed in æquali gradu, vt charta & nix dicuntur ſimiles licet perfectior ſit albedo in niue: & hæc dicuntur non omnino ſimilia, imò dicũtur ſimilia & non ſimilia, ſimilia quidem inquantum conueniunt in vna qualitate diſſimilia inquantũ in æquali gradu in illa cõueniũt.

Stantibus iis pono duas concluſiones.

Prima eſt omne agens in principio actionis eſt diſſimile patienti, probatur, agens ideo agit in paſſum, vt inducat in eo aliquam qualitatem quę non eſt paſſo ex ſe, vt ignis ideo agit in aquam, vt inducat in ea caliditatem quam non habet ex ſe. ergo agens in principio actionis habet qualitatem quam non habet patiens. ergo eſt diſſimile. Si dicas quòd ignis poteſt incipere in aquam agere, dato caſu quòd ante actionem eſſet calida, dico quòd ſi in aqua eſſet ita perfectus calor ſicut in igne non ageret in eam, ſed ſi eſt aliqualis gradus caloris in aqua poteſt ignis agere in eam, quia eſt diſſimilis ſecundum gradum caloris, vt patet in ſecundo membro ſecundæ diſtinctionis.

Secunda concluſio, omne agens & patiens in fine actionis ſunt ſimilia. probatur, omne agens ideo agit in paſſum vt illud ſibi aſſimilet puta ignis agit in lignum, vt conuertat illud in ignem, ſed non aſſimilat eum ſibi in principio actionis. ergo hæc aſſimilatio incipit in medio actionis, & perficitur in fine, & ſic patet quod in fine erunt ſimilia, ſed nota ad hoc quòd ſint ſimilia in fine actionis non eſt neceſſe quòd conueniant in vna qualitate & æquali gradu, ſed ſufficit quòd agens communicet paſſo qualitatem ſuam & ſic erunt ſimilia, non tamen ſecundum omnem gradum: vnde non eſt neceſſe, vt patet quòd ignis communicet aquæ calorem ſecundum omnes gradus qui ſunt in ipſo igne, patet igitur quòd in fine actionis eſt neceſſe agens & patiens eſſe ſimilia ſub hac diſiunctiua vel ſint omnino ſimilia vel aliqualiter ſimilia, & hæc ſecunda pars eſt neceſſaria. Hic terminatur ſecundum caput.

CAPVT III.

De mixtione quomodo differat ab aliis mutationis ſpeciebus.

Circa caput tertium in quo agendum eſt de mixtione faciam tria. primò ponam diſtinctionem de mixtione. ſecundò declarabitur quomodo differt ab aliis ſpeciebus mutationis, tertiò quid ſit mixtio de qua agit Philoſophus in hoc primo libro, vltimò declarabitur quæ & qualia debent eſſe miſcibilia adinuicem.

Circa primum nota quòd mixtio dicitur quatuor modis. primo dicitur cumulatio vel iuxta poſitio plurium rerum remanentium in propria forma & figura, ſic ſolemus dicere quòd ordeum miſcetur frumento vel milio, ſimiliter quod pili lanæ adinuicem miſcentur in panno. & hoc modo non conſideratur hic mixtio, ſecundo dicitur cumulatio vel iuxta poſitio plurium rerum contritarum vſque ad minutiſsimas partes ſicut dicuntur miſceri aromata in mortario per contuſionem, nec ſic in hoc loco conſideratur, tertiò dicitur vnio plurium liquidorum quæ omnia remanent actu ſecundum formam ſuam ſic dicitur aqua miſceri vino, quarto dicitur compoſitio plurium miſcibilium in vnam formam ſubſtantialem, ita quòd ex eis fit vnum per ſe, nec aliquod eorum actu remanet in mixto, ſed in virtute. hæc omnia declarabimus in diffinitione mixtionis, & hoc modo ſumitur à Philoſopho in hoc primo.

Circa ſecundum declarandum eſt quomodo mixtio, quarto modo differt ab aliis ſpeciebus mutationis, ſcilicet generatione & corruptione, augmento & decremento & alteratione. Quod differat à motu locali non eſt dubium. Dico igitur ſecundum Philoſophum quod differt à generatione, nam in generatione materia non miſcetur formæ, nec econuerſo, in mixtione autem vnum miſcibile miſcetur alteri miſcibili, vt dicemus in ſecundo. ergo mixtio non eſt generatio, quòd autem materia non miſceatur formæ, probatur ſecundum philoſophum, quia in mixtione, vt dicemus eſt neceſſe miſcibilia non remanere actu in mixto, in generatione materia & forma actu remanent in genito. ergo materia non miſcetur formæ.

Item differt à corruptione, quia in mixtione nullum miſcibilium corrumpitur, quod quomodo ſit verum declarabo in ſolutione argumentorum, ſed in corruptione altera pars rei corrumpitur, ſcilicet forma ſubſtantialis. ergo mixtio non eſt corruptio. Item differt ab augmento & decremento, quia in augmẽto duo requiruntur, ſcilicet nutrimentum & corpus animatum, quod nutritur, ſed nutrimentum non miſcetur corpori animato, quia corrumpitur, vt dictum eſt in tractatu primo, aliter non conuerteretur in ſubſtãtiam corporis animati: nec corpus animatum miſcetur nutrimento, quia remanet actu & ſub propria forma, vt patet. in mixtione autem ſumpta quarto modo, nullum miſcibilium remanet actu nec ſub propria forma, vt dicemus in diffinitione mixtionis. ergo augmentum & decrementum non ſunt mixtio. Item differt ab alteratione, nam qualitates ſecundum quas fit alteratio non dicuntur miſceri ſuis ſubſtantiis, vt albedo manus non miſcetur cum manu, & ratio eſt quia in manu alba remanet actu albedo, & manus actu, in mixtione autem miſcibilia non remaneant actu, ſed ſolùm virtute, vt dicemus infrá. ergo mixtio non eſt alteratio, vtrum autem ad minutionem præcedat alteratio, vt dicemus infrá.

Circa tertium nota quòd mixtio quarto modo ſic diffinitur in fine huius primi libri, mixtio eſt miſcibilium alteratorũ vnio. Ad huius declarationem dico tria. Primum eſt quòd miſcibilia ſecundum Philoſophum non remanent actu in mixto, puta in lapide non remanent actu ignis & aqua & terra, quæ dicuntur miſcibilia, ex quibus hoc mixtum, quod eſt lapis componitur. nam ſi remanerent actu non facerent mixtionem, ſed tantùm iuxta poſitionem, ſicut non dicuntur agere mixtionem hoc quarto modo, frumentum & ordeum licet adinuicem iuxta ponantur, & de hoc formabimus in ſecundo libro dubium particulare, ſcilicet quòd elementa miſcibilia non remanent actu in mixto.

Dico ſecundo quòd licet miſcibilia non remanent actu in mixto remanent tamen in virtute, id eſt, ſecundum qualitates actiuas & paſſiuas, puta licet non remaneat actu terra in lapide, remanet tamen frigiditas & ſiccitas quæ ſunt propriæ qualitates terræ, idem dico de aliis tribus elementis. Aduerte tamen quòd tales qualitates elementorum miſcibilium non remanent ſecundum ſuas excellentias in mixto, non enim eſt tantus calor vel frigiditas in planta mixta & compoſita ex elementis quanta eſt in igne, & quanta eſt frigiditas in terra, ſed in mixto tales qualitates ſunt remiſſæ & quodam modo confractæ, ſicut in tepido eſt calor & frigiditas ſub gradibus remiſsis. Ad hoc autem quòd huiuſmodi qualitates ſeruentur in gradu remiſſo in mixto eſt neceſſe quòd elementa miſcibilia adinuicem agant & patiantur, & ſic mutuo alterantur per ſuas qualitates contrarias: ex tali autem mutua alteratione qualitates contrariæ elementorum remittuntur & reducuntur ad quandam temperantiam ſicut album & nigrum temperantur in pallido, & temperatæ ſe compatiuntur in mixto.

Dico tertio quòd poſtquam elementa miſcibilia adinuicem alterata ſunt, eſt neceſſe quod adinuicem componantur, aliter non fit mixtio. Nam mixtio & reſolutio opponuntur, reſolutio enim fit per ſeparationem, mixtio autem per vnionem.

Stantibus iis patet diffinitio dicta, ſcilicet mixtio eſt vnio in vna forma ſubſtantiali, miſcibilium elementorum prius alteratorum adinuicem, quia nec actu nec ſecundum ſuas qualitates contrarias intenſas poſſunt remanere in mixto. ergo prius alterantur, & ſic ſuæ qualitates remituntur, quæ remiſſæ ſeruantur & ſe cõpatiuntur in mixto, vtrum autem elementa

elementa miſcibilia ſic adinuicem alterentur quod ſua forma ſubſtantialis corrumpatur, & ſuæ qualitates contrariæ corrumpantur generetúrque media qualitas in qua virtualiter ſeruentur qualitates omnes elementorum, id diſcutiemus in ſecundo libro, vbi declarabimus quomodo elementa maneant in mixto ſecundo elementato.

Demum viſo quid ſit mixtio, docet Philoſophus in fine huius primi vniuerſaliter quæ ſint adinuicem miſcibilia, & quæ bene miſcibilia, & quæ malè: dicit ea eſſe miſcibilia quæ ſunt contraria & poſſunt in inuicem agere & pati ſecundum ſuas qualitates contrarias, ſic elementa dicuntur miſcibilia cùm ſint contraria, & adinuicem alterentur, vt dicemus in ſecundo.

Dicit ea eſſe bene miſcibilia, quæ ſunt parua, nam iuxta ſe poſita facilius ſe alterant & tranſmutant & ſic adinuicem miſcentur, vnde & ſuprà diximus quòd aromata quanto magis ſunt comminuta, tanto melius adinuicem miſcentur mixtione ſecũdo modo dicta. Item humida ſunt adinuicem bene miſcibilia, quia facilè diuiduntur, & ſunt bene paſsiua vt vinum & aqua, id intellige dummodo non ſint viſcoſa vel vnctuoſa, nam viſcoſitas prohibet diuiſionem, vt patet in mele, & vnctuoſitas ſupernatare facit, & ideo mel & aqua, oleũ & aqua, licet ſint humida, tamen non ſunt bene miſcibilia.

Dicitur tertiò ea ſunt malè miſcibilia quæ ſunt magnæ quantitatis. tardius enim adinuicem tranſmutantur, & tardius ſe mutuo alterant. Item ſi duo ſint quorum vnum eſt valde paſsiuum & alterum quaſi impaſsibile non bene adinuicem commiſcentur, vnde inquit Philoſophus, ſtannum & æs non ſunt bene miſcibilia, & ſtannum enim non eſt molle & ideo facilè paſsiuum, æs autem eſt durum, ideo quaſi impaſsibile: propter quod ſi ſtannum & æs ſimul liquantur, ſtannum quidem pro maiori parte reſoluitur in elementa & euaporat, æs autem permanet, propter quod artifices dum conflant æs & ſtannum prius permittunt æs liquefieri deinde apponunt ſtannum quo liquefacto extrahunt ex fornace ne ex longa mora ſtannum euaporet, hæc de bene & malè miſcibilibus ſufficiant in vniuerſali, in particulari autem tractare ſpectat ad librum de mineralibus. Nunc ſupereſt quædam ſoluere argumenta.

Contra primum caput quòd ea quæ ſe tangunt tactu Mathematico, non eſt neceſſe eſſe quanta, quia duo puncta poſſunt ſe tangere hoc tactu quæ non ſunt quanta, vt patet, &c. probatur antecedens, ſignetur punctus A, in ſuperficie concaua Saturni & ſignetur punctus B, ex oppoſito in ſuperficie connexa Iouis, quæro aut ſe tangunt aut non. Si non, ergo inter duas ſphæras datur medium vacuum, ſi ſic, habeo intentum. Si dicis, quod quæcũque ſe tangunt per ſe hoc tactu debent eſſe quanta, quæcunque autem ſe tangunt per accidens non eſt neceſſe eſſe quanta dummodo ſint in prædicamento quantitatis, ſic eſt in propoſito punctum tangit punctum per accidẽs & non per ſe, ideo ſufficit quòd ſint in prædicamento quantitatis.

Contra ſi ſufficit quòd ſint in prædicamento quantitatis. ergo eadem ratione vnitas tangit vnitatem per accidens, quod tamen eſt falſum, quia ſi duę vnitates tangerent ſe, cùm conſtituant numerum, ſequitur numerum eſſe quantitatem continuam, non enim repugnat enti contiguo fieri continuũ, conſequentia verò probatur, quia ſicut punctus eſt principium quantitatis continuę, ſic & vnitas quantitatis diſcretę.

Si dicis quòd non eſt eadem ratio de vtroque quòd vnitas dicit ſolam indiuiſibilitatem, punctus autem addit determinatum ſitum in continuo & ratione huius punctus tangit punctum, non autem vnitas vnitatem.

Contra ergo ſtat argumentum in robore ſuo, ſcilicet, quòd punctus per ſe tangat punctum, nam omne habens determinatum ſitum tangit alterum per ſe, ſi ergo punctus habet determinatum ſitum in continuo ſequitur quòd per ſe tangat punctum.

Si dicis quòd aliquid habet determinatum ſitum ex ſeipſo, & tale eſt tangens alterum per ſe, aliquid autem habet determinatum ſitum non ex ſe, ſed ex alio in quo continetur, & tale non tangit alterum niſi per accidens, & quia punctus in continuo habet talem ſitum eo quòd continetur in linea, ſic non ſequitur punctum per ſe tangere punctum.

Contra ergo eadem ratione linea non eſt tangens per ſe lineam, quod tamen eſt falſum, quia poteſt continuari alteri lineæ. ergo & contiguari, conſequentia verò probatur, ſicut punctus non habet ſitum niſi quia continetur in linea, ſic nec linea habet ſitum, niſi quia continetur in ſuperficie: non enim datur linea realis ſine ſuperficie nec ſuperficies ſine corpore ſecundum Philoſophum, ergo ſicut punctus non poteſt tangere punctum, ſic nec linea lineam.

Reſponſio, non eſt eadem ratio de puncto & de linea, licet enim vtrunq; ſit in ſitu per aliud, tamen linea ex ſe eſt quanta. ideo ex ſe poteſt tangere lineam, quia autem punctus non eſt quantus per ſe, ideo repugnat punctum per ſe tangere punctum.

Contra idem caput, quòd non omne agens tangat paſſum, Sol agit in elementis cauſando calorem, & tamen non tangit elementa. ergo & cætera. probatur antecedens, inter Solem & elementa dantur mediæ ſphæræ. ergo non tangit elementa, ea enim ſe tangunt inter quæ non eſt medium ex ſeptimo Phyſicorum.

Si dicis quòd Sol tangit elementa mediatè non tamen immediatè, quia prius tangit ſphæras medias, & per ipſas tangit elementa, ad hoc autem quòd agens tangat paſſum ſufficit tactum eſſe mediatum vel immediatum.

Contra ſi tangit ſphæras medias, ergo cauſat in eis aliquam qualitatem, quod tamen eſt falſum, quia cùm ſint corpora inalterabilia non recipiunt qualitates, cõſequentia verò probatur, ſi Sol tangit ſphæras, tangit eas tactu Metaphyſico, ſi tactu Metaphyſico, ergo cauſat in paſſo aliquam qualitatem ex diffinitione tactus Metaphyſici, quæ aſſignata eſt ſuprá.

Si dicis quòd Sol non cauſat in ſphæris qualitates alteratiuas, quę ſunt qualitates elementares, quibus corpora ſunt corruptibilia, cauſat tamen lumen, quæ eſt qualitas communis corpori corruptibili.

Contra, ſi in ſphæris cauſat lumen, ergo illuminatur, quod tamen eſt falſum, ſolum enim corpus planetæ illuminatur, & non tota ſphæra, vt patet, conſequentia verò probatur ex 6. Phyſic. præſentia formæ ſubiectum denominat, vt quando recipitur motus in mobili verum eſt dicere quòd mouetur. ergo, &c. Si recipitur lumen in ſphæra verum eſt dicere quòd ſphæra illuminetur, &c.

Si dicis quòd ad hoc quòd corpus illuminetur non ſufficit recipere lumen, ſed quòd ſit diaphanum terminatum aliquo opaco, vt in ſpeculo, vel condenſatum, vt aqua congelata, & quia tota ſphæra eſt corpus diaphanum non terminatum & rarum, ſolum autem corpus planetæ eſt condenſatum, eſt enim ſtella denſior pars ſui orbis, ideo non ſequitur totam ſphæram illuminari licet in ea recipiatur lumen.

Contra ergo ſequitur quòd tota luna illuminetur à ſole, quod tamen eſt falſum, quod patet ex partibus vmbroſis apparentibus in ea. probatur conſequentia, quia per te totum diaphanum condenſatum illuminetur, ſed luna eſt tota condenſata comparata ſphæræ ſuæ. ergo tota illuminatur. Reſponſio ad hoc quod corpus illuminetur non ſufficit qualiſcunque condenſatio, ſed multa & euidens, vnde ſecundum gradus condenſationis dantur gradus illuminationis. vnde licet tota luna reſpectu ſuæ ſphæræ dicatur eſſe denſata tamen habet in ſe partes magis & minus denſas, ideo habet partes euidenter illuminatas, quia manifeſtè reflectunt radios Solis, aliqua autem ſua parua denſitate inſenſibiliter illuminatur ideo remanent vmbroſæ, cùm tamen vmbra ſit lumen remiſſum poſſunt dici illuminatæ ſecundum Phyſicum.

Contra ſecundum caput quòd non omne paſsibile ſit diuiſibile, quia datur indiuiſibilis caro quæ poteſt alterari & corrumpi. ergo, &c. conſequentia manifeſta, antecedens probatur, datur minima caro alterabilis, ex primo Phyſic. ergo datur caro indiuiſibilis, conſequentia probatur, ſi caro minima poteſt diuidi datur minus minimo, quia partes ſunt minores diuiſo.

Si dicis quòd licet detur minimum paſsibile naturale, non tamen minimum Mathematicum, quia cùm omne paſsibile ſit mobile, ex 3. Phyſico. & omne mobile ſit corpus ex ſexto. Phyſic. & omne corpus continuum eſt diuiſibile ex tertio, ſequitur ſecundum Mathematicum non dari minimam carnẽ.

Contra, data hac reſponſione habeo intentum, nam per te datur minimum naturale quod eſt paſsibile. ergo datur paſsibile indiuiſibile, quantum autem ad Mathematic. ſiue ſit diuiſibile, ſiue non, nihil eſt, omne enim paſsibile naturale eſt inquantum habet eſſe in materia, ex 12. Metaphyſic. ſed quæ conſiderantur à Mathemati. inquantum ab eo conſiderantur abſtrahunt à materia, ex ſecundo Phyſico. & 3. Metaphyſicæ. ergo nullum Mathemati. eſt paſsibile.

Si dicis, quòd conceditur minimum naturale paſsibile indiuiſibile non quidem per ſe, ſed inquantum in alio, puta minima caro patitur non ſecundum ſe, ſed quia eſt in toto quod ſecundum omnes partes integrales patitur, vt dictum eſt ſuprá.

Contra, minima caro potest abstrahi à toto, quia concessisti minimum naturale. ergo potest pati secundum se, & cùm sit indiuisibilis, sequitur aliquid passibile per se, esse indiuisibile. consequentia verò probatur, omne corpus naturale habens esse per se est passibile per se, sed minima caro si abstrahitur à toto, habet esse per se. ergo est passibilis per se.

Responsio, minima caro potest dici diuisibilis, & indiuisibilis, indiuisibilis quidem quia non potest diuidi in partes minores quarum vtraque sit caro, potest tamen diuidi in elementa, ex quibus componitur, dico igitur dari passibile indiuisibile in partes eiusdem speciei, non tamen indiuisibile in prima corpora, ex quibus componitur.

Contra primum dubium secundi cap. videtur quòd non omne agens tangat suum passum, sic, obiectum visibile agit in visum causando in illo sui similitudinem, & tamen visibile non tangit visum, aliter non videretur, quia sensibile positum supra sensum non facit sensationem, vt dicitur in secundo de anima. ergo non omne agens tangit suum passum.

Ad hoc dicitur, quòd visibile tangit visum, non quidem immediatè, vt argumentum probat, sed mediatè, id est per speciem intentionalem, quæ causatur à visibili, & per medium diaphanum defertur ad visum, vt dicitur in secundo de anima: quia igitur hæc species causatur à visibili, & tangit sensum potest dici, quòd sensibile mediatè tangit sensum, & hoc sufficit, nam diximus sufficere agens tangere passum mediatè, vel immediatè.

Contra secundum dubium fiunt argumenta, ad probandum, quòd idem agat in seipsum, sed omnia soluuntur per hanc distinctionem positam suprà, scilicet; primo, & per se, vel per se tantùm. omnia enim probant, quòd idem agit in seipso per se actione non corruptiua, non primo tamen & per se, vt declaratum est suprà. Hæc argumenta videbis in quæstionibus Marsilij, & Albertucij de Saxonia, & Scoti in nono Metaphy.

Vnum argumentum est, quod videtur probare idem agere in seipsum primo, & per se, sic, aqua existens calida si removeatur à calefaciente reducit seipsam ad frigiditatem. ergo agit in seipsum primo, cùm in seipsa causat frigiditatem, aut enim frigefit ab aëre frigido circunstante, autà seipsa, non ab aëre. quia magis infrigidatur, quàm sit frigiditas aëris præcipuè in æstate. & præterea licet id posset allegari tempore hyemali, non tamen tempore æstiuo, in quo & aër calidus est. ergo non infrigidat eam.

Ad hoc dicitur secundum viam Thomisticam, quòd eadem ratio est, à quo aqua mouetur deorsum, & à quo infrigidatur. & ideo dicimus quòd sicut mouetur deorsum à generante per virtutem sibi impressam, quæ est grauitas consequens formam aquæ, ita infrigidatur à generante, quia ab eo habet formam aquæ ad quam sequitur frigiditas, vt qualitas naturalis. dicimus ergo quòd infrigidans, vt quod est generans, infrigidans autem, vt quod est forma aquæ. sicut etiam diximus in vltimo tracta. super libr. tertium, & quartum de cœlo, de motu locali grauium, & leuium, à quo moueantur. patet igitur quòd aqua nõ primo, & per se agit in seipsam sed tantum per se, & nota quòd infrigidatio aquæ non est actio corruptiua, sicut calefactio. sed perfectiua, per eam enim tendit ad suam qualitatem naturalem, scilicet frigiditatem.

Contra tertium caput de mixtione probatur, quòd mixtio quarto modo non potest fieri, sic, Si talis mixtio fit, quæro vel miscibilia manent in mixto actu, vel corrumpuntur. Si dicis quòd manent actu est contra Philosophum, vt diximus suprá. Si dicis quòd corrumpuntur contra ea, quæ sunt corrupta. sunt non entia. est enim corruptio progressio ad non esse. ergo mixtio fit ex non entibus, quod est contra Philosophum negantem partes alicuius mixti, vel compositi esse non entia.

Ad hoc dicitur pro nunc, quòd non remanent actu, nec propriè dicuntur corrumpi. ea enim propriè corrumpuntur, quæ desinunt esse, & quo ad suam formam substantialem, vt quo ad qualitates consequentes formam rei, sicut quando corrumpitur lapis desinit esse forma lapidis, & grauitas, & durities, &c. Miscibilia autem licet corrumpantur quo ad formam suam videntur manere in mixto, secundum qualitates suas, licet remissis. & ideo non propriè corrumpuntur, melius ergo dicimus cùm Philosopho, quòd remanẽt in virtute in mixto, quàm quòd corrumpantur, vt clarius discutietur in secundo libro.

EPITOME

SVPER SECVNDO LIBRO de Generatione, & Corrupt. in tres Tractatus diuisa.

TARCTATVS PRIMVS in quatuor capita diuisus.

SVper secundo libro de generatione formamus tres tracta. primus est de numero elementorum, quem diuidimus in quatuor cap.

In primo agitur de numero qualitatum primarum, quæ sunt actiuæ, & passiuæ, & secundò quas primo fit alteratio corrupt. in elementis, & elemẽtatis.

In secundo declaratur, quomodo inter eas duæ sunt actiuæ, & duæ passiuæ.

In tertio probatur ex numero harum qualitatum esse quatuor elementa, nec pauciora, nec plura.

In quarto declaratur, quomodo elemẽta non solùm seinuicem alterãt, sed ex seinuicem generantur, & corrũpuntur.

CAPVT I.

Quot nam sint qualitates primæ.

CIrca primum cap. videndum est de numero qualitatum primarum, &c. Et dicemus tria, primò non intendimus loqui de omni qualitate prima, quæ reperitur in elementis, sed solùm de primo prima, id est quæ non causatur ex priori, nam in elementis non solùm sunt hæ quatuor qualitates, caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas: sed raritas, densitas, grauitas, leuitas, durities, mollities, asperitas, lenitas, quæ omnes dicuntur à Philosopho in hoc secundo libro qualitates tangibiles, eo quòd solo sensu tactus dignoscuntur, inter quas solùm quatuor, scilicet cali. frig. humi. sicci. dicuntur qualitates primo primæ. reliquæ enim causantur ex eis, nam raritas, & leuitas causantur ex calidit. ate, proprium est enim calidi rarefacere, ad rarefactionem sequitur leuitas. vnde inter elementa rarius, vt ignis, est leuius. grauitas autem est causata à frigiditate, à qua primo causatur densitas. nam proprium est frigiditatis cõdẽsare, vt patet in glaciata aqua, ad condensationem sequitur grauitas, eo quòd partes condensatæ magis cohærent, & sic reddunturgrauiores, vt patet in lapide. item ad condensationem sequitur durities, vt patet in terra, ad raritatem sequitur mollities, vt patet in aqua. ad duritiem sequitur asperitas: nam in re dura vna pars potest supereminere alteri, ex quo sequitur asperitas. lenitas autem potest sequi ad duritiem, & ad mollitiem. nam & dura, & mollia possunt habere partes, quarum vna non supereminet alteri, vt patet in ligno dolato, & in aqua quiescente, in vtroque deprehenditur lenitas, id est, adæquatæ partes secundum tactum.

Dico secundò quòd dimissis aliis qualitatibus non primo primis quas enumerauimus solùm quatuor sunt primo primæ; quæ verò sunt actiuæ & passiuæ, & quidem quòd sint 4, ab omnibus, vt per se notum concessum est, quòd autem sint primo primæ probatur, quia sunt causæ aliarum sequentium, vt declarauimus, ipsæ autem non causantur à prioribus. ergo sunt primo primæ ex causalitate. Item secundum eas assignatur numerus elementorum quæ sunt corpora primo prima inter generabilia & corruptibilia. ergo sunt primo primę. Item in sunt omnibus elementatis & elementis non causatæ à prioribus. ergo &c. Quod autem hæ solæ sint propriæ actiuæ & passiuæ, id est sint principia actionis & passionis corruptiuæ, qualis est calefactio, exiccatio, &c. probatur, nam aliæ sequentes potius causantur ex alteratione facta per has quatuor quàm sint principia alterationis: dictum est enim quòd ex calefactione causatur raritas, ad quam sequitur leuitas. Ex frigefactione causatur densitas ad quam sequitur grauitas. ergo potius debent existimari esse causatæ per actionem & passionem corruptiuam cuius principia sunt prædictæ quatuor qualitates, quàm quòd secundum se sint actiuæ & passiuæ, & si dices quòd grauitas & leuitas sunt principia actionis per se cùm sint principia motus localis in graui & leui.

Respondeo quòd motus localis non dicitur ex se actio corruptiua, cùm per motum localem per se non acquiratur in mobili aliqua qualitas, secundum quam fit alteratio, sed solùm vbi vel nouus locus, patet ergo q̃ illę quatuor qualitates proprię & solę & primo sunt actiuę & passiuę ad sensum datũ.

Dico tertio, quòd non omnes sunt actiuæ, & passiuæ, sed inter

inter eas duæ sunt magis actiuæ, & duæ magis passiuæ. verùm quia hoc pertractandum est in cap. sequenti, ideo hic termino primum caput in quo patet, quòd qualitates elementares primo primæ sunt hæ quatuor, caliditas, &c. Et quod sunt solæ, & propriæ, & primo actiuæ, & passiuæ, id est, sunt principia, quibus corpora adinuicem agunt, & patiuntur actione, & passione corruptiua.

CAPVT II.

Quæ nam ex qualitatibus actiuæ & passiuæ dicantur.

CIrca caput secundum declarandum est inter prædictas quatuor qualitates, quæ censentur actiuæ, & quæ passiuæ, & dico tria.

Primò omnes quatuor, si comparantur adinuicem, vt contrariæ. puta comparãdo caliditatem frigiditati, & humiditatem siccitati sunt adinuicem actiuæ, & passiuæ. nam caliditas corrumpit frigidi. & frigiditas corrumpit caliditatem, vt patet si approximetur corpus calidum corpori frigido. similiter humiditas corrumpit siccitatem, & econuerso, vt patet si aqua fundatur super terram siccam humectat eam. ergo sunt mutuò actiuæ, & passiuę. prętereà probatur à diffinitione contrariorum, contraria sunt duæ formæ actiuæ, & passiuæ adinuicem se mutuò expellentes ab eodem subiecto, cui possunt vicissim inesse, nisi alterum insit ei à natura: cùm ergo quatuor qualitates adinuicem comparatæ sint contrariæ, sequitur quòd actiuæ, & passiuæ sunt.

Dico secundò, quòd si vna comparetur alteri inquantum non contrariæ, puta comparando caliditatem siccitati, & frigi. humidi. non agunt, nec patiuntur adinuicem per se, probatur ex quinto Physico. omnis actio, & passio corruptiua est alteratio, omnis alteratio est inter qualitates contrarias, sicut omnis motus est inter terminos contrarios, sed caliditas, & humiditas, frigiditas, & siccitas non sunt contrariæ, cùm se compatiuntur in eodem, vt dicemus infrà, quòd aër est humidus, & calidus, & terra est frigida, & sicca. ergo sic comparatæ non sunt adinuicem actiuæ, & passiuæ.

Dico tertiò ex sententia Philosophi in hoc secundo, quòd licet vt contrariæ, sint omnes actiuæ, & passiuæ: tamen caliditas, & frigiditas merentur dici magis actiuæ. humiditas autem, & siccitas magis passiuæ. Quòd declaratur ex duobus. primò caliditas, & frigiditas sunt dispositæ ad plures actiones. calidum enim congregat partes homogeneas in composito, & segregat partes etherogeneas. videmus enim in fornace, quòd plumbi partes segregantur à partibus argenti, si ante erant mixtæ. partes autem plumbi congregat simul similiter partes argenti. frigidum verò congregat partes etherogeneas etiam, & homogeneas. nam siue abstrahatur à fornace plumbum cum argento, vel seorsum ita condensantur ex frigore partes plumbi mixtæ argento, sicut puræ partes argenti. congregare verò, & disgregare sunt actiones. Humidum autem faciliter terminatur alieno termino, id est figuratur secundum figuram continentis, vt aqua in cyatho figuratur figura cyathi, vt patet si congelatur. siccum verò faciliter terminatur suo proprio termino, id est, ex se habet propriam figuram, sed terminari est pati. ergo quia caliditati, & frigiditati conueniunt plures actiones, scilicet, congregare, condensare, & rarefacere, ideo merentur qualitates actiuæ absolutè dici. humiditati verò & siccitati quia conueniunt plures passiones, scilicet, terminari alieno termino, vel proprio, ideo merentur dici qualitates absolutè passiuæ. hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.

Quot nam sint elementa ex ipsis qualitatibus ostenditur.

CIrca caput tertium probandus est numerus elementorum ex quatuor primis qualitatibus, & agimus duo. primò describitur quid sit elementum. & dico ex Aristotel. in quinto Metaphys. quòd elementum est quo res primò componitur, & non est resolubile in aliquod prius. sicut literæ sunt elementa dictionum. ex eis enim primò dictio componitur, & in eis resoluitur, nec resoluuntur in aliqua priora. licet enim resoluamus dictiones in syllabas, & syllabas in literas, in literis tamen est status, sic in generabilibus elementa dicuntur corpora, ex quibus primò mixta componuntur, & in ea resoluuntur, nec tamen sunt resolubilia in priora corpora. cùm sint penitus simplicia. & si dicas, quòd elementum puta ignis componitur ex materia, & forma sua. ergo est resolubile in materiam, & formam suam. & sic materia erit elementum. Respondeo, quòd si sumatur elementum non esse resolubile in aliquod prius absolutè concedo, quòd materia prima potest dici elementum nec id negat Philosophus in quinto Metaphysicæ. Si autem intelligatur, quòd elementum non est resolubile in priora corpora sic, nego materiam hoc modo dici elementum. & ideo quia mixta resoluuntur in quatuor prima corpora, quæ sunt terra, aqua, &c. Et illa non resoluuntur in priora corpora propriè à vulgo dicuntur elementa, & de his hic intendimus probare quòd sunt tantùm quatuor.

Stante hac distinctione pono quinque conclusiones.

Prima, numerus elementorum sumi debet ex numero quatuor primarum qualitatum. probatur, numerus primorum corporum se mutuo alterantium sumi debet ex numero quatuor primarum qualitatum, quæ solæ primò, & per se sunt principia alterationis. sed elementa sunt prima corpora se mutuo alterantia, vt patet pro prima parte ex descriptione elementi. & pro secunda parte declarabitur in quarto capite. ergo numerus elementorum debet sumi ex numero primarum qualitatum, quas tamen intelligas esse primò primas, vt diximus in primo capite.

Secunda conclusio, Non est ponendum tantùm vnum elementum. probatur, si esset tantùm vnum elementum non essent qualitates actiuæ contrariæ, quia contraria non possunt esse simul in eodem, si non essent qualitates actiuę contrariç, non esset alteratio, illa enim est inter qualitates contrarias, ex 5. Physic. si non esset alteratio non esset generatio, alteratio enim est præuia generationi, vt diximus in primo libro. ergo si esset tantùm vnum elementum non esset genitum in his inferioribus, quod repugnat sensui.

Tertia conclusio, Non sufficiunt tantùm duo elementa. probatur, si essent tantùm duo elementa. ergo vnum esset calidum, & siccum: alterum autem frigidum, & humidum, vel econuerso, tunc si sic se haberent, ergo cito consumerentur. nam secundum vtrasque qualitates essent contraria. & sic secundum vtrasque in seipsis agerent. puta elementum calidum, & siccum inquantum calidum ageret in frigidum, inquantum siccum ageret in humidum, & sic vel omnino deficerent, vel vnum totaliter corrumperet alterum.

Quarta conclusio, Non sufficiunt tria elementa. probatur, nam duo essent contraria secundum vtrasque qualitates, vt dictum est. tertium autem conueniret in vna qualitate cum altero eorum, puta, esset humidum calidum, & inquantum humidum conueniret cum elemento humido frigido, inquantum verò calidum conueniret cum elemento calido sicco. ergo sequitur, quòd elementum calidum siccum ratione siccitatis, & elementum humidum frigidum ratione frigidita. tantùm agerent in tertium elementum humidum calidum, quòd omnino destruerent ipsum.

Quinta conclusio responsiua, sunt tantùm quatuor elementa, probatur, per primam conclusionem numerus elementorum debet sumi secundum numerum primarum qualitatum. ergo quot fient combinationes compossibiles harum qualitatum tot erunt elementa, sed inter has quatuor qualitates fiunt tantùm quatuor combinationes compossibiles. licet enim possumus imaginari sex combinationes, tamen solum quatuor sunt compossibiles. nam prima combinatio est calidi cum frigido, & hęc non est compossibilis. nam cùm sint contraria se mutuo destruunt, nec eidem possunt simul inesse. vnde non potest dari elementum in quo sit caliditas, & frigiditas. secunda combinatio est humidi cum sicco. & hæc similiter est impossibilis, cùm sint contraria, nec eidem possunt simul inesse. vnde non potest dari elementum, quod sit humidum, & siccum. tertia combinatio est frigidi cum sicco. & hæc est possibilis, quia frigiditas, & siccitas non contrariantur. & ideo se possunt compati in eodem, sicut in pomo se compatiuntur dulcedo, & albedo, vnde secundum hanc combinationem datur elementum terræ, quæ ex se est frigida, & sicca. sicca quidem in summo gradu, non tamen frigida in summo, vt dicemus. quarta cõbinatio est frigidi cum humido. & hæc est compossibilis, quia adinuicem non contrariantur. vnde attribuitur hæc combinatio elemento aquę, quæ est humida, & frigida ex se. summè autem frigida, sed non summè humida, vt dicemus. quinta combinatio est calidi cum humido. & est compossibilis, quia non contrariantur, secundum hanc combinationem: datur elementum aëris, quod ex se est humidum, & calidum, summè quidem humidum, sed non summè calidum, vt dicemus. sexta combinatio est calidi, & sicci, quæ est compossibilis, cùm non contrariantur & hæc competit elemento ignis qui est calidus in summo, & siccus, licet non in summo, vt dicemus. plures combinationes inter quatuor primas qualitates non possunt imaginari. cùm ergo duæ primæ sint incompossibiles, remanent quatuor possibiles. & cùm secundum combinationes harum

qualitatum, detur numerus elementorum, patet quòd elementa sunt tantùm quatuor, quod fuit principale propositum probandum. verùm quia in his combinationibus diximus, quòd terræ primò, & summè conuenit siccitas, aquæ frigiditas, aëri humiditas, igni caliditas, hæc probanda sunt. Ideo sic arguo, Suppono, quòd cuilibet elemento competit primò vna qualitas. nam forma elementi est forma simplex ergo sibi determinat vnam qualitatem simplicem, primò & summè, aliam autem secundariò. sumo igitur ignem, & dico quòd ei competit caliditas primò & summè nam per suppositum cuilibet elemento competit vna qualitas. primò ergo & igni, sed hæc est caliditas. quod probatur sic, ignis est elementum nobilissimum, cujus signum est, quòd locatur super alia elementa. ergo ei primò competit qualitas nobilissima, sed hæc est caliditas. qualitas enim elementaris intantum est nobilis inquantum est actiua, nam actiua est nobilior passiua. ergo inter actiuas, magis actiua est nobilior, sed maximè actiua est caliditas, vt declaratur in sua actiuitate secundum sensum. cùm ergo ignis sit nobilissimum elementum, & maximè actiuum. ergo ei primò competit caliditas. Aëri verò primò & summè competit humiditas, nam cùm sit calidus & humidus, & ei non primò, vt diximus competat caliditas, sequitur quòd ei primò competit humiditas: aquæ verò primò, & summè competit frigiditas. nam cùm sit frigida, & humida, & humiditas non competit ei primò (competit enim aëri) sequitur quòd ei primò & summè competit frigiditas. terræ autem primò & summè competit siccitas, nam cùm sit frigida, & sicca, & cùm frigiditas non conueniat primò (conuenit enim aquæ) sequitur quòd terræ primò competit siccitas. Hic terminatur tertium caput.

CAPVT IIII.

Quomodo elementa alterentur, generentur & corrumpantur.

Circa caput quartum declarandum est, quomodo elementa adinuicem alterantur, & generantur, & corrumpuntur, in vniuersali quidem, & ibi videbimus tria. Primò, quomodo vnum elementum potest immediatè generari ex alio. Secundò, quomodo elementa habentia symbolum, id est conuenientiam in vna qualitate, sicut terra & aqua, quæ conueniunt in frigiditate, facilius adinuicem transmutantur. Tertiò, quomodo ex duobus elementis non habentibus symbolum, sicut terra, & aër, quæ nullam habent qualitatem communè potest generari tertiũ elemẽtum puta aqua.

Circa primum pono primò distinctionem, secundò duas conclusiones.

Distinctio est hæc, elementum potest sumi pro toto elemento. secundò sumitur pro parte elementi, vt pro aliqua portione aquæ, vel terræ.

Prima conclusio, Sumendo elementum pro toto elemento, vnum non potest generari ex altero, nec conuerti in alterum. probatur, quia sequeretur quòd deficeret ordo vniuersi. nam vniuersum constat ex quatuor elementis, & cœlo, vt dictum est in primo cœli. si ergo vnum totum elementum, puta terra, potest generari ex tota aqua, sequitur quòd tota aqua deficeret, & sic remanerent tantùm tria elementa, ordòque vniuersi mutaretur, & de hac conclusione non est dubium apud scientes.

Secunda conclusio, Sumendo elementum pro parte elementi, puta pugillus terræ potest transmutari in quodlibet aliud elementum, siue in aquam, siue in aërem immediatè. probatur sic ex Aristote. vnum elementum, puta, terra, habet contrarietatem cum quolibet alio elemento, vel secundum duas qualitates, vel secundum vnam, vt terra contrariatur aquæ secundum siccitatem. terra enim est sicca, & humida est aqua. conuenit verò secundum frigiditatem. aëri verò contrariatur secundum vtranque qualitatẽ. est enim humidus, & calidus. terra verò est sicca, & frigida. ergo si pugillus terræ approximatur aquæ, aqua inquantum humida aget in terram destruendo siccitatem, & inducendo humiditatem. si destruit siccitatem corrumpitur forma terræ: siccitas enim cùm frigiditate est dispositio conseruans formam terræ in materia: & si inducit humiditatem, ex consequenti inducit formam aquæ, ergo patet, quòd ex particula terræ potest generari aqua ratione vnionis contrariæ, similiter si pugillus terræ approximetur aëri per actionem aëris contrariã transmutabitur in aërem: nam aër inquantum calidus destruet frigiditatem terræ. & inquantum humidus destruet siccitatem terræ, quibus destructis, vt dispositionibus conseruantibus destruetur forma terræ, & cùm aër introducat qualitates conuenientes formæ aëris, scilicet, caliditatem, & humiditatem, sequitur ad eas forma aëris. & sic patet, quòd ex particula terræ potest generari aër, similiter si pugillus terræ approximatur igni, licet ignis, vt siccus non agat in terram, sunt enim symbola in siccitate, tamen vt calidus aget in eam, & destruet frigiditatem terræ, qua destructa corrumpitur forma terræ. & cùm ignis introducat caliditatem, quæ est dispositio ad formam ignis stante siccitate, sequitur quòd ex particula terræ generabitur ignis immediatè. idem continget, si pugillus ignis approximetur aëri conuertitur in aërem ex actione contraria: aër enim inquantum humidus aget in igne, inquantum est siccus. & sic discurre in aliis elementis, & patebit quomodo se mutuo alterant, & ex se mutuo generantur, & corrumpuntur secundum partem, licet non secundum totum, dum modo sint debitè approximata, & vnum sit vigorosius altero, de qua conditionẽ dicemus in solutione argumentorum.

Circa secundum videndum est, vtrum elementa quæ habent symbolum, id est, conuenientiã in vna qualitate, vt terra & aqua, quæ conueniunt in frigiditate, facilius & citius adinuicem transmutentur, ita quòd citius vnum conuertatur in alterum, quàm elementa quæ non habent symbolum, vt aqua & ignis. & hic faciam duo. Primò ponam distinctionem. Secundò aliquas conclusiones.

Distinctio est hæc, transmutatio vnius elementi in alterum potest dici facilior, & citior duplici de causa. primò propter causas actiuas, quæ sunt qualitates primæ, quibus adinuicem agunt elementa. secundò propter resistentias, quæ fiunt à qualitatibus contrariis, vt caliditas resistat frigiditati, humiditas siccitati.

Prima conclusio, Ex parte potentiarum, vel qualitatum actiuarum elementa, quæ non habent symbolum, cæteris paribus facilius adinuicem transmutantur, puta facilius trãsmutatur aqua in ignem, quàm aqua in aërem. probatur, inter elementa inter quæ est fortior actio, & alteratio est facilior, & citior transmutatio vnius in alterum. transmutantur enim adinuicem per actionem contrariam, quæ est inter ea ex qualitatibus contrariis. sed inter elementa non habentia symbolum est fortior actio. nam agunt adinuicem per duas qualitates actiuas, puta aqua agit in ignem per humiditatem, & frigiditatem. habentia autem symbolũ agunt solũ per vnam qualitatem. nam aqua conueniens cum aëre in humiditate agit in aërem per solam frigiditatem. cùm ergo fortius agant duæ qualitates actiuæ, quàm vna sola, sequitur q̃ ex parte qualitatum actiuarum inter elementa non habentia symbolum sit facilior, & citior transitus, & transmutatio. quod etiam patet per experientiam, nam si proiiciatur in ignem magnum particula aquæ, & particula terræ, citius conuertitur in ignem particula aquæ, quæ non est symbolũ cum igne, quàm particula terræ, quæ est symbolũ cum igne, cùm conueniat in siccitate.

Secunda conclusio, Ex parte resistentiæ inter elementa habentia symbolum est facilior, & citior transitus. probatur, inter elementa habentia symbolum est minor resistentia, resistunt enim secundum qualitatem vnam tantum, cùm conueniant in alia, pura terra quæ conuenit cum aqua in frigiditate resistit aquæ solùm secundum siccitatem. cùm ergo minus resistant facilius adinuicem transmutantur. Præterea inter elementa habentia symbolum fit transitus, & transmutatio per pauciorem per se corruptionem, nam cùm conueniãt in vna qualitate, non est necesse illam per se corrumpi, sed solùm illam, in qua disconueniunt, quæ autem non habent symbolum cùm in neutra qualitate conueniant, necesse est vtranque qualitatem per se corrumpi, puta si ex terra generatur aqua, sufficit siccitatem corrumpi per se, non autem frigiditatem. si autem ex aqua generatur ignis, est necesse frigiditatem, & humiditatem per se corrumpi. neutra enim competit igni, cùm ergo citius corrumpatur vna qualitas, quàm duæ, sequitur quòd per pauciorem per se corruptionem inter elementa habentia symbolum fit facilior transmutatio. & in hoc sensu propriè loquitur Philosophus, dum dicitur in tex. 15. Inter elementa habentia symbolum est facilior transitus. quod sic probat, facilius est vnum, quàm duo corrumpere, &c. Hæc de secundo sufficiant, si quædã difficultas ex experientia oritur, dissoluetur in responsione argumentorum.

Circa tertium declarandum est, vtrum sic verum, quod dicit Philosophus in hoc secundo tex. 31. inquit enim ex quibuscunque elementis non habentibus symbolum potest generari tertium, puta ex terra & aëre potest generari aqua & hic fient duo: primò ponam vnam distinctionem, secundò aliquas

aliquas conclusiones. Distinctio est hæc, quòd ex duobus elementis fiat tertium hoc potest fieri dupliciter. primò per actionem propriam eorum, qua vnum agit in alterum per qualitates cõtrarias. secundò non solùm per actionem suam propriam, sed per virtutem alterius agentis.

Prima conclusio, Possibile est ex duobus elementis, siue habentibus symbolum, siue non, fieri tertium elementum distinctum specie ab vtroque ipsorum per virtutem alterius agentis. probatur, sumatur pugillus aëris, & pugillus terræ, & approximentur magno igni, certum est quod cum ignis contrarietur terræ ratione frigiditatis aget in terram corrumpendo frigiditatem, & inducendo caliditatem. similiter cum ignis contrarietur aëri ratione humiditatis, aget in aërem corrumpendo humiditatem, & inducendo siccitatem. sed in quocunque introducitur caliditas, & siccitas, in eo sunt qualitates ignis. & per consequens, si pars terræ, & pars aëris approximatæ igni corrumpuntur conuertentur in ignem. introducit enim in eis qualitates ignis, quæ sunt dispositiones ad formam ignis. ergo etiam introducet formam ignis. Hæc tamen conuersio in ignem ex terra, & aëre non fit per actionem terræ, & aëris adinuicem, sed per virtutem ignis qui est agens distinctum ab aëre, & terra. & ideo dixi in conclusione, per virtutem alterius agentis, quòd, scilicet, est alterum elementum distinctum specie ab vtroque prædictorum. & nota quòd id quod dixi ex duobus elementis potest intelligi etiam ex tribus. nam sicut ignis magnus potest conuertere in ignem pugillum terræ, & pugillum aëris sibi approximatos, ita potest conuertere in ignem pugillum terræ, pugillum aquæ, pugillum aëris si igni magno simul, & debitè approximentur. cùm enim cuilibet eorum ignis sit contrarius, ratione vnius, vel ratione vtriusque qualitatis, per virtutem suam aget in his tribus elementis, contrarias qualitates corrumpendo, & sibi similes inducendo, puta corrumpet frigiditatem terræ, & inducet caliditatem: corrumpet humiditatem, & frigiditatem aquæ, & inducet caliditatem, & siccitatem: corrumpet humiditatem aëris, & inducet siccitatem. per consequens introductis qualitatibus conuenientibus igni in his tribus elementis corruptisque formis eorum substantialibus, ignis introducet formam ignis. & sic ex tribus elementis virtute ignis agentis generabitur ignis, qui est quartũ elementũ.

Secunda conclusio, Ex duobus elementis habentibus symbolum, puta ex terra, & aqua, non potest generari tertium distinctum specie ab eis, puta aër per actionem eorum propriam, qua secundum qualitates contrarias se mutuo alterant, & adinuicem agunt. probatur sic, sumatur ignis & aër, quæ sunt elementa symbola, conueniunt enim in caliditate. & volo quod ignis agat in aërem. certum est, quòd non corrumpet caliditatem aëris, quia non contrariatur in caliditate. & per consequens non generabitur, nec aqua, nec terra. vtraque enim requirit frigiditatem. similiter si aqua, & aër adinuicem agant non corrumpetur humiditas, quia in ea conueniunt. ergo ex eis non generabitur, nec terra, nec ignis. eis enim non conuenit humiditas, imò siccitas, vt diximus, non ergo generatur tertium distinctum ab eis, sed vnum conuertitur in alterum immediatè, vt diximus suprà.

Tertia conclusio, ex duobus elementis non habentibus symbolum potest tertium elementum generari per actionem eorum adinuicem. probatur, ex igne & aqua, quæ non sunt symbola potest generari terra. ergo conclusio est vera. probatur antecedens, frigiditas aquæ potest superare caliditatem ignis, & siccitas ignis potest superare humiditatem aquæ, & sic corrumpetur caliditas ignis, & humiditas aquæ, ex consequenti causabitur frigiditas & siccitas, quæ cùm sint dispositiones ad formam terræ, sequitur quòd ex hac, & igne generabitur terra: similiter caliditas ignis potest corrumpere frigiditatem aquæ, & inducere caliditatem, & humiditas aquæ potest corrumpere siccitatem ignis, & inducere humiditatem, & sic ex hac mutua actione inter aquam, & ignem causabitur humiditas, & caliditas, quæ cùm sint dispositiones ad formam aëris, sequitur quod ex aqua, & igne generabitur aër. patet ergo quomodo ex duobus elementis non habentibus symbolum potest generari tertium, per mutuam actionem contrariam vnius in alterum, & in hoc sensu intelligebat Philosophus textum suprà allegatum. Hic terminatur quartum caput, quomodo, scilicet, elementa ex seinuicem generantur ita, quòd vnum potest immediatè transmutari in aliud, vel ex duobus non symbolis, vel symbolis generari tertium, & quomodo symbola habent faciliorem, id est, citiorem transitum vnius in alterum. reliquum est soluere quędam argumenta.

Contra primum caput probatur, quòd caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas non sint qualitates primò primæ, sic, lux est qualitas prior. ergo non sunt primò primæ. probatur antecedens, lux est in primo corpore, & nobiliori, scilicet, in cœlo, ergo est prior istis quatuor, quæ reperiuntur in elementis, & elementatis.

Ad hoc dicitur quòd istæ quatuor non dicuntur primò primæ absolutè, sed sunt primò primæ inter qualitates contrarias actiuas, & alteratiuas. & sic concedimus quòd lux absolutè est prior, non tamen lux habet qualitatem contrariam. & ideo de ea non est ad propositum. & si dicas quòd tenebra opponitur luci, concedo, non tamen contrariè, sed priuatiuè.

Præterea, sicut se habet motus localis ad motum alterationis, ita se habet grauitas, & leuitas ad has quatuor qualitates, secundum quas fit alteratio. sed motus localis est prior motu alterationis, vt probatũ est in octauo Physicorũ. ergo grauitas, & leuitas, quæ sunt principia motus localis sunt priores qualitates his quatuor qualitatibus.

Ad hoc dicitur primò, quòd non omnis motus localis est prior motu alterationis, sed solùm motus circularis cœlẽ, qui est causa omnis alterationis, & generationis, & corruptionis in his inferioribus. Dico secundò, quòd grauitas, & leuitas, licet sint principia motus localis recti; non tamen motus localis cœlestis. cœlum enim nec leue, nec graue est ex primo cœli, & ideo cùm non sint principia motus localis cœlestis, qui est primus motuum, non sequitur quòd sint priores his quatuor qualitatibus.

Contra secundum caput probatur, quòd caliditas, & frigiditas non sint actiuæ qualitates, sic, caliditas agit in frigiditatem corrumpendo ipsam, ergo frigiditas cum patiatur à caliditate est passiua, & econuerso, frigiditas corrumpit caliditatem. ergo caliditas est passiua.

Ad hoc dicimus, quòd argumentum probat, quòd non sunt purè actiuæ, sed & actiuæ & passiuæ ad seinuicem, quod conceditur, dicuntur tamen simpliciter actiuæ, quia comparatæ humiditati, & siccitati possunt in plures actiones, & illæ in plures passiones, vt declarauimus suprà.

Secundò probatur, quòd humiditas, & siccitas sunt qualitates actiuæ, nam sunt qualitates contrariæ, ergo vna agit in alteram corrumpendo ipsam, & sic sunt actiuæ. probatur consequentia ex diffinitione contrariorum. Contraria enim sunt formæ actiuæ, & passiuæ, quæ mutuo se expellunt, &c.

Ad hoc dicimus, quòd argumentum probat non esse purè passiuas, cùm vna corrumpat alteram, sed dicuntur simpliter passiuæ, quia possunt in plures passiones, quæ sunt, terminari proprio termino, vt sicca, vel termino alieno, vt humida.

Contra tertium caput, quòd elementum non sit id, ex quo primo res componitur, quia sequitur formam, & vnitatem esse elementum. quod tamen est falsum, & ab omnibus confessum, consequentia probatur, forma & materia sunt duo principia prima, quibus res componitur, ex primo Physico. ergo forma est vnum principium primum, quo res componitur. & sic sequitur quòd sit elementum. quantum autem ad vnitatem patet secundum arithmeticum, quòd omnis numerus in vnitatem resoluitur. ergo ex vnitatibus primò componitur, in eadem enim res resoluitur ex quibus componitur, ex secundo Physicorum: ergo, &c.

Si dicis quo ad formam quòd diffinitio debet sic intelligi, elementum est id ex quo primò in genere causæ materialis res componitur de mente Philosophi in 5. Metaphysicæ, & non ex quo in genere causæ formalis res componitur, & quia forma dicit causam formalem. ideo argumentum non concludit contra. & probo quod elementum non solùm dicat causam materialem, sed etiam efficientem, sic, ignis & aqua sunt elementa & sunt causæ efficientes. ergo elementum dicit causam efficientem. secunda pars antecedentis probatur, ignis & aqua se mutuo alterant. vt patet in textu, ergo in se mutuo agunt. ergo sunt causæ agentes ex cõsequẽti efficiẽtes.

Si dicis quòd elementa ad duo comparantur vel ad seinuicem, vel ad elementatum: si ad seinuicem, concedo quod sunt causæ agentes, sed vt sic non sunt elementa: si ad elementatum, nego quod sint causæ agentes, sed solùm materiales, & quia hic considerantur vt ad elementatum comparantur, ideo argumentum non procedit.

Contra, probo quòd absolutè causa efficiens dicatur elementum, sic, prima principia apud geometram dicuntur elementa. secundum Euclidem in primo de petitionibus, & prima principia sunt causæ efficientes, quia ex eis deducimus conclusionem, ergo elementum dicit causam efficientem.

Si dicis quòd prima principia considerantur inquantum ex

eis componitur demonstratio, & inquantum sunt causa cognitionis conclusionis per deductionem, quantum ad primum dicuntur esse elementa, sed secundum hoc habent rationem causæ materialis ex secundo Physicorum, inquantum autem sunt causæ cognitionis conclusionis, habent rationem causæ efficientis, & secundum hoc nego quòd sint elementa nec in hoc sensu accipitur ab Euclide sed in primo.

Contra, cœlum dicitur esse elementum ex primo cœli, & cœlum nullo modo est in genere causæ materialis, quia ex cœlo nullum corruptibile componitur, ergo elementum non solùm dicit causam materialem, sed & efficientem.

Respondeo de ratione elementi duo sunt: primò quòd sit corpus simplex non resolubile in priora corpora. secundò quòd sit corpus ex quo primò res componitur, dico ad argumentum, quòd cœlum dicitur esse elementum solùm ex prima conditione, & quia ibi loquimur de elemento quantum ad vtranque conditionem, ideo non sequitur in hoc proposito cœlum esse elementum.

Contra tertium caput, quòd potest dari quintum elementum, quia potest dari quinta compossibilitas primarum qualitatum: ergo, &c. consequentia patet per Philosophum secundum numerum combinationum compossibilium. primarum qualitatum assignatur numerus elementorum: ante cedens probatur, caliditas & frigiditas se compatiuntur in eodem. vt patet in tepido, ergo potest dari quinta compossibilitas, quæ est caliditatis & frigiditatis, & sic potest dari quintum elementum quod erit calidum & frigidum.

Si dicis, quòd licet caliditas & frigiditas se compatiuntur secundum gradus remissos, non tamen secundum gradus excellentes, ad hoc autem quòd qualitates primæ constituant elementum debent esse in eodem, sed gradus excellentes nõ.

Contra, probo quòd possunt se compati secundum gradus excellentes, saltem ex parte vnius qualitatis & sic stat argumentum in robore suo, sic, cum caliditate vt octo, stat frigiditas vt duo, & cum calido vt nouem stat frigiditas vt vnum, vt concedunt omnes Calculistæ agentes de intentione & remissione formarum, ergo potest dari quintum elementum excellenter calidum & remissiuè frigidum.

Si dicis quòd est necesse vtrãque qualitatem esse excellentem. & sic argumentum non procedit.

Contra, datur aër in quo est caliditas remissa, sola autem humiditas intensa. ergo non est necesse in elemento vtranque qualitatem esse excellentem, quòd autem caliditas sit remissa in aëre, patet, quoniam non sit excellenter calidus nisi præsentia solis, vt patet in æstate.

Responsio non solùm est necesse quòd duæ qualitates se compatiuntur in elemento secundum gradus excellentes præcipuè ex parte vnius, sed est necesse alteram esse in summo, vt patet in præsenti capite, & qui i cùm vna qualitate opposita sumpta in summo non stat aliquis gradus qualitatis oppositæ, vt cum summa caliditate non stat aliquis gradus frigiditatis, aliter esset summa, & non summa, ideo non potest dari quintum elementum, in quo sit summa calidi. & frigidi. pro aliquo gradu.

Contra quartum caput probatur quòd non quodlibet elementum potest immediatè generari ex altero, sic, ex terra non potest immediatè generari ignis. ergo conclusio vera, probatur antecedens, ab extremo non fit permutatio ad extremum nisi per medium sicut ex albo non fit permutatio ad nigrum, nisi per medium colorem, sed terra & ignis sunt duo extrema elementa. ergo ex terra non potest generari ignis nisi prius generatur aqua & aër.

Ad hoc dicitur quòd illa propositio, Ab extremo non fit transitus nisi per medium, habet veritatem propriè in motu locali, non enim fit transitus lapidis à cœlo ad terram nisi per aërem medium, etiam, in motu alterationis habet veritatem nisi extremum approximetur alteri extremo, sic est in proposito, nam stante igne in sphæra sua & terra in loco suo deorsum, nunquam ex terra immediatè generatur ignis, sed propositio philosophi sic habet intelligi, quòd ex quolibet elemento generatur immediatè quodlibet elementum, dummodo adinuicem approximentur.

Contra idem, si ex elemento fit elementum, ergo sequitur quod vnum contrarium producitur, & fit ex suo contrario. quod est falsum, consequentia patet, quia elementa sunt contraria, falsitas consequentis probatur, vnum contrarium corrumpit alterum, ergo non fit ex suo contrario, antecedens est in primo Physicorum, consequentia patet.

Si dicis quòd licet vnum contrarium corrumpat alterum quo ad formam non tamẽ quo ad materiam, & quia vnum elementum fit ex alio secundum quod corrumpit formam sui oppositi, & est introducens formam propriam in materia: ideo argumentum non concludit.

Contra, stante responsione nullo modo fit elementum ex elemento, quia si fit ex elemento conuertitur elementum corruptum in suum oppositum, sicut dum ex frumento fit panis conuertitur in panem, sed elementum corruptum nullo modo conuertitur in elementum, quia non conuertitur materia, ea enim est intrãsmutabilis ex primo Physicorum, nec conuertitur forma, quia parte corrũpitur ab agente opposito. ergo nullo modo fiet elementum ex elemento. Si dicis quòd licet non conuertatur materia nec forma in elemẽtum oppositum, tamen dicitur fieri ex elemento elementum inquantũ in materia introducitur forma elementi oppositi.

Contra, probo quòd hæc non sit generatio elementi ex elemento, sic, quoties ex ente in actu fit ens actu non est generatio simpliciter ex quinto Phys. sed si ex elemento fit elementum ex ente actu fit ens actu, quia elementum ex quo fit iam est actu, ergo non est generatio simpliciter elementi ex elemento.

Respondeo. dico quòd elementum ex quo fit aliud dupliciter consideratur, primò secundum se, & sic est actu, secundò prout sua materia est in potentia ad formam oppositi elementi, & sic est ens solùm potentia, sicut aqua quidem in se est actu, & est ignis in potentia inquantum in materia aquæ nondum est forma ignis. potest tamen esse, & sic dico ad argumentum quòd non fit elementũ ex elemento inquãtum est actu in se considerato, sed inquantum est in potentia forma elementi generandi in materia elemẽti corrũpendi.

Contra idem quòd per actionem alterius agentis non potest generari tertium elementum ex duobus elementis, sic si ex duobus generatur tertium per actionem agentis puta si ex terra & aqua per virtutem ignis generatur tertium, hoc erit aër quia non dantur plura elementa, sed hoc est impossibile. quia ignis non potest causare dispositionẽ aëris, id est, humiditatem, cùm enim sit calidus & siccus, tantùm consimiles potest dispositiones causare, si non potest causare humiditatẽ, ergo nec aërem cùm humiditas sit dispositio eius.

Si dicis quòd ad hoc quòd causet tertium elementum non est necesse esse aërem, sed potest esse ipsemet ignis in specie, qui est elementum tertium vt distinguitur ab aqua & à terra: & sic argumentum non concludit.

Contra, probo quòd ignis non potest generare ignem vt tertium elemẽtum ex terra & aqua sic, dato hoc sequitur q̃ in igne sint duæ qualitates in summo gradu, quod est contra determinata in præsenti tractatu, probatur cõsequentia, si ignis ex terra & aqua producit ignem approximatus terræ, solùm frigiditatem corrumpet, quia per hanc solam contrariatur terræ, & non per siccitatem, ergo seruabitur siccitas terræ vt dispositio ad formam ignis, tunc vltra siccitas terræ est summa qualitas terræ, ergo siccitas summa seruatur in igne, quia per te non corrumpitur, & cùm per Philosophum in hoc secundo, caliditas summa seruetur in igne sequitur quod in igne sint duæ qualitates in summo gradu.

Si dicis quod siccitas terræ non est æquè intensa, dum est sub forma ignis, sicut erat sub forma terræ.

Contra sequitur quòd cum siccitate ignis stabit gradus humiditatis quod est absurdum. probatur consequentia, cum forma existente non in summo gradu potest stare aliquis gradus formæ oppositæ. sicut dictum est suprà quòd cum caliditate vt octo stat frigiditas vt duo. ergo si siccitas ignis non est in summo stabit cum ea aliquis gradus humiditatis.

Respondeo, licet considerando siccitatẽ ignis non summã cum ea stare possit gradus humiditatis. tamen considerata summa caliditate ignis hoc non potest esse, quia nõ solùm est proprium sicci exiccare, sed & calidi consumere humidum.

Item quòd ex duobus elementis non habentibus symbolum non potest generari tertium, quia vel vtrunque est æquè potens vel alterum potentius reliquo: si primum, ergo non agent nec patientur adinuicem, quia ex septimo Physicorum si tanta est resistentia patientis. quanta est potentia agentis inter ea non est actio, & sic non generabitur tertium: si dicis secundum, ergo id quod est potentius conuertet debilius in seipsum, & sic non generabitur tertium distinctum ab eis.

Respondeo quòd vnum est potentius reliquo, sed hoc dupliciter, primò vltra mediam latitudinem puta quòd sit vnum potens, vt 9. & alterum potens solùm vt duo vel tria, sicut si ignis cubitalis agat in cyathum aquæ, & sic concedo quòd potentius conuerteret debilius in seipsum: secundò, quòd sit potentius circa mediam latitudinẽ puta in proportione sexquialtera, vt vnum sit potens vt 6. alterum vt 4. & sic nego quòd potentius conuerteret debilius in seipsum. talis autem comparatio quoties seruatur generat tertium elementum ex duobus elementis non habentibus symbolum.

TRACTATVS SECVNDVS
super secundo libro de Generatione, in quatuor capita diuisus.

IN hoc secundo tractatu agendum est de Generatione elementorum, quæ dicuntur mixta vel composita ex elementis, & diuidimus ipsum in quatuor capita.

In primo capite declarauimus quomodo ex elementis generatur mixtum distinctum ab eis vt resultans ex mixtione eorum adinuicem.

In secundo declarabitur quomodo elemẽta componentia mixtum remaneant in eo post mixtionem an actu an virtute.

In tertio declarabitur, an formæ substantiales elementorum remaneant sub gradibus remissis in mixto ita quòd præ dictæ formæ possint intendi & remitti.

In quarto declarabitur, an illæ qualitates quæ sunt in elementis remaneant eædem numero in mixto, saltem sub gradibus remissis: & similiter quando transmutatur vnum elementum in aliud elementum habens symbolum, eadem numero qualitas, quæ erat in elemento corrupto remaneat in elemento generato, puta quando ex aqua generatur aër, an eadem humiditas numero quæ est in aqua remaneat in aëre.

CAPVT I.
Quomodo ex elementis mixtum distinctum generetur.

CIrca caput primum dicam tria, primò quid requiritur ad hoc quòd ex elementis miscibilibus generetur aliquod mixtum. secundò quòd tale mixtum non est indiuisibile vel punctale, vt loquar more aliorum, id est non est tantùm vnius complexionis, sed habet latitudinem & distinctas ac varias complexiones. tertiò, quòd ad omne mixtum generatum hîc inferius concurrunt, quatuor elementa ita, quòd nec duo nec tria sufficiant.

Circa primum dico secundum Philosophum in hoc secundo libro, textu 48. quòd est necesse quòd elementa adinuicem proximentur, puta coniungantur terra, aqua, & alia duo, nisi enim proximentur non agunt & patiuntur adinuicem, vt diximus, & quòd sint adæquata, id est, vnum non sit potentius alio nec ei dominetur omnino, nam quando vnum elementum proximatum alteri omnino, superat ipsum in virtute & qualitate contraria, sicut si cyathus aquæ superfundatur magno igni, tunc elementum dominans conuertit alterum in seipsum puta ignis conuertit cyathum aquæ in ignem. ex vno elemento generatur aliud, nullúmque fit mixtum nec mixtio, sed solùm generatio vnius elementi ex alio elemento corrupto, ad hoc ergo quod generetur mixtum est necesse quòd elementa coæquentur, & tunc ad seinuicem approximata alterantur, & transmutãtur, & suæ qualitates actiuæ & passiuæ remittuntur, quibus remissis conflatur mixtum, puta caro, quod mixtũ non est simpliciter calidũ, & frigidum, humidum, aut siccũ, sed sicut pallidum est remissè album & nigrum, ita quòd in tali mixto omnes qualitates elemẽtorum ad temperantiam quandã reducuntur, quia ergo qualitates elementorum quando vnum non vincit aliud, non omnino corrumpunt seinuicẽ, sed remittuntur, ideo vnum elementũ non conuertitur in aliud, sed ex eis adinuicem commixtis generatur aliquod elementatum mixtum, puta lapis, &c.

Circa secundum dico secundum Philosophum ibidem, quòd hoc mixtum non fit solùm vno modo, nec illa adæquatio elemẽtorum fit modo indiuisibili, sed habet latitudinem & multos gradus, Quod sic declaratur à simili, sanitas consistit in adæquatione humorum, non tamen statim quando vnus humorum secundum modicum quid superat alium, remouetur sanitas: alioquin nullus esset sanus vel pauciſsimi. Difficillimum est enim reperire corpus in quo humores sint omnino æquati, & contemperati, habet ergo adæquatio humorum milleos gradus. nec dicitur quis infirmus nisi quando humores ita inadæquantur quòd corpus non potest exercere opera sani. sic in proposito elementa dicuntur coæquari in mixto non vno modo tantùm, vel indiuisibiliter, nam dicemus infrà de hoc, sed dicuntur æquata quando vnum non ita superat alterum quod corrumpat ipsum & conuertat illud in sui naturam, pluribus ergo modis fit hæc coæquatio secundum quod in aliquo mixto plus vel minus concurrit de frigido vel calido humido vel sicco. Inde generantur varia mixta, ex vna contemperantia caloris cùm humido frigido & sicco generatur caro, ex alia os, ex alia nervus. item nota quòd in generatione carnis non fit coæquatio elementorum semper vno modo, imò coæquatio nobilior requiritur in generatione carnis humanæ, & alia in generatione carnis equinæ, &c. Item in ipsa carne humana non est coæquatio eodem modo sed secundum variam complexionem hominum fit alia & alia æquatio, puta in cõplexione melancholica requiritur maior siccitas, in cholerica maior caliditas, &c. Item in eadem complexione dantur varij gradus coæquationis, nam non omnes sunt æqualiter melancholici, nec æqualiter cholerici, &c. variantur ergo illi gradus secundum quod aliquis magis vel minus accedit ad complexionem illam.

Circa tertium, dico secundum Philosophum ibidem quòd omne mixtum residens circa terram est cõpositum ex omnibus quatuor elementis, dicitur circa terram residens, quoniam vt dicemus in libro Meteororum quædam sunt mixta imperfecta, quæ eleuantur à terra actione solis ad regionem aëris, ex quibus generatur pluuia, &c. Quæ non sunt composita ex omnibus quatuor elementis sed ex duobus vt exhalatio sicca componitur ex terra & igne, vapor autem ex aqua & aëre. De iis mixtis imperfectis hîc non intendimus, sed de mixtis perfectis vt sunt lapides & vegetabilia & animalia. Quid ergo ad eorum compositionem quatuor elementa concurrant, sic probatur ex intentione Philosophi, primò requiritur terra, nam partes mixti perfecti puta planetæ est necesse vt sint solidæ & firmæ & non fluidæ, sed soliditas & firmitas inter omnia elementa competit terræ: secundò requiritur aqua, quia terra sine aqua non potest continuari in suis partibus, terræ enim partes sine humiditate aquæ sunt tantùm puluerẽs qui non adinuicem conglutinantur, vt ergo partes mixti terrestres adinuicem conglutinentur ibi requiritur humiditas aquæ. Et si dicas nonne ad hoc sufficit humiditas aëris, Dico quòd non, quia ipsa non est multum tenax nec sufficeret conglutinare partes terræ propter raritatem ipsius aëris. tertiò requiritur aër & ignis quia mixtio debet fieri ex contrariis adinuicem contemperatis ex sua mutua actione qua vnum agit in iterum alterando, sed aër contrariatur terræ secundum vtranque qualitatem, sicut ergo concurrit terra, concurrit etiam aër in suum contrarium, similiter ignis contrariatur aquæ secundum vtranque qualitatem, ergo sicut ibi concurrit aqua concurrit etiam ignis vt suum contrarium, patet ergo quòd ad generationem mixti perfecti quatuor elementa concurrunt.

Sed contra prædicta fit instantia, ex quo ad generationem cuiuslibet mixti residentis circa terram concurrunt omnia quatuor elemẽta propter q̃ in quolibet tali mixto dominatur terra secundũ molẽ, id est secundũ maiorẽ excessum, nam in lapide & vegetabili est magis de terra quàm in alio elemẽto, quod declaratur ex grauitate talium mixtorum, & ex motu eorum deorsum, sursum verò non mouẽtur nisi violenter.

Ad hoc dicitur quòd quanto elementa sunt maioris actiuitatis tanto sub minori quantitate debent esse in mixto, ne corrumpant ea quæ sunt minoris actiuitatis, inter omnia elementa terra est minoris actiuitatis propter sui crassitiem & frigiditatem & siccitatem. Ignis autem est actiuus ex sua caliditate, deinde aër, & si tantùm de igne esset in mixto sicut de terra, ignis totum terrestre consumeret, & sic non posset generari mixtum. natura igitur sagax prouidit terram magis abundare secundum molem in mixto ne consumeretur sub parua quantitate ab elementis magis actiuis: vnde se habet natura in compositione mixti sicut medicus in compositione medicinæ quæ enim sunt minoris actiuitatis, vt casia, dantur in maiori quantitate, quæ autem sunt maioris actiuitatis dantur sub minori quantitate vt rheubarbarum, &c.

Potest etiam dici quod non inconuenienter voluit terram secundum molem dominari in mixto vt fieret graue, & hoc ideo vt mixta perfecta cùm fuerint extra suum locum naturalem qui est ipsa terra moueantur naturaliter ad ipsam terram per motum deorsum cuius principium est grauitas, non poterant autem fieri grauia nisi ex prædominio terræ, simpliciter conuenit grauitas ex quarto cœli, meritò ergo in eis prædominatur terra.

CAPVT II.
Elementa quomodo maneant in mixto.

CIrca secundum caput discutiendum est quomodo elementa adinuicem cõmixta remaneant in mixto, an actu

ita quòd in lapide ſint actu pars terrę & aquę & aëris & ignis, an ſolùm in virtute, id eſt, per qualitates primas quæ ſeruantur remiſſæ in mixto vt diximus ſuprà, in quibus qualitatibus conſeruetur natura elementorum virtualiter.

Sine diſtinctione pono hanc concluſionem de mente Philoſophi, elementa nullo modo remanent actu in mixto, ſed ſolùm in virtute, probatur multipliciter, primò auctoritate Philoſophi in primo de generatione, capite de mixtione textu commenti 84. vbi inquit, neque igitur manent elementa actu vt corpus albũ, neque corrũpuntur neque alterũ neque ambo, ſaluatur enim virtus eorum 2. ratione, ex pluribus entibus in actu non fit aliquod tertium quod ſit vnum per ſe, ſed ſolùm eſt vnum per accidens, ſicut ex manu & albedine fit vnum per accidens, ſed elementa ſunt plura entia actu vt patet, ergo ſi remanẽt actu in mixto, mixtum non erit aliquod vnum per ſe & ſic ſub nulla ſpecie per ſe contineretur, quod tamen eſt falſum, nullus enim negat hunc hominẽ eſſe quid mixtum ex elementis & ſub homine contineri, quòd autem ex pluribus entibus in actu non fiat vnum per ſe, probat Philoſophus in octauo Metaphyſicæ textu 49. vbi declarat, ideo ex materia prima & forma ſubſtãtiali fieri vnum per ſe quia alterum eſt ens in potentia & alterum eſt actus, ſimiliter in ſecundo de Anima textu ſeptimo declarat, ideo ex corpore & anima fieri vnum per ſe quia corpus eſt ſicut potentia, & anima eſt actus, tertiò ſi manent elementa actu in mixto ſequitur quòd dum generatur mixtum ſubiectum huius generationis ſit ens actu, quod eſt contra Philoſophum in quinto Phyſicorum vbi declarans differentiam inter generationem ſubſtantialem & generationem accidentalem, vult quod ſubiectum generationis ſubſtantialis ſit ens in pura potentia quale eſt materia prima, ſubiectum autem generationis accidentalis ſit ens actu, conſequentia autem probatur ſic, elementa ſunt entia actu cùm ſint prima corpora ſimplicia, ergo ſi remanent actu in mixto ſequitur quòd generatur ex entibus in actu, & ſic ſubiectum ex quo generatur erit ens actu. quartò ſequitur quòd ignis generetur in profundo maris quod eſt inſanum dictum: probatur conſequentia, In profundo maris generatur mixtum puta piſcis, vel lapis, ergo ibi concurrunt quatuor elementa, diximus enim ſuprà, ad generationem mixti perfecti exiſtentis circa terrã de neceſſitate concurrũt omnia quatuor elementa, ergo eſt neceſſe in profundo maris, vbi generatur tale mixtum eſſe ignem actu, ſed non poteſt deſcẽdere ignis ab extra ad profundũ maris, quia ab aqua ſibi contraria corrũperetur, ergo eſt neceſſe quòd generetur in profundo maris: cùm autem hoc ſit vanum opinari, non eſt dicendum quòd elementa remaneant in mixto actu, ſed ſolũ virtualiter. Si autem quæratur quomodo omnia elementa virtualiter remaneant in mixto & non actu, dico ſicut ex ſecundo de Anima, in ſenſitiuo continetur virtualiter vegetatiuum & non actu, quia in animali vegetatiuũ & ſenſitiuum non ſunt duæ formæ vel duæ animæ, ſed vna, & ſicut in anima intellectiua virtualiter continentur vegetatiuum & ſenſitiuũ, ſed tamen vna anima quæ ſecundũ diuerſas potentias exercet opera vegetatiua & ſenſitiua & intellectualia. ita in vna forma mixti quæ reſultat ex mixtione elementorum ſeruantur & continẽtur ſecundum virtutem naturæ quatuor elementorum, propter quam formam, elementum dicitur terreum & aqueum & aëreum & igneum virtualiter. Idem poteſt ſpeculari in pentagono in quo virtualiter continetur tetragononum, & trigonum, vt patet ex ſecundo de Anima in primo tractatu, ſic & in vna forma mixti dicuntur contineri virtualiter elementa miſcibilia, eſt enim reſolubile in quatuor elementa, ſicut pentagonum poteſt reſolui in tetragonum & in trigonum. Hæc de ſecundo cap. ſufficiant.

CAPVT III.

Num formæ elementorum remaneant in mixto actu.

Circa tertium cap. declarandum eſt vtrum formę elementorum remaneant in mixto actu, puta quòd in lapide ſit forma ſubſtantialis terræ & aquæ, &c. ſub gradibus remiſsis. Pro huius euidentia faciam duo, primò ponam duas opiniones, ſecundò improbabuntur, & adducemus opinionem Bea. Tho. cum probatione ſua.

Prima opinio eſt Auic. qui tenet quòd in mixto ſunt formæ elemẽtorum in actu perfecto, ſed qualitates conſequentes has formas remittuntur, Dicit enim quòd planta non ſtat ſub tanta caliditate quanta eſt in igne, nec ſub tanta humiditate quanta eſt in aqua, &c. & propterea licet forma ſubſtantialis ignis ſit in planta ſecundum ſuum eſſe perfectum, tamen caliditas ignis minuitur. idem intellige de aliis elementis, hæc opinio Auicen. eſt.

Contra eam ſic arguitur, ſi formæ elemẽtorum manent ſecundũ actũ perfectũ in mixto. ergo elemẽta ſemper eſſent in mixto violenter, & ſic nulla mixtio eſſet naturalis, violentum enim & naturale opponũtur, ſed conſequens eſt falſum, nam inferiora elementata naturaliter conſtant ex elemẽtis, quòd autem elementa ſemper eſſent violenter in mixto, probatur, nam violentum eſt igni ſtare ſub caliditate remiſſa, cuius ſignum eſt quòd quãdiu aqua ſtat ſub caliditate remiſſa ſi non inſit ei impedimentum reducit ſeipſam virtute generãtis ad ſuam perfectam frigiditatẽ, non ergo eſt dicendum formam elementi ſtare in mixto actu perfecto, & tamen ſub ſua qualitate remiſſa. Secundò ſic arguitur, formæ elementorum ſecundum ſuum eſſe perfectum ſunt incompoſsibiles & requirunt qualitates contrarias, puta forma ignis requirit caliditatem, & forma aquæ frigiditatem, &c. quæ cùm ſint contrariæ ſunt incompoſsibiles, ergo ſi ponantur eſſe in mixto ſecundum ſuum eſſe perfectum, hoc erit ſolùm per iuxta poſitionẽ elementorum, eo quòd illæ formæ non poſſunt ſe compati in eadem materia, & ſic ſequitur quòd ex elementis non fiat vera mixtio ſumpta tertio modo, quem propoſuimus ſuprà, ſed tantum primo modo vel ſecundo, ſicut fit mixtio ex particulis aromatum dum ſunt contritæ, quo conceſſo mixtum non erit verè vnum, ſed ſolùm cõgregatione, nec habebit ſolùm vnam formam ſubſtantialem imò quatuor ſecundum quatuor elementa, quæ omnia cum ſint falſa ſequitur quòd forma elementorum non remanet in mixto ſecundum ſuum eſſe perfectum, & nota quòd hæc ratio ſumitur ab Auer. in tertio cœli commen. 67. vbi arguit contra Auicen.

Secunda opinio eſt Auerrois in tertio cœli commen. 67. qui tenet quòd formæ elementorum ſubſtantiales & qualitates primæ elementares remanẽt in mixto actu, non quidem actu perfecto, vt tenet Auicen. ſed ſub eſſe remiſſo, dicit enim quòd licet nulla forma ſubſtantialis perfecta quæ eſt forma mixti perfecti ſecundum ipſum non intendatur nec remittatur, tamen formæ ſubſtantiales imperfectæ quæ ſunt formæ elementorum ſecundũ ipſum intenduntur & remittuntur, dicit enim quòd ſunt quaſi mediæ inter formas ſubſtantiales perfectas & formas accidentales, quæ propriè intẽduntur & remittuntur. Imaginatur quòd dum elementa adinuicẽ proximantur ſe mutuo alterẽt ex qua mutua alteratione formæ ſubſtantiales elementorum remittuntur ex conſequenti remittuntur qualitates elementares, ex formis autem ſubſtantialibus remiſsis conflatur vna forma mixti qua mixtum conſtituitur, & quoniam Philoſophus in prædicamento ſubſtantiæ inquit quòd ſubſtantia non recipit magis & minus quod eſt ſubſtantiam intendi & remitti, ideo Auerrois dicit quòd dictum Philoſophi ſolùm verificatur in ſubſtantiis mixtis, & non ſimplicibus corporibus qualia ſunt elementa.

Contra Commentatorem ſic arguit B. Tho. in prima parte quæſtio. 76. articulo 4. ad quartum eſſe ſubſtantiale cuilibet rei conſiſtit in indiuiſibili, ita quòd omnis additio vel ſubtractio à tali eſſe variat ſpeciem rei ſicut contingit in numeris in quibus addita vel ſubtracta vnitate variatur ſpecies numeri vt dicitur in octauo Metaphyſicę, ſed eſſe indiuiſibile cauſatur à forma indiuiſibili, ergo forma elementi eſt indiuiſibilis & ſic non poteſt recipere magis & minus, nam recipere magis & minus declarat formam eſſe diuiſibilem ſecundum diuerſos gradus.

Præterea inter ſubſtantiam & accidens non datur medium, omne enim ens eſt vel in ſubiecto vel non in ſubiecto, ſi primo modo ergo eſt accidens ex diffinitione accidentis: ſi ſecundo modo, ergo eſt ſubſtantia ex diffinitione ſubſtantiæ, qua dicitur quòd eſt ens in ſubiecto non exiſtens, cùm ergo inter ſubſtantiam & accidens non detur medium falſum dicit Auerrois formas elementorum eſſe medias inter ſubſtantiam & accidens.

Præterea arguitur ſic per dominum Marſilium in primo de generatione quæſtione decimatertia, ſi formæ elementorum intenduntur & remittuntur, ſequitur quòd vnum elementorum non poſſet generari immediatè ex alio elemento, cuius cõtrarium viſum eſt ſuprà de mente Philoſophi, probatur conſequentia. Quandocunque inter formas contrarias quæ intenduntur & remittuntur vna fit ex alia, neceſſe eſt vt prius deueniatur ad medium, nam non poteſt fieri ex calido frigidum niſi prius fiat tepidum, ita ſimiliter non poterit vnũ elementum, puta aqua fieri immediatè ex alio elemento, ſed oportebit prius deuenire ad medium, ſcilicet ad aliam aquam minus remiſſam.

Pręterea ſequeretur quòd eſſet motus in prędicamẽto ſubſtantiæ quod eſt contra Philoſophum in quinto Phyſicorum, probatur

probatur conſequentia, omnis forma quæ intenditur & remittitur, intenditur & remittitur per alterationẽ, ergo ſi forma ſubſtantialis elementorum intenditur & remittitur, hoc fit per alterationem, ergo alteratio terminatur ad formam ſubſtantialẽ quæ eſt in prædicamento ſubſtantiæ reductiuæ, & ſic ſequitur quòd erit motus in prædicamento ſubſtantiæ, cum ergo omnia hæc ſint inconuenientia, ſequitur contra Auerroim formas elementorum nec intendi nec remitti.

Circa ſecundum declarandum eſt, ex quo formæ ſubſtantiales elementorum non manent in mixto actu, nec ſecundum eſſe perfectum, vt voluit Auicen. nec ſecundum eſſe remiſſum, vt voluit Auerr. quomodo remanent, vnde dicimus ſecundum opinionem Beati Tho. quòd continentur in mixto ſolùm virtualiter. quod quidem ſic ſpeculandum eſt. elementa adinuicem congregata ſe mutuo alterant, adeo quòd corrumpuntur quantum ad ſuas formas ſubſtantiales, & proprias qualitates elementares, de quibus dicemus infrà, formis ſubſtantialibus corruptis reſultat virtute alicuius agentis diſtincti ab elementis per ſe intendentis generationem alicuius mixti, ſiue illud agens ſit aliqua virtus exiſtens in corpore cœleſti, vel aliquis calor, reſultat inquam aliquod mixtum, & aliqua qualitas media inter extrema, differens ab eis ſpecificè, ſicut differt rubedo ab albedine, & nigredine: verbi gratia, mollities reſultat ex humido, & ſicco commixtis, quæ differt in ſpecie ab vtroque, & vtraque qualitas, ſcilicet, humiditas, & ſiccitas dicuntur manere virtualiter in mollitie. non tamen ſecundum eſſentias ſuas intenſas, aut remiſſas, ſed quia aliquid conuenit mollitiei ex natura humidi, ſcilicet, facilè cedere tangenti, vel ſcindenti, & aliquid conuenit ei ex natura ſiccitatis, ſcilicet, terminari propriis terminis, & non alienis ad differentiam humidorum. & ſic talis qualitas media non eſt compoſita ex pluribus ſpeciebus ſecundum ſe, ſed habet aliquod quo conuenit cum vno extremo. & aliquod quo conuenit cum alio extremo. & hæc quidem qualitas eſt propria diſpoſitio ad formam mixti, diuerſificatúrque, vt diuerſificantur mixta. patet igitur quomodo elementa, & ſuæ formæ manent virtualiter in mixto propter illam qualitatem mediam, quę ſapit naturam quatuor elemẽtorum. Scio hanc declarationem eſſe perdifficilem primo aſpectu, ſi tamen exercueris te in via topica, præcipuè ſecundum dominum Capriolum in primo diſtinctione 15. quæſtione prima ad primum argumentum factum contra ſecundam cõcluſionem, lux tuo intellectui infundetur. hæc de 3. capite ſufficiant.

CAPVT IIII.

Num eædem qualitates quæ erant in elementis remaneant eodem modo in mixto.

Circa caput quartum declarandum eſt, vtrum eædem qualitates elementares numero, quæ fuerunt in elementis remaneant in mixto, puta idem numero calor, qui eſt in igne remaneat in carne compoſita ex igne, & aliis elementis, vel ſit alius calor. ibi dico duo. Primò hanc concluſionem, nulla qualitas elementaris quæ fuit in elemento remanet eadem numero, & actu in mixto, probatur tripliciter. primò ſic, corrupta forma ſubſtantiali corrumpuntur omnia accidentia rei. nam forma ſubſtantialis, quæ primo actuat materiam eſt ratio, quòd accidentia inſint rei. & ideo ſubſtantiali forma corrupta corrumpuntur omnia accidentia, ſed quando ex elementis generatur mixtum formæ elementorum corrumpuntur, vt diximus in tertio capite, quia non remanent in mixto, nec in actu perfecto, nec in actu remiſſo. ergo omnia accidentia elementorum corrũpuntur in mixtione. & ſic nulla eadem numero qualitas remanet in mixto, quæ fuit in elemento.

Secundò, ſi eadem qualitas remanet in elemento, & in mixto, quæro aut remanet ſecundum eſſe perfectum, aut ſecundum eſſe remiſſum. non primo, patet enim quòd in nullo elemẽtato eſt adeo intẽſa caliditas, ſicut eſt in igne. & prętereà qualitates contrariæ ſecundũ ſuum eſſe intenſum, non ſe compatiuntur in eodem, imò vna deſtruit aliam. ergo non remanent in mixto ſecundum ſuum eſſe intenſum. Si dicis quòd remanẽt ſecundum eſſe remiſſum, contra, formæ ſubſtantiales elementorum omnino corrumpuntur, vt dictum eſt ſuprà. ergo & qualitates elementorum ſecundum omne ſuum eſſe corrumpuntur, conſequentia probata eſt in prima ratione, in qua dictum eſt, quòd forma ſubſtantialis primò actuãs materiã eſt ratio quòd accidẽtia inſint rei. & ideo corrupta forma ſubſtantiali corrumpuntur omnia accidentia.

Tertiò, ſi eadem qualitas numero, quæ fuit in elemento remanet in mixto, ergo accidens tranſit de ſubiecto in ſubiectum, quod eſt contra omnem philoſophiam. probatur conſequentiã, elementum, & mixtum ſunt duo diſtincta ſubiecta. ergo ſi qualitas, quæ fuit in elemento remanet in mixto, tranſit de ſubiecto in ſubiectum.

Secundò dico, quòd in mixto vt in ſubiecto poſſunt eſſe aliquæ qualitates eiuſdem ſpeciei cum qualitatibus elementorum. non tamen ſunt actu in illa qualitate media, de qua locuti ſumus in tertio cap. prædicta enim qualitas media eſt extenſa per totum mixtum, ſicut etiam forma ſubſtantialis mixti dat eſſe omnibus partibus mixti. nam illa qualitas media eſt diſpoſitio neceſſaria pro conſeruanda forma mixti. & ideo debet ineſſe toti mixto, ſicut & ſua forma ſubſtantialis. verùm quia contingit corpora mixta præſertim animalia perfecta habere diuerſas operationes, ideo oportet in eorum membris eſſe diuerſas diſpoſitiones, quibus reddantur membra idonea ad exequendas huiuſmodi actiones puta quòd cor ſit calidum, quòd cerebrum ſit frigidum, quòd caro ſit humida, quòd oſſa ſint ſicca. ad cauſandas igitur varias diſpoſitiones in variis membris, qualitas illa media in ſe continet virtualiter caliditatem ignis, humidi. aëris, frigidi. aquæ, ſicci. terræ. patet ex his quomodo in mixto ratione illius qualitatis mediæ ſeruantur qualitates elementares non eædem numero actu, ſed virtualiter.

Hìc termino quartum caput, nunc ſupereſt quædam argumenta ſoluere contra prædicta.

Contra primũ cap. probatur, ꝙ non omne cõpoſitum, vel mixtũ perfectũ reſidens circa terram cõponitur ex omnibus quatuor elemẽtis, ſic, multa ſunt grauia mixta, vt plumbum, & aurum, in quibus nullo modo ſunt elementa leuia, vt aër, & ignis. ergo non omne mixtũ perfectũ componitur ex quatuor elementis, antecedens probatur, plumbum & aurũ ſunt grauiora, quàm terra, vt patet ad ſenſum. ergo cùm terra ſit grauis ſimpliciter ex quarto cœli, ſequitur ꝙ nullo modo inſunt eis elemẽta leuia, redderẽt enim ea leuiora quã terram.

Ad hoc dicitur, quòd ſi terra eſſet in ſua diſpoſitione naturali, plumbum & aurum non eſſent grauiora, quòd autem appareant grauiora, ratio, eſt quia comparantur terræ aliquantulum alleuiatæ ex deſiccatione radiorum ſolis, & cui immiſcetur aër. ſi autem ſumeretur purum elementum terræ, illa eſſet æquè grauis, & fortè grauior.

Contra ſecundum caput probatur quòd elementa remanent actu in mixto, ſic, quando ex elementis generatur mixtum, aut omnia elementa corrumpuntur, aut aliqua, & aliqua non, aut nullum. Si dicis quòd omnia, ergo mixtio eſt ex non entibus: quæ enim ſunt corrupta ſunt non entia. hoc autem eſt impoſſibile, quia mixtio fit ex miſcibilibus. omne autem miſcibile eſt ens cùm ſit pars mixti.

Si dicis, quòd aliqua, & aliqua non, ergo non fit mixtio. dicit enim Philoſophus in primo libro tex. 88. Quando vnum corrumpitur, & aliud non, non fit mixtio, ſed generatio vnius miſcibilium ex corruptione alterius, vt quando ex aqua corrupta generatur ignis. Si dicis tertium, ſcilicet quòd nullum elementum corrumpitur, habetur intentum, ſcilicet, quòd cùm ex eis componatur mixtum remanent actu in mixto.

Ad hoc dicitur, quòd omnia elementa corrumpuntur. & cùm dicitur, ergo mixtio fit ex non entibus: negatur conſequentia. licet enim corrumpantur quo ad formas ſubſtantiales, tamen remanent in virtute in illa qualitate media, de qua diximus ſuprà: & ſic ex eis componitur mixtum.

Sed dices, quare ergo Philoſophus diffiniens mixtionem, non dixit mixtio eſt miſcibilium corruptorum vnio, ſicut dixit mixtio eſt miſcibilium alteratorum. noluit Philoſophus dicere abſolutè corruptorum, quia quod generatur ex illis eſt medium inter illa non per participationem, ſed per conuenientiam, conuenit enim in propriis qualitatibus cũ elementis miſcibilibus, pluſquam illa inter ſe, & quia poteſt in operationes conſimiles operationibus elementorum, ideo dicitur continere illa virtualiter. & propter talem virtutem ſeruatam in mixto noluit Philoſophus dicere quòd ſint corrupta in mixto, licet eſſentialiter corrumpantur: quod enim abſolutè corrumpitur nec actu, nec virtute remanet.

Contra tertium caput probatur, quòd formæ ſubſtantiales elementorum manent actu in mixto. ſic, aut aliquid de elementis remanet actu in mixto, aut ſola materia elementorum. Si dicis ſolam materiam, ergo non magis fit mixtum ex elementis, quàm vnum elemẽtum ex alio, ſi aliquid aliud manet. ergo hæc eſt forma ſubſtantialis elementi, vel accidentalis, ſi dicis primũ habetur propoſitum, ſi dicis ſecũdum, contra, forma accidẽtalis non remanet in re corrupta forma ſubſtantiali, vt diximus ſuprà. ergo in mixto, vel remanet forma ſubſtãtialis elemẽtorum, vel nõ cõponitur ex elementis.

Ad

Ad hoc dicitur, quod nihil idem numero, quòd fuit in elementis remanet in mixto, nisi sola materia prima:& tamen elemẽta magis remanẽt in mixto, quã vnũ elementũ in alio, quod ex eo generatur. nam de nouo ex elemẽtis corruptis fit aliquid in mixto, in quo virtualiter manẽt qualitates elementorũ. & fortè cõfimili modo formæ substãtiales elementorũ manent virtualiter in forma mixti, sicut vegetatiuũ in sensitiuo, vt ꝓximus suprà, quando autẽ ex vno elemẽto generatur aliud non remanẽt virtualiter in elemẽto genito, nec forma substantialis, nec qualitates, nec actu, nec secundũ virtutem.

Contra quartum caput, quòd corrupta forma substantiali non corrumpantur omnia accidentia, quia eadem quantitas est in homine mortuo & viuo, ergo &c. Probatur dupliciter antecedens. primò quia subiectum quantitatis remanet.ergo non est necesse quantitatem corrumpi.probatur antecedens, subiectum quantitatis est materia sola, sed eadem materia remanet in mortuo, & in viuo, ergo subiectum quãtitatis remanet.probatur antecedẽs si sola materia non est subiectum quantitatis,omnis forma substantialis sit quanta, tunc vltra si omnis forma substantialis est quanta. ergo est extensa, proprium enim quantitatis est extendere, si est extensa ergo est corruptibilis, hanc consequentiam Commentator tenet in tertio de Anima com.5. sic sequitur animam intellectiuam esse corruptibilem. quod cùm sit Commentatoris in eodem commento, sequitur quòd subiectum quantitatis sit solùm materia, & non forma.

Respondeo, aliud est esse subiectum quantitatis aliud esse rationem, vel radicem recipiendi quantitatem, quantum ad subiectum quantitatis dico quòd non est sola materia, nec forma sola, sed ipsum cõpositum quod dicit tertiam entitatem distinctam ab eis.quantum autem ad rationem, vel radicem recipiendi quantitatem est duplex opinio. prima est Commentatoris, qui tenet non esse ex necessitate materiam primam, sed aliquando solam formam,tenet enim in lib. de substantia orbis, quòd non est materia in cœlo, & tamen est quantitas in cœlo. ergo sola forma cœli est ratio, vel radix recipiendi quantitatem. verùm quia de hoc fiet particularis quæstio contra Commentatorem, pro nunc supersedemus. alia est opinio B Tho,quæ tenet, quòd in omnibus prima radix recipiendi quantitatem est materia prima, sed in omnibus habentibus formam corruptibilem materia simul cum forma est radix recipiendi quantitatem, in homine verò sola materia, quia vt argumentum probat, omnis forma quæ est ratio recipiendi quantitatem est extensa per accidens, sicut albedo secundum superficiem omnis, aut talis corruptibilis est ne. ergo si ponamus animam intellectiuam corruptibilem tenemus solam materiam in homine esse rationem recipiendi quantitatem.

TRACTATVS TERTIVS super secundo libro de Generatione, in quatuor capita diuisus.

IN hoc tertio tractatu agendum est secundum ordinem Philosophi de principiis.& causis generationis,& corruptionis, in omnibus generabilibus, & corruptibilibus, tam in elementis, quàm elementatis, & præcipuè de causis, propter quas generatio,& corruptio sint perpetuæ.Philosophus enim, quia tenet mundum æternum à parte ante, & à parte post,ex octauo Physic.& ex primo cœli opinatur tam in elementis, quàm in elemẽtatis generationem,& corruptionem semper fuisse,& semper futuram esse. licet secundum fidem tenendum sit oppositum, & Philosophi rationes soluimus in octauo Physic. & in primo cœli. igitur vt ordinatè procedamus, diuidimus hunc tractatum in quatuor capita.

In primo agendum est de numero causarum,ac principiorum generationis, & corruptionis in rebus inferioribus tam simplicibus quàm mixtis.

In secundo agendum est de causa efficiente rerum naturalium secundum Platonem.

In tertio agendum est secundum opinionem Arist. de causa efficiente perpetuæ generationis.

In quarto ponenda sunt quædam dubia,ac resoluenda sententia Philosophi hîc in tex.& sunt tria.primum vtrum generatio sit perpetua procedendo in infinitum, secũdum rectum, an secundum circulum,secũdum est,vtrum quælibet res corruptibiles habeant certã & terminatam periodũ suæ durationis.tertium vtrũ corruptũ possit idem numero regenerari.

CAPVT I.

Quot nam sint principia & causæ generationis & corruptionis in his inferioribus tam simplicibus quàm mixtis.

CIrca primum cap. nota, quòd de numero principiorum naturalium,satis egimus in tractatu vltimo super primo lib. Phys. quia tamen Philosophus hîc in fine libri de eis pertractat, breuiter resumẽdum est.& dicimus quòd secundum diuersam considerationem principia rerum naturalium sunt duo,& sunt tria,& sunt quatuor, & sunt quinque. primò sunt duo, si sumantur principia naturalia intrinseca, ex quibus res per se constituitur,& hæc sunt materia prima,& forma. Item sunt tria si sumantur principia naturalia intrinseca, ex quibus res fit, siue per se, siue per accidens. & hæc sunt materia prima, & forma, vt principia per se,& priuatio vt principium per accidens. non enim permanet in re facta, vt declarauimus in primo Phys. ideo ponitur principium naturale per accidens. Item sunt quatuor, si considerentur principia intrinseca per se,vt prima materia,& forma, & principia extrinseca per se, quæ sunt efficiens, & finis. Item sunt 5. si sumantur tria intrinseca, per se duo, vt materia,& forma,& vnum per accidens, vt priuatio, & duo extrinseca, vt efficiens, & finis, nota tamen quòd Philosophus in primo Phys.consideraũt de principiis intrinsecis.ideo dixit esse tria,in secundo Phys.consideraũt de principiis per se intrinsecis,& extrinsecis,ideo dixit esse quatuor,quæ dicuntur quatuor genera causarum. In hoc secundo lib. facit mentionem solùm de materia & forma, & efficiente,aliquantulum tangens causam finalem perpetuæ generationis,vt dicemus infrà. verùm quia de forma, & materia rerum corruptibiliũ actum est, & in primo Phys. & in hoc secũdo libro vbi actum est de generatione elementorum ex seinuicem, & mixtorum ex elementis.ideo solùm immoratur circa efficiẽtem. & primò secundum opinionem Platonis, vt dicemus in cap. sequenti.

CAPVT II.

Quæ nam sit vera rerum naturalium secundum Platonem efficiens causa.

CIrca caput secundum, vt videamus resolutè opinionem Platonis, faciemus quatuor.primò quæ sit causa efficiẽs rerum naturalium secũdum ipsum, secundò in quo deceptus est Plato. tertiò arguitur contra Platonem per rationem Philosophi. quartò declarabitur in quo sensu opinio Platonis habet veritatem.

Circa primum, vt dicit Philosophus in tex.52. Plato in lib. suo,quem nominat Phædon dixit causas efficientes naturaliũ rerum esse ideas separatas in materiales, puta per se hominẽ esse causam efficientẽ hominum singulariũ, sic per se equum esse causam omnis equi, vnde dicebat indiuiduum,puta hunc hominẽ generari quãdo participabat ideam hominis.iterum hunc hominem corrumpi,quando deperdebat,vel desinebat participare ideam hominis. De his autem ideis pertractare spectat ad Metaphysicum. nam Arist. in septimo Metaphysicæ,longo processu disputat contra Platonem de ideis.

Circa secundum nota,quòd ideo Plato in positione idearũ est deceptus,quia in philosophia contrarium modum habuit modo Aristotelis. Aristot. enim ex sensibilibus materialibus ad intelligibilia processit. Plato verò ab intelligibilibus ad hæc sensibilia speculanda deuenit. ideo sicut videbat contingere in intellectu circa intelligibilia, sic credidit esse in rerum natura.videbat autem in intellectu, quòd natura specifica vniuersalis puta homo,vt homo potest intelligi non intelligendo homines singulares,sic credidit esse in rerum natura, quòd, scilicet daretur homo per se vniuersalis existens extra omnes homines singulares. & hunc hominem vniuersalem dicebat esse speciem, ideam, quiditatem. & de eo solo habebatur scientia. Item quia aduertit has naturas vniuersales cognitas ab intellectu differre ratione abinuicem. alia enim diffinitio datur de homine, & alia de equo: credidit sic esse in rerum natura,quòd scilicet huiusmodi species, vel ideæ essent realiter distinctæ, & quia prima causa est omnino simplex, ideo has plures ideas non posuit esse in prima causa, ne contingeret compositio in ipsa.In quocunque enim sunt plura entia absoluta ab inuicẽ distincta in eo est compositio ex septimo & 12.Metaphys.vt igitur euitaret cõpositionẽ in Deo secundũ pluralitatẽ idearũ, posuit pluralitatẽ deorum secundorum, & posuit ordinẽ eorum, secundũ ordinem idearum. nam sicut omnes ideæ, & species reducuntur per Platonem in quiditatem vnitatis, & bonitatis, quæ dicitur per se vnum per se bonum, ita reduxit omnes deos secundos ad primum Deum,

deum, quem dicebat absolutè bonum, & vnum, & ens. omnes autem participabant ipsum. hæc fuit sententia Platonis, vt ei attribuit Aristote.& fortè falsè.potuit enim habere circa ideas trinum sensum,vt dicemus paulò inferius.

Circa tertium supponendo,quòd Plato habuerit hunc sensum de ideis.sic contra eum arguit Philosophus in hoc secundo libro text. 52. & probat quod non sit sufficiens causa efficiens generationis in rebus naturalibus sic, si idea est sufficiens causa generationis. ergo quicquid potest generari statim generabitur. & sic in hyeme generabitur rosa, & omne quod potest esse ignis, statim erit ignis, & sic omne combustibile statim comburetur, quod tamen est contra sensum. consequentia verò sic probatur,posita forma participabili & materia potente participare formam per receptionem formæ,statim sequitur generatio,vt posita forma ignis, & ligno potente participare formam ignis statim lignum ignitur,sed secundum Platonem idea est forma participabilis, dicitur enim exemplar imitabile,& dantur materiæ,quęhas formas participare possunt, puta materia hominis potest participare ideam hominis.ergo sequitur quòd statim, & omni tempore erit generatio cuiuslibet rei, quæ generari potest, cùm autem hoc sit falsum,vt patet ad sensum, sequitur quod idea non est sufficiens principium efficiens generationis in rebus naturalibus. hæc ratio Philosophi quantum valeat contra Platonem,declarabitur in solutione argumentorum.

Circa quartum nota, quòd opinio Platonis potest habere verum sensum,secundum hanc considerationem ideę dicuntur esse quædam exemplaria separata, & abstracta ab omni materia.si enim omnia in feriora producibilia reducuntur in corpora cœlestia, vt in causas vniuersales effectiuas, & omnia cœlestia corpora reducuntur in primum motorem, à quo cœlum, & natura dependet ex 12. Metaphysic. oportet quòd quicquid inferius generatur accipiat esse, & formam per virtutem primi motoris. & quia primus motor, qui est deus est summè intelligibilis producit res intelligendo.scientia enim dei est causa rerum per Commentatorem in 12.Metaphysi.commen.52. non posset autem producere res intelligendo, nisi in suo intellectu essent formæ rerum producibilium,ad quarum similitudinem res in esse producuntur,sicut non potest artifex producere artificiatum, nisi in mente sua concipiat exemplar artificiati. has autem formas rerum producibilium vocamus ideas. & quidem si Plato in hoc sensu posuit ideas in primo motore bene posuit,nec id negasset Philosophus,nam & Commentator in 12. Metaphysic.comm.18. negans ideas Platonis,tanquam subsistantias separatas existentes extra singularia, ponit ideas in primo motore. vult enim quòd omnes formæ hûc inferius productę recipiant modum, & mensuram ex dispositionibus stellarum, & vt ait omnia prouenium ab arte intellectuali ipsius dei, quod quia sic est concludit ibidem,quòd omnes proportiones, & formæ, quæ sunt in potentia materiæ primæ sunt actu in primo motore. has autem proportiones, & formas existentes in primo motore secundum esse intellectuale,ideas nuncupare possumus, ex omnibus prædictis patet, quomodo opinio Platonis circa ideas verum & falsum sensum continere potest. Hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.

Quæ sit rerum naturalium efficiens causa secundum Aristotelem.

CIrca caput tertium declarandum est secundum Aristot. quæ sit causa efficiens generationis, imò quæ sit prima causa efficiens generationis perpetuæ. ponit enim mundum æternum.& ibi dicemus tria,& primò probandum est generationem esse perpetuum. secundo probandum est causam efficientem perpetuæ generationis esse motum cœli, non quidem diurnum qui est super polos mundi,sed qui est secundum circulum obliquũ. tertiò probandum est eiusdem perpetuæ generationis causam efficientẽ esse primũ motorem.

Circa primum sic arguit Philosophus,nisi motus cœli est perpetuus,ergo generatio perpetua. consequentia probatur in conclusione sequenti, vbi dicemus ideo cœlestia corpora moueri, vt hæc inferiora continuè generentur. antecedens verò sic probatur ab Arist.tempus perpetuum est. ergo motus cœli est perpetuus. consequentia patet, quia tempus est primo mensura motus cœli, in quarto Physicorum. ergo si mensura est perpetua, mensuratum est perpetuum. Quòd autem tempus sit perpetuum, sic probatur, si tempus non est perpetuum. ergo tẽpus incœpit, si incœpit ergo in tempore, habet enim Philosophus hoc,vt principium notum, scilicet omne quod incœpit, incœpit in tẽpore, sed tempus non incipit in tempore, quia esset tempus ante tempus, quod est inconueniens. ergo tempus non incœpit. & sic est perpetuum à parte ante: eodem modo potest argui, si desinit, desinit in tempore, ergo erit tempus post tempus, quod est inconueniens.

Hæc ratio apud theologum non concludit. dicit enim theologus non est necesse tempus reale incipere in tempore reali, sed solùm in tempore imaginario.& secũdum hoc concedit, quòd ante tempus reale est tempus imaginarium, & post etiam erit, sicut concedit Philosophus extra cœlum esse spatium imaginatum, & infinitum ex nostra apprehensione, non tamen spatium reale. & de hoc tempore imaginario, ac spatio locuti sumus in octauo Phys.in primo tractã.vbi soluimus rationes Philosophi probantes æternitatem mundi.

Secunda, ad idem sic arguit Philosophus. natura semper desiderat quod melius est, sed melius est rem semper esse, quàm non esse. ergo hæc generabilia melius est esse, quàm non esse. sed nõ possunt per seipsa perpetuari in esse, cùm sint corruptibilia, nisi per successionem generantis. ergo est necesse generationem esse continuam & perpetuam,vt hæc inferiora saltem secundum speciem seruentur in esse.

Hæc ratio apud theologum non concludit, quia negaret esse melius absolutè generabilia semper esse, quàm non esse, imò melius est generabilia esse, quando diuina sapientia disposuit. ideo enim producuntur, vt in eis diuina bonitas manifestetur.potest autem sufficienter manifestari etiam si non perpetuentur in esse. Deus enim seipso perfectus est, nec ex generatione rerum aliqua perfectio sibi aduenit, & ideo non est necesse, quòd generatio sit perpetua, vnde ratio Philosophi magis est rhetorica, quàm necessaria.

Circa secundum, in quo Philosophus probat motum cœli esse causam perpetuæ generationis, pono tres conclusiones de mente sua. prima est, motus cœli est causa generationis. probatur,primus motus est causa communis motus, & mutationis, quia primum in genere est causa omnium, quæ sunt in illo genere,sed motus cœli est primus motus, quia est à primo motore, & in primo corpore quod est cœlum, & per plures alias rationes, vt probauimus in octauo Physicorum. ergo motus cœli est causa generationis.

Secunda conclusio, Motus primi mobilis qui est super polos mundi,quem equinoctialis in duas partes ęquales diuidit, non est causa generationis, & corruptionis. probatur,si motus primi mobilis est causa generationis, & corruptionis, ergo sequitur quòd generatio rerum semper esset eodem modo. & tamen hoc est falsum.videmus enim sole accedẽte ad nostrum zenith in tempore æstatis res generari, sole verò recedente, vt tempore hyemis res non generari.imò corrumpi præcipuè vegetabilia.consequentia verò sic probatur, idem manens idem semper causat idem, id est,si est aliqua causa, quæ nullam diuersitatem habeat in se semper causat effectum eodem modo. sed motus primi mobilis est semper vniformis, & nullam habet diuersitatem in suis partibus, semper enim per æquinoctialem in æqua diuiditur,& secundum ipsum planetæ sunt nobis semper æquè propinqui, & æquè remoti.ergo generatio semper esset eodem modo.

Tertia conclusio, Motus planetarum sub zodiaco est causa generationis, & corruptionis. probatur, in hoc motu est diuersitas. nam secundum vnam partem accedunt ad nos, puta dum mouentur sub signis arcticis, vt sub ariete, tauro,geminis.& sic sunt causa generationis, secundum aliam partem recedunt à nobis, puta dum mouentur sub signis meridionalibus, vt sub libra.scorpione,&c.& sic sunt causa corruptionis. hac enim ratione zodiacus declinat ab æquinoctiali, vt secundum diuersa tempora fiant diuersæ generationes, & corruptiones in mundo inferiori, & propterea inquit Philosophus in hoc secundo lib. tex.58. apparent autem & secundum sensum confessa his, quæ à nobis dicta sunt. videmus enim, quòd adueniente sole generatio est, recedente verò diminutio,id est corruptio.

Circa tertium probat Philosophus non solùm motum sub zodiaco esse causam generationis perpetuæ, & corruptio. sed & primum motorem, sic.nam datur primus motor mouens, & primum mobile quod à primo motore mouetur. ergo, si primus motus, qui est motus cœli est causa generationis perpetuæ,& corrup.vt probatum est,sequitur quod etiam primus motor sit causa perpetuę generationis. & si dicas ęq iam probatum est motum planetarum sub zodiaco esse causam generationis,& non motum primi mobilis, sed planetæ non mouentur sub zodiaco à primo motore, sed ab intelligentiis applicatis suis orbibus. ergo falsum est primum

motor

motorem esse causam efficientem generationis perpetuæ.

Ad hoc dicitur, quòd licet primus motor non moueat immediatè orbes planetarum, tamen dat virtutem intelligentiis applicatis vnde mouent in virtute primi, sicut omnia quæ fiunt in exercitu fiunt auctoritate, & virtute primi ducis. ergo primus motor est causa generationis perpetuæ, quia intelligentiæ non mouent, nec causant hæc inferiora, nisi in virtute sibi data à motore primo. hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

Quarundam dubitationum solutio.

Circa caput quartum declaranda sunt quædam dubia, quorum primum est an sit verum, quòd omne corruptibile habeat certam periodum, id est, determinatum tempus suæ durationis, ita quòd non potest vltra illud tempus permanere cum desinat esse, & nota quòd hanc positionem inducit philosophus in hoc secundo lib. text. 57. quasi corollarium, inquit enim, ideóque & tempus, & vita vniuscuiusque per numerum, id est, mensuram determinantur. omnium enim est ordo, & omne tempus, ac vita mesurãtur periodo, id est circulari mensura, quæ sunt determinatæ reuolutiones cœli, vt igitur appareat veritas huius propositionis ponimus quatuor conclusiones,

Prima conclusio, Omne corruptibile habet certam periodum suæ durationis, vltra quam desinit esse, probat sic Philosophus, omne corruptibile generatur, & recipit esse per motum cœli, & conseruatur in esse per motum cœli. ergo vita, & duratio cuiuslibet corruptibilis habet numerum, & mensuram ex reuolutionibus cœli. sed hoc est habere certam periodum, ergo, &c. antecedens probatum est in tertio capite, vbi dictum est causam generationis perpetuæ esse motum cœli sub zodiaco. consequentia autem manifesta est, quoniam si causatur, & conseruatur in esse à cœlo, ergo est termi natum tempus suæ conseruationis, & suæ durationis, aliter non esset corruptibile,

Secunda conclusio, non omnes species rerum corruptibilium habent vnam periodum suæ durationis, probatur, quædam sunt longioris durationis quædam breuioris, & inter animata id est manifestũ, vt homo est longioris vitæ, quàm equus, & elephas, vt quidam volunt, quàm homo. ergo diuersarum specierum corrupt. sunt diuersæ periodi, propterea inquit Philosophus text. 37. sed tamen verò omnes eadem, sed his quidem maior, aliis autem minor periodus est.

Et si quæras vnde est, quòd variæ species habẽt varias mensuras suæ durationis, ita quòd quædam plus, quædam minus conseruantur in esse, Dico huius esse duplicem causam, scilicet extrinsecam, & intrinsecam, extrinseca quidem est varius aspectus siderum, & coniunctio planetarum, inter quas aspectus vnus est fortior alio, propter quem continget vnum corruptibile esse permanentius reliquo, quia in sui generatione dominabatur aspectus fortior, & felicior coniunctio planetarum, sed id in particulari considerare est officium astronomi, quicunque igitur sciret omnium siderum aspectus, & coniũctiones, & vires prognosticari vtique posset de mensura durationis rei, vel vitæ eius, & diuersimodè in diuersa rerum specie. Causa autem intrinseca est multiplex, quam exposuimus in tractatu de longitudine, & breuitate vitæ, nunc sufficit ponere quatuor in vniuersali. prima, durities est causa longioris vitæ, & durationis. dura enim magis resistunt diuidenti, & diuisio est causa corruptionis, vt patet cùm diuiditur corpus animalis. secunda est bona commixtio humidi cum calido, & sicco terrestri. dicitur enim in tractatu de causa mortis, & vitæ, quòd calidum, & humidum cõtemperatum cum sicco terrestri est causa vitæ, sicut ex opposito frigidum, cum sicco terrestri consumpto iam humido, vt patet in decrepito homini est causa mortis. tertia est homogeneitas in paribus, homogenea etiam non corrumpuntur, nisi à principio intrinseco, heterogenea à principio extrinseco, & intrinseco. & ideo cæteris paribus homogenea sunt longioris durationis, vt patet in lapidibus, & metallis. quarta est proportio loci continentis. quando enim locus conformatur locato diutius conseruat locatum, inde est, quòd quędam in vno situ optimè conseruantur, quæ si transferantur cito corrumpuntur, vt patet in plantis, & animalibus diuersarum regionum. nota tamen quòd hæc quarta causa est magis extrinseca, quàm intrinseca, quoniam locus est extra locatum.

Tertia conclusio, Omnia indiuidua vnius speciei inquantũ conueniunt in vna natura specifica habent æqualem periodum, ita quòd vnus homo inquantum homo non est longioris vitæ, quàm alius, probatur, mensura durationis sumitur secundum esse rei. rem enim durare est conseruari in esse. sed omnia indiuidua vnius speciei conueniunt in vno esse specifico. ergo inquantum conueniunt in vno esse specifico conueniunt in vna periodo conseruatiua talis esse.

Quarta conclusio, Varia indiuidua vnius speciei, si ad seinuicem comparentur, & quo ad principia indiuiduantia habent varias periodos suæ durationis, quædã enim sunt longioris, quædã breuioris durationis, vt patet in hominibus etiam remoto quolibet corrumpente extrinseco violento, & intrinseco, vt sunt ægritudines. & ratio huius est multiplex. Prima est varius aspectus siderum, sub quo diuersimodè indiuidua generantur. Secunda est varia cõplexio. & inde est, quòd sanguinei sunt longioris vitæ. habent enim humidũ, & calidum bene temperatum. Melancholici autem breuioris vitæ, eo q̃ in eis dominantur frigidum, & siccum terrestre, quæ sunt causa mortis, vt patet in tractatu de causa mortis, & vitæ. Tertia est conformitas loci continentis. nati enim in regione temperata, si in ea persistãt, longius permanẽt in esse quàm si transferantur in regionẽ tẽperatam. Quare esse bonum regimen vitæ citra nutritionem, qui enim abstinent à cibis corrumpentibus, longius viuunt, propter quod cõtingit homines aliquos vltra terminum cõmunem humanæ vitæ longius viuere, terminus quidẽ hic est vsq; ad ann. 70. secundũ Com. in hoc 2. lib. com. 58. trigintaquinq; deputãtur generationi, id est, cõtinuo profectui, perficitur enim hominis vita in 35. annis post 35 incipit tendere ad non esse vsque ad 70. & ideo alios 35. deputãt corruptioni, id est, defectui quo tenditur ad corruptionem, licet autem hic sit communis terminus vitæ, tamen plures et bono vitæ regimine viuunt vltra 80. & aliquando vltra 100. annos. Contingit autem hoc per diligentiam abhibitã ex humana industria, sapiẽs enim dominatur astris. vt inquit Ptolemæus in cẽtiloquio suo. ex iis patet quomodo hæc propositio est vera, omne corruptibile habet terminatã periodũ non tamen omnia habent æqualẽ periodum, nec omnis species nec omnia indiuidua eiusdem speciei si ad seinuicẽ comparantur.

Secundum dubium est, quia Philosophus dixit generationem corruptibilium esse perpetuã. ergo tendit in infinium, non enim tot generantur quin plura, & plura & sic in infinitum, aliter non esset perpetua, quæritur ergo an tendat in infinitum secundũ lineam rectã, an secundum lineam circularem. vt autẽ id resoluatur dicam quatuor. primò declarabo quid sit generationem procedere in infinitum secundum lineam rectam, vel secundum lineã circularem. secundò ponã hanc conclusionem, generatio secundũ species non tenditin infinitum secundũ lineam rectam. tertiò hanc cõclusionem, generatio secundum indiuidua tendit in infinitum secundum lineam rectam, quartò hanc conclusionem, generatio secundum speciem tendit in infinitum secundum lineam circularem, & post huius probationem assignabo causam propter quam id contingit de mente Philosophi.

Circa primum nota quòd generationem procedere in infinitum secundum lineam rectã est, quando vna pars materiæ primò esset sub vna forma puta terræ, posteà sub alia puta plantæ, posteà sub alia puta vermis, & sic succesiuè, ita tamen quòd nunquam amplius esset sub forma, sub qua prius fuerit ad similitudinem eius qui mouetur continuè super lineam rectam in infinitum, qui directè transit partẽ postpartem non replicando: secundũ lineam circularẽ dicitur generatio procedere in infinitũ, quando vna pars materiæ primò est sub vna forma puta sub forma terræ, deinde sub forma aquæ, deinde sub forma aëris aut ignis, & posteà iterum & iterum est sub forma terræ, ad similitudinem eius qui mouetur circulariter, primò mouetur per A, secundò per B, tertiò per C, & reuertitur ad A, sicut sol mouetur per circuitum à puncto orientis ad occidens, & ab occidente iterum in orientem, & sic in infinitum. Facta hac declaratione ponotur conclusiones de mente Philosophi.

Prima conclusio, generatio non tendit in infinitum secundum lineam rectam si sumatur generatio iuxta species rerum corruptibilium, puta materia sit aliquo tempore sub forma leonis, deinde sub forma equi, deinde sub forma asini, & sic procedendo in infinitum, ità tamẽ quòd nunquam bis sit sub forma eiusdẽ speciei, hæc conclusio probatur sic, si est generatio in speciebus in infinitum secundum lineam rectam. ergo species rerum corruptibilium essent infinitæ: quod est falsum. infinitum enim non datur ex tertio Phys. probatur consequentia, si species essent infinitæ. ergo tandem materia esset sub forma vltimæ speciei, & tunc aut desineret esse aut materia reuerteretur ad aliquam formam priorem sub qua iam prius fuerat, & sic fieret generatio per circulum & non per lineam rectam in infinitum, cùm ergo rerum corruptib. species sint finitæ, sequitur quòd generatio in speciebus non potest tendere in infinitum secundum lineam rectam.

Secunda conclusio, Generatio in indiuiduis eiusdem speciei procedit in infinitum secundum lineam rectam & non secundum circulum, probatur: si procedit secundum circulum, ergo materia posset pluries esse sub vna forma indiuiduali, quod tamẽ est falsum, nam Philosophus pro principio habet quòd idem numero indiuiduum semel corruptum non potest regenerari, quod an verum sit dicemus in tertio dubio: si ergo generatio in indiuiduis non tendit in infinitum secundum circulum remanet à sufficienti diuisione quod tendit secundum lineam rectam in infinitum.

Tertia conclusio, Generatio in speciebus rerum corruptibilium tendit in infinitum secundum circulum, probatur, supposito mundum esse æternum materia infinities est sub diuersis formis diuersarum specierum, modò sub forma plantæ modò sub forma vermis, &c. Et non est infinities sub speciebus infinitis quia species infinitæ non dantur. ergo sub speciebus finitis. ergo eadem materia pluries reuertitur ad eandem formam sub qua prius fuit non quidem eandem numero, aliter idem bis generaretur, sed ad eandem in specie, & per consequens talis processus in infinitum in speciebus est secundum lineam circularem, & causam huius quidem circulationis reducit Philosophus in hoc secundo libro, textu 70. in motum cœli, nam dictum est suprà motum cœli esse causam perpetuæ generationis, sed motus cœli est circularis. ergo consentaneum est, vt moueat & producat hæc inferiora circulariter, sic transeunt & redeunt menses, dies, horæ circulariter. ergo & tempora lia generabilia conuenienter producuntur per circuitum quendam.

Dubium tertium est, quia Philosophus in fine huius secundi libri textu 70. dicit non contingit idem numero regenerari, sed idem specie, puta quando ex aqua generatur aër, & iterum ex aëre generatur aqua, aqua secundo genita non est eadem aqua numero quæ prius erat, sed eadem in specie tantùm. Quæritur ergo vtrum id sit verum & necessarium sic esse, & nota quòd ibi sumitur regenerari substantialiter & non accidentaliter, & completiuè: quod propriè conuenit composito, nam quòd materia pluries regeneretur subiectiuè inquantum eadem materia prima est pluries sub formis diuersis non dubitatur, ex hoc tamen non sequitur quòd idem numero compositum pluries generetur, quoniam in omni generatione, licet sit eadem materia, non tamen eadem forma. primò ergo ponam conclusionem negatiuam. secundò adducam huius causam præcipuam & declarabo quomodo hoc nõ excludit potentiam dei secundum sacrũ Theologum.

Conclusio negatiua sic probatur, si res eadem numero potest bis generari. ergo materia prima adhuc est in potentia ad formam quam prius habuit, sed hoc est falsum, consequentia est clara, nisi enim materia sit potentia ad formam res non potest generari, quòd autem materia non sit amplius in potentia ad eandem formam quam prius habuit, probo, nam potentia materiæ est ad formam producendam & non ad formam præteritam, & præterea quando materia recipit formam, tota potentia quæ est in materia respectu talis formæ actuatur & reducitur ad actum. ergo postquam illa forma est abiecta non remanet amplius potentia in materia ad eandem formam. Si dicis quòd non tota potentia materiæ ad aliquam formam reducitur in actum per illam formam. Contra ergo sequitur quòd materia pro eodem instanti haberet formam & appeteret eandem. Nam per te pars potentiæ actuatur & pars potentiæ non actuatur. ergo inquantum actuatur secundum partem habet formam & inquantum non actuatur secundum aliam partem desiderat eandem formam, sed hæc sunt vanè dicta, desiderium enim est respectu rei non habitæ. ergo si habet formam non amplius desiderat eandem numero.

Circa secundum nota quòd tota ratio quare non potest idem bis generari vel res corrupta eadem numero reparari vel semel corruptum iterum generari, (hæc enim tria habent eundem sensum) est hęc, generatio substantialis est terminus alterationis sumendò generationem pro instantanea introductione formæ, vt diximus in 6. Physico. alteratio autem interrupta non potest esse eadem alteratio numero, quia ad vnitatem motus requiritur tempus non interruptum talem motum mensurans, ex 5. Physi. vbi ergo est duplex generatio est duplex alteratio, vbi est duplex alteratio non potest esse vnus terminus numero, cùm ergo compositum sit terminus generationis si bis generatur duplex erit generatio, & sic duo composita generabuntur, & non vnum numero.

Hæc ratio concludit de agente naturali quod producit res per motum & generationem Physicam. Si autem datur vnũ agens quod sine transmutatione & motu, sed simpliciemanatione producat res in esse, cuius actio est sua substantia: illud inquam agens potest idem bis generare vel producere, vt verius dicamus, & rem corruptam eandem numero reparare. Illud agens est Deus gloriosus, ideo tenet Theologus quòd hominem mortuum potest eundem numero ad vitam reparare. Hic termino tertiũ tractatũ & vltimum super secundũ librum de generatione, superest quędam argumenta soluere.

Contra secundum caput, probatur quòd ratio Philosophi non concludit contra Platonem, nam Philosophus ad probationem suæ consequentiæ assumit hanc propositionem, posita forma participabili & materia potente participare talem formam statim sequitur generatio: hæc inquam propositio est falsa, ad generationem enim requiritur debita approximatio agentis ad materiam disponendam, non enim posito igne in Gallia & palea in Hispania sequitur combustio, nisi fiat approximatio ignis ad paleam. sic est in proposito.

Ad hoc dicitur quòd in agentibus corporeis est necessaria approximatio quia distinguuntur situ, ideæ autem cùm sint incorporeæ secundum Platonem, nullibi sunt secundum situm localem & ideo non magis propinquant materiæ existenti in vna parte orbis quàm existenti in alia: vbicunque ergo erit materia potens participare ideam, statim sequitur rei generatio, puta vbi erit lignum combustibile potẽs igniri statim ignietur. In hoc ergo sensu sumenda est propositio Philosophi & sic ratio procedit contra Platonem.

Contra tertium caput, probo generationem rerum de necessitate esse æternam, quia agens primum semper producit res & non potest non producere. ergo ab æterno producit, & sic in æternum producet. antecedens probatur, agens primum semper est agens actu, ex 12. Metaphysicæ. commen. 50. si semper est agens actu, ergo semper producit, & non potest non producere, quia si potest non producere. ergo aliquando esset agens in potentia, quod est cõtra Philosophum in 12. Metap. omne enim agens in potentia est imperfectum, quod non est attribuendum primo agenti, quia primum agens est vniuersaliter perfectum secundum Comment. 5. Metaphysi. cap. de perfecto, vbi inquit quòd hæc est conditio primi principij, vt sit perfectum absoluté.

Si dicis quòd actio est duplex, scilicet, immanens vt intelligere, velle, amare, & actio transiens vt mouere, res ad extra producere, primum quidem agens semper est agens actu secundum actionem immanentem, quia semper intelligit actu seipsum, ex Arist. 12. Meta. com. 51. non autem est necesse quòd semper agit actione transeunte, & quia producere res est actio transiens, ideo non semper & de necessitate producit eas.

Contra probo quòd de necessitate & ab æterno agit actione transeunte sic, posita causa æterna sufficienti non impedita, ponitur effectus æternus: quia omnis causa sufficiens non impedita, etiam si est potentia rationalis, statim agit dum potest agere, ex 9. Meta. sed in Deo est causa productionis rerum æterna sufficiens non impedibilis. ergo productio rerum vel res productæ sunt æternæ, minor probatur ex Comment. 12. Metap. com. 50. vbi inquit scientia primi est causa entis. id est, productiua entis, sed scientia Dei est æterna cùm ab æterno sciat omnia. ergo in Deo est causa productionis rerũ æterna.

Responsio. scientia Dei dupliciter consideratur. primò secundum se. secundò vt est coniuncta voluntati diuinæ, quantum ad primum non est sufficiens causa rerum sicut nec sola scientia artificis est sufficiens principium productiuum nisi adiuncto velle operari. quantum ad secundum cõcedo quòd est sufficiens causa rerum & quòd est æterna quantum sit ex parte Dei, sed habitudo ad res producendas non est necessaria, quia siue res producãtur siue nõ, perfectio diuina nec augetur nec diminuitur, scientia igitur Dei cum voluntate non necessariò producit res, ideo possunt æternę esse & nõ æternę.

Contra quartum caput quòd Deus non potest idem numero corruptum iterum producere, quia vel producit eadẽ productione vel alia: non alia, quia non esset idem numero, nam distinctæ productiones ad distincta producta terminantur sicut distincti motus ad distinctos terminos, ex 5. Physic. nec eadem, quia sequitur illam fuisse & non fuisse, quod est implicans contradictionem, consequentia sic probatur, sit Socrates qui iam per annum vixit, de eo verum est dicere productio sua fuit, & cras moriatur. & post cras potentia diuina iterum producat eum, productio qua posterius producetur nõdum fuit quia nullum futurum fuit, & per te est eadem cum ea quę fuit, ergo eadem productio fuit & non fuit.

Si dicis quòd productio Socratis, vt est à Deo, non mensuratur differentiis temporalibus, sed sola æternitate quia Deus non subiicitur tempori, ideo ex parte Dei non est verum dicere quòd productio Socratis fuit vel erit, sed solùm quòd est quia in æternitate nulla est succesio.

Contra, probo quòd productio Socratis nullo modo mensuratur æternitate, sic, omne mensuratum æternitate, est æternum, sicut omne mensuratum tempore est temporale, sed productio Socratis non est æterna, quia Socrates non habet esse ab æterno, ergo non mensuratur æternitate.

Si dicis quòd quantum sit ex parte Dei mensuratur æternitate, comparata autem ad esse Socratis mensuratur tempore, & sic non sequitur Socratem esse æternum, quia suum esse mensuratur tempore.

Contra adhuc stat argumentum, quia omne mensuratum æternitate est coasistens æternitati. ergo omne mēsuratum æternitate est æternū, alioquin verò coasistere æternitati.

Responsio, mensuratum æternitate est duplex: quoddam ꝙ est quocunque instanti æternitas est & hoc est æternum, sicut esse diuiduum & scientia diuina, &c. Quoddam quia quacunque differentia temporis mensuretur illa comparata æternitati est sicut præsens quia tempus præteritum & futurum ad æternitatem relata sunt sicut præsens, & hoc modo productio Socratis mensuratur æternitate & nō primo modo, ideo non sequitur Socratem esse æternum, sed solùm ꝙ semper sit præsens Deo qui in se cōsideratus nec fuit, nec erit sed est.

Contra quartum caput, & primò cōtra primum dubium, si omnia habent certam periodum, ergo sequitur quòd non potest prolongari per artem medicinæ vita humana: quod tamen est falsum, quid enim medicina prodesset nisi præseruaret à corruptione.

Ad hoc dicitur ꝙ rei corruptibili potest attribui triplex periodus, scilicet periodus speciei, periodus indiuidui, & periodus complexionis, aliam enim periodum habet cholericus, aliam melancholicus. Ad argumentum dico quòd medicus potest prolongare vitam humanam vltra periodum speciei & non vltra periodum indiuidui & suæ complexionis.

Contra secundum dubium sic, si est processus in infinitum in generationibus. ergo est processus in infinitum in causis efficientibus subordinatis, sed hoc est falsum, vt probat Philosophus in 8. Physico, & in 2. Metaphy. vbi probat quòd datur primum efficiens aliter nihil produceretur, consequentia verò probatur sic, si est processus in infinitum in effectibus, ergo etiam in causis præcipuè naturalibus, quæ sunt terminatæ ad vnum effectum.

Ad hoc dicitur quòd causæ efficientes subordinatæ sunt duplices: quædam sunt subordinatæ per se & essentialiter, & in iis non est processus in infinitum, quia tales causæ sic se habent quòd vna causante omnes concausant, & sic si essent infinitæ causatio nunquam finiretur & nunquam effectus produceretur, quædam autem subordinatæ per accidens puta quòd Plato sit genitus à Socrate & Socrates ab Achille, &c. Et in iis nihil prohibet esse processum in infinitum quia non omnes simul causant, & prætereà accidit Socrati esse genitum à Platone potuit enim ab alio generari.

CHRYSOSTOMI IAVEL. CANAP. IN III. PRIORES LIBROS METEORΩN ARISTO.

EPITOME

IN Epitome nostra super Meteorologica Arist. acturi sumus de impresionibus meteoricis: & hoc ordine procedemus.

Primò pertractabimus quædam quorū præcognitio necessaria est in omnibus sequentibus.

Secundò agemus de impresione existēte subiecto in octauo cœlo, quæ dicitur Galaxia & de omnibus impresionibus ignitis: vt de stella crinita.

Tertiò de impresionibus humidis in aëre: vt de pluuia, & niue.

Quartò de impresionibus humidis genitis in terra: vt de fontibus, fluminibus, lacubus, & mari.

Quintò de impresionibus siccis: vt de vēto & de terræmotu.

Sextò de impresionibus causatis ex vapore sicco incluso in vapore humido: vt de tonitruo, & coruscatione, & fulmine.

Septimò de impresionibus causatis ex reflexione radiorum solis, & aliquarum stellarum: vt de Halone, & de Iride, & de Parallelis.

In his septē tractatibus cōprehendemus mentem Aristot. in tribus libris Meteororum Arist. Deinde (vita comite, & annuente Deo benedicto) considerationem faciemus super quartum librum, in quo Philosophus agit de variis mixtionibus corporum simplicium adinuicem, & est quasi complemētum librorum de generatione & corruptione. Illic enim in vniuersali agit de huiusmodi mixtione, ibi autē ad varios modos descendemus, & declarabimus varios effectus primarum qualitatum, vt est putrefactio, consruatio, digestio, indigestio, coagulatio, liquefactio, mollities, durities, &c.

TRACTATVS PRIMVS Super libros Meteorologicorum, in Quinque capita diuisus.

IN hoc primo tractatu, agendum est de quibusdam, quorum præcognitio necessaria est in omnibus sequentibus, & diuidimus ipsum in quinque capita.

In primo capite declaratur quomodo situantur elementa, & quomodo sunt contigua.

In secundo, quæ & quot sunt elementa euaporabilia.

In tertio, quot vapores eleuantur ex terra & aqua.

In quarto, quot sunt aëris regiones in quibus variæ causantur impresiones.

In quinto agitur de sufficientia omnium impresionum meteoricarum.

CAPVT I.

De Elementorum vario situ, & eorum contiguitate.

CIrca primum cap. notandum est (vt declarauimus in primo cœli) quod vniuersum constat ex corporibus cœlestibus & quatuor elementis, vt partibus principalibus, corpora autem cœlestia, ita situantur, quòd sphæra superior circundat, & continet inferiorem, sic descendendo vsque ad lunam. Elementa autem ita situantur, quòd sphæra ignis continetur, & circundatur à concauo orbis lunæ, & sunt contigua, ita quòd se tangunt secundum superficies suas, nec inter concauum lunæ, & conuexum sphæræ ignis datur spatium vacuum, ignis autem sphæra cōtinet sphæram aëris, & se tangunt secundum superficies: quia cùm ignis agat in aërem alterando & corrumpendo ipsum, & econuerso, (vt diximus in libro de generatione) necesse est vt se tangant tactu proprio Physico. Omnis enim actio Physica est per contactum (vt declarauimus in eodem loco). Similiter & eadem ratione, elementum aquæ continetur in elemento aëris, & se tangunt secundum superficies, agunt enim & patiuntur adinuicem, idem intellige de aqua & terra, & se tangunt non quidem secundum totam superficiem, sed solùm secundum illam partem, secundum quam terra est cooperta aquis, secundum verò partem non coopertam continetur in elemento aëris. Hoc igitur ordine disponuntur 4. elementa. Et si inueniatur dictum ab Arist. quòd sunt adinuicem continua, intelligatur continuum pro contiguo. Qualiter autem differant hæc duo expositum est in 7. Physic.

Ad insinuandum hunc ordinem in elementis (inquit Philosophus in primo Meteororum, cap. 1.) necesse est mundum hunc inferiorem, id est quatuor elementa esse cōtinuū, id est, contiguum lationibus superioribus, vt omnis virtus inde gubernetur. Quomodo autem omnis virtus, & actio quæ est in elementis gubernetur à corporibus cœlestibus, & omnis actio quæ est in elementatis, dictum est in tertio tracta. super secundum de generatione. vbi diximus motum cœli, vt primum motum esse causam omnis transmutationis. in his inferioribus triplex actio inuenitur: prima est violenta, vt ignem descendere, aquam calefieri, & hæc non propriè gubernatur à cœlo, licet ab eo causetur per accidēs. Nam actio violenta non est ad conseruationem, imò potius ad corruptionem rei. Ex hoc enim quòd aqua calefit disponitur ad corruptionem. quoniam caliditas est dispositio ad formam ignis. Et ideo huiusmodi actio non debet dici propriè gubernari à cœlo. Nam gubernare propriè est aliquid in suum esse naturale & in propriā operationem productiuè, & conseruatiuè dirigere. Secunda actio dicitur voluntaria, & libera, & hæc non gubernatur à cœlo, quia (vt dicemus aliâs) voluntas non subiacet cœlo nec alteri agenti creato, aliter homo non esset liberi arbitrij, nec dominus actuum suorum. Tertia actio dicitur naturalis, vt ignis calefacit, arbor fructificat, Et de hac propriè verificatur dictum Philosophi. Quod etiam declaratur in omni genere rerum naturalium, & primò in elementis. Nam vt dicemus infrà, luna habet dominium super aquas, cuius signum est quòd motus lunæ causat fluxum, & refluxum in mari, vt dicemus infrá. Saturnus secundum astronomos influit in terram quo ad eius stabilitatem & permanentiam, Mars videtur causare omnem actionem, & reactionem per contrarietatem in his inferioribus. Quòd Sol influat ad sensum patet. Secundò idem patet in corporibus mixtis inanimatis, vt sunt mineralia, Nam luna habet dominium super argentum solidum, & Mercurius super argentum viuum, & Sol super aurum & Mars super ferrum, Et Iupiter super stannū, & Saturnus super plumbum. Tertiò, idem patet in corporibus mixtis animatis, vt in vegetabilibus, Nam vites & aliæ arbores fructificantes, si plantantur aut inseruntur in plenilunio parum fructificant. Quoniam luna, vt dicemus infrà agentes de impresionibus humidis est mater humiditatum: & eius influxus maximè ostenditur in plenilunio, cuius signum est quòd testę conchiliarum, & ostrearum, & ouorum tunc plenæ sunt. Quando igitur tales arbores plantantur in plenilunio, vel inseruntur augetur in eis humiditas excesiua, quam virtus naturalis non potest bene regulare: & ideo humidum temperatum conuertendum in fructus remanens in temperatum conuertitur in ramos & folia. Hoc autem non contingit luna existente noua, aut semiplena, propter quod arbores fructiferæ in nouilunio plantandę, & inserendę sunt, Non fructiferæ autem, vt salices & populi, & abietes in plenilunio. Quartò, idem patet in animatis sensitiuis, nam vt speculantur medici, dies cretici asignantur secundum motum lunę, cùm enim luna peruenerit ad signum oppositum signo, in quo inchoata est ægritudo tunc apparet notabiliter an ægritudo sit mortalis an non, Similiter puer natus in octauo mense non viuit, Viuit autem natus in septimo, & huius ratio est quia in conceptione primus mensis datur Saturno secundum astronomos, secundus Ioui, Tertius Marti, & sic descende vsque ad lunam cui datur septimus mensis, & quoniam est planeta beniuolus nisi impediatur ex mala coniunctione cum alio planeta, ideo natus in septimo viuit. Octauus autem mensis iterum datur Saturno, quia à luna, vt ab vltimo planeta fit regressus ad primum: & quoniam Saturnus est frigidus, & siccus quasi terrestris, ideo natus in octauo moritur: frigidum enim, & siccum sunt causa mortis, calidum autem, & humidum causa vitæ, vt dicemus in tractat. de causa mortis & vitæ, patet igitur quomodo elementa & elementata quo ad actiones naturales & esse suum gubernantur à corporibus cœlestibus motis, propter quod bene inquit Philosophus in secundo de generatione motuum planetarum sub zodiaco esse causam generationis, & corruptionis perpetuæ in his inferioribus, & Auerr. in destructionibus contra Algazelem disputatio. quarta, dubio primo, inquit, & quoniam opinati sunt Philosophi quòd mundus non sustētatur sine motu, dicunt quòd agens motum est agens mundi: Si enim actio illius cessaret vno momento, videlicet, quòd motor non moueret, totus inferior mundus destrueretur, Hæc de primo capit.

Natus in octauo mense moritur & in septimo autem viuit.

CAPVT II.

Quæ nam ex elementis vaporabilia sunt.

IN secundo cap. declarandum est quę & quot sint elementa vaporabilia, & hîc dico duo, primò quid requiritur ad hoc quòd elementum vaporet. secundò pono tres conclusiones.

Circa primum nota, ad hoc quòd elementum vaporet necesse est, vt in se contineat partes crassas & subtiles, & quòd subtiles separari posint à grosis virtute alicuius calefaciētis. Vnde vaporare est, partes subtiliores à crasis separari, sicut in pomo euaporat odor: quando partes subtiliores exhalant, ex hoc sequitur quòd si datur corpus cuius omnes partes sint æquè subtiles, vel æquè crassæ, vt in solido lapide, ab eo nulla fit vaporatio, si autem habet partes crassas, & subtiles, quæ subtiles sint subtiliores omni vapore, nec ex eo fiet euaporatio. Necesse est igitur, vt omne corpus vaporabile habeat partes subtiles, non quidem subtiliores omni vapore, & separabiles à crasis, ita quòd subtiles eleuentur, vt fumus ab aqua: & crassæ, vt grauiores inferius resideant, stante hac declaratione pono tres conclusiones.

Prima est, elementum ignis non est vaporabile, probatur, nam in sua propria natura est corpus, secundum omnes partes subtile, & purum & summè actiuum. ergo non habet partes subtiles separabiles à crasis: ex consequenti non vaporat, Ratione tamen suæ acuitatis consumit omnem vaporem & cito, præcipuè si sit paruæ quantitatis quando ascendit ad sphæram ignis, si autem sit in magna quantitate longiori tempore consumit, vt declarabitur cùm loquemur de impresionibus ignitis, vt de stella comata, &c.

Secunda conclusio, elementum aëris non vaporat, quoniam: vt inquit dominus Albertus in primo Meteororum, in tractat. primo capite nono, licet aër sit humidus, & habeat partes subtiles, & crassas, tamen subtilitas aëris est adeo rara quòd transcendit in subtilitate omnem materiam vaporis. Et propterea ex declaratione suprapostia sequitur quòd ex aëre puro nullus eleuatur vapor, ex hoc sequitur quòd si essent tantùm duo elementa, scilicet, ignis & aër, nulla esset impresio Meteorica causata ex vapore.

Tertia conclusio, Aqua & terra sunt elementa vaporabilia, probatur, aqua cùm sit liquida, habet partes subtiles separabiles à crasis, & subtiles eleuantur actione Solis & recipiuntur in aëre, & id patet ad sensum, videmus enim dum calefit aqua fumum eleuari, qui est vapor, & partes crassæ non eleuantur, sed resident. Clarum igitur est quòd aqua vaporat, Quòd autem terra vaporet manifestum est ad sensum, Nam in ea sunt partes subtiles & crassæ, faciléque abinuicem separantur subtilibus ascendentibus, vt patet in radio Solis de illis atomis quæ censentur subtiles partes terræ, crassæ verò vt grauiores remanent in inferioribus, igitur terra vaporat.

Ex prædictis infertur quòd cùm sint quatuor elementa, duo vaporant, aqua & terra, & duo recipiunt vapores ascendentes, aër & ignis, vt dicemus infrá. Eleuans autem vapores est omne corpus calefaciens, nam ignis applicatus aquæ eleuat vaporem ab ea, corpora cœlestia præcipuè Sol suo motu & lumine calefaciunt hæc inferiora, vt diximus in secundo cœli, & calefactione eorum eleuantur multi vapores ex aqua & terra, ex quibus variæ impresiones Meteoricæ generantur, vt patebit infrá. Hæc de secundo capite.

CAPVT III.

Quæ nam vaporum species ab aqua & terra eleuantur.

IN tertio capite quoniam conclusum est duo tantùm elementa vaporare, scilicet, aquam & terram, declarandum est quot vaporum species ex eis eleuantur calefactione solis & aliarum stellarum. Nota igitur huiusmodi vaporem esse triplici differentia, scilicet, calidum siccum: & hic eleuatur ex terra sicca & vehementer calefacta in æstate radiis solis: Sed aduerte hunc vaporem non esse calidum ex natura sua, quia cùm eleuatur ex terra quæ secundum se est frigida & sicca, similiter hic vapor debet ex natura sua sapere proprietates terræ. Dicitur ergo calidus, quia eleuatur à terra calefacta, sicut fumus exhalans ab aqua calefacta fit calidus, licet aqua secundum se sit humida frigida. Secundus vapor est frigidus siccus, qui etiam eleuatur ex terra, & ex materia venti ac terræmotus, vt dicemus infrá. Tertius est humidus frigidus, qui eleuatur ex aqua, quoniam secundum se est humida frigida, vel ex terra humectata ex pluuia, vel aqua tangente terram, vt sunt fundi fluminum & lacuum, Ex his tribus vaporibus causantur variæ impresiones de quibus dicemus infrá. Hæc de tertio capite.

CAPVT IIII.

De variis aëris regionibus, in quibus recipiuntur terræ & aquæ vapores.

IN quarto capite quoniam dictum est omnes vapores eleuari ex aqua & terra, & quoniam recipiuntur partim in suprema parte supremæ regionis aëris, partim in secunda regione, partim in infima, partim remanent in visceribus terræ, declarandum est quot sint aëris regiones, vel interstitia, receptiua huiusmodi vaporum. Vnde aduerte quòd in elemento ignis non dantur plures regiones, eo quòd in sphæra sua est secundum omnes partes ęquè subtilis & rarus, & ęquè intensè calidus. In elemento autem aëris secundum Philosophum in 1. Meteorologi. cap. 1. sunt tres regiones dictæ tria interstitia. Prima regio est à superficie concaua ignis vsque ad partem illam aëris descendendo, quam desinunt calefacere sphæra ignis propter nimiam distantiam & corpora cœlestia ex defectu reuerberationis, & à Philosophis dicitur regio incentiua eo quòd ęstuat propinquitate ignis, dicitúrque suprema aëris regio. Tertia est illa pars aëris, quæ incipit à superficie terræ, vel maris ascendendo vsque ad partem illam quæ non amplius calefit ex reuerberatione radiorum solis, & stellarum, & dicitur regio infima in qua viuunt animalia volatilia, & terrestria respirantia, quæ quidem calefit ex radiis solis, qui reflexi à superficie terræ vel aquæ ascendunt per hanc aëris regionem, & eam calefaciunt plus, & minus secundum quod plus, vel minus obliquè reflectuntur. nam quanto solis

radij ſunt magis directi, tanto magis calefaciunt ex reuerberatione magis directa. Vnde in æſtate ſole appropinquante ad zenith capitis noſtri terra magis calefit. & hæc infima aëris regio. Oppoſitum autem fit in hyeme ſole recedente à capite noſtro per longam diſtantiam, & reuerberationem obliquam. Secunda regio eſt tota pars aëris intermedia inter hanc infimam, & ſupremam, & hæ quidem regiones in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. Cõueniunt in hoc quòd omnes ex natura ſunt calidæ, & humidæ, ſicut enim aqua ex ſe eſt frigida & humida, ſic aër & omnis pars aëris eſt calida & humida, vt diximus in ſecundo de generatione tract. 1. Differunt autem accidentibus cauſatis in eis per agentia extrinſeca. nam ſuprema regio habet calorem intenſum cauſatum in ea ex propinquitate ad ſphæram ignis. ſimiliter efficitur notabiliter ſicca ex eadem propinquitate, licet naturaliter ſit humida, inquantum aër. Eſt igitur calida remiſsè ſecundum ſui naturam, ſed calida, & ſicca intenſè ex agente extrinſeco.

Item regio infima calorem habet excedentem calorem ſuum naturalem cauſatum ex reuerberatione radiorum ſolis non tamen ita intenſum, vt eſt calor ſupremæ regionis. magis enim calefacit ignis aërem ſibi propinquum quam radius ſolis reuerberat hanc infimam regionem. Similiter hæc regio eſt humida vltra ſuam naturalem humiditatem. Recipit enim in ſe humidos vapores eleuatos ab aqua, & terra madefacta, & à terræ concauitatibus in quibus humidi vapores congregantur. Vnde ſicut terra humectatur dum in ſe aquam recipit, ita hæc infima regio aëris humectatur vltra ſuam naturalem humiditatem, dum in ſe recipit vapores humidos. Et igitur ſecundum naturam ſuam humida & calida remiſſè. Fit autem excedenter calida ex reuerberatione radiorum ſolis, & excedenter humida exceptione humidorum vaporum.

Item media regio ex natura aëris eſt calida, ſed remiſsè. Fit autem exceſsiuè frigida duplici cauſa. Primò quoniam ignis ſphæra non agit in ipſam calefaciendo propter diſtantiam, & radij ſolis reuerberationem tantum aſcendunt. Secundò quoniam planetæ virtualiter frigidi magis influunt in hac regione, eo quòd in ea nõ eſt calor extrinſecè cauſatus qui impediat vapores ad hanc regionem aſcendentes, propter quod ſemper remanet intenſè frigida. Et hæc quidem frigiditas eſt ex accidentalis, ſicut caliditas eſt accidentalis aquæ. Patet igitur quot ſint aëris regiones, & quomodo conueniunt in ſuis qualitatibus naturalibus. Differunt autem in accidentalibus cauſatis ab agente extrinſeco. Vtrum autem media regio fiat frigidior in æſtate quàm in hyeme declarabimus cùm loquemur de niue, & de grandine. Hæc de quarto capite.

CAPVT V.

Quot ſint impreſsiones meteorica.

IN quinto cap. aſsignanda eſt ſufficientia omnium impreſsionum meteoricarum: de quibus infrà acturi ſumus. Dico igitur prima diuiſione quòd omnis meteorica impreſsio vel generatur ſine vapore, vel ex vapore, Si primo modo, ſunt in duplici differentia. Quædam ſunt ſubiectiuè in octauo cœlo, vt galaxia. Quædam in nubibus, vel in aëre, cauſatę ex reflexione radiorum ſolis, vel aliquarum ſtellarum, vt iris, & halo. Si generantur ex vapore, hoc contingit dupliciter. Nam quædam generantur ex vapore ſimplici. Quædam ex vapore incluſo in alio vapore. Si primo modo, hoc fit tripliciter. Quoniam quędam generantur ex vapore ſicco calido inflammato, vt ſtella comata, & aſub. Quædam ex vapore humido aqueo, & frigido, vt ros, pluuia, & nix. Quædam ex vapore ſicco frigido terreſtri, vt ventus, & terræmotus. Si ſecundo modo hoc fit dupliciter. Nam aliquando vapor ſiccus terreſtris inflammatur per agitationem quę fit in vapore humido ipſum concludente: & hoc modo fit tõnitruum, & fulgur. Aliquando talis vapor incluſus non inflammatur agitatione, exit tamen cum impetu, & tunc cauſatur ventus turbinis. In his continetur ſufficientia omnium impreſsionum, de quibus infrà acturi ſumus. In ordine verò tractandi incipiemus ab his quæ in ſuperioribus cauſantur. Et primò agemus de galaxia. Secundo de impræſsionibus ignitis. Tertiò de impreſsionibus aqueis, Quartò de impreſsionibus ventoſis. Quintò de impreſsionibus cauſatis ex vapore incluſo in nube. Sextò de his quæ cauſantur ex reflexione radiorum. In his terminabimus ſententiam Ariſtot. quam intendit in tribus primis libris Meteorologicorum. Hæc de quinto capite.

TRACTATVS SECVNDVS
de impreſsionibus ignitis, in quatuor capita diuiſus.

SEcundum ordinem præmiſſum in hoc tracta, agendum eſt de impreſsionibus, quæ cauſantur in octaua ſphæra, & in ſuprema aëris regione, & in aliis regionibus, & dicuntur impreſsiones ignitæ. Diuidemus autem eum in quatuor capita.

In primo agetur de galaxia.
In ſecundo de ſtella comata.
In tertio de ignibus magnis ac paruis generatis in aëre,
In quarto de diuerſis coloribus generatis in aëre.

CAPVT I.

De galaxia.

CIrca primum caput agendum eſt de galaxia: de qua dicemus tria. Primò quid ſit quantum ad apparentiam & vulgarem opinionem. Secũdò quid ſit ſecundum veritatem, & vnde cauſatur. Tertiò in quo ſit ſubiectiuè.

Quantum ad primum nota quòd ſecundũ viſum noſtrum galaxia videtur eſſe veluti via quædam in ſereno, & dicitur galaxia, quaſi lactea ab albedine veluti nubecula clara & rara, cuius principium eſt à ſigno Geminorum, & tendit ad ſignum ſagittarij. Deinde in alia medietate inferiori reuertitur à ſigno ſagittarij ad ſignum Geminorum, ita quòd complet circulum. Hæc à vulgo dicitur via ſancti Iacobi, per quam fabulantur defunctorum animas ad ſanctum Iacobum tendere in Galitiam. ſed hæc vulgaria dimittamus.

Quantum ad ſecundum ſic diffinitur, vt colligitur ab Alberto in primo lib. tracta. ſecundo. cap. 5. Galaxia eſt lumen diffuſum & protenſum ex radiis plurimarum minutarum ſtellarum ſe mutuò fermè tangentium in denſioribus partibus octauæ ſphæræ.

Ad huius euidentiam, nota quòd in partibus octauæ ſphæræ in quibus apparet Galaxia eſt maxima multitudo ſtellarũ quarũ nonnullę adeo paruę ſunt, quòd non videntur, aliquæ autem viſu notabiles ſunt. Huiuſmodi ſtellę adeo propinquæ ſunt adinuicem, vt quaſi ſe tangunt, & cùm ſint lucidæ emittunt radios, qui ad ſeinuicem refranguntur, & ex tali refractione cauſunt circulũ album, veluti fumum qui Latinè dicitur lacteus, quia videtur, vt lac ſparſum in ſuperficie concaua octauæ ſphæræ. Dicitur autem in denſioribus partibus octauæ ſphæræ, quoniam in cœlo vbi ſunt ſtellæ, eſt denſior pars orbis. ſtella enim (vt diximus in 2. cœli) eſt denſior pars ſui orbis, quoniam igitur in parte in qua apparet galaxia plurimæ ſunt ſtellæ quaſi contiguæ, ideò ibi eſt magna denſitas, quæ eſt cauſa quòd lumẽ reflectatur. In diaphanis enim lumen tranſit, vt patet in puro vitro. Si autẽ diaphani terminatur opaco, vt plũbo, lumen reflectitur. Apparet igitur lumẽ illud diffuſum, quoniã recipitur in denſioribus partibus octauæ ſphæræ, vbi eſt tam ingens multitudo paruarũ ſtellarum.

Hæc eſt opinio Ariſt. de galaxia ſecundũ antiquam tranſlationem, quam & Alber. ſequitur. Et ſi inueneris in noua tãſlatione ipſum dicentem in 1. lib. Meteor. cap. 3. Galaxiam eſſe de materia ex qua fit cometa, ſcilicet de vapore ignito terreſtri, non ſuſtinebis illam tranſlationẽ, quoniã reputatur vitiata, & cõtra eam ſic arguitur. Vapor terreſtris ignitus, aliquãdo eleuatur in magna quãtitate. aliquãdo in parua. ergo ſi galaxia generatur ex illo vapore, debet apparere aliquando maior, aliquando minor, quod tamen eſt falſum, vt ad ſenſum patet. Præterea, non ſemper talis vapor in eadem cœli parte apparet. ſed galaxia non definit nec mutat ſitum nec ſecundum figuram apparet. ergo ſignum eſt quòd non eſt de vapore terreſtri ignito, ſed de natura luminis cœleſtis cauſato ex ingenti ſtellarum multitudine.

Quãtũ ad tertiũ, ſcilicet in quo galaxia recipitur, vt in ſubiecto eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt eam recipi in regione ignis, & non in octaua ſphæra. Ad quod ſic arguunt, Si recipitur in octaua ſphæra, ergo cœlum eſt paſsibile, & alterabile. omne enim recipiens qualitatem videtur eſſe paſsibile, & alterabile, & tamen in primo cœli concluſum eſt cœlum eſſe impaſsibile. ergo, &c. Cùm ergo non recipiatur in cœlo, reſtat vt recipiatur in puriſsima ignis regione. Hanc opinionem ſequitur author proſpectiuæ cum ſuo Comment. libro vltimo, propoſitione vltima, in qua ſic habetur, lucem ſolarem, & ſideralem in perſpicuo puro efficere galaxiam, ſuper quã propoſitionem ſic dicit Cõment. perſpectiuę. Multitudo radiorum ſtellarum concurrentium in ſuprema parte ignis, ibidẽ ſenſibilis poteſt apparere, &c.

Alij

Alij autem, vt Alber. in primo libro Meteo. tractat. 2. capi. 6. tenent eam recipi in octaua ſphæra, ſed diſtinguunt de receptione luminis in cœlo, primò enim recipitur in eo, vt in medio deferente, ſicut & ſpecies rerum viſibilium in medio diaphano, & deferuntur ad oculum, & hoc modo recipitur lumen ſolis in ſphæra Veneris, & Mercurij, & Lunæ & in tribus elementis diaphanis quouſque ad terram pertingat, & hoc modo non recipitur lumen Galaxiæ in octaua ſphæra quia lumen receptum in medio, vt in deferente non reflectitur. Galaxia autem eſt lumen reflexum, vt dictum eſt ſuprà. ergo, &c. ſecundò recipitur lumen in corpore cœleſti, vt in vale, vel in ſpeculo, a quo propter ſuam denſitatem reflectitur. Hoc modo recipitur lumen ſolis in globo lunari, quod quoniam habet partes denſas reflectit à ſe lumen & apparet lucidum. Hoc etiam modo partes octauæ ſphæræ in quibus ſunt tam paruę: & multæ ſtellæ, vt pote partes denſiores recipiunt huiuſmodi lumẽ, & quoniam ex denſitate illarũ partiũ lumẽ reflectitur, ideo ſenſibiliter apparet, & dicitur Galaxia.

Ad rationem alterius opinionis, reſpondet Alber. negans propter receptionem luminis, cœlum fieri paſsibile, & alterabile. nam cùm luna recipiat lumen à ſole, de facto eſſet alterabilis, & corruptibilis. Alteratio enim eſt diſpoſitio ad corruptionem. Dico igitur quòd receptio qualitatis abſolutę non facit ſubiectum ſuum propriè paſsibile, & alterabile, ſed receptio qualitatis elementaris, quales ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas, grauitas, leuitas, &c. ex quibus nulla recipitur in cœlo, vt declaratum eſt in primo cœli. propter quod non ſequitur cœlum eſſe alterabile ex eo quod recipit lumen, ſiue vt medium deferens ſiue vt ſubiectum. Vltimò nota, quòd in cœlo videtur eſſe duplex Galaxia, vna eſt continuatè proteſa à Geminis vſque ad Sagittarium, & in medietate alia cœli, à Sagittario vſq; ad Geminos. Alia eſt non continua, ſed velut plures nubes ſparſę non adinuicem continuæ, ita quòd non conſtituit circulum, nec ſemicirculum, ſed eſt hincinde interciſa: & eſt verſus Aquilonem locata ſuper primam Galaxiam. Cauſa efficiens huius ſecundæ Galaxiæ interruptæ ſunt plurimæ ſtellæ, quaſi ſe contingentes pro aliqua parte octauæ ſphæræ, puta pro ſpatio vnius ſigni: & pro alia parte ſunt ſtellæ non adeo frequentes, & ideo in illa parte non apparet Galaxia. Iterum pro alia parte ſunt ſtellæ frequentes, & ibi apparet Galaxia, efficiturque vt via in pluribus partibus interciſa. Cauſa verò materialis eſt difformitas denſitatis, & raritatis in partibus octauæ ſphæræ: vbi enim apparet Galaxia eſt maior denſitas, ſicut etiam dictum eſt in ſecundo cœli de luna, in qua ſunt partes denſæ & raræ, ſicut in alabaſtro, & quando illuminatur à ſole partes denſæ remanent lucidæ, raræ autem remanent obſcuræ. & hinc eſt quod in luna non eſt lumen continuum quando eſt in plenilunio, ſed videtur ſecundum varias partes interruptum. Idem accidit in Galaxia. Vbi ſunt partes denſæ octauæ ſphæræ apparet lumen, vt fumus albus, vel vt lac ſparſum. Vbi autem ſunt partes raræ nullo modo apparet: ideo videtur ſecunda Galaxia interrupta. Hæc de Galaxia dicta ſint. Singulas verò opiniones referre non eſt præſentis intentionis, quoniam ibi intendimus loqui de impreſsionibus Meteoricis ſolùm ad viam peripateticam.

CAP. II. *De cometa.*

IN ſecundo capite agendum eſt de cometa, de qua dicemus quinque.

Primò de materia ex qua generatur.
Secundò de efficiente proximo.
Tertiò de loco in quo generatur.
Quartò in quot figuris & coloribus apparet.
Quintò quot prognoſticamur ex ea.

Quantum ad primum, aduerte ſecundum Philoſophum in primo libro capite ſecundo, & Albertum in primo libro, tracta. tertio, capite quinto, quòd cometa generatur ex vapore ſicco calido terreſtri craſſo, cuius partes adinuicem bene cohærent. Primò dicitur ex vapore ſicco, ad differentiam pluuiæ, & aliarum impreſsionum humidarum quæ generantur ex vapore humido, vt dicemus infrà. Secundò dicitur calido, ad differentiam venti qui generatur ex vapore frigido terreſtri, vt dicemus infrà. Tertiò dicitur terreſtri craſſo, quoniam ſi eſſet vapor ſubtilis cito reſolueretur, & non inflammaretur, ex conſequenti non fieret ex eo cometa. Quartò dicitur cuius partes adinuicem bene cohærent, quoniam talis vapor eſt pinguis, & viſcoſus: ex viſcoſitate autem partes bene cohærent, vt patet de pice, & in aliis gummis. Patet igitur quæ ſit materia proxima cometæ ſecundum Ariſtotelem, cui concordant Auicenna & Algazel. Sic enim (inquit Auicen.) ſtella quæ caudata dicitur fit ex fumo ſpiſſo ignito: qui quia cito conuertitur aliquandiu vertitur cum igne, id eſt, mouetur circulariter, ſicut ignis in ſphæra ſua. Algazel autem ſic ait in Phyſica ſua, Si ignis præualuerit ſupra fumum, id eſt, vaporem ſiccum calidum, terreſtrem, purgabit eum à caligine, & tunc fumus totus conuertitur in ignem, nec poteſt eſſe: quin fiat ibi vnum duorum, vel ignitur, vel fit purus ignis, eo quòd nõ eſt ibi frigiditas, ſed ſi fuerit ſpiſſus quidem ignitur, & quia non eſt talis quòd cito conuertatur in ignem remanebit ſic aliquandiu, & videbitur ſtella caudata quæ reuoluitur cum cœlo, eo quòd partes ſphæræ ignis contiguæ ſunt cum concauitate cœli, hîc ſiſte. Patet igitur quæ ſit materia proxima ſtellæ comatæ.

Quantum ad ſecundum, dico quòd cauſa efficiens cometæ, eſt duplex, ſcilicet, remotum: & proximum. Remotum quidem eſt Sol, qui radiis ſuis calefaciens terram eleuat ex terra prædictum vaporem, ſed non tantùm hunc vaporem eleuat, ſed & alias vaporis ſpecies, de quibus infrà dicemus. ideo dicitur efficiens remotum, quia eſt cauſa communis & vniuerſalis omnis vaporis. Efficiens autem proximum eſt ſuprema regio aëris, quo ad altiſsimam eius partem contiguam ſphæræ ignis. nam prædictus vapor paulatim aſcendens, cùm peruenerit ad ſupremam illam partem æſtuantem & caliditſsimam vicinitatem ſphæræ ignis dilatatur. Proprium eſt enim calidi dilatare, deinde inflammatur propter ſuam craſſitiem, & viſcoſitatem, ſicut ferrum ſi ponatur in igne non conuertitur in ignem ex ſua ſpiſsitudine, ſed inflammatur & videtur totum album, ſic accidit in prædicto vapore, & quoniam eſt valde denſus, ideo licet ex calore ignis dilatetur in extremitatibus: tamen in medio remanet denſus. Dilatatio autem illa ſecundum extremitates habet flammam tenuem oblongam ad modũ nubis albæ quaſi argenteæ, & talis flamma dicitur comata qua denominatur ſtella comata. Apparet enim vt ſtella habens comam, aliquando habens caudam, vt dicemus. Patet igitur quæ ſit efficiens cauſa proxima cometę, & ex qua materia generatur, & in quo loco, quia in altiori parte ſupremæ regionis aëris quæ contigua eſt ſphæræ ignis.

Quantum ad tertium, ſcilicet, in quo loco generatur patet ex prædictis, ideo non immoror.

Quantum ad quartum, ſcilicet, quo ad figuram, dico quòd vt in pluribus apparet in triplici figura: ſcilicet, comæ, barbæ, & caudæ. Dicitur ſtella comata, quia in circuitu & ſecundum omnes partes emittit radios velut crines argenteos, & eſt quaſi coma capitis quæ ex omni parte pendet à capite.

Dicitur ſtella barbata quando non ſecundum omnes partes in circuitu, nec ſecundum plures, ſed tantùm ſecundum vnam emittit radios ad initar barbę quę tantùm ab anteriori parte fluit, ſcilicet, à facie. Dicitur ſtella caudata quando nec in circuitu, nec ſecundum plures partes, ſed tantùm ex vna emittit radios oblongos ad modum caudæ, & in hac figura frequenter apparet. Ratio autem diuerſitatum in his figuris eſt prouenienes ex diuerſitate denſitatis, & raritatis: & diffuſionis ipſius vaporis ſicci calidi terreſtris. nam quando inflammatur in ſuprema parte ſupremæ regionis aëris, aliquando attenuatur ſecundum omnes extremitates in circuitu. in medio autem remanet denſus, & tunc emittit radios in circuitu, ſitque comata ſtella. aliquando eſt adeo craſſus, & denſus quod ſolùm in aliquas partes extremas in quibus minor eſt denſitas attenuatur & diffunditur, & tunc ſolùm ſecundum aliquas partes emittit radios in quibus minor eſt denſitas, & apparet vt ſtella habens barbam. aliquando eſt adeo denſus quod vix ſecundum vnam partẽ minus denſam poteſt ex calore ignis ſubtiliari & diffundi: & tunc ex tali parte tantũ emittit radios per modũ caudę. dicitúrq; ſtella caudata.

Ex his ſequitur corollariè, quòd ſi vapor ille eſſet plurimum denſus, & æqualiter ſecundum omnes partes, poſtquam eſſet ignitus non emitteret radios, ſed appareret ſicut pila ignea coruſcans, quod & aliquando accidit, vt dicemus in ſequentibus.

Quantum ad colorem, aduerte quòd vt in pluribus in triplici colore apparet. Nam vel eſt albi coloris, vt argentum, vel rubei, vt ferrum ignitum, non tamen bene inflammatum, vel nigri, vt carbo extinctus. Ratio huius diuerſitatis eſt hæc. Vapor ille eſt aliquando ita temperatæ denſitatis, quòd ex calore ſphæræ ignis poteſt ſubtiliari ſecundum omnes extremitates ſuas, & inflammari, & tunc ex flamma, & ſua ſubtilitate apparet, vt ſtella alba, velut argentum,

Aliquando eſt adeo denſus, quòd nõ poteſt bene inflãmari, licet igniatur, & tunc apparet, vt ſtella rubea velut lignũ denſum ignitum rotundũ à quo nõ exit flamma clara, ſed rubea.

Aliquãdo est adeo cõdensatus ex sua viscositate, cp nec ignitur, nec imflammatur, sed extinguit ignem sibi propinquum ex crassitie suæ materiæ, sicut quando in igne proiicitur pomum viride quod ex sua frigiditate, & humiditate indigesta extinguit carbones sibi propinquos, & tunc talis vapor in suprema aëris regione non apparet, vt stella, sed vt carbo niger magnus, & hinc est quòd apparent in cœlo sicut nigra foramina, quæ à vulgo dicuntur, cœli perforationes.

Aliquando autem vapor ascendens est adeo rarus & subtilis quòd dũ propinquat sphæræ ignis citissimè consumitur ex calore ignis, sicut stipula & leuis palea quando proiiciuntur in magno igne, & tunc ex tali vapore non causatur stella cometa, nec aliud apparens.

Si autem quæratur de stella cometa, postquam per plures dies apparuit in quid resoluitur. Dico quòd conuertitur in ignem, vel in aërem, sicut carbo ignitus post aliquod tempus conuertitur in ignem, dummodo non extinguatur ignis, tunc enim remanet carbo niger extinctus. Hęc de figuris, & coloribus cometę stellę sufficiant.

Cometæ quid indicant. Quantum ad quintum, declarandum est quot possumus prognosticari ex apparitione cometę, & dico quòd sunt sex secundum communem famam.

Primò, signat famem & penuriam. nam causatur ex multo vapore sicco, calido, terrestri, eleuato ex intensa, & diuturna calefactione solis. ergo terra multo tempore remanet exiccata ex defectu pluuiarũ, sed in æstate deficiente pluuia terra aduritur, & seminata, & alia vegetabilia non fructificant, & ideo sequitur fames, & penuria.

Secundò, signat multitudinem ventorum, & terrę motum, nam illo tempore forti actione solis generantur plurimi vapores conclusi in visceribus terræ, qui si non habent exitum liberum causant terręmotum: vt dicemus infrá.

Si autem habent exitum liberum eleuantur in aëra, aëris partes fortiter percutientes, & sic generantur venti, vt dicemus infrá.

Tertiò, signat tempestates in mari. cùm enim signet multitudinem ventorum, & illi mare commoueant, sequitur tempestas.

Quartò, signat epidimiam. nam vapor siccus crassus, calidus terrestris, qui est materia cometæ, inficit aërem, vt venenum, aërem autem infectum attrahunt homines, & iumenta per respirationem, qui intus attractus inficit corpus, & tunc sequitur pestis ex corruptione aëris, & infectione.

Quintò, signat prælia, nam tempore cometæ est excessiua caliditas diffusa in aëre, & hæc inflammans spiritus existentes in humano corpore reddit eos cholericos. ex cholera autem incitantur homines ad iram. ex ira incitantur ad vindictam. ex vindicta ad prælia, & quoniam ad prælia sequuntur mutationes dominorum, & sectarum, & legum, ideo solet dici, quòd cometa hæc omnia signat.

Sextò signat mortem Regum, & magnorum Principum tam naturalem quàm violentam, naturalem quidem, quoniam (vt dictum est) tempore cometæ diffunditur in aëre excessiua caliditas vehementi calefactione solis, & aër ille excessiuè calefactus alterat corpora, præcipuè delicatè viuentium, vt sunt Principes, disponitque ad ægritudines peracutas, quæ vt in pluribus sunt mortales. Violentam autem, quoniam (vt dictum est) tempore cometæ plura fiunt bella in quibus magni Principes, & præcipuè magnanimi, se personaliter exponunt, & multoties præliando moriuntur.

Nota tamen cp huiusmodi signa sumuntur à cometa non necessariò, sed inclinatione, vt inquit magnus Albertus. nã dicit Arist. in lib. de somno & vigil. cp est sicut Regis consiliarius, cuius consilium mutari potest in melioribus inuentis, non enim necessitat, sed inclinat: sicut consulens non cogit eum cui dat consilium, sed inclinat ad sic. vel sic faciendum. Hæc de cometa dicta sint, relictis opinionibus non Perip.

CAPVT III.

De ignibus magnis & paruis in aëre generatis.

IN tertio cap. considerandum est de ignibus magnis, & paruis generatis in aëre. de quibus dicemus sex,

Primò ex qua materia proxima generantur,
Secundò in quo loco generantur.
Tertiò in quot figuris apparent.
Quartò quot motibus mouentur.
Quintò si sunt eiusdem speciei etiam cum cometa.
Sextò quid signatur per huiusmodi ignes.

Quantũ ad primũ, dico secundũ philosophũ, cp idem vapor secundũ specie, calidus, siccus, terrestris, densus, eleuatus à terra, paulatim ascendens est causa huiusmodi ignium, & cometę secundũ cp diuersificatur in partibus secundũ raritatem, & densitatẽ, & secundũ cp magis, vel minus condensatur, & diuersimodè inflammatur, apparet in variis figuris, vt dicemus.

Quantum ad secundum dico aliquos eorum generari in suprema aëris regione calidissima propter vicinitatẽ ad sphęram ignis, vt columnæ pyramidales, cãdelæ ardentes, lanceę ardẽtes, titio, qui arabicè dicitur Asub, Quidã autẽ generantur in media aëris regione, vt capræ saltantes, sidus volans, draco tortuosus. Quidam verò in infima regione prope terram, vt stipulæ ardentes, & domus ardens, & candela ardens.

Quantum ad tertium, dico impresiones ignitas genitas in suprema regione aëris, vt in pluribus apparere in 4. figuris, quæ sunt colũnæ pyramidales, candela ardens, lancea ardens, & titio, vel Asub, quarum figurarum ratio est hæc.

Si vapor siccus eleuatus ad supremam regionẽ aëris prope ignem habet longitudinem & latitudinem, dilatans se à parte inferiori apparet, vt columna erecta flammea & ardẽs in aëre, ac si staret perpendiculariter super basim suam.

Si autem vapor est subtilis, & tenuis secundũ omnes partes, tunc non comprehenditur à nobis latitudo sua: sed videtur oblongus stans in aëre, vt lancea ardens.

Si autem vapor non prolongatur, sed magis dilatatur, tũc apparet nobis, vt candela ardens.

Si autem vapor est plurimum condensatus, nec multum prolongatus, tunc stat ardens sicut duæ candelæ, quarũ flãma vnius est super flãmam alterius, & arabicè dicitur Asub, quod interpretari possimus titionem longo carbone ardentem.

Quæ verò generantur in media aëris regione, vt pluribus apparent in tribus figuris, scilicet vt capręs saltantes, vt sidus volans, vt draco tortuosus, & ratio est hæc.

Si vapor siccus inflammatus est longus, & magis inflammatus secundum longitudinem, quàm secundũ latitudinem, & quodammodo scintillat, apparet vt capræ saltantes.

Si autem successiuè ignitur & non totus simul, ac parum durat: videtur vt sidus volans.

Quando verò est multus, & diu retinet inflammationem, non longus in directum, sed obliquè, & curuè, tunc apparet vt draco tortuosus.

Quæ autem generantur in infima regione, vt in pluribus apparent, vt stipula ardens vel vt domus plena igne, & sicut cereus ardens, & ratio est hæc.

Vapor ille siccus calidus terrestris, aliquando includitur in concauitatibus, & visceribus terræ propter frigiditatem aëris prohibentem ipsum exhalare, & constringẽtem partes terræ, tunc non eleuatur in aërem, sed remanet illic inclusus: & quoniam calidus est, ideo calefacit aquas quæ sunt in concauitatibus terræ, vt sunt aquæ puteorum & fontium, & hæc est vna ex causis, quare huiusmodi aquæ calidæ sunt in hyeme, & frigidæ in æstate: nam vapor ille in æstate habet liberum exitum, & ascendit ex concauitatibus terræ in aërem generans aliquam ex impresionibus ignitis nisi sit adeo rarus. quòd citissiuè resoluatur in aërem. quãdo igitur ascendit ad infimam aëris regionem, si est multus, & cito inflammabilis, tunc apparet prope terram velut cumulus paleæ ardentis. vel sicut domus plena igne.

Si autem vapor non est multus, & tamen cito inflammabilis, apparet sicut candela, vel cereus ardens, & hæc figura sæpe videtur in cœmeteriis mortuorũ, quoniã ex cadauere aliquando eleuatur ad superficiem terræ vapor siccus: calidus, vnctuosus, vel viscosus, qui citissimè inflammatur et colore aëris prope terram calefactam in æstate ex forti actione solis.

Eadẽ figura, aliquãdo apparet sub patibulis in quibus sunt cadauera suspensa, quoniam ex cadauerbus illic suspensis sol suo calore extrahit huiusmodi vaporem, qui cito inflãmatur ab aëre calido circunstante, & huius signũm est quòd huiusmodi ignes nõ apparẽt propter aëris frigiditatẽ in hyeme, tunc enim non potest vaporem inflãmare ex sua frigiditate.

Eadem figura aliquando apparet super malum nauis pollongam tempestatem, & concussionem ventorum, & signum est futuræ tranquillitatis in mari, vt dicemus.

Eadem figura, aliquando apparet super capita equorum, & hominum, cùm diu, & velociter mouentur. nam ex veloci motu causatur in corpore currentis intensus calor, ex quo eleuatur à corpore vapor siccus, calidus, vnctuosus, qui receptus in aëre circunstante cito inflammatur, & tunc apparet super caput equi, aut hominis currentis, velut candela ardens, vel globus igneus.

Adiuterte tamen, quòd licet hæc sæpe contingant ex causis naturalibus aliquando etiam fiunt diuina virtute, ad significandum diuinam gratiam, vnde (secundum fidem) descendit super Apostolos ignis in figura linguæ igneæ. sed id considerare est officium Theologi.

Quantum ad quartum, declarandum est, quot motibus mouentur, & dico ignes generatos in suprema aëris regione moueri circulariter sicut & stella comata, mouentur enim ad motum supremæ regionis aëris, & hæc mouetur circulariter, quoniam propinquat sphæræ ignis, quæ cùm sit contigua orbi Lunæ mouetur ad motum orbis.

Si verò huiusmodi ignes generantur in media regione aëris, vt in pluribus mouentur deorsum. nam cùm illa regio semper sit frigida, prohibetur huiusmodi vapor ignitus ex frigiditate circunstante ascendere, & sic repercutitur ad locum inferiorem, cùm enim ille vapor sit terrestris quodammodo inclinatur ad locum terræ, & sic cum impetu videtur descendere, & apparet vt stella cadens, causans aliquando sonum in aëre, aliquando non.

Si verò generantur in infima aëris regione, vt in pluribus mouentur lateraliter siue ad dextram, siue ad sinistram, siue ante, siue retro, & aliquando mouentur iuxta superficiem terræ, aliquando in altum ad mensuram vnius hominis, & dum mouentur in nocte, apparent vt cereus accensus incedens, quem dum itinerantes homines nocturno tempore, & errantes in via sequuntur, arbitrantes esse hominem viatorem deferentem in manu faculam accensam, deueniunt ad loca aspera, vel cadunt in flumine, & submerguntur, & si casu tangant dictum vaporem, aliquando interficiuntur ex sua venenositate, est enim pestiferus propter factam adustionem.

Quantum ad quintum, dico cometam & omnes huiusmodi ignes esse eiusdem speciei specialissimę secundum substantiam. constat enim ex eodem vapore secundum speciem, scilicet, sicco, calido terrestri, & ab eodem agente generantur, scilicet, à calore, licet in diuerso loco. & hoc est quod dixit Philosophus in hoc primo libro quòd impresiones ignitæ non differunt nisi nominaliter, aut secundum magis & minus. differunt tamen accidentibus, vtpote figuris, colore, raritate, & densitate (vt diximus suprá.)

Quantum ad sextum, dico quòd omnia prognostica quæ posuimus suprà de cometa, verificantur etiam de huiusmodi ignibus cùm sint eiusdem speciei, tamen inter reliqua domi. Albert. in primo meteorologico. tractat. 4. capit. 9. ponit tria.

Primò signant epidimiam, quoniam quando huiusmodi scintillationes discurrunt per aërem, cùm sint genitæ ex vapore sicco terrestri combusto, ac veluti sulphureo corrumpunt aërem & generant apostemata.

Secundò signant tempestates in mari. vnde cùm nautæ vident huiusmodi ignes per aërem discurrentes valde timent. dicunt enim signum esse agitationis ventorum, qui tales vapores ignitos impellunt, & ex commotione ventorum sequitur tempestas in mari. cùm autem huiusmodi ignes descendunt super arborem nauis, & illic quiescunt incipiunt lętari nautæ. dicunt esse signum cessationis ventorum, & sic sequitur tranquillitas in mari. vnde cùm tales ignes quiescunt super arborem nauis, aut in naui, dicunt nautæ adesse Sanctum Nicolaum, cuius meritis cessat tempestas.

Tertiò signant mortem Regum, & Principum: præcipuè si apparent in figura solida. vnde & Albertus refert in primo libro tract. 4. cap. 9. quòd teste Seneca in morte diui Augusti visa est pila ignea, quæ in suo cursu defecit. & in morte Regis Soran simile prodigium visum est. Hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

De coloribus in aëre generatis.

IN quarto capite agendum est de coloribus in aëre generatis. vnde nota quòd vapor siccus calidus terrestris non solùm est causa diuersorum ignium apparentium in aëre, sed etiam diuersorum phantasmatum, quæ dicuntur voragines, & hiatus, & diuersorum colorum in aëre, & in astris & præcipuè coloris rubei, & sanguinei, & horum omnium hæc est causa, cùm vapor ille fuerit eleuatus ex terra, & expansus super aërem, & in suis extremitatibus subtilior quàm in medio, imò in medio remanserit densior, tunc lumen lunæ, vel alterius astri pertransiens super dictum vaporem expansum causat in partibus suis extremis rubedinem, eo quòd sunt subtiliores. partes verò centrales apparent nigræ, eo quòd sunt densiores, & minus penetrabiles, & quoniam nigrum minus mouet visum quàm rubeum, ideo partes extremæ videntur nobis propinquiores. centrales verò magis remotæ, & ideo creditur à vulgo ibi esse quandam aperturam, cœlúmque esse perforatum, quæ apertura si videtur magna dicitur vorago: si autem parua, dicitur hiatus.

Colores verò in astris sic causantur. lux stellæ est, vt alba, quæ aliquando pertransit per dictum vaporem expansum, & nondum inflammatum: & quando non est inflammatus, nec ignitus, si est valde densus apparet niger, & quando album, videtur per nigrum apparet rubeum, & sic causantur rubei, & sanguinei colores in aëre, & in astris, & secundum Albertum in primo libro. tractatu quarto. capite vltimo, huiusmodi colores sic causantur in stellis, præcipuè in sole & luna Orientibus & Occidentibus, tempore magni caloris in nocte ex frigiditate temperata vespertina, & matutina aër proximus terræ condensatur, (proprium est enim frigidi condensare) & vapores sicci qui in alto aëre secundum partes subtiliores consumpti sunt ex calore diei reliquerunt quasdam crassiores partes iuxta terram. Istæ reliquæ sicci vaporis miscentur aëri prope terram condensato ex frigiditate noctis. In vespere autem occidente astro, vel in mane oriente necesse est, si volumus videre astrum occidens, vel oriens radios astri pertransire per vaporem illum commixtum aëri condensato, & sic deferri vsque ad visum nostrum, & tunc nobis accidit videre astrum per ipsum medium vaporem, sicut si videremus aliud obiectũ per medium rubeum, puta per vitrum. Hæc igitur est causa rubei, & sanguinei coloris in stella Oriente, vel Occidente. quoniam vapores illi ex sua terrestreitate, & combustione, contrahunt colorem fuscum, & tunc est signum caumatis, aut præteriti, aut de proximo futuri.

Tu tamen aduerte, quòd licet huiusmodi colores causentur in astris. præcipuè in sole ex vapore sicco combusto medio inter solem, & visum nostrum, aliquando tamen (vt tenet catholica fides) causantur ex miraculo, & sola diuina potentia, vt tempore iudicij secundum Prophetam, Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem. sed hæc non ad Physicum spectant, sed ad Theologum. Hic terminatur consideratio de impresionibus ignitis, post quas sequitur consideratio de impresionibus humidis.

TRACTATVS TERTIVS
de impresionibus humidis generatis in aëre, in quinque capita diuisus.

NVnc agendum est de impresionibus humidis, sed quoniam quædam generantur in aëre, vt ros, & pluuia, & nix: Quædam autem in terra, vt fontes, flumina, lacus, mare. de eis formabimus duos tract.

In præsenti tractatu agemus de generatis in aëre.
In sequenti de generatis in terra.
Et præsentem tractatum diuidemus in quinque capita.
In primo agemus de rore, & illic tangemus de melle, & de manna.
In secundo de pruina, & ibi tangemus differentiam inter rorem & pruinam.
In tertio de pluuia, & ibi tangemus de nube & caligine, vel nebula.
In quarto de niue.
In quinto de grandine, & ibi tangemus de granedula.

CAPVT I.

De Rore.

IN capite primo agendũ est de rore in quo dicemus quinq.

Primò de causa efficiente remota & proxima.
Secundò de materia ex qua generatur.
Tertiò de loco & tempore, in quo generatur.
Quartò de proprietatibus eius.
Quintò quomodo ex rore generantur mel & manna.

Quantum ad primum, dico quòd causa efficiens remota, & vniuersalis est calor solis, & aliarum stellarum, quæ secundum cp mouentur sub obliquo circulo propinquant & elongantur à nobis, & lumine suo irradiant terram, mouent elementa vaporabilia, quæ diximus suprà esse aquam & terram. Sol igitur calefaciens hæc elementa eleuat ab eis vaporem ex quo generatur ros, sed quoniam solus calor solis non dat formam, & condensationem illi vapori conuertendo in rorem, vt dicemus. ideo sol cum aliis planetis est causa eius efficiens vniuersalis, & remota. nam eodem modo est causa impresionum ignitarum, quoniam eleuat vaporem siccum, calidum, & est causa impresionum aquearum,

quoniam eleuat vaporem humidum frigidum ex quo generantur, vt dicemus. Igitur vltra causam vniuersalem, & remotam quærenda est causa particularis & proxima, quæ conuertat vaporem in rorem condensando. Causa huius efficiens proxima est calor aëris temperatus, & frigiditas aëris temperata. nam (vt dicemus) materia roris est vapor humidus subtilis, imò subtilior inter omnes humidos vapores. Si igitur calor aëris esset intensus vaporem subtilem conuerteret in aërem, quoniam ex sua subtilitate est facilè resolubilis. similiter si frigiditas aëris esset intensa, non solùm condensaret vaporem illum, sed etiam congelaret, sicut accidit in pruina, de qua dicemus infrá. Vt igitur talis vapor per debitam condensationem conuertatur in rorem, requiruntur temperata caliditas, & frigiditas aëris, & hęc duo simul sumpta sunt sufficiens causa efficiens proxima roris.

Quantum ad secundum, dico secundum Albertum, in secundo libro, tractatu primo, capite tertio, materiam roris esse vaporem humidum subtilem. Ad cuius notitiam, aduerte quòd ex aqua & terra virtute solis, & aliarum stellarum eleuantur quatuor vapores.

Primus est siccus calidus, qui ascendens vsque ad supremam aëris regionem prope sphæram ignis inflammatur, & ex eo generantur impresiones ignitæ, de quibus diximus in tractatu præcedenti.

Secundus est calidus humidus, qui quando recipitur in prima aëris regione, quasi semper conuertitur in aërem, nisi intensa aëris frigiditas impediat eum. Cùm enim in qualitatibus assimiletur aëri, & in habentibns symbolum sit facilior transitus, ex secundo de generatione facillimè conuertitur in aërem, ita quòd ex rarissimè causatur aliqua impressio meteorica.

Tertius est frigidus & siccus, & hic causat ventum, vel terræ motum, vt dicemus infrá.

Quartus est frigidus humidus, qui ascendens causat omnes impresiones aqueas, aliquas per condensationem, vt rorem, & pluuiam; & aliquas per congelationem, vt pruina, grando, nix. Sed aduerte vaporem humidum distingui per subtilem & crassum. ex subtili generatur ros, & pruina. ex crasso causantur reliquæ impresiones aqueæ. Patet igitur quæ sit proxima materia roris.

Quantum ad tertium, aduerte primò circa locum quòd de eo est duplex opinio famosa. prima est Alberti in secundo libro, tractatu primo, capite tertio. Ipse tenet rorem generari in suprema parte mediæ regionis aëris, quæ est proxima supremæ regioni, quæ calida est excessiuè ex propinquitate ad sphæram ignis, vt diximus suprá. Ratio autem Alberti est hæc, Cum ros generetur à caliditate, & frigiditate aëris temperata, vt iam diximus, necesse est, vt generetur in parte aëris temperatè frigida & calida, sed hæc est suprema pars mediæ regionis, nam propinqua est supremæ regioni excessiuè calidæ, & secundæ parti mediæ regionis excessiuè frigidæ, ex eo quòd remota est à suprema regione, & à sphæra ignis, & ab infima regione quæ calida est ex reuerberatione radiorum solis, & stellarum, sed regio medians inter excessiuè calidam, & excessiuè frigidam, est temperatè calida, & frigida, vt patet de Zona quæ mediat inter torridam, & extremam. Cùm igitur suprema pars mediæ regionis aëris sit temperata in calore, & frigiditate, sequitur quòd in ea generatur ros, ex quo sequitur secundum Albertum quòd locus roris, est altior loco pluuiæ, quoniam ipsa generatur in medio mediæ regionis, vt dicemus infrá.

Secunda opinio est Commentatoris in hoc primo libro, capite quarto, qui tenet expresè rorem generari in infima regione aëris. Quod declaratur duobus dictis suis. Primum est, quòd de necessitate locus roris est inferior loco pluuiæ sed pluuia generatur in media regione aëris. ergo si locus roris est inferior generatur in infima regione, Confirmatur dicto Philosophi, qui inquit, in cacumine altorum montium non inueniri rorem, ergo signum est non in alto aëris interstitio, sed prope terram, puta in altitudine vnius miliaris generari rorem.

Secundum dictum ejus est, quod idem est locus roris & pruinæ, sed secundum Aristotelem in textu, & nobiliores eius expositores, pruina generatur in infima aëris regione. ergo & ros,

Licet opinio Commentatoris sit famosa, tamen quoniam nulla ratione sufficienti probatur sustinemus opinionem Alberti, Et negandum est locum roris esse inferiorem loco pluuiæ, nisi distinguatur secundum Albert. in libro secundo, tractatu primo, capite decimo, de duplici loco generationis roris, quorum vnus est per se, & hic est locus prædictus, scilicet suprema pars mediæ regionis aëris, alter est per accidens, & hic est inferior, non longè à terra, in quo ex debita temperie infimæ regionis aliquando generatur ros. Dictum igitur Commentat. concedi potest de loco roris per accidens, non autem de loco per se, de quo intendit Albertus. Ad secundum dictum Commenta. respondeo similiter, concedendo eundem locum per accidens roris, & locum per se pruinæ. De loco autem per se ex parte roris negatur, quoniam pruina semper generatur in infima regione. Ros autem per se in suprema parte mediæ regionis.

Dictum verò Aristote. declarat Albertus in primo libro, tractatu primo, capite duodecimo, & dicit montes esse in triplici differentia. Quidam humiles parum excedentes circunferentiam terræ, & propriè dicuntur colles, quasi culti & fructiferi. Quidam alti excedentes primam aëris regionem, & attingentes principium mediæ semper frigidæ, & super eos sunt quasi perpetuæ niues, ex quarum compresione in fundo generatur lapis crystalli, & berylli natura frigidissimi, euaporato calido omnino. Quidam altissimi adeo quòd excedunt totam mediam regionem & attingunt principium supremæ semper calidæ. Quando igitur inquit Philosophus quòd ros non descendit super altos montes, accipit altos montes in tertio sensu. nam antequam vapor humidus ascendat ad summitatē talium montium conuertitur in aquam ex frigiditate mediæ regionis. Dato etiam casu quòd peruenirет ad summitatē talium montium, adhuc non conuerteretur in roré, quia in summitate est calor excessiuus ex propinquitate ad sphærā ignis, & ideo non in rorem, sed in aërem conuerteretur. vnde bene dixit Aristot. quòd in altis montibus, in tertio sensu non descendit ros, imò nec pluuia, nec nix, nec grando: quoniam vapor humidus existens materia omnium impressionum humidarum non ascendit vltra mediam aëris regionem, vt magis declarabitur infrá. Sustinendo igitur opinionem Alberti, patet in quo loco per se generatur ros.

Quantum ad tempus autem dicit Aristot. quod sole existente in signis æquinoctialibus tam in Vere, quàm in Autumno generatur ros, tunc enim est temperatus calor in aëre, & temperata frigiditas, quas diximus esse proximas causas generatiuas roris. Ex quo sequitur quòd licet in æstate possit eleuari vapor humidus subtilis, non tamen ascendet ad locum in quo per se generatur ros, sed comburetur ab excessiuo calore infimæ regionis, præcipuè, quia paucus & subtilis est, ideo de facili consumitur. Similiter tempore hyemis non generatur ros, quoniam vapor ille non potest ascendere ad locum prædictum, sed præoccupatur ab intensa frigiditate infimæ regionis, & congelatus conuertitur in pruinam, vt dicemus infrá.

Coadiuuans etiam generationem roris est ventus Australis, quoniam calidus est, & contemperat frigiditatem infimæ regionis, Si autem spirant venti Septentrionales cùm sint frigidi augent frigiditatem eiusdem regionis, & prohibentes generationem roris, adiuuant generationem pruinæ. Hæc de loco, & tempore generationis roris sufficiant,

Quantum ad quartum, scilicet quæ sint roris proprietates, quibus distinguitur ab alis impressionibus humidis, dico quòd sunt quatuor.

Primò, ros est temperatè calidus & frigidus: cùm enim generetur ex caliditate & frigiditate aëris temperata, quæ sunt in loco suæ generationis, vt supra docuimus. Frigiditas temperata non totaliter consumit calidum, & ideo in sui substantia remanet temperatè calidus & frigidus, & id præcipuè competit rori. quoniam aliæ impresiones humidæ, vt pluuia, & grando, & pruina sunt simpliciter frigidæ, generantur enim ab intensa frigiditate mediæ regionis, & pruina ab intenso frigore hyemali infimæ regionis, Intensa autem frigiditas consumit totum calidum & expellit, propterea remanent simpliciter frigidæ in sui substantia.

Secundò, ros signat aëris serenitatem, cùm aliæ impressiones generatæ in media regione significent oppositum. Et huius ratio est, quoniam vapor humidus subtilis ex quo generatur ros eleuatur in tempore sereno & conuertitur in rorem, & descendit in tempore sereno. vapor autem humidus crassus ex quo generantur impresiones humidæ in media regione, licet eleuetur tempore sereno & nebuloso, tamen non conuertitur in eas, nec descendit, nisi tempore nebuloso, Congruè igitur ros significat aëris serenitatem, aliæ autem impresiones humidæ significant oppositum,

Tertiò, ros non generatur tempore nebuloso, quia tunc non eleuatur vapor humidus subtilis, nec tempore ventoso etiam

etiam stante aëre sereno, quia licet eleuetur prædictus vapor, tamen quia subtilis est dissoluitur & dissipatur à vento & conuertitur in aërem, nisi ventus sit australis, de quo diximus suprà, quòd confert generationi roris.

Quartò, ros soluit ventrem animalium, quando comedunt aliqua respersa rore, vt patet de vua comesta cum rore, & oues comedentes herbas cum rore patiuntur fluxum, & id prouenit ex subtilitate & caliditate roris. Inquantum enim subtilis & rarus est fortiter penetrat intestina & dissoluit stercora. Inquantum calidus auctat potentiam expulsiuam, præter hoc quod dissoluit ventrem habet peiorem effectum, de quo dicemus infrà cùm loquemur de melle.

De melle & manna.

Quantum ad quintum, scilicet, quomodo ex rore generatur mel & manna dico cum Alber. in libro 2. tracta. 1. capi. 14. quòd generatio roris fit aliquando ex vapore qui multum habet de humido aëreo, & de subtili sicco terrestri, nec eleuatur à terra nisi tempore caumatis, quo eleuato humidum aëreum caliditate aëris dirigitur, & bona directione ei permiscetur subtile siccum terrestre, deinde tēperata frigiditate noctis æstiuæ humidum aëreum pinguescit, & cadit ros fluens ac viscosus ad modum mellis super flores, & herbas, & folia quod apes colligunt. igitur mel generatur ex vapore humido subtili, cui admiscetur humidum aëreum cum sicco terrestri subtili, & actione caloris dirigentis humidum ac temperatę noctis frigiditate pinguescente eodem humido aëreo recipit formam mellis. & quoniam mel non coctum soluit ventrem, ideo animalia (præcipuè oues) multum de illo comedentes fluxu ventris moriuntur, & cùm sit ex se calidum & siccum ex sicco terrestri subtili sibi permixto nutrit choleram in oubus, & ideo efficiuntur morbidæ & pestilentes, & inueniuntur croceæ intus quando aperiuntur.

Manna sic verò generatur. Quando Sol agit vehementi calore in rorem, cui admiscetur terrestre siccum subtile consumit humidum aëreum & exiccat, efficitúrque veluti farina respersa super folia & herbas, conglobata tamen ad modum coriandri sub albi. folia autem & herbas super quas cadit adeo exiccat, quòd videntur quasi combustæ & nigræ. Et id ego vidi anno salutis 1496. de mense Augustinam eo anno & mense manna plurimum generatum est in agro Placentino & cadens super folia salicum comburebat ea, manna ex sua caliditate & subtilitate soluit ventrem, ideo computatur inter medicinas benedictas.

De melle & manna sic loquitur Auicen. in 2. libro Cano. Mel est ros occultus cadens super flores & super reliqua, quod colligunt apes, & est vapor qui eleuatur & conuertitur & maturatur in aëre & incrassatur in nocte.

Manna est omnis ros cadens super lapidem aut arborem & fit dulcis & coagulatur & exiccatur sicut gumma, & ipsum assumit de natura eius super quod cadit virtutem, & adiungit illam ad id quod exigit dulcedo & lenitas sua, Hæc ille,

CAPVT II.

De Pruina.

POst consideratione de rore considerandum est de pruina, de qua dicemus quatuor.

Primò, ex qua materia generatur.
Secundò, de efficiente suo proximo.
Tertiò, de loco generationis suæ.
Quartò, de proprietatibus quibus distinguitur à rore.

Circa materiam pruinæ dico cum Philosopho in primo libro Meteororum, & omnibus eius expositoribus, præcipuè cum Comment. in primo libro Meteororum, capite quarto eandem esse materiam pruinæ & roris. vnde inquit Comment. Pruinæ materia, & materia roris est eadem, & agens est vnum, sed diuersificatur secundum intentionem & remissionem. Hæc ille. Quod quomodo sit verum declarabo in puncto sequenti. Constat autem per ea quæ dicta sunt de rore, materiam proximam roris esse vaporem humidum subtilem & paucum. ergo ex eodem vapore generatur pruina, diuersificato efficiente, quod quomodo fiat dicetur statim.

Circa efficiens proximum pruinæ, dico secundum Philosophum & omnes expositores, quòd est ipsa frigiditas diffusa in aëre. Sed differentia est in hoc, quoniam potest esse remissa, vt in Augusto & Septembri tempore nocturno, & potest esse intensa, vt in noctibus hyemalibus, Ros, vt diximus, generatur ex frigiditate remissa nocturna, quæ ex sua debili virtute solum resoluit, condensando in aquam roridam vaporem humidum subtilem, pruina verò generatur ex frigiditate nocturna intensa & acuta, & præcipuè flante vento boreali. frigiditas enim intensa forti virtute præoccupat vaporem humidum subtilem, & antequā resoluatur in aquam roridam constringit ipsum & congelat, sicque conuertitur in pruinam, vnde pruina non est aliud nisi parius vapor subtilis humidus constrictus & congelatus ab intensa aëris frigiditate antequam conuertatur in aquam roridam, patet igitur esse idem generans rorem & pruinam, sed diuersificatum secundum intensionem & remissionem.

Circa locum generationis suæ dico secundum Comment. & Alber. esse infimam regionē aëris, licet enim Alber. discordet à Comment. de loco per se in quo generatur ros, tamen concordat de loco pruinæ, vt diximus suprá. Dico igitur quòd generatur circa mediam aëris regionem in suprema parte mediæ regionis. illic enim est intensa frigiditas ex propinquitate ad mediam regionem, quæ semper est intensiuè frigida, vt declarauimus in primo tractatu.

Sed dubitatur quomodo sit verum in infima regione aëris generari pruinam, cum dictum sit in primo tractatu, supremam & infimā regionem esse excessiuè calidas. supremam quidem ex vicinitate ad sphæram ignis. infimam autem ex reuerberatione radiorum solis. cum ergo sit intensè calida non potest esse intensè frigida, & cum dictum sit pruinam generari ab intensa frigiditate. ergo non potest generari in infima regione, sed potius in media,

Ad hoc dico quòd infima regio sicut & suprema & media, ex natura sua est calida remissè, aëris enim qualitates naturales sunt humiditas, & caliditas, sed ex causa extrinseca infima regio fit pro aliquo tempore intensè calida, & intensè frigida. fit quidem intensè calida quando reuerberatio solis est magis directa, vt in æstate sole decurrēte signa arctica, vt sunt Gemini, Cancer, Leo, tunc enim Sol propinquior est capiti nostro, & radiis suis magis directè ferit terram, & longiorem moram trahit super nos ex prolixitate dierum. Hac de causa infima regio tempore æstiuo fit excessiuè calida, adeo vt aliqui vapores sicci in ea inflāmentur, vt declarauimus loquentes de impresionibus ignitis. Fit autem intensè frigida in hyeme ex duplici causa. Primò, ex elongatione solis à nobis, tunc enim decurrit signa meridionalia, quæ sunt Sagi. Capri. Aquarius, &c. diésque sunt admodùm breues ex modica mora solis super nostrum horizontem, & fit reuerberatio solis valde obliqua. Secundò ex multitudine pluuiarum & nubium & niuium. nam quia tempore hyemali Sol elongatur à nobis, vapores humidi crassi frigidi multiplicantur & eleuati ad mediam regionem conuertuntur in pluuias, & niues, & descendentes infrigidant excessiuè infimam regionem. Cùm igitur ex prædictis causis fiat intensa frigiditas in hac infima regione congruè generatur pruina in ea, & præcipuè concurrente influxu alicuius planetæ frigidi & ficci, qualis est Saturnus. vnde (vt inquit Alber.) experti sumus sensibiliter Saturnum habere magnam virtutem super generationem pruinæ, & hac de causa fructus in vere existentes in flore de facili à pruina destruuntur, vt dicemus infrá. Hæc de loco generationis pruinæ sufficiant.

Circa quartū scilicet quæ sint proprietates suæ quibus differt à rore, aduerte quòd habent conuenientiam in materia & in efficiente. In materia, quidem, quoniam tam ros quàm pruina generantur ex vapore humido subtili pauco. In efficiente autem, quoniam generantur ex frigiditate aëris, licet diuersificata, quoniā ros ex frigiditate temperata, pruina autem ex frigiditate intensa. Differunt autem in quatuor. Primò in loco generationis sequendo viam Alber. quoniam pruina semper generatur in infima regione: Ros autem per se generatur in suprema parte mediæ regionis, per accidens autem in infima. Secundò differunt in tempore ventoso, licet enim pruina & ros generentur tempore sereno, tamen pruina generatur maximè flante Borea. causat enim ex sua frigiditate intensa frigiditatem in infima regione. Ros aut non generatur tempore ventoso, vel non, nisi, flante Austro cuius flatus calidus est, vt dicemus infrá. Tertiò differunt qualitatibus. nam ros est temperatè calidus & humidus, vt diximus. Pruina autem est omnino frigida tendens ad ficcitatem. Generatur enim ab intenso frigore omnino consumente calidum. ideo rigescit secundum tactum. Quare autem partes suæ sint raræ & non cohærent sicut partes niuis, dicemus cùm loquemur de proprietatibus niuis. Quartò differunt effectu, quoniam purus ros viuificat vegetabilia, vt patet in æstate quando in mane ex nocturno rore virescunt, quæ ex calore dici videbantur exiccata & combusta: & huius ratio est, quoniam ros est temperatè calidus & humidus, & hæc bene contemperata sunt causa vitæ, vt patet in lib. de causa mortis & vitæ, pruina autem est mortificatiua vegetabilium, vt patet ad sensum, quon

quoniam eſt omnino frigida & tendit ad ſiccitatem, & hæc duo ſunt cauſa mortis, vt patet in eodem libro. Notanter autem dixi rorem purum eſſe viuificatiuũ, quoniam ſi rori admiſcetur ſiccum terreſtre & conuertatur in mel, aut manna, tunc erit mortificatiuus vegetabilium ſuper quæ cadit. Et exemplificauimus de manna adurente folia ſuper quæ cadit, Hæc de pruina dicta ſunt.

CAPVT III.

De Niue, & Pluuia, & Nebula.

IN tertio cap. agendum eſt principaliter de pluuia. verùm quia non generatur ſine nube, prius de nube agendum eſt, cùm enim ſint quinque ſpecies impreſsionum humidarum, ſcilicet ros, pruina, pluuia, nix, grando. Duæ primæ generantur ſine nube, quoniam ſub ſereno tempore, vt diximus. Tres ſequentes non fiunt ſine nube, vt patet, & ideo prius agemus de nube, ſecundò de pluuia. tertiò de nebula.

Circa nubem dico ſecũdum Philoſophum quòd eſt vapor humidus craſſus eleuatus vſque ad mediam aëris regionem ex frigiditate intenſa eiuſdem regionis condenſatus, nondum in aquam conuerſus. Pro notitia huius diffinitionis aduerte quòd dicitur primò vapor humidus. hic enim eſt materia omnium impreſsionum humidarum, & dicitur craſſus ad differentiam vaporis humidi ſubtilis, quem diximus conuerti in rorem & pruinam. nunquam autem in nubem propter raritatem & ſubtilitatem ſuam. Dicitur eleuatus ad mediam regionem, quoniam ſi ad ſupremam eleuaretur cùm ſit exceſsiuè calida ex propinquitate ad ſphæram ignis non conuerteretur in nubem, ſed in aërem. ſimiliter ſi eleuaretur ſolùm vſque ad infimam regionem non conuerteretur in nubem, quoniam infima regio aliquando eſt temperatè calida & frigida exiſtente ſole in ſignis æquinoctialibus, & tunc non poteſt conuerti in nubem, quoniam ex temperata caliditate & frigiditate vapor conuertitur in rorem & non in aliam impreſsionem, vt diximus ſuprá. Aliquando eſt exceſsiuè calida, ſole exiſtente in ſignis æſtualibus, & tunc vapor humidus in hac infima regione non cõuertitur in aliquam impreſsionem, ſed in aërem. Aliquando eſt exceſsiuè frigida ſole exiſtente in ſignis hyemalibus, & tunc ſi vapor humidus eleuatur ad infimam regionem & illic permaneat, erit ſubtilis, & conuertetur in pruinam. Dicitur condenſatus quoniam ad hoc quòd vapor huiuſmodi conuertatur in nubem non debet congelari, ſed condenſari. Ex his patet quòd non poſſunt generari nubes in ſuprema regione nec in infima, ſed ſolùm in media eo quòd eſt ſemper intenſæ frigiditatis, quæ potens eſt condenſare vaporem humidum. Dicitur nondum in aquam conuerſus. Vnde nota quòd nubes comparatur ad pluuiam ſicut rara commixtio farinæ & aquæ ad panem, nondum enim habet formam panis, ſed eſt in potentia proxima ad panem. Sic vapor humidus conuerſus in nubem nondum eſt aqua pluuialis actu, ſed eſt in potentia proxima ad illam. vnde nubes poteſt dici aqua in fieri, ſed nondum in facto eſſe. Hæc de nube dicta ſint.

Pro conſideratione pluuiæ dicemus quinque.

Primò, de materia ſua proxima.

Secundò, de efficiente proximo.

Tertiò, de loco generationis ſuæ.

Quartò, de proprietatibus ſuis quibus differt ab aliis impreſsionibus humidis.

Quintò, quæ ſint ſigna futuræ pluuiæ.

Quantum ad primum dico ſecundum Philoſophũ & communiter expoſitores materiam proximam ex qua generatur pluuia eſſe nubem aquoſam productam ex frigiditate mediæ regionis. vnde ſicut lutum eſt proxima materia laterũ dummodo indureſcat, ſic nubes eſt proxima materia pluuiæ dummodo nubes reſoluatur in aquam. Id enim dico quoniam in cap. ſeq. in quo erit cõſideratio de niue manifeſtabitur quòd non ſemper reſoluitur in aquam, ſed ex congelatione conuertitur in niuem.

Quantum ad ſecundum dico cum Albert. quòd efficiens proximũ pluuiæ eſt frigiditas mediæ regionis vehemẽter impulſa in nubẽ à circunſtante caliditate diffuſa in toto aëre in quo generata eſt nubes. Pro cuius euidentia, aduerte quòd nubes non conuertitur in aquam niſi partes ſuæ multũ condenſentur & cõprimantur: condenſatio autem fit per frigiditatẽ. eſt enim ſua proprietas ſicut rarefactio eſt à caliditate. eſt ergo neceſſe vt frigiditas forti impetu ingrediatur nubem. talis autem ingreſſus non eſt à frigiditate naturaliter, ſed quaſi violenter, & ideo neceſſe eſt caliditatẽ eſſe circunſtantem in toto aëre, quæ à ſe depellens frigiditatem, vt contrariam faciat eam ingredi nubem cum impetu, quæ ingreſſa comprimit partes nubis, ſicque conuertitur in aquam, & quoniam grauis eſt guttatim deſcendit, & quoniam ex frigiditate comprimuntur partes nubis, ideo cum impetu deſcendit, & quanto maior fuerit compreſsio tanto impetuoſior erit pluuia, & hac de cauſa in æſtate deſcendit cum maiori impetu, quoniam in aëre diffuſa eſt maior caliditas, quæ forti impetu à ſe depellens frigiditatem facit eam ingredi ex magna violẽtia nubem, quam fortiter comprimens reſoluit in aquam, & ex forti compreſsione deſcendit aqua impetuoſè, ſicut quando comprimitur pannus madefactus, ex vehemẽti compreſsione extenditur aqua, & citò & abundanter. Quòd autem neceſſe ſit eſſe caliditatem diffuſam in aëre pellentẽ à ſe frigiditatem ſignum hinc ſumitur, quoniam ſi tempus ſit intenſè frigidum raròpluit, vt in media hyeme. tunc enim omnia conſtringuntur gelu, ſi autem debet generari pluuia neceſſe eſt aëris frigiditatem remitti, præcipuè per ventum auſtralem qui eſt calidus & humidus, ideo generatiuus pluuiæ. vnde experientia didicimus, quòd quando in hyeme auſtralis ventus perſeuerat pluuiæ abundant & ſunt nociuæ, quoniam ex frigiditate hyemali mortificant fructus & vegetabilia longè magis quàm niues, imò (vt dicemus in capite de niue) fouent & conſeruant, & infrà rationem huius adducemus.

Quantum ad tertium, aduerte duplicem locum generationis pluuiæ, ſcilicet locum per ſe, & locum per accidens. locus per ſe eſt media regio aëris in ſua medietate, quod dico quoniam in ſuprema parte mediæ regionis generatur ros, vt diximus ſuprá. In infima autem parte eiuſdem regionis non ordinariè generatur pluuia, quoniam calida eſt participatiuè eo quòd contiguat infimæ regioni quæ calida eſt reflexione radiorum ſolis & ſtellarum. medietas igitur mediæ regionis eſt locus pluuiæ ordinarius, quoniam ad ipſam propellitur frigiditas à caliditate, quæ eſt in ſuprema parte mediæ regionis cùm ſit contigua ſupremæ regioni feruenti ex propinquitate ad ſphæram ignis, & à caliditate infimę partis eiuſdem mediæ regionis, quæ, vt diximus, calida in participatione ex contiguitate ad infimam regionem exiſtentem calidam, ex reflexione radiorum ſolis, &c. Locus autem per accidens eſt infima pars mediæ regionis contigua infimæ regioni. nam aliquando frigiditas quæ eſt in medietate mediæ regionis deprimitur ad infimam partem eiuſdem regionis, & tunc ex compreſsione reſoluitur nubes in aquam, & hæc præcipuè accidit in hyeme propter paruam caliditatem infimæ regionis. Tunc enim vltima pars mediæ regionis remanet intenſè frigida, ideo poteſt cõprimere partes nubis, & conuertere in aquam. Quoniam autem ſæpe fecimus mentionem de diuerſis partibus trium regionum aëris, & præcipuè, de parte ſuprema & media & vltima mediæ regionis, ideo ad maiorem euidentiam deſcribo inferius talem figuram.

Suprema pars ſupremæ regionis.
Media pars eiuſdem.
Infima pars eiuſdem.
Suprema pars mediæ regionis.
Media pars eiuſdem.
Infima pars eiuſdem.
Suprema pars infimæ regionis.
Media pars eiuſdem.
Infima pars eiuſdem.

Quantum ad quartum inueſtigandæ ſunt proprietates quibus differt pluuia ab aliis impreſsionibus humidis, & dico quòd manifeſtiores ſunt iſtæ. Primò, frequentius, & diutius pluit. nam omni tempore anni generatur pluuia, non autem ros, nec pruina, neque nix, neque grando. Et ratio huius eſt, quia vapor humidus ex quo pluuia generatur inter omnes vapores humidos facilius eleuatur virtute ſolis & condenſatur in nubem, quæ compreſſa à frigiditate, vt diximus ſuprà, reſoluitur in aquam.

Item diutius pluit. Videmus enim pluuiam continuari per multos dies & omni hora. Aliquando etiam per menſem. non ſic autem continuantur aliæ impreſsiones humidæ. & ratio huius eſt, quoniam vapor prius eleuatus nutritur & conſumitur in media regione à vapore ſubſequenter eleuato. nam pluuia præcedens eſt materia pluuiæ ſequentis, quoniam ex præcedenti pluuia madeſcit terra, quæ calefacta radiis ſolis euaporat, & iterum eleuatur vapor humidus qui condenſatus in nubem reſoluitur in aquam & deſcẽdit, & ſic quaſi per generationem circularem pluribus diebus continuatur pluuia.

Secundò, guttatim deſcẽdit, & omnes guttæ ſunt rotundæ, aliquando

aliquando minutæ & frequentes, aliquando magnæ & raræ. Quòd guttatim deſcendat cauſa eſt vehemẽs compreſsio nubis facta per frigiditatem impulſam in nubem eo modo quo ſuprà diximus, & ex hac forti compreſsione guttæ deſcendunt aliquando quidem contiguè, aliquando conſequenter ſe habentes.

Quòd ſint rotundæ cauſa eſt earum inclinatio ad locum deorſum ſibi naturalem. cùm enim ſint graues contendunt quàm citius deſcendere, ideo rotundantur vt citius propinquent loco ſuo, ſicut partes terræ ſe comprimunt circa centrum, vt quantum poſſunt propinquent centro, & ideo terra efficitur figuræ rotundæ, vt diximus in libro de cœlo, &c.

Quòd guttæ ſint aliquando magnæ, aliquando minutæ, ſiue raræ, ſiue frequentes cauſa eſt diuerſa caliditas exiſtens in nube antequam conuertatur in aquam. nam quando nubes eſt multum calida rarior eſt, & quoniam rarior, ideo frigiditas impulſa à caliditate aëris circunſtantis ingreditur nubem magis liberè, faciliúſque eam penetrat, & ex conſequenti magis eam comprimit & reſoluit in aquam ſecundum maiores guttas. Huius ſignum habemus in æſtate, in qua vt in pluribus pluuiæ ſunt impetuoſiores, & guttæ maiores, quoniam tunc nubes ſunt calidiores, & fit in eis maior compreſſio, vt dicemus loquentes de grandine.

Quando autem nubes eſt remiſsè calida, non eſt adeo rara, nec frigiditas ingrediens ita facilè penetrat partes nubis, & ideo paulatim ac ſine magno impetu comprimit nubem, & lentè conuertitur in aquam, fiuntq; pluuiæ minutæ & ſuaues, & proficientes vegetabilibus, & guttæ ſunt paruæ & frequentes, & id vt in pluribus accidit in vere & in hyeme, nubes enim ſunt remiſsè calidæ ex elongatione ſolis à nobis.

Tertiò, aliquando cum pluuia generantur quædam animalia aquatica, vt ranunculæ, & piſciculi. & id accidit in æſtate quando pluit poſt diuturnam ſiccitatem. Videmus enim in via ranunculas copioſas ſaltantes poſt pluuiam. & ratio quidem huius eſt ſecundum Alber. in ſecundo libro in tract. primo in capite 21. quia caliditas nubis quæ in tempore æſtiuo eſt valde intenſa incipit euaporare ingrediente frigiditate ſimul cum euaporatione caliditatis egreditur ex nube humidum ſubtile, quod in ſe habet aliquid de ſubtili ſicco terreſtri bene commixto, ex qua bona commixtione fit humidum viſcoſum. Cùm autem viſcoſum trahitur ad aërem dureſcit, & vertit ſe in quandam pellem, in qua continuè pulſans calidum incluſum & euaporatum à nube efficit ſpiritum vitalem, cui additur virtute ſtellarum anima ſenſitiua, & tunc fit animal. ſignum autem quòd ex æſtiua pluuia generentur huiuſmodi animalia ſumitur ex hoc: Si aqua pluuiæ æſtiuæ cuſtodiatur in vaſe per plures dies generat quoſdam vermiculos, qui videntur vt piſciculi per aquam diſcurrere. & cùm diu aqua in vaſe ſteterit & ſubtile terreſtre ei admixtum reſederit in fundo vaſis fit aqua ſubtilior & ſimplicior, adeo quòd vermiculi illi non poſſunt ex ea nutriri, & tunc ad fundum deſcendunt morientes, qua igitur ratione huiuſmodi animalia generantur ex aqua pluuiali reſeruata in vaſe, eadem ratione generari poſſunt dum pluit, mediante ſicco terreſtri ſubtili, & humido ſubtili adinuicem bene commixtis, vt expoſuimus. Hæc ſufficiant de proprietatibus pluuiæ magis manifeſtis.

Quantum ad quintum aduerte, quòd ſigna manifeſtiora futuræ pluuiæ ſunt octo.

Pluuiæ ſigna. Primum eſt pallor in ſole vel luna, Cauſatur enim huiuſmodi pallor in ſole vel luna ex reuerberatione radiorum ſolis vel lunæ ad nubem aquoſam, quæ ſi comprimatur à frigiditate, eo modo quo ſuprà diximus, de facili conuertitur in aquam. per oppoſitum, rubedo ſolis vel lunæ ſignat ſerenitatem, Cauſatur enim ex reuerberatione radiorum ad vaporem combuſtum, quod quidem eſt ſignum futuræ ſiccitatis, vt diximus agentes de impreſsionibus ignitis.

Secundum eſt, quando ſol apparet maior ſolito in ortu ſuo. nam talis maioritas in apparentia cauſatur ex vapore humido craſſo qui mediat inter ſolem & oculum noſtrum ſicut patet de denario ſtante in fundo aquæ qui videtur maior quàm ſit ex denſitate aquæ mediantis inter denarium & viſum noſtrum. Huius autem cauſam pertractabimus in tractatu de ſphęra ad mentem proſpectiui. vapor igitur in mane medians inter ſolem & oculum noſtrum, quia denſus & aqueus eſt, ideo ſi aſcendit ad mediam regionem aëris conuertitur in pluuiam deducto impedimento.

Tertium eſt, calidum ſi perſeuerat & incraſſatur, nam ſignum eſt quòd vigoratur virtus eleuatiua vaporis humidi, qui eſt materia pluuiæ, & præcipuè, aſcendente caligine in altum. Tendit enim ad mediam regionem, & ex frigiditate condenſatur in nubem, quæ ſi comprimitur, conuertitur in pluuiam. per oppoſitum autem quando ſubtiliatur ſignum eſt ſerenitatis. Deſignat enim vaporem humidum conſumi radiis ſolis. ſimiliter ſi deſcendit per guttulas ſignum eſt ſerenitatis. ſignat enim quòd recedit à loco pluuiæ verſus infimam regionem, & ibi paulatim conſumitur.

Quartum eſt, magna humectatio lapidum & parietum. ſignum eſt enim quòd eleuantur multi vapores humidi, qui ex multitudine non poſſunt citò aſcendere, & incraſſati ex frigiditate lapidum humectant eos.

Quintum eſt, ſtridor olei in lucerna vel lampade ardente. nam tunc ſignum eſt multos vapores humidos eleuari, quia adhærentes oleo vel aëri circunſtanti cauſant huiuſmodi ſtridorem, ſicut accidit dum oleo admiſcetur aqua.

Sextum eſt, cantus frequentatus ranarum. nam tempus humectatiuum conuenit earum cõplexioni, cùm ſint animalia aquatica, & ideo naturali inſtinctu cantant præſentientes tempus ſibi conueniens, præcipuè in æſtate poſt longam ſiccitatem. ſimiliter infeſtus morſus pulicum & muſcarum idem ſignat, quoniam propter humiditatem deſuper attractam ex qua generatur pluuia huiuſmodi animalia deſiccantur, & tunc ex vehementiori morſu quærunt ſugere ſanguinem, vt reſtauratiuum ſubſtantiæ ſuæ exiccatæ. Item frequentes cantus galli & hora inſolita ſignant pluuiam, quoniam ex multitudine vaporum humidorum, qui tunc eleuantur, irrigatur quodammodo & refrigeratur calida galli complexio.

Septimum eſt, quando boues & vaccæ comedentes in paſcuis tenent caput eleuatum: aut quærunt cum feſtinatione domum reuerti. nam cùm earum actiones ſint ab intelligentia non errante inclinantur naturali inſtinctu ad cognoſcendum ſibi nociua, ſicut ſunt impetuoſæ pluuiæ, & grando.

Octauum eſt, nimia auiditas ouium comendentium in paſcuis: nam cùm natura non deficiat in neceſſariis, dedit brutis naturalem inſtinctum loco intellectus quo cognoſcunt nocumentum ſibi de proximo imminens prohibitiuum ne nutriantur, ſicut eſt pluuia: & ideo id prę ſentientes magis & auidius cibum capiunt.

Prædictis ſignis addo aliud ſatis famoſum, & eſt tale, Si ſuper ſolem orientem apparet nubes nigra & longa ſicut turris, & in breui diſpereat, ſignum eſt futuræ pluuiæ de proximo: ſed ſi nubes prædicta diu ſic permaneat, ſignat ſerenitatem, & raròcontingit oppoſitũ. & hoc ſignum magis probatur experientia, quàm ratione. Hæc de pluuia dicta ſint.

De caligine, quæ & nebula dicitur.

QVantum ad naturã caliginis notandum ſecundũ Ariſt. in primo lib. Meteo. cap. 4. quòd eſt reliquiæ nubium reſolutarum in aquam. Ad cuius euidentiam aduerte quòd in vapore aquoſo ſunt partes craſſæ & ſubtiles: Craſſę quidem facilius condenſantur & conuertuntur in aquam. Subtiles verò non facilè conuertuntur in aquam, ſed ex frigiditate noctis aliquantulũ condenſantur & vertuntur in caliginem velut in fumum. Et quidem quòd nebula fiat ex partibus ſubtilioribus vaporis pluuioſi: hoc eſt ſignum quòd in modica hora aſcendente ſole ſuper horizontem rarificatur radiis ſolis & diſſoluitur & conuertitur in aërẽ, quod vtique non poſſet tam citò fieri ſi cõſtaret ex partibus craſsioribus eiuſdem vaporis. Et hæc eſt ratio quare ſecundum Philoſophum eſt ſignum futurę ſerenitatis. ſignat enim partes craſſas pluuioſi vaporis fuiſſe conuerſas in aquam, & remanſiſſe tantùm partes ſubtiles quæ in nebulam aliquantiſper condenſatæ facilè ex radiis ſolis conuertuntur in aërem, & ſic ſequitur aërem eſſe exoneratum vaporibus pluuioſis, ad cuius exonerationem ſequitur ſerenitas. vnde dicit Philoſophus quòd caligo eſt velut nubes ſterilis, quæ ſcilicet non cõuertitur in aquam: ſed reſoluitur in aërem ex ſua ſubtilitate, bene ergo dixit Philoſophus quòd eſt reliquiæ nubium quæ ſunt in aquam reſolutæ, quia, ſcilicet poſtquam nubes conſtantes ex partibus craſsioribus condenſatæ ſunt & conuerſæ in aquam partes ſubtiliores derelictæ & non conuertibiles in aquam adinuicem vniuntur & cauſant nebulam.

Aduerte tamen quòd caligini ad terram repercuſſæ admiſcentur quædam partes craſſæ vaporis humidi, & tunc craſſæ ſeparari poſſunt à ſubtilioribus ita quòd conuertuntur in guttas aqueas ex frigiditate diffuſæ in aëre, & ſic aliquando caligo guttatim deſcendit. Subtiles autem partes per radios ſolis conuertũtur in aërem, ideo diximus ſuprà, nebulam guttatim deſcendentem ſignare ſerenitatẽ. Si autem partes craſſę & ſubtiles ſimul aſcendunt ſignant pluuiam, quoniam peruenientes ad mediam regionem partes craſſę condenſantur

in nu

in nubem quæ conuertitur in aquam ex frigiditate comprimente nubem, vt suprà diximus. Hæc de caligine dictasint. Et hûc terminatur consideratio de pluuia.

CAPVT IIII.

De Niue.

IN quarto capite agendum est de niue, de qua considerabimus quatuor.

Primò, quæ sit sua materia proxima.

Secundò, quod est efficiens suum proximum.

Tertiò, in quo loco & quo tempore generatur.

Quartò, quæ sint proprietates suæ, quibus ab aliis impressionibus humidis distinguitur.

Quantum ad primum dico materiam suam proximã esse nubem multum calidam. Vnde aduerte, quòd licet aqua pluuialis & nix & grando generentur ex nube, tamen est in alia dispositione nubes dum conuertitur in aquam quia est frigida. Expellitur enim calidum à frigiditate aëris ingrediente nubem: vt diximus in capite de pluuia. Nubes verò, quæ resoluitur in niuem, est excellenter calida. & causa est hæc, quando sol radiis suis calefacit terram & aquam, eleuat vaporem humidum, in quo est calor causatus ex radiis solis, sicut actione ignis sub lebete vel sub olla eleuatur fumus calidus. hic vapor humidus & calidus secum trahit multum de aëre, & sic ascendens calidus ad mediam regionẽ condensatur in nubẽ, quæ quoniam conficitur ex vapore humido calido, ideo est calida & excellẽter ex substantia aëris secũ tracta. ex hac igitur nube sic disposita generatur nix, nubes verò dũ resoluitur in grandinẽ est calidissima, vt dicemus agentes de grandine.

Quantum ad secundum dico quòd efficiens proximũ est frigiditas excellẽs non impulsa nec reducta ad locũ, sed sparsa per aërem. Vnde aduerte quòd aliam dispositionem habet nubes niuosa. nam pluuiosa est obscura & magis condensata & retracta ad vnũ locum in aëre, nubes verò niuosa cùm habeat multum de aëre admixtũ est clara & quasi alba & per aërem sparsa. quando igitur frigiditas impellitur in nubem condensatam & retractam ad vnum locum conuertit ipsam in pluuialem aquam. quãdo verò inuenit nubem sparsam & frigiditas expellens sparsa in aëre inuenitur nubem diuaricando & quasi discriminando particulas eius, præoccupánsque ne cõuertatur in aquam congelat partes eius, quæ sic congelatæ dicuntur nix, quæ descendit ad modum lanæ mollis. Causam autem quare sit mollis dicemus infrà cùm assignabimus proprietates niuis. Patet igitur ex his proximum efficiens niuis esse frigiditatem excellentem sparsam per aërem præoccupantẽ partes nubis antequã conuertatur in aquam.

Quantum ad tertium, dico primò quo ad locum niuem generari in media regione aëris quæ semper est intensè frigida, vt declarauimus in primo tractatu. Sed aduerte de efficiente proximo eius quòd excellẽs frigiditas mediæ regionis non generat niuem nisi sit per aërem sparsã. Si enim congregata in vno loco ingreditur nubem, resoluit ipsam in pluuialem aquam & non in niuem. Dico secundò quo ad tempus niuem generari præcipuè in hyeme, & in principio veris, tunc enim frigiditas est sparsa per aërem & in media & in infima regione ex distantia solis à capite nostro, cùm tunc decurrant australia signa. Aduerte tamen quòd in aliquibus locis, vt in montibus altis versus Aquilonem omni tẽpore possunt generari niues, eo quòd ex vento aquilonari aër illic est assiduè & intensè frigidus, & sol respicit loca illa radiis obliquis, propter quod est illic quasi perpetuum hyemale tẽpus, & niues non deficiunt, vt in montibus Germaniæ, & in montibus Rhodopeis. per oppositum autem regio afflata australi vento, vt meridionalis, rarò, vel nunquam habet niues. Auster enim, vt dicemus, calidus & humidus est, ideo prohibet excellens frigus generatiuum niuis in aëre diffundi. Hinc videmus loca maritima subiecta Austro non generare niues vel modicas, vt Genua, & Roma, & Neapolis.

Quantum ad quartum, aduerte proprietates niuis principaliores esse quatuor.

Prima est, nix est alba, lata & mollis, licet enim inquantum alba conueniat cùm pruina & grandine, differt tamen inquantum lata & mollis. nam pruina ad tactum riget, & grando est dura. causa suæ albedinis est hæc, Nix generatur (vt diximus) ex nube sparsa & rara, quæ vt sic est diaphana. diaphanum autem est dispositum ad lucem. nam ex secundo de Anima, est receptiuum luminis. si autem terminatur est receptiuum coloris. est enim color actus diaphani terminati, si vt terminatur est receptiuus coloris, præcipuè est illius qui magis habet de luce. hic autem est albedo vt pertractatum est in secundo de Anima, & in libro de sensu & sensato. quia igitur nubes niuosa diaphana est & condensatur per frigiditatem excellentem sparsam in aëre (vt diximus) dum conuertitur in niuem ex tali condensatione recipit colorem magis participantem de luce, scilicet albedinem. Quòd autem diaphanum si condensatur ex sui natura recipiat albedinem, patet in aqua quæ cùm sit diaphana si congelatur glacies est alba: nisi alio colore ex admixtione extranei fuerit prius colorata, vt si ei admisceatur crocus vel sanguis, &c. Eadem ratione pruina est alba, quoniam vapor humidus subtilis ex quo generatur est diaphanus. diaphanum autem purum dum terminatur per condensationem efficitur album.

Causa propter quam nix descendit lata, vt particulæ bombycis est hæc. frigiditas intensa præoccupans partes nubis niuosæ vt conuertatur in pluuialem aquam congelat eas successiuè, quia non subitò expellit calidũ à nube, sed paulatim, vt dicemus. secundum igitur quod congelantur particulæ nubis sic descendunt, cùm sint graues, ideo velut lana sparsa descendunt. Et aduerte quòd dum incipiunt descendere, sunt valde latę, sed in ipso descensu diuiduntur ex vento flante, aut ex caliditate infimæ regionis, aut alia dispositione aëris.

Causa propter quam descendit mollis est hæc, Calidum aëreum inclusum in nube niuosa non totum simul expellitur à frigiditate per aërem sparsa, sed secundum quod frigiditas ingreditur successiuè partes nubis, sic successiuè egreditur calidum, & ideo prohibet partes nubis dum conuertuntur in niuem omnino rigescere, sed relinquuntur molles, vt aliquid calidi habentes admixtum. Per oppositum partes pruinæ rigescunt, quoniam frigiditas acuta sparsa in infima regione aëris in qua generatur pruina, præoccupat ingrediens penetrans totum simul vaporem, humidum subtilem & paucum ex quo generatur pruina, vt diximus suprà, & totum calidum inclusum in prædicto vapore, non successiuè, sed simul totum expellitur, quo expulso particulæ dicti vaporis vehementer congelantur, & rigescunt, eo quòd nihil calidi remansit in dicto vapore. Hæc igitur est causa quare nix est mollis, & pruina est rigida.

Et quidem quòd in generatione niuis non simul totum calidum aëreum, sed paulatim expellatur à nube niuosa, sumitur signum ex experientia, quoniam quando generatur nix paulò antequam descendat sentimus aërem remittere excellentem frigiditatem suam. & huius causa est, quia calidum inclusum in nube niuosa incipit expelli paulatim extra nubem cum aëre incluso in nube, & huiusmodi calidum disperguitur per aërem, sicut quando aperitur os clibani calefacti, & calor exiens respergitur per totum aërem circunstantem per partẽ post partem. Hęc de prima niuis proprietate dicta sint.

Secunda est, ex niue forti, siue congelata generantur lapides pretiosi, vt crystallus & beryllus. Causa huius est hæc, licet quando nix descendit sit mollis eo quòd non totaliter est expulsum ab ea calidum, tamen si diu stat super terram quæ in intenso frigore hyemali durescit, & constringitur in glaciem, & si in tantum multiplicatur frigiditas continuata quòd non liquefiat radiis solis, omnino aufertur ab ea calidum & versa in durissimam glaciem efficitur lapis crystalli, vel beryllí. Et quidem berylli tanta est duritie quòd potius igne consumitur quàm liquefiat, nec dolari, nec limari potest, & percussis malleo ignem emittit. Frigiditas autem sua summa est, exhalato omni calido à niue antiquata sub glacie. huiusmodi lapides generantur in montibus aquilonaribus altissimis in quibus perpetuæ sunt niues ex frigiditate loci.

Tertia est, nix conseruat & nutrit vegetabilia, nam in niue sunt quædam partes, quæ dum nix dissoluitur, impinguant terram, & tendunt in nutrimentum vegetabilium. Item in niue est aliquod calidum. hac enim ratione est mollis, & illud calidum fouet vegetabilia, inde videmus herbas sub niue virescere imò & augeri. Aduerte tamen quòd si longo tempore nix steterit super terram. & intensa frigiditate congeletur consumitur totum calidum existens in niue, & sic remanens intensè frigida mortificat vegetabilia: sicut enim calidum vivificat, sic frigidum mortificat. vnde vulgò fertur niuem in sui principio esse matrem segetum, sed processu temporis efficì nouercam.

Quarta est, si ex niue lauantur manus non purificantur, sed potius sordescunt, & huius causa est, quoniam in niue sunt aliquæ partes terrestres, quæ secundũ se sordescunt id quod tangunt. Et quidem quòd huiusmodi partes sint in niue signum sumitur ex hoc, videmus quòd dum nix liquefit aliquantulum denigratur in superficie, quoniam partes aqueæ subtiliores subtus defluunt, partes verò terrestres crassiores desuper remanent. Hæc de niue dixerimus. Alia solent assignari accidentia niuis, sed prædicta sunt magis manifesta.

CAP. V.

De Grandine.

IN quinto capite agendum est de grandine, & granedula, sed primò de grandine, de qua dicemus quinque.

Primò ex qua materia proxima generetur.

Secundò ex quo efficiente proximo.

Tertiò in quo loco, & quo tempore.

Quartò cuius figuræ sit.

Quintò quæ sint eius proprietates, vt distinguitur ab aliis impressionibus humidis.

Quantum ad primum, dico cum Albert. in secundo libro, tractatu primo, capite vigesimosexto: materiam proximam grandinis esse nubem aquosam calidissimam & feruentem constantem ex vapore humido calidissimo, sicut fumus ebulliens, qui eleuatur ex aqua, & terra actione Solis in tempore calido, siue æstiuo. Quæ quidem nubes generatur in media aëris regione. Sed aduerte quòd non dicitur calidissima quasi tenaciter retinens calorem, sicut ferrum ignitum ex sua duritie, & densitate, sed dicitur calidissima, quia ex sua varietate de facili recipit intensum calorem, & de facili deperdit, sicut aqua & quodlibet humidum rarum de facili feruet propinquitate ignis, & de facili frigescit propinquitate frigidi. Hæc igitur nubes, sic disposita dicitur esse proxima materia grandinis, & debemus eam imaginari, sicut amplum vas aquæ feruentis, & sic sistere imaginationem: deinde imaginamur quòd hęc nubes aquosa calidissima congelatur, & conuertitur in grandinem, sicut tempore hyemalis vas amplum aquæ feruentis, si remoueatur ab igne, & relinquatur sub diuo fortius congelatur quàm vas aquæ frigidæ. Et causam huius assignabimus loquentes de proximo efficiente grandinis.

Quantum ad secundum, dico non esse tantùm vnum efficiens proximum, sed plura, quæ tamen simul concurrentia constituunt vnum efficiens. verùm quoniam dicemus huiusmodi agentia generare grandinem per Antiperistasim, ne procedamus per ignota declarandum est quid sit, & quomodo duo contraria agentia fortius agunt per Antiperistasim. Deinde declarabimus de generantibus grandinem quæ sint, & quomodo per Antiperistasim eam producunt.

Igitur sic describitur ad mentem Philosophi. Antiperistasis est actio vnius contrarij fortificata & intensa ex propinquicate, & iusta positione alterius contrarij circunstantis. Ad huius euidentiam, aduerte quòd vnum contrarium propinquans alteri naturaliter expellit ipsum, vel fugit, ne destruatur ab altero contrario: dum autem fugit suum contrarium quodammodo se vnit, & si erat sparsum ad locum vnum se contrahit, & illic fortius operatur. virtus enim vnita, & fortior est, & intensius operatur, quod manifestatur triplici signo. Primò fontes & putei, & therme in hyeme calidæ sunt adeo quòd fumant, quoniam calor diffusus in superficie terræ tempore æstiuo ex frigiditate hyemali, & circunstante in aëre, & infrigidante ipsam terram, quærens diffugere frigiditatem sibi proximam se contrahit in concauitatibus terræ, in quibus sunt venæ fontium & puteorum, & vnitus in huiusmodi concauitatibus calefacit aquas illic congregatas, quas vtique non calefaceret si dispersus remaneret, quoniam dispersa virtus debilius operatur.

Secundò, quoniam aquæ fontium, & puteorum in æstate sunt valde frigidæ & huius causa est, quoniam adueniente calore in infima aëris regione, & in superficie terræ ex reuerberatione radiorum solis magis directa quæ fit tempore æstatis, frigiditas quæ respersa erat in superficie terræ in tempore hyemali fugiens calorem æstiuum sibi propinquantem se contrahit in concauitatibus terræ, in quibus inueniens aquas fontium & puteorum illic congregatas multum infrigidat.

Tertium signum sumitur ab intestinis animalium quæ in hyeme calidiora sunt, eo quòd frigiditas aëris ingrediens per poros corporis pellit calorem ad intra, qui vnitus in intestinis magis vigoratur, & fortificatur, & propterea in hyeme fit maior & citior nutrimenti digestio, vt patet per experientiam. Hæc autem omnia peruenìunt ex Antiperistasi, quia scilicet, ex propinquitate vnius contrarij alterum se retrahit, & vnitum in loco illo fortius agit.

Si autem quæras signum quomodo vnum contrarium semper fugit alterum, ne ab eo corrumpatur. Aduerte ex his, si aqua aut vinum cadit super pannum exiccatum, conuertitur in guttulas rotundas fugiens siccitatem panni, vt sibi contrariam: cùm sint naturæ humidæ. Si autem pannus sit madefactus, & cadat humidum super eum statim spargitur & fluit, quoniam in panno inuenit humiditatem sibi conformem. Item fumus exiens à lignis dum comburuntur existente ostio aperto, per quod aër frigidus subintrat, statim mouetur ad partem oppositam, quoniam refugit aëris frigiditatem vt sibi contrariam: quoniam fumus est calidus. Plura alia signa adduci possent, sed hæc sufficiant. Patet igitur quid sit Antiperistasis, & quomodo propter ipsam duo agentia contraria fortius operantur.

His declaratis videndum est quod est proximum generans grandinem, & quomodo generatur. Dico igitur de mente Philosophi & Albert. tria agentia ad eius generationem concurrere. Primum est caliditas æstiua respersa in aëre: præcipuè circa principium autumni, in quo frequentius generatur grando, vt dicemus. Secundum est frigiditas quæ prius existens in aëre, & fugiens caliditatem respersum in aëre se contrahit ad determinatum locum in quo generatæ sunt nubes. Tertium est caliditas existens in nube generata ex calidissimo vapore humido quasi feruenti, vt diximus. Hæc tria agentia sic generant grandinem. Calor respersus in aëre expellit frigiditatem, vt sibi contrariam ad vnum locum, quæ fugiens caliditatem vnita ingreditur nubem magno impetu, & ibi per Antiperistasim non solùm infrigidat nubem calidam aquosam, sed & aquam congelat forti glacie, & hæc glacies in qua conuersa est nubes aquosa dicitur grando. Caliditas autem quæ erat in nube & expellitur ad ingressum frigiditas, solùm per accidens concurrit ad generationem grandinis. nam nil aliud agit nisi quod rarificat nubem. Proprium est enim calidi rarefacere. dum autem rarificat nubem frigiditas magis penetrat partes nubis. Facilius enim penetratur rarum quàm densum. Ex hoc autem quòd frigiditas magis penetrat partes nubis aquosæ fortius eas congelat, & conuertit in grandinem, & inde est quod aliquando descendit grando sine pluuia, quod vtique signum est summæ caliditatis rarificantis nubem, & liberi ingressus vnitæ frigiditatis constringentis totam nubem in glaciem. Quando autem grando descendit cum pluuia, signum est quòd vnita frigiditas non habet liberum ingressum ad partes nubis, ita quod posit eas omnino congelare, & id contingit ratione debilioris Antiperistasis quæ est inter calorem respersum in aëre, & frigiditatem expulsam ad locum vnum. Si autem quæras signum quomodo caliditas intrinseca nubi est causa per accidens congelationis in nube, hinc sume, si tempore hyemali existente intẽsa frigiditate in aëre & potente fortiter aquam congelare, sumatur vas aquæ & calefiat vsque ad feruorem, deinde sic feruida extrahatur ab igne & effundatur in terram sub diuo: videbis eam congelari fortissimo, & quasi infrangibili gelu. Si autem effundatur aqua frigida congelabitur quidem, sed non tanta duritie, & causa est hęc. Caliditas existens in aqua feruida rarefacit eam, quam sic rarefactam frigiditas aëris intensa liberè penetrat & magis quàm aquam frigidam, eo quòd minus rara est, quoniam ex frigiditate partes suæ magis cohærent, & ideo aqua calida ex sua raritate magis patitur à frigiditate ingrediente, & per accidens fortius congelatur. Patet igitur quomodo caliditas intrinseca rei congelabili est causa per accidens intensioris congelationis.

Quando igitur quæritur quod est efficiens proximum grandinis, respondendum est quòd sunt hæc tria simul concurrentia, ex quibus fit vnum sufficiens generans scilicet, calor æstiuus dispersus in aëre, frigiditas intensa in media regione, quę diffugiens calorem sibi contrarium se contrahit, & vnit ad locum vnum in quo generata est nubes calida aquosa, intensus calor intrinsecus nubi aquosæ velut aquæ feruenti, qui rarefaciens nubem præbet eam patulam & penetrabilem frigiditati, quæ vnita ingrediens fortius agit infrigidando, & congelando partes nubis, quæ congelatio est conuersio nubis in grandinem. Hoc igitur modo generatur grando.

Quantum ad tertium, scilicet, in quo loco, & quo tempore præcipuè generatur. Quo ad locum dico cum Alber. in secundo libro, tractatu primo, capite vigesimoquarto, quòd in duabus aëris regionibus generatur, scilicet, in media, & in infima. In media quidem, quoniam illic regulariter generantur nubes aquosæ, & est locus per se generationis grandinis, quoniam media regio ex sua frigiditate est proprius locus (vt diximus suprà) in quo generantur nubes, quæ secundum diuersam dispositionem conuertuntur, aliquando in pluuiam, aliquando in niuem, aliquando in grandinem, aliquando resoluuntur in aërem, vt patet in capitulo de pluuia. In infima autem regione, aliquando generatur, sed per accidens, & raro, & id contingit in æstate quando aqua guttatim ex nube descendit, & frigiditas respersa in aëre ex radiorum reflexione vnitur, & tunc si guttæ aqueæ descendant per illam aëris

partem in qua eſt frigiditas contracta & vnita, congelantur & vertuntur in grandinem ex frigiditate vnita per quam tranſeunt. Dixi autem hoc eſſe per accidens. Accidit enim & raró quòd in infima regione tempore æſtiuo, vel in principio autumni tanta ſit aëris frigiditas quòd ſit ſufficiens ad huiuſmodi congelationem, quando pluit in tempore æſtiuo. Et quoniam quæ conſiderantur in ſcientia ſunt per ſe, & non per accidens, ideo philoſophus in 1. lib. cap. 4. fecit mentionem ſolùm de loco per ſe: qui eſt media aëris regio. vnde inquit, Grando fit in nubibus longinquis à terra, id eſt, altis, quia, ſcilicet, ſunt in media regione.

Quo ad tempus: dico de mente Philoſophi in lib. primo, cap. 4. plerunque fit in Vere, & in Autumno, ſed frequentius in Autumno, in hyeme nunquam, in æſtate raró.

Ratio, quare non fit in hyeme eſt hæc, quoniam tunc ſol non adeo calefacit terram, vt eleuetur ex ea humidus vapor calidiſsimus, ex quo diximus generari calidiſsimam nubem, quæ eſt proxima materia grandinis. Et dato caſu quòd huiuſmodi vapor eleuaretur, deficit tamẽ frigiditas ad vnũ locũ congregata. nam tẽpore hyemali eſt reſperſa per totũ aërem, nec eſt tanta caliditas in aëre ex diſtantia ſolis à capite noſtro, quæ poſsit pellere totam frigiditatem ad locum vnum, quæ tota ſimul ingrediens nubem impetuoſè conuertat eam in grandinem. Cùm igitur hæc omnia concurrant ad generationem grandinis, vt diximus ſuprà, ideo in hyeme non generatur, ſed potius ex frigiditate reſperſa in aëre generatur nix, vt diximus in cap. de niue.

Ratio, quare raró fit in æſtate, non eſt quia non ſit caliditas reſperſa in aëre potens pellere frigiditatem ad locum vnum. hæc nanque adeſt, ſed deficit alia, quia, ſcilicet in æſtate ſol non eleuat multum vaporem, humidum, calidum ex terra qui conuertatur in nubem calidiſsimam, imò ſi eleuat cito conſumit eum antequam ad mediam regionem perueniat, & ideo in media æſtate raró pluit, & grandinat. eleuat autem ex terra deſiccata, & ſupercalefacta vaporem ſiccum calidum terreſtrem, ex quo generantur impreſsiones ſiccæ ignitæ, de quibus locuti ſumus in ſecundo tract. propterea in æſtate generantur ſtellæ comatæ, & ignes in aëre.

Ratio, propter quam generatur frequenter in Vere & in Autumno eſt hæc. Exiſtẽs ſol in ſignis æquinoctialibus, præcipuè in fine Tauri, & in principio Libræ ſufficienter calefacit terram, & ideo eleuat ex ea vaporem humidum calidum abundanter, qui aſcendit ad mediam regionem, & conuertitur in nubem calidiſsimam. Non enim eſt tantæ virtutis ſol in illis ſignis quòd poſsit huiuſmodi vaporem conſumere, vnde ſolemus dicere ſolem commouere humores in Vere & Autumno, ſed non conſumere. Item tanta caliditas eo tempore cauſatur in aëre quòd ſufficiens eſt pellere ad locum vnum frigiditatem prius diſperſam, quæ ſi vnita ingrediatur calidiſsimam nubem, vt diximus ſuprà, congelat eam & in grandinem vertit.

Ratio, propter quam frequentius generatur in vere, præcipuè in fine Maij quàm in Autumno, eſt hæc. Sol vernalis inuenit terrã valde humefactam in ſuperficie ex pluuiis hyemalibus & ex multa cõuerſione aëris in aquam, & ideo tunc ex terra abundanter eleuat vaporem humidum calidum qui eſt materia grandinis dum conuertitur in nubem calidiſsimam. In Autumno autem frigiditas eius temperata non poteſt ita humectare terram prius exiccatam calore æſtiuo quòd ex ea poſsit facilè eleuari vapor humidus calidus in tanta quãtitate quanta eleuatur in tempore veris: ideo frequentius generatur grando in vere quàm in Autumno, aliquando tamen ſequitur oppoſitum ex particulari conſtellatione, & ſimiliter in æſtate.

Quantũ ad quartum, dico de mente Philoſophi, & ex experientia quod grandinis grana aliquando ſunt parua & rotunda, aliquando ſunt (vt ita loquar) grupuloſa. & ratio diuerſitatis eſt hæc. Diximus generari grandinem in duplici loco, ſcilicet in media regione, vbi ſunt nubes, quæ regio eſt plurimum remota à ſuperficie terræ, & tunc ſi grando illic generatur, grana ſunt parua & rotunda. licet enim vt congelantur in nube, vel iuxta nubem eſſent magna, tamen in deſcenſu ſuo, quia altè generatur ſtant pro aliquo ſpatio temporis in aëre, & dum deſcendunt per infimam regionem quæ tunc eſt calida liquantur in circuitu, & fiunt minora, & magis rotunda, quia calor aëris liquat angulos ſi quos habent, & tunc grando pertingit ad terram cum pluuia cauſata ex liquatione in infima regione. Quando autem generatur in infima regione, licet per accidens, vt diximus ſuprà, deſcendit habens grana magna & non retunda, & huius ratio eſt, quia generatur in aëre infimo non multum diſtante à terra, non multum ſtat in aëre, ex conſequenti non liquantur grana in circuitu, & ideo ea quantitate qua generata ſunt deſcendunt. cũ autem generentur ex guttis magnis deſcendentibus, ideo grana ſunt magna. quare autem non ſint rotunda, ſed grupuloſa, & aliquando angularia, ratio eſt hæc, cùm guttæ ex nube deſcendunt ſucceſsiuè accidit aliquando guttam præcedentem iam congelatam eſſe, & ſequens attingit eandem, & congelatur ſuper eam & apponitur illi, & iterum alia ex alio latere attingit eandem, & ſimiliter congelatur ſuper eam, ſicque augmentatur granum appoſitione plurium guttarum inſimul congelatarum, & hac de cauſa amittit rotunditatem ſuam. Signum huius habemus in hyeme quando guttæ deſcendentes ex tectis, ita ſe habent quòd vna congelatur ſuper aliam, & conſtituunt fruſtum glaciei oblõgum grupuloſum, vt patet. Hæc de grandine dicta ſunt.

Quantum ad quintum, dico proprietates ſuas magis euidentes eſſe tres.

Prima, grando mortificat fructus non ſolum ex percuſsione, ſed ex frigiditate, eſt enim intenſæ frigiditatis: frigiditas autem intenſa eſt rei viuentis mortificatiua ex lib. de cauſa mortis, & vitæ. Aduerte tamen quòd eundem effectum habet pruina, & pluuia impetuoſa, & ideo vt ſit proprietas grandinis, addendum eſt quòd inter impreſsiones humidas eſt maximè mortificatiua vegetabilium.

Secunda, grando non ſolùm mortificat fructus præſentes, ſed & in anno futuro inducit ſterilitatem terræ grandinatæ, nam eſt intensè frigida, & quoniam generatur ex calidiſsima nube habet de aduſto, frigiditas autem intenſa, & calidum aduſtum reddunt terram ſterilem: inſuper fructus percuſſos facit amaros, vt patet de vino grandinato: quod indicat aduſtionem factam in vuis percuſsis ex grandine.

Tertia, ſi granum grandinis diuidatur, habet in medio partes nigras in circuitu per modum circuli depicti, cuius ratio eſt. Grando habet multum de terreſtri impuro, quod vt magis denſum tendit ad medium grani, vtpote magis graue. & quidem quòd ibi ſit multum de terreſtri impuro ſignum eſt, quia vt teſtatur Alber in ſecundo lib. tract. 1 cap. 26. aliquando in fruſtis grandinis inueniuntur pili, & palea & fruſtula ligni quæ eleuauit ſol cum vapore humido, quem diximus eſſe materiam grandinis, &c.

De granedula.

PEracta conſideratione de grandine dicendum eſt de granedula. Aduerte igitur quod ſecundũ Alber. eſt nix in rotundum congelata, & generatur præcipuè in ſecunda medietate Februarij, & prima medietate Martij Sole exiſtente in Piſcibus, & ſpirantibus ventis ſeptentrionalibus, fit autem hoc modo, Dum nix tempore prædicto deſcendit pertingens ad infimam regionẽ, inuenit calidum vernale in aëre, quod liquefacit niuem in deſcenſu ſecundum ſuperficiem, accidente autem ſubtili frigiditate venti ſeptentrionalis nix liquefacta in ſuperficie congelatur in minuta grana rotunda ad modum coriandi, vel aniſi minuti ſaccharo cooperti, ita quòd in rei veritate, quamuis in ſuperficie, & congelatione videatur grando minuta, tamen intrinſecus ſecundum ſubſtantiam eſt nix frigida, & rigens ex frigiditate venti ſeptentrionalis, vnde ſolet dici granedulam eſſe ſubſtantialiter niuem glomeratam. Et hæc de talibus impreſsionibus ſufficiant.

TRACTATVS QVARTVS de impreſsionibus humidis generatis in terra, in quinque capita diuiſus.

IN tractatu præcedenti locuti ſumus de impreſsionibus humidis generatis in aëre, vt de rore, pruina, pluuia, niue, grãdine, &c. Hîc autẽ acturi ſumus de impreſsionibus humidis generatis in terra, vt de fontibus, fluminibus, lacubus, mari, &c. Et diuidimus hunc tract. in duas partes principales.

In prima agemus de fontibus, fluminibus & lacubus.

In ſecunda de mari.

Partem primam diuidemus in quinque capita.

In primo agendum eſt de materia proxima, ex qua generantur fontes, & fluuij & omnes aquæ exeuntes à terra.

In ſecundo de efficiente eleuante aquam ad os fontis.

In tertio de diuerſitate fontium & fluminum.

In quarto de variis virtutibus naturalibus & effectibus diuerſorum fontium & fluminum.

In 5. de diuerſitate aquarũ ſecundũ bonitatẽ & malitiam.

CAP

CAPVT I.

Quæ nam ſit materia proxima, ex qua generantur fontes.

CIrca caput primum inueſtigandum eſt quæ ſit materia proxima, ex qua generantur fontes, & ex fontibus fluuij. Circa quod inuenio duas ſententias: prima dicit fontes generari ex aqua ſubterranea generata ex aëre incluſo in concauitatibus terræ. Ad cuius euidentiam dicunt ſic opinantes, quòd ſicut diuiditur aër in tres regiones, de quibus actum eſt in præcedenti tractatu, ita diuiditur terra. Prima terræ regio eſt ſuperficies quam calcamus, in qua deſcendit pluuia, fluuij decurrunt, vegetabilia, & animalia ſpirantia viuunt. Vltima eſt circa centrum mundi in qua nihil generatur, quoniam planetarum virtus, & præcipuè radius ſolis illuc non pertingit. Media eſt inter has duas in qua generantur mineralia, & plures in ea ſunt concauitates, & antra, & venæ proportionaliter ſicut in corpore animalium, & cùm natura abhorreat vacuum, ex quarto Phyſicorum, huiuſmodi concauitates repletæ ſunt aëre ingrediente per poros, & meatus occultos: aër ille ex frigiditate terræ condenſatur & conuertitur in aquam, quæ per terræ meatus, & venas fluit ad locum decliuiorem, quia grauis eſt, deinde conuerſo priore aëre in aquam, ne concauitas terræ patiatur vacuum, quoniam decem pugilli aëris conuertuntur in vnum, vel duos pugillos aquæ propter maiorem dẽſitatem, ſub qua ſtat forma, à qua neceſſe eſt alium aërem ſubingredi, qui ſimiliter condenſatur & conuertitur in aquam, quæ inſequitur priorem ad eundem locum decliuiorem. iterum alius aër ſubingreditur eadem cauſa, & conuertitur in aquam eadem cauſa, & decurrit ad eundem locum eadem cauſa, & quando concauitas illa fuerit repleta aquis non potens amplius continere, aqua ſuo impetu erumpit ſuper terram, & fons hîc ſcaturire incipit, à quo & fluuius habet ortum, & augetur, prout aquæ aliæ ad ipſum decurrunt, & quoniam aër aërem ſubſequitur, & in aquam aſsiduè conuertitur in frigiditate terræ, ideo fons non deficit, quare autem aliqui fontes deficiant, dicemus infrá.

Sed contra hanc opinio. ſic arguitur, quod inuenitur in aliquo, non generatur in eo naturaliter, aliunde prouenit in ipſum, ſed aqua inuenitur in concauitatibus terræ, & non generatur in illis naturaliter, nihil enim generatur naturaliter extra locum ſuum, eſſe autem ſub terra, non eſt locus naturalis aquæ, imò eſſet ſuper terram, cùm ſit leuior, vt diximus in tertio cœli. cùm ergo inueniatur aqua in concauitatibus terræ, & illic perſeuerare, & eſſe extra locum ſuum naturalem, non eſt dicendum fuiſſe illic genitam ex aëre incluſo condenſato, ſed ex ſuperficie terræ per ſciſſuras illuc deſcendiſſe, quod qualiter fiat, nunc declarabimus.

Secunda opinio eſt Albert. qui tenet duplex eſſe principium naturale fontium, fluuiorum & lacuum. Primum eſt ſpeciale, ſcilicet, aliquorum fontium & fluuiorum, ſed non omnium. Secũdum eſt commune. Speciale quidem eſt aqua pluuialis, quæ decurrens per ſuperficiem terræ ad locum decliuem generat ſtagnum, vel lacum, in quo aquarum copia congregatur.

Aliquando autem & frequenter illabitur in viſceribus terræ per ſciſſuras & meatus occultos, & congregatur copioſiſsimè in amplis concauitatibus terræ ſub montibus, & dum erumpit ſuper terram generat fontem, à quo & fluuius deriuatur, vt manifeſtè patet de Eridano, cuius principium eſt fons ſub monte Veſulo: & de Iordane, cuius principium ſunt duo fontes ſub monte Libano. Et quidem quòd ex pluuiali aqua generentur multi fontes & fluuij, ſignum habetur ex hoc quòd in hyeme ex copia pluuiarum augmentantur fontales, & puteales, & fluuiales aquæ in pluribus locis. In æſtate autem ex raritate pluuiæ minuuntur, & ſæpe exiccantur, ſignum eſt ergo congregationem aquarum ſub montibus defeciſſe à qua cauſabantur huiuſmodi fontes & putei, &c.

Sed contra hoc arguit Seneca, in libro natur. quæſtion. quatuor ſignis. Primum eſt, inquit Seneca, quòd pluuiales aquæ non deſcendunt in terram vltra decem pedes: ergo non poſſunt pertingere ad illas concauitates, quæ ſunt ſub terra, pluſquam per cc. pedes: ergo falſum eſt ex aqua pluuiali generari fontes aut fluuios.

Albertus negat hoc ſignum, & dicit Senecam non fuiſſe peritum Philoſophum naturalem, nam expertum eſt in montibus, in quibus fodiuntur metalla. guttas aquæ pluuialis deſcendere per ſciſſuras lapidum & venas montis pluſquam per ducentos & triginta paſſus.

Secundum ſignum, inquit Seneca, eſt, quòd putei fodiuntur vſque ad cc. paſſus & plus, & inuenitur maxima copia aquarum, & tamen ad tantam profunditatem non deſcendit aqua pluuialis: ergo, &c. Hoc ſignum negat ſimpliciter Albertus ſicut & præcedens.

Tertium ſignum eſt, inquit Seneca, quoniam aliqui fontes effluunt ex duriſsimo ſaxo, ſimiliter aliqua flumina: & tamen impoſsibile eſt aquam pluuialem ingredi & egredi ex duriſſimo ſaxo: ergo, &c.

Dicit Albert. Senecam in hoc loqui inconſideratè: nam licet fons, aut flumen erumpat ex ſaxo, tamen congregatio aquarum præbens continuum fluxum fonti, aut flumini facta eſt ſub ſaxo: deinde aliqua cauſa eleuans aquam, de qua cauſa dicemus infrà, recipit exitum ex ſaxo.

Quartum ſignum eſt, inquit Seneca, quòd in ſummitate montium inueniuntur fontes ſcaturientes, ita quòd videtur aqua ſurſum ebullire, & tamen hæc non eſt aqua pluuialis: eius enim proprium eſt ad locum decliuem deſcendere, cùm ſit grauis, & non aſcendere ſurſum, niſi violenter.

Dicit Albert. cauſa huius aſcenſus etiam in aqua pluuiali declarabitur in ſequentibus, cùm oſtendetur quid ſit eleuans aquas pluuiales congregatas ſub montibus ad orificium fontis ſcaturientis ſuper ſummitatem montium.

Principium autem commune omnium aquarum indeficientium eſt amphitrite, id eſt, mare Oceanum, à quo flumina magna, & ampliſsimi fontes emanant, qui licet augmentum habeant ex pluribus aquis decurrentibus ad ea, tamen indeficientiam habent ab amphitrite, quæ (vt dicemus agentes de mari) cingit terram à polo arctico tendens ad Meridiem per Orientem. Iterum à meridie per Occidentem tendens ad arcticum. Ex amphitrite igitur in omnibus quartis mundi egrediuntur omnia maria particularia, de quibus dicemus loco ſuo, & fontes ampli, & flumina magna indeficientia, veluti Ganges, Nilus, Tigris, Hiber, Euphrates. Verùm de his conſiderare in particulari, ſcilicet, quæ & quot ſint, & per quas regiones decurrant eſt officium coſmographi & non Philoſophi naturalis. Nobis igitur ſufficit indicare fontes & flumina pro principio communi habere amphitriten. Quædam autem pro principio ſpeciali habere aquas pluuiales. Et quod dictum eſt de principio communi concordat Diuinæ ſcripturæ Eccleſia. primo capite, Omnia flumina intrant mare, & non redundat: flumina vnde exeunt reuertuntur, vt iterum fluant.

CAPVT II.

Quid nam extrahat aquas ſubterraneas ad orificium fontis.

IN ſecundo capite inueſtigandum eſt quid ſit eleuans aquas concluſas in concauitatibus montium ad orificium fontis, vel fluminis. Id enim perſcrutari valde difficile apparet, quoniam cùm aqua naturaliter moueatur ad locum decliuem & profundum non naturaliter exit ab illis locis. nam ex primo cœli, quod naturaliter mouetur ad locum vnum, non recedit ab illo niſi violenter. Quæritur quid ſit extrahens aquas ſubterraneas ad orificiũ fontis. cũ præſertim videamus ſuper altos montes ſcaturire fontes, in quorum profundo aqua ſurſum ebullit velut olla feruens. cùm ergo aquæ contra naturam ſuam aſcendant, quæritur quid eleuat eas ad cacumen montis, & potius cùm ſint cõgregatæ in concauitatibus montis & potius debeant fluere & erumpere in radicibus montis.

Pro euidentia igitur huius quæſiti dico ſecundum Albert. cauſam huius eſſe vaporem calidum generatum ex radiis Solis, & virtute ſtellarum in concauitatibus terræ & illic retentum. Pro cuius notitia, aduerte quod huiuſmodi vapor illic generatus, aliquando exhalat & recipitur in aëre. aliquando detinetur concluſus in concauitatibus terræ ad ſuperiorem ſuperficiem interiorem loci concaui aſcendit, & illic reflexus ac vnitus dictam ſuperficiem interiorem calefacit, quæ calefacta trahit aquam ſurſum ad ſe, & in ſuperficie exteriori incipit apparere & fluere & ebullire, ſicque fit fons, aut lacus in ſummitate montis.

Et quidem quòd calidum ad ſe in altum trahat aquas patet hoc ſigno, ſumatur phiala vacua, & os phialæ teneatur ſuper ignẽ ita quòd ignis calor ingrediatur phialam: & cùm phiala calefacta fuerit, ponatur os phialæ ſuper vas aquæ frigidæ, tũc videbis aquam aſcẽdere ad os phialæ & phialam replebit, quod ſi ſtatim fieret foramẽ in phiala in parte ſuperius verſa, ex illo continuè efflueret aqua deſuper tracta, ſic fit in fontibus repertis in ſummitate montium ex vapore calido expanſo in ſuperficie interiori concauitatis, quæ eſt in medio montis, nam trahitur ſurſum aqua ſicut in phiala calefacta, & fracta terra in parte ſuperiori ſcaturit & videtur ebullire, quoniam pars aquæ ſequens priorem eleuatam deſiderat exire, & impellens præcedentem cogit eam cum impetu exire, & ex tali

impulsu causatur ebullitio. Patet igitur quæ sit causa eleuans aquas ad orificia fontium & fluminum.

Sed hic dubium oritur. Si vapor calidus inclusus in concauitatibus terræ calefacit superficiem intrinsecam loci concaui, & sursum trahens aquas calefacit eas. ergo dum exeũt ab ore fontis debent esse calidæ: quod tamen est falsum. nam (vt patet ad sensum) sunt frigidæ, præterquam in hyeme, quo niam tunc caliditas terræ fugiens frigiditatem aduenientem ex distantia solis arctatur in visceribus terræ, & illic per antiperistasim (vt declaramus suprà agentes de grandine) calefacit aquas subterraneas. Cùm ergo remota hac antiperistasi aquæ fontium sint semper frigidæ, videtur quòd in concauitatibus terræ non sit conclusus vapor calidus eleuans eas ad fontis aut fluuij orificium.

Ad hoc dicitur, q̃ in locis concauis duæ sunt superficies scilicet exterior & interior. Interior quidem semper est calida. & quoniam contrarium (vt suprà diximus) calor qui est ad intra, expellit totam aquæ frigiditatem, & loci ad crustam terræ superiorem, cùm ergo aqua sic eleuata sit facta calida non calore ignito, sed euaporatiuo, quando peruenit ad interius ostium loci concaui ingreditur per longum spatium crustam terræ superiorem factam frigidam intensè per frigiditatem expulsam à calore intrinseco in concauitate. donec igitur decurrit sub crusta frigida amittit calorem vaporatiuum, & intensè frigefacta deuenit ad ostium exterius fontis vel fluminis. Hæc de causa cùm deuenerit ad locum fontis est frigida, & erit simile si aqua calida infundatur canali plumbeo sub terra & decurrat per longum spatium in ipso canali, cùm exierit, non calida, sed frigida sentietur. Et hæc eadem est causa quare in locis paludosis non est adeo frigida aqua fontis sicut in monte. quoniam paludosa loca non sunt solida nec tantam frigiditatem continent, nec est eis intrinseca tanta caliditas quæ frigiditatem ad exteriora expellat, & propterea nec aqua paludalis nec fontis scaturiẽtis in paludoso loco sunt tãtę frigiditatis quãtæ sunt aquę mõtanæ.

Aquæ montanæ frigidiores.

CAPVT III.

De fontium & fluminum diuersitate.

IN 3. cap. locandæ sunt diuersitates fontium & fluminum, inter quas adduco duas.

Prima est, q̃ aliqui fontes exiccantur in loco vno, & noui fiunt in alio. Huius causa potest esse triplex. Prima causa est aqua descendens à superficie terræ ad venas & concauitates eiusdem, in quibus aqua multa congregatur, cõtrahit partes terrestres, vt patet quando pluuiales aquæ turbidæ fluunt ex montibus. potest autem tantum de terra trahere q̃ obturat venam & meatum per quem decurrebat ad concauitatem, quo obturato necessè est minorari aquam cõgregatã in concauitate, qua minorata si ei non fiat additio cessat fons aut flumen, quod principium sumebat ab aqua illic congregata, & hæc est causa quare aliquando deficiunt ex toto.

Secunda causa quare scilicet in alio loco fiunt noui fontes & fluuij est hæc. Vapor calidus inclusus in cõcauitatibus terræ eleuans aquas ad orificium fontis aut fluuij, vt diximus in cap. præcedenti. simul cum aqua eleuat partes terrestres, quæ aliquando adeo multiplicantur quòd obturant os fontis aut fluuij, & tunc nisi deficiat aqua in concauitatibus terræ necesse est vt in loco alio aperiatur terra & fiat nouum ostium fontis aut fluuij.

Tertia causa est terræmotus, qui diuidens terram (vt dicemus loco suo) profundat montes, & tunc concauitates existentes sub montibus & aquis repletæ, replentur, terra cadente, quibus repletis non amplius decurrunt aquæ ad illas ex superficie terræ exteriori, & tunc cessat fons aut fluuius qui sub monte oriebantur. Aliquando ex terræmotu fiunt profunditates in terra (vt dicemus loco suo) & replentur aquis & tunc fiunt noui fontes, aliquando noui lacus, cuius signum est quòd in fundo aliquorum lacuum videntur ædificia ex terræmotu profundata.

Secunda proprietas est quòd aliqui fontes & fluuij certis horis fluunt, & certis horis exiccantur: vt testatur etiam Seneca lib. 9. naturalium quæstionum. Huius causa potest esse triplex. Prima est, quòd aliquando vapor calidus inclusus eleuãs aquam ad orificium fontis est maior & fortior quàm sit vena aut meatus per quem transmittitur aqua ad concauitatem, & tunc vapor ille plus de aqua eleuat ad orificium fontis quàm possit vena ministrare cõcauitati, & ideo cessat fluxus aquæ, quoniam vapor calidus expectat, vt ita dicam, nouam aquam quæ decurrat ad concauitatem, quam decursam eleuat ad orificium fontis, & tunc incipit fons de nouo fluere & scaturire, & sic successiuè. Secunda causa est, quòd aliquando vapor prædictus est debilis, & ex sua debilitate euaporat secundum partem extra orificium fontis simul cum aqua, ex qua euaporatione adeo debilitatur quòd non potest eleuare aquam ad orificium, nisi confortetur. Donec autem cõfortetur cessat fluxus fontis, vel fluuij, & postquàm confortatus est, iterum eleuat aquam, & de nouo fluit fons aut fluuius.

Confortatur autem per radios solis & stellarum penetrãtes concauitatem & generantes in ea nouum vaporem calidum, qui adiunctus priori confortat ipsum, & fit potens ad eleuandum de nouo aquam ad orificium fontis vel fluuij. Tertia causa est particularis influxus aliquarum stellarum, præcipuè fixarum, quæ dicuntur caniculæ, & hoc est quando sub radiis solis oriuntur cosmicę, & adiuuantur virtute Martis, nec retrahuntur ab effectu à Saturno vel aliis stellis frigidis, tunc fontes velociter exiccantur. Si autem aliqui exiccantur tempore caumatis & fluunt tempore pluuiali, clarum est quòd in toto vel in parte causantur à pluuiis: nam qui tempore siccitatis non habent sufficientem copiam aquarum, ideo non fluunt. Accedente autem tempore humido subministratur eis aqua, ideo de nouo fluunt. Hæc de diuersitate fontium & fluuiorum dicta sint: si qua autem prætermissa sunt, dicemus infrà agentes de permutatione maris secundum situm.

CAPVT IIII.

De Varijs fontium & fluminum virtutibus ac proprietatibus.

IN 4. cap. declarandæ sunt variæ virtutes & proprietates diuersorum fontium, inter quas hic assigno septem.

Prima est, quòd aliqui fontes & lacus sunt diuersorum odorum & saporum. Causa huius non est simplex aqua, quoniam (vt diximus in 2. de ani. & extrahitur ex lib. de sensu & sen.) nulli elemento conuenit ex se odor nec sapor. Causantur enim ex varia mixtione primarum qualitatum, vt pertractauimus in cap. de odoratu. Omne ergo corpus odoriferum & sapo rosum est elementatum. vel admiscetur corpori elementato à quo trahit odorem & saporem, sic contingit in proposito. nam aquæ fontium (vt aquæ sunt) non habent odorem nec saporem, sed quoniam decurrunt per mineras in quibus mineralia generantur, vt sulphur, alumen, sal, ferrum, æs, argentum, aurum: & hæc habent diuersum odorem ac saporem, vt ad sensum patet, ideo aquæ fontium & fluuiorum & lacuum decurrentes per huiusmodi mineras varium trahunt odorem & saporem, sicut patet quãdo aqua transit per cineres, aut calcem, contrahit saporem amarum & odorem acutum.

Secunda est, quòd aliqui fontes calidi sunt adeo quòd feruent: & id quidem contingit quoniam aqua decurrit per mineras sulphureas. Sulphuri autẽ si admiscetur aqua ebullit, sicut quando admiscetur calcistatim effumat & feruet adeo quòd si animal proiiciatur in ea moritur & decoquitur. Con similis inflammatio causatur ex sulphure, & vehementior.

Tertia est, quòd aliqui fontes (quos recitat Seneca in lib. 3. quæst. naturalium) conuertunt ligna in lapides si proiiciantur in eis. Huius causam Albert. non assignat in particulari, sed dicit id euenire ex virtute minerali lapidis qui est in fundo aquæ fontalis. De virtutibus autem mineralium pertractare spectat ad locum de mineralibus.

Quarta est, quòd aliqui fontes si potantur ab ouibus causant lanam albam, aliqui autem nigram. Huius causa est. Aqua generans lanam albam est virtutis vehementer frigidæ & humidæ, quæ dum potatur exiens per poros ad cutem laxat cutem & quasi perspicuam ac albam facit, facta pelle alba consequẽter fit lana alba. Omne enim animal variat colorem pilorum secundum variationem pellis, præter hominem, in quo nascuntur pili albi & nigri & rubei stante pelle alba: fontes verò causantes lanam nigram sunt virtutis calidæ & terrestris ex vapore terrestri illis admixto. Aqua igitur illa potata peruenit per poros ad cutem siue pellem, & remouet ab ea perspicuitatem ex sua terrestreitate, qua remota fit pellis nigra, ex consequenti lana nigra per regulam datam. Omne animal variat, &c.

Quinta est, quòd aliqui fontes & fluuij potati causant in hominibus strumas, id est, tumorem sub mento, & vulgariter dicuntur gosi. Huius ratio est, quia huiusmodi aquæ vaporosæ & frigidæ multas superfluitates cõmouent descendentes à cerebro, quæ sunt phlegmaticæ, & peruenientes ad collum & guttur condensantur, & sic causant tumorem sub mento, qui dicitur struma.

Sexta est, q̃ in aliquibus fontibus & lacubus supernatant corpora densa, vt lapides & animalia, nec possunt submergi. Huius ratio est, quia huiusmodi aquæ sunt adeò graues & densatę ex admixtione alicuius terrestris viscosi vel vnctuosi, quòd non possunt diuidi ab huiusmodi corporibus proiectis in eis, ideo non submerguntur. Huius naturæ dicitur esse Mare mortuum secundum Aristotelem, & lacus Aspalti in Palæstina secundum Senecam & Iosephum.

Septima est, quòd aliqui fontes certis temporibus purgant se, emittentes superflua, vt festucas, frondes, paleas, ligna parua, & alia immunda. Ratio huius est, secundum Albertum, quia ad concauitates terrę aqua descendit per fissuras & aperturas, cùm qua descendunt huiusmodi immunda reperta in superficie terræ, & resident in aqua sub terra. Aliquando autem ostium fontis est strictum, & vapor calidus eleuans aquam ad orificium fontis est fortis, ita quòd simul cum aqua eleuat huiusmodi immunda vsque ad orificium. Et quoniam, vt suprà posuimus, strictum est, remanent ibi & cumulantur per aliquod tempus, donec aqua fortius eleuata fortiter impellit ea extra orificium fontis, & tunc dicitur fons purgari, vt refert Seneca de Arethusa fonte in Sicilia. Signum huius purgationis habemus in canalibus subterraneis, in quibus defluunt aquæ secum trahentes plures immunditias, quæ congregantur ad aliquod foramen, & paulatim ipsum obturant, nec descendunt, donec aqua aucta, aut velocius decurrens, impellit huiusmodi massam extra foramen, & descendit cum aqua. Eadem causa mare purgat seipsum: pellit enim ad litus cadauera, & ligna, & paleas, & alia immunda: nam (vt dicemus tractantes de fluxu & refluxu eius) vapor ex lumine Lunæ eleuatur ex fundo maris extrudens aquas super litus, & eadem violentia eiicit ad littus omnes sordes maris, sicque purgatur. Hæc de proprietatibus & variis virtutibus fluminum & fontium sufficiant.

CAPVT V.

Quæ aquarum salubres & nociuæ sint.

IN quinto capite inuestigandum est quæ aquę sint salubres, & quæ nociuæ. Et id quidem in particulari pertractare est officium medici. Ad maiorem tamen doctrinam hic aliqua tangemus, & dicemus per diuisionẽ. Deinde cuilibet parti diuisionis assignabimus bonitatẽ, vel malitiam. Diuisio est hęc.

Aquarum quædam sunt currentes, quædam stantes.

Aquarum stantium quædam puteales, quædam lacunales, quædam paludales.

Aquarum lacunalium quædam habent in superficie quasi pellem vel viscositatem, quædam non.

Aquarum currentium quædam currunt super lutum purum, quædam super arenam & lapides, quædam in lapideis canalibus, quædam in plumbeis, quædam in mineris metallicis, quædam in aluminosis & sulphureis.

Item quædam currunt ad Orientem, quædam ad Occidentem, quædam ad Meridiem, quædam ad Aquilonem. Stante hac diuisione, assignanda est malitia vel bonitas cuilibet membro, secundum Alber. in libro secundo trac. 3. cap. 2.

Omnes aquæ stantes malæ sunt, corrumpuntur enim calore Solis, & densæ sunt.

Inter stantes minus nociuæ sunt puteales, dummodo frequenter extrahatur aqua, & purgetur fundum.

Paludales peiores sunt, eò quòd corrumpuntur calore Solis, & fundum est lutum fœtidum, & non purum.

Inter lacunales & paludales illæ pessimæ sunt, quæ in superficie continent quasi pellem & muscilaginem: signum est enim manifestæ putrefactionis.

Omnes aquæ currentes bonæ sunt respectu aquarum stantium.

Inter currentes meliores sunt, quæ decurrunt super lutum purum, vt Padus: tale nanque lutum purificat & mitigat cruditatem aquarum, & præcipuè meliores sunt quantò magis distant ab ostio suæ originis, eò quòd per longum decursum fit aqua purior & leuior.

Currentes in canalibus lapideis meliores sunt decurrentibus in plumbeis, & præcipuè, si diu per plumbum decurrunt: contrahunt enim terreum & rude à plumbo, ita quòd aliquando excoriant intestina.

Inter currentes per mineras metallicas, meliores sunt decurrentes per mineram auri, cuius signum, quòd aurum non inuenitur nisi in optimis aquis.

Post has bonæ sunt aquæ, quæ decurrunt per mineras argenti & ferri: nam ferreæ confortant membra vitalia, & contemperant, ac rectificant calorem hepatis irregulatum.

Quæ autem decurrunt per mineras æris aut cupri pessimæ sunt, & valde amaræ, & bibitæ concitant vomitum, animalia enecant quæ nascuntur in eis, vt pisces, & vermes.

Quæ decurrunt per mineras aluminosas & sulphureas, varias habent virtutes medicinales, & constituunt balnea, de quibus in particulari considerare ad medicum spectat.

Inter aquas decurrentes ad quatuor puncta mundi melioriores sunt decurrentes ad Orientem, vnde aqua Danubij & Bridani censentur bonæ. decurrunt enim recto fluxu ab Occidente ad Orientem.

Post has bonæ sunt, quæ decurrunt à Meridie ad Septentrionem, ideo aqua Nili est bona & impinguatiua: decurrit enim à Meridie ad Aquilonem.

Malæ sunt, quæ decurrunt ab Aquilone ad Meridiem, non quidem secundum se, sed ex ventis Australibus, qui sunt calidi & humidi, ex consequenti sunt causa putrefactionis.

Quæ decurrunt ab Oriente ad Occidentem, non sunt malæ: bonitatem tamen suam minuit decursus à nobiliori ad ignobiliorem situm, qualis est punctus Occidentis comparatus Orienti, vt patet ex secundo cœli.

Comparando aquas puteorum scaturientium & fontium adinuicem, aquæ fontium meliores sunt, dummodo habeant fundum purum, & minutæ arenæ: hæc enim puriorem & leuiorem aquam reddit.

Aquæ verò puteorum minus bonæ sunt propter vapores terrestres eis admixtos, nec bonificantur nisi per aërem liberum, ideo debent putei excauari sub diuo, & discooperti remanere, & per continuatam extractionem aquæ: sicut enim aqua decurrens purificatur suo fluxu, ita aqua putealis frequentata extractione.

Aquæ cisternales assimilantur in bonitate aquis fontalibus, eò quòd decolantur per arenam, & sic decolatæ ac purificatæ descendunt in vas cisternæ: quòd si non decolantur per arenam, iudicandum est de eis in bonitate sicut de putealibus & de stantibus in lacu. Hæc de consideratione fontium fluminum & aliarum aquarum, præter aquam maris dicta sint.

SECVNDA PARS QVARTI Tractatus, & est de consideratione maris, in septem capita diuisa.

SEcundam partem quarti Tractatus, in qua agendum est de mari, diuidimus in septem capita.

In primo agitur de origine, & efficiente, & perpetuitate maris.

In secundo, de diuisione maris.

In tertio, de situatione magni maris circa terram.

In quarto, de permutatione maris secundum situm.

In quinto, de salsedine maris.

In sexto, de fluxu & refluxu maris.

In septimo, si augetur mare ex ingressu aquarum in ipsum.

CAPVT I.

De maris origine, efficiente, & perpetuitate.

CIrca primum caput inuestigandum est, Primò de origine maris, Secundo de efficiente, Tertiò de perpetuitate sua.

Quo ad originem dico, quòd sumendo mare absolutè, id est, pro mari magno dicto Amphitrite (ipsum est Oceanus) non habet originem ab aliis aquis: quoniam, vt diximus agentes de fontibus & fluuiis, licet aliqui fontes habeant originem ab aquis pluuialibus descendentibus per fissuras terræ ad concauitates, tamen fontes & flumina magna indeficientia sumunt originem ab Amphitrite, vt à primo & vniuersali & indeficienti principio aquarum. Decurrit enim Oceani aqua per meatus occultos subterraneos, sicut sanguis in animali per venas, & in vallis concauitatibus congregatur, quæ eleuata ad ostia diuersa effluit per modum fontis aut fluminis super faciem terræ donec mediatè vel immediatè refluat ad Oceanum. Tendunt enim omnia flumina ad mare Oceanum, vel maria particularia, & illa ad Oceanum vnde exeunt, vt declarabitur infrà. Cùm ergo & fontes magni & flumina indeficientia originem sumant ab Amphitrite, non potest originari ab aliis aquis, aliter idem esset principium omnium aquarum, & principiatum ab eisdem, quod implicat contradictionem.

Quantum ad causam productiuam Oceani, dico eandem esse cum productiua mundi, & hæc est, Deus siue ab æterno mundum produxerit, vt opinatus est Aristote. siue in tempore, vt tenet fides nostra. Et quidem quod Oceanum produxe-

rit, sic declaratur, Deus gloriosus mundum produxit. ergo principales eius partes, quæ sunt corpora cœlestia & quatuor elementa ex primo cœli. inter elementa computatur Oceanus. est enim aquæ elementum, licet non sit aqua simplex ex admixtione vaporis terrestris, ex quo trahitur salsedo maris, vt dicemus loco suo, ergo causa productiua Oceani est causa productiua mundi, quã dicimus Deũ gloriosum.

Quantum ad perpetuitatem eius, dico ipsum esse perpetuum & in æternum nõ deficiet: licet enim corrumpatur secundum partes sicut & alia elementa, prout pars aquæ conuertitur in aërem, & econuerso (vt declarauimus in 2. de generatione. agentes quomodo elementa ex seinuicem generantur & corrumpuntur) tamen secundum se totum est perpetuus per æquiualentiam, & declaratur sic, Si Oceanus deficeret, ergo omnis aqua deficeret: quoniã, vt diximus, est primum & vniuersale principium aquarum. remoto autem vniuersali principio remouentur omnia ex eo principiata. Tunc vltra. ergo nullum mixtum perfectum in inferioribus produceretur. ex consequenti omnium specierum perfectarum, vt hominis, equi, leonis, &c. generatio deficeret. quod apud Philosophum absurdum est. Consequentia autem sic probatur. Mixta inferiora, præcipuè perfecta, componuntur ex quatuor elementis, vt deduximus in 2. lib. de generatione. ergo requiritur aqua, quoniã conglutinat adinuicem partes mixti, vt illic declarauimus. Præterea, si tota aqua deficeret mundus remaneret imperfectus, pendet enim perfectio totius ex integritate partium principaliũ. hoc autem est absurdum, nec decet diuinam bonitatem sic relinquere opus suum. cùm igitur aqua sit vna ex principalibus partibus mundi, cuius vniuersale principium est Oceanus, non est timendum ipsum secundum se totum exiccari.

Sed quærès aliquis, si Oceanus est principiũ à quo exeunt mediatè vel immediatè omnes aquæ, & per continuã actionem solis eleuantur vapores aquei ex eo, & semper aliquæ eius partes conuertuntur in aërem, quare ex hac continua conuersione tandem non deficiet, ex toto, cùm sit finitum quoddam,

Respondetur. Ideo non deficiet, quia non est abstractio ab eo sine restauratione. nã si per euaporationes partes aliquæ conuertuntur in aërẽ ex regione meridiana, vbi radius solis vigorosior est tantundem de aëre condensatur & conuertitur in aquã Oceani ex parte Septentrionali, vbi est perpetua frigiditas conuersiua aëris in aquam, similiter tempore æstiuo ex calore Solis consumentis aquas aliquæ partes Oceani conuertuntur in aërem, deinde tẽpore hyemali tantundem de aëre conuertitur in aquam ex frigiditate infimæ regionis. Item si per actionem Solis multi vapores humidi eleuãtur ex Oceano, qui conuertuntur in nubes, & nubes in pluuiam vel niuem, postea in descensu pluuiæ fit restauratio ipsi Oceano, in quo vberrimę pluuiæ per totam suam amplitudinem descendunt, & etiam deferuntur per spatiosa flumina ad ipsum similiter aquæ magnorum fontium & fluminum quæ egrediuntur per meatus subterraneos ex Oceano, & congregatæ in vallis concauitatibus terræ ad ostia sua eleuantur, egressæ decurrunt super faciem terræ, & iterum mediatè vel immediatè reuertuntur ad Oceanum, quoniam igitur hæc restauratio non deficiet, ideo Oceanus erit perpetuus. Hæc de origine & causa productiua & perpetuitate Oceani, quod realiter est elementum aquæ, dicta sint.

CAPVT II.

Maris diuisio.

IN secundo cap. agendum est de diuisione maris. Vnde nota quòd licet mare Oceanum sit tantùm vnum, tamen ab ipso originantur multa maria particularia sicut plures rami ab vna radice, & hæc denominantur à diuersis partibus terræ ad quas fluunt, omnia insuper aliquo modo diuidunt terram, vnde & maria mediterranea dicuntur. Sortiuntur verò particularem denominationem à regionibus per quas fluunt vel ab aliquo accidente, vt mare Rubrum ab adiacentibus ripis rubeis, vel quia habet arenam rubeam. huiusmodi maria particularia fluentia per terram habitabilem, cuius descriptio facta est sub Iulio Cæsare dicuntur esse triginta, inter quæ hæc quatuor sunt notissima, Mare Ibericum egrediens ab Oceano ex Occidente ad columnas Herculis & decurrens iuxta Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam, Aegyptum, vsque ad Damascum. Mare Rubrum (quod & sinus Arabicus dicitur) egrediens ex Oceano à Meridie ingrediens terram circa Arabiam & Sabeam. Mare Hircanum vel Caspium, quod licet non videatur manifestè egredi ex Oceano, quoniam in circuitu montibus cingitur, tamen tenendum est per meatus occultos habere principium ex Oceano ex parte Orientali. Mare Persicum, quod ex Oceano egreditur ex parte Orientali. De reliquis minus principalibus, vt de Adriatico, & de Aegeo, de Hellespõto, de Euxino, &c. & de aliis in particulari nõ est officium nostrum nunc pertractare, sed potius Cosmographi. sufficit enim nobis quo ad librum Meteororum manifestare quomodo est vnum mare magnum, idest, Amphitrite quasi circunterens terram & plura particularia ab eodem sumentia originem. Et aduerte quòd hic loquimur de mari in suo proprio significato. significat enim propriè ingentem aquarum congregationem, quæ & salsę & amaræ sunt, ideo dicitur mare quasi amarum. Et præterea nec stagna, nec lacus, nec flumina quantumcunque magna aquarum dulcium possunt denominari maria, nisi impropprié.

CAPVT III.

De situ maris circa terram.

IN tertio cap. inuestigandum est quomodo situatur mare circa terram, & dicam duo loquendo vt a Philosophorum. Primum est quòd Oceanus, quod realiter est ipsum elemẽtum aquæ, nunquam terram operuit nec operiet. Et secundum Philosophum ratio est. Semper fuit & erit generatio mixtorum quę non potest esse nisi in loco in quo tria elementa Terra, Aqua, Aër se tangunt, vt declaratum est in lib. 2. de generatione. ergo semper fuit terra contingens aërem secundum vnam partem, & aquam secundum aliam partem, & sic nunquam totam terram operuit. Præterea, permanentibus eisdem causis naturalibus permanet idem effectus, sed semper fuit & erit idem motus Solis per accessum & recessum causans quatuor temporum differentias, vt ver, æstatem, autumnum, hyemem. ergo semper fuit & erit conuersio aquæ in aërem tempore æstiuo, & aëris in aquam tempore hyemali, sicut nunc est, ergo sicut Oceanus nunc non operit terram, sic nunquam operuit, nec operiet,

His rationibus opinantur Peripatetici aquam nunquam totam terram operuisse, sed non concludunt, quoniam supponunt multa falsa, vt generationem esse æternam, Solem egisse ab æternò in elementis, Elementa ab æterno se mutuo corrumpentia & alterantia. hæc omnia sunt falsa. quoniam repugnant fidei nostræ. Et rationes eorum de æternitate generationis soluimus in 2. lib. de generatione. ideo secũdum diuinam Scripturam tenendum est elemẽtum aquæ in principio temporis totam terram operuisse, deinde diuino præcepto emersisse partem terræ siccam ad generationem & conseruationem animalium.

Dico secundò quòd aliter situatur Oceanus circa terram secundum Alber. & aliter secundũ B. Th. nam Alber in lib. 1. tract. 2. cap. 11. imaginatur Oceanum circundare terrã per quatuor pũcta orbis. incipit enim ab Aquilone & tendit ad Meridiem per pũctum Orientis, & reuertitur ad Aquilonem per punctũ Ocidentis, ita q̃ se habet ad globum terræ sicut circulus latus cingens pilam, cuius pars superior & inferior non operiuntur, & sic secundũ Alber. pars terræ superior & pars inferior directè opposita superiori sunt discooperte ag;

Hæc est opinio Alber. Et aduerte, q̃ huiusmodi situm attribuit aquæ vt sibi naturalem via philosophiæ, secundũ quã tenet non esse necessarium aquam ex natura sua habere figuram sphæricam, sed sufficere sibi quòd ad figuram circularem per motum cinguli peruenìat. Et huius rationem adducit in lib. 2. tract. 3. cap. 2. quoniã elementa inferiora vt aqua & terra se habent vt materia respectu duorum superiorum, & duo superiora sunt formalia & spiritalia respectu duorum inferiorum, & ideo superiora ampliorem locum occupant, vnde ignis vt spiritalissimum corpus replet totum cõcauum orbis Lunæ, & aër minus spiritalis replet totum concauum sphæræ ignis, quod tamen angustius est quàm concauum orbis Lunæ: sed aqua vt elementum valde materiale non potest replere totum concauum aëris, nec concludere totum connexum terræ, quoniam eius humidum fluit in seipsum, propter quod contrahitur in quantitate. Terra autem vt elementum materialissimum minimum inter elementa capit locum, & ideo partes eius se comprimunt circa centrum, & ex sua paruitate reputatur vt punctus respectu firmamenti.

Signum autem quòd aqua talem habeat dispositionem in loco suo est motus eius secũdum circulũ. nam rationabile videtur quòd sicut se habet elementum ad motum circularem ita se habeat ad figuram sphæricam, & ad replendum locum sphæricũ. nam deprehendimus cœleste corpus esse perfectè in sphærico, & ignẽ in sphæra sua esse perfectè sphæricum, & replere locum sphæricum, vt concauum orbis Lunæ, quia mouetur motu perfectè sphærico ad motum orbis Lunæ cui est contiguus, vt diximus suprà tractantes de cometis.

Aqua autem non habet motum sphæricum, sed decursum: & Oceanus non mouetur sphæricè: sed fluit & refluit, vt dicemus infrà. ergo signum est quòd non est ex se sphærica, nec concludit terram sphæricè, sed sufficit quod circundet eam per modum cinguli. Hæc est opinio Alberti.

Beatus Thomas autem sequitur mentem magni Basilij in suo Exameron, vt patet in prima parte quæstio. 69. articulo primo. Ad secundum, cuius sententia consistit in hoc, Inquit Basilius in Exameron, elementum aquæ (teste Scriptura diuina) totam terram cooperiebat, & hic est naturalis eius situs, verum diuina prouidentia congregauit aquam ad locum vnum & apparuit arida. Hanc congregationem inquit ex hoc factam esse quòd ea pars aquæ quæ operiebat terram habitabilem defluxit in ferius, & tamen aqua remansit concentrica terræ, sed altior terra, vt deprehenditur ex tumore maris: & quoniam hæc congregatio non est naturalis ipsi aquæ: & generatio inferiorum non durabit in æternum secundum fidem, sequitur quòd cessante motu cœli & generatione inferiorum elementum aquæ, quod diximus esse Oceanum, reuertetur ad naturalem situm, & sic totam terræ superficiem operiet & fiet terra inuisibilis, vt in principio creationis. hæc est Theologi sententia, & vera, quoniam in diuina Scriptura, cui non subest falsum fundatur, nec opinio Alber. aduersatur, quoniam non vt Theologus, sed vt imitans principia Philosophi de æternitate mundi sic loquitur, qui tamen vt Theologus, non dissentiret ab August. & Basilio, quos Diuus Thomas, in hoc approbat, & ipsemet vt Theologus soluet rationem quam suprà adduxit: & diceret quòd ex materialitate duorum elementorum inferiorum non potest concludi quòd non sint sphærica: & quòd superius non contineat sphæricæ inferius, sed quòd sint minoris ambitus quàm duo elementa superiora, quod vtique verum est: quoniam si plura corpora sphærica sint concentrica, quod minus recedit à centro, est minoris ambitus, & quod magis distat est maioris ambitus. Cõstat autem terram minus distare à centro quàm elementum aquæ, & aquam minus quàm aër, ergo, &c. Signum verò de motu sphærico non valet, quoniam licet ex motu sphærico concludamus cœlum esse sphæricum, id tamen non concludit in elemento, quoniam motus ille est naturalis tantùm cœlo. elementum autem conuenit præter naturam, & ex alio, scilicet, à cœlo, vt patet de igne qui in sphæra sua circumuoluitur: quia est contiguus concauo Lunæ, & Oceanus fluit & refluit ex motu Lunæ, vt dicemus infrà. Ex hoc ergo quòd aqua deficit à motu sphærico non potest concludi non esse sphæric. vnde similitudo adducta de cœlo non est valida, cùm elemẽto nõ insit motus naturalis nisi à medio vel ad medium ex primo cœli. Hæc de situ Oceani dicta sint.

CAPVT IIII.

De mutatione situs maris.

QVantum ad quartum caput inuestigandum est vtrum mare mutet situm suum, ita quòd vbi nunc est mare aliquando fuit terra, & vbi nunc est terra aliquando fuit mare.

Ad euidentiam igitur præpositi adduco distinctionẽ iam tactam de mari, ex qua elicio duas conclusiones. Mare potest sumi dupliciter. Primò pro Amphitrite, ipse est Oceanus, & elementum aquæ, vt diximus suprà. Secundò pro mari particulari egrediente ab Amphitrite, vt sunt maria Mediter.

Prima conclusio. Amphitrite nunquam secundum se totum mutauit nec mutabit situm, stante hoc ordine vniuersi, quem nunc conspicimus in elementis. Probatur. Amphitrite est realiter elemẽtum aquæ, tunc sic. hoc elementum vel est in loco suo naturali, vt dicit Alber. pro quanto cingit terram, vel secundum Theologum, totus est in suo loco naturali, præter partem illam quæ operiebat terram habitabilem & ex diuino præcepto defluxit inferius vt remaneret portio terræ discooperta, vel non est in suo loco naturali. Si primo modo sive secũdum Alber. sive secundum Theologum, stante hoc ordine vniuersi non mutabit secundum se totũ locum quem nunc possidet. Omne enim elemẽtum positum in suo loco naturali non discedit ab eo nisi per violentiam agentis contrarij, imò semper quiescit in loco suo ex 3. cœli. sì non est in suo loco naturali. ergo vniuersum est imperfectum, quod est contra Philosophum in 1. cœli. Consequentia probatur. Ordo est de perfectione vniuersi sicut & in exercitu in 12. Meta. ergo si omnia elementa non sunt ordinata in locis suis naturalibus vniuersum erit imperfectũ, quia inordinatum. necesse est ergo concedere Amphitritem, vbi nunc est semper fuisse & futurum esse, licet varietur secundum partes.

Secunda conclusio, Si mundus esset æternus, & motus cœli omnia maria particularia, & fontes & flumina mutarent situm secundum se totum, ita quod vbi nunc fluunt, aliquando esset terra ficca, & vbi nunc est, aliquando essent maria, & flumina, &c.

Hanc declarant Philosophus & Alber. potius experientia quàm ratione. Vnde refert Albert. quòd ante tempora Philippi Macedonis locus quidam in Aegypto submersus est à Nilo, & deinde exiccatus, quem nunc Aegyptij inhabitant & Philosophus inquit totam Aegyptum, aliquando fuisse aquis submersam. Nunc autem exiccata est, & maximè circa mare rubrum. Item in Mæotide palude tanta aquarum diminutio facta est quòd vix nauigari potest. Nec est necesse vt discurramus per singula, sed concludendum est nulla esse loca sub cœlo, quod continuè mouetur & innouatur sitibus stellarum, & variis aspectibus planetarum, quæ semper maneant in eadem dispositione: imò omnia loca humida exiccantur, & ficca humida fient, sic facies mundi inferioris continuè mutatur.

Si autem quæras causam propter quam maria & flumina hanc locorum variationẽ patiuntur. Dico secundũ D. Albert. in li. 2. tract. 2. capite 15. id prouenire ex motu solis, & reuolutione orbis, præcipuè in magnis reuolutionibus quæ fiunt ex coniũctione omnium planetarum, vel saltem trium superiorum, Saturni, Iouis, & Martis, & ex reuolutione stellarum fixarum, quoniam ex eisdem causis accidunt in mundo mutationes magnæ circa exiccationem, & humectationem terræ, & circa vbertatem ac sterilitatem, & circa complexionẽ hyemis & æstatis, prout hyems quæ pluribus annis fuit asperior, efficitur mitior, & econuerso, idem accidit in æstate. verùm huiusmodi causas considerare in particulari nõ est præsentis negotij, sed peritissimi Astronomi. Sufficit enim nunc scire quomodo mare magnum, quod amphitritem siue Oceanum dicimus, non variat situm secũdum se totum. maria verò particularia, & aliæ aquæ, siue fluuiales, siue fontales, siue lacunales, siue stantes, siue currentes mutant locum secundum se totum, huiusmodi tamen mutatio non deprehẽditur nisi longissimo tẽpore, quoniam vita nostra breuis est, vt inquit Philosophus, & citissimæ sunt hominum corruptiones ex ægritudinibus, & peste, & penuria, & præliis: vnde nisi hæc per ætates describantur, & seruentur in historiis apud posteros, non erunt nobis manifesta. Gratia huius descriptionis Sacerdotes Aegyptij laudantur apud Platonem in Timæo, qui referunt Soloni varias inundationes & permutationes fluminum, quas Græci ignorabant, eo quòd pluribus annis caruerunt literis, Aegyptij verò singulas permutationes historicè describebant, quòd sinosce desideras multiplices vastationes, & inundationes, & siccitates, præcipuè in Aegypto, & in Græcia, vide Platonem in Timæo, in quo Solon ab antiquissimo sacerdote ægyptio de his eruditur. Hæc de permutatione maris & fluminum dicta sint.

CAPVT V.

Propter quod mars & aliqui fontium salsi sunt.

IN quinto cap. quærenda est causa propter quam mare est salsum: similiter & aliqui fontes. Vt igitur id plenè resolnatur dicam tria.

Primò mare non est salsum ex natura aquæ, omnis enim aqua esset salsa, Quod enim naturam rei consequitur, conuenit omni contento in tali natura, vt patet de risibili in homine, & de pari vel impari in numero. Cùm igitur clarum sit non omnem aquam esse salsam: imò quòd salsedo potest separari ab aqua maris si decoletur per arenam, vt patet in fluminibus, quæ (vt diximus suprà) egrediuntur ex Oceano: & tamen eorum aqua non est salsa, quoniam transit per longos meatus subterraneos in quibus subtiliatur, & depuratur adeo quòd salsedinem amittit antequam ad fluminis ostium perueniat. necesse est ergo vt ex aliquo extraneo causetur hæc salsedo.

Secundò dico, omnem salsedinem aquarum esse ex vna duarum causarum, vel ex admixtione vaporis terrestris, vel ex transitu aquæ per terram adustam, propter primam mare est salsum, propter secundam aliqui fontes, & fluuij sunt salsi vt dicemus.

Pro euidentia primi. aduerte ex Alber. in lib. 1. tract. 3. cap. 15. quòd radij Solis, & aliarum stellarum incidentes super mare eleuant ex eo duos vapores. Vnũ humidum aqueum, & hic extrahitur ex superficie maris, & eleuatur in aërem, & condensatur in nubem: deinde in aquam pluuialem, vel

in niuem,& de eo actum est in tractatu præcedenti. Alterum vaporem extrahit à fundo maris frigidum, siccum, terrestrem, & quoniam crassus ac densus est, eleuatur virtute Solis à fundo ad superficiem maris, & non altius, & in superficie dispergitur, tunc frigiditas circundans impellit caliditatem huiusmodi ad vapore respersum in superficie maris,& caliditas cõgregata adeo calefacit quòd adurit illum vaporem, qui adustus efficitur sal. nam (vt dicemus infrà) sal est species terræ adustæ, postquam est adustus admiscetur aquæ maris, & salat eam.

Et quidẽ quòd ex admixtione alicuius terrestris adusti fiat aqua salsa pluribus declaratur signis. nam ideo sudor, & vrina habent salsedinem quia calor animalis existens in renibus adurit quasdam partes terreas, quæ admixtæ ipsi vrinæ vel sudori salant, & non modò salant, verùm aliquando huiusmodi partes terreæ conuertuntur in lapidem vel arenulas.

Eodem modo lixiuium efficitur salsum, quoniam admiscentur aquę decolatæ per cineres: partes cinereę adustæ subtiles quæ in aqua respersæ salant eam, & non solùm calor adurens huiusmodi partes terrestres est causa salsedinis, sed & amaritudinis. nam si omnino consumitur humidum intrinsecum res fit amara. vnde panis adustus est salsus, & amarus, & fuligo est amarissima: quoniam est penitus adusta. Ex his ergo patet, ideo mare fieri salsum, quia sibi admiscetur vapor terrestris adustus calore solis.

Aliud signum, quod ex admixtione vaporis prædicti mare fiat salsum est hoc, quoniam expertum est aquã maris in fundo non esse salsam eò quòd vapor ille non aduritur in fundo maris, sed trahitur ad superficiem & illic aduritur.

Præterea, expertum est aquam salsam esse grauiorem, & densiorem aqua dulci. Cuius signum est quod naues non tantum profundantur in aqua salsa quantum in dulci, & si aquæ dulci imponatur sal notabilis quantitatis & liquefiat, sonatúrque omnium recens in aqua sic salita, supernatabit: in dulci verò non. ergo signum est aquam salsam grauiorem & densiorem esse aqua dulci.

Hæc autem grauitas, & crassities non euenit ei nisi quia admiscetur illi vapor crassus terrestris adustus qui realiter est sal. nam grauitas & crassities primò, & per se conueniunt terræ. ergo in quocunque inueniuntur, vel est terra, vel ei aliquod terrestre admiscetur. Hæc de maris salsedine dicta sint.

Tertiò, dico quo ad salsedinem aliquorum fontium, & fluuiorum, quòd huiusmodi non fiunt salsa ex vapore terrestri adusto, vt dictum est de mari, sed trahunt salsedinem ex terra vel minera per quã transeunt. nam ex mineris trahunt multiplices odores, & sapores, & colores: sicut varias proprietates salubres, aut nociuas, vt declarauimus in præcedenti parte huius tract. Vnde refert Alber. in lib. 1. tract. 3. cap. 17. quosdam fontes inueniri in Sicilia qui ex sua minera fiũt acetosi, & incolæ vtuntur pro aceto, & in multis locis Teutoniæ inuenitur aqua acris ex sua minera: qua incolæ vtũtur pro medicina laxatiua, & inuenitur amarissima aqua adeò quòd reddit amarum omne humectatum ex ea, & hanc amaritudinem trahit ex minera æris per quam decurrit. Generatur enim æs ex sulphure adusto. Adusta autẽ sunt amara, & ideo reddunt aquam amaram. Et in Anglia sunt fluuij salsi. Et in Lombardia in alpis Placentinis in loco dicto Salsum, si fodiantur putei inuenitur aqua salsa, ex qua per decoctionem ignis conficitur sal. Hæc igitur aqua licet dici possit salsa, quia forè exit à mari Mediterraneo per meatus occultos vsque ad dictum locum tamen dici potest salsa, quia transit per mineras salis sub terra, vel per terram gypseam. nam & gypsum salat. Causa igitur salsedinis in fontibus, & fluuiis sic dicta sit.

Sed dices quare grandia, & spatiosa flumina, vt Eridanus, Nilus, Ganges non sunt salsa ex vapore terrestri adusto sicut est mare. nam radij solares, ita agunt in fundo talium fluminum sicut & in fundo maris: ex consequenti, ita possunt eleuare vaporem ex fundo eorum sicut ex fundo maris.

Respondeo, ad hoc quòd radij solares eleuent à fundo aquarum vaporem terrestrem & ipsum respersum in superficie aquæ adurent, necesse est, vt diu, & directè agant super easdem partes aquarum, & quoniam aquæ fluminum sunt in cõtinuo decursu, ideo nõ diu agit radius Solis super eandem partem aquæ, sed successiuè, prout partes sunt in continuo transitu, & non reuertuntur. Mare autem non habet decursum irreuertibilem. sed fluxum & refluxum, vt dicemus infrà, ideo Sol diu agit super easdẽ partes aquæ adurẽdo ipsum vaporem eleuatum. Et hac de causa efficitur mare salsum.

Sed dices, ergo ex hac ratione aquæ paludales, & stagnales deberent esse salsæ, cùm non decurrant.

Respondeo. Mare est salsum duplici causa, scilicet quia non decurrit irreuertibiliter, & quia maximam habet amplitudinem, ratione cuius quasi infiniti radij solares cadunt super ipsum, & potentissimi sunt ad vrendum vaporem terrestrem eleuatum ex fundo maris ad superficiem suam latissimam. Hæc secunda causa deficit paludibus & stagnis. nam comparatione maris nullius sunt notabilis latitudinis & præcipuè respectu Oceani, à quo omnia maria trahunt salsedinem, sicut & aquam. nam Sol die ac nocte agit super ipsum. Cùm nobis enim occidit, mergi dicitur Metaphoricè in Oceano. Hæc de maris & aliquarum aquarum salsedine dicta sint.

CAPVT VI.

Maris aqua cur fluit & refluit.

IN sexto cap. inuestigandum est quare non habet fluxum irreuertibilem, sed fluit & refluit. Et ad euidentiam huius dicam tria.

Primò, qua de causa Oceanus fluit & refluit.

Secundò, qua de causa in tota die naturali bis fluit, & bis refluit.

Tertiò, vtrum id sit commune omni mari.

Quantum ad primum, dico quòd mare Oceanum ex natura sua, id est ex natura aquæ non fluit & refluit, sed tantùm habet decursum ad partem decliuiorem, eo quòd grauiset, & hũc decursum habet ab Aquilone ad Meridiẽ. nam Oceani aqua altior est in Aquilone quàm in Meridie, quoniam illic est perpetua, & intensa frigiditas, quæ conuertit plurimum aërem in aquam maris. In meridie autem est continuus calor consumens multam aquam, & conuertens eam in aërem, ideo in meridie efficitur locus maris decliuior ex continua cõsumptione aquarum, Propterea, necesse est aquam Oceani, quæ continuè generatur in Aquilone decurrere ad Meridiem. fluxus ergo ad locum decliuem naturalis est Oceano sicut & cuilibet alteri aquæ cùm sit natura grauis.

Quare, ergo fluat & refluat cùm non conueniat sibi ex natura aquæ, inuestiganda est causa extrinseca quam omnes Physici, & Astronomi, præcipuè Albumazar in lib. 2. maioris introductorij, referunt in Lunam, eo quòd ad sensum dominatur humidis secundum quod abundat in lumine. Videmus enim multa aquatica, vt ostreas, & alia habentia conchas, & oua, & cerebrum esse plena tempore plenilunij quasi augmentata sicut auctum est lumen Lunæ.

In nouilunio autem apparent diminuta quasi patiantur vacuitatem sicut euacuata est Luna lumine suo. ex quo ergo videmus eam dominari rebus humidis, deprehensum est eam dominari maximo, & amplissimo humido, quale est Oceanum mare, ita quòd secundum varium Lunę aspectum fluit, deinde refluit.

Quomodo autem hic fluxus, & refluxus causentur à Luna duplex est opinio. Quidam opinantur id causari à particulari virtute, & influentia existente in Luna qua eleuat aquas, sicut in magnete est particularis virtus qua ad se trahit & eleuat ferrum, & in ambra quæ eleuat & trahit paleam. Sed hæc opinio diminuta est, quoniam non assignat modum & diuersitatem huius fluxus & refluxus, nec qua applicatione id operetur Luna, nec proficit similitudo de magnete, quoniam constat quòd approximatione trahit ferrum, & ambra approximatione & calefactione trahit paleam. Hanc autem approximationem, nec aliud æquiualens, hæc opinio assignat in Luna.

Et ideo est alia opinio magis naturalis, quæ dicit id prouenire ex diuersitate angulorum quos constituunt radij lunares super Oceanum dum Luna existit in ortu, vel in meridie, & adducitur exemplum de olla posita ad ignem, in qua dum radij ignis sunt directè suppositi aqua eleuatur ad summum & ebullit. Cùm autem radij ignis subtrahuntur, aqua ad primum locum reuertitur, sic in proposito, dum radij lunares directè respiciunt mare aqua augetur suo fluxu. dum autem recedunt ex occasu Lunæ aqua maris minuitur suo refluxu, ita quòd solus fluxus causatur per se à Luna propter sui præsentiam. refluxus verò causatur per accidens ex Lunæ absentia, vt immediatè declarabitur. Hanc igitur opinionem vt rationabiliorem tenemus.

Quantum ad secundum, dico Oceanum fluere, & refluere bis in die naturali, ita quòd per sex horas fluit, & vt sic videtur augeri, & per sex horas immediatè sequentes refluit, & vt sic videtur minui, iterum per sex horas immediatè sequentes fluit, & per alias sex horas vltimas refluit secundum Albumazar, vbi suprà: huius ordinarij & quotidiani fluxus ac refluxus causa est Luna prout mouetur in quatuor quartis.

Dicit

Dicit enim sic, Luna in die naturali complet motum firmamenti qui est motus diurnus, & distinguitur in quatuor quartis. Prima quarta sui motus est à puncto sui ortus vsque ad punctum meridiei. Secũda est à puncto meridiei ad punctum sui occasus. Tertia est à puncto occasus ad angulum noctis, qui directè opponitur meridiei. Quarta est ab angulo noctis ad punctum sui ortus. Et quælibet quarta perficitur in sex horis, & aliquibus minutis. Dicit igitur Albumazar. Dum Luna mouetur à puncto Orientis ad punctum meridiei continuè ascendit super nostrum hemisphærium, & aquas Oceani eleuat, & eo tempore per sex horas & modicum plus fluit. Dum verò mouetur à puncto meridiei ad punctum occasus continuè descendens à nostro hemisphærio amittit virtutem eleuandi aquas, sicut dum subtrahitur ignis ab olla cessat ebullitio, & tunc aqua Oceani quasi sibi derelicta tendit ad locum suum per refluxum, videtúrque diminui per sex horas & plus. Similiter dum Luna mouetur à puncto Occidentis ad angulum noctis, quoniam continuè eleuatur super hemisphærium inferius, ideo eleuat aquas Oceani, & incipit fluere, videtúrque augeri, vt prius per sex horas & plus. Dum verò mouetur ab angulo noctis ad punctum Orientis quasi descendens ab hemisphærio inferiori desinit eleuare aquas, & tunc sibi derelictæ tendunt per refluxum ad locum vnum, videtúrque mare decrescere per alias sex horas vltimas, & plus, scilicet, per quindecim minuta. Patet igitur causa fluxus & refluxus Oceani bis in quolibet die naturali.

Quantum ad tertium, dico id esse proprium Oceani, aliis autem maribus particularibus conuenit plus, & minus secundum quod magis, aut minus distant ab Oceano, nam maria propinqua Oceano habent manifestè fluxum, & refluxum, sicut est mare medians inter Normandiam & Scotiam. In mari verò Mediterraneo cuius principium sumitur à Gadibus Hispaniæ, in suo principio manifestè apparent fluxus & refluxus. Cùm verò decurrit iuxta Galliam, Italiam, & Græciam, & Aegyptum, non ita manifestè apparent propter sui amplitudinem & funditatem. In sinu autem Adriatico manifestissimum est, quoniam nec multum amplum, nec multum profundum est.

Sed iterum aduerte alium fluxum, & refluxum deprehendi in maribus Mediterraneis qui dicitur fluxus, & refluxus per mensem. nam à principio nouilunij vsque ad plenilunium fluunt, & videntur semper crescere. à principio verò plenilunij vsque ad finem mensis Lunaris continuè refluunt, & videntur decrescere. Causa huius est hæc, Luna à principio coniunctionis vsque ad oppositionem continuè augetur in lumine, & ideo continuè vigoratur ad eleuandum aquas maris, & sic habent continuum fluxum quo videntur augeri. A principio verò oppositionis vsque ad finem mensis Lunaris continuè decrescit in lumine, & sic fit minus vigorosior ad eleuandum aquas maris, & ideo incipiunt refluere & apparenter decrescere vsque ad nouilunium.

Item aduerte quòd est aliquod mare adeo terrestre, & crassum ex vapore terreo, & bitumine sibi admixto, quòd ex Luna non potest in eo causari fluxus neque refluxus. Tale est mare Mortuum secundum Philosophum in libro secundo Meteorologi. quod & Lacus Palestinus dicitur, siue lacus Aspalti secundum Ioseph. De grauitate & densitate sua diximus suprà loquentes de virtutibus aliquorum fontium, & fluuiorum. Hæc de fluxu & refluxu maris dicta sint.

CAPVT VII.

Cur Oceanus non augetur ex pluuiarum in ipsum ingressu.

IN septimo capite inuestigandum est quare Oceanus non crescit ex ingressu pluuiarum & magnorum fluminum in ipsum, imò videtur mirabile quare non redundat ex tanta copia aquarum defluentium ad ipsum. Aduerte igitur duplicem huius causam assignari.

Prima est hæc, Oceanus est naturalis locus omniũ aquarum in quo debent contineri & conseruari, sed locus naturalis non excedit, nec exceditur à suo locato, quoniam adequatur ex 4. Phys. & ideo non redundat Oceanus, imò quot sunt aquæ tot potest continere, vt naturalis eorum locus.

Secunda causa, quantum aquæ pluuialis cadit in Oceano tantum ex vaporibus aqueis eleuatur ex eo & conuertitur in pluuiam, & quantum aquæ decurrentis per flumina ingreditur Oceanum, tantum exit ab eodem mediatè vel immediatè per meatus subterraneos, & eleuatur ad ostia fontium & fluminum, vt declarauimus suprà. Et sicut generatur aqua in Aquilone virtute frigiditatis concurrentis aërem in aquam, sic generatur aër ex aqua in meridie propter calorem illic existentem: ex consequenti si aqua generatur in Aquilone consumitur in meridie, & hæc vera causa, quare Oceanus non redundat, imò parum crescit vel decrescit secundum se totum, licet videatur nobis aliter ex fluxu & refluxu suo, de quo diximus suprà, sed ex hoc non fit reale augmentum, nec decrementum, sicut nec in olla quando aqua ebulliens feruet, deinde ab ebullitione cessat, neque enim ex ebullitione noua aqua additur, nec in cessatione aqua subtrahitur. Hæc de consideratione maris sufficiant.

TRACTATVS QVINTVS super Meteora, de Ventis, & de Terræmotu, in duas partes diuisus.

IN hoc quinto tractatu agendum est de impressionibus genitis ex vapore sicco terrestri frigido, qui diuiditur in subtilem & crassum, siue indigestum. Primus est materia venti. Secundus est materia terræmotus. Diuidimus igitur hunc tractatum in duas partes principales.

In prima agemus de ventis.

In secunda de terræmotu.

Partem primam diuidemus in quinque capita.

Primò agemus de materia proxima, ex qua generatur ventus, & de efficiente proximo, ex quibus eliciemus diffinitionem eius.

Secundò, de tempore & loco in quo maximè generatur.

Tertiò, de modo quo spirat.

Quartò de numero ventorum.

Quintò de proprietatibus eorum in particulari.

CAPVT I.

De materia ventorum, & efficiente, & quid sit ventus.

CIrca primum cap. tria consideranda sunt. Primò, quæ sit proxima materia venti. Secundò, quod est efficiens eius. Tertiò, quæ sit diffinitio venti.

Quantum ad materiam proximam, dico cum Philosopho & Alber. in lib. 1. tract. 1. cap. 5. quòd est vapor terrestris frigidus, siccus, & subtilis. nam (vt diximus suprà in primo tract.) Sol virtute sua eleuat ex terra quatuor vapores. Primus est terrestris subtilis inflammabilis, hic ascendens ad supremam aëris regionem propinquam sphæræ ignis conuertitur in impressiones ignitas, vt sunt stellæ comatæ, & lancea ardens, & Asub, de quibus formauimus secundũ tract.

Secundus est humidus aqueus, qui eleuatur ex aqua & terra humectata, & hic ascendens ad varias aëris regiones conuertitur in impressiones humidas, vt in rorem, & pluuiam, & pruinam, &c. de quibus formauimus tertium, & quartum tractatum. Tertius est terrestris frigidus siccus & subtilis, qui ascendens ad mediam aëris regionem conuertitur in ventum, vt paulò pòst declarabitur. Quartus est terrestris frigidus siccus & crassus, qui remanet conclusus in visceribus terræ, & hic (vt dicemus loco suo) causat terræmotũ. Patet igitur qs. & qualis sit vapor, ex quo causatur vẽtus.

Sed dices quomodo differt hic vapor à vapore, ex quo generantur impressiones ignitæ: vterque enim est terrestris, siccus, & subtilis.

Respondeo, differt in tribus. Primò in calore, quoniam ille inflammatur, vel ignitur, vt diximus in loco suo: hic autem nec inflammatur, nec ignitur. Secundò, in subtilitate, & continuibilitate, quoniam materia impressionis ignitæ est subtilior, & minus adinuicem continuata, eò quòd humiditas continuans, & conglutinans partes consumitur actione caloris supremæ regionis aëris. Materia autem venti minus subtilis est, magisque continua, eò quòd non ita consumitur humiditas continuans in media regione, sicut in suprema. Tertiò, differt loco, quoniam materia ignitæ impressionis ascendit ad tertiam aëris regionem, vbi inflammatur, vel ignitur. Materia autem venti ad mediam regionem frigidam in qua generatur, vt nunc dicemus.

Quantũ ad efficiens proximũ, dico q̃ est frigiditas mediæ regionis: nam sicut condensat vaporem humidum in nubem, deinde nubem resoluit in aquam pluuialẽ, vt diximus suprà, ita condensat vaporem siccum terrestrem subtilem, qui condensatus à frigiditate aëris per cutitur, ac mouetur, & motus impellit aërem, & sic causatur ventus in media aëris regione.

Ex his elicio diffinitionem venti. Ventus est vapor terrestris, subtilis & liber ad mediam aëris regionem ascendens, qui *Ventus quid.*

qui frigiditate eiusdem regionis condensatus ac percussus,aërem per partem post partem fortiter impellit.Diffinitio hæc secundum omnes partes clara est ex prædictis. Et aduerte quòd ly liber ponitur ad differẽtiam vaporis causantis terræ motum, de quo dicemus quod detinetur in concauitatibus terræ non habens liberum exitum ad superiora. Patet igitur quæ sit proxima materia venti, & quod eius efficiens,& quid sit secundum viam Peripateticam. Nam extraneas opiniones non curamus, quas videre poteris in Alber.

CAPVT II.

Quo tempore & quibus in locis venti generentur.

IN secundo cap. inuestigandum est quo præcipuè tempore, & in quibus locis ventus generetur.Et quo ad tempus dico quòd rarò generatur in æstate & in hyeme.

In æstate quidem quoniam Sol intenso calore, licet eleuet vapores à terra humidos,& etiam siccos ex quibus generantur venti,tamen consumit eos,vt in pluribus antequã ad mediam aëris regionẽ ascendant.Præterea tẽpore magni æstus, quoniã terra vehementer exiccatur, Sol non eleuat pro maiori parte nisi vapores omnino siccos terrestres inflammabiles conuertibiles in impresiones ignitas:de quibus dictũ est in tract. secundo. Materia autem venti,licet sit vapor siccus, non tamen est omnino separatus ab humiditate,imò sibi admiscetur humiditas cõtinuãs, alioquin partes venti non continuarentur adinuicẽ dum spirant. Et quoniã tempore æstiuo ex magna siccitate Sol non eleuat vapores siccos,quibus admiscetur humiditas continuans,ideo pauci fiunt venti, & rarò,cuius signum est quòd in æstate si post longam siccitatem accidit pluuia,vel grando,posteà eleuatur ventus.nam Sol ex terra madefacta eleuat vaporem siccum admixtum humiditati continuanti conuertibilem in ventum.

Tu tamen aduerte, quòd hic intendimus de generatione ventorum communium.Nam de ventis impetuosis qui eradicant arbores diruunt ædificia,nõ est verum quod diximus, imò fiunt maximè in æstate & tempore magni æstus. Cuius ratio est,quia tunc nõ eleuatur à terra,nisi vapor crassior terrestris qui est calidus æstu Solis,& aër est calidus propter quod pellit à se frigiditatem quæ cõgregatur ad locũ vnum, & fortissimè percutit vaporem illum terrestrẽ crassiorem, qui percussus impetuosè exsufflat aërem & prosternit sibi resistentia, & id maximè contingit in diebus canicularibus in quibus viget Solis æstus.

In hyeme autem rari fiunt venti,quoniam ex absentia Solis & frigiditate aëris terra constringitur, nec ex ea euaporat fumus in terra cõclusus,qui est materia ventorum. vnde nec virtute caloris solaris eleuatur ad mediam regionẽ, est enim adeo remissus tunc solis calor ex parua mora tracta super nostrum hemisphærium,quod remississime terram calefaciens, ideo non fumat, & per consequens rarò generantur venti.

Dico ergo quòd vt in pluribus generantur in principio Veris, & in fine Autumni. In principio quidem Veris, quoniam hyemi succedit Ver, in quo Sol propinquat terræ nostræ habitabili, & intenditur eius calor magis calefaciens terram,quàm in hyeme, ideo calor fortior plures eleuat vapores humidos convertibiles in pluuiam, & siccos admixtos humiditati continuanti conuertibiles in ventos. Præterea eo tempore aperitur terra, & fumi prius in ea inclusi euaporãt, ex quibus generantur venti, præcipuè Aquilo & sui collaterales,vt declarabimus infrà.

In Autumno verò, & præcipuè circa finem, crebrò generantur venti, quoniam eo tempore Solis calor, minuitur & humectatur terra frequentibus pluuiis,ideo Sol ex terra eleuat plures vapores ventosos quã possit consumere,qui ascendentes ad mediam aëris regionem conuertuntur in ventos modo suprà exposito. Hæc sunt ordinaria tempora generationis ventorum. Accidit autem quòd aliquando in æstate generantur & crebrò, quando, scilicet æstiuus calor non est excessiuus & frequenter, sed temperatè pluit, similiter si in hyeme non est excessiua frigiditas, nec gelu, nec diuturnæ niues constringentes poros terræ, ac sint temperatæ pluuiæ, crebrò generantur venti. verùm quia huiusmodi dispositiones rarò insunt æstati,& hyemi,ideo sicut de his quæ per accidens fiunt non est à nobis considerandum.

Quantum ad loca dictum est quidem nunc in cõmuni,sed in cap.4.dicam in particulari. Quantũ igitur ad loca in communi,aduerte ventos maximè generari in paludibus desertis & in regione humida humiditate continuante partes terræ, sed non dissoluente in lutum, quoniam ex locis humidis humiditate dissoluente quæ est humiditas aquea, eleuantur vapores humidi,qui ascendentes ad mediam regionem cõuertuntur in pluuiam, vnde quando videmus regionem latam sylueſtrem non occupatam densis sylueis,quam solemus nuncupare campum magnum: ex ea,inquam,Sol eleuat multos vapores ventosos tempore Veris,& Autumni,qui nõ possunt consumi ex debilitate caloris solaris, & ideo ascendentes aërem superiorem frigidum conuertuntur in ventos.

Item maximè generantur in summitate magnorum montium, sunt enim vicini mediæ regioni, & vaporem siccum,& calidum eleuatũ ex summitate eorum frigiditas vicinæ mediæ regionis condensat in vẽtum. inde est quòd omni fermè tẽpore ex magnis montibus & super eorum summitates spirant venti qui impellunt superiorem aërem: & in superiori aëre, vt in pluribus sunt venti spirantes ab altis montibus, quod vtique experimur si altas turres ascendimus.

In vallibus autem rarò generantur venti,quoniam prohibentibus vmbris montanis Sol parũ agit in medio vallium, paruúmque vaporem eleuat conuertibilem in ventum,qui si eleuatur tempore æstatis consumitur in fundo vallium,quoniam illic est feruor intensus propter magnam, & mutuam multiplicationem radiorum causatam ex lateribus montium consumens prædictum vaporẽ. Hæc de temporibus in quibus generantur ordinariè venti, & de locis in cõmuni dicta sunt.

CAPVT III.

De motu & spiratione ventorum.

CIrca 3. cap. inuestigandum est qualiter mouetur & spirat ventus,& dicam cum Alber.in 3.lib.tract.1.cap.15,& cap. 21. motum venti esse tortuosum, ita quòd non ascendit, nec descendit directè, sed mouetur quasi per arcum circuli, & mouetur ante se ad oppositum situm, puta Aquilo non mouetur ad punctum Orientis, sed ad punctum meridiei,& ventus Auster ad punctum Septentrionis sibi oppositum.

Propter quid autem moueatur ad oppositum situm non per lineam rectam,sed quasi per arcum circuli duplex assignatur ratio.Prima ab Astronomo,Secunda à Physico.

Quantum spectat ad Astronomum, aduerte quòd vt deprehenditur ex doctrina Astronomiæ, quædam stellæ erraticæ varios commouent ventos,vt Iupiter commouet ventos Septentrionales.Sol Orientales,Luna Occidentales|& Meridionales. Est autem id vt principium, quòd quando aliqua causa naturalis per motum suum causat aliquem effectum, motus sui effectus assimilatur motui suæ causæ quantum potest.cùm ergo ventus causetur ex motu circulari planetarum conuenienter mouetur tortuosè, vt assimiletur causis suis quantum potest.

Quantum spectat ad Physicum, aduerte quòd ratio sua sumitur ex loco in quo vapor ventosus conuertitur in ventum qui est media aëris regio, & stat in hoc, vapor siccus ventosus postquàm ascendit ad mediam aëris regionem & illi cõdensatur ex frigiditate loci oportet quòd agitetur & moueatur sicut mouetur aër frigidus mediæ regionis. Ille autem aër non potest descendere directè,quoniã subtus se habet aërem calidum infimæ regionis, ex consequenti ei contrarium,& resistentem descensu suo directo, nec potest directè ascendere ad supremam regionem, quoniam calidior est ex propinquitate ad sphæram ignis, nam si ascenderet à tanto æstu consumeretur, oportet ergo vt moueatur & agitetur motu tortuoso.

Nota tamẽ quòd licet ventus non moueatur recto diametro sursum,vel deorsum, nihilominus conceditur quòd obliquè ascendit inquantum vapor, ex quo generatur, eleuatur sursum, & dum mouetur tortuosè paulatim deprimitur versus terram percutiens aërem per partem post partem.

Ratio propter quam mouetur ante se ad oppositum situm, est hæc,vapor ex quo generatur ventus expellitur & percutitur à frigore,vt diximus,tale autem frigus est post ipsum vaporem,ideo pellit ipsum ad situm oppositum ante se.

Si autem quæras quænam sit causa quòd frigus est post ipsum vaporem ventosum, dico quòd in omni regione in qua flat ventus, frigus semper impellitur ad extremum propter diffusionem Solis in ipsa, & præcipuè frigus terrestre & cùm est reductum ad extremum, dissoluitur regio quæ est post ipsum,& frigida remanet,& ideo impellit vaporem eleuatum ante se ad situm oppositum, non enim potest directè ascendere propter frigus obuians in aëre, nec potest descendere propter calorem ipsum eleuantem, nec potest retrocedere propter frigus existens post ipsum, & ideo necesse est vt moueatur ante se ad situm oppositum. Hæc dicta sint de qualitate motus ventorum in communi, nunc superest de

est de ventis in particulari determinare.

CAPVT IIII.

Venti quot sint.

CIrca quartum caput inuestigandum est quot sint venti, & ex quibus locis spirent.

Quantum ad numerum,dico secundum Albert.& Varronem & Senecam de naturalibus quæstionibus,quòd sunt duodecim: quatuor quidem cardinales, vt Septentrio, Auster, Subsolanus.Zephirus:collaterales autem sunt octo.Collaterales Septentrionis sunt Aquilo à dextris, & Corus à sinistris: collaterales Austri sunt Euroauster à dextris, & Austerafricus à sinistris: collaterales Subsolani sunt vulturnus à dextris, & Eurus à sinistris: collaterales Zephiri sunt Africus à dextris, & Circius à sinistris, & vt eorum numerus ac ordo subiiciatur oculis,descripsi hanc figuram.

Figura ostendens ventorũ numerum,ordinem,& loca.



In hac figura, Septentrio cum suis collateralibus constituit primam triplicitatem, Zephirus cum suis collateralibus secundam triplicitatem, Auster cum suis collateralibus tertiam triplicitatem, Subsolanus cum suis collateralibus quartam triplicitatem.

Quantum ad loca ex quibus spirant, & rationem nominum duodecim ventorum declaro assignando loca secundum circulos sphæræ.

Septentrio spirat à polo arctico,& dicitur Septentrio,quia venit ab Vrsa maiori,quæ Græcè dicitur arctos,& Latinè Septentrio propter septem stellas versantes circa polum.

Auster spirat à polo antarctico, & dicitur Auster quasi hauriens aquas.Est enim pluuialis,vt dicemus infrà,& Græcè dicitur Notus eo quòd pestilentiam generat ex mala caliditate & humiditate sua putrefactiua.

Subsolanus spirat ab Oriente æquinoctiali,vt à signo Arietis,vel Libræ,&dicitur Subsolanus,quia oritur sub radiis Solis.

Zephirus ab Occidente æquinoctiali diametraliter oppositus subsolano, & dicitur Græcè Zephirus quasi viuificans, eo quòd terræ germina eius flatu viuificantur. nam zoi Græcè est vita Latinè, & dicitur Latinè fauonius, eo quòd faueat vel foueat terræ nascentia.

Isti sunt quatuor principales, quorum quilibet habet duos hincinde coniunctos, Septentrio habet ex vno latere Aquilonem, ex alio Corum.

Aquilo spirat à circulo arctico, & dicitur aquilo quasi ligans aquas:exiccat enim & dissipat nubes,vt dicemus infrà. dicitur etiam boreas à loco ex quo eleuatur, oritur enim & flat à montibus Hyperboreis, propter quod dicitur flare à montibus altis, & multum distantibus, & ideo purus ac subtilis ad nostram regionem deuenit.

Corus spirat ex alio latere à circulo arctico, & dicitur corus quasi in se claudens circulum ventorum, ab antiquis dicebatur caurus.

Auster habet ex vno latere euroaustrum,ex alio latere austerafricum.

Euroauster spirat à circulo antarctico & dicitur euroauster,quia ex vna parte habet eurum, ex alia austrum.

Austerafricus spirat ex alio latere à circulo antarctico,& dicitur austerafricus, quia mediat inter austrum & africum.

Subsolanus habet ex vno latere eurũ, ex alio vulturnum.

Vulturnus spirat à tropico æstiuali, & dicitur vulturnus quasi circa turres volitans: flat enim in altum, vnde Lucretius poëta inquit, Altitonans vulturnus.

Eurus spirat à tropico hyemali, & dicitur eurus ab eos Græcè, quod Latinè dicitur oriens, flat enim ab oriente à latere subsolani.

Zephirus siue fauonius habet ex vno latere africum, ex alio circium.

Africus spirat à tropico hyemali, & dicitur africus, quia spirat ab africa, quæ declinat ad meridiem.

Circius spirat à tropico æstuali,& dicitur circius, quia circuitu suo voluit & perturbat quæ sibi obsistunt: est enim impetuosus valde.

Omnium ventorũ ordo & situs continetur in iis versibus.
Sunt subsolanus, vulturnus,eurus,eoi, id est, orientalis,
Circius occasum,africus & zephirus afflant.
Adueniunt aquilo, septentrio, & corus ab arcto.
Atque die medio auster africus, notus,euroauster.

De omnibus ventis à quibus locis spirent descripsi præsentem figuram secundum sphæram materialem.



Ex prædictis patet vnde spirant venti, & quomodo ordinantur,sed quare sint duodecim &non plures,solent variæ rationes assignari. Ego autem adduco quam puto clariorem, & trahitur ex doctrina Ptolemæi.

Aduerte igitur q̃ cœlũ stellarũ fixarũ influit sup generationẽ & esse rerũ inferiorũ,&præcipuè super vẽtos nõ secũdũ se totũ sed vt diuiditur in 12.signa,sub quibus mouẽtur planetę suo motu proprio,& ex hoc planetarum motu sub signifero perseuerat generatio in inferioribus,vt declaratũ est in 2.li. de generatione. Hæc autem 12. signa sic ordinantur. q̃ tria sunt septentrionalia,scilicet Cancer cum duobus collateralibus,quæ sunt Gemini,& Leo,& tria australia,scilicet Capricornus cũ Sagit. & Aquario suis collateralibus,& tria orientalia,s. Aries cũ pisce & Tauro,suis collateralibus,& tria occidẽtalia,scilicet Lib.cũ Virgine & Scorp.suis collateralibus.

Aduerte tamen quòd ista sex pro diuerso tẽpore dici possunt orientalia & occidentalia. nam in vere Aries cum collateralibus sunt orientalia, & Libra cũ collateralibus sunt occidentalia,in Autumno autem sunt oppositomodo.vt patet. Iuxta igitur has quatuor triplicitates signorum assignantur quatuor triplicitates ventorũ,scilicet tres septẽtrionales vt Septentrio, Aquilo, & Corus, & tres australes, scilicet, Auster, Africus auster,Euroauster,& tres orientales,scilicet Subsolanus, Eurus, Vulturnus, & tres occidentales. scilicet, Zephirus, Circius, Africus.Sufficiat hæc ratio persuasiua,nec abiicienda est à Philosopho naturali. nam secundum Arist. in 2. Phy. astrologia media est inter mathematicam & naturalem disciplinam. Et Ptolemæus inquit,oportet in talibus consideratorem cœli esse physicum.

CAPVT V.

Quatuor ventorum proprietates.

IN 5. cap, assignãdæ sunt ventorũ proprietates, prout abinuicem distinguuntur,& quoniã medij venti sapiunt extremorum naturam secundum magis aut minus, ideo sufficiet nobis declarare proprietates quatuor ventorum principalium, qui sunt Septentrio,Auster,Subsolanus, Zephirus. Septentrio cum suis collateralibus tres habet proprietates.

Primò,est frigidus siccus,& idem sapiunt sui collaterales quoniã egreditur à locis frigidissimis,vtpote ab arctico: oritur etiam à montibus altissimis plurimum distantibus à nobis, eo quòd sunt ex parte poli arctici,vt in Scythia,quales sunt montes Hyperborei & Rhiphæi:qui etiam sunt frigidi,sub quibus vapor terreus concluditur, qui egressus frigidus causat ventum frigidum. Loca etiam septentrionalia per quæ spirant sunt frigida ex distantia solis,& ideo nec calor nec humiditas adhærent eis locis per quæ transit.

Secundò, Septentrio & sui collaterales vehementius & frequentius spirant in vere & in Autumno, quàm in aliis tem

temporibus. In Vere quidem quoniam eo tempore sol ascendit à meridie deserens signa australia, & conuertitur ad terram nostram habitabilem, tunc vapores frigidos siccos congregatos in hyemali tempore sub terra vel in aëre pellit ante se versus arcticum, qui cùm illuc peruenerint quoniam non possunt vltrà procedere, erũpunt & agitãt aërem, sicque tempore veris cõuertuntur in vẽtos septentrionales vehemẽtes

In Autumno autem, quoniam tunc sol recedit à nobis relinquens signa septentrionalia & tendens versus australia, & regio septentrionalis infrigidatur intensè, & calor remittitur; calor autem remissus eleuat quidem vapores siccos & frigidos, sed non potest eos consumere, & ideo ascendunt mediam aëris regionem ex parte arctica, qui condensati & percussi à frigiditate mediæ regionis conuertuntur in ventos impellentes aërem impetuosè.

Tertiò, Septentrio & sui collaterales inducunt serenitatem, & hoc duplici causa. Primò, quia habet spiramen quasi rectum, licet enim dixerimus suprà, motum ventorum esse tortuosum, tamen septentrio & sui collaterales spirant minus tortuosè, imò respectu aliorum possunt dici spirare quasi per lineam rectam: ex hoc autem spiramine quasi recto dissipant nubes ante se inuentas quasi secantes & discriminantes per modum lanæ dilaceratæ, cùm autẽ nubes dissipãtur non adeo condensantur quòd conuertantur in aquã pluuialem, & ideo ratione dissipationis nubiũ dicũtur inducere serenitatẽ. Secundò, quia ex sua frigiditate & siccitate constringitur terra ne euaporet humidum vaporẽ, qui ascendens conuertitur in nubem, & deinde in pluuiam, vt declarauimus suprã.

Auster cum suis collateralibus duas habet proprietates. Primò sunt calidi & humidi, non quidem secũdum naturam suam, cum omnis ventus generetur ex vapore frigido sicco, sed ex loco sui ortus, qui est locus meridionalis, qui est calidus ex maiori propinquitate solis ad terram, vt aliàs diximus, facti autem calidi spirant versus arcticum, vt ad situm eis oppositum: locus autem septentrionalis, vt est regio nostra, est frigidus humidus respectu regionis australis, & ideo Auster cum collateralibus spirans per regionem nostram inquãtum calidus trahit ad se vaporem humidum ex hac nostra regione & ex aquis, propter quem vaporem sibi adhærentem efficitur humidus, fit ergo Auster cum collateralibus calidus ex locis in quibus oritur, & humidus ex nostra terra septentrionali per quam transit.

Secundò, excitant nubes turbidas & obscuras congregantes eas & inducentes pluuiam. Causa huius est, quia Auster habet spiramen tortuosum & curuũ, opposito modo Septentrionis. Ille enim, vt diximus, spirat quasi rectè, & quoniam habet curuitatem in suo spiramine, ideo inuoluit partes nubium & congregat quas inuenit in aëre per quem transit, & sicut septentrio ex suo spiramine recto dissipat nubes, ita per oppositum Auster adunat & cõdensat. adeo quòd conuertuntur in pluuiam, propterea dicitur Auster pluuiosus.

Subsolanus cum suis collateralibus est calidus & siccus & causa huius est triplex virtus immissa à sole in vaporem orientalem, ex quo generatur Subsolanus. Primò enim dum oritur sol, immittit radium incipiẽtem calefacere ipsum vaporẽ. secundò, per successiuum ascensum super horizontem calor augetur, quo intensius calefit vapor. teriò per præsentiã ipsius solis sursum trahitur ille vapor, & partim consumitur, sicque fit calidior & siccior, propter quod Subsolanus ex eo generatus efficitur calidus & siccus.

Zephirus cum suis collateralibus est frigidus & humidus quia sole accedẽte ad occasum sub nostro horizonte, non calefit sensibiliter vapor occidẽtalis ex quo generatur zephirus, & ideo partes huius vaporis remanerẽt frigidæ, & quoniam in Occidẽte aër est humidus excessiuè propter absentiã solis exiccantis suo calore, ideo vapor ille humidus efficitur, propter quod Zephirus declinat ad frigidum humidum, sicut per præsentiã solis Subsolanus declinat ad calidum siccum, quoniam oppositarum causarum oppositi sunt effectus. Hæc de proprietatibus ventorum.

SECVNDA PARS QVINTI Tractatus super Meteora, & est de Terræmotu, in sex capita diuisa.

COmpleta consideratione de ventis agendum est de terræmotu, cuius consideratione diuidimus in sex capita.

Primo, q̃ sit causa proxima effectiua terræmotus.
Secundo, quot sint eius species.
Tertio, quæ sint signa præcedentia vel sequentia eiusdem.
Quarto, quo tempore & loco frequentius fit.
Quinto, qui sint eius effectus.
Sexto, de duratione eius.

CAPVT I.

Quæ sit proxima effectiua causa Terræmotus.

CIrca primum caput, videndum est quę sit proxima causa terræmotus, & prætermissis omnium antiq. opin. dico cum Arist. & cum Alber. in tertio libro, tractatu secundo, capite sexto, quòd causa eius proxima effectiua est vapor terrestris siccus frigidus, sed crassus (ad differentiã vaporis ex quo generatur ventus, quem diximus esse subtilem) restrictus & violenter detentus in cõcauitatibus terræ. Quomodo autem huiusmodi vapor faciat terræmotum, notandum est primo id quod diximus suprà in primo capite de ventis, quòd sol calefaciens terram duo genera vaporum extrahit ab ea. nam terra ex natura sua est frigida & sicca, & vt sic trahitur ex ea vapor siccus frigidus, qui distinguitur in duos, quorum vnus est subtilis eleuatus ex superficie terræ, & hic liberè ascendens ad mediam aëris regionem conuertitur in ventum, alius est crassus qui extrahitur virtute solis ex profundo terræ, & propter soliditatem ac profunditatem terræ non potest expirare, vnde detinetur violenter in concauitatibus eius, & illic arctatus quærens exitum forti impetu concutit latera concauitatum, fitque terræmotus. Notandum secundò quòd terræmotum causari ex dicto vapore, declarari sic potest. Videmus ventum mouere & concutere permanentia in superficie terræ, mouet enim ignem cessare faciens à combustione extinguendo corpora accensa, vt patet in extinctione cereì, aliquando autem ex suo spiramine magis inflammantur corpora accensa, vt quando carbones igniendi exponuntur vento, similiter videmus ventum mouere aquas eleuãdo vndas. vt patet in tempestate maris, aliquando eradicat arbores, destruit ædificia, si hæc omnia peragit vap. subtilis liberè eleuatus à superficie terræ, multo maiora agere potest vap. terrestris crassus arctatus in visceribus terræ, & ibi cum violentia detentus.

CAPVT II.

De duabus speciebus Terræmotus.

CIrca secundum caput inuestigandum est quot sunt modi vel species terræmotus, & pro nunc dico quòd sunt duo, in capite autem quinto de his magis distinctè agemus, vbi declarabimus varios effectus terræmotus.

Prima species est sicut tremor in quo terra frequenti motu recedit à situ suo, & cito ad eundem reuertitur cum multa reiteratione, causa quidem huius est paucitas vap. crassi sicci inclusi in visceribus terræ, quia enim vapor est paucus modi habet incertum, & tremit donec inuenerit locum ad quẽdiuertat vel per quem exeat. huius tremoris similitudinẽ habemus in venis animalium & in membris quibus contingit tremor ex humore dissoluente organum, vt patet in paralytico, vel ex ventositate crassa extrudente mẽbrum extra proprii situm, & virtute naturali reducẽte ipsum ad proprium situm, nec tremor cessat donec naturalis virtus totaliter expellit illam ventositatem à membro tremente.

Secunda species est sicut sonus ingens magnorum corporum se confricãtium, & hic sonus est fractiuus, ita quòd nunquam contingit quin scindatur terra aut subtus aut in superficie exteriori, causa quidem huius soni & fractionis est vapor crassus in magna quantitate inclusus in partibus solidis terræ & cauernosis: tunc enim cõfricat forti impetu partes solidas terræ cauernosæ & frangit, sicque sequitur scissura terræ & sonus ex confricatione ac diuisione, huius speciei, & etiã precedentis habemus exemplum de ventositate sicca conclusa in visceribus hominum: quando enim pauca est, causat tantùm tremorem viscerum, quando vero est multa exit cum turpi sono & diuidit siccam superfluitatem sibi obuiantem. Hæc de modis terræmotus in communi pro nunc sufficiant, quoniam infrà plures & in particulari inuestigabimus.

CAPVT III.

De signis Terræmotum concomitantibus præcedentibus & sequentibus.

IN tertio capite inuestigandã sunt signa, quæ concomitantur & præcedunt & sequuntur terræmotum. inter signa concomitantia terræmotum, licet non semper, tamen vt in pluribus est sonus magnus, qui non cessat donec terra fuerit sicca, & vapor subterraneus exit cum ingenti strepitu: sonus autem ille quando vapor est multus causatur ex collisione & percussione vaporis ad latera terrę cauernosæ, qui quęrens exitum non cessat à percussione donec scindantur latera terræ cauernosæ, & impetuosè sonando exit. Quòd hic sonus concomitetur terræmotum, declarat Philosophus in libro secundo, capite secundo, vbi loquitur de ventis, & adducit exemplum de antiquis historiis de terræmotu, qui accidit tempore Regis Herculis in quibusdam insulis apud Corinthum, ex quo aperta fuit terra montuosa, & tanquam cinis exiuit, & ciuitatem propinquã destruxit, & horribilis sonus auditus est.

Signa præcedentia inter alia sunt tria. Primò, est magna aëris trãquillitas. Solent enim omnes venti cessare in infima aëris regione, & hoc intellige in locis & tẽporibus, in quibus, vt in pluribus, solent spirare venti. nam signum est omnem materiam ventorum tendere in profundum terræ, & quasi nihil spirat ex terra, eò quòd cauernæ talium locorum totum vaporem teneant inclusum, Cùm igitur huiusmodi aëris tranquillitas euenerit, præsumitur de terræmotu propter clausuram vaporum.

Secundò, aër ante terræmotum de propinquo venturum est frigidior solito, cuius potest esse duplex causa. Prima est, quòd vna de causis comprimentibus vaporem sub terra est frigiditas: & ideo, quando aër est frigidior solito, signum est quòd vapor ille, ex quo generatur terræmotus, compressus est in terra: & quoniam compressio illa est violenta, quærit exitum, & sic de propinquo signat futurum terræmotum. Secunda est hæc, calor inclusus in cauernis terræ eleuat vaporem, ex quo generatur terræmotus ad superficiem exteriorem terræ, & terra pellit eum in aërem propinquum terræ, & sic aër plus solito infrigidatur, antequàm fiat terræmotus.

Tertiò, ante terræmotum solent apparere quasi reliquiæ nigrarum nubium in cœlo, quæ sunt longæ & strictæ existentes ad oppositum solis, præcipuè tempore vespertino. Causa huius est, quia Sol per calorem diurnum antè fecit euaporare aliquid de vapore crasso & terrestri, & cùm apparẽt in figura longa stricta signant materiam illam esse vehementer siccam & pungitiuam, & cum violentia motuam, & est sicut ventositas sicca inclusa in ventre hominis, quæ aliquando diuidit, & incidit, ac dirũpit intestina. Illæ igitur reliquiæ nigrarum nubium signant materiam terræmotus esse siccam & acutam, & de proximo terram esse mouendam.

Signa sequentia, vt in pluribus, sunt duo: primò est tenebrositas solis per nubes nigras stantes in aëre: cùm enim terræmotus causetur ex vapore crasso terrestri & fumoso, oportet ipsum esse fuliginosum, ex consequenti nigrum & densum: vnde cùm egressus est ex cauernis terræ, & ascendit in aërẽ, causat nigras nubes: calor autem solis tangens eum, eleuat, & trahit, ac opponitur soli in aëre, & tunc videtur quasi per pannũ nigrum: aliquando facit solem inuisibilem veluti eclipsatum, quãdo, scilicet, vapor est multus & valde densus, adeò quòd radij solis nõ possunt ipsum penetrare, quod si terra ante terræmotum fuerit sicca, tunc ille vapor egressus ex terra obscurat aërem inferiorem. reddítque eum densum & nigrum veluti caliginem adunatã, & tunc Sol & luna & stellę videntur ad modum sanguinis declinantis ad nigredinem.

Secundò, post terræmotum frequentius sequitur pestis: nam cùm vapor inclusus in ventre terræ fit priuatus luce & aëre libero, habet quasi materiã veneni, & ideo interficit animalia, præcipuè incumbentia terræ, vt oues: nam antequàm prædictus vapor exeat totus ex visceribus terræ, per plures dies sẽper aliquid spirat per poros terræ, ideo lædit animalia depascentia in loco illo: simul enim cum cibo attrahunt vaporem illum venenosum, vnde refert Seneca tempore Neronis fuisse terræmotum, post quem grex sexcentarum ouium mortuus est.

Quòd autem vapor priuatus aëre libero & subterraneus efficiatur venenosus & pestiferus, probat Alber. in libro tertio, tractatu secundo, capite decimo, qui dicit, quòd dum esset Paduæ puteus diu clausus apertus est; & quidam, vt purgaret eum, descendit, & statim interfectus est ex pestifero vapore exhalante: similiter alius descendit, & interfectus est: cùm autem tertius scire vellet, quare tam diu socij silentes morarentur in puteo inclinans se super os putei, vt videret eos in fundo, adeo debilis effectus est, quòd vix post dies duos ad seipsum rediit: cùm autem vapor ille pestiferus expirasset, salubris & potabilis effecta est aqua. Hæc sunt, quæ sequuntur terræmotum in communi. De aliis autem effectibus sequentibus dicemus magis in particulari in quinto capite.

CAPVT IIII.

Quibus in locis, & quo tempore terræmotus fiat.

CIrca quartum caput inuestigandum est, quo loco, & quo tempore fit frequentius terræmotus: & quantum ad locum dico quòd loca habentia tres conditiones, frequentius patuntur terræmotum.

Prima est, quòd apud locum sit vehemens & impetuosa percussio procellarum maris. nam ex tali percussione ventus impellitur ad interiora terræ, & illic concluditur ex humiditate aquarum obturante loca concaua terræ, nec ventus conclusus habet liberam viam retrò exeundi, ideo illic multiplicatus & per violentiam detentus incipit agitari in locis concauis quærens exitum, & sic causat terræmotum.

Secunda conditio est, quòd locus sit cauernosus, quoniam in huiusmodi locis recipitur ventus veniens ex superiori superficie terræ per meatus & aperturas ad profundas cauernas, cuius signum est quòd cauernæ subterraneæ apertæ semper ventum spirant, ventus autem in locis cauernosis receptus exire non potest propter aliũ ventum subsequentem & impellentem ipsum ad intra: & ita multiplicatus in loco cauernoso tandem mouet terram, & fit terræmotus.

Tertia conditio est, quòd locus sit mollis: Nam si locus sit lapideus non potest commoueri: difficillimum est enim lapidem scindi: similiter, si terra est sicca, est etiam porosa, & paulatim spirat per poros vapor terrestris in ea congregatus. Si autem terra sit mollis, ita quòd in superficie habeat humiditatem obturantem eius poros, vapor illic conclusus non paulatim expirat, & ideo quasi violenter detentus quærit exitum per agitationem: & quoniam terra est mollis, facilè aperitur, & scinditur, & sic fit terræmotus.

Circa prædictas conditiones. aduerte quòd si omnes inueniuntur in eodem loco, valde frequenter illic contingit terræmotus: si autem non omnes, sed duæ tantùm, vel vna, minus frequenter fiet.

Quantum ad tempus, dico quòd vt in pluribus fit in Vere & in Autumno. In Vere quidem, quoniam, vt suprà diximus, eo tempore liquescunt niues, abundant pluuiæ, & adhuc est frigiditas in terra causata ex hyeme, licet remissior, hæc omnia obturant poros terræ & stringunt eam in superficie, adeò quòd vapor terrestris inclusus nõ potest expirare, cùm tamen sit tempus exhalationis, cuius signum habemus quòd in vere fit magna euaporatio fumalis ad radices arborum, & ideo in Vere pululant: multus igitur vapor terrestris conclusus in terra nõ potens expirare, calore vernalis solis propellitur ad loca cauernosa, & illic multiplicatus incipit agitare & percutere latera cauernarum, nec cessat agitatio, donec vel liberum exitum inuenit, vel terrã mouet, & sic contingit terræmotus.

In Autumno autem fit, quoniam tunc Sol declinat à nobis, & eius calor remittitur, propter quod fit ex terra in profundo euaporatio crassa: & quia superficies terræ exterior remanet arida ex calore æstiuo, ideo remansit sub terra humidum continuans adiunctum vapori terrestri: quia si habet exitum liberum in Autumno, vertitur in ventum, ideo in Autumno fiunt frequenter impetuosi venti, vt diximus suprà, quòd si ille vapor detinetur sub terra propellitur ad loca cauernosa, & ibi continuè multiplicatus propter consimilem materiam generatam mouet terram, & sic sequitur terræmotus.

Raro autem contingit in æstate & in hyeme. In æstate quidem quoniam calor æstiuus consumit humiditatem terræ, & tantùm exiccat quòd pulueriſatur, propter quod vndique aperiuntur pori, & siquis vapor crassus est generatus in visceribus eius paulatim expirat, ideo non est necesse terram mouere. Aduerte tamen, quòd si in æstate iam esset multus vapor crassus generatus sub terra & fierent pluuiæ magnæ, tunc esse dubium de terræmotu, quoniam humiditas pluuiarum adeò obturat poros terræ, quòd vapor subterraneus non potest expirare, & subtiliatus per calorem æstiuum quærere locum ampliorem, quem non inueniens violenter terram dirumperet, vt seipsum dilataret, & sic sequeretur terræmotus cum magno crepitu, sicut quando frangitur vter plenus aqua, aut vesica plena aëre, In hyeme autem rarò fit: quoniam frigiditas hyemalis constringit partes terræ in superficie exteriori, propter quod calor solaris debilis non penetrat terræ profunda, nec illic generat vaporem crassum, ex quo fit terræmotus: & dato casu, quòd generaretur, eleuaretur ad loca cauernosa, nec subtiliaretur propter debilitatem caloris solaris, ideo talis vapor in tempore hyemali non agitaretur, nec quæreret ampliorem locum, donec vernalis calor adueniat, & tunc potest causari terræmotus, vt suprà diximus. Hæc dicta sint de loco & tempore terræmotus.

CAPVT V.

De varijs effectibus terræmotus.

CIrca quintum inuestigãdi sunt varij effectus terræmotus. Et primò in terra solida.

Secundò, in terra operta aquis, vt in fundo fluminum.

Tertiò, in insulis maris.

Quantum ad primum, dico quòd in terra solida potest habere hos effectus, vt trahitur ex Albert. in lib. tertio, tract. secundo, cap. 18.

Motum agitatiuum,
Motum subuersiuum.
Motum diuisiuum.
Motum perforatiuum.
Motum titubationis.
Motum ruinosum,
Motum repulsiuum,
Motum eleuationis & depressionis.
Motum vectionis.

Primus motus est agitatiuus vt quando terra mouetur modò ad dextram, modò ad sinistram, & hic motus causatur à vapore subter. nõ multo, percutiente fortiter latera cauernæ, eunte de latere in latus & illic va. repercussus tendit ad latus, & terra secum vadit, sicque causatur agitatio, tamen sine scissura terræ. Secundus est subuersiuus, & est quando terra ita mouet terram quòd pars superior tendit deorsum in profundum, & pars inferior emergit superius, & hic motus causatur quando vap. subter. primò & æqualiter impellit fundum alicuius terræ, nec cessat donec eleuet ipsum fundum, & cùm fuerit eleuatum, tunc cum ingenti impetu egreditur ad vnum latus & cùm impellitur terra inuoluitur, ita quòd superior superficies fit inferior, & econuerso: sicque terra subuertitur. Tertius est diuisiuus, & est quando per terræ motum fit solùm vna apertura terræ, & hoc causatur à va. ficco calefacto. scissio enim est effectus siccitatis & caloris, vt patet tempore æstatis siccæ & calidæ, in qua videmus campos pati magnas aperturas, similiter in ventre hominis si est multa ventositas sicca & calida aliquando scindit & rupit viscera. Quartus est motus perforatiuus. & est quãdo in terra nõ solùm fit vna apertura, sed multa foramina lata ad modum putei, hic motus causatur à vap. subter. dispersa non vnito in vna cauerna tantum, & est sub terra. cuius partes nõ omnes sunt æqualiter solidæ, sed aliqua mollis & aliqua solida, & in parte molli fit foramen, quoniã non est difficile partem mollem aperiri, in solida autem non. & in alia molli fit apertura, in alia solida non. & sic plura fiunt foramina secundum diuersam dispositionem partium terræ. Quintus est motus titubationis: & est quando terra exit à suo situ naturali, & statim ad eundem reuertitur, vt accidit in manu trementè, sicut exposuimus in 2. cap. hic motus causatur à va. subterraneo debili aliquando mouente terram, aliquando non, nec totam terram sub qua est potest mouere, & ideo continuitas loci retrahit superficiem terræ, vapor autem inclusus licet debilis extrudit eam aliquantum. & ideo redeundo terra tremit. Sextus est ruinosus, & est quando superior pars terræ cadit in profundum, & inferior non emergit sursum, hic motus causari potest à duabus causis, primò, ab aqua congregata in profunditate terræ à qua sumitur principium fontis aut fluminis. nam huiusmodi aqua aliquando corrodit fundamenta cauernæ in qua congregata permanet, quibus corrosis pars superior cauernæ quæ est sicut tectum in domo ruit in profundum & aqua emergit suprà, & hac de causa fiunt in pluribus locis aquæ lacunales, præcipuè inter montes, secundò potest fieri ab igne generato in mineris sulphureis sub montibus, tunc enim ignis comburit terram inferius, qua combusta pars superior carens firmitate ruit in profundum, & ignis cum flamma ascendit, hinc videmus in montibus multos hiatus velut ora ignea emittentia flammas, præcipuè in Sicilia montem Aetnam, & in Neapoli Puteolum.

Septimus est repulsiuus, & est quando superior pars terræ longè pellitur à suo situ naturali & loco, hic motus causatur quando vapor subterraneus est valde impetuosus, præcipuè ex calore, tunc enim proijcit ea quæ impellit, & quandoque proijcit montem aut partem montis, non vallem directè: sed ad latus secũdum quod dirigitur impetus vap. hic aliquando operit villas, & homines illic habitantes, sicut accidit in Sabaudia, vbi vapor eleuans montem deiecit eum in vallem & operuit plures villas, cunctosque habitantes in eis præter vnum, qui solus euasit, eò quòd spirans vapor exuffiauerat eum ante casum montis.

Octauus est eleuationis & depressionis, & est quando superficies terræ modò exaltatur, modò deprimitur, hic causatur quando vapor subterraneus est multus, & latera cauernæ sunt firmissima, tunc enim vapor eleuat superiorem partem cauernæ veluti eius tectum, & tunc expirat aliqua pars vaporis, deinde parte expirata superior pars cauernæ in suo loco residet, & cùm iterùm ascendit impetuosè alius vapor subterraneus, iterum eleuatur tectum cauernæ, & vap. secundum partem expirat deinde residet, & sic fit successiuè donec totus vapor expiret.

Nonus est vectionis, & est quando superior pars terræ vehitur ab inferiori, & inferior defertur à vapo. inferius modo sicut ad motum venti defertur palea mota per aërem, tunc ex terræmotu deferuntur de loco ad locum homines & domus & alia sicut defertur nauis per fluuium, & quæ in naui continentur, sed id rarissimè euenit, & eius aduentum reputamus prodigium.

Quantum ad secundum, dico quòd in terra operta aquis causat duos effectus: primò causat lacum vel stagnum in loco in quo prius erat terra sicca, vel forte ciuitas ædificata: & talis effectus sic causatur in visceribus, & in cauernis terræ, sub quibus congregata est aquarum multitudo includitur va. terrestris per violentiam detentus, qui quærens exitum dirumpit ac diuidit terram operientem aquas, & suo impetu eiicit aquas sursum sicque facit eas apparere, quòd si eiicit terram ad vnam partem fit ingens vorago, in qua conspiciuntur aquæ per modum stagni, vel lacus expansi. sub quo videntur aliquando ædificia profundata, vt patet de aliquibus Iacobus, de quibus dicitur quòd antequam illic essent aquæ ædificata erat ciuitas, & in huius signũ, quiescente aqua & radiis solis ferientibus super eam piscatores vident sumitates ædificiorum.

Secundò, causat aliquando diluuium particulare, quod fit quando va. subterraneus eiicit sursum aquam per apertura terræ, adeo quòd submergit locum vnum vel plures, secundum quod plus vel minus de aqua eiicitur sursum, & causa huius inundationis est hæc: aliquando sub terra sibiuicem obuiant duo venti impetuosi & oppositi, vt Aquilo & Auster in eodem loco in quo multæ aquæ congregatæ sunt, & cùm illic conueniunt secum trahunt multas aquas deductas per varios meatus, quæ à prædictis ventis impulsæ scindunt superficiem superiorem terræ, & eiiciuntur desuper cum magno impetu, sicut iaculatur aqua per cannam plumbeam quando scinditur canna, ex illa autem eiectione aquarum super terram fit magna aquarum expansio. & submersio, ex consequenti diluuiũ particulare. Huiusmodi inundatio facta est in Gallia propter expansionẽ Sequanæ fluminis non enim inundauit pluuiis aut niuibus: sed terræmotu, & plura ædificia submersit.

Quantum ad tertium, dico quòd in insulis tres principales effectus facit.

Primò. facit totam insulam tremere, vt describit Calisthenes de insula Delos, quæ terribilem tremorem passa est, & insula Paphos, & Cyprus, & causa huius est, quia vndemaria impellunt ventum in cauernis positis sub fundamentis insularum, & illic conclusus cùm non possit retrocedere, aut propter vndarum procellas, aut propter ventum aliunde obuiantem tremorem causat in insula quærens exitum.

Secundò, facit apparentia insularum, nam ex terræmotu aliquæ insulæ eleuantur in mari, & apparent super aquas cũ prius non apparerent, & id ad sensum probatur. nam in mari Aegeo secundum Albertum in lib. 3. tract. 2. capit. 19. quædam de nouo insulæ apparuerunt quæ antè erant inuisæ. causa huius est vap. terrestris clausus in loco terræ viscosæ, & tenacis, cuius partes non de facili abinuicem diuiduntur, si fuerit sub terra solida eleuat eam & constituit montem, si autem est inclusus sub fundo maris eleuat eam super aquas, & constituit insulam emergentem super aquas.

Tertiò, aliquando vehit insulam de loco ad locum, & aliquando ex toto profundat eam sub aquis, causa vectionis est eadem cum ea quam adduximus in effectibus terræ motus circa terram solidam. causa profundationis est eadem cum ea quam assignauimus in motu ruinoso, circa terrã solidam. Hæc de effectu terræmotus dicta sint.

CAPVT VI.

De Terræmotus duratione.

IN sexto cap. agendum est de mora & duratione terræmotus, & dico de hoc non haberi certam mensuram: quoniam aliquando durat per annum, aliquando per mensem, aliquando per diem. aliquando per horam & minus, sed hæc diuersitas inuestiganda est saltem in specie, scilicet quare aliquando est longior, aliquando breuior. Aduerte igitur hanc diuersitatem causari ex duobus. Primò ex qualitate vaporis causantis terræmotum. Secundò ex dispositione loci, in quo contingit terræmotus, qualitas autem vaporis diuersificans moram terræmotus, est triplex:

Prima est densitas, & hæc causat longiorem moram, raritas autem breuiorem. nam quando vapor subterraneus est densus excellenter, cum difficultate expirat, quoniam sua crassitie pigritatur: rarus verò faciliter expirat ex subtilitate: & ideo cùm vapor medius est inter rarum & densum, breuem causat terræmotum.

Secunda est caliditas, & acuitas vaporis, & hæc causat breuem & citum terræmotum: quoniam vapor calidus, & acutus citius transit, & mouet, & frangit locum, sub quo est, & citius expirat: ideo terræmotus est valde breuis. Tertia, est frigiditas, & hebetudo vaporis subterranei, & hæc causat longam moram in terræmotu: quoniam materia densa, & frigida est tardi motus, & lentè transit, vnde assimilatur febri quartanæ, quæ mouetur solùm de quarto in quartum propter frigiditatem, & terrestreitatem humoris melancholici, à quo causatur: tertiana verò mouetur de tertio in tertium: aliquando quotidie, quoniam causatur ex humore choleriico calido acuto.

Dispositio verò loci per quam diuersificatur mora terræmotus est duplex.

Prima, est frigiditas loci, & hæc est causa longioris moræ: quoniam locus firmus habet partes bene compactas, & difficulter diuiduntur: & ideo vapor subterraneus diu pulsat sub terra solida, antequam diuidat eam, vel tremorem causet.

Secunda, est teneritudo vel mollities loci, & hoc causat breuitatem moræ: quoniam terra mollis non habet partes bene compactas, ideo de facili commouetur. Si autem quæras quanta sit loci magnitudo, in quo contingit terræmotus: dico quòd aliquando est paruus, aliquando magnus, vnde aliquando mouet solùm vnam domum, aliquando totam vrbem, aliquando totam prouinciam, sicut dicunt antiqui terræmotum diuisisse Africam ab Hispania, & eius diuisio fuit initium maris Mediterranei Occidentalis ad columnas Herculis, quoniam propter illam diuisionem aqua Oceani terram ingressa est, & extendit se vsque in Aegyptum. Item diuisit Siciliam ab Apulia, & Aegyptum à Cypro, & montem Ossam, à monte Olympo: & montem in Tuscia apud Asisium diuisit in duas partes: non potest igitur determinari certa latitudo loci, in quo contingere potest terræmotus: videtur tamen Seneca dicere non fuisse inuentũ terræmotum, qui locũ occupauerit vltra cc. milliaria. Hæc de terræmotu dicta sint.

TRACTATVS SEXTVS
super Meteora, de impressionibus genitis ex vapore sicco terrestri incluso in vapore humido aqueo condensato in nubem, in septem capita diuisus.

IN hoc sexto tractatu agendum est de impressionibus, quæ generantur ex vapore sicco terrestri incluso in vapore humido concludente ipsum, & huiusmodi impressiones sunt, fulgur vel coruscatio, tonitruum, fulmen, & ventus turbinis: & diuidimus ipsum in septem capita.

Primò, inuestigatur materia proxima harũ impressionum.

Secundò, quomodo generatur fulgur, & quomodo diuersificatur in coloribus.

Tertiò, quomodo generatur tonitruum, & diuersificatur in sono.

Quartò, quomodo generatur fulmen: & diuersificatur in effectibus.

Quintò, quomodo generatur ventus turbinis.

Sextò, quo tempore huiusmodi impressiones præcipuè generantur.

Septimò, soluuntur quædam dubia circa determinata.

CAPVT I.

Quæ sit materia proxima earum impressionum quæ gignuntur ex sicco terrestri incluso in vapore humido aqueo in nubem condensato.

QVantum ad primum caput, dico materiam proximam, ex qua generantur prædictæ impressiones, quòd est vapor siccus terrestris densus eleuatus ad mediam aëris regionem, in qua generantur nubes, & est inclusus in vapore aqueo condensato, & conuerso in nubem, ita quòd includitur in nube sicut vẽtus in vtre. Ad cuius euidentiam aduerte, quòd, vt suprà pluries diximus, Sol ex terra, & ex aqua duo vaporum genera eleuat. Primò, vaporem humidum qui ascendens, & frigiditate aëris condensatus conuertitur in varias species impressionum humidarum, vt in rorem, pruinam, pluuiam, niuem, grandinem, sed in rorem, & pruinam, sine hoc quòd conuertatur in nubem, fiunt enim sereno tempore: in pluuiam verò, & niuem, & grandinem non conuertitur, nisi prius conuertatur in nubem, & nubes secundum variam dispositionem conuertitur modò in pluuiam, modò in niuem, modò in grandinem, & de hoc quidem vapore ac impressionibus humidis satis diximus suprà.

Secundò eleuat vaporem siccum terrestrem, & hîc quidem tripliciter diuersificatur: nam si est simplex & subtilis & liberè ascendens ad mediam aëris regionem conuertitur in ventum: si autem est simplex, sed densus, non liber, sed violenter detentus in concauitatibus terræ, causat terræmotum: si verò non ascendit simplex, sed in suo ascensu coniungitur vapori humido ascendenti, & ab eo circundatur, & concluditur velut à pelle repleta vento, sic ex eo causantur coruscatio, & tonitruum, & fulmen: quæ quidem, quomodo fiant, declarabitur in capite sequenti.

CAPVT II.

Fulgur, seu coruscatio, quomodo generetur.

IN secundo capite dicam duo: Primò, quomodo generatur fulgur, quod & coruscatio dicitur: Secundò, quomodo diuersificatur in colore.

Quantum ad primum, aduerte quòd quando vapor humidus ascendit simul cum vapore sicco terrestri perueniens ad mediam aëris regionem ex frigiditate loci condensatur, & conuertitur in nubem, quæ in seipsa concludit vaporem siccum, sicut vter concludit aërem: & quoniam frigiditas loci comprimit partes nubis, & arctat, ex consequenti comprimitur vapor siccus terrestris conclusus in ventre nubis. In huiusmodi autem comprehensione fit magna vaporis sicci agitatio in ventre nubis: fortis verò agitatio causat inflammationem, vt patet, quando ventus fortiter percutit arundines siccas adinuicem, adeò quòd incendunturr, vt sæpe experiuntur nautæ in litore maris. Cum igitur hic vapor siccus terrestris sit calidus à causa extrinseca, quoniam, scilicet eleuatur, vt infrà dicemus, tempore calido, ex agitatione facta in ventre nubis cità & de facili inflammatur, inflammatus autem causat coruscationem, & scissionem nubis. nam fulgur vel coruscatio (pro eodem enim accipiuntur) dicitur illuminatio vaporis sicci, inflammati ex agitatione facta in ventre nubis.

Quantum ad secundum, aduerte quòd coruscatio pluribus coloribus solet apparere. nam aliquando apparet, vt flamma alba lucens. Causa huius est, vapor subtilis siccus rarus & multus, qui dum inflammatur in nube, ex subtilitate parum fumat, ideo facit flammam raram, quæ est alba: & si cadit super corpora, parum lædit ea, nisi in superficie: est enim vt flamma paleæ, cuius adustio non multùm penetrat.

Aliquando apparet, vt flamma citrina: causa huius est, vapor siccus aliquantulum densior, & humidior, ideo causat crassiorem inflammationem, qualis est flamma citrina siue crocea, siue subrubea comparata flammæ albæ: & consimilem flammam reddunt ligna rara comparata paleæ.

Aliquando apparet rubicunda velut carbones igniti lucidi. Causa huius est, vapor siccus quando est densus & humefactus humiditate conglutinosa, & vapor sic inflammatus, dum exit à nube, si descendens pertingit vsque ad terram, vt dicemus in capite de fulmine, & maximè adurens corpora super quæ cadit, & magis quàm ignitum metallum: exit autem à nube cum tremore magni soni, sicut æs liquatum & bulliens de fornace ardet in aqua, incendit ciuitates, penetrat vsque ad interiora corporum, & animata interimit.

Aliquando apparet fumosa, lucens aliquantulum, sicut carbones obscuri igniti. Causa huius est, vapor siccus, quando est multum terrestris densus admixtus humiditati viscosæ ad modum picis: & talis vapor si longo tempore decoquatur in nube, conuertitur in lapidem nigrum, vel subrubeum ad modum lateris decocti, & ferruginei, qui si exit à nube versus terram scindit arbores, parietes penetrat. Hos lapides vidimus temporibus nostris, & dicuntur vulgariter sagittæ, vel secures tonitrui, sunt acuti secundum vnam partem, eò quòd vapor dum decoquitur in nube quasi fluens declinat ad illam partem. Hæc de coruscatione, quæ & fulgur dicitur, dicta sint: quæ autem circa eam accidunt dubitabilia, soluentur in capite vltimo.

CAPVT III.

Tonitruum quomodo generatur & sonum causet.

CIrca caput tertium duo consideranda sunt.

Primò, quomodo causatur tonitruum.

Secundò, quomodo causat sonos diuersos, dum est in fieri.

Quantum ad primum, dico quòd quando vapor est in nube conclusus, & inflammatur, frigiditas aëris mediæ regionis congregata ad locum vnum, in quo generatæ sunt nubes, cõprimit nubes, & compressæ comprimunt vaporem siccũ inflãmatum conclusum in nube: qui dum comprimitur agitatur, & contundit latera nubis, & si adeo, & tam diu contundit nubem, cp frangat eam, egreditur forti impetu, & ingentem sonum causat in aëre, quem appellamus tonitruum, vnde & Albert. in 2. lib. tract. 3. cap. 1. inquit tonitruum esse sonum vaporis ficci inflammati egredientis ex nube humida.

Quantum ad secundum, dico quòd vt in pluribus huiusmodi sonus est quadruplex.

Primus est per modum tumultuantis vel contundentis vegetem frequentatis ictibus, & hic generatur quando vapor siccus inclusus in nube agitatur & percutit latera nubis, sicut si quis clausus in vegete percutere eius latera, & tamen vapor non adeo percutit quòd valeat nubem scindere, tunc auditur sonus tumultuans, qui aliquando fit sine coruscatione. Etenim vapor inclusus in nube licet agitetur, tamen nondum est inflammatus, aliquando fit cum coruscatione, sed obscura, vt quando iam est inflammatus vapor, & percutit latera nubis, sed non scindit, & tunc sentimus sonum tumultuantem, & videmus flammam micantem velut post pannum, quoniam nubes est aliquantisper diaphana.

Secundus est per modum scissionis magnæ veluti si pãnus fortis & latissimus toto conatu scindatur, tale tonitruum est horribile, & coruscatio videtur obliqua, eo quòd nõ rectè, sed obliquè scinditur nubes: & primò in parte in qua intensius contusa fuit à vapore sicco inflammato percutiente nubem, & huiusmodi tonitruum frequenter est interruptum ad modum soni causati à plaustro moto super saxa inæqualia, & durat quasi decurrens per aërem: quoniam partes nubis successiuè scinduntur.

Tertius est per modum fractionis vel subitæ percussionis ad instar vesicæ magnæ, & inflatæ quando fortiter percussa frangitur, & huiusmodi sonus fit quando totus vapor siccus inflammatus, vel maior eius pars exit à nube frangens eam impetuosè, Tunc vapor egrediens à nube percutit aërem fortissima percussione, & causat huiusmodi tonitruum.

Quartus est per modum cõbustibilis crepitantis in igne, & id contingit quãdo vapor siccus inflammatus fit subtilior, Tunc enim quærens ampliorem locum cum magna violentia nubem compressam disilire facit, & aliqua eius pars impetuosè egreditur. Præcipuum exemplum habemus de hoc in castanea quæ non incisa cortice decoquitur, quando enim humiditas in eis incipit resolui generatur vapor intrinsecus sub cortice, qui calore ignis rarefactus quærit locum maiorem occupare quàm sit cortex castaneæ, & tunc tumescens frangit violenter corticem, & forti impetu, ac ingenti crepitu exilit ab igne dispergens cineres & carbones. Hi sunt principaliores modi in tonitruo, alios autem non excellentes, quos ponit philosophus, vt sonum exibilationis, vel stridoris, vel exsufflationis pertranseo, quoniam rarò percipiuntur.

CAPVT IIII.

De fulminis generatione, & mirandis effectibus.

CIrca cap. 4. quod est de fulmine dicam tria.

Primo, quomodo fit fulmen.

Secundo, quot modis fit.

Tertio, qui sint eius effecti mirandi.

Quantum ad primum, dico cum Auerroe in secundo libro Meteorologi. capit. 2. quòd eadem inflammatio vaporis in nube diuersa ratione dicitur fulgur, & fulmen. nam dum vapor inflammatus exit à nube diuisa & fracta cum splendore dicitur fulgur. Si autem prædictus vapor egressus de nube non extinguitur in aëre superiori, sed descẽdens inferius percutit arbores, aut ædificia, vel alia in superficie terræ, dicitur fulmen, vnde fulmen non est aliud quàm vapor inflammatus in nube dirumpens nubem, & egressus percutiens inferiora, propter quod Seneca describens fulmen secundũ antiquos inquit, fulguratio est Iouis comminatio, fulmen autem est eius ictus, quando igitur quæritur quomodo causatur fulmen dicendum est quod causatur ex vapore sicco inflammato egrediente ex nube non extincto in aëre superiori, sed percutiente hæc inferiora, imò ipsa vaporis percussio dicitur fulmen, & ab antiquis poëtis dicitur Iouis sagitta, de quo quid veritas contineat, dicetur infrà.

Quantum ad secundum, dico quòd fulmen vt in pluribus fit tribus modis.

Primo, per simplicem vaporem, egredientẽ inflãmatum ex nube & descendentem non extinctum vsque ad vel iunta terram, & sic hoc modo, vapor inflammatus descendens versus terram, & inueniens aërem propinquũ terræ percutit intensè aërem, aër percussus simul cum vapore percutit arbores & ædificia sublima, & nocet illis aliquando scindendo, aliquando eradicando, aliquando solus aër percussus percutit inferiora, quoniam non semper vapor percutiens descendit ad terram, & tunc à solo aëre fit percussio, in virtute tamen vaporis prius percutientis aërem.

Secundo, per lapidem conflatum ex ipso vapore, Nam si vapor conclusus in nube est multum terrestris admixtus humiditati viscosæ sicque ad modũ luti, & agitatus valde ignitur in nube, adeo decoquitur quòd in duratus vertitur in lapidem nigrum vel subrubeum ad instar lateris decocti vltima decoctione, ille igitur vapor conuersus in lapidẽ maximo impetu exiens à nube mouetur impetuosè versus terrã, vt emissus ex bombarda, & cadens versus terrã corpora sibi resistentia euertit, sub terra adeo profundatur, vt vix possit inueniri.

Tertiò, per aliquod minerale metallicum, puta ferrum vel chalybem, vnde secundum Alber. in 3. lib. tract. 3. cap. 2. quòd vapor ille qui eleuatur à sole, & concluditur in nube, aliquando non est simplex: sed ex variis compositus quorum natura tendit ad naturam argenti viui, & sulphuris terrestris non desiccati, vel argenti lutulenti, cùm igitur huiusmodi vapor fuerit in nube conclusus & agitatione inflammatus decoquitur, & induratur & vertitur in frustum ferri quod generatur ex terrestri lutulento viscoso, imò quoniam multum decoquitur in nube adeo quòd depuratur quòd aliquando vertitur in chalybem, est enim chalybs ferrũ depuratum, hoc igitur ferrum cadens de nube quicquid sibi obuiat destruit & dilacerat: & quoniam in nube est summè desiccatum propter maximam & ardentissimam decoctionem non potest igne liquefieri, nec mollificari, nec cum malleis extendi: si quando proiicitur in igne, si ibi per longam moram steterit euaporat & conuertitur in cineres, hi igitur sunt principales modi quibus consueuit fieri fulmen.

Quantum ad tertium, dico cum Philosopho, & Albert. quòd adeo mirabiles apparent, vt credantur ab antiquis non naturales, sed diuini propter quòd Hesiodus, & diuini poëtæ affirmabant tonitruum & fulmen attribuenda Iouis, quem Regem vniuersi & patrem dicebant, & Pythagoras dicebat Iouem tonare, vt inferi præcipuè qui detinentur in tartaro cum timerent. Dicebat etiam Iouem per tonitruum comminari mortalibus, & per fulmẽ percutere, verùm quia Deus gloriosus rerum naturas per causas naturales administrat & regit, quoniam diuina sunt penè incomprehensibilia, ideo de his effectibus quantum valemus causas naturales, & rationes considerare congruum est: propter hoc tamẽ non negamus quin diuina potentia, aliquando præter naturalem ordinem huiusmodi & fulmina causet propter vindictam impiorum, aut ad declarandum immensitatem virtutis suæ, sed talis perscrutatio ad Theologum pertinet, nunc autem naturalibus causis innitentes perscrutabimur principaliores fulminis effectus, & sunt nouem.

Primò, lædit & exiccat flores viæ, & tamen non apparet signum adustionis.

Ad euidentiam huius: aduerte cp vapor siccus & inflammatus exiens ex nube fracta aliquando extinguitur in aëre superiori, & tunc non fit fulmen, quoniam nil percutit, aliquando descendit vsque iuxta terram, & tunc semper fit fulmen, quia semper aliquid percutit vel adurẽdo, vel diuidẽdo, vel diruendo, sed eius effectus diuersificãtur secundũ variam subtilitatem & densitatem suam, aliquando enim est valde subtilis, aliquando densus; quando est valde subtilis, est maximè penetratiuus, & præcipuè quia admiscetur aëri quem alterat suo lumine, & calore, & tunc simul iuncti potentiores sunt ad penetrandum: inter corpora autem ea sunt de facili penetrabilia, quæ sunt rara & porosa: inter ligna verò vitis est valde rara & porosa. Cuius signum est subtilitas corticis, & ampla eius medulla: quoniam igitur vitis est valde porosa, ideo vapor siccus inflãmatus facilè eam penetrat quando est subtilis, & inficians vitem quasi insensibiliter desiccat eius flores, non sic contingit in aliis arboribus, quonjam durioris sunt corticis, nec multum porosæ, præcipuè

cipuè quercus, & pyrus, & cornus, & ebenus, &c.

Hæc eadem causa est, propter quam intumescit facies hominis dia aspicientis fulgur, & aliquando excæcatur: nam cùm homo sit porosæ pellis & subtilis, haurit ignitum vaporem subtilem, à quo corrumpitur humiditas connaturalis faciei humanæ: & ideo tumescit: similiter, quia oculus est porosus, oculum ingreditur & corrumpit humorem, ex quo componitur pupilla, quem prospectiui dicunt crystallinum, & sic oculus excæcatur: & ideo tutum est tunc auertere faciem, vel claudere oculum.

Secundò, exurit pilos in corpore hominis etiam existentes in locis occultis, vt sub axillis, & non lędit cutem, nec aliud membrum in homine. Ad euidentiam huius effectus nota, quòd vapor siccus inflammatus exiens à nube aliquando est omnino diuaricatus, nullo modo congestus, & tunc est debilissimæ actionis, adeò quòd non potest alterare, nec incendere, nisi quædam parua & subtilia, & sicca, & summè disposita ad incensionem, quales sunt pili corporis humani: illi enim sunt sicci, & subtiles & inflammabiles, ideo stante diuaricatione & debilitate illius vaporis incendit tantùm pilos: nullámque aliam causat læsionem in corpore nostro.

Tertiò, exurit vestes, caligas, & calceos: & tamen non lædit aliquam partem corporis.

Ad euidentiam huius effectus nota, quòd licet ille vapor non sit aliquando adeò debilis, vt quando solùm pilos exurit, est tamen debilis in tantum, quòd non potest agere in partes humidas, quæ in quantum humidæ resistunt vapori sicco ignito: & quoniam caro est humida humiditate sanguinis & alia humiditate accidentali, ideo tunc vapor debilis non potest agere nisi in sicca incensibilia circundantia carnem, vt sunt calci, vestes, &c. Nota tamen quòd nunquam exurit vestes, & caligas, quin exurat pilos, cùm sint facilius incensibiles.

Quartò, liquefacit pecuniam in bursa vel conuertit in cineres, & tamen non lædit bursam, & rodit ensem in vagina, & non lædit vaginam.

Ad euidentiam huius effectus, nota quòd aliquando vapor inflammatus exiens à nube est bene sibi cohærens secundum partes, & vnitus, licet sit subtilis: & quidem in quantum subtilis penetrat corpora porosa non resistentia, vt sunt tabula lignea, corium, pannus, &c. & ideo, quia non resistunt, statim penetrantur, nec immoratur in illis, propterea non agit in eis adustionem: in quantum verò est vnitus & bene commixtus, si inuenit corpora dura non porosa, vt aurum, argentum, lapides, ferrum, moratur in illis congregatus: quia ex eorum duritie non facilè penetrantur: ex mora autem tracta in illis comburit ea: & aliquando ita agit, quòd reducit ea in puluerem, quod est signum maximæ adustionis: hæc ergo est causa quare non lædit bursam, nec vaginam, quia scilicet sunt porosæ, nec resistunt: ideo vapor subtilis statim pertransit: metallum verò quia durum est, & resistit, ideo vapor vnitus moratur in eo, & ex mora consumitur: quia non statim pertransitur, nec debet mirum videri quòd vapor in corpore raro non causet adustionem, qui congregatus in corpore solido, & denso comburit. Exemplum habemus in calce frigida, in qua ignis est dispersus non vnitus in partibus, ideo non fumat nec ardet: cùm autem ex infusione aquæ partes ignis simul vniuntur, tunc videmus calcem fumum emittere, ebullire, comburere si quod combustibile, præcipuè carneum, proiiciatur in eam.

Quintò, interficit hominem, & non apparet vulnus, nec adustio.

Ad euidentiam huius effectus, nota quòd vapor inflammatus existens subtilis aliquando fortissimè percutit, & ex sua subtilitate penetrat vitalia membra: & sic interficit hominem: sed quoniam est subtilis & rarus, ideo nec vulnus nec adustio apparent.

Sextò, aliquando sola diuisio apparet, & hoc maximè inuenitur in ligno fulmine percusso, quod & in loco diuisionis albissimum inuenitur.

Ad euidentiam huius effectus nota, quòd ille vapor percutiens aliquando est densus habens partes sibi bene cohærentes, tunc id quod sibi obuiat, si est corpus solidum, etiam si sit porosum, manifestè adurit. & apparent adustionis signa, vel manifestè diuidit, & sic causat vulnus in corpore animalis: in ligno autem, si non habet flammam bene condensatam, non causat adustionem, sed diuisionem: in loco verò diuisionis apparet album ex effectu derelicto consimili flammæ non condensatæ, quæ est alba velut argentea.

Septimò, comburit vegetem, & vinum non effunditur per aliquam moram temporis.

Ad euidentiam huius effectus nota, quòd proprietates vini & cuiuscunque liquoris fulmine percussi est quòd efficiuntur pestiferæ; ita quòd bibens aut moritur, aut efficitur amẽs. nam fulmen immittit liquori vaporem viscosum corruptum sulphureum, qui cum humiditate liquoris fulminati efficitur quoddam continuum per modum pellis viscosæ in circuitu vasis continentis liquorem, & huiusmodi pellis per moram temporis continet liquorem ne effundat, sicut pellis tenera circundans ouum antequam dura testa fit producta continet illud, ne effluat in ventre gallinæ. Huius exemplum habemus in psylio, quod si in magna quantitate immisceatur vino, vinum ex eo contrahit magnam viscositatem, eò quòd psylium est admodũ viscosum causans mucilaginem, viscositas illa ex calore vini expellitur in circuitu vini adhærens interiori superficiei vegetis, & ibi condensatur, qua condensata, etiam si extrahatur spina à vegete, vinum non exibit propter mucilaginem factam in circuitu vegetis.

Octauò, animal percussum fulmine inuenitur tenere caput vel faciem versam contra impetum fulminis.

Ad euidentiam huius effectus nota, quòd naturale est animali se vertere ad partem illam, ex qua venit nocumentum superiusum: & ideo in actu videndi, quo desiderat agnoscere quale, & vnde sibi eminet periculum, statim à fulmine percutitur, & citissimè moritur, adeò quòd nec tempus habet auertendi caput, & ideo inuenitur tenere caput vel faciem conuersam ad partem, vnde venit fulmen.

Nonò, omne percussum fulmine habet odorẽ sulphureũ.

Ad euidentiam huius effectus nota, quòd illud accidit propter vaporem sulphureum, qui spargitur ex nube, nam aquositas ipsius vaporis mixta cum terrestreitate & calore corrumpente ac adurente perducitur ad ventositatem sulphuream: & talis vapor procedit de nubibus aquosis habentibus in se inclusos vapores terrestres ignitos: hoc enim modo generatur sulphur, vt aliàs dicetur. Cùm igitur vapor fulminis sit sulphureus, omnia fulminata, quibus prædictus vapor adhæret, habent odorem sulphureum & fœtidum. Hæc dicta sint de mirandis effectibus fulminis.

Verùm, quia antiqui Philosophi & diuini Poëtæ attribuunt Ioui virtutem tonandi, & fulminandi, vt diximus suprà, considerandum est quid veritatis hæc opinio contineat. Dico igitur cum Alberto in tertio libro, tractatu tertio, capite vigesimo secundo, quòd in hoc est veritas, Iupiter sumptus non pro deo nec deorum patre, sed pro secundo planeta habet virtutem causandi tonitrua & fulmina: est enim illius proprietatis eleuare vapores siccos, qui sunt materia ventorum & fulminũ, sed diuersa ratione, vt diximus in principio tractatus, præcipuè quando fuerit coniunctus Marti in signis Septentrionalibus, vt in Geminis, Cancro & Leone, tunc certissimè prognosticari poterimus, quòd crebræ accident coruscationes & fulmina: ideo ex hac proprietate congruè attribuitur Ioui virtus tonandi, & fulminandi. Quæcunque autem alia dicta de huiusmodi ab antiquis relinquuntur à nobis, qui pro præsenti consideratione insistimus rationi naturali.

CAPVT V.

De vento turbinis.

CIrca quintum caput agendum est de vento, qui dicitur turbo, de quo dicemus sex.

Primò quis sit.

Secundò, vnde venit.

Tertiò, quomodo causatur,

Quartò, vnde causatur rotunditas sua.

Quintò, quanta sit eius potentia.

Sextò, quo tempore præcipuè fit.

Quantum ad primum, aduerte quòd est ille, qui sæpe videtur in area inuoluendo tollere paleas, & in via puluerulenta leuare globum pulueris, & in campo leuare signa parua, & rotando trahit in altum: & communiter post huiusmodi ventum sequuntur tonitrua. & aliquando est tantæ potentiæ, vt dicemus infrà, quòd eleuat homines & bestias in altum.

Quantum ad secundum, aduerte quòd aliqui volunt hunc ventum esse compositum ex vento Aquilonari, & vento Australi, quoniam illi impetuosi sunt, & hic impetuosissimus est: & dicunt quòd cùm Aquilo flat à Septentrione, & Auster à Meridie, & concurrunt in vnum locum, quasi contra se mutuò coniuncti pugnantes causant hunc ventum, qui repercussus à terra, vt pila reascendit, & secum trahit inuoluens paleas, &c.

Sed hæc opinio non est vera, quoniam experimur hunc ventum flare in loco valde stricto, vt in medio areæ, vel viæ, & extra locum illum aër penitus quiescit: quãdo autem spirant

Aquilo & Auster, tota regio concitatur, ideo vanum est dicere turbinem esse ventum compositum ex illis duobus.

Est igitur alia opinio, quæ etiam est Arist. quòd hic ventus egreditur non ab aliqua plaga mundi, sed à nube aquea cõcludente in se vaporem terrestrem, quem diximus suprà esse materiam venti, qui pulsus à nube fracta, vt dicemus, tẽdit impetuosè versus terram, & repercussus à terra reascendit secũ trahẽs quæ terræ adhærebãt, vt paluerẽ, stipulã, &c.

Quantum ad tertium, aduerte q̃ est ventus compositus ex duobus egredientibus à duabus nubibus locatis in oppositis sitibus, sic autem causatur quando sunt duæ nubes sic situatæ & vtraque in se concludit vaporem terrestrem, ex vtraque egreditur huiusmodi vapor impetuosè, & fiunt duæ spirationes oppositæ versus terram, quoniam insufflatio ventosa prò priè est de sublimi versus terram, & conuenientes in loco vno vbi terã percutiunt, faciunt ventũ turbinis, quoniã vna impellit aliam & impellitur, & ideo per modum circuli rotundantur inuoluendo seinuicem, & ascendunt in altum trahentes in altum corpora minuta adhærentia terræ.

Quantum ad quartum, aduerte rotunditatem ei prouenire ex eo quòd vtraque spiratio cùm habeat duo latera, habet vnum debilius, & alterum fortius, & quando sibiinuicem obuiant in vtraque cedit latus debilius fortiori, & fortius in vtraque reduplicatur, vt possit continuè vincere latus sibi oppositum, & ita ventus reuoluitur in seipsum circa centrum quod est in medio latitudinis vaporum, & vtriusque spirationis, vnde non inconuenit ventum turbinis principiari à duabus spirationibus rectis egredientibus à nubibus duabus oppositis, quæ descendentes versus terram paulatim incuruantur, & reducuntur in circulum.

Quantum ad quintum, aduerte potentiam huius venti arẽdi, & graduari ex tribus scilicet, ex percussione nubis, à qua egreditur, ex quantitate vaporis terrestris ex quo causatur & ex impetu virtutum, siue qualitatum inuoluentium, quæ sunt in lateribus huius venti, si enim hæc tria magna sint possunt esse adeo fortia quòd subuertunt arbores, & ædificia, & montes, si autem debilia non commouent, nec eleuant nisi parua, & si medio modo se habent commouent, & eleuant mediocria, vt corpus hominis, cumulum stipulæ, tabulas ligneas, &c.

Quantum ad sextum, aduerte quòd vt in pluribus fit in æstate, quoniam tunc eleuantur nubes aqueæ includentes in se vaporẽ terrestrem, ex quo inflammato generatur fulgur & tonitruum, ex non inflammato autem generatur turbo, dummodo frangatur nubes concludens eam, aliquando autem generatur in hyeme, sed intempore niuis quoniam nubes niuosæ habent in se plurimum spiritus aërei, ex quo generabitur turbinis ventus, quando nubes niuosæ constitutæ sunt in opposito situ, sed id rarò in hyeme contingit. Hæc de vento turbinis dicta sunt.

CAPVT VI.

Quo tempore fiant huiusmodi impressiones.

IN 6. cap. inuestigandum est quo tempore præcipuè fiunt huiusmodi impressiones, & dico quòd per se fiunt in æstate tempore magni æstus, & post magnum cauma, & huius ratio est duplex.

Primò, tonitruum & fulgur, & fulmen non sunt nisi ex vapore sicco inflãmato, hic vapor antequã cõcludatur in nube dum ascẽdit incipit inflammari alioquin frigidus recideretur in nube, nec sola agitatione posset perfectè inflammari, oportet ergo antequam recipiatur in nube quòd calefiat intensè ex aëre calido per quem ascendit, sed in aëre non est calor intensè calefactiuus nisi in æstate, vt patet, ergo, &c.

Secundò, huiusmodi impressiones non fiunt nisi frigus circunstans in aëre fortiter impellat nubem aqueam, & illa cõprimat vaporem inclusum vt diximus suprà, tale autem frigus non est in aëre nisi sit pulsum vndique ad vnum locum: hæc autem pulsio non fit nisi tempore æstatis, vt declarauimus agentes de generatione grandinis, ergo huiusmodi impressiones ordinariæ non possunt fieri nisi in tẽpore æstatis, Contingit tamen quòd aliquando fiunt in principio veris, & in fine autũni propter calorem de nouo causatum in aëre per accessum solis ad nos, aut de relictũ in aëre tẽpore autumni, retinet enim de calore æstiuo, qui tamen continuè remittitur ex recessu solis à nobis. Hæc de tempore generationis fulguris, tonitrui, & fulminis dicta fuerint.

CAPVT VII.

Quorundam circa tales impressiones dubitatorum solutio.

CIrca cap. 7. soluenda sunt quædam dubia quæ contingunt circa prædictas impressiones.

Dubium primum, dictum est huiusmodi impressiones nõ fieri nisi ex vapore sicco inflammato incluso in vapore humido cõuerso in nubem, dubitatur ergo quis prior ad mediam aëris regionem ascendit, an siccus, an humidus, an simul ascendunt. Ad hoc dico cum Alber. in 3. lib. tract. 3. capit. 9. quòd aliquando simul ascendunt, aliquando siccus est prior, aliquando humidus, & ex hac diuersitate prouenient diuersi effectus, nam si simul, vel si prior humidus ascendit, dum vapor siccus subsequens pertingit ad humidum iam condensatum ex frigiditate mediæ regionis recipitur in eo sicut aër in vtre, & illic detentus & compressus agitatione inflammatur, & inflammatus impetuosè scindens nubẽ causat tonitruum & coruscationem: si autem vapor siccus prius ascendit non includitur in vapore humido, sed liber ascẽdit ad supremam aëris regionem, & illic ex caliditate regionis, & proximitate ad sphæram ignis conuertitur in impressionem ignitam, vt in stellam comatam, vel asub, vel in aliquam ex his, quas pertractauimus in 2. tract. vel consumitur, & in aërem conuertitur, & sic sequitur quòd ex sicco vapore prius ascendente non generatur fulgur, nec fulmen. Ad hoc ergo quòd generentur ex dicto vapo, necesse est, vt vel simul ascendant, vel prior in ascensu sit vapor humidus quoniam postquam ascenderit. & infrigidatur ac condensatur in media regione prohibet vaporem siccum altius ascendere, ideo cùm pertingit ad ipsum circuncluditur ab eo.

Dubium secundum, an sit posibile vaporem humidum concludi in sicco, sicut econuerso. Ad hoc dico quod non, quoniam vapor humidus aqueus habet aliquid quo est aptus circuncludere siccum, & illud deficit vapore sicco. nam dum vapor humidus pertingit ad mediam regionem vbi incipit condensari in nubem efficitur dilatabilis, & circunfunditur vapori sicco, ideo concludit eum sicut vter aërem, vapor autem siccus terrestris non est dilatabilis sua siccitate, nec circunfusibilis, ideo non est eadem ratio, quare, &c.

Dubium tertium, quomodo sit posibile vaporem siccum inflammari in nube aquea, cùm magis debeat infrigidari, Ad hoc dico ipsum inflammari ex motu coagitatiuo facto in nube, vnde aduerte quòd omnis inflammatio in aëre fit duobus modis. Primo, ab intensè calido extrinseco, vt quando lignum, & stipula inflammantur ab igne, aut à motu coagitatiuo, vt inflammatur gladius ex agitatione, & confricatione super lapidem, omnis vapor qui est in aëre inflammatur, altero dictorum modorum inflammatur, vapor quidem siccus ex quo generantur impressiones ignitæ inflammatur ab intensè calido extrinseco, id est à calore supremæ regionis quæ æstuat ex proximitate ad sphærã ignis. vapor autem siccus ex quo generãtur tonitruum, fulgur & fulmen, inflammatur motu agitationis in nube, & fit hoc modo. Quoniam vnum contrarium pellit à se alterum contrarium, contrariantur autem calidum & frigidum. frigiditas nubis causata ex frigiditate vaporis aquei, & frigiditate mediæ regionis pellit à se calorem vaporis sicci terrestris. qui quidem calidus est, vt supra diximus, quoniam vt in pluribus eleuatur tempore caumatis & æstus, in quo frequentius huiusmodi impressiones generantur, & calor vaporis sicci pulsus vndique ab extremitatibus nubis frigidæ vnitur in seipso, & comprimitur, & coagitatur vapor siccus in qua coagitatione excitatur flamma præcipuè in re facillimè inflammabili, qualis est vap. siccus terrestris calidus, præterea quoniam siccitas vaporis terrestris cõtrariatur humiditati vaporis aquei, pellitur ab ipsa humiditate, fugitque siccitas humiditatem vt sibi cõtrariam, ex qua fuga vapor agitatur in nube. duabus igitur causis agitantibus vaporẽ siccũ, scilicet frigiditate, & humiditate nubis, necesse est vaporem siccum & calidum inflammari & igniri in nube per motum coagitatiuum.

Dubium quartum, si vapor inflammatus contundens, & scindens nubem, scindit eam secũdum partem superiorem, vel lateralẽ, vel inferiorem, Ad hoc dico, quòd vt in pluribus scindit eam in parte inferiori versus terram, quoniã vap. siccus inflammatus percutiens nubem de intus scindit eam vbi minus densa est, quia vt sic minus potest resistere percutienti. Est autem minus dẽsa in parte inferiori propter vicinitatem ad infimam regionem, quæ est minus frigida, ex consequẽti in parte inferiori minus condensatur. præterea, licet ignis ex natura sua ascendat, tamen genitus in materia terrestri descendit non quidem vt ignis, sed vt in tali materia, omne nãque terrestre graue est, cùm ignis causatus ex agitatione in nube sit in vapore sicco terrestri, ex tali vapore contrahit grauitatem, & sic quærit descendere, quasi igitur ponderans scindit nubem in parte inferiori vt descendat,

Dubium

Dubium quintum, si vapor inflammatus egreditur à nube totus simul, an secundum partes successiuè. Ad hoc dico quòd aliquando totus, aliquando per partem post partem egreditur. huius causa est diuersitas inflammationis, & vnionis ipsius vaporis. nam aliquando est bene vnitus, & conglutinatus, & tunc simul totus igitur, totúque impetuosa percussione scindit nubem, & totus simul egreditur, aliquando autem est sparsus, & diuaricatus, & tunc non simul totus ignitur, nec subita percussione scindit nubem, sed successiuè, sicut quando scinditur pannus magnæ latitudinis, & egreditur per partem post partem, quia successiuè inflammatur, & successiuè scindit nubem, ex consequenti successiuè egreditur.

Dubium sextum quare vapor ignitus mouetur deorsum, vt patet in fulmine percutiente inferiora, & tamen vt ignis deberet moueri sursum. Ad hoc dico quòd licet sit proprium ignis ascendere, tamen in proposito duplici causa descendit. Primò, quia prohibetur ascendere ex frigiditate mediæ regionis, à qua vt sibi contraria repercutitur ad partem inferiorem. Secundò, quia non est purus ignis, sed receptus in materia aliena, quæ est vapor siccus terrestris grauis factus ex condensatione, cuius proprium est descendere, vnde sicut titio ignitus descendit, sic ignis coruscationis qui receptus est in materia terrestri.

Sed dices, cùm vapor ille sit materia calida, & vaporabilis, sicut fumus videtur sibi proprium ascendere, omne enim vaporabile siccum calidum ascendit, alioquin cùm extrahitur à terra virtute solis non ascenderet ad mediam regionem, Ad hoc dico omnem materiam vaporabilem calidam, & siccam ascendere antequam condensetur, postquam autem condensata est ex compressione fit grauis, & quoniam vapor iste antequam concludatur in nube rarus est, ideo quia leuis ascendit, postquam autem conclusus est in nube comprimitur, & condensatur, & ex hoc fit grauis, ex consequenti est sibi proprium descendere.

Dubium septimum, cùm simul tempore fiant tonitruum & fulgur, imò prius fiat tonitruum, quoniam prius scinditur nubes quàm sit micans vapor egrediens, quare prius tempore videmus fulgur quàm audiamus tonitruum. Ad hoc dico id prouenire ex vario modo quo immutatur aër à calore & luce & à sono, nam diximus in secundo de anima, visibile recipi intentionaliter in aëre, sonum autem realiter, nec oportet aërem medium inter visibile, & visum moueri localiter vt deferat speciem visibilis obiecti ad visum, quod tamen est necesse in auditu, quoniam nõ fit sonus sine motu locali ipsius aëris, vt diximus in secundo de anima. agentes de generatio. soni: quia ergo ad hoc quòd videamus ignem egredientem de nube non oportet aërem medium moueri localiter, sed tantùm intentionaliter immutari. Ad hoc autem quòd audiamus sonum scissionis nubis necesse est aërem medium moueri localiter, ideo prius ad oculum defertur fulgur quàm tonitruum ad auditum, huius exemplum conueniens datur ab Auicen. & Alga. de muliere lauante pannos à longè vltra fluuium latum, cuius percussura dum percutit pannos super lapidem, aut tabulam statim videtur, & tamen non auditur percussura nisi post interpositum tempus, adeo quòd in altum pannos leuauit antequam percipiatur sonus præcedentis percussuræ, & sic patet quomodo mota dubia terminata sunt. Hic termino tractatum de fulgure, tonitruo, fulmine, & vento turbinis.

TRACTATVS SEPTIMVS
super Meteora, de impresionibus causatis ex reflexione radiorum solis & lunæ, & aliquarum stellarum, in quinque capita diuisus.

IN hoc septimo tractatu acturi sumus de impressionibus causatis in vaporibus humidis, vel siccis ex reflexione luminis solis & aliquarum stellarum, sicut halo, & iris, & paraylios, & diuidimus ipsum in quinque capita.

Primò, quasi præambulè agemus de variis coloribus nubium.

Secundò, de halo circulo, qui Latinè dicitur corona.

Tertiò, de iride.

Quartò, de virgis aliquando apparentibus circa solem.

Quintò, de parayliis, id est, pluribus imaginibus solis, quoniam aliquando apparent plures soles,

CAPVT I.

De variis nubium coloribus.

CIrca primum caput agendum est, de variis nubium coloribus. Hæc enim præuia sunt ad ea quæ de halo, & iride, &c. pertractanda sunt. Notandum igitur quòd colores deseruientes his impressionibus, vt in pluribus sunt quinque. Aliquando enim nubes apparet nigra, aliquando alba, aliquando purpurea clara, aliquando purpurea obscura veluti vinosa, aliquando viridis. Harum causas subiungemus.

Nigredo in nube procedit ex vna duarũ causarum. Primò si vapor est siccus terrestris, & calor solis agit in eo consumendo totum humidum si quod erat in eo adurendo ipsum, adeo contrahitur quòd non potest à radiis solaribus penetrari, & sic apparet in eo nigredo, sicut quando corium in igne proiicitur videmus illud aduri & constringi, propter quod extractum ab igne remanet nigrum. Secundò, si vapor sit humidus ex frigore vnito, potest adeo condensari quòd conuertetur in nubem multum corpulentam, quam nec radius solis penetrabit, & sic apparebit nigra, quoniam causatur nigredo apparenter ex priuatione lucis, vnde & camera omni foramine clauso etiam in die apparet nigra, quam nigredinem dicemus tenebram, quæ non est nisi lucis priuatio.

Albedo in nube causatur à vapore humido subtili, in quo si calor aëris vndique circunfusus agit, nec aliqua frigiditas operatur in eo, subtiliatur & disgregatur ex actione caloris temperati, propter quod recipit in seipso intrinsecus radios superiorum corporum, & sic fit nubes alba, quæ si ad terram reprimitur per aliquam frigiditatem fit nebula alba sparsa in aëre inferiori ad modum lanæ.

Rubedo in nube ad modum claræ purpuræ causatur ex vapore humido fumoso admixto aliquantulo terrestri adusto, ex qua admixtione nubes fit dẽsior, quæ in se recipiens radios cœlestium corporũ contrahit calorẽ purpureũ clarum,

Rubedo ad modum purpuræ obscuræ sicut vinosæ causatur in nube ex admixtione multa partium terrestriũ, quæ iam incipiunt inflãmari in ventre nubis, & cõdensantur ad causandũ tonitruũ & fulgur, & fulmẽ, & huiusmodi nubes periculosæ sunt in æstate, & sentitur in eis paruũ tonitruũ ad modum murmuris. vel aquæ suppressæ murmurantis in decursu suo,

Viriditas in nube causatur, quando conuerti incipit in aquam, & rorans incipit stillare, & tunc recipiens in se cœleste lumen, præcipuè radios solis, contrahit viriditatem.

Si qui alij colores apparent in nubibus, pro nunc transeam, quoniam nunc sufficit egisse de eis, quos reputamus deseruientes ad declarandum colores coronarum, quæ dicuntur halo, & iridis, &c.

CAPVT II.

De Halo, seu corona.

IN 2. cap. agendum est de halo, Latinè autem dicitur corona, de quo dicemus tria.

Primò, quomodo causatur.

Secundò, quo tempore frequentius fit.

Tertiò, si ex eius apparentia possumus prognosticari pluuiam, vel ventum.

Quantum ad primum, aduerte q̃ ille circulus apparet circa plura astra, aliquando circa lunam, & frequẽtius, aliquãdo circa alios planetas, aliquando circa aliquas stellas fixas visu maiores. Causatur autem in vapore humido nondum conuerso in nubem, sed illuminato per radios alicuius astri.

Ad cuius euidentiam, aduerte de mente Philosophi, & Alber. in 3. lib. tract. 4. cap. 3. q̃ vapor humidus eleuatus à terra virtute solis antequã ascendat ad mediam regionem ad huc existens in infima regione, & adhuc rarus trahitur per virtutẽ luminis, & caloris quẽ facit radius corporis cœlestis lucentis, siue sit sol, siue luna, siue alia stella visu notabilis, trahitur inquã cœleste ad corpus lucens, ita q̃ radius corporis lucentis directè cadit super ipsum vaporẽ. Cùm autẽ ille vapor sit calidior in medio quàm in extremitatibus, ibi illuminatur lumine radiorũ cadentiũ super ipsum, & ideo lumen incipit in medio dissipare vaporẽ humidũ, qui dissipatus reflectitur ad extremas suas partes recedens à radio qui diametraliter percussit centrum vaporis, & dilatatur circulariter circa radium illum semper procedens dilatando circulum, & lumen desuper veniens recipitur in profundo vaporis diffusi circulariter in peripheria circuli: ex eo autem q̃ non est adhuc condensatus in nubem, apparet circulus albus dispositus per modum areæ, vel coronæ circa solem, vel lunam, vel aliam stellam visu notabilem. Hoc igitur ordine generatur halo.

Quantum ad secundum, dico q̃ necesse est aërem quiescere à ventis, aliter non potest causari: nam aëre agitato à

ventis vapor humidus non tanta mora persisteret sub corpore lucenti, puta sub luna quia radius lunaris desuper cadens super ipsum vaporem illuminare, & disgregare ipsum posset, & sic non causetur halo. vnde sicut lapis proiectus in aquam stantem causat circulum circa circulum ampliando circa centrum, & si proiicitur in aquam defluentē non fiunt huiusmodi circuli propter aquæ defluxum, ita contingit in aëre circa vaporem humidum stantem, & radium quī est sicut lapis descendens feriens centrum vaporis.

Dico insuper q̄ rarò causatur in æstate & hyeme, frequenter autē in vere, sed in autumno, & frequentius in autumno, & horum causa est hæc, cùm vapor humidus in quo causatur halo non sit resolutus in aërem ex intenso calore, nec condensatus in nubem ex intensa frigiditate, necesse est, vt sit tempus medium inter intensum calorem, & intensam frigiditatem. Tale tempus non est in æstate, quoniam est excessiuè calida, nec in hyeme ex excessiua frigiditate, ergo erit tempus veris, & tempus autumni quod est medium.

Ratio propter quam frequentius causatur in autumno, quàm in vere est hæc, in vere sunt nubes densæ derelictæ ex hyeme, quæ temperato veris calore nōdum rarefieri possunt & sic non potest causari disgregatio in vapore humido, propter quam fit halo, vt diximus. In autumno autem frequentius causatur, quoniam vapor humidus, & rarus ex calore æstiuo eleuatus incipit comprimi, & constringi temperata frigiditate autumni, non tamen ita comprimitur quòd condensetur in nubem, & ideo tunc ille aliquantulum compressus illuminatur radio desuper veniente, & frequentius in eo causatur halo modo quo diximus.

Dico postremo quòd frequentius causatur in nocte, præcipuè circa lunam quàm in die, quoniam vapor humidus eleuatus in die rarus, aliquantulum comprimitur, & condensatur temperata frigiditate noctis, qualis est in autumno & in vere, ex qua condensatione redditur aptus vt illuminetur, & percutiatur radiis desuper venientibus, & diametraliter cadentibus super eum, & sic causatur halo.

Eadem causa constat, quare frequentius causatur in vespere, & in aurora quàm in profunda nocte, quia videlicet in vespere remittitur calor diei, quo remisso simul cum temperata frigiditate vespertina condensatur vapor humidus rarus eleuatus calore diei, in mane vero circa diluculum frigiditas noctis comprimens immoderatè vaporē humidum remittitur accessu solis, iam propinqui ad ortum, & ideo vapor humidus tunc aliquantulum disgregatus, & adiutus calore luminis desuper venientis potest causare halo.

Sed quæres quare frequentius apparet circa lunam quàm circa solem, & alia astra.

Respōdeo, sol ex virtute radiosa cōsumit vaporem ex quo vel in quo causatur halo, nisi fuerit bene condensatus, & hinc est quòd halo circa solem citius euanescit quàm circa lunam, alia verò astra debiles habent radios, qui non valent facere sufficiētem illuminationem, & irradiationē super vaporem humidum requisitum ad causandum halo, ideo circa ea rarissimè causatur, frequentius tamen circa venerem ex radiositate sua, adeo enim fulget quòd & vmbram causat.

Nota tamen quòd aliquando causatur halo circa lumen candelæ cùm fuerit aër, aut vapor densus circa ipsum lumen, maximè autem apparet habētibus oculos debiles, quoniam dominium humorum in oculis confert tali apparentiæ.

Quantum ad tertium, dico de mente Philosophi, in lib. 3. cap. 2. quòd aliquando significat pluuiam, aliquādo ventum, aliquando serenitatē. nam quando halo cōdensatur multum & declinat ad nigredinem, vel viriditatem significat pluuiam de proximo futuram, signum est enim q̄ vapor ille humidus causans halo conuertitur in nubem, quæ ex cōdensatione facta ex frigiditate mediæ regionis resoluitur in aquā pluualē, quando autē halo dissipatur, & frangitur in vna parte, & non in alia significat ventum, in hoc enim q̄ dissipatur signum est quòd deficit vapor humidus conuertibilis in pluuiam, & remanet vapor frigidus siccus essentialiter, per accidēs aut calidus ex calore solis eleuantis. vapor autē siccus frigidus est materia venti. vt diximus suprā. Quando autem circulus ille secundum omnes partes euanescit paulatim & albescit, significat serenitatem, & tranquillitatem aëris, licet non necessariō. In hoc enim quòd euanescit æqualiter, significat vapores humidos penitus deficere in sublimi, & conuerti in aërem, & sic sequitur serenitas, non tamen necessariò sequitur tranquillitas aëris, ventus enim generari potest sereno tempore præter ventum turbinis, qui semper de nube egreditur, vt diximus in tractatu præcedenti. Hæc de halo dicta sint.

CAPVT III. *De Iride.*

IN hoc cap. agendum est de iride, & quoniam vt dicemus causatur ex reflexione radiorum solis, sicut imago in speculo, ideo præambulè tractabimus de radiis, & de speculis pro quanto necessarium est præsenti intentioni, quibus expletis considerabimus decem de iride.

Primò de variis nominibus iridis.
Secundò de subiecto in quo causatur.
Tertiò de efficiente à quo producitur.
Quartò quales sint iridis colores, & quomodo causantur.
Quintò quot sint, & quomodo ordinantur.
Sextò de multiplicitate iridis.
Septimò de figura iridis, quare est semicircularis.
Octauò de sitibus mundi in quibus apparet.
Nonò de tempore in quo apparet.
Decimò de significatis ipsius.

Quantū ad notitiā radiorū & reflexionū, licet id cōsiderare vltima, & perfecta consideratione spectet ad prospectiuā, tamen quoniā vt inquit Philosophus in 1. Poster. sciētia de iride subalternatur prospectiuē, ideo de huiusmodi agendū est pro quanto indigemus ad declarādum propositum de iride.

Igitur de radiis & eorū reflexionibus dicendum est. Primò quotuplex est radius secundū prospectiuū. Secūdò quotuplex est visio. Tertiò quot radij, & quot anguli concurrunt in visione reflexa, de qua præcipuè hic intendimus.

Radius secundū prospectiuū est triplex. s. rectus, reflexus, & refractus. Rectus est ille qui multiplicatur per mediū secundum lineā rectam. Reflexus est ille qui occurrens medio per quod transire non potest ex medij densitate, aut soliditate, sed reflectitur in seipsum, aut in partē cōtrariā. verbi gratia, radi lucis occurrēs speculo, quia penetrare non potest in seipsum reflectitur si cadit super speculū perpēdiculariter vel reflectitur in partē opposita si cadit lateraliter & obliquē. Refractus est ille qui non habet incessum rectum, nec reflexū, vt radius quo repræsentatur visui remus tortuosus in aqua dum remigatur. Visio apud prospectiuū est triplex, scilicet, recta, reflexa, & refracta. Recta est qua aliquid videtur in prospectu per radiū rectū, vt quando video Socratē stantē ante me. Reflexa est qua aliquid videtur per radiū reflexū, vel quādo video Socratē in speculo stantē post me, vel stellas in aqua. Refracta est qua aliquid videtur per radiū fractū, vt quando videtur in aqua denarius maior quàm sit, & remus tortuosus in aqua. Et aduerte q̄ per huiusmodi visionē nunquā videtur res in proprio situ, nec sub propria quātitate, & secūdū hāc visionē maximè causatur deceptio sensuū, de qua vide ad placitū in lib. prospectiuæ, in 3. par. in propositione 2. & 3. vsque ad decimā. Quot aūt radij, & quot anguli requirantur ad visionē reflexā, aduerte q̄ semper duo radij requiruntur. s. radius incidentiæ, & radius reflexionis, & ambo sunt æquales, vt demonstratur in prospectiua, in 2. parte, in propositione sexta. Radius incidentiæ est ille qui protrahitur à corpore radiante ad superficiem corporis reflectētis, vt radius solis cadēs super speculi superficiē dicitur radius incidēs. Radius reflexionis est ille qui multiplicatur & causatur à superficie corporis reflectentis ad locū in quo terminatur, vt radius solis reuerberatus à superficie speculi, vel aqua ad parietē, similiter in omni visione reflexa duo anguli concurrunt. s. angulus incidentiæ, & angulus reflexionis. Angulus incidentiæ est ille qui continetur à radio incidentiæ & superficie corporis reflectentis.

Angulus reflexionis est ille qui continetur à radio reflexo & superficie corporis reflectentis. Figura patet hic.



Et quoniam dicemus infrà, nubem roridam esse quasi speculum à qua reflectuntur radij solares causantes iridem, ideo pro notitia

pro notitia sequentium quædam tangemus de speculis, prout hic opportunum est, relinquentes vltimam consideration prospectiuo quam de huiusmodi pertractat in secunda parte prospectiuæ.

Dico igitur speculum esse corpus terminatum ex natura sua terso & politum, ac planum, vel diaphanum planum aliquo opaco terminatum. Primò dico terminatum ex natura sua, id est, non diaphanum, vt lapides tersi, metalla tersa, hec enim fiunt specula, vt experimur. Secundò dico, vel diaphanum aliquo opaco terminatum, id dixerim, quoniam licet omne diaphanum illustratum lumine in se recipiat colores, & imagines corporum obiectorum, ex 2. de anima. tamen non repræsentat ea visui nostro nisi post diaphanum ponatur aliquod opacum prohibens transire visuales radios, & faciens illos reflecti in superficie diaphani terminati, propterea necesse est quod plumbum apponatur vitro vt fiat speculum.

Aliquando tamen corpus diaphanum efficitur speculum, non per appositionem opaci, sed per condensationem ex qua quodammodo terminatur, & sufficit ex se reflectere visuales radios, & repræsentare imaginem obiecti visui nostro. Id accidit in aqua per fortem congelationem, & in aëre, qui aliquando adeo condensatur ex frigiditate, & vaporibus humidis & admixtis, quòd repræsentat imagines ambulantium, vt refertur de eo qui ante se faciem suam videbat, & totius sui corporis imaginem, quasi alius esset prēcedens eum, quod vtique accidebat, quoniam aër ex ingenti condensatione factus erat veluti speculum.

Aliquando etiam accidit diaphanum fieri speculum, non condensatione, sed sua profunditate, & præcipuè quando non illuminatur radio lucente directè super ipsum. Ipsa enim tenebrositas existens in profundo diaphani gerit vicem corporis opaci, vt patet in aqua, quæ si fuerit profunda & vmbrata efficitur verum speculum, si autem illuminatur radio desuper veniente non repræsentat.

Ergo omne speculum est corpus tersum, & planum si debet bene repræsentare terminatum ex natura sua, vel aliquo opaco, vel condensatione, vel profunditate, & vmbrositate, vt diximus de aqua.

Specula autem varia sunt, & ideo variè repræsentant. nam aliquando sunt sufficientis magnitudinis, & plana, & bene tersa, & sine macula, & sine scissura, & tunc repræsentant imaginem, & colores obiecti, vt sunt sine defectu.

Aliquando sufficientis magnitudinis, sed non sunt plana: imò conuexa, vel concaua, & tunc repræsentant imaginem aliter quàm sit. nam si sunt cōuexa repræsentant aliter quàm sit in quantitate, quoniam sub minori. si autem concaua, repræsentant figuram modo euerso, puta os superius, & occiput inferius, & omnes faciei pilos grossos, vt fœnum.

Aliquando sunt valde parua, ita quòd non sunt capacia figuræ corporis obiecti, & tunc repræsentant colorem tantum, & non imaginem.

Si etiam sint corpora diaphana condensata, vt diximus suprà de aqua, & de aëre, & tamē maior fit condensatio in vna parte quā in alia in huiusmodi diaphanis difformibus apparebunt varij colores: & hoc idem contingit in nube difformiter condensata in partibus propter quam causatur varietas colorum in iride, vt declarabitur infrà. Hæc de speculis dicta sint.

De varijs nominibus iridis.

ACturi de iride dicemus primò de variis nominibus eius, quibus ab antiquis denominatus est hic arcus: Primò dictus est iris quasi facer, eò quòd videtur esse quoddam diuinum, & admirandum. Diuina autem consueuerūt dici sacra. Secundò dictus est à Græcis poētis Thaumantis filia, id est, admirationis filia, eò quòd inter omnes impresiones Meteoricas, nil magis admirantur Philosophi, quàm arcum illū, vnde scilicet, causentur colores illi, & est difficillimū inuestigare, ideo admirantur. Tertiò dictus est ab antiquis Idolorum sacerdotibus Iunonis arcus: quoniam Iunonem vim diuinam aëris esse dicebāt. Quartò ab Hesiodistis dicitur dēmonis arcus, id est, diuinæ sapientiæ, vel intelligentiæ signum. Dicunt enim quòd Deus sapiens qui omnia sapienter gubernat constituit hunc arcum in cœlo tāquam signum diuinæ clementiæ, quo nunciatur mortalibus mundum non consumendum igne, nec submergendum aquis, quoniam in iride apparet color rubeus, qui est ex humido inflāmato, & id signat aquam non omnino prævalere super ignē, cùm suam operationem illic declarat, scilicet inflammationem. Apparet etiam color viridis procedens ex humore aqueo indigesto, per quod signatur ignem non omnino prēualere super aquam, cùm illic habeat operationem suam quæ est humectatio, imaginatio quidem Hesiodistarū, quo ad consumptionē mundi non fiendam per aquā non discordat à sacra Genesi, vbi inquit Deus omnipotens cap. 19. Cùm obduxero cœlum nubibus apparebit arcus meus in nubibus & recordabor fœderis mei, quod pepegi vobiscum, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendā omnem carnē. Et quidem licet sit signū nō amplius futuri diluuij, nō tamē ex causa assignata ab Hesiodistis, sed ex ea, quā nos assignabimus in fine tract. falsum est autē q̄ sit signū misericordiæ non consumendi per ignē, vt dicemus declarantes causas colorum iridis. Nico. autē Perip. in lib. suarū quest. dicit iridē ideo vocari arcū dæmonis, id est, scientis quoniam solus scientissimus Philosophus iridis naturam cognoscere potest. Et id quidem indicio meo est verū, quoniam inter omnes impressiones meteoricas hoc vnū difficillimum inueni, eritque animo meo satis, si vtcunque eius causas attingere potero, non dixerim cōprehendere, quoniā qui de iride pertractarūt, aut truncatè procedunt, aut prolixitate studiosos inuoluunt.

De subiecto in quo causatur iris.

QVantum ad secundum, scilicet de subiecto in quo causatur iris, dico cum Alber. in 3. lib. tract. 4. cap. 14. quòd causatur in duplici roratione nubis roridæ & aëre coadunato ac humescente ex præcedentibus rorationibus. Ad cuius euidentiam aduerte quòd ante magnam pluuiam necessariò inueniuntur hæc quatuor disposita, vt infrà. Primò est nubes nigra & densa, quæ in magnam pluuiam resoluitur. Secundò est roratio, id est, descensus subtilis minutarum guttarum, quæ quodammodo se tangunt & constituit figuram ad modum telæ latæ & bene contextæ. Tertium est roratio crassior maiorum guttarum, quæ similiter est ad modum telæ latæ, sed crassionis & densioris. Quantum est aër immixtus iam humescens ex his rorationibus & condensatus ex frigiditate loci & pluuiæ. Hæc tria, scilicet duplex roratio & aër illis immixtus condensatus sunt sicut tria specula, in quibus recipiuntur solares radij: & ex eorum reflexione causantur colores iridis modo & ordine quo dicemus infrà.

Hæc nostra sententia de subiecto iridis confirmatur per Alg. in sua Physi. cui & Aucen. concordat. Inquit Alg. generatur iris in humido rorationis, vel humido aëris frigidi, eò quòd frigus condensat aërem: & facit fluere humidum aëris per medium humidi aquei. Hic figuraui dispositionem illorum quatuor prædictorum. Sed aduerte quòd non potest per se distinctè figurari aër humescens, eò quòd immixtus est illis rorationibus. tria ergo figurantur, & tu imagina, re aërem immixtum vt clarior fiat repræsentatio.

De efficiente à quo causatur iris.

QVantum ad 3. scilicet de efficiente, dico q̄ est sol existēs in opposito situ per contra nubem roridam ad quam emittens radios & illi in diuersis partibus nubis recepti ac reflexi velut à speculo, causant colores iridis in illis corporibus diaphanis, de quibus est figura superior. Sicut enim causantur consimiles colores in terra si radius solis ex opposito transit per cyathum aquæ, & sicut causantur in tabulis nauis extrinsecus quando nauigatur mare vel alia aqua clara, quoniam remi eleuant aquā, & radius solis splendet in aqua percussa remis, & sic ex diuersa percussione remorum & diuersa eleuatione aquæ generantur diuersi colores in ventre nauis extrinsecus, præcipuè viridis croceus & rubeus quorum causa est hæc. Remus diuersa tenuitate & spissitudine percutit & eleuat aquas, in summitate enim profundius percutit, eleuat aquas, deinde semper minus vsq; ad nauim: aqua aūt profundius eleuata causat colorē viridē, ex reflectione radij solaris ferientis eam ex opposito situ, eò quòd densior est, aqua autem magis tenuè eleuata prope nauem generat colorem croceum

croceum eò quòd rarior est, aqua verò medio modo eleuata generat colorem medium, id est, rubeum. Sed hæc clariora fient cùm dicemus modum, quo colores iridis generantur in nube.

Dixi autem quòd efficiens est sol existens in opposito situ, quoniam non ex omni situ nec ex omni radiatione solis ad nubem fit reflexio radiorum ad solem & ad oculos intuentium, quod tamen est necesse in generatione iridis, vt dicemus infrà: & ideo non ex omni situ, nec ex omni radiatione solis causantur illi colores, nam si nubes rorida esset directè sub sole & sol irradiaret eam desuper, radij solis caderent super supremam partem nubis quæ est densa & nigra ex multa conuersione in aquam & frigiditate aëris, & ex sua densitate non causaret varios colores, & ideo oportet solem esse in op-



posito situ, & quòd radij feriãt illa corpora diaphana, de quibus fecimus superiorem figuram, sicut diuersa specula, quæ quoniam differunt in subtilitate & densitate, ideo causant distinctos colores. Infrà designamus duas figuras, quarum prima ostendit quòd sole existente super nubem roridam directè radij percutiunt partem superiorem densam & nigram, ideo non causant diuersos colores. Secunda autem ostendit propositum de opposito situ.

Sol in opposito situ radiis feriens diuersas partes nubis rorantis reflexis radiis, vt ex speculis causat colores iridis.



Quales sunt iridis colores, & quomodo causantur.

QVantum ad quartum, declarandum est quales sint colores iridis, & quomodo causantur, quales quidem sint, dico quòd sunt formales & non materiales siue naturales. Pro quibus aduerte colorem materialem vel naturalem esse illum qui causatur ex proportionata mixtione primarum qualitatum elementarium, de cujus generatione loquitur Philosophus in libro de sen. & sensa. & nos locuti sumus in secundo de Anima, in capite de visu, Color autem formalis cujus esse maximè consistit in apparentia, est ille qui causatur ex mixtione specierum visibilium vel transitu lucis per opacum terrestre vel aquosum, & hujusmodi colores sunt illi qui apparent in impressionibus meteoricis generatis ex radiis solaribus. nam si radius solis transit per exhalationem calidam siccam terrestrem causat rubedinem, vt patet in ortu solis, vel in ortu lunæ quando aër rubescit, potest etiam causari hujusmodi rubedo quando solaris radius transit per nubem aquosam, variatur tamen color secundum diuersitatem lucis & opaci. nam ex transitu intensæ lucis per debile & tenue opacum generatur albedo, ex transitu autem intensæ lucis per multum opacum generatur rubedo, ex transitu debilis lucis per multum opacum generatur nigredo, ex transitu debilis lucis per tenue opacum generatur aliquis medius color. Hoc etiam modo generantur colores iridis. nam cùm sol existens in opposito situ dirigit radios ad illa quatuor corpora perspicua, quæ diximus esse specula solis, fit multa radiorum reflexio ab illis quatuor corporibus ad ipsum solem & ad oculos nostros, qua reflexione & refractione generantur diuersi colores iridis, nam radij solis diffusi in infima parte nubis in qua est roratio crassior, & profundati in ea, generant colorem viridem, quoniam roratio crassior habet humiditatem aqueam magis indigestam. Radij autem diffusi in media parte nubis in qua est roratio subtilis, constituunt colorem rubeum vinosum; quoniam roratio illa habet multũ de fumoso terreo adusto. Radij autem diffusi in aëre medio mixto illis rorationibus iam humescente & condensato, constituunt colorem citrinum vel croceum, & aliquando declinantem ad colorem paleæ, vt dicemus infrá. Patet igitur quales sint colores iridis, & quomodo generantur.

Quot sunt iridis colores, & quomodo generantur.

QVantum ad quintum, scilicet, quot sint illi colores, & quomodo ordinentur, dico secundum Philosophum & Alber. & communem sententiam vt in pluribus esse tres, scilicet rubeum, croceum, viridem. Quorum sufficiẽtia est hæc. Omnis color iridis causatur vel in roratione crassiori interiori, vel in roratione subtili, vel in aëre medio inter vtranque humescente & condensato ex frigiditate. Si causatur in roratione crassiori est color viridis, quoniã roratio illa est aquea magis resoluta & indigesta, ex cõsequenti densior, propterea causat colorem propinquum nigredini, qui est color viridis.

Sed nota quòd aliquando superior pars huius rorationis est minus crassa quàm pars inferior, & tunc in ea causantur duo colores in parte superiori viridis: in inferiori alurgus, qui vulgò dicitur azurrus, qui propinquior est nigredini quàm viridis clarus. Si autem causatur in roratione subtili ent rubor, quoniam talis roratio habet multum de fumoso terreo adusto sibi immixto, propterea, in ea causatur color rubeus sicut in flamma exeunte à ligno denso viridi, vt patet in quercu viridi ardente. Sed aduerte ruborem illum esse aliquando clariorem, vt quanto rorationis spatium est bene perspicuum & radius solis multiplicatur in eo. Aliquando autem est obscurior, veluti vinosus vel sanguineus, si spatium non sit bene perspicuum, & si radius solaris non multiplicatur in eo. Si autem causatur in aëre medio inter has duas rorationes iam humescente & condensato, erit citrinus, quem aliqui croceum. Aristot. autem xanthon vocat, id est flauum. Sed hic causatur ex reflexione radiorum, sicut rubeus & viridis & alurgus, sed ex propinquitate & approximatione quæ est inter rubeum, & viridem clarum, sicut enim fit nouus & apparens color in panno cõtexto ex filis diuersorum colorum, eo quòd huiusmodi fila sibiinuicem hærent, & id maximè manifestatur in panno serico dicto vulgariter, cangia colore, sic ex propinquitate superioris rorationis subtilis, in qua generatur rubor & inferioris crassioris, in qua generatur viror causatur color medius inter rubeum & viridem clarum, qui est flauus in aëre mediante inter vtranque rorationem.

Sed aduerte secundum quod aër medius diuersificatus intus humescit, nec ex frigore multum condensatur, vix apparet, imò videtur inter ruborem & virorem esse vacuum. Si autem sit habens parum de subtili fumoso, & modicum plus de humido, apparebit color quasi albus. Si autem habet multum de fumoso subtili, apparet croceus clarus, velut color paleæ, & si adhuc plus apparet croceus magis declinans ad ruborem, isti colores manifestius deprehenduntur sensu quàm ratione, similiter eorum varietates. Quot igitur sint colores in vna iride dictum sit.

Dico autem in vna, quoniam si sex aut octo colores apparent, non vna, sed duæ sunt irides, de quibus dicemus infrà.

Nunc autem quomodo ordinentur declarandum est. Dico igitur secundum communem sententiam Aristot. & ex sensu, quòd sic disponuntur. Rubor est superior, citrinus medius, viridis & alurgus inferiores, ita tamen quòd alurgus est infimus, & horum ratio est hæc.

Ex antedictis rubor causatur in roratione subtili, quæ quoniam multum habet de fumoso admixto, cuius natura est leuis, vt patet in fumo ascendente, ideo persistit in superiori parte aëris, ex consequenti rubor causatus in ea tenet in iride superiorem situm. Viror autem causatur in roratione crassiori, quæ quoniam multum aquosa est & indigesta, ideo est grauis, & vt sic tenet locum inferiorem. Natura enim grauis est petere inferiorem locum: ex consequenti viror causatus in ea tenet in iride inferiorem situm. Sed quoniam secundum partem infimam roratio illa est densior & magis ponderosa, ideo in ea causatur alurgus: & tenet in iride infimum situm. Citrinus autem color causatur in aëre medio inter vtranque rorationem, ergo conuenienter tenet locum medium. Qui color diuersificatur ex diuersa dispositione medij aëris, vt diximus, ita quòd aliquando non apparet, & tunc videtur iris vacua in medio, aliquando est quasi albus, aliquando remissè citrinus, vt pallor paleæ, aliquando citrinus, vt tinctura crocei declinans ad ruborem. Et hæc est causa, propter quam sæpe decipitur oculus in numero & situ colorum iridis, quoniam scilicet color medius facillimè variatur, similiter variatur viridis ex diuersitate crassioris rorationis. Vt autem sensui pateant omnes diuersitates contingentes in iride circa numerum & qualitatem & situm colorum, describemus infrà singulas figuras.

Prima figura, in qua ostenditur triplex color, sine vlla diuersitate contingente in rorationibus, & in aëre medio.



Figura secunda, in qua ostenduntur quatuor colores, sed tertius & quartus causantur in roratione crassiori, quando inferior pars est densior superiori.

Figura tertia, in qua deberent esse quatuor colores, sed quando aër medius inter vtranque rorationem, nec multum humescit, nec multum condensatur ex frigiditate, vix ille color apparet, imò videtur inter ruborem & virorem esse spatium non coloratum: ex consequenti apparet iris velut interrupta.



Figura quarta, in qua apparent quinque colores, sed pallearis & croceus non sunt realiter duo, sed vnus, qui secun-



dum partem superiorem declinat ad albedinem, & secũdum inferiorem ad rubedinem, & id prouenit ex diuersitate partium aëris medij, quoniam in parte habente parum de subtili fumoso, & magis de humido apparet color citrinus declinans ad albedinem, qualis est color paleæ, in parte autem habente multum de fumo subtili apparet color citrinus declinans ad rubedinem qualis est color croci.

De multiplicitate iridis.

QVantum ad sextum, declarandum est quot modis potest iris plurificari. Aduertè ergo quòd primò potest multiplicari secundum speciem, nam alia specificè est iris solis, & alia lunæ. secundò secundum numerum, & hoc multipliciter. Primò in eadem die distinctis horis, potest enim causari in mane, in meridie, in vespere, vt dicimus. secundò in eadem die & eadem hora in oppositis sitibus, puta arcus vnus in Oriente, alius in Ocidente. Tertiò in eadem die in eadem hora in eodem situ, puta duo arcus possunt causari in Oriente, sed vnus erit superior, & alius inferior, ita quòd vnus continetur in alio, & continens dicitur superior, contentus autem dicitur inferior, in quo colores ordinantur opposito modo quàm in superiori, vt declarabitur.

Dico primò quòd alia specificè est iris solis, & alia lunæ. De iride solis dictum est in præcedentibus. De iride lunæ nunc agendum est, de qua dicemus in quo differt ab iride solis, & quomodo.

Aduerte igitur quòd differt in coloribus, nam vt declarauimus iris solis est semper diuersorum colorum. iris autem lunæ, vt veri experimentatores cognouerunt est tantùm vnius coloris: apparet enim tota alba, cujus causam assignans Aristoteles, dicit esse obscuritatem noctis, quoniam lumen visum tempore tenebrarum apparet candidum & intensæ albedinis: quia igitur iris lunæ non apparet nisi in nocte, vt dicemus, ideo videtur alba. verùm vt inquit Alber. ratio Philosophi est diminuta, nisi aliud addatur. Nam licet non causetur nisi in noctè, tamen lumen lunæ recipitur in nube aquosa, quæ habet diuersas rorationes, sicut etiam in ea recipitur lumen solis, & ideo nisi aliud obsteret deberet apparere in variis coloribus, sicut iris solis. Et propterea dicendum quòd non sola obscuritas noctis est causa, sed etiam frigiditas noctis, quæ multum condensat nubem, & debilitas radiorum lunæ, qui non profundè ingrediuntur nubem condensatam, sed extenduntur in superficie: ex qua extensione superficiali non causatur nisi color albus. nam vt diximus agentes de iride solis, color rubeus non constituitur nisi ex immisione lucis in profundum humidi fumosi. Viridis autem & alurgus non causantur nisi ex penetratione luminis in profundum humidi aquei. Dicemus ergo assignantes causam vnam sufficientem, quòd causa solius albedinis in iride lunæ est obscuritas noctis cum frigiditate condensante nubem & prohibente ingredi lumen ad profundum nubis aquosæ. Si autem quæras quomodo figuratur & apparet visui. dico secundum Albert. in tertio libro, tractatu quarto, capite vigesimo secundo, quod apparet, vt semicirculus lacteus non bene continuus, sed intermedias habens lineas subnigras, quæ tamen sunt sicut sine albore superductæ, per quem apparent. Figuram hic describimus.

Hæc

Hæc figura declarat iridem Lunæ totam albam, distinctam tamen lineis subnigris semicircularibus.



QVo ad tempus dico secundum Aristotelem in textu quòd non apparet nisi in nocte, & eo tempore solùm quo luna est in 14. id est, propinqua ad plenilunium in ortu vel occasu suo, & secundum ipsum rarissimè causatur: nam, vt inquit idem Philosophus, tantùm bis apparuit in quinquaginta annis, nec pluries videtur in tanto temporis spatio.

Sed huic sententiæ non assentit Albertus in libro tertio, tractatu quarto, cap. vndecimo, & dicit Philosophũ locutum fuisse ex opinionibus aliorum, vel ex eo quod cõtigerat diebus suis, & non via sufficientis probationis: nam, vt inquit Albertus, diebus suis deprehensum est iridem lunæ causatam fuisse non solùm prope plenilunium, sed eo tempore quo erat plus quàm dimidia, existente sole in fine Tauri, & luna in principio Capricorni. Item deprehenderunt veri experimentatores in eodem anno bis in nocte apparuisse, propter quod, inquit Albertus, standum est iudicio verorum experimentatorum. Ipse etiam & socij sui id visu deprehenderunt. Præterea, nulla ratio apparet, quare non possit nisi bis in quinquaginta annis apparere, cùm id non proueniat ex certo motu superiorum corporum, nec ex eorum coniunctione, vt in eclipsi, imò quoties luna erit plus quàm dimidia, & sic nubes rorida, & in opposito situ, ea ratione poterit iris lunæ in nocte causari, qua & iris solis in die. Hæc de iride lunæ dicta sint.

QVantum ad multiplicitatem numeralem iridis solaris, dico primò eam bis in die posse causari, sed distinctis horis: Nam, vt dicemus, sol existens in opposito situ ad nubem roridam potest causare iridem: Sed potest contingere, quòd existente sole in Oriente nubes rorida erit in Occidente: & tunc in mane causabitur iris in Occidente, potest etiam in eadem die existente sole versus Occidentem esse nubem roridam in Oriente, & tunc in vespere causabitur iris in Oriente. Dico secundò, quòd potest causari bis in die in eadem hora, sed in oppositis sitibus; quod sic declaro: Sit sol in Meridie, & sint duæ nubes roridæ, vna in Oriente, altera in Aquilone, vel in Occidente: dico quòd sol potest radiis suis directè percutere vtranque nubem, & sic in eadem hora apparebit duplex iris: vna in Oriente, alia in Occidente: & si essent tres nubes in sitibus supradictis, apparerent tres irides, scilicet in Aquilone, in Oriente, in Occidente: & hæc patent in figuris sequentibus.





Dico tertiò, quòd potest causari bis in die in eadem hora, & in eodem situ, sed vna continet aliam: & continens dicitur iris superior & exterior: contenta autem dicitur inferior & interior, quæ in hoc differt à superiori quòd in ea ordinantur colores contrario modo, quo ordinantur in superiori. nam in inferiori, quæ videtur nobis propinquior, & coloresin ea sunt magis manifesti, sic ordinantur.

In prima peripheria est color rubeus, quem alij vocant puniceum, ad instar grani pomi punici, id est, granati. In secunda flauus. In tertia viridis, qui & cæruleus dicitur. In quarta est alurgus, qui vulgariter dicitur cœlestis, vel aureus, vel sapphireus, ad instar coloris sapphiri.

Contrario modo sunt in iride superiori, quæ videtur magis remota & altior, & cuius colores apparent minus manifesti. Nam in prima peripheria est color alurgus, in secunda viridis, in tertia flauus, in quarta rubeus. Et vt talis ordo sensui pateat, describo istam figuram.



Descripta figura, declarandum est quomodo hæ duæ irides causantur, & quare colores ordinantur contrario modo.

Quantum ad primum nota quòd in eodem situ: puta in Oriente in media aëris regione possunt esse duæ nubes roridæ, vna super aliam & altior & non contigua. Stantibus his si sol est in opposito situ respiciens directè nubem inferiorem: & immittit radios in eam, ex reflexione radiorum, vt diximus suprà, causabit iridem, vt in speculo: & quoniam nubes superior rorida est velut aliud speculum positum suprà nubem inferiorem, ideo radij intincti coloribus iridis causatæ in nube inferiori reflectuntur in nube superiori, sicut in secundo speculo, & sic causant secundam iridem, quæ est exterior. Vnde aduerte quòd prima iris, quæ est interior per se & primò, & immediatè causatur à radiis solaribus. secunda autem immediatè causatur à prima: quoniam iris interior resultans in nube

in nube superiori, sicut in secundo speculo causat secundam iridem, cuius colores sunt minus manifesti: quoniam debilior est reflexio radiorum coloratorum in secunda nube, quàm in prima, sicut minus expresè apparet imago representata in secundo speculo situato ante primum, quàm appareat in primo speculo: quoniam in primo causatur imago ex obiecto repræsentato. in secundo autem causatur imago ex imagine resultante in primo, ex consequenti causatur ex debiliori reflexione. Causa autem, propter quam colores ordinantur contrario modo in superiori & inferiori iride, est contraria reflexio: nã radius reflexus ab inferiori peripheria in ferioris iridis reflectitur à superiori peripheria superioris iridis, ideo in ea causatur color alurgus, & radius reflexus à superiori peripheria inferioris iridis, reflectitur ab inferiori peripheria superioris iridis, ideo in ea causatur color rubeus. In media autem peripheria in vtraque iride est color viridis, eò quòd secunda peripheria inferioris iridis reflectit radios ad secundam peripheriam superioris iridis descendendo. Color autem xanthos siue flauus, vt suprà diximus, non causatur in nube ex reflexione radiorum, sed in aëre medio, & ex proximatione coloris rubei & viridis clari adinuicem, ideo in vtraque iride mediat inter rubeum & viridem. Hæc de iridis multiplicitate dicta sint.

De figura, in qua apparet iris.

QVantum ad septimũ agendum est de figura iridis, & inuestiganda est causa quare apparet vt semicirculus, vel vt portio minor semicirculo. Et quoniam huius inuestigatio pendet à prospectiuo, & Aristotel. in textu accipit à prospectiuo, ideo sic procedam.

Primò præponam duo supposita.

Secundò ponam aliquas conclusiones cum probationibus suis.

Primum suppositum, horizon aliter sumitur ab astronomo, aliter à prospectiuo: nam, secundum Astronomum, est circulus diuidens sphæram in duo æqualia, & diuidens cœlum in duo æqualia, separans medietatem cœli visam à non visa. Secundum prospectiuum est superficies circularis continens superficiem terræ procedens vsque ad extrema partium cœli visarum, cuius centrum est centrum oculi sic videntis, & sic variatur horizon, sicut variatur oculus videntis, & in hoc sensu sumitur horizon ab Aristotel. in tertio libro Meteorologicorum.

Secundum suppositum, quod etiam est de mente Philosophi in tertio Meteorologicorum, quoties apparet iris, necesse est centrum solis, & centrum horizontis, & centrum iridis coincidi, ita quòd quando generatur iris, eadem linea transit per centrum solis, & centrum oculi videntis, quod etiam est centrum horizontis & centrum iridis & per polos eius, quod etiam declaratur per experientiam. nam quantò Sol deprimitur versus horizontem, tantò eleuatur polus, & centrum iridis super horizontẽ: & quantò Sol eleuatur super horizontem, tantò deprimitur polus & centrum iridis sub horizonte.

Ex hoc supposito Aristotel. ponit duas regulas. Primam, Vbicunque Sol non potest leuari super nostrum horizontem per quadraginta duos gradus, illic omni hora diei potest apparere iris: quia tunc potest esse aliqua portio iridis super horizontem, ex quo semidiameter iridis est quadraginta duorũ graduum, vt inuentum est per Astrolabium & quadrantem.

Secundam, Vbicunque Sol potest leuari super horizontem plusquam per quadraginta duos gradus in die artificiali, illic non potest omni hora apparere iris, vel aliqua eius portio, eò quòd post tantam eleuationem erit centrum iridis, & polus eius per quadraginta duos gradus, & plus sub horizonte: ergo, cùm tantum & non amplius contineat semidiameter iridis, sequitur quòd punctus eius altissimus sit omnino sub horizonte, & per consequens nihil de iride videbitur.

His stantibus pono de mente Philosophi quatuor conclusiones.

Prima est, Sole existente in ortu vel occasu, iris apparet vt semicirculus præcisè. Probatur, Sole existente in ortu vel occasu polus iridis erit in opposito: & ideo, si centrum solis sit in contactu horizontis in Oriente, polus iridis erit in contactu horizontis in Occidente: & consequens centrum iridis erit in consimili situ: quare sequitur, quòd si iris esset circulus perfectus, vna medietas esset sub horizonte, & alia supra horizontem: & per consequens iris non potest apparere maior, aut minor quàm sit semicirculus.

Secunda. Sole leuato super horizõtem iris apparet minor semicirculo: Probatur, secundum quòd exaltatur Sol supra horizontem, deprimitur polus, & centrum iridis sub horizonte: igitur illud, quod relinquitur de iride supra horizontem est minus semicirculo: nam si ducatur linea recta à centro solis per oculum videntis vsque ad centrum iridis, erit ex vna parte tantum depressa sub horizonte, quantum ex alia parte est eleuata supra horizontem.

Tertia, Iris apparens ex Meridie apparet in minori portione circuli, qua possit illo die apparere: Probatur, Nam quantò Sol magis exaltatur supra horizontem, tantò polus & centrum iridis deprimitur sub horizonte: & quantò magis centrum est sub horizonte, tantò minor portio circuli est supra horizontem: & cùm sit impossibile eodem die solem magis exaltari supra horizontem, quàm in Meridie, ergo impossibile est illo die minorem portionem iridis apparere supra horizontem, quàm illa, quæ apparet in Meridie.

Quarta, Possibile est solem tantum exaltari supra horizontem, quòd nullo modo apparebit iris: Probatur, Sol potest exaltari plusquam per quadraginta duos gradus, & semidiameter iridis, secundũ Prospectiuum, est præcisè quadraginta duorũ graduũ: ergo si sol exaltatur quadraginta tribus vel 44. gradibus, nullo modo apparebit iris, eò quòd altissimus punctus iridis, qui est altitudinis 42. graduum, est sub horizonte.

Ex his patet quare iris aliquando apparet vt semicirculus, aliquando minor semicirculo, aliquando nihil apparet: & causa huius est diuersa eleuatio solis super horizontem. Hæc de figura iridis dicta sint.

De situ, in quo apparet iris.

QVantum ad octauum inuestigandum est in quo situ apparere potest, & dico secundum prædicta, quòd in omni situ, existente Sole per contra nubem roridam dum modò duæ conditiones seruentur. Primò, quòd Sol eleuetur supra horizontem vltra quadraginta duos gradus: nam, vt diximus in conclusione quarta, si plus eleuatur, nullo modo iris apparebit. Secundò, quòd oculus videntis sit medius inter nubem roridam, & solem: & ideo ad Meridiem in nostra terra Septentrionali non apparet iris: quoniam Sol non pertiugit nec transit zenith capitis nostri. Dicemus ergo, quòd quantum spectat ad regionem nostram Septentrionalem, sole existente in Oriente, potest apparere iris in Occidente, & econuerso: & sole existente in Meridie potest apparere in Septentrione: nunquam autem ad Meridiem ex causa dicta.

De tempore, in quo apparet iris.

QVantum ad nonum declarandum est in quo tempore apparet iris, & quoniam distinguuntur habitationes secundum diuersam eleuationem poli supra horizontem ac eleuationem Solis: ideo, vt sciamus quo tempore in diuersis regionibus apparet iris, considerabimus omnes regiones ab æquinoctiali ad polum arcticum.

Primò, habitantibus super æquinoctiali non potest apparere iris per tres horas ad Meridiem, nec per tres post Meridiem: Probatur, Dictum est, quando Sol exaltatur supra horizontem plusquam per quadraginta duos gradus, non apparet iris sed sub æquinoctiali per tres horas ante, & post Meridiem Sol eleuatur per 45. gradus: nam qualibet hora eleuatur per 15. gradus, & sic in fine tertiæ horæ artificialis diei est eleuatus per 45. gradus: Similiter in tertia hora post Meridiem est eleuatus tantundem: quoniam tertia post Meridiem correspondet tertiæ ante Meridiem, excepto hoc, quod antè est in ascensu, & pòst est in descensu. Patet igitur propositum.

Secundò, habitantibus sub æquinoctiali prima & secunda hora diei in mane, similiter in vespere per duas horas ante solis occasum potest apparere iris: Probatur, In prima hora Sol non exaltatur super horizontem sub æquinoctiali nisi per quindecim gradus: & in secunda per triginta & correspondenter in vespere per duas horas ante solis occasum; ergo antedictis potest in horis illis apparere iris.

Tertiò, habitantibus sub tropico æstiuali non potest omni hora diei apparere iris. Probatur, Dum Sol est quasi in Meridie, exaltatur super eorum horizontem plusquam per quadraginta duos gradus: ergo, &c.

Quartò, quacunque hora Sol est super zenith alicuius ciuitatis, tunc non potest iris apparere: quoniam polus & centrum iridis sunt directè in angulo noctis, quia angulus correspondet Meridiei.

Quintò, habitantibus sub polo arctico, vel antarctico, si illic posset esse habitatio, omni die & omni hora diei potest apparere iris, quoniam non eleuatur super eorum horizontem Sol vltra viginti quatuor gradus.

Sextò, habitantibus in quinto & sexto climate potest apparere iris in qualibet hora diei per totam medietatem anni, quæ est ab æquinoctio Autumnali ad æquinoctium Vernale,

& huius causa est, quoniam sol non potest accedere ad zenith capitis nostri per 42. gradus.

Septimò nobis habitantibus in quinto, & sexto climate in æstate non potest apparere iris omni hora dici: nam cùm sol est in Cancro, & pertingit ad punctum meridiei, centrum iridis tantum deprimitur sub horizonte, quòd etiam in tota eius circunferentia est sub horizonte.

Tu tamen aduerte, quòd prædictorum notitia requirit scientiam de ascensionibus solis supra horizõtem secundum diuersas regiones, de quibus non est præsentis negotij pertractare. Hæc enim sumuntur ab Astronomo. Hæc dicta sint de tempore in quo iris apparet.

De significatis per iridem.

QVantum ad decimum, aduerte q̃ secundum Alber. in 3. lib. tract. 4. capite. 22. iris lunæ significat longam tempestatem & auram instabilem, quia raro apparet nisi cum magna materia humoris, qui est ex vẽto, qui est inter Australem, & Occidẽtalem, & cùm luna fuerit valde Meridionalis.

Iris autem solis secundum auctorem prospectiuæ in tertia parte, in propositione 21. cataclismum excludit, id est, præsignat diluuium non futurum: nam, vt dictum est, iris causatur ex oppositione solis ad nubem roridam, quæ quidem nubes non potest esse in aëre, quando est magna humidatis abundantia vel siccitas, & ideo requirit aërem quantum ad vtrunque medio modo dispositum. Dispositio autem huiusmodi repugnat inundationi & diluuio: & dato q̃ præfuerint nubes aquosæ & prægnantes aquis, non apparebit arcus donec fuerint pro maiori parte exoneratæ aquis: vnde videmus post impetuosam pluuiam in æstate apparere iridem. Est igitur signum diluuij non futuri. Propterea, inquit auctor prospectiuæ, vbi suprà, iridem cataclismum excludere. & idem confirmatur diuina auctoritate in lib. Geneseos, vt suprà diximus, assignantes diuersa nomina iridis, secundum Philosophos, & Poẽtas antiquos. Hæc de iride dicta sint, non quòd mihi persuadeam perfectam notitiam tradidisse, sed sequentibus dedi saltem occasionem subtilioris indagationis.

CAPVT IIII.

De quibusdam virgis à latere solis apparentibus.

CIrca cap. 4. agendum est de quibusdam virgis aliquando apparentibus à latere solis, de quibus dicam quid sint, & quomodo generantur. Dico igitur de mente Philosophi huiusmodi virgas esse radios solares, procedentes perpendiculariter à sole, transeuntes per nubem discontinuam siue perforatam, aut per nubem continuam, sed raram inæqualiter ad visum, & hoc modo generantur. Aliquando nubes non est continua, sed est sicut pannus perforatus, tunc per huiusmodi foramina transeunt radij solares refracti per quosdam vapores existentes in foraminibus nubis, & apparent ad instar chordarum albarum, & visui nostro propter magnam distantiam videntur, vt virgæ longissimæ albæ, & lucidæ. Aliquando nubes est continua, sed rarior in vna parte quàm in alia, tunc radij solares penetrant nubem in partibus raris, & sic causantur virgæ, quandoque nigræ, quandoque virides, quandoque puniceæ secundum diuersum dominium claritatis luminis super obscuritatem nubis.

Et si quæras quid essentialiter sint huiusmodi virgæ, dico quòd non sunt absolutè lumen solis, nec ipsa nubes, sed colores causati ex transitu radiorum per nubem discontinuam, vel inæqualiter raram. Potest etiam dici quòd sunt radij solares colorati ex trãsitu per huiusmodi nubes, sicut colorantur quando transeunt per vitrum coloratum rubeum, vel viride, & colorant apparenter parietem, aut aliud à quo reflectuntur.

CAPVT V.

De Paraelijs.

IN 5. cap. declarandum est quid sint paraelij, & quomodo generantur, vnde nota secundum Alber. in lib. 3. tract 4. cap. vltimo, quòd paraelij dicuntur imagines solis apparentes iuxta solem, ita q̃ videntur plures soles iuxtà positi: & id sonat nomen Græcum: nam παρὰ, idem est, quòd apud, & ἥλιος sol: vnde sic describitur, Paraelios est similitudo, vel effigies solis causata ex refractione radiorum solarium à nube existente à latere solis. Si autem generantur, aliquando à latere solis, est nubes densa, & rotunda, & regularis, id est, æquè densa secundum omnes partes, & radij solares refranguntur ad eam sicut ad speculum, & faciunt in ea apparere quasi alium solem, sicut ex obiecto & speculo repræsentatur similitudo obiecti: quòd si accidat esse duas nubes consimiles in vtroque latere solis, tunc apparebunt nobis tres soles: vnus quidem verus, & duo per similitudinem: sicut si duo speculia situarentur ad latera faciei Socratis, tunc homo existens ante faciem Socratis videret tres facies Socratis: vnam quidem veram, & duas apparentes in speculis: sic contingit in nubibus densis situatis à lateribus solis, quæ se habent, vt specula ad solem. Huius impresionis figuram sic describimus.



Figura, qua ostenditur quomodo apparent plures soles iuxta positi, qui dicuntur paraelij à Philosopho, in tertio Meteorologicorum.

CHRYSOSTOMI IAVELLICANAPICII EPITOME SVPER ILBROS Aristotelis, de Anima.

Numerus tractatuum super tres libros de Anima.

Primi libri.

Primus tractatus super Procemium Aristotelis.
Secundus tractatus super opinionem Platonis.

Secundi libri.

Primus tractatus de diffinitione animæ secundum Aristo.
Secundus tractatus de potentiis animæ in communi, & de vegetabilibus.
Tertius tractatus de sensibus exterioribus.

Tertij libri.

Primus de sensibus interioribus.
Secundus de intellectu possibili, & agente.
Tertius de potentia appetitiua, & motiua.

VPer Procemium Philosophi de Anima formamus vnicum tractatum, & relinquemus totum primũ librum, in quo referuntur opiniones antiquorum, quæ parũ nobis sunt vtiles. Verum quidem est, q̃ opinio Platonis est magni sensus, & ideo de ea compositi particularem tractatum nec recto sensu improbatur ab Arist. sed solùm quo ad verba, vt testatur B. Tho. in 1. de anima. ideo improbatio Aristo. est magni pendenda. Formamus ergo duos tractatus: primi super Procemium: Secundum super opinionem Platonis.

TRACTATVS PRIMVS super librum primum de Anima in quinque capita diuisus.

TRactatum primum diuidimus in quinque capita.
In primo ostenditur dignitas scientiæ de anima.
In secundo ostenditur vtilitas eiusdem scientiæ.
In tertio ostenditur difficultas scientiæ eiusdem.
In quarto ostẽditur, q̃ Physic. debet cõsiderare de anima.
In quinto soluuntur dubia quædam circa determinata.

CAPVT I.

Scientia de Anima omnibus alijs scientijs dignior est, excepta diuina.

CIrca primum caput ponitur hæc conclusio, Inter omnes scientias, præter scientiam diuinam, quæ est Metaphysica & Theologia reuelata, scientia de anima est melior & honorabilior: & per consequens nobilior. Antequam probetur, præponuntur tria. Primum est, Omnis scientia est bona: nam perficit intellectum nostrum: ergo est bona. Omne enim perficiens alterum habet rationem boni. Secundum est, aliqua scientia est laudabilis, & aliqua honorabilis: Probatur scientia practica est laudabilis, quia bonum laudabile est illud, quod non quæritur propter seipsum, sed propter nostrum commodum, vt laudamus equum, quia defert equitãtem: sed scientia practica non quæritur propter seipsam, sed propter opus, ad quod ordinatur: vt Politica quæritur propter regimen ciuitatis: ergo scientia practica est laudabilis. Scientia verò speculatiua est honorabilis: quia bonum honorabile est illud, quod propter seipsum quæritur: & non ordinatur ad aliud, vt felicitas, quæ est summum, & vltimum bonum: sed scientia speculatiua propter seipsam quæritur: non enim ordinatur ad opus, vt patet ex diffinitione sua: ergo scientia speculatiua est honorabilis. Tertium est, vna scientia speculatiua est nobilior altera, duobus modis. Primo, quia est certior, & habet demonstrationes certissimas, vt Mathematicæ, quæ demonstrant ad sensum conclusiones suas. Secundo, quia est de nobiliori subiecto, vt astrologia est nobilior prospectiua: illa enim est de corpore cœlesti, quod est nobilius linea visuali: quòd si dentur duæ scientiæ, quarum vna sit certior, & de ignobiliori subiecto; alia verò sit incertior, sed de nobiliori subiecto: secunda dicitur nobilior prima: vnde astrologia est nobilior geometria: quia licet sit incertior geometria, est tamen de nobiliori subiecto, quod est corpus cœli, & ideo bene dixit Philosophus in libro duodecimo de Animali, Magis affectamus scire modicum de rebus altissimis, etiam si topicè, & probabiliter illud sciamus, quàm scire multum & per certitudinem de rebus minus nobilibus. Histribus præsuppositis sic probatur conclusio, Scientia de anima est de nobiliori subiecto, anima enim est subiectum saltem speciale in hoc libro, & anima est nobilior inter creaturas inferiores, nec datur ens nobilius anima, nisi substantiæ separatæ, & Deus gloriosius, & scientia de anima est certior, quia habet demonstrationes certiores, ergo inter omnes scientias præter scientiam diuinam scientia de anima est nobilior. Quomodo verò habeat demonstrationes certiores sic declarandum est. Demonstratio potest esse certior dupliciter, primò, quia procedit ex propositionibus notioribus, quo ad nos, & quo ad naturam suam, vt demonstrationes Mathematicæ. Secũdo, quia procedit ex notioribus quo ad nos, in quibus nõ fallimur, vt quãdo ex effectu notissimo demonstramus causam, & dico ex effectu notissimo, sicut cùm demõstramus hominem habere pulmonẽ ex hoc effectu notissimo, qui est respirare, & tales sunt demonstrationes libri de anima. nam per obiectum potentiæ nobis notissimum cognoscimus operationem potentiæ, puta per colorem, qui est obiectum visus cognoscimus actum videndi, & per actum potentiæ cognoscimus potentiam, vt per videre cognoscimus visum, & per potentiam cognoscimus ipsam substantiam animæ, vt dicemus in frã, dicimus ergo quòd scientia libri de anima habet demonstrationes certiores, non quidem absolutè, vt sunt Mathematicæ, sed quia procedunt ab his, quæ sunt notissima nobis, quilibet enim in se experitur q̃d nutritur, quod augetur, quod sentit, quod appetit, quod intelligit, & ab his effectibus notissimis cognoscimus potentias animæ, & substantiam animæ, vt declarabitur in toto secundo libro, patet ergo quòd hæc scientia est nobilior aliis: & licet non habeat demonstrationes certiores per causas, vt habet Mathematica, tamen habet nobilius subiectum, per quod dicitur scientia nobilior, etiam si non sit adeo certa, vt sunt scientiæ Mathematicæ. Nota tamen quòd possumus dicere hanc scientiam esse nobiliorem, non quidem inter omnes alias, sed inter omnes partes scientiæ naturalis, puta quòd est nobilior, quàm scientia libri de cœlo, & quàm scientia libri Meteorologi. & quàm scientia libri de minera. & quia habet nobilius subiectum, & habet certiores demonstrationes, licet enim omnes partes scientiæ naturalis demonstrent ab effectu notiori, tamen scientia hæc demonstrat ab effectu non solùm notiori, sed notissimo ad sensum, vt declarauí paulò anté. Hæc conclusio sic intellecta nullam habet difficultatem, Hæc sufficiant de primo ca.

CAPVT II.

Scientia de anima quomodo valet ad omnes scientias.

CIrca secundum caput ponitur hæc conclusio. Scientia de anima est vtilis cuilibet alteri scientiæ, probatur indutiuè, primò est vtilis logicæ, quia in hac scientia, vt dicetur in tertio libro agitur de operationibus intellectus, quæ sunt simplicium apprehẽsio, compositio, & diuisio, & discursus à noto ad ignotum, sed circa hæc etiam versatur logica, nam in prædicamentis agitur de notitia terminorum incomplexorum, in libro Perihermi. agitur de compositione, & diuisione: & hæc omnia habes in compendio ma. in principio prædicabilium, vbi assignatur diuisio Logicæ. Secundò est vtilis scientiæ morali, vt patet in secundo Aethicorum, vbi inuestigatur in quibus potentiis animę posit esse virtus, & vitium & etiam in decimo Aethicorum determinatur, quòd felicitas cõsistit in cognitione intellectiua rerum altissimarum: sed in hac scientia tractatur de potentiis, & passionibus animæ, & de intellectu, ergo est vtilis scientiæ morali. Tertiò est vtilis scientiæ naturali, præcipuè illis partibus quæ tractant de corpore animato vegetabili, vel sensitiuo, non enim potest cognosci corpus animatum, nisi cognoscatur anima, quæ est principium omnium actionum rei animatæ, ergo est vtilis scientiæ naturali. Quartò est vtilis Metaphysicæ, quia non possumus cognoscere, quomodo substantiæ separatæ habeant intellectum, & intelligant, nisi haberemus cognitionem de intellectu humano in hac scientia, & per cognitionem intellectus humani deuenimus in cognitionem intellectus separati, & diuini. Vltimò est vtilis omni scientiæ in communi, & omni habitui intellectuali, quæ sunt sapiẽtia, prudentia, opinio, &c. nam intellectus est ille qui causat omnes hos habitus, vt dicemus in tertio libro. cùm ergo in hac scientia cognoscamus causam omnis scientię, sequitur quòd est vtilis omnibus scientiis, & habitibus intellectualibus. Hæc de secundo capite sufficiant.

Morali.

Naturali.

Metaphysicæ.

CAPVT III.

Scientia de anima difficilis est.

CIrca tertium caput ponitur hæc conclusio. Hæc scientia licet sit vtilis, est tamen valde difficilis, probatur dupliciter, primò, difficile est diffinire quid sit anima, & hoc multipliciter, primò est difficile inuenire viam diffiniendi. nam aliqui volunt, quòd omnis diffinitio inuestigetur per demonstrationem, sicut tenuit Hippocrates. Aliqui dicunt, quòd omnis diffinitio inuestigatur per diuisionem, sicut tenuit Plato. Aliqui autem per compositionem, quæ autem via sit melior, dicemus in quinto capite. Secundò est difficile inuenire genus, quod ponitur in diffinitione animæ, vtrum sit substantia, an accidens, an corpus, an actus, an potentia. Tertiò, est difficile inuestigare, quomodo diffiniatur anima, an sicut vnum genus, vel vna species specialissima, vel vna anima numero. nam Plato dicebat, quòd anima separata, vt idea, quæ erat causa animarum particularium, & de ea sola, vt de vniuersali separato detur diffinitio: secundum Aristotel. verò diffinitur anima in communi, quæ quidem non est quoddam vniuersale separatum, sed solùm habet esse in hac, vel in hac anima, vnde diffinitio quę datur de anima debet competere cuilibet animæ, & dicit Aristotel. contra Plato. quòd vniuersale, puta animal, genus, aut nihil est, aut est posterius singularibus, quod an sit verum declarabitur in quinto capite. Quartò, difficile est diffinire animam, quia difficile est inuenire vnam diffinitionem de anima, per quam cognoscamus etiam potentias animæ, & passiones suas. nam diffinitio subiecti debet esse medium ad demonstrandum passiones de subiecto, vt diximus in primo Posterior. sicut per diffinitionem hominis demonstramus hominem esse risibilem, similiter quia difficile est cognoscere differentias essentiales, & quoniam aliquando describimus rem per sua propria accidentia, vt cùm describimus asinum per rudibile, necesse est quòd cognoscamus accidentia propria animæ, vt per ea adiuuemur ad cognoscendum quid sit anima, nam inquit Aristotel. accidentia magnam partem cõferunt ad est. valde vtilia sunt ad cognoscendum quod quid est, id est, diffinitionem, & essentiam rei, quod quomodo verum sit dicemus in quinto capite.

Animam diffinire difficile est.

Secundò principaliter hæc scientia est difficilis propter potentias animæ, de quibus nescitur, an sint potentiæ solius animæ, an totius animati, vt vegetatiuæ, & sensitiuæ potentiæ, non enim sola anima nutritur, nec sentit, sed ipsum animal, similiter potentiæ appetitiuæ, & passiones, vt est timor, & ira videntur esse totius animalis, sunt enim actus earum cum transmutatione corporis. Nam qui timet pallescit, vel tremit: qui irascitur habet ebullitionem sanguinis circa cor. Quòd si quis dicat, propter quid hæc inuestiganda sunt. Respondet Philosophus, vt sciamus si anima intellectiua sit incorruptibilis, & remaneat postquam est separata à corpore. Nam si nulla potentia, nec actio esset propria solius animæ, non remaneret separata à corpore. tunc enim esset otiosa in natura, si nullam operationem propriam haberet. Et cùm nihil otiosum sit in natura, vt dicitur in secundo de cœlo,

sequitur quòd ipsa anima post mortem corrumpetur, vt ergo possimus sustinere, quòd anima nostra est incorruptibilis debemus inuestigare, si aliqua ex potentiis, & operationibus animæ, sit propria solius animæ, patet ergo quomodo hæc scientia est difficilis, Hæc sufficiant de 3. cap.

CAPVT IIII.

Animam contemplari ad naturalem spectat.

Potentiæ animæ sunt considerationis Physicæ.

CIrca quartum caput ponitur hæc cõclusio, Physicus debet considerare de anima, probatur sic, Physicus debet considerare de potentiis, & operationibus animæ, ergo debet considerare de anima: probatur consequentia, quia vt dicitur in primo poste. eadem scientia considerat subiectum, & proprias passiones subiecti vt arithmetica considerat numerum, & parem, ac imparem, vt passiones numeri, ergo si Physicus considerat potentias animæ, quæ sunt velut suæ passiones propriæ, etiam debet considerare de anima. antecedens verò probatur sic, potentiæ animæ diffiniuntur per materiam naturalem, vt diffinitur visus sic, visus est potentia affixa organo oculi, cuius obiectum est color, materia naturalis in qua est visus, est oculus, tunc sic, ea quæ diffiniuntur per materiam naturalem, vel quæ habent esse in materia naturali, considerantur à Physico, vt dictum est in secundo Physicorum, sed potentiæ animæ saltem vegetatiuæ, & sensitiuæ diffiniuntur per materiam naturalem, vt patebit in secundo libro, ergo potentiæ animæ considerantur à Physico.

Potentiæ animæ duplex diffinitio dari consueuit.

Verùm quia de potentiis animæ solet dari duplex diffinitio, vna per solam formam sine materia naturali, vt quando sic diffinitur ira, Ira est appetitus vindictæ propter malum illatum, aliquando diffinitur per materiam naturalem, vt quando sic diffinitur, ira est accensio sanguinis circa cor. dicit Philosophus, quòd prima diffinitio est logicalis, & insufficiens, quia non explicat sufficienter naturam rei diffinitæ. nam cùm res diffinita puta ira, habeat esse in materia naturali, id est, in corde, ex quo non ponitur in prima diffinitione materia naturalis, ideo est insufficiens, secunda verò diffinitio est melior, quia indicat rem secundum esse, quod habet in materia naturali, perfecta verò diffinitio fiet, si verà que diffinitio coniungatur, vt hic, ira est accensio sanguinis circa cor propter appetitum vindictæ ex malo illato. sicut etiam si sic diffiniatur domus, domus est quid compositum ex lapidibus, & coemento, & tecto. vt nos defendat à pluuia, & ab æstu. Ex his ergo patet, quòd diffinitio animæ, & potentiarum, si debet esse sufficiens debet dari per causam formalem, & per causam materialem, & id studebimus obseruare in toto secundo, ac tertio lib. vbi sigillatim diffiniemus, & animam, & potentias, ac passiones suas, quæ sunt in appetitu sensitiuo. hæc de 4. cap. sufficiant.

Diffinitionis perfectæ modus.

CAPVT V.

Quorundam dubitatorum solutio.

IN quinto cap. soluenda sunt quædam dubia, quæ oriuntur ex prædictis.

Primò, quæritur propter quid Philosophus facit specialem librum de anima. Nam tractando de rebus animatis, in reliquis libris, puta de vegetabilibus, & de animalibus, etiam tractasset de anima, cùm sit forma rei vegetabilis, & animalis.

De Anima considerare cur seorsum oportuit ab aliis animatorum libris

Ad hoc respondet bea. Tho. in principio sui commenti super lib. de anima sic in qualibet scientia prius consideranda sunt communia, & seorsum, ne eadem sæpius reputantur, & inutiliter, deinde deueniendum est ad considerationem rerum particularium, cùm ergo Philosophus in lib. sequentibus habeat considerare de rebus animatis in particulari, vt in lib. vegetabilium, & in lib. de animalibus, primò debuit seorsum tractare de eis, quæ sunt communia rebus animatis, hæc autem sunt anima, & potentiæ, & operationes suæ. nam in quolibet animato est anima, & aliquæ ex potentiis, & operationibus suis, vt dicetur in secundo lib. ergo conuenienter prius, & seorsum Philosophus tradit scientiam de anima, & potentiis suis. Hunc ordinem seruauit etiam in libris de Physico audi. in quibus tractat ea quæ sunt communia cuilibet enti mobili, vt declarani in primo tractatu super primum librum Physi. In aliis autem partibus philosophiæ naturalis tractat de vario ente mobili, vt in tractatu eodem declarani in diuisione vniuersali totius Philosophiæ naturalis. ne ergo cogeretur Philosophus sæpius repetere cognitionem de anima, voluit in libro particulari de ea pertractare.

Secundò quæritur quod est subiectum adæquatum in hoc libro. Respondeo secundum Alber. quòd est ens mobile animatum simpliciter. Dico ens mobile quoniã subiectũ totius physicæ est etiam subiectum in omni parte physicæ: sed ens mobile est subiectũ in tota physica, vt patet in primo nostro tract. 1. in 1. Physi. ergo est subiectum etiam in hoc libro. Dico animatũ vt per hoc distinguatur hic liber à libris præcedentibus vbi agitur de ente mobili simplici vel composito, sed inanimato, vt patet in lib. de cœlo, & in libro de generatione, & in libro meteororum, & in libro mineralium. Dico simpliciter id est nõ applicatũ ad particulare genus entis animati. vt per hoc distinguatur à libris seq. in quibus agitur de ente mobili animato secundum diuersum genus, vt in libro vegetabilium de ente mobili animato vegetatiuo, & in libro de animalium de ente mobili animato sensitiuo. Hæc cõclusio probatur sic à sequentibus Alber. Idem est subiectũ totius Physicæ & cuiuslibet partis eius, quia tota scientia & quælibet eius pars ordinatur ad cognitionem vnius rei, qua cognita sciens quiescit, vt tota logica ordinatur ad cognitionẽ entis rationis, quo cognito secundum omnes modos suos logicus quiescit: ergo idem est subiectum in tota vna scientia & in omni parte sua. sed ens mobile est subiectum in tota Physica, ergo & in hoc libro sub tali quidem ratione vt distinguatur ab aliis partibus physicæ. Ratio quidem talis est hæc, animatum simpliciter, quæ iam declarata est.

Nota tamen quòd D. Ioan. Iandunus & D. Gaieta. dicunt quòd anima est subiectum in hoc libro, & probant dictis Philosophi. primò hic in procemio, vbi ait quòd propter certitudinem & nobilitatem, & eiusdem intentionis videtur esse Beat. Tho. & manifestabitur in quæstionibus ordinariis, sed qui sequuntur Alber. dicerent quòd sufficit animam esse subiectum speciale, sed non adæquatum. Quomodo autem differant subiectum adæquatum, & speciale declarani in primo tractatu super 1. lib. Physi. Similiter Iandunus probat rationibus sic, In hac scientia quæruntur principia & partes & passiones animæ. ergo est subiectum, probatur consequentia, quia vt dicitur in primo Posterio. Illud est subiectum in scientia cuius principia & partes & passiones quæruntur. ergo anima est subiectum.

Ad hoc dicerent Albertistæ quòd antecedens est falsum, nam vt declarabitur in secundo & tertio libro, non considerãtur potentiæ nec operationes animę, vt sunt solius animæ, sed vt sunt totius animati, imò nec considerantur intelligere quod videtur esse propria actio animæ, nisi vt est per phantasmata, quæ sunt subiectiuè in phantasia, quæ est potentia affixa organo, & sic est potentia totius animalis & non solius animæ.

Secundò arguitur sic, Anima est vniuersale & principale consideratum: & distinguit hunc librum ab aliis partibus Physicæ. ergo anima est subiectum adæquatum,

Ad hoc dicunt Albertistæ quòd solùm secunda pars est vera scilicet anima est principale consideratum, prima verò, & tertia est falsa, nam ly animatum simpliciter distinguit hunc librum ab omnibus aliis, & est vniuersale cõsideratum, quia nihil ibi consideratur quod conueniat soli animæ, sed vt habet ordinem ad ens mobile animatum simpliciter. Sic responderent Albertistæ ad quæstum. Determinationem autem Thomistarum videbis in quæstionibus ordinariis.

Tertiò quæritur quæ sit sufficiens via inuestigandi diffinitiones secundum Aristo.

Ad hoc dicitur secundum Dom. Albert. in primo de anima, quòd via sufficiẽs est diuisio, deinde compositio, quòd sic declaratur. si volo diffinire hominem primò sic distinguo, entium quoddam est substantia, quoddam est accidens, ecce prima diuisio, substantiarum quædam corporea, quædam incorporea, ecce secunda diuisio. Corporum quoddam animatum &c.

Item animatorum quoddam sensitiuum, quoddam non sensitiuum. Item sensitiuorum quoddam rationale, quoddam irrationale. Peractis iis diuisionibus posteà per compositionem colliguntur partes diffinientes sic, Homo est substantia, quia non est accidens: & corporea, quia non est incorporea: & animata, quia non est inanimata: & sensitiua & rationalis, quia non est irrationalis, ecce quomodo sola diuisio non est sufficiens, vt dicebat Plato. sed est necesse primò diuidere, secundò componere adinuicem partes diuidentes non oppositas, vt declarani in exemplo de homine.

Quartò quæritur quomodo propositio inducta contra Plat. sit vera, scilicet, vniuersale aut nihil est, aut est posterius singularibus.

Ad hoc dicitur secundũ Bea. Tho. & Alber. & Aegid. quòd vniuersale puta animal sumitur tripliciter. primò considerãtur secundum se & absolutè, puta animal vt animal, & homo vt homo, non habendo respectum ad sua singularia, & sic vniuersale est prius suis singularibus: Nam bene sequitur, Socrates est, ergo homo est, non tamen sequitur econuerso, homo est, ergo Plato est, & sic patet, quòd homo est prior secundũ se suis singularibus: quia ab eo non conuertitur subsistendi consequentia: sicut etiam dicimus quòd vnum est prius duobus: licet enim hæc sit bona consequentia, duo sunt, ergo vnum est: non tamen sequitur, vnum est, ergo duo sunt. Secundò consideratur vt habet esse in suis singularibus, puta consideratur homo, vt est Socrates, & Plato: & sic nec est prius, nec posterius suis singularibus, sed est simul cum eis, & generatur vel corrumpitur per accidens, sicut generantur vel corrumpuntur sua singularia.

Tertiò consideratur vt est sub intentione secunda, puta consideratur homo vt est species, vel inquantum prædicatur de pluribus differentibus numero: & sic dico, quòd est posterius suis singularibus: nam intellectus attribuit homini hanc intentionem secundam, postquàm considerauit quòd homo secundum suum significatum potest conuenire differenter huic & huic homini: & sic patet, quòd est posterius suis singularibus: & de vniuersali sic accepto dicit Auerrois in 1. libro Meteororum: vniuersalia apud Aristotelem sunt collecta ex particularibus ab intellectu, quia accipit inter ea similitudinem, id est, quia cognoscit quòd conueniunt in vna diffinitione communi, puta cognoscit, quòd quilibet homo conuenit in hoc quod est esse animal rationale: & per talem conuenientiam homo prædicatur de pluribus. Quando ergo dicit Aristoteles contra Platonem, quòd vniuersale aut nihil est, aut est posterius singularibus, accipit vniuersale tertio modo, quasi dicat, homo vt species si accipiatur separatim à singularibus nihil est, quia non datur homo, qui habeat esse extra omnes homines singulares, vt dicebat Plato. Si autem sumatur vt habet esse in intellectu, sic est posterius singularibus: Prius enim intellectus considerat, quòd singularia conueniant in vna diffinitione communi, quàm formet hunc conceptum, qui est prædicari de pluribus, & hæc est diffinitio vniuersalis sumpta tertio modo.

Quintò quæritur, quomodo accidentia magnam partem conferant ad cognoscendum essentiam rei.

Respondeo, quòd cognitio rei est duplex. Prima est cognitio per diffinitionem, vt cùm cognosco, quòd homo est animal rationale. Secunda est per discursum, vt cùm cognosco, quòd homo est risibilis per discursum, id est, procedendo à noto ad ignotum syllogizando.

Accidentia sunt valde vtilia ad cognoscendum res.

Quantum ad primam cognitionem dico quòd accidentia propria sunt valde vtilia: tamen, quia sæpe sumuntur pro differentiis essentialibus, quoniam ipsæ differentiæ sunt nobis incognitæ, vt cùm in diffinitione equi ponimus hinnibile: quia nescimus propriam differentiam equi, qua distinguitur à quolibet alio animali: tunc etiam, quia disponunt intellectum nostrum ad cognoscendam propriam differentiam, nam in naturalibus procedimus ab effectibus propriis ad proprias passiones: à propriis passionibus ad differentiam specificam, puta quia video hominem ridere, cognosco quòd est risibilis, ex hoc cognosco quòd est admirabilis, ex hoc cognosco quòd est rationalis, quæ est differentia specifica hominis, ecce quòd hæc accidentia, scilicet ridere, esse risibilem, esse admirabilem, sunt valde vtilia ad cognoscendum differentiam specificam hominis. & sic patet quod accidentia propria sunt vtilia ad cognitionem rei, quæ habetur per diffinitionem.

Quantum ad secundam cognitionem, quæ habetur per discursum dico quòd accidentia propria sunt valde vtilia, præcipuè in scientia naturali, in qua vt in pluribus probamus conclusiones per effectus proprios, & proprias operationes, & proprios figuras: nam per accidentia propria probamus rem habere esse, & esse talem, puta æternam, vel corruptibilem, &c. ergo accidentia propria vtilia sunt ad cognitionem rei quæ habetur per discursum, probatur antecedens sic per motum æternum & circularem probat Philosophus dari primum motorem, vt per suam propriam operationem, & non solùm dari primum motorem, sed etiam esse æternum, & vnum, & infinitum, & incorporeum.

Item per motum circularem, qui est proprius corpori cœlesti, probat Philosophus in primo cœli corpus cœleste non esse compositum ex elementis, patet ergo quomodo per accidentia propria cognoscimus, argumentando multa prædicata, præcipuè rerum naturalium, & sic verum est, quòd accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum essentiam rei, siue per diffinitionem, siue per discursum. Hæc sufficiant pro primo tractatu super primum librum de anima.

TRACTATVS SECVNDVS

Super primum de anima, in quo Platonis sententia iuxta verum sensum quem habuit de anima, exponitur: in quinque capita diuisus.

IN hoc secundo tractatu intendimus exponere opinionem Plat. de anima quam occultauit in Timæo sub Metaphoris, quasi indignum existimans quòd vulgares & profani secretum hoc apprehenderent, velauit igitur sensum verum sub Metaphoris, vt soli sapientes ac depurati animi illum complectantur, plebeis autem mentibus seruetur occultum, vt igitur id Philosophiæ arcanum studiosis elucescat: diuidimus hunc tractatum in quinque capita.

In primo refertur sententia Plato. de anima, vt habetur in Timæo.

In secundo declaratur de qua anima propriè loquitur in Timæo.

In tertio declaratur quot sunt numeri, ex quibus secundum Plato. componitur anima, & quot proprietates habent.

In quarto declaratur quomodo tales proprietates reperiuntur in cœlo.

In quinto declaratur quomodo prædictæ proprietates reperiuntur in anima cœli, & per consequens in anima nostra, & sic manifestum erit, quòd opinio sua de anima, nullum continet inconuenienS.

CAPVT I.

Sententia Platonis de anima ex Timæo accepta.

IN primo capite declaratur quod dicebat Plato. de anima in Timæo: vnde nota quòd Plato tria considerabat in anima. Primò, quomodo comparatur ad corpus. Secundò, ex quibus principiis constituitur. Tertiò, quomodo se habet ad operationes suas.

Quantum ad primum dicit Plato, quòd anima comparatur ad corpus, non quidem vt forma dans esse ipsi corpori, sed vt mouens ipsum corpus, mouet autem corpus prout est connexa, id est colligata & applicata ipsi corpori, sicut manus mouet baculum, non quia dat esse baculo: sed quia est applicata ipsi baculo, ex quo sequitur secundum Platon. vt ipsemet testatur in libro qui dicitur Alcibiades de homine, quòd homo non constat ex anima & corpore, velut ex forma & materia: vt tenet Aristotel. sed ipsa anima est totus homo essentialiter, corpus verò est instrumentum, in quo operatur, vnde secundum Platon. sic diffinitur, homo est anima vtens corpore. Quòd autem opinio Platon. quantum ad hoc primum non sit vera declaratur sic, Id quod est homo potest operari per se operationes quæ sunt in homine, sed anima non potest operari per se operationes hominis, non enim potest per se sentire, quia expletur per organum corporeum, vt patet, ergo anima nõ potest per se sentire, nec per se nutrire, vt patet, nec per se appetere bonum cognitum per sensum, appetitus enim sensitiuus est in corde vt in suo organo, cùm igitur anima non habeat aliquam operationem repertam in homine sibi propriam, nisi ipsum intelligere, vt dicitur in tertio de anima, sequitur quòd homo non sit anima, sed potius quid compositum ex anima, & corpore, vt tenet Aristote.

Homo nõ est anima, sed potius ex anima

Anima ex quibus sit.

Quantum ad secundum dicit Plato, quòd anima est constituta ex elementis, id est, ex suis principiis quæ secundum ipsum sunt numeri harmoniaci, id est, consonantes vt habeat naturalem sensum harmoniæ, & feratur secundum motus consonantes, id est, operetur operationes concordes & proportionatas, vt declarabimus infrá.

Anima quomodo operatur.

Quantum ad tertium dicit Pla. quòd anima operatur prius secundum aspectum rectum, quem aspectum rectum Deus reflexit in circulum, ordinauit enim Deus quòd prius intelligeret alia entia per rectum aspectum, & posteà seipsam intelligeret per modum cuiusdam circulationis & reflexionis. Diuidens quidem Deus vnum circulum in duos circulos dupliciter ordinatos. Item vnum circulum in septem circulos veluti essent cœli motus sicut animæ motus. Hic continetur ænigmaticè tota opinio Plat. de anima, quam quidem declarabimus sequendo intentionem Iamblici ac Marsilij Ficini.

CAPVT II.

Quænam anima ex animabus sit ex harmoniacis numeris composita secundum Platonem.

IN secundo capi. declarandum est de qua anima Plato propriè loquitur in Timæo. Vnde nota secundum expositoChrys. Iauel.

res prædictos quod illic principaliter loquitur de anima cœli. Posuit enim Plato cœlũ verè animatũ tanquã quoddam immortale animal: quæ quidem anima est intellectiua, & collocatur à Plato. in quarto gradu entium intellectualium. Nam Plato posuit vt asserit Apule, in libro de Deo Socratis, sex gradus entium intellectualium. In primo gradu posuit Deum gloriosum quem nuncupauit per se bonum & per se vnum cuius bonitas & vnitas non dependet ab alia. hunc etiam nuncupat primum Deum, patremque deorum. In secundo gradu posuit Deos secundos: quos dicit esse secundas bonitates & vnitates, participantes immediatè primam bonitatem & vnitatem, quæ est in summo ac primo Deo. In tertio gradu posuit intellectus separatos: qui nullis corporibus sunt vniti, sed sunt substantiæ penitus separatæ, hos alij Philosophi dicunt esse intelligentias, & sacri Theologi dicunt esse angelos. In quarto gradu posuit animas cœlorum, quæ quidem, licet secundũ suam naturã sint intellectuales, tamen sunt colligatæ corporibus cœlestibus, & quia corpora cœlestia sunt nobilissima corpora, ac perpetua ex voluntate primi dei, ideo animæ cœlorum sunt nobilissimæ inter omnia genera animarum. In quinto gradu posuit animas Dæmonum, quas dicit esse intellectiuas, sed colligatæ sunt corporibus aëreis: vnde opinatur quòd dæmones sunt animalia habentia corpus aëreum, animam verò intellectiuam, vt testatur Apule, in lib. de Deo Socra. In sexto gradu posuit animas humanas, quæ licet sint intellectiuæ, tamen infimæ sunt & ignobiliores inter omnia entia intellectualia, cuius signum dicit esse, quod vnitur ignobiliori corpori, quale est corpus humanum, terrestre, opacum, foetulentum, & corruptibile. Ex his igitur patet, quòd in quarto gradu ponebat animas cœlorum, & de his gradibus entium intellectualium infrà posui figuram,

Entium sex gradus ex Platone.



Hanc igitur animam cœli posuit Plato esse constituta ex numeris: & consonãtiis harmoniacis duplici de causa: prima: quia vt refert Arist. in 2. lib. de cœlo. & Macrob. in lib. de somno Scip. Pythagorici, & Platonici dicunt, q̃ ex vario motu sphærarum cœlestium causantur soni maximè consonantes, & proportionati, quos quidẽ aures mortaliũ non audiũt, quoniam adeo assueuerunt audire strepitus improportionales qui causantur in his inferioribus, q̃ quasi surduerunt, sicut malleatores penè surdi efficiuntur ex grandi, & frequentato ictu malleorũ, & quia motus cœlestium sphærarum causantur ab animabus cœlorum, sicut à propriis suis motoribus, ideo posuit Plato animas cœlorum componi ex numeris harmoniacis, vt possent causare motus harmonizatos, ac consonantes. secunda causa est, quia vnum quodque delectatur in eo quod est sibi simile, & cõnaturale. cùm ergo videret Plato, quòd anima delectatur in rebus proportionatis, puta delectatur visus luce temperata. offenditur autem à luce excellenti, vt patet dum intuetur solem, & delectatur auditus sono mediocri, & consonanti, vt patet in instrumentis musicis. tristatur autem in sono acuto, vt patet in tonitruo: opinatus est, quòd harmonia & consonantia essent de natura animæ, & quòd cõponeretur ex numeris harmoniacis. patet igitur quòd in Timæo loquitur principaliter de anima cœli, & quoniã secundũ Plato. anima humana imitatur animam cœli. ex cõsequenti secundũ eum, & animæ nostræ componuntur ex numeris harmoniacis. Quod qualiter fit, dicã in cap. sequenti.

Anima cœli & non humana ex numeris harmoniacis composita est apud Platonem.

Delectatur omne sibi simili.

CAPVT III.

Ex quibus numeris anima sit composita.

IN tetio cap. declarandum est, qui sunt numeri, ex quibus componitur anima secundum Plat. & quot proprietates habent. Dico igitur, vt habetur in Timæo, q̃ isti numeri sunt componentes animam. 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. & continent in se quinque proprietates, scilicet consonantiam, aspectum rectũ, duplicem coordinationem, identitatem, & diuersitatem, reflexionem in circulum. primò continent in se consonantiam, nam in eis reperiuntur principales consonantiæ musicales, quæ quidem sunt sex, scilicet diapason, diapente, diatessaron, & diapason, & diatessaron composita, tonus ex diapason, & diapente composita. Quòd prædictæ sex consonantiæ fiant ex prædictis numeris declaratur sic. Inter vnum, & duo, est diapason, quia est proportio dupla. Inter 2. & 3. est diapente, quia ibi seruatur proportio sexquialtera. Inter 3. & 4. est diatessaron, quia seruatur proportio sexquitertia, inter 3. & 8 est consonantia composita ex diapason, & diatessaron, quia ibi seruatur proportio dupla superbipartiens. nam 8. continet bis tria, & duas vnitates. Inter 8. & 9. est tonus. nam ibi seruatur proportio sexquioctaua: nam 9. continet 8. & octauæ partem. Inter 9. & 27. est consonantia composita ex diapason: & diapente, quia ibi seruatur proportio tripla. nam termouem constituunt 27. patet ergo, quomodo in eis numeris continentur consonantiæ musicales, quæ etiam dicuntur harmoniacæ, & earum figuram infrà disposui: vt vides.



Secundò continent aspectũ rectũ in hoc sensu, quod posterior semper excedit priorẽ. patet enim quod 2. excedũt 1. & 3. excedunt 2. & 4. excedunt 3. & procedit vsque ad 27. hanc autem excedentiam intendebat Pla. per aspectum rectum.

Tertiò continent duplicẽ coordinationem, vnã pariũ, alia dispariũ. nam ex vno latere possunt omnes pares figurari, scilicet, 2. 4. 8. & ex alio latere possunt omnes impares describi, scilicet, 3. 9. 27. & nota quod apud Plat. pares dicunt numeri dupli: nam 2. continent bis 1. & 4. bis 2, & 8. bis 4. impares dicuntur tripli. nam 3. continent ter 1. & 9. ter 3. & 27. ter 9. Hæc duplex coordinatio patet in figura sequenti,



Quartò continentur in eis identitas, & diuersitas. nam est identitas ex parte numerorum imparium, & diuersitas ex parte numerorũ pariũ. Quod sic declaratur. Si omnes numeri impares ordinati adinuicẽ cõponantur, semper resultabit eadẽ species numeri, scilicet, numerus quadratus, dicitur autem numerus quadratus ille, qui consurgit ex ductu alicuius numeri in seipsum semel, vt 4. est numerus quadratus duorum. nam bis 2. constituunt 4. & 9. est quadratus trium. nam ter tria constituunt 9. Quòd igitur ex parte imparium, si adinuicem comparantur semper seruetur numerus quadratus, declaratur sic, Sumatur vnitas cum primo impari, qui est tria, et 1. & 3. constituuntur 4. qui est quadratus duorum. nam bis 2. constituunt 4. deinde sumatur secundus impar, scilicet 5. & componatur cum ipsis 4. constituunt 9. qui est quadratus trium. nam ter tria constituunt 9. deinde sumatur 3. impar qui est 7. & componatur cum ipsis 9. constituuntur 16. qui est quadratus. nam quater 4. constituunt 16. deinde sumatur 5. impar qui est 9. & componatur cum 16. constituunt 25. qui est quadratus. nam quinquies 5. constituunt 25. & sic procedendo, & sumendo impares ordinatè, & apponendo priori numero quadrato seruatur numerus quadratus, vt patet in figura sequenti, in qua ordinantur numeri quadrati, vsque ad 100. & potest augeri in infinitum,



Quòd autem ex parte parium sit diuersitas declaratur sic: Si numeri pares ordinatè adinuicem componantur, constituuntur diuersæ species numerorum, & non vna, & eadem, sicut seruatur in numeris imparibus. nam si sumatur primus par scilicet secundus, & secundus par scilicet quartus, & adinuicem componantur cõstituunt sextum, qui dicitur numerus superficialis. Si autem sumatur tertius par, scilicet sextus, & componatur cum priori sexto, constituitur duodecimus, qui dicitur numerus solidus, patet ergo, quòd variatur species ex compositione numerorum parium adinuicem, & sic in eis continetur diuersitas: hic non est necesse aliquam figuram describere.

Quintò in prædictis numeris continetur reflexio quasi circularis. nam in eis possumus procedere à paribus ad imparia: & ab imparibus ad paria, quasi reflectendo: & hoc sic declaratur. Sumatur vnitas, & addatur binario, fiet impar, scilicet ternarius: inde addatur quaternario, fiet impar, scilicet quinarius: inde addatur octonario, fiet impar, scilicet nonarius: ex parte verò imparium si eis ordinatè addatur vnitas fiet processus ad paria, nam si vnitas addatur ternario fiet quaternarius, & si addatur nonario fiet denarius, & si addatur vigesimo septenario, fiet vigesimus octonarius. Patet ergo quomodo fit processus à paribus ad imparia, & ab imparibus ad paria, quasi reflexione circulari: figura huius duplicis processus patet ibi.



CAPVT IIII.

Numerorum animam componentium perfectiones quomodo in cœlis reperiantur.

IN quarto capite declarandum est, quomodo istæ quinque proprietates repertæ in prædictis numeris, reperiuntur etiam per similitudinem in corporibus cœlestibus, primò igitur reperitur in cœlo consonantia, & proportio: & hoc est respectu motuum. nam vel ex motu cœlorum causantur soni consonantes, vt tenent Pythagorici, & Platonici, vel saltem secundum Aristot. & omnes astronomos sunt motus proportionales, pro quanto omnes sphæræ mouentur regulari, & continuo motu, vt dictum est in octauo Physic. & planetæ variis temporibus perficiunt motus suos in zodiaco, puta Sol in vno anno, Luna in mense, Mars in duobus annis, Iupiter in quinque, Saturnus in triginta, vt patet in tractatu de sphæra, ex his igitur variis temporibus, ac motibus deprehenditur, quòd in motibus cœlorum est mira proportio. secundò est in eis aspectus rectus. nam propter polos mundi imaginantur astronomi, quòd quædam linea recta, quam appellant axim pertranseat per centrum terræ, cuius extremitates pertingunt ad primum mobile, velut duo puncta, quorum alterum dicunt esse polum arcticum, & alterum polum antarcticum, super hos polos mouetur primum mobile ab Oriente in Occidentẽ, & secũ rapit sphæras planetarum, propter igitur hanc lineam rectam, id est axim, & motum ab Oriente in Occidentẽ, dicitur esse aspectus rectus in cœlo, tertiò est in cœlo duplex coordinatio propter polos qui alio, & alio modo ordinantur in cœlo. nam poli mobilis primi scilicet arcticus, & antarcticus sunt illi, super quos mouetur primum mobile, & omnes alij planetæ motu raptus ab Oriente in Occidentem in vigintiquatuor horis. poli verò planetarum, super quos mouentur sub zodiaco motu proprio, & opposito, scilicet ab Occidente in Orientem situantur in alia parte cœli, vt patet in tractatu de sphæra. nã alter est in circulo arctico, & alter in circulo antarctico, distántque à polis primi mobilis ferè vigintiquatuor gradibus. prima igitur ordinatio sumatur secundum situm polorum primi mobilis, & secundum motum ab Oriente in Occidentem. secunda ordinatio sumitur secundum situm polorum planetarum, & secundum motum ab Occidente in Orientem. quartò est in cœlo identitas, & diuersitas. identitas quidem propter primum mobile, quod mouetur vnico motu, & velocissimo, & regulari ab Oriente in Occidentem in vigintiquatuor horis, secundò est diuersitas propter planetas qui mouentur diuersis motibus. nam in quantum rapiuntur à primo mobili mouẽtur ab Oriẽte in Occidentẽ quolibet die, sicut primũ mobile, inquantũ verò contra nituntur mouẽtur sub signis zodiaci diuersimodè ab Occidente in Orientẽ, vt Luna in mense, Sol in anno, &c. quintò est in eis reflexio circularis, imò est vera circulatio, probant enim Philosophus in 8. Phys. & Astronomi, quòd cœlũ mouetur solo motu circulari, qui est ab eodẽ ad idem, non quidẽ per lineam rectam, nec per arcum, sed per duos semicirculos, superiorem, & inferiorem, vt declarati in 8. physi. de his feci figuram, in qua non deprehenduntur, nisi octo cœli. non enim plures posuit Arist. nec Plato. & non deprehenduntur consonantia, & motus circularis. Hæc enim signantur in materia eleuata.

In cœlis reperiuntur.

CAPVT V.

Quomodo in anima intellectiua reperiantur quæ in anima cœli sunt.

IN quinto capi. declarandum est quomodo hæ proprietates reperiuntur in anima cœli, & ex consequenti in anima nostra, & quomodo operationes animæ similantur motibus cœlorum.

Circa primum dico, quòd in anima est consonantia, & proportio respectu suarum operationum. nam omnes potentiæ animæ naturaliter feruntur in actus suos secundum consonantiam, vt patet in visu qui ex tenebra, & ex intensa luce offenditur, delectatur verò in temperatè lucido, vel colorato. Item intensus calor offendit tactum. similiter intensa frigiditas, & delectatur in medio modo se habente. Idem patet ex experientia in omnibus aliis potentiis, quæ offenduntur extremis, & delectantur in mediis proportionatis. propter quod sapienter dixit Hyparcus; quòd anima habet sensum connaturalem harmoniæ.

In anima est consonantia.

Secundò in anima reperitur aspectus rectus respectu rerum cognoscibilium, quæ sunt extra animam. nam alia entia præcipuè sensibilia naturalia, anima cognoscit directè, prout causant species sensibiles siue intelligibiles in potentiis animæ per quas entia ipsa directè cognoscantur.

In anima est aspectus rectus.

Tertò in anima reperitur reflexio quasi circularis respectu ipsiusmet animæ prout seipsam intelligit. nam anima non intelligit se directè, sed reflexè. dicemus enim in secundo libro quòd hic est modus naturalis ipsi animæ vt primò & directè cognoscat obiecta. secundò actus, tertiò potentias, quartò essentiam ipsiusmet animæ. Quia ergo hæc intellectio incipit ab anima & tẽdit directè ad obiecta extrinseca, & postea ab omnibus extrinsecis reuertitur ad animam, prout anima postquam cognouit alia, cognoscit etiam seipsam, dicitur reflexio. Et quia hæc intellectio incipit ab eodem & reuertitur ad idem, quia incipit ab anima & reuertitur ad animam, potest dici reflexio, quasi circularis.

Anima quomodo procedit in cognoscendo.

Quartò reperitur in anima duplex ordinatio propter duplicem modum cognoscendi, qui est in anima, nam est modus sentiendi & modus intelligẽdi. qui distinguuntur in hoc, quod sensatio est à potentia organica & circa singularia, sed intellectio est à potentia non organica, & circa vniuersalia, vt declaratur in tertio libro in tractatu de intellectu. igitur hic duplex numerus cognoscendi potest dici duplex coordinatio.

In anima duplex ordinatio.

Quintò reperitur in anima identitas & diuersitas propter varias potentias suas, nam in potentiis intellectiuis est identitas, sunt enim simplices immateriales & organicæ. In potentiis verò vegetatiuis, sensitiuis, appetitiuis sensitiuis, & motiu

In anima identitas & diuersitas.

motiuis executiuis est diuersitas, sunt enim organicæ extensæ per accidens & materiales. Ex iis igitur patet quomodo in anima reperiũtur quinque proprietates, quæ sunt in prædictis numeris harmoniacis, & propter hanc similitudinẽ proprietatum dixit Plato animam componi ex prædictis numeris.

Animæ operationes cœlorũ motibus similes sunt

Circa secundum quomodo operationes animæ assimilentur motibus cœlorum secundum Platonem, sic accipe, In cœlo duplex est motus, vnus ab Oriẽte ad Occidentem, qui est primi mobilis, alius ab Occidente in Orientem, qui est proprius planetarum: hic motus planetarum diuiditur in septem motus, eo quòd sunt septem planetæ, & quilibet mouetur suo motu proprio, sic accidit in intellectione quæ est operatio animæ intellectiuæ, nam hæc est duplex, prima est, qua intelligit substantias separatas, siue diuina entia, & hæc assimilatur motui primi mobilis, est enim nobilissima, & simplicissima eo quòd substãtiæ separatæ sunt obiecta simplicia & immaterialia, secunda est qua intelligit entia corporea inferiora & hæc assimilatur motui planetarum, est enim inferior & ignobilior prima, eo quòd entia corporea sunt ignobiliora substantiis separatis, & diuiditur in 7. intellectiones sicut diuiditur motus planetarum in 7. motus, istæ autem 7. intellectiones distinguuntur secundũ genera obiectorum corporalium, quæ sunt ista: in primo gradu situantur elementa, in secundo sunt vapores, qui ex aliquibus elementis cõpositi sunt, sed imperfectè, in tertio sunt composita ex omnibus elementis, sed inanimata, vt sunt mineralia, & lapides, in quarto sunt vegetabilia, in quinto sunt sensitiua immobilia, in sexto sunt sensitiua mouentia se secundum locum, in septimo sunt rationalia, vt homo ratiocinatur & sentit & mouetur secũdum locum, circa igitur hæc septem obiecta negotiatur anima intellectiua septem intellectionibus, & sic patet quomodo intellectiones animæ assimilantur motibus cœlestibus.

Animæ sunt septẽ intellectiones, sicut septem motus planetarum.

Hîc terminatur expositio opinionis Platonicæ de compositione animæ ex numeris harmoniacis, in qua sequutus sum partim B. Tho. in Commento primi libri de Anima, & Iamblicum, & Dominum Marsilium Ficinum fidissimum Platonis interpretem.

EPITOME SVPER SECVNDVM librum de Anima, in tres tractatus diuisa.

SVper secundum librum de Anima formauimus tres tractat.

In primo inuestigatur quid sit anima secundum Aristot.

In secundo agitur de potentiis vegetatiuis.

In tertio agitur de potentiis sensitiuis exterioribus.

TRACTATVS PRIMVS in tria capita diuisus.

TRactatum primum diuidimus in tria capita.

In primo inuestigatur diffinitio animæ, quæ datur per materiam in qua recipitur anima.

In secundo inuestigatur diffinitio animæ quæ datur per formam, & per hanc diffinitionem demonstratur quòd prima diffinitio verè competit animæ.

In tertio inuestigatur quomodo diuersa principia viuendi, vt est vegetatiuum & sensitiuum se habeant ad animam.

CAPVT I.

Ex quibusdam diuisionibus diffinitur quid est anima, secundum eius materiam.

IN primo capite inuestigatur quid sit anima in cõmuni, diffiniẽdo ipsam per materiã, in qua recipitur, & ibi fiunt tria.

Primò ponuntur quædam diuisiones.

Secundò ex iis diuisionibus colligitur diffinitio animæ.

Tertiò declaratur quòd ipsa diffinitio sit bona.

Circa primum sit hæc prima diuisio, entium quoddam est substantia, quoddam quantitas, quoddam qualitas, &c. vsque ad vltimum prædicamentum.

Substãtia naturalis diuiditur in materiam, formam, & compositũ.

Secunda diuisio, substãtia naturalis diuiditur in materiam, formam, & compositum, vt lignũ diuiditur in materiam primam, & in formam receptã in materia ligni, & ipsum lignũ quod est cõpositum ex materia & forma, inter quæ est differentia, quòd materia non est ens in actu, sed est in potentia: forma verò est per quam res habet esse in actu, compositum verò est illud quod est actu, vt Socrates compositus ex materia, & anima est actu homo, & est hoc aliquid, id est, singulare. Quot conditiones requirantur ad hoc aliquid, iam declaraui in compendio minori in prædicamento substantiæ, & quia forma facit rem esse actu, ideo forma dicitur esse actus, & apud Græcos appellatur Endelechia.

Tertia diuisio, actus est duplex, scilicet primus & secundus. Actus primus est ipsa forma siue substãtialis siue accidẽtalis, quæ actuat materiã in qua est, vnde forma ignis est actus primus, sed substãtialis, quia facit materiã ignis esse actu, & calor in manu est actus primus, sed accidẽtalis, quia facit manum esse actu calidã. Actus secundus est operatio rei, cuius principium est ipsa forma, puta sentire est actus secũdus, quia est à sensu qui est actus primus, & scire est actus secũdus, quia est à sciẽtia quæ est actus primus, cũ sit forma accidẽtalis. Et nota quòd hæ tres diuisiones positæ sunt ad inuestigandum genus quod ponitur in diffinitione animæ. Alias tres ponit Philosophus ad inuestigandum materiam in qua recipitur anima, cum enim anima sit forma, vt dicemus, inuestigandum est in qua materia recipitur.

Prima igitur diuisio est hæc, substantiarum quædam est corporea, vt cœlum, & homo, & lapis, &c. quædam est incorporea, vt intelligentiæ, & Deus gloriosus, inter quas est hæc differentia, quòd substantia corporea cognoscitur per sensum, cùm sit quanta & subiecta accidentibus corporeis, vt sunt colores, & sapores, & figuræ, &c. substantia verò incorporea solo intellectu cognoscitur & non subiicitur sensui, cùm in ea non sint accidentia corporea.

Secunda diuisio, substantia corporea est duplex, quædã est naturalis, vt sunt illa quæ habẽt in se naturã, id est, principium motus & quietis, vt declaraui in primo tract. super secundũ librum Phys. quædã est artificialis, vt sunt illæ, quarũ principiũ est agens artificiale, vt domus, quæ est ab ædificatore, & gladius qui est à fabro, inter quas est hæc differẽtia quòd substantia corporea naturalis est substãtia quo ad materiã & quo ad formam, vt materia prima ligni est substantia, licet in potentia, & forma ligni est substantia, sed in artificialibus sola materia est substantia, forma verò est accidens, vt in gladio ferrum est substantia, sed figura quæ est forma gladij non est substantia, sed qualitas, & ponitur in quarta specie qualitatis.

Tertia diuisio: corporum naturalium, quædam viuunt quædam non viuunt, illa viuunt quæ nutriuntur & augmentantur, vt plantæ, & animalia: quod quomodo fiat declarabo in tractatu sequenti. illa non viuunt, quæ nec nutriuntur nec augentur, vt elementa, & lapides, & metalla, &c. Et nota quòd si inueniantur aliqua inanimata nutriri & augeri, vt ignis qui videtur nutriri ex lignis combustis, & lapides, qui post longum tempus videntur facti maiores, illud nutriri & augeri est æquiuocum & impropriũ, vt declarabo in sequenti tractatu. Nota etiam quòd illa propriè viuunt quæ mouent seipsa, vt diximus in octauo Physicorum, sumendo motum etiam Metaphysicum, vnde quæcunque mouent se motu locali, vel motu nutritionis & augmenti dicuntur viuere. similiter quæcunque mouent se motu Metaphysico, dato casu quòd non moueantur aliquo motu Physico dicuntur viuere & hoc modo intelligentiæ & Deus gloriosus dicuntur viuere, quia licet non nutriantur nec augeantur nec moueantur secundum locum, tamen intelligunt & volunt, qui sunt motus Metaphys. & sic dicuntur viuere.

Secundò principaliter ex iis diuisionibus sic colligitur diffinitio animæ. Anima est actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis, hæc diffinitio declaratur quo ad singulas partes. primò dicitur quòd est actus, & probatur sic, omnis substantia naturalis aut est materia, aut forma, aut compositum: vt dictum est suprà, sed anima non est materia puta corpus, quia anima recipitur in materia puta in corpore, sed materia non recipitur in materia, nec corpus in corpore, imò potius materia in se recipit aliquid quàm recipiatur in alio. ergo anima non est materia nec corpus, nec est compositum, quia compositum ex anima & corpore est illud quod viuit, sed anima non est id quod viuit. sed est id quo animatum compositum viuit. ergo anima non est compositum: ergo à sufficienti diuisione est forma, sed forma est actus, quia forma dat esse actu rei cuius est forma, vt anima facit Socratem esse actu hominem. ergo conuenienter dicitur quòd anima est actus, secundò dicitur quòd est actus primus, id est, substantialis & probatur sic, anima dat esse actu simpliciter rei animatæ quæ solùm erat in potentia, ergo est actus substantialis, probatur consequentia, quia hæc est differentia inter actum substantialem & actum accidentalem, quia actus, id est, forma substantialis facit rem esse actu simpliciter, quæ prius erat solùm in potentia, actus verò id est,

id est, forma accidentalis facit rem esse secundum quid, id est secundum aliquod accidens, puta calor facit manũ esse actu, non quidem absolutè, quia iam est actu substantia: sed facit ipsam esse actu calidam. si ergo anima facit rem animatam esse actu simpliciter: cùm solum in potentia esset sequitur quòd est actus primus, id est, forma substantialis. Tertiò dicitur corporis Physici, quod probatur, cùm omnis anima recipiatur in corpore vt forma in sua materia, ergo vel incipitur in corpore Physi. id est, naturali, vel in corpore artificiali, non in secundo, quia nobiliori corpori debetur nobilior forma, sed corpus Physicum est nobilius artificiali, cùm sit substantia quo ad materiam & quo ad formam: vt dictum est suprà. ergo corpori naturali debetur nobilior forma, quæ est anima, est enim nobilior inter omnes formas receptas in materia, vt dicemus infrà. ergo anima est actus primus corporis Phy. & non artificialis. Quartò dicitur organici, vnde nota quòd corporum naturalium quædam sunt organica, quædam non. Corpora organica sunt illa quæ habent diuersa instrumenta & varias partes propter exercenda varia opera quæ competunt rei, vt corpus hominis est organicum: habet enim diuersa instrumenta vt diuersas operationes exerceat, puta habet oculos vt videat, linguam vt loquatur, &c. Corpora non organica sunt illa quæ non habent diuersas partes propter diuersas operationes exercendas, vt corpus lapidis, & terræ, & aliorum inanimatorum, probatur verò quòd anima sit actus primus corporis Physici organici sic, anima planetarum est in corpore organico. ergo multo magis anima sensitiua, consequentia est manifesta, quia si anima imperfecta, vt vegetatiua, est in corpore organico, à maiori anima perfectior, vt anima sensitiua, est in corpore organico. Antecedens verò probatur sic, In plãta sunt diuersæ partes propter diuersa opera, vt sunt radices loco oris vt attrahat nutrimentum ex terra, & est cortex vt protegat truncum, & sunt folia vt protegat fructum. ergo anima plantarum est actus corporis organici. Vltimò dicitur vitã in potentia habentis quod sic declaratur.

Vita sumitur dupliciter, primò pro esse viuo, secundò pro operatione vitæ, & audire, nutrire, videre, &c. Corpus Physicum organicum habet vitam actu.

Sumendo vitam primo modo, quia actu viuificatur ab anima. Si verò sumatur vita, secundo modo, sic non semper habet vitam actu, id est operationem vitæ, non enim corpus animalis semper sentit, nec semper mouetur, sed potest sentire & se mouere, sic licet in oculo semper sit potentia visiua, non tamen semper actu videt: vt patet dum animal dormit. Sic ergo intelligatur quod anima est actus primus corporis Physici organici, id est habentis operationes vitæ in potentia, licet actu habeat animam, qua actu semper viuificatur. Hæc diffinitio animæ sic declarata conuenit cuilibet generi animarum. Nam vegetatiua in plantis est actus primus corporis Physici organici, quod est corpus plantæ, similiter anima sensitiua est actus corporis organici, quod est corpus animalis, similiter intellectiua est actus, &c. quod est corpus humanum. Quomodo autem distinguantur ab inuicem declarabimus in quarto capite. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

Alia formalis animæ diffinitio assignatur qua supraposita probatur

IN hoc secundo capite danda est diffinitio animæ per causam formalem, & per hanc demonstrabitur prima diffinitio data per materiam, & ibi fient tria. Primò ponitur secunda diffinitio. Secundò per eam demonstratur diffinitio prius data. Tertiò declaratur quòd hoc conuenienter fit.

Circa primũ ponitur talis diffinitio, anima est principium vegetandi & sentiendi, & mouendi secundum locum, & intelligendi. Hæc diffinitio declaratur sic. Genera viuentium sunt quatuor quędam sunt quæ solùm nutriuntur & augmentantur, sed non sentiunt, Et hæc vocantur viuentia vegetabilia vt plantæ, quædam vegetãtur & sentiunt, sed non mouentur secundum locum, imò semper manent in eodem loco in quo generantur, & hæc dicuntur animalia imperfecta, vt ostrea & concha quæ generantur in mari. quædam vegetantur & sentiunt & mouentur secundum locũ ad quærendum cibũ suũ, & hæc dicũtur animalia perfecta, vt Leo Canis, &c. Quædam vegetantur & sentiunt, & mouentur secundum locum, & intelligunt & dicuntur animalia rationalia, in rebus corporeis non inueniuntur plura genera viuentium. Suppositis his gradibus probatur quòd anima sit principium vegetandi, id est nutriendi & augendi in plantis. Et similiter in quolibet genere viuentium, nam principium nutriendi & augendi, aut est anima aut natura, non natura, quoniam natura solùm mouet ad vnam differentiam loci, puta sursum, vt natura ignis mouet ignem solùm sursum, & natura lapidis mouet lapidem solùm deorsum, sed vegetabilia non solùm augentur quantum ad vnam differentiam loci, puta sursum, sed ad differentias oppositas. Nam quo ad ramos augentur sursum, quo ad radices augentur deorsum, profundantur enim radices in terram. ergo natura non est principium nutritionis & augmenti in vegetabilibus, sed anima, quòd sit principium quo sentiũt animalia, & mouentur secũdum locũ & quia nos intelligimus, relinquitur vt manifestũ, quoniam post separtionem animæ à corpore nec sentit animal nec se mouet secũdum locum, nec homo intelligit, patet ergo quòd anima est principium, & causa formalis qua viuimus, sentimus, mouemur secundum locum, & intelligimus.

Anima principium vegetãdi & augẽdi in his quæ augentur vt in plãtis.

Secundò ex hac diffinitione sic demonstratur prima diffinitio, principium quo formaliter viuimus, sentimus, mouemur secundũ locũ est actus primus corporis physici organici: sed anima est principiũ quo formaliter viuimus sentimus, &c. vt declaratũ est. ergo anima est actus primus corporis physici, &c. Maior sic probatur: principiũ quo formaliter viuimus: aut est materia, aut forma, aut cõpositum, puta principium quo Socrates viuit, aut est corpus Socratis. Et hoc non: quia corpus est, vt materia in quo recipitur vita, ergo non dat vitam, aut est ipse Socrat. & hoc non, quia Socrat. est ille qui viuit. ergo non est principium quo ipse Socrat. viuit. Relinquitur ergo à sufficienti diuisione quod principiũ quo aliquid viuit sit forma sua, sed forma est actus, vt declaratum est suprà, ergo principium quo formaliter viuimus est actus primus corporis Physi. organici. Et sic maior probata est. Minor verò est diffinitio animæ inuestigata à Philosopho.

Diffinitiones quomodo probãtur ad inuicem.

Tertiò declaratur, quòd hoc conuenienter actum sit, scilicet demonstrare primam diffinitionem per secundã. Vnde nota secundũ Philosophum in primo Poste. ꝙ quãdo de vna re dantur duæ diffinitiones, puta de domo: datur vna diffinitio, quæ est per materiam sic, domus est quid compositum ex lapidibus & cœmẽto & tecto: secunda detur per causam finalem sic, domus est quid defendens nos à frigore, pluuia & æstu. Et illa quę datur per causam formalẽ vel finalẽ, est medium ad demonstrandum eam quæ datur per causam materialem, sic arguendo, omne defendens nos à frigore, pluuia & æstu est compositum ex lapidibus, cœmẽto & tecto, sed domus est defendens nos à frigore, pluuia & æstu, ergo domus est quid cõpositum ex lapidibus, lignis & cœmẽto, &c. vnde dixit Arist. in primo Poste. ꝙ diffinitio aut est cõclusio, aut est demonstratio sola positione, id est ordine differens, ꝙ qualiter intelligatur declaraui in compendio maiori super primum lib. poste. sic in proposito, Arist. dedit duas diffinitiones de anima. Prima fuit per materiam: nã corpus physi. organicum est materia in qua recipitur anima sicut nasus est materia in qua recipitur simitas. Secũda fuit per causam formalem, quia anima est principium formale, quo viuit animatum vel sentit, vel mouetur secundum locum, &c. Sicut scientia est principiũ formale quo scimus: & albedo est principium formale quo sumus albi. conuenienter igitur Philosophus demonstrauit primam diffinitionem per secundam.

Et nota ꝙ hæc demõstratio, non est propter quid, sed propter quia, procedit enim ab effectu nobis magis noto, qui est vegetare, sentire, &c. Similiter, secunda diffinitio data de anima, non est vera, & propria diffinitio, sed potius descriptio, quando enim res notificatur per operationẽ suã, tũc describitur, vt declaraui in cõpendio minori in tractatu de locis, cum igitur in secũda diffinitione notificetur anima per operationes suas, quæ sunt vegetare, sentire, &c. potius dicenda est descriptio quàm diffinitio. Hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.

Quomodo diuersa viuendi principia ad animam & ad seinuicem habeant.

IN tertio capite discutiendum est, quomodo hæc principia diuersa viuendi, se habent ad animam & ad seinuicem, vnde hîc quæruntur duo secundum Philosophum, primò quæritur vtrum vegetatiuum & sensitiuum & intellectiuum, sint diuersæ animæ, et an sint distinctæ potẽtiæ, quæ tamen sint in eadem anima, secũdò quæritur vtrum omnes istæ potentiæ sint in eadem parte rei animatæ, puta in capite, vel in corde, &c, vel sint in diuersis partibus rei animatæ.

Nũ Veg. sens. & intellectiuũ sint diuersæ animæ an potestates.

Ad primum respondet Philosophus ꝙ quando in re animata est tantùm vnum principium viuendi, puta solum vegetatiuum, tunc tale principium est anima, vnde in plãtis vegetatiuum est anima, & non potentia, quando autẽ in re animata sunt plura principia viuendi, vt in animali in quo est

vege

vegetatiuum, & sensitiuum & motiuum secundum locum: talia principia sunt potentiæ & non sunt anima, sed denominamus animam talis animati à nobiliori potentia vt anima quæ est in animali dicitur anima sensitiua à potentia sensitiua, quæ est nobilior quàm vegetatiua, similiter denominatur anima, quæ est in homine, anima intellectiua à potentia intellectiua, quæ est nobilior aliis.

Ad secundum respondet Philosophus, duabus conclusionibus. Prima est in animatis vegetatiuis, id est, in plantis & in animalibus imperfectis, vt sunt vermes, & lacerta, & vespæ, &c. potentiæ vegetatiuæ, & potentia sensitiua, & motiua secundum locum, & appetitiua, nõ distinguũtur subiecto, sed sunt in eadem parte ipsius animati. Hæc probatur primò quo ad plantas. Nam in omni parte ipsius plantæ, est potentia nutritiua, patet enim quòd omnis pars plantæ viuificatur & virescit, ergo nutritur, & in omni parte ipsius plantæ est potentia augmentatiua, quia proportionaliter omnis pars plantæ crescit. ergo potentiæ vegetatiuæ non distinguuntur subiecto in plantis, sed sunt in eadem parte ipsius plantæ, secundò probatur quo ad animalia imperfecta. Nam videmus in cauda lacertæ decisa quòd mouetur secũdum locum, quòd si sentit aliquod conueniens delectatur, si verò sentit disconueniens tristatur, puta si sentiat ignem, aut rem pungentem, sed delectatio & tristitia sunt in appetitu, vt dicemus in tertio libro, ergo vegetatiuum, & sensitiuum, & motiuum secundum locum, & appetitiuum, non distinguuntur subiecto, sed sunt in eadem parte animalis,

Secunda conclusio, potentia intellectiua, quæ diuiditur in intellectum agentem, & passibilem: distinguitur subiecto ab omnibus prædictis potentiis. probatur sic, omnes potentiæ prædictæ sunt affixæ organis corporeis, vt dicemus infrà, sed potentia intellectiua, vt probatur in tertio libro nõ est affixa organo corporeo, ergo non est in eodem subiecto, in quo est vegetatiua, & sensitiua. Præterea prædictæ potentiæ, vt dicemus infra, sunt potentiæ totius animati, sed intellectus est potentia solius animæ. ergo distinguuntur subiecto.

TRACTATVS SECVNDVS
super secundum Librum de Anima, in quatuor capita diuisus.



IN hoc secundo tractatu agendũ est de potentiis animę in communi, & de parte vegetatiua, vnde diuidimus eum in quatuor capita.

Primò declarabitur quot sint genera potentiarum animæ.

Secundò ostendetur, quo ordine tractandum est de potentiis animæ.

Tertiò describetur arbor, in qua continentur suo ordine omnes potentiæ animæ.

Quartò determinabitur de potentia vegetatiua, & de speciebus suis, ex consequenti de anima vegetatiua.

CAPVT I.
Quot genera potentiarum animæ sint.

CIrca primum caput, vt plenior habeatur cognitio, dicemus quot sunt genera animarum, & quot sunt modi viuendi, & quot sunt genera potentiarum animæ.

Animatũ triplex genus.

Circa primum nota quòd genus animarum est triplex, nam quædam est vegetatiua: & hæc est in plantis, quædam est sensitiua, & hæc est in omnibus animalibus, quædam est intellectiua, & hæc est in solis hominibus, quarum hęc est sufficientia. Cùm anima sit principium operationum vitæ, vt patet per secundam suam diffinitionem suprà positã, quotuplex erit opus vitæ, totuplex est anima, sed opus vitæ est triplex.

Vitæ opus triplex.

Primum est illud quod exercetur per organũ corporeum, & per qualitates corporeas, quæ sunt calor, frigiditas, humiditas & siccitas, causatur tamen à principio intrinseco, vt nutrire exercetur per organũ corporeũ, puta per stomachum, & per qualitatem corpoream, puta per calorem naturalem decoquentem cibum in stomacho, tamẽ est causatum ipsum nutrire à principio intrinseco, id est ab anima vegetatiua, quæ est intrinseca rei animatæ vt forma sua. Et in hoc distinguitur ab opere rei inanimatæ, nam omnis operatio rei inanimatæ est à principio extrinseco, puta operatio quæ est in graui & leui est à generante, & operatio quæ est in cœlo, est ab intelligentia mouente, secundum ergo hoc opus vitæ, sumitur primum genus animæ quod est anima vegetatiua.

Secundũ opus vitæ est illud quod exercetur per organum corporeum & causatur à principio intrinseco, sine tamen primis qualitatibus corporeis, vt sentire, puta videre exercetur per organum corporeum, vt per oculum, & à principio intrinseco, id est ab anima, & sine qualitate corporea, non enim fit sensatio per calorem, vel frigiditatem, sed solùm quia recipitur intentionaliter species rei sensibilis, in organo sensus, vt declarabitur, & hoc opus vitę est ab anima sensitiua.

Tertium opus vitæ est illud, quod exercetur sine organo corporeo, & à principio intrinseco, sine tamen omni qualitate sensibili & sine conditionibus indiuiduantibus, vt intelligere fit ab anima sine organo corporeo, quia intellectus non est affixus alicui organo corporeo, vt probatur in tertio libro, & est à principio intrinseco, id est ab anima, & sine qualitate sensibili. Non enim intellectus intelligit rem, puta lapidem, inquantum est albus, aut calidus, aut durus. Et sine conditionibus indiuiduantibus, non enim intelligit lapidem, inquantum est hic vel hic lapis, nec inquantum habet hanc vel hanc quantitatem, sed solùm intelligit in vniuersali inquantum est lapis & inquantum est substantia corporea inanimata, &c. Et hoc opus est ab anima intellectiua, patet ergo quòd tres sunt animæ, quarum prima est imperfecta, quia est propinqua formæ rei inanimatæ, secunda est perfectior, quia opus suum quod est sentire est immaterialius, quia non exercetur per qualitates corporeas, tertia est perfectissima quia opus suum quod est intelligere est maximè immateriale, cùm non sit per organum materiale, & in hoc assimilatur substantiis separatis, quæ sunt immateriales, & in nullo corpore recipiuntur.

Secundò videndum est quot sunt modi viuendi vel genera viuẽtium, & dico quòd sunt quatuor, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, motiuum secundum locum, & intellectiuũ. Quorum sufficientia est hæc, Genera viuentium distinguuntur secundum diuersos gradus viuẽtium, qui sunt tantùm quatuor, quia primus est eorum, quæ solùm habent principium vegetatiuum, vt est nutrire seipsum & augeri, & generare sibi simile. Et sic plantæ sunt primum genus viuentium. Secundus est eorum quæ habent in se principium vegetatiuum & sensitiuum, sed non mouentur de loco ad locum, imò semper permanent in loco vbi producta sunt, & sic animalia imperfecta, vt ostrea & conchilia sunt secundum genus viuentium. Tertius est eorum, quæ habẽt in se principium vegetatiuum, sensitiuum, & motiuum secundum locum. Et sic animalia perfecta, vt Canis & Leo, &c. sunt tertium genus viuentium. Quartus est eorum, quæ habent in se principiũ vegetatiuum, & sensitiuum, & motiuum secundum locũ, & intellectiuum. Et sic homo est quartum genus viuentium, sumendo genus largo modo, pro qualibet multitudine. Si autem quæratur qua ratione appetitiuum non facit quintũ genus viuentium. Respondetur secundum Philosopũ, quòd hæc est, quia appetitiuum est in omni viuente, in quo est sensitiuum. Nam omne animal dum sentit & similiter homo, vel sentit aliquod conueniens, & sic sequitur delectatio: vel sentit aliquod disconueniens & nociuũ, & sic sequitur tristitia, sed delectatio & tristitia sunt in appetitu sensitiuo in quo sunt aliæ passiones, vt dicam in tertio libro, cùm ergo in omni animali imperfecto & perfecto, & in homine fit sensitiuum. ergo etiam est appetitiuum. Et sic non facit genus quintum viuentium, distinctum à quatuor prædictis,

Tertiò videndum est quot sunt genera potentiarum animæ sub quibus omnes aliæ particulares potentiæ collocantur, & dico quòd sunt quinque, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, motiuum secundum locum, intellectiuum. quarum sufficientia est hæc, potentia distinguitur secundum distinctionem sui obiecti, sicut scientia distinguitur secundum distinctionem sui subiecti, obiectum autem potentiarum animæ quintupliter consideratur. Primò inquantum est corpus vnitum ipsi potentiæ, & sic circa ipsum est potentia vegetatiua. Nam potentia hæc solùm nutrit corpus in quo est, & auget. Secundò consideratur inquantum est corpus vnibile ipsi potentiæ non quidem secundum suum esse reale, sed per speciem sensibilem receptam in organo sensus, & sic circa ipsum est potentia sensitiua. Nam res sensibilis non vnitur sensui secundum se, sed solùm secundum suam similitudinem, verbi gratia, Ad hoc quod videam lapidem, non est necesse, quòd lapis tangat oculum meum, sed solùm quòd similitudo lapidis recipiatur in oculo sicut recipitur in speculo. Tertiò consideratur inquantum est ens vnibile ipsi potentiæ secundum suam speciem intelligibilem repræsentantem rem in vniuersali & sine conditionibus indiuiduantibus, quod qualiter fiat dicemus in tertio libro, & circa ipsum versatur potentia intellectiua. De hac pertranseo vsque ad tertium librum. Quartò consideratur inquantum trahit ad se animam, vt quoddam amatum & desideratum, & circa ipsum est potentia appetitiua. Bonum enim quod est obiectum appetitus trahit ad sui amorem animam desiderantem, imò & ipsum animal desiderans, & sic circa ipsum est potentia appetitiua. Quintò consideratur inquantum terminat motum localem ipsius animalis perfecti, quod mouetur de loco ad locum, vt necessaria suæ vitæ acquirat, & sic circa ipsum versatur potentia motiua secundum locum. Patet igitur quare sunt quinque genera potentiarum. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.
Quo ordine tractandum sit de potentijs animæ.

CIrca secundum caput declarandum est quo ordine sit tractandum de prædictis generibus potentiarum, propter quod ponuntur duæ conclusiones.

Prima est, prius agendum est de vegetatiuo quàm de sensitiuo, est enim magis commune, quia omnia viuentia inferiora vegetantur, sed non omnia sentiunt, vt patet in plantis, & prius agẽdum est de sensitiuo quàm de motiuo secundum locum eadem ratione, nam omne animal sentit, non tamen mouetur secundum locum, vt patet in animalibus imperfectis, vt in ostrea, &c. Et prius agendum est de motiuo secundum locum quàm de intellectiuo, quia est minus commune. In omnibus enim viuentibus corruptibilibus in quibus est intellectus, est etiam vegetatiua, & sensitiua, & motiua secundum locum, vt patet in hominibus, non tamen in omnibus in quibus est vegetatiua, & sensitiua, & motiua est intellectus, vt patet in animalibus irrationabilibus. ergo intellectiuum est minus commune, cõuenit enim soli homini inter omnia animalia. Dixi autem in viuentibus corruptibilibus, vt excludam substantias separatas, in quibus est intellectus, & tamen non habent vegetatiuam potentiam, quia vt incorruptibiles non indigent nutritione, nec habent sensitiuum, nec motiuũ secundũ locũ, cùm sint incorporeæ, & licet dicantur angeli moueri secundum locum, ille motus non est Physicus, quia omne mobile motu Physico est corpus, sed mouẽtur motu Metaphysico, vt habet declarari in sacra Theologia.

Secunda conclusio. Si volumus de iis potentiis habere notitiam prius agendum est de earum obiectis, secundò de actibus, tertiò de ipsis potentiis, & per ipsas potentias cognoscemus substantiam animæ: verbi gratia, prius agendum est de colore quod est obiectum visus quàm de visu, posteà per ipsum visum & alias potentias sensitiuas cognoscemus substantiam animæ sensitiuæ. Hæc conclusio probatur sic. Prius tractandum est de eo quod ponitur in diffinitione actus & potentiæ quàm de actu & potentia, vt prius tractandum est de animali quàm de homine, animal enim ponitur in diffinitione hominis, sed obiectum ponitur in diffinitione actus, puta si volo diffinire actum qui est videre, diffiniam per ipsum visibile, quod est obiectum visus, ergo prius tractandum est de obiecto, quàm de actu, item actus ponitur in diffinitione potentiæ. nam potentia, vt dicitur in quinto Metap. est principium agendi, vel patiendi, vt visus est principium videndi, in hoc quod dico agendi inducitur actus, ergo prius agendum est de actu, quàm de potentia. item per proprias passiones ipsius animæ, & per eas vltimatè cognoscemus substantiam animæ, vt per potentias vegetatiuas cognoscemus animã vegetat. & per sensitiuas animã sensitiuam, &c. Hoc ergo ordine seruato prius agemus de potentia vegetatiua iuxta primam conclusionem, & prius de obiecto potentiæ vegetatiuæ. iuxta secundam conclusionem. Hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.

IN tertio capite describenda est arbor, in qua continentur omnes potentiæ animæ suo ordine, sic incipientes. Animæ tres sunt, vegetatiua, sensitiua, intellectiua. Genera viuentiũ sunt quatuor, vegetatiuum, sensitiuum motiuum, secundum locum intellectiuus. Genera potentiarum sunt quinque, vegetatiuum, sensitiuum, motiuum secundum locum, intellectiuus, appetitiuus. Potentiæ vegetatiuæ sunt tres, nutritiua, augmentatiua, generatiua. Nutritiua habet quatuor vires sibi deseruientes, scilicet attractiuam, retentiuam, digestiuam, expulsiuam. Augmentatiua nullam habet sibi deseruientem. Generatiua habet tres vires sibi deseruientes, scilicet seminatiuam, immutatiuam, formatiuam. Potentia sensitiua est duplex, scilicet exterior, & interior. Sensitiua exterior diuiditur in quinque, in visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum. Sensitiua interior diuiditur in quatuor secundũ Comment. & B. Tho. scilicet, in sensum communẽ, phantasiã, cogitatiuam, memoratiuã, potentia motiua secundum locum est duplex, scilicet progressiua, & dilatatiua, vel constrictiua. potentia intellectiua est duplex, scilicet intellectus passibilis, & intellectus agens. potentia appetitiua est duplex, scilicet appetitus intellectiuus, & appetitus sensitiuus. Appetitus intellectiuus est ipsa voluntas, & liberum arbitrium, quod est eadem potentia cum voluntate, quod declarabitur infrà. Appetitus sensitiuus est duplex, scilicet concupiscibilis, & irascibilis, in quibus sunt vndecim passiones, vt declarabitur infrà. Hæc est summa potentiarum animæ secundum viam Thomisticam.

CAPVT IIII.
De anima vegetatiua & eius potestatibus & officijs.

IN quarto capite tractandum est de potentia vegetatiua, & de speciebus suis. Est enim primum genus potentiarum, & magis commune, vt suprà diximus. ergo ab ea, vt à priori inchoandum est. & ibi dicemus quatuor.

Primò de obiecto.
Secundò de actibus.
Tertiò de potentiis.
Quartò de anima vegetatiua.

Obiectum vegetatiuæ est alimentum.

Circa primum nota, quòd obiectum potentiæ vegetatiuæ dicitur alimentum, vel nutrimentum, quod tripliciter consideratur. Primò inquantum conuertitur in substantiã nutriti. verbi gratia consideratur panis, vt per decoctionem caloris naturalis in stomacho conuertitur in carnem, & sanguinem hominis comedentis, vt homo non deficiat, & conseruetur in esse viuo. & sic alimentum est obiectum circa quod operatur potentia nutritiua, & sic diffinitur, Alimentum est illud, quod est in potentia, vt conuertatur in substantia rei nutritæ, vt conseruetur in esse viuo.

Secundò consideratur secundum quod est quantũ, quodlibet enim alimentum est corpus, & est compositum ex quatuor elementis. quia secundum Philosophum ex eisdem cõponitur animatum, & ex eisdem nutritur, sed animata componuntur ex quatuor elementis. ergo ex eisdem nutriuntur, secundum ergo quod alimentum est quantum, est augmẽtatiuum rei animatæ, quia quantum additum quanto, facit magis quantum quod est augere. vnde alimentum, vt est quantum, & corpus est causa augmenti in re animata. & hoc modo alimentum est obiectum, circa quod operatur potentia augmentatiua, & sic diffinitur, Alimentum est illud quod est augmentatiuum rei animatæ, vt ad debitam quantitatem deueniat.

Tertiò consideratur, vt est superfluum, vel superabundans rei animatæ post nutritionem suam, verbi gratia, si Socrates comedit duos panes, isti duo panes decocti in stomacho, & digesti per virtutem caloris naturalis dicuntur alimentum actu ipsius Socra. dico actu, quia cibus antequam sit digestus non dicitur alimentum actu, quia non sine mora potest conuerti in substantiam rei nutritæ. natura igitur per potentiam nutritiuam conuertit partem huius alimenti in substantiam ipsius Socra. & per potentiam augmentatiuam apponit partem ad augmentum ipsius Socra. si debitam quantitatem nondum adeptus est, puta vsque ad 24. annum, quod si de ipso alimento actu adhuc superest, tunc natura per potentiam generatiuam conseruat illam partem superabundantem in vasis seminalibus, quæ dicuntur membra genitalia, vt per illam partem possit animal sibi simile in specie generare. & sic circa ipsum alimentum superabundans operatur potentia generatiua. Et nota quòd illud elementum superabundans dicitur semen. Quod sic diffinitur, semen est superfluum alimenti, id est, est pars alimenti, quod ordinatur ad generandum sibi simile in specie. Ex his patet quid sit alimentum, & quomodo circa ipsum diuersimodè operantur nutritiua, & augmentatiua, generatiua.

Secundò tractandum est de actibus harum potentiarum qui sunt nutrire, augere, & generare. Et dicemus duo. primò quid sit. secundò probatur quòd sunt ab anima principaliter, & non à qualitatibus elementorum.

Nutritio quid sit.

Circa primum nota, quòd nutritio propriè dicta sic diffinitur, Nutritio est conuersio alimenti in substantiam rei nutritæ, & hæc diffinitio competit soli rei viuenti, quæ propriè nutritur. Nullum enim inanimatum verè nutritur, quia per calorem naturalem nihil conuertitur in substantiam rei inanimatæ, licet sit instantia de igne, qui videtur nutriri ex lignis, & aliis combustibilibus. Sed quomodo id cõtingat declarabitur in solutione argumentorum, Augmẽtum sic diffinitur, Augmentum propriè est per conuersionẽ nutrimenti deductio rei viuentis à minori ad maiorem quantitatem, & hæc diffinitio etiam competit soli rei animatæ, quæ sola propriè augetur. vnde nota, q; augmentum sumitur dupliciter, primò communiter, & sic diffinitur, Augmentum est

Augmẽtum dicitur bifariam.

præexist

præexistenti quantitati additamentum: & secundum hunc modum dicuntur inanimata augeri, puta si lineæ bicubitæ addatur cubitus, dicetur aucta augmẽto communiter dicto. Secundò sumitur propriè, & diffinitur sic: Augmentum est maioritas facta in priori quanto, per conuersionem alimenti in substantiam aucti, & sic conuenit solis animatis: non enim quando augetur paries, cõuertitur lapis in substantiam parietis, sed solùm per ædificatorem apponitur lapis lapidi.

Nota tamen, quòd hic est instantia de igne, qui videtur augeri ex hoc, quòd ligna combusta transeant in substantiam ipsius ignis, sed hoc declarabitur in solutione argumẽtorum. Generatio verò sic diffinitur: Generatio est à principio intrinseco rei productio similis in specie ipsi generanti: & hæc diffinitio competit soli rei viuenti, vnde nota, quòd sumitur dupliciter, primò pro omni mutatione, quæ est à non esse ad esse, siue sit à principio extrinseco, siue intrinseco, & hoc modo agitur de ea in quinto libro Physicorum, & est communis rei inanimatæ, vnde hoc modo lapis dicitur generari, quia producitur à non esse ad esse à principio extrinseco, puta à cœlo, secundo sumitur pro productione rei à principio intrinseco ipsi rei genitæ, puta quando generatur puer producitur à virtute, quæ est in semine ministrato à patre generante: & illud semen, secundum virtutem, remanet in puero genito, & per hoc dicitur generari à principio intrinseco: & hoc modo generatio competit soli rei viuenti: & sic de ea agitur in libro de Anima. Patet igitur quid sint actus potentiarum vegetatiuarum.

Secundò probandum est, quòd isti actus fiunt principaliter ab anima vegetatiua. Dico principaliter, quia instrumentaliter fiunt à calore naturali, qui habet actionem ignis virtualiter, quæ actio est decoctio. Antequàm enim alimentum conuertatur in substantiam nutriti, necesse est, quòd decoquatur in stomacho, & decoctio attribuitur igni formaliter, aut igni virtualiter, qui est calor naturalis. Loquendo ergo instrumentaliter, nutritio, & augmentum fiunt à calore naturali: principaliter verò fiunt ab anima: sicut gladius principaliter fit ab arte, quæ est in mente artificis, instrumentaliter verò fit à malleo. Quòd autem principaliter fiant ab anima probatur sic, Actio naturalis principaliter attribuitur formæ, quia vnum quodque operatur inquantum habet formam, vt patet etiam in artificiatis, in quibus nulla est operatio, nisi forma artificiati sit in mente artificis, puta artifex nũquam produceret gladium, nisi in mente sua haberet formam gladij: sed anima est forma rei viuentis, vt probatum est suprà: ergo anima est principaliter causa operationum naturalium, quæ sunt in viuente, scilicet nutrire, augere, generare. Præterea anima est illa, quæ requirit tantam quantitatem in re viuente, ita quòd in qualibet specie datur maximum, & minimum corpus, in quo potest recipi anima intellectiua: & etiam minimum, vt dictum est in secundo tractatu, super primum Physicorum, ergo anima est illa, quæ principaliter est causa augmenti, & per consequens etiam nutritionis, ad quam sequitur augmentum. Præterea actio, quæ est naturalissima omnibus, & solis viuentibus principaliter, est ab anima vegetatiua, sed generare sibi simile in specie est actio, quæ conuenit omnibus, & solis viuentibus, vt patet, quòd plantæ generant sibi simile in specie sua, & animalia, & homines. ergo hæc actio, quæ est generare, competit principaliter animæ vegetatiuæ, Nota tamen secundum Philosophum, quòd ad hoc, vt omne viuens generet sibi simile in specie tria requiruntur. Primò, quòd sit competentis ætatis. & ideo pueri non possunt generare propter ætatem suam imperfectam. Secũdò, quòd non sit orbatum, id est, priuatum aliquo membro requisito ad generationem: & ideo eunuchi non possunt generare. Tertiò, quòd non sit productum ex putrefactione, vt vermis: licet enim aliqua producta ex putrefactione possint generare sibi simile, puta mus productus ex putrefactione potest producere alium murem: non tamen omnia sic producta possunt producere sibi simile, puta musca non generat forte muscam, sed omnes producuntur ex aliqua materia putrefacta. patet igitur quid sint actiones potentiarum vegetatiuarum, & quomodo principaliter sunt ab anima: instrumentaliter verò sunt à calore naturali.

Viuens omne generat sibi simile, si tribus gaudeat conditionibus.

Tertiò principaliter agendum est de potentiis vegetatiuis, quæ sunt nutritiua, augmentatiua, generatiua. Vnde nota quòd nutritiua data est ipsi rei viuenti, vt debito tempore, puta 10. aut 20. aut 60. annis, vel plus. sed solùm quòd competit vnicuique speciei conseruetur in esse viuo. nam cùm resoluatur substantia rei viuentis, sicut oleum resoluitur, & consumitur in lampade a igne, nisi per potentiam nutritiuam conuerteretur alimentum in substantiam rei nutritiuę, vt fiat restauratio de eo, quod est consumptum, citò viuens deficeret, & corum pereat, sicut si non fieret appositio in lampade per aliud oleum, citò lumen lampadis deficeret. & hinc est quòd videmus hominem non posse plus, quàm per tres, aut sex dies sine cibo viuere, quoniam continuè consumitur substantia corporis sui: & cùm non fiat restauratio per cibum nouum, ideo tandem moritur. Augmentatiua verò data est ipsi rei viuenti, vt ad debitam quantitatem deueniat secundum conuenientiam suæ speciei, nam cùm viuentia ex paruo semine generentur, etiam cum parua quantitate nascuntur: & ideo, vt ad conuenientem quantitatem deducantur, data est eis potentia augmentatiua. Generatiua verò data est, vt perpetuetur species rei viuentis: quia enim omne indiuiduum corum viuentium inferiorum est corruptibile, nisi per generationem produceret sibi simile in specie, citò species deficeret. & ideo pulchrè inquit Auer. in secundo de Anima, comment. 34. Solicitudo diuina, cùm non potuerit facere ipsum viuens permanere, id est, perpetuari secundum indiuiduum, miserata est, in dando ei virtutem generatiuã, qua potest permanere in specie. Hæc ille. Patet igitur ad quid potentiæ vegetatiuæ datæ sunt omnibus viuentibus corruptibilibus, vt autem potentia nutritiua possit alimentum conuertere in substantiam nutriti datæ sunt ei quatuor vires, ei deseruientes, secundum Auicen. Prima est attractiua, cuius officium est appetere, & attrahere nutrimẽtum ad stomachum, vel ad locum, qui sit loco stomachi: nisi enim animal appeteret cibum, nunquam comederet, & sic deficeret. Secunda dicitur retentiua, cuius officium est tandiu retinere cibum in stomacho, quandiu decoquatur: vnde quando hæc virtus debilitatur, animal patitur vomitum, vt patet in infirmo graui. Tertia dicitur digestiua, cuius officium est digerere, & decoquere nutrimentum retentum in stomacho, vt possit conuertatur in substantiam nutriti. Quarta dicitur expulsiua, cuius officii est expellere partes crassas, vel superfluas nutrimenti. Nullus est enim cibus, in quo non sit aliqua pars non conuertibilis in substantiam nutriti: & ideo illæ partes expelluntur variis modis, partim stercore, partim vrina, partim sputo, partim sudore, &c.

Nutritiua necessaria est animali.

Augmentatiua nullas habet sibi deseruientes, quoniam simul cum nutritiua, & omnibus quatuor suis viribus, potens est ad extendendum omnia membra corporis proportionabiliter, & sic causatur augmentum.

Generatiua tres virtutes habet sibi deseruientes. Prima dicitur seminatiua, cuius officium est ex alimento superabundanti, de quo dictum est suprà, colligere semen, & illud reseruare in partibus genitalibus. Secunda dicitur immutatiua, cuius officium est permiscere semina masculi, & fœminæ, & contemperare, secundum quod expedit formationi cuiuslibet membri in eo, quod generatur. Tertia dicitur formatiua, cuius officium est ex seminibus sic permixtis, membra omnia in eo, quod generatur, formare, & configurare. Hæc de potentiis vegetatiuis sufficiant.

Quartò principaliter declarandum est, quid sit anima vegetatiua: & sic diffinitur ab Aristo. Anima vegetatiua est illa, quæ est generatiua alterius, quod est eiusdem speciei cum suo generante, vt in planta, puta in pomo: anima vegetatiua est illa, per quam pomum generat pomum, & oliua generat oliuam. Sed dubitatur, quare Philosophus non diffinit eam per hunc actum, qui est nutrire, vel augere, sicut diffinit per generare. Respondet Philosophus: quòd hoc conuenienter actum est, quia nutrire est actus imperfectior, quàm augere: & augere, quàm generare. Vnde generare est actus perfectus, & tanquam finis animæ vegetatiuæ, tunc enim aliquid perfectum est, cùm sibi simile producere potest. Cùm igitur res ordinata ad finem conuenienter denominetur, & noticetur per suum finem: & generare sit finis animæ vegetatiuæ, vt dictum est, meritò Philosophus descripsit animam vegetatiuam per hunc actum, qui est generare.

Vltimò quædam argumenta soluenda sunt. Primum probat, quòd cognoscamus actus per potentias, & non econuerso: sic, potentia est prior actu, ergo per potentias cognoscimus actum. Antecedens patet, quia potentia est causa fini actus, vt visus est causa actus videndi, sed omnis causa est prior suo effectu: ergo potentia est prior suo actu. consequentia verò probatur sic. scientia procedit ex notioribus, & prioribus, vt probatur in primo Posteriorum. ergo si potentia est prior suo actu, cognoscimus actum per potentiam, & non econuerso.

Ad hoc dicitur, quod aliquod est prius dupliciter. Primò secundum se, & secundum naturam suam: quia, scilicet prius habet esse: & sic omnis causa est prior suo effectu. Secundò, aliquid est prius secundum cognitionem nostram: quia scilicet, prius cognoscitur à nobis, licet sit posterius secundum suum esse, & hoc modo negatur, quòd potentia sit prior actu, nec omnis causa sit prior suo effectu, imò in naturalibus prius cognoscimus effectum, & per effectum cognoscimus causam.

Secundò probat, quòd nutriri, & augeri competat alteri, quàm rei animatæ, sic, ignis est res inanimata, & tamen nutritur ex oleo, & lignis combustis. Per appositionem enim lignorum ignis conseruatur, & etiam exaugetur: quantò enim plura combustibilia apponuntur, tantò magis augetur ignis, ergo nutriri, & augeri competit alteri rei, quàm rei animatæ.

Ad hoc respondet Beatus Thomas, quòd ignis non propriè, sed similitudinariè nutritur, & augetur, quòd declaratur sic: illud propriè nutritur, in cuius substantiam alimentum conuertitur sine generatione alterius indiuidui: Verbi gratia, Socrates nutritur, quia in substantiam ipsiusmet Socratis alimentum conuertitur, non enim ex hoc, quòd nutritur fit alius homo, imò post nutritionẽ remanet ipsẽmet Socrates. Illud autem similitudinariè nutritur, in quo videtur alimentum conuerti: & tamen in rei veritate non conuertitur, sed ex tali alimento generatur de nouo aliud indiuiduum: sic accidit in igne, quando lignum apponitur igni, lignum dum comburitur, non transit in substantiam præcedentis ignis, sed in tali ligno nouus ignis generatur, ita quòd tot fiunt ignes, quot sunt combusta ligna, licet videantur esse vnus ignis, quia se tangunt. Similiter illud propriè augetur, quòd existens idem numero recipit maiorem quantitatem, vt Plato, quando est puer vnius cubiti, & quando est duorum cubitorum est idem homo, qui prius erat. Illud autem secundum similitudinem augetur, quòd videtur existẽs idem recipere maiorem quantitatem, & tamen non remanet idem quod prius erat, sed fit aliud: sicut si tabulæ bicubitæ addatur tertius cubitus non remanet eadem tabula, sed fit alia: quia per additionem nouæ partis fit aliud totum: sic accidit in igne, quando apponitur lignum, & comburitur, fit nouus ignis, qui additus priori igni facit aliud totum, id est, ignem alium compositum ex præcedenti igne, & ex eo, qui de nouo generatur in ligno apposito. Patet igitur quòd sola animata propriè nutriuntur, & augentur, licet Metaphoricè conueniat aliis inanimatis. Hæc de secundo tractatu super secundo libro de Anima dicta sufficiãt.

TRACTATVS TERTIVS
Super secundo libro de Anima, de potentia sensitiua exteriori, in sex capita diuisus.

IN hoc tertio tractatu agendum est de potentia sensitiua exteriori, & de speciebus suis: & diuidimus eum in sex capita.

In primo agitur de sensu in communi, non applicando ad aliquem sensum in particulari.
In secundo agitur de visu.
In tertio agitur de auditu.
In quarto agitur de odoratu.
In quinto agitur de gustu.
In sexto agitur de tactu.

CAPVT I.
De sensu in communi, de eius obiecto, & immutatione.

IN primo capite agendum est de sensu in communi quantum ad illa, quæ conueniunt cuilibet sensui. Et quia dictum est suprà, quòd prius agendum est de obiecto, secundò de actu, tertiò de potentia. Seruantes hunc ordinem primò agitur de obiecto sensus, quod est sensibile: secundò de actu, qui est sentire: tertiò de potentia, quæ est ipse sensus. & nota quòd ea, quæ hic dicentur, conueniunt omni sensui, tam exteriori, quam interiori.

Circa primum quæritur quotuplex est sensibile, quod à sensu cognoscitur.

Respondeo secundum Philosophum est triplex, primò est sensibile proprium. Secundò est sensibile commune. Tertiò est sensibile per accidens. Sensibile proprium est illud, quod solùm ab vno sensu sentitur, & circa ipsum non decipitur sensus, vt sonus est proprium sensibile, quia à solo auditu percipitur, & non fallitur auditus in sentiendo sonum, vtrum sit acutus, an grauis, dummodo organum sit dispositum: quod dico, quia si organum sensus est indispositum, tunc potest decipi sensus: Verbi gratia, quia lingua febricitantis est aspera humore cholerico, ideo dulcia videntur sibi amara: & secundum distinctionem proprij sensibilis distinguuntur sensus, vt dicemus infrà, vbi assignabimus sufficientiam quinque sensuum exteriorum. Sensibile commune est illud, quod à pluribus sensibus potest sentiri, vel ab omnibus: & circa ipsum potest sensus errare. Hæc sensibilia communia sunt quinque secundum Aristote. scilicet, motus, quies, numerus, figura, magnitudo, nam motus potest videri, & audiri, & tangi, &c. secundum autem prospectiuos, vt patet per Aloën, & Vetulionem in prospectiuis suis sunt viginti, scilicet, distantia, situs, corporeitas, figura, magnitudo, continuitas, distinctio, numerus, motus, quies, asperitas, lenitas, raritas, diaphaneitas, spissitudo, soliditas, pulchritudo, turpitudo, similitudo, dissimilitudo, & circa hæc sensibilia communia potest sensus errare: Verbi gratia, si ponatur remus in aqua, dum nauigatur, apparebit figura ipsius tortuosa, & breuis: si ex hac apparentia volo indicare remi figuram esse tortuosam, decipitur sensus meus. Similiter vulgares, qui dicunt solem non esse maiorem scuto, quia non videtur ab eis sub maiori figura, decipiuntur: est enim maior tota terra, vt probat Astrologus. Sensibile per accidens est illud, quod non sentitur, nisi mediante alio, vt campana est sensibile per accidens, quia non sentitur, nisi mediante sono.

Sensibilia cõmunia sunt quinque.

Sed nota, quod ad hoc, quòd aliquid sit sensibile per accidens duo requiruntur. Primò quòd non immutet sensum, nec quantum ad speciem sensibilem, nec quantum ad modum sentiendi. Nam si mutat sensum quantum ad speciem sensibilem receptam in organo sensus est sensibile per se, & proprium: Verbi gratia, quia species albedinis recepta in oculo immutat visum, & species soni recepta in aure immutat auditum, Albedo, & sonus dicuntur sensibilia per se, & propria. Si verò immutant sensum quantum ad modum sentiendi dicuntur sensibilia per se, sed communia: Verbi gratia, figura si est in corpore paruo, minus immutat visum, quàm quando est in corpore magno: & similiter quando est remota à visu minus immutat: nam homo à remotis videtur paruus: quando est propinquus, videtur magnus, & tamen eadem figura secundum se est in homine distante, & in eodem met propinquo ipsi videnti, secundum ergo quod figura est in alio, & alio situ diuersimodè immutat sensum; & propter hoc apud Beatum Thomam sensibilia communia sunt sensibilia per se, quia licet non sentiantur, nisi mediantibus sensibilibus propriis, puta non videtur magnitudo, nisi colorata: tamen alio, & alio modo immutat sensum, secundum quod est in maiori, vel minori corpore, & secundum quod est in diuerso situ. Illud autem, quod non immutat sensum, nec secundum speciem receptam in organo, nec secundum modum sentiendi, dicitur sensibile per accidens, vt campana sentitur per accidens ab auditu, quia remoto sono nullo modo immutat auditum: & remoto colore, ac figura, &c. nullo modo immutat visum. Secundò requiritur, quòd illud quod per accidens cognoscitur ab vno sensu sit aptum natum cognosci per se ab aliqua alia potentia cognoscitiua, siue sit potentia sensitiua exterior, siue sensitiua interior, siue sit intellectus. Exemplum primi, Dulcedo mellis per accidens cognoscitur à visu. si enim video mel, cognosco quòd est dulce; hæc tamen dulcedo per se cognoscitur à gustu. Exemplum secundi, Plato per accidens videtur: non enim videtur, nisi quia est coloratus, & tamen per se cognoscitur à potentia cogitatiua, de qua dicemus in tertio libro, quòd cognoscit per se omnia indiuidua substantiæ propter sui nobilitatem. Exemplum tertij, homo sentitur per accidens à visu: non enim sentitur, nisi inquantum est coloratus, vel frigidus, aut calidus, &c. & tamen per se cognoscitur ab intellectu, cuius officium est cognoscere omnia vniuersalia, siue genera, siue species, vt dicemus in tertio lib. Ex his patet quotuplex est sensibile, quòd à sensu cognoscibile est, de distinctione sensibilis per se, & proprij dicemus infrà.

Sensibile per accidens non immutat sẽsum nec quantum ad speciẽ sensibilẽ, nec quantũ ad modum sentiendi.

Circa secundum quæritur, vtrum sentire sit actio, an passio, & quomodo differt ab intelligere.

An sentire sit actio, an passio, & quomodo distinguatur ab intelligere.

Respondeo secundum Philosophum, quòd sentire est passio, & alteratio quædam.

Pati bifariam: perfectiuè, et alteratiuè.

Sed nota, vt inquit Philosophus, quòd passio sumitur dupliciter, similiter alteratio, Primò sumitur propriè, & est quando patiens priuatur aliqua forma, præcipuè conuenienti per actionem agentis contrarij, vt quando aqua priuatur frigiditate, & recipit calorem per actionem ignis, propriè aqua patitur, & alteratur. Secundò sumitur communiter pro receptione cuiuslibet formæ etiam perficientis suum subiectum,

vt quando intellectus recipit scientiam, dicitur passio, & alteratio communiter, quæ alio termino dicitur alteratio perfectiua, vt quando materia recipit formam substantialem, qua fit actu, & perficitur, dicitur pati, & alterari cõmuniter. Quando igitur dicit Philosophus, quòd sentire est pati, & alterari, intelligendum est quòd sentire quando est cum læsione organi, dicitur pati propriè, vt quando Socrates tangit ferrum ignitum, ipsum sentire est propriè pati, quando verò est sine læsione, imò cum delectatione, dicitur pati communiter, & perfectiuè, vt quando Socrates tangit cõuenienter calidum, odorat suaues odores, &c.

Sentire quomodo sit pati et alterari.

In quo verò differat ab intelligere, dico pro nunc, quòd differt in duobus. Primò, omne sentire fit per aliquod organum corporeũ, vt videre per pupillã oculi, tangere per neruum, &c. De his enim organis dicemus in particulari in sequen. sed intelligere non fit per aliquod organũ cõporeum. hoc supponatur, quoniam probatur in tertio lib. Secundò differt, quia omne sentire fit per aliquod medium corporeum, per quod defertur species rei sensibilis vsque ad organum sensus, vt per aërem defertur species soni vsque ad miringam auris: quod quomodo fiat dicemus infrà: Sed intelligere non fit per aliquod medium corporeum, vt deferens speciem intelligibilem vsque ad intellectũ. Species enim intelligibilis est purè spiritualis, nec est apta nata recipi in aliquo medio corporeo. Hæc de sentire in communi sufficiant.

Circa tertium quærũtur duo. Primò, quomodo se habet sensus ad sensibilia, vtrum habeat ea in se actu, & potentia: puta, vtrum visus habeat in se omnes colores, vel sit in potentia ad recipiendum eos. Secundò vtrum sensus sit causa efficiens sui actus, vel solùm sit recipiens: puta, vtrum visus sit causa efficiens, & actiua visionis vel solùm recipiat visionem.

Ad primum respondet Philosophus: Primò distinguendo de potentia, & actu. Secundò declarat, quomodo sensus potest dici in potentia, & in actu. Dicit igitur Philosophus, q̃ potentia est duplex, scilicet remota, & propinqua. Ille est in potentia remota, qui nondum habet habitum, aut formam, & est aptus natus habere talem habitum, aut formam: Verbi gratia, puer paruus non habet habitum scientię, & tamen est aptus natus habere: & canis modò natus non habet visum, & tamen est aptus natus habere post nonum diem. Ille est in potentia propinqua, qui iam habet aliquem habitum, aut formam, sed non operatur secundum illum habitum, aut formam, & tamen potest operari: verbi gratia, Socrates habens Logicam, & non actu argumentans, est in potentia propinqua: potest enim, quando vult, si non est impeditus, argumentari. Et inter has potentias hæc est differentia, quòd ille, qui est in potentia remota, non potest acquirere habitum, vel formam sine mutatione: Verbi gratia, homo ignorans non potest acquirere scientiam, nisi moueatur à magistro, vel suo intellectu agente ab ignorantia ad scientiam: quæ ignorantia si sit simplicis negationis, vt in puero, hæc mutatio non est propriè alteratio, quia alteratio propriè dicta est à qualitate contraria ad qualitatem contrariam, sed in puero nulla est qualitas contraria scientiæ: ideo quando aliquis purus ignorans acquirit scientiam, non propriè alteratur: si autem sit ignorantia prauæ dispositionis, id est, cum errore: tunc quando sic ignorans acquirit scientiam, propriè alteratur, quia mutatur de contraria qualitate ad contrariam qualitatem, id est de errore ad scientiam. Ille autem, qui est in potentia propinqua, id est, iam habet habitum, & formam, potest exire in operationes per seipsum sine mutatione facta ab aliquo mouente extrinseco, puta Socrates habens scientiam Logicæ potest sine doctore argumentari, & Plato habens visum potest, quando voluerit, videre, dummodo non sit impedimentum, nec in organo visus, nec in medio, puta in aëre. Nec dicendum est, quando quis exit de habitu, vel forma ad operationem, q̃ alteretur, imò perficitur: perfectio enim scientis, est vti scientia sua: & sentientis, vti sensibus: sicut perfectio artificis, est operari secundum artem suam: sicut duplex est potentia, ita duplex est actus, scilicet, primus & secundus: actus primus est habitus, vel forma, quæ est principium operationis, vt scientia ædificandi est actus primus, quia est causa ædificationis. actus secundus est ipsa operatio, vt est ædificare, syllogizare, &c. Inter hos actus hæc est differentia, quòd ille qui habet actum primum, id est, habitũ, vel formam, est in potentia, & in actu: in actu quidem, quia habet habitum: in potentia autem, quia potest secundum talem habitum operari, licet actu non operatur. vnde Logicus dormiẽs dicitur esse in actu primo, quia habet habitum Logicæ, & non actu vtitur eo, syllogizando: ille verò, qui habet actũ secundũ, id est, operationem simpliciter est in actu, & nullo modo in potentia. Habet enim habitum, & operationem causatam ab illo habitu, vt patet in Socrate Logico, qui actu syllogizat. Positis distinctionibus de potentia & actu, respondetur ad dubiũ præpositũ, scilicet quomodo se habet sensus ad sensibilia per duas cõclusiones.

Prima conclusio, Sensus non semper habet in se actu obiecta sensibilia, puta visus non semper habet in se actu colores. probatur, si sensus puta visus habet semper in seipso colores. ergo semper est in potentia propinqua ad videndum. sed hoc est falsum. probatur consequentia, si habet in se colores. ergo habet formam, puta speciem coloris, quæ est principium, & causa visionis, sed quando aliquis habet habitum, & formam quæ est principium alicuius operationis dicitur esse in potentia propinqua, vt dictum est suprà, ergo si visus semper habet in seipso colores erit semper in potentia propinqua ad videndum, falsitas verò consequentis probatur sic, si visus habet in se colores. ergo videbit animal quemcunque colorem voluerit, etiam remoto quolibet colore extrinseco, puta si in oculo meo semper est similitudo albedinis. videbo albedinem, etiam remoto quolibet corpore albo, & si in aure semper haberem sonum campanæ, semper sentirem hunc sonum, dato casu, quòd nulla campana pulsaretur, patet, aut quod hæc sunt absurda. ergo non omnia sensibilia semper sunt actu in sensibus.

Secunda conclusio. sensus aliquando habet sensibile in se ipso actu, aliquando in potentia. probatur ad sensum, oculus actu videt albedinem habet in seipso actu similitudinem albedinis. Oculus verò dormientis habet solum in potentia in seipso colores, prout potest vigilans colores videre, patet igitur quomodo sensus se habet ad sua sensibilia.

Ad secundum dubium, in quo quæritur quæ sit causa effectiua actus sentiendi, qui dicitur sensatio.

Respondeo, q̃ circa hoc est duplex opinio. Prima dicit, q̃ causa actiua sensationis est obiectum sensibile, puta q̃ visio est ab obiecto: puta à colore, vt præsentatur potentiæ visus, & potentia visiua solùm recipit in se hanc visionem causatam ab obiecto, & sic secundum hanc opinionem omnes sensus sunt potentiæ puræ passiuæ, & receptiuæ sensationes.

Sed hæc opinio est falsa: & probatur sic, dictum est in secunda diffinitione animæ: quòd anima est principium quo viuimus, sentimus, mouemur secundum locum, &c. Ergo anima est principium actiuum omnium operationum quæ sunt in viuentibus, sed sentire est operatio rei viuentis, ergo anima est principium actiuum, & causa actiua ipsius sentire, non quidem immediatè, sed mediante sua potẽtia sensitiua: nihil enim operatur anima nisi per potentias suas, vt intelligere per intellectum, si ergo sentire causatur actiuè ab anima principaliter & à potentia sensitiua immediatè velut à instrumento. ergo non causatur actiuè solùm ab obiecto sensibili.

Secunda opinio est Bea. Tho. qui tenet quòd sensus est potentia passiua & actiua, sed respectu diuersorum. Nam sensus recipit similitudinem sui obiecti extrinseci, puta visus recipit in se similitudinem coloris, qui est in pariete, & inquantum recipit, dicitur potentia passiua: sicut enim omnis receptio potest dici passio largo modo, sic omnis potentia receptiua potest dici passiua: dicitur verò potentia actiua pro quãto sensus actuatus similitudine sui obiecti causat actiuè sensationẽ suam, puta visus vt iam in se recipit similitudinem albedinis, quæ est in pariete, videt ipsam albedinẽ in pariete. Quando ergo quæritur quæ sit causa actiua sensationis.

Respondeo quòd non est obiectum sensibile solùm vt probatum est contra primam opinionem, nec sensus solus: quia sequeretur, q̃ quòd posset sentire etiam remoto quolibet sensibili, sed est sensus actuatus similitudine sui obiecti à sufficienti diuisione. Et si quæratur in quo recipiatur sensatio causata actiuè à sensu. Respondeo, quòd recipitur in eodemmet sensu, quia actio immanens, qualis est sentire, recipitur subiectiuè in eodemmet agente: à quo causatur, vt visio causatur à visu, & recipitur in visu. Et si fiat instantia: quòd tunc erit idem agens & patiens: vt enim visus causat visionem, est agens: vt autem in se recipit visionem, est patiens. Respondeo & concedo, quòd idem sensus erit agens & patiens, sed respectu diuersorum. Nam sensus vt est actuatus similitudine sui obiecti est agens & causans sensationem: secundum verò quod consideratur vt sensus est, id est, per se solum, sic est patiens & recipiens sensationem. Hæc sufficiant de obiecto sensus, & de ipsa sensatione, & de ipso sensu in com-

communi. Nunc sequitur consideratio sensuum exteriorum in particulari. Et primò de visu.

CAPVT II.

De sensus visus obiecto, medio, organo, & de ipsa visiua potestate.

IN capite secundo agendum est de visu, qui nobilior est inter omnes sensus, & spiritualior, vt declarabitur quando dicemus sufficientiam quinque sensuum exteriorum.

Circa visum dicenda sunt quatuor: Primò de obiecto visus, secundò de medio, quo fit visio, tertiò de organo ipsius potentiæ visiuæ, quartò de potentia visiua. Et hunc ordinem seruabimus in aliis sensibus.

Circa primum nota quòd obiectum visus est duplex, primò est obiectum principale: & hoc est color, principaliter enim videmus colores: secundò est obiectum adæquatum, & hoc non est color: plura enim videmus, quæ non habent colorem, vt sunt ignis, & Sol, & stellæ, &c. Hoc obiectum non habet nomen proprium, sed communi naturæ dicitur visibile, sub quo continentur omnia quæ videntur in lumine, vt omnes colores & omnia corpora lucida, vt ignis, & astra. Et omnia quæ videntur in obscuro, vt noctilucæ & oculi cati, & quercus putrida, quæ in nocte videtur esse argentum. Hæc enim si videntur in die, non apparent lucida: quia lux eorum parua est, & obumbratur maiori luce, puta lumine solis: quando autem videntur in die, videntur sub proprio colore, vt oculus cati in die apparet croceus, in nocte apparet splendidus: & cauda noctilucæ in die apparet alba, in nocte apparet ignea flamma: & quercus putrida in die apparet alba, in nocte apparet lucida argentea. Nec hoc reputandum est impossibile, si enim Sol luce sua obumbrat omnes stellas ita quòd non apparent in die, cùm tamen sint super nostrum hemisphærium, multò magis potest obumbrare lucem prædictorum, cùm sit parua respectu lucis, quæ est in astris. Si ergo quæratur quod est obiectum visus, dicendum est, quòd visibile est obiectum adæquatum, color autem est obiectum principale. Quid sit color dicemus in sequenti puncto.

Secundò declarandum est quid sit medium, quo mediante fit visio, vnde nota quòd triplex medium requiritur vt fiat visio. Primò requiritur similitudo rei visibilis, puta similitudo albedinis, quæ causatur à corpore albo & recipitur in aëre, & per aërem defertur vsque ad oculum, qua recepta in oculo videtur albedo, quæ est in corpore albo. Et quòd sit necesse hanc similitudinem causari ab obiecto visibili & deferri vsque ad oculum, sicut imago Socratis fertur vsque ad speculum, probatur sic, Mouens proximum & motum sunt simul, vt patet in septimo libro Physicorum, sed obiectum visibile est mouens oculum ad videndum: ergo obiectum debet tangere oculum, sed non debet tangere secundum seipsum, quia vt dicit Philosophus in secundo de anima, sensibile positum supra sensum non sentitur. Nam si ponatur lapis super pupillam oculi, non videbitur: ergo obiectum debet tangere oculum per aliquod medium: sed hoc medium dicitur esse similitudo rei visibilis, quæ defertur vsque ad oculum. ergo necesse est, quòd fiat visio per ipsam similitudinem obiecti visibilis. Et nota, quòd hæc similitudo diuersimodè denominatur. Nam à Physicis dicitur species rei visibilis, vel intentio rei visibilis. A Prospectiuis autem dicitur linea visualis, vel radius visualis. Et hoc quidem medium se tenet ex parte rei visibilis, vt scilicet per ipsum vniatur obiectum visibile potentiæ visiuæ. Secundò requiritur medium, in quo recipitur ipsa species obiecti visibilis. Et quòd defert eam vsque ad potentiam visiuam. Quòd medium secundum Philosophum est corpus Diaphanum, quod sic diffinitur, Diaphanum est corpus transparens non coloratum secundum se, sed est receptiuum omnium colorum, vt aqua, & aër, & vitrum, & crystallum, & plura alia, & corpora cœlestia: omnia hæc sunt transparentia. Nam si ponatur denarius in fundo aquæ, vel post vitrum, & crystallum, videtur ab oculo: similiter videmus stellas fixas, quæ sunt in octaua sphæra: ergo signum est, quòd sphæræ planetarum sunt Diaphanæ. Medium igitur deferens species rerum visibilium ad oculum est corpus Diaphanum: quod quidem non sit coloratum secundum se, probatur: Nam si haberet aliquem colorem, omnia, quæ viderentur per ipsum, apparerent eiusdem coloris, vt patet quando ponitur vitrum rubeum ante oculos, omnia, quæ videntur, apparent rubea. Et hoc quidem medium se tenet ex parte rei visibilis, vt scilicet per ipsum deferatur species rei visibilis ad potentiam visiuam. Tertiò requiritur medium, quod sit actuans corpus Diaphanum, id est, disponens Diaphanum, vt sit sufficiens ad deferendum speciem rei visibilis vsque ad potentiam visiuam, & hoc est lumen: vt ergo sciamus quid sit hoc lumen, quinque diffinienda sunt, scilicet, lux, lumen, radius, splendor, color: Lux sic diffinitur, lux est qualitas immutatiua visus, existens in corpore lucido non causata nec conseruata per actionem alterius lucidi, vt in sole, cuius lux immutat visum, & est fundata in corpore solis per se lucido, nec causatur in sole ab alio lucido illuminante solem. Lumen est qualitas immutatiua visus existens in corpore nõ lucido, sed illuminato actione corporis lucidi: vt lumen, quod est in camera; existit in aëre, qui non secundum se est lucidus, sed illuminatus actione solis, aut ignis, aut alterius stellæ. Item sic diffinitur ab Aristotel. in secundo de anima: Lumen est actus diaphani: vbi nota, quòd diaphanum est duplex, scilicet in potentia, & in actu: diaphanum in potentia, est corpus, quod potest transparere, sed actu non transparet, vt aër in nocte tenebrosa. Diaphanum in actu, est corpus, quod actu transparet, vt aër illuminatus, sine lumine: ergo diaphanum non est actu: ergo lumen est actus diaphani: id enim, per quod aliquid est actu, dicitur actus eius, vt qui per animam viuens est actu, anima est actus viuentis. Radius est ipsummet lumen, vt causatur à corpore lucido secundum rectam lineam. Splendor est lumen, vt causatur à corpore lucido per lineam reflexam, puta Sol causat lumen in speculo, ex speculo fit reuerberatio luminis ad parietem: lumen quod causatur ex tali reuerberatione, dicitur splendor. Color est lux obumbrata vel obscurata per opacitatem corporis terminati, id est, non transparentis: primò dicitur lux obumbrata, vnde nota quòd eadẽ qualitas diuersimodè recepta, dicitur lux & lumen: color primò dicitur lux, inquantum est in corpore lucido secundum se: sic in sole & igne est propriè lux: secundò dicitur lumen, inquantum recipitur in corpore diaphano: sic dicimus, quòd lumen recipitur in aqua, & in aëre: tertiò dicitur color, vt recipitur in corpore terminato, id est, solido & non diaphano, vt in lapide, ligno, ferro, &c. Et quia hæc corpora solida sunt multum terrestria, & terra est secundum se obscura & opaca, ideo huiusmodi corpora obumbrant lucem in eis receptam: & lux sic obumbrata ex opacitate terræ dicitur color: secundò dicitur ex opacitate corporis terminati: vnde nota, quòd ex varia proportione lucis ad opacum diuersæ species colorum generantur. Nam vbi multum est de luce, & parum de opaco terrestri, fit albedo: vbi autem est multum de opaco, & parum de luce, fit nigredo.

Lux quid sit.

Lumen quid.

Radius quid.

Splendor quid.

Color quid.

Tertiò declarandum est, quid sit organum visus, vnde nota secundum Auic. & Alber. quòd organum visus sunt duo nerui egredientes ab anteriori parte cerebri, qui sunt concaui, & per eos defertur species rei sensibilis recepta in oculis vsque ad sensum cõmunẽ. Et sunt duo oculi affixi in summitate ipsorum neruorum. Substantia autem ipsorum oculorum ex tribus componitur. Primò in oculo ponitur humor crystallinus congelatus, in quo recipitur species rei visibilis, vt in diaphano. Secundò ponitur humor rubeus post crystallinum, qui est terminans, & fouens ipsum crystallinum: deinde ponuntur plures tunicæ, quæ sunt pelliculæ in se continentes hos duos humores, velut propria sua vasa: de iis tunicis, & earum nũmero, considerare est officium Prospectiui. Deinde ponitur humor niger, vel glaucus, vel cæruleus sub illis tunicis circundans humorem crystallinum, vt per eum congregetur & fortificetur species visibilis in pupilla oculi, quæ facilè offenditur à nimia claritate, vt patet, quando intuemur solem. Dedit similiter natura palpebras, vt defendant oculum ab exterioribus nocumentis: & supercilia, vt magis congregetur species rei visibilis in pupilla oculi: organum igitur visus continet hæc omnia, scilicet duos neruos, duos oculos, duas palpebras, duo supercilia: hæc tamen duo vltima non sunt necessaria, quia plura animalia habent visum: & tamen non habent palpebras nec supercilia, vt patet in locustis, &c. Hæc de organo visus pro nunc sufficiant. Nam sufficienter de iis considerare est officium prospectiui, qui & considerat omnia mirabilia, quæ contingunt in visione, Deo propitio de eis componemus tractatum.

Organum visus.

Oculorum substãtia ex tribus cõponitur.

Quartò & vltimò diffiniendum est quid sit visus, vnde nota quòd sic diffinitur, Visus est primus sensus, cuius organa sunt duo nerui, qui progrediuntur ex cerebro, & duo oculi, & sentit secundum rationem primam coloris: dignoscit autem cum colore, coloratum corpus Primò dicitur primus sensus, non quidem in constituendo animal, hic enim est tactus, vt dicemus infrà, sed est primus in dignitate & perfectione. Secundò dicitur, cuius organa, &c. hæc declarata sunt suprà. Tertiò dicitur, & sentit secundum primam rationem coloris, id est, primò, & per se, & principaliter sentit colorem, est enim obie-

Visus est primus sensus, cuius organa sunt duo nerui progredientes ex cerebro.

obiectum principale, vt diximus ſuprà. Et dum colore, per accidens ſentit corpus coloratum, vt cum colore niuis per accidens video ſubſtantiam niuis, inquantum eſt alba. Hæc de potentia viſiua ſufficiant. Vtrum autem color ſit per ſe viſibilis, & ſemper indigeat lumine, declarabitur in ſolutione argumentorum.

CAPVT III.

De Auditu.

IN tertio capite agendum eſt de auditu, de quo videbimus quatuor: primò de obiecto, ſecundò de medio, tertiò de organo, quartò de potentia auditiua. Obiectum auditus, vt ab omnibus conceditur, eſt ſonus, de quo dicemus tria. Primò quomodo generatur. Secundò quomodo generatur Echo, & quid ſit. Tertiò quomodo generatur vox, quæ eſt ſpecies ſoni, & quid ſit.

Sonus eſt in potentia in corpore ſonāte, color non in corpore colorato in actu.

Vt autem ſciamus quomodo generatur ſonus, notandum eſt, quòd ſonus dupliciter conſideratur. Primò, vt eſt in corpore ſonante, puta in campana, & ſic eſt in eo ſolùm in potentia, vt in cauſa, quæ poteſt ipſum producere, ſicut roſa eſt in radice. Secundò, vt recipitur in aëre, vel in aqua, & defertur ad auditum: & ſic eſt ſonus in actu, & eſt ſubiectiuè in aëre, non autem in corpore ſonante, ſed ſolùm vt in ſua cauſa, vnde in hoc diſtinguitur ſonus à colore, quia color eſt ſubiectiuè in corpore colorato, in diaphano verò eſt ſolùm ſecundum ſpeciem intentionalem, vel lineam viſualem, vt diximus ſuprà: ſonus autem non eſt ſubiectiuè in corpore ſonoro, ſed ſubiectiuè in aëre vel aqua, in quibus recipitur & poteſt ferri ad auditum. Loquendo igitur de ſono in actu, dico quòd tria requiruntur ad ſuam generationem, primò requiritur percutiens, & corpus percuſſum. Nam percuſſio cauſat ſonū, ſed percuſſio requirit percutiens & percuſſum, ſicut motus requirit mouens & mobile, deinde requiritur mediū in quo recipitur ſonus, puta aër, vel aqua; quia ad hoc quòd generetur ſonus eſt neceſſe quòd percutiēs tangat percuſſum & dum tangit percuſſum facit ictum, ſed ictus non eſt ſine motu locali, mouetur enim aër aut aqua, aut aliud medium quando mediat inter percutiens & percuſſum. Motus verò localis ſemper ſit in aliquo medio, & nūquā in vacuo, vt patet in quarto Phyſic. cap. de vacuo. Igitur ad generationem ſoni tria requiruntur, ſcilicet, percutiēs, tāgēs percuſſum, & mediū medians inter percutiens & percuſſum ꝙ ex percuſſione expellitur. Sed nota quòd percutiens & percuſſum ſi debent generare ſonum, debent habere has conditiones. primò quòd ſint corpora dura & ex mutua percuſſione & reſiſtentia excludatur aër medians inter ea, & propter hoc lana & ſpongia & huiuſmodi mollia non ſonāt niſi comprimantur, & tunc faciunt ſonum obtuſum, ſecundò ꝙ ſint conuenienter lata in ſuperficie, videmus enim quòd maiorē ſonum faciunt manus adinuicem percuſſæ, quàm duo digiti adinuicem percuſſi, inde eſt quòd ſi duæ acus adinuicem percutiantur ſecundum acumen, non faciunt ſonum, quia acumen acus nullius eſt latitudinis, tertio ꝙ mutua percuſſio ſit fortis, vt aër medians forti impetu extrudatur, inde videmus quòd ſi manus leuiter tangit tabulam, paruus aut nullus ſit ſonus. Si autem cum impetu tangitur, ſit manifeſtus ſonus, Iſtæ conditiones requiruntur. Ad hoc, quòd fiat ſonus conueniens & clarus. requiritur quòd corpus percuſſum ſit terſum & lene, & ſit concauum, vt in aëre expulſo multiplicentur ictus in corpore concauo. Et propter hoc campanæ & omnia inſtrumenta muſicalia, vt in pluribus ſunt concaua, & etiam requiritur quòd corpus percuſſum habeat in ſui compoſitione aërem bene diſpoſitum. Nam quæ ſunt multum terreſtria non bene ſonant, vt plumbum & lapis: quæ verò ſunt multum aërea bene ſonant, vt ſtānum & æs, & argentum, & multa ligna. Ex iis poteſt elici hæc deſcriptio. Sonus eſt ille qui generatur ex mutua & forti percuſſione duorum corporum quæ ſint aliquantulum dura & ſufficientis latitudinis, ex qua percuſſione violenter extruditur aër medians inter illa, ſicque recipitur ſonus in ipſo aëre medio & defertur ad auditum. Vtrum ſemper requirantur duo corpora dura, declarabo in ſolutione argumentorum.

Sonus quomodo generatur

Percutiēs & percuſſum non ſemper faciunt ſonum.

Echo quomodo generatur.

Secundò videndum eſt quomodo generatur Echo: & quid ſit. vnde nota ꝙ Echo quantum ad quid nominis eſt reſonantia, vt cùm quis vociferans in puteo dicit Socrat. & ſentit in puteo replicari, Socrat. Quantum ad quid rei ſic diffinitur, Echo eſt ſonus ex reuerberatione aëris replicātis, quod quomodo fiat declaratur tali exemplo ſecundum Philoſophum, quando proiicitur lapillus in puteo videmus circa locū vbi decidit lapillus fieri paruum circulum in aqua: & poſt illum fieri maiorem & iterum maiorem donec deueniatur ad circunferentiam putei & ſtatim reflectitur & quaſi retrocedēs tēdit ad medium putei vbi incœperant fieri prædicti circuli, ſimiliter accidit in aëre, licet non ita videamus propter ſuam raritatem, nam quando duo corpora dura ſe mutuo percutiunt recipitur ſonus in aëre propinquo ipſi corpori percuſſo, deinde paulatim per gyrum diffunditur in aëre & defertur ad remota per circulationes factas in aëre, licet non videamus eas. ſi igitur antequam deficiant prædictę circulationes deferentes ſonum inueniant aliquod corpus concauum, vt ſunt ſpeluncæ, & putei, & valles montibus incluſæ, & ædificia concaua, tunc reflectuntur & quaſi retrocedentes ſecum deferunt ſonum iterum ad locum vbi prius cauſatus erat, & tunc apparet nobis quòd ille ſonus replicetur, Echo igitur conuenienter dicitur ſonus reiteratus ex reflexione aëris.

Tertiò videndum eſt de voce quomodo generetur, & quid ſit. Vnde nota ꝙ ad generationem vocis duo inſtrumenta ſunt neceſſaria, primū eſt pulmo, datus eſt enim pulmo animali propter duo, primò vt quaſi folles ex ſua eleuatione attrahat aërem & emittat propter ſuam compreſſionem ad refrigerandū calorē cordis, niſi enim calor cordis tēperaretur per inſpirationem & reſpirationem animal ſuffocaretur, vt patet in homine qui ſuſpenditur, ſecundò datus eſt vt per talem attractionem aëris formetur vox, vnde animal non habens pulmonem nec reſpirans & carens ſanguine non habet vocem, ſicut piſcis non habet vocem, quia piſces non reſpirāt cùm habeant calorem temperatum ex ſua frigida complexione, Secundū inſtrumentū eſt guttur, ſumendo guttur pro tota canna, ideo eſt neceſſaria, quia cùm vox ſit ſonus, & ſonus generetur ex percuſſione, vt dictum eſt, eſt neceſſe quando generatur vox ꝙ aër attractus à pulmone repercutiatur ad cannam prædictam, quæ dicitur artaria vocalis, & per talem repercuſſionem aëris ad artariam vocalem generatur vox. Ex iis ſic formatur diffinitio vocis ſecundū Philoſophū: Vox eſt repercuſſio aëris reſpirati, id eſt, attracti à pulmone, facta ab anima cum imaginatione ad artariā vocalē. Primò dicitur repercuſſio aëris reſpirati, &c. quoniā non omnis ſonus, etiā ſi fiat per guttur, eſt vox, niſi ſit cū imaginatione aliquid ſignificandi. vnde tuſſis & eructatio nō dicūtur vox, licet fiant per guttur: ex quo ſequitur ꝙ ſecūdū Philoſophū omnis vox eſt ſignificatiua vel ſuiipſius vel alterius: ſiue ad placitū, ſiue naturaliter, & illę quæ dicuntur voces non ſignificatiuæ non merentur dici voces niſi impropriæ & diminutæ, ſecūdò dicitur ad artariam vocalē, id eſt, ad cannā pulmonis, ex quo ſequitur ꝙ animalia nō habētia pulmonē non habēt vocem.

Nota vltimò ꝙ ad formandum vocem plura inſtrumenta aſſignantur, ſcilicet, lingua, dentes, palatum, &c. ſed hæc non ſunt neceſſaria niſi ad formandam vocem articulatam, quæ dicitur loquutio & competit ſoli homini, de qua non eſt præſentis negotij conſiderare: ſed in lib. de animalibus.

Secundò principaliter tractandū eſt de medio per quod ſit auditio. Vnde nota ꝙ hoc mediū eſt omne corpus, quod pōt deferre ſonū ad aures, principaliter verò eſt aër in quo per aliquam quantitatem eſt ſonus realiter ſubiectiuè, & per totam quantitatē eſt ſpecies intentionalis ipſius ſoni quæ per ipſum aërem motum defertur ad auditum, verbi gratia ſit cāpana ſonans diſtans ab aure Socratis 20. cubitis, dico ꝙ ſonus cauſatus à campana eſt realiter & ſubiectiuè in tanto aëre, puta in 10. cubitis, in aliis verò 10. cubitis aëris producitur ſpecies intentionalis ipſius ſoni à ſono reali exiſtente in 10. primis cubitis, ſicut cauſatur ſpecies coloris in corpore diaphano et colore exiſtente realiter in corpore colorato, & hec ſpecies intentionalis ſoni defertur per aërem vſque ad auditum. Et quod hæc ſpecies intentionalis cauſetur probatur ſic. Sonus auditur, ergo auditur per ſe, ita ꝙ vel per ſeipſum pertingit vſque ad auditum, vel per ſpeciem ſuam intentionalē, & non per ſeipſum, quia ſecundū Philoſophū ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non ſentitur. ergo auditur per ſpeciem ſoni intentionalem, ſicut videtur albedo per ſpeciem intētionalē ſuam. Aër igitur principaliter eſt medium deferens ſpeciem ſoni ad auditum, ſicut in viſu medium eſt omne corpus actu diaphanum. dico autem principaliter, quia contingit fieri auditionē per aquam, ſed cum difficultate propter ſui groſſitiem reſpectu aëris, & vt aër ſit conueniens mediū deferens ſpeciem ſoni, debet ex ſe nullum habere ſonum, ſicut diaphanum debet ex ſe nullum habere colorem vt poſſit deferre omnes ſpecies colorum ad ipſum viſum.

Tertiò principaliter tractandum eſt de organo auditus, Vnde nota ſecundum Philoſophum ꝙ organū auditus continet duo, primò habet quandam pelliculam in interiori parte auris, quæ dicitur miringa, quæ affixa eſt neruo egredienti

cerebro ad aurem in interiori parte, vt per ipſum neruum deferatur ſpecies ſoni ad ſenſum communem, vt dicemus in tertio libro. ſecundò in hac pellicula eſt incluſus aër, ſicut in pellicula oculi eſt incluſus humor aqueus, congelatus, quietus, & ſine motu: & nullum habet ſonum, vt poſſit percipi per ipſum omnis ſpecies ſoni, ſicut humor aqueus in oculo nullum habet colorem, vt poſſimus per ipſum videre omnem colorem. Si ergo quæratur, quod eſt organū auditus: Reſpondeo, quòd eſt tympanum conſtitutum in interiori parte auris, compoſitum ex miringa, & aëre immobili, ac omni ſono carente. Ex iis ſequitur, quòd ſi miringa vel aër ille lædatur vel corrumpatur, quòd impeditur auditio, ſicut ſi offenditur pellicula oculi vel humor aqueus, impeditur viſio: & propter hoc natura ſagax, ſicut oculo dedit palpebras in defenſionem oculi, ita fecit aures in intrinſeco tortuoſas vt defendatur tympanum auris ab exterioribus corrumpentibus, vt eſt aqua, &c.

Auditiua potentia quid ſit.

Quartò diffiniendum eſt quid ſit potentia auditiua, vnde ſic diffinitur ſecundum Beatum Thomam, in opuſculo de potentiis animæ. Auditus eſt in potentia ordinata in neruis mollibus, procedentibus à cerebro ad concauitatem aurium, vt apprehendat ſonum cauſatum ex commotione vel expulſione aëris conſtricti inter corpus percutiens & percuſſum. In hoc, quod dicitur, in neruis tangit organum auditus: quod organum, licet non ſint nerui procedentes à cerebro, tamen includit illos duos neruos in quorum ſummitatibus ſunt affixæ duæ miringæ continentes aërem immobilem, vt diximus ſuprà, nam quælibet auris habet in ſuo concauo vnum neruum egredientem à cerebro, & vnam miringā. In hoc, quod dicit, vt apprehendat ſonum, tangit obiectum ipſius auditus. In hoc, quod dicit cauſatum ex commotione aëris, tangit medium, in quo recipitur ſonus vt in ſubiecto: & etiam in quo recipitur ſpecies intentionalis ſoni ac defertur ad aures. Hæc omnia ſuprà declarata ſunt, ſequitur de odoratu.

CAP. IIII. De Odoratu.

IN hoc capitulo agendum eſt de odoratu, & de eo dicemus quatuor.
Primò, de obiecto.
Secundò, de medio.
Tertiò, de organo.
Quartò, de ipſa potentia.

Odor & ſapor quomodo generantur.

Circa obiectum ab omnibus conceditur, quòd eſt odor, de quo tractandum eſt quomodo generatur, & quid ſit, ſed quia ex eadem materia, licet diuerſimodè ſe habente generatur odor & ſapor, ſimul de vtroque tractabitur vt fiat doctrina perfectior. Nota igitur ſecundum Philoſophum in libro de ſen. & ſenſa. quòd ſapor & odor non ſunt aliquæ de primis qualitatibus elementorum nō enim ſapor eſt ſola humiditas, nec ſola ſiccitas, nec ſola frigiditas vel caliditas, ſed eſt qualitas commixta ex iis quatuor qualitatibus, præcipuè ex calido, humido, ſicco: nam frigiditas valde remiſſa concurrit ad generationē eorum, imò ſi augeatur extenuat ſapores & odores, vt patet in hyeme, in qua ex intenſa frigiditate vix percipiuntur ſapores & odores, imò ſi res ſaporoſa, & odorifera congelatur deſtruitur illius ſapor & odor. Videndum eſt ergo quomodo ex varia mixtione humidi aquei, & ſicci terreſtris, & calidi ignei generatur primò ſapor, deinde odor. Vnde nota ſecundum Philoſophum in libro de ſen. & ſenſa, quòd in generatione ſaporis tria concurrunt, primò requiritur humiditas aquea, fundatur enim principaliter in humido, cuius ſignum eſt quòd nunquam ſentitur ſapor in guſtu ſi non humectetur per ſaliuam quæ eſt in lingua & in ore, ſed hæc humiditas aquea non facit ſaporem, nam aqua ſecundum ſe nullum habet ſaporem, ſecundò requiritur ſiccitas terreſtris quæ immiſceatur humiditati aqueæ ſicut immiſcetur cinis aquæ, ſed hoc non ſufficit niſi accedat calor digerens & decoquens humidum aqueum immixtum ſicco terreſtri. Quando igitur hęc tria coniunguntur, ſcilicet humiditas aquea decolata per ſiccum terreſtre, ſicut decolatur aqua per cineres, & calor digerit ac decoquit humidum aqueum immixtum ſicco terreſtri generatur qualitas ſaporoſa, quę dicitur ſapor. Ex iis qualitatibus primis nota quòd in ſapore prędominatur humiditas aquea, vnde dicitur quod ſapor fundatur in humido aqueo. poteſt ergo ſic diffiniri ex prædictis vt diffinit Philoſophus in libro de ſen. & ſenſa. Sapor eſt qualitas producta ex humido aqueo immixto ſicco terreſtri, calore digerente & decoquente humidum immixtum ſicco terreſtri immutatiua ſenſus guſtus ſecundum alterationem. Quare dicatur ſecundum alterationem declarabo in aſſignādo ſufficientiā ſenſuū exteriorū.

... diuerſæ ſpecies quomodo generantur.

Poſtquam declarauimus quomodo generatur ſapor in communi, nunc dicendum eſt quomodo generantur diuerſæ ſpecies ſaporum quæ ſunt ſex ſecundum Philoſophum in libro de ſen. & ſenſa. ſcilicet amarus, & dulcis, pōticus, & auſterus, ſtipticus, & acutus. Amarus & dulcis ſunt ſapores extremi, alij autem ſunt medij, & ſic generantur, ſi calor perfectè digerit ac decoquit humidum aqueum, non quidem conſumendo ipſum generatur ſapor dulcis, vt patet in vua bene matura in qua calor ſolis bene decoquit humidum aqueum, ſi autem calor adeo decoquit humidum aqueum quod conſumat & exiccet, tunc ſit ſapor amarus, vt patet in pane aduſto in quo actione caloris clibani exiccatur humidum, & ſuperabundat ſiccum terreſtre. ſi autem calor nondum digeſſit nec decoxit humidum generatur ſapor ponticus, id eſt, mordicatiuus & auſterus qui etiam dicitur acetoſus, vt patet in pomis & pyris non maturis quæ habent ſaporem auſterum, qui vulgariter dicitur agreſtis. Nota tamen quòd in pontico eſt magis de ſicco terreſtri. in auſtero autem eſt magis de frigido. ſi autem calor aliquantulum decoquit humidum & ipſi humido multum admiſceatur de ſicco terreſtri generatur ſapor ſtipticus, vt patet in fructibus myrti, qui licet ſint maturi, tamen habent ſaporem ſtipticum. ſimiliter fructus qui vulgariter dicuntur ſorbolę. ſi autem calor non conſumit humidum, ſed ſuperdigerit ipſum humidum generatur ſapor acutus, vt in allio, & ſinapi, &c. Hæc ſufficiant pro generatione ſpecierum ſaporis.

Odoris generatio ſimilis generationi ſaporis.

Poſtquam diximus quomodo generatur ſapor, dicendum eſt quomodo generatur odor. Et ſicut diximus qui generatur ex humido aqueo & ſicco terreſtri calore decoquente, ſic etiā generatur ex iis odor, ſed differentia eſt in hoc quod in ſapore dominatur humidum aqueum. in odore autem dominatur ſiccum aëreum ſubtile aliqualiter contemperatum, vnde ad productionem odoris, tria requiruntur. primò requiritur humidum incorporatum & imbibitum alicui ſicco, cuius ſignū eſt quod nullum elementum ſecundum ſe habet odorem, nā omne elementum aut eſt ſiccum tantùm, vt terra & ignis, aut eſt humidum tantum, vt aqua & aër, & propter hoc nullum habent odorem. illa autem quæ in ſe habent humidum & ſiccum ſunt aliquo modo odorabilia, vt aqua maris habet odorem, quia humido aqueo in mari admiſcetur ſiccum terreſtre ex quo ſit ſalſum, vt dicitur in libro Meteo. ſimiliter lapis non habet odorem, quia propter ſui duritiem habet ſiccum ſine humido: ligna verò habēt odorem, præcipuè illa quæ gummificant, vt abies & pinus, quia ſua humiditas eſt bene incorporata ſicco terreſtri & ſubtili aëreo, vt declaratur in pinguedine ipſius gummæ, ſimiliter in metallis aurum non habet odorem, quia eſt ſiccum ſine humido, cùm ſit maximè terreſtre, vt declaratur ex ſua maxima ponderoſitate, eſt enim grauius omni alio metallo, æs verò & ferrum & argentum ſunt odorabilia, quia in ſe habent humidum compreſſum & imbibitum à ſicco, patet ergo ex tot ſignis quòd odor non eſt in ſolo humido, nec in ſolo ſicco, ſed in humido incorporato ipſi ſicco: ſecundò requiritur aër aut aqua in qua recipiatur ipſe odor, cuius ſignum quòd aliqua animalia, vt piſces odorant in aqua, trahuntur enim ab odore nutrimenti, & animalia terreſtria odorant in aëre: vt patet in cane & in homine, &c. tertiò requiritur calor decoquens ipſum humidum incorporatum ſicco, & reſoluēs ipſum odorem: cuius ſignum eſt quod non ſentitur odor, niſi odorabile aliquo modo calefiat, vnde in hyeme propter frigiditatem conſtringitur, in æſtate propter calorem dilatatur & reſoluitur, & facillimè ſentitur, ex iis ſic poteſt diffiniri odor. Odor eſt qualitas conſiſtens principaliter in ſicco ſubtili & humido aliqualiter per calorem adinuicem contemperatis, in hoc quod dicitur principaliter in ſicco ſubtili conſiſtens, differt à ſapore qui principaliter fundatur in humido aqueo, vt diximus ſuprà. Hæc de generatione odoris ſufficiant, & ſunt extracta ex libro de ſenſu & ſenſato Ariſtote.

Odoris ſpecies.

Poſtquam tractauimus de odore in communi agendum eſt de ſpeciebus odoris. Vnde nota ſecundum Philoſophum in li. de ſen. & ſenſat. & in 2. de anima quòd cùm ſapor & odor ex eadem materia diuerſimodè ſe habente generentur, & cùm magis cognoſcamus ſaporum ſpecies quàm ſpecies odorum, eo quòd homo perfectiſſimum habet guſtum & imperfectū odoratum: vt declarabo tractando de potentia odoratus, eſt neceſſe quod cognoſcamus, & denominemus ſpecies odorū à ſpeciebus ſaporum, vnde ſicut dicimus ſaporem dulcem & amarum ita dicimus aliquem odorem dulcem, vt in viola, aliquem amarum, vt in aloë. Item ſicut dicimus ſapores medios eſſe pōticum, vel acetoſum, vel ſtipticum, vel acutum. ſic etiā denominamus odores medios, vnde acetum habet odorem acetoſum, & allium habet odorē acutum ſicut etiam ſaporē.

Vlterius multoties accidit quòd res habet saporem & odorem consimilem, puta mel habet saporem & odorem dulcem, allium habet saporem & odorem acutum, aliquando autem habent odorem & saporem dissimilem, vt cortex pomi Citri habet saporem amarum & odorem suauem, huius diuersitatis hæc est causa. Sapor fundatur in humido aqueo aliqualiter per calorem decocto, odor verò fundatur in sicco subtili aliqualiter contemperato. quando ergo humidum aqueum & siccum subtile sunt in aliqua re adinuicem bene contemperata & commixta, sequitur suauis sapor & suauis odor, vt patet in flore violarum. quando verò aqueum humidum non est conuenienter decoctum vel est adustum, siccum verò subtile est bene contemperatum, sequitur sapor & odor dissimilis, vt patet in garyophillo, quod habet saporem acutum, sed odorẽ suauem. Hæc de productione odoris & saporis & eorum speciebus sufficiant.

Secundò principaliter videndum est de medio per quod odoris species defertur ad potentiam odoratus, & dicemus duo. primò quod est illud medium, secundò vtrum in eo recipiatur odor realiter, vel solum quantum ad speciem suam intentionalem.

Odoratus mediũ est aër & aqua.

Circa primũ nota secundũ Philosophũ in 2. de anima & in lib. de sen. & sensa. medium per quod defertur odor ad odoratum est aër & aqua, per aquã odorant animalia aquatica, vt pisces, per aërem odorant animalia terrestria, inter quæ animalia respirantia, vt homo, & equus, & canis, &c. odorant trahendo aërem super nares, cuius signum est q̃ dum homo emittit aërem attractum nõ odorat, nec dum retinet aërem attractũ, dum verò trahit aërem per nares odorat. animalia ergo respirantia per aërem & per attractionẽ aëris odorãt.

Circa secundum vtrum dum defertur odor per aërem ad odoratum sit subiectiuè & realiter in aëre vel in aqua, an solùm sit subiectiuè in corpore odorifero, & spiritualiter, id est, secundum speciem intentionalem in hoc medio.

Odor in quo nam sit.

Ad hoc dubium respondetur secundũ Cõmen. & Bea. Tho. quòd odor tripliciter consideratur, primò vt est in corpore odorifero: & sic semper est in eo subiectiuè & realiter vt accidens in suo subiecto. secundo consideratur vt est in aëre propinquo ipsi corpori odorifero, puta per 20. cubitos in circuitu, & sic potest esse in tali aëre propinquo realiter & subiectiuè, nam à corpore odorifero possunt eleuari fumi vaporosi, & misceri ipsi aëri propinquo, in quo fumo vaporoso est odor realiter & subiectiuè, vt patet quando incenduntur thura, & myrrha, & alia odorifera ligna, quæ nisi calefiant non sentitur eorũ odor. tertio cõsideratur vt est in aëre distãte plurimum à corpore odorifero. puta quãdo sentitur malus odor cadaueris per 10. milliaria, tunc dico q̃ odor non est realiter in aëre adeo distãte, sed solũ spiritualiter, quod probatur. Nã vt dicit Cõmen. cùm odor cadaueris sentiatur à vulturibus per 50. milliaria (veniunt, vt inquit Commen. in secundo de anima. cõmen. 97. per. 50. milliaria ad comedendum cadauera occiforum, in quodam prælio in Græcia attractieorum fœtore) si in tãto spatio aëris fuisset odor realiter, omnia illa cadauera essent conuersa in fumos vaporosos fœtidos, & adhuc non sufficissent ad replendum tantum spatium aëris. Dicendum est ergo, quòd sicut in aliqua parte aëris propinqua corpori sonoro est sonus realiter, & subiectiuè, in parte verò remota causatur species soni intentionalis, sic in parte aëris propinqua corpori odorifero causatur odor realiter propter fumum vaporosum eleuatum ex corpore odorifero: in parte verò aëris remota in circuitu causatur ab odore reali species odoris intentionalis, per quã ab odoratu sentitur odor qui est in corpore odorifero, sicut per speciem coloris, quæ defertur ad oculum per corpus actu diaphanum, sentitur, ac videtur color existens in corpore colorato. Hæc de medio sufficiant.

Odoratus organũ.

Tertiò dicendum est de organo odoratus, Vnde nota, q̃ licet odoratus sit vnus sensus in omni animali odorãte, tamẽ organũ odoratus alio modo disponitur in animali odorãte sine respiratione. nam in animali odorante cum respiratione organũ odoratus continet tria. primò continet duos nertuos egredientes ab anteriori parte cerebri, & descendentes ad nares in interiori parte, vt per eos deferatur ad cerebrum, & ad sensum cõmunẽ species odoris recepta in naribus. secundò continet duas mollities carneas similes capitibus mamillarũ fœminę lactantis, istæ duæ mollities carneæ sunt affixæ prædictis neruis: sicut miringa in aure, & sunt spongiosæ, vt attrahant, & recipiant aërem exteriorem deferentem speciem odoris. tertiò continet duas pelliculas cooperientes prædictas mollities, sicut palpebræ cooperiunt oculos. Vnde sicut homo non videt, nisi aperiantur palpebræ, ita homo, & animalia respirantia non odorant, nisi per attractionem aëris de super nares eleuentur illæ pelliculæ, & deferatur species odoris ad illas duas mollities, inde est q̃ homo nõ odorat nisi respiret. in animali verò odorante, & non respirante, vt est piscis, organum odoratus continet solùm duo prima. scilicet neruos, & mollities carnosas, quæ quidem mollities non cooperiuntur aliqua pellicula. & ideo cùm habeant organum odoratus semper discoopertum, possunt odorare sine respiratione, sicut animalia habentia oculos duros carentes palpebris, vt patet in locusta, possunt videre sine apertione palpebrarum, cùm habeant oculos discoopertos. Ex his patet, quomodo disponitur organum odoratus, & quot contineat.

Odoranti per respirationem organum.

Et si quis quærat, vtrum nares in sua parte anteriori sint necessariæ ad odoratum. Respondeo quòd non. nam illis abscissis adhuc homo odorat, sed sunt ad bene esse, vt scilicet, melius odoret, & ad decorem faciei, sicut etiam aures extrinsecæ non sunt necessariæ ad auditum, abscissis enim auribus adhuc est auditio, licet non ita bene.

Quartò dicendum est de potẽtia odoratus, & primò quid sit. secũdò quare hic sensus imperfectè, & diminutè est in homine. inquit enim Philosophus, q̃ homo prauè odoret, id est, imperfectè odorat. non enim sentimus odores, nisi sint aliquantulum vehementes, vnde canis, & catus, & cerius, & plura alia animalia longè perfectiorem habent odoratũ. Odoratus igitur sic diffinit Bea. Tho. in opuscul. de potentiis animæ. odoratus est potẽtia ordinata in anteriori parte cerebri, cuius organa sunt nares, & duæ mollities similes capitibus mamillarum, per quas remittit ad cerebrum odorem sibi oblatum à medio cui odor permiscetur, nota q̃ ly nares non sunt pars organi, nisi sumantur pro sua interiori parte. item nota quòd non facit mentionem de pellicula cooperiente illas mollities, quia cũ hic diffiniatur odoratus in cõmuni, & illa pellicula non inueniatur in quolibet animali odorãte, vt patet in pisce nõ debuit poni in diffinitione odoratus. Si autem diffiniretur odoratus, vt est in animali respirante, bene illa pellicula poneretur in sua diffinitione.

Quare autem hic sensus imperfectè sit in homine, hæc est ratiõ secũdũ omnes expositores, quoniã organũ odoratus in homine est valde indispositum. nam debet esse siccum, & calidum, sicut odor qui fundatur in sicco, & calido, vt dictum est, sed in homine organum odoratus est humidum, & frigidum, quia situatum est in superiori parte narium, vbi sunt illæ duæ mollities, & sunt propinquæ cerebro. Cerebrum autem in homine est valde frigidum, & humidũ propter sui magnitudinem. dedit enim natura homini cerebrum valde magnũ, & proportionaliter plusquã alteri animali, quantũcũq; magno vt in eo conuenienter possint collocari sensus interiores, & vt phãtasmata necessaria intellectioni rectè ordinarẽtur, de quibus omnibus dicemus in 3. lib. cùm igitur in homine cerebrum sit valde humidum, & frigidum ex sui propinquitate valde infrigidat, & humectat organum odoratus, sicque fit indispositum ad percipiendum odores vehementes. Alia verò animalia, vt canis, & catus, valde paruũ habẽt cerebrũ, nec infrigidat, siue humectat in eis organũ odoratus, & ideo cũ habeant organum ipsum siccũ, & calidũ, subtilissimè sentiunt odores. Hæc de odoratu sufficiãt, sequitur de gustu.

CAPVT V.

De Gustu.

IN cap. de gustu tria sunt consideranda.
Primò de medio, per quod deferuntur.
Secundò de organo.
Tertiò de potentia.

De obiecto quidẽ quod est sapor iam pertractauimus in cap. de odoratu, igitur circa medium considerandum est. q̃ sit medium, per quod gustamus. Vnde nota q̃ in aliis sensibus prædictis, scilicet, visu, auditu, odoratu, mediũ est corpus extraneum. q̃ est extra sentientem, puta corpus diaphanum, per quod Socrates videt, & aër, per quem audit sonum: & odorat est extra ipsum Socratem, Non enim est necesse, q̃ color, aut sonus, aut odor immediatè tangant ad hoc, quòd sentiantur, sed sufficit quòd causent speciem suam intentionalem in aliquo medio extrinseco, per quod talis species deferatur ad organum sensus, vt declarauimus in singulis sensibus prædictis. Sed in gustu, & tactu medium, per quod gustamus, aut tangimus non potest esse aliquod corpus extrinsecum, nisi enim sapor realiter vniatur gustanti non gustatur, & ideo medium in gustu est aliquod intrinsecum ipsi gustanti. illud autem est intrinsecum gustanti, quod est pars eius. cùm igitur omne illud, ex quo componitur gustans secundum Physicum, sit caro, aut os, aut nerius: necesse est quod medium, per quod gustamus sit aut caro, aut nerius, aut os: sed non est neruus, ipse enim est organum in gustu, vt dicemus, ergo non est medium: nec est os, nam propter sui duritiem non posset recipere species saporum, & eas deferre ad organum gustus, ergo hoc medium est caro, sed non tota caro, non enim in carne, quæ est in manu, aut in brachio recipiuntur species saporis. verùm illa sola caro, quæ est in lingua, vsque ad radicem suam est medium, quo gustamus, quam rectè natura fecit porosam, humidam, & insipidam: porosam quidem, vt per suos poros transeat species saporis ad organum gustus: humidam, vt cibos siccos humectet, sine enim humiditate saliuæ non sentimus sapores: insipidam autem, vt per eam gustemus omnes species saporis. Si enim haberet in se aliquem saporem omnia gustata videretur esse illius saporis, vt patet in febricitante, cuius lingua est aspersa humore cholerico omnia quæ gustat videntur sibi amara, cholera enim est amari saporis. Patet igitur quod medium in gustu est corpus intrinsecum ipsi gustanti, & est caro, non omnis, sed illa quæ est in tota lingua.

Caro est medium in gustu.

Secundò declaratum est quid sit organum gustus. vnde nota secundum Alber. quòd organum gustus principaliter consistit in duobus neruis: qui infiguntur in medio linguæ, & per plures ramos sparguntur in extremitatibus lateralibus linguæ. Ad hos neruos deferuntur species saporis per carnem porosam linguæ, de quibus dicemus in libro tertio. Quare tales species deferantur ad sensum communem, rationem adducam in capite de sensu communi.

Gustatiua potentia quid.

Tertiò dicendum est quid sit potentia gustatiua: vnde sic diffinitur à Beato Thoma, in opusculo, de poten. animæ. Gustus est potentia ordinata in neruo expanso super corpus linguæ, ad apprehendendum varios sapores resolutos à corporibus tangentibus ipsam linguam. Hæc diffinitio ex prædictis per se clara est, ideo pertranseo, quomodo gustus sit quidam tactus, vt inquit Philosophus in capite de gustu, declarabo in solutione argumentorum.

CAP. VI. *De Tactu.*

IN capite sexto agendum est de tactu, & dicemus quatuor.
Primò de obiecto.
Secundò de medio.
Tertiò de organo.
Quartò de potentia.

Tactus obiectum quinque qualitates.

Circa obiectum nota, quòd obiectum perceptibile à tactu principaliter sunt quatuor primæ qualitates elementorum, scilicet, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. vnde si manus apponeretur alicui corpori non habenti in se aliquam harum qualitatum, vt est corpus cœli, ibi non esset tactus propriè dictus, licet ex duritie talis corporis non possem manum vltra extendere. secundariò autem à tactu percipiuntur durum, & molle, asperum, & planum, sicut visus principaliter percipit album, & nigrum. secundariò autem medios colores.

Sed nota, quòd licet alij sensus percipiant duo prima contraria: puta visus percipit album, & nigrum. auditus percipit sonum acutũ, & grauẽ. odoratus percipit odorẽ dulcem, & amarũ, similiter gustus saporẽ dulcem, & amarũ: tamẽ quia omnia prædicta cõtraria continẽtur sub vno genere, vt puta album, & nigrũ sub colore: dulce, & amarum sub odore, &c. quilibet prædictorũ sensuum est vnus, puta visus est vnus sensus, quia habet vnum obiectũ, puta colorem, sic & alij sensus, sed sic non potest dici de sensu tactus, nam illæ quatuor qualitates non possunt reduci ad aliquod vnũ genus, sub quo immediatè contineãtur. quia duæ primæ cõtrarietates non continentur sub aliquo vno genere, vt dicitur in 10. Metaphy. vbi declaratur, q̃ in vno genere est tantũ vna prima cõtrarietas, puta in genere coloris est prima cõtrarietas albũ, & nigrum: possunt tamen esse plures secundariæ contrarietates sub vno genere: vt inter croceũ, & rubeum, & inter viride, & cinericium, sed illæ quatuor qualitates faciũt duas primas contrarietates, vt inter caliditatẽ, & frig. est vna prima contrarietas, & inter siccitatẽ, & humid. est alia prima contrarietas. ergo non potest reduci, nec contineri sub vno genere, & sic sequitur quòd cùm sensus tactus non habeat pro obiecto vnũ genus, sub quo contineantur quatuor qualitates tãgibiles, quòd non fit vnus sensus, sed duo; ita quòd vno tactu sentimus calidum, & frigi. & alio tactu sentimus humidum, & siccum. Hęc dicta sunt de mẽte Philosophi in capite de tactu, verùm si tactus sint duo sensus. ergo sensus exteriores sunt sex. Ad hanc instantiam respondebo in solutione argumentorum.

Caro sen.

Secundo videndum est quid sit medium, per quod tangimus, & hic pono duas conclusiones: secundũ Philosophũ prima est, caro, quæ est in toto corpore est mediũ per se in tactu, probatur, mediũ in tactu est corpus intrinsecũ animali tangenti, id est, corpus, quod est pars animalis tangentis. nam necesse est tangibile realiter vniri ipsi tangenti, quandiu enim distat à tangente non sentitur. ergo vnitur per mediũ intrinsecum, sed hoc mediũ est caro, quæ est in toto corpore. ergo caro est medium per se in tactu. Quòd hoc mediũ sit caro, probat sic Philosophus. Caro, vel est medium, vel est organum in tactu, non est organũ, quia sequeretur quòd si ponatur corpus calidum super carnem non sentiretur illius calor. Commune est enim cuilibet sensui, quòd si ponatur obiectũ sensibile super organum sensus non sentitur, sicut diximus in cap. de visu quòd si ponatur corpus coloratũ super pupillã oculi non videbitur. & tamen si ponitur corpus calidum super carnem sentitur illius calor. ergo signum est, quòd caro non est organum in tactu. sed medium. dixi autem medium per se, id est connaturale ipsi animali tangenti. dixi caro: quæ est in toto corpore ad differentiam gustus. dixi enim in cap. de gustu, quòd caro est medium, quo gustamus, non omnis, sed ea tantùm quæ est in lingua, in tactu verò secundum omnes partes corporis sentimus qualitates tangibiles si vniantur ipsi carni.

Tactus medium per accidẽs est aër vel aqua, siue aliud humidum corpus.

Secunda conclusio, Medium per accidens in tactu est corpus extrinsecũ, puta aqua, vel aër, vel aliud corpus humidũ, probatur sic, quæcũq; tangimus, vel sunt in aqua, vel in aëre, vel in alio corpore humido, puta oleo, aut vino, si sunt in aqua, vel in alio corpore humido. ergo saltẽ in superficie sunt humefacta, si sunt humefacta. ergo aqua, vel aliud corpus humidum eis adhæret in superficie, si eis adhæret in superficie. ergo manus non potest tangere tale corpus humefactum, quin inter corpus humefactum, & manum tangentem mediet aqua, vel aliud corpus humidum. idem sequitur in his, quæ tanguntur in aëre. aër enim naturaliter est humidus. & ideo humectat saltem secundum superficiem corpus in eo existens. Ex his igitur patet q̃ medium in tactu etiã est corpus extraneum humidũ, quod quidẽ dicitur medium per accidens. quia accidit, q̃ obiectũ tangibile sit in tali corpore humido, nam si extra cœlum esset lapis, & Socr. Soc. tãgeret lapidem sine medio extraneo. Quomodo autẽ fit verũ, q̃ duo corpora existentia in aliquo elemento non se possunt tangere immediatè, declarabo in solutione argumentorum.

Tertiò videndum est quid est organũ tactus, ad quod per carnem deferuntur species qualitatum sensibilium, & dicemus duo. primò assignabimus ipsum organum. secundò declarabimus quale debeat esse tale organũ, & similiter quale debeat esse medium, id est caro.

Caro nerosa non est simpliciter organum tactus secũdũ Auic.

Circa primum nota, quòd ibi est triplex opinio. prima est Auicen. qui dicit q̃ organum tactus nõ est caro simpliciter, sed caro neruosa, id est immixta neruis, cuius signũ est, q̃ sentimus qualitates tangibiles, secundũ omnẽ partem corporis. & cum vnitur tangibile carni sentitur ipsum tangibile. ergo signũ est, q̃ caro extensa per totum corpus, & immixta neruis est organum in tactu. Secũda opinio est Arist. in lib. de anima qui dicit. q̃ caro simpliciter est organum tactus. Tertia est opinio ipsius Arist, hic in lib. de anima, & Cõmen. & Alber. & Bea. Tho. q̃ neruus propriè est organum tactus, & si fiat instantia q̃ Arist. sibiipsi est contrarius. Respondet Cõmen. in lib. 2. de anima. in cõmen. 108. quòd Arist. cùm loquebatur in lib. de anima, adhuc nesciebat neruos: cùm verò hic dicit. q̃ neruus est organum, id postea cognouit per anatomiam. & cognouit quòd nerui habent introitum ad tactũ, & motum, id est, per neruos est tactus, & motus in animalibus. Qualiter verò disponatur neruus, qui est organũ tactus sic accipe. duo nerui, vt duæ radices à cerebro egrediuntur. & per varios ramos in toto corpore diffunduntur carne inuoluti, per omnes neruos quicquid frigidum, aut calidum, aut humidũ, in toto corpore sentitur, defertur ad sensum cõmunem, vt etiam diximus de aliis sensibilibus per alios sensus. Quare verò deferantur ad sensum cõmunẽ dicam in 3. lib. in cap. de sensu cõmuni. ex his corollariè sequitur, q̃ ea quæ sunt in corpore, & in eis non est caro, & neruus non sentiuntur, & ideo ossa nuda, nec vngues, nec capilli habent sensum tactus. vnde si esset possibile pungere purum os, aut vnguem, non sentiretur aliquis dolor, sicut nec cùm inciditur capillus, sed quia adhærent carni mixtæ cum neruis, ideo non punguntur sine dolore. Ex his patet, quòd sit organum tactus, Quale verò debeat esse similiter & medium, dico secundum Philosophum, quòd neruus, & caro debent esse denudati, id est non habere in se qualitates tangibiles, quia medium, & organũ, si est receptiuum alicuius qualitatis, debet esse priuatum ea, sicut diximus in

Nerui sũt ad organum tactus pertinentia.

visu, quòd diaphanum, & pupilla debent esse priuata omni colore, vt recipiant omnem speciem coloris, sic & caro, & neruus, vt recipiant calidum, frigidum, humidum, siccum debent esse priuati his qualitatibus.

Sed nota, quòd non eodẽ modo id accidit in aliis sensibus, vt in tactu. nam in aliis sensibus mediũ, & organũ sunt omnino priuata specie sui obiecti, vt diaphanũ nullo modo debet esse coloratũ: nec aër nec miringa vllũ habent sonum, &c. in sensu verò tactus id non potest fieri. nam caro, & nerui sunt composita ex elementis, & per consequẽs habent in sua compositione calidum, & frigidum, humidum, & siccum, sed sunt reducta ad medium, id est, sunt contemperata. & propterea non sentit manus aliquod corpus quod habeat in se tantam caliditatem, vel frigiditatẽ, vel humiditatem, quanta est in complexione manus. sentit verò calidum, vel frigidum excedens compositionem ipsius manus.

Si ergo quæratur quale debeat esse mediũ, & organũ in tactu, respondeo ꝙ non est necesse, vt careãt omnino qualitatibus tangibilibus, quia cũ sint elemẽta tales qualitates adinuicem contẽperatæ ingrediuntur complexionẽ eorum, sed sufficit quòd careant his qualitatibus, prout sunt tãgibiles, id est, in aliquo gradu plusquàm ingrediatur complexionẽ eorum.

Tactus per totum corpus diffusus in qua parte vigeat.

Et si quæratur cùm in toto sit diffusus sensus tactus, in qua parte magis viget. respondeo, ꝙ in palma manus, & in palma pedis, præcipuè verò in digito indice, ac medio. ibi enim est caro neruosa, & contẽperatissima inter calidũ, & frigidũ, humidum, & siccum: durum, & molle, secundũ Albert. & Auicen.

Quid sit Tactus.

Quartò videndum est quid sit tactus. vnde ex prædictis sic diffinitur. tactus est potentia ordinata in neruo per totum corpus expanso ad apprehendendum calidum, & frigidum: humidum, & siccum principaliter. hęc diffinitio patet ex prædictis. hæc de tactu sufficiant, qui quidem præcipuè viget in homine, quia in eo sunt elementa magis cõtemperata, & complexio nobilior, vt corpus humanum esse cõueniens receptiuum excellentissmæ formæ, quæ est anima intellectiua. vnde licet quædam animalia habeant visum perfectiorem, quàm homo, vt aquila, & odoratũ, vt canis. nulla tamen habent nobiliorem gustum, & tactum, quia caro, & neruus, per quæ fit tactus sunt nobilioris excellentiæ in homine, quã in aliis animalibus. Hìc terminatur tract. de sensi. exte. cui apponimus quædã argumẽta pro declaratione quorundã prædictorum.

Num sensibile positum super sensum faciat sensationem.

Primũ probat, quòd sensibile positum super organum sensus sentitur, sic si acu pungatur neruus fit dolor, sed neruus est orgaunm sensus scilicet tactus. ergo sensibile tangens organum sensus sentitur.

Ad hoc dicitur, quòd neruus dupliciter cõsideratur. primò vt circumuolutus est carne, & sic si pungitur dolet non ratione sui, sed ratione carnis circundantis ipsum neruum. secundò consideratur, vt totus discoopertus carne. & sic nego quòd si pungitur doleat, imò secundum se est insensibilis, sicut os, & pilus: & vnguis separatus à carne.

Secundum probat, quòd medium, & organum non est necesse quod careant specie sui obiecti, vt sentiãt suũ obiectum sic, oculus cati est lucidus, & tamen videt lucida. puta ignem.

Item manus aliquando est frigida, & tamen sentit corpus frigidum, vt patet in hyeme, &c, ergo non est necesse organum esse denudatum à specie sui obiecti.

Recipiens num debeat esse denudatũ à natura recepti.

Ad hoc dicitur, quòd hæc propositio, omne recipiens debet esse denudatum à specie sui obiecti receptibilis, sic habet intelligi quòd vel omnino sit denudatũ, vel sit denudatũ pro tanto gradu, pro quanto debet recipere, & sentire suum obiectum. & hæc secũda pars vera est, nam oculus cati non posset videre corpus lucidum, si non esset magis, vel minus lucidum, quàm sit oculus cati. similiter manus frigida non posset sentire aliquod aliud corpus frigidum, nisi in eo esset maior, vel minor frigiditas, quã sit in manu. Hæc expositio pro nũc sufficiat. nam in tracta. de intellectu perfectè exponetur.

Gustus est quidã tactus.

Tertium probat, quòd gustus non sit quidam tactus quasi species sua. vt dicit Philosophus hìc, Si gustus est quidam tactus. ergo gustus non est sensus distinctus à tactu, non enim distinguitur species contra genus, sed continetur sub genere: vt minus vniuersale sub magis vniuersali: si gustus non distinguitur à tactu, ergo sunt tantùm quatuor sensus exteriores, quod est contra Philosophum.

Ad hoc dicitur, quòd gustus consideratur dupliciter. primò inquantum est cognoscitiuus saporum, & sic non est quidam tactus, imò distinguitur contra tactum. nam obiectum gustus est sapor. obiectum autem tactus sunt primæ qualitates tangibiles, cùm ergo habeant obiecta distincta, sunt sensus distincti, secundò consideratur inquantum est cognoscitiuus primarum qualitatum, quæ sunt in nutrimento. nam omne nutrimentum vltra hoc, quod habet aliquem saporem est humidum, vel siccum, calidum, vel frigidum, durum, vel molle. & has qualitates cognoscit gustus. Inquantum igitur eas cognoscit gustus dicitur esse quidam tactus, & non distinguitur à tactu: sicut non distinguitur homo ab animali. dico igitur ad argum. quòd Philosophus intelligit gustũ esse quẽdam tactum secundo modo, & non primo modo. & nota quòd gustus primo modo, & secundo modo est in omnibus animalibus perfectis, sed in animalibus imperfectis, vt in verme est gustus solùm secundo modo. & ideo in eis gustus non distinguitur contra tactum, vt dicemus in 3. lib. cap. vlti.

Quartum probat, quòd tactus non sit plures sensus, vt dicit Philosophus sic, Si tactus sit plures sensus. ergo sensus exteriores sunt plures, quàm 5. puta 6. si tactus sit duo sensus, hoc autẽ est contra Philosophũ, qui solùm assignat 5. sensus exteriores.

Ad hoc dicitur, quòd conceditur tactum esse plures sensus, vt probatũ est in cap. de tactu. & quando dicitur, ꝙ erunt plures sensus, quàm 5. Concedo. Et quando dicitur hoc est cõtra Philosophũ. dico ꝙ sensus exteriores cõsiderantur dupliciter. primò quo ad obiecta formalia, & sic sunt plures, quã 5. quoniam in tactu sunt duo obiecta formalia. primũ est caliditas, & frigi. secundũ est humiditas, & siccitas, secundò considerantur quantũ ad sua organa, & sic dico quòd sunt tantum 5. nam quilibet sensus habet vnum organũ, quod in tactu est neruus per totum corpus diffusus. Philosophus igitur dixit sensus esse 5. non quidem formaliter, id est, quo ad sua obiecta, sed materialiter, id est, quo ad organa, quibus ipsæ potentiæ sensitiuæ sunt affixæ. & nota quòd licet sint duo oculi. non tamen sunt duo organa visus sed vnum perfectũ ex his duobus aggregatum. vnde & vniũtur in superiori parte ipsius nerui egredientis à cerebro. idem dico de duabus auribus, & naribus.

Quintum probat, ꝙ duo corpora existentia in aëre immediatè se tãgunt sic. sumatur cyathus plenus aqua: tunc quæro, aut aqua, & cyathus secundũ superficiem intrinsecam se tangunt immediatè, aut non, si immediatè habent intentũ, si non immediatè, ergo superficies interior cyathi nõ est locus proprius aquæ, quod est falsum. & probatur consequẽtia, quia locus proprius immediatè cõtinet locatũ, ergo immediatè tangit locatum. si ergo superficies interior cyathi non immediatè tangit aquam, sequitur quòd non sit locus proprius aquæ.

Ad hoc dicitur, ꝙ hæc propositio Philosophi, duo corpora non se tãgunt immediatè, duas conditiones requirit. primò ꝙ duo sint corpora dura. nam si sunt mollia se tangũt immediatè, vt aqua & oleũ superinfusum ipsi aquæ. vel si vnũ sit durũ, & alterum molle, vt lapis positus in aqua, vel aqua posita in vase immediatè se tangunt. & sic argumentum non procedit. secundò quòd sint discontinua. nam si duo corpora dura sint continua immediatè se tangunt, vt duæ medietates vnius baculi, cuius prima medietas sit sicca, & secunda sit viridis, antequam diuidantur abinuicẽ immediatè se tangunt. Si autẽ sint duo corpora dura, & abinuicem diuisa, vt duo lapides, & duæ manus non se tangunt immediatè, quia semper inter ea mediat aliquis aër, vt aqua, vt probatũ est in cap. de tactu. Verũ quia huiusmodi aër mediãs valde paruus est & quasi insensibilis quãtitatis, ideo sensus iudicat ea quasi immediatè se tangere. parum enim pro nihilo reputatur. Hæc de sen. exteriori.

EPITOME

SVPER TERTIVM librum de Anima, & est de sensibus interioribus, in tres tractatus diuisa.

SVper tertio libro de Anima formamus tres tractatus.

Primus est de sensibus interioribus.

Secundus est de potentia intellectiua.

Tertius est de potẽtia appetitiua, & motiua.

TRACTATVS PRIMVS super tertium librum de Anima, in sex capita diuisus.

PRimus tractatus distinguitur in sex capita.

In primo inuestigatur quid sit sensus in communi, & organum sensus. & nota, quod hæc declaratio competit cuilibet sensui exteriori, & interiori.

In secundo assignatur sufficientia sensuum exteriorum, qui sunt quinque, & non plures.

In tert

In tertio agitur de sensu communi.

In quarto agitur de phantasia.

In quinto agitur de cogitatiua, & existimatiua.

In sexto agitur de memoria, & reminiscentia.

CAPVT I.

Quid sit sensus, & organum sensus tam interioris quàm exterioris.

IN primo capite sequendo ordinem Aristot. declarandum est quid sit sensus in communi, & ibi agemus tria.

Primò quid sit sensus.

Secundò quid sit organum sensus.

Tertiò soluetur duplex dubium.

Sensus sic diffinitur à Philosopho in secundo de anima. Sensus est receptiuus specierum sine materia, id est, sensus est potentia quæ recipit speciem, vel formam sui obiecti sine materia, id est, spiritualiter, vt visus recipit formam coloris spiritualiter, vel intentionaliter: quod idem est. Vnde nota, quòd obiectum sensibile potest habere duplex esse. Primò potest habere esse materiale, & naturale. & sic recipitur in aliquo corpore, quod denominat esse tale, vt albedo recipitur in charta, secundum suum esse materiale, quam denominat esse albam, hoc modo sensibile obiectũ non habet esse in sensu. Secundò habet esse spirituale, & intentionale: & in quocunque recipitur secundum tale esse, non denominat ipsum tale esse, sic recipitur obiectum sensibile in sensu, quem tamen non denominat esse talem, puta recipitur species rubedinis in oculo, quando videt corpus rubeum, non tamen facit oculum rubeum. similiter quando recipitur species albedinis in speculo non facit speculum album, & quando recipitur figura sigilli argentei in cæra non facit cæram argenteam. sic ergo intelligatur diffinitio. Sensus est potentia, quæ recipit formam sui obiecti sine materia, id est, non secundum esse materiale, sed secundum esse spirituale, & intentionale, ita quòd non denominatur talis ex huius receptione.

Secundò declarandum est quid sit organum sensus. nam licet sensus recipiat formam sui obiecti spiritualiter sicut & intellectus, tamen in hoc distinguitur, quòd sensus est potentia affixa organo corporeo: vt auditus situatus est in tympano auris. intellectus verò non est affixus alicui organo, vt in tracta. de intellectu. sic igitur diffinitur, Organum est corpus recipiens sensum: sicut materia formam, puta oculus est corpus recipiens visum, sicut formam suam. vnde ex organo, & sensu fit vnum compositum, sicut ex materia, & forma, vel sicut ex subiecto, & accidente. ex quo sequitur corollariè, quòd quando separatur anima à corpore in morte omnes sensus corrumpuntur. corrumpuntur enim organa sensuum. ergo corrumpuntur sensus, cùm sint affixi organis suis, nec habeant esse, nisi in suis organis.

Tertiò Philosophus ex diffinitione sensus, & organi soluit duo dubia. primum est, propter quid excellens sensibile corrumpit sensum. nam si quis per longum tempus, puta per vnam diem continuè defigeret oculum in luce solis, efficeretur cæcus. corrumpitur enim visus à tam vehementi luce, & si quis continuè audiret vehementes sonos efficeretur surdus, vnde & molendinarij partim surdescunt.

Ad hoc respondet Philosophus, quòd excellens sensibile destruit contemperantiam, quæ est in organo sensus, puta lux solis dissoluit humorem aqueum congelatũ, qui est in pupilla oculi, destructa verò contẽperantia organi corrũpitur organum. corrupto organo corrũpitur sensus, quia est affixus ipsi organo, vt patet ex diffinitione organi. igitur à primo ad vltimum excellens sensibile corrũpit sensum, quia corrũpit organum sensus, sicut quando quis forti impetu percutit chordas citharæ destruitur consonantia, quia ex forti percussione destruitur proportio situata in varia protractione chordarum.

Secundum dubium est, propter quid plantæ non sentiunt cùm sint animatæ, & recipiant qualitates sensibiles, recipiunt enim calidum, & frigi. humidum, & siccum, quæ sunt obiecta in tactu: ergo saltem debent habere sensum tactus.

Ad hoc respondet Philosophus, quòd plantæ non recipiunt qualitates sensibiles: nisi secundum esse materiale, & naturale, & non secundũ esse spirituale, id est, sine materia: cuius signũ est, quod quãdo recipiũtur huiusmodi qualitates in plãta semper denominãt eam esse talẽ, puta quãdo recipitur humiditas in plãta, verum est dicere, quòd est humida. talis autem denominatio non fit, quando recipitur in aliquo qualitas sensibilis secundum esse spirituale: vt diximus in diffinitione sensus. Dicendum est ergo, quòd plantæ non sentiunt, quia non habent sensum, ideo non habent sensum, quia non recipiunt qualitates sensibiles sine materia, id est, secũdũ esse spirituale, & intentionale, vt recipit sensus. Et de hoc satis diximus.

CAPVT II.

Quòd non sint plures quàm quinque exteriores sensus.

IN cap. 2. assignanda est sufficientia sensuum exteriorum: quare sunt 5. & non plures. Huius autem duplex est ratio, prima est Arist. in principio tertij de Anima, quæ est hæc. nos habemus omnes sensus exteriores, & non habemus nisi quinque sensus, scilicet visum, auditum, &c. ergo sensus exteriores non sunt nisi 5. Quòd nos habeamus omnes sensus exteriores probatur tripliciter. primò sic. nos sentimus omnia obiecta sensibilia, scilicet dolores, odores, sonos, &c. ergo habemus omnes sensus exteriores, quibus sentimus omnia sensibilia obiecta. Secundò sic, nos habemus organa sensuũ exteriorũ, scilicet organũ visus, quod est oculus, & nerui egredientes à cerebro, similiter alia organa, sicut declaraui in tracta. 3. super lib. 2. ergo habemus omnes sensus exteriores. Tertio sic: omnis sensus, vel sentit per mediũ extrinsecũ, vt est aër, & aqua: vel per mediũ intrinsecum, vt est caro. si per medium extrinsecum, sic sentit visus, auditus, & odoratus, & hos sensus habemus. Si per medium intrinsecum sic sentit gustus, & tactus. cùm ergo habeamus omnes sensus, qui sentiunt per media extrinseca, & intrinseca. sequitur quòd nos habeamus omnes sensus exteriores.

Secunda ratio est B. Tho. in prima parte quæst. 78. artic. 3. & est talis: obiectum sensibile immutat sensum, & recipitur in sensu: vt patet ex diffinitione sensus superius data. ergo secundum quod diuersimodè sensibile recipitur in sensu, sic distinguuntur sensus exteriores. sensibile verò potest recipi in sensu quatuor modis. primò purè spiritualiter sine aliqua mutatione physica facta in obiecto, nec in organo, & quantum ad hanc receptionem purè spiritualem assignatur visus, quando enim color videtur non fit aliqua mutatio physica, puta non est necesse colorem moueri localiter, nec oculum alterari. secundò sensibile potest recipi in sensu per mutationem physicam, id est, per motum localem factum ex parte obiecti. nulla tamen mutatione facta in organo sensus, & quantum ad talem receptionem assignatur auditus, quando enim sonus auditur, necesse est sonum generari ex percussione percutientis ad percussum, & aërem qui mediat inter percutiens, & percussum expelli, ac moueri, & dum commouetur localiter defert sonum ad auditum, patet ergo quòd in auditu ex parte soni, qui est obiectum, requiritur motus localis, qui est mutatio naturalis, & non spiritualis. tertiò potest recipi sensibile in sensu per mutationem physicam, id est, alterationem factam ex parte obiecti non ex parte organi, & quantum ad talem receptionem assignatur odoratus. quando enim odor sentitur, necesse est per calorem corpus odoriferum alterari, vt per talem alterationem spiret odorem, fundatur enim in calido, & sicco odor, & ideo sine calore resoluente non sentitur odor, vt declaraui in tract. 3. super secundo lib. quartò potest recipi sensibile in sensu per alterationem physicam factam, non quidem ex parte obiecti, sed ex parte organi. & quantum ad hanc receptionem assignatur gustus, & tactus. quando enim corpus calidum tangitur à manu, realiter manus fit calida. ergo alteratur caro, quæ est medium, & neruus qui est organum. similiter quando corpus saporosum humidum tangitur à lingua, fit humida realiter. ergo caro, lingua, & neruus expansus per linguam, qui est organum in gustu, alteratur. Ex his igitur patet, quomodo sunt quinque sensus exteriores, & quomodo distinguuntur, secundum diuersum modum quo recipitur obiectum sensibile in ipso sensu: quomodo distinguantur gustus, & tactus declaraui in tertio tractatu super secundo libro. similiter quomodo sensus tactus sit vnus vel plures sensus, patet ibidẽ.

CAPVT III.

De sensu communi.

POst assignationem sensuum exteriorum transeundum est ad sensus interiores, & primò in communi, secundò in particulari. De his in communi dicemus duo: primò, quare dicuntur sensus interiores, cùm etiam sensus exteriores possint dici interiores pro quanto sunt intrinseci ipsi animali, & recepti in suis organis, vt visus in oculo, &c. Secundò dicemus quæ fuit necessitas ponendi hos sensus interiores.

Circa primum nota quòd visus & auditus, &c. dicuntur sensus exteriores, quia immediatè sine alio sensu priori suscipiunt species, causatas à sensibilibus exterioribus, puta visus immediatè recipit speciem coloris causatam à colore, qui est

qui est in pariete, & auditus recipit sonum immediatè causatum à corpore sonoro. isti verò vt sensus communis & phantasia, &c. Dicuntur sensus interiores, quia non immediatè recipiunt species sensibilium exteriorum, sed mediantibus sensibus exterioribus, puta si species coloris debet recipi in sensu communi, & ab ipso transmitti ad phantasiã, est necesse quòd prius recipiatur in visu, deinde per neruos, quibus affixi sunt oculi, transmittitur ad sensum cõmunem, & ab ipso ad phantasiam, vt diximus. Dicuntur ergo sensus interiores, quia non mutãtur immediatè à specie obiecti sensibilis exterioris, sed à specie prius recepta in sensu exteriori & ad eos transmissa.

Circa secundum nota secundum B. Tho. in prima parte, quæst. septuagesima octaua, articulo quarto, quòd necessitas ponendi hos sensus in animali perfecto fuit, vt animal perfectum haberet omnes actiones opportunas regimini vitæ suæ. Quæ autem sint hæ actiones, declarabimus pertractando in particulari de singulis sensibus interioribus, & ponendo necessitates suas.

De sensu communi. Primus sensus interiorum, est sensus communis, de quo dicemus quatuor. primò, in quo organo situatur, secundò quæ sit necessitas sua, ex qua declarabitur, qui sint actus ipsius, tertiò, quare dicitur sensus communis. & hoc declarabitur in solutione argumen. quartò, quæ sit diffinitio sua.

Circa primum nota secũdum Auicen. in 6. lib. naturalium. & omnes Physici concordant cum eo, quòd organum sensus communis est prima cellula cerebri, quæ est super frontem, in qua radicantur omnes nerui descendentes ad organa sensuum exteriorum, vt à sensu communi deriuetur virtus sentiendi ad omnes sensus exteriores, sicut à fonte deriuantur varij riuuli, & ad sensum communem transmittuntur omnes species obiectorum, quæ apprehenduntur à sensibus exterioribus, omnes enim sensus exteriores vniuntur in sensu communi, sicut multæ lineæ egredientes à circunferentia vniuntur in centro circuli, & secundũ Auicen. se habent sensus exteriores ad sensum cõmunem, sicut serui ad regẽ, ad quem reuertuntur cum lucris. Quicquid enim oculus videt, eius speciem transmittit per neruos, quibus affixi sunt oculi ad sensum communem. Idem intellige de auditu, odoratu, &c.

Circa secundum nota, quòd necessitas ponẽdi sensum communem in animali perfecto est propter duas actiones, quæ sunt in animali, & nõ possunt causari ab aliquo sensu exteriori, probatur, ergo fuit necesse ponere aliũ sensum præter sensus exteriores, qui produceret has actiones: & hunc sensum dicimus esse sensum cõmunem: prima actio sensus cõmunis est cognoscere diuersitatem inter obiecta sensuum exteriorũ, puta cognoscere, q̃ albũ non est dulce, & sonus non est odor: hanc diuersitatẽ nos cognoscimus & non per aliquẽ sensum exteriorẽ. licet enim per visum cognoscamus diuersitatẽ specierum coloris, puta cognoscimus per visum, q̃ album non est nigrũ, quia per visum vtrunque per se sentimus, tamen per visum non possumus cognoscere, q̃ albũ distinguatur à dulci, nec per auditũ cognoscimus q̃ sonus distinguatur ab odore, quia per visum non sentimus albũ & dulce per se, nec per auditum cognoscimus sonũ & odorem. cùm ergo per nullũ sensum exteriorem cognoscamus diuersa obiecta distinctorum sensuum, sequitur q̃ per nullum sensum exteriorem cognoscimus diuersitatẽ inter obiecta sensuum exteriorũ. igitur necesse est ponere aliquẽ sensum interiorem, ad quẽ transmittitur species obiectorũ sensibilium apprehensorum per sensus exteriores; & tunc per talem transmissionẽ cognoscimus diuersũ obiecta sensuum exteriorũ, cognoscimus etiam diuersitatem inter ipsa obiecta, & hic est sensus communis. nam per neruos egredientes à cerebro ad oculos cognoscit colorẽ, & per neruos egredientes à cerebro ad nares cognoscit odorẽ. Cognitis autẽ ab eodẽ colore & odore, aduerte q̃ color distinguitur ab odore, quia alio modo color immutat visum, & alio modo odor immutat odoratũ, & sic cognoscit diuersitatẽ inter obiecta sensuum exteriorũ. Secunda actio sensus cõmunis, est cognoscere actũ sensus exterioris, puta cognoscit quòd visus videt, & auditus audit. Et quòd hęc actio causetur à sensu communi. probatur sic: Hæc actio non potest esse à sensu exteriori: ergo. est ab aliquo sensu interiori, ad quẽ terminatur actus sensuum exteriorũ, & hic est sensus cõmunis. probatur antecedens, scilicet quòd nullus sensus exterior cognoscat actũ suũ, & probo de visu: & simile erat in aliis sensibus quicquid per se videtur à visu est aliquo modo coloratũ vel lucidum, sed videre non est coloratũ nec lucidum, vt patet. ergo visus nõ videt se videre, similiter quicquid per se cognoscitur ab odoratu est aliquo modo odoriferũ, odor enim est obiectum, sed odorare non est odoriferũ, ergo odoratus non cognoscit se odorare. Præterea, sola potentia non organica, vt est intellectus, cognoscit actum suum: ergo nullus sensus exterior cognoscit actum suum, quia omnis sensus est potentia affixa organo, vt dictum est suprà. Hæc ratio magis declarabitur in tractatu de intellectu. Cùm igitur cognoscamus nos videre & audire, & non per aliquẽ sensum exteriorẽ, sequitur quòd hæc actio sit à sensu cõmuni: ex quo enim ad ipsum transmittuntur omnes species obiectorũ sensibilium, quæ recipiuntur in sensibus exterioribus: & cognoscit diuersa obiecta sensuum exteriorũ, per primam actionẽ: potest etiam cognoscere diuersos actus ipsorum sensuum, puta quòd visus videt, quòd auditus audit, & quod videre non est audire. Et iis patet quæ sit necessitas ponendi sensum communem.

Circa tertium quare dicatur sensus communis declarabo in solutione argumenti.

Circa quartum, scilicet, quid sit sensus cõmunis, nota quòd sic diffinitur, vt elicitur ab Auicen. in 6. naturalium in cap. de sen. interio. Sensus cõmunis est potentia situata in prima parte cerebri, à qua omnes sensus exteriores deriuãtur, id est, accipiunt virtutẽ sentiendi, ad quã transmittũtur omnes species sensatæ apprehensæ per sensus exteriores, in qua omnes sensus exteriores vniũtur, sicut plures lineæ in cẽtro. Hæc diffinitio patet ex prius declaratis. Hæc de sensu communi sufficiant. Quomodo verò per hanc potentiã cõpleantur somnia, & causetur dormitio, iam declaraui in tractatu, quem ordinaui de som. & vigil. & de prophetia, quæ fit in somniis.

CAPVT IIII.

De Phantasia.

IN quarto capite agendum est de secundo sensu interiori, qui dicitur phãtasia secundum Arist. & dicitur formalis secundum Auicen. in 6. naturalium, de quo dicemus quatuor.

Primò, in quo organo situatur.

Secundò, quæ sunt operationes suæ.

Tertiò, quæ fuit necessitas ponendi hunc sensum.

Quartò, quare vocatur phantasia, & quomodo diffinitur.

Circa primum nota, quòd secundum Auicen. & Auer. & B. Tho. in opusculis de potentiis animæ, phantasia situatur in secunda parte cerebri in parte anteriori capitis post sensum communem, & id continẽter à natura actum est. nam phantasia habet retinere & conseruare species apprehensas à sensibus exterioribus, & transmissas ad sensum cõmunem, puta visus in se recipit colorẽ pomi & figurã: hanc speciẽ transmittit per neruos ad sensum cõmunẽ, & sensus cõmunis transmittit eam ad phantasiã, in qua vt in quodam thesauro cõseruatur. Idẽ intellige de omnibus speciebus apprehensis per alios sensus. Et si queras quare sensus cõmunis recipiẽs tales species non retinet & eas conseruat, sine hoc quod transmittat eas ad phantasiam. Respõdeo, quòd sensus communis non potest eas retinere. nam situatur in prima parte cerebri super frontem, vbi est multa humiditas, & mollities: propriũ est autem rei mollis bene & faciliter recipere, molle autem retinere: sicut cæra mollis facilè recipit figuram sigilli & malè retinet, facile enim est talem figuram delere. Hæc igitur est ratio, quare sensus cõmunis cum facilitate species sensãtas recipit à sensibus exterioribus, sed eas non potest retinere: & ideo est necesse, vt transmittantur ad aliam potentiam, quæ sit situata in parte sicca ipsius capitis, & hæc est phantasia. nam in secunda parte anteriori capitis non est tanta humiditas, & est maior durities, & ideo phãtasia, quæ ibi situatur, bene retinet & conseruat ipsas species, & ideo vocatur ab Auicen. thesaurus specierum sensatarum.

Figura declarans quomodo situatur phantasia in capite, & quomodo quasi per neruum transmittantur ad ipsam sensate species.

Circa

Circa secundum nota quòd duæ sunt operationes phantasiæ, prima est, quòd habet retinere species sensãtas & transmissas à sensu communi tanquam thalamus & thesaurus sensus communis: vt inquit Algazel: nam dictum est suprà, quòd sensus communis est sicut rex in solio, ad quem redeunt sensus exteriores cum speciebus apprehensis, sicut serui cum lucris, & has species velut lucra recondit conseruanda in phantasia & in suio thesauro: secunda est secundum Auerro. & Beatum Thomã, quòd habet componere species sensãtas adinuicem, puta in phantasia est cõseruata similitudo montis, quem aliquando vidi, & similitudo auri, quod aliquando vidi. potest autem phantasia has duas species adinuicem componere & fingere montem aureum, licet non inueniatur in natura, ex quo sequitur quod omnia entia fictitia, vt sunt figmenta poëtarum, vt sunt parabolæ, vt sunt entia chimærica, puta fingere animal, cuius caput sit leonis, & pedes auis, & cauda serpentis, & alæ vulturis, omnia huiusmodi sunt per operationem phantasiæ componentis varias species rerum sensibilium adinuicem, & si phantasia potest hæc chimærica componere, dum homo vigilat, potest multo magis dum homo dormit: vnde à phantasia plerunque causantur visiones, quæ fiunt in somniis, & nisi hęc potentia existeret in animali perfecto nun quam animal nec homo somniarent, quomodo verò in phantasia causentur somnia vera, siue falsa, siu e prænuncia rerum futurarum declaraui in tractatu, quem ordinaui de somno & vigilia. Notanter verò dixi quòd secundum Auerro. & B. Tho. phantasia habet componere species sensãtas, quoniam Auicẽ. in 6. natu. opinatur quòd phantasia solùm habeat conseruare species sensãtas, alia verò potentia quæ apud Auic. dicitur imaginatiua, & situatur secundum eũ in cerebro post phantasiam habet componere species sensãtas adinuicẽ, vnde entia fictitia secundum ipsum fiunt ab imaginatiua, & non à phantasia.

Circa tertium nota quòd necessitas ponendi phantasiam est vt animal perfectum, cui non semper coniuncta sunt ea quę sunt opportuna regimini vitæ suę ex recordatione rerum quæ sunt necessariæ vitæ suæ moueretur localiter ad quærendum ea. Verbi gratia, homo non semper habet cibum sibi præsentem, & quando famescit incitatur ad quærendum cibum: non posset autem incitari nisi haberet in phantasia sua species panis & vini & pomi conseruatas, ex iis enim speciebus conseruatis recordatur quòd panis & vinum & pomum, quæ ali quando gustauit sunt cibus sibi conueniens, & ideo quando famescit mouetur localiter ad quærendum cibum: sic incitatur canis, sic leo ad venenationem quando famescit ex recordatione ciborum sibi conuenientium, vnde inquit Ari. in tertio de anima, quòd animalia patiuntur, & operãtur per phantasiam, animalia verò imperfecta quæ non mouentur secundum locum, vt ostrea, non habent phantasiam determinatam, quoniam habent suum cibum quicunque sit semper sibi præsentem, & ideo non est eis opus recordari, nec moueri ad aliquem locum distantem ad quærendum cibum: propter quod huiusmodi animalia propter suam imperfectionem habent solùm sensum tactus, vt dicemus in trac. de potentia motiua.

Circa quartum nota quòd phantasia sic nominatur ab effectu suo. nam vt diximus in secunda sua operatione, hęc potentia causat, maximè dum dormit animal, visiones & appariones in somniis, quando enim aliquid somniamus apparet nobis quòd sic sit in re sicut somniamus. dicitur igitur phantasia ab iis operationibus & visionibus quas causat. nam phanos græcè idem est quod apparitio, inde deriuatur phantasia quasi apparitiua, id est, causans appariones. Quomodo verò diffiniatur, nota quòd duplex de ea datur diffinitio, prima est Arist. in secundo de Anima, quæ est hæc, phantasia est motus factus à sensu secundum actum, id est, phantasia est potentia quæ fit in actu per sensum exteriorem, & per sensum communem: nam vt diximus, phantasia actu respicit speciem sensatam apprehensam à sensu communi transmissam ad phantasiam. secunda diffinitio elicitur ex Auicen. in sexto naturalium, quæ est hæc. phantasia est potentia situata in secunda parte cerebri post sensum communem conseruatiua specierum sensatarum, quæ à sensu communi ad ipsam transmissæ sunt. Hæc de phantasia sufficiant.

CAPVT V.

De extimatiua brutorum, & cogitatiua hominum.

IN quinto capite agendum est de tertio sensu interiori, qui in brutis dicitur extimatiua, in homine dicitur cogitatiua, de qua dicemus quatuor. primò in qua parte cerebri vt in suo organo situatur, secundò quę sunt eius actiones, ex quo etiam declarabitur necessitas sua, tertiò in quo differt extimatiua in bruto ac cogitatiua in homine, quartò quid sit vtraque.

Circa primum nota secũdum Auicen. in sexto naturalium & Auer. in lib. de sen. & sensa. quòd cogitatiua in homine situatur in medio capitis vbi est media cellula cerebri, & est post phantasiam, ita quòd supereminet illi, in bruto verò extimatiua ponitur in posteriori parte mediæ cellulæ cerebri, ita q̃ declinet à summitate capitis ad partem posteriorem. Figura patet infrã.



Circa secundum nota quòd secũdũ Auicen. vbi suprà & Algazel. in libro suo de Anima. Actio huius potentiæ est elicere aliquas species, quæ dicuntur intentiones non sensatæ, id est, quæ non possunt cognosci per sensum exteriorem, nec per sensum cõmunem. Istæ autem intentiones sunt, amicitia, inimicitia, bonum, malum, paternitas, filiatio, &c. Quomodo verò id fiat, nota q̃ cogitatiua superueniens phantasiæ inspicit species sensãtas quæ sunt seruatæ in phantasia, puta extimatiua quæ est in oue inspicit figuram lupi conseruatam in sua phantasia, & ex tali figura quasi correspondente elicit inimicitiam naturalem inter ipsam & lupum, & ideo cùm sibi præsentatur figura lupi fugit, non quia sit talis figuræ, sed vt inimicum: similiter in homine id accidit, nam si Plato videat hominem respicientem se toruo aspectu, & loquente iracundè, talis hominis figura & locutio defertur per sensus exteriores ad sensum communem, inde transmittitur ad phantasiam & ibi conseruatur, tunc cogitatiua superueniens considerat talem figuram talemque locutionem, & ex eis elicit inimicitiam quasi concludens, hic est inimicus meus, eo quòd toruo aspectu me inspexit, & iratè allocutus est: ex opposito autem, id est, ex benigno aspectu, & miti colloquio elicit amicitiam. hæc est actio extimatiuæ & cogitatiuæ, ex qua cognoscitur sua necessitas, nisi enim hæc potentia esset in animali perfecto non posset fugere nociua, & prosequi vtilia. nam ouis non fugeret lupum, & sic occideretur, & non lactaret agnum vt filium, & sic agnus fame deficeret, & homo in manu suorum inimicorum incideret, nunquam amicitiam contraheret, & tunc deperiret societas ciuilis & humana.

Circa tertium nota quòd secundum Auer. in libro de sen. & sensa. & Beat. Tho. in prima parte, quæst. 78. arti. 4. extimatiua in hoc differt à cogitatiua, quoniam extimatiua in brutis cognoscit illas intentiones non sensãtas sine aliquo discursu, sed solo instinctu naturali sibi indito à primo conditore, vt extimatiua ouis naturali instinctu cognoscit inimicitiam lupi, & hos cibos sibi esse conuenientes, illos autem sibi nocuos: & auis naturali instinctu cognoscit hanc paleam conuenientem sibi ad nidificandum, & breuiter omnia operantur, vel abhorrent bruta: operantur vel defugiunt inquantum mouentur ab extimatiua & instinctu naturali. Cogitatiua verò in homine cognoscit has intentiones non sensãtas cum aliquo discursu & syllogismo, potest enim cogitatiua formare syllogismum expositorium qui constaret ex duabus propositionibus singularibus sic, Hic est mihi inimicus, & hic est lupus. ergo lupus est mihi inimicus. Item idem aliquando apprehendit, arguendo ab exemplo sic, Pater Platonis est mihi inimicus. ergo & Plato est mihi inimicus, quia filius assimilatur patri, & quia cogitatiua est syllogistica, ideo est nobilior inter potentias sensitiuas, propinqua enim est intellectui, cuius est discurrere & syllogizare, & propter suam nobilitatem dicitur ratio particularis, sicut intellectus dicitur ratio vniuersalis, vt declarabimus in tractatu de intellectu.

Notandum postremò q̃ cogi. in homine est illa, quæ causat iudicia temeraria, quando enim ex leui indignatione vel negatione obsequij concludit inimicitiam inter duos, potest esse conclusio & iudicium falsum, & ideo nisi regulatur imperio rationis maximè incitat appetitum sensitiuum

concu

concupiscibilem & irascibilem, præcipuè in malum, vt dicemus in tract. de potentia motiua, patet ergo quomodo differunt extimatiua in bruto, & cogitatiua in homine.

Circa quartum nota quòd sic diffinitur extima, vt elicitur ab Alga, in suo lib. de Anima, Exti. est potentia apprehendens ex sensato non sensatum, id est, est potentia cognoscens ex specie sensibili reseruata in phantasia speciem non sensibilem, vt inimicitiam, amicitiam, &c. Cogi. est potentia apprehendens ex specie sensibili intentionem non sensatam cum aliquo discursu syllogistico, vt declaratum est.

CAPVT VI.

De memoriæ & reminiscentiæ sensu.

IN sexto capite agendum est de quarto sensu interiori, quia dicitur in bruto memoria, in homine verò dicitur reminiscentia, & dicemus 4. primò de organo suo, secundò de actione, vbi etiam declarabitur necessitas sua, tertiò in quo differt memoria à reminiscentia. 4. quid sit vtraque.

Circa primum nota secundum Auicen, in sexto natural. & omnes alios Physicos quòd hæc potentia situatur in vltima parte cerebri, quæ est in posteriori parte capitis post extimatiuam vel cogitatiuã, illa enim pars capitis est multum sicca, & ideo est bene retentiua, vnde rationabiliter collocatur ibi.

Circa secundum nota secundum omnes Physicos, præcipuè Auicen, in sexto nat, quòd officium memoriæ est retinere, & conseruare intentiones non sensatas, quas extimatiua & cogitat, apprehendit ex speciebus sensatis conseruatis in phantasia: vnde sicut phantasia est thesaurus & arca speciẽrum sensatarum, quas ad eam transmittit sensus communis, ita memoria est arca intentionum non sensatarum: vt est intentio amicitiæ, inimicitiæ, paternitatis, nociui, & commodi, &c, quas postquam cogitatiua apprehendit transmittit ad memoriam ibi conseruandas: ex hoc patet necessitas sua, nisi enim memoria conseruaret has intentiones, animal non fugeret nociua, nec quæreret sibi vtilia: ea enim quorum obliuiscimur, non quærimus nec diligimus. Verbi gratia, si in memoria ouis non conseruaretur intentio inimicitiæ lupi, quando videret lupum, non fugeret: & si in memoria canis non seruaretur intentio beneuolentiæ, vel beneficij accepti à domino suo, quando videret dominum non applauderet cauda, nec custoditet domum, vt ergo animalia fugiant nociua, & quærant vtilia data est eis memoria.

Circa tertium nota secũdum Auicen, in sexto naturalium & Alga. in lib. 6 suo de Anima, quòd memoria ita differt à reminiscẽtia sicut differt extimatiua à cogitatiua. Sicut enim bruta per extimatiuam solo instinctu naturali & sine aliquo discursu apprehendunt intentionem non sensatam, ita per memoriam solo instinctu sine syllogistico discursu ex intentione non sensata quæ est in memoria, & specie sensata, quæ est conseruata in phantasia recordantur rei præteritæ, quam fugiunt vel quærunt, Verbi gratia, canis videns baculum in manu Socratis, ex apprehensione nociui & forma baculi, recordatur quòd baculus est sibi nociuus, & ideo cùm videt baculum fugit, vel non propinquat homini tenenti baculum: homo per cogitatiuam cùm aliquo discursu syllogistico cognoscit intentiones non sensatas, ita quòd per memoriam cum aliquo discursu recordatur rei præteritæ, & talis memoria cum discursu dicitur reminiscentia, Verbigratia, volo recordari quid mihi dixerit Socrates heri in orto, sic fiet; primò præsentabitur à memoria intentio amicitiæ vel inimicitiæ: si præsentabitur intentio inimicitiæ, sic discurram, Socrates est mihi inimicus, ergo dixit mihi odiosa; deinde inuestigo discurrendo, quod & quale verbũ odiosum dixerit: & hunc quidem discursum maximè experimur in nobis, quando recordari laboramus de aliqua re iam diu præterita.

Circa quartum nota quòd diffinitur memoria ab Auicen, in sexto naturalium. Memoria est potentia ordinata in posteriori concauitate cerebri conseruans id, quod apprehendit virtus extimatiua de intentionibus non sensatis: eodem modo diffinienda est reminiscentia, sed addatur hæc particula cum aliquali discursu: per hanc enim differt à memoria, quæ est in brutis, Hæc sufficiant de numero sensuum interiorum, in quo secutus sum Auer. & B. Tho. si vis autem habere opinionem Auicen, & Alga. & Alber. qui dicunt eos esse quinque; & quomodo conueniunt, vel differant, quære tractatum, quem ordinaui de omnibus iis opinionibus cum figuris singularum opinionum.

Vltimò soluentur tantùm duo argumenta, primum probat, quòd diffinitio sensus non sit conueniens. nam in sensu tactus recipitur species sui obiecti cum materia, id est, naturaliter: quando enim manus tangit calidum fit realiter & physicè calida; ergo non omnis sensus recipit speciem sui obiecti sine materia: & sic diffinitio sensus est falsa, cùm non conueniat cuilibet sensui.

Ad hæc dicitur quòd in sensu tactus recipitur species sui obiecti, & naturaliter, vt probat argumentum, & spiritualiter, licet non ita sit manifestum. Si enim sola receptio naturalis sufficeret in sensu tactus, etiam lapides & terra haberent sensum tactus: recipiunt enim qualitates tangibiles naturaliter, vt lapis recipit calorem & frigiditatem: dicendum est ergo, quòd causa sentiẽdi per se in sensu tactus, est receptio specierum intentionaliter, licet propter suam materialitatem recipiantur etiam species sui obiecti materialiter, sed hoc est per accidens.

Secundum probat, quòd primus sensus interior non debet dici sensus communis. Sensus communis est ille, qui prædicatur de pluribus sensibus, sicut homo communis est ille, qui prædicatur de pluribus hominibus: sed primus sensus interior non prædicatur de pluribus sensibus, cùm sit vnus sensus singularis. ergo non debet dici sensus communis.

Ad hoc dicitur quòd non dicitur sensus communis secundum prædicationem, quasi prædicetur de pluribus sensibus, sed dicitur sensus communis quasi terminus communis, ad quem sensus exteriores transmittunt species obiectorum ab eis apprehensas, vt declaraui suprà: sicut etiam centrum in sphæra dicitur terminus communis, ad quem plures lineæ à circunferentia terminantur. Hic finit tractatus de sensibus interioribus.

TRACTATVS SECVNDVS
super tertium Librum de Anima, de intellectu possibili & agente.

IN hoc secundo tractatu super tertium de Anima agendum est de potentia intellectiua, quæ diuiditur in intellectum possibilem & agẽtem. Et primò agendum est de intellectu possibili, de quo fiunt quatuor capita.

Primò, quid sit,
Secundò, quod est suum obiectum.
Tertiò, quot sunt operationes suæ,
Quartò, quot modis denominatur, licet tantùm sit vna potentia realiter.

CAPVT I.

De intellectu possibili, & quid sit.

CIrca primum caput ponẽda est diffinitio intellectus possibilis, & declaranda. Vt igitur elicitur ab Arist. in tertio de Anima, sic diffinitur: Intellectus possibilis est potentia animæ apta nata intelligere omnes naturas corporeas & sensibiles, carens omni natura sensibili, nec est affixa alicui organo corporeo. Hæc diffinitio declaratur quo ad singulas partes, & infertur vnum corollarium, secundum mentem Philosophi. Primò dicitur apta nata intelligere, id est, est in potentia, vt intelligat: non enim actu semper intelligit, nec actu semper habet species intelligibiles in se vt per eas intelligat, & probatur ex tali similitudine secundum Arist. sicut se habet sensus ad sensibilia. ita intellectus ad intelligibilia: sed sensus est in potentia vt sentiat sua sensibilia, & nullum eorum est natura sua habet in se actu: vt auditus est in potentia vt sentiat sonos, & nullum sonum ex natura sua in se habet, vt declaraui agens de organo auditus: ergo & intellectus est in potentia vt intelligat res sensibiles & corporeas, & nullam speciem intelligibilem ex natura sua in se habet actu. Dicitur secundò, carens omni natura sensibili & corporea, id est, est insensibilis & incorporeus, & sic est ens spirituale, & probat sic Philosophus: Omne receptiuum alicuius, est denudatum & priuatum illo, vt oculus est receptiuus coloris, ergo oportet esse priuatum colore: & auditus est receptiuus soni, ergo oportet esse priuatum omni sono: Si enim aliquem sonum in se haberet, priuaretur ne reciperet alios sonos: nam intus apparens prohibet extraneum, vt inquit Philosophus: sed intellectus possibilis est receptiuus omnis naturæ sensibilis & corporeæ, potest enim intelligere omnem rem sensibilem & corpoream, vt declarabitur, quando dicemus de obiecto eius in secundo capite. ergo intellectus possibilis est denudatus & priuatus omni natura sensibili & corporea, ex quo sequitur corollariè quòd intellectus nec est elementum, nec quid compositum ex elementis, nec aliqua qualitas sensibilis, vt sunt frigus, calor, sapor, &c. sed est purum spirituale apta natũ cognoscere omnia sensibilia & materialia & corporea. Dicitur

Dicitur tertiò, non affixa alicui organo corporeo, & in hoc distinguitur à sensibus, qui omnes sunt affixi suis determinatis organis, vt diximus suprà. Quòd autem intellectus non sit affixus alicui organo, probatur sic, Omnis potentia affixa organo corporeo cognoscit solùm vnum genus entium: vt, quia visus est affixus organo, cognoscit solùm visibile: & auditus, sonos: & gustus, sapores: sed intellectus non cognoscit solùm vnum genus entium, imò omnia genera entium, vt dicemus in secundo capite, ergo non est affixus, imò separatus est ab omni organo corporeo. Si autem quæras vbi sit hic intellectus, vel in qua parte corporis, an sit extra corpus, vt substantia separata, sicut fingit Auerr. Respondeo quòd est in anima intellectiua, sicut accidens in suo proprio subiecto, nam intellectus sicut aliæ potentiæ animæ est in secunda specie qualitatis: anima autem intellectiua secundum essentiam suam est in toto corpore sicut forma in sua propria materia: & sic patet, quòd intellectus est potentia solius animæ. Aliæ verò potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ non sunt solius animæ, sed totius animati: quia cùm sint affixæ organis, sunt subiectiuè in organis corporeis: vt visus in pupilla, &c. De opinione Auerr. qui arbitratur intellectum possibilem esse extra hominem, vt substantia separata: & animam intellectiuam non esse formam hominis disputabitur in fine tractatus. patet igitur diffinitio intellectus possibilis, & declarata secundum omnes partes suas. Ex hac diffi. infert Philosophus hoc corollarium: licet excellens sensibile corrumpat sensum: vt lux solis, si per aliquod tempus directo intuitu aspiciatur, excæcat hominem, & corrumpit pupillam: non tamen excellens intelligibile: vt cœlum, vel intelligentia, si intelligantur, non corrumpunt intellectum: & huius ratio est: quia sensus est affixus organo: & excellens sensibile alterat organum: quò alterato, vel debilitatur vel destruitur sensus: vt declaraui in primo tractatu huius tertij libri, vbi actum est de sensu & organo sensus in communi. Intellectus verò non est affixus organo: & ideo excellens intelligibile non potest alterare, nec debilitare, nec corrumpere intellectum: imò perficit ipsum, & reddit potentiorem ad intelligendum: si enim intelligo magis difficile, postea sum magis dispositus ad intelligendum minus difficile. Hæc de primo capite.

CAPVT II.

De obiecto intellectus possibilis.

IN secundo capite declarandum est quid sit obiectum intellectus possibilis: & ibi fiunt duo. Primò, ponitur distinctio de obiecto. Secundò, ex hac distinctione ponuntur quædam conclusiones. Distinctio est hæc, Obiectum intellectus est duplex, scilicet obiectum primum & obiectum secundarium. Item obiectum primum potest esse triplex, scilicet obiectum primum, id est, communissimum & adæquatum, & est illud, quod sub se continet omne ens intelligibile: & obiectum primum, id est, primò motiuum: & est illud, quod mouet primò intellectum ad intelligendum: & obiectum primum, id est, perfectissimum: & est illud, quod est nobilissimum inter omnia entia intelligibilia.

Secundò ex hac distin. pono quatuor conclusiones, prima. Ens vt est transcendens, id est, vt prædicatur de quolibet ente: siue de ente reali: siue de ente rationis est primum obiectum id est, communissimum & adæquatum obiectum intellectus possibilis: probatur. Intellectus possibilis ex natura sua, inquantum est immaterialis, potest intelligere omne ens. ergo ens quod prædicatur de omni ente est obiectum primum, id est, adæquatum ipsius intellectus. probatur antecedens. Potentia non organica non determinatur ad aliquod genus entis sicut determinatur sensus: quia est potentia organica. ergo ex sua natura immateriali potest intelligere omne ens. Et nota quòd hæc conclusio intelligitur de intellectu possibili absolutè considerato.

Secunda conclusio. Quidditas, id est, natura rei materialis sensibilis & corporeæ est obiectum primum, id est, primò motiuum intellectus possibilis pro ista vita mortali. probatur. Illud quod mouet intellectum ad intelligendum est ens materiale & sensibile: quia omnis nostra cognitio pro ista vita omnũ habet à sensu. ergo natura rei materialis & sensibilis est obiectum primum, id est, primò motiuum intellectus nostri. Ex hac cõclusione sequitur quod donec anima vnitur corpori primò & per se non intelligit nisi vniuersale materiale sensibile: puta hominem vt homo: lapidem vt lapis, &c. entia verò incorporea non intelligit nisi pro quanto manuducitur ad illa per hęc sensibilia: puta cognosco intelligentias per corpus cœleste, & motum eius, quæ sunt quædam sensibilia. Et nota quòd secundum cognitionem hanc, quam habet intellectus pro hac vita mortali, formata est suprà diffinitio intellectus possibilis.

Tertia conclusio. Deus est obiectum primum, id est, perfectissimum intellectus nostri. probatur. Deus est perfectissimum ens. ergo est perfectissimum obiectum intellectus. Præterea cognitio habita de Deo maximè perficit intellectũ nostrum, ita quod in diuina speculatione consistit felicitas. ergo Deus est perfectissimum obiectum intellectus nostri.

Quarta conclusio. Singularia sensibilia, actus intelligendi, & ipse intellectus, & ipsa anima intellectiua sunt secundaria obiecta intellectus nostri pro hac vita. probatur. Ea sunt secundaria obiecta intellectus, quæ necessariò requirunt aliqua prius cognita: sed singularia sensibilia si debent intelligi requirunt aliqua prius cognita, id est, sua vniuersalia (non enim potest intelligi Socrates vel Plato nisi prius intelligatur homo in communi) similiter non potest intelligi intelligendi actus nisi prius intelligatur obiectum intellectus. nam vt diximus in secundo libro, actus intelliguntur per obiecta, & non potest intelligi ipse intellectus nisi prius intelligatur actus intelligendi: quia potentiæ intelliguntur per suos actus: & non potest intelligi ipsa anima intellectiua nisi prius intelligatur ipse intellectus: quia vt diximus in secundo libro, substantia animæ non cognoscitur nisi per potentias suas. ergo singularia sensibilia, actus intelligendi, ipse intellectus, ipsa anima intellectiua, sunt secundaria obiecta intellectus possibilis. patet ergo quid sit obiectum suum, &c.

CAPVT III.

De intellectus possibilis operibus.

IN tertio capite agendum est de operationibus intellectus possibilis. & nota quod sunt tres, scilicet simplicium terminorum, vel incomplexorum intelligentia, compositio, & diuisio, discursus à noto ad ignotum: duæ primæ ponuntur à Philosopho in tertio de ani. tertia ponitur à Philosopho in logica in tota arte noua. Prima dicitur simplicium, id est, incomplexorum terminorum intelligentia. & est quando intellectus simplici intuitu cognoscit naturam rei, vt diffinibilem, puta quando cognoscit hominem, aut lapidem, vt diffinibilia. & hæc est prima operatio intellectus, non enim posset formare propositionem nisi prius aliquo modo cognoscerentur subiectum & prædicatum, qui sunt termini incomplexi. secunda operatio est compositio, & diuisio, & est quando intellectus postquam cognouit terminos incomplexos eos adinuicem componit per propositionem affirmatiuam, vel diuidit per propositionem negatiuam. tertia operatio est discursus, & est quando ex vna propositione nota procedimus ad venandam aliam incognitam: vt ex hac cognita, homo est rationalis, procedimus ad cognitionem huius, homo est admiratiuus. & hæc operatio apud Logicum dicitur ratiocinatio, vel argumentatio, de qua in logicalibus satis actum est.

Inter has operationes hæc præcipuè est differentia, quòd in prima operatione non est veritas, & falsitas per se, sed solùm per accidens. & probatur sic, sicut se habet sensus ad simplicem apprehensionem sui proprij obiecti, ita se habet intellectus ad simplicem apprehensionem rei incomplexæ diffinibilis, sed in apprehensione proprij obiecti in sensu non est veritas, & falsitas, imò non decipitur in cognitione sui proprij obiecti, vt non decipitur visus in cognitione coloris, vt diximus in tractat. de sensi. exte. dummodo organum sit dispositum, & sit debita distantia inter sensum, & suum obiectum. ergo nec est veritas, & falsitas in intellectu in apprehensione rei incomplexæ diffinibilis, imò non decipitur per se in diffinitione rei. Dixi autem non per se, quoniam sicut in sensu potest esse deceptio respectu sensibilis per accidens, vt si ex eo quod video à longinquo corpus coloratum, velim ipsum iudicare esse hominem, vel arborem fortè deciperer. similiter in prima operatione intellectus contingit deceptio dupliciter. primò quando diffinitio huius rei attribuitur alteri, vt si vellem attribuere simiæ, quod sit animal rationale, secundò quando diffinitio formatur ex partibus repugnantibus, vt si vellem adinuicem componere animal, & insensibile. & hæc quidem deceptio prouenit ex eo, quòd via diffiniendi est per diuisionem, & compositionem, vt declaraui in primo tractatu super primo de anima. in secunda verò operatione formatur propositio, quæ semper est vera, vel falsa, quia aut prædicatum conuenit subiecto, aut non; si sic, est vera; si non, est falsa. similiter est veritas & falsitas in tertia operatione, quoniam cùm argumentatio constet ex propositionibus, sicut est veritas, & falsitas in propositione, ita est in ratiocinatione: de veritate, & falsitate quid sit, & quomodo propriè sunt in secunda operatione, vide compendiũ maius super libro Peri-

hermin. istæ tres operationes non conueniunt nisi intellectui humano, qui ex sensibilibus venatur scientiam. intellectus enim angelicus simplici intuitu sine compositione, & diuisione, & sine discursu omnia intelligit. & ideo non potest esse error, vel deceptio, aut falsitas in eorum intellectu; multo minus in intellectu diuino: verùm hæc perscrutare est officium sacri theologi. hic enim in lib. de anima. tantum habemus considerare de operatione intellectus humani, quæ sibi conuenit dum vnitur corpori. Quomodo verò anima postquam est separata à corpore intelligat non est officium physici, sed theologi.

CAPVT IIII.

Possibilis intellectus nomina.

IN 4. cap. perscrutandũ est quot modis denominatur intellectus possibilis, secundum diuersam consideratione, licet sit tantùm vna potentia realiter. vnde notandum est secundum viam Bea. Tho, in prima par. quæst. 79. & magis resolutè in opuscu. de potentiis animæ, quòd intellectus possibilis solet denominari apud Philosophos, & Græcos, & Latinos, ac theologos vndecim modis, qui sunt isti, videlicet primus intellectus potentialis. vel materialis, vel possibilis. secũdus intellectus dispositus. tertius intellectus in habitu, vel memoria. quartus intellectus adeptus, quintus intelligentia. sextus mens. septimus ratio. octauus ratio superior. nonus ratio inferior. decimus intellectus practicus. vndecimus intellectus speculatiuus.

Primò consideratur inquantũ ex natura sua est in potentia ad acquirendam scientiã, & alios habitus intellectuales, creatur enim sicut tabula rasa, in qua nihil est descriptum, & sic dicitur potentialis, id est, potens acquirere scientiam. item dicitur materialis, quia sicut materia ex se nullam habet formam, sed est in potentia ad recipiendum formam, ita intellectus ex se nullã habet scientiam. sed est in potentia ad acquirendum scientiam. & ideo meritò dicitur materialis, potentialis, vel possibilis, id est potens acquirere scientiam.

Secundò consideratur inquantum iam habet principia alicuius scientiæ, sed nondum illam scientiam acquisiuit, vt quando quis iam nouit principia geometriæ, sed nondum scit ex eis deducere conclusiones. & sic dicitur intellectus dispositus, scilicet, ad scientiam acquirendam.

Tertiò consideratur inquantum iam acquisiuit scientiam, sed non actu considerat de ea illam, sicut ille qui acquisiuit logicæ habitum, sed non actu syllogizat. & sic dicitur intellectus in habitu. si verò actu considerat circa scientiam acquisitam dicitur intellectus in actu. similiter dicitur memoria inquantum acquisiuit scientiam, & eã retinet. ac cõseruat. vnde nota q̃ memoria est duplex, scilicet sensitiua, & intellectiua. sensitiua est vltimus sensus interior, & distinguitur realiter à cogit. quia situatur in posteriori parte cerebri. cogitatiua verò est in medio capitis. intellectiua autẽ nõ distinguitur realiter ab intellectu. sed solùm secundũ rationẽ. nam prout acquirit scientiã dicitur intellectus, prout verò sciẽtiã retinet dicitur memoria. & sic patet q̃ memoria intellectiua non est affixa alicui organo corporeo, sicut nec intellectus.

Quartò cõsideratur, secundũ quod acquisiuit omnes scientias humanas, & diuinas, & sic dicitur intellectus adeptus, & tunc apud Philosophos, si quis hominũ talem intellectum haberet diceretur felix. ac diuinus similis Deo, & eius amicus. & de tali loquitur Philosophus in 10. Aethi. dicens, Sapiens videtur esse maximè felix, & deorum amicus.

Quintò consideratur inquantum simplici intuitu non cõponendo, vel diuidendo rem incomplexam cognoscit. & sic dicitur intelligentia. & inde est, quod apud Philosophos substantiæ separatæ dicuntur intelligentiæ, quia vt diximus suprà, sine compositione, ac diuisione, & sine discursu omnia simplici intuitu cognoscunt.

Sextò consideratur inquantũ per intellectionẽ suã metitur singulas res scrutando, quæ prædicata eis conueniant, & quæ non. & sic dicitur mens, vt derluatur à metior metiris. Sed nota, q̃ hæc expositio est impropria, quoniã apud Philosophos, & doctores Græcos, præcipuè Diony. in lib. de cœlesti hierar. mens propriè dicitur natura, quæ est purè intellectualis nullo modo corporea. & sic substantiæ separatæ propriè dicũtur mentes, & Deus dicitur apud græcos prima mens. igitur cùm intellectus humanus sit in anima intellectiua, & ipsa sit vnita corpori, impropriè dicitur mens.

Septimò consideratur inquãtum per argumentationem, & discursum venatur scientiam. & sic dicitur ratio, id est, potentia ratiocinatiua, & discursiua. & hoc solùm competit homini vnde solus homo propriè est rationalis, angelus verò ac Deus non sunt rationales, sed propriè dicũtur intellectuales. Octauo caret.

Nonò cõsideratur inquantũ intẽdit cognoscere hæc inferiora, aut per causas suas, vt patet in mathematicis, aut per effectus magis notos, vt patet in Physicis, vt quando venatur scientiã ex elementis, & elementatis. & sic dicitur ratio inferior quasi rebus inferioribus, ac corruptibilibus intendens.

Decimò consideratur inquantũ quiescit in cognitione veritatis, & eã ordinat ad opus, vt quãdo acquisiuit cognitionẽ de anima quiescit in ea, & sic dicitur intellectus speculatiuus.

Vndecimò consideratur inquantum non quiescit in cognitione veritatis, sed eam ordinat ad opus, vt quando acquisiuit artem ædificandi non quiescit, nisi ædificet gratia lucri, vel alterius commodi. & sic dicitur intellectus practicus. Quomodo verò idem intellectus dicatur conscientia, & sinderesis non est officium physici, sed theologi. Hæc de intellectu possibili sufficiant.

SECVNDA PARS SECVNdi Tractatus in tertium lib. de Anima de intellectu agente in tria capita diuisa.

IN secunda parte huius trac. agendum est de intellectu agente, & diuidimus eũ in tria capita. In primo declaratur, quę fuit necessitas ponendi intellectum agentem vt potentiam distinctam realiter ab intellectu possibili, in quo simul declarabitur, quæ sint operationes suæ.

In secundo diffinietur quid sit intellectus agens.

In tertio conclu detur de mente Philosophi, quòd tota anima intellectiua est immortalis, & incorruptibilis.

CAPVT I.

Quæ fuit necessitas ponendi intellectum agentem.

IN primo cap. declaratur necessitas intellectus agentis, vnde nota quòd res sensibiles materiales, vt lapis, & homo, &c. non eodem modo possunt à sensu sentiri, & ab intellectu possibili intelligi. nam cùm sensus sit potentia organica, & materialis, hæc sensibilia singularia, puta hoc album potest imprimere speciem, & similitudinẽ suam in visu, & sic per se videtur. & sic non oportet quòd ponatur aliquis sensus agens causans speciem sensibilẽ in sensu, sed ad causandam hanc speciem sufficiunt singularia sensibilia corporea, vnde dicuntur sensibilia in actu, quia per seipsa possunt causare speciem, & similitudinẽ in sensu. non sic autẽ possunt ab intellectu intelligi, quoniam cũ intellectus possibilis sit potentia pure specialis non affixa organo, hæc sensibilia singularia puta Socrates, hæc rosa, hic asinus, non possunt causare speciem suã in intellectu, per quã intelligantur, quia nullũ materiale, & corporeũ causat aliquid in re spirituali. & ideo vt hæc sensibilia intelligãtur ponitur intellectus agẽs, cuius operatio est causare speciem intelligibilem in intellectu possibili, per quã hæc sensibilia materialia intelliguntur. Quomodo autẽ hãc speciẽ causet, sic accipe, res sensibilis singularis, puta hæc rosa causat suã speciẽ in visu inquantũ est colorata, & sic figurata: hæc species transmittitur à visu ad sensum cõmune, & à sensu cõmuni ad phantasiã & ibi conseruatur, & quãdo est in phantasia dicitur phantasma: hoc igitur phantasma rosæ repręsentat rosam, quo ad suas conditiones indiuiduales puta inquantũ est sic colorata. & talis figuræ, & talis odoris, & in tali situ, &c. intellectus verò agens est quoddam lumen, & illustrat hoc phantasma, & denudat illud ab omnibus conditionibus materialibus, & indiuiduantibus, & ex phantasmate rosæ sic illustrato causatur ab intellectu agente species intelligibilis rosæ purè spiritualis, non amplius repræsentans rosam, quo ad sua accidentia, sed quo ad suam substantiam, non inquantum est hæc, vel hæc rosa, sed inquantum rosa in vniuersali, & sic de rosa vniuersali, & non singulari habetur scientia. hæc igitur species, quæ non potest causari à re sensibili materiali. sed ab intellectu agẽte illustrante phantasmata, reponitur in intellectu possibili, & per eã fiunt res intelligibiles actu, quæ per seipsas erãt intelligibiles in potẽtia. patet ergo q̃ necessitas ponendi intellectum agentem fuit, vt ipse res sensibiles materiales fierent intelligibiles actu, quæ secundum se sunt intelligibiles solùm in potentia. & eius operatio est per illustrationem phantasmatũ causare speciẽ intelligibilem in intellectu possibili, quæ tanquã per mediũ res sensibilis intelligitur, sicut per speciẽ coloris causatam in oculo color videtur. & nota q̃ hic intellectus agens non est in substantiis separatis. non enim venantur scientiam ex sensibus, nec ex phanta. sed in suo intellectu cõcreatas habent omnẽ rerum

rerum species intelligibiles, per quas limpidè, & sine errore, ac discursu singula intelligunt, sed hæc subtilius considerare est officium Theologi.

CAP II. *Intellectus agens quid sit.*

IN secundo capite ponenda est diffinitio intellectus agentis, quæ est hæc, vt elicitur ex libro tertio de Anima. intellectus agens est potentia animæ immixta, id est, non composita ex naturis corporeis separata ab omni organo corporeo existens actu, secundum substantiam suam. primo dicitur immixta, & separata ab organo corporeo, quòd probatur sic. intellectus possibilis non est compositus ex rebus corporeis, nec affixus organo, vt declaratum est ex sua diffinitio. ergo nec intellectus agens, probatur consequentia, quia intellectus agens est nobilior intellectu possibili. cùm omne agens sit nobilius patiente. ergo si intellectus possibilis est non compositus ex rebus corporeis, nec affixus organo, multo minus intellectus agens. dicitur secundo existens actu secundum substantiam suam. & per hanc particulam distinguitur ab intellectu possibili, qui est in potentia secundum substantiam: quod quidem potest intelligi dupliciter. primò quod sit ens in pura potentia, sicut materia prima, & hoc est falsum, quia intellectus possibilis est potentia animæ, & est in secunda specie qualitatis, ergo habet esse actu, & non solũ in potentia. secundo quod sit ens in potentia in genere intelligibilium, quia scilicet per se nihil potest intelligere, nisi inquantum recipit species intelligibiles ab intellectu agente. & sic verum est, quod est in potentia secundum substantiam, id est, secundum naturam suam, & per oppositum intellectus agens est in actu secũdum naturam suã, nõ quidẽ quod habeat in seipso res intelligibiles actu, sed quia est potentia immaterialis actiua potens per illustrationẽ phantasmatũ res sensibiles materiales facere intelligibiles actu, cùm secundũ se sint intelligibiles solùm in potentia, vnde sicut lumen facit colores visibiles actu illustrãdo aẽrẽ tenebrosum, ita intellectus agẽs facit res materiales intelligibiles actu illustrãdo phãtasmata cõseruata in phãtasia.

CAPVT III.

Quòd anima intellectiua est immortalis: & quorumdam dubitatorum solutio.

IN tertio capite probandum est, secundum Philosophum quòd anima intellectiua est incorruptibilis. & primò ratione, secundò auctoritate. ratio est hæc, dictum est in procemio libri de Anima, quòd si animæ sit aliqua propria potentia, quæ sit solius animæ non affixa organo, & sit aliqua propria operatio ipsius animæ, quę non expleatur per organum, tunc contingit ipsam separari à corpore, sicut res perpetua à corruptibili. sed cõclusum est in præsenti trac. quod intellectus possibilis, & agens sunt potentiæ solius animæ, & non sunt affixæ organis, & intelligere est operatio propria ipsius animæ, quia expletur sine organo, causatur enim intelligere ab ipso intellectu non organico. ergo contingit animam intellectiuam separari à corpore, sicut res perpetua à corruptibili corpore. secundò probatur auctoritate Philosophi in tertio de anima. vbi postquam determinauit de intellectu possibili, & agẽte, quæ sunt potentiæ solius animæ intellectiuæ, sic inquit, Separatus est autem, scilicet intellectus, & perpetuus, & immortalis, & incorruptibilis, & illic accipit intellectum pro tota anima intellectiua, secundum expositionem B.T. idem habetur à Philosopho 12. Met. vbi comparans formam ad materiam inquit. nulla forma præcedit materiam suam, vtrum sequatur nihil prohibet, non omnis quidem, sed intellectus: tunc sic, intellectus, id est, anima intellectiua sequitur, id est, remanet post materiam suam, sed materia animę est corpus, in quo recipitur anima. ergo anima post corpus remanet: & sic est incorruptibilis, patet ergo secũdũ verã Philosophiam, q̃ anima intellectiua est immortalis. Hæc de intellectũ agẽte sufficiãt.

Postremò soluenda sunt 3. dubia, quæ accidunt circa prædicta. primum est, quomodo sit intelligendũ, quòd intellectus possibilis sit separatus ab omni organo corporeo, & immixtus. secundum est vtrum intellectus agens sit potentia animæ, an sit substantia separata. tertiũ est vtrũ sit verum, quod actio intellectus, quę est intelligere expleatur sine organo corporeo.

Circa primũ est duplex opinio. prima est maledicti Auer. qui in 3. de anima, com. 5. tenet quòd intellectus sumendo intellectum pro tota anima intellectiua sit separatus ab organo corporeo, id est extra omne corpus humanum, sicut substantia separata penitus incorporea, vnitur tamẽ cuilibet hominum, sicut principium, & causa intelligẽdi in ipso homine, sicut intelligentia copulatur cœlo in 8. Phy. sicut principium, & causa mouendi ipsum cœlum. ad hanc suam opinionem tria corollaria sequebantur. primum est, quòd anima intellectiua nõ est forma substantialis hominis, sicut nẽ cinteligentia est forma cœli, sed solùm est principium operandi in homine, non respectu cuiuscunque operationis, sed solùm respectu actus intelligendi, & secundum eum diffinitio data de anima in 2. li. qua dicitur quod est actus corporis Physici nõ conuenit animæ intellectiuæ, nisi quasi æquiuocè. & quãdo quærebatur ab Auer. per quid differt homo ab asino, si anima intellectiua non est forma hominis. respondebat, quòd differt ab animalibus brutis per sensitiuam animam, & cogitatiuam potentiam, quæ est in solo homine. vnde concedebat quod totus homo est corruptibilis, & secundum corpus, & secundum formam, quæ secundum ipsam est anima sensitiua. secundum corollarium est, quòd tantùm vna est anima intellectiua. & per cõsequens est tantum vnus intellectus, per quem omnes homines intelligunt, & hoc sic sequi arbitrabatur. Anima intellectiua secundum eum est substantia separata, sed in substantiis separatis sub vna specie est tãtùm vnum indiuiduum, quia cùm substantiæ separatæ sint incorruptibiles species sua potest conseruari, & perpetuari in vno indiuiduo. ergo cum anima intellectiua sit substantia separata secundum eum est tantum vna omniũ hominũ. tertiũ corollariũ est, quòd anima intellectiua est immortalis. nã bene sequitur, anima intellectiua secundũ ipsum est substãtia separata. ergo est immortalis. oĩs enim substantia separata est immaterialis, & incorruptibilis, causa enim corruptionis est materia, vt patet in 8. Meta.

Secunda opinio est B.T. & omnium Philosophorum rectè sentientium, quòd anima intellectiua non est substantia separata, sed est forma substantialis hominis, & multiplicatur secundum quod multiplicantur homines, & tamen est incorruptibilis: & primò quod sit forma hominis, probatur sic, secundum Philosophum, principiũ quo homo intelligit est forma, & actus substantialis hominis sicut principium quo vegetatur, & sentit, & mouetur secundum locum, hanc propositionẽ posuit Philosophus in 2. li. de Anima, quando assignauit secundam diffinitionem de anima. sed anima intellectiua est principiũ, quo homo intelligit, vt patet: ergo anima intellectiua est forma substantialis hominis. & sic sequitur quod nõ est substantia separata, quia nulla substantia separata est forma recepta in materia. Præterea secundum Philosophum in 8. Metap. differentia specifica sumitur à forma substantiali, sed rationale est differentia specifica hominis. ergo sumitur à forma hominis. sed rationale sumitur ab anima intellectiua. est enim homo rationalis inquantum est intellectiuus. ergo anima intellectiua est forma hominis, ex quo sequitur secundum eos, quòd non sit tantum vna anima intellectiua, quod probatur sic, nulla forma potest simul informare plures materias, quia quęlibet forma est in sua determinata materia, sed anima intellectiua est forma, vt probatum est. ergo non potest vna existens informare plures materias, id est, plura corpora humana, sed necesse est, quòd sicut multiplicantur corpora hominum per generationẽ, ita multiplicentur animæ per creationem. tenendum est ergo secundum rectam Philosophiam, quòd anima intellectiua est forma cuiuslibet hominis. & quot sunt animæ tot sunt homines, vel fuerunt homines. & quando dicit Philosophus, quòd intellectus est separatus ab omni organo corporeo, non est intelligendum quòd sit extra corpus humanum, vt chimærizat Auerro. sed quia non est affixus organo corporeo ad differentiam sensuum.

Circa secundum dubium, vtrum intellectus agens sit potentia animæ, ibi est duplex opinio. prima est Auic. in 5. nat. & in li. 9. suæ Meta. qui imaginatur, quòd sit substantia separata, & tantùm vna, quam vocat intelligentiam agentem, cuius tria sunt officia, secundum ipsum. primũ est, quòd hæc intelligentia præsidet elementis, & elementatis mouendo, & alterando ea, sicut intelligentiæ superiores mouent corpora cœlestia. & propter hoc Auicen. vocat eam dominam orbis inferioris. vel terreni. secundum officium est, quòd ipsa creat omnes formas introducendas in materia, dicit enim quod agentia particularia solùm disponunt materiam. illa verò intelligentia creat formas, puta asinus generãs disponit materiam, id est, corpus, & illa creat animã asini, sic ignis disponit solùm ligna, & illa creat formam ignis introducendam: & propter hoc vocatur ab Auic. dator formarum. tertium officium est, quòd ipsa vna existens habet illuminare phantasmata, quæ sunt in phantasia omnium hominum, & formare species intelligibiles in intellectu possibili, per quas intelligit, sicut vnus Sol habet illuminare totum vniuersum, cuius illuminatione omnes oculi videre possunt, & sentire colores, & propter hoc officium vocatur ab Auicen. intellectus agens.

Secunda est opinio B.Tho. & omnium com. Arist. rectè sentient

tientium qui tenent secundum Philosophum, quòd non est subsistantia separata, sed est potentia, quæ est subiectiuè in essentia animæ intellectiuæ, & probatur sic ex dicto Philosophi in tertio de anima. vbi inquit, in anima necesse est ponere has duas differentias, scilicet hos duos intellectus, possibilem, & agentem. ergo si est in anima non est substantia separata. præterea natura sufficienter instituit hominem, vt habeat omnia principia in se, quibus possit actionem suam, quæ est intelligere exercere, sed principia intelligendi sunt intellectus possibilis, & intellectus agens. ergo isti duo intellectus sunt in homine. & sic falsum est, quòd sint substantiæ separatæ. vnde opi. Aui. non sustinetur, nec illa tria officia sunt vera, nec ea probat, sed ea in sua metaphysica adducit quasi vt plures loquens extra philosophiam.

Circa tertium dubium, vtrum actus intelligendi exercetur sine organo, arguitur q̃ non, sic, non exercetur sine phantasia. ergo non exercetur sine organo. probatur consequentia quia phantasia est affixa organo, vt diximus in tracta. de sen. interio. Antecedens verò probatur secundum philosophum in tertio de anima, intelligentem necesse est phantasmata speculari, sed phantasma est in phantasia. ergo actus intelligendi non exercetur sine phantasia. item inquit Aristo. quòd intelligere corrumpitur quodam principio interiori, id est, phantasia corrupta, vt patet in stultis, qui quoniam habent læsum organum phantasiæ non habẽt actum intellectus, sed viuunt, & operantur. vt bestiæ: ergo si intelligere impeditur per corruptionem phantasiæ non exercetur sine phantasia.

Ad hoc dubium respondetur secundum viam Bea. Tho. q̃ licet non exerceatur sine phantasia. non tamen requiritur phantasia, vt quoddam organum, per quod intellectus expleat actum intelligendi, sed solum vt potentia præparans obiectum ipsi intellectui. vnde nota quòd sentire in hoc differt ab actu intelligendi, quoniam in sentire requiritur obiectum materiale, puta odor, sapor, &c. & requiritur organum cui est affixus sensus. & per quod expletur ipsum sentire. in actu verò intelligendi, donec anima est vnita corpori requiritur solum obiectum materiale, quæ sunt ipsa phantasmata recepta in phantasia, ex quibus intellectus agens elicit speciem intelligibilem per illustrationem, vt dictum est suprà. non autem est necesse, quòd sit aliquod organum, cui sit affixus intellectus, sed potest per seipsum præsuppositis phantasmatibus in phantasia explere actum intelligendi.

Dicitur ergo ad dubium. quòd actus intelligendi excercetur sine organo, & quando sit instãtia de phantasia. dico quòd non requiritur phantasia tanquam organum, sed tãquam potentia præuia præparans materiam intellectui. id est, ipsa phãtasmata. ex quibus extrahitur species intelligibilis. hic est modus intelligendi animæ intellectiuæ pro hac mortali vita. quomodo verò separata intelligat, cum in morte corrumpantur phantasia. & phantasmata est officium theologi. Hæc de intellectu sufficiant.

TRACTATVS TERTIVS
super tertio libro de anima, de potentia appetitiua ac secundum locum motiua, in tria capita diuisus.

IN hoc tertio tract. agendum est de potentia appetitiua, & de motiua secundum locum, & diuidemus ipsum in duas partes principales. In prima agitur de potentia appetitiua, & diuidimus eam in tria capita.

In primo declarandum est quotuplex est appetitus.

In secundo agitur de appetitu intellectiuo. qui dicitur voluntas, & liberum arbitrium.

In tertio agitur de appetitu sensitiuo, qui dicitur irascibilis, & concupiscibilis.

CAPVT I.
Quotuplex sit in homine præcipuè, appetitus.

IN 1. cap. declarandum est quotuplex est appetitus præcipuè in homine. vnde nota quòd est duplex secundũ Philosophum in 3. de anima. & in 1. Aethi. scilicet appetitus intellectiuus, qui dicitur voluntas, & appetitus sensitiuus, qui diuiditur in irascibilem, & concupiscibilem. cuius diuisionis est hæc sufficiẽtia. omnis appetitus prosequitur aliquod bonum cognitum, vel fugit malum cognitum, sed bonum & malum cognoscitur, aut per intellectum, aut per sensum. si cognoscitur per intellectum, sic ipsum prosequitur, vel fugit appetitus intellectiuus, id est voluntas, puta cognosco iustitiam per intellectum, vt bonam, & tunc prosequor eam voluntate affectans eam habere; & cognosco iniustitiam per intellectum, vt malam, & tunc fugio eam voluntate respuens eam habere: si cognoscitur per sensum, sic ipsum prosequitur, vel fugit appetitus sensitiuus, puta cogitatiua cognoscit, quòd Socrates est amicus meus & tunc appetitus sensitiuus prosequitur eum, ac diligit, & cognoscit quòd Plato est inimicus meus & tunc appetitus sensitiuus odit eum, & fugit. sed nota quòd appetitus intellectiuus inter omnia animalia est in solo homine. cùm enim sequatur cognitionẽ intellectus, & in solo homine inter omnia animalia sit intellectus, etiam in ipso solo est appetitus intellectiuus, in aliis verò animalibus perfectis est solum appetitus sensitiuus, in animalibus verò imperfectis, vt in conchilia non est appetitus sensitiuus, nisi indeterminatè, & valde imperfectè. carent enim omni sensu interiori, cuius apprehensionem prosequitur, vel fugit appetitus sensitiuus, præcipuè autem prosequitur apprehensionem phantasiæ. & extimatiuæ, vt dicemus infrà. cũ igitur animalia imperfecta non habeant phantasiã, nec extimatiuam. ergo nec habent sensitiuum appetitum, nisi impropriè, vt dicam in solutione argumẽn. Hæc de primo cap. sufficiant.

CAPVT II.
De Appetitu intellectiuo, id est voluntate.

IN secundo cap. agendum est de appetitu intellectiuo, qui dicitur voluntas, de quo dicentur quinque.

Primò de obiecto suo. Secundo à quo mouetur ad appetẽdũ. Tertiò si est affixus organo corporeo. Quartò quomodo differt à libero arbitrio. & ibi ponetur vtriusque diffinitio. Quintò in quot entibus inuenitur hic appetitus.

Circa primum dico, q̃ bonum sumptum transcendentem, & in vniuersali est obiectum voluntatis, sub quo continetur bonum increatum, vt deus, & bonum creatum, vt perfectiones, quæ sunt in creaturis. hæc enim bona apta nata sunt prosequi, & desiderari à voluntate, & probatur sic, illud bonum est obiectum voluntatis, quod cognoscitur per intellectum. dictum est enim in 1. cap. quòd appetitus intellectiuus prosequitur bonum cognitum per intellectum, sed bonum transcendens, & in vniuersali cognoscitur ab intelligibili. in hoc enim distinguitur à sensu, qui cognoscit hoc, vel hoc bonum in particulari. ergo bonum transcendentem, & in vniuersali est obiectum voluntatis.

Circa secundum dico q̃ voluntas est ex se, vt cæca, nec ex se aliquod bonum cognoscit, cùm non sit potentia cognoscitiua, sed desideratiua. & ideo est necesse q̃ moueatur, & prouocetur ad appetendum ab aliqua potentia cognoscente bonum. potentia autem cognoscens bonum est duplex, scilicet, intellectus, & phantasia simul cum cogitatiua in homine, in brutis verò est solũ phantasia cum extimatiua. dico igitur q̃ secundũ ordinem naturę voluntas mouetur ab intellẽtu cognoscente bonũ. & præsentãte ipsum voluntati: verò gratia, intellectus cognoscit q̃ philosophia est bona, & tunc ipsam philosophiã sic cognitã intellectus præsentat voluntati, & voluntas eligit eã, & affectat eã, ideo præcipit homini, vt studeat in philosophia, aliquãdo tamen voluntas mouetur à phantasia, & cogitatiua, sed nõ secundũ rectũ ordinẽ, vt declarabo quãdo loquemur de potẽtia motiua, sufficit pro nũc q̃ per se, & secũdũ rectũ ordinẽ mouetur ab intellectu, vel à bono cognito in vniuersali præsentato voluntati per intellectũ.

Circa tertium dico, q̃ voluntas non est affixa alicui organo corporeo, sicut nec intellectus, & probatur sic, omnis potentia organica est determinata ad vnum genus entium, sicut potentia visiua cognoscit solum visibile, & auditus soles sonos, sed voluntas non est determinata ad prosequendum, vel volendũ solum vnũ genus boni, imò quodcunque bonum potest velle, siue increatum, siue creatũ, cùm omnia hæc continẽtur sub bono vniuersali. quod est eius obiectũ. ergo voluntas non est potentia org. est tamen subiectiuè in essentia animæ intellectiuæ, sicut sua propria potentia. vnde solet dici q̃ tres sunt potentiæ propriæ animæ intellectiuæ, scilicet, intellectus, memoria, & voluntas, sumendo memoriam pro memoria intellectiua, licet vt diximus in trac. de intellectu secundum Bea. Tho. non distinguatur realiter ab intellectu, sed solùm secundum rationem.

Circa 4. dico secundum Bea. Tho. in 1. par. q. 83. art. 4. q̃ sicut distinguuntur intellectus, & ratio, ita distinguuntur voluntas, & liberum arbitrium, sed vt dictum est in trac. de intellectu, intellectus & ratio non distinguuntur realiter, sed solùm secundum rationem. nam eadem potentia intellectiua, secundũ quod intelligit incõplexè simplici intuitu dicitur intellectus, secundũ verò quod ex vno cognito inuestigat aliud in cognitũ discursu, & argumentatione dicitur ratio. sic in proposito per appetitũ intellectiuũ possumus velle finẽ, & media, per quæ acquirimus talem finem, puta Socrates infirmus per appetitum intellectiuum potest velle sanitatem, & media per quæ acquiret sanitatem: in quantum vult sanitatem vt finem, appetitus eius intellectiuus dicitur voluntas, vnde sic diffinitur, voluntas est potentia non affixa organo, quia volumus finem creatũ, vel increatum cognitum per intellectũ, inquãtum verò vult media, per quæ acquiritur sanitas dicitur liberum arbitrium. est enim in potestate infirmi liberè eligere diætam, per quam acquirat sanitatem, vel exercitium, & non eligere diætam, vel medicinam, vt exercitium, inquantũ ergo est in libertate nostra tale, vel tale medium eligere, dicitur voluntas liberum arbitrium. vnde sic diffinitur ab Herueo in 1. Quoli. quæst. 1. Liberum arbitrium est principium, id est, potentia, qua possumus velle aliquod bonum, & eius oppositum contrariæ, vel contradictoriæ, puta per liberum arbitrium Socrates infirmus potest velle medicinam amaram, potest etiam velle medicinam dulcẽ, quæ est contraria amarę. & potest etiam nolle medicinã, & velle medicinam, quæ sunt contradictoria, non quidem simul potest velle contradictoria, sed diuisim hoc, vel illud contradictorium, & in hoc stat libertas nostra, quæ non reperitur in brutis. necessariò enim bruta operantur ducta naturali instinctu, & non possunt in oppositum. quomodo verò liberum arbitrium non subiiciatur corporibus cœlestibus, nec alicui creaturæ, sed soli conditori deo est officium Theologi.

Circa quintum dico, quòd inuenitur in deo, in angelis, in dæmone, in homine, non autem in brutis. & probatur sic, in deo, in angelis, & dæmone, & homine est intellectus. ergo est voluntas. probatur consequentia, vbi est intellectus ibi est bonum cognitum per intellectum, vbi est bonum cognitum per intellectum, ibi est inclinatio ad ipsum bonum consequendũ, si non habetur, si autem possidetur à cognoscente ipsum, ibi est quies, quæ dicitur delectatio in bono possesso, sed inclinaria consequendum bonum cognitum per intellectum, vel delectari in ipso habito est officium voluntatis. ergo cum in deo, angelis, dæmone, & homine sit intellectus, etiam est voluntas. præterea inquit Aui. in 9. suæ Met. deus cognoscens, ac intellectu comprehendens bonitatem suam est maximus sui amator, & seipso summè delectatur. nota tamen, quòd amor quo voluntas amat, & desiderium quo affectat, & delectatio qua quiescit in bono possesso, non sunt passiones propriè dictæ, quia vt dicemus in ca. seq. omnes passiones sunt in potentia organica, sed voluntas non est orga. ergo in ea non sunt vę passiones. amat igitur voluntas amore purè spirituali, qui non est passio, sic desiderat, sic sperat, &c. Hæc de voluntate sufficiant. altiora autem quærere est officium Theologi.

CAPVT III.
De irascibili & concupiscibili, & earum passionibus.

IN tertio capite agendum est de appe. sensi. diuiditur autem in irascibilem, & concupiscibilem. de quo dicemus tria. primò quod sit obiectum vtriusque, & ex hoc declarabitur, quomodo abinuicem distinguuntur irascibilis, & concupiscibilis. secundò quæ passiones ponantur in eis tertiò quod est organum. cui appetitus sensitiuus est affixus.

Circa primum nota, quòd bonum cognitum particulare, puta hic liber, hic thesaurus per phanta. & cog. in homine, vel cognitum per phant. ac exti. in bruto est obiectum appetitus sensitiui. vnde sicut intellectus cognoscens bonum in vniuersali, & præsentans ipsum voluntati mouet, & incitat voluntatem ad appetẽdum tale bonum, sic phan. ac cog. cognoscens bonum particulare, & præsentans ipsum appe. sens. mouet, & incitat eum ad appetendum tale bonum, quod qualiter fiat, dicam in ca. de potẽtia mot. sed quomodo bonum cognitum per sensum fit obiectum irasc. & concu. secundum diuersam rationem, hic aduerte. bonum cognitum per sensum dupliciter consideratur. primò inquantum est delectabile conueniens ipsi animali, & sic est obiectum concu. secundo inquãtum est arduum, & cum difficultate acquiritur propter aliqua nocua, & impedientia ipsum acquiri. & sic est obiectum irascibilis. & quoniã potentiæ distinguuntur secundum obiecta, hinc manifestè apparet quòd concupiscibilis distinguitur realiter ab irascibili. concupiscibilis enim versatur circa bonum delectabile secũdum sensum. irascibilis verò versatur circa bonum arduũ, & cum difficultate acquisibile. vnde dicitur quòd concupiscibilis defensatur ab irascibili. & hoc declaratur tali exemplo, Canis errans per domum inuenit panem, panis inuentus præsentatur statim à phantasia, & extimatiua ipsi concupiscibili, vt cibus delectabilis, & conueniens naturæ suæ, & tũc statim rapit panem, & incipit comedere, si dum comedit aliquis homo, aut alius canis velit ab eo eripere panem, tunc irascibilis insurgit, & incipit se defendere, ne ab eo auferatur panis, aut fugiendo, aut latrando, aut morsu. ecce quòd irascibilis habet expellere nocumenta, vt concupiscibilis sine difficultate possideat bonum delectabile, & vtile ipsi animali.

Circa secundum nota, quòd natura prouida quasdam passiones inseruit in concupiscibili, & irascibili, per quas tanquã per famulas operantur circa bonum, & malum cognitum per sensum, & sunt vndecim: sex in concupiscibili, & quinque in irascibili. & sic ordinantur, vt patet in figura ibi.

In concupiscibili.	Amor.	Desiderium.	Delectatio.
	Odium.	Fuga.	Tristitia.
In irascibili.	Spes.	Timor.	Ira
	Desperatio.	Audacia.	

Sufficientiam harum passionum perstrinxi in compendio, quod ordinaui super duos libros Aethi. verùm scio, quòd perpauci illud habent. Ne igitur tractatus præsens diminutus remaneat, hic eam repeto secundum sententiam Beati Thomæ in prima secundæ, quæstio. vigesimo tertia, articulo quarto.

In concupiscibili sunt 6. cuius ratio est, bonum sensibile cognitum per sensum, cùm præsentatur concupiscibili tria causat. similiter malum præsentatum tria causat. primò cùm bonum præsentatur concupiscibili causat in ea quandam complacentiam, & hæc complacentia dicitur amor, per oppositũ, quando malum præsentatur concupiscibili causat in ea displicentiam, quæ dicitur odium, sumendo odium non pro ira inueterata, sed pro displicentia mali, secundò si bonum complacens, etiam amatum nõ est acquisitum ab ipso appetente excitat, & mouet ipsum concupiscibilem ad consequendum illud: & hic motus vel excitatio dicitur desiderium: malum verò iam displicens mouet cõcupiscibilem vt fugiat vel renuat ipsum: & hic motus dicitur fuga. tertiò bonum iam amatũ & desideratum si acquiritur ab appetente causat in cõcupiscibili quietẽ: & hæc quies est delectatio: sic enim diffinitur. Delectatio est quies in bono iam adepto & possesso: malũ verò displicens & quod renuitur ab appetente: si ei euenìat causat in cõcupiscibili tristitiã, quę est quędã inquietudo appetitus causata ex malo, quod iã euenit: patet igitur quomodo sunt 6. passiones in concupiscibili 3. respectu mali, odium, fuga, tristitia.

In irascibili sunt 5. quarum ratio est, si bonum desideratum est difficile ad acquirendum: & tamẽ aliquod medium nobis occurrat, per quod cognoscamus ipsum bonum posse acquiri sperator ipsum posse acquiri: & sic in irascibili causatur spes. si autem nullum medium nobis occurrat per quod cognoscamus ipsum bonũ posse acquiri desperamus illud posse acquiri, & sic in irascibili causatur desperatio: istę duę passiones iam dictæ correspondent desiderio: similiter ex parte mali quod affectamus fugere & vitare, si medium aliquod non statim nobis occurrat, quo cognoscamus ipsum posse vitare timemus, & sic in irascibili causatur timor, si autem medium statim occurrat audemus, & sic causatur in irascibili audacia: istę duæ passiones correspondent fugæ. quinta passio est ira, quę correspondet tristitiæ. nam ille, cui malum accidit, puta vulneratio, tristatur, & quærit quomodo potest illud à se depellere saltem reddendo malum ipsi inferenti malum per vindictam, & sic ex malo illato causatur in irascibili appetitus vindictæ, qui dicitur ira: istæ sunt 5. passiones irascibilis. Si autem quæras quare nulla est passio in irascibili correspondẽs amori & odio & delectationi. Respondeo quòd in irascibili nulla ponitur passio nisi vbi est difficultas acquirendi bonum vel vitandi & repellẽdi malum. in amore autem & odio nulla est difficultas, præsentato enim bono cõcupiscibili, & presentato malo possimus liberè amare bonum & odisse malum. difficultas autem est in consequendo rem amatam & fugiendo odiosam ne eueniat, similiter nulla est difficultas quiescere in bono acquisito & iam possesso, & sic delectari in eo. difficultas autem est in liberari à malo iam illato, & ideo circa dele. nulla ponitur passio in irascibili sicut nec circa amorem, nec circa odium: & pono hic figuram, qua patet quæ passiones irascibilis correspondeant passionibus concupiscibilis.

eis nulla correspondet	amor	spes desperatio desideriũ	ei nulla cor. delectatio
	odium	Figura	Tristitia
		timor audacia	Ira.

Circa tertium dico quod organum suum est cor, quòd declaratur ex effectibus variis quos prædictæ passiones causant in corde. nam ex delectatione cor delectatur, ex tristitia constringitur, ex ira feruet, ex prolongata spe languet. Hos effectus

ctus clarè cognoscimus. Aliæ verò passiones licet non ita manifestę, tamen cor transmutant: vnde sic diffinitur passio quæ est in appetitu sensitiuo. Passio est motus potentiæ appetitiuæ sensitiuæ secundum præsentationem boni vel mali cogniti per sensum cum transmutatione cordis, est ergo hic appetitus potentia organica, & quia organica ideo corruptibilis in morte sicut omnes alij sensus, &c.

SECVNDA PARS TRACTATUS de potentia appetitiua & motiua secundum locum, in quatuor capita diuisa.

Locuturi de potentia motiua secundum locum distinguimus eam in 4. cap.

In primo ponitur distin. de potētia motiua.
In 2. agitur de potentia motiua directiua.
In 3. agitur de potentia imperatiua motiua.
In 4. agitur de potentia executiua motiua, & ibi declarabitur cui organo est affixa.

CAPVT I.

Potentiæ motiuæ distinctio ponitur.

IN 1. cap. ponitur hæc dist. Potentia motiua in animali est duplex. prima est dilatatiua & constrictiua, & hæc est in animalibus imperfectis, vt in ostreis & conchilijs, quæ licet non moueantur nec discedant à loco in quo generata sunt, nisi fortè ferantur impetu aquæ sicut etiam defertur lapis in fundo fluminis decurrentis, tamen in loco suæ generationis aliquando dilatant se, vt cùm suscipiunt nutrimentum suum. & tunc occupant maiorem locum, & aliquando constringūt se, vt cùm sentiunt aliquod nociuum, & tunc occupant minorem locum. Idem patet in cauda lacertę decisa: vt declaraui suprà in 2. lib. sed de hac potentia sic motiua non plura loquor. est enim propositum Philosophi loqui de potentia motiua quæ est in animalibus perfectis, quæ mouētur ad locum distantem aut propter necessaria vitæ, vt, scilicet quærant sibi cibum, aut propter delectabilia, siue moueantur progrediendo, vt animalia terrestria habentia pedes, siue natando, vt aquatica: siue reptando, vt vermes, & serpentes, siue volando, vt volatilia. secunda est quæ est in animalibus perfectis. hæc igitur potētia motiua in animalibus perfectis est triplex. prima dicitur potentia motiua directiua. secunda dicitur potentia motiua imperatiua. tertia dicitur potentia motiua executiua.

CAPVT II.

De triplici potentia directiua in homine & in brutis.

IN 2. cap. agendum est de pot. mot. direc. Vnde nota quòd omnis potentia animæ, quæ præsentat bonum cognitum vel malum appetitui siue intellectiuo, siue sensitiuo dicitur potentia motiua directiua vel incitatiua ipsius appetitus: & hoc quidem alio modo est in homine: & alio modo est in bruto. nam in homine 3. sunt potentiæ motiuæ directiuæ vel incitatiuæ appetitus. prima est intellectus in quantum practicus, nam intellectus practicus cognoscens quòd omne bonum est operandum: & q̄ nunc orare Deum est bonum. præsentat hoc bonum cognitum voluntati: ex qua præsentatione dirigitur & incitatur voluntas ad acceptandum conclusionem: quæ est hæc. nunc orandus est Deus: & sic volo ipsum orare. Dixi autem intellectus practicus: quia intellectus inquantum speculatiuus cùm contentetur in speculatione veritatis non dirigit voluntatem ad aliquid operandum: licet enim speculer se Iem moueri sub zodiaco: ex hoc non excitatur voluntas mea, velim circa ipsum solem aliquid operari. secunda potentia motiua directiua est phantasia: & tertia est cogitatiua: ná phantasia recipiens speciē sensatā à sensu communi: si hæc species apparet de corā præsentat eā concupiscibili: & tunc excitat concupiscibilē in amorem rei cuius est decora species, si autē species sensata deformis apparet: cōcupiscibilis respuit rem cuius est species deformis. similiter si gustus transmittit speciem delicati cibi ad sensum communem, & inde ad phantasiam, phantasia præsentat eā concupiscibili: & tunc amat talem cibum: affectátque habere illum. tertia est cogitatiua. nam cogitatiua eliciens intentionem amicitiæ vel inimicitiæ ex specie conseruata in phantasia: & præsentans tales intentiones ipsi concupiscibili, excitat eam ad amādum vel odiēdum: verbi gratia, video Socratē cōpatientem mihi in tribulatione mea, & auxiliantem: species huius actus conseruatur in phantasia mea, & ex tali specie cogita. cōprehēditur q̄ Socrates est mihi beneuolus, quā beneuolentiā præsentat concupiscibili, & tunc mouetur ad rearmandū Socratē. si autē ex alio actu cōprehendat inimicitiā, & præsentet concupiscibili mouetur ad odiū. patet ergo quomodo in homine potentiæ motiuæ directiuæ siue respectu boni, siue respectu mali sunt intellectus practicus, phantasia, & cogitatiua. Sed nota q̄ intellectus secūdum se semper mouet rectò ordine præsentando voluntati id quod est verè bonum & verè malum. phantasia autem & cogitatiua pluries mouet appetitum sensitiuū cum errore præsentans id quod non est verè bonum, sed apparens bonum. & id quod non est verè malum, sed apparēs malū, & hæc est radix peccati: verbi gratia, phantasia præsentat febricitāti potū aquæ frigidæ vt bonum, eo quia sitit, & tamen non est verè bonum: si enim biberet, febris magis inualescit, & cogitatiua præsentat speciem inimicitiæ, quam elicit ex leuissimo actu alicuius amici, qui forte in aliquo leui offendit: præsentat dico sub ratione mali, & tamen non est verè malum. Omitto q̄ phantasia & cogitatiua gent species boni & mali & diminuunt magis quàm sint in veritate, puta id quod remisè est pulchum. phantasia iudicat summè pulchrum, & econuerso, & sicut iudicat sic præsentat concupiscibili, & cogitatiua aliquando iudicat eum qui me parum diligit esse magnum mei amicum, & econuerso, & hæc est causa q̄ concupiscibilis & irascibilis plerunque illuduntur & excitantur ad amandum id quod non est amandum, & excitātur ad timendum quod non est timendum. in brutis autem potentia motiua directiua est phantasia, & extimatiua, quæ eodem modo mouent & dirigunt sicut in homine exemplificatum est, sed differentia est in hoc q̄ cogitatiua mouet cum aliquo discursu, sed extimatiua solo instinctu naturæ, vt declaraui in tract. de sensi. interio. Hæc sufficiant de potētia motiua directiua tā in homine quā in bruto.

CAPVT III.

De potentia imperatiua tam in brutis quam in homine.

IN tertio cap. agendum est de potētia motiua imperatiua, & primò in homine, secundò in bruto. In homine dico secundum Philosophum q̄ hæc potentia est triplex. prima est voluntas, quæ postquā assensit intellectui practico præsentanti sibi tale bonum esse agendum vel tale malum esse fugiendum, imperat potentiis executiuis, de quibus dicemus infrà vt exequantur imperium suum. Vnde nota q̄ in toto regno animæ voluntas se habet sicut rex, cui assistit aliquis fidelissimus ciuis, cuius consilio rex omnia operatur, assistunt etiā famuli qui expectant imperium regis, vt exequantur, assistunt & adulatores non veri consules, qui suadent regi id quod apparet bonum & non est verè bonum, fidelissimus consul est intellectus practicus qui præsentat ea quæ sunt agenda secundum rectam rationem, puta q̄ deus super omnia est diligendus & reuerendus, q̄ pater est honorandus, patria est defensanda, &c. assistentes famuli sunt vires executiuæ cuius quod voluntas imperat, de quibus dicam in cap. seq. Adulatores sunt irascibilis & cōcupiscibilis, quæ vt dicemus, inclinant voluntatem vt eligat bonum sensibile delectabile, quod non est secundum rectam rationem. Quod qualiter fiat declarabo. secunda & tertia potentia motiua imperatiua in homine est concupi. & irascibilis, quæ postquàm assentiunt bono præsentato per phantasiā & cogitatiuam, imperant & ipsę potentiis executiuis vt prosequantur tale bonū, vel fugiant tale malum: verbi gratia, concupiscibilis assentiēs phantasiæ & febricitanti aqua frigida est cōueniens ad extinguendam sitim, præcipit manui vt accipiat cyathū aquæ & apponatur ori. præcipit & faucibus vt deglutiant. Sed nota quod imperium concupiscibilis aliquando est rationale, & aliquando irrationale. Rationale quidem est quando imperat aliquod bonum esse agendū secundū debitas circunstantias. puta quando imperator i vt comedat hac hora, scilicet hora prandij, & talem cibum concessum, & in tanta quantitate, nec plus, & tale imperium cōcupiscibilis est in virtuoso, qui per frequentiam virtutum moralium iam edomuit passiones suas, & hoc imperium Philosophus in 3. de anima assimilat motui sphæræ planetarū, prout mouetur à primo mobili motu diurno ab Oriente ad Occidētē. iterū in Orientē. Rationale est enim & decens sphærā inferiorem assimilari motui sphæræ superioris, sic decens est appetitum sensitiuum in homine regulari à recta ratione & à voluntate vt à potentia nobiliori. irrationale verò est hoc imperiū quando vult prosequi quodcunque apparens bonum vel malum præsentatum à phantasia vel cogitatiua non secundo iudicium rationis, sed solo impetu sicut bestia: puta concupiscibilis præsentato sibi auro affectat ipsum, & præcipit manui vt diripiat. non considerans furtum malum esse, vel deprædationem esse dānabilem, & hoc imperium est in homine prauo incontinente, qui vtitur

viuit solo impetu passionum, in quo tantum præualent concupiscibilis & irascibilis, quòd penè excæcant iudicium rationis, & voluntas vt captiua dimittit regimen animæ in manu concupiscibilis & irascibilis quæ sunt velut adulatores regis. Hoc imperium assimilat Philosophus in tertio de anima motui planetarum qui contra nitentes primo mobili mouentur ab Occidente in Orientem motu proprio. Irrationale est enim vt sphæra inferior resistat sphæræ superiori, sic irrationale est appetitum sensitiuum resistere & imperare cōtra imperium appetitus intellectiui. de hac repugnantia plura non loquor. pertractatur enim sufficienter in tertio Ethi. vbi agitur de voluntario & inuoluntario, brutis autem potentia motiua imperatiua est solùm concupiscibilis & irascibilis quæ imperant secundum præsentationem boni factam à phantasia & extimatiua: ibi non est imperium rationale & irrationale: quia carent ratione & voluntate, sed dicitur imperium naturale factum secundum instinctum naturæ, ideo in brutis nulla virtus est nullúmque vitium.

CAPVT IIII.

De potentia motiua executiua & eius organo.

IN quarto capite agendum est de potentia motiua executiua, & cui organo sit affixa.

Circa primum nota quòd potentia motiua executiua eius quod voluntas vel appetitus sensitiuus imperāt est secundum Aui. in sexto naturalium, virtus diffusa in lacertis, musculis, & neruis per spiritus vitales egredientes & emanantes à corde vt primo fonte, & hæc quidem potentia duplex habet organum, vnum quidem primum & principale, & hoc est cor, cuius motus secundum Philosophum in tertio de Anima, componitur ex pulsu & tractu. nam eleuatur & deprimitur, vt patet etiam in pulsu brachij, nam dum eleuatur habet motum pulsus, dum deprimitur habet motum tractus: quid sit motus localis pulsus & tractus declaraui in septimo Phy. tract. secundo. Ex quo sequitur secundum Philosophum in tertio de Anima. quòd motus cordis assimilatur motui circulari, sed imperfectè, nam in motu circulari per semicirculum superiorē est motus pulsus, & per semicirculum inferiorem est motus tractus, vt declaratur in 7. Phy. in eodem trac. dixi autem imperfectè quoniam motus pulsus & tractus in corde non est per duos semicir. sed per eandem lineam rectam imaginatā. hoc quidem non potest figurari, sed per anatomiam decernitur. cor igitur est primum organum in quo radicatur potentia motiua execu. vt in suo fonte. secundò est subiectum & organum secundarium, & isti sunt nerui & musculi, ad quos à corde vt à fonte transmittuntur quidam spiritus vitales dantes virtutem se mouendi neruis & musculis. & tales nerui ac musculi exequuntur imperium voluntatis & irascibilis & concupiscibilis. Verbi gratia concupiscibilis imperat pedibus vt tendant ad quærendum cibum cùm famescit animal. & sic pedes per spiritus vitales transmissos à corde mouent se localiter: sic manus, sic caput mouet se per tales spiritus vitales, cuius signum est quòd si tales spiritus non transmittantur ad aliquam partem corporis propter oppilationem, pars illa fit immobilis, vt patet in his qui laborant paralysi, sed hæc plenius considerare est officium medici. Ex iis igitur patet quæ sit potentia motiua directi. & imperatiua & executiua motus. Et nota quòd semper locuti sumus de huiusmodi potentiis prout sunt in animalibus, siue in homine, siue in bruto. Quomodo autem sint in substantiis separatis est officium Theologi.

Postremo contra prædicta fiunt quædam argumenta. primum probat quòd appetitus sensiti. sit in quolibet animali etiam imperfecto sic. Dixit Arist. in secundo de Anima, quòd appetitiuum non facit particularem gradum viuendi, quoniam vbicunque est sensus ibi est appetitus, sed in animali imperfecto est sensus saltem tactus. ergo in eo est appetitus & non intellectiuus: vt patet. ergo in eo est appetitus sensitiuus, præterea in eo est phantasia vt dixit Philosophus in secundo de Anima, Cognoscunt enim conueniens & disconueniens, cuius signum est quòd si dilatant se sentiunt conueniens & delectabile, si constringunt se, sentiunt nociuum. ergo si habent phanta, habent appetit. sensiti. phantasia enim vt diximus est motiua ipsius appetitus.

Ad hoc respondeo, quòd Philosophus in secundo de Anima intelligit in animali imperfecto esse appetitum imperfectè & quasi æquiuocè. in animali perfecto esse appetitum perfectè, similiter quando dicit quòd in animali imperfecto est phantasia intelligit de phanta. imperfecta & indeterminata. in animali autem perfecto est phant. perfecta & determinata. quomodo autem differant sic accipe, phantasia determinata est illa quæ est in determinata parte corporis, id est, in cerebro, & retinet species sensibiles etiam absente re sensibili, vt dixi in tract. de sen. interio. Phantasia indeterminata est illa quæ non est in certa parte corporis, imò est in toto corpore & est eadem cum sensu tactus, nec retinet species in absentia rei sensibilis, sed solùm mouetur à sensibili præsenti: hæc est in animali imperfecto, vt in conchilia & verme. dico igitur ad argumētum quòd non loquimur de appetitu sensitiuo indeterminato. hic enim est in quolibet animali imperfecto, sed de appetitu sensitiuo perfecto qui habet certū organum, & hic est solùm in animali perfecto.

Secundum probat quòd concupiscibilis & irascibilis sint solùm vna potentia sic, sicut eadem est potentia cognoscitiua contrariorum. vt visus est cognoscitiuus albi & nigri, ita eadem est potentia appetitiua contrariorum, sed concupiscibilis est appetitiua boni conuenientis & irascibilis est repulsiua nociui & impedientis. cum ergo conueniens & nociuum sint contraria, sequitur quòd concupiscibilis & irascibilis sunt vna potentia.

Ad hoc dico quòd concupiscibilis est per se circa contraria. nam appetit bonum inquantum sibi placet, & fugit malum inquantum displicet, & ideo ponitur potentia distincta ab irascibili, cuius proprium officium est resistere nociuo & impedienti, vt concupiscibilis consequatur bonum conueniens secundum sensum. De potentia motiua imperfecta secundum dilatationem & constrictionem non est laborandum. nam phantasia indeterminata quæ est in eis potest dici aliquo modo potentia motiua directiua, & appetitus sensitiuus imperfectus qui est in eis potest dici motiua imperatiua, virtus verò diffusa per corpus eorū cum aliquibus spiritibus vitalibus, licet pauci sint, potest dici potentia motiua executiua. Hic terminatur tractatus tertius de potentia appetitiua & motiua, & est vltimus super tertium lib. de Anima, Laus Deo viuenti primo, qui cuiusliibet esse, omnisque vitæ fons est & origo.

CHRYSOSTOMI IAVELLICANAPICII *EPITOME* IN PARVA NATVRALIA ARISTOTELIS.

CONsequens est Crescentifili, vt postquàm ad tui eruditionem mentem Arist. epitomaticè perstrinximus in tractatibus, quos disposuimus super libris octo de Physica auscultatione, super lib. de Cœlo & Mundo, de Generatione & Corruptione, de Impressionibus meteoricis, de Animamunc eodem stylo prosequamur, quæ in Paruis naturalibus continentur, vt in lib. de Sensu & sensato, de Somno & vigilia, de Memoria & reminiscentia, de Motibus animalium, de longitudine & breuitate vitæ, de Iuuentute & senectute, de Respiratione & inspiratione, de Morte & vita.

EPITOME IN LIBRVM DE SENSV & sensato, in tres tractatus diuisa.

INcipientes à libro de Sensu & sensato, super ipso formabimus tres tractatus. In primo considerabimus quædam deseruientia omnibus libris Paruorum naturalium. In secundo agemus de organis sensuum. In tertio de obiectis. Et in his tribus tractatibus complectemur totam Aristot. sententiam in præfato libro, qui primus est inter Parua naturalia.

TRACTATVS PRIMVS in tria capita diuisus.

TRactatum primum distinguimus in tria capita.

Primò videbitur quid mouit Aristot. ad componendum Parua naturalia.

Secundò quomodo ordinandi sunt libri Paruorum naturalium.

Tertiò soluentur dubia duo.

CAPVT I.

Quidnam Philosophum monit ad componendum parua naturalia.

CIrca primum caput aduerte quòd motiua ratio apud Arist. fuit, vt iuxta doctrinam, quam præposuit in principio primi libri de Physica auscultatione ordinatè & cõplete traderet scientiam de rebus animatis. Præposuit autem ibi naturalem ordinem procedendi in scientiis humanis hunc esse, vt in vnaquaque scientia incipiamus à communioribus & abstractè consideratis, deinde fiat consideratio applicata in genere, deinde consideratio applicata secundum vnamquãque speciẽ. Vnde in Mathematicis prima consideratio est de communissimis, puta de puncto, de linea, de superficie, de corpore, de circulo, de recto, de curuo, &c. secunda est applicata his quæ sunt communia generibus figurarum, vt quòd omnis figura rectilinea terminis clauditur, angulos constituit rectos, vel obliquos, quòd rotũda figura angulis caret, quòd vna tantùm linea continetur, &c. Tertia autem est applicata vnicuique speciei figuræ, qua considerantur propria triangulo, tetragono, pentagono, &c. & quæ sunt propria figuræ columnari: & ouali, & lenticulari, & sphæricæ, &c. Intendens igitur Arist. in traditione scientiæ de animatis hunc ordinem seruare, tres considerationes fecit. Primò cõsiderauit de principiis animatorum quasi abstractè, vt de anima, de potentiis animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ, & de earum actionibus. Et id quidem fecit in libro de Anima. vnde memor huius considerationis (inquit) in principio lib. de sensu & sensato, quoniam de anima secundum se ipsam determinatum est: & de qualibet virtutum, id est, potentiarum eius ex parte ipsius animæ, conueniens est facere considerationem de animalibus, &c.

Secundò consideraui ea, quæ sunt cõmunia omnibus, aut pluribus generibus animatorum applicando ea animatis in genere. Quædam quidem vt cõueniunt omni generi animatorum, vt mors & vita, longitudo & breuitas vitæ, iuuentus & senectus: conueniunt enim vegetatiuo, quod necessariò inest omni viuenti inferiori, vt determinatũ est in secundo de Anima. Quædam autem vt conueniunt sensitiuo, vt sensum immutari ab obiecto per receptionem obiecti in organo, vt somnus & vigilia, vt memoria & reminiscentia, conueniunt hæc soli sensitiuo, quod tamen distinguitur in plura genera, vt in volatile, terrestre, aquaticum, &c. Quædam verò vt conueniunt motiuo progressiuo, quæ sunt in eo causæ & principia motus localis, vt phãtasia, intellectus practicus, appetitus, cor, neruus, musculus, spiritus complantatus cordi.

Et hanc quidem considerationem compleuit in paruis naturalibus, quæ præ manibus habemus. Quare autem hic pertractet ea solùm quæ communia sunt vegetatiuo, sensitiuo & motiuo progressiuo, prætermissis appetitiuo & intellectiuo, dicemus in tertio capite.

Tertiò consideraui Arist. ea quæ applicantur cuilibet speciei animatorum tam in plantis quã in animalibus, venando proprietates, virtutes, actiones eorum, & modos generationis, & hanc consideratione compleuit in libro de Plantis, & de animalibus. Patet igitur Arist, motum fuisse ad compositionem Paruorum naturalium, vt debito ordine traderet scientiam de animatis: quoniam sicut ad hanc secundam considerationem peruenire non poterat nisi suppositа prima, quæ habetur in libro de anima, ita nec ad tertiam nisi per secundam, quæ continetur in libris Paruorum naturalium. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

De librorum paruorum naturalium ordine agit.

IN secundo cap. assignandus est ordo inter lib. Paruorum naturalium. Vnde aduerte quòd huiusmodi passiones communes animatis, de quibus hic fit mentio, dupliciter possunt considerari. Primò vt respiciunt animam tanquam primum principium. Secundò vt respiciunt corpus animatũ, per quod explentur, cõmunes sunt enim corporis & animæ. Intelligere verò est solius animæ, vt dicemus. Igitur, si considerentur primo modo, dico, quòd primo loco ponendus est liber de sensu & sensato, & hunc sequitur liber de somno & vigilia, & tertio loco liber de memoria & reminiscentia, nam, cum huiusmodi passiones considerentur hic inquantũ fundantur in anima & applicantur corpori animato, quæ minus applicantur corpori, videntur magis conuenire animæ. Manifestum est autem, quòd sentire & quæ ad ipsum consequuntur, vt somnus & vigilia, memoria & reminiscentia, magis conueniunt animę, quam operationes vegetatiuę, quoniam magis eleuatæ sunt, cum sensus recipiat speciem sine materia, & id satis constat. Post hos locandus est liber de Motu animalium, quoniam in animalibus motus localis causatur ab appetitu, & appetitus mouetur à sensu, sicut voluntas ab intellectu, vt dicetur. Et vltimo locandi sunt libri, in quibus agitur de passionibus veget, vt liber de morte & vita, de inspirat. & expirat. de iuuent. & senect. de longit. & breuitate vitæ.

Si autem considerentur secundo modo, sic erit ordo contrarius, vt scilicet libri, in quibus tractantur passiones magis applicatæ corpori, statuantur in primo loco, vt liber de morte & vita: & sequentes ad illum, in secundo loco liber de motu animalium. Vltimo autem liber de sensu & sensato, & sequentes ad illum. Verùm Arist. ordinauit eos iuxta primum modum, quoniam à consideratione abstracta procedendum est gradatim ad considerationem applicatam, incipiendo à passionibus minus applicatis. vnde conuenienter primo loco statuitur lib. de sensu, & sensato. sic igitur primo ordinandi sunt tractatus super hoc libro, deinde super libro de somno & vigilia. deinde super libro de memoria & reminiscentia. Hæc de secundo capitulo sufficiant.

CAPVT III.

Dubia duo diluuntur, ad hanc materiam spectantia,

IN tertio cap. soluenda sunt duo dubia. Quorum primum est, quare Arist. non fecit in Paruis naturalibus librum, in quo ageret de communibus conuenientibus appetitiuis, vt de amore & odio, desiderio & fuga, & de aliis passionibus tam concupiscibilis quam irascibilis. Secundum est, quare Arist. non fecit similiter lib. in quo ageret de communibus conuenientibus gradui intellectiuo.

Ad primum dico, quòd Aristot. facit hîc consideationem de applicatis diuersis generibus viuentiũ. appetitiuum autem (vt determinatum est in Secundo de Anima) non constituit distinctum genus à sensitiuo. potest etiam dici, quòd considerare de prædictis passionibus magis spectat ad Philosophum moralem, quàm ad Physicum, quoniam in viuente rationali circa eas ponuntur virtutes, vt mediocritates. Vnde Aristot. in Aethicis de huiusmodi considerationem fecit.

Ad secundum dico, quòd Arist. hîc non considerat nisi de his quæ possunt corpori vel corporeo instrumento applicari, sed declaratum est in tertio de Anima, intellectum & intelligere, & species intelligibiles non esse applicabilia corpori: cum sit intellectus potentia penitus in organica, & ideo non fuit necesse de huiusmodi librum particularem in Paruis naturalibus facere: sed sufficiunt quæ de gradu intellectiuo in homine reperto, dixit in tertio de Anima. Si autem de intellectiuo absolutè accepto particularem librũ fecisset (sicut D. Alber. qui de intellectu & intelligibili librũ edidit) iam non ad Physicũ, sed ad Metaphysicum pertineret. Hæc de tertio capite dicta sint, & hîc terminatur primus tractatus.

TRACTATVS SECVNDVS super librum de Sensu & sensato, in duo capita diuisus.

IN tractatu secundo agendum est principaliter de organis sensuum exteriorum, quem diuidimus in duo capitula.

In primo reassumuntur quædam ex determinatis in libro de Anima, vt pateat continuatio huius libri ad illum, & quoniam deseruiunt dicendis.

In secundo recitabuntur opiniones antiquorum de organis sensuum exteriorum, & reprobabuntur, & determinabitur veritas secundum Aristotelem.

CAPVT I.

Quædam, veluti dicendorum principia ex libro de Anima repetit, vt sequentium instructior fit disciplina.

CIrca primum aduerte, q̃ quatuor reassumuntur. Primò dictum est in secũdo de Anima quid sit sensus, quoniam est potentia receptiua specierũ sine materia: & quid sentire, quoniam est immutatio sensus à sensibili: Propterea dictum est sentire esse quoddã pati: & quare animalia sentiunt, non autem plantæ, quoniã illa recipiunt obiecta spiritaliter, plantæ autem purè materialiter. nam manus tangens frigidum, vltra hoc quòd realiter frigefit, recipit etiam speciem frigiditatis sine materia, planta autem tantum frigefit.

Secundò, dictum est in primo de Anima, animal distingui à non animali sensitiua cognitione: vnde & sensitiuum complet diffinitionem animalis.

Tertiò, dictum est in secũdo de Anima, omni animali tam perfecto quàm imperfecto necessariò inesse tactũ, vt cognoscant conseruatiua complexionis suæ, & diffugiant corrumpentia.

Nisi ênim animal apprehenderet tactu terram, aut aquam, aut aërem esse conseruatiua sua, ignem autem esse destructiuum, applicato igne combureretur, vt lignum, nec diffugeret. Item necessariò inest gustus, vt per ipsum apprehendat nutrimentum conueniens, & fugiat disconueniens, aliter, cùm vita seruetur sumptione nutrimenti, cito deficeret aut carentia nutrimenti, aut sumptione nociui.

Quartò dictum est, animalibus progressiuis, quæ dicuntur animalia perfecta, vt homo, equus, leo, &c. non solùm debere inesse tactum & gustum, quibus coniuncta sibi conueniencia vel disconueniencia quo ad eorum salutem & nutritionem cognoscunt, cùm huiusmodi sensus sentiant per medium intrinsecum, ex consequenti non sentiunt nisi obiectum præsens & coniunctum sentienti, sed etiam necesse est eisdem inesse odoratum quo percipiant nutrimentum à remotis, vt patet in animalibus venatitiis, & visum & auditum, quibus cognoscant salutifera sibi, & nociua siue inimica, nam ouis ex eo quod videt lupum, fugit, & videns ramum virentem accedit: & canis videns baculum fugit, videns autem blandientem vel dominum accedit. Cùm igitur animalia perfecta non habeant omnia sibi conuenientia in prospectu suo, nec sibi coniuncta, necesse est vt moueantur ad quærendum sibi opportuna, causa saluandi & nutriendi se, vel fugiendi sibi contraria, & in iis diriguntur odoratu, visu, & auditu, vt plenius diximus in secundo de Anima.

Non solùm autem ij sensus opportuni sunt animalibus perfectis propter salutem & nutritionem, sed etiam propter disciplinam, nam, cùm inter animalia perfecta quædam sint prudentia & disciplinabilia, propriè quidem & absolutè homo, secundum quid autem quædam bruta, vt canis, elephas, simia, & multa ex volatilibus, quæ docentur humanè loqui, sicut pica, & psittacus, congruum est vt eis insint sensus disciplinatiui. Isti autem sunt visus & auditus, quibus multas rerum differentias cognoscimus, sed comparando visum auditui, magis deseruit & per se in inuentione scientiæ visus quàm auditus, quoniam visu cognoscimus superiora & inferiora, & visu magis apprehendimus sensibilia communia, vt magnitudinem, figuram, numerum, motum, quietem. auditu autem cognoscimus per se tantùm differentias sonorum, secundum accidens autem in doctrina magis nobis deseruit auditus. Sermo enim auditus ex ore docentis causa est disciplinæ in discente. Vnde si quis nascitur cæcus, non tamen surdus & mutus, sapientior fiet nato surdo & muto, & tamen videntes. quo niam surdus non potest doceri, inde est quod natus surdus est mutus, quoniam auditus est sensus disciplinæ. Hæc sunt quæ resumenda erant ex libro de Anima, quibus suppositis accidit Aristotel. ad considerandum de organis quinque sensuum exteriorum. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

De organis quinque sensuum exteriorum tam secundum antiquorum sententias, quàm secundum Arist. mentem.

IN secundo capi. aduerte, quòd antequam adducamus opi. antiquorum de organis sensuum, declarandum est quare Philosophus in hoc libro agit principaliter solùm de organis & obiectis sensuum. Ad quod dico, quòd, cùm ad perfectam notitiam sensuum sex requirantur, scilicet principium, siue radix, à quo emanant sensus, & quid sit sensus, & sentire, & medium per quod sentimus, & organum cui alligatur sensus, & obiectum circa quod est sensus.

Quatuor prima sufficiẽter determinata sunt in lib. de Anima. Dictum est enim, animã esse principium & radicẽ omnis sensus, & sensum esse virtutem receptiuã obiecti sine materia, & sentire esse pati sensum à sensibili, & medium esse corpus, per quod defertur species obiecti ad organũ, quod quidem in tactu & gustu est caro, in tribus aliis aër, vel aqua sub diuersa ratione, vt declaratum est illic. Reliquum igitur erat dare notitiam de organis, quibus affixi sunt sensus, & de obiectis circa quæ negotiantur.

Quantũ ad sententias antiquorũ primò videndũ est de organo visus. Vnde aduerte, q̃ Arist. recitat tres opi. & reprobat: quæ quidẽ, licet non cõcordarẽt in positione organi, concordabãt tamẽ in modo, quo ponebãt fieri visionem, scilicet per extramissionẽ. In organo autẽ Plato in Timæo & Empedocẽ concordabãt: quoniã attribuebãt ipsum elemẽto ignis, credentes in oculo cõplantatũ ignẽ, ex quo emitteretur fulgor & lumen, per quod videẽs attingeret & videret visibile, & sic opinabãt visionẽ fieri extramittẽdo. Democrit. verò attribuebat organum visus elemento aquæ, vt dicemus. Primò igitur ponenda est opin. Plat, cum ratione sua, & improbabitur, & soluetur motiua ratio sua. Secundò ponenda est opi. Emped. cum improbatione. Tertiò, opi. Democ. cum improbatione.

Quantum ad opi. Plato. aduerte, quòd in Timæo poluit organum visus igneum propter charitatem & luciditatem oculi, & arbitrabatur lumen egredi ab igneo pupillæ, sicut lumen egreditur à lucerna accensa. Et confirmatur huiusmodi opi. (vt recitat Aristot.) tali signo, Si in tenebris constringatur oculus, & fortiter moueatur, videtur nobis, quòd ignis luceat ante oculum nostrum, quod vtique non esset, si ab oculo fortiter moto non egrederetur lumen ignеum. Signum est ergo, quòd in oculo habemus complãtatum ignem, ex consequenti organum visus merito attribuitur igni. *Opinio Platonis.*

Sed contra hanc positionem dupliciter arguit Arist. Primò, quãdo sensibile præsens est sensui, & visibile visui, semper potest videri. Sed secundũ Plato. siue oculus fortiter moueatur, siue quiescat, semper habet ignẽ complantatũ: ergo semper videre debet ignẽ lucentẽ ante se. Secundò, si oculus habet in se ignẽ, à quo emittitur lumen sicut à lucerna, ergo ita videre debet in tenebris sicut in die, quoniam sicut à lucerna emittitur lumen & die & nocte quandiu est accensa, sic & ab oculo si est igneus.

Huic rationi tacitè respõdet Pla. in Timæo, vt recitat Arist. & dicit: licet semper emittatur lumẽ ignеum ab oculo. tamẽ in nocte extinguitur in medio tenebroso, in die atit cõseruatur adiutũ lumine diei, & ideo non videt in tenebris, sicut in die.

Sed hanc responsionẽ sic reprobat Arist. cũ lumẽ ignеum sapiat naturã ignis, ignis autẽ sit calidus & siccus, non corrumpitur nisi à frigido vel humido, vt patet in carbonibus ardentibus, qui extinguuntur frigiditate, vel humido aqueo, etiam q̃ aqua sit calida: sed tenebræ nec frigidæ, nec humidæ sunt: vt sic, ergo vanũ est dicere, q̃ extinguantur à medio tenebroso. Signũ autẽ adductũ de oculo fortiter moto, soluetur infrã.

Quantũ ad mentem Empedo. aduerte, q̃ concordat cum Plat. sed quoniam metricè scripsit, ideo vt elegans poëta, tali similitudine descripsit organũ oculi, Sicut viator in nocte flante vento accendit lucernam vel candelam, claudit quе in laterna circũdata telis, vel alio diaphano, ne lumen extinguatur impetu venti: sic clausum habemus congenitum lumen igneum in tunicis oculi contemperatum humido glaciali, & sicut emicat debilius lumen candelæ circunclusum laterna, quàm in aperto positum, sic lumen igneum circundatum tunicis oculi debilius extra oculum emittitur, quàm si esset non circundatum. & hæc de causa non videmus in tenebris propter sui debilitatem, sicut nec videmus per lumen laternæ in nocte subtilia, vel parua nisi aperiatur laterna. Hæc fuit imaginatio Empe. quæ eodem modo reprobatur sicut opinio Plato. ideo Aristo, non aliter reprobauit eam. *Empedoclis sententia.*

Quantum ad positionem Democriti, aduerte, quòd duo dixit, vnum quidem verum, aliud falsum. Verum quidem, dicens organum visus attribuendum aquæ. est enim oculus ab intrinseco aqueus. Quod constat duplici signo. Primò si oculus scindatur effluit aquositas. Secundò, in animalibus habentibus sanguinem natura ingenuit pinguedinem albam circa pupillam, vt terminaretur humidum aquеum contentum in tunicis pupillæ. & vt caliditate pinguedinis (est enim calida humida, cùm sit generata ex sanguine) non congelaretur ipsum humidum aquеum ex frigiditate extrinseca. In animalibus autem non habentibus sanguinem, natura ingenuit pellem duram circa pupillam ad protectionem humidi aquei existentis in pupilla, vt patet in locustis, & aliis carentibus palpebris, sicut sunt apes & musca. Verum ergo dixit Democritus organum visus attribuendum aquæ. *Democriti Positio.*

Falsum verò dixit, visionem consistere in sola apparitione rei visæ in pupilla, eo quòd pupilla est corpus lene & tersum, sicut speculum, in quo licet sit aquеum humidum ex natura sua diaphanum, tamen terminatur aliquo postposito in fundo oculi, sicut vitrum terminatur plumbo postposito, & ideo potest oculus reflectere idolum rei visæ, ex qua reflexione causatur in pupilla apparentia rei visæ.

Hoc quidem falsum est, quoniam, si visio esset sola huiusmodi apparentia, quia oculus est corpus tersum: ergo omne corpus tersum reflectens idolum obiecti antepositi diceretur habere visionem. Esset enim eadem ratio in omni speculo, & in oculo. Et mirum est, quòd Democri. hoc inconueniens non aduerterit, non ergo oculus dicitur videre ex hoc solo, quòd in eo est apparentia rei visæ, sed quoniam habet virtutem visuam originatam ab anima, quæ tamen non exit in actum, nisi affixa tali organo, quale est oculus, in quo causatur

causetur huiusmodi apparentia. Duo ergo sunt necessaria in visione, oculus habēs virtutem visiuam ab anima, & habens humidum aqueum terminatum, vt causetur apparentia rei visæ, vnde oculus dicitur animæ speculum.

Approbatur igitur Democri. in eo quòd posuit organum visus esse aqueum, non quidem ex aqua secundum quod aqua, sed secundum quod est perspicua siue diaphana.

Sed dices, cum esse diaphanum commune sit aquæ & aëri, quare magis est aqueum, quàm aëreum? poterat enim natura ita concludere aërem in tunicis oculi, sicut aquam.

Oculus est naturæ aqueæ.

Respondeo. Id fecit natura, quoniam melius conseruatur aqua in tunicis oculi quàm aër. nam ex sui subtilitate facile diffunditur, & spirat, nisi tunicæ essent grossæ & densæ, quod non conuenit bonitati visionis. nam animalia carentia palpebris & habentia tunicam superiorem oculi duram ac densam sunt debilis visus. Item melius terminatur diaphaneitas aquę, quàm aëris propter maiorem densitatem, vnde & aqua profunda etiam sine appositione alicuius opaci reflectit imaginem, vt patet in puteo & in fonte, quod non contingit in aëre, vt ergo melior fieret apparentia rei visæ, congruum magis fuit oculum & pupillam esse aquæ, quàm aëris.

Positis & reprobatis opi. antiquorum de organo visus, reprobandus est modus visionis ab eis assignatus, scilicet per extramissionem, deinde declarabitur verus modus, quo fit visio, postremo soluemus motiuum antiquorum assignatum suprà de oculo fortiter moto in tenebris vidente ignem.

Aduerte igitur, quòd de visione per extramissionem duplex recitatur ab Aristotele.

Opinio prima est eorum, qui dicunt nos ideo videre, quia aliquod est egrediens ab oculo pertingens ad rem visam, & statim quòd coniungitur rei visæ videmus eam, & quoniam videmus astra, sequitur quòd pertingat vsque ad astra.

Secunda est Platonis, vt sibi attribuitur, qui dixit lumen egredi ab oculo, & tamen non protendi ad quamcunque distantiam, sed per aliquantum spatium, vt vniatur & cohæreat lumini exteriori, quo illuminatur medium diaphanum.

Primam opinionē vt omnino irrationabilē nō curauit reprobare Arist. continet enim manifestissima incōuenientia. Nam, cum egredi sit propriè corporū, stultū est opinari ab oculo egredi corpus pertingens vsque ad astra. nec tota oculi quantitas, quantūcunque subtiliaretur esset ad hoc sufficiens, & cū huiusmodi corpus recipiatur in aëre sine diuisione aëris, plurima corpora essēt simul in eadē parte aëris, ad quā se possint dirigere plurimi vidētia oculi. Relicta igitur hac opinione arguit Arist. cōtra secundā attributam Platoni dupliciter.

Primò, quia melius esset dicere lumen oculi coniungi lumini exteriori in extremitate oculi, & non protendi per aliquam distantiam extra oculum, ex quo lumen exterius pertingit vsque ad oculum. Et prætereà talis protensio saltem in nocte esset frustra, quoniā secundum viam Plato. huiusmodi lumen, vt diximus suprà, extingueretur à tenebris.

Secundò, quoniā vanum est dicere lumē coniungi lumini. Coniungi enim propriè est corporum, sed intendi & augeri propriū est qualitatū, vnde sicut calor additus calori dicitur intendi, sic rectius diceretur lumē egrediens ab oculo intēdi per lumen exterius, sed nec id congruè diceretur: quoniā quæ per se inuicem intenduntur sunt eiusdē rationis, cōstat autem lumen exterius & lumen oculi non esse eiusdē rationis. Prætereà, cum inter lumen exterius & lumen intrinsecum oculo medient tunicæ oculi, impossibile est quòd adinuicē coniungantur. Patet igitur, quòd tam prima quā secunda opinio de visione per extramissionē, nullā continent rationabilitatem.

Verus visionis modus, & organum.

Nunc igitur est assignandus verus modus quo fit visio. Vnde aduerte, quòd, vt dictum est in secundo de Anima, impossibile est fieri visionē sine lumine actuante & illuminante diaphanū, cum sit actus diaphani: illuminato diaphano medio inter rem visam & oculum, fit motus rei visæ ad oculum, non quidem motus localis, vt patet, sed intentionalis, pro quanto color habens esse naturale in colorato causat sui speciem intentionalem, quæ dicitur color in esse diminuto, & defertur per diaphanum illuminatum ad oculum, & oculus per virtutem animæ visiuam in tali specie, vel per talem speciem intuetur colorem in colorato, & hic est verus visionis modus, quoniam ad ipsum nullum sequitur inconueniens. Et manifestum est huiusmodi species causari ab obiectis in medio, aliter non repræsentarentur in speculo distante ab obiecto, cum non sit transitus ab extremo ad extremum sine medio. Patet igitur, quòd organum visus est humidum aqueum conclusum in tunicis oculi, & quod verus modus visionis est per intus receptionem, & non per emissionem.

Vltimò superest respondere signo adducto ab antiquis de oculo fortiter moto in tenebris, vidente ante se ignem fulgētem. Aduerte igitur, quòd hoc non prouenit ex igne intrinseco oculi, & emisso ab oculo, vt credebant antiqui: sed causa huius est, quoniam omnia corpora polita & tersa, & præcipuè diaphana terminata habent ex sua lenitate quendam fulgorem, manifestum est autem, quòd nigrum oculi est corpus tersum & lene, & ideo non ratione ignis vt dicunt antiqui, sed ratione lenitatis videt huiusmodi fulgorem in tenebris, dum celeriter mouetur oculus.

Et si dicis, quare non videt talem fulgorem quiescens sicut celeriter motus, cum semper sit corpus lene.

Respōdetur, quoniam dum celeriter mouetur emittit extra se fulgorem, & fulgorem emissum potest videre, quiescens autem non emittit, & ideo non videt: quoniam necesse est sensibile & sensum esse distincta, vnde & in secundo de Anima dictum est sensibile positum super sensum non sentiri.

Et si dicis, quare si oculus celeriter motus emittit fulgorem, non videt ipsum in die sicut in tenebris posito quòd celeriter moueatur in die.

Respondetur, quoniam lux diei obumbrat paruum illum fulgorem, qui tamen non obumbratur in tenebris, sicut patet etiam de lumine noctilucæ, & fulgore oculorum cati, & quercus putridæ, quæ omnia in die videntur vt colorata, in nocte autem lucentia. Hæc dicta sint de organo visus.

Nunc dicendum est de organo auditus. Circa quod aduerte, quòd in hoc non dissentit Aristot. ab antiquis. Nam attribuunt illud aëri, quibus condescendit Aristot. dicens, Si oportet assignare vnumquodque sensitiuorum vni elemētorum, oculi quidem visiuum aquæ existimandum est, aëris verò sonorum sensitiuum, & de hoc organo nil dicit Aristot. in lib. de sensu & sensato. Tu verò vide in Epitome nostra in secundo de Anima, in cap. de auditu, vbi diffusè pertractauimus de hoc organo, & declarauimus qualis debeat esse aër complātatus in meninga auris, ex quo integratur organum auditus.

Post organum auditus considerandum est de organo odoratus. Et quidem quantum ad antiquos, aduerte, quòd (vt adducit Aristot.) volentes adaptare cuilibet elemento vnum ex organis sensuum exteriorum, aduerterunt, quòd, cum sint tantum quatuor elementa, essent tantum quatuor sensus, vt ergo saluarent quinque sensus, posuerunt corpus medium inter aërem & aquam, aëre densius, aqua subtilius, quòd dicebant esse fumū vel vaporem, & huic attribuebāt organum odoratus, eo quòd sentitur odor per fumalē vaporationem. Aristot. autem dicit, quòd si condescendendum est antiquis, vt scilicet, aliquo modo attribuenda sint organa sensuum elementis, rationabilius est, vt in odoratu attribuatur igni, quoniam causatur & sentitur odor ex vaporali fumatione, quæ necessario fundatur in calido, quod in inferioribus non attribuitur nisi igni. Ad hoc autem quòd organum sensus recipiat sensibile, necesse est, vt sit tale in potentia, quale est sensibile actu. Sicut ergo odor dum sentitur est actu calidus, ita necesse est vt organum odoratus sit in potentia calidum, & actu calidum, dum actu odorat, vnde animalia calidi & sicci capitis melius odorant, vt canes, & cati. Calidum autem (vt dictum est) in iis inferioribus attribuitur igni, ergo ratione caliditatis & siccitatis, quæ debet inesse organo odoratus dum actu odoratur, conuenienter tribuitur hoc organum igni.

Sed dices, si organum odoratus attribuendum est igni ratione caliditatis & siccitatis, quare locatum est propinquum cerebro, quod est humidum frigidum, imò debuit locari propinquum cordi ratione caloris.

Respondeo. Cùm organum receptiuum alicuius sensibilis debeat secundū se esse denudatum ab ipso sensibili, necesse est vt sit sub conditionibus oppositis. sicut quando aqua est receptiua caloris, necesse est vt sic sit sub frigiditate, quoniam contraria habēt fieri circa idem. Cùm igitur odoratiuū sit in potentia ad sentiendum odorē, necesse est vt secundum naturam suam sit sub qualitatibus cōtrariis iis, in quibus fundatur odor. Odor autē fundatur in calido sicco, vt dicemus infra. ergo necesse est vt odoratiuum secundum se sit humidum frigidum, dum autem actuatur odore calefiat & exiccetur, & ideo inquantum est receptiuum odoris, conuenienter locatur circa cerebrum. Propterea inquit Aristo. in hoc libro propter quod & circa cerebrum odoratus sensitiuum, id est, organum, potentia enim calidum, quæ frigidi materia est.

Ex iis igitur patet, q̄ diuersa ratione organū odoratus congruè attribuitur aquæ, inquantum humida & frigida est, prout est in potentia ad sentiendum odorem, & congruè attribuitur igni ratione calidi sicci, prout actu odoratur, quoniam dum

sensus actu sentit similatur sensibili: vnde & lingua non gustat nisi saliua humectetur, vt simuletur sapori, qui fundatur in humido. Hæc de odoratus organo dicta sint. Reliqua vide in Epito. nostra in Secundo lib. de Anima, capite de odoratu.

Vltimò considerandum est de organo tactus & gustus, qui simul ponuntur, quoniam & gustus est quidam tactus, ex secundo de anima. Aduerte igitur, quòd antiqui concordant cum Aristote. in tactu, sed non in gustu. nam organum tactus attribuebant terræ propter sui grossitiem. Gustus autem organum attribuebāt aquæ: quoniam gustamus per humidum, & si gustabile sit siccum, non gustatur nisi prius humectetur saliua. Aristo. autem vtrunque attribuit terrę. Et de tactu quidem ratio est hęc, quoniam cùm organum tactus sit receptiuum omnium qualitatum tangibilium, necesse est vt sit reductum ad medium & bene complexionatum. Huiusmodi autem bona complexio non fieret, nisi in sui complexione esset magis de terra, quoniam est minoris actiuitatis inter elementa propter sui materialitatem. In compositione autem debita componentia magis actiua debent esse sub minori quantitate. Minus autem actiua sub maiori quantitate, sicut patet in medicinis compositis. Vt igitur tactiuum sit debitè complexionatum, tribuendum est terræ à prædominio. Gustatiuum autem ideo attribuitur terrę, quoniam cùm sit in potentia ad saporem, debet esse sub qualitate opposita sapori, quæ est humiditas, vt dicemus infrà, quoniam sapor fundatur in humido. Qualitas autem humiditati opposita est siccitas, quæ est aut ignea, aut terrea. Non potest esse ignea, quoniam illa attributa est odoratui in actu, ergo erit terrea. Vt igitur gustatiuum sit receptiuum omnis saporis, inquantum receptiuum debet esse terreum ratione siccitatis, inquantum autem actu gustat debet fieri aqueum ratione humiditatis, quoniam sine humido saliuali non gustamus. Et in hoc decepti sunt antiqui, quoniam non considerarunt gustatiuum, id est organum gustus, inquantum gustatiuum, sed inquantum actu gustat.

Et si quæras vbi situatum sit primum organum tactus & gustus inquantum est quidam tactus.

Respondet Aristote. quòd est iuxta cor, cui opponitur cerebrum & situ & qualitate. Situ quidem, quoniam cerebrum est superius, cor autem inferius: qualitate autem, quoniam cerebrum est frigidissimum inter omnes partes animalis: cor autem calidissimum, vt se mutuo contemperent. Ideo autem iuxta cor positum est huiusmodi organum, quoniam cum sit terreum à prædominio secundum quantitatem, & terra sit frigida, necesse fuit contemperare frigiditatem terræ per caliditatem cordis, & signum quod sit iuxta cor sumitur ex hoc, quòd si læduntur partes circa cor, causant intensissimum dolorem. Hæc de organis quinque sensuum exteriorum dicta sint, & hìc terminatur secundus tractatus.

TRACTATVS TERTIVS
Super librum de Sensu & sensato, in quatuor capita diuisus.

IN tractatu tertio cōsiderandum est de obiectis sensuum exteriorum iuxta doctrinam Aristo. in lib. de sensu & sensato. Sed aduerte quòd sufficit hìc tractare de obiecto visus, id est, de colore, & de obiecto odoratus, id est de odore, & de obiecto gustus, id est de sapore. nam de obiecto auditus, id est de sono quomodo fit, & quomodo immutat auditum, & quot requirantur in eius generatione dictum est sufficienter in 2. de Ani. Et tu vide illic in Epito. nostra, & de obiecto tactus, quæ sunt qualitates tangibiles, vt caliditas, humiditas, & frigiditas, dictū est diffusè in lib. de Generatione & Corruptione. Et tu vide illic in Epito. nostra, & de secundis qualitatibus tangibilibus, vt de duritie, mollitie, asperitate, leuitate, gracilitate, tenacitate, &c. dictum est sufficienter in 4. lib. Meteo. Hunc igitur tracta. distinguemus in quatuor capita.

In primo agemus de colore.
In secundo, de sapore.
In tertio, de odore.
In quarto, soluentur quædam dubia.

CAPVT I.
De colore & eius principiis, ac speciebus.

IN primo cap. agendum est de colore. Et ad plenam sui notitiam dicemus tria. Primò de principiis coloris. Secundò ex his principiis formabitur diffinitio coloris. Tertiò agemus de speciebus colorum tam extremorum quàm mediorum.

Circa primum aduerte duo esse principia coloris, scilicet, lumen, quod est principium formale, & perspicuum, id est, diaphanum, quod est principium materiale.

Lumen quid sit.

Quid autem sit lumen, aduerte quòd Aristo. aliter diffinit in 2. de Anima, cum dicit, lumen est actus diaphani, quæ diffinitio qualiter intelligenda sit, declaraui in Epito. nostra, in 2. de Anima. tractans de visu. Aliter autem diffinit in libro de Sensu & Sensato, cum dicit, Lumen est color perspicui secundum accidens. quæ quidem diffinitio sensu non discordat ab ea quæ data est in 2. de Anima. nam debet intelligi per similitudinem, & non essentialiter. falsum est enim lumen esse colorem essentialiter, imò color est lumen siue lux obumbrata, vt patebit, sic ergo debet intelligi, lumen est color perspicui, id est sicut se habet color ad coloratum, quia est actus colorati, sicut calor est actus calidi, sic se habet lumen ad perspicuum, quia est actus perspicui. Nam sicut color facit actu coloratum, sic lumen facit perspicuum actu, vt declaraui in 2. de Anima, quoniam nunquam diaphanum transparet actu nisi per lumen, & sic intellecta diffinitio coincidit in sensu cum ea, quam dedit in 2. de Anima, Sed aduerte, quòd hìc addidit, secundum accidens, vt in hoc differat lumen à colore. Nam proprius color inest colorato à causa extrinseca, vt nigredo inest coruo ex complexione tali. lumen autem inest perspicuo ab extrinseco, id est à luminoso illuminante, & ideo perspicuum non per se, sed per aliud extrinsecum actuatur lumine. ergo per accidens. Coloratum autem per se & à principio intrinseco actuatur proprio colore. Patet igitur quid sit lumen.

Perspicuū quid sit.

Perspicuum, id est diaphanum, quid sit, diffinitum est in 2. de Anima, in cap. de visu. vbi diximus diaphanum esse corpus transparens in coloratum secundum se, receptiuum autem omnis coloris & luminis, sed perspicuitas non est qualitas elemētaris, imò communis corporibus cœlestibus & tribus elementis, & multis elementatis secundū quod in eis dominatur alterum trium elementorum, Sola enim terra est nō trāsparens propter sui crassitiem. vnde non recipit lumen nisi in superficie à qua reflectitur. vnde bene dixit Arist. in lib. de sensu & sensato, perspicuum non est principium aëris, vel aquæ, nec alicuius sic dictorum corporum, sed est quędam communis natura & virtus. In his verò est, scilicet in elementis, & in aliis corporibus, vt in cœlestibus, & in his quidem magis, in his verò minus. Hæc ille. Et quod dixit, in his quidem magis, gradualiter inuenitur descendendo à corporibus cœlestibus vsque ad elementum terræ. nam summa perspicuitas inuenitur in sphæris cœlestibus: cuius signū est, q̄ videmus stellas fixas in octauo cœlo, & tamen inter visum nostrum & illas mediant sphæræ septem planetarum, quæ non impediunt visum nostrum. ergo sunt maximè diaphanæ. Secundum gradum obtinet ignis in sphæra sua propter raritatem & puritatem naturæ suæ. Tertium obtinet aër, qui tamen est magis & minus perspicuus ex maiori & minori admixtione extraneorum vaporum. Quartum obtinet aqua, quæ quanto minus admiscetur partibus terrestribus tanto magis perspicua est. Quintum obtinent multa elementata, in quibus prædominatur aër, aut aqua, vt crystallus, & multæ aliæ gemmæ, & alabastrum, & glacies, & vitrum. Sextum & infimum obtinet terra, inquantum est receptiua luminis solùm secundum superficiem propter sui maximam materialitatem. Bene igitur dixit Arist. perspicuum inueniri in corporibus superioribus & inferioribus, in his quidem magis, in his autem minus. Hæc de perspicuo dicta sint.

Color quid.

Circa secundum aduerte, quòd Aristo. suppositis duobus principiis prædictis sic diffinit colorem, Color est extremitas perspicui in corpore terminato, & declaranda est quo ad singulas partes. primò dicitur extremitas, & ponitur loco generis, cum color sit accidens, & diffiniatur in abstracto. Quomodo autem sit extremitas notandum est, q̄ sicut quædam corpora sunt secundum se terminata, quia propria figura & propriis terminis terminantur, vt corpora solida, sicut lapis, lignū, homo. Quædā autē sunt secundum se interminata, quia carent propria figura, & non terminantur nisi terminis alicuius solidi, vt fluida, quæ recipiunt figuram à suis continentibus. sic quædam sunt corpora perspicua, quæ ex se nullū habent lumen, nec aliquam qualitatem, per quam remoto quocunque alio possint videri, sed necesse est, vt videantur lumine in eis recepto per totum & non solùm in superficie, & causato ab extrinseco luminante, & huiusmodi sunt corpora perspicua interminata, id est simpliciter trāsparentia, vt aër, aqua. Quædam autē sunt perspicua, quæ in se habent lumen non per totum, sed in superficie ex admixtione opaci terminantis perspicuitatem, & prohibentis luminis puritatem.

Et

Et hæc dicuntur perſpicua terminata, vt lignum, lapis, &c. Dico igitur, quòd ſicut lumen eſt qualitas recepta per totum in diaphano interminato, ſic color eſt lumẽ in ſuperficie perſpicui terminati, quod non recipitur ab extrinſeco, ſed conſequitur naturalem compoſitionem ipſius perſpicui terminati. Omne enim verè coloratum eſt elementatum. Cùm ergo dicit Ariſ. Color eſt extremitas, intelligas ſic, Color eſt lumen in extremo, id eſt, in ſuperficie perſpicui terminati, & non in profundo, ad differẽtiam luminis recepti in perſpicuo interminato. Nam cùm color ſit per ſe viſibilis, non eſt color in actu, niſi in ſuperficie: In intrinſeco autem eſt in potentia, & ex ſola diuiſione efficitur actu, inquantum efficitur per ſe viſibilis. Hic enim conſideramus colorem, vt eſt obiectum viſus. Et quòd color ſit propriè in ſuperficie perſpicui terminati, Ariſto. manifeſtat etiam teſtimonio Pythagoricorum, qui dicebant colorem eſſe epiphaniã, id eſt apparitionẽ in ſuperficie. Quod enim in corporum ſuperficie apparet, color eſt.

Secundò dicitur, perſpicui, ad differentiam corporis, vt corpus eſt: nam cùm omne corpus, vt ſic habeat extremitates quæ ſunt linea, ſuperficies, & puncta: ſi color eſſet extremitas corporis eſſet linea, vel ſuperficies. quod patet eſſe falſum, quoniam color eſſet quantitas, & quoniam cum perſpicuum interminatum habeat ſuperficiem ratione qua corpus eſt, haberet etiam ex ſe colorem.

Tertiò dicitur in corpore terminato, id eſt, ſolido, quoniã licet interminata fiant colorata ex receptione extranei colorati, vel decoctione, vel varia adinuicem compoſitione, vt coloratur aqua ex croco, ex ſanguine, ex mellẽ, &c. tamen propriè, & ſecundum naturam, & per ſe colorata ſunt corpora terminata. Senſus ergo Ariſtote, fuit hîc, Color eſt lumen in extremitate perſpicui terminati.

Coloris ſpecies. Circa tertiũ conſiderandũ eſt de ſpeciebus coloris. Et dicam duo. Primò vnde ſumẽda eſt diuerſitas ſpecifica colorũ, Secundò, quomodo generantur colores extremi & medij.

Quantum ad primum aduerte, quòd cùm ad rationem coloris aſsignatam concurrant lumen in extremitate perſpicui, & terminatio perſpicui, quæ quidem terminatio fit per opacum terræ, diuerſitas in ſpeciebus coloris ſumenda eſt ex diuerſa proportione luminis in perſpicuo obumbrati per opacum terræ, ita ſcilicet, quòd vbi erit minor obumbratio, erit nobilior color: vbi maior, erit ignobilior.

Quantum ad ſecundũ aduerte, quòd ſicut ex varia mixtione quatuor elementorum conſurgunt variæ complexiones elementatorũ, ſcilicet, calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, vt declarauimus in lib. de generatione, ſic ex varia proportione luminoſi ignei, diaphani, aërei, & aquei, & opaci terrei conſurgunt diuerſi colores in elemẽtatis. Nam vbi eſt maximum de luminoſo igneo, & minimũ de terreo obumbrante luminoſum receptum in perſpicuo aëreo, vel aqueo, ibi naturaliter cõſurgit albedo, vbi autem datur oppoſitum, conſurgit nigredo, qui ſunt duo extremi colores, medij autem cõſurgunt ex varia proportione horum adinuicem. Et ſi vis ſcire in particulari quomodo cõſurgunt & ordinẽtur medij colores inter album & nigrum, vide quæſtionẽ noſtram, quam ordinaui in libro de Senſu & Senſato, & eſt quintadecima in ordine, & illic diffuſius hanc materiam pertractaui. Hæc de colore dicta ſint.

CAPVT II.

De ſaporis principiis, natura, ac ſpeciebus.

Circa ſecundum cap. agendum eſt de ſapore vt procedamus à notioribus, quoniã cùm guſtus ſit quidam tactus, & tactum habeamus certiſsimũ & perfectiſsimũ ex temperatiſsima complexione noſtra, odoratum autẽ habeamus valde imperfectum ex indiſpoſitione organi, eò quòd ſituatur propinquum cerebro, vt declarauimus in 2. de Anima, in cap. de odoratu. manifeſtior eſt nobis natura ſaporis quàm odoris, & ideo de ſapore, vt de magis noto agendum eſt, de quo dicemus duo principaliter. Primò, quid ſit. Secundò agemus de ſpeciebus eius.

Sapor ex quibus principiis ſit. Antequàm diffiniamus ſaporẽ prius videndum eſt, ex quibus principijs generatur, & quomodo generatur. Aduerte igitur, quòd ſola aqua nõ eſt ſufficiens principium ſaporis, quoniam ſecundum ſe inſipida eſt, nec per ſolam actionem calidi, vel calefaciẽtis aquam fit ſaporoſa, niſi aliud immiſceatur aquæ, ſed conſumitur actione calidi. Non ergo aqua pura adjuncto calido eſt totalis cauſa ſaporis, nec terra pura cum calido eſt ſufficiens principium ſaporis, quoniã (vt ex experientia patet) omnis ſapor fundatur in humido, terra autem ſecundum ſe ſicca eſt: ergo, &c.

Licet autem terra nõ ſit totale principium ſaporis, tamen ſibi vt principali attribuuntur ſapores. nam aqua ſi admiſceatur terræ, vel tranſeat per eam, ſtatim fit ſaporoſa, vnde videmus aquas tranſeuntes per mineras trahere varium ſaporem ex illis. nam ſi tranſeunt per mineram ſalis efficiuntur ſalſæ, ſi per terrã aduſtam, vel per cineres, efficiuntur amaræ. Et de his locuti ſumus in Meteo. agentes de fontibus. ſimiliter videmus naſcentia ex terra trahere ſapores ex terra. ergo principale principium ſaporis videtur eſſe terra.

Vt igitur habeatur notitia completa de principiis ſaporis, aduerte quòd tria principia concurrunt, ſcilicet humidum aqueum, & ſiccum terreum admixtum humido aqueo, à quo patitur humidum aqueũ, in quo agit calidum igneum, ſimul cum calore cœleſti, quod quidem calidum eſt principium actiuũ ſaporis, digerit enim & decoquit humidum aqueum admixtum ſicco terreo, ex qua decoctione cauſatur ſapor, & ſecundum quòd diuerſificatur decoctio, diuerſificatur ſapor, vt declarabitur infrá. Principia igitur ſaporis ſunt humidum aqueum adiuncto humido aëreo ſubtili, & ſiccum terreum cõmixtum humido, & calidum igneum decoquẽs prædictũ.

Poſitis principiis materialibus ſaporis & principio actiuo, diffiniendus eſt, ſic igitur diffinitur ad mentem Philoſophi. Sapor eſt paſsio facta in humido aqueo à ſicco terreo ſibi admixto, & actione calidi digerentis & decoquentis, reducens guſtum de potentia ad actum per alterationem.

Primò dicitur paſsio, id eſt, qualitas in tertia ſpecie qualitatis, in qua reponuntur qualitates immutatiuæ ſenſuum exteriorum,

Secundò dicitur facta in humido, &c. quoniam quæcunq; ſaporoſa habent quandam craſsitudinem, quam non eſt innire in ſolo humido aqueo: ergo neceſſe eſt ſibi admiſceri ſiccum terreum, Præterea omnis eſca eſt ſaporoſa, aliter non actuaret guſtum, ſed non eſt ſimpliciter humida, vel ſimplex aqua, nec ſimplex terra, quoniã ſicut non cõſtamus ex ſimplici elemento, ſic nec nutrimur ex ſimplici elemento. neceſſe eſt ergo omnẽ eſcam eſſe elementatã, & cum ſit ſaporoſa, neceſſe eſt, vt ſapor conſurgat ex humido, & ſicco, & calido, &c.

Tertiò dicitur reducens guſtum, &c. quoniam proprium obiectum actuat ſenſum, & perficit,

Quartò dicitur per alterationem, quoniam guſtus cum ſit quidam tactus, fit per medium intrinſecum, & ſemper concurrit alteratio, quoniam in guſtu, & tactu non recipitur obiectum merè intentionaliter, ſed etiam realiter, quod non contingit ſine alteratione, calẽ fit enim, vel frigeſit lingua guſtans, ſicut manus tangens, Patet igitur quid ſit ſapor,

Quantum ad ſpecies ſaporis dicam tria. Primò vnde ſumenda eſt diſtinctio ſpecifica in ſaporibus. Secundò, vnde ſumitur diſtinctio amari à dulci. Tertiò, vnde ſumitur diſtinctio & pluralitas mediorum ſaporum.

Quantum ad primum, quoniam dictum eſt naturam ſaporis cõſtare ex humido, vt ſubiecto admixto ſibi ſicco, terreo, digeſto actione calidi, neceſſe eſt ſumere à diuerſitate humidi, ſecundum quod diuerſimodè digeritur à calido, diuerſitatem ſpecificam in ſaporibus. nam, ſi humidum admixtum ſicco bene digeritur, cauſat vnam ſpeciem, ſi imperfectè, aliam ſpecie, vt declarabitur. Et id quidem conſonum eſt, quoniam à quocunque eſt rei natura, ab eodem eſt vnitas & pluralitas eiuſdem.

Quantum ad ſecundum aduerte, quòd diſtinguitur amarum à dulci in hoc, quòd dulce generatur à calore temperato, & ſuauiter decoquente humidum admixtum terreo ſubtili non multum conſumendo ipſum, ſed ſubtiliando & quaſi reducendo ad humidum aëreum, quod eſt ſubtile, & optimè commiſcendo ſicco terreo. vnde dulcia ſunt ſubtilis ſubſtantiæ, & leuia, & optimi nutrimenti. Propterea dixit Ariſtote, Omnia nutriuntur dulci. Commiſcentur autem alij ſapores pro condimento, eò quòd nimis nutritiuum ſit dulce & ſupernatatiuum. Amarum verò generatur quando calor intenſus obtinet ſuperhumidum magis conſumens ipſum quàm decoquens, & quàm ſubtilians. Et propterea, amara ſunt aduſta, & calida ſicca terreſtria, vnde amaritudo meritò attribuitur caliditati, & ſiccitati.

Quantum ad tertium aduerte, quòd, cum media conſtituãtur ex participatione extremorum, diſtinguuntur & plurificantur medij ſapores ſecundum quod diuerſimodè accedunt ad dulcedinem ſiue amaritudinẽ, quod quidem poteſt fieri ſecundum debitam proportionem, & tunc ſapor medius eſt delectabilis, vel ſine proportione & debita cõtemperantia, & tunc ſapor medius eſt contriſtatiuus & abominabilis. Qui autem ſunt notiores ſic nominãtur à Philoſopho, dulces, pinguis, auſteris, ſtypticus, acutus, ſalſus, amarus. Et in quo diſtin-

diſtinguantur, & quomodo ordinẽtur, iam declaraui in quæſtio. formatis ſuper libro de ſenſu & ſenſato, & illic inuenies quomodo diſtinguitur auſterus ab acetoſo, licet nõ nomine ab Ariſt. & in ſumma apud eum non ponũtur niſi ſeptem ſpecies ſaporis. Duos quidem ponit extremos, ſcilicet dulce, à quo nõ diſtinguitur pingue, nec vnctuoſum, ita quòd hos tres ſimul pro vno, in quo tamen diſtinguantur, vide in quæſtio. prædictis. Altera ſpecies extrema eſt ipſum amarum: Mediæ autem ſunt quinque, ſcilicet ponticus, auſterus, ſtypticus, acutus, ſalſus: & dicit, quod videntur æquales ſpecies ſaporum ſpeciebus colorum, quas dicit eſſe ſeptem. Duas quidem extremas, ſcilicet album, à quo non diſtinguit flauum, ſicut non diſtinguit pingue à dulci, & nigrum. Poſit album ponit puniceũ, id eſt citrinum, & viride, & cyaneum, id eſt, colorem cœleſtẽ, & liuidum, quod ſe habet ad nigrum: ſicut ſalſum ad amarũ.

Et aduerte vltimò, quòd ſicut colores medij quanto magis propinquant albo, tanto magis lucidi ſunt, & quanto magis nigro, tanto magis obſcuri, ſic ſapores medij quanto magis propinquant dulci, tanto magis nutritiui ſunt, quoniam vita conſeruatur in calido humido, bene digeſto, quod inuenitur in dulci, vt diximus. Et quanto magis propinquant amaro, tanto minus nutritiui ſunt, quoniam ex calore adurente conſumitur humidum nutrimentale, vnde incinerata combuſta, & valde ſalſa peſſimi ſunt nutrimenti. Cauſant enim ſanguinem terreſtrem, & augent atram bilem. Hæc de ſaporibus dicta ſint.

CAPVT III.

De Odoris natura & eius ſpeciebus.

In capite tertio, agendum eſt de odore. Et aduerte, quòd Philoſophus in libro de ſenſu & ſenſato in hoc valde obſcurè procedit. Et huius cauſam puto, quoniam imperfectum hunc ſenſum habemus ex intenſa frigiditate cerebri. Veruntamen quæcunque inueſtigare potuimus circa naturam odoris & principia ſua; & diffinitionem eius, & circa ſpecies eius, iam ordinauimus in ſecundo de anima, agentes ſimul de ſapore, & odore. Et in quæſtio. ordinatis ſuper libro de ſenſu & ſenſato. Ideo ne inutiliter fiat repetitio, vide in prædictis locis.

Sed aduerte, quòd Ariſtote, in libro de ſenſu & ſenſato ponit duplicem diuiſionem odoris. Vnam quidem in ſpecies ſuas correſpondentes ſpeciebus ſaporis, & ab eis denominatas. Et de eis vide in locis præallegatis. Aliam autem in odorem delectabilem & contriſtatiuum, ſiue abominabilem. Et hoc iterum dupliciter, quoniam quidam eſt delectabilis & abominabilis in ordine ad odoratum tantùm. Quidam autem in ordine ad eſcam. In primo ſenſu, competit ſoli homini. Delectatur enim homo ſuauè odorantibus, vt floribus, & aliis aromaticis, etiam quòd non conferant alimento, nec redderent cibum decoctum ſuauiorem, imò ingratiorem ipſum facerent: vt ſi vnguenta ſuauè olentia miſcerentur ferculis: & abominatur malos odores, & contriſtatiuos odoratus, vt cùm odorat ſulphur, aut picem, aut putrefacta, aut pennas combuſtas. Cauſa autem, propter quam hoc eſt propriũ homini, eſt intenſa frigiditas cerebri, quàm expedit contemperare huiuſmodi odoribus, quoniam fundantur in calido ſicco, & ideo ſanant indiſpoſitionem cerebri, & confortant, ſi temperatè odorentur. Abominabiles autem odores maximè delectetur his odoribus, non ſolùm in ordine ad conuenientiam nutrimenti, ſed ex ſola complacentia, ſignum eſt, quòd voluptuoſus & intemperans comedit cibum, quem ſcit ſibi eſſe nociuum, attractus ſola ſuauitate odoris, & relinquit cibum ſalubrem, ſi non delectabiliter olet. In ſecundo autem ſenſu, ſcilicet in ordine ad cibum conuenit homini & animalibus, quærentibus cibum à remotis, trahuntur enim ex odore ad cibum, vt canes, & piſces: ſed animalia modò inueniant cibum conuenientem non offenduntur fœtore, vt patet in cane comedente cadauer, homo autem ſic, ex cauſa dicta. Et propterea, reſpectu odoris delectabilis, & abominabilis ſecundum ſe, dicitur homo habere nobiliſsimum odoratum, quoniam ſolus diſcernit huiuſmodi differentias: reſpectu autem ſpecierum odoris, imperfectum habet ex indiſpoſitione organi, quam aſsignauimus ſuprá. Hæc de odore dicta ſint. Reliqua patent ex Secundo de Anima, & præcipuè de diuerſo modo odorandi in aquaticis & in terreſtribus animalibus.

CAPVT IIII.

Quorundam dubiorum de prædictis, ſoluto ponitur.

Circa quartum caput aduerte, quòd poſtquam Ariſtotel. conſideraui de obiectis trium ſenſuum, ſcilicet viſus, guſtus, odoratus, mouet & ſoluit tria dubia.

Primum eſt circa obiecta quinque ſenſuum, de quibus dubitatur, cùm ſint qualitates ſenſibiles & non exiſtant niſi in corporibus, vtrum ſint diuiſibiles in infinitum.

Secundum eſt circa obiecta ſenſuum, vt immutant medium, & ſenſum, vtrum prius immutent medium, quàm perueniant ad ſenſum.

Tertium eſt circa ſimultatem ſenſationum, vtrum in eodem inſtanti plures ſenſus poſſint ſentire, puta quòd viſus videat, & manus tangat.

An obiectum ſenſus ſit in infinitum diuiſibile. Quantum ad primum aduerte, quòd poſſunt imaginari eſſe diuiſibiles in infinitum tribus modis. Primò quo ad diuiſionem formalem, qua diuiditur genus in ſpecies. Secundò quo ad diuiſionem quantitatiuam, qua diuiditur albedo ad diuiſionem ſuperficiei. Tertiò quo ad diuiſionem actus ſentiendi, ita ſcilicet, quòd poſſint ſentiri ſub minori, & minori, & minori quantitate in infinitum. Philoſophus ſoluit propoſitum dubium ſecundum hos tres modos.

Primò probat, quòd non ſunt diuiſibiles in infinitum in primo ſenſu ſic. In quolibet genere datur vna prima contrarietas, quæ eſt inter duas differentias maximè diſtantes, quę conſtituunt duas extremas ſpecies, ex decimo Metaphyſicæ, ergo in quolibet genere ſenſibilium datur prima, & vltima ſpecies, ſed inter primam, & vltimam ſpeciem non poſſunt eſſe ſpecies mediæ infinitæ, vt patet, ergo color, nec ſonus, nec odor, nec ſapor, nec aliud genus ſenſibilium qualitatum poteſt diuidi in ſpecies infinitas, ſunt ergo finitæ ſpecies coloris, quarum extremæ ſunt, album, & nigrum, & in ſapore, dulce & amarum, &c.

Secundò probat, quòd ſunt diuiſibiles in infinitum in ſecundo ſenſu ſecundum partes inæquales, non autem ſecundum æquales, ſic: cùm qualitas ſenſibilis, puta albedo, recipiatur in quanto continuo, ergo fit quanta per accidens, ex conſequenti diuiſibilis eſt, ſicut diuiditur continuum, ſed continuum ex ſexto Phyſico, diuiditur in infinitum ſecundum partes proportionales, quæ non ſunt æquales. Nam ſumpto continuo bipedali, primò diuiditur in duas medietates, & prima medietas in duo, & medietas medietatis in duo, & ſic procedendo partes ſemper fiunt minores: ergo inæquales. Si autem continuum ſit finitum, puta decem pedum, & diuidatur in partes æquales, puta ſemper auferendo quantitatem vnius pedis, conſtat quòd diuiſio non tendit in infinitum. nam ablatis decem pedibus, totum continuum erit conſumptum. Cùm igitur albedo, & ſapor, & odor, & calor, &c. ſint in continuo & ſint extenſi per accidens, patet quod eodem modo diuiſibiles ſunt in infinitum, ſicut corpus continuum cui inſunt.

Tertiò probat quòd non ſunt diuiſibiles in infinitum in tertio ſenſu ſic, cùm qualitas ſenſibilis, puta albedo, ſit quanta per accidens, poterunt eius partes conſiderari ſicut conſiderantur partes continui. Huius autem partes poſſunt conſiderari inquantum ſunt in continuo, & inquantum abinuicem ſeparatę; primo modo ſunt in potentia, ſecundo modo ſunt in actu: eodem modo poſſunt conſiderari partes albedinis, & quidem ſi conſiderentur primo modo, non ſunt ſenſibiles niſi in potentia, quoniam viſus videns album terminatur ad illam albedinem actu, vt eſt quoddam totum, & non ad hanc partem tantùm, vel illam, niſi particulariter ſignetur. Ex quo ſequitur quòd qui audit totam vnam conſonantiam conflatam ex multis proportionibus muſicalibus, non eſt neceſſe quod actu percipiat omnem partialem conſonantiam, niſi per ſe, & ſeparatim fiat, vnde (vt inquit Ariſt.) contingit totum cãtum audire, & tamen dieſim latere audientem. Cùm igitur non ſint ſenſibiles niſi in potentia quandiu non ſunt abinuicem ſeparatæ, patet quod non poſſunt videri ſub minori, & minori, & minori quantitate, & ſic in infinitum.

Si autem conſiderentur in ſecundo ſenſu, dico quòd non poſſunt diuidi in infinitum, ita quod actu ſeparentur abinuicem, & vna quæque per ſeipſam ſentiatur: quod probatur dupliciter, primò ex parte ſenſibilium qualitatum, ſecundò, ex parte ſenſus.

Ex parte ſenſibilium qualitatum ſic, cùm ſint in corpore naturali, eo modo ſunt diuiſibiles quo eſt diuiſibile corpus naturale: ſed licet, vt corpus ſit diuiſibile in infinitum, non tamen vt naturale, quoniam in eo eſt deuenire ad minimum per ſe exiſtens propter formam naturalem, quæ ad ſui conſeruationem in materia requirit determinatam quantitatem, ergo eſt deuenire per diuiſionem actualem ad minimum album, & minimum ſapidum, & minimum calidum, quæ ſi iterum diuiderentur non permanerent, ſed (vt inquit Ariſtot.) reſoluerentur in continentia: ſicut minimus liquor ſaporoſus infuſus mari conuerteretur in aquam maris, & modica aqua infuſa amphoræ vini conuertitur in vinum. Patet

igitur q̃ necesse est obiecta sensiuum si debent mouere sensum esse sub determinata quantitate, ex consequenti ad hoc q̃ sentiantur non possunt diuidi in infinitum.

Ex parte autem sensus sic. Obiectum quanto est sub minori quantitate tanto minus immutat organum, & tanto difficilius est ipsum sentire. vt patet in visu: ergo secũdum quod diuiditur obiectum in minores, & minores partes, necesse erit augeri virtutem ipsius sensus, vt percipiat obiectum sub minori, & minori quantitate: sed virtus ipsius sensus non potest augeri in infinitum, cùm sit virtus, & potentia consequẽs est fundata in anima, quæ cùm sit forma naturalis est determinati gradus, & suum esse stat in indiuisibili, ergo nec obiectum potest diuidi in minus in infinitum, ita q̃ sentiatur, sed est status, ita q̃ diuisum vlterius non sentietur, necesse est igitur in colore, in sono, in sapore, in odore, in qualitatibus tangibilibus ponere terminum non solùm secundum diuisionẽ in species, sed etiã in partes quantitatiuas, vt seorsum & separatim sentiantur. Hæc de primo dubio dicta sint.

An sensibile prius medium, quàm sensum immutet.

Quantum ad secundum dubium aduerte, q̃ ly prius stat pro prioritate temporis, & non pro prioritate naturæ, vel causalitatis, quoniam de his manifestum est. Ex eo enim q̃ obiectum immutat medium, immutat sensum, sed dubium est de prioritate temporis, quoniam Empedocles posuit lumen prius peruenire à sole ad medium, quam ad visum, aut ad terram, Et quoniam secundum eum in omni sensatione in teruenit motus, omnis autem motus fit in tempore, ergo, &c.

Ad hoc dubiũ respondens Arist. distinguit de sensu, quoniã quidã est sentiens per mediũ coniunctum organo, vt gustus, & tactus, in quibus mediũ est caro, vt diximus in secundo de anima. Quidã per mediũ extrinsecũ, & remotũ, vt visus, auditus, & odoratus. Item sensuum sentientium per medium extrinsecum, quidam sentit interueniente motu locali ex parte medij, vt auditus: quidã sentit interueniente motu alterationis ex parte medij, vt odoratus: quidam sentit nullo facto motu reali ex parte medij, vt visus. Positis his distinctionibus, pono de mente philosophi quatuor conclusiones.

Visibile prius medium quàm visum immutat.

Prima in visu, Non est necesse medium prius immutarì à visibili quam organum visus, quoniam visibile vel est lumẽ, vel color: nam videmus, & lucida, & colorata: sed lumen nõ prius immutat medium, imò simul immutat medium organum, quoniam illuminatio medij non est motus localis, sed fit in instanti, vt declaratum est in sexto physic. eo q̃ lumen caret contrario, sibi enim opponitur tenebra, quæ est priuatio, quæ deficit ad solam præsentiam lumino si, vnde totus aër medius inter visum, & luminosum simul illuminatur, & non per partem post partem: ex consequenti non prius medium immutat quam organum visus, remoto impedimento ex parte videntis. Similiter color absque aliquo motu reali, & mere intentionaliter causat sui speciem in medio, & in organo, ergo non prius in medio, sed simul tempore in vtroque, Remoto enim motu remouetur successio immutationis.

Sonus immutat medium prius quam organum.

Secunda in auditu, Necesse est prius immutari medium per partem post partem à sono, quam organum, quoniam non causatur sonus nisi cum motu locali aëris, vel aquæ, vt declaratum est in 2. de anima, vnde necesse est partem aëris propinquam sonoro, vel sonabili percutere sequentem cum delatione soni & illam aliam, & sic successiuè. Et propterea prius videmus fulgur quam audiamus tonitruum, cum tamen prius fiat tonitruum, vt diximus in Meteo. necesse est ergo, vt prius immutetur localiter medium per partem post partem, quàm q̃ sonus ad organum deueniat: vtrum autem sit necesse totum medium immutari à solo realiter vsque ad organum, diximus in 2. de anima in cap. de auditu.

Odorabile prius medium quã organum immutat.

Tertia, In odoratu prius immutatur medium quod est aër vel aqua, quàm organum, quoniam non sentitur odor nisi ab odorifero resoluatur fumalis euaporatio, quæ recepta in medio alterat medium causans in eo odorem realiter, sicut calidum causat calorẽ. In parte igitur propinqua corpori odorifero causatur motu alterationis odor, & hæc pars facta odorifera alterat subsequentem, & illa aliam, quoniam quando medium est multum non simul totũ, sed successiuè alteratur, sicut & partes aquæ successiuè calefiunt ab igne: oportet ergo mediũ prius immutari motu alterationis ab odore q̃ sentiat odoratus, vtrũ autẽ sit necesse odorẽ recipi realiter in toto medio vsque ad organum, diximus in cap, de odoratu.

Tangibile non prius medium quàm sensum immutat.

Quarta, Non est necesse in gustu, & tactu obiectum prius immutare medium quàm organum, quoniam sentiunt per mediũ coniunctum, quod est de substantia sentiẽtis, quod est caro, vt diximus in Secundo de Anima, cui immixti sunt nerui, qui sunt organum tactus, & gustus, vt diximus ibidem, Et propterea statim q̃ gustabile vnitur linguæ, & tãgibilis quatari medium in his sensibus, quã organũ. Secus autẽ esset si gustaremus, aut tangeremus per medium à remotis, tunc enim accideret sicut & in odoratu, quoniam nec gustus, nec tactus fit sine alteratione medij, vnde dicit Arist. in lib. de sensu, & sensato, esset vtique gustare sicut odor, si remotus, id est per medium remotũ tãgeremus. Hæc de secundo dubio sufficiat.

Quantum ad tertium dubium dico duo. Primò arguo q̃ impossibile sit animali duobus sensibus simul, id est, in eodẽ instanti sentire sensibilia diuersorum generum, puta quòd eo instanti quo videt album, audiat sonum. Secundò declaro quo modo hoc sit possibile, & soluo argumentum.

Circa primum aduerte, q̃ Arist. arguit ad partem negatiuam tribus rationibus, ex quibus adduco difficiliorem, quæ est hæc in summa. Animal non potest eodem sensu simul sentire distincta sensibilia eiusdem generis, puta non potest visu simul videre album & nigrum, ergo non potest diuinctis sensibus simul sentire distincta obiecta diuersorum generũ, puta visu album, auditu sonum: consequentia videtur manifesta à maiori negatiuè: videtur enim minus impossibile q̃ simul sentiam eodem sensu duo obiecta eiusdẽ generis, quàm duobus sensibus duo obiecta diuersorum generum: quoniã cùm sentire sit quidam motus, duo motus minus diuersi videntur se magis compati in eodem, quàm magis diuersi. Constat autem q̃ duæ sensationes duorum obiectorum vnius generis sunt minus diuersæ, quam duæ duorum obiectorum distinctorum generum, ergo si illæ non se compatiuntur, nec istæ. Antecedens autem sic probatur. Vnus sensus numero non potest simul actuari pluribus sensationibus, quoniam se habet sensatio ad sensum sicut forma sua. Idem autem nõ potest simul informari pluribus formis eiusdem generis, sicut non potest eadem pars superficiei fieri simul alba, & nigra, sed plures sensationes sunt circa plura sensibilia, ergo vel est necesse ex pluribus sensibilibus fieri vnum, vt simul sentiantur, & tunc sentiuntur vt vnum, non vt plura, sicut quando gustamus saporem mixtum ex dulci, & austero: vel non possunt simul sentiri, vt remanent distincta. Patet igitur q̃ si animal non potest eodem sensu plura sentire pro eodem instanti, nec plura pluribus sensibus.

Et confirmatur, quoniam si simul sentit plura distinctagenere pluribus sensibus, ergo cognoscit in eodem instanti differẽtiam eorum, quomodo, scilicet differt album à sono, vel à sapore, &c. Sed non potest assignari differentia inter duo distincta genere, nisi ab vna potentia vtrunque apprehendatur, ergo est impossibile duos sensus, vt duo sunt, simul plura sentire, nisi ex duobus sensibus fiat vnus sensus, quod est impossibile, vt patet.

Circa secundum aduerte, q̃ Arist. respondens concedit q̃ plura vt plura possunt simul à pluribus sensibus sentiri, hac tamen ratione quòd plures sensus exteriores correspondẽt vni interiori, sicut plures lineæ correspondẽt vni cẽtro. Item q̃ vnus sensus potest simul sentire plura sensibilia eiusdemgeneris, vt album & nigrum, & duas voces simul, acutam, & grauem, prout hic sensus, puta visus subordinatur sensui communi, in quo terminantur sensationes omnium sensuum exteriorum, ita q̃ ratio sentiendi plura simul, siue per plures sensus, siue per vnum non sumitur præcisè à sensu exteriori, quoniam vt sic ratio in oppositum adducta concluderet, sed sumitur ex reductione ad vnum superiorem, in quo vniuntur sensus exteriores, quem in 2. de Anima diximus esse, & nominari sensum communem, & illis assignauimus necessitatem ponendi ipsum, & proprias actiones suas. Et quoniam (experientia teste) constat q̃ dictum est de pluribus sensibus, & de eodem sensu quo ad simultatem plurium sensationum, ideo Arist, non multum laborat ad hoc probandum, sed conatur declarare quomodo ratio suprà inducta, nec contra ratio concludunt.

Nos igitur formaliter respondentes ad rationẽ, negamus antecedens. Ad probationem dicimus, q̃ non est eadem ratio de simultate plurium formarum eiusdem generis secundum esse reale, & secundum esse intentionale, quoniam istæ non se compatiantur secundum esse reale in eodem, tamen se compatiuntur secundum esse intentionale, quoniam secundum illud nullam habent repugnantiam adinuicem. & quoniam in sensu recipiuntur formæ sine materia, id est, secundum esse spiritale, ex diffinitione sensus data in 2. de Anima, ideo antecedens illius rationis non est verum. Et aduerte, q̃ hæc solutio est secundum diuum Tho. Nam in commentario lib. de sensu & sensa. circa fi. exponens tex. qui incipit, Vel quemadmodum, sic dicit. Non omnino se habet in sensu, & in intellectu, sicut in corporibus naturalibus. Corpus enim naturale recipit formas secundum esse naturale, & materiale, secundum quod habent inter se contrarietatem, & ideo non potest idem corpus simul recipere albedinem, & nigredinem: sed sensus, & intellectus recipiunt formas rerum spiritaliter, & immaterialiter secundum esse quoddam intentionale, prout non habent contrarietatem, vnde sensus, & intellectus simul possunt recipere species contrariorum, cuius simile potest videri in diaphano, quod in vna & eadẽ parte sui immutatur ab albo, & à nigro, quia immutatio non est materialis secũdũ esse naturale, vt suprà dictũ est. Hæc diuus Th.

Ad confirmationẽ autem conceditur consequentia: & cùm dicitur, quòd non potest assignari differentia inter duo distincta genere, nisi ab vna potentia vtrunque apprehendatur.

Respondetur, quòd sufficit vtrunque apprehendi ab vna potentia, vel à duabus, vt vniuntur in vna superiori, in qua terminantur vtriusque apprehensiones. Et hæc secunda pars est vera, quoniam omnes sensus exteriores adinuicem quidem comparati sunt distincti, respectu autem sensus communis, in quo vt in communi termino vniuntur, sunt vnum. Concedo igitur, quòd nisi distincti sensus vnirentur in aliquo vno superiori, non possunt simul plura apprehendere, & inter ea assignari differentia. Et ideo antiqui ignorantes naturam sensus communis, non poterant hanc rationem soluere, & cogebantur negare quòd simul plura sentiamus: & quoniam videbantur negare experientiam, dicebant, quòd in rei veritate non simul, id est, in eodem instanti, sed in tempore imperceptibili, ita quod ex parte rei prius vnum quã aliud sentimus, licet id nos lateat, & ad hoc deducebantur, quoniam nesciebãt pluralitatem sensuum exteriorum ad vnum intrinsecum, vt communem terminum deducere, sicut inuenit Aris. à quo sic habemus in lib. de Sensu, & sensato. Similiter ergo ponendam est in anima, idem & vnum esse numero sensitiuum omnium, secundum esse tamen alterum, & alterum, horum quidem genere, horum autem specie: quare sentiet quidem simul eodem & vno, ratione autem non eodem. Hæc Arist. Et intendit, quòd in anima est vna potentia sensitiua omnium obiectorum sensibilium distinctorum genere & distinctorũ specie, quam dicimus Sensum communem, qui in se quidem vnus est, comparatur autem ad diuersos sensus, vt centrum ad diuersas lineas, quarũ est terminus, alter & alter est secundum rationẽ. Et propterea verum est dicere animal sentire plura simul vno sensu, & nõ vno. Vno quidẽ subiecto, nõ vno autẽ ratione, siue formaliter. Hæc de tertio dubio dicta sint.

De organis & obiectis igitur sensuum exteriorum hæc diximus, non declinantes à mente Aristotel. in libro de Sensu & sensato, qui proprio titulo deberet dici liber de sensitiuo, id est organo, & sensato, id est obiecto sensuum exteriorum.

CHRYSOSTOMI IAVELLI

EPITOME IN LIBRVM DE SOMNO & vigilia, vnicum Tractatum complectens, qui in tria capita diuisus est.

Consideratione Aristotel. in lib. de Somno & vigilia perstringemus in vno tractatu, quem diuidemus in tria capita.

In primo agemus de vigilia & dormitione.

In secundo de somnio.

In tertio de diuinatione somniorum.

CAPVT I.

De dormitionis & vigiliæ causis, & subiecto.

In primo capite quatuor agenda sunt.

Primò, quibus competant vigilia & dormitio.

Secundò, posito quòd competant soli animali, secundum quam partem primò dormiunt & vigilant.

Tertiò, quæ sint dormitionis causæ.

Quartò, solletur dubium.

Quibus competunt vigilia & dormitio.

Quantum ad primum aduerte, quòd non sunt passiones solius animæ, vt intelligere: nec solius corporis, vt moueri deorsum, sed coniuncti, id est ipsius viuentis, nec omnis viuentis, sed solius animalis, quoniam cùm vigilare sit vti aliquo sensu, & dormire sit priuari vsu sensus (Dicitur enim dormitio vacatio sensuum exteriorum, eius cuius erit vigilia) & dormitio, cuius est sentire: sed sentire non est animę, nec corporis, sed coniuncti, nec omnis viuentis, sed solius animalis, quoniam sensitiuum est differentia propria animalis: ergo idẽ concludendum est de vigilia, & dormitione. Et quidem quòd sentire sit passio totius viuentis, non absolutè, sed solius, & omnis animalis, probat sic Ari. Cuius est potentia siue virtus eius est actio: sed sensus est totius viuentis, quod est animal. sensitiuum enim constituit animal: ergo sentire est passio non solius animæ, vel corporis, sed totius, quod est animal. Cùm igitur vigilia, & dormitio cõsequantur partẽ sensitiuam, quoniam cùm sint priuatiuè opposita habent fieri circa idem, sequitur quod plantæ, nec viuẽtia separata possunt dici propriè vigilare, nec dormire, nisi fortè metaphoricè, vt dicantur plantæ dormire in hyeme, quia non pullulant, in vere autẽ vigilare, quia pullulant, & Deus dicatur dormire, quando non punit malos, & vigilare, quando castigat, sed hæc non sunt præsentis negotij.

Vigilia et somnus Deo quomodo conueniunt.

Sed aliquis quæreret, vtrum insint omni animali, & vtrum alternatim, ita quòd sit necesse omni animali, quantumcunque imperfecto, aliquanto tempore vigilare, & aliquanto tempore dormire, & iterum excitari, & iterum dormire, ita quod non possit semper vigilare?

Respondeo vtrique quæsito affirmatiuè, & quidem quòd insint omni animali declaro sic, Cuicunque inest sensus contingit inesse solutionem, siue vsum sensus, aliter frustra sibi inesset sensus, habemus enim sensum, vt sentiamus, solutio autem sensus vigilia dicitur: sed omni animali inest sensus, ex diffinitione sua: ergo ei contingit inesse solutionem sensus, quæ dicitur vigilia. Quòd autem insit dormitio declaro sic. Vigilia & dormitio sunt, vt habitus, & priuatio, ergo habent fieri circa idem: ergo sicut omne animal aptum est vigilare, ita aptum est dormire. Præterea, omne animal aut perfectum, aut imperfectum est: si perfectum, manifestè videmus ipsum vigilare, & dormire: si imperfectum, adhuc idem videmus: licet non ita manifestè, aut quia non claudunt oculos, sicut carentia palpebris, aut quia parua, & breui indigent dormitione, propter paruam nutrimenti euaporationem: vt habentia durum corium & squammosa, vt serpentes. vnde dicuntur dracones vigiles, aut propter frigiditatem complexionis, sicut pisces, qui tamen visi sunt dormire. vnde (inquit Aristotel.) genera piscium omniúmque marinorum visa sunt dormientia. Quòd autem necessariò insint alternatim omni animali, declaro sic. Et primò quòd post aliquãtam vigiliam necessariò sequitur dormitio. Et secundò, quòd post aliquantam dormitionem sequitur vigilia. Primum sic, In omni actione sensuum animal laborat, eo quod sensus est virtus organi: a: organum autem, cùm sit elementatum, alterabile est, & ex eo quod virtus sentiendi indiget spiritibus sibi ministratis à corde, qui paulatim debilitantur & resoluuntur, nisi renouentur & fortificentur: ergo post determinatum tempus necesse est sensum vacare & immobilitari, vt quiete confortetur, & restaurentur spiritus sensitiui. Hæc autem vacatio, & immobilitas sensus dicitur dormitio. ergo ne animal continuato labore vigiliæ deficiat, necesse est post aliquantam vigiliam sequi dormitionem. Hinc videmus aliquos prohibitos dormire ab hostibus suis, omnino defecere viribus, & si longo tempore sint insomnes, penitus deficiunt. Secundum sic, Cùm dormitio sit vinculum, & immobilitas partis sensitiuæ, necesse est omne dormiens esse sensitiuum. Sensitiuum autem est quod potest sentire secundum actum. sicut calefactiuum quod potest actu calefacere. ergo necesse est omne dormiens posse sentire secundum actum, sed non inquantum dormiens. ergo necesse est ipsum excitari, vt actu sentiat.

Ad quã animæ

Præterea, si post dormitionem regulariter non sequeretur vigilia, non haberet rationem quietis, & salutis, sed potius destructionis. Certum est enim, quòd nisi dormiens expergisceretur, non reciperet alimentum, ex consequenti deficeret, & tunc destrueretur causa finalis dormitionis. Naturę enim auctor intendit dormitionem in animali, vt fortius operetur, & non vt corrumpatur, quòd si contingat aliquem dormientem non amplius excitari, id prouenit ex pessima ægritudine, & non ex causis naturaliter inducentibus somnum. Nec dicendum est talem propriè dormire, sed mortiferè ægrotare, vt dicemus infrà. Patet igitur quòd vigilia & dormitio insunt soli animali, & omni, & alternatim.

Quantum ad secundum aduerte, quòd cùm dormitio sit vacatio siue priuatio sensationis in omnibus sensibus exterio-

partē som nus & vigilia attineant.

ribus (si enim homo vtitur vno sensu, dato ꝙ non vtatur aliis, non dicitur dormire) necesse est reducere dormitionem ad illam partem, vt ad primum subiectum, qua soluta soluti sunt sensus exteriores, siue insint omnes, vt in animali perfecto, siue solus gustus & tactus, vt in animali imperfecto, & qua ligata siue immobilitata omnes ligantur. Hanc autem partem dicit Arist. esse illam, in qua situatur sensus communis: siue sit pars anterior capitis, vt in animali perfecto, sicut diximus in 2. de Anima, siue sit pars proportionalis illi, vt in animali imperfecto. nam à corde transmittuntur spiritus sensitiui ad sensum communem, vt ad fontem & communem terminum, & à sensu communi transmittuntur ad organa sensuum praticularium, vt aqua fontis ad riuulos. Ita quòd sensus communis est principium primum, à quo virtutem sentiendi actu recipiunt sensus particulares, & ad quem terminantur eorum sensationes, sicut diuersæ lineæ ad vnū centrum. Sicut igitur deficiente aqua fontis, deficit & in riuulis: & sicut restituta fonti restituitur riuulis, nisi obturentur ora riuulorum, sic ligato & immobilitato sensu communi, vtpote vniuersali principio sentiendi, ligantur omnes sensus particulares, & hæc ligatio dicitur dormitio, & soluto sensu communi soluuntur sensus particulares, & hæc solutio dicitur vigilia. Primum igitur subiectū vigiliæ, & dormitionis est sensus cōmunis. Quibus autem causis soluatur, & ligetur sensus cōmunis, dicemus infrà agentes de causis dormitionis.

Sed quoniā aliquis negare posset dari sensum cōmunem, ex consequēti reductionem vigiliæ, & dormitionis ad ipsum (vt ad primum subiectum) esse fictionem, ideo Arist. probat necessitatem huius sensus rationibus tactis in 2. de anima, & in lib. de sensu & sensato, quæ sunt duæ. primò, animal sentit se sentire, vt cognoscit se videre, & audire, &c. & hoc non aliquo sensu particulari. visus enim non cognoscit nisi lucidum vel coloratum. visio autem nec lucida, nec colorata est, vt patet. ergo, &c. Idem dico de quocunque alio sensu exteriori respectu actionis suæ. ergo necesse est dari alium sensum iudicatiuum circa huiusmodi actiones. Iudicare autem non posset nisi ad ipsum terminentur actiones omnium sensuum exteriorum, vt ad cōmunem terminum, & hunc dicimus esse sensum cōmunem. Secundò, animal cognoscit differentiam inter obiecta diuersorum generum, vt inter colorem, & sonum. hanc autem non potest cognoscere aliquis exteriorum sensuum, quoniam cognoscens differētiam inter aliqua duo, necesse est vt vtrunque apprehendat. nullus autem particularis sensus apprehendit colorem, & sonum per se: ergo necesse est dare sensum superiorem ad quem terminentur sensationes: & visus, & auditus, & aliorum sensuum, & hic cognoscet huiusmodi differentiam, & hunc dicimus sensum cōmunem. Vnde dicit Aristo. est autem quædam & communis potentia, quæ sequitur omnes, quia & quod videt, & audit & sentit. non enim visu quidem videt quoniam videt, & iudicat, & potest discernere, quoniam alia quidem sunt dulcia ab albis, nec gustu, nec visu, nec ambobus, sed quadā communi particula omnium sensitiuorum. Hæc Arist. Patet igitur vigiliam, & somnum inesse animali, primò & principaliter propter sensum communem, & ab ipso deriuantur ad sensus exteriores, vt clarius dicetur infrà.

Quantum ad tertium, vt perfectè sciamus causas dormitionis, dicemus de eius causa finali, & de materiali, & de efficiente, & de formali.

Quæ nam somni & vigiliæ causæ.

Quantum ad finalem, dicit Arist. esse salutem, & conseruationem animalis. cuilibet enim non potenti continuare actiones suas, & motus proprios cum delectatione, necessaria est quies, vt interpositione saluetur, & conseruetur operans, & mouēs seipsum: sed omne animal est huiusmodi: quoniam organa sensuum, & principia motus alterabilia sunt, & defatigabilia. ergo indiget quiete, & interpositione. & hanc quidem quietem virtutum animalium dicimus somnum. dico autem virtutum animalium, id est, sensitiuarum exteriorum, ad differentiam sensitiuarum interiorum: quas non est necesse quiescere, & vacare in dormitione, vt dicemus agentes de somnio, & ad differentiam virtutum naturalium, id est, vegetatiuarum, quæ in dormitione intensiua operantur, propter adunitionem caloris, vt dicemus agentes de causa efficiēte dormitionis. Huiusmodi autē quies iterum ordinatur ad vigiliā, id est, ad operandū, siue exercendū opera sensuum promptè & delectabiliter: & in homine ad intelligendū. Sentire enim & intelligere optimū est in nobis. Dicamus igitur, finem dormitionis esse, vt quiescamus à labore actionū potentiarum sensitiuarum, & motiuarū, & intellectiuarum. Admiscetur enim labor in intellectione ex eo quod necesse est intelligentem phantasmata speculari. Ideo autem quiescimus, vt reassumptis viribus, & fortificatis organis, promptè & delectabiliter iterum reuertamur ad opera nobis conuenientia. Et propterea bene inquit Aristo. quare propter salutem animalium existit somnus, vigilia verò finis: nam sentire, & sapere omnibus finis, quibus inest alterum eorum. Hæc Aristot.

Quantum ad causam materialem possumus dicere, ꝙ primum instrumentum, siue organum est cerebrum, primum autem subiectum, in quo recipitur dormitio, est sensus communis, quoniam, (vt diximus suprà) est fons sensuum exteriorum, qui primò ligatur, & de modo ligationis suæ dicemus infrà. Primum verò principium, siue radix est cor in habentibus sanguinem, in non habentibus autem aliquod proportionale cordi. Et quidem, ꝙ sensus communis, qui situatur in prima parte cerebri sit primum subiectum, diximus suprà. Nunc autem probādū est cor esse primum principium dormitionis, & vigiliæ, & arguo sic. Cùm dormitio, & vigilia consequantur partem sensitiuam, & motiuam (Est enim dormitio priuatio sensationis, & motus localis) ergo idem est principium sentiendi, & mouendi secundum locum in animali, & vigilandi, & dormiendi: sed cor in habentibus sanguinē est primum principiū sentiendi, & mouendi secundū locum, quoniā cor est primum principiū spirituum, vt testatur continua refrigeratio per respirationem, & inspirationem, & sine spiritibus transmissis à corde ad organum sensus cōmunis & potentiæ motiuæ non fit sensatio: nec motus localis in animali, vt dicemus infrà agentes de causa efficiente dormitionis; ergo manifestum est, ꝙ cor est primū principium vigiliæ, & dormitionis. quod autē attribuitur cordi in animali perfecto, attribuitur alicui particulæ, quæ est loco cordis in animali imperfecto, vt in animalibus dictis rotula, siue annulosa, vt apes, vespæ, papiliones, & bombycia, id est, faciētia sericum. Indeterminata enim particula est perseuerans spiritus complantatus, qui in eis est principium sentiēdi: & motus localis, cuius signum est: ꝙ in eis videmus continuum motum circa diaphragma, quoniā illic stat spiritus pulsatilis cōplantatus. Hæc dicta sint de primo principio dormitionis, & vigiliæ.

Sed insurgit dubiū, quoniā dictum est dormitionē esse priuationem sensationis, & motus localis. nam videmus aliquos dormientes surgere, & ambulare, & agere stupenda.

Respondeo. Hic intendimus de his, quæ formaliter, & per se conueniunt dormitioni. ea autem formaliter, & perfecti conueniunt, quæ causantur à causis naturalibus inducentibus dormitionem. Huiusmodi autē causæ (vt dicemus infrà agentes de causa efficiente) faciunt organa sensuum & potentiæ motiuæ oppilari, ex consequēti faciunt priuationem motus, & sensus. Quod autem aliqui dormientes moueant se localiter: id non prouenit à causa naturali, sed non naturali. & est calor inordinatus, siue extraneus, & non bene regulatus. nam sicut calor naturalis diffusus per neruos, & musculos, est causa ordinati motus in vigilante, sic calor innaturalis diffusus in corpore aliquorū dormiētiū est causa multorū motuū inordinatorū, vt patet in febricitantibus dormientibus, qui iactāt se in lecto propter calorē febrilē, vnde omnes agitantes se in lecto, & surgentes, & ambulātes id patiūtur ex calore irregulato. quare nō vt dormientes, quoniā vt sic sunt quiescētes, sed vt infirmātes potius huiusmodi motus habēt, cuius signū est ꝙ expergefacti sentiūt se fatigatos, & debiles, & tamē dormitio, vt dormitio fortificat & restaurat.

Quantum ad causam efficientem, quoniam dicemus hanc esse euaporationem factam ex nutrimento ad caput, primò dicemus aliqua de nutrimento, prout deseruiunt præsenti intentioni, deinde assignabimus causam efficientem dormitionis, & declarabimus manifestis signis.

Aduerte igitur, ꝙ necesse est animal nutriri, & augeri statim, ꝙ recipit sensum, sed nutriri vsque in extremum vitæ propter restitutionem humidi substantifici, quod continuè deperditur ex consumptione facta à calore naturali, vt dicemus in libro de causa mor. & vi. augeri autem non conuenit vsque ad extremum vitæ, sed ad determinatum tempus, in quo acquiritur quantitas debita viuenti secundum speciem suam, vt dictum est in Primo libro de Generatione. Nutrimentum autem proximum, quod in substātiam animalis conuertitur, est sanguis in habentibus sanguinem, & in non habentibus sanguinem est aliquod proportionale sanguini. Recipitur autem sanguinis in venis, vt in proprio loco vt ex eo deferatur, & distribuatur per omnes partes corporis, & venarum omnium principium est cor, à quo velut à fonte calido, & humido venæ recipiūt sanguinē. Antequam autem

cibus conuertatur in sanguinem, primò recipitur in stomacho, & ibi decoquitur prima decoctione, qua separatur crassum à subtili, deinde subtile transmittitur ad hepar, & adhuc magis decoquitur, ac depuratur, deinde transmittitur ad cor, & illic completur digestio, & facta conuersione in sanguinem subtilem recipitur sanguis in venis, & à corde fit multa euaporatio per venas ad caput, quoniam calidum facit euaporare humidum. Cor autem calidum est, & sanguis calidus humidus, ideo cum delatione sanguinis per venas magna fit euaporatio ex nutrimento ad caput.

Stantibus his tanquam fundamentis dico, quòd causa efficiens veræ dormitionis, & naturalis, quæ est requies propter salutem animalis, est euaporatio nutrimenti ex corde per venas ad caput. Dico autem veræ dormitionis, & naturalis, quoniam non omnis ligatio sensus communis, & sensuum exteriorum meretur dici dormitio. Causatur enim huiusmodi ligatio ex multis & malis accidentibus, vt in apoplectico, & epileptico, & ex debilitate spirituum, siue maxima resolutione, & ex intensissima meditatione circa aliquod speculabile, vel multum terribile, vel multum delectabile, vt patet in his, quę patiuntur ecstasim, & maximè in mulieribus, quæ quoniam vehementer intendunt in beneplacitum sibi, & deterrentur ab apprehensis multum nociuis, facilè alienantur à sensibus, & cōstituuntur in impotentia sentiendi. Hæc igitur impotētia sentiēdi causata à supra dictis, licet assimiletur dormitioni, nō tamē meretur dici dormitio, quoniā nō ordinatur ad quietē, & salutem animalis, sed pro maiori parte causat oppositum.

Quomodo autem ex nutrimenti euaporatione causetur dormitio, nunc declarandum est. Aduerte igitur, quòd calor naturalis complantatus in locis, in quibus celebratur digestio, & præcipuè in corde se habet ad nutrimentum, sicut calor ignis ad vegetabilia reposita in lambico: & cerebrum se habet, vt operculum lambici, & venæ se habent, vt cannulæ ascendentes à lambico ad operculum, quoniam sicut ignis facit euaporare vegetabilia ex lambico per cannulas ad operculum: sic calor naturalis facit euaporare nutrimentum per venas ad cerebrum. & sicut vapor eleuatus ex vegetabilibus, dum ascēdit est subtilis, & humidus, & cum peruenit ad operculum ex frigiditate operculi incrassatur adeo, quòd conuertitur in aquam, & factus densus, ac grauis descendit per cannulas, sic vapores eleuati ex nutrimento dum ascendunt per venas, subtiles sunt, & humidi, & cum perueniunt ad caput ex frigiditate intensa cerebri incrassantur, adeo quòd facti graues, & densi quęrunt descensum per venas, sicut per eas ascenderunt, & sicut vapor vegetabilium conuersus in aquam, si descenderet per cannulas valdè strictas obturaret eas, adeo quòd calor ex lambico, & fumus subtilis non possent ascendere, sed repercuterentur inferius donec vapor conuersus in aquam pro maiori parte descendisset, sic vapores nutrimenti incrassati frigiditate cerebri, descendentes per venas adeo obturant eas, quòd calor & spiritus procedentes à corde per venas ad caput, & præcipuè ad sensum communem, vt sint principium sentiendi, & motus in animali repelluntur, & reprimuntur ad cor, donec vapores incrassati pro maiori parte descenderint, vel resoluti fuerint, & quoniam (vt diximus) motus & sensus inest animali ex spiritibus emissis à corde, & calore per venas ad caput, & ad sensum communem, vt ad fontem, & ex eo ad sensus exteriores, sequitur immobilitas, & ligatio in eis ex repercussione caloris, & spirituum ad cor ex causis dictis. Hanc autem immobilitatem, & ligationem dicimus esse veram dormitionem. Patet igitur causa efficiens veræ dormitionis.

Et quidem, quòd huiusmodi euaporatio cùm ingrossata fuerit inducat ligationem sensuum, siue procedat ex nutrimento, siue ex alia humiditate intrinseca animali etiam superflua & maligna, & non solùm naturali, patet ex multis signis.

Et primò ex parte cibi & potus, qui sunt multum vaporosi, vt vinum, lolium, papauer, opium, adeo enim vaporant quòd grauant caput, & palpebras, & inducunt dormitionem longā, & profundā. ita quòd cum maxima difficultate excitamur, & id maximè apparet in ebrio, & in comedēte panem ex lolio.

Secundò ex parte ægritudinum, quæ fundantur in humiditate crassa, & superflua, vt febres, epilepsia, apoplexia. Ex calore enim inordinato agente in humoribus corruptis maximè excitatur euaporatio ad cerebrum per venas, & adeo incrassatur, quòd non solùm inducit dormitionem, vt in febricitante, sed penè suffocat patientem propter vehementem obturationem arteriarum, per quas fit respiratio, vt patet in patiente morbum caducum, qui in pluribus euenit dormientibus, eo quod in dormitione adunitur calor, & causat maiorem euaporationem, quàm in vigilia.

Tertiò, ex parte ætatis. nam in infantia, & pueritia, quibus dominatur calidum humidum, multæ fiunt euaporationes, & ideo multum dormiunt. Signum autem magnæ euaporationis incrassatæ ex frigiditate cerebri est, quòd infantes non possunt collum voluere, quoniam cùm habeant venas paruas, & euaporatio sit multa, cum difficultate descendit: ideo immobilitatæ partes circa collum, propterea (inquit Aristoteles) non sunt infantes potandi vino, nec nutrices, parum enim differt nutricem, aut infantem bibere vinum, quoniam lac declinat ad qualitates nutrimenti ex quo generatur, & ideo, quia vinum est vaporosum, lac erit vaporosum, & multiplicabit in infante humiditates crassas, &c. Senectus autem, quoniam fundatur in frigido, & sicco (vt dicemus in libro de causa mortis & vitæ) ideo paruas patitur euaporationes, inde prouenit, quòd senes parum & difficulter dormiunt, pręcipuè si non bene cibati, & potati fuerint, constituti autem in vltimo senio, quasi continuè dormitant, non ex euaporatione, sed depauperatione spirituum, quibus non vigorantur sensus, & ideo vt debilitati immobilitantur.

Quartò ex parte complexionis, nam melancholici parum dormiunt eo quòd sunt frigidæ, & siccę complexionis, ex consequenti non fiunt in eis multæ euaporationes. Euaporatio enim est à calido agente in humidum, vt diximus in primo Meteorolog. & habentes venas strictas, & capita magna sunt amatores somni, quoniam ex magnitudine cerebri fit in eis multa incrassatio euaporationis, & cùm habeant venas strictas cum difficultate, & longa mora descendit huiusmodi incrassata euaporatio, propterea diu ligati permanent sensus, & profundè dormiunt, qui autem venas habent amplas, moderatè dormiunt propter oppositas causas, & si accidat hominem esse pusillæ staturæ, vt est nanus, & habere venas strictas, & caput magnum, adhuc amplius dormit, quoniam ex parua distantia cordis ad caput fit in eo impetuosa euaporatio, & ex magnitudine capitis multum incrassatur, & ex strictura venarum cum difficultate descendit.

Quintò ex fatigatione corporali, videmus enim hominem post multum laborem opprimi somno, etiam quòd sit ieiunus, similiter post laborem spiritalem, vt post subtilem speculationem, vel meditationem, imò & aliqui sunt qui etiam post conuenientem dormitionem si audiunt, vel legunt, vel considerant subtilia statim dormitant cōtra velle suum. Item videmus oppressos tristitia dormitare, & fletus inducit somnum, & musica inducit somnum, vnde apud antiquos Reges accedebant ad lectum cum musica, quæ non cessabat donec dormire cœpissent: horum autem omnium est vna communis ratio, quia scilicet omnia prædicta sunt resolutiua, & causatiua euaporationum, propterea (inquit Aristotel.) labor colliquatiuus est, id est resolutiuus, sicut & nutrimentum si non sit frigidum: igitur ex omnibus his signis constat euaporationem esse causam ligatiuam sensuum exteriorum, propter quam redduntur impotentes ad sentiendum. Hæc de causa efficiente dormitionis dicta sint.

Postremò de causa formali eius agendum est, hæc autem scietur si notificatum fuerit quid sit formaliter dormitio. Aduerte igitur, quòd est priuatio sensationis in sensibus exterioribus causata ex congregatione caloris naturalis ad intra, quę congregatio fit ex vaporibus descendentibus, vt exposuimus, ordinata ad quietem, & salutem animalis. Et quidem quòd in dormitione congregetur calor ad intra, patet ex duobus, quoniam actiones vegetatiuæ in dormitione vigorantur, quarum instrumentum est calor naturalis, & quoniam exteriora membra, præcipuè superiora infrigidantur, vt caput, inferiora autem, vt circa renes, & pedes calefiunt. Hæc de quatuor causis dormitionis dicta sint.

Quantum ad quartum, mouetur ex dictis tale dubium. Dictum est dormitionem causari ex congregatione caloris ad intra facta ex descensu vaporum per venas, &c. Sed id non videtur verum, nam ad congregationem caloris sequitur infrigidatio: ergo dormitio causabitur ex infrigidatione, sed hoc est impossibile, quoniam calida humida vaporosa, vt vinum, inducunt dormitionem, sed calida causant calefactionem, vt patet: ergo non videtur dormitio causari ex infrigidatione, imò potius ex calefactione.

Ad hoc respondetur, quòd dormitionis duæ sunt causæ, scilicet originalis, & completiua. Originalis quidem est calefactio, quæ causatur ex vaporibus calidis eleuatis à nutrimento calefacto ex calore naturali decoquente, & ascendentibus ad caput. Completiua autem est infrigidatio causata à cerebro incrassante huiusmodi vapores, ex quorum descensu con-

gregatur calor adintra, vt diximus: non igitur inconuenit calam dormitionis esse calefactionē, & infrigidationē, sed ex diuersis principiis, vt dictum est. Concedo igitur, cp calida humida ex se inducunt calefactionē, cū quo tamē stat causari in frigidationē ex loco, ad quem euaporatio ascendit. Exēplum habemus in pluuia: cuius causa originalis est calefactio Solis agentis in humida, & eleuantis vapores humidos. Completiua autem est infrigidatio, & cōpressa vaporum causata est frigiditate mediæ regionis aëris, vt declarauimus in Meteo. Hæc de dormitione dicta sint. Nunc dicemus de somniis, id est, simulacris apparentibus dormienti.

CAPVT II.

IN secundo capite, agēdum est de somnio, quod accidit animali dormienti, de quo considerabimus quinque.

Primò, cui ex potentiis animæ attribuitur somnium.
Secundò, quod est fundamentum siue materia somnij.
Tertiò quomodo fit.
Quartò, quomodo diuersificantur somnia,
Quintò, ex omnibus his elicietur diffinitio somnij.
Quantum ad primum, pono quatuor conclusiones,

Cui potentie conueniat somnium.

Prima, Somnium non fit per potentias vegetatiuas, quoniam cōsequitur dormitionem, vt propria passio, solus enim dormiens, & in eo cp dormit somniat, vt dicemus infrà: sed dormitio non attribuitur potentiis vegetatiuis ex prædictis in primo cap. ergo, &c.

Secunda, somnium non fit per sensus exteriores, quoniam fit dum animal dormit: ergo dum ligati sunt sensus exteriores, & priuati actu suo, ex consequenti licet videatur somnianti videre colores, audire cantus, gustare cibos, tamē dum dormit nihil horum per sensus exteriores apprehendit, ergo, &c.

Tertia, Sōnium non fit per intellectiuam potentiam, licet aliquando ad illud cōcurrat, quoniam intelligimus propriè vniuersalia: Sōniamus autē singularia, & cum circunstantiis singularibus. Neque enim somniamus hominē, vt homo est, neque equū, neque capram, sed hunc hominē, sic coloratū, in tali loco, sic loquentē, sic agentē, sub intentione amicitiæ, vel inimicitiæ, gaudij vel tristitiæ: ergo, &c. Dixi autem, licet aliquando concurrat intellectiua pars: quoniam contingit homini habere somnium adeo eleuatum, quod in eo argumentatur, discurrit, soluit argumenta, metra componit, quod nō potest fieri nisi concurrente intellectu, huiusmodi enim actiones propriæ sunt hominij inquantum intellectualis est.

Quarta, somnium fit per potentiam phantasiæ, quoniam somnium est phantasma. quod enim apparet vel videtur nobis in dormitione, somnium est: phantasma autem à phantasia est, sicut auditio ab auditu: ergo, &c. manifestū igitur est, cp somnium attribuitur parti sensitiuæ non exteriori, vt probatum est ergo interiori, & in particulari ipsi phantasiæ, & hoc est ab omnibus concessum.

Quantum ad secundum dico, quòd fundamentum, & materia somnij sunt species siue imagines conseruatæ in phantasia. Pro cuius notitia aduerte, quòd (vt diximus in secūdo de anima, agentes de sensibus interioribus) obiecta sensibilia non solum agunt in sensus, dum præsentia sunt, sed relinquūt post se impressionem, quæ permanet in sensu etiam remotis ipsis obiectis. Quod manifestatur & in sensu exteriori, & in interiori. In exteriori quidem, & primo in visu. nam si quis directè inspicit Solem, cum auerterit oculum nihil videbit quasi factus tenebrosus ex forti impressione recepta, & permanente in oculo vsque ad aliquantulum spatium temporis & si quis per notabilem moram teneret fixum oculū in splēdore Solis efficeretur cæcus, corrumperetur enim pupilla ab excessiuo, & sibi improportionato illuminoso. Item si quis videt aliquandiu excessiuum colorem, puta ambulans per niues, ad quodcunque conuertit oculum videtur esse eiusdē coloris. Item aspiciens fixè aquas velociter currentes, quæcunque quiescentia, vt arbores, ad quæ conuertit oculum videntur moueri. In auditu autem constat quòd vehementes soni faciūt hominem surdescere. ita quòd nō percipiunt mediocres sonos, vt patet de malleatoribus metallorum, & de molendinariis. In odoratu manifestum est, & gustu: quoniam post odorationem excedentis odoris, siue fœtoris, videntur alia odorabilia esse eiusdem odoris, vel fœtoris. Idē patet in gustu. Gustato enim forti amaro, vel acetoso, prohibentur gustari alia secundum proprios sapores donec cessauerit præcedens impressio, vnde se habet excellens sensibile ad sensum sicut oculus menstruatæ ad speculum mundum, & nonum, in quo non solùm causat sui imaginem, sed & maculam ex spiritibus corruptis effluentibus ex oculo menstruatæ, quæ cum difficultate abstergitur, præcipuè à speculo nouo, in quo profundior fit huiusmodi spirituum receptio.

Quòd autem huiusmodi impressio remaneat in phantasia, ita cp species sensatæ receptæ in organis sensuū exteriorū, & transmissæ ad sensum communem, quo complentur sensationes exteriores, sigillentur in phantasia: Probatur, quoniā animalia perfecta, quæ non habent necessaria sibi cōiuncta, necesse est vt moueantur ad quærendum ea: non moueretur autem nisi recordarentur sensatorum, non recordarentur nisi retinerentur in phantasia species sensatæ, vt dicemus in libro de memoria & reminiscentia, vbi assignabimus differentiam inter addiscere, & memorari. ergo, &c. fundamentum igitur & materia somnij sunt species sensatæ, quæ remanent in phantasia, quas Arist. vocat simulacra sensibilia, vnde inquit, Ad eam verò quæ ex principio est consideationem pertinatur vnum quiddam, quod ex iis quæ dicta sunt, patet, quod recedente sensibili extrinsecus, remanent simulacra, quæ sensibilia sunt.

Quantum ad tertium, dico, quòd fit ex regressu simulacrorum sensibilium conseruatorum in phantasia ad sensum cōmunem. Pro cuius notitia aduerte, cp (vt inquit Commen. in suo Tract. de somno, & vigilia) somnium fit per contrarium motum ei, qui est in vigilia. In vigilia enim sensibilia extrinseca mouent sensus exteriores, & sensum communem per impressionem simulacrorum, quæ à sensu communi transmittuntur ad phantasiam, & illic conseruantur. In somno autem actione phantasiæ componentis, & diuidentis huiusmodi simulacra reuertuntur ad sensum communem, & tunc videtur homini quòd videat sensibilia ad extra, etiam quòd sint absentia. puta dormienti videtur quòd loquatur, quodambulet cum Socra. quòd inueniat thesaurum, &c.

Sed aduerte, quod reuersio simulacrorum ad sensum communem potest fieri tribus modis, Primo in vigilia. Secundo quando incipit homo dormitare, & nondum sunt perfectè ligati sensus, Tertio, dum homo totaliter dormit. In vigilia autem homine existente in vehementi passione timoris, vel amoris, aut in vehementi ægritudine, vt in pestifera febre, vel in phrenesi. In statu etiam quieto fit reuersio simulacrorum ad sensum communem ordinato motu & imperio voluntatis, quando homo cogitare vult de absente, vel de præteritis à se visis, vel auditis, vel gustatis, &c. vel gestis, & tunc non decipitur, quoniam cogitat sicut fuit, & si vult ordinatè cogitare remouet se ab occupatione sensuum exteriorum, quoniam vacantibus sensibus exterioribus vigorantur sensus interiores. fortiores sunt enim motus sensuum exteriorum propter motionem sensibilium exteriorum, & debilitāt actiones sensuum interiorum, sicut lux magna obumbrat minorem. propter quod cogitatiuus, & meditatiuus quærit solitudinem, & loca nō clara, & præcipuè melancholia, quorum cogitationes sunt intensæ ex fixione suæ complexionis, & si perseuerant in vita solitaria ac sint mundæ vitæ efficiuntur prophetæ prophetia naturali, secundum Auic. quoniam reddunt se aptos ad recipiēdum illuminationes diuinas. Sed de iis considerare non est præsentis negotij.

Si autem existit homo vigilans in vehementi passione concupiscibilis, vt in amore, vel desiderio fruendi re amata, fit impetuosa reuersio simulacri rei amatæ cum circunstantiis amabilibus ad sensum communem commouente concupiscibili, & imaginante imaginatiua, quod videtur sic vigilanti semper habere ante oculos dilectum, & audire loquentem, & tangere, & adeo figitur huiusmodi simulacrum in sensu cōmuni, quòd excitante passione decipitur vigilans in iudicio circa dilectum. videtur enim sibi ex modica pulchritudine pulcherrimus, & in aliis amabilibus. inde ortaest à sapientibus sententia, Amor & odium peruertunt iudicium, quoniam intemperato obtinent dominium super rationem. Et quod dixi de amore, intellige de timido imaginante periculum: videtur enim sibi semper habere hostes insequentes ex vehementi recursu simulacri hostilis ad sensum communem stimulante passione timoris.

Si autem existit homo vigilans in vehementi ægritudine, mouentur simulacra ex intensiuo calore inordinato ascendente ad cerebrum: & commouente imaginatiuam tali impetu, quòd omnino ligatur iudicium rationis, & tunc cogitantes loquuntur inordinatè, patiuntur furias, dicunt se videre in camera, aut mortuos, aut armatos, aut placida prout in eis dominatur aut melancholia, aut cholera, aut alius humor, & iurant sic esse, nec potest aliter eis suaderi propter ligamentum rationis. Decipitur enim homo, quando eadem

eadem potentia præsentatur sibi vnum vno modo, quod tamen est alio modo in se: & eadem potentia iudicat sic esse. inde est, quod rusticus decipitur in magnitudine Solis, non autem Astronomus, quoniam rusticus videt visu esse pedalem, & imaginatiua iudicat ipsum pedalem; decipitur, quoniam visus & imaginatiua non excedunt ordinem potentiarum sensitiuarum, in quibus iudicium sequitur modum apprehensionis. Quando autem Astronomus videt Solem pedalem, non iudicat vt videt, sed ratione aduertit id prouenire ex maxima distantia. res enim visa quanto magis distat tanto minor apparet, & propterea Astronomus non errat: quia iudicat secundum rectam rationem. rusticus autem decipitur, quoniam solo sensu iudicat, vt apprehendit. sic accidit homini existenti in passione, & in pestifera, aut lethali ægritudine.

Quando autem incipit homo dormitare, & paulatim ligantur sensus mouentur simulacra ab imaginatiua ad sensum communem leui & tardo motu, & videtur vnum simulacrum euanescere post aliud, & videtur homini quod paulatim recedat ab iis sensibilibus, & si sentit aliquem loquentem, videtur sibi esse maximè distans, quoniam dum paulatim ligantur sensus languent, id est debilitantur in actu suo, & diminutè recipiant impressiones sensibilium exteriorum, & ita in tali statu, vt in pluribus, non decipiuntur. nam expergefacti cognoscunt quòd dum cœperāt dormitare videruūt lucernæ lumen in quodam nubilo, & audierunt canem latrare quasi à longè, & interrogati dormitantes respondent, licet verba nō continuent ex paulatina ligatione instrumentorū locutionis.

Quando verò homo totaliter dormit, phantasia est maximè libera vacantibus sensibus exterioribus, & intellectu, & cùm ex natura sua sit in continuo motu negotiando circa simulacra in ipsa retenta, modo componendo vnum cum altero, modo diuidendo, & composita siue diuisa mouendo ad sensum communem, id maximè facit in dormitione, vt pote non impedita aliis potentiis, licet non semper ex tali motu simulacrorum causetur somnium in dormiente, & causam huius dicam infrà. Et aduerte, quòd adeo naturale est phantasię negotiari circa simulacra, quod in vigilia etiam præter voluntatem ingerit huiusmodi simulacra, & (vt inquit Auicen. in sexto naturalium) anima dum speculatur semper est in labore propter imaginatiuam, quoniam nisi ratio forti imperio cohibeat eam, multiplices subministrat distractiones. Hoc experimur, quòd, cùm operamur ex habitu in quo nec deliberatio, nec multa attentio requiritur, siue in artificialis, vt dum teximus, aut suimus, siue in spiritualibus, vt dum psallimus, vel oramus, quæ memoriæ habemus, præsto se nobis offerunt varia simulacra, quibus diuertimur ab intentione eorum, quæ operamur, aut dicimus. licet autem motus simulacrorum à phantasia ad sensum communem fiat tam in vigilia quàm in dormitione, non causat somnium, nisi sit motus in dormiente dum dormit. Dicitur enim somnium, quia consequitur somnum, & ideo (inquit Ari.) phantasma, quod est à motu simulacrorum, cùm in dormiēdo fit, & in eo quod dormit. hoc est somnium. Patet igitur quomodo fit somnium.

Somnium quid.

Quantum ad quartum præpono secundum Arist. quod in causatione somniorum accidit, sicut in causatione imaginum in aqua. nam si vas sit plenum aqua, & manu fortiter moueatur, etiam quòd Socrates respiciat in aqua, non apparebit eius imago propter multam agitationem, & perturbationem aquæ, & quando incœperit sedari, apparebit imago, sed distorta, & secundum partes eminentes, & depressas, & quando omnino quieuerit aqua, apparebit imago recta integra, sicut imprimitur ab imaginatio. & hæc diuersitas non prouenit ex facie Socratis: quoniam ex sui natura imprimit imaginem in humido, sicut est. diuersificatur autem ex varia dispositione recipientis. sic accidit in dormiente, licet continuè reuertantur simulacra à phantasia ad sensum communem, non tamen semper causantur somnia, & aliquando causantur monstruosa, & inordinata, interrupta, confusa. aliquando autem clara, integra, ordinata. Et ratio huius diuersitatis sumitur ex parte euaporationis ad caput causatæ à nutrimento, vel alio superfluo humido. Nam quando motus euaporatiuus est multus, adeò perturbat sanguinem descendentem à phantasia ad sensum communem, cum quo descendunt simulacra, quòd se habet vt aqua perturbata, in qua nullam apparet idolum, vt diximus. & pro tunc nullum causatur somnium, & id accidit in pueris, in quibus abundant euaporationes ex dominio humiditatis, & caliditatis: ideo parum somniant. idem accidit in ebrio dormiente, donec vinum ebullit, & fumosè vaporat. Idem accidit communiter omni dormienti post assumptum nutrimentum in prima hora dormitionis propter multam euaporationem ex nutrimento ebulliente. vnde ebrij licet profundissimè dormiant non somniant, & cibati in primo somno parum vel nihil somniant. Quando autem motus euaporatiuus incipit remitti, causantur somnia non quieta, sed confusa, inordinata, &c. sicut diximus de idolo in aqua, quādo incipit sedari, & id accidit ebrio cùm cœperit cessare ebullitio vini, & febricitanti in diminutione febris, & communiter omni dormienti bene cibato, cùm incipit sedari motus nutrimenti, vt in secunda dormitione. Quando verò ex toto motus euaporatiuus cessauit, fiunt somnia clara & ordinata: & aliquando ita clara, quòd videtur somnianti se non somniare, imò sic esse in veritate. & id accidit post sedatum motum nutrimenti, vt in vltima parte dormitionis, & mane. vnde experimur, quòd in mane dormientes habemus clariora & ordinatissima somnia. Hinc est quòd viri sobrij, & ieiunantes in dormitione patiuntur adeo clara somnia per totum tempus dormitionis, quòd videntur sibi non somnia, sed apertæ visiones. Et circa huiusmodi somnia ponitur diuinatio, vt dicemus infrà de distinctione somnij in verum & falsum, in naturale, cœleste, diuinum, dicemus in capite sequenti, pro nunc sufficiat de diuersificatione somnij in generali.

Quantum ad quintum, aduerte quòd ex omnibus notificatis suprà potest elici talis diffinitio somnij. Somnium est phantasma, id est, apparitio causata in dormiente dum dormit ex recursu simulacrorum à phantasia ad sensum communem, prout sunt à phantasia composita adinuicem, vel diuisa, quo phantasmate videtur dormienti sic esse ad extra, nullo sensibili extrinseco agente in sensum. Hæc patet ex prædictis, & hæc dicta sint pro secundo capite.

CAPVT III.

De qualitate diuinationis somniorum, & eorum multiplicitate, deque vero somniorum interprete.

IN tertio cap. agendum est de diuinatione somniorum, & dicemus tria.

Primò, si concedenda est à Philosopho, vt rationabilis, diuinatio somniorum.

Secundò distinguemus de somniis, vt sciamus per quæ potest fieri diuinatio.

Tertiò inuestigabimus qui sint boni interpretes somniorū.

Somniorū diuinatio nō cōtemnēda est.

Quantum ad primum aduerte quòd aliqui dicunt vanam esse diuinationem somniorum, quoniam non se habent ad res siue præsentes. siue futuras vt causæ, nec vt signa, sed merè casualiter. vnde à casu est, quòd me somniante de hostili exercitu adueniente, adueniat. Et dicunt diuinationem somniorum introductam ex legibus, sub quibus variæ nationes viuunt, vtpote quoniam legislatores introducant multa reuelata in somniis ab Angelis, siue à Deo, vt suadeant populis obseruantiam legis: & pro sua opinione sic arguunt. Si in somniis esset verum fundamentum diuinationis, immitterentur à Deo, cuius est cognoscere futura: sed non immittuntur à Deo, immitterentur enim sapientibus, & bonis, & prudentibus, quibus vt sibi similibus Deus gaudet, sed potius immittuntur fatuis, & melancholicis, & ecstaticis, & malis, & bonis indifferenter. ergo non immittuntur à Deo. & cum non possit assignari alia rationabilis causa non decet Philosophum admittere huiusmodi diuinationem, nisi vt quoddam casuale.

Sed contra hanc opinionem arguitur ex fundamento Arist. & Cōment. in tract. suo de somno, & vigilia: nam (vt inquit Aristo.) quòd somnia habeant aliquam significationem, concessum est ab omnibus, vel à pluribus tanquam dictum ex experientia. ergo non est vana huiusmodi diuinatio. Et dicit Commen. Quidam homines negant ista, & dicunt ea accidere à casu, sed negare ea est negare sensata, & maximè negare vera somnia. nullus enim homo est qui non viderit somnium, quod non enunciauerit ei aliquod futurum, & cū homo experimentauerit hoc multoties. videbit quòd hoc non accidit à casu. sed essentialiter, & illæ comprehensiones licet non sint visæ, tamen sunt valde famosæ, & ea quæ sunt famosa apud omnes, aut sunt necessaria secundum totū, aut secundū partē. Impossibile est enim vt famosum sit falsum secundū totum. Hæc Cōment. Concedēda est ergo diuinatio somniorum vt rationabilis, & fundata in vniuersali experientia. Et rationem opinionis oppositæ soluemus infrà.

Per quæ nam somnia contingat fieri diuinatio nem.

Quantum ad secundum, vt sciamus per quę somnia debet fieri diuinatio, præpono tres distinctiones, duas ex parte somniorum, & tertiam ex parte causarum somniorum.

Prima distinctio. Somniorum quædam sunt confusa & monstruosa, & inordinata, composita ex simulacris, &

imaginibus, quarum imaginata sunt incompossibilia: vt si somniarem me videre chimeram, vel hominem, cuius caput sit bruti, & pedes equi, & manus, vt pedes auis. Quædam sunt clara & ordinata, & nullum repugnans in se continentia, vt quòd videam circa flumen vaccas pingues pascentes, & post illas videam macillentas, ponere diuinationem circa prima fatuum est. talia enim sunt somnia ebriorum & febricitantium, in quibus est multus vaporatiuus motus, vt diximus suprà, & præceps recursus simulacrorum ad sensum communem, & fiunt talia somnia, quando motus ille cœperit sedari. Circa secunda communi iudicio, & experientia non est vanum ponere diuinationem, & fiunt in vltima parte dormitionis, sedato motu nutrimenti, vt mane. vnde solet dici, somnia in aurora esse præsagia futuri.

Secunda distinctio. Somniorum quædam sunt causa futuri, quædam sunt signa, quædam accidentia. dico autem causam, vt lunam interponi inter solem & terram esse causam eclipsis in sole, & laborem esse causam febris. dico autem signum, vt linguę asperitas signat febrem, & tonitruum signat pluuiam. Accidens autem est euaginato ense rubiginoso obscurari solem. dico igitur quòd quædam somnia sunt causa rei futuræ, verbi gratia, Socrat. artifex, puta ædificator ingeniosus intensè cogitat quomodo tale ædificium, vel fortalitium construendum est, & nocte dormiens somniat sic & sic construi debere, expergefactus considerat super somnium, & aduertit opportunum esse sic ædificare, sicut in somnio habuit, & sic ædificat. manifestum est huiusmodi somnium esse causam ædificij. & dux in exercitu somniat sic, vel sic expugnandum hostem, vel sic se defendendum ab hoste & exequitur iuxta formam somnij. ergo somnium est causa talis expugnationis, vel defensionis, & iuxta huiusmodi somnia multi artifices, & præsides mira operantur.

Quædam autem signa, verbi gratia, Socrat. sæpe somniat se comedere mel, vel volare, vel ardere, vel loqui cum defunctis, hæc signant superabundantiã vnius humoris respectu alterius. Primũ signat phlegma. Secũdum, subtilitatẽ, & claritatem sanguinis. Tertium, choleram. Quartũ melancholiam.

Quædam verò sunt accidentia, id est, merè casualiter se habent ad effectum futurum, verbi gratia. Socrat. somniat quod pluit, & mane pluit, est casuale, quoniam etiam si non somniasset plueret, vnde inquit Aristot. quemadmodum meminisse de aliquo, neque est signum, neque causa accidendi ipsum, sic neque ibi. & ideo multa somniorum non eueniunt, quoniam causalia neque semper, neque frequenter fiunt, ex secundo Physicorum.

Tertia distinctio. Causa somnij aliquando est intrinseca dormienti, aliquando est extrinseca. Causa intrinseca aliquando est animalis, aliquando naturalis. Naturalis est, quando dormiens est talis dispositionis in corpore, puta in eo dominatur cholera, vel phlegma, vel sitit, vel famescit: vel virtus genitiua abundat in spermate, & tunc dormienti videtur quòd subintret ignem, vel aquam, vel bibat, vel comedat, vel copuletur mulieri.

Animalis est quando in vigilia fuit multa meditatio, vel locutio de aliquo obiecto, puta de negotio peragẽdo, de persona odiosa vel dilecta. & in dormitione accidit somnium de tali negotio, vel tali persona. & sicut præcedentia somnia dicuntur somnia naturalia, quia causantur à dispositione intrinseca dormiẽti, sic ista dicuntur somnia animalia, quia causantur ex cogitatione, vel locutione præcedenti, ex consequenti ex apprehensione sensitiua, quæ est propria animali.

Causa extrinseca dormienti aliquando est corporalis, aliquando immaterialis, siue spiritalis. Corporalis præcipuè est corpus cœleste, nam cùm phantasia sit potentia organica, subiicitur cœlo. vnde sicut cœlum potest commouere humores & inducere sanitatem, & ægritudinem, & hac de causa medici obseruant dies criticos, & motum lunæ, cùm volunt adhibere medicinam. & sicut commouet hũc ad iram, illum ad amorem commouendo passiones irascibilis, aut concupiscibilis, sic potest commouere simulacra in phantasia coagente, intelligentia mouente, & causare somnium, de quo non erit vana diuinatio, vt dicemus infrá.

Spiritalis potest esse triplex, scilicet. Deus, Angelus, Dæmon. De Deo non est dubium, quoniam, cùm sit vniuersalis motor, & humanorum actuum prouisor, cõgruum est vt per somnia multa reuelet nobis, sic Angelus, vt Dei minister. Dæmon autem cum sit substantia incorporea, cui obedit materia corporalis quo ad motũ localem, potest commouere & humores, & passiones, & simulacra retenta in phantasia, quibus formabuntur diuersa somnia, quibus concitabitur dormiens ad concupiscentias, ad timores, ad vindictam.

Sed dices propter quid Deus, vel Angelus reuelant nobis aliqua in somniis, & non in vigilia. Respondeo, quoniam (vt inquit Aristot. in libro de Somno, & vigil.) motus fortes, quibus mouentur sensus in vigilia, faciunt latere minores motus intrinsecos in sensibus interioribus. Cùm autem dormierit homo vacantibus sensibus exterioribus parui motus interiores fiunt manifesti, & videntur magni etiam quòd essent parui. Hinc est quòd frequenter arbitramur tonitrua fieri, si dormientibus nobis parui motus in auribus fiant, & expergisimur terrefacti: & gustare mel, si parum phlegmatis super linguam descenderit: & ambulare per ignem, si paruus calor hepar, aut renes supercalefecerit: quoniam igitur homo dormiens magis est aptus ad percipiendum interiores motus, ideo diuinæ reuelationes fiunt in somniis pro maiori parte, vel constitutis in ecstasi, sicut legitur de Socrate, qui in ecstasi positus dicitur vidisse Deum deorum.

Positis iis distinctionibus, formantur aliquæ conclusiones.

Prima est, Vanum est diuinari siue prognosticum facere super somnia, quorum causa est intrinseca dormienti, & est animalis. nam huiusmodi somnia sunt veluti reliquiæ cogitationum, & locutionum, & desideriorum præcedentium, & si quid eueniat (vt somniatum est) erit merè casuale. Et de iis propriè intelligitur illud Catonis, Somnia ne cures, &c.

Secunda est, Non est vanum prognosticari super somnia, quorum causa est intrinseca naturalis. nam fundamẽtum est reale, puta superabundantia huius, vel illius humoris, & natura facit indicium mediante motu simulacrorum manifestans dispositiones intrinsecas, vt ad contemperamentum reducantur, & propterea prudentes medici (vt inquit Aristo.) vehementer intendunt somniis ægrotantium.

Tertia est, Non est vanum diuinari super somnia immissa à cœlo, coagente intelligentia motrice. nam sicut in potestate cœli est causare penuriam, vel fertilitatem ex vario influxu, & commouere homines ad iram, ex qua sequuntur bella: sic in eius potestate est commouere phantasiam Socratis ad talem, vel talem compositionem simulacrorum, ex quibus causabitur somnium indicatiuum multorum, quæ ventura sunt circa ipsum, vel parentes suos, vel amicos, vel patriam, de iis enim communiter somniant homines, circa quæ magis solicitantur, maxima autem solicitudo est circa seipsum, deinde circa parentes, deinde circa amicos, deinde circa patriam. Propterea inquit Aristo. Notos somniantes de notis maximè præuidere accidit, eo quidem quod noti maximè pro scimuicem soliciti sunt.

Quarta est, Perutile est intendere somniis immissis à Deo per seipsum, vel per Angelos, quoniam creator hominis illius curam gerit, & misertus ignorantiæ illius ac debilitatis dirigit quomodo se præparet circa futura prosequenda, vel vitanda: vel nunciando malis qualiter ex diuina iustitia flagellandi sunt, & quoniam homo vtens sensibus distractus est in vigilia, ideo per somnia reuelat eis, sic reuelauit Pharaoni per Ioseph iram & vbertatem Aegypti, & Ioseph exaltationem, & Gedeoni victoriam de hostibus, aliquando per Angelos, vt dim reuelauit Ioseph iram Herodis super Iesum.

Quinta est, Dæmon potest causare somnia indicatiua alicuius futuri, vel incogniti effectus ipsi dormienti, siue fuerit de præsenti siue de præterito, puta potest indicare Socrati existenti Romæ, quòd pater eius mortuus est in Gallia, vel quòd ægrotat, vel quòd moriturus est breui. Cognoscit enim Dæmon præterita, & præsentia, & futura in causis, quando causæ sunt naturales, & determinatæ ad effectum producẽdum. Et, quoniam cognoscit sufficientissimè influxus cœlestes super inferiora, & qualitates complexionum, & mores gentium, & consuetudines viuendi, ideo ex commotione simulacrorum in phantasia potest causare, & causat multa somnia indicatiua effectuum incognitorum ipsi dormienti ex consequenti non est vanum prognosticari super huiusmodi somnia, quantum sit ex parte somniorum, vtrum autem huiusmodi prognosticatio sit licita, non est officium Philosophi, sed Theologi. Sufficit Philosopho quod ex parte rei non est vana, quoniam fundamentum est reale sumptum ex causis valentibus causare somnia diuinatoria.

Ad rationem opinionis oppositæ patet responsio. Nam consequentia non valet. Stat enim quòd non immittantur à Deo, & tamen sint verè indicatiua effectus incogniti, dumodo causentur à causa intrinseca naturali, vel extrinseca cœlesti, aut spiritali. Et concesso quod immitterentur à Deo, non est necesse vt immittantur semper sapiẽtibus, aut bonis, vtitur enim Deus creaturis suis modo sapientiæ suæ notis incognito

incognito, & fortè vt notificet quòd sapiens est hominibus, nihil est in conspectu Dei, & aliquando immittit somnia pessimis viris, in quibus indicat exterminationem ipsorum, sicut legitur de Nabuchodonosor, cuius somnium indicatiuum delectionis suæ interpretatus est Daniel Hebræus. Hæc de diuinatione circa somnia dicta sint.

Quantum ad tertium, aduerte, quòd Philosophi communi sententia conueniunt, nullum esse verum interpretem somniorum, nisi tres conditiones habuerit.

Primò sit abstractus à negotiis exterioribus viuens sibi ipsi, diffugiens commercia vulgaria, cui si adiungitur complexio melancholica melius erit. Necesse est enim vt sit intensè cogitatiuus, & sciat considerare similitudines rerum, ex quibus componuntur somnia, quibus rebus correspondeant, & huic consideratione deseruit solitudo, & melancholia. Solitudo enim vitat distractiones mentis, & melancholia ex frigiditate, & sicci tate immobilitat, & firmat cogitationes.

Secundò sit temperati & sobrij victus, crapula enim deprimit sensum, & iudicium rectum. Sit que mundæ animæ, id est non declinet ad mores animæ brutalis, præcipuè sordidans se in luxuria, gula nanque & luxuria assimilatur homo bestiæ. Et propterea in quit Com. in tractatu suo de somnio, & vigilia, Oportet interpretantem, sicut dicit Arist. vt semper sit cogitans, & mundus nõ declinans ad mores brutæ animæ.

Tertiò sit verax, non delectans nec assuetus mendaciis, nec compositor fallaciarum, quoniam (vt inquit Auicenna) consuetudo mentiendi, reddit animam fallacem, & mendosam in iudicio. Imò consuetus mentiri rarissimè somniat vera somnia, quoniam consuetudo mentiendi immiscet se actibus phantasiæ, & intelligere suum falsitati admiscetur. Hæc est opinio Philosophorum. Theologus autem tenet interpretationem somniorum esse diuinum donum, & hæc est sententia verior, quam comprobant diuinæ scripturæ. vnde Ioseph apud Pharaonem, & Daniel apud regem Chaldæorum, afflati diuina sapientia interpretabantur somnia. propterea dixit Pharao ministris suis, postquam Ioseph interpretatus fuerat eius somnium. num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? & dixit Balthasar Rex Babylonis ad Daniel em petens ab eo interpretationem visionis, audiui de te quoniam spiritum Deorum habeas, & scientia intelligentiãque ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te. Hanc sententiam vt veram sequi debemus, & qui suo ingenio interpretari volunt somnia, aut delirant, aut inuoluuntur fallaciis dæmonum, dempta interpretatione somniorum, quæ causantur à causa intrinseca naturali. Hæc enim (vt diximus) interpretari possunt peritia, & solertia medicorum. Hæc de somno, & somnio, & diuinatione eius dicta sint.

CHRYSOSTOMI IAVELLI

EPITOME

IN LIBRVM DE MEMORIA, & reminiscentia, in duos Tractatus diuisa.

ACturi de memoria, & reminiscẽtia comprehendemus mentem Aristot. in duobus tractatibus.

In primo agemus de memoria, quæ communis est homini & bruto.

In secundo, de reminiscentia, quæ soli homini conuenit.

TRACTATVS PRIMVS
De Memoria.

TRactatum de memoria diuidimus in quinque capita.

Primò, agitur de obiecto eius.

Secundò, quid sit memoria

Tertiò, ad quam partem animæ spectet.

Quartò, de organo eius.

Quintò, de memorari, qui est memoriæ actus, quid sit, & quomodo fit.

CAPVT I.
De ipsius memoriæ obiecto, quod memorabile dicitur.

CIrca primũ cap. aduerte quòd Arist. cõuenienter incipit ab obiecto. Docuit enim in secundo de Anima, potẽtias manifestari per actus & obiecta, agens igitur de obiecto memoriæ, quod dicitur memorabile, intẽdit tres conclusiones.

Prima, Memorabile nõ est res futura vt futura, quoniam vanum est dicere, memoramur futura sed potius opinamur, vel speramus futura, possumus enim habere opinionẽ de penuria futura ex his quę videmus in præsenti, puta, inundãtiam imbriũ: & sperare trãquillitatẽ in mari ex mutatione vẽtorũ, vnde circa obiectũ sperabile ponitur scientia dicta speratiua, quam possumus appellare diuinatoriã, siue iudiciariam, aut prognosticatiuam, quam profitentur Astronomi de futuris.

Secũda, Memorabile non est res presens, vt de præsenti cognoscitur quoniã sentimus propriè presentia. nã sensus exterior nõ mouetur ab obiecto, nisi vt actu imprimit in sensum, nõ aũt imprimit nisi vt actu præsens sensui, sed sensus exterior & memoria distinguuntur, vt declarabitur infrá. ergo, &c.

Tertia, Memorabile est res, vt in præterito iam cognita, siue adhuc sit in præsenti, siue desierit esse, quoniã quicũq; dicit se memorari, adiũgit, recordor me audiuisse, vel vidisse, vel comedisse sic, vel sic; ergo manifestũ est memoriã versari circa apprehensũ in præterito, & in hoc distinguitur à sensu exteriori, & ab intellectu, qm̃ sensus respicit obiectũ sensibile, vt est hic, & nũc, i. vt determinatur ad hũc locũ, & ad tẽpus presens. Intellectus aũt respicit vniuersale, quod distrahit ab omni loco, & ab omni differẽtia tẽporis. Memoria verò determinatur ad obiectũ vt iam apprehẽsum, dixi, siue adhuc sit, quoniã ly præteritũ non cadit super existentiã rei memorabilis, sed super apprehensionẽ. Memor enim sum patris mei mortui, & amici mei absentis adhuc viui: sed nec patris mei, nec amici memorarer, nisi iam cognouissem eos, est ergo memorabile res vt in præterito apprehensa. Hæc de 1. cap. sufficiant.

CAPVT II.
Quid nam sit memoria.

CIrca cap. secũdũ aduerte q̃ memoria multipliciter consideratur. Primò vt est quãdã particularis virtus. animæ ab aliis distincta. Secũdò vt est habitualis cognitio retenta in anima causata ex actuali apprehensione obiecti, & quidẽ hoc secundo modo sic notificatur ab Aris. Memoria nõ est sensus, nec opinio, sed alicuius horũ habitus, aut passio, cũ factũ fuerit tẽpus, id est memoria non est sentire, quoniã hoc est præsentis, nec opinari, quoniã hoc est præsentis, vel futuri: sed est habitualis cognitio si sit permanẽs, vel passio si sit trãsiens, sequens actualẽ cognitionẽ sensitiuã, vel ipsum opinari actuale ita, q̃ cadat tẽpus intermediũ inter priorem apprehensionem actualẽ, & memoriam subsequentẽ, & propterea memoria semper est præteriti. Primò autẽ modo potest tripliciter considerari. Primò, vt est potentia animæ conseruatiua intẽtionũ non sensatarũ extractarum à cogitatiua, vel extimatiua ex speciebus sensatis, de qui bus locuti sumus in lib. de Anima, agentes de sensib. interio. & sic diffinitur ab Auicẽ. Memoria est potentia conseruatiua specierũ insensatarũ, sicut phãtasia est conseruatiua specierũ sensatarum. Secũdò, vt per ipsam animal redit ad rem exteriorẽ prius apprehensam iterũ considerandã, qui enim memoratur super re apprehensa reuertitur ac si de nouo sibi esset præsens, & sic diffinitur ab Alber. in lib. suo de memoria, & reminiscentia. Memoria est virtus qua animal reuertitur in res sensibiles, quæ sunt, aut fuerunt ad extra, per species in animali retentas ex priori apprehensione. Tertiò, vt cõparatur ad actũ suum, qui est cõponere intentionem non sensatã in ipsã conseruatã cum specie sensata conseruata in phantasia, & sic diffiniri potest secundũ Com. in tract. suo de memo. & remini. Memoria est virtus cõponẽs imaginem rei sensatæ cum intentione sua non sensata, ex qua compositione sic reuersio ad rem extra prius apprehensam. Quomodo autem fiat talis reuersio, & per quas virtutes dicemus in quinto cap. Hæc de secundo cap. dicta sint.

CAPVT III.
Ad quam animæ partem memoria ipsa spectet.

CIrca tertium cap. aduerte quòd memoria dupliciter cõsideratur. Primò, vt est virtus conseruatiua specierum intelligibilium repræsentantium naturam rei, vt abstractam ab omni conditione indiuiduali, & ab omni differentia temporis, & sic est in parte intellectiua, & non distinguitur realiter ab intellectu (vt diximus in tertio de Anima agentes de denominationibus intellectus possibilis). Secundò, vt est virtus conseruatiua specierum sensibilium repræsentantium rem cum conditionibus indiuidualibus, & vt fertur in obiectũ, vt in præterito apprehensam, ita quòd hæc virtus cognoscit tempus præteritum vt præteritum, & quoties exit in actum exit sub ratione præteriti, & sic est in parte sensitiua, quod declaratur. Nam virtus, per quam apprehendimus rem secundum conditiones indiuiduas & quo ad locum, & quo ad tempus ad partem sensitiuam pertinet. Pars enim

enim intellectiua apprehendit vniuersale, vt vniuersale est, non considerata aliqua differentia loci, nec temporis, sed per memoriam apprehendimus rem secundum determinatam differentiam loci, & temporis. Quicunque enim recordatur, conatur considerare in quo loco rem sensit, & in præterito, & non solùm in præterito, sed in quo anno, vel mense, vel die, vel hora, ergo constat quòd ad partem sensitiuam pertinet, & ideo inquit Commen. in tract. suo de Memoria, & Rem inisceentia, & manifestum est, quòd est de virtutibus comprehendentibus res particulares indiuiduas. Rememoratio enim alicuius non fit nisi post sensum, & imaginationem eius, secundum quod fuit sensatum, & imaginatum, vniuersalis enim natura quantitatis, quam intellectus comprehendit, non comprehenditur à virtute memoratiua, non enim comprehendit nisi quantitatem determinatam, quam præsensit & imaginabatur. Hæc Commenta.

Præterea si ad partem intellectiuam pertineret, inesset soli homini, videmus autem multa animalium recordari, quoniam reuertuntur ad propria loca, & statutis temporibus mouentur ad quærendum nutrimentum, cuius speciem retinet.

Præterea, bene memorabilia (vt dicemus infrà) sunt illa quæ sunt bene phantasiabilia, vt historiæ. Quæ autem parum sensibilia sunt & spiritalem considerationem requirunt, parum sunt memorabilia, vnde vt fiant memorabilia, applicantur distinctis locis, vt per ea fiat memoria artificialis, sicut patet in recitantibus orationes, aut metra, aut argumenta, ergo signum est, quod ad partem sensitiuam pertinet. Et aduerte quòd licet homo in homine memoria in parte intellectiua: tamen non potest exire in actũ suum sine memoria sensitiua, quoniam homo pro hoc statu non intelligit vniuersale nisi in phantasmate. Cum enim in vnoquoque operatio proportionetur virtuti, & essentiæ operantis, & intellectiuum hominis sit in sensitiuo (est enim ex Secundo de Anima, eadem anima vegetatiua, sensitiua, & intellectiua) ideo in homine pro hoc statu propria sua operatio est intelligere intelligibilia vniuersalia in phantasmatibus. Hinc est, quod experimur cum volumus speculari circa conclusionem vniuersalem, puta quòd trigonũ habet tres æquales duobus rectis, necesse est vt proponamus in phantasia, vel describamus trigonum singulare, in quo speculamur naturam trigoni inquantum trigonum est. Si igitur non possumus speculari, nec scire vniuersale nisi inspiciendo ipsum in phantasmate, nec possumus recordari nos intellexisse ipsum vniuersale, nisi de nouo, & quoties volumus considerare vniuersale iam intellectum phantasia simul cum memoria proponat phantasma, in quo reluceat ipsum vniuersale. Inde est quòd læso organo phantasiæ, vt in stulto, vel furioso, nullo modo potest homo acquirere scientiam, nec post acquisitionem considerare: vnde bene inquit Aristot. in textu: Memoria autem, quæ est intelligibilium, non sine phantasmate est. Hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

Quomodo memoria à sensu communi, phantasia, extimatiua vel cogitatiua distinguatur: & quod & vbi in corpore sit eius organum.

Circa quartum caput, aduerte, quòd non possumus assignare distinctum organum ab organis aliarum virtutum sensitiuarum interiorum, nisi prius determinatum fuerit, quod distinguitur realiter ab eis. Tu igitur aduerte circa hoc esse duas opiniones.

Prima dicit memoriam non distingui à sensu communi, qui apud Aristot. dicitur primum sensitiuum: dicit enim in textu, Memoria per se est primi sensitiui, & si non distinguitur à primo sensitiuo, non habet organum distinctum ab organo primi sensitiui.

Secunda, in qua conueniunt Auerroes, Auicen. Albertus, & diuus Thomas, dicit quòd distinguitur realiter à sensu communi, & phãtasia, & extimatiua, siue cogitatiua, & organum suum situatur in posteriori parte cerebri. & quidem quòd distinguatur à sensu communi, probatur. nam officium sensus communis est recipere species intẽtionales transmissas à sensibus exterioribus. Officium autem memoriæ est conseruare, sicut & phantasiæ, licet alia ratione (vt dicemus) Sed nulla vna potentia organica bene recipit, & bene conseruat, quoniam bene recipere requirit mollitiem ex parte organi, & bene conseruare requirit duritiem, vt patet ad sensum. Mollities autem & durities non se compatiũtur respectu eiusdem. Cum igitur sensus communis requirat organũ molle. & memoria durum ac siccum, sequitur quod sint distinctæ potentiæ. Quod autem distinguatur à phãtasia, probatur, quoniam phantasia propriè est conseruatiua speciei sensatæ, quæ materialior est specie insensata, extrahitur enim ab illa, sicut medulla a cortice. ergo non est eadem potentia conseruatiua speciei sensatæ & insensatæ: sed memoria ponitur conseruatiua speciei insensatæ. ergo distinguitur à phantasia. Quod autem distinguatur ab extimatiua, siue cogitatiua probatur. Quoniam extimatiua extrahit huiusmodi species à phantasmate. ergo sicut sensus communis habet thesaurum suum, id est, phantasiam conseruantem species sensatas, sic extimatiua habet thesaurum, in quo seruantur species non sensatæ ab ea extractæ, hic autem thesaurus ab omnibus conceditur esse memoria, ergo, &c.

Viso quòd distinguitur, dicendum est de organo eius. vnde aduerte quòd communiter tenetur ipsam esse affixam posteriori parti cerebri, eo quod memoria requirit ex parte organi temperatam siccitatem, & duritiem, quæ ad sensum inueniuntur in posteriori parte capitis. Cuius signum est (vt inquit Comment.) quòd quando postremum capitis fuerit læsum, impeditur actus memorandi. Et quod diximus de distinctione harum virtutum, & de organo memoriæ, manifestatur per Comment. in tractatu suo de memoria, & reminiscentia, vbi inquit. Et quia ista virtus, scilicet sensitiua interior est diuersarum actionum, ideo habet diuersa loca in capite, & quia sentiens sentit primò, deinde distinguit imaginans, deinde distinguit distinguens, id est, separat insensatam speciem à sensata, deinde recipit conseruans, necesse est, vt imaginans sit in horizonte anteriori cerebri, deinde cogitans in medio, deinde memorans, & conseruans in posteriori cerebri, & hoc notum est sensui. Cum enim complexio anterioris cerebri lædatur, statim lædatur imaginatio illius hominis: & remanet cogitatio, & rememoratio secundum suum modum, & cum medium fuerit læsum, lædetur cogitatio, & cum posterius memoria. & ideo sunt quinque ordines: quorum primus est corporalis magni corticis, & est forma sensibilis extra animam, secundus autem est esse istius formæ in sensu communi, & est primus ordinum spiritalium. Tertius est esse in virtute imaginatiua: & est magis spiritalis. Quartus est in virtute distinctiua, id est, extimatiua: quæ dicitur distinctiua, quia distinguit & separat speciem insensatam à sensata, vt intentionem odij à figura lupi. Quintus autem est esse eius in virtute memoratiua, & est magis spiritalis. recipit enim medullam eius quod distinguit tres virtutes à cortice. Hæc Comment. ex quibus patet distinctio virtutum sensitiuarum interiorum, & dispositio propriorum organorum & quomodo distinguatur memoria ab aliis, & vbi situatur organum eius.

Nunc superest declarare textum Philosophi, super quem fundauit prima opinio. Aduerte igitur cum dicit, memoria est per se primi sensitiui, non est verum, nisi originatiuè, & præsuppositiuè. Nam (vt dicemus in capite sequenti) memoratio originatur à sensu communi. quoniam supponit actum eius. Impossibile est enim quòd recorder Socratis, nisi eius imago ad sensum communem, & inde ad phantasiam deuenerit. vnde sicut ista est vera, Augmentatiua & generatiua sunt nutritiua, quia supponunt actum nutritiuè ex secundo de Anima, sic ista est vera, Memoria est per se primi sensitiui, quia originatur à primo sensitiuo.

CAPVT V.

Quid sit memoratio & à quibus potentijs fit, quomodo item phantasiari & recordari distinguantur, & quæ memoriæ conducunt.

Circa quintum caput, vt habeamus notitiam de actu memoriæ, qui dicitur memoratio, vel recordatio, dicemus quinque.

Primò quid sit.

Secundò quid supponit.

Tertiò quot potentiæ ad ipsum concurrunt, & quo ordine.

Quartò quomodo differunt phantasiari, & recordari.

Quintò quæ sunt conseruatiua memoriæ.

Quantum ad primum aduerte duas diffinitiones, quarum prima trahitur ab Aristot. & est hæc, Memoratio est conuersio animæ ad imagines, & intentiones rerum prius sensatarum, cum prius factum fuerit tempus. Hæc diffinitio manifesta erit ex iis, quæ dicemus in quarto puncto. Dicitur autem, cum prius factum fuerit tempus: quoniam inter primam apprehensionem factam per sensum exteriorem, & secundam factam per memoriam, necesse est mediare tempus. hæc enim supponit illam sicut posterior priorem. Secunda sumitur à Comment. in suo tract. de memoria: & reminiscentia, & est hæc, Rememoratio est reuersio in præsenti intentionis comprehensæ in præterito, id est, tunc memoratur animal quando reuertitur ad considerandam rem quæ est, vel fuit ad extra quam prius apprehendit: reuertitur iniquam ex intentione repræsentatiua rei conseruata in memorante, vt dicemus immediatè.

Quantum ad secundum dico, quòd memoratio supponit impressionem imaginum factam à sensibilibus in imaginatiua, mediante sensu exteriori, & sensu communi. Quæ quidem impressio fit sicut sigilli in materia bene conseruatiua imaginis. nam sicut si impressio sigilli fieret in materia fluida, non appareret, nec conseruaretur imago, sic dato quod sensus exterior, & sensus communis reciperent imagines sensibilium, & non bene imprimerentur ac conseruarentur in imaginatiua, non fieret prius apprehensorum recordatio. Cuius signum est, quòd qui sunt in plurimo motu, & valde humidi, vt pueri, non sunt bene memores, quoniam superabundans humiditas prohibet firmam impressionem imaginum. Nec obstat: quòd cùm simus adulti, videmur optimè recordari quæ in pueritia vidimus, aut audiuimus. Id enim non est proper ordinariam bonam impressionem imaginum, quoniam complexio puerilis humida huic repugnat: sed est, quoniam cùm pueri sint noui in mundo, admirantur de multis quæ vident: admiratio autem propter fortem applicationem causat firmam impressionem in nobis, vnde inquit Commenta. in tractatu suo de memoria, & reminiscentia. Homo rememorat multoties quod sensit in pueritia bona rememoratione, quia in pueritia multum amat formas, & miratur multum in eis, & aspectu earum, quapropter difficile amittit eas, hæc ille. Item qui sunt frigidæ & siccæ complexionis, vt senes, non sunt bene memores, quoniam frigiditas, & siccitas multum indurant, induratio autem excessiua prohibet impressionem. Inde videmus decrepitos fieri incapaces rerum difficilium. Contingit tamen aliquos senes esse bene memores, si eis non dominatur excessiua frigiditas, & accidentalis, siue superflua humiditas. Nam ratione siccitatis sunt bene memores. vnde dicit Commenta. in tractatu suo de memoria & reminiscentia. Quidam senes sunt bonæ memoriæ, quando illa complexio accidentalis, scilicet humida superfluè non fuerit dominans in eis. Complexio enim naturalis senis est siccitas: & ideo senex inuenitur rememorans. hæc ille. Item constituti in vehementi passione corporis, vel animæ non sunt bene memores: quoniam passio firmam impressionem imaginum prohibet: vt patet in infirmis, & in ebriis, & in concitatis ad iram, & in commotis ad concupiscentias: & in constitutis in magno timore. Tales enim licet multa & magna videant dum vexantur his passionibus, tamen sedatis passionibus parum de eis recordantur propter superficialem imaginum impressionem. Item qui sunt velocis & subitæ apprehensionis, non sunt bene memores, quoniam velut in transitu recipiunt imaginum impressiones. & qui sunt tardæ apprehensionis ac multum difficilis, non sunt bene memores, quoniam multum terrestres sunt, & ideo modicam habent impressionem. Terrestres enim duriores sunt & (vt diximus) excessiua durities obstat bonæ impressioni. Qui autem sunt medij, ita quòd non sunt multum humidi, vt pueri, nec multum sicci, vt senes, sunt bene memores: quoniam ratione moderatæ humiditatis bene recipiunt, & ratione moderatæ siccitatis bene conseruant, & tales sunt iuuenes. vnde inquit Comment. in tractatu suo de memoria, & reminiscentia, Qui habent mediam complexionem habent bonam conseruationem, & bonam memoriam, & ideo bonitas memoriæ attribuitur iuuenibus, & obliuio accidit pueris & senibus. hæc ille. Patet igitur ex omnibus his quòd memoratio supponit impressionem, & conseruationem imaginum, siue phantasmatum in phantasia.

Hinc est quòd (vt inquit Commen. in eodem loco) bene memorabilia sunt formæ multum corporeæ, & paucæ spiritalitatis. Difficilia autem ad memorandum sunt formæ paruæ corporeitatis, & multæ spiritalitatis, quoniam formæ multum corporeæ bene imprimuntur & conseruantur in phantasia, vnde facile memoramur faciem Socra. & quod nobis dixerit, aut fecerit, quando autem, & qua hora, & cuius filius sit, aut cuius patriæ, nõ facile recordamur. Non solùm autem supponit impressionem, & retentionem imaginum, sed & extimatiuam extra habentem intentiones non sensatas ex imaginibus quæ conseruentur in memoria, puta quòd extimatiua quis extrahat ex imagine lupi speciem inimicitiæ. nam si videret lupum, & non præsentaretur sibi sub specie inimicitiæ, non fugeret eum. quoniam igitur non fit perfecta memoratio, vt dicemus infrà, nisi copulentur intentiones cum imaginibus, ideo vtrunque supponit.

Ad memorationem quæ et quo ordine potentiæ requiritur.

Quantum ad tertium dicam primò quot potentiæ concurrunt, secundò quo ordine. Quantum ad primum dico quòd omnes sensus interiores concurrunt, sed diuersimodè, quoniam aliqui concurrunt suppositiuè, siue antecedenter, aliqui essentialiter. Suppositiuè quidem concurrunt sensus communis, vt recipiens imaginem ab extrinseco, mediante sensu exteriori, & phantasia recipiens ac retinens imaginem, vt diximus in præcedentibus, & extimatiua, siue cogitatiua extrahens intentionem non sensatam ab imagine quæ retinetur in memoria. nam secundum doctrinam Albert. in libro suo de Memoria, & reminiscentia. sola imago non sufficit ad completè memorandum. nam cùm multa sit similitudo in figuris aliquarum specierum, ex sola figura non memoraremur distinctè huius indiuidui, huius speciei magis quam illius: verbi gratia, sit canis penitus similis lupo. Contingit enim canem generatum ex lupo assimilari lupo. Et si videret quis hunc canem, & videret lupum sibi similem, si sola figura sufficeret ad distinctè & perfectè memorandum, quis videns lupum similem cani non magis fugeret lupum, quàm canem. Necesse est ergo vt sua extimatiua eliciat speciem inimicitiæ inter seipsam & lupum; & cùm videret lupum similem cani, memoria præsentante intentionem inimicitiæ, fugiet lupum, & tamen non fugiet canem, posito quòd assimiletur lupo. ergo actus memorationis pendet antecedenter ab extimatiua, vel cogitatiua. essentialiter autem concurrunt imaginatiua, siue phantasia. (Sunt enim eadem potentia secundum Comment. & B. Tho.) & extimatiua in bruto, vel cogitatiua in homine & memoria, ita quòd postquam præparauerunt materiam memorationis, scilicet imagines & intentiones, concurrunt actualiter ad actum ipsum, vt declarabimus dicentes quo ordine concurrunt.

Nota hãc memorationis ordinatam ex viribus interioribus genitũrã.

Quantum igitur ad secundum, dico secundum doctrinam Comment. in suo tractatu de memoria, & reminiscentia, quod concurrunt. Primò imaginatiua profert imaginem rei memorandæ, vt est repræsentatiua imaginati: Secundò memoria profert intentiones non sensatas extractas ab extimatiua, vel cogitatiua: Tertiò extimatiua, vel cogitatiua copulat intentiones, quas separauerat simul cum imagine, qua copulatione facta cõuertit se animal, vel homo ad ea què prius videt, aut alio sensu sensit, quæ conuersio dicitur memoratio vt diximus suprà, verbi gratia, volo recordari patris mei, aut viui, aut mortui. Primò necesse est, vt phantasia proferat figuram suam cum aliis circunstantiis materialibus, puta videum in tali loco, tali tempore, taliter agentem, taliter loquentem, hæc omnia impressa sunt in imaginatiua mea: Secundò memoria profert intentionem paternitatis, & filiationis, & amoris, & solicitudinis ergame: Tertiò cogitatiua copulat has intentiones cum imagine patris mei: & tunc immoror in consideratione patris mei, quomodo me enutriuit, quomodo curauit, quomodo blanditus est mihi, quomodo me castigauit, & in hac consideratione immoror, ac si res prius apprehensæ circa me, & patrem meum essent in præsenti. Et propterea diximus suprà secundum Commen. quòd rememoratio est reuersio in præsenti intentionis apprehensæ in præterito. vnaquæque autem harum potentiarum agit quod est sibi proprium ad imperium appetitus. animal autem est ipsum memorans. Actiones enim sensitiuæ licet sint potentiarum, vt principiorum, tamen sunt totius coniuncti vt agentis. nam visio non est pupillæ: nec visus vt quod, sed est animalis videntis. Ex his patet quot potentiæ, & quo ordine concurrunt ad rememorationem. Et aduerte quòd licet ad hunc actum essentialiter concurrant tres dictæ virtutes, tamen denominatur memoratio à memoria, quoniam ex oblatione intentionum completur memoratio in singulari, & non ex sola præsentatione imaginum, vt diximus suprà, & adhuc dicemus in puncto sequenti. & quoniam intentiones seruantur in memoria, & ab ea proferuntur, ideò dicitur memoratio à memoria, & non imaginatio aut extimatio vel cogitatio. Et hac de causa dixit Auicen. memoriam respicere intentionem, vt imaginatio respicit formas.

Phãtasiari & memorari discrimen.

Quantum ad quartum dico quòd sicut se habet homo considerans picturas in pariete, sic se potest habere quando conuertit se ad imagines depictas in phantasia sua, quas accepit à sensatis ad extra. nam circa picturas in pariete, puta circa imaginem Pompeij dupliciter potest considerare, primò vt illa imago quædam res est constans ex talibus lineis & coloribus, & tantæ magnitudinis, nulla habita relatione ad Pompeium: & talis consideratio non

non eſt imaginis vt imago,ſed vt res eſt.Et ad hanc conſiderationem nulla ſequitur lætitia, aut compaſsio de imaginato apud conſiderantem. Secundò vt eſt imago repræſentatiua Pompeij, vel Cæſaris, & tunc conſideratur imago, vt imago eſt, & per ipſam conſiderat conſiderans de Pompeio ac ſi præſens eſſet Pompeius:qualis fuit,quàm liberalis, quàm ſtrenuus, quàm infelici ſorte agitatus in extremis, & ad hanc conſiderationem ſequitur triſtitia in conſiderante,quoniam terminatur ad Pompeium, ac ſi videretur in calamitate conſtitutus. Similiter poteſt homo conſiderare imagines impreſſas in phãtaſia ſua dupliciter. Primò inquantum ſunt quoddam ſimulacrum habens eſſe intentionale, & non naturale,& inquantum non ſunt denudata à conditionibus ſingularibus, & inquantum ab eis poteſt abſtrahi ſpecies intelligibilis per virtutem intellectus agentis. Secundò inquantum ſunt imagines repræſentatiuę eorum à quibus ſumptæ ſunt, puta hæc imago eſt repræſentatiua patris mei,& illa matris meæ,cum conditionibus & proprietatibus ſuis:prima conſideratio dicitur phantaſiari,vel imaginari, vel ſpeculari, ſecunda dicitur memorari, adiunctis intentionibus non ſenſatis per extimatiuam, vt diximus. Ex quibus conſtat, quòd non eſt de ratione phantaſiantis, aut imaginantis, quòd per imaginem tendat nec conuertat ſe ad imaginatum : eſt autem de ratione memorantis. vnde memorari propriè dicit tendentiam in memorabile,ac ſi eſſet nobis præſens.Hinc eſt quòd imaginantes vt ſic,non delectamur nec triſtamur imaginato,memorantes autem ſic, quoniam per imaginem memorabilis conuertimur ad ipſum ſecundum ſtatum ſuum realem, veluti poſitum ante oculos noſtros, vnde recordantes chari defuncti ingemiſcimus:Recordantes autem miſeriæ,& caſus inimici noſtri lætamur, & quod diximus de delectatione, & triſtitia conſequente ex memoratione concordat cum Commen.in tractatu ſuo de Memoria, & Reminiſcentia:vbi inquit,Dicamus igitur quòd rememorans delectatur per rememorationẽ rerum,quæ non ſunt in actu,quia illa quæ induxerunt ipſum ad memorandum, ſcilicet imagines impreſſæ, & intentiones non ſenſatæ præſentia actu ſunt, & neceſſariò ſimilia rebus memorandis, quia igitur ſimile rei eſt comprehenſum in actu,ab eo accidit rememoranti delectatio & contriſtatio,quod accideret ei ſi illa res, ſcilicet memorata, eſſet in actu,hæc ille.Et intendit quòd ideo memorans delectatur, quia per ſimilitudinem memorati tendit in ipſum eo modo quo tenderet ſi eſſet memoratum in actu, & præſens memoranti. Patet igitur quomodo differunt phantaſiari, & memorari.

Memoriæ conducentia. Sæpius meditari memoriæ conducit.

Quantum ad quintum dico. Primò de conſeruantibus ex parte memoriæ. Secundò ex parte organi. Quantum ad memoriam, dico cum Ariſtotele, quòd meditationes, id eſt, frequentatæ conſiderationes circa ea, quorum volumus memorari, facilitant & firmant memoriam. Nam experimur quòd ſi raro de amico abſente cogitamus, tandem eius obliuiſcimur, ſi autem frequenter, etiam nobis non aduertentibus occurrit memoriæ, & tantum poſſemus occupari in eius cogitatione quod ſemper videretur nobis eſſe ante oculos noſtros. & ratio huius eſt, quoniam frequentati conſimiles actus firmant, & facilitant habitum, ex conſequenti idem contingit circa memoriam : vnde qui volunt memoria retinere quæ didicerunt, aut ſæpe conſiderant ea, aut docent alios, aliter euaneſcunt. Propterea dixit Ariſtotelis, Meditationes memoriam ſeruant in reminiſcendo. Hoc autem non eſt aliud quàm multoties ſpeculari.

Moderata ſiccitas memoriæ prodeſt, ſicut immoderata frigid. obeſt.

Quantum ad organum, dico quod moderata ſiccitas neceſſaria eſt, vt bene conſeruet, & quæcunque impediunt moderatam ſiccitatem nocent ei. Impedit autem paucitas dormitionis, quoniam non purgatur caput ſuperabundanti humiditate, vnde qui non debitè dormiunt videntur obtuſi, Item cibi vaporoſi, & legumina, & caules, & vinum magnum, quod dicitur vinoſum, niſi moderatiſsimè ſumatur, inde videmus ebrios fieri immemores eorum quæ agunt dum ebrij ſunt, & communiter experimur quòd poſt cibum difficultatem patimur in conſiderando, & memorando ſubtilia propter fumos vaporoſos, multum humectantes caput. Item immoderata frigiditas nocet organo : inducit enim conſtipationem & nimis indurat, ex conſequenti prohibet impreſsionem intentionum, quas diximus requiri ad actum memorandi, & poteſt eſſe tanta frigiditas, quod ex toto memoriam deſtrueret, & propterea conſulunt medici tempore exceſsiuæ frigiditatis, poſteriorem partem capitis fouendam eſſe ex vnctione facta ex caſtoreo, vel ex oleo ipſius. Hæc de Memoria dicta ſint.

TRACTATVS SECVNDVS eiuſdem, de Reminiſcentia, in quatuor capita diuiſus.

IVxta ordinem datum à principio libri in hoc ſecundo tractatu agemus de reminiſcentia, & diuidemus ipſum in quatuor capita.

Primò, quomodo differunt memoria & reminiſcentia, inquantum ſunt potentiæ animæ.

Secundò quomodo differunt memorari, & reminiſci.

Tertiò, quomodo fit actus reminiſcendi.

Quartò, cui parti attribuitur reminiſci, an intellectiuæ, an ſenſitiuæ.

CAPVT I.

Memoria & reminiſcentia vt animæ vires quomodo diſtinguuntur.

CIrca primum caput aduerte quòd dupliciter differunt. Primò, quia memoria ineſt homini & omnibus animalibus perfectis, quibus etiam ineſt phantaſia:niſi enim recordarentur prius ſenſatorum, non mouerentur ad loca diſtantia, vt quærant ſibi conuenientia, & diffugiant nociua:nec canis diſtingueret inter patronum ſuum, & alium hominem, nec eſſet aliquod animal diſciplinabile. Reminiſcẽtia autem ineſt ſoli homini, quoniam, vt dicemus, non exit in actum ſuum niſi quodam diſcurſu, & neceſſe eſt reminiſcentem ſyllogizare, id autem eſt proprium homini vnde inquit Ariſtot. Syllogizat reminiſcens, & eſt vt inquiſitio quædam, hæc autem ineſt quibus, & deliberatiuum, id verò ſoli homini conuenit,Secundò, quoniam in homine memoria conuertitur ſi per memorabile ſine aliqua inquiſitione, reminiſcentia autem cum inquiſitione, vnde ſe habet memoria in homine, ſicut Intellectus ſimpliciter apprehendens : reminiſcentia autem ſicut intellectus diſcurrens. Et propterea, ſicut in homine non ſunt duæ potentiæ diſtinctæ intellectus, & ratio: ſic nec memoria, & reminiſcẽtia, ſed dicitur memoria pro quanto reuertitur ad memorabile ſine diſcurſu, reminiſcentia autem cum diſcurſu.Tu tamen aduerte quòd memoria, vt dicemus, aliquando ſubſequitur reminiſcentiam, ſicut terminus motus ſubſequitur motum, ideo enim reminiſcimur, vt reuertamur ad memorabile, aliquando autem nec præcedit, nec ſubſequitur reminiſcẽtiã, ſed ſimpliciter ſine diſcurſu etiã ad conſiderationem memorabilis, vt quando memoror patris mei defuncti, vel memoror cibi quem hodie mane guſtaui. In iis enim quæ memoriæ facilè occurrũt, non indigemus reminiſcentia, id eſt, inueſtigatione, ſed ſolùm ferri ſuper imaginem coniunctam intentionibus non ſenſatis, vt eſt imago rei memorandæ, modo quo ſuprà declarauimus. Et propterea dicit Comment.in tractatu ſuo de Memoria, & reminiſcentia, Inueſtigatio rememoratiua, id eſt, reminiſcentia eſt formæ difficilis reductionis, id eſt, quam cum difficultate reducimus ad memoriam. Memoratio autem eſt formæ facilis reductionis. Hæc ille. Patet igitur quomodo differunt, inquantum ſunt potentia animæ.

CAPVT II.

Memorari & reminiſci quomodo diſtinguantur.

CIrca ſecundum caput aduerte quòd Ariſtot. non ſolùm ponit differentiam inter reminiſci, & memorari, ſed etiam oſtendit quòd reminiſci non eſt reaſſumptio memorationis, nec eſt ipſum inuenire, nec ipſum addiſcere, nec eſt iterato inuenire, nec iterato addiſcere.

Et quidem quòd reminiſci differat à memorari declaratur ex duobus.Primò reminiſci eſt in ſolo homine : quoniã reminiſcẽs ſyllogizat, vt declarabimus in tertio capite. Syllogizare autẽ conuenit ſoli homini, cum ſolus ſit animal rationale, ergo, &c. Memorari autem ineſt homini & brutis, vt patet in animalibus diſciplinalibus, in cane, in equo, in elephante, in auibus, quæ diſciplinantur loqui lingua humana, vnde dixit Ariſtot. in procemio ſuæ metaphyſicæ, Animalia imaginationibus, & memoriis viuunt. Secundò reminiſci in homine reſpectu difficilium memorabilium ſe habet ad memorari, vt motus ad terminum motus, ex conſequenti reſpectu aliorum neceſſariò præcedit memorari. Nam ſicut formamus demonſtrationem, vt perueniamus ad notitiam concluſionis, ſic volentes recordari difficilium recordabilium, diſcurrimus ab vno memorabili occurrente nobis ad aliud, & ab illo ad aliud, donec reducamus ad memoriam illud quod principaliter intendimus, Quod quomodo fiat, dicemus in capite tertio, Patet igitur quomodo differunt reminiſci, & memorari.

Quòd

Reminiſci non eſt reaſſumptio memorationis, nec inuenire, nec addiſcere.

Quòd autem differat à reaſſumptione memorationis, declaro ſic. Reaſſumere memorationem eſt iterum memorari de eodem. Conſtat autem quòd poſſumus bis & ter, & vltra memorari de eodem, maximè quòd memoriæ facilè occurrit, vt res chara & dilecta, non facta aliqua inueſtigatione, quoniam in huiuſmodi non eſt difficultas memorationis: reminiſci verò non datur ſine inueſtigatione : eſt enim eſſentialiter inueſtigatio, vt dicemus in tertio cap. Patet ergo quòd reminiſci non eſt reaſſumptio memorationis.

Quòd verò differat ab inuenire, & ab addiſcere, declaro ſic, inuenire dicit acquiſitionem cognitionis, vel ſcientiæ à ſe, id eſt ſine adminiculo docentis. Cuius cognitionis inuentor nullum habet principium prius apprehenſum, & in ſe retentum:ſed hæc cognitio principium accipit à ſenſu à quo ortum habet omnis noſtra cognitio. Sed reminiſci ſupponit in reminiſcente aliquod principium, puta aliquod viſum, vel auditum, de quo recordatur, & ab illo incipit diſcurrere, donec veniat ad intentum memorandum, vt dicemus infrà, ergo differt reminiſci ab inuenire.

Addiſcere dicit acquiſitionem alicuius notitiæ adminiculo docentis, à quo addiſcens accipit principia talis notitiæ, & ex acceptis principiis deuenit in huiuſmodi notitiam : ſed reminiſcens non accipit principia reminiſcendi ab alio, imò habet in ſeipſo : recordatur enim alicuius prius ſenſati, & ab eo deuenit in recordationem alterius,& ſic ſucceſsiuè donec reducatur ad memoriam, quòd principaliter deſiderabat memorari, vt manifeſtabitur in tertio capite:ergo, &c.

Quòd differat ab iterato inuenire, declaratur. Nam ſi volens reminiſci non recordatur alicuius principij in memoria retenti, à quo incipiat inueſtigare, non poterit reminiſci, ſed remanebit in mera obliuione. Qui autem acquiſiuit aliquam notitiam à ſe, id eſt ſine docente, poſito quòd deperdat omnia principia talis notitiæ, poteſt iterum acquirere via ſenſus eadem principia, per quæ iterato deuenit ad deperditam notitiam, & ſic iterato inueniet eam. Cùm igitur reminiſci impoſſibile ſit nullo principio in memoria retento, non autem ſit impoſsibile iterato inuenire, patet quòd abinuicem differunt.

Eodem modo declaratur, quòd differat ab iterato addiſcere, quoniam qui iterato addiſcit recuperat notitiam, quam etiam quo ad principia omnia perdiderat, ex adminiculo docentis, & proponentis ei conſimilia principia vt prius. Qui autem per reminiſci deuenit ad rem prius oblitam, non perdit omnia principia, imò ex aliquo retento incipit reminiſci, patet igitur quomodo differt à memorari, à reaſſumptione memorationis, ab inuenire, & iterato inuenire, ab addiſcere & iterato addiſcere. Hæc de ſecundo capite dicta ſint.

CAPVT III.

Quomodo fiat reminiſcendi actus.

CIrca cap. tertium, vt videamus quomodo fit actus reminiſcendi, præpono aliqua, deinde declaro modũ quo fit.

Primò præpono quòd reminiſci eſt inueſtigare, ſiue venari aliquid, quod à memoria receſsit, vt ad memoriam redeat, puta, vellem recordari, quo die receſsi à Roma.

Secundò præpono quod omnis inueſtigatio ſupponit aliquod notum inueſtiganti, à quo incipit inueſtigare, aliter incerta eſſet, & fruſtratoria inueſtigatio. Nam ſi piſcator neſciret in hac aqua generari piſces, & quibus inſtrumentis piſcandum eſſet, vanè & caſualiter piſcaretur. Sic in propoſito. Si volens reminiſci non retineret in memoria aliquod ſibi notum, à quo inciperet venari de re ad memoriam reducenda, vanè laboraret.

Tertiò præpono quòd ſicut piſcator antequam ad finem intentum deueniat, agit multos motus ordinatos, ita quòd ſequens ſupponit antecedentem, puta primò inquirit aquã, in qua pro certo ſciat eſſe piſces. Secundò dat cibum eis, vt alliciantur. Tertiò extendit rete in parte, ad quam veriſimile eſt decurrere piſces. Quartò complicat paulatim rete extrahens id de aqua. Quintò accipit piſces. Sic volens reminiſcens reducere ad memoriam id quod excidit ab ea, neceſſario agit in ſeipſo multos motus ordinatos, id eſt conſiderationes ordinatas ſuper multa memorabilia, qui motus debent eſſe ita diſpoſiti quod vnus naturaliter, vel ex conſuetudine conſiderantis ſequatur ad alterum. Naturaliter quidem, verbi gratia, ſi conſidero de Socrate, conſidero de homine, ſi de homine, ergo de rationali, quoniam Socrates eſſentialiter eſt homo, & homo eſſentialiter eſt rationalis : ex conſuetudine autem, verbi gratia, conſueuit Socrates quoties conſiderat de Aenea, conſiderare de Roma, & quoties conſiderat de Roma, conſiderat de Cæſare, & quoties conſiderat de Cæſare, conſiderat de Pompeio. Iſti tamen motus non ſunt neceſſariò ſubordinati, quoniam non inconuenit conſiderare vnũ ſine alio : ſed in Socrate ſic ordinati ſunt, quoniam ſic fecit in ſe conſuetudinem. Et propterea reminiſcentiæ fiunt diuerſimodè in diuerſis, ſecundum quod diuerſimodè conſueuerunt ordinare motus ſuper memorabilia. Et quidem quod reminiſci fiat per ordinatos motus id eſt conſiderationes, declarat Ariſtotel. duobus ſignis, primum eſt. Experimur in nobis quod citiſsimè, & perfectè tunc fiunt reminiſcentiæ, quando incipimus in aliquo negotio iam peracto conſiderare à principio talis negotij, & diſcurrimus ordinatè per omnia acta in tali negotio : verbi gratia, Plato defenſauit cauſam Socratis in iudicio, & vult reminiſci ſi iudex iuſtè ſententiam tulit pro Socra. Et incipit conſiderare, quomodo teſtes adduxit, deinde quomodo examinati ſunt iuridicè, deinde quomodo aduerſarius defecit in defenſione ſui, deinde quomodo auditis partibus ſententiauit pro Socrate. factis his conſiderationibus ordinatis Plato firmiter ad memoriam reducit ſententiam pro Socrate fuiſſe iuſtam : ſecundum eſt quòd ea ſunt maximè reminiſcibilia, quæ ſunt bene ordinata, vt facilè reminiſcimur demonſtrationum mathematicarum, quoniam vna ſupponit aliam, vt patet in Euclide, & ſpecierum numerabilium & hiſtoriarum, quarum partes ſunt ordinatæ. Quæ autem inordinata ſunt, peſsimè ſunt reminiſcibilla, ſicut orationes, & lectiones, quarum partes incontextæ, & inordinatæ ſunt : patet ergo quòd ad reminiſci requiruntur ordinati motus ex parte reminiſcentis, & ordo inter memorabilia, vt facilè & perfectè ad memoriam reducantur.

Reminiſci fit per motus ordinatè ſibi ſuccedentes.

Inordinata non facilè reminiſcimur.

Reminiſcimur ſẽper ab aliquo principio, quod eſt vel res memoriæ retẽta, vel tẽpus, vel locus, incipientes.

Quartò præpono quòd neceſſe eſt reminiſcentem incipere ab aliquo principio, quod memoriæ tenetur & ab illo procedere ad aliquod memorandum, & ab illo ad aliud donec deueniamus ad principale quod deſideramus ad memoriam reduci. Quod quidem principium aliquando eſt res memoriæ retenta, aliquando tempus, aliquando locus. Exemplum primi volo reminiſci quis erat quartus diſcumbens in nuptiis, & incipio ſic, recordor patrem ſponſi fuiſſe in primo loco, in ſecundo loco ſponſum, in tertio germanum eius, in quarto occurrit Socrates chariſsimus amicus ſponſi, & tunc completur reminiſcentia. Exemplum ſecundi, volo reminiſci, quo die conſtitutus in itinere fui Bononiæ, & incipio ſic, heri fui Parmæ, nudiuſtertius Mutinæ, & illic per diem quieui, deinde itineratus ſum, & non pernoctaui extra Bononiam: ergo quarta die iam elapſa fui Bononiæ. Exemplum tertij, volo reminiſci conſtitutus in itinere, in quo loco perdidi pecuniam, & incipio ſic, in tali loco habebam pecuniam, quoniam ſolui cœnam in hoſpitio, & in tali habebam, quoniam ſolui equitaturam, & in tali habebam, quoniam emi panes, in tali autem loco non habebam, quoniam non potui ſoluere in hoſpitio, ergo in tanta diſtantia cecidit burſa, & tunc facta reminiſcentia incipio quærere deperditam pecuniam.

Præpoſitis his, nunc declaro quomodo fiat reminiſci, & dico quòd ſicut memorari fit à phantaſia præſentante imaginem, & memoria præſentante intentionem, & extimatiua componente imaginem cum intentione, vt docuimus in tractatu præcedenti, ſic ad actum reminiſcendi concurrit phantaſia plures imagines ordinatas præſentans, & memoria plures intentiones ordinatas præſentans, & cogitatiua incipiens componere ordinatè propriam intentionem propriæ imagini: deinde incipiens diſcurrere ab vna imagine adiuncta propriæ intentioni tanquam à principio noto ad aliam ſubſequentem, & ab illa ad aliam, vt exempla poſita ſunt ſuprà, ex parte rerum memorabilium, & loci, & temporis, & ſic ſucceſsiuè donec ad memoriam redeat quod exciderat. Ex quibus patet quòd in reminiſcendo ſyllogizamus, & diſcurrimus, non quidem per propoſitiones vniuerſales, id enim eſt proprium intellectus, ſed per ſingulares, diſcurrimus enim ab vno ſingulari memorato ad aliud memorando : & ideo fit à cogitatiua, quæ dicitur ratio particularis apud Commenta. Item patet quòd ſicut in diſcurſu vniuerſali incipimus ab aliquo principio vniuerſali nobis noto, ſic in diſcurſu quo vtimur reminiſcentes incipimus ab aliquo ſingulari in memoria retento, quod aſſumimus vt ducamur in recordationem rei oblitæ. Itẽ patet quòd ſicut ſe habet concluſio ad præmiſſas, ſic memoratio ad reminiſci : ſicut enim præmiſſæ ſunt viæ ad concluſionem, ſic reminiſci ad memorationem, ex conſequenti reminiſci habet rationem motus: & memoratio rationem termini, ideo enim diſcurrimus per ordinata memorabilia, vt memoremur rei oblitæ. patet igitur quomodo fit actus reminiſcendi, & quomodo differt à memorari. Hæc de tertio capite dicta ſint.

CAPVT IIII.

Cuius partis animæ sit reminiscentia

Reminisci est partis sensitiuæ, intellectui coniunctæ, id est cogitatiuæ, quæ particularis ratio est.

CIrca caput quartum, dico quòd ad partem sensitiuam pertinet, quæ tamen coniungitur intellectiuæ, cognitum enim est, quod discursus quo reminiscimur attribuitur cogitatiuæ, quæ ex vnione, quam habet ad intellectum, dicitur ratio particularis. Et quidem quo ad partem sensitiuam pertineat manifestat Arist. tribus signis.

Primò experimur, quòd quando laboramus in reminiscendo, & facimus magnum conatum, & non occurrit tandem quod vltimo quærimus, turbamur capite: & inquietudinem patimur: ergo signum est quod fit per potentiam apprehensiuam organicam, ex consequenti ad partem sensitiuam pertinet, & non ad intellectum, quoniam cum sit immaterialis, impaßibilis, & inalterabilis est. vnde dixit Aristoteles in libro tertio de Anima, impaßibilem oportet esse intellectum.

Secundò experimur, quòd quando laboramus in reminiscendo, & desperantes venire ad intentum, etiam quòd proponamus desistere à tali actu, non est in potestate nostra desistere, sed etiam nolentes occupamur in tali reminiscētia. ergo signum est quod cōmota sunt organa potentiarum per quas reminiscimur, & quando mota sunt ac agitata non est in potestate nostra, vt quando volumus statim cesset motus, & accidit nobis sicut proiicientibus manu lapidē. nam antequā è manu exeat est in potestate nostra quies lapidis, postquam autem à manu exierit non est in potestate proiicientis quod statim cesset à motu. Item accidit reminiscenti cum labore sicut commoto ad iram, vel ad concupiscentiam, in cuius potestate non est vt statim sedetur, vel quiescat motus paßionum, etiam ꝙ velit cessare ab ira, vel concupiscentia, sed per aliquod spatium temporis durat motus ille, quoniam appetitus sensitiuus est organicus. Item accidit ei sicut cantoribus, qui adeo consueti sunt cantare, quod inaduertenter etiam soli cantant: & ambulantes. Item accidit ei sicut illi, qui aliquibus diebus fuit in naui, & egressus adhuc videtur sibi quòd nauis moueatur, & id quidem prouenit ex intensa impreßione illius motus in imaginatiua.

Tertiò experimur quòd habentes tibias breues, & partes superiores corporis maiores, sunt malè memoratiui, & reminiscitiui, quoniam multitudine humorum grauatur caput, nec bene retinent impreßionem imaginum, sicut nec pueri propter superabundantem humiditatem, nec senes propter excedentem siccitatem causatam ex frigiditate congelante humores in sene. ergo manifestum est quòd ad partem sensitiuam spectat: & confirmatur auctoritate Cōment. in tractatu suo de memoria, & reminiscentia. Vbi inquit, inuestigare autem per rememorationem est acquisitio cognitionis, & laborare, & facere cogitatiuam laborantem in repræsentatione istius cogitationis: Consideremus igitur quid est ista virtus, & cuius ordinis est de virtutibus animæ, & manifestum est quòd est de virtutibus comprehendentibus res particulares indiuiduas, &c. ergo est de numero virtutum sensitiuarum, sensus enim propriè fertur super indiuidua, & particularia. Et quoniam reminisci ad cogitatiuam spectat, quæ est propinqua intellectui, memorari autem ad extimatiuam sine aliquo discursu, ideo patet ratio, propter quam aliqui sunt bene memoratiui, & malè reminiscitiui, aliqui autem malè memoratiui, & bene reminiscitiui. nam qui bene retinent imagines, & sunt depreßi ingenij ac rudis, sunt benè memoratiui, sed malè reminiscitiui, quoniam sunt impotentes ex tarditate ingenij ad ordinatè discurrendum ab vno memorabili ad aliud, per quod reducitur ad memoriā res oblita, vt diximus suprá.

Qui verò sunt excitati ingenij, & apti ad addiscendum etiam quòd malè retineant imagines, ex consequenti sint malè memoratiui, tamen sunt bene reminiscitiui, quoniam vigore ingenij, dummodo retineant in memoria aliquod memorabile, à quo vt à principio incipiant inuestigare modo quo suprà diximus, reacquirunt memoriam eius, cuius obliti fuerant. & propterea dixit Aristo. in principio libri: Non enim idem sunt memoratiui, & reminiscitiui. Sed vt frequenter memorabiliores qui tardi, scilicet, sunt ingenio: reminiscibiliores autem, qui veloces, id est, excitati ingenio & bene addiscentes. Hæc de Reminiscentia dicta sint. Reliquum est facere considerationem de motu locali animalium.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII EPITOME

DE CAVSIS MOTVS LOcalis in animalibus, in duos tractatus diuisa.

QVoniam mouent se animalia localiter, manifestum est ꝙ in seipsis habent principia, & causas huius motus. Inuestigandum est igitur in præsenti consideratione de huiusmodi principiis, & quomodo ab illis fiat motus localis in animalibus. Et aduerte ꝙ hîc considerabimus de talibus principiis in vniuersali & absolutè, non applicando ad genus aliquod vel speciem animalium. talis enim consideratio spectat ad scientiam de animalibus, quæ pertractatur in libro de generatione, & in libro de progressu animalium. Et distinguimus præsentem considerationem in duos tracta. In primo agemus de veritate huius principij, Omnis motus localis in animalibus fundatur super aliquod immobile. Super hoc enim firmat Arist. totam intentionem suā in libro de motu animalium. In secundo agemus de principiis motus localis in animali tam principalibus, quàm instrumentalibus, & de motu voluntario, inuoluntario, & non voluntario.

TRACTATVS PRIMVS de causis motus animalium in quinque capita diuisus.

IN primo, ꝙ in animalibus omnis motus localis fundatur super aliquod quiescens, & fixum corporeum intrinsecum animali.

In secundo, ꝙ vltra quiescens intrinsecum requiritur quiescens extrinsecum, vt fulcimentum.

Tertio, cùm cœlum videatur esse animatum (vt conclusum est in secundo cœli) inuestigandum est si in cœlo est aliquod immobile corporeum ipsi intrinsecum, super quod fundetur motus eius, in aliquod extrinsecum, vt fulcimentum.

Quarto, si inanimata in motu suo locali indigent aliquo quiescente intrinseco, & extrinseco, vt animalia.

Quinto, si animata non solùm respectu motus localis, sed etiam respectu alterationis, & augmenti, & generationis habent in se principium motus.

CAPVT I.

Quilibet localis motus in animalibus reducitur ad aliquod quiescens fixum & corporeum intrinsecum animali.

CIrca primum caput, aduerte quòd animal dicitur mouere seipsum, non quidem primo, id est secundum se totum (hoc enim improbatum est in octauo Physicorum, quoniam idem, vt idem, esset in actu & in potentia) sed dicitur mouere seipsum secundum partem, prout vna pars mouet aliam, & sic ratione partium dicitur mouere seipsum. vnde in octauo Physico. probauit quòd omne mouens seipsum distinguitur in partem mouentem, & partem motam. Sed aduerte quòd in octauo Physico. accipit partem vniuersalissimo modo, siue sit pars incorporea, siue corporea: & incorporea iterū duplex, vel impropriè dicta vt intelligentia applicata cœlo, cū enim sit substantia cōpleta in specie, impropriè dicitur pars, vel propriè, vt anima, quę est pars essentialis in animali. Corporea autē est pars quantitatiua siue integralis. In octauo igitur Physi. cū dicit, omne mouēs seipsum distinguitur in partē mouentē, & partē motā, intendit de parte mouente vniuersaliter: vnde tenet illic ꝙ cœlū mouet seipsum, quoniam distinguitur in intelligentiā, vt in partē mouentē, & in corpus cœli vt in partē motā, & dicit animalia mouere seipsa, quoniam anima est pars mouēs, & corpus pars mota. De parte autē integrali manifestū est. nā pedes mouēt totū animal de loco ad locū. vnde in quinto Physi. dixit ꝙ homo mouet seipsum secundum partē, & exēplificat de percutiente seipsum, prout per manum percutientem percutit seipsum. in libro autē de motu animalium restringit se ad partem corpoream, & intendit declarare quod in animali vna pars corporis mouet aliam, & tandem est deuenire ad primam, à qua pendet omnis motus localis in animali, & est cor, vel aliquid proportionale cordi.

Aduerte secundò quòd Aristo. volens naturali euidentia declarare motum localem in animali fundari super aliquod quiescens intrinsecum, quod est pars integralis in animali, assumit tanquam fundamentum, quòd nulla pars in animali mouetur nisi innitatur, & colligata sit alteri parti, quæ quiescit, & stabilis permanet dum alia mouetur, ita quòd stabilitas & fixio vnius partis est causa quod moueatur altera. Et posito quòd non omnino sit quieta & stabilis, tamen potest dici quieta in comparatione partis motæ: quoniam oportet vt vel lentè, vel nullo modo moueatur, aliter impeditur motus partis motæ. Et manifestum est in nobis. nam si volumus mouere digitum, necesse est manum firmari, & si manus mouetur necesse est brachium firmari, & si brachium mouetur firmatur humerus, & ideo vt vna pars mota inniteretur alteri quiescenti Author naturæ ingenuit inter membra, iuncturas per neruos, & colligamenta, vt essent quidem adinuicem approximata & colligata, sed non continua, quoniam in continuo vna pars non mouetur sine alia, imò vna parte mota totum mouetur, & pręcipuè quando continuum est solidum, sicut sunt membra animalis progreßiui. Dico autem quando continuum est solidum, vt non potest moueri vna pars baculi quin totus moueatur. in fluidis autem & mobilibus, & flexibilibus id non est necesse. nam potest aqua in vase digito agitari in parte superiori: & tamen quiescet in fundo, sic in cera liquefacta, sic corrigia secundum partem potest flecti ad dextram: & ad sinistram, & tamen secundum aliam partem quiescet. id autem non contingit in membris solidis animalium, & ideo necessariæ sunt iuncturæ, quibus vna pars potest secundum diuersas differentias locales moueri, altera parte firmata, vel saltem non mota tanta velocitate. Et simile huic esset si describatur circulus: cuius diameter sit B, C, & centrum A, & ponatur quod semidiameter, scilicet B, A, moueatur alio semidiametro, scilicet C, A, quiescente, id quidem non esset poßibile nisi vtraque medietas discontinuetur in A: & tunc A, centrum est sicut iunctura. Patet igitur quòd motus localis requirit partem in animali quiescentem, & vt immobilem: vel omnino, vel respectiuè, cui sit appulsa, & firmata pars mota. ex consequenti patet quod necesse est communem motum localem in animali reduci ad aliquod immobile. *Hæc de primo capite sufficiant.*



CAPVT II.

Immobile à quo est motus localis animalium non solùm intrinsecum, sed extrinsecum esse oportet.

CIrca caput secundum declarandum est quòd non sufficit pars intrinseca quiescens, sed necesse est dari quiescens extrinsecum, cui innitatur mouens, & motum. Et quidem ꝙ in motu locali recto id sit necesse, probat Arist. hoc signo. Videmus enim quòd si mures conantur per arenam minutam & siccam incedere, parum aut nihil vltra procedunt. Idem contingit in niue molli, & id prouenit: quoniam & arena, & nix cedunt pedibus. ergo in motu necesse est pedes firmari super aliquod quiescens omnino, vel respectiuè. vnde si aër de facili cederet aui volāti, & aqua pisci natanti, & remus nauiganti, tardus esset omnium istorum motus. Requiritur ergo in motu locali recto quiescens extrinsecum, vt fulcimentum. Dico autem in motu recto: quoniam in motu circulari non requiritur aliquod quiescens vt fulcimentum: sed sufficit esse aliquod non motum circa quod est motus, & id est centrum. Dico extrinsecum, quoniam si tale quiescēs esset intrinsecum mobili, non proficeret ad motum: & signum huius videmus in naui. nam ideo nauta facile mouet nauem à terra, quoniam firmat remum ad aliquod quiescens extrinsecum, puta ad arborem vel lapidem, cui innixus pellens mouet nauem. & si nauta existens in naui firmaret remum ad arborem nauis, non proficeret, quoniam arbor nauis est quid intrinsecum naui, & si venti non spirarent in velum aduenientes ab intrinseco, puta ab arctico, non impellerent nauem: vnde vani sunt pictores, figurantes ventos egredi ex naui, quasi sint illi intrinseci, & impellere nauim. id enim esset impoßibile, sicut quando quis firmaret remum ad arborem nauis. Patet igitur quod in motu locali animalium requiritur non solùm quiescens intrinsecum, sed etiā extrinsecum. Hæc de secundo sufficiant.

Pictorum error.

CAPVT III.

A quo nam immobili sit motus localis cœli.

CIrca caput tertium inuestigandum est, si in cœlo datur aliquod quiescens corporeum intrinsecum cœlo, vt pars eius, super quam firmetur motus cœli, & vltra intrinsecum quiescens si datur extrinsecum, cui innitatur motor cœli. sicut nauta innititur terræ per remum, quando impellit nauem, & mouens rotam pedibus innititur terræ stabili.

Motus cœli non est ab intrinseco quiescente.

Et quantum ad quiescens corporeum intrinsecum ponitur cōclusio negatiua, quoniam necesse esset huiusmodi quiescens esse partem cœli, sed impoßibile est partem cœli quiescere, quoniam cum cœlum sit corpus cōtinuum & solidum, necesse est hanc partem remanere cōtinuam aliis, vel discontinuari. Si primo: ergo vel totum cœlum quiescet ad quietem illius partis, vel pars quiescēs mouebitur ad motum aliarum partium, quoniam (vt ad sensum patet) in continuo solido, si vna pars mouetur totum mouetur, & si vna pars quiescit totum quiescit: vnde dicitur quòd continua sunt, quorum est vnus motus, vel vna quies. Si secundo, ergo cœlum erit corruptibile. Impoßibile est enim diuidi partem à toto sphærico, & remanere sphæricum. Et propterea concludit Aristotel. quòd necessarium erit aut totum cœlum manere, id est quiescere, aut distrahi continuitatem ipsius.

Cœli motus nō fundatur super immobilitatem polorum.

Hinc patet error eorum, qui posuerunt motum cœli fundari super immobilitatem polorum, tanquam super quiescens intrinsecum ipsi cœlo, dixerunt enim motorem cœli inniti super duos polos intrinsecos cœlos, sunt enim aliquot cœli: sed contra: cùm poli sint puncta indiuisibilia terminantia axem: nullam habent magnitudinem, ex consequenti non sunt quid corporeum, nec apti quiescere: sicut enim omne mobile est diuisibile, in sexto libro Physico. sic omne quiescibile, ergo, &c. Præterea, cui innititur motor cœli in mouendo debet esse substātia, alioquin fundaretur substantia motoris & cœli in accidente, quod est vanum dicere: sed poli non sunt substantia, cum sint duo puncta terminantia lineam diametralem, puncta autē sunt in quātitate reductiuè, ergo, &c.

Motus cœli nō est ab immobili extrinseco, sed ab ipsa sua infinita virtute.

Quantum autem ad extrinsecum quiescens corporeū, cui innitatur motor cœli, ponitur etiam cōclusio negatiua: quoniam omnis motor, qui mouendo firmatur super aliquod extrinsecum à mobili, supponit ipsum vt prius, & vt à quo pendet motus: sed motore cœli nihil est prius cum sit motor primus, nec eius motus pendet ab alio, quoniam vt sic non esset omnino immobilis, nec omnino independens, cuius oppositum demonstratum est in duodecimo Metaphysicæ, & in octauo Physicorum. tenendum est ergo quòd motor cœli non innititur alicui extrinseco immobili, sed tantùm virtuti suæ infinitæ, & immobilitati suæ, quæ sufficiens est sine labore, & discontinuatione mouere cœlum motu æterno continuo, & regularißimo. virtus autem sua est substantia sua, ideo non pendet ab aliquo extrinseco, & est ex se immobilis, & ideo nulla alia virtute distincta ab eo potest remoueri ab immobilitate sua, & (vt inquit Aristotel.) potest huic proposito adaptari illud Homeri cum dixit: Sed non vtique amouebunt de cœlo in terram Iouem omnium supremum, neq; si valde multum laborent apprehendere omnes Dij omnésque Deæ. Totaliter enim immobile à nullo cōtingit moueri.

Fabula Atlantis.

Hinc patet error eorum, qui dixerunt illud quiescens extrinsecum, cui nititur motor cœli in mouendo ipsum, esse terram, & finxerunt motorem esse Atlantem gigantem habentem pedes in polo inferiori fixos super terram, & caput in polo superiori, & brachium dextrum in Oriente, & sinistrum in Occidente vertentem cœlum ab Oriente ad Occidentem, & ab Occidente in Orientem.

Contra hunc errorem sic arguit Aristot. Quando mouens mouet aliquod mobile, ex eo quod innititur alicui quiescenti, necesse est illud quiescens esse maioris virtutis in quiescendo, quàm sit virtutis mouentis in mouendo. nam si maior sit virtus mouentis in mouendo, mouebit quiescens de loco suo, & tunc vanè inniteretur illi. Ergo si primus motor innititur terræ quiescenti, maior erit virtus mouentis in mouendo, & mouebit quiescens de loco suo, & tunc vanè inniteretur illi. Ergo si primus motor innititur terræ quiescenti, maior erit virtus qua quiescit terra, quàm virtus primi motoris: sed hoc est falsum, quoniam virtus primi motoris infinita est ex vigesimosecundo Metaphysicæ. grauitas autem qua quiescit terra est finita, quoniam terra est corpus finitum, vt probatum est in primo cœli, & in octauo Physicor. in magnitudine finita non posse esse virtutem infinitam. Ergo vanum est dicere motorem cœli inniti terræ quiescenti, vt moueat cœlum.

Sed contra hanc rationem arguitur sic, si maior est virtus

mouentis primi in mouendo, quàm virtus quiescentis in quiescendo: ergo de facto mouebit terram de loco suo, ex consequenti destruetur motus cœli: est enim circa terram vt circa centrum: remoto autem centro remouetur motus circa centrum. Ad hoc dicitur consequentiam non valere, quoniam aliud est motorem mouere innitendo terræ, vt fingunt de Atlante, & mouere circa terram, nam in primo sensu consequentia aliquam habet apparentiam, in secundo autem non, quoniam primus motor nõ innititur terræ, sed suæ virtuti infinitæ. Hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

Nunquid inanimata indigeant aliquo intrinseco, seu extrinseco quiescente ad hoc quòd moueantur, sicut animalia.

Anima ta habent intrinsecũ quiescens, non autẽ inanimata.

CIrca quartum caput inuestigandum est, si quod dictum est de quiescente intrinseco, & extrinseco in animalibus saluatur in motu inanimatorum. Et quidem quantum ad quiescens intrinsecum, dico quòd non: ideo enim animalia habent quiescens intrinsecum, super quod firmatur pars mota, quoniam habent principium actiuum intrinsecum sui motus, quo dicuntur mouere seipsa: sed inanimata non habent huiusmodi principium in seipsis, quoniam mouentur actiuè à generante, vt declaratum est in quarto cœli, in seipsis autem habent principium passiuũ, quo sunt apta moueri, vt gravitas in lapide, & leuitas in igne: præterea, ideò animalia habent partem quiescentem intrinsecam, super quam firmatur pars mota, quoniã habent iuncturas, quibus discontinuantur partes vt patet de digito, & manu, & brachio, ideo non incõuenit vnam partem moueri alia quiescente, ex quo sunt discontinuæ, sed inanimata carent iunctur is, & partes adinuicem continuantur, vt patet in lapidibus, & metallis: cõtinuorum autem vnus est motus, ergo impossibile est in inanimatis vnam partem quiescere, & aliam moueri: imò ad motum vnius partis totum mouetur. Et aduerte quòd semper loquimur de inanimatis solidis, quoniam secus est in inanimatis fluidis, & flexibilibus, vt diximus in primo capite. Patet igitur ratio propter quam in re inanimata non ponitur quiescẽs intrinsecum.

Quantum ad quiescens extrinsecum dico, quòd non est necesse mouens inanimata, quod est generans, firmari, nec inniti alicui fixo. Generans enim est cœlum, & aër, &c. & mouentur inanimata virtute sibi impressa. Constat autem quòd nec cœlum, nec aër alicui fixo innititur dum mouent graue, ergo non est eadem ratio de animatis, & inanimatis. Hæc de quarto capite sufficiant.

CAPVT V.

An alius motus à locali conueniat animalibus.

Alteratio & auctio conueniũt animalibus, nõ autem generatio.

CIrca quintum caput inuestigandum est, si animalia solo motu locali mouent seipsa, vel etiam alterant se, & augmentant se, & generant se. Et quantum ad alterationem dico quod sic, quoniam nutriunt se, vt dictum est in secundo de anima: nutritio autem alterationem supponit, scilicet decoctionem nutrimenti, quæ fit per calefactionem, cuius principium est calor naturalis intrinsecus animali. Cum ergo habeant in se principium suæ alterationis, sicut habent in se principium motus sui localis, eadem ratione possunt dici alterare seipsa, sicut dicuntur mouere seipsa localiter.

Quantum ad augmentum dico, quod sic. nam fundatur in nutritione, idem ergo est principium augmenti, & nutritionis, diuersa tamen ratione, sed calor naturalis intrinsecus animali est principium nutritionis, ergo & augmenti. Eadem ergo ratione, qua dicuntur alterare se, quia nutriunt se, possunt dici augmentare se. Quomodo autem idem calor naturalis sit principium nutritionis, & augmenti diuersa ratione, dictum est in secundo de anima, vbi & assignauimus idem obiectum nutritiuæ, & augmentatiuæ.

Quantum ad generationem dico, quòd non, quoniam generans prius est genito, sicut omne mouens prius est moto: ergo si animal generaret seipsum, sicut mouet seipsum localiter, esset prius seipso. Præterea, nihil generat, nisi in quantum est in actu, & nihil generatur, nisi inquantum est in potentia, ergo idem esset in actu, & in potentia. Item idem esset, & non esset, quæ sunt impossibilia. ergo, &c. Et ideo dixit Aristoteles, quòd nullum est sibipsi causa generationis, & corruptionis. Præexistere enim oportet ei quod mouetur mouens, & generans ei quod generatur. nihil autem prius est ipsum seipso. Hæc enim omnia quantum ad quintum caput nobis dicere sufficiant.

TRACTATVS SECVNDVS de Principiis motus localis in animalibus in sex capita diuisus.

IN hoc tractatu secundo agendum est de principiis motus localis in animalibus, & diuidimus in sex capita.

Primo agemus de principiis principalibus voluntarij motus.

Secundo, quomodo concurrunt & causant motum localem in animali.

Tertio, de principio organico.

Quarto comparabimus motus, qui fiunt ab anima in animali, motibus qui fiunt in ciuitate à monarcha.

Quinto, agemus de principiis motus inuoluntarij, & non voluntarij.

Secundo, quomodo motus in animali aliquando fit à principio ad partes, aliquando econuerso, aliquando ab vna parte ad aliam.

CAPVT I.

Quæ & quot principia sint motus localis in animalibus, & his quæ locali motu mouentur.

CIrca primum caput aduerte quòd principale principium motus localis voluntarij in animalibus est duplex. Quoddam est principium principale mouens non motum, & hoc est obiectum apprehensum sub ratione boni, vt dicemus. Quoddam est mouens & motum, & hoc iterum est duplex, scilicet phantasia, & appetitus, sed diuersa ratione, vt dicemus. Vt scias igitur quomodo principium principale mouens, & non motum sit ipsum obiectum appetibile, aduerte quòd ideo appetitus incitat animal ad motum localem, quia sibi præsentatur à potentia cognoscitiua obiectum appetibile: ideo autem sibi præsentatur, quia potentia cognoscitiua apprehendit ipsum vt bonum, siue realiter bonum, siue apparens bonum: ideo autem apprehenditur à potentia cognoscitiua, quia per sui speciem siue sensibilem, siue intelligibilem actuat & mouet potentiam cognoscitiuam ad sui apprehensionem. In hoc ergo ordine patet q̃ animal est motum, q̃ appetitus est mouens & motus, mouens quidem animal: motus autem à phantasia præsentãte obiectum, & phãtasia est mouens mota, mouens quidẽ appetitum, & mota ab obiecto quo actuatur: obiectum autem nõ habet quid prius in hoc ordine à quo moueatur, ergo est mouens phantasium ad sui cognitionem, & mediante phãtasia mouet appetitum ad sui inclinationẽ & desideriũ, & mediante appetitu mouet animal ad sui consecutionem. Ipsum autem à nullo priori in hoc ordine mouetur, ergo est principium primum mouẽs non motum motus localis in animali. Sed aduerte quòd obiectum non mouet appetitum inquantum simpliciter cognoscitur, sed inquantum cognoscitur sub ratione conuenientis boni, nec inquantum cognoscitur sub ratione vniuersali conuenientis boni, sed sub ratione particulari, inquantum est hoc, vel illud bonum, quoniam vniuersale vt sic non mouet appetitum ad prosequẽdũ, vel fugiendum. Vnde dicit Arist. in tertio de anima, Semper autem motus, scilicet appetitus est prosequẽtis, vel fugiẽtis aliquid, scilicet particulare. Hinc est q̃ intellectu speculante delectabile, vel tristabile vniuersale, nec delectamur, nec timemus, nisi fiat speculatio applicata ad aliquod particulare. Item aduerte q̃ apud Aristo. in textu, cum dicit, Videmus mouere animal intellectum, & phãtasiam: per intellectum intẽdit intellectum practicum. nam ex tertio de anima, Speculatiuus nihil dicit de fugibili, aut prosequibili, & per phantasiam intendit omnem virtutem apprehensiuam rei sub ratione conuenientis, vel nociui tam in homine quàm in bruto, vt cogitatiuam in homine, & extimatiuam in bruto: per electionem, & voluntatem, & concupiscentiam intendit potentiam appetitiuam tam in homine quàm in bruto, sed in homine est appetitus intellectualis dictus voluntas, & sensualis diuisus in concupiscibilem & irascibilem. In bruto autem solus sensualis, sed quoniam intellectus practicus, & cogitatiua, & extimatiua communi denominatione solent dici phantasia, & voluntas, & sensualitas dicuntur appetitus: ideo omnia principia mouentia mota in animali respectu motus localis dicuntur phantasia, & appetitus, sed diuersa ratione. Nam phantasia mouet animal sub ratione indicantis quid bonum, vel malum, appetitus autem mouet sub ratione imperantis, vnde phantasia se habet ad appetitum, sicut doctor consulens ad

Regem consultum, qui imperat vt sibi consultum est, vnde si fuerit bene consultus bene consulit, si malè, malè: sic accidit in homine. Sed de hoc considerare in particulari ad Philosophum moralem pertinet.

Ex dictis patet ratio, quare intelligentia applicata primo mobili mouet motu continuo vniformi, & sempiterno, anima autem mouet corpus localiter motu interpollato & difformi. Nam intelligentia mouet intellectu & voluntate, pro quanto intelligit primum principium, qui est Deus benedictus, sub ratione summi appetibilis, & desiderati, & ex hac intellectione desiderat illi assimilari, & apprehendit non posse consequi hanc assimilationem nisi motu cœli, & hanc assimilationem esse quid optimum, & vltimam perfectionem eius, ideo incessanter, & vniformiter mouet. Anima autem mouet corpus ex apprehensione diminuti, & variabilis boni, quale est in his inferioribus, in quibus experimur aliquod esse nobis bonum pro aliquo tempore, vt calefieri ad ignem tempore hyemis, quod nociuũ nobis esset in æstate. Item aliquod est apparens bonum aliqua hora, puta insurgente concupiscentia, vt inebriari, aut fornicari, & alia hora, puta, insurgente ratione videtur nobis malum, & ideo diffoniter & non continuè anima mouet corpus, quod totum prouenit ex diuersitate bonorum propter quæ mouet, vnde si pro aliquo statu anima figeret apprehensionem, & appetitum in aliquo vniformi bono, & omni tempore sibi bono, & non posset consequi ipsum bonum sine motu locali, semper moueret ipsum corpus, modò esset aptum corpus animalis moueri continuè, & vniformiter. Manifestum est igitur quòd principia principalia motus localis in animali sunt tria, scilicet obiectum appetibile quod est mouens non motum, & phantasia, & appetitus, quæ sunt mouentia mota. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

Quomodo phantasia seu intellectus & appetitus causent motum in animalibus.

CIrca caput secundum, declarandum est quomodo principia mouentia & mota, quæ sunt phantasia, & appetitus, causant motum localem in animali. Sed antequam vltra procedamus, quoniam declarare intendimus propositum, præcipuè in homine, aduerte quòd per ly phantasiam intendimus intellectum practicum. Nam & in Tertio de Anima Aristotel. idem sentit. Dicit enim, Videntur autem duo hæc mouentia, aut appetitus, aut intellectus. Si aliquis phantasiam posuerit velut intellectum quendam. Intellectus autem qui propter aliquid ratiocinatur, & qui practicus est. Primò igitur videbimus quomodo intellectus practicus causat motum localem. Secundò, quomodo appetitus.

Quantum ad primum, dico quòd intellectus practicus causat motum dirigendo, & indicando appetitui hoc esse agendum, vel non, & cum conditionibus requisitis ad bonitatem actionis, huiusmodi autem directio, vel ostensio fit per syllogismum practicum. Et vt videamus distinctè quomodo fit per syllogismum, dicemus tria. Primò, in quibus conueniunt intellectus speculatiuus, & practicus. Secundò, in quibus differunt. Tertiò, quot modis contingit intellectum practicum syllogizare aliquid esse agendum, vel vitandum.

Quantum ad primum, dico quòd conueniunt in quatuor. Primò, sicut intellectus speculatiuus non semper actu speculatur, sic nec practicus semper actu practicè syllogizat. Secundò, sicut in speculabilibus omnes conceptus reducuntur ad vnum primum, qui est conceptus entis, qui supponitur omni alteri conceptui, sic in practicis intellectus practicus omnia agibilia reducit ad rationem boni, & illud supponitur omni actioni practicæ, nullum enim intendens malum sub ratione mali operatur, & à ratione boni deducitur omnis syllogismus practicus, vt dicemus. Tertiò, sicut in speculabilibus est deuenire ad aliquod primum principium complexum, ad quod alia reducuntur, & est sicut fundamentum primum veritatis omnium aliorum complexorum, puta de quo libet est affirmatio, vel negatio vera: sic in practicis est deuenire ad vnum primum complexum, puta, bonum est appetendum, & malum vitandum. Quartò, sicut intellectus speculatiuus cum syllogizat accipit vnam propositionem vniuersalem, sub qua assumit aliam, aliquando quidem vniuersalem, vt in Barbara, aliquando autem particularem vt in Darij: sic intellectus practicus cum rectè syllogizat assumit propositionem vniuersalem, puta, honorandi sunt parentes, sub qua assumit particularem. vel singularem, puta, hic est parens meus, & ex his duabus infert conclusionem practicam.

Quantum ad secundum dico, quòd in duobus differunt. Primò, intellectus practicus semper subsumit minorem particularem, & concludit conclusionem particularem: speculatiuus autem aliquando subsumit vniuersalem, aliquando particularem, & concludit eodem modo, & ratio huius differentiæ manifestabitur per secundam. Secundò differunt in hoc, quòd finis syllogismi speculatiui est cognitio cõclusionis: finis autẽ syllogismi practici est ordinare cõclusionẽ ad opus, vnde conclusio semper est de aliquo agendo, & sic vel sic agendo, vel vitando: & propterea conclusio intellectus practici semper est particularis, quoniam actio est circa particularia, cognitio autem potest esse circa vniuersalia, & particularia, & ideo conclusio intellectus speculatiui potest esse vniuersalis, & particularis. Sed aduerte quòd conclusio intellectus practici de aliquo agendo, vel vitando, semper supponit illud agendum esse bonum, vel saltem apparens, & possibile acquiri, aliter cessat syllogizare. nam si intellectus meus apprehendit, quòd est bonum esse Pontificem, vel ascendere in cœlum, & apprehendit non haberi media ad hæc, nõn concludet, ergo conandum est esse Pontificem, vel ascendere in cœlum, idem intellige ex parte mali vitandi.

Practicus intellectus triariã syllogizat.

Quantum ad tertium, dico quòd tribus modis contingit ipsum syllogizare: aliquando enim concludit de agendo, vel vitando per vnum syllogismum, aliquando per plures, aliquando per enthymema.

Exemplum primi, pauperi est benefaciendum, Socrates est pauper, ergo Socrati est benefaciendum.

Exemplum secundi: Medicina indigeo, rhabarbarum est medicina, ergo rhabarbaro indigeo. tunc vltra, quo indigeo emendum est, vel quærendum, rhabarbaro indigeo, ergo rha barbarum emendum, vel quærendum est. tunc vltra, pro emendo paranda est pecunia, rhabarbarum est emendum. ergo pro rhabarbaro paranda est pecunia, & sic patet quòd pluribus syllogismis deuenit ad id quod primo operandum: scilicet parare pecuniam, vt deueniatur ad primum intentum, & conclusum per primum syllogismum: scilicet rhabarbaro indigeo. Et hinc patet quòd in agibilibus primum in intentione est vltimum in executione, & vltimum in intentione est primum in executione.

Primum in intẽtione est vltimũ in executione.

Exemplum tertij, Bonum est homini se exercere. ergo tu debes te exercere. hic tacetur minor. scilicet tu es homo, quæ supponitur syllogizanti vt manifesta. Et aduerte quòd enthymema in agibilibus est periculosum, & causa erroris ac peccati, & qui veloces sunt in agendis ac impetuosi: vt in pluribus vtuntur enthymemate, & multoties malè agunt, quoniam non subsumunt minorem, nec debitas circunstantias applicant, sed impetuosè à principio vniuersali ad conclusionem feruntur, verbi gratia sic arguit iracundus, De inimico vindicandum est, ergo de hoc vindicandum est: & tamen si fecisset minorem considerasset, scilicet hic est inimicus, & fortè aduertisset quòd non est cum veritate inimicus eius. similiter incontinens sic arguit, hoc est delectabile. ergo eo fruendum est: & peccat, quoniam hanc singularem obtulit sensus non proponente ratione recta suum principium verum, scilicet honesto delectabili temperatè fruendum est, & si incontinens subsumeret hanc minorem: hoc est honestum delectabile, scilicet meretrix, aduerteret ipsam esse falsam, & sic retraheret se. verùm quoniam statim cõcludit ex singulari non debitè circunstantiato oblato sibi à sensu, ideo peccat, & hoc modo se habent homines in passionibus constituti, & vt sic, agunt vt bruta, quæ sola phantasia & extimatiua mouente in eis appetitum, impetuosè agunt, propterea optimum est nobis assuescere ordinatè syllogizare in agendis, ne velut bruta, impetuosè & turpiter, & iniustè agamus. patet igitur ex dictis quomodo intellectus practicus cõcurrit in agẽdis, & in motu locali, & quot modis syllogizãs indicat appetitui obiectũ suũ.

Difficile est syllogizare in agendis.

Quantum ad secundum, dico, quòd appetitus, siue intellectiuus vt voluntas, siue sensualis causat motum localem in nobis imperatiuè vltimatè, modo sit factus in actu. Dico imperatiuè, quoniam inclinatus in complacentiam, & desideriũ obiecti boni ex præsentatione sibi facta ab intellectu practico, siue à phantasia, imperat membris corporis, vt moueãtur ad acquisitionem talis obiecti. Dico vltimatè ad differentiam intellectus practici, vel phantasiæ, nam licet proponant appetitui obiectũ sub ratione boni, nisi appetitus acceptaret hanc proportionẽ, nõ sequeretur actio, si autẽ appetitus acceptat, nihil vlterius expectatur, sed remoto impedimento, sequitur actio imperata ab appetitu. Dico, modo sit factus in actu, nã sicut intellectus antequã recipiat speciẽ intelligibilẽ est in potentia ad intelligendum, & post receptionẽ ita actuatus est, quòd potest ex seipso exire in actum intelligẽdi, sic appetitus

Appetitus factus in actu causat motum localem.

ante præsentationem obiecti sibi factã sub ratione boni est in potentia ad appetendum, & imperandum consecutionem boni, post præsentationem autem iam est factus actu quoad actum primum. Quod enim facit species intelligibilis in intellectu, id facit cognitio boni præsentata appetitui in appetitu, & ideo nullo alio expectato, & remoto impedimento, potest imperare motum localem in nobis: propterea dicitur apud Arist. vltima causa motus localis factus in actu, aut per phantasiam, aut per intelligẽtiam, scilicet practicam. Ex his igitur patet quomodo duo principia mouentia & mota causant motum localem, & qua ratione. Hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.

Quod nam & quale sit, & in qua corporis parte, primum mouens organicum in ipsis animalibus.

CIrca tertium cap. agendum est de principio organico motus localis in animali, quod est vna ex partibus corporis, quæ primò mouetur ab anima, & quæ mota mouet alias partes corporis quodam ordine, & est deuenire ad vltimas partes quæ mouentur, & non mouent alias cum sint vltimæ, & non habeant sequentes, vt extrema manuum & pedum. Ad euidẽtiam igitur istius principij faciemus quatuor. Primò, quoniam artificiata videntur esse nobis notiora naturalibus, vt sciamus quibus organis, & quo ordine anima mouet corpus localiter, comparabimus motum animalis motui currus, & declarabimus in quo sint similes, & in quo dissimiles. Secũdò, inuestigabimus in qua parte corporis, est principium primum organicum. Tertiò, quale est, Quartò, quid inuenitur in hoc principio, quo possit mouere alia membra.

Apta similitudo motus localis ad currum. Quantum ad primum aduerte, ꝙ sicut currus mouetur ab auriga, vt principali mouente, sic corpus animalis mouetur ab anima, mouet autem auriga currum hoc ordine. Auriga insidet equo: quem sua arte regulat in motu, modo ad dextram, modo ad sinistram, equus alligatus est temoni zonis, & aliis ligaturis. Temo colligatus est axibus rotarum, Rotæ aliquæ sunt minores, aliquæ sunt maiores, Minores sunt, quibus infixæ sunt axes, & dicuntur modioli, & sunt velut centra, circa quæ mouentur maiores quibus infixi sunt radij. Auriga igitur primò mouet equum, equus mouet temonem tractu, temo mouet axes, ad tractum axium mouentur rotæ minores, quibus motis mouentur maiores, ex omnibus istis mouetur totus currus: sic proportionaliter mouetur animal. nam in animali est anima, vt auriga, & est cor cui vt equo insidet anima per virtutem motiuam, & sunt ossa, vt temo, & axes, & sunt iuncturæ vt rotæ, & sunt nerui vt chordæ: & sicut extensis, & contractis chordis diuersimodè mouetur currus, sic extensis & contractis neruis diuersimodè mouetur animal. Patet igitur quomodo motus localis in animali assimilatur motui currus: & sicut in curru dantur duo prima mouentia, quorum principale est auriga, organicum autem est equus, qui quodam ordine mouet omnes partes currus, sic in animali mouens primum principale est anima, organicum autem est cor, cuius virtute mouentur omnes aliæ partes, vt dicemus.

Viso in quo ij motus sunt similes, declarandum est in quo sunt dissimiles. Vnde aduerte ꝙ in motu currus non necessario alterantur partes, nec fiunt maiores, aut minores per alterationem, sed additione, aut ablatione: vt si apponantur ligna, vel chordæ, vel subtrahantur. In motu autem animalis necessario partes alterãtur: & fiunt maiores, aut minores per dilatationem, & constrictionem, quæ proueniunt ex caliditate, & frigiditate alteratiuis. Ad cuius euidentiam aduerte, quòd vt diximus, anima mouet corpus per phantasiam & appetitum: phantasia per apprehensionem, & appetitus per motum passionum concupiscibilis, & irascibilis calefaciunt & frigidant corpus. Quod declaratur primò quo ad phantasiam: deinde quo ad appetitum.

Phantasia corpus afficit. Quantum ad phantasiam, aduerte ꝙ recipit, & conseruat species sensatas repræsentatiuas rerum tristabilium, & delectabilium, quæ quidem species cum sint effectus rerum ad extra, & effectus sapiat virtutẽ causæ aliqualiter, sicut res ad extra statim ꝙ obiiciuntur sensibus, & apprehenduntur sub ratione conuenientis alterant corpus commouendo ad calorem, vt patet in venereis, & faciunt dilatationem circa aliquas corporis partes, & si apprehenduntur sub ratione discõuenientis alterant corpus per frigiditatem constringendo aliquas partes, & inducendo palliditatem ac tremorem, vt patet in videntibus draconem, aut leonem, sic species sensatę earundem rerum etiam in absentia rerum, si circa eas negotiatur phantasia, alterant eodem modo corpus, non tamen ita intensè. vnde phantasticans circa speciem formosæ mulieris commouetur ad concupiscentias, & corpus incalescit, & phantasticans circa speciem viri trucidati commouetur ad tremorem, & frigus per corpus discurrit. & confirmatur, ex his que diximus in libro de memoria, & reminiscentia, vbi diximus ꝙ memoriæ inducunt tristitiam aut delectationem, ex consequenti alterant corpus, quoniam dum memoramur, conuertimur per imagines repræsentatiuas super memorabilibus ac si essent nobis præsentia. Et propter ea memoriæ calefaciunt, & infrigidant corpus, secundum quod sunt circa delectabilia, aut tristabilia.

Quantum autem ad appetitum, id maximè experimur, nam per vehemens desiderium, & spem circa desideratum sensibiliter calefit totum corpus, & per gaudium cor dilatatur ex calefactione ac diffusione spirituum. vnde lætantes dilatantur in facie, & tristantes constringuntur & pallescũt: pallor autem est ex frigiditate, & constrictione spirituum. In passione iræ id manifestissimum est, & in passione timoris. nam dum irascimur accenditur sanguis circa cor, dum timemus constringitur: constrictio autem est per frigiditatem. patet ergo ꝙ cum anima moueat corpus per phantasiam, & appetitum, quorum actiones admixtæ sunt alterationi, vt declarauimus, quod non mouet sine alteratione, & dilatatione, & constrictione partium, & in hoc dissimilatur motus animalis à motu currus & cuiuscunque artificiati. hæc de primo dicta sint.

Quantum ad secundum dico, quòd est in medio partis dextræ & sinistræ superioris, & inferioris, anterioris, & posterioris, ex consequenti est in medio totius corporis: sumendo corpus non consideratis extremitatibus, vt capite, brachiis, & cruribus: sed consideretur à collo ad crura. Et declaratur propositum multiplici via.

Primò sic. Quando aliqua plura situata in oppositis sitibus simul mouentur, & contrariis motibus localibus, necesse est quòd vniantur in aliquo vno tanquam in medio à quo sumãt virtutem mouendi, sicut plures riuuli sumunt aquam ab vno communi fonte: sed brachium dextrum, & sinistrum situantur in oppositis sitibus, vt patet, & possunt simul moueri, non enim est necesse moto branchio dextro quiescere sinistrum: & motibus contrariis: vt dextrum ad dextram, & sinistrum ad sinistram. Idem dico de capite & cruribus: possum enim inclinare caput, & eleuare crura simul, & semel. Idem dico de parte anteriori, & posteriori, vt pectore & dorso, possunt enim simul moueri per pulsionem, & retractionem, vt patet dum restringimus, & dilatamus scapulas. Ergo necesse est omnes has partes vniri in aliquo vno, vt in medio situato, à quo sumant virtutem simul mouendi. & hoc est cor situatum in medio corporis, sicut situatur sol medius inter planetas, sicut fons luminis.

Secundò sic. In eodem situ videtur esse principium motiuum, & sensitiuum, quoniam motiuum supponit sensitiuum sed principium sensitiuum est in medio animali. Nam cor est principium sensitiuum tanquam origo spirituum, per quos sensus sentiunt, vt diximus in libro de somno, & vigilia, & dicemus infrà, & cor est in medio animalis, ergo principium motiuum est in medio animalis.

Tertiò sic videmus quòd parua alteratione facta circa cor impedimur à motu, & à sensu, vt patet in apoplectico, & epileptico, & parua perturbatione facta circa cor fit magna alteratio in cæteris partibus, vt in capite, & aliis extremitatibus, aut tremore, vt in constituto in periculo: aut calore æstuante, vt in febricitante. Ergo signum est quod cor constitutum in medio animalis est primum principiũ organicum motus localis. Et vt inquit Arist. se habet cor in animali, sicut gubernaculum in naui, quòd si vel modicum transponatur ad dextram, vel ad sinistram, magnam transmutationem causat in tota naui. sic accidit in animali, nam facta aliquali passione circa cor, videmus totum corpus perturbari, & faciem mutari modo in ruborem, modo in pallorem, modo in tremorem, & in horum contraria: manifestum est igitur quòd primum principium mouens organicum situm est in medio animalis.

Quantum ad tertium, dico ꝙ est diuisibile: & est mobile, & quiescens: quiescens quidem, quoniam semper stat affixũ determinatæ parti in corpore, & est mobile motu pulsus, & tractus, ex consequenti, oportet ipsum esse gibbosum & concauum. Nam inquantum gibbosum dilatatur pulsu, & inquantum concauum constringitur tractu. Et quidem quod moueat

moueatur pulsu, & tractu manifestum est ad sensum: & hic quidem motus naturalis est cordi: & conseruatiuus animalis. Cùm enim sit compositus ex pulsu, & tractu, est sicut motus circularis: qui componitur ex pulsu, & tractu, pulsu quidem per semicirculum superiorem: tractu autem per semicirculum inferiorem. Motus autem circularis, qui est primi corporis cœlestis, conseruat, & viuificat inferiora, sic & motus cordis, qui est per eleuationem, & depressionem ab eodem ad idem: viuificat, & conseruat animal: patet igitur quale est primum mouens organicum, & quo motu mouetur à virtute motiua animæ insidente ei, sicut auriga equo.

Quantum ad quartum, dico quòd in hoc principio primo organico, quod est cor, vel proportionale cordi, est spiritus in complantatus à principio generationis, quo mouetur cor pulsu, & tractu, & spiritu emisso à corde mouentur aliæ partes, & debilitato spiritu debilitatur motus, & subtracto spiritu subtrahitur motus: & si reuocatur omnino spiritus ad cor, tantùm cor mouetur, cætera autem membra languida remanent, vt patet in apoplectico, & in constituto in ecstasi, & de propinquo morituro. Quòd igitur huiusmodi mouens cor, & alia membra sit spiritus, declaro dupliciter. Primò sic, illud est mouens cor, & alia membra, vt exit à corde, quòd inter omnia corporea subtilissimum, & maximè penetratiuum, & de facili diffusiuum est, cùm enim mouens & motum debeant esse simul, necesse est, vt motiuum cordis, & aliorum membrorum penetret cor: & ad alia membra de facili transmittatur, id autem non posset facere nisi subtile, & penetratiuum esset. sed istæ conditiones inter corporea conueniunt spiritui: vnde & ventus dicitur spiritus, quoniam ex subtilitate, & penetratione habet naturalem virtutem, qua de facili impellitur, & impellit alia: ergo, motiuum cordis, & aliarum partium est spiritus, qui non aduenit ab extrinseco, vt aër respiratus, & inspiratus, sed est adnatus cordi, & quandiu conseruatur, viuit animal, conseruatur autem per restaurationem factam ex nutrimento (vt dicemus in tractatu de morte, & vita) nam sicut humidum substantificum continuè deperditur per calidum: & restauratur per conuersionem nutrimenti in substantiam nutriti, sic actione calidi consumuntur spiritus: & nutritione restaurantur. Quòd ad sensum experimur, nam fatigatus exercitio, vel itinere ad sumptionem modici vini fortificatur, quoniam vinum est spumosum, & multorum spirituum generatiuum.

Et si quæras, vtrum in tota vita remaneant idem spiritus numero, vel tantùm secundum speciem. Respondeo, quòd idem dicendum est de spiritu, quod de carne: quæ per nutritionem regeneratur, quæ quomodo remaneat eadem, diximus in libro de generatione. vbi declarauimus quod remanet eadem per æquiualentiam, vel secundum partes speciei, sed non secundum partes materiæ, quæ quomodo distinguantur diximus in quæstionibus ordinariis super primo de generatione in quæstione, qua quæritur vtrum augmentum fiat secundum partes formales, vel materiales. Secundo sic, illud est mouens cor: & per illud alia membra, quod facillimè causat motum pulsus, & tractus, qui est naturalis cordi, & à corde ad omnes venas pulsatiles extenditur, sed spiritus eo quod est subtilis facillimè causat motum talem, non ex sua subtilitate de facili protenditur, & sic causa motum pulsus, & de facili retrahitur, & sic causat motum tractus. Exemplum habemus in velis nauium, quæ extenduntur ad impetum venti, & retrahuntur retrocessione venti. patet igitur quòd in primo principio mouente organico rationabiliter ponitur spiritus, vt causetur in eo motus pulsus, & tractus, & per quem cæteræ partes moueantur. Hæc de tertio capite dicta sint.

CAPVT IIII.

Quomodo localis motus animalium similis est ciuitati bene optiméque institutæ.

CIrca quartum caput, vt maior sit euidentia de principiis motus localis in animali, & quomodo ab illis procedit, aduerte quòd motus localis in animali assimilatus ab Arist. motui ciuitatis bene institutæ, & legibus ac consuetudinibus firmatæ, in qua vnusquisque operatur secundum authoritatem, & legem datam sibi à principe: vt Milites defensant, Doctores docent, Iudices causas determinant, Artifices deseruiunt, Agricolæ alimenta parant. Tu igitur considera quòd quatuor sunt in ciuitate: Primò est princeps, habens in se virtutem dominandi, & regulandi, & distribuendi quæcunque opera agenda, & opportuna ad conseruationem ciuitatis: Secundò sunt distinctæ, & ordinatæ partes in ciuitate, vt comites, nobiles, doctores, ciues, artifices, serui, milites: Tertiò princeps cuilibet parti imponit legem, & dat media operandi, vt decens est ad operandum pro conseruatione ciuitatis, & bono principis: Quartò princeps datis legibus, & mediis vnicuique parti, residet in loco vno ciuitatis, nec est necesse vt sit præsens cuilibet parti quãdo operatur, quoniam virtualiter præsens est ex lege, & mediis distributis vnicuique secundum modum operandi proportionatum sibi. *Assimilatũ ciuitati optimè institutæ.* Consimiliter considera quatuor in animali moto localiter. Primò est anima vt princeps habens virtutem conseruandi, & regulandi omnes partes in animali, & distribuendi varios motus ordinatos ad bonum totius, vt quòd cor moueatur pulsu, & tractu, pedes incedant, manus capiant, os & stomachus recipiant cibum, intestina recipiant superflua, & emittant: Secundò in animali sunt distinctæ partes nobiles, & ignobiles, vt patet, & vna ordinatur ad alteram, vt os ad stomachum, stomachus ad hepar, hepar ad cor, & omnes ordinantur ad bonum totius animalis. Tertiò anima dat cuilibet parti virtutem operandi, & legem, & media, vt dat oculo virtutem visiuam, & quod videat per receptionem visibilis merè spiritalem (vt dictum est in Secundo de Anima) & dat media, id est, spiritus generatos in corde, & transmissos ad oculum, & ad quancunque aliam partem (vt diximus in libro de somno & vigilia, & in capite præcedenti huius tractatus). Quartò anima distributis virtutibus cuilibet parti, velut princeps residet in corde, vt in fortalitio, nec est necesse, vt exeat à corde, vt vadat ad manum quãdo mouenda est, nec ad pedes quando ambulandum est, sed sufficit quòd ab ipsa existente in corde emanet virtus operandi ad quancunque partem. Nam verbi gratia, pedes habent iuncturas, & neruos, & ossa sic disposita ad ambulandum, & anima existens in corde transmittit spiritus quibus pedes mouentur, patet igitur quomodo motus animalis, & motus ciuitatis assimilantur.

Sed aduerte ꝙ quarta conditio non verificatur de anima, vt est forma substantialis: sic enim est in toto, & in omni parte, quoniam vnius compositi per se est tantum vna forma, quæ primò, & per se est perfectio totius: secundariò autem cuiuslibet partis, sed verificatur inquantum est motor. quoniam virtus motiua residet in corde, vt in primo moto, & quo anima mouet alias partes ex administratione spirituum genitorum in corde. Hæc de quarto cap. sufficiant.

CAPVT V.

De motus voluntarij, inuoluntarij, & non voluntarij natura, principijs, & organis.

IN supradictis cap. pertractauimus de principiis motus localis voluntarij, in hoc cap. agendum est de motu inuoluntario, & non voluntario, & dicam tria.

Primò, qui dicantur in nobis motus voluntarij, & inuoluntarij, & non voluntarij.

Secundò, quæ sit causa, & principium motus inuolũtarij.

Tertiò, quæ partes corporis præcipuè mouentur motu inuoluntario.

Motus voluntarius, & inuoluntarius, & non voluntarius quid. Quantum ad primum aduerte, quòd motus localis in nobis voluntarius est ille, qui causatur ab intellectu practico indicante, & à voluntate imperante, & à potentia motiua affixa organo primo: id est, cordi exequenti, quoniam motu cordis mouentur cæteræ partes, & ab illo pendet earum motus: verbi gratia, visitatio templi est motus voluntarius, quoniam ratio practica concludit ex veneratione Dei visitandum esse templum, & voluntas acceptat hanc conclusionem, & præcipit sic fieri. Motus inuoluntarius est ille, qui contrariatur motui voluntario, & causatur à phantasia præsentante aliquod sub ratione boni, quod tamen non est bonum secundũ rectam rationem, vt frui muliere pulchra fornicaria & concupiscibili acceptante, etiam repugnante voluntate, & hoc motu ad apprehensionem phantasiæ, qua excitatur concupiscibilis, multoties mouentur genitalia, etiam repugnante ratione, & voluntate, vt experiuntur continentes, & casti. Motus non voluntarius est ille, qui præuenit intellectum, & phantasiam, & voluntatem, & appetitum sensitiuum & causatur à principiis naturalibus intrinsecis & extrinsecis, vt motus pulmonis per inspirationem, & respirationem, & motus potentiæ digestiuæ, & motus potentiæ expulsiuæ, & motus cordis, qui tamen aliquando causatur ex phantasia, & tunc erit inuoluntarius, vel voluntarius, vt dicemus.

Quantum ad secundum, dico ꝙ causæ motus inuoluntarij in nobis sunt species imaginatæ tristabilium, & delectabilium retentæ in phantasia, circa quas negotiatur phantasia, & repræsentat irascibili, & concupiscibili: & quoniã (vt diximus in tertio capite) huiusmodi species virtutem habent alterandi,

calefaciendi, vel infrigidandi partes, & per consequens commouendi appetitum sensuales, ideo causant in nobis motus sensuales contra imperium rectæ rationis, vt motus iræ, motus timoris, motus venereus. Nam mansuetus nollet irasci sine causa. Nec fortis timere vbi de iustitia agitur: nec castus inhonestè commoueri, & tamen velint nolint aliquando experiuntur oppositũ. Causæ autẽ motus non voluntarij, aliquando sunt extrinsecæ, vt caliditas, & frigiditas cõtinentis: & aliquando sunt intrinsecę, vt caliditas intrinseca est causa motus in genitalibus, & frigiditas est causa tremoris in intestinis.

Cor & genitalia mouentur motu inuoluntario.

Quantum ad tertium, dico quòd partes, quæ mouentur motibus inuoluntariis, & non voluntariis maximè sunt cor, & genitalia, quia cõparantur ad alias partes velut quoddam animal paruum ab eis distinctum: cor quidem, quoniam habet spiritum in se complãtatum quo mouetur, & quo mouet alias partes: & propterea non inconuenit cor solùm in animali moueri, cæteris partibus non motis, sed non econuerso. Genitalia autem quoniam continent humiditatem genitiuã, quæ dicitur sperma, & habet virtutem animalis, cum sit formatiua animalis, ex consequenti habet virtutem motiuam: & propterea non conuenit has duas partes habere motum contrà imperium rationis, & etiam non concurrente phantasia, nec concupiscibili: vt patet in dormiente qui multoties patitur cõstrictionem cordis, de qua dicemus in tractatu de Vita, & morte, & sentit motum in pudendis, nulla imaginatione intercueniente. Hæc de quinto capite sufficiant.

CAPVT VI.

Quomodo diuersimodè motus localis contingat animali, quãdoque à partibus ad principium, nonnunquam econuerso, aliquando à parte ad partem.

CIrca caput sextum, aduerte, quòd in nobis experimur motum aliquando incipere in partibus, & pertingere ad principium, id est, ad cor, vt cõtingit alterari visum in aspectu rei delectabilis, vel tristabilis, & ex motu facto in visu alterari cor secundum dilatationẽ, vel constrictionem. Delectabilia enim dilatant cor, & tristabilia cõstringunt. Contingit etiam alterari cor, puta ex humore melãcholico: vt patet in patientibus passionem cardiacam, & alterato corde alteratur visus, ita quòd aliquando fit tenebrosus ex reuocatione spiritũ ad cor. Aliquando motus incipit ab vna parte, & tẽdit ad aliam, vt cõtingit alterari visum si videat inimicum euaginato ense se inuadentem, & alteratur cor per timorẽ, & tremorẽ, quo alterato alteratur auditus, ita quòd tunc non audit clamantem, nec discernit quid tactu sentiat. Inde videmus quòd cõstituti in periculis, vt in submersione, quicquid eis porrigitur manu retinent, etiã si gladius acutissimus porrigatur, nec sentiũt dolorẽ in incisione manus, donec cordis alteratio cessauerit. Patet igitur, quomodo motus aliquando incipit ab vna parte, & tendit ad principiũ, aliquando à principio ad partem, aliquando à parte ad partem, mediante principio alterato.

Postremo aduerte, quòd contingit duos apprehendere idẽ delectabile, quo vterq; potest frui, & tamẽ vnus mouebitur à delectabili, & alter non. Item cõtingit Socratẽ apprehendere idem delectabile, & vno tẽpore mouebitur à illo, alio aũt non: & ratio huius est varia dispositio subiecti. nam non sufficit ad motum huiusmodi apprehensio delectabilis obiecti cum possibilitate possidendi, sed requiritur debita dispositio quã habilitetur ad prosequẽdum delectabile, puta cõplexio sanguinis, sanitas, quies in statu temporali, iuuentus, &c. & quoniam hæc variantur, non est mirum, si delectabile non semper causat motum in apprehendente, nec in omnibus apprehendentibus. Hæc de sexto capite sufficiant, in quo terminatur præsens consideratio.

EPITOME IN LIBRVM DE MORte, & Vita, Chrysostomi Ianelli Canapicij.

PEracta consideratione passionum conuenientium animali ratione animæ sensitiuæ, nunc agemus de passionibus conuenientibus eidem ratione animæ vegetatiuæ.

Primò de Morte, & Vita.
Secundò de inspiratione, & respiratione.
Tertiò de iuuentute, & senectute.
Quartò de longitudine, & breuitate vitæ.

TRACTATVS VNICVS de Morte, & Vita, in quatuor capita diuisus.

PRima consideratio erit de Morte, & Vita, & complectemur ipsam in vno tractatu, quem diuidimus in quatuor capita.

Primo, quid sit vita.
Secundo, quid mors.
Tertio, quæ sit causa mortis.
Quarto, quotuplex est mors.

CAPVT I.

Quidnam vita absolutè sit, & quomodo fiat in viuentibus inferioribus & superioribus.

CIrca primum caput, aduerte quòd Philosophus in libro de Morte, & Vita sic diffinit eam elicitiuè: Vita est mansio nutritiuæ animæ cum calido sibi proportionali. Ad cuius euidentiam, aduerte quòd vita dupliciter consideratur potest, primò absolutè, & sic ei non competit dicta diffinitio. nam in abstractis inuenitur vita. Deus enim & intelligentiæ nobilissimam vitam habent, ex duodecimo Metaphysicæ, in quibus tamen non est nutritiua anima, vnde vita absolutè dicta est existentia, vel operatio naturæ mouentis seipsam, sumendo motum non solùm physicè, sed etiam Metaphysicè, prout intelligere, & velle dicuntur motus. qui est actus perfecti. Dico autem existentia, vel operatio, quoniam viuere ex Secundo de Anima, non solùm significat esse, sed etiam operationem rei viuẽtis. Secundò consideratur vita, vt est in viuentibus inferioribus, quæ propriè dicitur vita naturalis corruptibilis, & vt sic consideratur, & diffinitur hic à Philosopho, & concordat his quæ dixit in Secundo de Anima, vbi inquit, Vegetatiua anima, & aliis inest prima, & maximè communis secundum quam inest viuere omnibus, cuius opera sunt generare, & alimento vti, sed vt scias quomodo verificatur hæc diffinitio, aduerte quòd vita naturalis tripliciter potest sumi, primò pro ipsa anima, vt est vegetatiua, & vt sic non est formaliter permanentia, sed causaliter, in quantum est principium viuendi, ex consequẽti est causa permanẽtię caloris naturalis cum humido sibi proportionato. secundo pro existentia animæ in corpore, & vt sic hæc diffinitio est formalis. Illa enim permanentia est formaliter existentia, sicut viuere formaliter est esse viuentis. tertiò pro operatione procedente ab anima vt vegetatiua, & vt sic hæc diffinitio non est formalis, sed ab effectu & à posteriori, sicut etiam est ista, phantasia est motus factus à sensu secundum actum. licet autem pro quolibet horum sensuum possit verificari, tamen videtur intelligendum secundo sensu. Ratio enim quòd Socrates viuit est, quia anima vegetatiua permanet vnita corpori mediante calore naturali coniuncto, & conseruato in humido proportionali, cuius signum est quòd, vt dicemus in secundo capite, & in tertio, defectus & extinctio caloris per deficcationem humidi est causa mortis, quare autem dicatur cum calido sibi proportionali, declarabitur infrà, hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

De Morte.

CIrca caput secundum, aduerte quòd mors opponitur vitæ, vt priuatio habitui, & cũ priuatio formaliter sit negatio habitus in subiecto apto nato ex quinto Metaphysicæ, ergo mors formaliter dicit negationem, vel remotionem vitę in subiecto apto nato habere vitam. Ad hoc autem quod remoueat vitam, est necesse, vt destruantur ea in quibus fundatur, & conseruatur vita. Hæc autem sunt anima nutritiua vnita corpori, & calor naturalis conseruatus in humido naturali, vt dicemus. Ex his potest sumi duplex diffinitio mortis, siue naturalis, siue violentæ.

Prima est, Mors est negatio permanentiæ animæ nutritiuæ cum calido sibi proportionali. Et hæc diffinitio patet ex diffinitione data de vita, quoniam priuatio cognoscitur per habitum, vt obliquum per rectum. Secunda est, Mors est extinctio, siue corruptio, siue deficientia caloris naturalis in subiecto viuente. Hæc diffinitio manifesta fiet ex his quæ dicentur in capite sequenti.

CAPVT III.

De causis mortis in omnibus viuentibus.

CIrca caput tertium, aduerte quòd cum vita fundetur in calido, & humido, vt dicemus in tractatu de longitudine, & breuitate vitæ, causa communis ipsius mortis est extinctio, siue marcor caloris naturalis, & consumptio humidi naturalis, quod est subiectum eiusdem caloris. vt dicemus, sed aduerte quòd necesse est huiusmodi extinctionem, & cons-

& consumptionem fieri in particula, in qua primò fundatur vita, quam diximus in libro de motu animalium, esse cor, vel proportionale cordi: vnde stat omnes partes corporis frigescere, & tamen adhuc viuet animal, stante calore in corde, hæc autem extinctio vniuersaliter fit propter defectum refrigerationis, nisi enim refrigeretur calor suffocatur, vt dicemus in tractatu de inspiratione, & respiratione. Defectus autem refrigerationis aliquando est ab extrinseco, vt à prohibente ingressum, & egressum aëris ad pulmonem, & ad cor, & huiusmodi prohibentia sunt suffocantia extrinseca, vt constringentia guttur, & aqua: & propterea strangulatio, & submersio inducunt mortem. Aliquando autem est ab intrinseco, vt à pulmone indurato, qui vt sic fit ineptus ad eleuationem, & depressionem, ex consequenti non potest attrahere, nec emittere aërem ad refrigerium caloris in corde. Induratio autem pulmonis aliquando fit longitudine temporis, vt in senibus. Nam cùm calor naturalis cõtinuè agat in humidum, partes interiores, inter quas est pulmo, deficcantur. Deficcatio autem inducit induration em. Induratio autem prohibet extensionem, & compressionem. Et quoniam longitudine temporis, vt in senectute qua diu egit calidum in humidum inducta est huiusmodi induratio in pulmone, ideo cum difficultate in sene refrigeratur calor cordis, & ideo tandem deficit vita. Aliquando huiusmodi induratio causatur ex infirmitatibus, vt ex apostemate, in quo congregatur humidum indigestum, & crassum, cuius proprium est immobilitare membrum sibi propinquum, & ex vlceratione pulmonis, vt in phthisi, & ex febribus accidentibus ex spiritibus inflammatis, & humoribus crassis. Nam hæc omnia inducunt ineptitudinem pulmonis ad eleuationem, & depressionem pulmonis, ex cõsequenti inducunt mortem ex defectu refrigerationis.

Aduerte tamen, quòd in vltimo senio non solùm euenit mors propter defectum refrigerationis, sed etiam propter defectum caloris naturalis. Nam cum calor naturalis continuè agat in humidum quod est eius obiectũ, & non fiat competens restauratio propter nutritiuam debilitatam, consumendo humidum per accidens corrumpit seipsum, & sic continuè minuitur, sicut continuè consumit humidum, & ad tantam diminutionem deuenit, quòd non potest amplius conseruari vita, & tunc senex quasi insensibiliter sine violentia, sine tristitia, & modica ægritudine decedit: vnde aduerte quòd vita iuuenis cõparatur lucernæ accensæ plenæ oleo puro, quæ optimè inflammatur, cuius calor optimè nutritur oleo puro, & abundanti, nec extinguitur nisi forti impetu spirantis in eam. Vita autem senis comparatur lucernæ fumiganti ex paucitate, & impuritate olei, quæ leui motu, & sæpè ex seipsa extinguitur: sic accidit seni, cuius vita vt flammula resoluitur. Et propterea inquit Aristote. in textu, paruis passionibus aduenientibus in senectute, cito moriuntur propter paruum esse calidum, velut plurimum euaporatum longitudine vitæ. Si qua vtique fiat molestia particulæ, id est cordi, cito extinguitur. Quemadmodum enim momentanea, & parua in ipso existente flamma propter paruum motum extinguitur, propter quod & sine tristitia est, quæ in senectute, mors. Nulla enim violenta ipsis passione contingente moriuntur, sed insensibilis animæ absolutio fit omnino. Hæc Arist. Hæc de causa mortis vniuersaliter dicta sint, de qua magis distinctè agemus in tractatu de inspiratione, & respiratione, & in tractatu de longitudine, & breuitate vitæ. Hæc enim adeo annexa sunt, vt non valeant perfectè manifesta esse, donec quatuor præpositos Tractatus compleuerimus.

CAPVT IIII.

De varijs acceptionibus mortis.

CIrca caput quartum, aduerte quòd mors in vno sensu est vna omnium, in alio autem est diuersa in diuersis. nam sumpta in sua ratione generica est vna, quoniam sicut omniũ viuentium generatio est via in substantiam viuam, & corruptio est via in non substantiam viuam, sic vita est permanentia animæ, vt vegetatiuæ, cum calido proportionali & mors est remotio siue absolutio animæ à corpore ex deficientia calidi proportionalis. sumpta autem in sua ratione specifica, dico quòd sicut diuersorum specie est diuersa generatio, & corruptio specie, quoniam mutationes accipiunt distinctionem specificam ex termino ad quem, ex quinto Physicorum. sic diuersorum specie est diuersa vita, & mors specie. vnde vita Leonis, & mors distinguitur specie à vita, & morte Equi. Aduerte insuper quòd mors sumpta in eadem specie distinguitur in violentam, & naturalem. Violenta quidem est cuius principium est extra, vt interfectione interfectus moritur. Naturalis autem est, cuius principium est intra, & id contingit dupliciter. Primò, infirmitate, siue in toto, siue in parte principali, vt in capite, vel pectore, vel stomacho, vel pulmone. Secundò, senectute quæ inducit mortem ex defectu caloris, & radicalis humidi, vt suprà diximus.

Mors naturalis.

Sed aduerte quod mors potest dici naturalis, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ. Ex parte quidem materiæ dupliciter, quoniam vel ex parte materiæ proximæ, vel materiæ primæ. ex parte materię proximę dicitur naturalis, quoniam huiusmodi materia, puta caro, ossa, nerui cõstant ex elementis contrariis, ex consequẽti corruptibilibus. Ex parte autem materiæ primæ, quoniam materia inferiorum, vt est sub vna forma, priuata est alia, ex consequenti est in potẽtia ad illam. Huiusmodi autem potentia vana esset, nisi aliquando reduceretur ad actum secundum Philosophum, & ideo in secundo de Generatione, posuit generationem æternam. Ex parte autem formæ dupliciter, quoniam vel ex parte formæ secundũ se, vel quo ad dispositiones, quibus indiget vt recipiatur, & conseruetur in materia. Ex parte formæ secundum se non datur mors naturalis, quoniam forma est principium essendi, & non sui oppositi. vnde quantum sit ex se semper dat esse. Ex parte autem formæ quo ad dispositiones datur mors naturalis. nam sicut ad cõseruationem eorum stat forma vnita materiæ, sic ad remotionem remouetur forma, & hæc remotio vniuersaliter dicitur corruptio, in vegetatiuis dicitur auansis: in animalibus dicitur propriè mors. verùm quoniam dispositiones se tenent ex parte causæ materialis, ideo propriè loquendo non datur mors naturalis, nec etiam violenta, nisi ex materia. & ideo Arist. in fine primi Physicorum egregiè dixit formam esse quid diuinum, & optimum pro quanto dat esse. Materia autem vt est sub priuatione, operatur ad maleficiũ, quoniã est causa corruptionis, & mortis. Hæc de vita & morte dicta sint pro quanto spectat ad Philosophũ naturalẽ.

EPITOME IN LIBRVM DE EXPLratione, & inspiratione, vnico tractatu complexa, qui in quinque capita diuisus est.

POstquam locuti sumus de vita, & morte, hic agere intendimus de expiratione, & inspiratione, quæ sunt causæ conseruantes vitam, & oppositum inducit mortem, & hanc intentionem comprehendimus in quinque capita.

Primo, quod est primum fundamentum vitæ.
Secundo, declarato quod sit calidum, manifestatur quod indiget refrigerio.
Tertio, quomodo in exanguibus fit refrigerium calidi.
Quarto, quomodo in habentibus sanguinem necesse est refrigerari calidum per expirationem, & inspirationem.
Quinto, quomodo differt motus expirationis, & inspirationis à motu saltus, & pulsus cordis.

CAPVT I.

Quod nam sit primum fundamentum vitæ.

Calidum cum humido est vitæ prima radix.

QVantum ad primum caput, dico q̃ calidũ adiuncto sibi humido proportionali est primum fundamentum vitæ, quoniam eodem anima dat vitam, & operatur opera vitæ. Nam ad esse vitæ sequitur operari vitaliter, sed anima vegetatiua qua primò viuimus operatur opera viua, quæ sunt nutrire, augere, generare per calidum. Nutritio enim ex secundo de anima, non fit nisi per decoctionem alimenti. Decoctio autem nõ fit nisi per calidum, vt patet, & cum idem sit obiectũ nutritiuæ, augmentatiuæ, generatiuæ sub diuersa ratione, & augmentatiua, & generatiua in opere suo supponant opus nutritiuæ, vt patet, & declaratum est in secundo de anima. manifestum est animam vegetatiuam, qua primò viuimus, operari omnia opera sua per calidum, ex consequenti dare esse viuum per calidũ. Cuius signum est, q̃ morientia efficiuntur frigida. ergo viuentia viuunt per calidum, quod quidem calidum necesse est primò inueniri in corde, vel sibi proportionali, quoniam cum alimentum de proximo conuertendum in substantiam animalis sit sanguis, & alimentum indigeat calido, vt dictum est, idem erit fons, & principium sanguinis, & caloris in animali. Constat autẽ cor esse principiũ sanguinis, quoniã omnes venæ procedũt à corde, vt canales recipiẽtes aquam à fonte: vt declaratur in anatome. ergo cor est primum principium caloris. Cuius signũ est, quod in moriẽte vltimum infrigidatum est cor. ergo ipsum est primò calidũ.

Dixi

Humidũ radicale est necessariũ vitæ.

Dixi autem adiuncto sibi humido proportionali, quoniam in animali humidum est pabulum caloris, & subiectũ suum, quo sustentatur. vnde sicut humidum pingue est pabulum flammæ in lucerna, & in eo sustentatur flamma, sic humidum naturale, & nutrimentale est pabulum caloris in animali, & sicut deficiente in humido pingui deficit flamma, & illuminatio, sic deficiẽte humido quod est subiectum caloris naturalis deficit ipse calor, ex cõsequẽti deficit vita. vnde senectus ad mortẽ properat, quoniã frigida & sicca est. Et de his diffusius dicemus in tractatu de lõgitudine, & breuitate vitæ.

Senectus frigida & sicca.

Dixi proportionali humido, quoniã non omne humidum in animali est subiectum, & pabulum caloris naturalis, sed humidum subtile digestum æreum, quale inuenitur in sanguine puro, nam sicut pabulum ignis nõ est humidum aqueum, imò tale mortificat ignem. sic in animali humidum aqueum, siue crassum indigestum: quale est in rheumate, non est nutrimentum caloris naturalis, imò debilitat ipsum, vt patet in his quorum stomachus repletur aquositate, & defluxu à capite, & in senibus abundantibus humiditate superflua ex debilitate digestiuæ, in quibus huiusmodi humidum deducit ad mortem vtpote mortificatiuum caloris naturalis. Hæc dicta sint de primo vitæ fundamento.

CAPVT II.

Quòd refrigeratio requiratur ad vitam.

CVm declarandum sit vitam fundari in calido sustentato per humidum sibi proportionale, & quod hoc calidum in vna particula primo inuenitur, vt in corde, à quo per totum diffunditur, manifestandum est quòd huiusmodi calidum in quolibet viuente indiget refrigerio pro sui conseruatione, aliter suffocatur. Aduerte igitur quòd naturale est calido coniuncto humido sibi proportionali augeri ex actione sua qua agit in humidum, sicut videmus augeri flammam lucernæ ad appositionem olei: & secundum quod incrassatur papyrus, & quoniam calor cordis, siue alicuius sibi proportionalis intentior est indiget maiori nutrimento cæteris partibus. Nutrimentum autem eius diximus esse humidum subtile. ergo augetur calor cordis actione sua qua agit in tale humidum, sed si non refrigeratur per euẽtilationem, adeo crassatur quòd cito consumit humidum subtile, ad cuius consumptionem seipsum corrumpit, quoniam non potest conseruari sine nutrimento, sicut nec flamma in lucerna, vnde accidit in hoc proposito sicut igni accenso in domo cooperta, quæ nisi cito discooperiatur tota domus intrinseca comburitur. Adeo enim vnitur calor in seipso, quod vel totum consumit: vel cito suffocatur. Propterea Plat. in Timæo dixit calidum conseruari motu, & ventilatione. nam carbones si comprimantur extinguuntur, vt patet si ponuntur inter duas scutellas, ad quas non transeat aër, & quando operiuntur cineribus, nisi cineres essent porosæ, suffocarentur: & ideo ad sensum patet quòd necesse est omne calidum, siue extrinsecum, siue intrinsecum refrigerari, & exhalari, ne sua concertatione suffocationem patiatur,

CAPVT III.

Quomodo exanguibus contingat refrigeratio.

Animalium vita participãtium diuisiones.

QVantum ad tertium caput, aduerte quòd animalium quædam viuunt in aqua, quædam super terram. Item viuentium tam in terra quam in aqua, quædam carent sanguine, quædam habent sanguinem. Item carentium sanguine, quædam sunt breuis vitæ, vt musca, & aranea, & formica, & vermes, & pulices; quædam sunt longioris vitæ, vt apes, quæ dicuntur viuere septem annis: & cicadæ, & alia quæ faciunt somnum, vt gryllus. Item habentium sanguinem quædam sunt magni caloris, vt animalia terrestria perfecta, & volatilia perfecta, quædam sunt modici caloris, vt ranæ, tortucæ, delphini. Posita hac diuisione, declarandum est quomodo refrigeratur calor in animalibus exanguibus. vnde aduerte quòd animalia exanguia, quæ sunt breuis vitæ, sufficienter refrigerantur à circunstantia sui continentis naturalis, & ab alimento, puta musca sufficienter refrigeratur aëre circunstante sibi proportionato, & conchilia aqua circunstante, refrigerantur etiam receptione proprij alimenti, quoniam per ipsum restauratur humidum quo minuitur acuitas caloris. & ad sensum experimur quòd longo ieiunio acuuntur spiritus, & incalescimus, sumpto autem cibo refrigeramur. Ratio autem quare sufficienter refrigerantur ex adiacentia proprij continentis, & receptione alimenti est quoniam cum sint exanguia, & breuis vitæ, sunt valde modici caloris, modicus autem calor indiget refrigerio, ad quod sufficit continens, & alimentum, & hęc duo similiter sufficiunt ad refrigerandum calorem in plantis, quæ tamen magis indigent refrigerio alimenti quàm continentis. vnde videmus quòd nisi tempore siccitatis adaquentur, exiccantur propter carentiam nutrimenti, quod est humidum aqueum admixtum sicco terrestri.

Exanguia refrigerãtur à continẽte, & alimento.

Exanguia autem quæ sunt longioris vitæ, & refrigerantur per susceptionem proprij continentis ad intra, non quidem per respirationem, quoniam cum sint exanguia carent pulmone quo fit respiratio, sed si sunt terrestria recipiunt aërem per motum cuiusdam pelliculæ, quæ est in succinctorio, vel diaphragmate, vt manifestè patet in cicada: & ad motum illius pelliculæ faciunt cantum. vnde cicadæ non cantant ore, sed frequentato motu pelliculę sub alis. Ex receptione autem aëris per huiusmodi pelliculam sufficienter refrigeratur particula, in qua primò fundatur calor, & est proportionalis cordi, si autem sunt aquatica, vt pisces, refrigerãtur per receptionem aquæ per os, & per emissionem eius per branchias. videmus enim pisces, cum suscipiunt aquam, aperire os, & comprimere branchias, siue fauces, & quando emittunt aquam aperire branchias, & claudere os. & huiusmodi receptio ac emissio aquæ est vice inspirationis, & expirationis, & hoc refrigerium sufficit aquaticis exanguibus, quoniam cum sint complexionis aqueæ: calor eorum est valde remissus, & ideo non indigent multo refrigerio. De aquaticis autem habentibus sanguinẽ alia ratio est, vt dicemus. nam quædam eorum indigent respiratione, licet non frequentata, vt delphinus, & vitulus marinus, & quædam aquatica quæ viuunt in aqua, & in terra, vt tortucæ, quæ deprehenduntur respirare.

CAPVT IIII.

In sanguinem habentibus necessaria est per pulmonem inspiratio & expiratio aëris.

CIrca quartum caput, vt plena notitia habeatur, tria agenda sunt.

Primò, quod in habentibus sanguinem necessaria est inspiratio, id est, receptio aëris frigidi exterioris vsque ad cor: & expiratio, id est, emissio aëris attracti iam calefacti calore cordis.

Secundò, agendum est de instrumento inspirationis cuius figuræ sit, quomodo situatur in animali, & quo motu causat inspirationem, & expirationem.

Tertiò agendũ est de diuersitate animalium respirantium.

Quantum ad primum dico, quòd cum animalia habentia sanguinem sint multæ caliditatis in corde, necesse est vt multa, & frequentata sit in eis refrigeratio. ergo necesse est vt refrigerãs pertingat vsque ad cor, & sit de facili penetratiuum: hoc autem non potest esse aqua, quoniam ex intensa frigiditate sua potius mortificaret calorem cordis quam refrigeraret. Item ex crassitie sua non de facili penetraret, nec de facili emitteretur recepta in præcordiis propter sui grauitatem. Aër autem non est ex se frigidus, sed est subtilis. & leuis. ergo necessario fit in animali habente sanguinem refrigeratio per attractionem, & emissionem aëris, quod inspirare, & expirare dicimus.

Quantum ad secundum dico quòd organum inspirationis, & expirationis est pulmo. Nam (vt inquit Arist.) dicitur pulmo quasi suscipiens aërem idiomate græco. Græcè enim pulmo dicitur πνεύμων. vt autem de facili aërem attraheret, & emitteret Author naturę dedit ei quasi figuram follis, & cum habeat duas alas, & vtraque eleuetur, & deprimatur, gerit vicem duorum follium. sic autem dispositus est, & colligatus cordi, quod cor stat in medio duarum alarum pulmonis, vt abvtraque per attractionem aëris refrigeretur, quem necesse est esse frigidum, vel non notabiliter calidum, aliter parum refrigeraret. vnde in æstate calida & in locis æstuantibus laboramus non inuenientes refrigerium, & si quis diu permanserit in vase clausus suffocabitur propter aërem calefactum. Ad hoc autem quòd attrahat aërem, & emittat mouetur motu dilatationis, siue eleuationis: & ad hoc quòd emittat mouetur motu constrictionis, siue depressionis, & propterea quæcunque indurant pulmonem vt apostemata intrinseca, & febres acutæ, & vlcerantia pulmonem, impediunt debitam cordis refrigerationem, quoniam induratus pulmo cum difficultate eleuatur, & deprimitur.

Quantum ad tertium aduerte, quòd animalium respirantium quædam viuunt in aquis, vt rana, tortuca, crocodilus, delphinus, & vitulus marinus, & omnia aquatica extollentia caput per aliquam moram super aquas. Hæc quidem respirant cum habeant pulmonem, & sanguinem, sed rara indigent respiratione propter frigiditatem complexionis. vnde

aër attractus, & emissus ter aut quater sufficit eis per notabile spatium temporis quo possunt viuere sub aquis, ita tamen quòd transacto illo tempore necesse est, vt emergant capite super aquas ad attrahendum aërem. vnde sæpe videntur delphini saltantes in mari. De rana, & tortucis manifestum est. Quædam autem viuunt in aëre super terram: ex quibus aliqua sunt terrestria, aliqua volatilia, & quædã terrestria perfecta, vt equus, leo, canis, homo, cùm sint calidæ complexionis, & intensus sit eorum calor in corde, indigent frequentata attractione, & emissione aëris: quæ si per notabilem moram impeditur, suffocatur animal. Inter omnia autem animalia homo indiget frequẽtata refrigeratione propter abundantiam caloris in corde, quam declarat sua statura recta, vnde senes incurruntur ex diminutione caloris. Propterea homo breui mora strangulatur, & in aqua cito suffocatur: volatilia etiam frequentatissima indigent refrigeratione ex intrinseco calore. vnde constricta sub alis cito moriuntur, quoniam ex constrictione impeditur eleuatio, & depressio pulmonis. Hæc de quarto capite sufficiant.

CAPVT V.

De diuersis motibus cordis, & eorum differentiis.

AD euidentiam trium motuum, qui accidunt circa cor, dico quatuor. Primò quòd licet videantur habere eandem naturam, tamẽ non habent, quoniam motus saltus est innaturalis cordi, vt declarabitur. Motus autem pulsus, & respirationis sunt naturales. Item non sunt ab eisdem causis, vt declarabitur. Item respiratio non est immediatè à corde: sed à pulmone existente circa cor. Motus autem pulsus, & saltus sunt subiectiuè in corde, vt declarabitur. Secundò dico, quòd secundum Philo. in lib. de mor. & vita, Motus saltus cordis est constrictio calidi existentis in corde, prouenienes ex infrigidatione superflua, & mortificatiua circunstante ipsum cor.

Ad cuius euidentiam aduerte, quòd (vt diximus in Meteoris) vnum contrarium circundatum ab alio contrario vnitur, & fortificatur in seipso, & facit conatum ad impetum ad expellendum aliud contrarium, ita vt aliquando scindat corpus, in quo circuncluditur, sicut videmus in æstate vaporem ficum ignitum arctatum in nube ex frigido circunstante nubem, quòd scindit nubem, & magno strepitu exilit: sic in proposito, quando frigidum pertingit ad cor constringitur calor in corde, & occupans minorem locum ex sui vnione fortificatur, & fortificatus quærit exitum ad propellendum frigidum circunstans mortificatiuum, & quoniam hic exitus est impetuosus, ideo causatur saltus in corde, sicut saltat castanea exigne non incisa, frigidum autem mortificatiuum pertingit ad cor pluribus ex causis, præcipua autem est timor, vt inquit Ari. nam timentes in frigidãtur in exterioribus, ideo pallent, & tremunt: ex frigido autem reuocatur calor, qui in corpore erat diffusus ad cor. vt ad principium suum, quem frigidum insequitur, & cõstringit in corde, & si accidat quòd præualeat frigidum super calorem extingultur calidum, & tunc moriuntur animalia, vnde & multi constituti in magnis timoribus sine spe euadendi mali imaginati moriuntur, qui autem sunt magni animi conatum faciũt ad propellendum malum imminens, & calor cordis saltum facit ad propellendum frigidum circunstans cor vt diffundatur per mẽbra vt prius, quo reddantur apta ad sui defensionẽ, & expugnationẽ contrarij. Bene igitur dicit Arist. quòd motus saltus cordis est cõstrictio, &c.

Sed aduerte quòd motus saltus non formaliter, sed causaliter est constrictio calidi: causatur enim ex constrictione caloris, sicut scissio nubis causatur ex compressione vaporis, & agitatione eiusdem, vt declarauimus in Meteor. agentes de fulgure, & tonitruo. Aduerte igitur quòd in prædicta diffinitione tanguntur tria, scilicet subiectum saltus, & est calor cordis, ratio ipsius saltus, & hæc est constrictio caloris. nam quia calor constringitur ideo saltat. efficiens, & hoc est frigidum circunstans cor, quia enim constringit calorem ideo facit ipsum saltare, sicut constringens aquã in vesica facit ipsam impetuosè egredi. Si igitur vis diffinire formaliter saltum cordis, dicas quòd est violentus, & innaturalis motus in corde causatus à frigore innaturali, & mortificatiuo circunstante ipsum cor, & constringente calorem cordis. Patet igitur quid sit, & quomodo causatur saltus cordis.

Tertiò dico secundum Aristot. quòd motus pulsus in corde causatur à calore naturali agente continuè in humidum alimenti. Vnde aduerte quòd sicut in apostemate, quod causatur ex congregatione humidi indigesti donec maturescat, & connertatur in saniem, fit motus pulsus à calore naturali extraneo agente in humidum indigestum, digerendo, & resoluendo aliquid in spiritum, qui spiritus mouetur ad superio-

rem superficiem apostematis ex sua leuitate, & subtilitate, deinde ingreditur ad interius, & sic causat motum pulsus in loco apostematis ex sui eleuatione, & depressione, eodẽ modo calor naturalis agens in humidum alimentale, quo continuè nutritur cor (cum enim à corde trãsmittatur alimentum ad alia membra, necesse est ipsum maximè, & continuè nutriri) digerit, subtiliat, rarefacit ipsum. Alimentum autem rarefactum causat tumorem, vnde eleuatur ad superiorem tunicam cordis, & non potẽs vltra progredi, reprimitur ad intra, & sic per eleuationem, & depressionem huiusmodi causatur motus pulsus in corde, sicut in ebullitione humidi conclusi in vase causatur eleuatio & depressio humidi actione caloris agentis in ipsum. Hinc patet ratio quare motus pulsus maior est in iuuene quàm in sene, & quare omnes venæ pulsant. Ratio enim primi est quoniã in iuuene intensior est calor. & intensius agit in alimentum digerendo & subtiliando, & resoluendo in spiritum, qui eleuatus, & depressus causat motũ pulsus, qui diuersificatur calor, vt patet in febricitante, & sano, in laborante, & quiescente, in ieiuno, & cibato. Rario secũdi est, quoniam omnes venæ oriuntur à corde, & manifestũ principium habẽt à superiori parte cordis, quæ ex eleuatione spirituum generatorũ ex cõtinuo alimento subtiliato in corde, eleuatur & deprimitur, ex cõsequenti omnes venæ oriẽtes ab ea patiuntur eũdem motũ pulsus ex spiritu eleuato, & depresso. Patet igitur quomodo causatur motus pulsus in corde qui tamen principaliter est ab anima, instrumẽtaliter aũt est à calore naturali, sicut digestio nutriniẽti. Est enim anima primum principiũ operationũ vitaliũ. sicut dicitur in secũdo de Anima.

in humẽdum alimenti.

Quartò dico secundũ Arist. q̃ motus inspirationis, & expirationis fit per eleuationẽ, & depressionẽ pulmonis, qui est ad modũ follis, vt diximus suprà, inter cuius alas siue pennulas situatũ est cor. pulmo autẽ eleuatur & deprimitur ad eleuationẽ cordis, & depressionẽ, quoniã cordi colligatur, cor autẽ eleuatur augmẽtato calido ex humido quo nutritur cor. Cũ enim à corde ad alia mẽbra transmittatur nutrimẽtum, quod est sanguis, necesse est ipsum maximè, & cõtinuè nutriri. vt diximus suprà. Eleuato autẽ pulmone eleuatur pectus, quoniã pulmo est sub pectore, & colligantiã habet ad illud. Eleuato pectore necesse est attrahi, & ingredi aërẽ, quoniam pulmo porosus est, & multas continet vacuitates, ideo cũ eleuatur dilatatur, quo dilatato si non ingrederetur aër daretur in eo vacuum. Ingreditur igitur aër ad eleuationẽ pulmonis, sicut quando eleuãtur folles, qui aër existens frigidus refrigerat calorẽ cordis, & hæc est causa finalis proxima inspirationis. Causa autẽ expirationis id est emissionis aëris attracti est depressio pulmonis. quæ causatur à diminutione caloris: sicut enim videmus in igne flãmã eleuari augmentato igne, & eandẽ deprimi diminuto igne: sic eleuatur cor augmentato calido, & deprimitur diminuto calido, ex consequenti deprimitur pulmo colligatus cordi, & deprimitur pectus, & per cõpressionẽ (sicut videmus in folle) emittitur aër cale factus calore cordis, & iterum eleuatur pulmo & pectus ad eleuationem cordis & nouus aër frigidus attrahitur, vt successiuè refrigeretur calor cordis. Hoc igitur modo causatur motus inspirationis, & expirationis. & sic patet quomodo distinguũtur motus saltus cordis, & motus pulsus, & motus inspirationis, & expirationis.

Inspirationis & expirationis causa.

Tractatus de inspiratione & expiratione Finis.

EPITOME

IN LIBRVM DE IVVENTVte, & Senectute, vnico tractatu complexa, qui in Quatuor capita diuisus est.

CONsiderationem de iuuentute, & senectute cõplectemur in vno tractatu, quem distinguimus in quatuor capita.

Primo, quid iuuentus, & senectus.

Secundo, quo tempore terminatur iuuentus, & incipit senectus.

Tertio, quæ sunt conseruãtia iuuentutis profectũ, siue perfectionem acquisitã, & quæ accellerantia defectũ senectutis.

Quarto, quæ sint proprietates iuuentutis, & senectutis.

CAPVT I.

Quid iuuentus & senectus sit.

CIrca primum caput aduerte, quòd iuuentus alio modo sumitur à communiter loquentibus, & alio modo à Philosophis. nam apud illos dicit ætatem, siue statum vitæ, qui immediatè sequitur adolescentiam, quæ sensibiliter term

terminatur in tertio septennio, insensibiliter autem potest extendi vsque ad quartum septẽnium completum, post iuuentutem ponunt virilitatem, quam dicunt esse statum consistentiæ, in quo animal nec proficit, nec deficit in perfectione naturali. Apud Philosophum autem dicit totam ætatem qua à sui principio animal tendit de imperfecto ad perfectũ secundum virtutẽ, & perfectionem naturalẽ sibi debitam secundum propriam speciẽ. Adepta autem perfectione naturali sibi debita cessat iuuentus, & incipit senectus, licet non sensibiliter, & sic apud Philosophũ iuuentus cõtinet in se infantiam, pueritiam, adolescẽtiam, quoniã in quolibet horum statuum tendit homo de imperfecto ad imperfectũ. Stante hac declaratione, aduerte quòd Arist. in lib. de Morte, & vita, sic diffinit eam. Iuuentus est primæ refrigeratiuæ particulæ augmentatio. Ad cuius euidentiam scito quòd ly augmẽtatio non sumitur secundum quantitatem, sed secundũ perfectionem. nam proficit animal secũdũ virtutem sibi debitã etiam postquam acquisiuit debitam quantitatẽ, vt patet in homine, qui est magis perfectus in trigesimo anno, quã in vigesimoprimo. Item aduerte quòd ly primæ particulæ refrigeratiuæ, non sumitur simpliciter pro pulmone, vel corde, sed quãtum ad calorem sibi intrinsecum, & naturalem: vt sit sensus quòd iuuentus est totus ille status vitæ, quo tendit naturalis calor ab imperfecto ad perfectum gradum debitũ vnicuique animali secundum propriam speciem. nam cum vita fundetur in calido, & animal operetur per calorẽ & spiritus genitos à calore agente in humidum nutrimenti, necesse est secundum quod proficit in calore proficiat in virtutibus, & actionibus sibi debitis. *Manifestum est igitur* quòd iuuentus est augmentatio perfectiua caloris existentis in corde, quo augmẽtato augetur perfectiua virtus debita animali, tam nutritiua quã generatiua, & sensitiua, & motiua, & appetitiua, & in homine intellectiua, non secũdũ se, cum sit in organica sed ratione maioris perfectionis in virtute phantastica, & cogitatiua. Adepto autem termino perfectionis naturalis cessat iuuentus, & in quo tempore cesset in homine, dicemus in capite sequenti.

Iuuentus quid.

Senectus quid.

Ostenso quid sit iuuentus, facile patet quid sit senectus, nam cum sint oppositæ diffinientur per conditiones oppositas, *sicut igitur iuuentus est augmentatio caloris naturalis in* corde, sic senectus est defectus, siue diminutio eiusdem in eadem particula, ad cuius diminutionem tendunt de perfecto ad imperfectum virtutes naturales in operationibus suis, vt expressè videmus. Diminuto enim calore naturali in sene, diminuitur actio nutritiuæ, & generatiuæ, sensitiuæ, appetitiuæ, motiuæ, intellectiuæ propter debilitatem phantasmatum. Propterea bene diffinit Arist. senectutem dicẽs, Senectus est huius, scilicet caloris, decrementum, quæ quando incipiat dicemus in capite sequenti. Hæc de primo capite sufficiant.

CAPVT II.

De termino iuuentutis & principio senectutis.

Circa secundum caput aduerte quòd Arist. in secundo de Generatione attribuit vnicuique naturæ inferiori corruptibili propriam, & determinatam mẽsuram durationis suæ, quam appellat periodum: cuius primam medietatem deputat generationi, secundam autem corruptioni, non quidẽ sumendo generationem, cuius terminus est forma rei, & corruptionem, cuius terminus est remotio formæ rei à materia: sed intelligendo generationem pro tendentia ad perfectionem naturalem: corruptionẽ autem pro recessu à perfectione naturali, donec desinit omnino esse. & quoniam omnis natura corruptibilis, & præcipuè in animalibus in sui principio est imperfecta, & quantitate, & virtute, omne illud tempus inclusum inter primũ instans, quo incipit esse, & vltimũ, quo terminatur acquisitio suæ perfectionis naturalis, dicitur esse tempus generationis, omne autem tẽpus inclusum inter instans terminãs statum perfectionis naturalis, & inter vltimũ, quo res desinit esse, dicitur tempus corruptionis: Hæc autem duo tempora secundum Philosophum dicũtur esse æqualia, vnde, si natura equi durat per viginti annos, decem attribuuntur generationi, & decem corruptioni, & quoniã diximus iuuentutem esse augmentum virtutis naturalis, senectutem autem esse eiusdem defectum, patet, quod sicut Aris. attribuit omni naturæ corruptibili medietatẽ durationis, generationi, & medietatem corruptioni: sic nos possumus diuidere totam vitam cuiuscunque animalis in duas medietates, quarum prima attribuitur iuuentuti, & secunda senectuti, vnde in homine apud Philosophum, & Commen. in secũdo de Generatione. Cum communis periodus sit in septuaginta annis generatio & iuuentus tendunt à principio sui esse vsque ad annum

Durationis cuiuslibet duo tempora.

trigesimumquintum: senectus autem & corruptio à trigesimoquinto ad septuagesimum, & hoc loquendo de homine secundum speciem. nam secundum indiuiduum non inconuenit dari longius tempus durationis, vt declarauimus in secundo de Generatione, tum propter variam cõplexionem, tum propter bonum vitæ regimen, tum propter varias cõiunctiones superiorum in sui cõceptione, ex quibus patet quòd cum augmentum perfectionis attribuatur, vel fiat per totam mediam vitam, & decrementũ per residuum vitæ, inter augmentum, & decrementũ, ex consequenti inter iuuentutem, & senectutem non datur notabile tẽpus in quo sit animal in vero statu, licet secundum sensum appareat aliter, vt dicemus in capite sequenti. Dixi autẽ notabile tẽpus, quoniã cum augmentum & decrementum sint motus contrarij, non possunt esse continui, sed necessario cadit quies media sicut etiam in motu reflexo, vt probatum est in octauo Phys. Implicat enim pro eodem instanti esse accessum, & recessum respectu eiusdem termini, non tamen est necesse huiusmodi tempus mensurãs quietem esse notabile, & perceptibile sensui, vt patet in pila resiliente à pariete. Hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.

Quænam conseruent iuuentutis profectum, & quæ senectutem accelerent.

Circa tertium caput, aduerte quòd (vt diximus) licet non sit notabile spatium temporis inter iuuentutem, & senectutem, in quo realiter non proficiat, nec deficiat animal in virtutibus naturalibus, tamen quoniam id non constat sensui, & Physicus iudicat à sensu: ideo totum illud tempus, in quo sensibiliter animal nec proficit, nec deficit, Phisicus appellat tempus status, siue consistentiæ, licet non sit verè status, vnde Arist. in libro de Morte & vita, postquam diffiniuit iuuentutem per augmentum, & senectutem per defectum, ponit horum medium, in quo animal sensibiliter nec proficit, nec deficit. Hunc autem statum in homine dicimus virilitatem, & est à trigesimoquinto vsque ad quinquagesimum, In quinquagesimo autem incipit manifestari defectus perfectionis naturalis, & animalis, vnde comparatur triplex status hominis triplici parti motus diurni in sole. nam à puncto sui ortus vsque ad nonam, manifestè ascendit. Ab hora nona vsque ad meridiem, & post meridiẽ per horam videtur stare, licet non realiter quiescat, transacto meridie per horam incipit manifestè descendere versus occasum. sic in homine à principio sui ortus vsque ad trigesimumquintum annum manifestè ascendit in acquisitione virtutis sibi debitæ, & hæc est iuuentus: à trigesimoquinto vsque ad quinquagesimum non ascendit, nec descendit manifestè, & hæc est Virilitas: à quinquagesimo vsque in finem vitæ manifestè descendit, & hæc est senectus, declarandum est igitur quæ sint conseruatiua consistentiæ, & quæ accelerantia senectutem. Nam quidam sunt qui videntur in trigesimo anno senescere, quidã autem vix in sexagesimo, aduerte igitur sex, ex quibus tria cõseruant cõsistentiã, & tria accelerant senectutem. Primum est, temperantia cibi & potus, & venereorum. Intemperantia autem accelerat senectutem, & morbos inducit, quoniam cum vita conseruetur conuersione alimenti debitè digesti per calorem naturalem in substantiam nutriti: cibus & potus indebitè sumptus, & quantitate, & qualitate, & tempore non congruo, non conuenienter decoquitur, sed remanens indigestus in nocuios conuertitur humores, quibus naturalis calor debilitatur, & inducunt ægritudines, ex consequenti acceleratur senectus. Intemperantia autem in venereis exiccat humidum nutrimentale quo conseruatur calor naturalis, sicut flamma oleo, est enim sperma superfluum alimenti quod frequenter emissum est exiccatiuum, ex consequenti accelerat senectutem, quæ fundatur in sicco, & frigido. Iuuentus autem in humido, & calido. Hinc videmus ducentes vitam cælibem, & in victu sobrios, sanioris, robustioris, & longioris vitæ. Secundum est, moderatus labor siue temperatum exercitium. Nam sicut otio marcescit bona corporis dispositio, sic tẽperato exercitio vigoratur, quoniã excitatur & confortatur calor naturalis, sicut spiritu ventoso excitãtur carbones penè extincti. Immoderatus autẽ labor inducit senectutem, quoniã nimis acuit calorem, qui nimis exiccat de humido naturali, ex cõsequenti inducit immoderatã siccitatem, quæ est dispositio ad senectutẽ, hinc videmus vexatos cõtinuis laboribus cito senescere. Tertium est, frequẽtes & moderatæ letitiæ, quies enim animi conseruat, & multiplicat spiritus naturales, & animales, quibus optimè cõseruatur vita, vnde inquit sapiens, spiritus hilaris ætatem floridam facit. Ex opposito, magnæ & diuturnæ tristitiæ

tristitiæ accelerant senectutem: sunt enim constrictiuæ cordis, & mortificatiuæ caloris naturalis, ex consequenti causant depauperationem spirituum, & inducunt frigiditatem, quæ est dispositio ad senectutem, vnde inquit Sapiens, spiritus tristis exiccat ossa. Hæc de tertio capite sufficiant.

CAPVT IIII.

Quæ iuuentutis & senectutis proprietates sint quo ad omnes animi partes.

Circa quartum caput aduerte, quòd intendimus loqui de proprietatibus Iuuentutis, & Senectutis in homine vt magis manifestis.

Et Primò, de proprietatibus partis vegetatiuæ.

Secundò, partis sensitiuæ.

Tertiò, partis appetitiuæ.

Quartò, partis motiuæ.

Quintò, partis rationalis.

Quantum ad partem vegetatiuam, dico quòd proprium est iuuentutis esse bene digestiuam, & augmentatiuam manifestè vsque ad tertium septennium, & bene generatiuam, quoniam actiones vegetatiuę sunt ab anima mediante calore naturali, qui in iuuentute continuè perficitur & abundat, in senectute autem continuè imperficitur, vt diximus suprà. & ideo senex malè digerit, nõ augetur quantitatiuè, sed potius minuitur, parum generat, & in senio efficitur penitus infœcundus.

Quantum ad partem sensitiuam dico, quòd iuuentus viget sensibus, senectus autem deficit pręcipuè visu, & auditu. Nam actiones sensitiuæ fiunt ab anima mediantibus spiritibus generatis in corde per calorem naturalem agentem in nutrimentum, & transmissis ad organa sensuum, vt diximus agentes de somno, & vigilia: in iuuentute autem cum sit calor intensus, & bona digestio: copiosè generantur huiusmodi spiritus, quibus perfectæ fiunt actiones sensuum, in senectute verò, quoniam calor minuitur, & digestio imperfecta est, pauciores, & debiliores generantur spiritus. ideo actiones sensuum debiliores sunt, præcipuè auditus, & visus, qui inter sensus sunt magis spiritales, vt patet ex secundo de anima.

Quantum ad partem appetitiuam, cùm diuidatur in appetitiuam sensitiuam, & appetitiuam intellectiuam, quæ dicitur voluntas, loquentes de appetitiua sensitiua dico quod magis viget in iuuentute, imò secundum eam viuunt: & operantur iuuenes, quoniam nisi ratio forti imperio dominetur passionibus præualent in iuuenibus. vnde valde sunt amatiui, & desideratiui, & delectatiui concupiscibilium. Et exponunt se periculis, propter huiusmodi sunt audaces, & magnæ spei, & vindicatiui, & omnia hæc proueniunt ex abundantia caloris, ex copia spirituum naturalium, ex feruore, & claritate sanguinis. in senectute autem ex causis oppositis, huiusmodi passiones remittuntur. vnde difficiles sunt senes ad conciliandum amicitias, sunt pauci desiderij. & vix in aliquo delectantur, imò quę in iuuentute placuerunt non curant in senectute: sunt modicæ spei, quoniam spes respicit futurum, senex autem parum de futuro respicit ante se, cùm se breui moriturum sciat. efficiuntur timidi, non accenduntur ad vindictas, sed patienter ferunt, quoniam calor minuitur, & sanguis efficitur magis terrestris, Loquentes autem de appetitiua parte intellectiua: dico quòd magis viget in sene quàm in iuuene, & senex magis secundum eam viuit, quoniam cum passiones minuuntur, minus insurgunt, & perturbant rationem: & facilius eis voluntas imperat. vnde bene dixit Pindarus, senectus præclara ætas, quæ dominatur seruis: qui dominati fuere iuuentuti. Et dixit Aristoteles in primo Ethicorum. Iuuenem non esse fructuosum auditorem in moralibus, quoniam secundum passiones viuit: & proprio impetu.

Quantum ad partem motiuam, dico, quòd viget in iuuentute. Nam, vt diximus agentes de principiis motus localis in animali, anima causat motum localem in corpore per spiritus adgeneratos in corde, & transmissos ad neruos, & musculos, qui renouantur ex nutrimento, in quo agit calor naturalis. Cùm igitur, vt diximus, in iuuentute abundent huiusmodi spiritus, manifestum est quod actiones partis motiuæ perfectiores sunt. vnde apti sunt iuuenes laboribus, & præliis; senectus autem vtpote depauperata spiritibus, continuè debilitatur in motu locali, & labore. Et proptereà inquit Tullius in eo qui de Officiis, Seni minuendi sunt labores.

Quantum ad partem intellectiuam, cùm sit duplex scilicet practica, quæ versatur circa agibilia, & speculatiua, quæ versatur circa speculabilia: loquentes de practica, dico quòd absolutè perfectior est eius operatio in senect. requirit enim practica experientiam, quæ conficitur ex multis cognitionibus singularibus, quæ non habentur nisi longitudine temporis. & quoniam senex diu vixit, ideo vt expertus magis viget intellectu practico. vnde prudentiores, & bene gubernatores inueniuntur, iuuenes autem ex causis oppositis non vigent intellectu practico, & ideo expedit eos regi, & non regere: esse executores, & non præceptores. Loquentes autem de parte speculatiua distinguendum est: vel quo ad ipsum addiscere, vel quo ad firmitatem, & iudicium, & ordinem in scientia: quo ad ipsum addiscere, dico quòd in iuuene perfectius inuenitur. Indigemus enim in addiscendo cognitione sensitiua. vnde deficiente nobis aliquo sensu necesse est nobis deficere scientiam illius sensus, vt inquit Philosophus in primo Posteriorum. Cognitio autem sensitiua, vt diximus, perfectior est in iuuene quàm in sene. Item indigemus sigillatione phantasmatum in phantasia: à quibus intellectus agens abstrahit species intelligibiles. Hanc autem impressionem prohibet senectus propter siccitatem, & frigiditatem suam, siccum enim & frigidum indurat. Induratio prohibet bonam impressionem, vt diximus agentes de memoria. Quòd si in aliquo iuuene difficilè sit addiscere, hoc erit per accidens, quoniam non ratione iuuentutis, sed fortè quoniam nimis inseruit concupiscentiis deprimentibus intellectum. vnde dixit Commenta. in septimo Physico. quòd addiscentibus multum suffragatur castitas, senectus autem per se est difficilis ad addiscẽdum propter causas oppositas, debilitatur enim cognitio sensitiua: laxantur organa imaginatiuæ, & cogitatiuæ, debilitatur memoria, vt diximus agentes de memoria. Quantum autem ad firmitatem, & iudicium, & ordinem in scientia, dico quòd in sene perfectius inueniuntur, quoniam frequentatis considerationibus, & longo vsu habitus scientifici in arguendo, & respondendo firmatur scientia, & solidum iudicium fit ex ordinata resolutione conclusionum ad principia, & ordo in scientia statuitur cum deprehenditur quid prius, quid posterius considerandum sit: vt quoniam incipiendum est ab vniuersalioribus, & descendendum ad minus vniuersalia, &c. Hæc autem non perficiuntur nisi longo studio, & diuturnitate temporis. propterea tempus addiscendi congruè deputatum est iuuentuti, tempus autem speculandi senectuti. Hæc de iuuentute, & senectute dicta sint.

plinæ sint aptiores.

Tractatus de iuuentute & senectute finis.

EPITOME

IN LIBRVM DE LONGITVdine, & Breuitate vitæ, vnico complexa tractatu, qui in tria capita diuisus est.

Postremò agendum est de causis, quibus inter viuentia quædam sunt longioris, quædam breuioris vitæ, & hanc considerationem complectemur in vnico tractatu, quem diuidimus in tria capita.

Primò, de causis corruptionis, & difficilis, & facilis corruptionis.

Secundò, de causis per se, & per accidens in generali, longioris, & breuioris vitæ.

Tertiò, de causis in particulari longioris, & breuioris vitæ, comparando genus generi, & speciem speciei, & indiuiduum indiuiduo.

CAPVT I.

Quænam corruptionis causæ tam in compositis quàm simplicibus, cur etiam nonnulla facilis, difficilisve corruptionis sint, & vtrum ignis corrumpatur in proprio loco.

Qvantum ad primum caput, aduerte quòd cùm longior, & breuior vita pendeat ex tardiori, vel citiori corruptiuo, meritò antequàm descẽdamus ad causas longioris, & breuioris vitæ, prius considerandum est propter quid aliquid est corruptibile, & aliquid difficulter, & aliquid de facili corrumpitur: vt igitur propositum pateat, in hoc capite considerabimus quatuor.

Primò, de causa corruptionis in compositis naturalibus & artificiatis.

Secundò, de causa corruptionis in simplicibus.

Tertiò, de causa difficilis, & facilis corruptionis tam in compositis, quàm in simplicibus.

Quartò mouebitur dubium, & soluetur, scilicet vtrum corruptibile positum in proprio loco de necessitate corrumpatur.

Naturalia composita, sunt corruptibilia quia sunt ex cōtrarijs.

Quantum ad primum, quo ad composita naturalia, dico ꝙ causa corruptionis eorum est, quia componuntur ex simplicibus contrariis, quæ sunt quatuor elementa: quæ sunt se inuicem alterantia, & corrūpentia (vt diximus in secundo de Generatione.) Nam cum natura compositi pendeat ex natura partium componentium, si partes componentes sunt corruptibiles, & compositum est corruptibile. & ideo omne elementatum est corruptibile, quia elementa contraria sunt corruptibilia, si autem sunt incorruptibiles, compositum erit incorruptibile. & ideo cœlum est incorruptibile, quoniam forma cœli, & materia cœli cum non sit subiecta priuationi, nec recipiat formam mediantibus dispositionibus contrarijs, sunt incorruptibiles: Quod si dicis, ergo homo est incorruptibilis, quoniam componitur ex materia prima, quæ est incorruptibilis ex primo Physicorum, & ex anima intellectiua quam probauimus esse incorruptibilem, etiam ad mentem Arist. in tertio de Anima. Respondeo, negando consequentiam, quoniam ad hoc quod compositum sit incorruptibile non sufficit materiam primam, & formam esse incorruptibilem, sed quòd materia sit elongata à priuatione. inquantum enim est sub priuatione: est in potentia ad aliam formam, & vt sic est principium corruptionis ex primo Physicorum, & nono Metaphysicæ. Item ꝙ dispositiones quibus introducitur forma nō sint qualitates actiuæ, & passiuæ, quorum vtrūque deficit in homine, & ideo non est incorruptibilis.

Cur cœlū ex incorruptibilibus compositum est incorrup. non autē homo.

Artificiata cur corruptibilia sunt.

Quantum ad artificiata dico ideo esse corruptibilia: quia vnumquodque compositum resolubile est in ea ex quibus componitur, vt nauis resolubilis est in tabulas, & clauos, ex quibus constituitur.

Simplicia corrumpi contingit vel per se à suo contrario vel per accidēs ad corruptionem subiecti.

Quantum ad secundum, dico quòd simplicia, quales sunt formæ, & qualitates, dupliciter corrumpuntur. Primò à suo contrario saluato suo subiecto, vt frigiditas aquæ à calore ignis non corrupta aqua, & scientia corrumpitur ab ignorantia prauæ dispositionis, vel ab obliuione, non corrupto sciente, & virtus iustitiæ ab iniustitia non corrupto subiecto, & sanitas ab ægritudine non corrupto animali. & hæc dicitur corruptio per se, quoniam vnum contrarium per se agit ad corruptionem alterius contrarij. Secundo corrumpuntur ad corruptionem sui subiecti. corrupta enim substantia corrūpuntur omnia quæ sunt in ea, vt corrupta aqua corrumpitur forma eius, & quantitas, & qualitates eius, & hæc dicitur corruptio per accidens, quia corrumpuntur non secundum se, sed quoniam corrumpitur illud in quo saluantur. propter quòd Arist. deducit ex hac distinctione, quòd si anima se habet ad corpus sicut scientia ad animam, contingeret animam dupliciter posse corrumpi, scilicet per se à suo contrario, sicut scientia ab ignorantia, & per accidens ad corruptionem corporis, verùm quia manifestum est non esse animam sicut scientiam, quoniam anima est actus substantialis: scientia verò accidentalis, ideo non corrumpitur per se, sed tantum per accidens, scilicet ad corruptionem corporis. Quod vtique verum est de sensitiua, & vegetatiua, de intellectiua autem alia ratio est, vt alibi diximus, nec Aristo. applicat se hîc ad animam intellectiuam, sed solùm loquitur de anima in vniuersali. vnde sufficit dictum suum verificari de anima vegetatiua, vel sensitiua.

Localis transpositio facilis & difficilis corruptionis est causa.

Quantum ad tertium dico, quod transpositio localis est causa difficilis, & facilis corruptionis. Nam si animal sit secundum speciem suam longæ durationis, puta homo, vel elephas, & generetur in regione temperata, deinde transferatur ad regionem æquè, vel magis temperatam, diu conseruabitur, & cum difficultate corrūpetur, non tamen fiet æternus, quoniam omne habens materiā transmutabile est, aut secundum vbi, aut secundū quantitatē, aut secundū qualitatē, aut secundū substantiā. Cùm igitur homo & quodcūque animal habeat materiam subiectam priuationi, ex consequenti habeat in se qualitates contrarias, non durat in æternum, si autem transferatur ad regionem suæ complexionis differmē de facili corrumpetur: nam si transferatur ad regionem excessiuè calidam extraneabitur calor eius naturalis, & disponetur ad corruptionem, sicut calor febrilis disponit ad mortem, si autem transferatur ad regionem excessiuè frigidam, mortificabitur calor naturalis intēsa frigiditate regionis, inde videmus in plantis ꝙ transplantatæ in loco difformi suæ naturæ, vel cito exiccantur, vel non fructificant. Locus enim naturalis, ex quarto Physico. conseruat & continet locatum, non naturalis autem aut corrumpit, aut non prodest locato.

An ignis in propria sphæra cor

Quantum ad quartum, aduerte ꝙ ex dictis in hoc capite oritur dubium, vtrum ignis positus in propria sphæra corrūpatur de necessitate: & pono casum, ꝙ sit pars ignis in medio suæ sphæræ, aut in suprema parte, & nunquam recedat à loco suo, ita ꝙ semper sit elongatus à suis contrariis, puta humidis, & frigidis: & ratio dubitandi est, quoniam dictum est simplicia corrumpi aut à contrariis, aut ad corruptionem subiecti. Cùm igitur ignis sit corpus simplex, necesse est ꝙ sit existens in medio, aut in supremo suæ sphæræ corrumpitur, corrumpatur aut à contrario, aut ad corruptionem sui subiecti: non à contrario, quoniam contrarium non agit in contrarium nisi approximatum, ibi autem per casum datum nulla est approximatio: nō ad corruptionem sui subiecti, quoniam ignis non est in subiecto, cùm sit per se existens, & posito quòd dicatur habere subiectum hoc non erit nisi materia prima, quæ est incorruptibilis, ex primo Physic. ergo nunquam corrumpetur. In oppositum autem arguitur, quoniam omne habens materiam subiectam priuationi, necessariò corrumpetur, sed ignis in quocunque loco ponatur habet materiam subiectā priuationi, sicut & omnia inferiora, ergo, &c. Maior quidem probatur: quoniam cùm materia subiecta priuationi sit in potentia ad formam qua priuata est, si semper esset sub forma quam habet, frustra esset sua potentia ad aliam formam, sed in natura nihil est frustra, ergo omne habens materiam subiectam priuationi necessario corrumpetur in quocunque loco ponatur. Ad hoc dubium respondet Aristo. & concedit quòd corrumpetur, & à suo contrario. Sed aduerte quòd sibi contrarium potest esse triplex. Primum est corpus contrariarum qualitatum, vt aqua, & ab hoc quidem non corrumpetur nisi proximentur. Secundum est locus, siue continens contrariæ dispositionis, sicut enim continens consimilis dispositionis confortat & præseruat contentum, sic continens dissimilis dispositionis, debilitat & disponit ad corruptionem. vnde locus calidus est conseruatiuus ignis, & corruptiuus aquæ. Tertium est superfluum, vel maius in eadem specie, sicut enim lux magna in cæreo obumbrat lucem minorem in candela, & vt sic videtur sibi cōtraria: quoniam impedit illuminationem minoris, sic maior ignis adiunctus minori est sibi contrarius, quoniam consumit paruū humidum, quo nutritur paruus ignis, quo cōsumpto corrumpitur paruus ignis ex defectu sui nutrimenti. ad dubium igitur propositum dicitur quòd licet ignis locatus in medio, aut in supremo suæ sphæræ non habeat primum contrarium sibi approximatum, nec secundum, quoniam est in suo loco naturali, habet tamen tertium, quoniam si ignis situatus in medio suæ sphæræ sit decem cubitorum, circundatur superius, & inferius, & à latere ab igne decem millium cubitorum, qui vt superexcedens, & longè maior, potèrior contrariatur igni decem cubitorum: ex consequenti corrumpet ipsum existentem in proprio loco, sicut flamma maior corrumpit minorem modo iam dicto. Hæc est responsio Philosophi. Cui potest addi ꝙ corrumpetur à suo contrario sibi approximato, quoniam licet pro aliquo tempore pars signata ignis sit in medio, aut supremo suæ sphæræ, tamen cùm ignis sit in continuo motu, & partes ignis vicinæ suo contrario consumantur, tandem supremæ, & mediæ partes ad inferiorem partem suæ sphæræ deuenirent: & illic proximatæ suis contrariis corrumpentur. sicut etiam diximus alibi de partibus terræ situatis circa centrum mundi. patet igitur quæ sit causa corruptionis, tam in compositis, quàm in simplicibus, & quare aliqua sint facilis, aut difficilis corruptionis, & à quo corrumpitur ignis, siue quodcunque aliud elementum existens in proprio loco naturali.

CAPVT II.

Longioris & breuioris vitæ causæ tum apparentes tum veræ, per se, & per accidens.

Circa secundum caput, dicemus tria.

Primò assignabimus causas apparentes longioris, & breuioris vitæ: quæ tamen non sunt veræ, nec regulariter verificantur in omnibus, licet vt in pluribus verificentur, vt dicemus.

Secundò, assignabimus veras, & vniuersales causas per se.

Tertiò assignabimus veram causam per accidens.

Quantum ad primum aduerte tres causas, quibus posset aliquis diiudicare longiorem, & breuiorem vitam.

Prima est, Magnitudo & paruitas corporis, vt scilicet magna corpore sint longæ vitæ, parua autem sint breuis: sed hoc non est vniuersaliter verum. Nam equus, & bos, & bubalus sunt maiores homine, & tamen sunt breuioris vitæ, nec etiā paruitas est vniuersaliter causa breuioris vitæ. Nam apes sunt longioris vitæ, quàm multa volatilia maiora, deprehenduntur enim viuere septennium.

Secunda est, Habere & carere sanguine, vt scilicet habētia sanguinē sint longioris vitæ, sed id non verificatur vniuersaliter. Nam, vt diximus, Apes quæ sunt exangues viuunt diutius, quàm passeres, & columbi, & causam in his dicemus infrà.

Tertia est, Viuere in terra, & viuere in mari, vt scilicet terrestria dicantur longæ vitæ, maritima autem breuioris: sed hoc non est vniuersaliter verum: nam multa terrestria in animalibus, & in vegetabilibus viuunt tantū per annum: & multa in mari, vt balæna, & delphini, sunt valde longioris vitæ.

Licet autem prædictæ causæ non verificentur in omnibus, tamen vt in pluribus verificantur, si bene combinentur. Nam quæ sunt maiora corpore, & sanguinea, & terrestria gressibilia, longioris vitæ sunt vt in pluribus, minoribus corpore, & exanguibus, & volatilibus, & aquaticis: & causas assignabimus in capite sequenti.

Quantum ad secundum aduerte quatuor causas vniuersales, & infallibiles, quibus deprehendimus in quolibet genere viuentium longiorem, & breuiorem vitam.

Prima est, humidum pingue.

Secunda est, multum humidum pingue.

Tertia est, humidum pingue proportionatum calido.

Quarta est, humidum non de facili exiccabile, nec de facili congelabile, nec superfluum.

Pro notitia harum causarum præpono duo, vt fundamenta, primum est, quod animal est calidum, & humidum, & propter hæc duo inest sibi vita: secundum est, quòd senectus est frigida, & sicca, & ideo est tendentia ad mortem.

Et quidem quòd necesse sit animal esse calidum, probatur. nam ex secūdo de anima in his inferioribus non datur viuum sine nutritiuo, nutritiuum autem nō nutrit nisi assimilet nutrimentum nutrito, hæc assimilatio est per decoctionem, decoctio per calorem, ergo necesse est animali inesse calorem, quo operetur actiones partis nutritiuæ. Quòd autem sit necesse ipsum esse humidum, probatur, quoniam calor animalis indiget pabulo, quo conseruetur. Id autem est ipsum humidum: vnde sicut pabulum ignis in lampade est oleum, quo deficiēte deficit ignis, & flamma lampadis: sic humidum intrinsecum viuenti est nutrimentum, & proprium subiectū caloris in viuente, vnde inquit Aristoteles. Oportet accipere quod animal est natura humidum, & calidum, & viuere tale.

Quòd senectus sit frigida sicca, probatur. nam cum iuuentus, & senectus sint status oppositi, vt diximus in tractatu de Iuuentute, & Senectute, fundantur in conditionibus oppositis. Iuuentus autem fundatur in calido, & humido: diximus enim iuuentutem esse augmentationem caloris naturalis in prima particula, id est in corde. Calor autem naturalis non augetur nisi adsit sufficiens humidum, quo sustentatur, sicut non augetur ignis nisi adsit sufficientia combustibilium. ergo senectus fundatur in frigido, & sicco: diximus enim quod senectus est defectus siue diminutio caloris, diminutionem autem calidi sequitur frigidum, & est diminutio humidi, ad quam sequitur siccum. Bene ergo dicitur senectutem esse frigidam siccam, propter quod necesse est senescentia desiccari, & tandiu vita conseruatur, quandiu humidum naturale non desiccatur, nec de facili consumitur. His propositis accedendum est, ad declarationem dictarum causarum.

Ad euidentiam primæ causæ, aduerte quòd cum vita fundetur in calido humido, illud humidum quod difficulter exiccatur, & difficulter putrefit, erit causa longioris vitæ, tale autem est humidum pingue. nam quoniam pinguedo, vt dictū est in quarto Meteorolog. tenet partes adinuicem bene conglutinatas, ideo cum difficultate abinuicem separantur, & per consequens cum difficultate exiccantur. Inde videmus quod sol de facili consumit aquam, non autem oleum, neque pinguedinem. Quod autem humidum pingue non de facili putrefiat declaratur. nam in eo prædominatur aër, vt in oleo, & melle, aër autem respectu aquæ, & terræ non putrefit: sicut enim ignis respectu aliorum elementorum non putrefit, sic nec aër respectu aquæ & terrę, vnde quibus dominatur aqua de facili putrescunt, quibus autem aër, non de facili, quia igitur humidum pingue, vt pingue, non de facili cōsumitur, nec de facili putrefit. ideo pingues vt sic longioris sunt vitæ non pinguibus: nec obstat quòd videmus homines valde pingues esse breuioris vitæ macilentis, id enim non prouenit ex humido aëreo, sed aqueo admixto, quo abundat in eis humor phlegmaticus facillimus ad putrefactionem.

Ad euidentiam secundæ causæ, aduerte quòd si humidum pingue fuerit paucum, etiam quòd vt pingue non de facili consumatur, tamen quia paucum cito consumetur, sicut parum olei cito consumitur in lampade: vt igitur animal sit longæ vitæ non sufficit ipsum habere humidum pingue, sed & multum, & quoniam rationabile est animalia magna habere magis de humido, ideo vt in pluribus licet non vniuersaliter animalia magna sunt longioris vitæ animalibus paruis, similiter plantæ quanto maiores, tanto longioris sunt vitæ.

Ad euidentiam tertiæ causæ, aduerte, quòd si humidum pingue fuerit multum, & calor naturalis paruus, vel calor de facili suffocaretur, vel humidum non bene regulatum à calido de facili congelaretur. Et ideo necesse est calidum esse proportionatum humido in quantitate, & qualitate, vt sint causa longioris vitæ, & propterea non inconuenit aliqua animalia esse longioris vitæ, quæ tamen sunt minora corpore, & minus habent de humido, sed habent calidum, & humidum bene proportionatum, & id seruatur maximè in homine propter temperatissimam complexionem suam. vnde homo est longioris vitæ quàm equus, & bos, & camelus, licet sit minor corpore, & inter homines, sanguineus est longioris vitę, etiam quòd sit minor corpore homine cholerico, vel phlegmatico, vel melancholico, ex causa dicta.

Ad euidentiam quartæ causæ, aduerte quòd humidum est duplex, scilicet aëreum, & aqueum, ad hoc quod animal sit longę vitæ, debet esse humidum aëreum. nam quia aër calidus est, humidum aëreum non est de facili infrigidabile, & quoniam subtilis est, humidum aëreum non est de facili exiccabile, humidum autem aqueum ex natura aquæ, quæ frigida, & crassa est, de facili est infrigidabile, & exiccabile, quoniam caret pinguedine prohibitiua exiccationis, & conglutinatione partium his de causis, vt dicemus infrà. terrestria sanguinea sunt longioris vitæ, vt in pluribus, quā aquatica. Item humidum in animali duplex est: quoddam proportionatum calido, quoddam superfluum, quæ habent humidum superfluum, sunt breuioris vitæ, vnde homines excessiuè phlegmatici sunt breuioris vitæ, quoniam calor naturalis debilitatur, & paulatim suffocatur ab humido superfluo, siue sit naturale, siue ægritudinale, siue sit diffusum per totum corpus, siue contentum in vna ex partibus principalibus, vt in capite, vel in stomacho, vt igitur animal sit longę vitæ debet habere humidum non de facili exiccabile, nec infrigidabile, aut congelabile, nec superfluum, sed constans, & bene regulabile per calorem naturalem. Hæc de causis generalibus per se longæ vitæ, & breuis dicta sint.

Non susceptio nutrimenti est causa per accidēs breuis vitæ.

Quantum ad tertium, aduerte quòd secundum Aristotelem causa breuitatis vitæ per accidens est non susceptio nutrimenti. nam si viuum per notabile spatium stet sine nutrimento, calor naturalis non inueniens nutrimentum in quod agat, & quo nutriatur conuertit se super humidum radicale, quod est suum proprium subiectum, & consumit ipsum, ad cuius consumptionem corrumpitur ipse calor: non enim conseruari potest consumpto suo proprio subiecto, sicut non potest conseruari flamma in lampade consumpto oleo, & sicut flamma maior corrumpit minorem per accidens pro quanto consumit humidum paruum, quod erat nutrimentum minoris flammæ, ad cuius consumptionem flamma minor deficit, sic calor naturalis corrumpit seipsum consumens humidum radicale in quo sustentatur. Corrupto autem calore naturali deficit vita, quæ fundatur in calido, & calidum conseruatur humido. Hæc de secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

In tertio capite assignabimus causas in particulari longæ, & breuis vitæ.

Et primò, in animalibus.

Secundò, in plantis.

Quantum ad animalia dico cum Aristot. causas breuis vitæ esse quatuor, & sunt istæ.

Immoderatus coitus.

Labor.

Humidum aquosum.

Carentia sanguine.

Causæ autem longioris vitæ etiam in eadem specie sunt duæ scilicet Masculinitas, caliditas regionis.

Immoderati coitus breuis sunt vitæ.

Ad euidentiā primæ causæ breuis vitæ, aduerte, quòd sperma est superfluum tertiæ digestionis, quod est aptum immediatè conuerti in substantiam animalis. nam calor naturalis agens in alimentum plus digerit quam sit necessarium ad nutritionem, & augmentum animalis, & illud quod superest natura ordinat ad generationem, & tractum ad vasa seminaria per coitum emittitur. Quando igitur animal vtitur inordinato coitu deficiente superfluo alimenti, trahitur ad vasa seminaria illud humidum digestum necessarium ad nutritionē, & quodam modo violento coitu emittitur, ex quo sequitur quòd nō sit sufficiens conuersio nutrimenti in subiectum nu-

triti.Tũc exiccatur & macie attenuatur animal, & subtracto calido humido subtili in quo conseruatur vita, disponitur animal ad corruptionem. Hinc videmus nubentes in senio cito deficere, & passeres masculi deficiunt citius quàm fœmellæ, quoniã sunt multũ coitiai, & equus, & asinus sunt breuioris vitæ, quàm mulus ex quibus generatur, quoniã mulus non multum coit, & vniuersaliter in omni specie si masculi sunt inordinatè coitiui, citius deficiunt quàm fœmina, propterea inquit Arist. Coitiua & multa sperma cito senescunt.

Labor iuuenibus lõgæ vitæ, senibus autem breuioris.

Ad euidentiam secundæ causæ. aduerte q̃ labor excitat & acuit calorem naturalẽ, excitatus exhalat paulatim, & secum trahit humidum. Ad exhalationem calidi, & attractionẽ humidi sequitur exiccatio, ad exiccationẽ sequitur senectus, ad senectutẽ mors. Quoniam igitur labor est exiccatiuus, ideo animalia laboriosa cito senescunt, & sunt breuioris vitæ: sed aduerte q̃ hic supponitur humidum esse proportionatum calido, & non esse humidum superfluum. Nã si calor naturalis sit tenuis, & insit animali humidum superfluum extraneum labor proficit, quoniã excitat calorem, & excitatus consumit humidum superfluum. vnde multum phlegmaticis expedit labor, Attenuatis autem debilibus, & senibus nõ expedit, quoniam exiccat exhalatione caloris, & attractione humidi.

Humidũ aqueũ breuis est vitæ indicium.

Ad euidentiam tertiæ causæ, aduerte q̃ humidum aquosum sapit naturam aquæ: aqua autem licet sit humida, est tamen frigida, frigidum autem contrariatur calido, in quo datur vita. aquatica igitur sunt breuis vitæ respectu terrestriũ non quia sunt humida, sed quoniam humidum aqueum est crassum, & de facili congelabile, ex consequenti de facili corruptibilia.

Exãguia breuis vitæ sunt.

Ad euidentiam quartæ causæ aduerte, q̃ sanguis est humidus calidus, ideo est fundamentum vitæ. Quæ autem sunt exanguia habent humidum aqueum, quod est frigidum. Ideo exanguia vt in pluribus sunt breuioris vitæ, quàm habentia sanguinem. Nota tamen q̃ si aliqua exanguia nutriantur nutrimento dulci, quod est humidum aëreum, & vt sic calidũ, erunt longioris vitæ aliquibus habentibus sanguinem, & hac de causa apes, licet exangues, diutius viuunt aliquibus animalibus maioribus corpore, & habentibus sanguinem.

Masculi log. sunt vitæ quã fœminæ.

Ad euidentiam primæ causæ longitudinis vitæ aduerte q̃ masculus, vt masculus est calidior fœmina: cuius signũ maius est corporis robur, & vehementioris actionis: cum igitur vita fundetur in calido, masculus in omni specie, ratione qua masculus, est longioris vitæ quam fœmina. Dixi ratione qua masculus, quoniam non inconuenit, vt diximus, ratione laboris, & inordinati coitus esse breuioris vitæ.

Calidit. in regionis causa est long. vitæ.

Ad euidentiam secundæ causæ, aduerte q̃ non solum calidum intrinsecum est causa vitæ, sed extrinsecum temperatum, continens enim proportionatum contento cooperatur ad conseruationem eius. Cum igitur vita fundetur in calido, animalia genita in regione temperatè calida confortata calore regionis sunt longioris vitæ, quę animalia genita in intẽperatè frigida, sunt breuioris vitæ, frigidum enim intẽsum est mortificatiuum caloris, eadẽ causa in regione calida generãtur animalia eiusdem speciei maiora corpore, in frigida autẽ sunt paruæ quantitatis: vnde in mari rubro inueniuntur serpentes, & ranæ miræ magnitudinis: & ratio huius est, quoniã calidum dilatat humidum, ideo est causa maioris augmenti, frigidum autem constringit humidum, ideo est causa minoris augmenti. Tu tamen aduerte quòd in regione frigida non inconuenit inuenirí particularia loca calida, vt sunt aliquæ valles, valles enim adunatione radiorum solis calidiores sunt montibus, & loca circa mare ex caliditate maris, & in his generantur animalia maiora quam in reliquis locis regionis frigida ex causa dicta. Hæc de causis longitudinis, & breuitatis vitæ in animalibus dicta sint.

In mari rubro sũt serpẽtes et ranæ miræ magnitudinis.

Secundò quantum ad plantas dico duo. Primò q̃ multæ plantæ longioris vitæ sunt, quocunque animali; inter quæ est palma, & cypressus: durant enim vltra ducentos annos. Secundo quòd in plantis masculæ, & arboroſæ sunt longioris vitæ, vt quercus, nux, pinus, &c.

Plantæ aliquæ long. vitæ sunt quã multa animalia.

Ad euidentiam primi aduerte, q̃ duplici de causa sunt longioris vitæ, quã animalia. Primò quia habent humidũ minus aquosum, & viscosa sunt: hac enim de causa sunt inflãmabilia & sunt sicca terrestria, nõ quidem siccitate mortificatiua, sed repressiua humidi. Secundò quia plantæ sæpe iuuenescunt: si enim exiccatur ramus vnus, in alia parte nascitur alius, & si exiccatur radix ex vna parte, germinat ex alia, & si exiccatur totus truncus stante radice viua, iterum pullulat, vnde videmus intenso frigore totam arborem puta vitem, aut ficum congelari, & tamen radix iterum pullulat, vnde se habent plantæ sicut animalia annulosa, quæ decisa viuunt: licet enim habeant vnam animam actu, habent tamen plures in potẽtia, ex secundo de anima, sic & plantæ, quoniam in nodis, & in partibus radicum habent virtutem germinatiuam, ideo & transplantati rami viuunt, & efficiuntur arbores, hac de causa quoniam scilicet sæpe iuuenescunt longioris sunt vitæ quàm animalia.

Ad euidentiam secundi aduerte q̃ masculus, & fœmina non propriè inueniuntur in plantis. Masculus enim propriè est qui generat in alio, fœmina autem in qua aliquid generatur ab alio, sed dicitur in plantis ratione proprietatum. nã masculus calidior, & magis fructificans est, fœmina autem frigidior, & minus fructificans, hac de causa masculi habent partes superiores crassiores, quoniam calidi est eleuare nutrimentum ad superius, ex quo augentur partes superiores, frigidi autem est retinere inferius, ex quo incrassantur partes inferiores, & quoniam masculi habẽt partes superiores, crassiores, & grauiores, ideo dum cadunt, cadunt primo secundũ partes superiores, & cadunt ante, fœminæ autem cadunt retro, & primò secundum partes inferiores vt pote grauiores: quoniam igitur in plantis videmus aliquas magis fructificantes, & aliquas habentes partes superiores maiores (sunt autem in plantis partes superiores radices, quoniam sunt loco capitis, & oris) & quæ habent maiores radices trahunt multum alimentum, ex consequenti sunt multi caloris, quo mittitur multum alimentum ad truncum & ramos, & sunt arboroſæ, & has dicimus esse masculas, ratione proprietatis masculinæ inuentæ in animalibus, & istæ inter plantas sunt longioris vitæ. Hæc dicta sint de causis longitudinis, & breuitatis vitæ, tam in animalibus, quàm in plantis. Magis autem in particulari considerare de his spectat ad librum de animalibus, & vegetabilibus, hic terminatur consideratio nostra super paruis naturalibus Aristotelis, ad laudem & gloriam Dei misericordis. Paruorum naturalium Finis.

EPITOME IN LIBELLVM ARISTOTELIS, De bona Fortuna, vnico complexa tractatu, in quinque capita diuiso.

Terminata consideratione nostra super paruis naturalibus, quæ composuit Aristoteles, vt ordinatè & completè traderet scientiam de animatis, quam inchoauerat in libris de anima, & terminaturus erat secundum vnamquanque speciem in libris de animalibus, & de vegetabilibus, intendimus hic facere considerationem super libello de bona Fortuna, quem composuit vt compleret considerationem de felicitate, de qua locutus fuerat in primo, & in decimo Ethicorum, & in magnis moralibus. Nam sine bona Fortuna, apud Philosophos nullus reputatur felix, quoniam apud eos putatur felicitas esse bona fortuna, vel non sine bona fortuna. Hanc autem considerationem complectemur in vno tractatu quem diuidimus in quinque capita.

Primo, quid sit bona Fortuna deseruiens felicitati,
Secundo, circa quæ bona est hæc Fortuna.
Tertio, qui inter homines sint benè Fortunati,
Quarto, circa quos impetus sit bona Fortuna,
Quinto, quam rationabilia sint quæ ab antiquis dicebantur de bona Fortuna.

CAPVT I.

Quid nam sit bona Fortuna, & quomodo ad felicitatem spectat.

Circa primum caput, inuestigãdum est prius quid non sit, deinde quid sit. Aduerte igitur q̃ alicui videri posset bonam Fortunam esse intellectum, id est, claram intelligentiã, vel rationem, vel scientiam assequendi bona, circa quæ est bona Fortuna, puta dominium, honores, diuitias, gratiam Principum, & tamen nullum horum est. Nam intellectus, & ratio, & sciencia, cui annectimus etiam sapientiam, dicunt cognitionem, & præuisionem, & ordinem in agendis. Nam quæcunque fiunt intelligentia, & ratioue, & sapientia, cognita sunt & præuisa, & ordinata, id est, & considerata quo ordine agenda sunt. Euentus autem bonæ fortunæ, vt dicemus infrà, sunt omnino non præcogniti, non præuisi, non ordinati, aliter non essent euentus boni fortuiti. sed à proposito & ex intentione, quæ conditiones repugnant fortunæ, vt fortuna est, ex secundo Physicorum, ergo & bonæ fortunæ, vnde cum fortuna & intellectus, id est clara cognitio boni consequendi opponantur: dicit Aristotel. propter quod vbi pluris est intellectus, & ratio, ibi minima fortuna, vbi autem plurima fortuna, ibi minimus intellectus. nam quanto aliqua fiunt magis facta secundum rationem, & intellectum tanto minus contingunt præter intentionem, ex consequenti tanto minus sunt fortuna. Alicui autem videbitur quod bona fortuna sit quædam cura, & beneuolentia Dei cum aliquibus hominibus, vt magis sibi charis, quibus relictis aliis largitur bona externa præter omnem industriam eorum, ita vt videatur idem esse benefortunatus, & amicus Dei, sed id non decet attribuere Deo. Omnes enim rectè sentientes de Deo, tenent ipsum esse dominum dignum, id est distribuentem bona hominibus ordinatè & iustè, id est vt merentur, & digni sunt, sed bona euenientia a bona fortuna, non sunt data ordinatè, & secundum merita. nam (vt dicemus infrà) insipientes sunt multoties benefortunati: & melancholici quos constat non esse meritissimos apud Deum, si ergo dixerimus bonam fortunam esse Dei curam, & beneuolentiam, facimus ipsum pratum, id est non sufficientem iudicem: quoniam nesciret qui sint digni, vel indigni, quibus exterior a bona largiatur. Sufficientia autem iudicis stat primò in debita cognitione, vel posito quòd sciat dignos, & indignos, facimus ipsum iniustum. Nam vltra sufficientiam cognitionis debet iudex habere rectam voluntatem, vt scilicet velit dare bona dignis, & non indignis, videmus autem aliquos malos esse benefortunatos, & multos bonos infortunatos. Cùm igitur hæc non deceant diuinam sapientiam nec diuinam iustitiam, non est dicendum bonam fortunam esse curam Dei, nec eius beneuolentiam. Alicui verò videbitur quòd bona fortuna sit natura, id est quædam naturalis forma congenita homini benefortunato, sicut congenita est grauitas in lapide, & virtus attractiua in magnete, qua tendit in bona externa consequenda: sed hoc non est verum, quoniam natura ex secundo Physicorum, respectu eorum quorum est factiua, est factiua semper vel vt in pluribus, & per determinata media, vt virtus magnetis semper trahit ferrum nom impedita. & determinatis mediis, id est stante debita quantitate ferri: & debita distantia vel propinquitate, sed bona fortuna ratione qua fortuna, non est causa bonorum euentuum semper, nec in pluribus, nec ordinatè. Est enim ex secundo Physicorum in his quæ fiunt raro, & vt contingit non secundum intentionem, ergo sine ordine & inexcogitatis mediis. Non ergo hoc modo bona fortuna est natura, vtrum autem sub alio sensu possit dici natura, considerabimus in sequentibus.

Viso quid non sit, cogitandum est quid sit.
Et Primò, si est aliquid.
Secundò, si est natura.
Tertiò, si est natura cum ratione, vel sine ratione.

Quantum ad primum aduerte aliquos dixisse eam secundum veritatem nihil esse, sed tantùm secundum existimationem hominum: & ratio eorum est, quoniam quicquid fit, fit à causa per se & determinata, fortuna autem non est causa per se nec determinata. Cùm igitur si fortuna aliquid est sit causa, & nulla sit causa per accidens, sequitur fortunam nihil esse: verùm quia contingit nos videre effectum, & sæpè ignorare causam, opinio hominum dicit talem effectum esse à fortuna: sed hæc opinio falsa est, licet enim omnis causa per se sumpta possit dici causa per se respectu sui effectus, tamen concursus plurium causarum ad aliquem effectum erit per accidens: verbi gratia, Quòd Socrat. vadat in agrum habet causam per se, puta vt seminet. Quòd lapis descendat habet causam per se, puta quia grauis. Quòd autem ista duo concurrant, scilicet dum Socrat. vadit in agrum, lapis descendit, & frangit caput Socra. est per accidens. Vnde dicimus fractionem capitis esse à fortuna, quoniam est à cõcursu duarũ causarum, qui est per accidens. Cùm igitur ad sensum pateat multos effectus fieri ex accidentali concursu plurium causarum, vanum est dicere fortunam nihil esse, nec ratio eorum valet. Nam dato quòd nulla causa per se sumpta esset causa per accidens, ex hoc tamen non sequitur quin plurium causarum concursus fit per accidens: ergo, &c.

Quantum ad secundum, aduerte quòd in vno sensu negandum est bonam fortunam esse naturam, in alio autem concedendum est. Nam sumendo naturam, vt diffinitur in secundo Physicorum, quę dicitur de forma, tam substantiali, quàm accidentali, quæ est sufficiens principium semper, vel vt in pluribus & ordinatè producendi effectus respectu quorum dicitur natura, vt calor in igne non impeditus ordinatè, & semper calefacit calefactibile approximatum, bona fortuna non est natura, quoniam non operatur semper, nec vt in pluribus, nec ordinatè, sed vt contingit. sumendo autem naturam, vt accipit Aristotel. in primo Politicorum, cùm dicit, natura hominis est esse animal ciuile, & esse virtuosum, verum est bonam fortunam esse naturam. Nam sicut homini competit ex natura sua esse virtuosum, quia est naturæ intellectualis, sic homini competit à superiori principio, de quo dicemus infrà, sine præcognitione impelli, & inclinari secundum appetitum ad prosequendum aliqua sibi bona externa, & hunc naturalem impulsum dicimus bonam fortunam, vt declarabimus infrà, & ab eo dicuntur benefortunati respectu bonorum effectuum. Qui enim operantur sequentes huiusmodi impulsus, consequuntur bonum, & sumendo naturam in hoc sensu non est necesse causam esse factiuam semper, nec vt in pluribus. Nam licet competat naturæ hominis esse scientem, & virtuosum, & beatum, plures tamen sunt nescientes, vitiosi, miseri, quàm scientes, &c. Sic licet competat homini bona fortuna ex natura sua, pauci tamen sunt benefortunati, & plures infortunati. Item huiusmodi naturalis impulsus non in omnibus, nec in pluribus, dato quod fiat in pluribus, est factiuus boni euentus, quoniam, vt dicemus infrà, qui agunt secundum rationem, non attendunt nec prosequuntur tales impulsus dato quòd impellantur. Sumendo igitur naturam in hoc sensu, bona fortuna est natura, quia est naturalis, & non rationalis impetus causatus in anima nostra à primo principio qui est Deus. Quare dixerim naturalis, & non rationalis, declarabitur infrà.

dã potius impulsus à primo principio causatus in anima nostra ad prosequenda externa bona.

Quantum ad tertium, aduerte quòd quando appetitus intellectiuus ordine naturali fertur in operationem, prout mouetur ab intellectu præsentante bonum & ratiocinante, quod hoc est agendum & tali medio, dicitur esse motus siue impulsus factus in anima secundum rationem, id est secundum quod dictat, & concludit ratio: quando autem mouetur voluntas ad aliquod operandum, & tamen ignorat homo quare sic moueatur, imò fortè ratio dictat oppositum, dicitur esse motus ad bonum factus in anima sine ratione, id est sine præcognitione, & præuisione, & talis motus dicitur esse bona fortuna. nam, vt inquit Aristotel. interrogatus patiens talem impetum, quare sic agat, respondet, nescio, sed sic mihi dictat animus, & quoniam sic placet mihi: & dato casu quòd ratio dictaret oppositum, tamen sequens talem impetum assequetur bonum, quod non assequeretur sequens iudicium rationis. Iudicium enim rationis nostræ potest esse cum errore, sed ille impetus non, quoniam est à primo motore dirigente, in quo non est error. Dicemus igitur in hoc consistere bonam fortunam, quando sine ratione secundum naturalem impetum ferimur in aliquod optatum bonum, & consequemur optatum, non directi humana prudentia nec consilio, imò aliquando dissuasi, & ratione dictãte oppositum. patet igitur quòd bona fortuna est natura, id est naturalis impetus factus in anima sine ratione ad aliquod optatum consequendum. A quo autem causetur hic impetus dicemus infrá.

Bona fortuna quid sit.

Sed aduerte quòd hũc non diffiniimus bonam fortunam simpliciter, sed deseruientem felicitati. nam est duplex, quædam dicitur bona fortuna à bono euentu casuali, in quem merè per accidens, & sine aliquo impetu, & sine dictamine cordis tendit operans, vt quando quis habens mortuum fodit sepulcrum, & inuenit thesaurum, de hac bona fortuna locutus est Aristotel. in secundo Physicorum, sub nomine eufortunij. & huiusmodi bona fortuna parum deseruit felicitati, quoniam & rara, & sine impetu, & directione particulari facta à primo mouente contingit, & hanc appellat Aristote. bonam fortunam discontinuam. Quædam autem est cum impetu, & sine ratione, & sine humana prudentia, eo modo quo declarauimus, & hoc est annexa felicitati posita à Philosopho, quæ est duplex, scilicet speculatiua, & politica, politicam posuit in actionibus virtutum moralium, & præcipuè in actionibus prudentiæ, vt bene regere, bene consulere, & bene prouidere sibi bona & aliis, & vitare discrimina. Speculatiuam posuit in speculatione diuinorum, vtranque posuit indigere bonis externis, circa quæ est bona fortuna, vt dicemus. Nam quomodo quis bene reget populum: aut familiam, aut prouidebit, & quomodo magnificus, & liberalis, & iustus erit maximè iustitia distributiua, sine externis bonis? Similiter quomodo quis Philosophabitur sine externis. Neque enim, vt inquit Aristoteles in decimo Ethicorum, Natura nostra sibi sufficit ad speculandum, sed indiget cibo, potu, & reliquo famulatu. Est igitur bona fortuna instrumentum ad vtranque felicitatem, sed magis ad politicam, quam & magis appetunt vulgares animi. Hæc de primo capite sufficiant.

Bona fortuna est felicitati annexa, vt eius instrumentum.

Felicitas duplex: politica, & speculatiua.

CAPVT II.

Bona fortuna circa quæ bona consistat.

CIrca secundum caput, dico quatuor.

Primo, quòd bona fortuna non est circa bona moralia, quales sunt virtutes.

Secundo, quòd licet sit circa bona externa, quæ possidemus & tamen non acquisiuimus ex actionibus nostris, non tamen principaliter.

Tertiò, quòd licet sit circa euitationem mali non tamen principaliter.

Quartò quòd principaliter est circa bona externa, quæ assequimur actionibus nostris.

Quantum ad euidentiam omnium præpositorum aduerte, quòd duo requiruntur ad hoc quod quisprpriè dicatur benefortunatus. Primò quòd operetur sine ratione. Secundò quòd ad operationem suam proueniat aliquod per se optatum sibi bonum.

Bona fortuna non est circa moralia bona,

Ratione primi non est bona fortuna circa bona moralia, quæ dicuntur bona animi, quoniam huiusmodi bona sunt in potestate nostra, & subsunt voluntati: & sunt secundum rationem. Nullus enim virtuosus est nisi voluntarius: & operatio virtutis est secundum rationem. Operatur enim virtuosus, vt oportet, & quando, & ad quem finem oportet. Bona autem circa quæ est bona fortuna, non subsunt potestati, nec voluntati nostræ, nec rationi, quoniam diximus bonam fortunam esse sine ratione, & non est volentis esse benefortunatum, aliter pauciſsimi, aut nullus esset infortunatus. Est igitur bona fortuna circa bona, quibus dominatur fortuna. Quare, vt inquit Philosophus, iustum secundum cp iustum nullus dicet benefortunatum, neque fortem, neque totaliter vllum eorum, qui secundum virtutem. Ratione secundi non est principaliter circa bona externa, quæ non acquisiuimus, sed prouenerunt nobis hæreditate maiorum, aut alia via puta donatione. Nam ex hoc est aliquis benefortunatus, quando aliquid operatur quo operato absque cognitione, & præuisione, & sine dictamine rationis ad illud sequitur quid desideratũ, & per se volitum, puta Socrates desiderat principatum. Ratio sibi dictat quòd faciat sibi milites, & expugnet aliquam ciuitatem. sentit in se impetum, quo inclinatur ire ad hanc ciuitatem sine exercitu, & occulto habitu, & sic vadit, quando est illic inuenit quòd à ciuibus vocatur, & eligitur in principem: Qui si cum exercitu iuisset, fugatus & confusus fuisset. Hic dicitur propriè benefortunatus. Quòd si generet filium, & succedat patri in dominio, & diuitiis, hunc quidem dicemus nobilem, sumendo nobilitatem proclaritate sanguinis, & facultate diuitiarum, quam trahit à patre. Non tamen propriè & principaliter dicemus benefortunatum: quoniam non actionibus suis ad hanc nobilitatem deuenit, dicetur tamen impropriè benefortunatus: quoniam gratia maiorum hæc externa possidet.

Benefortunatus assequitur desiderata absque cognitione,

Item ratione secundi, non est principaliter circa fugam mali, quoniam non per se optamus fugam mali, nisi quia per ipsum priuamur aliquo bono, quod optamus, vt desidero vitare inimicum, quoniam si me comprehenderet priuaret, aut diuitiis, aut salute, aut vita corporali. Cùm igitur bona fortuna sit circa aliquod per se optatum bonum, erit non principaliter circa fugam mali, dicitur tamen aliquo modo benefortunatus qui actione sua sine præcognitione effugit imminens sibi malum.

Ex dictis igitur concludẽdum est bonam fortunam principaliter existere circa bona externa, quæ actionibus nostris nobis prouenium præter cogitationem, & præuisionem nostram, vnde inquit Aristot. Cui præter cognitionem acciderit aliquod bonum operari: hunc benefortunatum dicimus. Hæc de secundo capite sufficiant.

CAPVT III.

Qui nam hominum benefortunati dicantur, & propter quid.

CIrca tertium caput, duo inuestiganda sunt.

Primò qui inter homines sunt benefortunati.

Rudes, insipientes, melancholici, ac solitarij heu vt plurimũ fortunati sunt,

Secundò, vnde est quòd aliqui sunt benefortunati.

Quantum ad primum aduerte: quòd vt in pluribus quatuor hominum genera sunt benefortunata. Primò rudes & indociles solent esse benefortunati. Secundò insipientes: & ratio horum vna est. nam dictum est suprà, Bonam fortunam esse sine ratione, & benefortunatum qui sine discursu, sine prudentia, sine consilio: sed tantùm impetu facto in anima, de quo nescit rationem reddere, consequitur aliquod optatum bonum: sed rudes, & indociles, & stulti sic tendunt in actionibus suis, vt patet, ergo, &c. Hinc videmus multos carentes ingenio, & prudentia saluare nauem in tempestate, postquàm nautæ cum omni arte sua desperant, & stultum militem saluare exercitum deductum ad extremum discrimen, & dare viam expugnandi hostem, quam rex cum omni consilio inuenire non potuit.

Tertiò melancholici inter omnes alias complexiones solent esse benefortunati.

Quartò agentes vitam solitariam, & simplices non dediti negotiis exterioribus. Et horum ratio vna est. Nam benefortunato non sufficit pati naturales impetus ad bonum consequendum. Mouens enim primum, vt motor totius naturæ, causat huiusmodi impetus in multis, quos tamen non videmus benefortunatos, sed necesse est vt percipiãt, & accepte, & disponant se operaturos secũdum huiusmodi impetus, etiãcp ratio dictaret oppositum: & quoniã melãcholici cum forti impressione recipiunt huiusmodi impetus, & illis vehementer intendunt ac inhærent magis quàm rationi humanæ, similiter non dediti actionibus exterioribus carentes humana prudentia, & solertia, agunt vt sentiunt se agi & impelli, ideo sequentes hos impetus inueniuntur benefortunati.

Hinc videmus aliquos, quos vulgaiter dicimus capitosos, & suæ opinioni immobiliter hærentes, qui nulli attendunt rationi, nec consilio, sed contra communem rectè sentientium sententiam tendunt in operationibus suis, & consequuntur maxima bona, qui autem agunt secundum rationem, & consilium prudentium non consequuntur. Et propterea inquit Arist. cp apud antiquos prouerbium erat, Benefortunatis non expedit consiliari. sine ratione enim existentes adipiscitur bonum. Ex his corollariè sequitur, cp qui omnia cum consilio, & præmeditatione, & prudentia agunt non sunt benefortunati, licet enim impetus naturales patiantur, illos non curant nec existimant, nisi rationi suæ consonant, & temerarium existimant aliquid agere, nisi ratio dictet: propterea diuinos impetus extinguentes, non sunt benefortunati. imò inueniuntur infortunati. Quoniam diuini impetus infallaces sunt. ratio autem humana est defectiua, patet igitur qui sint benefortunati. Quomodo autem differunt bene nati, bene custoditi, bene fortunati, non est præsentis negotij, sed id pertractat diuus Tho, in 2. libro contra Gentes.

Quantum ad secundum, aduerte quòd bona fortuna non potest reduci nisi, vel in artem, vel in prudentiam, vel in Dei beneuolentiam, vel in naturam: nunc igitur speculandum est, & distinctius quàm suprà, à quo istorum quatuor dicitur quis benefortunatus. Et pono quatuor conclusiones, tres negatiuas, & quartam affirmatiuam.

Prima conclusio, Nullus est benefortunatus propter quicunque artem habeat. Nam ars est recta ratio factibilium, ex 6. Ethi. & qui secundum artem operatur, ex præmeditatione, & determinatis mediis, & ordinatè procedit. Hæc autem repugnant bonæ fortunæ, quoniam diximus eam esse sine ratione, ergo, &c.

Secunda conclusio. Nullus est benefortunatus quacũque humana peritia aut prudentia, quoniam prudentia est recta ratio agibilium, & qui ex prudentia operatur maturo consilio, & consideratione procedit. hæc autem non conueniunt bonæ fortunæ, quoniam, vt diximus, nescit rationem quare sic operetur, sed operatur quia sic impellitur, ergo, &c.

Tertia conclusio, Nullus est benefortunatus, quia amente à Deo, & quia habeat Deum intra se, vt directorem, & gubernatorem optimum, sicut nauis non bene regibilis bene nauigat, non propter seipsam, sed quoniam bonum habet gubernatorem. Hoc inquam non potest dici, quoniam, vt dictũ est in 10. Ethi. Deus illum amat, & illi bene facit, qui nititur illi assimilari. hic autem est sapiens. vnde inquit illic Arist. Sapiens amicus Deorum constituitur, & erit maximè felix. Sed dictum est quod sapientes, & prudentes non sunt benefortunati, imò insipientes & indociles, ergo, &c.

Quarta conclusio, Qui sunt benefortunati id habent à natura, id est quia nascuntur sic dispositi, vt sequantur diuinos impetus, & secundum eos operentur. Aliqui autem sunt infortunati, quia nascuntur cum dispositione opposita: hunc modi autem dispositiones trahunt à superioribus causis dominantibus in eorum genitura, sicut aliqui nascuntur oculis glaucis, aliqui oculis nigris, aliqui oculis subalbis. Hanc conclusionem probamus à sufficienti diuisione, quoniam benefortunatus aut est ab arte, aut à prudentia, aut ab amicitia Dei, aut à natura, non ab arte, nec prudentia, nec amicitia Dei, vt probatum est, ergo à natura,

Sed contrà, natura quorum est causa, est causa semper aut in pluribus, vt dicitur in secundo Physico. sed fortuna rarò

rarò est causa, quoniam est vt in paucioribus ex secundo Physicor. ergo nullus est benefortunatus à natura.

Hanc rationem soluimus suprà in primo capite, cùm declarauimus in quo sensu bona fortuna sit natura, & non sit natura. Patet igitur qui sunt benefortunati, & vnde prouenit bona fortuna. Hæc de tertio capite dicta sint.

CAPVT IIII.

Quænam impetus in anima nostra sint, & circa quos est bona fortuna, & quomodo agant nos in operando.

CIrca quartum caput inuestigandum est circa quos impetus dicatur esse bona fortuna, & dicemus tria.

Primò, quot impetus contingat esse in anima nostra.

Secundò, determinabitur circa quos est bona fortuna.

Tertiò, si huiusmodi impetus necessitant nos in operando secundum eos.

Quantum ad primum, aduerte quòd in appetitu sensitiuo, & in voluntate, & in intellectu potest esse duplex impetus sive motus, vt in appetitu sensitiuo potest esse motus appetitiuus, & motus naturalis, & in voluntate motus voluntarius, & motus naturalis: & in intellectu motus rationalis, & motus naturalis. Quorum differentia sumitur ex differentia mouentium. Nam si appetitus sensitiuus mouetur à sensu, vel phantasia, vel cogitatiua proponente sibi obiectum vt bonum delectabile, dicitur motus appetitiuus. Mouetur enim appetitus à sensu ratione qua appetitus, vt à proprio motiuo. Si autem mouetur ad bonum, vel ad fugam mali, non à sensu prãcognoscente, sed ab auctore primo & motore omnis naturæ secundum modum suum, dicitur motus naturalis. Nam Deus gloriosius supplere potest virtutem causæ secundæ, & sic mouet appetitum mediante sensu apprehendente bonum, ita potest mouere sine sensu faciendo impetum, & incitando ad aliquod operandum, ad quod sine præcognitione sequetur aliquod bonum ipsi appetenti. Similiter si voluntas mouetur ab intellectu præsentante sibi bonum, dicitur motus voluntarius. Proprium enim motiuum voluntatis vt est voluntas, est intellectus. Si autem mouetur à primo motore impellente ipsum ad bonum, dicitur motus naturalis. Mouet enim tunc Deus voluntatem, non ratione qua voluntas, quoniam vt sic respicit intellectum, sed ratione qua quædam natura est: similiter si intellectus mouetur ad intelligendum, vel ratiocinandum à seipso actuato specie intelligibili, dicitur motus intellectualis, vel rationalis. Si autem mouetur à primo & vniuersali mouente, dicitur motus naturalis. quoniam intellectus sic motus, est vt natura quædam subiecta auctori, & motori omnis naturæ modo conuenienti singulis naturis. nam alio modo mouet naturalia, alio modo cognoscitiua & intellectualia, ex his patet quòd in anima nostra respectu appetitus, & respectu voluntatis, & respectu intellectus est impetus siue motus naturalis, & impetus proprius qui nominatur nomine potentiæ.

Deus est omnis motionis primũ principium, præcipuè intellectionis, & cõsilij.

Quantum ad secundum, dico quòd bona fortuna non est nisi circa impetus naturales, nec dicitur benefortunatus, nisi quia sequitur impetus naturales, & secundum illos operatur. nam dictum est suprà benefortunatum tendere in actionibus suis sine præcognitione, & sine discursu, & interrogatus nescit dicere, quare sic velit operari, sed tantum quod cor sibi sic dictat, & sibi placet, sed qui operatur secundum motum appetitiuum, vel voluntarium, non operatur sine præcognitione, quoniam voluntas vt sic, & appetitus sensitiuus, vt sensitiuus non referuntur nisi in præcognitum. Et intellectus, vt intellectus non intelligit nisi actuatus, nec concludit nisi ratiocinatione. Hæc autem omnia repugnant bonæ fortunæ, quoniam diximus eam esse naturam sine ratione, ergo constat quòd non est nisi circa impetus naturales factos in anima nostra à Deo, vt est motor omnis naturæ modo sibi conuenienti. Et confirmatur duplici signo. Primò, quoniam videmus insipientes & malè ratiocinantes esse benefortunatos, quoniam operantur vt impelluntur, sicut bestiæ instinctu naturali, in quo non est error. Secundò, quoniam circa idem negotium videmus eos, qui multa consideratione & multo consilio operati fuerint non consequi intentum, aliqui autem impetuosè & improuisè procedentes prosperantur, ergo bona fortuna versatur circa impetus naturales factos in anima, siue in concupiscibili, siue in voluntate, siue in intellectu.

Sed quæritur à quo principio fiunt naturales motus, & impetus in nobis. Dico secundum Aristot. quòd à Deo, inquantum est motor vniuersalis. nam sicut ex sua perfectione continet, conseruat, & ad esse deducit omnia, ita quòd nihil est extra ipsum quod non contineatur in ipso, sic ex sua potentia mouet totum vniuersum, & omnem naturam quæ est in vniuerso in proprios fines, & in bonum eis conueniens. vnde quantum sit ex parte Dei, cùm sit primum bonum, omnem naturam impellit ad bonum, & in omni homine causat impetum ad bonum proprium, verum quia diuersarum dispositionum, & complexionum, & natiuitatum sunt homines: ideo aliqui præcipiunt & acceptant hos impetus, & secundum eos operantur, aliqui autem non, vel quia nimis dediti exterioribus, vel quia suo ingenio moliri volũt omnia, quódque rationi suæ non consonat, pro inconuenienti: hinc prouenit bona & mala fortuna.

Iterum quæritur si Deus est principium omnis motus in nobis, vtrum sit principium intellectionum nostrarum, & consilij, & ratiocinationis, & volitionis. Dico secundum Aristot. quòd sic, respectu primæ intellectionis, & primi consilij, & primæ ratiocinationis, & primæ volitionis: & id declaratur quadruplici ratione.

Primò quod aliquando est in potentia, aliquando in actu, necesse est vt reducatur ad aliquod semper existens actu, quoniam nihil seipsum reducit de potentia ad actum, sed intellectus noster aliquando est intelligens in potentia, aliquando in actu, ideo potentialis vocatus est ex tertio de Anima, ergo necesse est vt reducatur de potentia ad actum intelligendi ab eo, qui semper est actu intelligens, & hic est Deus gloriosus. Id autem necesse est fieri respectu primæ intellectionis, quoniam antequam primam intellectionem habeat, est merè in potentia, ideo non potest seipsum reducere ad actum, postquàm autem actuatus est prima intellectione, potest seipsum actuare respectu sequentium, conuenienter ergo prima intellectio in Deum reducitur, vnde inquit Aristo. Est aliquod principium, cuius non est aliud extra ipsum, & quia tale secundum esse, tale potest facere, id est & quia est actu semper intelligens potest facere intellectum nostrum actu intelligentem, & hoc est Deus.

Secundo, si intellectus noster consiliatur à se, ergo tenderet consilians in infinitum: cùm enim sit consilians aliquando in potentia, aliquando in actu, si quæratur quare nunc cõsiliatur, & ante non, erit necesse respondere, quod nunc cõsiliatur, quia prius habuit consilium, quo factus in actu potest nunc consiliari, vel quia reductus est in actu à primo intelligente, qui est Deus: non potest dici primum, quoniam quærentur de priori consilio quomodo habitum est, aut ab alio consilio, aut à primo intelligente. si dicis ab alio, ergo vel procedes in infinitũ, vel deuenietur ad primum, quod reducitur in Deum, sicut & prima intellectio, vnde inquit Arist. Non enim consiliabatur consilians antequam cõsiliaretur, sed est principium quoddam, neque intellexit intelligẽs priusquam intelligeret, & hoc est in infinitum, non igitur eius quod est intelligere intellectus principium, neque cõsiliandi consilij.

Tertiò, sicut se habet Deus in toto vniuerso, & totum vniuersum ad Deum, sic se habet ad animam nostram, & anima ad Deum, sed Deus est causa omnis motus in vniuerso, cũ sit vniuersale mouens & primũ: ergo est causa omnis motus in anima nostra, ex consequenti mouet intellectum ad intelligendum, ad consiliandum, & voluntatem in bonum inclinat: sicut vnum quodque ens in proprium finẽ: vnde inquit Arist, quod motus principium in anima, palam quemadmodum in toto Deus, & omne in illud. Mouet enim quemadmodum omnia, quod in nobis diuinum.

Quartò, ratio nõ est primum principium ratiocinationis, Nam eadem ratione qua intellectus, non est primum principium intellectionis, sic nec ratio ratiocinationis, ergo reducendum est ad aliquod melius ratione, ad quod se habet intellectus noster, vt organum motum ab ipso. Hoc autem melius non est nisi Deus. vnde inquit Arist. Rationis principium non est ratio, sed aliud melius, quis igitur erit melius & scientia, & intellectu, nisi Deus, virtus enim intellectus organum, scilicet est Dei. Patet igitur quomodo non solùm impetus benefortunatorum reducũtur ad primum motorem totius naturæ, sed & nostra prima intellectio, primum consilium, prima volitio, prima ratiocinatio in Deum reducitur, ad quem se habet intellectus noster, vt organum, quoniam & ab ipso solo habet esse per creationem, & in ipso intellectu lucet diuina similitudo.

Quãtum ad tertium aduerte quòd huiusmodi impetus naturales facti in anima nostra non necessitant nos, sed inclinant ad operandum, aliter cùm sapientes, & prudentes patiantur huiusmodi impetus, vt diximus, ita operarentur secundum illas, sicut & insipientes, & essent benefortuna-

ti sicut illi, cuius oppositum videmus. Dicendum est ergo quòd huiusmodi impetus inclinãt nos, sed non necessitant, quoniam Deus vt motor omnis naturæ vnamquanque mouet modo sibi conuenienti, vt scilicet moueat naturalia determinatè ad vnum, intellectualia autem liberè, ita vt posit in oppositum, vnde se habent huiusmodi impetus in anima nostra, sicut longitudo, aut latitudo in taxillo. nam si taxillus sit in vna parte longior, dum proiicitur inclinatur firmari super parte longiore, non tamen necessitatur, quia potest firmari super partem aliam. Similiter si est in vna parte latior inclinatur, non tamen necessitatur firmari super illa, sic accidit nobis quo ad huiusmodi impetus, vnde inquit Aristoteles, Non quia hos, scilicet impetus oportet sequi, sed qualis vtique erit cubus, super longa iacere. Hæc de quarto capite dicta sint.

CAPVT V.

Antiquorum sententiæ de bona fortuna.

Bene fortunati sine ratione operãtur.

IN quinto capite, declarandum est quantum consonant supradictis, quæ de antiquis dicebantur de bona fortuna, & sunt quinque,

Primò, benefortunati sunt qui agentes secundum impetum diriguntur in bonum, existentes sine ratione.

Bene fortunatis nõ opus est cõsiliari,

Id consonat supradictis, quoniam impetus secundum quos operantur benefortunati non sunt rationales, sed naturales, ex consequenti non sunt à ratione sic dictante, sed à Deo, vt motore omnis naturæ.

Secundò, benefortunatis non expedit consiliari, id consonat supradictis, quoniam mouentur & diriguntur in bonum ab auctore naturæ, qui est melior omni intellectu & humano consilio. prudentiæ enim nostræ incertæ, motiones autem diuinæ certissimæ.

Tertiò, ratio est impeditiua bonæ fortunæ, id consonat supradictis, quoniã ratio humana aut extinguit, aut facit quod non percipiuntur huiusmodi impetus, & si percipiuntur non curantur ab operantibus secundum rationem. Nihil enim operari dignantur, nisi vt eis sua ratio dictat, & ideo est impeditiua bonæ fortunæ.

Quartò, bona fortuna excedit sapientiam, & prudentiam hominis, quantumcunque sapientis, id consonat supradictis, quoniam humana ratio de futuris contingentibus parum, aut nullam diuinationem, & præcognitionem habet. bona autem fortuna futurum respicit, super quod est maxime diuinatiua, quoniam huiusmodi impetus sunt à Deo, qui (vt inquit Aristot.) per se, & bene videt præsens, & futurum, & quod præteriit: quoniam igitur benefortunatus mouetur & dirigitur à Deo: cui nihil est incognitum. quæ autem consilitur à sapiente, & prudente, mouetur à ratione humana parum cognoscitiua futuri, ideo bona fortuna excedit sapientiam, & prudentiam hominis, quantumcunque sapientis.

Quintò, bona fortuna magis viget illis qui rationem amiserunt, propterea insipientes, melancholici & simplices benefortunati, id consonat supradictis: quoniam amittentes rationem agunt sicut aguntur, vnde se habent sicut bestiæ ad instinctus naturales. Item magis percipiunt huiusmodi impetus illisque intendunt, non distracti in agibilibus, vnde sicut ait Aristoteles, se habent vt cæci, qui amisso vt pote sensu magis distractiuo, virtuosius memorantur, sic homines amissi ratione vigorosius insequuntur diuinos impetus, & ideo sunt benefortunati. Hæc de bona fortuna dicta sint.

Tractatus de bona fortuna Finis.

CHRYS

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII EPITOME IN LIBROS METAPHYSICAE ARISTOTELIS.

TRACTATVS PRIMVS.

ANtequàm descendamus ad consideratione eorum, quæ tractantur ab Aristotele in libris suæ Metaphysices, præconsiderabimus aliqua deseruientia toti negotio Metaphysico, in quibus complectemur intentionem Aristotelis in prooemio suo. Huiusmodi autem considerandа, sunt quinque.

Primo, quæ fuit necessitas inueniendi Metaphysicen.
Secundo, quæ sunt consideranda à Metaphysico.
Tertio, quæ, & quanta sit dignitas Metaphysices.
Quarto, quis finis Metaphysices.
Quinto, quàm ordinatè processit Aristot. in Metaphysicę.

CAPVT I.

Quænam inueniendi Metaphysicam necessitas fuerit.

CIrca necessitatem Metaphysices, aduerte, quòd ex tribus sumitur.

Primò ex parte intellectus nostri.
Secundò ex parte rerum scibilium.
Tertiò ex parte scientiarum particularium.

Quantum ad primum aduerte, quòd intellectus noster est humanus, inquantum coniungitur sensui in eadem substantia animæ. neque enim datur intellectiuum in his generalibus sine sensitiuo, vt docet Aristot. in tertio de Anima, tex. 61. & habet quid diuinum in se, inquantum est immaterialis, simplex, incorruptibilis, & apprehensiuus entis, vt ens est, & non solùm huius vel illius entis, & propter hanc intellectus celsitudinem dictus est homo ab antiquis sapientibus, Nexus Dei, & mundi: ab aliis autem dictus est Horizon inter corporea & incorporea, quoniam vtranque in se complectitur naturam: quoniam igitur & humanus & diuinus est, necesse fuit, vt perficeretur: inquantum humanus, per scientias naturales, & Mathematicas. quæ de sensibilibus pertractant: neque enim abstrahit Physicus à materia sensibili nec Mathematicus à materia intelligibili, id est, subiecta quantitati, ex secundo Physic. tex. 18. vt autem perficeretur inquantum diuinus, necesse fuit vt intelligeret entia diuina separata à materia, à quantitate, à loco, à tempore, à motu, hæc autem non possunt sciri per scientias naturales, quarum subiectum est ens sub motu, vt declarauimus in Physicis: nec per scientias Mathematicas, quarum subiectum est ens sub quantitate continua, vel discreta, ergo necesse fuit inuenire scientiam superphysicalem, in qua de huiusmodi fieret consideratio: & hæc est Metaphysica, quæ transphysica, & diuina, & sapientia nominatur, vt dicemus in tertio capite, & quidẽ quòd de huiusmodi illic fiat consideratio, patet ex Auicen. in primo libro suæ Metaph. capite primo, inquit enim, Iam audisti, quòd in diuina scientia queritur de primis causis naturalis esse, & doctrinalis esse, id est, esse quanti, & de eo quod pendet ex eis, & de causa causarum, & principio principiorum, quod est Deus excelsus. vt igitur perficeretur intellectus noster, ea ratione qua diuinus, necesse fuit inuenire Metaphysicen.

Quantum ad secundum aduerte, quòd vt habeatur scientia de re scibili, non solùm oportet cognoscere prædicata sua propria & specifica & generica, sed & prædicata vniuersalissima quæ sunt ens, vnum, multa, actus, potentia, necessarium, possibile, finitum infinitum, dependens indepẽdens, perfectũ imperfectum, idem, diuersum, oppositum, conueniens, & cætera multa, vnde Arist. quoties venatur diffinitionẽ alicuius, incipit ab his prædicatis vniuersalissimis, vt patet in 3. Physic. tex. 6. vbi venatur diffinitionem motus, & in 2. de Anima tex. 2. vbi venatur diffinitionem de Anima. Huiusmodi autem termini in nulla particulari scientia potuerunt considerari, quoniam, cum omnes indigeant cognitione talium terminorum, & vtantur eis, non esset maior ratio, quare considerentur, in vna quàm in alia. & ideo fuit necesse inuenire vnam primam vniuersalem scientiam, in qua talia considerentur, & à qua particulares scientiæ de huiusmodi cognitionem accipiant, tanquàm sibi traditam à Philosopho. Hæc autem est Metaphysica, in qua, vt videbitur locis suis, de omnibus prædictis fit consideratio. vnde non est officium Physici considerare de forma, actu, & potentia absolutè, sed inquantum respiciunt materiam, vt docet Arist. in 2. Physi. tex. 26. Idem intellige de aliis terminis vniuersalissimis. vt igitur haberetur perfecta cognitio de huiusmodi terminis absolutè sumptis, à quibus pendet omnium rerum scibilium perfecta cognitio (quoniam ignoratis vniuersalissimis & primis prædicatis, necesse est nescire sequentia) ideo necessario inuenta est Metaphysica. propter quod inquit rectè Alber. in lib. primo Meta. tract. primo. & cap. primo. sicut causa tertia in ordine fundatur super secundaria, & secundaria in primaria, & primaria non fundatur in aliquo. sed est fundamentum omnium consequentium, ita naturalia & doctrinalia, id est, Mathematica fundantur in diuinis, id est, in consideratis à Metaphysico, & diuina non fundantur, sed fundant tam mathematica, quam physica.

Quantum ad tertium aduerte, q̃ cùm scientia habeatur per demonstrationem (est enim habitus conclusionis per demonstrationem acquisitus:) & demonstratio ex primo Post. procedat ex principiis, duplicia sunt principia, quibus procedit demonstratio, scilicet propria vnicuique cõclusioni, & communia siue vniuersalia, in quibus fundatur veritas propriorum principiorum. Principia propria quidẽ considerantur in ea scientia, in qua sunt principia, vt Geometra considerat quid punctus, quid linea, quid angulus. &c. & ex his deducit conclusiones suas. Principia autem communia non possunt considerari in aliqua scientia particulari, sed omnes vtũtur eis, vt sibi conuenit, sicut declarat Aristo. in primo Post. & in 4. Meta. tex. 7. vbi inquit, in tantum vtuntur eis inquantum sibi sufficit, cùm enim omnes vtantur eis, non magis pertineret ad vnam, quàm ad omnes considerare de eis. verum, quia ignoratis principiis impossibile est ad notitiam conclusionis pertingere, ideo necesse est, q̃ in aliqua scientia certificentur & stabiliantur. hæc autem est sola Metaphysica, quoniam, vt probat Aristot. in 4. Metaph. cùm huiusmodi principia componantur ex terminis vniuersalissimis, vt ens,

vnum

vnum,verum,oppositum,idem,diuersum,&c.vt in hoc principio,non sunt opposita,scilicet entia in eodem, & in hoc, De quolibet est affirmatio vel negatio vera, necesse est vt in eadem scientia cōsiderentur,quæ & de huiusmodi terminis considerat.hæc autem est sola Metaph.vt dictū est suprà & probabitur de mente Aristot.in quarto lib.text.septimo,& octauo, vbi inquit,Philosophi igitur est de omni substantia speculātis inquantum cōgruit,& de omnibus principiis syllogisticis perscrutari.Vt igitur scientiæ particulares in demonstrationibus suis firmissimè procedant, quæ vt in primis radicibus fundantur in primis principiis, necesse fuit inuenire Metaphysicam, quæ de huiusmodi principiorum veritate consideraret,& defensaret ea.Hæc de necessitate Metaphysicæ dicta sint.

CAPVT II.

Quænam considerantur à Metaphysico.

IN secundo capite inuestigandum est, quænam sint consideranda à Metaphysico. Pro cuius notitia aduerte, quòd tria cadunt sub consideratione cuiuslibet scientiæ,scilicet subiectum, partes,& proprietates subiecti, & principia siue causæ subiecti. Et hanc doctrinam docuit Arist. in primo Poste. quam seruauit in scientia naturali,in qua de ente,siue de corpore mobili, vt de subiecto consideratur, & de partibus subiectiuis eius, quæ sunt ens mobile ad vbi, ens mobile ad formam,ens mobile simplex,ens mobile mixtum,&c.Et de proprietatibus eius,vt de motu finito,& infinito,de loco,& tempore,& de principiis siue causis eius intrinsecis,vt de materia & forma,& de extrinsecis,quæ sunt efficiens & finis.Cum igitur hæc tria considerari debeant in omni scientia,inuestigandum est quid sit subiectū in Metaphysica, deinde quæ sint partes & proprietates eius, quæ cōsiderādæ sunt à Metaphys. deinde quæ sint principia & causæ considerādæ à Metaphysico.

Metaphysicæ subiectum.

Quantum ad primum aduerte,quòd de subiecto Metaphysices triplex est opinio. Quidam dicunt, vt refert Auicen.in primo suæ Metaph. cap. 2. quòd vltimæ & vniuersales causæ, ad quas reducuntur aliæ causæ, sunt subiectum in hac sciētia, & ratio eorum est hæc.Cum scire sit rem per causam cognoscere, necesse est vt in omni scientia considerentur propriæ causæ,puta in scientia naturali cōsideremus causas naturales, in Mathematica causas mathematicas,& maximè causas formales.non enim Mathematicus demonstrat per causam materialem,efficientem,& finalem,vt dicemus in 3. Metaph.sed propriæ causæ metaphysicales sunt causæ vltimæ, & vniuersales,vt prima materia,prima forma,primū efficiens,primus finis:ergo hęc sunt subiectum,circa quod debet versari Metaphysicus. Quod autem huiusmodi causæ sint metaphysicales, patet,quoniam sicut causæ particulares sunt propriæ scientiæ particulari, sic causæ vniuersales debent esse propriæ scientiæ vniuersali, quæ est Metaphysica, vt declarabitur infrá.

Sed hæc opinio est falsa, quoniam, vt inquit Auicen. vbi suprà,& in hoc eum imitatur D.Alber. primo Metaph. tract. primo,capite secundo,proprietates siue intētiones consideratæ in Metaph.non attribuūtur causis vltimis & vniuersalibus, neque causis absolutè sumptis:ergo non sunt subiectum in hac scientia.consequentia quidem patet, quoniam de eo quod est subiectum in scientia venamur proprietates considerādas in scientia. ergo, si non conueniunt causis, manifestum est eas non esse subiectū in hac scientia. Antecedens autem sic declaratur. Proprietates consideratæ in hac scientia sunt vnitas, multitudo,identitas,diuersitas,actus,potentia,necessitas,possibilitas, finitas, infinitas, & alia multa, vt dicetur inferius. Constat autem quòd hæc communia non verificantur, nec demonstrātur in Metaph. de causis vltimis & vniuersalibus, sed de ente,vt ens est, vt declarabitur. ergo, &c.

Aliqui dicunt Deum & entia diuina esse hîc subiectum, quoniam Meta. est de abstractis à materia secundum esse, & secundū rationem. in hoc enim distinguitur à Physica & Mathematica.huiusmodi autem sunt Deus & entia diuina,vt patet in duodecimo Metaph. ergo,&c. confirmatur, quoniam denominatio scientiæ fit à subiecto,dicitur autem scientia diuina. ergo Deus & diuina entia sunt subiectum.

Sed hæc opinio non est vera,quoniam nullum quęsitum in scientia est subiectum eius. nam ex primo Poste. de subiecto supponitur quia est, & quid est, sed vt declarabitur in libro duodecimo,hîc quęritur de Deo,& de entibus diuinis an sint, & quid sint, tunc enim manifestabitur, & præcipuè in quæst. nostris super duodecimum, vtrum sit officium Physici & Metaphysici probare entia separata à materia.

Ens in quantum ens est

Alia est opinio, quæ est ad mētem Arist.& manifestior fiet in quarto libro,quam sequuntur Auicen.in primo suæ Metaphy.capite secundo,& D.Alber. primo Metaph.tract.primo, capite secundo,& Auer.in quarto libro, comment. primo,& & B.Tho.in prooe.Meta.Isti dicunt,quòd ens inquantum ens, & non hæc vel illa pars entis est subiectum in hac scientia, & in hoc distinguitur ab aliis scientiis particularibus.& hanc conclusionem probant sic, Nulli attribuuntur, nec vniuersaliter verificantur proprietates consideratæ à Metaphysico, vt vnum,multa,potentia,actus,idem,diuersum,&c.nisi de ente inquantum ens,quoniā omne ens est vnum,aut multa, idem, aut diuersum, actu,vel potentia, finitum, vel infinitum, possibile,vel necessarium. ergo ens inquantum ens est in Metaph. subiectum. & consequentia quidem patet, quoniam illud est subiectum in scientia,cui attribuuntur proprietates consideratæ in scientia.Prætereà,omnis sciētia est de ente, quoniam ex primo Poste.quod non est,non contingit scire. cum igitur omnis scientia sit particularis vel vniuersalis, necesse est sicut scientiæ particulares sunt de ente particulari, vt Physica de ente mobili,& Mathe.de ente quanto, sic scienitia vniuersalis, quæ est Meta. sit de ente vniuersali, quod est ens inquantum ens. & hæc ratio fundatur in quarto Metaph.text. primo, vbi inquit Philosophus,est autem scientia quædam, quæ speculatur ens inquantum ens, & quæ huic insunt secundum se. Hæc autem scientia non est vna earum, quę dicuntur particulares, quoniam non est alicuius scientiæ particularis consideratio de ente vniuersali, &c.

Sustinendo igitur, quòd ens inquantum ens sit hîc subiectum, soluenda est ratio adducta pro prima opinione, & adducta pro secunda.

Ad rationem igitur primæ opi.negatur hæc consequentia. In Meta.considerantur vltimæ causæ & vniuersales, sicut in omni sciētia causæ particulares:ergo sunt subiectū in ea. non enim omne consideratū in scientia est subiectum in ea, sed illud tantum, cuius causas quærimus, & de quo proprias passiones demonstramus. Hæc autem est ens inquantum ens, cuius causas vltimas, & vniuersales Metaphysicus considerat, tanquam finē,ad quē conatur peruenire. nam,vt dicemus infrà, sicut ignorantia causarum fuit occasio philosophandi, sic earum cognitio erit finis.vnde Metaphysicus quiescet,cum causas vniuersales entis vniuersalis inuenerit: nam Geometra quiescit,cum causam scit,propter quam triangulos habet tres æquales duobus rectis, & Physicus quiescit, cum causam scit, propter quā terra est figuræ rotundæ,& stat in medio mundi.

Ad rationem secundæ opinionis,dico,quòd non concludit aliud,nisi quòd Deus & entia diuina sunt principalia, & vltima considerata, ad quæ pertingere possit Metaphysicus. ex hoc tamen non sequitur,quòd sint subiectū, & præcipuè subiectum adæquatum,vt intendimus, quoniam huiusmodi subiectum debet esse vniuersale cōsideratum,id est, quòd omnia considerata in scientia habeant ordinem ad ipsum,& sit illud cui attribuuntur omnes proprietates & passiones consideratæ in scientia. constat autem, quòd Deus, & diuina entia non sunt vniuersale consideratum in hac scientia, nec eis conueniunt omnes passiones metaphysicales, non enim Deus est vnum & multa,idem & diuersum, actus & potentia, possibile & necesse. Optimè autē verificantur de ente vniuersali, quoniam in se comprehēdit omnes modos essendi, vnde aliquod est vnum, aliquod est multa, aliquod est in potentia, aliquod in actu,&c. Nec obstat,quòd dicitur Metaphysica esse de abstractis à materia secundum esse & secūdum rationem, quoniam id non solum conuenit Deo & substantiis diuinis, de quorum ratione est,quòd non sunt in materia, sed & enti vniuersali & passionibus eius,quoniam non est de eorum ratione, quòd sint in materia, aliter omne ens, omne vnum, omne verum, omnis actus, omnis substantia, &c. essent in materia. dicuntur ergo abstrahere à materia, quoniam in sua latitudine est inuenire aliquod, quod non est in materia, & aliquod, quod est in materia. hoc autem non contingit in latitudine entis mobilis,quoniam omne mobile, vt dicetur in lib. octauo de necessitate, habet materiam, nec in ente quanto, quoniam omnis quantitas consequitur substantiam ratione materiæ, propterea de ratione entium naturalium est materia, & habent esse in materia.Metaphysica autem, licet abstrahat à materia secundum diffinitionē, non tamen secundum esse. Hęc de subiecto Metaphysicę dicta sint. vtrum autem sub subiecto Metaphysicæ contineantur ens rationis, & ens per accidens, discutiemus in quæstionibus metaphysicalibus.

Quantū ad secundū aduerte, ꝙ propriæ passiones entis, inquantū ens, sunt prædicata cōuertibilia cum ente, vt sunt trāscendentia, de quibus ordinauimus particularem tract.& hęc considerātur à Metaphysico, quoniam, vt dicemus in quarto libro, eiusdem scientiæ, est considerare subiectum, & ea quæ

quæ per se conueniunt ei.partes autē entis sunt illa, in quibus diuiditur ens vniuersale. hæc autē sunt substantia, accidens, vt quantitas, qualitas, ad aliquid, & reliqua prædicamenta, potentia, vt materia, actus, vt forma, necessarium, contingens, dependens, independens, finitum in esse, infinitum in esse, & de his omnibus pertractabit Philosophus in libris seq. nam, vt dicet Philosophus in libro 11. sicut scientia medicatiua habet cōsiderare omnes modos salubris, sic prima Philosophia omnes modos entis, reducuntur enim ad vnum, sicut & modi salubris, quod quomodo sit verum, declarabitur loco suo.

Quantum ad tertium, dico cum Philosopho, quòd habet cōsiderare principia prima, & primas ac maximè vniuersales causas entis inquantū ens. Et aduerte, quòd per prima principia intelligo primas propositiones veras, in quibus fundantur omnes particulares scientiæ. nam secundum doctrinam Aui. in primo suæ Meta. capi. 2. sicut ad primum regētem pertinet constituere & stabilire principia, ac leges, secundum quas habent agere secundi regentes, sic primi Philosophi est considerare & firmare principia prima, à quibus habent procedere scientiæ particulares. Omnis enim demonstratio procedit ex principiis propriis & communibus, licet non in sua vniuersalitate sumptis, sed vt applicātur. & de his primis principiis considerabit Ari. in 4. li. firmando ea contra negantes. Per primas & maximè vniuersales causas intelligo causas actiuas totius entis causati, inter quas sunt causæ causatę, vt intelligētiæ motrices, à quibus pendet omne ens mobile, & ens quantū. nam & cœlum vt est sub motu, pendet ab eis, & est causa incausata omnino, à qua & intelligentiæ, & cœlū, & naturalia pendent: & dicitur esse causa totius entis extra ipsum, & de his consideratio fiet in lib. 12. tantum quantum attingere potest naturalis virtus intellectus humani. Quòd autem habeat considerare prima principia, & primas ac vniuersales causas, probat Aristotel. in procemio tali ratione. scientia, quæ absolutè dicitur sapientia, versatur circa prima principia, & primas ac vniuersales causas: sed Metaphy. dicitur sapientia absolutè: ergo, &c. Minorem quidem huius rationis declarabimus in tertio capite, cum agemus de dignitate eius. Maiorem autem intendit Aristotel. declarare duplici via. Primò ex comparatione sapientiæ in genere. Secundò ex conditionibus solitis attribui sapienti. Pro prima via vtitur tali ratione, Nulla scientia nullaque ars dicitur sapientia in genere, nec aliquis sciens, aut artifex dicitur sapiēs, nisi sciat causam eius, circa quod versatur: ergo nulla scientia meretur dici sapientia absolutè, nisi prima principia, & primas causas consideret. consequentia patet, quoniam, si nulla scientia vel ars dicitur sapientia in tali genere, nisi proprias & particulares causas in illo genere consideret, proportionaliter nulla scientia dicetur sapiētia simpliciter & absolutè, nisi prima principia, & primas causas, quæ sunt absolutè principia, & causæ consideret. Antecedens autem manifestat Aristo. longo processu, in quo summatim intendit quatuor. Primò declarat scientiæ excellentiam. Secundò vt possit graduare cognitiones conuenientes homini, prius graduat cognitiones in brutis. Tertiò graduat cognitiones in homine, & cōparat eas adinuicē: vt sciamus, quæ sit melior. Quartò ex omnibus his declaratis probat antecedēs propositæ rationis.

Propter primum proponit hoc principium. Omnes homines natura scire desiderant, id est, naturali desiderio. itaque sicut graue ex sui natura desiderat locū deorsum, sic homo ex natura sua, quæ est intellectualis, desiderat scientiam. Et hoc quidem principium manifestat B. Tho. triplici ratione, sed eas hîc non adduco, quoniam videbis eas in quæstionibus nostris, defensatas cōtra Ant. And. Arist. verò declarat illud per signum sumptū à dilectione sensuum. pro quo aduerte, quòd bruta diligūt cognitionē sensuum solùm propter cōmodum vitæ, vt scilicet acquirāt conferentia sibi, & fugiāt nociua vitæ, sicut declarauimus in Epito. de Anima, agentes de sensu interio. non autem curant sentire propter solam delectationē, remoto omni cōmodo vitæ: vnde non delectantur suauibus saporibus, nec variis odoribus, nec pulchris coloribus, nec melodiis sonorum, nisi in ordine ad commodum vitæ, homo verò diligit sensus, non solū quia vtiles sunt vitæ conseruādæ, sed quoniam cognoscitiui sunt, & delectatur eorū cognitione, etiam remota omni vtilitate, vnde delectatur variis saporibus, & suaui odore, etiam non habito respectu ad nutrimentum, vt declarauimus super li. de sen. & sen. Inter omnes autē sensus magis diligimus visum, quoniam ex sua spiritalitate est perfectius cognoscitiuus, & ex amplitudine sui obiecti plura per ipsum cognoscimus, nam per alios sensus solùm inferiora, per visum autem & inferiora, & superiora cognoscimus: communicant enim in lumine, vnde magis deseruit intellectui in acquisitione scientiæ per inuentionem, quàm cæteri sensus. Nec obstat, quod dixit Arist. in lib. de sen. & sen. auditū esse sensum disciplinæ: quoniam illic intendit de acquisitione scientiæ per doctrinam, quæ est operatio docentis: hîc autem per inuētionem, quæ fit adminiculo sensuum, & præcipuè visus: quoniam igitur experimur nos diligere sensus, non solùm quia vtiles, sed quoniam cognoscitiui, palam est, quòd naturaliter diligimus eos, quoniā deseruiunt intellectui, & operationi intellectuali, qua acquirimus scientiam, & naturaliter desideramus scire. nam si medium ad finem est naturaliter dilectum & desideratū, multo magis est dilectus & desideratus finis. Vt si naturaliter desidero nutrimentum, naturaliter desidero vitā. sed, vt diximus, homo naturaliter amat, & desiderat sensus, etiam remota vtilitate vitæ, prout deseruiunt intellectui: ergo multo magis amat, & desiderat scire. Nec obstat quòd non omnes homines incumbunt studio sciendi, nec assequuntur sciētiā, quoniam hoc naturale desiderium inest homini ea parte, qua intellectualis est, & quidē si homo esset tantū naturæ intellectualis, vel si omnis homo viueret secundum dictamen rationis, profectò hoc desiderium in omnibus ratione viuētibus (vt excipiam amentes, & alios aliquo accidente non compotes rationis) transiret in actum: verum, quia homo, & sensualis, & intellectualis est, & in pluribus passiones dominantur abducentes hominem à vera natura sua, & inclinātes ad vitam brutalem, ideo in illis tantùm, in quibus ratio præualet, & malæ consuetudines non deprimunt, desiderium sciendi transit à potentia ad actum, in aliis autem remanet in virtute, sicut inclinatio ad locum deorsum remanet in virtute in graui detento sursum, donec remoueatur impediens, & si nunquam remoueretur, illa inclinatio nunquam transiret ad actum.

Cur non omnes in eādē sciētiam conētur.

Tu tamen aduerte, quòd licet desiderium sciendi insit omni homini inquantum est homo, non tamen omnes incumbentes studio inclinātur ad eandem scientiam in specie, sed diuersificātur secūdum quod diuersæ sunt in eis dispositiones naturales: nam, vt testatur D. Alber. in primo Meta. tracta. 1. cap. 5. quorum intellectus est immixtus & purus, & complexio est subtilis spiritus in calido, & humido, ita quòd humidum est luminosum, non constans per frigidum congelans, nec turbatur per calidum excessiuum, ij delectantur subtilibus studiis, vt in metaphysicis, & diuinis theologalibus. & hęc complexio sanguinea est, & aptissima studiis subtilibus.

Sāguinei ad Diuina inclinantur.

Quorum autem organum imaginationis est temperatè siccum, aptum ad bene sigillandum figuras, & siccum complexionale non pigritatur per frigidum congelans, ij bene proficiunt in mathematicis, & horum complexio est cholerica declinans aliquantulum ad melancholicam.

Cholerici ad Mathematic.

Quorum verò organum imaginationis est medullosum, & purum, & spiritus sunt lucidi, non incrassati, nec inertes per frigidum congelans, ij delectantur studio rerum naturalium, & hæc cōplexio est phlegmatica, declinans tamen ad sanguineam aliquantulum, vel cholericam.

Phlegmatici ad naturalia.

Quorum autem congelati sunt spiritus, & non bene clari propter frigus condensans, ij in nullo studio subtili proficiunt, & contentantur historiis, exemplis rhetoricis, & quibusdam sensibus superficialibus, & hæc complexio est merè phlegmatica, quæ ex humido in nulla re subtili firmatur. Complexio autem merè melancholica, ex frigido crasso & terrestri, nulli studio per inquisitionem apta est: sed magis est receptiua reuelationum, & superiorum impetuum, vt diximus in tract. de bo. fortuna. vnde efficiuntur poëtæ naturales patientes diuinum furorem, & vaticinatores naturales, nec obstat, ꝙ dicit Arist. in Proble. viros sapientes pro maiori parte fuisse melancholicos. non enim intendit merè melancholicos, sed à prædominio, nam tunc melancholia confert, quoniam ex sui fixione reddit studiosum meditatiuum, & bene consideratiuum, bene ordinantem conceptus suos, & bene patientem in labore studendi: cuius oppositum experimur in cholericis, qui in omni opere ex calido igneo sunt concitati, & impatientes moræ. Hæc de naturali desiderio sciendi dicta sint, ex quo possumus sic probare excellentiam scientiæ in communi, scientia desideratur naturaliter ab omni homine, ergo est bonum valde excellens: probatur cōsequentia, quia quod vniuersaliter desideratur est valde perfectiuum desiderātis: omne enim desiderium est imperfecti ad perfectiuum: quod autem est valde perfectiuum est excellens bonum. ergo, &c. & hæc ratio fundatur in primo Physic. tex. 81. vbi ex desiderio naturali materiæ appetentis formam, concludit Arist. formam esse quid diuinum & optimum.

Quantum ad secundū, aduerte vnū, in quo omnia animalia, vt animalia conueniunt, deinde multiplices gradus cognitionis,

tionis, in quibus distinguuntur, inter quos secundus est perfectior primo, & tertius perfectior secundo, conueniunt autem in hoc, quod est habere sensum. nam differt animal à vegetatiuo per animam sensitiuam: vnde sensitiuum est de formali ratione animalis: sensitiuum autem est, quod habet potẽtiam sentiendi. commune est ergo omni animali habere sensum, non tamen omnem sensum, sed saltem tactum, eo quòd est fundamentum omnium sensuum, & simpliciter necessarius omni animali, vt cognoscat conuenientia, & disconuenientia vitæ, similiter & gustum inquantum est quidam tactus, vnde inquit Arist. in tertio de Anima text. 64. ij quidem igitur necessarij sunt animali, quod & manifestum est, non posse sine tactu animal esse, & de his quidem satis diximus in Epitome de Anima. Posito eo in quo omnia animalia cõueniũt, aduerte tres gradus cognitionis sensitiuæ, in quibus distinguuntur.

Sensitiuæ cognitionis tres sunt gradus.

Primus gradus est, quædam animalia sunt memoratiua, quædam non. Illa sunt memoratiua, quæ retinent in phantasia speciem sensatam, & intentionem non sensatam in vltimo sensuum interiorum, in absentia obiecti prius apprehensi, & hæc sunt animalia perfecta, quæ mouentur ad locum distantem, vt quærant conuenientia vitæ, eo quòd non habent nutrimentum semper sibi præsens, non mouerentur autem ad quærendum nutrimentum distans, nisi reseruata fuisset species sensata, & intẽtio non sensata, quæ sunt necessariæ ad memorationem, vt diximus in tract. de memor. & reminis. Quæ autem non retinent speciem & intentionem in absentia obiecti, non sunt memoratiua, est enim memoratio reuersio in prius apprehensum, per aliquod principium in memorante retentum, & hæc sunt animalia imperfecta, quæ ex frigiditate aquea, vel terrestri immobilitante spiritum animalem deferentem species sensatas, prohibẽtur sigillare, & retinere species. nam superflua humiditas aquea prohibet sigillationem, ex excessiua frigiditate terrestri. Propterea, vt declarauimus in tract. de memo. & remin. pueri & senes non bene memorantur. inter hæc animalia D. Alber. in primo Meta. tract. primo, capite sexto, computat muscas, quæ repulsæ flabello statim se ingerunt, immemores receptæ læsionis, nec ad certa loca habitationis suæ se conferunt, nec vllum ostendunt memoriæ signum, sed ex sola apprehensione sensus in præsenti prosequuntur conuenientia & fugiunt nociua.

Secundus gradus.

Secundus gradus est, quædam animalia sunt prudentia, quædam non. Aduerte, quòd prudentia propriè, vt patet in 6. Ethic. non est sine ratione, cum sit recta ratio agibilium, & vt sic in sola natura intellectuali, vt in homine inuenitur, impropriè autem & secundum aliquam similitudinem inuenitur in aliquibus brutis. nam sicut homo per rationem practicam disponit & ordinat media, quibus se regat, & prosequatur conuenientia, & vitet nociua, sic quędam bruta per naturalem existimatiuã ordinant vitæ suæ commoda. Id autẽ non possunt sine memoria, quoniam prudens est, qui ex memoria præteriti & notitia rei præsentis prouidet sibi de necessariis in futuro, & conatur vitare nociua, quæ igitur sunt memoratiua possunt esse prudentia, sicut formicæ, & apes, & ouis & canis, &c. quæ autem sunt immemoratiua non possunt esse prudentia, ideo non prouident sibi in futuro, sed deficiente sibi præsenti nutrimento deficiunt, vt musca, quæ carens memoria non congregat sibi pro hyeme, ideo in hyeme deficiunt muscæ, & araneæ, & vespæ, & multa alia.

Tertius gradus.

Tertius gradus est, quædam animalia sunt disciplinabilia, vel docibilia, quędam non. Aduerte, quòd disciplina & doctrina propriè, sicut prudẽtia, est in sola natura intellectuali: impropriè autem & per quandam similitudinem inuenitur in quibusdam animalibus. nam sicut homo ab homine eruditur per terminos, & propositiones, & nutus exprimentes conceptum erudientis, sic quædam animalia audientia sonos & nomina, conseruant ea in memoria, & agunt multa, veluti erudita, vt patet in cane, in equo, in elephante, in auibus, in simia. Et aduerte, quòd plura quidem animalia erudiuntur in gestis artium liberalium, vt saltare, pugillare, tripudiare, canere, voces syllabicatas formare, præcipuè psittacus, paucissima autẽ erudiri possunt in gestis artium mechanicarum, sicut est texere, fabricare, suere, &c. & propter distantiam ab homine: sola autem simia propter propinquitatem, quam habet ad naturam hominis, ex qua etiam participat figuram eius, imitatiuè multa agit similia artibus mechanicis, vt net, suit, vestit se, &c. Ratio autem huius tertij gradus est, quoniam animalium memorantium, quædam habent auditũ, & hæc possunt disciplinari, quoniam ex lib. de Sen. & Sensa. auditus est sensus disciplinæ. cuius signum est, quod si quis nascatur surdus, de necessitate erit mutus. Quæ autem memorantur, & non habent auditum, licet possint esse prudentia, non tamen disciplinabilia, vt exemplificat Arist. de apibus, quod exemplum B. Tho. exponit acsi omnino careant auditu, & licet congregentur ad strepitum vel sonum factum, non est quia audiant sonum, sed quia tactu sentiũt commotionem aëris, ideo velut timentes simul congregantur. D. Alber. autẽ in Primo Meta. tract. primo, capite sexto, distinguit de auditu: nam est auditus perceptiuus sonorum, & vocum, inquantũ vtiles sunt ad prosequendum conferentia, & vitandum nociua, sicut videmus aues aduocari blandis vocibus, & terreri asperis, sicut canes & equi, &c. & est auditus perceptiuus sonorum & vocum, inquantum sunt signa rerum, per modum nominum significantium conceptus.

Ad hoc autem, quòd animalia sint disciplinabilia, necesse est quòd habeant auditum, primo & secundo modo. Quæ autem habent tantum primo modo, non sunt disciplinabilia, licet ad auditum varij soni congregentur, & diffugiant, & quoniam in apibus inquit Alber. est auditus tantum primo modo, ideo non disciplinantur. Patet igitur triplex gradus cognitionis in brutis, inter quos tertius gradus propinquat cognitioni humanæ ex eleuatione existimatiuæ.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Arist. antequam manifestet gradus cognitionis humanæ, prius declarat, in quo humana cognitio excedit animalium cognitionem, & intendit, quòd animalia aut viuunt, id est, operantur imaginatione, scilicet cõfusa ad solam præsentiam obiecti, & hæc sunt animalia imperfecta, quæ non retinent speciem sensatam in absentia obiecti: aut operantur memoria, id est, ex eo quod memorantur prius sensatorum, & hæc sunt animalia perfecta, quæ mouentur ad distans, propter persecutionem cõuenientis & fugam disconuenientis. Quædam autem operantur aliquali experimento, non tamen propriè dicto. nam sicut prudentia & disciplina propriè dicta sunt tantum in natura rationali, sic experimentum. nam de ratione experimenti duo sunt, retentio plurium memoriarum eiusdem speciei, vt dicemus infrà, & collatio siue conferentia plurium memoriarũ adinuicem, ex qua conferentia sumitur similis acceptio de multis, & hãc conferentiam facit virtus cogitatiua, quæ dicitur ratio particularis, vt declarauimus in Epitome de Anima. agentes de sensi. interio. & quæ est propria homini, cùm sit maximè vicina intellectui. Ex his duobus tantum primum, quod est, vt materiale inest bruto, eo quod potest retinere plures & similes memorias, ex quibus sicut in homine per collationem cogitatiuæ causatur verum experimentum, sic in bruto ex opere existimatiuæ causatur quædam assuefactio, siue consuetudo, secundum quam operatur, vt patet in equo assuefacto ad sic, vel sic ambulandum, & huiusmodi assuefactio dicitur in bruto experimentum impropriè. Causatur enim ex multis & consimilibus memoriis, sicut verũ experimentũ, vt dicemus. omnia igitur animalia operantur, aut imaginatione, aut memoria, aut assuefactionibus, quæ sunt experimentum impropriè dictũ. ideo dixit Arist. quòd experimẽti parũ participant.

Homo autem quoniam rationalis est, ideo excedit bruta in tribus, quoniam viuit, id est, operatur experimẽto propriè dicto, & arte, & ratione, quod si qui homines viuunt sola imaginatione & memoria, non vt homines, sed vt bruta viuunt. Hæc autẽ sic graduantur, quòd ars nobilior est experimẽto, & ratio arte, nam experimentũ ad rationem particularẽ spectat, id est, ad cogitatiuam. quæ tamen est in latitudine virium sensitiuarum, & ars ad rationẽ vniuersalem practicam spectat, quam dicimus intellectum practicum, & ratio ad rationem vniuersalem speculatiuã spectat, quam dicimus intellectum speculatiuum. Constat autem intellectum practicum esse nobiliorem cogitatiua, quoniam est extra latitudinem virium sensitiuarum, & intellectum speculatiuum esse nobiliorem practico, sicut & habitus speculatiuus est nobilior practico, vt declarabitur infrà in ratione sciendi, licet non efficacia operandi, vt dicemus, sed hæc manifesta fient assignando modum generationis eorum, & comparando ea adinuicem.

Quantum ad generationem experimenti dicit Arist. quòd multæ memoriæ vnius rei faciunt potentiam experientiæ, id est, habitum experimentalem, quo habilitatur & facilitatur homo ad operandum. pro quo aduerte, quòd multæ sensationes eorundem effectuũ in specie & retentæ in memoria sunt generatiuę experimenti. verbi gratia, vidi pluribus annis pluuia abundante in mense Maij segetes malè fructificare, & sequi penuriam, ex quo causatũ est in me experimentum, quòd quoties videbo Maium pluuiosum, præsumã penuriam subsecuturam, & Chirurgus vidit multoties apposito solatro super humorem calidum mortificari, & ex multis his vicibus generatur experimentum, quòd humorem calidum mortificat solatrum. Patet igitur, quòd multæ memoriæ in effectibus similibus acceptæ causant in nobis potentiam experimenti, & assimilatur arti, & scientiæ, non tamen est tantæ perfectionis, vt dicemus infrà in comparatione eorum adinuicem.

Quantum ad generationem artis & scientiæ, dicit Aristot. quòd generantur ex multis experimentis: vnde aduerte, quòd sicut ex multis similibus memoriis fit experimentum, sic ex multis similibus experimentis fit scientia & ars: verbi gratia quia vidi, quòd rhabarbarum purgauit à cholera Socratem, Calliam & alios plures, causatum est in me experimentum, quòd rhabarbarum proficit multis cholericis. Si autem ex singularibus concludatur hæc vniuersalis, Omni cholerico proficit rhabarbarum, generatur ars & scientia medicinalis. Differt enim in hoc experimentum ab arte, quòd experimẽtum versatur circa singularia tantum, ars autem est circa vniuersalia, quoniam causatur experimentum à cogitatiua, quæ etiã dicitur ratio particularis, ars autem & scientia à ratione vniuersali, quæ est intellectus, qui est vniuersalium, sicut sensus est singularium. Posita generatione eorum, nunc comparemus adinuicem: & aduerte huiusmodi comparationem posse fieri quo ad perfectionem operationis, vel quo ad perfectionem cognitionis. Et quidem respectu primi modi, dico, quòd expertus non habens artem perfectius & efficacius operatur artifice non experto, quoniam actiones sunt per se circa singularia, & experientia est tantum circa singularia, per accidens autem sunt circa vniuersale, & ars est circa vniuersale, vt dictum est, nec operatur, nisi applicet se ad singularia, quia igitur proprium obiectum experti est singulare, & artificis est vniuersale, ideo efficacior est in operando expertus, quàm artifex sine experimento. Propterea difficile est bene confidere in medico iuuene non experto. Experimentũ enim perficit artem in operando: ideo artifex expertus regulariter & sine errore operatur, inexpertus autem quoniam ignorat singulare, quod est per se curabile, multoties peccabit. Respectu autem secundi modi dico artem & scientiam perfectiores esse quàm purum experimentum in ratione cognoscendi, nisi adiungatur arti, & scientiæ, sicut non perficitur ars in operando, nisi adiungatur experimento, vnde in ratione secundi se habet experimentum, & ars, sicut in naturalibus motus & terminus motus. nam sicut motus est ipsa forma imperfecta, vt est in acquiri, & terminus motus est ipsa forma perfecta, vt est in acquisito esse, sic experimentum est scire imperfectum, quoniã nõ est scire perfectum, nisi sciatur vniuersale, per experientiã autẽ non nascitur vniuersale, nisi in cõfuso & potẽtialiter, cùm versetur circa merum singulare. ars autem facit scire perfectè, quoniã per ipsam cognoscitur expresse & formaliter vniuersale, & quidẽ eminentiã in ratione cognoscendi artis super experimentum, manifestat Aris. tripliciter.

Primò, quia artifex est magis sciens: cùm enim cognoscat conclusionem vniuersalem, cognoscit causam, per quam deducit conclusionem. scire enim est rem per causam cognoscere, expertus autem, cùm versetur circa singulare, scit tantum quia, sed ignorat propter quid, &c.

Secundò habens artem potest disputando defensare & probare conclusionem suam, expertus autem non potest, quoniam causam ignorat: ergo, &c.

Tertiò habens artem reputatur sapientior mero experto, quoniam dicit causam: vnde se habet ars ad experientiam, sicut se habet ars architectonica, id est principalis, ad subseruientes, quæ quidem dicitur sapientia, quoniam primas causas totius artificij considerat, & dat modum ac formam operandi subseruientibus. Et confirmatur, quòd habens artem sit magis sciens, quàm merus expertus hoc signo, quoniam habens artem potest verè docere alterum, & causare in eo scientiam, cùm enim cognoscat causam, sciet demonstrationes facere. Demonstratio autem ex primò Posterior. facit scire, sed expertus non potest docere alterum, ita quod faciat ipsum scire: quoniam ignorat causam, ex consequenti non potest demonstrare, quod si alterum instruet non causabit in eo nisi opinionem & leuem credulitatem: ergo, &c.

Sed dicet aliquis, cùm inter scientias quædam sit speculatiua, quædam practica, & inter artifices aliquis sit inuentor artis, aliquis addiscens, & vtens arte inuenta, quæritur, quæ inter scientias sit nobilior, & quis artifex nobilior.

Respondet Aristotel. quòd inuentor artis est dignior, quoniam sapientior reputatur, & est apud homines magis admirabilis, quasi inueniens quę excedunt communem hominum sensum, & hoc ideo quia causas & principia, & regulas artis considerat. vtentes autem operantur secundum principia & regulas datas ab inuentore, & non quærunt vltra. vnde interrogati, quare sic operantur, respondent, quia sic acceperunt ab inuentore. merito ergo inuentor est sapiens, & dignior. Item scientia speculatiua dignior est practica; quoniam hæc est gratia sui. Inuenta est enim remota omni vtilitate temporali sperata: nam & primi Philosophi speculatiui, vt Sacerdotes in Aegypto, abundantes omni bono temporali, incœperunt speculari in Metaphysicis & diuinis. practica autem est propter alterum, id est propter opus vtile, & magis propinquat sensui, ideóque minus est intellectualis, sed speculatiua versatur circa minus sensibilia, quoniam circa vniuersalia, quæ sunt minus sensibilia, præcipuè scientia speculatiua diuina, ergo dignior, & si oportet alteram earum vocari sapientiam, conuenientius est, vt id attribuatur speculatiuæ, quia occupatur circa magis intelligibilia, & magis perficit intellectum. Hæc de tertio dicta sint.

Scientiarum & artium inuentio.

Quantum ad quartum, aduerte quomodo Aristotel. ex declaratis in præcedenti processu probat antecedens propositæ rationis, quòd erat tale, Nulla scientia, nulláque ars dicitur sapientia in genere, nec aliquis sciens, aut artifex dicitur sapiens, nisi cõsideret causam eius, circa quod versatur, ipsum inquam sic probat. Dictum est expertum esse sapientiorem eo, qui habet tantum sensum, id est eo, qui operatur sola imaginatione & memoria: magis enim accedit ad naturam intellectualem, cui soli conuenit sapientia propriè dicta. Et dictum est, artificem esse sapientiorem experto, quoniam dicit causam de eo, de quo expertus dicit tantum quia, & potest docere alterum demonstrando. & dictum est inter artifices architectum esse sapientiorem, quoniam dicit causam totius negotij, & dat regulam subseruientibus, & dictum est artem ac scientiam speculatiuam nobiliorem, ac digniorem nomine sapientiæ, quàm practica, quoniam est circa magis intelligibilia, ac scibilia, vnumquodque autem verè scitur per causas suas. patet ergo inductiuè, quòd vnumquodque cognoscens intantum est sapiens, inquantum causas considerat, vnde sapiens absolutè est ille, qui primas & vniuersales causas considerat, sicut magis declarabitur in sequentibus.

Metaph. contemplatur prima principia.

Secunda via, qua intendit Aristote. declarare, quòd ad Metaphysicam spectat considerare prima principia, & primas ac vniuersales rerum causas, sumitur à conditionibus solitis attribui sapienti, & intendit sic arguere, sapiens est, qui scit omnia, & præcipuè difficilia, & per certitudinem, & per causam, & quærit scire gratia sui, ordinat & persuadet aliis, id est inferioribus: & non ordinatur nec persuadetur ab eis, sed Metaphysicus reputatur absolutè sapiens: ergo debet habere has conditiones, sed eas non potest habere nisi consideret prima principia, & primas ac vniuersales causas: ergo, &c. Quod autem non possit has conditiones habere, nisi prima principia, & primas causas consideret, declarat sic Aristote. cùm omnia inferiora contineantur in primis vniuersalibus, & in primis causis, necesse est vt sciat omnia, quòd consideret prima vniuersalia, & primas causas. Item cum primæ & vniuersales causæ entium sint remotissimę à sensu, sequitur quod sint difficillimæ ad cognoscendum. cùm enim nostra cognitio incipiat à sensu, facilitas & difficultas cognitionis graduabitur secundum propinquitatem & remotionem à sensu.

Ad hoc ergo, quòd sapiens sciat difficilia, oportet vt sciat maximè vniuersalia, cognitione scilicet distincta, de qua loquuti sumus in tractat. de Trascen. & primas entium causas, quæ sunt à materia, & quãtitate separatæ, vt manifestum erit in libro duodecimo. Item cognitio de primis vniuersalibus est certior, quoniam cum sequentia se habeant ex additione ad ipsa, plura requirunt in sui cognitione, ex consequenti non causant in nobis adeo claram euidentiam. Inde est, quòd certius est mihi aliquod esse ens quàm esse substãtiam, quoniam constat mihi, quòd sibi debetur esse, non tamen constat, si ei debetur esse per se, vel esse in alio. vt ergo sapiens habeat certitudinem cognitionis, oportet vt sciat prima vniuersalia. Itẽ sapiens debet esse doctrinalis, id est sciens docere, sed id perfectè non poterit, nisi sciat de singulis dicere causas, & resoluere quęsitum in vltima principia & vltimas causas: quoniam in illis est status inuestigationis intellectualis: ergo, &c. Item sapiens debet scire maximè scibilia, hæc autem quæruntur sciri gratia sui, quoniam dignissima sunt & omnino perficiunt intellectum sui cognitione, & non aliqua vtilitate separata, vnde Aristote. in eorum contemplatione statuit felicitatem: ergo, &c. Item ordinans & persuadens aliis, necesse est vt consideret causam finalem totius negotij, neque enim nauifactor ordinaret, & suaderet subseruientibus, nisi formam & finem consideraret, ad quem fabricatur nauis.

Adhoc ergo, ꝙ sapiens metaphysicus ordinet, & dirigat inferiores scientes, oportet ꝙ consideret totius entis vniuersalem causam & efficientem, & finalem, in qua consideratione terminabit Arist. metaphysicam suam, vt manifestũ erit in 12. lib. vbi vltimo inuestigabit de totius naturæ bono. nam & bonum habet rationem causæ finalis, ex 2. physi. tex. 31. & sicut bonum particulare est causa finalis particularis, sic bonum vniuersale, id est contentiuũ omnis boni est causa finalis vniuersalis, & prima in causando. Manifestum est igitur, ꝙ Metaphysica, quæ est sapientia absolutè, habet considerare prima principia, primas & vniuersales causas entis. quæ autem sint declarabitur infrá. Hæc de secundo cap. dicta sint.

CAPVT III.

De huius scientiæ dignitate.

IN tertio cap. inuestigandum est, quæ & quanta sit dignitas metaphysicæ. Aduerte igitur ꝙ Arist. quatuor dignitates ei attribuit.

Primò, quòd est scientia speculatiua.

Secundò, quòd est maximè libera.

Tertiò, quòd est humana possessio.

Quartò, ꝙ est honorabilissima, vtpote dea scientiarum.

Meta. est sciẽtia speculatiua.

Primũ sic probat. Metap. inuenta est propter ipsum scire, & non propter vtilitatẽ tẽporalem, nec propter opus. ergo, &c. cõsequentia patet. Antecedẽs probatur. Inuenta est ad fugandam ignorantiã. nam primi Philosophi videntes manifestos effectus, puta continuatã generationẽ in his inferioribus, eclipsim solis & lunæ, prolixitatẽ dierũ in æstate, & breuitatẽ in hyeme, motũ cœli circularẽ continuũ & regularẽ, varios planetarũ motus cõstituti in admiratione propter ignorantiam causarum incœperũt Philosophari: & cognitis causis cessauit ignorantia & admiratio: ad remotionẽ ignorantiæ sequitur scire, sicut ad remotionẽ tenebrarũ sequitur lux. si igitur finis Metaphysicæ est remotio ignorantiæ, ad quã sequitur scire, patet, ꝙ inuenta est propter ipsum scire: ergo est speculatiua, & ꝙ non sit inuenta propter vtilitatẽ, & necessitatẽ vitæ, signũ est inquit Aris. vt etiã diximus suprà, ꝙ cũ primis philosophantibus suppeterent omnia ad necessitatẽ vitæ, ad pigritiã, siue otium, ad delectationẽ corporis, & cùm iã essent inuentæ scientiæ necessariæ ad eruditionẽ, vt grãmatica, & logica, non intenta aliqua vtilitate, sed tantùm gratia sciendi, incœperũt philosophari, & inuenerunt hanc sapientiam. patet ergo eam esse speculatiuam.

Philosophiæ ortus.

Meta. est sciẽtia libera.

Secundũ declaratur sic, sicut homo dicitur liber, quia non est alterius, sed gratia sui. id est, quia non ordinatur ad alterũ, sicut seruus ad dominũ, nec indiget altero, sed sibiipsi sufficit, & non accipit ex necessitate ab altero, imò dat & auxiliatur alteri, sic hæc scientia est libera & maximè libera: quoniã nõ ordinatur, nec respicit aliã, cùm sit suprema, nec indiget alia quoniã ipsa in seipsa, vt declarabitur in 4. lib. stabilit principia sua, & ab ea accipiunt aliæ sciẽtiæ principia sua stabilita, ex cõsequẽti auxiliatur omni alteri, & omnes deseruiũt huic tanquã dominæ, vt optimè declarat Auic. in 1. suæ Met. cap. 3. ideo est vltima in addiscendo. Disponitur enim intellectus ad cognitionẽ substãtiarũ diuinarum, quæ sunt de consideratione metaphysici per scientias naturales & mathematicas, præcipuè per astrologiã, quæ tamẽ nõ potest haberi sine geometria, & arithmetica. ergo est libera & maximè libera. & licet multæ scientiæ possint dici liberales, quia acquiruntur ab animo libero, & expedito à curis, & necessitatibus tẽporalibus, tamẽ nõ propriè sunt liberæ, quia nõ sibiipsis sufficiũt, vnde sola Meta. est propriè libera, & cũ multis aliis est liberalis.

Sed dices, si Meta. firmat principia sciẽtiarũ particulariũ, est ergo vtilis eis, & deseruit, quomodo ergo est maximè libera.

Respondeo, vt inquit Auic. in 1. suæ Meta. cap. 3. est quædam vtilitas per modũ seruitutis, & hæc exhibetur ab inferiori erga superiorẽ: & est quædã vtilitas per modũ influxus & conseruantis, & hæc exhibetur à superiori erga inferiorem, vnde Princeps est vtilis subditis, & ecõuerso, sed subditi primo modo, & princeps secũdo modo: primus modus repugnat libertati, sed non secundus, & primus exhibetur à scientiis particularibus ipsi Metaphysico, secundus autem econuerso, ideo non impeditur quin sit maximè libera.

Met. non est humana possessio.

Tertiũ sic probat, Natura hominum est multipliciter serua propter ægritudines, propter indigẽtiã exteriorũ, propter nocumenta illata ab extrinseco, propter repugnantiã passionum, quibus omnibus impeditur, & distrahitur à speculatione, præcipuè rerum diuinarum: ergo dato ꝙ aliqualiter attingat Metaphysicã, non tamen potest eam possidere. Illud enim propriè possidemus, cuius sumus domini, & quo ad libitũ vti possumus. vnde vt refert D. Alber. in primo Meta. tract. 2. cap. 8. dixit Hermes Trismegistus possessionem esse id, in quo per naturam sedet possidens quieto iure vt ens. homo sedet in cognitione sensibiliũ, & non diuinissimorum: sed intellectus simplex existens causa rerum per scientiam suam propriè est diuinorũ simpliciũ. Propterea inquit Simonides, solum Deum gaudere hoc honore, non tamen est verũ, quod dicunt alij poetæ, scilicet Deum inuidere hominibus, & ideo non possunt ascendere ad perfectã diuinorũ cognitionẽ. Hoc inquam falsum est, quoniã, cùm in Deo sit omne bonũ, sicut omnis potentia ex bono extrinseco, nulla potest fieri sibi additio neque diminutio, ergo nulla sibi inest inuidia. Quod igitur homo non ascendat ad clarã diuinorũ cognitionem, nõ est quia Deus homini inuideat, sed quoniã vmbrosus est humanus intellectus, tendens in actum suum per phantasmata, à quibus penitus elongata sunt diuina.

Quartum sic probat, Metaphysica est scientia maximè diuina, quia est de diuinis. Dictũ est enim ꝙ considerat primas & vniuersales causas, inter quas Deus est præcipua, deinde aliæ substãtiæ separatæ: & quoniam Deus solus eam maximè habet, nam vt inquit D. Alber in primo meta. tract. 2. cap. 4. diuina natura in nulla parte ancillans cognitionem à posterioribus nõ accipit, sed ex fonte, & cardine causarũ omnium rerum, quæ est ipsamet præhabet composita simpliciter, temporalia intẽporaliter, materialia immaterialiter intelligẽs. Et propterea merito dicitur dea sciẽtiarum, diuina possessio, prudentia, & sapiẽntia absolutè, quoniam maximè perficit, clarificat, & firmat intellectum. verè ergo honorabilissima est, & licet aliæ sint necessariores homini, nulla tamen est dignior ista ex prædictis rationibus.

Et aduerte, quod Arist. hac de causa adeo magnificauit hac scientiã, vt excitaret desiderium nostrũ ad eam: quoniã licet non possimus eam habere per modũ possessionis, sed tantùm inquisitiuè & discursiuè, & valde obũbratè: tamen illud parũ dignius est quacunque alia cognitione, siquidẽ efficitur homo diuinus, & per hanc assimilatur Deo, & efficitur felix, qualicunque vera felicitate possit homo pro hac vita felicitari. Propterea inquit Aris. in 10. Ethi. sapiens Deo amicissimus est, eundem autem verisimile & felicissimũ, quare & si sic, erit sapiens maximè felix. Hæc de tertio cap. dicta sint.

CAPVT IIII.

De huius scientiæ finis.

IN quarto cap. inuestigandum est, quis sit vltimus terminus intentus in hac scientia. Aduerte igitur, ꝙ cùm hæc scientia non acquiratur ab homine simplici intelligẽtia, sic enim esset diuina possessio, sed acquiritur inquisitione, & discursu, qui est motus intellectus, & cũ in omni motu terminus à quo sit oppositus termino ad quem, ex 1. Physi. tex. 47. terminus intẽtus in consideratione Metaphysica est illud, quod opponitur ei, à quo incœperunt homines venari metaphysicalia, illud autem diximus esse ignorantiam causarum, & principiorum vniuersi entis, ex qua ignorantia causabatur admiratio: ergo terminus, & finis, huius negotij est cognitio causarũ & principiorum totius entis, & cessatio admirationis, & ad id conatur totum studium metaphysicum, quo adepto erimus in termino huius inquisitionis, sicut Astrologus admirãs, & nesciens causas duorum tropicorum solis, & causas eclipsium, incipit inquirere de huiusmodi causis, & cùm inuenerit quiescit, nec amplius admiratur. Idem contingit geometræ super incommensuratione costæ & diametri. Idem accidit physico super admirabilibus impressionibus meteoricis, quarũ causis inuentis quiescit. Patet igitur, ꝙ, cùm peruenerit Metaphysicus in cognitionem principiorum & causarum entis, præcipuè autem primi principij, qui est Deus gloriosus, tunc erit in quiete, & termino totius inquisitionis suæ. nam hæc est vltima intentio sua, vnde & Auicẽ. inquit in primo suæ metaphysic. cap. 3. Intentio vltima in hac scientia est cognitio gubernatoris Dei altissimi, & cognitio Angelorum spiritalium & ordinum eorum, & cognitio ordinationis in comparatione ad circulos, id est ad sphæras cœlestes, &c. Hæc de quarto capite dicta sint.

CAPVT V.

Quàm ordinatè Arist. processerit in traditione huius scientiæ.

IN quinto cap. declarandum est quàm ordinatè processit Arist. in metaphysica sua. Aduerte igitur, quòd tota intentio Aristot. fuit immorari in consideratione entis vniuersalis, & in primis causis eius, præcipuè in prima causa efficiente & finali, quod est totius naturæ bonum, & hoc secundum exoluet in libr. 12. tantum quantum ascendere potest intellectus noster ad diuina ex naturali inquisitione, ad quem libri omnes præcedentes sunt preparatorij. vt autem tradere possit notitiam de primis causis entis, necesse est, vt prius consideret de partibus entis, scilicet de substantia & accidente, & de substantia quidem composita & simplici, & de partibus substantiæ compositæ, vt de materia & forma, & id faciet in 6. lib. & 7. & 8. deinde de passionibus entis, vt de actu, & potentia, & vno, & multis, & de his, quæ consequuntur vnum, vt idem, simile, æquale, & sua opposita, cùm sit eadem disciplina oppositorum: & de his quę consequuntur multa, vt oppositio, contrarietas, &c. & id peraget in libro 9. & 10. sed de ente, & partibus, & passionibus suis determinare non potest, nisi prius stabiliat subiectum huius scientiæ, & principia sua, & declaret multiplicitatem terminorum Metaphysicalium, ne laboret determinans in æquiuoco, & id faciet in 4. & 5. lib. verum, quia circa vnumquodq; scibile prius expedit mouere dubia, vt veritas magis elucescat: ideo antequam determinet de cõsiderandis in hac scientia, prius mouet dubia, arguendo ad partes, & id faciet in 3. li. & quoniam signum inuentæ veritatis est solutio dubitatorum, ideo antequam determinet dubia mota in 3. li. prius pertractat de veritate vniuersali, & de modo inquirendi eam, nam huius scientiæ est cõsiderare ens vniuersale, & verum vniuersale, sicut particulares scientiæ considerant de aliqua parte entis, vt de ente mobili, vel quanto, & de veritate particulari, circa tale obiectum, & id faciet in li. 2. & quoniam, vt diximus, præcipua intentio Arist. est determinare de primis causis entis, ideo adducit sententias antiquorum de principiis rerum, tam intrinsecis quàm extrinsecis, vt sciamus quid verè & non verè enunciatum sit ab illis, & id facit in libro primo. Et tu aduerte, quòd hîc non communerauimus lib. 11. quoniam est repetitio eorum, quæ iam determinata sunt, partim in libris naturalibus partim in præcedentibus lib. Metaph. deseruiunt enim hæc per modũ rememorationis & compẽdij, ad inuestigationem primarum causarum entis, de quibus aget Aris. in lib. 12. hunc quidem lib. 11. relinquemus veluti non necessarium præsenti proposito nostro. Potest enim diligens lector exercere seipsum in repetendis iam auditis, & determinatis, sed nec Commen. Auerr. nec D. Albe. mentionem, nec expositionem fecerunt de hoc li. vnde liber 12. apud eos nominatur 11. Posito igitur ordine obseruato ab Ari. in quo primum intentum est vltimum in executione, & primum in executione est vltimum in intentione. ideo primo loco compendiosè perstringemus sententias antiquorum de principiis rerum, secundo loco agemus de veritate vniuersali, & modo inquirendi eam. Tertio loco formabimus dubia omnium consideratorum in hac scientia. Quarto loco firmabimus subiectum eius, & passiones suas, & sua prima principia cõplexa, quibus etiam innituntur omnes scientiæ particulares. Quinto loco assignabimus multiplices modos, quibus dicitur vnusquisque terminus Metaphysicalis. Sexto loco agemus de ente, vt diuiditur in ens per se, & ens per accidens, & in ens in anima & extra animam, abiicientes a consideratione Metaphysici ens in anima, & ens per accidens. Septimo loco agemus de ente, vt diuiditur in substantiã, & accidens, siue in decem prædicamenta: & prius quidem, quo ad diffinitionem & partes diffinitionis, & hoc in septimo libro: deinde quo ad principia realia, & hoc in octauo libro. Octauo loco consideratio fiet de ente, vt diuiditur per actum & potentiam. Nono loco agemus de ente, vt diuiditur per vnum & multa. Decimo loco agemus de primis causis entis, vt liber vltimus correspondeat primo, & hic erit finis considerationis præsentis. Nam in quacunq; scientia constituitur finis in cognitione causarum sui proprij generis subiecti. Hæc de quinto capi. dicta sint, & hîc terminatur tractatus primus.

TRACTATVS SECVNDVS super totum librum primum Metaphysicæ.

IN tractatu præsenti perstringemus sententias antiquorum, de primis rerum causis. Et aduerte, quòd summa omnium opin. stat in hoc, Quidam ex antiquis nullam causam entiũ assignarunt. Quidam posuerunt solam causam materialem. Quidam materialem & efficientem. Quidam addiderunt formalem, Quidam obscurè, & per accidens tetigerunt causam finalem, sed nullus perfectè attigit eam: & quoniam, vt determinatum est in secundo Physicor. tantum quatuor sunt genera causarum, nec plura possunt dari, ideo omnes antiqui in hoc conuenerunt, quòd quamcunque causam inuenerunt, eam ad aliquam dictarum quatuor reduxerunt, ita quòd super quatuor nullam addiderunt. Distinguemus igitur præsentem tractat. in quinque capita.

Primò ponetur opinio eorum, qui nullam causam posuerunt, & reprobatur.

Secundò, opinio eorum, qui solam causam materialem posuerunt, & reprobatur.

Tertiò, opinio eorum, qui causam materialem, & efficientem posuerunt, & reprobatur.

Quartò, opinio eorum, qui causam formalem vltra materialem & efficientem tetigerunt & improbatur.

Quintò, opinio eorum, qui visi sunt aliqualiter & balbutiendo causam finalem ponere, & reprobatur.

CAPVT I.

Eorum narratur opinio, ac diluitur. qui omnem à rebus causalitatem amouere visi sunt.

Opinio Parmenidis, ac Melissi, et Xenophanis.

IN primo capite adducenda est opinio eorum, qui omnino causas rerum subtraxerunt. Vnde aduerte, quòd isti fuerunt Parmenides & Melissus & Xenophanes, cuius discipulus dicitur fuisse Parmenides, & fuit clarioris ingenij, quàm magister eius. Isti igitur in rei veritate negauerũt omnem causam, nam dixerunt, quòd est tantum vnũ ens, ita quòd omnia sunt vnũ, non solùm secundum materiam, vt aliqui antiqui posuerunt, vt dicemus infrà de Thalete, & Diogene, & Heraclito, sed etiam secundum substantiam: & quoniam ponebant tantum vnum ens & immobile, ideo negabant omnem motum, & mutationem, ex consequenti omnem generationem, & corruptionem tam substantialem, quàm accidentalem: ex quibus omnibus sequitur negatio cuiuscunque causalitatis, nam cum nihil sit sibiipsi causa, quoniam causa & causatum opponuntur, necessario causalitas requirit diuersitatem & pluralitatem in rerum natura. Cùm igitur isti auferant multitudinem ab ente & motum, subtrahunt omnino causam & causatum, propter quod relinquendi sunt à Metaphysico, pro quanto scrutatur de causis. Supponit enim Metaphysicus multa fundamenta naturalia, vt motum, & generationem, & corruptionem, ex consequenti supponit causalitatem aliquam in entibus. Tu tamen aduerte, vt inquit Arist. quòd licet relinquendi sint ratione, qua negant causalitatem, tamen eorum opinio spectat ad Metaphysicum, pro quanto videntur tangere formam, & materiam, quæ se habent vt actus & potentia, & vt sic ad Metaphysicum spectant. Et quidem quòd tangant formam & materiam, patet ex hoc, quoniam Parmenides dixit illud ens vnum immobile esse finitum, finitas autem & determinatio spectat ad formam. Melissus autem dixit esse infinitum, & infinitas spectat ad materiam ratione suæ potentialitatis. Xenophanes verò, vt rudior, neutrum tangit, sed vt inquit Ari. ad totum cœlum respiciens ipsum vnum dicit esse Deum. Item aduerte sententiam Melissi & Xenophanis fuisse rudiorem, vt patet ex ratione sua, quam Arist. in primo Physi. text. vigesimotertio adducit, & dicit eam magis onerosam, id est stultam. Parmenides autem visus est magis intelligens, quoniam licet teneret esse tantum vnum ens immobile secundum rationẽ, tamen ne sensum negaret, dicebat esse plura entia secundum sensum, & iuxta sensum ponebat duo principia, calidum & frigidum, attribuens primum igni, & secundum terræ. Horum reprobatio & solutio rationum suarum posita est diffusè in primo Physicorũ: ideo noluit immorari hîc ad reprobandum, & tu recurre ad primum Physicorum, ne prolixiores simus sine vtilitate. Hæc de 1. capite dicta sint.

CAPVT II.

Eorum adducitur ac destruitur sententia, qui vnum vel plura affirmasse materialia principia visi sunt.

Materialis principij conditiones quatuor.

IN secundo capite adducenda est, & reprobanda opinio eorum, qui solam causam materialem posuerunt, & isti quidem in vno conueniunt, in alio differunt. Conueniunt quidem in hoc, quòd causam rerũ materialẽ dicũt illud, cui cõueniunt quatuor cõditiones, q̃ principio materiali cõuenire videntur.

Primò, quid sit illud ex quo res est.

Secundò, ex quo res per se generatur, dico per se, ad differentiam priuationis, vt declarauimus in primo Physico. in tractat. de principiis rerum naturalium.

Tertiò in quod vltimum omnia resoluuntur.

Quartò, quòd tam in generatione, quàm in corruptione manet secundum substantiam, licet formæ & passiones, & qualitates varientur. Oportet enim cõtraria fieri circa idem, quod successiuè vtrique cõtrario subiicitur. Differunt autem, quoniam in positione huius principij aliqui assignant tantùm vnum elementum, cui attribuunt quatuor prædictas conditiones, aliqui plura, sed finita, aliqui plura & infinita.

Thales milesius aquã principium solũ posuit.

Qui ponunt tantùm vnum, distincti sunt in tres actus. Aliqui posuerunt aquam, quorum princeps fuit Thales Milesius, qui solus inter septem Græciæ sapientes se occupauit in scientia speculatiua in considerandis rerum principiis, alij autem

incũbebant moralibus. Hîc existimauit omnium rerũ corporalium, ex consequenti omnium entium, quoniã non apprehẽdit nisi ens corporeum, principium materiale esse aquam, ita ꝙ quæcunque generantur, generantur ex aqua. Sumpsit autem suæ opinionis fundamẽtum ex eo, ꝙ nutrimentũ omnium se nutrientium est humidum, & pro manifesto habebat, ꝙ ex eodem res nutritur, & generatur. ergo, &c. Item ex eo ꝙ spermata omnium animalium sunt humida, primum autem principium humidi est aqua, Item ex eo ꝙ antiquissimi Poëtæ Theologi, qui per multa tempora præcesserunt Thaletem & alios Græciæ sapientes, posuerunt Oceanum & Thetin deam aquarum parentes generationis: & Stygiam paludem, per aquam, vt per quoddã sacrum, & honorabilius dij iurabant, nil aliud intendentes sub his velaminibus, nisi aquam esse principium, ex quo generantur omnia, sed & Hippon Philosophus eiusdem fuit sententiæ cùm Thalete, nec sciuit aliud addere, imò nec fortè ita manifestè loquutus est propter sui intellectus paruitatem. Eandem opin. Arist. tetigit in primo Physi. tex. 6. sed perfunctoriè, nec Thaletem, nec Hipponem nominauit, nec eos dignatus est improbare. Hîc autem improbabit, vt patebit infrá.

Anaximenis ac Diogenis opinio. Alij autem posuerunt aërem esse principium aliorum corporum simpliciũ, ex consequenti omnium compositorũ, quoniam omnia composita fiunt ex primis simplicibus, horum princeps fuit Anaximenes, & Diogenes discipulus Anaximenis. Accipere autem potuerunt fundamẽtum opinionis suæ, ex eo, ꝙ viderunt humidum frigidũ esse prohibitiuũ motus, humidum autẽ calidũ & nutritiuum & conseruatiuũ esse viuificatiuũ vitæ, vt plenè declaratũ est in trac. de causa mor. & vi. Idem autẽ apparet esse viuificatiuum & generatiuum. Est enim generatio via ad vitã. ergo humidũ calidũ est principiũ generationis, hoc autem competit aëri, & humidũ frigidum cõpetit aquæ. hac ergo ratione dissentiunt Anaxim. & Diog. à Thalete, qui fuit magister Anaximandri, & Anaximander fuit magister Anaximenis: Anaximenes autem magister fuit Diogenis. Eandem opi. tetigit in primo Phy. tex. 6. sed eam non improbauit. hîc autem improbabit, vt patebit infrá.

Hippasij, atque Heracliti opinio. Alij posuerunt ignem, vt Hippasus Metapontinus & Heraclitus Ephesius: & fundamentum eorum fuit, quoniã principium debet esse magnę virtutis. videbant autem inter omnia elementa ignem esse virtuosiorem, vt patet ex sua actiuitate. Item debet esse simplex: nam si esset compositum, non esset primum rerum principium: posterius enim esset suis cõponentibus, inter omnia autẽ elementa ignis est simplicior, vt patet ex sua raritate. his igitur rationibus moti dixerunt ignem esse primum rerum principium. argumentum etiam sumebant à corporibus cœlestibus, & astris, & à lumine. Nam apud antiquos famosum erat, cœlum, & astra esse naturæ igneæ, cùm igitur ignis sit principium entium nobiliorum, quæ sunt principia entium inferiorum (pendet enim mundus inferior à mũdo superiori) sequitur ipsum esse principium omnium entium corporalium, quæ sola credebant esse entia. Item videbant omnia generari luce cœlesti. lucẽ autem dicebant esse proprietatem ignis, quare, &c. Eandem opin. tangit in primo Physic. tex. 6. sed eam non reprobauit, sicut nec præcedentes, nisi in hoc, quòd in tex. 50. probauit in productione, & in omni fieri naturali non sufficere vnũ principium, quoniam necesse est principia esse contraria: vnum autem non est contrarium sibiipsi.

Antequã pertractemus opiniones eorum, qui plura posuerunt principia reprobandæ sunt propositæ sectæ de vnitate principij materialis. Et aduerte ꝙ Aris. duplici via improbat. Primo ꝙ diminutè locuti sunt. Secundo, ꝙ rationes eorũ vanæ & friuolæ sunt. Diminutè quidem locuti sunt, quoniam assignant solum causam, & principium substantiæ corporeæ, vltra quam etiam datur substantia incorporea, vt probabitur in lib. 12. cuius non potest esse principium aliquod elemẽtorum, quoniam sicut non ens non est principium entis, sic corporeum non potest esse principium incorporei. Præterea, ponentes tantùm principium materiale non seruant motum, nec generationem, quoniam motus requirit principium mouens, siue causam efficientem, quam tamen non ponunt. ergo, &c. Præterea, vnaquæque res corporea habet formam, per quam cõstituitur actu, ergo forma est principium: de qua tamen nullam mentionem faciunt, patet ergo quod multipliciter diminutè de principiis entium locuti sunt.

Quod autem eorum rationes vanæ sint, manifestatur ex modo generationis ab eis assignato: nam dicunt omnia generari ex illo elemento, ꝙ ponunt principium materiale per rarefactionem, & condensationẽ: verbi gratia, vt dicit Cõm. in primo Metaphysicæ cõmen 12. qui ponunt ignem, fingunt ꝙ quando inspissatur fit aër, & cùm aër inspissatur fit aqua, & cũ aqua inspissatur fit terra, qui autem ponunt aërem, fingunt ꝙ cùm rarefit fit ignis, cùm inspissatur fit aqua. Qui ponunt aquam, fingunt ꝙ cùm rarefit fit aër, cùm inspissatur fit terra: Sed ꝙ hæc vana sint patet ex eo, ꝙ licet huiusmodi modus generationis habeat aliquam apparentiam in quatuor elementis, quæ sunt prima corpora simplicia, vt declaratum est in lib. de Generatione, tamen hic modus non potest seruari in compositis inanimatis & animatis: neque enim vt inquit illic Cõmen. partes compositi, vt caro, & os, & neruus differunt sola raritate & densitate, sed quiditate & diffinitione, quæ sumuntur à propriis formis. isti igitur vt diminutè loquentes, & vanè, relinquendi sunt.

Et ratio quidem assignata à Thalete nulla est; nam licet concedamus humidum esse principium materiale proximũ, vt sperma in animalibus, non tamẽ est principium primum; illud enim nullam formam ex se habet, sed est in potentia ad omnem, vt declaratum est in primo Physi. tex. 69. Præterea concesso, quòd humidum esset principium materiale in animatis, sicut etiam est nutritiuum, ex hoc non sequitur, quòd sit assignatum vniuersale principium entium, vt in corporibus cœlestibus, & in igneis, &c. Quod autem dicit de Oceano, & Theti, & Styge, poëtica figmenta sunt, & parui pendenda à Metaphysico.

Similiter ratio assignata à Diogene nulla est: quoniam humidum calidum, cùm habeat formã in actu, non potest esse primum principiũ materiale: & dato, ꝙ sit materia generationis, & nutritionis in rebus animatis, nõ tamẽ vniuersaliter in oĩbus entibus, vt patet in aqua, & in terra, & in cõgelatis, &c.

Similiter ratio assignata ab Hippaso, & Heraclito nulla est: nã perfectio non est de ratione principij materialis, imò imperfectio, vt dicetur in 12. Metaphysi. tex. 54. cùm sit potẽtiale. Est autem conditio efficientis & formæ, & finis, quoniam habet rationem boni, conceditur autem simplicitatem esse de ratione primi principij materialis, quoniam est primum in compositione, & vltimum ad quod stat resolutio, ex consequenti necesse est ipsum carere omni compositione, id autem non competit igni, quoniã licet sit simplicior aliis elementis, non tamen caret omni compositione: cùm enim sit corpus naturale, necesse est ipsum constare ex materia, & propria forma, ergo nõ potest esse primum principium materiale. Hæc de opinionibus dicentium dari tantum vnum principium materiale, & non assignantium quodcunque aliud principium, dicta sint.

Princeps autem eorum, qui ponunt plura principia materialia, fuit Empedocles, qui in sententia dixit tria. Primo ꝙ terra sola non potest esse materia omnium, & præcipuè in rebus animatis propter frigiditatem & siccitatem, quæ sunt contrariæ vitæ. vita enim sistit in calido, & humido, bene adinuicem proportionatis, ex consequenti frigidum siccum destructiuum est vitæ, vt etiam declaratum est in trac. de causa mor. & vitæ. Secundo dixit, quòd materiale principiũ sunt ignis, aër, & aqua, quibus necesse est addere terram. Aduertebat enim composita, vt lapis, homo, planta, & alia multa, esse solida, propriásque obtinere figuras: tria autem elementa ex sua raritate non figurantur propriis terminis, sed terminis alienis. vt igitur ex eis generarentur non solùm fluida, sicut gũmatica, oleum, vinum, mel, &c. sed etiam solida & dura, necesse est eis cõmiscere terram, quæ ex sua crassitie solida est, & præstat soliditatem his, quibus admiscetur, sicut appositione farinæ aqua solidatur in pane. Tertio dixit, quòd hæc quatuor elementa in omni generatione & corruptione permanent secundum substantiam, & quòd res non generatur, nec corrumpitur, nisi secundum qualitates & figuras, quæ quidem generatio & corruptio erat per congregationem, & separationem quatuor elementorum, ita quòd concordabat in hoc cum antiquis, qui negabant generationem & corruptionem substantialem, vt declaratum, & improbatum fuit in 1. lib. de Generatione. Hæc fuit opinio Empedoclis & sequentium eum: cuius etiam meminit Arist. in 1. Physic. tex. 32. & quoniam posuit finita, dicit Aristo. in textu 50. quòd minus male sensit, quàm Anaxagoras ponens infinita. Sed contra Empedo. arguit multipliciter Aristo. & nobis sufficiat duas ex rationibus suis adducere. Primo sic, Necesse est prima principia semper manere, alioquin non essent prima, si ex aliis prioribus, vel ex alterutris fieret, vt declaratum est in primo Physic. tex. 42. sed quatuor elementa non semper manent. patet enim ad sensum, quòd ex aëre fit ignis, & ex aqua aër, vt declaratum est in lib. de Generatione: ergo non possunt esse primo prima principia materialia, licet sint prima corpora actiua & passiua adinuicem, quæ veniunt in mixtionem compositorũ. Secundò sic, Si quatuor elemẽta sunt prima materia, ergo non potest saluari alteratio. nam cum alteratio fit ex contrario in contrarium, impossibile est ex calido fieri frigidum, & econuerso, nec ex humido siccum, nisi sit vnum idem subiectum, à quo expellitur vnum contrarium, & in quo recipitur aliud: cogitur igitur Empedocles vel negare alterationem, vel vltra quatuor elementa contraria ponere aliquod vnum commune subiectum receptiuum successiuè diuersarum formarum, & contrariarum qualitatum, quòd sit semper manens, & hoc erit primo primum principium materiale: & hac via procesit Aristot. in primo Physicorum, textu sexagesimo, ad inuestigationem materiæ primæ, & per quam saluat contra antiquos generationem, & corruptionem substantialem, quas nesciuerunt saluare antiqui, quia non posuerunt primum principium materiale, nisi aliquod corpus naturale actu, vt ignem, aquam, &c. Hæc de opinione ponentium plura principia materialia, sed finita dicta sint. Nũc ad positionẽ opinãtiũ ea esse infinita trãseamus.

Qui posuerunt principia materialia rerum infinita, diuisi sunt in duas partes. Prima posuit ea esse infinita minima & diuersarum naturarum, vt infinitæ partes minimę carnis, nerui, ossis, & medullæ. Secunda posuit ea infinita indiuisibilia, siue atoma, & omnia eiusdem naturæ: quo ad substantiam, sed differentia in figura, positione, & ordine.

Anaxa-... opi- Primæ sectæ auctor fuit Anaxagoras, auditor Anaximenis, condiscipulus Diogenis, ætate prior Empedocle, sed doctrina inferior, quoniam peius sensit de principiis rerum ponens ea infinita, quam Empedocles, vt testatur etiam Aristot. in primo Physicor. textu quadragesimoprimo, dicens, Melius autem est minora & finita suscipere, quod verè facit Empedocles. Anaxagoræ autem opinio stat in tribus. Primò dixit non solùm quatuor elemẽta esse materiam omnium rerum corporearum, sed quodcunq; corpus consimilium partium, quorum infinitas partes posuit adinuicem commisceri. Secundò dixit, in quolibet esse infinitas partes singulorum, vt infinitæ partes ignis in aëre, carnis in osse: & hoc ideo, quia videbat vnum ex alio generari. Propterea dixit, quodlibet in quolibet: & quodlibet fieri ex quolibet. Tertiò dixit, generationẽ rerum fieri per segregationem consimilium partium, & congregationem earum adinuicem, & non aliter, ita quòd sicut etiam dicebant antiqui, huiusmodi principia materialia semper manebant, & nihil secundum substantiam generatur, aut corrumpitur. Quæ autem esset causa segregans à mixtura huiusmodi partes & congregans adinuicem, dicemus infrá. Eandem opinionem recitauit, & diffusè reprobauit in primo Physic. à textu trigesimotertio, vsque ad tex. quadragesimũprimũ.

Improba- Hic autem compendiosius eum improbat: & intendit tria. Primò quantum ad ea, quæ in verbis suis sonant, pessimè & absurdè dixit, & primo, cùm videamus nunc partes vniuersi esse abinuicem distinctas, in qua distinctione stat perfectio vniuersi, non est maior ratio dicere, quòd nunc sint distinctæ quam in principio mundi. Absurdum ergo fuit dicere, ab initio omnia fuisse confusa in vno chao & indistincta, & præcipuè, quoniam, vt probatum est in octauo Physicorum mundus, & motus cœli est æternus: ergo distinctio partium mundi est æterna. Secundò, quia impermixtum & permixtum sunt vt simplex & compositum: simplex autem prius est, quam compositum: ergo entia prius fuerunt impermixta quam permixta, cuius contrarium posuit Anaxagoras. Tertiò, non quodlibet aptum natum est permisceri cuilibet, sed ea quæ adinuicem alterabilia sunt donec fiat ex eis forma media, vt patet de luto, de pane, de melicrate, de oxymeli, ergo absurdum est ponere omnia indistinctè esse permixta. Quartò, si omnia permixta sunt separabilia abinuicem, cùm qualitates, & quantitates, & cætera accidentia sint mixta, sicut vnita substantiis, poterunt separari à substantiis, & esse per se, ex consequenti accidentia fient substantiæ, quod est impossibile. Cùm igitur tot absurda contineat opinio Anaxagoræ, secundum quod verba sonant, relinquenda est.

Secundò dicit Aristot. quòd si quis consideret intellectum Anaxagoræ, quem tamen nesciuit exprimere, fortè apparebit dicere, quid profundius, & mirabilius quam alij. Nam fortè per illud mixtum somniabat materiam primam, licet nesciret eam exprimere. Certum est enim, quòd illud mixtum siue chaos, non erat aliquod determinatum nec distinctum, nec in eo continebantur aliqua distinctè, aliter non fuissent omnia insimul confusa. non ergo album, non nigrum, nec rubeum, nec aliquid distincti saporis, nec aliquod determinatè quantum, nec certa substantia, puta vel homo, vel lapis. si enim fuissent aliquæ distinctæ species in eo, non fuisset chaos, & cùm per separationem fierent omnia corpora distincta actione primi intellectus separantis, sequitur quòd omnia erãt in potentia in illo mixto. hæc autem est conditio materiæ primæ, vt scilicet sit in potentia ad omnem formam & nullam habeat ex se actu, sed reducatur ad actum actione agentis naturalis. si ergo Anaxagoras hoc intendebat, licet nesciret explicare, mirabiliter locutus est. Si autem per mixtum intendebat latentiam omnium formarũ actu, tunc vt inquit Commenta. primo Metaphysicæ comment. 16. intendebat Anaxagoras per istos sermones facere sibi fimbrias, & propter laudem, & non propter aliquam opinionem famosam defensandam, quia suo tempore non erat lex, quam defenderet.

Tertiò dicit Aristote. quòd quoniam sermones Anaxagoræ versantur circa generationem & corruptionem rerum mobilium, & huius consideratio est propria Physici, ideo sufficit sic reprobasse eum, quasi dicat, si perfecta, & propria reprobatio quæritur, recurrendum est ad Philosophiam naturalem, & tu vide in primo Physico. à textu trigesimotertio vsque ad quadragesimũprimũ. Hæc de secta Anaxagoræ dicta sint.

Leucippi ac Democriti positio. Secundæ sectæ auctor fuit Leucippus, & eius collega Democritus. Horum quidem sententiam Aristoteles, in primo Metaphysicæ perstrinxit dicens, quòd posuerunt rerum principia plenum & vacuum, vt possent seruare motum. Arbitrabantur enim nihil posse moueri in pleno, ne plura corpora essent simul: motus ergo erit in vacuo, & plenum quidem attribuebant enti, vacuum autem non enti, quoniam est priuatio, ex consequenti autem dicebant principia rerum esse ens & non ens. Dicebant insuper entia genita non distingui secundum substantiam, sed tãtum figura & situ & ordine partium, sicut syllabæ non distinguuntur essentialiter à literis, sed tantum figura & situ & ordine literarum. aliam enim figuram continet mo, quam ma: & alium situm, & ordinem continet na, quam an. Dicebãt vlterius rem generari ex congregatione corporum infinitorum indiuisibilium: quę quidem omnia sunt eiusdem naturæ, sed distinguuntur figura, quoniam alia triangularia, alia quadrangularia, &c. & distinguuntur situ, dum congregantur, quoniam alia à dextris, alia sursum, &c. situantur, & distinguuntur ordine, quoniam alia prius, alia posterius congregantur. Et motiuum quidem eorum fuit, vt refert Aristo. in primo libro de generatione, textu nono, quia crediderunt sicut corpus est omnino diuisibile in potentia, sic ponere actu omnino diuisum non sit inconueniens, si autem sit omnino diuisum, ergo partes non sunt amplius diuisibiles, ergo stat diuisio ad indiuisibilia, & quoniam compositio opponitur diuisioni, igitur compositio erit ex indiuisibilibus.

Sed, vt arguit Aristote. contra eos in primo libro de generatione, textu nono. Si compositio fieret ex indiuisibilibus, compositum esset non quantum, quoniam indiuisibile additum indiuisibili tangit secundum totum, ex consequenti non faciunt quantum. vnde, si infinita puncta se tangerent, cum non distinguerentur situ, non essent plusquam vnus punctus. Motiuum autem eorum nihil est, non est enim necesse omne quod est in potentia, posse simul esse, & secundum se totum reduci ad actum, vt patet in successiuis, & de materia prima, quæ est in potentia ad omnes formas: & tamen est impossibile eam simul actuari omnibus formis. sic in proposito, licet continuum sit secundum omnem partem, & secundum omne signum diuisibile, tamen repugnat esse totum diuisum actu: quoniam omnis pars adhuc est diuisibilis in minora, nunquam tamen in indiuisibilia. Hæc de secta Leucippi, & Democriti dicta sint. Et hîc terminatur secundum caput.

CAPVT III.

Eorum affertur & destruitur positio, qui ex principiis materiale & efficiens tantum asserebant.

IN tertio capite ponenda est opinio dicentium duo esse rerum principia, scilicet materiale, & efficiens, qui ipsa veritate excitati cognouerunt ex materia nihil produci, nisi adsit mouens ipsam per alterationem, vel per rarefactionem, vel condensationem, vt variæ rerum species producantur, isti igitur diuiduntur in tres sectas.

Intellectus Anaxagoræ. Primæ sectæ auctor fuit Anaxagoras, qui introduxit primum intellectum distinguentem, & separantem diuersas partes indistinctas in illo mixto, & ex eis extractis, & adinuicem congregatis producentem varias rerum naturas. Quem quidem intellectum distinctum & immixtum illis naturis corporeis posuit, vt eas posset separare. Aduertit enim quòd si & ipse mixtus, ac corporeus fuisset, non haberet maiorem virtutem separandi, quàm cætera corporea. vnde sicut receptiuum de-

bet esse denudatum à natura recepti, sic separatiuum aliquorum mixtorum debet esse denudatum à natura ipsorum.

Hæc fuit positio Anaxagoræ de principio efficiente, quam dicit Aristo. esse deficientẽ, quoniã non vtitur hoc intellectu nisi in assignãdo necessario in generatione mũdi: puta interrogatus Anaxago, quare tot sunt cœli, quare octaua sphæra tot habet stellas, sphæræ autem planetarum vnam, quare tot motibus mouentur, quare elementa sic locatur, sic mouẽtur, respondebat id totum prouenire à primo intellectu sic mouente, & disponente, in generatione autem rerum particularium nõ vtebatur intellectu vt efficiente, sed nec aliud efficiens assignabat, nisi segregationem, quæ non est efficiẽs, nec mouens, sed effectus & motus segregantis. Patet igitur, quòd ex inconsideratione vel impotentia intellectus, diminutè valde locutus est de principio rerum efficiente.

Hesiodi opi. qui amorẽ esse verũ principiũ existimauit.

Secundæ sectæ auctor fuit Hesiodus vetustissimus poëtarum describentium diuina, hic primus posuit amorem esse principium motiuum, & productiuum omniũ: vnde scripsit, ꝙ amor condocet immortalia, id est dirigit, & mouet Deos ad productionem rerum ex chao: Et motiuum quidem suum fuit, quoniam videmus in nobis amorem esse primum motiuum ad operandum, nec prima ratio cõmunicandi bonum est alia quàm amor. Idem existimauit contingere Hesiodus in rerum, & mundi productione. Hesiodo consensit Parmenides, qui licet, vt diximus suprà, poneret tantùm vnum ens secundum rationem, tamen secũdum sensum ponebat plura principia materialia, scilicet ignem, & terram, & posuit amorem, vt virtutem productiuam: Vnde tentans demonstrare vniuersi generationem, dixit, deorum amorem fore prouidentem omnibus, id est, amor mouet deos ad productionem rerum & totius vniuersi.

De hac secta non multum curat Aristo. quoniam non vt Philosophi inuestigandæ rerum veritati insudabant, sed vt poëtæ variis modis delectabilibus, & figuris nitebantur suadere homini, & allicere ad diuina. Tu tamen aduerte dictum Hesiodi, & Parmenidis esse verum in ratione causæ finalis, nõ in ratione causæ efficientis. amor enim trahit agens ad operandum, sicut & bonum, quod est obiectum desiderantis: sed vt dicemus infrà, Philosophi, qui videntur attingere causam finalem; non attingunt eam per se, sed per accidens, pro quãto non distinguunt inter causam efficientem & finalem, & id ad plenum declarabitur in 5. cap. Positio ergo hæc non est improbanda, vt falsa, sed quoniam amori non attribuunt causalitatem, quæ conuenit ei per se, quæ autem conuenit ei per accidens est causalitas efficientis. nam amori sicut & bono, ex ratione sua sibi conuenit esse id gratia cuius aliquid fit, non autem esse effectiuum & productiuum.

Lis & amicitia quomodo principia posuit Emped.

Tertiæ sectæ auctor fuit Empedocles, qui vltra quatuor elementa introduxit duo principia productiua, scilicet amorem & odiũ, siue amicitiã & litem. Et motiuum quidẽ suum fuit, quoniam aduertit in vniuerso esse bona & mala, vt contraria, imò mala esse plura quàm bona, & multa inordinata. Amor autem, cùm sit circa bonum, non potest esse causa, nisi boni. igitur causa productiua mali debet esse cõtraria amori. Lis autem & odium contrariantur amori: ergo productiuũ boni est amor, mali autem erit odium. Et sicut sunt duæ causæ productiuæ contrariæ, & duo producta contraria, sic sunt apud Empedoclem duo modi producendi contrarij. nam amor agit per congregationem, odiũ autẽ per separationem. Hæc fuit positio Empedoclis, qui quo ad amorem concordat cum Hesiodo, & Parmenide, in litera autẽ discordat.

Sed Arist. reprobat ipsum, non quasi dicentem falsa (licet falsum dicat, scilicet amorẽ esse causam boni, ex consequenti bonum esse causam boni, & odiũ causam mali, ex consequenti malum esse causam mali. nam, vt dicemus in lib. 12. bonum est causa boni & mali, sed boni per se, mali per accidens) sed diminutum & deficientem in assignatione causæ efficientis, & hoc dupliciter. primo, quia ex positione sua non potest sustinere amorem esse causam omnis boni, imò aliqua sunt ab odio, vt distinctio partium vniuersi, & aliqua mala sunt ab amore, vt confusio partium vniuersi. Secundo, quia non potest sustinere amorem semper agere per congregationem, imò congregat, & separat secundum positionem suam. nam dominante amore secundũ ipsum partes vniuersi confunduntur, & immiscentur adinuicem, licet autẽ congregentur, pro quanto secundum se tota non remanent distincta secundum situm, tamen non miscentur adinuicem, nisi totum miscibile diuidatur in minutissimas partes & vniatur alteri, vt patet. si ergo amor debet vnire aquam terræ, & sic de aliis elementis, necesse est vt separet earum partes, & adinuicẽ vniat, ergo amor congregat & disgregat. Idem dico ex parte odij, nam ipso dominante non separat elemẽta situ, nisi extrahat partes vnius elementi immixtas alteri, & vniat in vnum, ac reducat ad proprium situm. Patet ergo quàm insufficienter assignauit causam efficientem, & modum agẽdi ab ipso assignatum non potest sustinere. Hæc de 3. cap. dicta sint.

CAPVT IIII.

Illorum ponitur & reprobatur opinio, qui præter materialem & efficientem causam formalem etiam quoquo modo tetigerunt.

IN quarto cap. inuestigãdum est, si aliqui vltra causam materialem, & efficientem peruenerunt ad cognitionem causæ formalis, qua rei substantia constituitur, & à qua sumitur diffinitio. Aduerte igitur ad mentem Arist. quòd nullus clarè eam posuit, qui fuerit ante viam Platonis. Dico clare, quoniã nullus eam expressit, licet obscure, & interpretatiue videatur illi approximare, sicut Empedocles, qui posuit os, & carnem habere aliquam rationem, per quam sunt huiusmodi, tamen illam non expressit per modum causæ formalis. Dico ante viam Platonis. quoniam licet Pythagoras, & Alcmæon Crotoniates, qui cœpit Philosophari existente iam sene Pythagora, posuerint altiora principia rerum quàm Philosophi antiqui naturales, de quibus diximus in 2. & 3. cap. (posuerunt enim vnitatem, & numerum esse rerum principia, contra quos disputabat Arist. in lib. 10. qui possunt applicari naturis sensibilibus, & insensibilibus. nam & in rebus incorporeis inuenitur vnitas & numerus, non autem ignis, aut aqua, nec aliud elementum corporeum) non tamẽ expresserunt causam formalem, imò omnia principia ab eis posita videntur reduci ad causam materialem: quod ex hoc patet, quoniam ponebant prima rerum principia esse contraria, vt finitum & infinitum, par & impar, vnum & plura, dextrum & sinistrum, masculinum & fœmininum, quiescens & motum, rectum & curuum, lucem & tenebram, bonum & malum, quadratum & quadrangulum, altera parte longius. Hanc autem contrarietatem necesse est accipere ex parte principij materialis, quoniam, vt inquit Arist. ex principiis ab eis positis, inter quæ ponunt contrarietatem, dicũt substantiam rei plasmari, vt ex eis quæ insunt, quæ est conditio materiæ ad differentiam priuationis, ex qua licet res fiat vt ex non musico musicum, tamen non permanet in re facta, ex primo Physic. tex. 60. Item dico ante viam Platonis, quoniam ipse expressè causas formales introducit, quas vocat species siue ideas, de quibus propriè dicit haberi scientiam & diffinitiones, nam vt clarius videbitur in lib. 7. dixit ideas esse causas singularium quo ad esse & generationem scientiæ nostræ. non enim potest sciri nec diffiniri hic homo, sed homo, vt homo, quem vocat per se homo.

Sed contra Pythagoram arguit Arist. triplici ratione, primo quoniam ex principiis cõtrariis non fit aliquid, nisi actione agentis expellentis vnum, & introducentis alterum in eodem subiecto: sed Pythagoras, ex hoc ꝙ ponit numeros & passiones numerorum esse principia, ex quibus rei substantia constituitur, non assignat causam motus, nec generationis, in genere causæ efficientis: ergo diminutè locutus est.

Secundo, principia, ex quibus res constituitur, sunt causa proprietatum eius (fluunt enim passiones à principiis constitutiuis, vt risibile à rationali anima, graue ab elemento prædominante) sed à numeris non potest trahi ratio, quare aliqua sunt leuia, aliqua grauia, aliqua lucida, aliqua opaca. nã numeri secundũ Pythagorã ita sunt principia corporũ mathematicorũ, sicut corporum naturalium: ergo quantũ sit ex se non sunt causa proprietatũ naturalium: aliter ita causarent eas in mathematicis, sicut in naturalibus: videmus enim quòd vbicunque, & in quocunque concurrunt elementa causant aliquã ex his proprietatibus, ergo insufficiẽter loquutus est.

Tertio Pythagoras videtur dicere duo incompossibilia: nam dicit numeros esse principia, ex quibus constat corpora cœlestia, & hæc inferiora, & dicit eundem esse numerum constitutiuum vtrorumque. Hæc autem non stãt simul, quoniam corruptibilium, & incorruptibilium non possunt esse eadem principia materialia: quale enim est cõpositum talia sunt componentia, &c. & in hoc melius sensit Plato, qui, & si existimauit corpora cœlestia, & inferiora componi ex numeris, tamen alium dixit esse numerum cœlorum, & alium inferiorum, illum esse causam istius. Hæc de sententia Pythagorica circa prima rerum principia dicta sint.

Contra Platonẽ autem, quo ad positionẽ specierum in genere causæ formalis, multipliciter arguit: & primo sic. Id à quo sumitur substantia rei, & per quod in esse constituitur, est intrin-

intrin

intrinsecum rei, non enim possibile est Socratem viuere, nisi anima sibi intrinseca, nec aquam esse calidam, nisi calore sibi intrinseco. Cùm igitur ideæ secundum Platonem sint formæ separatæ, non possunt esse causæ formales, à quibus sumatur rerum substantia, & per quas constituantur in esse. Secundò, à causa formali fluunt proprietates rerum, vt ab anima potentiæ suæ, à forma grauis, grauitas, à forma leuis, leuitas: sed ab ideis separatis impossibile est fluere proprietates rerum sensibilium, proprium est enim rerum sensibilium subiici motui, & tempori, & loco. Hæc autem non fluunt ab ideis, quoniam secundũ Platonem immobiles, inalterabiles, insensibiles sunt & per se, & per accidens: verùm, quia de his diffuse, iterum disputabit in li. 7. vbi declarabit, quòd positio idearum nihil proficit, ideo pro nunc transeo prolixas improbationes, quas ponit in hoc primo libro, ne in vanum laboremus. Hæc de quarto capi. dicta sint. Nunc superest inquirere de principio finali.

CAPVT V.

Eorum, qui præter materialem, efficientem, & formalem causam, finalem tetigisse, vel non tetigisse visi sunt, narratur, ac destruitur sententia.

IN quinto capite inuestigandum est, si qui vltra principium materiale, & efficiens, & formale, peruenerunt in cognitionem causæ finalis. Tu igitur aduerte, quòd, vt inquit Aristo. in fine huius libri primi, Philosophia à principio visa est sicut infantia balbutiens, quę vt noua in sermone licet incipiat proferre omnes terminos idiomatis, tamen perfectè proferre nescit, nec potest debilitate instrumentorum naturalium, sed balbutiens obscure, & truncate loquitur, sic primi Philosophi excitati ex ignorantia causarum incœperunt eas inquirere, & omnia quatuor genera causarum, quæ pertractata sunt in 2. Phy. visi sunt tetigisse, & quintum addere non potuerunt, quoniam pro rei veritate non est dabile, tamen ex difficultate negotij, & debilitate ingenij veluti infantes, nullus clarè, & sub propria ratione propriæ causalitatis eas expressit, sed adeo obscure locuti sunt, quòd nullam videntur attigisse. nam & Anaxagoras de causa materiali, vt diximus recitantes sententiam suam, potius somniauit, quàm aliquid verè pronunciauerit. De causa efficiente Empedocles, & Hesiodus & alij diminutissimè locuti sunt. Assignat enim rationem agendi pro agente & efficiente, vt diximus in 3. cap. Idem patet de formali, vt diximus in 4. cap. Idem nunc declarandum est de causa finali, quam aliqui videntur attigisse & non attigisse. Attigisse quidẽ per accidens, non attigisse autem per se. Pro cuius notitia aduerte, quòd aliqui posuerunt amorem, & bonum esse causam rerum. Quod quidem potest esse dupliciter. Primò, vt factiuũ & productiuum boni. est enim bonum à bono, sicut calidum à calido. Secũdò, vt illud gratia cuius aliquid fit, vt medicus dat medicinam propter sanitatem apprehensam sub ratione boni. hic secundus modus conuenit causæ finali per se, quoniam in eo consistit propria ratio sua, omnis autẽ alius modus conuenit ei per accidens: nõ enim de ratione boni, vt est finis, est esse productiuum, sed esse illud gratia cuius producens producit, est enim terminus intentionis ipsius producentis, & in ipso terminatur motus: quia igitur, vt inquit Arist. aliqui Philosophi considerauerunt id, quod est finis, puta bonum, vt à quo, & non vt gratia cuius aliquid fit, dicit attigerunt causam finalem non simpliciter, & per se, id est, secundum propriam rationem, sed per accidens, id est, quo ad suum materiale, vel vt sibi attribuunt causalitatem causæ efficientis, quæ conuenit ei per accidens, sicut formæ per accidens cõuenit esse subiectum. nam formæ, vt forma, conuenit actuare, non autem recipere aut subiici. verum est igitur dicere antiquos attigisse, & non attigisse causam finalem modo exposito. Et hîc terminatur secundus tract. in quo complexi sumus sententias præcedentium Arist. de primis rerum causis, in quarum cognitione est terminus considerationis metaphysicalis. Hæc dicta sint super primo libro Metaphysicæ.

EPITOME
SVPER SECVNDO
Libro Metaphysicæ.

POstquam in primo libro visum est, quid senserint antiqui de primis rerum causis, in hoc secundo libro, iuxta ordinem assignatum in cap. quinto, primi tractatus primi lib. agendum est de veritate simpliciter sumpta, & totam mentem Aristotelis complectemur in vnico tracta. quem distinguemus in tria capita.

Primo, ꝙ cõsideratio veritatis est nobis facilis & difficilis.

Secundo, quòd Metaphysica propriè & maximè habet considerare veritatem absolute.

Tertio, quis sit conueniens modus considerandi, & inuestigandi veritatem.

CAPVT I.

Quòd veritatis contemplatio in hac vita nobis facilis & difficilis est.

IN primo capite declarandum est, quomodo & qualiter consideratio est nobis pro hac vita facilis, & difficilis, pro cuius resolutione agemus tria.

Primo proponemus aliquas distinctiones.

Secundo, aliquas conclusiones cum probationibus suis.

Tertio declarabimus, quomodo homines incumbentes studiis scientiarum iuuant seinuicem, & minuunt difficultatem inuestigandæ veritatis.

Quantum ad primũ, aduerte quòd inquisitio veritatis potest esse circa terminos vniuersalissimos, & primas propositiones, quas dicimus principia prima, & naturalia: & potest esse circa terminos proprios, & propria principia, vt circa propria genera, & differẽtias, & proprietates, & diffinitiones vniuscuiusq; naturæ. Præterea, rerum cognoscibiliũ quædam sunt sensibiles materiales, quædã non subiectæ sensui immateriales, quales sunt anima intellectiua, intelligẽtiæ, & Deus. Præterea cum veritas dicat respectum rei & intellectus, qui respectus dicitur adæquatio siue conformitas, vt declarauimus in trac. de Transcend. facilitas & difficultas cognoscendæ veritatis potest prouenire ex parte rei, & ex parte intellectus. Ex parte quidem rei, quoniam est modicæ entitatis, vt materia prima, relationes, entia successiua: nã quia vnumquodque intantum est intelligibile, inquantum est ens, & intantum ens, inquantum est actu: cum huiusmodi magis sint potentialia, quàm actu, ideo ex eorum natura parum, & cum difficultate sunt intelligibilia. Ex parte autem nostri intellectus, quoniam est intellectus potentialis & materialis, ex 3. de Anima, tex. 5. vnde respectu entiũ, quæ maximè sunt actu, vt intelligentiæ, & Deus, cũ sint sine omni materia, difficultas cognoscẽdi est ex parte intellectus nostri, sicut difficultas intuendi solem est ex debilitate visus nostri.

Facilitas & difficultas ex duobus pẽdet.

Quantum ad secundum propono aliquas conclusiones, quarum prima sit hæc.

Prima conclusio, Via inducens nos ad veritatem, non est nobis impossibilis, hanc sic probat Cõmen in 2. Metaph. cõm. primo. Cùm habeamus naturale desiderium ad sciendum veritatem, si apprehensio eius esset nobis impossibilis, tunc desiderium esset otiosum: concessum est autem ab omnibus, ꝙ nulla res est otiosa in fundamento naturæ & creaturæ: ergo, &c. Propterea dicit cõmen. credimus necessario nos scire veritatem in multis rebus.

Via ad veritatẽ nõ est nobis impossibilis.

Secunda conclusio, Apprehensio veritatis est nobis facilis, & difficilis. Et quidem, ꝙ sit facilis, ostenditur tripliciter: primo, quia nullus est adeo rudis, qui sit omnino expers veritatis, modò possit vti ratione. vnde nullus antiquorum inuẽtus est, qui incumbens huic inquisitioni non enũciauerit aliquid de veritate ex ipsa veritate compulsus, licet balbutiendo & & truncate enunciauerit. Secundo, quia vt inquit Cõmen. & Arist. licet quilibet particularis homo parũ de veritate inuenerit, tamen ex omnibus inuentis facta est magna aggregatio, ita ꝙ in breui tẽpore philosophia maximũ augmentũ suscepit, vnde inuentio totius, aut magnæ quantitatis de veritate cum breui tẽpore, vt inquit Cõm. indicat eius facilitatem. Tertio quia prima principia cõplexa, per quæ tanquã per ianuam patentẽ datur ingressus ad veritatẽ rerum perscrutandam, sunt nobis naturaliter cognita, ita ꝙ in eis non cõtingit errare, sicut nullus errat in foribus domus, quoniam omnibus sunt manifestæ, contingit autẽ error, & difficultas in deducendis conclusionibus à principiis per se notis. Igitur apprehensio veritatis, saltem quo ad principia prima, est nobis facilis: vnde inquit Cõm. in 3. lib. cõm. primo, & est facilis secundum hunc modum, ꝙ in quolibet genere entium sunt aliqua in respectu eorum, quasi ianua domus in respectu domus in hoc, ꝙ non latent aliquem, & ista sunt prima cognita naturaraliter habita à nobis in quolibet genere entium, &c.

Veritas facilis & difficilis est.

Quod autem sit difficilis ostendit Arist. ex eo, quòd, vt inquit Cõmen. nullus singularis homo comprehendit totam veritatem de rebus, nec magnam partẽ, licet, vt diximus, ex inuentis à multis magnum augmentum susceperit, & propterea, vt inquit D. Alber. in 2. lib. cap. 1. dixit Aristo. in prooem. quòd hæc sapientia versatur circa difficilia cognita & quòd est potius diuina possessio, quàm humana, & quòd tamen

homo

homo aliqualiter apprehēdit eam, quoniam naturale desiderium habet ad illam, quod non potest esse otiosum. Veruntamen aduerte dictum Ptolemæi adductū à D. Albe. in eodem cap. cum inquit, si aliqua scientia secundum aliquid exaltata est supra nosse nostrum, & secundū aliquid est apprehēsibilis, omnino stultus est qui negligit eam propter desperationem illius partis, secundum quam exaltatur supra nostrum nosse, sic enim & omnia scibilia possent negligi, quoniam in humanis inuentionibus nihil est ex omni parte perfectum, sic igitur in apprehensione veritatis vniuersalis illis, quæ præ foribus sunt, in primis innitentes nitemur paulatim ad ea quæ magis distant à cognitione humana.

Materialium difficultas ex ipsis cōsurgit, immaterialium verò ex intellectus debilitate.

Tertia conclusio, Difficultas apprehēdendæ veritatis rerū materialiū, & sensibiliū est ex parte earū, difficultas aūt circa res immateriales, & abstractas est ex parte intellectus nostri, sicut difficultas vidēdi solē in sphæra sua, est ex parte noctuæ.

Pro euidentia huius conclusionis antequam probetur, aduerte quòd triplex est intellectus, & triplex intelligibile, conforme triplici lumini solari. Primus quidem intellectus est diuinus, qui est purissima lux intellectualis, qui prehabēs omnia in seipso, limpidissimè omnia intelligit, & est sicut lux solis in rota sua, quæ est vniuersalis causa omnium luminum extra ipsum, Secundus est intellectus intelligentiæ, qui participatione luminis primę causæ radiātis super ipsum intelligit omnia, & quoniā hi duo intellectus semper incipiunt à lumine, nunquam admiscentur tenebris, nec erroribus, nec falsitati. Tertius est intellectus animæ nostræ, quæ, quoniam continet in se gradum sensitiuum, & gradus inferiores sensitiuo, ideo habet intellectum admixtum imaginationi & sensui, cuius intellectio incipit à debili lumine admixto tenebri, sicut est lumen auroræ, & per separationem à conditionibus materialibus paulatim eleuatur, & per assiduum studium tandem deuenit in intelligibile sincerum & est in sui incoeptione, sicut oculus noctuæ, In progressu tamē speculationum suarum differt ab oculo noctuæ, in hoc quòd noctua nunquam adeo confortatur, quòd deueniat ad intuitum sinceri luminis. Intellectus autem noster ex assiduo studio adeo in lumine suo confortatur, quòd ab intellectione obscura ad claram & sinceram deuenit, & coadunito lumine suo ascendit per gradus vsque ad intellectionem primæ causæ, & in hoc est summa felicitas, cuius meminit Aristot. in decimo Ethic. & ibi est finis desiderij, quo homo naturaliter scire desiderat.

Primum autem intelligibile est primum principium nihil habens potentialitatis obumbrantis, & minuentis intelligibilitatem, sed est merus actus incircunscriptus illimitatus in se continens plenitudinem entis, & assimilatur luci solari in sole complantata nullis vmbris admixta, sed vt mera lux in se continet lucis plenitudinem.

Secundum intelligibile est substantia intelligentiæ, nulli materiæ, nec quantitati, nec mutationi physicæ admixta. sed immaterialis, æterna, secundum se totam intellectualis existens, & assimilatur lumini solari egredienti à sole immediatè in recepto & serenissimo aëre ab omni extraneo & nebuloso vapore depurato.

Tertium intelligibile est res corporea materialis sensui & mutationi subiecta, plures in se continens gradus, vt substantiam, accidentia sensibilia, inter quæ quædam sunt permanentia, vt quantitas, qualitas, relatio: quædam successiua, vt motus, tempus, actio, passio, &c. & assimilatur lumini solari admixto tenebris, vt in aurora, & in aëre caligine conspersio. His præpositis annecto duas conclusiones.

Primi principij, ac separatorū intellect⁹ difficilis ē nō ex parte rei sed nostri potius intellectus.

Prima conclusio, Difficultas apprehendendi quiditatiuè, primum & secundum intelligibile non est ex parte rei, sed ex parte intellectus animæ nostræ. Prima pars sic probatur ad mentem Commen, in secundo libro comm. primo. Cùm sint entia abstracta sunt in se actu naturaliter intellecta, id est, cū sint sine materia sunt ex sui natura intelligibilia actu: ergo quantū sit ex se sunt summè intelligibilia, sicut lumen in sole, & lumen receptum in purissimo aëre est perfectissimè visibile. Secunda pars sic probatur secundum mentem B. Tho. exponentis, si difficultas non esset ex parte intellectus nostri, ergo maximè cognosceremus huiusmodi entia abstracta, cum habeamus naturale desiderium cognoscendi ea ex sui nobilitate: videmus autem, quòd diminutissimè ea cognoscimus, scilicet obūbratè & per effectus inadequatos: ergo, &c. Propterea bene Arist. comparauit intellectum nostrū in huiusmodi cognitione oculo noctuæ, qui habens spiritum visum obscurum & pupillam humoris non coadunitam, non potest videre clarum lumen, sed tenebris admixtum. Vtrum autem hæc difficultas tāta sit, quòd inducat impossibilitatē, duæ sunt opin. scilicet, Commen. & B. Tho. Comm. tenet partem negatiuam. Inquit enim in secūdo Metaph. cōmen, primo, sed hoc non demōstrat res abstractas intelligere esse impossibile, sicut inspicere solem est impossibile vespertilioni, &c. B. Tho. exponens tenet partem affirmatiuam, propter improportionem, quam habet intellectus coniunctus ad res abstractas, cuius sententiam defendimus in quæstionibus nostris Metaphysic. & soluimus rationē Commen. similitudo autem adducta inter noctuam, & intellectum tenet propter improportionem virtutis, sicut enim virtus visiua noctuæ ex sui debilitate est improportionata lumini claro intuendo, sic intellectus noster coniunctus, quia est in vltimo gradu intellectualium, & quia non intelligit, vt coniunctus sine phantasmate, est improportionatus cognitioni quiditatiuæ rei abstractæ, non autem tenet similitudo, pro quanto potentia visiua noctuæ est organica, imò vt sic est dissimilitudo.

Secunda conclusio, Difficultas apprehendendi res materiales, & corruptibiles est ex parte rerum. & non ex parte intellectus nostri. Hæc probatur duplici ratione. primo secundū Commen. quia non sunt intelligibilia actu ex se, cum sint coniuncta materiæ, quæ vt sic repugnat intelligibilitati, & necesse est vt intellectus noster faciat ea intelligibilia per abstractionem à phantasmatibus, & conditionibus indiuiduantibus virtute intellectus agentis, vt declaratum est in tertio de Anima: ergo, &c. Secundo, quia, vt inquit B. Tho. exponens, cum vnumquodque sit intelligibile inquantum est ens actu, vt manifestabitur in libro nono Metaph. textu vigesimo, quæcunque habent esse deficiens, & imperfectum, parum sunt ex se intelligibilia: huiusmodi autem sunt entia materialia, quoniā ex materia habent esse diminutum & potentiale, & ideo ex parte materiæ sunt non intelligibilia, & omnem intelligibilitatem trahunt à forma, sicut & esse actu. vnde Arist. in primo Physic. textu sexagesimonono, dixit materiam primam non esse cognoscibilem, nisi per analogiam ad formam. Tu tamen aduerte, quòd sicut entia materialia sunt in triplici gradu, sic tripliciter variatur difficultas apprehendendi ea.

Primus gradus est eorum, quæ etsi non habeant esse nisi in materia sensibili, tamen secundum diffinitionem abstrahunt ab huiusmodi materia, vt mathematicalia, de quibus dicemus in 7. & 8. libro Metaphys. & hæc minus difficilia sunt ad intelligendum: & certiori modo apprehenduntur, eo quòd abstrahunt vt sic, ab omni motu & variatione.

Secundus gradus est entium naturalium, quæ habent esse in materia, & non diffiniuntur nisi per materiam sensibilem, vt patet in 2. Physic. tex. 19. quorum esse non est successiuum, sed dicuntur entia permanentia, vt lapis, lignum, &c. Et hæc minus intelligibilia sunt ex sui natura quam entia mathematica, eo quòd nec secundum esse, nec secūdum rationem abstrahunt à materia, quæ vt materia, obstat intelligibilitati, & nisi conciperentur sine materia indiuiduali, nullo modo intelligerentur, quoniam sensus est singularium, intellectus autem est vniuersalium.

Tertius gradus est entium naturalium, quorum esse est tantum in fieri, vt successiua, & quorum esse est tantum habitudo ad alterum, vt relationes, & hæc sunt minimè intelligibilia, propter deficientem, & minimam eorum entitatem, quæ magis propinquant non enti, quam enti. Hæc de secundo principali dicta sint.

Quantum ad tertium aduerte, vt inquit Commen. in 2. Metaphysicæ, commen. 2. nullus singularis potest per seipsum solum inuenire artes operatiuas, id est, mechanicas, aut cōsideratiuas, id est, speculatiuas, pro maiori parte, id est, quasi perfectas, nisi per iuuamentū prioris ad sequentem, id est, nisi priores, qui insudarūt in tali studio, auxilium dedissent posterioribus, prout, scilicet priores aliquid inuenerunt, & sequētes addiderunt: & sic ex multis, licet paruis inuentis, artes & sciētiæ ad magnū augmentū deuenerūt. priores igitur adinuenerunt posteriores addiderūt, quapropter prioribus gratiæ agendæ. vnde Timotheus musicus obligatur Phyrno: & nos obligamur Timotheo, cognouit enim Timotheus ex studio Phyrni multas consonantias, quas non cognouisset: & illis addidit, & moderni per Timotheū, per Pythagorā, per Boethū maximè profecerunt in musicis, & etiam addiderunt: & non solum agendæ sunt gratiæ primis inuētoribus liberalium artium, sed & his, qui desudarunt antiquitus in inuestigandis rerum causis & naturis, quoniam aut eorum opinionibus, vt veris communicamus, & sic parauerunt nobis viam in venatione veritatis, aut eorum opiniones reputamus erroneas, sicut pro maiori parte vidimus in primo libro de inuestigatione primarum & vniuersalium causarum entis, & sic etiam obligamur

eis

eis, quoniam dederunt nobis occasionem exercendi intellectum nostrum, vt fugientes eorum errores perueniamus ad inquisitam veritatem: igitur, vt inquit B. Th. exponens tam benedicentes, quàm malè, adiuuant nos in scrutatione veritatis, licet diuersimodè, quoniā benè dicentes adiuuant nos directè, quoniā aliquid veri enunciarunt, cui & nos addidimus, sed malè dicentes adiuuant nos indirectè, pro quāto licet veritatem non enuncient, tamen excitant, & exercēt nos in huiusmodi venatione. quare vtrisq; gratiæ agendæ, & omnes digni laude fuerunt. Egerunt enim quantum in eis fuit, vt rerū veritatem ennunciarent, & eam nobis manifestarent. Patet igitur, quomodo homines se mutuo iuuāt in apprehendenda rerū veritate, ex quo iuuamento multum minorata est difficultas apprehendēdæ veritatis, cuius signum est manifestum augmentū in qualibet arte & sciētia. Hæc de 1. cap. dicta sint.

CAPVT II.

Metaphysicam esse maximè scientiam veritatis probat: hic in nullo causarum genere dari processum in infinitum ostendit.

IN secundo capite declarandum est Metaphysicam esse maximè consideratiuam veritatis vniuersaliter & absolutè, pro cuius resolutione tria agenda sunt,

Primò q Met. rectè vocatur scientia consideratiua veritatis.

Secundò, quòd licet omnis scientia speculatiua possit dici scientia veritatis, tamen id propriè & maximè conuenit Metaphysicæ.

Tertiò, quoniā probatio Philosophi innititur huic fundamēto, quod in omni genere causarū datur primū, ideo defensandum est hoc cōtra ponentes processum in infinitū in causis, & probādum, quòd in quadruplici genere causarum est status.

Tex. c. 3.

Quantum ad primum intendit Aristo. hanc conclusionem, Metaphysica est scientia veritatis, id est eius finis, & vltima intentio est scire veritatem de his, circa quæ versatur. Hanc sic probat, scientia speculatiua est scientia veritatis: nam distinguitur à practica in hoc, quòd finis practicæ est opus, & si considerat veritatem, non sistit in ea, sed ordinat eam ad opus. nam, vt inquit Comment. commen. tertio, practici non considerant de causis, & diffinitionibus rerum vt sciant, sed vt agant. finis autem speculatiuæ est cognitio veritatis, est enim gratia ipsius scire, quo adepto quiescit. sed, vt manifestatum est in proœmio primi libri Metaphysica est speculatiua: ergo meritò vocatur scientia veritatis, verùm, quia, id est commune omni speculatiuæ, vt Naturali & Mathematic. ideo, vt appareat excellentia huius sciētiæ super alias, ponitur alia conclusio, quæ immediatè declarabitur.

Tex. c. 4.

Quantum igitur ad secundum ponitur hæc conclusio, Metaphysica præcipuè, & maximè est scientia veritatis: quam sic probat Aristotel. scientia considerans principia, & causas verissimas, præcipuè & maximè est scientia veritatis: Metaphysica est huiusmodi: ergo, &c. Maior probatur, scientia de vero non habetur nisi per causam, quoniam ex primo Posterio. scire est rem per causam cognoscere, quam causam necesse est esse veram, quoniam ex primo Posterio. nescimus verum nisi per verum, vnde necesse est demonstrationem esse ex veris, ex primo Poster. tunc sic, scientia veritatis, quæ considerat causam veram est scientia veritatis: ergo scientia considerans causas verissimas, præcipuè, & maximè est scientia veritatis, Minor autem sic probatur, Metaphysica, vt dictum est in Proœ. considerat primas entium causas, & præcipuè effectiuas: ergo considerat causas verissimas. consequentia probatur. Quod est causa aliorum in vnoquoque genere vniuocè, est maximè tale. videmus enim causam omnium calidorum, quæ est ignis, esse calidissimam: sed primum in vnoquoque genere est causa sequentium: ergo primum in vnoquoque est maximè tale. ergo primæ causæ veritatis & entitatis sunt maximè veræ, & maximè entia. cùm igitur Metaphysica consideret primas entium causas, quæ sunt verissimæ, erit præcipuè, & maximè scientia veritatis. Et tu aduerte, quòd Arist. ex hac conclusione trahit duo corollaria. primum est, quòd principia motiua & effectiua corporum cœlestium sunt verissima, quoniam cùm sint indefectibilia sunt semper vera, & non quandoque sic, & quando non. Item cum sint principia corporum cœlestium, & non econuerso, & causa dignior, ac verior sit suo effectu, sequitur quòd sint verissima. Huiusmodi autem principia sunt intelligentiæ motrices, & supremum principium est prima causa, quæ simpliciter est causa, vt corpora cœlestia sint, & moueantur, de qua inquit Comment. in comm. quarto quod est ens per se, & verum per se, & omnia alia sunt entia, & vera per esse & veritatem eius, & de hoc supremo principio intelligendum est verbum Arist. cum dicit, quapropter semper existentium principia esse verissima, necesse est. nec obstat, quod vtitur numero plurali, quoniam in abstractis loquens, tanquam de vno genere, facile transit à plurali ad singulare, & econuerso, vt patet in libro duodecimo, textu vigesimonono, & trigesimo. Secundum est, quòd sicut se habet res ad esse, ita ad veritatem. nam esse rei est fundamentum veritatis, vt dicetur in lib. sexto, quale igitur est esse, talis est veritas, si esse est primū, erit prima veritas, si esse est causa omnis esse, sua veritas erit causa omnis veritatis, vnde vt inquit Commen. comm. 4. quantò magis fuerit perfectum in esse, tanto magis erit perfectum in essendo verum.

In causis nō est processus in infinitū. Text. c. 5. 6.

Quantum ad tertium aduerte, quòd cùm fundamentum conclusionis præcedentis stet in hoc, quòd Metaphysica considerat causas primas, aliquis posset negare hoc fundamentum, dicens esse processum in infinitum in causis, & sic non dari causas primas, ex consequenti fundamentum non valet, & ideo Arist. intendit firmare dictum fundamentum probans in nullo genere causarum dari processum in infinitum, & primo in genere causæ efficientis. Secundo in genere causæ materialis. Tertio in genere causæ finalis. Quarto in genere causæ formalis. Quod igitur non sit procedere in infinitum in causis efficientibus, Arist. sic probat, si est processus in infinitum, non datur prima nec vltima, termini enim repugnant infinito: si non datur prima, nec vltima, omnes erunt mediæ, si omnes erunt mediæ, aufertur omnis causalitas, quoniam mediæ non sunt causæ nisi vltimi. ergo non sunt vniuersaliter causæ. ergo necesse est dari causam primam tanquam vniuersalem, à qua mediæ recipiunt virtutem causatiuam, & vltima recipit à mediis: sed si est processus in infinitum, non datur prima, ex consequenti causæ mediæ nullam habent virtutem causandi, nec vltima, ergo aufertur omnis causalitas, quod est manifeste falsum. tenendum est ergo, quòd datur causa prima efficiens, à qua media recipit virtutem, & vltima recipit à media, & sic optimè seruatur causalitas. non ergo est processus in infinitum in genere causæ efficientis in causis per se ordinatis, de quibus nunc intendimus. Hæc fuit demonstratio Arist. de statu in causis efficientibus, & licet in 7. Physi. in 3. tex. & in 8. in tex. 34. videatur idem demonstrasse, vt manifestaret, quòd necesse est dari primum motorem immotum, tamen hîc nō inutiliter replicat, quoniam, vt inquit Commen. in cōm. 8. consideratio vniuersalis in omnibus causis in eo quòd sunt causæ, est huius scientiæ: & quamuis Aris. vtatur hîc demonstrationibus scientiæ naturalis, tamen inducit eas vniuersalius (quoniam, scilicet, non applicat se ad motum physicum tantum, sed accipit causam efficientē quacunque efficientia, & factione, etiam sine motu:) & quanto erit demonstratio vniuersalior tanto magis erit propria huic scientiæ, &c. Hæc igitur dicta sint de statu causarum efficientium: Et tu scias, quòd Auic. in lib. 8. suæ Meta. cap. primo. nesciuit aliam rationem inuenire ad hoc propositum, nisi quam formauit Aristot. imò vtitur pene eisdem propositionibus, inquit enim, medium quod est causa proxima causati, est causa vnius rei tantum, scilicet, vltimæ, causatum verò vltimum nullius est causa: ergo necesse est dari causam non causatam, à qua pendet collectio causarum mediarum & vltimæ, aliter totum infinitum esset mediū, quod est absurdum.

Tex. c. 7.

Quantum ad causas materiales aduerte, vt dicit Cōmen. in cōm. 7. probans statum in efficientibus, probat statum in ascendendo, ita quòd datur primum, nō autem probat in descendendo, quoniam videtur notum dari vltimum causans, & suum proximum effectum, puta quòd homo immediatè generat hominem, & ignis immediatè cōburit lignum: probans autem statum in materialibus, probat descendendo, quoniam videtur concessum etiam ab antiquis, vt visum est in primo lib. dari vnum primum, siue sit ignis, siue aqua, siue aliud ex quo, vt vniuersali materia, fiunt alia, non autem ita concessum est in descendendo. Dicet enim aliquis, quòd ex igne vt primo fundamento fit aër, ex aëre aqua, & sic in infinitum. Intendens igitur demonstrare statum in materialibus, & supponens statum sursum, probat statum deorsum, & intendit tria. Primo ponit distinct. Secundo, quòd vtroque modo est status. Tertio declarat, quomodo ex duobus modis assignatis fiat res ex materia prima.

Ex, duo. dicit, vel ordinem, vel vnius in aliud conuersionem.

Distinctio est hæc. Cùm dicitur hoc fieri ex alio, dupliciter potest intelligi. Primo ex alio, id est, post aliud. vt ex mane fit meridies, id est post mane. & id est improprium, & quoniam vt sic ly ex, dicit tātùm ordinem, & non conuersionem in alterum. Secundo ex alio, vt quando vnum subiectum mutatur ex vno in aliud, vt ex calido in frigidum, & id est

propr

proprium. & relinquentes primum sensum, vt improprium iterum distinguimus secundum sic, aliquid fit ex alio, vt ex puero vir, ex generatione genitum, ex calefactione calefactum. Et aliquid fit ex alio, vt ex igne aër, ex ligno ignis, &c. Et isti duo modi dupliciter differunt, quoniam in primo alterum est vt medium, & via, alterum vt terminus, nam puericia est via ad virum, & generatio est via ac medium ad genitum; hæc enim est vera, genitum generatione generatur, in secundo autem, alterum est terminus à quo, alterum est terminus ad quem, vt ex aëre fit aqua corrupto aëre. Differũt secundo, quoniã in primo modo non fit reflexio, licet enim ex puero fiat vir, non tamẽ econuerso, in secundo autem fit reflexio, nam sicut ex aëre fit aqua, ita ex aqua fit aër, vt declaratum est in secundo de Generatione, & ratio quidẽ huius differentiæ est, quoniam in primo modo seruatur ordo essentialis prioris & posterioris: nam essentialiter via præcedit terminum, & non econuerso, ideo non fit reflexio. Huiusmodi autem ordo non seruatur in secũdo modo, quoniam idem subjectum potest vicisim & reflexiuè actione agentis esse sub vtroque termino, nam sicut actione calidi aqua ex frigida fit calida, ita actione frigidi potest fieri ex calida iterum frigida, quoniam inter calidum & frigidum non est essentialis ordo prioris & posterioris.

Posita hac distinctione, probat Arist. quòd in vtroque modo est status, & quidem in primo modo sic, quando dicimus, quòd ex puero fit vir, vel ex generatione fit genitum, ly puero, & ly generatione est vt medium & via: Medium & via est inter duo extrema, quę secundum Cõmen. in comm. septimo, sunt potentia & actus, siue non esse & esse, quod enim generatur tendit à non esse ad esse: sed inter duo extrema non stat infinitas, quoniam duo extrema terminant; ergo, &c. In secundo autem modo sic, in secundo modo est reflexio ab vno ad alterum, vt ex aëre fit aqua, ex igne aër, ex aqua terra, ex terra aqua, ex aqua aër, ex aëre ignis. Idem etiam seruatur in compositis, nam ex elementis fit cõpositum, ex cõposito fiunt elemẽta per resolutionẽ: sed reflexio & reciprocatio non stat inter infinita, est enim reflexio reuersio ab vltimo ad primũ; primum autem & vltimum repugnant infinito. ergo, &c.

Ex metaphys. prima quomodo fit aliquid.

Viso quòd in vtroque modo est status, declarandum est secundum quem istorum modorum fit aliquid ex materia prima, & intendit, quòd nihil fit ex ea secundo modo, quoniam in secundo modo terminus à quo corrũpitur, vt cùm ex aqua generatur terra: sed materia prima est sempiterna, & ingenita, ex primo Physic. text. 81. ergo, &c. Fit autem res ex ea, sicut ex primo modo in hoc sensũ, q̃ sicut in primo modo, id est, ex quo aliquid fit, est in potentia, & imperfectum, sic materia prima est quid potentiale & imperfectum. Est enim media inter primum nõ esse, & esse actu. ergo, &c. Patet igitur quòd in causis materialibus non est processus in infinitum.

Text. c. 8. 9.

Quantum ad causam finalem, quòd sit status in ea sic intendit probare, cũ finis sit illud gratia cuius aliquid fit, ad ipsum ordinantur omnia alia, & ipsum non ordinatur ad alia vt finis: ex consequenti habet rationem vltimi vt finis, tunc arguitur sic, Quando agimus, vel est dabile aliquod vltimum ad quod ordinantur omnia præcedentia, vt in medicatione est dabilis sanitas, ad quam ordinatur diæta, quies, syrupus, pharmacum, &c. vel non est dabile aliquod vltimum intentum: si primo modo, ergo est status in causa finali; si secundo modo, tria inconuenientia sequuntur. Primo auferetur natura boni, quoniam vt inquit Commen. in comm. octauo nihil dicitur esse bonum, nisi per causam finalem, quæ habet rationem postremi. Secundo, quia nullus conabitur aliquid operari, operans enim operatur proponens sibi terminũ, ad quem sperat peruenire, si autem aduerteret se non peruenturum ad terminum, non operaretur. Tertio auferetur operatio intellectus practici. Agens enim per intellectum intẽdit finem, ad quem media ordinat, quo adepto quiescit, aliter vt inquit Commen. comm. 9. sua actio esset ociosa. Ne igitur dentur hæc inconuenientia, necesse est ponere statum in causis finalibus.

Quantum ad causas formales, aduerte, quòd intẽdit hanc consequentiam. Est status in quod quid est, id est, in diffinitionibus siue in prædicatis diffinitiuis: ergo est status in formis. consequentiam quidem reputat manifestam, quoniam cum sola species sit, quæ propriè diffinitur, & vnum quodque constituatur in specie per formam, à qua sumitur rei differentia, eadem ratio est procedere vel non procedere in infinitum in formis, & in rationibus diffinitiuis, vnde inquit Comment. in commẽt. 9. Si apparuerit, quòd natura diffinitionum est finita, id est, quòd in partibus diffinitiuis est status, necesse erit, vt sit de formis. Antecedens autẽ probat Arist. multipliciter, primo sic, videmus quòd in partibus diffinitiuis, quę est prior, est magis; id est, communior & vniuersalior, posterior autẽ minus cõmunis. Nam in diffinitione hominis in plus est esse animal, quàm rationale, quia non in quocũque est animal rationale, tunc sic, si est processus in infinitum in partibus diffinitiuis non datur pars prior; ergo nec posterior, non est enim posterior, vt inquit Commen. in comm. 9. nisi prioris. Si non est pars prior nec posterior, ergo omnes partes erunt æquè vniuersales, ergo non declarabunt sufficienter naturam diffinitiũ, ergo remouetur omnis vera diffinitio, nam vera diffinitio perfectè manifestat, & distinguit diffinitum à quolibet alio. Secundo sic, ista positio destruit ipsum scire, nam nescimus naturam rei, donec perueniamus ad prædicata indiuidua formaliter, quæ sunt prædicata specifica: non enim species nec prædicata conuertibilia eiusdem sunt diuisibilia in plures gradus formaliter ad differentiam prædicati generici, sed si procedimus in infinitum descendendo in prædicatis diffinitiuis, nunquam deueniemus ad hæc prædicata indiuidua, quoniam cùm sint indiuidua sunt postrema: postremum autem repugnat infinito, ergo, &c. Tertio non solùm destruũt scire, sed vniuersaliter omne cognoscere intellectiuum, quoniam infinitum non contingit intelligere. nec est instantia de linea, cuius diuisiones tendunt in infinitũ: quoniã partes lineę non sunt actu, sed potentia infinitæ: partes autem diffinitionis cum omnes sint actu dum integrant diffinitionem. si non est status in eis, sunt actu infinitæ, ex consequenti non intelligibiles. Quarto in omni moto necesse est intelligere materiã & formam: est enim compositum, vt declaratum est in secundo Physic. sed ex parte materiæ habet infinitatem, est enim secundum se interminata, & in pura potentia, ergo ex parte formæ habebit finitatem, forma enim terminat materiam: impossibile est autem infinitum terminare: ergo necesse est esse terminum in formis, aliter infinitum terminaret infinitũ, quod est impossibile, nam infinitum adæquat infinitum & non restringit, propterea inquit Comment. in commen. vndecimo. Quod determinat infinitum non est infinitum, cum illud, quod æquabitur infinito, debeat esse infinitum: patet igitur, quòd est status in causis formalibus.

Et tu aduerte, q̃ Auic. in lib. 8. suæ Metaphy. cap. 3. concordans cum Arist. probat idem hac ratione. In partibus diffinitionis datur cõmunitas, & proprietas, id est, quædam est communis diffinito & alij, vt animal respectu hominis; quædam conuenit soli diffinito, vt differentia propria: sed vbi est cõmunitas, & proprietas est natura: is ordo, se habent enim vt magis cõmune, & minus cõmune: magis autẽ & minus dicuntur respectu alicuius maximi, vt declarabitur in decimo libro Metaphysicæ: ordo autem repugnat infinitati. ergo, &c.

Sed quia posset aliquis dicere, licet sit status in causis, quo ad genera, non quo ad species. nam possunt esse efficientes distinctæ specie infiniti, idem dicetur de materiis, de formis, de finibus. ideo Arist. id improbat tali ratione. Si sunt infinitæ secundum speciem omnino remouetur ipsum cognoscere, artis quidem enim scire cum causas rei cognoscimus: infinitum autem non est pertransire, id est, vt inquit Comment. in comm. decimotertio, intellectus, qui est finitus, non potest determinare infinitum, ita quòd comprehendat ipsum in actu non in potentia, & diximus in actu, ad differentiam vniuersalis, quod comprehendit res infinitas in potentia, non autem in actu. Hæc de secundo capte dicta sint.

CAPVT III.

Quisnam sit considerandæ veritatis conueniens modus.

IN tertio capite declarandum est, quis sit modus conueniens considerandi veritatem, & agemus tria.

Primò declarabimus impedimenta, quibus quàm plures impediuntur à vera comprehensione veritatis.

Secundò adducemus remedia contra huiusmodi impedimenta, ex quibus constabit conueniens modus considerandi veritatem.

Tertiò quis sit modus conueniens huic scientiæ.

Quantum ad primum, aduerte duo impedimenta, vnum habens modum naturæ, alterum ex parte naturæ. Impedimentum habens modum naturæ dicitur esse consuetudo, quæ videtur habere vim naturæ, vnde dicitur esse altera natura, & quia habet vim naturæ mouet nos ad assentiendum multis etiam quæ sint falsa & contra rationẽ. Inde est, quòd patiens febrem hecticã, id est, quasi cõsuetudinalem, non percipit, nec iudicat calorem suum esse extraneatum, & præter naturalem, licet maior sit, quàm febricitantis tertiana. Hæc igitur consuetudo dicitur esse impedimentum percipiendæ veritatis, quoniam vt consueuimus audire, sic reputamus dignum

dignum dici, & esse verum, quæ autem non consueuimus audire, videntur nobis minus nota, minus vera, & veluti extranea, & dissona, non acceptamus etiam quòd vera sint. Cuius signum habemus in legibus, in quibus his, qui nutriti sunt in eis, fabulosa & puerilia præualent veræ cognitioni. Nam ex consuetudine viuendi & operandi, nutritis in lege facta sunt huiusmodi puerilia & vana quasi naturalia, vnde si audiant oppositum etiam quòd sit verum, non cognoscitur, nec recipiunt ab illis: Sic accidit multis studiosis, qui nutriti in aliqua secta, adeo ipsi adhærent ex consuetudine, quòd licet in ea multa vana & falsa contineantur, tamen non percipiunt ea esse falsa, sicut nutriti in via Auerrois non possunt percipere hanc esse veram, Anima intellectiua plurificatur secundum corpora, & est incorruptibilis, licet sit forma dans esse, & nutriti in via Auic. non possunt percipere hanc esse falsam, Animal perfectum, vt est homo, potest produci ex putrefactione, sicut rana, & hoc impedimentum consuetudinis adeo efficax est, quòd per ipsum fouentur tot contrariæ opiniones, dum vnusquisque defendere conatur quæcunque contenta in secta, cui longo tempore adhæserit, vnde concludi potest cõsuetudinem abstulisse à nobis semitã assequendæ veritatis.

Impedimẽtum ex parte naturæ, est varia dispositio, & complexio reperta in humana specie, licet enim homo sit intellectualis, non tamen est purus intellectus, sed necesse est ipsum pro hac vita vti viribus corporeis & potentiis sensitiuis, dum exit in actum intelligendi, quæ deseruiunt, vt principali agenti ipsi intellectui, qui igitur sunt eiusdem dispositionis, eundem modum seruare volunt in omni genere sciendi & studendi: verbi gratia, qui sunt fortis imaginationis ita quod imaginatio præualet supra intellectum dati sunt scientiis mathematicis, & nulli conclusioni assentiunt in quacunque alia scientia, nisi certissimæ, sicut in mathematicis, & ad sensum demonstretur, & isti adeo imaginationi intendunt, quæ non potest esse nisi rei quantæ & corporeæ, quorum vt inquit Commen. in commen. 15. non possunt etiam credere, quin extra cœlum sit vacuum, & locus, & tempus, nec possunt apprehendere, quin etiam illic viuentia sint corporea, & breuiter credunt, omne ens corpus esse in loco: Similiter qui habẽt intellectum valde depressum ad sensum, nihil credunt, nisi quod testimonio alicuius poëtæ comprobatur, vel teste alio auctore, vel adducto exemplo & similitudine alicuius corporei, & id prouenit eis ex defectu iudicij, nõ enim possunt iudicare, vtrum ratio eis adducta concludat. Et ideo quærunt alicuius auctoris testimonium, in quo firment sententiam suam: tales sunt poëtizantes, & incumbentes legum studiis, quos Ciuiles dicimus. Qui autem habent intellectum vigorosum, & rationem bene inquisitiuam nihil recipiunt, nisi certitudine & demonstratione firmatum in his, quæ demonstrari & cùm certitudine haberi possunt: & vt inquit Commen. in commen. 15. hæc est natura veri Philosophi, dignum enim est Philosopho aliquid recipere nisi certa rationẽ firmatum: qui verò sunt debiles in ratiocinatione, tristantur si quid diligenti & certo discursu inquiratur: & contenti sunt superficiali inquisitione. Et isti, vt inquit Commen. in commento decimotertio, nunquam addiscunt, aut propter segnitiem, aut quia eorum intellectus non potest comprehendere, & retinere totum discursum factũ, vsque ad vltimam resolutionem, aut quia credunt, quòd sicut non decet liberalem computare minima in conuitio, vel, vt inquit Commẽt. sicut non decet mercatorem proteruire in minimis dum negotiatur, emendo aut vendendo, sic non decet studiosum discutere minima, vel vt inquit Commẽt. disputare vsque ad minima.

Quantum ad secundũ aduerte duo remedia correspondentia duobus impedimentis, Primũ correspondet impedimento accepto ex modo naturæ, id est, consuetudine. Et est inquit Arist. quòd homo erudiatur secundum quem modũ sumenda sunt, quæ in singulis scientiis dicũtur. nam tunc audita etiam consueta, quæ sint cõtra illum modum, non approbabit. Modus autem iste traditur in Logicis, in quibus agitur de omnibus speciebus argumentationis, & veræ & sophisticæ, quibus inducimur in omni scientia in cognitionẽ veritatis, & ideo vt patet, qui procedunt in sciẽtiis sine logica multipliciter errãt. Quoniam igitur hic modus, id est logica, quę est modus & regula sciendi, necessarius est in omni scientia, ideo Arist. dicit absurdum esse simul quærere scientiam & modũ sciendi, id est, logicã, quasi dicat, prius est erudiendus homo in logicis, aliter vt inquit Comm. nec discet logicã, nec aliam scientiã, & assimilabitur homini, qui docet viã quando discit eã. Et medico, qui dedit medicinã infirmo, & postea inspexit librum, & mortuus est infirmus, vt igitur fugiamus ignorantiam & errores, quos incurrimus ex consuetudine, qua detinemur in aliqua secta, primò erudiẽdi sumus in omni genere argumẽtationũ, vt ordinato discursu apprehẽdamus quid verũ & non verum.

Secundum remedium correspondet impedimento prouenienti ex parte naturæ, & est vt homo non quærat eandem certitudinem in omnibus scientiis, sed conuenientem vnicuique scientiæ. sicut enim varia est stabilitas & certitudo subiecti in diuersis scientiis, sic debet esse alia & alia certitudo rationum, quibus vtimur in eis. Cùm igitur entia scibilia alia sint mathematica, alia naturalia, alia moralia, alia metaphysicalia, siue diuina, & diuersificentur in hoc quòd mathematica sunt firmissima & immobilia, vt cadunt sub cõsideratione mathematici, quoniã vt sic abstrahunt à materia secundum rationem, licet non secundum esse, & materia est principiũ & causa mutationis, vt declarabitur in lib. 8. & in 12. & sunt proportionata intellectui nostro pro hoc statu, quoniam & ipse coniunctus est materiæ, in scientiis mathematicis quærendæ sunt certissimę demõstrationes, quę sunt in primo gradu certitudinis, vnde inquit Cõmen. in cõment. 16. naturalia autem minus stabilia sunt, & minus certa, quoniam non abstrahunt à materia nec secũdum esse, nec secundum rationem, & ideo non sunt quærendæ in Physica demonstrationes mathematicæ, & propter quid se ab effectu, nec quærendum quod semper, & ex necessitate est, sed quod vt in pluribus. Moralia adhuc minus certa sunt, propter libertatem principij à quo sunt, qui est homo, & propter variabilitatem circunstãtiarum, & ideo adhuc minus certę rationes, quàm in Physica cõuenientes sunt in Ethicis, & sufficit habere rationes persuasibiles, similiter & in Rhetoricis, versantur enim circa ciuilia, in quibus multiplex est variatio. propterea inquit Arist. in primo Ethi. Indecẽs est mathematicũ persuadentẽ acceptare, & rhetoricũ demonstrationes expetere. Metaphysicalia autẽ, quoniam abstrahunt à materia secundũ esse, & secũdũ rationẽ in se certissima sunt, sed quoniã improportionata sunt intellectui nostro pro hoc statu, cuius propriũ est intelligere materialia, cũ sit materiæ vnitus, ideo de eis non possumus habere demonstrationes certissimas, & à priori, vt in mathematicis, nec adeo contractas, vt in physicis, sed vniuersaliores, quoniã proprias differentias specificas, & proprios effectus specificos in substãtiis separatis ignoramus, vnde in libro 12. loquemur de eis, vt de vno genere excepta prima causa, quia igitur non eadem certitudine vtendum est in omni scientia, ideo dicit Aristo. quòd ac ibologia mathematica, id est certissima & euidentissima demonstratio, quali vtimur in mathematicis, non est quærenda in omni scientia, sed in non habẽtibus materiam, vt in mathematicis, & in metaphysicis, si essent proportionata intellectui nostro. In naturali autem vti hac certitudine non esset modus naturalis, id est, conueniens scientiæ naturali, quoniam omnis natura, id est, ens naturale, forsan habet materiam, à qua accipit variationem & mutabilitatem: dicit forsan, non quòd dubitet aliquod ens naturale carere materia, aliter esset immobile, ex consequenti non naturale. sed quoniam non omnia naturalia habent eodem modo materiã, vt declarabitur in libro 8. vel vt inquit Cõm. in cõmento 16. hoc dicit in respectu corporum generabilium & corruptibilium, quæ dicuntur magis naturalia secundum famositatem, quàm corpora cœlestia. Hæc fuit doctrina Arist. pro inuestigandis rerum veritate in omni scientia, modo conuenienti illi scientiæ, quam confirmat in primo Ethic. cùm dicit, disciplinati est in tantum quęrere certitudinem secundum vnumquodque genus, in quantum natura recipit, id est, in quantum conuenit naturæ subiecti scibilis.

Non omnium eodẽ modo exquirenda est certitudo, sed secundũ subiectũ materiam.

Quantum ad tertium aduerte, q̃, vt inquit D. Alber. in 2. lib. cap. 13. ex præhabitis elicere possumus modum conuenientem huic scientiæ cõsistere in duobus. Primo, quod non debet habere modum inquirendi mathematicum, nec naturalem, sed vniuersaliorem vtroque modo, puta quod non cõsideret lineam in quantum linea, sed inquãtum ens vnum, substantia, vel accidens, &c. Nec consideret naturam inquantum est principium motus, sed inquantum est ens, in quantum est actus, vel potentia, &c. Et eius probationes erunt citra certitudinem mathematicam & physicam, & supra certitudinem topicam. Secundo, quod debet primò inquirere, si vnius tantum scientiæ est quærere principia, & causas entis, secundum quatuor genera causarum, an ad multas scientias pertineat. nam si est vnius tantùm, illa erit Prima Philosophia, quæ versatur circa ens, vt ens est. Si erit plurium, ergo plures erunt primæ philosophiæ, quia plures considerabunt ens. vt ens, & omnes causas entis, sed hoc est impossibile, quoniam, cùm scientiæ sumant vnitatem, & plur

pluralitatem à subiecto, non possunt esse plures circa ens, vt ens est. Hæc de tertio capite dicta sunt, & ibi terminatur intentio Aristotelis, pro secundo libro Metaphysicæ.

EPITOME SVPER TERTIO Libro Metaphysicæ.

SEcundum ordinem positum in procemio primi libri antequam accedamus ad determinationem consideratorum in hac scientia prius expedit seorsum mouere dubia principalia circa determinanda, vt grauius consideretur difficultas in huiusmodi determinandis. Circa quæ variæ fuerunt antiquorum sententiæ, & quidam eorum omnino prætermiserunt, forte exterriti ex rei difficultate. Et ne huiusmodi dubia leuia appareant, ideo more disputatiuo adducemus rationes ad partes oppositas, & quoniam Arist. in sequentibus libris, vbi expressè vel virtualiter determinat huiusmodi dubia, non repetit ea, ita quòd discens non facile aduertit, vbi & quomodo determinet ea, ideo vt fiat doctrina resoluta, & sine repetitione, sic procedemus in quolibet dubio. Primò proponemus illud formaliter. Secundò arguemus ad ipsum. Tertiò determinabimus ipsum iuxta mentem Arist. quam sic vel esse sic apparebit in libris sequentibus, & totum hunc tertium librum comprehendimus in vnico tractatu, quæ distinguemus in quindecim capita, in quibus comprehendemus dubia, quæ pertractabimus.

CAPVT I.

Cur hic potius quàm in physicis, per dubitationes Philosophus procedit.

IN primo capite dubitatur cur Arist. antequam determinet considerata in hac scientia, prius & in libro particulari disputat de eis, mouendo dubia & arguendo ad partes, cum id non fecerit in physicis, cùm tamen dubitabilia illic non deficiant, circa quæ arguere, & disputare poterat vt hîc, sed sigillatim sicut proponit quæstionem, disputat circa eam, deinde determinat.

Dubitare de singulis non est inutile.

Ad hoc respondetur per Arist. conuenienter præponi dubitationes determinationibus quadruplici ratione.

Primò, quia hîc intendimus inquirere vniuersalem rerum veritatem, quam non possumus rectè inquirere, nisi prius mouendo dubia, & arguendo ad partes, vt appareat rei quesitæ difficultas. nam qui rem difficilem determinare quærit prius non disputando circa eam, assimilatur volenti soluere vinculum & ignoranti eius difficultatem. Dubitatio autem est sicut vinculum. quoniam sicut vinculum ligat membra, puta pedes, quo impeditur homo, ne vltrà procedat, sic dubium ligat intellectum impediens, ne ad intentæ veritatis finem proueniat. proptereà sicut qui intendit soluere vinculum, debet prius considerare modum ligationis, ita qui intendit rem difficilem determinare, prius debet mouendo dubium circa ipsum disputare arguendo ad partes.

Secundò, qui quærunt veritatem non mouendo prius dubia, assimilantur ambulantibus ignorantibus quo vadant. Nam determinatio rei est sicut terminus viæ, via autem est disputatio circa ipsam, & ideo sicut qui ignorat viam nō peruenit ad terminum, nisi forte à casu, sic qui prius non disputat circa quæsitum, à casu determinat veritatem de ipso.

Tertiò, quia sicut qui tendit ad terminum, & ignorat viam, nescit quando peruenerit, posito casu etiam quòd perueniat & nescit vtrum illic debeat quiescere, an vltrà procedere, sic qui quærit determinare quæsitum, prius non disputando circa ipsum, posito quòd verè determinet, ignorat an veritatem inuenerit, & ideo vtile est prius disputare circa propositum.

Quartò, audiens philosophiam se habet sicut iudex in litigiis, qui rectè iudicare non potest, nisi vtriusque partis rationes & fundaměta prius intellexerit: ergo necesse est prius ad proposita quæsita pro vtraque parte arguere, deinde determinare. Sed aduerte, quòd istæ rationes, licet probent esse vtile præponere dubia, & disputare de eis ante determinationem, tamen non declarant, quare vtile fuerit simul. & in vno libro huius scientiæ, omnia proponere, & de eis disputare, præcipuè, quòd, vt inquit Comment. in tertio libro, comment. primo, consuetudo fuit Aristot. in omnibus aliis libris sigillatim dubia occurrentia proponere, & circa ea disputare, & in eodem libro determinare. sic fecit in primo Physic. inquirens veritatem de principiis naturalibus, & in secundo inquirens veritatem de fortuna, vt vtrum natura agat propter finem, & in tertio agens de infinito, & in quarto inquirens veritatem de loco, de vacuo, de tempore. videndum est igitur, quare hunc ordinem particulariter seruauerit in Metaphysica magis quàm in Physicis, & in moralibus.

Tu igitur aduerte, apud Commen. in commen, primo, vbi recitat sententiam Nicolai Peripatetici, qui in metaphysi. sua non seruauit ordinem hîc positum ab Arist. sed sigillatim mouens dubia, & disputans circa ea, statim determinat, & dicit, quòd putauit Nicolaus se incedere per viam meliorem sic ordinando sermones suos, sed dicit Commen. melius est quod fecit Arist. hac ratione, quia considerauit Metaphysicam, & scientiam disputatiuam, id est, Logicam, cōmunicare in subiecto & in vniuersalitate considerationis, subiectum enim vtriusque est idem, scilicet ens simpliciter, licet modus considerationis sit diuersus, scilicet modus probabilis, & modus demonstratiuus, & quia natura sermonū disputatiuorum requirit, quòd præponantur sermonibus demonstratiuis, ideo vidit Arist. modum hunc disputatiuum debere poni partem per se huius scientiæ, ita scilicet quòd ex eo conficiatur particularis liber, sicut etiam fecit in omnibus significantibus intentiones huius scientiæ, id est, in exponendis, & distinguendis significatis terminorum metaphysicalium; ecōtrario ei quod fecit in aliis scientiis, nam in aliis scientiis exponit nomina in consideratione cuiuslibet quæstionis, in hac autem scientia exponit nomina in vno tractatu, scilicet in libro quinto, per totum, non ad distinguendum nomen æquiuocum, sed numerando intentiones, id est, significata nominum, de quibus considerat hæc scientia, hæc fuit ratio adducta à Comment. sed D. Alber. in tertio libro, tractatu primo, & capite primo, dicit huius rationem fuisse, quia metaphysica est vniuersalis sapientia, & est de principiis aliarum scientiarum, ad quam spectat omnia declarare, & determinare, quod facere non posset, nisi prius multipliciter dicta distingueret, & nisi prius omnia dubitabilia vniuersalia ordinaret disputatiuè, vt ex prius disputatis ad determinationem accedat. B. Tho. exponens aliam rationem addu cit, quæ stat in hoc. Quia particulares scientiæ considerant particulares veritates, ideo bene est particulariter, & sigillatim circa singulas veritates dubitare, hæc autem scientia, quia vniuersalis, & quia considerat vniuersaliter de veritate, ideo bene fuit, vt vniuersaliter & simul dubitabilia vniuersalia proponeret. Proponemus dubia eo ordine, quo proponuntur ab Aristotele. Hæc de primo capite dicta sint.

CAPVT II.

An in vna scientia considerentur omnia genera causarum.

IN secundo capite quæritur vtrum ad vnam tantum scientiam, vel ad plures spectet omnia genera causarum speculari. Circa quod disputans Aristot. pro parte negatiua arguit dupliciter.

Primò, quæcunque sunt diuersa, & contraria ad vnam scientiam spectant, quia vnum contrarium est ratio cognoscendi alterum, vt magis declarabitur in decimo libro: ergo, si genera causarum sunt diuersa, & tamen non sunt contraria, ad vnam scientiam non spectant. Constat autem, quod non sunt contraria, non enim contrariatur efficiens formæ, imò multoties coincidunt in idem specie, nec forma fini imò coincidunt multoties in idem numero. ex secundo Physicorum textu septimo, nec materia formæ, cum sit receptiua formæ, ergo, &c.

Secundò, non omne genus entis, de quo est aliqua scientia habet quatuor genera causarum: ergo non omnis scientia considerat omnes causas. consequentia patet ex primo Poste. quoniam scientia vnius generis subiecti considerat causas & partes & passiones eiusdem: ergo si subiectum non habet omnes causas non considerantur in eius scientia. antecedens autem manifestat Aristot. in mathematicis, quæ dicuntur non habere causam finalem, neque efficientem, neque materialem. materialem quidem, quia abstrahunt à materia, vt considerantur à Mathematico. efficientem autem, quia abstrahunt à materia, non est in eis motus. est enim materia causa mutationis, vt dicetur in libro octauo, & in duodecimo, si non est in eis motus, non est in eis efficiens, quoniam causa efficiens ex secundo Physicorum textu vigesimooctauo, est vnde est principium mutationis. finem autem, quoniam finis est terminus acquisitus per motum, sicut sanitas est terminus & finis, cuius gratia facta est medicatio. patet igitur, quòd in mathematicis est consideratio solius causæ formalis: ergo non omnis sciētia omnes causas cōsiderat. sed plures scientiæ sunt de pluribus causis, aliquę de vna, vt mathematicæ, aliquæ de tribus, vt dicemus, aliquæ de omnibus, sed diuersimodè.

Ad partem autem affirmatiuam sic videtur arguere Philosophus, si non omnes causæ ad vnam scientiam spectant, difficile erit inuenire, quæ scientiarum mereatur dici prima Philosophia, & sapientia, cum illis dignitatibus, quas adduximus in procemio primi libri. Nam alicui videbitur, quòd scientia considerans causam finalem sit prima Philosophia. Dictum est enim in procemio, quòd sapientia est ordinatiua & regulatiua aliarum, & quòd aliæ sunt ei deseruientes: istæ autem conditiones conueniunt consideranti finem, quoniam ad finem alia ordinantur, & videmus in artibus, vt dicit Aristotel. in primo Ethi. consideratiuam finis principari aliis, vt ciuilis militari, & frenefactiuæ. Alij autem videbitur, quòd consideratiua causæ formalis sit prima Philosophia, cum enim per causam formalem maximè sciamus, vt quando scimus reducere conclusionem in propter quid, quod habet rationem causæ formalis, vt propter quid triangulus habet tres, tunc quiescit intellectus: & decēs sit, vt per primam Philosophiam maximè sciamus, cum sit dignissima scientiarum, sequitur quod scientia consideratiua causæ formalis erit prima Philosophia. Alij verò videbitur, quòd scientia consideratiua causæ efficientis, sit prima Philosophia: nam quando cognoscimus principium generationis, & effectus, tunc videmur maximè scire, vt à qua causa vniuersali, & proxima generatur pluuia, & nix, & composita in specie sua. si igitur prima Philosophia facit nos maximè scire, congruum videtur, vt scientia consideratiua causæ efficientis, sit prima Philosophia: De causa autem materiali, Aristotel. mentionem non facit, quoniam nulla est scientia consideratiua solius materiæ, cùm ordinetur ad formam, nec considerari possit, nec sciri nisi per formam, ex primo Physi. textu sexagesimonono, proptereà nulli videri potuit scientiam consideratiuam solius materiæ esse primam Philosophiam. Restat igitur quæstio dubia pro vtraque parte.

Sed quoniam Aristotel. in nullo vno loco inferius videtur hoc dubium determinasse, sed tantum posuisse fundamenta in diuersis locis, vnde possumus determinationem accipere, ideo pro resoluta doctrina bonum est hîc determinare propositum, pro cuius euidentia dico,

Primò, non est necesse omnem scientiam considerare & demonstrare per omnia genera causarum, quoniam, vt dictum est, non omni generi scibili insunt omnia genera causarum, vt declaratum est in Mathematicis: ergo, &c.

Secundò, est necesse omnem scientiam considerare tantum aliquam, vel aliquas causas, sed potest aliqua considerare omnes: patet de scientia Naturali, de qua probat Philosophus in secundo Physicorum, textu septuagesimotertio, & septuagesimoquarto, quod demonstrat per omnes causas & cognoscit eas. vnde illic Philosophus inquit, quoniam causæ quatuor sunt, de omnibus erit Physici cognoscere, & in omnes inducens, propter quod demonstrabit Physicæ materiam, speciem, mouentem, & quod est cuius causa. similiter Metaphysica considerat omnes causas inquantum considerat ens vniuersale, quod diuiditur in causam & causatum, omne enim ens vel est causa, vel est causatum. Item considerat vniuersalem finem, vt dicemus in duodecimo, & vniuersale efficiens, & causam formalem, vt considerat de actu in libro Nono. De materia autem licet non consideret, vt est principiū mutationis, quoniā vt sic ad Physicum spectat, tamē considerat eam inquantū est substantia, & substantia est pars entis.

Tertiò, licet Physica & Metaphysica considerent omnes causas, non tamen eadem ratione, quoniam Metaphysica considerat eas simpliciter & vniuersalissimè, Physica autem contractè. nam considerat eas inquantum applicantur motui, vnde non considerat finem nisi inquantum terminat intentionem mouentis, & agentis Physici: nec formam, nisi acquisitam per motum, & receptam in materia: nec efficientem, nisi vt est principium mutationis physicę: nec materiam, nisi inquantum est subiectum receptiuum formæ, & est causa mutationis, siue ad contraria vbi, vt materia cœli, siue ad contrarias formas successiuè, vt materia inferiorum. Metaphysica autem considerat finem acquisitum, siue per motum, siue sine motu, & considerat formas, inquantum sunt actus, & non solùm acquisitas per motum, & receptas in materia, sed etiam abstractas à materia, & immobiles, quales sunt formæ separatæ, & considerat causam efficientem etiam sine motu, vt primam causam agentem per intellectum, & non supposita materia, & materiam inquantum est pars entis, & diuisi per potentiam & actum.

Ad quæsitum ergo dicendum, quòd non inconuenit aliquam scientiam particularem cōsiderare omnes causas, sed contractè, vt declarauimus de Physica, & etiam scientiam vniuersalem, quæ considerat de omnibus, vt est Metaphysica, sed simpliciter & vniuersalissimè, vt declarauimus, aliquæ autem scientiæ considerant de aliquibus causis, & non de omnibus, vt Mathematici. vnde patet, quòd rationes inductæ pro neutra parte concludunt. Ad primam pro parte negatiua, respondetur, quòd non est necesse omnia considerata in vna scientia esse contraria, sed vel esse contraria, vel reducibilia ad vnum, ad quod ordinantur. Nam scientia medicinæ est de sano in vrina, in diæta, in medicina, in animali, non quia isti modi sint contrarij, sed quia ordinantur ad sanum in animali. sic in proposito, licet genera causarum non sint contraria, tamen ordinantur ad vnum, quoniam omnes causæ ordinantur ad causam finalem, ideo dicitur causa causarum. Et proptereà non inconuenit, quòd ab vna scientia considerentur, & consideratione Metaphysica ordinantur, siue reducuntur ad ens. Ad secundam respondetur, quòd etsi concludat in Mathematicis, quæ pro quanto considerantur à Mathematico non mouentur, neque mouent, ex consequenti non est, vt sic in eis materia, nec efficiens, nec finis. tamen non concludit in Metaphysica, licet sit de substantiis immobilibus, & abstractis à materia. non enim omnis finis est terminus motus acquisitus ab eo, quod mouetur. sed potest esse terminus, vel vltimo intentum à mouente immobili, & est illud gratia cuius mouet, sicut dicemus in duodecimo libro, quòd substantię motrices mouent cœlos, vt assimilentur primo principio. & posito casu, quod substantiæ separatæ non mouerent, adhuc potest in eis assignari finis, qui erit terminus intentus per actionem suam intellectualem, puta semper intelligunt primum principium, vt sint semper in optima dispositione, qualis nobis est impossibilis, pro hac vita, vt dicemus in duodecimo libro. Constat igitur hanc non esse veram vniuersaliter, vbi non est motus non est finis, nec efficiens, nisi dicatur sic, vbi non est mouens, nec motum, nec agens actione immanenti, non est finis nec efficiens, hæc quidem est vera, & si subsumatur, quòd in Mathematicis non est mouens, nec motum, &c. Concludetur verum, si autem subsumatur in Metaphysica, erit minor falsa, & conclusio falsa.

Ad rationes autem pro parte affirmatiua vnica ratione respondetur ad omnes, quòd nec illa, quæ considerat causam finalem tantum, si qua esset, nec formalem tantum, nec efficientem tantum, si quæ tales essent, sed quæ considerat finalem, formalem, & efficientem simpliciter, est prima Philosophia. Hæc enim, vt declarabitur in duodecimo, considerat primum principium, quod est primus & vniuersalis finis vniuersi, prima forma, quia est primus & purissimus actus, & primum agens. Hæc pro secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

An ad vnam seu plures scientias prima demonstrationis principia considerare spectet.

IN tertio capite dubitatur, an ad vnam, vel ad plures scientias pertineat considerare de primis principiis demonstrationis, quæ dicuntur communes animi conceptiones, vt impossibile est simul esse & non esse, De quolibet est affirmatio, vel negatio vera. Et disputans Aristote. pro vtraque parte arguit. Sed aduerte, quòd proponit dubium sub duplici parte. prima est, vtrum ad vnam vel ad plures scientias pertineat consideratio primorum principiorum. Secunda est, supposito quod ad vnam, vtrum ad eam, quæ considerat de substantia simpliciter, an ad aliam: & si ad aliam, quæ earum debet nominari prima Philosophia, quam nunc quærimus.

Literam Arist. in ipso videbitur potius tã de principijs substantiæ quàm demonstrationis inquirere.

Pro parte negatiua arguit dupliciter. Et primò sic, non est maior ratio, quòd considerentur magis in vna scientia, quàm in alia, quia omnes vtuntur eis, firmantes super ea demonstrationes suas: ergo vel considerantur in omnibus, vel in nulla: non in omnibus, quia idem inutiliter tractaretur in diuersis, ergo in nulla: ergo nec in ea, quæ considerat substantiam simpliciter. Secundò sic, si in aliqua scientia considerantur, hoc erit altero duorum modorum, vel quantum ad quid sunt, id est quantum ad eorum significata, vel inquantum demonstrantur: non primo modo, quia cognitis terminis, ex quibus constat, naturaliter scimus quid significent, vnde dicuntur naturaliter nota, & quantum ad eorum significatum supponuntur in omnibus scientiis, tanquam cognita lumine naturali intellectus: non secundo modo, quia omnes demonstrationes sunt de aliqua passione probata de aliquo subiecto per propositiones priores & notiores, vt habetur in primo Poste. sed prima principia non habent priora & notiora, aliter non essent prima: ergo, &c. Patet ergo, quòd nec in vna, nec in pluribus scientiis considerantur, sed omnes vtuntur eis tanquam notissimis & firmissimis fundamentis: ex consequenti patet, quòd

quòd nec considerãtur in ea, quæ est de substãtia simpliciter, vel quæ est consideratiua principiorum primorum, & causarum substanti:r, vt exponit Commen. in comm. 4.

Pro parte affirmatiua arguitur sic. Cum ista principia sint ab aliquibus negata, necesse est vt in aliqua scientia considerentur, vtrum sint vera vel falsa: igitur scientia illa vel est eadem cum scientia consideratiua substantiæ simpliciter, vel est alia: non alia, quia difficile esset cognoscere quæ ex eis esset principalior, & prior: nam quia dignitates sunt primæ, & principia, & fundamenta omnium scientiarum, ex hac ratione scientia consideratiua earum, videtur esse prior & principalior: quia verò substantia est primum ens, & omnis scientia est de ente, ex hac ratione videtur scientia consideratiua de substantia simpliciter esse prior & principalior, ergo erit eadem cum scientia consideratiua substantiæ simpliciter: hæc autem est prima philosophia, vt declarabitur infrà: ergo ad primum philosophum spectat considerare de huiusmodi principiis primis.

Decisio dubij. Et tu aduerte, quòd in 4. lib. tex. 7. & 8. determinat hoc dubium pro parte affirmatiua, & in determinatione virtualiter soluit primam & secundam rationem adductam pro parte negatiua, & determinatio stat in duobus. Primo, quòd magis ad primam philosophiam spectãt, quàm ad aliam scientiam: quoniam, & si omnes vtantur eis vt conuenit, tamen non considerant de ente cõmuni, hæc autem principia sunt communia omni enti, applicantur enim omni enti, vt de qualibet substantia: verum est quòd est quanta, vel non quãta, de quolibet corpore, quod est corruptibile, vel non corruptibile, de quolibet animali, quod est rationale vel non rationale, &c. Quæ autem sunt cõmunia omni enti, sunt de consideratione primi philosophi, nam, vt dicetur in quarto lib. tex. primo, eadem scientia est consideratiua subiecti, & eorum quæ cõmuniter consequuntur ipsum, Et ex hoc patet, quòd prima ratio in oppositum non concludit. Secundo, quòd primus philosophus non considerat ea demonstrando, cum sint indemõstrabilia, vnde Philosophus in 4. in tex. 8. arguit aliquos conantes ea demonstrare, & dicit, quòd id accidit eis propter ignorantiam artis analyticæ traditæ in libris Poster. sed considerant ea tradendo rationes terminorum, quibus cogniris statim fiunt manifesta, & soluendo argumenta contradicentium. Et ex hoc patet, quod secunda ratio in oppositum non concludit. Ratio autem adducta pro parte affirmatiua vera est, Hæc de tertio capite dicta sint.

CAPVT IIII.

An ad vnam scientiam pertineat consideratio omnium substantiarum, an diuersæ scientiæ de diuersis sint substantiis.

IN quarto cap. dubitatur. Si pertinet ad vnam scientam considerare de omnibus substantiis, vel si diuersæ scientiæ sint de diuersis substãtiis, puta vna est de substantiis corruptibilibus, alia de incorruptibilibus: vna de separatis, alia de materialibus, & arguit Arist. pro vtraque parte.

Pro parte affirmatiua sic, si non est vnius scientiæ considerare de omnibus substantiis, cuius ergo substantiæ est consideratiua hęc scientia? q. d. non videtur maior ratio de vna quàm de alia, quoniã cum hæc scientia sit de ente, & ens dicatur principaliter de substantia, sicut est de ente vniuersaliter, sic debet esse de substantia vniuersaliter, & non solum de hac vel illa.

Pro parte negatiua sic. Si vna scientia considerat de omnibus substantiis, ergo eadem considerat de omnibus accidentibus consequentibus omnes substantias: sed hoc est falsum: ergo, &c. consequentia probatur, quoniã omnis scientia demonstratiua, ex primo Poste. tex. 20. tria requirit, scilicet subiectum, passiones, & per se accidentia subiecti, quæ de subiecto demonstrantur, & principia, ex quibus demonstrantur: si ergo vna scientia de omnibus substantiis, vt de subiecto est, consequenter demõstrabit omnia per se accidentia omnium substantiarum: falsitas autem consequentis ex hoc manifestatur, quòd, cum scientia accipiat vnitatem & distinctionem à subiecto, ex primo Poster. tex. 42. si vna scientia considerat de omnibus substantiis, & omnibus accidentibus, scientia consideratiua de ente mobili & materiali erit eadem cum scientia de ente immobili & immateriali siue abstracto, ex consequenti Physica & Metaphysica erunt vna scientia, quod tamen esse impossibile manifestabitur in 6. Metaph. Et sic remanet quæstio dubia.

Et tu aduerte, quod Philosophus in quarto libro, tex 2. determinat hoc dubium, vnde inquit illic Commen. & ista est declaratio prædictæ quæstionis, in qua dicitur, vtrũ sit vnius scientiæ consideratio de substantia, an non: & pro determinatione huius dubij ad mentem Philosophi propono duas distinctiones, ex quibus eliciam, & probabo duas conclusiones, deinde soluam rationes adductas.

Prima distinctio, consideratio de substantia vniuersaliter, potest esse dupliciter. primo inquantum est substantia. Secundo inquantum est hæc, & illa substantia in specie vel in genere. Secunda distinctio, consideratio de omnibus accidentibus consequentibus vniuersaliter substantiam potest esse dupliciter. Primo de omnibus accidentibus consequentibus omnem substantiam, inquantum est substantia. Secundo inquantum est hæc substantia distincta in specie, vel in genere ab alia substantia.

Prima conclusio. Est vnius scientiæ considerare de omni substantia, inquantum est substantia, probatur sic. Est vnius scientiæ considerare vniuersaliter de ente, vt est ens, vt probatur in 4. lib. ergo est vnius scientiæ considerare vniuersaliter de substantia: probatur consequentia, omnis scientia considerans de aliquo dicto de pluribus quodam ordine, præcipuè est de primo, & principaliter dicto, & exemplificat Philosophus de scientia medicinæ, quæ considerans vniuersaliter de salubri primo, & principaliter considerat de salubri in animali, Ens autem dicitur multis modis, vt declaratur in quinto lib. Primo autem & principaliter de substantia: nam omnia alia dicuntur entia, quia respiciunt substantiam, vt passiones, vel viæ vel mensura substantiæ, ergo eadem scientia consideratiua entis inquantum ens, primo & principaliter est consideratiua de omni substãtia inquãtũ est substãtia.

Secunda conclusio. Non est vnius scientiæ considerare omnes substantias, vt distinguuntur genere vel species, sed diuersarum scientiarum: probatur, Nam dicet Philosophus in sexto, quòd sicut multiplicatur speculabile inquãtum speculabile, ita multiplicantur scientiæ speculatiuæ. Speculabile autem in genere tripliciter diuersificatur, quomodo quidam abstrahit à materia omnino, quoddam autem secundum rationem tantùm, quoddam nec secundum esse nec secundum rationem, sed tantum abstrahit à materia indiuidualis, applicando substantiis, substantiæ abstrahentes omnino à materia ad vnam scientiam pertinent, substantiæ autem non abstrahentes à materia nec secundum esse nec secundum rationem, sed tantum à materia indiuiduali, ad aliam scientiam pertinent. De abstrahentibus autem tantum secundum rationem, nunc non loquimur: huiusmodi enim sunt quantitates, & non substantiæ: & aduerte, quòd sicut formaui duas cõclusiones de substantia, similiter possunt formari duæ conclusiones de accidẽtibus: quarum prima erit, Eadem scientia est consideratiua de omnibus substantiis in quantum substantiæ, & de omnibus accidentibus consequentibus omnes substantias inquantum substantiæ. Secunda erit, Diuersæ scientiæ sicut considerant diuersas substantias, inquantum distinguuntur abinuicem, sic considerant diuersa accidentia consequentia diuersas substantias, & ratio vtriusque conclusionis est, quoniam eiusdem scientiæ est considerare subiectum, & quæ consequũtur ad subiectũ eo modo quo consequũtur ad ipsum.

Ex his patet, quòd ratio adducta pro parte affirmatiua nõ concludit, est enim maior ratio, quòd vna scientia, puta Metaphysica, quæ considerat de ente inquantum ens, consideret de omni substantia inquantum substantia, quàm alia scientia particularis. item, quòd consideret magis de hac substantia, puta abstracta à materia omnino, quàm alia scientia, vt dicetur in libro 12. Secunda autem ratio, quę est pro parte negatiua, minus etiam concludit: nam falsitas consequentis est nulla, non enim inconuenit eandem scientiam considerare de omnibus accidentibus consequentibus omnes substantias inquãtum sunt substantiæ, dummodo non consideret de omnibus accidentibus propriis & specificis conuertibilibus cum substantiis, vt distinguuntur abinuicem, hæc enim ad diuersas scientias spectant, sicut & diuersæ substantiæ, vt dictum est, Hæc de quarto cap. dicta sint.

CAPVT V.

An ad eandem scientiam spectet speculatio substantiæ, & omnium earum consequentium accidentium, an aliam & aliam.

IN quinto cap. dubitatur. Si ad eandem sciẽtiam spectat speculatio de substantiis, & accidentibus consequentibus per se substantias: an ad aliã & aliã. ita, quod vna est de substantiis, alia est de earum accidentibus, & arguit ad vtrãque partem.

Pro parte negatiua, sic arguit. Si ad eandem scientiam vtrunque pertinet, cùm scientia habeatur per demõstrationem. sequitur quòd & substantia & eius accidẽtia per se, cognoscantur per demonstrationem: sed hoc est falsum, licet enim

enim per se accidentia demonstrentur de substantia, vt passio de subiecto, per quod quid est subiecti, vt dicitur in primo Poste. tamen substantia non potest demonstrari, quoniam ex secundo Poste. quod quid est declarans substantiam, non potest demonstrari de eo cuius est: & ratio huius est, quoniam est substantia & suo quod quid est efficitur propositio immediata, sicut ista, homo est animal rationale: ergo, &c.

Pro parte affirmatiua sic arguit, Si vna considerat de substantiis, & alia de accidentibus earum, difficilè erit videre, quę consideret de accidentibus per se earum, quoniam cum accidentia per se habeant attributionem ad ea, quorum sunt, videntur ad eandem scientiam pertinere, & sic remanet dubium pro vtraque parte.

Et tu aduerte, quòd hoc dubium determinatur in lib. quarto in textu quarto, vbi Arist. inquit, palam ergo quod in quæstionibus dictum est, quia vnius est, scilicet scientiæ, de his & de substantia sermonem habere, hoc autem erat vnum dubitatorum, scilicet in lib. tertio, sua igitur determinatio est pro parte affirmatiua, & ratio intentionis suæ stat in hoc, sicut declarabitur infrà, principia substantiæ sunt etiam principia suorum propriorũ accidentium, quoniã fluunt naturaliter & naturali sequela ab eis, vt à quocunq; est ignis, ab eodẽ est calor ignis sed quorũ sunt eadẽ principia, eorũ est eadẽ scientia: ergo, &c. Et sic cõceditur ratio adducta pro parte affirmatiua.

Ad rationem pro parte negatiua, negatur consequentia. Licet enim habeatur scientia per demonstrationem, non tamen est necesse, quod omnia cognita in scientia demonstrarentur, sed sufficit propria accidentia demonstrari de subiecto, vt habere tres de triangulo: subiectum autem cognoscitur diffinitiuè, vnde de eo præsupponitur quid, vt patet ex primo Posterior. Hæc de quinto capite dicta sint.

CAPVT VI.

An præter sensibiles substantias, alię substantiæ separatæ sint, siue ideæ.

IN sexto capite dubitatur, vtrum præter substantias sensibiles singulares dentur aliæ substantiæ separatæ à materia, quas Platonici dicunt species siue ideas: vt homo per se, leo per se. Dubitatur etiam, vtrum inter ideas, & hæc singularia sensibilia dentur intermedia: vt magnitudines separatæ ab omni materia non solùm secundum rationem, sed etiam secundum esse: circa quas aliqui ponunt scientias Mathematicas. Et ad primam quidem quæstionem, arguit ad vtranque partem. Et pro parte affirmatiua remittit se ad primũ librũ, vbi pertractans opinionem Platonis circa causam formalem adduxit rationem, quæ fuit fundamentum Platonis in positione idearum, & fuit hęc. Si præter naturalia sensibilia singularia non dantur substantiæ insensibiles immateriales, de nullo naturali esset scientia: quoniam hæc sensibilia singularia sunt variabilia & corruptibilia, vt patet. Quòd autem scitur non contingit aliter se habere, imò est immobile & perpetuum: ergo præter hunc, & hunc hominem necesse est dari per se hominem, de quo habeatur scientia, vt de immobili & perpetuo, ex consequenti necesse est per se hominem esse insensibilem, immaterialem, quoniam secundum Platonem omne sensibile, & materiale corruptibile est, vnde posuit etiam cœlum ex natura sua esse corruptibile, vt patet in Timęo. confirmat opinionem suam ex eo, quòd experimur intellectum abstrahere hominem, vt homo est, ab omni singulari: & de homine vt homo est format diffinitionem, demonstrat passiones proprias: tunc quæritur, aut hæc abstractio est vera, vel falsa: si falsa, ergo falsa & chimærica est diffinitio hominis, vt homo est: si vera, ergo sic est in re, sicut fit per intellectum: entitas enim rei est fundamentum veritatis.

Pro parte negatiua sic arguit. Ponentes substantias insensibiles, quas dicunt ideas, ponunt impossibilia: dicunt enim quòd hic homo, & per se homo, sunt eiusdem naturæ, licet differant in duobus. Primo, quòd hic homo est participatione homo: & per se homo est essentialiter homo, sicut lux in aëre est participatione lux: & lux in sole est essentialiter lux, sunt tamen eiusdem naturæ. Secundo, quòd hic homo est corruptibilis, & per se homo est incorruptibilis: sed id penitus est impossibile: probabitur enim in 10. lib. quòd corruptibile & incorruptibile differunt genere, & non solùm specie, ergo non possunt esse eiusdem naturæ, & sic ex vtraque parte remanet quæstio dubia.

Et tu aduerte, quòd in tota Philosophia sua naturali & diuina & morali, vt in primo Ethi. in lib. secundo de Physico auditu, textu decimonono, & in libro de generatione, & in primo, & septimo, & duodecimo libro Metaphy sicę conatus sem per est Aristoteles destruere hanc positionem, sed pro nunc sufficit soluere rationem adductam pro parte affirmatiua, & confirmationem eiusdem. Nam ratio pro parte negatiua concludit pro Aristot. respondendo igitur resolutè, negatur consequentia, & ad probationem iterum negatur consequentia, qua infertur, ergo præter hunc & hunc hominem, &c. Nam ad hoc, quòd habeatur scientia de homine sufficit quod intellectus feratur super naturam specificam hominis non consideratis singularibus, nec vt stat sub conditionibus indiuiduantibus, sic enim considerata natura hominis, est quid necessarium, & inuariabile & perpetuum, non quod habeat esse perpetuum extra singularia, sed quoniam de ea sic considerata verificantur infallibiliter, & perpetuò prædicata per se, tam primo, quam secundo modo per se, nam hæc semper est vera, homo est animal, est rationalis, est risibilis, &c. Et vt sic de homine habetur scientia, & formantur conclusiones necessarię, & deducuntur ex principiis necessariis, & vt sic, homo est insensibilis, quoniam sensus est singularium, intellectus autem vniuersalium. Et est immaterialis, non quod sit abstractus à materia secundum esse, nec à materia sensibili communi, diffinitur enim homo, vt probatur in secundo Physic. textu decimonono, per carnem & ossa, sed abstrahit à materia indiuiduali, quæ proprìè est constitutiua indiuidui, vt dicemus in libro Septimo. Ad confirmationem dico, illam abstractionem esse veram, & cum infertur, ergo sic est in re, hoc consequens potest habere duplicem sensum. Primo, quòd sic sit in re, scilicet quod homo, vt homo habeat esse separatum ab omnibus singularibus, & sic nego consequentiam. Secundo, quòd sic sit in re, scilicet quod homo vt homo est aptus intelligi, & diffiniri, non habito respectu ad singularia, sine quibus non habet esse, & sic concedo consequentiam & totũ sequens. Nam hæc est natura cuiuscunque prioris, quod potest apprehendi non apprehenso posteriori. Nam cadunt priora in conceptu posteriorum, sed non econuerso. propterea non potest per intellectum abstrahi homo ab animali, nec hic homo ab homine, sed bene econuerso. Hac de causa dixit Arist. in secundo Phy. textu decimooctauo, quòd intellectus abstrahit quantitatem à motu, & à qualitatibus sensibilibus, quoniã in substãtia materiali, & mobili prius est quantitas quàm qualitas, illa enim immediatè consequitur substantiam materialem & immobilem, hæc autem consequitur substantiam mediante quantitate, & ideo inquit illic Ari. neque fit mendacium abstrahentium. Latet autẽ hoc facientes & dicẽtes ideas, Physica enim abstrahunt cum sint minus abstracta, &c. quasi dicat, aliud est intelligere vnum non intellecto altero, & aliud est intelligere vnum esse sine altero: primum enim est verum, & secundũ est falsum, & in primo sensu abstrahunt Peripatetici, in secundo Platonici, ideo, &c. Hæc de prima quæstione pro nũc dicta sint, nam in Septimo libro diffusè iterũ pertractabitur.

Pro secunda quæstione arguit ad vtranque partem. Pro parte negatiua sic, sicut Geometria est circa lineas, & Arithmetica circa numeros, sic sunt aliquæ aliæ scientiæ Mathematicæ circa alia subiecta, puta Astrologia circa cœlum, Musica circa sonos, Prospectiua circa radios visuales: ergo si Geometria est circa lineas separatas à materia omnino, dabitur cœlum separatum, præter cœlum naturale, quod est absurdum, quoniam illud cœlum vel est mobile, & vt sic non est separatum à materia, omne enim immateriale est immobile, vt dicetur infrà, vel est immobile, & hoc repugnat naturæ cœli. sicut enim naturale est graui moueri ad medium, sic naturale est cœlo moueri, vel esse mobile circa medium: & sicut absurdum est dare cœlum separatum, sic est absurdum dare sonos, & lineas visuales separatas. Nam eadem ratione daremur auditus, & visus separati, qui cõprehenderẽt huiusmodi separata, sicut auditus, & visus, quos habemus in nobis comprehẽdunt huiusmodi non separata. Cum igitur hæc sint absurda, sequitur quod non dantur Mathe. separata secundũ esse à materia.

Pro parte autem affirmatiua sic arguit, cùm magnitudines, quę sunt in materia corrumpantur ad corruptionẽ substantię rei, si nõ dãtur magnitudines separatæ immobiles & incorruptibiles, sequitur, quòd scientia sit de corruptibilibus, & quòd ipsa scientia sit corrupta, corruptis his circa quæ est. quod tamen est falsum, quoniã quod scitur nõ potest aliter se habere, & scientia nõ corrumpitur, nisi corrupto obiecto, circa quod est, vel à suo cõtrario, puta ab ignorantia prauæ dispositionis.

Præterea, res quales traduntur in scientiis, tales debent esse, aliter scientia non esset vera, sed falsa cognitio. sed multa sensibilia non sunt talia, qualia traduntur in Mathematicis, nam Geometra probat sphæram tangere planum, siue rectam lineam in puncto: quod tamen non est verum in sphæra, & in linea, quæ habet esse in materia sensibili, & hac ratio-

ne vsus est Protagoras arguens contra Geometras. Item dicit Astrologus quosdam esse motus & reuolutiones cœlorum, qui tamen videntur repugnare cœlo sensibili perfectè sphærico, puta quòd sint per eccentricos & epicyclos. Item dicit Astronomus astra esse sicut puncta, quod tamen non est verum, de his astris sensibilibus, cùm habeant magnitudinem suam. ergo, si huiusmodi scientiæ debent esse veræ, necesse est vt dentur lineæ, & magnitudines separatæ ab his sensibilibus, circa quas erunt huiusmodi scientiæ, & sic pro vtraque parte remanet quæstio dubia.

Et tu aduerte, quòd Aristo. in septimo libro determinabit hoc dubium, & vt habeat ex nunc resolutionem, dico tria. Primo, quod nec mathematica, sicut nec naturalia, possunt esse separata à materia, quoniam cum sint accidentia, & de ratione accidentis sit substantia, necesse est in ratione quantitatis includi substantiam, quæ sit materia, forma, vel compositum, sed quoniam quantitas immediate consequitur materiam, sicut qualitas formam, ideo in ratione quantitatis includitur materia, sicut in ratione hominis includuntur caro, & ossa, & nerui. vnde sicut non potest esse homo sine carne & osse, sic non potest esse quantitas sine materia. Secundo dico, quòd licet non possit esse sine materia, in hoc tamē distinguitur à re naturali, ꝙ potest intelligi, & diffiniri sine materia sensibili, id est, materia subiecta qualitatibus, & motui, & generationi, & corruptioni, qualem materiā important caro, & ossa, & lignum, & lapis, & æs. & ratio huius est, quoniam posterius non est de intellectu prioris, sed econuerso: sed quātitas prior est qualitatibus sensibilibus, cōsequitur enim materiā, qualitas autem formam. nam prius necesse est intelligere materiam diuisam per quantitatem, quàm recipiat formam, & qualitates consequentes formam quæ priores sunt motu, sicut principia motus: ergo intellectus potest intelligere ac diffinire quantitatem, non intellecta materia, vt stat sub qualitate & motu. hac de causa in diffinitione lineæ, vel circuli non cadit lignum, vel terra, vel lapis, & hoc est abstrahere quantitatem à materia naturali & à motu, non quod dicat intellectus quantitatem esse sine materia naturali, vt imaginabantur Pythagorici: sed quod intelligit eam, non considerata materia naturali. In re autem naturali hanc abstractionem non potest facere intellectus, quoniam, vt probabitur in septimo libro, ratio hominis est, quòd constet ex corpore naturali & anima. non datur autem corpus naturale sine qualitatibus sensibilibus, & sine motu, propterea intellectus non abstrahit naturalia à materia sensibili, nec à motu, sed tantum à materia indiuiduali, vt dictum est suprà. Tertio dico, quòd per huiusmodi abstractiuam considerationem saluatur veritas scientiæ mathematicæ. Nam Mathematicus considerans lineam sine materia sensibili non iudicat eam existere extra materiam, sed intelligit eam quo ad prædicata per se, quæ potest apprehendere, non apprehensa qualitate sensibili. nam si intellectus potest abstrahere frigiditatem ab albedine in niue, prout potest considerare niuem frigidam non considerando, vt albam, multo magis id potest in quantitate, quæ prior est qualitatibus sensibilibus.

Ex his patet solutio rationum pro parte affirmatiua, & ad primam negatur consequentia. ad probationem dico, quòd prout de magnitudine sensibili habet scientia, non corrumpitur ad corruptionem huius vel illius substantiæ, nisi per accidens, non enim scitur inquantum est in hac substantia, sed quo ad prædicata per se, quæ immutabiliter verificantur de ea non habito respectu ad materiam sensibilem: puta triangulus semper est prima figura rectilinea, & semper habet tres æquales duobus rectis.

Ad secundam, nego minorem, ad probationem nego quin sphæræ, vt sphæra est, conueniat tangere planum in puncto, imò si tangeret, & non tangeret in puncto non esset sphæra, est enim proprietas consequens rationem sphæræ: sicut non concurrere est proprietas parallelæ. & si dicis, quòd experimur ad sensum, pilam tāgere planum secūdum superficiem. ergo non in puncto, dico quod experimur hoc tactu physico, non autem mathematico, sicut experimur, quòd diuisio in infinitum non cōuenit corpori physico, in quo dabile est minimum vt probatur in primo phy. tex. 36. sed corpori math. sumpto, id est, inquantum continuo. de eccentricis & epicyclis vtrum repugnent coelo videbitur in libro decimo. De astris non dicit Astronomus, quòd in se sint sicut puncta, sed in respectu ad oculum nostrum, ex maxima distantia quæ prohibet videri obiectum sub sua quantitate. manifestum est igitur, quòd non cogimur dare magnitudines separatas, vt verificentur scientiæ mathematicæ.

Et tu aduerte quòd Arist. in hoc tertio libro postquam arguit ad partes, pro dubio proposito introducit opinionem quorundam, qui ponunt mathe. media inter ideas, & has magnitudines sensibiles ac materiales, non quidem extra has magnitudines, sed penetrātes eas, & hæc fuit opinio eorum, qui vt visum est in 4. physi. posuerunt quasdam dimensiones per se existentes & penetrantes corpora sensibilia, & dicebant eas esse locum vacuum, cuius sententia, quoniam illic ad plenum reprobata est, ideo non est hìc inutiliter repetenda. Hæc de sexto cap. dicta sint.

CAPVT VII.

An principia rerum genera sint, quæ de eis prædicantur.

IN septimo capite duo sunt dubia disputanda. Primum, si principia rerum sunt genera, quæ prædicantur de eis, an partes primæ, ex quibus componuntur, sicut sunt elementa. Secundum, dato ꝙ genera sint rerum principia, dubitatur an illa sint cōmunissima, vt ens, & vnum, & magnū, & paruum.

Ad primum dubium arguit Philosophus pro vtraque parte, & pro parte negatiua sic arguit. Sicut est in vocibus, scilicet, articulatis, & in demonstrationibus, quibus probantur descriptiones figurarum, & in artificiatis, & in naturalibus, sic proportionaliter debet dici in omnibus aliis rebus: sed in vocibus, non dicitur vox, quæ est genus, & prædicatur de omni voce esse principium constitutiuum vocum, sed literæ ex quibus componuntur primo tanquam ex primis partibus. & apud Geometram nō dicitur diagramma siue descriptio, quæ est genus commune omni descriptioni figurarum, esse principium earum, sed primas demōstrationes geometricales, ex quibus procedunt aliæ demonstrationes, tanquam ex primis principiis. sicut ordinauit Euclides in libro suo, in quo posuit primas propositiones, & primas demonstrationes, tanquam elementa prima sequentium demonstrationum. similiter in artificiatis non dicitur artificiatum, quod est genus, esse principium eius, sed illa, ex quibus constat, puta lapides, cæmentum, figura sunt principia domus: similiter in naturalibus non dicitur corpus aut animal genus esse principium eorum, sed prima corpora, vt terra, aqua, &c. Quæ & antiqui, vt Empedocles, vocabant prima rerum elementa, id est, principia materialia, ex quibus componuntur: ergo, &c.

Pro parte affirmatiua, sic arguit. Genera sunt principia cognoscendi rem, ergo & essendi: patet consequentia: quoniam eadem sunt principia cognoscēdi & essendi. Quod autem genera sint principia cognoscendi, patet, quoniam ex generibus dantur diffinitiones, adiunctis tamen differentiis vt dicetur in septimo libro: sed per diffinitiones cognoscimus res. est enim indicans rei essentiam. ergo genera sunt principia essendi in rebus, sicut & cognoscendi. Et confirmatur, quoniam quidam antiquorum, vt dicetur in Decimo libro, vtuntur tanquam primis rerum principiis, ente, & vno, & magno & paruo, quæ existimantur communissima genera. & sic quæsitum remanet ex vtraque parte dubium. Huic dubio forte respondet aliquis dicens tam genera, quàm partes primas componentes esse rerum principia.

Sed contra hanc solutionem, sic arguit Philosophus, si vtraque essent principia ab vtrisque posset accipi vna & eadem ratio diffinitiua indicans rei substantiam: quod tamē est falsum; probatur consequentia, quoniā à rei principiis potest sumi rei diffinitio. Nam per rei principia, sua substantia cognoscitur. Et vna est tantum vnius rei diffinitio, cùm sit vna tantum eius substantia. ergo, si tam genera, quàm partes primæ componentes sunt rerum principia, ab vtrisque posset accipi vna & eadem ratio diffinitiua: falsitas autem consequentis patet, quoniam genera & partes primæ componentes sunt diuersarum rationum: ergo ab eis sumetur diuersa diffinitio & non vna, puta à genere sumetur ratio logica, à partibus autem ratio physica. Patet ergo, quod hæc non valet. Ad secundum dubium arguit pro vtraque parte, & primo, quòd communissima genera non sunt magis principia, sed infima prædicata de indiuiduis, id est, specialissima.

Quantum ad cōmunissima genera, quæ hic appellat ens & vnum sic arguit. Si ea, quæ sunt vniuersalissima, sunt magis principia, quia sunt genera, cum huiusmodi cōmunissima, sicut ens & vnum. sequitur, ꝙ ens sit genus, similiter et vnum: sed hoc est falsum. nam necesse est omne genus addita differentia constituere speciem, de qua differentia non prædicatur genus in primo modo per se, quoniam, si in diffinitione differentiæ poneretur genus, semper committeretur nugatio, quando genus & differentia prædicantur de specie, puta

puta, si in ly rationali includitur diffinitiue animal, cum dicitur, homo est animal rationale, bis diceretur animal sic resoluendo, homo est animal, animal habens rationem: sed de omni differentia prædicatur ens, aliter esset non ens, similiter de omni differentia prædicatur vnum, est enim conuertibile cum ente, vt videbitur in Quarto: ergo nec ens, nec vnum possunt esse genera: ex consequenti non possunt esse principia rerum, ex eo quod sunt communissima.

Præterea non solùm ens & vnum sunt communia, sed intermedia vsque ad indiuidua, vt species subalternæ & specialissimæ, quæ prædicātur de pluribus: ergo, si aliqua sunt principia rerum, quia sunt communia, hæc omnia erunt principia: quod non videtur rationabile.

Præterea, non solùm genera sunt communia, sed & differentiæ, & sunt causæ cognoscendi rem cum sumantur à forma, qua res est actu, & vnumquodque cognoscitur inquantum est actu: ergo differentiæ erunt magis principia rerum quam genera, quod videtur absurdum: quoniam, cùm sint penè infinitæ, essent quasi infinita principia rerum, ex consequenti nulla aut parua haberetur de rebus scientia, vt dictum est in primo Physi. tex. quinquagesimo contra Anaxagoram.

Pro parte secunda, scilicet quòd specialissima sint magis principia rerum quam genera, sic arguit, vnum secundum viam Platonis videtur maximè habere rationem principij: ergo quod est magis vnum, magis erit principium: constat autem quod inter communia prædicata, species specialissima est magis vna, quia est indiuisibilis secundum formam, non enim est diuisibilis per differentias formales, sicut genus, sed tantum diuisione indiuiduali siue materiali; ergo est magis principium quàm genera generalissima & subalterna.

Præterea, secundum viam Platonis, ea, inter quæ non est ordo prioris & posterioris, nec melioris & peioris, possunt esse separata, ex consequenti possunt esse principia, quoniam Plato ponebat principia rerum separata, vt dicetur in Septimo & in decimo libro. Inter quæ autem est huiusmodi ordo non possunt esse separata, propterea apud Platonem, nec in numeris, nec in figuris potest esse quid separatum, ex consequenti non possunt esse principia secundum Platonem, sed in specialissima respectu indiuiduorum, non est huiusmodi ordo: omnia enim æquè participant naturam specificam & differunt solùm materialiter: In generibus autem est huiusmodi ordo, quoniam communiora sunt priora, & minus communia posteriora, & diuiditur quodlibet genus in contrarias differentias, quarum vna est perfectior altera: ergo magis rationabile est ponere specialissima esse rerum principia, quàm genera.

In oppositum autem, scilicet quòd magis vniuersalia sunt magis principia, & non specialissima, sic arguit. Quòd est causa & principium oportet esse præter principiata, & separatum ab eis intelligendo de principio & causa efficiente, quia, cùm nihil producat seipsum, oportet producens esse separatum à producto: sed istæ conditiones magis conueniunt magis vniuersalibus, quia prædicantur de omnibus, & non econuerso, à quo sumitur signum, quòd sunt præter ea, de quibus prædicantur, veluti ab eis separata: ergo sunt magis principia quàm specialissima, & sic patet, quòd propositum remanet dubium pro vtraque parte.

Pro determinatione vtriusque dubij, aduerte, quòd secundum principia doctrinæ Aristote. paruam difficultatem continent. Nam, cùm sint tantum quatuor genera principiorum & causarum, duo quidem intrinseca, Materiale & formale, duo extrinseca, efficiens & finale: vniuersalia, tam generalissima, quàm media & specialissima, si habent rationem principij cum sint intrinseca his, de quibus prædicantur, & non possint esse separata secundum esse ab eis, vt probabitur in Septimo libro, non possunt esse rerum principia, nisi materiale & formale, inter quæ genus erit principium materiale, quoniam, vt probabitur in Septimo, sumitur à materia, & specialissimum erit formale, quoniam constituitur differentia, quæ, vt probabitur in eodem loco, sumitur à forma, & res magis pendet à forma, quàm à materia. quoniam per formam cōstituitur & conseruatur in actu, ideo specialissimum est magis principium quàm genus.

Secundum principia autem doctrinæ Platonicæ habent maiorem difficultatem, quoniam, cùm vniuersalia & communia prędicata sint separata à singularibus apud Platonem, si habent rationem principij erunt principia extrinseca, scilicet efficiens & finis, ex consequenti in via Platonis argumentari potuit pro vtraque parte, an genera essent principia, scilicet efficientia: & posito quod sic, an prima genera, id est maximè vniuersalia, essent magis principia, quàm specialissima, cum hæc & illa ponantur separata apud Platonem.

Et quoniam hic nitimur & adhæremus doctrinæ Aristotel. bonum est vt soluamus rationes prius positas, & pro solutione rationum ad primum dubium, aduerte duo. Primò, quòd aliud est loqui de principiis rei consideratione logica, quæ est secundum rationem, & aliud de consideratione reali, qualis est consideratio Physica & Metaphysica. Nam consideratione reali partes componentes, sunt verè principia rei, siue vt materia, vt in vocibus literæ, in artificiatis lignum vel ferrum, in naturalibus quatuor elementa: siue vt forma, vt in vocibus ordo literarum, in artificiatis compositio siue figura, in naturalibus formæ naturales. Consideratione autem logica, tam genera quàm differentiæ possunt dici principia inquantum sunt constitutiua diffinitionum & specierum. Nam sicut apud Physicum constituitur homo ex elementis & anima, sic apud Logicum constituitur ex animali, & rationali, vt ex genere & differentia. Ratione huius duplicis considerationis, patet quid dicendum ad rationes primi dubij. Nam ratio inducta pro parte negatiua, concludit secundum considerationem Physicam & Metaphysicam, ratio autem inducta pro parte affirmatiua, concludit secundum considerationem logicam.

Diffinitionis varia formatio.

Secundò aduerte, quòd diffinitio dupliciter dari potest de re. Primò per vnum aut per duo genera causarum, puta per materiam, aut per formam, aut per finem, aut efficientem: vt si dicatur, homo est quid compositum ex contrariis, erit diffinitio per materiam. Si dicatur, homo est substantia intellectualis, erit diffinitio per formam. Si dicatur, homo est substantia ordinata ad beatitudinem, est diffinitio per finem. Si dicatur, homo est ens productum à sibi simili in specie, secundum corpus & immediatè productum à Deo secūdum animam, erit diffinitio per causam efficientem. Secundò potest dari per omnes causas suas, vt si dicatur, homo est substantia composita ex contrariis intellectualis secundum partem, ordinata ad beatitudinem, producta à sibi simili in specie secundum corpus creata immediatè à Deo secūdum animam. Item aduerte, quòd diffinitio potest dari de re considerata logice, & de re considerata realiter: vt hæc, homo est animal rationale, est logica: hæc autem, homo est quid compositum ex contrariis elementis & anima rationali, est realis. Ex his distinctionibus patet, quid dicendum ad rationem Philosophi, qua conatur infringere rationem dicentium, tam genera quàm partes componentes esse rerum principia. Negatur igitur consequentia: ad probationem conceditur, quòd à rei principiis potest sumi rei diffinitio, sed negatur quòd vnius rei sit tantum vna diffinitio, nisi detur per omnia principia rei. Si autem non datur per omnia principia non inconuenit eam multiplicari, vt declaratum est in distinctione data. Et cùm probatur vnitas diffinitionis per vnitatem substantiæ rei diffinitæ, non valet nisi in diffinitione complectente omnia rei principia: & si dicas: ergo non omnis diffinitio sufficienter indicat essentiam rei diffinitæ. Respondeo, si complectitur omnia genera causarum conuenientium rei diffinitæ simpliciter, sufficienter indicat essentiam rei diffinitæ, si non complectitur omnia genera causarum sufficienter indicat pro illo genere causæ, secundum quam datur & illud sufficit. Hæc pro determinatione primi dubij dicta sint.

Pro solutione rationum inductarum pro secundo dubio aduerte, quòd rationes probantes communissima & vniuersalissima non esse magis principia concludunt secundum doctrinam Aristotelis: quoniam consideratione reali, nullum vniuersale, vt vniuersale, est alicuius causalitatis, nisi ratione alicuius singularis, in quo habet esse, hæc enim non est vera, homo generat, nisi quia hic, vel hic generat. & quoniam Plato arbitrabatur maximè communissima esse extra singularia, ideo credebat ea esse maximè principia, sed destructo hoc fundamento, quod destruetur in Septimo & in decimo libro, patet hanc negatiuam esse veram, nullum vniuersalissimum vt sic, est rerum principium, nec aliud commune vt sic, ergo non est magis principium quàm minus commune, & propterea non est necesse soluere rationes probantes negatiuam supradictam. Rationes autem inductæ pro secunda parte dubij de specialissimo, quòd sit magis principium quam communissimum, non procedunt, nisi ex fundamento Platonis, scilicet quòd est magis vnum, & est separatum à singularibus, &c. sed hoc fundamentum applicatum siue magis communi, siue minus communi, siue habentibus ordinem, siue non habentibus, est falsum in via Aristotel. sola enim singularia habent vnitatem realem, & per se existunt, siue sint im-

materialia, vt intelligentiæ, siue materialia, vt composita ex materia & forma, quare, &c.

Ad rationem in oppositum negatur minor secundum doctrinam Arist. & cùm dicitur, quòd ex quo prædicantur de omnibus, & non econuerso, signum est, quòd sunt præter ea, ex consequenti sunt separata, imò ex hoc sumitur signum oppositum, quoniam in omni prædicatione affirmatiua & in recto, necesse est prædicatum identificari subiecto, aut in esse subiecto. Identificatur autem prædicatum essentiale, & inest prædicatum accidentale tam in accidente proprio, quàm in accidente cõmuni, quare, &c. Hæc de septimo cap. dicta sint.

CAPVT VIII.

An quicquam vniuersale sit præter singularia necne, & vtrum tale quid separatum compositum sit.

Tex.t.12. IN octauo capite disputantur duo dubia, quę immediatè sequuntur ex præcedentibus. Disputatum est enim vtrum vniuersalia sint principia, & vtrum magis vniuersalia quàm minus vniuersalia sint magis principia. Et dictum est, quòd si sunt separata sunt principia, si autem non, nõ, dubitatur ergo si dãtur vniuersalia separata per se existentia, vel si nihil per se existit nisi singulare. Item dubitatur si præter singulare materiale sensibile, datur aliquod ens separatum, quod non sit compositum, vel materia, vel forma.

Ad primum dubium arguit pro vtraque parte, pro parte affirmatiua sic. Si nihil est præter singularia, nulla habetur scientia, quoniam cùm sint infinita non possũt sciri. si ergo de aliquo habetur scientia, oportet illud esse vniuersale, tunc vltra, aut illud vniuersale habet esse, aut non: si habet esse, ergo præter singularia datur vniuersale separatum: si non habet esse, ergo scientia non erit de vero, quoniam ens & verum conuertuntur, & quod non est non contingit scire.

Pro parte negatiua sic. Si vniuersale est separatum à singularibus, ergo erit necesse quòd prima genera, vel quæ sunt vniuersalia, id est, specialissima, sint præter sua indiuidua: hoc autem est impossibile, vt dictum est in præcedentibus, & magis dicetur infrá.

Pro determinatione huius dubij, aduerte, quòd Arist. in septimo lib. multiplici ratione cõtra Platonem concludet pro parte negatiua. quas nolo hîc formare, ne fiat inutilis repetitio, vnde pro nunc sufficit soluere rationem adductam pro parte affirmatiua.

Singularium quomodo sit scientia. Ad rationem igitur dico, quòd licet singularia, vt singularia non possint sciri, tamen de vniuersali prædicato de singularibus, habetur scientia, & cùm arguit: aut illud vniuersale habet esse, aut non, dico quòd habet esse, sed nego hanc cõsequentiam, ergo præter singularia datur vniuersale separatum, nam habet esse & in intellectu, vt cognitum obiectum in cognoscente, & in singularibus, vt in his quibus primò cõpetit existentia: hæc enim est vera, homo existit, quia hic vel hic existit, vnde dicit Arist. in prædicamentis, secundas substantias existere in primis, vt in his, quæ principaliter, & maximè subsistunt. Et si arguitur, quòd intellectus concipit vniuersale non concepto aliquo singulari, ergo habet esse non in singulari. aliter intelligeret rem alio modo quàm sit, & sic falsò intelligeret.

Respondeo & nego consequentiam, quia cùm vniuersale sit prius singulari non inconuenit intelligere prius non intellecto posteriori: & cum dicitur, quod intelligeret rem aliter quàm sit, &c. dico, q; id non incõuenit, dũmodo non enunciet de re aliter quàm sit: nã, cum intellectus sit virtus immaterialis, intelligit rem materialem immaterialiter, id est, modo spirituali: si tamen diceret rem materialẽ esse immaterialem, falsò intelligeret: similiter, cũ sit virtus inorganica & receptiua speciei repræsentatiuæ sine cõditionibus singularibus potest intelligere rei naturã vniuersaliter, non cointellecto aliquo singulari, si tamẽ diceret talem rei naturã existere sine singularibus falsò intelligeret. Hęc de primo dubio dicta sint.

Ad secundum dub. Ad secundũ dubiũ arguit pro vtraque parte, & pro parte affirmatiua sic. Si nihil datur præter singulare materiale sensibile, nullum erit ens intelligibile, sed tantum à sensu cognoscibile: sensus enim est propriè singularium sensibilium: tunc vltrà, ergo de nullo habebitur scientia, nisi forte quis dicat sensum & scientiam non distingui, vt dicebant aliqui, quorum positio reprobata est in 2. de Anima tex. 150. scientia enim cum sit in intellectu pro obiecto habet intelligibile, sicut sentire, cum sit in sensu, pro obiecto habet sensibile.

Secunda ratio. Præterea, si nihil est præter singularia materialia sensibilia, nihil erit sempiternum & immobile, omnia enim huiusmodi singularia videtur esse sub motu & corruptione: si nihil est sempiternum, non datur generatio, quoniam in omni generatione est id quod fit, & id ex quo fit, vt materia, & non potest esse non ens, quia ex non ente est impossibile aliquid generari: illud ergo ens, ex quo aliquid fit, aut factum est ex alio, aut non, si non, ergo est ingenitum, ergo sempiternum, si ex alio fit, cum non sit processus in infinitum in causis materialibus, vt dictum est in secundo libro, deuenietur tandem ad aliquod non factum ex alio, & illud erit sempiternum, aliter si non est deuenire ad aliquod primum materiale principium non factum ex alio, nunquam complebitur rei generatio, ex consequenti frustra esset.

Præterea, cũ nullus motus sit infinitus, necesse est vt habeat aliquẽ finẽ, qui erit terminus motus, qui terminus est aliqua forma, aut substantialis, aut accidentalis, dempto motu locali, qui est, ad vbi, quem tamen necesse est esse finitum, saltem secundum quamlibet circulationem. Quęro igitur de forma, quæ est terminus motus, aut est producta per alium motum siue generationem, aut non: si non, ergo erit ingenita & æterna: si sic, vel est processus in infinitum in causis formalibus, vel est deuenire ad formam primam ingenitam: sed probatum est in secundo libro, non esse processum in infinitũ in formis, ergo datur aliqua forma ingenita, ex consequenti incorruptibilis & æterna: patet ergo, quòd vltra singularia materialia sensibilia, quæ cadunt sub motu & corruptione, necesse est dare aliquod separatum ingenitum & æternum, quod quidem non est compositum ex materia & forma, nec est materia, quoniam cùm sit ens merè potentiale, sibi repugnat per se existere.

Pro parte negatiua sic arguit. Si ponatur esse aliquam formam separatam à singularibus, quæritur quæ erunt huiusmodi formæ: certum, quòd non erunt artificiales, vanum est enim ponere formam domus, siue aliquam domum separatam à domo sensibili & materiali: si ergo hoc non datur in omnibus naturis, difficillimum erit assignare in qua natura dentur huiusmodi formæ separatæ.

Pro determinatione huius dubij aduerte, quòd formæ sunt in duplici differẽtia. Quædã sunt quarum nulla actio supergreditur materiam omnino, sed exercetur aut qualitatibus naturalibus, vt calefacere ex calore, frigefacere ex frigiditate, vel exercentur potentiis animæ organicis, vt vegetare, sentire, moueri progressiuè, concupiscere, & huiusmodi formæ non possunt esse separatę à materia, educuntur enim de potentia materiæ per actionem agentis naturalis, ex consequenti eis non competit esse nisi per esse compositi materialis, propterea ipso desinente desinunt. Quædam autem sunt, quarum actio non pẽdet à materia, nec exercetur potentia alligata materiæ, sed est eleuata omnino super materiam, vt intelligere, & velle, & has non inconuenit ponere separatas à materia: quæ tamen adhuc sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt pars speciei, vt animæ humanæ, & hæ quidem vnibiles sunt materiæ, cùm dent homini esse hominem, separabiles etiam sunt à materia, & post corruptionem compositi separatæ à materia permanent in esse. Quædam autem completæ sunt in specie, vt intelligentiæ, & primum principium, & non sunt vnibiles materiæ, cùm non sint pars, & sunt semper separatæ à materia, & propriè dicuntur formæ, siue actus omnino immateriales & metaphysici. De primis, quòd non sint, nec possint esse nisi in materia, determinabit Arist. in 7. lib. longo processu. De secunda determinabit in lib. 11. textu decimosexto. De tertiis determinabit in eodem libro in tex. 30.

Nunc superest soluere rationes inductas pro vtraque parte, & ad primam pro parte affirmatiua, dico, quòd procedit ex fundamentis Plat. qui arbitratur, vt habeatur scientia de naturalibus mobilibus, q; sit necesse dare naturas vniuersales præter singularia, quod non est verum: nam, vt habeatur scientia de naturalibus, sufficit quòd intellectus abstrahat vniuersale à singularibus, scilicet intelligendo vniuersale, non intellectis singularibus, vt declaratum est suprá.

Respondendo igitur formaliter, nego consequentiam: nam natura rei sensibilis, licet non existat extra singularia, tamen quia conceptibilis est secundum se, nõ habito respectu ad ista singularia, dicitur esse natura intelligibilis, & vt sic non est necesse vt incidamus in sententiam antiquorum, qui non distinguebant inter scientiam & sentire.

Ad secundã dico, q; licet concludat verũ scilicet, q; necesse est dare aliquod æternum & ingenitum, vt seruetur generatio, tamen non est necesse illud æternum esse aliquam formam, quæ sit terminus generationis, nec secundum veritatem illud est materia prima, quoniam non est verum, mundum esse æternum, vt docuimus in Octauo Physicorum, licet Aristote. aliter senserit. Et quando probatur, quòd aliter erit processus in infinitum in causis materialibus & formalibus, nego consequentiam, quæ fundatur super hac propositione, quòd materia & forma per se generentur: cuius oppositum manifestabitur in libro Septimo, vbi dicemus solùm compositum generari per se, partes autem per accidens. Illud ergo æternum, vt declarabitur in libro Duodecimo, est primum agens & intelligentiæ motrices, cum corpore cœlesti, quæ sunt formæ abstractæ inalterabiles, &c. Et hæc solutio sufficiat pro secunda & tertia ratione.

Ad rationem pro parte negatiua patet solutio ex distinctione data de formis, solæ enim intellectuales possunt existere sine omni materia, & de artificialibus iudicandum est sicut de naturalibus quantum ad inseparabilitatem à materia. Hæc de octauo capite dicta sint.

CAPVT IX.

An omnium indiuiduorum vna sit substantia vel plures: & vtrum principia sint eadem numero, vel specie.

IN nono capite duo dubia disputanda sunt.

Primò vtrum omnium indiuiduorum vnius speciei, vt omnium hominum, sit vna substantia, id est vna quiditas, siue vna forma.

Secundò, vtrum omnium rerum sint eadem principia numero, vel eadem specie & diuersa numero.

Ad primum dubium pro parte negatiua sic arguitur. Si omnium indiuiduorum est vna quiditas siue forma, ergo quæ sunt multa & differentia non erunt multa: & implicat contradictionem, probatur consequentia. Quorum est vna quiditas siue forma, illa non sunt multa, sed vnum: sed per te multorum & differentium indiuiduorum est vna forma: ergo multa & differentia non erunt multa, ex consequenti multa non erunt multa, quod implicat.

Præterea, si forma omnium indiuiduorum est vna, non poterit assignari ratio, quare talis forma vniatur huic materiæ, & illa illi, nam in distinctis indiuiduis distinctæ sunt materiæ, aliter non different numero, consequentia autem sic probatur, Quod est in se indiuisum, remanens indiuisum non componitur cum multis distinctis: ergo, &c.

Pro parte affirmatiua non arguit, quoniam apud Platonem eundem, manifestum est, quòd omnium singularium eiusdem naturæ est vna forma separata, quam vocat substantiam & quiditatem omnium singularium, vt declarabitur in libro Septimo, & quoniam in hoc libro procedit tantum disputatiuè adducens antiquorum rationes & fundamenta super dubia hîc pertractata sufficiebat pro parte affirmatiua supponere prædictum fundamentum Platonis.

Et tu aduerte, quòd hoc dubium determinatur secundum viam Arist. simpliciter pro parte negatiua. nam in septimo libro textu vigesimo probabit, quod quid est, id est, rei quiditatem idem esse cum eo cuius est, ergo sicut multiplicantur indiuidua habentia suam quiditatem, quæ dicitur esse rei substantia, sic multiplicantur quiditates. Præterea, cùm generatio sicut & motus sumat vnitatem & distinctionem à termino ad quem, & terminus generationis sit forma, sequitur q; omnium indiuiduorum eiusdem speciei sit vna numero generatio, ex consequenti, omnia indiuidua essent vnum indiuiduum genitum, quod est absurdum. Præterea, cùm vnumquodque habeat esse, & vnitatem & distinctionem à propria forma, si omnia indiuidua vnius speciei habent vnam formã, omnia erunt vnũ & non multa, & sic omnes homines erunt tantũ vnus homo, quod est contra sensum. Rationes adductæ pro parte negatiua concludunt verũ, ideo non sunt soluendæ.

Fundamentum Platonis adductum pro parte affirmatiua destruetur in septimo, vbi declarabitur vanum esse ponere formam separatam ab eo cuius est forma.

Ad secundum dubium arguit Aristot. pro vtraque parte & pro parte affirmatiua sic, Cum omne, quod est in principiato pendet à suo principio, si principia rerum non sunt eadem numero, nec aliquod principiatum erit vnum numero: ergo nullum genitum erit vnum numero, nec particulare, & si nullum erit particulare, nullum erit vniuersale: (dicitur enim vniuersale, quod est vnum dictum de multis, & in multis,) & si non erit vniuersale, nulla erit scientia, quoniam est propriè de vniuersali, Præterea, si non sunt eadem principia numero, nec ens per se, nec vnum per se, id est, primũ ens, & primum vnum, quod ponitur esse principium omnium, erit idem numero, ex consequenti non erit per se subsistens, quod tamen est falsum, quoniam in entibus est deuenire ad vnũ primum, quod est maximè ens, & vnum in seipso subsistens: ergo, &c.

Pro parte autem negatiua sic arguit, Cum diuersitas principiatorum pendeat à principiis, si principia rerum essent eadem numero, nulla esset diuersitas in rebus, sicut videmus in sensibilibus, si omnes literæ essent eadem, non fieret distinctio syllabarum, neç dictionum, hæc autem sunt absurda: ergo diuersorum diuersa sunt principia.

Et tu aduerte, quòd Arist. in 12. in textu 19. vsque ad text. 29. determinat hoc dubium, & declarat quomodo sunt eadem, & quomodo diuersa, vtraque enim pars est vera bene intellecta. & resolutio stat in hoc, principia rerum sunt duplicia, scilicet intrinseca, vt materia & forma, siue potentia & actus: & extrinseca, vt efficiens & finis: principia intrinseca iterum dupliciter considerantur, scilicet in vniuersali, vel in specie, si in vniuersali, sic sunt quodammodo eadem in omni prædicamento, quoniam sicut in prædicamento substantiæ principia sunt forma, cui opponitur priuatio, & materia, sic proportionaliter in quantitate & qualitate, & in aliis prædicamentis sunt quædam, vt forma, & priuatio, & materia, vt in prædicamento qualitatis forma est lux, tenebra priuatio, diaphanum materia, si in specie, sic sunt diuersa in diuersis, quoniam vniuscuiusque forma recipitur in sua propria materia, vt anima intellectiua in corpore humano, anima equi in corpore equi, forma lapidis in materia lapidis. Principia autẽ extrinseca quadrupliciter considerantur, quoniam vel vt primo prima absolutè, vel vt primo prima in genere, vel vt specifica, vel vt indiuidua. Si primo prima, sic sunt simpliciter eadem, nam primo primum efficiens omnium est primum principium, à quo pẽdet cœlum & omnia naturalia, vt dicemus in lib. 12. in tex. 38. Si primo prima in genere, scilicet in genere corporaliũ sub cœlo, sic etiam sunt eadẽ principia omnium, quæ sub cœlo fiunt: nam intelligentiæ, & corpora cœlestia principia sunt omnium inferiorum, tam in elementis, quàm in elementatis, & hæc, cùm sint incorruptibilia, semper eadem permanent secundum substantiam, licet cœlũ mutetur secundum vbi, quo ad eius partes, vt stant sub motu: intelligẽtiæ autem mutatur secũdum intellectum & appetitum. quomodo autem id fit, non est præsentis loci considerare, sed in 12. libro. Si in specie sic diuersorum productorum distinctorum specie, siue etiam genere, sunt diuersa principia efficientia: nam, vt declarabitur in duodecimo libro in tex. 13. vnumquodque fit à suo vniuoco: ergo homo ab homine, equus ab equo. &c. Si in indiuiduo, sic iterũ distinguo, quoniam vel in distinctis speciebus, vel in eadem. Si primo, sic diuersorum indiuiduorum diuersa sunt principia effectiua, vt huius hominis hic homo, & huius equi hic equus, vnumquodque enim agit secundum speciem suam, & non vltra speciem. Si secundo non inconuenit idem efficiens numero esse principium plurium indiuiduorum, vt patet de Socrate generante multos filios. Ad conseruandam tamen longam generationem successiuam in eadem specie, necessariò requiruntur multa principia effectiua, quoniam nullum eorum est incorruptibile. Patet igitur quomodo principia effectiua rerum sunt eadem, & quomodo diuersa. Et aduerte, quòd ad generationem imperfectorum possunt semper esse eadem: nam, vt dicemus in septimo, Cœlum est sufficiens effectiuum eorum, vt ranæ & vermis, &c. Vltra efficiens datur finis principium extrinsecum. & id similiter est idem & diuersum: nam primo primum est idem, & hoc est Deus benedictus, ad quem vt dicet Arist. in lib. 12. omnia entia ordinantur, sicut totus exercitus ad ducem: & declarabitur illic quomodo primum efficiens, prima forma, siue primus actus, & primus finis, incidunt in idem numero, fines autem secundarij & proprij diuersi sunt, sicut & diuersa agentia, & diuersæ actiones, & diuersæ artes, vt declarat Philosophus in primo Ethicorum.

Rationes autem adductæ pro vtraque parte non sunt soluendæ: nam ratio prima pro parte affirmatiua concludit, quòd idem numero principiatum habet idem principium, scilicet efficiens proximum, vt hic homo tantum ab vno homine generatur, & habet vnam materiam proximã, & vnam tantum formam substantialem, & vnum finem sibi propriũ, & hæc omnia vera sunt. Secunda autem concludit: quòd principium primo primum, quod est primum ens, & primum vnum, est idem.

Ratio autem pro parte negatiua concludit necessariam diuersitatem principiorum proximorũ tam in principiis intrinsecis, quàm extrinsecis, vt seruetur diuersitas in principiatis. nam, si materia proxima, & agens proximum non diuersificantur, neque factum diuersificabitur, vt declarabit Philosophus in 8. libro in textu. 12. Hæc de capite nono dicta sint.

CAPVT X.

An corruptibilium & incorruptibilium eadem principia sint.

Tex.c.34. IN decimo capite dubitatur, si sint eadem principia corruptibilium & incorruptibilium, & pro vtraque parte arguit, pro parte negatiua sic, si sint eadem, non poterit assignari causa, quare aliqua sint corruptibilia, & aliqua non. Nam cum ex eisdem principiis idem sequatur effectus: vel omnia erunt incorruptibilia, si principia sunt incorruptibilia: vel omnia erunt corruptibilia, si principia sunt corruptibilia.

Ad hanc rationem respondet Hesiodus, & alij Poëtæ dicti Theologi, qui descripserunt diuina sub fabulis, contenti vt ij, si soli seipsos intelligerent non curantes de aliis, isti dicunt Deos esse principia corruptibilium & incorruptibilium. sed differenter, nam fingunt, quòd ex diis aliqui gustauerunt nectar, & ambrosiam, & isti facti sunt immortales, & produxerunt incorruptibilia, vt corpora cœlestia. Quidam autem facti sunt mortales, qui non gustauerunt prædicta, & isti produxerunt corruptibilia, vt sunt hæc inferiora.

Sed sic dicentes, loquuntur inintelligibiliter, & pro quanto verba sonant dicũt absurda, nam dij gustantes nectar, &c. aut gustauerunt ex voluptate, aut ex necessitate. si ex voluptate, ergo propter talem cibum non sunt facti immortales. voluptas enim vt voluptas non est causa permanentiæ, sed supponit eam: si ex necessitate, multo minus facti sunt immortales, stultum est enim dicere indigere cibo, & esse immortalem, nam, vt inquit Comment. in commen. 15. Cibus & potus non sunt necessarij, nisi vt restaurent corruptum, quomodo igitur remanet æternum illud, quod est natum corrumpi? sed quoniam hæc fabulosa sunt, relinquamus, quoniam non est dignum philosophiam, quæ est veritatis indagatrix, his fabulis multo studio intendere. Ad eandem rationem respondet Empedocles, & dicit, eadem esse principia omnium, sed eis adiungit odium, & quidem quæ producta sunt sine odio remanent incorruptib. quæ autem cum odio remanent subiecta generationi & corruptioni, vt hæc inferiora, cœlum autem, quia sine odio productum est, ideo est incorruptibile.

Sed hæc ratio non consonat aliis dictis suis. Nam dicit omnia præter Deum generari ex odio, quia non stat et distinctio inter entia, nec inter partes vniuersi, nisi ex odio, & dicit quòd dominante amicitia omnia erunt vnum, & sic dissoluetur vniuersum, de cuius ratione est, vt partes remaneant distinctæ, est igitur odium ita causa generationis, sicut corruptionis, & quidem cum cœli sint distincti, necessario sunt geniti ex odio, ergo sunt corruptibiles. Quod autem dicit Deum in se non habere odium deducit ad hoc inconueniens, quòd Deus non cognoscit omnia. nam secundum Empedoclem simile simili cognoscitur, ita quòd necesse est cognoscentem habere in se realiter naturam cogniti, vt dictum est in primo de Anima secundum doctrinam antiquorum: si igitur Deus non habet in se odium, non cognoscit ipsum. ergo non cognoscit omnia: quod est valde inconueniens, esset enim minus prudens, id est, sapiens alis substantiis intelligentibus, puta intelligentiis & hominibus, quoniam cognoscunt naturam odij, ergo, &c. Sed & huiusmodi opinionem vt poëticam relinquamus, nullam nãque dicti sui causam adducit, sed nec rationẽ reddit, quare tanto tempore regnat odium, & tanto amicitia, nisi quia sic aptum natum fuit, sed id non satisfacit Philosopho inuestigãti veritatem. Patet igitur, quòd nec Empedocles rectè respondet rationi inductę pro parte negatiua.

Pro parte autem affirmatiua arguit sic, si sunt diuersa principia corruptibilium & incorruptibilium, aut sunt corruptibilia, aut incorruptibilia. si corruptibilia, cum omne corruptibile aliquando corrumpatur, tandem corrumpentur. quibus corruptis cessabit generatio rerum corruptibilium, ex consequenti omnia inferiora tandem & omnino deficient, quod videtur inconueniens, quoniam generatio tẽdit in perpetuum: si incorruptibilia, remanet dubium, quare ex principiis incorruptibilibus quædam fiunt incorruptibilia, quædam autem corruptibilia, deberent enim fieri tantum incorruptibilia, vt principiata assimilentur suis principiis.

Præterea omnes antiqui conantur ponere eadem principia omnium corruptibilium & incorruptibilium: licet non videantur curasse rationem adductam pro parte negatiua, sed leuiter pertransierunt eam, & sic remanet dubium pro vtraque parte.

Et tu aduerte, quòd apud Arist. in duodecimo libro textu trigesimoquarto, & in octauo Physic. tex. 48. & in secundo de Generatione tex. 55. ex omnibus his locis simul sumptis habeti potest plena huius dubij resolutio. Pro illius igitur notitia præpono aliquas distinctiones, deinde totum resoluam.

Prima distinctio res corruptibiles & incorruptibiles dupliciter sumi possunt, scilicet coniunctim & diuisim.

Secunda distinctio, Rerum incorruptibilium, quædam sunt permanentia, quædam successiua, vt motus corporũ cœlestium, qui apud Aristot. secundum se totum est perpetuus. Idem intellige ex parte rerum corruptibilium. nam lapis & homo sunt res permanentes, motus autem inferiores, & generatio & corruptio adiunctis alterationibus sunt successiuæ.

Tertia distinctio, principia rerum incorruptibilium, vel corruptibilium sunt in triplici differentia. Quædam prima simpliciter, & vniuersalissima, quædam secundaria vniuersalia, quædam proxima & particularia.

His præpositis dico ad dubium, quòd principia prima & vniuersalissima effectiua & finalia, tam incorruptibilium quàm corruptibiliũ sunt eadem, imo est tantum vnum, quod est Deus benedictus, qui vt continens in se omnes gradus essendi sua virtute ali quibus dat esse perpetuum & immutabile secundum substantiam, vt intelligentiis & cœlo & animabus nostris, omnibus autem aliis dat esse temporale & mutationi subiectum. Et quidem quòd hæc sit mens Aristot. dictum est in secundo libro, & in 12. in textu 23. dicet primum omnium est mouens, scilicet ad esse omnia.

Principia autem secundaria vniuersalia sunt intelligentiæ & corpora cœlestia: & hæc quidem nullius incorruptibilis permanentis sunt principia effectiua & finalia, sed tantum rei incorruptibilis successiuæ. Nam sunt principia motus cœlestis effectiua, non autem finalia, vt dicemus in duodecimo libro. Omnes enim intelligentiæ mouent, vt assimilentur primo principio. Rerum igitur incorruptibilium permanentium, quo ad substantiam cum intelligentiæ non sint principia, idem & vnum solum est principium, scilicet Deus. Rerum autem incorruptibilium successiuarum, vt motuum cœlorum, eadem sunt principia secundaria vniuersalia, quæ sunt intelligentiæ motrices.

Rerum corruptibilium permanentium, & successiuarum eadem sunt principia effectiua & motiua secundaria vniuersalia, quæ omnia sunt incorruptibilia & inaterabilia secundum substantiam, vt intelligentiæ & cœlum. nam Aristin libro duodecimo, textu trigesimoquarto, reducit perpetuitatem generationis & corruptionis ad primum cœlum motum vniformi & simplici motu, eo quod semper & eodem modo se habet in tali motu, non enim magis declinat ad vnũ polum quàm ad alterum, sed vniformiter mouetur super polos mundi, cuius motus in duo media diuiditur per æquinoctialem. Alternationem autem generationis & corruptionis reducit ad motum planetarũ sub zodiaco, cuius vna pars declinat ad arcticum, & alia ad meridiem, vt magis declarabitur 12. Ratio autem Arist. ad hoc propositum in 8. Physic. tex. 48. fuit talis, principia vniuersalia perpetua & alternæ generationis & corruptionis rerum corruptibilium, tam permanentium quàm successiuarũ aut sunt entia corruptibilia, aut incorruptibilia, non primo modo, quoniam aut aliquod vnum corruptibile aut omnia: non vnum, quoniam post illius corruptionem cessaret generatio & corruptio in inferioribus: non omnia, quoniam cum successiuè generẽtur, non omnia sunt simul actu. ergo non omnia possunt esse principia rerum corruptibilium. Relinquitur ergo, quòd talia principia sint incorruptibilia, vt intelligentiæ & cœlum. Et si quæras quomodo ex principiis incorruptibilibus potest causari ens corruptibile, respondebitur in solutione rationum. Patet igitur, quòd omnium rerum corruptibilium eadem sunt principia effectiua & motiua secundaria vniuersalia.

Rerum autem corruptibilium tam permanentium, quàm successiuarum diuersa sunt principia effectiua & motiua proxima. nam, vt dictum est in capite præcedenti, vnumquodque fit à suo vniuoco: & plenè declarabitur in libro septimo, propterea concludet Arist. in libro 12. in textu 34. quòd sic se habet, quid ergo oportet quærere alia principia, puta ideas secundum Platonem, vel litem, & amicitiam secundum Empedoclem, vel deos gustantes nectar & manna, & non gustantes, secundum Hesiodum.

Si autem quæratur de principiis intrinsecis, an sint eadem corruptibilium & incorruptibilium. Respondendum, quod non, quoniam incorruptibilium materia non est subiecta privationi, & eorum forma totaliter perficit potẽtiam materiæ. Materia autem corruptibilium est subiecta priuationi, & eorum formæ, vtpote particulares, non sunt tantæ perfectionis, quòd aliqua earum possit omnino perficere materiam, patet igitur quomodo sunt eadem, vel non eadem principia extrinseca, & intrinseca corruptibilium & incorruptibilium.

Nunc

Nunc respondendum est rationibus vtriusque partis. Ad rationem pro parte negatiua, dico, quòd si essent eadem principia vniuersalia, & secundaria vniuersalia, & particularia, tam extrinseca quam intrinseca, non posset assignari ratio quare aliqua sint incorrupt. & aliqua corrupt. verum, quia distinguitur realiter primum agens ab intelligentiis, & iste à corpore cœlesti, & ista omnia ab agentibus naturalibus proximis, & principia intrinseca non sunt eadem in corpore cœlesti, & in elementis, ac elementatis, vt declaratum est, ideo potest assignari ratio, quare aliqua sunt corrup. & aliqua incorrup. nam dicemus in Decimo libro, quòd ratio intrinseca corruptionis est materia cum priuatione, quæ autem sunt sine materia, aut habent materiam sine priuatione, & sine qualitatibus actiuis & passiuis, vt cœlum, sunt incorruptibilia.

Ad rationem pro parte affirmatiua, dico, quòd principium primo primum, tam corruptib. quam incorrupt. est vnum & idem, quod est Deus: principia autem secundaria, vniuersalia, & particularia corruptibilium non sunt eadem: nam intelligentiæ & cœlum motum sunt principia secundaria vniuersalia, & sunt incorruptibilia: agentia autem naturalia vniuoca cum suis productis, sunt principia proxima particularia, & sunt corruptibilia: & quando arguitur, si sunt corruptibilia cessabit omnino generatio, dico, quod, si tam principium primo primum & secundaria vniuersalia essent corruptibilia, sicut sunt corruptibilia principia particularia proxima, consequentia esset vera, sed iam dictum est, quòd licet particularia principia proxima sint corruptibilia, non tamen primo primum, nec secundaria vniuersalia. Et cùm iterum arguitur, quod, si sunt incorruptibilia, remanet dubium, quare, &c. Dico, quòd apud intelligentem non remanet dubium, nam à primo principio emanant incorrup. & corru. quoniam est contentiuum omnis gradus entis, & ab intelligentiis producuntur corruptibilia, quia agunt per cœlum motuum, quod vt motum est causa variationis in inferioribus, & postremo non solum intelligentiæ, & cœlum causant corruptibilia, sed & agentia proxima, nam Sol & homo generant hominem, & dato casu quod cœlum solùm produceret aliqua inferiora sicut imperfecta, vt ranã, adhuc assignatur ratio corruptibilitatis in ea, puta quia sua materia prima est subiecta priuationi, & quia materia proxima est cum qualitatibus contrariis: patet igitur, quomodo cum identitate & diuersitate principiorũ, stat corruptibilitas & incorruptibilitas in rebus: de identitate principiorum, quam posuerunt antiqui, nõ est curandum, quoniam non attigerunt veritatem. Hæc de decimo capite dicta sint.

CAPVT XI.

An ens & vnum sint rerum substantiæ.

Tex.c.36. IN capite vndecimo dubitatur, vtrum vnum & ens sint substantia rerum, vel non: & hoc dubium est valde difficile propter opiniones famosas contrarias, & propter rationes, quas pro vtraque parte adducemus. Aduerte igitur, quòd Pythagorici & Platonici tenent partem affirmatiuam: dicunt enim, quòd ens & vnũ non aduenient alicui naturæ, quæ denominetur ens ab esse, & vna ab vnitate, sicut denominatur animata vel quanta, vel grauis ab huiusmodi sibi aduenientibus. Naturales autem, vt Empedocles, & qui posuerũt vnum vel plura ex elementis esse principia materialia, ex quibus rerum natura constat, tenent partem negatiuam. Qui enim dicunt omnia componi ex aqua, dicunt aquam esse rerum substantiam, similiter qui dicunt & ponunt plura elementa, ex quibus res factæ sunt, dicunt huiusmodi elementa esse rerum substantiam, & per huiusmodi principia attribuunt rebus quòd sint ens, & quòd sint vnum, vel plura. nam qui dicũt esse tantum vnum elementũ, ex quo res fiunt, dicunt omnia entia esse vnum ens secundũ substantiam, & qui ponunt plura elementa, dicũt entia esse plura secundum substantiã. Proposito dubio, arguitur ad partes, & pro parte Pythagorę & Platonis sic arguitur, ipsum ens, & ipsum vnũ sunt aliqua substantia separata, & prædicantur de omnibus: ergo sunt substantia omnium, prima pars antecedentis sic probatur, si non sunt aliqua substantia separata, ergo nullum vniuersalissimũ est substantia separata, quod est falsum, probatur hæc consequentia, quoniam ipsum vnum & ens sunt maximè vniuersalia: ergo, si ipsa non sunt substantia separata, multo minus ea, quæ sunt minus vniuersalia. falsitas autem consequentis præter ex dictis suprà, quoniam, scilicet essent tãtum singularia, ex consequenti nulla esset scientia, quoniam sentimus singularia, sed non scimus. Secunda pars antecedentis manifesta est, quoniam omne quod est, ens est, & vnum est, quoniam omne ens est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: ergo prædicatur de omnibus. consequentia autẽ sic probatur. Quod de aliquibus prædicatur essentialiter & non accidentaliter est eorum substantia, quoniã prædicata essentialia denotant substantiã rei, sicut accidentalia accidẽtia rei. sed ipsum ens, & ipsum vnum prædicantur de omnibus, vt declaratum est: ergo, &c.

Pro parte verò contraria sic arguitur, si ens & vnum sunt aliquod subsistens separatum: ergo vnum est idem quod ens. ergo quod non est vnum non est ens, & quod est diuersum ab vno est diuersum ab ente, ex consequenti est non ens: ergo redibit ratio Parmenidis, scilicet quòd omnia sunt vnum ens, & sic erit tantum vnum ens, quod est falsum, & improbatum est in primo Physicorum, & in primo huius scientiæ, & remanet dubium pro vtraque parte.

Et tu aduerte, quòd Arist. partim in libro quarto, partim in decimo, partim in duodecimo determinabit hoc dubium. Pro cuius notitia præpono hanc distinctionem, Ens & vnum tripliciter considerari possunt. Primo pro primo ente & primo vno, quod est maximè ens, & maximè vnum, quoniam est simplicissimè simplex, & dicitur primũ principiũ, siue prima causa. Secundo pro ente & vno transcendenter sumpto, quod de omni ente & omni vno prædicatur essentialiter. Et de hoc modo entis & vnius pertractauimus diffuse in tract. de transcendentibus. Tertio pro ente & vno prædicamento quãtitatis, & vt sic, sunt determinati generis, nec exeunt prædicamentum quantitatis, & dicunt accidens & non substantiam.

Hac distinctione posita, dico, quòd vnũ & ens primo modo non est rerum substantia: quoniam, cum sit purissimus & perfectissimus actus in seipso, nulli rei extra ipsum identificatur, aliter cum sit omnis naturæ extra ipsum principium & causa, idem esset causa & causatum, substantia enim identificatur ei cuius est substantia, vt etiã manifestabitur in quarto libro, licet autẽ non sit rerum substantia, est tamẽ principiũ, à quo pendet omnis rei substantia sicut à primo calido pendet omne calidum, vt dictum est in secundo libro, & magis manifestabitur in decimo. Ens autem & vnum secundo modo dicunt rerum substantiam, quoniam de omnibus prædicantur quiditatiue; nam de quolibet verum est dicere quod est ens vnum, id est quod habet essentiam indiuisam, non tamen modo Platonico & Pythagorico dicunt rerum substantiam. Ipsi enim arbitrantur, ꝙ sint separata & per se existẽtia extra res, quarum dicunt substantiam. Arist. autem tenet oppositum, tenet enim, quòd sunt intrinseca rebus. Nam sicut nullum est calidũ nisi calore sibi intrinseco, sic nullũ est ens formaliter aliquo ente extrinseco, potest autẽ esse ens effectiue per aliquod ens extrinsecũ, quoniã nihil à seipso producitur.

Ens verò & vnũ tertio modo dicunt accidens in rebus: sunt enim in prædicamento quantitatis, vt declarabitur in libro decimo, & quoniam accidens posterius est substantia, vt declarabitur in libro septimo, constat, quòd non dicunt rerum substantiam, sed consequuntur eam: quod autem sit illud accidens, declarabitur in libro Decimo, vbi aget Aristo. de vno & multo. Et, quoniam Plato & Pythagorici non distinguebant inter ens & vnum secundo modo, & tertio modo, ideo decepti sunt, & in tantum processerunt, quod dixerunt vnitatem, quæ est principium numeri, & numerum esse rerũ substantiam. quod est penitus impossibile, aliter substantia esset ex accidentibus, & id dico secundũ ꝙ eis imponitur ab Arist. Quis autem fuerit sensus Platonis declarabitur loco suo.

Nunc superest examinare rationes inductas secundum mentem Arist. & ad rationem pro Platone: nego primam partem antecedentis nisi sumatur pro primo ente, & primo vno quod est Deus, & in illo casu, nego secundã partem antecedentis, de nullo enim extra ipsum prædicatur nisi in obliquo, puta, quicquid est extra Deum, est à Deo, & ad Deum. Ad probationem primæ partis antecedentis nego falsitatem consequentis, & concedo, ꝙ nullum est per se existens, nisi singulare, & vniuersale non existit nisi in singularibus, & cum infertur, quod nulla esset scientia, iam ad hoc responsum est in cap. octauo, & ad probationem secundæ partis antecedentis, nego, omne quod est, esse ens & vnum, sumendo ens & vnum pro primo ente, & primo vno: & cum probatur, dico, quòd probatio verificatur de ente & vno transcendenter sumptis, sic enim sunt prædicata vniuersalissima, sed non sunt separata sicut nec quodcunque aliud vniuersale. Ad consequentiam autem non oportet respondere, quoniam ex quo negamus antecedens non potest deduci quòd sint substantia omnium, nisi sumantur transcendenter, & tunc negandum est quòd sint separata.

Pro ratione adducta à Naturalibus, aduerte, ꝙ in ratione sua, non intendunt de ente primo & primo vno, sed de ente & vno, vt sunt prædicata vniuersalissima, & ratio sic intel

intellecta concludit verum. Nam bene sequitur, si ens vniuersalissimum est aliquod subsistẽs separatum, est quid vnum tantum, quoniam subsistens separatum non habet vnde multiplicetur, & si dicit substantiam omnium, ergo omnia erunt illud ens vnum, & sic reddit opinio Parmenidis, quòd omnia sunt vnum ens. Patet igitur quomodo ens & vnum dicunt substantiam rerum, & quomodo non. Hæc de vndecimo capite dicta sint.

CAPVT XII.

An numeri & magnitudines substantiæ sint, nec ne.

Tex.c.17. IN duodecimo capite dubitatur, vtrum numeri & corpora & superficies & lineæ & puncta dicant substantiam rerum sensibilium vel non: & hoc dubium videtur sequi ex dubio examinato in præcedenti capite, nam qui dicunt quòd vnum est substantia rerum, consequenter dicunt numerum & corpus & superficiem.

Arguit igitur Philosophus ad partes, & pro parte affirmatiua sic. Si numerus & magnitudines non sunt substantia rerum sensibilium, non poterimus scire quid nam sit eorũ substantia, vel eorum principia substantialia, ex quibus constant: quoniam, cum in re sensibili, puta in homine, videamus passibiles qualitates, & motus & relationes, & habitus & dispositiones, quæ sunt in prima specie qualitatis, manifestum est, quòd nullum ex his est substantia hominis, quoniam omnia hæc respiciunt subiectum, substantia autem non respicit subiectum, cùm sit ens per se: ergo, &c. Præter hæc autem non videmus in re sensibili, nisi dimensiones, puta lineas & superficiem & corporeitatem: ergo, si hæc non sunt eius substantia, ignorabimus quid nam sit eius substantia.

Et si quæras à sic opinantibus, vtrum hæc omnia sunt æqualiter substantia rei sensibilis, respondent quòd non, quoniam corpus est minus substantia, quam superficies, & superficies minus quam linea, & linea quam punctum, & punctus quam vnitas, quia, si aliqua sint substantia, inter quæ vnum est diffiniens & aliud est diffinitum, diffiniens est magis substantia: sed corpus diffinitur per superficiẽ & superficies per lineam, & linea per punctum, & punctus per vnitatem, ex cõsequenti vnitas est prior puncto & punctus linea, & linea superficie, & superficies corpore, ergo non sunt æqualiter substantia rerum sensibilium. Et aduerte, quòd hæc ratio tantum potuit apud antiquos quòd putauerũt nullum esse ens substantiam, nisi corpus: alia enim omnia dicebant accidentia, vnde volentes inquirere principia entis & substantiæ, vt visum est in primo libro, contentabãtur inquirere principia corporum. Successores vero, vt Pythagorici & Platonici, altius speculantes & ponentes entia incorporea, dixerunt non solùm magnitudines, sed & numeros esse substantiam entium, quoniam numeri applicantur naturæ corporeæ & incorporeæ, vt visum est in primo libro.

Pro parte autem negatiua, arguitur multipliciter. Primo sic, punctus, linea, superficies non sunt substantia: ergo nec corpus, quod est posterius. consequentia patet, quoniam ex positione tenentium partem affirma, hæc sunt magis substantia quàm corpus: ergo, si hæc non sunt substantia, nec corpus erit substantia. antecedens autem probatur, quoniam hæc sunt termini rei corporeæ. Terminus autem rei non est substantia rei, aliud est enim terminare, & aliud constituere naturam rei, quod enim terminat habet rationem vltimi: quod autem constituit, habet rationem prioris. Præterea hæc variantur in re sensibili, stante ipsa re, sicut videmus eundem hominem augeri, impinguari, attenuari, & tamen stat idem homo, non ergo sunt substantia rei, impossibile est enim rem permanere, mutata rei substantia.

Secundo, hæc omnia sunt mensuræ & dimensiones rei sensibilis, ergo non sunt substantia eis. Probatur consequentia, quoniam substantia identificatur ei, cuius est substantia, mensura autem distinguitur à mensurato. ergo, &c.

Tertio, quod est substantia alicuius est actu in eo, cuius est substantia: sed non omnes dimẽsiones, quæ possunt esse in re sensibili, sunt actu in ea, puta in lapide per sectionem possunt fieri multæ figuræ actu, quæ non sunt nisi in potentia ante sectionem, & ad factionẽ nouæ figuræ fiunt actu nouæ lineæ, & superficies, quæ prius non erant actu, sicut in cubo non est actu medietas cubi, antequam diuidatur: ergo non sunt substantia rei sensibilis.

Quarto quod est substantia, & aliquando est & aliquando non est, generatur & corrumpitur: sed corpus & lineæ & superficies & puncta, licet aliquando sint, aliquando non sint, quoniam variantur secundum quòd corpora adinuicem copulantur, & abinuicem separantur per diuisionem, tamen non generantur nec corrumpuntur. omne enim quod generatur, ex aliquo generatur: & quod corrumpitur, in aliquod corrumpitur, sed non potest aliquid assignari, ex quo hæc generentur, nec in quod corrumpantur, propter eorum simplicitatem: ergo, &c. Confirmatur, quoniam, vt declaratum est in quarto Physic. sicut se habet nunc in tempore, ita punctus in linea, sed licet varientur nunc per decurium mobilis, tamen non generantur nec corrumpuntur, omne enim quod generatur aut corrumpitur, generatur & corrumpitur in tempore, vel in instanti, sed nunc non generatur nec corrumpitur in tempore, aliter duraret per tẽpus, nec in instanti, aliter haberet esse in tempore medio inter ipsum instans & aliud instans, in quo corrumpitur, quæ omnia sunt contra naturam instantis, cuius natura & duratio est indiuisibilis. similiter dicendum est de puncto, quod variatur ad diuisionem vel copulationem linearum, absque generatione & corruptione eius. Idem dicendum est de linea, quæ variatur ad variationem superficierum, & de superficie, quæ variatur ad variationem corporis. His igitur rationibus concludit pars negatiua dubij præpositi, & sic pro vtraque parte remanet difficultas.

Et tu aduerte, quòd hoc dubium resoluet Philosophus in libro octauo, vbi determinabit principia intrinseca substantialia rei sensibilis esse materiam & formam, quarum vtraque est in genere substantiæ reductiue, & tota substantia rei sensibilis est illud, quod resultat ex vnione formæ & materiæ, & illud propriè est id, quod generatur & corrumpitur, & ipsi adueniunt corporeitas, superficies, & lineæ, & puncta, tanquam termini, & qualitates tanquam principia motuum, & dispositiones, ita tamen quòd dimensiones adueniunt ratione materiæ, quantitas enim primo consequitur materiam, qualitates autem adueniunt ratione formæ, & relationes consequuntur tam quantitatem, quàm qualitatem, vt declarabitur in libro quinto. Nam secundum quantitatem dicitur hic lapis æqualis vel inæqualis alteri, & secundum qualitatem dicitur similis vel dissimilis. Nunc igitur soluenda est ratio adducta pro parte affirmatiua, nam rationes pro parte negatiua verum concludunt. Ad prædictam igitur rationem respondendo, negatur consequentia. ad probationem negatur diuisio, vt insufficiens, quoniam vltra dimensiones, & qualitates & motus, & relationes, deprehendimus materiam & formam, quæ sunt principia substantialia, ex quibus resultat substantia composita, aliter substantia esset ex non substãtiis ex consequenti principia componentia essent posteriora re composita, non igitur dimensiones sunt substantia rerum sensibiliũ, neque æqualiter, neque inæqualiter. Sed videtur quòd ad mentem Aristot. saltem corpus sit substantia rei sensibilis, nam hæc prædicatio est substãtialis & in primo modo per se, lapis est corpus graue, cœlum est corpus quintum. ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd secundum doctrinam Aristo. corpus dicit duo. Primo dicit compositum ex materia & forma, ad quod sequitur quantitas continua, non enim datur magnitudo sine materia, neque materia sine magnitudine, aliter non esset diuisa à quacunque alia materia. Secundo dicit trinam dimensionem, scilicet longi, & lati, & profunditatem, quæ sunt accidentia & de prædicamento quãtitatis. corpus primo modo est substantia, & consideratur absolutè à Metaphysico, inquantum autem mobile à Physico, secundo modo est quantitas & consideratur à Mathematico, cõcedo igitur secundum doctrinam Arist. quòd corpus primo modo dicit substãtiam rei sensibilis, & ingreditur eius diffinitionem. nego autem secundo modo, & quoniam antiqui ignorabãt hanc distinctionem crediderunt corpus secundo modo esse substantiam rei, & in hoc decepti posuerunt mathematica vt corpus, superficies, lineas, puncta, numeros esse rerum sensibilium substantias. Hæc de capite duodecimo dicta sint.

CAPVT XIII.

An præter sensibilia dentur Ideæ separatæ.

IN capite decimotertio dubitatur si præter res singulares sensibiles & præter magnitudines mathematicas, quas diximus non esse principia substantialia nec substantiam rerum sensibilium, sit necesse ponere formas, id est, ideas separatas. & arguitur ad partes.

Et pro parte affirmatiua, antequam arguatur declaratur differentia & conuenientia sensibilium naturalium cum mathematicis. Aduerte igitur, quòd in hoc differunt, quia sensibilia naturalia diffinũtur cum materia, Mathematica autem sine materia, vt suprà dictũ est. Conueniunt autẽ, quoniã vtrobique inueniuntur plura numero sub eadẽ specie. Nam sicut sunt plures homines sub specie hominis, sic sunt plures lineæ rectæ, sub linea recta, & plures isosceles sub isoscele: posita hac declaratione, sic arguitur, si non dantur species separatæ præter sensibilia & Mathematica, quarum quælibet sit vna specie & numero, sequitur quod principia entium sensibilium non sunt determinata secundum numerum, sed tantùm secundum speciem: sed hoc est falsum: & consequentia quidem manifesta est, quoniam, cùm homo sit principium hominis, & sub homine contingat dari plures homines numero, si non detur homo separatus, qui sit vnus specie & numero, patet, quòd principia hominis non sunt determinata secundum numerum, sed tantum secundum speciem, pro quanto non est homo nisi ab homine: falsitas autem consequentis probatur: quoniam, si rerum sensibilium non sunt determinata principia secundum numerum, erunt ergo indeterminata. ex consequenti poterunt esse numero infinita, quòd est falsum, & improbatum in primo Physicorum, & in primo libro huius scientiæ: vt ergo fugiantur hæc inconuenientia oportet ponere species separatas, quæ sunt principia determinata numero omnium singularium, putà quod per se homo sit principium omnium hominum, & per se leo, & harum specierum talis sit natura, quod nihil per accidens conuenit eis, sed tantum ea quæ sunt de ratione speciei, vnde hæc est falsa per se, homo est albus vel niger, vel sanus, vel æger.

Pro parte autem negatiua sic arguit. Si ponantur huiusmodi species sequuntur omnia inconuenientia quę suprapposita sunt in capite sexto, præcipuè, quòd corruptibile & incorruptibile erunt eiusdem naturæ: dicunt enim ponentes ideas hunc hominem & per se hominẽ esse eiusdem naturæ, & tamen hunc hominem esse corruptibilem, & per se hominẽ incorruptibilem, præter hoc incõueniens adducentur multa in li. Septimo, & sic pro vtraque parte remanet difficultas dubij propositi.

Et tu aduerte, quòd, vt diximus in capi. sexto, hoc dubium determinabitur absolutè in libro septimo parte nega. tam in naturalibus quam in Mathe. & nisi adduxisset Ari. hic particularem rationem pro Platone non replicatũ fuisset hoc dubiũ.

Nunc igitur dimissa ratione pro parte negatiua, quoniam verum concludit, soluemus adductam pro parte affirma. ad cuius euidentiam aduerte, quòd, vt suprà diximus in ca. nono, principia rerum sensibilium sunt duplicia, quædam extrinseca, vt efficiens & finis, quædam intrinseca, vt forma & materia: de principiis extrinsecis, præcipuè de efficiente & mouente primo & vniuersalissimo, & de efficientibus secundis vniuersalibus, quæ sunt intelligentiæ & corpora cœlestia, verum est, quòd sunt determinata specie, & numero, & quot sint, inuestigabit Aristot. in libro 12. in textu 42. De efficientibus autem particularibus & vniuocis cum suis productis, dico, quòd sunt determinata secundum speciem, pro quãto vnum quodque agit sibi simile in specie, & nõ aliter, nisi adsit monstrum, quod prouenit ex defectu agentis, vel indispositione materiæ, non autem est necesse, vt Plato opinatur, quòd sint determinata specie & numero, ita scilicet, quod in omni natura sensibili detur natura specifica, præter omnia singularia, quæ existens vna specie & non multiplicata numero, fit productiua omnium indiuiduorum in tali natura, sed sufficit, quòd hoc indiuiduum sit ab hoc efficiente eiusdem naturæ, concurrente efficiente vniuersali primo & vniuersali secundario: de principiis autem intrinsecis maximè de formis, sufficit, quòd sint determinatæ secundum speciem, & quòd differant gradibus formalibus & indiuiduẽtur per materiam signatam, extra quã non habent esse, nisi anima intellectiua, quę non educitur de potentia materiæ. Ex his respondeo ad rationem, & concessa declaratione illic posita, similiter concessa consequẽtia quo ad principia intrinseca formalia, negatur falsitas consequentis: ad probationem concedo, quòd erunt indeterminata quo ad numerum considerata indiuidualiter, nam sicut multiplicantur indiuidua eiusdẽ speciei per successionem generationis, sic multiplicantur eorum formæ: & cum dicitur id esse falsum & improbatũ in primo Phys. & in primo libro huius scientiæ, dico, quòd illic non est improbata indeterminatio secundum numerum indiuidualem, sed secundùm numerum formalẽ, puta quòd in omni productione debent esse tot principia intrinseca, & non plura, neque pauciora, scilicet materia & forma & priuatio, & probatum est in secũdo libro huius scientię, quòd est status in causis materialibus sumptis formaliter, & similiter in causis formalibus, non autem fuit intentio Philosophi, ponere determinationem secundum numerum in formis indiuidualibus, neque in partibus materiæ signatæ, siue vt stat sub quantitate, quoniã, vt quanta, diuisibilis est in infinitũ. patet ergo, quòd positio Platonis quo ad ideas, nullam inducit necessitatem. Hæc de cap. 13. dicta sint.

CAPVT XIIII.

An prima principia potentia sint vel alio modo.

IN cap. 14. Dubitatur, vtrum prima principia sint in actu vel in potentia: & ratio dubitandi fuit diuersa opinio antiquorum: nam qui ponebant tantum principia materialia dicebant ea esse in potentia, quoniam de ratione materiæ est, vt sit in potentia ad hoc, quod ex ea fiat aliquid. Qui vero posuerunt principia formalia, vt Plato, qui posuit ideas, dicunt ea esse actu, quoniam forma est actus, & facit rem esse actu: arguit igitur Philosop. ad partes: Et cũ sint in potentia arguit sic, Si sunt actu aliquid est prius primis principiis, quod est impossibile: probatur consequentia, potentia est prior actu ergo potentia erit prior primis principiis: probatur antecedens, quoniam prius est à quo non conuertitur subsistẽdi consequẽtia: sed bene sequitur, hoc est actu, ergo potest esse: quod enim est impossibile, non potest esse actu, sed non conuertitur. hoc potest esse, ergo est actu: manifestum est igitur potentiam esse priorem actu, ex consequenti, necesse est prima principia esse in potentia, ne detur aliquid prius eis. Tex.c.19.

In oppositum arguitur sic. Si prima principia sunt in potentia, nihil erit productum, imò nullum erit ens; nam quod est in potentia, nondum est, ex consequenti est non ens. ergo prima principia sunt non entia: ergo nullus erit effectus, quoniam non ens nihil potest causare: Cum igitur omne ens sit principium aut principiatum, si prima principia sunt in potentia, neque erunt entia, neque aliquis effectus erit ab eis, ex consequenti aufertur totum ens.

Et tu aduerte, cũ Philosophus in lib. 12. tex. 30. & 31. replicat idem dubium, & easdem rationes vt hic, sed iam in lib. 9. tex. 13. determinauerat propositum, & determinatio stat in hoc, Actus & potentia dupliciter considerantur. Primo simpliciter, secundo in eodem procedente à potentia ad actum: primo modo, actus est prior potentia, quoniam nihil reducitur de potentia ad actum, nisi per aliquod iam existens actu, vel formaliter, vel virtualiter, formaliter quidem, vt in productione vniuoca, virtualiter autem, vt in productione æquiuoca. in eodem vero procedente à potentia ad actum, cõstat potentiam esse priorem actu: & hoc inuenitur in omni generabili, quod enim generabile est prius est in potentia quàm in actu. nam, si generabile est nondum actu est, ex hac ergo distinctione patet, quòd primum principium, à quo producitur omne ens, est omnino actus, & nullo modo in potentia, vt probabit Arist. in lib. 12. in tex. 30. loquendo autem de primo principio materiali, dico, quòd prius est in potentia quàm in actu, quoniam de ratione materiæ est esse ens in potentia, & tamen non potest reduci ad actum, nisi per ens actu ex consequenti principium materiale nõ potest esse primum ens, principium autem primum formale, quoniam vt dicemus in lib. 12. coincidit in idem numero, cum primo efficiente, necesse est vt sit actu. Dicemus enim Deum esse primum actum, siue primam formam metaphysicalem, primum efficiens & primum finem.

Actus simpliciter est prior potentia, in eodem verò posterior est.

Nunc superest soluere rationem probantem, quòd sunt in potentia. nam ratio in oppositum concludit. negatur igitur consequentia. Ad probationem, negatur potentiam esse vniuersaliter priorem actu, licet concedatur in vno & eodem procedente à potentia ad actum, & cum arguitur, quoniam non conuertitur, &c. dico, quòd ille modus arguendi verificatur in omni eo quod reducitur de potentia ad actum, & est illud cuius esse est corruptibile, in æternis autem, vt dicit Aristot. in tertio Physic. cum non differat esse & posse, potentia passiua non præcedit esse actu, & quoniam prima principia entium productiua sunt æterna & incorruptibilia & immaterialia, vt declarabitur in libro duodecimo, ideo semper fuerunt actu, secundum veritatem quidem primum principium semper fuit actu, secundum Aristotelem autem & primum principium & intelligentiæ & cœlestia corpora. Hæc de 14. capite dicta sint.

CAPVT XV.

An prima rerum principia sint vniuersalia vel singularia.

IN cap. decimoquinto, dubitatur vtrum prima rerum principia sint vniuersalia vel singularia, & hoc dubium ponitur propter Platonem, qui posuit naturas specificas abstractas & esse principia & productiua ac formalia singularium. Et arguitur ad partes, & pro parte negatiua sic. Si prima principia prima sunt vniuersalia non erunt substantiæ, & sic fient substantiæ à non substantiis, quod est impossibile. probatur consequẽtia. substantia significat hoc aliquid: vniuersale nõ significat hoc aliquid sed quicquid id est, quale substãtiale, quod Tex.c.20.

quod idem est quod commune multis in genere substantiæ: ergo, si principia sint vniuersalia, non erunt substantiæ. Et aduerte, quòd hæc propositio, substantia significat hoc aliquid, propriè verificatur de prima substantia, quæ in se & per se existit. Et, quoniam apud Plato, ideæ, quas ponit principia, sunt per se subsistentes, ideo, si sunt substantiæ, sunt substantiæ primæ, ex consequenti significant hoc aliquid, ex hoc sequitur, quòd non possunt esse vniuersales. vnde videtur Plato dicere contradictoria, scilicet quòd principia prima sint substantiæ in se subsistentes, & sint vniuersales.

Sed forte dicet aliquis, non inconuenit quod est commune multis esse hoc aliquod.

Sed contra hoc sic arguit Philosophus, ergo singulare poterit esse multa hoc aliquid, quod est falsum, quoniam tunc non esset vnum numero, probatur consequentia, in Socrate, est animal vt commune multis, & homo. & est ipse Socrates, ergo erit tria hoc aliquid, scilicet animal, homo, Socrates, imò Socrates erit tria animalia, nam animal est animal, & homo est animal, & Soc. est animal. hæc autē sunt absurda. ergo, &c.

Pro parte affir. sic, si prima principia non sunt vniuersalia, non sunt scibilia: quoniam scientiæ sunt vniuersaliū: si non sunt scibilia, nec principiata erunt scibilia, pendet enim scientia principiatorum à scientia principiorum, & sic omnis scientia peribit.

Et tu aduerte, quòd in lib. 7. in tex. 46. & 47. & 48. replicabit rationes hic adductas pro parte negatiua, & alias addet, & determinabit pro parte negatiua absolute, quoniam apud Arist. per se subsistere conuenit tantum singulari, & quoniam causare siue principiare, præcipuè effectiuè, vt dicetur in libro nono, fundatur in rei existentia, ideo necesse est omne principium productiuum esse singulare, nec actio verificatur de aliquo vniuersali, nisi, quia est in aliquo singulari. nā vt sæpe diximus, homo non generat nisi quia hic vel hic homo generat. Propterea, vanum est ponere principia prima rerum esse vniuersalia in prædicando, licet sint vniuersalia in causando, vt Deus intelligentia, cœlum, quorū tamen vnum quodque est in se singulare, & hoc aliquid. vt declarabitur in libro 12.

Relictis igitur rationibus pro parte negatiua, quoniam verum concludunt, soluenda est ratio pro parte affirmatiua. negatur igitur consequētia. ad probationem dico, quòd scientiæ non solùm sunt vniuersaliū, sed etiam singularium incorruptibilium & immaterialium, *sunt enim entia necessaria*, & non contingit ea aliter se habere, ergo sunt scibilia, quod autem dicitur scientiam non esse singularium intelligitur propriè de singularibus corruptibilibus & materialibus, cum sint in continua variatione: quoniam igitur prima rerum principia productiua sint immutabilia secundum substantiam, licet sint hoc aliquid, tamen sunt vere scibilia, imò perfectissima. cum sint maximè actu, & non est necesse vt fiant actu intelligibilia, sicut hæc materialia. Patet igitur, quòd non cogimur ponere prima principia rerum esse vniuersalia, neque vt sint productiua, neque vt sint scibilia. Hæc de capite decimoquinto, dicta sint, & de omnibus dubiis disputatis ab Arist. in hoc tertio libro Metaphysicæ.

Scientia est singularium immaterialium.

EPITOME SVPER QVARTO Libro Metaphysicæ Aristotelis.

DIsputatis dubiis motis in libro tertio, & determinatis à nobis, ne studium addiscētis fieret inutile, in hoc quarto libro intendit Aristot. stabilire subiectum huius scientiæ, & declarare, quòd ad Metaphysicum spectet considerare de substantia & accidente, & de passionibus entis, & vt de vno, & multitudine, eodem & diuerso, & de oppositis, & de primis principiis complexis, quæ dicuntur dignitates. Totam igitur intentionem Arist. concludemus in duobus tractatibus.

In quorum primo agemus de subiecto huius scientiæ, & de quibus habet considerare.

In secundo agemus de principiis complexis.

TRACTATVS PRIMVS

PRimum tractatum diuidimus in quatuor capita.

In primo probabitur, quòd hæc scientia versatur circa ens inquantum ens, & circa accidentia, quæ per se conueniunt enti, ex consequenti ens inquantum ens est subiectum eius.

In secundo probabitur, quòd hæc scientia habet considerare tam de substantiis, quàm de accidentibus.

In tertio probabitur, quòd hæc scientia habet considerare de vno, & multitudine, & eodem, & diuerso, quæ sunt oppo sita.

In quarto probabitur, quòd habet considerare de principiis primis complexis, & defensare ea contra negantes.

CAPVT I.

Ens inquantum ens est subiectum Metaphysice.

IN primo capite probandum est, quòd hæc scientia versatur circa ens inquantum ens, & circa eius proprias passiones. ad cuius probationem propono duo.

Primum est, quoniam ens & proprietates suæ, vt vnum, & multa, & idem & diuersum, &c. sunt termini communissimi, à quorum cognitione pendet sequentium cognitio. ergo ratis enim primis impossibile est sequentia scire: ergo necesse est vt in aliqua scientia considerentur. Etsi dicat aliquis, quòd sufficit in aliqua scientia considerare ens, quoniam ingreditur conceptum omnium, non autem est necesse considerare ea quæ sunt accidentia entis

Contra determinatum est in primo Poster. quòd eiusdem scientiæ est determinare de subiecto & de passionibus sine proprietatibus, quæ per se conueniunt subiecto. vt qui considerat numerum considerat parem vel imparem: ergo eiusdem scientiæ est considerare ens, & quæ per se conueniunt enti. Dico autem quæ per se conueniunt subiecto ad differentiam eorum, quæ conueniunt per accidens, & quoniam quæ per se conueniunt inferiori, per accidens conueniunt superiori, sicut esse risibile per se conuenit homini, sed animali conuenit per accidens: nam potest inueniri animal sine risibili, non autem homo, ideo quæ conueniunt per se partibus entis, vt enti mobili esse in loco, habere materiam, & enti quanto esse diuisibile in partes quantitatiuas, per accidens conueniunt enti inquantum ens, nam datur ens sine loco, & sine materia, & sine diuisione quantitatiua, vt declarabitur in duodecimo libro. Ideo huiusmodi proprietates non sunt considerandæ in scientia de ente inquantum ens. Quæ autem conueniunt enti inquantum ens, sunt ea, quæ conueniunt cuilibet enti diuisim, vt vnum vel multa, idem vel diuersum, simile vel dissimile. Et hæc consideranda sunt in scientia, quæ est de ente inquantum ens.

Secundum est, quòd scientia considerans de ente inquantum ens non est aliqua ex scientiis speculatiuis particularibus, quales sunt Physica & Mathematica: istæ enim assumunt sibi partem subiectiuam entis, circa quam occupantur, & considerant per se accidentia illius partis, sicut Mathematica assumit sibi numeros & magnitudines & considerat de eis, & de suis per se accidentibus, vt de recto & curuo, de pari & impari, & Naturalis assumit sibi, vt inquit Comment. in commen. primo, ens mobile, & considerat de accidentibus eius secundum quod est mobile, vt de motu, de loco, de tempore, &c.

Ex his duobus concluditur, quòd Metaphysica est illa scientia, quæ versatur circa ens inquantum ens, & circa eius per se accidentia, & probatur sic, Scientia consideratiua vniuersalium causarum & principiorum entis inquantum ens, versatur circa ens inquantum ens, & eius per se accidentia: eiusdem enim scientiæ est considerare subiectum & principia & causas subiecti, ex primo Poster. sed, vt dictum est in prooemio huius scientiæ, ipsa considerat principia & causas vniuersales entis inquantum ens, cùm sit simpliciter sapientia, ergo, &c. Et confirmatur, quoniam antiqui quærentes prima & altissima principia, quærebant principia entis, vnde qui posuerunt tantum principia materialia dixerunt philosophiam naturalem esse primam Philosophiam, arbitrantes sola corpora esse ens. patet igitur metaphysicam versari circa ens inquantum ens. Hæc de primo capite dicta sint.

CAPVT II.

Hanc scientiam tam de substantijs, quàm de accidentibus habet considerare.

IN secundo capite probandum est, quomodo hæc scientia habet considerare tam de substantiis, quàm de accidentibus, & quoniam ens sufficienter diuiditur per substantiam & accidens, consequenter manifestum erit, quòd hæc scientia de omni ente considerat, vt igitur habeatur plena resolutio, ponuntur tres conclusiones.

Primo

Prima conclusio, hæc scientia considerat de substantiis & accidentibus simul & sic probatur. Scientia considerans aliquod commune multis non æquiuocè, sed analogicè considerat de omnibus modis, quibus dicitur. Hanc declarat Philosophus exemplificans de salubri, siue de sano, quod quoniam consideratur in arte medicinæ, & de multis dicitur in habitudine ad vnum, vt de cibo, de medicina, de vrina in ordine ad animal, quod est subiectum sanitatis: ideo ars medicinæ habet considerare de omnibus modis, quibus dicitur sanum, sed ens dicitur multipliciter, non æquiuocè, sed in ordine ad vnum primum, quod est substantia, nam alia entia sunt aut mensuræ substantiæ, vt quantitates, aut dispositiones eius, sicut qualitates, aut viæ ad eam, vt motus & generatio, aut priuationes & negationes eius, sicut corruptio & mors, ergo hæc scientia, quæ considerat ens inquantum ens, habet considerare de substantiis & de omnibus, quæ non sunt entia secundum se, sed in ordine ad eas: hæc autem sunt accidentia, tam respectiua quàm absoluta, tam permanentia quàm successiua, patet igitur, quod hæc scientia considerat de substantiis & accidentibus.

Secunda conclusio, hæc scientia est principaliter consideratiua substantiæ, probatur primum & principale ens est substantia, quoniam est ens per se, & non in ordine ad aliud, accidentia autem sunt entia, inquantum fundantur, & pendent à substantia: ergo hæc scientia principaliter considerat de substantia, probatur consequentia, quoniam scientia consideratiua alicuius communis analogi, primo & principaliter est de primo analogato, & non est de aliis, nisi in ordine ad ipsum, vnde ars medicinæ principaliter est de animali sano, & non est de aliis modis, nisi in ordine ad ipsum, cùm igitur hæc scientia sit consideratiua entis analogi, principaliter est de substantia, quæ est primum analogatum, & non est de aliis, nisi in ordine ad substantiam.

Tertia conclusio, hæc scientia habet considerare de omnibus substantiis, non quidem secundum specificas rationes, quibus ab inuicem distinguuntur, sed inquantum sunt entia & inquantum substantiæ, hæc probatur sic, quæcunque sunt vnius generis subiecti ad vnam scientiam pertinent considerabilia illius generis subiecti, nam quia omnes colores continentur sub colore, quod est obiectum visus, ideo ad visum pertinent, & quia omnes voces literatæ continentur sub voce literata, quæ est genus subiectum circa quod versatur grammatica, ideo ad vnam scientiam grammaticam pertinent, sed omnes substantiæ, tam sensibiles, quàm immateriales sunt vnius generis subiecti, quia continentur sub ente, ergo ad illam scientiam spectant, quæ versatur circa ens, quæ est hæc, dixi autem, non quidem secundum specificas, &c. quoniam id non ad vniuersalem scientiam spectat, qualis est hæc, sed ad particulares scientias consideratiuas tantum de aliqua parte entis, puta ad Physicam quo ad substantias sensibiles, substantiæ autem insensibiles, quo ad proprias earum rationes spectant ad vltimam partem huius scientiæ, vt declarabitur in libro duodecimo. Nam illic propriè fiet applicatio ad huiusmodi substantias, quarum cognitio videtur primi Philosophi. Patet igitur, quomodo hæc scientia considerat de substantiis & accidentibus, sed principaliter de substantiis, & de omnibus substantiis inquantum entia & substantia sunt. Et in his habes totalem resolutionem dubij moti in libro tertio in capite quarto. Hæc de secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

Hanc scientiam considerare de vno, & multitudine, eodem & diuerso, & oppositionum omnia genera.

IN tertio capite probandum est, quòd hæc scientia debet considerare de vno, & de speciebus vnius sumpti transcendenter, quæ sunt idem, simile, æquale, similiter habet considerare de opposito ipsi vni, quod dicitur multa siue pluralitas, & de speciebus oppositis speciebus vnius, quæ sunt diuersum, dissimile, inæquale, & omnia genera oppositionum, sicut oppositio contraria, contradictoria, priuatiua, relatiua, vt igitur resoluantur omnia præposita pono conclusiones tres.

Prima conclusio, hæc scientia habet considerare de vno sumpto transcendenter, quod dico ad differentiam vnius, vt est principium numeri quantitatiui. Illud enim vt sic, est de consideratione Mathematici. Hanc conclusionem probat Aristotel. sic, Quæ sunt idem conuertibiliter realiter, licet distinguantur ratione, ad eandem scientiam pertinent: sed ens & vnum transcendens sunt idem conuertibiliter realiter, licet differant ratione: ergo, &c. Maiorem Aristotel. relinquit vt manifestam, nam eiusdem scientiæ est considerare hominem & rationale animal, & sensitiuum, principiū & causam, quoniam sunt idem conuertibiliter realiter. Minor verò probatur dupliciter, sed prius declarandum est, quòd se adinuicem consequuntur, id est se habent conuertibiliter, vnde inquit Aristote. quòd se inuicem consequuntur sicut principium & causa. Quod tu intelliges de principio productiuo, & de causa productiua, quæ in rebus creatis conuertibiliter se habent, nam in creatis omne principium productiuum est causa, & omnis causa productiua est principium, vtrum autem principium absolutè sumptum conuertatur cum causa, dicemus in libro Quinto. Item quòd differunt ratione, licet sint idem realiter, esset nugatio dicere ens vnum, sicut cùm dicitur, vestis & indumentum, sic declarata minor probatur sic. Primò si aliqua duo dicantur de aliquo, & nullam diuersitatem causant in eo, sunt penitus idem re: sed ens & vnum, si dicantur de aliquo, nullam diuersitatem causant in eo, nam sicut idem est dicere homo & ens homo, ita homo & vnus homo, & probatur sic, simul generantur & simul corrumpuntur simultate naturæ, homo & ens homo, homo & vnus homo. Quæ autem simul simultate naturæ, ad differentiam subiecti & propriæ passionis, ex quibus passio est posterior natura, generantur & corrumpuntur sunt idem, & nullam diuersitatem dicunt in eo, de quo prædicantur: ergo manifestum est, quod ens & vnum transcendens sunt idem conuertibiliter realiter. Secundò sic, quæ prædicantur de substantia rei per se ipsa, & non mediante alio, sunt idem realiter, & dico non mediante alio, ad differentiam propriē passionis, quæ quoniam non prædicatur de subiecto, nisi mediante differentia substantiali, vel forma, à qua fluit, non est idem re cum subiecto: nā risibile non prædicatur de homine per se ipsum, sed mediante rationali: sed ens & vnum transcendens prædicantur de substantia rei per seipsa, nam de ente constat, quoniam quicquid est ens, est, de vno autem sic probat Commenta. in commento tertio, & concorditer Beatus Thomas. Si res est vna non per seipsum, sed mediante alio, quæritur de illo alio cum sit ens, erit vnum: aut ergo per seipsum aut per aliud, si per seipsum, habetur intentum, quoniam & de primo idem poterat responderi. Si per aliud, iterum quæritur, vt suprà, & cum non sit processus in infinitum, dicendum est, quòd vnum quodque est ens & vnum per seipsum, & non per aliquod medium. Constat ergo, quod ens & vnum sunt idem realiter conuertibiliter. Vtrum autem vnum transcendens & vnum numerale sint idem, determinabitur in quæstionibus nostris.

Secunda conclusio, hæc scientia habet considerare de speciebus vnius sicut de speciebus entis, & sumitur ibi species largo modo, vt sit sensus, quòd habet considerare de partibus vnius siue de modis, sicut de partibus & modis entis, & probatur sic. Quia ens & vnum sunt idem realiter per præcedentem conclusionem, ad eandem scientiam pertinent, ergo quia eadem sunt, species vtriusque ad eandem scientiam pertinent. Species autem siue modi entis sunt substantia, quantitas qualitas, &c. Species autem siue modi vnius sunt idem, æquale, simile. Idem fundatur in substantia, æquale in quantitate, simile in qualitate, vt dicetur in libro Decimo. Ergo hæc scientia habet considerare de eodem, sicut de substantia: & de æquali, sicut de quantitate: & de simili, sicut de qualitate: quòd autem eædem sint species entis & vnius probatur, quoniam sicut diuersorum diuersæ sunt species & differentiæ, sic eorundem eædem sunt: sed, vt probatum est, entis & vnius est eadem natura: ergo eorundem sunt eædem species.

Metaph. considerat species vnius. Text. c. 4.

Ex hac conclusione sequitur corollariè, quòd partes huius scientiæ ordinantur sicut species entis & vnius, species autem entis & vnius sic ordinantur, quòd inter eas vna est prima, & alia subsequitur, quod patet in substantia, quæ principaliter est ens, nam datur substantia abstracta, & substantia sensibilis: abstracta quidem est prima perfectione, sed postrema in cognitione, sensibilis autem est prima in cognitione nostra, sed posterior perfectione, eodem modo ordinantur partes huius scientiæ, nam pars consideratiua de substantia abstracta, est prior nobilitate, sed vltima in doctrina, & ideo traditur ab Aristotele in vltimo loco, id est, in libro Duodecimo, pars autem consideratiua de substantia sensibili est prior doctrina, quoniam nostra cognitio incipit à sensu, & ideo traditur ab Aristotele in libro Septimo, & octauo; est autem posterior nobilitate, quoniam trahit scientia maiorem vel minorem nobilitatem à rescibili, vt dictum est in primo de Anima, & declarabitur in libro duodecimo vnde patet, vt inquit Philosophus, quòd Metaphysicus in hoc assimilatur Mathematico, nam in scientiis Mathematicis vna est prior, vt Arithmetica, quia est de numero, alia posterior, vt

Geometria, quia est de magnitudine, quæ est posterior numero, quoniam qualis est ordo inter vnitatem principium numeri, & punctum principium magnitudinis, talis est inter numerum & magnitudinem: constat autem vnitatem esse priorem puncto, quoniam licet vtrunque sit indiuisibile, tamen punctus addit situm super vnitatem, sic in Metaphysica vna pars est prior & alia posterior, vt dictum est.

Metap. considerat multitudinem. Tex. c. 4. 5

Tertia conclusio, huius scientiæ est considerare de pluralitate siue de multitudine, & de negatione & priuatione, & de speciebus oppositis, speciebus vnius quæ sunt diuersum, inæquale, dissimile. Hæc probatur quo ad singulas partes: prima sic, eiusdem scientiæ est considerare de oppositis, quoniam per vnum cognoscitur aliud, vnde eadem est disciplina sani & ægri, recti & obliqui, sed vnum & multa opponuntur, vt declarabitur in libro decimo: ergo huius scientiæ est considerare de vtroque: secunda pars sic, eadem scientia est consideratiua alicuius, & eorum, quæ sunt de ratione eius, sicut scientia considerans de lapide considerat de materia & forma lapidis: sed negatio & priuatio sunt de ratione vnius, non quidem negatio absolutè, quoniam cùm negatio absolutè dicta verificetur, tam de ente, quàm de nõ ente, tam ens, quàm non ens esset vnum, quod est falsum, quoniam in plus esset vnum quàm ens, & tamen dictum est in prioribus, quod sunt idem conuertibiliter. Negatio igitur in subiecto est de ratione vnius, vt dicatur res vna, cuius natura vel entitas est indiuisa: hæc autem negatio in subiecto dicitur priuatio, de qua tractabimus in libro quinto, & in libro decimo. Sed tu aduerte, quòd quam priuationem includat vnum, an scilicet priuationem multitudinis, an priuationem diuisionis formalis vel quantitatiuæ determinabitur in quæstionibus nostris. Tertia pars sic, Idem & diuersum, æquale & inæquale, simile & dissimile sunt opposita, ergo ad eandem scientiam pertinent, & quoniam contrarietas quædam differentia est, omnis autem differentia quædam diuersitas est, vt declarabitur in decimo libro, ideo huius scientiæ est considerare de contrariis, & non solum de his, sed & de omni genere oppositionis, quoniam omnia opposita diuersa sunt, impossibile est enim idem, vt idem sibi ipsi opponi: patet igitur, quòd hæc omnia consideranda sunt in præsenti scientia, sed quia quodlibet eorum dicitur multipliciter, non quidem æquiuocè, nec vniuocè, sed analogicè, ideo prius diuidendum est vnumquodque eorum, & omnes modi reducendi sunt ad vnum principaliter dictum, & id Philosophus aget per totum quintum librum: hæc de tertio cap. dicta sint. Ex quibus habes plenam determinationem dubij moti in tertio libro capite quinto. Illic enim quærebatur, si eiusdem scientiæ est considerare substantias & accidentia per se substantiæ, quæ dicuntur esse vnum, & multa idem, &c. Nam cùm sola substantia simpliciter sit ens, quod conclusum est hîc de ente, potest applicari substantiæ.

Et tu aduerte, quòd postquam Philosophus secundam & tertiam conclusionem rationibus propriis probauit, eisdem applicat quasdam rationes communes & probabiles ex quibus formamus duas ad pleniorem doctrinam, relinquentes residuum, vt non necessarium præsenti proposito, Decreuimus enim ita ordinare negotium metaphysicum, quod non relinquamus vtilia, nec immoremur in superfluis, & breuitati studendum est.

Tex. c. 5 Loquitur potius de substãtia quàm de huiusmodi accidentibus,

Prima igitur ratio secundum Cõmen. in cõm. 5. & conformiter B. Tho. sic formatur. De eodem & de contrariis mouentur multa dubia, vt dum quæritur, si idem est Socrates & Socra. sedens, & si vnum vni contrarium est, & similiter fiunt quæstiones de simili & dissimili, &c. ergo in aliqua scientia hæc dubia consideranda sunt: constat autem, quòd non considerantur in aliqua scientia particulari, quoniam in illa non considerantur nisi dubia, quæ fiunt circa proprium subiectum, & suas proprias passiones: puta in Geometria circa magnitudinem, si componitur ex indiuisibilibus: circa rectum & obliquum si sufficienter diuidunt lineam, idem intellige in Arithmetica circa numerum & passiones suas. In scientia naturali circa ens mobile & motum, & graue & leue: ergo ad scientiam vniuersalem, quæ est Metaphysica spectat de his considerare. Cum igitur entis & vnius eædem sint propriæ passiones, & hæc scientia considerat de ente & vno, consequens est, vt de passionibus eorum consideret, & determinet quæ circa eas mouentur dubia. Quapropter antiqui sapientes quærentes de primis rerum principiis non peccabant considerantes de vno & multitudine & numero, & de contrariis, sed peccabant, quoniam relinquebant considerationem substantiæ, quæ debebat esse principalis.

Secunda autem ratio, Metaphysicus, Logicus, Sophista assimilantur in subiecto, circa quod versantur, nam de ente omnes considerant, sed distinguuntur modo considerandi, & fine. Modo quidem, quoniam Metaphysicus considerat de ente, quo ad prædicata realia, Logicus autem quo ad prædicata intentionalia, quæ sunt genus, species, indiuiduum, &c. Ideo dicitur versari circa ens rationis. Quod quidem, quid propriè sit, & quomodo distinguitur ab ente reali, pertractauimus in tractatu de transcendentibus, quem proposuimus toti negotio metaphysico. Item differunt, quoniam, vt inquit Commentator cõmen. 5. Metaphysicus considerat de ente consideratione demonstratiua, Logicus autem consideratione probabili, Sophista autem nullam habet veram cognitionem: Fine verò differunt, quoniam Metaphysicus intendit scientiam, Logicus veram opinionem, Sophista neutrum, sed gloriam & apparentiam tantum: sed ex eo quod Logicus & Sophista versantur circa ens, de omnibus pertractant & omnibus se immiscent, vnde pertractant de prædicamentis, de causis, de contrariis, de priuatione, de habitu, de simili & dissimili, de forma, de materia, de fine, vt patet in topicis, ergo & Metaphysicus, cuius subiectum est ens, debet versari circa omnia prædicta, modo sibi conuenienti, scilicet, modo inuestigatiuo veritatis, & generatiuo veræ scientiæ. Concludit igitur Arist. quòd ad vnam scientiam spectat speculari ens inquantum ens, & de his, quæ consequuntur ens vt ens, & non solùm de prædictis passionibus entis, & vnius & pluralitatis, sed de priore & posteriore, genere & specie, toto & parte, & de aliis talibus: quoniam, vt inquit Commenta. commen. sexto, Omnia ista sunt accidentia enti inquantum ens non essentialia, sed quædam opinabilia, id est, secundum opinionem antiquorum, puta, quòd omne ens sit totũ & pars: hoc enim dicunt, qui tenent tantum ens corporeum. Quod autem omne ens sit prius aut posterius est secundum veritatem, quoniam, vt declarabitur in libro 12. omnia entia sunt quodammodo ordinata.

CAPVT IIII.

Ad Metaphysicam spectat considerare de primis principiis communibus omnibus scientiis.

IN quarto cap. probandum est, quòd hęc scientia habet considerare de primis principiis, quas nominat Arist. dignitates mathematicas, quia Mathematicus maximè vtitur eis, quia habet magis certas & manifestas demonstrationes, vt igitur propositum resoluatur pono aliquas conclusiones de mente philosophi.

Prima conclusio, ad philosophum primum spectat consideratio talium principiorum: & probatur sic, Quæ sunt communia omnibus generibus entis inquantum ens, debent considerari à philosopho primo speculante ens inquantum ens: sed talia principia sunt communia omnibus generibus entis, sunt enim applicabilia cuilibet generi entis, cuius signum est quòd omnes scientiæ speculatiuæ, quarum subiecta sunt diuersa genera entis vtuntur his principiis, non quidem absolute, sed vt eis conuenit: verbi gratia, dicit Geometra, omnem lineam esse symmetrã, vel assymmetram, vel æqualẽ vel inæqualem, dicit Physicus, omne ens mobile esse corruptibile vel incorruptibile: ergo, &c. Et confirmatur, quoniam, cum in aliqua scientia necesse sit ea considerare, aliter demonstrationes nullam haberent firmitatem, quoniam in ipsis firmantur, & constat quòd nulla scientia de eis considerat quæ sit particularis, licet eis vtatur, relinquitur hæc cõsideratio primo Philosopho, tanquam scienti vniuersali: Nec obstat quòd aliqui ex antiquis Physicis fecerunt de eis considerationem, quoniam nescientes aliud ens quam ens naturale & corporeum, arbitrabantur physicam esse primam philosophiam, sed quoniam est aliud ens altius ente naturali, ideo physica licet sit philosophia, non tamen prima, ideo ad ipsam non pertinet horum consideratio. Quomodo autem peccauerunt qui voluerunt ea considerare & firmare per demonstrationem, dicemus parum infrá.

Secunda conclusio, licet ad primum philosophum spectet considerare de omnibus primis principiis, maximè tamẽ de primo, in quo fundantur omnia alia, & à quo pẽdet eorũ veritas: & probatur sic, Phlosophus maximè cognoscitiuus habet maximè considerare de primo & firmissimo principio, quoniam ab eo pẽdet omnium aliorum cognitio & veritas, sed primus philosophus est maximè cognoscitiuus, quoniam dictum est in procemio, quod est simpliciter sapiens, & quòd sapiens est maximè cognitor primorum principiorum & causarum: ergo maximè primi & firmissimi principij.

Tertia

Tertia conclusio, primum & firmissimum principium complexum est hoc, Impossibile est idem eidem simul inesse & non inesse. Et intelligendum est secundum idem similiter, & vt declaratum est in logicis: & dico principium complexum, quoniam dantur prima principia complexa & incomplexa. Incomplexa sunt conceptus terminorum maximè vniuersalium, inter quos primus, & ad quem omnes alij resoluuntur, est conceptus entis: complexa sunt primæ propositiones constitutæ ex primis terminis vniuersalissimis, & maximè notis, inter quas hæc est prima, Impossibile est idem ens eidem enti simul inesse & non inesse: hæc autem conclusio sic probatur, Conditiones primi & firmissimi principij sunt tres. Prima est, quòd circa ipsum nullus possit errare, ex consequenti necesse est ipsum esse nobis maximè manifestum & cognitum, & magis clarum quàm alia: quoniam, vt inquit Philosophus, non decipiuntur homines nisi in eo quod ignorant, vel, vt inquit Commen. in commento octauo, decipiuntur in eo quod non est eis valde manifestum. Secunda est quòd debet esse verum absolutè, & non sub conditione vel ex suppositione, quod enim est necesse haberi ab intelligente quodcunque genus entium, debet esse simpliciter verum & non ex conditione, aliter intelligens nunquam posset se firmare nisi data tali conditione, constat autem quod necesse est intelligentem quemcunque habere veritatem primi principij, aliter de nullo sequenti veritatem haberet: ergo necesse est ipsum esse non conditionaliter, sed absolutè verum. Tertia est, quòd eius cognitio adueniat nobis per naturam, id est, quòd naturaliter & non per demonstrationem fit nobis cognitum, ea autem naturaliter cognoscimus, quæ non per inuestigationem ex aliquo priori noto, sed solo lumine intellectus cognitis terminis apprehendimus esse vera, & opposita esse falsa: & sic apprehendimus prima principia complexa, & maximè primum, in quo fundantur omnes scientiæ. Sed istæ tres conditiones conueniunt huic complexo, Impossibile est idem eidem simul inesse & non inesse, quod sic manifestatur, prima conditio ei conuenit, nam impossibile est aliquem sani intellectus mente concipere, quòd idem eidem possit simul inesse & non inesse, licet aliqui dicant Heraclitum aliter dixisse, sed non est necesse omne dictum ore, mente teneri, ergo nullus potest circa ipsum decipi, antecedens sic probatur. Si quis potest mente concipere idem simul esse & non esse, ergo potest in suo intellectu habere simul contrarias opiniones, quod est manifestè falsum, contraria sunt enim quæ se mutuo expellunt ab eodem subiecto, consequentia sic probatur. Determinatum est in secundo Periherm. quòd duæ opiniones duorum contradictoriorum sunt contrariæ: sed simul esse & non esse sunt duo contradictoria: ergo si quis opinetur duo contradictoria esse simul vera, habebit simul in suo intellectu contrarias opiniones. Patet igitur, quòd prima conditio conuenit ei, ex consequenti conuenit ei secunda, nam, si non possum aliter mente concipere, necesse est vt sit absolutè verum, & non ex conditione, alioquin, remota conditione, posset esse non verum: & tunc possem mente tenere oppositum. Similiter tertia conditio sequitur ex prima, nam ea, circa quæ errare non possumus, oportet vt nobis statim innotescant: ergo non per discursum sunt nobis nota, omnis enim discursus fit in tempore, & ex aliquo magis noto, si non per discursum, ergo solo lumine intellectus: ergo naturaliter. Patet igitur hoc esse primum & firmissimum principium, ad quod demonstrantes expressè vel virtualiter reducunt vltimam opinionem suam, nec possumus aliquid firmiter apprehendere nisi hoc principio intellecto & firmato.

Quarta conclusio, licet hoc principium non possit absolutè demonstrari, potest tamen elenchice, id est redargutiue, Prima pars sic declaratur, demonstratio absolutè sumpta est ex notioribus & prioribus, si igitur hoc principium potest absolutè demonstrari, aut per seipsum, aut per aliud, non per seipsum, quoniam esset notius & ignotius: si per alterum, aut procedetur in infinitum, aut stabitur in aliquo indemonstrabili, & tamen notissimo, aut procedetur in infinitum: non est processus in infinitum, vt probatum est in primo Poster. nec est status in aliquo indemonstrabili notissimo, quoniam nullum principium est notius isto, nec firmius eo, propter conditiones positas suprá. Hinc patet error eorum, qui dignantur hoc principium demonstrare, in quem inciderunt propter ineruditionem, quorum debeat esse demonstratio, & quorum non, neque enim omnia sunt demonstrabilia, aliter, aut contingeret circulus in demonstrãdo, aut processus in infinitum. Si igitur quorundam non est demonstratio, id maximè conuenit huic principio propter sui maximam euidentiam.

Secunda autem pars sic declaratur. Demonstrare elenchice non est ex aliquo priori vel notiori, sed ex aliquo dicto & concesso à dubitante, etiam quòd secundum sui naturam esset minus notum. Quòd si dubitans nihil concedit, derisio est querere rationem ab eo, qui nulla vtitur ratione. Talis enim est similis plantæ, & deterior bruto, quoniam bruta vtuntur certis signis ad signandum ad extra proprias phantasias & affectus, qui autem nihil concedit, saltem determinatum significatum terminorum, non vtitur certis signis ad signandum quod habet in mente, ideo similatur plantæ carenti cognitione, & est deterior bruto. Qui igitur negant hoc principium, aut aliquid concedunt, aut non: si sic, possunt ex concesso redargui, quod est demonstrare elenchice. Si nihil concedunt, deridendi sunt, & hoc modo procedet Aristoteles in tractatu sequenti, contra negantes hoc principium. Hęc de quarto capite dicta sint, & hîc terminamus primum tractatum super quarto libro.

TRACTATVS SECVNDVS super Quarto Metaphysicæ.

IN hoc secundo tractatu defensandum est primum principium contra negantes, ipso enim defensato, defensantur reliqua prima complexa, quoniam firmitatem accipiũt ab eo, & comprehendimus mentem Arist. in quatuor capita.

Primò disputandum est contra eos vniuersaliter & ex rationibus vniuersalibus.

Secundò soluendæ sunt dubitationes, propter quas primum principium negarunt.

Tertiò disputandum est contra statuentes veritatem rerum in apparentia.

Quartò disputandum est contra eos, qui ponunt medium inter contradictoria, ex consequenti concedunt ea esse simul falsa.

Quintò disputandum est contra errores principiorum logicæ & Philosophiæ naturalis.

CAPVT I.

Disputatur contra eos, qui contradictoria simul vera esse contendebant, vniuersaliter, quibusdam præmissis.

IN primo capite disputandum est contra eos vniuersaliter, quòd impossibile est contradictoria esse simul vera, & arguit Philosophus septem rationibus: quarum prima procedit ex determinato significato nominis. Ad cuius euidentiam prępono quatuor.

Primò contra negantes primum principium complexum non est assumenda aliqua propositio, qua affirmetur aliquid de re, vel negetur, hoc enim esset petere principium, & aduersarius negaret quæcunq; assumerẽtur. Nam si negat primum principium, circa quod diximus neminem posse decipi, multo magis negaret quamcunque aliam propositionem. Assumendum est ergo pro principio disputationis, quòd nomen prolatum inter disputantes aliquid determinatè & vnum significat, tam loquenti quàm audienti. Et si aduersarius id non admittit, relinquendus est vt deterior bestia, nec disputandum cum eo, si concedit iam habebimus viam concludendi contra eum, quòd non sunt contradictoria simul vera, vt patebit infrá. Si non vult concedere, quòd significet determinatè vnum, sed plura: contra, aut illa plura sunt finita, aut infinita, si finita, tunc licebit vnicuique adaptare proprium nomen, quod eo casu determinatè significabit vnum, puta quia sanum significat subiectum sanitatis, & causatiuum & indicatiuum, primum significatur per animal, secundum per medicinam, tertium per vrinam. Si autem sunt infinita, nulla poterit fieri intelligibilis, sed penitus cõfusa locutio & disputatio, eo quod audiens intelligere non poterit, quo sensu & significato loquens vtatur terminis: Nam si eorum significata sunt infinita, non erit maior ratio quod significet hoc quàm illud. *Text. c. 9 10.*

Secundò ex hoc fundamento posito, assumo hoc nomen homo, & si significat vnum, illud erit esse hominem, vel esse animal bipes, significatum enim nominis est id, quod est res, siue suum quodquid est, siue diffinitio rei. *Text. c. 9. 10.*

Tertiò si homo significat esse hominem, vel animal bipes, non significat non esse hominem, vel non animal bipes, aliter non significaret determinatè vnum, vel esse hominem & non esse hominem essent vnum, quod est stultum dicere: nam quęcunque prædicantur de homine, non sunt vnum: sumendo vnum non pro vnitate subiecti, sed pro vnitate rei, aliter &c.

musicum & album& doctum,&c.essent vnũ re,omnia enim prædicari possunt de homine,& cùm infinita prædicata accidentalia possint aduenire homini,omnia essent vnum, quod est penitus absurdum: ergo multo minus sunt vnum, esse hominem & nõ esse hominem,quoniam primum ponit substantiam hominis,secundum autem negat.

Quarto homo & non homo non significat idem,quoniam homo significat esse hominem, & non homo significat non esse hominem: sed hæc duo non sunt idem, aliter non homo prædicaretur de homine: præterea magis differunt homo & non homo quã homo & album.illa enim differunt substãtialiter, hæc autem accidentaliter: sed hæc duo non sunt idem, licet vnum prædicetur de altero, vt dictum est suprà, ergo multo minus sunt idem, esse hominem & non esse hominem.

Tex.c.12. His præpositis,sic formatur prima ratio, necesse est quòd homo sit animal bipes,hoc enim est determinatum significatum suum, vt declaratum est suprà: & sumo pro eodem,hominem significare esse hominem, & hominem esse animal bipes, tunc vltrà,ergo est impossibile hominem non esse animal bipes.quod enim necesse est esse impossibile est nõ esse, si est impossibile hominem non esse animal bipes, ergo impossibile est hanc esse veram,homo nõ est animal bipes:ergo semper erit falsa,& cũ sit cõtradictoria huius, homo est animal bipes, quæ necessario est vera, impossibile est duo contradictoria esse simul vera. Sed fortè respondebit aliquis & dicet rationẽ non concludere, quoniã quando quis interrogatur,si homo significat animal bipes vel non,non respondebit affirmationẽ tantum, vel negationem tantum, sed dicet quòd significat vtrunque.contra id arguit Philosophus.Quãdo quis simpliciter interrogatur,id est,de parte affirmat. vel negatiua, simpliciter de vna debet respõdere, aliter nũquam terminaretur disputatio, si vellet de omnibus conuenientibus rei respondere:constat enim, quòd homini potest conuenire esse album,& magnum,& doctum,& quod.mmodo infinita prædicata. Si igitur quis in disputatione interrogatur, an homo sit albus,vel non,& respõdere velit, quòd est albus, magnus,doctus,calidus,grauis,&c.vna esset huiusmodi disputatio, nec vnquam concluderetur. Cùm igitur in proposito quis interrogatur an homo significet animal bipes vel nõ, respondere debet de altera parte tantum, aliter non est disputandum cum eo, cùm nihil determinatè ponat.

Tex.c.13. Secunda ratio sumitur ex ratione prædicati substantialis & accidentalis. Et stat in hac conditionali. Si contradictoria sunt simul vera ergo nullum erit prædicatum substantiale & quiditatiuum, sed omnia erunt prædicata accidentalia, ex consequenti aufertur omnis vera diffinitio, quoniam non datur nisi per prædicata substantialia, & quiditatiua:sed impossibile est omnia prædicata esse accidentalia,ergo, &c. Pro resolutione huius rationis probanda est consequentia, deinde manifestanda est impossibilitas consequentis.

Pro euidentia consequentiæ præpono duo, Primo prædicatum substantiale in hoc differt ab accidẽtali, quod semper inest, & impossibile est abesse, cùm sit de natura & essentia rei, accidentale autem potest adesse & abesse, hæc enim est ratio accidentis, ex quo sequitur, quòd, si de aliquo verificatur prædicatum A, & de eo verificatur suum oppositum,erit prædicatum accidentale. Secundo prædicatum substantiale est tantum vnum re, licet possit plurificari ratione,nam est idem rei, cuius est prædicatum, quælibet autem res est tantum vna,cùm sit indiuisa in seipsa,aliquo modo indiuisionis, ergo prædicatum substantiale est tantum vnum re,vt animal rationale,cùm sint idem cum homine,sunt tantum vnum re, sed prædicatum accidentale non est vnum re, quoniam licet sit in subiecto,non tamen est idem cũ subiecto, nã licet Socr. sit albus,non tamen est albedo.& propterea non inconuenit plura esse prædicata accidentalia conuenientia vni rei.

Ex his arguitur sic,si hæc duo sunt vera simul homo est homo & homo non est homo,vel ista,& homo est non homo:ergo esse hominis conuenit homini, & remouetur ab eo, sicut enim nigrũ remouet albũ,sic non homo, vel nõ esse hominis remouet esse hominis: ergo tam esse hominis,quam non esse hominis est prædicatum accidentale, Præterea, esse hominis & non esse hominis, non sunt vnum prædicatum.Dictum est enim in prima ratione, quòd nomen significat determinatè vnum,sed non sunt vnum esse hominis,& non esse hominis.vt probatum est in prima ratione. Si non sunt vnum, nec sunt idem homini:ergo sunt prædicata accidentalia,ex declaratione, & differentia assignata inter prædicatum substantiale & accidentale. Patet igitur, quòd hæc positio destruit totaliter prædicatum substantiale. Quod autem sit impossibile omnia prædicata esse accidentalia,sic probat Philosophus.Si non est aliquod prædicatum substantiale, ergo nullum erit prædicatum per se & vniuersale,id est,secundum quod ipsum;sed omne prædicatum prædicabitur per aliud & non per seipsum: quod enim per accidens prædicatur non per seipsum,sed per aliud prædicatur: nam & propria accidentia prædicantur de subiecto per aliud, vt per diffinitionem subiecti.Diffinitio autem per seipsam verificatur de subiecto: tunc vltra,si omne prædicatum accidentale prædicabitur per aliud,ergo non est deuenire ad primum, ex consequenti erit processus in infinitum in prædicatis accidentalibus,sed hoc est impossibile, & quòd sit impossibile, sic declarat Philosophus: Modus prædicationis accidentalis est tantum duplex, quoniam aut prædicatur accidens de subiecto, vt Socr. est albus, vel prædicatur accidens de accidente, vt musicum est album:sed in neutro possibilis est processus in infinitum: non quidem quando accidens prædicatur de accidente, quia ambo conueniunt subiecto, ergo erit status in subiecto, quod est primum fundamentum huius prædicationis, nec quando accidens prædicatur de subiecto.Iste enim processus in infinitum non fieret nisi duobus modis, primo, quòd sicut Socrates subiicitur albo, ita Socrates albus subiiciatur alteri accidenti.puta calido,& Socrates albus calidus subiiciatur alteri,puta graui, & Socra. albus calidus grauis subiiciatur alteri & sic in infinitum, sed hic modus est impossibilis, quoniam idem Socra. subiicitur albo, quia est quid vnum, sed ex Socrate & albo non fit tale vnum, qualis est Socrates, est enim Socrates vnum per se, Socrates autem albus vnum per accidens, & propterea non est necesse, quòd subiectum & accidens subiiciantur alteri accidenti, sicut subiectum subiiciitur accidenti.Secundo,quòd sicut Socrat.subiicitur albo, ita album calido,& calidum graui, &c. Sed hoc est impossibile, quoniam accidens ex se non habet virtutem subiiciendi alteri. Deratione enim accidentis est quòd accidat alteri, id est subsistentiæ,non quòd subiiciatur alteri, aliter esset ordo inter accidentia,puta quòd musicum respiceret album, vt subiectum, sed id non contingit: nulla est enim ratio, quare magis album sit subiectum musici, quàm econuerso.

Non ergo contingit processus in infinitum in prædictis accidentalibus, vt igitur non destruatur prædicatio substantialis, necesse est dicere, quòd impossibile est duo contradictoria esse simul vera.

Tu tamen aduerte, quòd licet accidens non sit subiectum accidentis,est tamen aliquando ratio & causa quòd alterum accidens insit substantiæ: sicut supeficies est causa existendi caloris in substantia,& calidum humidum sunt causa quod dulcedo insit pomo & meli,& in ratione causalitatis non inconuenit vnum accidens respicere & ordinari ad aliud,vt color respicit quantitatem, in ratione autem subiecti respicit tantum substantiam.

Tertia ratio sumitur ex diuersitate rerum,quàm tollit prædicta positio:& stat in hac conditionali.si contradictoria sint simul vera.ergo omnes res erunt vnum, ita quòd non distinguentur triremis & murus & homo,& cætera omnia,& hoc idem sequitur ex positione Pythagoræ, qui dixit, quod videtur alicui esse verum, illud est verum: nam si alicui videtur quòd homo sit asinus, erit asinus: & si alteri videtur oppositum, non erit asinus. Idem etiam sequitur ad positionem Anaxa.qui posuit omnia confusa & indistincta in vno.ex consequenti homo,capra,leo &alia erunt vnũ & non distinguentur abinuicem. Qui tamen decipiebatur, quoniam putabat loqui de ente in actu, & suum dictum non potest verificari nisi de ente in potentia.Res enim quandiu sunt in potentia, sunt indistinctæ:dum autem ponuntur in actu distinguuntur: actus enim est qui distinguit ea,quæ sunt in potentia,vt patet in ligno in quo multæ sunt figuræ & imagines in potentia,& vt sic non distinguuntur,cùm autẽ fiunt actu, patet q; distinguuntur. Relinquens igitur Aristo. falsitatem consequentis vt manifestam, probat consequentiam. Pro cuius euidentia supponitur primo,quòd si de aliquo verificatur propria negatio multo magis verificabitur negatio alterius: nam prius est esse cuiuslibet rei sibiipsi, quàm esse alterius rei.& ergo de re verificatur suum non esse, multo magis verificabitur non esse alterius:vnde,si ista est vera,homo est non homo, multo magis est non lignum, non lapis, &c. Supponitur secundo, id quod dicit hæc positio, scilicet, quod contradictoria sunt simul vera, de quocunque verificatur negatio, verificatur affirmatio: ex quo habetur, quòd, si homo est non lignum,est etiam lignum. Ex his suppositis sic probatur consequentia, Si homo est homo,& est non homo:ergo est non lignum,non triremis,non murus,&c.per primum suppositum, si est non lignum, & si est non murus, est etiam murus, &c. per secundum suppositum, homo ergo erit omnia, & sic sequitur quod omnia erunt vnum,quod est absurdum.

Quarta sumitur ex cognitione, & arguitur sic à sufficienti diuisione, si contradictoria sunt simul vera, aut sic est in omnibus contradictoriis,aut in quibusdam.Si in quibusdam tantum, ergo in aliis, verum erit certitudinaliter vnam partem esse veram,& aliam falsam,si in omnibus hoc potest esse dupliciter.Primò,quòd affirmat.& negat.in omnibus sint simul veræ,ita quòd fiat econuerso,puta quoties affirmatiua est vera,negatiua etiam sit vera,& econuerso. Secundò, quòd non fiat econuerso, puta licet quando affirmatiua est vera, sit negatiua vera, non tamen econuerso, ita quod fiat, negati. esse veram,& tamen affirma.esse falsam. Si dicatur secundo modo,ergo neg.at.erit verior & firmior quam affirmat.quod est absurdum,probatur consequentia, quoniam negat. absolutè & semper erit vera,non autem affirmat. quia dicis, non semper esse affirmat.veram,quando nega.est vera,semper autem negat.esse veram,etiam quòd affirmat.sit falsa: ergo erit verior & firmior: falsitas autem consequentis probatur, quoniam negat.probatur per affirmat. & non pendet veritas affirmat.ex veritate negat. nec conclusio negat. potest probari nisi ex aliqua præmissarum affirmatiua. Si dicatur primo modo, id potest esse dupliciter, scilicet diuisim, vel coniunctim, diuisim quidem, verbi gratia, quòd hæc est vera per se,homo est animal, & hæc est vera per se, homo non est animal, coniunctim autem,quando neutra esset vera per se sumpta, sed si simul sumatur vtraque est vera, sicut si sumatur Plato per se, & Socrates per se, neuter trahit nauem, sumpti autem simul trahunt nauem,& tunc est verum, quod Socrat. & Plato trahunt nauem. Si dicatur coniunctim,duo sequuntur inconuenientia,primo, quod neutra pars est vera, nam à cõiunctis ad diuisa non valet consequentia, & cum omnis propositio sit vera vel falsa, sequitur vtranque partem esse falsam. Secundo, quod omnia sunt vnum,vt etiam dictum est in præcedẽti ratione, nam per te istæ duæ sunt simul veræ, homo est Deus, homo non est Deus, & quod dicitur de his duabus potest dici de omnibus aliis contradictoriis, quoniam de vnoquoq; possunt omnia alia entia affirmari & negari. Si dicatur diuisim, sequuntur multa inconuenientia, primo omnia erunt vnum, quoniam etiam diuisim possunt omnia alia de vnoquoque affirmari & negari,vnde, si istæ duæ sunt veræ diuisim, homo est albus,& homo non est albus,possum inferre, ergo homo est albus, & quod dico de albo potest dici de quolibet ente prædicato de homine, & sic patet, quòd homo erit omnia. Item quòd homo nullum ens erit,quoniam omnes propositiones negatiuæ,quæ sunt altera pars contradictionum,secundum istam positionem sunt veræ,ergo non est homo,non est animal, non est substantia, non est ens,&c. Secundò omnes semper dicerent verum,quoniam non loquuntur nisi per affirmationem vel negationem, ergo si vtraque est vera, omnes dicent verum, & omnes mentientur, quia omnes confitentur se dicere falsum,quando dicitur contradictorium prioris dicti, quod reputabatur esse verum, puta dicens negationem post affirmationem,quam reputabat esse veram,confitetur se mentiri. Tertiò nulla erit perscrutatio veritatis nec disputatio, quia necesse est disputantem dicere determinatè ita esse,vel non ita esse,quod si dicat sic,& non sic esse,iam nihil determinatè ponit, nec determinatè negat, ergo non relinquitur locus disputationi. Quartò aufertur diffinitio veri & falsi,nam verum est quando res ita est sicut dicitur,vel non est,falsum autem,quando res non est sicut dicitur, ex quo sequitur,quod,si per affirmatiuam res dicitur sicut est,affirmatiua erit vera, & quoniam per negatiuam contradictoriam aliter dicitur,negatiua erit falsa,non potest igitur saluari diffinitio veri & falsi, & ponere contradictoria esse simul vera, verum,quia aduersarius posset dicere quod Arist.in hoc quarto inconuenienti petit principium: nam, si aduersarius ponit contradictoria simul vera nõ admittet diffinitionem datam de vero & falso,Et propterea subiunxit quintam rationem.

Quinta ratio sumitur ex natura rei significatæ per propositionem, & arguitur sic. Si dicens contradictoria dicit verum:ergo dicens affirmationem tantum esse veram, mentitur,& qui dicit negationem tantum esse veram,mentitur,sed hoc est falsum,consequentia patet,falsitas consequentis probatur,si dicens affirmat.tantum esse veram, vel negationem tantum mentitur: ergo naturæ rerum non sunt determinatæ entitatis: ergo Sol non est magis lucidus quam non lucidus, & terra non est magis grauis quam leuis, & ens non est magis ens quam non ens,ex consequenti dicens aliquid, non dicit aliquid: nec opinans aliquid, opinatur aliquid, quia non magis opinatur de eo quam de suo opposito: ita enim opinatur solem obscurum sicut clarum, sed qui talia dicit, non est audiendus,nec disputandum cum eo, quia non differt à planta,& negat se esse rationale, quoniam, vt inquit Commenta. in commento decimoseptimo, Rationale non diuiditur ab animatis, id est vegetabilibus & brutis nisi per comprehensiones & existimationes terminatas,scilicet hoc esse tale, vel non esse tale.

Sexta ratio sumitur à desiderio & fuga virtutis appetitiuæ, & arguitur sic. Si contradictoria sunt simul vera: ergo opinans ea simul vera non magis appetet vnum quam aliud,nec magis fugiet vnum quam aliud,ex consequenti,qui longè est à patria non magis desiderabit ire,quam non ire, ex quo ire, & non ire sunt simul vera,& qui timet cadere in foueam non magis fugiet viam ducentem ad foueam quam oppositam: videmus autem per experientiam, quòd propositis duobus contradictoriis homo eligit vnum & relinquit aliud, nam propositis famelico comedere & non comedere,eliget comedere & relinquet oppositum: ergo manifestum est contradictoria non esse simul vera, cùm videamus homines saltem in manifestè bonis & malis, & in melioribus ac deterioribus reputare veritatem consistere tantum in vna parte contradictionis, aliter non magis eligerent bonum quam oppositum,nec magis quod est melius,quam quod deterius.

Sed fortè dicet aliquis, quòd homines magis eligunt hoc bonum, quam oppositum, non quia sciunt differre hoc bonum ab opposito,sed quia sic opinantur, quorum tamen opinio est falsa, quoniam secundum veritatem idem sunt bonum & non bonum.

Contra,inquit Aristotel. si homines omnes sunt constituti in falsa opinione,quæ est defectus veritatis, multo magis deberent quærere veritatem, sicut infirmus magis quærit sanitatem quam sanus: Omnis autem opinans falsè,infirmatur secundum intellectum.Cùm ergo videamus, quòd eligentes magis hoc bonum quam oppositum quietantur in electione, signum est quod sunt sani intellectus, & tenentes viam oppositam infirmantur.

Septima ratio sumitur à gradibus falsitatis,nam datur magis falsum & minus falsum, puta qui dicit quatuor esse quinque minus mentitur, quam qui dicit quinque esse mille, minus enim distant quatuor à quinque quam quinque à mille, sed magis & minus falsum dicitur secundum quod magis vel minus distat à vero:ergo oportet dare absolutè verum & non omnia æquè vera & æquè falsa, ergo opinio dicens contradictoria esse simul vera & simul falsa, est absurda, quoniam tunc non daretur gradus in falsitate,nec in veritate.

Patet igitur, quòd per has rationes possumus liberari ab errore opinantium contradictoria esse simul vera, & possumus aliquid mente diffinire ac determinare tanquam simpliciter verum,& aliquid tanquam simpliciter falsum.Et aduerte quod non solum liberamur à prædicta positione,cuius auctor videtur fuisse Heraclitus,qui adeo errauit, quod dixit nihil sciri,nec de aliquo potest fieri certa interrogatio,nec certa responsio. Sed etiam liberamur ab opinione Pythagoræ, qui posuit veritatem in rerum apparentia & existimatione. Nam coincidit cum opinantibus contradictoria esse simul vera. Constat enim diuersos de eadem re diuersas & contradictorias habere existimationes.Nam existimat Socrates voluptatem esse summum bonum, & Plato existimat oppositum,ergo voluptas est summum bonum,&non est summum bonum,si veritas stat in apparentia,vel humana existimatione:sed contra positionem hanc disputabitur in tertio capite, Hæc de primo capite dicta sint.

CAPVT II.

Soluuntur rationes eorum,qui pertinacia negare potius visi sunt primum principium,quàm ex ratione aliqua necessaria.

IN secundo capite soluendę sunt dubitationes,propter quas aliqui tenebant contradictoria simul vera. Vnde aduerte, quod,vt inquit Aristot. aliqui deducti sunt ad hunc errorem, ex aliquibus rationibus,quas nesciebant soluere, & ideo cogebantur concedere conclusionem, sicut dictum est in sexto Physicorum de Zenone,qui coactus fuit negare motum propter rationem sophisticam,quam nesciuit soluere. Aliqui autem ad hunc errorem deducti sunt non ex ratione sophistica cogente,sed ex proteruia &elatione,vt viderentur singulares in sententiis suis. Aduertentes enim primum principium non posse probari per demonstrationem,statuunt tenere oppositum

tum, suadentes sibi, quòd nulla ratione possent concludi, nec aliqua via probatiua: & quoniam vtrique istorũ infirmi sunt intellectu, sed nõ eodem modo, quoniam primi infirmantur ignorantia, secundi autẽ proteruia, ideo diuerso modo iuuandi sunt, primi quidem solutione rationis, quam nesciunt soluere curabuntur, secundi autem non possunt curari, nisi rationibus positis in præcedenti cap. & præcipuè ratione sumpta ex significato terminorum: Nunc igitur intẽdentes curationi primorum, adducemus rationem quam soluere nescient.

Tu igitur aduerte, quòd aliqui ex his sensibilibus corruptibilibus & generabilibus moti sunt ad concedendum contradictoria simul vera, hac ratione, quam nescierunt soluere, cõtraria sunt in eodem, ergo & contradictoria: antecedens probatur, ex eodem fiunt contraria, ergo sunt in eodem. nam ex aqua fit aër, qui est calidus, & fit terra, quæ est frigida, ergo calidum & frigidum præexistunt in aqua: cũ enim ex nihilo naturale nihil fiat, necesse est omne quod fit præexistere in eo ex quo fit: consequentia verò probatur, quoniam in vno est negatio alterius, nam frigidum est non calidum. si igitur in aëre est calidum & frigidum, est etiam calidum & non calidum, & sic contradictoria sunt simul vera, verum est enim dicere aërem esse calidum, & esse non calidum, quia & frigidus. Et hac ratione motus est Anaxagoras ponere omne in omni, quia videbat omne ex omni fieri, & credebat nihil fieri ex alio, nisi præexisteret in eo. Eidem rationi videtur consensisse Democritus, qã posuit omnia fieri ex pleno, & vacuo, & plenum attribuit enti, vacuum autem non enti, ex consequenti in quo libet ponebat ens & non ens, quæ sunt cõtradictoria. Huic rationi dupliciter respondet Aristo. Primo sic distinguit, ens dicitur dupliciter, scilicet in actu & in potentia, eodem modo dicuntur contraria, & quidem si intelligunt, quòd ens fit ex ente præexistenti in actu, malè intelligunt. Quod enim actu est iam non fit, sed factum est, si intelligant de ente in potentia bene dicunt, sed non sequitur contraria esse actu in eodem, sed tantum in potentia. Subiectum enim quod est actu sub vno contrario est in potẽtia ad aliud. Inuenitur enim aliquod quod in se continet vtrunque in potentia, neutrum autem actu, saltem perfecto, vt in tepido est calidum & frigidum in potentia, neutrum autem perfectè actu. Ad rationem igitur nego antecedens, intelligendo de contrariis in actu, de contrariis autem in potentia concedo antecedens, sed nego consequentiam, & cum probatur antecedens, nego quòd præexistant actu in eodem. Similiter ad probationem consequentiæ, dico, quod in vno contrario non est negatio actualis alterius cõtrarij, nisi alterum cõtrarium existat actu, & ideo nõ sequitur cõtradictoria esse simul vera.

Secunda responsio stat in hoc, quòd ipsi habent concedere substantiam vnam immobilem ingenerabilem incorruptibilem, de qua locuti sumus in physicis, ex qua non possunt fieri contraria, cùm sit inalterabilis, ex consequenti non sunt contraria in ea, ergo saltem in ea ratione contrariorum non potest concludi, quòd de ea verificentur contradictoria, sed prima responsio melior est: quoniam in nullo ente debet concludi siue sit mobile, siue immobile, cõtradictoria esse simul vera. Hæc de secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

Disputatur contra eos, qui asserebant omne quod nobis apparet & opinantur verum esse.

IN tertio cap. disputandum est contra eos, qui statuunt veritatem rerum in apparentia, siue in existimatione, sed isti fuerunt in duplici differentia. Nam aliqui sic senserunt propter quædam dubia, quæ nesciebant soluere, & aliqui ex sola proteruia, disputandum est igitur primo contra primos, secundo contra secundos. Pro disputatione contra primos tria agenda sunt.

Primo ponetur eorum ratio, propter quam moti sunt ad sic sentiendum.

Secundo ponetur causa talis positionis.

Tertio improbantur.

Quantum ad primum aduerte quòd sicut aliqui posuerũt contradictoria simul vera, ex eo quod credebant in sensibilibus corruptibilibus præexistere simul contraria actu, sic aliqui posuerunt, quòd ex parte rerum nullam certam veritatẽ habemus, nec scientiam, sed tantum secundũ apparentiam & existimationem humanam: ad hoc autem deuenerunt, quia vident, quòd de eodem fiunt contrariæ opiniones & contraria iudicia apud diuersos, & vnusquisque determinat sic esse in re vt existimat: vel bi gratia, idem cibus ab vno indicatur esse dulcis, ab alio amarus. idem pabulum videtur boui sapidum, & homini insipidum, imò idem homo indicat idem, puta vinum vno tẽpore dulce, alio tempore amarum, vt cùm febricitat. Ex his contrariis experientiis sic arguit. nulla certa ratio assignari potest manifestatiua, quæ harum existimationum sit vera, & quæ sit falsa: omnes enim suadent sibi existimare verum. Ergo vel vtraque opinio est æqualiter vera, vel æqualiter falsa, ex consequenti vel homo nullam cognoscit veritatem, vel consistit in apparentia & existimatione: & ideo has contrarias existimationes considerans, Democritus inquit, quòd aut nihil est verum ex parte rerũ, aut est nobis immanifestum, quoniam secundum istos non iudicamus de rebus nisi per sensum. Sensus autem non est certus, quoniam non est sẽper æquè sufficiens & dispositus, nec eiusdem complexionis in diuersis, & ideo de re non seruatur idem iudicium, sed pro vno tempore iudicat vnum, pro alio iudicat contrarium.

Sed fortè aliquis dicet, quòd certa ratio assignari potest, quæ ex contrariis opinionibus sit vera, & quæ falsa, & dicet quo ad sensibilia dum immutant sensum, illud iudicium est verum quod faciunt sani, quorum sensus non sunt impediti, nec indispositi, falsum autem est quod faciunt infirmi, quorum organa sensuũ alterata sunt. Quantum autem ad intellectualia dicet illud esse verum, quod iudicatur per sapientes & intelligentes, & illud falsum quod iudicatur per stultos.

Hanc solutionem remouent sic opinantes, & dicunt quòd non potest sciri veritas hoc modo, quoniam hoc nõ esset, nisi secundum pluralitatem & paucitatem sic opinantium, sed veritas & falsitas nõ stat in huiusmodi pluralitate & paucitate: nam, si omnes homines, vel quasi omnes essent infirmi & tantum duo sani, tunc infirmi reputarentur sani & eorum iudicium reputaretur verum, duo verò sani reputarentur infirmi, & iudicium eorum falsum: similiter si quasi omnes essent stulti, & tantum duo sapientes, stulti reputarentur sapientes & iudicium eorum verum. Duo verò sapientes reputarẽtur stulti & eorum iudicium falsum. ergo dicta solutio non valet.

Quantum ad secundum aduerte, qꝰ sic opinantes adhæc positionem deuenerunt ex hac prima radice falsa, quòd nõ distinguebant inter sensum & intellectum, ex consequenti nec inter cognitionem sensitiuam & intellectiuam: & ex hoc sequebatur, quòd iudicium sensus est iudiciũ intellectus. Iudicium autem sensus dicebant fieri per actionem sensibilis in sensum, sensus igitur iudicat secũdũ quod sensibile imprimit. Sensibile autem imprimit secundum quod est. ergo sensus iudicat sicut est, ergo stat veritas in existimatione sensus. Hæc fuit radix sui erroris, in quam plures antiquorum inciderũt. Inter quos fuit Empedocles & Democritus, vt coniecturare possumus ex dictis suis, & Parmenides & Anaxagoras, & Homerus: & quidem, quòd sensus non distinguatur ab intellectu secundum Empedoclem, patet ex eo quod dixit permutantes complexiones, permutare intellectum. Et Parmenides dixit quòd intellectus appropriatur homini secũdũ complexionem mẽbrorum, & Anaxagor. dixit, ad quosdam socios. Talia sunt entia, qualia existimauerunt: & Homerus loquens de Hectore vulnerato dixit, quòd percussus amisit proprium intellectum, ex quo dicto trahitur quòd Homerus opinatus est intellectum esse virtutem organicã, neque propter plagam illatam amisisset intellectum, nisi esset organicus. Patet igitur radix, ex qua in hunc errorem deuenerunt, & grauissimè peccauerunt, quoniam si cognouerunt nullum verum posse sciri, nisi tantum existimatione hominum, cùm essent tantum diligẽtes in inuestigatione veritatis, quare non cessauerunt, & quare non respuerunt conantes philosophari, nam si eorum positio esset vera inquirere veritatem assimilatur ei, qui prosequitur volantia, quæ quanto magis prosequitur tanto magis elongant se.

Sed dices vnde prouenit tanta cæcitas sic opinantium, respondet Arist. quòd id processit ex duplici causa. Primo, quia non putabãt esse alia entia nisi hæc sensibilia, in quibus considerabant multam indeterminationem ex parte materiæ, quæ indeterminatè se habet ad multas formas, & ex parte ipsius esse corruptibilis: & propterea opinati sunt nihil determinatè veri esse nobis manifestum, sed prout sensui apparet, cuius apprehensio variabilis est, sicut & sensibilia variantur: & quidem licet eorum opinio non sit vera, est tamen verisimilis considerata sensibilium variabilitate, & melius est sic dicere, quàm non dixit Epiphanius ad Xenophanem: quia autem dixerit non explicat Aristo. sed Albertus inquit dixit Xenophanes, vt visum est in primo libro, omnia esse vnum ens, & illud esse Deum. Contra quem instabat Epiphanius propter multitudinem, quæ videtur in sensu diuersarum substantiarum sensibilium, ex quibus constat, quod Epiphanius concord

concordabat cum istis, qui ponunt sola sensibilia esse entia, sed verior videtur expositio Beati Thomæ: dicit enim, quòd Epiphanius fortè dicebat, omnia entia esse necessaria & immobilia, & per certitudinem sciri, quod dictum est minus rationabile, quoniam constat nobis de contingentia & variatione sensibilium. Secundo in hanc opinionem ceciderunt, quia sequebantur opinionem Heracliti dicentis omnia esse in continuo motu, nec posset idem bis demonstrari, & ad hoc deuenit, quòd credebat de nullo posse loqui, nec per orationem demonstrari, sed solo digito ostendebat, suadens sibi motum digiti breuiorem, quàm sit pronunciatio orationis, ex consequenti credebat, quod, si oratione loqueretur aut demonstraret rem, citius illam transisse, & factam aliam, quam oratio terminaretur: & dixit arguens Aristippum, quod non solùm bis, sed nec semel potest homo intrare in eundem fluuium, propter continuum defluxum aquæ, in quo vna superuenit alteri, eodem modo dixit contingere in natura rerum corruptibilium, ita quod nunquam in eodem statu permanent. Isti igitur adhærentes opinioni Heracliti dixerunt nullam determinatam veritatem esse in rebus sensibilibus, sed tantum secundum existimationem, quoniam de eo quod mouetur secundum quod mutatur nihil potest determinatè verificari. Nam quod calefit, nec est calidum, quoniam nondum est in termino ad quem, nec est frigidum, quoniam non est amplius in termino à quo. Idem intelligendum est in omnibus aliis sensibilibus supposito quod sint in continuo fluxu, vt dixit Heraclitus. Istæ fuerunt causæ & radices, ex quibus moti sunt plures ex antiquis, vt dicerent rerum veritatem consistere in apparentia & existimatione.

Quantum ad tertium, Aduerte quod Aristo. arguens contra eos, primo arguit contra causam sumptam ex positione Heracliti, secundo contra causam sumptam ex variabilitate & indeterminatione sensibilium corruptibilium. Tertiò improbatur dictum eorum de veritate rei secundum apparentiam & iudicium sensus, declarans quomodo cõtraria iudicia de eadem re non fiunt à sensu, sed à phantasia, & aliis causis.

Ad euidentiam primi sic arguit. Qui existimat non esse quod non est, verè existimat & verè enunciat. si ore profert: sed qui dicit de eo quod mutatur dum mutatur, quod non est in termino à quo, nec in termino ad quẽ, dicit non esse quod non est: ergo verè existimat, & verè enunciat, ergo de his, quæ mutantur, posito etiam quod essent in continuo defluxu, potest aliquid verè sciri. Præterea in eo quod mouetur, verũ est dicere, quòd est aliquid de termino à quo aliter iam motum esse, & aliquid de termino ad quem, aliter nondum moueretur, & in eo quod generatur vel corrumpitur verum est dicere, quod est materia ex qua, quoniam non fit ex nihilo, nec vertitur in nihilum, & est agens à quo generatur, vel corrumpitur, quoniam nihil seipsum producit aut destruit, nisi fortè per accidens: ergo de eo quod mouetur, siue generatur, siue corrumpitur: potest aliquid verè sciri, consequentia est manifesta, & omnes partes antecedentis probatæ sunt in Physicis.

Præterea, contra positionem Heracliti sic arguitur. Motus non solùm est ad quantitatem, sed etiam ad qualitatem, & ad formam, posito ergo casu, quòd omnia essent in continuo motu quo ad quantitatem, quia continuè augentur, licet insensibiliter (sicenim dicebat Heraclitus, cuius opinio reprobata est in octauo Physic. textu vigesimotertio.) non tamen sequitur quòd sint in continuo motu secundum qualitatem, nec continuè transmutentur secundum substantiam. Ergo stante positione Heracliti, licet falsa, adhuc de eo, quod mouetur, potest aliquid verè sciri, magis enim est cognoscibilis res per suam qualitatem, & speciem, quàm per quantitatem.

Præterea, impossibile est omnia moueri, neque continuo neque discontinuo motu. probatum est enim in octauo Physic. textu quadragesimo, quòd in mouentibus & motis est status, & deuenitur ad vnum omnino immobile, & idem iterũ manifestabitur in libro duodecimo huius scientiæ: ergo stultum est dicere nullum verum sciri, quia omnia sunt in motu.

Præterea sententia sic opinantium repugnat alteri sententiæ eorum, quia suprà dixerunt contradictoria esse simul vera. nam, si sint simul vera, idem est & non est, sed, si res sunt in continuo motu, non est verum dicere, idem est & non est, quoniam de eo quod mouetur, vt mouetur, neque est, neque non est. cum non sit inter à quo, nec inter ad quem. vltra hoc sequitur, quòd si contradictoria sunt simul vera, omnia quiescant, omnia enim erunt vnum, vt declaratum est suprà, & omnia erunt in omnibus, ex consequenti nihil mouebitur, quia non erit in quod, vel ad quod possit aliud permutari, si enim frigidum est in calido, quomodo poterit calidum mouere hoc quod fiat frigidum, nihil enim mouetur ad habitum, sed ad non habitum.

Ad euidentiam secundi sic arguit. Irrationabile fuit iudicare de omnibus entibus nullam habere veritatem, & omnia entia esse in continuo motu, ratione sumpta ab his sensibilibus inferioribus: quoniam sunt minor pars in entibus. tota enim terra est veluti punctus respectu superiorum, quæ videmus immobilia & immutabilia, præterquam motu locali, quo tamen non mutatur rei substantia, vt probatum est in octauo Physi. vnde minus peccassent, si tota natura sensibilis fuisset iudicata secũdum motum corporum superiorum, cum multum excedant hæc inferiora in quantitate.

Ad euidentiam tertij, aduerte, quòd Arist. multipliciter arguit contra opinantes, quod verum & falsum est secundum quod apparet, vel non apparet sensui, sentienti rem sic esse vel non sic esse. puta si gustus iudicat vinum esse dulce, vinum est dulce: si iudicat esse amarũ, est amarum, & falsum est ipsum esse dulce. Contra hoc igitur arguit primo sic, sensus circa proprium obiectum non decipitur: ergo semper est verus, si igitur de eodem sensibili fiant iudicia contraria, vt circa vinum respectu dulcis & amari, hoc non prouenit à sensu, vt sensus est, sed ex indispositione organi, vel medij, vel à phantasia, quæ vt inquit Comment. in comment. decimoquarto, solet imaginari res, quæ præciſè videntur impossibiles, sicut quòd detur chimæra in mundo. præcipuè autem tunc prouenit error à phantasia, quando læsum est eius organum, sed phantasia non est sensus. scilicet exterior, sed motus factus à sensu, vt declaratum est in secundo de Anima. ergo, &c. Tex. c. 25

Præterea mirandum est, quomodo isti dubitare possunt vtrum tantæ sunt magnitudines, quantæ videntur de propinquo, an quantæ apparent à remoto: & de coloribus, si tales sunt quales videntur de propinquo, vel quales à remotis: & de gustabilibus, si talia sunt qualia videntur sanis, vel qualia infirmis: & de ponderibus, si talia sunt qualia videntur robustis, vel qualia debilibus. omnia ista dubia derisoria sunt, quoniã rectè sentienti constat, qꝰ res visa à remotis nõ ita perfectè mouet sensum, sicut visa de propinquo, & ideo iudicare de magnitudine vel colore, vt videtur à remotis falsum iudicium est. Item organum infirmi indispositum est malo humore, ideo falsum est eius iudicium, quod non contingit in sano. Item virtus portatiua hominis debilis diminuta est, ideo falsum est iudicium eius de ponderibus. iudicat enim minus graue esse magis graue ex paucitate virtutis, quod tamen non est ex parte rei grauis, id autem non contingit in robusto, vana igitur sunt huiusmodi dubia: & sunt similia, sicut si quis dubitaret vtrum res quales apparent dormientibus, an tales etiã apparent vigilãtibus: & posito qꝰ aliquis diceret eas tales esse, quales apparent dormientibus, tamen non sic mente teneret, cuius signum est, quòd non talia agit, quia sic somniauit, qualia ageret si vigilasset. Manifestum est igitur quòd non omne apparens sensui est verum.

Præterea, non esset differentia inter sermonem sapientis & ignorantis: & tunc consilium medici sapientis esset simile consilio nescientis sanare vel non sanare, id est nescientis pro gnosticari infirmum sanandum, vel moriturum, quod est derisorium dicere.

Præterea, non differret in veritate iudicium sensus circa proprium obiectum, & circa obiectum alienum, vel circa sensibile commune. Nam visus videns pomum, vel vuam, non solùm iudicat de colore, sed etiam de sapore, puta quod est dulcis. Si igitur omne apparens sensui verum est, sequitur quòd sicut visus non errat circa colorem vuæ, sic nec circa saporem, quod tamẽ est falsum. Accidit enim, quòd gustus percipit vuam amarã, quam visus iudicauerat esse dulcem, idem dico de sensibili communi. Contingit enim vlum iudicare sphæricũ esse planum, sicut iudicat de terra, propter sui amplitudinem, & cœlum tangere terram propter horizontem: & tamen ratione manifestatur oppositum, ergo non omne quod apparet sensui verum est.

Præterea, sensus neque pro eodem tempore, neque pro diuersis temporibus, habet contraria iudicia circa proprium obiectum, nunquam enim iudicat dulcedinem esse amaritudinem, sed si habet iudicia contraria id prouenit ex mutatione sentientis, vel ex mutatione facta circa subiectum, in quo est obiectum proprium sensibile: verbi gratia, quod vinum modò iudicetur ponticum, quod heri gustabatur dulce, non est ex natura dulcedinis, quæ mutata sic in acetositatem, sed quia lingua gustantis heri in sua naturali dispositione erat, hodie verò fortè infecta est phlegmate crudo, propter quod quicquid gustatur videtur ponticum: vel quia vinum

mutatum est in ponticum, siue acetosum. Non ergo omne quod apparet sensui verum est ex parte rei, nisi quod apparet stante debita dispositione organi sensus, & debita propinquitate, & non mutato subiecto proprij sensibilis.

Præterea, sic opinantes non solùm auferunt prædicata substantialia, sicut & illi, qui ponunt prædicata contradictoria simul vera, de quibus dictum est suprà, sed etiam auferunt prædicata necessaria. Nam necessarium est illud, quod non potest aliter se habere, si igitur natura rei sensibilis talis est, qualis est apparens sensui, sequitur quòd dulcedo contingenter sit in dulci, & non necessario, nec ex natura rei. Nam si vinum dulce gustatur à febricitante, iudicatur amarum, & si gustatur remota febre iudicatur dulce, si igitur veritas est vt apparet sensui, sequitur dulcedinem & amaritudinem esse prædicata accidentalia, & non necessaria, & idem intellige de aliis prædicatis conuenientibus rei ex natura rei.

Præterea, sequitur nulla esse sensibilia si non sit sensus, & sic nulla erunt inanimata, neque vegetabilia, quod tamen est falsum, quoniam non inconuenit prius esse sine posteriori, sensibile autem prius est sensu, quoniam est mouens sensum, & mouens est prius moto. Nec obstat, quòd videtur esse correlatiua, quæ sunt simul natura, quoniam non sunt correlatiua mutua relatione reali, vt declarabitur in libro quinto. Præterea, licet sensibile in actu sit simul cum sensu in actu, quoniam sensatio est passio facta à sensibili in sensum, tamen non inconuenit sensibile in potẽtia esse sine sensu: consequentia autem sic probatur. Isti sic opinantes dicunt sensibile non esse tale, nisi iudicetur à sensu esse tale, puta non est ignis calidus nisi iudicetur tactu esse calidus: remoto igitur tactu non erit ignis, quia si non est calidus non est ignis, & sic dico de omnibus sensibilibus, cum igitur absurda sint omnia prædicta, patet vanam esse sententiam omnium rerum veritatem consistere in apparentia & existimatione sensus.

Tex. c. 26. Reprobatis illis, qui aliquibus dubiis moti statuerunt verum in apparentia, nunc reprobandi sunt alij, qui sola proteruia & elatione, eandem sententiam tenuerunt, non sustentantes se aliqua ratione, sed sic molestantes eos, qui dicunt opiniones contrarias non esse æquè veras, sed opinio quam habet sanus de gustato accipienda est vt vera, & opinio infirmi vt falsa: similiter opinio, quam habet sapiens de re est vera, opinio autem nescientis est falsa, & opinio vigilantis est vera, dormientis autem vt in pluribus est falsa. Contra hos igitur rectè sentientes instant aliqui ex proteruia, quomodo potest iudicari quis sanus ex certitudine, & quis sapiens, & quis vigilans, & in summa in quacunque diuersitate opinionum, quomodo potest sciri quis rectè iudicat & quis non rectè. Nam qui reputatur sapiens ab aliquibus, ab aliis habetur vt stultus, *non igitur potest sciri*, quæ contrariarum opinionum sit verior aut quæ falsa.

Sed, vt inquit Arist. omnes istæ instantiæ sunt stultæ, & procedunt ex eadem radice, nam credunt, quòd ea, quæ non possunt demonstrari, non possint cognosci, & in eis potest homo loqui, vt licet, & tenere quod sibi placet, & quoniam aduertunt ea quæ sumantur, vt prima principia non posse demonstrari, proteruientes dicunt ea non posse sciri, & tamen si aduertunt naturam demonstrationis de cuius ratione est, vt resoluatur in aliqua prima indemonstrabilia, & tamen notissima, aliter non faceret scientiã, non habent causam persistendi in huiusmodi errore. Et notãdũ, quòd licet verbis defendãt suum errorem, tamen mente non sic tenẽt. cuius signum est, quòd non agunt secundum quamcunque opinionem, sed secundum opinionem quam reputant veriorem, puta secundum opinionem vigilãtis & non dormientis, aliter somniantes agerent in vigilia sicut somniauerunt, quod tamen non agunt. Contra igitur istos dupliciter Aristot. procedit, Primo ex eorum positione. Secundo secundum rei veritatem.

Tex. c. 26. Quantum ad primum aduerte, quòd isti proteruientes in tantum audent, quòd non solùm dicunt, omnia apparentia esse vera, sed etiam quod cõtraria sunt in eodem & sunt simul vera. Nam vnus iudicat vinum esse dulce, alter iudicat ipsum amarum. Cùm ergo quæ apparent sint vera, vt dicunt ipsi, sequitur vinum esse dulce & amarum. Contra istos igitur primo arguitur ex positione eorum. Isti dicunt, omne apparens est verum, ergo omne apparens est, quoniam esse & esse verum idem sunt. Similiter omne non apparens non est, quoniã non apparens secundum eos non est verum, ergo non est, ergo res sunt & non sunt solùm ex apparentia: sed hoc est stultum dicere, quoniam, *si non omnia sunt* ad aliquid sed aliqua sint absoluta, non est necesse, quòd sint, vt apparent, sed *vt sunt in seipsis. Si autem omnia essent relatiua*, verisimilis esset eorum opinio, quoniam apparens relatiuum est. Nam apparens alicui apparet, puta visui, vel alteri sensui vel opinanti, ex consequenti rerum esse stare in apparentia. Quod autem omnia entia sint ad aliquid, vel non, nunc Aristot. non determinat, sed posito secundum opinionem sic proteruientium, quòd omnia essent ad aliquid, adhuc non sequitur, quòd contraria absolutè & simpliciter sint in eodem. nam quando quærunt verum omne apparens sit verum, non est concedendum absolutè quòd sic, quoniam incuitabiliter sequeretur contraria esse simul. nam, vt dictum est de vino, vni apparet dulce, alteri austerum, ergo esset dulce & austerum: sed est respondendum cum his determinationibus, id, quod apparet esse verum non simpliciter, sed illi, cui apparet, & quantum & quando & sicut apparet, & non aliter, ex consequenti non stat rei veritas in apparentia simpliciter, sed ei cui apparet, & quidem sic respondendo, vitantur multa inconuenientia, primo, quòd contraria absolutè non sunt in eodẽ, sed tantum secundum opinionem & apparentiam illius opinantis. Secundo, quòd contradictoria non sunt simul vera, quoniam esse verum huic sic opinanti, & non esse verum alteri aliter opinanti, non est contradictio, debet enim esse respectu eiusdem, & secundum idem, & similiter, & eodem tempore. Patet igitur, quòd etiam sequendo eorum positionem, non possunt nos deducere ad inconuenientia prædicta.

Quantum ad secundum aduerte, quòd Arist. secundum rei veritatem dupliciter arguit contra eos, etiã non concedendo aliquod positum ab eis. Et primo, omnia entia habent respectum ad id, cui apparẽt, quoniã apparens alicui apparet, non apparent autẽ nisi sensui vel opinioni, ergo omnia entia habẽt respectũ ad sensum vel opinionẽ, & cum esse verum sit esse, sequitur omnia entia habere esse per sensum & opinionẽ, quod est falsum, quoniã si non apparerẽt, id est, apprehenderentur sensu vel opinione non essent entia, ex consequẽti res non sensatæ nec opinatæ, sicut multa occultata in visceribus terræ, & *in corporibus cœlestibus, non essent entia*, quod est stultum dicere. Secundo arguitur sic. Si omnia entia referuntur ad ien sum vel opinionẽ, sequitur quod vnũ relatiuum non referatur solùm ad vnum relatiuũ & determinatũ, sed hoc est falsum, quoniam vnicuique relatiuo correspondet determinatũ correlatiuũ, sicut patri filius, domino seruus, dimidio duplum, æquali æquale, &c. consequẽtia autẽ probatur. Si omnia entia habent respectũ ad opinantem, sũmo dimidiũ, de quo constat quòd habet respectũ ad duplum, & per positionẽ istorum habet respectum ad opinans, ergo vnum relatiuũ non referatur *solùm ad vnum determinatum relatiuum*. Cùm igitur tot & tantis rationibus reprobatus fuerit sic opinantium error, manifestum est hanc esse firmissimam & verissimam sententiam, quòd cõtradictoria non sunt simul vera, & ad hanc sequitur, quòd non possunt esse cõtraria actu & simpliciter in eodem, cum enim in vno contrario sit negatio alterius contrarij, si essent in eodem contradictoria essent simul vera. si enim manus est calida & frigida, ergo est calida & non calida. Dici autem actu & simpliciter, quoniam non inconuenit vnumquemque esse in potentia, sicut calidum & frigidum potentialiter *sunt in tepido, vel vnum in actu, alterum in potentia*. Nam aqua frigida est potentialiter calida, vel vnum secundum principales partes, & alterum secundum vnam tantum. Sicut æthiops secundum corpus est niger, secundum dentes tantum est albus. Hæc pro tertio capite dicta sint.

CAPVT IIII.

Disputatur contra eos, qui inter contradictoria dari medium contendebant.

IN quarto capite disputandum est contra dicentes dari medium inter contradictoria, quorum aliqui moti sunt ad hoc nescientes soluere quasdam rationes sophisticas, aliqui autem, quia in omnibus quærunt probationem, & quæ non possunt eis probari nolunt concedere, & quoniam prima principia non possunt probari, scilicet per demonstrationem, cum non habeant aliqua priora magis nota, ideo nolunt ea concedere, vnde sicut aliqui, contra quos disputatum est suprà, dixerunt cõtradictoria esse simul vera, qui scilicet sequebantur opinionem Heracliti ponentis omnia in continuo fluxu, ita aliqui posuerunt inter contradictoria dari medium, ita quòd non est necesse alterum eorum esse verum, imò vtrumque erit falsum, & isti sunt, qui sequebantur opinionem Anaxagoræ. Nam ponebant omnia esse mixta in quodam medio, mixtum autẽ neutrum est extremorum, ex consequenti nec est bonum, nec non bonum, nec ens, nec non ens. Contra hos igitur disputandum est ex significato nominis, sicut & suprà disputatum est contra ponentes contradictoria simul vera.

Significatum

Significatum autem nominis, est eius diffinitio, quod si negant significatum nominis relinquendi sunt, sunt enim vt plantæ, igitur sic arguitur contra eos.

Primò supponitur diffinitio veri & falsi, & sunt istæ, verum Tex. c. 27.
significare, est significare rem sicut est, vel sicut non est, falsum significare, est significare rem aliter quàm sit, tunc arguitur sic, Quicunque dicit aliquid, aut dicit sicut est, vel sicut non est, & sic dicit verum, aut dicit aliter quam sit, & sic mentitur, ergo stante diffinitione veri & falsi impossibile est dari medium inter contradictoria.

Præterea, cùm medium inter extrema non inueniatur, nisi per participationem vtriusque extremi, sicut tepidum est medium inter calidum & frigidum, vel per negationem vtriusque extremi, sicut lapis, est ens medium inter hominem & equum, si est mediũ inter contradictoria, aut est per abnegationem, aut per participationẽ, non primo modo, quoniam nulla posset fieri mutatio, quod probatur sic, omnis mutatio est inter extrema contrarie, vel contradictorie opposita, vt probatum est in Quinto Physico. & quando est inter contraria, est etiam inter contradictoria, quoniam in vno contrario est negatio alterius, si igitur datur medium per abnegationem inter contradictoria, illud nec erit ens, nec non ens: alterum enim contradictorium est ens, alterum non ens. Si illud medium non est ens, nec non ens, cùm omnis mutatio fit ab extremo ad medium, vel ab extremo per medium ad extremum, sequitur, quòd mutatio terminetur ad medium, quod non est ens, nec non ens, vel id, quod permutatur antequam perueniat ad extremum, peruenit ad huiusmodi medium, sed impossibile est dari terminum, neque medium, neque extremum in mutatione, quod non sit ens, neque non ens, omnis enim mutatio est à bono ad non bonum, vel econuerso. Quod autem neque est ens, neque non ens, non est bonum, neque non bonum: ergo, &c. Non secundo modo, quoniam medium per participationem non est nisi inter extrema, quæ sunt vnius generis, vt patet de tepido & de calido, sed duo contradictoria non sunt eiusdem generis, vt contradictoria sunt, quoniam alterum est ens, alterum est non ens, quibus non potest assignari commune genus, vt patet: ergo, &c. Præterea, omnis intellectus componens & diuidens, aut componit, & diuidit sicut res est, & sicut non est, & sic est verum ex diffinitione veri, aut componit aliter quàm sit, & eodem modo diuidit, & sic est falsum ex diffinitione falsi: ergo impossibile est dari compositio vel diuisio, quæ non dicat rem eo modo quo est, vel eo modo quo non est. Et aduerte hanc rationem parum differre à prima.

Præterea, si contradictoria habent medium id erit in omnibus contradictoriis. Quòd enim naturaliter conuenit alicui, vt inquit Commen. in commento vigesimo septimo, non inuenitur in quodam sic, & in quodam non, sed hoc est impossibile, tunc enim inter verum & non verum daretur medium, & si homo posset loqui, & non dicere verum, neque non verum, quod est inopinabile, quoniam aut dicit sicut res est, & sic dicit verum, aut aliter quàm sit, & sic dicit falsum, vt patet ex diffinitione falsi & veri. Item daretur medium inter ens & non ens, quod est impossibile, aliter daretur trãsmutatio, quæ non esset generatio nec corruptio omnino, neq; secundũ substantiã, neque secundũ accidens. Omnis enim generatio est à non ente ad ens, & corruptio est ab ente ad non ens, talis autem transmutatio non est imaginabilis, quoniam non inciperet ab ente, neque à non ente, nec alterũ eorũ terminaretur.

Præterea cùm in altero cõtrariorum includatur contradictorium alterius, sequitur quòd dari posset numerus, qui non esset par, neque impar, est enim impar nõ par, hoc autem est impossibile, quoniã omnis numerus diuisibilis est per æqualia, vel inæqualia: si per æqualia, est par, ex diffinitione paris: si per inæqualia est impar ex diffinitione imparis. Præterea, si quis interrogatur, vtrũ sit nix alba, ridẽs aut assentit, aut nõ, si sic, affirmat, si nõ negat, ergo manifestũ est nõ esse mediũ inter affirmationẽ & negationẽ, ex cõsequẽti nec inter cõtradictoria.

Præterea, si inter par & impar datur mediũ, ergo illud erit numerus. Mediũ enim est eiusdẽ generis cũ extremis, Ergo ille numerus erit par vel impar. Quoniã diuiditur per æqualia vel inæqualia, & si inter par & impar datur mediũ, adhuc dabitur numerus, qui vt præcedẽs diuiditur per par & impar, inter quæ iterũ dabitur medius numerus. & sic nunquam erit status in his mediis. Intellectus autem abhorret infinitum. Ergo est stultum dicere inter contradictoria dari mediũ. Deinde si inter par & impar datur medium, ergo inter duo & tria datur nullus medius, ergo inter duo & tria non datur proportio hemiola, id est, sexquialtera, quoniã tria non solùm continebunt duo & medietatem duorũ, sed & illum numerũ medium. Cùm autẽ hæc omnia sint irrationabilia, patet q̃ inter contradictoria non datur medium. Hæc pro 4. cap. dicta sint.

CAPVT V.

Disputatur contra eos, qui omnia falsa, aut omnia vera esse dicebant: & contra eos, qui omnia quiescere, aut moueri dicebant.

IN quinto cap. disputandũ est contra eos qui destruunt principia logicæ, & contra eos, qui destruunt principia Philosophiæ naturalis: nam, cũ omnia principia scientiarũ particularium fundentur super hoc principium, non sunt cõtradictoria simul vera, nec simul falsa, nec dat medium inter ea: &, cùm hoc principiũ sit de consideratione huius sciẽtiæ, vt dictũ est in vltimo cap. præcedẽtis tra. ct. ex cõsequẽti ad hanc scientiam spectat defensare principia scientiarũ particulariũ, fuerunt autẽ multi, qui destruxerunt principia logicæ, scilicet q̃ omnis propositio est vera vel falsa, quõniã vel significat vt est in re, vel aliter. Multi autem dicũt, quod omnis propositio est vera. Alij autẽ, quod omnis propositio est falsa, & omnes propositiones sunt sicut ista, Diameter est cõmensurabilis costæ. Vtraque igitur reprobanda est, & si daretur tertia, scilicet q̃ omnes sunt simul veræ & falsæ reprobaretur, sicut duæ præcedentes. nam, si probabitur quòd de necessitate omnis propositio est vera vel falsa, constabit quòd non omnis est vera, nec omnis falsa, nec omnis simul vera & falsa. & pro fundamento supponitur significatũ veri & falsi, id est, diffinitiones suæ quas si non concedunt, non est disputandum cum eis.

Primo igitur sic arguitur. Cõstat dari aliqua cõtradictoria, Tex. c. 28.
vt dictum est in capite præcedenti, inter quæ non datur medium, vt verum & non verum, ens & non ens, ergo de necessitate, alterum verum, alterum falsum: ergo non omnia sunt vera, nec omnia falsa, nec omnia simul vera & falsa. 29.

Præterea, verum est dicere quod est, esse, vel quod non est, non esse: falsum autem est dicere, quod est, non esse, vel quod non est, esse. Quicunque ergo dicit quod est, esse, vel quod nõ est, non esse: dicit verum, ergo qui dicit oppositum dicit falsum, ergo non omnia sunt vera, nec omnia falsa.

Præterea iam probatum est, quod omne quod contingit affirmare, contingit etiam negare: ergo non omnia possunt simul affirmari, & negari, ex cõsequẽti licet omnis propositio sit vera vel falsa, nõ tamẽ omnis est vera, nec omnis est falsa.

Præterea illis contingit quod famosum est, scilicet, quod positiones suæ seipsas destruũt: nam qui opinatur omnia esse vera, facit opinionem contrariam suæ opinioni esse veram. Sed opinio contraria suæ opinioni est, quod non omnia sint vera: ergo ista positio destruit seipsam. Ex ipsa enim infertur opposita contra seipsam. Item qui opinatur omnia esse falsa, facit opinionem contrariã suæ opinioni esse falsam, sed opinio contraria suæ opinioni est q̃ non omnia sunt falsa, ergo destruit seipsam, cũ ex seipsa inferatur oppositum contra seipsam. Cũ igitur impossibiles sint huiusmodi positiones, patet esse verissimũ principium logicæ, scilicet, q̃ omnis propositio est vera vel falsa, non autẽ omnis vera, nec omnis falsa.

Fuerunt autẽ & alij, qui destruxerunt principium primum philosophiæ naturalis, s. quod nõ datur quies & motus in naturalibus, quoniã ex diffinitione naturæ natura est principiũ motus & quietis. aliqui autem dicunt vt Heraclitus q̃ omnia sunt in continuo motu, ex consequenti nihil quiescit. Ad improbationẽ igitur huius erroris probatur primo, q̃ non omnia semper quiescunt, secũdo q̃ nõ omnia semper mouẽtur, tertio q̃ non omnia aliquãdo mouentur, & aliquando quiescunt, sed quædam semper mouentur, quædam sunt semper immobilia, quædã aliquando mouẽtur, aliquando quiescunt.

Primum sic probatur. Si omnia semper quiescunt ergo omnia remanẽt in eadem dispositione in qua aliquando sunt. ex consequenti quod est verum, semper erit verũ, & quod est falsum, semper erit falsum: hoc autẽ videmus esse inconueniens, nam propositio variatur de veritate in falsitatem, quoniam videmus rem variari, saltem videmus ad sensum Socratem dicentem verum variari, quoniam pro aliquo tempore non fuit. & pro aliquo tempore non erit, & qui negat hoc, est sine iudicio & sensu, ergo non omnia semper quiescunt.

Secundo probatur sic, si omnia continuè mouentur, nihil erit verum, sed omnia falsa: cuius oppositum probatum est suprà: probatur consequentia, quod est, verum est, nam significare verum, est significare rem sicut est: sed quod mouetur, vt mouetur, nondum est, aliter, iam motum esset, ergo, &c. Præterea in omni re mota est aliquid permanens, ergo non omnia continuè mutantur, probatur ante-

antecedens. Omne quod mutatur est ens, quoniam purum non ens non potest esse subiectum motus, nec quietis, & omne quod mutatur, mutatur ex alio in aliud, vel in alio, puta in qualitate vel in loco, ergo omne quod mutatur permanet successiuè sub vtroque termino, ita quòd secundum substantiam non mutatur. ergo, &c.

Tertium probatur sic, corpora cœlestia semper mouentur & nunquam quiescunt, vt videmus. Primum autem mouens, vt probatum est in octauo Physi. est semper immobile, & inferiora aliquando sunt, aliquando non sunt, ergo, &c. Et hic terminatur tota intentio Arist. in quarto libro Metaphysicæ.

EPITOME SVPER QVINTO Libro Metaphysicæ.

POstquam stabilitum est subiectum huius scientiæ, & declaratum quod habet considerare de proprietatibus entis inquantum ens est, & defensauit prima principia, consequens est, vt assignentur multiplicia significata terminorum significantium principia entis, & huius termini ens, & terminorum significantium passiones entis, & id faciemus in præsenti libro: quod vtique expedit, antequam determinemus de partibus & passionibus & principiis entis, quoniam vt inquit D. Alber. in quinto libro Metaphysicæ tractatu primo, capite primo, potestas subiecti non scitur nisi per diuisionem subiecti in partes, & partium vlterius in partes, & ideo, quoniam ista scientia intendit considerare de ente & de principiis & de causis, & de proprietatibus eius, & de primis eius partibus, oportet in ea assignare multiplicitatem istorum. Tunc enim nos scientiam perfectè de his habebimus, cum singulorum assignatæ fuerint diffinitiones, siue rationes, quo ad singulos modos. Et aduerte, quod, vt inquit Comment. commen. primo, non ideo distinguuntur hic huiusmodi nomina ad sciendum intentionem quæsitam ab alia intẽtione, id est, vt aliquis modus hic intentus accipiatur, & alius modus non intentus dimittatur. Sic enim fit in scientiis particularibus, sed vt sciatur tota latitudo eorum, quæ hic tractanda sunt, & cum tractata fuerint, sciatur perfectio huius scientiæ. Totum igitur hunc librum complectemur in tribus tractatibus.

Primus erit de nominibus significãtibus causas entis, quod est subiectum huius scientiæ.

Secundus erit de nominibus significantibus subiectum & primas partes subiecti huius scientiæ.

Tertius erit de nominibus significãtibus proprietates eius.

TRACTATVS PRIMVS

TRactatum primum diuidimus in quinque capita.
Primo agitur de hoc termino principium.
Secundo de hoc termino causa.
Tertio de hoc termino elementorum.
Quarto de hoc termino natura.
Quinto de hoc termino necessarium.

CAPVT I.

De Principio.

Text. c. 1. IN primo capite agendum est de hoc termino, principium, quot modis dicatur, sed antequam descendamus ad ipsos modos, aduerte tria.

Primo, quoniam omnes termini hic distinguendi sunt de natura analogorum, de quorum ratione est vt inter omnes modos detur vnus principalis, ad quem omnes alij habent attributionem, vel cuius respectu suscipiunt prædicationem analogi, ideo Aristot. in hoc termino principium, postquam posuerit omnes modos principij, reducet eos ad vnum commune, ad quod omnes respiciunt.

Secundo, quoniam in nata est nobis via procedendi à communioribus, conuenienter inter terminos importantes causalitatem incipit à principio, quoniam communis est, licet enim omnis causa sit principium, non tamen econuerso. Nam punctus est principium lineæ, non tamen realiter causa, & mane est principium diei, non tamen causa.

Tertio, quoniam quæ manifestiora sunt sensui, sunt nobis via deueniendi ad minus manifesta, ideo Aristot. in omnibus his terminis semper incipit à modo magis manifesto, & ab omnibus confesso, etiam quòd non esset modus perfectior ex parte rei. Et in hoc declaratur Aristo. fuisse naturalissimus doctor tradens hanc scientiam modo proportionatissimo nostro intellectui.

His propositis aduerte quinque modos assignatos à Philosopho, quibus dicitur principium.

Primus & notissimus est in situ, vt id, quod est primum in longitudine siue in via, à quo incipit motus localis rectus dicitur principium motus, & oppositum, id est, in quo terminatur motus localis, dicitur vltimum. & secundum Comment. principium motus augmenti est illud, secundum quod primo fit: fit autem primo secundum longitudinem, deinde secundum latitudinem, deinde secundum profunditatem. Dicemus igitur, quòd secundum hunc modum longitudo dicitur principium augmenti. & quoniam qualis est ordo in magnitudine talis est in motu & in tempore, ideo secundum hunc modum, sicut prima pars magnitudinis dicitur principium eius, sic prima pars motus & prima pars temporis dicentur principium motus, & principium temporis, & quoniam in omni specie motus datur aliquod primum, à quo incipit motus, & dicitur terminus à quo, ideo hic primus modus verificatur non solùm in motu locali, sed & in omni alio motu & in generatione ac corruptione substantiali adiunctis alterationibus præuiis. quod ideo dico, quoniam secundum se sunt instantaneæ, ex consequenti non distinguitur in eis primum & vltimum.

Secundo dicitur principium, omne illud, ex quo primo fit congruè & optimè aliquis operatur, siue facit, siue mouet. & distinguitur hic modus à præcedenti in hoc, quoniã illic quod est simpliciter primũ in situ ex parte rei dicitur principium, hic autem quod sumitur pro primo, quia reputatur esse opportunum à quo incipiat motus vel operatio, dicitur principium, vt in ludo saltandi, saltans incipit moueri non à prima parte viæ simpliciter, sed ab ea, quam reputat sibi magis congruam. Et exemplificat Arist. in doctrina. nam qui docet aliquem non semper incipit ab eo quod est primũ simpliciter, sed ab eo quod magis congruit intellectui addiscentis. Sicut Arist. fecit in Philosophia naturali, qui ab effectibus incipit, cum tamen *sint posteriores causis*. Et aduerte, quòd hic modus etiam verificatur in motu sphærico, nam licet in sphæra non sit principium distinctum à termino, tamen mouens mouere potest à puncto signato, quod dicetur principium hoc modo, quoniam est primum, à quo incipit motus, prout congruit, & videtur optimum mouenti: & sic in motu cœli primi, principium motus est punctus orientis, Principium autem motus planetarum est punctus oppositus.

Tertio modo dicitur principium illud, quod primo generatur, & est intrinsecum rei, & illud à quo primo effectiuè res generatur & est extrinsecum à re, *quoniam nihil seipsum* generat. Exemplum primi, fundamentum est principium domus, cor est principium animalis secundum eos, qui considerant animal, ex eo quòd mouet seipsum, vel cerebrum secundum eos, qui considerant animal, inquantum sentit, vel aliud, puta hepar, secundum eos qui considerant anima l inquantum nutrit seipsum. Quod autem sit illud apud Arist. dictum est in libro de motu animalium & in libro de somno & vigilia. Exemplum secundi, pater est principium filij, & conuiuium est principium belli.

Quarto modo dicitur principium, præcipuè in moralibus & in artificialibus, illud à quo primo mouentur inferiora, siue deseruientia. Exemplum primi, Princeps, Rex, & Tyrannus dicuntur principium, quoniam eorum voluntate & decreto mouentur subditi. Exemplum secundi, ars Architectonica est principium artium deseruientium, vt militaris est principium equestris, & fræne factiuæ, dirigit enim eas, & dat modum eis sic vel sic operandi.

Sed tu aduerte, quòd hic quartus modus potest verificari de principio effectiuo secũdum exempla data, & sic exponit Bat. Thom. & potest verificari de principio finali, vt exponit Comment. & D. Alber. & tunc intelligatur sic textus, Aliud, secundum cuius voluntatem mouentur mobilia, id est, propter cuius voluntatem mouentur mobilia, *non enim subditi* ordinatè mouerẽtur à principe, nisi voluntas principis, quam supponunt iustam, & velut regulam, esset finis, propter quem sic vel sic agunt. Similiter inter artes, architectonica est principium finale artium subseruientium, ordinantur enim ad eam, & ea subtracta, illæ subtrahuntur. Et aduerte, quòd D. Albert. in quinto Metaphysicæ tractatu primo, & capite primo, reprehendit expositionem B. Tho. & inquit, non ignoramus quosdam accipere hunc modum principij secundum rationem causæ efficientis. sed illorum dicta non curamus, quia inductos modos non nisi secũdum materiam verificant, & ciuil

& ciuilia, & ciuilium rationes ignorant, vt videtur hic.

Mirum est quomodo tam leuiter reprehendit Bea. Thom. Cùm verba Philosophi, ita bene exponi possint de principio efficiente sicut de finali, & melius, nã in fine textus, ibi quapropter natura principium, antequam faciat verbum de principio finali, replicat, & præuoluntas de qua mentionem fecerat in quarto modo. Deinde facit verbum de principio finali dicens, & quod est cuius causa. Ergo non est abiicienda expositio Beat. Thom. præcipuè cùm sæpè coincidant principium efficiens & finale, vt dicetur in libro decimo, de primo motore, qui mouet vt efficiens & finis, vnde non inconuenit, in ciuilibus voluntatem principis esse à qua & propter quam mouentur subditi. Idem intelligendum de architectonica.

Quinto modo dicitur principium illud, per quod primo rem cognoscimus per discursum intellectus, & quoniam omnis discursus resoluitur in primas, & notissimas propositiones, quas defensauimus in Quarto libro, ideo illa dicuntur principia hoc quinto modo. Similiter, quoniam per diffinitionem subiecti innotescunt nobis proprietates subiecti, ideo diffinitio dicitur principium hoc quinto modo. Et aduerte, quòd, vt inquit Commen. distinguitur hic modus à modo secundo, in quo exemplificatũ est de principio doctrinæ, quoniam illic dicitur principium illud, à quo incipit doctor mouere intellectum discipuli accommodans se eius capacitati, dato quod non sit primum ex natura rei, hic autem dicitur principium illud, *à quo ex natura rei incipit notitia intellectualis* discursiua, ita quod illud dicetur principium in addiscendo, hoc autem dicetur principium in quærendo, & venando scientiam. Et dicitur principium essendi rem & cognoscendi, illud autem sufficit esse principium cognoscendi. Tot igitur modis dicitur principium, & aduerte, quòd cùm omnis causa sit principium, licet non econuerso, potest etiam dici principium tot modis quot dicitur causa.

De modis autem causæ dicemus in capite sequenti.

Positis modis principij, cùm sit analogum, reducit eos ad vnum, *cuius* participatione omnes alij verificantur & quo remoto remouentur, dicitur igitur principium vniuersaliter & absolutè, quod est primum in ordine, ante quod nullum tale est, ad quod sequuntur ea, quæ principiata sunt. Huiusmodi autem primum potest esse, vnde res est, aut fit, aut innotescit. Et propterea aliquod principium est intrinsecum, sicut natura & elementum, & forma rei, aliquod autem est extrinsecum, sicut mens, id est intellectus, qui est principium artificiatorum. Et præuoluntas, puta principis, quæ est principium in ciuilibus, vt diximus in quarto modo, finis etiam dicitur principium, quoniam bonum in prosequendo, & malum in fugiendo, mouent agens ad sic vel sic agendum. Bonum autem habet rationem finis & propter bonum agunt agentia naturalia & moralia & artificialia. Hęc de primo capite dicta sint.

CAP. II. *De Causa.*

Text. 2. IN secundo capite agendum est de hoc termino Causa, & quot sint causarum genera, & qui sunt modi causarum. Sed antequam descendamus ad genera causarum, aduerte, quòd licet eodem modo tractet hic de causis, quo & in 2. Physico. non tamen eadem ratione. Nam illic considerãtur in ordine ad ens mobile tantum, hic autem in ordine ad ens, cõsideranturenim inquantum sunt causæ entis & non solùm in ordine ad motũ, vnde datur efficiens & finis & forma siue actus Metaphysicus, etiã sine motu Physico, vt dicemus in libro nono, & in 12. Hoc prænotato, aduerte quod Arist. intendit tria.

Primo distinguere causam in genera sua siue species, quæ sumuntur aduersa ratione causandi, alia est enim causalitas efficientis, alia formæ, &c.

Secundo assignare quædam consequentia ad causas.

Tertio reducere omnes causas ad quatuor genera causarũ.

Quarto assignare diuersos modos causarum, etiam in eodem genere causæ.

Quantum ad primum, aduerte quòd causa primo dicitur illud ex quo res fit, & est in existens ac permanens in re facta, sicut æs est causa statuæ, & non solùm æs, sed metallum & liquabile, quæ se habent vt genera ad æs. Dixi autem & est in existens ac permanens, ad differentiã contrarij, ex quo aliquid fit, aut priuationis, quoniam, vt inquit Philosophus in primo Physi. textu sexagesimo. Non oppositum quidem, id est materia, manet in re facta: oppositum autem, id est, terminus à quo, qui aliquando est contrarium, vt quando ex albo fit nigrum, aliquando est priuatio, vt ex non homine fit homo, &c. Illud non manet, aliter opposita essent simul in eadem materia, & in eodem subiecto.

Secundo dicitur causa, species & exemplar, id est, forma intrinseca, per quam res est, & forma extrinseca, ad quam res fit, & apud Græcos dicitur idea, siue paradigma, & quoniam à forma *intrinseca rei* sumitur ratio & diffinitio rei indicatiua suæ quiditatis, ideo hoc modo causa dicitur non solùm species siue forma, sed & ratio & quod quid erat esse rei, principale enim indicatiuum quiditatis, est ipsa forma. Et non solùm forma specificè sumpta dicitur causa hoc secundo modo, sed & eius genera, vt causa, diapason in musica non solùm est proportio duorum ad vnum, sed & proportio dupla, & numerus: & non solùm tota diffinitio rei dicitur causa hoc secundo modo, sed etiam omnes partes diffinitiuæ, & maximè quæ dicuntur in recto de diffinito. Secus autem si dicuntur in obliquo, tunc enim habent rationem materiæ, vt cùm dicitur, finitas est nasi curuitas. *Huiusmodi causalitas est dare esse.*

Tertio dicitur causa quod est principium, à quo aliquid mouetur, aut fit, aut producitur, aut omnino mutatur. Et hoc modo consilians, generans, efficiens & mouens est causa, & vniuersaliter disponens, adiuuans, perficiens: & quod est causa non solùm a quo est motus, sed etiam quietis dicitur causa hoc modo. Ab eodem enim habet res quòd moueatur ad locum & quiescat in loco, sicut ab eodem aqua calefit & permanet calida ad tempus. *Huiusmodi causalitas est mouere & efficere rem.*

Quarto modo dicitur vt finis, & est illud gratia cuius aliquid fit: quod quidem licet in re sit vltimum, tamen est vere causa inquantum mouet agentem ad operandum. nam interrogati propter quid sic agimus, respondemus quòd propter talem finem, & tunc credimus reddidisse causam, finis ergo est causa. Sed aduerte, q̃ non tãtum vltimum in aliquo ordine est causa vt finis, sed etiam quæ sunt intermedia: nam in ordine sanationis, ante sanitatem præcedunt attenuatio & purgatio, exercitium, &c. Et hæc ita se habent quòd vnum respectu præcedentis est causa finalis, respectu autẽ sequẽtis est causa efficiens: verbi gratia attenuatio est finis proximus purgationis & est efficiens sanitatis, & quod dixi de istis actionibus intermediis, intellige etiam de instrumẽtis quibus præparatur medicina: vnum enim ordinatur ad aliud, & omnia ad sanitatem: vnde solet dici, quòd omnia intermedia habent rationem finis quo, vltimum autem est finis gratia cuius. Ista igitur sunt quatuor genera causarum famosa. *Cuius causalitas est mouere agens ad operãdum.*

Quantum ad secundum aduerte tria consequentia ad dictas causas, Primo vnius rei possunt esse multæ causæ per se, non tamen in eodem genere æquè proximæ, & sufficientes: vt statuæ artifex est causa, & metallum, sed artifex vt causa efficiens, & metallum, vt causa materialis. Dixi per se, quoniam de causis per accidens non dubitatur, declaratum est enim *in secundo* Physi. quòd quodammodo ab infinitis causis per accidens, potest produci effectus per accidens, vt inuentio thesauri. Dixi què proximę, quoniam non inconuenit plura agentia per se producere idem, sed vnum erit agens proximum, alterum remotum, vt sol & homo generãt hominem. Dixi sufficientes, quoniam non inconuenit plures causas eiusdem generis, dummodo nulla per se sufficiat, concurrere ad eundem effectum, sicut multi trahunt nauem coniunctim & non diuisim. *Vnius rei plures causæ esse possunt. Text. c. 2.*

Secundo contingit causas esse sibi inuicem causas, in diuerso tamen genere: vt exercitium est causa sanitatis, sed effectiua, & sanitas est causa exercitij, sed finalis. Est autem efficiens respondens fini, quoniam actione sua producit finẽ siue attingit ipsum, & finis respondet efficiẽti, quoniam mouet efficiẽs ad operandum, sine quo non operaretur. Quæ tamen correspondentia non est secundum esse, licet enim efficiens deducat finem ad esse, non tamen econuerso, quoniam finis supponit esse efficientis. Et aduerte, quòd sicut correspondentia est inter efficiens & finem, ita est inter causam materialem & formalem, nam forma est causa materiæ, quoniã facit ipsam actu, *cum secundum se sit tantum in potentia*, & materia est causa formæ quoniam recipit & sustentat ipsam, ex consequenti sunt sibi inuicem causæ quo ad esse, licet non semper eodẽ modo. Nam licet forma substantialis det esse actu simpliciter ipsi materiæ, nõ tamen forma accidentalis nisi secũdum quod, nõ enim immediate recipitur in materia nuda, sed in materia iam actuata forma substantiali, similiter licet materia sustentet simpliciter omnem formam eductam de potentia materiæ, non tamen formam, cuius esse non pendet à materia nisi pro tempore quo informat materiam, nam separata retinet esse; & talis est anima intellectiua, de qua loquemur in lib. 12. *Causæ sibi inuicem sunt causæ.*

Tertio contingit idem esse causam contrariorum effectuum in eodem genere causæ, puta in genere causæ efficientis, sed diuersmode. Nam præsentia luminosi est *Idem est causa contrariorũ.*

causa

causa illuminationis,& absentia eius est causa obtenebrationis. Præsentia principis in ciuitate est causa pacis,& absentia eius est causa tumultus. Dixi autem diuersimode, quoniam idem eodem modo se habens, causat idem, vt igitur causet contraria, necesse est vt diuersimode se habeat.

Causarũ modi reducuntur ad quatuor. Text.c.3.

Quantum ad tertium Arist. reducit omnes causas ad quatuor genera per hanc sufficientiam, omnis causa vel est illud, ex quo res fit, vt elementatum ex elementis, dictio ex literis, artificiatum, puta statua, ex ære, totum ex partibus, conclusio ex præmissis, non inquantum propositiones sunt, sed inquantum continẽt maiorem & minorem extremitatem. Nam inquantum propositiones, sunt illatiuæ conclusionis, ex consequenti non sunt causa ex qua, sed à qua, & sic omnia prædicta reducuntur ad genus causæ, quod dicitur materiale, quod demõstratur per hanc præpositionem, ex. Vel est illud, quo res constituitur in actu, sicut ordine constituitur ciuitas, vel exercitus, compositione constituitur domus, mixtione cõstituitur elemẽtatum, & breuiter illud, quo posito res habet esse actu, & quo remoto desinit esse, & est intrinsecum ei; omnia hæc reducũtur ad genus causę, quod dicitur formale, & demõstratur solo ablatiuo sine aliqua præpositione, vt exercitus cõstat ordine, domus compositione, mixtum mixtione, animatum anima, &c. Vel est illud, à quo res fit, aut producitur, aut mouetur, aut quiescit, vt virtute actiua seminis generatur animatum. à medico, vel ab ambulatione, id est, exercitio fit sanus æger, à generante mouetur graue & quiescit in loco suo, & hæc reducuntur ad genus causæ, quod dicitur efficiens, & demonstratur per hanc præpositionem, A. Vel est illud gratia cuius alia fiunt, & est finis ac bonum eorum: & hoc est genus causæ finalis, quod demonstratur per hanc præpositionem, propter. Et est tantæ excellentiæ, vt inquit Comment. commento tertio, quòd omne carens causa finali caret bono. Patet igitur omnes causas reduci ad quatuor genera, scilicet materiale, formale, efficiens, finale, quorum potissimum est finale. Est enim causa, quòd agens causet, & est causa, quòd forma det esse, & est causa quòd materia recipiat & sustentet formam, vnde dicitur esse causa causalitatis aliorum generum causarum.

Finis est causa causarum.

Quantum ad quartum, aduerte quòd Aristo. assignat modos causarum. Et hæc diuisio differt à pręcedenti in hoc, quòd illa est veluti per diuersas rationes causandi essentiales, quarum plures non possunt conuenire vni generi, nam causalitas materiæ tantum conuenit materiæ. idem dico de aliis: hæc autem est per rationes diuersas causandi accidẽtales, ex quibus non inconuenit plures inueniri in vno genere. puta datur efficiens particulare & vniuersale, per se & per accidens, potentiale & actuale. Isti igitur modi ordinate collecti reducuntur ad sex, & quilibet diuiditur per potentiam & actum, vt declarabitur, omnes igitur simul sumpti sunt duodecim.

Causa prior, & posterior est.

Prima diuisio, causarum quædam prior, quædã posterior. quod quidem potest dupliciter exponi. Primo secundum causalitatem, vt dicatur causa prior, quæ dat causalitatem causæ sequenti, & posterior quæ causat in virtute prioris, sicut videmus in causis per se subordinatis, vnde sol dicitur causa prior, & homo causa posterior hominis geniti. Secundo secundum prædicationem, & tunc causa prior dicitur causa generica, Posterior autem causa specifica, vel singularis, vt causa sanitatis prior, id est, vniuersalis, dicitur artifex, causa autem posterior dicitur medicus, vel hic medicus. Differunt tamen causa prior & posterior secundum prædicationem, à causa priori & posteriori secundum causalitatem, quoniam sumptæ secundum prædicationem non distinguuntur realiter, neque enim distinguitur realiter magis vniuersale à minus vniuersali, neque minus vniuersale à singulari, sed tantum ratione, vt declarabitur in septimo libro. Sumptæ autem secundum causalitatem distinguũtur realiter, quoniam realiter vna recipit ab alia, & non econuerso. Isti duo modi maximè quo ad prædicationem inueniuntur in omni genere causæ, nam causa materialis prior phialæ est metallũ, posterior autem est argentum, causa formalis prior in diapason est numerus, posterior autẽ est proportio dupla. Causa efficiens prior in sanitate est artifex, Posterior est medicus, causa finalis in guloso prior quidem est voluptas, posterior autem est voluptas in gustu.

Causa per se & per accidens.

Secunda diuisio, causarum quædam per se, quædam per accidens. Causa per se est, quæ secũdum se influit in effectum, vt calidum per se calefacit, medicus per se medicatur, ædificator per se ædificat. Causa per accidens est, quæ accidit causæ per se, & secundum se nihil influit in effectum, vt quoniam ædificatori accidit esse Socratem, vel album, vel musicum, ista dicuntur causa per accidens, & horum genera, vt homo, animal, corpus, coloratum, quale, &c.

Tu tamen aduerte, quòd causa per accidens dicitur dupliciter. primo ex parte causæ per se, secundo ex parte effectus per se: ex parte causæ per se illud dicitur causa per accidens, quod accidentaliter coniungitur causæ per se, vt si musica adueniat ædificatori, dicitur, musicus ædificat. Ex parte effectus per se illud dicitur causa per accidens alicuius, quod accidit effectui per se. Sicut si discordia coniungatur domui, quæ est effectus per se ædificatoris, potest dici ædificator causa per accidens discordiæ, quia discordia coniungitur domui. Hæc autem causa per accidens ex parte effectus variatur tripliciter. nam contingit quòd semper habet ordinem ad effectum intentum, puta quotiescunque remouetur impediẽs lapidem descendere, lapis descẽdit, & descensus lapidis dicitur effectus per se intentus à generante ex grauitate sibi impressa, remouens autem impedimentum dicitur causa per accidens huius descensus, quoniam nihil influit in lapide, vt descendat. Contingit etiam quòd rarissimè & præter propositum agentis coniungitur effectui per se, vt rarissimè & præter intentionem fodientis coniungitur fossio sepulcri & inuentio thesauri. Contingit etiam, quòd nunquam realiter, sed tantum existimatiuè coniungitur effectui per se, vt quòd me nudato vel extracto ense rubiginoso sequatur eclipsis, vnde hæc dicitur causa per accidens merè imaginaria.

Tertia diuisio causarum quædam complexa, quædam incomplexa. Incomplexa quando sumitur sola causa per se, vel sola causa per accidens, vt ædificator ædificat, vel Polycletus ædificat. Complexa autem quando vtraque sumitur, vt Polycletus ædificator ædificat, potest etiam dici Incomplexa, quando vna sola agit & sufficit, complexa autem quando plures vniuntur, & nulla per se sufficit, vt in conflictu contra inimicos. Sed de hoc non loquitur Philosophus, quoniam pro rei veritate non sunt plures causæ, sed partes integrantes vnam causam.

Positis tribus diuisionibus, vnumquenque modum diuidit per potentiam & actum. nam quædam causa prior siue vniuersalis potentialiter causat, sed nondum actu, vt sol in hyeme habet potentiam productiuam rosæ, sed nondum actu producit, in vere autem actu producit. Idem intellige de causa posteriori siue particulari, eodem modo intellige in secunda & tertia diuisione. Ratio autem diuisionis per potentiam & actum fuit, quoniam aliam habitudinem habent causa in actu, & causa in potentia ad effectum, nam causa in actu proxima & singularis huius effectus simul ponitur & remouetur cum hoc effectu, dum est in fieri. Si enim medicus actu medicatur, aliquem infirmum medicatur, & si est aliquod ædificans est aliquod ædificatum, & econuerso. & si ædificans remouetur, ædificatum cessat ædificari. Non sic autem est de causa potentiali & de effectu, non enim est necesse quòd si corrumpitur ædificator, qui iam ædificauit domum, corrumpatur domus, quoniam non pendet ab ædificatore nisi in fieri, non autem in facto esse. Quod si pendet effectus in fieri & in facto esse à causa sua, tunc remota causa desinit esse & effectus, vt lumen in aëre desinit ad absentiam luminosi: sit enim & conseruatur lumen sola præsentia luminosi. Et eandem habitudinem habent omnia creata ad primam causam, à qua non solùm producuntur, sed & manu tenentur.

Sed dices, quare Aristot. comparans causam in actu ad effectum, comparat solùm causam singularem ad effectum singularem, cùm sit necesse omni causæ in actu siue vniuersali siue singulari correspondere effectum in actu. nam, si sol generat aliquod est generatum, & si nullum est generatum, sol non actu generat. Ad hoc dico, quòd alio modo comparatur causa vniuersalis in actu ad effectum in actu, & causa singularis in actu ad effectum in actu. Nam singularis determinatè respicit hunc effectum tantum, vniuersalis autem non præcisè respicit hunc, sed hunc vel illum, non enim sequitur, quòd si sol generat hominem, generet hunc, puta Socratem, sed alium, vel alios. & huius causa est, quoniam virtus causæ particularis est limitata ad hunc effectum, virtus autem causæ vniuersalis stat in quadam amplitudine, & quanto maior est vniuersalitas sua, tanto ad plures effectus se extendit, non solùm numero, sed & specie & genere differentes. Volens igitur Aristot. assignare differentiam inter causam in actu, & causam in potentia notificauit per causam singularem & effectum hunc singularem, inter quæ manifestior est simultas positionis & remotionis, nam inter causam vniuersalem in actu & effectum, non seruatur huiusmodi simultas nisi disiunctim, vel in confuso, vt dictum est. Hæc de secundo capite dicta sint.

CAPVT

CAP. III. *De Elemento.*

IN tertio capite assignandi sunt modi, quibus dicitur elementum. Deinde reducendi sunt ad aliquod vnum commune, cuius participatione, omnes modi assignandi dicuntur elementum, & non aliter. Ad plenam igitur notitiam pręsentis propositi quatuor agenda sunt.

Primò describendum est elementum.

Secundò assignandi sunt modi elementi propriè dicti.

Tertiò assignandus est modus elementi impropriè & transumptiuè dicti.

Quartò reducendi sunt ad vnum commune.

Text.c.4.

Quantum ad primum sic describitur elementum ab Arist. Elementum est illud, ex quo primo componitur aliquid, & est inexistens, & est indiuisibile specie in aliam speciem. Aduerte, quòd ratione primę particulę elementum propriè non verificatur nisi de causa materiali, ex consequenti non dicitur nisi de causis intrinsecis, & in hoc opponitur principio, quod verificatur propriè de causis agentibus, quæ sunt causæ extrinsecæ, vt testatur Comm. in com. quarto. Ratione autem secundæ particulæ verificatur solùm de primis componentibus, quæ non componuntur ex prioribus, vnde caro & ossa non sunt elementa hominis, sed prima corpora simplicia, vt ignis, aqua, &c. Ratione tertiæ particulæ priuatio & contrarium, ex quo res fit, nõ sunt elementum, quoniam, vt diximus in capite de causis, non permanent in re facta, & secundum Commen. materia transiens, ex qua aliquid fit, non potest dici elementum, vnde licet ex sanguine generetur caro, tamen sanguis non potest dici elementum, quoniam non permanet, vt pars carnis. Ratione quartæ particulæ nullum corpus determinatę speciei siue naturæ diuisibile, id est solubile in priora corpora diuersarum naturarum, potest dici elementum, vnde nulla materia proxima, ex qua fit animal, puta caro, ossa, nerui, possunt dici elementum, quoniam diuisibilia sunt in priora corpora diuersarum specierum, puta in aquam, aërem, &c. Et aduerte, quòd dixi indiuisibile specie in aliam speciem, vt denotet negationem diuisionis formalis, non autem quantitatiuæ, non enim diuisio in partes quantitatiuas impedit rationem elementi, aliter ignis & aqua non essent elementa, quoniam, cùm sint corpora, diuisibilia sunt in partes quantitatiuas. Hæc descriptio elementi, quam Beatus Thomas dicit non conuenire materiæ primæ ex defectu quartæ particulæ, quoniam non habet aliquam speciem secundum se, cùm sit in pura potentia, secundum Commenta. autem maximè conuenit ei, quoniam non est diuisibilis absolutè in priora diuersa specie. Quæ autem harum opinionum sit verior, determinauimus in quæstionibus nostris Metaphysicalibus.

Quantum ad secundum, aduerte tres modos elementi, primus est in vocibus, secundus in naturalibus, tertius in demonstrationibus. Quantum ad primum literæ sunt elementa vocum, id est dictionum, componuntur enim ex syllabis, & syllabæ ex literis, & illic est status, quoniam literæ non diuiduntur nec componuntur ex prioribus specie diuersis, sed si diuidantur, diuisio erit in partes consimiles, sicut quando diuiditur aqua in partes aquæ, omnes enim sunt eiusdem naturæ. Similiter quando diuiditur litera, diuiditur secundum tempora prolationis, prout litera longa habet tempora duo, breuis autem tantum vnum, omnes vero partes temporis sunt eiusdem naturæ, quoniam omnes sunt tempus. Non fit autem præcisè talis diuisio in syllabis, quoniam resolubiles sunt in literas diuersarum specierum, puta in A, in B, in C, &c. quæ sunt diuersarum specierum in genere suo. Quantum ad secundum prima corpora, ex quibus naturalia componuntur, & in quæ vltimo resoluuntur, & quæ non resoluuntur in priora diuersarum specierum, siue huiusmodi corpora sint tantum vnum, vt posuit Diogenes omnia cõponi ex aëre, Thales ex aqua: aliqui autem posuerunt plura, vt Empedocles, & de his actum est in primo libro, dicuntur elementa, quoniam omnia diuiduntur in ea vltimate, ipsa autem non diuiduntur in priora diuersarum specierum, & tu intellige per diuisionem alteratiuam, non autẽ per solam quantitatiuam, aliter quodlibet homogeneum esset elementum. Indiuisibile est enim quantitatiuè in diuersas species, cùm partes suæ recipiant prædicationem totius in recto. Intelligatur ergo de diuisione alteratiua, nam si mixtum homogeneum alteretur, resoluetur tandem in terram & aquam, &c. quæ sunt diuersarum specierum. Si autem alteratur aqua, ita quod corrumpatur, non resoluetur in priora corpora, sed materia prima remota forma aquæ recipiet formam alterius elementi, vt declaratum est in secundo libro de generatione. Merito ergo prima corpora naturalia dicuntur elementa, non autem aliquod mixtum, siue homogeneum, siue ætherogeneum. Quantum ad tertium dicuntur elementa, primæ demonstrationes, maximè in Geometricis & vniuersaliter in aliis scientiis, nam primæ demonstrationes factæ ex primis propositionibus sunt elementa omnium sequentium demonstrationum, quę componuntur ex eis, & resoluuntur in illas, & illæ non resoluuntur in priores, quoniam est status in primis propositionibus cognitis ex terminis, vt declarauimus in quarto libro, & sunt indemonstrabiles. Primæ autem demonstrationes constant ex tribus terminis tantum, quoniam medium non resoluitur in aliquod prius, sequentes autem constant ex pluribus, puta secunda ex quatuor, tertia ex quinque, quarta ex sex, &c. Et vt id pateat sic declaro, si volo demonstrare, quòd omne animatum mouet seipsum, deducam sic: Omne habens principium motiuum intrinsecum mouet seipsum: Omne animatum habet principium motiuum intrinsecum in seipso, quia habet animam, quæ est principium motus in animato: ergo omne animatum mouet seipsum. Si autem volo demonstrare quòd sensitiuum mouet seipsum, deducam sic, & accipiam conclusionem præcedentem pro principio: Omne animatum mouet seipsum, omne sensitiuũ est animatum: ergo, &c. Si autem volo probare quod animal mouet seipsum, sic deducam: Omne sensitiuum mouet seipsum: omne animal est sensitiuum: ergo, &c. Si vlterius volo probare, quòd homo mouet seipsum, sic deducam: omne animal mouet seipsum: omnis homo est animal: ergo, &c. In his demonstrationibus patet, quòd quarta est magis composita, continet enim sex terminos, scilicet maiorem & minorem extremitatem, & medium, quod continet tria media præcedentium demonstrationum: nam animal resoluitur in sensitiuum, & hoc in animatum, & hoc in principium intrinsecum motiuum, quod est anima, & illic est status: merito ergo prima demonstratio dicitur elementum, & subsequentes sunt elementatę: & hac de causa consueuimus dicere, prima & vniuersalissima theoremata esse elementa in genere intelligẽdi, sicut propositiones libri de causis, primæ & vniuersalissimæ propositiones Euclidis, &c.

Et descriptiones figurarum. seu designationes adduntur in textu.

Elementũ secundum similitudinem.

Quãtum ad tertium principale aduerte, quòd aliqui extenderunt hoc nomen per similitudinem ad supradicta, ad omne illud, quod est vnum, siue simplex & indiuisibile, & ad multa vtile. Hinc processerunt antiqui, vt aliqui eorum ponerent punctum esse elementum corporum, aliqui posuerunt maximè vniuersalia, vt ens & vnum esse aliorum elementa, eo quod indiuisibilia sunt secundum diffinitionem, cùm enim non habeant genera superiora, quæ diuidantur per differentias oppositas, eorũ diffinitiones sunt irresolubiles in genus & differentias, nõ sic autem est de generibus subalternis, nec de speciebus, vt patet. Aduerte tamen, quòd secundum rei veritatem, punctum non potest dici elementum corporum, quoniam magnitudo non resoluitur in puncta, nec componitur ex punctis. Ex consequenti descriptio elementi non conuenit ei nec magis vniuersalia possunt dici verè elementa, quoniã, vt declaratum est in tertio libro in capite septimo, nullum vniuersale est pars componens compositione reali, sed tantum consideratione logica: vnde licet sint indiuisibilia secundum diffinitionem, ex hoc tamen non habetur quod sint elementa propriè, quoniam de ratione sua est, vt sit illud, ex quo primo aliquid componitur. Si tamem ratione indiuisibilitatis potest dici aliquod esse elementum, id magis competet magis vniuersali, quam minus vniuersali, quoniam minus diuisibile est: nam diffinitio minus vniuersalis, puta speciei, diuiditur in genus & differentiam, non autem diffinitio generis generalissimi, cùm non habeat genus supra se. Transcendentia autem non sunt verè genera, cùm non sint vniuoca: ergo, &c.

Elementũ quomodo ad vnum reducatur

Quantum ad quartum principale, aduerte, quod, cùm ratio elementi sit esse primum in vnoquoq; composito, ex quo componitur & in quod vltimate resoluitur: quilibet dictorũ modorum intantum dicitur elementum, inquantum participat hoc commune, & quoniam id maximè competit materiæ primæ, ideo secundum Commenta. est elementum, & est causa aliorum elementorum, cùm sit primum simpliciter, ex quo, & in quod resoluuntur omnia naturalia, & est omnino simplex, & secundũ se indiuisibilis omnino secundũ formam, & secundum quantitatem, omnem enim diuisionem accipi à forma & à quantitate: quare, &c. Hęc de tertio cap. dicta sint.

CAPVT IIII.

Text.c.5.

IN quarto capite assignandi sunt modi, quibus dicitur hoc nomen natura. Sed antequam descendamus ad modos naturæ, Aduerte, quòd natura dupliciter consideratur. Primò in quantum est principium motus & quietis præcise, & sic non cadit sub consideratione huius scientiæ, sed Philosophiæ natu-

ralis, vt visum est in secundo physic. Secundo inquantum dicitur natura secundum vnum modum, vt patebit de omni substantia, & dicitur de materia & forma, quæ sunt partes entis, & dicitur de causis: est enim causa efficiens quædam natura, & causa materialis, & causa formalis, & vt sic est de consideratione huius scientiæ: nam ea ratione, qua considerat de substantia vniuersali, & de materia ac forma inquantum sunt partes entis, & de causis, eadem ratione habet considerare de natura, vt dicitur de omni substantia & de forma & de materia & de causis.

Hæc à Thom.

Descẽdentes igitur ad modos naturæ, primo assignabimus singulos eorũ secũdo reducemus omnes ad vnũ principalem.

Primo dicitur natura, generatio nascentium, nascuntur autem propriè viuentia, vnde eorum natiuitas siue nascentia solet dici natura, quasi nascitura, & tunc apud Græcũ physis, id est, natura, sumpta pro nascitura producit primum, y.

Secundo dicitur natura illud, ex quo primo generatũ genitum est, siue formatum, & illud primum est formans, & est intrinsecum ipsi formato: & hoc modo cor potest dici natura, quoniam est primum, ex quo formãtur membra: & radix in planta potest dici natura, quoniam est primum, ex quo formantur rami, folia, fructus, & semina, & est intrinsecum ipsi formato, quoniam in viuentibus formatum adhæret non solùm per contactum, sed etiam per continuationem suo principio, vt patet in embryone, & in ramis plantarum, & per talem continuationem porrigitur virtus formatiua generantis ad formatum, & fit sibi intrinseca, ratione cuius principium formans dicitur intrinsecum formato.

Tertio dicitur natura illud, vnde est motus in quolibet ente mobili, & est in eo per se, & non secundum accidens: vt anima dicitur natura in ente animato, quoniam est principium motus in eo, inquantum est animatum: & grauitas est natura in lapide, quoniam est principium motus deorsum in eo inquantum grauis est: & quoniam in quolibet ente naturali, formæ & suæ qualitates siue actiuæ siue passiuæ sunt principia motuum & operationum, ideo hoc tertio modo dicuntur natura: dixi autem & non secundum accidens, aliter si medicus infirmatur & sanatur à seipso, ars medicinæ existens in eo esset natura, quod non est concedendum, quoniam non inquantum medicus, sed inquantum infirmus sanatur, accidit autem eundem esse medicum, & infirmum.

Quarto dicitur natura illud, ex quo primo est, aut fit aliquid, quod secundum se est informe & non potest moueri sua virtute, vt formetur per receptionem formæ, sed necesse est vt moueatur ab aliquo agente, cuius actione disponitur ad formam, & recipit eam, & remanet saluum, mutatis & abiectis dispositionibus & forma per contrarium. Et hoc modo materia dicitur natura, vt vasorum æreorum æs, & vasorum ligneorum lignum. Nam abiecta forma adhuc saluatur æs & lignum, ideo iudicatur sola materia esse eorum natura. Idem iudicium faciebant antiqui naturales de rebus naturalibus, quoniam existimabãt omnes formas esse accidentia, sicut formæ artificialium: vnde qui ponebant tantum vnum elementum, ex quo dicebant constare omnia, puta aquam vel aërem, dicebant illud esse naturã omnium, & non aliud. Idem dicebant qui ponebant plura, vt Empedocles: & decepti sunt omnes, quoniam non cognouerunt nisi generationem accidentalem, & negauerunt aliquid generari simpliciter. contra quos sãtis actum est in primo de generatione. Sed aduerte, quòd licet omnis materia, tam artificialium, quàm naturalium, possit dici natura, tamen materia prima in quolibet genere propriè dicitur natura, puta omnium liquabilium, aqua est natura, est enim prima eorum materia aqua, quoniam quæ calido liquefiunt & frigido indurantur sunt à prædominio aquea, vt declaratur in 4. Meteo. & omnium inflammabilium natura est aër aut ignis, & omnium durorum non liquabilium natura est terra.

Natura significat formã & speciem.

Quinto dicitur natura forma, vel species, per quam res habet esse actu: sicut dixit Empedocles naturam rerũ, quæ sunt ex elementis, esse cõpositionem: ex hoc enim, quòd per amicitiam elementa adinuicem diuersimode componebantur, diuersæ res producebantur. & quoniam ab itrabantur rem per cõpositionem fieri actu, ideo dicebant compositionẽ esse rei naturam, vniuersaliter autem considerantes quòd nullũ naturalium est actu, nec dicitur esse nisi habeat formam suã & remota forma desinit esse, vt patet in animalibus, quæ per aduentum animæ sunt actu, & per remotionẽ desinunt esse, ideo conuenienter dixerunt formam esse naturam, & quæ sunt composita ex vtrisque, id est. ex materia & forma dicuntur à natura vel naturalia, Sed aduerte, quòd non solùm forma partis dicitur natura, sed etiam forma resultans ex vnione formæ & materiæ, quæ solet dici forma totius, vt humanitas est natura hominis, & equinitas equi. Ratio autẽ, propter quã potest dici natura, est, quoniã sicut forma partis est principium generationis, ita forma totius est terminus generationis, recepta enim forma in materia consurgit forma totius & terminatur generatio in vnaquaque specie. Extensiuè autẽ & per quandã similitudinem, omnis essentia & quidditas & substantia solet dici natura: vt natura Dei est essentia sua, similiter natura intelligentiæ, natura cœli, natura elementare: & quoniam de omni substantia solet dici, ideo ratione ipsius vniuersalitatis est de consideratione Metaphysici.

Positis modis naturæ reducit eos Arist. ad quintũ tanquam ad primum, in cuius respectu verificantur alij modi. Dictum est enim, quòd quinto modo forma partis dicitur natura: quoniam per ipsam res fit actu, & dicitur naturalis, quã do habet formam, & non ante, quoniam ego forma constituit rem naturalem actu, & est principium actionis & motus in naturalibus, ideo ex parte rei primo & principaliter dicitur natura, & materia non dicitur natura, nisi quia recipit formam. Et generatio siue natiuitas non dicitur natura, nisi quia est via ad formam, & principium motus non dicitur natura, nisi quia tale principium est forma intrinseca substantialis vel accidentalis consequens substantialem. Et non dicitur natura illud, ex quo primo genitum formatum est, nisi quia in eo primo residet virtus formatiua, fluens à forma animati inquantum animatum est. Dictum est enim in secundo libro de Anima, quòd seminatiua & formatiua deseruiunt animæ vegetatiuę. Patet igitur, quòd natura principaliter dicitur de forma, & per prius ex parte rei. Dixi autem ex parte rei, quoniam respectu cognitionis nostræ, quæ pro maiori parte incipit à posteriori, & à magis sensato, prius dicitur de generatione viuentium nam per generationes & operationes & motus deueniemus in cognitionem formæ, quæ est principium generationis & operationis & motus. Et, quoniam Arist. tradit vt naturalis doctor hanc scientiam modo conuenientintellectui nostro, ideo incœpit à modo naturæ nobis notiori, sed ex parte rei posteriori: reducens autem omnes ad vnum, reduxit ad priorem ex parte rei, vltimum autem in ordine cognitionis nostræ. Hæc de quarto capite dicta sint.

CAPVT V.

De Necessario.

IN quinto capite distinguendum est hoc nomen necessarij, cuius consideratio ideo sequitur consideratione causarum, quoniam licet non dicat causam formaliter, tamen modi, quibus dicitur, ad diuersum genus causæ reducuntur: & præterea omnis causa dicit quandam necessitatem ad effectum, nam à causa de necessitate sequitur vel est aptus sequi effectus. Aristo. igitur

Primo assignat modos necessarij.

Secundo reducit eos ad vnum, cuius participatione alij verificantur.

Tertio agit de necessario in demonstrationibus.

Primo igitur dicitur necessariũ sine quo nõ potest animal esse nec viuere, quod licet non sit principalis causa essendi, aut viuendi, tamen est simul cum alio causa, vt respirare & cibus in animali: nam licet vita fundetur in calido & humido bene contemperato, tamen calidum non posset seruari nisi temperaretur per inspirationem & expirationem, nec humidum radicale, quod est subiectum caloris naturalis posset conseruari nisi per restaurationem factam ex nutrimento, & hæc omnia declarauimus in Paruis naturalibus, patet igitur, quòd sicut calidum naturale, & humidum radicale sunt materialis causa vitæ & de necessitate, ita necessaria sunt hæc duo, vt cum causa, respirare. & cibus, aliter non saluatur animal.

Secundo dicitur necessarium illud, sine quo non potest homo aliquod bonum consequi, aut aliquod malum expellere, respectu boni: puta vt quis acquirat pecuniam, necessaria est nauigatio ad Aeginã. Respectu mali, puta vt quis liberetur à febre necessarium est bibere pharmacum. Et breuiter, omne medium, sine quo non potest finis intentus haberi dicitur necessarium hoc modo.

Tertio omne violentum, id est omne factum contra inclinationem rei naturalis, vel contra voluntatem in agente à proposito, dicitur necessarium. Omnéque agens faciens violentiam dicitur necessitans vt proiiciens necessitat lapidem ascendere, & depopulans ciuitatẽ necessitat ciues mendicare: & quoniã talis necessitans est contra voluntatem, ideo est contristatiua & lamentabilis & digna miseratione, & ne causa

culpabilis nec reprehensibilis, nõ enim culpamur, nec merentur reprehẽdi nisi in volũtariis, vt probatũ est in moralibus.

Quarto dicitur necessarium illud, quod non contingit vel non potest aliter se habere, & hæc est propria ratio necessarij, nam opponitur possibili, siue contingenti. Possibile autem est, quod potest aliter esse: ergo necessarium est quod non potest aliter esse, oppositorum enim oppositæ sunt rationes. Et aduerte, quod, vt inquit Commentator in commento sexto, iste modus est famosior inter omnes, nam communiter loquentes dicimus, hoc est necesse, quia non potest aliter esse.

Positis modis prædictis, reducit Aristotel. tres præcedentes ad hunc quartum, vt ad principalem, quoniam non verificantur nisi inquantum participant rationem huius quarti modi, nam tertius modus ideo est necessarius, quia violentatus ab aliquo agente faciente impetum & cogente vel impediente, non potest aliter agere, vel non potest non pati, & secundus modus est necessarius, quia non potest sine tali medio acquiri bonum, puta pecunia vel liberari ab ægritudine: & primus modus est necessarius, quia non potest seruari animal in esse, nec viuere nisi respiratione & cibo, patet ergo quod ratio quarti modi seruatur in omnibus præcedentibus.

Et si quæras in quo differat quartus modus à præcedentibus, dico, quòd in quarto est necessitas absoluta, in aliis autem est necessitas conditionata. Absoluta autem dicitur quando nullo modo potest aliter esse, posita siue remota quacunque conditione. Et talis necessitas, sumitur à causis intrinsecis, vt à materia, & à forma, siue ab ipsa rei essentia: puta necesse est elementatum corrumpi, quia componitur ex contrariis elementis, necesse est hominem esse risibilem, quia habet animam intellectiuam: necesse est intelligentiam esse æternam, quia est immaterialis: necesse est Deum esse tantum vnum, quia est naturæ omnino infinitæ. Conditionata autem dicitur, quando non absolutè, sed aliquo supposito non potest aliter esse, & hæc sumitur à causis extrinsecis, vt à fine, vel ab agente, nam medicina non est mihi necessaria, nisi supposito, quod velim sanari, nec cibus est mihi necessarius, nisi supposito quod velim viuere, nec necessitor mendicare vel incarcerari, nisi supposito quod non possim præualere contra violentantem. Patet igitur differentia inter quartũ modum & alios, & etiã quomodo omnes isti modi reducuntur ad aliquod genus causæ, propterea post distinctiones nominum signantium causas, cõuenienter Philosophus assignauit modos necessarij.

Et quoniam necessarium non solùm inuenitur in incomplexis, sed etiam in complexis, aliqua enim propositio est contingens, vt Socrates currit, aliqua necessaria, vt homo est animal: ideo, postquam tractauit de necessario incomplexo, tractat de complexo, ex quo constituitur demonstratio, & intendit tria.

Primò quod conclusio demonstrationis est necessaria quar to modo.

Secundò quod præmissæ sunt similiter necessariæ.

Tertiò ex omnibus dictis tam de necessario complexo, quam incomplexo concludit tres conclusiones.

Quantum ad primum dicit Philosophus demonstratio est necessariorum, id est, de conclusione necessaria, quoniam quod demonstratur simpliciter non contingit aliter se habere, aliter demonstratio non faceret scire, nam primo poster. illud scitur quod non contingit aliter se habere: sed conclusio demonstrationis est ea, quæ demonstratur & scitur, quoniam scientia est habitus conclusionis demonstratæ, ergo conclusio demonstrationis est necessaria. Dixi autem quod demonstratur simpliciter, quoniam si demonstratur tantum ad hominem illud non requiritur, quoniam talis demonstratio potest esse de aliquo impossibili concluso ex alio impossibili concesso ab aduersario, sicut fecit Aristoteles, in quarto libro disputans contra negantes primum principium complexum, vbi inter cætera conclusit, quòd si contradictoria sunt simul vera: ergo non omnia sunt vnum.

Quantum ad secundum probatur, quòd oportet præmissas esse necessarias: nam, cùm se habeant ad conclusionem, sicut causa ad effectum, si possent aliter se habere quo ad veritatem: ergo effectus necessarius produceretur à causa non necessaria, quod est impossibile, aliter maior perfectio esset in effectu quàm in causa. Et propterea inquit Commentat. in commento sexto. Si terminus medius sit de natura possibili, illa res, id est conclusio erit de natura possibili, & terminus medius sit de natura necessaria, illa res erit de natura necessarij. Patet igitur quòd tam conclusio quàm præmissæ demonstrationes sunt necessariæ quarto modo.

Quantum ad tertium, aduerte tres conclusiones, quarum prima est de necessario complexo, & incomplexo, secunda & tertia de necessario incomplexo.

Prima conclusio, necessariorum tam complexorum, quàm incomplexorũ quædam habent causam suæ necessitatis, quædam non, sed sunt causa aliis. Exemplum de complexis, conclusio necessaria habet causam, id est præmissas, nam ideo homo est risibilis, quia est rationalis, & triangulus habet tres, quia habet angulum extrinsecum æqualem duobus intrinsecis, & ternarius est impar, quia diuiditur per inæqualia. Exemplum de incomplexo, motus cœli est necessarius secundum Philosophum, quia non potest desinere, & tamen habet causam, scilicet primum mouens, & cœlum est necessarium secundum substantiam, & tamen habet causam largientem sibi esse, & motum, vt dicemus in libro duodecimo. Quædam autem non habent causam, sed sunt causa aliis. Exemplum de complexis, vt prima principia indemonstrabilia defensata in quarto libro cognita nobis à natura. Exemplum de incomplexis, vt prima causa, quæ est penitus independens habens esse à se, non ordinata ad alterum, à qua omnia entia capiunt esse & veritatem, vt dixit Comment. in libro secundo com. 4.

Necessariorum sine complexa, siue incomplexa quædã habent causam, quædam verò non.

Secunda conclusio, primum necessarium incomplexum & quod propriè est necessarium secundum omnem conditionem necessitatis, est simplex in substantia sua: nam si est primum non habet causam suæ necessitatis, sed potius est causa aliis. Si est propriè & omnino necessarium, nullo modo potest aliter & aliter se habere, sed si non est simplex in substantia posset aliter & aliter se habere, omne enim compositum aliqua mutatione mutabile est: quòd autem mutabile est aliter & aliter esse potest: facit enim mutatio distare rem à dispositione priori, cùm igitur primum sit omnino necessarium est simplex in substantia. Præterea, non contingit ipsum habere plusquam habeat, nec etiam minus, quòd enim plus & minus habet, ideo habet, quia non habet à se, sed recipit ab alio, si enim à se haberet perfectissimè & in summo haberet, quoniam per essentiam & non per participationem: sed primum quicquid habet, habet, à se, & non recipit ab alio, quoniam ipsum largitur omnibus: ergo nec plus nec minus habere potest, ex consequenti est omnino simplex & inuariabilis substantiæ, & conuenienter appellatur primum necesse, omne enim præter ipsum est ens possibile, vel necessarium cum admixtione alicuius gradus possibilitatis.

Primum necessariũ est simplicissimum.

Tertia conclusio, si aliqua sunt entia sempiterna & immobilia, sunt quidem necessaria quarto modo, non autem tertio modo, ita quod nihil per vim neque præter naturam est in illis: nam violentum nulli inest, nisi quia ex potentia alicuius agentis extrinseci remouetur à dispositione sua naturali, quod autem sic remouetur, mutatur: quod mutatur immobile nõ est: si igitur dentur aliqua entia sempiterna & immobilia, nullum violentum inest illis: quæ autem sint huiusmodi entia dicemus in libro duodecimo. Et tu aduerte, quòd ex his duabus conclusionibus, patet error quorundam Auerro. sequentium, qui dicunt Aristotel. in toto hoc textu incipiens ibi, Horum quidem ita quod altera, &c. vsque in finem capitis, non loqui nisi de necessario complexo. Conditiones enim positæ in secunda & tertia conclusione manifestè ostendunt oppositum. Et confirmatur per dominum Albertum qui in capite de necessario, circa finem sic inquit, Hæc autem dicta sunt de ordinibus causarum in esse sumptarum, ex primo motore, & non sunt dicta de necessario demonstrationum. Item aduerte, quòd Commentator in commento sexto, quia tenet nullum necessarium permanens acquirere esse ab alio, exponit hanc tertiam conclusionem, non ad mentem Aristote. sed vt sequens dictum suum fundamentum falsum, scilicet quod nullum ens simplex æternum & immobile acquirit esse necessarium ab alio, sed quod id sit contra mentem Philosophi declarabitur in quæstionibus nostris super libro duodecimo. Hæc de quinto capite dicta sint.

Immobilia omnino prorsus violentia carent.

TRACTATVS SECVNDVS super Quinto libro Metaphysicæ.

IN hoc secũdo tractatu iuxta ordinem positum in principio libri distinguenda sunt nomina significantia ea, quæ sunt subiectum in hac scientia, & significantia partes eorum: subiectum autem communissimum huius scientię, vt dictum est in quarto libro, est ens, & quoniam ens & vnum sunt idem realiter, potest dici, quòd etiam vnum est subiectum in ea, subiectum verò principale est substãtia, quoniam ipsa est simpliciter ens, accidentia verò in ordine ad substantiam. Primò

igitur distinguemus hæc tria, vnum, ens, substantia, deinde significantia partes vnius, & partes entis, & distinguemus totum tract. in tot capita, quot erunt nomina distincta.

CAPVT I.

De vno, & eius sex modis.

Tex. c. 7. IN primo capite distinguendum est hoc nomen vnum. Aduerte igitur quòd, cum vnum & ens sint idem, quotuplex est ens totuplex est vnum: ens autem prima diuisione diuiditur in ens reale, & ens rationis. Et ens reale diuiditur prima diuisione in ens per se, & ens per accidens, vt declarauimus in tractatu nostro de transcenden. Conformiter Aristo. in hoc cap. diuidit vnum diuisione reali & diuisione logica, quæ est diuisio secundum rationem, vnum autem realiter sumptum diuiditur in vnum per accidens & in vnum per se, vnum per accidens diuidit in tres modos, & vnum per se in sex, deinde reducit ad vnum principalem.

Modi vnius per accidens sunt tres. Primus est, quando prædicatur accidens de subiecto, vt Coriscus est musicus. Secundus est, quando compositum ex subiecto & accidente, vt Coriscus est Coriscus musicus. Tertius est, quando accidens prædicatur de accidente, vt musicus est iustus. Differunt autem isti modi, quoniam in primo vnum accidit alteri, scilicet musicus Corisco, in secundo, quoniã prædicatũ ratione vnius partis accidit subiecto, licet enim musicus accidat Corisco, non tamen Coriscus accidit Corisco. in tertio, quoniam vtrunque accidit tertio, id est subiecto. Hæc enim non est vera, musicus est iustus, nisi quia idem homo est musicus & est iustus. Et aduerte, quòd sicut exemplificatum est de subiecto singulari, ita exemplificare possumus de subiecto vniuersali, siue specifico, siue generico, vt homo est musicus, homo est homo musicus, musicus est iustus, quia homini potest inesse musica & iustitia, sed differentia est in hoc, quòd prædicatũ per accidens verificatur immediate de singulari: primæ enim substantiæ principaliter & immediate substant accidentibus, de vniuersali autem non verificatur nisi mediante singulari. Secundæ substantiæ non substant nisi quia sunt in primis secundum doctrinam Aristot. Opposito autem modo fit in prædicatis per se, non enim verificantur de singulari, nisi quia participat naturam vniuersalem, vnde hæc non est vera, Socrates est risibilis, nisi quia homo, cui primo & per se & secundum ipsum conuenit esse risibile prædicatur de Socrate, sed alio modo prædicatur homo de Socrate & risibile, nam homo prædicatur vt species, ex consequenti est prædicatio essentialis, risibile autem prædicatur, vt passio, vel vt habitus, &c.

Modi vnius per se realiter sumpti, id est, vt inuenimus in rerum naturis, sunt sex.

Primus. Tex. c. 8. 9 Primus modus, ea, quæ sunt continua, sunt vnum. Continuorum autem quædam continuantur per artem, vt tabulæ visco compaginatæ. Quædam continuantur per naturam vt partes animalis vnitæ per neruos & chordas, horum tamen magis propriè continua sunt quæ per naturam quàm per artem continuantur. Quæ enim per artem per aliquod alterius naturæ copulãtur, vt tabulæ clauo vel visco, lapides cęmento, vnde magis contacta vel contigua quàm continua dici debẽt. Quæ autem per naturam, si per aliquod medium copulantur illud est eiusdem naturæ cum eis, vt duæ medietates lineæ copulantur per punctum, quod est in eodem genere reductiue cum linea, & membra animalium continuantur per neruos, qui sunt naturæ animatæ, sicut ipsa membra. Prætereà, quæ continuãtur per artem nõ dicuntur quid vnum, non enim duo ligna compaginata visco dicuntur vnũ lignum, quæ autem copulantur per naturam dicuntur quid vnum, nam duæ medietates lineæ copulatæ ad punctum, A, dicuntur vna linea. ergo continua per naturam sunt magis continua quàm continua per artem. Item continuorum per naturam quædam sunt continua solida sine reflexione, vt tibia, quædam sunt contina cum reflexione, vt totum resultans ex tibia & crure, quæ faciunt reflexionem in genu: ex his magis continua sunt, quæ sunt sine reflexione, siue sint recta, siue curua, nam propriissimè continua sunt, quæ sunt vnius motus, id est, in quibus non potest vna pars moueri quin totum moueatur, id autem videmus verum in continuis solidis carentibus reflexione, nõ sic autẽ est in continuis habentibus reflexionẽ, contingit enim moueri tibiam, & quiescere crus.

Secundus modus Homogeneis, ac simplici- Secundus modus, illa sunt vnum, quorum subiectum proximum vel vltimum, id est, remotum, est vnius quantitatis continuæ, & vnius formæ, & talia sunt omnia homogenea, quarum partes recipiunt nomen & diffinitionem totius, vnde aqua in cyatho est vna hoc modo, & caro, & neruus, & os, quoniam omnis pars carnis est caro, idem dico de neruo & de osse, per oppositum, si qua sint continua secundum quantitatem & sint diuersarum formarum non sunt vnum nisi primo modo, vnde baculus, cuius vna pars est sicca, & alia viua non est vnum hoc secundo modo, sed tantum primo modo. Dixi autem quorum subiectum proximum, vt comparando omnes partes aquæ in cyatho ad formam aquæ, & omnes partes vini ad formam vini. Dixi verò subiectum vltimum, vt comparando omnia liquida non ad proprias formas, sed ad aquam, quæ videtur esse communis materia eorum, vnde omnia liquida possunt dici vnum hoc modo, quia conueniunt in vno subiecto, quod est vnius formæ, id est in aquã, minus tamen sunt vnum, quàm ea, quorum subiectum est vnius formæ, & est subiectum proximum, illa enim ad proximas formas comparata non sunt vnum, ista autem cum conueniant in forma specifica sunt verè vnum.

Tertius modus, illa sunt vnum, quæ conueniunt in genere propinquo vel remoto diuiso in oppositis differentiis, vt homo, capra, leo sunt vnum in animali, quia conueniunt in sensitiuo, quod est constitutiuum animalis: similiter sunt vnum in animato, quod est genus remotum, & superius. Sed aduerte, quòd alio modo verificantur esse vnum in genere propinquo, & alio modo in genere remoto: nam genus remotum prædicatur de speciebus vltimis cum additione vnitatis & in recto, vt Isosceles & Scalenon sunt vna figura, continentur enim sub vna differentia figuræ, scilicet constitui tribus lineis rectis conuenientibus in tribus angulis. Genus autem proximum cùm descendat in species per diuersas differentias non potest prædicari de eis cum additione vnitatis, nisi in obliquo, vnde hæc est falsa. Homo & leo sunt vnum animal, & hæc est vera, homo & leo sunt vnum in animali, similiter hæc est falsa, Isosceles & Scalenon sunt vnius triangulus, sunt tamen vnum in triangulo, quia conueniunt in ratione trianguli, licet non eadem differentia. Item aduerte, quòd iste modus est similis modo quo aliqua dicuntur esse vnum in materia, nam sicut quæ sunt vnum materia distinguuntur propriis formis, sic quę sunt vnũ genere distinguũtur propriis formis differentiis: præterea, licet genus non sit materia, quia prædicatur in recto de eo cuius est genus, tamen sumitur ab eo quod est materiale in re. illud autem est, quod est determinabile per differentias, sicut materia est determinabilis per formam, vnde sensitiuum comparatur ad rationale sicut materia ad formam & propterea in animali genus sumitur à sensitiuo, & differentia à rationali.

Quartus modus, illa sunt vnum, quorum est vna diffinitio indicans quid est esse rei, ex consequenti, eorum diffinitio est indiuisibilis non quin diuidatur in genus & differentiam: hoc est enim commune omni diffinitioni, sed dicitur indiuisibilis, quia diffinitio vnius non distinguitur à diffinitione alterius, sicut sunt omnia synonyma. Sed aduerte, quòd id, contingit dupliciter. Primo, quorum est vna diffinitio propria & totalis, vt si homo & simia conuenirent in hoc, quod est esse rationale animal, essent omnino vnum quarto modo. Secundo, quorum est conuenientia in ratione generica, non autem in ratione propria: vt homo & leo dicuntur conuenire in diffinitione animalis, non autem in rationibus propriis, & hæc non simpliciter dicuntur vnum quarto modo, sed secundum quid: similiter augmentũ & diminutio dicuntur vnum secundum quid hoc quarto modo, quia conueniunt in ratione motus facti in quantitate, similiter omnes species superficiei dicuntur hoc modo vnum secundum quid, quia conueniunt in ratione superficiei.

Quintus modus perfectior & verior & famosior, illa sunt vnũ, quorũ intelligentia est indiuisibilis, id est, quorũ naturæ conceptus non cõponitur ex multis, sed est in se simplex, vt in quantitate continua punctus, in quantitate discreta vnitas, in genere substantiæ, substantia immaterialis, & potissimè prima causa in qua est summa simplicitas & vnitissima vnitas, & in latitudine entiũ, quæ sunt propinquiora primæ causæ, sunt magis vnum hoc quinto modo, & ea quæ sunt vnũ hoc modo, sunt magis vnũ quàm quæ sunt vnum modis præcedentibus.

Sextus modus, aliqua dicuntur vnum, non quia continua, nec quia habent partes requisitas, sed vltra continuitatem & totalitatem partium habent debitam speciem, id est formam, non sicut homogenea, sed consurgentem ex debita dispositione partium, puta in artificiatis dicimus vnum calceum, vel vnam vestem, quando habet partes requisitas & adinuicem ordinatas, sicut figura calcei & vestis, si autem partes non sunt debitè ordinatæ non erit calceus, nec vnus calceus. vnitas enim supponit esse. Et aduerte, quòd hic modus non sumitur ab indiuisione, sed à totalitate & perfectione, & propter hoc linea sphærica est maximè vna, quoniam non solùm est continua, sed perfecta, quoniam sibi non potest fieri additio ex coincidentia principij & finis.

Positis modis vnius per se sumptis realiter reducit quinque ad vnum, qui est, quòd omne vnum intantum est vnum, inquantum non habet diuisionem: vt ea dicuntur vnum in homine, quæ sunt indiuisa & indifferentia in diffinitione hominis, sicut indiuidua speciei humanæ, & ea dicuntur vnum in animali, quæ conueniunt in ratione animalis, vnde quinque modi prædicti intantum diuidunt vnum inquantum diuersimodè dicunt indiuisionem: vnde primus modus dicit indiuisionem in quantitate continua, secundus in forma, tertius in materia & in genere, quod habet similitudinem materiæ, quartus in diffinitione, quintus in intelligentia & in substantia, dixi notanter quinque, quoniam sextus potius sumitur à perfectione quàm ab indiuisione, vt dictum est. Isti sunt principales modi, post quos assignat Arist. quosdam secundarios, quoniam pro rei veritate sunt plura, vt plures trahentes nauem dicunt vnum, quia communicant in vna actione, & ciuitas dicitur vna, quia ciues communicant in vno regimine, sub quo regulantur, aut quia habent vnum puta agrum, aut quia respiciunt vnum, sicut exercitus ducem. Posita diuisione vnius per se & realiter sumpti assignãdi sunt modi secundum considerationem logicam. Aduerte igitur quatuor modos, scilicet vnum numero, vnum specie, vnum genere, vnum analogia. Illa sunt vnum numero, quorum est vna materia signata, quæ est principium singularitatis, vt determinabimus in quæstio. nostris. Vnde synonyma, sicut Marcus Tullius, sunt propriè vnum numero. Illa sunt vnum specie specialissima, quorum est vna diffinitio constans ex genere & differentia specifica, & quoniam differentia sumitur à forma, quæ sunt vnum specie communicant in vna forma specifica: vt omnis homo in anima intellectiua & in humanitate, quæ est forma totius. Illa sunt vnum genere, quæ conueniunt in vna figura prædicationis, id est in vno modo prædicandi, & quoniã prædicamenta distinguuntur secundum diuersos modos prædicandi, vt dicemus in cap. seq. ideo quæ sunt vnius prædicamenti sunt vnum genere. Et aduerte, quòd hîc non facit mentionem de genere subalterno, quoniam intendit assignare modos vnius secundum logicam considerationem, qui verificantur absolutè: vnde sicut absolutè sunt vnum specie, quæ conueniunt in specialissimo, quoniam ita est species quod non est genus, ita absolutè sunt vnum genere, quæ conueniunt in genere generalissimo, quoniam ita est genus quod non species, quæ autem conueniunt in genere subalterno possunt dici vnũ specie & vnum genere, quoniam subalternum diuersa habitudine est species & genus, & ideo non possunt dici absolutè vnum genere, nec vnum specie. Illa sunt vnum analogia, quæcunque se habent sicut aliud & aliud, vt tranquillitas in mari & serenitas in aëre sunt vnum analogia, quoniam sicut quies in aqua facit tranquillitatem in mari, sic quies in aëre facit serenitatem in aëre. De modis autem analogiæ, quomodo scilicet aliqua est diuersorum ad diuersa, aliqua diuersorum ad vnum, aliqua vnius ad alterum, determinabimus in quæstio. nostris agentes de ente an sit vniuocũ vel analogum, & quomodo substantia & accidens analogantur in ente. Inter hos quatuor modos talis datur ordo, quòd vnum numero est vnũ specie, sed non conuertitur, & tu intellige per se, nam si in specie non sit nisi vnum indiuiduum, vt in abstractis, tunc vnum specie est vnum indiuiduo, sed hoc accidit speciei, vt inquit Commenta. in commen. duodecimo. Species enim vt species est prædicabilis de pluribus. sed singulare vt singulare tantum de vno, & quæ sunt vnum specie sunt vnũ genere & non conuertitur, quoniam natura generica partitur oppositis differentiis, quæ impossibile est conuenire in vna specie, cum sint contrariæ, & quæ sunt vnum genere sunt vnum proportione, & non conuertitur, quoniam substantia & accidens sunt vnum proportione, dicit enim accidens habitudinem ad substantiam, & tamen non sunt vnum genere, quoniam non habent conuenientiam nisi in ente, quod non est genus, vt dictũ est in tertio libro. Sed aduerte, quoniam non ita clarum est quæcunque sunt vnum genere esse vnum proportione, ideo super hoc inuenio duas opinio. vna est Commen. in commen. duodecimo, qui dicit id verificari, quoniam æqualitas, quam sumit pro proportione, est aliquod genus, sed id non est verum, quoniam si proportio esset genus aliquod, quæcunque conuenirent in proportione conuenirent in genere, ex consequenti cum substantia & accidens conueniunt in ente, vt proportionata & analogata conuenirent in genere, quod est manifestè falsum, quoniam supra generalissimum nõ est genus: alia est D. Alber. in quinto Meta. cap. nono qui inquit, ex omni communitate naturæ sequitur comunitas proportionis & nõ cõuertitur. Cùm enim dico, Socrates & Plato sunt homo, vel animal, id est cõmunicant in homine vel animali, ex illa communitate relinquitur, quòd Socrates & Plato sunt supposita eiusdem speciei vel eiusdem generis, conueniunt ergo Socrates & Plato in hoc quòd supposita sunt, & communitas suppositorum est communitas proportionis, quia est communitas vnius habitudinis duorum vel plurium inferiorum ad vnam naturam communem. Verum est ergo, quòd quæcunq; sunt vnum genere, sunt vnum proportione, & nõ conuertitur. Hîc terminatur consideratio modorum vnius. Et quoniam vnum & multa opponuntur ex modis vnius, manifestantur etiam modi multorum, vnde aliqua sunt multa, quia non continua, & aliqua, quia sunt diuersarũ formarum, & aliqua, quia sunt diuersorum generum, & aliqua, quia sunt diuersarum diffinitionum, & aliqua, quia non sunt simplicis, sed diuisibilis substantiæ, sicut omnia corporea composita ex materia & forma. Tu tamen aduerte, quòd Aristoteles non assignat modum multorum correspondentem modo quinto vnius, quoniam ex hoc quod substantia rei corporeæ est diuisibilis, non sequitur quod sit multa, nisi virtualiter, si autem diuidatur, fiet multa simpliciter. Et hæc dicta sint pro primo capite. De proprietate verò vnius, scilicet mensura, dicemus in decimo libro, ideo hîc pertranseo, ne fiat inutilis repetitio.

CAP. II. *De Ente & eius modis.*

IN secundo capite agendum enim est de modis entis, & quoniam entium quoddam est per se, vt homo, quoddam per accidens, vt homo musicus. Primò distinguemus ens per accidens in modis suis. Deinde ens per se, de quo propriè habetur scientia. Modi entis per accidens sunt tres. *Tex. c. 11.*

Primus, quando accidens prædicatur de accidente.

Secundus quando accidens prædicatur de subiecto. *Tex. c. 12.*

Tertius quando subiectum prædicatur de accidente, & isti modi diuersa ratione verificantur.

Nam primus verificatur, quia duo accidentia insunt vni subiecto, vt musicum & album inest homini, ratione cuius vnum accidens in concreto prædicatur de alio accidente: sensus est enim, illud, cui inest musicum, inest etiam album.

Secundus autem verificatur, quia prædicatum inest subiecto, puta musicum inest homini.

Tertius verificatur, quia prædicatum est illud, cui inest subiectum, vt musicum est homo: sensus est enim, quod homo est illud, cui inest musicum, & ideo prædicatur de musico. Et aduerte, quòd ens per accidens se habet vt causa per accidens, nam sicut fit causa per accidens, quia aliquid accidit causæ per se, puta musicum accidit ædificatori, ita fit ens per accidens, quia accidens accidit subiecto, quod est ens per se. Quid autem sit ens per se, & ens per accidens, declarauimus in tractatu de transcendentibus.

Modi entis per se tripliciter assignantur.

Primò vt habet esse in rerum natura.

Secundò vt habet esse in anima.

Tertiò vt diuiditur per potentiam & actum.

Quantum ad primum aduerte, modi entis per se vt habet esse in rerum natura, tot sunt quot prædicamenta. Sumuntur enim prædicamenta à modis prædicandi: & modi prædicandi fundantur in modis essendi, aliter essent vana. Prædicamenta autem sunt decem, vt communiter concessum est in via peripatetica. *Tex. c. 13.*

Modi igitur entis per se sunt decem, id est modus substantiæ, modus quãtitatis, modus qualitatis. De quorum sufficientia vide Bea. Thom. in expositione huius textus, & in tertio libro Physico. super tex. 22. Quòd autem prædicamenta distinguantur, per diuersos modos prædicandi sumptos à modis essendi, determinabimus in quæstion. nostris Metaphysicæ.

Ens in animà quot modis sumatur. Quantum ad secundum dicit Philosophus, quòd ens non solùm significat id quod habet esse extra animam, sed etiam significat compositionem factam per intellectum inter prædicatum & subiectum, & dicitur ens verum: verum est illud, quod ita est vel non est, sicut apprehenditur & enunciatur, per oppositum autem falsum est, quod aliter se habet quàm apprehenditur & enunciatur: nam, quia Socrates est musicus, hæc est vera, Socrates est musicus, & negatiua est falsa, & quoniam diameter non commensuratur costæ, affirmatiua est falsa, & negatiua est vera. Et aduerte quòd ens in anima consequitur ens extra animã, nam cognitio nostra causatur à rei natura, ex consequenti, veritas, quæ est in intellectu, pendet à re, loquendo de intellectu speculatiuo, & verum in proposi- *Tex. c. 14.*

tione fundatur in re:quoniam ab eo quòd res est vel nõ est dicitur oratio vera vel falsa. Et iterum aduerte, q̃ iste modus entis dicitur ens rationis, de quo diffuse pertractauimus in tract. de transcen. Et iterum loquemur de eo in lib. 6. Item aduerte, quòd ens vt significat rei essentiam est prædicatum substantiale, vt Socrat. est ens, vt autem significat ens verum expressum in propositione per copulam verbalem, est prædicatum accidentale, quoniam cùm res non pendeat à nostro intellectu, nec à scientia nostra, accidit rei quòd aliquid affirmetur vel negetur de ea intellectu vel voce: nam remoto intellectu componente vel diuidente adhuc res est talis in se.

Ibidem. Quantum ad tertium dicit Philosophus, quòd ens est dicibile actu, & est dicibile potentia, id est, aliquod ens potest dici esse actu. & aliquod in potentia: & hæc distinctio circundat omne prædicatum accidentium, nam in puero quantitas cubitalis est in actu, & bicubitalis in potentia. in aqua calida frigiditas est in potentia, & in glacie est actu: & sic discurre in aliis prædicamentis accidentium. Circundat etiam entia, quæ sunt in anima, vt species intelligibilis actus & conceptus, horum enim quædam sunt actu, quædam possunt esse, & qui habent scientiam aliquando est vtens ea actu, aliquando potest vti: & circundat prædicamentum substantiæ, aliqua enim iam actu est, aliqua potest esse, vt rosa in hyeme, & imago Mercurij aliquando est actu in lapide, aliquando in potentia, similiter medietas lineæ post diuisionem totius lineæ est actu, ante diuisionem est in potentia: hæc tamen exempla ponuntur in prædicamento substantiæ secundum opinio. antiquorum, qui dicebant materiam esse substantiam rerum, & reprobabuntur in sequentibus. Quid autem sit ens actu & ens in potentia, & quomodo differant, & quid sit prius dicemus in libro, 9. Hæc de secundo cap. dicta sint.

CAPVT III.

Substantiæ quatuor modi exponuntur.

IN tertio cap. distinguendum est hoc nomen, substantia, & Aristo. quidem assignat quatuor modos, incipiens à nobis notissimo, & ab omnibus confesso, ex quibus tres sunt veri, quartus autem est secundum opin. antiquorum, & non verus, vt declarabitur: deinde reducit omnes ad duos.

Tex. c. 15. Primus & famosissimus est, quòd substantia dicitur de primis corporibus simplicibus, quæ dicuntur elementa, & sunt prima fundamenta, ex quibus constant omnia naturalia cõposita: ex consequenti dicitur substantia de omnibus corporibus cõpositis tam homogeneis, quã ætherogeneis: & de animalibus, & de eorum partibus materialibus, vt de carne, osse, & neruo, hæc autẽ omnia dicuntur substantia, quia non dicuntur de subiecto, id est, de inferiori, quia sunt individua & particulares substãtiæ, sed alia dicũtur de eis. Et aduerte q̃ Arist. breuitati studens in hoc quod dicit, sed alia dicuntur de eis innuit, inquit Cõm. in cõm. 15. q̃ hic sermo continet primas & secundas substantias: & hæc est diuisio, quã posuit in prædicamentis. Item aduerte, q̃ in hoc primo modo etiam subintelligitur contineri materia prima: nam q̃ substantiæ individuæ non dicantur de subiecto, sed sint penitus incõmunicabiles, hoc habent à materia prima, per quam individuantur secundum viam nostram: ergo materia prima reductiue continetur sub hoc primo modo, dicitur igitur substantia de materia prima, & de omnibus corporibus naturalibus particularibus, tam simplicibus quã cõpositis, tã animatis quã inanimatis, & de dæmonibus, id est de idolis, vt alia litera habet, quorum materia est corpus naturale, siue lignum, siue metallum & hæc sunt prima substantia descripta in prædicamentis, quæ non dicitur de subiecto, nec est in subiecto. dicitur ex consequenti de secundis substantiis, quoniam dicuntur de primis prædicatione quid.

Forma partis. Secũdus est q̃ substãtia dicitur de eo quod est causã intrinseca existendi, id est quod sint actu, substãtiæ, quæ non dicũtur de subiecto: & intendit, q̃ illud, per quod individua substãtia constituitur actu, sit substantia: hoc autẽ nõ est materia quoniã potentia non dat esse, sed est forma, quoniã cũ sit actus cõstituit in actu, cuius est forma: & exẽplificat de anima in animali, de qua, vt declaratũ est in 2. de anima, constat q̃ sui præsentia existit animal, & sui remotione desinit esse animal, qd nõ est ita manifestũ in aliis naturalibus, licet ex parte rei idẽ sit dicẽdũ. nã sicut nõ est animal actu sine anima. sic nec ignis nec lapis nec caro, & sic de aliis sine formis suis. dicitur igitur secũdo modo substãtia forma, per quã naturalia existũt actu.

Cõmunis est iste modus omni prædica- Tertius est, q̃ substantia dicitur de quo quid est, id est de quiditate & essentia cuiuslibet rei: & hoc est significatum diffinitionis, nam diffinitio hominis non significat solã materiam, aut solam formam, aliter non prædicaretur in recto de diffinito, sed significat naturam resultantem ex partibus, quæ dicitur essentia & quiditas & substãtia hoc secũdo modo, vnde esse animal rationale est substãtia hoc tertio modo. Et aduerte, q̃ hic modus potest applicari tantum prædicamento substantiæ: & sic significatum cuiuscunque diffinitionis datur de substantia erit substantia hoc tertio modo, potest etiam applicari cuilibet prædicamento tam substantiæ quàm accidentium. nam & accidentia habent essentias & quiditates suas, & sic substantia dicitur de significato diffinitionis tam substãtiæ quàm accidentis, vnde Cõm. in cõmen. 15. exponens hunc modum inquit, Dicitur substantia de illo, quod datur à interrogationem factam per quid in vnaquaque rerum, & hæc est substantia cuiuslibet rei, & eodem modo Aristo. in ante prædicamentis accipit substantiam, cum dicit, vniuoca sunt, quorum nomen est vnum, & ratio substantiæ est eadem, constat autem, quòd in accidentibus & in substantijs dantur equiuoca & vniuoca: essentia ergo, & quiditas cuiuslibet rei potest dici substantia hoc tertio modo.

Quartus modus secũdũ antiquos est, q̃ substãtia dicitur de terminis corporũ naturalium: termini autem sunt punctus, linea, superficies, vnitas, numerus: Et fundamentum eorũ fuit, quoniam opinabantur illud esse rei substantiam, quo remoto natura rei remouetur: & quoniam viderunt non posse constare rei sensibilis naturam sine his dimensionibus, neque sine vnitate vel numero, quoniã omne ens aut vnũ, aut multa est, ideo arbitrati sunt talia esse rei substantiam: sed hic modus nõ est verus, nec ratio sta cogit. non enim necesse est omne inseparabile à re esse substantiam rei, sed sufficit, q̃ consequantur rei substantiam, vt proprietas eius, aliter calor in igne, humiditas in aqua, grauitas in lapide essent substantia, quod cõstat esse falsum, quoniam quod est substantia in nullo est accidẽs constat autem calorem & humiditatem in manu esse accidens, ergo in nullo sunt substantia: & iste error prouenit eis, quoniam non pertingebant ad rerũ cognition em, nisi vt subiacent sensui. Item de vnitate & numero errauerunt, quoniã non distinguebant inter vnum numerale & vnum transcendens. Hæc tamen opi. diffuse reprobabitur in lib. 7. & in 10.

Positis his quatuor modis reducit eos ad duos, quorum primus est, quòd substantia dicitur vltimum subiectum, id est, substantia prima, quæ per se & vltimate. id est non mediante alio subsistat accidentibus, ideo non dicitur de inferiori, & est hoc aliquid, & est distincta ab omni alio, ex consequenti est separabilis à quolibet alio individuo. vt Socra. cùm sit vnum numero: & in his conditionibus differt substantia prima à substantia secunda, vt patet.

Secundus modus est, quòd substantia dicitur species & forma rei: & per speciem intellige essentiam vel quiditatem, per formã intellige formã partis, qua res constituitur actu. Et ad hos duos modos reducũtur omnes alij, præter quartũ, qui est falsus. Nam ad primum reducuntur omnes substantiæ singulares, & partes eorum materiales. & materia prima, quæ verè est vltimum subiectum: Ad secundum, cui non potest apponi signum vniuersale, cùm dicatur de inferiori, reducuntur omnes formæ reducentes materiam & potentiam ad esse actu, & sunt termini generationis substantialis. Ad idem reducuntur omnes essentiæ & quiditates, tam materiales quã abstractæ à materia, vnde & Deus & intelligentiæ sub hoc secundo modo continentur, & omne quod significatur per speciem aut genus: nam, cum species prædicatur de individuis, & genus de speciebus in quid tam in prædicamento substantiæ quàm in prædicamentis accidentium significant essentiam eorum, de quibus prædicatur. Hæc de modis substantiæ dicta sint.

CAPVT IIII.

De Eodem, diuerso differenti, & oppositis.

DIstinctis nominibus significantibus subiectum huius scientiæ, incipiemus distinguere nomina significantia partes ipsius subiecti: & primo, ea, quæ signant partes vnius: deinde ea, quæ signant partes entis. Partes quidem vnius sunt, idem, simile, æquale. Incipientes igitur ab hoc nomine idem, aduerte quòd distinguitur eo modo quo & vnum, scilicet in idem per accidens, & in idem per se. Modi identitatis per accidens sunt quinque.

Primus est, quando prædicatur accidens de accidente, vt album est musicum: nam albedo & musica dicuntur per accidens idem, quia insunt eidem subiecto.

Secundus est, quando accidens prædicatur de subiecto.

Tertius est econtrario, tunc enim est identitas per accidẽs, quia vnum inest altero, & non per se, quoniam contigit inuenire vnum sine altero, puta hominem sine albedine.

Quart

Quartus est, quando simplex prædicatum prædicatur de composito subiecto, vt albus homo est albus.

Quintus est econtrario, vt albus est albus homo. Et aduerte, quòd in his modis nunquam apponitur signum vniuersale: quoniam, cùm prædicata per accidens non conueniant naturæ vniuersali secundum se, sed tantum ratione singularium, hæc esset falsa, omnis homo est albus, vel econtrario: & ideo subiectum propositionum accidentalium debet esse particulare, vel indefinitum, vel singulare, singulari autem non potest apponi signum vniuersale, cum dicatur de inferiori.

Ibidem. Modi identitatis per se tot sunt quot modi vnius per se: nam, cùm identitas sit vnitas vel vnio, pari modo diuidentur. Quot autem sint modi vnius per se, vide in capite de vno. Sed aduerte, quòd quæcunque sunt idem per se, vel sunt idem, quia licet sint plura secundum proprias naturas, tamen in aliquo vno conueniunt, ratione cuius dicuntur idem, puta quæ distinguuntur formis conueniunt in materia siue proxima, vt duo vasa terrea, siue remota, vt omnia metalla in aqua, & quę distinguuntur numero sunt idem specie, & distincta specie idem genere, &c. vel sunt idem, quia licet sint eadem res, tamen intellectus apprehendit ea vt plura, puta licet in linea sit idem punctus, qui est principium & finis respectu partis præcedentis & sequentis, tamen intellectus ponit aliquam pluralitatem secundum conceptum, quoniam alium cõceptum format de puncto, vt est principium, & alium, vt est finis: propter quod dicitur punctus idem re, & distinctus secundum rationem. Eodem modo contingit, quando intellectus comparat eandem rem ad seipsam dicendo, idem est eidem idem: cùm enim comparatio sit relatio, & relatio sit inter duo extrema, necesse est, quod, quando idem comparatur sibiipsi, distinguatur à seipso non re, sed per opus intellectus collatui, aliter inter idem & idem non esset relatio identitatis. Tu tamen aduerte, quod hæc relatio, quando idem numero comparatur sibiipsi, est relatio rationis, quoniam non sunt extrema distincta realiter, sed tantum per opus intellectus, quando autem indiuidua comparantur adinuicem in natura specifica, vt cum dicitur Socrates & Plato sunt idem in homine, tunc hæc relatio identitatis est relatio realis, quoniam extrema distincta sunt realiter, & fundamentum est reale. Idem dico, quando comparantur duæ species ad naturam generis, sed de natura relationum loquemur in capite ad aliquid, & in nostris quæstionibus. Et, quoniam sicut vnum & plura opponuntur, sic idem & diuersum (nam idem est pars vnius, & diuersum est pars pluralitatis) quæ autem opponuntur debent successiuè pertractari, cùm sit eadem disciplina oppositorũ igitur post modos identitatis assignandi sunt modi diuersitatis: & quoniã sub diuerso continentur differentia & opposita, & diuersa specie: nam nihil à seipso differt, nec sibiipsi opponitur, nec est à seipso specie diuersum, ideo post diuersum agendum est de differentibus, de oppositis, de specie diuersis.

Tex. 2. Quantum ad diuersum aduerte, quod, cum opponatur eidem, & quot modis dicitur vnum oppositorum tot modis & reliquum, ideo quot sunt modi identitatis siue per accidens, siue per se, tot modi diuersitatis possunt assignari. Tres tamen famosiores & magis vsitati assignantur ab Aristot. Primo ea sunt diuersa, quorum sunt plures species, vt homo & equus. Distinguuntur enim formis specificis & differentiis specificis, & hæc dicitur diuersitas realis formalis. Secundo, ea sunt diuersa, quæ licet sint in eadem specie, tamen distinguuntur numero, vt duo individua eiusdem speciei. distinguuntur enim materia & quantitate, quæ sunt principia singularitatis: & hæc dicitur diuersitas realis materialis, non autem formalis, quoniam sub specialissimo non dantur plures gradus formales, vnde licet Socrates & Plato distinguãtur suis propriis formis, non tamen formaliter, sed materialiter, quoniam & suæ propriæ formæ distinguuntur ex materia, in qua recipiuntur. Tertio, ea dicũtur diuersa, quæ licet sint idem re, vel subiecto, tamen eorum est diuersa ratio siue diffinitio, & dicuntur diuersa secundum rationẽ formalem. Exemplum primi, Actio & passio, licet sint vnus motus, tamen sunt diuersa secundum rationem formalem. Exemplum secũdi, Homo & musicum licet sint idem subiecto, tamen alia est ratio hominis, & alia musici. Et aduerte quòd diuersitas primi modi est maior, & secundi est minor, & tertij adhuc est minor. vt patet.

Quantum ad Differentia ponit Aristot. duos modos, quorum vnus est communiter dictus, & alius proprié. Communiter igitur differentia sunt, quæ in genere sunt diuerso, & in nullo genere conueniunt, nec etiam generalissimo, vt linea, & albedo, quæ in nullo vno generalissimo conueniunt, & hoc modo differens est idem quod diuersum: nam diuersa propriè sunt, quę in nullo conueniunt, sed sunt distincta seipsis, vt materia prima, & Deus & duæ vltimæ differentiæ: nam, si omnes differentiæ aliquibus differentiis differrent, esset in eis processus in infinitum. Propriè verò differentia sunt, quæ licet in aliquo conueniant, tamen vnum non est aliud: illud autem in quo conueniunt potest esse idem suppositum, vt Socrates sedens differt à se non sedente, licet sedens & non sedens conueniant in subiecto siue supposito. Item potest esse species, vt licet Socrates & Plato sint distincta individua, tamen conueniunt in homine. Item potest esse genus, vt licet homo & asinus sint distinctæ species, tamen conueniunt in animali. Item potest aliquod proportionale siue analogum, vt licet substantia & quantitas sint distincta, tamen conueniunt in ente. Hæc igitur sunt propriè differentia, & hæc distinguuntur à proprię diuersis, quoniam ratio eorum stat in hoc, quòd cùm sint distincta, in nullo cõueniunt. Ratio autem propriè differentium stat in hoc, quòd cùm in aliquo conueniant, tamen sunt abinuicem distincta. Et si quæras quæ sint propriissimè differentia, Dico, quòd sunt duæ species contrariæ conuenientes in vno genere diuiso per differentias contrarias, vt duæ species caloris, vel saporis: vel saltem sint duæ species non contrarię conuenientes in vno genere diuiso per differentias contrarias, vt homo & asinus: licet enim species substantiæ non sint contrariæ, tamen constituuntur differentiis contrariis. Omne enim genus diuiditur per differentias contrarias, vt dicemus in libro decimo. Ideo autem dicuntur propriissimè differentia, quoniam differunt substantialiter & formaliter. Defectu primi non differunt propriissimè, Socrates sedens & Socrates non sedens. Defectu secundi non differunt propriissimè duo individua eiusdem speciei, quoniam inter ea est tantum distinctio materialis, vt dictum est suprá. Item aduerte, quod cùm diuersum se habeat in plusquam differens, non sequitur, q̃ si aliqua sint non differentia quòd sint idem. nam stat quod sint diuersa, quia seipsis distincta, & tamen non sunt differentia, quia in nullo conueniunt. Hinc patet error Alexandri Græci, qui, vt refert D. Alber. in hoc quinto libro tract. 2. cap. 7. dixit materiam primam & noym, id est, mentem, & Deum esse idem, quoniam cum in nullo conueniant (sunt enim simplicissima) non differunt, ergo sunt idem: constat autem quòd licet non differant, tamen sunt diuersa, ideo non sunt idem: secus autem si nec diuersa, nec differentia essent.

Quantum ad opposita assignat Arist. quatuor genera oppositionis, quæ sunt famosissima, scilicet oppositio contraria, contradictoria, relatiua, & priuatiua, quarum sufficiẽtia stat in hoc, omne quod opponitur alteri aut opponitur ratione dependentiæ, & sic est oppositio relatiua, nam vnum relatiuum necessario sequitur ad aliud, vt filius ad patrem, seruus ad dominum, passiuum ad actiuum, &c. aut opponitur ratione remotionis. quia scilicet vnum remouet aliud, quæ remotio tripliciter potest fieri, nam si vnum totaliter remouet reliquum nihil relinquens est oppositio contradictoria: alterum enim contradictorium est non ens, si vero remouet formam & relinquit subiectum aptum habere formam, sic est oppositio priuatiua: priuatio enim est negatio in subiecto apto nato, vt dicemus infra: si autem remouet formam & relinquit subiectum, quod ex natura sua est receptiuum eius, & relinquit identitatem in genere, sic est oppositio contraria, nam licet albedo remoueat nigredinem à superficie, non tamẽ destruit superficiem eius receptiuam, nec destruit colorem, in quo conueniunt. Quatuor igitur sunt genera oppositionum: sed aduertè quod Arist. hãc non prosequitur de contradictoria, quoniam satis de ea actum est in libro 4. vbi defensauimus primum principium contra negantes: nec de relatiua, quoniam in hoc quinto libro formabitur cap. de ad aliquid, nec de priuatiua, quoniam de priuatione in hoc libro formabitur cap. possumus tamen dicere, quod cum in omni contrarietate seruetur ratio priuationis & habitus, se habet enim vnum vt perfectum, & alterum vt imperfectum, vt dicemus in decimo libro. Aristo. prosequens de contrarietate agit simul & virtualiter de oppositione priuatiua. Innitens igitur prosequi de modis contrarietatis, prius dat duos modos cognoscendi opposita in communi siue contradictoriè siue contrariè, si priuatiuè, &c.

Cap. decimum. Opposita.

Primus modus est, quæcunque se habẽt vt terminus à quo & terminus ad quem in mutatione sunt opposita contradictoriè: vt in generatione substantiali, & similiter in corruptione: vel contrariè vt in priuatione, vt in motu locali, & in augmento, & decremento, & in alteratione: probatum est enim in primo physic. tex. 43. omnem motum esse

inter terminos oppositos, non possunt autem esse oppositi relatiuè, quoniam in quinto Physicorum textu decimo, non est motus in ad aliquid.

Secundus modus est, quando aliqua sunt apta inesse eidem susceptibili, & non se compatiuntur in eodem, sicut duo extremi colores, & duo medij. nam quia album & nigrum non se compatiuntur in eadem superficie, neque viride & rubeum quæ componuntur ex extremis, vt dicemus in decimo libro, ideo sunt opposita.

Positis his duobus modis ad cognoscendum aliqua esse opposita in communi, consequenter assignat modos contrarietatis, & sunt decem.

De contrarijs. Primus est, ea dicuntur contraria, quæ differunt genere, & non possunt inesse eidem naturaliter, vt qualitas elementaris, & motus sphæricus, quorum vnũ, scilicet qualitas elementaris, repugnat mobili sphæricè naturaliter. Dico naturaliter, quoniam, si corpus elementare moueatur sphæricè, hoc non est ei naturale, sed præter naturã, vt declaratum est in primo Cœli. Moueri autem naturaliter sphæricè conuenit tantum cœlo, cui repugnat qualitas elemẽtaris, vt probatũ est in primo cœli. Sed aduerte, quod hic modus est valde improprius.

Secundus modus. Secundus modus est, ea dicuntur contraria, quæ, cum plurimum differant, conueniunt vel in vno genere, vt album & nigrum in colore, vel in vno susceptibili generico, vt sanum & ægrum apta inesse soli animali, vel in eadem potestate, id est, in potentia rationali, quæ se habet ad opposita, vt declarabitur in libro nono, sicut consonantia & inconsonantia in musica, veritas & falsitas in syllogizando. Sed aduerte, quod plurimum differre potest esse tribus modis. Primo simpliciter, vt *oriens & occidens in motu cœli*, arcticum & antarcticum in axe cœli. Secundo in genere eodem, vt duæ extremæ differentiæ cõstituẽtes duas extremas species & diuisiuæ eiusdem generis. tertio in eadem specie, vt principia indiuiduantia duorum extremorum indiuiduorum sub eadem specie, puta principia indiuiduantia perfectissimum hominem, & hic secundus modus est proprius.

Positis his duobus, vt principalibus assignat alios modos secundarios, quorum primus est, quòd aliqua sunt contraria habitu, id est, quia sunt habitus qui sunt principia contrariarum operationum, vt virtus & vitium.

Secundus est, aliqua sunt contraria quia sunt receptiua contrariorum, sicut homo ægrotatiuus qui de facili ęgritudinem recipit, & homo sanatiuus qui de facili sanitatem recipit.

Tertius est, aliqua dicuntur contraria, quia actu existunt contraria, vel quia actu substant contrariis. Exemplum primi calor & frigiditas. Exemplum secundi, ignis & aqua.

Quartus est, aliqua sunt contraria, quia *sunt actiua contrariorum*, sicut agentia per qualitates contrarias, vt ignis & aqua, vel sicut agentia virtualiter, sed formaliter contraria, vt Saturnus, qui est causatiuus frigiditatis, & Iupiter causatiuus caloris, licet calor & frigiditas non sint formaliter in eis, similiter dicitur piper contrarium camphoræ, quoniam illud calefacit, & hæc infrigidat.

Quintus est, aliqua dicuntur contraria, quia sunt potentiæ receptiuæ contrariorum non à contrariis, sed ab eodem, vt visus noctuæ recipit à luce tristitiam, & visus aquilæ recipit lætitiam.

Sextus est, aliqua dicuntur contraria, quia sunt agentia & patientia, quoniam omne patiens à suo dissimili & contrario patitur, & cum assimilatum fuerit suo agenti non amplius patitur, vnde & in secũdo de Anima tex. 44. & 45. dicit Arist. alimentum ante decoctionem esse cõtrarium alito, quoniam patitur ab alito per calorem naturalem decoquentem.

Septimus est, aliqua dicuntur contraria, quia vnum est causa acquirendi vel suscipiendi vnum contrarium, & alterum est causa expellendi, & sic combusta sunt contraria scãmoniæ, *quoniam* combusta generant choleram & scammonia expellit choleram.

Octauus est, aliqua dicuntur contraria, quia vnum est receptiuum habitus, & alterum priuationis, vt aër conclusus est receptiuus tenebrarum & apertus est receptiuus luminis. Hæc de contrariis dicta sint, in decimo autem libro complebimus eorum considerationem.

Diuersa specie. Quantum ad diuersa specie aduerte, quod Aristot. quinque modos assignat. Primus est, quãdo aliqua sunt in eodem genere saltem generalissimo, & tamen non in eodem genere subalterno, *sicut scientia & triangulus. licet enim contineantur* sub qualitate, alterum tamen continetur sub habitu, & alterum sub figura. Secundus est, quando aliqua continentur sub eodem genere, & habent differentiam adinuicem, etiam quod illæ differentiæ non sint verè contrariæ, vnde homo vt bipes, & leo vt quadrupes sunt hoc modo diuersa specie, quę diuersitas sumitur a figura, in qua non est alteratio. vt probatur in septimo libro Physic. textu decimoquinto, ex consequenti nec propriè contrarietas. Tertius modus, quando aliqua sunt distincta contrariis differẽtiis diuisiuis vnius generis, *siue illa distincta sint contraria*, & differentiæ eorum contrariæ, vt albedo & nigredo, & congregatiuũ & disgregatiuum, nam tam species quàm differentiæ sunt contrariæ, siue differentiæ sint contrariæ, non existentibus speciebus contrariis, vt rationale & irrationale, non tamen homo & asinus sunt species contrariæ, quoniam in substantia non est cõtrarietas. Quartus modus, quando sunt duæ species specialissimæ constitutæ specificis differentiis diuisiuis vnius generis vltimi, & hæc propriissimè dicuntur diuersa specie, quæ enim sunt diuersa genere & specie, sicut homo & lapis, ita possunt dici diuersa genere sicut diuersa specie. Quintus modus, quando aliqua sunt simul in eadem substantia realiter differentia, vt duo accidentia in eodem subiecto sunt diuersa specie, vt albedo & dulcedo in pomo, caliditas & siccitas in igne, quando impossibile est duo accidentia eiusdem speciei, vt duæ albedines inesse simul eidem saltem secũdum esse materiale, vtrum autem possint simul inesse eidem secundum esse intentionale determinabitur in quæstionibus nostris. Hæc de eodem diuersis oppositis contrariis & diuersis specie dicta sint.

CAPVT V.

De modis, quibus aliqua similia dicuntur.

IN hoc capite distinguẽdum est hoc nomen simile, & suum oppositum quod est, dissimile. Et aduerte, quod Arist. primo assignat modos similium, deinde dat regulam, per quam possumus cognoscere aliquid esse maximè simile alteri.

Primus igitur modus est, quando aliqua patiuntur siue recipiunt per alterationem, eandem specie qualitatem, vt duo corpora dum denigrantur, vel calefiunt: hæc dicuntur similia, non quia conueniunt in vna qualitate, sed quia mouentur ad vnam qualitatem, vnde sunt similia in fieri, licet nondum in facto esse.

Secundus est, quando aliqua sunt patientia, id est mouentur ad eandem, vel diuersas qualitates, dicũtur similia, non ratione termini, si mouẽtur ad diuersas qualitates, sed ratione motus: quia conueniunt in alteratione, quæ est motus ad qualitatem. & secũdum hunc modũ dici possunt similia corpus quod calefit, & corpus quod infrigidatur, in quantum vtrique inest alteratio, sed hic modus est imperfectior primo, vt patet.

Tertius est quando duo conueniunt in vna qualitate specifica quam iam actu habent, vt nix & *lac in albedine*, & hic est verus & proprius modus similitudinis. Modi vero dissimilium sunt oppositi modis similium, & sunt etiam tres, quos ex teipso considerare poteris.

Regulam autem, per quam maximè siue præcipuè similia cognoscere possumus, stat in duobus. Primo, si dantur duo, quæ conueniant in paucioribus qualitatibus, & duo conuenientia in pluribus, ista sunt maximè similia, illa autem non. vnde piper est maximè simile igni, quoniam calidũ & siccum est, mel autem non, quoniam est calidum humidum. Secundo, quod conuenit cum alio in *qualitate sibi magis propria* est maximè simile illi, vnde quod participat calorem similius est igni, quam id, quod participat ficcitatẽ. patet igitur, quod aër est similior igni quam terra. Hæc de modis similium: & quomodo aliqua sunt maximè similia dicta sint.

Sed aduerte, quod prædicti modi similium propriè verificantur inter ea, quorum vnum non pendet ab altero. nam in his, quorum vnum est causa, & alterum causatum, falsum est dicere quod sint mutuo similia, & præcipuè in causa improportionaliter excedente causatum, qualis est causa prima. nam similitudo quædam imitatio est, *constat autem causatum imitari causam*, quia accipit à causa bonitatem, non autem econuerso. vnde licet imago dici possit similis imaginato, non tamen econtrario. Item aduerte, quòd licet æqualitas sit pars vnius, sicut identitas & similitudo, tamen Arist. non distinguit eam, quoniam, cum constet in indiuisibili, non potest dici multis modis, nisi forte applicando diuersis speciebus quantitatis, vt æqualitas in numeris, æqualitas in lineis, æqualitas in superficiebus, &c.

CAPVT VI.

Quinque modi prioris & posterioris exponuntur.

IN sexto capite, assignandi sunt modi prioris & posterioris cum antequã distinguantur nomina significantia partes entis, & hoc

hoc quidem rationabiliter fecit Aristotel. quoniam considerauit prius & posterius consequi ad multa prædeterminata: vt ad principium, ad causam, ad substantiam, ad vnum: nam in ente finito principium est prius, & principiatum posterius, idem est inter causam & causatum, & inter substantiam & accidens, & inter vnum & pluralitatem. Vtile igitur fuit post distinctionem prædictorum assignare modos prioris & posterioris. Aduerte ergo, quòd omnes modi assignati ab Aristotele, possunt reduci ad quinque.

Primus, prius dicitur de eo, quòd est primum in quolibet genere determinato, à quo fluit tota natura illius generis, & posterius dicitur illud, ad quod deriuatur natura illius primi, & constituitur inesse per ipsum: vt in genere substantiæ prius est, quod est prima & nobilissima substantia, & omnes aliæ dicuntur posteriores ad illam. In genere quantitatis continuæ punctus dicitur prius, & omnis dimensio posterior. In genere quantitatis discretæ vnitas dicitur prius, & numerus dicitur posterius, in genere scientię Metaphysica dicitur prior, & omnes aliæ posteriores, &c.

Secundus est, quod est propinquius alicui primo determinato, & posterius, quod est remotius ab eo, & id manifestatur primo in loco: nam prius in loco dicitur, quod est propinquius alicui, quod consideratur vt primum in ordine locandi: siue sit centrum mundi, siue concauum orbis lunæ, & quidem si sit centrum mundi, dicetur aqua prior secundum locum, & aër posterior, si autem sit concauum orbis lunæ, erit opposito modo. Idem intellige quando determinatur principium non solùm ex natura rei, sed ex proposito humano, nam sumpta magnitudine A D, cuius principium sit A, & diuidatur in tres partes, scilicet in A B, & B C, & C D: & locetur lapis vnius in A B, & alius in B C: constat quod locatus in A B, est prior secundum locum, & alius est posterior.

Magnitudo continua.



Secundò in tempore, in quo pro principio sumitur aliquod instans, puta instans præsens, respectu cuius aliquod dicitur prius & posterius in tempore, sed alio modo in præterito, & alio in futuro. In præterito quidem quod est remotius à præsenti nunc, dicitur prius, vt prius fuit bellum Troianum quam Romanorum, quoniam tunc nondum erant Romani: & prior fuit Hector quàm Alexander. In futuro autem quod propinquius erit præsenti nunc, dicetur prius, vt nobis constitutis in hyeme, verum est dicere, prius erunt rosæ quàm poma. Tertio in motu, in quo aliquid determinatur pro principio, à quo incipit motus, vt in motu cœli Aries sumitur pro principio, respectu cuius verum est dicere quod motus Solis in Tauro est prior motu eiusdem in Cancro: eodem modo dicemus puerum esse priorem viro, quoniam propinquior est principio generationis, à quo incipit motus augmenti, & puer est prior quo ad motum augmenti. Eodem modo dicimus viros, qui sunt maioris auctoritatis apud principẽ esse priores quo ad regimen, quod consistit in diuersis motibus voluntariis sub ordinatis, quorum principium primum est voluntas principis. Tales enim viri mouent inferiores ad sic operandum, & si non mouent, nec inferiores mouent se ad operandum. Quarto in ordine, respectu cuius illud dicitur prius, quod est vicinius principio talis ordinis, posterius autem quod est remotius ab eodem. vt in ordine curialium ille est prior, qui propinquior est principi, & in ordine militum propinquior duci dicitur prior, & in chordis citharæ illa est prior, quæ propinquior est chordæ graui, & in numeris ille est prior, qui propinquior est vnitati.

Tertius prius est quod est prius secundum cognitionem. per respectum ad intellectum vniuersalia sunt priora, quoniam eius proprium obiectum est natura vniuersalis. quo ad sensum singularia sunt priora. quoniam sunt illa, quæ primo imprimunt in sensum: sed de his satis dictum est in secundo libro & tertio de Anima.

Quartus, priora sunt quæ sunt passiones priorum subiectorum, vt rectitudo, quæ est passio lineæ, prior est lenitate, quæ est passio superficiei: quoniam linea, vt patet, prior est superficie. similiter potentia vegetatiua prior est potentia sensitiua, quoniam illa consequitur animam vegetatiuam, hæc autem non consequitur animam sensitiuam, quæ naturaliter posterior est anima vegetatiua.

Quintus, priora sunt quæ sunt priora quo ad esse ex natura sui, & id contingit tripliciter. Primo, quo ad ea, quæ possunt esse sine aliis, & non econuerso: & sunt illa, in quibus non conuertitur exillendi consequentia, & hoc modo magis vniuersalia priora sunt minus vniuersalibus. nam potest esse substantia, puta Deus, dato quòd non sit corpus, sed non econuerso, & potest esse animal dato quòd non sit asinus, &c. Secundo quo ad substantiam ad accidens. nam quoniam ens principaliter dicitur de substantia, & dicitur de accidente in ordine ad substantiam, ideo substantia ex natura rei est prior accidente. Tertio quo ad potentiam & actum. nam, vt dicemus in libro nono, in generabilibus prius est esse in potentia quàm esse in actu, quoniam in his cit progressus à potentia ad actum. Loquendo autem absolutè prius est esse actu, quoniam nihil reducitur de potentia ad actum, nisi per aliquod existens actu, vt declarabitur in nono, & in duodecimo libro. Item quæcunque componunt aliud, priora sunt secundum potentiam, & posteriora secundum actum. nam partes, quandiu componunt totum, non habent esse nisi in potentia, si autem debent esse actu, id est, si debent habere separatum esse à toto, necesse est, vt totum corrumpatur & resoluatur in partes: vnde elementa, quæ habent esse in potentia in mixto, incipiunt habere esse in actu per corruptionem mixti resoluti in elementa.

Isti sunt modi, quibus dicuntur aliqua priora & posteriora. Et si tu bene consideras, aduertes, quòd omnes reducuntur ad primum membrum quinti modi, in quo dictum est, quòd ea sunt priora, quæ possunt esse sine aliis, & posteriora, quæ non possunt esse sine illis. nam de natura posterioris est præsupponere prius, ex consequenti aliquo modo pendere à priori. vnde remoto priori, saltem per intellectum, remouetur posterius, sed non econtrario. Et tu applica quod dictum est ad omnes suprà dictos modos, & inuenies sic esse, dummodo prius sit talis naturæ quod sibi ex se non repugnet esse actu: quod dico propter materiam primam, quæ licet sit prior forma, tamen non potest esse sine forma, quoniam ex se est ens merè in potentia, & omnem actualitatem accipit à forma secundum viam nostram. Hæc de priori & posteriori dicta sint.

CAPVT VII.

Potentiæ, & impotentiæ, possibilis & impossibilis modi exponuntur: potentiam demum metaphoricè dici ostendit: demum omnes præcedentes modos ad vnum reducit.

DIstinctis nominibus significantibus partes vnius, nunc distinguenda sunt nomina significantia partes entis. Partes autem entis sunt potentia & actus, & decem prædicamenta. Primo ergo distinguendum est hoc nomen potentia, deinde nomina prædicamentorum. Distinctionem verò actus relinquemus considerandam in libro nono, ne fiat inutilis repetitio. Tex. 17.

Quantum igitur ad nomen potentiæ primo distinguemus potentiam.

Secundo ipsum possibile.

Tertio impotentiam.

Quarto ipsum impossibile.

Quinto declarabimus potentiam metaphoricam.

Sexto reducemus omnes modos ad vnum.

Quantum ad primum, aduerte quatuor modos potentiæ propriè dictæ.

Potentiæ modus primus. Primus: potentia dicitur principium mouendi siue transmutandi aliud in quantum aliud, ita quòd mouens siue transmutans, in quo est tale principium, semper est illud siue suppositum, siue realiter ab eo, quod mouetur aut transmutatur: nihil enim, vt probatum est in 8. Physi. primo & per se mouet aut transmutat seipsum. Dico autem primo, quoniã non inconuenit idem mouere seipsum secũdum partem, vt cùm Socrates manu percutit seipsum. Dico per se, quoniam, vt inquit Arist. accidit artem medicatiuam esse in sanato. nam per accidens est eundem esse medicum & infirmum. igitur hoc principium in motu vel transmutatione per se necessario est in alio, quod mouet vel transmutat aliud, vt ars ædificatiua est in ædificante, quod transmutat ędificatum. Dixi autem semper est aliud siue supposito, siue realiter, quoniam aliquando suppositum mouet aliud suppositum, vt hic ignis calefacit hanc aquam, Socrates mouet hunc lapidem, aliquando pars mouet totum, vt anima mouet animatum, & in hoc sufficit quod mouens, in quo est potentia motiua, sit aliud realiter à moto. nam pars realiter distinguitur à toto. iste igitur est primus modus potentiæ, & est de potentia actiua.

Secundus, potentia dicitur principium, quo aliquid mouetur, aut transmutatur ab alio: & hæc est potentia passiua: vt grauitas in lapide, qua mouetur deorsum à generante: & hæc est potentia, qua patiens potẽs est patis siue patiatur prop

propriè, siue improprié. impropriè quidem pati est aliquid recipere siue bonum siue malum, vnde infirmus recipiens sanitatem, & debilis fortitudinem impropriè paticur. propriè autem est recipere aliquid, quo transmutatur à conuenienti dispositione, vt infirmari, tristari, incarcerari, &c. sub hoc autem modo continetur potentia, quæ quocunque modo est principium patiendi siue recipiendi aliquid ab alio, vnde potentia materiæ, & potentia, qua mouetur cœlum ab intelligentia, continetur sub hoc modo.

Tertius modus. Tertius, potentia dicitur principium, quo possumus bene & perfectè operari, vel quo potest aliquid bene & de facili pati. vt expeditum lingua dicimus posse loqui, quia bene loquitur: & balbutientem non posse loqui, quia malè loquitur. similiter quæ sunt secundum legem dicimus posse agere, quæ autem sunt contra legem dicimus non posse, quia non bene fierent. Ex parte autem pati, vt lignum dicimus incisibile, quia de facili inciditur, lapidem autem econtrario. & hic tertius modus continet in se potentiam actiuam & passiuam adiuncta hac conditione bene vel de facili.

Quartus modus. Quartus, potentia dicitur omnis habitus siue dispositio vel virtus, qua possumus resistere corrumpentibus, & reddimur quasi impassibiles: & per oppositum, si non possumus resistere dicimur habere impotentiam, & hæc est naturalis potentia vel impotentia, quam posuit Arist. in prædicamentis in secunda specie qualitatis.

Depossibili, seu potentijs modi. Quantum ad secundum, aduerte quatuor modos, quibus dicitur aliquid possibile, seu potens.

Primus, potens est illud, quod in se habet principium mouendi, vel transmutandi aliud, & dicitur potens potentia primo modo dicta, quæ est potentia actiua, siue sit potens immediatè, vel mediatè. Immediatè, vt ignis comburit lignum. Mediatè autem, vt ignis calefacit manum. pro quanto communicat calorem aëri circunstanti, & aër ex calore sibi communicato calefacit manum.

Secundus modus. Secundus, potens est illud, quod in se habet principium, quo potest moueri, vel transmutari in aliud, siue in melius, siue in deterius. Et dicitur potens potentia primo modo dicta, id est potentia passiua. hoc modo corruptibile dicitur potens corrumpi. Causa quidem, qua aliquid dicitur hoc modo potens, consistit in duobus. primo in habere aliquid. puta Socrates est potens infirmari, quia habet naturam, vel complexionem talem, vel quia habet humorem peccantem, & non regulatum. secundo in habere priuationem alicuius virtutis, qua posset resistere contrariis inducentibus infirmitatem, puta debilitatem virtutis naturalis. ex qua debilitate, cum non posit vincere contrarium, ducitur ad ægritudinem. & si tu bene aduertes, inuenies, quòd in omni potente pati, hæc duo concurrunt, scilicet aliquid habere, & aliquo priuari. nam aqua ideo potens est pati ab igne, quia habet naturam receptiuam caloris: & quia caret virtute, qua posit repugnare ne ignis agat in ipsam.

Tertius modus. Tertius, potens dicitur illud, quod non habet aliquod principium, per quod patiatur vel corrumpatur ab alio inquantum aliud, vt Socrates regulatus in humoribus dicitur potens, quia caret principio, id est irregularitate humorum, qua posset infirmari: & cœlum est hoc modo potens, quia caret qualitatibus alterratiuis, quibus posset corrumpi.

Quartus. Quartus, potens dicitur illud, quod in se habet principium, quo potest bene & prompte agere vel pati. vt Logicus dicitur potens arguere, quia inest sibi logica, vt principium rectè arguendi. & cera dicitur potens diuidi propter mollitiem, & hic modus translatus est etiam ad inanimata. nam cytharam in chordis temperatam dicimus potentem ad sonandum, quia bene & dulciter sonat, intemperatam autem dicimus non potentem, quia male & insuauiter sonat.

De impotentia. Quantum ad tertium prius assignanda est ratio impotentiæ, deinde modi ipsius. Aduerte igitur, quod cum potentia sit principium agendi vel patiendi, tam bene quàm malè, vt patet ex dictis, impotentia est ablatio illius principij non absolutè, sed in determinato subiecto apto habere illud principium, eo modo quo sibi conuenit, & tali tempore. vnde in viro eunucho est impotentia generandi, quoniam vt homo est aptus generare, & est ætatis aptæ ad generandum, non autem in puero, quoniam impotentia propriè est priuatio potentiæ, priuatio autem non est negatio simpliciter, sed cum circunstantiis dictis. cum igitur impotentia opponatur potentiæ, quot modi potentiæ assignati sunt tot sunt impotentiæ, quos non est necesse numerare, quoniam tibi manifesti erunt, si singulis modis potentiæ applicaueris ablationem illius principij. nam sicut potentia primo modo dicta est principium in alio mouendi, vel transmutandi aliud, sic primus modus impotentiæ est ablatio principij in alio mouendi. & vnde sicut in sano est principium mouendi lapidem decem ponderum, sic in infirmo est ablatio eiusdem principij. tu eodem modo considera in aliis modis potentiæ.

Quantum ad quartum, aduerte duplex impossibile, scilicet reale & logicum. Reale opponitur possibili reali, quod dicitur potens aliquo modo potentiæ, vt declarabimus. Impossibile igitur reale idem est quod impotens: sicut ergo potens dicitur tot modis quot potentia, sic impotens dicitur tot modis quot modis impotentia. isti autem tot sunt quot modi potentiæ. ergo, &c. Dicetur ergo infirmus impossibilis, id est impotens ad mouendum lapidem decem ponderum, eodem modo applica tu in aliis modis. Impossibile logicum opponitur possibili logico, quod est complexum non de necessitate verum, nec de necessitate falsum. dicitur enim possibile logicum, quod potest esse & non esse, vt Socratem sedere: & hoc possibile facit propositionem modalem distinctam contra propositionem de necesse, & de impossibili. Impossibile logicum est complexum de necessitate falsum: cuius oppositum de necessitate verum, vt diametrum esse commensurabilem, est impossibile, quoniam sua negatiua est de necessitate vera, & huiusmodi impossibile constituitur ex repugnantia terminorum: vnde quæcunque implicant contradictionem dicuntur hoc modo impossibilia.

Quantum ad quintum, aduerte quod dicitur potentia & potens per quandam similitudinem in mathematicis: sicut quando dicimus, quod ternarius est in potentia ad nouenarium, quoniam si ducatur in seipsum consurgit nouenarius. nam ter tria constituunt nouem: hæc autem potentia non est realiter & vere potentia, quoniam in quantitate, vt sic, non est principium actiuum, nec passiuum, sed tantum per similitudinem. nam sicut ex eo quod est in potentia fit id quod est in actu, ita ex ductu alicuius numeri in seipsum constituitur numerus quadratus, & numerus ductus in seipsum dicitur metaphorice radix siue potentia.

Et aduerte, quod potentia metaphorice dicta concordat cum possibili & impossibili logico in hoc, quod sicut ibi dicitur possibile & impossibile non per realem potentiam vel impotentiam, sed ex habitudine terminorum, sic ibi dicitur potentia per solam similitudinem.

Quantum ad sextum, aduerte quod omnes modi potentiæ respiciunt primum modum, qui est de potentia actiua, ita quod illo sublato alij auferuntur. Et id sic declaro. nam quod est in potentia passiua, ideo est, quia aliquid potest agere in ipsam, ergo passiua respicit actiuam, & quod potest bene & faciliter agere respicit posse agere: & quod potest bene & faciliter pati, respicit posse pati: & naturalis potentia, qua possumus resistere corrumpentibus, necessario est actiua vel passiua: passiua autem, vt diximus necessario respicit actiuam. constat ergo, quod actiua est principalis, & omnes alias reducuntur ad ipsam. Et quod dixi de modis potentiæ intelligе similiter de modis possibilis, id est potentiis, & de modis impotentiæ, & de modis impossibilis, id est impotentis realis. Omnes enim respiciunt impotentiam actiuam, dempto possibili & impossibili logico, & potentia metaphorice dicta. Bene ergo Aristot. diffiniens potentiam primo modo dictam tanquam principalem dixit eam esse principium permutationis in alio secundum quod aliud. Hæc de modis potentiæ & possibilis, & impotentiæ & impossibilis dicta sint.

CAPVT VIII.

Diffinitur quantum & diuiditur in species, & modus dubitationis item solutio ponitur.

IN octauo capite distinguendum est hoc nomen quantum, sed antequam descendamus ad modos eius tria declaranda sunt.

Primo cum hîc intendat distinguere nomina significantia partes entis, prout distinguitur in decem prædicamenta, quare non incipit à substantia, vt à primo prædicamento.

Secundo, cum sint decem prædicamenta quare distinguat tantum tria nomina, scilicet quantum, quale, ad aliquid, & prætermittit alia sex.

Tertio, quare prius assignat diffinitionem quanti quàm distinguat, cum in prædicamentis statim incipiat à distinctione & prætermittat diffinitionem. sic enim incipit, Quantitatis aliud continuum, aliud discretum.

Ad primum, patet responsio ex prædeterminatis. nam in tertio capite huius tract. distinctum iam fuit hoc nomen substantia, quoniam ipsa est principale subiectum in hac scientia.

non fuit ergo necesse replicare hîc.

Ad secundum, dico, quod, cum Metaphysicus sit vniuersalis & maximè vniuersalium considerator, vt dictum est in procemio Metaphysicæ, ad ipsum non spectat considerare quæ sunt determinati generis secundum propriam rationem, sed ad scientias particulares, nam ens mobile inquantum mobile non spectat ad Metaphysicum, sed ad Physicum. Similiter quæ consequuntur ens mobile, vt motus & actio & passio, quæ non distinguuntur à motu, ex tertio Physico. & locus & tempus, quæ sunt mensura entis mobilis, vbi autem respicit locum, & quando respicit tempus. Similiter situs respicit locum, habitus autem videtur esse de genere ad aliquid, prætermisit igitur ea Aristotel. vt pertinentia ad Physicum ne habitus scientifici confundantur. Potest etiam dici, quod, cum hæc videantur dicere absolutum adiuncto respectu, quòd quidem absolutum est substantia vel quantitas, vel qualitas: respectus autem eorum continetur in ad aliquod, ex eo quod pertractat de substantia, quantitate, & qualitate & ad aliquid persuasit sibi Aristotel. tractasse de aliis sex.

Ad tertium dico quòd Aristot. in prædicamentis non considerat de quantitate nisi vt habet rationem mensuræ. Mensura autem alia ratione conuenit quantitati continuæ, & alia quantitati discretæ. Quæ verò sunt diuersarum rationum, vt sic non possunt vna diffinitione explicari. Et propterea necesse est ea prius distinguere, deinde singulum membrum diffinire, hîc autem considerat eam secundum naturam suam, & inquantum est in se tale ens, & inquantum sui modi sunt speciales modi entis, & vt sic potest diffiniri & assignari communis ratio, in qua cõueniunt tam quãtitas cõtinua quã discreta.

His declaratis assignanda est communis ratio eius, deinde descendimus ad modos suos. Aduerte igitur, quòd sic diffinitur ab Aristotele. Quantum est, quod est diuisibile in his, quæ insunt, quorum vtrunque aut singulum vnum quid, & hoc aliquod aptum est esse, id est, Quantum est quod est diuisibile in partes, quæ ei insunt non solùm in virtute, vt elementa in mixto, sed per essentiam, quorum vtrunque, si quantum diuiditur in duas medietates, aut singulum, si diuiditur in plura quàm duo, est quod vnum quantum, quando est actu diuisum à toto. Et hoc vnum est aptum natum esse hoc aliquid, id est aliquid saluatum in seipso, ita quod retinet eandem entitatem, quam habebat in toto. Et in hoc distinguitur quantum à substantia animata, cuius partes separatæ à toto non retinent priorem entitatem: caro enim abscissa non est caro, nec oculus est oculus nisi æquiuocè, vt dicitur in secundo de Anima. Pars autem quanti continui, siue in toto siue extra totum, retinet in se entitatem & vnitatem & continuitatem suam. Et si numerus diuidatur, partes suæ ita sunt vnitates & indiuisibiles, sicut existentes in toto, hæc igitur est diffinitio quanti secundum entitatem suam. & non per respectum ad aliquod extrinsecum.

Posita diffinitione, quanti, diuidendum est in species suas, deinde in modos suos. Species suæ sunt duæ, scilicet pluralitas & mensura. id est multitudo & magnitudo. Multitudo est numerabilis, & magnitudo est mensurabilis. Et dicitur multitudo id, quod est diuisibile in partes non continuas. Magnitudo autem est quod est diuisibile in partes continuas. Quæ quidem diuisio in partes continuas potest esse triplex, scilicet secundum longitudinem tantum, secundum longitudinem & latitudinem, secundum longitudinem & latitudinem & profunditatem. Et quidem si multitudo sit finita dicitur numerus. si diuisio secundum longitud. sit finita dicitur linea. Si diuisio secundum longitud. & latitudin. sit finita, dicitur superficies. Si diuisio secundum trinam dimensionem sit finita, dicitur corpus.

Sed dices, quare Arist. apponit ly finita cum linea diuidatur per finitam & infinitam, similiter superficies, & corpus, vt patet apud Mathematicum.

Respondeo Aristot. in Metaphysica considerat partes & modos entis, prout possunt esse, vel eis non repugnat esse, & sic considerat de quanto non vt quantum præcisè, sed vt est pars entis, & vt sibi competit esse. Et quoniam repugnat apud ipsum dari quantum infinitum actu, siue continuum, siue ly finita, quasi dicat licet apud Mathematicum considerantem quantũ precisè in ratione quãti & abstractè, Longitudo siue imaginata, vt finita, siue vt infinita, dicatur linea, non tamen apud Metaphysicum considerantem quantum in ordine ad esse, quoniam repugnat dari quantum infinitum. Et ideo vt sit linea & superficies & corpus, necesse est apponi ly finita. Idem intellige de multitudine ad hoc q̃ sit numerus, nam de ratione numeri est mẽsuratio, quæ repugnat infinito.

Modi vero quanti sunt in duplici differentia, quoniam aliqui sunt modi quanti per se, & aliqui, quanti per accidens. Quantum quidem per se est duplex. Quoddam est vt substantialiter & essentialiter quantum: & est omne illud, in cuius ratione ponitur quantum siue quantitas, vt numerus, linea, superficies, corpus. Quoddam autem, vt passio consequens quantum substantialiter, vt multum, & paucum consequitur numerum. longum & breue consequitur lineam: latum & strictum consequitur superficiem: altum & profundum consequitur corpus: magnum & paruum consequitur omne quantum substantialiter, tam continuum, quàm discretum: aliquando quidem absolutè, aliquando autem respectiuè, vt dicetur in libro decimo, & dictum est in prædicamento quantitatis. Et aduerte, quod paruum & magnum etiam transferuntur ad qualitates, sicut & æqualitas, vt dicemus in libro decimo. vnde dicimus, magnam scientiam esse in magistro, & paruam in discipulo, magnam auctoritatem esse in duce, & paruam in milite. *Quantitatis modi.*

Quantum autem per accidens dicitur dupliciter. primo, quia est in subiecto quanto, sic album est quantum, quoniam est subiectiuè in corpore, quod est quantum per se, & hoc modo omnia accidentia recepta in quanto sunt quanta per accidens, id est per subiectum quantum. Secundo quia habent continuitatem & diuisionem, ad diuisionem & continuitatem aliculus per se quanti, ad quod consequuntur. Et hoc modo motus est quantus, quoniam habet continuitatem & diuisionem à magnitudine, super quam est motus. Probatum est enim in sexto Physico. tex. 10. quòd motus diuiditur secundum quod diuiditur magnitudo: vnde, si magnitudo diuideretur in indiuisibilia, similiter & motus: eodem modo tempus est quantum, quoniam sumit continuitatem & diuisionem à motu, cuius est in mensura, vt patet in sexto Physic. Sunt igitur motus & tempus quanta per accidens, non quia sunt subiectiuè in quanto, sed quia iuuant continuitatem & diuisionem in aliquo primo & per se quanto, respectu cuius possunt dici & per accidens & posterius quanta. *Quantum per accidens.*

Sed dices, quare Aristot. in prædicamentis ponit tempus quantitatem per se, hîc autem per accidens: & quare hîc non nominat locum, quem posuit illic speciem quantitatis continuę: & quare hic non nominat orationem, quam illic posuit quantitatis discretæ speciem: & quare hîc nominat motum, de quo non fecit illic mentionem: Pro responsione præmissorum, præmitto duo. Primo vt dixi, Aristote. in prædicamentis non considerat de quantitate, nisi vt habet rationem mensuræ: vnde dato, quod vna met quantitas habere et plures rationes mensuræ respectu diuersorum, talis constituet diuersas species quantitatis, & per oppositum, si essent duæ quantitates, quæ tamen non haberent diuersam rationem mensuræ, non ponerentur distinctæ species. In Metaphysica autem considerat quantitatem, quo ad entitatem & esse suum, & ideo nisi adsit distinctio realis, non ponuntur vt distinctæ species, & nisi habeãt diuisibilitatem ex se non dicuntur quantitates per se, sed per accidens. In prædicamentis autem dummodo habeant propriam & distinctam rationem mensuræ, computantur inter quantitates per se, etiam quod habeant diuisibilitatem ab alto. Secundo præmitto quod dicit hîc Comment. in commento decimo octauo in fine, scilicet quod Arist. in prædicamentis intendit nominare solùm species famosas quantitatis, sed in Metaphysica intendit loqui secundum rei veritatem. *Obiecto.*

His præmissis dico, quòd tempus in ratione mensuræ est quantitas per se. Nam linea, superficies, & corpus mensurant illud in quo sunt, tempus autem mensurat extrinsecum, id est motum: sed quo ad esse quantitatis, quod est esse diuisibile, est quantitas per accidens, diuisibile est enim ad diuisionem motus, & motus ad diuisionem spatij, ex sexto Physi. De loco dico, quod est eadem quantitas cum superficie: est enim locus superficies locantis, ex Quarto Physico. tex. 41. & ideo secundum Metaphysicum non facit distinctam speciem per se: propterea, cùm Aristo. nominauit hîc superficiem, intendit omnem quantitatem non distinctam realiter à superficie, secundum Logicum autem, quoniam eadem superficies comparata corpori contento est mensura eius extrinseca, ideo in ratione mensuræ ponitur à Logico distincta species à superficie. De oratione dico, quod quo ad esse non distinguitur à motu, & ideo Arist. nominãs motũ, intendit nominatum id, quod est idem cum motu. Quantum autem ad rationem mensuræ, dico quod habet distinctam rationem à numero. Nam numerus propriè dicitur mensu

mensura discreti, tam permanentis quam successiui. Oratio vero propriè est mensura discreti successiui, ideo ponitur species distincta à numero. De motu dico, quod in prædicamentis non nominauit eum, quia non competit sibi ratio mensuræ secundum se. nam, vt inquit Comment. hic in commento decimooctauo, non est consuetudo quod mensurētur per partem suam, sed per spatium, super quod fit, aut per tempus in quod fit. Hic autem nominauit eum inter quanta per accidens, quoniam habet esse quantum, id est esse diuisibile non quidem ex se, sed ex alio, id est ex magnitudine, super quam fit: diuiditur enim secundum partes magnitudinis, vt declaratur in sexto Physic. Hæc de quanto dicta sint.

CAPVT IX.

Qualis quatuor modi ponuntur hicque ad duos reducuntur.

IN nono capite assignandi sunt modi huius nominis quale. Aduerte igitur quod Arist. assignat quatuor modos, deinde reducit eos ad duos.

Primus modus. Primus modus, quale siue qualitas dicitur de omni differentia substantiali, qua res substantialiter abinuicem differūt. Differentia enim qualificat substantiam cuius est. vnde ad ipsam respondetur per quale. dum enim quæritur quale est animal, Respondetur, bipes, aut quadrupes. Et qualis figura est circulus, Respondetur hexagona, id est sine angulis.

Secundus modus. Secundus modus, omne calificans Mathematica siue ponantur immobilia, vt dicunt Platonici ponentes ea abstracta secundum esse; siue ponantur mobilia, quia non abstrahunt à materia nisi secundum rationem, vt tenet Arist. dicitur quale, vel qualitas, vnde proportiones numerorum dicuntur esse qualitates, puta par, impar, primus, compositus, perfectus, superfluus, diminutus, quadratus, cubus superficialis, solidus. Similiter differentiæ figurarum, quibus abinuicem differunt, dicuntur qualitates, vt trigonum, tetragonum, pentagonum, hexagonum, &c. Nam si quæritur, numerus senarius qualis est, Respondetur, perfectus, quoniam consurgit ex omnibus partibus suis simul sumptis. & si quęritur figura ignis qualis est, Respondetur, pyramidalis, & figura terræ est rotunda. Et aduerte, quod hic modus correspondet quarto generi qualitatis in prædicamentis, vbi dixit Arist. Amplius autem adhuc rectitudo & curuitas, & si quid simile est his, secundum enim vnūquodque eorum, quale quid dicitur. Triangulum enim vel quadratum esse quale dicitur.

Tertius modus. Tertius modus, omnes passiones, secundum quas mutantur substantię sensibiles, id est, secundum quas fiunt alterationes, dicuntur qualitates, vt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, sapor, odor, & breuiter omne quod est obiectum sensus exterioris. & hic modus correspondet tertiæ speciei qualitatis in prædicamentis. Vbi exemplificans Arist. inquit, sunt autem huiusmodi, vt dulcedo & amaritudo & austeritas & omnia his cognata. Amplius autem & calor, & frigus, & albedo, & nigredo. Et quod hę qualitates sint, manifestum est. Quæcunque enim ea susceperint qualia dicuntur secundum ea.

Quartus modus. Quartus modus, Omne illud, quo disponitur homo ad operandum secundum virtutem, vel vitium, & vniuersaliter omne, quo res bene vel male se habet in ordine ad naturam suam, vel ad propriam operationem, dicitur qualitas. vnde omnes habitus intellectuales, & sua opposita, & omnes habitus boni morales & sua opposita, & omnes habitus corporales boni, & sua opposita, vt sanitas & ægritudo, pulchritudo & deformitas, &c. sunt in hoc quarto modo. Et hic modus correspondet primæ speciei qualitatis in prædicamentis. vbi inquit Aristot, Et vna quidem species qualitatis, habitus & dispositio dicitur.

Positis his quatuor modis, reducit eos ad duos. nam secundum reducit ad primum; quoniam proprietates in Mathematicis sunt differentiæ substantiales: eis enim vt differentiis differunt. puta differt quaternarius à ternario, quia est compositus, quia ex pare, quia est primus numerus quadratus, &c. Quartum autem modum reducit ad tertium. nam sicut qualitates sensibiles sunt principia motuum & actionum in naturalibus, sic habitus & dispositiones sunt principia bonæ vel malæ actionis, maximè in agente libero; vt in homine. & hoc vel secundum intellectum, vt scientia & ignorantia, vel secundum voluntatem, vt virtus & vitium, vel secundum corpus, vt sanitas & ægritudo.

Sed dices, quare Arist. primum modum hic positum non nominauit in prædicamentis, & quare hic prætermisit genus, secundum positum in prædicamentis. Respondeo aliter considerauit Philosophus de qualitate in prædicamentis & aliter hic, nam illic considerauit inquantum est vnum prædicamentum accidentium, & ideo necesse est omnes species eius esse accidentia, & quoniam differentia substantialis non est accidens, ideo non posuit eam inter species qualitatis inquantum est prædicamentum. Hic autem considerat eam non vt est prædicamentum sicut dicit Comment. in comment. decimonono, sed vt est nomē multiplex, & intēdit numerare omnes modos, quos hoc nomen quale siue qualitas communiter dicta significare consueuit, siue sit substantia siue accidens, dum modo prædicetur in quale: & quoniam differētia substantialis prædicatur in quale: ideo cōtinetur sub qualitate communiter dicta, non autem sub prædicamento qualitatis.

De secundo autem genere, quod est naturalis potentia & impotentia, dico quod prætermisit illud, quoniam iam locauerat ipsum in capite de potentia siue potestate. Et est quartus modus. In prædicamentis autem nominauit eam, quoniam & secundum esse est accidens: & quo ad modum nominandi, habet modum qualitatis. Hæc de qualitate dicta sint.

CAPVT X.

IN capite decimo assignādi sunt modi huius nominis, ad aliquid, siue relationis. & primo quidem modi relationis secundum se, deinde modi secundū aliud, siue ratione alterius.

Primus modus est, qui fundatur super quantitatem, tam continuam, quam discretam. Super continuam quidem, vt æquale & inæquale. Duæ enim lineæ finitæ adinuicem comparatæ sunt æquales, aut inæquales. Super discretam verò, vt duplum, triplum, dimidium. Sed, quia quantitas cōtinua non fundat relationem, nisi vt induit rationem vnitatis, aut numeri, ideo Aristot. dicit quod primus modus est secundum numerum, vt duplum ad dimidium, triplum ad tertiam partem, & multiplex ad submultiplex, & excedens ad excessum. Et aduerte, quod in hoc primo modo continentur omnes species proportionum numeralium, quæ sunt aut numeri ad numerum, aut numeri ad vnitatem. & ordinatam diuisionem harum specierum iam disposuimus in epitome super octo libros Physic. in libro Septimo, vbi pertractauimus de proportionibus motuum. Et B. Tho. ordinat in expositione præsentis text. Et iterum aduerte omnes relationes huius primi modi esse reales & mutuas, quoniam ex natura rei omnes duæ quantitates numerales mutuū ordinem habent adinuicem in rationem mensuræ fundatæ super quantitatem. Patet enim quod sicut dimidium ex sui natura, & non solùm ex apprehensione nostri intellectus respicit duplum, ita & econuerso. Idem intellige in aliis. & iterum aduerte, quod in hoc modo continentur omnes relationes, quæ sunt inter excedens & excessum, & inter continens & contentum, dato quod non sint commensurabilia, sicut est latus & diameter in quadrato, cum enim vtrunque sit quantitas finita, verum est dicere quod sunt æqualia vel inæqualia: non æqualia vt patet: ergo inæqualia, ergo vnum est tantum, & adhuc amplius.

Secundus modus est, qui fundatur super potentiam actiuam & passiuam, inquantum sunt principia agendi, vel patiendi. Quæ quidem dupliciter possunt considerari. Primo, inquantum nondum sunt coniunctæ actui, & nominantur his terminis verbalibus, motiuum mobile, actiuum passiuum, vt calefactiuum calefactibile. Secundo inquantū sunt coniunctæ actui, & nominantur terminis participiorum præsentis temporis ex parte potentiæ actiuæ, & terminis participij præteriti. ex parte potentiæ passiuæ, vt mouens motum, calefaciens calefactum, causans causatum. Item inquantum non sunt coniunctæ actui, possunt comparari ad tempus præteritum & ad futurum. ad præteritum quidem, inquantum fuerunt sub actu, vt pater & filius, pater enim est qui genuit, & filius qui genitus. Ad futurum autem, inquantum erunt sub actu, vt ædificaturus & ædificandum. In hoc autem modo etiam continentur relationes fundatæ super priuationem potentiæ, quæ dicitur impotentia, à qua deriuatur impossibile, vel impotens reale, de quo locuti sumus in capite septimo: vbi assignauimus differentiam inter impossibile reale & impossibile logicum: nam quod est impossibile vel impotens reale, respectu alicuius est impotens, & quod est inuisibile, respectu alicuius est inuisibile. Et aduerte, quod relationes huiusmodi omnes sunt reales mutuæ, modo sint fundatæ super potentiam actiuam & passiuam creatas: sic enim sunt eiusdem ordinis & se mutuo perficiunt. Nam agens creatum non solùm actu suo actuat & perficit passum, sed & ex actu suo perficitur. Si autem fundentur super potentiam actiuam increatam & potentiam passiuam creatam, non erit mutua realis, sed realis tantum ex parte creati: quoniam licet passum creatum perficiatur ab agente increato, tamen ipsum actu suo non perficitur, cum sit substantia sua, vt dicemus in libro duodecimo.

Tertius

Tertius modus. Tertius modus est, qui fundatur super mensurationem, vel dependentiam vnius rei ab alia, vel super imitationem vnius rei ad aliam. Exemplum primi, vt sensibile & sensus, scibile & scientia, intelligibile & intellectus. Nam sensus quo ad actum pendet à sensibili: habemus enim sensum vt sentiamus, vt dicetur in nono libro. Sic scientia nostra speculatiua pendet à scibili, sic intellectus noster quo ad actum pendet ab intelligibili. Exemplum secundi, vt imago & imaginatū: dicitur enim imago, quia imitetur imaginatum. Relationes autem huiusmodi in hoc distinguuntur à relationibus primi & secundi modi: quoniam illæ sunt reales mutuæ ex hoc, quod vnum extremum refertur ad aliud, & econuerso: hic autem nō sunt mutuæ, sed stat relatio realis tantum in vno extremo, scilicet in eo, quod dependet, vel imitatur. Alterum autem dicitur relatiue solùm, quia alterum extremum refertur ad ipsum, & ipsum est terminus talis relationis: verbigratia scibile dicitur relatiuè ad scientiam, quia scientia refertur ad ipsum, & quia terminat dependentiam scientiæ ab ipso. Similiter imaginatum dicitur ad imaginem, quia imago refertur ad ipsum, & terminat illius imitationem: vtrum autem extremum terminans talem relationem terminet eam sub ratione absoluti, an sub ratione relatiui, declarabitur in quæstionibus nostris Metaphysicalibus. Isti igitur sunt modi relatiuorum per se assignati ab Aristote. Sed dices, videtur Philosophus diminutus, nam identitas specifica, & diuersitas sunt relationes reales. Socrates enim & Plato realiter conueniunt in natura humana, homo autem & leo realiter differunt in naturis specificis. Et hæc identitas & diuersitas non fundantur super quantitatem, nec super potentiam actiuam & passiuam, nec super mensurationem siue dependentiam, sed super rei substātiam: ergo, &c. Præterea similitudo & dissimilitudo sunt relationes reales & fundantur super qualitatem: ergo, &c.

Respondeo, fundamentum relationis non debet considerari præcise vt res est, sed vt stat sub ratione fundandi: nam vt res potest esse substantia, quantitas, qualitas, actio, passio, vt autem stat sub ratione fundandi, dico, quòd non potest fundare, nisi vt induit rationem quantitatis: puta vnius vel numeri, vel rationem potentiæ actiuæ & passiuæ, vel rationem dependentiæ, &c. Vnde substantia non fundat identitatem nisi vt vna, nec diuersitatem nisi vt plures. Idem dico de qualitate, vt fundat similitudinem & dissimilitudinem, propterea inquit Aristotel. in textu. (Hæc enim secundum vnum dicitur omnia, eadem nanque quorum substantia vna. Similia verò quorum qualitas est vna, &c.

Modi verò ad aliquid ratione alterius sunt tres. Primus est ratione generis, vt medicina dicitur ad aliquid, quia continetur sub scientia, vt sub genere, quæ dicitur ad aliquid, & est in tertio modo, vt visum est. Secundus est ratione habentis, vt æqualitas & similitudo, & aliæ habitudines dicuntur ad aliquid, quia habentia æqualitatem, id est æqualia, &c. dicuntur ad aliquid. Hic tamen modus est improprius, quoniam huiusmodi habitudines sunt, quibus aliqua dicuntur ad aliquid, & non quæ dicuntur ad aliquid. Tertius est ratione accidentis, vt subiectum dicitur ad aliquid: quoniam eius accidens dicitur ad aliquid: puta quia hic homo est duplex secundū quantitatē cōparatus alteri homini, dicetur hic homo ad aliquid, quia ei accidit esse duplū, quod est ad aliquid, & Socrates dicitur ad aliquid, quia est seruus, quod est ad aliquid. Hęc de modis ad aliquid dicta sint. Et hic terminatur secundus tractatus.

TRACTATVS TERTIVS super Quintum Metaphysicæ eiusdem Chrysostomi.

IN hoc tertio tractatu distinguenda sunt nomina, quæ significant per modum proprietatum, siue passionum entis, & sunt ista.

Perfectum.
Terminus.
Secundum quod.
Dispositio.
Habitus.
Passio.
Priuatio.
Habere.
Ex aliquo.
Pars.
Totum.
Colobon.
Genus.
Falsum.
Accidens,

CAPVT I.

Perfectum secundum se tribus dici modis dicitur, quibúsque conueniat exponitur: modi item, quibus nonnulla in alterius ratione perfecta dicantur, manifestantur.

IN primo capite assignandi sunt modi huius nominis perfectum, & sic procedemus.

Primò ponemus modos perfecti secundum se.

Secundò declarabimus quomodo isti modi diuersis diuersimodè conueniunt.

Tertiò assignandi sunt modi, quibus aliqua dicuntur perfecta in ratione alterius.

Perfectū secūdū se. Tex. c. 12. in cap. 16. Quantum ad primum aduerte, quòd modi perfecti secundum se, sunt tres. Primò illud perfectum est, cui nulla particula deest requisita ad integritatem suam, & hoc est perfectum secundum quantitatem dimensiuam, & non verificatur nisi in rebus quantis: vt tempus, puta dies, dicitur perfectū, quando pertransierint vigintiquatuor horæ, & tempus vitæ cuiuslibet viuentis dicitur perfectum, quando nulla pars deest tali tempori: & homo, vt totum integrale dicitur perfectus, quādo nullum membrum sibi deest, nec est membrum diminutum, nec excedens conuenientiam naturæ suæ: & hoc modo dicitur corpus perfectum: quoniam, cùm non dentur nisi tres dimensiones, nulla sibi deest, & mundus corporeus dicitur perfectus, quoniam nulla substantia corporea ad eius integritatem requisita sibi deest.

Secundus modus. Secundò illud est perfectum, cui nihil deest de virtute, & bonitate secundum quod sibi competit, ita quod in genere suo non datur excedens ipsum in virtute, nec ipsum in virtute est minus habens quam habeat habere, & dicitur perfectum secundum qualitatem. Et hic modus verificatur tam in rebus corporeis, quam incorporeis: vt sol perfectus est in luce, & intelligentia est perfecta in virtute motiua, & in scientia: & medicus perfectus est, cui nihil deest requisitum ad actionem medicinæ, nec datur superior eo in tali arte. Et aduerte, quòd hic modus adeo communis est, quòd etiam vsitatur in rebus prauis: dicimus enim perfectum mendacem, quando in summo mentitur, & perfectum furem, quando est in summo latrocinij, nec est mirum, quoniam, cum perfectio sit bonitas, vtimur etiam per extensionem nomine boni in rebus malis, vt bonus supplentator, bonus fur, & est quando aliquis in malo opere ita prudenter procedit, sicut bonus in bono opere.

Tertius modus. Tertiò, illud est perfectum, quod est consecutum finem suū, vt homo dicitur perfectus, quando est beatus, tunc enim attingit vltimum bonitatis suæ. Et dicitur bonitatis suæ, ad differentiam eorum, qui consequuntur finem malum, vt adulter & proditor patriæ, isti enim non merentur dici perfecti ex fine malo, sed miseri, quia sicut malum opponitur bono, ita & perfectioni. Tu tamen aduerte, quod quoniam finis habet rationem vltimi, consueuerunt loquentes extendere hoc nomen perfecti ad quodcunque vltimum, etiam, quod sit malum: vnde, cùm res omnino destructa vel corrupta fuerit, solet dici perfectè destructa, sed hæc locutio est impropria, & solùm per Metaphoram: sicut & quando dicimus mortem esse finem, quia est vltimum. Quod tamen non est propriè dictum: nam de ratione finis duo sunt, scilicet esse vltimum, & esse appetibile: est enim id, gratia cuius operamur, sed secunda conditio deficit in morte: quare, &c.

Quibusnam perfectionibus modi conueniāt tā in genere quàm in specie. Quantum ad secundum aduerte, quòd isti modi præcipuè primus & secundus alicui conueniunt absolutè & simpliciter, alicui in genere. Absolutè quidem primus modus conuenit mundo corporeo, qui continet omnem dabilem magnitudinem, extra quem, vt probatur in Secundo Coeli, nulla est magnitudo, nec corpus, nec locus, nec tempus. Secundus autem modus absolutè conuenit soli Deo, qui in se continet omnes dabiles bonitates cuiuscunque generis, nec ab aliquo exceditur, nec ab alio accipit, nec extra ipsum est bonitas, quæ non sit ab ipso, & dicit Commentator in commento vigesimoprimo, quòd ista est dispositio primi principij, id est Dei. In genere autem primus modus conuenit illi, cui nihil deest requisitum ad integritatem substantiæ suæ corporeæ, & eodem modo omne corpus dicitur perfectum, inquantum sibi inest omne genus dimensionis, scilicet longitudo, lati. & profunditas, ex opposito linea & superficies dicuntur imperfecta. Secundus verò modus inest illi, qui habet omnem virtutem & bonitatem sibi debitam, pro tali genere, & à nullo exceditur in tali genere, nec diminuitur, vt perfectus medicus, perfe-

Perfecta in ratione alterius.

ctus musicus, perfectus philosophus.

Quantum ad tertium aduerte aliqua nominari perfecta ratione alterius, quatuor modis. Primo, quia producit aliquod perfectè, vt dicitur in quarto meteo. perfectũ est vnum quodque, cùm producit tale quale ipsum est. Secundo, quia habet aliquid perfectè, vt sol dicitur perfectus, quia habet perfectam lucem. Tertio, quia imitatur aliquid perfectè, vt discipulus perfectus, quia in docendo perfectè imitatur magistrum. Quarto, quia repræsentat aliquid perfectè, vt imago conformis imaginato: sic omnis effectus vniuocus dicitur perfectus, quando perfectè assimilatur causæ suæ. Hæc de perfecto dicta sint.

CAPVT II.

Quòd terminus metaphysicè acceptus: eiusque tres modi exponuntur.

Cõm. 22. & cap. 17

IN secundo capite assignandi sunt modi huius nominis terminus: sed prius declarandum est, quid sit terminus consideratione metaphysica. Aduerte igitur, quòd terminus est vltimum cuiusque rei, intra quod continetur quicquid ad terminatum pertinet, & extra quod nihil rei primæ terminatæ restat: vt primum cœlum est terminus mundi corporei: quoniam intra ipsum continentur omnes partes mundi, & extra ipsum nihil restat. Dixi autẽ rei primæ terminatæ, quoniam non inconuenit idem esse vltimũ partis præcedentis, & principium partis sequentis, vt punctus in medio lineæ potest dici terminus, id est vltimũ primæ medietatis, nõ autẽ secũdæ.

Primus, modus.

Modi autem termini sic diffiniti sunt quatuor. Primus dicit vltimum magnitudinis, vel habentis magnitudinem: vt superficies est terminus corporis, & superficiei linea, & lineæ punctus: & cutis in animali est terminus partium animalis, scilicet ossis, carnis, nerui, sanguinis, &c. Secundus dicit vltimum, ad quod est motus, siue actio, vt quantitas debita rei animatæ, est terminus augmẽti. Dixi autem ad quod est motus, quoniam licet solitum sit dicere, motum esse inter duos terminos, scilicet, à quo & ad quem, tamẽ proprie dicitur terminus id, ad quod est motus, quoniam de ratione termini est terminare, id est vltimare. Tertius dicit finem, gratia cuius aliquid fit: quoniam finis est vltimum ad quod respicit agens, vt sanitas est terminus medicantis, & habitus est terminus ædificantis. Quartus dicit rei diffinitionem significantem rei substantiam, & quid dicatem: dicitur autem diffinitio terminus, quia habita rei diffinitione habetur potest vltimate rei cognitio. Nam habita diffinitione demonstrari possunt passiones de subiecto, quibus demonstratis acquisita est de re scibili scientia. Quòd si diffinitio est terminus cognitionis, est etiam terminus rei, quia diffinitio significat essentiã, qua vnũquodque terminatur in certo gradu entis, & quoniam primum ens est illimitatum & penitus interminatum, vtpote existens æquiualenter omne ens, ideo de eo non potest haberi diffinitio propriè dicta; patet igitur quot modis dicitur terminus apud Metaphysicum. Quod dico, vt excludam consideration em Logici, de qua nunc non me intromitto.

Et aduerte, quòd si comparetur terminus ad principium tot modis dicitur quot & principium & amplius, nam omne principium est terminus, vnde principium lineæ, id est, punctus dicitur terminus, sed nõ omnis terminus est principium, nam punctus in quo finitur linea est terminus, sed non est principium. Hæc de termino dicta sint.

CAPVT III.

Eius quod est secũdum quod, & secundum se, & dispositionis multiplicitas exponitur.

Com. 23. cap. 18.

IN tertio capite distinguenda sunt hæc tria, secũdum quod, secundum se, id est per se, & dispositio. Ratio autem distinguendi hæc tria successiuè est hæc: quoniã, vt patebit, aliquis modus secundũ quod, est idem cũ aliquo modo per se. Item aliquis modus secundũ quod dispositione, vt manifestabitur.

Aduerte igitur q̃ly secundũ quod quatuor modis dicitur. Primo dicitur de essentia & quiditate reimã si quæratur, secundum quid homo est risibilis, respondetur secundum quod est animal rationale: & secundum quid mouet seipsum, respondetur, secundum quod est substantia animata.

Secundo dicitur de primo subiecto & immediato receptiuo alicuius accidentis: vt si quæratur secundum quod corpus est coloratum: respondetur secundum superficiem: & aduerte hunc modum pertinere ad causam materialem, quoniam subiectum habet rationem materiæ, primus autem ad causam formalem.

Tertio dicitur vniuersaliter de omni causa: nam idem est quærere secundum quam causam id factum est, id est congenita est aqua, vel factum est tonitruum, & per quam causam: sed hic modus in idiomate Latino non est multum in vsu.

Quarto dicitur de positione siue de situ, vt cùm quæritur, secundum quem stat ille in ecclesia, id est, iuxta vel penes quem. Sed hic modus vsitatior est in idiomate Græco. Hæc de secundum quod dicta sint.

Modi vero secundum se, id est per se sunt quatuor. Primo scilicet illud dicitur per se, quod significat rei essentiam: & quoniam diffinitio & partes diffinitionis ad essentiam spectant, ideo quando dicitur diffinitio vel pars diffinitionis de diffinito continetur in hoc primo modo per se.

Secundo illud est per se, quod apparet in aliquo primo subiecto siue secundum totum, siue secundum partem. Exemplum primi superficies est colorata. Exemplum secundi, homo est viuens, quia eius pars est anima, cuius natura est esse primum principium vitæ.

Tertio illud est per se, quod conuenit alicui sine alia causa, sed ex se, vt quando idem prædicatur de seipso, nam licet sint multæ causæ quare homo existit, puta anima efficiens, materia, tamẽ huius nulla per se hoc tertio modo, & aduerte quòd hic modus maximè verificatur in Deo glorioso, quia non mediante alio est omne quod est, vnde dicitur hoc tertio modo per se bonus, per se viuens, per se intelligens, &c.

Quarto illud est per se, quod sine consocio est, & tunc ly per se æquipollet solitariæ: vt phœnix est per se in mundo. Et hic modus ponitur tertius in lib. poste. Primus autẽ & secũdus correspondent primo & secundo in posterioribus, & tertius, & hic positus potest correspondere quarto in posterioribus.

Quantum ad hoc nomen dispositio, aduerte primo quid sit, deinde quot modis dicatur. Est igitur dispositio ordo partiũ in quolibet habente partes: vt dispositio domus est, quòd fundamentũ sit inferius, & parietes in medio, & tectum superius.

Modi eius sunt tres. Primus est secundum ordinem partiũ in loco, ita quòd sicut totus locus correspondet locato, ita partes loci correspondeant partibus locati, puta totus locus à concauo orbis lunæ vsque ad centrum correspondet quatuor elementis: huius autem totalis loci, alia pars correspondet igni, alia aëri, &c. Et ex hoc ordine dicuntur elementa bene disposita secundum locum.

Secundus est, secundum ordinem partium quo ad virtutem siue potentiam actiuam, aut passiuam, puta respectu nutritionis, quod dentes, quod stomachus, quod cætera membra vitalia bene se habeant, & tunc dicimus esse animal dispositum ad nutriendum se, quando autem male se habent dicitur animal indispositum.

Tertius est, secundum ordinem partium quo ad speciem siue formam totius: & iste modus requirit tres conditiones. primo, quòd omnes partes sint permanentes, vnde in successiuis non seruatur hic modus dispositionis. Secundo quod omnes partes sint in toto, vt requirit forma totius, puta in homine, caput sit sursum, pedes deorsum, oculus in capite, &c. Vnde in monstro non seruatur hic modus dispositionis. Tertio quòd partes adinuicem continuentur, propterea in homine, cuius pedes aut manus essent abscissæ, non seruatur hic modus dispositionis. Et aduerte, vt dicit Cõmen. in cõm. 24. quòd dispositio secundum primum modum, est prædicamentum situs, & quo ad tertium modum est differentia quantitatis: dictum est enim in prædicamentis aliquam quantitatem habere positionem, vt linea, superficies. &c. aliquam autem non, vt tempus & numerus. Et quantum ad secundum modum, vt dicit B. Thom. est prima species qualitatis. Hæc de dispositione & de modis eius dicta sint.

CAPVT IIII.

Habitus, passionis, priuationis & infinitiuis habere, modi exponuntur.

IN quarto cap. assignandi sunt modi huius nominis habitus, deinde passionis, deinde priuationis, deinde huiusmodi infinitiui habere.

Quantum ad habitum Aristoteles duos modos assignat. Primus est, habitus dicitur de eo, quod est medium inter hominem vestitum & vestem, & est quasi vt actio, aut passio quædam: nam sicut inter calefaciens & calefactum medium est calefactio, quæ ex parte agentis dicitur calefactio actio, & ex parte passi dicitur calefactio passio: ita inter habentem vestem & habitam vestem mediat habitus, qui ex parte habentis signatur vt actio, ex parte habitæ vestis signatur vt passio. Quid autem realiter sit, an respectus an absolutum, determinabimus in quæstionibus metaphysicalibus.

Sed

Habitus.

Sed dices, si habitus est quid medium inter vestitum & vestem, nunquid inest vestito mediante alio habitu.

Respondeo quod non, aliter esset processus in infinitum: nam, si habitus inest vestito mediante alio habitu, quæri poterit de illo alio sicut de primo, & sic de aliis: dicendum est ergo habitum inesse vestito per seipsum, & non per alium habitum medium. Vnde idem est iudicium de habitu, sicut de accidente quod inest subiecto non mediante alio accidente: vanum enim est dicere albedinem inesse nui mediante alia albedine, & vanum est dicere relationem inesse relatiuo mediante alia relatione: & aduerte, quod habitus sic dictus est vltimum prædicamentum.

Secundus est habitus, & dicitur dispositio, id est qualitas qua aliquid bene vel malè dispositum est: vt virtute homo bene disponitur moraliter, & vitio malè, sanitate bene disponitur quo ad actiones naturales, ægritudine autẽ malè. Sed aduerte habitum sic dictum posse conuenire alicui dupliciter. Primò secundum se, & sic homo existens verè sanus dicitur habere habitum sanitatis in se, & secundum se. Secundò in respectu ad aliud, vt laborans febre quartana potest dici esse sanus respectu laborantis febre continua. Item aduerte, quòd non solùm de bona vel mala dispositione totius dicitur habitus hoc secundo modo, sed etiam bona dispositio partium, puta si quis sit sanus capite, & infirmus pede, potest dici habere habitum sanitatis secundum partem, & habitum ægritudinis secundum partem. Idem dico respectu corporis & animæ: contingit enim fortem habere habitum bonum secundum corpus, quia sanus & robustus, & malum secundum animam, quia vitiosus & profanus, & habitus sic dictus est in prima specie qualitatis, vt patet in prædicamentis. Et aduerte huiusmodi habitum esse medium inter potentiam & actum secundũ, & cõstituitur res per ipsum in actu primo, vnde sciens, dormiens, dicitur sciẽs in habitu. Hæc de modis habitus dicta sint.

Cap. 11. tex. 26.

Quantum ad modos passionis, aduerte quatuor positos ab Aristot. Primò omnis qualitas, secundum quam fit vera alteratio, dicitur passio: vnde omnis qualitas in tertia specie qualitatis potest dici passio, vnde & Aristoteles in prædicamentis appellat huiusmodi qualitates passiones, vel passibiles qualitates, & secundum eas propriè & solùm fit alteratio, vt probatur in septimo Physicor. textu decimoquarto. Huiusmodi autem qualitates sunt primæ qualitates elementares, & secundæ qualitates causatæ à primis, vt sapor, & odor, & duities, & mollities, & aliæ de quibus agitur in quarto li. Meteororum.

Secundus modus.

Secundò dicitur de omni motu alterationis denominato ab his qualitatibus, vt se tenet ex parte recipientis: vt calefactio aquæ dicitur passio, & vniuersaliter omnis receptio sensibilis qualitatis in subiecto dicitur passio: & hoc modo passio est prædicamentum oppositum prædicamento actionis.

Tertius modus.

Tertiò dicitur de alterationibus nociuis, id est trahentibus naturam rei à conuenienti dispositione ad sibi contrariam: vt ægrotatio, & hic modus est proprius & famosus: nam, vt dicit Aristotel. in septimo Physicorum textu decimosexto, ridiculum est dicere rem dum perficitur alterari, vt quando infirmus sanatur, aut domus accipit complementum. Alteratur autem propriè, quando deterioratur: vnde febricitantem dicimus alteratum: idem dicendum est de passione, nam communi sermone passio propriè dicit receptionem disconuenientis & contristatiuæ qualitatis.

Quartus modus.

Quartò dicitur de magnis calamitatibus, & de magnis prosperitatibus, & gaudiis, non quidem secundum se, sed vt cadunt in malum nescienti bene vti bona fortuna, & nescienti se regulare in magnis exultationibus. Propter huiusmodi abusum, quamplures in multis malis inciderunt, ideo sicut calamitates magnæ dici consueuerunt passiones, sic & magnæ exultationes. Hæc de modis passionum dicta sint.

Tertius modus.

Quantum ad modos priuationis aduerte, quod, cùm dicat negationem cum aptitudine in subiecto, possunt assignari ex parte aptitudinis, & ex parte negationis. Ex parte aptitudinis sunt quatuor modi.

Primus modus.

Primò dicitur priuatio, siue priuari de eo, quod est aptum natum esse in aliquo, non tamen in eo, quod dicitur priuatum: vt lapis priuatus est oculis, qui licet non sint apti esse in lapide, tamen sunt apti esse in aliquo alio, puta in homine. Si autem tale non est aptum esse in aliquo de eo non verificatur priuatio: vanum est enim dicere lapidem esse priuatum chimæra, quoniam cùm sit ens fictitium, in nullo est aptum esse realiter.

Secundus modus.

Secundò dicitur de eo, quod licet non sit aptum habere, tamen aliquod sui generis est aptum habere: vt talpa dicitur priuata visu, quem licet talpa non sit apta habere, tamen aliquid sui generis, vt homo, canis, leo, equus, &c. quæ continentur sub animali, vt talpa, sunt apta habere.

Tertius modus.

Tertiò dicitur de eo, quod est aptum habere secundum seipsum, & non habet pro tempore sibi conuenienti, & in quo loco, & secundum talem partem, & secundum modum conuenientem: & hæc est propriissima priuatio. Propter primam circunstantiam, canis non est cæcus ante nonum diem. Propter secundam non dicitur nox esse in centro terræ, quia lux solis non est apta ibi illustrare. Propter tertiam non dicitur homo caluus secundum manum, quia capilli non sunt apti esse in manu. Propter quartam non dicitur homo paruus, quia non est magnus sicut turris, nec tardus in motu, quia non currit vt cerius.

Quartus modus.

Quartò dicitur de eo, à quo aliquid per vim aufertur, quod est aptum possidere illud: vt viator dicitur priuatus veste, quã prædones ab eo rapuerunt, & hic modus est valde famosus apud communiter loquentes. Vnde solemus dicere aduersam fortunam priuasse fortem filiis, aut amicis, aut diuitiis, &c. Igitur inter omnes modos tertius & quartus sunt magis in vsu.

Ex parte autem negationis quatuor sunt modi. Primò negatio alicuius solet dici priuatio: vt inæqualitas, iniustitia, inuisibile, eo quòd non habet colorem omnino, nec lucem. Secundò non solùm negatio alicuius solet dici priuatio, sed etiam, si illud habeatur defectiuè, aut turpiter, sicut infirmus dicitur priuatus colore, quia aut non habet debitum colorem, aut habet turpem. Et raucus dicitur priuatus voce, quia non habet bonam. Tertiò, quod habet parum de eo, quod est aptum habere, dicitur priuatum esse, vt infirmus grauis dicitur priuatus viribus & spiritu, & sermone, qui de iis parum habet. Quartò, quòd non de facili aut bene est tale, vel tale, dicitur priuatiuè tale, vt lapis est insecabilis, quia cum difficultate secatur. Quintò dicitur aliquid priuatiuè & propriè, si non solùm defectiuè, aut turpiter, aut parum, aut non bene, sed si omnino non habet, vt ille dicitur cæcus, non quia est monoculus, aut parum videt, sed quia omnino non videt, & tamen est aptus videre. Et aduerte, quòd inter hos modos, primus impropriissimus, & quintus propriissimus, medij autem, medio modo se habent. Iterum aduerte, quod quoniam priuatio propriè dicta dicit negationem & aptitudinem in subiecto cum circunstantiis suprà positis, inter habitum & priuationem datur medium, vnde non omnis homo est iustus vel iniustus, sed potest esse non iustus, vt puer. Et in hoc differt oppositio priuatiua ab oppositione contradictoria, in qua non datur medium, vnde & Commentator dicit in commento vigesimoseptimo, habitus & priuatio diuidunt verum & falsum non in omnibus rebus, sed in subiecto, scilicet proprio & apto, hæc de modis priuationis dicta sint.

De habere. capitis 23. tex. 28.

Habere autem dicitur quatuor modis. Primò de eo, quod habet aliquid in dispositione, & facultate sua, vt febris habet febricitantem, Tyrannus ciues, posse, fortem possessam, dominus seruum. Secundò de subiecto, cui inest forma aut substantialis, aut accidentalis, vt materia cœli habet formã cœli, corpus habet animam, cuprum habet statuam, superficies habet colorem, intellectus habet scientiam, & vniuersaliter hic modus verificatur de subiecto respectu cuiuscunque accidentis sibi existentis. Tertiò de omni continente respectu contenti, & hoc modo cœlum habet omnia elementa, & elementata, & omne totum habet suas partes, & omnis locus suum locatum. Quartò de omni prohibente aliquid moueri, aut operari secundum impetum suum, sic columnæ habent domum, quoniam prohibent ipsam moueri secundum impetum suum, scilicet deorsum: sic apud poëtas Athlas habet cœlum, quia prohibet ipsum cadere: sic anima habet corpus, quia prohibet ipsum dissolui, quandiu est in eo, & hoc etiam modo continens habet contentum, quia tenet ipsum vnitum, aliter separarentur partes contenti abinuicem. Illi sunt modi ipsius habere, quibus, vt inquit Aristotel. correspondent modi essendi, qui in quarto Physicor. sunt octo, ex quibus primus, & secundus, tertius, quartus, & octauus correspondent tertio modo ipsius habere. Quintus autem correspondet secundo modo ipsius habere. Sextus correspondet primo modo ipsius habere. Septimus verò correspondet quarto modo ipsius habere. Hæc de modis habitus, & passionis, & priuationis, & habere dicta sint.

Causam huius fictionis legit D. Tho. 5. Met. p. lec. 20. in fine.

CAPVT V.

Eius quod ex aliquo fieri modi, & partis ac totius, Coloboni, ac generis, & genere diuersorum, exponuntur.

Cap. 24. tex. 29.

IN quinto capite distinguendæ sunt nomina, quæ important partem, aut totum, siue integrale, siue essentiale, siue vniuersa

uersale:& quoniam pars est,ex qua aliquid componitur,ideo prius distinguendum est hic terminus ex quo ,deinde pars, deinde totum, deinde colobon,deinde genus.

Aduerte igitur,q; aliq̃d potest dici fieri ex aliquo tripliciter.
Primo propriè, & primo.
Secundo propriè, sed tantum secundum partem.
Tertio impropriè.
Modi,quibus aliquid fit propriè , & primo sunt quatuor.

Primo aliquid fit ex aliquo,vt ex materia,siue remota , siue proxima. Remota quidem vt omnia liquabilia fiunt ex aqua , proxima autem , vt domus fit ex lapidibus , & statua ex ære : & hic modus procedit via compositionis , & est oppositus tertio modo, vt apparebit.

Secundo aliquid fit ex aliquo,vt ex primo mouente:sic pugna fit ex conuitio , &c. & omne primum , ex quo originatur aliquid.

Tertio aliquid fit ex aliquo via resolutionis , sicut ex composito componentia:resoluitur enim compositum in componentia. & hoc modo fiunt elementa ex elementato: versus ex poëmate, literæ ex syllabis , lapides ex domo. & hic modus opponitur primo non solũ,quia hic attenditur penes resolutionem,& ille penes compositionem, sed quia hic est processus à forma ad materiam,illic autem est processus à materia ad formam. partes enim habent rationem materiæ , totum autem habet rationem formæ , & perfecti.

Quarto aliquid fit ex aliquo, sicut species ex parte speciei: vt homo ex anima , & corpore , vel ex carne , & osse , & nerue : dicitur autem pars speciei illud, sine quo non saluatur natura speciei , vel quod est de ratione speciei. Constat autem , quòd non saluatur natura speciei,puta homo , sine carne , & osse,& neruo. saluatur autem sine his carnibus , & his osibus. & ideo huiusmodi partes indiuiduales dicuntur partes materiæ. Ad hoc enim quòd saluetur natura specifica hominis, non est necesse esse hunc hominem,ex consequenti potest esse homo sine his carnibus,quoniam si non ex his,erit ex aliis , sed de partibus speciei , & materiæ ad plenum dicemus in libro septimo.

Propriè sed nõ primo quæ fiant. Modus autem secundum quem aliquid fit ex aliquo secundum partem est,quando aliquid dicitur fieri ex aliquo toto, & tamen non fit ex toto,nisi ratione partis,vt filius dicitur ex patre , non ratione totius substantiæ patris, sed ratione spermatis:& dicitur fieri ex matre non ratione totius,sed ratione menstrualis materiæ , & plantæ fiunt ex terra ratione nutrimenti tracti ex terra.

Impropriè ex aliquo fieri. Modus vero secundum quem impropriè,& transumptiuè fit ex aliquo est quando ly ex , stat pro post , vt quando dicimus ex die fit nox,idest post diem,ex nubilo fit serenum.

Et aduere,quòd vniuersaliter duobus modis contingit aliqua fieri ex aliquo.primo quando transmutantur adinuicem: sic totum fit ex partibus via generationis , & partes fiunt ex toto via corruptionis. secundo quando vnum fit post aliud præcise,ita quòd ibi est tantum ordo secundum tempus, vt ex festis dionysiis fiunt festa tragelia . Hæc de modis huius termini , ex quo,dicta sint.

Cap. 25. Text.c.30. De parte Pars autem dicitur quinque modis,secundum viam Commentatoris:sed secũdum beat.Tho.quatuor modis , quoniam primus comprehendit duos.

Primo dicitur de parte quantitatiua non aliquota,nec mẽsurante totum:vt duo sunt pars trium,& tria sunt pars quinque.&hoc modo omne quantum subtractum ab aliquo quãto,modo sit minus eo,à quo subtrahitur,dicitur pars eius.

Secundo dicitur de parte quantitatiua aliquota,& mensurante,vt tria sunt pars nouem, quoniam ter tria constituunt nouem. & hoc modo omne quantum subtractum ab aliquo toto , si aliquoties sumptum præcise mensurat totum: dicitur , pars eius.& hic modus est,qui obseruatur à geometra,& est propriissimus modus.

Tertio dicitur de parte subiectiua , & verificatur de omnibus inferioribus,in quæ diuiditur superius , & hoc modo indiuidua sunt partes speciei & species partes generis,& genera subalterna partes generalissimi.

Quarto dicitur de parte essentiali, id est ex qua constat natura rei,vt corpus,& anima sunt partes animati: & metallum est pars statuæ,& angulus est pars trianguli, constat enim natura trianguli ex tribus angulis. Huiusmodi autẽ pars essentialis aliquando dicitur pars speciei , vt sumpta in vniuersali, sicut quando dicitur homo est quid compositum ex corpore , & anima rationali , aliquando dicitur pars materiæ , vt quando dicitur hic homo constat ex hoc corpore , & hac anima, sed vt prædiximus de partibus speciei, & partibus materiæ loquemur in libro septimo.

Quinto dicitur de parte diffinitiua, vt de genere , & differentia : ex quibus constituitur tota diffinitio , sed aduerte, q; pars diffinitiua dicitur pars secundum rationem, & non secũdum rem. prædicatur enim de diffinito in recto , quia dicit totam naturam diffiniti,licet aliter genus,quia sub conceptu confuso,& aliter differentia,quia sub conceptu determinato. hæc de modis,quibus pars dicitur dicta sint.

Locuturi de modis totius ,prius diffiniemus ipsum totum, inquantum totum absolute. Aduerte igitur, quòd totum absolute est illud,cui nulla partium suarum deficit , ex quibus constituitur natura totius , & continentur in toto , ita quòd sunt vnum in eo, quia non habent esse separatim , sed existit per esse totius , quandiu componunt ipsum. & hæc diffinitio verificatur de quolibet simpliciter toto , quoniam totum & perfectum ,siue completum videntur esse idem ex tertio phyficorum,tex. 63.

Modi autem totius sunt duo. Primus est de toto vniuersali , vt genus , & species. sunt enim continua suorum inferiorum,sicut totum continet partes. Secundus est de toto essentiali,& integrali,vt homo inquantum est compositum naturale : & linea , & numerus quinarius inquantum sunt composita quantitatiua.

Differunt autem isti duo modi in hoc,quod totum vniuersale non proprie est quid compositum ex partibus subiectis, sed ita continet eas,quod est vnaquæque earum , prædicatur enim in recto de partibus,nam & homo, & leo,& capra, sunt animal:totum vero integrale,& essentiale est vero constitum , & resultans ex partibus , ita quòd nulla partium suscipit prædicationem totius in recto. non enim anima est homo,nec materia sua est homo:nec brachiũ est homo. & aduerte,quòd in toto integrali possunt esse partes in potentia , vt in linea ante diuisionem , & partes in actu , vt in exercitu ,& in domo. quilibet enim homo in exercitu habet esse separatum ab altero, sic & singuli lapides , ex quibus constructa est domus. est tamen verũ,q; perfectius est , verius est totũ , in quo partes sunt in potentia , quoniam totalitas est quædam vnitas. vnde vbi maior vnio partium , ibi perfectior totalitas.

Iterum aduerte:quod totum continuum potest esse secundum naturã, vt lapis,& planta. & potest esse secũdum artem, vt tabulæ,in quibus plura ligna sunt compaginata : continui quidem per naturam est magis totum , quoniam est magis vnum,vt probauimus in 2.tract. cap. primo. vbi id probauimus duplici ratione. vltra hoc autem quod est magis totum, aduerte,quòd tripliciter diuersificari potest propter situm,& dispositionem partium. nam licet in omni continuo partes sint situatæ,& positionem habeant , tamen in aliquibus continuis quocunque modo situentur , siue sic , vel sic ponantur, non diuersificatur natura rei , & huiusmodi sunt corpora humida , quæ figurantur non propria , sed figura continentis. & in his nominamus totum per ly omne. Dicimus omnis aqua , & omne oleum , & non dicimus , nisi impropriè, tota aqua , & id magis verificatur in idiomate Græco, nam in Latino consuetum is nominare huiusmodi per ly omne , & per ly totum. In aliquibus autem requiritur determinata positio partium , ita quòd non constaret natura rei, si aliter disponerentur , vt in animali , & in domo , & in aliis in quibus requiruntur diuersæ partes sic , & non aliter situatæ. & in his nominamus totum nomine totius , & non per ly omne. non enim dicimus omne animal, quando est tantum vnum , sed totum animal , aliquando autem per transpositionem partium non muratur rei natura , sed figura , & ita sunt , quæ habent partes eiusdem naturæ, & tamen possunt figurari diuersis figuris , sicut vestis linea cuius omnes partes sunt ex lino , in qua ex vario situ partium , licet non mutetur natura rei , qui semper erit linea; tamen mutabitur quo ad figuram. nam alia figura causatur in veste , si partes anteriores fiant posteriores vel superiores fiant inferiores. & in his totum potest nominari per ly omne , ex parte naturæ rei. & per ly totum ex parte figuræ.

Et si quæras , quare totum similium partium dicitur omne,non autem totum diſsimilium partium.

Dico id esse, quoniam totum similium partium sola diuisione fit multa,quorum singulum est eiusdem naturæ cum toto , vnde vna aqua sola diuisione fit plures aquæ , quare potest dici vna existens, & omnis hæc aqua , & omnes hæ aquæ: id autem nõ seruatur in toto diſsimilium partium , quoniam nulla est eiusdem naturæ cum toto. & ex diuisione non multiplicatur natura totius, imò destruitur , ex consequenti non

continet in se actu,nec in potentia proxima pluralitatem eiusdem naturæ , vnde in huiusmodi non verificatur omne quod pluralitatem signat:cum sit signum vniuersale,verificatur autem totum quod collectionem , siue resultantiam ex pluribus signat. Hæc de modis totius absolutè sumpti dicta sint.

Circa colobon , quod dicitur totum diminutum , vel deficiens in aliqua suarum partium. Aduerte, quòd Aristotel. non assignat plures modos,quoniam non dabiles sunt,nisi secundum magis, & minus, puta homo,cui deficiunt manus & pedes:est magis colobon quàm ille,cui tantum pedes deficiunt: immoratur igitur ad declarandum conditiones requisitas ex parte totius diminuti,& ex parte particulæ deficientis ad hoc, quod aliquid dicatur colobon. Aduerte igitur,quòd ex parte totius requiritur,vt sit totum quantitatiuum,ad differentiam totius vniuersalis,vt est genus,aut species:nam ex subtractione indiuidui non dicitur species coloba,aliter omnes species corruptibilium semper essent colobæ. Et quòd sit ex diſsimilibus partibus compositum , vnde homogenea ex subtractione partis non sunt coloba,vt aqua,carõ,os,neruus. Et quòd subtractum semper sit minus : vnde,si aliquid componatur ex duabus partibus tantum, & æqualibus , ablata vna reliquum non potest dici colobon:vnde lapis bicubitalis ablato cubito non dicitur colobon, nec homo sectus in duo media, & quòd post ablationem partis remaneat nomen,& substantia totius: vnde numerus ex subtractione vnitatis non dicitur colobon: quoniam non remanet nomen,nec eadem species:numeri.Et quòd transpositio partium faciat differentiam in toto,eo modo,quo declarauimus in modis totius : vnde, vt diximus, homogenea non possunt dici coloba. Et quòd totum sit ex partibus continuatis adinuicem : vnde exercitus ex subtractione alicuius militis non dicitur colobon , nec harmonia ex subtractione vnius vocis dicitur coloba , quoniam componitur ex vocibus grauibus,& acutis, quæ adinuicem non continuantur,sed proportionantur.Ex parte autem particulæ subtractæ,requiritur,quòd non sit ex principalibus,propter quas seruatur totius substantia : vnde animal abscisso capite, nec plãta abscissa radice possunt dici coloba , quoniam destruitur substantia totius: & quod sit situata in extremitatibus : vt auris,nasus,manus,ramus:vnde,si ab homine aufertur pars carnis,puta ex coxa,vel etiam aufertur aliquod intrinsecum,puta splen non dicetur colobon , & quòd pars ablata non regeneretur:vnde ex subtractione folij, aut rami nõ dicitur arbor colobon,nec animal subtractione pilorũ, nec homo subtractione vnguium,aut capillorum. Hæc de colobon dicta sint.

Vltimò assignandi sunt modi huius nominis genus,& quot modis dicuntur aliqua diuersa genere.

Text.3. Cap.28. De genere. Genus igitur quatuor modis dicitur. Primò de continua generatione multorum conuenientium in eadem natura specifica:vt hominum genus.Secundò dicitur de principio generante,à quo primo descendit talis multitudo, vt Romulus dicitur Romanorum genus , & Heber Hebræorum genus , & sic primus pater cuiuscunque multitudinis conuenientis in natura specifica dicitur genus , & digniori modo, quàm mater,quoniam pater est agens, mater vero vt materia, licet & prima mater aliquando dicatur genus , vt Pleias dicitur genus Pleiadum,quoniam trahũt originem à Pleia matre.Tertiò dicitur de primo,&communi subiecto rerum diuersarum formarum : vt aqua est genus omnis metalli , quia est prima eorum materia , & superficies est genus omnium figurarum superficialium,siue planarum,est enim proprium,& primum subiectum , in quo figurantur omnes figuræ planæ, sicut corpus est genus omnium figurarum solidarum. Quartò dicitur de eo, quod primo ponitur in diffinitione , & dicitur de diffinito in quid, & diuiditur differentiis, quæ sunt qualitates generis: qualificant enim & determinant naturam generis , vt animal est genus,primo enim ponitur in diffinitione speciei, puta hominis , & dicitur de eo in quid, & diuiditur rationali, & irrationali, quibus determinatur ad species, ideo dicuntur esse qualitates suæ. Et aduerte quòd hæc doctrina non deuiat à doctrina Porphyrij,nam in prædicabilibus, vt videre potest ponit primum,& secundum modum eo modo,& ordine, quo Aristoteles ponit , sed in secundo modo in hoc differt ab Aristote.quod Porphyrius addit locum,siue patriam,& Aristotel. ponit matrem ,quartum modum etiam manifestè posuit Porphyrius,cum dixit,Genus est cui supponitur species,& prædicatur de pluribus specie differentibus, inquit. tertium modum non posuit manifestè,quia potius ad Mathematicum, & Metaphysicum spectat , quàm ad logicum , possumus tamen dicere,quòd virtualiter posuit,quoniam tertius,& quartus,quasi ad vnum reducuntur, eo quod vterque habet rationem materiæ, & potentiæ , nam sicut subiectum se habet ad formam , sic genus ad differentiam , distinguuntur tamen in hoc,quod genus non est verè,& realiter subiectum , nec materia.prædicatur enim in recto,de eo cuius est, & dicit totam rei naturam,sub conceptu tamen generico,qui est conceptus confusus,subiectum autem & materia non dicit totam rei essentiam,sed partem,vt patet. Hæc igitur de modis dicta sint.

Quantum ad diuersa genere , aduerte, quod Aristoteles non immoratur circa primum , & secundum modum generis,quoniã magis ad Oratorem , quàm ad Philosophum spectant,assignat autem diuersa genere , iuxta tertium , & quartum modum. *Diuersa genere.*

Primò igitur illa dicuntur diuersa genere,quorum primum subiectum , id est materia, est diuersa, ita quòd non transmutantur adinuicem,nec vtrunque in aliud tertium : vnde color & sapor sunt diuersa genere , primum enim subiectum coloris est superficies, saporis autem est humidum , quantitas verò & qualitas sunt adinuicem intransmutabiles:similiter cœlum & elementum sunt diuersa genere : quoniam materia cœli diuersa est à materia elementi , vt aliàs declarabitur. Per oppositum omnia elementa & elementata sunt vnius generis, quia communicant in materia prima eiusdem rationis , & sunt adinuicem transmutabilia: vt declaratur in libro secundo de generatione. Et aduerte hic loquimur de genere Physico,quod sumitur non ab vno modo prædicandi,sed ab vnitate vel diuersitate primi subiecti.

Secundò illa dicuntur diuersa genere,quæ continentur sub diuersis prædicamentis,vt linea & albedo: Res enim diuersorum prædicamentorum non transmutantur adinuicem nec reducuntur ad aliud tertium , cùm non conueniant nisi in ente , quod non est vnum nisi analogia , per oppositum res vnius prædicamenti possunt dici vnius generis, saltem generalissimi.Et aduerte,quòd hic secundus modus magis attenditur secundum genus logicum quàm genus Physicum , nam constat quod res huius prædicamenti dici possunt secundum Physicum diuersorum generum , vt cœlum & elementum, quæ tamen continentur in prædicamento substantiæ & in eodem genere subalterno, quod est corpus. Hæc de modis diuersorum genere dicta sint.

CAPVT VI.

De modis,quibus dicitur falsum, & accidens.

IN sexto capi.distinguenda sunt nomina, quæ videntur importare ens diminutum.Et hæc sunt falsum, & accidens.

Circa falsum aduerte,quòd potest dici de re,de diffinitione , de homine. De re quidem dupliciter, primo de eo, quod non est, & tamẽ dicitur esse, vt diametrum esse symmetrum, falsum est,cuius oppositum est verum:& nota, quòd hoc falsum dicitur dupliciter , primo cum reditione ad verum , vt Socrat.stare dum sedet,& dicitur falsum contingens : secundo sine reditione ad verum , vt hominem esse asinum , & dicitur falsum impossibile, secundo principaliter dicitur de eo, quod in se quidem est aliquid,non tamen est illud,de quo facit apparentiam : vt somnium & aurichalcum,nam somnium in se quidem est reuersio simulacrorum ad sensum communem, vt diximus in libro de somno & vigi.tamen non est res ad extra, de qua est somnium. Item aurichalcum est metallum,non tamen est illud,quod apparet,scilicet aurum. *Sic exponit Auer.*

De diffinitione dicitur duobus modis.Primò de ea,quæ nullius rei potest esse diffinitio,& dicitur falsa secundum se:& est illa,quæ constat ex partibus repugnantibus:vt si dicerem homo est animal incorporeum. Secũdò de ea, quæ alicuius quidem est diffinitio,non tamen illius,cui attribuitur : & dicitur falsa per accidens,scilicet ratione malæ attributionis,in se tamen vera est , vt si dicerem trigonum est figura agona. Hæc enim verificatur de circulo.Et falsatur de trigono. *Falsa diffinitio.*

De homine dicitur duobus modis : primo de eo, qui eligit rationes & sermones falsos , & delectatur in illis , quasi finis eius sit delectari falso,& non aliam commoditatem expetit: quod dicitur propter vendentem dicentem falsum , cuius finis non est delectari falso , sed lucrari , & tunc verius dicitur homo cupidus quàm homo falsus:secundo de eo,qui facit,& causat rationes falsas in alio , vt appareat alius quàm sit, sic hypocrita dicitur falsus , & proditor & adulator dicuntur homines falsi ; quia licet sint aliquid, non tamen tales sunt qualem de se causant apparentiam , & assimilantur rebus, quas diximus in secundo modo esse falsas. *Falsus homo.*

Ex prædictis immediate patet falsitas duarum opinionum. Prima est in Ipia,qui est liber Platonis.Hoc dicit eundem hominem esse verum & falsum, qui potest mentiri & potest dicere verum. Sed id non sequitur, nam ex potentia mentiendi

& dicendi verum non dicitur homo falsus, & verus. Nam non dicitur falsus, nisi eligat mentiri, & delectetur mendacio aut causet opinionem falsam in alio: nec etiam dicitur homo verus, nisi eligat & delectetur dicere aut causare in alio veram opinionem: aliter vir sciens & prudens posset dici falsus, quia potest mentiri, & verus, quia potest dicere verum, & eadem oratio esset vera & falsa, quoniam potest esse falsa, puta Socrates sedet ipso stante, & potest esse vera ipso sedente.

Secunda opinio est eorum, qui dicunt, agentem praua sponte meliorem esse quàm agens praua coactus: quod sic probant, claudicans sponte perfectior est claudicante vi, puta ex detruncata tibia: ergo à simili, ageiis praua sponte, &c. Sed isti decipiuntur, quia agere praua est deficere in moralibus, in quibus voluntarium aggrauat & inuoluntarium excusat: claudicare autem est deficere in naturalibus ex indispositione instrumenti potentiæ motiuæ, & ideo, si sponte claudicat non stat indispositio ex parte instrumenti, ex consequenti non est deterior. Tu tamen aduerte secundum philosophum, potest esse similitudo in hoc, claudicans sponte deterior est in genere moris, quoniam reprehensibilis est, sed melior est in esse naturæ, quia non deficit instrumento potentiæ motiuæ, quæ est potentia naturalis: eodem modo, agens praua sponte deterior est in genere moris, non tamen in esse naturæ, quia forte est magis perfectus secundum intellectum, puta quia est magis sciens quomodo operandum in moralibus, licet non agat secundum scientiam ex praua voluntate. Hæc de modis falsi dicta sint.

De accidente. Tex. c. 35. Cap. 30. Circa accidens aduerte duos modos asignatos à philosopho. Primo accidens dicitur id, quod alicui inest, & verum est dicere quòd inest, non tamen necessario, nec vt in pluribus, sed in paucioribus: vt fodientem causa plantandi vitem inuenire thesaurum accidens est, quoniam non ex necessitate, nec vt in pluribus hæc duo coniunguntur, nec necessario vnum causatur ab alio, nec sequitur ad aliud, quoniam millies foditur terra, nec semel inuenitur thesaurus. Item hominem musicum esse album, vel album esse musicum accidens est, quoniam non ex necessitate fit horum coniunctio, aliter homo non albus non posset esse musicus, quod ad sensum est falsum, neque hæc coniunctio fit vt in pluribus vt patet: Et sicut asignatum est accidens ex parte subiecti, ita potest asignari ex parte temporis, puta quod quando fit coruscatio occidatur anima], accidens est, & ex parte loci, vt quòd fossura & inuentio thesauri coniungantur in eodem loco accidens est. Et aduerte, quòd accidens hoc modo dictum non habet causam determinatam, quod enim à pluribus causis potest esse non est præcisè ab vna determinata vt sunt ea, quæ sunt à casu, quæ est causa indeterminata ex secundo Physi, Vt cùm aliquis nauigat Aeginam, & tamen non intendebat illuc nauigare, sed causa nauigandi fuit orta tempestas, aut quia captus à latronibus, & illuc deductus: patet igitur huiusmodi accidens non esse à causa determinata, sed potest disunctim à pluribus esse & fieri. Et si quæras in quo differt exemplum primum sumptum ex parte loci, vel temporis ab exemplo secundo sumpto ex parte subiecti. Dico secundum Commentatorem in commento 35. quòd in primo vnum est causa per accidens alterius: fossura enim est causa inueniendi thesaurum, & coruscatio est per accidens occidendi animal. In secundo autem vnum non est causa alterius, sed est conjunctum causæ, accidit enim homini, qui est causa musici, quod sit albus, vnde possumus dicere primum exemplum esse de causa, secundum autem de prædicabilibus per accidens: vel secundum B. Thom. primum sumitur à fieri, secundum autem ab esse.

Secundo dicitur accidens illud, quod conuenit alicui per se, & tamen non est substantia eius: vt risibile est accidens homini, & habere tres angulos, accidens triangulo: & hic secundus modus per se est asignatus in posterioribus, & suprá. Et si quæras in quo differt hic secundus modus dicendi à primo, dico quòd differt in duobus. Primo quoniam accidens hoc secundo modo est sempiternum: nam proprium inseparabile est ab eo, cuius est proprium, ex accidentibus autem primo modo dictis nullum contingit esse sempiternum, quoniam non habent necessariam connexionem, neque respectu loci, neque temporis, neque subiecti, Et rationem huius magis asignabimus in libro sexto. Vbi loquemur de ente per accidens: nam vt dicit Commen. in commen. 35. loqui de accidentibus & de modis accidentiũ ad alium tractatum spectat, hic autem non intendit Aristo, nisi exponere tantum nomina. Secundo differt, quoniam vt inquit B. Tho. primus modus opponitur huic, quod dico secundum se, secundus autem opponitur essentiali & quidditatiuo prædicato. Hæc de modis accidentis dicta sint. Et hic terminatur tota consideratio nostra super Quintum librum Metaphysicæ distincta in tribus tractatibus.

Quinti Metaphysicorum libri Finis.

EPITOME SVPER SEXTO LIbro Metaphysicæ.

SEcundum ordinem, quem proposuimus in procemio huius scientiæ, incipiẽdum est in hoc sexto libro tractare, de ente: & quoniam, vt visum est in libro quinto, dicitur ens multipliciter, ideo prius considerandum est qui sint illi modi entis, de quibus non est principalis intentio Metaph. considerare, hæc autem sunt ens per accidens, & ens verum, totam igitur intentionem Philosophi in hoc sexto complectemur in vnico tractatu quem diuidemus in quatuor capita.

Primo, declarandus est modus proprius huius scientiæ, quo habet considerare de ente.

Secundo excludemus ab hac scientia ens per accidens.

Tertio, quoniã dicere posset aliquis vanè excludẽs ens per accidens, quoniam non datur aliquod ens per accidens, ideo destruenda est hæc opinio.

Quarto, excludendum est ens verum quod dicitur ens in anima, & sic concludemus, principale intentum Metaphysici est versari circa vniuersale ens reale per se, cuius considerationem incipit in libro septimo.

CAPVT I.

Ex eo in quo Metaphysica cum alijs scientijs conueniat & in communi differat, & ex modo Physicæ & aliarum scientiarum proprio, modus huic scientiæ proprius exponitur: cur itẽ hæc sola inter theoricas, Theologia, ac communis scientia sit, declaratur.

CIrca primum caput vt sciamus modum proprium huius scientiæ in consideratione entis quinque agenda sunt. Primo ostendetur conuenientia eius cum aliis scientiis. Secundo ostendetur eius differentia in communi ab aliis scientiæ.

Tertio ostendetur modus proprius Physicæ & Mathematicæ & huius scientiæ.

Quarto declarabitur quòd cùm Physica & Mathematica & hæc scientia sint theoricæ, quare hæc sola dicitur Theologia.

Quinto soluetur dubium.

Quantum ad primum aduerte, quòd omnis scientia particularis quocunque modo sit cognitio intellectiua, siue speculatiua, siue practica actiua, vt moralis, siue mechanica, inquirit principia & causas sui subiecti, siue per omnimodam certitudinem, vt Mathematicæ, siue cum aliquali incertitudine & superficialiter, vt morales: & hæc quidem propositio manifestatur inductiuè, nam medicina inquirit causas conualescentiæ, geometria causas & principia magnitudinis, puta punctum est principium lineæ, linea principium superficiei, & Arithmeticus principia & causas numeri, puta vnitas est principium numeri, & diuisio continui est causa eiusdem; naturalis, principia & causas entis mobilis, puta materiam & formam & efficientem: moralis principia & causas habitus moralis, puta agens liberum & frequentati actus consimiles: mechanica, puta ædificatoria principia & causas ædificij, puta hanc materiam, hunc finem, hanc figuram, hoc agens. Patet igitur omnem scientiam inquirere principia & causas sui subiecti. Cùm igitur Metaphysica sit maximè scientia, ad ipsam spectat considerare principia & causas entis inquatum ens, quod est eius subiectum, vt stabilitum est in 4. libro, tracta. primo, cap. primo, in hoc igitur conuenit hæc scientia cum aliis scientiis particularibus, quòd sicut illæ considerant principia & causas sui subiecti proprij, sic & ista.

Quantum ad secundum aduerte differentiam in communi consistere in hoc, sicut omnes scientiæ particulares versantur circa determinatum genus entis, non inquantum est ens sed inquantum est hoc, vel illud genus entis, puta Geometra versatur tantum circa magnitudinem, non inquantum est ens (sic enim ad primum Philosophum spectat) sed inquantum est magnitudo, sic inquirunt propria & particularia principia illius generis entis, & proprias causas inquantum est tale ens, & non aliter. Primus autem Philosophus, sicut speculatur ens vniuersale, quod est ens inquantum ens, sic habet inquirere prima & vniuersalia principia & vniuersales causas entis inquantum ens, & id iam stabilitum est à nobis in primo tractatu primi libri, capite secundo & manifestum erit in libro duodecimo. patet ergo quomodo differt primus Philosophus à quocunque alio sciente particulari, tam in speculatione subiecti, quàm in inquisitione principiorum & causarum. Et ex hac differentia aduerte corollaria duo.

Primum est, sicut nulla scientia particularis considerat ens inquantum ens, nec aliquod genus entis inquantum ens, sic non habet considerare quod quid est, siue quidditatem sui subiecti, eiusdem enim scientiæ est considerare rei entitatem, & suam quidditatem, siue suum quod quid est. Ad primũ igitur Philosophũ spectat cõsiderare de quod quid est, sicut de ente.

Sed dices, quomodo ergo scientia particularis demonstrat passiones de proprio subiecto, cum quod quid est subiecti sit medium in demonstratione.

Respondeo, licet non inuestiget quod quid est subiecti sui, tamen accipit ipsum vt notificatum sibi ex sensu, sicut Physicus accipit quid est anima, quoniam sensu accipit ipsam esse principium operum vitæ, vel supponit ipsum vt notificatum in prima scientia, sicut Geometra accipit à primo Philosopho quid sit magnitudo, & eo notificato sibi per sensum vel supposito vtitur ad demonstrandum, quæ quidem demonstratio non est de ipso quod quid est, vt probatum est in secundo posterio, sed de passione, quam concludimus inesse subiecto per ipsum quod quid est. Tu tamen aduerte, quòd hæc propositio, solus Metaphysicus considerat quod quid est, habet ambiguitates, quas determinabimus in quæstioni. Metaphysicalibus.

Certum est enim quod Philosophus inuestigat quid natura, quid motus, & infinitum, & locus, & tempus: nec id supponit inuestigandum à primo Philosopho.

Secundum est, sicut nulla scientia particularis considerat quod quid est sui subiecti, sic nec dicit an sit vel non sit, quoniam eiusdem scientiæ est manifestare de subiecto an sit, & quid sit: spectat ergo ad primum Philosophum quæstio de quid est, & an est cuiuscunque subiecti determinati in aliqua scientia particulari, & propterea Aristotel. in primo posterio. quod de subiecto supponitur quid & quia.

Quantum ad tertium aduerte, quod modus proprius Physicæ, quæ apud antiquos non ponentes aliquod ens incorporeum & immobile credebatur prima Philosophia, manifestatur ex tribus: primo, quia versatur circa certum genus entis, quod non circa ens communissime sumptum: hoc autem genus dicitur ens naturale, in quo est principium motus & quietis, & dicitur ens mobile, quod pro maiori parte dicitur inseparabile à materia, nec habet esse nisi in materia, excepto intellectu, de quo dicet Aristot. in libro duodecimo, textu decimoseptimo, quòd nil prohibet ipsum remanere separatum à materia. secundo, quia considerat ens naturale modo speculatiuo & non practico, est enim theorica & non practica. quod sic declaratur, omnis scientia practica aut est actiua, aut factiua. actiua propriè dicitur, cuius actio remanet in agente, vt velle, eligere, appetere, vnde & philosophia moralis dicitur practica actiua: versatur enim circa actiones immanentes, & partis rationalis, & partis appetitiuæ, vt est apta obedire rationi, sicut declaratur in fine primi Ethico. factiua autem propriè est, cuius actio transit in materiam exterior rem, vt ædificare, sculpere, pingere: vnde artes mechanicæ dicuntur practicæ factiuæ, quoniam earum actiones transeunt in exteriorem materiam, & non remanent in agente. Sed philosophia naturalis non est scientia actiua, nec factiua. nam tam actiua, quàm factiua est principium productiuum sui obiecti, vt scientia moralis adiuncta voluntate est principium productiuum actus & habitus moralis, & scientia ædificatiua adiuncta voluntate est principium productiuum domus. sed philosophia naturalis non est principium productiuum rei naturalis, quoniam res naturales pro principio habent naturam, quæ est principium in quo est, vt dictum est in quinto libro. Et præterea astronomia non est productiua, sed cognoscitiua cœli, nec homo generans hominem generat per philosophiam naturalem, aliter soli philosophi generarent: ergo philosophia naturalis non est practica. Et aduerte, quod ex hoc quòd practica est productiua sui obiecti, theorica autem non, sed supponit ipsum, extracta est illa differentia inter practicam & speculatiuam, quam posuit Aristot. in procœmio huius scientiæ, & in secundo libro, textu tertio, cum dixit, Theoricæ finis est veritas, id est, vera cognitio sui obiecti, practicæ autem opus, & est differentia sumpta ex parte finis.

Verum, quia considerare obiectum modo speculatiuo, & esse theoricam, commune est Physicæ, & Mathematicæ, & huius sciẽtiæ, ideo tertiò Arist. declarat modum proprium Physicæ ex modo diffiniendi sibi proprio. Modus autem diffiniendi proprius Physicæ non potest manifestari nisi etiam manifestetur modus proprius diffiniendi mathematicæ & huius scientiæ, aduerte igitur tres modos diffiniendi. Primus est, quod est in materia sensibili, qualis est diffinitio simi. Secundus est sine materia sensibili, licet diffinitum non habeat esse separatum à materia sensibili, qualis est diffinitio recti & curui. Tertius est sine omni materia tam sensibili quàm intelligibili, eo quod diffinitum est omnino immateriale & non quantum, qualis est diffinitio intelligentię. primus modus est proprius Scientiæ Naturali, eo quod naturalia non abstrahunt à motu, ex consequenti nec à materia sensibili, vt patet de partibus animalis & de partibus plantæ. vnde & in secundo Physicorum, textu decimonono, assignans Philosophus differentiam inter Physicam & Mathematicam, dixi diffinitionem naturalium esse sicut diffinitio simi, in cuius ratione ponitur subiectum sensibile, scilicet nasus. & non solùm naturalia composita diffiniuntur per materiam sensibilem, sed & formæ naturales & quæcunque anima non potest esse sine materia, vnde diffininit eam per esse actum corporis physici. Dico autem animam, quæ non potest esse sine materia, quoniam si quæ est separabilis à materia ea ratione, qua separabilis est, iam ad Metaphysicum pertinet, vnde in secundo Physico. tex. 26. ponens philosophus terminum considerationis circa formas, inquit, Quomodo autem se habeat hoc separabile, id est, anima inquantum separabilis, & quid sit, scilicet secundum essentiam suam, primæ philosophiæ *est* determinare.

Triplex diffiniendi modus.

Secundus autem modus est proprius mathematicæ: nam licet nondum sit determinatum vtrum entia mathematica sint separata à materia secundum esse, vt dicunt aliqui, quorum rationes adduximus in tertio libro, capite quinto, & eas iam soluimus illic. Aristoteles autem hoc determinauit in libro septimo, tamen manifestum est, quod speculantur à mathematico, ac si essent separata, non enim considerat triangulum ligneum, aut æneum, aut terreum, sed inquantum est talis figura rectilinea: & propterea mathematica entia, vt cadunt sub scientia mathematica, non recipiunt in diffinitione sua materiam sensibilem, sed vt sic, dicuntur abstrahere secundum rationem à motu, à materia à fine, vnde in secundo physicorum, textu decimonono, dixit Aristot. impar & par, & lineam, & rectum, & curuum diffiniri sine motu, & sine materia: non autem caro & os, & homo, &c.

Diffinitiones mathematicæ.

Tertius vero modus proprius est huius scientiæ. Nam, si est aliquod ens immobile sempiternum & separatum à materia secundum esse, constat quod ad hanc scientiam pertinet: nam physica, licet sit theorica, versatur tantum circa entia mobilia, vt dictum est, & Mathematica licet sit theorica versatur tantum circa quantitatem continuam, aut discretam, quæ licet vt consideratur à mathematico abstrahat à motu, tamen secundum esse est inseparabilis à materia, vt determinabitur in libro septimo. pertinet ergo ad scientiam priorem & digniorem Physic. & mathematica, talis autem non datur nisi hæc scientia, & quoniam entia immobilia separata & æterna, sunt maxima & prima entia, & maximum & primum est causa aliorum, vt dictum est in secundo libro: ideo hæc scientia considerat primas & vniuersales causas horum sensibilium, quas in 12. libro dicemus substantias abstractas, & præcipuè primam.

Diffinitiones Metaphysicæ

Cùm igitur Metaphysica consideret huiusmodi entia, necesse est quod eius modus diffiniendi sit omnino sine materia. nam cùm vera diffinitio sit indicatiua essentiæ rei diffinitæ, si daretur per materiam, non competeret diffinito, imo esset falsa, vt declarauimus in libro quinto, tractatu tertio, capite sexto, puta si dicerem intelligentia est ens corporeum, sicut si dicerem, animal est ens incorporeum.

Cur hæc tantum Theologia cum & aliæ theoricæ sint.

Quantum ad quartum aduerte, quòd Arist. ex triplici consideratione entis, scilicet entis mobilis inseparabilis à materia secundum esse & secundum rationem, & entis separabilis à motu & à materia tantum secundum rationẽ, & entis separati secundum esse & secũdum rationem concludit tria genera philosophiæ theoricæ, scilicet physicã, mathematicam, & hanc scient

ſcientiam, quam dicit theologiam, quod declarat dupliciter, primo, quia ſi eſt in aliquo genere rerum aliquod diuinum, maximè in genere entium ſeparatorum, quæ diximus conſiderari in hac ſcientia. ſecundo, quia cum hæc ſcientia ſit honorabiliſsima, vt declaratum eſt in prooemio, debet verſari circa honorabiliſsimum ens: hoc autem eſt ens diuinum, cõnuenienter dicitur ergo theologia.

Dubium, Text. c.3. Quantum ad quintum aduerte, quod ex prædictis immediatè oritur dubium. nam, ſi hæc ſcientia diſtinguitur à Phyſica & mathematica, quia illę conſiderant de ente inſeparabili à materia, hæc autem de ente abſtracto & ſempiterno, ergo erit ſcientia particularis, ſicut & illæ: ens enim abſtractum ſempiternum eſt vnum determinatum genus entis, ſicut & ens inſeparabile, cuius tamen oppoſitum determinatum eſt in quarto libro, vbi dictum eſt hanc ſcientiam ſpeculari ens inquantum ens, & quæ per ſe inſunt enti, propterea dicta eſt communis & vniuerſalis & prima ſcientia.

Ad hoc reſpondetur, quod licet hæc ſcientia principaliter verſetur & vltima intentione circa ens abſtractum ſempiternum, ex hoc tamen non eſt ſcientia particularis, quoniam entia abſtracta ſunt cauſæ & principia totius entis: ex cõſequenti conſiderat totum ens, hæc autem ratio deficit in phyſica & mathematica, quoniam non ſolùm conſiderant determinatum genus entis, ſed & principia & cauſæ ab eis conſideratæ non ſunt principia vniuerſalia, & cauſæ vniuerſalis entis, vt dictum eſt ſuprá.

Poteſt etiam dici, quod hęc ſcientia non ſolùm eſt communis & vniuerſalis, quia cõſiderat primas & vniuerſales cauſas entis, ſed quia conſiderat non ſolùm entia ſeparata & immobilia vt intelligentias, ſed & ens vnum & bonũ & actum, &c. quæ quidem communia poſſunt dici ſeparata ſecundum eſſe non repugnanter, non enim de neceſsitate habent eſſe in materia, aliter non inueniretur ens & vnum & bonum & actus niſi in materia. & hæc ratio etiã deficit in phyſica & in mathematica, quoniã omne ens naturale cum ſit mobile, & omnis quantitas, quoniã conſequitur materiã, de neceſsiate non habẽt eſſe niſi in materia. Patet ergo, q̃ nõ eſt neceſſe hãc ſcientiam eſſe particularem, ſicut phyſica & mathematica, eſt tamen verum quod ſi non daretur niſi ſubſtantia naturalis & eius accidentia, phyſica eſt prima & communis & vniuerſalis ſcientia, quia conſideraret de toto ente, & non eſſet alia ſcientia prior & honorabilior ea. Hæc de primo capite dicta ſint.

CAPVT II.

Entium per accidens nullam eſſe ſcientiam, & omne ens ex cauſa & natura eius oſtenditur, propter quod iure ab hac ſcientia excluditur.

Capit 2. IN ſecundo capite excludendum eſt ens per accidens à principali conſideratione Metaphyſici, ad cuius reſolutionem duo agenda ſunt.

Primo, quòd de ente per accidens non poteſt haberi ſcientia, ex conſequenti hæc ſcientia vanè laboraret circa ipſum, ideo prætermittendum eſt.

Secundo, quoniam qualiſcunque cognitio haberi poteſt de ipſo, ideo, cum hæc ſcientia conſideret ens inquantum ens, & omnes diuiſiones entis, inter quas hæc eſt prima, entiũ aliud per ſe, aliud per accidens: ideo congruum eſt, vt ibi conſidere tur quicquid de ente per accidens cognoſcibile eſt, ne apud Metaphyſicũ remaneat aliquis modus entis penitus intactus.

Text. c. 4. Quantum igitur ad primum pono hanc concluſionem. De ente per accidens nulla eſt ſcientia. hanc probo ſigno & ratione. ſigno quidem ſic, ſi de eo tractaret aliqua ſcientia, vel illa eſſet practica, vel theorica. non practica, nam practica, puta ædificatoria, licet conſideret per ſe requiſita domui, puta talem materiam, talem formam, talem finem, tamen quæ per accidens poſſunt aduenire domui, puta quòd vni ſit in triſtitiã, alteri in voluptatem, vni vtilis, alteri damnoſa non cõſiderat, nec poteſt conſiderare. à cauſis enim infinitis hæc accidere poſſunt, ex conſequenti cognoſci non poſſunt. nec ſpeculatiua: non enim geometria ſpeculatur ſi triangulus eſt ligneus, vel terreus: hæc enim accidunt triangulo, ſed conſiderat quæ per ſe conueniunt ei, puta quod eſt prima figura rectilinea, quod habet tres æquales duobus rectis, &c. Ratione autẽ ſic, omnis ſcientia eſt de eo quod eſt ens: quod enim non eſt, non contingit ſcire, ex primo Poſt. ſed ens per accidẽs non eſt ens, ſed potius non ens, & ſi eſt ens eſt magis nomine quàm re, pro quanto vnum de alio prædicatur, puta dicendo grammaticum eſt muſicum. & quidem quòd re non ſit ens, patet ex hoc, quòd cum ens & vnum ſint idem, vt probatum eſt in quarto libro, ens per accidens non magis eſt ens quam ſit vnum, eſt autem vnum nomine pro quanto vnum de altero prædicatur, copula enim ſignificat vnionem, non autem eſt vnum res: nulla enim res eſt, quę conſtituatur ex albo & muſico, licet eidem ſubiecto ineſſe poſſint. Præterea, quæ vere ſunt ens, vtanimal rationale & corpus animatum vna generatione generantur, & eodem modo corrumpũtur, dum enim generatur rationale generatur animal: ſed quæ ſunt ens per accidens non vna generatione generantur, nec ſimul corrumpũtur, ſed diuiſim, vt album vna & muſicum alia: ergo entia per accidens magis & verius ſunt non entia, quàm entia. & propter eà Plato non male fecit ordinans artem ſophiſticã circa ens per accidẽs, ordinare ipſam circa non ens. Dicebat enim ens per accidens, circa quod deſudant ſophiſtæ eſſe non ens.

Sed dices, quomodo ſophiſtæ verſantur circa ens per accidens.

Reſpondeo, cum multæ ſint fallaciæ maximè verſantur circa fallaciam accidẽtis, per quam propter ſui ſubtilitatem, multoties decipiuntur ſapientes. prouenit autem huiuſmodi fallacia ex eo quod aliqua ſunt ſecundum ſe accepta diuerſa, & tamen aliquo modo vniuntur ſiue coniunguntur, & ex hoc quod aliquo modo vniuntur creditur quicquid conuenit vni conuenire alteri. vt ſi arguatur ſic, muſicum eſt diuerſum à grammatico, quoniã alia ſcientia eſt muſica & alia eſt grammatica: & muſicum eſt grammaticũ, contingit enim eundem eſſe muſicum & grammaticum, ergo muſicum eſt diuerſum à ſe. non ſequitur, quia in maiori eſt diuerſitas per ſe, in maiori autem eſt vnitas per accidens: ex qua non poteſt concludi diuerſitas eiuſdem à ſeipſo, eodem modo dicendum eſt ad hunc paralogiſmum, muſicũ eſt diuerſum à coriſco, quia alterum dicit qualitatem, alterum ſubſtantiam: & muſicum eſt coriſcus, quia coriſcus poteſt habere muſicam, & contingit quòd de facto habeat. ergo muſicum eſt diuerſum à ſe. Item nõ ſequitur ſi ſic arguatur, quod eſt, & non ſemper fuit, eſt factum: ſed grammaticus eſt muſicus, contingit enim Socratem prius didiciſſe grammaticam, & poſt aliquod tempus didiciſſe muſicam: ergo grammaticus factus eſt muſicus. non ſequitur, quia maior eſt vera in iis, quæ per ſe ſunt tantum, ſed grammaticum eſſe muſicum non eſt per ſe, vt patet. & ideo non ſequitur grammaticum eſſe factum muſicum ad ſenſum quo intendit ſophiſta, intendit enim eandem productionem eſſe terminatam ad vtrunque, quod non eſt verum, quoniam non ſunt vnum niſi per accidens, & ideo alia productio terminatur ad vnum, & alia ad aliud. ſi autem eſſent vnum per ſe, ſicut homo & animal, ſophiſta haberet intentum, quoniam eadem productione producitur homo & animal, & homo & vnus homo, & homo & rationale.

Quantum ad ſecundum aduerte, quod licet de eo, quod eſt ens per accidens, non poſſit haberi certa cognitio, ſicut nec de eo quod ponitur infinitum, vel fortuitum, vel vacuum, id eſt, de ſubtracto, tamen de ente per accidens formaliter ſumpto poteſt haberi cognitio, ſicut de infinito, vt patet in tertio Phyſico. vbi diffinitur, & de fortuito, vt patet in ſecundo phyſicorum, & de vacuo, vt patet in quarto phyſico. De ente igitur per accidens formaliter ſumpto, duo conſideranda ſunt: primo, quæ ſit eius cauſa, ſecundo, quæ ſit eius natura: & ex iis manifeſtum erit quare de eo quod fit per accidens, id eſt, de ſubtracto, non poteſt habere ſcientia.

Quantum ad cauſam, aduerte, quòd, cum omne per accidens reducatur ad per ſe, neceſſe eſt entia per ſe eſſe cauſam entis per accidens: entia autem per ſe ſunt duplicia, quædam ſunt ſemper eodem modo ſe habentia, ex conſequenti neceſſaria, non per violentiam, ſed quia non poſſunt ſe aliter habere, vt complexa in primo & ſecundo modo per ſe: quædam non ſunt ſemper, ſed vt in pluribus, vt hominem generare hominem & non monſtrum, hyemem eſſe pluuioſam, æſtatem calidam & ſerenam, & hæc ſunt cauſa entis per accidens. nam, vt inquit Comment. in commen. quinto, quando in eis quæ fiunt pro maiori parte, non fit illud quod innatum eſt fieri, fit illud quod eſt per accidens, puta quando homo non naſcitur cum quinque digitis, naſcitur monſtrum quod dicitur ens per accidens, quoniam eſt ex defectu eius, quod eſt vt in pluribus: vnde ſequitur, quod ſi omnia eſſent neceſſaria & infallibilia, nullum eſſet ens per accidens. Ad hoc ergo quod ſaluetur ens per accidens, neceſſe eſt dari entia contingentia, quæ licet ſint talia pro maiori parte, tamen prout raro fit oppoſitum dicitur ens per accidens: patet igitur, quod cauſa entis per accidens eſt id quod eſt vt in pluribus inquantum deficit.

Quantum ad naturam entis per accidẽs aduerte, quòd de ratione, & quidditate eius eſt, vt non ſit ſemper, nec pro maiori parte. ſic enim eſſet ens per ſe, ſed raro, & in pauciorib.

Ex hoc

Ex hoc enim, quod ea quæ ſunt vt in pluribus, aliquando deficiunt, prouenit ens per accidẽs, vt ſi ſub cane pluat, eſt ens per accidens, nã vt in pluribus æſtas, eſt maximè ſubcalida, æſtuãs, & ſicca: & id conuenit æſtati per ſe. Item quòd homo ſit albus eſt per accidens, vel quod albus ſit muſicus, quod autem ſit animal, vel riſibilis eſt per ſe, quoniam hoc eſt ſemper, illud autem raro. Item quòd ædificator ædificet eſt per ſe, quod autem ſanet: aliquem eſt per accidens, quoniam vt in pluribus ædificat, raro autem contingit ædificatorem eſſe medicum, & ideo per accidens ſanat. Item quòd coquus faciat cibum delectabilem eſt per ſe, id enim intendit, & vt in pluribus ſic facit, quod autem faciat cibum ſalubrem eſt per accidens, quoniam id non intendit inquantum coquus, & raro id facit: vnde ſicut ad medicum ſpectat per ſe dare medicinam ſalubrẽ, per accidens autem medicinam ſuauem, ſic oppoſito modo contingit in coquo. Ens igitur per accidẽs propriè dictum eſt illud, quod raro, & præter intentionem euenit, & eſt à cauſa interminata, vt declarauimus in libro quinto in tractatu tertio, capite ſexto, diſtinguentes hoc nomen accidens, & pro rei veritate hoc ens per accidens coincidit cum fortuna, & caſu, de quibus manifeſtum eſt in ſecundo Phyſicorum.

Text. Hæc igitur de ente per accidens formaliter ſumpto dicta ſint, ex quibus poſſumus rationẽ ſumere, quare de ſubſtracto non poteſt haberi ſcientia, nam omne quod ſcitur poteſt doceri: omne quod poteſt doceri eſt ſemper, vel vt in pluribus, neceſſe eſt enim docẽtem determinare id quod docet, aut quia ſemper ſic eſt, aut pro maiori parte, aut pro tali tempore, puta in luna noua, quod autem raro à cauſa interminata prouenit non poteſt determinari: ergo non poteſt ſciri, nam docens medicinam, ideo docet melliciratum eſſe bonum febricitanti, quia pro maiori parte ſibi prodeſt, quod ſi raro, & indeterminate ſibi proficeret, non poſſet de eo certa regula fieri, ex conſequenti, nec ſciri, nec doceri. Hæc de 2. capite dicta ſint.

CAPVT III.

IN capite tertio deſtruenda eſt quædam opinio, quæ conatur tollere ens per accidens, quod eſt ens fortuitum, ſiue caſuale, & quatuor agenda ſunt.

Primò ponentur fundamenta huius opinionis.

Secundò arguetur contra eam.

Tertiò inferetur contra dictam opinionem corollarium, per quod ſuſtinetur natura entis per accidens.

Quartò ſoluentur duo dubia.

Text. 7. Quantum ad primum aduerte quoſdam dicere omnia ordinato curſu ſibi ſuccedere, & vnum ex alio de neceſsitate procedere, vt omne futurum ex aliquo præterito, & fundant ſe ſuper duas propoſitiones, quas habent pro veris, licet decipiantur. Prima eſt, omne quod fit in mundo inferiori habet cauſam per ſe, & determinatam. Secunda eſt, ad quamlibet cauſam per ſe, & determinatam neceſſe eſt ſequi effectum: ex his duobus ſuppoſitis ſequitur cauſam nunquam fruſtrari ſuo effectu, ex conſequenti nihil agitur, niſi quod aptum natum eſt agi. ergo nullum eſt ens per accidens. Dictum eſt enim ens per accidens prouenire ex eo, quod cauſæ agentes, vt in pluribus aliquando deficiunt.

Quantum ad ſecundum aduerte, quòd Ariſt. intendens deſtruere hanc opinionem proponit hoc fundamentum, nõ inconuenit generari, & corrũpi principia, & cauſas aliquorum effectuum, & tamen non neceſſario ſecũdum eum ordinem. & infallibilem ſucceſsionem producũtur, & corrumpuntur effectus, quoniam poſſunt impediri, vel ex indiſpoſitione materiæ, vel occurſu contrarij agentis. Exemplum primi, ex indiſpoſitione materiæ, aliquando non naſcitur ſemen ſeminatum ſtante virtute actiua ſufficienti in ſemine, & influentia cœli, quoniam terra non eſt madefacta, vel non culta. Exemplum ſecundi, palea ſicca proximata igni non comburitur, quoniam aqua ſuperinfunditur. Ex hoc fundamento ſic arguit Ariſtot. ſi omnis effectus habet cauſam per ſe, & ad illam poſitam per ſucceſsionem cauſarum, neceſſario ſequitur effectus: ergo omnia de neceſsitate euenient, ita quòd nihil contingens, nihilque liberum erit, & de quolibet futuro erit verum determinatè dicere, erit vel non erit: hoc autem eſt falſum, quoniam, vt inquit Commen. in comm. ſeptimo, id eſt contra intellectum, & ſenſum. conſequentiam ſic deducimus, ſi omne quod fit habet cauſam per ſe, ad quam neceſſario ſequitur effectus, ſumo aliquod futurũ, puta granum ſeminatum naſciturum, & quæro, aut habet cauſam poſitam in præterito, vel in præſenti, ad quam ſecundum te neceſſario ſequitur aliud, quod reſpectu ſequentis erit cauſa, & ad illam aliud, & ad illam aliud, & ſic per connexionem cauſarum ſibimuicem ſuccedentium, tandẽ deuenietur de neceſsitate ad effectum futurũ, cuius iam cauſa eſt poſita. & ſic erit verum dicere etiã de præſenti, nunc determinatè hoc erit, quoniam tempus medium inter præſens nunc, & illud, in quo effectus producetur, eſt finitum, ex conſequenti tandem totum conſtituetur per ordinatam ſucceſsionem cauſarum, ſi autem cauſa non ponitur determinatè erit verum dicere, quod non erit. & vt manifeſtius fiat, quod dicimus, proponitur hoc futurum, Socrates occidetur, & deducitur ex fundamẽtis huius opinionis, quòd de neceſsitate occidetur, & ponatur cauſa ſuę occiſionis, quia exiuit de nocte domo, ad quod ſecundum hanc opinionem ſequitur de neceſsitate aliud, puta quod fuit inuentus ab inimico, ad hãc inuentionem ſequitur vulneratio lethalis, ad hanc ſequitur mors. eſt ergo verum determinatè dicere, quia Socrates exibit domo inuẽtus erit ab inimico, quia erit inuentus vulnerabitur, quia vulnerabitur, occidetur: huius autem effectus, ſcilicet exibit domo ponitur cauſa præcedens, puta quia volet haurire aquam, & huius etiam ponitur cauſa præcedens, puta quia ſitiet, & huius etiam ponitur cauſa præcedens, quæ tandem demonſtrabitur in præſenti, vel fuiſſe in futuro. puta quia heri comedit ſalſa, vel nunc comedit, & ſic à prima cauſa iam poſita, decurrendo ordinatè per cauſas medias, de neceſsitate deuenietur ad occiſionem Socratis. Idem intelligendum eſt de quolibet futuro contingenti ſingulari. & ſic patet quod omnia de neceſsitate euenient, quia non eſt maior ratio de vno contingenti, quàm de alio.

Quantum ad tertium aduerte, quòd, cum ſit ſtultum ponere omnia euenire ex neceſsitate, manifeſtum eſt, quòd non omne futurum habet omnem ſuam cauſam per ſe, licet enim effectus futuri aſsignari poſſint aliquæ cauſæ per ſe. tamen nõ eſt neceſſe eas reduci ad aliquam primam cauſam per ſe, imò illa prima aliquando erit per accidens, & caſualis: verbi gratia occiſio Socra. habet cauſam proximam per ſe, ſcilicet, quia lethaliter vulneratus, & hæc reducitur ad cauſam per ſe, ſcilicet, quia incidit in latrones, hæc autẽ nõ reducitur in cauſam per ſe, quod enim inciderit in latrones non datur determinata cauſa, ſed potuit eſſe ab infinitis cauſis: & ideo per accidens, & caſualiter incidit in latrones. nam licet Socra. intenderet ire ad talẽ locum, puta ad puteum, & latrones intenderent ire ad eundem locũ, tamen fuit mere per accidẽs, & præter intentionẽ, q̃ ſimul concurrerint in eodem loco: vnde patet, quod prima cauſa occiſionis Socra. fuit non per ſe ſed per accidens: à qua prouenit effectus per accidens, qui dicitur ens per accidens, ſcilicet ipſa occiſio. falſa ergo ſunt fundamenta reprobatæ opinionis, ſcilicet omne q̃d fit in mundo fit à cauſa per ſe, ita q̃ & prima, & omnes intermediæ ſint cauſa per ſe: Itẽ quod à cauſa per ſe infallibiliter, & de neceſsitate ſemper ſequatur effectus, quoniam multæ cauſæ per ſe impediri poſſunt, vel defectu materiæ vel concurſu contrarij agentis, vt diximus ſuprá.

Quantũ ad quartum, aduerte q̃ circa prædicta oriũtur duo dubia: primũ eſt, quoniã dictum eſt immediatè, q̃ non eſt neceſſe reduci omnẽ effectum in cauſam per ſe, ſed prima illius cauſa poterit eſſe per accidens, vt exẽplificatum eſt in occiſione Socra. dubitatur ad quod genus cauſæ illa reducitur, an ad materiã, an ad efficientem, an ad finalem: de formali non poteſt eſſe dubium, quoniã in generatione effectus ipſa forma eſt finis. vnde, ſi talis reductio fit ad cauſam finalẽ fit conſequenter ad cauſam formalẽ, prout forma eſt finis. Hoc dubium mouet quidem Ariſt. in tex. ſed pertranſit non reſpondens, innuens quod recurrendũ eſt ad determinata in 2. phyſ. tex. 65. vbi determinauit caſum, & fortunam, quæ ſunt cauſa per accidens reduci ad cauſam efficientem: quoniam fortuna eſt in his, quæ fiunt per intellectum, & caſus in his, quæ fiunt per naturam: ſed intellectus, & natura, id eſt agens naturale ſunt in genere efficientis: ergo, &c. propter hoc igitur, vt inquit Commenta. in cõm. 60. dimiſit hic loqui de hoc dubio, vt pote determinatum in Phyſi. ſecundum eſt, quare Ariſtot. arguens contra negantes ens per accidens formauit, & deduxit conſequentiam, & tamen non probauit falſitatem conſequentis, ſcilicet quòd falſum ſit omnia euenire de neceſsitate. Ad hoc dico, ſicut ad præcedens, quoniam id iam declarauerat in fine primi Periher. vbi inquit, ſi omnia de neceſsitate euenient, iam non expedit conſiliari, neque negociari: conſiliamur enim non in neceſſariis. ſed in his quæ poſſunt alio, & alio modo fieri, ſed ſi omnia de neceſsitate euenient, non poſſunt aliter ſe habere. Item negociamur credentes, quod niſi ſic, vel ſic operemur. non conſequemur finem intentum, ſed ſi omnia ex neceſsitate euenient, ſiue operemur, ſiue non, conſequemur finem intẽtum. ergo vanũ erit negociari, ſtultum eſt igitur hæc opin. quoniam aufert omnem moralitatem,

quæ

quæ fundatur in actu libero, & legem præmiatiuam, ac punitiuam. sicut enim in naturalibus, sic in necessariis non est meritum, nec demeritum, ex consequenti nec præmium, nec pœna. Item aufert motiuum omnis honesti laboris & constituit hominum genus in totali ocio. Tenendum est ergo, quod vltra ens necessarium, & ens vt in pluribus, datur ens contingens, & ens per accidens, de quo sufficit.

CAPVT IIII.

IN capite quarto excludendum est ens verum à principali consideratione metaphysici. & tria agenda sunt.

Primo qualiter dicatur hoc ens.

Secundò in quo est, an in rebus, an in anima, siue in mẽte.

Tertio assignatur ratio, quare est prætermittendũ à meta.

Quantum ad primum, aduerte quòd ens verum, & non ens, vt falsum est significatum propositionis veræ, & propositionis falsæ, & designatur per copulam verbalem affirmatam, vel negatam, vt cùm dicimus, hæc propositio est vera, homo est animal, quia significat sicut est. & hæc est falsa, homo non est animal, quia significat aliter, quàm sit, & huiusmodi ens non est in terminis incomplexis, vt declaratum est in primo Periher. sed tantum in propositione affirmatiua, quæ dicitur compositio, quia componitur prædicatum cum subiecto, vel quia signat prædicatum inesse subiecto, & in propositione negatiua, quæ dicitur diuisio, quia signat prædicatum remotum à subiecto, & huiusmodi ens verum, & non ens falsum circundat omnem contradictionem, quoniam necesse est, vt probatum est in quarto libro, vnam partem esse veram, & alteram falsam, sed differenter in terminis repugnantibus, & in terminis non repugnãtibus. nam in terminis repugnantibus affirmatiua est falsa, vt homo est asinus, & negatiua est vera, vt homo non est asinus, in terminis autem non repugnãtibus, sed coniunctis adinuicem affirmatiua est vera, vt homo est animal, & negatiua est falsa, vt homo non est animal, & hoc est regulariter verum in materia necessaria, siue naturali, & in materia remota, sed in materia contingenti, sufficit quòd si affirmatiua est vera, negatiua est falsa, & si negatiua est vera affirmatiua est falsa. & ratio huius est, quoniam in materia contingenti termini non sunt necessario coniuncti, nec necessario disuncti. nam Socrates potest esse diues, & potest non esse diues. si tamen hæc est vera, Socrates est diues, hæc erit falsa, Socrates non est diues: & si hæc est vera, Socrates non est diues, affirmatiua erit falsa.

Sed dices, si huiusmodi ens est tantum in propositione siue affirmatiua, siue negatiua, cum propositio sit quoddam compositum ex prædicato, & subiecto, nec possit intellectus propositionem formare, nisi intelligat subiectum, & prædicatum: quæritur, an simul vtrunque intelligat, an separatim, id est, vna intellectione, vel distinctis, quarum vna consequenter se habet ad aliam.

Huic quæsito Arist. non respõdet hic. sed dicit quod de hoc est alius sermo, scilicet in lib. tertio, de Anima. ex quo potest trahi responsio ad hoc. nam in tertio libro de Anima. textu vigesimotertio, loquens Arist. de prima. & secunda operatione intellectus, intendit quod si intellectus intelligit partes alicuius diuisibilis, puta duas medietates lineæ, inquantum sunt vnum in linea, quam componũc intelligit eas simul, quia per modum vnius. si autẽ intelligit eas inquantum ab inuicem distinguuntur, & vnamquãque secundum se tunc intelligit eas seorsum, & separatim, id est, distinctis intellectionibus, quia tunc intelligit plura per modum pluriũ, sic in proposito quæsito. si intellectus intelligit subiectum secũdum se, puta hominem, & prædicatum, vt animal, intelligit ea seorsum, & distinctis intellectionibus, quæ erunt duæ distinctæ apprehensiones duorum terminorum incomplexorum. si autem intelligit ea, vt sunt vnum. id est, vt componunt hanc propositionem, homo est animal, sic intelliguntur simul, & vnica intellectione, quæ est secunda operatio intellectus.

Quantum ad secundum aduerte, quod cum verum, & falsum sint circa cõpositionem, & diuisionem intellectus, & operatio intellectus, vtpote operatio immanens sit tantum in intellectu. patet quod verum, & falsum sunt in intellectu, & non simpliciter, quoniam non est in prima apprehensione, nec in diffinitione, sed in secunda operatione. & ex hoc patet, quod verum & falsum distinguuntur à bono, & malo, quoniam hæc sunt in rebus. nam res dicitur bona inquantum habet perfectionem sibi debitam. mala autem inquãtum deficit à perfectione sibi debita. vnde oculus conuenienter videẽs est bonus. si autem est cæcus est malus. verum autem & falsum sunt in cognitione. nam si res cognoscitur vt est. est vera cognitio, si aliter, quàm sit, est falsa cognitio: cognitio aũt non est in re cognita, sed in cognoscente, sicut visio in vidente. ergo verum & falsum non sunt in rebus, sed in mente. id est, in intellectu cognoscente. vnde inquit Commen. in commen. octauo, verum, & falsum sunt in cognitione, & bonum, & malum sunt in materia, & nullum entium, quæ sunt in cognitione dicitur esse simpliciter, sed secundum quod est extra animam. De vero igitur & falso qualiter sint, & in quo sint, hæc dicta fuerint. Reliqua autem consideranda circa huiusmodi ens pro quanto spectat ad metaphys. pertractabimus in fine noni libri huius scientiæ. Dixi autem prout spectat ad metaphis. quoniam directa huius consideratio ad logicum pertinet. vnde & subiectum in ea ponitur ens rationis, id est, ens in anima, quod Arist. hic nominat ens verum, cui opponitur falsum, vtrum autem sit in re veritas, & in prima operatione, & in diffinitione diximus in tractatu de transcendent. de opinione Heruei, & Beati Thom.

Quantum ad tertium, aduerte quòd Philosophus hac principali ratione excludit ens verum ab hac scientia, ita scilicet quod non debet esse de principaliter cõsideratis ab ipso. nam hoc ens, vt diximus consistit in compositione, & diuisione. non quidem qualis inuenitur in rebus, sed in intellectu componente terminos incomplexos, vel diuidente, prout comparat vnum ad alterum, vel idem ad seipsum, vt ad alterum, talis autem cõpositio, & diuisio sunt operatio intellectus, sed eiusdem scientiæ est considerare de potentia, & actu eius, & proprietate consequente actum. nam considerans de luce solis considerat de illuminatione, & calefactione, quæ consequitur illuminationem. liber autem de anima vt patet in tertio libro, considerat de intellectu, & actibus intellectus. ergo ad ipsum spectat considerare de vero, & falso. Hac igitur ratione dimittatur à Metaphysico, sicut & ens per accidens, licet alia ratione. Diximus enim dimitti ens per accidens, quoniam habet causam interminatam, ex consequenti incognoscibilem: verum autem, & falsum, quoniam sunt passio mentis, id est, consequuntur operationem mentis. Tu tamen aduerte, quod licet, vt sunt passio mentis spectent ad scientiam de anima, tamen vt sunt ens rationis spectant etiam ad logicum. Potest tamen & alia ratio assignari, propter quam tam ens per accidens, quam ens verum, relinquenda sunt à metaphysico. nam vtrũq; est circa ens per se. ens enim per accidẽs prouenit ex concursu duorum, quorum vtrunque secundum se acceptum est ens per se, puta musicum est ens per se, actificator est ens per se, quod autem in eodem subiecto conueniant est ens per accidens. Item intellectus facit compositionem, & diuisionem circa res prædicamentales, vt homo est substantia, albedo est color, &c. circa quam compositionem, & diuisionem stat verum, & falsum, vt diximus, res autem prædicamentales sunt entia per se. Si igitur metaphysicus sufficienter pertractauerit de ente per se, ex consequenti manifestum erit de ente per accidens, & de ente vero, non ergo est necesse, quod particularem considerationem faciat de eis, sed sãtis erit, si considerabit de ente per se vniuersalissimè sumpto, perscrutando ipsius causas, & principia, & hanc speculationem incipiemus in libro septimo.

EPITOME SVPER SEPTIMO Libro Metaphysicæ Aristotelis.

QVoniam Ens est subiectum Metaphysicæ, & ab eius consideratione abiecimus ens per accidẽs, & ens in anima, restat vt consideremus de ente per se, quod est extra animam: quod quidem diuiditur, scilicet per corporeum, siue materiale, & incorporeum, per actum, & potentiam, per vnum & multa. De ente materiali agendum est in septimo: & octauo libro, de actu & potentia: in nono, de vno & multo: in decimo de entibus incorporeis, quæ sunt primæ, & vniuersales causẽ entis corporeis in libro duodecimo, in quo complebitur consideratio primi Philosophi. & quoniam ens materiale dicitur de substantia, & accidente existente in substantia materiali: & potest pertractari modo logico, & modo reali, vtroque modo pertractandum est, quoniam vt diximus in quarto libro logicus, & metaphysicus consimiles sunt in subiecto, de omnibus considerant, prima igitur consideratio erit logica, & fiet in libro septimo: secunda erit realis, & fiet in libro octauo, intendens ergo resolutè, & ordinatè procedere perstringemus totam intentionem Aristot. in hoc septimo libro in vnico tract. quem diuidemus in decem capita.

Primò quòd de ente dicto de subiecto, & accidente sufficienter pertractabitur, si de substantia pertractatum fuerit.

Secundò, quòd de substantia sensitiua prius determinandum est.

Tertiò de quod quid est, ex quibus prædicatis constituitur.

Quartò de quod quid est, quorum est, an substantiarum tantum, an accidentium, an vtriusque.

Quintò si quod quid est identificatur ci, cuius est.

Sextò si quidditates rerum sensibilium generantur à formis, siue ideis separatis.

Septimò ex quibus partibus constituitur quiddita substantiæ sensibilis.

Octauò quod quid est substantiæ sensibilis ex partibus constitutum est vnum.

Nonò quòd vniuersalia non sunt substantiæ, nec sunt substantiæ à singularibus separatæ, nec ipsæ ideæ Platonis possunt diffiniri.

Decimò substantia, quæ est ipsum quod quid est, causa, & principium.

CAPVT I.

De substantia quasi solum quæ tempore, diffinitione, natura, & cognitione accidens præcedit, determinandum esse dicitur, & quid nam de eatum ex antiquis, tum ex Arist. determinandum sit.

IN primo capite declarandum est, quòd ad habendam notitiam de ente sufficiet tractare de substantia: quatuor igitur agenda sunt.

Primò, quòd substantia est primum, & principaliter ens.

Secundò quòd est prior acciden. notitia, tẽpore, & natura.

Tertiò quòd de sola substantia agendum est, & id sufficiet ad habendam notitiam de ente vniuersali.

Quartò quid determinandum sit de substantia secundum opiniones antiquorum, & secundum opinionem Aristotelis.

Quantum ad primum ponitur hæc conclusio, cùm ens dicatur multipliciter, scilicet de eo, quod est quid, id est de substantia, & de quanto, & quali, & de aliis prædicamentis accidentium: ens, quod signat substantiam, est primum ens, & probatur ratione, ac signo: Ratione quidem sic, substantia est ens per se, & simpliciter, accidens autem est ens secundum quid, & in ordine ad aliud, id est ad substantiam: ergo substantia est primum ens, antecedens sic probatur, quæ significãt substantiam dicunt quid est aliquid absolutè, puta quid est homo, aut lapis, aut Deus: quę autẽ significant accidens non dicunt quid aliquid sit, sed quale quid, aut quantum: quia per quod significatur esse ens secundum quid. Item substantia non respicit accidens, sed econuerso, propter quod accidens non est ens, nisi quia est entis, puta quia est qualitas, aut quantitas substantiæ ergo accidens est ens in ordine ad aliud, quod est substantia, consequentia verò manifesta est, nam omne simpliciter prius est eo, quod est secundum quid, & quod est per se prius est eo, quod est quid aliud, vel per aliud. nam secundum quid, & per aliud supponit id, quod est simpliciter, & per se: ergo, &c. Signo sic, si sumantur accidẽtia in abstracto, vt vadere, & sanare, & albedo, & nigredo, dubitatur si sunt entia, vel non, si autem sumantur in concreto non dubitatur. ratio autẽ dubitationis est, quia in abstracto sumuntur sine subiecto, à quo non sunt separabilia, & propterea in abstracto videntur non entia, in concreto autẽ sumuntur cum subiecto, quod est substantia, & per subiectum videtur habere esse, quoniam accidentis esse est in esse. manifestum ergo est primũ ens esse substantiã, & per eam accidentia sunt ens, & ea remota non sunt ens. primum ergo & per se, & simpliciter ens est substantia.

Quantum ad secundum pono hanc conclusionem, substantia est prior accidente, natura, tempore, & cognitione. Natura quidem, quoniam accidentia pendent ex substantia, ex eo enim quòd in sunt, entia sunt, non autem econuerso, quoniam fundamentum à fundato non pendet. Tempore autem, quoniam nullum accidens potest inueniri sine substantia, cum sit inseparabile à substantia, in latitudine autem substantiarum non inconuenit inueniri subiectũ sine accidẽte, vt est primum principium, in quo quicquid est substantia est, vt dicetur in libro duodecimo. Cognitione verò, quoniã & prius diffinitur & prius cognoscitur. quidẽ quod prius diffiniatur, patet, quoniam accidens diffinitur per substantiam, & non econuerso. nam sicut non est ens, nisi per substantiam, vt dictum est, sic non potest diffiniri, nisi per substantiam, cum diffinitio declaret naturam diffiniti, sicut est. id autem, per quod aliquid diffinitur est prius eo diffinitione, vt animal homine, quod autem prius cognoscatur patet, quoniam quando scimus aliquid per prædicamenta substantialia magis scimus, quàm quando per accidentalia. magis enim notificatur nobis homo per esse corpus animatum sensitiuũ rationale, quàm per esse magnum, calidum, album, &c. Item magis scimus rem cognoscendo quid sit, quàm cognoscendo quanta qualisque sit, sed nõ cognoscimus quid sit nisi per prædicata substãtialia, vt dicemus infrà: ergo, &c. & quidem quòd magis cognoscamus rem cognoscendo quid sit, quàm quocunque alio modo, patet ex eo quòd & accidentia putamus scire quando scimus quid sunt. patet ergo substãtiam esse priorẽ cognitione quàm accidentia. Tu tamen aduerte, quòd ratio Arist. videtur probare de prioritate cognitionis, non quidem tempore, sed perfectione, vt sit sensus, quòd cognoscere rem per subiectum est perfectius, quàm cognoscere per accidens. verum verò sit verum de prioritate cognitionis, quo ad tempus determinabitur in quæstionibus nostris.

Quantum ad tertium ponitur hæc conclusio, pro consideratione entis vniuersalis sufficit determinare de substantia. nam & antiqui quærentes naturam entis circa solas substantias laborabant inuestigantes si omnium esset vna substantia, vel plures, & aliqui ponebãt vnam, vt qui posuerunt tantum vnum principiũ materiale: aliqui plures, aliqui finitas, aliqui infinitas, & has opiniones perstrinximus in primo libro, volẽs igitur Arist. imitari antiq. in hoc dicit, quapropter nobis maximè, & primũ, & solum, vt est dicere de sic ente, id est, de substantia speculandũ quid sit, & id rationabiliter facit, quoniam cum substantia sola sit ens absolutè, de ea sola absolutè speculandum est, & cùm accidentia non sint entia, nisi per subiectũ, non cognoscuntur nisi per substantiam. sicut enim res habet se ad esse, ita ad cognosci, patet q̃ cognitio accidentium est participatio cognitionis substantiæ, sicut esse accidentis est participatio esse substantiæ. ex consequenti cognita natura substantiæ, cognita erit & natura accidentis quantũ spectat ad primum philosophum: pro consideratione ergo entis vniuersalis, quasi sufficit determinare de sola substantia.

Quantum ad quartum, aduerte, quòd aliquas esse substantias manifestissimum est. vt animalia, & plantas & naturalia corpora, vt ignem; & aquam & terram, & horum partes, vt cœlum, & astra: de tribus autem non est manifestum vt de magnitudinibus, de numeris, de speciebus rerum sensibi. & non solum est im manifestum, an sint substantiæ, sed an sint separatæ ab his sensibilibus, vel non. Circa huiusmodi enim sunt oppositę scientiæ, vt manifestauimus in 5. libro huius sciẽtiæ, vt igitur perfectam habeamus notitiam de substantia, perscrutandum est in seq. primo quidem de substantia sensibili, quam manifestum est esse substantiam, vt elementa, & elementata, & cœlum, &c. secundo si mathematica, & species sint substantiæ, & an separatæ, vel non. tertio posito, quòd nec mathematica, nec ideæ sint separæ, vtrum dentur præter substantias sensibi. aliquæ substantiæ separatæ immateriales æternæ. & hoc determinabitur in libro vltimo huius scientiæ. Hæc de primo cap.

CAPVT II.

Ex præmissa substantiæ diuisione, de sensibili substantia, quæ forma est, agendum esse declarat.

IN secundo cap. declarandum est, quòd de substantia sensitiua & materiali prius determinandum est. & cùm diuidatur in materiam, & formam, & compositum, prius determinandum est de forma, sic ergo procedendum est.

Primo resumemus distinctionem de substantia.

Secundo ponetur hæc conclusio relictis aliis modis, prius agendum est de substantia sensibili.

Tertio ponetur hæc conclusio, licet hæc substantia sensibilis diuidatur in materiam, & formam, & compositum relicto composito, & materia, prius agendum est de forma.

Quantum ad primum aduerte, quòd pro nunc solent assignari 4. modi, primo dicitur substantia ipsum quod quid est, id est, quidditas, & essentia rei: vt animal rationale est substãtia hominis; & hic modus est verus, secundo dicitur de vniuersalibus, scilicet de speciebus, quas dicũt platonici esse substantias, & separatas à singularibus: & hic modus est falsus, & improbabitur infrà. tertio de primis, & vniuersalis, generibus, quæ apud Plato. & Pythagoricos dicuntur ens, & vnum, de quibus disputauimus in 3. lib. in c. 11. & hic modus est falsus: & vltra determinationẽ, quam fecimus in 3. lib. reprobabitur etiam infrà. quarto de subiecto. id est de substãtia particulari quæ dicitur prima substantia, de qua alia, id est superiora, & accidentia prædicantur, ipsa autẽ de aliis non prædicatur, nisi indirectè, vt homo est Socrates. vel per accidens, vt musicus est Plato, & hic est verus modus, & confessus ab omnibus, vnde

Modi quatuor substãtiæ Tex. c. 7.

vnde & in prædicamentis dicitur esse maximè substantia, & est illa, quæ ad sensum nota est.

Quantum ad secundum aduerte, quòd cum sit nobis innata via procedendi à notioribus nobis, conuenienter & prius de quarto modo substantiæ determinandum est. nam, cum substantiæ sensi. particulares subiaceant sensui, sunt notiores nobis, etiam quòd sint minoris nobilitatis, & entitatis, ex consequenti per eas habebimus viam procedendi ad notiora naturæ, quæ sunt maioris nobilitatis. licet sint à sensu remota. vnde sic contingit in practicis, quod ex singularibus bonis peruenitur ad consequutionem boni vniuersalis, vt patet in regimine ciuitatis, & in arte medicandi, in qua ex sanatione membrorum particularium peruenitur ad sanationem totius. sic in speculatiuis ex notitia substantiæ particularis peruenimus ad notitiam substantiæ vniuersalis, & ex notitia horum sensib. perueniemus ad notitiam substantiarum insensib. quæ digniores, & notiores sunt secundum naturam, vt declarauimus in libro secundo, capite primo, & hæc notitia præbebit nobis viam ad ea, quæ pertractanda sunt in vltimo libro.

Quantum ad tertium, aduerte quòd substantia sensibilis tria dicit, scilicet materiã, vt cuprum: & formam, vt figuram, puta Mercurij: & compositum, puta statuam. & comparãdo formam materiæ, & composito, declarandum est formam esse priorem & magis ens, quàm materia, & similiter eam esse priorem composito. deinde reprobãda est opin. antiq. qui arbitrabantur solam materiam esse substantiam, & maximè substantiam: demum declarandum est, quòd relicta materia, & composito prius agendum est de forma. Quod igitur forma sit prior, & magis ens, quàm materia, constat ex hoc, quoniam, vt inquit Commen. in commen. 7, materia est in potentia, & forma est in actu: sed vt determinabitur in libro nono, & in 12. actus simpliciter loquendo est prior potentia. nihil enim reducitur de potentia ad actum, nisi per aliquod extra ens actu, ergo, &c. eadem ratione est magis ens quàm materia, quoniam propter formam materia est ens. ordinatur enim ad formam, vt potentia ad actum, ergo forma est magis ens, ex illo proprio quod vnũquodque, &c. eadem ratione forma est prior composito, quoniam non est actu nisi per formam, & tam forma, quàm materia sunt principia compositi: principium autem est prius principiato. vtrum autem sit magis ens, & in quo sensu, quàm cõpositum determinabitur in quæstionibus nostris. Visa comparatione facta inter partes substãtiæ sensibilis secundum ordinem prioris, & posterioris reprobanda est antiquorũ opinio, qui credebant solã materiã esse substantiam, & omnes formas esse accidentia, quorum ratio fuit hæc: si à re sensibili, puta lapide auferantur omnia quæ constat non esse substãtias, sed dispositiones, vel affectiones, vel viam ad substantiam, vt magnitudo, qualitates, & motus, siue generationes, patet quòd nihil remanet, nisi materia, ex qua res est, puta terra, vel aqua, &c. & id maximè apparet in artificiatis. ergo videtur materia sola esse substantia. & maximè substantia. nam ex conditionibus attributis materiæ, vt diximus in primo libro, in tractatu secũdo, in capite secundo. sunt istæ, quòd sit vltimũ, in quod omnia resoluuntur. & quòd tam in generatione, quàm corruptione permaneat secũdum substantiam, licet formæ, & dimẽsiones, & qualitates varientur. hac ratione igitur visum est antiquis solam materiam esse substantiam. Sed contra eos arguitur, & vt ratio nostra euidentior sit contra eos, declaratur prius, quæ sit natura materiæ. nam ex ignorantia eius peccauerunt antiqui, non enim cognouerunt dari primam materiam, quæ sit ens in pura potentia, sed credebant ipsam esse ens actu, ex quo fierẽt omnia, puta aquam, aërem, &c. & ideo ignorauerũt mutationes substantiales, vt clarè habetur in primo de generatio. Aduerte igitur secundum Arist. materiam primam esse talis naturæ, quod non est quid, id est, substantia, nec quantitas, nec qualitas, nec ens cujuscunque prædicamenti, scilicet in actu, sed est in potentia omnia ista decem prædicamenta. est enim receptiua formæ substantialis, per quam fit substantia actu, & est receptiua quantitatis, per quam fit quanta actu, & sic de aliis, & esse eius aliud est ab vnoquoque eorum, quæ recipit, quoniam, vt declaratũ est in primo Physic. necesse est subiectum motus, & mutationis alterum esse ab vtroque termino, materia autem ponitur subiectum motus, & mutationis, vt declaratum est in primo Physic, & declarabitur infrà, ergo, &c. & aduerte, quòd licet natura materiæ sit alia ab vnoquoque receptorum in ea, tamen omnia prædicantur de ea hoc quidem modo, quòd omnia accidentia prædicantur de substãtia, quæ est actu, vt homo est quãtus, qualis, similis, agens, patiens, &c. substantia autem actu prædicatur de materia, non quidem secundum se, sed concretiuè sumpta, vel denominatiuè. nam hæc esset falsa materia, est homo, quoniam sola materia non dicit totam essentiam hominis, sicut hæc esset falsa, homo est quantitas, sed hęc est vera, hoc materiatũ, id est hoc, cuius pars est materia, est homo, sicut hæc est vera, homo est quãtus, id est, est ens, cui inest quãtitas. ex hoc autem modo prædicandi vult inuuere Arist. quod sicut accidentia sunt aliud à substantia, de qua prædicantur denominatiuè, ita substantia actu existens est aliud à materia, de qua prædicatur denominatiuè, ex consequenti materia non est tota substãtia rei. Et aduerte, quod vt inquit Commen. in comm. octauo, sermones, quos hic induxit Arist. sunt logici & famosi. In octauo libro loquemur de forma & substantia materiæ modo demonstratuo. nam probandum est quod non sola nec maximè est substantia, imò quod & cõpositum & forma sunt magis substantia. nam esse separabile & esse hoc aliquid sunt conditiones substantiæ, substantia enim cum sit prior accidente est ex natura sui inquantũ substantia separabilis ab accidente, & est hoc aliquid demonstratum, quod non cõpetit alicui generi accidentium: significat enim aut quantitatẽ, aut qualitatẽ, &c. sed hæc magis conueniunt cõposito & formæ, nam cõpositum habet esse per se, & est actu, & completũ in natura sua, ideo habet esse separatum à quocũque alio cõposito, & hoc est aliquid demonstratum, forma vero, licet non habeat esse per se cõplete substantia, cum sit pars, tamen, cum sit actus, est causa cõpositi quod sit actu, & sit hoc aliquid, hæc autẽ non conueniunt materiæ ratione suæ potentialitatis, ergo, &c. His præhabitis declarandũ est quod pro nunc relinquẽda est substãtia composita & materia, & incipiendũ est à consideratione formæ. nam si de priori prius agendũ est, constat non incipiendũ esse à cõposito, cum sit posterius suis principiis, quæ sunt forma & materia. Præterea, ipsum cõpositum est substantia manifesta, subiacet enim sensui, & omnes antiqui confitentur huiusmodi sensibilia composita esse substantias, & ideo in eius cognitione non est primo immorandum, sed in eo de quo dubitatur multum propter sui ineuidentiam: hoc autẽ est forma, quoniam formæ rerum sensibilium non subiacent sensui.

Natura materiæ.

Et si dicas, quare prius cõsiderandum est de forma quàm de materia, cum circa vtranque sint multa dubia.

Dico quòd ideo fit, quoniam materia quoquo modo cognita & confessa est ab omnibus esse substantiam, formam autem non. Dico quoquo modo, quoniam & si ab omnibus non fuerit cognita prima materia, tamen quod vnusquisque ponebat materiam illud confitebatur esse substantiam. Circa igitur formam, vt circa rem magis dubitabilem, prius immorandum est. Hæc de secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

Quod quid est non ex his quæ per accidens, vel per se secundo modo prædicatis constitui, sed & per se in primo modo, ostenditur.

IVxta ordinem præpositum agendum est de forma substantiæ sensibilis. Sed aduerte, quod huiusmodi forma potest sumi pro forma partis, vt anima, vel forma lapidis, & potest sumi pro quidditate vel essentia rei, vt humanitas: lapideitas, &c. & hæc iterum potest dupliciter considerari.

Primo in abstracto, & dicitur forma totius.

Secundo in concreto, & dicitur significatum diffinitionis vt esse animal rationale est quidditas hominis,

Nam facta interrogatione quid est homo. Respondetur quod est animal rationale. vnde apud Arist. esse animal rationale est quod quid est homo. In hoc igitur lib. agendum est de forma in hoc vltimo sensu: vnde pertractabitur sub hoc titulo, quod quid est. Sed aduerte, quod ly quod quid est apud Philosophum realem sumitur pro significato diffinitionis, quod est ipsa quidditas, vel essentia, vel substãtia rei, apud logicum sumitur pro diffinitione indicante essentiã per prædicata essentialia. In hoc septimo libro, pertractatur modo logico. In octauo autem modo reali, & ideo in hoc septimo libro procedentes modo logico acturi de quod quid est, id est, de diffinitione, cõsiderabimus in hoc capite, ex quibus prædicatis constituitur, pro cuius resolutione ponuntur tres conclusiones.

Prima conclusio, Quod quid est non constituitur ex prædicatis per accidens. & probatur, quod quid est rei est illud, per quod respondetur ad interrogationem factam per quid: sed secundum prædicata per accidens non conuenienter respondetur ad interrogationem de quid. si enim interrogo quid tu es musicus, malè respondes. nam dum interrogo quid tu sis, quæro de essentia & natura tua: constat autem quod essentia musici non est essentia tui, musica enim qualitas est, tu es substantia, cum igitur per quid quæram

quæram quid tu sis secundum teipsum intrinsece, & non secundum aliquod extraneum, non est respondendum per prædicata accidentalia, ergo quod quid est non constituitur ex prædicatis per accidens.

Secunda conclusio, Nec constituitur ex prædicatis per se, quæ tamen sunt in secundo modo per se, quales sunt proprietates & passiones, nam prædicatum, per quod respondetur ad quid, dicit essentiam eius de quo fit interrogatio, puta si quæro quid est homo, intendo quærere quæ natura & quæ res sit homo, & si respondetur quod est animal, sensus est, ea res vel essentia, quæ est animal, est ea quæ est homo: sed prædicata per se in secundo modo non dicunt essentiam eius, de quo fit interrogatio per quid, imò aliam, nam hæc est per se, superficies est colorata, & tamen vt constat aliud est esse superficiem, quoniam id ad quantitatem pertinet, & aliud esse coloratum, quoniam id ad qualitatem spectat: ergo, &c. Præterea, quòd prædicata per se in secundo modo non dicant eandem essentiam cum subiecto de quo fit interrogatio per quid, sic probatur, cùm contingat eidem assignari multas passiones, vt superficiei passiones sunt coloratum, asperitas, lenitas, si dicunt eandem essentiam cum superficie, ergo inter se erunt idem, quod est manifestè falsum, nam asperum & lene contraria sunt, consequentia patet per illud principium, quæcunque vni & eidem sunt eadẽ inter se sunt eadem. Patet ergo quod quid est non constituit ex prædicatis per se in secundo modo per se.

Tertia conclusio quod quid est constituitur ex prædicatis per se in primo modo, quæ dicuntur prædicata essentialia simpliciter quidditatiua, nam cum sit necesse quid quod est constare ex aliquibus prædicatis & non constet ex his quæ sunt per accidens, nec ex iis quæ sunt per se in secundo modo, restat ex sufficienti diuisione quod constet ex iis quæ sunt per se in primo modo: & id rationabiliter, nam cum diffinitio dicat rei essentiam, necesse est eam constare ex prædicatis magis intimis & essentialibus; hæc autem sunt in primo modo per se, vt declaratũ est in posterioribus analyticis: ergo, &c. Hæc de hoc.

CAPVT IIII.

Eorum, quæ sunt vnum per accidens non posse diffinitionem esse: quomodo item substantiæ & accidentium diffinitiones sint ostendit, duo demum dubia proponuntur & soluuntur.

IN hoc quarto capite videdum est quæ possint habere quod quid est, id est quorum potest esse diffinitio, & pro resolutione agemus quatuor.

Primò, quòd eorum quæ sunt ens, aut vnum per accidens, non potest esse diffinitio.

Secundò, quod tam substantiæ quàm accidentium sumptorum per se, vt superficiei & albedinis, &c. potest esse diffinitio.

Tertiò quòd diffinitio primo est solius substantiæ, secundario autem est accidentium.

Quartò, soluuntur duo dubia.

Quantum ad primum, aduerte quòd sicut ex materia & forma fit substantia sensibilis composita, sic ex subiecto & accidente fit compositum accidentale, puta homo albus: & sicut substantia composita potest signari per vnum nomen, vt per hominem vel lapidem, sic & compositum accidentale, vnde homo albus potest signari per vestem, vt vtamur exemplo Aristotel. & sicut de homine potest assignari aliqua ratio, per quam declaratur quid significet homo, puta animal rationale, ita de veste potest assignari ratio significatiua nominis, puta quod vestis significat hominem album, ex consequenti videtur ex omnibus istis, quod sicut substantiæ compositæ possunt diffiniri, sic & composita accidentalia, & propterea Aristotele, ne quis decipiatur ponit conclusionem negatiuam: cuius ratio est, quæcunque composita diffiniuntur, constant ex duabus partibus, quæ sunt eiusdem prædicamenti, puta vtraque est substantia, & dicuntur per se, & constituunt aliquid, id est aliquod vnum, quod dicit vnam essentiam, vel quidditatem: sed compositis accidentalibus nulla harum conditionum conueniunt, vt patet: ergo, &c. & quoniam istæ conditiones conueniunt speciei specialissimæ in genere substantiæ, ideo illa propriè diffinitur. Nec obstat, quòd de composito accidentali potest assignari ratio, quoniam non omnis ratio declaratiua nominis potest dici diffinitio, nisi constet ex genere & differentia, quorum vtrunque prædicatur per se de diffinito, aliàs, vt inquit Aristotel. Ilias posset dici diffinitio. Declarat enim totum bellum troianum per Homerum descriptũ. Huiusmodi autem ratio declaratiua contingit fieri dupliciter, primo quando per nomen magis notum manifestatur quid significet nomen minus notum: vt si per hoc nomen sapientiam manifestatur quid sit Philosophia: secundo quando per orationem manifestatur significatum nominis simplicis, vt interpretando Philosophum per amatorem sapientiæ.

Substantiæ nõ solum, sed accidentium diffinitionem esse.

Quantum ad secundum, aduerte quòd cum diffinitio importet quod quid est, siue quidditatem, & ipsum quod quid est inueniatur in substantia, quæ propriè significat quid & hoc aliquid, inueniatur etiam in prædicamẽtis accidentium, nam & in eis fit interrogatio per quid, vt quid est albedo, quid linea, quid centrum, & per huiusmodi interrogationem quærimus de quidditate, siue essentia eorũ: manifestum est quod & accidentia, sicut & substantiæ possunt diffiniri; & confirmatur, nam sicut se habet ens ad substantiam & accidentia, sic & quod quid est & diffinitio, quoniam hæc significant rei entitatem: sed ens non tantum significat substantiam, sed & quantitatem & alia prædicamenta: ergo quod quid est, & diffinitio non solùm conuenit substantiis, sed & accidentibus.

Substantiæ simpliciter et primo diffinitionem esse secundario accidẽtium.

Quantum ad tertium aduerte, quòd licet accidentia habeant quid, non tamen simpliciter, sed secundum quid: nam sicut sunt entia, sic habent quid: dictum est autem suprà, quòd substantia est primum & simpliciter ens, accidens autem est ens in habitudine ad substantiam: vnde est ens, quia est entis, ex consequenti, est ens secundario & secundum quid, quoniam per substantiam: cùm igitur habeant quid secundum quid, & diffinitio significet quid, patet quòd diffinitio primo & principaliter est solius substantiæ, secundario est accidentium. Et ex iis sequitur corollariè, quod diffinitio competit substantiæ & accidenti non vniuocè, quoniam cum vniuocatione non stat primum & secundarium, sicut nec prius, nec posterius: nec æquiuocè, quoniam in æquiuocatione non seruatur ordo, nec habitudo vnius ad alterum, ergo competit proportionaliter, scilicet in respectu vnius ad alterum: & id rationabile est, nam sicut ens analogicè conuenit substantiæ & accidenti, sic dicendum est de quid, & de diffinitione, vnde & Aristot. in textu dicit, quòd hæc se habent sicut medicinale, quod constat dici non vt vnum, sed vt ad vnum, id est prædicatur de pluribus, puta de opere, de vase per respectum ad corpus medicabile, quod est subiectum, in quo operatur medicina: patet ergo, quòd tam substantiæ quam accidentis est diffinitio, sed substantiæ simpliciter, accidentis autem secundario. Sed dices, videtur Aristotel. sibi contrarius: nam iam determinauerat quod accidentis potest esse diffinitio, hic autem determinat oppositum. Ad hoc dico dupliciter: primo, non negauit supra, quin accidentis sit diffinitio, sed entis per accidens, quod est vnum per accidens, vt homo albus: non est autem eadem ratio de vtroque, quoniam accidens, puta albedo, est ens per se, dictum est enim in libro quinto ens per se distingui in decem prædicamenta, ens autem per accidens non est ens per se, vt patet: sed omne diffinibile necesse est esse ens per se, aliter non diceret vnam essentiam, vel quidditatem, ex consequenti non diceret quid, & sic eius non posset esse diffinitio: istat ergo, quod de ente per accidens non potest esse diffinitio, & tamen de accidente per se stimpto erit diffinitio, vnde & hominis & albi est diffinitio, sed hominis albi nulla est diffinitio. Dico secundo, quod tam entis per accidens, quam accidentis, si negauit Aristotel. diffinitionem non negauit nisi primo & simpliciter, illud enim conuenit soli substantiæ, vt declarauimus, non autem negauit secundario, & ideo non est sibi contrarius.

Tex. c. 16.

Primũ dubium.

Tex. c. 17.

Quantum ad quartum aduerte, quod ex determinatione facta, qua dictum est accidentis esse diffinitionem, licet secundario, duo insurgunt dubia, & secundum insurget ex solutione, qua soluetur primum. Primum, si accidentia habent diffinitionem, aut illa diffinitio est sine additione, aut ex additione, id est aut in ea nihil assumitur quod non pertineat ad essentiam diffiniti, aut aliquid assumitur, quod est extra essentiam diffiniti: si primo, ergo diffiniuntur accidentia sicut substantiæ: omnis enim pars diffinitiua substantiæ est substantia, & sunt de quidditate diffiniti, vt homo est animal rationale, vel quid compositum ex corpore & anima rationali: sed hoc est falsum, dictum est enim, quòd diffinitio non conuenit substantiæ & accidenti vniuocè, ergo non eodem modo: si secundo, ergo diffinitiones accidentium nõ sunt diffinitiones, nam cum diffinitio sit indicatiua solius essentiæ diffiniti, nulla pars diffinitionis debet esse extra essentiam diffiniti, id est huiusmodi ergo diffinitiones non sunt verè diffinitiones. Ad hoc respondetur, quod cum duplicia sint accidentia, scilicet simplicia, & copulata, siue composita: simplicia quidem sunt, quæ non determinant sibi certum subiectum, vt communia accidentia, & accidentia Mathematica, vt rectum, & curuum, linea, & superficies, &c. licet enim non possint esse sine subiecto,

tamen non determinant sibi hanc vel illam substantiam pro subiecto, copulata vero siue composita sunt, quæ fiunt determinatè circa tale vel tale subiectum, & extra quod non possunt esse, & huiusmodi sunt accidentia propria, vt risibile, rudibile, simum, aquilum, crispum. nam risibile determinat sibi hominem, rudibile asinum, simum & aquilum nasum, crispum capillos: licet simplicia in sui diffinitione non recipiant determinatum subiectum, tamen est necesse id fieri copulatis, quoniam sine proprio subiecto non possunt intelligi. nam sicut masculinum & fœmininum non potest intelligi sine animali, ex consequenti non potest diffiniri sine animali, sic nec simum nec aquilum sine naso. Ad rationem igitur in oppositum dico, quod huiusmodi accidentium diffinitiones sunt per additionem. Ad improbationem dico, quod sufficit diffinitioni indicare essentiam rei diffinitæ secundum modũ conuenientem rei diffinitæ: nam si res diffinita est ens simpliciter & secundum se & non respectu ad alterum, diffinitio ita debet manifestare essentiam rei diffinitæ, quod quælibet pars diffinitiua sit de essentia eius, si autem non est ens simpliciter & secundum se, sed secundum quid, & in ordine ad aliud, ita debet manifestare essentiam rei diffinitæ, quod exprimat illud, per quod est ens, etiam quod sit extra essentiam suam, & quoniam huiusmodi accidentia sunt entia in ordine ad subiectum, ideo necesse est in eorum diffinitione assumi subiectum: nego igitur quod sit necesse omnem partem diffini. esse de substantia rei diffinitæ, nisi sit substantia, & non solum substantia, sed sit sine habitudine ad alterum, & id dico quoniam in diffinitione formæ substantialis ponitur propria materia, vnde & Aristo. in secundo de anima. diffinit animam per esse actum corporis physici, propter quod concluditur quod diffinitio sine additione non datur nisi de substantia completa, & quæ non habet rationem partis. Secundum dubium insurgit ex solutione primi: dictum est enim, quod accidentia copulata habent diffinitionem ex additione, & quod hoc est conueniens, cùm non possint intelligi, nec esse sine proprio subiecto, sed contra: nam si habent diffinitionem ex additione, accipio nasum simum, & quæro aut est idem dicere nasum simum, & nasum concauum: non idem, quoniam eadem diffinitio non datur de vtroque, nam simum assumit nasum in sui diffinitione secundum te, concauum autem non, cum sit accidens mathematicum, quæ abstrahunt à materia sensibili, vt dictum est in sexto libro, & dicetur infrà in hoc septimo libro: si non est idem, ergo hoc ideo est, quia dum dico simum, dico nasum, cùm autem dico concauum, non dico nasum: quo per te concesso quoties dico nasum simum faciam nugationem, nam loco nominis licet diff. ponere, idem ergo est dicere nasum simum, & nasum concauum: sed cum vtranda sit nugatio in diffinitionibus, patet quod non debet admitti huiusmodi diffinitio per additionem in accidentibus, sed tenendum est solius substantiæ esse diffinitionem. Tex. c. 19. Ad hoc dico, quod omnino necesse est accidentia diffiniri per subiectum, quoniam cum dependeant à subiecto non habent esse nisi in subiecto, nec possunt intelligi sine eo: & cum arguitur, ergo fiet nugatio. nego consequentiam: ad probationem dico quòd simum & concauum essentialiter sunt idem: non enim est aliud essentialiter simitas nisi quædã concauitas vnde differunt solum ex cõnotato: quod tamen non est de essentia nec simitatis, nec concauitatis: & quoniam sunt idem essentialiter idem penitus est dicere nasum simum & nasum concauum: vnde si quæratur quid est nasus simus: non est respondendum quod est nasus nasus concauus: sed quod est nasus concauus: & cum arguitur quod loco nominis potest poni diffinitio: hoc non est vniuersaliter verum, nisi quando vtraque pars diffinitiua est intrinseca. definito: quod si in aliquibus aliis teneat erit accidens, potest etiam dici, quod id vniuersaliter est verum, dummodo sumatur præcisè ipsum diffinitum, puta simum: nam loco simi potest poni diffinitio: scilicet nasus concauus: in proposito autem, dicendo nasum simum non sumitur præcisè diffinitum, ideo non valet. Hæc de quarto capite dicta sint.

Secundũ dubium.

CAPVT V.

Eorum quæ sunt per se idem esse & inseparabile quod quid est cum eo, cuius est, non autem in his quæ per accidens dicuntur ostenditur.

IN quinto capite videndum est si quod quid est est idem, an diuersum ab eo cuius est: sed antequam deueniamus ad determinationem quæsiti, aduerte quod Aristote. id quærit propter Platonem, qui, vt sibi inponit Aristot. tenebat quod quid est, id est quidditatem specificam esse substantiam distinctam & separatam secundum esse ab iis, quorum est quiditas, id est, à suppositis suis, vt quidditas hominis à quolibet homine: quando ergo quærit Arist. vtrum quod quid erat esse sit idem, aut alterum, &c. intendit, vtrum suppositum, & natura specifica illius sint idem, aut diuersum: puta Socrates, & id quod est homo, & quoniam Arist. in improbatione Plat. diffusus est adeo, quod videtur addiscentis ingenium inuoluere, ideo conabor determinationem facere resolutam & compendiosam.

Pro determinatione igitur faciam quatuor.

Primo præponam distinctionem.

Secundo ponam hanc conclusionem, in iis, quæ sunt per se entia, quod quid est, nec est diuersum, nec separatum ab eo cuius est.

Tertio ponam hanc conclusionem, in iis, quæ sunt per accidens, quod quid est, non est idem cum eo cuius est.

Quarto soluentur quædam argumenta sophistica.

Quantum ad primum, aduerte, quod cùm Arist in hoc libro procedat modo logico, vt diximus suprà, qui sumitur à modo prædicandi vnius de altero, & cum omnia prædicata dicantur de subiecto per se, vel per accidens: quando quæritur, vtrum quod quid est sit idem cum re cuius est, potest quæri in iis quæ prædicantur per se, & in iis quæ prædicantur per accidens: exemplum primi, Socrates est homo, homo est animal, &c. exemplum secundi, homo albus est homo albus, & pro vtraque parte distinctionis quæsitum determinabitur.

Quantum ad secundum, probandum est quod in iis, quæ sunt per se, id est quando prædicatum dicitur per se de subiecto, vt Socrates est homo, quod quid est prædicati, id est quod significatur per prædicatum, non est diuersum essentialiter à subiecto, nec habet esse separatum extra subiectum: & quidem quod non sit diuersum, probatur dupliciter.

Primo, supposita imaginatione Platonis, quòd denturilæ ideæ abstractæ, quas dicit priores substantias istis singularibus: si vniuersaliter quod quid est sit diuersum ab eo cuius est, sequitur, quod cum illæ ideæ sint quædam res, habeant suum quod quid est, & quod suum quod quid est sit diuersum ab ipsis, non enim est maior ratio de vno quã de alio: hoc autem est falsum, quoniam ideæ haberent priores substantias abstractas: nam quod quid est, est prius eo, cuius est: quoniam vnumquodque pendet à suo quod quid est, & sic ens & bonum & vnum haberent aliquod prius. quod tamen est contra Plato. qui tenet per se ens, per se bonum, per se vnum, esse simpliciter prima.

Secundo, si quod quid est non est idem cum eo cuius est, ergo erit processus in infinitum, quod est absurdum: nam sumatur equus, & suum quod quid est: si non sunt idem, ergo quod quid est equi est alia res ab equo: & cùm quælibet res habeat suum quod quid est: ergo quod quid est equi habet suum quod quid est, quod idem, vel diuersum à quod quid est equi: si idem, eadem ratione debuit poni identitas inter equum, & suum quod quid est. si diuersum, ergo & ipsum habebit suum quod quid est, de quo quæritur, vt suprà, & sic patet quod erit processus in infinitum, quod tamen est falsum. Demonstratum est enim in secundo libro, quod in omni genere causarum est status: quod quid est, autem habet rationem causæ, & principij formalis, vt dicemus infrà: ergo, &c. Dicẽdum est ergo, quod in iis, quæ sunt per se, Quod quid est, & id, cuius est, sunt idem realiter, & non solum realiter, sed etiam ratione.

Quomodo autem sunt idẽ ratione declarabitur in quæst. nostris metaphysicalibus. Quod autem non sit separatum ita quod sit extra id, cuius est, probatur sic. Cũ quod quid est dicat quidditatẽ & substãtiam, siue naturã eius, cuius est, si sit separatum, ergo id cuius est, puta homo, animal, bonũ, ens nõ poterit sciri, nec ens erit ens, nec bonũ erit bonũ, nec vnum erit vnum: quæ omnia sunt absurda. prõbatur consequentia, nã vnũquodque scitur per suam quidditatẽ: sed si est separata, quomodo poterit sciri. nam sicut est impossibile scire rẽ esse animatã, nisi sibi insit anima, sic impossibile est scire rem talem nisi sibi intrinseca sit quidditas sua. Nã vanũ est arbitrari circulũ esse scibilem, nisi inesset sibi rotunditas. Quod autem sequatur ens non esse ens, &c. Probatur sic, nullum est talis naturæ nisi per aliquod sibi intrinsecum, & præcipuè in iis, quæ non dicuntur ad alterum. quod dico, quia in respectiuis potest fieri denominatio ab extrinseco, vt locatũ à loco, quã tamen non est in locato. In absolutis autẽ id non contingit, nam stultũ esset dicere, calidã aquam, nisi calor sibi inesset, & hominẽ esse animal, nisi natura sensitiua sibi inesset. Si igitur quod quid est entis non inest enti, ens non erit ens: idem dico de bono, de vno, & de quolibet alio in genere suo, vt igitur non sequantur hęc inconuenientia dicendum est. Quod quid est entis, & boni & benigni & cuiuscunque alterius, in iis, quæ sunt per se, non esse diuersum, nec separatum ab eo cuius est.

Quantum ad tertium aduerte, quod in iis, quæ dicuntur per accidens, vt homo albus est homo albus, ideo quod quid est prædicati est aliud à subiecto, quoniam si comparetur totum prædicatum ad hominem, certum est, quod aliam naturam dicit homo albus, vt albus, ab homine inquantum homo: si autem comparetur prædicatum ratione partis, puta albus, ad subiectum ratione partis, puta homo, certum est quod non est idem, quoniam quidditas albi est accidens, quidditas hominis est substantia. Quòd si comparetur prædicatum ratione albi, ad subiectum ratione albi, tunc erunt idem: nam sicut quod quid est hominis est idem cum homine, sic quod quid est albi est idem cum albo: album enim essentialiter purum qualitatem significat: patet igitur, quomodo in iis, quę dicuntur per accidens, quod quid est non est idem cum eo cuius est, in sensu tamẽ exposito est idem. Sed aduerte, quòd album nõ prædicatur de albo per accidens, est enim prædicatio eiusdem de seipso, quæ est per se, vt homo est homo: vnde dicendum, quod loquendo propriè in iis, quæ dicuntur per accidens, semper est diuersum quod quid est ab eo cuius est.

Quantum ad quartum, aduerte, quòd aliqui sustinere volentes, quidditatem non identificari ei cuius est quidditas, formant quædam argumenta sophistica, quorum tamen solutio potest haberi ex nunc determinatis: arguunt autem sic, Si Socrat. est idem cum sua quidditate: ergo est idem cum animali rationali. Sed animal rationale est duo: ergo Socr. est duo. Itẽ si Socrates est idem cum sua quidditate, ergo quicquid est Socrates, est sua quidditas: sed Socrat. est albus per casum: ergo albus est quidditas Socrat. Item si homo est sua quidditas, ergo est incorruptibilis, quia rerum quidditates sunt incorruptibiles, cùm sint vniuersales & vt sic abstrahant ab hic, & nunc.

Patet autem ex determinatis, horum & similium solutio, intelligendum est enim rem & quidditatem suam esse idem, quo ad intrinseca essentialia, nõ autem omnibus modis, nam quidditas importat sola prædicata essentialia, & excludit omnia prædicata extranea & accidentalia. Res autem, cuius est quidditas, vt Socrates & homo, licet importent prædicata essentialia, non tamen excludunt prædicata accidentalia, neque principia indiuidualia, & ideo nihil prohibet aliquid prædicari de re, quod non prædicatur de quidditate, vt album prædicatur de Socrat. & de homine: & non de quidditate, & aliquid prædicatur de quidditate, quod non prædicatur de re, vt esse principium scientiæ, siue demonstrationis esse principium formale, constituit ex genere & differentia quæ significantur vt duo. vnde si bene consideras huiusmodi sophismata, peccant per fallaciam accidentis. Patet igitur ex dictis quomodo quod quid est (pro eodem enim accipimus quod quid est & quidditatẽ) in iis quæ sunt per se est idem & non est separatum ab eo cuius est, in iis autem quæ sunt per accidens non est idem, & quomodo soluuntur sophistici elenchi. Hæc de quinto capite dicta sint.

CAPVT VI.

IN sexto capite videndum est si res sensibiles singulares generantur à formis separatis, quas Plato vocat species, vel ideas. Sed antequam determinemus propositum, aduerte, quod Plato, vt sibi inponit Aristotel. triplici de causa posuit ideas. Primò, vt per eas sciremus substantias sensibiles corruptibiles, & hanc causam pertractauimus in libro tertio in capite sexto, vbi & soluimus rationem Plato. Secundo vt per idearum participationem, res sensibiles singulares existerent, existimabat enim, quòd sicut non existit calor in aqua nisi participatione caloris essentialis, qui est in primo calido, sic non existerent indiuidua sub hac vel illac specie, nisi participarent naturam specificam, quæ essentialiter est idea: sed hæc causa reprobabitur infrà. Tertiò, vt essent principia effectiua generationis horum sensibilium. Existimauit enim quod sicut primo & per se calidum est causa effectiua omnis calidi, sic primo & per se homo est causa generationis omnis hominis: primum autem & per se hominem vocat ideam hominis, & hominem per essentiam, & hæc causa reprobabitur in hoc capite. Pro determinatione igitur propositi tria agenda sunt.

Primò præponentur quædam, quæ necesse est præcognoscere ante determinationem propositi.

Secundò determinabitur propositum contra Plato.

Tertiò soluentur quatuor dubia, quæ consurgunt ex determinatis.

Quantum ad primum, aduerte, quòd quatuor præcognoscenda sunt, primo quot modis contingit res generari, secundo quot requiruntur in omni generatione, tertio quid est illud, quod propriè generatur, quarto quod vnumquodque generatur à suo simili.

Quot modis fiat generatio. Tex. c. 22.

Quantum ad modos generationis, aduerte quod tribus modis contingit fieri generationem, scilicet ex natura, & dicitur generatio naturalis: vel ex arte, & dicitur generatio artificialis: vel à casu siue fortuna, & dicitur generatio casualis siue fortuita.

Naturalis generatio est illa, cuius principium est natura, vt quando generatur planta, aut lapis, aut animal, horum enim principium est virtus naturalis indita rebus naturalibus, per quam agunt.

Quæ ad generationem requiruntur.

Quæ autem sit & quomodo fiat generatio, quæ est alia à naturali, & casualis, dicemus postquam assignauerimus quot requiruntur in omni generatione.

Aduerte igitur tria requiri. Primo id, à quo res fit, nihil enim seipsum generat, aliter se de potentia ad actum reduceret, ex consequenti prius esset quàm esset. Secundo id, de quo generatur, nihil enim naturaliter fit ex nihilo, sed necesse est subiici subiectum, siue materiam, vt probatum est in primo Physico. Tertio id, quod generatur, quod dicitur terminus generationis, qui quidem terminus non solùm inuenitur in prædicamento substantiæ, sed & in prædicamentis accidentium, generatur enim & Socrates, & quantum & quale, &c. licet generatio in prædicamento substantię dicatur generatio simpliciter, & in prædicamentis accidentium, generatio secundum quid, vt declaratum est in quinto Physicor. Et aduerte, quòd licet in omni generatione requiratur forma, tamen de ea non loquitur particulariter Aristotel. quoniam includitur in termino generationis: quod enim generatur accipit esse per formam, & quoniam manifestum est in omni generatione dari agens & id quod generatur, ideo Philosophus probat solum de materia sic arguens. Quæcunque possunt esse, & non esse habent materiam, nam materia inquantum est in potentia ad formam est principium essendi, & inquantum est sub priuatione est principium non essendi: vnde dicemus infrà, quod materia est in potentia contradictionis & quæ non habent materiam, vt sic, incorruptibilia sunt: sed quæcunque generantur natura, aut arte, possunt esse & non esse, nam ad sensum patet quod aliquando sunt, aliquando non sunt: ergo, &c.

Et si quæras quomodo hæc se habent ad naturam, vtrum tam materia, quàm forma & generatum & agens possint dici natura. Respondeo vt determinatum est in secundo Physicor. Materia verè dicitur natura, quoniam intrat constitutionem rei naturalis & permanet, vnde inquit Aristote. in secundo Physicor. textu decimo, vno quidem modo natura dicitur prima vnicuique subiecta materia habentium in seipsis principium motus, & mutationis, & aduerte, quod à materia, vt est natura, dicuntur generationes corporum simplicium, puta ignis & aquæ, esse naturales: nam, cùm dicitur natura esse principium motus, nõ est necesse quod semper sit principium actiuum, sed vel actiuum, vel passiuum, prout rebus conuenit natura: in rebus animatis natura est principium actiuum, generantur enim à principio intrinseco, & seipsa mouent localiter: in rebus autem inanimatis est principium passiuum, quoniam generantur à principio extrinseco, vt patet in secundo de generatione, & mouentur localiter non à seipsis, sed ab extrinseco, vt declarauimus in quarto Cœli.

Item forma secundum quam res fit, dicitur propriè & est magis natura quàm materia: quoniam, vt declaratum est in secundo Physico. textu decimo quarto, generatio rei maximè in viuentibus dicitur natura, quia est via in naturam: constat autem quod ideo est via in naturam, quia est via in formam: ergo forma propriè est natura, & magis quàm materia, quoniam per formam fit res naturalis actu, per materiam vero tantum potentialiter.

Generatum verò, non propriè dicitur natura, quoniam natura formaliter est principium, generatum verò est principiatum, vnde, vt inquit Aristot. in secundo Physi. tex. duodecimo, Quod autem est ex iis, natura quidem non est, sed à natura.

Agens autem, quoniam non secundum se totum agit, sed per formam, forma autem est natura, ideo vt sic potest dici natura, & præcipuè quoniam forma agentis & forma genitì vel sunt eiusdem speciei, & distinguuntur tantum numero, si fit agens vniuocum, vel saltem habent aliquam conformitatem, si non est generatio vniuoca, vt declarabitur infrà; quando inuestigabimus, si vnumquodque generatur à suo simili.

Patet igitur, quòd requiruntur in omni generatione, & quomodo se habent ad naturam. Reuertentes nunc ad manifestandum

ſtandum generationem diſtinctam à naturali, & caſualem conſiderabimus duo. primo quid ſit, ſecundo quomodo proceditur in ea, quæ eſt artificialis.

Aduerte igitur, vt colligitur ab Ariſtot. ſic poteſt diffiniri. Generatio diſtincta à naturali eſt quæ propriè dicitur factio, cuius principium actiuum eſt aut ars, aut potentia, aut intellectus, in qua contingit aliquid fieri à caſu, & à fortuna, ſicut in his quæ generantur à natura.

Primo dicitur, quæ propriè dicitur factio, nam, vt inquit Commen. in cõmen. 22. generabilia, quæ ſunt in ſubſtantiis proprie dicuntur generata, alia vero, quæ ſunt præter ſubſtantias, magis ſunt acta quàm generata, vt ſanatio per artem, proiectio lapidis per virtutem motiuam manus, gubernatio familiæ, &c. Et ratio quidem huius differentiæ eſt, quod producta à natura determinato modo producuntur, & non aliter, ideo dicuntur genita, quæ autem producuntur alio principio quam à natura, puta ab intellectu, vel voluntate, produci poſſunt aliter, & aliter, ideo non propriè dicuntur genita, ſed acta, aut facta: & eorum productio dicitur propriè factio.

Secundo dicitur cuius principium eſt, aut ars, &c. Aduerte quod in his, quæ non fiunt à natura, aliquando ſufficit ſola potentia facientis ſine arte, vt tractus campanæ, proiectio lapidis, ſciſsio ligni, fractio continui, & harum factionum dicitur potentia, ſcilicet agentis eſſe principium. Quæ quidem potentia ſecundum Cõmen. 22. ſignificat virtutem animatã naturalem, vt virtutem motiuam ſecundum locum, de qua locuti ſumus in tertio de anima, & in trac. de motu animalium: aliquando vltra potentiam naturalem requiritur ars, qua per determinata media agens operatur, vt in ædificatione, & tunc harum factionum dicitur ars eſſe principium. Aliquando ſufficit excogitatio intellectus ſine arte, aut alio habitu, vt quando quis regulat equum, aut nauẽ ex ſuo ingenio abſque hoc, quod artem gubernatoriam circa huiuſmodi didicerit, & harum factionum principium eſt mens, ſiue intellectus, vnde inquit Cõmenta. in cõmen. 22. & per cognitionem intẽdit illud, quod homo agit ex cogitatione. & voluitate, &c.

Tertio dicitur, in qua contingit aliquid fieri caſu, & fortuna, &c. Aduerte, quòd ſicut in generatione naturali aliquid euenit præter intentionem agentis, vt quòd homo naſcatur cum ſex digitis, quod eſt fieri à caſu, vt determinatũ eſt in ſecundo phyſic. Item ſicut in naturalibus aliqua generantur ex ſpermate, quæ dicuntur genita per ſe, aliqua ſine ſpermate, vt rana, & vermis, & dicuntur genita à caſu. de quibus dicemus infrà: ſic in his factionibus non naturalibus contingere aliquid poteſt præter intentionem agentis, puta Socrat. infirmus intendit itinerari gratia ſolatij, & ſanatur præter intentionem, & huiuſmodi ſanatio fit à caſu, & aliquis proiicens lapidem ad ſignum, frangit caput tranſeunti, & aliquis ædificans in alcum, ruit deorſum, & frangitur tibia. & hæc dicuntur eſſe à caſu. Quomodo autem genita ſine ſpermate ſint eadem, vel non eadem cum his, quæ generantur cum ſpermate, & quomodo ſint genita à caſu, determinabimus in quæſtionibus metaphyſicalibus.

Viſo quid ſit factio vt diſtinguitur à generatione naturali, videndum eſt quomodo procedimus in factione, cuius principium eſt ars, & conſiderabimus duo. primo de principio effectiuo artificiati, ſecundo quomodo ex hoc principio procedimus ad artificiatum producendum.

Aduerte, igitur quod ſicut in generatione naturali principium, quo agens agit, eſt forma eius naturalis, qua eſt actu, ſic in factione artificiali, principium, quo artifex operatur, eſt forma artificiati exiſtens in anima artificis, ſecundum eſſe cognitum: quam Ariſtot. appellat ſpeciem, & quod quid erat eſſe, id eſt ſignificatum per diffinitionem artificiati: & primam ſubſtantiam, id eſt primam formam. eſt enim cauſa formæ artificiati ad extra, ex conſequenti eſt prior. Quæ quidem forma differt in tribus à forma naturali: Primo in eſſe, quoniam illa habet eſſe reale, hæc autem eſſe cognitum. Secundo ex ſubiecto: plures enim formæ naturales oppoſitorum non ſe compatiuntur in eodem, iſtæ autem ſe compatiuntur in eodem intellectu: quoniam licet eſſe vnius oppoſiti ſit corruptio eſſe alterius oppoſiti, non tamen cognitio vnius tollit cognitionem alterius, imò adiuuat, vt per materiale cognoſco immateriale, & per virtutem cognoſco vitium. Tertio ex effectu: nam forma naturali non producitur, niſi ſibi ſimile, forma autem, quæ eſt in anima, producuntur contraria, vt per ſanitatem cognitam poteſt medicus cauſare ſanitatem, & infirmitatem, vt clarius dicemus in lib. 9. agentes de potentia rationali. Patet igitur, quòd principium artificiati eſt ſpecies, ſiue ratio eius in mente artificis.

Quantum ad modum procedendi in productione artificiati, aduerte, quòd duæ actiones requiruntur. prima dicitur intelligentia, ſecunda dicitur factio. nam primo neceſſe eſt vt intelligam quid ſit ſanitas, & quoniã diffinitur per adæquationem humorum, neceſſe eſt vt ſecundo loco intelligam quid ſit adæquare, & quomodo adæquantur humores: & quoniam adæquare diffinitur per reducere ad temperamentum humorem excedentem, neceſſe eſt vt tertio loco intelligam quid, & quomodo reducitur ad temperamentum; & quoniam reductio huiuſmodi fit per appoſitionem contrarij, eſt neceſſe quarto loco, vt intelligam, quod eſt illud contrarium, & quomodo apponendum eſt, & qua menſura, & in hoc vltimo eſt ſtatus intelligentiæ, & ab eodem incipit factio, ita quòd primum in intelligentia eſt vltimum in factione, & vltimum in intelligentia eſt primum in factione, quæ dicitur executio. Hoc igitur modo proceditur in factionibus artificialibus reſpectu artificiatorum, quæ fiunt per ſe, id eſt ex intentione agentis, vt ſecludamus artificiatum caſuale. Hæc de factione artificiali dicta ſint.

Nunc agendum eſt de factione caſuali.

Aduerte igitur, quòd factio tunc eſt caſualis, quãdo acquiritur finis, qui etiam acquiritur per artem, ſed non per intelligentiam agentis, imò præter propoſitum ſuum, cuius tamen principium in exequẽdo contingit eſſe idem cum principio factionis artificialis: verbi gratia, Socrates infirmatur propter exceſſum humoris frigidi, quem neceſſe eſt diſſolui per calorem, medicus intendens diſſolutionem caloris ordinat confricationem, vt excitatiuam caloris, & ab ea incipit ſanationem. Plato laborat exceſſu eiuſdem humoris & neſciens confricationem excitatiuam caloris, confricationem facit, & ad eam præter intentionem ſequitur ſanitas. Patet ergo idem eſſe principium in exequendo vtriuſque, ſanationis. Dico in exequendo, non quo ad intelligentiam. qui enim operatur caſualiter reſpectu effectus caſualis non procedit per intelligentiam. Quod quidem principium, puta calor, ſi per ſeipſum ſanat eſt pars ſanitatis. Si autem per reſpectum non ſufficit. ad ipſum ſequitur aliquid, puta ſubtiliatio humoris craſſi, ad quam ſequitur ſanitas. Contingit enim aliquando per vnum medium, aliquando per plura acquiri ſanitatem, tam per artem, quàm caſualiter. Manifeſtum eſt igitur ex prædictis, quot modis contingit res generari, & quot requiruntur in omni generatione, & præcipuè quomodo neceſſe eſt præexiſtere materiam, quoniam apud phyſicum ex nihilo nihil fit, quam neceſſe eſt eſſe partem ſubſtantiæ ſenſibilis, quoniã ineſt ei, & permanet. & poteſt dici, quod fit ipſum genitum per aduentum formæ, qua deducitur ad actum: nam ferrum per aduentum figuræ gladij fit gladius.

Quantum ad tertium, ſcilicet quid eſt illud quod propriè dicitur generatur in omni productione, tã naturali, quàm artificiali, quàm etiam caſuali, aduerte quòd cum omne quod fit fiat ab aliquo agente, & fiat ex aliquo, vt ex materia, & non ſolum ex priuatione, & fit aliquid, quod eſt terminus productionis: id quod fit, non eſt materia, illa enim præexiſtit, vt probatum eſt ſuprà, ergo non eſt terminus productionis, quo habito ceſſat productio: nec eſt forma, licet ſit terminus formalis productionis. nam quod propriè fit vt probatum eſt etiam in primo phyſico. fit ex materia, & forma. Hæc enim ſunt principia per ſe requiſita in omni factione phyſica, ſed forma, vt patet non fit ex materia, licet educatur de potentia materiæ actione agentis, nec fit ex forma, aliter forma eſſet formæ, & ſic proceſſus in infinitum: non ergo propriè, & per ſe fit forma, licet poſſit dici fieri per accidens, id eſt quia aliud producitur, & ipſa producitur, puta quia producitur arca ſphæra, poteſt dici quòd producitur ſphæra, & quia producitur lapis, producitur forma lapidis. Reſtat ergo à ſufficienti diuiſione, quòd producatur compoſitũ, cuius ratio eſt. Cum generatio ſit proceſſus à non eſſe ad eſſe, illud propriè fit, cui competit eſſe, vt quod eſt: hoc autem eſt ipſum compoſitum, vnde dicitur hoc aliquid, formæ verò non competit eſſe, vt quod, ſed quo: eſt enim forma qua compoſitum habet eſſe. Conſtat ergo ſolum compoſitum fieri propriè, & per ſe, non autem formam, ſed illam dicemus fieri in materia, id eſt introduci in materia per eductionem de potentia materiæ, & ſicut non fit forma, niſi per accidens: ſic non fit quod quid eſt hominis, licet ſit idem cum eo, cuius eſt, vt probatum eſt ſuprà, nam quod quid eſt ad naturam ſpecificam ſpectat, excludens principia indiuidualia, ſed natura ſpecifica, non per ſe generatur, cùm ſit vniuerſalis, & generationes non fiunt niſi ſingularium: ergo, &c. Patet ergo id quod generatur per ſe eſſe ſolum compoſitum.

Tex. 6. 23.

Quantum ad quartum, ſcilicet quòd vnumquodque generatur à ſibi ſimili, declaratur ſic. Quęcunque fiunt aut fiunt ab arte, aut à natura, aut à caſu: quæcunque fiunt ab arte, patet quod fiunt à ſibi ſimili. Dictum eſt enim, quòd domus ad extra fit à domo cognita, quæ eſt in mente artificis, & ſanitas ad extra, ab intelligentia ſanitatis, quæ eſt in anima medici: fit ergo domus à domo, & ſanitas à ſanitate, propterea inquit Ariſtoteles, Quare accidit modo quodam fieri domum habentem materiam ex domo ſine materia, & ex ſanitate ſanitatem fieri. Similiter quæ fiunt à natura fiunt à ſuo ſimili: videmus enim, quod homo hominem generat, & equus equum, & qui negat hoc, negat ſenſum. Hac enim cauſa, intrinſeca ſunt ſemina in animatis perfectis, vt producant ſibi ſimile, & qualitates actiuæ, & paſſiuæ inſunt entis, vt producant ſibi ſimile, nam videmus ignem generare ignem. Quæ autem fiunt à caſu, non eſt neceſſe vt fiant à ſibi ſimili, quoniam non fiunt ex intentione agentis, & fiunt multoties ex indiſpoſitione materiæ, vt patet in monſtris, per quam prohibetur aſſimilatio geniti ad generans, vtrum autem id verificetur, tam in ſubſtantiis, quàm in accidentibus, & vtrum hæc ſimilitudo debeat eſſe in eadem ſpecie, & quantam latitudinem ſuſcipiat, determinabitur in quæſtionibus Meta. Hæc igitur ſunt, quæ neceſſe erat præcognoſcere ante determinationem propoſiti.

Quantum ad ſecundum principale, ex præmiſſis, & præcognitis ponitur hæc concluſio contra Platonem: non ſunt ponendæ ſpecies abſtractæ vniuerſales, vt per ſe homo, per ſe leo, propter generationem ſenſibilium ſingularium: & probatur ſic. Si ponuntur vt cauſæ generationis, ergo vel vt generantes, vel vt exemplaria, ad quorum ſimilitudinem ab aliquo agente generantur: non vt generantes, quoniam cum vnumquodque producatur à ſibi ſimili, & videamus genitum eſſe hoc aliquid, puta Socratem, & Caliam, & eſſe hoc aliquid eſt, quia habent eſſe in hac materia, neceſſe eſt generans eſſe hoc aliquid: ſed ſpecies ſeparatæ non ſunt hoc aliquid, ſed quale quid, id eſt quid vniuerſale, vt homo, animal, &c. Nam ſecundum Platonem non habent eſſe in hac, vel illa materia, per quam ſit hoc aliquid: ergo vanũ eſt ponere tales ſpecies quaſi generantes, & ſi ponerentur eſſent quantum ad hoc inutiles: nam, vt inquit Commentat. in commento vigeſimo octauo, homo, & animal vniuerſale eſt ſicut ſphæra vniuerſalis, quæ non generat, nec generatur. Non ſicut exemplaria, quoniam videmus manifeſtè in naturalibus, & in generationibus naturalibus vnumquodque generare ſibi ſimile, vt pater generat filium, qui licet non ſint vnum numero, ſunt tamen vnum in ſpecie: ad inducendam igitur ſimilitudinem generantis in genito, ſufficit virtus formatiua indita generanti, & non eſt recurrendum ad exemplar extrinſecum: nec obſtat, quòd in aliquibus videmus generari ſimile à diſſimili, vt mulũ ab equo, quoniam talis generatio eſt præter naturam, id eſt præter intentionem naturæ particularis, puta equi generantis. Intendit enim producere equum, ſed quoniam ſemen equi receptum in materia menſtruali aſinæ nõ poteſt cauſare formam equi, ideo ne opus naturæ fruſtretur, cauſat formam mediã inter equum, & aſinum. Dicẽdum eſt ergo in generationibus ſecundum naturam, quas vocat Comm. in comm. vigeſimo octauo, generationes non ceſſabiles, ſimile generari à ſibi ſimili in ſpecie, in generationibus autem præter naturam, ſufficit ſimilitudo in genere, quoniam vtrunque eſt animal, & vtrunq; eſt iumentum. Cùm igitur videamus generans, & genitũ eſſe duo in numero, & vnum, intentione vniuerſali, impoſſibile eſt ponere formas abſtractas, vt cauſas generationis.

Quantum ad tertium principale aduerte, quòd ex prædictis quatuor inſurgunt dubia.

Primum eſt, ſi in omni productione requiritur illud, ex quo res fit, vnde eſt, quod illud, ex quo res fit, aliquando prædicatur de re facta, & ſi non in abſtracto, ſaltem denominatiuè: nam, quia ſtatua fit ex ære, licet non ſit æs, eſt tamen ærea: & quia homo fit ex carne, & oſſe, licet non ſit caro, & os, eſt tamen carneus, & oſſeus: aliquando autem id, ex quo, non prædicatur de re facta in abſtracto, nec denominatiuè, licet enim ex infirmo fiat homo ſanus, tamen non dicitur ſanus eſt infirmitas, nec dicitur ſanus eſt infirmus.

Ad hoc reſpondens Ariſtoteles dicit id prouenire, quia ly ex aliquo verificari poteſt de ſubiecto, id eſt de materia, vt ex carne, & oſſe fit homo, & de priuatione, vt ex infirmo fit ſanus, ex tenebroſo fit lucidum. Sed aduerte, quòd poteſt ſubiectum eſſe id, ex quo, vt ex ferro fit gladius, & id, in quo, vt in homine fit ſanitas: quando eſt ſubiectum in quo, magis dicitur fieri illud, quàm ex illo, vt verius dicitur, homo fit ſanus, quàm quod ex homine fit ſanus. Quando autem eſt ſubiectum ex quo magis dicitur fieri ex illo, quàm quod fiat illud, vt verius dicitur, ex ære fit ſtatua, quam quod æs fiat ſtatua. Ex his ad dubium reſpondens, dico, quòd quando ly ex aliquo dicitur de priuatione, non prædicatur de re facta, nec in abſtracto, nec denominatiuè, quoniam priuatio non permanet in re facta, vnde licet ex infirmo fiat ſanus, tamen hæc eſt falſa, ſanus eſt infirmus. Quando autem ly ex aliquo dicitur de materia ſubiecta priuationi, vt ex ære infigurationi ſubiecto fit ſtatua, tunc prædicatur de re non in abſtracto, ſed denominatiuè, vt ſtatua facta ex lapide dicitur lapidea, quoniam licet materia quo ad priuationem non remaneat in re facta, tamen quoad ſubiectum permanet, ideo prædicari poteſt denominatiuè, & hoc non contingit in priuatione, vt dictum eſt.

Secũdum dubium. Tex. 29.

Secundum dubium eſt, dictum eſt ſuprà, quòd ſicut in naturalibus aliquando fit aliquid à caſu, ſic in artificialibus, aliquando fit aliquid à caſu, vt ſanitas ex confricatione: dubitatur, quare aliqua artificialia poſſunt fieri, & ex arte, & à caſu, vt ſanitas: aliqua autem non poſſunt fieri niſi ex arte, vt domus: & aduerte, quòd artificiatum tunc fit à caſu, quando fit à natura. Erit ergo dubium, quare aliqua artificiata fiunt ab arte, & à natura, vt ſanitas, aliqua autem ab arte tantum, vt domus, & gladius, & veſtis, &c.

Solutio.

Ad hoc reſpondens Ariſtote. dicit id prouenire, quia materia artificij, aliquando habet in ſeipſa partem rei fiendæ, per quam ex ſe poteſt moueri ad formam abſque mouente extrinſeco: ſicut corpus humanum, quod eſt materia ſanitatis, habet in ſe virtutem actiuam, puta calorem naturalem, in corde, vt in primo principio, per quem poteſt moueri ad ſanitatem, ſicut ſi moueretur ab arte medicinæ, & tunc contingit idem produci ab arte, & à natura. Aduerte tamen licet huiuſmodi virtus ſit motiua materiæ, non tamen ſemper eodem modo, quo moueretur ab arte, nam licet virtus motiua ſecundum locum, quæ eſt homini, ſit cauſa ſaltationis, non tamen talis ſaltationis, qualis eſt in choreis, niſi adſit ars chorizandi, quæ adiuuatur arte muſicæ: nam, vt inquit Commentator in commento vigeſimo nono, quædam artes non poſſunt agere actiones ſuas, niſi alia ars adiuuet: verbi gratia ars ſaltandi, quę non complebitur, niſi arte irach, quæ eſt pars muſicæ. Ad hoc ergo, quod idem poſsit fieri ab arte, & à natura, neceſſe eſt vt illa virtus intrinſeca ſit ſufficiens motiuum materiæ ad formam, ſicut ſi moueretur ab arte. Aliquando autem in materia artificij non eſt huiuſmodi virtus actiua, ſed tantum eſt aptitudo recipiendi formam, ſi ſibi imprimatur ab extrinſeco agente, vt in ferro nulla eſt virtus actiua, qua moueatur ad formam gladij, ſed eſt duities, qua eſt aptum recipere huiuſmodi formam: ſicut in elementis, nulla eſt virtus, qua moueatur materia ad formam elementi, ſed neceſſe eſt, vt generentur ab extrinſeco generante, ſicut mouentur localiter ab extrinſeco mouente: & huiuſmodi artificiata non poſſunt fieri niſi ab arte mouente materiam ad formam: vnde aduerte, quod artificiata, quæ poſſunt fieri ab arte, & à natura, aſſimilantur rebus animatis, quæ poſſunt moueri localiter à ſeipſis, ex octauo Phyſicor. & ab extrinſeco, vt quando mouentur ab agente violento. Artificiata autem, quæ tantum fiunt ab arte, aſſimilantur rebus inanimatis, quæ mouentur tantum à mouente extrinſeco, & hanc ſimilitudinem expreſsit Commentator in commento vigeſimo nono, cum inquit, ita enim eſt de generabilibus, ſicut de mobilibus, quemadmodum enim eorum, quæ mouentur localiter, quædã mouentur ex ſe, & quædam ex alio, ſic eſt de generabilibus: vtrum autem rei generandæ præſit aliqua pars, quam aliqui dicunt inchoationẽ formæ, determinabitur in quæſtionibus noſtris Metaphyſicalib.

Tertium dubium. Tex. 30.

Tertium dubium eſt, dictum eſt, vnumquodque generari à ſibi ſimili, & propterea non eſt neceſſe ponere ideas generantes: ſed non apparet id eſſe verum vniuerſaliter: nam generatur calor ex motu, & rana non ſemper ex rana, ſed putrefactione, & mulus non ex mulo, ſed ex equo. Quæritur ergo, quomodo hoc principium habeat veritatem.

Solutio.

Pro reſponſione huius præpono talem diſtinctionem. Quod generatur, vel eſt accidens, puta calor: vel ſubſtantia. Si ſubſtantia, vel naturalis, vel artificialis: ſi ſubſtantia ſiue naturalis, ſiue artificialis, vel generatur per ſe, vel per accidens, id eſt à caſu.

Si generatur accidens, non eſt neceſſe, quòd generetur à ſuo ſimili, videmus enim calorem generari à motu, qui non eſt calor niſi virtute: & quantitas & relatio non generantur à ſuo ſimili: quoniam nec quantitas, nec relatio ſunt formæ actiuæ, ſed cauſantur à ſubſtantia agente: qui enim dat formam rei dat accidentia eius, &c.

Si generatur ſubſtãtia naturalis, vel generatur ex ſpermate,

vel non: ſi ex ſpermate, generatur à ſuo ſimili vel in ſpecie, vel in genere proximo: in ſpecie quidem, quando virtus formatiua poteſt introducere formam eiuſdem ſpeciei in materia, quam tranſmutat: vnde videmus hominem generare hominẽ, & leo generat leonem. Si autem virtus formatiua non poteſt introducere formam eiuſdem ſpeciei, ſaltem introducit formam eiuſdem generis proximi: vt quando generatur mulus ex equo, conueniunt enim non ſolum in genere animalis, ſed in genere iumenti, ſi ſine ſpermate non eſt neceſſe quod generetur à ſuo ſimili neque ſpecie, neque genere. Hæc enim generantur à caſu comparata agenti particulari, quod eſt calor putredinalis, neque enim huiuſmodi calor intendit generationem animalis, putà ranæ, vel vermis, ſicut intendit virtus formatiua, quæ eſt in ſpermate. aſsimilatur enim arti. vnde inquit Ariſtote. ſperma facit, ſicut quæ ab arte. Quæ autem per accidens, & à caſu fiunt non eſt neceſſe aſsimilari generanti, quoniam eueniant præter intentionem generantis: vnde non oportet theſaurum inuentum aſsimilari fodienti ſepulchrum, neque monſtrum generanti, neque muſcam cadaueri ex quo generatur, ſed ſufficit in materia putreſcente eſſe aliquam virtutem generatiuam, puta calorem, quæ proportionatur virtuti generatiuæ, quæ eſt in ſpermate, quæ tamen in hoc differunt, quod virtus ſpermatis eſt ab anima, & à cœlo, vt ab vniuerſali principio omnis generationis, & corruptionis: virtus autem, quæ eſt in materia putreſcente, habet vigorem tantum à corpore cœleſti, in quo virtualiter continentur omnes formæ rerum inferiorum, excepta anima intellectiua, de qua loquemur in lib. 12.

Si ſit ſubſtantia artificialis, puta domus, aut gladius, partim fit ex ſimili, partim ex diſsimili: ex ſimili quidem quo ad formam exemplarem, quæ eſt in anima agentis. Ex diſsimili quo ad eſſe, quoniam forma artificiati producti habet eſſe materiale, in anima autem artificis habet eſſe immateriale. Quod non contingit in ſubſtantiis naturalibus. In illis enim generatum poteſt eſſe ſimile omnino generanti, quoniam in vtroque forma eſt eiuſdem rationis, & in vtroque habet eſſe naturale.

Sed dices, ſi per artem non producitur ſubſtantia artificialis, puta domus, ſed qualitas, puta ſanitas, nunquid neceſſe eſt quod ſit aſsimilari ei à quo fit.

Ad hoc dico quod ſic, ſed hæc aſsimilatio aliquando eſt actualis, aliquando virtualis. Actualis quidem, quando cauſatum ad extra præeſt in mente agentis ſecundum intelligentiam, vt medicus cauſans ſanitatẽ, ex ratione ſiue quod quid eſt ſanitatis. virtualis autem, quando cauſans continet virtute, & non formaliter ipſum cauſatum, vt quando per motum cauſatur calor: non enim formaliter, ſed virtualiter motus eſt calor, & aduerte, quod vtraque aſsimilatio poteſt contingere dupliciter, quoniam vel ſecundum totum, vel ſecundum partem: ſecundum totum quidem, quando totum productum præeſt actu, vel virtute in producente, vt ſanitas in mente artificis, & calor in motu. ſecundũ partem vero, quando in producente præexiſtit pars producti ſiue actu, ſiue virtute: actu quidem, vt quando medicina calida cauſat calorem in corpore ægri exceſsiuè infrigidati, & ſanatur. calor enim eſt pars ſanitatis, eſt enim ſanitas conſurgens non ſolum ex calore, ſed ex aliis humoribus adæquatis. virtute vero, vt quando ex motu in corpore ægri cauſatur calor proportionaliter, ſicut ex medicina, & inducitur ſanitas.

Patet igitur quomodo verificatur hoc principium vnumquodque à ſuo ſimili producitur. De his autem, quæ generantur per accidens, & à caſu non eſt neceſſe ſolicitari, nam cum ſecundum Ariſtote. in lib. 12. tex. 13. caſus, & fortuna ſint priuationes naturæ, & artis, non eſt neceſſe in his attendi ſimilitudinẽ inter generans, & genitum, niſi forte quo ad prædicata tranſcendẽtia, puta quòd ens generat ens, quod vnum vnum, quod res rem, &c.

Quartum dubium. Tex. c. 32.

Quartum dubium eſt. Quoniam determinatum eſt ſuprà fieri compoſitum, & non formam; Quæritur ſi id eſt verum, tam de forma ſubſtantiali, quàm accidentali.

Ad hoc reſpondens Ariſt. tenet partem affir. pro vtraque forma; cuius ratio eſt, quoniam omnis forma, tam ſubſtantialis, quàm accidentalis non habet eſſe, vt quod, ſed vt quo: ergo non poteſt eſſe id quod generatur. Dicendum eſt ergo, quòd ſicut non generatur forma lapidis, ſed lapis, ſic non generatur ſphæra, ſed ænea ſphæra, nec albedo, ſed lignum album, nec quantitas, ſed lignum quantum, aut animal quantum.

Aduerte tamen, ꝙ licet, tam in ſubſtantiis, quã in accidentibus compoſitum, & non forma ſit genitum, tamen eorum generatio in hoc differt, quòd compoſitum ſubſtantiale neceſſariò præexigit alterã ſubſtantiam, à qua generetur: non enim generatur ſubſtantia, niſi à ſubſtantia, compoſitum autem accidentale non neceſſariò præexigit compoſitum alterum actu præexiſtens, ſed quod ſit tale in potentia, puta non eſt neceſſe ad hoc quod fiat album præexiſtere album actu, ſed ſufficit præexiſtere materiam, ſiue ſubſtantiam, quæ ſit alba in potentia. & hoc ideo eſt, quia ſubſtantia non poteſt eſſe niſi à ſubſtantia, aliter productum eſſet nobilius producente. accidens autem poteſt eſſe a ſubſtantia. nam cùm ſubſtantia ſit primum, & ſimpliciter ens, vt dictum eſt ſuprà, non inconuenit quod ſit cauſa ſubſtantiæ, & accidentis. vnde videmus, quod generans ignem generat calorem, & leuitatem, & ſiccitatem, & lucem in igne. Hæc de 6. cap. dicta ſint.

CAPVT VII.

Ex quibus partibus conſtituatur quod quid eſt, & diffinitio, & quomodo partes ſuperiores toto, vel poſteriores.

IN cap. ſeptimo inueſtigandum eſt, ex quibus partibus conſtituitur quidditas ſubſtãtiæ ſenſibilis. & quoniã quidditas, quæ eſt ipſum quod quid eſt, ſignificatur per diffinitionem, cũ hic procedamus modo logico, vt diximus in principio huius libri, manifeſtum erit propoſitum, ſi declaratum fuerit, quæ partes intrent diffinitionem. nam, vt inquit Ariſt. cùm diffinitio ſignificet rei quidditatẽ, & omnis diffinitio habeat partes, cùm ſit oratio, & quid compoſitum ex genere, & differentia: conueniens videtur, quod ſicut tota diffinitio correſpondet toti rei diffinitæ, ita partes diffinitionis partibus rei. quod quidem an verum ſit, & in quo ſenſu determinabimus in quæſtionibus noſtris.

Vt igitur ſciamus, quæ partes ponantur in diffinitione, & ex conſequenti, ex quibus partibus conſtituitur quidditas ſubſtantiæ ſenſibilis. Aduerte quod Ariſt. ad huius declarationem, præponit duo dubia.

Primum eſt ſi partes rei, ſiue diffinitiones partium rei ponuntur in diffinitione totius.

Secundum eſt: ſi partes ſunt priores, vel poſteriores toto.

Quantum ad primum dubium Ariſto. arguit ad partes, & pro parte neg. ſic, ſemicirculus eſt pars circuli, & tamen nec ſemicirculus; nec diffinitio ſemicirculi ponitur in diffinitione circuli, aliter cùm diffiniamus ſemicirculum per circulum (eſt enim ſemicirculus portio circuli) eſſent circulares diffinitiones. Pro parte autem affirmatiua ſic, Literæ ponuntur in diffinitione ſyllabæ (nam ſyllaba eſt quid compoſitum ex literis) ſed literæ ſunt partes ſyllabæ, ſicut ſemicirculus eſt pars circuli, ergo, &c.

Quantum ad ſecundũ dubium arguit ſimiliter, & pro parte affirmatiua ſic, ſimplicia & componentia ſunt priora compoſito, quoniam ſupponit illa: ſed partes ſunt ſimplices, & componentes reſpectu totius: ergo, &c. Pro parte negatiua ſic, Totum ponitur in diffinitione partis. diffinitur enim angulus acutus per angulum rectum. nã acutus eſt qui eſt pars recti: & ſi diffinitur digitus, in eius diffinitione ponetur homo. ſed diffinitio datur per priora, ergo, &c. Prætereà totum poteſt eſſe ſine parte, & non econuerſo, vt homo ſine digito, non tamẽ digitus ſine homine, niſi æquiuocè: ſeparatus enim ab homine non eſt digitus, ſicut nec oculus pictus eſt oculus ex ſecundo de anima: ſed quod poteſt eſſe ſine alio, & non econuerſo eſt prius, vt declarauimus in quinto libro, ergo, &c.

Pro reſolutione primi dubij ponetur diſtinctio de partibus. Deinde duæ concluſiones cum probationibus ſuis.

Pars eſt duplex, ſcilicet quantitatiua, & eſſentialis. Quantitatiua eſt, ex qua integratur res quanta, vt quanta; vt linea cubitalis eſt pars integralis lineæ bicubitalis: eſſentialis eſt, ex qua conſtituitur ſubſtantia rei compoſitæ: vt corpus, & anima ſunt partes eſſentiales animalis. Tunc prætermittenda eſt pars integralis. & ſcrutandum eſt de partibus eſſentialibus. Aduerte igitur, quod ſicut ſubſtantia compoſita poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet vt vniuerſalis, puta homo, & vt ſingularis, puta hic homo, ſic partes eſſentiales in vniuerſali quidem, vt corpus, anima, caro, os, neruus, &c. In ſingulari verò, vt hoc corpus, hæc caro, &c. Conſideratæ in vniuerſali dicuntur partes ſpeciei: ſumendo ſpeciem non pro forma, ſed pro quidditate, ſiue natura ſubſtantiæ compoſitæ vniuerſalis, vt hominis, equi, &c. conſideratæ in ſingulari dicuntur partes materiæ, id eſt partes indiuiduales, ſiue conſtituentes indiuiduum. Conſtituitur enim indiuiduum determinata materia non ſolum in ſpecie, ſed in numero. nam Calias non ſolum conſtituitur ex carne, & oſſe, ſed ex carne, & hac carne humana, & hac anima rationali. Differunt autem in hoc quod

quod partes ſpeciei per ſe conueniunt naturæ ſpecificæ, non enim ſaluatur natura ſpecifica ſubſtantiæ compoſitæ, niſi conſtituatur ex his partibus, vt homo non eſſet homo, niſi conſtaret ex corpore humano, & anima rationali. Partes autem materiæ per accidens conueniunt naturæ ſpecificæ. Accidit enim homini quod ſit Calias. Adhuc enim remoto Calia ſaluatur homo, puta in alio indiuiduo, & accidit circulo diuidi in duos ſemicirculos. Hoc enim non conuenit circulo inquantum circulus, ſed inquantum hic, vel ille circulus. Et ſicut accidit homini eſſe Caliam, ſic accidit homini componi ex hac carne, & ex hac anima, & circulo accidit componi ex ſemicirculo A, & ſemicirculo B.

Ex hac diſtinctione ponuntur duæ concluſiones.

Prima eſt. Quæ ſunt partes ſpeciei ponuntur in diffinitione totius: probatur. Quę ſunt conſtituentia ſubſtantiam, & quidditatem totius, & per ſe eidem conueniunt, ponuntur in diffinitione eius, aliter diffinitio non ſufficienter declararet naturam diffiniti: ſed partes ſpeciei conſtituunt quidditatem totius, & per ſe ei conueniunt, vt declaratum eſt: ergo, &c.

Secunda concluſio, partes materiæ non ponuntur in diffinitione totius vniuerſaliter ſumpti, nec ſingulariter ſumpti. Quòd non vniuerſaliter ſumpti probatur: nam diffinitio eſt ex his, quæ per ſe conueniunt diffinito, vt declaratum eſt ſuprà in tertio capite: ſed partes materiæ non per ſe conueniunt toti vniuerſaliter ſumpto, vt diximus paulò antè: ergo, &c. Quòd non ſingulariter ſumpti probatur, quoniam ſingularia non diffiniuntur, ſed imaginatione, & ſenſu cognoſcuntur. Et ſi cognoſcuntur ab intellectu, non cognoſcuntur, niſi in ratione vniuerſalis, puta cognoſcitur hic circulus, quia eſt circulus, & hic homo, quia eſt homo. Tu tamen aduerte, quod ſi ſingulare diffiniretur, in eius diffinitione ponerentur partes materiæ, quoniam ſunt conſtituentia indiuiduum, & per ſe ei conueniunt.

Ex his patet ſolutio ad argumenta adducta ad partes: nam ideo ſemicirculus non ponitur in diffinitione circuli, quia vt declarauimus eſt pars materiæ, ideo autem literæ ponuntur in diffinitione ſyllabę, quia ſunt partes ſpeciei, conſurgit enim ſyllaba ex literis, ſicut homo ex carne, & oſſe, &c.

Aduerte tamen, quod literæ abſolutè ſumptæ ſunt de ratione ſyllabæ, non autem literæ æreæ, aut plumbeæ, nõ enim eſt neceſſe literas fieri in ære, vel in plumbo, vnde vt ſic ſe habent per accidens ad ſyllabam, vt ſyllabam.

Ex his corollariè ſequitur, quod, cùm non poſsit ſaluari natura ſubſtantiæ ſenſibilis niſi in materia, non ſolùm forma, ſed & materia ſumpta in vniuerſali ſunt de diffinitione, & quidditate eius, & non ſolùm id verificatur in ſenſibilibus, ſed in Mathematicis: licet aliter & aliter, nam materia eſt duplex ſcilicet ſenſibilis, & intelligibilis: ſenſibilis quidem eſt, vt æs, & lignum, & elementa, & caro, & os, & breuiter omnis materia mobilis. Intelligibilis eſt, quæ comprehenditur ab intellectu eſſe in ſenſibilibus non inquantum ſenſibilia ſunt, qualia ſunt Mathematica, vt linea, corpus, ſuperficies, iſta enim dicuntur materia figurarum Mathematicarum, nam ſicut formę naturales non fiunt, niſi in tali materia ſenſibili, ſic figuræ Mathẽmaticæ non fiunt, niſi in quantitate continua, quæ diuiditur in lineam, ſuperficiem, & corpus. vnde inquit Comment. in comment. 35. linea demonſtrata ſuperficies, & corpus ſunt materia figurarum habentium angulos, & carentium angulis. ſicut igitur materia ſenſibilis ſumpta in vniuerſali eſt de diffinitione, & quidditate ſubſtantiæ ſenſibilis, ſic materia intelligibilis eſt de ratione figurarum Mathematicarum. vnde in diffinitione trianguli de neceſsitate ſumitur linea, vel ſuperficies vel corpus. Hæc pro primo dubio dicta ſunt.

Pro reſolutione ſecundi dubij ponuntur tres concluſiones.

Prima eſt, partes ſpeciei ſunt priores toto. probatur, ex partibus ſpeciei conſtituitur quidditas totius, & ponuntur in diffinitione eius, ſicut declaratum eſt ſuprà: ſed conſtituentia, & diffinientia, vt ſic, ſunt priora conſtituto, & diffinito: ergo, &c.

Secunda eſt, Partes materiæ comparatæ toti, ſunt poſteriores, probatur. Totum ponitur in diffinitione earum, ſi diffiniuntur, vt digitus eſt pars hominis, ſemicirculus eſt portio circuli. Angulus acutus eſt minor recto, ſed diffiniens eſt prius diffinito, ergo, &c.

Tertia eſt, Partes materiæ, ſecundum illum modum, quo aliquid dicitur prius, vt principium principiato, ſunt priores toto. ſ. indiuiduo, quod componunt. nam componens eſt prius compoſito, & cauſa effectu. ſecũdum autem illum modum, quo aliquid dicitur prius, quia poteſt eſſe ſine alio, & nõ econuerſo, quædam ſunt poſteriores, quædam ſimultaneæ. nam minus principales, vt digitus, oculus, auris, &c. non poſſunt eſſe ſine toto, ſed bene è conuerſo, vt patet: principales autem, vt cerebrum, hepar, cor, nõ poſſunt eſſe ſine toto, nec totum ſine ipſis, vt patet. ergo, &c.

Ex iis ergo patet, quòd propoſito dubio non eſt ſimpliciter reſpondendum: nam in vno ſenſu ſunt priores, in alio poſteriores, in alio ſimultaneæ. Patet etiam ex quibus partibus cõſtituitur quidditas ſubſtãtiæ ſenſibilis, quoniam ex iis, quæ intrant diffinitionem eius. Hæ autem ſunt partes ſpeciei. Hæc de ſeptimo capite dicta ſint.

CAPVT VIII.

Quomodo eſſentialis diffinitio, ſiue vnam ſiue plures differentias includat, vnum ſignificet, oſtenditur.

IN octauo capite inueſtigandum eſt, cùm diffinitio & quod quid eſt, quod eſt ſignificatum diffinitionis, conſtat ex partibus, quomodo diffinitio eſt vna, & quod quid eſt vnum. Ad reſolutionem igitur huius dubij dicemus tria. *tex. c. 42. 43.*

Primò, quare idem dubium motum in ſecundo Poſter. nõ fuit illic ſolutum.

Secundò, argumentabimur ad partes.

Tertiò, reſoluemus ipſum.

Quantum ad primum aduerte, quòd Philoſophus in ſecundo Poſter. mouit hoc dubium. Quare diffinitio ſignificat vnum, & tamen habet partes. puta, ſi diffinitio hominis eſt animal bipes, quare ſignificat vnum, puta naturam hominis, quæ eſt vna, cùm animal & bipes non videatur eſſe vnum, ſed plura. Hoc quidem dubium ideo illic non determinatur ſecundum Commen. in commen. 42. quoniam licet ſit commune Logico & primo philoſopho conſiderare de diffinitione, modis tamen diuerſis: nam Logicus conſiderat de ea inquantum eſt inſtrumentũ inducens intellectũ ad intelligere quidditates rerum, primus autẽ Philoſophus inquantũ ſignificat rerum naturas: & ideo reddere cauſam, quare ſignificat vnum, licet habeat partes, magis pertinet primo philoſopho, qui conſiderat naturas rerum, ex conſequenti conſiderat partes diffinitionis, non inquantum prædicantur de diffinito (hoc enim ad Logicum ſpectat) ſed inquantum ſunt naturæ rerum diffinitarum: nam ſi genus & differentia, ex quibus cõſtat diffinitio, eſſent diuerſæ naturæ, impoſsibile eſſet diffinitionem ſignificare vnum. Quoniam igitur ad primum philoſophum ſpectat inueſtigare ſi partes diffinitionis ſunt idem realiter, vel non, ideo ad ipſum ſpectat determinatiò propoſiti dubij: nam ex eo ſolo, quod diffinitio & partes diffinitionis prædicantur de diffinito, non poteſt ſciri.

Quantum ad ſecundum, aduerte quod Ariſto. pro parte nega. ſic intendit arguere: diffinitio vel conſtat ex genere & vna differentia, vt animal rationale: vel ex genere & pluribus differentiis, vt ſubſtantia animata ſenſitiua rationalis: ſcilicet neutro modo poteſt ſignificare vnum, ergo, &c. Et quod primo modo non ſignificet vnum, arguit ſic. Si duo debent ſignificare vnum, neceſſe eſt illa eſſe vnum, vel fieri vnum, nam quoniam homo & album ſunt duo, niſi fierent vnum ex eo quod homo recipit & participat album, non ſignificarent vnum: puta hominem album, quod eſt vnum per accidens: ſed genus & differentia, puta animal bipes ſunt duo, quoniam inuenitur animal ſine bipede, & non poſſunt fieri vnum, quoniam, cum genus diuidatur contrariis differentiis, qua ratione fieret vnum cum vna participando illam eadem ratione fieret vnum cum altera participando eam: ſed hoc eſt impoſsibile, quoniam contrariæ differentiæ ſimul ineſſent eidem generi, ergo impoſsibile eſt diffinitionem conſtantem ex vno genere, & vna differentia ſignificare vnum.

Quod autẽ ſecundo modo nõ ſignificet vnum arguitur ſic. Sit hæc diffinitio hominis, Homo eſt animal greſsibile bipes non alatum: ſi iſtæ tres differentiæ ſunt vnum cum animali, & vnum inter ſe (ibi enim intelligimus de vnitate eſſentiali) hoc ideo eſt, quia ſunt in vno, puta in animali: ſed id non ſufficit, aliter omnia accidentia, quæ ſunt in vno ſubiecto, eſſent vnum eſſentialiter: & ſic albedo, dulcedo, grauitas in pomo eſſent vnum eſſentialiter, quod eſt falſum, vt patet; prætereà, vt inquit Cõmen. in cõmen. 43. totus mundus eſſet vnum eſſentialiter, quia omnia ſunt in cœlo, quod eſt vnũ, ergo, &c.

Pro parte autem affir. ſic arguit, Diffinitio ſignificat rei ſubſtantiam: ſed rei ſubſtantia eſt vna, vt hominis ſubſtantia eſt vna, cum ſit vna ſpecies, & Socratis ſubſtãtia eſt vna, cum ſit vnum numero & hoc aliquid, ergo, &c.

Quantum ad tertium inueſtiganda eſt ratio, quare diffinitio conſtans ex genere & vnica differentia ſignificat vnum, ſimiliter quando conſtat ex genere & pluribus differentiis. Exemplũ primi, homo eſt animal rationale, Exemplũ ſecũdi, homo

homo est substantia animata sensitiua rationalis, deinde soluenda sunt argumenta inducta pro parte negatiua.

Aduerte igitur, quod ratio propter quam diffinitio constans ex genere & vnica differentia significat vnum, est hæc, quia genus, & differentia addita generi, & contrahens genus ad speciem non dicunt diuersas essentias, sicut genus & differentia accidentalis, vel propria passio: vt animal album, vel animal rudibile, quorum vnum est substantia & alterum qualitas, sed dicunt eandem essentiam diuersimodè conceptam, puta genus sub conceptu confuso, & differentia sub conceptu determinato: vnde in hoc quod dicitur rationale comprehenditur natura animalis, sed specificata sub tali gradu, puta cum ratione. Ex hoc igitur fundamento possumus sic arguere. Ratio constans ex duobus, quæ realiter sunt vnum, significat vnum: sed diffinitio est ratio, &c. ergo, &c. Hinc manifestè constat, quare species est vnum quid per se: quoniam tam genus quàm differētia dicunt totam naturam speciei, sub diuerso conceptu, vt diximus. Et signum quod dicant totam naturam speciei est, quia tam genus quàm differentia, vt genus est, prædicantur in recto de specie. Dico autem vt genus, ad differentiam eius, quod aliquando est genus, aliquando est materia, vt corpus: nā quando sumitur vt genus, prædicatur in recto, vt homo est substatia, & est corpus, & est animal. Quando autem sumitur vt materia, prædicatur in obliquo, vt homo est quid compositum ex anima & corpore. Quomodo verò idem possit esse genus & materia, & quibus rationibus declarabimus in quæstionibus nostris.

Ratio autem, propter quam diffinitio constans ex genere & pluribus differentiis, significat vnum, est, quia vltima differentia, quæ dicitur specifica, id est, constituens speciem, & dicitur indiuidua, id est, non diuisibilis in alias differentias inferiores, continet omnes superiores, quæ dicuntur genericæ: ex consequenti diuisibiles in alias. Puta in hac diffinitione, homo est substantia corporea animata sensitiua rationalis: ly rationalis continet omnes præcedentes, quoniam prædicantur de rationali: & præterea, vt inquit Philosophus, si non contineret eas, oporteret multoties idem repetere in diffinitionibus, & fieri nugationem. verbi gratia, cum corporcum diuidatur per animatum & inanimatum: & animatum per sensitiuum & non sensitiuum: & sensitiuum per rationale & irrationale: si inferior non includit superiorem, ergo erit necesse dicere, quòd homo est substantia corporea: corporea habens animam: similiter quòd est animata, animata habens sensum, & quòd est sensitiua: sensitiua habens rationem: omnis autem superfluitas & nugatio vitanda est in definitionibus. Dicendum est ergo inferiorem differentiam continere superiorem, & vltimam includere omnes præcedentes: quoniam igitur vltima includit omnes præcedentes, ita quòd prædicantur de ea prædicatione identica, & vltima complet diffinitionem: ideo diffinitio constans ex genere & pluribus differentijs essentialibus significat vnum, sicut ea, quæ constat ex genere & vnica differentia. nam sicut differentia addita generi non dicit aliam essentiam à genere, sic nec differentia addita differentiæ, dicit aliam essentiam ab ea cui additur, sed tantùm distinctionem formalem, vt plenè declarabimus in quæstionibus nostris. Vltima ergo differentia dicit totam rei substantiam, ex consequenti diffinitio, quæ completur per vltimam differentiam, manifestè significat vnum.

Ad argumentum primum pro parte negati, dicendum, quòd genus & differentia non sunt duo realiter distincta imò sunt vnum, & quando dicitur, quòd genus inuenitur sine differentia, puta animal sine rationali, vt in asino. Ex hoc non impeditur, quin sint vnum, sed quòd non sunt vnum conuertibiliter. Dicendum est etiam, quòd non inconuenit contraria inesse eidem potentialiter, differentiæ autem contrariæ non insunt actu generi, quoniam genus secundum se abstrahit à differentiis sicut materia secundum se abstrahit ab omni forma. Ad secundum dubium, dico, quòd nō sunt vnum, quia sint in vno, sed quia vltima includit præcedentes, & prædicantur de ea essentialiter, ex consequenti dicunt eandem naturam sub diuerso conceptu. Hæc de octauo capite dicta sint.

CAPVT IX.

Tex. 44. IN capite nono reprobanda est opinio Platonis, quam sibi imponit Aristoteles, de generibus, & de maximè vniuersalibus, vt de ente, & vno, & de ideis, quòd non sint substantiæ: & vt perstringamus longum discursum Aristotelis, cuius mentem iam pertractauimus in tertio libro, in capite vndecimo dicemus quatuor.

Primò, quòd absolutè non sunt substantiæ.

Secundò, quòd nō sunt substantiæ à singularibus separatæ.

Tertiò, quòd ideæ Platonicæ non possunt diffiniri, nec demonstratio potest de eis haberi, ex consequenti vanè ponuntur.

Quartò videndum est in quo Plato bene, vel malè dixerit circa huiusmodi.

Quantum ad primum, aduerte, ne procedamus per incognita, quòd vniuersalia hic non intelliguntur naturæ, quibus potest intellectus attribuere intentionem vniuersalitatis, quæ vt sic dicuntur vniuersalia objectiuè, vt natura hominis, natura equi: huiusmodi enim, vt sic, sunt substantiæ habentes esse in singularibus, secundum veritatem. sed hic intelliguntur naturæ, vt stant sub intentione vniuersalitatis, puta homo, animal, ens, inquantum prædicantur de multis, & apta sunt esse in multis: sic enim sumuntur à Platone, vt sibi imponit Aristoteles: & volebat, quòd, vt sic, essent substantiæ, & haberent esse extra singularia, & contra humanum sensum intendit arguere Aristoteles.

Dupliciter autem arguit. Primò, quòd non sunt substantiæ, inquantū vniuersalia sunt, i. inquantum prædicantur de multis. Secundò, nec inquantum sunt partes diffinitionis.

Pro primo sic arguit, Cùm omnis substantia sit alicuius propria substantia, ita quòd non est alterius: si vniuersale est substātia, est alicuius substantia: aut ergo est substantia omnium, de quibus prædicatur, aut vnius tantùm, & non omnium, non potest esse omnium, quoniam cùm illa sint plura, & plura sint illa. quorum substantiæ sunt plures, impossibile est tale vniuersale esse substantiam omnium, aliter illa omnia non remanerent plura. sed essent vnum. Quorum enim substantia est vna, illa sunt vnum, nec potest esse vnius tantùm: quoniam qua ratione esset vnius, esset etiam aliorum, cùm prædicetur de illis. vnde sequitur, quòd aut omnia indiuidua alicuius vniuersalis erunt vnum numero, si habent vnam substantiam numero, quæ sit substantia illius vniuersalis Platonici, aut non vniuocantur in ipso vniuersali, si est substantia tantùm vnius.

Præterea substantia secundum id quod est realiter, vt præscindamus à consideratione logica, non dicitur de subiecto, quoniam omnis substantia secundum id quod est, est alicui propria: sed vniuersale dicitur de subiecto, vt patet. ergo non est substantia. Et aduerte hanc rationem concludere apud Philosophum, qui considerat rei naturam, & non intentiones rei attributas, vt considerat Logicus.

Pro secundo sic arguit, Si vniuersale, inquantum est pars diffinitionis est substantia, sequitur idem esse substantiam duorum. nam, si diffinitur homo, diffinitur per animal: similiter, si diffiniretur Socrates, diffiniretur per animal: ergo animal vniuersale est substantia, erit substantia & hominis & Socratis: quod est inconueniens, quoniam omnis substantia alicuius propria, & non alterius est substantia, vt dictum est.

Præterea, sequitur quòd dabitur tertius homo. nam cùm homo sensibilis, puta Socrates, sit homo, & homo intelligibilis apud Platonem sit homo, sequitur quòd datur tertius homo, qui de vtroque prædicatur. Et aduerte, quòd non solùm dabitur tertius, sed & quartus & quintus, & sic in infinitum: nam cùm Socrates sit homo, & homo intelligibilis sit homo, & homo tertius sit homo, dabitur quartus, qui prædicatur de tribus, eadem ratione dabitur quintus, & sic in infinitum.

Præterea sequitur substantiam singularem non esse vnum per se, quoniam ex pluribus existētibus in actu non fit vnum per se, sed ex pluribus quorum vnum sit actus, & alterum potentia, vt ex forma & materia, vel vtrunque sit in potentia, vt duæ medietates existentes in linea in potentia constituunt vnam lineam actu: sed, si vniuersalia sint substantiæ, existunt actu in substantia singulari, puta in Socrate existet actu homo, & actu animal: ergo Socrates non erit vnum per se.

Sed dices, Si vniuersalia non sunt substantiæ: & si ex pluribus in actu nō fit vnum per se: sequitur substantiā singularem sensibilem esse vel incompositam, vel componi ex non substantiis. Quorum vtrunque est manifestè falsum.

Respondeo, nego cōsequentiam. datur enim tertium, nam declarabitur infrà, quod componitur ex substantiis in potentia, totum enim componitur ex partibus, quæ sunt in potentia in toto. patet igitur ex omnibus prædictis, quòd vniuersalia absolutè non sunt substantiæ.

Quantum ad secundum probandum est, quòd nō sunt substantiæ separatæ à singularibus, & arguitur sic, Si homo & equus, & leo sunt substantiæ separatæ: cùm huiusmodi species cōponantur ex genere & differentia, ea ratione qua ponitur re-

rentiæ: quod inconueniens est, vt etiam Plato concedit: consequentia quidem probatur, nam ideo Plato ponit species separatas ab indiuiduis, quia secundum vnam rationem prædicantur de indiuiduis, & quia intellectus potest abstrahere speciem ab eis, id est quia potest intelligere naturam specificam non intellecto indiuiduo: sed genus secundum vnam rationem prædicatur de omnibus speciebus, similiter differentia, vt patet: ergo, &c. Et potest per intellectum abstrahi genus à speciebus, sicut species ab indiuiduis: ergo, &c.

Quantum ad tertium, aduerte, quod, vt imponit Aristotel. Platonis, posuit Plato ideas, vt de naturalibus haberetur scientia: quæ non potest haberi de singularibus naturalibus, eo quod vnumquodque eorum corruptibile est: scientia autem habemur de eo quod potest diffiniri & demonstrari. Intendens igitur Aristote. declarare opinionem Platonis esse vanam de ideis, probat etiam, quod si darentur, non possent diffiniri.

Primò igitur sic arguit, de singulari non datur diffinitio, quoniam non intellectu, sed sensu cognoscitur singulare: sed idea, cùm sit aliquid per se subsistens, & immateriale, est quid singulare & vnum numero: ergo, &c.

Secundò, quia posset responderi rationi præcedenti eam concludere de singulari materiali corruptibili, ideo arguit sic: cùm idea sit quid singulare si diffinitur, talis diffinitio, aut constat ex terminis singularibus, aut communibus: si singularibus: ergo illa erunt synonyma, vt si diffiniatur Cicero, quod est Marcus Tullius: per synonyma autem non datur competens diffinitio: si communibus, ergo diffinitio non competet soli diffinito: ergo, &c.

Quantum ad quartum dicit Philosophus, ex quo Plato ponebat ideas esse substantias bene dixit eas esse per se existentes & extra singularia. Malè autem dixit eandem ideam esse in multis singularibus. Repugnat enim aliquod vnum subsistens esse in multis.

Et tu aduerte, quòd in reprobatione hac contra Platonem, perfunctorie transiui, quoniam & in primo libro, & in tertio & iterum in duodecimo Aristot. idem pertractat, & nos pertractauimus ad mentem eius in primo libro in tractatu secundo, capite quarto, & in tertio libro capite octauo, & in secundo li. de generatione super textu quinquagesimo secundo, formauimus de hac materia duas quæstiones, & in quæstionibus nostris super septimum librum huius scientiæ discutiemus, quantum valeant rationes Aristotelis contra Platonem, pro nunc aduerte quod Aristoteles incœpit impugnare Platonem de ideis, etiam viuente Platone, nam apud Platonem in Parmenide introducitur Parmenides disputans cum Socrate præsente Aristotele de ideis, vbi sic legitur, Antequam exercitatus sis ô Socrates, scilicet in positione idearum, definire aggrederis, quid pulchrum, iustum, bonum, & aliarum quamlibet specierum. Hoc enim pridem animaduerti hic te audiens, vna cum Aristotele disputantem, pulcher sanè atque diuinus hic impetus tuus, quo ad rationes aduolas. Cæterum collige teipsum, diligentiúsque te in ea facultate exerce, quæ inutilis esse videtur, & à multis garrulitas siue nugatio nuncupatur, dum iuuenis es, alio quin te veritas fugiet. Hæc ibi ad literam. Hæc pro quanto spectant ad nostum caput dicta sint.

CAPVT X.

IN capite decimo declarandum est quid substātia, quid est quod quid est, siue quidditas rei sit principium & causa, & ad euidentiam propositi dicemus tria.

Primò, quod est principium & causa.

Secundo, mouebitur dubium & soluetur.

Tertiò, quod non est principium siue causa materialis, sed formalis.

Quantum ad primum ponitur hæc conclusio. Quidditas rei est principium & causa: puta quidditas hominis, id est, id quod est homo, puta animal rationale, vel compositum ex corpore & anima intellectiua, est causa & principium omnium, quæ per se consequuntur ad hominem, puta quòd homo sit electiuus & deliberatiuus, & risibilis, &c. & probatur. De quidditate rei non formatur quæstio propter quid, sed per ipsam soluuntur alia quæsita propter quid: ergo est principium & causa. consequentia quidem manifesta est, quoniam propter quid dicit causam, vt propter grauitatem lapis descendit. Antecedens verò quo ad primam partem sic probatur. In omni quæstione propter quid, quæritur aliquid aliud de aliquo, puta propter quid in luna est eclipsis, nam eclipsis aliud est à luna: sed quidditas non est aliquid aliud ab eo cuius est quidditas, vt declaratum est suprà: ergo, &c. Et propterea si quis quæreret, propter quid homo est homo, nihil quæreret. nec si quis quæreret, propter quid homo est animal rationale. Istæ enim sunt propositiones immediatæ, nisi fortè quis dicat, vt inquit Philosophus, quia idem prædicatur de seipso, vel quia vnumquodque est indiuisibile, siue vnum sibi ipsi. Secunda pars antecedentis si declaratur, licet apud Logicum quæstio propter quid reducatur aliquando in causam formalem, vt propter quid homini inest intellectus & voluntas: respondetur propter animam intellectiuam existentem in homine: aliquando in causam materialem, vt propter quid gladius est durus: respondetur propter ferrum: aliquando in causam efficientem, vt propter quid lapides & ligna fiunt domus; respondetur propter artem ædificatiuam; aliquando in causam finalem, vt propter quid sumitur medicina: respondetur propter sanitatem: tamen apud primum Philosophum propriè reducitur in quod quid est, siue in definitionem indicātem rei quidditatem. vt propter quid lapis est substantia, quia est ens per se. propter quid triangulus habet tres angulos, quia est figura rectilinea habens angulum extrinsecum æqualem duobus intrinsecis sibi oppositis. & huius quidem ratio est, quoniam sicut vnūquodque per suam quidditatem est talis, vel talis naturæ, ita per eandem insunt sibi tales proprietates effluentes à rei quidditate, vt calor & leuitas à quidditate ignis. cùm igitur de quidditate nō fiat quæstio propter quid, & per ipsam soluantur cætera quæsita, manifestum est quòd dicit principium & causam.

Quantum ad secundum, aduerte, quoniam dictum est, quòd in omni quæstione propter quid, quæritur aliud de aliquo, dubium consurgit, quoniam stantibus prædictis dum quæritur quid est homo, quæstio nulla esset: non enim quæritur aliud de aliquo, sed de eodem simpliciter quæritur quid fit. *Dubium.*

Ad hoc dicendum, quod licet in quæstione quid non quæratur formaliter aliud de aliquo, tamen cum quæstio quid, & quæstio propter quid coincidat in idem numero, vt probatur in libro secundo Poste. potest verti quæstio quid in quæstionem propter quid, & tunc manifeste apparebit quod hoc de illo quæritur: verbi gratia scito quod homo est animal rationale, potest quæri propter quid Socrates est homo, & respondetur propter animal rationale: vt igitur in quæstione quid quæratur aliquid aliud de aliquo, vertatur in propter quid, & tunc nullum erit dubium. *Tex. 1. 60.*

Ex quibus corollariè sequitur, quod in substantiis simplicibus in quibus non est aliud & aliud non potest formari quæstio propter quid. Quoniam de omni eo quod quæritur, contingit aliquid cognoscere, puta de luna cognosco quod eclipsatur: sed ignoro causam, propterea formatur quæstio propter quid: sed in simplicibus, cum non sit aliquid & aliquid, non contingit aliquid scire & aliquid ignorare, sed aut totum scitur, aut totum ignoratur. Ergo in eis non habet locum propriè quæstio propter quid. sed est alius modus nobis perueniendi in cognitionem earum, scilicet à posteriori & per effectum, vt declarabitur in libro 12. vbi per motum æternum inuestigabimus substantiam æternam immaterialem.

Quantum ad tertium, aduerte quòd cum in hoc libro septimo loquamur de quidditate substantiæ sensibilis, quæ est composita, necesse est huiusmodi quidditatem esse vel partes componentes, vel id, quod resultat ex partibus componentibus, puta quod quidditas hominis sit caro & ossa, & quidditas lapidis sit ignis terra & alia elementa: vel aliquid vt tertium resultans ex eis: non potest autem esse partes componentes, quoniam stat partes componentes saluari, & tamen quidditas compositi non saluatur: nam sicut literæ a, b, componentes syllabam ab, quando separantur ab inuicem saluantur, & tamen syllaba ab, non saluatur; ita elementa componentia lapidē, quando corrūpitur saluantur, & tamen substantia lapidis non saluatur: cùm igitur partes cōponentes ad principium & causam materialem pertineant, patet quidditatē rei non esse principium aut causam materialem: relinquitur igitur vt sit entitas resultans ex partibus vnitis, quæ quidem dicitur esse principiū, aut causa formalis, quæ non est forma partis. illa nāque non est quidditas, sed pars quidditatis, vt declaratum est suprà, sed dicitur forma totius, vt humanitas, equinitas, quæ quidem, vt diximus suprà in cap. 3. potest signari nomine abstracto, & tunc habet rationem quo, & signari nomine cōcreto, & habet rationem quod, & dicitur ipsum quod quid est, & significatum diffinitionis: & pro tanto apud primum Philosophum habet rationem principij formalis, quia est ratio per quam insunt proprietates, & demonstratur de subiecto, &c. Hæc de cap. 10. dicta sint, & ibi terminatur resoluta sententia Aristotelis in septimo libro Metaphysicæ.

EPIT

EPITOME SVPER OCTAVO Libro Metaphysicæ Aristotelis.

SEcundum ordinem positum in principio septimi libri in hoc octauo libro, agēdum est de substantia sensibili modo reali, inuestigādo de partibus & principiis suis intrinsecis. cum enim sit substantia composita necesse est ipsam constare ex principio materiali & principio formali. Totam igitur sententiam Aristot. in vnico tractatu perstringentes diuidemus ipsum in quatuor capita.

Primo, declarabitur quod materia & forma insunt substantiæ sensibili vt principia intrinseca constitutiua.

Secundo, considerabuntur quæ consideranda sunt à primo Philosopho de forma.

Tertio, considerabuntur quæ consideranda sunt à primo Philosopho de materia.

Quarto, considerabitur de causa vnionis earum adinuicem, & propter quid ex eis fit vnum, quod est substātia composita, quæ est vna per se.

CAPVT I.

IN primo capite manifestabitur in omni substantia sensibili esse materiam & formam vt principia intrinseca componentia. Et de materia quidem dicemus tria.

Primo, in quo differt à forma, & à composito.

Secundo, quod in omni substantia sensibili necessario ponitur materia.

Tertio, quod non in omni substantia sensibili est eodem modo materia.

Tex.3. Quantum ad primum aduerte materiam, formam, compositū in hoc distingui essentialiter, quòd materia non est aliquid actu demonstratum secundū se, sed est in potentia, vt per aduētum formæ fit aliquid actu, puta ferrum secundū se non est gladius, sed per aduentum formæ gladij fit gladius actu, vt etiam declaratum est in 2. Physic. text. 11. forma vero distingnitur à materia, quia est actus, & ea fit aliquid actu: dat enim esse actu ei cuius est forma, & est separabilis secundum rationem, id est, diffinitionē à materia, non autē secundū esse. secundū rationē dico, quoniā cum forma sit actus, non repugnat esse per se cognoscibilem, cum autē materia sit pura potentia, non est cognoscibilis nisi per formam, vt declaratū est in primo Physi. tex. 70. patet igitur formam esse separabilem à materia secundū cognitionem, non autem materiam à forma: quoniā esse per se cognoscibile repugnat potētiæ passiuæ, vt declarabitur in 9. lib. Dico autē non secundū esse, quoniam vt inquit Commen. in hoc lib. in comm. 3. impossibile est formam separari à materia, quod intelliges tu de forma naturali educta de potentia materiæ, vt præseruetur ab anima intellectiua: vel si includatur anima intellectiua, dictū Comm. erit verū de forma in quantū forma, id est, quo ad actū informandi non autē quo ad substantiam: & sic verū est vniuersaliter nullā formam informatiuā materię esse separabile à materia secundum esse informatiuū, cum quo tamen stat eam esse separabilem secundum substantiā. vnde de anima separata verum est dicere quòd est substantia per se existens, non tamen actu forma, cum actu non perficiat materiā. Compositum autem, quod est tertium resultans ex iis, est separabile simpliciter, id est, vt inquit Commen, in comm. 3. & secundum diffinitionem, cum sit ens actu, ex cōsequenti est secundū se cognoscibile: & secundū esse, quoniā cum sit illud quod propriè generatur & corrūpitur, vt declaratum est in 7. lib. conuenit ei separatim existere, id est, habere esse distinctum à quocunque alio composito, & ideo solùm compositum dicitur propriè hoc aliquid & ens actu: est igitur materia ens in potentia, forma verò actus, compositum autem quod existit actu,

Tex.4. in omni sensibili substantia ponitur materia. Quantum ad secundum aduerte, quòd fundamentum vt enandi materiā esse in omni substantia sensibili est, quia omnis substantia sensibilis cum sit naturalis, mutabilis est: in omni autem mutatione tam accidentali quàm substantiali, cum eius termini sint oppositi, necesse est dari subiectum, quod habet rationem materiæ, quod aliquando est sub vno termino, & aliquādo sub alio, vt in alteratione, idem subiectum aliquando est album, aliquando nigrum: & in augmento, aliquando est sub parua quantitate, aliquando sub magna, est enim processus à parua ad magnam, vel à minori ad maiorem quantitatem; & in motu locali, aliquando est in vno situ, deinde in alio: & in generatione substantiali, necesse est dari subiectum, quod recipit vnam formam cum abiectione alterius: & hæc omnia iam pertractata sunt in primo Physic. vbi declaratum est in omni fieri naturali vltra duo contraria requiri tertium, id est, subiectum, quod sit successiuè receptiuum contrariorum, & hoc incipiendo à textu 51. vsque in finem lib. Cum igitur omnis substantia sensibilis mutabilis sit, & non possit saluari mutatio sine materia, necesse est in ea poni materiam vt principium intrinsecum, ita tamen quòd vt inquit Commen. in commen. 4. materia, quæ est subiectum in transmutatione substantiali, sit omnino in potentia, quæ autem est subiectum in transmutatione accidentali sit in actu quo ad esse substantiale, in potentia autem quo ad formam accidentalem recipiendam, & vt sic est media inter esse actu & non esse.

Quantum ad tertium aduerte, quòd cum substantia sensibilis diuidatur in sempiternam, quale est cœlum: & in generabilem ac corruptibilem, quālia sunt elementa & elementata, alio modo est materia in substantia generabili & corruptibili, & alio modo in sempiterna. nam in generabili, & corruptibili est materia, quæ est subiectum generationis & corruptionis, & dicitur materia subiecta priuationi, quoniā dum est sub vna forma est priuata alia, & est in potentia ad ipsam, & sicut est subiectum generationis ac corruptionis, sic est subiectum aliarum mutationum: omne enim generabile est alterabile, & mobile secundum locum, in substantia vero sempiterna cum non fit generabilis, nec alterabilis, vt probatur in primo cœli, alteratione propriè dicta, sed mobilis tantum secundum locum, est materia, quæ solius mutationis localis est subiectum, & hanc vocat Arist. materiam localem, quoniam per ipsam est substantia sempiterna sensibilis in potentia ad diuersa vbi successiuè, aliam autē vocat generabilem & corruptibilem, quod tu intelliges subiectiuè & non terminatiuè, alioquin cōtradiceret ei quod dixit in lib. 7. tex. 26. & in primo Physic. tex. 82. Dixi autem alteratione propriè dicta, quæ sic secundum qualitates actiuas & passiuas: & quæ est verè motus in prædicamento qualitatis, vt excipiam illuminationem, quæ fit in substantia sempiterna, vt in astris, & præcipuè in luna, sed huiusmodi illuminatio non est motus localis, licet igitur in omni substātia sensibili sit materia, nō tamen in omni eodem modo. Tu tamen aduerte, q̄ licet alio modo sit materia in cœlo & in sis corruptibilibus, tamē in omnibus est pars essentialis, ita q̄ & cœlum & inferiora verè sunt cōposita et materia & forma modo sibi conuenienti, vnde non accepabis dictū Cōmen. in cōmen. 4. cùm dicit, ideo videmus, quòd cœlū nō cōponitur ex materia, quæ est in potentia, & forma, quæ est in actu. Et scias, quòd contra Commen. formaui qin hoc lib. 8. pro defensione Bea. Tho. vide eam ad placitum.

Postquam manifestauimus in omni substantia sensibili dari materiam vel principium intrinsecum, nunc agendum est de forma, & declarandum quomodo necessariò est in ea, & est de substantia eius, & dicemus duo. Primò, quid de hoc senserint antiqui. Secundò, quid de hoc dicendum secundum Aristotelem & veritatem.

Quātum ad primum, aduerte, quòd omnes antiqui in quolibet sensibili ponebant formam, vt seruarent distinctionem rerum abinuicem, quæ sumitur nō à materia, quoniam in ea conueniunt, sed à forma. vnde recitat Arist. Democritum assignātem in rebus tres differētias. s. secundū figurā, secundū situm, secundū ordinem, quæ tamen non sufficiunt, vt declarat Arist. in tex. nam multò plures aliæ sunt rerum differentiæ ad prædictas tres non reducibiles. Differunt nāque aliqua cōpositione, aliqua mixtione, aliqua colligatione, aliqua tempore, aliqua loco, aliqua mollitie, & duritie, raritate, & densitate, grauitate, & leuitate. licet autem formam in quolibet sensibili ponerent, tamen decipiebantur in hoc, quòd non posuerunt aliquam formam esse de substātia rei: existimabāt enim totam substantiam rei esse materiam, & formas omnes esse accidentia, vt declaratum est in secundo physic. tex. 7. & propterea negauerunt generationem & corruptionem substantialem, vt patet in primo de generatione, tex. 4. ibi Democritus, & Leucip. verùm positionem hanc satis improbauimus in primo de generatione, & in quæstion. nostris, ideo nolo in hoc immorari, sed sufficit pro nunc tibi constare, quòd si quereremur antiquorum sententiam, non esset substantia sensibilis constans ex materia, & forma, vt partibus substātialibus, sed tota substantia esset materia, reliqua autem omnia essent, aut passiones, aut dispositiones, aut habitus, vt dicit Aristoteles in secundo physicorum, tex. 9.

Quantum ad secundum, aduerte quòd Aristot. manifestat in sub-

stantia sensibili esse formam, vt actum substantialem ratione sumpta à differentia substantiali, & intendit sic arguere. Quælibet substantia sensibilis habet suam diffinitionem, siue suum quod quid est: ergo habet genus, & differentiam, ex his enim constat diffinitio, vt patet in libro septimo, huiusmodi autem genus & differentiam necesse est esse prædicata, non per accidens, nec per se in secundo modo per se, sed per se primo modo, vt declarauimus in septimo libro. ex consequenti necesse est, vt sint prædicata, quidditatiua, & substantialia: sed genus sumitur à materia, differentia autem à forma: ergo sicut quod quid est substantiæ sensibilis constat ex genere, & differentia substantiali, sic ipsa substantia sensibilis constat ex materia, & forma, vt partibus substantialibus. Præterea, cùm substantia sensibilis non habeat esse actu nisi per formam, nam sicut gladius non est gladius, nisi per formam gladij, sic nec carō, nec os, nec homo habent esse actu, nisi per propriam formam, necesse est dicere huiusmodi formam esse substantiam, & magis substantiam, quàm materiam, quoniam dat esse substantiale magis quàm materia, dat enim esse actuale, materia autem tantū potentiale. Tenendum est igitur secundum Aristot. & veritatem substantiam sensibilem constare ex materia, & forma, quorum vtrunq; est substantia, & quoniam forma est, quæ distinguit, ideo necesse est diuersas formas esse diuersarum materiarum, ita vt proprius actus fiat in sua propria materia, hinc videmus aliam esse materiam, scilicet proximā, in qua recipitur forma lapidis, & aliam, in qua recipitur forma plantæ. Propterea dixit Ari. in secundo de anima, text. 26. vnius cuiusque actus natus est non in qualicunque, sed in propria fieri materia: & quoniam diffinitio debet sufficiēter declarare naturam rei diffinitę, ideo qui diffiniunt sensibilia per solam materiam, aut per solam formam, malè diffiniūt. Quæ autem diffinitiones complectuntur vtrunque, approbantur etiam ab Archita: sicut qui diffinit serenitatem dicens, quod est quies in aëre multo, nam quies est forma, & aër multus est materia: & tranquillitas est æquitas maris, æquitas forma, mare est materia. Hæc de primo capite dicta sint.

CAPVT II.

Quinque consideranda sunt à primo Philosopho de forma.

IN secundo cap. debemus considerare ea, quæ à primo Philosopho consideranda sunt de forma, & sunt quinque. Primo, forma rei sensibilis nō est tota quidditas, vel essentia eius, sed pars: nam, si esset tota essentia eius: ergo nomen impositum substantiæ sensibili, vt homo, & animal, & domus importaret solam formam, sicut dixit Pla. ideas, vt per se hominem, & per se leonem dicere tantum formas separatas à materia: sed hoc est falsum, quoniam animal importat animam in corpore, & non solam animam, præcipuè cum anima sit alicuius corporis actus, & domus nō importat tantum tegumentum, sed tegumentum compositum ex lapidibus, & lignis, &c. & quod huiusmodi nomina non significent solam formam, patet ex hoc, quoniam in formis separatis à materia idem est quod quid est, & id, cuius est, in his autem sensibilibus non est idem quod quid est, & id cuius est, vt declaratum est in libro septimo: ergo, & c. quidditas substantię: ergo substantia sensibilis non est sola forma, sed quid resultans ex materia, & forma.

Tex. 9. Secundo forma est aliquid præter partes materiæ, puta compositio domus est aliquid præter lapides, & ligna, & anima est aliquid præter corpus, & partes corporis. nam cum forma sit actus, & perficiat materiam, necesse est vt sit aliquid præter materiā, alioquin actus, & potētia coinciderent.

Tertio nulla forma est per se generabilis, & corruptibilis, sed tantum per accidens, scilicet ad generationē, & corruptionem compositi. id declaratum est in septimo libro, in cap. 6.

Quarto formæ rerum corruptibilium non sunt separatæ à materia, vt existimauit Plato. & aduerte, quòd ly formæ non stat solùm pro forma, sed pro quidditate specifica, vt humanitas, equinitas, & lapideitas. id quidem pertractatum est diffuse in tertio libro & in septimo libro, contra Platonem, & in hoc octauo libro, Aristot. declarat propositum in artificialibus, de quibus constat, quòd non sunt separata, vt domus, vas, scannum, &c. & quoniam aliquis posset dicere non esse eandem rationem de formis artificialibus, & naturalibus: cuoniam illæ sunt accidentia, quibus esse est inesse materiæ, & subiecto, istæ autem sunt substantiæ, quibus non repugnat esse sine materia. vnde Plato id aduertens posuit formas naturales, & non artificiales separatas.

Contra hanc responsionem sic instat Aristot. si species, & quidditates, siue formæ rerum sensibilium sunt separatæ habebit locum dubitatio Antisten. Philosophi, licet indocti, forte propter imperitiam Logicæ contra Platonem. Dixit enim Antiste. nihil posse diffiniri, quoniam existimabat quidditatem cuiuscunque rei esse simplicem, diffinitionem autem, cum sit oratio longa: quoniam componitur ex genere, & differentia, non posse conuenire rei simplici: ex consequenti nullam quidditatem posse diffiniri. Dicit igitur Arist. si formæ rerum sensibilium sunt separatæ à materia sunt simplices. ergo non possunt diffiniri, cum diffinitio constet ex genere, & differentia, & genus correspondeat materiæ: differentia autem formæ, & sic dubitatio Antisten. concludet contra Platonem.

Quinto, licet formæ, & quidditates rerum non sint numeri, vt existimauit Pytha. & Plat. tamen in quatuor assimilantur numero. primo sicut omnis numerus tandem resoluitur in indiuisibilia, id est, in vnitates, sic omnis diffinitio, quæ est indicatiua quidditatis, resoluitur in indiuisibilia, id est, in primū genus, & primā differentiā. aliter, si diffinitionis esset diffinitio in infinitum, non esset status in partibus diffinitiuis, ex consequenti de nullo haberetur scientia, vt dictum est in secundo libro, & propterea illic Arist. probauit esse statum in causis materialibus, & formalibus. Secundo, sicut non remanet idem numerus aliquo etiam minimo (quale est vnitas) addito, vel subtracto, sed fit alia species, vt patet si ternario additur vnitas, non remanet ternarius, sed fit quaternarius: & si à quaternario remouetur vnitas, non remanet quaternarius, sed fit ternarius, sic in diffinitionibus indicantibus quidditates, & compositis ex genere, & pluribus differentiis, si addatur, vel subtrahatur differentia, fit alia diffinitio, & non remanet eadem quidditas. verbi gratia in diffinitione animalis, quæ est hæc, animal est substantia animata, & sensitiua, si remouetur sensitiua fiet diffinitio plantæ, si additur rationale fiet diffinitio hominis. Tertio, sicut numerus est vnus puta binarius per vltimam vnitatem, & similiter ternarius per tertiam vnitatem, & sic de reliquis, sic natura rei sensibilis, puta hominis, habet vnitatem à forma sua, ab eodem enim res habet esse, & vnum esse. sed à forma habet esse, ergo, &c. ex quo sequitur corollarie, quod ea sunt vnum, quorum est vna forma, & plura, quorum sunt plures formæ: quarto sicut numerus non recipit magis, & minus, stat enim in indiuisibili, quælibet enim trinitas est æquè trinitas, inquantum trinitas, sic forma, & quidditas specifica non recipit magis, & minus: non enim, vt inquit Commen. vnus homo est maioris humanitatis secundum formam, id est secundum naturam specificam hominis, quàm alius homo, sed si suscipit magis, & minus, hoc est materia, id est si cōsideretur cum dispositionibus, quæ se tenent ex parte materiæ. quia sunt ratio recipiendi formam, potest dici recipere magis, & minus, non quidem secundum se, sed ratione dispositionum, quæ sunt qualitates intensibiles, & remissibiles. hæc de 2. capite dicta sint.

Formæ rerū numeris quomodo similes Tex. c. 10.

CAPVT III.

Quæ nam de materia scire phylosophum deceat.

IN tertio cap. considerabimus, quæ à primo philosopho considerandæ sunt de materia, & sunt octo.

Primo, si est vna materia omniū, quæ fiunt, id est omnium generabilium, & corruptibilium.

Secundo, posito quod sit vna, vnde prouenit diuersitas, & multitudo.

Tertio, si ad habendam rei cognitionem sufficit assignare primam materiam, & idem intellige de aliis causis.

Quarto, si est materia in substantiis naturalibus æternis.

Quinto, si est materia in accidentibus.

Sexto, si eorum, quæ quandoque sunt, & quandoque non sunt, non tamen per se generantur, & corrumpuntur est assignare materiam.

Septimo, si materia est in potentia æqualiter, & sine aliquo ordine ad duo contraria.

Octauo, si vinū est materia aceti, & vinū materia mortui. *Tex. c. 11.*

Quantum ad primum aduerte, quod Aristot. duplicem materiam assignat, scilicet primam, & propriā. De prima dicit quod est eadem, siue sunt eadē prima corpora: vt quatuor elementa, ex quibus generantur omnia composita inferiora, & in quæ resoluuntur. De propria dicit, quod non est eadem omnium, sed diuersorum diuersæ sunt: vt materia phlegmatis est dulcis cibus, & crassus, siue vnctuosus: & materia choleræ est cibus amarus: & ratio est, quoniam phlegma humidum est, dulcia, & vnctuosa humida sunt, amara verò sicca, cum igitur cholera sit sicca, & vnumquodque generetur ex sibi conuenienti, generatur cholera ex cibo amaro, & phlegma ex dulci. Tu tamē aduerte, quòd cōtingit eiusdem esse plures materias, quodā tamē ordine, vtpote quando vnū fit ex alio: verbi gratia phlegmatis est materia, dulce, & vnctuo

vnctuosum, siue pingue: hoc tamen ordine, quod pingue fit ex dulci, cum pingue sit sapor medius, & dulce est sapor extremus, & media fiunt ex extremis. Item materia cholerae est amarum, & terrestre combustum, hoc tamen ordine, quòd amarum fit ex terrestri combusto, & haec manifesta sunt in libro de sen. & sens. Item aduerte, quòd duobus modis contingit aliquid fieri ex aliquo, vt ex materia: primo via generationis, vt quando vltimum est ex primo, quia primum transmutatur in vltimum, vt quando elementa transmutantur in compositum, secundo via resolutionis, vt quando primum est ex vltimo, quia vltimum transmutatur in primum, vt quando compositum resoluitur in elementa.

Tex. c.12. Quantum ad secundum, aduerte, quòd licet sit vna prima materia generabilium, tamen plures causas possumus assignare diuersitatis, & pluralitatis in entibus; & primo potest prouenire ex diuersitate agentis: vel quia si sit vnum agens potest diuersimodè agere, & id maximè patet in artificialibus. *Verum id etiam in animatis.* nam ex ligno potest statuae factor facere imaginem, & carpentarius facere arcam; vel si idem homo habeat vtranque artem, faciet vtrunque ex ligno, quoniam licet sit idem agens supposito, non est tamen idem formaliter. stante igitur vnitate materiae, etiam propriae, possunt causari diuersa propter diuersitatem agentis. secundo potest prouenire ex diuersitate formarum specificarum. nam quaedam formae sunt, quae in eadem materia sunt aptae recipi, vt forma statuae, & scamni, & arcae in ligno, quaedam autem est, quae non potest recipi, nisi in vna materia, vt forma serrę in ferro propter duritiem, & non in ligno, nec in lana, & haec diuersitas reducitur in diuersitatem materiae, quae tamen sumitur à diuersitate formae, & finis: ex quibus sequitur corollariè, quòd, si forma non determinat sibi determinatam materiam, vt dictum est de serra, stante eodem agente, & diuersa materia, non inconuenit idem secundum speciem produci, vt artifex producit phialam in auro, & phialam in argento, quae tamen secundum speciem non distinguuntur. si autem agens esset vnum, & materia tam prima, quàm propria esset vna, esset impossibile seruare distinctionem, & diuersitatem specificam in entibus naturalibus. Tu tamen aduerte, quod, cum diximus quasdam formas aptas recipi in eadem materia, intelligendum est de formis artificialibus, vt inquit Commen. in commẽto vndecimo. nam quaelibet forma naturalis habet materiam propriam, in qua recipitur, ex secundo de Anima, textu 26.

Quantum ad tertium aduerte, si debet cognitio haberi propria, & distincta alicuius, non sufficit assignare causam materialem remotam, puta quatuor elementa, sed propria: puta in homine est assignandus menstruus sanguis pro materiali causa propria. nam per causas vniuersales, & remotas non habetur cognitio de re nisi imperfecta, & confusa. ideo dixit Arist. in primo Poster. tunc arbitramur scire, cum causam cognoscimus, & quoniam illius est causa, scilicet propria: & quod dictum est de causa materiali, intellige de aliis causis. verbi gratia causa efficiens in homine est sperma maris, causa formalis est illa forma, quae dat quidditatem homini, id est, per quam homo est homo, vt anima intellectiua: causa finalis est illa, propter quam fit homo, puta propria operatio, & vltima perfectio sua. Tu tamen aduerte, quòd causa formalis, & finalis multoties sunt idem. nam forma inquantum dat esse est causa formalis, & inquantum terminat generationem est causa finalis, vnde solet dici formam esse finem generationis, sed non rei genitae. illud enim est propria operatio, in qua stat rei perfectio.

Materia aeternorũ. Quantum ad quartum, aduerte, quòd Aristo. per substantias materiales aeternas intendit, vt dicit Comment. in commento duodecimo, elementa, quae sunt aeterna secundum totum, & corpora coelestia. dicit igitur, quòd de his alia ratio est, quàm de generabilibus, quoniã quaedam eorum (& haec sunt omnia corpora coelestia, vt excipiat elementa) forsan non habent materiam, aut si habent, non talem qualis est in generabilibus, quoniam alia est sub priuatione, per quam dum est sub vna forma, est in potentia ad aliam. & hanc materiam, vt diximus in primo Physicorum, cognouimus ex generatione, & corruptione substantiali, cui necesse est assignare subiectum, quod successiuè stet sub vtroque termino; hanc igitur constat non esse in coelo, cum sit elongatum à generatione, & corruptione: verum, quia coelum mouetur secundum locum, & dum est in vno vbi, est in potentia ad alterum vbi, ideo necesse est ponere in coelo materiam mobilem secundum locum, id est, per quam coelum est in potentia ad diuersa loca, & hanc Aristot. suprà in textu quarto, appellauit materiam localem.

Sed dicet, vtrum haec materia localis sit verè, & propriè materia, ita quòd ex se sit ens in pura potentia, & pars compositiua corporis coelestis.

Respondeo secundum Comment. in commento duodecimo, non est verè materia. inquit enim materia in rei veritate, cuius esse est in potentia, non inuenitur nisi in rebus generabilibus, & corruptibilibus, substantiae verò aeternae, quia in eis non est potentia ad corruptionem, non est in eis materia, sed materia eorum est aliquid existens actu, scilicet corpus, ideo dignius habet hoc nomen subiectũ, quàm hoc nomẽ materia. haec Comment. & aduerte, quòd in eodem commento dicit coelum non esse compositum ex materia, & forma, sed ex corpore, & forma animata intelligibili, quae scilicet mouet coelum localiter, haec fuit mens Comment. quam reprobat B. Thom. in octauo Physicorum, lectione 21. & in prima parte quaestione sexagesimasexta, articulo secundo, & tu videbis quaestionem nostram metaphysicalem in hoc octauo libro, vbi sustineo viam B. Tho. declarans, quomodo verè est materia in coelo, quae ex se ens est in pura potentia, cuius tamen potẽtialitas iam perfecta, & completa est ex forma, quã habet. nec te moueat quòd B. Tho. in hoc octauo libro, exponens textu duodecimo, ibi, in naturalibus quidem, &c. videtur declarare ad viam Commen. & vtitur termino commen. scilicet subiectum. sic enim dicit, corpus coeleste vniuersaliter nullo modo habet materiã, si subiectum materiam non dicat: vel habet materiam ad vbi, si subiectum dicatur materia, licet inquam sic dicat hîc, tamen melius considerans in octauo Physicorum, & in primo coeli, & in prima parte declinauit omnino à via Comment.

Quantum ad quintum, aduerte quod Comment. exponit ly in accidentibus non vniuersaliter, sed de accidentibus, quae apparent in corporibus coelestibus, vt de eclipsi, sicut exemplificat Arist. verum quia exemplificat etiam de somno, quod constat non esse in coelo, melius est vt dicamus Arist. hîc intelligere de accidente vniuersaliter, quod est priuatiuum. in textu autem sequenti de accidentibus positiuis, & de omnibus formis, quae non per se generantur. loquendo ergo de accidentibus priuatiuis dicit Arist. quòd non habent materiam, quae scilicet sit ens in pura potentia, in qua immediatè recipiantur, sed materia eorum est substantia, quae patitur, & recipit accidens priuatiuum, & quoniam huiusmodi substantia est subiectum talis accidentis potest dici materia. solet enim subiectum dici materia pro quanto recipit accidens, sicut materia recipit formam. & exemplificat de eclipsi lunae: de qua, si quaeratur materia, respõdebitur, quod est luna, quę patitur defectũ luminis. si quaeratur causa eius efficiens, respondetur quod est terra, quae interiacens diametraliter inter solem & lunam, prohibet lunam illuminari à sole. & si quaeratur causa eius finalis forte non poterit assignari, quia eclipsis contingit propter motum, & propter necessitatem conuersionis lunae ad solem, & non propter aliquod intentum ad extra. & si quaeratur causa formalis, dicetur quòd est ratio, & quidditas rei quaesitae, puta eclipsis est formaliter priuatio luminis. sed haec ratio erit diminuta, nisi addatur causa efficiens, vt sic dicatur, eclipsis est priuatio luminis in luna proueniens ex obiecta terra inter solem, & lunam. Exẽplificat etiam de somno, cuius causam materialem, & primum principium, sueradicem, & causam effectiuam, & formalem, & finalem diffusè declarauimus in Epitome nostra super libro de som. & vigil.

Quantum ad sextum aduerte, quòd non solùm accidentia priuatiua carent materia ex qua, sed eorum materia est eorum subiectum, imò & quaecunque accidentia positiua, quae aliquando sunt, & aliquando non sunt, licet non generentur per se, sed per accidens, sicut quantitates, & qualitates, & formae substantiales. nam quaecunque habent materiam ex qua in his generabilibus sunt transmutabilia adinuicem, & vnum generatur ex altero, & vnum elementum ex altero, & homo albus ex homine nigro, sed vna qualitas, nec quantitas, nec forma substantialis, transmutatur in aliam, nec generatur ex alia, vt declaratum est in primo, & quinto Physicorum, & in septimo metaphysicae: in hoc ergo non datur materia, ex qua, sed in qua.

Quantum ad septimum aduerte, quòd contraria sunt in duplici differentia, quaedam enim sunt talis naturae, quòd quando vnum eorum est in materia actu, alterum est in potentia, & quando fuerit actu sub eo, iterum est in potentia ad alterum. verbi gratia, quando corpus animalis est aegrum est in potentia ad sanitatem: & quando est actu sanum, est in potentia ad aegritudinem, & econuerso. Item quando aër est tenebrosus est in potentia ad lucem, & quando actu est sub luce est in potentia ad tenebras, & econuerso: quędam autem sunt talis naturae, quod vnum comparatur ad alterum, vt ad terminum, ita quod vnum praesupponit alterum praefuisse in materia, sicut terminus praesupponit viam. Respectu quidem primorum materia indifferenter se habet ad ea, & sine ordine prioris, ac posterioris, respectu autem secundorum quodam ordine se habet ad ea: nam materia prius respicit illud contrarium, quod est vt habitus, & est sicut via ad aliud quod est vt priuatio, vnde aqua, quae est materia humidorum, prius respicit formam vini, deinde formam aceti. est enim vinum via ad acetum, & non econtrario: & materia animalis prius respicit vitam, posterius mortem, quoniam vita est via ad mortem, & non econuerso, & quando est sub vita est in potentia ad mortem, sed non econuerso.

Tex. 14. Quantum ad octauum, aduerte quòd cum acetum sit corruptio vini, non potest vinum esse materia aceti. Materia enim permanet in eo ex quo fit, vt declaratum est in primo Physicorum textu sexagesimo, & in hoc distinguitur materia à priuatione, constat autem quod non permanet vinum in aceto, imò corrumpitur ab eo, idem dico de viuo, & mortuo. Etsi quaeras quae sit materia aceti, dico, quod est aqua, quae secundum ordinem prioris, & posterioris respicit formam vini, & formam aceti, sed prius formam vini: & materia animalis prius respicit vitam, deinde mortuum. Et si quęras, quomodo ergo haec est vera ex vino fit acetum, & ex viuo fit mortuum. Dico, quòd ly ex, signat ordinem, & non materiam, vnde in eodem sensu haec verificatur, ex vino fit acetum, quo verificatur ista, ex mane fit meridies, id est post mane: sic in proposito ex vino fit acetum, id est postquam materia vini recepit formam vini, sic post formam vini recipit formam aceti: eodem modo expone istam, ex viuo fit mortuum, & istam ex vidente fit caecum: & aduerte, quod dicit Aristoteles, quaecunque sic transmutantur, ita se habent, quòd non fit in ea mutua reuersio, puta quod ex aceto fiat vinum, & ex mortuo viuum, sed necesse est, vt fiat resolutio ad materiam primam, puta ad quatuor elementa, deinde per formas medias tandem fiat reuersio ad idem in specie. Puta, si ex mortuo debet fieri viuum, oportet quod quatuor elementa, per iteratam mixtionem, & talem complexionem, & contemperantiam vniantur tali modo, quod generetur animal: & si ex aceto debet fieri vinum, necesse est vt resoluatur in aquam, quae est materia, & vini, & aceti, & aqua iterum misceatur ad principia vini in vite: & ratio huius irreuertibilitatis est naturalis, & immutabilis ordo, quo materia prius respicit id quod est, vt habitus, & per ipsum est via ad priuationem: cuius signum est, quod si materia, vel subiectum indifferenter respiciat vtrunque est mutua reuersio: vt quoniam aër inquantum diaphanus indifferenter respicit lumen, & tenebram, ideo à tenebra est reuersio ad lumen, & econuerso. Haec de tertio capite dicta sint.

CAPVT IIII.

Ex cuiusdam dubitationis solutione manifestatur quomodo ex materia & forma vnum per se fiat in naturalibus, Mathematicis, & separatis.

IN quarto capite resoluendum est dubium, quod apud antiquos fuit valde difficile. Dubium autem est, cùm substantia sensibilis sit composita ex materia, & forma, & sit quid vnũ per se, dubitatur per quam causam, vel per quod medium materia, & forma vniantur adinuicem, ita quod ex eis fiat vnum per se, pro resolutione igitur dubij tria agenda sunt.

Primò, manifestabitur difficultas eius.

Secundò, soluemus ipsum secundum veritatem.

Tertiò, declarabimus solutiones antiquorum esse erroneas, ita quod nulla est vera solutio, nisi quam inuenit Aristote.

Tex. c.15. Quantum ad primum, aduerte, quòd ex duobus manifestatur difficultas huius dubij, primo quicquid habet partes, & est quoddam totum non vt aceruus lapidum, sed vt resultans ex partibus, ita quod est aliquid praeter partes necessario habet aliquam causam, per quam vt per medium ex partibus fit vnum: nam videmus in corporibus compositis ex pluribus partibus partes vniri aut vinculo, aut visco, aut alio coniunctiuo, vt medio, aliter non fieret vnum, & id maximè patet in artificiatis, & in corpore animalis, in quo necessarij sunt nerui, & alia multa colligamenta, vt ex diuersis partibus fiat vnũ corpus compositum, & dissolutis illis ligamentis dissoluitur corpus, & desinit esse vnum: sed substantia sensibilis, puta homo habet partes essentiales, scilicet formam, & materiam, & est quid vnum nõ sicut aceruus lapidum, nec sicut Ilias, quod est poëma Homeri, quod est vnum sola aggregatione carminum, sed est vnum per se, quia significat vnam naturam specificam: ergo merito dubitatur per quid est vnum, & non multa. Secundo, si admitteretur positio Plato. qua tenet animal esse quid separatum per se subsistens, idem tenet de bipede, & tenet hominem esse hominem, quia participat his duobus, scilicet animali, & bipede, & hunc hominem esse hominem, quia participat homine separato: si inquam admitteretur hęc positio, esset impossibile saluare quin homo esset duo, scilicet animal, & bipes, non enim posset assignari causa, quare animal, & bipes vnirentur in homine: necesse est ergo dari causam mediam vnitiuam partium substantiae sensibilis, vt seruetur eius vnitas, & id est difficile inuenire, ideo praesens dubium est valde difficile.

Quantum ad secundum, aduerte, quòd licet praesens dubium motum sit solùm circa substantiam sensibilem naturalem, tamen moueri potest etiam circa Mathematica, puta qua de causa circulus est quid vnum per se, & potest moueri circa entia separata, in quibus nullo modo est materia, & quaerere qua de causa intelligentia Saturni est quid vnum per se, vt igitur Ari. plenam, & vniuersalem solutionem daret, soluit primo in naturalibus, secũdo in Mathematicis, tertio in separatis.

In sensibilibus & naturalibus quid nã ex materia & forma vnum faciat. Quantum ad naturalia, dicit Aristote. si admitteremus positionem Plato. quaestio esset insolubilis, impossibile est enim duo separata per se subsistẽtia, neque seipsis, neque per quodcunque medium ita vniri, quod constituant vnum per se. Relicta autem positione Plato. si aduertimus naturam materiae, & formae, ex quibus componitur substantia naturalis, adeo facilis est solutio, quod nec videtur aliqua dubitatio: nam materia est ens in potentia, & forma actus, materia igitur est res fienda in potentia, puta aqua est potentia vinum, & metallum est statua in potẽtia, & per aduentum formae illud quod erat in potentia fit actu: nulla ergo alia causa requiritur ad hoc, quod ens in potentia fiat ens actu, nisi causa efficiens, quae actione sua, id, quod erat in potentia, transfert ad actum, ex eo quod materia fit actu sub tali forma, quae prius erat in potentia, & aduerte quod non est imaginandum substantiam naturalem antequam recipiatur forma in materia non esse vnam, & post receptionem fieri vnam, haec enim imaginatio est falsa, sed tenendum est, quod illud quod erat ens, & vnum in potentia, actione agentis fit ens, & vnum actu, vnde inquit Commenta. in commen. decimoquinto, est igitur hic aliquid vnum quod primo est in potentia, & postea transfertur de potentia ad actum, scilicet actione agentis, quando igitur quęritur quid facit substantiam naturalem esse quid vnum per se, respondendum est nullam esse causam intrinsecam, sed quoniam componitur ex materia, quae est ipsa substantia in potentia, & illud idem, quod erat in potentia, fit actu actione agentis, quo actuatur materia sua propria forma, vanum ergo est quaerere causam mediam vnitiuam intrinsecam inter materiam, & formam. Et aduerte hanc resolutionem factam fuisse etiam in secundo de anima, textu septimo, vbi inquit Arist. vnde non oportet quaerere, si vnum est anima, & corpus, id est quo medio vnitur anima corpori, sicut neque cera & figura, neque omnino vniuscuiusque materia, & id, cuius est materia, scilicet forma, quasi dicat, cum materia sit potentia, & forma sit actus sunt per se, & sine medio vnibiles, quod vtique non esset, vt dicit Commenta. in secundo de anima, commento septimo, si materia secundum se esset actu, & forma actu, quoniam tunc duo existentia in actu non vniuntur, nisi per medium, quod se habet vt nexus, vel vinculum, & ex his patet solutio primi argumenti, quod inductum est ad ostendendam difficultatem primi dubij, nam maior non est vera, quando partes ita se habent, quod vna est potentia, & altera actus, vt contingit in proposito, secundum autem argumentum concludit verum, quoniam admissa positione Plato. vt diximus, dubium esset insolubile.

In Mathematicis quid faciat vnum. Quantum ad Mathematica Aristotel. dat eandem solutionem, nam si quaeratur, quare diffinitio circuli, vel quod quid est circuli significat vnum per se. Respondetur, quia cum haec sit diffinitio circuli, circulus est figura superficialis, figura est vt forma, & superficies vt materia: sicut enim in materia naturali recipitur forma naturalis, sic in superficie recipitur forma circuli. Tu tamen aduerte, quòd materia haec dicitur materia intelligibilis, à qua non abstrahit Mathematicus, licet abstrahat à materia sensibili, & naturali, quid autem sit vtraque earum declarauimus in septimo libro in capite septimo. Item aduerte, quòd in Mathematicis non requiritur causa efficiens, sicut in naturalibus, quae id quod erat in potentia transferat ad actum: Mathematicus enim, vt declarauimus in tertio li. in cap. secundo, non considerat causam efficientem, neque finalem, quoniam abstrahit à materia naturali, & à motu.

Tex.c.16. In separatis à materia.

Quantum ad separata, in quibus nec materia sensibilis, nec intelligibilis, dicit Aristote. quòd statim sunt vnum, id est ex seipsis. nam cum sint substantiæ simplices, & simplices actus nihil expectant, à quo habeant esse actu, & esse vnum, sed ex seipsis sunt ens, & vnum ad differentiam compositorum sensibilium, quæ nec sunt ens actu, nec vnum, nisi per aduentum formæ in materia. vnde inquit Aristot. sicut ens seipso, & non per aduentum differentiarum descendit in decem prædicamenta, & fit substantia, qualitas, quantitas, &c. Genera autem non descendunt in species, nisi per aduentum differentiarum, quæ se habent ad genera, sicut actus ad potentiam, sic entia separata seipsis sunt ens, & actus, & sunt vnum per se, composita autem non seipsis, sed per aduentum formæ in materia.

Quantum ad tertium, aduerte quia antiqui reputabant impossibile materiam & formam, & in particulari animam, & corpus vniri, & constituere vnum sine medio colligante, ideo quasi dubitantes de necessitate talis medij laborabant in assignatione hujusmodi medij. Ratio autem, qua reputabant impossibilem hanc vnionem sine medio est, quia credebant materiam, & formam esse duo diuersa actu, & hæc fuit radix erroris sui, vt dicemus: eodem modo existimabant de corpore, & anima. facto falso fundamento visi sunt sic argumentari. impossibile est duo diuersa actu vniri sine medio, & præcipuè contraria: vnde videmus album, & nigrum vniri in pallido, & calidum, & frigidum in tepido, & elementa contraria in mixto mediante contemperantia, sed materia, & forma sunt diuersa actu, & inquantum sunt, vt potentia, & actus sunt contraria: ergo, &c. Assignantes autem medium diuersa loquuti sunt. Quidam dicebant esse participationem, verbi gratia, dicebant hominem esse quid vnum, quia participabat animal, & bipes, sed quærebant quæ sit causa huius participationis, & quid sit huiusmodi participare, & nesciebant se resoluere. Quidam, vt Lycophron applicans ad medium vnitium corporis, & animæ dicebat esse coexistentiam animæ cum corpore, quam D. Thomas accipit pro animatione. Alij autem accipiunt pro mixtione. dicebat enim Lycophron, quòd sicut anima, & corpus conueniunt in vna operatione, puta in eo quod est intelligere (arbitrabatur enim nullam actionem esse propriam animæ, sed vtriusque. vnde intelligere dicebat esse corporis, & animæ, sed ab anima est vera intellectio à corpore autem falsa) sic conueniunt per mixtionem in vna substantia. Quidam autem dicunt animam vniri corpori per vitam, siue per viuere, & vt dicit Albertus in tractatu secundo in capite quinto huius octaui libri. Multi moderni cadunt in hunc errorem. dicunt enim animam intellectiuam vniri corpori mediante sensitiua, & sensitiuam mediante vegetabili, & vegetabilem mediante spiritu vitali, quem dicunt esse corpus distensum per totum corpus, maiorem habens conuenientiam cum anima vegetabili, quàm corpus terrestre physicum organicum: sed licet diuersa media assignent, tamen non satisfaciunt quæsito. nam si secùdum eos datur medium vnitiuum inter animam, & corpus, eadem ratione dabitur medium inter cuprum, & figuram trianguli receptam in cupro: & inter superficiem, & albedinem in ea receptam, sicut enim se habet anima ad corpus ratione qua forma, sic trigonum ad cuprum, & albedo ad superficiem, & breuiter dabitur medium in omni compositione duorum adinuicem, quod cùm sit manifestè falsum, non est necesse assignare medium inter formam, & materiam, nec inter animam, & corpus. Tu igitur aduerte antiquos errasse, quia indicabant de forma, & materia, de anima, & corpore, sicut de duobus existentibus actu diuersis. quod tamen non est verum, quoniam vt diximus suprà, materia & forma sunt idem pro quanto illudmet, quod ex parte materiæ est in potentia, fit actu per formam: ex consequenti non est ponendum medium inter ea, sicut inter diuersa actu. patet ergo, quòd nulla est vera solutio, nisi quam diximus suprà, scilicet quod nulla est assignanda causa medians in naturalibus sed sola causa efficiens, quæ transfert id quod est in potentia ex materia ad esse actu per formam. Quæ autem sunt sine omni materia ex seipsis sunt ens, & vnum. Hæc de 4. cap. sint dicta.

Sicut scientia aliquis est sciens, ita animatione, anima & corpus vnum efficiunt.

EPITOME SVPER NONO LIbro Metaphysicæ Aristotelis.

DIximus in principio libri septimi ens diuidi per corporeum & incorporeum, per actum & potentiam, & per vnum & multa. Postquam igitur in 7. & in 8. lib. pertractauimus de ente corporeo materiali, quod præcipuè dicitur de substantia sensibili, consequens est vt in 9. pertractemus de potentia & actu: Et complectentes intentionem Philosophi in vnico tractatu, diuidimus ipsum in quatuor cap.

Primo quæ fuit ratio mouens Aristotelem ad pertractandum de potentia & actu.

Secundo, tractabimus de potentia.

Tertio, tractabimus de actu,

Quarto tractabimus de potentia & actu comparando vnum ad alterum secundum prius & posterius, secundum bonum & malum, secundum verum & falsum.

CAPVT I.

Quæ mouerint Philosophum contemplationem, ac sermonem facere de Actu & potentia.

IN primo capite assignanda est ratio, quæ mouit Aristotelem ad considerandum de potentia & actu in particulari libro huius scientiæ. Aduerte igitur, quòd quadruplici ratione fuit inductus.

Primo, quia in libro quarto proposuerat hanc scientiam esse considerativam entis in quantum ens, & eorum, quæ enti inquantum ens conueniunt. Isti autem sunt vniuersales modi entis, vt vnum & multa, necessarium & possibile, finitum & infinitum, actus & potentia: cùm enim hæc sint vniuersalia prædicata, à quibus rerum cognitio pendet, si in hac scientia incognita permanerent, de nullo certa cognitio haberetur: fuit ergo necesse de iis considerationem facere.

Secundo, quia in lib. 8. determinauerat substantiam sensibilem constare ex materia & forma, & materiam dixit potentiam, formam verò actum, & in fine libri concluserat non aliam esse causam, qua substantia sensibilis fit quid vnum per se, nisi quia constat ex materia & forma: & materia quidem est potentia, forma verò actus, ne igitur natura materiæ & formæ remaneret incognita, fuit necesse de potentia & actu determinare. Tertio, quia in lib. 12. tractaturus erat de separatis, & dicet in substantia æterna mouente non admisceri potentiam, sed esse principium tale, cuius substantia est actus: vt igitur prepararet viam ad cognitionem separatorum entium, fuit necesse de potentia & actu præconsiderare, Quarto quia hæc scientia, vt dictum est in 6. libro, sola considerat quod quid est, in quo multoties ingreditur potentia, aut actus, vt patet in diffinitione motus, & animæ: ne igitur diffinitiones huiusmodi dentur perigonta, fuit necesse de iis considerare, & prius quidem de potentia, deinde de actu. Sed aduerte quod cum potentia propriè dicta, & quæ est nobis magis manifesta, sit ea quæ inuenitur in rebus mobilibus & naturalibus, ab ista incipit Arist. vt à magis noto, non quod sit de intentione huius scientiæ vt sic, sed ad Physicum spectat, vtrum quia ex huius cognitione, quæ cadit sub sensu, deducemur in cognitionem potentiæ & actus simpliciter, & inuenienus, quòd potentia & actus non solum sunt in rebus transmutabilibus, quales sunt res naturales, sed etiam in immobilibus & intellectualibus, ideo ab ista & ab actu sibi correspondente incipiemus.

CAPVT II.

Distincto nomine potentiæ, distinguentur potentiæ per varia earum subiecta: tunc quomodo potentiæ ipsæ diuersimodè actum respiciant, exponitur.

IN secundo capite agendum est de potentia: & vt habeatur plena resolutio, quinque consideranda sunt.

Primo quot modis dicatur potentia.

Secundo, quomodo potentiæ diuersificantur respectu subiectorum, in quibus sunt, id est quod aliquæ sunt rationales aliquæ irrationales.

Tertiò

Tertiò, quærendum est si in aliquo est potentia, in quo tamen non est actus.

Quartò, considerandum est quando & quomodo potentia præcedat, vel subsequatur actum.

Quintò, quomodo potentiæ irrationales & rationales reducuntur ad actum.

Quantum ad primum aduerte, quod Aristoteles assignans modos potentiæ refert se ad dicta in quinto libro, vbi distinxit hoc nomen potestas, & quoscunque modos assignat hic, assignauit etiam in quinto libro, licet non eodem ordine, ideo ne simus prolixiores inutiliter, remittimus addiscentem ad ea, quæ ordinauimus in quinto libro in tractatu secundo, in capite septimo, vbi disposuimus modos potentiæ realiter dictæ, & per similitudinem, & modos possibilis & impossibilis realiter, & secundum logicum: & modos impotentiæ: in eo etiam quod dicit hic Aristote. impotentiam esse priuationem potentiæ, declarans priuationem multipliciter dici, non est immorandum, quoniam quæcunque dicit hic de priuatione, iam dixit in quinto libro, & nos ordinauimus modos priuationis illic in tractatu tertio in capite quarto. Et tu aduerte, quod Aristote. hic determinat se tractaturum tantum de modis potentiæ realiter dictæ, scilicet de potentia actiua & passiua, relinquens potentiam dictam per similitudinem, qua vtitur Mathematicus, & potentiam & impotentiam logicam prouenientem ex repugnantia vel non repugnantia terminorum: nam ad primum Philosophum spectat considerare rei quidditatem & suas proprietates reales in vniuersali, quæ autem nullam quidditatem dicunt, nec sunt quid reale, non cadunt sub consideratione sua.

Quantum ad secundum, aduerte, quòd potentia actiua & passiua inueniuntur in rebus animatis anima rationali, vt in homine, & in rebus inanimatis & animatis anima vegetatiua, vt in plantis, & anima sensitiua, vt in bruto & in homine, dempta parte rationali. Quæ sunt in animatis anima rationali dicuntur potentiæ rationales, quales sunt artes mechanicæ, & scientiæ practicæ actiuæ: vt morales, nam cum huiusmodi artes & scientiæ ordinentur ad opus, sunt veræ principia agendi & operandi in alio in quantum aliud, vt ars ædificatiua, & scientia politica, ergo sunt potentiæ actiuæ. Hæc enim fuit diffinitio potentiæ actiuæ: quæ verò sunt in rebus inanimatis, aut animatis vegetatiuis & sensitiuis, vt sic, dicuntur potentiæ irrationales, vt calor in igne, frigiditas in aqua, virtutes lapidum, potentiæ animæ vegetatiuæ, potentiæ animæ sensitiuæ tam interiores quàm exteriores, patet enim hæc omnia esse principia operandi siue agendi: ergo, &c.

Posita distinctione potentiarum sumpta ex parte naturarum, in quibus sunt, assignanda est differentia earum adinuicem. Aduerte igitur differentiam consistere in hoc, quòd potentiæ rationales sunt factiuæ duorum contrariorum, vt per artem medicinæ potest medicus causare in Socrate & sanitatem & ægritudinem, potentiæ autem irrationales sunt factiuæ tantum vnius, & ita determinatæ sunt ad illud, quod non possunt causare suum contrarium nisi fortè per accidens, vt declarabitur: vt calor ignis tantum calefacit: & ratio quidem huius differentiæ stat in hoc, agens naturale agit per formam & qualitatem suam naturalem, vt ignis per calorem, agens intellectuale operatur per scientiam suam practicam, scientia autem principaliter fundatur in ratione & diffinitione rei scitæ: est enim medium in demonstratione faciente scire, sed eadem diffinitio est ostensiua rei diffinitæ primo, & sui oppositi contrarij, vel priuatiui & secundario: vt per diffinitionem recti cognosco rectum primo, & obliquum secundario: & per diffinitionem sanitatis cognosco sanitatem & ægritudinem, & per diffinitionem calidi cognosco frigidum, nam & alterni contrariorum habet rationem priuatiui, vt manifestabitur in libro decimo, cùm igitur scientia practica sit potentia actiua, eodem modo est principium operandi, quo est principium cognoscendi, sed vt diximus est principium cognoscendi opposita, licet non æqualiter, ergo est principium operandi opposita, eo quidem ordine quo est ostensiua oppositorum, ita scilicet quod primo est principium operandi eius quod est vt habitus, posteriùs autem eius quod est vt priuatio: vnde medicus per scientiam medicinæ per se & primo est operatiuus sanitatis, posteriùs autem quod dicit Aristotel. secundum accidens est operatiuus ægritudinis: & memento vt exponas ly secundum accidens per posterius, vel de secunda intentione, vel vt in paucioribus, nam si sumatur ly secundum accidens in suo proprio significato, non distinguerentur potentiæ rationales ab irrationalibus: quoniam, vt dicemus, potentia irrationalis est principium operandi opposita, sed vnum quidem per se, alterum autem per accidens, id est non secundum naturam suam: quia verò forma & qualitas naturalis est principium agendi in agente naturali, eo modo est principiũ agendi quo est principium essendi, sed est principium essendi tantum secundum quod vnum est, vt patet in calore in igne, qui dat igni tantum esse calidum, nam si daret esse calidum & esse frigidum, eidem inessent simul contraria in esse reali, quod est impossibile, ergo est principium agendi tantum vnum, & non opposita nisi merè per accidens, puta calor ignis tantum calefacit. quòd autem infrigidet id non facit inquantum calor, sed inquantum rarefacit, & per rarefactionem aperiuntur pori, quibus apettis datur frigido aditus ingrediendi corpus & ipsum infrigidandi: hæc igitur in frigidatio est per se à frigido ingrediente, & per accidens à calore rarefaciente, patet igitur ratio, quare potentia rationalis potest in opposita per se, licet non æquè primo, irrationalis autem est determinata ad vnum, quę autem sit prima potentia rationalis, & per quot differat rationalis ab irrationali, & quomodo potest in opposita pro eodem instanti determinauimus in quæst. nostris Metap.

Quantum ad tertium aduerte, quòd circa hoc duplex fuit antiq. opin. prima quæ fuit Megaricorum tenet non dari potentiam ante actum, ita quod nullum agens habet potentiam agendi, nisi dum actu agit, & cum cessat agere non retinet potentiam agendi, secunda est contraria primæ, tenet enim potentiam ita præcedere actum, quod stat, potentia etiam quod nunquam sequatur actus, ex consequenti secundum hanc opinio. omnia sunt possibilia: primo igitur pertractabitur prima opinio, deinde secunda. Aduerte igitur, quod licet Aristo. non adducat rationem motiuam huius opi. tamen vt colligitur ex Alb. in nono Metaphysicæ, trac. secundo, cap. primo, multiplici ratione videtur processisse, primo quia dictum est in quinto libro causam & effectum esse simul, sed potentia actiua & actus eius vt visus & videre se habent vt causa & effectus, ergo potentia non præcedit actum. Secundo idem eodem modo se habens semper facit idem, aut nunquam: cùm igitur potentia actiua sit à forma, & forma sit natura, quæ eodem modo se habet, aut semper erit agens, aut nunquam, & quocunque modo dicatur sequitur potentiam non separari ab actu.

Secundum B. Tho. ratio huius opinionis videtur processisse ex hoc; quòd opinabantur omnia ex necessitate euenire per connexionem causarum, vt dictum est in libro sexto, ex quo sequitur, quod si aliqua actu non eueniunt, non possunt euenire, ex consequenti nulla potentia præcedit actum suum.

Auerroes autem in comm. septimo arbitratur opinionem hanc coincidere cum opinione modernorum, & intendit per modernos loquentes in lege, isti dicunt quod est vnum agens omnia entia fine medio, scilicet Deus: ex hoc dicto inquit Cõmen. contingit eis vt nullum ens habeat actionem propriam naturaliter, & cùm entia nõ habuerint actiones proprias, non habebunt essentias proprias, actiones enim non diuersantur nisi per essentias diuersas, & ista opinio est valde erronea, &c.

Quid veritatis habeat hæc sententia Comment. manifestabitur, postquam fuerit reprobata opinio Megaricorum. Aduerte igitur quod Aristotel. multipliciter arguit contra eam.

Primò, si potentia non est nisi quando actus est, ergo non remanet aliqua ars in artifice, quando definit agere secundum artem, & sic ædificator deperdit artem quando non ædificat, vel postquam ædificauit: sed hoc est falsum, quia ars & scientia non deperduntur, nisi aut obliuione, aut ægritudine, aut longo tempore, in quo non sit vsus artis, sed nullum horum contingit in proposito. Supponimus enim quod Socrates heri ædificauerit, & hodie cesset, & cras iterum ædificet, & sit sanus: ergo, &c. Præterea, cùm artifex non possit operari secundum artem, nisi acquirat artem, si quando non operatur non habet artem, & quando iterum operatur habet artem, ergo de nouo acquirit artem, aut disciplina, aut propria inuentione: hoc autem est stultum dicere, nam si tantum per horam cesset ab operatione, eadem hora deperdet & acquiret artem, quod est implicans contradictionem.

Si in quo est potentia, sit necessariò actus. Tex.c.5.

Secundò, cùm calidum & frigidum & aliæ qualitates sensibiles sint potentiæ actiuæ (sunt enim immutatiuæ sensus) si potentia non est sine actu, sequitur nihil esse calidum vel frigidum, vel dulce, vel amarum, nisi dum actu sentitur, quod est vanum dicere, & est concordare cum Pyth. contra quem disputauimus in quarto libro, tracta. secundo, cap. tertio, qui ponebat nihil esse verum, nisi vt cadebat sub sensu vel opinione.

Tertiò sequitur quòd animal non habeat sensum quando actu non sentit, ex consequenti, si cessat videre vel audire, cùm sit aptum videre vel audire, erit priuatum visu vel auditu, & sic continget quod in vna die fiet multoties cæcum & surdum,

dum, & iterum videns & audiens, quæ omnia sunt absurda.

Tex.c.6.7. Quarto sequitur, quod id, quod actu non est, sit impossibile fieri, & sic auferetur omnis motus, omnis generatio, omnis mutatio: nam secundum hanc opinionem, quod actu non est, aut sit, non habet potentiam vt sit, vel fiat: quod non habet potentiam non potest esse vel fieri, quod non potest esse vel fieri, est impossibile fieri: ergo si Socrates infirmatur, est impossibile vt sanetur, & si sedet, est impossibile, vt postea stet, quoniam dum sedet secundum hanc opinionem, non habet potentiam vt stet: cùm igitur hæc sint absurda, tenendum est actum & potentiam esse diuersa, ita quod non inconuenit aliquid posse esse, quod tamen nondum est, & aliquid esse quod potest desinere esse, & hoc tam in prædicamento substantię quàm in prædicamento accidentium: nam qui non incedit, & qui non est albus potest esse albus, & qui incedit potest desinere ab incessu, aliter non esset in rerum natura ens generabile & corruptibile, & penitus auferetur motus & mutatio.

Et quoniam Aristo. contra Megaricos tenet potentiam & actum esse diuersa & abinuicem separabilia, ideo declarare intendit quid sit esse in potentia, & quid sit esse actu. Aduerte igitur secundum Arist. illud esse in potentia, vel esse possibile, quo posito in actu nullum sequitur impossibile: vt si dicas, aqua potest esse calida, quia fit calida, nō sequitur aliquod impossibile, si autem sequitur impossibile illud ad quod sequitur, non erat possibile, nec potentiam habebat: verbi gratia homo non potest esse lapis. quoniam ad hoc sequitur propriam differentiam esse separabilem ab eo, cuius est, quod est impossibile.

Vt autem scias quid sit rem esse actu. aduerte, quòd ly actus primo impositum est à motu tanquam à magis noto secundum sensum, vnde motum dicimus esse actum mobilis, & moueri non attribuitur nisi existentibus, deinde impositum est ad significandum terminum motus. terminus autem motus est forma acquisita, qua res perficitur, & complementum recipit, & sic quantum ad id, cui nomen imponitur, actus significat formam apud physicum, quæ est terminus motus, siue mutationis, apud metaphysicum formam abstractam à materia, quæ est verè & substantialiter perfectio. Hoc prænotato, dico quòd rem esse actu est rem existere, vnde sicut moueri non verificatur nisi de existente, sic nec esse actu, & quoniam quæ sunt in potentia, vt sic non existunt, ideo non verificatur de eis moueri, nec esse actu, licet de eis verificentur alia prædicata, puta entia in potentia sunt intelligibilia, opinabilia, vel concupiscibilia, pro quanto, scilicet habēt esse in anima, licet non existant ad extra, vt rosa in hyeme scibilis, & desiderabilis est: reprobata igitur opin. Megaricorum soluenda sunt argumenta inducta, vt motiua positionis suæ.

Ad primum dico, quod simultas causæ, & effectus non verificatur, nisi de causa in actu, & effectu in actu, vnde & Aristot. in quinto libro in capite, de causis, dixit, quod non est necesse causam in potentia, & effectum, scilicet in actu esse simul, & nos iam id declarauimus in eodem cap.

Ad secundum dico, quod argumentum nullam habet apparentiam in potentia actiua rationali, quoniam non est natura, nec agit modo naturæ, scilicet ex necessitate, sed liberè: in potentia verò actiua naturali, licet habeat aliquam apparentiā, quia est determinata ad vnum, & ex necessitate agit, tamen non concludit, quoniam vltra potentiam actiuam requiritur passūm sufficienter approximatum, & dispositio, qua sit aptum recipere ab agente, & quoniam non semper seruatur debita approximatio, nec debita dispositio, non inconuenit potentiam actiuam præcedere actum.

Ad tertium negatur, quòd omnia ex necessitate eueniant, & iam id reprobauimus in lib. 6. cap. 3.

Quantum ad dictum Cōmen. aduerte quòd sicut lex Maurorum tenet omnia entia processisse à primo ente per creationem, & vt sic sine causa media, sic etiam tenet catholica fides, tamen ex hoc non sequitur entia creata non priuari actionibus propriis naturalibus, & essentiis propriis, quoniā primum agens creans indidit cuilibet naturæ proprias potentias, quibus exercent proprias operationes naturales, vnde dictum Cōmen. nil concludit contra christianam veritatem.

Non omnia sunt possibilia. Tex.c.8.9

Secunda opin. contraria Megaricis tenet, quod non solum potentia potest præcedere actum, sed quod stat potentia, etiam quod nunquam sequatur actus, ita quòd secundum hanc opin. omnia sunt possibilia: Contra hanc igitur sic intendit Arist. multa sunt, ad quæ si ponantur, sequitur impossibile, vt si ponatur diametrum esse symmetrū apud geometram, sequitur esse proportionem numeri ad vnitatem, vel numeri ad numerum inter diametrum ad costam quadrati, quod est impossibile, ergo non omnia sunt possibilia: probatur consequentia ex diffinitione possibilis: illud enim est possibile ad quod nullum sequitur impossibile: cum igitur hæc opinio sit falsa, tenēda est media via, quæ est hæc, eorum quæ non sunt, quædam erunt, vt rosa in vere, ortus solis crastinus, quædam non erunt, & hæc sunt duplicia, quædam non erunt, licet eis non repugnet esse, vt Socrates non erit diues, licet vt homo posit esse diues, quædam non erunt, quia eis repugnat esse, vt homo non erit asinus, nec diameter nō erit symmeter. Ex his, quæ sunt in primo, & in secundo gradu dicuntur habere potentiam, & esse possibilia, quæ autem sunt in tertio gradu nullam habent potentiā, neque sunt possibilia, imò impossibilia.

Et aduerte, quod ex diffinitione possibilis non solum patet falsitas prædictæ opinionis, sed etiam veritas trium regularum, quæ formantur de possibili, & impossibili quomodo se habent in vera consequentia.

Prima regula, si alicuius consequentiæ antecedens est possibile necesse est consequens esse possibile: probatur, quoniam si consequens esset impossibile, antecedens non esset possibile ex diffinitione possibilis. Dictum est enim, quod possibile est, ad quod non sequitur impossibile, si ergo ad antecedens possibile sequitur consequens impossibile, desinit antecedens esse possibile: & aduerte, quòd ly possibile in consequenti sumitur non pro contingenti, sed vt opponitur impossibili, nihil enim prohibet antecedens esse possibile, & consequens necessarium, vt hîc, si Socrates scribit, Socrates est homo.

Secunda si consequens est impossibile antecedens est impossibile, hæc patet ex præcedenti, quoniam ex possibili non sequitur impossibile.

Tertia, si antecedens est impossibile non est necesse consequens esse impossibile, sed potest esse necessarium: vt hîc, si Socrates est asinus, Socrates est animal: & potest esse contingens, vt hîc, si Socrates est asinus, Socrates mouetur: hæc pro nunc dicta sint de consequentia possibilium, & impossibilium, quomodo autem possis saluare text. Philosophi, & quomodo debeas ipsum exponere, cum dicit, sed erat primum impossibile, ergo & secundum, vide in q. nostris metaphysi in lib. 8. in illa q. si in consequentia possibilium, & impossibilium antecedens & consequens debent esse similia.

Quantum ad quartum, aduerte, quod ex potentiis quædam sunt nobis à natura, vt potentiæ sensitiuæ, & intellectus, & vegetatiuæ, & motiuæ secundum locum: quædam fiunt in nobis ex consuetudine, & frequentatis consimilibus actibus, vt habitus morales, siue boni, siue mali, quædam ex doctrina siue ex propria inuentione, vt artes practicæ sicut ars citharizandi, & ars medendi, quæ longo tempore, & experientia acquiruntur: quæ sunt nobis à natura præcedunt actus suos, sicut ea quæ sunt ad finem præcedunt finem. Manifestum est enim, quòd si debeo videre necessariò præcedit visus, &c. quæ autem fiunt consuetudine, aut doctrina, aut inuentione necessariò subsequuntur actum, se habent enim ad actus suos, sicut effectus ad causam, causa autem, vt causa præcedit id, cuius est causa, vnde in his necesse est nos præexercitari frequentatis actibus, vtpote generatiuis consimilis habitus, vt declarat Aristot. in libro secundo Ethic. vnde inquit in principio lib. duplici existente virtute hac quidem intellectuali, hac autem morali, ea quidem, quæ intellectualis, plurimum ex doctrina habet, & generationem, & augmentum, ideo experimento indiget, & tempore, moralis vero ex maiori, id est ex consuetudine.

Quantum ad quintum, aduerte quòd cum potentia irrationalis sit actiua solum vnius, rationalis autem oppositorum, irrationalis reducitur ad actum sola appropinquatione passi ita dispositi, quòd possit pati ab agente, & agens possit agere in ipsum remoto omni impedimento extrinseco. Quod dico, quoniam si ignis propinquus esset combustibili sicco, & inflammabili: & cum superinfunderetur aqua non sequeretur combustio, rationalis autem cum sit actiua contrariorum non reducitur ad actum sola propinquatione passiui, aliter produceret contraria in passiuo: puta medicus propinquans Socrati faceret ipsum sanum, & infirmum. cum igitur sit ex se indeterminata ad agendum hoc, vel illud oppositum, necesse est vltra propinquationem passiui, & remotionem impedimētorum, quod determinetur ab aliquo: hoc autem erit appetitus, siue electio: quod enim appetimus, aut eligimus illud agimus, si sumus ita dispositi: & passiuum ita se habet, quod possumus exire in actum. Ex his trahuntur tria corollaria.

Prim

Primum est, actio potentiæ irrationalis est necessaria, & naturalis: ideo neque meritum, neque demeritum habet: actio autem potentiæ rationalis libera est, ideo vt sic, laudabilis, & vituperabilis est.

Secundum est, sicut potentia irrationalis necessario agit quando stat debita appropinquatio, & debita dispositio in passo, sic quando potentia rationalis determinata est ab appetitu ad alterum oppositorum stante illa determinatione & debita appropinquatione, & dispositione necessario agit illud oppositum, ad quod determinata est: nec est necesse addere nullo extrinseco prohibente, quoniam supponimus agens sufficiens ad agendum pro tali tempore, & taliter. Similiter patiens ad patiendum, si autem esset exterius prohibens non esset sufficiens ad agendum, nec patiens ad patiendum, durante pro tali tempore extrinseco impediente, quare, &c.

Tertium est, licet potentia rationalis in se considerata, & vt libera sit simul contrariorum. Possum enim per voluntatem velle moueri, & velle quiescere, tamen quia non exit in actū, nisi determinata ad hoc, vel illud oppositū, non sequitur, quod posit simul agere opposita, quia dum est sub hoc opposito, repugnat sibi esse sub alio, & hoc est quod solet dici potētiam rationalem esse oppositorum pro eodem nunc, & diuisim, & id ad plenum pertractabitur in quæstionibus Metaphysicalibus, quādo disputabitur, si potentiæ rationales possunt in opposita pro eodem instanti. Hæc de secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

Quid nam sit actus, & quot modis dicitur, quomodo deinde & quando dicatur aliquid esse in potentia ad actum exponitur.

IN tertio capite habemus tractare de actu, pro cuius notitia tria declaranda sunt.

Primò quid sit actus.

Secundò quomodo diuersimodè dicitur actus.

Tertiò, quando & quomodo aliquid est in potētia ad actū.

Quid actus sit. Tex.c.10.

Quantum ad primum aduerte, quòd cùm actus sit de terminis vniuersalissimis, & primis simplicibus, non potest propriè diffiniri, cùm vera diffinitio debeat dari per priora, ita tamen quod sit status in diffinitionibus, & ideo Aristotel. manifestat actum non diffiniendo, sed inductione sumpta à dissimilitudine, quam habet ad potentiam, & hæc est tutissima via, quoniam actus, & potentia sunt relatiua, & relatiua per seinuicem manifestantur: cuius signum est, quod si diffiniuntur, per seinuicem diffiniuntur, intendens igitur declarare quid sit actus, & non potens ipsum definire, putat se satis fecisse, si declarauerit quid sit esse actu, dicit igitur actus est, quando res exislit, non tamen eo modo, quo est quando in potentia. Dicimus enim Mercurium esse in potentia in ligno antequam figuretur, postquam autem figuratus est dicitur esse in actu: & pars, siue medietas est in potentia in toto ante diuisionem, postquam autem est separata à toto dicitur esse actu, & sciens dicitur esse speculans in potentia, quando autem considerat dicitur esse speculans actu, & breuiter esse actu, & esse in potentia est sicut esse ædificantem, & ædificatorem: vigilantem, & dormientem: videntem, & claudentem oculos: formatum, & non formatum siue arte, siue natura. A dissimilitudine igitur sumpta inter potentiam, & actum sic manifestum sit, quid sit actus, vel saltem esse actu.

Quantum ad secundum, aduerte, quòd actus dicitur de forma, quæ actuat, & perficit id, cuius est forma, & de motu, siue operatione, quæ est à potentia actiua, siue operatiua, vt intelligere est actus intellectus, videre visus, &c. Et hæc diuersitas actus manifestatur duplici proportione: nam actus pro forma manifestatur per proportionem, quæ est, vt hoc in hoc: verbi gratia, sicut se habet anima ad corpus, ita visus ad oculum: sed anima est in corpore, vt actus, & perfectio eius, ergo similiter visus in oculo. Actus autem pro motu, vel operatione manifestatur per proportionem, vt hoc ad hoc: verbi gratia, sicut se habet intellectus ad intelligendum, ita visus ad videndum: sed intellectus ordinatur ad intelligendum, vt ad finem, & perfectionem suam, ergo visus ad videndum, vt ad finem & perfectionem suam.

Et aduerte, quòd hæc diuersitas actus coincidit cum ea, quam posuit Aristo. in secundo de Anima, textu quinto, cum dicit, Hic autem sicut scientia, alius autem sicut considerare, &c. & scientia quidem est actus primus, considerare autem actus secundus. Præterea, aduerte quod sicut diuersimodè dicitur actus, ita & esse actu, nam quædam secundum se tota exeunt de potētia ad actum, sicut entia generabilia permanentia: quædam autem ita exeunt in actum, quòd semper habent actum admixtum potentiæ, sicut sunt infinitum, & vacuum, & entia successiua, vt motus, & tempus, & hanc diuersitatem iam habes declaratam ad Aristote. in tertio Physicorum textu 57. ideo recurre illuc, & est famosa distinctio.

Quando nam aliquid est in potētia ad actum, et quādo nō. Tex.c.12.

Quantum ad tertium aduerte, quòd aliquid est in potentia ad actum dupliciter, scilicet in potentia remota, & in potentia propinqua: & hęc duo differunt in duobus. Primo, quòd est in potentia remota non transfertur ad actum, nisi per multas transmutationes, vt terra est in potentia remota, vt ex ea fiat lignum, quoniam per multas transmutationes fit transitus antequam recipiatur forma ligni in materia terræ. Quòd autem est in potentia propinqua nullo extrinseco, nec intrinseco prohibente vnica actione transfertur à potentia ad actum, vt lateres sunt in potentia propinqua ad formam domus: & qui vnica medicina potest curari est in potentia propinqua ad sanitatem: nam ædificator sola, & ordinata aggregatione laterum facit domum, & medicus in tali casu vnius medicaminis administratione sanat infirmum. Secundò quod fit ex aliquo existente in potentia remota non denominatur ex eo: vt quia statua ærea fit ex aqua, vt ex potentia remota, supposito quod aqua sit materia remota omnium liquabilium, non dicitur huiusmodi statua esse aqua, neque aquea: & arca, licet fiat ex terra per potentiam remotam, prout lignum fit ex terra, non dicitur esse terra, neque terrea. Quod autem fit ex aliquo existente in potentia propinqua, denominatur ex eo, & recipit illius prædicationem in concreto, non autem in abstracto, vt statua est ærea, non autem æs, & arca est lignea, non autem lignum, & si terra fieret immediatè ex aqua posset dici aquea, non autem aqua, idē dico de aqua respectu aëris, & de aëre respectu ignis. Ignis autē si esset prima materia, vt ponebant aliqui antiquorum, nō denominaretur ab aliquo priori.

Et aduerte, quòd huiusmodi prædicatio assimilatur prædicationi, qua prædicatur forma accidentalis de subiecto, nam sicut ista est vera, homo est musicus, siue albus, non tamen est musica, siue albedo, sic ista est vera, arca est lignea, non tamen lignum. Differt tamen vtraque denominatio in hoc, quod in denominatione, quæ fit ab accidente, vltimum, id est subiectum est substantia deferens, siue sustentans accidens. In denominatione autem, quę fit à materia, id est ab eo, ex quo aliquid fit, & quod est quædam natura, siue hoc aliquid, vt lignū, æs, terra: vltimum, scilicet ad quod fit resolutio, dicitur materia, scilicet prima, siue prima substantia materialis, ex qua alia fiunt, & de qua aliud non dicitur denominatiuè, cum non fiat ex priori, vt dictum est de igne, si ex eo fierent omnia, sicut putauit Heraclitus. Patet igitur, quomodo aliquid est in potentia ad actum potentia remota, & potentia propinqua. verum, quia esse in potentia remota est esse in potentia secundum quid, & esse in potentia propinqua est esse in potentia simpliciter, ideo Aristotel. relicta potentia remota, pertractauit de potentia propinqua. Hæc de tertio capite dicta sint.

CAPVT IIII.

Actus & potentia adinuicem comparantur quoad prius & posterius, quo ad bonum & malum, & quo ad verum vel falsum.

IN quarto capite agendum est de actu, & potentia comparatiuè, Quæ comparatio est circa tria.

Primò circa prius, & posterius.

Secundò circa bonum, & malum.

Tertiò circa verum, & falsum. *Tex.c.13.*

Quantum ad primum, aduerte, quòd cùm prius dicatur multis modis, vt declaratum est in libro quinto, pro nunc accipiemus tres modos, scilicet prius ratione, prius tempore, & prius substantia, id est perfectione. Quæritur ergo, si actus est prior potentia, ratione, tempore, & perfectione.

Actus ratione præcedit potētiam. Tex.c.13

Ad primum istorum respondetur absolutè quod sic, quoniam diffinitiuum alicuius est prius eo ratione & notitia, necesse est enim diffinitionem dari per priora & notiora: sed potentia diffinitur per actum, siue in ordine ad actum, nam potens actiuè est illud, quod potest agere, vt ædificator, qui potest ædificare, & speculator, qui potest speculari, possibile autem passiuè est quod potest esse vel fieri actu: vt visibile, quod potest videri, generabile quod potest generari: ergo actus est prior ratione, & notitia, quàm potentia: & confirmatur ex eo quod suprà in text. secundo, diffiniuit potentiam actiuam per hoc, quod est esse principium transmutandi aliud, & passiuam per hoc quod est esse principium transmutandi ab alio, & ly transmutandi dicit actum, vt patet: ergo, &c. Quando autem inuestigauit quid sit actus non diffiniuit ipsum per potētiam, sed inductione manifestauit ipsum, vt patuit suprá. Ex iis ergo constat actum esse priorē potentia ratione & notitia.

Potentia paßiua in vno & eodem præcedit tempore actũ.

Tex.c.14.

Ad ſecundum reſpondetur cum duplici diſtinctione. Prima, eſt potentiarum alia paſsiua, alia actiua. Si loquimur de paſsiua, poteſt eſſe prior, & poſterior actu: prior quidem, quãtum ad idem numero, poſterior autem quantum ad idem ſpecie: nam omne procedens de potentia ad actum, ſicut ſunt omnia generabilia, prius eſt in potentia materię quã ſit actu, vt roſa generanda in vere, prius eſt in potentia quam generetur actu. quod autem eſt in potentia non poteſt ſeipſum ad actum reducere, nec reduci ab aliquo exiſtente in tali potentia: agit enim vnũquodque inquantum eſt actu, ergo neceſſe eſt vt aliquod idem ſpecie præcedat, à quo quod eſt in potentia reducatur ad actum, puta quod hîc homo generandus ab alio homine præexiſtente generetur. & id quidem conſtat in factionibus vniuocis, in quibus vnumquodque fit à ſibi ſimili in ſpecie, vt declaratum eſt in libro ſeptimo, in factionibus autem non vniuocis, ſufficit quod præcedat aliquod exiſtens actu tale, non formaliter, ſed virtualiter, qualis eſt effectus producendus, vt quando generatur calor & rana à ſole, continet enim ſol calorem & naturam ranæ virtualiter in ſua forma, quæ eſt forma vniuerſalis, in qua eminenter continentur omnes formæ generabilium, præter animam rationalem.

Potentia actiua naturalis actũ præcedit, acquiſita autẽ ſequitur actum.

Si loquimur de potentia actiua, poteſt eſſe prior, & poſterior actu. nam cum hæc ſit duplex, ſcilicet ingenita & acquiſita exercitio diſciplinæ, aut conſuetudine, vt declarauimus ſuprà. Quæ eſt ingenita, vt intellectus & ſenſus & aliæ potentiæ animæ, eſt prior actu, conſtat enim quòd antequam intelligam aut ſentiam neceſſe eſt me habere intellectũ & ſenſum, quæ autem eſt acquiſita exercitio neceſſario eſt poſterior actu: nam vt diximus ſuprà frequentati actus ſunt generatiui huiuſmodi potentiæ, ſicut citharizando fit citharœdus, & fabricando efficitur faber, ergo actus ſunt priores potentia, ſicut cauſa eſt prior effectu.

Tex.c.14.

Sed aduerte quod hîc ſolet fieri ſyllogiſmus ſophiſticus quo videtur probari eſſe impoſsibile, actum præcedere potentiam actiuam: & arguitur ſic, Qui facit opera artis habet artem, ſed per te qui addiſcit artem facit opera artis. ergo qui addiſcit artem habet artem, quod eſt repugnans veritati, nam ſi habet non addiſcit, & ſi addiſcit nõdum habet, etenim addiſcere eſt motus acquiſitiuus, & non eſſe acquiſitum.

Actus potentia prius eſt perfectione.

Ad hoc reſpondetur quod qui addiſcit artem habet principia naturalia ſicut quædam ſemina, ex quibus facit aliquod opus, quale fit ab arte, licet valde imperfectum, poſt quam autem didicit artem, operetur perfectè ſecundum artem: ita quod in huiuſmodi potentiis verum eſt dicere actum præcedere & ſubſequi potentiam: nam actus imperfectus eſt præcedens, & paulatim cauſatiuus potentiæ, perfectus autem eſt ſubſequens: ex iis reſpondendo ad argumentum, negatur maior intellecta de actu imperfecto, ex conſequenti non poteſt concludi quod addiſcens artem habeat artem, poteſt etiã concedi quod addiſcens artem habet artem imperfectè ſaltem quo ad principia, ſicut quod calefit habet calorem, ſed imperfectè, & quod mouetur, ſecundum aliquid motum eſt, vt probatum eſt in ſexto phyſic. & tunc non inconuenit addiſcentem artem, habere artem, non enim addiſcit, vt habeat imperfectam, ſed perfectam.

Tex.c.15.

Actus ſubſtãtia præcedit potentiã.

Ad tertium reſpondetur abſolutè, quòd actus eſt prior ſubſtantia, id eſt perfectione quàm potentia: & id quidem manifeſtatur in rebus generabilibus, quę procedũt de potentia ad actum, quæ aliquando ſunt aliquando non ſunt. Arguitur igitur primo ſic, Quæ ſunt poſteriora generatione ſunt priora perfectione, id eſt perfectiora, nam vt patet natura in iis generabilibus ſemper procedit ab imperfecto ad perfectum vt producit prius herbam, deinde granum, prius generatur ſperma, deinde animal, prius eſt puer, deinde vir, &c. Sed in eodem numero in his generabilibus, actus eſt poſterior generatione & tempore, vt declaratum eſt in præcedentibus, ergo, &c. Secundo finis eſt prior ſecundum perfectionem iis quæ ſunt ad finem, nam quæ ſunt ad finem ſumunt bonitatem & perfectionem à fine, & non econuerſo, ſed actus eſt finis potentiæ tam actiuæ, quam paſsiuæ. actiuæ quidem vt ars edificatiua ordinatur ad ædificandum, viſus ad videndum, intellectus ad intelligendum, non enim intelligimus, vt habeamus intellectum, ſed econuerſo. Paſsiuæ autem vt materiam dicimus ordinari ad formam, & elementa ad formam mixti, ergo, &c. Confirmatur propoſitum, præcipuè quo ad potentiam actiuã duplici ſigno. Primo docentes arbitrantur ſe conſecutos finem & perfectionẽ laboris ſui, quando oſtendũt diſcipulos ſic operantes, ſicut ipſi operantur: ergo actus eſt finis & perfectio, ad quam ordinatur potentia actiua docentis. Secundo, ſi actus non eſſet finis potentiæ, ex conſequenti

Tex.c.16.

perfectior, non eſſet differẽtia inter ſcientem dormientem, & ſcientem ſpeculantem, nec poſſet diſcerni ignorans à ſciente: vnde vt inquit Ariſtot. Paxonas ſtultus erit Mercurius: quaſi dicat, non cognoſcitur differentia inter ſtultum & ſapientem, niſi ex actu, ergo, &c.

Tu tamen aduerte quod in aliquibus potentiis actiui, finis eſt ipſa operatio, vt finis viſus eſt videre, intellectus intelligere, & auditus audire, in aliquibus autem finis non eſt ſola operatio, ſed aliquod operatum, vt finis pictoris non eſt ſolum depingere, ſed imago depicta: & idem contingit in cæteris artibus mechanicis. Differentia autem harum potentiarum ſtat in hoc, quod operationes, quæ ſunt fines potentiarum, remanent ſubiectiuè in operante, & non tranſeunt in ſubiectum exterius: ſtat enim videre in vidente, & intelligere in intelligente, operationes autem vltra quas ſunt operata, ſunt ſubiectiuè in operato, ſicut motus in mobili, vt ædificatio in ædificato, & contextio in contexto: primæ dicuntur actiones immanentes, ſecundæ verò tranſeuntes. Item primæ ſunt perfectiones operantis, quia remanent in eo, ſecundę autem ſunt perfectiones operati, vel eius circa quod ſunt, quoniam cum exeant ab operante, & recipiantur in operato perficiunt ipſum. Ex iis ſequitur felicitatẽ, quæ perficit felicitatum, eſſe actionem immanẽtem, vnde & in decimo Ethic. concludit Ariſtoteles felicitatem eſſe ſpeculationem circa diuina, conſtat autẽ ſpeculationẽ eſſe in ſpeculante, ergo, &c.

Poſtquam manifeſtauimus actum eſſe priorem ſecũdum perfectionem ipſa potentia, tam actiua quàm paſsiua in his generabilibus, reſtat vt declaremus idem in rebus incorruptibilibus & ſempiternis, & neceſſariis, comparando ea his corruptibilibus: & antequam probemus propoſitum ponitur hoc fundamentum, omne ſempiternum & neceſſarium eſt actus, & non eſt in potentia, ſcilicet paſsiua: & quidem quod ſit actus probatur, quoniã non quandoque eſt, & quandoque non eſt, ex diffinitione ſempiterni & neceſſarij. Quod autem non ſit in potentia paſsiua, probatur, omnis potentia paſsiua eſt potentia contradictionis, id eſt, qua poteſt res eſſe & non eſſe, nam à potentia paſsiua dicitur poſsibile, poſsibile autem opponitur non poſsibili, non poſsibile eſt quod nunquam poteſt eſſe, ergo per oppoſitum poſsibile eſt quod aliquando poteſt eſſe & aliquando non eſſe, ex conſequenti paſsiua potentia, à qua dicitur huiuſmodi poſsibile, eſt principium quo res poteſt eſſe & non eſſe: ſed nullum ſempiternum neque neceſſarium poteſt eſſe & non eſſe, aliter eſſet corruptibile, quod repugnat ſempiterno & neceſſario, omne enim corruptibile, & temporale & contingens eſt inquantum corruptibile, ergo nullum ſempiternũ, neque neceſſarium eſt in potentia paſsiua eo modo quo ſempiternum & incorruptibile eſt: quod ideo dico, quia ſtat aliquod eſſe incorruptibile & immutabile ſecundum ſubſtantiam, quod tamen ſecundũ aliquod accidens, puta ſecundũ locum, ſecundũ lumen, non eſt immutabile, & vt ſic eſt in potentia paſsiua. puta luna licet nõ ſit mutabilis ab eſſe ad non eſſe & econuerſo ſecundũ ſubſtãtiam, eſt tamẽ mutabilis ſecundũ locum ex motu locali & ſecundum lumẽ quod recipit à ſole. Ex iis ſequitur entia neceſſaria non eſſe in potentia paſsiua, quia non poſſunt nõ eſſe, & ſi poſſent non eſſe, aliquãdo nõ eſſent: quia eſſent corruptibilia, & ſi aliquando non eſſent, omnia entia deficerent. conſtat enim quod corruptibilia non ſemper ſunt: cum ergo omnia entia ſint neceſſaria aut contingentia remotis neceſſariis reliqua tollerẽtur: ſimiliter ſi aliquis motus eſt ſempiternus, & aliquod motum ſempiternum, non ſunt in potentia paſsiua, quoniam motus ille ſemper actu eſt, & illud motum ſemper actu mouetur, cum hoc tamen ſtat quod eſt potentia ad diuerſa vbi, & vt ſic habet potentiam paſsiuam, quæ eſt materia, nõ quidem generabilis, ſed localis, vt declarauimus in libro octauo in cap. tertio, & quoniam motus cœleſtis eſt huiuſmodi, & cœlum eſt ſempiternum, ideo ſecundum Ariſt. ſol & aſtra ſemper agunt in hæc inferiora, & cauſant generationem æternam, vt probauit in ſecundo de generatione: nec eſt timendum cœlum quieſcere, quoniam non eſt in eo potentia contradictionis, id eſt, ad eſſe & ad non eſſe, vt in iis corruptibilibus, nec intelligentiæ in mouendo laborant, cum ſint immateriales, inalterabiles, & incorruptibiles. Labor enim non prouenit motori niſi quia ex natura ſua eſt in potentia contradictionis, & quoniam vnitur corpori corruptibili, vt de anima mouente animal: nec mirum ſi cœlum ſemper agit in hæc inferiora, cum videamus & elementa, quæ ſunt corruptibilia ſemper actu agere, vt patet de igne calefaciente & terra fructificante appropinquato paſſo, & remota indiſpoſitione. Patet igitur ex dictis ſempiterna & inc-

-corruptibilia eſſe actus, & non in potentia paſsiua, & per oppoſitum patet hæc corruptibilia eſſe in potentia, pro quanto poſſunt eſſe & non eſſe. Stantibus his ſic arguitur ſempiterna ſunt priora ſecundum perfectionem his corruptibilibus & de hac nullus dubitat, ſed ſempiterna ſe habent ad corruptibilia ſicut actus ad potentiam, vt declaratum eſt, ergo ſignum eſt, actum eſſe priorem potentia ſecundum perfectionem. Ex quo patet error Platonis, qui in genere ſcientifico, ponebat ſcientiam abſtractam, quam dicebat per ſe ſcientiam, eſſe quid perfectiſsimum: nam cum conſideratio comparetur ad ſcientiam, ſicut actus ad potentiam actiuam & operatio ſit perfectior, quoniam eſt finis, vt diximus ſuprà, ipſius potentiæ, patet quod ſcientia abſtracta ſi daretur non eſſet quid perfectiſsimum, ſed conſideratio circa ipſam. Hæc de primo principali dicta ſint.

[illegible] Tex.c.19.

Quantum ad ſecundum principale, aduerte, quòd actus poteſt conſiderari in bonis & in malis, tam moralibus quàm naturalibus: in moralibus quidem vt iuſte agere & iniuſte agere, in naturalibus autem, vt ſanari & infirmari. Si loquimur in bonis, actus eſt melior potentia: nam cum actu bono, non admiſcetur malum, quoniam actus bonus eſt bonus ſimpliciter, cum potentia verò ad bonum admiſcetur malum, quoniam qui poteſt eſſe virtuoſus poteſt eſſe vitioſus, & potens ſanari poteſt infirmari, ergo potentia in bonis, eſt bona ſecundum quid, cùm igitur bonum ſimpliciter ſit melius bono ſecundum quid, patet actum in bonis eſſe meliorem potentia. Si autem loquimur in malis, actus eſt peior potentia, quoniam cum actu malo non admiſcetur bonum, cum potentia verò ad malum, admiſcetur bonum, quoniam qui poteſt eſſe malus poteſt eſſe bonus, eſt ergo actus malus ſimpliciter malus, potentia verò ad malum mala ſecundum quid, ergo in malis actus eſt peior potentia.

Ex his ſequitur, malum non eſſe aliquid præter res bonas, nam malum ſecundum actum eſt poſterius quàm potentia, quia magis elongatum à perfectione naturæ, & ideo peius eſt & indignius quàm potentia, ſed potentia non eſt aliquid præter res, eadem enim natura rei poteſt in bonum & in malum, vt quatuor humores poſſunt adæquari & inadæquari, ergo nec malum, quod ſequitur potentiam.

Ex iis etiam ſequitur, quòd in æternis & incorruptibilibus, non eſt malum neque peccatum neque corruptio, iſtæ enim ſunt ſpecies mali: & probatur ſic, malum ſecundum actum ſubſequitur potentiã, vt prædictum eſt: ſed potentia non eſt in æternis, quoniã ſemper ſunt actu, vt viſum eſt ſuprà: ergo, &c.

Sed contra, in Luna eſt eclipſis, id eſt verus defectus luminis, & luna eſt æterna & incorruptibilis: ergo, &c. Præterea ſecundum aſtronomos quædam ſtellæ dicuntur fortunatæ, quædam infortunatæ, ergo malæ.

Ad primum dico propoſitionem Philoſophi intelligendam eſſe quo ad eorum ſubſtantiam, & non quo ad accidentia, vt eſt vbi & lumen, nam vt ſic Luna non eſt æterna & incorruptibilis, cùm circa huiuſmodi non ſe habeat ſemper vniformiter, vnde non inconuenit in iis quæ ſunt æterna ſecundum ſubſtantiã inueniri malum ſecundum accidens, vnde & Theo. admittit malum actũ liberũ in ſeparatis, vt auerſionẽ à cõditore.

Ad ſecundum dico ſecundum Commen. in comm. 19. illud non eſſe admittendũ, ſed tantũ ſcire poſſumus de eis, ꝙ quædã ſunt meliores quibuſdã. Hoc inuenitur in abſolutis à motu, id eſt, in intelligẽtiis, vt declarabitur in lib. 12. ſuper tex. 44. poteſt etiã admitti dictũ aſtronomi in hoc ſenſu, ꝙ quædã ſtellæ ſunt infortunatæ non ſecundũ ſe, ſed quo ad nos, quia habent influxum nociuũ ſuper nos, vt quando cauſant peſtem, aut nimiam ſiccitatem, &c. Hæc de ſecundo principali dicta ſint.

Quantum ad tertium principale duo manifeſtanda ſunt. Primo quod vnumquodque intelligitur inquantum eſt actu, & non inquantum eſt in potentia.

Secundo quod verum & falſum conſiſtit circa actum, & non circa potentiam.

[illegible] Tex.c.20.

Aduerte pro euidentia primi, quod conſiderans Ariſt. certitudinem cognitionis inueniri maximè in mathematicis, declarat propoſitum ſigno ſumpto à mathematicis, qui per inuentionem cognoſcũt deſcriptiones geometricas. puta quod trigonum habet tres æquales duobis rectis, & id quidem cognoſcunt per diuiſionem actualem, protrahentes vnum latus, & conſtituentes angulum extrinſecum, quo conſtituto ſtatim apparet quod quærunt, ante protractionem verò ideo latebat, quoniam angulus exterior erat tantum in potentia. Adducit etiam exemplum de angulo recto conſtituto in ſemicirculo. Qualiter autem hæ duæ concluſiones demonſtrentur, vide B. Thom. in hoc nono libro, ſuper textu vigeſimo.

Manifeſtum eſt igitur quod cum aliquid reducitur de potentia ad actum, tunc intelligitur, & id conueniens eſt, quoniam & intelligẽtia, id eſt, intelligere eſt actus, ideo quæ intelliguntur oportet eſſe actu, vtrum aũt ſit neceſſe omne, quod debet ſciri ſiue per inuentionẽ ſiue per doctrinã, eſſe actu, iam determinauimus in nono huius ſciẽtiæ in quæſt. metaphyſicalibus.

Pro euidentia ſecundi, aduerte, quod verum & falſum inuenitur in rebus compoſitis, & conſiſtit in compoſitione & diuiſione intellectus, cui ſi correſpondet compoſitio & diuiſio in re erit propoſitio vera, vt hîc, Socrates eſt homo, & Socrates non eſt aſinus, ſi autem aliter ſit in re propoſitio erit falſa, vt hîc, Socrates eſt aſinus, & Socrates non eſt homo. & quoniam compoſitio & diuiſio intellectus tripliciter poteſt variari, quia poteſt fieri in materia naturali, vt homo eſt animal, in materia contingẽti, vt homo eſt albus, in materia remota, vt homo eſt aſinus, ſic veritas & falſitas tripliciter poteſt variari, quoniã in materia naturali, veritas erit ſemper in compoſitione, & falſitas in diuiſione: in materia remota erit ſemper oppoſito modo: in materia cõtingenti, aliquando compoſitio erit vera, aliquando falſa, vt Socrate ſedẽte, hæc eſt vera, Socrates ſedet, quo ſurgente erit falſa. idem dico de diuiſione, vt de nocte hæc eſt vera, ſol non eſt ſuper terrã, de die autem eſt falſa. Ex iis arguitur ſic verum & falſum in rebus compoſitis conſiſtunt in compoſitione & diuiſione intellectus, cui correſpondet compoſitio & diuiſio in re: ſed compoſitio & diuiſio dicunt actum: ergo verum & falſum conſiſtunt in actu.

Non ſolùm autem eſt verum in rebus compoſitis, ſed & in ſubſtantiis ſimplicibus. poteſt enim haberi ſcientia de eis, vt patet in lib. 12. ſcientia autem eſt ex veris, & de vero eſt demonſtratio, ex primo Poſte. ſed hoc verum non conſiſtit in compoſitione & diuiſione: quoniam, cùm ſint ſubſtantiæ ſimplices, compoſitioni intellectus non poteſt correſpondere compoſitio rei: ſed verum conſiſtit in hoc quod eſt ſimpliciter attingere earum quodquid eſt, ſiue earum quidditates. Quæ ſi attinguntur ſciuntur, ſi non attingũtur ignorantur. Quæ quidem ignorantia non poteſt propriè dici falſitas, aut deceptio, aut error: nam hæc propriè contingunt in his, in quibus contingit aliquid intelligere, & aliquid non intelligere, ſicut in compoſitis, in quibus poſſumus intelligere formam & neſcire materiam, in ſimplicibus autem, cùm non ſint componentia, nec aliud, & aliud neceſſe eſt aut totum aut nihil intelligere: ſi totum intelligitur, eſt verum in intelligente, ſi nihil, eſt in eo ignorantia: ex quo ſequitur, quòd licet in materialibus ſubſtantiis contingat eſſe verum, nõ tamen falſum ſed ignorantia, quæ vt inquit Ariſt. non eſt vt cæcitas, quoniã eſſet à nobis inſeparabilis, & ſic nunquam poſſemus intelligere entia ſeparata, quod tamen eſt falſum, vt declarabitur in lib. 12. His declaratis probatur quod in ſimplicibus verum ſit circa actum. nam probatum eſt in præcedentibus, ſubſtantias ſempiternas & immateriales ſemper eſſe in actu, & nunquam in potentia paſsiua, quoniam cum ſit potentia cõtradictionis, eſſent generabiles & corruptibiles: ergo verum inuenitur in eis inquantum ſunt actu: patet ergo, quod & intelligentia & verum & falſum in quibuſcunque inueniuntur, inueniuntur ſecundum actum, & non ſecundum potentiam.

Poſtremo aduerte, quod quoniam abſtracta & neceſſaria ſemper ſunt actu, & non ſunt mobilia ſecundum eſſe, ita quod quandoque ſint, quandoque non, non poteſt contingere deceptio circa ea ſecundum quando, ſicut contingit circa contingentia, quæ quandoque ſunt, & quandoque non ſunt, & ſic vna propoſitio pro vno tempore eſt vera, & pro alio eſt falſa, quoniam contingentia mobilia ſunt ſecundum eſſe. Dico quod non poteſt contingere deceptio ſecundum quando apud quemcunque exiſtimantem abſtracta eſſe immobilia ſecundum eſſe, ſecus autem eſſet, ſi exiſtimaret ea mobilia. Idem intellige de neceſſariis mathematicis, vt triangulus habet tres, hæc enim eſt immutabilis. Tu tamen aduerte quod circa huiuſmodi neceſſaria, poteſt eſſe deceptio quo ad inferiora, ex quibus aliqua ſic ſe poſſunt habere, aliqua aliter: puta licet omnis triangulus habeat tres, non tamen omnis eſt æquilaterus, ſed aliquis ſic, vt iſopleuros, aliquis duorum æqualium laterum, vt iſoſceles, aliquis trium inæqualium, vt ſcalenon, ſimiliter circa numerum poteſt eſſe deceptio non quantum ad hoc, quod omnis numerus menſuratur vnitate, ſed quo ad inferiora & proprietates numerorum, puta quis inter pares ſit numerus primus, an binarius vel alius vel nullus, eſt autem numerus par primus qui ſola vnitate menſuratur. Hæc autem deceptio quo ad inferiora non contingit in immobilibus & in neceſſariis circa

illud quod est vnum numero, quoniam vnum numero non diuiditur in multa, vt patet, ex consequenti nec secundum, quando nec secundum supposita cadet in eo deceptio, quoniam semper eodem modo se habet. Hæc de quarto capite dicta sint.

EPITOME SVPER DECIMO Libro Metaphysicæ Aristotelis.

POst considerationem entis, vt diuiditur per actum & potentiam, considerandum est in hoc Decimo libro de ente, vt diuiditur per vnum & multa, & totam intentionem Aristotelis comprehendemus in vnico tractatu, quem partimur in quinque capita.

Primo, considerabimus de vno secundum se.

Secundo, de vno in ordine ad multitudinem, & de his quæ consequuntur ad vnum & ad multa.

Tertio, inter cætera, quæ consequuntur ad multa, considerandum est de contrarietate.

Quarto, de mediis contrariorum.

Quinto, de contrariis, quomodo quædam differunt specie, quædam numero, quædam genere.

CAPVT I.

Quot modis vnum dicatur, & quæ sit eius formalis ratio: quòd vni item ratio mensuræ conueniat, & an vnum sit substantia rerum, declaratur.

IN primo capite considerandum est de vno secundum se, de quo inuestiganda sunt quatuor.

Primo quot modis dicitur vnum.

Secundo quæ est ratio propria vnius inquantum vnum.

Tertio si ratio mensuræ conuenit vni.

Quarto si vnum est substantia rei, vt dicebant Pythagorici.

Vnũ quatuor modis dicitur à tex.c.1. vsque ad 8.

Quantum ad primum aduerte, quòd in quinto libro, in tractatu secundo, in capite primo, assignauimus omnes modos vnius, & realiter, & logicè, & per se, & per accidens. Hîc autem Aristot. ex omnibus illis replicat solùm quatuor modos per se principaliores. quorum primus coincidit cum primo assignato in Quinto, in vltima distinctione vt, scilicet illa dicantur vnum, quæ sunt continua non arte, sed natura, & quorum est vnus & indiuisibilis, id est, vniformis motus, & hoc modo linea recta & linea circularis sunt continua. nam si vna pars mouetur, totum mouetur, non autem sic sunt continuæ duæ lineæ constituentes angulum.

Secundus etiam virtualiter coincidit cum secundo illic assignato, vt scilicet illa dicantur vnum quorum est vna forma, ita quod super continuitatem addunt vnitatem formę. & hoc modo virga tota viridis est vna, si autem secundum partem est sicca, non est vna hoc modo, sed tantùm primo modo.

Tertius modus aliqualiter coincidit cum quarto illic assignato, vt scilicet illa dicantur vnum, quorum est vna ratio, siue diffinitio, & ista sunt quæ vna apprehensione apprehenduntur, vt synonyma.

Quartus modus coincidit in parte cum iis, quę dicta sunt in quinto de modis vnius consideratione logica, vt scilicet dicantur vnum quę sunt vnum numero, aut vnum specie: vnum quidem numero est ipsum singulare, quòd de multis non prædicatur, vnum autem specie sunt quæ & si extra intellectum sint distincta, tamen apud intellectum apprehendentem naturam specificam abstractam à conditionibus singularibus sunt vnum. remanet enim vna ratio & indiuisibilis, quæ prædicatur de omnibus indiuiduis, in qua vt sic apprehensa, vt in vno conueniunt & dicuntur esse vnum in illa. vnde licet hæc non sit vera, Socrates & Plato sunt vnus homo, hæc tamen est vera, Socrates & Plato sunt vnum in homine, & sicut apud intellectum huiusmodi natura est vna, ita est vnũ scibile, & scientia, quæ habetur de ea est vna, accipit enim scientia vnitatem ab vnitate scibilis. Isti sunt modi vnius repetiti ab Aristotele.

Ipsa indiuisio ratio formalis vnius est.

Quantum ad secundum aduerte, quòd ratio propria & formalis vnius inquãtum vnum est hęc, vnum est ens indiuisum, ita quòd vt declarauimus in trac. de transcendentibus, vnum transcendens non addit super ens nisi indiuisionem, quæ est modus generalis negatiuus. Et quoniam hæc est communissima ratio vnius, ideo intantum verificatur vnum de quolibet modo vnius, inquantum verificatur esse ens indiuisum. puta continuũ est vnum, quia est ens indiuisum secundum quantitatem & secundum motum, & aqua est vna, quia est ens indiuisum secundum quantitatem & secundum formam, & id satis manifestauimus in quinto reducentes omnes modos vnius ad vnum.

Quantum ad tertium vt plenè resoluatur quatuor agenda sunt. Primo quòd esse mensuram, primo & essentialiter conuenit vni. Secundo quòd conuenit vni, vt est principium quantitatis discretæ. Tertio quòd ab vno & à numero deriuatur mensura ad alias species quantitatis continuæ. Quarto quòd per quandam similitudinem deriuatur mensura ad quædam alia, quæ tamen non sunt quantitates.

Primum quidem probatur sic. Vni ex sua ratione formali, primo & essentialiter conueniunt conditiones mensuræ, ergo, &c. consequentia nota, probatur antecedens, nam, vt colligitur ex Arist. in hoc 10. lib. Mensura debet habere tres conditiones, primo quòd sit indiuisibilis, secundo quòd sit quid minimum, tertio quòd sit quid certissimum. Hæc autem primo & essentialiter conueniunt vni, nam ex ratione sua est ens indiuisibile. secũdo est ens, quid minimũ: omnis enim numerus est partibilis, & in vnitate est status. Et si dicis, quod etiã punctus est quid impartibile, ergo ita conuenit puncto esse quid minimũ, sicut vnitati. Respondeo vnitas simpliciter est quid minimum, quoniã solùm impartibilis est, sed abstrahit etiam ab omni situ, quod non conuenit puncto, ideo vnum meretur dici absolutè minimum & simplicissimum. tertio est quid certissimum, quoniam notificat numerũ, numerus autem quantitatem continuã, vt dicemus. ergo patet veritas antecedẽtis. & confirmatur, quoniam, vt inquit Arist. in tex. 2. illud est primo & essentialiter mensura, quo rei quantitas primo cognoscitur: propriè enim mensurabilis est quantitas, sed quantitas primo cognoscitur vno, cognoscimus enim numerũ per vnitatem & per vnitatem ac numerum cognoscimus quantitatẽ cõtinuam, vt declarabitur. Præterea vt inquit Arist. in eodem tex. Quod est primũ vniuscuiusque generis est metrum. Constat, autem vnum esse primum in genere quãtitatis, ergo, &c.

Secundum sic probatur. Quantitas continua mensuratur numero, aut vno: cognoscimus enim eam cum dicimus mensurantes vnum stadium, vel duo stadia, &c. Numerum autem & si mensuramus aliquando per alium numerum replicando, vt bis duo, quatuor: & ter tria, nouem: tamen vltima mensura stat in vnitate replicata, vnde dicitur numerus multitudo aggregata ex vnitatibus & mensurata vnitate, vnitas autem non habet aliquid prius quo mensuretur, ergo, &c.

Pro euidentia tertij, aduerte quòd non solùm conuenit mensuræ esse quid indiuisibile, aut simpliciter, aut secundum institutionem humanam, sed debet esse cognata, id est, eiusdem naturæ cum mensurato: & non solùm in genere, sed & in specie, ita quod longitudo mensuretur longitudine, & latitudo latitudine, & motus motu, & vox voce, & grauitas grauitate. Hoc supposito dico, quod in quolibet genere illud est metrum, quod est vnum, id est, indiuisibile, saltem secundum institutionem humanam. puta in ponderibus prima mensura erit vncia, quæ & si secundum se sit diuisibilis, tamen sumitur vt indiuisibilis, & in longitudine erit pedalis, & in motu erit velocissimus & regulatissimus motus, vnde motu primi mobilis mensuramus alios motus, & in voce diesis, id est, minima. Et hæc pro tanto sunt mensura, quoniam vnumquodque eorum sumptum vt indiuisibile, est quid minimum & certum in suo genere, ita quòd ei nihil potest subtrahi. Et iste sunt conditiones veræ mensuræ, aliter non certificaret quantitatem mensurati, patet igitur quod ab vno & à numero deriuatur mensura ad alia quãta, eo quod in eis quod sumitur vt vnum, id est, indiuisibile & minimum & certum, est mensura aliorum, siue per seipsum, siue per replicationem.

Pro euidentia quarti aduerte, quòd mensura ex hac conditione, quod per eam cognoscitur natura rei mensuratæ, translata est ad multa alia, in quibus dicimus illud esse mẽsuram, quo ipsa nobis rei natura manifestatur. Hinc dicitur scientia mensura rei scitæ, & sensus mensura rei sensatæ, quoniam per scientiam rem scitã, & per sensum rem sensatam cognoscimus. Tu tamen aduerte, ꝙ cùm duplex sit sciẽtia nostra, scilicet practica & speculatiua, scientia practica verius est mensura rei scitæ, quàm speculatiua, nam illa est causa rei scitæ & secundũ esse & secundũ cognosci, ista autẽ causata est à re scita, vnde magis habet rationem mensurati, quàm mensuræ. & propterea dictum Pythagoræ, qui ait hominẽ esse omnium metrum propter scientiã & sensum, non est realiter verum, nisi quo ad ea, quæ pendent ab homine per scientiam practicam. Arbitrabatur tamen ipsum esse verum vniuersaliter, quia vt visum est in quarto libro, sententia eius fuit rerum veritatem consistere & pendere ab hominum sensu & opinione, sed id penitus falsum est, vt declarauimus ibi, ideo dictum suum nõ est dignificandum nisi in rebus scitis practica sciẽtia.

Item aduerte, quòd ex eadem conditione attributa mensuræ dicitur, primum in quolibet genere esse mensura omnium illius generis, eo quod cognoscuntur magis aut minus perfecta, secundum maiorem aut minorem propinquationem ad illud primum, quod est perfectissimum in suo genere. Hinc albedo dicitur mensura omnium colorum, aurum omnis metalli, homo omnium animalium, prima substantia omnis substantiæ, primum bonum omnis boni, & de hoc satis locuti sumus in quæstionibus nostris Metaphysicalibus.

Quantum ad quartum principale, aduerte quod in libro tertio in capite vndecimo, super hoc dubium argumentatum est pro Pythagoricis, & pro naturalibus, & fecimus determinationem secundum doctrinam Aristot. fundatam in his quæ dicit hîc. Recurre igitur ad librum tertium. Quòd autem dicit hîc Aristotel. in textu septimo in quolibet genere dari aliquam naturam quæ est vna, & quæ est perfectissima in illo genere, patet in exemplis, quæ adducit, & quod dicit in textu octauo, ens & vnum significare aliqualiter idem, iam determinatum est in quarto libro in tractatu primo, in capite tertio eisdem rationibus virtualiter, quas etiam tangit hîc, ideo non est in iis amplius immorandum. Hęc de primo cap. dicta sint.

CAPVT II.

De vno ac multitudine, déque ipsa consequentibus.

Text. 9. vsque ad [illegible]

IN secundo capite habemus considerare de vno in ordine ad multitudinem, & de iis, quæ consequuntur ad vtrunque. Consideratio quidem vnius in ordine ad multitudinem versatur circa modum oppositionis, nam licet constet ea esse opposita, tamen non constat modus oppositionis. Quatuor enim modis dicuntur oppositiones, vt visum est in postprædicamentis, & in libro quinto huius scientiæ, scilicet contradictoriè, relatiuè, priuatiuè, contrariè. Inuestigandum est igitur quo modo oppositionis opponuntur vnum & multa. Pro cuius notitia aduerte secundum Philosophum hîc in textu nono, opponuntur priuatiuè, quoniam vnum est quod non diuiditur, multa autem quæ diuiduntur, indiuisio autem & diuisio se habent, vt priuatio & habitus, non tamen opponuntur merè priuatiuè, vt cæcitas & visus, quoniam vnum non est indiuisio, sed est ens, vt stat sub indiuisione, & multitudo non est diuisio, sed non ens, vt stat sub diuisione: cùm igitur vnum non sit mera priuatio, non opponuntur merè priuatiuè. Nec opponuntur contradictoriè, quoniam alterum contradictoriorum verificatur de ente & de non ente, sed neque vnum neque multa verificantur de non ente, cum vtrunque includat ens, vt patet ex suis propriis rationibus, nec opponuntur relatiuè, quoniam vnum non refert aliud, vt patet, vtrum autem in aliquo sensu, puta inquantum vnum est principium multitudinis, & mensurat multitudinem, opponantur relatiuè determinauimus in quæstionibus Metaphysicalibus, opponuntur autem contrariè, quoniam cum vtrunque sit ens, & vnum se habeat, vt priuatio, alterum verò vt habitus participant conditiones contrariorum. nam duo contraria sic se habẽt quod vtrunque est ens, & alterum est vt priuatio alterius, non tamen mera priuatio, vt nigrum est priuatio albi, & amarum priuatio dulcis. Resoluendo ergo dicimus vnum, & multa opponi priuatiuè, sed non purè, & contrariè, non autem contradictoriè, neque relatiuè, nisi fortè vt considerantur in ratione mensuræ, & mensurati, principij, & principiati.

Sed hîc videntur esse duo dubia. Primo si vnum est vt priuatio, & multitudo, vt habitus: ergo vnum est posterius multitudine, quod tamẽ est falsum, quoniam est principium multitudinis. & præterea non conuertitur subsistendi consequentia, licet enim sequatur, si multa sunt, vnum est, non tamen econuerso. Secundo non videntur opponi priuatiuè, nec contrariè, quoniam vnum constituit multitudinem, oppositum autem non constituit, imò destruit suum oppositũ, ergo, &c.

Hæc duo dubia determinauimus in quæstionibus metaphysicalibus, vbi & declarauimus dictum Aristotelis, hîc in textu nono, cùm dicit, quare ratione prior multitudo, &c. Tu igitur vide illic, ne inutilis fiat repetitio.

[illegible]

Facta consideratione de oppositione inter vnum, & multa considerandum est de his, quæ causantur ex vno, & ex multo, siue pluralitate. Aduerte igitur, quòd ex vno causantur idem, & simile, & æquale. idem dicit vnitatem in substantia, simile vnitatem in qualitate, & æquale vnitatem in quantitate. & aduerte, quòd Aristot. in libro quinto, vt nos disposuimus illic in tractatu secundo, in capite quarto assignauit modos identitatis, tam per accidens, quam per se, vt videbis illic. Hîc autem solùm tres adducit. Primo aliqua sunt eadem, quia sunt vnum subiecto, id est, conueniunt eidem supposito, vt Socrates, est homo, & ipsemet est albus. Secundo quia plura supposita sunt vnum in natura specifica, vt Socrates, & Plato sunt idem in humanitate, id est, sunt vnum specie. Tertio quia plura conueniunt in vna ratione quidditatiua, siue specifica, siue generica. Hoc modo omnia indiuidua eiusdem speciei sunt idem in ratione specifica, & omnes species eiusdem generis sunt idem in ratione generica, & apud mathematicum omnes lineæ rectæ æquales sunt idem in ratione lineæ rectæ. omnes enim sunt breuissima extensio inter duo puncta, & omnia tetragona æqualium laterum sunt idem in ratione tetragoni isagoni, id est, æquilateri. Tu autem vt habeas plenam resolutionem de omnibus modis, quibus dicitur idem, recurre ad quintum librum in tractatu secundo, in capite quarto, & illic videbis quid sit idem subiecto, idem numero, & specie, & genere, & materia, &c. Et quomodo hæc est vera, idem est eidem idem.

De simili.

Quantum ad simile, aduerte, quòd in duobus differt ab eodem. primo quia idem dicit vnum in substantia, simile autem vnum in qualitate. secundo, quia quæ sunt eadem, eo modo, quo sunt eadem, sunt indistincta in substantia. similia autem licet sint vnum in qualitate, tamen sunt necessariò diuersa in substantia, quoniam nihil est sibiipsi simile. Quot autem sint modi similitudinis, iam disposuimus ad plenum in libro quinto, tractatu secundo, capite quinto. Arist. verò his in textu vndecimo, adducit quatuor, ex quibus primus est, quãdo aliqua conueniunt in vna forma, siue figura, siue in vna proportione, sic duo tetragona inæqualia sunt similia, trigonum autem & tetragonum dissimilia: & ex hoc elicitur, quod in substantia, vt induit modum qualitatis saluatur similitudo. vnde Socra. & Plato, vt conueniunt in rationali sunt similes: prædicatur enim differentia in quale, licet secundũ rem sit substantia. Secundus autem est, quando aliqua conueniunt in vna forma intensibili, & remissibili: & participant eam æquali gradu: vt duo corpora æqualiter calida. & aduerte, quòd vt sic non solum dicuntur similia, sed æquè similia, vel æqualia in participatione caloris. Tertius est, quando aliqua cõueniunt in vna forma, sed gradibus inæqualibus, sicut calidum, vt quinque, & calidum, vt septem. Quartus est quando aliqua in pluribus formis conueniunt aut realiter, aut apparenter, vt stannum est magis simile argento, quàm plumbum, nam in sono, in duritie, in grauitate, in luciditate magis conuenit quã plumbum. vnde plumbum respectu stanni est magis dissimile, quàm simile argento, isti sunt modi similitudinis hîc adducti ab Arist. tu autem si vis habere plenam resolutionem reuide in lib. 5. in tractatu secundo, in capite quinto. illic etiam inuenies, quare non distinguit æquale in plures modos.

Ex multo autem, siue ex pluralitate causantur diuersum quod opponitur eidem, & dissimile oppositum simili, & differens. Quid sit dissimile, & quot modis dicatur Aristote hîc prætermittit, quoniam possunt hæc facile cognosci per suum oppositum, quod est simile.

De diuerso.

Quantum ad diuersum, aduerte quòd dicitur omne illud quod comparatum alicui non est ipsum, sed aliud, & hac de causa omne ens comparatum alteri, aut est idem, aut diuersum. nam si est ipsum, est idem cum eo: si est aliud, est diuersum. De modis autem diuersi, iam pertractauimus in lib. quinto in tract. secundo, in capite quarto, Arist. autem hîc numerat tres modos.

Primus est, illud dicitur diuersum, quia non est ipsum, sed aliud. nam sicut ipsum est relatiuum indicans identitatem, vt Socrat. est homo, & ipse est iustus, sic aliud est relatiuum diuersitatis, vt animal est aliud à lapide.

Secundus est, quando materia non est vna, nec ratio vna, & tu horum declarationẽ vide in lib. quinto. in tracta. secundo, in cap. 4. vbi inuenies diuersa formaliter, materialiter, & ratione, & diuersa specie.

Tertius est in mathematicis, in quibus dicimus lineam curuam esse diuersam à recta, & trigonum diuersum à tetragono. & aduerte quòd hic modus correspondet tertio modo, quo dicitur idem, prout diximus suprà, quod omnes lineæ rectæ æquales sunt idem.

Iterum, aduerte quòd notanter diximus omne ens comparatum alteri, aut est idem, aut diuersum: quoniam de non ente non verificatur idem, neque diuersum. sunt enim opposita contrariè, & non contradictoriè. vtrunque autem contrariorum est ens. Si autem sumatur idem, & non idem, sic opponuntur contradictoriè. & propterea non idem verificatur, tam de ente, quàm de non ente. vnde licet chimæra non

sit diuer

sit diuersa ab homine, est tamen non idem homini. Item, aduerte quòd cum idem, & diuersum verificentur de quolibet ente, & identitas sit vnitas in substantia, diuersitas autem sit pluralitas, debet intelligi ly substantia non solùm pro re prædicamenti substantiæ, sed pro essentia eo modo, quo diximus in 5. lib. tract. 2. in cap. 3. quod quælibet essentia potest dici substantia. & sic identitas, & diuersitas inueniuntur in omni genere accidentium. nam hæc est vera: actio, & passio sunt idem motus, Album & nigrum sunt diuersæ qualitates.

Differẽs. Quantum ad differens, aduerte quòd in hoc distinguitur à diuersio. Quæcunque differunt aliquo differunt, & in aliquo communi conueniunt. vt duo indiuidua differunt conditionibus indiuiduantibus, & conueniunt in specie. Duæ species differunt differentiis specificis diuidentibus genus, & conueniunt in genere. Duo subalterna, vt substantia corporea, & incorporea differunt differentiis suis constitutiuis, & conueniunt in genere generalissimo. Quæ autem sunt diuersa non est necesse, quod aliquo sint diuersa, & in aliquo vno, præcipuè vniuoco conueniant. Possunt enim seipsis esse diuersa. vnde duo generalissima sunt diuersa, & Deus, & creatura. in nullo enim conueniunt, nisi in ente, quod tamen non est vniuocum, sed analogum, vt determinauimus in quæstionibus metaphysicalibus.

De modis autem differẽtium iam pertractauimus in quinto libro, tractatu secundo, capite quarto. Hic verò Aristo. tantùm duos assignat, vt magis proprios. quorum primus est, differentia genere: secundus est, differentia specie. ea autem sunt differentia genere, quibus non est vna communis materia: & ex consequenti non sunt transmutabilia adinuicẽ, vt cœlum, & elementum. Item quæcunque sunt in distinctis prædicamentis, vt linea, & albedo. Differentia specie sunt, quæ in vno genere proximo cõueniunt, & distinguntur formis propriis, a quibus sumuntur propriæ differentiæ, vt homo, & leo conueniunt in animali, & distinguuntur formis propriis. De aliis modis vide in lib. quinto vbi suprà. illic enim fecimus vniuersalem considerationem super hoc. Hæc de 2. cap. dicta sint.

CAPVT III.

Quid nam sit contrarietas, & quomodo ab alijs oppositionibus distinguatur: quòd item vni vnum tantum sit oppositum manifestatur.

Tex. 13. vs que ad 21. Sed quoniam contrarietas est quædam differentia. contraria enim sunt quæ sub eodem genere differunt, ideo in hoc tertio capite considerare debemus de contrarietate, quæ inter alia genera oppositionum videtur continere multas difficultates, vt apparebit infrà.

Pro notitia igitur contrarietatis tria agenda sunt.

Primo quid sit contrarietas.

Secundo quomodo se habet ad alia genera oppositionum.

Tertio soluentur quædam dubia, quæ orientur ex determinatis.

Contrarietas quid sit. Quantum ad primum, aduerte, quòd contrarietas est maxima differentia, siue distantia duorum differentium sub eodem genere. Pro declaratione huius diffinitionis nota primo, quòd supponitur contrarietatem esse quandam differentiam. Quæcunque enim contraria sunt plura sunt. nihil enim sibiipsi contrariatur, & necesse est, vt in aliquo conueniant, sicut declarabitur, ergo, &c. Item nota, quòd in rebus necesse est dari maximam differentiam. videmus enim ad sensum, aliqua magis, & minus differre, vt minus differt color glaucus ab albo, quàm cæruleus. sed magis, & minus non est nisi per comparationẽ ad maximum, ergo, &c. Item nota: quòd diuersa, siue differentia genere non possunt dici maximè distare. illa enim propriè distant, inter quæ est communis via, qua itur ab vno ad alterum, vt patet in distantia locali, vel qua mouetur vnum ad alterum, vt patet in alteratione, qua mouetur frigidum ad calidum. sed inter differentia genere non datur hæc communis via, siue motus. non enim mouetur dulce ad album, neque paruum ad coloratum, nam diuersa genere, nisi aliud impediat, se compatiuntur in eodem subiecto. Illa igitur sunt maximè differentia, inter quæ est communis via, siue motus. hæc autem sunt distincta specie contenta sub vno genere, vt album, & nigrum, & calidum, & frigidum, sursum, & deorsum. Ab vno enim ad alterum est motus per se, sed vt declaratum est in primo Physic. necesse est terminos motus esse contrarios. illa ergo, quæ maximè distant sub eodem genere sunt contraria, ex consequenti contrarietas est maxima differẽtia duorum maximè distantium sub eodem genere, & ab vno ad alterum contingit esse motum per se. Hæc est diffinitio data ab Arist. de contrarietate, cui concordant omnes aliæ diffinitiones, quę solẽt dari. & sunt quatuor. Prima est. Contraria sunt quæ plurimum differunt. nam plurimum, & perfectè, & finaliter, & maximè differre idem sunt. Secunda est, Contraria sunt quæ plurimum distant in eodem genere. nam vt declarauimus in distinctis genere non sumitur propriè maxima distantia, cùm inter ea non sit communis via, neque motus. Tertia est, Contraria sunt quæ plurimum differunt in eodem susceptibili, id est, apta recipi in eodem subiecto, quoniam eadem est materia susceptiua contrariorum, cùm vnum generetur ex altero. Quarta est, Contraria sunt, quæ plurimum distant sub eadem potentia, scilicet rationali, vt ab arte, vel scientia practica. Dictum est enim in libro nono, quòd potentia rationalis potest in opposita contraria, vt medicinalis scientia potest in sanum, & ægrum, & ars ædificatoria potest construere magnam, & parua domum, & pigmentarius dulce, & amarum electuarium. si tu autem vis perfectè, & clarè diffinire contraria, sic diffinias, contraria sunt quæ maximè distant sub eodem genere apta inesse vicissim eidem susceptibili, & ab eodem vicissim expelli, nisi alterum insit à natura, vt calor in igne, albedo in niue, &c.

Et aduerte quòd diffinitio data de contrarietate verificatur de vera, & perfecta, & primaria contrarietate, & non de secundaria, qualis est inter extremum, & medium, vt inter album, & rubeum. patet enim quod album, & rubeum non maximè distant sub colore. Item aduerte, quòd ex diffinitione veræ, & primariæ contrarietatis sequũtur duo corollaria. Primum est, scilicet contrarietas est maxima distantia; ergo est perfecta distantia. nam perfectum est vltra quod non est aliquid sumere. ergo vltra perfectam distantiam non est accipere maiorem: si non est accipere maiorem, ergo est maxima. maximum enim est quod non exceditur ab aliquo. si ergo contrarietas est maxima distantia, est perfecta, & si est perfecta est finalis, quia perfectum est, quod ad finem peruenit. Secundum est, duo non possunt esse contraria vni, sed tantùm vnum vni. nam cum perfecta contrarietas sit tantùm inter extrema contenta sub genere, si duo vni contrariantur, ergo vni extremo correspondent duo extrema, quod est impossibile. nam vnius perfectæ distantiæ non possunt esse nisi duo vltima, sicut patet in linea, cuius vltima non sunt nisi duo puncta. cum igitur contrarietas sit perfecta distantia, constat quòd est tantum inter extrema, & quòd tãtum vnum vni est contrarium, scilicet contrarietate vera, & primaria.

Quantum ad secundum, cum quatuor sint genera oppositionum, manifestum est quòd contrarietas non est oppositio relatiua. vnum enim contrarium non dicitur ad aliud, vt patet. Prætereà inter contraria est motus, ita quòd vnum contrariorum est terminus à quo, & alterum est terminus ad quem, sed inter relatiua non est motus, vt probatur in quinto Physicorum, textu decimo. Manifestum est etiam, quòd non est oppositio contradictoria, quoniam inter contradictoria non datur medium, de quolibet enim verificatur alterũ contradictorium, vt declaratum est in quarto libro, sed inter contraria potest dari medium. Datur enim sapor qui non est dulcis, nec amarus, & lapis, nec est sanus, nec est æger. Restat igitur considerare, quomodo se habeat ad oppositionem priuatiuam. Aduerte igitur, quòd licet sint distinctæ oppositiones, quoniam priuatio propriè dicta non est aliqua natura, sed ablatio, vtrunque autem cõtrariorum est aliqua natura, tamen priuatiua oppositio est radix, & principium contrarietatis ita quod alterum contrariorum est, vt priuatio, & alterum, vt habitus, ex consequenti vnum est, vt perfectum, alterum, vt imperfectum, vt patet de amaro comparato dulci, & de nigro respectu albi, & de ægro respectu sani.

Sed antequam probetur propositum. Quædam prænotanda sunt circa priuationem. Aduerte igitur primo, quod cum priuatio dicatur multipliciter, potest enim esse negatio extremi in aliquo medio, vt rubeum est negatio albi, & potest esse negatio extremi in alio extremo, vt nigrum est negatio albi. Quando dicimus priuationem, & habitum esse radicem contrarietatis, intelliges de priuatione in extremo, aliter non seruaretur maxima distantia inter contraria. Et hanc priuationem Aristoteles appellat perfectam non ex se, sed ratione extremi, in quo est, & quod perfectè, id est, maximè distat ab alio extremo.

Aduerte secundo, quòd licet oppositio priuatiua non coincidat cum oppositione contradictoria, est tamen quædã contradictio in subiecto, scilicet determinato. nam esse videtem, & esse cæcum est esse videntem, & non esse videntem in natura, quæ est apta esse videns. Hinc est, quòd licet alterum contradictoriorum verificetur de quolibet ente, & etiam non ente, ex consequenti

et consequenti nunquam detur medium, tamen in oppositione priuatiua datur medium: licet enim lapis sit videns, aut non videns, tamen non est cæcus, vnde inter cæcum, & videntem mediat non videns, nisi in natura apta videre, eo modo, et parte, eo tempore quo est apta videre.

Aduerte tertio, quod de modis, quibus dicitur priuatio iam locuti sumus in quinto libro, in tractat. tertio in capit. quarto.

His prænotatis probatur propositum sic, Omnis generatio, siue substantialis, siue accidentalis fit in determinata materia inter terminos contrarios, vt declaratum est in primo Physicor. ex. quadragesimo septimo: ergo necesse est, quòd omnis generatio fiat ex termino, à quo, qui sit priuatio termini ad quem, vt contingit in generatione substantiali. Ex eo enim quod materia est sub priuatione talis formæ, puta aquæ, mouetur actione agentis naturalis ad recipiendam formã aquę, vel quod sit forma contraria termino ad quem, vt contingit in generatione accidentali, puta in dealbatione, in qua nigrum est terminus à quo: sed ex nigro non posset fieri album, nisi in nigro esset negatio albi: ex consequenti quod est sub nigro, est priuatum albo. Si ergo generatio omnis est inter contraria, & in generatione substantiali terminus à quo est priuatio, in accidentali autem forma, quæ est terminus à quo continet priuationem formæ, quæ est terminus, ad quem, constat contrarietatem esse quandam priuationem, & oppositionem contrariam fundari in oppositione priuatiua. Prætereà prima contraria, quæ sunt genera aliorum contrariorum sunt, vt habitus, & priuatio: nam prima contraria sunt vnum, & multa, ad quæ reducuntur alia, vt simile reducitur ad vnum, & dissimile ad multa, similiter æquale, & inæquale, & idem, ac diuersum, ad diuersum autem reducitur differentia, ad differentiam contrarietas, vt declarauimus suprà: si igitur prima contraria, quæ seruantur in aliis contrariis se habent vt habitus, & priuatio, signum est priuationem, & habitum esse radicem omnis contrarietatis. Prætereà ex inductio nepatet sic esse, omnia enim contraria sic se habent, quòd vnum est diminutum, siue defectiuum respectu alterius, vt patet in extremis saporum, & colorum, in similitudine, & dissimilitudine, æqualitate, inæqualitate, malitia, & virtute, ignorante, & docto, &c. Manifestum est igitur, quod de necessitate contraria reducuntur ad priuationem, & habitum.

Quantum ad tertium, aduerte quòd contra corollarium secundum, scilicet quod vni tantum vnum est contrarium, insurgunt duo dubia.

Primum est de æquali, cui videntur contrariari magnum, & paruum.

Secundum est de vno, cui videntur contrariari multum, & paucum.

Pro resolutione igitur primi dubij tria agenda sunt, primo arguetur ad partem affirmatiuam. secundo ad partem negatiuam, tertio determinabitur veritas. Sed antequam arguamus, notandum est quòd non vtimur ex necessitate hoc termino vtrum, nisi in oppositis, vt cum quærimus, vtrum homo sit sanus. vel æger, doctus, vel indoctus: & dico ex necessitate, quoniam opposita ex sui natura non possunt simul esse, ex quo sequitur, quod si vtimur ly vtrum, in non oppositis est vana inquisitio, puta vtrum pomum sit dulce, vel album, nisi fiat suppositio quod vtrunque non contingit simul fieri, puta si ponatur quod pater, & filius non possunt simul liberari à carcere, & tunc possumus quærere, vtrum pater vel filius liberabitur à carcere, constat autem quòd magnum, & paruum opponuntur æquali merito. ergo vtimur ly, vtrum quęrentes, vtrum ita opponantur, quod contrarientur æquali.

Et pro parte affirmatiua, arguitur sic, cum æquale non sit magnum, nec paruum (& sumatur ly magnum, & paruum, pro maiori, & minori) aut contrariatur tantum magno, aut tantum paruo, aut vtrique: non primo, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio, cum æquale non sit maius, neque minus. ergo secundo, ergo vni contrariantur duo, & non tantum vnum. Prætereà æquali contrariatur inæquale, sed inæquale inest & magno, & paruo. nam & maius & minus inadæquantur æquali, ergo æquali contrariantur & magnum, & paruum. Pro parte autem negatiua sic arguitur, ex diffinitione cõtrarietatis requiritur quod sit maxima distantia: sed maxima distantia non potest attendi, nisi inter duo extrema, vt declaratum est suprà. ergo vni non potest contrariari, nisi vnum. Prætereà æquale est medium inter maius, & minus: æquale est enim quod non est maius neque minus. sed inter medium, & extrema non est vera, & primaria contrarietas, cum illic non sit maxima distantia, ergo æquale non contrariatur magno, & paruo.

Pro determinatione huius dubij aduerte, quòd Aristoteles concedit æquale opponi magno & paruo, id est, maiori, & minori. nam quando quærimus de aliquo quanto, comparando ipsum alteri quanto, sic formamus quæsitum, vtrum hoc sit maius, aut minus illo, aut æquale illi. verum igitur concludunt rationes pro parte affirmatiua, pro quanto concludunt æquale opponi magno, & paruo. Similiter verum concludunt rationes pro parte negatiua, pro quanto concludunt, æquale non opponi contrariè magno, & paruo. Si igitur opponuntur, & non contrariè, quærendum est qua oppositione opponuntur. Manifestum est autem, quod non relatiuè, non enim dicitur æquale ad maius, nec ad minus, sed ad æquale. sicut enim dicitur simile simili simile, Idem eidem idem, sic æquale æquali æquale. nec opponuntur secundum affirmationem, & negationem, id est, contradictoriè: nam æquale non diceret nisi negationem maioris, & minoris, & cum negatio verificetur tam de ente, quàm de non ente, æquale verificabitur de omni eo, quod non est maius, neque minus, & cum non quantum, vt albedo, & sapor, & vnitas, & punctus non sint maius, neque minus, ergo erunt æqualia, similiter cum non ens non sit maius, neque minus, ergo erit æquale: quod est absurdum, nam hæc tria non verificantur, nisi in rebus quantis. Restat igitur, vt opponantur secundum priuationem, & habitum, & habitum quidem ponamus ex parte maioris, & minoris, vt dicatur maius quod excedit, minus vero quod exceditur. priuatio autem est in æquali, nam æquale est quod cum sit quantum, non est maius, nec minus, cum tamen sit aptum ratione, qua quantum, esse maius, aut minus, & sic æquale est medium priuatiuum inter maius, & minus. sicut etiam contingit dari medium priuatiuum inter bonum, & malum maximè in politicis. nam rusticus, quo ad ciuilia, neque bonus, neque malus est. Sed aduerte, quòd huiusmodi medium priuatiuum in quo vniuntur plures priuationes, in aliquibus est nominatum vno nomine, in aliquibus pluribus nominibus. In aliquibus remanet omnino innominatum. nam aliquando illæ plures priuationes cadunt tantum super vnum determinatum, quod non dicitur multipliciter, nec diuersis modis, & tunc medium, in quo vniuntur plures priuationes est tantum vnum, & de facili nominatur vnico nomine, & tale medium est hoc, quod dicitur æquale. nam priuationes maioris, & minoris contentæ in eo cadunt super quantum, in quantum habet vnam, & eandem quantitatem æqualis mensuræ cum alia. Aliquando cadunt super vnum determinatum genericè, sed non specificè, sicut quod non est album, nec nigrum priuatiuè est quidem coloratum, verum quia inter album, & nigrum non est vnica species, sed plures in quibus coniunguntur priuationes albi, & nigri, ideo inter ea dantur plura media priuata, & pluribus nominibus nominantur, vt rubeum, croceum, viride, &c. Aliquando cadunt super indeterminatum, & genere, & specie, sicut priuationes boni, & mali, quæ possunt inueniri in naturalibus & in artificialibus, & in moralibus, & politicis, sicut bonum, & malum, & tunc media priuatiua remanent innominata propter multiplicitatem susceptibilium, id est rerum, in quibus potest esse bonum, & malum, & priuatio veriusque.

Ex his patet falsitas opinionis dicentium, quod si inter bonum, & malum, inter maius, & minus, inter dulce, & amarum datur medium, quod neutrum est extremorum, ergo inter omnia poterit assignari medium, puta inter pedem, & calceum, inter corpus, & vestem, quod est derisorium. Hæc quidem consequentia nulla est, quoniam ad hoc, quod inter aliqua sit medium priuatiuum, necesse est illa esse extrema opposita, inter quæ est communis via, & perfecta distantia, ita quòd id quod mutatur ab extremo prius peruenìat ad medium, quàm attingat alterum extremum, sic enim diffinitum est medium in physicis, & quoniam non omnia quæ sumuntur sunt vere extrema opposita, vt exemplificatum est de pede, & de calceo, de albo, & dulci, &c. ideo non est necesse inter omnia esse medium. Tu tamen aduerte quod licet hæc sit vera inter quæcunque est medium illa sunt opposita, hæc tamen est falsa inter omnia opposita datur medium, vt patet in contradictoriis, & contrariis immediatis.

Pro solutione secundi dubij duo agenda sunt. Primo arguitur, quod non solum multa opponantur vni, sed etiam pauca, ex consequenti duo sunt contraria vni. Arguitur ergo sic. Si solum multa opponuntur vni ergo vnum erit pauca, quod est falsum, vt probabitur, consequentia autem dupliciter deducitur: primo sic, secundum te quibuscunque multa

oppon

opponuntur illa sunt vnum, quoniam secundum te solum multa opponuntur vni, sed paucis opponuntur multa. ergo pauca sunt vnum, & econuerso, vnum est pauca. Secundò sic, omnia multa opponuntur paucis, sed duo sunt multa: sunt enim plura vno, ergo sunt multa, ergo duo opponuntur paucis, sed sub duobus non datur aliquid minus, quàm vnum, ergo vnum erit pauca. falsitas autem consequentis sic manifestatur, sicut se habent productum, & breue ad longitudinem, sic multa, & pauca ad pluralitatem: sicut enim productum & breue sunt proprietates longitudinis, sic multa, & pauca pluralitatis: sed productum est longitudo similiter breue: ergo multa sunt plura similiter pauca. Si igitur vnum est pauca, vnum erit plura, quod implicat contradictionem. vt ergo ista impossibilia euitentur, tenendum videtur quòd multa & pauca contrariantur vni, ex consequenti non tantùm vnum est contrarium vni.

Secundò determinandum est dubium, pro quo præponitur hæc distinctio, ly multa dupliciter sumitur. primò absolutè, & simpliciter, secundò respectiuè. Primo modo quęcunque sunt plura vno, dicuntur multa. vnde omnis numerus est quędam multitudo absolutè sumpta, & vt sic multa non opponuntur paucis, quoniam pauca in hoc primo sensu, cùm sint plura, sunt etiam multa. tantum ergo multa absolutè sumpta opponuntur vni. Secundo modo non omnia plura dicuntur multa, sed quæ dicunt magnam pluralitatẽ, & correspondenter non dicuntur pauca, nisi quæ dicunt diminutam pluralitatem, & vt sic, si heri fuerunt mille homines in foro, & hodie decem, solemus dicere, heri fuerunt multi homines in foro, hodie pauci, & in hoc sensu multa non propriè opponuntur vni, sed paucis, & sic ex hac distinctione patet, quòd non duo contrariantur vni, sed vnum vni. Quòd si non fiat prædicta distinctio, euitari non poterunt prædicta inconuenientia. Ad argumentum ergo adductum in oppositũ negatur consequentia. Ad primam probationem dico ad maiorem, quòd non est vera, nisi de multis sumptis absolutè. in quo sensu nego minorem, quoniam multa tantùm respectiuè sumpta opponuntur paucis. Ad secundam probationem nego maiorem, & minorem, ad probationem minoris nego consequentiam, intelligendo de multis respectiuè, sicut intelligit arguens.

Patet igitur illud corollarium esse verum. Ergo vnum vni est contrarium. & si quæras, si multa absolutè sumpta non opponuntur paucis, sed vni, qua oppositione opponuntur. Respondetur quòd vnum transcendenter, & multa transcendenter, vt declarauimus in 2. cap. opponuntur priuatiuè, & contrariè: vnum autem vt est principium numeri, & multa quæ sunt ipse numerus in genere quantitatis opponuntur relatiuè in tertio modo relatiuorum, quæ se habent, vt mensura, & mensuratum, in quo modo non est relatio mutua, sed vnum relatiuè dicitur ad alterum, quia alterum dicitur relatiuè ad ipsum, puta dicitur mensura ad mensurabile, non quia mensura refertur ad mensurabile realiter, sed quia mensurabile refertur ad mensuram, & est simili modo, sicut in scientia, & scibili, maximè in scientia speculatiua, cuius veritas est causata à re, & non est causa rei. dicitur enim scientia ad scibile, quia scientia, vt dependens à scibili realiter refertur ad scibile, scibile autem refertur ad scientiam, non quia pendeat à scientia, sed quia sciẽtia refertur ad scibile. & quoniam inter huiusmodi relatiua non est mutua dependentia, ideo non est necesse quòd se mutuò ponant, & auferant. potest enim vnum poni reliquo non posito. seo quod non dependet ab altero. vnde licet non possit poni scientia speculatiua sine scibili, potest tamen dari aliquod scibile, de quo nondum habetur scientia, vt quadratura circuli, similiter licet non possit dari numerus sine vnitate, potest tamen dari vnum, siue vnitas sine numero. Idem dico de imagine, & imaginabili, de sensu, & sensibili, desiderio, & desiderabili. Hæc de tertio capite dicta sint.

CAPVT IIII.

Omnia media eiusdem generis esse cum extremis ostenditur: quòd item, & inter quæ opposita media inueniantur, monstratur.

ET quoniam contingit inter aliqua contraria dari medium, vt in coloribus, & in saporibus, ideo de huiusmodi mediis agendum est, & considerabimus quatuor.

Primò, quòd omnia media sunt in eodem genere cum his quorum sunt media.

Secundò, quòd omnia media sunt inter opposita.

Tertiò, quòd non sunt inter opposita cõtradictoriè, nec regulariter inter opposita relatiuè, sed inter contraria, & priuatè opposita.

Quartò, quòd necesse est huiusmodi media contrariorum componi ex extremis contrariis.

Quantum ad primum, aduerte quòd medium propriè est illud, in quod prius peruenit quod permutatur, quàm in extremum, & id quidem manifestum est in motu localinam sic linea A, D, cuius medium sit C, constat quòd mobile non peruenieret in D, nisi prius peruenisset in C. Similiter in alteratione. non enim quod denigratur fiet nigrum, nisi prius peruenieat ad pallidum, siue plumbeum. Ex his ergo arguitur sic, Medium propriè est in his, inter quæ est motus, siue permutatio per se, sed motus non est per se, nisi inter ea quæ sunt eiusdem generis. non enim aliquid mouetur per se à colore ad figuram, neque ab albo ad dulce, sed ab albo ad nigrum, ab amaro ad dulce, à dextro ad sinistrum, &c. Ergo cùm sit motus per se ab extremo ad medium, & à medio ad alterum extremum, necesse est medium esse in eodem genere cum extremis.

Quantum ad secundum, aduerte quòd vt declaratur in 8. primo Physic. text. 43. non est motus inter terminos contingentes, id est qui possunt simul esse, nisi per accidens. vt non sit musicum ex albo, nisi per accidens. necesse est ergo, vt termini motus, per se sint oppositi, & determinati, puta quòd musicum fiat ex immusico, & calidum ex frigido, & magnum ex paruo: ex his arguitur sic, Medium est inter ea, inter quæ est motus per se, vt prædictum est: sed ea, inter quæ est motus per se, necesse est esse opposita: ergo media omnia sunt inter opposita.

Quantum ad tertium, aduerte quòd manifestum est, inter contradictoria non dari medium, quoniam altera pars contradictionis de quocunque, siue ente, siue non ente necessariò verificatur. nam tam de Socrate, quàm de Chimæra verum est dicere, quòd viuit, vel non viuit. vnde vt probatum est in quarto libro, contradictoria diuidunt verum & falsum absolutè & vniuersaliter. Inter relatiua opposita contingit quidem dari medium, non inquantum relatiua, sed inquantum sunt relatiua aliqua contraria, inter quæ contingit esse motum, vt inter magnum & paruum datur æquale, vt declaratum est suprà. vnde inter relatiua non contraria, & inter quæ non est relatio mutua, vt sunt relatiua tertij modi, non datur medium, vt inter scientiam, & scibile, inter imaginem, & imaginatum. Et ratio huius est, quoniam, vt prædiximus, extrema, inter quæ datur medium, debent esse eiusdem generis, aliter non esset inter ea motus per se: sed duo relatiua tertij modi non sunt necessariò in eodem genere. nam, vt inquit Comment. in comment. 22. potest vnum esse in vno genere, alterum in alio, vt scientia est in qualitate, scitum autem potest esse in substantia. idem patet de imagine, & imaginato. Ex his igitur constat, quòd si datur medium inter relatiua, ideo est, quia aliqua eorum sunt contraria, & sunt eiusdem generis. Inter priuatiuè opposita, si datur medium, est, quia oppositio priuatiua est radix oppositionis contrariæ, vt declarauimus suprà. nam quia in albo est priuatio nigri, & in nigro est priuatio albi, datur medium, puta nubeum quod non est album, neque nigrum. cùm igitur non sint plura genera oppositionis, constat quòd medium propriè non datur, nisi inter contraria, eò quòd contraria sunt eiusdem generis, & inter ea est motus per se. Medium autem, vt diximus suprà, debet esse inter ea quæ sunt eiusdem generis, & inter quæ est motus per se. quare, &c.

Quantum ad quartum, cùm probatum sit, quòd tantùm inter contraria propriè datur medium, & medium sapiat naturam extremorum, perscrutandum est si medium componitur ex extremis contrariis. Pro cuius euidentia proponitur tres conclusiones.

Prima conclusio. Extrema contraria, vt albedo & nigredo, inter quæ est medium, vt rubedo, habent differentias priores contrarias, ex quibus constituuntur. probatur sic, Ista extrema contraria vel habent genus supra se, in quo conueniunt, vel nullum habent: si nullum habent, ergo nec habent medium. quoniam, vt diximus suprà, medium est inter ea quæ sunt vnius generis: si habent, cùm omne genus diuidatur differentiis contrariis, qua ratione genus est prius istis extremis contrariis, eadem ratione differentiæ diuisiuæ sunt priores eisdem extremis: & cùm species non constituatur ex solo genere, sed ex genere & differentia: sequitur quòd huiusmodi extrema habent differentias contrarias priores quibus constituuntur. & quidem quòd sint priores patet, quoniam constituens, vt sic, est prius constituto. & quod diximus, patet in coloribus, nam albedo & nigredo conueniunt in colore, vt in genere, quod est prius & communis, & quod diuidatur contrariis

contrariis differentiis prioribus, scilicet disgregatiuo, & congregatiuo, quæ licet ex parte rei non sint verè differentiæ, sed potius effectus, tamen in nostra cognitione sumuntur loco differentiarum, & albedo constituitur ex colore & disgregatiuo, nigredo autem ex colore & congregatiuo.

Secunda conclusio, Species mediæ inter duo extrema contraria, puta rubedo & viredo, habent differentias medias, quibus constituuntur. Probatur sic, cùm omnes species constituantur ex genere & differentia necesse est species medias habere proprias differentias, quibus constituantur: istæ autem differentiæ non possunt esse illæ, quibus constituuntur species extremæ contrariæ: quoniam tunc mediæ species non distinguerentur à speciebus extremis: omnis enim color disgregatiuus est albedo, & congregatiuus est nigredo: necesse est ergo medias species habere differentias distinctas à differentiis constitutiuis extremorum, quæ conuenienter dicuntur differentiæ mediæ: nam sicut colores medij dicuntur species mediæ, sic conuenienter dicuntur differentiæ mediæ, quæ sunt constitutiuæ mediarum specierum.

Tertia conclusio, Species mediæ necessario componuntur ex speciebus extremis contrariis, probatur sic. Quòd se habet ad duo extrema ita quod vnius est magis, & alterius est minus componitur ex extremis: hæc est manifesta, quia non esset magis vnius extremi, nisi magis contineret de illo, nec esset minus alterius extremi, nisi minus contineret de illo: sed omnis species media ita se habet, quod comparata duobus extremis est magis vnius & minus alterius, puta tepidum est magis frigidi, & minus calidi, & viride est magis nigri, & minus albi, ergo omnis species media magis continet de vno extremo & minus de alio, non autem est possibilis hæc continentia nisi componatur ex eis: ergo, &c. Vtrum autem extrema componant media, ita quod actu seruentur in mediis, vel tantum virtute, determinabimus in quæst. nostris, nam pro vtraque parte sunt solennes opiniones. Hæc de quarto capite dicta sint.

CAPVT V.

IN quinto capite declarandum est, quomodo quædam contraria differunt specie, quædam solo numero, quædam non solùm specie, sed etiam genere.

Quantum ad primum aduerte, quòd quædam contraria differunt formaliter & sunt illa, quæ sumuntur à gradibus formalibus, qui significantur per differentias diuisiuas per se alicuius generis, quas necesse est esse contrarias, quoniam cum non se compatiantur in eodem sunt oppositæ, & non possunt esse oppositæ contradictoriè neque priuatiuè, quoniam altera pars contradictionis & priuatio sunt negatio, neutra autem differentiarum est negatio, aliter non constitueret speciem, & non possunt esse oppositæ relatiuè, quoniam relatiua non sunt de necessitate eiusdem generis, vt dictum est suprà de relatiuis tertij modi, differentiæ autem diuisiuæ eiusdem generis continentur sub eodem genere, ergo sunt oppositæ contrariè. Differentiæ igitur diuidentes & diuersificãtes vnum genus, cùm sint constitutiuæ specierum & sint contrariæ, constituunt distinctas species, quæ aut sunt verè contrariæ secundum se, vt in qualitate albedo & nigredo, aut sunt contrariæ sibi ratione differentiarum contrariarum, quibus constituuntur, vt duæ species in prædicamento substantiæ contentæ sub eodem genere: nam in substantia, vt substantia, non est contrarietas, vt declaratum est in prædicamentis: & ideo duæ species, puta equus & homo, non sunt secundum se contrariæ, nisi ratione differentiarum contrariarum diuidentium animal. Patet igitur, quòd illa contraria constituta per differentias contrarias diuisiuas vnius generis differunt specie, cùm sint distinctæ species constitutæ distinctis differentiis & formalibus. Et aduerte, quòd species esse contrarias ratione contrariarum differentiarum, commune est omnibus speciebus cuiusque generis tam in prædicamento substantiæ, quàm in prædicamentis accidẽtium, quoniam cõpetit omni generi diuidi per differentias contrarias sicut competit materię diuersificari per diuersas formas. non ita tamen quod genus sit materia & differentia sit forma: nam genus & differentia dicunt totum, & prædicantur in recto de eo cuius sunt, materia autem & forma dicunt partem, & prædicantur in obliquo de eo cuius sunt, sed similitudo stat in hoc, quod sicut formæ diuersificant materiam, ita differentiæ diuersificant genus.

Quantum ad secundum, aduerte quod quædam contraria non sumuntur ex gradibus formalibus alicuius naturæ, sed ex variis conditionibus materiæ indiuidualis puta quia hæc materia proxima & signata est sub tali qualitate, & illa sub opposita, ideo in eadem specie producuntur indiuidua contraria non ratione formæ specificæ, sed ratione contrariarum qualitatum existẽtium in materia indiuiduante. Hac ratione Aethiops niger & Græcus albus sunt contrarij non gradu formali naturæ humanæ, sed quia corpus huius est adustum sole, huius autem non: eadem ratione Socrates masculus, & Minerua fœmina habent contrarietatem, quoniam sperma humanum aliquando est sub tanto calore quod est aptum generare masculum, aliquando sub tam remisso quod non est aptum generare nisi fœminam, fœmina igitur & masculus licet contrarientur, non tamen differunt specie, sed solo numero, quoniam non contrariantur ex forma, sed ex materia: cuius signum est quod idem homo aliquando generat masculum, aliquando fœminam, quod non posset si differant specie, nihil enim agit vltra speciem suam, prǫcipuè actione vniuoca & perfecta, vt nunc loquimur: nec obstat quod masculinum, & fœmininum videntur esse proprietates per se animalis, cùm in diffinitione eorum ponatur animal, sicut in diffinitione paris & imparis ponitur numerus, ex consequenti videntur facere differentiam secundum speciem, sicut volatile & gressibile. Hoc inquam non obstat, quoniam ad hoc quod proprietas competens animali faciat differre specie, non sufficit quod sit proprietas per se, sed quod sit per se, & quod sumatur à gradu formali, & non à conditionibus materiæ particularis, & ideo licet gressibile & volatile differant specie, quoniam sumuntur à diuersis gradibus animalitatis, non tamen masculinum & fœmininum, quoniam sumuntur ab eodem gradu & diuersificantur solùm ex conditionibus materiæ particularis.

Quantum ad tertium, aduerte quod quædam contraria non sumuntur à diuersis gradibus formæ genericæ, nec à diuersis dispositionibus materiæ particularis, sed à potentia & impotentia, & à diuersitate materiæ non particularis, sed simpliciter dictæ, prout scilicet, vnum cõtrariorum habet materiam, & alterum non, vel si habet non est eiusdem rationis cum materia sui contrarij: & huiusmodi contraria differunt genere: quoniam sicut differentia secundum speciem sumitur à forma, ita differentia secundum genus, scilicet Physicum, sumitur à potentia & à materia. Talia contraria sunt corruptibile & incorruptibile, & quidem quod sint contraria manifestatur ex hoc quod alterum dicit potentiam, alterum impotentiam: nam, vt diximus in quinto libro, in capite de potestate, quæcunque sunt impossibilia & immutabilia & non de facili in peius mobilia dicunt potentiam, per quem modum durum & sanatiuum dicunt potentiam naturalem non patiendi à corrumpentibus: quęcunque autem mutabilia sunt in deterius & non valentia resistere cõtrariis dicunt impotentiam, vt molle, & egrotatiuum: & quoniam incorruptibile est immutabile in deterius, corruptibile autem est opposito modo, ideo incorruptibile dicit potentiã, corruptibile autem impotentiam, sed potentia & impotentia, vt dictum est quinto libro, in eodem capite, se habent vt habitus & priuatio, ergo opponuntur priuatiuè, sed non purè priuatiuè: quoniam impotentia non est tantum negatio sicut nec iniustitia, ergo ita opponuntur priuatiuè quod opponuntur etiam contrariè sicut duæ qualitates contrariæ, vt duities & mollities, patet igitur, quòd corruptibile & incorruptibile sunt contraria. Quòd autem distinguantur genere probatur sic, Quæ distinguuntur materia distinguuntur genere, quoniam genus sumitur à materia, sicut differentia à forma, sed corruptibile & incorruptibile distinguuntur materia, quoniam incorruptibile vel est incorporeum, & sic non habet materiam, vt intelligentia: vel est corporeum, vt cœlum, quod licet habeat materiam, non tamen generabilem, sed tantum localem, vt declarauimus in libro octauo, in capite tertio, corruptibile autem habet materiam & generabilem, ergo distinguuntur genere. Præterea quæ sunt vnius generis Physici sunt transmutabilia adinuicem: sed corruptibile nõ potest fieri incorruptibile, nec econuerso, quoniam vnumquodque est corruptibile vel incorruptibile secundum substantiam, quod autem est tale per substantiam est necessario & immutabiliter tale: ergo, &c. patet igitur quod aliqua contraria differunt genere & quæ sint illa.

Nonnulla contraria nõ tantũ numero, & specie, sed & genere distincta sunt.

Et aduerte quod ex prædictis, patet falsitas opinionis querundam, qui opinabantur quod in eadem specie quędam possunt esse corruptibilia, & quædam incorruptibilia, imò quod idem potest esse pro vno tempore corruptibile & pro alio incorruptibile, sicut in eadem specie potest esse aliquod indiuiduum album & aliquod nigrum, & idem indiuiduũ pro vno tempore album & pro alio nigrum: sed quod id falsum sit patet ex dictis, quoniam corruptibile & incorruptibile, sunt contraria substantialia, album autem & nigrum sunt contraria accidẽtalia. Prædicantur enim corruptibile & incorruptibile

per se & substantialiter de his, quorum sunt, album autem & nigrum prædicantur accidentaliter, & ideo non est eadem ratio, & confirmatur per Cõmenta. in commen. 26. vbi inquit, Et est differentia inter contraria essentialia & accidentalia, quoniam accidentalia possunt esse in illo, in quo sunt & non esse, essentialia verò necessario sunt: corruptibile & incorruptibile sunt de rebus necessariis in rebus, quæ disponuntur per illa.

Patet etiam falsitas opinionis Platonicæ de ideis, dicunt enim Platonici quod species separata vt per se homo & singulare illius speciei, vt Socrates sunt eiusdem naturæ, ita quod homo prædicatur vniuocè de per se homine & de Socrate, & tamen secundum eos per se homo est incorruptibilis & Socrates corrup. Quod quidem ex dictis apparet impossibile: nam probatum est corruptibile & incorrup. distingui genere, ergo & specie, ergo impossibile est hominem corruptibilem & hominem incorrup. esse eiusdem speciei loquendo secundum naturam: quod dico, quoniam & si diuina virtute possit præseruari æternum corruptibile, ne corrumpatur, tamen non potest natura corruptibilis transmutari in naturam incorruptibilem. Quo autem genere, scilicet logico vel physico, differant corruptibile & incorrup. & quomodo materia est principium distinctionis secundum genus determinabimus in quæstionibus nostris. Hæc de 5. cap. dicta sint.

EPITOME SVPER LIBRO DVODECIMO Metaphysicæ Aristotelis.

Postquam locuti sumus de ente & partibus, & proprietatibus eius in hoc vltimo libro considerandum restat de primis & vniuersalibus causis entis: diximus enim in primo tract. primi libri in cap. 5. quod in quacunque scientia constituitur finis in cognitione causarum sui proprij subiecti. Has autem causas dicimus esse intelligentias, quæ motu cœli causant inferiora, & Deum gloriosum, qui est totus entis prima & vniuersalissima causa, & totam intentionem Aristotelis cõplectemur in vnico tractatu, quem distinguemus in octo capita.

Primo repetendum est, quod dictum est in libro septimo & octauo, scilicet quod metaphysicus, qui est consideratiuus entis, præcipuè habet considerare de substantia.

Secundo diuidenda est substantia in genera sua, & agendum est de principiis substantiæ sensibilis.

Tertio scrutandum est, si sunt eadem principia substantiæ & aliorum generum.

Quarto probandum est, quod vltra substantias sensibiles corruptibiles & incorruptibiles necesse est dare aliquam substantiam æternam semper agentem & mouẽtem, cuius substantia sit actus & sit immaterialis.

Quinto inuestigandum est quæ sit perfectio quam habet primum mouens immotum.

Sexto inquirendum est si substantia æterna est vna tantum vel plures.

Septimo soluenda sunt quædam dubia, quæ accidunt circa primum mouens inquantum est intelligens.

Octauo inuestigandum est si primum mouens est bonum & optimum totius vniuersi.

CAPVT I.

Primum Philosophum versari præcipuè circa substantiam ostenditur.

à Tex. c. 1. vsque ad quartum.

Circa primum caput, aduerte, quod in septimo libro tex. quinto proposuit & probauit Aristote. hanc conclusionem, consideranti de ente vniuersali sufficit considerare de substantia: quoniam ipsa sola est ens simpliciter & accidentia non sunt entia nisi in ordine ad substantiam. Hic autem repetit idem sub hac conclusione, prima Philosophia, quæ est consideratiua entis, habet theoriã præcipuè circa substãtiam, cum debeat considerare primas & vniuersales causas substãtiarum, tam corruptibilium, quàm incorruptibilium. Et hãc conclusionem probat ferè eisdem mediis quibus vsus est in libro septimo: & primo sic, prima philosophia est præcipuè consideratiua de primo ente, primum autem ens est substantia, & quidem quod substantia sit primum ens probauit in libro septimo ratione, & signo, vt videre poteris suprà, in libro septimo, capite primo, hîc autem manifestat sic, si vniuersum est quoddam totum, sicut animal aut domus, patet quòd sicut in animali datur prima pars, puta cor, & in domo fundamentum, sic in vniuerso datur primum ens, quod est substantia: & si vniuersum non est vt totum continuum, sed vt totum, in quo vna pars consequenter se habet ad aliam, vt in exercitu, cuius forma est ordo, patet quòd sicut in tali toto est prima pars, puta prima acies, sic in vniuerso datur primum ens, quod est substantia. Et si dicas, quòd accidentia possunt dici primum ens, sicut substantia. Contra, ens propriè & simpliciter dicitur quod habet esse: sed accidens non est id quod habet esse, sed quo aliquid habet esse, vt calore aqua habet esse calidum, substantia autem est quæ habet esse: ergo, &c. Si autem dicas quòd ad hoc quòd aliquid sit ens simpliciter & primum, sufficit ens, quocunque modo prædicari de eo: contra ergo priuationes erunt simpliciter ens: dicimus enim quòd hoc non album, puta linea, est ens, & hoc non rectum, puta color, est ens. Hoc autem est absurdum, quoniam priuatio non alio modo dicitur ens, nisi quia relinquit subiectum, vnde potius est entis quàm ens, differenter tamen ab accidente, quoniam intrinsecè accidens dicit aliquam entitatem, priuatio autem extrinsecè, id est ratione subiecti, quod concernit, & in hoc distinguitur à simplici negatione, sic igitur manifestum est substantiam esse primum ens.

Præterea, accidentia non possunt separari à substantia, sed bene econuerso: ergo patet, quòd est primum & simpliciter ens, ex consequenti spectat ad philosophum primum considerare præcipuè de substantia.

Et huic conclusioni testimonium perhibent antiqui, qui vt etiam diximus in septimo considerantes de ente, arbitrabantur se satis agere, considerando de substantia. Quærentes enim causas entium, quærebant causas solius substantiæ, vt pote arbitrantes solam substantiam esse ens. Tamen in inquirendis causis substantiæ differenter se habebant, nam moderni, id est Pla. posuerunt vniuersalia esse causas substantiæ particularis, antiqui autem, vt Thales & Emp. & alij posuerunt substantiam particularem, puta aquam, aut aërem, &c. esse causam substantiæ particularis, de iis autem opinionibus satis locuti sumus in primo libro, & in tertio & in septimo, & in decimo. Hæc de primo capite dicta sint.

CAPVT II.

Tria substantiarum genera ponuntur, & quæ sensibilis substantiæ principia sint exponitur.

In secundo capite diuidenda est substantia in genera sua, & de principiis substantiæ sensibilis agendum est. Tu igitur aduerte substantiam diuidi in tria genera. Prima est substantia sensibilis corruptib. quam omnes confitentur vt plantæ & animalia. Secunda est substantia sensibilis incorrup. mobilis tamen motu locali sphærico, vt cœlum, cuius principia motiua inuestigabimus in hoc libro quærentes qualia & quot sint, & hæc principia sunt prima causa & intelligentiæ. Tertia est insensibilis immobilis & hæc, quoniam non est sensui manifesta, diuersimode à diuersis ponitur, nam Plato ponit huiusmodi substantias esse vniuersalia abstracta à singularibus sensibilibus, & vocat species siue ideas, de quibus satis locuti sumus in primo libro & in septimo, ponit etiam mathe. abstracta à materia sensibili, quæ quoniam videbat in sui ratione non includere materiam sensibilem, opinatus est ea esse separata etiam secundum se. Pytha. autem non posuit ideas, sed sola mathe. separata. Aristot. autem, vt patebit infrà, neutrum posuit, sed substantias immateriales intellectuales motrices orbium & secũdum se immobiles & in speculatione earum terminabitur consideratio huius scientiæ. Et aduerte, quòd istæ tres substantiæ ita se habent, quòd duæ primæ ad physicum pertinent secundum propriam rationem (sunt enim entia mobilia). tertia autem cum sit immobilis & immaterialis, ad hanc scientiã spectat. Quod si prima & secunda considerantur in hac scientia non considerantur secundum propriam rationem, sed vt continentur sub ente, quod est subiectum huius scientiæ & commune prædicatum de omni substantia.

Diuisa substantia in tria genera primo consideranda sunt principia primi & secundi generis, vltimo autem principia tertij generis, & quoniam substantia sensibilis est composita, prius agendum est de principiis intrinsecis componentibus, deinde de principio productiuo siue de causa efficiente, principia autem intrinseca componentia sunt materia & forma, Prius igitur agendum est de materia, deinde de forma: de materia autem quatuor agẽda sunt, primo quòd in omni substantia sensibili est materia, secundo quòd materia est

est ens in potentia, tertio quòd alio modo est materia in substantia sensibili corruptibili, & alio modo in substantia sensibili incorruptibili, quarto soluendum est quoddam dubium.

Quantum ad primum, aduerte quod Aristote. probat propositum eo quod omnis substantia sensibilis mutabilis est, in omni autem mutatione requiritur materia & id iam manifestatum est in libro octauo, capite primo: & tu vide illic, quoniam in sententia idem dicit & hîc & illic.

Quantum ad secundum, aduerte quod Aris. iam declarauit propositum in libro octauo, & nos breuiter declarauimus in eodem libro, capite primo. Hîc autem Aristot. sic manifestat in omni mutatione tam substantiali quàm accidentali est subiectum, quod modo est sub vno termino, modo sub opposito, ergo quantum sit ex se neutrum naturaliter habet: si enim naturaliter vnum haberet non esset receptiuum alterius, ergo ex sui natura est in potentia ad vtrunque, sicut igitur corpus inquantum corpus non est album nec nigrum, sed est in potentia ad vtrunque, sic materia, quæ est subiectum in transmutatione substantiali, neque hanc neque aliam formam habet inquantum materia, sed est in potentia ad omnem, & ad oppositum, quod est priuatio. Ex quo sequitur quod non est necesse concedere aliquid fieri ex puro non ente, nec ex ente in actu, sed ex ente in potentia & nõ ente in actu, vt declaratum est in primo Phy. tex. sexagesimo octauo, & aduerte quod Ari. declarat non solùm per rationem adductam, materiam esse ens in potentia, sed etiã positione antiquorum, quia licet imperfectè videntur cognouisse potentialitatẽ materiæ, vt Anaxa. qui posuit omnia confusa & in potentia in illo chaos, deinde fieri actu per intellectũ separantẽ, & Empe. posuit omnia confundi per amicitiã & distingui per litem, præcipuè quo ad omnes partes principales vniuersi, idem somniauit Anaxima. & Demo. quorũ positiones iam manifestauimus in primo li.

Quantum ad tertium aduerte quod in octauo libro, in capite tertio, iam manifestauimus propositum, & Aristoteles hîc nihil noui dicit, vide ergo illic.

Quantum ad quartum, aduerte quod ex prædictis oritur dubium: nam, si generatio fit ex non ente, cum non ens dicatur tripliciter, scilicet non ens purum, non ens quod est priuatio, non ens actu, dubitatur ex quo non ente fit generatio, & ad hoc quidem respondetur, vt responsum est in primo Physicorum, textu septuagesimoquinto, quòd ex non ente puro, nihil naturaliter fit, Ex non ente autem, quod est priuatio, aliquid fit, sed per accidens, ex non ente autem actu, sed ente in potentia, qualis est materia, fit aliquid per se.

Sed dices, si res fit per se ex materia, quæritur si omnia fiunt ex eadem materia, vel si diuersorum est diuersa materia.

Ad hoc iam responsum est in libro octauo in capite tertio & tu reuide illic, & sufficit.

De forma autem tria dicenda sunt, primo quod forma non est id quod fit, sicut nec materia, secundo quod formæ naturales non sunt separatæ à materia, tertio quod positio Platonis de ideis nullam habet necessitatem.

Quantum ad primum, aduerte id iam probatum fuisse in lib. 7. in ca. sexto, & idem medium tangit in septimo lib. & hîc.

Quantum ad secundum aduerte, quod in libro octauo, in capite tertio idem propositum probatum est, & quo ad formas artificiales & quo ad formas naturales, sed hîc alio medio probat & de formis naturalibus, & sic arguit. Inter causam mouentem & formalem hæc est differentia, quòd mouens siue producens est præcedens motum & productum, quoniam producẽs est principium productionis, productum autem est terminus: cùm igitur omnis productio naturalis fit cum motu, & omnis motus fit in tempore, necesse est mouens siue producens præcedere rem productam, forma autem simul est cum eo cuius est forma, nam quando Socrates sanatur incipit esse eius sanitas & nõ præcedit: quoniam, vt inquit Com. in com. decimosexto, causæ, per quas res fit ens & vnum sunt insimul cum eo per quod fit totum, cum talem dispositionem habeant in congregato, sicut partes in toto. Huiusmodi autem causæ sunt forma & materia, ex quibus constituitur substantia sensibilis, loquendo de forma propria & materia propria, ergo non habent esse ante illud, cuius sunt forma & materia, ex consequenti forma non potest esse separata à materia, aliter non solùm præcederet id cuius est forma, sed esset æterna ad mentem Aristote, probabitur enim in hoc libro quòd omne separatum & immateriale est æternum.

Sed dices, si forma non potest præcedere id cuius est forma, nunquid potest subsequi, ita quod remaneat etiam corrupto eo cuius est forma.

Respondet Aristote. quod nihil prohibet aliquam subsequi, & erit illa cuius esse non pendet à materia, & cuius operatio non exercetur organo corporeo, & talis est anima, non vt anima, quoniam omnis anima posset subsequi, sed vt intellectiua, quasi dicat, anima vt vegetabilis & sensitiua, & desideratiua non potest subsequi, quoniam nullam habet vt sic operationem sine corpore, sola igitur intellectiua est talis, ideo dicit Philosophus, sed intellectus: omne nanque impossibile forsan, & aduerte quod ly forsan non stat dubitatiuè, sed vtitur hoc modo loquendi, quoniam, vt inquit Comm. in com. decimoseptimo, demonstratio super hoc non est istius artis, sed libri de anima, cui & concordat Beat. Thom. in expositione, vtrum autem ex hoc textu possit firmiter cõcludi animam intellectiuam esse formam dantem esse homini & esse incorruptibilem, declarabitur in quæstio. Metaphysicalibus.

Quantum ad tertium, aduerte, quod Plato, vt declarauimus in lib. septimo, capite sexto, ex pluribus causis opinatur ideas necessarias, inter quas hæc fuit tertia causa, vt scilicet posset assignari causa productiua horum singulariũ corrupt, cui hęc singularia essent similia, sed inquit Philosophus hoc non est necesse, quoniam vt dicetur nunc, vnum quodque fit à suo simili, homo enim hominem generat, & hic homo hunc hominem, & in artibus sanitas ad extra, à sanitate quæ habet esse cognitum in intellectum medici. Quapropter positio Plato. in hoc vana est.

Postquam considerauimus de principiis intrinsecis substantiæ sensibilis, hîc considerandum est de principio productiuo, quod est extrinsecum. Aduerte igitur, quod cum substantia sensibilis sit duplex, scilicet corruptibilis & incorruptibilis, vt est cœlum, non est idem principium productiuum proprium est agens sibi simile in specie, ita quod vnumquodque fit à suo simili & vniuoco, & id declarat Aristote. sicut & in septimo libro, & nos idem declarauimus diffusè in eodem libro in capite sexto, nec Aristote. hîc aliquid noui addit: Ideo vide tu in septimo libro capite sexto: de principio autem productiuo cœli loquemur infrá. Hæc de secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

Quomodo aliquo modo eadem, & aliquo modo diuersa sunt principia substantiarum, & aliorum entium.

In tertio capite inuestigandum est si sunt eadem principia substantiæ & aliorum generum, puta quantitatis, qualitatis & aliorum generum. Pro cuius resolutione tria agenda sunt.

Primò præponetur dubium.

Secundò arguetur ad partem negatiuam.

Tertiò determinabitur veritas circa hoc.

à Tex. 20. vsque ad 28.

Quantum ad primum aduerte, quòd proponitur dubium sub tali forma, dubitabit aliquis vtrum altera, aut eadem sint principia & elementa substãtiarum & eorum quæ sunt ad aliquid & cuiuslibet prædicamenti. Et aduerte, quòd de prædicamentis accidentium non nominat nisi ad aliquid, quoniam propter debilitatem sui esse, vt inquit Commentator in commento decimonono, quidam putauerunt relationem esse de secundis intellectis, id est esse ens rationis, non enim secundum se est ens reale, sed suam realitatem trahit à fundamento, quod est quantitas, aut actio & passio, vt dictum est in libro quinto, vtrum autem fundetur immediatè in substantia, & in qualitate determinabitur in quæstionib. Metaphysicalibus.

Non sunt eadẽ principia substantiæ et ad aliqd.

Quantum ad secundum, aduerte quod Aristot. duplici ratione probat non esse eadem. Prima est, si eadem sunt principia substantiæ & aliorum generum, aut illa sunt extra substantiam & extra alia genera, aut sunt in substantia vel in aliquo alio genere: non potest dici primum, quoniam, si sunt extra substantiam & extra omnia genera accidentium, erunt communiora & priora substantia & aliis generibus accidentium, principium enim prius est principiatis; sed nihil est communius & prius substantia & accidentibus, quoniam omne quod est, aut est substantia, aut accidens: nec valet, si dicatur quod ens & vnum secundum Plato. sunt principia rerum, & tamen sunt communiora & priora substantia, & accidẽte: id inquam non valet, quoniam positio Plato. in hoc, quæ etiam fuit Pythagor. reprobata fuit à nobis in libro tertio capite septimo: nec potest dari secundum, quoniam si sunt in genere substantiæ, erunt substantia, & tunc principia accidentium erunt substantia, & si sunt in aliquo genere accidentium erunt accidentia, & accidentia erunt principia substantiæ, vtrunque autem videtur inconueniens, quoniam principium debet esse homogeneum principiato, vnde inquit Com. in com. decimonono, omne, cuius elementũ est substantia, est substantia, & ex consequenti, cuius elementum est accidens, est accidens: ex quibus sequitur, quod omnia aut erunt substãtia, aut erunt accidens,

Secunda ratio, supponitur quod elementũ & principium non sint idem cum eo cuius est elementum & principium: nam sumpto elemento pro principio intrinseco, cõstat quod elementum est quid simplex, & id cuius est elementum est compositum, constat autem quod compositum & simplex non sunt idem, vt syllaba, ba, non est idem cum A, nec cum B, similiter sumpto principio pro principio productiuo constat quod non est idem cum eo, cuius est principium, nihil enim à seipso producitur. Hoc supposito arguitur sic, si sunt eadem elementa & principia substãtiæ, & aliorum generum, sequitur ex supposito quod non sint substantia, nec aliud genus entis: quod est falsum, quoniam omne quod est, aut est substantia, aut accidens est.

Sed videtur suppositum non esse vniuersaliter verum, quoniam diceret Plat. ens & vnum esse principium omnium, & tamen esse idem cum his, quorum sunt principium, prædicatur enim de omnibus, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quod si Plato ponit ens & vnum principiũ omnium, cogitur concedere, quod non sint idem cum iis quorum sunt principium: nam si sunt principia, omnium sunt principia & simplicium & compositorum, ergo si sunt eadem cum his quorum sunt principia, sequitur quod simplex & cõpositum sint idem, quod est falsum vt patet. consequentia probatur quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

Quantum ad tertium, aduerte quod huic quæsito non potest responderi vna responsione, quod sint eadem simpliciter, nec quod sint diuersa simpliciter: quoniam in vno sensu sunt eadẽ, in alio sunt diuersa: pro cuius intelligentia, aduerte quod secundum proportionem vniuersaliter sumpta sunt eadem, in specie autem & in genere non sunt eadem. Item principia prima sunt eadem, proxima autem non sunt eadem.

Et quod sint eadem secundum proportionem declaratur primo in principiis intrinsecis, secundo in principiis extrinsecis, & intrinsecis simul. Quo ad principia intrinseca declaratur duplici via, primo principia intrinseca sunt forma, & materia, & priuatio, & ista licet propriè inueniantur in substantia sensibili, tamen per quandam proportionem inueniuntur etiam in genere accidentium: nam sicut in substantia, puta in lapide, est forma lapidis, & materia, quæ recipit formam, in qua materia est priuatio alterius formæ, sic in genere accidentium, puta in colore est albedo, vt forma, & nigredo, vt priuatio, & superficies receptiua coloris, vt materia, & in distinctione temporum lumen est sicut forma, tenebra, vt priuatio, aër sicut materia, in qua recipitur lumen, & tenebra, & ex his tribus constat dies, & nox. Secunda principia intrinseca communia omnibus sunt actus & potentia. omne enim ens, aut est in potentia, aut in actu, aut compositum ex potentia, & actu, licet autem sint communia omni enti, tamen diuersificantur in diuersis: nam quædam sunt pro aliquo tempore in potentia, & pro aliquo tempore in actu, vt corrup. Quædam sunt semper actu, vt entia incorrup. Item actus, id est forma diuersificatur in diuersis. alia est enim forma lapidis, alia hominis, alia equi, simile est de materia proxima, vt patet. & aduerte quòd Aristo. reducit hanc secundam viam ad primam. nam sub actu comprehendit formam, & priuationem, sub potentia comprehendit materiam.

Quod autem principia intrinseca & extrinseca sint proportionaliter eadem in omnibus, declarat sic. tria sunt principia intrinseca, materia, forma, & priuatio. Hæc enim tria intrinsecè concurrunt in omni factione naturali. principia autem extrinseca sunt efficiens, & finis, quæ etiam concurrũt in omni factione naturali, tam substantiali, quàm accidentali. omne enim quod fit ab aliquo fit, & gratia alicuius fit, nisi fiat à casu, sicut igitur in productione substantiæ inueniuntur materia, & forma, & priuatio, & efficiens, ita inueniuntur proportionaliter in productione accidentium. nam si calefit aqua, materia est aqua, forma est calor, frigiditas priuatio, calefaciens ignis. Et aduerte, quod ideo non facit mentionem de finali causa, quia multoties coincidit cum causa formali, est enim forma quę dat esse rei, & quæ est finis generationis. licet autem istæ quatuor causæ inueniantur in omni quod fit, siue ab arte, siue à natura, tam substantialiter, quàm accidentaliter, tamen contractè, & applicatè sunt diuersæ in diuersis. nam in sanatione, forma est sanitas, priuatio ægritudo, corpus materia, efficiens ars medicatiua, & in ædificatione, ordinatio partium est forma, inordinatio priuatio, lateres materia, ædificator agens. Tu tamen aduerte, quod licet sint quatuor causæ, tamen in factione vniuoca possunt reduci ad tres. nam efficiens, & forma producti sunt eiusdẽ speciei pro quanto forma efficientis, quæ est in eo principium agendi, & forma rei productæ sunt eiusdẽ speciei, vt anima hominis generantis, & anima hominis geniti: & sanitas in mente medici, & ea, quæ est causata in infirmo, sunt eiusdem rationis, licet distinguantur in esse, sicut albedo in pariete, & albedo intentionalis in medio. Dixi autem in factione vniuoca, quoniam in æquiuoca non est necesse effectum assimilari causæ in eadem specie, vt patet in his, quæ generantur ex putrefactione, de quibus loquuti sumus in libro septimo, capite sexto.

Quod verò principia prima sint eadem omnium, quæsiit, declaratur triplici via. primo, omnia quæ producũtur, & mouentur pendent à prima causa & accipiunt esse per ipsam, vt declaratum est in libro secundo, & manifestabitur infrà in tex. 38. vbi dicet Arist. quod à tali principio pendent cœlum, & natura, id est superiora, & inferiora. Secundo, omnia quæ sunt, aut sunt substantiæ, aut accidentia, quæ ita se habent, quod substantiæ sunt separabiles ab accidentibus, & non ecõuerso, quoniã substantia est ens per se, accidens autem est ens in alio vt declaratum est in lib. 7. sed principia substãtiæ sunt etiam principia accidentium suorum, vt ab eodem est ignis, & calor, & siccitas, & leuitas. Tertio, omnia quæ sunt in mundo inferiori procedunt ex corpore cœlesti, & anima eius, quę est intelligentia mouens per intellectum, & desiderium, vt declarabitur infrà. Patet igitur, quomodo sunt eadem prima principia omnium ratione primæ, & vniuersalissimæ causæ, à qua sunt omnes gradus entis, & ratione principiorũ substantiæ, quę etiã sunt principia accidentiũ, & ratione corporis cœlestis, cũ illa sint, à quibus pendẽt omnia inferiora. Quod autem principia proxima, tã intrinseca, quã extrinseca non sint eadẽ omniũ patet, quoniã diuersorũ diuersæ sunt formæ, quarũ vnaquæque recipitur in propria, & distincta materia, vt declarauimus in octauo lib. in cap. 3. similiter diuersorũ specie, & diuersorũ numero diuersa sunt productiua numero, nã sicut est homo ab homine, ita hic homo ab hoc homine, idẽ dico de leone, & equo, &c. constat igitur, quomodo sunt eadẽ, & quomodo diuersa principia substãtiæ, & aliorũ generum.

Nunc superest soluere argumenta, quibus probari videtur, quod nullo modo sint eadem.

Ad primum dico, quod principia prima, quæ sunt Deus, & intelligentia, & cœlum sunt in genere substantiæ, id est in hoc cõmuni quod est substantia: & cum arguitur, ergo omnia erunt substantia, negatur consequentia. & cùm probatur, quoniam principium debet esse homogeneum principiato. hæc propositio non est vera, nisi in principio proximo, & præcipuè in principio productiuo productione vniuoca.

Ad secundum negatur consequentia, scilicet quod nõ sint substantia, nec aliud genus entis. nam licet principium sit distinctũ numero à principiato, non tamen est necesse, quod distinguatur genere, aut specie. nã Socr. generans, & Plato genitus sunt indistincti specie, & equus generans mulum sunt indistincti genere animalis, & sol generans ranam sunt indistincti in genere substantiæ, similiter non valet hæc consequẽtia, si ens, & vnum sunt principia simpliciũ, & cõpositorum, & si principiũ non distinguitur ab his, quorum est principiũ, sequitur ꝙ sint idem simplex, & cõpositum. Hæc inquam non valet, quia cum identitate generica, siue specifica, stat distinctio numeralis inter principiũ, & principiatũ. Quod si inter principium, & principiatum staret identitas numeralis argumentũ concluderet. nam bene sequitur est idẽ numero principium simplicis, & cõpositi, & nõ distinguitur numero ab eis ergo sunt idem simplex, & compositum. Hæc de tertio cap.

CAPVT IIII.

Necessarium esse præter sensibiles substantias dari aliquam substantiam immobilem, perpetuam sempérque actu existentem: Actum item actum potentia esse semper priorem ostendit.

IN quarto cap. probandum est, quod vltra substantias sensibiles corrup. necesse est dare aliquam substantiã immobilẽ, æternã, semper agentẽ, & mouentẽ, cuius substãtia sit actus, & immaterialis, & pro vniuersali resolutione tria agẽda sunt.

Primo, probabitur conclusio quo ad singulas partes.

Secundo mouebitur dubium circa illam particulam conclusionis, cuius substantia sit actus.

Tertio, ex determinatione dubij declarabitur perpetuitas generationis, & perpetuitas motus cœli, & perpetuitas motoris immobilis.

Quantum ad primũ aduerte quod cõclusio tres partes continet. prima datur aliqua substãtia ęterna immobilis: secunda quę semp est agẽs, & mouẽs: tertia quę est actus immaterialis.

Prima pars sic probatur, cum substantiæ sint prima entia ita quòd destructis illis nullum esset ens, vt declaratum est in libro septimo, si nulla est substantia æterna, nullum erit aliud ens æternum, sed hoc est impossibile: nam probatum est motum localem circularem esse continuum ęternum, ex octauo Physico. eo quod tempus, quod est idem cum motu, vel saltẽ propria passio motus est æternum: nam si tempus incœpisset prius fuisset non esse temporis, quàm esse eiusdem, & si desineret esse, posterius esset non esse temporis, quam tempus, sed non datur prius, & posterius sine tempore: ergo ante tempus esset tempus, & post tempus adhuc esset tempus, quod implicat contradictionem, tempus ergo est æternum, ergo & motus, cum sint idem, vel saltem se habẽt, vt subiectum, & passio: tunc vltra motus est æternus: ergo datur substantia mouens æterna: nam motus de necessitate includit mouens, & non solum mouens, sed & mobile, vt declaratum est in octauo Physico. necesse est ergo dare aliquam substantiam æternã immobilem, & quidem quod sit immobilis probabitur infrà, & tu aduerte, quod licet conclusio sit vera, tamen medium assumptum ab Arist. non est verũ, ideo alio medio, & vera conclusio probanda est, quod mediũ videbis in quæst. nostris Metap. &c.

Secunda pars sic probatur, si substantia æterna, à qua est motus æternus incessanter, & continuus non esset semper, & continuè mouens, ac agens motum, sed esset motiuum, & effectiuum, id est esset habens potentiã ad mouendum non esset necessario motus æternus continuus, non enim est necesse motiuum semper mouere, & effectiuum semper efficere, sed necesse est motum esse æternum, quia necessario tempus est æternum: ergo, &c. Ex qua sequitur corollariè, quòd cum ratio ponendi substãtiam æternam sumatur apud Philosophum à motu ęterno, vana fuit opi. Pla. & inutiliter posuit species substãtias separatas: nam cum sint vniuersalia, & vniuersale nõ mouet, sed singulare, est enim actio singulariũ: huiusmodi species nihil proficiunt ad motum, ex consequenti vanè ponuntur. Et tu aduerte, quod secundũ veritatẽ hæc secunda pars conclusionis, & mediũ, cui innititur, sunt falsa. Deus enim agere ad extra incœpit in tẽpore, & si arguitur quod cũ actio Dei sit substãtia sua, sicut substãtia sua est æterna, ita actio sua est æterna, ergo & motus, & mundus æternus, huic argumẽto respondemus in quæst. Met. & tu quære in quæstione, in qua quæritur, si B.T. sufficiẽter soluit rationes Philosophi, de æternitate mũdi.

Tertia pars sic probatur, & primo quod eius substantia sit actus: nam illud, in cuius substantia est potentia, scilicet passiua, possibile est, vt non sit ens, dicit enim Com. in com. trigesimo, determinatũ est in naturalibus, quod omne, cuius substantiæ admiscetur potentia, est generabile, & corruptibile: ergo si substantia huius substantiæ æternæ non sit actus poterit non esse, ergo non mouere: ergo poterit motus non esse æternus, quod reputat Aristote. omnino impossibile: secundo probatur quod sit immaterialis, nam si habet materiam est in potentia passiua, & si est in potentia passiua, potest non esse ens ex prædictis, si potest non esse ens non est æterna: sed per primam partem conclusionis iam probatum est, quod necesse est ipsam esse æternã, ergo necesse est ipsam esse immaterialẽ.

Et tu, aduerte quod licet vtraque pars huius tertiæ partis sit vera, tamẽ media absumpta ab Ari. non habent necessitatem, nam ex sempiternitate motus probat non esse potentiam passiuã in hac substantia æterna, & tamen hæc sempiternitas motus non est vera, & propterea alio medio probandum est hanc substantiam non habere potentiam in substantia sua sic, hæc substantia est incorruptibilis secundum substantiam, ergo nõ est in potentia secundũm substantiam, consequentia patet ex eo, quod potentia passiua est potentia contradictionis, vt dictum est in li. nono, antecedens autem probatur apud Theologum, vt videbis in prima parte B.T. in quęstio. quinquagesima, arti. quinto, similiter medium, quo probat Arist. quod est immaterialis, quia est æterna non videtur concludere, aliter nullum habens materiam esset æternum, & incorruptibile: & sic cœlum non esset æternum: nec est distinguendũ hîc de materia subiecta, vel non subiecta priuationi, quoniam Arist. intendit hic negare omnino materiam ab huiusmodi substãtia, aliter non posset ipsam saluare esse immobilem. Dixit enim in octauo li. tex. quarto, quęcunq; habent materiam mobilia, & mutabilia sunt, & ideo immaterialitas huius substantiæ melius probatur ex intellectualitate, vt probat B. T. prima parte, quæst. quinquagesima, ar. secundo: vtrum autem Ari. probans dari substantiam æternam, probet de omnibus intelligentiis, an tantum de prima causa, & posito quod probet de omnibus indistinctè, qua procedendum est ad probandũ primam causam esse, hæc videbis resoluta in nostris quæstio. Metaphysica.

An actus potentia prior sit.

Quantum ad secundum, aduerte dubium oriri ex eo, quod concludit substantiam æternam esse actum: nam cum substantia æterna sit prior omni alia substantia, aliter si haberet priorem non esset æterna, & sit actus, videtur, quod actus sit prior potentia. Quod tamen videtur dubium, & ideo Aristotel. arguit ad partes, & primo ad partem negatiuam sic. Omne agens actu, potest agere, nam si non haberet potentiam ad agendum, non ageret, sed non omne potens agere agit, vt patet: ergo actus non est prior potentia, sed potentia est prior, probatur consequentia, quoniam ab actu ad potentiam est bona consequentia, & non econuerso: ergo, &c.

Pro parte autem affirmatiua sic, Si potentia est simpliciter, & vniuersaliter prior actu, sequitur quod aliquando nullum fuerit ens actu, nec etiam nunc sit: quod est manifestè falsum: consequentia sic declaratur. Quod est in potentia, scilicet passiua non reducitur ad actum per seipsum, sed per aliquod existens actu: videmus enim in artificiatis, quod materia, puta ferrum non fit gladius actu, nisi per artificem, in cuius mente est actu forma gladij, nec menstruum recipit formam animalis, nisi per semen, in quo est actu virtus generantis, ergo si omnia fuerunt aliquando in potentia, siue in quadam confusione secundum Anaxa. siue in nocte, id est sub quadã informitate, secundum poëtas Theologos, sequitur quod nihil fuisset productum in actu, & sic nunc nullũ esset ens actu, quod cum sit manifestè falsum, patet quod actus est simpliciter prior potentia.

Pro determinatione huius dubij remittit se Aristote. ad ea, quæ dicta sunt in libro nono, & tu vide ea, quæ diximus in libro nono, in capite quarto, & sufficient pro resoluta determinatione huius dubij, & inuenies quod actus simpliciter est prior potentia, cui attestantur plures antiquorum: nam & Anaxagoras, posuit intellectum separantẽ res prius confusas, & Empedocles posuit vltra quatuor elementa duas causas agentes, litem, & amicitiam, & Leucippus, & Plato posuerunt semper motum. Motus autem includit mouens, & mouens, sicut & agens necessario est actu, cum igitur sit actus simpliciter prior potentia, bene cõclusum est primã substantiam, quæ est substantia æterna, esse actum, & non potentiam passiuam.

Quantum ad tertium, aduerte, quod ex quo actus est prior potentia simpliciter arbitrabatur Aristoteles rerum generationem esse perpetuam, vt etiam conatus est probare in libro secundo de generatione, credit enim, quòd cum vnumquodque generetur à suo simili, sicut homo ab homine in infinitum, & equus ab equo in infinitum. Quapropter apparet esse falsa opinio antiquorum ponentium omnia præextitisse in quadam confusione, vel sub informitate, quam appellabant noctem, eo quod sicut in nocte non apparet rerum distinctio, & forma, sic nec in primo rerum statu, apparebant res distinctæ, & formatæ, hanc tamen perpetuam generationem, & corruptionem non debemus existimare secundum idem numero, sed secundum speciem, & per quandam circulationem, & non in rectum, vt declaratum est in libro secundo de generatione, in textu septuagesimo, & tu aduerte, quod pro rei veritate ex hoc antecedente vero, actus est simpliciter prior potentia, non sequitur necessario hoc consequens: ergo generatio rerum, & corruptio est perpetua, quoniam secundum fidem tenemus primam rerum originem non fuisse naturalem, sed diuinam ex nihilo à primo principio, quod est purus actus, & sua æternitate omne creatum pręcessit. Rationes autem, quibus opinatur Aristote. in secundo libro de generatione propositum suum demonstrare iam soluimus in epitome nostra super libro de generatione.

Et quoniam perpetua generatio circularis requirit causam perpetuam, ideo Aristotel. procedit ad declarandum huiusmodi causam. Tu igitur aduerte, quòd cum generatio apud Aristotelem sit perpetua, & se habeat aliter, & aliter secundum diuersa tempora, & diuersa climata, necesse est assignare duas causas agentes perpetuas, & sine quiete media, vna quidem est causa continuationis, & perpetuitatis generationis, & corruptionis, & hoc est primum cœlum, quod mouetur solo motu diurno, quem diuidit æquinoctialis in duo media, & æquè distat ab vtroque polo. Altera autem est causa diuersitatis, & alternationis, quam videmus in generatione, & corruptione, & isti sunt planetæ, & præcipuè sol, dum mouetur sub zodiaco, cuius medietas declinat ad arcticum, & alia medietas ad antarcticum, & in hemisphærio nostro, dum sol decurrit signa meridionalia fit corruptio, in alio autem hemisphærio fit opposito modo, & istæ duæ causæ ita se habent, quòd prima est causa perpetuitatis generationis sua propria virtute, secunda autem est causa diuersitatis sua propria virtute, sed quod causet perpetuam diuersitatem, hoc habet ex virtute primæ causæ, & cum hæc prima causa sit cœlum primum motum motu diurno, sequitur ipsum esse dignius, non

enim agit virtute planetarum, sed planetæ potius virtute primi cœli. Quare primum cœlum dignius, & sempiternum est. & tu aduerte, quod in libro secundo de generatio. tex. 56. 57. tradidit, quasi eandem doctrinam, vt videre poteris in epitome nostra, & idem perstringit Cõmẽ. paucis verbis in hoc lib. 12. cõmen. 33. cum dicit, necesse est aliquod æternum esse, quod sit causa actionis æternæ, quia non agit, nisi vnam actionem, & aliquod æternum, quod agat actiones diuersas, vt ab eo sint acta diuersa. & hæc est dispositio primi cœli in suo motu diurno, æternitas enim actionis prouenit ex eo, quod ipse facit vnam actionem semper. Quæ autem faciunt actiones diuersas, sunt quæ mouentur in orbibus decliuibus, & maximus eorũ est sol. Remotus enim & propinquus facit cõtraria.

Et quoniam motus perpetuus requirit mouens perpetuũ, implicat enim dari motum sine mouente, si generatio est perpetua, & motus cœli perpetuus, necesse est dari mouens perpetuum, quod sit immobile, & existens, & eius substantia sit actus. Dico immobile, quoniam cum in ordine motorum, & mouentium datur aliquod motum, quod non mouet, & aliquod mouens, & motum, necesse est dare mouens non motum, aliter esset processus in infinitum. quod reprobatum est in libro secundo huius scientiæ, & in octauo physicorum. Huiusmodi autem mouens immobile est primum mouens, cuius virtute & cætera mouentia mouent, & est causa motus primi cœli, qui est motus diurnus. Dico existens quoniam nihil agit, aut mouet in ratione causæ efficientis, si non est actu, quoniam efficere supponit esse. Dico quod eius substantia sit actus, quoniam si esset potentia, scilicet passiua, vel ei admisceretur passiua potentia ratione talis potentiæ esset mobile, & transmutabile: dictum est enim in lib. quinto, & libro nono potentiam passiuam esse principium transmutandi ab alio: vt ergo seruetur immobilitas primi mouentis, necesse est eius substantiam esse actum non admixtum potentiæ passiuæ, ex consequenti esse purum actum, vtrum autem hæc sit proprietas primi principij determinabitur in quæstionibus nostris metaphysicalibus. Hæc de quarto capite dicta sint.

CAPVT V.

Quibusdam conclusionibus primi mouentis summa perfectio declaratur.

à Tex. 36. vsque ad 41. IN quinto cap. declaranda est perfectio primi mouentis immobilis: & aduerte quod in toto hoc cap. erit sermo de primo, & vniuersali mouente, quam Aristot. in tex. 39. appellat Deum, ita quod in hoc cap. non habemus scrutari perfectionem substantiæ æternæ in genere, sed applicatè considerabimus de diuina perfectione, quam ordinauimus per decem conclusiones.

Prima mouens primum immobile, mouet, vt appetibile, & intelligibile.

Secunda mouens primum immobile, cuius substantia est simplex, & actus est primum intelligibile.

Tertia mouens primum immobile est primum appetibile, quod est optimum.

Quarta primum mouens immobile, mouet suum mobile, quod est primum cœlum, vt amatum, mouet autem motu locali, & per primum mobile mouet alia, qui motus est necessarius ex fine.

Quinta ex primo mouente immobili, pendet cœlum, & natura.

Sexta primo mobili desideranti, & intelligenti primum mouens, inest dispositio delectabilis optima semper, qualis nobis inest paruo tempore.

Septima speculatio, qua primum mouens intelligit seipsum est sibi delectabilissima, & optima.

Octaua primum mouens, quod est Deus, est sua vita sempiterna.

Nona primum mouens nullam habet magnitudinem.

Decima primum mouens est, impassibile, & inalterabile.

Primum mouẽs mouet vt appetibile. Pro euidentia primæ conclusionis, aduerte primo, quòd primo mouenti immoto, correspõdet primum mobile, quod est primum cœlum, non sumendo primum cœlum tantum pro corpore cœli, sed pro aggregato ex corpore cœli, & intelligentia motrice, quæ est vt anima cœli, & per quam dicitur cœlum animatum, cœlum mouere seipsum, cœlum distingui in partem mouentem, & partem motam, vt declaratum est in octauo physicorum. Aduerte secundo, quod intelligentia primi cœli mouet cœlum, quia intelligit, & desiderat aliquod optimum, vt finem, quod non potest consequi, nisi ex motu, sicut quòd desiderat sanitatem, quam apprehendit non posse consequi, nec in ea conseruari, nisi per exercitium. Quod quidem optimum, vt eius finis non est aliquod sensibilium, quoniam cum primum cœlum sit nobilissimum inter omnia sensibilia, & intelligentia sit nobilior quocunque sensibili, si finis, propter quem mouet, esset aliquod sensibilium, moueret, vt consequeretur aliquod indignius se quod est irrationabile, quoniam finis habet rationem perfectiui: dicendum est ergo, vt dicit Comment. in comment. 36. quod id quod appetit est nobilissimum entium hoc autem non est nisi mouens primum immotum, vt dicemus intelligentiam primi cœli, ideo mouere, quia intelligit primum mouens immotum continere in se omnes perfectiones, omnes rerum formas immaterialiter, & desiderat assimilari ei in hoc, quod per motum explicetin actu, id est producat in rerum natura formas, quæ virtute sunt in primo mouente, & hæc assimilatio est quid optimum in cœlibus, quoniam facit intelligentiam mouentem esse diuinam, & deiformem. Aduerte tertio, quod in hoc motu, cum sit motus desideratiuus, & voluntarius, tria inueniuntur, quæ ponit philosophus in tertio de anima, tex. 54. loquens de potentia motiua in animali. Hæc autem sunt appetibile, appetens, organum per quod. Inter hæc tria, appetibile, quod est obiectum, & bonum est mouens primum, & non motum ab aliquo priori: appetens autem, siue appetitiuum est mouens, & motum, motum quidem ab appetibili cognito, & desiderato, mouens autem organum ad consequendum appetibile, organum autẽ in hoc ordine est motum, & non mouens de necessitate. In proposito, appetibile est primum mouens immotum, quod appetitur ab intelligentia mouente cœlum, appetens est ipsa intelligentia mota à primo mouente, vt fine desiderato, & mouens cœlum, vt proprium instrumentum, quod quidem in hoc ordine est motum.

Ex his prænotatis patet sensus, & veritas primæ conclusionis. nam cùm primum mouens sit mouens immotum, & motus quo mouetur intelligentia à primo mouente sit motus desideratiuus, vt declarauimus, sequitur quod sit vt intelligibile, & appetibile. Et aduerte quod dicit vt intelligibile, quoniam obiectum appetibile non mouet, nisi cognitum sit & quidem si sit obiectum sensibile potest esse cognitum sensu, & intellectu. nam possum sentire, & intelligere rosam, si autem sit immateriale solo intellectu cognoscibile est, & dicitur intelligibile, & quoniam primum mouens immateriale est, & sine omni magnitudine, vt probabitur in conclusione nona, ideo est solum intelligibile. bene ergo dicit philosophus, vt intelligibile, & appetibile. Aduerte etiam, quod dicit appetibile, & non dicit concupiscibile, quoniam appetibile propriè est, quod desideratur desiderio intellectuali, id est voluntate, quæ sequitur intellectum, concupiscibile autem est quod desideratur desiderio sensitiuo, id est sensualitate distincta in irascibilem, & concupiscibilem, & quoniam in intelligentia non sunt nisi potentiæ intellectuales, ideo quod desideratur, non desideratur, nisi voluntate: exponatur ergo ly appetibile pro voluntabili. & aduerte quod obiectum concupiscibile differt à voluntabili in hoc, quod potest esse verè bonum, & apparens bonum, nam concupiscentia sequitur apprehensionem phantasiæ, & sensus, quæ potest esse vera, & falsa, voluntas autem sequitur iudicium intellectus, prout mouetur ab intelligibili: & ideo voluntabile semper est verum bonum, cum igitur primum mouens immotum sit intelligibile, & non sensibile sit voluntabile, & non concupiscibile, manifestum est quod appetitur, vt verè bonum. vnde in intelligentia non accidit error in appetendo, vt accidit in nobis, qui ex concupiscibili appetimus, quod non est bonum, sed apparens bonum, sequentes apprehensionem phantasiæ, qua res videtur magis, aut minus quàm sit, & aliter quàm sit.

Pro euidentia secundæ conclusionis, aduerte quod sicut in mouentibus & motis essentialiter ordinatis vnum est causa mouendi alteri, sicut sol est causa homini generandi hominem, ita in ordine intelligibilium vnum est causa, quod alterum intelligatur, vt diffinitio est causa, quod propria passio intelligatur: sicut igitur ex ordine, qui est inter mouentia, & mota est deuenire ad primum mouens, ita ex ordine intelligibilium est deuenire ad primum intelligibile. Talis autem est ordo inter intelligibilia, quod cum ens diuidatur per substantiam, & accidens, substantia est causa quod accidens sit intelligibile, sicut enim se habet res ad esse ens, sic ad intelligi, sed declaratum est in septimo libro, quod accidens non est ens, nisi in ordine ad substantiam ergo non est intelligibile, nisi per substantiam, quæ ingreditur

ditur diffinitionem eius, substantia autem diuiditur per simplicem, & compositam, inter quas simplex est prius intelligibilis, quàm composita: nam simplicia sunt de ratione compositorum, substantia simplex diuiditur per actum, & potẽtiam, & actus est prior cognitione, quam potentia, dictum est enim in libro nono, vnumquodque cognosci inquantum est actu: cum igitur primum mouens, vt declaratum est suprà, sit substantia simplex, & quæ est actus non admixtus potentiæ, sequitur quod sit primum intelligibile, ex consequenti maximè, quoniam primum in quolibet genere, vt dictum est in lib. secundo, & in decimo, est maximè tale, & metrum aliorum: & aduerte, quod Arist. hic intendit de ordine intelligibilium ex natura rei, & non ex parte nostra, nam ex parte rei, quod est magis, & perfectius ens est magis intelligibile, ex parte autem nostra est plerunque oppositomodo, vt declaratum est in libro secundo, vnde sensibilia materialia licet sint minus entia, quam abstracta, tamen sunt nobis prius, & magis cognita.

Primum mobile optima dispositionis est.

Pro euidentia tertiæ cõclusionis, aduerte quod cum vnumquoque intantum sit appetibile, inquantum bonum, & bonum est inquantum est actu, & primum mouens sit maximè actu, sequitur quod sicut est primum intelligibile, sic etiam primum appetibile, & sit bonum optimum, & quoniam bonum habet rationem finis, sequitur quod primum mouens sit primum intelligibile, primũ appetibile, & optimus finis: nec obstat, quod dictum est in tertio libro non esse bonum, & finem in rebus immobilibus, nam qualiter illud intelligendum sit, iam declarauimus in tertio lib. in capite secundo vide illic.

Pro euidentia quartæ conclusionis, aduerte primo quod dicit mouet, vt amatum, ex quo infertur quod primum mobile amat ipsum, vt intelligatur per primum mobile intelligẽtia primi cœli, quæ ideo mouet primum cœlum, quoniam amat primum mouens, quod intelligit esse primum intelligibile, & primum appetibile, & intelligit suam perfectionem consistere in assimilatione ad primum mouens, modo quo sit prà exposuimus, & intelligit suam perfectionem non posse consequi, nec conseruari in ea nisi moueat primum cœlum, & melius dicitur amans, & amatum, quàm desiderans, & desideratum: nam amamus quæ habemus, & quæ nõ habemus, modo adsit spes habendi. Desideramus autem propriè quæ non habemus, & quoniam prima intelligentia actu mouens actu consequitur assimilationem primi mouentis, ideo illic est amans, & amatum: verum, quia desiderat conseruari perpetuè in hac assimilatione, ideo illic est desiderans, & desideratum. Aduerte secundo, quod intelligentia prima mouet primum cœlum tantum motu locali, quoniam cum motus ille sit perpetuus, necesse est primum cœlum esse perpetuum, ergo immutabile secundum substantiam: sed omnis alia mutatio facit mutabile aliter se habere secundum substantiam, vt declaratum est in octauo Physicorum, præter motum localem, cuius terminus est extrinsecus à mobili. Aduerte tertio, quod cum motus primus sit causa omnis motus, & metrum, motu primo locali, quo mouet intelligentia primum cœlum mouet alia, omnes enim sphæræ cœlestes, vt declarabitur infrà, mouentur à motu primi cœli. Aduerte quarto, quod motus localis causatus à prima intelligentia est necessarius non necessitate violentiæ, nec necessitate absoluta, sed necessitate finis. nam intelligentia apprehendens perfectionem suam, quæ est in assimilatione ad primum mouens, modo quo suprà exposuimus non posse conseruari sine motu, sicut necessariò appetit conseruationem suæ perfectionis, sic necessariò mouet cœlum, & id quidem dictum sit, prout arbitratur Aristot. & Comment. nam secundum Theologum suprema perfectio non inest intelligentiis ex motu cœli, sed speculatione essentiali, qua speculantur Deum optimum: sed hoc ad negotium metaphysicum non spectat.

Primum mobile optima dispositionis est.

Pro euidentia quintæ conclusionis, aduerte, quòd dependentia potest cadere super substantiam cœli, & super perpetuitatem substantiæ cœli, & super perpetuitatem motus cœli, secundum rectè sentientes, qui ponunt primum principium esse causam effectiuam, & non solum finalem omnis entis, tenendum est cœlum pendere à primo principio, quo ad tria prædicta: secundum autem phantasiam Comment. qui negat creationem, tenendũ esset cœlum pendere à primo principio, non quo ad productionẽ in esse, sed quo ad moueri perpetuò. Quæ autem fuerit mens Arist. in hoc determinauimus in quæstionibus nostris metaphysic. & tu vide quæstionem in qua quæritur, si primum est causa effectiua omnium absolutè.

Pro euidentia sextæ conclusionis, aduerte, quòd primum mobile non sumitur pro corpore cœli, sed pro intelligentia mouẽte primum cœlum, quæ mouetur à primo mouente in ratione intellecti, & desiderati, & more Arist. dicitur anima primi cœli: hæc igitur anima ex eo quod intelligit, & desiderat, siue amat primum mouens est in optima delectatione, eo quod intellectio, qua intelligit primum mouens, & dilectio, qua ipsum diligit, est sibi delectabilissima, sicut & nos experimur dum speculamur diuina. nam, vt probat Aristo. in decimo Ethic. quæcunque felicitas potest à nobis haberi pro hac vita consistit in speculatione entium diuinorum & præcipuè primi entis, felicitas autẽ duo requirit, scilicet nobilissimam apprehensionem, & optimam voluntatem, differentia tamen est inter nos & animam primi cœli, quoniam nos pro hac vita multipliciter impediti & distracti paruo tempore persistimus in illa optima dispositione, anima verò primi cœli, quia non impeditur nec distrahitur, sed continuè speculatur primũ mouens & speculans mouet cœli, ideo est semper in eadem dispositione optima, quod probatur supponendo tria. Primo, delectatio consistit in actuali & præsenti operatione: cuius signum est, quod memorantes præterita non delectamur nisi pro quanto apprehendimus aliquando fuisse in præsenti, & in futuris non delectamur, nisi quia speramus pro aliquo tempore nos consecuturos. Delectatio igitur secundum se est circa id quod est actu, & comprehensum actu ab operante. vnde, vt inquit Comment. in commento 39. Desiderium præcedens omnem comprehensionem, id est, consecutionem desiderati magis videtur dolor quàm voluntas. Secundo delectatio est circa operationem naturalem & propriam vniuscuiusque rei, videmus enim vt inquit Arist in decimo Ethic. aliam esse delectationẽ equi, aliam hominis, quoniam vtriusque est diuersa operatio. Hinc est, vt inquit Heraclitus, quod fœnum delectabilius est asino, quàm aurum, homini autem econuerso. Tertio delectatio tanto melior & perfectior est quanto operatio nobilior, vnde Arist. graduat nobilitatem delectationum & puritatem secundum differẽtiam nobilitatis & puritatis, quæ est inter sensus, & inter sensus & intellectum, vt patet in 10. Ethic. vbi inter delectationes sensitiuas ponit eam, quæ est secundũ visum, perfectiorẽ: & super omnes quæ habentur per sensum eam, quæ est secundum operationẽ intellectus: & inter eas, quæ sunt secundũ operationẽ intellectus eam quæ est intellectus optimi dispositi in comprehensione nobilissimi obiecti. Ex his suppositis sic probatur conclusio, sicut sentire est propria & naturalis operatio naturæ sensitiuæ, sic intelligere est propria & naturalis operatio naturæ intellectualis: ergo sicut sentire concomitatur delectatio secundum sensum, sic intelligere comitatur delectatio secũdũ intellectũ & sicut ad nobilius sentire sequitur nobilior delectatio, sic & in intellectu, cum igitur anima cœli intelligens primum mouens habeat nobilissimam operationem sibi propriam & naturalem, quæ est intelligere primum mouens, sequitur, quod maximè delectatur, & per consequens est in optima dispositione: Vtrum autem hæc anima cœli sit verè animans cœlum, ita quod cœlum sit verè & propriè animatum, discussum est in quæstionibus nostris metaphysicalibus.

Septima conclusio.

Pro euidentia septimæ conclusionis, aduerte quod cum primum mouens dignius sit anima cœli intelligente ipsum & amante, necesse est dicere quod perfectiori modo intelligit ipsum inquãtum attingit ipsum & vnitur sibi intelligibiliter, sed longe perfectiori modo attingit seipsum & vnitur sibiipsi, quoniã idem est intelligens & intellectũ. ergo perfectiori modo delectatur in seipso quàm delectetur anima cœli dum intelligit ipsum Deũ, igitur speculatio est sibiipsi absolute delectabilissima & optima, & si nos dũ speculamur Deũ sumus in optima dispositione, & tamẽ non semper, multo magis Deus est mirabilis & sine proportione, qui super seipsum speculatur. Et propterea inquit Auic, in lib. 8. cap. 7. suæ metaphy. primus est excellentior apprehensor cum excellentiore apprehensione excellentioris apprehensi: & ideo est excellentior delectator cum excellentiore delectatione in excellentiore delectato, & hoc est in quo nihil comparatur, & iterum inquit, Tũc necesse esse quod est in vltimo perfectionis & pulchritudinis, & decoris, eo quod intelligit seipsum in tali vltimo, & cum perfectione intelligendi & cum intelligentia intelligentis & intellecti quod vnum sunt perfectissimè, ideo ipse suipsius est maximus amator, & amatum & magis delectans & delectatum, quoniam delectatio non est nisi apprehensio conuenientis secundum quod est conueniens. hæc Auic.

Octaua conclusio.

Pro euidentia octauæ conclusionis, aduerte, quod sicut sentire est viuere, sic intelligere est viuere. & intellectio, quæ est actus intellectus, est vita, & sicut intelligere est nobilius ipso sentire, sic vita intellectiua est nobilior sensitiua: vnde homo vt intellectualis nobilius viuit cæteris animalibus, & int

intelligentiæ nobilius homine, & primum mouens nobilissime, quoniam eius intelligentia nobilissima est, vnde inquit Commentator in commento trigesimonono. Et cùm intellectus est vnius, & cum actio eius est vita, illud igitur quod intelligens est, quia intelligit se, non quia intelligit aliud, illud est viuum, quod & habet vitam in fine nobilitatis, & ideo vita & scientia propriè dicuntur de eo, est igitur viuens Deus sapiens. hæc Comment. Sed aduerte, quòd cætera quidem viuentia, licet habeant vitam, non tamen sunt sua vita, quoniam non est actio substantia in eis, imò perficiuntur actione sua, ex consequenti comparantur ad eam, vt perfectibile ad perfectiuum. In primo autem mouente, cui non admiscetur potentia aliqua passiua, sed sua substantia est purus actus, necesse est concedere ipsum non solùm esse viuum, sed esse suam vitam, alioquin vt inquit Comment. in commento trigesimonono, dubitaretur ne in eo accideret compositio, quod repugnat simplici actui. Præterea in omni composito datur exitus de potentia ad actum: quæ omnia repugnant simplicitati primi mouentis. est igitur sua vita. Et quoniam intellectio suiipsius est perfectissima & continua & sempiterna, & hæc est vita sua, ideo in eo est vita optima, & duratio continua & æterna, & hæc est Deus. Ex prædictis igitur patet optima perfectio primo mouentis, vnde manifestè errabant antiqui, vt Pythagorici & Leucippus, qui attribuebant imperfectionem primis rerum principiis, perfectionem autem & bonitatem rebus productis ex principiis. Et dabant signum ex eo, quod semina animalium & plantarum comparantur ad producta ex eis, vt imperfecta ad perfecta. Non enim semen animalis est animal actu, productum autem ex semine est animal actu.

Sed decipiebantur antiqui, quoniam semina non sunt principia, sed habent priora, ex quibus sunt semina, vt homo genitus est ex homine generante, ex quo est sperma. Huiusmodi autem principia sunt æquè perfecta cum suis productis in productione vniuoca: & perfectiora in productione æquiuoca. Cum igitur ibi sit sermo de primo & vniuersalissimo principio, à quo pendet cœlum & natura, manifestum est ipsum esse optimum & perfectissimum.

Nona conclusio. Pro euidentia nonæ conclusionis aduerte, quòd suprà in textu trigesimo, probauit substantiam mouentem tempore infinito esse immaterialem, quia caret potentia passiua, quæ est potentia contradictionis, hic autem probat eam sine magnitudine, indiuisibilem & impartibilem, eo medio, quo probauit in octauo Physicorum, textu trigesimonono, & stat in hoc. Primum mouens mouet tempore infinito, ergo est virtutis infinitæ, ergo non est in magnitudine, quoniã aut est in magnitudine finita, aut infinita: non finita, quia vt probatur in octauo Physicorum. In magnitudine finita non potest esse virtus infinita, alioquin moueret in non tempore, vel in tempore æquali mouerent virtus finita & infinita, quorum vtrunque est falsum. Non infinita, quoniam illa non datur, vt probatum est in tertio Physicorum, & in primo cœli. Ergo primum mouens est sine magnitudine. Et tu aduerte, quod apud multos hæc ratio non concludit infinitatem vigoris in primo. Vtrum autem pro rei veritate concludat, determinauimus in quæstionibus Metaphysicalibus.

Decima conclusio. Pro euidentia decimæ conclusionis aduerte quod in octauo Physicorum, textu quinquagesimosexto, probatum est motum localem esse priorem aliis motibus, ita quod potest esse sine aliis, alij autem necessario supponunt eum. Ex quo sequitur, quod si aliquod est passibile, aut alterabile, aut generabile, est mutabile secundum locum, ergo si non est mutabile secundum locum, non est passibile nec alterabile, sed declaratum est suprà quod primum mouens, ita mouet quòd est immotum, scilicet localiter, ergo non est mobile secundum passionem & alterationem. Vnde inquit Commentator in commento quadragesimoprimo, quoniam primum mouens non mouetur in loco, nullum aliorum motuum recipit. Motus enim in loco omnes alios motus præcedit, & cum non habet nobiliorem, non habet viliorem. Hæc de quinto capite dicta sint.

CAPVT VI.

An substantia æterna perpetuò mouens sit vna vel plures.

IN sexto capite, inuestigandum est si substantia æterna semper mouens est tantum vna, vel plures. Pro cuius resolutione quatuor agenda sunt.

Primo, quid circa hoc senserunt alij, præcipuè Plato.
Secundo, probandum est quod sunt plures.
Tertio declarandum est quot sunt.
Quarto comparanda sunt quæ inuenta sunt à Philosopho de substantiis separatis, his, quæ inuenta sunt ab antiquis loquentibus fabulosè.

Quantum ad primum aduerte, quòd Plato in vno concordat cum Aristot. in reliquis autem discordat. Concordat quidem in hoc, quod ponebat plures substantias separatas. Nam, vt dictum est in libro primo, & septimo, & decimo, secundum Plat. quot sunt naturæ specificæ tot sunt ideæ, quas ponebat substantias separatas à sensibilibus & immateriales. Discordat autem quoniam huiusmodi ideæ non dantur secundum Aristot. & posito quod darentur, essent inutiles præsenti proposito. Quærimus enim hic de vnitate & pluralitate substantiarum separatarum mouentium corpora cœlestia, ideæ autem secundum Plato, non applicantur corporibus cœlestibus, discordat etiam, quoniam non solùm quærimus si plures sunt, sed etiam quot sunt. Plato autem non determinat ideas quot sint, & posito quod poneret ideas esse numeros, adhuc non potest certificare quot sint. Nam secundum aliquos numeri tendunt in infinitum, eo quod cuilibet numero dato potest addi vnitas, per quam fit noua species, secundum autem alios numeri non progrediuntur nisi vsque ad decem, quoniam vltra decem videtur fieri repetitio præcedentium simul cum decem. & ratio quidem inductiua secũdum eos est, quoniam denarius consurgit ex primis numeri principiis continua progressione, nam vnitas non est numerus, sed numeri principium. Binarius autem numerus non est compositus ex numeris, sed duabus vnitatibus. Ternarius est numerus compositus ex vnitate & binario. Et hæc tria, scilicet vnitas, binarius, & ternarius simul iuncta faciunt sex, quibus si addatur quaternarius constitutus ex duobus binariis, constituunt decem. Verum hæc ratio non est demonstratiua, sed potius suasiua, nos autem intendimus determinare & firmiter ostendere, quot sint huiusmodi substantiæ. Relictis igitur huiusmodi opinionibus prosequamur intentum nostrum. Tu tamen aduerte quod Arist. perfunctoriè adducit sententiam Plat. de separatis. nam in doctrina sua inuenitur quod primum ens omnino separatum est per se vnum & per se bonum, quod est Deus, sub quo constituit deos secundos, sub quibus dæmones, sub quibus animas humanas. Verum de positione Plat. in huiusmodi separatis aliàs loquuturi sumus.

Quantum ad secundum aduerte, quòd Aristo. procedens à sensatis, sicut ex motu cœli inuestigauit & concluſit in textu vigesimonono, & trigesimo, dari substantiam æternam incorruptibilem immaterialem, sic ex pluralitate motuum cœlestium inuestigat pluralitatem huiusmodi substãtiarum, quilibet enim vnus motus est ab vno motore, ergo si plures sunt motus cœlestes plures sunt huiusmodi substantiæ mouentes. Quod autem sint plures motus cœlestes principium sumamus ex hoc, cum sphæræ cœlestes sint in numero determinato, necesse est inter eas dari vnum primum mobile, cuius motus localis sphæricus erit primus, ergo est ab vno primo motore, qui est principium primum entium immobile per se & per accidens, ex consequenti æternum immateriale, & sic iam habemus vnam primam substantiam separatam mouentem primum mobile motu diurno & simplici. Vtrum autem hic primus motor ita moueat primum mobile quod sit ei applicatum, determinauimus in quæstionibus nostris metaphysicalibus. Sed vltra motum diurnum manifestè deprehendimus plures motus proprios planetarum. Sensu enim videmus planetas moueri ad motum primi mobilis ab oriente ad occidentem, Motu autem proprio vnusquisque mouetur ab occidente ad oriẽtem sub zodiaco, & diuersis temporibus perficit motum suum, vt Luna in mense, Sol in anno, &c. vt patet in sphæra. tunc vltra, cum planetæ sint corpora incorruptibilia & moueantur motu incessabili & æterno, alioquin generatio & corruptio inferiorum non esset perpetua, cuius oppositum probatum est in libro secundo de Generatione, sequitur quod moueantur à motoribus per se immobilibus, quæ sint substantiæ sempiternæ & immateriales, alioquin non causarent motus sempiternos. Manifestum est igitur quod sunt plures substantiæ sempiternæ per se immobiles & sine magnitudine, quoniam mouent tempore infinito, & tot sunt motus cœlestes, & ordinantur secundum nobilitatem, sicut ordinantur sua mobilia. Quod quomodo sit verum, determinauimus in quæstionibus metaphysic. Et tu aduerte, quod Aristot. posit primum motum diurnum non nominat nisi lationes planetarum, quoniam tempore suo credebatur sphæra stellarum fixarum esse primum mobile, postquam non sunt nisi septem planetæ. Quod an sit verum determinauimus in quæstionibus nostris in libro secundo de cœlo.

Quantum

Quantum ad tertium aduerte, quòd secundum Aristo. non datur substantia separata nisi ordinata ad motum alicuius sphæræ cœlestis. Determinatus ergo numerus substantiarum separatarum, sumendus est ex determinato numero motuum. Numerus autem motuum cœlestium sumendus est ex astrologia, quę inter scientias mathematicas sola cõsiderat de substantia sensibili mobili æterna: nam Geometria & Arithmetica versantur circa quantitates, quæ sunt accidentia. Et quidem quod sint plures motus etiam cuiuslibet stellæ erraticæ Astrologus habet pro constanti, & manifestum est cuilibet exercitato in Astrologia. Et aduerte, vt dicit Commentator in commento quadragesimoquarto, quod motus planetarum assignati ab Astrologo sunt tribus modis. Est enim motus apprehensus à vulgo per visum, puta quod Luna moueatur ab Oriẽte ad Occidentẽ singulis diebus. Est alius, qui non comprehenditur nisi instrumentis & considerationibus, & hic subdiuiditur, quoniam aliquis comprehenditur longo tempore, vt motus Saturni sub zodiaco, aliquis autem breui tempore, vt motus Solis, & adhuc breuiori, vt motus Lunæ. Est & tertius motus qui declaratur ratione. Plures enim istorum motuum videntur visu simplices: secundum autem rationem & naturalia opinandum est illos esse compositos ex pluribus vno: verbi gratia, quia stellæ erraticæ videntur quandoque velociores, quandoque tardiores, & modo directi, modo retrogradi, & hoc non potest esse verum secundum naturam corporum cœlestium. Declaratum est enim in naturalibus, quod omnes motus cœlestes sunt regulares, & quod impossibilis est eis velocitas, aut tarditas, aut directio, aut retrogradatio: vnde necesse fuit Astrologo ponere Astrologiam, per quam manifestarentur huiusmodi dispositiones sine aliquo impossibili, quod qualiter fiat declarabitur in sequentibus. Vt igitur sciamus quot motus sint planetarum, scrutabimur sententiam Astrologiæ, & quoniam variæ sunt in hoc opinio. ideo remoto amore & odio adhærendum est illi, quæ videtur certior. Tu igitur aduerte, quod tempore Plato. & Aristotel. duo fuerunt celebriores astronomi, scilicet Eudoxus & Calippus, qui sine positione stellarum eccentricarum & epicliclorum, conati sunt saluare irregularitates & omnes motus, qui apparent in planetis per solas sphæras concentricas. Eudo. igitur Soli attribuit tres sphæras, & Lunæ tres. Et prima quidem defert astrum Solis ab Oriente ad Occidentem motu diurno, credebat enim quod primum mobile, quod secundum ipsum est octaua sphæra, non sufficeret ad causandum hunc motum in planetis per modum raptus, secunda autem defert astrum ab Occidente ad Orientem sub zodiaco secundum longitudinem de signo in signum, & dicitur motus longitudinis, tertia verò defert astrum ab Occidente in Orientem sub zodiaco secundum latitudinem, prout astrum declinat ab ecliptica, aliquando versus austrum aliquando versus Aquilonem, & tunc dicitur planeta australior vel borealior, & hic dicitur motus latitudinis, quem Eudox. attribuit Soli & Lunæ, sed manifestior est in Luna, secundum autem Ptolemæum nullo modo conuenit Soli in zodiaco, quoniam secundum ipsum nunquam declinat ab ecliptica. Ista fuit opinio circa sphæras & motus Solis. Consimiliter opinatus est circa numerum sphærarum & motuum Lunæ. Differebat tamen in hoc, quod tertia sphæra causans motum latitudinis in Sole, mouebatur ab Occidente in Orientem, sicut & secunda, tardius tamen quàm in secunda. In Luna autem mouebatur ab Oriente in Occidentem, sicut & prima, sed tardius quàm prima & quàm secunda. Figuram autem Solis & Lunæ descripsimus vt infrà.





Cuilibet autem aliorum quinque planetarum attribuit quatuor sphæras, primam attribuit propter causandum motum diurnum, secundam propter motum longitudinis sub zodiaco, tertiam propter motum latitudinis, prout declinat ab ecliptica, aliquando versus austrum, aliquando versus aquilonem, cuius quidem polos ponebat in ecliptica, quartam autem sphæram ponebat ne planeta secundum motum latitudinis egrederetur zodiacum, & pertingeret vsque ad polos zodiaci. nam sicut zodiacus transit per polos tertiæ sphæræ, sic tertia sphæra deferens planetam secundum motum latitudinis trãsit per polos zodiaci. Ne igitur tertia sphæra deferat planetam extra zodiacum, datur quarta, quæ retorquet planetam versus ecliptica, sed vbi esset poli istius quartæ sphæræ Aristo. secundum Eudoxum non assignat. Figuram autem quinque planetarum descripsimus, vt infrà.



Hæc fuit positio Eudoxi, ex qua patet, quod Soli & Lunæ attribuit sex sphæras, Saturno autem & Ioui & Marti & Veneri & Mercurio attribuit 20. Sunt ergo in summa 26. sphæræ planetarum secundum Eudox. secundũ autem Calippũ multo plures sunt, nam quot posuit Eudox. tot posuit & ipse & eundem ordinem seruauit in situ planetarum. Posuit enim Solẽ immediatè super Lunam, sed videbatur sibi non posse seruari & regulari omnia, quæ apparẽt in planetis, nisi adderet alias sphæras, præter eas quas posuit Eudox. Aduerte igitur, quod Eudox. ponens in Sole & Luna tantum tres sphæras pro vnoquoque non videtur reddidisse causam velocitatis & tarditatis, quæ apparent in motu eorum. Vt igitur redderetur huiusmodi causa Calippus addidit Soli duas sphæras, & Lunę duas, vnde dicit Commenta. in commẽto quadragesimoseptimo, & reputo quod addidit hîc, vt det causas ex eis velocitatis & tarditatis, cum sit impossibile vt motus eiusdem stellæ sit velox & tardus insimul, nisi sit compositus ex motibus, Sol ergo & Luna habent decem sphæras, ex quibus sex sunt deferentes, id est ordinatæ ad delationem astri, quatuor autẽ sunt reuoluentes, scilicet duæ in Sole, & duæ in Luna, quas dixit esse necessarias, quia aduertit quod in quatuor quartis æqualibus zodiaci mouetur Sol inæqualiter, ita quod in vna quarta diutius moratur, in alia autẽ breuius. Causa huius non potest esse sphæra deferens, quoniam in deferente æqualiter mouetur. Attribuit igitur Soli & Lunæ duas sphæras reuoluentes, quarum vna faciebat Solem moueri velocius in vna quarta, & altera tardius in altera quarta, idem intellige de Luna. Decem igitur sphæras attribuebat Soli, & Lunæ. Similiter Eudox. attribuens aliis quinque planetis solum quatuor sphæras non videtur posse saluare & assignare causam quare videntur aliquando retrogradi, aliquãdo stationari, & ideo

ideo Calippus cuilibet eorum addit quintã sphæram, quæ esset prædictæ apparentiæ causa, & has omnes appellauit deferentes, & cum sint quinque planetæ omnes simul habent 25. deferentes. Cuilibet autem deferenti, præter quam vltima, in qua est astrum planetę complantatum faciebat correspondere suam reuoluentem eadem causa, sicut in Sole & in Luna, ita quod tot sunt reuoluẽtes in Ioue, quot deferentes vna minus, idem intellige in Saturno & Venere & Mercurio & Marte, sicut, igitur deferentes sunt 25, sic reuoluentes sunt 20. quæ simul iunctæ sunt 45. quibus si addas 10. Solis & lunæ erũt 55. secundum Calippum, si autem non addantur Soli & Lunæ quatuor deferentes & quatuor reuoluentes erunt in summa 47. Sed aduerte, quod cum Arist. text. nominet duos primos Planetas & quatuor posteriores, & tamen sint 7. sequitur quod prætermiserit vnum, siue Martem, siue Mercurium, siue Lunam. Quare autem prætermiserit non constat, nisi forte ex errore vel inconsideratione computationis, quod non videtur cedere in honorem Arist. in tanta re, & maximè quod computatio est modica, cum non transcendat 55. vel fuit propter particularem rationem assignatam à Calippo, quam Arist. non adduxit, & forte est illa, quam adducit. D. Alber. in hoc libro in tractatu secundo, in capite vigesimotertio, & est, quod Calippus non computauit sphæras, nisi illis planetis, qui manifestius videntur reuoluti. Isti autem sunt Iupiter, & Mars, & Venus, & Mercurius, quibus secundum Calippum subsunt Sol & Luna, & quoniam in Saturno istæ reuoluentes sphæræ non sunt ita manifestæ, licet in eo sint realiter, ideo prætermisit eum. Sed aduerte, quòd ratio Alber. non videtur congruere text. Certum est enim quod Saturnus est primus planetarum, & Arist. iam numerauerat duos primos, deinde quatuor posteriores. Vnde melius est dicere, quod prætermiserit Martem, & quod ignoramus rationem, quoniam astrologia Calippi in scriptis ad nos peruenit. Hæc igitur fuit sententia Calippi de numero sphærarum septem planetarum. Et vt facilius pateat descripsimus figura infrá.



Cum igitur cuilibet motui æterno sphærarum cœlestium correspondeat aliqua vna substantia æterna immaterialis immobilis, rationabile est tot huiusmodi esse substantias: igitur si credimus Calippo, substantiæ tales applicatæ motibus planetarum erunt 55. vel 47. vltra primum mouens, cui attribuit motum primi mobilis. Dixit autem rationabile, id est, probabile, & non ex necessitate concludi, quoniam necessarium circa hoc est relinquẽdum fortioribus ad inueniendum quàm ipse fuerit, fortiores autem videntur esse illi, quin vt inquit Albertus propria cœli considerant, vel vt inquit Comment. in commen. quadragesimooctauo, qui habent sollicitudinem in ista arte, id est, in astrologia, ex quibus innuit Aristot. quod in hoc non secundum propriam sententiam loquutus est, sed se refert ad astrologum. De numero igitur substantiarum separatarum hæc dicta sint. Vtrum autem hæc astrologia antiquorum saluet apparentias planetarum, vel sit necesse ponere sphæras eccentricas & epicicios, iuxta Ptolomæi astrologiam, determinauimus in quęstionibus metaphys.

Sed aduerte, quòd hæc conclusio, scilicet numerus substantiarum separatarum sumendus est secundum numerum motuum & sphærarum cœlestium, posset in fringi ex tribus. Primo, quia diceret aliquis non esse inconueniens dari aliquas substantias separatas, non ordinatas ad motum corporum cœlestium, sicut dixit Socrates, Omnium deorum patrem esse vnum Deum sublimem, immobilem & mouentem & causantem omnia, & prima entia causata ab eo sunt duodecim dij incorporei immobiles non mouentes, sed assistentes Deo sublimi & tenentes senatum cœli, & sub istis sunt dij corporales, qui mouentur, qui sunt planetæ & alia sydera, & sub istis sunt dij terreni, qui habent numina sua super ea, quæ procedunt ex terra, & isti sunt homines dominantes cæteris animalibus, &c.

Sed contra hanc opinionem sic arguit Aristot. Si non esset aliquis motus in cœlo, qui non sit ordinatus ad astri lationem aliter ille motus esset frustra. Et si omnis substantia impassibilis & immaterialis fortita est optimum finem, ex eo quod mouet, aliter esse otiosa, ex cõsequenti imperfecta, necesse est sumere numerum harum substãtiarum ex numero motuum & mobilium cœlestium. omnis enim substantia separata est finis alicuius motus cœlestis.

Et tu, aduerte quòd Aristoteles hîc loquitur secũdum meram inuestigationem naturalem & à sensatis ascendendo, secundum quam viam non potest deprehendi substantia separata, nisi ex motu, vnde secundum principia huius scientiæ non potuit aliter deprehendere numerum harum substantiarum. & quod dicit Socrates reputaretur error in philosophia: similiter id quod dicit Theologus de angelis, nec potest in hoc disputare Theologus cum Philosopho, quoniã non communicãt in principiis, procedit enim Philosophus via naturali, ille autem via reuelationis. Licet autem non possit disputare via argumentatiua cum Philosopho & probatiua, potest tamen respondere vt in præsenti proposito, diceret non esse necesse omnem substantiam separatam ordinari ad mouendum cœlum, nec est necesse optimam dispositionẽ suam pendere ex motu, imò considerata nobilitate sua, qua excedunt omnia corporalia, conueniens est dicere quod sint altioris status, quàm quod sint proportionatæ, vt fines cœlestibus motibus, & quod possunt optimè se habere, etiam quod non moueant, puta ex eo quod intelligunt primum principium & intelligunt seipsas.

Secundo, potest Infringi, quia posset dicere aliquis dato quod tot sint substantiæ separatę quot motus cœlestes, tamen non potest determinatè sciri, in quo numero sint motus cœlestes. Nam forte sunt alij, præter eos qui inuenti sunt ab Eudoxo & Calippo, qui non deprehenduntur sensu eo quod non causant in astro aliquam diuersam apparentiam.

Sed contra hoc sic arguit Aristot. Cum omnis motus cœlestis sit propter aliquid, necesse est quod sit propter seipsum, vel propter alium motum, vel propter astrum motum. non potest autem esse propter seipsum, quoniam motus vt motus est alicuius mobilis, cum sit actus eius. nec est propter alium motum, quoniam eadem ratione ille esset propter alium, & ille propter alium, & sic in infinitum, quod est impossibile, quoniam cum sit deuenire ad primum mouens, & primum mobile, vt probatum est in octauo Physicorum, est etiam deuenire ad primum motum, ergo necesse est omnem motum cœlestem ordinatum esse ad delationem alicuius diuini corporis, id est, stellæ. Non potest autem esse ordinatus ad lationem alicuius astri, quin appareat aliqua diuersitas, & variatio secundum situm in astro. Quicquid enim localiter mouetur, necesse est, vt sit in alio & alio loco, sed omnes motus facientes diuersam apparentiam in astris, deprehensi sunt ab Astronomo: ergo rationabiliter conclusum est, tot esse substantias immateriales, quot sunt deprehensi motus corporum diuinorum, id est, stellarum, siue deprehendentur. Quod dico, quoniam si deprehendentur esse tot, quot posuit Calippus, siue pauciores, vt posuit Eudoxus, siue plures, vt videntur ponere moderni astronomi, qui deprehenderunt super octauum cœlum dari aliud, eo quod comprehensum est octauum cœlum moueri motu diuino, & motu proprio in centum annis gradu vno, rationabiliter concluditur esse tot substantias separas, quot sunt motus cœlestes.

Tertio, posset debilitari, quoniam diceret aliquis, quod sunt plures cœli, id est, plures mundi, & in quolibet sunt tot sphæræ, quot in isto, ex consequenti sunt plura prima mobilia, & plures Saturni, & plures Ioues, &c. ergo ex numero motuum huius mundi non potest concludi numerus substantiarum separatarum.

Sed conta hoc arguit Aristoteles. Si sunt plures cœli, id est, mundi, sunt eiusdem speciei, & distincti solo numero, alioquin mudum esset nomen æquiuocum æquiuocatione Physica. Si isti mundi sunt eiusdem speciei, cum quilibet mundus debeat habere suum motorem primum, sicut habet primum motum, & primum mobile, dabuntur plures motores primi distincti numero, & eiusdem speciei, sed hoc est impossibile, quoniam quæ sunt eiusdem speciei, & distincti solo numero habent materiam. nam materia est principium distinctionis numeralis, vt dictum est in lib. quinto: sed pri-

sed primus motor non habet materiam, quoniam declaratum est suprà, eius substantiam esse actum inadmixtum potentiæ passiuæ, ergo est tantum vnus primus motor, & vnus primus motus, & vnum primum mobile, ex consequenti est tantum vnum cœlum, id est vnus mundus. Quomodo autem sit verum hoc principium, quæcunque sunt eiusdem speciei, & distincta numero habent materiam determinatam in quęstionibus Metaphysicalibus.

Quantum ad quartum, aduerte quod ab antiquis duo inuenimus dicta. Primo, quod istæ substantiæ sunt dij, & continent naturam diuinam, & vniuersalem, & hoc dictum est verum, & consonat his, quæ suprà diximus: nam cum sint illæ substantiæ æternæ immateriales intellectuales, & sua virtute mediante motu cœli causæ sint omnium naturalium, merito dicuntur dij, & habent in se naturam diuinam, id est nobilissimam, & continent naturam vniuersalem, inquantum sunt causæ rerum naturalium. Et aduerte, quòd prædictæ excellentiæ primo, & essentialiter verificantur de primo mouente, secundario autem de aliis intelligentiis, & huius primi dicti, vt dicit Commentator in commen. quinquagesimo, fuerunt auctores Chaldęi, in quibus fuit sciẽtia de diuinis perfecta. Secundo, quod dij sunt conformes hominibus, quasi quod sint humanæ figuræ, & conformes quibusdam animalibus, vnde & signa cœlestia denominantur nominibus animalium, vt dicunt astrologi, sed hoc dictum est fabulosum, & vt dicit Commentator in commento quinquagesimo, istæ fabulæ sunt sine veritate aliqua, & non fuerunt scriptæ, nisi vt leges inducerẽt homines ad virtutes, & reuocarent à vitiis. Si tamen sub istis fabulis intendebant: quæ diximus de substãtiis separatis, quod sint dij, & quod continent naturam vniuersalem, dictum eorum fuit diuinè dictum, & secundum verisimilitudinem, & quod sic intendebant potest coniecturari ex hoc, quod Philosophia, sicut & aliæ artes sæpè fuit inuenta, & sæpè fuit corrupta, & hoc infinities, si mundus est æternus. Accidit enim ex mutatione continua, cui subiicitur genus humanum, vt propter pestes, & bella, & inundationes depereant scientiæ, & artes, deinde recuperentur. Sicut igitur ex recuperata Philosophia cognouimus supradictas excellentias substantiarum separatarum, sic & patres antiquissimi cognouerunt: sed plures eorum sub velamine, & fabulis tradiderunt suam Philosophiam. Vnde tenendum est, quòd Philosophi sibi per secula succedentes concoriter senserunt, cœlos esse diuina corpora, & motores eorum esse substantias separatas, & esse principia, & causas generationis in inferioribus, & ideo etiam secundum eos qui fabulosam Philosophiam tradiderũt, sumendus est numerus motorũ separatorum secundum numerum motuum cœlestium. Fabula enim aliquid Philosophiæ est, & ex miris, quibus incœptum est Philosophari, contexta est prima Philosophia. Hæc de sexto capite dicta sint.

CAPVT VII.

Quorundam dubiorum solutio ad propositam veritatem conducens.

IN septimo capite soluenda sunt quædam dubia, quæ videntur oriri circa primum mouens, inquantum est intelligens. Dictum est enim suprà, quod est primũ intelligibile, & quod intelligens seipsum est quid diuinissimum, & quod speculatio sua est sibi delectabilissima. Propterea, Deus est semper mirabilis, ex consequenti est perfectissimus seipso, & non quocunque alio distinctio à se. Ex his autem insurgunt tria dubia.

Primum est circa intelligere.

Secundum est circa obiectum intelligibile.

Tertium est circa modum intelligendi. Sic autem procedemus circa prædicta dubia.

Primo, ponentur dubia cum fundamentis suis.

Secundo, præponentur quædam pro solutione dubiorum.

Tertio, soluentur dubia.

Quantum ad primum dubium: aduerte quòd cum intellectus dupliciter possit se habere ad suum intelligere, scilicet vt potest intelligere, & vt actu est intelligens. Dubitatur, si diuinus intellectus se habet ad suum intelligere primo, an secundo modo. Si primo modo, tunc se habet, vt ille qui habet scientiam, & non vtitur ea, & se habet, vt sciens, dormiens, ex consequenti non est ei perfectio nobilissima. nam nobilius est esse sub actu secundo, quàm sub actu primo. Qui enim est sub actu primo, medio modo se habet inter potentiam, & actum. Qui autẽ est sub actu secundo, est simpliciter actu. ex consequenti simpliciter perfectus. Cùm igitur primum mouens sit perfectissimum, & nobilissimum omnium entium, patet quod intellectus est in potentia intelligens. Si secundo modo, ergo non est perfectissimũ ex seipso. nam intelligere est perfectio intellectus, & comparatur intellectus ad seipsum, vt perfectibile ad suum perfectiuum. vnde probatum est in libro nono, textu 15. actum esse priorem potentia perfectione, quoniã ordinatur ad actũ, vt ad finem. Si igitur diuinus intellectus actu intelligit, perficitur suo intelligere, ex consequenti aliquid est nobilius eo, quod est inconueniens. Concessum est enim ab omnibus Deum esse adeo nobilẽ, quod nihil est nobilius eo, nec vt inquit Comment. in commen. 51. quæstio est in hoc, sed quæstio est quomodo erit hoc quod est in fine perfectionis in se, secũdũ quod est talis dispositionis, id est, secũdũ intellectũ.

Quantum ad secundũ dubium, aduerte quòd cum intelligere sit circa aliquod intelligibile. Dubitatur circa quod intelligibile est diuinũ intelligere: aut enim diuinus intellectus, qui est Dei substantia intelligit seipsum, aut aliud, & si aliud, aut idem semper, aut semper aliud, & aliud, sicut & nos intelligimus. Hęc enim omnia iam sunt opinata à philosophis. & ideo dubitatur quod eorum sit verum. nam si intelligit se, & non aliud: ergo non intelligit omnia, quod non videtur conueniens nobilitati diuinę. & si intelligit aliud. ergo perficitur per aliud. Intellectum enim est perfectio intellectus.

Quantum ad tertiũ dubium, aduerte quòd cum actus intellectus sit triplex, scilicet simplex apprehẽsio, compositio, & diuisio, & discursus. Dubitatur qualis sit actus diuini intellectus, an scilicet simplex apprehẽsio, an compositio, &c. si simplex apprehẽsio, quomodo ergo intelligit cõposita, & materialia. Si compositio, & diuisio, vel discursus, ergo transmutatur de vno intellectu ad aliud. Prius enim intelligunt extrema propositionis, quàm formetur propositio: & in discursu, vt declaratur in primo posteriorum. Propositio maior præcognoscitur tempore ipsa conclusione. Minor autem simul tempore, sed prius natura: sed omnis transmutatio repugnat diuino intellectui, cum sit ipsa Dei substantia, ergo, &c.

Antequã soluantur præposita dubia, duo prænotanda sunt. Primum est, quod multũ differt intelligere aliquod nobile, vel aliquod vile. nam cum intelligere, & scire, sicut & omnis operatio specificetur ex obiecto: si sit circa nobile obiectum, erit nobile intelligere. Si autẽ circa vile erit vile, cuius signũ est, quod dicimus multa esse, quæ melius est non meditari, quã meditari, quia, scilicet si intellectus occupatur in illis vilescit. Ex opposito, multa sunt, circa quæ speculari optimũ est, vt circa diuina entia. vnde in huiusmodi speculatione reposuit Arist. nostrã felicitatẽ in decimo Ethic. Cum igitur diuinum intelligere sit nobilissimũ, manifestum est quod est circa diuinissimum, & honorabilissimũ obiectũ. Secundũ est, quod ex quo suum intelligere est nobilissimũ, non potest mutari de vno intellecto in aliud intellectum, quoniã illud aliud aut est dignius, aut indignius. Nõ dignius, quoniam dignissimo qualis est diuina substantia non datur dignius. Non indignius, quoniam diuinum intelligere non semper esset dignissimum, quale enim est intellectum tale, & intelligere, vt diximus. His prænotatis aperienda est veritas primi dubij.

Aduerte igitur, quod diuinus intellectus non est intelligẽs in potentia, quoniam se haberet, vt dictum est, sicut sciens, dormiens, ex consequenti nõ esset perfectissimus, sed est semper intelligens actu, ita tamen quod est suum intelligere. nam in Deo intellectus intelligere, & intellectum sunt idem, quod sic manifestatur. Cum Deus de necessitate debeat continuare suum intelligere, vt semper sit perfectissimus, si intellectus eius distinguitur à suo intelligere, comparatur ad ipsum: vt potentia ad actum. ergo laboriosum erit ei continuare intellectionem, quod est absurdum in Deo. Consequẽtia quidem sic manifestatur. Quod est in potentia ad aliquid, potest habere illud, & non habere, & maximè quod est in potentia passiua, vt declaratum est suprà in tex. 30. vbi dixit Aristo. contingit potentiam habens non agere. Constat autem quod intellectus inquantum est receptiuus ipsius intelligere est potentia passiua, si ergo distinguitur ab ipso comparatur, vt potentia passiua ad ipsum, ex consequenti potest habere, & non habere illud: quod autem est tale videtur laboriosum sibi continuare, vt etiam patet in sensibus, qui quoniam distinguuntur ab actibus suis, fatigantur in continuatione sensationis. Tu tamen aduerte hanc rationem esse tantum probabilem, & non necessariam: aliter intelligentiæ mouentes cœlos non possent regulariter, & in perpetuum mouere sine lassitudine. Constat enim, quod mouere cœlum distinguitur realiter ab intelligentia, non ergo hoc est vniuersaliter verum quod, scilicet quando actio distinguitur distinctione reali ab operante, continuatio sit ei laboriosa, nisi in operante materiali, & corruptibili, cuius instrumenta sunt alterabilia, vt pa

vt patet in animali, dum mouetur localiter, sicut tactum est in lib.octauo Physic.Contentatur autem Aristot.sic adducere rationem probabilem,quoniã suprà,cum proposuit dubium, adduxit rationem necessariam,& fuit hæc:Si intelligere diuinum distinguitur ab intellectu,non est Deus seipso perfectissimus, quoniam inest ei perfectio ex alio, scilicet ex intelligere.& tunc intellectus comparatur ad intelligere, vt potentia perfectibilis ad suum perfectiũ: non ergo sua substantia est perfectissima,& optima. Per intellegere enim inest ei honorabile. Quare concludendum est Deum esse semper actu intelligentem, & intelligere esse substantiam suam.

Pro euidentia secundi dubij,aduerte quòd cum intelligere diuinũ sit Dei substantia,oportet ipsum esse dignissimum. Dignitas autẽ operationis, & indignitas pendet ex dignitate, & indignitate obiecti.Cum igitur videre,& intelligere indigna, ac vilia sit indignum , vitandum est hoc à nobis, ne scilicet dicamus diuinum intelligere esse indignum.

Vt igitur sit dignissimum , tenendum est quod seipsum intelligit.est enim ens potentissimũ,& excellentissimũ. Vtrum autem tantũ seipsum intelligat,& si intelligit alia, vilescat diuinus intellectus:determinauimus in quæstionibus Metaphys.

Et aduerte ; quòd Arist.ex determinatione primi & secundi dubij ponit duo corollaria.Primum est, ex quo intelligere diuinum est Dei substãtia, sicut Deus per se intelligit seipsum, ita per se intelligit suum intelligere, cuius ratio est, quoniam in Deo intellectus intelligere,& intellectum sunt idem realiter omnibus modis. ergo si intelligit seipsum Intelligit suum intelligere:in nobis autem non sic est , nam quia intelligere nostrum, & sentire, & meditari, & scire distinguuntur realiter à potentiis, quarum sunt actus, ideo sunt per se alterius, id est,obiecti intelligibilis,vel sensibilis, vel meditabilis,vel scibilis. vnde per accidens est quod intellectus intelligit suum intelligere, & sensus suum sentire. & posito , quod intelligat suum intelligere,hoc erit secundariò, & accessorié. Si autem in nobis intellectus intelligere , & obiectum primo intellectum essent idem , sicut per se intelligeret seipsum , sic per se intelligeret suum intelligere.

Secundum est, si intelligere est aliud ab intellectu diuino, intelligi erit aliud ab intellecto,id est,ab eo quod Dei intellectus intelligit,secundum quid:ergo inerit ei bonæ, id est, non poterit ratio assignari, quomodo diuinus intellectus sit optimus, an, scilicet ex parte actionis : quæ est intelligere, vel ex parte passionis,quæ est intelligi,ponatur vtrũque distinctum, & à diuino intellectu,& à diuino intellecto.Dicendum est ergo,quòd sicut in aliquibus rebus scientia est ipsa res scita, vt patet in scientiis practicis. Nam domus sumpta sine materia, id est,vt est in mente artificis, & scientia ædificãdi sunt idem: & sanitas in mente medici,& scientia medicinæ sunt idem;& de hoc iam loquuti sumus in lib.septimo, & in scientiis speculatiuis idem patet. nam diffinitio,& diffinitum sunt idem, ex consequenti scientia,& res scita sunt idẽ. Ex diffinitione enim quæ est principium demonstrationis causatur scientia rei scibilis,sic in rebus non habentibus materiã, multo magis erunt idem,& maximè in primo mouente,intellectus,& intelligentia,id est,actus intelligendi,& res intellecta.Vtrum autem de quolibet non habente materiam verificetur hæc propositio: quod in eo intellectus,intellectio, & intellectum sunt idem, determinauimus in quæstionibus metaphysicalibus.

Pro euidentia tertij dubij,aduerte quòd simpliciter tenendum est diuinum intellectum esse simplicem,& non compositum, id est, intelligere simplicissima apprehensione, & non componendo , aut diuidendo ,& multo minus discurrendo. Quod quidem triplici ratione demonstratur. Primo sic, Quilibet intellectus componens potest transmutari ex vno intellecto in aliud.nam partes propositionis possunt separatim intelligi,antequam componantur per notam verbalem, sed omnis transmutatio repugnat primo mouenti , qui est Deus: ergo,&c. Secundo sic,Omnis intellectus componens accipit scientiam à rebus compositis, & materialibus:sicut humanus intellectus, sed intellectus Dei non accipit scientiam ab huiusmodi rebus,imò nec alia substantia non habẽs materiam. suum enim naturale obiectum est quidditas abstracta , sicut obiectum nostri intellectus est quidditas rei materialis. ergo intellectus Dei est penitus simplex, & indiuisibilis in essendo, & in intelligendo. Tertio, intellectus qui est compositorum, & intelligens per compositionem , non semper habet suam perfectionem,sed in aliquo tẽpore, id est, per tempus acquirit eam. nam sua perfectio non cõsistit in intellectione huius partis,puta hominis,nec illius,puta animalis,sed huius totius, homo est animal, sed prius intelligit partes, deinde cõpositũ: ergo sua perfectio acquiritur in tempore, & non semper inest sibi,sed intellectus diuinus est semper optimus,& perfectissimus, aliter tenderet de perfecto ad perfectum , quod repugnat simplicissimo actui,qualis est Deus. Dicendum est ergo intelligere diuinum esse simplicissimum,quo intelligit ipsum primo : & in seipso alia, non variabiliter, non temporaliter, non componendo. intelligit enim in seipso,materialia immaterialiter , temporalia intemporaliter,composita,& complexa simpliciter.De intellectu igitur primi,& de dubiis surgentibus circa ipsum quo ad intelligere, & intelligibile, & modum intelligendi , sic determinatum sit ad mentem Aristotelis. Hæc de septimo capite dicta sint.

CAPVT VIII.

Primum mouens bonũ & optimũ totius vniuersi esse ostenditur.

IN octauo capite inuestigandum est , si primum mouens est bonum, & optimum totius vniuersi. Pro cuius resolutione proponit Arist.si vniuersum habet bonum separatum, aut bonum intrinsecum , quod consistit in ordine. Pro euidentia igitur istius quæsiti tria agenda sunt.

Primo, quare Aristo.quærit si vniuersum habet bonum separatum , aut bonum intrinsecum.

Secundo,resoluendũ est quæsitũ secundũ sententiam Aristot.

Tertio,videndum est quid dicerent alij antiqui ad hoc quæsitum , & quot inconuenientia sequuntur ex positionibus eorum , & sic concludendum est : quod primum mouens est in toto vniuerso,sicut vnus princeps,& ordinans & regulans,ex consequenti est totius naturæ bonum optimum.

Quantum ad primum,aduerte quòd ratio quæsiti sumitur ex eo quod dictum est suprà, quod primũ mouens est bonum omnis boni cum sit primum appetibile, & optimũ ideo mouet omnia:& ab ipso pendet cœlum,& natura,& omne quod est desiderat ipsum modo suo,vt bonum,& optimum suum,& omnia quæ sunt participant aliquã ex suis bonitatibus,& per illam bonitatem sunt id quod sunt. Et ideo quærẽdum restat. vtrum hoc bonũ , quod omni natura desiderat, & participat, sit quid separatum,& extrinsecũ ab entibus, sicut locus deorsum desideratus à graui est extrinsecus à graui , aut sit consistens in ordine,qui est in naturis rerũ,prout vna ordinatur ad alterã,puta vegetabilia ad animalia,& animalia ad hominẽ, ita quod sit bonũ intrinsecũ naturis rerũ, sicut ordo partium est bonum intrinsecum exercitui, vel sit vtroque modo, sicut in exercitu,in quo bonum extrinsecum est Dux mouens,ordinans, & regulans exercitum. Bonum autẽ intrinsecũ est ordo, prout vna pars ordinatur ad aliam, vt pedites ad equites.

Quãtum ad secundũ, aduerte quòd secundũ sententiã Arist. & secundũ veritatem, existimandũ est de toto vniuerso,sicut de vno dominio,& de vno exercitu,nam sicut in dominio datur dominus,& princeps,ad quẽ ordinãtur omnes status subditorum,& qui mouet,ac regulat omnes subditos in actionibus suis.dans cuilibet legẽ secundũ modũ officij,& vltra hoc subditi sic ordinati sunt adinuicem quod vnus cõfert alteri,& actio vnius est iuuamentũ alteri.similiter,sicut in exercitu datur Dux regulans exercitũ ad victoriã contra hostem,& vltra Ducẽ datur ordo inter partes exercitus,per quẽ ordinẽ quælibet pars exercitus cõfertur alteri ad victoriã obtinendã,non quidẽ vno modo, sed diuersimode, vt cõpetit officio suo. Aliter enim conferunt pedites,aliter equites,aliter sagittarij,aliter personatores tubarũ. Dux autẽ dicitur bonũ separatũ,siue extrinsecũ,non enim est pars,sed præsidẽs exercitui.Ordo autẽ est bonũ intrinsecum, quoniã est forma exercitus, & remoto ordine,cessat esse exercitus,& remanet confusa multitudo.sicut remoto ordine,qui est inter partes domus, destruitur domus, & remanet confusa congeries lapidum, sic in vniuerso datur bonum separatũ, quod est primum mouens,à quo,ad quod,per quod sunt omnia. Et dicitur bonũ separatũ, quia nõ est pars sed auctor vniuersi.à quo est largitas diuersarũ bonitatum in partibus vniuersi.his quidem clarius,& æternaliter. his autẽ obscurius, & temporaliter, vt dictum est in libro de cœlo.Est etiã in vniuerso bonum intrinsecũ,qui est ordo partium inter se,& omniũ ad primum mouẽs, vt vniuersalem mẽnem. Nam cum omnium partium vniuersi sit vnus generalis finis, necesse est,vt inter se sint ordinatæ,sicut quia finis domus est habitatio, necesse est vt partes domus sint ordinatæ, aliter non esset conueniens habitatio.

Sed ex parte boni separati , aduerte quòd est nobilius bonum, quàm ordo in partibus vniuersi,sicut est maius bonum in Duce exercitus , quàm in ordine exercitus.nam exercitus est propter Ducem , & non econuerso.

Item Dux,vt inquit Cõmen.in comm.52. est causa ordinis, sed ordo non est causa Ducis,sic in vniuerso primũ mouẽs est melius

melius bonum, quàm ordo partium vniuersi. Tota enim ordinatio vniuersi pendet à primo mouente,& non econuerso, & ab ipso effluunt bonitates partiũ vniuersi, & nõ econuerso.

Ex parte autem ordinis partium vniuersi,aduerte quod licet omnes partes sint ordinatæ,non tamen æqualiter,neque similiter.Se habet enim vniuersum,sicut familia,quam regit,& ordinat paterfamiliãs,imponens vnicuiq; legem,secundum modum naturæ,& conditionis suæ,vnde aliter ordinat filios, aliter seruos,aliter bestias.Licet enim omnes isti gradus ordinẽtur ad bonum commune domus, & ad commodũ domus,tamen non eodem modo recipiunt legem : nam paterfamiliãs duplicem legem statuit in familia,scilicet cõmunem, & particularem. Communis quidem lex,in qua omnes gradus conueniunt est,quod tam filij,quàm bestiæ,& serui habeant distinctas operationes,& omnes sint vtiles modo suo in iuuamento familiæ,& distinguantur suppositis. Particularis autem lex est,alia filiorum,alia seruorum,alia bestiarum.Filiorum quidem lex est.quod non licentiantur ad faciendum omnia quæ appetunt,sed omnes actiones eorum sunt ad nutum ,& voluntatem patris. Et omnia aut plurima eorum , quæ faciunt sunt ordinata ad percipiendum bonum parentis,ideo secundum legem paternam non cadit in eis error,nec peccatum.Ex actionibus autem seruorum,& bestiarum paucæ sunt ad commune cõmodum domus,quod enim agunt domino domus mouente,& dirigente illud ad bonũ domus spectat.Alia vero,& plura eorum opera,quæ procedũt ex proprio impetu sunt casualia,& secundum quod euenit ex impetu concupiscentiæ,& irrationalis iræ,non enim secundum rectã rationem,sed secundum necessitatẽ coactionis respiciunt ad patrem familiãs.Seruos enim vocat Arist.eos qui nati sunt serui.Nascuntur autem serui,qui per seipsos ad regimen vitæ non sufficiunt,neque publicæ,neque priuatiuæ.Liber autem est qui per seipsum regescit,& potest. Dominus etiam ex natura est qui lumine intellectus sibi,& aliis sufficere potest ad regimẽ vitæ.Bestia vero,quæ in regimen vitæ semper indiget, vt agatur,& regatur ab alio,& quando sibi relinquitur, operatur impetu concupiscentiæ,& iræ,sic est in partibus.Omnibus enim lex ista communis est posita, quod distinguantur ab inuicẽ secundum substantiã,& distinctas habeant operationes.Lex autem particularis est,quod vltra distinctionem substantiæ, & operationum quædam sunt,quorũ omnes operationes sunt ordinatæ,& regulatæ ad bonum commune,ita quod neque defectus, neque aliquid præter naturam contingat in eis.Ista autem sunt corpora cœlestia,& substantiæ separatæ,indefectibiles ex propinquitate ad primum mouens,se habent enim in vniuerso,sicut filij in domo. Quædam autem sunt,in quibus multa accidunt præter naturam,& pauca ex actionibus eorum cõferunt bono vniuersi,& ista sunt entia inferiora corruptibilia. Propter elongationẽ enim à primo mouente plurima in eis à casu accidunt,& defectus multi,se habent enim in vniuerso,sicut serui,& bruta in domo patrisfamiliãs,Patet igitur ex dictis,quomodo natura vniuersi habet bonum separatum,& bonum intrinsecum,Vtrum autem Deus de omnibus,& quomodo sollicitudinem habeat , determinatum est à nobis in quæstionibus Metaphysicalibus.mã super hunc textũ quinquagesimumsecundum,fundata est quæstio de cura,& sollicitudine diuina.

Quantum ad tertium,aduerte quod Arist.tres antiquorum opiniones recitat,& improbat,eo quod nulla earum seruat talem ordinem in vniuerso,quem suprà posuimus. Prima opinio est eorum , qui posuerunt omnia fieri ex contrariis. Secunda est eorum qui posuerunt bonum esse principium omnium.Tertia est eorum qui posuerunt species,siue ideas separatas. Qui ponunt omnia fieri ex contrariis peccant in tribus. Primo , quia sola contraria sunt impassibilia adinuicem, non enim albedo fit ex nigredine, sed potius destruitur, non ergo in factione rei duo cõtraria sufficiunt,sed necesse est dari materiam,quæ nulli contrariatur,& ex qua,vt recipit vnum contrarium, & alterum abiicitur, ipsa res fit, vt declaratum est in primo Physic. & in principio huius duodecimi. Nec prodest, quod aliqui eorum posuerunt alterum contrariorum esse materiam, ponendo enim omnia fieri ex æquali, quod in æquali, ex vno & multitudine,vt Platonici,& Pyth.dixerunt inæquale,& multitudinem,esse materiam.hoc inquam non prodest, quoniam natura materiæ est,vt nulli sit contraria,sed sit in potentia receptiua contrariorum. Deficiunt secundo, quia non omnia fiunt ex contrariis,nec in sui substantia est participatio contrariorum:nam cum prima contraria sint bonum, & malum, etiã in corporibus cœlestibus , & separatis esset malum, scilicet naturæ,puta corruptio,vel alteratio,quæ est via ad corruptionem , hoc autem est falsum , cùm sint immutabilia secundum substantiam,vt declaratum est suprà.Deficiunt tertio quoniam dicentes omnia esse ex contrariis non vtuntur contrariis ad soluendum ea , quæ apparent in rerum naturis , & inter reliqua sunt quatuor.Primo,quare aliqua sint corruptibilia , aliqua incorruptibilia non potest reduci in hoc principium,quod omnia sunt ex contrariis:nam ex hoc potius sequitur , quod omnia sint corruptibilia , & propterea poëtæ antiqui , vt effugerent hoc inconueniens , dixerunt omnia fieri ex non ente. Ex non ente autem aliqua fieri corruptibilia, vt inferiora,in quibus sunt alterabiles qualitates,aliqua autem incorruptibilia , vt corpora cœlestia elongata à contrariis , & separata à materia. Aliqui autem nescientes reddere causam distinctionis in rebus,dixerunt omnia esse vnum,vt dictum est in primo Physico.sicut Parmenides,& Melissus. Secundo non possunt reddere causam,quare generatio est perpetua,& quæ sit prima,& vniuersalis causa generationis. Constat enim neutrum contrariorum esse huiusmodi causam , sed aliquod perpetuum agens eleuatum super contraria , vt primum cœlum ex motu diurno,& planetæ, vt mouentur in obliquo circulo. Tertio non possunt assignare causam,quare aliqua magis participant de vno contrario,quàm de alio,puta quare animalia terrestria magis participant de calido,& sicco,aquatica autem de humido , & frigido. Idem etiam contingit his qui ponunt ideas esse causas generationis indiuiduorum,& indiuidua participare naturam ideæ,nõ enim possunt reddere causam,quare hoc indiuiduum prius participauit speciem , nunc autem non participat.Quarto,si prima principia sunt contraria,cùm hæc scientia , quæ sapientia est,& honoratissima sit de primo principio , sequitur quod hæc scientia habeat contrarium , & primum principium habeat contrarium,quod tamen est falsum, quia omnia contraria habent materiam , quæ est in potentia ad contraria,contraria enim sunt,quæ sunt apta eidem inesse successiuè , sed primum principium non habet materiam,quoniam vt dictum est suprà,eius substantia est purus actus:ergo,&c. Qui autem ponunt bonum esse principium omnium defecerunt generaliter,quia non dicunt in quo genere sit principium,potest enim esse principium,vt finis, vt agẽs, vt forma. Hæc enim tria sunt bona, materia verò secundum se non est bona,quoniam bonum & perfectum sunt idem,sed materia,vt materia non est perfecta, sed perfectibilis, cum sit ens potentiale. Deficiunt autem in particulari Empedocles, & Anaxago. Empedocles quidem in duobus deficit. Primo, quia dicit amorem esse bonum,& illud esse principium agẽs, & materiale in his,quæ generantur.Agens quidem inquãtum vnit , & congregat componibilia adinuicem , materiale vero inquantum ingreditur compositionem. Ponit enim rem generabilem,constare ex lite & amicitia,& quatuor elementis, vel quia amica facilius conueniunt in mixtura,est autem impossibile idem secundum eandem rationem esse agens,& materiam , quoniam est agens actu , & materia est ens in potentia,actus autem & potentia sunt distinctarum rationum,vt declaratum est in nono libro. Deficit secundo,quia dicit principium omnium rerum esse bonum,& cum hoc ponit litem,sicut amicitiam esse principium , ergo secundum ipsum lis est quoddam bonum,sicut amor,hoc autem est falsum etiam secundum ipsum,quoniam dicit litem esse naturam mali,ergo non est quid bonũ. Anaxagoras autẽ in duobus deficit.Primo, quia dicit bonũ,quod est intellectus esse principiũ,& mouere omnia, & tamen cũ intellectus moueat, & agat propter finẽ, nõ assignat finẽ, propter quẽ mouet,nisi fortè dicat q̃ mouet propter seipsum,sicut nos dicimus , quod sanitas quæ est in intellectu medici mouet propter sanitatẽ acquirẽdam in ægro. Deficit secundo,quoniam si vult sequi omnẽ opinionem antiquorum,qui ponebant rerum principia esse contraria, debuit assignare principium contrariorum intellectui.Qui vero ponunt species, siue ideas separatas, in aliquo bene senserunt, & in aliquibus defecerunt. Bene senserunt in hoc, quod præter entia sensibilia materialia posuerunt aliqua entia separata,aliter non daretur primum rerum principium optimum, quod est omnis boni principium , & non esset talis ordo partium vniuersi ad vnum bonũ primum separatum , vt suprà assignauimus, nec esset perpetua generatio:nam pro causa perpetuæ generationis assignauimus suprà intelligentias causantes res inferiores, mediante cœlesti motu, nec essent mota cœlestia corpora,eorum enim motrices assignauimus substantias æternas immateriales sine magnitudine , sed semper esset processus infinitus in principiis, si non daretur primum principium, processum autem infinitũ in causis ,& principiis destruximus in secundo libro,bene ergo in hoc senserunt. Defecerunt autem in hoc,q̃ posuerunt hęc entia separata,non intelligentias

mouentes coelos, sed aliqui naturas vniuersales rerũ naturalium, vt speciem hominis, speciẽ equi, de quibus satis diximus in 7.lib.& hæc opinio ascribitur ab Arist. Platoni. Aliqui autem ponunt mathe.separata, vt numeros,& magnitudines,& hæc opinio attribuitur Pythag. de qua locuti sumus in tertio lib.sed isti multipliciter peccant. primo, quia entia separata ponuntur vt primæ causæ productiuæ, & motiuæ, sed huiusmodi species,& numeri non possunt esse tales causæ, quia vniuersalia non agunt,& mathematica, quæ sunt quantitates nõ habent virtutẽ actiuã. frustra igitur darentur huiusmodi entia separata, secundo, quia isti dicunt, magnitudinem causari à numero hoc autẽ est falsum, quia non potest continuum causari ex non continuo, neque in genere causæ motiuæ, siue efficientis, neque in genere causæ formalis, tertio, si species & numeri sunt prima principia, cum in eis non sit contrarietas, sequitur prima principia non esse contraria, neque factiua, neque motiua, ex consequenti non erit generatio rerum æterna. Est enim generatio æterna, vt dictum est suprà, propter prima principia motiua æterna, non ergo species & numeri sunt prima principia, ex consequenti vanè ponuntur esse entia separata. quarto nullus istorum potest dicere, à quo sint isti numeri sensibiles,& à quo vnũ sensibile:& à quo anima vt anima, & à quo corpus, vt corpus, & à quo sunt distinctæ rerum species, nisi dicant, vt nos, quod sunt ab efficiente, sed neque species quæ sunt vniuersalia quædam, neque magnitudines, neque numeri sunt causæ efficientes, ergo vana est positio eorũ. quinto peccant in hoc, quod auferunt ordinem partium vniuersi inter se:& omnium ad vnum primum: naturam qui ponunt numerum mathematicum esse primam naturã: & post numerum magnitudinem: & post magnitudinem hæc sensibilia: dicunt aliud esse principium numeri: aliud magnitudinis: aliud horum sensibilium: & ponunt hæc principia non subordinari: nec reduci ad vnum primum, Similiter dicunt naturas principiatas non ordinari adinuicem: nec vnam alteri conferre: ex consequenti: per accidens est: quod vna existente alia sit. Ex his autem aufertur totaliter ordo ab vniuerso: ex consequenti bona dispositio entium: quæ se habent in vniuerso vt partes vnius dominij: in quo si plures sint principes non subordinati: ita quod non fiat reductio ad vnum primum: non bene disponitur dominium: si ergo in vniuerso darentur plura principia prima: entia male disponerentur: quod non est admittendum. nam si vnumquodque videmus optime dispositum secundum modum naturæ suæ: multo magis dispositio totius vniuersi debet esse optima. Oporret igitur in dominio vniuersi deuenire ad vnum primum vniuersalem optimum Principem: à quo sit omnis virtus: omnis bonitas communicata naturis entium: prout vnicuique congruit: & hic est Deus gloriosus, ac benedictus in secula. Amen. Finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

TRACTATVS DE Transcendentibus.

Notitiam de transcendentibus quam veluti ianuam in negocio metaphysico arbitramur, complectemur in vno tractatu, quem diuidimus in sex capita.

In primo agendum est de Ente.
In secundo de Vno.
In tertio de Aliquid.
In quarto de Re.
In quinto de Vero.
In sexto de Bono.

CAPVT I.

Considerationem de Ente diuidimus in duo.
Primo videndum est, si est primum cognitum.
Secundo agendum est de distinctionibus eius.
Pro euidentia primi tria agenda sunt.
Primo ponetur distinctio de cognitione.
Secundo ponetur conclusio, quam existimamus esse ad mentem D.Thomæ, & probabitur.
Tertio adducetur opinio Scoti cum rationibus suis & soluentur.

Aduerte igitur, quadruplicem cognitionem rei vniuersalis apud intellectum nostrum.

Prima dicitur cognitio confusa actualis habita de re vniuersali, vt est quoddam totum diffinibile, & sic diffinitur. Cognitio confusa actualis est, qua cognoscitur res diffinibilis non penetrando, nec claro intellectu resoluendo diffinibile in partes diffinientes: sed confuse eas apprehendendo, vel obscuro intuitu conceptum rei diffinibilis attingendo, vt quando cognoscitur substantia vel corpus, absque hoc quod de eis habeatur ratio vel conceptus, vel diffinitio clara & resoluta.

Secunda dicitur cognitio distincta actualis habita de re vniuersali, vt est quoddam totum diffinibile, quæ opponitur cognitioni prædictæ, sicut opponitur distinctum confuso, & sic diffinitur, Cognitio distincta actualis est, qua cognoscitur res diffinibilis penetrando diffinitionem per resolutionem in partes diffinitiuas, si cõceptus est resolubilis in aliqua priora: vel per clarum & simplicem intuitum, si conceptus est omnino simplex non resolubilis in aliqua priora, qualis est conceptus entis, vt declarabitur infrá.

Tertia dicitur cognitio confusa virtualis habita de re, vt est quoddam totum vniuersale contentiuum suorum inferiorum: & sic diffinitur, Cognitio confusa virtualis est, qua cognoscitur res vniuersalis, vt contentiua multorum, non tamen penetrando quomodo illa multa contineat. & quomodo abinuicem distinguantur, sed sistitur in intuitu confuso. vt dum considero animal, prout sub se continet multas species, non tamen clare intueor differentias distinguentes & constituentes huiusmodi species contentas sub genere.

Quarta dicitur cognitio distincta virtualis, & est opposita præcedenti, & sic diffinitur, Cognitio distincta virtualis est, qua cognoscitur res vniuersalis, vt contentiua multorum penetrando quibus modis continet, & quibus differentiis contenta distinguuntur.

Huiusmodi cognitiones sic ordinantur, quòd prius habetur de obiecto, vt est diffinibile, cognitio confusa actualis, quã cognitio distincta actualis. Intellectus enim noster, qui rédit à potentia ad actum,& ex imperfecto ad perfectum, prius apprehendit obiectum, vt quoddam diffinibile in cõfuso, quàm penetret distincte diffinitionem,& partes eius, vt diffiniẽtes, vt habetur ex primo Physic. tex. 5. secundo loco succedit cognitio distincta actualis de obiecto, vt est quoddam diffinibile, postquam enim intellectus aduertit naturam animalis esse diffinibilem, venatur distincte eius diffinitionem. tertio loco habetur de obiecto vniuersali confusa virtualis prout est contentiuum multorum. quarto loco habetur de obiecto vniuersali cognitio distincta virtualis, vt continet multa: nam antequam distincte apprehendam quomodo animal continet species, & quibus differentiis constituuntur, prius apprehendo in confuso ipsum dici de multis, & esse in multis, alioquin in intellectu nostro cognitio perfecta præcederet imperfectum, quod tamen est falsum. Quoniam ex 9. Meta. via generationis imperfectiora præcedunt perfectiora, sicut pueritia præcedit iuuentutem: patet ergo quomodo cognitio confusa actualis præcedit omnes, & ideo illud erit primo cognitum simpliciter, de quo primo habetur huiusmodi cognitio.

Quando ergo quæritur, si ens est primo cognitum, quæritur de cognitione confusa actuali, prout ens est quoddam conceptibile: vt sit sensus, vtrum antequam apprehendatur conceptus entis in confuso, prius apprehendatur aliquod inferius ente, vt substantia vel corpus.

Pro responsione igitur pono hanc conclusionem, ens est primo cognitum ab intellectu coniuncto cognitione confusa actuali quam dupliciter probo, primo apud intellectum procedentem de imperfecto ad perfectum, conceptus imperfectissimus prior est omni alio conceptu via generationis. nam ex 9. Meta. tex. 15. imperfecta perfectis priora sunt ex generatione, sed intellectus coniunctus cum sit potentialis ex tertio de Anima tex. 5. procedit ab imperfecto ad perfectum. Et conceptus entis est imperfectissimus inter omnes alios conceptus, quoniam omnes addunt super ipsum, vt patet, ergo comparantur ad ipsum sicut totum ad partem. Totum autem semper est perfectius parte: includit enim partem & aliquid plus, ergo omnes alij conceptus perfectiores sunt conceptu entis, & sic sequitur conceptum entis esse priorem in intellectu coniuncto omni alio conceptu, quare manifestum est, quòd antequam habeam conceptum de aliquo inferiori ab ente, prius in confuso apprehendo ens dicens, ens est cui debetur esse, sumendo ly esse in confuso.

Sed forte dices, licet conceptus entis inquãtum obiectiualis sit imperfectissimus, non tamen quo ad euidentiam, imò ex se

est euidens & clarus, cum non posit notificari per aliqua superiora, quoniam patet nihil esse superius ente.

Sed contra, & probo, quòd etiam quantum ad euidentiam imperfectissimus est. Nam per ipsum præcisè minimam acquirimus notitiam de eius inferioribus. Constat enim, quod si cognosco hominem solùm, quia ei debetur esse, minima est hæc cognitio & confusissima: per alios autem conceptus, maiorem acquirimus notitiam: nam maius est cognoscere hominem per hoc, quod debetur ei esse per se & esse animatum, & sensitiuum, & esse rationale, quàm per hoc tantum, quod ei debetur esse. Patet igitur conceptum entis etiam quo ad euidentiam esse imperfectissimum.

Secundò probatur eadem conclusio sic, qualis est ordo inter prima principia complexa, & propositiones proprias, vt inter hæc, nam sunt opposita in eodem, & Homo est animal, talis est inter ens & alios terminos minus vniuersales incomplexos, quoniam prima principia complexa componuntur ex ente: nam sensus allegati principij est. Non sunt opposita entia in eodem ente, principia autem propria componuntur ex terminis minus vniuersalibus, vt patet in exemplo adducto, sed prima principia complexa sunt primo cognita, quia ab eis omnis alia cognitio complexa pẽdet, ex primo posterio. & sunt sicut ianua in domo, ex secundo Metap. tex. primo: ergo,& ens ex quo componuntur prima principia est primo cognitum.

Confirmatur per Auicennam in primo suæ Metaphysic. capite sexto, vbi inquit, dicemus igitur, quod ens & res, talia sunt, quòd statim imprimuntur in anima prima impressione, quæ non acquiritur ex aliis notioribus: patet ergo, quod ens est primo cognitum, modo exposito in propositione dubij.

Opinio Scoti.

Posita & manifestata via, quam tenemus ad mentem Beati Thomæ, adducenda est opinio Scoti, quæ habetur in primo sententiarum distinctione tertia, quæstione secunda. Aduerte igitur, quod Scotus discordat à Beato Thoma in duobus, quantum ad cognitionem actualem confusam. Primò negat ens posse cognosci conceptu confuso: tenet enim conceptum entis esse conceptum distinctum & clarum, & sic secundum Scotum de ente habetur solum distincta actualis cognitio, & probat sic, Quod habet conceptum omnino simplicem, & non resolubilem in partes, est cognoscibile solum cognitione distincta, & non confusa, hæc patet ex conditione cognitionis confusæ, de cuius ratione est, quod intellectus feratur in conceptum resolubilem in partes, ita quod aliquid cognoscat de re, & aliquid ignoret, puta quod cognoscat genus, & ignoret differentiam: sed ens habet conceptum omnino simplicem non resolubilem in aliqua priora, nihil enim est prius ente, ergo est cognoscibile solum cognitione distincta & nõ cõfusa.

Ad hoc negatur maior: non enim est necesse ad cognitionem confusam, quod habeatur conceptus resolubilis in partes, sed sufficit hanc disiunctiuam esse veram, de cognoscibili cognitione confusa necesse est haberi cõceptum resolubilem in partes, vel conceptum simplicem, super quem posit ferri intellectus diuerso quidem intuitu, puta quod prius feratur super ipsum obscuro intuitu & confuso, sicut fertur visus super obiectum in crepusculo, deinde feratur claro & certo intuitu, sicut fertur visus super idem obiectum in clara luce, & sicut fertur intellectus super prima principia complexa, & feruntur intelligentiæ super obiectum naturale sui intellectus. Dico igitur, quod licet ens non habeat conceptum resolubilem in partes priores, cum nihil sit prius ente, tamen habet conceptum simplicem, super quem intellectus primo fertur intuitu debili & obscuro, & vt sic cognoscit ens cognitione confusa, deinde fertur super eundem claro intuitu, & tunc cognoscit ens cognitione distincta. Deceptus igitur fuit Scotus, quia non cõsiderauit sufficienter omnia requisita ad cognitionem confusam. Nam habere conceptum resolubilem in partes priores est necesse tantum in contentis sub ente & habentibus aliqua priora, in quæ resolutio fiat, qualia sunt genera & species specialissimæ: vnde cõceditur, quod de specie huiusmodi, non potest haberi primo cognitio confusa, deinde distincta, nisi de ea habeatur conceptus compositus ex genere & differentia, non penetrando propriam rationem generis, & propriam rationem differentiæ, & hæc erit cognitio cõfusa, deinde penetrando ipsum conceptum, & reducendo distinctè in genus & differentiam, considerata propria ratione vtriusque, & hæc erit cognitio distincta actualis habita de specie specialissima.

Secundò tenet Scotus, quod primum cognitum cognitione confusa, sit species specialissima, & non ipsum ens, nos autem tenemus oppositum, vt suprà probauimus. Conatur autem Scotus in primo sententiarum distinctione tertia, quæstione secunda, probare intentum suum tribus rationibus.

Prima ratio Scoti supponit causas concurrentes ad intellectionem esse phantasma, & speciem intelligibilem, & intellectum posibilem, quæ omnes sunt causæ naturales: quia præcedunt actum voluntatis, voluntas enim sequitur cognitionem, cum non feratur nisi in bonum præcognitum. His suppositis sic arguit, causæ naturales, quando non sunt impeditæ producunt effectũ perfectissimum, quem primo possunt producere, quoniam agunt secundum totum suum posse, sed concurrentes ad intellectionem sunt causæ naturales ex suppositis factis: ergo producunt effectum perfectissimum, quem primo possunt producere, sed ille effectus est conceptus confusus speciei specialissimæ, ergo primum cognitum cognitione confusa est species specialissima. Quòd autem ille effectus perfectissimus sit conceptus confusus speciei specialissimæ, sic probat, Si est alius, puta si est conceptus alicuius magis vniuersalis, vt entis, vel substantiæ, vel corporis, talis esset perfectissimus, vt ratio prædicta, & cum conceptus speciei specialissimę sit perfectior quàm conceptus cuiuscunque magis vniuersalis (quoniam continet illum, & addit supra ipsum, vt conceptus hominis continet conceptum animalis, & addit rationale.) Sequitur, quod agentia concurrentia ad intellectionem nunquam poterunt producere conceptum speciei specialissimæ, quod est manifestè falsum: consequentia quidem sic probatur. Causæ naturales postquam produxerunt effectum perfectissimum non possunt producere perfectiorem, aliter daretur quid perfectius perfectissimo: sed causæ naturales concurrentes ad intellectionem producunt effectum perfectissimum, vt probatum est, qui secundum te est conceptus alicuius magis communis: ergo, postquam produxerunt eum, non poterunt producere conceptum speciei specialissimæ, cum sit perfectior, vt probatum est: ergo, &c.

Ad hoc conceditur totum vsque ibi, sed ille effectus perfectissimus est conceptus speciei specialissimæ, id quidem est falsum, imò est cõceptus entis. Nam per speciem intelligibilem repręsentatiuam obiecti intellectus primo intelligit, quod talis res est ens, id est cui debetur esse in cõfuso, tamen nondum penetrando quale sit illud esse. Et talis conceptus entis est perfectissimus effectus, qui posit pro tunc produci ab intellectu, non tamen est perfectissimus absolutè, sicut forma embryonis est perfectissimus effectus, quem primo potest producere forma generantis, non enim dum incipit agere, potest perfectiorem formam producere, non tamen est eius perfectissimus effectus absolutè, potest enim in processu generationis producere nobiliorem formam, puta animam sensitiuam. Et quando Scotus probat, quod si ille conceptus non est speciei specialissimę, nunquam produceretur ab illis agentibus naturalibus: negatur consequentia. Et ad probationem eius dicitur, quòd licet agentia naturalia non posint producere effectum perfectiorem perfectissimo absolutè, puta leo non potest producere effectum perfectiorem quàm sit anima leonis, quoniam illa est eius effectus perfectissimus, quem posit absolutè producere, tamen possunt producere effectum perfectiorem effectu perfectissimo secundum quid, vt dictum est de forma embryonis, quæ quidem perfectissima est pro tunc, quia in principio generationis, virtus generantis non potest perfectiorem producere, cum hoc tamen stat quod postea producat formam specificam longè perfectiorem: sic dico in proposito, quod conceptus entis, qui primo producitur ab intellectu, est perfectissimus secundũ quid, quia pro tunc non potest perfectiorem producere, cum hoc tamen stat, quod postea producat effectum perfectiorem, qualis est conceptus speciei specialissimæ: nihil enim prohibet produci aliquid perfectius perfectissimo secundum quid, non tamen perfectissimo absolutè: videtur ergo Scotus fuisse deceptus, quia non aduertit conceptum magis vniuersalis esse perfectissimum secundum quid, & non absolutè, conceptum autem speciei specialissimæ esse perfectissimum absolutè, ideo non potest produci ab intellectu aliquis perfectior illo, &c.

Secundum argumentum Scoti.

Secunda ratio Scoti est hæc, secundum Auicen. capite tertio in primo suæ Metaphy. Metaphysica est vltima ordine doctrinę: ergo termini Metaphysicales, vt ens, vnum, verum, &c. Qui sunt vniuersalissimi, sunt vltimi in cognitione nostra. Et sic sequitur, quod prius habemus conceptus de minus vniuersalibus, sicut sunt species specialissimæ, quàm de magis vniuersalibus & de transcendentibus, aliter si primo cognosceremus magis vniuersalia, Metaphysica esset prima in ordine doctrinæ, quod est contra Auicennam, & veritatem.

Ad hoc dicitur quod Metaphysica non est inuenta, vt cognoscamus terminos vniuersalissimos, quo ad conceptus confusos, hæc enim est cognitio diminutissima & imperfectissima,

sed cognoscamus quo ad conceptus distinctos & claros & resolutos, & cognoscamus eorum amplitudinem, quo ad continentiam suorum inferiorum, puta omnes modos essendi, Omnia generalissima, & quæ sub eis. Et hæc quidem cognitio est difficillima, ideo Metaphysica est vltima ordine doctrinæ, & in hoc sensu locutus est Aristot. in procemio suæ Metap. cum dixit, Difficilia sunt homini ad discendum quæ sunt maximè vniuersalia. Nam à sensibus sunt remotissima. Stat ergo quòd primo cognoscamus terminos vniuersalissimos quo ad conceptus confusos: & quòd Metaphysica sit vltima ordine doctrinæ, quoniam in ea non quærimus eorum cognitionem confusam, sed distinctam in ratione diffinitiua & contētiua suorum inferiorū. Et sic patet quòd ratio Scoti non cōcludit.

Tertium argumentum. Tertia ratio Scoti est hæc. Si oportet præcongere magis vniuersalia, vt ens & alia genera, antequam concipiamus speciem specialissimam, sequitur quòd supposito singulari mouente sensum & stante intellectu soluto interponatur multum tempus antequam concipiatur species specialissima illius singularis sensati. Nam cum inter ens & speciem specialissimam sint multa intermedia, erit necesse præcognoscere omnia intermedia, cū sint vniuersaliora specie specialissima. Et id nō fiet nisi longo tēpore, quod videtur esse inconueniēs.

Ad hoc dicitur, quòd non inconuenit interponi multū tem poris, quoties descendimus ab vniuersalissimis ad specialissima in ratione diffinitiua, quoniam species intelligibilis repræsentat obiectum intellectui nostro primo sub prædicato vniuersalissimo, vt quod est ens, secundo sub prædicato minus vniuersali, vt quòd est substantia, & sic procedendo vsque ad specialissima. Et propter has distinctas repræsentationes multum temporis labitur. Quòd si species intelligibilis repræsentaret omnia prædicata quidditatiua statim & æqualiter, sicut contingit in intellectu intelligentiæ, tunc sine mora intellectus noster conciperet speciem specialissimam, quo ad omnia prædicata quidditatiua. Non ergo est inconueniens illud, quod Scotus reputat inconueniens, & sic ratio sua nihil concludit contra nos. Hæc de primo principali dicta sint, nunc agendum est de diuisionibus entis, &c.

De diuisionibus entis secundum quòd ordinantur ex sui natura.

NVnc assignandæ sunt diuisiones entis, vt ens est: & videndum quæ prioritas sit inter eas, & agemus tria, Primo assignabuntur diuisiones entis ordinatè secundum viam B. Tho. Secundo assignabuntur secundum viam Scoti. Tertio addacentur rationes Scoti, & soluētur. Quid de his & earum ordine senserit Auerroes, nihil terminatim inuenio.

Prima diuisio. Ens primo diuiditur in ens reale, & ens rationis, quid sit vtrunque declarabo: sed nota in primis, quòd hæc diuisio non est propriè Metap. quærimus enim hic diuisiones entis subiecti Metaphy. quod vt probauimus in quæstionibus nostris Metaphysicalibus est solum ens reale, cum sit scientia realis. Item non est diuisio entis vniuoce, vel analoge sed æquiuoce sumpti. Ens enim prædicatur æquiuoce de ente reali & de ente rationis, vnde potius est diuisio vocis in sua significata. Tamen, vt habeatur plena cognitio de diuisionibus entis vniuersalissime sumpti, vtrunque membrum huius diuisionis pertractabimus, declarantes in quibus propriè differunt ens reale, & ens rationis.

Ens reale quid sit. Aduerte igitur, quod ens reale vniuersalissime sumptum, vt distinguitur contra ens rationis propriissime dictum (de mente Heruei in 3. quol. q. prima, quem in hac materia, vt tutissimum doctorem sequor) est omne quod habet esse extra intellectū, vel producitur à causa effectiua reali, & est in aliquo subiectiue. Dico primo, quod habet esse extra intellectum, sicut prima causa: & intelligentiæ, & cœlum, & elementa, & elementata, & accidentia naturalia, quæ ab omnibus confessa sunt esse entia realia, eo quòd habent esse in rerum natura remoto omni opere intellectus. Dico secundo vel producitur à causa effectiua, & est in aliquo subiectiuè. Id quidem dico, propter species intelligibiles, & actus intelligendi, conceptus formatos ab intellectu, & habitus scientificos, & volitiones, de quibus omnibus constat, quòd non habent esse extra animam, ideo videtur primo aspectu quòd sit ens rationis de mente Philosophi in 6. Metaphy. tex. 8. vbi ponit ens rationis, quod habet esse in anima, & intendit illic vt inquit Cōmentator, declarare diuersitatem duorum entium, scilicet entis, quod est in intellectu, & entis quod est extra intellectum, &c. Et tamen in rei veritate sunt entia realia, primo, quia locantur in prædicamento qualitatis, in quo non locatur nisi ens reale, quia in 6. Meta. tex. 8. ens diuisum in decem prædicamenta, est tantum ens reale. Secundo quia considerantur à scientia reali, vt in lib. 3. de Anima; vbi agitur de specie, & actu intelligendi, &c. In scientia autem reali non consideratur nisi ens reale, denominatur enim realis à subiecto reali, sicut Logica dicitur scientia rationalis à subiecto, quod est ens rationis. Tertio, quia accidentia animæ habent nobiliorem entitatem, cum sint in subiecto nobiliori, quàm accidentia corporea: sed ista, puta caliditas, frigiditas, &c. sunt entia realia, vt ab omnibus conceditur: ergo & accidentia animæ, qualia sunt species, actus intelligendi, diffinitio, habitus scientificus, sunt entia realia.

Sed forte dices, non habent esse extra animam; ergo non sunt ens reale, præcipuè, quia Philosophus in 6. Metaphy. tex. 8. distinguit ens rationis ab ente reali per hoc, quod est habere esse in anima.

Respondeo, vt dicemus infrà ly habere esse in anima, nō est totalis ratio entis rationis condistinctī cōtra ens reale, sed est hæc; habere esse in anima, solū obiectiue, & nō subiectiue, nec esse ab aliquo effectiuè: & quoniā prædicta efficiūtur ab intellectu, & in eodē sunt subiectiue, ideo licet sint in intellectu, tamen sunt entia realia. Dictū autē Philosophi adductū intelligendū est non de omni, quod quocūque modo est in intellectu, sed de vero & falso, quod cōsistit in cōpositione & diuisione intellectus. Quod propriissimè ens rationis dicitur, vt dicemus infrā. patet igitur qd sit ens reale cōmunissimè sumptū.

Ens autem rationis sumptum propriissimè, & vt distinguitur contra ens reale, est illud, quod in nullo est subiectiue, sed consequitur rem, vt est obiectiue in intellectu. Pro cuius euidentia aduerte triplicem modum existendi in intellectu. Primo vt in subiecto, sic species & actus intelligendi & scientia sunt in intellectu vt in subiecto, & ideo sunt entia realia, vt declarauimus in præcedentibus. Secundo obiectiue, & est illud, quod offertur intellectui, vt obiectum intelligibile, non tamen est subiectiuè in eo: nam sicut visui offertur color, qui non in visu, sed in corpore colorato est subiectiuè, & tamen dicitur esse obiectiue in visu, quia obiicitur visui, vt est in suo prospectu, ita intellectui offertur res intelligibilis, vt obiectum potentiæ, non tamen est subiectiue in intellectu, sed habet esse ad extra, non enim lapis est in anima, sed species ex 3. de Anima tex. 38. Dicitur tamen esse obiectiuè in intellectu, prout ei obiicitur, & est in suo prospectu, sicut obiectum propriè potentiæ obiicitur. Et hoc modo tam ens reale, quā ens rationis, tam priuationes, quàm negationes possunt esse obiectiue in intellectu, prout sunt intelligibilia ab eo. Et vsque huc nondum inuenimus propriissimum ens rationis: quoniam esse obiectiue hoc modo in intellectu potest conuenire tam enti reali quàm enti rationis, cū vtrunque sit intelligibile. Tertio aliquid est in intellectu sicut quidam modus consequens naturam rei, vt obiicitur intellectui: verbi gratia, natura hominis, si debet intelligi, oportet vt obiiciatur sine conditionibus indiuiduātibus, non inquantum habet esse in Sorte, aut Platone, sed vt quoddam commune, & indistinctum. cōmunitas ergo & indistinctio consequuntur naturam intelligibilem non inquātum habet esse in singularibus, sic enim est indiuidua, & distincta, sed inquantum obiicitur intellectui per speciem depuratā à conditionibus indiuidualibus, & repræsentantem naturam rei in vniuersali. Et talē modū id est, talē cōmunitatē & indistinctionē, quæ consequuntur naturam rei obiectam intellectui, appellamus propriissimè ens rationis vt distinguitur contra ens reale. Quod quidem dicitur Secunda intentio obiectiuè, sicut per quam fundat intellectus conceptum generis vel speciei, nam ex hoc quòd natura rei obiicitur intellectui, vt cōmunis & indistincta, intellectus apprehendit eam, vt prædicabilem de multis differētibus specie vel numero. Et quòd tales modi sint verè ens rationis, probatur sic. Illa communitas & indistinctio non conueniunt rei, vt habet esse in singularibus, nec causantur ab intellectu possibili, imò præcedunt actum intelligendi, prius enim natura rei in communi, & non, vt hæc, obiicitur intellectui per receptionē speciei intelligibilis, qua intelligatur. ergo illi modi non sunt subiectiuè in intellectu. Quod enim subiectiuè est in eo, causatū est à parte intellectua, si non sunt subiectiuè sunt obiectiuè, quia non datur medium, si sunt obiectiuè in intellectu, & nullo modo habet esse in singularibus, ergo sunt verè ens rationis, vt distinguitur cōtra ens reale, hæc enim est diffinitio data de ente rationis, scilicet. Et illud, quod in nullo est subiectiuè, sed consequitur rem, vt est obiecta intellectui, sicut cognoscibile obiicitur potentiæ cognoscitiuæ. Sed aduerte, q; talis consecutio potest fieri ad primam, & secundam, & tertiam operationem, & diuersificatur nominatio: nam si fit consecutio per primam operationem, nominatur ens rationis, his terminis, genus, species, singulare, &c. Si per secundam operationem, nominatur his terminis, subiectum, prædicatum, &c. Si per tertiam operationem, nominatur his terminis, consequentia, antecedens, consequens, maior, minor, &c. Et huiusmodi consideratur in logica, cuius aliqua pars pertractat de ente rationis iuxta primam operationem, vt in vniuersalibus: aliqua de ente rationis iuxta secundam, vt in libro Perihermenias: aliqua de ente rationis iuxta tertiam operationem, vt in arte noua. Hęc de prima diuisione entis communissimè sumpti dicta sint.

Prætermisso ente rationis quod est de consideratione Logici, immorandum est in diuisionibus entis realis, cuius prima diuisio erit hæc. Ens reale aliud per se, aliud per accidens, & quidē quod hæc sit prima diuisio eius, patet per Com. in sexto Meta. com. primo, vbi inquit, Ens primo in hæc duo diuiditur, scilicet in ens, quod est per se, & in ens, quod est per accidens.

Ens autem per se est duplex, scilicet secundum naturam suam, & secundum causalitatem.

Ens per se secundum naturam suam est illud, cuius natura est simplex, vel si est composita, componentia sunt eiusdem prædicamenti, quorum vnum est, vt potentia, alterum vt actus. Ratione primi, Deus & intelligentiæ, secundum vnam opinionem non distinguentem inter esse & essentiam, & omnes formæ substantiales & accidentales, dicuntur ens per se, quia non componuntur intrinsece ex partibus essentialibus, sed sunt entia simplicia.

Ratione secundi, omnes substantiæ corporeæ superiores incorruptibiles, & inferiores corruptibiles, tam elemēta quàm elementata, sunt entia per se, quia licet sint entia composita, tamen partes componentes sunt in eodem prædicamento, tam enim forma eorum, quàm materia sunt reductiuè in prędicamento substantiæ, ex quibus materia est potentia, forma est actus, & ideo ex eis fit vnum per se, secundum Philosophum in secundo de Anima, textu septimo, & in octauo Metaphysicę, textu decimosexo, similiter quia secundum viam Diui Thomæ omnes intelligentiæ sunt compositæ ex esse & essentia, dicuntur entia per se, quia & esse & essentia earum sunt in eodem prædicamento, & esse comparatur ad essentiam, sicut actus ad potentiam. Quoniam esse est prima actualitas, qua res existit, vt dicemus in capite vltimo huius tractatus.

Ens per se secundum causalitatem, est omnis effectus dependens à causa per se influente in effectum secundum quod est talis: puta ædificium comparatum ædificatori est ens per se secundum causalitatē: dependet enim ab ædificatore inquantum ædificator est, & animatum est effectus per se animæ, quę est causa formalis eiusdem, & elementatum est effectus per se elementorum, cum sint illius causæ materiales, sic medicina est effectus per se sānitatis in genere causæ finalis: ordinatur enim ad sanitatem, vt ad finem per se intentum.

Ens per accidens diuiditur, sicut ens per se: nam quoddam est ens per accidens secundum naturam suam, quoddam autem secundum causalitatem.

Ens per accidens secundum naturam suam est res composita ex entibus diuersorum generum, vel quorum vnum accidit alteri, vel duo accidunt tertio: propter primum homo risibilis est ens per accidens apud Metaphysicum, quoniam secundum viam nostram, cum sit homo substantia, risibilitas est qualitas: propter secundum, homo albus est ens per accidens, quoniam potest inueniri homo sine albedine: propter tertium, musicum album est ens per accidens, quoniam album accidit musico, & vtrunq; accidit tertio, puta homini: potest enim inueniri homo, qui non est albus, neque musicus, & dato, quod in aliqua specie vnū non posset inueniri sine altero, adhuc constitueretur ens per accidens, dum modo sint diuersorum generum, propter quod nix alba est ens per accidens ratione dicta.

Ens per accidens secundum causalitatem est omnis effectus dependens à causa non causante ipsum, inquantum est talis, & vt sic, domus est effectus per accidens musici, nō enim musicum inquantum musicum ædificat, sed inquantum ædificator, & sic omnis effectus fortuitus & casualis & ens per accidens, quia est à causa non intendente talem effectum, vt inuentio thesauri: non enim est à fodiente sepulcrum inquantum fodiens sepulcrum, sed est præter eius intentionem, & de hoc ente per accidens habetur, in secundo Physico. textu quadragesimooctauo, & in sexto Meta. textu quarto, vbi determinat Philosophus, quod de eo non est scientia. Quod quomodo verum sit, declarabimus in quæstionibus Metaph. super librum sextū; hæc pro præsenti diuisione entis realis dicta sint.

Ens reale, vel ab ente rationis, vel Secunda diuisio entis realis sit hæc. Aliud absolutum, aliud respectiuum: & quidem quod hæc diuisio non posit esse entis diuisi in ens reale & ens rationis, declaratur sic, Omne ens rationis propriissimè sumptum, vt de eo suprà locuti sumus ad mentem Heruei, est formaliter respectus rationis: dicit enim modum consequentem rem, vt obiectiuè in intellectu, qui modus est indistinctio & communicabilitas naturæ intelligibilis, vt offertur intellectui: constat autem huiusmodi indistinctionem, & incommunicabilitatem esse respectus rationis, quia non conueniunt rei, vt habet esse ad extra, sed vt obiicitur intellectui, erit ergo hæc diuisio solius entis realis. Et vtraque pars sic declaratur.

Ens absolutum. Ens absolutum est illud, quod dicitur ad seipsum, vel cuius esse non consistit in sola habitudine ad alterum, & sic omnes substantiæ sunt entia absoluta: non enim esse animalis aut hominis, aut lapidis, consistit in habitudine, de accidentibus autem non videtur ita clarum, quoniam cum eorum esse sit inesse, videtur consistere in habitudine ad subiectum, quod tamen non est verum, nam aliud est esse ens respectiuum, & aliud est concipi conceptu relatiuo, stat enim esse ens absolutum, quod tamen concipitur conceptu relatiuo, nam scientia est qualitas absoluta, & tamen concipitur in ordine ad scibile: sic in proposito, licet accidens in sua ratione respiciat subiectum, non tamen sequitur omne accidens esse essentialiter ens respectiuum, aliter nullum accidens diceret perfectionē.

Et si fiat obiectio, quòd omnis substantia præter primam est effectus, sustinendo Deum esse causam effectiuam omnium entium, sed effectus dicit ordinem ad causam, ergo videtur omnis substantia esse ens respectiuum & non absolutum.

Respondeo & dico, quòd ad omnem substantiam præter primam sequitur quidam respectus causalitatis, vt proprietas sua, non tamen est de quidditatiua ratione formali ipsius. Potest enim intelligi substantia sine tali respectu, licet non possit esse sine eo. Sicut potest intelligi homo sine risibili, licet non possit esse sine eo, illud autem, quod essentialiter est ens respectiuum, non potest intelligi, nec diffiniri sine eo, ad quod habet respectum: vnde nihil prohibet substantiam creatam esse ens absolutum, & tamen ad eam consequi respectum causalitatis.

Ens respectiuum est illud, quod ad alterum secundum suum esse dicitur. Vel est illud, quod in sua quidditatiua ratione dicit respectum, vel ordinem ad alterum: vt pater, filius, seruus, dominus, &c. Sed aduerte, quod ille respectus aliquando est rationis tantum, aliquando est realis. Tunc est rationis tantum, quando non habet fundamentum reale, vt dextrum & sinistrum in columna, quoniā nihil reale est in ea, super quod fundetur dexteritas. Huiusmodi enim fundamentum est potentia motiua secundum locum, quæ in solis animatis recipitur. Propterea Aristoteles, in secundo cœli, textu decimotertio, vt seruaret differentias reales locales in cœlo, posuit cœlum esse animatum; inquit enim, Est autem cœlum animatum, & habet motus principium manifestum, quoniam habet sursum & deorsum, dextrum & sinistrum. Quoniam igitur potentia motiua non est in columna, non dicitur realiter dextra, sed quia intellectus apprehendit eam, vt terminātem respectum, ratione cuius dicitur columna dextra, vel sinistra, ipsi animali. Est igitur dexteritas huiusmodi relatio rationis, vt pote non consurgens ex natura rei, sed consequens solam apprehensionem intellectus. Tunc verò est realis quando fundamentum est reale. Pro cuius notitia dicemus tria. Primo, quod aliqua relatio est realis. Secundo, quod aliqua est realis non mutua. Tertio, quod aliqua est realis mutua.

Ad euidentiam primi, aduerte opinionem quorundam fuisse, vt testatur Auerroes in duodecimo Meta. comm. decimonono, relationem non esse ens reale, sed esse ex secundis intellectis, id est consequentem apprehensionem intellectus intelligentis plura, & comparantis ea adinuicem, ita quod remota comparatione intellectus nulla esset relatio. Sed contra eam arguitur sic. Relatio constituit vnum prædicamentum; ergo *Vtrū relatio sit ens reale.* est aliqua relatio realis, quoniam ex sexto Meta. textu octauo, ens diuisum in decem prædicamenta, est ens extra animam. Præterea aliqua relatio est de perfectione vniuersi, quoniam apud Aristotel. in duodecimo Metaphysicæ, textu quinquagesimosecundo, sicut ordo in exercitu est de perfectione eius, ita ordo, qui est in rebus, prout vna ordinatur ad aliam & omnes ad primum, est bonum, & perfectio vniuersi: hic ordo autem est relatio, vt patet, & est ens reale, aliter perfectio entis realis dependeret ab ente rationis, ex consequenti prius dependeret à posteriori, & effectus esset nobilior causa, ergo manifestum est dari relationem realem.

Ad euidentiam secundi aduerte, quod aliqua relatio realis *Tex. c. 19.* est, in quā vnum extremum dependet ab altero, sed non econuerso, vt patet in quinto Met. ca. ad aliquid, vt inquit Ari. Menſurabile verò, & scibile, & intellectuale, eo quod aliud dicitur

ad ipsum ad aliquid dicuntur, sed non quòd illa ad aliud, &c.

Et intēdit, quòd inter scientiam, & scibile, est relatio realis ex parte scientiæ: dependet enim scientia à scibili realiter, sed non econuerso: potest enim esse scibile, & tamen de eo non habeatur scientia. Non autem potest esse scientia sine scibili, sicut non potest esse visio sine visibili: similiter inter mensuram & mensuratum est relatio realis ex parte mensurati, quoniam in ratione mensurandi passiuè pendet à mensura, non autem econuerso.

Et quidē, ꝙ hæc relatio sit realis, manifestatur, quoniā vbi est realis dependentia, & ordo, ibi est relatio realis, vt ex se patet: sed inter scientiam & scibile ex parte scientiæ, & inter mēsurā & mensuratū, ex parte mensurati, est dependentia realis, vt declarauimus: ergo talis relatio est realis, licet non mutua.

Ad euidētiam tertij, aduerte, ꝙ illa est relatio mutua, quæ in vtroque extremo est realis, & in vtroque habet fundamentum reale. Et hæc secundum Arist. in 5. Meta. cap. ad aliquid fundatur, vel super quantitatem, vt æqualitas, vel inæqualitas, & omnes proportiones numerales, vel super qualitatem, vt similitudo & dissimilitudo: vel super actionem, & passionem, vt paternitas, & filiatio, dominium, & seruitus. Quæ quidem relatio, tres conditiones requirit. Primo quod vtrunque extremum sint ens reale, & vnum realiter ab alio distinctum propter quod inter ens, & non ens non est relatio realis, quia non ens, non est ens reale, licet dici possit ens rationis, prout ab intellectu apprehenditur. Nam ex 4. Meta. tex. 2. non ens esse, non ens dicemus. Secundo, quod vtrunque extremum sit ens actu, & sint actu adinuicem distincta: propter hoc inter duo alba actu existentia, & actu ab inuicem distincta est mutua relatio similitudinis: defectu autem huius inter totum, & partes, & inter partes ipsas non est mutua relatio, quia partes non habent esse actu distinctum ab esse totius, sed per esse totius existunt. Nec vna habet esse distinctum ab alia, cum nō sint in actu, dum componunt totum, licet actu componant. Tertio ꝙ sint eiusdē ordinis, quod nō sic intelligas, quasi sit necesse, ꝙ sint eiusdē generis prædicamentalis: nam inter solem generantem & ranā genitam est mutua relatio realis in secū do modo relatiuorū ex 5. Meta. & tamen constat, ꝙ non sunt eiusdē generis: intelligas ergo, quòd sint eiusdē ordinis, id est, ex natura sua sint adinuicem ordinata, ita ꝙ sicut A ex se ordinatur ad B, ita B ex se ordinatur ad A, & talis ordo seruatur inter omnes numeros, & quantitates continuas finitas adinuicem cōparatas, ex consequenti etiam propter passum perficitur agens; perfectius est enim agens actu quā agēs in potentia. Ex quo sequitur, quod inter primam causam, & effectum suum non est relatio mutua: quoniam agens primū non perficitur actione sua, cum sit ex se perfectum, & actio sua sit sua substantia, ex 12. Meta. tex. 51. propter quod secundum viam B. Tho, prima causa & omne eius productum, non sunt eiusdem ordinis, cum perfectio primæ causæ nullo modo pendeat ex suo producto.

Tertia diuisio. Ens diuidiur per vnum & multa.

Hæc de secunda diuisione entis realis sint dicta.

Tertia diuisio entis realis est hæc. Quodlibet ens reale est vnum, vel multa. Ad euidentiam huius dico duo. Primo quomodo est sufficiens. Secundo quomodo datur per opposita.

Quantum ad primum aduerte, quod quodlibet ens vel est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, & sic est vnum, hæc enim est propria ratio vnius intrinseca secundum Cōmenta. in 5. Meta. cap. de vno, & in decimo lib. cōmento 3. vbi inquit, hoc nomen vnum secundū ꝙ est vnum, est illud quod non diuiditur aliquo modo: & notāter dicit, secundum ꝙ est vnum: nō enim est necesse, quòd est vnum esse omnibus modis vnū, dātur enim gradus. nam est quoddam ens, quod in se nullam pœnitus cōtinet pluralitatem absolutam, & hoc est maximè & omnino vnum, & est conditio primi principij. ex 12. Meta. tex. 51. Quoddam autem est, quod licet actu non habeat diuisionem, potest tamen diuidi in plura, sicut omne ens corporeum, vel potest habere compositionem, saltem substantiæ & accidentis, vt omne ens citra primam causam, cuius actio & proprietates non sunt substantia, sed accidens, & ideo nullum præter primum ens est maximè vnum. Potest ergo dici vnum & multa. vnum quidem inquantum est actu indiuisum, & indistinctum, Multa verò inquantum diuersitatem aliquam, vel compositionem substantialem siue accidēralem secum compatitur, vel est diuisum in seipso, ita quòd plura continet, quorum vnum non est alterum realiter, & sic est multa. Dico autem realiter, quoniam si illa plura distinguātur solum ratione, non potest dici multa, nisi secundum quid, id est, secundum rationem, vnde quoniā in centro finis & principiū distinguuntur solū ratione, non dicitur centrū esse multa, sed vnū. Et quoniam genus, ac differentia distinguuntur solum ratione, species constituta non dicitur esse multa, sed vnum. Opposito autem modo si distinguantur realiter, & habeant esse actu distinctum dicuntur esse actu multa, sicut duo lapides, duæ albedines, &c. Si autē non habent esse actu distinctū, sed solum in potentia, dicuntur esse multa in potentia, sicut partes dum cōponunt totū, patet ergo hanc diuisionem esse sufficientem.

Quantum ad secundum, vt scias quomodo membra huius diuisionis sunt opposita, aduerte, quòd cùm sit duplex vnum, scilicet vnum, quod est principium numeri, & vnum transcendens, alio modo opponitur vnum numerale multitudini numerali, & alio modo vnū transcendens multitudini transcendenti. Nam vnū numerale dupliciter considerat. Primo inquantum ad ipsum consequitur ratio mensuræ: vni enim primo competit ratio mensuræ, ex decimo Meta. tex. 2. & vt sic opponitur multitudini numerali oppositione relatiua, sicut principium ad principiatum, sicut pars ad totum, & magis proprie, sicut mensura ad mensuratū. Omnis enim numerus mensuratur vnitate ex decimo Metaphysicæ, tex. 2. Secundo consideratur secundū id quod est vnū, vt vnū: & hoc iterū dupliciter. Primo cum præcisione, id est inquantū est species distincta à qualibet specie numeri, sicut etiā cōsideramus duālitatem, vt speciē distinctam à quaternario: & vt sic opponitur multitudini numerali consideratæ secundū quālibet speciem, oppositione disparata, quæ seruatur inter quascunque duas species eiusdem generis, quæ reducitur ad oppositionem contrariam, quia ex decimo Meta. tex. 24. duæ species constituntur ex contrariis differentiis diuisiuis eiusdem generis, propter quas species constitutæ dicuntur opponi contrariæ. Secundo consideratur sine præcisione, id est non inquantum species distincta ab omni specie numeri, sed inquantum est constitutiuum numeri aliquoties sumptum, sicut etiam possimus considerare duo & tria, non inquantum sunt species distinctæ contra sex, sed inquantum constituunt sex, & vt sic nulla oppositione contraria opponitur multitudini numerali, nullum enim constitutiuum contrariatur constituto, aliter non constitueret constitutum. Et in hac consideratione, vnum est materia numeri: materia autem non habet oppositionem ad id, cuius est materia, nisi forte oppositionem relatiuam, qualis est inter principium & principiatum. Patet igitur, quomodo vnum & multa numeraliter opponuntur.

Vnum verò sumptum transcendenter opponitur multitudini transcendenti priuatiuè, quoniam cum vnum sit ens indiuisum, importat formaliter indiuisionem, multitudo vero importat diuisionem, quoniam multa sunt, quorum vnum non est aliud: indiuisio autem & diuisio se habent, vt priuatio & habitus. ergo vnum & multa transcendenter sumpta, opponuntur priuatiuè, & confirmatur per Arist. in 10. Meta. tex. 9. vbi & Commen. inquit, Manifestum est, quòd vnum opponitur pluri secundum hunc modum, scilicet habitum & priuationem, indiuisibilitas enim est priuatio diuisibilitatis.

Tu tamen aduerte, quòd vnum non est priuatio illius multitudinis, quam constituit, quia respectu illius est pars constitutiua, vt diximus, sed multitudinis, quæ negatur esse in eo quod est vnum: non enim de ratione sua, vnum negat omnē diuisionem. sed tantum eam, quę esset in ipso, si non esset vnū. Pari ratione negat omnem multitudinem sibi intrinsecam inquantum vnum, extrinsecam autem non, imò vt diximus, eam constituit: omnis enim pluralitas ab vnitate descendit, patet igitur, quomodo præsens diuisio datur per opposita, siue sumantur vnum & multa numeraliter, siue transcendenter.

Quarta diuisio entis realis est in quinque transcendentia, de quibus considerabimus tria. Primo quomodo distinguuntur ab ente, cum non sint synonyma. Secundo quid addant su per ens. Tertio quem ordinem habeant inter se.

Pro euidentia primi, pono tres conclusiones. Prima conclusio, Transcendentia non distinguuntur realiter ab ente. In hac conclusione omnes Metaphysici conueniunt, quæ tamen probatur duplici ratione. Primo, quia de eis non prædicaretur ens tam in abstracto, quā in concreto: quod ideo dico, quoniā & si accidēs distinctum realiter à subiecto prædicetur de subiecto in concreto, non tamen in abstracto (falsum est enim ꝙ Plato sit albedo) constat autē, quòd ens in abstracto, & in concreto prædicatur de transcendentibus, nam bonum est ens, & est entitas, ergo, &c. Secundo si distinguuntur realiter ab ente, addunt super ens aliquod reale. Quæ enim distinguuntur realiter, aut sunt duo entia realia penitus distincta, vt duo supposita, aut vnum includit aliquod reale, quod non concludit alterum, vt homo & homo albus, sed transcendentia non addunt aliquod reale super ens, quoniam tale additum, aut esset differentia, sicut homo addit rationale super animal, aut esset accidens, aut substantia, non addit differentiam, quia ens esset genus contra Aristot. in tertio Metaphysi. textu decimo, non addunt accidens, nec substantiam, quia transcendentia non prædicarentur de quolibet ente. Quod enim addit super ens, aliquid determinati generis, non conuertitur cum ente, vt patet. Constat autem transcendentia prædicari de quolibet ente, vnde & Comm. inquit in quarto Metaphysi. comm. tertio, omne ens est vnum, & econuerso. Et quod dico de vno intelligendum est de aliis transcendentibus. Cùm igitur substātia, & quodlibet accidens sint determinati generis, sequitur, quod non conuerterentur cum ente, cuius tamē oppositum est confessum ab omnibus, cū sint passiones conuertibiles cum ente.

Secunda conclusio, transcendentia non distinguuntur ab ente ex natura rei, quoniam distinctio ex natura rei est distinctio realis, nam per auctorem huius distinctionis, qui est Scotus in primo sentētiarum distinctione octaua, est distinctio inter ante opus intellectus: ergo est realis, sed ex conclusione præcedenti non distinguuntur realiter ab ente, ergo nec ex natura rei. Nec valet ratio Scoti, quæ est hæc, Secluso omni opere intellectus, voluntas, & intellectus distinguuntur plus quàm ratione, cum habeant distinctas operationes. ergo eorum obiecta distinguuntur plus quàm ratione, quæ sunt ens, & bonū, ergo distinguuntur ex natura rei, consequentia vero sic probatur, quoniam ex secundo de Anima, textu trigesimo tertio, potentiæ distinguuntur per obiecta, ergo qualiseēt distinctio inter volitatem & intellectum, talis erit inter ens, & bonum: cum ergo intellectus, & voluntas distinguantur, ex natura rei distinguentur: similiter ens & bonum. Hæc ratio in via Beati Thomæ, non valet, quoniam intellectus & voluntas, secundum nos distinguuntur, non solùm ex natura rei, sed etiam realiter: negamus autem esse necessariam tantam distinctionem in obiectis, quantam ponimus in potentiis. Nec hoc dixit Aristoteles. Nam ad causandam distinctionem realem in potentiis, sufficit distinctio formalis vel rationis in obiectis, sicut ad causandam distinctionem specificam & realem in duabus scientiis, sufficit distinctio formalis in obiecto, eadem enim res sub diuersa ratione formali, à distinctis scientiis considerātur, sicut terra ab Astrologo & à Physico.

Et si quæras, quomodo eadem res potest sub diuersa ratione esse obiectum intellectus & voluntatis, dico id esse, quoniam eadem res apta nata est diuersimodè mouere vtrunq; nouet enim intellectum sub ratione entis, quæ est ratio absoluta, & mouet voluntatem sub ratione appetibilis, quæ est ratio boni, quæ est ratio respectiua, vt dicemus infrā.

Tertia conclusio, Transcendentia distinguuntur ratione ab ente. Quoniam non est nugatio dicere ens vnum, ens bonum, ens verum, vt omnes concedunt: ergo aliqua distinctione distinguuntur, non reali, nec ex natura rei, per conclusiones præcedentes, ergo à sufficienti diuisione, distinguuntur ratione, licet significent eandem naturā. Quod confirmatur per Arist. in quarto Metaphysicæ, textu tertio, vbi inquit, Si igitur ens, & vnum idem & vna natura, eo quod se adinuicē consequuntur, sicut principium & causa, sed non & vna ratione ostensa. Et Comment. declarans illic dictum Arist. inquit significant eandem naturam subiecto, & duas diffinitiones, sicut principium & causa: manifestū est ergo, quod secundum viam Peripateticam distinguuntur ab ente solùm secundū rationē, quoniam alio modo cōcipitur res, vt ens, & vt vna vel bona, &c.

Pro euidentia secundi aduerte, quòd quinque transcendentia addunt quinque modos essendi generales, conuenientes cuilibet rei, & non sunt expressi per conceptum entis, vnde nota, quòd modus essendi additus enti est duplex, nam quidā est specialis, qui, scilicet non conuenit omni enti, sed determinato, vt hic modus, qui est esse per se, conuenit soli substantiæ, Et secundum hos modos speciales distinguitur ens in decem prædicamenta. De quibus inquit B. Tho. in quinto Metaphysicæ, capite de substantia, quòd distinguuntur per diuersos modos prædicandi, sumptos à diuersis modis essendi, scilicet specialibus, de quibus pertractabimus. in quæst. Metaphysic. Quidam autem sunt modi essendi generales additi enti consequentes omne ens, & isti constituunt quinque transcendentia. Quorum sufficientia est hæc, omnis talis modus consequitur omne ens vel in se, vel in ordine ad alterum. Si in se, vel affirmatiuè, vel negatiuè: si negatiuè, hic modus est indiuisio, quæ addit vnum super ens, est enim vnum & vnum ens indiuisum: si affirmatiuè, hic modus est essentia, quæ constituit rem. Distinguitur enim res ab ente in hoc, quòd ens imponitur ab esse. Res autem ab essentia, vel à quidditate, propterea licet ens dicatur de ente reali. & de ente rationis, non tamen res, nam sola entia realia propriè dicuntur res, quia sola habēt essentiam, vel quidditatem, entia vero rationis per apprehensionem rationis dicuntur entia, non quòd ex se habeant aliquam essentiā, vel quidditatem. Si in ordine ad alterum hoc dupliciter. Primo secundum diuisionem vnius ab altero, & hic modus constituit ly aliquid, dicitur enim aliquid quasi aliud quid, propter quod sicut ens dicitur vnum, quia est indiuisum, sic dicitur aliquid inquantum est diuisum ab alio. Ex quo sequitur, quòd si aliqua duo sint realiter idem, vnum per respectum ad alterum non potest dici aliquid, vnde hæc est falsa, homo comparatus rationali est aliquid. Secundo quantum ad conueniētiam vnius entis cum alio, & hoc non potest esse, nisi sumatur aliqua natura, quæ nata sit conuenire cum omni ente. Id autem est anima, quoniam est quodam modo omnia, ex 3. de Anima, tex. 37. In anima autem est potentia intellectiua, & est appetitiua intellectiua dicta voluntas. Conueniētia autē entis ad intellectū, quę dicitur conformitas, vel assimilatio constituit ly verū, de quo dicemus in ca. de Vero. Conuenientia vero entis ad appetitum constituit ly bonum, de quo dicemus in capite de Bono. Ex prædictis igitur patet, quales modos addant transcendentia supra ens.

Ordo in transcendentibus.

Pro euidentia tertij, præpono distinctionem, deinde subiungam aliquas conclusiones. Distinctio est hæc: Ordo transcendentium dupliciter assignari potest. Primo quantum ad res significatas, & sic nullum habent ordinem adinuicem, nec vnum est prius altero. Quoniam huiusmodi ordo supponit distinctionem realem inter ordinabilia, cum ordo iste sit relatio realis, quæ requirit extrema distincta realiter, vt diximus suprà, sed transcendentia, vt dictum est suprà, non distinguuntur realiter ab ente, nec à seinuicem, ergo quantum ad res significatas, nullum habent ordinem adinuicem. Secundo considerantur quantum ad rationes suas formales, ad hunc sensum, cuius transcendentis ratio prius apprehendatur, ab intellectu procedente ordinatè ordinante à conceptu entis ad alios conceptus, puta an prius ei occurrat conceptus vnius, post conceptum entis, an conceptus veri, an conceptus boni, &c. & in hoc sensu ibi quæritur, quem ordinem habeant inter se.

Præmissa hac distinctione, subiungo aliquas conclusiones decisiuas quæsiti.

Vnum formaliter omnia entia præcedit.

Prima conclusio, Vnum secundum rationem formalem præcedit omnia alia transcendētia. Quoniam primum, quod concipitur ab Intellectu nostro, est ens, vt etiam testatur Auicenna in primo suæ Metaphysicæ cap. 6. secundum est non ens, quia ex opposito cognoscitur oppositum. tertium est diuisio. Cognito enim quid ens, & quid non ens, statim apprehendimus distinctionem vnius ab altero, cum sint opposita. Quartum est indiuisio, quoniam omne ens in seipso indiuisum est: cum enim secundum Aristo. in decimo Metaphysicæ tex. 7. dicantur æqualiter ens & vnum, quod non est vnum, non est ens: sicut quod non est risibile, non est homo: vnum autem dicit indiuisionem, vt suprà declarauimus, ergo omne ens est in seipso indiuisum. Cum igitur ens vnum dicat ens indiuisum, & in quarto loco apprehendamus indiuisionem, quæ complet rationem vnius, sequitur quòd post ens primum, quod concipitur ex transcendentibus, est vnum.

Vnum sequitur aliquid.

Sed dicet aliquis, in secundo gradu concipitur non ens, & in tertio concipitur diuisio: ergo ante conceptum vnius concipitur non ens, & diuisio, ex consequenti primum, quod concipitur post ens, non est ipsum vnum.

Respondeo, id non impedit intentum nostrum, quoniam loquimur de eo quod dicit aliquod positiuum, saltem quo ad suum materiale. Constat autem, quod non ens, & diuisio, non dicunt positiuum, de non ente patet, de diuisione manifestatur ex sua ratione formali, est enim diuisio negatio vnius de altero. Diuisa enim sunt, quorum vnum non est alterum, & sic instantia non valet.

Secunda cōclusio, intellectus ordinate concipiens trāscendentia, postquā apprehendit rem, vt vnam, statim apprehendit eam, vt aliquid. & eius conceptum format. nam declaratum est in conclusione præcedenti, ꝙ in quarto gradu apprehendimus ens, vt indiuisum in seipso, ergo consequenter vt diuisum à quolibet alio. sed in hoc stat ratio ipsius aliquid vt dictum est suprà: ergo post conceptum vnius, immediatè sequitur conceptus ipsius aliquid. Quod autē ad apprehensionem entis, vt indiuisi in seipso consequenter succedat apprehēsio,

vt est diuisum à quolibet alio, patet ex hoc, quòd vnumquodque ex propria entitate distinguitur à quolibet alio.

Aliquid sequitur res. Tertia conclusio, Post conceptum ipsius aliquid statim sequitur cõceptus rei. Quoniam dicitur res à sua propria quidditate, vel essentia; propriam autem quidditatem, vel essentiam vnumquodque habet, inquantum est diuisum in se, & diuisum à quolibet alio, alioquin sua essentia non esset sibi propria: ergo post conceptum vnius & aliquid, intellectus ordinatè procedens immediatè format conceptum rei.

Verum sequitur ipsum bonũ. Quarta conclusio, Conceptus veri est prior conceptu boni. Quoniam qualis est ordo inter intellectum & voluntatem, talis est inter eorum obiecta, prioris enim & vniuersalioris potentiæ obiectum prius & vniuersalius est; sed intellectus est prior & vniuersalior voluntate, quoniam non fertur voluntas nisi in præcognitum. Ergo verum quod est obiectum intellectus, prius est in apprehensione quàm bonum quod est obiectum voluntatis.

Præterea à, vniuersaliora sunt priora in apprehensione, ex primo Physicorum, textu tertio, sed verum in tota sua latitudine est vniuersalius bono, quoniã verum prædicatur de quolibet ente, tam potentiali, quàm actuali. Bonum autem propriè prædicatur de ente in actu, vt dicemus in capite de Bono. Patet ergo, quòd inter transcendentia iste est ordo, non quo ad res significatas, sed quo ad rationes formales, primum est ens, secundum est vnum, tertium est aliquid, quartum est res, quintum est verum, sextum est bonum.

Quinta diuisio. Ens diuiditur per finitũ & infinitum. Quinta diuisio entis realis est hæc, Omne ens reale, præcipuè absolutum, est finitum vel infinitum, circa quam considerabimus tria, Primo quomodo simitur ly finitum & infinitum, Secundo ponitur vnica conclusio, & probatur. Tertio defensatur contra Scotum ordo huius diuisionis ad præcedentes, soluentúrque rationes ipsius.

Quantum ad primũ aduerte, quòd finitum & infinitum sumuntur dupliciter, Primo in essentia, Secundo in quantitate.

Finitum in essentia dicitur, quod est determinatum & limitatum ad aliquod genus essendi in prædicamento determinato, siue sit ens corporeum, vel incorporeum, substantia, vel accidens. Infinitum in essentia est illud, quod nullo modo est arctatum ad vnum genus essendi, sed in se continet eminenter omnes gradus entis, & omnes dabiles perfectiones.

Finitum in quantitate est illud, in quo est assignare principium & finem, & hoc tam in quantitate continua, quàm discreta. Infinitum autem est in quo cum sit diuisibile non est dare principium, neque finem, vt in linea infinita, in multitudine infinita. In proposita diuisione intendimus de finito & infinito in essentia, constat enim, quòd quantitas non conuertitur cum ente. Ergo nec finitum, nec infinitum, in quantitate diuidunt ens reale absolutum vniuersalissimè sumptum.

Quantum ad secundum, ponitur hæc conclusio, Quodlibet ens reale absolutum est finitum, vel infinitum in essentia, probatur, Quodlibet ens reale absolutum, vel habet esse ex se vel ab alio: si ex se, ergo habet esse interminatum. Quicquid enim terminatur, ab aliquo terminatur, à quo pendet, vel à quo continetur, vel à quo sustentatur. ergo quod habet esse ex se, penitus independens à quocunque extrinseco, habet esse interminatum: si interminatum, & infinitum, quoniam conuertũtur, si esse infinitum, ergo essentiã infinitam. Cum enim apprehendamus esse, vt fluens ab essentia, quantum erit esse secundum perfectionem, tanta erit essentia, vt radix: si habet esse ab alio, ergo est finitum in essentia. Quoniam, si habet esse ab alio, est esse productum, si productum, ergo terminatum ad aliquem gradum essendi, vel ex differentia specifica, si est substantia, vel ex subiecto, si est accidens: ergo quod habet esse ab alio est finitũ in essentia. Sed aduerte, quòd in via Comment. ex octauo Physic. commento 79, hæc diuisio nulla est, Quoniam negat posse dari infinitum in essentia, quod dicitur infinitum in vigore, vnde apud ipsum, primum mouens non est infiniti vigoris, verum, quia non sustinetur à B, Tho. nec à Scoto, ideo sua opinio reseruatur reprobanda in q. nostris metaphysicalibus, & nunc non est præsentis negotij.

Quantum ad tertium declarandum est, quem ordinem habeat hæc diuisio inter diuisiones entis, Et hic est duplex via famosa, vna apud Thomistas, alia apud Scotistas.

Thomistæ tenent, quòd quemcunque ordinem contineat hæc diuisio, non tamen est prior diuisione entis, quæ sit per vnum & multa, imò sequitur transcendens, quod est bonum, & cum bonum iste posterius vno, vt declaratum est, ponendo ordinem inter rationes formales transcendentium, sequitur hanc diuisionem esse posteriorem illa. Quod autem hæc diuisio sequatur bonum probatur sic, Vnumquodque intãtum est finitum, vel infinitum in essentia, inquantum habet esse tantum habet esse, inquantum est perfectum, quoniam esse rei est prima rei perfectio, cum sit prima actualitas, qua res existit: intantum autem est perfectum, inquantum est bonum, quia, vt dicemus in capite de Bono, ratio boni est ratio perfectui, ergo vnumquodque intantum est finitum, vel infinitum in essentia, inquantum est bonum, patet ergo, quòd hæc diuisio sequitur bonum.

Scotistæ autem fundantes se super doctrinam Scoti in primo distinct. octaua, quæstione tertia, & in quolibet, quæstione quinta, tenent hanc diuisionem priorem illa, qua diuidatur ens per vnum & multa, & arguitur sic, ens prius diuiditur in ea, quæ sunt enti magis intima, quàm in ea, quæ posterius enti conuenientia, sed finitas & infinitas in essentia cõueniunt enti magis intimè, quàm vnitas & multitudo, ergo, &c. Maior patet. Minor autem ad mentem Scoti, sic probatur, finitas & infinitas conueniunt enti in esse quidditatiuo, id est, in primo modo per se, dicunt enim perfectionem in essentia rei, perfectio autem in essentia conuenit enti in primo modo per se. Nam quælibet essentia comparata alteri est perfectior vel imperfectior, sicut humanitas perfectior est equinitate, & sic de aliis essentiis specificis, vnitas autem & multitudo conueniunt enti in secundo modo per se, quoniam apud Metaphysicum sunt passiones entis, ergo, &c.

Ad hoc secundum doctrinam B. Tho. negatur minor. ad probationem, quando dicitur, finitas & infinitas conueniunt enti in esse quidditatiuo, id potest duplic iter intelligi. Primo prout abstrahit à quolibet esse actuali, puta sumendo humanitatem, vt humanitas præcisè & abstractè præscindendo à quolibet esse actuali, & sic negamus finitum & infinitum in essentia conuenire enti, quia essentia sic præcisè sumpta, nullam perfectionem dicit, cum prima rei perfectio sit esse actuale, & vt sic comparata alteri essentiæ præcisè ab esse, non potest dici hæc perfectior, & illa imperfectior, nisi forte fundamẽtaliter, prout humanitas est apta recipere nobilius esse, equinitas autem vilius. Secundo consideratur prout stat sub esse, puta equinitas actu existens, & vt sic conceditur, quodlibet ens absolutum esse finitum, vel infinitum in essentia, & dicit aliquam perfectionem, sed quoniam hæc perfectio fundatur in esse, & ipsum esse est quoddam bonũ (cuilibet enim, esse suum est appetibile) ideo dicimus, quòd finitum & infinitum sequuntur bonum. Et, quoniam ens prius diuiditur per vnum & multa, quàm per bonum & malum, ideo sustinemus diuisionem entis per vnum & multa esse priorem diuisione, quæ est per finitum & infinitum. Et hic terminamus considerationem de ente cum omnibus diuisionibus suis.

Et aduerte, quòd ex proposito relinquimus diuisionem entis in decem prædicamenta, quoniam illa non conuenit enti reali absolutè sumpto, sed enti reali finito in essentia. De hoc igitur considerabimus in quæstionibus nostris metaphysicalibus. Sequitur consideratio de Vno.

CAPVT II.

Et est de Vno.

SEcundum ordinem assignatum in transcendentibus, post considerationem entis sequitur consideratio de vno, de quo dicemus tria.

Primo, quomodo distinguuntur vnum transcendens, & vnum numerale.

Secundo, quid addit vnũ numerale super vnũ transcẽdens.

Tertio, si ratio mensuræ primo conuenit vni.

Quantum ad primum aduerte, quòd non est immorandum, vt declaretur, vtrum distinguantur, nam opinio Auicennæ de eorum identitate recitata à Comment, in 4. Metaphy. commen, 3, & sufficienter reprobata à B. Tho. in 4. Metaphy. exponente textum tertium, iam cassata est. Supposito ergo quòd distinguantur, inuestigandum est quomodo.

Ad cuius euidentiam nota, quòd aliqua possunt esse distincta dupliciter. Primo sicut duæ res, quarum vna non est alia, nec de ea prædicatur, sic Plato & Sortes distinguũtur, & quælibet duæ species. Et hoc modo clarum est, quod ens transcendens, & ens numerale non distinguuntur, quia licet vnum numerale non prædicetur de vno transcendente, cum sit eo inferius tamen vnum transcendens prædicatur de vno numerali, quoniam de quocunque prædicatur ens, prædicatur & vnum transcendens, cum sint conuertibilia, ex quarto Metaphysicę, textu tertio. Constat autem, quòd de eo prædicatur ens, ergo, &c. Secundo dicuntur aliqua distincta, quia vnum est sicut superius, & alterum sicut inferius, addens tamen aliquid supra rationem superioris. Hoc modo distinguuntur animal & homo, quoniam supra rationem animalis addit rationale, & sic distin-

distinguuntur vnum transcendens, & vnum numerale, quoniam vnum numerale est in genere determinato, id est in prædicamẽto quantitatis, vnum autem transcendens est super omne genus, sicut & alia transcendentia, & ideo est magis vniuersale, & propterea sicut homo addit aliquid super conceptũ animalis, necesse est, vt vnum numerale addat aliquid super vnũ transcendens. Quid verò sit illud dicemus in sequentibus.

Quantum ad secundum, declarandum est quid addat vnum transcendens super ens, & quid vnum numerale & per consequens super vnum transcendens.

Respectu primi dico, quòd vnum transcendens nihil reale positiuum addit: declaratum est enim suprà, quòd transcendentia nullum reale addunt supra ens, ergo nec vnum. Declaratum est etiam, quod vnũ est addens indiuisionem super ens: indiuisio autem non est quid reale positiuum, cum sit priuatio, quæ est negatio. Dicendum est ergo, quod solam indiuisionem super ens addit, vt patet ex sua ratione formali, quæ est hæc, vnum transcendens est, cui debetur esse indiuisum.

Respectu autem vnius numeralis varia est opinio: licet enim omnes concordent, quod est accidens secundum Auicennam in tertio suæ Metaphysicæ, capite tertio, & secundum Commentatorem in quarto Metaphysicæ, commento primo, & clarius in decimo libro, commento quinto. Quid autem sit illud accidens est diuersa opinio. Nam Auicenna in eodem loco videtur sentire, quod sit esse, quod dat quantitas continua rei quantæ. Puta, si quæratur, quare lapis iste est vnus numeraliter, respondetur, quia habet esse quantitatiuum indiuisum fluens à quantitate continua lapidis, ita quod tandiu lapis est vnus numeraliter, quandiu non est diuisus secundum quantitatem. Si enim quantitas lapidis diuidatur, fiet alterum & alterum esse quantitatiuum, & sic fient duo lapides, & hanc sententiam videtur sequi Beatus Thomas, in primo sententiarum distinctione vigesima quarta, vbi recitans mentem Auicennæ, licet improbet ipsum quo ad identitatem vnius numeralis cum vno transcendenti, nõ tamen quantum ad hoc, quod vnitas numeralis ponitur esse quantitatis continuæ.

Quidam autem dicunt, quòd addit super ens rationem mensuræ, quoniam prima ratio mensuræ attribuitur vni ex decimo Meta. tex. tertio. Quod quidem quomodo sit verum dicemus infrà. Et hanc opinionem videtur tenere B.T. in quarto Meta. exponens textum tertium, vbi arguens contra Auicennam inquit, vnum, quod est principium numeri, addit super substantiam rationem mensuræ, quæ est propria passio quantitatis, quæ primo inuenitur in vnitate, & dicitur per priuationem & negationem diuisionis, quæ est secũdum quantitatẽ continuã.

Sed dicet aliquis, si secundum B.T. vnum numerale dicit esse indiuisum quantitatis continuę, ergo non dicit rationem mensuræ, quoniam vnius est tantum vna ratio quidditatiua.

Respondeo, non est inconueniens, quod dicat vnum tanquã essentiale prædicatum, sicut homo dicit formaliter rationale, & alterum tanquam proprietatem suam, sicut homo dicit risibile, eodem modo vnum numerale dicit esse indiuisum quantitatis continuæ, vt prædicatum essentiale. Dicit autem rationem mensuræ, vt proprietatem suam, quæ fluit à prædicato essentiali, ex hoc enim, quòd dicit esse indiuisum, sequitur ratio mensuræ ex 10. Meta. tex. 3. vbi manifestatur quamlibet mensuram esse indiuisibilem aut à natura, aut à proposito.

Quidam autẽ, sicut placuit Paulo Soncinati in 10. Metaph. q. 3. dicunt vnũ numerale esse accidens, & quòd illud accidens est quantitas continua rei quantæ, puta vnitas huius lapidis est quantitas cõtinua eius, & probat propositum dupliciter.

Primo, Res ex sua quantitate continua est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio: ergo quantitas continua est vnitas rei quantæ. consequentia patet à diffinitione ad diffinitũ: antecedens autem sic probatur, Diuisibilitas primo conuenit quantitati continuæ, vt alias probatum est, ergo per quantitatem continuam res est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio.

Secundo, per solam quantitatem continuam res illa facit numerum cum alia: posito enim lapide A, cum sua quantitate continua, similiter posito B, omni alio circunscripto consistunt binarium, ergo vterque est vnus sua quantitate continua. patet ergo vnitatem numeralẽ esse quãtitatẽ continuã.

Sed contra hanc opinionem sic arguitur, diuisibile non habet rationem vnitatis, ex diffinitione vnitatis, quæ dicit indiuisionem ex decimo Metaph. textu tertio, sed quantitas continua est diuisibilis etiam in infinitum, ex tertio Physi. textu 34. ergo quantitas continua non habet rationem vnitatis.

Sed forte dices, quantitas continua dupliciter cõsideratur. Primo vt habet partem extra partem, & sic non habet rationem vnitatis, quia, vt sic est diuisibilis, sicut etiam argumentũ probat. Secundo inquantum est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio, & vt sic habet rationem vnitatis.

Contra, & probo, quòd etiam secundo modo accepta non habet rationem vnitatis, quod enim conuenit alicui ex sua ratione formali, & in suo esse quidditatiuo, quocunque modo consideratur, semper conuenit ei, quoniam prædicata quidditatiua sunt inseparabilia: sed esse diuisibile, & habere partem extra partem conuenit quantitati continuæ, ex sua ratione formali & quidditatiuè, vt patet in sexto Physicorum, textu tertio, vbi Philosophus diffiniens continuum inquit, Continuum est diuisibile in semper diuisibilia, & nullum continuorum diuisibile in impertibilia: patet ergo, quòd quantitas continua etiam considerata, vt indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio, non habet rationem vnitatis.

Ad primum igitur argumentum, negatur antecedens, & probatio nihil valet, imò magis sequitur oppositum. Nam ex hoc, quòd diuisibilitas conuenit quantitati continuæ, primo sequitur, quòd indiuisibilitas consistuens vnitatem non primo conuenit eidem, cum sint opposita.

Ad secundum negatur similiter antecedens, & sua probatio nihil valet. nam secluso esse indiuiso dato rei quantæ à sua quantitate continua, duo lapides non consistuunt binarium, quia neuter eorum erit vnus.

Tenendum est ergo, quod vnum numerale addit super ens esse indiuisum fluens à quantitate continua, ad quod sequitur ratio mensuræ.

Quantum ad tertium agenda sunt duo. Primo videbitur, quæ sit ratio mensuræ. Secundo proponetur conclusio ad principale propositum, & probabitur.

Aduerte igitur, quòd ratio mensuræ est hæc, Mensura est id quod ducit in cognitionem quantitatis rei quantæ, vnde inquit Arist. in 10. Meta. tex. 2. Mensura est id, per quod cognoscitur rei quantitas, vbi & Commen. inquit. Ratio mensuræ est ducere in cognitionem mensurati.

Sed aduerte duplicẽ rei quantitatẽ, scilicet dimensiuam & virtualẽ, quæ idem est quòd rei perfectio & bonitas. Quodcũque ergo ducit nos in cognitionẽ quantitatis dimensiuæ dicetur mensura dimensionalis. Sicut per cubitum cognoscimus quantitatẽ ligni. Illud verò, per quod cognoscimus quãtitatẽ virtualẽ dicitur mensura virtualis, & hoc secundũ Philosoph. in 10. Meta. tex. 3. est illud, quod est simplicissimũ, & primũ, & perfectissimum in quolibet genere, vnde & albedo dicitur mensura omniũ colorum, quoniam per ipsam cognoscimus quanta perfectio sit in aliis coloribus, quãto enim magis propinquant ei tanto perfectiores sunt, & quanto magis distant, tanto imperfectiores, & in genere substantiarum, prima substantia separata est mensura omnis substantiæ: cum enim illa sit prima & perfectissima in tali genere, tanto aliæ substantiæ sunt perfectiores, quanto magis illi propinquant.

Mensuræ ratio primo reperitur in vnitate. Declarata ratione mensuræ, ponitur conclusio ad principale propositum. Ratio mensuræ prius reperitur in vnitate, quàm in omnibus aliis. Ad cuius probationem suppono quòd de ratione mensuræ est indiuisibilitas secundum Aristot. in 10. Meta. tex. 3. vbi inquit, In omnibus autem his metrum & principium aliquid, & indiuisibile, quoniam & in lineis vtimur, quasi indiuisibili pedali, &c. Et illic declarat Arist. quòd necessario mensura est aliquod indiuisibile, aut simpliciter, aut humano decreto, ita quòd nec ei fiat additio, nec diminutio. Si enim quid diuisibile & variabile esset non certificaret quantitatem mensurati. Hoc supposito arguo sic, Vnitati primo conuenit indiuisibilitas, ex diffinitione sua, vnde inquit Arist. in 10. Meta. tex. 2. vni esse indiuisibile est esse. ergo vnitati primo conuenit ratio mensuræ: consequentia patet ex supposito, nam bene sequitur si indiuisibilitas est de ratione mensuræ: ergo cui primo competit ratio indiuisibilitatis, eidem primo competit ratio mensuræ.

Præterea, omnem quantitatem continuã mensuramus numero per replicationem, vel vnitate, si non replicatur mensura. Numerum autem mensuramus vnitate, cum sit multitudo cõstituta ex vnitatibus. Vnitatem verò per nullum prius mensuramus, ergo est primum mensurans, & nullo modo mensuratum. Patet igitur, q̃ ratio mensuræ primo conuenit vni. Hæc de Vno dicta sint.

CAPVT III.

De Aliquid, vbi illa tractatur quæstio, an & quomodo esse distinguatur ab essentia.

NVnc agendum est de Aliquid iuxta ordinem transcendentium assignatum suprà. Aduerte igitur, quòd cognitio de Aliquid pendet ex cognitione Vnius. Dictum est enim in sufficientia transcendentium, quòd ly Aliquid significat diffinctionem vnius entis ab alio, propter quod nota, quòd de ratione

ratione vnius non est nisi esse indiuisum in seipso, quòd autem sit diuisum ab alio, accidit, quoniam accidit aliud esse, vnde dato, quòd solus Deus esset, adhuc esset vnus, quia omnino in diuisus in se, non tamen propriè esset aliquid, quia non esset distinctus ab alio, si nihil aliud esset. Nisi forte diceretur aliquid, quia ex natura sua esset aptus distingui ab alio si daretur, vnde diceretur aliquid fundamentaliter, & non formaliter. Hæc de Aliquid dicta sint.

CAPVT IIII.

De Re, vbi illa tractatur quæstio, an & quomodo esse distinguatur ab essentia.

CIrca hoc transcendens, quod est Res, iam patet ex sufficientia transcendentium suprà assignata, quòd distinguitur ab ente propter hoc, quòd ens sumitur ab esse, Res autem ab essentia, & quoniam entia rationis, vt dictum est suprà, non habent essentiam, ideo competit solis entibus realibus. Inuestigandum est ergo qualiter se habeat essentia, à qua sumitur res, ad esse, à quo sumitur ens. Et quæritur, vtrum distinguantur realiter, vel sint idem re, sed distincta tantum ratione, & circa hoc sic procedendum est.

Primo proponentur aliquę opiniones, & improbabuntur. Secundo proponetur via B.Tho, & defensabitur.

Prima opinio est Henrici de Gandauo in primo quolibet. q.8, hic tenet eandem rem penitus esse essentiam & esse, sed per duplicem respectum, quem potest habere, comparata primæ causæ denominatur essentia & esse: nã imaginatur quòd res antequam producatur, est ab æterno in intellectu primæ causæ, sicut exemplatũ in exemplari, & ideatum in idea, & sic considerata dicit respectum exemplati ad exemplar, dato etiam casu, quòd non produceretur, & vt sic dicitur essentia, puta res, quæ est homo, vt est in intellectu primæ causæ, vt ideata, dicitur essentia hominis. Si autem consideratur comparata ad primam causam, sicut effectus ad causam productiuam, prout in actu producitur, sic vocatur esse, vnde res, quæ est homo actu productus, dicitur esse per talem respectum, sicut per primum respectum dicitur essentia,

Sed contra hanc opinionẽ dupliciter arguitur. Primo, nulla ratio est de formali relatione entis absoluti: dicitur enim absolutum ad se, & non ad alterum, sed essentia puta hominis & lapidis est ens absolutum, vt patet: ergo per relationem res non potest dici essentia, cum essentia sit significatum diffinitionis, vt dicemus infrá. Præterea, nulla relatio est inclusa in ratione sui fundamenti, quoniam fundamentum est prius relatione fundata, essentia est fundamentum huius relationis, quæ est inter rem exemplatam, & primam causam vt exemplar, nam essentia est id, quod est producibile per diuinum exemplar: ergo in sua ratione formali non includitur respectus, cum sit respectus posterior fundamento.

Opinio Scoti. Secunda opinio est Scoti in tertio sententiarum, distinctione sexta, & consistit in duobus. Primo, quòd sunt idem realiter, & sic probat, Duo abinuicem inseparabilia sunt idem realiter. Hoc est velut principium in doctrina sua: sed esse non separatur ab essentia. tũc enim existeret essentia sine esse, quod est impossibile & implicans cõtradictionem: ergo sunt idem realiter. Secundo, quòd distinguuntur ex natura rei, & probat sic, De quibuscunque prædicantur & verificantur prædicata contradictoria, distinguuntur ex natura rei, hæc patet secundum ipsum ex diffinitione distinctionis ex natura rei: sed de esse & essentia verificantur prædicata contradictoria, nam hæc duo sunt vera, esse accidit essentiæ, & non accidit essentiæ; similiter hæc duo, Essentia potest esse in potentia obiectiua, esse non potest esse in potentia obiectiua, ergo esse & essentia distinguuntur ex natura rei,

Sed istæ rationes in via nostra nihil concludunt. Et ad primam negatur maior, quoniam non est vniuersaliter vera, nam materia & forma distinguuntur realiter, & tamen materia non potest separari à forma, saltem in esse formali, vt pro nunc dimittamus esse obiectiuum & secundum viam nostram distinguuntur potentiæ animæ ab anima realiter, & proprietas à subiecto, & tamen sunt inseparabiles, ergo maior sua non est vera vniuersaliter.

Ad secundam negatur maior, quoniam ad verificandum de eodem prædicata contradictoria, sufficit distinctio rationis sumpta ex parte rei, & non solum ex parte intellectus ratiocinantis, vnde de puncto signato in medio lineæ, verum est dicere, punctus est principium & non est principium, scilicet partis præcedentis, & tamen idem punctus, vt principium, distinguitur solùm ratione à seipso, prout non est principium, & sic patet, quòd maior in via nostra non concludit, licet apud Scotistas teneatur vt maxima.

Tertia opinio, quam intendimus sustentare est B.Tho. in secundo contra Gentes, cap. 52. Ad cuius euidentiam agemus tria. Primo quid sit essentia & esse. Secũdo in quo genere sint. Tertio ponam duas conclusiones responsiuas proposito.

Quantum ad primum aduerte, quòd essentia dicit significatum diffinitionis sumptum in concreto, vt significatum huius diffinitionis, animal rationale est essentia hominis, quæ apud Philosophum in 7. Metaph. dicitur quod quid est, vnde id quod est res, est essentia rei. Dico autem in concreto, quia aliquãdo sumitur essentia in abstracto dicẽdo, humanitas, equinitas, &c. Sed in hoc sensũ non sumus locuturi hic: non enim esse competit rei in abstracto, sed in concreto, quoniam abstracta habent rationem quo, & non quod est. Esse autem dicit primam actualitatem impressam cuilibet enti creato à prima causa, qua formaliter existit, cum ex se & sibi derelictum quocunque alio circũscripto existere non possit. primo dicitur primam actualitatem, quoniam est primum, quo res est actu, & supponitur vt fundamentũ primum cuilibet alteri prædicato perfectiuo. Non enim potest res habere esse per se neque corporeum, neque viuum, nisi supposito esse. merito ergo dicit primam actualitatẽ, quoniam est primum actus formaliter. Dicitur secundo, cum ex se existere non possit. Omne enim ab alio dependens, non habet esse ex seipso, quia tunc non dependeret ab alio: ergo indiget aliquo, quo possit existere, & id est esse, vnde sequitur corollariẽ, Primam causam solam posse existere ex seipsa, quoniam, cum sit omnino independens, non indiget aliquo influente sibi esse. Reliquæ partes dictæ descriptionis manifestæ sunt, patet igitur quid sit essentia, & quid sit esse.

Quantum ad secundum dico, quòd esse est in eodem genere reductiuè, in quo est sua essentia. Quod probo dupliciter. Primo actus & potentia sunt in eodẽ genere, ex 9. Metaphys. tex. 12. sed esse comparatur ad essentiam, sicut actus ad potentiam. Est enim essentia susceptiua esse. & esse est actuans essentiam, cum ex supradictis sit prima actualitas; ergo sunt in eodem genere. Præterea, sumo esse substantiæ, puta hominis: & quæro aut est substantia, aut accidens, si est substantia, habeo intentum, si est accidens, contra, accidens est posterius substantia, ex 7. Metap. tex. 4. ergo substantia haberet esse per aliquod posterius ipsa, & cum non sit susceptiua accidentis, nisi prius actu existat, ergo prius existeret quàm recideret esse, quod secundum te est accidens, quod patet esse absurdum. Necesse est ergo dicere esse substantiæ, esse in genere substantiæ, & esse accidentis in genere accidẽtis, & esse quantitatis in genere quantitatis, & esse qualitatis in genere qualitatis, &c.

Quantum ad tertium, vt pateat propositum in via Thomistica, pono duas conclusiones.

Prima conclusio, In quolibet ente, citra primum, distinguuntur realiter esse & essentia sumpta in concreto, puta esse hominis, & id quod est homo. Probatur dupliciter. Primo sic, supponno quod essentia in concreto in nullo recipitur, cum sit id quod est, & sit ens per se: tunc arguo sic, si esse hominis non est idem quod homo, ergo sicut homo non recipitur in alio, sic nec esse est hominis: tunc vltra, si esse non recipitur in alio, ergo est esse illimitatum, quoniam omne limitatum & contractum ideo limitatur & contrahitur, quia recipitur ab alio, sicut accidens in subiecto, vel forma in materia, vel limitatur per aliquam differentiam contrahentem, sicut animal limitatur ad hominem per rationale: sed secundum te, esse non recipitur in aliquo, cum sit idem per te cum essentia, quæ non recipitur in aliquo, nec habet differentiam contrahentem, est enim eadem ratio ens & esse habere differentias, cum sumatur ens ab esse, sed ens non habet differentias contrahentes, ex tertio Metaphysic. textu decimo, ergo esse remanet illimitatum, si illimitatum, ergo infinitum, si infinitum, ergo dabũtur plura esse infinita, scilicet esse primi, & esse rei productę, quod cum sit manifestè falsum, vt etiam probatur in 12. Metaphysc. sequitur, quòd non sunt idem esse & essentia rei productæ. Secundo sic, esse habet causam productiuam, quoniam est effectus agentis, quod dat esse suo producti uo, essentia autem non habet causam productiuam, ergo non sunt idem realiter. consequentia patet. Secunda pars antecedentis multipliciter probatur, nam si habet causam productiuam ergo prædicata quidditatiua & essentialia habent causam productiuam, sed hæc prædicata conueniunt rei absque omni causa productiua: remota enim omni causa litate productiua respectu rosæ, quæro an hæc sit vera, rosa est substantia corporea, si sic, habeo intentum, si non, ergo de rosa absolutè sumpta non potest haberi scientia, sed tantum de rosa vt existit, quod tamen est falsum, quoniam ex primo Post.

Scientia

scientia est de incorruptibilibus, & necessariis, rosa autem vt existit, corruptibilis & contingens est, vt ergo de rosa habeatur scientia, necesse est hanc esse sempiternę veritatis, rosa est substantia corporea, etiam remota omni causalitate productiua.

Præterea, si prædicata quidditatiua non conueniunt subiecto, seclusa omni causa effectiua, ergo diffinitio non semper conueniret suo diffinito, quod est absurdum. Præterea huius propositionis, hoc est homo, nulla est causa: ergo nec huius, homo est animal rationale, & hæc est sententia Aristot. in septimo Metaphysi. textu quinquagesimo nono, vbi tenet, quod huius propositionis, homo est homo, nulla est causa, nisi fortè, vt inquit illic Commentator aliquis dicat, quoniam quodlibet eorum est vnum per se, & vnum non diuiditur in prædicatum & subiectum. Et intendit Commentat. quod non potest assignari alia causa, nisi identitatis prædicati cum subiecto, manifestum est ergo: quod, si prædicata quidditatiua non habent causam effectiuam, nec essentia sumpta in concreto includens huiusmodi prædicata, habet causam effectiuam. Ex his ergo patet, quòd essentia & esse in quolibet creato distinguuntur realiter, & huic sententiæ videtur assentire Aristoteles in secundo posterior. vbi tenet, quod quid est hominis & esse hominis non sunt idem. Et secundum doctrinam Auicennæ esse in omnibus, excepta prima causa, omnibus accidit, essentia autem nulli accidit: ergo non sunt idem.

Secunda conclusio, esse rei creatæ est effectiuè ab agente, formaliter autem à forma: prima pars probatur sic: ex supradictis esse habet causam productiuam: ergo est effectiuè ab agente sue producente, vel à forma: non à forma, quia omnis causa efficiens prior est suo effectu, ex duodecimo Metaphysi. tex. decimo sexto, sed forma non est prior suo esse, tunc enim prius esset: ergo, &c. Præterea ex secundo Physicorum forma & efficiens non coincidunt in idem numero: ergo forma non dat esse effectiuè. Secunda autem pars probatur ex diffinitione formæ, nam forma est, quæ dat esse rei non effectiuè, vt probatum est: ergo formaliter: præterea, proprium est formæ seipsa constituere suppositum: ergo dare sibi esse formaliter. Hæc de re vt est transcendens dicta sint.

Sed dicet aliquis, si esse & essentia in quolibet creato distinguuntur realiter, ergo ens, quod sumitur ab esse, & res, quæ sumitur ab essentia, distinguuntur realiter, quod est contra determinata suprà, vbi probatum est transcendentia non distinguũtur realiter ab ente.

Ad hoc respondeo dupliciter. Primò potest negari hæc consequentia, concesso, quod ens & res in creatis distinguantur realiter quantum ad id, à quo nomen imponitur: ergo transcendenter sumpta distinguuntur realiter, nam in latitudine entis & rei inuenitur gradus, id est ens diuinum, in quo non distinguuntur realiter esse & essentia. Secundò dico, quòd licet ens imponatur ab esse, siue ab actu essendi, & res ab essentia, siue à quidditate, tamen vtrunque quantum ad id, cui nomen imponitur, significat id, quod est, ex consequenti tam ens nominaliter sumptum, quam res, idem significant, diuersa tamen ratione sumpta à diuersis, à quibus nomen imponitur, quæ sunt esse & essentia.

CAPVT V. *De Vero.*

CIrca transcendens Verum duo consideranda sunt. Primo quid sit verum, vel veritas formaliter. Secundo, quia dictum est suprà in assignando sufficientiam transcendentium, quòd verum est addens respectum supra ens, declarandum est si huiusmodi respectus est realis, vel rationis.

Quantum ad primum aduerte duas famosas opiniones, scilicet Heruei, & B.Tho, & volo vtranque pertractare, quoniam vtraque in sensu ab eis intento sustineri potest. Aduerte igitur opinionem Heruei in 3. quolibet. q. prima, consistere in tribus conclusionibus.

Heruei. Prima conclusio, Entitas rei, vt habet esse extra intellectũ, non est veritas formaliter. & probatur. Si entitas rei, vt sic, est veritas formaliter, ergo veritas non est formaliter in intellectu. Quod est contra Philosophum in libro sexto Metaphysices, textu octauo. Inquit enim, non enim verum & falsum in rebus, sed in mente. Præterea, si entitas, vt sic, est veritas formaliter, ergo hic terminus homo significat verum formaliter: quoniam significat hominis entitatem ad extra, sed hoc est contra Philosophum primo Periher. qui tenet, nullum incomplexum dicere verum vel falsum, ergo, &c.

Secunda conclusio, Nulla propositio in quantum propositio, nec in mente, nec in voce, nec in scripto est formaliter veritas. sed est tantum repręsentatiuè vera vel falsa, probatur. Quod significat verum vel falsum est repræsentatiuum veri vel falsi: sed omnis propositio, ex primo Periher. significat verum vel falsum: ergo, &c. Præterea quod significat verum vel falsum non ex seipso, sed in quantum aliud ponitur vel remouetur, est repręsentatiuum veri vel falsi. Talis est propositio. significat enim verum vel falsum, ex eo quod res ponitur sic esse, vel non sic esse, sicut est vel non est, vnde & Philosophus in prædicamentis dixit, Ab eo quod res est vel non est, oratio est vera vel falsa.

Tertia conclusio, veritas formaliter est conformitas rei, quæ est ad extra ad seipsam, vt est in intellectu enunciatiuo secundum esse cognitum: hanc quidem conclusionem prius declaro, deinde probabitur.

Aduerte igitur, quòd entitas siue natura rei dupliciter considerari potest. Primo vt habet esse extra intellectum in suis singularibus. Secundo vt apprehenditur ab intellectu, vel intellectui obiicitur per speciem intelligibilem. quando igitur intellectus per speciem intelligibilem repræsentantem prædicata naturæ obiectæ, inuestigat aliquod eius prædicatum formans conceptum de natura illa, & enunciat talem conceptum vel prædicatum de re. dicendo, cœlum est corpus incorruptibile, homo est animal, inter rem ad extra & ipsammet, vt est sic apprehẽsa, vel concepta ab intellectu consurgit quædam conformitas, quæ repręsentatur per hanc copulam, est, opposita autem modo consurgit difformitas, si aliter apprehendatur vel concipiatur, quam sit conueniens rei. Hanc igitur conformitatem Heruęus vocat veritatem formaliter, difformitatem vero falsitatem. Quæ quidem sunt respectus non reales, sed rationis consequentes operationem intellectus. Nam remoto omni intellectu, res non conciperetur conformiter, nec disformiter, ex consequenti tales respectus non consurgerent. Præterea, eiusdem ad seipsum est respectus rationis, cum non sint extrema realia realiter distincta, cum igitur hic respectus sit eiusdem rei, vt habet esse ad extra ad seipsam, vt est apprehensa ab intellectu erit respectus rationis.

Posita declaratione, sic probo conclusionem. Quod distinguitur contra ens reale est ens rationis, quia non datur modium inter ens reale, & ens rationis, sed verum distinguitur contra ens reale, ex 6. Meta. tex. 8. ergo veritas siue verum est ens rationis. tunc vltrá. Omne ens rationis est respectus vel negatio, vt potest elici ex primo cap. huius tract. vbi consideratum est de ente reali, & ente rationis. Constat autem veritatem non esse negationem: ergo est respectus, & ab omnibus communiter conceditur, quod est conformitas, siue adæquatio, siue conuenientia, iuxta famosam diffinitionem quã dicitur, Veritas est adæquatio rei & intellectus, ergo veritas est conformitas, quæ est relatio rationis inter rem, vt habet esse ad extra, & ipsammet, vt habet esse cognitum in intellectu enunciante.

Veritas est conformitas rei ad intellectum.

Sed aduerte, quòd Heruęus non loquitur de veritate vniuersaliter, sed solum de veritate complexa, quæ significatur per propositionem, de qua sola pertractat Philosophus in primo Periher. & in 6. Metaphy. tex. 8. Nunc autem, quia consideramus de vero, vt est trãscendens, cõueniens est, vt perscrutemur de omnibus modis veritatis. Quod & agemus pertractantes opinionem B. Tho.

Secunda opinio est B.Tho. præcipuè in prima parte, qõ. 16. pro cuius resolutione dico duo principaliter. Primo quot sint de ratione veritatis. Secundo quid sit veritas tam in re quàm in intellectu. *Opinio D. Tho.*

Quantum ad primũ aduerte, vt elicitur ex doctrina B. Th. præcipuè in q. de veritate, q. prima, arti. 8. quòd duo includuntur in ratione formali veritatis, scilicet absolutũ & respectus: quod quidem absolutum aliquando est natura rei intelligibilis, aliquãdo est species intelligibilis, aliquando est cõceptus formatus, vt plenius dicemus infrá. & respectus aliquãdo est rei ad intellectũ, aliquando est intellectus ad rẽ, qui aliquãdo est realis, aliquãdo est rationis, vt declarabitur infrà. Iterũ aduerte, quòd absolutũ inclusum in ratione veritatis, est veritas fundamentaliter, sed non formaliter, fundatur enim veritas in entitate rei. Respectus autem inclusus dicitur veritas formaliter, & quoniam vnumquodque solet diffiniri per suum formale, inde est, quod solet allegari hæc diffinitio, vt famosissima, Veritas est adæquatio rei & intellectus: pro eodem autem sumuntur æquatio, conformitas, & similitudo. verum, vt habeatur plena notitia diffiniemus ipsum per absolutum & respectum, & vt est in re, & vt est in intellectu.

Tu igitur aduerte, quòd veritas in re sic diffinienda est, Veritas est entitas rei, vt conformis intellectui, siue speculatiuo, siue practico. dico autẽ speculatiuo siue practico, quia alio modo conformatur entitas rei, intellectui practico, & aliter *Veritas rei quid sit.*

specul

speculatiuo. Nam conformatur practico, vt causæ suæ productiuæ, vnde dicitur verus gladius, quia conformatur ideæ gladij existenti in intellectu artificis quæ est causa producendi gladium ad extra. econtra dicitur falsus gladius, quia disformis est eidem ideæ. & in naturalibus dicitur verus lapis, verum aurum, quia conformantur ideis existentibus in mente primæ causæ agentis ad instar artificis. Conformatur autem intellectui speculatiuo, quia ab eo cognoscitur sicut est, & disformatur, quando aliter cognoscitur quàm sit. Hæc autem conformitas vel disformitas fit mediante specie representatiua, & conceptu incomplexo vel complexo, de entitate rei formatis ab intellectu, quibus res ad extra apprehensa per intellectum habet correspondere. Et idcirco, si vis rectè diffinire veritatem in artificiatis, vel in naturalibus respectu intellectus practici, sic diffinies, Veritas artificiati est conformitas eius ad ideam, à qua pendet. Veritas rei naturalis est conformitas eius ad ideam primi agentis à qua pendet, falsitas autem diffinienda est per difformitatem. si vero diffinire eam volueris respectu intellectus speculatiui, sic diffinies, Veritas in re est entitas rei, vt conformatur speciei intelligibili tãquam suo representatiuo, vel conceptui incõplexo aut complexo, qui per actum intellectus, de re prædicantur. sicut est vel non est, vt cum prædicatur vera diffinitio de diffinito.

Veritas in intellectu.

Facta consideratione de veritate, vt est in re, si vis eam diffinire, vt est in intellectu, distingues vt suprà de intellectu speculatiuo & practico, si respectu practici, dicit duo, scilicet ideam, & correspondentiam siue conformitatem ad ideatum, quoniam exemplar & exemplatum debent correspondere, & sic diffinies eam, Veritas in intellectu practico est idea, vt causa productiua, conformis ideato vt proprio effectui. Si respectu intellectus speculatiui, dicit duo, scilicet absolutum, quod erit aut species intelligibilis, aut conceptus incomplexus, puta animal rationale, aut conceptus complexus, vt hominem esse animal rationale, & dicit respectu conformitatis huiusmodi speciei, vel conceptus ad rem cognosci bilem, & tunc sic diffinies eam, Veritas in intellectu speculatiuo est species intelligibilis, vel conceptus incomplexus, aut complexus, vt conformes & adequati rei ad extra, secundum quod per intellectum apprehenditur. Ex his ergo patet quid sit veritas secundum doctrinam B. Tho. tam in re, quàm in intellectu, siue practico siue speculatiuo.

Quantum ad secundum principale propositum in principio huius capitis, scilicet an respectus inclusus in ratione veritatis sit realis vel rationalis, aduerte, quòd aliter dicendũ est ad mentem Heruei, & aliter ad mentem B. Tho. Nam secundum Heruetum, vt declaratum est suprà in tertia conclusione sua, semper est respectus rationis, quoniam sequitur apprehẽsionem rei ab intellectu in comparatione rei ad extra, ad seipsam, vt est apprehensa.

Secundum doctrinam vero B. Tho. ab vtroque abstrahit, quoniam aliquando est realis, aliquando est rationis, ad cuius euidentiam aduerte, quòd res alio modo comparatur ad intellectum diuinũ, alio modo ad intellectum creatum, Quantum ad intellectum diuinum, vel comparatur essentia sua ad ipsum, quem merè speculatiuè intelligit, vel comparantur creata, quæ practicè intelligit. Si respectu essentiæ, sic dico quòd respectus ille est mere rationis ex parte vtriusque, quoniam intellectus diuinus & essentia sua, cum non habeat adinuicem oppositionem relatiuam, non distinguũtur realiter, sed relatio realis, vt diximus suprà in secunda diuisione entis realis, requirit extrema realia & distincta realiter: erit ergo inter diuinã essentiam intellectam, & diuinum intellectũ intelligentẽ talis respectus, qualis est eiusdẽ ad seipsum. Si respectu creaturæ, dico, quòd ex parte diuini intellectus, tam practico quàm speculatiuo, est relatio rationis, quoniam diuina intellectio non pendet à creatura: omnia enim intelligit in essentia sua.

Et prætereà, vt diximus in secunda diuisione entis realis, Deus, vt causa creaturæ per intellectũ, non est eiusdẽ ordinis cum creatura, vt illic declaratũ est: ergo inter intellectum diuinum practicũ & creaturam, ex parte diuini intellectus non est relatio nisi rationis, ex parte vero creaturæ, dico, quòd toto tempore, quo existit, talis respectus ad diuinum intellectum practicũ est realis. Est enim sicut respectus effectus ad causam productiuã, qui est realis ex 5. Metaph. cap. ad aliquid, pro illo vero tempore, quo creatura non existit, est respectus rationis: est enim sicut respectus non entis ad ens, qui non potest esse realis, quoniam relatio realis requirit extrema realia, & realiter existentia, sit debet esse relatio realis & actualis.

Quantum ad intellectum creatum distinguendum est, vt suprà de speculatiuo vel practico. De intellectu speculatiuo dico, quòd aliquãdo est inter intellectum & rem intellectam relatio realis mutua, aliquando realis non mutua, aliquando rationis tantum, nam res intellecta tripliciter potest ad intellectum comparari. Primo vt existens actu & mouens intellectum ad sui intellectionem, & sic inter ea est talis relatio, qualis est inter mouens & motum. Constat autem in quinto Metaphysicæ cap. ad aliquid, illam esse relationem mutuam realem, nam mouens est agens, & motum patiens, sed apud Aristo. ibidem vniuersaliter inter agens & patiens est relatio realis secundi modi, quæ est mutua. Secundo comparatur res intellecta ad intellectum speculatiuũ sicut mensura ad mensuratum, pendet enim scientia nostra speculatiua ab obiecto, sicut mensuratum à mensura, sed ex quinto Metaphysicæ cap. ad aliquid, inter mensuram & mẽsuratum datur relatio realis, ex parte mensurati, quoniam pendet à mensura, sed non ex parte mensuræ, quoniam est independens à mensurato, & huiusmodi relatio est tertio modo relatiuorum, vt patet ibidem. Tertio comparatur res intellecta ad intellectum, eo tempore quo non existit, & tamen de ea intellectus enunciat aliquid sibi competens ex rei natura, vt dum hyemali tempore enunciat de rosa esse florem odoriferum, & tunc ly esse dicit respectum conformitatis inter prædicatum & subiectum, quem constat esse respectum rationis, quoniam colligit ex apprehensione intellectus, & quoniam obiectum non existens non potest fundare respectum realem, diximus enim suprà in secunda diuisione entis, quod relatio realis requirit extrema realia existentia actu.

De intellectu autem practico, inquãtum per habitũ scientiæ practicæ est causa productiua rei, sicut artifex per scientiã vel artem est causa sui artificiati, dico quod semper est realis mutua, sed aliquando potentialis, aliquando actualis. nam obiectum scientiæ practicæ, vel est actu productum vel producibile: si primo modo, sic inter ipsum & intellectum practicum est talis relatio, qualis est inter causam & effectum, quia constat esse realem mutuam, ex quinto Metaphysicæ cap. ad aliquid. si secundo modo, sic non erit realis actualis mutua, quoniam extremum alterum non est actu: erit autem talis relatio, qualis ponitur inter calefactiuũ & calefactibile, & generatiuũ & generabile, quam possumus appellare mutua potentialem, quoniam & si alterum extremũ non sit actu, est tamen in potentia passiua. Ex omnibus ergo dictis patet quòd secundum viam Thomisticam respectus conformitatis inclusus in ratione veritatis aliquando est realis mutuus, aliquãdo realis non mutuus, aliquando est rationis tantum, & ideo ab omnibus abstrahit.

Repugnantia vero, quę videtur esse inter Heruetum, quitenet huiusmodi respectum esse tantum ens rationis, & B. Tho. tenentem esse aliquando realem, aliquando rationis, sic concordari potest. Loquitur enim B. Tho. de omnibus modis, quibus sumitur veritas, siue in re, siue in intellectu diffiniente, enunciante, practico, speculatiuo, diuino, & creato. Heruetus autem loquitur solùm de veritate, vt est in intellectu enunciatiuo. Loquendo ergo de hoc, non negaret B. Tho. quin huiusmodi respectus conformitatis sit ens rationis, vt diuiditur contra ens reale, quod dicitur ens extra animam. Dicit enim talis respectus ordinem prædicati ad subiectum, qui ordo consurgit ex apprehensione intellectus comparãtis id, quod intellexit de re, ad rem ipsam. intellexit enim animal rationale de homine, & aduertit id conuenire sibi, & hanc conuenientiam, siue adæquationem explicat per enunciationem dicẽs, homo est animal rationale. Et quidẽ, quòd B. Tho. sic sentiat, patet in sexto Metaphys. in expositione textus octaui, vbi inquit, Ex quo patet, quòd talis compositio est solùm in intellecto, non in rebus. Et ideo illud, quod est ita ens, sicut intellectum comparatione consistens, est alterum ab his, quę propriè sunt entia, quæ sunt res extra animam, quarum vnaquæque est aut substantia, aut quale, aut quantum, &c. Patet ergo inter Heruetum & B. T. nullam esse repugnantiam, sumendo præcisè veritatẽ, vt est in intellectu enũciatiuo. Hæc de Vero dicta sint.

CAPVT VI. *De Bono.*

Circa transcendens Bonum considerabimus tria.
Primo quot sint de ratione eius, vt bonum est.
Secundo duplicem eius diuisionem.
Tertio quia determinabitur bonum includere respectum, declarandum est quomodo est nomen respectiuum. Reliquas eius conditiones, quomodo habeat rationẽ finis, & primi causantis, & felicitãtis, dimittimus pro nũc, quas tamen cõsiderabimus in Theologia. Nunc autẽ non egrediemur limites metaphysicales, secundũ quos præsentẽ tractatum disponimus.

Quantum

Quantum ad primum aduerte, quod duo sunt de ratione boni, vnum vt materiale, alterum vt formale, materiale quidem est esse rei, quod est primum fundamentum bonitatis: nam bonum, vt bonum, habet rationẽ perfecti: est enim natura boni, perficere id, cuius est bonum, vnumquodque autem intantum est perfectum, inquantum est actu, intantum est actu inquantum habet esse, quoniam esse est prima actualitas trahens rem à potentia ad actum. Ergo esse rei actuale est materiale & fundamentum in ratione boni. Ex quo sequitur, quod entia rationis non sunt bona, vt sic, quoniam neque habent esse per se, neque subiectiuè in alio, vt declaratum est supra in prima diuisione entis: nec entia chimęrica, quæ non ponunt in rerum natura, nec Mathematica, vt considerantur à Mathematico, id est vt abstrahunt à materia sensibili, vnde inquit Arist. in tertio Metaph. textu tertio. Non potest esse principium motus, nec ratio boni in rebus immobilibus, id est in Mathematicis: similiter materia prima secundum se non potest dici bona, cum sit ens in pura potentia, & omnem suam perfectionem trahit à forma, per quam fit actu, vnde & Philosophus inquit in primo Phy. textu octuagesimo primo. Existente formã quodam diuino, & optimo, & appetibili, aliud quidem contrarium ipsi dicimus, id est priuationem, cum igitur materia ex se sit adiuncta priuationi, & priuatio habeat rationem mali iuxta Philosophum ibidem, sequitur, quod nec ex se inquantum est ens in pura potentia, nec ratione priuationis, sed tantum ratione formæ, per quam fit actu, & est cognoscibilis, potest dici bona. Item nec entia, quæ sunt in pura potentia agentis & non in potentia passiua, vt alter mundus producibilis, sunt aliquo modo bona, extra causam agẽtem, quia nullum esse habent extra agens, neq; actuale, neq; potentiale.

Formale autẽ inclusum in ratione boni est respectus & ordo ad appetitum, sicut enim verum respicit intellectum, sic bonum est perfectiuum appetitus. In ratione autẽ perfectiui includitur respectus, est enim perfectiuum alicuius perfectibilis perfectiuum, sicut calefactiuum alicuius calefactibilis calefactiuum: patet ergo, quod in ratione boni includitur respectus perfectiui, per quem distinguitur à quolibet alio transcendente, & ideo per ipsum, vt per suum formale diffinitur, & se habet vt differentia complens rationem eius.

Quantum ad secundum aduerte duplicem diuisionem boni. Prima est, Bonum est duplex, scilicet bonũ secundum quid, & bonum simpliciter, bonum secundum quid est res existens sub esse substantiali, præscindendo ab omni esse accidentali perfectiuo. Bonum simpliciter est res existens sub suo esse substantiali, & omnibus accidentibus cõferentibus ad perfectionem suam. Verbi gratia, Homo statim genitus dicitur bonus secundum quid, pro quãto habet esse substantiale actu: & hæc quidem bonitas solet nominari bonitas entis. Cùm autem ad perfectiones sibi conuenientes deuenerit siue naturales siue morales, tunc dicitur Bonus simpliciter, propter quod aduerte, quod opposito modo se habet bonum secundum quid, & ens secundum quid, Bonum simpliciter & ens simpliciter: nam dicitur ens secundum quid, quo ad prædicata accidentalia, secundum quæ res non fit simpliciter actu, sed actu talis, & secundũ hoc sumitur generatio secundum quid, ex quinto Physico. textu septimo. Ens verò simpliciter sumitur ab esse substantiali, quod est à forma substantiali, nam per eam fit res simpliciter actu, quæ prius erat in pura potentia. & secundum hoc sumitur generatio simpliciter ex quinto Physicorum textu septimo. patet ergo, quod se habent opposito modo.

Secunda diuisio est, bonum triplex inuenitur, vtile, honestũ & delectabile: verum quia hæc distinctio non est Metaphysicalis, sed potius moralis, vt patet in octauo Ethi. vbi super hoc triplicibono assignatur triplex amor, ideo breuiter me expedio. Dicitur bonum vtile, quod propter alterum, & non gratia sui est appetibile, sicut cibus & potus, & reliqua exteriora nobis deseruientia. Bonum honestum est, quod gratia sui est appetibile, vt scientiæ speculatiuæ, & virtutes. Bonum delectabile est, prout quietat appetitum verè aut apparenter, etiam quod nullam continet vtilitatem nec honestatem. Nam delectatio formaliter est cuies in bono adepto.

Quantum ad tertium, quia determinatum est suprà, quod respectus est de ratione boni, declarandum est quomodo ly bonum est nomen respectiuum: vnde aduerte, quod nomen respectiuum est duplex. Quoddam est, cuius significatum est respectus, ita quod totum suum esse est ad aliud se habere, sicut pater, filius, seruus, &c. Quæ solent dici relatiua secundum esse, & sunt entia merè respectiua, quæ, vt sic, nullam dicunt perfectionem, quia dicunt tantum ordinem ad alterum.

Quoddam autem est, cuius significatum est quid absolutum, & tamen non possunt concipi nisi conceptu relatiuo, & cum ordine ad alterum. Et huiusmodi solent appellari relatiua secundum dici: verbi gratia, principium effectiuum est quid absolutum, vnumquodque enim efficit per virtutem actiuam, quæ est aut substantia, aut qualitas, & tamen non concipitur in ratione principij, nisi in ordine ad principiatum, quoniam principium est principiati principium, & causa causati causa, & scientia scibilis scientia, & sensus sensibilis sensus. Ad propositum dico, quod bonum, sicut & verum, ex parte rei sunt nomina respectiua. Secundo modo, licet enim dicant absolutum, tamen non sunt conceptibilia nisi in ordine ad alterum, ex consequenti connotant respectum. Nam verum in re est natura rei, vt diximus suprà, quæ tamen non apprehenditur, vt vera nisi per respectum conformitatis ad intellectum. Et bonum est esse rei, siue alia perfectio, quæ tamen non potest concipi vt bonum, nisi per respectum appetibilis ad appetitum. Hæc de Bono transcendenti dicta sufficiant.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

IN LIBRVM DE CAVSIS Commentarij duo:

Quorum prior dilucida breuitate singulas huius libri propositiones exponit. Posterior verò fusius, & copiosius easdem propositiones iterum excutit, & examinat.

Commentarius I.

Propositio I.

Omnis causa primaria plus est influens super causatum suum, quàm causa secunda vniuersalis.

Commentum.

Cum enim remouet causa secunda vniuersalis virtutem suam à re, causa vniuersalis prima non aufert virtutem suam ab ea, quod est: quia causa vniuersalis prima agit in causatum causæ secundæ, antequam agat in ipsum causa vniuersalis secunda, quæ sequitur ipsum. Cùm ergo agit causa secunda in causatum quod ipsum sequitur, non excluditur ipsius actio à causa prima, quæ est supra ipsam, & quando separatur causa secũda à causato quod sequitur ipsam, non separatur ab eo prima quæ est supra ipsam, quoniam est causa ei. Et nos quidem exemplificabimus illud per esse, & viuum, & hominem, quod est, quia oportet vt sit esse in primis, deinde viuum, posteà homo, viuum verò causa hominis est propinqua, & esse causa est longinqua, esse igitur causa est vehementius homini quã viuum, quoniam est causa viuo, quæ est causa homini, & similiter quando ponis rationale causam homini, esse est causa vehementius homini quàm rationalitas, quoniam est causa causæ eius. Et illius quod dicimus signum est, quod quando tu remoues virtutem rationalem ab homine non remanet homo, sed remanet vjuum spirans sensibile, & quando remoues viuum ab illo non remanet viuum: remanet tamen esse, quoniam esse non remouetur ab eo, sed remouetur viuum, quoniam causa non remouetur per remotionem causati sui, sed esse est causa viui, & viuum est causatum eius: remanet ergo hominis esse, cùm igitur non est indiuiduum homo est animal: & si non est animal, est esse tantum. Iam igitur manifestum est & planum, quod causa prima & longinqua est plus comprehendens, & vehementius est causa respquàm causa propinqua, & propter illud fit eius operatio vehemẽtioris adhærentiæ cum re, quàm operatio causæ propinquæ, & hoc nõ fit, nisi secundum hoc quod in primis res non patitur, nisi à virtute longinqua, deinde patitur à virtute quæ est sub prima, & causa prima adiuuat secundam causam super operationem suam, quoniam operationem quam secunda efficit, & prima efficit. Veruntamen efficit eam per alium modum altiorem & sublimiorem, & quando remouetur causa secunda à causato suo, non remouetur causa prima ab eo, quoniam causa prima est vehementioris, & maioris adhærẽtiæ cum re, quàm causa propinqua, & non fingitur causatum causæ secundæ nisi per virtutem causæ primæ: quod est, quia causa secunda non efficit rem, sed influit causa prima, quæ est super ipsam, super illam rem de virtute sua, qua adhæret ei adhærentia vehementi

menti, & seruat eam. Iam ergo manifestum est & planum, quod causa longinqua vehementius est causa rei quàm causa propinqua quæ sequitur eam, & quod ipsa influit virtutẽ suam super eam, & seruat eam, & non separatur ab ea separatione causæ suæ propinquæ: imò remanet in ea, & adhæret ei adhærentia vehementi secundum quod ostẽdimus & exposuimus.

Propositio secunda.

OMne esse superius, aut est superius æternitate, & ante ipsam, aut est cum æternitate, aut est post æternitatem, & supra tempus.

Commentum.

Deus est ante ipsã æternitatem, Intelligẽtia cũ æternitate, anima verò post æternitatem & supra tempus.

ESse verò quod est ante æternitatem est causa prima, quoniam est causa ei, sed esse quod est cum æternitate est intelligentia, quoniam est esse secundum vnam habitudinem. vnde nõ patitur, neque destruitur, esse vero quod est post æternitatem, & supra tempus est anima, quæ est in horizonte æternitatis inferius, & supra tempus: & significatio quod prima causa est ante æternitatem ipsam, est quod esse in ea est acquisitum: & dico quod omnis æternitas est esse, sed non omne esse est æternitas. ergo esse est magis commune quàm æternitas, & causa prima est supra æternitatem: quoniam æternitas est causatum ipsius, & intelligentia apponitur, vel parificatur æternitati, quoniam extenditur cum ea. & non alteratur, neque destruitur, & anima annexa est cum æternitate inferius, quoniam susceptibilior est impressionis quàm intelligentia, & est supra tempus, quoniam est causa temporis.

Propositio tertia.

OMnis anima nobilis habet tres operationes. nam ex operationibus eius est operatio animalis, & operatio intellectualis, & operatio diuina, &c.

Commentum.

Sunt in anima tres opera tiones: diuina, intellectualis & animalis.

OPeratio diuina est, quoniam ipsa præparat naturam cum virtute, quæ est in ea à prima causa. eius autem operatio intellectualis est quoniam ipsa scit res per virtutem intelligentiæ quę est in ipsa. eius autem operatio animalis est, quoniam ipsa mouet corpus primum, & omnia corporalia. quoniam ipsa est causa motus corporum, & causa operationis naturæ: & non efficit anima has operationes, nisi quoniam anima est exemplum virtutis superioris, quod est, quia prima causa creauit esse animæ mediante intelligentia, & propter illud facta est anima efficiens operationem diuinam. postquam ergo creauit prima causa esse animæ, posuit eam sicut instrumentum intelligentiæ, quo efficiat operationes suas. propter illud ergo anima intelligibilis efficit operationem intelligentiæ, & quia suscipit impressionem intelligentiæ facta est inferioris operationis quàm ipsa intelligentia impressione sua in id quod est sub ipsa. quia ipsa non imprimit vires nisi per motum, & quod est sub ipsa non recipit operationem eius nisi ipsa moueat ipsum: propter hanc ergo causam fit quod anima mouet corpus. De proprietate nanque animæ est, vt viuificet corpora, quando influit virtutem suam super ea, & directè perducit eam ad operationem rectam. Manifestum est igitur nunc quòd anima habet tres operationes: quoniam habet virtutes tres, id est virtutem diuinam, & virtutem intelligentiæ: & virtutem suæ essentiæ secundum quod narrauimus, & ostendimus.

Propositio quarta.

PRima rerum creatarum est esse, & ante ipsum non est creatum aliud.

Commentum.

QVod est, quia est supra sensum, & supra animam, & supra intelligentiam, & non est post causam primam latius, nec prius creatum ipso propter illud ergo factum est superius creatis rebus omnibus, & vehementius vnitum, & non est factum ita, nisi propter propinquitatem suam esse vni puro, & vni vero, in quo non est multitudo aliquorum modorum. Et esse creatum quamuis vnum sit, tamen multiplicatur, id est ipsum recipit multiplicitatem, & ipsum quidem nõ est factum multa, nisi quia ipsum quamuis sit simplex, & non sit in creatis simplicius ipso, tamen est compositum ex finito, & infinito: quod est, quia esse quod ex eo, id est immediate sequitur causam primam, est intelligentia, quæ completa est in vltima potentia: & in reliquis bonitatibus, & formæ intelligibiles in ipso sunt latiores, & vehementius vniuersales, & quod est ex eo, id est immediatè inferius, est intelligentia: verumtamen est sub illo intelligentia in complemento. & virtute, & bonitatibus, & non sunt formæ intelligibiles in illa ita dilatatæ, sicut est earũ latitudo in illa completa intelligẽtia, & esse quidem primum creatum est in intelligentia totum, verumtamen intelligentia in ipso est diuersa secundum modum quem diximus. Et quia diuersificatur intelligentia, sicut illic forma intelligibilis diuersa, & sicut ex forma vna, propterea, quod diuersificatur in mundo inferiori prouenientium indiuidua infinita in multitudine, sic ex esse causato primo, propterea quod diuersificatur apparent formæ intelligibiles infinitæ, verumtamen quamuis diuersificentur non separantur ab inuicem, sicut est sciũctio indiuiduorum, quod est, quoniam ipsę vniuntur sine corruptione, & separantur absque sciũctione: quoniam sunt vnum habens multitudinem, & multitudo in vnitate. Et intelligentiæ primæ influunt super intelligentias secundas, bonitates quas recipiunt à causa prima, & intendunt bonitates in eis vsquequo consequantur vltimum earum.

Propositio quinta.

INtelligentiæ superiores primæ, quæ sequuntur causam primam, imprimunt formas secundas stantes, quæ nõ deficiũtur, ita vt non sit necesse iterare eas alia vice. Intelligentiæ autem secundæ imprimunt formas decliues, & separabiles, sicut est anima.

Commentum.

IPsa nanque est ex impressione intelligentiæ secundæ, quæ sequitur esse creatum inferius, & non multiplicantur animæ, nisi per modum quo multiplicantur intelligentiæ: quod est, quia esse animæ habet finem, sed quod ex eo est inferius est infinitum. Animæ igitur quæ sequuntur intelligẽtiam perfectæ sunt & completæ, paucæ declinationis, & separationis, & animæ quæ sequuntur esse inferius sunt in complemento, & declinatione sub animabus superioribus, & animæ superiores influunt bonitates suas quas recipiunt ab intelligentia super animas inferiores, & omnis anima recipiens ab intelligentia virtutem, plus est super impressionem fortior. & quod impressum est ab ea est fixum stans, & est motus eius æqualis, & continuus, & illa in qua est virtus ex ea intelligentia minor est in impressione sub animabus primis, & est quod ab ea impressum est debile euanescens destructibile: verumtamen quidem sit ita: tamen permanet per generationem: Iam ergo ostensum est, quare factæ sunt formæ intelligibiles multæ, & non est esse earum nisi simplex, & quare factæ sunt multæ animæ, quarum quædam sunt fortiores aliis, vel quibusdam, & esse earum est vnum simplex, in quo non est diuersitas.

Propositio sexta.

CAusa prima superior est omni narratione, & non deficiunt linguæ narratione eius, nisi propter narrationem esse ipsius: quoniam ipsa est super omnem causam, & non narratur nisi per causas secundas, quæ illuminantur à lumine causæ primæ.

Commentum.

QVod est, quoniam causa prima non cessat illuminare causatum suum, & ipsa non illuminatur à lumine alio, quoniam ipsa est lumen purum, super quod non est aliud lumen. ex illo ergo sola prima causa facta est, cuius deficitur ratio, & non est ita nisi quia supra ipsam non est causa per quam cognoscatur, quia omnis quidem res non cognoscitur nisi ex ipsa sui causa. cum ergo res est causa tantum, & non est causatum, non scitur per causam primam, neque narratur, quoniam est superior narratione, neque consequitur eam loquela, quod est, quia narratio non fit nisi per loquelam, & loquela per intelligẽtiam, & intelligentia per cogitationem, & cogitatio per meditationem, & meditatio per sensum. Causa autem prima est super omnes res, quoniam est causa eis. propter illud ergo fit quod ipsa non cadit sub sensu, & meditatione, & cogitatione, & intelligentia, & loquela. non est ergo narrabilis. Et dico iterum quod res: aut est sensibilis, & cadit sub sensu: aut est meditabilis, & cadit sub meditatione: aut est fixa stans secũdũ dispositionem vnã. & est intelligibilis aut est conuertibilis destructibilis cadens sub generationem, & corruptionem, & est cadens sub cogitationem. Et causa prima est super res intelligibiles sempiternas, & super res destructibiles, quapropter non cadit super eam sensus, neque meditatio, neque cogitatio, neque intelligentia. Et ipsa quidem non significatur nisi ex causa secunda, quæ est intelligentia, & non nominatur per nomen causati sui primi, nisi per modum altiorem, & meliorem, quoniam quod est esse causati, est esse, verumtamen per modum sublimiorem: & maiorem, & meliorem, & nobiliorem, sicut ostendimus.

Propositio septima.

INtelligentia est substantia, quæ non diuiditur.

Commentum.

QVod est, quia si non est cum magnitudine, neque corpus, neque mouetur, tunc proculdubio non diuiditur: et

& iterum, omne diuisibile non diuiditur: nisi aut in multitudinem: aut in magnitudinem, aut in motum suum. Cùm ergo res est sub hac dispositione est sub tempore: quoniam non recipit diuisionem, nisi in tempore, & intelligentia quidem non est in tempore, imò est cum æternitate, quapropter facta est altior, & sublimior omni corpore, & omni multitudine, quod siuueniatur in ea multitudo, non inuenitur nisi quasi res sit vna. Cùm ergo intelligentia sit penitus secundum hunc modum diuisionem non recipit. Et significatio quidem istius est reditio sui super essentiam suam, scilicet quia non extenditur cum re extensa, ita vt sit vna suarum extremitatum secunda à alia, quod est, quia cum vult scientiam rei corporalis, non extenditur cum ea, sed ipsa stat fixa secundum suam dispositionem, quoniam est forma à qua non pertransit aliquid, & corpora quidem non sunt ita, & significatio quod intelligentia non est corpus, neque diuiditur eius substantia, & operatio eius est quod vtraque sunt vna res, & intelligentia quidem est multa propter bonitates quæ adueniunt ei à prima causa, & ipsa quamuis multiplicetur per hunc modum, tamen quia appropinquat vni est non diuisibilis, & ita intelligentia non recipit diuisionem, quoniam est primum causatum: quod causam est à prima causa, & vnitas dignior est quàm diuisio. Iam ergo verificatũ est, quod intelligentia est substantia quæ non est cum magnitudine corporali, neque corpus, neque mouetur per aliquem modorum motus corporum: quapropter facta est supra tempus cum æternitate, sicut ostendimus.

Propositio octaua.

OMnis intelligentia scit quod est supra se, & quod est sub se: veruntamen scit quod est sub se, quoniam est causa ei, & scit quod est supra se, quoniam acquirit ab eo bonitates.

Commentum.

ET intelligentia quidem est substantia intelligibilis: ergo secundum modum suæ substantiæ scit res quas acquirit deluper, & res quibus est causa: ergo ipsa discernit quod est supra eam, & quod est sub ea, & scit quod illud quod est supra eam est causa ei, & quod est sub ea est causatum ab ea, & cognosit causam suam, & causatum suum per modum qui est causa eius, scilicet per modum substantiæ suæ, & sui esse, similiter omnis sciens non scit rem meliorem, & rem maiorem, & rem inferiorem, & deteriorem, nisi secundum modum substantiæ suæ, & sui esse, & non secundum modum secundum quem res sunt. Et si hoc ita est, proculdubio bonitates, quæ descendunt super intelligentiam à prima causa, sunt in ea intelligibiles, & similiter res corporeæ sensibiles sunt in intelligentia intelligibiles, quod est, quoniam res, quæ sunt in intelligentia non sunt impressiones ipsæ, imò sunt causæ impressionum. Et significatio illius est, quod intelligentia ipsa est causa eorum, quæ sunt sub ipsa, per hoc quod est intelligentia, si ergo est intelligentia causa rerum per hoc quod est intelligentia, tunc proculdubio causæ rerum sunt intelligibiles in intelligentia. Iam ergo manifestum est quod res supra intelligentiam, & sub ea, sunt per virtutem intelligibilem, & similiter res corporeæ in intelligentia sunt intelligibiles, & res intelligibiles cum intelligentia sunt intelligibiles, quoniam ipsa est causa esse earum, & quia ipsa non apprehendit nisi per modum substantiæ suæ, & ipsa quia est intelligentia apprehendit res apprehensione intelligibili, siue intelligibiles sint, siue corporeæ.

Propositio nona.

OMnis intelligentiæ fixio, & essentia eius est per bonitatem puram, quæ est per primam causam.

Commentum.

ET virtus quidem intelligentiæ est vehementioris vnitatis quàm res secundæ, quæ sunt post eam: quoniam non accipiunt cognitionem eius, & non est facta ita, nisi quia causa est ei, quod est sub ea: & significatio eius est illud cuius rememoramur, quia intelligentia est regens omnes res, quæ sunt sub ea per virtutem diuinam quæ est in ea, & per eam retinet res, quoniam per eam est causa rerum, & ipsa retinet omnes res quæ sunt sub ea, & comprehendit eas: quod est, quoniam omne quod est principium rebus, & causa eis est retinens illas res, & regens eas, & non euadit ab ipsis aliquid propter virtutem suam, ergo intelligentia est princeps rerum quę sub ea sunt, & retinens eas, & regens eas, & sicut natura regit res quæ sub ea sunt per virtutem intelligentiæ, & similiter intelligentia regit naturam per virtutem diuinam, & intelligentia quidem non facta est retinens res quæ sunt post eam, & regens eas, & suspendens virtutem suam super eas, nisi quoniam ipsæ res non sunt virtus substantialis ei, imò ipsa est virtus virtutum substantialium, quoniam est causa eis. Et intelligentia quidem comprehendit generata, & naturam, & horizontem naturæ, scilicet animam, nam ipsa est supra naturam, quod est, quia natura continet generationem, & anima continet naturam, & intelligentia continet animam, ergo intelligentia continet omnes res, & non est facta intelligentia ita, nisi propter causam primam quæ supereminet omnibus rebus, quoniam est causa intelligentiæ, & animæ, & naturæ, & reliquis rebus. Et causa quidem prima non est intelligentia, neque anima, neque natura, imò est supra intelligentiam, & animam, & naturam, quoniam est creans omnes res, veruntamen est operans intelligentiam sine medio, & creans animam, & naturam, & reliquas res mediante intelligentia. Et scientia quidem diuina non est sicut scientia intelligibilis, neque sicut scientia animalis, imò est supra scientiam intelligentiæ, & scientiam animæ, quoniam est creans scientias. Et virtus quoque diuina est supra omnem virtutem intelligibilem, & animalem, & naturalem, quoniam est causa omni virtuti. Et intelligentia est habens yliathim & formam, & similiter anima est habens yliathim, & natura est habens esse yliathim, & causæ quidem primæ non est yliathim, quoniam ipsa est tantum esse. Quod si dixerit aliquis, necesse est vt sit yliathim, dicemus yliathimnæ: id est esse suum esse infinitum: & indiuiduum suum est bonitas puræ effluens super intelligentiam omnes bonitates: & super reliquas res mediante ea.

Propositio decima.

OMnis intelligentia est plena formis, veruntamen ex intelligentiis sunt quæ continent formas minus vniuersales: & ex eis sunt quæ continent formas plus vniuersales.

Commentum.

Quæ in prima intelligẽtia vnita sũt, in aliis diuisa, & multiplicata, cata recipiuntur.

QVod est, quoniam formæ quæ sunt in intelligentiis secundis per modum particularem sunt in intelligentiis primis per modum vniuersalem: & formæ quæ sunt in intelligentiis primis per modum vniuersalem se habent in intelligentiis secundis per modum particularem, & in intelligentiis primis est virtus magna, quoniam sunt vehementioris vnitatis quàm intelligentiæ secundæ inferiores, & in intelligentiis secundis sunt virtutes debiles, quoniam sunt minoris vnitatis, & pluris multiplicitatis: & est, quia intelligentiæ quæ sunt longinquiores ab vno puro, sunt pluris quantitatis, & debilioris virtutis, & quia intelligentiæ propinquæ vni puro, sunt minoris quantitatis, & maioris virtutis, & inde accidit vt formæ quæ procedunt ex intelligentiis primis procesione vniuersali vnita. Et nos quidem abbreuiamus, & dicimus quod formæ quæ adueniunt secundis intelligentiis, ex intelligentiis primis, sunt debilioris processionis, & vehementioris separationis, quod fit, quia intelligentiæ secundæ proiiciunt inferius, id est debiliori modo suos visus super formam vniuersalem, quæ est in intelligentiis vniuersalibus, & diuidunt eam, & separant eam, quoniam ipsæ non possunt recipere ipsas formas secundum vnitatem, & certitudinem earum, nisi secundum modum secundum quem possunt recipere eas, scilicet per separationem, & diuisionem, & similiter aliqua ex rebus non recipit quod est supra eam, nisi per modum secundum quem potest recipere ipsum, & non per modum secundum quem est receptibile.

Recipitur vnũquodque permodum recipientis.

Propositio vndecima.

OMnis intelligentia intelligit res sempiternas quæ non destruuntur, neque cadunt sub tempore.

Commentum.

Intelligentiæ minimè sunt tẽporis subiectæ.

QVod est, quoniam si intelligentia est res semper, quę non mouetur, tunc ipsa est causa rebus sempiternis, quæ non destruuntur, neque cadunt sub tempore, neque sub generatione, neque sub corruptione, & intelligentia quidem non est ita, nisi quia intelligit rem per esse suum, & esse suum sempiternum est quod non corrumpitur, cum ergo hoc sit ita, dicemus quod res destructibiles sunt ex corporeitate, scilicet ex causa corporea temporali non ex causa intelligibili æterna.

Propositio duodecima.

PRimorum omnium quædam sunt in quibusdam per modum quo licet vt sit vnum eorum in alio.

Commentum.

Agens in aliquod non est in eo, nisi secundũ esse eius.

QVod est, quia in esse sunt vita & intelligentia, & in vita sunt esse & intelligentia, & in intelligentia sunt esse, & vita: veruntamen esse & vita in intelligentia sunt duæ intelligentiæ, & esse & intelligentia in vita sunt duæ vitæ, & vita & intelligentia in esse sunt duo esse, & non est ita, nisi quod vnũquodq; primorum aut est causa, aut causatum. Causatum ergo in causa est per modum causæ, & causa in causato est per modum causati. Et nos quidẽ abbreuiamus, & dicimus quod res agens in rem per modum causæ, non est in ea nisi per modum

dum qui est causa eius, sicut sensus in anima per modum animalem, & anima in intelligentia per modum intelligibilem, & intelligentia in esse per modum essentialem, & esse primum in intelligentia per modum intellectualem, & intelligentia in anima per modum animalem, & anima in sensu per modum sensibilem, quare redeamus, & dicamus quòd sensus in anima, & intelligentia in causa prima sunt per modos suos secundum quod ostendimus.

Propositio decimatertia.

OMnis intelligentia intelligit essentiam suam.

Commentum.

QVod est, quia intellectus & intellectum sunt simul. Cum ergo intelligentia est intelligens, & intellectum, tunc proculdubio videt essentiam suam, & quando videt essentiam suam scit: quod intelligit per intelligentiam suam, & quando scit quod intelligit per intelligentiam suam, scit quod intelligit per intelligentiam essentiam suam, & quando scit essentiam suam, scit reliquas res quæ sunt sub ea, quoniam sunt ex ea, verumtamen scit ea per modum intelligibilem, ergo intelligentia & res intellectæ sunt vnum: quod est, quia si res intellectæ, & intelligentia sunt vnum, & intelligentia scit esse suum, tunc proculdubio quando ipsa scit essentiam suam, scit reliquas res, & quando scit reliquas res, scit essentiam suam, & quando scit res: non scit eas, nisi quia sunt intellectæ, ergo intelligentia scit essentiam suam, & scit res intellectas simul, sicut ostendimus.

Intelligentia intelligẽdo essentiam suam intelligit alia.

Propositio decimaquarta.

IN omni anima res sensibiles sunt per hoc quod est exemplum eis, & res intelligibiles in ea sunt, quia scit eas.

Commentum.

ET non est facta ita, anima ipsa expansa est inter res intelligibiles quæ non mouẽtur, & inter res sensibiles quæ mouentur, & quia anima sic est, fit quòd imprimit res corporeas, quapropter facta est causa corporum, & facta est causa ex intelligentia quæ est ante ipsam, res igitur quæ imprimuntur ex anima sunt in anima per intentionem, vel virtutem exempli, scilicet quia res sensibiles exemplificantur secundum exemplum animæ, & res quæ cadunt supra animam sunt in anima per modum acquisitum. Hoc ergo cum sit ita, redeamus & dicamus quòd omnes res sensibiles sunt in anima per modum causæ, propter quod anima est causa exemplaris, & intelligo per animam virtutem agentem res sensibiles, verumtamen virtus efficiẽs in anima non est materialis, & virtus corporea in anima est spiritualis, & virtus imprimens in rebus habentibus dimensiones, vel diuisiones, est sine dimensione, vel diuisione, & res intelligibiles in anima sunt per modum accidentalem, scilicet quia res intelligibiles quæ non diuiduntur sunt in anima per modum diuisibilem, ergo res intelligibiles in anima vnitæ sunt in anima per modum qui multiplicatur, & res intelligibiles quæ non mouẽtur sunt in anima per modum motus. Iam ergo ostẽsum est quod res intelligibiles, & sensibiles sunt in anima, verumtamen res sensibiles corporeæ motæ sunt in anima per modum animalem spiritualem vnitum, & res intelligibiles vnitæ quiescentes sunt in anima per modum qui multiplicat motum.

Sensibilia sunt in anima per modũ exẽpli, intelligibilia verò per modum acquisitum.

Propositio decimaquinta.

OMnis sciens qui scit essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditione completa.

Commentum.

QVod est quia scientia non est nisi actio intelligibilis, cum ergo scit sciens essentiam suam, tunc reddit per operationem intelligibilem ad essentiam suam, & hoc non est ita, nisi quoniam sciens & scitum sunt res vna quoniam scientia scientis essentiã suam est ex eo, & ad eum, ex eo, quia est sciens essentiam suam: et ad eum, quia est scitum: quod est, quia cum scientia est scientia scientis, & sciens scit essentiam suam, eius operatio est rediens ad essentiam suam, ergo substantia eius est rediens ad essentiam ipsius iterum, & non significo per reditionem substantiæ ad essentiam, nisi quia est fixa stãs per se, non indigens in sui fixione, & sui essentia re alia regẽte ipsam, quoniam est substantia simplex sufficiens per seipsam.

Intelligẽs essentiam suam est omnino independens.

Propositio decimasexta.

OMnes virtutes, quibus non est finis, pendentes, sunt per infinitum primum, quod est virtus virtutum, non quia ipsa sit acquisita fixa stans in rebus entibus, imo est virtus in rebus habentibus fixionem.

Commentum.

QVod si aliquis dixerit quòd primum ens creatum, scilicet intelligentia est virtus etiam, cui non est finis. Dicemus quòd non est verum, imò est virtus quædam, & virtus quidem eius non est facta infinita nisi inferius, & non superius: quoniam ipsa non est virtus pura, quæ non est virtus nisi quia est res quæ non finitur inferius: neque superius. Ens autem primum creatum, scilicet intelligentia habet finem, & virtuti eius est finis superius, secundum quem remanet causa eius. Ens autem primum creans est infinitum primum purum, quod est, quia si entibus fortibus non est finis propter suam acquisitionem ab infinito primo puro, propter quod sunt entia infinita, tunc proculdubio est supra infinitum. Ens autem primum creatum, scilicet intelligentia, non est finitum, imò dicitur quod est infinitum, neque dicitur quod est ipsummet quod est infinitum ens, & ens primum est mensura primorum entium intelligibilium, & entium secundorum sensibilium, scilicet quia ipsum est quod entia creauit, & mensurauit ea, mensura conuenienti omni ente. Redeamus ergo & dicamus, quòd ens primum creans est super infinitum, sed ens secundum creatum est infinitum, & quod est inter ens primum creans, & ens secundum creatum, est non finitum, & reliquæ bonitates simplices, sicut vita, & lumen, & quæ sunt eis similia, sunt causæ rerum omnium habentium bonitates, secundum quod infinitum est à causa prima. Ens verò creans est causa omnis vitæ, influens primo bonitates suas super causatum primum, quod est intelligentia, deinde descendunt super reliqua creata intelligibilia, & corporea mediante intelligentia.

Propositio decimaseptima.

OMnis virtus vnita plus est infinita quàm virtus multiplicata.

Commentum.

QVod est, quia infinitum primum creatum, quod est intelligentia, est propinquum vni puro. propter illud ergo factum est quod in omni virtute propinqua vni puro, est infinitas plusquam in virtute longinqua ab eo, quod est, quia virtus quando incipit multiplicari, tunc destruitur eius vnitas, & quando destruitur eius vnitas, destruitur infinitas eius, & non destruitur, nisi quia diuiditur. Et illius quidem significatio est virtus diuisa: & quod ipsa quanto magis aggregatur & vnitur, tanto plus magnificatur, & vehementior fit, & efficit operationes mirabiles, & quanto magis partitur & diuiditur, minoratur & debilitatur, & efficit operationes viles. Iam igitur manifestum est & planum, quòd virtus quanto magis approximat vni puro, & vero, quod fit vehementior eius vnitas, & est infinitas in ea magis apparens & manifestior, & sunt operationes magnæ, mirabiles, & nobiles.

Propositio decimaoctauaa.

REs omnes habent essentiam propter ens primum, & res vitæ omnes sunt motę per essentiam suam, propter vitam primam, & res intelligibiles omnes habent scientiam, propter intelligentiam primam.

Commentum.

QVod est, quia si omnis causa dat causato sio aliquid tunc proculdubio ens primum dat causatis suis esse: similiter vita dat causatis suis motum, quia vita est processio procedens ex ente primo quieto sempiterno, & similiter intelligentia dat causatis suis scientiam: quod est, quia omnis scientia vera non est nisi intelligentia, & intelligentia est primum sciens. quod est influens scientiam super reliqua omnia. Redeamus autem & dicamus quòd ens primum est quietum & est causa causarum, & si ipsum dat omnibus rebus esse, tunc proculdubio dat eis per modum creationis. vita autem prima dat eis quæ sunt sub ea vitam, non per modum creationis: imò per modum formæ, & similiter intelligentia non dat eis quæ sunt sub ea de scientia, & reliquis rebus, nisi per modum formæ.

Propositio decimanona.

EX intelligentiis est quæ est intelligentia diuina, quoniam ipsa recipit ex bonitatibus diuinis, quæ procedunt à causa prima, per receptionem multam: & de eis est, quæ est intelligentia tantum, quia non recipit ex bonitatibus primis, nisi mediante intelligentia. Ex animabus est, quæ est anima intelligibilis, quoniam est pendens per intelligentiam, & ex eis est, quæ est anima tantum. Et ex corporibus naturalibus est, cui est anima regens ipsum, & faciens directiones super ipsum. Et de eis sunt, quæ sunt corpora tantum, non habentia animas.

Commentum.

ET hoc fit, quoniam non est intelligibilis tota, neque animalis tota, neque corporea tota, neque pender per causam quæ est super eam, nisi quæ est ex ea completa, & integra: similiter quia non omnis intelligentia pendet per bonitates

tates causæ primæ, nisi quæ ex eis est completa in primis integra ipsa enim potest recipere bonitates descendentes ex causa prima, & pendere per ens, vt vehemens fiat sua vnitas, & similiter non omnis anima pendet per intelligentiam, nisi quæ ex eis est completa & integra, & vehementius similis cum intelligentia, per hoc quod pendet per intelligentiam, & est intelligentia completa, similiter non omne corpus naturale habet animam, nisi quod ex eis est completum integrum, quasi sit rationale, & sunt secundum hanc formam reliqui ordines intelligibiles.

Propositio vigesima.

CAusa prima regit res creatas omnes, præter quod commisceatur eis.

Commentum.

QVod est, quia regimen nõ debilitat vnitatem eius ex hac latam super omne esse, neque destruit eam, neque prohibet eam essentia vnitatis eius seiuncta à rebus quin regat eas: quod est, quia causa prima est fixa, stans cum vnitate sua pura semper, & ipsa regit res creatas omnes, & influit super eas virtutem vitæ, & bonitates secundum modum virtutis earum, vel possibilitatem earum. Prima enim bonitas influit bonitates super res omnes vna influxione, veruntamen vnaquæque rerum recipit ex illa influxione secundum modum suæ virtutis, & sui esse. Et bonitas prima non influit bonitates super res omnes, nisi per modum vnum, quia non est bonitas nisi per esse suum, & suam essentiam, & suam virtutem, ita quod bonitas, & virtus, & esse, & essentia sunt res vna, sicut ergo ens primum & sua bonitas sunt res vna, sic fit quod ipsa influit super res influxione vna & diuersificantur bonitates, & dona, ex concursu recipientis: quod est, quia recipientia bonitates non recipiunt æqualiter, imò quædam eorum recipiunt plus quàm quædam, hoc quidem est propter magnitudinem suæ largitatis, & bonitatis. Redeamus ergo & dicamus, quod inter omne agens quod agit per esse suum tantum, & inter factum non est continuator, nec alia res media. Et non est continuator inter agens & factum, nisi fit additio super esse, scilicet quando agens, & factum sunt per instrumentum, & non fit per esse suum, & sunt composita, quapropter recipiens recipit per continuationem inter ipsum & factorem suum, & est tunc agens seiunctum à facto suo. Agens vero inter quod & factum eius non est continuator penitus, est agens verum, & regens verum, faciens res per finem decoris, post quod non est possibile vt sit decus aliud, & regit factum suum, per vltimum regiminis, quod est, quia regit res per modum quo agit, & non agit, nisi per esse suum: ergo ens suum tantum est regimen eius quapropter sit quod regit, & agit per vltimum decoris, & regimen in quo non est diuersitas, neque tortuositas, & non diuersificantur operationes, & regimen propter causas primas, nisi secundum meritum recipientis.

Propositio vigesimaprima.

PRimum est diues per seipsum, & est diues magis.

Commentum.

ET significatio eius est vnitas eius, non quia vnitas eius sit sparsa in eo, imò est eius vnitas pura, quoniam est simplex in fine simplicitatis. Si autem aliquis vult scire quod causa prima est diues, proiiciat mentem suam super composita, & inquirat de eis inquisitione perscrutata, & inueniet compositum esse diminutum, indigens quidem aut alio, aut rebus quibus componitur. Res autem simplex vna, quæ est bonitas est vna, & vnitas eius est bonitas, & bonitas est res vna: illa ergo res est diues magis, quæ influit, & non fit influxio super eam per aliquem modorum. Reliquæ autem res intelligibiles, aut corporeæ sunt non diuites per seipsas, imò indigent vno vero influente super eas bonitates, & omnes gratias.

Propositio vigesima secunda.

CAusa prima est super omne nomen quo nominatur, quoniam non pertinet diminutio, neque complementum solum, imò est super omne complementum.

Commentum.

QVoniam diminutum est non completum, & non potest efficere operationem completam, quando est diminutum, & completum apud nos, quamuis sit sufficiens per seipsum, tamen non potest creare aliquid, nec influere aliquid à seipso omnino: si ergo ita est apud nos, tunc dicimus quod primum non est diminutum: neque completum tantum, imò est suprà completum, quoniam est creans res, & influens bonitates super eas influxione completa: quoniam est bonitas, cui non est finis, neque dimensiones: bonitas ergo prima implet secunda omnia bonitatibus. Veruntamen omne secundum non recipit de illa bonitate, nisi secundum modum suæ potentiæ. Iam ergo ostensum est, & manifestum, quod causa prima est super omne nomen quo nominatur, & superior, & altior.

Propositio vigesimatertia.

OMnis intelligentia diuina scit res per hoc, quod est intelligentia, & regula per hoc quod est diuina.

Commentum.

QVod est, quia proprietas intelligentiæ est scientia, & non est eius complementum, & integritas, nisi vt sit sciens regens, ergo est Deus benedictus, & sublimis, quoniam ipse replet bonitatibus res, & intelligentia est primum causarum: & est plus similis Deo sublimi, & propter illud regit res quę sunt sub ea, quia sicut Deus benedictus excelsus influit bonitates super res, quæ sunt sub eo, similiter intelligentia influit bonitatem super res quæ sunt sub ea, veruntamen quamuis intelligentia regat res quæ sunt sub ea, tamen Deus benedictus, & sublimis præcedit intelligentiam per regimen, & regit eas sublimiori regimine ordinis quàm sit regimen intelligentiæ, quoniam est illud quod dat intelligentiæ regimen, & significatio illius est, quod res, quæ recipiunt regimen intelligentię, recipiunt regimen creatoris, & intelligentiæ: quod est, quia non refugit regimen causæ primæ aliqua de rebus omnino, quoniam vult vt faciat recipere bonitatem suam omnes res simul: quod est, quia non omnis res, quæ desiderat, intelligentiam desiderat, & tamen res omnes desiderant bonitatem ex primo, & desiderant ipsam recipere desiderio multo, & illo non est aliquis qui dubitet.

Assimilari cuncta desiderãt primo principio, nõ autem aliis intelligentiis.

Propositio vigesimaquarta.

CAusa prima existit in omnibus rebus secundum dispositionem vnam, sed res omnes non existunt in prima secundum vnam dispositionem.

Commentum.

QVod est, quia quamuis prima causa existat in rebus omnibus, tamen vnaquæque recipit eam secundum modum potentiæ suæ: quod est, quia ex rebus sunt quæ recipiunt causam primam receptione vnita, & ex eis sunt quæ recipiunt eam receptione multiplicata, & ex eis sunt quæ recipiunt eam receptione æterna, & ex eis sunt quæ recipiunt eam receptione temporali, & ex eis sunt quæ recipiunt eam receptione spirituali, & ex eis sunt quæ recipiunt eam receptione corporali: & diuersitas quidem receptionis non fit ex causa prima, sed propter recipiens, quod est: quia recipiens diuersificatur propter illud: ergo susceptum est diuersificatum, influens verò existens vnum indiuisum influit super omnes res bonitates æqualiter, bonitas nanque fluit super omnes res ex causa prima æqualiter, causa autem diuersitatis influxionis bonitatis super res sunt ipsæ res, proculdubio igitur non inueniuntur omnes res in causa prima secundum vnum modum. Iam autem ostensum est quod causa prima inuenitur in omnibus rebus secundum modum vnum, & non inueniuntur in ea omnes res per modum vnum: ergo secundum modum propinquitatis causæ primæ, & secundum modum quo res recipere potest causam primam secundum quantitatem illius potest recipere ex ea, & delectari per eam: quod est, quia non recipit res ex causa prima: nec delectatur in ea, nisi per modum sui esse: & non intelligo per esse, nisi esse & cognitionem: nam secundum modum quo cognoscit res causam primam creatam, secundum quantitatem illam recipit ex ea, & delectatur in ea, sicut ostendimus.

Causa prima omnia cõsint per modum vnũ, quæ in aliis multiplicantur.

Propositio vigesimaquinta.

SVbstantiæ vnitæ intelligibiles non sunt generatæ ex alia re, omnis substantia stans per essentiam suam est non generata ex alia re.

Commentum.

QVod si aliquis dicat, possibile est vt sit generata ex re alia, proculdubio est substantia illa diminuta, indigens vt compleat eam illud ex quo generatur, & significatio illius est generatio ipsa: quod est, quia generatio non est nisi via ex diminutione ad complementum: nam si inuenitur res non indigens in generatione sui, id est in sua forma & sua formatione, & alia, nisi se, & ipsa causa formationis suæ est completa integra semper, & non fit causa formationis suæ, & sui complementi, nisi propter relationem suam ad causam suam semper.: illa ergo comparatio est formatio eius, & ipsius complementum simul. Iam ergo manifestum est quod omnis substantia stans per essentiam suam, non est generata ex re alia.

Substantia intelligibilis per se ac subsistens est ingenerata.

Substantia per se subsistens est incorruptibilis.

Propositio vigesimasexta.

OMnis substantia stans per seipsam, non est cadens sub corruptione.

Commentum.

SI autem aliquis dicat, possibile est vt substantia stans per seipsam cadat sub corruptione. Dicemus, quod si possibile est vt substantia stans per seipsam cadat sub corruptione, possibile est vt separetur eius essentia, & sit fixa stans super essentiam suam sine essentia sua, & hoc est inconueniens & impossibile, quoniam propterea quod est vna simplex non composita, est ipsa causa & causatum simul, omnis autem cadentis sub corruptione, non fit corruptio nisi propter separationem à causa sua. Dum verò permanet res pendens per causam retinentem eam, & seruantem ipsam, non perit, neque destruitur. Si ergo hoc ita est, substantiæ stantis per essentiam suam, non separatur causa semper, quoniam est inseparabilis ab essentia sua, propterea quod causa eius est ipsa in formatione sui, & non fit causa sui ipsius nisi propter relationem suam ad causam suam, & illa relatio est formatio eius, & propterea, quia est semper relata ad causam suam, & ipsa est causa illius relationis, ipsa est causa sui ipsius per modum quem diximus; & non perit, neque destruitur, neque corrumpitur, quoniam est causa & causatum simul, sicut nuper ostendimus. Iam verificatum est ergo, quòd omnis substantia stans per seipsam, neque destruitur, neque corrumpitur.

Propositio vigesima septima.

OMnis substantia destructibilis non sempiterna, aut est composita, aut est declarata super rem aliam.

Commentum.

Substantia corruptibilis est cõposita.

PRopterea, quod est substantia, aut est indigens rebus, ex quibus est composita ex eis, aut est indigens infixione sua deferente essentiam, cum ergo separatur deferens eam corrumpitur, & destruitur, quod si substantia non est composita: neque delata, est simplex, neque destruitur, neque minuitur omnino.

Propositio vigesima octaua.

OMnis substantia stans per essentiam suam, est simplex: & non diuiditur.

Commentum.

Substãtia subsistens simplex et imparibilis est.

QVod si dixerit aliquis, possibile est vt diuidatur. Dicemus, si possibile est vt substantia stans per seipsam diuidatur, & est simplex, possibile est vt essentia partis eius sit stãs per essentiam suam iterum sicut essentia totius. si ergo possibile est illud: redit pars super seipsam, & omnis pars eius est rediens super ipsam. sicut est rediens totum super essentiam suam, & hoc est impossibile. si ergo est impossibile hoc, substantia stans per seipsam est indiuisibilis, & simplex. si autem non est simplex, sed composita, pars eius est melior parte, & pars illius vilior parte. ergo res melior est ex vilore, & res vilior est ex meliore, quoniam est omnis pars eius seiuncta ab omni parte eius: quare est vniuersitas eius non sufficiens per seipsam cum indigeat partibus suis ex quibus componitur, & hoc quidem non est natura rei simplicis, imò de natura rerum compositarum. Iam ergo constat, quod omnis substantia stans per essentiam suam est simplex, & non diuiditur, & quoniam non recipit diuisionem, & est simplex, non est recipiens corruptionem neque destructionem.

Propositio vigesima nona.

OMnis substantia simplex est stans per seipsam, scilicet per essentiam suam.

Commentum.

Substantia simplex est subsistens.

NAm ipsa est creata sine tempore, & est in substantialitate sua superior substantiis temporalibus, & significatio illius est, quia non est generata ex aliquo, quoniam est stans per essentiam suam, & substantiæ generatæ ex aliquo sunt substantiæ compositæ cadentes sub generatione. Iam ergo manifestum est, quod omnis substantia stans per essentiam suam non est nisi in non tempore, & quia est altior, & superior tempore, & rebus temporalibus.

Propositio trigesima.

OMnis substantia creata in tempore, aut semper est in tempore, & tempus non superfluit ab ea, quoniam est creata, & tempus æqualiter, aut superfluit super tempus & tempus superfluit ab ea, quoniam est creata in horis temporis quibusdam.

Commentum.

Substãtiæ sempiternæ sunt vel supra tẽpus, vel in tẽpore.

QVod est; quia si creata sequuntur se adinuicem: & substantiam superiorem non sequitur nisi substantia ei similis, non substantia dissimilis: sunt substantiæ similes substantiæ superiori, & sunt substantiæ creatæ, à quibus non superfluit tempus, quæ similantur substantiis sempiternis, & sunt substantiæ abscissæ à tempore, causatæ à quibusdam horis temporis. non est ergo possibile vt continuentur substantiæ creatæ in quibusdam horis temporis cum substantiis sempiternis, quoniam non assimilantur eis omnino. substantiæ ergo sempiternæ in tempore sunt illæ quæ continuantur cum substantiis sempiternis, & sunt mediæ substantiæ inter substantias fixas, & inter substantias factas in tempore, & non est possibile vt substantiæ sempiternæ quæ sunt supra tempus sequantur substantias temporales creatas in tempore, nisi mediantibus substantiis temporalibus sempiternis in tempore, & istæ quidem substantiæ non factæ sunt mediæ, nisi quoniam communicant substantiis sublimioribus in permanentia, & communicant substantiis temporalibus abscissis in tempore per generationem. Ipsæ enim quamuis sint sempiternæ, tamen permanentia earum est per generationem, & motum, & substantiæ sempiternæ cum tempore sunt similes substantiis sempiternis quæ sunt supra tempus per durabilitatem, & non similantur eis in motu, vel generatione, similiter autem substantiæ fectæ in tempore non similantur substantiis sempiternis quæ sunt supra tempus per aliquem modum. si ergo non similantur eis, tunc non possunt recipere eas, neque tangere eas. necessariæ ergo sunt substantiæ quæ tangunt substantias sempiternas quæ sunt supra tempus, & erunt tangentes substantias fectas in tempore. ergo aggregabuntur per motum suum inter substantias sempiternas quæ sunt supra tempus: & substantias quæ sunt sub tempore, & aggregabuntur per durabilitatem suam inter substantias quæ sunt supra tempus, & inter substantias quæ sunt sub tempore, id est quæ sunt cadentes sub generatione, & corruptione, & aggregabuntur inter substantias bonas, & inter substantias viles, vt non priuentur substantiæ viles à substantiis bonis omni bonitate, & omni continuitate, & non sit eis permanentia, neque fixio. Iam ergo ostensum est, nunc ex hoc quòd duæ sunt durabilitatis species, quarum vna est æterna, & altera est temporalis: veruntamen vna earum durabilitatum est stans quieta, & durabilitas altera mouetur, & vna earum aggregatur: & omnes eius operationes simul, neque quædam earum est ante quædam, altera est currens, & extensa, cuius quædam operationes sunt ante quasdam, & vniuersalitas, id est totalitas vnius earum est per essentiam suam, & vniuersalitas alterius est per partes suas, quarum vnaquæque est seiuncta suæ compari per modum primum & postremum. Iam ergo manifestum est quòd quædam sunt substantiæ sempiternæ supra tempus, & ex eis sunt sempiternæ æquales tempori, & tempus non superfluit ab eis, & ex eis sunt quæ abscissæ sunt à tempore, & tempus super fluit ab eis, ex superiori earum, & inferioris ipsarum: id est à parte ante, & à parte post, & sunt substantiæ cadentes sub generatione, & corruptione.

Propositio trigesima prima.

INter rem, cuius substantia & actio sunt in momento æternitatis, & inter rem, cuius substantia & actio sunt in momento temporis existens est mediũ, & est illud, cuius substantia est ex momento æternitatis, & operatio ex momẽto tẽporis.

Commentum.

QVod est, quia res, cuius substantia cadit sub tempore, scilicet quia tempus continet eam, est in omnibus dispositionibus suis cadens sub tempore, quare & eius actio cadit sub tempore, quoniam quando substantia rei cadit sub tempore, proculdubio eius actio cadit sub tempore. Res autem non cadens sub tempore in omnibus dispositionibus eius seiuncta est à re cadente sub tempore in omnibus suis dispositionibus. continuatio autem non est nisi in rebus similibus. necesse est igitur vt sic res alia tertia media inter vtranque, cuius substantia cadat sub æternitate: & actio eius sub tempore. Impossibile nãque est vt sit res alia tertia, cuius substãtia cadat sub tempore, & actio sub æternitate, sic enim actio eius actio maior esset eius substantia, hoc autem impossibile. Manifestum igitur est, quod inter res cadentes sub tempore cum suis dispositionibus, & actionibus, & substantiis, & inter res quarum substantiæ, & actiones sunt cadentes in momento æternitatis, sunt res cadentes sub æternitate per substantias suas, & cadentes sub tempore per operationes suas, sicut ostendimus.

Propositio trigesima secunda.

OMnis substantia cadens in quibusdam dispositionibus suis sub æternitate, & cadens in quibusdam dispositionibus suis sub tempore est ens, & generatio simul.

Commentum.

OMnis enim res cadens sub æternitate est ens verè, & omnis res cadẽs sub tempore est generatio verè: sicut hoc

hoc sit est, tunc si res verè est cadens sub æternitate, & tempore est ens, & generatio, non per modum vnum, imò per modum & modum. Iam igitur manifestum est ex eo quod diximus, quòd omne generatum cadens per substãtiam suam sub tempore habet substantiam dependentem per esse purum, quod est causa durabilitatis, & causa sempiternarum omnium rerum, & destructibilium. Necessarium ens est vnum, faciens adipisci vnitates, & ipsum non adipiscitur, sed reliquæ omnes vnitates sunt acquisitæ. Et illius quidem significatio est quod dico, si inuenitur vnum faciens acquirere non acquisitum, & aliud faciens acquirere acquisitum, tunc quæ differentia est inter ipsum & primum faciens acquirere. Non enim potest esse quin aut sit ei simile in omnibus dispositionibus suis, aut sit inter vnumquodque differentia, in alio superfluitas: si ergo est simile ei in omnibus dispositionibus suis: tũc vnum eorum non est primum, & alterum secundum, & si vnum eorum nõ est simile alteri in omnibus dispositionibus suis, tunc proculdubio vnum eorum erit primum, & alterum secundum. Illud ergo in quo est vnitas fixa non dependens ab alio, est vnum purum verum, sicut ostendimus, & illud in quo vnitas est inuenta ex alio, non est vnum purum verum: si ergo est ex alio, est ex illo primo acquisita vnitas: prouenit ergo inde vt vni puro vero, & reliquis vnis sit vnitas iterum, & non sit vnitas iterum nisi propter primum verum, quod est causa vnitatis. Iam ergo manifestũ est & planum, quod omnis vnitas post vnũ est acquisita creata, veruntamen vnũ verũ primũ purũ est creans vnitates, faciens acquirere non acquisitum, sicut ostendimus.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

IN LIBRVM DE CAVSIS Commentarius secundus, siue examen.

PRopositiones contentæ in libro de Causis, qui à pluribus afferitur compositus à Philosopho Arabe, siue ab Algazele, siue ab Alpharabio, siue ab Auempace, multas continet ambiguitates, adeo quod difficile est scire in quo sensu acceptandæ, vel reprobandæ sint plures ex eis. Propterea decreui singulas examinare secundum quadruplicem viam, scilicet secundum mentem Auctoris, & Procli Platonici, qui & librum consimilem composuit, quem nominauit Elementationes Theoricas, & Aristotelis, & Theologi, vt manifestum sit secundum quam viam, vnaquæque vera, vel non vera sit, & in quo sensu. Sed antequam descẽdam ad Examen, præpono duo. Primo, quod in libro de Causis cuilibet Propositioni apponitur proprium Commentum, quod iudicio meo æditum est ab eodem Auctore quicunqs fuerit. Nam quando Commentator alius est ab Auctore, aliquando nominat ipsum, referens se ad eum. nominat dico aut in indiuiduo, si habetur nomen eius, aut saltem in hoc titulo. Auctor huius libri &c. In hoc autem Commento, vt patet legenti, nunquam est relatio ad Auctorem, imò loquitur vt Auctor exponens dictum suum. Quapropter in Examine non distinguemus inter Propositionem, & Commẽtum, sed existimabimus quod dicitur in Cõmento dictum esse ab Auctore, & esse eiusdem veritatis, vel falsitatis, vel ambiguitatis cum Propositione Commẽtata. Secundo, quod non intendo prosequi, nec exponere singula verba, sed per modum resolutorium complecti paucis sententiam Auctoris, & deinde comparare eam doctrinæ Procli, & Aristotelis, & Theologi.

Propositio prima.

OMnis causa primaria plus est influens, &c.

IN hac prima Propositione intendit manifestare ordinem, & differentiam inter causas primas & secundas, & intendit tres conclusiones.

Prima est, omnis causa primaria plus est influens super causatum quàm causa vniuersalis secunda.

Secũda est, cũ remouet causa vniuersalis secunda virtutem à re, causa prima vniuersalis non remouet virtutem ab ea.

Tertia est, causa vniuersalis prima agit in causatũ causæ secũdæ antequã agat in ipsum causa secũda quæ sequitur ipsum.

Pars prima secundum mentem Auctoris, probatur quidem exemplo deducto ab esse, & viuo, & homine, quod vt clarum relinquimus: probatur autem ab eodem ratione quæ consistit in hoc, Causa prima adiuuat causam secundam in actione sua, & non econuerso. Item quamcunque actionem habet causa super effectum suum habet & causa prima: quoniam in causis per se subordinatis, de quibus hic intendimus, causa media non causat, nisi causante causa prima, est enim causa media vt mouẽs motum, ergo causa prima plus influit: nam causat à se. Secunda autem vt recipit à prima.

Secundum mentem Procli, qui in libro suo de Elemen. Theoric. talem Propositionem format, Omne productum à causis secundis, à prioribus & vniuersalioribus producitur eminentius, sic probatur. Omnis causa secunda est effectus causæ primæ, ergo habet substantiam, & virtutem actiuam à causa prima, ergo virtus agendi maior, & nobilior est in prima causã quàm in secunda, sed virtus maior magis, & eminentius producit effectum: vnumquodque enim agens agit secundum modum virtutis suæ, cum igitur idem sit effectus qui producitur à causa prima, & à causis secundis subordinatis, magis & eminentius producitur à causa prima quàm à secundis.

Secundum doctrinam Aristo. aduerte, quod licet formaliter non habeamus hanc propositionem, tamen fundamentaliter haberi potest ex primo Posteri. cum inquit, Propter quod vnumquodque & illud magis, sed in proposito, causa secunda agit propter primam, quia in virtute primæ, ergo prima magis agit in effectum quàm secunda. Item in duodecimo Metaphysicæ, tex. 34. inuestigans agens perpetuæ generationis determinat, quod quoniam agens se habens aliter, & aliter perpetuat generationem in virtute primi agentis, id est motoris primi cœli semper eodem modo se habentis, illud primum agens dignius, & eminentius se habet in perpetuando generationem, quæ quidem determinatio fundatur super hoc, primum agens dans virtutem secundo magis & dignius agit respectu eiusdem effectus ab vtroque producti.

Secundum doctrinam Theologi aduerte quòd cum omnes causæ secundæ sint à prima creatæ, comparantur ad ipsam, sicut ministri ad Regem, & sicut organa ad principale agens, propterea mouet & inclinat omnia in proprios fines: sed effectus productus à causa principali, & ab organica, magis & nobilius pendet à principali quàm ab organica, vnde digestio magis est ab anima quã à calore naturali, qui agit in virtute animæ. Præterea, causa prima agit à se, & independenter, cum non recipiat virtutem ab alio. Causa autem secunda agit dependenter, ergo dignius & magis influit in effectum quã causa secunda. Hæc igitur conclusio acceptãda est secundum omnẽ sanam doctrinam, quoniam est simpliciter vera.

Causæ secunda virtus si remouetur ab effectu non propterea remouetur virtus primæ causæ.

Pars secunda ad mentem Auctoris sic probatur, Causa prima vehementius influit in effectum, & in eo imprimit virtutem suam quàm causa secunda, ex conclusione præcedenti, ergo virtus primæ causæ magis inhæret effectui quàm virtus causæ secundæ, quod enim intensius imprimitur magis inhæret, sicut calor intensus causatus in aqua magis inhæret quàm calor remissus, sed quod magis inhæret tardius remouetur, vt patet de calore intenso, ergo virtus primæ causæ tardius remouetur ab effectu quàm virtus causæ secundæ, ex consequenti non est necesse ad remotionem virtutis causæ secundæ ab effectu, remoueri ab eodem virtutem primæ causæ.

Secundũ mentẽ Procli, qui in libro suo tenet impressionem primæ causæ vltimo recedere ab effectu sic probatur, Causa perfectior extensius & intẽsius operatur. Patet de sole, qui cũ habeat lucem perfectissimã illuminat intensius & extensius, quoniã quantũ sit ex se illuminat omnia, sed causã prima perfectior est causa secũda. Dat enim sibi virtutẽ, & non ecõuerso, ergo intẽsius & extẽsius operatur, quoniã operatur in omnibus, vt dicemus infra. Sed huiusmodi operans tardius recedit ab operato, vt patet de sole, cuius lux cũ sit intensẽ & extẽsẽ illuminãs, vltimo cessat illuminare. nã extinctis siue remotis quibusũque illuminantibus particularibus, vt igne, luna, astris, adhuc lux solaris illuminat, ergo virtus primæ causæ impressa in effectu, tardius remouetur quã virtus causæ secundæ.

Secundum doctrinam Aristotelis sic probatur. Causa prima comparatur ad secundam, sicut causa prior ad Posteriorem, cum enim non sit processus in infinitum in causis per se subordinatis ex secundo Metaphy. tex. 6. necesse est omnem causam secundam habere rationem medij, aut vltimi, ex consequenti esse posteriorem prima, sed non est necesse ad remotionem posterioris remoueri prius, quoniam non pendet à posteriori, & maximè in causis agentibus, de quibus nunc loquimur, & verificatur in pluribus aliis, vnde Aristot. in octauo Physico. textu 56. probatur motum

localem eſſe primum, quoniam nullus alius motus rem anet motu locali remoto, ſed bene econuerſo. Et in ſecundo de anima, textu trigeſimoprimo, probat tactum eſſe primum ſenſum, quoniam remoto omni alio ſenſu, adhuc inuenitur tactus, vnde inquit, Tactus quidem ineſt ſine aliis. Multa enim animalium neque viſum, neque auditum habent, neque odoratus ſenſum. Cum igitur cauſa ſecunda poſterior ſit cauſa prima, non eſt neceſſe ad remotionem virtutis cauſæ ſecundæ remoueri virtutem cauſæ primæ.

Secundum doctrinam Theologi ſic probatur. Cauſa prima propriè & principaliter eſt cauſa rei ſecundum eſſe & ſecundum produci. Cauſa autem ſecunda propriè eſt cauſa ſecundum produci, vt patet in omnibus agentibus particularibus artificiatis, & naturalibus, licet enim ſol & homo generēt hominem, tamen homo genitus cōſeruatur à ſole motu ſuo, & non ab homine generante, ſed remota virtute cauſæ in fieri, non eſt neceſſe remoueri virtutem cauſæ in eſſe & in fieri, aliter completa rei productione ſtatim deſineret eſſe, ergo remota virtute cauſæ ſecundæ non eſt neceſſe remoueri ab effectu virtutem cauſæ primæ. Hæc igitur concluſio ſicut & præcedens acceptanda eſt ſecundum omnem ſanam doctrinam, quoniam eſt ſimpliciter vera.

Cauſa prima prius attigit effectū quā cauſa ſecūda, non ſecundū durationem, ſed ſecundum cauſalitatem,

Pars tertia patitur difficultatem propter ly antequam ſiue prius, dupliciter enim poteſt exponi, ſcilicet prius in quo, & prius à quo. Si prius in quo, concluſio erit falſa, ſenſus enim erit, prima cauſa pro aliquo inſtanti, vel tempore producit effectum cauſæ ſecundæ, pro quo nōdum producitur a cauſa ſecunda, & id non eſt verum, quoniam ſecunda cauſa non ageret in effectum ſuum, ſi iam productus fuiſſet à prima, aliter productum produceretur, quod implicat: ſi autem ſumatur prius à quo concluſio erit vera: ſenſus enim eſt, prima cauſa agit à ſe in effectum cauſæ ſecundæ, ſed ſecunda cauſa non agit à ſe. Exponatur ergo ly prius, vel antequam non ſecundum durationem, ſed ſecundum cauſalitatem. Et hæc quidem videtur fuiſſe mens Auctoris. Nam ſic eam probat, cauſa ſecunda non agit in cauſatum ſuum, niſi quia prima cauſa influit virtutem ſuam ſuper eam, ergo cauſa prima facit vt effectus attingatur à cauſa ſecunda. Ergo prius attingitur à cauſa prima: patet autem hanc probationem non valere, niſi exponendo ly prius cauſaliter, & originatiuè.

Secundum mentem Procli, qui in libro ſuo talem propoſitionem format, Omnis cauſa ante cauſatum operatur, aliter probanda eſt, ſed antequam probetur aduerte quod Proclus per ly omnem cauſam intendit cauſam quæ tantum eſt cauſa, & per ly cauſatum intendit cauſam quæ eſt effectus & cauſa, qualis eſt cauſa ſecunda, quæ eſt effectus primæ, & cauſa alterius: vt in his corporalibus, homo generans eſt effectus, & eſt cauſa hominis geniti: per cauſam igitur Proclus intendit cauſam primam, & per cauſatum intendit cauſam ſecundam, ſic autem probat eam, cauſa prima eſt magis cauſa, quàm cauſa ſecunda, ergo eſt perfectioris virtutis, ſed perfectior virtus ad plura ſe extendit, vt patet de luce ſolis, & prius aduenit ei in quod agit, ergo cauſa prima operatur antequam operetur cauſa ſecunda. Manifeſtum eſt autem quod hæc probatio non concludit, niſi de prioritate cauſalitatis, quoniam de prioritate durationis hæc conſequentia non valet, cauſa prima eſt perfectioris virtutis, ergo prius duratione operatur in effectum cauſæ ſecundæ, quàm cauſa ſecunda. Aliter idem effectus iam productus adhuc produceretur, vel cauſa ſecunda ſuperflueret.

Secundum doctrimam Ariſt. ſic probatur, qualis eſt ordo inter cauſas ſubordinatas, talis eſt inter earum effectus, quoniam vnicuiq; correſpondet proprius effectus, vnde in 2. Phy. tex. 35. docuit reducere effectus in cauſas ſuas correſpondentes, vt effectum particularem in cauſam particularem, & effectum vniuerſalem in cauſam vniuerſalem, & priorem in cauſam priorem, & poſteriorem in poſteriorem, ſed inter cauſam primam, & cauſam ſecundam ſeruatur ordo prioris, & poſterioris. nam cum ſol, & homo generant hominem, ſol eſt cauſa prior, quoniam vniuerſale prius eſt, & homo eſt cauſa poſterior, ergo effectus cauſæ primæ eſt prior, & effectus cauſæ ſecundæ eſt poſterior, & poſito quòd idem effectus ſit ab vtraque, comparatus cauſæ primæ fiet prius, & comparatus cauſæ ſecundæ fiet poſterius, quod quidem prius intelligendum eſt, vt diximus quo ad cauſalitatem, cauſa enim ſecunda non agit niſi præſuppoſita receptione virtutis à cauſa prima, ex conſequenti quo ad cauſalitatem poſterius agit, licet pro eodem inſtanti ſimul agant, cauſa autem prima agit non ſuppoſita receptione virtutis ab alio priori, ergo, &c.

Secundum doctrinam Theologi ſic probatur, cauſalitas ſupponit eſſe, quoniam actio eſt exiſtentis, cum vnum quodque agat inquantum eſt actu, ergo ſicut ſe habet eſſe cauſæ ſecundæ ad eſſe cauſæ primæ, ita cauſalitas cauſæ ſecundæ ad cauſalitatem cauſæ primæ: ſed eſſe cauſæ ſecundæ poſterius eſt eſſe cauſæ primæ, quoniā eſt effectus cauſæ primæ, vt dicemus infrà: ergo cauſalitas cauſæ ſecūdæ ſuper effectum ſuum poſterior eſt cauſalitate cauſæ primæ. Et aduerte hanc deductionem cōcludere prioritate cauſalitatis, & non durationis, quoniā non repugnat dari effectū coęuum cauſæ agēti, & producenti ſine motu, & ideo non eſt neceſſe quod eſſe, & cauſalitas cauſæ ſecundæ ſint poſteriora duratione eſſe, & cauſalitate cauſæ primæ. prædicta igitur tertia concluſio ſupra quo ad prioritatem cauſalitatis concedenda eſt ſecundū omnē ſanam doctrinam, quoniam eſt ſimpliciter vera ſicut & præcedentes, hæc dicta ſint ſuper primam propoſitionem Auctoris.

Propoſitio ſecunda.

OMne eſſe ſuperius, aut eſt ſuperius æternitate, & ante ipſam: aut cum æternitate, aut poſt æternitatem, & ſupra tempus, &c.

IN hac propoſitione intendit diuidere ſuperiora entia in tria genera. primum conuenit Deo, ſecundum intelligentiæ, tertium animę. Et aduerte quod per ly eſſe ſuperius, intendit eſſe non ſubiectum tempori, nec motui, nec corruptioni, ac ſi dicat, omne eſſe rei perpetuæ, & immobilis.

Aduerte etiam quòd huiuſmodi eſſe diuiditur in tria: primum attribuit Deo, ſecundum intelligentiæ, tertium animæ, vnde in hac propoſitione intendit tres concluſiones.

Prima Deus eſt ſupra & ante æternitatem.

Secunda intelligentia eſt cum æternitate.

Tertia anima eſt poſt æternitatem, & ſupra tempus, & in horizonte æternitatis.

Prima concluſio ad mentem Auctoris ſic probatur, Deus eſt ipſum eſſe penitus abſtractum, & illimitatum, ergo eſt cauſatiuum æternitatis. probatur conſequentia, quoniam eſſe eſt magis cōmune quàm æternitas. Nam omnis æternitas eſt eſſe, ſed non omne eſſe eſt ęternitas, ſed magis cōmune eſt cauſatiuum minus cōmunis, ergo eſſe abſtractum quod eſt ipſe Deus eſt cauſatiuum æternitatis. tunc vltra, ergo eſt ſupra & ante æternitatem, quoniam cauſatiuum eſt ſupra & ante cauſatum, Deus igitur eſt ſupra & ante æternitatem.

Secundum doctrinam Procli Platonici in libro ſuo de Elementationibus Theoricis ſic probatur, Magis abſtractum, & magis commune eſt prius minus abſtracto, & minus communi. vnde prius eſt ens quàm ſubſtantia, & ſubſtantia quàm corpus, quoniam non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia vt patet, ſed eſſe eſt abſtractius, & cōmunius æternitate, omne enim æternum eſt ens, non autem omne ens eſt æternum, ergo eſſe eſt prius æternitate, ſed prima cauſa eſt ipſum eſſe, ergo eſt ante æternitatem, & altius, ex conſequēti eſt ſuprà, quoniam magis abſtractum eſt ſuperius minus abſtracto. Aduerte quòd nec probatio Auctoris, nec Procli concludunt ſecundum veritatem, ſed tantum ſecundum noſtrū modum intelligendi. Nam falſum eſt, omne magis cōmune eſſe cauſatiuū minus communis, & productiuum realiter, aliter animal produceret hominem, & homo vt homo produceret hunc hominem, quod tamen eſt falſum, quoniam actiones, ſicut & eſſe ſunt ſingularū, præterea cum Deus ſit ſuū eſſe, & ſua æternitas, & omnis ſua perfectio, aliter deperiret ſua ſumma ſimplicitas, non magis cauſatur ſua æternitas quàm ſuū eſſe, & quàm ipſe Deus. Et ideo non eſt verum, quod dicit Auctor cauſam primam eſſe ſupra æternitatē, quoniā æternitas eſt cauſatum eius. Similiter probatio Procli non concludit, licet enim magis commune ſecūdum prædicationem ſit prius minus communi, quoniam non inconuenit remoto minus cōmuni inueniri magis commune, vt remoto homine adhuc poteſt eſſe animal, tamen in præſenti propoſito fundamentum Procli non valet quoniam Deus non eſt eſſe commune prædicabile de omnibus, ſed eſſe contentiuum omnis gradus eſſendi, quod eſt eſſe illimitatum, & de tali eſſe non conceditur quod ſit prius quàm æternitas, niſi forte ſecundum noſtrum modum intelligendi prout prius intelligimus Deum eſſe quàm eſſe viuentem intelligentem æternum, ſed hic modus intelligendi nullam ponit prioritatem, realem autem diſtinctionem, aut cauſalitatem inter diuinas perfectiones.

Et ideo Ariſtot. non acceptaret hanc concluſionem, ſed diceret quod Deus eſt ſua æternitas. nam ſicut in duodecimo Metaphy. tex. 39. dixit Deum eſſe vitam ſuam, & in tex. 49. eſſe ſuum intelligere ſic diceret Deum eſſe ſuam æternitatem. Vnde inquit in tex. 39. Quare duratio continua, & æterna exiſtit Deo, hoc enim Deus,

Et Theo-

Et Theologus idem diceret. Nam ſecundum Dionyſium in ſecundo capite de Di. no. quicquid pertinet ad perfectionem bonitatis, & eſſe totum Deo eſſentialiter conuenit, vt ſcilicet ſit eſſentia bonitatis, & vitæ, & ſapientiæ, & æternitatis cæterarúmq; perfectionum, non ergo prima cauſa eſt ſupra, nec ante æternitatem eſſentialiter ſumptam, ſed eſt ipſa æternitas. Nec obſtat quod dicit Dionyſius in decimo capite de Di. no. Deus eſt ante æuum ſiue æternum, quoniam non intendit de æterno eſſentialiter, ſic enim ſolus Deus eſt æternus, ſed de æterno participatiuè quod conuenit ſubſtantiis immaterialibus. Vnde commentans diuus Thom. hoc dictum in dicto capite inquit, Deum conuenit laudare communiter per tempus, & æuum, quia ipſe eſt cauſa temporalium, & æternorum. Et eſt ſupra æternitatem, & tempus prout æternitas, & tempus intelliguntur participata a creatura (& infrà) ipſe eſt prior non ſolum tempore, ſed etiam ęuo: id eſt æternitate, prout participatur à creaturis: patet igitur concluſionem Auctoris non acceptari quo ad ęternitatem eſſentialiter, ſed tantum quo ad æternitatem participatam: vnde & diuus Thom. in prima parte, quæſtio. decima, articulo ſecundo, ad ſecundum adducens hoc dictum Auctoris non ſoluat eum niſi in prædicto ſenſu, dicit enim Deus dicitur eſſe ante æternitatem prout participatur à ſubſtantiis immaterialibus, ex quibus habetur quod ſumendo æternitatem eſſentialiter Beat. Thom. nec Dionyſius acceptarent concluſionem dictam: vnde non eſt neceſſe quod à Theologo & ab Ariſtote. probetur.

Secunda concluſio ad mentem Auctoris ſic probatur, intelligentia non deſtruitur ſecundum ſubſtantiam, quoniam eſt incorruptibilis: vt probabitur infrà, & non alteratur, quoniam non patitur variationem ſecundum virtutem, nec ſecundum operationem, ſed ſemper ſe habet ſecundum vnam habitudinem, id eſt eodem modo & vniformiter, tam ſecundum ſubſtantiam, quàm ſecundum virtutē, & ſecundum operationem, ergo eſt cum æternitate, & parificatur ei. In hac probatione Auctor ſupponit antecedens vt communiter conceſſum. Nam apud Philoſophos videtur vt principium quod omnis intellectus ſeparatus immobilis eſt ſecundum ſubſtantiam, & virtutem, & operationem, conſequentiam vero reputat veram ex diffinitione æternitatis quæ dicitur eſſe menſura rei indeficientis, & inuariabilis ſiue vniformis: vnde tanto aliqua propinquant æternitati, & elongantur à tempore, quanto reducunt à variabilitate ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum operationem, & tanto aliqua propinquant tempori, quanto ſubiiciuntur variationi aut ſecundum ſubſtantiam, aut ſecundum operationem.

Secundum doctrinam Procli in libro ſuo probatur eodem modo: ſic enim inquit, omnis intellectus, ſcilicet ſeparatus ſubſtantiam, & poteſtatem, & operationem habet in æternitate.

Secundum doctrinam Ariſt. probatur primo quod intelligentia habeat eſſe in æternitate. Nam in duodecimo Metaph. textu trigeſimo, inquit, neceſſe eſt eſſe ſempiternam aliquam ſubſtantiam, quoniam eſt motus æternus, qui ſecundum locū, & circularis, vt probatum eſt in octauo Phyſico. Et in eodem duodecimo, textu quadrageſimoquarto, concludit æternitatē ſubſtantiæ in omnibus intelligentiis mouentibus cœlos, & dicit, palam, ita quòd tot ſubſtantias eſſe neceſſe eſt natura ſempiternas. igitur quo ad indeficientiam ſubſtantiæ, patet Ariſt. ſenſiſſe intelligentiā adæquari æternitati. Secundo probatur quo ad immobilitatem propriè operationis, quę eſt intellectio, & optima diſpoſitio ſecūdum delectationem in intelligendo primam cauſam. Nam in duodecimo Metaphyſic. tex. 39. dicit, deductio autem qualis optima paruo tempore nobis, ſic enim ſemper illud eſt nobis quidē impoſſibile quaſi dicat, intellectus ſeparatus intelligens, & deſiderans primū principium, eſt ſemper in eadem delectabiliſſima diſpoſitione, quæ nobis pro ſemper eſt impoſſibile, ergo ſecundum propriam operationem eſt inuariabilis, ex conſequenti eſt in æternitate, propterea concludit in textu 41. Quod quidem igitur eſt ſubſtantia alia ſempiterna, & immobilis ſeparata à ſenſibilibus manifeſtum eſt, patet igitur quod Auctor, & Proclus, & Ariſt. concordant in dicta concluſione.

Secundum doctrinam vero Theologi præſens concluſio omnino refutatur quo ad ſubſtantiam, & virtutem, & operationem, quoniam operatio ſupponit virtutem, & virtus ſubſtantiam, ſed ſecundum Theologum nihil eſt ab æterno productum, vniuerſitas enim creaturæ incœpit in tempore, & ſolus Deus caret exordio: ſed à parte poſt, id eſt, poſt intelligentiæ productionem, aliter tenendum eſt de eius ſubſtantia, & aliter de eius operatione. Nam de eius ſubſtantia ratione indeficiente poteſt dici eſſe in æternitate, non quidem eſſentialiter, quoniam, id eſt, proprium Dei, ſed participatiuè. de operatione autem diſtinguendum eſt, quoniam intelligentiæ competit operatio naturalis, vt intelligere ſe, & alia creata, & Deum vt principium ſui eſſe, & vniuerſalē cauſam omnium, & operari eſſe corpora mouendo ea applicatione ſuæ virtutis, & competit ei operatio ſupernaturalis vt viſio, & fruitio diuinæ ſubſtantiæ, quo ad operationem eius naturalem, non poteſt dici eſſe in æternitate, quoniam vt ſic mutabilis eſt, & ſecundum ſucceſſionem intellectionum, & volitionum, & ſecundum variam applicationē virtutis ſuæ ad corpora, vt notat diuus Th. in prima parte, quæſt. decima. articu. quinto. De operatione autem ſupernaturali poteſt dici quòd eſt in æternitate, quoniam ſecundum illā immobilis eſt & efficitur deiformis, ex conſequenti participat diuina mēſura: quæ eſt æternitas. Hæc igitur concluſio, intelligentia eſt in æternitate, vel cum æternitate, vel parificatur æternitati, non acceptatur à Theologo niſi quo ad ſubſtātiam, & poſtquā producta eſt, & ſecundum operationē ſupernaturalem: vnde non adęquatur Deo in æternitate, Deus enim omnino & vniuerſaliter æternus eſt. Et propterea Dionyſius de diuinis no. capite decimo, inueniens hanc diuerſitatem inquit quamobrem non ſimpliciter coæterna Deo qui eſt ante ſuum cenſenda ſunt quæ nominantur æterna, ſed à ſacratiſſimis eloquiis nuſquā diſcedentes æterna: & intēporalia iuxta cognatos ſuóſque modos debemus accipere, & intendit quòd ea quæ dicuntur æterna in diuina ſcriptura non ſunt arbitranda æterna ſimpliciter, & æqualiter ſimul cum Deo, qui eſt ante æternitatem participatam, ſed ſequendo intellectū ſacri eloquij oportet intelligere aliqua eſſe æterna ſecundum ſuos modos, id eſt inquantū exiſtunt immutabiliter vt angelicæ mētes, & vt beatificatæ ſunt.

Tertia cōcluſio anteq; probetur declarāda eſt quo ad duo.

Primo, quomodo ſumitur ly anima.

Secundo, quare dicit eā conſtitutā in horizōte æternitatis.

Anima humana, & non anima cœli eſt in horizōte æternitatis, inquantum participat diuina, & terrena.

Quantum ad primum aduerte quòd ly anima non ſumitur abſolute, ſed pro anima cœli, quod ſupponitur animatum tanquam manifeſta res & conceſſa apud Philoſophos Arabes, & præcipuè apud Auicen. in lib. 9. ſuæ Metaphyſi. capit. 4. vbi inter cætera inquit, nos iam oſtendimus ꝙ anima cuiuſque cœli eſt eius perfectio, & eius forma, nec eſt ſubſtantia ſeparata, &c. Et quòd Auctor intendat de anima cœli, patet ex eo quod dicit, anima eſt ſupra tempus, quoniam eſt cauſa temporis, conſtat autem eandem eſſe cauſam temporis, & motus cœli quoniam tempus conſequitur motum cœli, vt primo menſuratum, ſed ſi cœlum eſt animatum, motus eius cauſatur ab anima cœli, ex conſequenti ab eadem cauſatur tempus, quod non poteſt dici de anima humana, cum ſit vnita corpori corruptibili, cuius motus non eſt continuus, nec vniformis, nec poteſt eſſe perpetuus.

Quantum ad ſecundum, aduerte quòd ideo dicit animam cœli conſtitutam in horizonte æternitatis: quoniam ſicut horizon terminat ſuperius hemiſphærium, & eſt principium inferioris, ita quòd vt medium de vtroque extremo participat, ſic anima cœli media eſt inter intelligentiam, & corruptibilia. nam ratione eſſe incorruptibilis conuenit cum intelligentia, & vt ſic participat æternitatem, ratione autem motus cœli cuius ipſa eſt cauſa conuenit cum mutabilibus, & vt ſic propinquat tempori: poſita hac declaratione aduerte ꝙ Auctor ſic probat concluſionem. Anima eſt ſubſtantiæ, & eſſe indeficientis: vt probabitur infrà, & pro nunc ſupponatur. ergo quo ad ſubſtantiam, & eſſe annexa eſt æternitati, & propria operatio animæ cœli eſt motus cœli, qui fit in tempore. ergo quo ad operantionem propinquat tempori, & vt ſic dicitur annexa æternitati inferius, & inferiori modo quàm intelligentia participat æternitatē, quoniam ſecundū Auctorē eſt ſuſceptibilior impreſſionis quàm intelligentia, quoniam intelligentia recipit impreſſionem ſolū à prima cauſa, ſed anima recipit ab intelligentia, & à prima cauſa. Quod an ſit verum declarabitur infrà. Aduerte tamen quod licet anima cœli propinquet tempori propter operationē ſuam quæ eſt motus cœli, tamen eſt ſupra tempus, quoniam cauſa eſt ſupra cauſatum, ſed anima cœli eſt cauſa temporis ſicut & motus cœli; quoniam eſt menſura motus cœli, & comparatur ad ipſum ſicut proprietas ad ſubiectum. Eadem autem eſt cauſa, & ſubiecti, & proprietatis eius.

Ad mentem Procli probatur eodem modo. nam, & Plat. ponunt cœlum animatum, vt patet in Timæo, vbi inquit Plato, dicendum eſt hunc mundum animal eſſe idque intelligens re vera diuina prouidentia conſtitutum. Et Proclus in libro ſuo, huiuſmodi propoſitionē format: Omnis anima habens quidem ſubſtantiam æternalem, habet operationem

aliam

aliam secundum tempus, quæ est mouere corpus cui vnitur: ex consequenti secundum Proclum media est inter æternitatem & tempus, quoniã secundum substantiã annectitur æternitati, secundum operationem propinquat tempori, & hac de causã dixit Auctor animam esse in horizonte æternitatis.

Vtriusque probatio secundum veritatem non cõcludit de anima cœli, quoniam illa non datur, vt dicemus infrà in probatione Theologi, sed concludit de anima humana, quæ secundum substãtiam est indeficiens vt probabitur infrà, & sua propria operatio est intelligere cõponendo, & diuidendo, & cum discursu donec vnita est corpori: & mouere corpus localiter, quæ quidem operationes non absoluuntur à tempore, vt manifestabitur infrà, ex consequenti secundũ substantiam annectimur æternitati: secũdũ operationẽ propinquat tẽpori.

Secundum autem doctrinam Arist. quo ad animam cœli dubium est quid dicendum. Nam secundum aliquos tenuit Arist. cœlum esse animatum, & vt sic eodem modo probaret hanc conclusionem sicut Auctor, & Proclus.

Cœli an sit anima tum secundũ Arist.

Secundum alios autem tenuit oppositum, & quoties dicit cœlum animatum præcipuè in secundo cœli, textu 13. vbi inquit, Est autem cœlum animatũ, & habet motus principium manifestum, &c. Per animam intendit intelligentiam motricem quæ applicatur cœlo, vt motor proprio mobili, sicut anima suo proprio corpori à qua mouetur, & vt sic Arist. non acceptaret dictam cõclusionem applicatam animæ cœli, nisi vt dixi sumatur anima pro intelligentia.

Quãtum autem ad animam humanam, adhuc est dubium. Nam qui tenent ipsum sentire animã intellectiuam esse mortalem, vt Scotus, & Herueus, & quidam moderni, dicerent Arist. negaturũ hanc conclusionem. Qui autem tenent ipsum sentire vt veritas est, animam nostram esse immortalem, dicerent Arist. acceptaturum hanc conclusionem, & probationem Auctoris applicatam non animæ cœlesti, sed humanæ coniunctæ, & vt euidẽtius pateat, assumo dictum suum in tertio de Anima tex. 20. Separatus autem est solùm in hoc quod verè est, & hoc solum immortale, & perpetuum, &c. Ergo intellectus humanus secundum substantiam est perpetuus, & æternus à parte post, & assumo dictum eiusdem in tertio de Anima tex. 39. & cum speculatur necesse est phantasma aliquod speculari, sed phantasiari, vel phantasma speculari non absoluitur à tempore cum sit actio virtutis organicæ, & in duodecimo Metaphys. tex. 51. declarans primum principium non intelligere componendo aut diuidendo inquit, aut quod quidem compositorum habet in aliquo tempore, &c. id est, intellectus qui intelligit componendo, aut diuidendo habet suam perfectionem non semper, sed in aliquo tempore: sed anima humana coniuncta intelligit componendo, & diuidendo, & cum discursu. ergo secundum operationem suam non absoluitur à tempore, & assumo dictum suum in secundo de Anima, tex. 18. Anima est principiũ quo viuimus, sentimus, intelligimus, mouemur secundum locum, &c. Ergo anima quo ad motum causatum in corpore non absoluitur à tempore. Igitur secundum doctrinam Arist. humana anima constituta est in horizonte æternitatis, ita quòd secũdum esse annexa est æternitati, & secũdum operationem rationalẽ, & animalem annectitur tempori. Non tamen est supra tempus: vt causã eius, quoniam sicut non est causã motus cœli, sic non est causã temporis, nisi forte quo ad suum formale, vt dixit Arist. in quarto Physic, tex. 131. Quod quomodo intelligendum sit, diximus in quæstionibus nostris super quartum Physicorum.

Cœlum secũdũ Theologos non animatũ anima informãte.

Secundum doctrinam vero Theologi, sumendo animam in suo proprio significato, quod est esse actum corporis viuentis, & dantem non solùm motum sed & esse, & applicando conclusionem animæ cœli, non acceptatur hæc conclusio ab eo, quoniam nullus Theologorum ponit cœlum sic animatum, aliter huiusmodi anima illic frustra poneretur, quoniam anima vt forma vnitur corpori propter aliquam operationem per quam indiget corpore. Constat autem cum cœlum sit quintæ essentiæ in eo non posse esse operationem vegetatiuam, neque sensitiuam. Quantum ad intellectiuam non indiget corpore cum sit non organica, nisi pro quanto phãtasmata deseruiunt intellectui, quæ non possunt esse in cœlo cum ad partem sensitiuam pertineant. Quantum ad motum localem non est necesse quod vniatur vt forma, sed vt motor tangens suum mobile tactu virtuali. Ad hoc autem sufficit intelligentia applicata, & ideo vanum est ponere cœlum animatum ãnima informante, nec qui posuerunt ex Theologis cœlum animatum, vt Origenes, & Hieronymus intendebant de animatione anima informante, sed mouẽte more Platonico, ad quod vt diximus sufficit intelligentia applicata, quæ si dicatur anima, erit impropriè dictum, & quoniam Auctor intendit de anima cœli sumendo animam propriè vt magis declarabitur in propositione sequente, ideo Theologus in hoc sensu non acceptat hanc conclusionem. Si vero applicatur animæ humanæ coniunctæ, acceptat & probat eam annexam æternitati quo ad esse. Nam est subsistens & incorporea, vt declarabitur infrà, ergo habet esse per se, ergo esse suum non pendet à corpore, ex consequenti non corrumpitur ad corruptionem eius, sed habet esse inconsumptibile, vnde inquit Dionysius cap. 4. de Di. no. Animæ humanæ habent ex bonitate diuina quòd sint intellectuales, habeántque vitam inconsumptibilem, &c. Igitur quo ad esse annexa est æternitati quo ad operationem siue intellectualem, siue motiuam, non absoluitur à tempore, coniuncta enim cum discursu intelligit. Discursus autem est motus, omnis motus est in tempore ex sexto Physicorum, & motus localis corporis animati causatus ab anima necessario est in tempore, quoniam est inter terminos oppositos, ergo quo ad operationem attingit tempus, verum autem quo ad aliquam operationem participet æternitati dicam in propositione sequenti. hæc dicta sint pro examine secundæ propositionis.

Propositio tertia.

OMnis anima nobilis tres habet operationes. nam ex operationibus est eius operatio animalis, & operatio intelligibilis, & operatio diuina, &c.

In hac propositione intendit manifestare quomodo anima quæ est tertium genus entium superiorum participat operationem Dei, & intelligentiæ.

Aduerte quòd hic Auctor loquitur de anima cœli, sicut & in propositione præcedentiquia non dubitat cœlum esse animatum verè & proprié. Huic animæ attribuit tres operationes iuxta tres animæ virtutes. Nam vt anima habet virtutem viuificatiuam, directiuam, & motiuam corporis: & vt sic attribuit sibi operationem animalem quæ est viuificare & mouere corpus cœleste; vt autem est naturæ intellectualis habet virtutem intellectualem, & vt sic attribuit sibi operationem intelligibilem, quid autem intelligat dicemus infrà, vt est causatiua rerum inferiorum per motum cœli, cui supponitur omnis natura elementorum, & elemẽtatorum habet diuinam virtutem participatiuẽ, quoniã sicut Deus est vniuersalis causa productiua omniũ entiũ, sic anima cœli ex virtute sibi impressa à prima causa producit, influit, ministrat omnia inferiora nõ quidẽ per se, sed per motũ cœli, & vt sic sibi attribuit operationẽ diuinã quę consistit in causalitate, & administratione omnium inferiorum, quoniã in hoc imitatur primã causam.

Secundum mẽtem igitur Auctoris probatur. Primo quòd habeat diuinam operationem. Nam imago & exemplum primæ causæ participat operationem eius, sed propria operatio primæ causæ est productio, & administratio omniũ entium, vt dicemus infrà. Cum ergo in anima cœli, sit impressa imago primæ causæ, quoniã est naturæ incorporeæ & intellectualis sicut prima causa participat eius operationem nõ quidem æqualiter, & vniuersaliter, sed super ea quę producuntur motu cœli, ergo conuenienter sibi attribuitur diuina operatio. Secũdo probatur quòd habeat operationem intellectualem. Nam effectus participat virtutem, & operationem suæ causæ vniuocè, vnde sicut ignis calefacit, sic & aqua facta calida calefacit, licet non æquè perfectæ, sed anima cœli est effectus intelligentiæ. nam secundum Auctorem prima causa creauit esse animæ mediante intelligentia, ergo anima participat operationem intelligentiæ. Hæc operatio est intelligere, quoniam intelligentiæ vt intelligentia est competit intelligere, sicut sensui, vt sensus est, competit sentire. Hæc probatio quomodo sit admittenda vel non, dicam infrà, cum adduxero sensum Theologi, & Arist. Tertio probatur quòd habeat operationem animalem. Nam de proprietate, & natura animæ est vt viuificet corpora, influendo super ea virtutem viuificatiuam, si enim anima non animat id cuius est anima, cessat esse anima, & vt moueat corpora perducendo ad operationes suas, sed hoc est habere operationem animalem, siue vitalem, ergo si hoc est de proprietate animæ non est negandum ab anima nobili qualis est anima cœli.

Ad mentem autem Procli aduerte, quòd loco animæ nobilis dicit animam diuinam, & sibi attribuit tres operationes conformiter vt Auctor: vnde inquit in libro suo, omnes animæ diuinæ animæ triplices habent operationes, has quidem vt animæ, id est, operationes animales, has autem vt suscipientes intellectum, id est, operationes intellectuales, has autem vt Diis coniunctæ, id est, operationes diuinas. Huiusmodi autem animas dicit diuinas, ex maxima nobilitate, sicut

& cœlum dicitur diuinum corpus propter maximam excellentiam, & virtutem causatiuam, & incorruptibilitatem, vt etiam testatur Ari. in secundo cœli, textu secundo, vbi inquit, vt cœlum sit immortale, & diuinum habentium quidem motum, &c. Diuinis animabus corporum cœlestium Proclus attribuit primo operationem animalem, quoniam vt diximus, Anima vt anima habet animare id cuius est anima, sicut scientia, vt sciẽtia habet facere scientem cum cuius est scientia. Attribuit operationem intellectualem, quoniam intellectu & desiderio mouent cœlos, nulla enim potentiam animæ conuenit his animabus præter dictas, carent enim organis quibus explentur operationes vegetatiuæ, & sensitiuæ. Attribuit eis diuinam operationem quæ est vniuersalis influentia, & causalitas, & productio rerum inferiorum, quoniam in hoc assimilantur primæ causæ quantum possunt, si enim in humanis præsidentes Reipublicæ, dicuntur diuini homines, multo magis huiusmodi animę presidentes toti mundo inferiori per motum cœlestem. In hac igitur propositione sic accipienda est mens Procli, vt dictum est.

Secundum doctrinam vero Aristote, supposito quod ponat cœlum animatum non acceptatur in cœlo operatio animalis viuificatiua, quoniam ex tertio de anima, textu sexagesimoprimo, in nullo corpore, siue generabili, siue ingenerabili non mansuo datur intellectus discretiuus sine sensu, sensus autem non potest esse in cœlo, quoniam in eodem loco probat Arist. nullum corpus simplex posse esse organum sensus. Constat autem cœlum esse corpus simplex, ergo non est in eo sensitiuus gradus. Minus autem est in eo vegetatiuus, quoniam vt probat Aris. In primo cœli, textu vigesimoprimo, neque alterabile, neque augmentabile, neque diminuibile est cœli, ex consequenti neque vegetatiuus gradus inest ei. Nam ex secundo de anima, textu trigesimoquinto, Opera vegetatiui gradus sunt generare, & alimẽto vti, quæ procul sunt à cœlo, quantumcunque igitur Aristo. poneret cœlum animatum non admitteret animam cœli habere operationem animalem, præterea cum intelligere sit actio non organica intellectiuum, vt intellectiuum nullius corporis est actus, ergo anima cœli, quæ si daretur esse tantum intellectiua, non habet operationem animalem: sumendo autem apud Aris. animam cœli, pro intelligentia mouente attribuitur sibi operatio intellectualis, & valde nobilis: vnde in duodecimo Metap. textu trigesimosexto, dicit quod primum mouens immobile mouet cœlum sicut appetibile, & intelligibile, quod est sic intelligendum quod intelligentia applicata primo cœlo, ideo mouet cœlum quia intelligit primum principium, & appetit ei tanquam optimo assimilari. Præterea in textu trigesimonono, dicit in motore cœli esse nobilissimam delectationem quæ consequitur eius nobilissimam intellectionem. Item ad mentem Aris. attribuitur sibi diuina operatio, quoniam ex duodecimo Metap. textu trigesimoquarto, intelligentia mouens cœlum motu diurno, causat perpetuam generationem in his inferioribus, & intelligentiæ applicatæ sphæris planetarum mouentes planetas sub zodiaco causant alterationem generationis, & corruptionis per accessum, & recessum planetarum à nobis, cum igitur intelligentiæ motrices cœlorum habeant vniuersalem causalitatem super inferiora, & hic mundus inferior gubernetur lationibus superioribus ex primo Meteor. manifestum est, quoniam secundum Arist. habent operationem diuinam, quia scilicet assimilantur primæ causæ in causalitate, & reginine, vt etiam declarabitur infrà.

Secundum doctrinam autem Theologi, quoniam negat vt diximus cœlum esse verè animatum, nec per animam cœli intelligendum est aliud quàm intelligentia: non acceptat in anima cœli operationem animalem ea ratione quam adduximus super doctrinam Arist. nisi quis extenso vocabulo nominet operationem animalem, vel vitalem motionem sui proprij mobilis, & directionem in proprium finẽ, sicut enim anima mouet corpus animalis localiter per determinata media in debitum, & desideratum finem, sic intelligentia mouet cœlum secundum diuersa vbi est, quo motu prouenit generatio, & conseruatio, & transmutatio rerum inferiorum. Acceptat autem operationem intellectualem, quoniam cum sit subsistantia immaterialis per se subsistens patet quòd est intellectualis. Immaterialitas aũt est ratio intellectualitatis, & intelligibilitatis. Item acceptat operationem diuinam modo quidem altiori quàm Auctor, & Proclus & Arist. Nam apud Dionysium intelligentiæ dicuntur diuinæ mentes, & apud alios Theologos non solùm quia habent virtutem super inferiora, sed quoniam diuinæ essentiæ per intellectionem maximè vniuntur, quam intellectionem vocamus visionem beaticam, qua efficiuntur deiformes, & eodem sensu animæ separatæ vnitæ primæ causæ per essentialem visionem merentur dici diuinæ animæ, in hoc enim consistit perfectior assimilatio ad Deum quàm habere causalitatẽ super inferiora. Nam assimilatio secundum actionẽ immanentẽ, nobilior est assimilatione secundũ actionem transeuntẽ, quoniã & actio immanens nobilior est, & iuxta hanc diuinã operationem, tam intelligentia, quàm anima humana dicitur participare æternitatem, quoniam in hac operatione sunt omnino immobiles.

Sed aduerte, quòd licet Arist. & Theologus attribuant animæ cœli, id est, intelligentiæ motrici operationẽ intellectualem, non tamen acceptant rationem adductam ab Auctore quam suprà formauimus. Non enim secundum doctrinam Arist. nec secundum veritatẽ, prima causã producit animam intellectiuam, nec intelligentiam mediante alia intelligẽtia, quoniam cum sint substantiæ simplices non producuntur ex materia ex consequenti creantur. Creatio autem est solius primæ causæ omnino infinitæ, vnde Auctor in hoc videtur sequi opinionem Auicennæ in nono suæ Metaph. cap. 4. vbi creatricem potentiæ attribuit intelligentiis.

Sed dicunt aliqui Auctorem non intẽdere productionem animæ ab intelligentia quo ad esse, aliter sibi ipsi contradiceret. nam dicet infrà, omnium entium principium, & primam causam esse bonam, sed intendit de productione secundum informationem intellectus, quia scilicet intelligentia influit, & imprimit formas siue species intelligibiles in intellectu animæ per quas intelligit.

Sed id non acceptatur ab Aristot. nec à Theologo, ab Arist. quidem, quoniam in tertio de anima, tex. 17. ponit in intellectum agentem potentiam animæ illustrantem phantasmata, & productiuum speciei intelligibilis qua actuatur intellectus possibilis, à Theologo autem quoniam esset homo inferioris conditionis cæteris animalibus, Quoniam habẽt in seipsis sufficientia principia operationum suarum, si igitur non intelligeret homo nisi reciperet species ab intelligentia non haberet in se sufficientia principia proprię operationis, ex consequenti esset deterioris conditionis cæteris animantibus. Præterea posset intelligentia causare speciem caloris in intellectu cæci nati, & sic cæcus intelligeret calorem: quod experimur impossibile, non igitur pendet anima intellectiua ab intelligentia quo ad esse, nec quo ad informationem: manifestum est ex dictis, quòd hæc tertia propositio non acceptatur ab Aristot. applicata animæ cœli, quo ad operationem animalem, applicata autem animæ humanæ, non acceptatur à Theologo quo ad operationem diuinam nisi in sensu Dionysij, sed id non conuenit nisi animæ beatæ in diuina visione. hæc de tertia propositione dicta sint.

Propositio quarta.

PRima rerum creatarum est esse, & non est ante ipsum creatum aliud, &c.

Aduerte quòd Auctor in hac propositione intẽdit assignare causam propter quam esse superius in secũdo gradu, quod est esse intelligentiæ, vt expositum est in secunda propositione est multiplicabile. nam de primo gradu, id est de esse diuino, cum sit purissimus actus, & omnino infinitum, constat non esse multiplicabile.

In hac igitur propositione intendit quatuor conclusiones, Quarum prima est, vt fundamentum vniuersale de omni re creata, & non solum in intelligentiis, licet Auctor intendat applicare intelligentiis.

Prima conclusio, prima rerum creatarum est esse.

Secunda cõclusio, esse est factum superius, & vehementius vnitum omnibus causatis.

Tertia conclusio, esse causatum licet sit vnum, tamen est multiplicabile.

Quarta conclusio, intelligentia superior differt ab inferiori, quia est perfectioris naturæ formaliter, & quia intelligit per vniuersaliores species, & quia influit virtutes, & bonitates intelligentia in inferiori.

Quantum ad primam conclusionem, aduerte quòd ly esse potest tripliciter accipi. Primo pro esse primæ intelligentiæ creatæ quæ est suprema creatura in ordine vniuersi. Secundo pro esse inuento in omnibus creatis, tam incorporeis, quàm corporeis, quod supponitur omnibus aliis perfectionibus. Tertio pro esse per se existente separato, more Platonico, sicut per se homo, per se leo, per se vita, per se bonitas, &c.

Prima rerũ creatarum est esse tripliciter ponitur.

Iuxta primam acceptionem, videtur ab Auctore introducta prima conclusio. Nam intendens declarare propter quid intelligentia est multiplicabilis. Primo voluit ostendere quem ordinem teneat in gradibus entium causatorum,

& quoniam in intelligentia non solùm inuenitur esse, sed & vita, & intellectus, & aliæ perfectiones quæ omnes causatæ sunt à primo, ideo etiam intendit iuxta secundam acceptionem declarare ordinem ipsius esse intelligentiæ ad alias eius perfectiones. Iuxta igitur primam acceptionem inquit prima rerum creatarũ est esse, id est in vniuersitate creatorum, primum creatum & nobilius fuit intelligentia, quoniam similior est primæ causæ, & propinquior in suis perfectionibus participatis. Iuxta secundam acceptionẽ inquit, & non est ante ipsum creatum aliud, id est, cum in intelligentia sint multi gradus perfectionũ, scilicet esse, viuere, intelligere, velle; &c. Primus gradus vt basis, & fundamentum fuit esse causatum à primo ente in intelligentia, quoniam viuere supponit esse, & intelligere supponit esse, & viuere, & non ecõuerso. Iuxta tertiam acceptionem consideratur à Proclo, qui in libro suo talem propositionem format, participatũ diuina proprietate, & deificatorum primum est ens, id est, inter proprietates & diuinas perfectiones participatas, id est, productas prima est ens, id est ipsum esse separatum. vnde aduerte secundum doctrinam Platonicam, vt suprà diximus magis cõmune ponitur productiuum minus cõmunis, vnde Proclus etiam suprà in propositione secunda, & Auctor probarunt æternitatẽ pro ductam, quoniã ens est cõmunius, & abstractius quàm æternitas, Plato autem inter transcendentia ponit bonũ, & vnum prius ente, quoniam bonum & vnum secundum Platonẽ dicitur de ente, & de non ente, vt de materia prima, quam cõputabat inter non entia propter admixtam priuationem, & tamen dicebat ipsam bonam, quoniam desiderat bonum, id est formam, & est vna, quoniã ex se est indiuisiua, & diuisionem recipit à quantitate & à forma, ens autem dicitur tantum de ente: quoniam nihil prædicatur de suo opposito. Iuxta igitur principium positum, scilicet quòd magis commune sit productiuum minus communis, opinatur Proclus quòd primũ productum separatum sit ens, non autem bonum, nec vnum, quoniam non habent prius à quo producantur, vnde posSit ad mentem Platonis Deum esse ipsum per se bonum, & per se vnum improductum, primum autem creatum est esse, secundum est vita, tertium est intellectus, & sic procedebat in productione separatorum.

Verum quia via Platonis in positione separatorũ non acceptatur ab Arist. vt patet in 7. Meta. & in 12. & in 1. Ethi. nec acceptatur à Theologo, nec principium Platonicum est verum regulariter, scilicet quòd magis cõmune sit productiuum minus cõmunis, vt diximus in secũda propositione. Nec bonum & vnum est communius ente, vt dicemus infrà, ideo positio Procli in expositione huius conclusionis omnino refutatur, standum est igitur in prima, & secunda acceptione.

Secundum doctrinam Arist. præsens conclusio, licet verificetur quo ad primam acceptionẽ, quoniam ex duodecimo Metaphys. tex. 29. cum tres sint substantiæ, duæ quidem naturales, vt corpora corruptibilia, & incorruptibilia vt cœlum, & tertia abstracta vt intelligentia, hæc est nobilior, ex consequenti primum locum, & gradum continet inter producta, tamen propriè verificatur quo ad secundam acceptionẽ, prout esse participatur ab omnibus existentibus. Nam quod simplicius est, & ad quod omnia alia superaddunt vniuersalius est, & inter producta prius est, quoniam produci potest sine aliis, & non econuerso, sed inter omnes perfectiones communicatas à primo, esse simplicius est, primum enim quod de vnoquoque concipimus est ens, & est vniuersalius, cuicunque enim rei creatæ communicatur esse, sed non aliæ perfectiones, & aliæ perfectiones includunt esse, & non econuerso, vt patet in latitudine entium, ergo inter producta est primum, & ideo inuenitur res cui debetur solum esse, vt elementum: alicui esse, & viuere, &c. In nullo autem inuenitur viuere, nec alia perfectio, in quo non inueniatur esse, primum igitur inter producta est esse, sicut ad mentem Arist. in secundo de Anima, tex. 33. primus gradus in animatis productis, est vegetatiuus, quoniã cõmunis est omnibus animatis, & potest inueniri sine aliis, vt in planta, & non econuerso. Quoniam igitur primum fundamentum omnium perfectionum est esse, sequitur contra Platonem quòd vnum, & bonũ posteriora sunt ente, addunt enim in sua ratione formali super ens. nam vnũ addit indiuisionem, bonum autem addit respectum ad appetitum, ergo vanum est dicere bonum, & vnum esse productiua entis, aliter productum esset prius productiuo, nec est verum materiam primã esse bonam, nisi in ordine ad esse. Quoniam bonum & perfectum idem sunt, prima autem perfectio est esse, quam vt diximus supponimus omni alij perfectioni. ergo materia prima eo modo est bona quomodo est

Creaturarum gradus diuersi.

ens, & quoniã est ens in potentia est bona in potentia, & quoniam ex se nunquam ex se est bona actu, hinc patet bonum esse minus commune quàm ens, dicitur enim ens de ente in potentia, & de ente in actu. Bonum autem quoniam fundatur in esse non dicitur nisi de ente in actu, vnde rosa generanda est ens, non tamen est bona.

Secundum doctrinam igitur Aristot. hæc conclusio est vera, prima rerum creatarum est esse, iuxta primam, & secundam acceptionem. Non autem secundum tertiam, & à via Arist. in hoc non dissentit Auctor.

Secundum doctrinã Theologi: aduerte quòd omnes conueniunt in vno, & discordant in alio. conueniunt quidem in hoc quod nullus eorum concedit ordinem & distinctionem realem inter prima prædicata abstracta siue vniuersalia, non enim ponunt ens separatum distinctum à bono separato, nec à viuo separato, nec ab intelligente separato, sed omnia idem sunt in primo, vt diximus in secunda propositione, ex consequenti ab eodem primo qui est Deus, producitur & esse, & bonitas: & omnis alia perfectio in creatura: differunt autem in ordine formali inter huiusmodi separata. Nam omnes Theologi sequentes viam Arist. dicunt quòd licet Deus sit realiter ens, viuens, intelligens, bonus, tamen prius consideratur quòd est ens quàm viuẽs, quàm vnus, quàm bonus, quoniam inter omnes conceptus, conceptus entis est simplicior, ex consequenti est prior. Theologi autem sequentes viam Platonicam vt Dionys. dicunt quòd licet Deus sit realiter omnia supradicta, tamen prius consideratur vt bonus, vt vnus, quàm vt ens, vnde agens de diui. no. prius agit de bono, sed si consideremus vtriusque opinionis motiuum, nulla est in re dissensio. Nam Theologi sequentes Arist. considerant hæc abstracta, vt ex natura rei conueniunt Deo, & vt sic prius verificatur de Deo ens quàm bonum: quoniam bonum supponit esse. Sequentes autem Platonem considerant hæc vt conueniunt Deo sub ratione causalitatis, & vt sic prius ei conuenit bonum quàm ens, quoniam bonum signat causam finalem, ens autem causam agentem, quoniam vnumquodque agens agit inquantum est actu, sed inter causas prima est causa finalis. ergo, &c. Non igitur incõuenit ens secundum se esse prius bono, & tamen in ratione causæ esse posterius.

Et quoniam Auctor in hac conclusione prima rerum creatarum est esse, considerat esse, in ordine ad causam creantem siue ad primam causam agentem, quæ est agens inquantum est ens, ideo omnes Theologi in hoc concordant quod primus effectus productus à primo ente est esse, & id quidem rationabiliter, quoniam effectus vniuersalissimus est à causa vniuersalissima, & prius cum sit fundamentum effectuum minus vniuersalium. Iuxta igitur primam, & secundam acceptionem conceditur hæc conclusio à Theologo, & ab Aristotele. Iuxta tertiam autem omnino reprobatur. Hæc de prima conclusione dicta sint.

Quantum ad secũdam conclusionem, aduerte quòd ly esse sumitur propriè iuxta primam acceptionem, id est, pro esse intelligentiæ, & ad mentem Auctoris probatur sic, Quod est propinquius summè simplici, & puro vero quod est, & primum ens, est superius, id est, excellentius, & altius, & magis vnum omnibus causatis à primo. Effectus enim propinquior causæ, magis participat perfectiones causæ, sed intelligentia quo ad esse, & naturam suam est propinquior summè simplici, & puro vero, cum sit eius primus, & immediatus effectus, ergo est altior, & simplicior inter creata.

In hac conclusione, & in ratione adducta concordat Proclus, qui in libro suo inquit, Omnis intellectus separatus impartibilis est, ergo simplex. Item est sicut speculum diuinæ celsitudinis, ergo primum & nobilissimum gradum tenet in entibus, Arist. idem sentit. vnde vltimam partem suæ Metaphys. disponit in consideratione huius supremi gradus, & in primo cœli, textu centesimo, declarat intelligentias esse inalterabiles, impassibiles, intransmutabiles, ex consequenti immateriales, & habentes viam sufficientissimam in toto æterno, id est, semper ex consequenti nobilissimas in esse. Theologus, licet distinguat inter intelligentias bonas, & malas ex voluntate, tamen quo ad naturam excellentiores, & simpliciores ponit inter omnia creata. Nam determinat esse substantias penitus incorporeas, immateriales, intellectuales, quibus nobiliori modo impressa est imago diuinæ naturæ, quàm in anima humana. In hac ergo conclusione apud omnem veram doctrinam non cadit ambiguitas.

Tũ tamẽ aduerte quòd hæc conclusio potest verificari quo ad secundã acceptionẽ. Nam esse participatum ab omni existẽte, superius est, id est, vniuersalius quàm aliæ perfectiones. in quolib

in quolibet enim existẽte inuenitur, nõ tamen in quolibet inueniuntur aliæ perfectiones, vt patet: item est magis vnũ quoniam minus includit. Nam aliæ perfectiones addunt super ipsum, vt patet: ergo, &c. Hæc de secũda cõclusione dicta sint.

Quantum ad tertiam conclusionem aduerte quod sumendo ly esse applicatum intelligentiæ ad mentem Auctoris sic probatur. Esse intelligentiæ licet sit simplex, id est non compositum ex partibus quantitatiuis, nec ex materia, & forma, tamen compositum est ex finito, & infinito: ergo multiplicabile est: quod cõponatur ex finito, & infinito declaratur: nam postquam intelligẽtia producta est, habet virtutem vt sit semper, ergo secundum durationem est infinita, & suum esse est participatum, ergo finitum & limitatum. Quòd enim participat aliquam perfectionem non participat vniuersaliter vt inuenitur in primo, sed particulariter, vt patet in participantibus lucem solis, constat ergo ex potentia, siue virtute sempiterna essendi, & ex esse limitato, ergo ex finito, & infinito. Quod autem consequentia sit vera declaratur sic, participato vt participato non repugnat multipliciter participare, quoniam secundum nullum modum continet vniuersalem perfectionem suam, aliter non esset tale per participationem, sed per essentiam, sed esse intelligentiæ est participatum cum sit productum: ergo tali esse quamuis sit simplex non repugnat multiplicari.

Secundum autem doctrinam Procli, qui in libro suo talem propositionem format, omne existens ens immobile, id est omne ens intransmutabile secundum substantiam, & tamen entis, id est à primo ente productum, ex fine est, & infinito, sic probatur. Esse productum immobile non est esse abstractum sed receptum in eo cuius est esse. Omne esse receptum multiplicabile est, secundum naturam recipientium: ergo cum esse intelligentiæ sit esse non abstractum, sed receptum in intelligentia, erit multiplicabile. Quòd autem esse productum non sit esse abstractum, probatur, quoniam esse abstractum est esse vt esse, ex consequenti continet omnem perfectionem essendi, sicut albedo abstracta continet omnem perfectionem albedinis, sed esse productum non est esse vt esse, sed hoc vel illud esse, ex consequenti non continet omnem gradum essendi, quoniam omnis terminus productionis extra Deum est determinati generis, ergo non est esse abstractum. Quod autem omne esse receptum sit multiplicabile: probatur, quoniam cũ non contineat in suo recipiẽte omnem gradum essendi potest recipi secundum diuersos gradus, ex consequenti potest multiplicari, sicut albedo recepta in subiecto, quia recipitur secundum diuersos gradus, ideo potest multiplicari, posuit autem Proclus huiusmodi ens constare ex fine, & infinito, eadem ratione quam suprà assignauimus.

Secundum doctrinam Ari. hæc conclusio acceptatur, & probat eam in duodecimo Meta. tex. quadragesimotertio, vbi ex pluralitate motuũ cœlestium concludit pluralitatem intelligentiarum: necesse est enim omnem motum æternum esse à motore immobili, & immateriali æterno, vt illic deducit Ari. & licet non adducat rationem Auctoris, scilicet compositionem ex finito & infinito, tamen non negaret eam ad sensum suprapositum. Nam Ari. ponit has substantias æternas in duodecimo Metap. tex. 30. ergo infinitas duratione, & multiplicat eas: ergo non sunt infinitæ secundum esse intensiuè, aliter darentur plura entia simpliciter infinita quod est impossibile.

Secundum doctrinam Theologi, hæc conclusio acceptatur. Nam Dionysius inquit in capite decimoquarto cœlestis Hierar. Multi sunt beati exercitus supernarum mentium: & ratio adducta hic ab Auctore admittitur: vnde diuus Thom. in prima parte, quæstione quinquagesima, articulo secundo, ad quartum adducens dictum Auctoris inquit, intelligentia est infinita inferius, quia nõ recipitur in materia, forma enim limitatur per materiam, & extra materiam illimitata remanet, est autem finita superius quia habet esse à superiori. Hæc igitur conclusio secundum omnes rectè sentientes vera est.

Quantum ad quartam conclusionem aduerte difficultatem eius consistere in hoc: quoniam difficilè est inuestigare principium distinctiuum. Non enim est materia, nec quãtitas cum sint substantiæ incorporeæ: nec sola accidentia diuersa sufficiunt, aliter non multiplicarentur essentialiter. Igitur sciendum est quod in substantiis creatis, duplex distinctio potest assignari, scilicet distinctio realis materialis, & hæc est per materiam siue in qua, siue ex qua, & distinctio realis formalis, & hæc fit per gradus essentiales perfectionales reperibiles in natura distinguibili: verbi gratia Socr. & Plato distinguuntur natura humana tantum materialiter, homo & leo distinguuntur in natura animalis formaliter, quoniam natura animalis partitur per gradus perfectionales in speciebus suis, quorũ vnus est superior ad alterum sicut in numeris: & inter eos datur primus per propinquitatem ad aliquod summum, & sequentes deficiunt à perfectione primi, secundum quod magis vel minus distant à primo: in proposito, intelligentiæ cum sint immateriales non distinguuntur nisi distinctione reali formali, pro quãto in earum natura dantur gradus inter quos est vnus primus ex propinquitate maiori ad primum ens, & reliqui sunt veluti potentiales, & imperfecti magis, & minus secundũ maiorem, vel minorẽ elongationem à primo. His præpositis aduerte quod Auctor probat conclusionem à priori, & à posteriori: à priori quidem sic, intelligentia prima quæ est immediatè post primam causam est completa in virtute sua, & in reliquis bonitatibus, id est perfectionibus suis. Intelligẽtiæ autem sub sequentes, licet sint intelligentiæ non sunt completæ, id est non participant æquè perfectis gradibus virtutem, & alias perfectiones, &c. Ergo superior differt ab inferiori quia est perfectioris naturæ formaliter: cõsequentia nota, sed probandum est antecedẽs, arguitur igitur sic, Magis propinquum summè perfecto participat perfectiori gradu perfectiones illius: & minus propinquum imperfectiori gradu: vt patet in calefactibilibus respectu ignis, sed intelligentia prima est propinquior primæ causæ summè perfectæ, & sequentes intelligentiæ minus propinquæ: ergo, &c. A posteriori autem probat dupliciter: primo ab actione immanenti, secundo ab actione transeunte: ab actione immanenti sic, Intelligentia superior intelligit per species latiores, & vniuersaliores, ergo intellectio sua est nobilior, ergo natura nobilior, quoniam actio nobilior est nobilioris agentis. Intelligentia autem inferior intelligit per species minus vniuersales: ergo, &c. Aduerte quod vis rationis manifestabitur infra in propositione decima, vbi declaratur positio specierum magis vniuersalium in superiori intelligentia, & ex hoc concludetur nobilior natura intelligentiæ superioris. Ab actione autem transeunte sic arguit, intelligentia superior influit bonitates suas in intelligentia inferiori, & non econuerso: ergo est perfectioris naturæ, ex consequenti distinguuntur per gradus perfectionales suæ naturæ: antecedens probatur, prima causa influit bonitates suas in intelligentia superiori tanquam in suo nobiliori: & propinquiori effectu: ergo consequens est vt intelligentia superior influat in inferiori: superius enim influit in inferius per medium, vt ignis calefacit manum per medium aërem, consequentia autem sic probatur. Quod influit in aliud, respectu illius est actus, & illud est in potentia, quoniam agens actu est, & recipiens potentiale. Actus autem perfectior est potentia, ergo intelligentia superior est perfectioris naturæ: ergo, &c. Constat igitur intelligentias distingui, & multiplicari secundũ gradus formales reperibiles in natura abstracta, penes quos gradus sumuntur in eis differentiæ specificæ nobis ignotæ.

vnde sumantur.

Secundum doctrinam Procli, hæc conclusio sic probatur, cum prima causa sit ipsa vnitas propter omnimodam negociationem compositionis, & multiplicitatis, procedunt eo ordine intelligentiæ à Deo, quo & numeri ab vnitate: videmus autem in numeris distinctionem, & multiplicationem assignari secundum minorem, & maiorem compositionem: nam binarius vt propinquissimus vnitati minus compositus est, ternarius autem plus, & quaternarius plus, & sic successiuè: sic & in intelligentiis, natura primæ intelligentiæ minimè composita est, secundæ autem plus, tertiæ plus, quartæ plus, & sic descendendo vsq; ad animam intellectiuam, quæ vt infimum gradum continens in intellectualibus, multum diuersitatis habet in potentiis, in propriis operationibus suis, igitur secundum viam Platonicam, quam sequitur Proclus dicemus intelligentias multiplicari secundum maiorem, & minorem simplicitatem substantiæ suæ.

Intelligentiæ multiplicantur ex gradib⁹ suæ simplicitatis.

Secundum doctrinam Arist. hæc conclusio ea ratione probatur qua & Auctor processit, scilicet ex gradibus formalibus naturæ abstractæ. Nam in duodecimo Metaphy. tex. quadragesimonono, pro principio habet Ari. quod primum mouens non potest plurificari numero, quia caret materia. Omnis ergo plurificatio in abstractis est formalis, id est specifica, quæ cum non posSit sumi à materia cum sint immaterialia, necessario sumitur à gradibus formalibus: vt supra diximus; vnde in octauo Meta. tex. decimo, assimilauit naturas specificas numeris, in quibus est alia, & alia species additione, vel subtractione vnitatis: sic in naturis specificis est variatio additione, vel subtractione gradus formalis, & id verificatur tam in naturis corporeis, quã incorporeis, licet enim homo multiplicetur in indiuiduis per materiam, tamen animal multiplicatur in speciebus, non per solam materiam, sed per gradus in quibus partitur natura animalis. Et ad insinuandum distinctionem ac

multiplicationem realem formalẽ, tam in abstractis, quàm in corporeis, dixit Arist. in 1. coeli. tex. 100. vnde & aliis communicatum est, scilicet à primo ente, his quidem clarius, scilicet abstractis, his autem obscurius, scilicet corporeis esse & viuere, scilicet per diuersos gradus. Declarauit etiam Arist. distinctionem in separatis à posteriori, scilicet ab effectu qui est motus. nam in 12. Metap. tex. 44. inquit. Quod quidem igitur sint substantiæ, scilicet separatæ, & harum quæ prima, & secunda, secundum ordinem eundem lationum astrorum palam, &c. & intendit quòd manifestum est, esse substantias separatas motrices coelorũ, inter quas est ordo dignitatis, & perfectionis, qualis est ordo in motibus, & in sphæris coelestibus, q. d. quia prima sphæra nobilior est, & motus diurnus nobilior, intelligentia illi applicata nobilior, & perfectior est, & quia sphæra Saturni nobilior est sphæra Iouis, & minus nobilis, quã sphæra prima: eodem modo se habet motus eius, & intelligentia applicata, & sic descende vsque ad vltimam sphæram.

Secundum doctrinam Theologi, eadem conclusio acceptatur, probatur quòd à priori eadem ratione quam adduximus de mente Auctoris. Vnde diuus Th. in prima parte, qõ. 75. articulo septimo, assignans differentiam inter animam, & intelligentiam inquit de distinctione intelligentiarum. In substantiis immaterialibus non potest esse diuersitas secundum numerum, absque diuersitate secundum speciem, & absque naturali, idest substantiali inæqualitate, quia cum non sint cõpositæ ex materia & forma, sed sint formæ subsistentes, manifestum est quòd necesse erit in eis esse diuersitatem in specie, non enim potest intelligi quod aliqua forma separata sit nisi vna vnius speciei, sicut si esset albedo separata non potest esse nisi vna tantum. Hæc enim albedo non differt ab illa nisi per hoc ꝙ est huius, vel illius, diuersitas autẽ secundũ speciem semper habet diuersitatem naturalem, id est fit secundum gradus formales naturæ, sicut in speciebus colorum vnus est perfectior altero, & similiter in aliis, & hoc ideo quia differentiæ diuidentes genus sunt contrariæ. Contraria autem se habent secundum perfectum, & imperfectum. principium enim contrarietatis sunt habitus, & priuatio ex 10. Metaphy. &c. Patet igitur quòd differentia, & plurificatio in intelligentiis est per gradus essentiales formales naturæ abstractæ secundum perfectius & minus perfectum, probat etiam Theologus eandẽ conclusionem à posteriori, quoniam superior illuminat, & inferior illuminatur. Item quoniam superior intelligit per vniuersaliores species: ergo est perfectior, &c. Verum de his loquemur infrà & pro nunc supponantur, hæc pro examinatione quartæ propositionis dicta sint.

Propositio quinta.

Intelligentiæ superiores primæ, quæ sequuntur causam primam imprimunt formas secundas, &c.

In hac propositione Auctor tractat de distinctione animæ intellectiuæ prout distinguitur secundum opinionem suam in animam coelestem, & animam humanam, & intendit declarare tria.

Primo à quo imprimitur anima.

Secundo, quomodo multiplicatur.

Tertio, assignat differentias inter animam coeli, & animam humanam.

Anima producitur à secũda intelligentia.

Quantum ad primum, ponit hanc conclusionem, anima est ex impressione intelligentiæ secundæ. Ad euidentiam huius conclusionis aduerte, quòd ibi impressio sumitur pro productione in alio, sicut imago sigilli imprimitur in cæra, quia producitur in ea & quia de ratione animæ est vt animet corpus & moueat, & non animat nec mouet corpus nisi sit intrinseca ei, ideo sua productio conuenienter dicitur impressio. Intendit autem Auctor sic arguere ad conclusionem, intelligentiæ superiores primæ imprimunt, id est producunt formas secundas, id est intelligentias secundas, ergo intelligentiæ secundæ imprimunt animam. Consequentia videtur valere ex hoc quod si extremum est causa medij medium est causa vltimi. In genere autem intellectuali causato, prima intelligentia est extrema, secunda est media, & anima est vltima, quoniam obtinet infimum gradum in intellectualibus cum habeat rationem partis, antecedens autem Auctor habet pro manifesto, licet decipiatur vt dicemus.

Anima quo ad esse producitur à primo, quo ad intellectualitatem ab intelligentia.

Secundum doctrinam Procli Platonici, qui tenet ad viam Platonicam effectum magis communem esse à causa magis communi, & minus cõmunem à causa minus cõmuni, cum in anima sit esse, & intellectualitas, dicendum esset, quod anima quo ad esse imprimitur à primo ente, siue prima causa, quo ad intellectualitatem imprimitur ab intelligentia, vt vnumquodque producatur à suo vniuoco, sicut calidum à calido, lucidum à lucido, viuum á viuo, intellectuale ab intellectuali, ens ab ente.

Secundum doctrinam Aristo. hæc conclusio non acceptatur nisi in sensu quem dicam. nam de anima coelesti non potest acceptari. quoniam vt diximus supra ad mentem Aristo. non datur, nisi sumendo animam pro intelligentia, quod est impropriè loqui: de anima humana nõ potest acceptari quo ad esse supponendo quòd tenuerit eam immortalem nam si sic creatur, creatio autem est opus solius agentis primi infiniti, ergo non est ab intelligentia, si autem consideratur anima non quo ad esse, sed quo ad informationem verum esset, quòd imprimitur ab intelligentia non quidem per se, sed per motum coeli, quo producitur & disponitur corpus ad receptionem animæ. Nam sol & homo generant hominẽ, de anima autem bruti, non est dubium quod quo ad esse producitur ab intelligentia per motum coeli, quoniam educitur de potentia materiæ actione agentis naturalis attingentis essentiam animæ brutalis, verum quia Auctor videtur loqui tantum de anima coeli, & humana, ideo hæc conclusio quo ad totam substantiam animæ, & quo ad esse, & quo ad intellectualitatem, & omnem suam naturalem perfectionem negaretur ab Arist. & diceret quòd sicut à primo ente habet esse, habet omnem aliam perfectionem substantialem sibi conuenientem. Et ratio adducta pro Auctore non valet. Negaret enim Aristot. antecedens sicut & negandum est. Similiter ratio adducta à Proclo non valet, quoniam illud assumptum de causa & effectu magis & minus communi, non concludit distinctionem realem in effectibus, & in causis, sed tantum distinctionem formalem. Nam in quinto Metaph. docens Aristo. in cap. de causis, reducere effectum in causam, dicit sanitatis causam esse medicum & artificem, non tamen distinguuntur realiter medicus & artifex, quoniam artifex est vt genus, & medicus species, sic in proposito licet in anima sit esse, & intellectualitas, & multæ aliæ perfectiones, omnes tamen sunt ab vna prima causa quæ in se realiter continet omnem gradum essendi, & omnem perfectionem.

Secundum doctrinam Theologi, hæc conclusio non acceptatur, quoniam cum anima intellectiua sit per se subsistens, per se habet esse, & per se producitur, & non ex materia, cum sit immaterialis, ergo creatur, ergo est à solo Deo, & non ab intelligentia, quoniam cum sit virtutis finitæ non agit nisi aliquo præsupposito, & ad rationem Auctoris, & Procli responderet Theologus sicut responsum est ad mentem Aristo. Et aduerte sicut etiam diximus in tertia propositione, videtur Auctor in hac conclusione sequi viam Auicen. in lib. 9. suæ Methaphy. cap. 4. vbi imaginatur animas coelestes produci ab intelligentiis, & animas humanas ab vltima intelligentia quam appellat datorem formarum, sed hæc imaginatio Auicennæ penitus irrationabilis est. Primo quia ponit coelos verè animatos sine necessitate, ad causandum enim motum localem, vt diximus suprà non est necesse motorem vniri vt forma, sed sufficit tangere suum mobile tactu virtuali. Secundo quia creatricem potentiam attribuit creato, cum sit solius virtutis infinitæ agere, nullo præsupposito. Tertio quia fundamentum suum non est verũ, scilicet quod ab vno in quantum vnum non procedit nisi vnum, hoc enim est verum tantum in agente naturali, determinato ad vnum. Non autem in agente intellectuali, quia agit per scientiam suam, quæ potest esse principium multorum, sicut ædificator per artem suã plura, & diuersa ædificia producit: hæc igitur prima conclusio ab omnibus secundum veritatem relinquenda est.

Quantum ad secundum ponit hanc conclusionem. Non multiplicatur anima nisi per modum quo multiplicantur intelligentiæ: & intendit sic arguere: Modus, siue ratio per quã multiplicantur intelligentiæ inuenitur in anima, ergo eodem modo multiplicatur sicut intelligentia: consequentia patet. probatur antecedens. Ideo multiplicatur intelligentia, vt diximus suprà in propositione quarta, quoniam constat ex infinito & finito, infinito quo ad perpetuam durationem, & finito quo ad esse suum, quod est esse participatum, cui repugnat esse infinitum, sic & anima intellectiua de qua nunc loquimur cõstat ex infinito, quoniam est immortalis vt etiam probabitur infrà, ex consequenti est infinitæ durationis, & suum esse est participatum cum sit causatũ, ergo est finitum: patet igitur quod eodem modo multiplicatur sic intelligentia.

Quantum ad doctrinam Procli sequentis viam Platonis, hæc conclusio clarius probatur, quoniam cum anima apud Platonem non sit forma, nec sit pars, sed completa in specie vnita corpori non sicut actus, sed sicut motor, manifestum est quòd si multiplicatur, multiplicatur vt intelligentia quæ est substantia completa, & ratio de infinito & finito, ita verificatur in anima sicut in intelligentia.

Quantum ad doctrinam Ari. hæc conclusio non acceptatur nisi quo ad modum generalem, nõ autẽ quo ad modum proprium. Nam cum intelligentia sit completa substantia, multiplicatur sine habitudine ad corpus, & per gradus formales, vt diximus in quarta propositione, sed anima est actus receptibilis in materia, ideo multiplicatur per habitudinem ad materiam. Nam quilibet actus fit in propria materia ex secundo de anima, textu vigesimosexto. Ratio igitur multiplicatiua animæ est materia quæ est ipsum corpus, ex quo sequitur quod si corpora sunt diuersarum specierum, & animæ similiter, & si corpora sunt eiusdem speciei, & animæ similiter. Alio igitur modo multiplicatur intelligentia, & alio modo anima.

Secundum doctrinam Theologi, cum teneat animam intellectiuam esse formam dantem esse ei cuius est forma non est acceptanda nisi in sensu, quo acceptata est ab Aristotele.

Quantum ad tertium in quo intendit assignare differentias inter animas distinctas, aduerte quod secundum Auctorem omnis anima intellectiua, aut est coelestis, aut humana. Coelestes appellat superiores, humanas appellat inferiores, inter eas ponit tres differentias. Prima est ex perfectionibus suis intrinsecis. Secunda ex influentia qua influit vna super alteram. Tertia ex influentia qua influunt super propria corpora.

Quantum ad primam differentiam dicit, quod animæ superiores sunt completæ perfectæ, paucæ declinationis, & separationis, id est habent in se omnem perfectionem conuenientem animæ intellectiuæ, & præcipuè secundum actum intelligendi, quoniam in eo sunt paucæ declinationis, id est, mobilitatis, non enim est necesse quod venentur scientiam ex sensibilibus cum non habeant potentias sensitiuas, & sunt paucæ separationis, id est interruptionis quo ad actum intelligendi, nihil enim impedit quin semper, & actu intelligant, animæ vero inferiores sunt in complemento, & declinatione sub animabus superioribus, id est tendunt ad completam perfectionem intellectualem ex sensibus, & continuo exercitio, & ideo sunt in declinatione, id est in motu quo ad actum intelligendi propter tres operationes intellectus, scilicet simplicium apprehensionem, compositionem & diuisionem, & discursum.

Quantum ad secundam differentiam dicit, quòd animæ superiores influũt bonitates suas super inferiores, sed tu subintellige, & nõ econuerso, & huius ratio secundum Auctorẽ est, quoniã sicut se habent intelligẽtiæ superiores ad inferiores, ita se habent animæ superiores ad inferiores, sed vt dixit in quarta propositione intelligentiæ superiores influunt inferiores. Comparãtur enim ad inferiores sicut actus ad potentiã, ergo animæ superiores influũt in inferiores cõmunicãtes sibi bonitates, & perfectiones suas, sicut Sol cõmunicat lucẽ suã Lunę.

Quantum ad tertiam differentiam dicit, quod id quod est impressum ab anima superiori in corpore coeli est fixum, & stans, & motus eius est motus æqualis & continuus, id est anima coeli dat esse fixũ stans, id est incorruptibile, quia non vnitur materiæ subiectæ priuationi, nec per qualitates cõtrarias, & causat in coelo motum æquè velocem, & sine interruptione, quoniam non est ei labor nec lassitudo in mouendo, lassitudo enim prouenit ex organis alterabilibus qualia non sunt in coelo, cum sit inalterabile. Id autem quod est impressum ab anima inferiori in corpore humano est debile euanescens, & destructibile, veruntamen permanet impressio per generationem, id est anima humana dat homini esse debile corruptibile quod paulatim deficit, quoniam corpus hominis ex contrariis est, & anima ei vnitur per qualitates contrarias, ex consequenti, quoniam organa lassabilia sunt non mouet nisi motu irregulari, & interrupto. Tamen bonitate diuina licet esse hominis non permaneat idem numero, permanet idem successione per generationem.

Secundum doctrinam Procli sequentis viam Platonis tenentis coelum animatum, vt diximus suprá. Istæ tres differentiæ non acceptantur, & præcipuè prima, nec tertia: nam secundum Platonem in Phædro omnes animæ intellectiuæ siue superiores, siue inferiores creantur completæ, & perfectæ secundum habitus intellectuales, licet quæ vniuntur corpori terreno patiantur obliuionem, similiter non acceptatur tertia differentia, quoniã secundum Platonem non solum anima coeli, sed & anima humana nunquam deserit corpus cui primo, & per se vnitur, quod nõ est terrenum corruptibile, sed aëreum subtile incorruptibile, huic autem terreno vnitur quasi extraneæ, & est animæ vt carcer, secunda differẽtia aliqualiter acceptatur non solum quia animæ coelestes influunt in animabus humanis, sicut corpora coelestia in corpora inferiora, sed inter animas humanas, quędã sunt aliis excellẽtiores, quę animabus debilibus præbent viam rectè intelligendi, & viuendi.

Secundum doctrinam Ari. apud eos qui sentiunt eum tenuisse coelum verè animatum prima differentia acceptatur, cum enim anima coeli careat sensibus, & sit intellectiua oportet tenere eius intellectum completum, & perfectum esse quo ad actum primum, & semper actu intelligere, quoniam intellectu & voluntate mouet coelum motu continuo, ex duodecimo Metaphysicæ, textu trigesimosexto. Animæ vero inferiores imperfectæ sunt, quoniam ex tertio de anima, textu quinto. Intellectus humanus in sui principio est in mera potentia in genere intelligibilium, nec reducitur ad actum nisi paulatim, & per intellectum agentem quo est omnia facere, id est ex intelligibilibus in potentia facere intelligibilia actu, ex tertio de anima, textu decimooctauo. Apud illos autem qui sentiunt Arist. tenuisse coelum non esse animatum nisi æquiuocè sumendo intelligentiam pro anima, hæc prima differentia nõ habet locum, cum non dentur animæ superiores. Comparare autem intelligentiam humanæ animæ in ratione animæ, cum non sint vniuoca, comparatio impropria est ex septimo Physicor. ex consequenti licet intelligentia apud Aristotel. sit completa & perfecta, anima autem humana incompleta, & imperfecta, tamen hanc comparationem in ratione animæ non admitteret, sed in ratione substantiæ intellectualis, in qua & intelligentia, & anima humana conueniunt. Secunda autem differentia non acceptatur, quoniam siue sumatur anima coeli pro vera anima, siue pro intelligentia, negaret Aristote. eam agere, vel influere in anima humana inquantum intellectiua est, quoniam in tertio de anima, textu decimooctauo, tenet proprium & naturale actiuum eius esse intellectũ agentem qui est potentia animæ, cuius actio supponit phantasmata, & hæc supponunt naturam sensitiuam. Tertia differentia, sustinendo coelum esse verè animatum, acceptatur, quoniam vt sic dat coelo esse perpetuum quo dicitur diuinum, & immortale corpus, ex secundo coeli, textu tertio. Animam autem humanam clarè esse corruptibilem constat, quoniam vnitur materiæ cum dispositionibus alteratiuis. Sustinendo autem coelum non esse verè animatum non acceptatur, quoniam intelligentia cum sit perfecta in specie non dat esse coelo neque incorruptibile, neque corruptibile.

Secundum doctrinam Theologi, negantis coelum esse verè animatum, nulla harum differentiarum acceptanda est, quoniam omnis differentia est entium differentium differentia. Cum autem non detur anima coeli, non est entium differentium. Si autem sumatur anima coeli pro intelligentia, vt dictum est, comparatio erit nulla. Hæc igitur propositio quinta apud rectè sentientes non acceptatur, ideo dimittatur.

Propositio sexta.

Causa prima superior est omni narratione, & non deficiunt linguæ, &c.

Causa prima ineffabilis & incognoscibilis à quocũq; intellectu creato.

In hac propositione intendit Auctor declarare quomodo causa prima est inenarrabilis, & indicibilis ab intellectu creato, & maximè ab intellectu nostro, & causa huius est, quoniã prima causa est vincens omnem scientiam nostram. Igitur proponit hanc conclusionẽ causa prima non potest enarrari, ita quod deficiũt omnes linguæ à narratione eius. Quam quidam conclusionem intendit sic probare. Esse & substantia primæ causæ non potest narrari, id est explicari per propositionẽ affirmatiuam, ergo causa prima non potest enarrari. Antecedens probatur. Si substantia & esse potest narrari, aut per causas priores, aut per causas secundas, non primo modo, quoniã est supra omnem causam, ergo non habet causam priorem, non secundo modo, quoniã narratio eius per causas secundas deficiens, & diminuta est, nõ enim per ipsas enarratur, nisi quia illuminantur, id est participant perfectiones primæ causæ, & ipsa non illuminatur ab alio cum sit lumen purum, id est pura & simplex perfectio, sed per perfectiones participatas non sufficienter enarratur esse, & substãtia primæ causæ, quoniam cum sint limitatæ & singulares, non adæquatè repræsentant vniuersalem, & illimitatam, & simplicissimam perfectionem esse, & substantiæ primæ causæ. Secundo arguitur sic, prima causa est incognoscibilis, ergo est inenarrabilis, consequentia patet, quoniam sicut intelligimus sic enunciamus, sunt enim voces signa conceptuum. Antecedens autem probatur sic, quicquid cognoscitur aut cognoscitur per causam, aut per seipsum, aut per effectum, sed nullo horum modorum causa prima est cognoscibilis: nam si est cognoscibilis per causam, ergo ipsa est effectus, & vt sic habet causam priorem, ex consequenti non erit prima causa, nec erit purum lumen, nec purus actus, omnis enim effectus habet actum

admixtum potentiæ, nec est cognoscibilis per seipsum, omnis enim res quæ per seipsam cognoscitur, aut est sensibilis, aut imaginabilis, aut cogitabilis, siue opinabilis, aut intelligibilis, sed prima causa, cum sit omnino abstracta à materia, est supra omnia sensibilia, & imaginabilia, & cum sit immobilis est supra omnia cogitabilia, siue opinabilia, opinio enim est de his quæ aliter se habere possunt, & cum sit supra ens causatum non est intelligibilis ab intellectu nostro. nam obiectum intellectus nostri pro hoc statu est quidditas rei materialis, nec est intelligibilis per effectum, quoniam si per effectum, ergo per effectum maximè similem illi, hic autem est intelligentia, sed nec per hunc intelligibilis est. nam licet Deus sit naturæ intellectualis sicut intelligentia, tamen est excellentiori modo, & præterea nullus effectus ad æquat virtutem primæ causæ, ergo non est per ipsum intelligibilis, ex consequenti inenarrabilis, siue ineffabilis, & aduerte quòd Auctor intendit de perfecta cognitione, & enarratione, aliter vt patet ratio sua non concluderet, item licet apud omnem intellectum creatũ. prima causa sit incognoscibilis perfecte ex puris naturalibus, & inenarrabilis, tamen Auctor intendit de homine pro hoc statu, cuius signum est quòd facit hanc deductionem, narratio non fit nisi per loquelam, & loquela per intelligentiam, & intelligentia per cogitationem, & cogitatio per meditationem, & meditatio per seipsam, causa autem prima est super omnes has res, ergo est inenarrabilis. Manifestum est autem quòd hæc deductio non verificatur in Angelo, quoniã caret sensu: ergo cum dicit causam primam esse superiorem omni narratione intendit propriè de narratione humana, licet vt dixi verificetur respectu cuiuslibet intellectus creati.

Secundum doctrinam Procli eadem conclusio acceptatur: format enim in libro suo talem propositionem, omne ens ipsum quidem propter superfubstantialem vnionem indicibile est, & incognoscibile omnibus secundis, à principiãtibus autem capibile est, & cognoscibile propter quod solum primum penitus ignotum tanquam amathecum ens, id est omne per se ens, vt idea hominis, equi, leonis, est indicibile, & incognoscibile ab omnibus secundis, id est ab omnibus aliis substantiis separatis subsequentibus, sed à participantibus est cognoscibile, & capibile, puta ab hoc homine cognoscitur per se homo, quoniam secundum Platonem ideę sunt causa scientiæ nostræ, & generationis rerum singularũ sub specie, sicut etiam sibi attribuit Aristo. in 7. Metaphy. primum autem, id est prima causa est penitus ignotum quoniã est ens amathecum, id est nulli posterius, sed primum simpliciter, ex consequenti excedit omne ens secũdum quòd est ens productum, sed aduerte quòd Auctor format conclusionem solum de prima causa, & est verissima, quoniam cum ex sua illimitatione excedat improportionabiliter omnem intellectum creatum est per essentiam suam incognoscibilis, & ineffabilis. Proclus autem extendit conclusionem ad omnem formam idealem, quæ cum non sint illimitatæ, nec improductę non inconuenit ab intellectu creato perfectè cognosci & capi. quòd autem dicit primum esse penitus ignotum, intelligendum est quo ad essentialem cognitionem: quoniam nulla creata species, nec substantia est sufficienter repræsentatiua illius diuinæ illimitationis. Hanc autem illimitationem obtinet diuina substantia: quoniam vt inquit Proclus, nulli est posterior, à quo posit limitari.

Secundum doctrinam Aristo. conclusio acceptatur, dum modo applicetur primæ causæ: & intellectui humano coniuncto, sicut videtur Auctor applicare. nam si apud Aristo. in secundo Metaphysi. tex. 1. se habet intellectus noster ad notissima naturæ, id est ad substantias separatas, sicut oculus noctuę ad lumen solis, multo magis deficiet in cognitione: & narratione primæ causæ, quę est supremum intelligibile, supremum appetibile, & supremum bonum in natura ex 12. Metaphysic. tex. 51. Item si eleuatur intellectus noster ad separata per hæc sensibilia, manifestum est quòd pro hac vita nullum separatorum quidditatę siue cognoscere possumus, ex cõsequenti nec enarrare, ergo id longè amplius verificatur de prima causa.

Secundum doctrinam Theologi, determinantis primam causam penitus infinitam, & super excedentem infinitum quodcunque creatum: acceptatur hæc conclusio. Vnde Dionysius in primo capit. de Diui. no. inquit: Quem, scilicet Deum neque cogitare possibile est, neque dicere, neque totaliter aliquo modo contemplari, propter quod ab omnibus est segregatus, & superignotus, & super omnes cœlestes mentes incomprehensibili virtute est collocatus, &c. & infrà in eodem capitulo, inquit omnibus autem vniuersaliter est. incõprehensibilis, & neque sensus eius est, neque phantasia, id est imaginatio, neque opinio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque scientia, &c. Et tu intellige hæc omnia verificari, quo ad infinitam essentiam suam, & à priori, siue quo ad cognitionem essentialem, & quidditatiuam, quoniam ad illam non pertingimus, nisi diuina essentia vniatur intellectui vt forma intelligibilis quod non datur nisi lumen diuinum eleuetur gratiæ. Dionysius autem loquitur de virtute naturæ. Deinde autem gloriæ inquit in eodem capitulo. Tunc autem quidem incorruptibiles, & immortales erimus Christi formam, & beatissimum consequemur finem: semper cum Domino erimus visibili quidem ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimpleti, manifestissimis circa nos splendoribus refulgente, sicut circa discipulos in illa diuinissima transformatione, &c. Sed dices si de Deo non est nobis naturaliter nomen, neque sermo, neque scientia, quomodo de Deo verificantur nomina sibi attributa, & quomodo à nobis laudantur, & quomodo cœli enarrant gloriam eius.

Responsio secundum doctrinam Dionysij in eodem cap. per diuina nomina quæ nobis à sacra scriptura traduntur duo cognoscimus, scilicet communicationem diuersarũ bonitatum, & perfectionum in creaturis, & ipsum principium communicationis: verbi gratia, cum dicimus Deum viuentem cognoscimus communicationem vitæ in creaturis, & principium huius communicationis esse Deum, & hoc quidẽ principium non cognoscimus per diuina nomina sicut est perfectè & essentialiter. nam vt sic indicibile est, inenarrabile ex creaturis, & propterea concludit Dionysius, melior est omni sermone, & omni cognitione, & super mentem vniuersaliter, & super substantiam, id est super quodcunque existens creatum collocatur. Omnis igitur diuina laus, & gloria sibi data, siue ab Angelis, siue ab hominibus fundatur non super facialem visionem, sed super communicationem diuinarum perfectionum, & super negationem imperfectionum per quam vt possumus confuse circunloquimur intrinsecas Dei perfectiones: dixi non super facialem visionem, quoniam nunc loquimur de cognitione, & enarratione naturali quam posit intellectus creatus habere de Deo, sed hæc cognitio pene nulla est: similiter enarratio comparata illi diuinæ immensitati, patet igitur hanc sextam propositionem esse simpliciter veram.

Propositio septima.

INtelligentia est subtantia quæ non diuiditur, &c.

In hac propositione Auctor intendit manifestare essentiam intelligentiæ, & quoniam à nobis quidditatiue cognosci non potest, nec per propriam differentiam, ideo per negationes procedit, quibus circunloqui intendit eius subtilitatem perfectionem. Ponit igitur talem conclusionem, intelligentia est substantia quæ nõ diuiditur, id est, est subtstãtia indiuisibilis, & impartibilis, quod sit substantia pro manifesto habet quoniam cum sit producta, & finita in aliquo prædicamento locatur. Constat autem quòd non in prædicamento secundo accidentis, aliter accidens esset nobilior pars vniuersi, tenet enim intelligentia supremam dignitatem post primam causam, vt patet ex propositione secunda. Continetur igitur in prædicamento substantiæ: & in hoc differt à prima causa, quæ ex sua illimitatione nulli prædicamento astringitur. vnde non debet dici substantia, sed supersubstantia, sicut superesse, superuita, superbonitas, &c. Quod autem sit indiuisibilis, & impartibilis, probat dupliciter, primo à sufficienti diuisione, secundo à signo. Quantum ad primum sic arguit, Omne quod diuiditur, aut diuiditur, quia habet magnitudinem siue per se, vt linea vel superficies, siue per accidens, vt albedo extensa in superficie diuiditur ad diuisionem superficiei, aut quia est corpus, aut quia est sub motu, quoniam omne mobile est diuisibile, aut secundum multitudinem, & est illud quod in se continet multa quorum vnum est separabile ab altero, sicut animal continet sentire, vegetare, &c. Et potest amittere ipsum sentire, stante ipso vegetare, vt patet in dormiente, & in epileptico, &c. sed intelligentia nullo istorum modorum est diuisibilis, ergo, &c. Minor sic videtur probare. Omnis diuisio est in tempore, quoniam diuisio est progressus, siue motus ab vnitate ad multitudinẽ, cũ de ratione diuisionis sit pluralitas, sed omnis motus est in tempore. ergo omne diuisibile quando diuiditur mensuratur tempore, sed intelligentia quo ad substantiam est in æternitate, vt dictum est in secunda Propositione. ergo non est in tempore, imò est altior omni tempore.

Quantum ad secundum arguit sic, Quod redit ad essentiam suam, scilicet intelligendo seipsum: non habet magnitudinem, neque est corpus, ex consequenti non est in motu, omne enim mobile, quantum est, & sic est diuisibile secundũ magnitudinem, secundum corporeitatem, secũdum motum, sed intelligentia redit ad seipsam intelligendo essentiam suam: ergo, &c. Minor probabitur infrà. Maior autem sic probatur, Omne habens magnitudinem & corpus, habet partes, quarum vna distat ab alia secundum situm ergo non potest ad seipsum redire, siue super seipsum conuerti. ergo quod redit ad essentiã suam, scilicet intelligendo seipsum non habet magnitudinem, nec est corpus, nec est in motu, quod autem intelligentia indiuisibilis sit secundum multitudinem intrinsecam, id est quod licet in se contineat multas perfectiones, puta essentiam, cognitionem, desiderium, &c. tamen sunt abinuicem inseparabiles, ita quod non potest remoueri cognitio, & rema nere vita, vt sit in nobis, probatur sic, Intelligẽtia maximè propinquat vni, id est primæ cause quæ est maximè vna. ergo habet perfectiones maximè vnitas. ergo inseparabiles abinuicẽ. Prima consequentia probatur: nam ex eo quod propinquat vni, nobiliori modo habet in se perfectiones, sed nobilius est habere vnitas quàm separabiles, vnitas enim dignior est diuisione. Cuius signum est, quod in prima causa omnes perfectiones sunt vna simplex perfectio, & inseparabiles, sed prima conditio non potuit seruari in intelligentia: quoniam cum sit producta iam in ea cadit compositio: ergo conueniens fuit in ea seruari secundam propter propinquitatem ad primam causam. Manifestum est igitur intelligentiam nullam habere magnitudinem, neque corpus, neque motum corporeum, neque multitudinem perfectionum abinuicem separabilium, ex consequenti est subsistantia indiuisibilis, impartibilis, non subiecta tempori, sed æterna, vt ostendimus suprà.

Secundum doctrinam Procli eadem conclusio acceptatur: nam in libro suo hanc propositionem ponit. Omnis intelligens impartibilis est substantia, & sic probat. Omne partibile aut est partibile secundum magnitudinem, siue corporeitatem aut secundum operationes, aut secundum motum, aut secũdum multitudinem modo quo expositum est ad mentem Auctoris, sed intelligentia non est partibilis secundum corporeitatem, est enim incorporea: quoniam conuertitur intelligendo se super substantiam suam, quod repugnat omni corporeo propter extensionem partium, & vt magis declarabitur infrà, neque secundum operationes, quoniam inquit Proclus, Omnes operationes partibiles fiunt in tempore, si enim partiuntur vna fit post aliam: ex consequenti interuenit tempus, sed intelligentia est per omnia æternalis & secundum substantiam, & secundum operationem ad mentem Procli, vt dictum est in secunda propositione, neque secundum motum, quoniam partibile secundum motum variabile est. intelligentia autem est inuariabilis, & immobilis cum sit æternalis, neque secundum multitudinem intrinsecam, quoniam intelligentia impartibiliter habet multitudinem perfectionum ex propinquitate ad primum vnum: & primã causam. Et aduerte probationẽ Procli quo ad impartibilitatẽ multitudinis coincidere cum probatione adducta secũdum mentẽ Auctoris.

Secundum doctrinam Ari. hæc conclusio acceptatur: nam in duodecimo Metap. textu quadragesimoprimo, loquens de substantia intelligentiæ inquit. Verum sine parte indiuisibilis est. Et ratio quidem Ari. est, quoniam in duodecimo Met. textu trigesimo, probauit eam immaterialem, quoniam eius substantia est actus, cum semper actu moueat. Si immaterialis, ergo non quanta. Quantitas enim primo consequitur materiam. Si non quanta, ergo impartibilis quantitatiuè. Item in duodecimo Met. textu quadragesimoprimo, probat eam nullam magnitudinem habere: quoniam non magnitudinem infinitam, illa enim non datur, nec magnitudinem finitam, quoniam cum moueat tempore infinito, habet potentiam infinitam, quæ non potest esse in magnitudine finita, vt iam probauerat in octauo Phy. textu septuagesimooctauo, & septuagesimonono. Item in secundo Metap. textu trigesimoquinto. Probat quod est mouens immobilis, quoniam si est mobilis est in potentia, si in potentia, ergo substantia eius non est actus, si nõ est actus, ergo poterit nõ mouere, ex cõsequenti motus cœli, poterit esse non continuus perpetuus, quod Ari. pro inconueniente habet, est igitur immobilis, ergo impartibilis secũdum motum. Item in duodecimo Metap. textu quadragesimoprimo, probat eam inalterabilem, & impassibilem, ergo perfectiones suæ intrinsecæ inseparabiles sunt, ergo est indiuisibilis secundum multitudinem. Hæc igitur conclusio vera est secundum Aristote. & in se, licet fundamentum suæ probationis, scilicet motus æternus non acceptetur à Theologo, vt dicemus.

Secundum doctrinam Theologi hæc conclusio acceptatur, vnde Dionysius in quarto capitulo de Diui. no. inquit, primæ creaturæ, sicut incorporales, ita & immateriales intelliguntur, ergo sunt impartibiles, secundum magnitudinem, & corporeitatem, & signum quidem carentiæ materiæ, & magnitudinis sumitur à sua propria operatione: quæ est intelligere, hęc enim cum nullius sit organi corporei, signat intellectum esse immaterialem, & incorporeum, & cum non minus possit esse abstracta natura rei, quàm eius potentia actiua, quoniam originatur potentia à natura rei, sequitur substantiam intelligentiæ esse remotam ab omni materia, & magnitudine. Item intelligentia ex eo quod est immaterialis, est immobilis, motu Physico, omne enim mobile Physicum habet materiã, & est quantum vt etiam probat Philosophus in sexto Physic. Si immobilis: ergo non est diuisibilis, secundum motũ. Item omnes perfectiones impressæ à prima causa in intelligentia sunt connaturales, & veluti proprietates suæ, ergo sunt inseparabiles, ex cõsequenti est indiuisibilis quo ad multitudinẽ perfectionũ suarum, eo modo quo exposuimus etiã ad mẽtem Auctoris.

Tu tamen aduerte quod licet Theologus concordet cum auctore, & Proclo, & Arist. in conclusione, non tamen in probatione: nam vt diximus suprà, licet secundum substantiam mensuretur æternitate participata, non tamen quo ad operationes suas naturales: nam in intellectionibus, & volitionibus, & applicationibus suæ virtutis ad corpora mouenda, potest esse successio, & vt sic subiicitur tempori, dixi autem operationes naturales, vt secludam operationem beatificam, secundum quam mensurantur æternitate, patet ergo quod illa ratio Auctoris, & Procli fundata super hoc quod intelligentia est omnino æternalis non concludit. Item ratio Arist. fundata super motum æternum, non acceptatur cum ponat motum cœli, & tempus, & vniuersitatem creaturarum incœpisse secundum durationem, & de hoc loquemur diffusè in propositione vnde cima. Hæc de septima propositione dicta sint.

Propositio octaua.

OMnis intelligẽtia scit q̃ est supra se, & quod est sub se, &c.

In hac propositione intendit declarare modum quo intelligẽtia intelligit quod est supra se, id est causam primam, & quod est infra se, id est corporea, & materialia, & intendit hanc conclusionem, intelligentia scit quod est supra se inferiori modo quàm sit id quod est supra se, & scit quod est infra se altiori modo quàm sit illud in se: quam quidem conclusionem intendit sic probare: omnis sciens non scit rem meliorem, & inferiorem, & deteriorem, nisi secundum modum substantiæ ipsius scientis: & sui esse: & non secundum modum, secundum quem res sunt, sed substantia & esse intelligentiæ inferiora sunt, eo quod est supra se, id est prima causa, quoniam illa infinita est, hæc autem finita, ergo inferiori modo scit primam causam, quàm sit prima causa: nam est infinitè intelligibilis, & ab intellectu infinito comprehensibilis, & tamen ab intelligentia finitè intelligitur, nec à suo intellectu finitò comprehenditur, ergo imperfectiori modo cognoscitur ab intelligentia, quam sit prima causa in se: & substantia intelligentiæ, & suum esse, altiora & nobiliora sunt, quàm res corporeę: & sensibiles, quoniam actus sunt, & æternæ, & intellectuales ex toto, ergo altiori modo, & nobiliori sciuntur ab intelligentia, quam sint illa in se. Minor quidem huius rationis manifesta est: sed superest declarare maiorem. Vnde aduerte quod sciens non fit sciens actu, nisi inquantum actuatur forma rei cognitæ: quæ est cognoscendi principium, actuatur autem inquantum recipit eam, recipit autem secundum modum substantiæ suæ, quia vnumquodque recipitur per modum recipientis, puta si recipiens est nobile, receptum dato quod in se sit non nobile, recipitur nobiliter, & si recipiens sit ignobile, receptum autem in se nobile, recipitur ignobiliter, quoniam trahitur receptum ad naturam recipientis præcipuè in ratione cognoscendi propterea entia abstracta in nostro intellectu habent ignobilius esse, entia vero materialia habent esse nobilius, quoniam immateriale, quia igitur sciens, sit sciens: quia recipit formam rei cognitæ, & recipit secũdum modum suæ substantiæ, & non secundum modum substantiæ rei cognitæ verum est: quod omnis sciens non scit rem meliorem, nec deteriorem, nisi secundum modum substantiæ ipsius scientis, vnde in proposito ad mentem Auctoris, cum intelligentia comparetur ad primam causam vt causatum, & ad res materiales inferiores, vt causa: quoniam per motum cœli causat eas, sequitur quod cum causatũ sit inferius sua causa, sciet primam causam imperfectiori modo: quam sit in se: & sciet materialia perfectiori modo quam sit in se: nam & substantia sua est inferior prima causa: & est superior rebus materialibus.

Intelligentiæ inferiores intelligunt superiores & primã inferiori modo quàm sint in se, & inferiora altiori modo, & hoc ex parte cognoscentis.

Deus est intelligibilis quo ad essentiam suã à quoeũ que intellectu.

Tu tamen aduerte quòd hic loquitur Auctor de modo cognitionis ex parte cognoscentis, & non de modo ex parte rei cognitæ. nam ex parte cognoscentis verum est quod dicit scilicet, quòd cognoscit secundum modum substantiæ suæ, & non secundum modum quo res sunt, puta prima causa est infinitè in se intelligibilis: & tamen ab intelligentia intelligitur finitè, quoniam sua substantia, & sua intellectualitas sunt finitæ, ex parte autem rei cognitæ intelligit rem sicut est, aliter falsè intelligeret, puta licet intelligat primam causam finitè, tamen intelligit eam esse infinitè intelligibilem, & licet intelligat rem materialè immaterialiter, quia per speciè abstractà à cõditionibus materiæ, tamẽ intelligit eã habere esse materiale.

Secundum doctrinam Procli acceptatur eadem conclusio. nam in suo libro ponit hanc propositionem, omnis intellectus, scilicet separatus est intellectualiter, quæ ante ipsum, & quæ post ipsum, id est in suo intellectu sunt modo intelligibili, & superiora, & inferiora. nam sicut quæcunque sunt in sensu, sunt modo sensibili, & quæcunque sunt in materia modo materiali, sic quocunque sunt in intellectu, sunt modo intelligibili, & sicut quæcunque recipiuntur in sensu, recipiuntur secundum virtutem sensus, & quæ recipiuntur in materia, secundum dispositiones materiæ, ita omnia recepta in intellectu, recipiuntur secundum modum, & virtutem ipsius intellectus, igitur sicut lux solis debiliter recipitur in visu, quia excellentior est ipso visu, & lux lampadis perfectè quia visus perfectior est, sic superiora entia debiliter recipiuntur in intellectu separato, & inferiora perfectè, & altiori modo, quàm sint in se, & id totum fundatur super illud principium, cognitum dum cognoscitur proportionatur cognoscenti.

Secundum doctrinam Arist. acceptatur eadem conclusio. nam in tertio de anima, tex. 37. pro principio habet quòd intelligibile in actu, quod in intellectu creato, nõ est verum per identitatem, nisi quando intelligens intelligit seipsum. quando autem intelligit alia à se non est vera identicè, sed receptiuè vel informatiuè spiritualiter, vnde inquit illic Arist. lapis non est in anima, sed species lapidis, est igitur secundũ Arist. res intelligibilis ipse intellectus, quia recipitur in intellectu intelligibiliter, sed quod recipitur in aliquo modificatur in eo, quia recipitur secundum virtutem, & capacitatem siue habilitatem recipientis. ergo quãdo superius recipitur intelligibiliter in intelligẽtia, modificatur in ea, ergo inferiori modo, quàm sit in se, & quando inferius recipitur in ea, recipitur altiori modo, quam sit in se, ex quibus sequitur quòd dum intellectus recipit superius intellectus quidem fit dignior, sed superius quodammodo fit indignius, & quando recipit inferius est oppositò modo, vnde Aristo. in duodecimo Metaphy. inuestigans, in tex. 51. quid Deus intelligat dicit, quòd dignissimum, & honorabilissimum intelligit, id est seipsum, & non transmutatur. scilicet ad intelligendum aliud, indignius enim, quasi dicat, Cum omne extra Deum sit indignius Deo, si transmutaretur ad intelligendum aliud, intellectus eius vilesceret, quoniam scilicet reciperet indignius, propterea concludit seipsum, ergo intelligit, siquidem est potentissimũ, quomodo autem alia intelligat quòd eius intellectus non vilescit, non est opus nunc discutere.

Secundum doctrinam Theologi, eadem conclusio acceptatur, & ratio sua est quando intelligentia intelligit intellectione naturali, id quod est supra se, id est primam causam intelligit eam per sui substantiam, & per alia creata quæ in infinitum deficiunt à diuina perfectione repræsentanda, ergo non intelligit eam, sicut est in se intelligibilis, ergo intelligit eam imperfectiori modo, quàm sit in se intelligibilis, & non solum intellectione naturali, sed etiam beatifica, quoniam dato quòd prima causa efficiatur forma intelligentiæ, tamen non comprehenditur ab ea, quoniam inadæquatur sibi, cum sit limitata, quæ autem sunt infra intelligentiam vt corporea, & materialia intelligit altiori modo quàm sint in se, quoniã intelligit ea per sui substantiam quæ est nobilioris gradus, cũ sit immaterialis, & intellectualis, & intelligit ea per species congenitas, de quibus loquemur infrà, sufficientissime repræsentatiuas in specie. & in singulari. verum ergo est dicere intelligentiam intelligere quod est supra se inferiori, & imperfectiori modo, quàm sit illud in se, & intelligere quod est infra se altiori modo, quàm sit illud in se: & aduerte q; semper loquimur de modo cognitionis, ex parte cognoscentis. Hæc de octaua propositione dicta sint.

Propositio nona.

OMnis intelligentiæ fixio, & essentia eius est per breuitatem puram, quæ est causa prima.

In hac propositione intendit manifestare quid est supra intelligentiam, à quo dependet, & à quo habet esse perpetuum. & intendit hanc conclusionem, omnis intelligentiæ fixio, id est esse fixum, & indeficiens est à prima causa effectiue, quæ est pura bonitas, & hanc conclusionem probat dupliciter. Primo ex operatione intelligentiæ. Secundo ex conditione primæ causæ ibi, & quia causa quidem prima, &c.

Quantum ad primũ aduerte duo. Primo q; licet prima causa multas habeat actiones, scilicet immanentem, & transeuntem, tamen dicitur prima causa, quia mouet, conducit, dirigit, regit & dominatur omnibus, ideo nominatur Princeps Rex Dominus vniuersorũ. Secũdo licet intelligentia applicata cõlo habeat multas actiones, vtpote intelligẽs, desiderãs, moues, influens, &c. tamen hic consideratur ab Auctore vt influit in cœlo, & per motũ suũ influit in generabilibus, tã simplicibus, quã mixtis, & ordinat motus, & generationes, & permutationes inferiores, & regit, & disponit inferiora per tempora, & variationes temporum & retinet, & conseruat res inferiores modo eis conuenienti, & applicat causas particulares effectibus suis, vt ignem ad comburendum, arborem ad fructificandum, hominem ad generãdum, ita quòd cessante intelligentia à motu cœli, deperiret in mundo inferiori omnis naturalis actio, & ordo. & dispositio: propter quod sicut prima causa est vniuersalis princeps, & moderator totius entis, sic intelligentia mouens cœlum est domina, & regulatrix, & princeps mũdii inferioris, esse igitur dominatiuum, & gubernatiuum conuenit primo, & essentialiter primæ causæ, participatiue autẽ & modificate conuenit intelligentiæ. His suppositis sic arguitur ad conclusionem, quicunque participat propriam operationem alicuius, necesse est vt pendeat ab eo. nam quia Iana participat operationem solis, scilicet illuminare, necesse est vt esse luminosum insit sibi à sole, & si discipulus docet alium necesse est, vt recipiat doctrinam à docente, sed intelligentia participat propriam operationem primæ causæ, scilicet producere regere disponere continere entia non quidem absolute vt prima causa, sed modificate, vt diximus, ergo necesse est vt pendeat effectiue à prima causa quæ est bonitas pura, quæ autem sint contenta, & gubernata ab intelligentia, inquit Auctor, & intelligentia comprehendit generata, & naturam, & horizontem naturæ, scilicet animam, & per generata intendit vniuersitatem rerum generabilium, & corruptibilium: quos comprehendit, & continet, & disponit mediante motu cœlesti, & per natu ram intẽdit virtutes naturales, quæ sunt principium motus, & quietis in corporibus naturalibus, inter quæ cœlum est primum corpus naturale, & per horizontem naturæ, intendit animam cœli, quod secundum Auctorem est animatum, quam dixit supra esse in horizonte æternitatis, quoniam secundum esse est æterna, inquantum autem est principium motus cœli propinquat tempori. Hanc igitur dicit esse in horizonte naturæ, quoniam secundum naturam intellectualem se tenet cum intelligentia, secundum virtutem motiuam corporis se tenet cum formis naturalibus, dicit igitur Auctor, ideo intelligentia continet, & disponit genere rationem, quia est supra naturam, id est virtutem corporis cœlestis, & continet eam, & continet naturam, id est disponit virtutem cœlestem, quia est supra animam cœlestem, cum intelligentia sit substantia omnino abstracta, cum igitur sub intelligentia non sint nisi anima cœli & natura cœli & hæc inferiora generabilia, tam simplicia, quàm mixta, sequitur quod intelligentia continet, & regit omnes res, & id obtinet intelligentia, quoniam est effectus propinquissimus primæ causæ quæ supereminet intelligentiæ, & animæ cœli, & naturæ, & omnibus inferioribus, sicut vniuersalissimum causans, & regens, & disponens omnia, patet igitur à signo sumpto ex operatione intelligentiæ, quomodo pendet à prima causa, quæ est pura bonitas.

Secundo Auctor probat eandem conclusionem, ex eminentia primæ causæ. vnde nota quòd cum prima causa obtineat primatum, & summitatem omnium perfectionum, est enim primum esse, primum bonum, prima vita, prima essentia intellectualis, prima scientia, prima potentia motiua, productiua, principiatiua, sequitur ex illo principio acceptato apud quemcunque rectè sentientem, primum & maximũ in aliquo genere, est causa, & metrum omnium illius, q; prima causa sit creans omnes perfectiones inuentas extra ipsam, igitur cum sit supra intelligentiam, & animam, & naturam, sequitur quòd ab ea pendet esse omnis rei naturalis, & esse, & virtus animæ, & esse. & virtus & scientia, & potentia diuina, id est, regitiua intelligentiæ & ratio quidem propter quam prima causa supereminet omnibus, scilicet intelligentiæ, & animæ, & naturæ est, quoniam habent yliathim, id est alia quam compositionem materialem, vt naturalia quæ componuntur ex materia, & forma, vel per modum materiæ, vt anima, & intelligentia quæ componuntur ex esse, & essentia, & esse habet rationem actus, essentia autem rationem potentiæ, sed prima causa non habet yliathim, sed est summè simplex, & est tantum esse, id est purus actus.

Sed fortè dicet aliquis, si causa prima est tantum esse: ergo videtur esse communis essentia, quæ de omnibus prædicatur, quod tamẽ est falsum, quoniã Deus esset vniuersale esse, cui vt vniuersali non debetur aliqua operatio, agere enim est singulariũ, ex cõsequẽti Deus nõ produceret rem, sed aliud.

Respondetur negando consequentiam, dicitur enim Deus esse tantum, id est esse non limitatum, nec receptum in aliquo, sed infinitum in se continens omnem essendi gradum, quod seipso distinctum est à quocunque allo, & non per aliquod recipiens: nam abstracta seipsis sunt hæc, composita autem per materiam indiuiduantur, vnde sicut si dãretur albedo separata, seipsi esset hæc, albedo autem recepta, sic hæc per materiam, sic Deus seipso in se indiuisus est, & distinctus à quolibet alio, in his comprehenditur intentio Auctoris in hac nona propositione.

Tu tamen aduerte quod duo hic dicta ab Auctore non acceptantur vt diximus etiam supra, primo dictum de anima cœlinam non tenetur secundum veritatem cœlum esse proprie animatum, secundo dictum suum, cum dixit Deum crea re animam, & naturam, & reliquas res mediante intelligentia, id enim reprobauimus in propositione tertia.

Secundum doctrinam Procli acceptatur eadem conclusionem in libro suo super hanc propositionem ponit.

Omnium entium principium, & causa prima, bonum est, & accipit ly bonum, pro per se bono more Platonico, quod est purum, & per se subsistens bonum, & concordat cum Platone in Timæo, vbi inquirens rationem creandi mundum in Deo inquit. Dicamus igitur quam ob causam ille rerum Auctor generationem, & hoc vniuersum constituit bonus erat, bonus autem nulla vnquam aliqua de re inuidia tangitur, ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterant similia fieri voluit, hæc ibi, ratio autẽ Procli, secundum doctrinã Platonis est, quoniã quod est tale per essentiã, causa est eius quod est per participationẽ, sed Deus est bonus per essentiam, quoniam est à se bonus, ergo est causa intelligẽtiæ, & omnium entium quæ sunt bona per participationem, quoniam sunt inæqualiter, & limitatè, & pluraliter bona.

Secundum doctrinam Arist. eadem conclusio acceptatur: nam in secundo Metaphysi. textu quarto, dixit vnum quodque maximè ipsum, aliorum dicitur, scilicet causa secũdum quod est in aliis, puta ignis calidissimus, etenim est causa aliis hic caloris, ex hoc ergo principio deducitur ex doctrina sua, quod maximè ens, est causa omnis entis, & maximè bonum est causa omnis boni, cum igitur prima causa sit huiusmodi, ergo est causa, & intelligentiæ, & naturæ, & omnium entium, quod confirmat Comm. in secundo Metaph. comm. quarto, vbi inquit, omnia entia nõ acquirunt esse, & veritatem, nisi à prima causa, quæ est maximè ens, & alia sunt entia per ipsam, & Arist. in 12. Metaphys. tex. 52. inuestigans qualiter hoc vniuersum habet bonum, assignat duplex bonum, scilicet intrinsecum, quod dicit esse ordinem inter partes vniuersi, & extrinsecum, siue separatum, ad quod ordinantur omnia, sicut exercitus ad ducem, & hoc bonum concludit esse vnum, & vniuersalem Principem in vniuersitate entium. Ab hoc igitur bono, vt præposuerat in textu decimooctauo, vt à principio primo pendẽt cœlum, & natura, id est, superiora, & inferiora entia.

Secundum doctrinam Theologi eadem conclusio accepta tur. nam Dionysius in quarto capitulo, de Diui. nomi. ostendens excellentiam huius nominis bonum in Deo inquit, & quoniam eo quod est bonũ est substãtiale bonũ, ad omnia existentia extendit bonitatem, etenim sicut noster sol, non ratiocinans, aut præeligẽs, sed per ipsum esse illuminat omnia participare valentia lumine ipsius, ita quidẽ, & bonum omnibus existentibus proportionaliter immittit radios bonitatis, &c.

Deinde in particulari declarat quomodo ex primo bono subsistunt substantiæ intellectuales, & animæ, & irrationabilia, & corruptibilia, vsque ad materiam primam, & cœlestia corpora. Ratio autem Theologi ad conclusionem eadem est, cum ea quæ adducta fuit, secundum doctrinam Platonis, & Aristot. Hæc dicta sint de nona propositione.

Propositio decima.

OMnis intelligẽtia plena est formis, verũtamen ex intelligentiis sunt quæ continent formas plus vniuersales, &c.

In hac propositione intendit Auctor declarare quibus mediis intelligentiæ sciunt quæ sunt extra se præter causam primam. Dico autem quæ sunt extra se ad differentiam propriæ essentiæ, de cuius intellectione loquemur in propositione xiij. & dico præter causam primam, quoniam illa est maior omni narratione, & omni scientia creata, quo ad cognitionem perfectam, & essentialem, de qua hic intendit Auctor: in hac igitur propositione ponuntur duæ conclusiones ad mentem Auctoris.

Prima conclusio, omnis intelligentia plena est formis, id est, speciebus intelligibilibus congenitis per quas perfectè intelligit, quæ sunt extra se.

Secunda conclusio, omnis intelligentia quanto superior tanto per pauciores sed vniuersaliores formas intelligit, & quanto inferior, tanto per plures & minus vniuersales species intelligit.

Quantum ad primam cõclusionem: aduerte quòd Auctor non probat eam, sed vt manifestum ponit: quoniam principium intelligendi in intelligentia omnia alia creata: aut est sua propria essentia: aut species abstractæ à rebus, sicut abstrahit humanus intellectus: aut species impressæ sibi à prima causa in sui creatione: non propria essentia: quoniam cum sit limitata ad genus & certam speciem, non est sufficienter repræsentatiua omnium generum, & specierum in entibus, sed id est proprium diuinæ essentiæ, ex sui illimitatione, & ex continentia omnis gradus essendi, nec species abstractæ à rebus, illæ enim supponunt vim imaginatiuam, siue phãtasiam, & illustrationem phantasmatum ab intellectu agente quorum vtrunque Procul est ab intelligentia cum sit substantia mere intellectualis, ergo à sufficienti diuisione, necesse est ponere in ea species concreatas sufficienter repræsentatiuas rerum ab ea cognoscibilium.

Intelligentia non intelligit alia à se per essentiã propriam, nec per abstractionẽ, sed per species concreatas repræsentatiuas rerũ cognoscibilium à se.

In hac conclusione concordat Proclus qui in suo libro talem propositionem ponit, Omnis intellectus plenus est specierum, & ratio huius in via Platonica est, quoniam Plato ponebat formas abstractas, vt per se hominem, per se leonem, &c. Et sub his formis ponebat ordinem intellectuum separatorum: & hos intellectus actuari illis formis abstractis, vt intelligant, necesse est enim intellectum informari forma sui obiecti in esse intelligibili, sicut informatur sensus specie rei sensibilis, hæc autem informatio fit per impressionem specierum, ergo necesse est in intellectu separato fieri impressionem formarum abstractarum, quas Proclus hic vocat species.

Eandem conclusionem acceptaret Aristo. licet non habeamus eam expressam in doctrina sua, certum est enim quod in duodecimo Metaphysic. text. 36. ponit cœlum moueri à motore suo per intellectum, & desiderium, quo motu producit inferiora, secundum vnamquanque speciem, ergo intelligit cœlum motum, & inferiores naturas, ergo necesse est, vt in intellectu suo habeat esse spirituale rerum naturalium producibilium: est enim intelligentia, vt artifex in cuius intellectu sunt formæ artificiatorum, ita quòd sicut artificiata habent duplex esse, scilicet in materia, & in mente artificis, ita formæ rerum producibilium motu cœli, duplex habent esse, scilicet naturale in materia, & spirituale in intelligentia, & id confirmatur per Comment. qui in 12. Metaphysic. tex. 36. inquit, istæ enim formæ, scilicet rerum producibilium forte videntur habere duplex esse, scilicet esse in actu. quod habent in materia, & esse in potentia, scilicet actiua, quod habent in illa forma, scilicet intelligentia mouente, & dico potentiam, quemadmodum dicimus quòd formæ artificiales habent esse in actu in materia, & in potentia in anima artificis. Vnde hæ formæ videntur habere duplex esse, scilicet abstractum, & materiale, & hoc quidem est quod facientes formas volunt dicere, sed non peruenium ad ipsum. Hæc Cõm. & per facientes formas intendit Platonicos facientes ideas, patet igitur quòd ad mentem Aristo, & Commen. intelligentia est plena formis, sicut intellectus artificis potentis producere artificiata cuiuscunque generis.

Eandem conclusionem acceptant Theologi: præcipuè Dionysius, qui inquit in quarto capitulo, de Diui. nomi. intellectus supermundani intelligunt, & illuminantur, secundum existentium rationes, id est formas intelligibiles, & August. in secundo super Genesim, ad literam, tenet rerum rationes, id est rerum producibilium essentias prius productas fuisse in mente Angelica, quàm in materia. Ratio autem Theologi ad hoc, stat in conformitate inter naturam corporalem, & spiritalem, videmus enim materiam inferiorem non perfici: nec repleri forma quam habet. sed successiua receptione formarum fit in actu: materia verò superiorum penitus

penitus perficitur forma sua, nec est in potentia ad aliam, sic intellectus humanus non perficitur, nec completur aliqua specie intelligibili: sed in principio est in pura potẽtia in genere intelligibilium, & venatione sensuum, ac illustratione intellectus agentis, paulatim actuatur speciebus abstractis, intellectus autem intelligentiæ, quia omnino separatus est à rebus materialibus, recipit ex influxu primæ causæ in sui creatione, formas intelligibiles quibus intelligit quæ sunt extra se sicut & cœlum recipit formam, quia seruatur in esse perpetuo, & potest agere in inferioribus actione perpetua.

Intelligentiæ quanto superiores, tanto perpauciores sed vniuersaliores species intelligũt.

Quantum ad secundam conclusionem Auctor intendit talem propositionem, quod est propinquius maximè vni & perfectissimo enti est minus multiplex, & magis vnum, & vehementioris virtutis, quod autem est minus propinquum est opposito modo. quoniam minus accedit ad conformitatem illius primi: sed intelligentiæ superiores propinquiores sunt maximè vni, & perfectissimo enti cum sint altioris gradus in entibus, intelligentiæ autem inferiores minus propinquant, ergo intelligentiæ superiores sunt minus multiplices, & magis vnæ, intelligentiæ autem inferiores sunt opposito modo, ex consequenti intelligentiæ superiores, & in substantia, & in intellectũ, & in operatione minus multiplices sunt, & vehementioris virtutis: inferiores autem opposito modo, ita quòd formæ per quas superiores intelligunt sunt minus multiplicatæ, & magis perfectę, in inferioribus autem opposito modo. vnde adiuerte quòd accidit in intelligentiis, sicut in agentibus naturalibus. nam primum agens naturale, id est, cœlum: quia superius, & perfectius est. vna qualitate, id est, luce multipliciter influit, & operatur in inferioribus. nam illuminat, calefacit, exiccat, mollificat, generat. Agẽtia autem naturalia secundaria vt elementa, & elementata multis qualitatibus multiplicant actiones. nam ignis leuitate ascendit, calore calefacit, luce illuminat, &c. Sic est in intelligentiis inter quas superiores assimilantur primo agenti naturali: inferiores autem secundariis agentibus, & id totum prouenit ex maiori, & minori propinquitate ad purum vnum. Vnde concludit Auctor, quòd formæ intelligibiles, quæ veniunt ex intelligentiis primis, ex intelligentiis secundis sunt debilioris processionis, & vehemẽtioris separationis. id est, multiplicitatis, quoniã cum sint minus perfectę secundum substantiã non possunt eas recipere in illa vnitate, & vniuersalitate, secundũ quam recipiuntur in primis. vnde se habent inferiores intelligentiæ ad superiores, sicut discipulus ad doctorem, qui recipere non potest plurium conclusionum notitiam, nisi per distinctas, & ordinatas & dearticulatas propositiones à Doctore tradatur. Doctor autem virtute ingenij, & sufficiẽtia habitus scientifici ex vno principio deuenit in notitiam multarum cõclusionum, patet igitur, secundum Auctorem ratio propter quam intelligentiæ, quanto superiores, tanto per pauciores, sed vniuersaliores, scilicet in repræsentando plura, non solùm quo ad prædicata communia, sed etiam propria & specifica, species intelligunt, inferiores autem quanto inferiores, tanto per plures, & minus vniuersales species intelligunt.

Eadem conclusio acceptatur à Proclo. nam in libro suo talem propositionem format. omnis intellectus plenus est specierum. hic quidem vniuersaliorum, hic autem particularium. & ratio quidem ad mentem Procli est hæc virtus intellectiua, quanto est altior, tanto est vniuersalius medium per quod intelligit, & quanto inferior, tanto est particularius medium: & id quidem patet ex parte vtriusque extremi. nam quia diuinus intellectus altissimus est, ideo per vnicum medium vniuersalissimum in repræsentando intelligit omnia: & illud est essentia sua: intellectus autem humanus, quia infimus est, multiplicia, & particularia sunt media, quibus rerum naturas intelligit, intelligit enim vnamquanque naturam per propriam, & distinctam speciem, ergo intellectus intermedij, quanto magis propinquant diuino intellectui, tanto per vniuersaliores species intelligunt, & quanto magis distãt, ac propinquant intellectui humano, tanto per particulariores species intelligunt.

Eadem conclusio, supposita prima, accepta retur ab Aristo. nam in 12. Metaphys. textu 44. ponit excessum perfectionis, & dignitatis intelligentiarum, secundũ ordinem sphærarum, mobile, & motum, vt quia suprema sphæra est, primum intelligentia illic applicata est perfectior, deinde aliæ, secundum ordinem motuum, sicut igitur intelligentia à qua est primus motus est perfectior, secundum substantiam, & virtutem motuam: est etiam perfectior secundum virtutem, & operationem intellectualem, quoniã mouet intelligens, & desiderans ex duodecimo Metaphysi. text. 36. Si est perfectior, secundum intellectionem, ergo perfectiori specie intelligit, perfectior autem species est vniuersaliór, quoniam est principium cognoscendi plura intensiuè, & extensiuè: dummodo sit sufficienter repræsentatiua in genere, & in specie vt nunc supponimus de speciebus non abstractis à rebus, quales sunt in intelligentia, igitur intelligentia quanto superior, tanto per vniuersaliores; & quanto inferior, tanto per particulariores intelligit, quoniam quanto superior, tanto vigorosior, & quanto inferior, tanto minus vigorosa in mouendo, & intelligendo idem confirmatur de intentione Comment. qui in 12. Metaphys. Commen. 44. assimilat intelligentias motrices artificibus sibi mutuo deseruientibus in vno artificio, in quo necessarij sunt multi artifices subordinati, qui tamen omnes ordinantur ad vnum supremum, & dat exemplum de arte equitandi, cui deseruit ars faciendi fræna, & multæ aliæ artes, in quibus artibus sic disponuntur artifices, quòd quanto magis propinquant primo artifici, habent maiorem intelligentiam, & vniuersaliorem, quanto autem magis distant habent minorem, & particulariorem, sic est intelligendum inquit Comment. de istis corporibus, scilicet cœlestibus cum suis formis, scilicet intelligentiis à quibus mouentur: & de istis formis adinuicem, multum enim assimilantur artificiis, quæ seruiũt sibi adinuicem, & quæ intelligunt adinuicem: sed differentia inter ista, & artificialia est quòd formæ artificij mouentes artifices sunt in materia, istæ autem non: quasi dicat, sed sunt in intelligentia intelligibiliter, patet igitur ad mentem Arist. & Comment. intelligentias superiores habere intellectiones vniuersaliores ex consequenti formas vniuersaliores, inferiores autem opposito modo.

Eadem conclusio acceptatur à Theologo. nam Dionysius in duodecimo capite, de cœlest. hierarchia, inquit, sanctorũ Cherubin ordo participat sapientiam, & scientiam altiorem, id est, vniuersaliorem, sub ipsis autem essentiarum dispositiones, id est, ordines spirituum dispositi sub Cherubin, participant quidem & ipsi sapientiam, & scientiam particularem, tamen ad illos, & subiectam. ratio vero Theologi ad hanc conclusionem est hæc, in vniuersitate entium, tanto aliqua sunt superiora, quanto sunt vni primo, id est, Deo propinquiora, & similiora. Deus autem plenissimè intelligit omnia per vnum vniuersalissimum medium, quod est essentia sua: ergo inter substantias intellectuales, quæ sunt superiores, ex consequenti similiores Deo, & propinquiores Deo, licet non habeant sufficientiam cognitionis per suam propriam essentiam, intelligunt tamen per pauciores, sed vniuersaliores species, & quæ sunt inferiores, ex consequenti minus similes, & propinquæ Deo, intelligunt per plures, & minus vniuersales species. Alqui autem Theologi sumunt rationem à similitudine communicationis luminis corporalis. nam sicut à sole vt à fonte totius luminis, maius lumen procedit ad lunam, quam ad aërem, & ad aërẽ, quàm ad corpora colorata, sic à primo lumine intellectuali, quod est Deus, procedit maior, & vniuersalior cognitio in primis intelligentiis, quàm in secundis, & maior ac vniuersalior in secundis, quàm in vltimis, & maior ac vniuersalior in vltimis, quàm in intellectu humano, & maior in intellectu humano, quàm in sensu. Hæc de propositione decima dicta sint.

Propositio vndecima.

OMnis intelligentia intelligit res sempiternas quæ non destruuntur neque cadunt sub tempore, &c.

In hac propositione Auctor intendit declarare. quid intelligendo causet intelligentia, & quoniam omne causatum, aut est incorruptibile, aut corruptibile: ponit hanc conclusionem, omnis intelligentia intelligit, id est, intelligendo causat res sempiternas, quæ non destruuntur, vt cœlum, & intelligentia, & anima intellectiua, neque cadunt sub tempore, & hoc dicit propter motum cœli, qui licet sit sempiternus, secundum Philosophos, tamen mensuratur tempore. & hic motus, secundum Auctorem non causatur immediatè à intelligentia, sed ab anima cœli, vt diximus in tertia propositione, quam ponit distinctam ab intelligentia. Hanc autem conclusionem, sic probare intendit, intelligẽtia producit effectus suos, secundum suum esse, quia vnumquodque producit sibi simile. ergo quale est suum esse, tales erunt eius effectus. sed esse suum est sempiternum, & incorruptibile, & non cadit sub tempore, sed participatur æternitati, vt dictũ est in propositione secunda. ergo eius effectus sunt res sempiternæ, quæ non destruuntur, nec cadunt sub tempore. Ex hac conclusione ponit Auctor corollarium. ergo res destructibiles, vt elementa, & elementata non sunt immediatè ab intelligentia æterna, sed ex causa corporea quale est cœlum, mediante motu vel

vel temporali, qualis est anima cœli mouens cœlum, quæ licet secundum substantiam sit æterna, tamen inquantum est causa temporis est temporalis. Hæc est intentio Auctoris in præsenti propositione, quæ quantam veritatem contineat, manifestabitur in positione Theologi.

Hanc conclusionem videtur acceptare Proclus: nam in libro suo ponit duas propositiones, quarum sensum Auctor in via perstrinxit. Prima est omnis intellectus, scilicet separatus perpetuorum est proxime, & intransmutabilium secundum substantiam substitutorum, id est omnis intelligentia proxime, & immediatè intelligit entia perpetua, & immutabilia secundum substantiam sub se constituta. Secunda est, omnis intellectus intelligendo instituit quæ post ipsum, id est omnis intelligẽtia intelligendo producit entia sequentia post ipsam: causam tamen rationis, scilicet æterna, & incorruptibilia, & ratio Procli identificatur rationi Auctoris, scilicet quia intelligendo esse suum producit effectum, intelligit autem esse suum æternum, & indestructibile: ergo producit effectum æternum, & indestructibilem.

Deus omnia produxit tam tẽporalia quàm sempiterna.

Tutamen aduerte quod licet Proclus sit Platonicus, tamen in doctrina Platonis non admittitur hæc conclusio vniuersaliter, sed tantum in prima causa: nam in Timæo post quam Plato docuit cœlos, & motores eorum, quos vocat Deos condito à Deo æternos, & immortales intendens declarare quomodo hæc inferiora animantia producta sunt inter quæ vel ut Princeps est homo, dicit Deum commisisse hanc productionem Diis immortalibus ne si fierent hæc animãtia à Deo essent immortalia sicut ipsi Dij, & quoniam anima humana est immortalis dicit Plato Deum commisisse Diis formationem corporum corruptibilium, ipse autem gignit animam, quoniam apud Platonem est hoc velut principium quicquid à Deo sine media causa producitur incorruptibile, & immortale est. Vnde in Timæo introducit Deum dicentem, quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt, & iterũ. Hæc verò, scilicet animantia inferiora si à me solo, id est sine causa media fiant: vitáq; donentur, Diis adæquabuntur, id est erunt æterna, & immortalia sicut Dij, igitur ad mentem Platonis tenendum est quod solus Deus intelligendo producit res sempiternas, & incorruptibiles, quoniam esse suum est simpliciter, & ex se æternum, cæteræ autem intelligentiæ, cum non sint ex se æternæ, & immortales, sed quoniam à Deo immediatè productę sunt, possunt producere corruptibilia compositione partium elementarium adinuicem. Vnde loquens in Timæo de formatione corporis humani facta à Diis inquit, iaque accepto ab illo, scilicet à Deo mortalis animantis, id est hominis immortalis principio, id est animæ, sui effectorem imitati, scilicet Dij ignis, aëris, aquæ, terræ particulas quas rursus redderent mundo mutuabantur, easque inter se copulabant, &c. Constat ergo quod via Platonica, nec conclusio, nec corollarium acceptandum est.

Secundum doctinam Arist. conclusio non est acceptanda, quoniam æterna incorruptibilia non procedunt in esse ex transmutatione materiæ, sed virtute creatiua, quæ est solius causæ infinitæ, vnde intelligẽtiæ ex suo intelligere, nullius sunt causæ nisi mediante motu cœli, propter quod opinatus est Arist. in 12. Metaphysic. textu 48. nullam substantiam impassibilem quales sunt intelligentię esse fortitam optimum finem, id est, habere vltimam perfectionem nisi ex motu. & Comment. in 12. Metaphysic. comment. 48. inquit, nulla substantia abstracta est quæ non moueat, quia tunc inueniretur in dispositione diminuta, id est, non in optima, & debita perfectione, & breuiter apud Arist. nisi mouerent cœlestia corpora essent ociosę, ex consequenti nullum esset ab eis causatum exterius: neque æternum, neque generabile, propter quòd dicendũ est ad mentem Aristot. quòd intelligentiæ excepta prima causa nihil producunt æternum, sed producunt generabilia, & corruptibilia non per seipsa, sed per causam corpoream, id est, per motum cœlestem: ferma enim abstracta per se nihil imprimit in materia, sed necesse est accedere agens mediũ corporeum, sic diceret Aristot. & eius Comment. verum quid veritatis contineat doctrina Aristot. & Comment. declarabitur immediatè sequentibus.

Secundum doctrinam Theologi, quo ad primam, & vniuersalem rerum productionem, nec conclusio nec corollarium acceptandum est, processerunt enim omnia à prima causa, quoniam per creationem extra sacram doctrinã prodierunt in esse. Quantum autem ad successiuam generationem inferiorum: & conseruationem tenendum est corollarium quòd, scilicet generabilia producuntur per causam corpoream, id est per cœlum motum ab intelligentia, ita quòd intelligentia est, sicut artifex, cœlum autem est instrumentum, & in hoc acceptamus dictum Commen. in 12. Metaph. commẽ. 44. vbi inquit, dispositio corporũ cœlestium, id est, motorũ cœlestiũ, simul cum mobilibus suis in iuuamento adinuicẽ in creando entia quæ sunt hic, id est, in causando inferiora, & conseruando ea, est sicut dispositio regentiũ bonorum, qui se iuuant adinuicem in regendo bonam ciuitatẽ, &c. Nec valet ratio adducta ab Auctore quæ etiam est Procli, licet enim intelligẽtia habeat esse æternum saltẽ postquam producta est, & intelligat se habere esse æternũ, & intelligendo operetur, quia est sicut artifex agens per intellectũ, non tamẽ est necesse quòd producat talem effectum, qualis est ipsa, quoniam distinctio est inter agens naturale, & agens per intellectum in hoc quòd agens naturale agit talem effectum qualẽ potest, & quãdo potest, agens autem per intellectũ, non agit iuxta posse, sed sicut decet, & sicut vult, & quando vult, non enim medicus dat tantum medicinæ infirmo quantũ potest, nec semper, sed quantum & quando expedit, cum igitur intelligẽtia agat per intellectum, non est necesse quòd agat effectũ quale est esse suum, sed vt apprehendit esse decens in vniuerso, & quando expedit, & aduerte quòd si hæc ratio Auctoris concluderet, Deus necessario produxit omnia ab æterno, & omnia perfectissima, quoniam esse diuinum est æternum, & perfectissimum.

Item aduerte quòd licet Theologus admittat hæc inferiora produci ab intelligentia per motum cœli, vt etiam tenet Arist. tamen non admittit fundamentum Arist. quo opinatus est intelligentias fore ociosas, nisi mouerent cœlos, & non sortiri vltimam perfectionem, nisi ex motu. nam cum sint altioris ordinis, & excellentioris naturæ, quàm corporea, non inconuenit quòd dentur aliquæ intelligentiæ non proportionatæ motibus cœlestibus, sed nobilioribus officiis dedicatæ, vt assistere primæ causæ, nec etiam intelligentiæ applicatæ cœlestibus corporibus sortiuntur vltimam perfectionem ex motu, sed contẽplatione primæ causæ. Nam secundũ Arist. in 10. Ethic. vltima perfectio naturæ intellectualis stat in actione immanenti, quæ est actio intellectus circa diuina. Manifestum est igitur ex prædictis qualiter non est acceptanda hæc vndecima propositio, licet acceptandum sit corollarium modo exposito, & hæc de vndecima propositione dicta sint.

Propositio duodecima.

PRimorum omnium quædam sunt in quibusdam per modum quo licet, id est, conueniens est vt sit vnum eorum in alio, &c.

In hac propositione Auctor intendit declarare quomodo intelligentiæ, tam superiores, quàm inferiores se inuicem intelligunt, & quoniam res intelligibilis intelligitur inquantum est in intelligente, aut per essentiam suam, aut per formam intelligibilem, aut per suum simile, aut per suum oppositum, ideo Auctor proponit hanc propositionem, vt principium primorum omniũ, &c. Id est entia prima quales sunt intelligentiæ, ita se habent quòd vnum est in alio, secundum quòd conuenit ipsum in esse, & hoc principium declarat per vniuersalia, & prima prædicata, quæ sunt esse, viuere, intelligere, inter quæ vniuersalius est esse, quæcunque enim viuunt, & intelligunt sunt, sed non econuerso, post esse vniuersalius, est viuere, quæcunque enim intelligunt viuunt, sed non econuerso, dicit ergo Auctor, quòd in esse sunt vita & intelligẽtia, id est gradus viuendi & intelligendi, & in vita sunt esse & intelligentia, & in intelligentia sunt esse & vita, & licet Auctor non declaret diuersitatem essendi, tamen considera, quod alio modo in esse, sunt vita & intelligentia, quoniam sunt potentialiter, & in vniuersali radice, sicut homo, & leo, sunt in altero potentialiter vt in suo genere, & in vita sunt esse, & intelligentia, sed est in vita formaliter, quoniam vita in sua ratione formali includit esse, & intelligentia est in vita, vt in sua communi radice. nam quæcunque viuunt quædã cognoscentia sunt, quædam non, & inter cognoscentia quædam intelligunt, quædam non, vt bruta, & in intelligẽtia sunt esse, & vita formaliter, quæcũque enim intelligunt formaliter viuunt, & sunt. patet ergo quòd prima prædicata sunt in seinuicem non eodem modo, sed vnum quodque est in alio modo sibi conuenienti, sic in proposito cum intelligentiæ obtineant primum gradum in entibus creatis superior est in inferiori, & econuerso, modo sibi conuenienti, qui autem sint isti modi apud Auctorem difficile est videre propter obscuritatem verborum quæ forte vitiata sunt ex defectu translationum, & si non sunt vitiata continent manifestam falsitatem, quo ad duo. Primò cum dicit, esse & vita in intelligentia sunt duas intelligentiæ, & esse, & intelligẽtia in vita sunt duæ vitæ, & vita & intelligentia in esse sunt duo esse: nam si intendit distinctio

stinctionem realem cum dicit duæ intelligentiæ, duæ vitæ, duo esse, non potest sustineri, quoniã sequeretur quod intelligentia quæ vere habet esse, & viuere, & intelligere non esset vnum per se, quoniam ex pluribus entibus in actu distinctis realiter non fit vnum per se, sed vnum aggregatione, si autem intendit distinctionem formalem, potest admitti, quoniam alia est ratio esse, & vitæ, & intelligentiæ. Secundo cum dicit, quia vnumquodque primorum vel principiorum, aut est causa, aut causatum, &c. In hoc videtur innuere quod intelligentiæ comparatę adinuicem se habent, vt causa & causatum, ita quod intelligentia superior est causa inferioris, ex cõsequenti est in inferiori, vt causa in effectu, & intelligitur ab inferiori, vt causa eius, & intelligentia inferior est in superiori, vt effectus in sua causa, ex consequenti intelligitur à superiori vt effectus eius, sicut artifex intelligit artificiatum, & hanc doctrinam de causa & causato inter intelligẽtias Auctor tenuit in propositione 3. & in quinta, & reprobauimus eũ, quoniam in hoc videtur sequi viam Auicen. vt illic diximus in lib. 9. suæ Metaphy. cap. 4. non ergo vere dici potest intelligentias se mutuo intelligere, quia vna est in alia, secundum modũ causæ, vel causati, sed secundũ alium modum quem dicemus ad mẽtem Theo. vnde in hoc relinquimus Auctorem vt deficientem.

Secundum doctrinam Procli acceptatur eadem propositio. nam in libro suo ponit consimilem in sententia, inquit enim omnia in omnibus, proprie autem in vnoquoque, idest omnia prima, sicut esse, vita, intellectus sunt in omnibus primis, sed vnumquodque est in alio proprie, idest secũdum modum conuenientem, & exponens inquit, etenim in ente vita, & intellectus, & in vita esse, & intelligere, & in intelligere esse, & vita, declarans autem modum conuenientem, quo vnum est in alio inquit, sed alicubi quidem intellectualiter, alicubi autem vitaliter, alicubi vero per modum entis, & intendit quod vita, & intellectus sunt in esse essentialiter, sunt enim quidam modi essendi, & in vita sunt esse, & intellectus vitaliter, & in intellectu sunt esse, & vita intellectualiter. nam esse intellectus est esse intellectuum, & vita intellectus est ipsa intellectio, vita enim proprie signat operationem propriam viuentis, patet igitur quomodo secundum Proclum vnum quodque primorum abstractorum est in alio, secundum modum conuenientem, prima autem abstracta, & substantia per se, sunt esse, vita, & intellectus secundum viam Platonis, sunt enim prima, & vniuersalia prædicata, inter quæ magis vniuersale est esse, deinde vita vt minus vniuersale, & deinde intellectus vt adhuc minus vniuersale, verum quomodo in doctrina Procli ex his dictis vna intelligentia sit in alia, ex consequenti vna sit intelligens aliam, elici non potest, ideo videndum est quid diceret Aristo. Deinde quid Theologus.

In intelligẽtijs quo modo vna aliam intelligat.

Secundum doctrinam Aristoteles, tenendum est quod intelligentiæ seinuicem intelligunt. nam dictum est in propositione decima, de mente Aristotel. & Commen. quod intelligentiæ cognoscunt hæc inferiora quæ producunt per motum cœli, quoniam sunt vt artifices in quorum intellectibus, sunt formæ secundum esse spirituale suorum artificiatorum, ergo multo magis cognoscunt se mutuo. Maior enim est similitudo inter intelligentiam, & intelligentiam, quàm inter intelligentiam, & hęc materialia, de modo autem quo vna intelligit aliam, non est clarum in doctrina sua. nam aliqui volunt ad mentem Aristo. quod vna intelligat aliam per substantiam ipsius intelligentis tanquam per simile substantiæ ipsius intellectæ, puta quoniam substantia intelligentiæ Saturni similis est substantiæ intelligentiæ Iouis, per suam substantiam intelligit intelligentiam Iouis, sed id non videtur consonum. Nam cum omnes differant specie ex doctrina Aristo. in duodecimo Metaphysi. tex. 49. vbi inquit, Quæcunque sunt numero multa & habent materiam, non est similitudo inter eas nisi secundum genus, ergo mutua cognitio erit tantum in genere, ex consequenti confusa, & imperfecta. Alij autem volunt vnam ab alia cognosci per substantiam cognitæ. Arbitrantur enim quod substãtia intelligentiæ cognoscendæ vniatur intellectui intelligentiæ cognoscentis, vt forma, siue species intelligibilis eo modo quo dixit Commen. in tertio de anima intellectum agentem quem ponebat substantiam separatam intelligi ab intellectu possibili quando intellectus agens vnitur ei non solum vt efficiens, sed vt forma intelligibilis, sed nec id potest haberi ex doctrina Aristo. Nam secundum ipsum manu ducimur in cognitionem separatorum quomodo intelligant, ex his quæ videmus fieri in intellectu humano, siue in anima intellectiua. Dixit autem in tertio de anima, tex. 37. Quod anima est quodammodo omnia, quoniam est sensibilia secundum sensum, & intelligibilia secundum intellectum, & in tex. 38. declarans dictum suum inquit, necesse est autem aut ipsa esse, aut species, idest necesse est quod anima sit omnia, quia omnia habet in se realiter, aut quia est receptiua specierum repræsentantium naturas sensibiles, vel intelligibiles, & interimens primum inquit, ipsa quidem non sunt, non enim lapis in anima est, sed species lapidis, igitur proportionaliter intelligentia non est in alia intelligentia, sed species repræsentatiua intelligentiæ, vnde videtur dicendum quod si in intelligentia sunt formæ rerum materialium, quas producunt per motum, vt diximus in decima propositione, multomagis sunt formæ intelligibiles intelligẽtiarum per quas vnaquæque est alia secundum esse intelligibile, eo modo quo dixit Aristo. quod *sensus in actu est* sensibile in actu, & sensus in potentia est sensibile in potentia, & intellectus in actu est intelligibile in actu, & intellectus in potentia est intelligibile in potentia, sic videtur tenendum ad mentem Arist. quantum spectat ad hanc duodecimam propositionem.

Secundum doctrinam Theologi tenendum est intelligentias se mutuo intelligere cum sint substantiæ immateriales, ex consequenti intelligibiles actu, & sint eiusdem ordinis, quoniam omnes sunt entia abstracta, ex consequenti adinuicem proportionata: nam ratio propter quam anima coniuncta non intelligit abstracta quidditatiuè est, quoniã vt exilis forma corporis, sapit naturam materialium, licet quo ad esse non pẽdeat à materia, & ideo vt sic improportionata est substantiis abstractis, cum igitur hęc ratio cesset in intelligentiis, sequitur quod mutuo, & quidditatiuè se intelligant. De modo autem dicendũ quod non se intelligunt, quia vna sit causa alterius, quoniã id non admittit Theologus, & diuus Thomas in sua prima parte, quæst. 55. articulo secũdo, ad secundũ, vbi introduxerat Auctorẽ libri de causis, nõ admittit eum in huiusmodi causalitate, nec se mutuo intelligunt per proprias substantias rationibus, quas adduximus ad mentẽ Aristo. quas & Theologus admittit, sed per species cõgenitas impressas diuino lumine in intellectu cuiustibet intelligentiæ. nam si intelligentia est plena formis repræsentatiuis naturarum corruptibilium quas producit motu cœli, multo magis est plena formis repræsentatiuis substantiarum immaterialium, quoniã inter eas maior, & quasi sine proportione est similitudo, & hæc suit doctrina diui Augustini qui super Genesim ad literam innuit duplicem mũdum, scilicet intelligibilem, & hic est intellectus separatus, siue Angelicus in quo à diuino verbo, vt *prima arte* impressę, sunt omnes rerum species modo intelligibilis, sicut in oculo impressę fuissent omnes colorum species secundum esse intentionale: & mũdum rẽalem, in quo producte sunt secundum esse naturale, omnes rerum spiritalium, & corporalium naturæ, quibꝰ integratur vniuersum, & quæ in intellectu separato intelligibiliter depictæ fuerant sicut in corpore cœlesti seminaliter inditæ fuerunt omnes materiales formæ, tu tamen aduerte quod species repræsentatiuæ intelligentiarum inferiorum impressæ sunt in intelligentiis superioribus excellentiori modo, & species repræsentatiuę intelligentiarũ superiorum impressæ sunt in intelligentiis inferioribus deficientiori modo, quoniam vt diximus suprà, vnumquodque receptũ proportionatur recipienti, & est simile de conceptu discipuli, qui nobiliori modo recipitur in intellectu doctoris, & conceptus doctoris defectuosè, & obscurè recipitur in intellectu discipuli. Hæc de propositione duodecima dicta sint.

Propositio decimatertia.

OMnis intelligentia intelligit essentiam suam, &c.

In hac propositione intendit Auctor declarare quomodo *intelligentia intelligit seipsam*, & se intelligens intelligit alias res, & intelligens alias res intelligit se. Intendit igitur tres conclusiones quarum prima est, Omnis intelligentia intelligit essentiam suam.

Secunda, dum intelligit essentiã suam, intelligit alias res.

Tertia, dum intelligit alias res intelligit seipsam.

Quantum ad primam conclusionẽ, aduerte quòd substantia separata, ratione immaterialitatis intellectiua est, & est in intelligibilis actu. Nam naturæ corporales, ideo sunt intelligibiles in potentia quia materiales, & non fiunt intelligibiles in actu, nisi per abstractionem à cõditionibus materialibus vnitute intellectus agentis: ergo naturæ ex se immateriales non indigent fieri intelligibiles actu: sed sunt ex se intelligibiles actu. Tunc vltra: ergo ab illo intellectu intelliguntur, cui sunt vnitissimę. Maximè autem vniuntur proprio intellectui quoniam in eadem substantia cõueniunt: ergo seipsas non solum intelligunt: sed & primo, & perfectissimè; quoniam sua essentia est suum connaturale, & proportionatum obiectũ ad intelligendum

intelligunt in quantum vniuntur sibi per species intelligibiles impressas, & hanc rationem innuit Auctor cum dicit, Quod est cum intelligens & intellectum sint simul: quasi dicat, ideo intelligentia intelligit essentiam suam: quoniam eadem substantia est intelligens, & intelligibilis actu: ergo est intellecta à seipsa: & subdit, Cùm ergo intelligentia est intelligens, aut intellectum: scilicet à seipsa: tunc videt essentiam suam: & quando videt essentiam suam scit: & intelligit, id est cognoscit se per intelligentiam: id est per actum intelligendi, &c.

Quantum ad secundam conclusionem aduerte, quod in essentia intelligentiæ, vt diximus in propositione decima, & in propositione præcedenti, depictæ sunt formæ intelligibiles repræsentatiuæ rerum immaterialium, & corporearum, sicut imagines in speculo, sicut igitur si speculum videret seipsum, videret omnia repræsentata in eo, quia sunt simul cum eo, nõ secundum esse reale, sed secundum esse repræsentatiuum, sic quoniam intelligentia intelligit seipsam, cui sunt vnitæ aliæ res per modum intelligibilem, & non secundum esse reale, dum intelligit essentiam suam, intelligit alias res repræsentatas in ea per species impressas, & id intendit cum dicit, & quando scit essentiam suam scit reliquas res quæ sunt sub ea, quoniam sunt ex ea, & declarans quod non sunt in ea secundum esse reale, sed intelligibiliter inquit, verumtamen sunt in ea per modum intelligibilem, quia scilicet per species intelligibiles per quas intelligentia, & res intellectæ sunt vnum.

Quantum ad tertiam conclusionem, aduerte quod sicut videns res in speculo videt speculum, vt pote contentium imaginum per quas videtur imaginata, sic intelligentia intelligens alias res per species impressas in essentia sua intelligit essentiam suam, vtpote contentium huiusmodi specierum, ex quibus omnibus sequitur, quod intelligentia eodem actu intelligit se, & alias res, & quoties intelligit alias res, intelligit essentiam suam, sicut eodem actu videtur speculum, & res in speculo, & econuerso.

Secundum doctrinam Procli eadem propositio acceptatur nam in libro suo talem propositionem format, omnis intellectus, scilicet separatus intelligit seipsum, & ratio est: quoniam cum inter omnia creata sint propinquiores primæ causæ similiores sunt eidem quo ad actionem intellectualem, nõ tamen adæquantur ei sed prima causa intelligit seipsam primo, & perfectissimè, ergo intelligentia vt propinquissima intelligit seipsam. Dixi autem, non tamen adæquatur ei, quoniam prima causa intelligit se, & omnia alia per essentiam suam, vt contentium omnium perfectionum, sed intelligentiæ non intelligunt perfectè nisi seipsas per essentias suas. Alia autem intelligunt per species impressas, quoniam eorum essentiæ sunt limitatę, ex consequenti non continent, nec repræsentant omnes alias perfectiones, nec id repugnat secundæ conclusioni suppositæ, quoniam aliud est cognoscere alias res, quia cognoscitur essentia vt in ea depictæ sunt species intelligibiles, &c. Et cognoscere eas quia cognoscitur essentia: vt realiter contenta omnium perfectionum, primum enim est verum, & secundum est falsum.

Secundum doctrinam Aristot. acceptatur eadem propositio. Nam in 12. Metaphysi. tex. 52. inuestigans quomodo primum principium intelligit se, & est sua intellectio, dicit quod in non habentibus materiam idem est intellectus, & res intellecta, vbi inquit Commen. Declaratum est igitur quod omne carens materia, & intellectus & intellectũ in eo idem est, & dicit infrà, sic debet esse in aliis intelligentiis abstractis, sed primus est simplicior earum. Constat autem quod omnes intelligentiæ sunt abstractæ à materia, ergo in eis intelligens, & res primo intellecta sunt idem, ergo primo intelligunt seipsas.

Secundum doctrinam Theologi acceptatur eadem propositio. Nam diuus August. in secundo super Genesim ad literam dicit Angelum in sua formatione cognouisse, imò semper seipsum cognoscit, quoniam si forma intelligibilis actu est vnita intelligenti, intelligitur sicut si species albi vnita est visui, videtur album, sed Angelus est forma intelligibilis actu cum sit substantia immaterialis, & est vnita intellectui suo, quoniam in eadem substantia cõueniunt, ergo Angelus seipsum intelligit, ad hoc autem quod seipsum intelligat, non est necesse in intellectu suo imprimi speciem intelligibilem, quoniam suamet essentia vnitur intellectui suo, vt forma intelligibilis, dato quod sit per se subsistens. nam ad hoc quod forma sit principium actionis, non est necesse quod inhæreat alteri, vnde si calor ignis per se subsisteret ita esset principium calefactionis, sicut inhærens igni. Hæc dicta sint de alij propositione.

Propositio decimaquarta.

IN omni anima res sensibiles sunt per hoc quod est exemplum eis, & res intelligibiles in ea sunt quia scit eas.

In hac propositione intendit Auctor declarare quomodo omnes res sunt in anima, sed aliter res sensibiles, & aliter res intelligibiles, & intendit tres conclusiones.

Prima res sensibiles sunt in anima vt in exemplo, vel exemplari, ex consequenti vt in causa.

Secunda res intelligibiles, idest immateriales, vt intelligentiæ sunt in anima, vt in scientę causas suas.

Tertia tam res sensibiles, quàm intelligibiles aliter sunt in anima, & aliter in seipsis.

Quantum ad primam conclusionem, aduerte quod Auctor hic non loquitur de anima vniuersaliter, sed de anima cœlesti. vnde inquit, & intelligo per animam virtutem agentem res sensibiles, quæ quidem virtus per motum cœli causat hæc sensibilia, vt diximus suprà, Auctor opinatur cœlos animatos anima distincta ab intelligentia, & motum cœli esse immediate ab anima, & non ab intelligentia. De hac igitur anima dicit quod res sensibiles sunt in ea vt in exemplo, quoniam cum hæc anima moueat cœlum, & producat sensibilia per intellectum: necesse est vt in se contineat similitudines, siue species exemplares ad quarum similitudines res sensibiles producuntur, & vt sic anima assimilatur artifici, de quo verum est dicere anima artificiata quorum est artifex, esse in artifice vt in exemplo, quoniam in mente sua continet similitudines artificiatorum, & id intendit Auctor cum dicit, Resigitur quæ imprimuntur, idest, causantur ex anima sunt in anima per intentionem exempli, scilicet quia res sensibiles exemplificantur secundum exemplum animæ, id est producuntur secundum exemplum, & ideam quam habent in anima cœlesti, vt in efficiente per intellectum.

Sensibilia sunt in anima cœli vt in exẽplari.

Quantum ad secundam conclusionem, aduerte secundum doctrinam Auctoris in propositione quinta, quòd anima est causata ab intelligentia, producta sibi similis, quoniam intellectualis ex consequenti anima est imago intelligentiæ, & intelligentiæ sunt in anima, vt imaginata in sua imagine, & vt causæ in suo simili effectu, & anima intelligens intelligentias, intelligit eas vt causas suas, & quomodo est imago earum & habet esse acquisitum ab eis, & hoc innuit Auctor cum dicit, & res quæ cadunt super animam sunt in ea per modum acquisitum, id est ideo sunt in anima, quia anima scit eas esse causas suas: à quibus acquisiuit esse sicut imago ab imaginato.

Intelligibilia sunt in animæ vt in scientę causas suas.

Quantum ad tertiam conclusionem, aduerte quod cum vnumquodque sit in alio secundum modũ naturæ ipsius cõtinentis: & anima sit immaterialis, & incorporea, res sensibiles sunt in anima modo immateriali, & incorporeo, & virtus animæ est immaterialis, & incorporea, licet res sensibiles sint materiales, & corporeæ, & virtus animæ est indiuisa & sine dimensione. & tamen producit res sensibiles diuisibiles, & dimensionatas, & ratio huius est, quoniam anima non est vt agens naturale. Quod est agens per formam naturalem, sed per apprehensionem vt artifex, ideo sufficit, quòd in se contineat effectus materiales, & corporeos, & dimensionatos secundum esse spiritale, & indiuisibile. Res autem intelligibiles, id est, abstractæ à materia cum sint in anima vt intellectum in intelligente, & non vt in causa, sunt in anima modo quo intelligit anima. Anima autem intelligit compositione, diuisione, discursu. ergo licet res intelligibiles sint in se simplices, & immobiles, & indiuisibiles, tamen intelliguntur ab anima modo compositorum, & diuisibilium, & quodam motu. Discursus enim motum importat. Et hoc totum innuit Auctor cum dicit, Iam ergo ostensum est, quòd res intelligibiles, & res sensibiles sunt in anima, veruntamen res sensibiles corporeæ, & motæ sunt in anima per modum animalem vnitum, id est per modum immaterialem indiuisum, & res intelligibiles vnitæ, id est simplices, & indiuisæ, & quiescentes, id est immobiles sunt in anima per modum qui multiplicat motum, quia scilicet intelliguntur compositione, & discursu, ex consequenti quodam motu.

Tam sensibilia quã intelligibilia sunt aliter in anima aliter in seipsis.

Secundum doctrinam Procli acceptatur eadem propositio. nam in libro suo, talem propositionem format, Omnis anima est omnes res. exemplariter quidem, id est per modum exempli sensibilia, iconicè autem, id est per modum imaginis intelligibilia, & declaratur eodem modo apud Proclum sicut declaratum est in prima, & in secunda conclusione ad mentem Auctoris. Nam & apud Proclum anima cœlestis est causa productiua sensibilium per intellectum, ergo se habet ad illa vt exemplar, & similitudo, & est imago superiorum entium intelligibilium, quia similatur illis, cum

cum sit conueniens cum eis in natura intellectuali.

Anima est omnia. Secundum doctrinam Aristo. acceptatur eadem propositio. Nam in tertio de anima, tex. 37. inquit omnia ea quæ sunt quodammodo est anima: sed apud Aristo. alia ratione, quàm ea quæ est assignata ab Auctore, & à Proclo, imò Aristoteles non acceptat ter eam, quoniam non est anima in cœlo nisi intelligentia, & causalitatem per intellectum mediante motu cœli super sensibilia, attributam ab Auctore, & Proclo animæ cœlesti, Arist. attribueret intelligentiæ mouenti. Quod igitur Auctor attribuit animæ cœlesti, Aristo. attribuit animæ humanæ, sed alia ratione. Nam dicit Aristo. in tertio de anima, tex. 37. ideo anima est quodammodo omnia, quoniam entia, aut sunt sensibilia, aut intelligibilia, anima est omnia sensibilia secundũ sensum, quoniam est receptiuus specierum sine materia, & intellectus est omnia intelligibilia, cum sit receptiuus specierum intelligibilium. vnde sicut manus est virtualiter omnia artificiata, quoniam cum sit organum organorum est effectiua diuersorum artificiatorum, sic anima ratione sensus, & intellectus est quodammodo omnia entia, dicit autem quodammodo & non simpliciter, quoniam est omnia modo animæ, idest spiritualiter & non modo rerum, idest realiter, & essentialiter, propter ea inquit illic Aristo. lapis non est in anima, sed species lapidis.

Manus quomodo est omnia artificiata.

Secundum doctrinam Theologi hæc propositio applicata cœlesti animæ non acceptatur: quoniam illa non datur, vt diximus suprà, nec si daretur, acceptaretur secunda conclusio, quoniam apud Theologum anima non est imago intelligentiarum, quoniam est originata à sola prima causa, & dicitur facta ad imaginem eius. Applicata autem animæ humanæ acceptatur quod omnia sunt in anima, & sunt aliter in anima quàm in seipsis, & ratio Theologi, non est ratio Auctoris sed ea quam assignauimus ad mentem Aristo. cui in hoc concordat Theologus. Hæc de xiiij. propositione dicta sint.

Propositio decimaquinta.

OMnis sciens qui scit essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditione completa, &c.

In hac propositione intendit Auctor declarare, quomodo se habet anima ad seipsam quo ad intellectionem, quo ad substantiam: & intendit duas conclusiones principaliter.

Prima anima scit essentiam suam, siue intelligit seipsam.

Secunda anima subsistit in seipsa, idest est substantia per se subsistens, non indigens inniti alteri.

Anima intelligit essentiam suam.

Quantum ad primam conclusionem aduerte, quod Auctor non probat eam: forte existimans ab omnibus concessam, ex eo quod dixit in propositione præcedenti quod scit res sensibiles, & res intelligibiles quæ sunt distinctæ ab anima, ergo multo magis scit seipsam, cum scit magis intrinseca sibi ipsi, quàm alia. Et quoniam dixit in propositione xiij. quod ideo intelligentia intelligit essentiam suam, quoniam cum sit immaterialis est intelligibilis actu, & cũ sit intelligens, ergo intelligens, & intellectum sunt simul. Eandem rationem putauit Auctor forte verificari de anima rationali cum sit immaterialis intellectualis, & per se subsistens vt dicetur, imperfectiori tamen modo, quàm intelligentia.

Eandem cõclusionem tenet Proclus, & eius ratio est, quoniam si ex præcedenti propositione anima scit res intelligibiles, idest entia abstracta, per modum imaginis, vt declarabimus ad mentem Procli, multo magis scit seipsam, quoniam est magis proportionata sibi ipsi quàm entibus superioribus.

Eandem conclusionem tenet Aristo. in tertio de anima, tex. 15. vbi inquit. Est autem ipse, scilicet intellectus intelligibilis sicut est alia, & rationem assignans inquit, In his, enim quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quod intelligitur, sed intellectus est im materialis: ergo, &c.

Eandem conclusionem tenet Theologus, vt patet apud diuum Tho. in prima parte, quæst. 81. articulo primo. Tu tamen aduerte quod licet omnes recipiant conclusionem, differunt tamen in assignando modum quo anima seipsam cognoscit. nam ab Auctore modus nullus assignatur, licet applicando animæ cœlesti possimus dicere ex propositione præcedenti quod cognoscit seipsam inquantum cognoscit se esse exemplar inferiorum sensibilium, & se esse imaginem entium superiorum intelligibilium, verum vt diximus in præcedenti propositione. Nec anima cœli, nec ratio adducta ab Auctore, acceptatur ab Aristo. nec à Theologo, & de humana anima in propositione præcedenti nihil locutus est, ideo relicto eo, videamus modum quem ad mẽtem Platonicorum assignaret Proclus. Tu igitur aduerte quod apud Platonicos omnes intellectus separati intelligunt, & intelliguntur à seipsis inquantum participant primum intellectum dictum Intellectum idealem, cuius participatio tanta est quod seipsos per essentias suas intelligunt in hoc imitantes primum intellectum, qui se per seipsum intelligit, verum quia anima est inferioris ordinis licet participet superiora entia, tamen non est tanta participatio, quòd se per essentiam suam cognoscat, sed per participationem superioris luminis sibi naturaliter infusi à superioribus entibus abstractis. Vnde aduertere quod se habet primus intellectus, & alij intellectus separati, & anima, sicut sol, & astra, & gemma. Nam sol ex se habet lucem: quia non 10 & illuminat astra, & vt ita dicam à seipso illuminatur, astra autem recipiunt lumen à sole, quo & illuminant inferiora præcipuè terra, & polita corpora, & illuminantur. Gemma autem quia est corpus terſum recipit quidem lumen ab astris, sed debile, quo debiliter illuminatur, & debiliusilluminat, sic & anima secundum Plantonicos debiliter recipit lumen intellectuale ab intellectibus separatis, quo debiliter intelligit seipsam, & debiliter intelligit alia.

Secundum Aristo. autem in tertio de anima, tex. 5. quoniam intellectus noster est merè potentialis in genere intelligibilium non est intelligibilis à seipso, nisi vt fit actu. Et pro hac vita connaturale est sibi, vt fiat actu non per participationem intellectuum separatorum, cum sit forma in materia, sed per species abstractas, via sensus, & illustratione intellectus agentis, ideo sicut per huiusmodi species intelligit alia à se, sic intelligit seipsum, non tamen eodem modo, quoniam intelligit 20 alia à se directe, seipsum autem reflexe, puta intellectus directe per speciem lapidis intelligit lapidem, reflexe autem & conuersiue, intelligit se intelligere, deinde se esse intelligentem, deinde se esse substãtiam intellectualem, ex consequenti immaterialem incorpoream independentem à materia per se subsistentem separabilem à corpore, vt perpetuum à corruptibili.

Secundum Theologum vero dicendum quod non intelligit se per essentiam suam, quoniam cum tres sint intellectus, diuinus, Angelicus, humanus, primus est purus actus, ideo intelligit se, & omnia alia per essentiam suã. Angelicus autem est actus admixtus potentiæ, & inquantum est actus intelligit se per essentiam suam, inquantum est in potentia intelligit alia per species impressas quibus reducitur de potẽtia ad actũ 40 humanus vero est mere in potẽtia in genere intelligibilium. ergo necesse est vt intelligat se pro quanto reducitur ad actũm. Reducitur autẽ per species abstractas à rebus, ergo non per essentiam suam quæ est sicut materia in genere intelligibilium, sed per species abstractas intelligit alia & se, sed alia per species directe, se autẽ per actum suum, percipimus enim nos habere animã intellectiuam ex eo quod percipimus nos intelligere. nam ex actu intelligitur potentia, ex potentia essentia operantis. Hæc de prima conclusione dicta sint.

Quantum ad secundam conclusionem, aduerte quod apud 50 Auctorem idem est animam per se subsistere, & animam redire, siue conuerti ad substantiam suam. Vnde exponens se inquit, & non significo per reditionem substantiæ ad essentiam suam, nisi quia est stans fixa per se non indigens in sui fixione, idest permanentia, & sui essentia re alia regente ipsam, quod est quia substantia simplex est sufficiens per se ipsam, & ratio huius est, quia nõ per se subsistentia vt formæ naturales, & accidentia inquantum sustentatur per subiectum, vel materiam dicuntur conuerti ad aliud à quo, vt à fundamento pendet sua permanentia, & suum esse, quæ ergo subsistunt in seipsis non inuitentia alteri dicuntur conuerti ad essentiam suam, & 60 non ad aliud. Patet ergo quod idem est, rem per se subsistere & ad suam essentiam conuerti, & habere esse per se, sic declarata conclusione, aduerte quod Auctor intendit hanc probationem. Quicunque scit essentiam suam, scit eam scientiam quæ est actio intelligibilis: ergo scit se scire essentiam suam, ergo redit vel conuertitur ad operationem suam intelligibilem, quoniam scit se scire, ergo per operationem intelligibilem redit ad essentiam suam: quoniam, si rediret ad operationem suam, & non ad essentiam, perfectior esset operatio sua quàm essentia, quoniam conuersio fit ad perfectius, 70 sicut accidens conuertitur ad subiectum, quoniam ei innititur, quicunque ergo conuertitur ad essentiam suam, conuertitur conuersione cõpleta: idest omnimoda, quia & secundũ operationem, & secundum essentiam. Et cum dictum sit idem esse, conuerti ad substantiam suam, & esse substantiam per se subsistentem, ergo quicunque scit essentiam suam, est per se subsistens, sed per primam conclusionem anima scit essentiam suam, ergo est per se subsistens.

Secundum Proclum non solum hæ duæ conclusiones acceptantur, sed & aliæ plures, quarum prima est, Omne ad seipsum

seipsum conuersiuum, est incorporeum: hæc notificata est in propositione septima, vbi dictum est quod corpori repugnat conuerti super seipsum propter extẽsionem partium quarum vna distat ab alia. Quod autem super seipsum conuertitur, secundum totum, & quodlibet sui super seipsum conuertitur. Hinc est quod repugnat potentiæ organicę conuerti super seipsam, & super operationem suam, non enim sensus sentit se sentire. Intellectus autem quoniam inorganicus est intelligit suum intelligere, patet ergo quod necesse est, omne ad se conuersiuum esse incorporeum. Secunda omne ad se cõuersiuum 10 habet substantiam separabilem ab omni corpore, quoniam cum repugnet corpori ad seipsum conuerti omne ad se conuersiuum habet operationem sine corpore. Quod autem habet operationem sine corpore potest esse sine corpore, quia vnumquodque sicut se habet ad operari ita ad esse, ergo est separabile ab omni corpore. Tertia quæ concordat cum secunda conclusione supposita. Omne ad seipsum conuersiuum, est per se subsistens, quoniam vnumquodque conuertitur ad id per quod sustentatur, vt accidens ad subiectum, vitis ad arborem, discipulus disputans ad Doctorem, ergo si aliquid ad seipsum conuersiuum est, per seipsum subsistit. Quarta omne quod secundum operationem ad seipsum conuertitur, etiam secundum substantiam ad seipsum conuertitur, quoniam cum sit perfectionis conuerti ad seipsum, si conuertitur ad seipsum secundum operationem, & non secundum substantiam, ergo operatio sua esset perfectior quàm substantia, quod est falsum, quoniam illa est accidens: ergo, &c. Quinta omne sui ipsius cognoscitiuum, est omni quaque ad se conuersiuum, quoniam si cognoscit seipsum, est conuersiuum ad se secundum operationem, si secundum operationem, ergo secũdum 30 substantiam per conclusionem præcedentem, & non dantur plures modi conuertendi ad se: ergo, &c. Sexta omnis anima est substantia incorporea, & separabilis à corpore, & tu intellige de anima intellectiua, quoniam cognoscit seipsam, vt visum est in prima conclusione posita ad mentem Auctoris, & Procli, ergo conuertitur super se ipsam, vt patet per conclusionem præcedentem. Ergo est incorporea per primam conclusionem Procli, ergo est separabilis à corpore per secundam conclusionem ejusdem, patet igitur quomodo in hac decimaquinta propositione concordat Proclus cum Auctore.

Secundum doctrinam Aristote. visum est quomodo accepta primã conclusionem Auctoris, nunc videndum est quomodo acceptat secundam, scilicet quod anima intellectiua est per se subsistens. Aduerte igitur quod in secundo de anima, textu duodecimo, docuit ex modo operandi venari modum subsistendi, vnde dixit si anima habet aliquam operationem per se, id est propriam sibi in qua non communicat corpus vt instrumentum, nec recipitur in corpore, separabilis est à corpore ex consequenti habet esse per se, & per se subsistit, & in tertio de anima, textu sexto, & septimo, determinat quod habet operationem per se, quoniam intellectus est potentia non organica, ergo est potentia non coniuncti, sed propria animę, ergo intelligere est proprium animæ, cuius enim est potentia eius est actio, ergo anima habet esse per se, ex consequenti per se subsistit, hæc fuit mens Aristotelis secundum rectè sentientes, & improbationem eorum qui tenent oppositum diffuse scripsimus in prima parte diui Thomæ, in quæstione septuagesima quinta, articulo sexto.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem conclusio, & suum fundamentum non discordat à doctrina Aristotel. nam cum operatio sit existentis, vnum quodque operatur sicut est existens: si operatur per se, est existens per se, si nõ operatur per se, non est existens per se, sed anima operatur per se, quoniam intelligere est effectiuè, & receptiuè solius animæ: nam si esset alicuius potentiæ organicæ, esset determinata ad aliquod genus entis, videmus enim auditionem determinatam tantum ad sonum, visionem ad colores, tactum ad qualitates tangibiles. Intelligere autem circa ens, & quodlibet genus entis, ergo non expletur per aliquam organicam potentiam, sed per solum intellectum, qui est potentia solius animæ, & non coniuncti. Ergo anima est per se existens, & id confirmatur dicto diui Augustini, in decimo de trinitat. capite septimo, vbi inquit, Quisquis videt mentis naturam, & esse substantiam, id est per se subsistentem, & esse incorpoream, &c. Hæc de decimaquinta propositione dicta sint, in qua concordant omnes rectè sentientes.

Propositio decima sexta.

OMnes virtutes quibus non est finis pendentes sunt per infinitum primum, quod est virtus virtutum, non quia ipsa sit acquisita stans fixa in rebus entibus, imò est virtus in rebus, entibus habentibus fixionem, &c.

In hac propositione intendit declarare, quomodo omnes virtutes infinitæ pendent ab vna prima virtute infinita, & aduerte quod per virtutes infinitas, intendit intelligentias quæ dicuntur infinitæ non intensiuè, sed extensiuè propter durationem infinitam possquam productæ sunt, cum sint immateriales ex consequenti indefectibiles, per primam virtutem infinitam intendit creatricem Dei virtutem, quæ est infinita intensiuè, & extensiuè, & dicit quod est virtus virtutum, id est contentiua omnium virtutum, & superior omni virtute, & ad probationem propositi elicio ex Auctore quatuor fundamenta. Primò intelligentia non est virtus absolutè, & purè, sed est quædam virtus particularis, & determinata ad talem gradũ, quoniam si esset pura virtus, & illimitata non plurificarentur intelligentiæ, sicut albedo si esset separata in se continens omnem perfectionem albedinis esset implurificabilis. Prima autem virtus infinita est virtus simpliciter, & purè, & essentialiter. Secundò intelligẽtia est virtus finita superius, quia cum sit quædam virtus exceditur à supremo quod est virtus pura, sicut calor in aqua exceditur à puro calore, & remanet infinita inferius, quia non exceditur, nec comprehenditur ab entibus quæ sunt post ipsam. Inferioris enim est excedi, & non excedere, sed prima virtus est infinita superius, quia cum sit prima non habet superius à quo terminetur, & est infinita inferius. Quoniam virtus absolutè non comprehenditur à particulari virtute. Omnis autem virtus post primam est particularis virtutis. Tertiò ens primum est mensura entium intelligibilium, id est abstractorum, & entium sensibilium, quoniam primum in vnoquoque genere est mensura, ex consequenti entia intelligibilia, vt intelligentiæ sunt mensuratæ à primo ente. Quartò ens primum ens supra infinitum, id est excellentius quocunque ente creato infinito. Ex his fundamentis probatur sic propositum. Omnis particularis virtus, & quæ est infinita tãtum inferius, & quæ vt limitata mensurata est, & quæ licet infinita, non tamen est supra infinitum, pendet à primo infinito quod est virtus pura, & infinitum superius, & inferius, & mensura entium intelligibilium, & sensibilium, & est supra infinitum, & tale primum est Deus creans, & mensurans vnumquodque conuenienti mensura, sed omnes virtutes quibus non est finis extensiuè, scilicet intelligentiæ, sunt quædam virtutes, vt declaratum est, & sunt infinitæ, tantum inferius, & sunt mensuratæ à primo, & non supra infinitum cum nò sint omnimodo infinitæ. Ergo pendent à primo infinito quod est virtus pura, &c.

Virtutes infinitæ, id est intelligẽtiæ aliæ à prima infinita extensiuè, sunt à prima virtute infinita, intensiuè & extensiuè. Intelligentia non est virtus absolutè, sicut prima virtus.

Ex hoc primo, & principali proposito elicit Auctor corollarium quod est hoc, sicut primum infinitum est causa à qua pendent omnes virtutes infinitæ, vt intelligentiæ, & quæcunque habent durationem infinitam, sic vita, lumen, bonitas & reliquæ primæ perfectiones sunt causæ rerum omnium habentium vitam, & lumen, & reliquas bonitates, vnde primum vita, primum lumen, prima bonitas sunt causæ omnis vitæ, & luminis, & bonitatis in creatis abstractis, & mediantibus illis descendunt in entibus corporeis. Et quoniam Deus est ipsa prima vita, prima lux, prima bonitas, ideo ab ipso descendunt istæ, & reliquæ perfectiones sicut omnis infinitas est à prima infinitate quæ est Deus.

Deus est causa omnis bonitatis & perfectionis.

Secundum Proclum acceptatur eadem propositio, vnde in libro suo talem propositionem format, Omnis multitudo potẽtiarum infinitarum ab vna prima infinitate exorta est, quæ non vt participata potentia est, neque in participantibus subsistit, sed secundum seipsam, & huius quidem probatio secundum doctrinam Platonicam est, quod omne inuẽtum in pluribus reducitur ad vnum primum quod est tale per essentiã, quod illa plura participant, quod nõ est vt participatum, nec in participantibus subsistit, sed est tale primo, & secundum seipsum, sed potentia infinita quo ad durationem inuenitur in pluribus, vt in intelligentiis, & in anima, & in cœlo, ergo reducitur ad vnum primum, cuius essentia secundum seipsam, & primo est infinita, hic autem est Deus: ergo, &c.

Secundum doctrinam Aristote. aliqui tenent hanc propositionem non esse acceptandam nisi in genere causæ finalis, ar bitrantur enim quod licet secundum Aristo. detur in vniuerso vnum primum ad quod ordinantur omnia, sicut exercitus ad ducem, vt habetur in duodecimo Metaphy. textu quinquagesimo secundo, vbi dicitur, ad vnum quidem omnia coordinata sunt. Et Comment. exponens inquit, apparet enim quod hoc commune est omnibus entibus, scilicet quod omnia sunt propter vnum, & quod actiones eorum sunt erga illud vnũ, & est prima causa, quemadmodum omnia quæ sunt in domo propter Dominum domus sunt, &c. Tamen dicunt Aristotel. non posuisse vnum vniuersale efficiẽs, quoniam entia æterna

A Deo nõ solũ finaliter, sed effectiuè cõcta sunt.

necessaria permanentia ad differentiam motus cœli, non habent esse effectiuè ab alio. Et huius opinionis videtur Cõmẽt. & sequentes eum. Nam in duodecimo Metaphysi. cõmen. 18. reprobat creationem, & in cõmen. 41. arguens contra Ioannem grammaticum dicit aliquod esse necessarium, & æternũ ex alio non est verum nisi in motu cœli tantum, quoniam motus habet esse à motore. Cõmentator ergo vult quòd omne ens permanens æternum, & necessarium vt sunt intelligentiæ non habeant esse necessarium, & æternum ab alio, ex consequenti non pendent effectiuè à primo infinito. Alij autem dicunt propositionem acceptandam secundum doctrinam Aristot. in genere causæ efficientis, quoniam Aristotel. sensit, quodcunque ens, & omnes modos entis esse effectiuè à primo. Nam in secũdo Metaphysic. tex. 4. inquit vnumquodque verò maximè ipsorum aliorum dicitur secũdum, quòd etiam aliis inest vniuocatio, puta ignis est calidissimus: & enim est causa aliis hic caloris, &c. Nec potest exponi de causa finali, quoniam exemplificat de igne vt calidissimo, quem constat esse causam effectiuã caloris in aliis calidis. Et ipsemet Commen. exponit de causa efficiente dicens, omnia enim entia nõ acquirunt esse, & veritatem nisi ab ista causa, scilicet à causa prima, &c. Constat autem quòd acquirere esse denotat causam effectiuam, & hæc est veritas, & non est acceptandus Commen. in hoc, & negandum est ei nullum esse necessarium, & æternum permanens ex alio. Et quidem quòd secundum Aristot. detur creatio cõtra Cõmen. discussimus in duodecimo Metaphysi. Similiter quòd non inconuenit aliquod necessarium permanens habere causam effectiuam. Nam in secundo Metaphysi. de his quæstiones particulares fecimus, & hanc viam contra Cõmen. tenet diuus Thomas, vt fidissimus Aristotelis expositor.

Aeternũ ab alio esse non inconuenit.

Secundum Theologum, acceptatur eadem propositio, & totum corollarium, & ratio sua est hæc: Quod conuenit alicui primo, & per se si inuenitur in aliis, inuenitur inquantum participant ipsum, vt patet de luce quæ quoniam primo & per se conuenit soli, in quibuscunque inuenitur, ideo inuenitur quia participant lucem à sole mediate, vel immediate, sed esse, bonitas, infinitas, vita, lumen, intellectuale, & reliquæ perfectiones primo, & per se conueniunt primæ causæ, quoniam cum sit prima est penitus independens secundum omnẽ suam perfectionem, ergo in quibuscunque huiusmodi perfectiones inueniuntur, tam in intelligibilibus, quàm in sensibilibus inueniuntur, quia participant perfectiones primæ causæ. Est enim illa, à qua, in qua, & ad quam sunt omnia. Hæc de propositione xvj. dicta sint.

Propositio decimaseptima.

Omnis virtus vnita plus est infinita quã multiplicata, &c.

In hac propositione intendit declarare, vnde sumitur maior infinitas, & minor in virtutibus infinitis quas dixit in propositione præcedenti pendere à primo infinito, & ponit hanc conclusionem. Omnis virtus vnita plus est infinita quã multiplicata, id est cuicunque virtuti creatæ competit infinitas, magis est infinita existens indiuisa quã multiplicata. Antequam probetur, aduerte quòd ly infinitas non sumitur secundum durationem, quoniã cum omnes intelligentiæ, & corpora cœlestia, & animæ sint indefectibilia, sunt æqualis infinitatis quo ad durationem, licet non sint æquè indiuisa, nec æqualis simplicitatis. Minor enim est vnitas in intelligentia inferiori quàm in superiori, cum intelligat per plures species, & adhuc minor in anima intellectiua propter pluralitatem potentiarum intellectiuarum, & sensitiuarum, & adhuc minor simplicitas est in corpore cœlesti propter compositionem ex forma, & materia, & propter partes quantitatiuas, sumitur ergo ly infinitas secundum perfectionem, & virtutem, quæ licet absolute non inueniatur nisi in prima causa, tamen secundum quid, & comparatiue inuenitur in ente abstracto pro quanto eius virtus est minus sparsa, & efficacior, & vniuersalior est in operando, vnde pro rei veritate propositio Auctoris sic intelligenda est. Omnis virtus permanens vnita, & indiuisa perfectior, & fortior, & vniuersalior est quàm diuisa, & plurificata, & ad hunc sensum procedit probatio sua ex ratione assignata: ratione sic arguit, virtus permanens vnita, & indiuisa propinquior, & conformior est primo vni, id est primæ causæ quæ est maximè vna, & simplicissima cuius virtus est perfectissima, & absolute infinita, & virtus diuisa remotior ac diuisior est ei, ergo virtus permanens vnita, & indiuisa perfectior est, & si aliqua infinitas conuenit ei, est plus infinita, & partita siue multiplicata imperfectior, & minus infinita est: cõsequẽtia patet quoniã vnũquodq; aptũ participare virtutẽ alicuius summi, quãto magis propinquat ei tanto magis participat, & quanto magis distat, tanto magis imperficitur & minus participat, & magis finitatur ac arctatur, vnde vnitas est causa infinitatis, & diuisio causa finitatis.

Virtus indiuisa & magis vnita, fortior est & magis infinita, quàm diuisa & multiplicata.

Signo autem sic arguit, virtus vnita agit fortiores, & mirabiliores operationes, & quanto magis partitur tanto debilius agit operationes, ergo vnita est fortior, & perfectior, & magis infinita si qua infinitas ei cõpetit, & diuisa est debilior, & imperfectior, & magis finita, cõsequentia patet, quoniã modus operãdi declarat modũ virtutis, & hoc quidẽ signũ ad sensum patet. Nam ignis vnitus intensè calefacit, diuisus autẽ debiliter. Mille homines vniti in exercitu superant quinque millia dispersos, &c. propter quod concludit Auctor q; quanto vehementior fit vnitas virtutis est infinitas in ea magis apparens, & sunt operationes eius magnæ, & mirabiles.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem conclusio. Nam in libro suo format talem propositionem, Omnis virtus vnitior existens est infinitior quàm plurificata, & eadẽ est probatio Procli, & Auctoris.

Secundum doctrinam Aristote. acceptatur eadem conclusio, sub hac forma, virtus vnita fortior, & perfectior est seipsa dispersa: hanc declarat in primo libro Meteororum in capite de impressionibus humidis generatis in aëre, vbi agẽs de grandine docet eam generari ex intensa frigiditate congregata, & vnita in nube tempore calido, propter diffusam caliditatem in aëre, quam vt sibi contrariam diffugiens frigiditas vnit se, & vnita mirabiles actiones facit, vt congelare guttas aquæ in tanta multitudine, & magnitudine & tam breui tempore vt sæpe videmus in grandine. Eadem causa inquit Aristo. frigida calent sub terra in hyeme, quoniam ex frigiditate diffusa in superficie terræ congregatur & quodãmodo concentratur caliditas in visceribus terræ, ex qua cõgregatione efficitur fortior, & ideo calefacit aquas subterraneas, & quoniam in æstate fugata frigiditate ab aëre, & superficie terræ, paulatim disgregatur caliditas prius vnita, & euaporat, ideo cessat calor ab aquis subterraneis, alia signa adducuntur vt de calce, cui si superinfundatur aqua feruet, quoniam partes ignitę prius dispersę per infusionem aquæ vniuntur, & fortiores effectæ causant ebullitionem, quam causare non possunt existentes dispersę: manifestum est ergo quòd vnitas fortificat virtutem, pluralitas autem & diuisio debilitat, & si aliqua infinitas, siue vniuersalitas conuenit virtuti, conuenit ei vt vna, & non vt diuisa.

Secundum doctrinam Theologi acceptatur eadem propositio. Nam apud eum est vt principium, quòd virtus quãto superior & magis vnita, tanto ad plura se extendit: quod quidem declaratur in potentiis sensitiuis. Nam quia sensus communis superior est ad sensus exteriores, vnus existens apprehendit omnia obiecta sensuum exteriorum, & vltra hoc cognoscit differentiam inter ipsa obiecta. Item in potentiis intellectiuis. Nam quoniam intellectus est superior ad sensus exteriores, & interiores, ideo vnus existens cognoscit corporea & incorporea, substantiam & accidentia, sensus autem tantum accidentia apprehendit. Item in substantiis separatis in quibus non est diuisio virtutis cognoscitiuæ per intellectiuam, & sensitiuam. Intellectus earum existens vnus cognoscit superiora intelligibilia, & inferiora sensibilia in vniuersali, & in singulari, ita quod ex sua indiuisione sortitur quandam infinitatem. Item patet in forma cœli, & qualitate eius, scilicet luce, quæ vna existens causat quodammodo infinitos effectus, vnde quæ aguntur ab agentibus particularibus plurificatis formis, & qualitatibus, aguntur à cœlo vna forma, & vna qualitate, manifestum est ergo quòd vnitas est causa maioris vniuersalitatis, & infinitatis in virtute in operando, & maioris perfectionis, diuisio autem & pluralitas causa est oppositorum. Hæc de propositione decimaseptima dicta sint.

Propositio decimaoctaua.

Res omnes habent essentiam propter ens primum, & res viuæ omnes sunt motæ per essentiam suam propter vitam primam, & res intelligibiles omnes habent scientiam propter intelligentiam primam, &c.

In hac propositione intendit declarare quomodo omnia pendent à prima causa, quo ad omnes gradus conuenientes eis secundum naturam suam: verbi gratia, quoniam prima causa, est primum ens, & est prima vita, & est primum intelligens, siue prima intelligentia, id est primus, & purissimus actus intelligendi, ita quòd existẽs simplicissima absque distinctione reali, est hæc tria & omnis alia perfectio, & quoniam in creatis inuenitur triplex ordo, quoniam quædam tantum sunt, vt elementa & elementata inanimata, & quædam sunt & viuunt: eo quod mouent seipsa aliqua specie motus viuentia enim sunt quæ seipsa mouent. Et quædam sunt & viuunt, & intelligunt vt intelligentiæ, intendit probare quod omnes res vt habent esse sunt à prima causa, vt est primum ens, & omnia viuentia mouent seipsa propter primam causam, vt est prima vita. Et omnia intelligentia intelligunt propter primam causam, vt primum intelligens, siue prima intelligentia. Non tamen eodem modo, quoniã dat omnibus esse per creationem, sed dat vitam, & scientiã per modum formæ.

Primum quidem intendit sic probare. Cùm omnis causa det aliquid suo causato in quo assimilatur causæ, causa prima inquantum primum ens dat rebus esse in quo assimilantur ei, vt est primum ens: & inquantum prima vita dat vitam, id est mouere seipsa, dat autem vitam inquantum prima causa est primum quietum sempiternum, id est primum mouens immobile, quoniam cum in mouentibus, & motis nõ sit processus in infinitum, necesse est omnem motum reduci ad aliquod primum immobile. Et inquantum est primum intelligens dat omnibus intelligentibus sciẽtiam, quoniam scientia in creatis intellectualibus est participatio primi intelligẽtis.

Secundum autem potest sic probari. Cum ens primum sit immobile, & sit causa causarum illud dat per modum creationis quod dat nullo præsupposito, hoc autem est esse quod vt fundamentum præsupponitur omni alij perfectioni, & ipsum nihil prius præsupponit, vt diximus in secunda propositione, ergo dat esse omnibus entibus per modum creationis. Illud autem dat per modum formæ, quod videtur superaddi ipsi esse tanquam forma materiæ, hoc est vita, & scientia, siue intelligentia. Nam videntur perficere ipsum esse, & qualificare. Vnde interrogati quale esse habet planta: respondemus esse viuum, & quale esse habet homo, respondemus esse scientificum, vel rationale, & intelligentia habet etiam nobiliori modo esse intellectuale. Ergo prima causa dat viuentibus, & intellectualibus vitã, & sciẽtiam per modum informationis.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositio: nam in libro suo talem propositionem format. Omnia quidem qualitercunque entia ex fine sunt, & infinito propter primum ens, & omnia viuentia sui ipsorum sunt motiua propter vitam primam, omnia autem cognitiua cognitione participant propter intellectum primum. Sed aduerte quod Proclus nõ tenet conclusionem hanc eo sensu: quo Auctor. Nam quod entia creata constent ex finito, & infinito: non verificatur propriè nisi in rebus incorruptibilibus, vt in intelligentia, & in anima, quoniam vt diximus in propositione quarta, quia participant esse sunt finitæ, & quia habent virtutem, vt sint semper sunt infinitæ. Proclus autem extendit constantiam ex finito, & infinito ad omnia qualitercunque entia, ex consequentitam corruptibilia, quàm incorruptibilia: & tamen de corruptibilibus, patet quod non sunt infinita in duratione nisi fortè secundum speciem, quoniam apud Philosophos species rerum sunt æternæ. Item primum ens prima vita, prima intelligentia, siue primus intellectus apud Auctorem non distinguuntur realiter, quoniam prima causa existens simplicissima est hæc tria. Apud Proclum autem distinguuntur realiter: quoniam primum ens est idea entis, & prima vita est idea vitæ, & primus intellectus est idealis intellectus. Et quoniam in hoc non bene sentit, cum sint in rei veritate perfectiones primæ causæ, in qua nulla stat distinctio absolutorum, ideo in hoc relinquendus est, & tenendus est sensus Auctoris, cui concordat Aristotel. & Theologus, vt manifestabitur infrá.

Secundum doctrinam Aristotel. acceptatur eadem propositio. Nam in duodecimo Metaphysicæ textu decimotertio, & in septimo libro, textu trigesimo, dicit palam vero ex dictis, quia quodammodo fiunt omnia ex vniuoco, id est ex sibi simili, vt homo ex homine, domus ex domo intellecta, calor ex calore, &c. Ergo fit ens ex ente, vita ex vita, intellectus ex intellectu. Et in libro decimo, docuit vnoquoque genere dari vnum primum vt mensura, qua mensurantur omnia illius generis, & illud est causa mensuratorum, ergo omnia entia mensurantur, & accipiunt esse à primo ente, & omnia viuentia accipiunt vitam, & mouent se propter primam vitam, & omnis natura intellectiua accipit scientiam, & intellectum à primo intellectu, & in libro duodecimo, textu trigesimonono, docuit Deum esse vitam suam & intelligentiam suam, & cum sit primum principium, ergo est primum ens, prima vita, primus intellectus, ergo secundum Arist. à prima causa, vt est primum ens omnia entia habent esse: & omnia viuentia sunt mota inquantũ est prima vita, & omnia intelligentia habent scientiam, & intellectum inquantum est primus intellectus.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem propositio. Nam à diuo Dionysio in libro de Diui. no. capite quinto duo habemus. Primo quod hæc tria, esse, vita, sapientia in Deo sunt vnum, nec aliquam distinctionem realem important, vnde inquit. Non autem aliud esse bonum dicit, & aliud existens, & aliud vita, & aliud sapientia, neque multas causas, & aliorũ alias productiuas deitates, sed vnius Dei esse omnes bonos processus, & à nobis laudatas nominationes. Secundo quod Deus vt ens, siue existens, verius autem superexistens est causa omnium existentium, & vt vita omnis vitæ, & vt sapientia omnis sapientiæ, & scientiæ, & cognitionis: de primo inquit in dicto quinto capite, omnis quocunque modo existentis præexistens est principium, & causa. Et omnia ipso participant, & à nullo existentium recedit, de secundo inquit in sexto capite. Omnis vita, & viuificatiuus motus est ex vita quæ est super omnem vitam, & principium omnis vitæ. De tertio inquit in capite septimo. Diuina sapientia omnis est mentis, & rationis, & omnis sapientiæ, & prudentiæ causa, & ipsa est omne consilium, & ab ipsa, & omnis cognitio, & prudentia, &c. Et hanc quidem causalitatem multiplicem manifestat Dionysius in eodem libro in capite quinto, conuenienti similitudine sumpta à sole, & inquit, si enim noster sol sensibilium substantias, & qualitates, & quidem multas, & differentes existentes, tamen ipse vnus existens, & vniforme lucendo superfundens lumen renouat, & nutrit, & custodit, & perficit, & discernit, & vnit, & reflorere facit, & germinabilia esse facit, & auget, & commutat, & collocat, & ex planta prodire facit, & sursum mouet, & viuificat omnia, & totorum vnumquodque iuxta proprietatem suam eodem & vno sole participat, & multorum participantium causas vnus sol in seipso vniformiter præaccipit, multo magis in causa, & ipsius, scilicet solis, & omnium existentium, quæ scilicet est Deus, præexistere exemplaria, scilicet esse, vitam, sapiẽtiam, bonitatem secundum vnam supersubstantialem vnitionem concedendum est, quoniam & substantias producit secundum excessum à substantia, id est secundum virtutem qua excedit omnes substantias, &c. Hæc de propositione decimaoctaua, dicta sint.

Propositio decimanona.

Ex intelligentiis est, quæ est intelligentia diuina, quoniam ipsa recipit ex bonitatibus diuinis quæ procedunt à causa prima per receptionem multam, &c.

In hac propositione intendit Auctor declarare: quomodo entia diuersimodè participant diuinas perfectiones secundum quod magis, vel minus propinquant primæ causæ à qua pendet ex propositione præcedenti. Et quoniam in vniuerso sunt tres principales ordines: scilicet ordo intelligentiarum, ordo animarum, ordo corporum, ideo iuxta hos tres ordines ponit tres conclusiones.

Prima est. Inter intelligentias, quædam est intelligentia diuina, quædam est intelligentia tantum.

Secunda est. Inter animas quædam est anima intelligibilis, id est intellectualis, quædam est anima tantum.

Tertia est. Inter corpora naturalia, quædam habent animam, quædam sunt corpora naturalia tantum sine anima.

Pro euidentia harum conclusionum, aduerte quod cum omnes isti ordines dependeant à Deo, vt declaratum est in propositione præcedenti, sic disponuntur quod supremum primi ordinis multum participat diuinam dignitatem, & vniuersalem causalitatem, & clarissimam ac vniuersalem per pauciora media omnium cognitionem propter propinquitatem ad primam causam à qua perfectius, & abundantius recipit diuinas perfectiones, & ideo supremæ intelligentiæ ex hac propinquitate, & abundanti receptione diuinarum perfectionũ, & multa similitudine ad primam causam: dicuntur non solum intelligentiæ, sed diuinæ tanquam diuina simulacra, sicut primi existentes in hoc mundo inferiori apud regem non solum dicuntur curiales, sed regij curiales. Et quoniam inferiores intelligentiæ huius primi ordinis, non ita propinquant primæ causæ, ex consequenti nõ ita perfectè recipiunt diuinam perfectionem, nec vniuersalem causalitatem, sunt quidem intelligentiæ, quoniam secundum se totas sunt intellectualis naturæ, sed non dicuntur diuinæ intelligentiæ, sed intelligentiæ tantum, sicut curiales secundarij dicuntur quidem curiales, sed non regij, quoniam non multam dignitatem, & auctoritatem recipiunt à rege in comparatione ad primiores. Eodem modo disponitur secundus ordo sub primo, quòd supremũ secundi ordinis ex propinquitate ad primum participat de natura primi quod est esse naturę intellectualis, vnde in ordine animarum supremè, & magis perfectè, vt animæ humanæ

Intelligentiæ quo primæ propinquiores sũt, eo perfectiores.

non solũ sunt animæ, sed ex propinquitate ad primũ ordinem participant de intellectualitate, & dicuntur animæ intellectuales. Inferiores autem animæ ex distantia ad primum ordinem sunt quidem animæ. Quoniam commune est cuilibet animæ viuificare, dirigere, & conseruare corpus. Eodem quo que modo disponitur tertius ordo sub secundo: quod suprema corpora ex propinquitate ad animam secundum perfectionem non solum sunt corpora, sed sunt participantia animam & vitam, & dicuntur animata corpora, inferiora autem vtpote multum imperfecta, & ex distantia ab ordine secundo sunt corpora tantum id est habentia tantum esse naturale. Et in hac declaratione comprehenditur intentio Auctoris in tota hac propositione.

Secundum Proclum acceptatur eadem propositio, cum tribus conclusionibus. Vnde in libro suo talem propositionem format. Omnis intellectualis ordinationis, id est in ordine separatorum intellectuum hi quidem sunt diuini intellectus, suscipientes Deorum participationes, hi autem intellectus solum, & omnis animarum ordinationis, hæ quidem animæ intellectuales sunt, ad intellectus suspensæ proprios, hæ autem animæ solum, & corporalis natura hæc quidem & animas habet astantes, hæ autem sunt naturæ solum, animarum expertes. Et aduerte quòd in secunda, & tertia parte propositionis, scilicet quo ad animas, & corpora non discordat à mente Auctoris, sed in primo ordine discordat in hoc quòd Proclus vult intelligẽtias supremas dici diuinos intellectus ex multa participatione Deorum, id est primarum formarum idealium: quæ sunt primum esse, prima vita, primus intellectus, quas more Platonico appellat Deos, & ponit distinctionem realem inter eas, vt diximus in propositione præcedenti. Auctor autem vult quòd dicantur diuinæ intelligentiæ ex multa participatione tantum vnius primæ causæ quæ realiter, & simplicissimè est primum ens, prima vita, primus intellectus, prima bonitas, &c. Et quoniam mens Auctoris in hoc est consona veritati, & concordat Aristoteli & Theologo, vt dictum est in propositione præcedenti, ideo sensus Procli relinquendus est, & secundum veritatem loco eius quod dicit: suscipientes Deorum participationes: dicatur suscipientes vnius primæ causæ participationes, &c.

Secundum doctrinam Aristot. acceptatur eadem propositio. Nam apud ipsum habemus hoc principium, quando aliqua plura ordinatè ab vno primo procedunt, propinquiora illi primo perfectiora, & magis illi similia sunt, vt patet de lumine procedente ordinatè à sole ad astra, ad elementum aëris, ad elementum aquæ, ad elementum terræ. nam perfectius recipitur in astris, imperfectius in aëre, adhuc imperfectius in aqua, & imperfectissimè in terra propter opacitatem, & multam distantiam. Constat autem quod in ordine intelligentiarum: quæ sunt superiores, propinquiores sunt primo principio, istæ autem sunt secundum Aristo. quæ sunt applicatæ superioribus sphæris, inter quas prima in nobilitate, & perfectione, & causalitate est intelligentia octauæ sphæræ quæ secundum Arist. est primum mobile, Deinde intelligentia Saturni, Deinde Iouis: & sic descendendo. Nam sic ordinat eas in 12. Metaphy. tex. 44. vbi inquit Commen. Quoniam verò ordinatio istorum mouentium à primo motore: oportet vt sit secundum ordinem stellarum orbium, manifestum est etiam quòd prioritas eorum in loco, & in magnitudine facit eos priores in nobilitate, &c. Si igitur propinquiora primo principio nobiliora sunt & perfectiora, merito dicuntur diuina entia, & in proposito dicentur diuinæ intelligentiæ. Habemus & aliud principium ab Aristot. in decimo Metaphysi. tex. 23. quòd medium retinet naturam extremorum. Cum igitur anima humana media sit inter intelligentias, & animas inferiores, quoniam secundum Arist. in secundo de anima, tex. 22. videtur alterum genus animæ esse, & hoc solum contingere separari sicut perpetuum à corruptibili, necesse est inquantum respicit intelligentias esse naturæ intellectiuæ, & inquantum respicit animas inferiores esse animam. Inferiores autem animæ sint animæ tantum. Item habemus ab Aristot. in octauo Physico. text. 27. quòd cum omne corpus naturale moueatur aliquo motu, aut mouetur à seipso, aut ab alio: si à seipso, est animatum, distinguitur enim omne animatũ in partem mouentem, & in partem motam, cuius motus principium sit anima, siue motus sit alteratio, siue augmentum, siue decrementum siue motus localis, si autem mouetur ab altero est corpus inanimatum. Ergo secundum Aristot. inter corpora naturalia, quædam sunt animata corpora, quædam autem sunt corpora tantum.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem propositio, & quidem quòd suprema intelligentiæ merito dicuntur diuinæ intelligentiæ, quoniam propinquæ sunt primæ causæ, à qua recipiunt abundantius diuinas perfectiones. Sanctificatur Dionysius de cœlesti hierar. capit. 7. vbi exaltat primam hierarchiam inquit: pulchrè igitur prima cœlestium hierarchiarum, ab excellentissimis essentiis sanctificatur, ordinem habens omnibus altiorem, hoc est circa Deum immediate collocatur: & primo operantes theophaniæ, id est diuinæ manifestationes, vel illuminationes, & perfectiones in eam tanquam proximam, id est Deo immediatam deferuntur, hæc ille, ex quibus constat, quòd cum prima hierarchia sit immediata Deo: & recipiat perfectiones, & illuminationes immediatè à Deo, & sit altioris ordinis: & aliæ intelligentiæ recipiant perfectiones, & illuminationes mediantibus supremis, merito supremæ dicuntur diuinæ, inferiores autem dicuntur intelligentiæ tantũ, similiter quòd perfectiores animæ sint non solum animæ, sed etiam intellectuæ, imperfectiores autem sint animæ tantum, & quòd perfectiora corpora sint non solum corpora, sed etiam animata, imperfectiora autem sint corpora tantum, declaratur ex fundamento posito à Dionysio in lib. de Diui. cap. 7. vbi inquit diuina sapientia est omnium effectiua, & super omnia concordans, & indissolubilis omnium concordationis, & ordinis causa, & semper fines primorum contingens principiis secundorum, & vnam omnium conspirationem, & harmoniam pulchrè operans, hæc Dionysius. Ex quibus habetur quòd cum intelligentiæ sint in primo ordine entis, & animæ in secundo, & hæ corpora in tertio. Intelligentiæ vltimæ, & primæ, id est perfectiores animæ debent esse coniunctæ, ita scilicet quod participent de natura intellectuali ex consequenti nõ solum sint animæ, sed etiam intellectuales, similiter animæ, & perfectiora corpora debent conuenire, vt scilicet non solum sint corpora, sed corpora habentia animam, & sic seruatur vt inquit Dionysius pulcherrima consonantia in ordinibus vniuersi. Hæc de propositione xix. dicta sint.

Propositio vigesima.

CAusa prima regit res creatas omnes, præter quod commisceatur cum eis, &c.

Intendit Auctor in hac propositione manifestare modum quo prima causa regit omnia creata, absque diminutione perfectionis suæ quæ consistit in simplicitate, & vnitate virtutis suæ, ita quòd ex hoc vniuersali regimine nullam patitur distractionem virtutis, & licet sua virtus separata sit, & exaltata, tamen ex hoc non impeditur perfectissimum regimen, & ad manifestationem sui propositi tendit ex tribus, primò quòd prima causa regit omnia entia influẽdo in eis bonitatem suas quas ex parte sui influit vna influxione. & vno modo. Secundo quòd licet prima causa ex parte sui influat vno modo, et vna influxione, tamen res recipiunt huiusmodi perfectiones diuersimode secundum modum suæ virtutis. & sui esse. Tertio quòd omne regens præter causam primam regit diminute, & solum regimen primæ causæ est optimum, & pulcherrimum,

Primum sic manifestat, causa prima influit bonitatem in rebus, non per aliquod accidẽs medium, sicut agentia creata quæ agunt per qualitates suas actiuas, sed influit per essentiam suam, & suum esse quod est virtus sua, ita quòd essentia, esse, virtus, bonitas, non distinguuntur. cum igitur essentia, esse, virtus in prima causa sint vna res, sequitur quòd ex parte sui influit vno modo, & vna influxione super omnes res, sicut sol quantum sit ex parte sui effudit vno modo lumen super omnia illuminabilia, & Doctor vno modo quantum ex se illuminat omnes discipulos, proponens omnibus eandem conclusionem per eadem media.

Secundum sic manifestat, recipientia diuersificantur in virtute, & in esse, ex consequenti diuersificantur in capacitate & aptitudine recipiendi, ergo non omnia sunt æqualiter recepti ua, imò aliqua plus, & aliqua minus, quæ tamen diuersitas prouenit ex magnitudine largitatis diuinæ, & bonitatis. quæ ex immensitate sua, non potest recipi in rebus nisi multipliciter, & diuisim, & inæqualiter, sicut quoniam nullum illuminabile est capax tantæ lucis, quãta est in sole, necesse est quòd secundum plus & minus in diuersis recipiatur secundum diuersitatem naturæ, & esse earum.

Tertium sic manifestat, sicut omne agens creatum distat à suo facto quia non agit per essentiam suam, sed per instrumenta, & dispositiones quibus coaptat se facto suo. sic omne regens creatum distat ab eo quod regit, quia nõ regit per essentiam suã, sed per virtutes medias, puta per sciẽtiã, per prudẽtiã, &c.

sed ex eo quod agens creatum agit per dispositiones superadditas essentiæ suæ non est purum, & sufficientissimum agẽs, ergo nec regens creatum, quia regit per virtutes superadditas essentiæ suæ est sufficientissimum & verum regens, cum igitur prima causa regat omnia per virtutem quæ est essentia sua, ex consequenti est inditus à rebus gubernatis, sequitur regimen suũ esse in suae decoris, & sine defectu & tortuositate.

Ex his probatur sic propositum. Regimen primæ causæ non debilitat vnitatem eius, nec distrahit virtutem eius, regit ergo omnia absque hoc quod commisceatur eis. Antecedens probatur. Prima causa regit omnia per essentiam suam quæ est virtus sua, & non per dispositiones medias sicut regentia creata ergo, &c. Nam ideo regimẽ regentis creati debilitat vnitatem eius, & distrahit virtutem, quia regit per dispositiones superadditas essentiæ suę, cum igitur prima causa non regat, nec agat nisi per essentiam suam, sequitur, quod regimen eius non debilitat vnitatem eius, nec distrahit virtutem eius. Consequentia autem prima declaratur sic. Nam ex alio prouenit quod regens immisceatur rebus rectis, nisi quia regit per instrumenta, & dispositiones superadditas quibus inclinatur & coaptat se rebus rectis ex qua coaptatione incurrit quandam compositionem siue commixtionem, cum igitur prima causa regat omnia per essentiam suam exaltatam super omnia, & per indiuisibilem virtutem suam, sequitur quod regit omnia absque hoc quod commisceatur eis. Hinc patet error Auerr. in duodecimo Metaphysicæ comment. 37. qui abstulit à Deo regimen, & sollicitudinem indiuiduorum vt indiuidua sunt, vbi inquit. sollicitudo circa indiuiduum tali modo quod nullus habeat communicationem cum eo, hoc non est fas bonitati diuinæ, &c. Iudicauit enim Auer. de regimine diuino, sicut de regimine humano, in quo quia regens regit per dispositiones medias, & coaptat se rectis ex qua coaptatione distrahitur virtus sua incurrit quandam vilitatẽ ex qualitate eorum quæ regit, & imperficitur, sed hoc iudicium est penitus irrationabile, quoniam vt diximus Deus regit res per essentiam suam, absque hoc quod commisceatur eis. Item patet error Epicuri, qui posuit Deum ociosum de nullo ente curam habere credens esse impossibile Deum regere, & non distrahi virtutem suam nec inquietari, quoniam videbat in regimine huma no regentes inquietari. Non regentes autem gaudere quiete sua, sed vt diximus non est similis ratio, quoniam Deus sua essentia quæ est exaltata super omnia, & quæ est virtus sua, & vno influxu ex parte sui gubernat omnia. Regens autem humanum, per instrumenta, per varias applicationes, & per dispositiones superadditas essentiæ suæ regit, ideo inquietudinis distractiones multiplices patitur, & debilitatem virtutis, nobilitatem, & vilitatem recipiens ex conditionibus eorum quę regit, quoniam omnis humana actio qualificatur ex obiecto circa quod est, sicut & scientia recipit nobilitatem, & vilitatem ex obiecto, quod non contingit in diuina scientia, quoniam scit omnia in essentia sua, & ideo scit omnia: operatur in omnibus, regit omnia, sine aliqua imperfectione sua, quoniam scit operatur regit omnia per esse suum.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositionem in libro suo talem propositionem format. Omne diuinum, & prouidet secundis, & ereptum est ab his quibus prouidetur, &c. Per ly secundis intendit entia corporea, tam animata, quàm inanimata. Per ly diuinum intendit Deum summum, & substantias separatas quas Deos vocat Plato. Nam secundum viam Plato. triplex est prouidentia. Prima attribuitur summo Deo, qui principaliter prouidet substantiis intellectualibus, & toti vniuerso quo ad genera, & species, & vniuersales causas. Secunda attribuitur Diis secundis, qui prouident in diuiduis rerum generabilium, & corruptibilium. Tertia attribuitur dæmonibus qui prouident hominibus quo ad actus humanos. In hoc ergo quod Proclus dicit omne diuinũ, intendit non solum primum Deum, sed & Deos secundos, per ly ereptum intendit exemptum, siue non commixtum rebus prouisis eo modo quo exposuimus secundum Auctorem. Et ratio quæ adducitur secundum mẽtẽm Procli est eadem cum ratione adducta ad mentem Auctoris: quia scilicet Dij prouidentes, prouident per esse suum, & non per aliquam habitudinem, siue dispositionem superadditam essentiæ eorum, per quam aptentur, siue proportionentur rebus prouisis, sicut faciunt regentes humano regimine, quos necesse est commisceri, & distrahi, quoniam diuersi prouident diuersis dispositionibus & mediis, vt paterfamilias alia lege prouidet filiis, alia seruis, alia bestiis. Sed Dij suo esse sua essentia quæ est virtus, & lex eorum prouident rebus, ideo prouident, & tamen sunt ereptí, id est non commixti prouisis, nec patiuntur diuersificationem virtutis ex suo regimine.

Tu tamen aduerte, quod ratio adducta ad mentem Procli, non verificatur nisi in prima causa, quoniam omnis virtus actiua in creatis est quid additum essentiæ, & est accidens sicut actio sua. Nam in solo primo cui repugnat omnis compositio, & virtus, & actio est essentia sua propter quod tenendum est intelligentias regere per dispositiones superadditas essentiæ, nec inconuenit eas pati diuersificationem virtutis, & aliquo modo commixtionem cum his quæ reguntur, cum non sint purum agens, nec eis repugnet potentia, & actus. Et ideo Auctor secundum veritatem processit, qui regimen per esse suũ, & propriam essentiam, & non per dispositionem superadditam attribuit soli primæ causæ, similiter triplex prouidentia secundum viã Plato. non est sustinenda, & improbabitur infrà.

Virtus creata est accidens.

Secundum doctrinam Arist. acceptatur eadem propositio, Nam in duodecimo Metaphysicorũ habemus ab Aristotele, primo quod partes vniuersi habent ordinem adinuicem sicut partes ciuitatis, aut exercitus, & omnes habent ordinem ad vnum primum distinctum & separatum, & vniuersalem principem, à quo est ordo in partibus vniuersi, vnde inquit in textu quinquagesimosecundo. Omnia vero ordinata sunt aliqualiter, & ad vnũ quidẽ omnia coordinata sunt, scilicet ad primam causam à qua ordinãtur, & disponũtur sicut ab vniuersali regẽte, & principẽ, sicut partes familiæ disponũtur à Domino domus, vt inquit illic Comm. Et id manifestè concludit in textu quinquagesimoquinto, vbi reprobans eos qui ponebant substantiam vniuersi inconnexam, ita quod vnum ens non confert alteri, ex consequenti ponebant plura prima principia, dicit, Entia vero nolunt malè disponi, pluralitas autem principatuum mala, vnus ergo princeps: quasi dicat, totum vniuersum est sicut vnum regimen, & dominium, ergo oportet quod ab vno principe ordinetur & regatur, consequentia patet, quoniam videmus quod non stat bonitas regiminis cum pluralitate primorum regentium, vnus ergo est regens omnia entia. Quod autẽ non commisceatur eis, nec distrahatur virtus eius, patet ex secundo, quod habemus ab Arist. in duodecimo Metaphy. textu quinquagesimoprimo, vbi determinat quod primum principium est sua intelligentia, & ex consequenti omnis actio sua est substantia sua, ex quo habemus quod cum per intelligentiam, & scientiam suam regat entia, & producat (nostra enim scientia causata est à rebus, sciẽtia autem Dei est causa entis, vt inquit Com. in duodecimo Metaph. com. quinquagesimoprimo) & intelligẽtia sit essentia sua, sequitur quod regit res non per dispositiones medias, sed per essentiam suam, quæ cum sit exaltata super omnes res, nõ est cõmixtibilis cum eis, nec virtus eius, quæ est essentia sua est distrahibilis; sicut nec radius solis minuitur ex eo quod transit per varia corpora. Et si tu bene consideras, ratio adducta ad mentẽ Ari. non dissentit ab ea quam adduximus ad mẽtem Auctoris, vtrum autem prima causa omnia regat in vniuersali, & particulari, & quo ad singulas actiones, tam in superioribus, quàm inferioribus entibus ad mentem Aristotel. non spectat præsenti propositioni, de hoc vero locuti sumus in quæstionibus nostris super duodecimo Metaphysicæ.

Vniuersi partes ordinem habent ad inuicem, sicut partes ciuitatis optimè instituta.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem propositio. Nam cum Deus sit causa creaturarum per intellectum, non solum quo ad esse creaturarum, sed etiam quo ad quodcunque bonum in eis repertum, & ordo earum in debitum finem sit bonum in eis, sequitur quod Deus sua intelligẽtia quæ est essentia sua ordinat, & dirigit omnia in debitum finem, sic autem ordinare, & dirigere, est regere, & quoniã eodem agit & dirigit, patet quod sicut omnium est causa effectiua, sic est omnium causa ordinatiua, & propterea non admittit Theologus triplicem prouidentiam assignatam ad mẽtem Platonis. Tu tamẽ aduerte quod licet prima causa omnia ordinet, & dirigat in finẽ, tamen talem ordinẽ non exequitur per se ipsum, quo ad omnia, sed per causas secundas, vt gubernat inferiora per superiora, id est per intelligẽtias, & corpora cœlestia, vt dicemus in propositio. 23. per seipsum autem gubernat naturas intellectuales, vt sibi similes. Hæc de propositio. 20. dicta sint.

Propositio vigesima prima.

PRimum est diues per seipsum, & est diues magis, &c.

In hac propositione intendit Auctor declarare primam causam esse sufficientissimam ad regendum omnia, quæ sufficientia consistit in abundantia, & continentia omnium bonitatum, & perfectionum quas Auctor nominat diuitias, qui enim regit, & non continet bona dithibuenda subditis, diminutè regit, vnde ad omnimodam sufficientiam regiminis, duo requiruntur; primo debita, & certa sapientia, qua sciat regens subditos dirigere, & ordinare in finem: secundo abundantia

dantia mediorum conferendorum subditis, vt consequantur finem. Quid enim prodesset Principi scire ordinare militem contra hostes nisi prouideret ei de mediis, vt de pecunia & armis, & equis, &c. Ad declarandam igitur sufficientiam regiminis in prima causa, in hac propositione intendit Auctor hanc consequentiam. Prima causa est diues per seipsam, ita quòd nullo extra ipsam indiget, & est magis diues, id est super omnia diues, ergo sufficientissime regit omnes res: consequentia patet quoniam ex eo quòd est maximè diues per seipsam continet in se omnia media conferenda rebus gubernatis, ergo sufficientissime regit. Antecedens verò probatur ab Auctore pro vtraque parte. Et primo quòd sit diues per seipsam. Secundo, quòd magis diues quàm omnia alia. Quantum ad primum arguit sic. Prima causa est vnitas, & non sparsa in seipsa, sed pura vnitas, quia omnino indiuisibilis, & omnino incomposita, cum sit simplicissime simplex, aliter non esset primum ens, quoniam omne compositum posterius est suis componentibus, ergo est diues, & sufficiens per seipsam, probatur consequentia. Vnitas, id est simplicissimè simplex, & compositum sunt opposita, quoniam compositum indiget componentibus, neque enim ex seipso est, simplicissimè autem simplex nullo extrinseco indiget, quoniam à nullo pendet. ergo sicut omne compositum est diues per aliqua ex quibus est, & à quibus pendet, sic simpliciter simplex est diues per seipsum, sicut habet esse per seipsum.

Prima causa est diues per seipsam, id est nullius indigens.

Quantum ad secundum sic arguit. Prima causa influit bonitates in omnibus rebus, & nulla influit in ea, imò omnes accipiunt ab ea, quoniã posterius accipit à priori, & nõ ecõuerso. ergo omnes res tã intellectuales quã corporales non sunt diuites per seipsas, imò sunt indigẽtes vno primo diuite influente super eas bonitates, & omnes gratias, ex consequenti est diues super omnia, & sic est sufficientissimum regimen eius.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositio. Nam in libro suo format talem propositionem. Omne diuinum primo, & maximè est simplex: id est licet in entibus sint multa simplicia: intelligentiæ enim habent essentiam quæ non diuiditur: vt dictum est in propositione septima: tamen ens diuinum est primo & maximè simplex: quoniam non compatitur secum aliquam minimam compositionem: neque ex his: neque cum his: omne autem creatum cõpatitur secum compositionem saltem subiecti & accidentis, deinde subiungit Procl. Et propter hoc, id est propter maximam, & primam simplicitatem est maximè per se sufficiens. Ad euidentiam huius dicti aduerte tria. Primo, quod dicit Auctor, per seipsum diues, dicit Procl. per se sufficiens. nam per seipsum diues nullo extra ipsum indiget. ergo solus sibi sufficit. Secundo, Procl. intendens ex simplicitate diuina probare sufficientiam suam per seipsam, prius probat eius maximam simplicitatem, & arguit sic. Prima causa est prima vnitas, sicut enim est primum ens, & prima bonitas, sic est prima vnitas, ergo pura vnitas, ergo maxima vnitas, sicut pura albedo est maxima, id est perfectissima albedo. si maxima vnitas, ergo maxima simplicitas. nam simplicitas negat diuisionem in plura, & compositionem ex pluribus ex consequenti simplicitas includit vnitatem, qualis ergo est vnitas in prima causa, talis est simplicitas, si ergo est prima, & maxima vnitas est etiam prima, & maxima simplicitas. Tertio, ex maxima & prima simplicitate intendit concludere primam causam esse per se sufficientem, sicut etiam conclusit Auctor. nam omnia composita indigent suis componentibus, & agente vniente componentia simul. ergo non sunt per se sufficientia, simplicia autem non indigent his. ergo sufficientiam suam habent in seipsis, cum igitur causa prima sola sit simplicissima in se vnitissime, & indiuisibiliter continens vniuersalem bonitatem, sequitur quod est per se sufficiens.

Secundum doctrinam Aristo. acceptatur eadem propositio. Nam in quinto Metaphy. cap. de perfecto inter alios modos quibus dicitur perfectum assignans modum quo dicitur aliquid perfectum vniuersaliter, id est absolutè, & non solum in aliquo genere inquit. Quædam scilicet dicuntur perfecta modo vniuersali, ita quòd non deest eis nobilitas in vnoquoque genere, & nihil est extra illa, scilicet quod non contineatur in illis, & Commen. ibi applicans dictum Aristo. inquit, & ita est dispositio primi principij, scilicet Dei. Deus igitur in se cõtinet omnes bonitates, & nulla est bonitas extra ipsum nisi vt participatio diuinæ bonitatis, ergo per se sufficiens est, & in duodecimo Metaphysi. tex. 37. ponens correspondentiam & proportionem inter intelligibilia, & appetibilia determinat quòd sicut substantia simplex quæ est purus actus vt Deus est primũ intelligibile, ita & primum appetibile & optimum, ex consequenti est vniuersale bonum non secundum vniuersalem prædicationem, sed secundum vniuersalem continentiam. ergo est per se sufficiens. Confirmatur ex eius dicto in septimo lib. Poli. vbi inquit, Testis est Deus qui beatus est, non propter aliquod externorum, sed per seipsum, quia talis est secundum naturam, &c. sed apud Arist. felicitas, & sufficientia omnium bonorum idem sunt. ergo si Deus per seipsum beatus est per seipsum sufficiens est.

Deus seipso beatus est.

Secundum doctrinam Theologi acceptatur eadem propositio. nam secundum Diony. in lib. de Diui. no. cap. 13. Deus est vniuersalissimè perfectus, quia omnium perfectiones in se excellentissimè continet, & in omnibus influit bonitates suas indeficibili largitione, vnde inquit, Perfectum autem rursum dicitur, & sicut inaugmentabile semper perfectum: & sicut non minorabile, sicut omnia in seipso præhabens: & supermanens secundum vnam impausabilem, & eandem: & superplenam, & imminorabilẽ largitionem, secundum quam perfecta omnia perficit, & propria adimplet perfectione, &c. ergo ex vniuersalissima sua perfectione quæ à nullo extrinseco pendet, imò quæ communicatur extrinsecis, manifeste concluditur, omnimoda & per se sufficientia diuina. Item secundum Diony. in eodem lib. & eodem cap. Theologia laudat omnium causam, vnius nominatione propter excedentem totius diuinæ vnitatis simplicitatem, in qua omnia singulariter congregata sunt & superunita supersubstantialiter: ergo sicut ad mentem Auctoris, & Procli ex diuina vnitate, & simplicitate conclusimus Deum per se sufficientem, ita quòd sufficientia sua à nullo alio pendet, sic secundum Diony. eodem medio eandem conclusionem probare manifeste possumus. Hæc de propositione xxj. dicta sint.

Propositio vigesimasecunda.

CAusa prima est super omne nomen quo nominatur, &c.

Intendit Auctor hic manifestare celsitudinem primæ causæ ex hoc signo quod est super omne nomen quod posit sibi attribui ab intellectu nostro. Et licet ex dictis in Propositione sexta, vbi probatum est quòd est maior omni narratione & omni loquela, cum loquela, & narratio fiant per nomina, possit esse manifestum quòd est maior omni nomine sibi attributo, tamen hic particularem propositionem format de diuina nominatione, quoniam intendit eam probare medio non tacto in Propositione sexta. Intendens igitur probare primam causam esse super omne nomen, sic procedere videtur, omne nomen à nostro intellectu inuentum aut est abstractum, aut concretum, quorum nullum propriè conuenit primæ causæ. ergo est super omne nomen. Antecedens probatur pro prima parte. Omne nomen significat vt quo, vel per modum formæ, & sic est abstractum, vt deitas, humanitas, albedo, &c. vel significat vt quod, vel per modum compositi, vt Deus, homo, album, &c. & sic est concretum. Pro secunda parte probatur sic. Nomen abstractum significat per modum diminuti, quoniam signatum nomine abstracto non est quod subsistit, nec quod agit, sed quo agens agit, non enim humanitas subsistit, nec operatur, sed homo, nec calor calefacit, sed calidum, sed in Deo nulla est diminutio. ergo nomen abstractum non propriè conuenit Deo. Nomen autem concretum licet significet vt completum, id est id quod est, & quod subsistit, & quod agit, tamen significat formam limitatam, vel ad subiectum, vt album, vel ad materiam, vt homo: ex consequenti nomen concretum apud nos videtur significare naturam limitatam, id autem non competit Deo: quoniam cum sit agens creans, & influens bonitates suas in rebus influxione perfecta & vna, licet res diuersimode eas recipiant secũdum modum quo possunt recipere, necesse est diuinam bonitatem esse sine fine & interminatam. ergo quocunque nomine nominetur imperfectè & quasi impropriè nominatur, ergo est super omne nomen ab intellectu nostro inuentum.

Secundum doctrinam Procli, & Aristo. & Theologi acceptatur eadem propositio, quoniam vnumquodque eo modo nominatur quo intelligitur, cum nomina sint signa conceptuum, sed Deus & sua infinitate est super omnem scientiam & conceptum nostrum. ergo super omne nomen, & ideo bene dixit Dionysi. in primo cap. de Diui. no. Deus omnium quidem existentium comprehensiuus, omnibus autem vniuersaliter est incomprehensibilis, & neque sensus eius est, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque sermo, scilicet declarans immensitatẽ substãtiæ suæ, & infrà in eodẽ cap. inquit exponẽs illud, quare interrogas nomen meũ, quod est admirabile, &c. Nunquid autem non hoc vere est mirabile nomen quod est super omne nomen, quod est innominabile, quod

bile, quod est collocatum super omne nomen quod nominatur siue in seculo isto, siue in futuro.

Propositio vigesimatertia.

OMnis intelligentia diuina scit res per hoc quod est intelligentia, & regit eas, per hoc quod est diuina, &c.

Quoniam non solum prima causa regit, sed etiam intelligentiæ: nam per motum cœli regunt inferiora, & regulant in motu quo ad velocitatem, & tarditatem corpora cœlestia, ideo intendit in hac propositione declarare: vnde habet intelligentia quod sit regens, & dicit tria.

Primò, quod non regit inquantum intelligentia.

Secundò, quod regit inquantum diuina.

Tertiò, quod regimen primæ causæ sublimius est, & altioris ordinis quàm regimen intelligentiæ.

Quantum ad primum: aduerte quod sicut essentiale est lucido lucere, calido calefacere, sic essentiale est intelligenti intelligere, & scienti scire, non ergo est essentiale intelligentiæ inquantum intelligentia regere, sed intelligere; & in hoc stat sua perfectio, & complementum, quoniam vnumquodque perficitur sua propria operatione.

Quantum ad secundum, aduerte quod cum principium regiminis sit auctoritas quæ consistit in virtute regulatiua, & influentia bonitatis super subditos, ex eo intelligentia est regens, à quo habet auctoritatem, & causalitatem influentiæ bonitatis, hoc autem habet à Deo vt vniuersali Auctore & Domino, ex propinquitate & similitudine quam habet ad ipsum, est ergo regens inquantum participat virtutem, & potentiam diuinam, ergo non inquantum intelligentia, sed inquantum diuina, quod enim participat actionem alicuius principalis agentis denominatur nomine principalis agentis, vnde sicut lapis comburens participat actionem ignis: sic denominatur ab igne, dicitur enim lapis ignitus, igitur quoniam intelligentia participat actionem Dei, quæ est dominari & regere, conuenienter dicitur intelligentia diuina: sicut lapis dicitur ignitus, non inquantum lapis, sed inquantum comburit, vnde intelligentia quæ non regit non dicitur diuina, sed intelligentia tãtum, vt dictum est in propositione decimanona.

Quantum ad tertium, aduerte quod quadruplici ratione assignata ab Auctore regimen primæ causæ sublimius est. Primo: quia prima causa dat virtutem regitiuam intelligentiæ, & non econuerso. Secundo, quia quæcunque reguntur ab intelligentia reguntur etiam à prima causa: nam (vt diximus in Propositione prima) quancunque actionem habet causa secunda super effectum suum, habet & causa prima, quia non agit nec mouet nisi agente, & mouente causa prima. Tertio, quia prima causa sicut producit omnes res, sic etiam regit, intelligentia autem non regit omnia, sed tantum corporea, soli enim creatori natura intellectualis vt intellectualis subiicitur. Quarto, quia omnia desiderant primam causam modo suo, quoniam est bonum vniuersale, in quo continetur omne bonum: & cum omnia appetant bonum sequitur quod desiderant illud, in quo & à quo est omne bonum, non autem omnia desiderant intelligentiam, cum sit particulare, & determinatum bonum, constat ergo regimen primæ causæ esse sublimius, & altioris ordinis, cum non habeat regimen supra, & sit vniuersalissimum.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositio. nam in suo libro talem propositionem format. Omnis diuinus intellectus intelligit quidem vt intellectus, prouidet autem vt Deus. Vnde aduerte quod sicut proprium est sensui sentire, & voluntati velle, sic proprium est intellectui vt intellectus est intelligere. regere autem & producere non est proprium intellectus, sed inquantum intellectus practicus actuatus specie siue forma rei producibilis. puta intellectus ædificatoris est causa ædificandi, prout habet in se domum cognitã, cum igitur intellectus vt intellectus nõ regat, id habet aliunde, puta quia efficitur Deus participatiuè, recipiens à prima causa multam virtutẽ, & auctoritatem ex propinquitate ad illam, ex qua receptione participat & formam, & actionẽ, & nomen primæ causæ, quę sunt virtus regitiua, regimen, Deus. nam & in humanis qui accipiunt auctoritatem regendi à primo domino, dicuntur dominari, & domini, ergo, &c.

Secundum doctrinam Arist. acceptatur eadem propositio. Et quidem quod intelligentia vt intelligentia intelligat secundum Arist. manifestum est, quoniam sicut proprium est lucidi lucere, & calidi calefacere, & visus videre, sic intelligentiæ intelligere, & qui auferret ab intelligentia intelligere destrueret eam, vnumquodque enim est propter operationem, & quod intelligentia vt intelligit non regat, patet quoniam inquit Arist. in tertio de Anima, textu quinquagesimooctauo. Scientificum autem non mouet, sed manet, id est, intellectus inquãtum intelligens speculatiue non mouet, id est, non causat, non agit ad extra, sed quiescit. ergo non regit, quod autem regat vt accipit virtutem, & auctoritatem à primo, patet, quoniam in 12. Metaphysi. textu 51. assimilauit vniuersum exercitui, in quo propinquiores Duci accipiunt potestatem à Duce, & regũt inferiores. ergo in vniuerso entia propinquiora primo, vt sunt intelligentiæ, accipiunt virtutem, sicut & esse à primo: & regunt inferiora. Vnde dixit in primo Meteo. quod necesse est mundum inferiorem regi, & gubernari lationibus superioribus, id est, motibus cœlestibus, si ergo motibus: ergo & motoribus causantibus motum quales sunt intelligentiæ. Nam pro tanto ista est vera, Aqua calefit calefactione, quia calor siue calidum calefacit. ergo à simili hæc est vera, Mundus gubernatur motu cœlesti, quia gubernatur motore influente, &c.

Intellect⁹ regit directus à primo.

Tu tamen aduerte, quòd Arist. in hoc dissentit ab Auctore, quoniam non concedit intelligẽtias nisi secũdum numerum motuum cœlestium, vt patet in 12. Metaphysic. textu 48. vbi & Comment. inquit, Necesse est vt via numerandi ista sit ex numeratione motuum stellarum, ex consequenti apud Arist. omnes intelligentiæ mouent. ergo omnes regunt. ergo omnes sunt diuinæ, quia non dicuntur diuinæ, nisi quia regunt, in hoc imitantes primum. Apud Auctorem autem (vt patet in propositione decimanona;) quædam sunt intelligentiæ diuinæ, vt supremæ, quædam sunt intelligentiæ tantum, vt inferiores, quoniam cum sint nobiliores tota substantia corporea, non est necesse omnes esse applicatas corporibus cœlestibus, sed deputari altiori exercitio puta assistere primo, sed id ad Theologum spectat.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem propositio. Et primo, quod intelligentia vt intelligentia non regat probatur quoniam omnes regerent, cum omnes intelligant, sed secundũ Theologos non omnes regunt, nec præsidẽt rebus corporeis. nam secundũ Diony. in lib. de cœlesti hierarchia, cap. sexto. Primæ & supremæ intelligentiæ assistunt circa Deum semper & attente, ipsi immediate ante alias vnitæ. Quod autem vt diuinæ regant probatur, quoniam cum sint causæ secundæ, illis communicatur virtus regitiua, quæ essentialiter conuenit Deo, vt patet per Dionysium in lib. de diuinis no. cap. 12. & inquantum communicatur intelligentiis dicuntur Dominæ, & rectrices, & Dii, vnde inquit Dionysius in eodem cap. Sanctos autem & reges, & dominos, & Deos vocant eloquia in singulis principaliores ornatus, per quos secundi ex Dei donis accipientes illorum distributionis simplicitatem circa suiipsorum differentias multiplicat, id est diuina eloquia vocant illos Angelos sanctos & reges, & dominos, & deos siue diuinos qui tenent primos gradus in singulis ordinibus, quia recipiunt Dei dona, & virtutem in maiori simplicitate, quoniam Deo magis assimilantur, in quo est simplex & vniformis bonitas, & virtus, & sic per principaliores ex sua simplicitate distribuit illis, & huiusmodi dona multiplicantur in inferioribus secundum eorum differentias. Patet igitur quod intelligentiæ inquantum diuinæ, id est inquantum recipientes Dei dona, vt auctoritatem & potentiam regitiuam dicuntur regere, & dominari inferioribus, tam in ordinibus Angelorum, quàm in naturis corporeis. Quod autem Dei regimen altius sit, & melius quã regimen intelligentiæ apud Theologum manifestissimum est. Nam inquit in eodem capite, laudare nos conuenit illum qui est infinitorum nominum, sicut sanctum sanctorum, regem regnantium, dominum dominorum, & Deum Deorum, &c. Et declaratis quid sit sanctitas, regnum, dominium, deitas, subdit: Igitur hæc quidem in causa excedente omnia laudare conuenit, & addendum est, ipsam esse excedentem sanctitatem, & regnum, & dominationem, & superpositam ac amplissimam deitatem, etenim ex ipsa est distributa omnis munda diligentia, & omnis sincera mundicia. Item omnis ordo rerum, ornatúsque distinctus, inconcinnitatem, & inæqualitatem incongruentiam eliminans, & ad ordinatissimam identitatem rectitudinémque gestiens. Rursus omnium pulchrorum bonorúmque perfecta possessio. Hæc de propositione vigesimatertia dicta sint.

Intelligentiæ inquãtum diuinæ, & recipiẽtes dona dei, inferioribus dominantur.

Propositio vigesimaquarta.

CAusa prima existit in omnibus rebus secundum vnam dispositionem, sed res omnes non existunt in causa prima secundum vnam dispositionem, &c.

In hac propositione intendit Auctor declarare quomodo entia diuersimode reguntur à prima causa. Reguntur autem inquantum influit in eis bonitatem suam, & inquantum entia

Prima causa est in omnibus secundum virtutem & essentiã suam.

recipiunt, & in hac propositione dicit duo. Primo quod prima causa existit, scilicet per influxum bonitatis in omnibus rebus secundũ vnam dispositionẽ, id est, secundũ vnam actionem, quoniam diuina actio est virtus, & essentia Dei, quæ non potest plurificari. Secundo quòd res omnes, non autem in prima causa influente secundum vnam dispositionẽ, id est, receptionem, quoniã quęlibet recipit secũdum modũ naturæ suæ, vt quædam recipiũt vnitæ, vel indiuisibiliter, vt substãtiæ simplices, quædam recipiunt multipliciter, vt substantiæ compositæ, quædam recipiunt æternaliter, vt incorruptibilia, quædam temporaliter vt corruptibilia. quædam corporaliter vt materialia, quædam spiritualiter, vt immaterialia.

Hanc igitur propositionem Auctor probat sic. Quando agens est vnum, & recipiens diuersum diuersitas receptionis prouenit ex parte recipientium, & non ex parte agentis, vt quoniam lux solis est vna illuminat omnia vna illuminatione actiua, non tamen omnia recipiunt lumen eodem modo: quoniam recipientia sunt diuersa: vt corpus terrsum, corpus diaphanum, corpus terrestre, sed prima causa est vnum, & simplicissimum agens, & sua virtus, & sua bonitas est vna, ergo ex parte primæ causæ non diuersificatur influxus bonitatis in rebus, sed ex parte recipientium quę sunt diuersarum naturarum, & vnaquæque recipit modo suæ naturæ temporaliter, vel æternaliter, & vt sic diuersificatur influxus diuinæ bonitatis. Quod si agens esset diuersum, & recipiens vnum, diuersitas receptionis proueniret ex diuersitate agentis, vt quoniam calidum, & frigidum sunt diuersa agentia, & aqua est vnum recipiens, recipit à calido calorem, & à frigido frigiditatem, verum cum in proposito causã prima agens sit penitus vna, ex parte sua est in omnibus rebus vna influxione, sed quoniam res non sunt vnum recipiens sed diuersum, ex parte rerum non sunt in prima causa secundum vnam receptionem bonitatis influxæ.

Tu tamen aduerte quod in hac propositione comparat Auctor primam causam ad res vt regentem, & non vt creantem. Nam vt regens, & dominans supponit res in esse, quoniã cum regnum, & dominium sint relationes supponunt extrema actu ex consequenti vt regens influit bonitates suas in rebus existentibus quibus deducuntur in proprios fines & quoniam sunt diuersæ recipiunt diuersimodè huiusmodi bonitates vt dedimus exemplum de luce solis, vt creans autem non supponit recipiens, quoniam creatio nihil supponit: vnde si quæratur, cum Deus creans sit penitus vnus sicut & regens, & vt creans non supponat diuersitatem recipientium, vnde prouenit pluralitas, & diuersitas creaturarum. Diceret Auctor quod id *prouenit ex diuino intellectu qui in diuina essentia*, vt contentiua omnium graduum essendi cognoscit ad perfectionem vniuersi creandi, oportere esse plures, & inæquales gradus entium, vnde sicut artifex vna arte producit diuersa artificiata, vt ædificator vna arte domificatiua producit domum parũam, magnam, triangularem & rotundam, &c. Sic prima causa vna scientia sua adiuncta voluntate producit diuersitatem entium.

Item aduerte quod Auctor ibi, ergo secundum modũ, &c. Ex eo quod dixit diuersitatem receptionis prouenire ex diuersitate recipientium elicit hoc corollarium, *entia secũdum modum quo propinquant primæ causæ recipiunt bonitates eius*, vnde propinquiora perfectius, & abũdantius recipiunt, & quoniam entia intellectualia propinquiora sunt, vtpote similiora, ideo perfectius recipiunt, & quoniam intellectualia cognoscunt bonitates receptas, ideo delectantur, & delectatio est secundum proportionem cognitionis bonitatis receptæ, vnde primæ intelligentiæ perfectius recipiunt, perfectius cognoscunt, perfectius delectantur.

Entia per ficiũtur se cundũ propinquitatem ad primam causam.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositio. Nam in libro suo, hanc propositionem format. Omnibus quidem Dij adsunt eodem modo, non autem eodem modo omnia Diis adsunt, sed singula secundum ipsorum ordinem participant illorum præsentiam, hoc quidem vniformiter, hoc autem multiplicatim, & hoc quidem perpetuo, hoc autem temporaliter, & hoc quidem in corpore, hoc autem incorporaliter. Quam propositionem non est necesse aliter declarare: quoniam patet ex declaratione facta ad mentem Auctoris: & corollarium elicitum ab Auctore consonat doctrinæ Platonicæ quam sequitur Proclus. Nam apud Platonem pro principio habetur quod entia secundum propinquitatem: & distantiam à primo bono: plus & minus recipiunt ab eo bonitates: & quæ sunt naturæ intellectualis quanto propinquiora sunt illi, tanto magis assimilantur illi in cognitione, & dilectione, & delectatione, sed primum bonum est maximus sui cognitor, & amator, & seipso maximè delectatur cum sit primum intelligibile, & primum appetibile, & sibi ipse maximè vnitum. Ergo entia intellectualia quanto propinquiora sunt primo bono, tanto magis cognoscunt, & amant, & delectantur bonitatibus ab eo receptis.

Secundum doctrinam Arist. acceptatur eadem propositio. Nam in octauo libro Metaphysic. textu vndecimo, quærens vnde prouenit diuersitas rerum si materia est vna omnium generabilium, & determinans concludit quod licet materia prima sit vna omnium, tamen materiæ proximæ possunt esse diuersæ. nam alia est materia phlegmatis, puta humidum frigidum, alia materia choleræ, puta calidum siccum, vnde inquit Arist. si agens est diuersum, & materia proxima recipiua sit vna, fiunt res diuersæ, vt ex ligno fit domus & fit nauis, quoniã alia est ars ædificatiua, & nauificatiua: & posito quod esset eadem ars, & idem artifex realiter, tamen quia alia idea agit domum, & alia nauim dicitur diuersum agens formaliter, si autem agens est vnum, & materia est diuersa, fit diuersitas rerum ex parte materiæ, vt idem artifex per eandem ideam facit duas phialas, vnam ex argento, aliam ex auro, si verò agens & materia sint diuersa, ex parte vtriusque prouenit diuersitas. Quod si agens est vnum & materia vna productum erit vnum. In casu proposito, prima causa regens est vna, & entia recta sunt diuersa, ergo diuersitas receptionis bonitatum diuinarum, prouenit ex rebus diuersis, & diuersimodè recipientibus, & non ex vnitate primæ causæ influentis. Similiter corollarium positum ab Auctore acceptatur ab Aristot. Nam in primo cœli, textu trigesimonono, Loquens de entibus æternis habentibus sufficientissimam vitam, & quæ sunt extra cœlum dicit. vnde & aliis communicatum est his quidem clarius, his autem obscurius esse, & viuere, id est, cum à perfectissimo fiat deriuatio ad minus perfecta, & causa prima sit perfectissima, consequens est, vt ab ea ad alia fiat deriuatio, & communicatio esse, & viuere non quidem æqualiter, sed his quidem clarius, scilicet propinquioribus, his autem obscurius, scilicet magis distantibus, vt corruptibilibus. Quod autem propinquiora primæ causæ intelligẽtia, & desiderantia delectentur, manifestat Arist. in duodecimo Metaphysic. textu trigesimonono, vbi facit talem comparationem. Si nos intelligentes eo modo quo possumus, & non semper diuinas perfectiones optimè delectamur, multo magis entia intellectualia æterna, vt intelligentiæ delectantur, quoniam illis est intellectio continua, & semper, ex consequenti eorum delectatio est sempiterna.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem propositio. Nam cum propositio intelligatur non de productione rerum, sed de earum regimine, & gubernatione à prima causa, sumenda est diuersitas ex parte rerum, & non ex parte regentis, quia vna actione, vna virtute gubernat omnia. Nam regere est dirigere, & producere rem per debita collata media in bonum finem, dirigere autem motus est, & motus cum sit actus mobilis à mouente, diuersitatem accipit à diuersitate mobilium, & non à mouente, stat enim vnum agens causare plures passiones in distinctis substantiis. Nam ignis A, potest calefacere plura calefactibilia, & licet calefactio actiua, vt est ab igne, sit vna tamen calefactio, passio diuersificatur, vt diuersificantur receptiua, sic est in proposito de diuino regimine in quo seruatur vnitas ex parte regentis, & sumitur diuersitas ex diuersitate rerum recipientium diuinum regimen. Quod autem entia secundum maiorem, & minorem propinquitatem ad primam causam recipiant maiores, & minores perfectiones, patet apud Theologum ratio, quoniam propinquius perfectissimo magis participatipsum, sicut propinquius lucidissimo magis illuminatur, & minus propinquum minus. Et quod entia intellectualia delectentur in *coordinatione diuinarum perfectionum* quæ sibi communicatæ sunt à prima causa, & delectatio proportionetur perfectioni collatæ, & cognitæ, patet ratio, quoniam delectatio est de bono cognito præsenti, & vnito ipsi cognoscenti. ergo delectatio graduatur secundum quod graduatur ipsum bonum cognitum, vt scilicet paruum bonum parum delectet, & magnum magis, & maximum maximè, vnde Deus est infinitè felix, quoniam cum sit bonum infinitum infinitè delectatur in seipso. Hæc de propositione xxiiij. dicta sint.

Propositio vigesima quinta.

SVbstantiæ vnitæ intelligibiles non sunt generatæ ex re alia, omnis substantia stans per essentiam suam, non est generata ex re alia, &c.

In hac propositione intendit manifestare quod aliquæ substantiæ ita disponuntur à prima causa quod non indigent generari

generari ab aliquo generante, sumendo generans propriè quod scilicet educit generabile de potentia ad actum per generationem Physicam quæ est terminus alterationis, sed huiusmodi substantiæ acquiunt simpliciter esse completum à prima causa, sine præcedentia alicuius esse imperfecti, & potentiali, ponit igitur talem propositionem. Omnes substantiæ vnitæ intelligibiles non sunt generatæ ex re alia, id est omnes substantiæ simplices intellectuales quales sunt intelligentiæ, & anima intellectiua, non sunt generatæ ex re alia, id est nec ex materia, nec ex aliquo generante propriè dicto: hanc sic probat. Omnis substantia simplex intellectualis est stans per essentiã suam, id est, est subsistens secundum seipsam, vt in hoc distinguatur à re subsistente non secundum seipsam, sed quia habet formam fundatam in materia, vt composita materialia. Omnis substantia subsistens secundum seipsam non est generata ex re alia modo exposito: ergo, &c. Prima propositio fuit probata supra in propositione decimaquinta, vbi declaratum est, quod omne sciens essentiam suam est rediens ad essentiam suam reditione completa, ex consequenti est per se subsistens. Secunda autem propositio probatur hic ab Auctore sic. Omnis substantia generata ex re alia, siue sumatur ly ex vt dicit materiam siue vt dicit causam efficientem tendit ab esse diminuto, id est potentiali ad esse completum, id est actuale. Nam generatio est via à diminutione ad complementum, quoniam enim termini sunt oppositi, & terminus à quo habet rationẽ non esse, terminus autẽ ad quẽ habet rationem esse. Nam ex non calido fit calidum ex non homine fit homo, id est ex homine in potẽtia fit homo actu. Res ergo generanda prius est sub esse diminuto, & per actionem generantis disponentis materiam educitur de imperfecto ad perfectum, & quoniam omnis generatio adiuncta alterationẽ fit in tempore, sequitur quod omnis substantia generata ex re alia, prius tempore habet esse diminutum quàm completum, sed substantia subsistens secundum seipsam non prius habet esse diminutum postea completum, quoniam cum sit forma siue actus, & non habeat materiam partem sui, quando producitur totaliter producitur, scilicet ex puro non esse, ex consequenti accipit suum esse completum à prima causa, in instanti non per generationem, sed per simplicem fluxum, & sua formatio siue productio, non est via ab imperfecto ad perfectum qualis est generatio Physica, sed est comparatio siue relatio ad primam causam à qua in esse completo producitur, nullo potentiali supposito, ergo omnis substantia subsistens secundum seipsam non est generata generatione propriè dicta ex re alia, id est nec ex materia, nec ex generante Physico. Licet acquirat esse completum à prima causa, non præcedente aliquo esse diminuto, vel potentiali.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositio. Nam in libro suo talem propositionem format. Omne per se subsistens est ingenerabile, & accipit ly per se subsistens non absolutè, quoniam indiuidua substantiæ, vt Socrates Plato cum sint per se subsistentes (non enim innituntur alij, sed habent esse per se, & completa sunt in natura sua) non essent genita, sed accipit ly per se subsistens in sensu Auctoris, scilicet subsistens secundum seipsum, & non quia habet formam in materia, ex cuius compositione resultat compositum subsistens, & sic ly per se subsistens est restringendum ad substantiam immaterialem quales sunt ideæ apud Platonem, & intelligentiæ, & animæ intellectuales. Et Proclus eadem via probat, qua probauit Auctor, ideo recurre ad probationem sappositam.

Secundum doctrinam Arist. acceptatur eadem propositio. Nam in octauo Metaph. textu decimoquinto, & decimosexto, Quærens Aristoteles quid faciat diffinitionem esse quid vnum, id est, significatum diffinitionis quæ est essentia rei, vt propter quid natura hominis est quid vnum, & natura equi, & natura intelligentiæ, & determinans dicit in rebus compositis in quibus, est generatio, ideo res est vna, quia vna pars est potentia, scilicet materia, & alia est actus. & ex potentia, & actu sine alio medio fit vnum, modo sit agens qui per generationem educat rem de potentia ad actum, vnde inquit. Quid igitur causa huius est. Scilicet quod est potẽtia ens, actu fit propter faciens, in quibus est generatio, nulla nanque est causa altera. In rebus autem non habentibus materiam neque sensibilem, vt naturalia, neque intelligibilem vt mathematica statim, id est, non per generationem, nec per eductionem de potentia ad actum, nec receptionem formæ in materia, sed secũdum se sunt vnũ, sicut & ens, vnde inquit quapropter nulla est alia causa, scilicet intrinseca, nec extrinseca, faciens autem generans, vnum essendi in his neque essendi ens aliquid, statim enim, id est, sine transitu ab imperfecto ad perfectum vnumquodque est ens aliquid, & vnum aliquid.

Tu tamen aduerte quod licet Aristot. neget in his substantiis simplicibus generans, & eductionem, de potentia ad actum, non tamen negaret quin recipiant esse statim perfectum per simplicem actionem primę causæ, à qua vt diximus suprà in propositione xviij. ad mentem Arist. omnia pendent effectiuè, & id consonat dicto Comment. in duodecimo Metaph. comment. 44. qui arguens quosdam ponentes agens in abstractis inquit, nos verò qui iam est inter modernos in dicendo quod à tali motore prouenit talis motor, aut consequitur, aut precedit, aut talia verba nõ verè intelliguntur de illis principiis abstractis, omnia enim ista sunt dispositiones agentium superficietenus, non verè. Ab agente enim nihil prouenit, vt diximus nisi extrahere illud quod est in potentia ad actum, sed illic non est potentia, id est, esse potentiale: vnde nec agens, quod scilicet agit actione quæ est motus, tantum enim est illic intellectus, & intellectum, & perfectum, & perficiens, &c. Perficiens autem est prima causa, perfectum verò est subsistantia simplex, facta in esse perfecto à prima causa non mutatione, sed sua scientia, & voluntate, & simplici effluxu.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem propositio. Nam cum omne generatum generetur ex materia in qua habet esse in potẽtia, & substantiæ subsistentes secundum seipsas sint simplices ex consequenti immateriales, sequitur quod non generentur ab aliquo generãte propriè dicto. Omnis enim motus, & mutatio physica supponũt materiã, & generans generat suppositã materia, cuius actione quod erat in esse potẽtiali reducitur ad esse actuale, verum non sunt entia nisi quod per participationem accipiunt esse perfectum, nullo supposito à primo ente perficiente. Hæc de propositione xxv. dicta sint.

Propositio vigesima sexta.

OMnis substantia stans per seipsam non cadit sub corruptione, &c.

Quia in propositione præcedenti probauit omnem substantiam subsistentem secundum seipsam non generari ab aliquo generante propriè dicto ex consequenti ingenerabilem esse generatione physica in hac propositione ostendit eandem esse incorruptibilem corruptione propriè dicta, vt excludam annihilationem, & antequam ad probationem deueniam, aduerte quod ly per seipsam dupliciter potest exponi. Primo vt per ly per seipsam excludatur omnis alia causa, tam extrinseca, quàm intrinseca, & vt sic non verificatur nisi de prima causa quæ à se, & ex se subsistit, vt primum ens penitus independens. Secundo vt per ly per seipsam excludatur causa intrinseca formalis, nam composita non subsistunt nisi quia forma per quam sunt actu, est in materia, & tandiu subsistunt, quandiu stat vnio formæ, & materiæ, & causa corruptionis est separatio formæ à materia, & propterea non possunt composita dici subsistere per seipsam, id est secundum totam essentiam, sed per partem, id est per formam vnitam materiæ, substantiæ autem incompositæ & immateriales, quoniam sunt formæ, & actus dicuntur stare per seipsas, id est suas simplices essentias ex consequenti si cadunt in corruptione non cadunt per separationem partis à parte, sed per separationem eiusdem simplicis essentiæ à seipsa.

Substantiæ subsistentes sunt incorruptibiles.

Facta hac declaratione, aduerte probationem Auctoris consistere in hoc. Omne quod corrumpitur non corrumpitur nisi quia separatur à causa per quam est actu, vt homo corrumpitur quia separatur ab anima, & sic quodcunque aliud corrumpitur, sed substantia stans per seipsam non potest separari à causa per quam est actu. nam est actu per suam simplicem essentiam, & non per formam in materia & non potest separari à sua essentia, aliter id est separatur à seipso, & prætereà cum essentia sua sit causa subsistendi in hac simplici substantia, quoniam sua essentia est ens, & vnum ex propositione præcedenti, hæc simplex substantia comparatur ad essentiam suam sicut causatum ad causam. Tunc sic, Quando causa & causatum sunt vnum, impossibile est causatum separari à causa, vt patet, sed substantia simplex est sua essentia, & subsistit per suam essentiam, & vt sic in idem coincidunt causa & causatum, ergo impossibile est eam separari ab essentia, & cum per essentiam suam sit actu semper erit actu, ergo non cadit sub corruptione.

Tu tamen aduerte quòd vt dicit Auctor substantia stans per seipsam non est causa sui ipsius existendi actu nisi per respectum ad causam primam à qua producta est secundum esse perfectum, vt diximus in propositione præcedenti, ex quo

ex quo sequitur quod licet respectu causæ formalis intrinsecę non possit deficere, tamen respectu causæ primæ defectibilis est, exitiis enim conseruatione primæ causæ, qua subtracta tenderet in non ens.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositio. nam in libro suo, talem propositionem format. Omne per se subsistens est incorruptibile. Et intendit per ly per se secundum seipsum, & secundũ totam suam essentiã ad differentiam compositorum quæ subsistunt ratione partis, id est, quia habent formam in materia. Et sic apud Proclum sicut etiam apud Auctorem, ly per se subsistens non verificatur nisi de substantia simplici vt est intelligentia, & anima intellectiua, & hanc quidem propositionem probat Proclus eodem modo quo probauit Auctor, quare sufficit probatio auctoris.

Substãtiæ simplices neque per se neque per accidẽs corrũpi possunt.

Secundum doctrinam Arist. acceptatur eadem propositio. Nam in libro de longitudine, & breuitate vitæ, assignans causas corruptionis in compositis, & in simplicibus, dicit de compositis illa esse corruptibilia, quæ componuntur ex partibus corruptibilibus, vt elemẽtata quæ constant ex elementis corruptibilibus. Quapropter si partes alicuius compositi sunt incorruptibiles, & ipsum erit incorruptibile, sicut corpus cœleste, cujus forma non inest materiæ cum qualitatibus contrariis, nec materia subest priuationi. Cum autem substantiæ simplices careant materia: & non insint eis qualitates actiuæ: & passiuæ, constat quod non possunt corrumpi, vt corrumpuntur cõposita, loquens autem de corruptione simplicium, quales sunt formæ accidentales, & substantiales dicit quod dupliciter possunt corrumpi, scilicet per se & per accidens, per se quidem corrumpuntur à suo contrario, vt siccitas corrumpitur ab humiditate, & scientia ab ignorãtia prauæ dispositionis, per accidens autem corrumpitur ad corruptionem sui subiecti cui inniituntur, & à quo conseruantur, vt corrupta aqua corrumpuntur qualitates eius, & corrumpitur forma eius, sustentabatur enim in materia per qualitates eius, sed neutro modo substãtiæ simplices possunt corrumpi: non quidem per se, quoniam substantiæ nihil est contrarium, nisi ratione qualitatum contrariarum, quæ non insunt substantiis simplicibus, cum sint extra naturam elementorum, nec per accidens, quoniam cum sint immateriales non sunt formæ innitentes materiæ, ergo omni modo corruptionis sunt incorruptibiles, & propterea dixit Arist. in primo cœli textu centesimo, de huiusmodi substantiis quod sunt entia inalterabilia, & impassibilia optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perficiunt toto æterno, id est, non temporalem, sed æternam. Et in libro nono Metaphysi. textu decimonono, dicit quòd in eis non est malum, neque peccatum, id est, defectus naturalis, neque corruptio, etenim corruptio malorum.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadẽ propositio. Nam Dionysius sic loquitur de intelligẽtiis in capitulo de Diui. nomi. Propter istos, scilicet diuinæ bonitatis radios, sunt, viuunt & vitam habent indeficientem, & immunem à corruptione vniuersa, Morte, materia, & generatione mundæ existentes. De animabus autem intellectiuis in eodem capite, sic dicit, post illas claras, & admirabiles, mentes animæ, & quæcunque sunt bona animarum, sunt propter bonitatem supremè bonam: quod scilicet intellectuales sunt, quod habent substantialem vitam inconsumptibilem, id est, immortalem, & ratio quidem Theologi qua probatur & intelligentiæ, & animæ incorruptibilitas est eadem cum ea quæ adducta est secundum Auctorem, & breuiter reassumpta stat in hoc. Cum intelligentia & anima ex propositione xv. subsistant secũdum seipsas, & non ratione partis vt composita, necesse est quod sint simplices essentiæ siue formæ. Igitur si corrũpuntur quod corrumpantur per se, quoniam nulli alteri inniituntur, quæcunque autem subsistentia per se corrumpuntur, ideo corrumpuntur quia aliquid ab altero separatur, puta forma à materia. Hoc autem non potest esse in simplici forma subsistente, vt patet, ergo necesse esset, vel formam separari à seipsa quod est inimaginabile, vel esse separari à forma quod est impossibile: quoniam est proprietas formæ, forma enim dat esse, proprietas autem est separabilis ab eo cuius est: quare sicut habere tres est inseparabile à triangulo sic esse est inseparabile à forma subsistente. Hæc de propositione xxvj. dicta sint.

Propositio vigesimaseptima.

OMnis substantia destructibilis, aut est composita, aut est delata super rem aliam, &c.

In hac propositione intendit ostendere causas, & conditiones propter quas substantiæ aliquæ sunt corruptibiles, & dicit id prouenire ex altera duarum causarum: prima est compositio, secunda est delatio, vel sustentatio super rem alteram, ex prima causa corrumpuntur, tam elementa quàm elementata, ex secunda corrumpuntur formæ accidentales quæ inniituntur subiecto, & formæ substantiales quæ inniituntur materiæ subiectæ priuationi, & propositum suum sic probat. Omnis substantia corruptibilis indiget aliquo quo stante habet esse, & quo remoto definit esse. Illud autem non potest esse nisi, aut partes componentes, quibus stantibus vnitas stat compositum, & quibus separatis abinuicem destruitur compositum, vt patet de corpore elementato, & de artificiis quæ resoluuntur in ea ex quibus constant, aut est subiectum deferens, & sustentans rem, quando enim subiectum est debitè dispositum conseruatur res innixa subiecto: siue sit forma accidentalis, siue substantialis. Nam agens destruens quam destruit accidentia aquæ, quæ inniituntur aquæ, & destruit formam aquæ, quæ sustentatur in materia. Et quoniam omnes formæ naturales rerum inferiorum præter animam intellectiuam inniituntur materiæ, ideo sunt corruptibiles, & transmutatione materiæ ad aliam formam. Patet igitur quod omnis substantia corruptibilis, ideo corrumpitur quia est composita ex partibus separabilibus abinuicem, aut quia sustentatur in esse per aliquod subiectum deferens. Et ex quibus corollariè sequitur quod si aliquod compositum conflatur ex partibus inseparabilibus abinuicem, vt corpus cœleste illud est incorruptibile non quia compositum, sed quia tali modo compositionis est compositum. Item si aliqua forma sit non innitens materiæ, quia non educta de potentia eius, sed est per se subsistens, talis non est delata super materiam, & licet informet materiam, tamen non corrumpitur propter separationem à materia, vt est anima intellectiua, de cuius incorruptibilitate satis pertractauimus in prima parte diui Thomæ, in quæstione 75. super quintum articulum.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositio, quam & ipse sententialiter ponit in libro suo, & probatio sua est conformis penitus probationi Auctoris, & præterea cum omnis corruptio fiat per separationem alicuius ab aliquo, necesse est quod hæc separatio fiat, aut ratione partium componentium, aut subtractione subiecti deferentis. ergo omnis substantia corruptibilis, aut est composita, aut delata super aliam rem.

Secundum Arist. acceptatur eadem propositio, nam secundum eum in duodecimo Metaph. textu vigesimonono, materia est causa non essendi, & corruptionis. Vnde probans intelligentias esse immateriales dicit, sempiternas enim oportet esse, quasi dicat, si habent materiam possunt non esse, ergo non erunt sempiternæ. Omne igitur corruptibile habet materiam ex qua, vel in qua: si ex qua, ergo est compositum, si in qua ergo sustentatur per materiam vt formæ accidentales, & substantiales, sustentari autem idem est quod deferri. Ergo secundum Aristot. omnis substantia corruptibilis, vel est composita, vel delata super aliam rem.

Tu tamen aduerte quod licet materia secundum Arist. sit principium non essendi, tamen ad hoc quod sit principium non essendi secundum substantiam, necesse est vt recipiat formam cum qualitatibus cõtrariis, & quoniam id non contingit in cœlo, ideo in primo cœli probauit cœlum esse inalterabile, ingenerabile, incorruptibile, & tamen in cœlo ponit materiam. Quoniam in omni mutatione Physica, etiam secundum locum supponitur materia, ex 12. Metaph. tex. 6. Cum igitur cœlum mueretur secundũ locum, patet quod in eo est materia, verum quia est alterius rationis à materia inferiori, non est principium non essendi in cœlo secundũ substantiã, sed secundum diuersa vbi. Item aduerte ex doctrina quam dedit in secundo libro de Anima, tex. 21. videtur anima vt intellectiua esse alterum genus animæ ex consequenti non inniti materiæ sicut vegetatiua, & sensitiua, aliæ formæ materiales, & esse separabile à corpore, vt perpetuum à corruptibili, cuius signum sumitur quia habet operationem in qua non communicat corpus, vt organum, ex quo sequitur quod sicut in operando non innititur corpori, sic, nec in essendo. Vnde inter omnes formas inferiores erit per se subsistens, & incorruptibilis. Ex doctrina igitur Arist. habemus quod omne corruptibile habet materiam ex qua, non simpliciter, sed subiectam priuationi, vt ex hoc excipiatur corpus cœli, vel materiam in qua non simpliciter, sed vt deferentem, vel sustentantem, vt ex hoc excipiatur anima intellectiua.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem propositio. Nam cum generatio & corruptio sint oppositi habent fieri circa idem, ergo omne corruptibile est generabile, sed generabile non est nisi compositum, & quod educitur de potentia

potentia subiecti, vel potentia materiæ, & omne tale innititur subiecto, vel materiæ, ex consequenti est sustentatum super rem aliam, ergo corruptibile nõ est nisi compositum, & quod de potentia subiecti, vel materiæ eductum est. Minor sic probatur, omne quod generatur, aut generatur per se, aut per aliud, id est ad generationem alterius. Si per se, ergo est compositum. In omni enim generatione per se subsistitur materia, ex qua per receptionem formæ constituitur compositum, & in hoc distinguitur generatio à creatione in qua nihil supponitur, si per accidens: ergo est eductum de potentia subiecti, vt dum fit aqua, generatur frigiditas: vel de potentia materiæ: vt dum agens disponit materiam educit formam aquæ de potentia materiæ: ergo omne genitum per accidens est delatum super subiectum, vel super materiam, ex consequenti cum omne corruptibile sit generabile, & eo modo corruptibile: quomodo est generabile sequitur omne corruptibile esse compositum, vel delatum, id est sustentatum super rem aliam, qua stante stat, & qua remota remouetur nisi corrumpatur à suo contrario, stat enim frigiditatem aquæ corrumpi à calore, & tamen aquam non corrumpi, vt diximus suprà etiam ad mentẽ Ari. Hæc de propositione vigesimaseptima dicta sint.

Propositio vigesimaoctaua.

OMnis substantia stans per seipsam est simplex, & non diuiditur, &c.

Quia in propositione vigesimasexta, manifestauit substantiam existentem per seipsam esse incorruptibilem, hic declaratur quomodo se habeat quo ad diuisionem, & compositionem, & intendit duas conclusiones: quarum prima est, substantia stans per seipsam non diuiditur, id est, est impartibilis, & indiuisibilis. Secunda est, substantia stans per seipsam est simplex, id est nõ composita ex multis, sed antequam descendam ad probationes, aduerte duo: primo quod simplex & impartibile licet sint idem re, tamen ratione differunt, quoniam impartibile formaliter excludit diuisionem, simplex autem formaliter excludit compositionem. Re tamen sunt vnum, quoniam omne partibile quoddam totum est, & vt sic compositum est, ergo impartibile incompositum est, & omne compositum partibile est, & vt sic diuisibile, ergo omne simplex indiuisibile est. Aduerte secundo, vt etiam diximus in propositione vigesimasexta, non est idem, substantiam stare siue existere, siue subsistere per se, & subsistere per se ipsam, vel per essentiam suam: nam existere per se verificatur de omni quod subsistit siue ratione partis, vt composita materialia quæ subsistunt ratione formæ vnitę materiæ, siue ratione totius essentiæ vt intelligẽtiæ quæ se totis subsistunt cum sint formæ completæ non vnibiles materiæ. Existere autem per seipsam, vel per essentiam suam non verificetur nisi de substantia: quæ se tota, siue ex se subsistit, vt per ly ex se excludatur causa formalis intrinseca ad differentiam compositorum materialium, non autem excludatur causa prima agens à qua pendet, vt diximus in propositione vigesimaquinta.

His præpositis, aduerte probationem Auctoris pro prima conclusione consistere in hoc, si substantia stans per se ipsam est diuisibilis in partes, ergo omnis pars est stans per seipsam, quod est falsum, consequentia sic probatur, quod conuenit alicui secundum seipsum, id est, secundum totum, cuilibet parti eius conuenit si est diuisibile, vt si sol secundum se totum est lucidus secũdum omnem partem est lucidus, & si mobile secundum totum mouetur secũdum omnem partem mouetur, ergo si substantia stans per seipsam, id est, secundum se totam diuisibilis est, omnis pars stabit per seipsam, falsitas autẽ consequentis sic manifestatur, si omnis pars stat per seipsam, ergo nulla innitetur alteri, repugnat enim aliquid per se stare, & inniti alteri, si nulla innititur alteri: ergo non constituent compositum, ergo aliquod habebit partes, & non erit compositum, quod est impossibile.

Secundam conclusionem sic probat Auctor, si substantia stans per seipsam non est simplex, sed cõposita, ergo quælibet pars stabit ex alia, quoniam cum stet secundũ se totam quælibet pars pendet ex alia, sed hoc est falsum, quoniam cum in quolibet cõposito sit ordo partiũ, in eo est assignare partem meliorem, & viliorẽ, vt in composito essentiali forma est melior materia, in composito elementato elementum prædominans, vt sic melius est, in composito quãtitatiuo pars prior videtur nobilior, si ergo substantia stans secundũ se totam est composita, & quælibet pars pendet ex alia, sequitur meliorem pendere à viliori, & viliorem à meliori. Quapropter infert Auctor substantiam stãtem per seipsam esse incompositam, quoniam per seipsam sibi sufficit, ex consequenti non indiget partibus, à quibus recipiat sufficientiam, sicut compositu accipiunt sufficientiam, sicut & esse à partibus. Integratur enim totum ex partibus. Et quoniã est simplex & impartibilis, ideo est incorruptibilis, vt probatum est in propositione xxvij.

Secundum doctrinam Procli, acceptatur eadem propositio. nam in lib. suo, talem propositionẽ format, Omne per se stãs, id est, secundũ seipsum impartibile est & simplex: probat autẽ sic, si omne stans secundũ seipsum est partibile, *cum stet* secundũ se totũ, & non ratione partis, vt declaratum est, ergo stat secundũ quamlibet partem, ergo quælibet pars fundatur in alia: vnum quodque enim fundatur in eo per quod stat, si ergo stat secundũ quamlibet partẽ, quælibet fundatur in alia. Nam sic stans ratione partis, ideo stat quia vna pars fundatur in alia, puta forma in materia, sic stans secũdum se totũ, ideo stat si est partibile, quia quælibet fundatur in qualibet, hoc autem est impossibile, quoniam fundans & fundatum se habent, vt causa & effectus, quæ cum sint opposita non possunt conuenire eidem secundum idem, non ergo stans per seipsum est partibile, si impartibile ergo est simplex. Nam idem re sunt vt diximus suprà, licet differant ratione.

Animæ secũd intelligẽtiæ sunt indiuisibiles.

Secundum doctrinam Arist. acceptatur eadem propositio, & sufficienter probata est suprà in propositione septima, quo ad intelligentias de mente eius. Nam hæc propositio, omnis substantia stans per seipsam, &c. vt diximus in propositione xxv. nõ verificatur nisi de intelligentia, & anima intellectiua, & quidem quo ad intelligentias quod sint indiuisibiles, & simplices, vide probationes factas in propositione septima. Quod autem idem verificetur de anima intellectiua, vt intellectiua est, probatur ex eo quod dixit in tertio de Anima, tex. 4. vbi inquit, Necesse est itaque, quoniam omnia intelligit immixtum esse, id est non habere aliquam naturam corpoream, nec materialem, ex consequenti esse sine organo, quoniam si aliquod organum haberet sicut sensitiuum, iam non cognosceret omnia. sed suum obiectum esset determinati generis, sicut auditus circa sonum, & visus circa visibile, &c. Et in tex. 12. inquit, Dubitabit autem vtique aliquis si intellectus simplex est, & impassibilis, & nihil nulli habet cõmune, &c. Vbi supponens intellectuum principium esse simplex & impassibile, & inorganicum quærit quomodo potest intelligere cum intelligere sit quoddam pati. Ex quibus dictis constat Aristo. cognouisse animam intellectiuam, vt intellectiuam, esse eleuatam super omnem naturam corpoream & materialem, ex consequenti esse simplicis & inextẽsæ, & indiuisibilis substantiæ sicut intelligentiæ, in hoc tamen differens ab eis quod est actuatiua materiæ, non tamen pendens ab ea. Et id cognouit Aristot. ex operatione intellectiua, quæ non expletur per aliquod organum, & suum obiectum non est tantum vnius generis, sed ens inquantum ens.

Anima est tota in toto & tota in qualibet eius parte.

Secundum doctrinam Theologi, acceptatur eadem propositio, & quidem quod verificetur de intelligentia, iam probatum est in propositione septima, vbi & adduximus dictum Dionysij. Quod autem verificetur de anima intellectiua probatur, quoniã secũdũ Theologũ est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, non quidem quo ad totalitatem potentiarum, aliter omnes potentiæ animæ essent in pede, & in manu, &c. Sed quo ad totalitatem essentiæ. ergo essentia eius est omnino inextensa, & per se, & per accidens ex consequẽti est omnino indiuisibilis, & incompositа. & signum omnimodæ inextensionis manifestatur per actum intelligendi, propria enim operatio formæ extensæ est circa singularia tantum, operatio autem animæ intellectiuæ est circa vniuersale, & intellectus recipit speciem vniuersalem in repræsentando, ergo cõstat animã intellectiuam secundũ essentiã suã esse eleuatam super materiam, & non extendit, in corpore extensũ. sicut extenduntur per accidens formæ substantiales materiales, & accidentales quæ recipiuntur in quanto. Extenditur enim albedo ad extensionem superficiei, ex consequenti anima intellectiua est impartibilis, & simplex. & per se, & per accidens. Hæc de propositione xxviij. dicta sint.

Propositio vigesimanona.

OMnis substantia simplex est stans per seipsam scilicet per essentiam suam, &c.

Pro euidentia huius propositionis aduerte duo, primo cũ propositio præcedens sit vniuersalis affirma. & hæc sit vniuersalis affirma. non videtur hæc conuersio valere, quoniam vniuersalis affirma. non conuertitur nisi in particularem affirma. vt hic, omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo. nam si dicatur, ergo omne animal est homo, patet consequentiam esse falsam, sic in proposito, licet hæc sit vera, omnis substantia stans per seipsam est simplex, tamen hæc videtur falsa, omnis substantia simplex stat per seipsam

seipsam, quoniam aliquæ substantiæ simplices, vt formæ naturales, & omnes animæ præter intellectiuam non stant, id est, non subsistunt per seipsas, nec per alterum. Ad hoc igitur dicēdum est, quòd intentio Auctoris non fuit loqui de omnibus substantiis simplicibus, sed de his quæ subsistunt, veluti, si diceret, omnis substantia simplex stans, stat per seipsam, & est verum ad differentiam substantiæ compositæ stātis, quæ non stat per seipsam, sed ratione partis, vt diximus in propositione xxviij. Et sic patet quòd instantia adducta de formis naturalibus non valet, quia non stant, ex consequenti non stant per seipsas, nec per alterū. Aduerte secundo quòd licet Auctor hanc conuersionem faciat, & conuersam probauerit quæ fuit propositio præcedens, tamen conuertentem non probat quæ est præsens propositio, & existimo, id fecisse, quoniam in omni bona cōuersione, ab vna ad reliquam est manifesta cōsequentia, bene enim sequitur quòd si nullus homo est lapis, nullus lapis est homo. Et in terminis conuertibilibus, patet vniuersalem affirma. conuerti in vniuersalem affirma. vt si omnis homo est risibilis, omne risibile est homo, & quoniam ista duo sunt conuertibilia, substantia stans per seipsam, & substantia simplex stans ideo bene sequitur, quòd si hæc est vera, omnis substantia stans per seipsam est substātia simplex stans, etiam hæc est vera, omnis substantia simplex stans, est stans per seipsam, hanc puto esse rationem quare Auctor non probauit eam, verùm quia in commento ponitur alia propositio, quæ talis est, substantia stans per seipsam est causata sine tempore, & est in substātialitate sua superior substantiis temporalibus. Cui cōcordat Proclus formans talem propositionem, omne stans per seipsum est exemplum ab his quæ tempore mensurantur secundum suam substantiam, & hæc propositio probatur in commento, & ex ea possumus elicere probationē propositionis positæ ab Auctore, ideo primo formo probationem propositionis positæ in commento, deinde elicio probationem positę propositionis ab Auctore, probatio stat in hoc, nulla substantia stans per seipsam est generata, vt probatum est in propositione xxv. omnis substantia causata in tempore, & mensurata tempore est generata. Ex hoc enim mensuratur tempore, quia esse eius variatur per generationem, & corruptionem, vnde quia cœlum secundum substantiam suam est incorruptibile, quo ad substantiam non mensuratur tempore, sed pro quanto est sub motu. Ergo nulla substantia stans per seipsam est causata in tēpore, ita scilicet quòd ipsa secundum substantiam mensuretur tempore, sed est eleuata super omnia temporalia, ex hac probatione potest sic elici probatio propositionis positæ ab Auctore, omnis substantia simplex stans, est non generata, nec mensurata tēpore, ergo est incomposita. nam omne genitum, & mensuratum tempore est compositum. Genitum enim constat ex materia & forma, & mensuratum tempore est mobile, & omne mobile est diuisibile, ergo compositum. Tunc vltra si stat, & est incompositа, vt dictum est, ergo stat per seipsam, quoniam cum careat partibus non potest dici quòd stet ratione partis, hoc enim est proprium compositorum, vt dictum est in propositione xxviij.

Substātiæ subsistētes sunt simplices, & ingenerabiles.

Eadem propositio quoniam conuertens est præcedentis, & præcedens acceptatur à Proclo, & ab Aristot, & à Theologo, vt probatum est, ex consequenti & hęc acceptatur nec indiget alia probatione, nisi vt probauimus, quoniam illa probatio procedit ex fundamento in quo conueniunt & Philosophus, & Theologus. Propositio autem posita in cōmento, scilicet substantia stans per seipsam causata & sine tempore, ita quod non mensuratur tempore quo ad esse suum vltra hoc quod acceptatur à Proclo, vt visum est acceptatur etiam ab Arist. Nam cum sit immaterialis, vt dictum est suprà, & incorruptibilis. Incorruptibilia autem sunt semper, & quæ semper sunt non continentur sub tempore. nec mensurātur, quoniam dicit Arist. in 4. Physi. tex. 117. est accipere maius tempus omni contento sub tempore, quare manifestum est, quoniam quæ semper sunt, secundum quod semper sunt, non sunt in tempore, neque enim continentur tempore, neque mensuratur esse eorum sub tempore, signum autem quoniam nihil patiuntur à tempore, tanquam non entia in tempore hæc illæ. Et in primo cœli, textu 100. inquit propter quod quidem, neque in loco quæ ibi apta nata sunt, scilicet extra cœlum, neque tempus ipsa facit senescere. patet igitur quòd substantia stans per seipsam est superior omni tempore, nec eius productio, cum non sit vera generatio, mensurantur tempore.

Eadem propositio acceptatur à Theologo. Nam Dionysius de Diui. nomi. capite decimo, assignans differentiam inter æuum, & tempus dicit, Aeuum appellat. scilicet sacra scriptura, secundum quod & proprietas æui est, antiquum & invariabile atque secundum totum ipsum quod dicitur esse metiri, tempus autem scriptura in generatione & corruptione ponit aliásque se aliter habens, id est, sacra scriptura appellæuum illud quod est mensura esse antiqui. id est, non incipientis de nouo, & inuariabilis, & mensuratur ab æuo secundum totū, & non per partem post partem. Tempus autem ponitur mensura eorum quæ generantur, & corrumpuntur, & aliter se habent, vnde inquit illic Dionysius, quod pro hac vita mensuramur tempore, post hanc vitam autem erimus participes qui, quoniam facti erimus incorruptibiles, &c. Ex his ergo habemus duo, primo quod substantia mensurata tempore habet principium, & finem in tempore, secundo quod esse mensuratum tempore est variabile per generationem & corruptionem. Cum igitur substantia stans per seipsam sit incorruptibilis, vt probatum est in propositione xxvj. sequitur quod non habet principium & finem in tempore, nec eius esse est transmutabile. Ex consequenti non mensuratur, nec continetur sub tempore, sed est altior omni re temporali. Hæc de propositione xxix. dicta sint.

Propositio trigesima.

Omnis substantia creata in tempore, aut est semper in tempore, & tempus non superfluit ab ea, quoniam est creata & tempus æqualiter, aut superfluit super tempus, & tempus superfluit ab ea, quoniam est creata in horis temporis quibusdam, &c.

In hac propositione intēdit declarare quòd conuenienter in vniuerso creatæ sunt duæ naturæ temporales quarum vna adæquatur tempori, ita quod non fuit, nec erit aliqua pars temporis in quo illa non sit, ita quod si tempus est æternum adæquatur tempori æterno, & si tempus est finitum ante, & post adæquatur toti tempori finito, ea ratione qua est temporalis, & hæc est natura corporis cœlestis. Dixi notanter ea ratione qua est temporalis, quoniam cœlum secundum substantiam, cum sit incorruptibile, & esse inuariabilis, non continetur, nec mensuratur tempore, vt dictum est in propositione præcedenti. Cœlum autem vt motum mensuratur tempore, quoniam tempus est mensura motus, & prout est sub motu dicitur substantia temporalis, quam Auctor dicit creatam in tempore inquantum, scilicet est sub motu, & non quo ad esse. Cœlum igitur vt motum, est natura temporalis adæquata tempori, quoniam tempus non fuit quin fuerit motus cœli, nec erit quin tunc sit motus cœli. Nam sic se habent quod posito vno ponitur reliquum, & remoto vno remouetur reliquum, vt magis declarabitur secundum doctrinam Aristot. Alia natura temporalis est inadæquata tempori, ita quod est dare tempus in quo illa non est, nec mouetur, vt natura omnium sub cœlo quæ dicuntur generabilia, & corruptibilia quæ aliquo tempore sunt & mouentur, & aliquo tempore non sunt nec mouentur. Hanc igitur conclusionem probabimus ad mentem Auctoris, deinde ponitur corollarium ad mentem eiusdem. Probatio conclusionis stat in hoc. Cum res substantiæ incorporeæ æternæ, & substantiæ generabiles sint penitus dissimiles, quoniam illæ sunt semper, & sunt immobiles, istæ autem non semper sunt, & sunt mobiles, non se consequuntur immediatè, sed per aliquod medium, quod de vtroque extremo participat. Nam hunc videmus ordinem in rebus, quod similia seinuicem immediatè consequuntur, dissimilia autem quodam medio, vnde in elementis, quoniam aqua est dissimilis igni in vtraque qualitate, non sequitur ad ignem immediatè, sed mediat aër qui participat qualitates vtriusque. nam est calidus, & vt sic assimilatur igni, & est humidus, & vt sic assimilatur aquæ, vt igitur hic ordo seruetur in substantiis creatis conueniens est, vt inter substantias æternas immobiles, & substantias temporales non æternas, & mobiles mediet substantia æterna temporalis mobilis. Nam inquantum habet esse æternum, id est, inuariabile, assimilatur substantiis æternis immobilibus, & dissimilatur substantiis temporalibus non æternis, & inquantum est sub motu assimilatur his substantiis non æternis mobilibus, & quia est sub motu dicitur temporalis, ratione autem esse immutabilis dicitur æterna, & hæc est natura cœli, vt diximus, conuenienter ergo datur natura causata in tempore adæquata tempori, & natura causata in tempore inadæquata tempori, sed prima est sub tempore non ratione esse sed ratione motus. Secunda autem est ratione vtriusque, & ideo dicitur simpliciter temporalis.

Corollarium positum ad mentem Auctoris incipit ibi. Iam ergo ostensum est ex hoc, &c. Et intendit quòd cum duæ sint naturæ æternæ vna simpliciter æterna, & nullo modo temporalis, vt substantia abstracta, alia æterna, & temporalis ratione

ratione motus vt substantia cœli, duæ sunt perpetuæ durabilitates. Nam & substantia abstracta, & substantia cœli. cùm sint creatæ incorruptibiles in æternum stant, & tamen inter eas assignatur triplex differentia, prima est quòd substantia abstracta est natura fixa stans immobilis motu physico. Cùm enim sit simplex, & indiuisibilis ex propositione xxviij. est immobilis physicè. Omne enim mobile est diuisibile, vt probat Arist. in 6. Physi. text. 39. Substantia autem cœli mouetur, vt patet, & vt sic instabilis est, secunda est quòd substātia abstracta est tota simul non habens prius & posterius, substantia autem cœli non ratione esse, sed ratione motus habet quandam successionem, quoniam in motu vna pars succedit alteri sicut & in tēpore, tertia est quod perpetuitas substantiæ abstractæ est per essentiam suam, id est per seipsam, & nullo modo ratione partium, cùm sit simplex immobilis, perpetuitas autem cœli ratione esse, & ratione motus est existens per partes: nam & cōpositum & mobile est. sed inquātum compositum, existit ratione partium permanētium, inquātùm autē est mobile & mouetur, existit ratione partium sibi succedētium, quarum vna est prior, altera posterior. Manifestum est igitur quod duæ sunt perpetuæ durabilitates creatæ, & quomodo ad inuicem differunt.

Eadem propositio accepratur à Procl. nam talem propositionem format, Omne quod secundum tempus existit, aut toquod semper in tempore est, aut aliquando in parte temporis, hypostāsim habens, id est, omne temporale, aut est in omni tempore, vt cœlum, aut pro aliqua parte temporis, vt inferiora generabilia, & quod hæc diuisio sit sufficiens sic inuestigat Procl. Inter hæc duo extrema ens semper & immobile, ens non semper & mobile, possumus imaginari tria media. Primum sit, ens semper, & mobile semper. Secundum sit, ens non semper, sed mobile semper. Tertium sit, ens semper, & mobile, sed non mobile semper, sed tantùm primum est dabile: nam secundum implicat, cum enim motus supponat subiectū, impossibile est quòd sit mobile semper, & non sit ens semper, similiter, tertium non est dabile, nam si est ens semper & mobile, mobilitas sequitur naturā eius, et consequenti semper conuenit ei. Restat igitur quod interens semper & immobile, & inter ens non semper & mobile, mediat solùm ens semper, & mobile semper, sed hoc dicitur semper in tempore esse. vt cœlum, ergo sunt tārùm duæ naturæ temporales, quarum vna est pro omni tempore, & alia pro aliquo tempore.

Eadem propositionem acceptat Arist. Nam in duodecimo Metaphysi. tex. 5. dicit, Substantiæ vero tres. Vna quidem sensibilis, cuius alia quidem sempiterna, alia corruptibilis, alia vero immobilis &c. & de hac sensibili diuisa in sempiternam, & corruptibilem, reassumens in eodem lib. tex. 29. dicit, Quoniam autem tres erant substantiæ. Duæ quidem quæ physicæ, & vna quæ immobilis, &c. ergo sensibilis sempiterna, vt cœlum est substantia physica, ergo mobilis, quia natura est principium motus, ergo temporalis vt mobilis, nam cùm tempus sit numerus motus, omnis natura vt mobilis cadit sub tempore, corruptibilem autem esse temporalem clarum est, ergo concordat Arist. cum Auctore duas, scilicet esse naturas temporales, vnam adæquatam tempori, alium inadæquatam.

Et aduerte, quòd ratio adducta ad mentem Auctoris, scilicet quòd omnino dissimilia non se consequuntur, nisi cum aliquo medio habēte similitudinem cum vtroque extremo, tangitur ab Aristo in alio proposito: nam in 8. lib. Physi. tex. 17. comparans mouens non motum ad motum non mouens, putà animā mouentem ad lapidem motum, aduertens omnimodam dissimilitudinem inter ea, quia anima mouet & nō mouetur, lapis mouetur & non mouet, ponit medium communicans cum vtroq; scilicet mouens, & motum, putà manum quæ mouet lapidem, & mouetur ab anima, & inquantum mouet similatur animæ, vt mouenti, & inquantùm mouetur similatur lapidi vt moto. Patet igitur quòd rerum ordo exigit vt omnino dissimilia non immediatè, sed cum aliquo medio se consequantur, & tu applica ad conclusionem positam ab Auctore.

Eadem propositio acceptatur à Theologo, sed alio quidē modo quàm à Philosophis, vnde aduerte quòd quò ad substantiam concordat cum Philosophis, tenet enim substantiā cœli perpetuam, & inferiorum corruptibilem sicut & Philosophi, quo ad adęquationem, vel inadęquationem tēporis ratione motus discordat à Philosopho: nam licet Theologus, & Philosophus teneant cœlum motum adæquari tēpori, inferiora autem inadæquari, tamen in hoc discordāt, quod Philosophus credens mundum æternum antè, & pòst tenet motum cœli adæquari toti tempori, quod secundum ipsum est infinitum. Theologus autem tenet ipsum adæquari toto tempori, quoniam tempus consequitur ipsum, non solùm vt mensura mensuratum, sed vt accidens proprium subiectū, primū enim mensuratum à tēpore est motus diurnus primi mobilis, & ipso mēsuramus omnem motum, quoniam simplicissimus, & regulatissimus est, verum quia secundū Theologum totum tempus est finitum, quoniam nō fuit antè, nec erit post motum cœli, dicendum est quod cœlum ratione motus adæquatur toti tempori, quod tamen finitum est, inferiora autem secundum idem numero inadæquantur toti tempori infinito secundum Philosophum: & toti tempori finito secundum Theologum. Dixi autem secundum idem numero, quoniam nulla eadem pars elementi est perpetua, licet elementa per mutuam generationem remaneant perpetua, nec aliquod elemētatum idem numero est perpetuum, licet successione generationis perpetuetur in specie, cœli autem & specie, & numero perpetui sunt. Dicta sint hęc quo ad propositionem xxx.

Propositio trigesima prima.

Inter rem cuius substantia, & actio sunt in momento æternitatis, & inter rem cuius substantia, & actio sunt in momento temporis existens est medium, & est illud cuius substantia est ex momento æternitatis, & actio est ex momento temporis.

Æternorum alia sunt æterna simpliciter, vtintelligētia, alia nō æterna simpliciter, vt anima.

Sicut in propositione præcedenti manifestauit duas esse naturas temporales. Vnam adęquatam tempori, vt cœlum motum. Alteram inadæquatam, vt corruptibilia sic in hac propositione manifestat duas esse naturas æternas, siue perpetuas. Vna est omnino æterna, quoniam & substantia, & actio mensurantur æternitate, & hæc est intelligentia, quæ secundum Auctorem participatur æternitati, ex secunda propositione. Altera est non omnino ęterna, quoniam eius substātia mensuratur æternitate, & actio mensuratur tempore, & hęc est anima intellectiua, quam dixit Auctor in propositione secunda, esse constituta in horizonte æternitatis, quod quomodo intelligendum sit illic exposuimus.

Momentum quid sit.

Sed antequam probetur propositio declaranda sunt duo. Primò, quid significat ly Momentum æternitatis, & ly Momentum temporis.

Secundò, vtrum hæc propositio possit ita verificari de cœlo sicut de anima.

Quantùm ad primū, aduerte quod per ly Momētum videtur Auctor intelligere mensurationem, nam hanc propositionem traxit à Procl. vt videbitur. & Procl. loquitur manifestè de mensuratione. intēdit ergo Auctor sic dicere, Inter rem cuius substātia, & actio mensurantur æternitate, & rem cuius substantia, & actio mensurantur tēpore, cadit res cuius substātia mensuratur æternitate, & actio mēsuratur tēpore.

Quantùm ad secundū, aduerte quod in propositione præcedenti, dixit cœlum esse naturam temporalem, quoniam motus eius est in tempore. Hic autem dicit dari naturā mediam inter rem penitùs æternalem, & rem penitùs temporalem, cuius actio sit in tempore. & substantia in æternitate. Cùm igitur actio sit agētis, & motus sit rei mobilis, est enim actus mobilis, & anima sit à qua est actio, veritas intelligendum est de anima quàm de cœlo: quoniam cœlum vt motū magis habet ratiōnē passi quàm agentis. Posito igitur quòd intelligatur de anima, sic probat eam Auctor ex fundamento posito in propositione præcedenti, Ordo rerum requirit quod dissimilia se consequantur cum quodam medio, vt declarauimus suprà: sed res æternæ secundum substantiam & operationem, & res temporales secūdum substantiā & operationem sunt penitùs dissimiles. ergo inter eas debet mediari res, cuius substantia sit æterna, & actio temporalis, vel res cuius actio sit æterna, & substantia temporalis, sed hoc secūdum est impossibile, quoniā actio supponit agens: ergo subtracto agente subtrahitur actio, ergo si agens non est æternum, actio non erit æterna, ergo datur primum, & hoc est anima intellectiua coniuncta corpori, cuius substantia quod sit æterna saltem à parte pòst, & eius actiones non absoluantur à tempore declaraui in propositione secunda. Vide illic.

Eadem propositio acceptatur à Procl. nam talem propositionem format, Omnis eius quod omniquaque æternale est secundum substantiam & operationem, & eius quod substantiam habet in tempore medium est, quod hac quidem, scilicet substantia æternale est, hac autem, scilicet, operatione, tempore mensuratur, & eam probat conformiter Auctori, sicut & propositionem præcedentem.

Eandem propositionem acceptat Aristot.secundum saniores eius Expositores,qui ad mentem eius tenent animã immortalem,& pro hoc statu omnem operationem suam fieri in tempore,quod quomodo sit declaraui in propositione secunda,vide illic.

Eandem acceptat Theolo.cuius mentem diffusè declaraui in secunda propositione,vbi proposui vtrum anima intellectiua non solùm quò ad substantiam:sed etiam respectu alicuius suæ operationis sit æterna,& id determinaui in propositione tertia.Hæc de propositione xxxj.dicta sint:nam totalis eius declaratio pendet ex propositione secunda.

Propositio trigesimasecunda.

OMnis substantia cadens in quibusdam dispositionibus eius in æternitate,& in quibusdam dispositionibus suis sub tempore est ens,& generatio simul.

In hac propositione Auctor intendit manifestare conditionem,& modum illius substantiæ,quam dixit in propositione præcedenti,quò ad substantiam mensurari æternitate, & quo ad actionem mensurari tempore, & dicit hanc substantiam esse ens,& est generatio simul.Sed antequam probetur declarandum est quid intendit per ly Ens, & per ly Generatio,& per ly simul.

Ens dicit illud quod verè est.

Quantùm ad primum,aduerte,quòd ly Ens propriè significat id quod est,sine aliqua variatione per præteritum & futurum,& sine aliqua successione, ita quòd existentia sua est tota simul,& est indefectibilis,vnde ens penitùs immutabile est simpliciter ens,& vnumquodq; quantò magis recedit ab immutabilitate tantò minus est ens,& quoniam res mensurata æternitate secundum substantiam, & operationem totaliter recedit à mutabilitate, & omni variatione, ideo propriissime est ens,& est tantùm ens.

Inferiora potius generationes,id est, entium variationes, quàm entia dici digna sunt.

Quantùm ad secundum,aduerte quòd ly Generatio sumitur ab Auctore pro cõmunissimo significato,vt omnis trãsmutatio,siue secundum substantiam, siue secundum qualitatem,siue secundum operationem dicatur generatio:vnde in hoc sensu omnis substantia subiecta transmutationi, & quò ad esse,& quò ad operationem,non meretur dici ens, quoniã non est permanens,sed generatio,quoniam & esse suum, & operationes variationi subiiciuntur, ex quo sequitur quòd entia inferiora impropriè dicuntur entia,sed propriè dicuntur generationes,id est variationes entium.

Rerum, alia sunt entia, id est, æterna: alia sunt generatio tantùm,id est corruptibilia alia sunt entia secundum substãtiã, & secundum operationem generatio.

Quantùm ad tertium:aduerte quòd iuxta declarationem nunc positam,aliqua res est tantum ens,vt quæ omnibus modis est æterna, & aliqua tantum generatio, id est omnibus modis subiecta variationi,& aliqua secundum substantiam ens,quia vt sic est inuariabilis,& secundum operationem est genaratio, quia vt sic variabilis est, & hæc dicitur ens, & generatio simul.

Posita hac declaratione manifesta est probatio Auctoris, sic enim arguit,Res simpliciter æterna est verè ens, res simpliciter temporalis est verè generatio modo exposito: ergo res media quæ partim est æterna, & partim temporalis est ens,& generatio simul,non tamen vno modo, sed duobus. Nam qua ratione est æterna est ens,& qua ratione est temporalis est generatio,id est in transmutatione posita.

Probata conclusione Auctor infert corollarium ibi, Iam ergo manifestum ex eo quod, &c. in quo reducit naturam simpliciter temporalem in causalitatem naturæ quo ad substantiam æternæ,& quo ad operationem temporalis,& hanc reducit in causalitatem primi & supremi, qui est Deus, & hunc ostendit omnino in causatum,sed causam omnium.Intendit ergo sic dicere,Cùm optima rerum dispositio requirat quòd inferiora causentur à superioribus, & superiora à supremo,& illic sit status:ita quod supremum est tantum causa, consequens est vt res quæ sunt generatio, modo suprà exposito,dependeant à re quæ est ens & generatio,quæ est anima coeli secundum Auctorem : nam animæ coelestes per motũ coeli causant hæc generabilia,& animæ istæ pendent ab esse puro,id est à Deo qui est prima causa, à qua pendet duratio omnium rerum sempiternarum,& destructibilium. Cùm enim in se contineat omnes gradus essendi eminẽter,est causa omnium graduum, & modorum entium. Quod autem Deus sit independens,& ab eo pendeant omnia, sic manifestat,Deus est vnitas nõ acquisita, id est non acquirens esse ab alio,& omnes aliæ vnitates,id est omnes aliæ substantiæ simplices sunt acquisitæ,id est acquirunt esse ab alio,ergo solus Deus est independens,& ab eo pendent omnia. Antecedens probatur sic,Cùm Deus sit vnitas prima,est vnitas per essentiam:ergo si aliæ vnitates non essent acquisitæ, essent vnitates per essentiam:& sic non differunt à prima tanquam per omnia existentes similes primæ, & si prima esset acquisita, iam non esset prima, quoniam omne acquisitum participat: participans autem supponit id quod participatur vt prius. Sic ergo Deus esset vnitas secunda sicut & reliquæ vnitates, & sic auferetur ordo in entibus: ordo enim requirit vnum primum à quo pendent alia. Cùm igitur hæc sint inconuenientia manifestum est quòd omnis vnitas,præter vnum verum primum est acquisita & causata, & ipsum vnum verum primum est causans alias vnitates, & faciens acquirere non acquisitum,id est faciens acquirere esse quod non habent ex se, & sic Auctor sicut incoepit librum suum à prima causa in propositione prima, sic in eadem terminat ipsum, qui est Deus gloriosus & sublimis.

Eandem propositionem acceptat Proclus:nam talem propositionem format,Omne quod hac quidem æternale,id est ratione substantiæ,& hac temporale,id est ratione actionis, est ens simul & generatio, & manifestat conformiter sicut Auctor. Item acceptat vltimum conclusum, talem enim propositionẽ format,Omnis Deus participat, excepto vno. Pro quo aduerte quod ad mentem Plat. sicut Deus dicitur primum ens,primum vnum,primum bonum: sic substantiæ abstractæ quas Plato vocat formas abstractas propter propinquitatem,& similitudinem ad Deum dicuntur dij,& vnitates secundę,& quoniam omne post primum participat primo,& primum non habet prius quo participet, ideo dicit Procl.quod omnis Deus, id est omnis forma abstracta participat,quia communicantur eis perfectiones à primo, excepto vno,id est primo ente,& primo vno quo non datur prius. Vnde omnia entia se habent ad Deum, sicut omnes numeri ad vnitatem: nam omnes participant vnitate vt posteriores. Vnitas autem non participat numeris, quoniam prior & independens est.

Eadem propositio acceptatur ab Aristo. nam secundum principia sua vnumquodque est ens inquantùm est actu,& tantò minus est ens,quantò magis est in potentia.Vnde materia prima vltimum gradum habet in latitudine entium,& successiua parum habent de entitate,nam non sunt nisi dum fiunt,vt patet de motu & tempore:ex quibus sequitur quod sempiterna sunt verè entia,quoniam in nono Metaphy.text. 17.dicit Arist.in sempiternis vt sempiterna sunt: nihil est potentiæ,quod enim est in potentia vt sic potest esse, & non esse.Corruptibilia autem cum sint magis in potentia, quàm in actu non sunt verè entia,sed potius variationes entium quas & Procl.nominat nomine Generationis,ergo quæ sunt sempiterna secundum substantiam, & temporalia secundum actionem sunt simul entia,& variationes entium. Quod autem ad mentem Arist. omnia pendeant à primo,satis diximus in propositione xviij.

Eadem propositio acceptatur à Theologo: nã apud ipsum quod est æternum est totum simul & perfectum, inaugmentabile & imminorabile secundum perfectionem, quod autem est temporale secundum substantiam, & operationem nunquam habet esse fixum,sed pro tanto tempore ad perfectionem tendit,& pro tanto à perfectione paulatim recedit: donec deficiat,vnde generabile potius est generatio & corruptio entis quàm ens: existit enim in tota duratione sua sub motu acquisitiuo, & perditiuo: quicquid ergo est æternum est verè ens, & quod est temporale est potius generatio & corruptio entis quàm ens:ergo natura media est simul ens & generatio & corruptio entis, quoniam eius actiones sunt in generatione & corruptione,quoniam accedente posteriori desinit prior:nam & in coelo accedente sole ad meridiem desinit esse in Oriente,& anima transit à simplici apprehensione ad compositionem & diuisionem, & ab his ad discursum. Quod autem à primo vno pendeant omnia, & ipse sit independens declarauimus in propositione xviij. Et hîc termino Examinationes nostras super librum de Causis ad laudem primæ & vniuersalissimæ Causæ, quæ super omnia exaltatur, Amen.

Commentariorum super librum de Causis, Finis.

FR.

FR. CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII, QVAESTIONES ACVTISSIMAE SVPER OCTO LIBROS

Physices Aristotelis, ad mentem diui Thomæ, Aristotelis, & Commentatoris vtplurimùm decisæ.

Accessère in margine singularum Quæstionum Conclusiones quàmbreuissimæ.

Num ens mobile sit subiectum in Philosophia naturali.

QVAEST. I.

IN HAC quęstione inuenio duas vias magis famosas: vna tenet quòd ens mobile & nõ aliud est subiectum intelligẽdo de subiecto adæquato Philosophiæ naturalis. Alia tenet quòd corpus mobile & nõ ens mobile est subiectum adæquatum in Philosophia naturali. Primã viam tenet B.Thom.cui concordat Iandunus in 1.Physic. q.1.& Grandæus: secũdam tenet Albertus in 1.Physico.trac.1.c.3.Et quoniam tenemus viam B.Tho.esse ad mentẽ Philosophi & Cõmentatoris, ideo in hac quæstione sic procedemus. Primò pertractabitur via B.Tho.& defensabitur: secundò pertractabitur via Alberti & soluentur rationes eorum qui concordant cum Alberto prout militant contra viam B.Thom.tertiò mouebitur dubium quod videtur fundari super doctrinam B. Thom. & Commentatoris.

Quantùm ad primũ aduerte quod B.Tho. vt patet in Procemio suo in principio primi libri Physic. tenet ens mobile esse subiectum hic:vnde inquit, De his verò quæ dependẽt à materia secundum esse & secundum rationem est naturalis Philosophia:& quia omne quod habet materiam est mobile: consequens est vt ens mobile sit subiectum naturalis Philosophiæ & parùm infrà inquit, Cuius subiectum est ens mobile simpliciter : nõ dico autem corpus mobile,&c. Quare autem secundum ipsum nõ sit corpus mobile declarabitur in secũda ratione quam inducemus pro conclusione probanda. Quod igitur ens mobile sit hic subiectum & non corpus mobile firmare possumus duabus rationibus. Prima est: Supponitur quòd motus sit prima passio considerata in Philosophia naturali: nam dicitur scientia naturalis,quia est de naturalibus: naturalia autem sunt quæ habent naturam, natura autem est quæ est principium motus & quietis,&c. Ex hoc supposito arguitur sic, Idem est subiectum primæ passionis,& illius scientiæ, in qua talis passio consideratur. Nam ex 1. Poster. in eadem scientia considerantur subiectum & passiones quæ per se insunt subiecto:vt eadem scientia considerat de numero,& de pari & impari. Sed ens mobile est subiectũ motus & non corpus mobile: Non enim Philosophus in 3. lib. in text. 6. diffiniet motum per corpus mobile, sed per ens mobile. Dicit enim quòd motus est actus existentis in potentia,id est, est actus entis mobilis vt mobile est: & quòd non sit actus corporis mobilis patet ex declaratione quam facit illic Philosophus: nam declarans diffinitionem motus exemplificat de generatione & corruptione quarum subiectum est materia prima, vt declarabimus cùm loquemur de generatione substantiali. Constat autẽ quòd materia prima non est corpus. Cùm ergo ens mobile & non corpus mobile sit subiectum & ingrediens diffinitionem primæ passionis consideratæ à Philosopho naturali, consequens est vt ens mobile sit subiectum in hac scientia.

Secunda est B.Thom.in Procemio primi libri Physico. & intendit sic arguere à sufficienti diuisione:Subiectum adæquatũ in Philosophia naturali vel est ens mobile, vel corpus mobile: non secundum,ergo primum.Quod non secundum probatur: quoniam scientia non probat, sed supponit suum subiectum adæquatum esse ex 1. Posterio.sed in lib.6. Physico.probat Philosophus corpus mobile esse.Nam probat Philosophus omne mobile esse corpus, eò quòd dum mouetur partim est in termino à quo: & partim in termino ad quem:ergo probat corpus mobile esse. Quomodo autem sit verum quòd omne mobile dum mouetur sit partim in termino à quo & partim in termino ad quem, manifestabimus in lib.6.pro nunc supponatur & quomodo hæc consequentia teneat, Philosophus probat omne mobile esse corpus:ergo probat corpus mobile esse: manifestabimus in immediatè sequentibus.

Tu igitur aduerte quòd Egidius,& Iandunus, vt patet in q.1. in 1.Physico. conantur destruere hanc rationem B. Tho.& dicunt hanc consequentiam non valere quam supra posuimus. Dicunt enim quòd non est idem, copus mobile esse:& omne mobile esse corpus: quoniam potest alicui esse clarum quòd corpus mobile sit: qui tamen non concedet omne mobile esse corpus. Sicut illi qui tenent formas moueri vel abstracta entia moueri localiter.

Et quoniam aliqui Moderni assumentes nomen Thomistarum nesciunt hanc rationem B.Thom. defensare contra Egidium & Iandunum: inter quos est Petrus Pomponatius Mantuanus in lectura sua super libros Physicorum:ideo dicunt B. Tho. non fuisse huius opinionis nisi dum esset iuuenis.Tunc enim scripsit super 8.libros Physicorũ. Deinde in sua ætate senili scripsit super libros de Coelo:& tenuit illic corpus mobile esse subiectum quasi seipsum corrigens.Verum quia antiquiores Thomistæ tenent mentem B.Thomæ absolutè fuisse quòd ens mobile & non corpus mobile sit subiectum adæquatum in hac scientia ideo intendo defensare rationem bea.Thom. contra Egidium& Iandunum.

Tu igitur aduerte quòd licet non sit formaliter idem probare esse mobile esse corpus : & corpus mobile esse: tamen vnũ sequitur ad alterum:& sic si probatur vnũ consequenter probatur alterum. Nam ex hoc quòd Philosophus probat mobilitatem non repugnare corpori imo conuenire corpori eo quòd oportet omne mobile esse diuisibile,vt declarat Philosophus in 6. libr. consequenter probat corpus mobile esse vel actu vel aptitudine siue non repugnanter. Quod dico quia de subiecto scientiæ non est necesse tenere existentiam actualem in omni modo sciendi: sed aliquando sufficit aptitudinalis vel non repugnãter. Et id totum videre poteris in 9. Metaphy. in quæst. nostris & est quæst.19. Quòd autem probatur vnum consequenter probetur alterum manifestatur sic, Quicunq; de aliquo cõposito probat quòd sua principia non repugnant quin existant,consequenter probat illud compositum esse: vel saltem non repugnare quin sit. Sed Philosophus in lib.6. Physic. probat huius compositi corpus mobile principia nõ repugnare quin existant.Non enim mobilitas repugnat corporeitati, nec econuersò : ergo consequenter probat hoc compositum, scilicet corpus mobile esse,vel saltem non repugnare quin sit.Et sic patet quòd Philosophus probans omne mobile esse corpus consequenter probat corpus mobile esse. Et aduerte quòd Petrus Pomponatius non inuenit ad hanc deductionem

aliam solutionem nisi dicere eam esse cauillationem quod non sufficit viro docto, sed debuit aut soluere: aut ostendere quomodo est cauillatio.

Hæc igitur est intentio tenenda in via Thomistica quæ confirmatur ex Commentatore in 4. Metaphy. Commen.1. vbi inquit, Scientiæ naturales cõsiderant de quadam parte entis, scilicet, de ente mobili, & de accidentibus essentialibus eius secundum quòd est mobile. Hæc Commen. Quomodo autẽ intelligenda sint dicta B.Tho. & Cõmentatoris in quibus vidẽtur dicere corpus mobile esse hic subiectum, manifestabimus in fine quæstionis.

Quantùm ad secundum aduerte ꝙ Albertus in 1.Physic. in Trac.1.in c.2.tenet sine dubio & quasi pro manifesto corpus mobile esse hic subiectum. Vnde inquit, Omnis sciẽtia est alicuius generis subiecti de quo probantur passiones. Hoc autem in omni scientia naturali absque dubio est corpus mobile prout motui subiicitur. Voco autem corpus mobile vt subiicitur motui, quoniam corpus in eo quòd corpus est ante motum. Nam corpus mathematicum secundum quòd mathematicũ est ante motum. Vnde scito quòd corpus ab alio habet quòd sit corpus simpliciter, & ab alio habet quòd sit hoc corpus, puta naturale vel mathematicum. Nam quòd sit corpus simpliciter habet ex eo quòd vbique aptum est quòd duæ diametri ad rectos angulos se secent, & tertia secet duas diametros ad rectos angulos. Trium autem diametrorum prima mensura est longitudinis, secunda latitudinis, tertia profunditatis. Ab aptitudine ergo sic se intersecandi tres diametros in sua dimensione habet corpus quòd sit corpus. Ab actuali autem trina dimensione trium diametrorum habet quòd est corpus mathematicum. A forma autem perficiente materiam sensibilem in aptitudine trinæ dimẽsionis existentem habet quòd sit corpus naturale inquantùm naturale est. Et ab actuali trina dimensione materiæ sensibilis quæ forma substantiali perfecta est, habet quòd est corpus naturale hoc vel illud. Sic ergo patet quòd corpus absolutè & simpliciter sumptum est antẽ mathematicum & ante naturale, & inquãtùm reducitur ad ens, considerat ipsum diuinus. Corpus autem mathematicum secundũ diuersitates figurarum actualiter in ipso inuentarum considerat Geometra. Corpus autem naturale in vniuersali est subiectum naturalis Philosophiæ. Et corpus hoc physicum vel illud, scilicet, mobile ad locum tantùm, vel mobile ad formam & locum, vel corpus simplex vel mixtum cadunt sub consideratione alicuius partis Scientiæ naturalis. Hæc fuit intentio Alberti qui credens suam positionem esse manifestam, non immoratus est ab probandum intentum suum, sed solùm ad declarandum in quo sensu corpus est hic subiectũ. Qui autem tenent cum Alberto, conantur firmare positionem suam probando quòd ens mobile non potest esse subiectum, ergo restat secundũ eos quòd sit corpus mobile. Quòd autem ens mobile non possit esse subiectum in hac scientia arguũt tripliciter.

Primò, sequeretur Physicam subalternari Metaphysicæ, quod est contra Philosophum in 6. Metaphysi. in tex.3. vbi concludit tres esse Philosophias Theoricas principales, scilicet, Mathematicam, Physicam & Diuinam, id est, Metaphysicam. Consequentia autem sic probatur, quoniã ex 1.Posterio. illa scientia subalternatur alteri, cuius subiectum continet subiectum alterius & cõtrahit ipsum per differentiam extraneã siue accidentalem, quæ, scilicet non oritur ex principiis illius subiecti, sicut oritur propria passio ex principiis sui subiecti. Sed ens est subiectum Metaphy. ex 4. libr. tex.1. vbi inquit Philosophus, Est autẽ quędam scientia, quæ speculatur ens inquantùm ens, &c. Et ens mobile continet ens, & cõtrahit ipsum per ly Mobile ꝙ est accidentale enti. Nã ens vt ens abstrahit à mobilitate & à suo opposito, ergo sequitur Physicam subalternari Metaphysicæ.

Sed hanc rationẽ non valere iam docuimus in 1. Metaph. in q.2. vbi manifestauimus non esse necesse alias scientias subalternari Metaphysicæ, subalternatione propriè dicta, & declarauimus cõditiones requisitas ad verã subalternationem & ostẽdimus quare nec Physica nec Mathematica subalternantur Metaphysicæ, licet contrahant subiectum Metaphysicæ. Tu igitur vide illic, & videbis apertè hanc rationem nihil concludere.

Sequitur secundò ꝙ Physica sit pars Metaphysi. quod est contra Philosophum in 6.li. Metaphy.tex.3. vbi, vt diximus, ponit tres principales Philosophias Theoricas, ergo vna nõ est pars alterius. Consequentia probatur, Quia ad Metaphy. spectat cõsiderare ens & primas partes entis subiectiuas, inter quas est ens mobile, sicut & ens immobile & ens abstractum. Non enim contrahitur ens per differentias, vt declaratur in 3.li. Metaphysicæ, sed per diuersos modos essendi, quales sunt mobile & immobile, ergo, &c.

Ad hoc negatur cõsequentia, ad probationem dico quòd partes siue modi entis sunt in duplici differẽtia quidã sunt generales, & sunt illi qui nõ cõtrahunt ens ad determinatũ genus, vt potẽtia & actus, vnum & multa, finitũ infinitũ, simplex cõpositum, necessariũ cõtingens. Quidã sunt speciales, & sunt illi qui cõtrahunt ens ad determinatũ genus, vt ens quantum, ens mobile quod cõtrahit ens ad naturã sensibilẽ, Metaphysica non habet considerare nisi partes siue modos generales, quia non habent modum abstractionis nec diffinitionis distinctum à modo abstractionis & diffinitionis Mathematicæ. Non enim in diffinitione sua cõcernunt materiã, ens autẽ mobile sicut & ens quãtum dicunt modos speciales, ideo non spectant ad Metaph. sed ad scientias particulares, quia habent distinctũ modũ diffinitionis à modo metaphysico. Nõ enim ens mobile potest diffiniri sine materia, vt declarabimus in libro secundo Physicorum. Quare, &c.

Tertiò, ens per accidens non est subiectum in hac scientia, nec in alia, quoniã de eo nõ potest esse scientia ex 6. Metaph. Sed ens mobile dicit ens per accidens. Dicit enim aggregatum ex subiecto & accidente, id est, ex ente & mobilitate quæ accidit enti vt ens est. Nam si conueniret enti per se, nullum ens esset immobile, cuius contrarium demonstrabitur in libr.8.Physic.

Ad hoc dicunt aliqui, quòd admisso quòd ens mobile sit ens per accidens, tamen potest esse subiectum in scientia, & de eo haberi scientia, nec est id cõtra Philosophum in 6.Metaph. intendit enim quòd de ente per accidens cuius causæ sunt interminatæ, vt ibi, Album est musicum, Fodiens sepulchrum inuenit thesaurum: non autem intendit de ente per accidens cuius causæ sunt determinatæ, vt ibi, Homo risibilis, lapis grauis, numerus par. Sic in proposito dicunt quòd ens mobile est ens per accidens secundo modo, ideo potest esse subiectum in scientia, & de eo haberi scientia sicut de lapide graui & de homine risibili.

Sed hæc respõsio in via nostra non acceptatur, quia mobile non fluit ex principiis entis, sicut fluit propria passio ex principiis subiecti vt risibile in homine, & graue in lapide. Vnde hæc est per se, Homo est risibilis. Ideo non sequitur ꝙ si homo risibilis potest esse quid scibile, etiam ens mobile sic scibile, si mobilitas sumitur pro passione: & ideo est alia responsio quam communiter tenent Thomistæ & stat in hoc, Ly Mobile non stat pro passione sed pro ratione formali qua contrahitur ens ad considerationem physicam sicut per quantum contrahitur ad considerationem mathematicam. Talis autẽ ratio formalis nõ cõstituit vnũ per accidens, sicut nec differentia addita generi: fallitur ergo arguens quia putat ly Mobile sumi pro passione, imò per ipsum circũloquimur rationẽ formalẽ & habet vicem differentiæ, sicut ex eo quòd ignoramus differentias essentiales apponimus generi propriã passionẽ loco differẽtiæ, vt dicẽdo, Animal rudibile, Animal bipes. Patet ergo ꝙ ratio prædicta nõ concludit.

Quantùm ad tertium aduerte quòd in doctrina B.Tho.& Cõmentato. videtur esse repugnantia. Nam B.Tho.in 1. Cœli lectio.1. dicit quòd corpus mobile est subiectum in Physica & Commenta. dicit in 12. Metaphysic. commen.5. quòd subiectum scientiæ naturalis est corpus mobile & eius principium est substantia abstracta, ergo vel sibi contradicunt, vel ens mobile non est hĩc subiectum.

Ad hoc dicunt aliqui & precipuè Petrus Pomponatius, ꝙ hæc tria sunt idem, ens mobile, corpus mobile, substãtia mobilis. Et ideo B.Tho.& Cõmenta. vtuntur modò hoc, modò illo: vnde nulla est realis repugnantia. Sed hoc in via B.Tho. stare non potest quoniam affirmans in hoc 1.lib. esse ens mobile subiectum, probat ex proposito non esse corpus mobile, ergo apud ipsum non sunt idem ens mobile & corpus mobile, & præcipuè identitate formali. Et ideo dicendũ est quòd apud B.Tho, ens mobile est subiectum adęquatũ, corpus autem mobile est principale cõsideratum eò ꝙ maior pars sciẽtiæ naturalis est de corporibus mobilibus vel secundũ locũ vel secundũ formã, &c. Principale autẽ consideratũ solet dici subiectũ, vt syllogismus in Logica. Et in hoc sensu intelligit B.Tho.in 1.Cœli corpus mobile esse subiectum in Philosophia naturali, eodẽ modo intelligẽdum est dictũ Cõment. Sed in 1.Physic. quãdo ponit ens mobile subiectũ, & Cõmen. in 4.Metaph. cõmen.1. intendunt de subiecto adæquato. Non inconuenit autẽ eiusdem scientiæ esse duo subiecta, vnum adæqua

adæquatum, alterum principale, quod tamen est vt pars adæquati: nec multiplicatur scientia nisi per multiplicationẽ subiecti adæquati. Quæ autem sit ratio subiecti adæquati iam declarauimus in 1.Metaphysicæ, q.1.

Vltimò aduerte quòd aliqui solent probare ens mobile nec etiam corpus mobile esse hic subiectũ adæquatum: quia nullum eorũ continet sub se nec prædicatur de omni cõsiderato in Philosophia naturali. Nõ enim prædicãtur de materia nec de forma, nec de loco, nec de tẽpore, nec de centro mundi, nec de polis mundi, quoniam de ratione horum est immobilitas, vt declaratur in 2.Cœli, ergo, &c.

Sed hoc non est difficile soluere, quoniam sufficit ꝙ subiectum adæquatũ prædicetur de omni considerato in scientia vel in recto vel in obliquo. Et in proposito de omnibus assignatis prædicatur in obliquo, licet enim materia & forma nõ sint ens mobile, sunt tamẽ principia intrinseca eius, & locus & tẽpus sunt mẽsura eius, & cẽtrum & poli sunt termini eius vt est sub motu locali sphærico vel recto. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num ad habendam cognitionem perfectam rei causatæ necesse est omnes eius causas cognoscere.

Quoniam quidẽ intelligere & scire cõtingit, &c. Textu primo, vbi inquit Commentator, Qui dicit se scire aliquid non dicit hoc, nisi quando sciuerit illud per suas omnes causas propinquas & remotas.

IN hac quęst. vt plenè resoluatur sic procedendum est, primò ponentur quædam distinctiones de cognitione & de causis, secundò ponentur conclusiones respõsiuæ, tertiò soluentur quædam dubia.

Quantùm ad primũ sit hæc prima distinctio, Cognitio de re causata potest esse duplex in intellectu, scilicet incõplexa & complexa. Per incõplexam intelligo simplicẽ apprehensionẽ, qua apprehenditur quid res sit per formationẽ diffinitionis. Per cõplexã intelligo noticiã, quæ habetur de re per propositionẽ affirmatiuã, aut negatiuã, quæ nõ perficitur nisi per discursum quo deducitur cõclusio ex prẽmissis. Nam de hoc cõplexo, hominẽ esse risibilem, cognitio perfecta nõ habetur nisi deducendo ex eo quòd homo est rationalis.

Secunda sit hæc, Cognitio complexa perfecta potest esse duplex in intellectu, scilicet, perfecta simpliciter, & perfecta in genere. Per primam intelligo noticiam, qua cognoscitur res quantùm ad omnem modum quo cognoscibilis est, & quantùm ad omnia prædicata, quæ per se ei cõpetunt, siue sumãtur ab extrinseco, siue ab intrinseco, & in quocũque modo per se ei conueniant. Per secundam intelligo noticiã, qua cognoscitur res quo ad determinatum prædicatum sibi, per se, vel in primo modo vel in secundo conueniens, vt quãdo intelligo hominem vt sensitiuum vel vt risibilem, vel vt productum à sibi simili in specie.

Tertia sit hæc, Causa rei causatæ potest esse duplex, scilicet, causa per se & causa per accidens. Causam per se dico, quæ necessariò requiritur ad effectum, & est illa, à qua ita effectus pendet ꝙ non potest esse sine ea, vt anima est causa per se animati, & homo est causa per se hominis, & elemẽta sunt causa per se elementati. Causam per accidens dico, quæ non influit in effectum, nec necessario requiritur, quia sine illa potest poni effectus, vt licet ædificator sit causa per se ædificij, tamẽ musicũ est causa per accidens, quia etiam quòd musica non inesset ædificatori potest ab eo esse ædificium, à quo tamen non potest esse sine ædificandi arte.

Quantùm ad secundum sit hæc prima cõclusio, Vt habeatur cognitio perfecta incomplexa de re causata, non est necesse cognoscere omnes suas causas per se: probatur, Perfecta cognitio incõplexa habetur ex perfecta & sufficiẽti diff. rei iudicante naturã rei. ergo non plures causas per se est necesse cognoscere quàm quæ ingrediuntur diffinitionẽ: istæ autem non sunt nisi causæ essentiales quæ dicuntur intrinsecæ, vt forma & materia, à quibus sumuntur prædicata quidditatiua, quæ sola ingrediuntur verã diffinitionẽ, vt determinauimus in 7.Metaph. in q.6. Ergo posito ꝙ ignorentur causæ extrinsecæ per se rei causatæ adhuc de ea potest haberi cognitio incõplexa perfecta, quæ habetur per diffinitionẽ.

Secunda cõclusio sit hæc, Vt habeatur cognitio perfecta complexa, in genere de re causata non est necesse cognoscere omnes eius causas per se: probatur, Dictũ est quòd cognitio perfecta complexa in genere de re causata non est respectu cuiuscunque prædicati sibi per se conuenientis sed respectu determinati prædicati & non vltrà, putà cognoscere hominem vt est corruptibilis, vel vt est disciplinabilis. Sed non omnes causæ rei causatæ sunt causæ cuiuslibet prædicati, sed ista istius prædicati, puta quòd homo sit corruptibilis est causa eius materia quæ est subiecta priuationi & quòd sit capax scientiæ, non est causa eius materia sed forma quæ est de gradu intellectualium, ergo, &c.

Tertia conclusio sit hæc, Vt habeatur perfecta cognitio complexa, siue in genere, siue simpliciter idẽ dico de cognitione incomplexa, nõ est esse cognoscere omnes eius causas per accidens, imò nec aliquam: probatur, Causæ quæ sunt necessariæ ad esse rei, sunt necessariæ etiam ad cognitionẽ eius quia sicut res se habet ad esse ita ad cognosci, & eadem sunt principia essendi & cognoscẽdi. Sed vt dictum est in tertia distinctione, potest esse res causata sine suis causis per accidens, ergo, &c. De cognitione autẽ incõplexa patet quoniã nulla causa per accidens sicut nullũ prædicatũ accidentale ingreditur diffinitionem vt patet 7.Metaph.tex.11.

notitiã cõplexã simpliciter & vniuersaliter omnes per se causas cognoscere necessariũ est.

Quarta conclusio sit hæc, Vt habeatur cognitio perfecta cõplexa simpliciter & vniuersaliter, necesse est cognoscere omnes eius causas per se intrinsecas & extrinsecas, propinquas & remotas: pbatur, Talis notitia nõ stat cũ dubitatione intellectus nec cũ ignorãtia solutionis cuiuscũq; quęstionis quæ possit moueri de re causata. Nã deest oppositũ, ergo nõ erit cognitio perfecta cõplexa simpliciter. Sed si nõ cognoscũtur omnes eius causę tã propinquę quàm remotę, donec deueniamus ad primas & vniuersales eius causas, nõ quiescit intellectus, quoniã circa quacũq; eius causam potest formare quæsitũ, & nisi eam cognouerit non sciet quæsitũ resoluere, ergo non stat cognitio perfecta cõplexa simpliciter de re causata cũ ignorantia alicuius eius causæ per se, vnde aduerte vt innuimus in distinctione secunda suprà posita talis cognitio requirit noticiã omniũ prædicatorũ per se conuenientium rei causatæ & demonstrationem omniũ cõclusionum quæ possunt de ea verificari. Constat autẽ ꝙ talis noticia non stat cum ignorantia alicuius eius causæ per se, secũdum ꝙ est apta habere causam. Quod dico, quoniã non omnis res scibilis causata, habet omnes causas, vt Mathe. prout cõsiderantur à Mathematico habent solã causam formalem, vt docuimus in 3. Metaph. q.1. Physica autem habent omnia quatuor genera causarum. Metaph. autem abstrahunt à materia. Et hæc tibi manifestabuntur in 2.lib. Physicorum.

Quantùm ad tertium: dubitatur primò de qua cognitione intendit Philoso. cùm dicit in 1.text. Tunc enim cognoscere arbitramur vnumquodq; cum causas primas & prima principia cognoscimus & vsque ad elementa.

Respondeo, secundum B.Tho. vt potest elici ex sua expositione videtur Philosophus intelligere de cognitione perfecta complexa simpliciter. Dicit enim exponẽs, Tunc quilibet experitur se cognoscere aliquid, cum scit omnes causas eius à primis vsq; ad vltimas. Et per primas intendit remotas, quæ dicuntur primæ in resolutione, per vltimas intendit propinquas, & eiusdem sententiæ vidẽtur esse communiter Exposit. Philosophi. De Cõmẽ. autem non est dubium, quoniam vt proposuimus in principio quęst. dicit in cõm.1. quòd qui dicit se scire aliquid, non dicit hoc nisi quando sciuerit omnes causas eius tam propinquas quàm remotas. Sic dicũt aliqui Thomistæ. Mihi autem videtur dicendum, ꝙ Philo. intẽdit de cognitione perfecta tam incõplexa quàm cõplexa, tam in genere quàm simpliciter. Nam nõ potest aliquis scire rem causatam cognitione incomplexa, nisi sciat omnes causas ingredientes diffinitionem à prima vsque ad vltimã. Non enim sciam quid sit homo, nisi quia est substantia corporea animata sensitiua rationalis. Nec possum scire rem cognitione cõplexa perfecta in genere, nisi sciam omnes causas eius requisitas in cognitione perfecta complexa in genere, quæ sunt eius causæ proximæ siue extrinsecæ, siue intrinsecæ. De cognitione autem perfecta complexa simpliciter patet ꝙ necesse est cognoscere omnes eius causas per se propinquas & remotas.

Dubitatur secundò, si ad cognitionem incomplexam perfectã sufficit cognoscere causas intrinsecas essentiales quæ sunt materia & forma vel genus & differentia.

Respondeo, Aliqui dicunt quòd diffinitio aliqua est perfecta, aliqua est perfectissima. Perfecta est quæ indicat naturam rei per essentialia & pro hac sufficit causas intrinsecas cognoscere, perfectissima est quæ indicat naturam rei per omnia principia sibi cõuenientia, ex quibus & à quibus depẽdet & ad quod est. Et pro hac necesse est cognoscere causas omnes eius per se extrinsecas & intrinsecas. Vnde si homo diffiniatur diffinitione perfectissima, nõ sufficit dicere

quòd est animal rationale productum à sibi simili in specie & propter operationem propriam.

Sed hæc responsio non habet fundamentum ex doctrina philosophi. Nam in lib. 7. Metaphysicæ vbi ex proposito & diffusè loquitur de quod quid est, & de diffinitione & maximè in substantia cui simpliciter cõuenit quod quid est, quia simpliciter est ens, non facit mentionem nisi de prædicatis essentialibus intrinsecis quæ quidditatiuè prędicãtur de eo cuius est, constat autem quòd nec efficiens, nec finis sunt de essentia substãtiæ diffinibilis: per sola ergo prædicata intrinseca essentialia constituitur diffinitio non solùm perfecta, sed & perfectissima, illa autẽ diffinitio data de homine per prædicata intrinseca & extrinseca, non habet quòd sit diffinitio nisi ex prædicatis intrinsecis, prædicata autem extrinseca potius sunt descriptiua quàm diffinitiua. Quapropter tenendum est ad noticiam incomplexam perfectam sufficere cognitionem causarum intrinsecarum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. III.

Num eadem sunt priùs & magis nota nobis & naturæ.

Non enim eadẽ sunt nota nobis & simpliciter. tex. 2.

IN hac quęst. sic procedemus. Primò declarabitur quæ sint priùs & magis nota naturæ, & quæ nobis, minus autem & posterius naturæ. Secũdò ponentur conclusiones respõsiuæ. Tertiò, remouebitur dubiũ, quod oritur ex tex. Philosophi.

Quantùm ad primũ aduerte ꝙ quatuor modis contingit aliqua esse priùs & magis nota naturæ, minùs autem & posteriùs nobis. Et sua opposita sunt econuersò.

In naturalibus ac diuinis nõ sunt eadem nobis, & naturæ nota, sicut in mathematicis.

Primò, ea sunt magis & prius nota naturæ, minus autem & posterius nobis, quæ sunt perfectioris entitatis & magis elongata à potentia passiua & à materia, quoniam cum vnũquodq; sit cognoscibile inquantùm est ens & inquantùm est actu, quæ sunt, &c. sunt magis & prius cognoscibilia secundum naturam suam, quales sunt substãtiæ diuinæ, de quibus iam determinauimus in 2. Metaphysicæ, q. 2. vbi quæsitũ est si tota difficultas sciendi est ex parte nostri intellectus. Minùs autem & posteriùs sunt nota nobis, eò quòd non cadũt sub sensu à quo incipit nostra cognitio: vnde & Philoso. in 2. Metaph. tex. 1. assimilat intellectum nostrum respectu taliũ entiũ oculo noctuæ ad lumen Solis. Quæ autẽ sunt opposito modo, scilicet, sensibilia & materialia ex cõsequẽti minoris perfectionis sunt priùs & magis nota nobis, vtpotè magis proportionata nostro intellectui, qui procedit de potentia ad actum, de imperfecto ad perfectum. Et talia sunt hæc sensibilia inferiora.

Secundò, ea sunt priùs & magis nota naturæ, quæ sunt priùs & magis intenta à natura, & quæ sunt posterius ac minus intenta dicuntur posteriùs nota naturæ: hoc modo species specialissimæ sunt priùs & magis notæ naturæ, indiuidua autẽ posterius, eo ꝙ non intendit indiuidua, nisi pro cõseruatione speciei, vndè in specie incorruptibili, quæ potest saluari in vno indiuiduo, non plurificantur indiuidua.

Tertiò, ea dicuntur, &c. quæ possunt cognosci sine alio & non econuersò, & hoc modo substantia est priùs & magis nota naturæ, accidens autem posteriùs & minùs, eò quòd est apta cognosci sine accidente, & non econuersò, vt iam determinauimus in 7. Metaph. q. 3.

Quartò, ea dicuntur, &c. quæ sunt causæ rerum naturaliũ & causata sunt posterius ac minus nota naturæ eo ꝙ causæ rerũ naturalium nõ pendent vt sic à causatis, sed econuersò, vtrum autem omnes causæ rerum naturalium sint notiores naturæ suis causatis dicemus in fine quæstionis.

Quantùm ad secundũ sit hæc prima cõclusio, In naturalibus non sunt eadẽ nobis nota & naturæ. Hęc probatur vno modo secundũ B. Tho. in expositione, & alio modo secundũ Cõmen. secundũ B. Tho. sic, Quę sunt magis nota nobis sunt minoris entitatis eò quòd sunt magis materialia & potẽtialia, quæ autẽ sunt magis nota naturæ sunt maioris entitatis, eò ꝙ sunt magis actu vt substantiæ separatæ, ergo, &c. Secũdum Cõmen. autẽ sic, Ea sunt notiora naturæ quæ priùs natura cognosceret si cognosceret, & ea sunt notiora nobis quæ priùs cognoscimus. Sed nõ eadem prius cognoscerentur à natura si cognosceret, & prius cognoscuntur à nobis, imò quę priùs cognoscũtur à nobis posterius cognoscerẽtur à natura si cognosceret, ergo, &c. Maior patet. Minor probatur, Cũ natura faciat cõposita ex causis suis sicut artifex artificiata ex suis causis, si natura cognosceret inciperet cognitionẽ ex causis, aliter casualiter produceret effectus naturales ex causis, sicut si artifex non priùs cognosceret ex quibus causis est producibile hoc vel illud artificiatum, non ex intentione produceret ipsum. Nos autem non incipimus cognitionem à causis sed ab effectibus. Nam effectus causarum naturalium sunt magis sensibiles & cogitabiles à nobis, vt motus & operationes & qualitates sensibiles, quàm principia & causę eorũ, vt experimur. Ergo patet quòd in naturalibus non sunt eadem nobis nota & naturæ. Et propterea apud Com. in 1. Phys. comm. 8. motus & qualitates sensibiles sunt principia doctrinæ in Philosophia naturali.

Secunda conclusio, In Mathematicis vt demonstrantur sunt eadem nota nobis & naturę. Probatur, In Math. demonstramus ex causis: cùm igitur demonstratio sit ex notioribus causæ in Mathemat. sunt notiores nobis quàm passiones ac conclusiones. Sed & causæ sunt notiores secundùm naturã suis causatis, vt dictum est; ergo in mathematic. eadem sunt æquè nota nobis & secundum naturam. Et propterea dixit Commẽ. in 2. Metaph. com. 16. demonstrationes mathematicas esse in primo gradu certitudinis.

Tertia conclusio, In rebus diuinis vt considerantur à metaphys. non sunt eadem nobis notoria & secundum naturã: probatur, Quæ sunt notiora nobis & à quibus procedimus in Metaph. præcipuè ad inuestigandum substantias diuinas sunt posterioris & minoris entitatis, vt motus & generatio rerum inferiorum; ergo sunt minus nota secundum naturã, ea autem quæ inquirimus ex motu & ex his effectibus sensibilibus sunt maioris & perfectioris entitatis quales sunt substãtiæ diuinæ, ergo sunt notoria simpliciter, patet ergo quòd in diuinis, vt considerantur à Metaphysico, non sunt eadem notiora nobis & secundum naturam.

Quãtùm ad tertium aduerte, quòd dubium oritur. Quia videtur esse repugnantia inter 1. tex. & 2. Nam dicit Philoso. in 1. text. quòd in scientia naturali sicut in omni scientia incipiendum est à cognitione causarum, quæ tamẽ, vt suprà diximus, sunt mimus notæ nobis, quàm earum effectus. In 2. autem text. dicit, quod incipiendum est à nobis notioribus: cùm igitur effectus sint notiores nobis quàm causæ suę, non est incipiendum à cognitione causarum, sed effectuum, & à cognitione effectuum procedere ad cognitionẽ causarum. Et sic per 2. text. videtur destruere quod dixit in primo.

Respondeo iuxta expositionem Comm. Ista repugnantia habet aliqualem apparentiam, iuxta expositionem autem B. Thom. nullã est. Pro cuius euidentia aduerte, quòd arbitratur Com. Arist. in 1. text. intendere quòd in scientia naturali debemus primò procedere ad inuestigandas causas, & non supponere eas cognitas: in 2. autem text. dat modum obseruandum in tali inuestigatione: & dicit quòd debemus incipere à notioribus nobis. Et quia effectus sunt notiores nobis quia magis sensibiles, ideo debemus incipere inuestigationẽ causarum ab effectibus. Ad argumentum ergo dicitur ad mẽtem Comm. quòd text. 1. malè exponitur. Exponitur enim quòd incipiendum est in scientia naturali à cognitione causarum quasi quod supponantur ipsæ causæ cognitæ nobis, quod non est verum, vt patet. Tunc enim esset manifesta repugnãtia inter primũ & 2. tex. Sed sic debet exponi ad mentem Comm. In scientia naturali incipiendum est à causis naturalibus cognoscẽdi. Cognoscendæ autem sunt per notiora nobis, & isti sunt effectus, ergo, &c. Et sic patet quòd nulla est vera repugnantia in 1. & 2. text.

Secundum autem B. Tho. hæc difficultas nulla est: vnde aduerte ꝙ pro tanto in via Comm. aliqualis est, quia tenet ꝙ Arist. in 2. textu dat modum procedendi in cognitione causarum, scilicet, ab effectu siue demonstratione quia. Et ideo tex. 2. videtur repugnare 1. Sed apud B. Tho. hæc difficultas ideo nulla est, quoniam vult quòd Arist. in 1. tex. ponat ordinem procedendi in scientia naturali, & vult quòd incipiamus à causis & principiis: in tex. autem 2. vult ꝙ incipiamus ab vniuersalioribus causis quoniã vniuersaliora sunt nobis primum nota, vnde inquit, Sunt autẽ primũ nobis manifesta & certa confusa magis, vnde ex vniuersalioribus ad singularia oportet procedere, &c. Et sic secundũ B. Tho. Arist. in tex. 2. non dat modum procedendi nec demonstrandi in hac scientia vt arbitratur Comm. Sed hunc modum assignabit in 2. lib. & sequendo hanc expositionem patet quod nec apparenter 2. text. repugnat primo.

QVAESTIO IIII.

Num in scientia naturali potest esse validus processus ab effectu ad causam cognoscendam & econuersò, ita quod fiat regressus à causa cognita ad effectum priùs cognitum.

IN hac questione, aduerte quòd difficultas stat in hoc, si per effectum præcognitum procedimus ad causam cognoscendam, deinde per causam ex effectu cognitam reuertimur ad effectũ cognoscendũ, videtur concedi & approbari demonstratio circularis quæ dicitur cum regressu: quã tamẽ reprobat Philosophus in 1. Poster. Prętereà, Idem numero erit magis notum & minùs notũ: nam vt procedimus ab effectu ad causam effectus est magis notus, vt autem regredimur erit minus notus. Omnis enim vtilis discursus est à magis noto ad minùs notum ex 1. Poster. Prætereà, In regressu à causa ad effectũ nihil de nouo scitur, ergo erit inutilis. Antecedẽs probatur, In tali regressu nihil potest sciri nisi effect⁹, sed iste iã supponitur cognitus in primo discursu, quando procedimus ab effectu ad causam, ergo erit regressus penitus inutilis, igitur pro resolutione huius dubij duo agẽda sunt, primò declarabitur quot modis potest fieri talis regressus, secũdò declarabitur qui modus sit vtilis & q inutilis, & quo aliquãdo vsus est Philosophus, tertiò soluẽtur argumẽta in oppositũ facta.

Quãtùm ad primum aduerte ꝙ talis regressus potest fieri tribus modis. Primò quòd ab effectu procedamus ad causam, deinde à causa ad effectũ demõstratione vniformi, ita s. quod vtraq; demõstratio sit propter quid & à priori. Secũdò quòd procedamus demõstratione difformi, ita ꝙ ab effectu ad causam dicatur demõstratio signi vt placet Comen. quę dicitur demonstratio quia vel demonstratio ab effectu, secunda aũt dicatur demonstratio causę & esse. Tertiò ꝙ procedamus ab effectu ad causam & ecõuersò sine aliquo adminiculo: ita ꝙ per solum effectũ attingã causam, & per solã causam cognitam tantũ per effectum reuertar ad cognoscendũ effectum.

Quantùm ad secundum dico, ꝙ primus modus est penitùs inutilis & reprobat⁹ vniuersaliter, quoniã ineuitabiliter idẽ secundũ idẽ esset notius & minùs notũ vt patet exercitato in discursu vtili: secundus autẽ admittitur vt vtilis, quoniã est discursus & demõstratio difformis, & ideo idẽ secundũ idem & eodem modo non est, magis & minùs notum, sed diuersimodè, modo tamẽ quo dicemus nũc. Tu igitur aduerte quòd tertius modus potest esse inutilis & vtilis, inutilis quidem, si remoueatur omne adminiculũ per quod possẽ venire in cognitionẽ maiorẽ causæ. Nam per solũ effectum non fit adeò nota causa ꝙ in secũdo processũ, scilicet à causa ad effectum mereatur dici notior suo effectu. Et nisi sit notior processus secũdus erit inutilis. Est enim omnis vtilis ꝓcessus à notiori ad minùs notũ, vtilis autẽ poterit esse, si nõ tantũ per effectũ, sed alio adminiculo causa fiat magis nota. Tũc enim per ipsã vt magis cognitã potero reuerti ad maiorẽ cognitionẽ habendã de effectu. Quod autẽ & quale possit esse hoc adminiculũ declarabo in solutione secũdi argumẽti. Et hoc modo regressus vsus est Philos. in 2. Cœli, tex. 34. vbi probat dextrũ cœli esse in Oriente, quia inde incipit motus. Deinde probat cœlum moueri ab Oriente ad Occidens, quia in Oriente est dextrum, similiter in 2. Cœli, tex. 59. probat stellas esse sphæricas, quia sunt immobiles per seipsas, probauerat autem suprà eas esse immobiles, quia sunt sphæricæ, & tamen hic regressus non est inutilis, vt declarat illic B. Thom. defendens Alexandrum contra Simplicium, vt videre poteris in expositione B. Tho. in 2. Cœli in lec. 16.

Quantùm ad tertium, dico ad primum argumentum formatum in principio quæsiti, quòd Philos. in 1. Poster. non negat circulũ & regressum nisi in demõstratione vniformi, eò ꝙ non esset processus à notiori, quod tamẽ est de ratione formali demonstrationis. Nõ aũt negat in demonstratione difformi præcipuè cũ adminiculo alterius discursu in primo processu. Aliter non esset vsus regressu in 2. Cœli, vbi suprà.

Ad secundũ negatur consequentia, dummodò fiat regressus tertio modo suprà assignato, nam in primo processu acquiritur aliqua noticia de causa. Deinde intuens intellectus habitudinem inter causam & suum effectum vigoratur illa cognitio per subtiliorem intuitum intellectus, & tunc fit regressus à causa magis cognita ad effectum perfectius cognoscendum. Non incõuenit autem in primo processu effectum esse magis cognitum, in secundo autem, id est, in regressu esse minùs cognitum, eo quòd processus non solùm sunt difformes, sed quia per primum processum cum adminiculo subtilioris intuitus intellectus super causam adeò vigoratur noticia causæ quòd est sufficiens principium ad acquirendum perfectiorem noticiam de effectu, in secundo processu.

Ad tertium negatur antecedens. Ad probationem dico ꝙ effectus de nouo cognoscitur per regressum, quoniã licet in primo ꝓcessu supponatur cognitus, nõ tamẽ tali modo nec ita pfectè vt cognoscitur per secundũ processũ, & ideo põt dici, ꝙ de nouo cognoscitur, sicut enim verũ est dicere, ꝙ calidũ vt 4. si calefiat vt 6. denouo calefit, quia licet calorẽ penitùs nouũ non acquirat, eò ꝙ calor remissus & intensus sunt idem calor in via nostra vt determinatum est in 8. Metaphy. in q. 6. tamen acquirit calorẽ nouo modo & secundũ perfectius esse, sic dico in proposito, licet regressus à causa ad effectum non terminetur ad effectum quasi ante nullo modo cognitum, tamen terminatur ad perfectiorem cognitionem eiusdem. Et sic talis regressus non reputatur inutilis. Hæc pro nunc dicenda occurrunt. Et tu etiam considera.

QVAESTIO V.

Num expositio B. Tho. super textum 3. est conuenientior expositione Commentatoris.

Sũt autẽ primũ nota nobis & certa cõfusa mag. tex. 2.

IN hoc textu aduerte quòd B. Tho. in duobus reprehendit Comm. Primò quia Cõm. dicit quòd Philos. in tex. 2. tradit viam & modum demonstrandi, quo debet vti Physicus in scientia naturali ad cognoscendum causas naturales. Secundò quia Comm. in tex. 3. exponit confusa pro compositis.

Contra primum B. Tho. arguit quia Philos. in lib. 2. vt declarabitur dat modum demonstrandi in scientia naturali, ergo non in 1. aliter esset repetitio inutilis.

In 2. lib. Arist. tradit modũ demõstrãdi propriũ sciẽtiæ naturali, nõ autem in primo: in quo cõfusa, i. composita nobis notiora asserũtur, sed cõfusa, id est magis vniuersalia & indistincta.

Contra secundum arguit, quia ly Confusa sumuntur pro vniuersalibus, sic enim corollariè concludit Philos. in tex. 4. vnde ex vniuersalibus in singularia oportet procedere, sed vniuersalia non sunt composita ex singularibus, aliter vniuersale, putà genus non prædicaretur in recto de speciebus nec species de indiuiduis. Nullum enim realiter compositum ex partibus prędicatur de partibus in recto, prçcipuè si diuisim sumantur, vnde hęc esset falsa, homo est animal, Sorres est homo. Quod si dicas, imò totum vniuersale prædicatur in recto de qualibet parte subiectiua, non valet, quoniam in toto vniuersali non seruatur compositio realis ex partibus subiectiuis, sed compositio rationis, vt alias videbitur.

Tu igitur vt defendas B. Tho. aduerte ꝙ aliqui fauentes Cõm. & præcipuè Petrus Pomp. in lec. sua super 1. lib. Physic. vt defendat expositionem Cõm. arguit contra expositionem B. Tho. & primò probat quòd Arist. in tex. 2. det modum demonstrandi & procedendi ad cognitionem causarum naturalium in hac scientia, & sic expositio Cõm. erit conueniens.

Sic igitur arguit Arist. in hoc 1. lib. peruenit ad cognitionem veram principiorum naturalium, vt patet in fine primi libri, vbi reprobatis opinionibus Antiquorum deuenit ad veram notitiã materiæ & formæ & priuationis, quæ sunt principia requisita in omni fieri naturali, vt declarabitur loco suo. Ergo vel peruenit ad talem noticiam ex aliqua via, vel ex nulla: non secundum, quia repugnat terminum attingi sine via, ergo primum. Si primum, ergo oportet quòd in 1. lib. & in principio præponat viam procedendi ad cognoscenda principia & causas naturales: talis autem via est modus demonstrandi conueniens huic scientiæ. Ergo Philos. in 2. tex. dat modum demonstrandi in hac scientia, & sic expositio Commen. videtur conueniens & ad mentem Philosophi.

Sed id non concludit contra B. Tho. diceret enim quòd Arist. vtique per aliquam viam & cõuenientem in hac scientia processit in 1. lib. ad cognitionem principiorum naturalium: sed non fuit necesse vt eam exprimeret in 1. lib. ne in 2. idem repeteret. Sed sufficit quòd eam mente excogitauit: & secundum illam se regulauit in huiusmodi inuestigatione. Deinde in 2. lib. vt in loco magis conuenienti eam expressit, & sic patet quòd nihil concludit: quoniam illa consequentia, Si primum, ergo oportet ꝙ in 1. lib. & principio prçponat eam, nullam habet euidentiam: ideo neganda est.

Deinde arguit contra B. Tho. qui dicit in 3. textu. contra Comm. quòd confusa non debent exponi per composita, sed per magis vniuersalia & indistincta. Contra hoc igitur sic arguit, Si confusa exponũtur per magis vniuersalia, ergo non erit processus à notioribus & prioribus nobis ad notiora & priora naturæ, quod est contra Philosophũ in 2. tex. Consequentia probatur, Magis vniuersalia sunt priora secundum naturam quam minùs vniuersalia, vt vult Philos. in Postprædicam. Prius enim natura est à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Constat autem quòd hæc consequentia valet, Homo est, ergo animal est & tamen non valet econuersò vt patet, ergo, animal vt magis vniuersale est prius natura homine vt minus vniuersali, si ergo confusa exponãtur pro magis vniuersalibus, cũ Philos. cõcludat in tex. 4. ꝙ oportet procedere à magis vniuersalibus ad singularia, sequitur ꝙ non procedemus à posterioribus ad priora naturæ, cuius tamẽ oppositũ docuit Philos. in tex. 2. & sic sibi cõtradiceret.

Ad hoc argumentum respondet B. Tho. in 1. Par. quæst. 85. art. 3. ad primum. Nam in principio articuli sic inquit, Videtur ꝙ magis vniuersalia non sint priora in nostra cognitione

intellectuali. Quia quæ sunt priora & notiora secundum naturam sunt posteriora & minùs nota secundum nos: sed vniuersaliora sunt priora secundum naturam, quia prius est à quo non conuertitur cõsequentia essendi, ergo vniuersaliora sunt posteriora in nostra cognitione: ecce argumentum virtualiter Petri Pompon. Ad quod respondens B.Th. inquit, Duplex est ordo naturę, scilicet, ordo generationis & perfectionis. Ordine generationis vniuersaliora sunt priora quia prius generatur animal quàm homo, & herba quàm fructus. Et de tali ordine intelligenda est propositio inducta in Postprædicam. Ordine autem perfectionis vniuersaliora sunt posteriora secundum naturam, & minùs vniuersalia sunt priora vt species, eo ꝙ sunt magis intentę à natura, & sunt magis actu, quoniam intentio naturæ non sistit in genere, sed in specie. Et quando dicit Philos. in tex. 2 innata est nobis via, &c. intendit de prioribus secundum naturam ordine perfectionis, & non ordine generationis, quo ordine vniuersaliora sunt posteriora & minùs vniuersalia sunt priora. Et sic vniuersaliora sunt priora in nostra cognitione, minùs autẽ vniuersalia sunt posteriora: falliť autẽ arguẽs, quoniã nõ aduertit illũ duplicẽ ordinẽ naturæ, s. generationis & perfectionis.

Arguit iterum contra illud, quod dicit B.Tho. quòd genera non componuntur ex speciebus. Nam species diuidunt genus. Diuiditur enim, per cõtrarias differentias, quarũ quęlibet constituit speciem. Sed nihil diuiditur quod priùs non fuerit cõpositum, ergo genus est compositũ ex speciebus, ex consequenti nõ bene reprehẽditur Cõmen. exponens Genera confusa, id est, Cõposita, quoniam & B.Tho. cogitur ponere genus compositum, cùm sit diuisibile in species.

Ad hoc respondetur dupliciter. Primò dato quòd B. Tho. concederet compositionem in genere, non tamẽ qualem intendit Cõm. exponens Confusa pro Cõpositis. Accipit enim vt patet in cõm. 3. composita causata ab elementis, in quibus cõstat esse cõpositionem realem. Talem autem non admittit B.Thom. in genere, non enim resultat genus ex speciebus, vt quid vnum cõpositum realiter, si autem admittenda est compositio in genere, hoc est tantum secundum rationem. Respondetur secundò, quòd genus diuidi in species vt ponit Arist. cum dicit in tex. 3. fiunt nobis nota elementa & principia diuidentibus hæc, &c. accipit ly Diuidentibus pro distinctè & applicatè considerantibus, putà, postquàm cognoui animal vt animal, procedo ad cognoscendũ distinctè animal vt homo, vt capra, vt leo, & hoc est, diuidere genus, id est, distinctè considerare vt ad species contrahitur. Constat autem sano intellectui, quòd huiusmodi diuisio, id est distincta consideratio nõ arguit talem compositionem, qualem intendit Cõm. exponens Confusum pro Cõposito, & sic patet expositionẽ B.Th. esse conuenientiorẽ expositione Cõmentatoris.

Et aduerte quòd si Commen. habuisset textum nostrum quem exponit B.Th. non sic fortè exposuisset, verùm quia in textu Arabico non dicitur, sunt autem primum nobis manifesta & certa confusa magis. Sed sic dicit, Et illa, quæ primò sunt apud nos euidentia & manifesta sunt mixta, scilicet composita propriè. Suæ igitur expositionis occasio fuit textus Arabicus, quem conatus est saluare vt potuit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Sũt autẽ primũ nota nob. & certa cõfusa mag. te. 3.

Aduerte, ꝙ hic iterum solet quęri quod sit primum cognitum ab intellectu nostro, an magis vniuersale, an minus vniuersale, & qua cognitione an confusa, an distincta. Sed hoc quæsitũ resoluimus in Trac. de Transcendent. vbi in 1. ca. defensauimus viã nostrã contra viã Scoti. Tu igitur quære illic.

QVAESTIO VI.

Num Physicus possit disputare contra negantẽ principia naturalia.

Quemadmodum igitur Geometra nõ habet disputationem, cum eo qui negat principia Geometriæ, sed loqui de hoc spectat ad aliam scientiam à Geometria, aut ad aliam communem omnibus scientiis, similiter naturalis non habet loqui in principiis an sint. text. 8.

Naturalis quãuis non tueatur sua principia contra negãtes quò ad illorũ existẽtiã, ea tamen efficaciter probat.

IN hac quæstione, antequam deueniamus ad decisionẽ aduerte ꝙ licet aliqui distinguant de principiis naturalibus, quoniã dicunt aliqua esse principia doctrinæ, siue cognitionis tantùm, vt motus & pluralitas entium, & qualitates sensibiles rerum naturalium, quoniam his ducimur in cognitionem rerum naturalium; aliqua autem esse principia essendi tantùm, & nõ doctrinæ, vt materia prima & priuatio & motor primus. Nam materia est principium in esse & in fieri, priuatio in fieri vt declarabitur in fine huius primi libri. Et primus motor est principiũ productiuum naturaliũ inferiorum motu cœli vt declarabitur in lib. 8. Non autem materia est principium cognitionis nec priuatio, quoniam alterũ est pura potẽtia, alterum negatio in subiecto apto nato: hæc autẽ difficillima sunt ad cognoscẽdum propter minoritatem entitatis suæ. Vnde dicet infrà Philos. ꝙ materia non cognoscitur nisi per analogiam ad formã. Et priuatio cùm sit negatio non cognoscitur nisi per habitum. Similiter primus motor est difficillimus ad cognoscendũ, quoniã cũ sit maximè actus, ex consequenti maximè cognoscibilis secundũ naturam est improportionatus nostro intellectui. Vnde non nisi ab effectu, i. ex motu cognoscibilis est à Phys. Cum igitur principia doctrinę debeant esse notiora quocũque, & non habeant notificari ex aliquo priori cognito, patet, ꝙ huiusmodi, licet sint principia essendi in rebus naturalibus, nõ tamen doctrinę & cognitionis. Tamen intentio Philos. quando dicit, Similiter naturalis nõ habet loqui de principiis an sint, est de principiis doctrinæ, & non de principiis essendi: vnde exemplificat de Geometria, & de scientia cõmuni omnibus scientiis, i. Metaph. de qua cõstat, vt docuimus in 4. Meta. ꝙ habet sustinere principia in quibus fundãtur aliæ scientiæ particulares. Vt igitur ad mentẽ Philosophi resoluamus pręsens quęsitũ, duo agẽda sunt, primò ponẽtur duę cõclusiones respõsiuæ, quarũ prima erit negatiua, & secũda affirmatiua, secũdò soluetur dubiũ.

Prima conclusio, Physicus non potest probare contra negantem principia scientiæ naturalis quò ad existentiam. Hanc priùs declaro, deinde probabitur. Voco principia scientiæ naturalis, ea quę primò occurrunt cognitioni nostræ, & sunt nobis prima via qua procedimus in inuestigationẽ substantiarum naturaliũ, & qua sublata nullam aliam habemus. Hæc autem sunt motus & pluralitas entiũ & qualitates sensibiles quæ sunt propriæ rebus naturalibus & actiones siue passiones proprię & motus naturales, vt ignem esse calidum & calefacere, aquam esse opposito modo, Ignem esse leuem & ascendere, terram opposito modo. Dico quo ad existentiam, quoniã posito, vt probabitur, quòd Physicus non possit probare existẽtiã motus, nec ꝙ ignis existat calidus, eò quòd sensui constat, tamẽ non inconuenit posse probare quidditiuè. Nam cùm hæc propositio, Motus est, nõ sit immediata, quoniã prędicatum non est ratione subiecti, non inconuenit eam posse demonstrari per diffinitionem motus, sed quia ad sensum acceptatur sicut ista, Ignis est calidus, Nix est frigida ideo non est necessaria apud intellectum hæc probatio. Hæc conclusio sic declarata probatur, Physicus nõ potest demonstrare contra negantẽ principia doctrinę in scientia naturali demõstratione ostẽsiua, nec ducẽte ad impossibile: ergo, &c. Consequentia patet à sufficienti diuisione demonstrationis. Antecedens probatur quo ad primã partem. Demonstratio ostensiua est ex notioribus conclusione: sed apud Physicum nihil potest esse notius principiis doctrinę, & prę sertim hoc principio, Motus est, in quo fundatur omnis processus physicus: vnde & Philosophus aduertens nihil esse notius, à quo possit procedere dicit in tex. x. nobis autẽ subiicitur omnia, aut quædã moueri, ergo, &c. Secunda aũt pars sic probatur, Demõstratio ad impossibile ex doctrina demõstratiua procedit ex aliquo falso admisso ab aduersario, & ex aliquo vero simul sumpto. Et cõcluditur aliquod manifestius falsum, ex cuius destructione fit reuersio ad destructionẽ falsi admissi ab aduersario, & ad conculdendũ eius oppositũ esse verum. V.g. Dicat aduersarius, Homo est asinus: sub sumatur, Sortes est homo, & cõcludatur. Ergo Sortes est asinus. Sed hęc conclusio est manifeste falsa, ergo aliqua præmissarũ nõ minor, ergo maior quod est dictum, ab aduersario: ergo sua apposita, s. Homo non est asinus, est vera. Sed si aduersarius admittit motũ non esse, nihil potest ibi concludi quod sit manifestius falsum, ex cuius interemptione concludatur admissum esse falsum, s. motum non esse. & oppositũ esse verum, s. motum esse. Et probatio quidem huius minoris stat in hoc quia sicut prima principia doctrinæ debent esse notissima in veritate, sic eorum opposita debent esse notissima in falsitate. Et ideo ista, Motus non est, non potest notificari in scientia naturali per aliquam magis falsam. Non igitur Physicus potest probare efficaciter contra negantem sua prima principia doctrinæ stãdo in terminis physicis. Quod dico vt præscindam ab habitu metaphysico sicut declarabo infrà.

Secunda conclusio, Physicus probat efficaciter principia naturalia, i. quæ sunt principia essendi rerum naturaliũ. Nam Philosophus in hoc primo probabit efficaciter tria esse principia intrinseca rerum naturaliũ, & hæc sunt materia, forma & priuatio. Et in 1. lib. probabit naturã agere propter finem.

Et in 2. lib. probabit existẽtiam primi efficientis, qui est motor primus, ergo, &c. Sed aduerte quòd licet hęc sint principia essendi prima rerum naturalium, quia concurrũt in omni factione naturali per se intenta, & licet concurrant ad cognitionem earum, eo quòd principiatum pendet à cognitione suorum principiorum, tamen non possunt dici prima principia doctrinæ: quia fiunt nota ex notioribus, vnde ex transmutatione cognoscitur forma & materia & priuatio. Et ex motu concludetur primus motor. Ex quo sequitur quòd licet eadẽ possunt dici principia essendi & cognoscẽdi, non tamen est necesse ꝙ ea quæ sunt prima principia essendi in rebus naturalib⁹, sint prima principia procedẽdi in scientia naturaliũ.

Probatis his conclusionibus remouendum est dubium, & efficacitale, Si Philosophus naturalis non potest defensare prima principia doctrinæ suæ, quare Aristoteles disputat & reprobat positionem Parmenidis & Melissi, qui negabant huiusmodi principia & soluit eorum rationes?

Respondeo, Arist. non disputat hic contra Parmenidem & Melissum ex virtute Philos. naturalis, sed per habitum Metaphysicæ vt ipsémet innuit hic in tex. 12. cũ dicit, Habet enim, sic Philosophia respectus, id est, & si disputare cum eis non oportet naturalem tamen oportet primũ Philos. & si dicas, Quare ergo, Philosophus non distulit disputare contra eos in Metaphysica? Respondet ipsémet hic in textu 12. & dicit, Sed quoniam de natura quidem non naturales, &c. Vbi inquit Commen. Sed quia accidit his duobus viris loqui de naturis, vt de vacuo & infinito & aliis, rectum est loqui cum eis de istis quæstionib⁹ & disputare. Et si dicas, Vnde habet Metaphysicus quòd possit magis disputare & cõuincere negantes principia huius doctrinæ quàm Physicus? Respondeo, Id habet quia considerat primos & generales modos entis, vt vnum & multa & actum & potentiam & finitum & infinitum, &c. Et ex his possunt formari rationes procedentes ex concessis ab eis. Et hoc modo procedit hic Aris. contra eos, sicut procederet in Meta. Hæc de præsenti quęsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num qui ponunt tantum vnum eius negant omnino principium.

Non enim amplius principium est, si vnum solùm, & sic vnum. Principium enim cuiusdam aut quorundam est. textu 8.

IN hac quęstione aduerte quòd difficultas stat in ly Solùm. Nam cùm sit dictio exclusiua, si quando apponitur vni relatiuo excludit aliud, profectò qui dicit tantùm vel solùm principium esse destruit rationem principij, quoniam de ratione eius est principiatum, est enim principium cuiusdam, scilicet, principiati, aut quorundam principium, vt dicit Philosophus in tex. 8. Qui ergo diceret, Tantum principium est, si ly, Tantum excludit suum correlatiuum, sequitur, ergo principiatum non est: tunc vltrà, Ergo principiũ non est: quoniam remoto vno correlatiuo remouetur reliquum. Si autem dicto exclusiua quando apponitur vni relatiuorum non excludit reliquum, sequitur quòd dictum Philos. sit falsum, quando dicit, Non enim amplius principium si vnum solùm, &c. Et hoc videtur esse magis apparens, quoniã dictio exclusiua non excludit ea, quæ sunt de ratione termini, cui apponitur: vt quia animal est de ratione hominis, non sequitur, Tantùm homo currit, ergo animal non currit. Sic in proposito, cum principiatum sit de ratione principij, non sequitur, tantùm principium est, ergo principiatum non est.

Vt igitur scias quam veritatem continet dictum Philo. sic procedendum est: primò declarandum est quando & quot modis dictio exclusiua excludit aliud à termino, cui apponitur, & quando non. Secundo applicabitur ad propositum, & declarabitur dictum Philosophi esse verum, & soluetur ratio facta in oppositum.

Quantùm ad primum aduerte quod de dictione exclusiua datur hæc regula generalis, Dictio exclusiua excludit omne aliud, quod distinguitur supposito à consortio prædicati, cui regulæ apponuntur pro sua declaratione tria corollaria.

Primum est, Si duo relatiua distinguuntur nõ solùm realiter, sed etiã supposito, vt pater & filius, seruus & dominus, principium productiuum & productũ principiatum: dictio exclusiua apposita vni excludit aliud, vt, Tãtũ pater est, ergo filius non est. Sic enim exponitur, pater est, & nullum aliud distinctum supposito à patre est: sed filius est aliud suppositũ à patre, ergo filius nõ est. Si autem sint duo relatiua, quę non distinguantur realiter & supposito, vt quando idem mouet seipsum secundũ partem, putà Sortes manu percutit seipsum secundũ pectus, non est necesse vt dictio exclusiua apposita vni excludat aliud, nõ enim sequitur, Tantũ mouens seipsum currit, ergo motũ à seipso nõ currit: nam vnũ prędicatur de altero: hæc enim est vera, Mouens seipsum est motũ à seipso.

Secundum est, Si aliquod est includens subiectum vel includitur à subiecto propositionis exclusiuæ, dictio exclusiua nõ excludit illud: vnde dictio exclusiua addita speciei nõ excludit genus, nec alia superiora, nec differentiam constituentem speciei, nec indiuiduum quod speciem includit. Vnde non sequitur, Tantum homo est, ergo animal non est, ergo rationale nõ est, ergo Sortes non est. Et ratio omnium horum est, quia eadem attributione qua prædicatum subiecto attribuitur omnibus huiusmodi attribuitur. Nõ enim genus nec differentia constitutiua speciei nec indiuiduum sunt aliud à specie, quæ est subiectum prædictæ exclusiuæ.

Tertium est, Si aliquid est includens aliud, vt partem sui essentialem vel integralẽ, dictio exclusiua addita vni nõ excludit aliud: vnde non sequitur, Tantùm homo est, ergo anima non est, tantum domus est, ergo paries non est, quia eadem attributione, qua esse attribuitur toti attribuitur parti.

Quantùm ad secundum dico quòd ratio Philos. est vera: quia principium productiuum & principiatum productum distinguuntur supposito, quoniam nihil seipsum producit: & ideo dictio exclusiua apposita vni excludit aliud. Dico notãter Principium productiuum, quoniam nõ est necesse principium formale nec materiale distingui supposito à suo principiato, imò se habet ad ipsum vt pars ad totum: & ideo non est necesse dictionem exclusiuam additam principio excludere principiatum. Vnde non sequitur, Tantum anima est, ergo homo non est: quoniam anima & homo non distinguuntur supposito.

Ad rationem in oppositum, quando dicitur, quòd dictio exclusiua nõ excludit terminum, qui est de ratione termini, cui opponitur: hæc non est vniuersaliter vera, nisi quãdo illa duo non distinguũtur supposito, vt totum & pars, genus & species, indiuiduũ & species. Non sic autem se habent principium productiuũ & eius principiatum, vt docuimus. Quare, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Num finitum & infinitum & diuisibilitas primò & per se conueniunt quantitati.

Infiniti autem ratio quantitati congruit, sed non substantiæ nec qualitati. textu. 15.

Finitum & infinitum dmẽ sine & incedunt in quantitate per se sunt.

IN hac quæstione, aduerte quòd difficultas stat in duobus, primò quia antequam diuidatur ens in x. prædicamenta diuiditur per finitũ & infinitum, vt ostendimus in Tractatu de Transcendentibus, ergo finitũ & infinitum pręcedunt quantitatẽ & per consequens diuisibilitas. Præterea, Sumpta qua cunque substantia etiam abstracta verum est dicere quòd est limitata vel illimitata & per consequens finita vel infinita, & tamen ibi nulla est quantitas, ergo, &c. Secundò facit difficultatem ly Diuisibilitas. Nam remota quacunque quantitate non inconuenit genus diuidi in species, saltem in abstractis, vbi nulla est quantitas, ergo diuisibilitas conuenit substantiæ etiam remota omni quãtitate. Præterea, Duæ species materiales, vt homo & leo distinguuntur substantialiter per differẽtias suas, quæ non sumũtur à quantitate, sed à formis suis. Præterea Forma substantialis dat esse rei, ergo distinctionem & diuisibilitatem. Nam per propriã formam res habet esse & distinguitur à quocũque alio.

Tu igitur aduerre, quòd Moderni propter hæc argumenta frustrà laborant, quoniam non tendunt ad sensum Philos. Nam Philos. non loquitur contra Parmenidem & Melissum de finito & infinito nisi ad sensum eorum contra quos arguebat. Melissus autẽ sicut cæteri Antiqui arbitrabatur ens & corpus cõuerti, ita quòd non datur apud eos nisi ens corporeũ quod patet esse quantũ, vnde in 4. lib. in tex. 1. loquens de Antiquis inquit, Et ea nanque quæ sunt, omnes scilicet, Antiqui opinãtur alicubi esse: quasi dicat, quia non tenent nisi ens corporeum, opinantur omne ens esse in loco ex consequenti quantũ. Et quoniã sic opinabãtur de ente, ideo credebant non dari finitũ & infinitũ nisi secundũ quantitatẽ molis.

Quando igitur dicit Philos. quòd ratio infiniti congruit quantitati, sed non substantię, loquitur ex concesso à Melisso & non absolutè. Nam secundum verum Philosophum sicut est duplex quantitas, scilicet, molis & virtutis, sic est duplex infinitum & finitum, quorum vnum congruit quãtitati dimensiuæ & dicitur infinitum quantitatiuum, alterum quantitati virtuali, & dicitur infinitum formale.

Ex his

Ex his patet quid dicendum sit ad argumenta inducta. Ad primum ergo dico quòd ens vt diuiditur per finitum & infinitum ad mentē veri Philosophi non est solum ens corporeum, sed ens reale absolutum, vt docuimus in Tractatu de Transcendentibus in quinta diuisione entis. Tales autem modi entis non sumuntur à quantitate dimensiua, sed virtuali, quam concedimus præcedere quantitatem & diuisibilitatem in partes quantitatiuas. Idem dicitur ad secūdum argumentum, quoniam limitatum & illimitatum, vt docuimus in eodem Tractatu, in abstractis sumitur ab essentia & nonà quantitate. Quomodo ab essentia vide illic.

Ad primum argumentum de diuisibilitate dico, quod duplex est diuisio, scilicet, formalis prout hæc essentia non est illa, & materialis in partes quantitatiuas. Tunc ad argumentum concedo quòd in abstractis est diuisio formalis & non materialis, de qua loquimur hic contra Melissum. Hæc enim fit per solam quantitatem. vnde in 5. Metaph. in q. 20. disputauimus si diuisibilitas est propria ratio quantitatis. Idem dicitur ad secundum, Nam homo & leo distinguuntur formaliter & substantialiter ante quantitatē. Quidditas enim hominis, est alia substantialiter à quidditate leonis. Et aduerte quòd non solùm in rebus perfectis secūdum speciē salnatur diuisibilitas formalis & essentialis, sed etiam in materia cœli & in materia horum inferiorum. Nam in via nostra vt docuimus in 8. Metaphysic. in q. 13. remota quantitate distinguuntur essentialiter, eo quòd sunt duæ potentiæ passiuæ distinctarum rationum & essentialiter distinctæ. Conceditur tamen quòd materia horum inferiorum solum in partes materiales diuiditur, & sic per quantitatem, vnde remota quātitate & forma & materiæ Sortis & Platonis omnino essent indistinctæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Num totum & partes simul sumptæ sunt idem realiter.

Vtrum vnum aut pluta pars & totum. text. 17.

IN hac quæstione non est hic immorandum quoniā eam resoluimus in li. 7. Metaph. in q. vltima, & pertractauimus viam B. Tho. & Heruæi & Commen. & tu vide illic.

QVAESTIO X.

Num ratio Philosophi in textu 19. concludit contra Antiquos.

Ar verò si omnia quæ sunt, ratione vnum sunt sicut est tunica & indumentum. text. 19.

Concesso multa nō dari nec secundum rem, nec secundum rationem, sequitur contradictoria eadem prorsus esse.

IN hac quæstione aduerte, quòd difficultas stat in hoc, Philosophus vult probare contra Antiquos, quòd si omnia quæ sunt, sunt vnum ratione, ergo eadem erit ratio duorum contradictoriorū. Et si ens & non ens erunt idem. Consequentiam autē sic deducit Philosophus. Si omnia sunt vnum ratione, ergo eadem ratio erit boni & mali. Et cum malum sit non bonum, ergo erit eadem ratio boni & nō boni, quæ sunt contradictoria, & cum alterum contradictoriorum sit non ens, ergo erit eadem ratio entis & nō entis: & cum illa, quorum est vna ratio, sint idem, ens & nihil erunt idem.

Hæc est ratio Philosophi, & quòd non valeat ostenditur sic, Nam stante eodē modo arguendi probaretur contra Philosophum quòd inter contradictoria datur medium & arguetur sic, Inter bonum & malum datur medium, & manifestius inter album & nigrum. Sed nigrum est non album, ergo inter albū & non album datur medium. Sed album & non album sunt contradictoria, ergo, &c. Patet autem quòd hoc repugnat Philosopho in 1. Post. & in 10. Metaph. text. 15. vbi & formauimus quæstionē quæ est vndecima in ordine. Ergo ratio prædicta Philosophi cōtra Antiquos nihil valet.

Hic inuenio duos modos respondendi, primus est quorundam qui dicūt, quòd ratio Philosophi contra Antiquos stat in hoc, Si album & nigrum habent eandem rationem, ergo album & nigrum, sunt idem, ergo idem erit album nigrum. Et cùm nullū ens sit album nigrum sequitur stante opinione Antiquorum quòd ens, putà albū, & non ens, putà album nigrum erunt idem. Sed quicquid sit de isto modo dicendi, nisi aliud dicatur patet quod non soluit instantiam, qua probatur, quod stante eodē modo arguendi probaretur inter contradictoria dari medium.

Secundus igitur modus respondendi & verior extrahitur virtualiter ex B. Tho. qui postquam exposuit text. 19. inquit, Aduertendum verò quòd sicut dicit Philosophus, &c. Ex cuius verbis & sententia potest colligi q̄ ratio suprà posita Philos. contra Antiquos non tenet de forma, sed de materia, scilicet, ex aliquo concesso ab aduersario, ideo stante eodem modo arguendi non potest trahi ad aliud propositum. Concedebant autem Antiqui non dari multitudinem nec pluralitatem secundum rem, nec secundum rationem, ideo sequitur ex suo concesso quòd entis & non entis est eadem ratio. Contingit enim non solùm ens, sed etiā non ens apprehendi ab intellectu. Aliter intellectus non formaret hāc propositionem, Ens distinguitur à non ente. Quorum autem est vna ratio, illa sunt eadem, ergo stante suppositione Antiquorū ens & non ens sunt idem. Ad instantiam autem faciam de medio inter contradictoria patet quid dicendum sit, cōcideret vtique si ratio, quam format Philosophus valeret de forma, tunc enim seruato eodem modo arguendi teneret in alio proposito. Sed quia non tenet nisi de materia, ideo non oportet trahere ad aliud propositum. Sic dicendum occurrit. Et tu considera. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. XI.

Si ratio Melissi peccat in forma, & propter quid.

Est autem magis onerosa Melissi ratio & non habens defectum. textu 22.

IN hac quæstione, aduerte quòd alio modo formatur ratio Melissi à B. Tho. & alio à Commenta. Vt igitur videas quomodo peccat & propter quid tria agēda sunt. Primò videbitur secundum B. Tho. & secundum Cōmen. Secundò declarabitur propter quid peccat. Tertiò declarabitur si in aliqua materia talis modus arguendi potest saluari. Nam, vt dicemus, visus est Philosophus aliquando seruasse talem modum arguendi. Et ideo, si in nulla materia talis modus valeret quā ratione reprehendit Melissum, eadem ratione reprehendendus esset.

Quantum ad primum, aduerte quod ratio, Melissi potest formari hypotheticè & categoricè. Hypotheticè sic, Si ens est factum habet principiū, ergo si non est factum non habet principiū: sed ens nō est factum, vt probat ipse Melissus, ergo non habet principiū. Et hoc modo format eam B. Tho. & dicit eam peccare in forma, quia arguit à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, & sic committitur fallacia consequentis, eò quòd arguitur ab inferiori ad superius negatiuè, quod non valet. Non enim sequitur, Si tu es homo, tu es animal, ergo, si nō es homo non es animal: Nam leo non est homo, & tamē est animal. Categoricè autem sic formatur, Omne quod est factū habet principium: sed ens non est factum: ergo non habet principium. Et hoc modo videtur formare eam Commentator in commen. 23. ibi, Et cùm Melissus habuit hoc pro vero, &c. & dicit Cōmen. quòd ille modus arguendi non valet, eò quòd non est necesse ē prædicatum affirmatur in eo in quo affirmatur subiectum quòd prædicatum negetur ab eo à quo negatur subiectum. Patet enim quòd animal affirmatur de homine & de asino, & tamen non sequitur quod quia homo negatur ab asino etiam animal negetur ab asino. Stat enim, quòd asinus non sit homo, & tamen sit animal. Sic est in proposito, licet enim habere principium affirmetur de omni quod generatur, non tamen est necesse quòd negetur ab omni quod non generatur. Nam corpus cœli non generatur, & tamen habet principium, scilicet, magnitudinis cùm non sit infinitum. Sicut igitur nō valet hic, Omnis homo est animal: asinus non est homo: ergo asinus nō est animal. Arguitur enim in prima figura cum minori negatiua: sic non valet ratio Melissi.

Quantùm ad secundum aduerte quòd si quæratur quare non valet modus arguēdi à destructione antecedētis ad destructionē cōsequentis, sed bene econuersò respondendum est, quia in primo processu, scilicet, à destructione antecedentis arguitur reductiuè in prima figura cum minori negatiua, ex qua nihil sequitur, vt declaratum est in Logicis. In secundo autem processu, scilicet, à destructione consequētis, &c. arguitur reductiuè in secunda figura, in qua non inconuenit minorem esse negatiuam. Tunc enim prædicatum in ma. & mi. stat pro medio, & consequens habet rationem prædicati sic arguendo, Si omnis homo currit mouetur: sed homo non mouetur ergo non currit. Patet quòd hoc argumentum ad reductiuè in secūda figura sic, Omne currens mouetur: sed homo non mouetur ergo homo non currit.

Quantum ad tertium aduerte, quod licet talis modus arguendi non valeat de forma: potest tamen valere de materia, vt in terminis conuertibilibus & ratio huius est. Quia hic modus non valet quoties arguitur ab inferiori ad superius negatiuè: sed duo termini conuertibiles, non se habent vt inferius & superius, sed sunt æqualis ambitus, ideo quicquid attribuitur vel negatur ab vno, attribuitur alteri, vel negatur ab eo. Vnde bene sequit, Si homo est lapis, rationale est

est lapis: sed homo non est lapis, ergo, &c. Et hoc modo arguendi aliqui arbitrātur Aris. vsum fuisse in 1. De Anima, in tex. 19. & de hoc formauimus in 1. De Anima, q. 10. & ideo si Melissus argumentatus fuisset in terminis conuertibilibus poterit tolerari, sed argumentatus est in terminis non conuertibilibus. In plus est enim habere principium quàm esse factum vt declarat Philosophus in tex. & ideo rectè improbatur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Num possibile est partem mouerī toto quiescente.

Posteà, propter quid immobile, si vnum est. textu 24.

IN hac quæstione, aduerte, q̄ si textus Philosophi teneatur in suo proprio sensu non habet difficultatem. Dicebat enim Melissus hanc consequentiā esse veram, si ens est infinitum, est immobile, quia quod mouetur, extra locū priorē tendit: sed infinitum cùm occupet omnem locum nō potest tendere extra priorē locū: ergo est immobile. Philosophus autē improbat illā propositionē, Omne quod mouetur tendit extra priorem locum. nō enim est vera nisi in motu locali recto, qui est motus de loco ad locum, non autem est vera de motu circulari, qui est circa locū: vnde stante cœlo semper in eodem loco partes cœli mutant locum, vt declarabitur in 4. libro. Et assignato corpore fluxiuo, vt sunt aqua & aër, stat partes per circumgirationes moueri, & tamen totū non exit locum suū, vt patet quando circumgiratur aqua in vase: id autē accidit, quoniam fluxiua sunt facilis diuisionis. Nō sic verò potest fieri in solidis, quoniā mota parte lapidis stante cōtinuitate de necessitate totus lapis mouetur. Et de cōtinuo solido propriè intelligitur dictum Philosophi in 5. Metaph. tex. 8. cum dicit, Continuū est cuius motus est vnus. Idem patet de aëre, cuius pars in vno loco potest cōdensari vt sub arctico, & in alio rarefieri, vt in meridie, & per consequens secūdùm partes mutat locū, non tamē totus aër egreditur sphærā suā. Patet ergo q̄ textus Philosophi in se non continet difficultatem. Sed Expositores moderni fecerunt ipsum difficilē p̄ accidēs, eò q̄ disputāt multas cōclusiones, quas ad hunc locū reducūt & tamē propriè discutiēdę sunt partim in lib. 4. partim in 6. vel 7. & principaliores sunt istæ.

In motu circulari non est necesse quamlibet partem mobilis mutare locum secundùm subiectum. Sed hæc cōclusio an sit vera & in quo sensu, pertractanda est in 4. lib. quando inuestigabimus de localitate vltimæ sphæræ.

Si aliquid mouetur localiter circulariter non est necesse omnia eius puncta moueri vt sunt poli. Hæc disputabitur in 4. libr. cùm agemus de immobilitate loci, & præcipue quia huic videtur contradicere Comment. in 2. Cœli cōmen. 14.

In motu circulari verò, quælibet pars mouetur secūdùm subiectum. Hæc discutientur in lib. 4. & in quo sensu possit saluari: pro nunc de quæstione proposita & de his cōclusionibus non est aliud dicendum.

QVAESTIO XIII.

Num ex eo quòd diffinitio habet partes secundùm rationem possumus concludere diffinitum habere partes secundùm rem.

Quod autem diuiditur quod verè est, &c. vbi dicit Comment. Nam partes rei quæ sunt secundùm diffinitionem præcedunt rem inesse. text. & comment. 18.

IN hac quæstione, aduerte quòd petit eandē difficultatē, qua solet quæri, Vtrū partes diffinitionis correspondeāt partibus rei diffinitæ, putà genus materiæ, differētia formæ. Sed scito q̄ hāc q. ordinaui & resolui in 7. Metaph. & est quæstio 15. super tex. 33. qui incipit, Vtrū aūt ratio ad rē, &c. Et Thomisticè determinaui partē negatiuā, q̄ non est necesse partē diffinitionis correspōdere parti in re, imò quælibet pars dicit totā naturā diffiniti sub diuerso tamen conceptu, vt illic declarauimus, & soluimus ac reprobauimus sententiā Ianduni, vt illic videre poteris. Verùm, quia dictū Cōmen. in hoc 1. Physic. in cōmen. 28. videtur aduersari sententiæ nostræ, quoniā dicit, Partes rei quæ sunt secundùm diffinitionē præcedunt rē inesse, ideo pro nūc supponēdo q̄ Cōmen. cōcordet cum b. Tho. de vnitate formæ in cōposito, debemus declarare quem sensum habeat Commētator.

Hic ergo inuenio duas declarationes, prima est Gregorij in 2. Sen. di. 16. q. 2. ad tertiū, qui dicit dictū Philosophi & Cōmen. tam hic quàm in 7. Metaph. debere intelligi de diffinitione data per terminos in obliquo, vt homo est quid cōpositum ex anima & corpore, in qua diffinitione constat quòd anima & corp̄ sunt partes nō solùm secūdū rationē, sed etiā realiter distinctæ: nō aūt debet intelligi de diffinitione, cui⁹ termini sunt in recto, quoniā vtraq; pars talis diffinitionis prædicatur de diffinito in recto & per cōsequēs dicit totū.

Sed hæc declaratio non est ad mentē Philosophi, nec Cōmēta. quoniā in hoc 1. lib. in tex. & cōmen. 28. assignatur diffinitio per terminos in recto, vt, Homo est animal bipes, vbi dicit Commen. Necesse est vt animal, quod est genus hominis, & bipes, quod est eius differentia, sint entia in rei veritate. Patet ergo, quòd Philosophus & Commenta intendunt de diffinitione quæ etiam datur per terminos in recto & ideo declaratio Gregorij non sufficit.

Secunda declaratio quæ est magis consona principiis Cōment. stat in hoc, Omne compositum ex genere & differentia, potest dici compositum ex materia & forma. Non quòd genus significet solā materiā & differentia solam formā. sed quia genus significat totū sub conceptu cōfuso, & sic habet modū materia, quæ in se indistincta est, differētia aūt significat totū sub cōceptu distincto, & sic habet modū formæ. In hoc ergo sensu partes diffinitiōis subsstātię naturalis significāt partes in re, & p̄cedūt rē in esse, quia indicāt cōpositionē materię & formę, quas cōstat esse res distinctas in subsstā tia naturali diffinita, nō solùm vt apprehenditur & diffinitur, sed considerata secundùm esse reale & naturale. Et quoniam vt dixi totum hoc negocium terminatū est in 7. Metaphysi. in q. 15. ideo hic non est longiùs immorandum.

QVAESTIO XIIII. *Num in absolutis & relatiuis diffinitio possit esse circularis, vel saltem in relatiuis.*

Ampliùs quæcūque in diffinitiua ratione insunt, aut ex quibus sunt. tex. 29. super quē textū dicit Comm. Illa, quę accipiūtur in ratione diffiniēte rē, impossibile est vt in diffinitionibus illorū accipiātur illæ res, quoniam partes diffinitionis præcedūt diffinitū, &c.

Tam in absolutis quām relatiuis impossibile est diffinitionē esse circularem, vel saltem in relatiuis.

IN hac quæstione stat difficultas, quoniā pro vtraq; parte adest ratio. Nā pro parte negatiua stat auctoritas Com. inducta, & b. Tho. in expositione tex. 29. determinat impossibilē esse diffinitionē circularem: quoniā idem esset notius, vt diffiniens, & ignotius vt diffinitum. O mnis aūt diffinitio est ex notioribū & prioribus ex 6. Topic. Pro parte aūt affirmatiua stat Porphyrius saltem pro relatiuis, quoniā in prædicabilibus in cap. de specie vult q̄ genus & species per seinuicē diffiniantur & Cōmen. in 9. Metaph. in Cōment. 11. dicit quòd actus & potentia sunt relatiua cōtraria, & vtrumque relatiuorum accipitur in diffinitione alterius & nō accidit inde malum: hæc Cōmen. & confirmatur ratione, quia vnum relatiuorum non potest esse sine alio, ergo non potest diffiniri sine alio. Probatur cōsequentia, quia sicut res se habet ad esse sic ad cognosci ex 2. Metaph. tex. 4.

Aduerte quòd hanc difficultatem tetigimus in 9. li. Metaphy. in q. 12. in responsione ad primum dubium: vt igitur habeas hic plenè resolutionem aduerte, quòd hic inuenio duas opiniones quarum vtraque est sustentabilis.

Prima dicit q̄ tā in absolutis q̄ in relatiuis potest esse diffinitio circularis. Sed distinguit de diffinitiōe: quoniā aliqua est essentialis, aliqua per additamentum. In essentiali omnia diffiniēda sunt per ea quæ sunt de essentia diffiniti, in ea, quæ est per additamētū, nō oēs partes diffinitiuæ sunt de essentia diffiniti, vt patet q̄ū diffinit accūs per subiectū: nō n. subiectū est de essentia accidētis. Dicit igitur hæc opinio q̄ diffinitio essētialis nō potest esse circularis, eò q̄ semper daē per priora & notiora simpliciter, & nō solùm quò ad nos. Diffinitio aūt per additamētū potest esse circularis in absolutis & relatiuis. in absolutis quidē, vt quādo diffinimus passionē per subiectū, aliquādo etiā diffinimus subiectū per passionē, vt quādo loco differētiæ incognitæ assumimus in diffinitiōe propriā passionē. idē fit etiā in relatiuis, quādo enim diffinimus patrē per filiū, cùm filius non sit intrinsecū & quidditatiū prędicatū de patre, talis diffinitio est per additamētū: & ecōuersò, quādo diffinimus filiū per patrē. Et de talib⁹ diffinitionib⁹ nō est verū, q̄ semper dent per priora & notiora simpliciter, sed sufficit q̄ dētur per notiora quò ad nos. Et quoniā in notioribus quò ad nos potest accidere circulatio (accidit enim q̄ aliquādo cognoscim⁹ passionē p̄ subiectū, aliquādo ecōuersò) ideo potest in talib⁹ diffinitionib⁹ esse circulatio.

Et secundùm hāc opinionem dicendū esset q̄ dictū Com. in cōmen. 29. huius 1. lib. & dictum b. Tho. allegata pro parte negatiua, debent intelligi de diffinitione essentiali, & nō vltrà. Nec te moueat exēplū Philosophi de animali & bipede, per quod videtur assignare diffinitionē per additamētū, eò quòd bipes nō est differētia essentialis diuidēs animal, sed rationale & suum oppositū, sumit enim bipes loco differētiæ essentialis, & hæc fuit eius consuetudo in sua Philosophia.

Secun

Secunda opinio, quæ videtur esse Burlæi in 1.Physic. super tex.29. dicit ꝙ nullũ relatiuũ potest diffiniri per reliquũ diffinitione completa, eo ꝙ omnis cõpleta diffinitio debet esse per notiora & priora & ad dictũ Porphyrij & Cõm. in 9. Metaph. dicit nõ esse mentẽ eorũ, ꝙ vnũ diffiniatur per reliquũ, sed quod cognoscatur cũ reliquo & nõ per reliquũ. Et fundat se super Auicennam qui videtur sic dicere in Logica sua.

Sed si bene aduertis, non potest sic saluari dictum Philosophi & Comm. Nam Porphyrius in cap. de specie: & Commen. in 9. Metaph. in commen. 11. dicunt expressè vnum relatiuum poni in diffinitione alterius.

Vt igitur salues dictum Com. & quia videmus cõmuniter sic fieri, quòd scilicet relatiua per se inuicem diffiniuntur vt seruus per dominum, & ecõuersò, magister per discipulum & econuersò, duplum per dimidium & econuersò, melius est vt sequaris determinationem quã fecimus in 9. Metaph. in q.12. quam ostendimus esse consonam expositioni B.Tho. vide illic, ne inutilis fiat repetitio.

Et tu aduerte quòd mens Philosophi est vnum relatiuum diffiniri per alterum, nec est necesse omnem diffinitionem præcipuè in relatiuis dari per priora & notiora, & de hoc vide in lib.6. Topico. in cap.5. vbi sic inquit, Oportet autem non latere quoniam quędã fortasse non est diffiniri aliter, vt duplum sine dimidio, & quæcunque per se ad aliquid dicuntur, & infrà, necesse est in alterius diffinitione simul sumi & alterum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Nũ in omni accidente inseparabili ponatur subiectũ in diffinitione eius.

Accidens enim dicitur, aut quod contingit esse & nõ esse, aut in cuius ratione est hoc cui accidit. tex.28.

Inseparabilis accidentis & specifici diffinitio exigit subiectum.

IN hac quæstione, Aduerte quòd difficultas stat in hoc, Philosophus volẽs sufficienti diuisione diuidere accidens diuidit in accidens commune, & in accidens proprium: commune appellat illud quod aliquando inest, aliquando non, vt calor in manu. Proprium appellat illud in cuius diffinitione ponitur propriũ subiectum, vt simum & risibile & par, &c. Ex qua diuisione sequitur quòd accidens sufficienter diuiditur per separabile & inseparabile, & separabile sit illud, in cuius diffinitione non ponitur subiectum determinatum, vt Sortes sedet, Plato est albus. Non enim in diffinitione prædicati ponitur subiectum, vt patet: & inseparabile sit illud, in cuius diffinitione ponitur suum proprium subiectum, vt est simum & crispum, &c. Sed hæc diuisio non videtur sufficiens: iam nigredo est inseparabilis à coruo, & tamẽ in eius diffinitione nõ ponitur coruus, idem intellige de Aethiope. Ergo diuisio Philosophi assignata in tex.28. non est vera.

Resolutio huius quæsiti stat in hac distinctione, Accidens inseparabile est duplex. Nam quoddam fluit à principiis speciei, & dicitur naturalis proprietas, & illa nõ potest diffiniri sine suo proprio subiecto, vt simitas sine naso, nec potest subiectum esse sine illa, licet possit intelligi non intellecta illa, quia est natura posterior. licet enim possit intelligi homo nõ intellecto risibili, tamẽ nõ potest esse sine risibili. Et tale accidens dicitur accidẽs specificũ inseparabile, quia nõ potest separari à specie, à cui⁹ principiis fluit: nec ab indiuiduo talis speciei quoniã in indiuiduo seruantẽ principia speciei. Quoddam autem fluit solum à principiis indiuidui, vt à tali complexione particulari, à tali loco generationis, sicut est nigredo in Aethiope: & tale accidẽs licet dicatur inseparabile respectu indiuidui, non tamẽ respectu speciei. Nam Aethiops vt homo non necessariò est niger, aliter omnis homo esset niger: sicut omnis homo est necessariò risibilis, sed vt hic homo qui est talis cõplexionis & in tali regione genitus, idem dico de coruo. Et diffinitione talis accidentis inseparabilis respectu indiuidui non est necesse ponere naturam specificam vt propriũ subiectũ, eo quòd respectu speciei est accidens separabile, & quoniam Philosophus in diuisione prædicta intendit de accidente inseparabili respectu speciei, vnde exemplificat de simo, in cuius ratione ponitur naris, ideo bene dixit esse illud, in cuius ratione ponitur subiectum. Ad argumentum igitur cùm dicitur, quòd nigredo est inseparabilis à coruo & tamen coruus non ponitur in eius diffinitione, respondetur quòd consequentia non valet, quoniam nigredo comparata naturæ specificæ tã in coruo quam in Aethiope est accidens separabile, Philosof autem intendit de inseparabili respectu speciei, & nõ solùm respectu indiuidui. Quare, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVI.

Num Philosop. in tex.30. ponat secundã rationẽ contra Parmenidem.

Sed qd verè est sic accidẽs nulli, & de quo ambo. tex.30.

IN hac quæstione, aduerte quòd Cõm. & sequẽtes eum, vt Egidius & Burlæus volunt hic formari secundã rationem contra Parmenidẽ, vt format Cõmenta. in com.30. in principio. Et sic discontinuant hunc text. à textu præcedenti. Sed vt B.Tho. & Thæmistius volunt quòd hic textus vsque ibi, Quidam autem rationibus vtrisque acquiescunt, &c. sit potius ꝙ conclusio præcedentis textus quam noua ratio. Et ideo continuãt hunc tex. præcedenti. Nec ad hoc probandũ inducunt aliquam rationem, quonlam dicit B. Th. id satis apparere intuenti literam. Thæmistius autem concludens & continuans literam sic dicit in cap.17. Multa igitur verè entia habebuntur, quamuis nec separari mutuò, nec disiungi ab eo quod verè ens sit. Atque idipsum verè ens ex indiuisibilibus inseparabilibũsque tam & si componitur, tamen ex verè entibus constat. hæc ille.

Sed contra hanc sententiam B.Tho. & Thæmistij quidam nitentes sustinere Com. arguunt. Et primò arguit Egidius exponens tex.3. & dicit in fine tax ans B.Tho. Ex hoc autẽ apparet quòd litera præcedens de indiuisibilibus adaptari debet Parmenidi, aliter non haberemus duas rationes contra Parmenidem, quibus acquiescebat Plato: hæc ille. Potest ergo sic arguiad mentem Egidij, Philosophus post textum prædictum subiũgit immediatè, Quidam autem rationibus vtrisque acquiescunt, &c. Ergo signum est quòd Philosophus præposuerat duas rationes contra Parmenidem. Et non potest assignari locus vbi inciplat secunda, nisi in textu prædicto: vbi Commentator format eam, ergo. &c.

Præterea, Petrus Pomp. sic arguit contra B.Tho. Dicit Philoso. in textu prædicto ex indiuisibilibus itaque erit omne. Sed id non potest sequi ex præmissis. Non enim sequitur, si partes diffinitionis nõ sunt accidentia, ergo omne ens erit ex indiuisibilibus, & patet quòd hæc cõsequentia nullam habet euidentiam, ergo ille textus non est continuatus cum præcedenti, sed est noua ratio contra Parmenidem.

Sed tu vt defendas B.Tho. respondebis ad hęc argumenta, & ad argumentum Egidij aduerte quòd B. Tho. virtualiter respondet in principio lectio.7. huius 1. lib. ibi, Considerandum primò quòd suprà, &c. Illic declarat B.Tho. quomodo Arist. suprà formauerat duas rationes cõtra Parmenidẽ, quarum vna deducebat Parmenidem ad hoc quòd non ens est ens, & hæc posita fuit in tex.16. Altera deducebat ad hoc quòd si omnia sunt vnum magnitudo est indiuisibilis. Et hęc posita fuit in tex. 28. Deinde in tex.30. declarat Philosophus quomodo aliqui vtrisque rationibus acquiescunt. Ex quo patet quòd si Egidius hanc declarationem B.Tho. considerasset non sic argumentatus fuisset contra eum. Aduertisset enim, quòd potest assignari locus in quo formata fuit secunda ratio, & non est textus ille super quem Comm. format eam, sed superius, scilicet, in textu 28.

Ad argumentum autem Petri Pomp. cùm dicit, Non enim sequitur ex præmissis, scilicet, si partes diffinitionis nõ sunt accidentia, ergo omne ens erit ex indiuisibilibus, concedo ꝙ hoc consequens nõ sequitur ex antecedẽte quod format Petrus Pomp. quod nec est ad mentẽ Philosophi. Sed ex hoc, si est tantùm vnũ ens, ergo nõ possunt poni partes quãtitatiuę, nec partes magnitudinis, nec partes diffinitionis, si hæc non possunt poni, ergo omne ens est ex indiuisibilibus, non quia sit compositũ ex indiuisibilibus, vt exponit Com. & Petrus Pomp. sed quia erit de numero indiuisibilium, quæ in se nulam continent pluralitatem, & hoc modo B.Tho. exponit ly Ex indiuisibilibus. Nec valet instantia Petri Pomp. qui dicit quòd incongruè exponitur à B.Tho. ly Ex indiuisibilibus, id est, de numero indiuisibilium, imò congruè exponitur, & est in vsu in multis. Vt cum dicimus, ex hominibus, id est, de numero hominum, quidam sunt magni, quidam parui, &c. Hęc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVII.

Num infinitum sit ignotum & incognoscibile.

Si igitur infinitum secundũ quod infinitũ est ignotum secundũ multitudinẽ quidẽ & magnitudinẽ. tex.35.

IN hac quæstione, aduerte quòd Philos. non intendit loqui hic nisi de infinito materiali & quantitatiuo. Non autem intendit de infinito secundũ vigorem. Illud enim cùm sit perfectissimũ & maximè actu, est ex natura sua maximũ & primũ intelligibile, sicut etiã est primum appetibile, vt patet in 12. Meta. tex.37. Loquẽdo igitur de infinito quãtitatiuo pro resolutione quęsiti quatuor agenda sunt: primò ponetur distinctio de infinito, secundò ex distinctione duæ conclusiones, tertiò inuestigabimus si respectu cuiuscunque intellectus ipsum infinitũ est incognoscibile, quartò soluemus quædam argumenta, quæ videntur habere aliquam apparentiam.

Quantùm ad primum distinctio sic hæc, Infinitum potest cõsiderari dupliciter, primò quòd ad substratũ, i. quantùm ad illud cui competit ratio infiniti si posset esse, putà infinita magnitudo, infinitus numerus, infinitum corpus, &c. Et aduerte quòd eandem distinctionem posuimus applicatam enti per accidens in 6. lib. Metaph. in q.9. in qua quærimus si de ente per accidens potest haberi scientia.

Quantùm ad secundum sit hæc prima conclusio, Infinitũ sumptum primo modo, non est ignotum imò de eo habetur notitia tradita à Philosopho. Nã de eo format Philosophus in j. Physi. tex.63. diffinitionem. Diffinitio autem est indicatur rei diffinitæ, & non solùm diffinit, sed & totum particularem tractatum de eo format, vt patebit in 3. lib. Præterea, Oppositum est cognoscibile per suum oppositũ, vt per rectum cognoscitur obliquum. Cùm igitur finitum & infinitum sint opposita & cognoscamus quid sit finitũ, per ipsum cognoscemus quid sit infinitum, ergo, &c.

Secunda cõclusio, Infinitũ sumptũ secũdo modo est ignotũ, & incognoscibile ab humano intellectu. Probat primò, quia nec est, nec põtesse actu, vt probat Philos. in 3. li. Quod autem non est, nec potest esse, incognoscibile est vt sic, quoniam vniquodque in tantùm est scibile inquantùm ens, ens autem est, quod est, vel potest esse, ergo, &c. Præterea, Etiãsi daretur infinitum actu quãtitatiuum, necesse est vt sit incognitum inquãtùm infinitum. Nam non est cognoscibile nisi sciãtur omnes partes & omnia principia sua, quot & qualia sunt, vt patet per Comm. in commẽ. 35. Constat autem quòd cùm partes & principia infiniti quãtitatiui sint infinitę, non possunt sciri quot sint, aliter infinita essent finita & numerata, quod implicat cõtradictionẽ, ergo, &c. Et aduerte quòd hic loquimur de cognitione distincta & non de confusa & in vniuersali, qua cognoscẽdo continuum cognoscimus partes infinitas in confuso, in quas est diuisibile.

Quantùm ad tertium aduerte, ꝙ licet respectu intellectus humani, qui vltimum gradum tenet in ordine intellectuum omnes rectè sentientes cõueniant in hoc, quòd infinitum sit ignotũ, dubitatur tamen de intellectu substãtiæ abstractę & de intellectu diuino, cùm sint excellẽtioris gradus in cognoscẽdo: & ideo ad resolutionem huius dubij præpono vnam distinctionem, ex qua formabuntur tres conclusiones.

Distinctio sit hæc, Infinitum potest imaginari tripliciter & cognosci, primò indistinctè & in quodã cõfuso, & hoc est, quã so infinita cõueniũt in vno, vt infinitæ partes in cõtinuo & infinita indiuidua in vna natura specifica. Tũc qui cognoscit illud vnũ, cognoscit indistinctè & in confuso infinita cõponentia, siue infinita cõtenta sub illo, non tamen ferẽdo intuitum distinctè super illa, vt ab inuicem distinguuntur, sed vt in illo cõmuni cõueniunt: secũdò distinctè, & hoc est, quã do fertur distinctè intuitus super vnam quanq; partem infiniti. Et hoc dupliciter: primò cõprehensiuè, secundò successiuè, cõprehensiuè quidem, quando simul apprehenduntur, & nõ vna post aliã, omnes partes infiniti distinctè & perfectè, & non solùm in cõfuso, vt si ante oculos posita viderem infinita grana, sicẽ; viderem, quod nullum esset à me non visum, non tamen vnum post alium, sed simul, successiuè autẽ, numerando partem post partem, & hoc est cognoscere infinitum modo infiniti. Nam vt dicemus in li.3. ordo est de ratione infiniti quantitatiui, cognoscere autem comprehensiuè est cognoscere modo finito.

Ex hac distinctione pono tres cõclusiones. Prima est, Intellectus humanus potest cognoscere infinitũ indistinctè & in vniuersali. Patet ista, quoniã potest cognoscere continuũ, in quo sunt partes infinitæ componentes. Sicut enim est diuisibile in partes infinitas vt declarabitur in 6. lib. sic ex eis cõponitur & potest cognoscere naturam specificam, putà leonem, in qua multiplicabilia sunt in infinitũ indiuidua, & breuiter cognoscens vniuersale potest saltem in confuso cognoscere omnia singularia, quæ tendunt in infinitum. Et de hac conclusione non est difficultas apud rectè sentientes. Tale enim non est infinitum actu, sed potentia.

Secunda conclusio, Nullus intellectus siue humanus, siue abstractus, citra primũ, qui est intellectus diuinus, potest cognoscere distinctè infinita, nec cõprehensiuè, nec successiuè. Prima pars sic probatur, Si infinita debẽt distinctè cognosci cõprehensiuè, necesse est vt adequentur à potentia & virtute cognoscentis, quoniã comprehensio adæquationem, vel saltem æqualitatem quandã requirit: impossibile est enim minus comprehẽdere maius. Sed nec intellectus humanus nec abstractus citra primũ potest adæquari infinito, quoniã cùm solus intellectus primi sit infinitus, vt determinauim⁹ in li. 12. Metaph. in q. omnes alij intellectus sunt limitatæ virtutis, ergo finiti, finitum autem non potest adæquari infinito, ergo, &c. Secunda pars patet ex se, quoniã infinitum distinctè successiuè cognoscere, est numerare partem post partem, ita ꝙ nõ detur pars, quæ nõ sit numerata, nec sit dabilis. Sed numeratio sicut & trãsitus repugnat infinito, vt declaratur in 3. li. in tex. 6.3. vbi Philoso. diffiniẽs infinitũ quantitatiuũ, de quo nunc loquimur inquit, infinitũ hoc est, cuius secũdùm quantitatẽ accipiẽtib⁹, semper est aliquid extra accipere, ergo, &c.

Tertia conclusio, Intellectus diuinus potest distinctè comprehensiuè cognoscere infinita, non autem successiuè: prima pars probatur, Diuinus intellectus est virtutis infinitæ in cognoscendo & medium per quod cognoscit, scilicet essentia sua, est infinitum contentiuè & repræsentatiuè vt tetigimus in lib.12. Metaphy. q.25. ergo potest adæquari infinito, ergo comprehendere ipsum, vt tamen exponatur ly Comprehendere in hoc sensu, diuinus intellectus comprehendit infinitũ, quia nulla est pars in infinito quæ non cognoscatur ab eo distinctè, ergo, &c. Secũda aũt pars patet: Quia repugnat infinito numeratio & transitus, ergo est incognoscibile à quocunq; intellectu per successionẽ, vnde sicut Deus nõ potest cognoscere hominẽ esse asinũ, sic nec infinitũ successiuè, & hæc impossibilitas nõ est ex parte intellect⁹, sed ex parte rei.

Quantùm ad quartũ aduerte, quòd aliqui sic arguunt intendentes probare infinitum secũdùm multitudinem esse cognoscibile distinctè ab intellectu humano.

Primò, Quot species intelligibiles possunt esse in intellectu nostro, tot obiecta per illas repræsentata possunt distinctè cognosci. Hæc est manifesta, quoniã vnaquæque species distinctè & determinatè repræsentat id, cuius est species, & non aliud, ergo per illam potest intellectus distinctè ferri super proprium obiectũ repræsentatum. Sed in intellectu nostro possunt esse species huiusmodi infinitæ. Quod probatur, Quia possunt esse duæ & tres & quatuor, & non est maior ratio de centum quàm de mille, ergo nec est maior ratio de finitis quàm de infinitis. & probatur cõsequentia, Si esset maior ratio, hoc esset, quia finitæ non repugnant adinuicem, infinitæ autem repugnant. Sed hoc non est verum, quoniam cũ species intelligibiles habeant esse spirituale in intellectu etiã quòd essent species contrariorum non habent repugnãtiam in intellectu, vt patet ex secundo lib. Peryher. ergo siue finitæ, siue infinitæ, non habent repugnãtiam adinuicem ex consequenti possunt esse infinitæ in intellectu.

Ad hoc negatur minor, ad probationem dico, ꝙ est maior ratio de finitis quã de infinitis, sed illa ratio non est repugnãtia, vt bene ꝓbat arguẽs. Sed est positio obiectorũ finitorũ, a quib⁹ possunt abstrahi species finitæ. Et defectus obiectorũ infinitorũ. Nã quia repugnat secũdùm Philosophũ dari multitudo actu infinita naturarũ, à quibus possint abstrahi species intelligibiles, ideo non possunt esse finitæ in intellectu. Addo etiã quòd naturæ specificæ rerum materialium sunt finitæ & non possunt esse in maiori numero secundùm principia Philosophi, & ideo species intelligibiles sunt finitæ.

Secundò arguitur sic, Cognouit Philosophus, & probauit in 8. Physicorum, tempus & motum cœli esse infinita, ergo infinitum est cognoscibile.

Ad hoc respõdetur, ꝙ tẽpus & motus nõ sunt infinita, sed tendunt in infinitum, & hanc extensionem in infinitum cognouit Philosophus. Sed hoc non est cognoscere infinitum distinctè comprehensiuè, aut successiuè. Hoc enim requirit quòd Philosophus cognouisset omnes partes tẽporis simul vel numerãdo partem post partẽ, quorũ vtrunq; est impossibile, vt patet, quoniã tempus non est infinitum actu, sed potentia ex duratione eius interminata supposita æternitate mundi, vt putat Arist. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVIII.

Num Commen. in commen. 35. formans primum syllogismum contra Anaxag. rectè formet eum in secunda figura.

Si igitur infinitum secundùm quòd infinitum est ignotum. tex.35. vbi Commenta. inquit, Et iste sermo est syllogismus in secunda figura.

Ratio Cõ. nõ nisi reductiuè fuit in secũda figura syllogizata.

IN hac quæst. aduerte ꝙ difficultas stat in hoc: In secunda figura non concluditur nisi negatiuè, & necesse est alterã præmissarum esse negatiuã. Præterea, In secunda figura non concludimus nisi directè. Sed in syllogismo, quem format Comment. videtur cõclusio esse affirmatiua, & vtraque præmissa affirmatiua, & concludit indirectè: & vt hæc pateant

aduerte Commen. sic formare syllogismum,

Omne compositum ex principiis infinitis in quãtitate & forma, est compositum quod non scitur ex quibus componitur & ex quot. Hæc est maior quæ est affirmatiua.

Omne cõpositum notũ est cõpositũ quod scitur ex quot componitur & ex quibus. Hęc est minor & est affirmatiua.

Ergo omne compositum ex principiis infinitis est compositum ignotum. Hæc est conclusio & est affirmatiua.

Quòd autem concludat indirectè patet cõsideranti, quoniam subiectum conclusionis est maior extremitas, & prædicatum est minor extremitas: & debet esse opposito modo, quando concluditur directè.

Vt igitur salues modum prædictum pro Commen. aduerte quò ad primũ ꝙ maior est in veritate negatiua, licet idiomate Cõmen. sit apparenter affirmatiua, vnde debet sic formari, Nullum compositum ex principiis infinitis in quantitate & forma scitur ex quibus componitur & ex quot. Dein de formetur sic minor, Omne compositum notum scitur ex quibus cõponitur & ex quot. Deinde cõcludatur sic directè, Ergo nullum compositum notum cõponitur ex principiis infinitis. Et sic patet quòd est formaliter in secunda figura.

Quantùm autem ad conclusionem, quam facit Commen. dico quòd est æquipollẽter negatiua, æquipollet enim huic, Ergo omne compositum ex principiis infinitis non est notum: nam esse ignotum & non esse notum æquipollent.

Quantùm ad concludendum indirectè dico, ꝙ non potest excusari nisi in hoc, ꝙ quando arguitur in secunda figura, & concluditur conclusio negatiua vniuersalis non refert siue cõcludatur directè, siue indirectè eò ꝙ vniuersalis negatiua conuertitur in seipsam: Siue enim dicatur, Nullus homo est lapis, vel nullus lapis est homo, nihil refert eò ꝙ sunt æquales veritatis. Sic in proposito siue concludatur, O mne cõpositum ignotũ est compositũ ex principiis infinitis, vel omne cõpositum ex principiis infinitis est cõpositum ignotũ, nihil refert, licet non seruetur formalis modus arguendi in secunda figura. Sufficit quòd potest reduci vt nos formauim⁹. Sed de hoc parùm curauit Commen. qui circa modum formalizandi non multùm fuit solicitus. Hæc dicta sint pro conseruando Commentatore in hoc loco. Et tu considera.

QVAEST. XIX.

Num detur minimũ naturale tam in homogeneis, quã in ætherogeneis.

Manifestum igitur quoniam impossibile est carnẽ aut os aut aliquod aliud quodcunque esse in magnitudine aut in maius aut in minus. tex. 36.

Quoduis naturale corpus sive homogeneum, sive ethero geneũ determinatæ quãtitatis est in partibus existentibus tã in minus quàm in maius.

IN hac quæst. in qua intendo defensare viam nostrã, sic procedendum est: primò ponẽtur aliquæ distinctiones, secundo declarabitur illud in quo cõmuniter cõcordant loquentes de hac materia, tertiò declarabitur illud in quo B. Thomas & sequẽtes cum discordant, præcipuè & via Scoti, & sustentabitur via B. Tho. & soluentur rationes Scoti: quartò declarabitur si in dictis Philosophi tenentes partem negatiuam habent aliquod apparens fundamentum.

Quãtùm ad primum aduerte quòd difficultas stat in hoc, Cùm omne corpus finitum sit quod dã continuum, & omne continuum sit diuisibile in infinitum, & nunquam possit resolui in indiuisibilia, videtur ꝙ quacũque parte data possit dari minor, & sic nũquàm deueniemus ad minimum. Quod autem cõtinuum non possit resolui in indiuisibilia, manifestabitur in lib. 6. vt igitur videam⁹ quomodo sit dabile minimum in re naturali, & qũo non, ponitur duplex distinctio.

Prima est, Corp⁹ naturale est duplex, s. homogeneũ, vt elementa pura, ætherogeneũ. vt cõpositũ elemẽtatũ cõstans ex partibus diuersarũ naturarũ. vt corpus, plantæ, & animalia.

Secunda est, Minimũ naturale, pòt cõsiderari dupliciter, primò vt inexistẽs, & esset illud, quod non potest separatim existere extra totũ. Secundò vt per se existens, & esset illud, quod si separaretur à toto, adhuc conseruari potest in esse.

Quãtùm ad secundum aduerte, quòd duo sunt, in quibus communiter concordant loquentes de hac materia.

Primò concordant quòd minimum inexistens tam in homogeneis quàm in ætherogeneis non est dabile, & ratio est, quia quacũque parte carnis data, illa est corpus, ergo habet partes. & cùm pars sit minor toto, ergo nulla caro, nec vlla pars carnis poterit esse minima. Nã si secundũ te datur minima pars carnis inexistens, quæro aut illa pars est substantia corporea, aut incorporea, patet ꝙ non secundũ, ergo primũ, sed omnis substãtia corporea est quãta, ergo diuisibilis. Quãtum est enim quod est diuisibile in his quæ insunt ex 5. Metaphy. Si diuisibilis cùm pars sit minor toto dabitur caro inexistens minor minima, quod implicat contradictionem.

Secundò cõmuniter cõcordãt ꝙ minimũ per se existẽs in ætherogeneis necesse est dare. & ratio est, quia in illis forma substantialis determinat sibi certã quantitatem sicut & certas dispositiones in materia. Præterea, habet determinatam virtutem, ergo determinatã magnitudinẽ. Patet cõsequẽtia: quoniã cæteris paribus in maiori corpore est maior virtus, & in minori minor, vt declaratũ est in 1. Cœli. Si determinatam magnitudinẽ, ergo & in maius & in minus. Quare, &c.

Quantùm ad tertium aduerte ꝙ discordia stat in minimo per se existenti in homogeneis. Nam B. Tho. in tota doctrina sua præcipuè in expositione præsentis text. & in 1. parte. q. 7. ar. 3. tenet partẽ affirmatiuã vniuersaliter tam in ætherogeneis quàm in homogeneis. Burlæus autem in 1. Physi. super tex. 38. nõ determinat se, sed vtranq; viam probabiliter sustinere videtur, ideo relinquatur præcipuè quoniã rationes ab eo adductæ sunt rationes virtualiter Scoti, quas infrà intendo soluere. Tu igitur aduerte quòd Scot. in 2. di. 2. q. 9 tenet ꝙ sicut nõ datur minimũ inexistẽs tã in homogeneis, quàm in ætherogeneis sic nec datur separatim & per se existẽs. Et quoniã intendo defensare viam nostrã ideo primò ponãcõclusionẽ Thomisticã cum rationibus suis, secũdò soluã principales rationes Scoti, & sic terminabitur quæstiũ. Cõclusio Thomistica sit hæc, Omne corp⁹ naturale, quod s. habet esse per se, & separatim existẽs, diuisum actu à quocũq; alio, siue sit homogeneũ, vt hæc aqua, hæc caro, siue ætherogeneũ, vt homo determinatæ quãtitatis est in maius & in min⁹ in partibus existẽtibus. & hoc dico ad differentiã partiũ corporis naturaliũ inexistentiũ, & quæ nõ dicuntur habere determinatã formã nec per se entia, sed participãt formã & esse totius: quoniã vt patet ex prædictis in his nõ datur minimũ, in aliis aũt per se existẽtibus datur minimũ. Hanc cõclusionẽ sic probo, Suppono dictũ Philos. in 2. de Anima tex. 14. vnusquisq; actus nõ est aptus fieri nisi in potẽtia existẽte disposita & in materia propria. Suppono insuper ꝙ materia nullius formæ in ea de nouo generabilis est secũdùm se & absolutè & quocũque modo se habẽs propriũ & proximũ susceptiuũ sed taliter & taliter disposita: suppono vlterius, ꝙ inter omnes dispositiones quas requirit materia ad recipiendã formã est quãtitas prima dispositio, cuius signũ est ꝙ formæ elemẽtorũ, quæ sunt imperfectissimæ in cõparatione formarũ cõpositorũ, determinãt sibi certas quãtitates & magnitudines in materia, vt patet etiã per Com. in li. de substãtia orbis, vbi inquit, Videmus ꝙ forma caliditatis quãdo gignitur in aquã, incipit aqua augeri in dimensionibus, & vicinari dimẽsionib⁹ ẽris. Cùm ergo peruenerit ad maximã quãtitatẽ aquæ, rũc subiectũ denudabitur à forma aquæ & quantitate dimẽsionũ aquæ & recipiet formã aẽris, & quãtitatẽ dimensionũ propriarũ formæ aẽris, hæc Cõmẽ. Ex his arguo sic, Si nõ datur minimũ per se existẽs, ergo nõ quælibet forma fieret in materia determinatè sic disposita, quod est cõtra primũ suppositũ. Probatur cõsequẽtia, quoniã per tertiũ suppositũ quantitas est prima dispositio, ergo si nõ datur certa & determinata quãtitas nõ solùm in maius, sed & in minus in materia, vt recipiat formã nõ fieret forma in materia sic determinatè disposita, sed indifferẽter, quod etiã repugnat sensui. Præterea, Si forma nõ determinat sibi certã quantitatem in materia secundùm maius & minus ita ꝙ potest saluari in quãtumcũq; magna & in quãtumcũq; parua, ergo superflua esset actio naturæ in augẽdo dimẽsiones aquę, ꝙ generatione aẽris, & diminuẽdo dimẽsiones aquæ pro generatione ęteræ. Præterea, Si nõ est necesse dare minimũ per se existẽs, ergo forma elephãtis poterit saluari in quãtitate tam parua, quãta est grani sinapis, quod est absurdum. Nec valet dicere cõsequentiã nõ valere, quoniã forma elephãtis requirit corpus organicũ ætherogeneum, quod debet esse determinatæ quãtitatis. Nam si partes homogeneæ, ex quibus cõponitur corpus elephãtis, vt caro, os, neruus possunt esse semper minores, poterũt in tam parua quãtitate sumi ꝙ cõstituent corpus ætherogeneũ in quantitate grani sinapis eiusdẽ rationis cũ corpore quod nũc habet elephas, & in illo poterit saluari forma elephãtis. Præterea, hæc est intẽtio Philos. in 1. Physic. tex. 38. cõtra Anaxag. vbi inquit, ꝙ est dare minimã carnẽ & minimã aquã. Et iterũ inquit, si omne corpus remoto quodã necesse est minus fieri, carnis aũt determinata est quãtitas & magnitudine & paruitate, manifestũ est quòd ex minima carne nullũ segregabitur corpus, erit enim minus minimo, vbi Cõmẽ. declarãs inquit, Et cùm sit manifestũ per se, quòd omne corpus quando ex eo diminuitur aliquid fit minus, & etiam manifestũ est per se ꝙ quãtitas carnis est terminata in magnitudine & paruitate, manifestum est, quòd ex minima carne, qua nulla caro potest esse minor, impossibile est existere corpus consimile omnino, &c. Et quòd Com. fuerit eiusdem sententiæ patet in 6. Phy. in Com. 49. vbi inquit, ꝙ minimus color est terminatus per se quẽadmodũ minima forma est terminata, s. ꝙ minimũ quod potest esse coloratum in actu est terminatũ quẽadmodum minimũ quod potest esse aliquod demonstratũ est terminatũ. V. g. Quoniã minima aqua est terminata, & similiter de aliis corporibus simplicibus & cõpositis: & in cõmẽt. 32. dicit ꝙ minimũ de omni generato est terminatæ quantitatis. V. g. Minima pars ignis est terminata, s. minima pars, quæ potest esse ignis. Patet igitur ꝙ Cõment. in homogeneis concedit minimũ per se existens. Quod aũt concedat in ætherogeneis patet in eodem lib. 6. in cõmẽ. 91. vbi inquit, Omne generabile naturale habet aliquã quãtitatẽ naturaliter in initio generationis & in fine & ista quãtitas habet extremũ & medium. V. g. quoniã quãtitates embrionũ sunt terminatæ, s. maximi & minimi: & similiter hominum quantitates sunt terminatæ, s. maximi & minimi, vnde impossibile est augeri in infinitum, aut diminui. Nam si transierit quantitatem naturalem in diuisione & additione statim corrumpetur ens. Actio enim cuiuslibet entis perficitur per quantitatem & qualitatem terminatam, sicut est dispositio in entibus artificialibus, hæc Commentator.

Scotus aũt vbi suprà, tenet quòd nõ datur minimum nec inexistens, nec per se existẽs, nec in homogeneis nec in ætherogeneis, & intentum suum probat sic, Sicut essentiale est quanto posse diuidi in partes, ita est ei essentiale quòd vnũquodque in quod diuiditur possit esse hoc aliquid: ergo nulla eorum repugnat per se esse, ergo quæcunque pars in qua est diuisum quantum sub quacunque quantitate sit in parui tate potest per se existere, & sic non est deuenire ad minimũ per se existens. Antecedens est Philosophi in 5. Metaphy. & cõsequẽtia nota, quoniã omne quod potest esse hoc aliquid, per se potest existere. Hoc enim est de ratione hoc aliquid.

Ad hoc dicitur, ꝙ ratio cõcludit cõsiderãdo quãtum vt quãtũ, & cõcedo ꝙ singulũ in quod diuidit quãtũ ratione quãti nõ repugnat esse per se, sed ratione carentiæ formæ, qua res per se existit. Nam partes in quas diuiditur quantũ nisi sint terminatæ quantitatis in magnitudine & paruitate, nõ sunt susceptiuæ formæ naturalis: & ideo ex carentia formæ, & non ex carentia quantitatis repugnat sibi per se existere.

Præterea, Partes sunt eiusdem rationis quantùm ad formam & materiam cum toto, ergo possunt habere per se existentiam sicut & totum.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam forma in toto habet debitam dispositionem materiæ, non autem quælibet pars si separetur à toto, quia non haberet debitam quantitatem, quæ est prima dispositio materiæ inter cæteras.

Præterea, Partes sunt essentialiter priores toto, ergo non repugnat eis cõtradictoriè posse esse priores toto duratiõe.

Ad hoc negatur consequentia, quia non omne prius alio essentialiter vel natura vel causalitate potest esse per se, sumendo per se in tertio modo perfeitatis, nisi tale prius sit prius causalitate efficiẽtis, quod non cõtingit in proposito. Et ꝙ partes, licet sint essentialiter priores toto, non possint esse per se extra totũ, vt patet de capite hominis, quod nõ potest esse ante nec post hominem, sumẽdo caput vniuocè, i. vt habeat eandem formam substantialem quam habet in toto.

Præterea, Circũscribatur omne cõtinens & omne corruptiuũ, & sit sola aqua in Vniuerso, & quæcũq; aqua data diuisa sicut possibile est, quia est quãta. Hoc facto, illa in quę fit diuisio nõ erũt nihilla, qa hoc est cõtra diuisionis rationẽ, nec erunt nõ aqua ex sola diuisione, quia tunc aqua cõponeretur ex nõ aquis, non repugnat etiã formæ aquæ illa paruitas, quæ iam est actu, quia ita parua præfuit licet in toto nec per ipsam diuisionẽ corrumpetur aqua, quia circunscriptũ est omne corruptiuũ. Nõ ergo videtur aliqua ratio intrinseca quare formæ naturali repugnet quin semper quocũque per se existente possit aliquod minus esse per se existens.

Ad hoc dicitur, ꝙ cùm deuentũ fuisset ad minimã aquã, si vltrà diuidatur, diuisuum erit corruptiuũ, ita quòd ex sola diuisione in illo casu corrumpetur. Et cùm dicitur, Circunscribatur, &c. Dico quòd admisso casu, est impossibile circunscribere omne corruptiuũ. Et cùm dicitur, Nõ repugnat formæ aquæ illa paruitas, negatur, & quãdo probatur, quia ita parua præfuit licet in toto, ergo, &c. negatur cõsequẽtia, quia licet nulla parvitas repugnet formæ aquæ inexistẽti alicui toto, aliqua tamẽ paruitas repugnat formæ aquæ per se existẽti, qñ aliquã dispositionẽ requirit forma naturalis in suo primo & adæquato susceptiuo, quã nõ requirit in omni parte illius subiecti, & hæc dispositio est tãta quantitas, &c.

Præterea, Omne alterãs priùs alterat partẽ subiecti, ꝓpinquiorẽ sibi. Si ergo ponatur minimũ subiecti in quo posset introduci forma ab agẽte vel ipm erit indiuisibile vt pũct⁹, qd̃ est impossibile, vel si erit diuisibile pars eius erit, ꝓpinquior agẽti q̃ alia, & in, ꝓpinquiorẽ priùs introducẽt forma & cũ ps sit minor toto sequit ꝙ illud nõ fuit minimũ inquo potuit forma ĩtroduci, vel ẽ dare min⁹ minimo, qd̃ ĩplicat.

Ad hoc negaũ ꝙ agens semper priùs alteret partẽ propinquiorẽ sibi, imò aliquãdo alterat totũ simul, & hoc est quando nulla illius pars est susceptiua per se & separatim formę introducẽdæ per ipsum agẽs. Quod cõtingit quãdo deuẽtũ est ad minimũ, qd̃ licet sit diuisibile, vt quantũ, nulla tamen illius pars per se est receptiua formæ introducẽdæ propter carẽtiã debitæ quãtitatis. Hæc dicta sint de præsẽti quęsito.

QVAESTIO XX.

Nũ omne finitum tandem consumatur per ablationem alicuius finiti.

Omne aũt finitũ corp⁹ resecatũ à corpore finito. tex. 37.

Quoduis finitũ corpus ex ablatione partis æqualis existentis extra omnẽ aliã partẽ sibi æqualẽ, cõsumi necessariũ est.

IN hac quæst. aduerte ꝙ difficultas stat in hoc, Cùm omne corpus finitũ sit continuũ, & omne cõtinuũ, vt declarabitur in lib. 6. sit diuisibile in infinitũ, ita quòd nunquã est deuenire ad indiuisibilia, videtur ꝙ non sit cõsumptibile quantumcunq; fiat ab eo resecato per aliquod finitũ. Vt igitur pateat in quo sensu dictũ Philosophi est verũ, sic procedem⁹, primo ponetur vna distinctio de partibus infinitis in continuo: secundò declarabitur quæ membra diuisionis verificantur in continuo finito, tertiò respondebitur quæsito.

Quãtùm ad primũ distinctio sit hæc, Quòd in corpore finito sint partes infinitæ põt intelligi tripliciter. Primò ꝙ sint partes infinitę æquales, putà infiniti cubiti, quorũ quilibet sit penitùs extra aliũ: secũdò ꝙ sint partes infinitę æquales, quarũ tamẽ vna sit pars alterius ad sensum, qui declarabit infra: tertiò ꝙ sint partes infinitæ eiusdẽ, ꝓportionis, & tamẽ inæquales, prout multiplicãtur diuisiones, vt quãdo totũ diuiditur in duas medietates, & vna medietatũ in duas, tamẽ minores, & iterũ hæc in duas adhuc minores, & sic in infinitũ.

Quãtùm ad secundũ aduerte quòd in corpore finito non sunt partes ęquales infinitę, quarũ vna sit penitùs extra aliã. Nã si sic esset tunc finitũ esset infinitũ actu, quoniã vbi sunt infinitæ partes æquales, putà in infiniti cubiti, illud est infinitũ actu, & sic finitum esset æquale infinito, & sicut est impossibile euacuare & cõsumere infinitum actu per quamcunque subtractionem, sic esset impossibile euacuare finitum. Dico igitur quòd in corpore finito sunt partes æquales vna extra aliã in numero determinato, putà centum, aut mille cubiti, quantum autem ad partes æquales, quarum vna est pars alterius, dico quòd in corpore finito sunt infinitæ. Quod sic patet, vt declaratur in li. 6. in tex. 32. & præcipuè in expositiõe B. Tho. vbi demonstrat quòd quando mouet mobile localiter si accipiatur secundus locus, qui habeat aliquid primi loci, non est deuenire ad vltimum locum, sed illi loci æquales mobili, tendunt in infinitum, ita tamen quòd vnus nõ omnino est extra alium, sed est pars eius. Sic dico in proposito, si aliquod mobile moueatur super magnitudinem cõtinuè, in quolibet instanti temporis mensurantis motum mobile est in parte magnitudinis sibi æquali: nam si in duobus instantibus esset in eadem parte magnitudinis, quiesceret in tempore intermedio, supponitur autem quòd continuè moueatur. Cùm igitur in quolibet tempore quãtumcunque paruo sint infinita instãtia sequitur quòd in magnitudinẽ finita, sit per quã fit motus, sint infinitæ partes æquales mobili, & ex cõsequenti partes infinitæ eiusdẽ quãtitatis. Sed illæ partes sunt ita copulatæ, ꝙ vna est pars alterius, sicut diximus de locis tendentibus in infinitũ, quando secundus est pars primi, & tertius pars secundi, & sic succesiuè. Quãtùm ad partes eiusdẽ proportionis dico ꝙ in corpore finito sunt infinitæ, aliter diuisio cõtinui nõ procederet in infinitũ, sed esset deuenire ad indiuisibilia, cuius oppositũ demõstrabitur in lib. 6.

Quantùm ad tertium aduerte quòd dictũ Philosophi debet sic intelligi, Omne finitum corpus consumitur per ablationẽ cõtinuam alicuius partis æqualis, quæ est extra omnẽ aliam partẽ sibi æqualẽ, non aũt consumitur per continuam ablationẽ partis æqualis, quæ est pars alterius, nec per cõtinuã ablationẽ partis proportionalis. Et ꝙ sit necesse sic intelligere dictũ Philosophi probatur sic, Si corpus finitũ debet cõsumi per ablationẽ partis post partem, cõsumetur ea ratione, quã habet partes finitas & non infinitas; sed solùm primo modo, vt declaratũ est supra, habet partes finitas, secũdo autẽ & tertio modo habet infinitas, ergo per solam ablationem

tionem continuā partis æqualis,quæ est extra omnē aliā sibi æqualē consumptibile est corpus finitū.Ad argum.aūt positū in principio quæsiti patet quid dicēdū.Nā finitū cōtinuū, ea ratione,qua est diuisibile in infinitū, nō est cōsumptibile, est aūt sic diuisibile secūdùm partes proportionales, & secūdùm ablationē earū nō est cōsumptibile.Nō est aūt sic diuisibile secūdùm partes ęquales,& ideo per cōtinuā ablationē earum est cōsumptibile.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXI.

Num sit irrationabile in infinitis esse infinita infinities.

Ampliùs aūt infinitis corporib⁹ inest vtique iam caro infinita, & sanguis & cerebrū.& infrà,Hoc autē irrationabile est.tex.38.vbi inquit Com. Et sic infinita erunt infinities in infinitis, quod est cōtra rationē, s.infinita multiplicari per infinita. Et B.Thom.dicit sic,Sequitur quòd in infinitis corporibus sint infinitæ partes carnis, &c. Sequeretur ergo quòd infinita sunt in infinitis infinities,quod est irrationabile.

Infinita in infinitis infinities esse irrationabile est.

IN hac quæstione aduerte quòd difficultas stat in hoc,Philosophus & Com.& B Tho.faciunt hoc consequens irrationabile, s.quòd in infinitis sint infinities infinita. Et tamen hoc cōsequens non videtur irrationabile,imò necessariū.Nā sumpta linea infinita , verū est dicere quòd in ea sunt partes infinitæ infinities. Quibuscunq; enim partibus separatis adhuc remanent infinitæ separandæ, & sic in infinitum , aliter si partes,quæ remanent,essent finitæ , remaneret tandem linea infinita finita,quod est contra rationem infiniti. Item in qualibet parte lineæ finitæ sunt infinita puncta infinities, eo quòd est diuisibilis in infinitum , in omni autem diuisione assignatur nouus punctus & sic in infinitum.non ergo illud consequens est irrationabile.

Pro resolutione huius dubij aduerte ꝙ Anaxag.vt innuit Philosophus,volebat in vna libra carnis,quæ est quid finitū secundùm extensionē,esse quodlibet immixtū secūdùm partes infinitas,ita ꝙ in ea essent infinitæ partes terræ & aquæ& aliorū omniū. Ex quo sequebatur,ꝙ tale, putà libra carnis, quæ erat finita secūdùm extensionē,fiebat infinita secundùm mixtionē & cōpositionē siue congregationē,& quoniā quælibet illarū partiū infinitarū rerum in carne mixtarū est quāta,& ex infinitis quātis æqualibus & distinctis loco resurgit quantū infinitum secundùm extensionem, sequebatur ad positionē Anax.illam librā carnis esse finitam & infinitā secundùm extēsionem,finitā quidem vt opinabatur Anax. infinitā autē eò quòd ex infinito secundùm mixtionē siue congregationem,resultat infinitum secundùm extensionē. His positis aduerte,quòd Philosophus & Com.& B.Tho.intēdunt illud cōsequens esse irrationabile, s. ꝙ in aliquo infinito secūdùm mixtionē ad mentem Anaxa. quod tamen videmus finitum secundùm extensionē sint infinita infinities. Nā ex positione Anax.sequitur quòd est finitum & infinitū s̄m extensionem, quod est irrationabile quoniā implicat contradictioné.Non ergo Philos.Com.& B.Tho.reputant simpliciter esse consequens irrationabile,s.quòd in infinito sint infinita infinities. Nam id cogimur ponere in linea infinita , in qua sunt cubiti infiniti infinities & palmi infiniti infinities.Sed reputāt irrationabile supposita imaginatione Anaxa.vt declaratū est. Et sic patet quòd primum argumentum factum in principio quæsiti militat.Concludit enim quòd illud cōsequens sumptum simpliciter non est irrationabile.Ad argumentum aūt de linea finita in qua sunt puncta infinita respondetur ꝙ illa non sunt in actu.& dato etiā ꝙ essent in actu nihil mali concludit. Nam illa sunt indiuisibilia, quæ cùm sint non quanta etiā quòd essent simul nō causant infinitū secundū extensionem,Philos.autem & Com.& B.Tho. intendunt de partibus infinitis quantitatiuis,sicut etiam intendebat Anaxag.in illo mixto. Hanc puto fuisse mentem Philosophi & Commen.& B.Thomæ & sic respōdendum esse proposito quæsito.Quod si quis melius inuenerit,libentissimè cedendum puto.

QVAESTIO XXII.

Num possit saluari Parmenides à contradictione,& vtrum in figuris sit contrarietas.

Omnes igitur contraria principia faciunt , & dicentes quòd vnum sit omne & immobile , Parmenides enim calidum & frigidum principia facit,& Democritus firmum & inane.text.41.

Vnum tātùm ens po

IN hac quæstione aduerte quòd circa opinionem Parmenidis videtur esse contradictio.Nam hæc duo contradicunt quòd sit tantùm vnum ens & immobile vt ponebat Parmenides,vt patet in hoc primo lib.in tex.6. & quòd ponat principia contraria,s.calidum & frigidum vt illi imponit Philosophus in præsenti tex.41.Constat enim quòd contraria sunt plura entia,quoniā nihil sibi contrariatur,patet igitur quod ponit contradictoria.

Circa positionē Democriti cadit etiam dubiū,quomodo sit verū ꝙ ponat principia contraria,ex eo ꝙ ponit rectum & circulare.Nam si quantitati nihil est contrarium,nec figuræ, quæ est circa quantitatem,aliquid erit cōtrarium.Præterea dicit Commen.in commen.41. quòd rotundo nihil est contrarium,ergo rectum & circulare non sunt contraria.

Vt igitur liberetur Parmenides à contradictione,& scias si pro aliquo sensu stat contrarietas in figuris, sic procedemus.Quò ad Parmenidem ponitur distinctio,per quā aufertur contradictio,& hanc distinctionē ponit Com.in com.41. Entia secūdùm Parmenidē sunt duobus modis,s.vera & extimabilia,vel sensibilia.Ens verum secundùm Parmenidem est tantùm vnum,& putò quòd per ens verum intelligat primū ens,quod verissimū est ens & intelligibile,entia autem extimabilia,siue sensibilia sunt plura,& horū entium ponebat principia cōtraria,s.calidum & frigidum. & puto quòd omnia præter primum dicat entia extimabilia , quia potius sunt entia per extimationem,quam secundùm veritatem,eo quòd nō sunt ex se entia.& aduerte quòd hæc distinctio concordat in sensu cum ea,quam ponit B.Tho. exponens tex.41. Dicit enim ꝙ Parmenides ponebat tantùm vnum ens secundùm rationē,i.secundùm veritatē,& plura secūdùm sensum, i.per extimationē. Ex hac igitur distinctione patet non esse cōtradictionē in positione Parmenidis,quoniā esse tātū vnū ens verū & esse plura secūdùm extimationē nō cōtradicunt.

Quantùm ad Democritum , ponentur duæ distinctiones quas intendit Com.in com.41.ex quibus apparebit si Democritus verè ponit cōtraria principia,deinde soluetur dubiū.

Distinctio prima sit hæc, Cōtrarietas est duplex:quædam vera, quædam secundùm extimationem & famositatem.Secunda sit hæc,Contrarietas vera est duplex. Quædam propria & perfecta. Quædam communis & imperfecta. Ex his dico primò quòd rectum & rotundum sunt cōtraria perfecta famosa,sed non secūdùm veritatem.Hæc enim erat communis opinio & fama apud Antiquos, licet non vera. Dico secundò,quòd secundùm veritatem sunt contraria imperfectè,prout opposita priuatiuè possunt dici cōtraria,ex x.Metaphysicæ,eò quòd rectum & rotundum se habent,vt imperfectū & perfectum.Nam sola figura rotunda ex primo Cœli perfecta est.Item possunt dici contraria,quia disparatè opposita:diuidunt enim genus suum,i.figuram oppositis differentiis.Et hoc est quod dicet Com.in fine com.41.vbi inquit, Et notandum quòd hoc nomen Contrarium vsitatur hic largè pro cōtrario,& pro priuatione & habitu,siue sit in rei veritate,siue secundùm famam. Quod contrarium,secundùm quòd ego credo,nos appellamus disparatum,hæc Commē. Ex his apparet quòd Democritus ponebat principia cōtraria s̄m famositatē sui temporis,sed non secundùm veritatē, nisi sumendo cōtraria pro priuatiue oppositis,aut disparatè.

Sed nunc dubitatur si ratio Com.qua probat contra Democritum in commen.41.secundùm veritatē rotundum non habere cōtrarium,sit valida,& videtur quòd non. Sic enim dicit,Rotundo nihil est contrarium, cùm sit perfectior figurarum. Sed hæc ratio non valet , quoniam eodem modo arguerem de albedine, Albedini nihil est contrarium, cùm sit perfectior colorum,& tamen constat quòd non valet. Nam cùm hoc quòd est perfectior colorum stat quòd sit contraria nigredini.Sic potest dici de rotundo.

Hîc datur à nonnullis responsio,quæ stat in hoc,Commē. non adducit nisi causam apparentem,quæ tamen non est vera causa.Sed causa vera est, quia figura rotunda ad motū circularem ordinatur. Et quoniā motui circulari non contrariatur motus rectus , nec motus circularis , vt probatur in primo Cœli,ex consequenti figuræ rotundæ,non cōtrariatur figura rotunda,nec figura rectilinea.

Hæc responsio sustentabilis est.Si tamen sustinere volueris quòd Com.adducit verā causam , dices quòd non est eadem ratio de albedine & de rotundo , quoniam rotundum continetur sub figura,cui repugnat habere propriè & perfectè contrarium,sicut repugnat quātitati. Albedo autem continetur sub colore,cui non repugnat habere contrarium,sicut nec repugnat qualitati.Intendit ergo Com.talem rationem,Cùm repugnet omni figuræ secundùm veritatem habere contrarium,maximè repugnat rotundo,quoniam est perfectior inter figuras.Et inquātùm perfectior sibi magis repugnat,eò ꝙ habere cōtrariū est signū minoris perfectiōis,vnde videmus cœlū esse nobilissimū corpus , quia est maximè elongatū à cōtrarietate. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIII.

Num conditiones primorum contrariorum sint rectè assignatæ à Philosopho,& sine contradictione.

Oportet enim principia neq; ex alterutris esse, neq; ex aliis,& ex his omnia.Cōtrariis aūt primis insunt hæc.Propter id ꝙ prima quidē non sunt ex aliis,ob id verò quòd sunt cōtraria,nō sunt ex alterutris.tex.42.

IN hac quæst.aduerte quòd duo ingerunt difficultatē:primò quomodo sit verum quòd omnia fiunt ex contrariis, etiam sumendo contraria largo modo,prout priuatio & forma possunt dici contraria. Nam vnum contrarium corrumpit reliquum,vt calidum destruit frigidum,ergo vnum non fit ex reliquo,sed potius corrumpitur. Præterea,Ens in actu fit ex ente in potentia , vt dicet Philosophus infrà. Sed ens in potentia non cōtrariatur enti in actu , imò quod erat in potentia transit ad actum. Secundò facit difficultatē textꝰ Philosophi,& est difficile saluare quin sibi cōtradicat.Dicit enim in secunda conditione, Ob id verò quod sunt contraria nō fiunt ex alterutris.Sed hæc videtur repugnare tertiæ conditioni. Quomodo enim contrarium fit ex contrario vt album ex nigro , si repugnat aliqua fieri ex alterutris eò quòd sunt contraria. Potius videretur sequi oppositum, vt scilicet si contrarium fit ex contrario per se , aliqua fient ex alterutris,quia sunt contraria.

Vt igitur auferantur hæc dubia,& appareat quòd Philosophus rectè assignauit conditiones primorum contrariorum,pro hac difficultate præpono hanc distinctionem.

Hæc propositio, Contrarium fit ex contrario, potest habere triplicem sensum,primò quòd contrarium formaliter transmutetur in suum contrarium , vt albedo in nigredinē. Et hoc modo non intendit Philosophus,quoniam constat id esse impossibile. Secundò quòd contrarium ingrediatur vt pars constitutiua in alterum contrarium,sicut forma ingreditur essentiam compositi,& lux ingreditur essentiam coloris.Nec hoc modo intendit Philosophus,eò quòd vnū contrarium non compatitur secum alterū contrarium,nisi fortè in gradu remisso,vt pertractauimus in 10. Metaph.in q.23. Tertiò quòd vnum fiat ex altero vt ex termino à quo cōcretiuè sumpto. Nam in omni productione tam substātiali quā accidētali compositum propriè est id quod fit,ex 7.Metaph. Et in hoc tertio sensu intendit Philosophus, cōtrarium fieri ex contrario,quasi dicat,Si aliquid debet fieri necesse est terminum à quo opponi contrariè,saltem largo modo, termino ad quem,ita quòd eadem materia siue subiectum dimittens terminum à quo cōtrarium recipit terminum ad quem contrariū,& hoc est quod dicit Thæmistius, Vnum contrarium fit ex altero, quia vnum fit post alterum in eodem subiecto. Et per hoc patet responsio ad primum argumentum. Nam ly Ex non denotat causam efficientem, nec materialē, nec formalē, sed terminū à quo:argumentū autem procedit, ac si diceret causam efficientem vel causam intrinsecam constitutiuam.Ad secundum dico ꝙ ly Ex ente in potentia non dicit terminum à quo,sed causam materialem,siue subiectū. Nihil autem prohibet aliquid fieri ex contrario vt termino à quo,& ex ente in potentia vt ex materia siue subiecto.

Pro euidentia secundæ difficultatis aduerte quod aliter respondet Burlæus,aliter Egidius,aliter puto respondendū quàm respondeant ipsi.

Burlæus tenet quòd ly Ex nō capitur eodem modo à Philosopho in secunda conditione & in tertia , nam in secunda dicit subiectum vel partem constitutiuam , & sic est verum quòd nulla contraria fiunt ex alterutris vt declaratū est.Sed in tertia conditione dicit terminum à quo , & sic est verum contrarium fieri ex contrario vt declaratum est. Et quoniā contradictio debet esse respectu eiusdem & eodem modo ideo Philosopus non sibi contradicit.

Hæc responsio non placet multis, eò quòd non est verisimile Philosophū in eodem textu continuato vti ly Ex æquiuocè. Nam tunc ratio Philosophi esset ex quatuor terminis, eò quòd terminus æquiuocè sumptus non est vnus, sed plures.Præterea, Quòd prima principia non fiant ex alterutris eò quòd sunt contraria Philosophus accipit vt quoddam singulare primis principiis,sed nō fieri ex alterutris vt ex subiecto, nec vt ex parte constitutiua , non est singulare primis principiis, imò est commune omni contrario , ergo prædicta responsio non videtur valere.

Egidius igitur aduertens quòd si ly Ex nō tenetur eodem modo,ratio Philosophi erit inefficax,& dicit quòd in vtraq; conditione ly Ex denotat terminum à quo. Sed in secunda cōditione denotat ipsum in abstracto, nullū enim contrariū in abstracto fit ex suo cōtrario,vt calor nō fit ex frigiditate, in tertia autem cōditione denotat terminum à quo in cōcreto,&,vt declaratū est,contrarium fit ex cōtrario. Non ergo est contradictio,quia licet teneatur tam in secunda quàm in tertia pro termino à quo,non tamen eodem modo. Sed nec ista respōsio videtur saluare rationem Philosophi, eò ꝙ si ly Ex vt signat terminū à quo nō tenetur eodē modo in secunda & tertia cōditione,ergo tenetur ęquiuocè.Nō enim sunt eiusdē rōnis terminus à quo in abstracto, & terminus à quo in cōcreto,& sic iterū sequitur rationē Philos.esse inefficacē.

Potes ergo tu dicere pro nunc quòd primis principiis repugnat fieri ex alterutris , eò quòd sunt contraria , sed non præcisè,quia sunt contraria , sed quia sunt prima contraria, quibus vt primis contrariis non conuenit fieri ex aliis , nec ex alterutris.Si enim A fieret ex B, vt fit ex B est posterius B. Similiter si B fieret ex A,erit posterius A,ergo primum esset non primum. Si exponatur textus Philosophi patet quòd nulla sequitur contradictio.Nam hæc duo non cōtradicunt, primis principiis repugnat fieri ex alterutris eò quòd sunt prima contraria.Et omnia fiunt ex contrariis , modò nō sint prima contraria.Nam contrario non repugnat fieri ex contrario , nisi sint prima contraria , quibus repugnat fieri, non quia sunt contraria,sed quia sunt prima

Si tamen volueris sustinere primas respōsiones , dic quòd Philosophus hîc contra Antiquos non procedit demonstratiuè,sed disputatiuè,vt testatur Com.in com.52. vbi dicit sermonem Philosophi contra Antiquos de contrarietate principiorum naturalium esse disputatiuum,& quoniā procedit disputatiuè sufficit,ꝙ assumat propositiones in aliquo sensu veras, sed non simpliciter veras. Et in tali modo disputandi sufficit formare rationes non ad causandum sciētiam,sed ad contradicendum. Ideo non incōuenit si sumatur ly Ex,vno modo in secunda conditione , & alio modo in tertia, vel vt dixit Egidius,& licet hæc ratio esset inefficax ad causandum scientiā,non tamen ad disputandum.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.Sed & tu considera.

QVAEST. XXIIII.

Num prima principia semper maneant.

Principia autem semper manere oportet,tex.50.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hoc , Cùm probauerit Philosophus prima principia rerum naturalium esse contraria,contraria autem se mutuò corrūpunt (nā contraria sunt,inter quæ est transmutatio) videntur hæc duo esse incompossibilia,scilicet quòd prima principia naturalia semper maneant,& quòd sint contraria.

Quæcunque prima principia in quocūque genere semper manere, id est ingenerabilia & incorruptibilia esse oportet.

Tu igitur aduerte quòd circa hoc inuenio tres modos respondendi.Primus est Lynconiensis,quem recitat etiā Burlæus in expositione huius textus.Dicit enim ꝙ prima principia naturalia sunt materia prima,& prima forma,quæ secundùm ipsum est forma corporeitatis , & ponit eam coæternā ac inseparabilem à materia.Secundùm igitur Lynconiēsem principia prima naturalia semper manent , quoniā materia prima est ingenita & incorruptibilis,vt dicet infrà Philosophus, & corporeitas semper inest materiæ. Sed hæc opinio nō acceptatur in via Com.nec in via B.Tho. quoniā negatur illa forma corporeitatis inseparabilis à materia, & hoc tam in via Com.quàm in via B.Tho.Et id iam pertractauimus in lib.8.Metaph.q.4.vt videre poteris.Præterea,prima principia naturalia sunt contraria apud Philosophum : sed prima materia & illa prima forma non sunt contrariæ, quoniā receptiuum non contrariatur suo receptibili,ergo hæc respōsio non saluat dictum Philosophi de sempiterna permanentia primorum principiorum naturalium.

Secunda responsio est Egidij in expositione huius textus, & dicit ꝙ prima principia naturalia sunt materia,forma, & priuatio,vt docet Philosophus infrà,& semper manent, nō quidem in particulari,sed in cōmuni.& intendit quòd sicut ista est vera, Semper erit homo , non tamen semper erit hic vel hic homo , ita ista est vera, Semper permanent materia, forma & priuatio,non tamen semper permanet hæc forma, hæc priuatio. Et in hoc distinguuntur prima principia, quæ sunt prima contraria à posterioribus contrariis.Nam prima principia permanent in vniuersali,quoniam reperiuntur in omni transmutatione naturali,vt dicemus infrà.

Posteriora autem contraria non permanent nec in communi

muni, nec in particulari in omni transmutatione naturali. Non enim in omni transmutatione inuenitur album & nigrum, nec dulce & amarum, &c. Sed nec ista respõsio videtur sufficere, quoniam illa permanentia in communi, nõ est permanentia realis, sed potiùs rationis concipientis materiã formã & priuationem in vniuersali. Ad Physicũ aũt cùm sit artifex realis spectat considerare permanentiã & non permanentiam realem primorum principiorum naturalium.

Tertia igitur responsio quæ est realium, stat in hoc, Principia prima dicuntur semper manere in hoc sensu, quia prima materia non fit ex priori materia, nec prima forma ex priori forma, nec prima priuatio ex priori priuatione, nec fiunt ex alterutris, non enim fit materia prima ex forma prima, nec econuersò. Et in hoc distinguuntur prima contraria à posterioribus contrariis, quoniam posteriora fiunt ex primis. Et hęc respõsio est magis naturalis & cõsona Com. qui in com. 50. sic inquit, Principia autem sunt illa cõtraria, quæ non generantur ex aliis nec transmutantur vniuersaliter, principia enim debent esse permanentia non trãsmutabilia, neque generabilia ex aliis, hęc Com. & aduerte quòd hęc propositio, Prima principia semper manẽt, nõ solùm est vera de primis principiis intrinsecis, sed etiam de extrinsecis. Nam primum efficiens non fit ex alio priori. Omnia autem posteriora efficientia pẽdent à primo, vt declarabitur in li. 8. Similiter primus finis non pendet à priori fine, sed omnes posteriores à primo. Hæc de præsenti quęsito dicta sint, sed & tu cõsidera.

QVAESTIO XXV.

Num ratio secunda Philosophi in tex. 52. qua probat dari tertiam naturam suppositam contrariis concludat & sit ex veris.

Adhuc autem ampliùs & de hoc aliquis dubitabit, nisi alteram naturam supposueris contrariis. tex. 52.

Philosophi ratio non ex veris simpliciter sed ad hominem concludit.

IN hac quæst. aduerte quòd ratio Philosophi sic formatur, Si præter contraria non datur tertia natura supposita contrariis, ergo principia substãtiæ sunt accidentia, quod est falsum, quoniã cùm substantia sit prior accidentibus, vt determinatum est in 7. Meraph. & de hoc iam pertractauimus in eod. li. in q. 3. principiũ esset posterius principiato, quod constat esse falsum. Prima aũt consequẽtia sic probatur. Omnia contraria sunt accidentia eò quòd nulla substantia est alteri cõtraria: sed principia secũdùm te sunt solùm cõtraria, ergo principia erũt accidẽtia. Sic formãda est ratio ẽm expositionẽ B.T. Sed cõstat ꝙ illa propositio, Omnia cõtraria sunt accidẽtia nõ est vera apud Philosophũ, sumẽdo cõtraria largè, aliter in generatiõ: substãciali principia naturalia nõ essent cõtraria, qm̃ forma substãcialis & priuatio nõ sunt accidẽtia. patet ergo ꝙ ratio Philosophi non cõcludit nec est ex veris.

Vt igitur scias defensare rationem Philosophi aduerte ꝙ aliqua propositio est vera simpliciter, & aliqua est vera suppositiuè, eò ꝙ aduersarius supponit eam verã, & cõtradicens vtitur ea vt vera, ad hoc ꝙ reducat aduersarium ad aliquod inconueniens. Quãdo sermo est demonstratiuus necesse est rationem procedere ex veris simpliciter, quando aũt est disputatiuus sufficit quòd procedat ex his quæ reputantur vera apud aduersarium, & quoniã Philosophus hîc loquitur disputatiuè, vt dicit Com. in com. 52. sufficit ꝙ illa propositio, Omnia cõtraria sunt accidentia reputetur vera ab aduersario, & sic est, quoniã Antiqui reputabant omnes formas esse accidẽtia, vt habetur in 1. de Generat. & ideo negabãt generationẽ substãtialẽ, & ꝓpterea siue sumatur cõtrarietas inter duas formas, siue inter formã & priuationẽ, sequitur ẽm Antiquos omnia cõtraria esse accidẽtia, & hoc sufficit Philosopho ad hoc ꝙ sua ratio cõcludat cõtra Antiquos. Dico igitur ad quæsitũ ꝙ ratio Philosophi cõcludit & procedit ex veris nõ simpliciter, sed ex veris famosis, & hoc sufficit disputãti.

Aduerte tamen ad verã doctrinã de contrariis ꝙ si sumantur cõtraria propria & perfecta quæ sunt duæ formæ se mutuò expellentes ab eodem subiecto existente in actu, & acquisibiles per alterationẽ, omnia talia sunt accidẽtia, & sunt qualitates circa quas ponitur alteratio, vt declarabitur in li. 7. Physic. si autem sumantur cõtraria cõmuniter, prout quælibet duo entia, quorum vnum est vt perfectũ, reliquum vt imperfectum, sicut sunt duæ differentiæ substantiales, duæ formæ substantiales distinctæ specificè, vel forma substãtialis & priuatio sibi opposita, possunt dici cõtraria cõmuniter ex 10. Metaph. Cõstat aũt ꝙ secũdùm Philosophũ nõ sunt accidẽtia, & ideo si illa ꝓpositio, Omnia cõtraria sunt accidẽtia, debet esse vera simpliciter, est necesse ꝙ limitetur ad cõtraria cõtrarietate ꝓfecta. Hæc de pẽsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. XXVI. *Nũ substantia cõtrarietur substãtiæ.*

Amplius non esse dicimus substantiã contrariam substantiæ. textu 52.

IN hac quæst. non est diu immorãdum, quoniam eam iam resoluimus in li. 10. Metaph. & est quæstio 18. ibi pertractaui mentem B. Tho. & cõmen. cuius sententia trahitur præcipuè ex hoc 1. li. Physic. commen. 52. ibi, Et similiter nihil prohiber, &c. vsque in finem comment. Recurre igitur ad prædictam quæstionem in 10. Metaphysicæ.

QVAEST. XXVII.

Num ratio Philosophi prima, in tex. 56. concludat quòd sunt tantùm tria principia.

Si autem quatuor existentibus duæ erunt contrarietates, oportebit seorsum vtrisque esse alterã quandam naturam. textu 56.

IN hac quæst. aduerte, ꝙ circa rationem Philosophi fiat difficultas in hoc, Philosophus intendit hanc consequentiã, Si sunt duæ contrarietates: ergo sunt duæ naturę subiectæ his cõtrarietatibus. sed hæc consequẽtia non videtur probare, videmus enim eandẽ materiã & subiectũ subiici modo calido, modo frigido, & dulci & amaro & graui & leui, ergo nõ solùm vni cõtrarietati, sed & duab⁹ & tribus & quatuor potest eadẽ numero materia subiici, nec est necesse multiplicare naturam subiectam, vt multiplicantur contrarietates.

Tu igitur, vt possis saluare rationẽ Philosophi, aduerte ꝙ Burlæus in hoc 1. li. exponens præposicum textũ, diuertit & trahit ad alterum sensum. Dicit enim non fuisse cõsequentia Philosophi, quam formauimus, sed est ista, Si in omni transmutatione naturali sunt duo termini à quo, & duo ad quem & quatuor constituunt duas cõtrarietates, est necesse ꝙ sint duæ naturæ subiectæ, qm̃ vna mutatio est vnius termini, & vnius subiecti: ergo si sunt duo termini à quo & duo ad quõ, erũt duæ mutationes, & per cõsequẽs duæ naturæ subiectæ.

Hæc expositio est quidem vera in se, & secundùm doctrinam Aristotelis in 5. Physico. vbi ad vnitatem motus & transmutationis assignatur vnitas subiecti mobilis, & vnitas termini. Sed prædicta expositio in hoc loco non est ad mẽtem Philosophi. Constat enim hanc esse consequentiam suam ad literam, Si duæ erunt contrarietates, oportebit vniciuique assignare suam naturam subiectam. Et sic quot erunt contrarietates, tot erunt naturæ subiectæ.

Melius est igitur vt exponatur text. Philosophi sicut exponunt B. Tho. & Egidius. Dicũt ipsi, quòd Philosophus loquitur de primò primis contrariis, quæ sunt forma & priuatio absolutè considerata, & non in particulari, & tenet Philosophus hæc primò prima contraria esse tantùm duo. Quoniam si essent quatuor, sic vt duo prima contraria habeãt vnã naturã subiectã, eadem ratione duo alia prima contraria haberent alterã naturã subiectã. Et vis consequentiæ stat in hoc, quia vna primò prima cõtrarietas, est tamẽ vnus primus subiecti. Sicut duæ primæ differentiæ vnius generis, & quatuor primæ differentię duorum generum, & Egidius sic dicit, Ab vno vt vno non nisi vnum emanat: ergo ab vna prima materia, non nisi vna cõtrarietas procedit. Sed aduerte ꝙ impropriè dicitur cõtrarietas procedere à materia, veriùs aũt dicitur ꝙ radicatur in ea. Ex his patet quod argumenta in oppositũ nihil concludũt. Nõ enim illæ sunt primò primæ cõtrarietates nisi respectu determinati generis, putã coloris & sonoris, reducibiles aũt sunt ad primò prima contraria. Non enim albũ & nigrũ, calidũ & frigidũ, &c. sunt contraria, nisi quia vnũ est vt forma, alterum vt priuatio: forma aũt & priuatio ad priora contraria non reducuntur ex 10. Metaph. Nã prima radix contrarietatis est forma & priuatio, licet ergo non sit necesse multiplicare subiectam naturam ad multiplicationem secundarum contrarietatum, non tamen est eadẽ ratio de primò primis contrarietatibus, de quibus tamẽ loquitur hic Philosophus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXVIII.

Quomodo sit verùm quòd principia contraria non differunt genere, sed secundùm prius & posterius.

Quare in eo quòd prius & posterius sunt differunt ab inuicem principia tantùm sed non genere. tex. 56.

IN hac quęst. aduerte, ꝙ tota difficultas stat in textu præposito. Nam cùm alia sint principia substãtiæ, alia qualitatis, alia quantitatis: & principia substantiæ sint in genere substãtiæ, & principia qualitatis sint in genere qualitatis, videtur primo aspectu quòd differãt non solùm secundũ prius & posterius, sed etiã genere, cui⁹ oppositũ dicit hîc Philosophus.

Tu igitur aduerte, quòd variè exponitur textus præpositus, aliter quidem à Commentato, aliter ab Egidio, aliter à B. Tho.

B. Tho. & omnes sensus sustentabiles sunt, licet iistendam determinare secundum sensum B. Tho.

Quantùm ad Com. aduerte ꝙ in cõmento 56. dupliciter exponit ly Principia, & intẽdit ꝙ dupliciter possunt cõsiderari: primò vt inueniuntur in omni prędicamẽto, secundò vt cõtrahuntur ad prędicamentũ substãtiæ: si primo modo adhuc dupliciter cõsiderari possunt, primò quò ad genus principiãdi, secundò quò ad genus prædicamẽti, si quò ad genus principãdi dicũtur non differre in tali genere: quoniã tàm in substantia quàm in accidentibus vnũ se habet vt forma alterum vt priuatio. Si quò ad genus prædicamẽti dicũtur differre in tali genere, quoniã principia cõtraria in genere qualitatis differunt genere à principiis cõtrariis in genere substãtiæ, Si cõsiderãtur secũdo modo, scilicet, vt cõtrahuntur ad prædicamentũ substãtiæ adhuc possumus distinguere de genere, quoniã vel loquimur in genere generalissimo, vel in genere subalterno, si in genere subalterno, cõstat ꝙ differũt genere. Nam in genere corporis est vna prima cõtrarietas, quę est inter primas differẽtias corporis, similiter in genere animati, & in genere sensitiui: quæ cõtraria differunt generibus subalternis, si autẽ loquimur de genere generalissimo, dicũt nõ differre genere. Omnes enim cõtrarietates in prędicamento substãtiæ, continẽtur sub generalissimo, & prædicatur de eis, differunt autẽ secundũ prius & posterius, inter has cõtrarietates in prædicamẽto substãtiæ quædam est prius, quędã posterior. Nã quę cõmunior est, propinquior est generi generalissimo, & per consequens est prior, quæ autẽ minùs cõmunis est, distãtior est à generalissimo & per cõsequẽs posterior est, vnde cõtrarietas, quæ est in genere sensitiui, posterior est cõtrarietate, quæ est in genere animati. Secundũ igitur Com. quãdo dicit Philos. ꝙ principia nõ differunt secundũ genus intelligendũ est in genere principiãdi, si sumanẽ vt inueniũtur in omni prædicamẽto, vel in genere generalissimo si sumunẽ cõtracta ad prædicamẽtũ substãtię. Egidius aũt dicit Philos. intẽdere ꝙ nõ differũt genere subiicibili, licet differant genere prędicabili, & per genus subiicibile intendit materiã subiectã cõtrariis successiuè, per genus prædicabile intẽdit ordinationẽ prædicamentorũ. Dicit ergo Philos. ꝙ principia cùm sint cõraria non differunt genere, id est, materia, quia habent fieri circa idem, differunt tamen genere prędicabili, quia principia qualitatis differũt genere à principiis qualitatis & substantiæ, &c.

Sed hæc expositio licet nõ sit falsa, tamẽ nõ videtur saluare tex. quia Philos. expresè loquitur de genere prædicabili, & in particulari de prędicamẽto substãtiæ. Dicit enim, Substãtia enim, vnũ quoddã genus entis, q. d. cùm diuidat ens in genera prędicamẽtalia substãtialia est vnũ ex his generib⁹, & infrà dicit, Semper enim in vno genere cõtrarietas est vna. Quod quidẽ dictũ exponitur in 10. Metaph. quia, sũ quodlibet genus diuiditur duabus differẽtiis cõtrariis. Quod quidem non est verum de genere subiicibili, sed genere prædicabili.

B. Tho. exponit de principiis contractis ad prædicamentũ substãtiæ iuxta secundã expositionẽ datã à Com. Ita ꝙ mens Philosophi fuit sic arguere, Prima principia naturalia sunt prima cõtraria. Prima cõtraria sunt tantùm duo, quoniã prima cõtraria sunt primi generis, primũ genus est tãtùm vnũ, quod est substãtia, ergo si nõ potest multiplicari primũ genus, quod est substãtia, nõ multiplicantur primæ cõtrarietates, ex quibus sequiẽt corollariè ꝙ licet in prædicamẽto substãtiæ sint plures cõtrarietates, est tamẽ tantùm vna prima, aliæ autẽ adinuicẽ cõparatæ differunt secundũ prius & posterius, id est sunt priores aliquæ, & aliquę posteriores, priores quidem sunt quę sunt propinquiores primæ, posteriores autẽ quæ sunt remotiores à prima. Nã cõtrarietas inter differẽtias diuisiuas corporis est prior cõtrarietate differẽtiarũ, quæ diuidunt corpus animatũ, eò ꝙ est propinquior contrarieti, quæ est in substãtia vt in genere supremo. Licet autẽ differant secundũ prius & posterius, tamẽ nõ differunt genere, quia omnes sunt in genere, siue in prædicamẽto substãtiæ, vt diximus pertractantes secundã expositionẽ Com. Ad argumentũ ergo positũ in principio quæsiti, dico ꝙ Philos. nõ intendit de principiis in omni prædicamento sed de principiis cõtractis ad prædicamentũ substãtiæ, quæ nõ differũt genere, scilicet, generalissimo, licet differant generibus subalternis. Et si vis sustinere primã expositionem Com. dic ꝙ non differunt in genere principiandi, licet differant in genere prędicamenti. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIX.

Num dentur dimensiones inseparabiles à materia,

Fiunt autẽ quæ fiunt simpliciter, alia quidẽ transfiguratione, &c. text. 63. vbi inquit Com. Et necesse est etiã vt tres dimẽsiones quæ videtur inseparabiles ab ipso, scilicet primo subiecto & eadẽ numero, quæ dicuntur corpus, sint accidentia, &c. comment. 63.

IN hac quęst. non est diu immorandũ, quoniã de dimensionibus interminatis & coæuis materiæ, quas imaginatus est Com. iam pertractauimus in lib. 8. Metaph. y. & quęst. nostra secunda, & soluimus rationes defensantium Com. Tu igitur vide illic. Et de forma corporeitatis coæterna materiæ posita ab Auicẽna, quam Com. reprobat in hoc cõmen. 63. iam locuti sumus & reprobauimus in lib. 8. Metaph. q. 4.

QVAESTIO XXX.

Num priuatio sit principium per accidens, & nullo modo per se,

Priuatio autem & contrarietas accidens, vnum autem species. text. 66.

Priuatio nõ est per se principiũ esse rei naturalis, sed per accidens, fieri eius tamen principium est per se, quã quam nõ primò, sed secũdario.

IN hac quæst. sic procedendum est, Primò, ponentur tres distinctiones. Secundò tres conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur quædam dubia.

Quantùm ad primũ aduerte ꝙ res naturalis dupliciter potest considerari, primò quo ad fieri & produci, secundo quò ad esse, vel esse factum & per fieri intelligo motum siue processum præcedentem esse rei naturalis, & ordinatum ad acquisitionem formæ in materia, ita ꝙ iste motus est in via ad esse actuale rei naturalis, per factum esse intelligo esse rei naturalis per cuius acquisitionem desinit ipsum fieri, ita quòd comparatur ad fieri vt terminus ad viam.

Secunda distinctio, Principium per accidens, potest esse duobus modis. Primò quòd sit purè per accidens, & nullo modo per se. Sicut Musica existens in ædificatore est merè principium per accidens domus, eò quòd etiam si remoueatur ab ædificatore potest domus ædificari, secundò quòd licet sit per accidens, tamen potest in aliquo sensu esse per se, vt declarauimus.

Tertia distinctio, Principium per se, potest esse dupliciter, primò quòd sit per se & principaliter, siue primò, sicut materia est principiũ per se & primum receptiuum formæ: secundò ꝙ sit per se, sed nõ primò, imò secundariò & dispositiuè, sicut quantitas & qualitates, quibus disponitur materia, sunt principiũ per se, sed non primò recipiẽdi formam, & veriùs dicuntur principium materiale per se dispositiuũ.

Quantùm ad secundum sit hæc prima conclusio. Considerando rem naturalem quoad esse, siue factum esse, priuatio non est principium per se. Hæc probatur, quoniam si est principium per se, est principium intrinsecum. Constat enim quòd est principiũ vt efficiens, nec vt finis, si est principium per se intrinsecum, ergo est constitutiuum rei naturalis, & pars eius, & cùm sit de essentia rei naturalis, semper permanet in re naturali postquàm producta est, istæ enim sunt conditiones principij per se intrinseci, sed cõstat quòd priuatio non est cõstitutiua rei naturalis, nec pars eius, cùm sit negatio formæ in materia, nec permanet in re facta, aliter forma & priuatio eiusdem essent simul in materia, quod implicat contradictionem. Ergo priuatio non est principium per se, quo ad esse rei naturalis.

Secunda conclusio considerando rem naturalem quo ad fieri priuatio non est principium purè per accidens, sed per se, licet non primò, hæc sic probatur, Nullum purè per accidens conueniens alicui, est ei necessariò coniũctum, nec est necessariò requisitum, vt patet de Musica in ædificatore, sed priuatio est necessariò præcedens formam in materia ante ipsum fieri, & necessario requiritur ad ipsum fieri, quoniam est terminus, à quo incipit ipsum fieri, vt ex non homine fit homo: ergo quo ad fieri nõ est principiũ purè per accidens.

Tertia conclusio, Quo ad fieri rei naturalis priuatio est principium per se, sed non primò. Hæc sic probatur, Quod de necessitate præcedit ipsum fieri & quod est necessariò coniunctum principali subiecto ipsius fieri, est principium per se ipsius fieri, sed non primò, quia non est principale subiectum. Sed priuatio de necessitate præcedit ipsum fieri, quia terminus à quo præcedit ipsum fieri, priuatio autem est terminus à quo. Et est necessariò coniuncta principali subiecto, quod est materia prima, quoniam si materia non esset priuata forma rei producendæ, non sequeretur productio, ergo, &c. Dixi. Non primo, quoniam primum & per se principium subiectum est materia, priuatio autem est sicut conditio sine qua non: & ideo dicitur quò ad fieri principium per se secundarium.

Quãtùm ad 3.aduerte qđ circa prędicta oriunť tria dubia.

Primum est,Cùm Philosophus assignet in 5.Metaphy.omnes modos, quibus dicitur principium,dubitatur quis modus verificatur de priuatione.

Respõdetur,Arist.assignat omnes modos, quibus dicitur principiũ in rebus positiuis,id est,quæ verè sunt entia. Priuatio aũt nõ est ens positiuũ,sed negatio.Et ideo nõ oportet ꝙ aliquis modus illic assignatus verificeť simpliciter de priuatione,potest tamẽ vtcunq; reduci ad primũ modũ, qui est iste, principiũ primo dicitur de illo, vnde quis incipit mouere vt principium vię est,vnde quis incipit ambulare à simili, principium fieri rei naturalis est illud, vnde incipit ipsum fieri. Id autem est terminus à quo,qui dicit priuationem,vt ex non musico fit musicus.

Secundum est,Si priuatio potest esse principiũ per se modo quo expositum est in secunda & tertia cõclusione, quare Philosophus posuit eam absolutè principium per accidẽs?

Respõdetur,Licet Philos. in hoc 1.lib. inquirat principia fiendi & essendi rei naturalis, principaliter tamẽ essendi. & quoniã quò ad esse est principiũ per accidens,vt probatũ est in prima cõclusione,ideo posuit eã simpliciter principiũ per accidẽs.Et hoc innuit Com.in cõmen.66.dicens,Generatum est ex materia per se cùm sit pars eius,ex priuatione autẽ est aliquid per accidẽs,cùm nõ remaneat ita ꝙ sit pars generati.

Tertium est,Si respectu fieri priuatio est principium per se,dubitatur in quo modo perseitatis.

Respondetur,ꝙ est in primo modo,eo ꝙ priuatio videtur esse de ratione motus & fieri.Nã omne,quod mouetur & fit, ideo mouetur,& fit,quia tendit ad aliquem terminum, quo ante cõplementum motus, & ante productionem priuatum erat.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXI.

Num materia sit cognoscibilis solùm per analogiam ad formam.

Subiecta autem natura scibilis est secundum analogiam.textu 69.

Materia cognoscibilis est analogia ad formã,

IN hac quæst.non est diu immorandũ,quoniam eã resoluimus in lib.8.Metap.in q.vbi pertractauimus viã B.Tho. & Scoti,& Gregorij.Ideo vide illic.Hoc solũ aduerte ꝙ Com. in comm.69.tribus rationibus probat materiã esse in pura potẽtia,nec aliquã formã sibi connaturalẽ habet. Et ex his rationibus veri Cõmentistæ trahunt,ꝙ ad mẽtem Commẽ.est tãtùm vna forma in cõposito,sicut & via nostra tenet,vt determinauimus in 8.Metaph.q.4.Et rationes Com. in hoc cõmen.69.assumit B.Tho. vbiq; ad probandũ vnitatem formæ in composito.Rationes autem Commentatoris sunt istæ.

Prima.Si materia prima haberet aliquã formã propriã sibi connaturalẽ,tũc ipsa permanẽte nõ reciperet aliã formã, sed statim corrumperetur quàm citò alia forma generatur,

Secunda est,Quicquid recipit aliquid, non recipit ipsum secundũ ꝙ est in actu,sed secũdum ꝙ est in potentia:si igitur prima materia innata est recipere omnes formas,necesse est vt sit in potentia omnes formæ. & vt non habeat in sua substantia formam propriam.

Tertia est,Si materia haberet aliquã formã sibi propriam esset ens actu,& tunc omnis trãsmutatio esset alteratio,quia omnis transmutatio,quæ est circa subiectũ in actu siue circa substantiã cõpositam,est alteratio.& sic sequitur quod omnis transmutatio in substantiã sit alteratio,& omnes formæ substãtiales aduenientes materiæ post illã formã sibi connaturalẽ essent accidẽtia,quia omne adueniens enti in actu est accidẽs.Istæ sunt rationes Cõmẽtatoris pro vnitate formæ.

Nec te moueat,ꝙ secundũ Comm. remanent formæ elementorum actu in mixto,ex quo sequitur, ꝙ cùm quælibet pars mixti sit mixta in eadem parte materiæ sunt simul formæ elementorum,quæ sunt substantiales.

Nam licet improbauerimus hanc positionẽ in lib. 8. Metaph.nec possit sustineri ad mentẽ B.Tho,tamen Cõmentistæ,si volunt sustinere vnitatẽ formæ in composito & quòd eadem pars materiæ non potest simul informari pluribus formis dicent quòd intendit Comm. quòd duæ formæ non remissæ, sed in actu sibi debito completæ non possunt simul in esse materiæ,plures tamen remissæ, vel quarum vna est remissa,altera est completa possunt simul in esse.Nunc verò, si materia haberet formam propriam substantialem necessariò ei coniunctam,forma illa non posset intendi & remitti,quia tunc esset corruptibilis,ex consequenti materia prima esset corruptibilis,cuius oppositum tenet Philosophus. Patet igitur,quòd si materia haberet formam propriam,illa esset in actu completo & non remisso,& per consequens materia nunquam reciperet aliam ipsa permanente & omnis alia forma adueniens esset accidens, quia omne adueniens enti in actu completo & non remisso est accidens. Materia igitur existens in actu completo non remisso,id est, per formam completam & non remissam, non potest recipere formam nisi accidentalem. Sic dicerent Cõmentistæ volentes sustinere vnitatem formæ ad mentem Comm. verùm in via nostra non possumus sic dicere,quoniam vt determinauimus in lib.8.Metaph.nulla forma substantialis,nec etiam elementaris potest intendi aut remitti,& tu vide in quæst.4. vbi reprobabimus imaginationem Comm. vnde secundum viam nostrã si materia haberet simul plures formas substantiales etiã elemẽtares,haberet eas integras & in actu cõpleto, vel nullo modo haberet.Hęc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXII.

Num sit vna materia corporum superiorum & inferiorum.

Vum quidem principium est,non sicut vnum existens,neque sic vnum,sicut hoc aliquid.tex.69.

IN hac quæst.non est diu immorandum, quia non est proprius locus eius,licet multi expositores illam hîc pertractent.Tu autem vide in lib.8.Metaph.q.13.vbi pertractaui viã B.Tho.& defensaui contra Egidium & Durandum,soluendo rationes eorum.Vide etiam in q.12. vbi determinaui cõtra Comm.quòd materia,quæ est verè materia & pars compositi est in cœlo.Nam ipse tenet oppositum in hoc 1. lib.in comm.79.vbi inquit,Et ex hoc apparet,ꝙ omne habens materiam est generabile & corruptibile. Nam in natura materiæ est priuatio formæ,(& infra)Et ex declarabitur ꝙ corpora cœlestia non habent materiam omninò, quoniã tunc essent generabilia & corruptibilia propter admixtionẽ priuationis cum natura eorum:nihil aliud enim est causa generationis & corruptionis quàm materia propter non esse, quod mixtum est in substantia eius,hæc Commentator.

QVAESTIO XXXIII.

Num potentia materiæ sit idem essentialiter cum materia, vel sit proprietas superaddita materiæ,& si sit vna vel plures.

Posteà videtur ipsis si verè est numero vna,& potentia tantùm vnam esse.text.79.

IN hac quæstione duæ viæ perscrutandæ sunt: prima est, B.Tho.secunda est Comm.Sic igitur procedemus, primò, declarabitur quid tenendum sit secundum B.Tho. Secundò quid secundum Comm. Tertiò soluentur rationes eorum, qui tenent contra viam nostram.

Quantùm ad primum aduerte quòd apud B.Tho.vt patet in hoc 1.libr.in expositione text.79. clarum est quòd tenet potentiam materiæ non esse proprietatem additam super essentiam eius,sed materia ipsa secundum suam substantiam est potentia ad esse substantiale.Item illic tenet,quòd potentia materiæ subiecto est vna respectu multarum formarum, sed ratione sunt multæ potentiæ secundum habitudinem ad diuersas formas.

Vt igitur tibi nota sit mens B.Tho.dicemus duo. Primò, quod est fundamentum B. Tho. de identitate potentiæ cum materia. Secundo,quomodo potest sustinere quòd sit idem cum materia, & plurificetur,quòd desinat esse non plurificata materia,nec corrupta.

Quãtùm ad primum dico, quòd fundamentum suum fuit vt sustineret formam substantialem immediatè vniri materiæ,sicut tenet in tota doctrina sua, & nos id sustinuimus in 8.lib.Metaph.q.2.& 3.si autem concederet potentiam illam esse proprietatem additam essentiæ eius,cùm mediante potentia reciperet,iam non est immediatè,sed mediante potentia,forma vniretur materiæ.Præterea, si potentia esset quid additum essentiæ materiæ,ex ipsa & materia fieret vnum cõpositum,cuius pars esset materia, vt ens purè potentiale,altera pars esset illa potentia,vt forma,& sic subiectum formæ substantialis non esset in pura potentia, sed compositum ex materia prima & ex potentia superaddita,quod non admittitur in via B.Tho.nec in via Philosophi.Præterea, si potẽtia materiæ esset quid additum essentiæ eius, se haberet ad materiam vt potentia naturalis ad id,cuius est potentia:potentia autem naturalis in via nostra est accidens & in secunda specie qualitatis,ergo forma substantialis vniretur materię mediante forma accidentali,quod non admittitur in via nostra,vt declarauimus in 8.lib.Metaph. q.3.

Quantùm ad secundũ, dicit B.Tho.in expositione text.79. ꝙ potẽtia materiæ subiecto est vna, sed ratione sunt multæ secundũ habitudinem ad diuersas formas, in quibus verbis B.Tho.

B.Tho.intẽdit hanc distinctionẽ, Cùm potentia materiæ sit potentia passiua,quæ vt potẽtia nõ potest cõcipi nisi cõceptu relatiuo,eò ꝙ potẽtia vt potentia dicitur ad actũ potest dupliciter cõsiderari,primò quò ad absolutũ,secũdo quo ad respectũ siue habitudinẽ potentia materiæ quò ad absolutũ est ipsa materia,& est vna,sicut materia est vna,& nõ multiplicatur nisi materia multiplicetur:vnde,si materia superiorũ distinguitur à materia inferiorũ,erunt duæ potẽtiæ passiuæ diuersarum rationũ,& hoc est quod dicit B.Tho.ꝙ potẽtia materiæ subiecto,id est,inquãtùm est potẽtia subiectiua, siue receptiua est vna, eò ꝙ materia ex sui natura est receptiua formæ,& vt sic dicitur potentia,vnde Philosophus diffiniens materiã in 8.Metaph.dicit ꝙ nõ est quid,nec quale,nec quantũ,sed est potentia omnia ista. Essentia igitur & natura materiæ est potentia, & hæc prædicatio est in primo modo per se,ex cõsequenti prædicatũ est idẽ essentialiter cũ subiecto.Quãtùm autẽ ad respectũ dico,ꝙ distinguitur à materia realiter quãtùm ad id,quod dicit in obliquo,vnde nota ꝙ relatio,vt determinaui in 5.Metap.in q.22.dicit vnum in recto, & hoc est fundamentũ,vt similitudo est albedo , & dicit aliud in obliquo,id est terminũ ad quẽ dicit relatiuũ: quantũ ad id ꝙ dicit,In recto est idẽ cũ suo fundamẽto, & rationem huius videbis in 5.Metaph.q.22.Quãtùm ad id quod dicit,In obliquo distinguitur realiter à fundamẽto, dicit enim terminũ in obliquo,& terminus distinguitur realiter à fundamẽto,vt paternitas est potẽtia generatiua filij.Cõstat autẽ ꝙ filius distinguitur realiter nõ solũ à patre,sed & a potẽtia generatiua,quæ est fundamentũ paternitatis.In proposito igiť dico,ꝙ potẽtia materiæ sumpta pro respectu : quãtùm ad id quod dicit in obliquo distinguitur à materia : nã in obliquo dicit formã,quę distinguitur realiter à materia vt perfectio à suo perfectibili. Et vt sic multiplicantur vt multiplicãtur formæ receptibiles in materia, & desinũt vt desinũt formæ receptę in materia.& potẽtia sumpta pro respectu est in prędicamẽto relationis & nõ incõuenit ꝙ fundetur in substãtia,vt declaraui in 5.Metap.q.22.Et ex his dictis videbis quã facilè soluentur rationes tenentium contra viam nostram.

Opinio Iandun.

Quantùm ad tertiũ aduerte ꝙ Iandunus in 1.Physi.q.25. tenet ꝙ sicut forma substantialis perficiens materiã,licet sit agẽs principale vel principalis ratio agẽdi,tamẽ nõ agit nisi mediãte aliqua qualitate naturali actiua,quæ est eius dispositio ad agendũ.Sic etiã materia,quæ est principale receptiuum,vel principalis ratio recipiendi, non recipit formã nisi mediante aliqua qualitate naturali passiua , quæ est eius dispositio ad recipiendũ,& ista potẽtia passiua,scilicet,qualitas naturalis passiua,habet quendam respectum in se ad formam hæc Iãdunus.Ex quibus patet ꝙ potẽtia materiæ apud ipsum est qualitas includens respectũ ad formã,ex cõsequẽti distinguitur à materia sicut accidens à substãtia.Quod igitur non sit idẽ essentialiter cũ materia,conatur probare multipliciter,& primò ratione,secundò ex Commentatore.

Primò, arguit sic,Illa nõ sunt vnum essentialiter, quorum vnum multiplicatur,altero permanẽte vno,hęc est euidens: Sed potentia materiæ multiplicatur,nam dicit Commen.in 11.Metaph.comm.2.ꝙ numerus habilitatũ,id est, potentiarum materiæ est secundum numerum specierum generabilium.Materia autem non multiplicatur,quoniam vna numero successiuè recipit diuersas formas,ergo,&c.

Ad hoc respõdetur ex distinctione data,ꝙ potẽtia quãtùm ad absolutũ non multiplicatur,sicut nec materia, quoniã est ipsa materia,quãtùm autẽ ad respectũ multiplicatur,& vt sic cõceditur ꝙ distinguitur à materia,nõ vt qualitas,sicut imaginatur Iãdunus,sed prout distinguitur relatio à suo fundamẽto quãtùm ad terminũ quẽ cõnotat,& dictũ Com.verificatur in eodẽ sensu.Nã dicit ꝙ numerus habilitatũ,id est,respectuũ materiæ, s.sumẽdo potẽtiã nõ pro absoluto,sed pro respectu modo preexposito est secundũ numerũ specierum.

Secũdò,arguit sic,Si potentia est idẽ cũ materia,ergo qua ratione vna est idẽ,eadẽ ratione & omnes, ergo omnes potentiæ materiæ sunt vna potẽtia,quod est impossibile, quoniam potentiæ distinguuntur per distinctionem actuum.

Ad hoc respõdetur,Sumẽdo potentiã pro suo absoluto cõcedo primã & secũdã cõsequentiã, & quãdo dicit ꝙ potẽtiæ distinguũtur per distinctionẽ,&c.nego,nisi sumatur potẽtia quò ad respectũ & suũ connotatũ in obliquo. Sumẽdo autẽ potentiam quò ad respectũ,concedo totũ,nec est cõtra nos.

Tertia arguit sic,Si potẽtia est ipsa materia,ergo omnes potentiæ sunt vna potẽtia,ꝙ est falsum, quia qui reduceret materiã ad actũ respectu vnius formæ,ad quã est in potẽtia,reduceret eã ad actũ respectu cuiuscunq; formæ ad quã est in potẽtia,quoniã per te omnes potẽtiæ sunt vna potẽtia, quæ est ipsa materia.Hoc autẽ est cõtra sensum,vt patet,ergo,&c.

Ad hoc respõdetur,ꝙ prima cõsequentia est vera,sumẽdo potentiã pro suo absoluto significato, Et negatur falsitas cõsequẽtis,ad probationẽ negatur cõsequentia,quoniã fit trãsitus ad potentiã sumptã pro respectu , in quo sensu potentia multiplicatur & nõ est ipsa materia,modo quo expositũ est.

Quartò arguit rationibus Commen. sumptis in 1. Physic. commen.70.quarum prima est hæc,Si materia est sua potentia,ergo adueniente forma corrumpetur materia , quia potentia ad talem formam desinit.

Secunda est hæc,Si materia est sua potentia,ergo materia est in prædicamento relationis,quòd est falsum,cùm sit pars substantiæ cõpositæ.Consequentia autem patet, quoniã potentia est de genere ad aliquid,cum dicatur ad actum.

Ad vtranq; respondetur,quòd concludunt sumendo potentiam pro respectu,in quo significato modo quo diximus non est idem cum materia, istæ sunt fortiores rationes eorum, qui tenent contra viam nostram.

Tu tamen aduerte,quòd non eris dominus huius quæsiti stando præcisè in Physicis.Nã de potẽtia & actu, & de significato suo absoluto , ac respectiuo , tractauimus in lib.9.Metaphysi.in Quęstionibus nostris,ideo sustine , donec dederis te studio Metaphysicæ.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXIIII.

Num priuatio & materia sint idem realiter.

Nos quidem enim materiam & priuationem alteram esse dicimus. tex.79.

IN hac quæst.nõ est diu immorãdũ,quoniã in 10.li.Metaph. in q.10.determinauimus, si priuatio est ens reale & si est idem cum materia subiecto in quo est, & illic declarauimus quæ fuerit mens Philosophi in hoc 1.lib. Physi.de vnitate & distinctione priuationis à materia:vide igitur illic.

QVAESTIO XXXV.

Num materia appetat formam,& quo appetitu.

Aliud autem aptum natum appetere ipsum.tex.81.

Materia appetit formam quodam tantùm naturali appetitu.

IN hac quæst.sic procedendũ est.Primò ponetur distinctio de triplici appetitu,scilicet naturali & sensitiuo & intellectuali:& aduerte,ꝙ huius distinctionis, quò ad duos primos meminit Cõment.in 1.Physi.commen.81.vbi inquit, Appetitus enim alius est naturalis sine sensu,vt in plantis ad nutrimentum , & alius est cum sensu,vt appetitus animalium ad nutrimentum.Secundò,ponentur conclusiones responsiuæ. Tertiò,defensabitur 1.conclusio contra Auicen. Quartò remouebitur dubium de realitate & quidditate appetitus sensitiui & intellectiui.

Quantùm ad primũ aduerte,ꝙ distinctionẽ de triplici appetitu,iã manifestabimus in 1.Metaph.q.3.vbi diffinitur quilibet appetitus,& declaratur si distinguuntur ab appetẽte & quomodo ordinãtur. Tu igitur vide illic,& sufficiet tibi.

Quantùm ad secundum sit prima conclusio , Materia appetit formam.Probatur,Materia est ens in pura potẽtia passiua,ergo perfectibilis,& forma est actus, ac perfectio materiæ eo quòd facit eam esse actu. Tunc sic , Vnumquodque ens perfectibile appetit suam perfectionem, materia est ens perfectibile,cũ sit pura potentia, & forma est perfectio sua, qui actuat eam , ergo materia appetit formam.

Secunda conclusio, Materia non appetit formam appetitu animali,sed naturali,prima pars patet , quoniã in materia non est sensus,vbi autẽ est appetitus animalis, ibi est sensus, vt patet per comm.in dicto eius supra allegato,& vt declarauimus in 1.Metaphy.q.3.ergo appetitu animali materia non appetit formam.De appetitu intellectuali constat quòd nõ. Quod autem appetat appetitu naturali probatur sic , Materia ex sui natura,id est,inquantùm est ens in potentia , inclinatur ad formam,vt ad suam perfectionem,ergo appetit eã appetitu naturali. Antecedens patet,quia vnũquodque perfectibile naturaliter inclinatur in suam perfectionem.Consequentia etiam patet ex diffinitione appetitus naturalis, quæ est hæc,vt declarauimus in 1.Metaph.q.3. Appetitus naturalis est tendentia,siue inclinatio rei ad suam perfectionẽ, & inest cuilibet rei,quia quælibet res ex sui natura tendit in suam perfectionem.Hæc conclusio est de mente Commen. in 1.Physicor.commen.81.vbi inquit,In materia igitur est appetitus naturalis ad recipiendum omnes formas & recipit eas alternatim.

Quantùm ad tertiũ aduerte ꝙ Auicen.in 1.lib.Sufficiẽtiæ in c.2.dicit se non intelligere in quo sensu hæc possit esse vera,Yle appetit formam,sumendo yle simpliciter & secundũ se præ

se præcisè cõsideratã. & arguit sic ad literã, Dicũt isti, scilicet Arist. & sequẽtes eum in hoc loco y le affici desiderio formę. Et y le assimilant fœminę, formã verò masculo. Et hoc est quod ego nõ intelligo. Nã desideriũ animalis nemo est qui nõ remoueat ab ea, desideriũ autẽ naturale, quo trahitur res, sicut lapis deorsum, vt perficiatur post imperfectionẽ quam habebat sui loci naturalis, longè est ab ea. Posset autem hoc cõcedi, si desiderium naturale in y le, si ipsa esset vacua omnibus formis, aut esset affecta tędio formę, quę adiuncta est ei, aut si nõ esset cõtenta formis, quæ perficiunt eã, aut si posset ipsa per se moueri ad suscipiendam formã, sicut mouetur lapis ad cõsequendum locum, aut etiã si esset in ea virtus mouens. Sed nõ est vacua omnibus formis, nec cõuenit ei fastidire formã habitam, vt studeat eam excutere & abiicere à se, quia si propter acquisitionẽ alterius formæ venit fastidiũ habitæ formæ, idcirco quia habet eã, tunc decet vt nõ desideret eã, si autem fastidit eã propter lõgeitatem tẽporis tunc desideriũ accidet illi secũdum tẽpus & nõ erit de substantia eius, sed erit hic causa, quę facit hoc habere q.d. Hoc desideriũ non cõsequitur naturã materiæ, quia semper inesset illi, sed proueniet ex alia causa & sic desideriũ erit sibi accidẽtale. Et nõ cõceditur vt sit nõ cõtenta ea forma, quã habet quasi desideret vt cõiungantur contrariæ in se, i. vt in se habeat plures formas cõtrarias; quia hoc est inconueniens (& infrà) vnde ꝓpter hæc omnia difficilis est mihi intellectus huius verbi, quia magis videt hoc esse dictũ figurale loquẽtiũ q̃ Philosophorũ, fortasse poterit hoc alius intelligere recto intellectu. Vnde in hoc cõuertatur ad illũ. Sed si esset loco y le simpliciter aliqua y le iã cõstituta à forma naturali, & cõtingeret ex ipsa forma naturali, quæ est in ea, motus ad perfectiones illius formę, sicut terra in descẽsu, & ignis in ascensu, fortasis hęc locutio adhuc esset possibilis, quãuis illud desideriũ nõ attribueretur nisi formæ agenti. Sed in y le simpliciter desideriũ non intelligo. Hæc Auicenna. Et intendit negare desiderium à materia simpliciter accepta, id est, seclusa forma. Et si debet hoc desideriũ concedi, non erit nisi ratione formæ iam existẽtis in materia, quæ virtutibus suis mouet rem ad consequendum perfectiones suas secundarias, vt forma ignis leuitate mouet ignem sursum, sed hoc desiderium propriè non est materiæ, sed formæ, vel rei compositæ.

Sed si aduertis inuenies Auicennã non intellexisse verbũ Philosophi, quia nesciuit rationẽ & naturã desiderij naturalis. Arbitratus est enim vt patet in dicto suo, ꝓ sicut appetit' animalis est virtus & qualitas addita essentiæ animalis, qua mouet animal in bonũ sibi cõueniẽs, sic appetitus naturalis sit forma aut qualitas, aut virtus addita rei, qua naturaliter, id est. sine præcognitione, tẽdat in bonũ suũ vt ignis leuitate ascẽdit, lapis grauitate descẽdit, & sic secundũ Auicen. leuitas est appetit' naturalis in igne, grauitas in lapide. Et quoniã in y le præcisè sumpta nõ est cõgnitio, nec est aliqua virtus addita y le, qua moueatur ad formã, vt ad perfectionem suam. ideo dixit se non intelligere verbum Philosophi.

Tu igitur aduerte, ꝓ in doctrina Arist. appetitus naturalis nõ dicit formã, nec virtutem additã essentiæ rei, sed ordinabilitatẽ rei in finem, & perfectionẽ suam, ita ꝓ rei natura vt ordinatur in talẽ finẽ dicit appetitus naturalis, vnde intellectus, quia ordinatur ad scire, dicit appetere naturaliter ipsum scire, vt declarauim' in 1. Metaph. q. 3. Et quoniã res, quæ sunt actu ordinãtur in fines suos ex earũ natura, ideo dicũtur naturaliter appetere fines suos, qui sunt suæ propriæ perfectiones. Similiter, quia y le est res merè potẽrialis, & potẽtia vt potẽtia naturaliter ordinatur ad actum, actus autẽ materię est forma, ideo dicitur naturali desiderio, quod est ipsamet y le vt ordinata ad formam, appetere formam.

Ex his facile solues instãtias Auicẽnæ, & dices, ꝓ diuisio sua est insufficiẽs, quia nõ est ratio hui' desiderij in y le, quia sit vacua omnis formę, quoniã sẽper aliquã habet, nec quia fastidit formã, quã habet, nec lõg inquitas tẽporis. Tædium enim & fastidiũ sunt propriæ cõditiones appetitus animalis nec quia nõ cõtẽtatur forma, quã habet, pro tẽpore pro quo eã habet, quia nõ potest simul cũ ea aliã habere, nec quia desiderat plures simul habere, quoniã desideriũ naturale esset ad impossibile propter cõtrarietatẽ formarũ præcipuẽ specificarũ. Sed est, quia cùm sit potẽtia passiua naturaliter ordinatur ad formã, vt perfectionẽ suã. Et quoniã nulla ex formis inferioribus cõplet & actuat totam potẽtialitatem suã, quia est receptiua omniũ formarũ inferiorũ, sicut lignum formarum artificialiũ, ideo alternatim desiderat illas, quia alternatim est apta actuari illis. Hinc est ꝓ potẽtia materiæ cœli nõ est ordinata ad aliam formã, quia forma cœli vt forma vniuersalis virtualiter euacuat potẽtialitatẽ suę materię. Quod autẽ dicit Auicẽ. Philosophũ loqui figurate, & nõ more Philosophorum, id est nõ ex sua cõsuetudine, sed vt conformaret se Platoni, cõtra quem disputabat, qui cõsueuit tractare naturalia & diuina sub metaphoris, vnde in Timæo inquirẽs & disputans de materia appellat eã matrem & receptaculũ formarũ, causam autẽ efficientẽ, cuius actione introducitur forma, appellat patrem, & rem formatam appellat prolem. Sic in proposito Philosophus alludens Platoni, assimilat eam fœminæ ratione imperfectionis & potentialitatis suæ, & formam viro, ratione perfectionis,

Quantùm ad quartũ aduerte ꝓ licet appetitus naturalis nõ distinguatur ab essentia rei appetentis, tamen appetitus animalis apud omnes, qui tenẽt distinctionẽ realẽ inter animã & potentias suas, distinguitur realiter ab appetẽte. Sed dubitaf quid sit & in quo prędicamẽto & in quo genere. Tu igitur aduerte ꝓ in via nostra vt determinauimus in 2. De Anim. in q. 12. est potentia animæ & est in prædicamẽto qualitatis, & in secundo genere, quod dicitur naturalis potentia.

Cõtra hãc viã se opposuit Petrus Põp. qui tenet in lectura sua in expositione huius tex. appetitũ animalis non esse potentiam animæ, nec in secunda specie qualitatis, sed esse habitũ, vel dispositionẽ & in prima specie qualitatis, & fundat se super Philosophũ eò ꝓ in 3. lib. De Anima agens de principio motus localis in animali dicit ꝓ appetitus sensitiuus sequitur cognitionem. Obiectũ autẽ cognitũ causat quandã ardentiã in anima qua mouetur animal ad obiectum cognitum. Talis autẽ ardentia vt credit Petrus Pompo. est appetitus & secundum ipsum est in prima specie qualitatis.

Sed est deceptus equiuocatione. Quoniã aliquãdo hoc nomẽ appetitus sumitur pro potẽtia. aliquãdo pro motu ipsius potẽtiæ, siue animalis appetẽtis in rẽ cognitã, sub ratione boni, qui motus dicit desideriũ, quod est specialis passio cõcupiscibilis vt declarauim' in Epitom. nostro in 3. De Anima. Quando dicit Philosophus ꝓ appetitus sensitiuus sequitur cognitionẽ sumit pro actu, & non pro potẽtia, & de tali actu cõcedo, ꝓ est in prima specie qualitatis eò ꝓ est actio immanens & omnis talis actio est in prima specie qualitatis, vt de terminauimus in 9. lib. Metaph. q. 16. Nec mirum videatur si apud Philosophũ sumit aliquãdo pro potẽtia, aliquãdo pro actu. Nã & intellectus apud ipsum aliquãdo sumitur pro potẽtia, aliquãdo pro habitu primorũ principiorũ, & aliquãdo pro operatione vt patet in 12. Metaph. vbi agit de intelligere primi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXVI.

Num verum sit, quòd materia corrumpatur per accidens.

Corrumpitur autem & fit, est autem vt sic, est autem vt non. textu 82.

IN hac quęst. aduerte ꝓ stat difficultas in hoc, Dicit Philos. ꝓ ideo materia corrũpitur per accidẽs, quia priuatio, quæ est ens in ea, corrũpitur. Sed hoc videt falsum. Quia cũ priuatio sit nõ ens, non potest corrumpi. Quod enim corrũpitur prius habet esse, est enim corruptio ꝓcessus ab esse ad nõ esse. Non ens autẽ nõ habet esse, ergo, &c. Præterea, Ad hoc ꝓ aliquid corrũpatur per accidẽs necesse est vt aliquid aliud corrũpat per se, & in ꝓposito necesse est vt aliquid existẽs in materia corrũpatur per se, hoc autẽ nõ est nisi priuatio. Et hoc dicit Philos. & Com. in com. 81. vbi inquit, Dicit materia esse corruptibilis, quia priuatio quæ est in ea est corruptibilis p se. Sed impossibile est ꝓ priuatio corrũpat per se. Nã si quia nõ est ens nõ potest corrũpi sequitur ꝓ nec per se potest corrũpi.

Vt igitur scias quomodo dictũ Philosophi sit verũ propono vnam distinctionem, ex qua declarabitur propositũ. Tu igitur aduerte, quòd aliquid potest dici corrumpi duobus modis, primò verè & proprie: secundo trãsumptiue siue similitudinariè. Illud propriè corrũpitur, quod prius existens desinit habere esse, siue habeat esse per se, vt suppositi substantiæ, siue esse in alio, vt accidens, & de tali propriè verificatur diffinitio corruptionis, ex quo sequitur quòd si aliquid habet esse solùm potẽtiale, nec vnquã est actu per se & præcisè sumptũ, illi nõ competit corruptio propriè, nec per se, nec per accidens illud autem dicitur corrumpi transumptiuè, quod licet nõ habeat esse, nec sit ens, tamẽ primo denominat aliquid & deinde cessat denominare ipsum, & in tali denominatiõe est ac si esset ens actu, deinde cessaret esse ens. Ex quo sequitur quòd si aliquid sit negatio pura, nõ est verũ ipsum corrũpi propriè, nec transumptiuè. Si autem sit negatio cum aptitudine in subiecto determinato, quia vt sic denominat subiectum, de eo potest verificari generatio &

& corruptio per transumptionẽ. Vnde quãdo aduesperascit dicũtur generari tenebræ, & quãdo dieiscit, dicũtur corrũpi.

Ex his patet quid dicendum sit ad quæsitũ: vnde aduerte quòd ista non est vera nisi transumptiuè, materia est generabilis vel corruptibilis siue per se siue per accidens, quoniã materiæ prędicisè sumptæ repugnat esse actu. Generatio autẽ propriè dicta terminatur ad esse actu. Corruptio verò ad nõ esse actu eius quod prius erat actu. Similiter ista nõ est vera nisi trãsumptiuè, Priuatio est corruptibilis per se vel per accidẽs, nã cùm nõ habeat aliquod esse positiuũ, nõ potest pro priè dici incipere esse, nec desinere esse. Transumptiuè autẽ est vera, quoniã quãdo matria nõ est informata tali forma, putà ignis priuatio illius formæ attribuitur materiæ & denominat ipsam. Nã verũ est dicere, priuationẽ formæ ignis inesse materiæ, & materiã esse priuatã. Quando autẽ materia habuerit formã ignis, cessat attributio priuationis & determinatio materiæ ab ea, & vt sic dicitur quadam similitudine corrumpi, & aduerte ꝓ ista corruptio transumptiua in hoc proposito est de intentione Cõmen. in hoc. 1. lib. in com. 12. vbi inquit, Illud, cui non attribuitur corruptio nisi secũdum rem corruptibilẽ quæ est in ipso, attribuitur per accidens & transumptiuè. Ad argumenta autem in oppositum dicitur, quòd concludunt de corruptione propriè dicta, sed nõ de transumptiua. Hæc de prẽsenti quęsito dicta sint.

QVAESTIO XXXVII.

Num Physicus habeat probare entia abstracta.

De principio autem secundũ specię, vtrum vnum aut plura, aut quot, aut quæ sunt per certitudinem primæ Philosophiæ, opus est determinare. tex. 83.

IN hac quęst. non est hic immorandũ, licet Cõmen. in com. 83. eam pertractet & determinet contra Auic. Nã in lib. 12. Metaph. in q. 3. hoc quęsitũ pertractauimus vbi declaramus tres vias, duas extremas, quarũ vna est Comment. & sequentium eum. Altera est Auicennæ & Scoti & Alberti. Tertia autem est media, & hæc est B. Tho. vide tu illic.

Quæstionum primi libri Physicorum finis.

QVAESTIONES MAGISTRI CHRYSOSTOMI Iauelli, super secundum librum Physicorum.

Cuius sunt Quæstiones trigintasex.

1 *Quomodo sit verum, quòd omnia naturalia habent principium motus in seipsis intrinsecum.*
2 *Num artificialia habeant in seipsis principium motus, & per consequens si formæ artificiales possunt dici aliquo modo naturales.*
3 *Num diffinitio naturæ sit bene assignata.*
4 *Num possit demonstrari naturam esse.*
5 *Num possit saluari Philosophus quòd sibi non contradicat in tex. 9. aliquos posuisse terram esse principium naturalium.*
6 *Num forma sit magis natura quàm materia.*
7 *Num mathematicus considerans lineam abstractam mentiatur.*
8 *Num scientiæ mediæ sint magis physicæ quàm mathematicæ.*
9 *Num physicus habeat considerare materiam primam vel solum propinquam cuiuslibet rei naturalis.*
10 *Num materia & forma sint relatiua.*
11 *Num Philos. in tex. 16. vbi inquit, Et circa hæc &c. sibi contradicat.*
12 *In quo consistat causalitas causæ materialis.*
13 *In quo consistat causalitas causæ formalis.*
14 *Num in text. 18. tam species quã exemplum possunt interpretari ad mentem Aristotelis, & non solùm ad mentem Platonis.*
15 *In quo consistat causalitas efficientis.*
16 *In quo consistat causalitas finis.*
17 *Num finis sit causa vt habet esse in anima, vel extra animam.*
18 *Num idem effectus numero possit produci à pluribus causis perfectis totalibus eiusdem ordinis.*
19 *Num causæ fini sibi inuicem causæ.*
20 *Num causa in actu & effectus in actu simul sint & non sint.*
21 *Num omne quod fit verò, fit à fortuna.*
22 *Num diuiso Philosophi in tex. 48. sit sufficiens.*
23 *Num diffinitio fortunæ sit rectè assignata à Philosopho.*
24 *Num Philosophus in tex. 61. sibi contradicat.*
25 *Num casus & fortuna reducantur ad causas efficientes.*
26 *Num causa agens sit idem specie cum suo effectu.*
27 *Num primus motor sit de consideratione Physici.*
28 *Num agentia æterna necessario agant.*
29 *Num Antiqui reducebant omnem effectum in causam materialem & non in agentem.*
30 *Num omnia quæ fiunt in natura fiant à casu vel propter finem.*
31 *Num aranea & formica operentur intellectu.*
32 *Num monstra sint intenta à natura.*
33 *Num consequentia Philosophi in tex. 82. valeat.*
34 *Num consequentia Philosophi in tex. 84. valeat.*
35 *Num necessitas sumpta à causa efficiente, sit absoluta vel cõditionata.*
36 *Num omniũ naturalium sumatur necessitas ex materia vel ex fine.*

QVAESTIO PRIMA.

Quomodo sit verum quòd omnia naturalia habent principium motus in seipsis intrinsecum.

In vno quo istarum est principium motus & quietis. tex. primo.

IN HAC quæstione, sic procedendum est. Primò, ponentur quædam præuia notabilia: secundò, conclusiones responsiuę: tertiò, soluetur quoddam dubium ad mentem Commentatoris.

Omnia naturalia habent sui motus principium intrinsecũ, actiuum, vel passiuum, secundum sui naturalẽ dispositionem sequentẽ eius formam, vel materiã.

Quantùm ad primùm aduerte primò, quòd Philosophus non intendit omnia naturalia habere in se principiũ omnis motus quoniã non quodlibet naturale mouetur quolibet motu, nam quædã mouentur tantùm localiter ita quòd non sunt alterabilia, sicut corpora cœlestia, & quædã alterantur, generantur & corrumpuntur, quæ tamen non augentur augumento propriè dicto, de quo iam locuti sumus in 2. lib. de Anima, vt elementa & elementata inanimata: sed intendit Philosophus quòd omne naturale habet in se principium illius motus, quo est aptum moueri.

Aduerte secundò, quòd principium intrinsecum motus non est vniuocè, nec eiusdem rationis in omni ente naturali, vt docet Comment. in hoc 2. lib. in comm. 1. vbi inquit, Et istud principium, quod est in alterato simplici & transmutabili simplici est aliud à principio, quod est in mobili localiter, & in augmento secundum genus, & in generabilibus & alterabilibus compositis, quoniã illud principium, quod est in compositis, est secũdum formam & in simplicibus est secundum materiam, hæc comm. Cui concordat B. Tho. in solutione dubij moti super prępositum textum, vult enim in aliquibus esse principium actiuum, quod Com. vocat principium secundum formam, & in aliquibus esse principiũ passiuum, quod dicitur principium secundum materiam.

Aduerte tertiò, ꝓ entium naturalium quædã sunt simplicia incorruptibilia, vt cœlestia corpora. Quædam simplicia corruptibilia, vt elemẽta. Quædam mixta corruptibilia, sed inanimata. Quædam mixta corruptibilia, sed animata.

Quantùm ad secundum ex prænotatis sic respondendum est quæsito. Primò, cœlum habet principium intrinsecũ sui motus localis actiuum & passiuum, sed diuersimodẽ. Nam si cœlum consideretur vt aggregatum ex corpore cœli & intelligentia, quod vt sic potest dici animatum apud Philosophum ex 2. Cœli, & vt determinauimus in lib. 12. Metaphy. in q. 16. sic intelligentia velut anima potest dici principium actiuum motus cœli. Nam vt sic mouet cœlum seipsum secundum Philosophum vt declarabitur in 8. lib. Phy si. Si autẽ cœlum consideretur præcisè, id est, seclusa intelligentia, sic in eo est principium passiuum, prout in illo inquantùm est corpus sphæricũ est naturalis potentia passiua, vt moueatur motu sphærico, & quoniam cœlum non est mobile nisi localiter, vt declaratur in 8. Phy si. ideo non est in eo principium aliorum motuum, quoniam frustrà inesset.

Secundò, corpora simplicia corruptibilia, vt elementa, quoniam sunt mutabilia localiter & secundũ alterationẽ, & secundũ generationẽ & corruptionem, ideo secundũ tria genera mutationum inquirendũ est principium in eis intrinsecum. Aduerte igitur, quòd quò ad principium motus localis differentia est inter B. Tho. & Cõment. Nam B. Tho. vt patet in solutione positi dubij super textum prępositum tenet quòd habeant solùm principiũ passiuũ. inquit enim, In corporibus verò grauibus & leuibus est principiũ formale sui motus, sed huiusmodi principiũ formale nõ potest dici potẽtia actiua, sed cõprehenditur sub potentia passiua. Grauitas enim in terra non est principium vt moueat, sed vt moueatur, &c. Nam apud B. Tho. vt declarabitur in 8. Physic. graue mouetur actiuè à principio extrinseco, id est, à generante,

Comm.

Comm.autem tenet,quòd habeant principium actiuum intrinsecum,eo q̃ s.cũdum ipsum forma grauis mouet ipsum graue,& de hoc formabimus quęst.in 8.lib.quoniã illic erit locus proprius,& pertractabitur vtraq; via, pro nunc sustine.Quãtùm autẽ ad principiũ intrinsecũ alterationis & generationis & corruptionis cõcordant B.Th.& Cõmentator q̃ nõ habent principium actiuũ intrinsecum,sed passiuũ, eò q̃ nullũ simplex,vt simplex,alterat seipsum,nec generat,nec corrumpit se per ipsum. Et hæc est mens Com.in hoc 2.lib. in com.1.vbi inquit,Et hoc ita est,quoniã non inuenitur corpus simplex,quod alteretur ex se,aut quod generetur ex se, sicut inuenitur copus simplex,quod transfertur in loco ex se. Quod autem in via B.Tho.nullum simplex agat in seipso, aut moueat seipsum quocũque motu, iam determinauimus in lib.9.Metaphysicæ in q.4.& tu quære illic.

Tertiò, corpora mixta corruptibilia inanimata quò ad motũ localem iudicãda sunt habere principiũ intrinsecum, sicut elementum prædominans, eò q̃ moueantur localiter ex elemento prędominante.Quantùm autem ad generationem & corruptionẽ dicũtur habere principium passiuũ intrinsecũ,id est,materiam subiectam priuationi. Non autem habent principium actiuum per se,eò q̃ nihil seipsum producit,nec corrumpit,quoniã desiderio naturali desiderat in esse conseruari.Quantum autem ad motum alterationis habent quidem principium passiuũ, quoniã omne generabile est alterabile,cùm alteratio sit præuia generationi.

Quartò,corpora mixta corruptibilia animata quãtùm ad motum alterationis generationis & corruptionis dicendũ est de eis sicut de mixtis inanimatis.Quomodo autem secũdum dissimiles partes habeant principium actiuum alteratiuũ,putà quòd in animali cor contemperatur à cerebro,& hepar calefacit stomachum.De hoc formabimus quęst.in li. 2.de Generatione.Quantùm ad motũ localem & augmenti dico quod habẽt in se principium actiuum, quoniam anima per potentiã vegetatiuã & motiuam est principiũ actiuum horũ motuũ,vt patet in 2.de Anima,tex.14.& in 8. li. Physi. tex.28.dicet Philoso.q̃ animata mouent seipsa, & huic sententiæ concordat Cõmentator in hoc 2.lib.in comment.3.

Ex his igit patet quomodo in omni ente naturali est principium intrinsecum sui motus,licet diuersimodè quoniã in aliquibus est passiuum,in aliquibus actiuũ, vt declaratũ est.

Quantùm ad tertium aduerte,quòd quò ad elementa considerata secundum motum localem videtur esse cõtradictio in Commentatore.Nam in hoc 2.lib. in com.1.innuit q̃ mouẽt se localiter per se,sicut animata & corpora cœlestia.Sed in 8.Physi. com. 33.tenet q̃ mouent se per accidens,eò q̃ per se mouent mediũ,ad cuius motum mouent se per accidens.

Sed hæc apparens contradictio apud Cõmentistas sic soluitur.Quando dicit hic,quòd mouent se per se , ly Per se excludit motorẽ extrinsecum.Quando dicit,Mouent se per se, id est,per formas suas & non per motorem extrinsecum,ad differentiam motus violenti dicit.Quando autem dicet in 8. Physi.& apertiùs in tertio Cœli quòd mouent se per accidẽs sensus est,quòd mouẽt aliud putà medium per se,& per medium motum mouent se per accidens,sicut nauta mouet nauim per se, & per nauim motum mouet se per accidens, & sic patet quòd nulla est contradictio.

Tu tamen aduerte q̃ hæc non sunt dicta nisi ad mentem Comm.Quid autem tenendum sit in hoc proposito , determinabimus in lib.8.Physic.vbi mouebitur quæstum à quo moueantur grauia & leuia,& illic pertractabitur via Com. & B.Tho.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num artificialia habeant in se principiũ sui motus,& per consequens nunquid formæ artificiales possunt dici in aliquo sensu formæ naturales.

Lectulus autem & inaumentum,neque vnum habent mutationis impetum innatum,textu 2.

Artificialia non habent in se principiũ motus,sed tantũ moti,& qualitatis,motus,nec earũ formæ naturales sunt.

IN hac quæst.aduerte,quòd duas partes continet , primò si artificialia habent in se principium motus,secundo si formæ artificiales,saltem aliquæ possunt dici naturales. Circa primã partẽ aduerte q̃ difficultas cõsurgit ex duob⁹,primò quia videmus aliquas figuras artificiatorũ diuersificare motum in eodem artificiato. Nam si fiat figuræ planæ causabit in artificiato motum rectum,& non circularẽ nisi cum difficultate,si autem fiat figuræ pyramidalis,aut sphęricæ inclinabitur ex tali figura ad motum sphæricum,ergo,&c.

Secũdò,quia videmus habitus acquisitos ex frequentatis actibus,esse principia motuũ in eo,in quo sunt.Vt saltatio est ab eo in quo est ars saltandi,& cãtus est ab eo, in quo est ars cantandi,ergo videntur artificialia habere in se principium suorũ motuum. Circa secundam partem aduerte quod difficultas stat in hoc.Sicut materia prima est potentia ad recipiendum formam ferri,sic forma ferri est in potentia ad recipiendum formam gladij,ergo eadem ratione forma gladij videtur esse forma naturalis,sicut & forma ferri.

Vt igitur dissoluas vtrãq; dubietatem , aduerte quantùm ad primã partem,q̃ est aliud habere in se principiũ motus, & habere in se principium qualitatis,aut modi motus.Nam primũ conuenit soli formæ naturali,putà quòd terra,aut lapis moueatur deorsum conuenit eis , quia habent grauitatẽ, quæ est qualitas naturalis.Vnde quæcunque figura imprimatur in terra vel in lapide,nisi ad sit grauitas,nunquam moueibitur motu naturali deorsum.

Secundum autẽ potest conuenire formæ artificiali. Nam licet lapis vt grauis sub quacunq; figura sit moueatur deorsum,tamen si est figuræ latæ mouebitur tardiùs quia non de facili scindet medium,si autem est figuræ strictę,aut pyramidalis velociùs mouebitur,quia impetuosiùs scinder medũ,cũ hoc tamen q̃ forma artificialis semper sit coniuncta qualitati naturali,quæ est principium motus. Quãdo antẽ dicit Philosophus distinguens artificiatũ à naturali,q̃ nullũ artẽ ciatorũ habet in se principiũ motus,intendit de motu & non de modo motus vel dicas,q̃ intendit de principio per se nõ motus,& nõ de principio per accidens.Nam quòd lapis mouetur deorsum habet per se à grauitate , & non habet à figura strictа vel sphærica,nisi quia est coniuncta grauitati.

Idem intellige de arte saltandi & cantandi.Nã quòd Sortes saltet aut cantet habet à potẽtia naturali , putà à potentia motiua complantata in musculis & neruis,de qua locuti sumus in 3.de Anima in Tract.de Potentia motiua.Quod autẽ sic,putà ordinatè saltet,aut consonantèr cantet habet ab arte,quæ tamen non proficeret nisi esset adiuncta potẽtiæ motiuæ naturali non impeditæ. Vnde si podagra adsit aut raucedo in voce, artes non proficient. Patet ergo quòd illæ artes non sunt principia horum motuum , sed proficiunt ad qualitates & modos eorum.

Quãtùm ad secundam partem aduerte quòd ex sola receptione formæ in materia nõ habet forma quòd sit naturalis. Sed vltra talem receptibilitatem requirũt tria, primò,quòd recipiatur per qualitates actiuas & passiuas introductas ab agente naturali,secundò quòd recipiatur in materia immediatè,quoniam subiectum formæ substantialis est ens in pura potentia,vt dicetur in lib.5.tertiò quòd recipiatur pertotum,& non solùm in superficie. Ex his conditionibus nulla seruatur in forma artificialitnã illa non per transmutationẽ materiæ , nec per qualitates actiuas & passiuas recipiuntur materia,sed per incisionem,aut compaginationem,aut mellarionem aut liquationem & indurationem , vt patet in diuersis artificiatis,nec recipitur in toto subiecto,sed in superficie,vt apparet:vnde dicitur , quòd actio naturæ est actio in toto subiecto,sed actio artis est solum in superficie , nec recipitur in materia immediatè vt est ens in pura potentia,sed in ente actu,vt forma gladij in ferro,imago in ære, lectulus in ligno. Ad argumentum ergo dico, quòd non est eadem ratio quia licet ferrum recipiat formam gladij,sicut materia prima formam ferri,tamen non seruantur illæ conditiones in receptione formæ gladij,quæ seruantur in receptione formæ ferri , & ideo hæc non est naturalis sicut illa. Hęc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num diffinitio naturæ sit bene assignata.

Est igitur natura principium alicuius & causa mouendi & quiescendi illi quo est primum per se non secundum accidens,textu 3.

IN hac quęst. sic procedendum est, primò declarabitur quomodo singulę particulę sunt conuenienter positæ,& nihil superfluit. Secundò reprobabitur quædam diffinitio de natura data à quibusdam volentibus corrigere diffinitionem Philosophi. Tertiò arguetur contra particulas diffinitionis & soluentur instantiæ.

Quantùm ad primũ aduerte tria declaranda & probãda in diffinitione naturæ.Primò quòd est principiũ & causa mouendi & quiescẽdi in eo in quo est,id est in quo est motus & quies.Secundò,quòd est principiũ primũ.Tertiò,q̃ est principiũ per se & non secundũ accidens.Primũ igitur sic declaratur & probatur,Naturalia differũt à nõ naturalibus,id est, ab artificiatis in hoc quòd illa habent in se intrinsecũ principiũ sui motus naturalis & suę quietis naturalis,ista autem vt artificialia sunt nullũ habent principiũ intrinsecũ motus & quietis,sed mouentur ab intrinseco,id est,ab arte & dico vt artificialia sunt,vt excludã materiã artificiati,putà ferrũ ferram,

vt artificialia sunt,vt excludam materiã artificiati,putà ferrũ, terram,quæ cùm naturalia sint , habent intrinsecũ principiũ sui motus,illud ergo per quod differunt naturalia à non naturalibus est natura,dicũtur enim naturalia,quia habẽt in se naturã,sed per esse principiũ & causam motus & quietis in eo in quo est motus & quies differunt naturalia à nõ naturalibus,ergo natura est principium & causa motus,&c. Ad aduerte q̃ nihil differt vtrũ cõcludamus directè vel indirectè quorã in terminis cõuertibilibus vt sunt subiectũ & propria passio,diffinitio & diffinitum,conclusio directa vel indirecta,non variat veritatẽ vt docuimus in primo libro.

Secundũ sic declaratur,In re naturali sunt duplicia principia sui motus,s.principale & secũdariũ,quod est proximũ & immediatũ principiũ.Quod se habet ad principale vt instrumentũ agens in virtute principalis principij , vt in igne est forma ignis & leuitas,& quidẽ q̃ feratur sursum principaliter habet à forma sua,sed mediãte leuitate.Quã do dicit Philos.q̃ natura est principiũ primũ,intendit principale,ita q̃ forma substãtialis dignùs dicitur natura quã sua qualitas naturalis.Et ratio huius est,Quia cùm forma substãtialis sit primum principium essendi rei naturalis , & primũ principium diffinguendi à re nõ naturali erit etiam principaliter principium motus & quietis in re naturali,ergo erit principaliter natura.Natura ergo est principium primum modo, quo expositum est,motus & quietis,&c.

Tertium sic declaratur,ly Per se declaratur per ly Nõ per accidens,ita q̃ ly Non per accidens exponit ly Per se, vt sit sensus,Natura est principiũ motus & quietis in eo,in quo est & dico principiũ primũ,id est,principale,ad differentiã secũdarij,vt expositũ est:& per se,ad differentiã principij intrinseci,quod est in aliquo per accidens,i.nõ inquãtùm tale, vt quãdo medicus infirmatur & sanat seipsum,tunc in eodẽ est principiũ sanationis,& est ægritudo. Sed q̃ medicꝰ sanet seipsum est per accidẽs,quoniã nõ sanat se vt medicũ, sed vt infirmũ.Ars igitꝰ medendi licet sit aliquãdo in infirmo, nõ tamen potest dici natura,quia non est per se,sed per accidens, q̃ idẽ sit medicus & infirmus.Ad hoc igitur q̃ tale principiũ intrinsecũ sit natura debet esse primũ,& per se,id est cõpetere rei ex se siue ex natura sua,siue inquantum tale, & nõ per accidens. Aliqui autẽ has tres particulas,scilicet nõ per accidens per se,primum sic exponũt. Natura est principiũ,&c. non per accidens,id est,non indeterminatum,sed determinatum per se,id est,propriè primum,id est,principale.

Quantùm ad secundũ aduerte,q̃ B.Tho.exponens diffinitionẽ datam dicit,Vnde deridendi sunt qui volentes corrigere diffinitionẽ Aris.naturam per aliquod abfolutum diffinire conati sunt.dicẽtes,q̃ natura est vis infita rebus.Tu igitur aduerte q̃ B.Tho.in hoc sequitur Auicẽ.in 1.Sufficiẽtię in c.5.vbi conatur defensare diffinitionẽ datã ab Arist. & reprobare quendã,qui voluit corrigere & addere ei, vnde inquit,Sed posteà visum fuit cuidã,qui successit,s.Arist.q̃ hęc descriptio esset imperfecta.vnde & voluit ei addere dicẽs q̃ hæc descriptio,s.Arist.effectum naturæ significat nõ substãtiam.Non enim significat nisi habitudinẽ eius ad id quod venit exilla,& ideo oportet vt addatur eius descriptioni & dicatur q̃ natura est virtus diffusa per corpora , quæ attribuit eis formas & figuras.Et est principium sic & sic,s.motus & quietis,&c.Nos autẽ,inquit Auicẽ.incipiemus declarare intentionem descriptionis positæ ab authore primo,id est ab Arist.& posteà redibimus ad refellendã huius garruli superfluam additionẽ,demõstrãtes quia quod dixit falsum est & non est opus eo,hęc Auicẽ.Et postq̃ nã declarauit diffinitionem Aris.incipit reprobare prædictã additionẽ , & inquit, Additio illa,quam voluit addere ille , qui voluit corrigere primũ,id est, Arist. est inanis,quia virtus,quam posuit quasi genus in descriptione naturæ,est vis efficiens,& cùm eã diffinierit diffinier q̃ est principium motus vnius in aliud vnde est aliud.Et nõ est aliud intellectus virtutis,id est per virtutẽ non intelligit aliud nisi quia est principiũ motus , qui est in re,nec habet rationẽ formãtis,aut figurãtis,sed potiùs rationẽ mouẽtis,& nõ habet rationẽ conseruandi formas aut figuras potius quietãdi illas.Et si hic homo diceret q̃ natura est principiũ existens in corporibus ad mouendũ ea ad suos profectus,& quietandũ ea in eis, & q̃ est primũ principium motus rei,in qua est & quietis eius per seipsam nõ per accidens ipse nõ esset nisi iterans verba,quibus opus non est. Et præter hoc corrector ille imperfectæ descriptionis,sicut existimat,putauit quòd cùm dixit virtutem,iam significauit essentiam non relatiuam ad alium, quod vtique nõ fecit,quia per virtutem nõ intelligitur nisi principium motus & quietis & nihil aliud: & virtus non describitur nisi ex comparatione relationis.Quicquid ergo dixit hic homo,non fuit nisi vanum & falsum. Hæc Auicenna.

Quantùm ad tertiũ aduerte q̃ Expositores cõmuniter arguunt & soluunt argumẽta cõtra singulas particulas quę ex teipso videre poteris. Difficilius autẽ argumentũ fit contra illam particulam, Mouendi & quiescendi,quia nõ omnia naturalia mouẽtur & quiescunt,sed aliqua solùm mouẽtur, vt cœlũ secundũ Aris.cuius motus est incessabilis in futurũ & æternus à parte antẽ.Quædam autẽ semper quiescunt,vt poli mundi,quæ sunt puncta immobilia ex 2.Cœli , & partes cẽtrales terræ,circa quas mouetur cœlum , ergo in aliquibus natura est principiũ solùm mouendi, in aliquibus solùm quiescendi in aliquibus vtriusque,& sic illa particula non videtur competere omni contento sub diffinito.

Ad hoc inuenio plures modos respõdendi,quos nolo singulos referre,videre enim poteris in Egidio,in q.2.post expositionẽ diffinitionis naturæ,solùm referens modũ quo vtitur Auicen.in sua Sufficien.in 1.lib.in c.5. Deinde dicã quid sentiam in hoc.Aduerte igitur q̃ sic exponit Auicen.Natura est principiũ motus & quietis. Non quia sit necesse vt omni rei naturali simul sit principiũ vtriusq;.s.mot⁹ & quietis,sed vt per se sit principiũ motus si fuerit,aut quietis si fuerit,hęc Auicẽ.Ego autẽ puto dicendũ q̃ natura quãtùm sit ex se est principiũ motus & quietis in quocunq; inueniatur,dummodò tale sit capax vtriusq;. Quod si nõ est capax, sufficit q̃ sit principiũ eo modo quo cõpetit tali mobili, siue quiescibili. Dico vlterius q̃ etiã partes cẽtrales terræ,aptæ sunt moueri,deinde quiescere si trahãtur extra centrũ & relinquãtur naturæ suæ,quoniã tunc iterũ mouebuntur ad centrũ,& ibi quiescẽt.Respectu aũt cœli dico q̃ sufficit illic naturã esse principiũ motus,quia licet ex se possit esse principiũ vtriusq; tamẽ vt modificãt in cœlo,cui secũdũ Philo.repugnat quies, est tantũ principiũ motus.Hęc de prẽsenti quęsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Num possit demonstrari naturam esse.

Quod autem est natura tentare demonstrare,ridiculum est,tex.6.

Quãquã ridiculũ & inutile sit conari demonstrare naturã esse, eam tamẽ demõstrari possse certum est.

IN hac quæst.aduerte quòd Auicẽ.discordat ab Aris.quoniam ipse reputat ridiculosum tentare naturã esse demõstrare,eo quòd ad sensum patet multa esse quæ habent in se principiũ motus,vt animata Auicẽ.aũt in 1.lib. Suffici.c.5.tenet cõtra Arist.& dicit, Mirum est autẽ illud, quod dicunt,s. qui inquirit, aut ipsa est , certe deridendus est.Sed puto hoc eos voluisse intelligere,quòd naturalis si inquirit an natura est,deridẽdus est ideo,quia vult ex ipsa sua arte probare principia eius.Si autẽ hoc noluerũt,sed voluerũt hoc,s.quia esse huius virtutis manifestũ est per se hoc ego non audiã nec dicam.Quomodo enim hoc dicã,cùm difficile sit inuenire motorẽ vniuscuiusq; rei motæ, cùm iã etiam in hoc diu laborauerit ipse,scilicet Arist.qui hanc sententiã dedit. Quomodo ergo deridebitur qui motũ videt & quærit rationẽ an habeat motorẽ?Sed verũ est quòd dictio de esse naturæ principium est scientiæ naturalium,& naturalis non debet respondere neganti eam,sed hoc pertinet ad tractatores primæ Philosophiæ.Naturalis autẽ debet scire per certitudinẽ quid est natura. Hæc Auicen.Vt igitur resoluamus propositũ quatuor agẽda sunt.Primò si potest demõstrari naturã esse. Secundò posito q̃ sic,an vtile sit conari demõstrare eam.Tertiò declarabitur q̃ reprobatio Auicẽnæ, qua intendit arguere Arist. non est contra sensum Aris. Quartò remouebitur dubium.

Quantùm ad primũ dico absolutè q̃ hæc propositio est demõstrabilis, Natura est,nã prædicatũ nõ est de ratione subiecti,quia obiectũ scibile vt scibile abstrahit ab existẽtia, aliter de rosa non existente non posset haberi scientia,cuius oppositum determinauimus in lib.9.Metaph.ergo est mediata. ergo habet priorem,per quam demõstrabilis est, ex doctrina data in 1.Posterio.& si quæras per quam vt priorẽ potest demõstrari,dico q̃ per diffinitionem naturæ.Nam medium in demonstratione est diffinito subiecti.

Quantùm ad secundũ,dico quòd esset inutile conari demonstrare eã.Primò quia sumitur à Physico,vt vnũ ex principiis scientiæ naturalis.Principia autẽ supponuntur in sciẽtia.Et hanc rationẽ tangit Com.in cõmen.3.vbi inquit,Naturam esse est manifestũ per se, & est vnum principium istius scientiæ.Secundò quia naturam esse est motum sensu & experientia sicut motum esse,plura entia esse,ignem esse calidum,niuem esse albam,sed huiusmodi inutile est demõstrari,quoniã demonstratio inducitur vt per eam intellectus assentiat conclusioni,sine qua non assentiret.Cùm ergo intellectus huiusmodi propositionibus assentiat solo sensu & ex-

periētia vanè quęritur demōstratio, vnde homines, qui quęrunt in his demonstrationē, nunquā potuerunt nec possunt bene philosophari, vt inquit Com. in commē. 6. signum est enim quòd nesciunt distinguere inter latens & non latens.

Quātùm ad tertiū aduerte, quòd Auicē. se decepit in hoc, Aliud est inuestigare naturā esse, & aliud est inuestigare cui cōpetat ratio naturæ, an formæ an materiæ, an animæ, an qualitatibus actiuis aut passiuis. Nā primū est sensu manifestū, quoniā videmus multa moueri & nō à principio extrinseco, vt animata dū augentur, & mouentur localiter, ergo à principio intrinseco. Et cùm tale principiū sit ipsa natura ex diffinitione naturæ cōstat sensu naturā esse. Secūdū autē nō est manifestū sensu, quoniā licet cognoscā in vniuersali, ꝙ in tali motu principiū motus sit intrinsecū, tamen nō constat quod sit illud, an anima, an qualitas, vel aliud. Philos. quidem dixit naturam esse, s. in vniuersali manifestū est, tamē non est notū per se, cui cōueniat ratio naturæ, imò hoc inuestigare & inuenire, perdifficile est, & Philo. in hoc diu laborauit. Auic. igitur seipsum decipit in hac cōsequētia, Nō est notū cui cōpetat ratio naturæ, aut quæ sint propria principia intrinseca motus in qualibet remota respectu cuiusq; motus. ergo non est notū naturā esse. Constat aūt ꝙ hæc cōsequentia nō valet imò arguit̃ à secundū quid ad simpliciter. Sicut etiā hic pōt esse notū quòd Sortes est interfectus ab interficiente: & tamen non erit notū quis fuerit interficiens. Ex his patet quod reprobatio Auicennæ non tēdit contra sensum Aristotelis.

Quantùm ad tertiū dubitabit aliquis si naturā esse est demonstrabile, cur Philo. dicit ridiculū esse, tentare demōstrare naturā esse, cùm tentet id quod est possibile & verum.

Pręterea, Si naturā esse est demōstrabile, quare dicit Com. in cōmen. 6. quòd isti homines qui quærunt demonstrationem in istis nunquam poterunt nec possunt philosophari.

Ad primum dicitur ꝙ Philos. non dicit absolutè ridiculū esse demonstrare naturā esse, sed tentare demōstrare. Et hoc est verum, quia non tētamus aliquid facere nisi laboriosum & difficile, vnde qui tentat vbi nō est difficultas, deridēdus est, quia laborat vbi non est laborandū, & facit difficultatem vbi non est. Cùm igitur non debeamus inducere demōstrationem nisi vbi noticia difficilis est, ridiculum & vanum est tentare demonstrare naturam esse, cùm ad sensum pateat.

Ad secundū dicitur, ꝙ hoc ideo dicit Com. quia huiusmodi propositiones, Natura est, Motus est, Nix est alba, sunt sufficienter notæ sensu, nec expedit hominē volentē rectè philosophari, i. difficilia scrutari in his immorari, quia dum immoratur in his manifestis retardat̃ à scrutatione difficiliū & pigrescit eius intellectus, propter malā consuetudinē. & ideo nō cōsequit̃ finē Philosophiæ, qui est noticia rerū difficiliū. & ꝑ cōsequēs nō pōt philosophari. Hęc de pręs. quęsi. dicta sint.

QVAESTIO V.

Num possit saluari Philosophus quòd sibi non cōtradicat, cùm dicit in tex. 9. aliquos posuisse terram principium rerum naturalium.

Vnde sanè hi quidem terram, alij verò ignē, alij aërem dicunt, &c. tex. 9.

IN hac quæst. aduerte ꝙ stat difficultas in hoc, Dicit Philosophus in 1. de Anima tex. 32. quòd omnia elementa acceperunt iudicē præter terram, eò quòd nullus Philosophus posuit eam rerū principium & tamen aliqui posuerunt aquam, alij aërem, alij ignem. Hic autem dicit oppositum.

Nullus Philosophorū terrā inter principia numerauit, sed ex Poëtis aliqui qui Philosophos præcesserunt.

Pro solutione huius apparentis contradictionis inuenio duas vias, vna est Com. in hoc 2. lib. in cōmen. 9. qui dicit, Et cum dixit Arist. & quidam terram, intendebat cum aliis elementis, vt dixit Parmenides terrā & ignem. Nullus enim dicit solam terram esse principium, hæc Commentator.

Sed hæc responsio non videtur saluare textum Philosophi cōstat enim ꝙ primò loquitur de his qui ponebāt tantū vnū elementū principium rerū & dicit, Sanè hi quidem terrā, alij verò ignē, alij aërem dicunt. Quidam autē aquā. Deinde loquitur de his qui ponebāt plura & dicit, Quidam verò quędam horum. Sed alij omnia scilicet quatuor elementa, signū est ergo ꝙ intendit de his, qui ponebant terram solum, sicut quidam alij aërem solum, aut ignem solum.

Altera via est B. Tho. in expositione text. 9. qui dicit, quòd licet nullus Philos. posuerit solam terrā esse principium, tamen Poëtę Theologi, vt Esiodus posuit eam, & de his Poëtis intēdit Aris. cùm dicit, Hi quidem terram, &c. Huic viæ adhæret Egidius post expositionem tex. 9. vbi mouet hoc dubiū & dicit, Possumus dicere & fortè melius, quod Esiodus hoc posuit vt habetur in 1. Metaph. tex. 14. vbi inquit Philos. Dicit Esiodus terrā primam corporum factā esse, si enim antiquā & publicā contingit existimationem esse, & hæc opinio fuit ante Philosophos naturales, quia Theologi Poëtæ pręcesserunt eos. Cùm ergo dicit Philo. quòd alij posuerunt aquam, alij terram non solùm intēdit numerare Philosophos sed & Poëtas, & quòd intenderet de Poëtis patet ex tex. 14. primi Metaph. vbi dicit ꝙ nullus posteriorum, scilicet Philosophorum qui fuerunt post Poëtas etiā quòd poneret solum vnū elementū principium omnium posuit terrā propter magnitudinem partialitatis, id est propter grossitiem partium. & qui ergo posuerunt fuerūt Poëtæ præcedētes Philosophos, & quoniā hæc via est magis ad literam Aris. ideo præponitur viæ Com. Ad argumentum in oppositum patet solutio, quoniam in 1. de Anima loquitur ad mentem Philosophorū, hic autem ad mētem antiquorum Poëtarum. Vnde nulla est contradictio. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Num forma sit magis natura quàm materia.

Et magis natura hoc est quàm materia, vnumquodque enim tunc dicitur cum endelechia sit, & magis quàm cum potentia. tex. 41.

IN hac quæst. aduerte ꝙ difficultas stat in hoc, Cùm natura sit principium motus, illud, quod est vniuersalius principiū motus videtur esse magis natura, Sed materia est vniuersalius principium motus. Dictum est enim suprà quòd omnia naturalia habent in se principiū passiuū sui motus, quod est secundum materiam. Non tamē omnia habent in se principium actiuū, quod est secundū formā, vt patet in elementis saltem quò ad motum alterationis & quò ad generationem, ergo videtur materia esse magis natura quàm forma.

Vt igitur habeas resolutionē propositi aduerte, quòd ly Magis potest dupliciter intelligi. Primò magis, id est cōmunius, secundò, Magis, id est perfectius. Si primo modo, dico, quòd non inconuenit materiā esse magis naturam quā formam, dummodò comparemus naturā ad hoc, quod est esse principium motus. Id autē propterea dico, quoniā si sumatur natura pro eo ꝙ constituit rem in esse naturali tunc forma est æquè cōmuniter & æquè amplè natura sicut materia quoniam licet in qualibet re naturali forma nō sit principiū motus actiuum, cōstituit tamen eā in esse naturali. & magis quàm materia, eò ꝙ nō dicitur simpliciter talis, nisi postquā formam habuerit. Et credo Philosophū hac de causa motum fuisse ad ponendū formā magis naturam quàm materiam, si autē ly Magis sumatur secundo modo, dico quòd omnibus modis forma est magis natura quàm materia, & quidem patet quòd sumendo naturam pro eo quod constituit rē in esse naturali, forma est magis natura, quoniam nō dicitur res simpliciter & actu naturalis nisi formam suam habuerit. Considerādo etiā naturam vt est principium motus adhuc forma est magis natura, quoniam motus naturales, qui sunt à principio actiuo intrinseco, nobiliores sunt. Nobilius est enim à seipso quàm ab alio moueri, & intelligē à seipso secundùm partē vt declarab. ẽ in lib. 8. & hac de causa animata, quia mouēt seipsa, nobiliora sunt inanimatis, & motus augmēti nobilior est motu alterationis, patet igitur quòd instātia facta in principio quæsiti nulla est. Et quòd forma simpliciter est magis natura quā materia, quia Philos. nō sumit ly Magis precisè vt cōmunius, sed vt perfectius. Hæc de ꝑsen. quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num Mathematicus considerans lineam abstractam mentiatur.

Neque fit abstrahentium mendacium. tex. 18.

IN hac quæst. aduerte quòd difficultas stat in hoc, cùm res sicut se habet ad esse sic ad verè cognosci. Nā si cognoscitur aliter quàm sit nō verè cognoscitur. Sed linea semper habet esse in materia, ergo non potest cognosci verè sine materia, ergo non potest per intellectum abstrahi à materia. & sic qui abstrahunt mentiuntur, id est, non verè cognoscunt.

In hac q. nolo immorari quoniam B. Tho. in expositione præpositi tex. sufficiēter resoluit. Et Egidius post expositionē eiusdem tex. in sua q. 3. Tu autē si paucis vis habere solutionem formalē aduerte quòd abstractio intellectus potest fieri per primam & secundam operationem intellectus. Abstrahere lineam à materia per primam operationem intellectus est intelligere lineam non intelligendo materiam sensibilem, nec ponendo eam in diffinitione illius, & sic abstrahere non est mendacium, quia quantitas est prior qualitatibus, quæ reddunt materiam sensibilem, à qua secundum diffinitionē abstrahit quātitas, vtpotè prior. Abstrahere autem lineā à materia sensibili per secundā operationē intellectus est intelligere eā esse sine materia sensibili, & hoc est mendaciū quia hæc est falsa, Linea habet esse sine materia sensibili. Ad argumētū ergo dico, ꝙ cōcludit prosecūda operatione intellectus. Philos. aūt intēdit ꝑm primā operationē. Et ideo nō est sic abstrahētiū mēdaciū. Hęc de ꝑsen. quęsi. dicta sint.

QVAE

QVAESTIO VIII.

Num scientiæ mediæ sint magis Physicæ quàm Mathematicæ.

Demonstrant autem & quæ magis Physica quàm Mathematica. tex. 20.

IN hac quæst. aduerte quòd difficultas stat in apparenti cōtradictione, quæ videtur esse in dictis Philosophi, & in dicto B. Tho. In dictis quidem Philosophi, quoniā in lib. 12. Metaph. in tex. 44. appellat Astrologiam præcipuam Mathematicarum, per quam venatur numerū substātiarum separatarū. Sed Astrol. vt patet hic est media, si ergo absolute vocat eā Mathematicam, videtur quòd sit magis Mathematica quàm Phys. Cuius oppositum dicit hîc.

Prætereà, Scientiæ mediæ sumunt omnem suum processum à Mathematicis, vt Astrologia mensuras motuū à Geometria, & numerū ac ꝓportiones eorū ab Arith. ergo habēt maiorē colligationē cum Mathematicis, quàm cū Physicis.

Quod autem in dictis B. Tho. videtur repugnantia patet hinc. Nam exponens textū præpositū, probat quòd sunt magis naturales, quia vnūquodq; denominatur & speciē habet à termino, vnde quia harum scientiarum cōsideratio terminatur ad materiam naturalem, licet per principia Mathematica procedant, magis sunt naturales, quàm Mathematicæ. Oppositum autem tenet super Boëtium de Tri. in illa q. in qua quærit de diuisione scientiarum, art. 3. ad quintum. Dicit enim illic, Quædam verò mediæ sunt, quæ principia Mathematica ad res naturales applicant, vt Musica & Astrologia, quæ tamen magis sunt affines Mathematicis, quia in earum cōsideratione id, quod est Physici, est materiale, quod autem Mathematici quasi formale. Sicut Musica cōsiderat sonos nō inquantùm sonos, sed inquantùm sunt secundum numeros proportionabiles. Et propter hoc demonstrant cōclusiones suas circa res naturales, sed per media mathematica. Hæc ille: patet igitur quòd videtur sibi contradicere.

Tu igitur aduerte duos modos respōdendi, primus est Petri Pompo. in lect. sua in 2. li. Physi. Ipse tenet absolutè quòd sunt magis Mathematicę, & dicit quòd B. Tho. se retractat in lib. Boëtij de Tri. verùm quia Philo. in tex. præposito dicit expresè quòd sunt magis Physicæ, nec etiā est cōsuetudo ꝙ B. Tho. de facili se retractet, ideo secundus modus respondendi apud verū Thomistā est quòd vtraq; pars potest sustineri sine contradictione, s. ꝙ sint magis Physicæ & magis Mathematicæ, sed diuersa ratione. Nam scientia potest qualificari à materia circa quam est, quoniā materia circa quam distinguit scientiam sicut obiectum potentiā, & potest qualificari à mediis vel principiis ex quibus procedit. Et quoniā cōtingit in scientiis mediis quòd principia non sunt eiusdē generis cum materia circa quam, vt patet in Musica, cuius materia est naturalis, principia verò sunt mathematica, ideo aliquādo denominatur naturalis propter materiam, aliquādo Mathematica propter principia, ex quibus procedit. Ex his dico ad propositū quòd quādo Philos. in hoc 2. lib. Physi. dicit eas magis Physicas cōsiderauit eas quo ad materiā, quādo autem dicit in lib. 12. Metaph. Astrologiam esse præcipuè Mathematicam, cōsiderauit quò ad principia ex quibus procedit. similiter quādo B. Tho. dicit eas magis Physicas vt in expositione præpositi textus, cōsiderauit quò ad materiā, vnde dicit, Quia harū scientiarū consideratio terminatur ad materiā naturalē sunt magis naturales. Sed scribens super Boëtium de Tri. considerauit quò ad principia ex quibus procedunt, quæ se habent in eis vt formale, ideo vt sic sunt magis Mathematicæ. Non igitur incōuenit diuersa ratione esse magis Physicas, & magis Mathematicas, sicut nō inconuenit tepidum esse magis calidum & magis frigidum. Nam cōparatum intēso calido est magis frigidum quàm calidum. Comparatum autem intenso frigido est magis calidum quàm frigidum. Nulla ergo est contradictio, nec est necesse vt B. Tho. se retractet. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Num Physicus habeat considerare materiam primam vel solùm propinquam cuiuslibet rei naturalis.

Et Physici vtique erit cognoscere vtrasque naturas, scilicet, formam & materiam. textu 22.

IN hac quæst. aduerte ꝙ pugna est inter Auicē. & Com. vt patet in cōmen. 22. Nā Auicen. in 1. suæ Suffic. arbitratur, quòd Physic. non habet cōsiderare de materia prima, vt est materia prima, sed solùm de propria cuilibet rei naturali. Metaphysicus autē solus habet cōsiderare de materia prima simpliciter. Comment. autē vult quòd licet nulla ars cōsideret materiā cōmunem omnibus artificiatis, sed quælibet ars considerat solùm materiam propriam sui artificiati, & ratio huius, quia nulla vna ars versatur circa omne artificiatum, sed hæc circa illud, & hæc circa aliud, ideo sistit terminū cōsiderationis in sola materia propria proprij artificiati.

Tamen quia est vna scientia naturalis cōsideratiua omnis entis naturalis, ideo illa debet considerare materiam cōmunem, id est, receptiuam omnis formæ naturalis, & hęc est materia prima, vt declaratum est in 1. lib. Phys. Et quoniā intēdo sustinere mentem Com. ideo sic procedendum est. Primò ponetur ratio qua fuit motus Auicēna. Secundò declarabitur ex Cōment. quomodo illa ratio non cogit. Tertiò declarabitur quo signo potest Naturalis deprehendere naturam materiæ primæ. Quartò soluetur dubium.

Quantùm ad primū aduerte, quòd ratio Auicēnæ, vt recitat Com. in commen. 22. fuit hæc, Quia audiuit Auicenna in Posterioribus Analyticis, ꝙ nullus artifex demōstrat causas sui subiecti, de quo considerat, quia si demonstraret eas, hoc esset per res priores illis causis, & tunc illæ res essent de genere superiori, quia ista declaratio est de alia arte superiori, quæ considerat de genere continente subiectum illius artis. Et cùm hoc audiuit, existimauit hoc esse impossibile in tribus modis demonstrationū, vt in demōstratione simpliciter & in demōstratione propter quid, & in demōstratione quia. Hoc fuit motiuū Auicennæ, quod ad formā reductā tale est, Nulla scientia probat sua propria principia ex 1. Posteriorū. De principiis enim supponit̃ quia sunt. Sed materia prima est vnū de principiis naturalibus vt declaratū est in 1. li. Physi. ergo hæc scientia non considerat materiā primā. Sed cōsideranda est in sciētia superiori, id est, Metaphysica, cuius est stabilire principia & fundamenta particulariū sciētiarum.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Com. distinguit demōstratione simpliciter, & propter quid & quia. Et puto ꝙ per demonstrationē simpliciter intēdat demonstrationē potissimā, cuius medium dicit quid, vel propter quid & aggregat omnes causas rei proprias & propinquas, & per demonstrationem propter quid intendit eam, quæ est per causam propinquā in quocunq; genere causæ fuerit. Et per demonstrationē quia, intendit eā, quę est ab effectu, vel à signo, vel à propriis accidentibus. Posita distinctione de triplici demonstratione Com. intendit sic soluere rationem Auicēnæ. Propositio maior conceditur de demōstratione simpliciter & propter quid, negatur autem de demonstratione quia. Nā ex effectu, id est, ex motu & transmutatione substantiali Physicus venatur primā materiam, nec est alia via, nec Metaphy. habet aliam viam, sicut nec habet viā sufficientiorē ad probandum existentiam substantiarū separatarū, saltem in genere, quàm viam motus, vt declarauimus in lib. 12. Metaphysicæ in quęst. 3. vnde nisi Physicus qui versatur circa motum & transmutationem inuestigaret materiam primam remaneret incognita in omni scientia.

Quātùm ad tertiū aduerte, quòd Physicus ex nullo signo certiori procedit ad inuestigādum naturam esse primæ materiæ quàm ex successione formarum in eodem subiecto, nā sicut successio corporum in eodem loco fecit nos cognoscere naturam loci, vt declarabitur in lib. 4. Physi. sic successio formarum in eodem subiecto, fecit nos deprehendere materiam primā: nec est alia via & necessaria, vnde & Metaph. in lib. 8. & in 12. declarat ex trāsmutatione materiam primam inesse omni substantiæ mobili.

Quantùm ad quartum aduerte, ꝙ Philos. in tex. 24. volens probare per similitudinem sumptam ex arte ꝙ Physicus cōsiderat materiam sic arguit, Sicut se habet ars in operādo artificiata, sic se habet scientia naturalis in cōsiderando res naturales. Sed omnis ars in operando considerat materiam, ergo scientia naturalis in considerando res naturales considerat materiā, & per consequēs considerare de materia prima spectat ad Physicū. Huius rationis maiorē Philo. relinquit vt manifestā. Intendens autē declarare minorē pręponit ꝙ artes faciunt materiā, aliæ quidē simpliciter, aliæ autē operosè. Sed hæc distinctio videtur falsa, quoniā materia simpliciter est materia prima, sed iam probauit Philos. in 1. lib. in tex. 82. ꝙ materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis, ergo à nulla arte, nec ab agēte naturali potest produci nec fieri.

Ad hoc respondetur quòd materia simpliciter dupliciter sumitur. Primò in naturalibus. Secundò in artificiatis: in naturalibus quidem est ens in pura potentia susceptiua omnis formæ & nullam propriam habens sibi cogenitā, & de hac non intendit hîc Philosophus, sed pertractauit in 1. li. & probauit eam esse infactibilem, & incorruptibilem tam ab arte quàm à natura. In artificiatis autem non est materia simpliciter ens in pura potentia, sed est quid cōpositum, vt lateres, & dicitur fieri simpliciter, quia sine arte non inuenitur, putà

ars ædificatoria, quæ facit domum ex lateribus dicitur facere simpliciter materiam domus, quia non disponit, sed facit lateres. Ars autem, quæ supponit materiã præexistẽtẽ ad formam artificiati aut incidendo, aut cõpaginando, aut mollificando, aut indurãdo, dicitur facere materiam sui artificiati non simpliciter, quia iam præexistit, sed operosè, id est dispositiuè, vnde ars carpentaria non facit lignum, sed supponit: facit autem operosè, dum disponit incisione ad formam statuæ, aut scamni. Ad argumentum igitur dico, quòd non probat nisi de materia simpliciter in naturalibus, de qua non intendit Philosophus, sed de materia simpliciter dicta in artificiatis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Num materia & forma sint relatiua.

Ampliùs eorum quæ sunt ad aliquid materia est, in alia enim specie alia materia. text. 26.

Materia & forma non essentialiter, vel ex cõsecutione ad aliquid sunt, sed quia cõnotant respectum, nec sine eo cõcipi possũt.

IN hac quæst. stat difficultas in hoc, Materia est substantia, similiter forma substantialis, substantia autem est ens absolutum, cùm sit prima pars entis & fundamentũ omniũ accidẽtium, vt determinatum est in lib. 7. Metaph. Prætereà, relatiua se mutuò referunt. Nam dicitur pater filij pater, & ecõuersò. Sed forma & materia non se mutuò referunt. Nõ enim dicimus, Materia formæ materia, nec forma materiæ forma. Sed potiùs dicimus, Materia materiati materia, & forma formati, siue formabilis forma.

Vt ergo scias quam veritatem continet dictũ Philosophi aduerte, ꝙ aliquid potest esse relatiuũ tribus modis. Primò, est essentialiter & per se ad alterum, ita ꝙ totũ suũ esse est ad aliud se habere, vt paternitas, dominiũ, æqualitas, &c. Secundò quia licet sit absolutum, essentialiter tamen consequitur ad respectũ, sic sanitas potest dici relatiuũ, quia cõsequitur adæquationẽ humorum, adæquatio autẽ dicit respectũ. Tertiò quia licet sit absolutum, tamen connotat respectũ, & non potest perfectè concipi nisi conceptu relatiuo, licet non sit relatio. Sic sciẽtia & actus, & forma sunt relatiua. Nam licet scientia sit ens absolutum, tamen dicitur ad scibile, & potẽtia ad actum, & forma ad id cuius est forma. Et hæc cõsueuerunt appellari relatiua secundũ dici. In primo autem modo statuuntur relatiua secundum esse, & illa sunt essentialiter & solùm in prædicamento relationis. Hæc autem sunt in prædicamento absoluto, puta in substãtia, in qualitate. Quãdo dicit Philos. ꝙ materia est eorũ, quæ sunt ad aliquid, non intelligas primo modo, quia nõ est essentialiter respectus, nec est essentialiter in prædicamẽto relationis, sed in prædicamẽto substãtię reductiuè. Nec est secũdo modo vt patet. Est autẽ tertio modo, quoniã licet materia sit substãtia, nõ tamẽ est gratia sui, sed propter formam, & ex ordine quẽ habet ad formã potest dici ad aliquid, vel vt dicit B.Tho. exponẽs Dicitur ad aliquid, quia cuilibet formæ determinatur materia propria, ita ꝙ hæc materia correspondet & proportionatur huic formæ & illa illi, &c. Et ex tali respondentia siue proportione habet materia quòd sit ad aliquid.

Tu tamen aduerte ꝙ licet solus primus modus reponat rẽ relatiuã essentialiter in prædicamento relationis, tamẽ quò ad considerationem nõ separantur ab eadem primus & secũdus & tertius modus, ita ꝙ eadem scientia est consideratiua vtriusq; relatiui, quia hoc est commune tribus modis prædictis, quòd per se inuicem notificantur, ideo ad eandẽ scientiam pertinent. Et hac de causa Physicus habet considerare de materia & forma & Metaphysicus de actu & potẽtia. Hęc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Num Philos. in tex. 26. vbi inquit, Et circa hæc, &c. sibi cõtradicat.

Et circa hæc, quæ sunt separatæ quidem species in materia, homo enim hominem generat ex materia. textu 26.

Animæ intellectiua hominis est abstracta secundũ intellectum, cui nõ obstat hominem generare hominem.

IN hac q. aduerte ꝙ stat difficultas in hoc, Si anima hominis est abstracta, ergo est incorruptibilis: omne enim abstractum est incorruptibile, quoniam caret materia, quæ est causa corruptionis, ex 1. Physi. si autem homo generat hominem, ergo anima hominis educitur de potentia materiæ, aliter non produceret sibi simile, ergo non est abstracta, & sic videtur Philosophus in eodem textu sibi contradicere.

Ad auferendam hanc apparentem contradictionem inuenio tres vias respondendi, & omnes sustẽtabiles sunt. Prima est secundum Com. & stat in hoc, Philosophus non dicit hìc assertiuè & determinatiuè animam hominis esse abstractã, & per consequens incorruptibilem, imò quasi oppositum, quia dicit, quòd est species in materia, & vt sic non est abstracta. Et quòd sit forma in materia ex consequenti non abstracta probat ab hoc signo, quia homo & sol hominem generat, quasi dicat, Hoc non fieret si esset abstracta, quia forma abstracta nõ est terminus generationis. Quòd autem sit corruptibilis, vel nõ, etiam quòd habeat esse in materia, vel non habeat esse, non est præsentis loci considerare.

Secunda via est B.Tho. exponentis prædictum textum & stat in hoc, Anima hominis secundùm Philosophum est abstracta vt intellectiua, non quia sit extra materiam vt substãtia separata, sed quia vt intellectiua non est affixa organo, & per consequens est incorruptibilis, vt determinauimus de mente Philosophi in 3. de Anima in Tractatu de Essentia Animæ intellectiuæ & est q. 3.

Quando autem dicit Philosophus, quòd homo generat hominem non est intelligendum ꝙ homo generans attingat productiuè essentiam animæ intellectiuæ, nec ꝙ educat eam de potentia materiæ. Sic enim esset secundùm se totam materialis, & nullo modo abstracta, cuius oppositum dicit Philosophus in textu præposito. Sed dicitur generare hominẽ, quia disponit materiam & sufficienter operatur ad vnionẽ animæ cum materia disposita, & hoc sufficit ad verificandũ quòd homo generat hominem, vt iam determinauimus in 12. Metaph. in q. 6. Quære illic.

Tertia via & fortè melior, quæ nec discordat à via B.Tho. est hæc, Philosophus intendit hìc declarare animam intellectiuam esse terminum considerationis Physicæ quò ad formas, eò quòd est partim abstracta, & id pro nunc transit vsq; ad tertium de Anima, vbi probat intellectũ esse immixtum, & partim est in materia, quod probat signo. Quia scilicet sol & homo generant hominem, ergo forma hominis habet esse in materia, quoniã sol & alia agentia corporea nullam causalitatem habent super formas omnino à materia abstractas, quoniam sunt altioris ordinis. Patet igitur quod in dictis Philosophi nulla est contradictio. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. XII.

In quo consistat causalitas causæ materialis.

Vno quidem modo causa dicitur, ex quo fit aliquid cum insit, sicut æs statuæ. textu 28.

IN hac quæst. Non est diu immorandum, quoniam eam resoluimus in lib. 5. Metaph. & est q. 2. Illic declarauimus in quo consistat causalitas causæ materialis & in quo consistat modus huius causalitatis, & soluimus tria dubia, primum est quòd potentialitas non repugnat causalitati materiæ. Secundum est de sustentatione formæ. Tertium est de limitatione formæ. Vide igitur illic, & sufficiet tibi pro resolutione præsentis quæsiti.

QVAEST. XIII.

In quo consistat causalitas causæ formalis.

Alio autem modo species & exemplum. textu 28.

IN hac quæst. non est diu immorandum, quoniam iam eam resoluimus in lib. 5. Metaph. & est quæst. 3. Illic declarauimus in quo formaliter consistat causalitas causæ formalis, & in quo consistat modus siue proprietas huius causalitatis, & soluimus duo dubia. Primum est, quomodo dare esse cõpetit formæ & agenti, secundum est quomodo arctare materiam siue potentialitatem suam conuenit causæ formali siue formæ. Tu igitur vide illic & sufficiet tibi pro resolutione præsentis quæsiti.

QVAESTIO XIIII.

Num in textu 28 tam species quàm exemplum possint interpretari ad mentem Aristotelis, & non solùm ad mentem Platonis.

Alio autem modo species & exemplum. textu 28.

IN hac quæst. aduerte quòd prædictus textus Philosophi, vno modo interpretatur ad mentem B. Tho. & Egidij & communiter expositorum Latinorum, & alio modo ad mentem Thæmistij à quo non discordat Comment. & vterque modus sustentabilis est.

Quantùm ad mentem B.Tho. & concordantium cum eo ly Exemplum positum est propter opinionem Plato. qui rerum formas posuit abstractas, & vocabat exemplaria vel ideas, de quibus satis locuti sumus in Epitomate nostro in 7. lib. Metaph. Sed ly Species ponitur secundum opinionem Philosophorum naturalium & ipsius Arist. eò ꝙ vnũquodque per suam formam constituitur in tali vel tali specie.

Quantùm ad mentem Thæmistij, aduerte quòd in libris suis Physico. in lib. 2. ca. 7. tenet quòd tam exemplum quàm species potest exponi & interpretari ad mentem Philosop. Nam licet secundùm viam Aristo. formæ specificæ non sint abstractæ, à singularibus, & vt sic non possint dici exemplaria, tamen quia in agente per intellectum habent esse cognitum & immateriale, & ad earum imitationem agens intellectuale

producit effectus suos, vt sic possunt dici exemplaria, & in hoc sensu Philosophus non negaret ideas, vt declarat Com. in lib. 12. Metaph. in commen. 36. vbi inquit, Istæ enim formæ videntur habere duplex esse, scilicet in actu, scilicet esse materiale quod habent, & esse in potentia, scilicet esse quod habent in illa forma, scilicet in primo principio. Et dico potentiam quemadmodũ dicimus quòd formæ artificiales habent esse in actu in materia, & in potentia in anima artificis, vnde hæ formę videntur habere duplex esse, abstractum & materiale. Et hoc quidem est quod facientes formas, scilicet Platonici volunt dicere, sed non perueniunt ad ipsum. Hæc Com. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

In quo consistat causalitas causæ efficientis.

Amplius vnde principium mutationis primum aut quietis est. textu 29.

IN hac quęst. non est immorandum, quoniam eam resoluimus in lib. 5. Metaph. & est q. 4. Illic pertractauimus duas opiniones, quarum vna reprobatur & altera sustinetur, quæ dicit causalitatem agentis cõsistere in hoc quod est efficere, vel producere rem secundum totam substantiã, vel partẽ, vel secundum accidens, siue cum nouitate essendi, siue sine nouitate, &c. Et soluuntur duo dubia, vide igitur illic, & tibi sufficient pro solutione præsentis quæsiti.

QVAESTIO XVI.

In quo consistat causalitas causæ finalis, siue ipsius finis.

Adhuc autem quemadmodum finis, hic autem est cuius causa. textu 29.

IN hac quæst. non est immorandum, quoniam eam resoluimus in 5. Metaph. & est quæst. 5. & illic declarauimus in quo consistat causalitas finis, vt comparatur ad agens, siue operans propter finem, & in quo consistat vt comparatur ad media ordinata ad consequendum finem. Deinde soluuntur tria dubia, vt videre poteris: & hæc tibi sufficiant pro præsenti quæsito.

QVAESTIO XVII.

Num finis sit causa vt habet esse in anima, vel extra animam.

Amplius autem quemadmodum finis. tex. 29.

IN hac quæst. non est immorandum, quoniam eam resoluimus in 5. lib. Metaph. & est quæst. 6. & illic pertractauimus opinionem Auicennæ, & duas alias, & determinauimus iuxta tertiam, & soluimus tria argumenta satis apparentia, vt illic videre poteris, & illa tibi sufficient pro pręsenti quæsito.

QVAESTIO XVIII.

Num idem effectus numero possit produci à pluribus causis perfectis totalibus eiusdem ordinis.

Contingit autem multas eiusdem causas esse non secundum accidens textu 30.

IN hac quæst. non est immorandum, quoniam eam resoluimus in 5. Metaph. & est quæst. 7. & eam pertractauimus sub duplici sensu, vt videre poteris, quorum primus est, Vtrum idem effectus possit produci à pluribus causis totalibus perfectis, ita quòd plures vt plures causent eundem effectum numero. Secundus est, Vtrum effectus, qui est productus ab A, si esset productus à B, an esset idem numero vel non: & illic soluuntur omnia argumenta, quæ sunt contra viam nostram pro vtroque sensu, & illa tibi sufficient pro præsenti quæsito.

QVAESTIO XIX.

Num causæ sint sibiinuicem causæ.

Sunt autem quædam & adinuicem causæ. tex. 30.

IN hac quæst. non est immorandum, quoniam eam resoluimus in 5. Metaph. & quæst. 8. Illic declarauimus quomodo ex eo quòd causæ sunt sibiinuicem causæ non sequuntur illa tria inconuenientia, quæ illic adducuntur, & tu vide illam quæst. & sufficiet tibi pro præsenti quæsito.

QVAESTIO XX.

Num causa in actu & effectus in actu simul sint & non sunt.

Differunt autem intantum quòd operantes quidem & singulares simul sunt & non sunt. textu 37.

IN hac quæst. non est immorandum, quoniam eam resoluimus in 5. Metaph. & est quæst. 9. illic declarauimus verum sensum, quem intendit Philosophus in tex. præposito, & ex eius declaratione manifestatur sensus huius Maximæ, Posita causa ponitur effectus, & remota causa remouetur effectus, & soluuntur argumenta, quæ ingerunt difficultatem contra determinata. Tu vide illic, & sufficiet tibi pro præsenti quæsito.

QVAESTIO XXI.

Num omne quod fit rarò fiat à fortuna.

Sed quoniam quædam fiunt præter hæc, & omnes dicunt hoc esse à fortuna. textu 48.

Quæcũq; nõ semper, nec frequenter, sed rarò præter causæ agentis intentionem eueniũt à fortuna esse, vel casu dicuntur.

IN hac quæstio. aduerte quòd difficultas stat in hoc, Dicit Philosophus, Ea, quæ sunt semper ex necessitate, aut frequenter non dicuntur fieri à fortuna, sed quæ fiunt præter hæc, id est, quæ fiunt rarò dicuntur esse à fortuna. Sed arguitur quòd non omnia, quæ fiunt rarò, sunt à fortuna, & quòd aliqua quæ possunt frequenter fieri fiunt à fortuna. Primùm declaratur sic, Eclipses & stellæ comatæ & multæ impressiones metheoricæ ignitæ de quibus pertractauimus in Epitomate nostro in primum lib. Metheororum, rarò fiunt, & tamen nullus dicit eas fieri à fortuna. Similiter rarò contingit quòd inueniatur notabilis massa auri tota simul producta, & tamen non dicitur fieri à casu, si fiat.

Secundum declaratur sic, Si frequenter exiens in agrum inuenirem serpentem frequenter, super cuius inuentionem non cogitarem, nec intenderem inuenire, vtique esset à casu & tamen non esset rarò, ergo, &c. Hoc argumentum soluetur in quæst. 23.

Vt igitur scias solutionem quæsiti quòd Auicen. in 1. suæ Suffici. c. 13. respondet huic quæsito maximè pro 1. parte, & dicit sic, Aliquando autem putatur de multis rerum naturalium, quæ rarissimè solent esse, sicut aurum ꝙ nascitur magni ponderis, aut hyacintus, quæ excedit mensuram solitam, quòd inueniantur casu, eò quòd hoc rarissimè fit. Sed non est ita, quia non ponit rem sub casu cùm confertur esse absoluto. Sed cum confertur causæ efficienti esse rarissimè contingit eam etiam esse ex illa rarissimè. Hoc enim aurum vel hæc hyacintus non prouenit rarissimè ex causa efficiẽte ea, sed ex virtute sua & propter abundantiam multæ materiæ. Et quando quidem hic sic est, tunc huiusmodi opus non euenit nisi ex seipso semper, aut sæpè euentu naturali. Hæc Auicen. Et intendit paucis verbis hanc distinctionem, Rem rarò euenire potest intelligi dupliciter. Primò secundùm se, secundò per comparationem ad causam suam: si intelligatur secundùm se, non est necesse omne rarum esse casuale, aliter vt arguebatur, & eclipses, & multæ impressiones metheoricæ, vt sunt stellæ caudatę & parahyllij essent à casu, quod est falsum, quoniam licet sint rarò sunt tamen à causa determinata, & quoties ponuntur suæ causæ de necessitate ponuntur tales effectus. Sed quia rarò ponuntur, ideo rarò eueniũt. Si autem intelligatur rarò per respectum ad causam, dico ꝙ semper est à casu, seruatis tribus cõditionibus, primò quòd talis causa non habeat ex se quòd talem effectum producat, sicut fodiens sepulchrum, non habet vt fodiens quòd inueniat thesaurum, aliter semper fodiens vel frequenter inueniret thesaurum. Secundò quòd posita causa & non impedita non de necessitate sequatur effectus. Nam etiam ꝙ causa rarissimè poneretur si quoties ponitur, de necessitate sequitur effectus non potest esse à casu, imò nec propriè dicitur rarò poni, sed semper respectu positionis causę. Tertiò quòd sequatur ex causa præter intentionem causæ, & in hoc completur ratio fortunę & casus. Vnde aduerte quòd raritas effectus non ponit casum. Sed esse præter omnimodam intentionem causæ agentis. Et sic conceditur quòd effectus rarissimus potest non esse casualis vt exemplificauit Auicen. de massa auri, & magna hyacinto. Quando igitur dicit Philosophus quòd quæ fiunt præter hæc, id est, non semper nec frequenter sed rarò dicunt omnes id esse à fortuna, intelligendum est respectu causæ & præter intentionem causæ & hãc conditionem expressit in text. 50. & 51. vbi venatur diffinitionem fortunæ, vt videre poteris. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXII.

Num diuisio Philosophi in tex. 48. sit sufficiens.

Primum quidem igitur quoniam videmus alia quidem semper similiter fieri, alia autem sicut frequenter, manifestum est, &c. tex. 48.

Eorum, quæ fiunt quædã rarò, quædã semper, nõ nulla sicut frequẽter, & fortè nonnulla ad vtrũlibet fieri dicuntur.

IN hac quæst. aduerte ꝙ diuisio Philosophi est talis, Eorum quæ fiunt, quædam semper, quædã vt in pluribus, quædam rarò, & in his est fortuna. Auicẽ. autem in 1. lib. Suffi. c. 13. ibi, Dubitari autẽ potest de eo quod est ad vtrumlibet, &c. Videtur innuere Arist. fuisse diminutum eò ꝙ datur mẽbrum quartum, scilicet, quædam se habent ad vtrumlibet. Sicut potentia motiua indifferenter se habet ad mouere & nõ mouere, sed Auic. statim adducit responsionem posteriorũ Peripateticorũ, inter quos est Thæmistius, vt recitat Com. in com. 48. Isti dicunt ꝙ non fuit necesse Arist. ponere hoc quartum membrum, quoniã ab agente ad vtrumlibet non sequitur actio, nisi prius determinetur ab aliquo, postquàm autẽ determinatum fuerit, & ab eo egreditur actio, iam non erit fortuita, quoniã iã est intenta ab agente determinato ad alterũ

oppositorum. V. g. Licet potentia motiua sit indifferens ad ambulandũ & non ambulandũ, tamẽ quãdo fuerit determinata ab appetitu ad ambulandũ ille motus non erit casualis imò intentus, cùm igitur ab eo quod est ad vtrumlibet nõ sit aliquod casuale vt est ad vtrumlibet, nõ fuit necesse Arist. facere mentionẽ de eo. Sed hæc respõsio non placet Auic. Dicit enim q̃ nõ inconuenit eundẽ effectũ comparatũ vni causæ esse intentũ & cõparatum alteri esse fortuitũ, vt in exemplo dato. Nam ambulatio comparata potentiæ motiuæ est fortuita eò q̃ in se præcisè considerata non magis intendit ambulare quàm non ambulare. Comparata autem appetitui determinanti non est fortuita, eò quod appetitus determinans potentiam motiuam intendit ambulationem.

Sed Com. in com. 48. insurgit cõtra Auic. & dicit quatuor. Primò, dicit in eo quod est ad vtrumlibet vt est ad vtrumlibet non esse casum neq; fortunam, cuius contrarium tenet Auic. Et Com. intendit talem rationem, Ex hoc contingunt casus & fortuna, pro quanto ex aliqua actione progreditur effectus inopinatus & rarus, cuius illa actio non est per se causa, vt quando ex fossione sepulchri sequitur inuentio thesauri, ita quòd effectus fortuitus supponit agens operãs aliquid ex intentione. Vnde si nihil operatur per se, nunquã sequetur effectus fortuitus, sed id quod est ad vtrumlibet, nũquam aliquid ex intentione & per se operatur nisi determinetur per aliquod determinatiuum ipsius. Nam si vt est ad vtrumlibet ageret, cùm vt sic non magis respiciat vnum oppositorũ quàm reliquum simul ageret opposita, quod est impossibile, ergo si debet ab eo egredi actio, necesse est vt determinetur à suo determinatiuo. Sed postquã determinatum est non est amplius ad vtrumlibet, ergo circa ipsum vt sic non potest esse effectus casualis nec fortuitus. Et aduerte quòd eandem rationem virtualiter format B. Tho. quam Auic. in expositione textus præpositi.

Sed aliqui conantes sustinere Auic. dicunt q̃ ratio Com. quæ etiã est B. Tho. nõ militat cõtra sensum Auic. Non enim dicit Auic. q̃ ab eo quod est ad vtrũlibet vt est indeterminatum vel est in contingentia æquali procedat effectus & talis sit casualis: sed dicit quod ab eo quod est ad vtrũlibet cùm determinatũ fuerit, procedet effectus qui erit casualis respectu eius quod secundum se, se habet ad vtrumlibet, putà respectu potentiæ motiuę, erit autem intentus à determinante putà à potentia appetitiua. Stat ergo q̃ ratio Com. sit vera & similiter B. Tho. sed non tendit contrà sensum Auicennæ.

Sed isti nesciunt quid dicant. Nã effectus casualis si est ab eo quod est ad vtrumlibet aut est ab eo inquantùm est ad vtrumlibet, id est, indifferens, aut inquantùm est determinatum ad alterũ oppositorum, sed neutro modo, quoniam inquantùm indifferens est, ab eo nullus procedit nec intẽtus, nec casualis, inquantùm autem determinatum ab eo procedit effectus determinatus & certus, sed repugnat effectum determinatum & certum esse casualem. Nam cùm fortuna sic causa per accidens est incerta, aliter quæ eueniunt à fortuna euenirent opinatè & cùm certitudine. Implicat ergo contradictionem dicere effectum casualem esse ab eo quod est ad vtrumlibet, sed determinatum. Et ideo ratio Com. & B. Tho. directè militat contra Auicen.

Secundò dicit Com. contra Auicen. quòd æqualiter contingens non inuenitur in potentia actiua, eò quòd omnis potentia actiua vel est naturalis vel rationalis: si naturalis, est determinata ad vnum, putà calor solùm ad calefaciendum per se: si rationalis determinatur appetitu ad alterum oppositorum, vt declaratum est in lib. 9. Metaph. Sed aduerte quòd hoc dictum nisi modificetur non videtur verum. Constat enim quòd potentia motiua in Sorte est potentia actiua, & tamen ex se est indifferens ad mouendum & quiescendum, & voluntas est indifferens ad volendum A & volendum B. Et ars medicinę potest causare salutẽ & mortem in infirmo, potest enim medicus eligere sanare Sortem & eundem interficere. Præterea, in lib. 9. Metaph, tex. 3. tenet Philosophus potentias rationales se habere ad opposita.

Vt igitur hoc dictum non habeat instantiã tu modificabis sic, Potentiæ actiuæ dupliciter considerari possunt. Primò secundũ se. Secundò vt sunt proxima principia operationis. Primo modo non incõuenit q̃ in eis inueniatur contingens æqualiter, vt patet in volũtate præsentatis sibi duobus obiectis æqualiter extimatis bonis vel malis. Secundo autẽ modo non est possibile, quoniã potẽtiæ rationales nõ sunt proxima principia operationis nisi prius determinentur à suo proprio determinatiuo ad alterum oppositorum, & tunc patet quòd non remanent in contingentia æquali.

Et si quæras, Vtrum voluntas possit determinare seipsam ad vnum oppositorum, dico q̃ id determinatum inuenies in li. 9. Metaph. in q. 5. vbi pertractatur via B. Tho. & sustinetur, & via Scoti ac sequẽtium eum vt est Ant. And. tr. in 9. Metaph. quest. 1. Et Burlæus in 2. lib. Physi. super text. 48. & soluuntur fundamenta adducta ab Anco. And.

Tertiò dicit Com. contra Auic. q̃ cõtingentia æqualis inuenitur in potentiis passiuis non quidem in omnibus, sed in his, quarũ præparatio ad receptionẽ duorum contrariorum est æqualis siue sit anima concupiscibilis, quæ est in potẽtia æquali ad recipiendum oppositos affectus, siue sit materia prima, quæ est indifferens ad recipiendũ oppositas formas.

Sed aduerte q̃ & hoc dictũ debet modificari sicut præcedens. Nõ enim est verũ nisi cõsiderando materiã primã precisè & nudã. Nam vt est dispositа iam est determinata ad hãc formam, ita q̃ non ad aliam. Idem intellige de anima cõcupiscibili, s. cõsiderata in pura ratione passiua siue receptiua cõtrariorum affectũ. Nã vt actuatur noticia huius obiectĩ sub ratione boni, iam determinatur ad eliciendum affectum talis boni, & in seipsa recipere, cum sit actio immanens.

Sed dices, Si potentia passiua est incõtingentia æquali ad recipiendum duo contraria, ergo poterit ea simul recipere.

Ad hoc iam respondimus in lib. 9. Metaph. in q. 5. vbi dicta rauimus q̃ potẽtiæ rationales pro eodem instanti possunt in opposita non coniunctim, sed diuisim, & hoc est quod dicẽt Cõmentistæ q̃ in potentia passiua stat simultas potentiæ ad duo opposita. Nõ autem potentia simultatis, & tu vide horũ declarationem in prædicta q. & sufficiet tibi.

Quarò Auer. damnat Auic. de diffinitione necessarij & contingentis, vt in pluribus. Nam dicit Auic. in 1. li. sue Sufficis. Necessariũ est quod non habet impedimentum, contingens autem vt in pluribus est quod habet impedimentum vt in paucioribus. Com. autẽ dicit non esse sic assignãdas diffinitiones eorũ, sed sic, Necessarium est quod ex natura sua nõ potest deficere. Contingens autem vt in pluribus est quod in natura sua habet, vnde potest deficere: & aduerte quòd Bea. Thom. exponens text. 48. in fine ibi, Sciendum est quòd quidam, &c. Tangit idem, & reprobat Auicennam, sicut reprobat Auerroẽs.

Sed Comm. & B. Tho. non videntur iustè damnare Auic. diffinitionibus prædictis. Nam & Philosophus in hoc 1. lib. in tex. 85. manifestans quomodo natura agit propter finem dicit quòd ea, quæ fiunt à natura, fiunt semper vel frequenter nisi aliquid impediat, videtur ergo manifestare & describere id quod fit semper, & vt sic necessarium, & quod fit frequenter & vt sic contingens vt in pluribus, ex eo quòd non adest vel adest impedimentum. Non ergo debuit in hoc improbari Auicenna.

Ad hoc dicitur quòd necessarium & contingens vt in pluribus dupliciter possunt manifestari, scilicet, à priori & à signo. A priori quidem debent manifestari & diffiniri vt Philosophus diffinit in 5. lib. Metaph. in c. de Necesse, & Cõment. diffinit hîc. A signo autem debent diffiniri & manifestari per nõ habere & habere impedimentum, nam hæc sunt quasi consequentia naturam eorum. Ex eo enim quòd necessarium non potest deficere, sequitur quòd non habet impedimentum, aliter illud impedimentum esset vanum. Similiter ex eo quòd contingens vt in pluribus potest deficere paratum fuit ei impedimentum. Dico igitur quòd Philosophus si infra in tex. 85. notificat necessarium & contingens vt in pluribus per habere vel non habere impedimentum illud fuit notificatum à signo, & non à priori. vnde bene sequitur, quòd si Auicenna intendebat notificare necessarium & contingens vt in pluribus à signo, & non ex natura rei, non iustè damparetur à Com. Verùm quia arbitratur Auic. assignare tales diffinitiones ex natura rei, ideo rationabiliter reprehenditur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIII.

Num diffinitio fortunæ sit rectè assignata ab Aristotele.

Manifestum itaque quòd fortuna causa sit secundum accidens in his quæ in minori sunt secundum propositum eorum quæ propter hoc sunt. textu 51.

IN hac quæst. vt sciamus defendere diffinitionẽ datã à Philosopho de fortuna plura scrutanda sunt. Primò quid secundũ rẽ sit hæc fortuna, scilicet an sit substantia, an natura, an intellectus. Secũdò quæ est illa causa per accidẽs, quæ est idẽ quod fortuna. Tertiò si fortuna est semper in minori, id est, in pauciõribus. Quartò, quomodo hæc stant simul, q̃ sit causa per accidens, i. præter intentionem causans, & tamen sit in his, quæ secũdùm propositũ fiunt. Quæ enim fiunt secũdùm propositũ vtuntur intenta, & sic videtur esse repugnantia inter partes diffinitionis. Demũ soluẽtur duo argumẽta.

Quantùm ad primum aduerte quòd de entitate fortunæ aliter sentiũt fabulosi Poẽtæ, aliter veri Philosophi. Illi namque arbitrantur fortunam esse quandam substantiam separatam, veluti deam quam fingunt duplicem faciem habere, vnam quidem lætam, quando homini est propicia, alteram tristem, quando aduersatur, & de fortuna sic poẽticè figurata loquitur Boẽtius in 1. de Consol. metro 1. Sed hæc transeant, quoniam non sunt digna Philosopho.

Quid autem sit apud Philos. aduerte duas opiniones, vna quidem est Boẽtij in li. 5. de Consol. prosa 1. Ipse tenet q̃ nec fortuna nec casus fiat causa per accidẽs, nec causa per se, sed effectus per accidens, i. qui prouenit præter intentionẽ causarum operantium propter aliquod intentum. V. g. Sortes tendit in forum vt ludat, vadens inuenit denarium inopinatẽ inuentio denarij est fortuna apud Boẽtium, vnde sic eam diffinit, Fortuna, siue casus est inopinatus ex fluentibus causis in his quæ ob aliud geruntur euẽtus. Hæc illa: & quidem hæc opinio clarior est & magis consueta apud communiter loquentes. Altera opinio est Arist. qui fortunam non effectũ, sed causam dicit. Quid igitur sit secundùm ipsum sic accipe, Fortuna est idem realiter cum agente per intellectum, sed distinguitur ratione. Et casus est idem realiter cum agente naturali, sed distinguitur ratiõe & declaratur sic, Sortes qui est operans per intellectum & voluntatem intendit ex sua actione aliquem effectum, putà ex plãtatione vitis intendit facere vinẽã, & respectu huius effectus dicitur causa per se & agens à proposito, si autem huic plantationi adiungitur aliquid præter intentionẽ Sortis, putà plãtationi adiungitur inuentio serpentis mordentis pedem plantantis, respectu huius effectus inopinati dicitur causa per accidens, & sic Sortes vt comparatur ad id quod præter intentũ effectum euenit dicitur fortuna, ex quo patet q̃ Sortes & est agens à proposito & est fortuna, sed distincta ratione: quoniã vt agit intendens dicitur agens à proposito & est causa per se, vt autẽ agit nõ intendens dicitur fortuna & causa per accidens. idẽ intellige de casu. Nam idem agens naturale, putà virtus formatiua spermatis, vt agit ad generationẽ hominis dicitur agens per se, vt autem producit sextum digitum in manu quẽ non intẽdebat nec ad ipsum producendũ ordinabatur dicitur causa per accidẽs & est casus. Hæc est mẽs Phil. & Com. & Peripateticorum. Platonici autẽ non conueniunt in hoc. Nam licet ponant fortunam esse causam, non tamen causam per accidens, sed superiorem & diuinã: vnde Proculus Platonicus sic eã diffinit, Fortuna est dæmoniaca potestas, causas inordinatas adinuicem connectens.

Sed cõtra id quod dictum est, s. q̃ fortuna secũdùm Arist. est causa agens per intellectum, vt comparatur ad effectum nõ intentũ, videtur esse ipsemet Arist. in li. de Bona Fortuna. Nam si fortuna est ipsum agẽs per intellectũ, ergo bona fortuna est ipsum agẽs per intellectũ cùm sibi aduenit aliquod bonum non intentũ, fortuna enim prædicatur de bono à fortuna sicut cõmunius de minùs cõmuni. Et tamen hoc est cõtra Phil. in li. de Bona Fortuna. Nam illic vult bonam fortunam esse naturalem impetum factũ in anima nostra à Deo, vt est motor totius naturę. Constat autẽ quòd impetus non est causa, imò potiùs effectus. Si igitur bona fortuna est effectus, quomodò verum est fortunam esse causam?

Ad intelligentiã huius aduerte, q̃ Philo. in libris Physicis loquitur de rebus secundùm naturã rerum & suas proprias rationes, in libris antẽ Moralibus loquitur aliquando secundùm famositatẽ, eò q̃ rationes & scientiæ morales non tantam habent certitudinẽ ex 1. Ethic. quantam habent scientiæ speculatiuæ. Et quoniam liber de Bona Fortuna, ad materiã moralium spectat, & famosum est apud cõmuniter loquentes bonã fortunã esse talem impetũ, imò quasi impressionẽ in anima sine præcognitione, ideo Phil. condescendens communi hominũ extimationi sic diffiniuit bonã fortunã, quam si diffiniisset hîc in Physicis non effectum, sed causam in eius diffinitione posuisset. Nam si fortuna est causa per accidens, omnis species fortunæ est causa per accidẽs. Species autem sunt bona & mala fortuna. Et quod dictum est, confirmatur per ipsum Philosophum in Politicis, qui dicit fortunã esse vltimam distinctiuam in litibus. Nam quando duo homines habent litem, nec ratione possunt terminare, determinãt eam per sortem, quam appellat fortunam. Id quidem dixit in Moralibus, quod quidem non dixisset in Physicis. Nam esse distinctiũ videtur arguere quandam certitudinem & tamen fortuna ex sua ratione est incerta, vt dicit Philos. in hoc 2. li. in tex 55. Non igitur magnum fundamentum constituendum est in dictis Philosophi de fortuna in libris Moralibus, in quibus se accommodat communi hominum extimationi. Et si Petrus Pomp. in lect. sua in 2. lib. Physic. id considerasset non dixisset quasi inuolutus, Et sic fortuna est certa & incerta, quare nescio quid dicam: hæc ille.

Quantùm ad secundum, s. quænam sit illa causa per accidens quæ est idem cum fortuna, aduerte pro noticia huius q̃ causa per accidens est duplex. Quædam ex parte causæ eo q̃ vnitur causæ per se. Sicut Musica in ædificatore est causa per accidens domus in hoc sensu, quia vnitur arti ædificatoriæ in eodem supposito, sed nihil agit ad effectum. Nam posito q̃ ædificator non sit musicus adhuc potest & æquè bene per artem ædificatoriam construere domum. Quædam ex parte effectus & aliquid operatur ad effectum. Et hæc iterũ est duplex. Nam quædam est frequenter producens effectũ, & est illius causa proxima, sicut nauta quoties monet nauim per se, toties monet seipsum per accidens, & quoties homo nudis pedibus vadit per viam lutuosam toties deturpat pedes. Quædam autem rarò producit effectum, & est illius veluti causa remota, eò q̃ talis effectus non habet connexionẽ ad ipsam causam per accidens. Sicut licet Sortes frequenter fodiat sepulchrum, tamen rarissimè inuenit thesaurum, eò quòd inuentio thesauri non habet connexionẽ cum fodiente sepulchrum. In proposito dico primò quòd fortuna non est causa per accidens ex parte causæ, sed ex parte effectus. Nam, vt dictum est, causa per accidens ex parte causæ nihil operatur ad effectum, sed fortuita causa aliquid operatur ad effectum fortuitum. Nam causa fortuita agit aliquid, sed nõ agit per se illud, respectu cuius est causa fortuita. Sed agit aliquid per se, quo facto fit aliud non intentum, & quo nõ facto non fieret aliud respectu cuius dicitur causa fortuita, vt quia Sortes per se, i. ex intentione vadit in forum, præter intentionem inuenit debitorem, qui si non fuisset in fortũ non inuenisset debitorem. Patet ergo quòd cùm fortuna sit causa per accidens & operans, q̃ non est causa per accidens ex parte causæ, sed ex parte effectus. Dico secundò q̃ non est causa per accidens ex parte effectus quando frequẽter, vel semper sequitur effectus, sed quando rarò. Nam si sequitur frequenter vel semper non potest dici quin sit virtualiter intentus. vanum enim est dicere q̃ intendit Socra. aperire fenestrã, & q̃ non intendit lumen ingredi in cameram. Cùm igitur de ratione effectus fortuiti sit quòd fiat præter intentionẽ operantis aliquid per se, sequitur fortunam esse causam per accidens ex parte effectus rarò contingentis. Patet ergo ex dictis quòd causa per accidens quæ ponitur ab Arist. in diffinitione fortunæ, non sumitur in tota sua latitudine, sed cõtractè, modo quo expositum est. Quod etiam innuit Phil. dum subsequitur in diffinitione, in his quæ in minori sunt. Nã hæc particula est quasi differentia contractiua causæ per accidẽs.

Quantùm ad tertium, s. quomodo sit verum, q̃ ea, quæ fiũt à fortuna, fiant rarò, aduerte, q̃ id iam declarauimus in q. 21. huius lib. 2. vbi diximus, quòd fieri rarò & esse à fortuna nõ sunt conuertibilia, vt patet de eclipsi, quæ rarò fit, & tamen non dicitur à fortuna. Sed ea sola rarò facta dicũtur, ad quæ fienda causa per se non ordinatur, sed præter intẽtionem agentis eueniunt, sicut fodiens sepulchrũ non ordinatur per se ad inuentionem thesauri, sed ad sepeliendum mortuum: & quoniam inuentio illa est rarò nec per se intenta, ideo dicitur esse à fortuna. Dico Nec per se intenta, quoniam si fodiens sepulchrum semper intenderet hæc duo, sepelire mortuum & inuenire thesaurum posito quòd illa inuentio rarò contingeret non esset fortuita, sicut nec eclipsis, nec comata stella, licet rarò fiant vt diximus suprà in q. 21.

Quãtùm ad quartũ aduerte, q̃ nulla est repugnantia si partes diffinitionis bene intelligantur. Tu igitur aduerte q̃ ad fortunam duo requiruntur. Primò q̃ fit agens per intellectũ & ex sua operatione intendens aliquem finem, sicut fodiens sepulchrũ ideo fodit, quia intendit sepelire mortuũ. Secundò requiritur q̃ ad talẽ operationẽ per se ordinatã ad talem effectũ per se, sequatur aliquis effectus nõ intentus ab agẽte per intellectũ, nec habens connexionẽ ad operationẽ intentam ab agente. V. g. Ad fossionem sepulchri ordinatam à fodiente ad sepeliendum mortuum sequatur inuentio thesauri, quæ non habet connexionem ad fossionem sepulchri. Si enim cõnexionem haberet, id frequenter contingeret. Dico igitur q̃ fortuna est in his quæ fiũt propter aliud, i. propter finẽ, & exponatur sic, Fortuna ideo cõtingit quia effectus qui rarò euenit sequitur præter intentionẽ agẽtis, ad operationem factã propter aliquem finem intentum. Et sic nulla est repu

repugnantia, eò quòd intentio agentis cadit super effectum propositum ex voluntate agentis. Non intentio autem cadit super effectum secundarium non propositum nec intentum ex voluntate agentis, & ex effectu intento agens dicitur agens per intellectum, vel à proposito. Ex effectu autem nõ intento idémmet agens dicitur fortuna.

Quantùm ad vltimum aduerte quòd Petrus Pomp. in sua lectura in 2. lib. Physi. format duo argumenta, ex quorũ vno arguit quòd fortuna potest esse in per se intentis, ex altero autem quòd potest esse vt in pluribus.

Primò igitur sic arguit, Sortes ex proposito vadit ad ludẽdum. Tunc sic, Sortes per se intendit lucrari, & tamen si lucratur est à casu, ergo in per se intentis potest esse casus.

Ad hoc negatur minor. Nam si lucratur dato etiã quòd rarissimè lucraretur, lucratur ex proposito, ergo nõ à casu. Sicut qui fodit sepulchrum, & quoties fodit intendit & sperat inuenire thesaurum, aliter nunquam foderet, dato quòd rarò vel semel tantùm inueniret, non esset à casu, sic in proposito, quoniã Sortes quoties ludit intendit & sperat lucrũ, aliter non luderet, ideo etiam si semel in mille vicibus lucraretur, lucrum non esset à casu.

Secundò sic arguit, Dentur duo lusores, quorum vnus vt in pluribus lucratur, alter vt in pluribus perdit. Qui vt in pluribus perdit, perdit à casu, nunquam enim intendit perdere, quoniam est cõtra bonum suum, ergo casus potest esse in his, quæ eueniunt vt in pluribus.

Ad hoc dicitur, quòd qui vt in pluribus perdit potest cõsiderari in duplici statu. Primò quando incepit artem ludendi nondum expertus se frequenter perdere. Secundò postquã assuetus est huic arti & expertus est se quasi semper perdere, in primo quidem statu potest dici quòd perdit à casu, pro duabus aut tribus vicibus, in secundo autem statu non potest dici à casu perdere. Nam quoties aliquis effectus secundarius, vt in pluribus sequitur ad primum per se intentũ censendus est sub eadem intentione comprehendi. Nam vt inquit B. Tho. exponens textum 50. stultum est dicere quòd aliquis intendat aliquid & non intẽdat illud quod vt in pluribus adiungitur illi. Sic in proposito, Si aliquis vult frequẽter ludere & aduertit se frequẽter perdere hoc censendum est, non esse omninò præter intentionem suam, sic enim se à ludo abstineret. Nec valeret dicere quòd nunquam intẽdit perdere cùm sit contra bonum suum, quoniam licet aduertat id esse contra bonum suum, tamen nõ refugit ipsum sub spe aliquando lucrandi, sicut qui non refugit frigiditatem aquæ tẽpore hyemis sub spe capiendi pisces. Hæc argumenta reputat Petrus Pomp. difficillima, & dicit se fecisse ea viro docto & nesciuisse soluere. Nec ipse soluit reputans insolubilia. Quod tamen non est verum, vt patuit.

Eodem modo respondendum est argumento facto in q. 21. quo probatur casum posse esse in his quæ vt in pluribus, & exemplificatur de eo qui frequenter tendit in agrum, & frequenter inuenit serpentem, & nunquam intendit inuenire. Nam licet non intendat inuenire, tamen postquam bis aut ter inuenit eum, aduertit & nollet inuenire, & si posteà inuenit ipsum illa inuentio non est inopinata. De ratione autem effectus fortuiti est quòd sit penitùs extra opinionem operantis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIIII.

Num Philosophus in textu 61. sibi contradicat.

Quare manifestũ est quòd in his quæ simpliciter propter aliquid fiunt, cum non accidentis causa fiunt, quorum extrà est causa tunc à casu dicimus. textu 61.

Casualiũ causa extra intentionẽ causans est, intrinseca tamen naturalibꝰ.

IN hac quæst. aduerte, quòd stat difficultas in hoc, Dicit Philosophus in tex. 61. quòd eorum quæ fiunt à casu causa est extra. Dicit autem infra in tex. 64. Est autem & hoc alterum, huius quidem enim exterius est causa, illius verò interius. Quod sic ab omnibus exponitur, Differt autem fortuna à casu in hoc quòd eorum quæ sunt à fortuna causa est extrinseca, eorum autem, quæ sunt à casu, causa est intrinseca. Hæc autem duo videntur manifestè repugnare, Eorum quæ sunt à casu causa est extra, Eorũ quæ sunt à casu causa est intrinseca.

Tu igitur aduerte ꝙ circa concordantiã horum textuum multiplex est opinio sm ꝙ multipliciter exponitur tex. 61.

Nam Com. in com. 61. videtur innuere talem expositionẽ, quorum causa est extrà, i. qui effectus casuales licet fiant à tali causa non intendente eos, & per respectum ad illam dicantur casuales, tamen possunt produci ab altera causa intendente eos, quæ causa cùm sit altera ab illa potest dici extra illã vel extrinseca ab illa. Nam Extrinsecum ponitur sæpè pro Altero. Sicut quando dicitur quòd ratio albi est extrinseca, i. altera à ratione nigri. Verùm quia non omnia casualia sunt per se producibilia ab altera causa naturali particulari, sicut monstra non possunt esse intenta ab aliquo agente naturali particulari, aliter non esset monstrum, ideo hæc expositio non multùm approbatur.

B. Tho. sic exponit, Quorum causa est extra, i. ea dicuntur fieri à casu quando in his quæ simpliciter fiunt propter aliquod intẽtum non propter illud quod accidit fiunt, sed eorum causa est extrà, i. sed fiũt gratia alicuius extrinseci, i. gratia alterius effectus: putà in fossione sepulchri fit aliquid à casu, quando accidit aliquid gratia cuius non fiebat fossio, sed gratia extrinseci, i. gratia alterius effectus per se intenti, sicut quando accidit inuentio thesauri, gratia cuius non fiebat fossio, sed gratia sepeliendi mortuũ. Hæc expositio subtilis est, nec ad eam aliquod inconueniens sequitur, sicut videbatur sequi ad expositionem præcedentem.

Egidius autem & Bur. & Gratiadeus sic exponunt, Quorum causa est extra, i. quorum causa non intendit illum effectum, ita quòd ly Extra refertur ad intentionem, & ex hac expositione aufertur omnis contradictio in dictis Philosophi. Pro quo aduerte quòd causa esse extra causatum dupliciter potest intelligi. Primò secundùm intentionẽ. Secundò secundùm esse: secundùm intentionem quidem dicitur causa esse extra aliquem effectum, quando non claudit ipsum intra suam intentionem, & hoc modo intelligit Philosophus in tex. 61. casualium effectuum causam esse extra, & similiter effectuum fortuitorum. In hoc enim non distinguuntur casus & fortuna. Secundò quidem dicitur causa esse extra effectum secundùm esse, quãdo causa non est intrinseca effectui, imò extrinseca, & hoc modo intelligit Philosophus in tex. 64. quando dicit huius quidem, i. casus causa est intrinseca, quoniam casus est in naturalibus in quibus natura est principium intrinsecum ex diffinitione sua, huius autem, i. fortunæ est causa extrinseca eò quòd fortuna est in agentibus à proposito, quæ non sunt intrinseca suis effectibus imò extrinseca, nam fodiens sepulchrum non est intrinsecum thesauro inuento. Sic patet ex dictis quòd in Philosopho nulla est contradictio, quoniam in tex. 61. loquitur de extrinseco secundùm intentionem in tex. autem 64. loquitur de intrinseco secundùm esse, & hæc concordia videtur manifestior. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXV.

Num casus & fortuna reducantur tantùm ad causas efficientes.

Sed modorum causarum in quibus est vnde principium motus, vtrumque ipsorum est. tex. 65.

IN hac quæst. aduerte, ꝙ stat difficultas in hoc, secundùm communem modum loquendi frequentamur hoc nomen Casus & nomen Fortunę in omni genere causæ, & primò in genere causæ materialis, si sutor intẽdit incidere vestem, & inueniat pannum corrosum à tinea, qui est materia vestis, dicet sutor, Casus fuit, pannũ deuastatum esse à tinea. Secũdò in genere causæ formalis, vt si pictor intendat depingere ciconiã & depingat anserem. Tertiò in genere causæ efficientis, vt si asinus fracto fune fugiat vt vadat ad puteum, & sic fugiens casu euasit manus hostium. Quartò in genere causæ finalis, vt si quis vadit Romã vt vendat merces & casu factus est Episcopus. Non enim hunc honorem, sed lucrum intendebat. Ex his ergo patet ꝙ casus & fortuna possunt reduci ad omne genus causæ, & non solùm ad causam efficientem.

Vt ergo scias quomodo potest sustineri dictũ Phil. aduerte tria. Primò si loqueremur ad mentẽ Boëtij in 5. lib. de Cõsolatione, de quo mentionem fecimus in q. 23. cõcedendum esset in omni genere causarum posse reperiri casum & fortunam, eò quòd circa omne genus causarum potest assignari inopinatus euentus, qui secundùm Boëtium dicitur casus vel fortuna, & hoc declarant instantiæ præmissæ.

Secũdò dico ꝙ cùm casus & fortuna cõputentur inter ea quæ sunt per accidens, & cùm hæc sint incerta non sunt multum cognoscibilia ex li. 6. Meta. sufficit Phil. dare de eis notitiam non omnibus modis, sed modo manifestiori. Manifestius autem & frequentius reducũtur ad causam efficientẽ quàm ad alia genera causarũ, vt patet de fodiente sepulchrũ & inueniente thesaurum, de eunte in forum vt emat panem & inuenit debitorẽ. & propterea Philosophus sequens manifestiorem viam reduxit casum & fortunam ad causam efficientem. Ex hoc tamen non negauit quin possit inueniri in aliis causis. Vnde dico quòd instãtiæ factæ non probãt quin reducantur ad causam efficientem, sed quòd non solùm ad illam, licet manifestius & famosius inueniantur in illa.

Tertiò

Tertiò dico quòd sustinere possumus ad mentem Philosophi casum & fortunam reduci solùm ad causam efficientem, eò quòd casus & fortuna dicunt causam operatiuam, licet per accidens, nec in aliis generibus causarum concedendum est esse casum & fortunam nisi quia concurrunt cum efficiente ad effectum casualem, vnde sic respondendum est ad instantias factas in principio quæsiti.

Ad primam dicitur, quòd pannus non potest dici fortuitò corrosus nisi vt respicit incidentem vestem, vnde stando præcisè in panno vt est materia vestis ibi non est casus, quoniam frequẽter corroditur & ex natura sua corrosibilis est, & istæ conditiones repugnãt casui & fortunæ, vt dictum est suprà: vt autem comparatur ad agens, qui est sutor, potest dici à casu corrosus, quoniã sutor intendebat incidere vestem in panno integro & modò in corroso, & fuit præter intentionem eius quòd corrosus inueniretur, & ex tali relatione ad agens dicitur casus esse in panno corroso. Diximus enim suprà fortunam & casum esse respectiua & non absoluta.

Ad secundã dicitur ꝙ forma anseris depicta non est à fortuna nisi vt respicit pictorem, qui intendens effectum per se, i. formam ciconiæ præter intentionem depinxit anserem.

Ad tertiam non est respondendum, quoniã concludit pro intentione Philoso. & eodem exemplo vtitur ipse in tex. 60.

Ad quartã dicitur ꝙ ille finis præter intentionẽ veniens non habet rationẽ casus & fortunæ nisi vt respicit agens qui intendebat ire Romã vt venderet merces, & non intẽdebat aliud. Patet igitur quomodo in aliis generibus causarũ non est casus nec fortuna nisi per respectum ad causam agẽtem.

Et aduerte quòd Petrus Pomp. propter instantias prædictas, quas reputat veras simpliciter concedit casum & fortunam in omni genere causarum. Nec aliter defendit Philosophum, vnde in toto Tractatu de Casu & Fortuna stat ambiguus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXVI.

Num causa agens sit idem specie cum suo effectu.

Quod verò vnde principium motus specie eadem est in his. tex. 70.

IN hac quæstione aduerte quòd sub multis titulis solet formari, aliquando sub titulo præmisso, aliquãdo sub tali, Vtrum vnumquodque fiat à sibi simili, aliquãdo sub tali, Vtrũ vnumquodque fiat à suo vniuoco: verùm quia hanc quæstionem iam resoluimus in lib. 7. Metaphy. in q. 12. ideo hîc non est immorandum, vide tu illic.

QVAESTIO XXVII.

Num primus motor sit de consideratione Physici.

Duplicia autem sunt principia mouentia, quorum alterum physicum non est. tex. 73.

IN hac quæst. aduerte quòd eam iam determinauimus in li. 12. Metaph. in q. 3. considerãdo entia abstracta in genere & in specie, & quò ad existentiã & quò ad prædicata intrinseca & quidditatiua, vide tu illic & sufficiet tibi, verùm, quia Philosophus in tex. præposito dicit absolutè quòd non est Physici considerare quæcunque non mota mouent, & id manifestius dixit in tex. 71. vbi inquit, Et tenetur Physicus considerare omninò quæcunque mota mouent. Quæcunque autem non, non amplius physicæ considerationis sunt. videtur hoc esse falsum. Nam constat quòd in 8. lib. Physic. probauit dari vnum primum motorem omninò immobilem, ex motu æterno. Si ergo Physicus probat primum motorẽ immobilem esse, Physici est considerare de entibus abstractis & de primo motore. Præterea, ratio quam adducit Philosophus in textu præposito non videtur vera. Dicit enim. Non enim habet motus principium in seipso, hoc autem est falsum. Nã habet in se potentiam motiuam, aliter non moueret, potentia autem motiua est principium motus, ergo, &c.

Ad primum respondet Comment. in commen. 73. vbi inquit, Et intendebat Philosophus per hoc quòd consideratio de quidditate istius motoris non est naturalis, sed solùmodò considerat de hoc motore in probãdo ipsum esse tantũ. Pro cuius notitia aduerte quòd considerare quidditatem substãtiæ abstractæ, est considerare eam quò ad prædicata intrinseca quidditatiua, putà quòd est substantia, quæ est actus, & nõ potentia, quæ est immaterialis impassibilis indiuisibilis nobilissima inter entia. Et hæc cõsideratio non est Physici, sed Metaphysici, vt patet in lib. 12. tex. 30. & vltrà, cõsiderare autem abstracta quò ad esse, est probare quòd existunt. Et quoniam non innotescunt nobis in genere nisi ex motu vt declarauimus in li. 12. Metaph. in q. 3. ideo vt sic sunt de consideratione Physici. Quando igitur dicit Philosophus, Quorum alterum Physicum non est, intendit de consideratione quidditatis & non quò ad existentiam. Nam & Physicus probat ex motu primum motorem coniunctum existere. De motore autem primo omnino separato secùs est, quoniã sui existentia probatur motu metaphysico, vt determinauimus in lib. 12. Metaph. ad mentem B. Tho. in q. 3.

Ad secundum dicitur ꝙ Phil. intendit de principio passiuo & receptiuo motus, & id manifestè dixit Phil. in text. 71. vbi inquit, non enim in seipsis habentia motum, sed immobilia sunt. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXVIII.

Num agentia æterna necessario agant.

Hoc autem ex hoc aut simpliciter est aut frequẽter. text. 74. super quem tex. dicit Com. Quoniam de generibus entium est, quòd ex agẽte sequitur actum necessariò & hoc est in rebus æternis, & quòd ex agente sequitur actum in maiori parte, & hoc est in rebus generabilibus & corruptibilibus.

IN hac quæstione, aduerte quòd non mouetur principaliter propter dictum Philosophi, quoniam hoc nõ sonat expressè, sed propter dictum Commen. cui Commentistæ attribuunt quòd censeat omnia agentia æterna, quæ sunt substantiæ abstractæ includendo primam causam agere de necessitate naturæ, verùm hanc materiam iam pertractauimus in lib. 12. Metaph. in q. 10. vbi disputatur de via Scoti & Heruæi, & declaratur quid tenendum secundùm Philosophum, & secundùm veritatem: vide tu illic & sufficiet tibi.

QVAESTIO XXIX.

Num Antiqui reducebant omnes effectus naturales in causam materialem & non in agentem.

In hanc enim causam, scilicet materialem inducunt omnes. tex. 75.

Antiqui solam materialẽ nouerũt causam.

IN hac quæstione, aduerte quòd stat difficultas in hoc, Philosophus declarans quomodo Antiqui reducebant omnes effectus in causam materialem, dat exempla, in quibus concurrit agens & passum. Nam in tex. 75. exemplificat de calido & frigido, quæ quoniam talis naturæ sunt, ideo fiunt tales effectus. V. g. vt exponit Cõmen. quia calidum est aptum ascendere & frigidum descendere, ideo in plantis ex ascensu caloris fiunt flores, & ex descensu frigidi fiunt radices. Constat autem ex 2. de Generat. calidum & frigidum esse actiua: ergo exempla Philosophi inducunt causam agentem & non tantum materialem. Præterea, in tex. 76. inducit exemplum de aqua sursum ducta & illic ingrossata & sic fit pluuia. Hęc autem manifestè indicant agens. Quomodo enim sursum trahitur nisi sit trahens, & quomodo ingrossatur nisi sit condensans, siue congelans? ergo signum est quòd Antiqui ponebant non solùm causam materialem, sed & agentem.

Vt igitur scias sustinere dictũ Philosophi aduerte, quòd licet dentur multæ responsiones, tamen videtur mihi securior ea, quæ est Commen. nec B. Tho. negaret eam, & stat in hoc, In agente duo possunt considerari, s. actio & ratio formalis agendi, & à secundo habet principaliter quòd sit & dicatur causa agens. Ratio autem formalis agendi est intentio finis, quoniam agens agit propter finem, & finis mouet agens, siue agens apprehendat finem, siue moueatur ab apprehendente finem. Remota autem intẽtione & motione finis, non remanet nec dicitur causa agens nisi materialiter & secundùm quid. Sicut remota forma, quæ est principium formale essendi, non remanet res nisi in potentia vel secundùm quid. Ex hac distinctione sic dico ad quæsitum, Quoniã Antiqui negabant id quod est formale in agente, scilicet operari propter finem, ideo negabant causam agentem, nec ponebant eam nisi materialiter. Et hæc fuit mens Philosophi in textu prædicto.

Ad instantias factas de calido & frigido & aqua condensata patet responsio ex dictis quòd non sunt secundùm Antiquos agentia formaliter, sed materialiter, vnde non constituunt distinctam causalitatem à causalitate materiæ. Nam in causalitate agentis includitur intentio finis, quam negabant Antiqui. Et ad insinuandũ quòd Antiqui ponebant causam agentem non formaliter, sed materialiter dicit Philosophus in tex. 75. Et nanque si aliã causam dicant gaudere finát, q. d. inutiliter ponunt, quoniã propriam & formalem causalitatẽ ei non attribuunt. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXX.

Num omnia quæ fiunt in natura fiant à casu, vel propter finem.

At verò natura sunt huiusmodi omnia. tex. 77.

Quæcunque in natura fiũt, vel à casu, vel propter finẽ fiunt.

IN hac quęst. aduerte quòd difficultas stat in hoc, Videtur diuisio Philo. esse insufficiens, quoniam datur aliquid in naturalibus, quod non à casu, eò ꝙ fit rarò, nec est propter finem, quoniã non est intentum ab agente vt corruptio. Nam omne agens ideo agit vt aliquid efficiat & non vt destruat, quoniam destructio malum est, & nemo intẽdens ad malum operatur. Prætereà, finis mouet agens, finis habet ra-

tionem

tionem boni. Corruptio autem non habet rationem boni, cum destruat esse rei, quod est eius prima bonitas, ergo datur tertium in natura, quod s. non est à casu, nec propter finem, & sic videtur diuisio Philosophi insufficiens.

Vt scias sustinere diuisionem Philosophi aduerte, quòd hîc duplex est opinio, prima dicit quòd non est intētio Philosophi cōcludere contra Antiquos quòd omnia, quæ sunt à natura, i. quæ sunt frequēter, sunt propter finem, sed quòd aliqua, quæ sunt à natura, sunt propter finem. Nā aliqua sunt frequenter, quæ tamen non sunt propter finē, sed ex necessitate materiæ, vt corruptio, & hanc volunt esse mentē Com. in com. 77. qui inquit, Non enim omne quod est à natura est propter aliquid, & Burlæus declarans dictum Com. inquit, & fortè intendit Com. quòd quædam quæ sunt à natura proueniunt ex necessitate materiæ, & non sunt propter aliquid, vt mors. Et sic secundùm hanc opin. non sustinetur diuisio Phil. bimembris, imò faciūt eam trimembrem, s. in naturalibus quædam fiunt à casu, quædam propter finem, quædam ex necessitate naturæ. Et fundamentum eorum est, quia sequentes Com. formant rationem Phil. in 3. figura, in qua concludunt particularem affirmatiuam, sic enim formant eam, Omnia quæ sunt semper vel frequenter sunt propter finem: sed omnia, quæ sunt semper vel frequenter sunt à natura, vt etiam ipsi Antiqui concedebant, ergo quædā, quæ sunt à natura, sunt propter finem. Est alia opinio, per quā optimè saluatur diuisio bimēbris, quæ est ex expositione B. Tho. in tex. 77. & secundùm eam intendo determinare præsens quæsitū. Tu igitur aduerte, quòd B. Tho. non concludit particularem affirmatiuam in 3. figura, sed arguit à sufficienti diuisione, & concludit vniuersalem affirmatiuā sic, Omnia quæ fiunt aut fiunt à casu, aut propter finem, quæ enim accidunt præter intentionem finis dicuntur accidere casualiter: sed impossibile est ea, quæ fiunt semper aut frequenter accidere à casu: ergo ea, quæ fiunt semper vel frequēter fiunt propter aliquid: sed omnia quæ fiunt secundùm naturā fiunt semper, aut frequenter, sicut etiam ipsi Antiqui confitebantur. ergo omnia, quæ fiunt à natura, fiūt propter aliquid. Supposita igitur hac conclusione vniuersali affirmatiua, dico quòd diuisio Phil. est sufficiens, & declaro sic, Omnia quæ fiunt in naturalibus vel fiunt rarò & præter ordinem causæ, & sic fiūt casualiter, vel fiunt semper, aut frequenter, & sic fiunt propter finem. Sed hoc dupliciter. Nam cùm ea quæ fiunt propter finē sint intenta, possunt esse intenta dupliciter. Quædam propter se, quædā propter alterum. Sicut sanitas est intenta propter se. Sed medicina propter sanitatem. Et quoniā omnia quę sunt à natura semper vel frequenter vel sunt fines vel ordinātur ad finem. ideo sequitur quòd omnia talia sunt propter finem vel finis. & sic patet quòd licet aliqua fiāt in natura frequenter, quæ non sunt fines, nec fiunt à casu, tamen non est necesse dicere quòd fiāt solùm ex necessitate materiæ. Nam licet fiant ex necessitate materiæ, tamen sunt intenta saltem propter alterum & si non per se, vt statim declarabitur.

Ad instantiā igitur de corruptione dico quòd non solùm prouenit ex necessitate materiæ, sed etiam est propter finē. Quoniā etsi non sit intenta propter seipsam, vt argumentū probat, est tamen intenta propter alterum, i. propter formā introducendā, Nam quoniā agēs naturale nō potest introducere formā nisi abiiciat oppositā præcedētē, eo φ omnis trāsmutatio Physica est inter oppositos terminos, ideo intendit corruptionem non propter se, sed propter alterū, i. propter rem generandā. Sicut Medicus intendit adustionē tibiæ, vt reliquū corporis saluet. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXI.

Num aranea & formica operentur intellectu.

Vnde dubitāt qu dā vtrū intellectu operētur araneæ & formicæ. tex. 80.

Aranea & Formica ratione & intellectu minimè operātur, sed imaginatione & naturali illorū extimatione.

IN hac quæst. sic procedēdum est, Primò probabitur quòd non operantur intellectu. Secundò quòd operantur imaginatione & extimatiua. Tertiò soluentur duo dubia.

Quātùm ad primū ponitur conclusio negatiua, s. Nō operantur intellectu, nec deliberatione, quod probatur primò ex Com. in cō. 80. quia trāsferrētur de hoc in aliquid. Quod exponens B. Tho. dicit, tunc non operarentur eodem modo, sed prout diuersimodè apprehenderēt formā rei fiendæ, modò paruā, modò magnā, modò vnius figuræ, modò alterius, quoniam potentia rationalis non determinatur ad vnum ex 9. li. Metaph. Secundò omne agens intellectu & deliberatione in practicis processu tēporis perfectius & nobilius operatur, vt patet in omni artificio: sed ista animalia, non proficiunt in opere suo. Nam videmus araneam ita perfectè texere primam telam sicut decimam & centesimam, ergo, &c.

Tertiò opera, quæ fiunt intellectu & deliberatione non insunt cuilibet indiuiduo illius speciei, nec æquè perfectè, vt patet quòd nulla ars inest cuilibet indiuiduo humano, sed diuersæ diuersis, & posito quòd inesset cuilibet indiuiduo, non tamen æquè perfectè. sed congregare grana, texere telam, facere sub tali forma nidum, competit singulis horum animalium, & omnibus vniformiter, ergo, &c.

Quantùm ad secundum dico, quòd cùm non operētur intellectu & deliberatione, necesse est vt operentur aliqua potētia sensitiua interiori, inter quas apud Phil. inuenimus imaginatiuam & extimatiuam. Nam sicut homo operatur arte & rationibus, ita animalia viuunt & operantur imaginationibus, vt dicit Philos. in Procemio Metaph. Vnde sicut ouis imaginatione & extimatiua sua vocat agnum genitum & lactat, sic aranea facit telam, vt venetur escam sibi conuenientem. Et φ operentur imaginatione confirmatur per Com. in com. 80. vbi inquit, Actio enim istorum quia prouenit ab imaginatione & comprehensione eius quod agitur, scitur quod agunt propter finem. Hanc autem imaginatiuam siue extimatiuam solemus appellare instinctum naturalem, inclinationem naturalem, prudentiam naturalem, vt magis declarabitur in solutione dubij sequentis.

Quantùm ad tertium duo dubia insurgunt contra prædicta. Primum est, Quia huiusmodi animalia imperfecta non videntur habere imaginatiuam nec extimatiuam, quoniam vt declaratum est in lib. 3. de Anima, tales potentiæ habent determinata organa in capite, quæ non sunt assignabilia in aranea, nec in aliis animalibus imperfectis.

Sed hoc dubiū iam determinauimus in 2. lib. de Anima in q. 9. vbi distinximus de phantasia siue imaginatiua per determinatam & indeterminatā, & in 3. li. in Tract. de Potētia motiua in q. 6. vbi assignauimus differentias inter phantasiā determinatā & indeterminatā, & illic inuenies φ huiusmodi aīalia mouent localiter & operant phantasia indeterminata.

Secundū est, Si agunt imaginatiua & extimatiua, cum huiusmodi sensus sint interiores nec aliquid apprehendāt nisi illud prius apprehensum fuerit sensu exteriori, vt declarauimus in Epitomate nostro in li. de Anima in Tract. de Sensibus interioribus, ad mentem Phil. sequitur φ aranea non faciet telā nisi prius senserit muscas, nec formica congregabit granū, nisi prius ipsum senserit. Quod tamē est falsum, quoniam cōtingit araneam & formicā in hyeme vel in vere generari, nec antequam faciat telam muscam sentit. Idem dico de formica, ergo non agunt imaginatione, &c.

Ad hoc dicitur φ in imaginatiua & extimatiua potest esse duplex apprehensio, s. causata à sensu exteriori, & congenita siue connaturalis. Prima quidem est in animalibus perfectis eò φ seruant species receptas à sensibus exterioribus & memorantur absentibus sensibilibus. Secunda autem est in animalibus imperfectis, quæ non imaginantur nisi præsentibus sensibilibus, nec recordātur rei absentis, nec præteritæ, sed mouentur ad operandū ex sola præsentia obiecti, & hæc apprehensio naturalis siue congenita, est propinquissima inclinationi naturali, qua quælibet res etiam inanimata tēdit in bonū suum directa à primo principio totius naturæ, sicut solent moueri benè fortunati ex impetu in eis facto à primo principio, vt est mouens vnūquodque in finē suum. Ex his dico ad argumētum, φ imaginatiua in animali perfecto regulariter mouetur à sensu exteriori, vnde canis nō mouetur ad quærendum panem in tali loco nisi prius illic senserit & gustauerit panem. In animali autem imperfecto propter suam propinquitatem ad res inanimatas non est necesse quòd moueatur ex sensu exteriori, sed ex cognitione nutrimenti conuenietis præsentis, sibi impressa ab exteriori principio, sicut imprimitur virtus in magnete, qua trahit ferrū, & propterea nō est necesse φ aranea genita in vere, prius senserit muscas, si debet facere telā. Sed sufficit muscas præsentes esse quando telā facit, nec est necesse formicā prius sensisse hyemem si debet congregare grana, sed sufficit grana esse præsentia vt congreget. Nam non ex cognitione futuri, nec memoria præteriti congregat, sed ex impetu sibi facto ab altiori principio congregat. Nec id videri debet mirum, quoniam vt declaratum est in libro de Bona Fortuna, & bene fortunati impelluntur ad sic vel sic operandum sine præcognitione, sed solo impulsu quo sentiunt se trahi ad sic operandum. Sic mihi dicendum occurrit, & tu etiam considera. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXII.

Num monstra sint intenta à natura.

Monstra sunt peccata illius, quod propter aliquid fit. tex. 81.

IN

IN hac quæst. sic procedendum est. Primò, declaratur quid sit monstrum. Secundò, quot sint causæ in genere, ex quibus eueniunt monstra. Tertiò, ponetur distinctio de re intenta. Quartò, respondebitur quæsito.

Quantùm ad primum aduerte quòd monstrū est ens generatū in natura rarò, & in minori parte cum dispositione inconuenienti, siue in numero partium tam in excessu quàm in defectu, vt quādo generatur homo cum tribus manibus, vel cum vnica manu: siue secundùm situm partium, vt quando generatur homo habens os & oculos in pectore. siue secundùm figuram, vt quando generatur homo cum capite canis, aut porci, & dicuntur peccata in natura.

Quantùm ad secundū aduerte quòd Albertus in 2. Physi. in Tract. 3. in ca. 3. assignat quatuor causas generales. Prima est paucitas materiæ. Secunda est superabundantia materię. Tertia est qualitas actiua vel passiua. Quarta est malicia cōtinentis intrinseci, vel extrinseci. Et quoniam Albertus singula resolutè declarat, & ne coacti simul pertractare satis inhonesta, quæ hîc interueniunt, ideo vide tu in Alberto vbi suprà, siue in Iāduno in 2. li. Phy. q. 14. Nā illic summariè recitat dicta ab Alb. in hac materia, & satis ex teipso intelliges.

Quantùm ad tertium aduerte quòd aliquid potest esse intentum ab agente tripliciter. Primò potest esse intentū prima intentione, & est illud quod terminat actionem agentis secūdùm quòd agens simpliciter appetebat siue appetitu naturæ siue animali siue rationali. Vt locus deorsum est intentus prima intentione à graui descēdente, & inuentio cibi ab animali famescēte, & scientia ab addiscēte. Et circa tale primò intentum nullo modo contingit esse casum aut fortunā. Secundò potest esse intentum secunda intētione & est illud quod secundariò terminat actionē agentis, sicut lucrū apud verū medicū. Nam primo intendit sanitatē infirmo, deinde lucrū. Et circa hoc intentū secundariò potest esse casus. V. g. Si medicus intenderet solùm & præcisè sanitatem ipsi mo & nullo modo lucrum, nec super illud cogitaret, & tamen accidat quòd sanato infirmo detur sibi lucrū pręter omnem intentionem suam, tunc lucrum erit casuale.

Tertiò potest esse intentū tertia intentione, & erit illud, quod tertiò terminat actionem agentis præter intentionem primam & secundam. V. g. Agens intendebat A primò, & nō potuit producere A, secundò intēdebat B, ex quo non potuit producere A, & tamen quia non potest producere B, tertiò intendit C, quod tamen priùs non intendebat. Verùm ne vana sit actio sua, vltimò intendit & producit C, quod quidē est casuale respectu A & B: quoniam est præter primam & secundam intentionem. Potest tamen dici intentum tertia intentione, quæ non repugnat casui stante agente in prima aut secunda intentione.

Quantùm ad quartum aduerte quòd ex hac distinctione facile respondetur quæsito, & dico quòd monstra non sunt primò intenta, quoniam omne agens intendit primo quod est sibi simile vt masculus masculum. Nec sunt secundario intenta, quoniam agens secunda intentione intendit producere sibi simile in specie sub cōuenienti dispositione partiū, figuræ, & situs, & magnitudinis, licet declinet à perfectione genertāis, vt est fœmina, quæ respectu masculi primo intenti dicitur animal occasionatum & quasi casuale. Dico autē quòd monstra sunt intenta tertia intentione eo quòd cùm agens nolit frustrari actionem suam, si non potest producere masculum aut fœminam cum debita dispositione producit monstrum. Quod quidem est non intētum & intentum, intentum quidem tertio modo, non autem primo aut secundo modo, ideo dicitur casuale, & peccatum in natura. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXIII.

Num consequentia Philosophi contra Empedoclem valeat in tex. 82.

Vtrum igitur in arboribus fiant sicut bouigenæ, viri genæ, sic vitigenæ, oliuigenæ, textu 82.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hac cōsequentia Philosophi, Si in animalibus fiūt bouigenæ, virigenæ, i. animal quod ex vna parte est bos, ex alia vir, siue homo, continget etiam in arboribus quòd fient vitigenæ, oliuigenæ, i. arbor quæ ex vna parte est vitis, ex alia oliua, & tamen hoc non fit in arboribus, ergo nec in animalibus. Sed hoc argumentum non videtur valere, quoniam falsitas consequentis non videtur manifesta. Imò videmus vt arguit Egidius φ arbor vnius speciei inseritur alij alterius speciei, ergo Philo. nō deducit Empedoclem ad aliquod manifestū incōueniēs. Tu igitur aduerte, quòd Egidius & Burlæus propter instantiam factam de insertione arborum, formant aliter consequentiam Philosophi, & sic, si in animalibus cōtinget dari bouigenam, &c. cōtinget etiam in arboribus dari vitigenā. i. quid compositum ex vite & homine, & oliuiperam. i. quid compositum ex oliua & vipera. Sed si bene consideras, hæc consequentia habet minorem apparentiā sic formata quàm præcedens. Nam licet duo animalia possint simul coniungi tamen non sequitur quòd vegetatiuum & sensitiuum, quæ distinguuntur plusquàm quæcunque duo animalia possint similiter coniungi, vnde vt saluetur argumētum Philosophi contra Empedoclem videtur melior expositio prima, quæ est de mente Commentatoris & B. Tho. exponentis.

Ad argumentum autem siue instātiam Egidij dico quòd licet vnio duarum arborum specificè distinctarum fiat artificiosa insertione, non tamen fiet à natura. Prætereà id nō potest fieri arte nec natura in omnibus arboribus, sicut enim dicit Com. Inopinabile est vt si vitis cuius superiores partes sint oliuæ. Dico igitur ad quæsitum, si consequentia formatur vt format eam Egidius, non est vera nec apparēs vera ex causa quam assignauimus, si autem formatur vt format eam Com. & B. Tho. sic est vera, quoniam est argumentum à maiori, vt dicit Com. nam si hoc inuenitur in animalibus, circa quæ est maior solicitudo, quantò magis in vegetabilibus, & tamen consequens patet esse falsum quantùm sit actione naturæ, licet arte agriculturæ in aliquibus speciebus arborum possit aliter esse. ergo multo magis est falsum antecedens, scilicet quòd in animalibus possint esse bouigenæ, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. XXXIIII.

Num consequentia Philosophi contra Antiquos in textu 84. sit vera.

Adhuc oportuit in seminibus fieri vt contingit. tex. 84.

Consequētia hæc formalis est, Si omnes rerum species à casu fierēt, omne ex quouis fieret, nec quippiam fieret ex determinata causa.

IN hac quæstione aduerte quòd difficultas stat in hoc, Cōsequentia Philosophi contra Antiquos sic formatur secundùm B. Tho. Si natura non agit propter finem, ergo cōtingit quodcunque semen à quocunque animali produci, quod est falsum, fit enim hoc semen ab hoc determinato animali & non ab alio. secundùm Commen. autem sic formatur, Si generatio cuiuslibet speciei est à casu, ergo possibile est vt vna species generetur à quolibet semine, & ex qualibet mixtione elementorum. Probatur consequentia, quoniam casus est causa indeterminata, ergo id quod est casuale, potest à quacunque causa produci.

Sed nec ipsa consequentia nec probatio videntur valere, si enim quod est à casu potest indifferenter à quacūque causa produci, cum homo monstruosus sit à casu posset ab alio quàm ab homine produci. Quod non cōtingit vt ad sensum patet. Et inuentio thesauri non solùm à fodiente, sed à quocunque indifferenter operante, putà à scribente contingeret fieri, quod est derisorium.

Vt igitur scias sustinere consequentiam Philosophi, aduerte quòd multum differt aliquid fieri à casu, & omnes rerum siue naturarū species fieri à casu. Nam cum primo stat agens determinatum intendens finem vel effectum determinatum, cui quia aliud præter intentum effectum adiungitur, contingit casuale. Sic homo generans intendit generare hominem debitè dispositum, tamen propter maliciam continentis præter intentionem prouenit mōstrum. Cum secundo autem non stat agens determinatum intendens finem, implicat enim omnes rerum naturas fieri à casu, & aliquid esse intentum. Ex hac distinctione dico ad quæsitum quòd Philosophus cōcedit casum primo modo, sed non secundo modo. Antiqui verò qui negabant naturam agere propter finē ponebant casum secundo modo, & non primo modo. Cum casu autem secundo modo non stat aliqua causa determinata agens propter finem, & ideo si sic esset vt dicebāt Antiqui, tunc quilibet effectus indifferenter à quacunque causa fieret. Ad argumentū autem de monstro & de inuentione thesauri, dico quòd non fiunt à casu nisi primo modo, quo non remouetur omnis causa determinata, vt declaratum est, & ideo non valet. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXV.

Nū necessitas sumpta à causa efficiente sit absoluta, vel conditionata.

Quod autem ex necessitate est, vtrum ex suppositione existit, aut simpliciter. tex. 87.

Necessitas absoluta consequētiæ & consequentiæ nō tā-

IN hac quæstione, aduerte φ mouetur principaliter propter expositionem B. Tho. Nam ipse exponens c. de Necesse in 5. Metaphysic. dicit quòd necessitas sumpta ex causis intrinsecis, vt à forma & à materia est absoluta & simpliciter. Quæ autem sumitur à causis extrinsecis, vt ab efficiente & à fine, est ex suppositione. Hîc autem exponens tex. 87. in

suo no

tùm ex forma & materia suscipitur sed ex efficiēte at fine: necessitas verò absoluta cōsequētis ex forma & materia intrinsecis causis rei sumitur.

suo notando, postquam declarauit necessitatem absolutam sumi, primò ex materia, secundò à forma, adiungit, tertiò ex efficiēte, & dicit, Similiter quod habet necessitatē ex causa efficiēte est necessariū absolutè. ergo videtur sibi cōradicere hûc & in 5.li. Metaph. qñ illic tenet necessitatem sumptā ab efficiente esse conditionatam, hic autem esse absolutam.

Vt igitur scias nullā esse in hoc contradictionem aduerte quòd necessitas absoluta est duplex. Quædam cōsequentis, vel propositionis. Quædam consequentiæ vel illationis. Necessitas consequentis est necessitas ex habitudine terminorum, & est quando prædicatum est de ratione subiecti, vel consequitur naturam subiecti, & hæc nō prouenit nisi ex forma & materia, quę sunt causæ iutrinsecæ. Ex forma quidem vt quoniam anima intellectiua est forma hominis ideo homo simpliciter etiā nulla suppositione facta est rationalis, & risibilis. Ex materia autem, vt quia homo est compositus ex contrariis ideo est alterabilis & corruptibilis. Necessitas consequentiæ vel illationis est quando aliquo dato sequitur aliud, & hæc est duplex. Quædam absoluta, quædam conditionata. Absoluta quidem, quando aliquo dato ineuitabiliter sequitur aliud, vt dato quòd sol moueatur in vtroque hemisphærio, necessariò ineuitabiliter sequitur alternatio diei & noctis. Conditionata autem, vt quando aliquo dato non ineuitabiliter sequitur aliud, sed cum aliquibus requisitis, quæ tamen possunt deficere: vt dato quòd domus sit ædificata, non sequitur ineuitabiliter habitatio, quoniam ex multis potest actualis habitatio impediri, & dato quòd granum sit seminatum, non ineuitabiliter sequitur fructus, quoniā potest ex multis impediri, & hæc est necessitas finis. Ex his dico ad quæsitum quòd nulla est contradictio in B. Tho. quoniam in 5. Metaphys. loquitur solùm de necessitate absoluta consequētis, vel propositionis, hic autem loquitur de necessitate absoluta consequentis & consequentiæ. Consequentis quidem in primo modo, vbi exemplificat de necessitate ex parte materiæ, & in secundo modo, vbi exemplificat de necessitate ex parte formæ, in tertio autem modo loquitur de necessitate absoluta consequentiæ, vbi exemplificat de necessitate absoluta ex parte efficientis.

Patet autem quòd hæc duo non contradicunt, Necessitas ex parte efficientis non est necessitas consequentis absoluta: Necessitas ex parte efficientis potest esse necessitas consequentiæ absoluta modo quo declarauimus & non aliter. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXVI.

Num omnium effectuum naturalium, & omnium proprietatum naturalium, necessitas sumatur ex fine, vel ex materia præcisè.

Nunc autem quidam opinantur quòd est ex necessitate in generatione esse, &c text.87.

Naturalium effectuū necessitas nō tātùm ex materia, sed ex fine principaliter sumēda est.

IN hac quæstione, aduerte quòd communiter Expositores ponunt tres conclusiones, quæ non cōtinent multam difficultatem.

Prima est, Necessitas in naturalibus non sumitur præcisè ex materia. Hanc sufficienter probat Philosophus in tex. & Com. vt videre poteris. Et additur, Si omnis necessitas in naturalibus esset ex materia præcisè, ergo omnis necessitas in eis esset absoluta: quia, vt dictū est in q. præcedenti, necessitas ex causa intrinseca est absoluta & ineuitabilis. Quod tamen constat esse falsum, quia videmus multa impediri ne fiant, vt de frumento non fructificante, &c. In necessitate autem absoluta, non est assignabile impedimentum, aliter non esset absoluta.

Secunda est, Necessitas in naturalibus aliqualiter pēdet ex materia: hæc patet, nam aliter omnis forma esset receptibilis conuenienter in omni materia, quod patet esse falsum. Quoniam sicut in artificiatis, talis materia est necessaria tali formæ, putà ferrū ferræ, lignū naui, sic in naturalibus, vt nō pōt esse homo sine tali vel tali mixtione elementorū. Vnde & Philosophus in tex. 87. dicit q̄ in materia necessarium est.

Tertia est, Ratio necessitatis principaliter sumitur ex fine. Nam, vt dicit Philosophus in tex. 91. finis est causa materiæ, putà quia finis ferræ est secare, materia eius debet esse ferrū, & non econuersò. Ergo necessitas in naturalibus principaliter sumenda est ex fine. Prætereà, finis est nobilioris causalitatis quàm materia, vt dicitur suprà in cap. de Caussis, ergo modi causandi, s. contingenter vel necessariò conuenientiùs sumendi sunt à fine quàm à materia.

Sed aduerte, quòd istæ tres conclusiones non videtur plenè satisfacere quæsito. Nam cum illis stat, quòd aliquorum naturalium necessitas non sumatur ex fine. Sicut naturales proprietates, generatio, corruptio, mors, dicuntur esse ex necessitate materiæ. Si enim quæritur propter quid homo generatur & corrumpitur, respondetur, quia habet materiā subiectam priuationi. Similiter diuisibilitas in partes quantitatiuas conuenit entibus naturalibus propter materiam subiectam quantitati: ergo non omnium effectuum naturalium & proprietatum sumitur necessitas ex fine.

Hîc inuenio duos modos respondendi. Primus concedit quòd nō omnium naturalium necessitas sumitur ex fine, sed tamen eorum, quæ sunt per se intenta in natura. Quæ autem intendunturper accidens, aut propter aliud eorum necessitas est ex materia tantùm & non ex fine, & talia sunt generatio, corruptio, mors. & hæc opinio fundat se super Com. in com. 88. vbi inquit, Illa enim quæ inueniuntur in rebus naturalibus de necessitate non propter aliquid, vt mors animalis, sunt propter materiā, & illa, quæ inueniuntur in eis propter aliquid, sunt propter formam.

Secundus modus respōdendi, qui & melior mihi videtur est, quòd omnium naturalium, etiam generationis & corruptionis necessitas non solùm est ex materia, sed etiā ex fine, eò q̄ generatio ordinatur vt via ad formā vt ad finē. est enim forma finis generatiōis, corruptio aut & mors sunt propter generationē alterius, nisi enim materia expoliaret formā habet, nō reciperet alterā. similiter diuisibilitas in est reb' naturalib' nō solùm propter materiā subiectam quantitati, sed vt diuersæ formæ recipiātur in distinctis partibus materiæ.

Sed in hac responsione tria videntur facere difficultatem. Primò quia cōmuniter dicitur quòd corruptio & mors peueniunt ex necessitate materiæ magis quàm ex fine. Secundò quia Com. vt adductū est, videtur concedere hoc idem. Tertiò quia Philosophus in 3. Physi. vt videbitur, reducet diuisibilitatem ad materiam, & non ad finem, ergo non in omnibus naturalibus necessitas sumitur ex fine.

Ad primum dico, quòd licet eorū necessitas sumatur ex fine, tamen videntur magis sequi conditionem materiæ in hoc, quòd sicut naturalia nō possunt esse sine tali materia, sic non possunt esse sine corruptione, nec animata sine morte. Quando autē necessitas sumitur ex fine, non est simpliciter necessitas nec ineuitabilitas. V.g. Possibile est q̄ sit homo, & tamē nō videat nec habeat oculos. Sed nō est possibile q̄ sit animal & tamē nō corrūpatur. Et propter talē ineuitabilitatem, consueuit dici in prædictis necessitatem euenire et materia, cum qua tamen stat necessitas ex fine conditionata.

Ad secundū dico q̄ dictū Com. potest saluari in hoc, finis in naturalibus aliquando stat pro operatione, vt finis oculi est videre, aliquādo stat pro forma, vt finis motus est forma acquisita. Illa quorum finis est operatio, cōsueuerunt dicq̄ sumunt necessitatem ex fine, quorum autem finis nō est operatio, vt corruptio & mors, dicuntur sumere necessitatē et materia, licet etiā sumāt ex fine, sic potest saluari dictū Com. Si autem intelligat absolutè quòd nullo modo eorum necessitas sumitur ex fine, non est sustinendus in via Thomistica, vt declaratum est in q. 30. huius libri.

Ad tertiū dico, p̄ nunc, q̄ licet Phil. reducat diuisibilitatē in materiā, tñ nō negat quin etiā ordinetur ad formā, vt suprà diximus, forma aūt est finis generationis. Sed in lib. mag is loquemur de hoc. Hæc pro præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum naturalium super secundum librum Physicorum finis.

QVAESTIONES MAGISTRI CHRYSOSTOMI Iauelli super tertium librum Physicorum.

Cuius hæ sunt quæstiones.

1 *Num motus & terminus motus sint idem.*
2 *Num diffinitio motus sit bene à Philosophо assignata.*
3 *Num motus sit subiectiuè in mobili vel in mouente.*
4 *Num vnus motus numero sit actio & passio, ita quòd actio & passio sint vnum realiter.*
5 *Num actio sit in agente vel in patiente.*
6 *Num ad Physicum spectet considerare de infinito.*
7 *Nunquid si daretur infinitum quantum actu naturale, posset habere principium, & per consequens esse principiatum.*
8 *Num in perpetuis siue in æternis non differat esse & posse.*
9 *Num possit esse corpus naturale infinitum actu.*
10 *Num in naturalibus possit esse multitudo actu infinita.*
11 *Num magnitudo sit diuisibilis & augmētabilis in infinitū ita quòd possit excedere omnem magnitudinem finitam.*

QVAEST

QVAESTIO PRIMA.

Virum motus & terminus motus sint idem.

Nō est aūt motus præter res ad quas est motus. te. 4.

IN HAC quæstione, sic procedendum est. Primò, ponetur distinctio. Secundò conclusiones responsuæ. Tertiò soluētur quædam difficiliora argumenta.

Quantùm ad primum distinctio sit hæc, Motus & terminus motus dupliciter considerari possunt. Primò quò ad suum reale, i. quò ad entitatē suā. Secūdò quò ad suū formale, i. quantùm ad suas rationes formales, prout aliquid includitur in rōne motus vt motus est, quod non includit in ratione sui termini, vt terminus est.

Quantùm ad secundum sit hæc prima cōclusio, Motus & res, ad quam est motus, non sunt duæ res realiter distinctæ, sed tantùm vna cōsiderata vt imperfecta & perfecta, vel sub esse imperfecto, deinde perfecto. Prima pars probabitur ratione & declarabitur esse de mente Commentatoris.

Ratio sit hæc, Si motus esset res distincta realiter à re, ad quā est motus, putà calefactio à calore, sequitur q̄ aliquod vnum demonstratum simul & eodem tempore & primo & de nouo fieret & esset, & dum esset fieret, & dum fieret esset: consequens est impossibile, ergo & antecedens. Impossibilis consequentis probatur. Nam omne quod fit in tempore, dum fit, non est, quia si esset non fieret, & hæc propositio est Philosophi in 1. Peryherm. & Com. in 5. Physic. com. 33. Si igitur aliquid est dum fit, sequitur q̄ aliquid est & nō est simul, quod est contradictio. Consequentia autem sic deducitur. Si motus est res distincta realiter à termino acquisito, causata & facta à motore immobili, certum est quòd non fit nisi pro tempore pro quo mobile mouetur. Nam antequam moueatur mobile nō fit motus nec fit postquā motum est, similiter non est motus nisi dum mobile mouetur, ergo simul & eodem tempore & de nouo res quæ est motus & secundùm te distincta realiter à termino suo dum fit est, &c.

Nec vilet dicere hanc rationē non concludere in successiuis, quorū est talis natura, q̄ non sunt nisi dum fiūt, & postquam facta sunt, amplius non sunt. Hoc inquā non valet, quoniā ratio ipsa concludit vniuersaliter, & arguitur sic, Omne quod fit de nouo & in tempore, procedit à non esse ad esse, siue sit permanēs, siue successiuum. Hæc est enim ratio vniuersalissima factionis & productionis. Sed dum procedit à non esse ad esse non est, aliter non procederet ad esse, ergo impossibile est rem aliquam siue successiuam, siue permanentem fieri & esse simul.

Quod aūt hæc sit mēs Com. patet in 3. Physi. in com. 4. vbi inquit, Via quæ dicit q̄ motus non diff. rt à perfectione ad quam vadit nisi secundùm magis & minus & est de genere illius perfectionis, est verior, illa aūt, quę dicit q̄ est via alia ab alia perfectione est famosior. Et dicit q̄ necesse est vt motus qui est in substātia inueniatur in genere substātiæ & motus quiest in quantitate in genere quātitatis, & similiter, qui est in qualitate & vbi. Præterea. Dicit in 5. Metap. com. 9. Ire ad calorē est calor quoquo modo & similiter ire ad frigus. Sed ire ad calorem est motus calefactionis. Sed quia motus est actus imperfectus, vt declarabitur in quæstione sequēti, ideo Commen. dicit motum ad calorem esse calorem non simpliciter, sed quoquo modo.

Secunda aūt pars cōclusionis declarabitur in cōclusione sequenti. Sed pro nunc sic accipe, Tu nō debes imaginari q̄ quādo aliquid mouetur, illic sint tria distincta realiter, s. res quæ mouet, res quæ acquiritur, res ab vtraq; distincta, quæ dicitur motus. Sed debes imaginari q̄ eadem res, quā mobile acquirit cōtinuè secūdùm q̄ est actus mobilis incōpletus, cum tendētia ad cōplementū est motus, vnde nec illud præcisè q̄ mobile habet actu, nec illud præcisè quod habebit, & ad quod est in potētia, est motus, sed vtrunq; simul, & de vtroq; simul verificatur hoc nomē Mot': & vt de hoc habeas maiorem euidentiam, pono conclusionem sequentem.

Secunda cōclusio, Motus & terminus motus, distinguuntur formaliter. Hæc declaratur sic ad mētem Com. Eadem res, quæ acquiritur per motum, putà calor, potest signari infinitiuo verbi, siue nomine significante actum verbi, vt calefieri, siue calefactio. Et potest signari nomine, vt calor. In primo sensu habet rationem motus, in secūdo habet rationem termini. Item in primo sensu Com. dicit eam appellari formam mobilem, i. continuè acquisibilem, in secundo sensu dicit eam appellari formam quiescentem, i. iam acquisitam, & non amplius acquirendam. Et ratio huius diuersæ appellationis est ista, Nam vt signatur nomine importante actū verbi, stat sub esse imperfecto & cum intendentia ad esse perfectius, ideo vt sic habet rationē motus, vt autem signatur simplici nomine stat sub esse perfecto, & quiescente, i. sine tendentia & ordine ad vlteriorē gradum, & vt sic habet rationē termini acquisiti. Ex quibus manifestè constat quòd etsi nō distinguātur realiter, distinguuntur tamen formaliter, quia alium cōceptum format intellectus de forma, putà calore, vt habet rationem motus. Nam vt sic includit tendentiā siue ordinē ad vlteriorē gradum, & aliū vt habet rationē termini, quoniā vt sic nō includit tendentiā ad vlteriorem gradū, & hac de causa multa prædicata verificātur de eadē forma, vt habet rationem motus, quæ non verificantur vt est terminus motus, vt declarabitur in solutione argumentorum.

Quantùm ad tertium aduerte, quòd multi arguunt volentes probare distinctionem realem inter motū & terminum eius: fortiora autem sunt hæc.

Primo, Quæ duo ita se habent q̄ vno transeunte alterum permanet, non sunt idem realiter: hæc est manifesta, quia si essent idem, de eodem verificaretur non esse & esse, quæ implicant cōtradictionem. Sed motus transit, & forma acquisita, quæ est terminus motus permanet: nam præsentibus habitibus in materia cessat motus, ergo, &c.

Ad hoc dicitur in via nostra quòd non cōcludit aliud nisi quòd forma non quocunq; modo se habens est motus, quod cōceditur. Nam non habet rationem motus dum est in actu completo & quieto, imò vt sic est terminus motus, sed dum est in fieri & in continua tendentia ad vlteriorem actum. Vt autem habeas formalem solutionem præmitto ea, quæ sunt integrantia formalem rationem motus, deinde respondebitur ad formam argumenti.

Tu igitur aduerte q̄ ratio motus tria includit. Primò includit actum, i. formā, licet imperfectā, ita q̄ hæc est vera & quidditatiua. Calefactio est calor. Secundò includit ordinē & tendentiā ad actum vlteriorem, Quæ quidē tendentia nō est aliud quàm habitudo eiusdē formæ sub esse imperfecto, ad seipsum sub actu perfectiori. Tertiò includit ordinem posterioritatis actus imperfecti ad seipsum sub esse perfectiori, ita quòd tempore sequenti erit perfectior quàm nunc, & tēpore præcedenti erat imperfectior quàm nunc. Ex his autem tribus, primum dicit in recto, & alia duo in obliquo, ita quòd motus est forma vt tendit ab imperfecto esse ad esse perfectius, ita quòd tempore sequenti perfectius esse habebit quàm nunc & in tempore præcedenti. Ad argumentum ergo dico quòd maior non est vera, nisi quando vnum trāsit quò ad id quod dicit essentialiter & in recto, & aliud remanet, modò nego minorē: nam acquisito termino stat motus materialiter, i. quantùm ad id quod dicit essentialiter & in recto, & non transit nisi quo ad illa, quæ dicit in obliquo, à quibus trahit distinctionem formalem à termino.

Secūdò sic, Illud est motus, per quod acquiritur forma, quæ est terminus motus, sed per formā non acquiritur ipsā met forma, ergo motus non est terminus motus. Alij sic arguūt, Via ad terminū non est terminus: hæc patet, aliter quicunq; esset in via, esset in termino & ecōuersò. Sed motus est via ad terminū, secundùm Com. in 5. Physi. com. 9. ergo, &c.

Ad hoc dicitur ad minorem, quòd non inconuenit eandē formā acquiri à seipsa, vel per seipsam, dummodò non consideretur sub eodem gradu essendi. Nam considerata vt imperfecta & cum tendentia ad vlteriorem perfectionem est sicut via qua acquiritur sub esse perfectiori, via autē ad rem acquirendā est eiusdē generis, cū ipsa re, differens ēm magis & minus perfectum vt elicitur ex Com. in 5. Physi. in com. 9.

Ad secundum autem modum arguendi, dicitur ad maiorem, quòd licet via non sit terminus formaliter, est tamen idem realiter. Ad probationem negatur consequentia, quæ vtique valeret si essent idem formaliter & realiter.

Tertiò sic, Si forma imperfecta, quę partim est in actu, partim in potentia, est motus, sequitur quòd aliquid quiescens moueatur, q̄ est falsum, vt patet. probatur consequentia, quia subiectum quiescēs sub tepiditate est sub actu imperfecto, & est in potentia ad maiorē calorem acquirendum, ergo est sub motū secundùm te. Ad hoc respondetur q̄ motus nō est actus imperfectus simpliciter sumptus, sed cum tendentia non interpolata ad vlteriorem actum, & ideo negatur consequētia. Ad probationem dico. Licet sit sub actu imperfecto & in potentia ad acquirendū perfectiorē, non tamen est sub non interpoluta tendentia, quare, &c. Et si dicas q̄ Phil. sufficiēter diffiniuit motū, & tamē in diffinitione nihil dicit de

tali

tali tendentia,respondetur ꝙ imò de ea mentionem fecit,licet non ita expressè,& id manifestabitur in quæst.sequenti.

Quartò sic,Partibus motus repugnat esse simul, partibus formæ acquisitæ, cùm sit res permanens, non repugnat esse simul,ergo,&c, Alij sic arguunt,Nullus motus est in instāti. Omnis forma vt terminat motū est in instanti,qui licet motus fiat in tempore tamen terminatur in instanti, ergo,&c. Alij autem sic arguunt, Nullus motus est qui non sit velox, vel tardus.Sed forma acquisita nō est velox,vel tarda,ergo,&c.Iterum alij sic arguūt, Ad nullum motum est motus, vt declarabitur in 5.Physi.Sed ad formam est motus,nam calefactio est motus ad calorem,ergo,&c.

Ad hæc omnia simul respōdetur,ꝙ concludunt inter formam, quæ est terminus motus, & ipsum motum distinctionem formalem non autem realem,sicut applicare poteris,si aduerteris quæ diximus suprà includi in ratiōe motus,quæ non includuntur in ratione formæ,vt est terminus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. Quæ restant declaranda in hac materia,manifestabuntur in q.sequentibus. Sunt enim adeo concathenata,quod non possunt in vnica quæstione resolui.

QVAESTIO II.

Num diffinitio motus sit bene assignata à Philosopho.

Diuisio autem secundū vnumquodque genus,hoc quidem esse endelechia,aliud aūt potētia,in potentia existentis endelechia secundùm quòd huiusmodi est motus,vt alterabilis quidē secūdùm quòd alterabile.tex.6.

Motus est actus existentis in potētia inquantùm in potentia.

IN hac quæst.sic procedendū est,Primò præponentur duæ distinctiones.Secundò manifestabitur veritas & sufficientia diffinitionis motus.Tertiò soluentur quædam dubia.

Quantùm ad primum sit hæc prima distinctio.Subiectum receptiuū alicuius formæ,tribus modis potest se habere ad illam formā.Primò ꝙ pro nullo gradu habeat eā actu,sed sit in mera potentia ad eam,vt aqua simpliciter frigida,quæ est in mera potentia ad calorē.Secundò ꝙ habeat eam actu perfectè,vt aqua facta simpliciter calida.Tertiò ꝙ nec sit in pura potentia ad eam, nec perfectè, sed diminutè habeat eam, potens tamen eam acquirere perfectiùs. Sicut aqua habens calorem vt 4.potest acquirere calorem vt 6.

Secunda distinctio sit hæc, Subiectum habens formā sub esse imperfecto cum potentia ad habendū perfectius potest dupliciter cōsiderari, Primò ꝙ pro aliquo tempore stet sub illo gradu formæ imperfectæ,vt quando aqua est facta calida vt duo & non vltra procedit. Secundò ꝙ subiectū habēs formā imperfectā nō quiescat pro aliquo tēpore sub illa forma pro tali gradu,sed ꝙ non interpolatè tēdat & fluat ad acquisitionem perfectioris esse, vel ad vlteriorem gradū, quo redditur perfectior. Et aduerte ꝙ intelligentia prædictarū distinctionum adeò necessaria est,ꝙ sine illis est impossibile scire naturā motus,quoniā formale in eo est tendentia ad vlteriorem actum siue perfectiorem modum habendi formā. Vnde si per intellectum auferatur illa tendentia aufertur formaliter motus, & remanet solùm ipsum materiale, quod est ipsa forma,vt diximus in quæstione præcedenti.

Quantùm ad secundum videndum est primò quid sit motus Physicus absolutè sumptus & defensanda est ipsa diffinitio. Deinde quia motus solet diuidi in acquisitiuum & perditiuum, diffiniemus vtrunque.Aduerte igitur ꝙ secundùm Phil.sic diffinitur, Motus est actus existentis in potentia secundùm quòd huiusmodi.Quod sit actus probatur.Quo aliquid fit actu est actus,sicut quo aliquid fit album actu est actus eius.Sed motu illud quod erat in potentia fit actu,vt calefactibile calefactione fit actu calidū:ergo motus est actus. Præterea,Motus aut est pura potentia,aut actus:non primū, quoniā quod est in pura potentia tale nondum mouetur,aliter cùm lapis existens sursum sit in pura potentia ad locum deorsum,moueretur deorsum.Quòd autem sit actus existētis in potentia,s.ad acquirendū perfectiorem actum,sic probatur de mente Phil.Motus est actus eius in quo semper inuenitur.Sicut anima est actus animati,quia semper & solum inuenitur in animato.Sed motus semper & solùm inuenitur in existente in potentia, i.in eo quod est non habens cōpletè aliquam formam,& est in potentia ad habendum eam completè,vt calefactio non inuenitur nisi in eo,quod est non habens calorem completè,sed est in potentia ad perfectiorem & perfectiorem calorem, vnde statim quòd adeptus fuerit completum calorem cessabit calefactio.Quòd autem sit existentis in potentia secundùm ꝙ huiusmodi, i.sm ꝙ est in potentia & non sm ꝙ est in actu,probatur sic, Subiectū nō mouetur nisi vt tendit & est in via ad perfectiorem formā siue perfectiorē modum formæ. Nam si nondum habet aliquid formæ,nōdum mouetur; si habet formā in esse cōpleto iam motū est, ergo ad hoc ꝙ moueatur necesse est vt habeat aliquid formæ,& inquantùm non habet eam complete, sed est in potentia ad habendum eam mouetur. Patet autem ꝙ nō tendit ad id quod habet eo modo,quo habet;ergo tendit inquantùm est in potentia,& non inquātùm est actu,& sic constat ꝙ motus est actus existentis in potentia inquātùm est in potentia,& non est actus existentis in actu inquantùm est actu.& aduerte quòd per illā particulam, Inquantùm huiusmodi, voluit Philosophus intelligere illā tendentiā, de qua loquuti sumus in q.præcedenti in responsione ad tertium.

Et aduerte ꝙ Com.in com.6.ex hac diffinitione elicit duo corollaria.Primū est ꝙ diffinitio prædicta conuenit motui æterno,& motui facto de nouo.Nā sicut lapis dicitur moueri deorsum,quia est in potentia ad locū deorsum & cōtinuè tendit ad ipsum. Sic Sol dicitȝ moueri ab Oriēte ad Occidēs, quia est in potētia ad ipsum,& cōtinuè tendit ad Occidens.

Secundum est,ꝙ omnis motus est continuus,verùm quia hoc corollariū videtur contradicere Phil.in 8.lib.vbi probabitur solùm motū localem esse cōtinuum, ideo quam veritatē habeat declarabitur in 8.lib.quare pro nunc sustine.

Postquàm diffiniuimus motū absolutè sumptum, declarauimusq; sufficiētiam diffinitionis,nunc diffinire habemus motum acquisitiuum & perditiuum.

Tu igitur aduerte ꝙ possunt sic diffiniri,Motus acquisitiuus est illud cuius pars est actus alicuius, cuius priùs immediate non fuit,& immediatè pars erit actus eiusdē, quæ nōdū est actus illius,vt calefactio est motus acquisitiuus, quia pars siue gradus caloris est actus calefactibilis, cuius priùs nō fuit actus eius,s.antequā inciperet calefieri,& cuius pars siue gradus perfectior erit actus illius, quæ nondū est actus illius, sed est in potētia ad acquisitionē illius & tēdit in illā.

Motus aūt perditiuus est illud cui9 immediatè prius pars fuit actus alicuius,quæ nunc non est actus illius, & alia pars siue gradus est actus eiusdē, quæ immediatè non erit actus eius,& sic deperdēdo dicitur motus perditiuus. Ex quibus sequitur ꝙ sicut tale,quod mouetur motu acquisitiuo est tantùm in potentia ad acquirendū, & inquantùm ipsum est in potentia,motus acquisitiuus est actus eius,sic quia illud,quod continuè aliquam rem perdit,est in potentia ad perdendum inquantùm ipsum est huiusmodi talis res,quæ cōtinuè deperditur est actus eius & per consequens motus perditiuus.

Quid autē sit mutatio, vt distinguitur à motu, & quid sit mutatio acquisitiua,& mutatio perditiua dicemus in lib.5.

Quantùm ad tertium soluenda sunt quædam dubia, quæ insurgunt contra diffinitionem motus.

Primò videtur ꝙ hæc diffinitio non conueniat omni contento sub motu,vt hîc diffinitur.Nā Phil.in hoc 3.lib.diffinit motum physicū cōmuniter sumptū,vt extenditur etiā ad generationē & corruptionē, cuius signū est ꝙ declarans diffinitionē exemplificat de generatione & corruptione,quas dicit esse actum generabilis & corruptibilis: & tamen cōstat ꝙ eis non cōuenit diffinitio motus, quoniā quod generatur totam formā substantialem simul recipit, & cùm sit indiuisibilis,quod generatur non est in potentia ad vlteriorē gradum, similiter quod corrūpitur totā formā simul deperdit, nec est in potentia vt deperdat gradum post gradum.

Ad hoc inuenio duas responsiones, prima est eorum, qui tenent omnem formā substantialem habere gradus intrinsecos præter animā intellectiuā,& successiuè acquiri ac deperdi, quā opinionem tenet Anto.Andr. in 11.Meta.q.vnica. Isti negant quin diffinitio motus cōueniat generationi, ad probationem negant formā substantialem totā simul recipi in materia,& totā simul deperdi. Verùm hanc opinionem improbauimus in li.8.Metaph.in q.6. vbi soluimus omnia fundamēta sua, & sustinemus intensionem & remissionem repugnare formæ substantiali,& tu vide illic.

Secunda respōsio,quam tenemus in via nostra est hæc,Generatio & corruptio dupliciter sumi possunt,primò pro instantanea introductione totius formæ substantialis indiuisibilis,vel instantanea deperditione. Secundò pro alteratione præuia,quæ licet sit alteratio tamē solet dici generatio, quia non ordinatur vltimatè ad solā qualitatem, sed ad formam substātialem introducendā. Quando igitur arguitur, nego quin eis cōpetat diffinitio motus,vt sumuntur secundo modo.Ad probationē dico ꝙ cōcludit pro primo modo, in quo cōcedo ꝙ diffinitio motus non cōuenit eis, nec Phil.quādo exēplificat de generatione & corruptione intēdit de eis primo modo,sed secūdo modo.Quæ aūt sit diffinitio mutationis vt distinguitur cōtra motū sub qua cōtinētur generatio & corruptio sumptæ in primo sensu, declarabimus in lib.5.

Secu

Secundò videtur ꝙ diffinitio motus non cōueniat motui locali.Nā quod mouetur localiter non est priùs sub actu imperfecto tendēs ad actum perfectiorē,quoniā terminus motus localis est vbi,vel locus. Quodcunque dixeris, certū est quòd nec vbi, nec locus, cùm sit quantitatis habet latitudinem perfectionalem. Et præterea,Mobile per motum localem nihil in seipso acquirit:non enim locus recipitur in locato,sed est subiectiuè in locante,ergo,&c.

Pro solutione huius, præmitto dictum Com.in 3.Physi.in com.4.vbi inquit, Quoniā quia motus non dicitur vniuocè, ideo non habet diffinitionem dictā vniuocè, sed secundùm priùs & posterius.Quo stante dico ad dubiū ꝙ diffinitio motus primò & principaliter seruatur in qualitatibus alterati nis aptis actuare sua subiecta secundùm latitudinem perfectionalem tendendo de imperfecto ad perfectū.Secūdò seruatur in quantitate vt per eam sit augmentum & decrementum, quoniā licet quātitas non acquiratur secundùm magis & minus perfectū,tamen acquiritur sm magis & minùs extensum,& quādo corpus quod augetur est sub quātitate cubitali, est in potentia & tendit ad vlteriorē quantitatē, quæ subiectiuè recipitur in augmentato.Tertiò saluatur in motu locali,nō quia per talē motū mobile acquirat inhæsiuè priùs locū imperfectū,deinde perfectiorē,sed quia magis ac magis propinquat loco intento,vnde illud,quod facit magis & minùs intēsum in alteratione,& quod facit maius & minus extensum in augmento & decremento id facit maior & minor propinquitas ad locum intentum in motu locali.

Sed contra hanc solutionem instatur dupliciter. Primò quia licet mobile magis ac magis propinquet loco intento, non tamen recipitur locus in mobili, cùm semper sit subiectiuè in locante,& tamen terminus motus debet esse in mobili, ideo enim mobile mouetur vt aliquid acquirat, & hac ratione dicitur motus esse actus mobilis.

Ad hoc dicitur ꝙ non est de necessitate motus vt motus est ꝙ eius terminus acquiratur in mobili intrinsecè siue inhæsiuè,sed sufficit hanc esse verā,Terminùs acquiritur inhæsiuè vel denominatiuè denominatione extrinseca.Primū seruatur in motu alterationis & in motu augmenti,sm aūt seruatur in motu locali,& id magis declarabitur in q.sequēti.

Secūdò arguitur sic,Dicit Com.in 3.li.Physi.com.4.quòd motus nihil aliud est quàm generatio partis post aliā illius perfectionis,ad quam tendit mobile donec perficiatur. Sed ad saluandū hoc dictum non sufficit appropinquatio maior & minor ad locū intentum.Ergo ex solutione data nō potes saluare quō diffinitio data de motu conueniat motui locali.

Ad hoc dicitur, quòd dictū Com.non potest propriè saluari nisi in alteratione. In aliis aūt sufficit ꝙ saluetur imitatiuè,putà secundùm maiorem & minorem extensionem, vt in augmento, vel appropinquationem vt in motu locali, in hoc sensu acceptatur in via nostra dictum Comment. aliter autem non.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num motus sit subiectiuè in mobili vel in mouente.

Vnde motus actus mobilis est inquantum mobile.Textu 16.

IN hac quæst.sic procedendum est, Primò declarandum est quomodo motus est actus mouentis, & est actus mobilis.Secundò ponentur conclusiones respōsiuæ. Tertiò soluentur quædam argumenta apparentia.

Quantùm ad primū aduerte, quòd cōmuniter omnes cōueniunt in hoc,Motus est actus mouētis,vt principij actiui,à quo est mot9, & est actus mobilis vt subiecti receptiui, sicut calefactio est actus ignis vt à quo,& actus aquæ vt in quo.& ex hac diuersitate prouenit diuersitas denominationis. Nā mouens denominatur à motu denominatione extrinseca sicut locatum à loco, & agēs ab actione, quæ est subiectiuè in patiente,vt determinauimus in lib.9.Metaph.Mobile autem siue motum denominatur à motu denominatione intrinseca eò quòd est & suscipitur in mobili.Quomodo autē differāt denominatio intrinseca & extrinseca,iam declarauimus in 5.libro Metaph.q.23.Et tu vide illic.

Quantùm ad secundum ponuntur tres conclusiones.Prima est,Motus non est per se in mouente,vt in subiecto, licet sit vt in principio à quo. Prima pars sic probatur, Quod est in mouente per se,est in omni mouente, quoniam per se verificatur de omni,si ergo motus est vt in subiecto in mouēte per se, est in omni mouente. Sed hoc est falsum,quoniam in quocunque est motus vt in subiecto,illud mouetur. Si ergo motus inesset omni mouenti,omne mouēs moueretur,cuius oppositum demōstrabitur in li.8.Secunda autem pars patet quoniā in mouente est potentia motiua, aliter nō moueret. Potentia motiua est principiū,quo mouēs mouet,ergo,&c.

Secunda cōclusio,Licet motus non sit per se in mouente, potest tamen esse per accidēs.Probatur,quia est aliquod mouens quod etiam mouetur,sicut sunt mouentia physica,quæ dum agunt repatiūtur,& corpora cœlestia,quæ mota ab intelligentiis mouent inferiora, ex eo autem quòd mouetur non est mouens,sed motum,siue mobile,ex eo quòd mobile recipit in se motum,ergo in mouente potest esse motus, sed per accidens, quoniam accidit mouenti vt mouens est quod moueatur. Nam si mouens vt mouēs moueretur per se,non esset deuenire ad primum mouens in mobile, cuius oppositum demonstrabitur in 8.lib.

Tertia conclusio,Si motus debet esse in aliquo per se subiectiuè,erit in mobili. Probatur ex diffinitione, Motus est actus per se existentis in potentia vt huiusmodi. Sed mobile vt mobile est existens in potentia, i.quod potest moueri,& est in potentia ad consequendum terminum motus, ergo si est in aliquo per se subiectiuè erit in mobili.

Quantùm ad tertiū,aduerte tria argumenta,quibus probatur quòd motus sit subiectiuè in mouente per se.

Primò,Sicut se habet quies ad quiescēs,sic motus ad mouens.Sed quies est subiectiuè & per se in quiescente,ergo & motus in mouente subiectiuè & per se.Ad hoc dicitur quòd similitudo tenet quò ad denominationē, quia sicut dicitur quiescens à quiete,sic mouens à motu.Sed dissimilitudo est quò ad agens: quoniā quies cùm sit priuatio non habet verè agens, motus aūt habet verè agens, & verè patiens, & ideo similitudo non tenet. Ad argumentū ergo cōcedo maiorem quo ad denominationem tantùm.Minor autem subsumitur in eo in quo non stat similitudo,& ideo nihil concluditur.

Secūdò, Actus est subiectiuè in eo cuius est actus,sed motus est actus mouentis,vt patet in tex.18.ergo,&c.

Ad hoc dicitȝ ꝙ actus pōt esse alicui9 dupliciter. Primò vt agentis.Secūdò vt recipiētis. Ad argumentū,nego maiorem nisi sit actus illius vt recipientis,in quo sensu nego minorē.

Tertiò, Nihil dat aliquem actū nisi præhabeat ipsum,quia si non habet non potest dare.Sed mouens dat motum mobili.Sicut calidum dat calorem calefactibili,ergo præhabet in se motum.

Ad hoc dicitur ꝙ maior non est vera nisi in hoc sensu,Nihil dat aliquem actum nisi præhabeat ipsum aut formaliter aut virtualiter:& secūda pars in proposito est vera,quia mouens dat motum mobili,quia habet virtutem motiuam.Sed ex hoc non sequitur quòd habeat actum illum formaliter & subiectiuè.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Num vnus motus numero sit actio & passio,ita quòd actio & passio sint vnum realiter.

Quare similiter vnus vtriusque actus.tex.18.

Actio & passio quòad id, quod dicūt in recto sunt vnū realiter, quò ad id verò, quod dicunt in obliquo, formaliter distinguuntur.

IN hac quæst.sic procedendum est, Primò ponetur duplex distinctio.Secundò conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur quædam magis apparentia argumenta.

Quātùm ad primū sit hæc prima distinctio, Actio sumitur aliquando pro quacunque efficientia, siue productione, siue metaphysica siue physica. Aliquando pro productione, quæ verè est cum motu physico,& cum transmutatione subiecti. Hîc intendimus loqui de actione solùm in secūdo sensu, nā actio in primo sensu est actio quasi æquiuocè, & ideo creatio & actio immanens non comprehenduntur sub secundo sensu.In quo solùm intendit loqui Philos.in hoc 3.lib.Physi.

Secunda distinctio sit hæc, Actio & passio physica possunt considerari quātùm ad duo.Primò quantùm ad id quod dicunt in recto. Secūdò quātùm ad id quod dicūt in obliquo. In recto quidem dicūt motū. Nam hæc est essentialis, Actio est motus,similiter passio. In obliquo aūt dicunt respectum causæ & effectus. Sed diuersimodè. Nā actio dicit relationē causæ ad effectū, & signatur per hoc quod est ab aliquo egredi vel originari, passio autem dicit respectum effectus ad causam,scilicet ipsius mot9,vt est in passo causatus ab agēte.

Quātùm ad secundū sit hæc prima conclusio, Actio & passio quātùm ad id quod dicunt in recto sunt vnū realiter.Probatur, Illud idē quod causatur ab agente recipitur in passo, vt patet de calefactione,quæ causatur ab igne & recipitur in aqua. Ergo idē motus, qui causatur à mouente,recipitur in passo,quod habet rationem moti,siue mobilis.Sed vt causatur ab agente dicitur actio,vt autem recipitur in mobili,dicitur passio,ergo vt dicūt motum in recto sunt idē realiter.

Secunda conclusio, Actio & passio quantùm ad respectus, quos dicunt in obliquo,non sunt idem. Probatur,quoniam isti respectus sunt oppositi,vt patet,ergo non sunt idē. Præ-

tereà, Sunt in subiectis distinctis, quoniã alter in agẽte, alter in passo : sed idẽ non potest esse in subiectis distinctis, ergo, &c. Et aduerte quòd hæc secunda conclusio cõmuniter acceptatur ab omnibus, ideo non indiget multa probatione.

Quantùm ad tertium aduerte, quòd multa argumenta solent formari ad probandũ quòd passio physica & actio non sunt idem realiter, nec sunt motus, nec vnus numero motus. Sed omnia concludunt quantùm ad id quod dicunt in obliquo, s. quò ad respectus oppositos, & id nos concedimus vt patet per secundam conclusionem. Nũc igitur tria formabuntur argumenta, quæ sunt magis apparentia.

Primum est, Illuminatio, quæ est à Sole est actio physica, & quæ recipitur in aëre est passio, & tamen non sunt motus nec fundãtur in motu, quoniã vt probabitur in li.6.Phy. illuminatio fit in instanti. Sed motus non est in instanti. Itẽ illuminatio est terminus motus localis. Terminus motus non est motus, quoniam tunc cessat motus, ergo datur actio & passio physica, de quibus nõ est verum dicere, ꝙ sunt motus.

Hoc argumentũ peccat in falso intellectu primæ cõclusionis. Nã quando dicimus quòd actio & passio sunt motus non sumitur Motus strictè, vt distinguetur in li.5. cõtra mutationem, sed vt se extẽdit ad motum propriè dictum & ad mutationem, siue vt se extendit ad mutationem successiuam & indiuisibilẽ siue instantaneã. Vnde generatio substãtialis vt est generãtis dicitur actio, vt est geniti dicitur passio. Idẽ dico de corruptione substantiali, quia licet non sint motus ꝓpriè dictus, sunt tamen mutationes physicę, & hoc sufficit.

Secundum, Stat motus postquam cessauit actio & passio, ergo nõ sunt idẽ cum motu: cõsequentia patet, probatur antecedens, Postquàm lapis emissus est à Sorte, verũ est dicere ꝙ Sortes nõ amplius proiicit, sed ꝓiecit lapidẽ, & lapis proiectus est & non proiicitur, ergo stat motus non stãte actione & passione: videmus enim quòd lapis per longũ spacium mouetur, postquam est emissus de manu proiicientis.

Ad hoc negatur antecedens, ad probationẽ nego ꝙ sit verum dicere, Sortes non amplius proiicit, & lapis non proiicitur. Nã quandiu stat virtus impressa lapidi à proiiciẽte qua mouetur, & qua cessante cessat moueri, verũ est dicere quòd Sortes proiicit & lapis proiicitur virtualiter, & sic stat proiectio actio, & proiectio passio quandiu lapis mouetur.

Tertium, Quæ sunt vnum subiecto, & duo quidditate nõ sunt idem realiter, quoniã distinctæ quidditates arguunt distinctionẽ realem. Sed actio & passio secũdùm Com. in com. 21. sunt vnũ subiecto, & duo secundùm quidditatẽ, ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd quidditas sumitur dupliciter, Primò pro essentia siue entitate rei. Secũdò pro diffinitione. Ad argumentũ dico quòd maior non est vera, nisi sumendo quidditatẽ pro essentia. Et dico quòd Com. nõ intendit de quidditate nisi vt stat pro diffinitione. Vnde in eodẽ com, sic dicit, Actio & passio significant idem nõ sicut tunica & vestis significant idem secundùm quidditatem. Sed intelligimus & dicimus hoc quòd actio & passio sunt idem secundùm subiectum, & duo secundùm diffinitionem, hæc Com. Et intẽdit quòd licet quantùm ad subiectũ, i. suum materiale quod est motus sint idem, tamen si diffiniantur aliquod formale ponetur in diffinitione actionis, quod nõ ponitur in diffinitione passionis, purà respectus ad agens & econuersò, ideo distinguuntur quidditate, i. cõceptu quidditatiuo. Vnde aduerte quòd licet sint vnũ re quantùm ad id quod dicũt in recto, tamen hæc est falsa, Actio est passio, quia hæc est prædicatio non solũ essentialis, sed etiã formalis: licet aũt sint idẽ essentialiter, non tñ formaliter. Hæc de pñsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Num actio sit in agente, vel in patiente.

Sicut autem vtraque in moto sunt, & in patiente actio & passio. tex. 19.

IN hac quæst. non est immorandum, quoniam eam resoluimus in lib. 9. Metaph. q. 15. vbi posuimus distinctionem de agente & de actione, & per conclusiones docuimus quomodo vtraque istarum est vera. Actio est in agente, Actio est in patiente, & soluimus fortiora argumenta eorum qui tenent contra viam nostram. Tu igitur vide illic.

QVAESTIO VI.

Num ad Physicum spectet considerare de infinito.

Signum quòd huius scientiæ, s. Physicæ propriè consideratio de ipso, s. infinito est. tex. 25.

Infinitũ quãtitatiuum in potentia, Physicæ cõsiderationis est.

IN hac quæst. aduerte quòd aliqui solent sic distinguere de infinito, Quoddam est infinitum secundùm vigorem, de quo tractabitur in li. 8. Quoddam secundùm durationem vt intelligentiæ mouẽtes, & cœlum motum secundùm Philosophũ, & motus cœli & tempus, & de his infinitis duratione tractabitur in 8. li. Quoddam est infinitum per indeterminationem, quia s. nõ est ex se aliquod ens actu determinatum, eò quòd ex se nullam formam sibi connaturalem habet, sed est in potẽtia ad omnes; & tale infinitum est materia prima, de qua loquuti sumus in 1. li. Sed hæc distinctio non videtur necessaria ad resolutionem propositi quæsiti, quoniam Philosophus proponens quòd ad hanc scientiam spectat tractare de infinito non accipit infinitum in sua vniuersalitate, sed contractum ad res quantas naturales, vt est magnitudo siue corpus naturale, & tẽpus & motus, vt patet in tex. 24. Tu igitur relicta hac distinctione non vt falsa, sed quia impertinẽs huic proposito, sic procedes, Primò pones distinctionem de infinito quanto. Secundò conclusiones responsiuas. Tertiò soluentur quædam argumenta.

Quantùm ad primũ aduerte, ꝙ cùm infinitum secundùm quantitatem, sit ens quantum carens terminis, potest dupliciter considerari. Primò quod sit infinitum actu, vt si imaginaremur corpus carens omnino terminis. Secũdò quòd sit infinitum in potentia, & hoc dupliciter, scilicet vel per diuisionem, vt linea, vel corpus pedale, quod licet actu terminatum sit, tamen est diuisibile in infinitum modo quo dicemus infra, vel per appositionem: vt licet hæc tabula sit cubitalis, tamen per appositionem potest augeri in infinitum.

Quantùm ad secũdum sit hæc prima conclusio, Physicus habet considerare de infinito quanto actu: probatur, Habet considerare de finito naturali quanto actu, putà de elemẽtis, de cœlo, &c. ergo & de infinito sibi opposito: probatur consequentia, quia opposita ad eandem scientiam spectant, quoniam vnum per alterum cognoscitur vt obliquum per rectum, & sic in proposito infinitum cognoscitur per finitum, vt priuatio per habitum, ergo, &c.

Præterea, Quod est positũ ab Antiquis naturalibus principium rerũ naturaliũ, considerãdum est à Physico, vt sciat si benè vel malè dixerunt Antiqui. Sed vt dicit Phil. in tex. 25. omnes qui rationabiliter videãtur tetigisse hanc Philosophiam, i. Physicã fecerũt verbum de infinito actu, & omnes tanquam principium ponunt eorum quæ sunt, ergo, &c.

Secunda conclusio, De quanto naturali infinito in potentia, debet Physicus considerare siue sit infinitũ in potentia per diuisionem siue per appositionem: probatur, Eiusdem scientiæ est cõsiderare naturam rei & proprietatem suam, vt quæ considerat numerũ considerat de pari & impari. Sed esse infinitum in potentia siue per diuisionem siue per appositionem est proprietas magnitudinis naturalis & motus & temporis, vt declarabitur in lib. 6. ergo Physica quæ de his considerat habet considerare de infinito in potentia tam secundùm diuisionem, quàm secundùm appositionem.

Quãtùm ad tertiũ aduerte ꝙ cõtra primam cõclusionem, & contra secundam arguitur satis apparenter, & primò cõtra primã sic, De eo quod nõ est nec potest esse, nõ est tractãdum in scientia, quia ex 1. Posterio. Quod nõ est non cõtingit scire. Sed vt probabitur infrà, infinitũ quantum actu ẽm magnitudinẽ & ẽm multitudinem nec est nec põt esse, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, ꝙ de aliquo potest esse sciẽtia dupliciter, Primò per cõclusionem affirmatiuã. Secũdò per cõclusionẽ negatiuã, primo modo maior est vera, secũdo modo est falsa. Nam de cõtradictoriis habetur sciẽtia per cõclusionem negatiuã, ꝙ s. nec sunt nec possunt esse simul vera: & de vacuo habetur sciẽtia vt declarabitur in li. 4. per cõclusionẽ negatiuã. Sic dico de infinito in actu tractatur in hoc lib. per conclusionẽ negatiuã, & demõstrabitur quòd nõ est nec potest esse. Nam licet in veritate nec sit nec possit esse, tamen apud Antiquos fuit opinio de opposito, & ideo Physici est nõ solùm sustinere rerum veritatem, sed & reprobare falsas sententias introductas de rebus naturalibus, sic facit Philosophus in hoc libro tractans de infinito in actu, & in 1. Cœli.

Cõtra secundã conclusionẽ arguitur sic, Si esse infinitum in potentia per diuisionẽ est proprietas magnitudinis naturalis, ergo non est dabile minimũ naturale per se existẽs, cuius oppositum est determinatũ in 1. li. in q. 19. Probatur consequentia, quia repugnat ꝙ detur minimum & quòd diuisio tendat in infinitum. Nam minimum terminat diuisionem, aliter si minimum est diuisibile, est dabile minus minimo.

Ad hoc dicitur ꝙ magnitudo naturalis, putà lapis bicubitus dupliciter cõsideratur, s. ratione formæ naturalis, & ratione quantitatis. Si primo modo, sic non est diuisibilis in infinitum, sed est dabile per diuisionem minimum, eò quòd forma lapidis non potest seruari sub quantumcunque parua quantitate, sed sub certa & determinata. vt docuimus in 1. li. Si secundo modo sic est diuisibilis in infinitum, nec vt sic datur minimũ, quoniã probabitur in li. 6. ꝙ continuũ est diuisibile in semper diuisibilia. Ad argumentũ ergo concedo consequentiam & nego falsitatem: nec oppositũ est determinatum in 1. lib. nisi ratione formæ naturalis, nunc aũt intendimus ratione quantitatis. Hæc de pręsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num si daretur infinitum quantum actu naturale, posset habere principium, & vt sic esse principiatum.

Rationabiliter autem & principium ipsum ponunt omnes: & infrà, Infiniti autem non est principium, esset enim vtique finis ipsius. tex. 30.

IN hac quæst. aduerte quòd si sermo esset de infinito entitatiuè, i. cuius natura non est determinata ad aliquod genus entium, sed est cõtentiua omnis perfectionis substãtialis & accidẽtalis, ex cõsequenti est omne ens perfectionaliter, clarum esset ꝙ nõ posset habere principiũ. Sed ipsum est omninò & solum principiũ. Nã vt docuimus in lib. 5. Meta. hæc est cõditio primi principij, cui repugnat omnis ratio principiati, aliter nõ esset absolute primũ principiũ, verùm quia Phil. intendit de infinito quãtitatiuè, sicut ponebãt Antiqui, putà infinitã aquã, aut aërẽ, ideo dubitatur si possit esse principiatum, cùm sit determinatũ ad certũ genus entium, & non cõtineat nisi perfectionem illius generis. Nam terra infinita si daretur non esset virtualiter omne ens, sed tantùm terra cõtinẽs solùm omnem perfectionem terræ. Quod aũt est hoc determinatum ens, non inconuenit esse principiatũ & causatum ab infinito entitatiuè. Præterea, Ratio, quam adducit Philosophus pro Antiquis, non concludit. Sic enim arguunt, Si infinitum haberet principiũ haberet finem. Patet autem quòd hæc ratio non concludit nisi de principio magnitudinis. Cum hoc tamen stat, quòd potest habere principium originis siue principium productiuum vel durationis.

Vt igitur scias defensare Philosophũ in hac cõditionali, Si daretur infinitum quantũ actu naturale, putà cœlum infinitũ, esset tantũ principiũ, & nullo modo haberet principium sic procedes, Primò ponetur vna distinctio. Secundò cõclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur argumenta proposita.

Quantùm ad primum aduerte quòd aliqui solent sic distinguere, Infinitum quantum naturale si esset, posset quò ad tria considerari. Primò quò ad infinitatem, quæ dicit carentiam terminorum. Secundò quò ad quãtitatem. Tertiò quò ad substantiam substratam infinitæ quantitati. Ista tria patẽt in elemento, putà in terra si esset infinita actu.

Quantùm ad secundum aduerte quòd aliqui solent resoluere quæsitum per tres conclusiones, ex quibus prima & secunda non indigent probatione, quoniam apud expertum in Philosophia ex se patent.

Prima est, Si esset infinitum quantum actu non esset principium propter suam infinitatem. Hæc patet, quoniã infinitas illa esset carentia terminorum magnitudinis, carẽtia est priuatio, quæ est negatio, cui repugnat esse principium cùm sit non ens, ergo, &c. Et aduerte quòd sicut infinitũ quantũ actu non potest esse principium ratione infinitatis, sic nõ potest esse principiatum, quoniam sicut repugnat non enti, vt non ens est ratio principij sic repugnat esse principiatum.

Nec obstat quòd in 1. lib. determinatum est priuationem esse vnum ex principiis rerum naturalium, quoniã illic determinatum est quòd est principium per accidẽs, hîc autem Antiqui & Philosophus intendunt de principio per se & primò, cuius signum est, quòd sibi attribuebant cõtinere & gubernare omnia, quæ sunt excellentiæ primi principij.

Secunda est, Si esset infinitũ quãtum actu non esset omnino & primo principiũ ratione quantitatis infinitæ. Hæc etiã patet, quoniã conuenit alicui esse omninò & primò principium ratione primæ entitatis, repugnat enim quòd sit omninò & primò principium & non sit primum ens. Sed ratione quantitatis infinitæ non est primum ens, quoniam determinatum est in 7. Metap. in text. 4. quòd primum & simpliciter ens est substantia, quæ est prior accidente natura, tempore, diffinitione, vt videre poteris in 7. Metaphy. in q. 3. quantitas autem siue finita siue infinita est accidens, ergo, &c.

Tertia est, Si esset infinitum quantũ actu, esset tantùm principium & nullo modo principiatũ propter substantiã suam substratam quantitati infinitæ: probatur sic, Dicit Philos. in tex. 30. Omnia entia aut sunt principium aut ex principio, i. aut sunt principium aut principiatum & Com. in com. 30. sic exponit, Quoniã omne ens aut est causa aut causatum. Sed si esset infinitum quãtum actu, nullo modo potest habere principium, ergo esset tantùm principium & non principiatum. Minor cõmuniter conceditur, quia inter principium & principiatum non datur medium. Minor autem sic deducitur, Si habet principiũ aut illud erit principium magnitudinis aut principium quod est in aliquo genere causæ, non primum: quoniã repugnat magnitudini infinitæ habere principiũ magnitudinis, nam haberet & finẽ, & sic esset finita, quod implicat cõtradictionem. Non secũdum, quoniã si habet principium quod sit causa, vel est materia vel forma, vel efficiens vel finis. Nõ materia nec forma, quoniã materia nõ est principium, nisi quia est receptiua formæ & forma est principiũ quia actuat materiam & constituit rem in esse: sed materia non est receptiua formæ, nec forma est receptibilis in materia nisi sub determinata quãtitate. Sicut enim requirit tales & tales qualitates & pro tãto gradu, sic requirit determinatam quãtitatem & in maius & in minus. Et de hac causa in 1. lib. assignauimus maximũ & minimũ. Ergo nec materia nec forma possunt esse principia substãtiæ quantæ infinitæ actu. Nõ potest habere principium causam efficientẽ, quia omnis causa efficiens aut est maioris aut æqualis virtutis cum suo effectu. Nã si est causa æquiuoca est maioris, si vniuoca est æqualis. Sed si esset substantia quanta infinita, nõ posset ei assignari causa efficiẽs maioris virtutis: quoniã cùm in magnitudine infinita, vt probabitur in li. 8. sit virtus infinita, illa substantia quãta infinita actu haberet virtutem infinitã, sed nulla virtus potest esse maior virtute infinita, ergo, &c. Nec etiã æqualis virtutis, quoniã darẽtur duæ virtutes infinitæ, quod est impossibile, quoniã virtus infinita includit quãcunq; virtutem, ergo extra ipsam nõ est dabilis alia virtus, neque finita, neque infinita. Sicut extra magnitudinẽ infinitã non posset assignari alia magnitudo. Nec potest habere causam finalem, quoniã finis ille aut esset substãtia corporea, aut abstracta. Non primũ, quoniã substantia quanta infinita secundùm magnitudinẽ non secum cõpatitur aliã magnitudinẽ neque finitã neq; infinitã, occuparet enim omnẽ locũ. Nõ secũdum, quoniã vt declaratũ est in li. 12. Metaph. per Com. in com. 36. substãtię abstractę sunt principia eorũ quorũ sunt principia, vt finis & mouẽs. Si ergo abstracta substãtia esset principiũ vt finis magnitudinis infinitæ actu esset etiam vt mouẽs. Sed vt declaratũ est in 1. Cœli. Si darẽ corpus infinitũ esset immobile, ergo, &c. Patet igitur quod si daretur infinitũ quãtũ actu nullo modo esset principiatum, sed omnino principiũ.

Ad primũ igitur argumentũ positum in principio quæsiti dico quod & si tale infinitum quãtum esset determinatũ ad vnum genus entiũ, tamen non potest habere rationem facti nec producti, & rationẽ huius assignabimus infra quærẽtes si potest dari infinitum actu siue secũdùm magnitudinẽ siue secundum multitudinem.

Ad secundum cõceditur quòd ratio Antiquorum nõ sufficienter concludit, quoniam vt dicit B. Tho. exponens, vtuntur principio æquiuocè. Nam hæc consequentia non valet, Infinitũ quãtum nõ habet principiũ magnitudinis. ergo non habet principium. quoniã arguitur ab inferiori ad superius negatiuè. Et ideo nõ formauimus ad cõclusionẽ rationẽ vniuersalẽ qua probauimus ex sufficienti diuisione infinitũ nõ posse habere principiũ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Num in perpetuis, siue in æternis non differat esse & posse.

Contingere enim ab esse non differt in perpetuis. tex. 32.

In perpetuis abstractis, & perpetuis trãsmutabilibus nõ differũt posse et esse substantiale.

IN hac quæst. aduerte quod dictum Philosophi primo aspectu habet multas instãtias. Nam materia prima est æterna secundùm Philosophũ ex 1. Physi. & tamen nõ sequitur, Potest esse sub hac forma, putà aquæ, & sub hac, putà ignis. ergo est sub illis. Patet quòd nõ sequitur, quia esset actu simul sub formis cõtrariis. Præterea. Sol est æternus & potest eclipsari, & tamen non sequitur, ergo eclipsatur.

Vt igitur scias defensare dictũ Philosophi aduerte quòd diuersimodè solet exponi.

Aliqui, vt Burlęus, dicũt ꝙ hęc propositio fuit introducta à Phil. ad mentẽ Antiquorũ, & non de mente Phil. ideo non est laborãdum ad sustinendũ eam in doctrina Phil. Sed hoc est cõtra cõmunẽ opinionẽ Doctorũ, qui vniuersaliter acceptãt eam vt verã, cũ aliqua limitatione, vt declarabimꝰ infrà.

Aliqui, vt Gregorius, dicunt quòd non verificatur nisi in natura simpliciter perpetua & ęterna, qualis est solus Deus, eò quòd in eo esse & potentia sunt idem realiter, sicut & actio sua est substãtia sua. Sed hęc expositio est magis ad mentem Theologi, qui ponit solum Deum ęternum, & omne extra Deum creatum in tempore, apud Philosophum autẽ, vt declaratum est in li. 12. Meta. in tex. 30. omnes substãtiæ abstractæ mouentes sunt æternæ, nos autẽ hîc quærimus, quomodo potest sustineri ad mentem Philosophi.

Aliqui vt videtur dicere B. Tho. in Quæst. de Potẽtia Dei,

q.3.art.14. tenent quòd cùm duplex sit posse siue potentia, s. passiua & actiua, propositio Philosophi in æternis non verificatur nisi de potentia passiua, quoniam si potentia passiua præcederet esse, non esset semper cõiuncta actui, omnis autem talis est principium corruptionis, quod repugnat æternitati. De potentia autem actiua & maximè voluntariè agente, non est necesse quòd verificetur, potest Deus facere multa, quæ tamen non facit. Sed & hæc expositio est magis ad mentem Theologi, quam Philosophi, quoniam Theologus tenet Deum ad extra merè liberè agere, ideo potuit mundũ ab æterno & in tempore producere. In via autem Philosophi quàm plures tenent Deum agere de necessitate naturæ, vt docuimus in li.12. Meta. in q.10. vt videre poteris. Et ideo dicta expositio non admitteretur quò ad potentiam actiuã.

Vt igitur habeas expositionẽ firmã & cõmuniter accepta in via Philos. & ẽm veritatẽ præponо triplicẽ distinctionẽ.

Prima est, Entia perpetua in via Philos. sunt in duplici differentia. Quædã incorporea & hæc in via Phil. sunt penitùs intrãsmutabilia, vt substãtiæ abstractæ. Quædam corporea & hæc sunt trãsmutabilia solùm motu locali, vt corpora cœlestia, aliqui addunt materiam primam, quæ secundùm Philosophum est æterna & trãsmutabilis secundum formationem, eò quòd deperdit vnam formam, & recipit aliam.

Secunda distinctio sit hæc, Esse rei perpetuæ trãsmutabilis est duplex, s. esse substantiale & esse accidentale, vt in Luna præter esse substantiale est esse accidentale, s. esse illuminatam diuersimodè, & in corporibus cœlestibus est esse accidẽtale, quod diuersimodè acquirunt ex motu locali secundùm quòd acquirunt diuersa ibi successiuè.

Tertia distinctio sit hæc, Posse siue potentia potest respicere esse dupliciter, s. esse substantiale, & esse accidentale. Verbi gratia, Si dicatur, Aqua est in potentia ad esse, verificatur pro esse substantiali. Si autem dicatur, Aqua potest esse calida, verificatur pro esse accidentali.

Ex his distinctionibus dico in proposito quòd in perpetuis abstractis nullo modo differunt esse & posse, quoniam in quocunq; differt esse, & posse in eo est potẽtia ad aliquod esse, quod prius non habuit, & posteà recipit, sed in substantiis abstractis de mente Philosophi in lib.12. Metaph. in tex. 30. non est talis potentia, quoniam earum substãtia est actus non admixtus potentiæ prout videtur esse mens Philosophi & Com. in eodem loco, prout verba sonant. Et de hoc formauimus in 12. Metaph. quęstionẽ 11. vt videre poteris. In perpetuis aũt transmutabilibus, vt sunt corpora cœlestia, non differunt esse & posse, quò ad esse substantiale, differunt autem quò ad esse accidentale. Prima pars probatur, In quocunque differũt esse & posse quò ad esse substantiale: hęc consequentia non valet, Hoc potest esse, ergo est. Sed in perpetuis talis consequentia valet. Nam si pro aliquo instãti esset verum dicere in perpetuis, Hoc potest esse & tamẽ non est, ergo non esset perpetuũ. Secunda aũt pars probatur, quoniã respectu esse accidentalis non valet hæc consequentia, Hoc potest esse, ergo est. Nam de Luna verum est dicere, q̃ potest eclipsari, & tamẽ non eclipsatur, & de Sole verũ est dicere, q̃ potest esse in Occidente, & tamen nõ sequitur q̃ sit in Occidente. Tu igitur cõclude breuiter q̃ propositio Philos. verificatur quò ad prædicata essentialia & cõsequentia rei perpetuæ naturam. Non autem quò ad prædicata accidentalia.

Ad instãtias propositas in principio quæsiti patet solutio. Nam cõcludunt quòd non tenet respectu esse accidentalis, accidit enim materiæ quòd sit sub hac determinata forma vel sub illa. Similiter accidit Soli quòd sit in tali vbi, quòd eclipsetur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Num possit esse corpus naturale infinitum actu.

Rationabiliter quidem igitur speculãtibus, ex huiusmodi videbitur non esse vtique, s. corpus naturale infinitum actu. tex. 40.

Impossibile est dari corpus naturale infinitũ simpliciter.

IN hac quæst. antequàm deueniamus ad resolutionem, aduerte quòd non intendimus hîc adducere rationem Philosophi qua laborat probare non dari infinitum corpus actu, vt in primo Cœli, & in hoc 3. li. Sed resoluemus propositum per solam rationem quam adducit hic in text. 40. Sic igitur procedemus, Primò ponetur conclusio responsiua. Secũdò ad eius probationem assignabimus aliquas suppositiones & formabimus rationẽ Philosophi. Tertiò soluemus aliqua argumenta apparentia.

Quantùm ad primũ sit hæc conclusio, Impossibile est dari corpus actu infinitũ simpliciter. Dico Simpliciter, i. quod penitùs caret terminis ẽm longitudinem & latitudinem & profunditatem. Nam si daretur corpus pedale in latitudine & cubitale in profunditate & longitudinis infinitæ, nõ esset actu infinitum simpliciter, quia non secundùm omnem dimensionem, sed tantùm secundùm longitudinem.

Quantùm ad secundum præpono tres suppositiones antequam probetur conclusio.

Prima est, Corpora simplicia naturalia vt elementa sunt adinuicem contraria, ex consequenti se mutuò alterant & corrumpunt, & id probatum est in 2. de Generatione.

Secunda est, Quando vnum cõtrarium totaliter obtinet super alterũ aut dominatur alteri, alterat & corrũpit ipsum, ad hoc autem quòd nõ corrumpat ipsum, debet esse proportionatum illi secundum virtutem.

Tertia est, Virtus corporis infiniti excedit improportionaliter virtutem cuiuscunque corporis finiti, sicut magnitudo infinita excedit improportionaliter quãcunq; magnitudinem finitã. Factis his suppositionib⁹, sic formatur ratio ad conclusionem, Si datur corpus naturale infinitum actu simpliciter, aut est simplex, vt elemẽtum, aut cõpositum, vt elementatum. Non primum, quia per tertiã suppositionem, virtus sua excederet improportionaliter virtutem aliorum corporũ finitorum simplicium, & sic per primã & secundã suppositionem corrumperet omnia alia finita simplicia, ex consequenti mundus, cuius partes principales sunt elemẽta & cœlum destrueretur. Non secundum, quoniã aut tantum vnum ex simplicibus componentibus esset infinitum, & alia finita, aut plura ex eis essent infinita. Non primũ, quoniã per secundã suppositionem corrumperet omnia alia simplicia cõponẽtia finita, & sic destrueretur cõpositum infinitũ, nam vt inquit Com. in hoc li. 3. in com. 42. Ad hoc q̃ compositum permaneat, oportet cõponentia esse proportionata Sed cõponens infinitum nullã habet proportionem cum cõponentibus finitis, ergo, &c. Non secũdum, quoniã plura corpora infinita simpliciter non possunt simul esse in rerum natura, quoniã vnumquodq; tale cùm sit infinitum secundùm omẽ dimensionem aliter non esset infinitum simpliciter, occupat omnẽ locum, & sic nõ cõpatitur extra se aliud corpus infinitum neque finitũ. Nam si extra se cõpateretur aliud corpus terminatur ex ea parte qua compateretur aliud corpus, & sic ex ea parte esset finitũ, quod implicat cõtradictionẽ. Hæc est ratio Philosophi in hoc 3. lib. ad destruendum corpus naturale infinitum siue simplex siue compositum.

Sed tu aduerte q̃ hæc ratio non cõcludit nisi de corpore naturali elemento vel elementato, vbi simplicia sunt contraria vt diximus in prima suppositione, ex quo sequitur, quòd per hanc rationem non potest destrui infinitas cœli, quoniã apud Philosophum, non est elementum nec ex elementis. Et ideo in 1. Cœli Philosophus processit ad destruendum infinitatem eius non hac ratione, sed ex motu, probans corpus infinitum esse immobile. Quæ ratio an sit demonstratiua & de necessitate concludens, non est prælentis loci inuestigare. Sed id pertractabimus in quæstione super libros de Cœlo. Nam aliqui & famosi vt Gregorius conantur illam rationem soluere, & nos defensabimus eam. Nũc sufficit sustinere quòd non datur infinitum corpus actu naturale simpliciter, quod sit elementum vel elementatum.

Tu tamen aduerte quòd sequendo opinionem Antiquorum, ratio, quam suprà formauimus, est vniuersalis, & concludit etiam de cœlo, quoniam Antiqui ponebant cœlum ex natura elementorum, vt patet in 1. Cœli.

Quantùm ad tertium aduerte, quòd inter argumẽta, quibus solet probari, dari posse infinitum quantũ actu, hæc sunt magis apparentia. Primum fundatur in 1. Phy. tex. 15. Vbi Philosophus reprobans Melissum inquit, Infinitum est in quantitate. Item dicit quòd ratio infiniti congruit quantitati, ex quibus sic arguitur, Si aliqua duo sic se habẽt quòd vnum est subiectum, & alterum proprietas sua, si subiectum est dabile in natura, & proprietas sua. Sed quantitas & infinitum se habent vt subiectum & passio ex dicto Philosophi adducto, & certum est quòd datur quantitas, ergo dabile est infinitum, quod est passio sua, sicut & finitum.

Ad solutionem huius aduerte, q̃ quando dicit Philos. in 1. Phy. tex. 15. Infinitum est in quantitate, non est sensus eius cõcedere, quòd de facto sit dabile infinitum quãtum actu, quia sibi contradiceret in hoc 3. lib. Sed arguens contra Melissum intendit hãc consequẽtiam, Si infinitum est, ergo est in quantitate. Et hoc ideo, quia hæc condicionalis est vera, Si datur infinitũ non datur nisi in quantitate. Nam substantia & qualitas non possunt esse infinitæ nisi per accidens, id est ratione quantitatis. Patet autem quòd ex illa consequentia non potest inferri, ergo infinitum quantum actu simpliciter potest esse,

esse, aliter & ex hac consequẽtia, Si datur vacuũ, datur circa locum, posset inferri, Ergo vacuum potest esse, quod tamen repugnat Philosopho in 4. Phys. Ad argumẽtum ergo nego minorem loquendo de infinito actu & simpliciter, ad probationem dico quòd text. us Philosophi non debet intelligi nisi conditionaliter ad destruendum errorem Melissi.

Secundò sic, Imaginatiua imaginatur infinitum, ergo vel est vel potest esse. Probatur consequentia. Quod mouet aliquam potentiam passiuam ad actum est, vel potest esse. Nam esse motiuum non conuenit nisi enti. Sed infinitum mouet imaginatiuam vt potentiam passiuam ad imaginandum infinitum, ergo est vel potest esse.

Ad hoc negatur consequẽtia. Ad probationẽ nego minorem. Et dico q̃ si imaginatiua imaginatur infinitum, non est quia moueatur ab infinito, sed quia mouetur à suo opposito, sed est à finito, per quod cognoscit infinitum. Nã naturale est nobis cognoscere priuationem per habitum. Prætereà, adgerte quòd maior est falsa. Nam imaginamur multa, quæ nec sunt nec possunt esse, vt chimærica & fabulosa.

Tertiò sic, Materia prima est in potẽtia ad omnẽ quantitatẽ, quoniam nullã sibi determinant naturaliter, sicut nec aliquã formã sibi cõgenitã habet, ergo est in potẽtia ad quantitatẽ finitam & infinitam. Sed omne, ad quod materia est in potẽtia potest esse, ergo, &c.

Ad hoc negatur antecedens, quoniã nõ est in potentia nisi in ordine ad formam naturalẽ quæ requirit determinatam quantitatẽ, sicut & alias determinatas dispositiones. ad probationem dico, quòd licet materia secundũ se & immediatè non determinet sibi aliquam quantitatem, tamen quia semper est coniuncta alicui formæ, ideo in ordine ad formas, quas successiuè recipit determinat sibi modo hanc, modo illam quantitatem, prout ipsæ formæ requirunt. Et quoniã nulla forma requirit quantitatem infinitam, aliter non daretur maximũ & minimum per se existens in naturalibus, ideo nec est, nec potest esse magnitudo actu infinita. Et si dicas quòd licet non possit dari magnitudo naturalis actu infinita propter formã determinantẽ sibi tantam quãtitatem, tamen ex hoc non sequitur quin possit dari magnitudo infinita mathematicè sumpta, quoniam vt sic abstrahit à materia, & vt sic non considerat ur in ordine ad formam.

Respõdeo, Licet magnitudo mathematicè sumpta abstrahitã materia secundũ rationẽ, nõ tamẽ secundũ esse, quia nõ potest esse nisi in materia, & in materia nõ est nisi in ordine ad formã, & ideo non potest esse realiter & existẽrer infinita, licet possit imaginari, vt diximus suprà. Hæc de præsenti quæsito dicta sint prout ad Physicũ hîc spectat. Nam vt diximus in 1. de Cœlo faciemus aliã considerationẽ de infinito.

QVAESTIO X.

Num in naturalibus possit esse multitudo actu infinita.

An verò nec numerus sic est, scilicet infinitus. tex. 41.

IN hac quæst. pro declaratione tituli aduerte q̃ non est intentio nostra hic disputare, si absolutè & vniuersaliter loquẽdo potest dari multitudo actu infinita, s. siue in absolutis siue in respectiuis, siue in substantiis siue in accidẽtibus siue in separatis quæ sunt nõ quãta, siue in naturalibus corporeis, sed tãtùm applicare ad naturalia. Nam in doctrina nostra vt patet per B. Tho. in lib. 2. Cõtra Gentes. c. 81. Philos. in 3. Phys. & in 1. Cœli, nõ loquitur nisi de infinito materiali, vnde in 3. lib. de Anima in q. 3. de Essentia Animæ intellectiuæ, quærẽtes si est incorruptibilis, formauimus argumentũ de infinitate animarũ, & sustinuimus q̃ non repugnat doctrinæ Aris. quam tradit in hoc 3. lib. Phys. dari multitudinem actu infinitam in separatis. Restringentes ergo nos ad multitudinẽ in naturalibus, quæ sunt quanta sic procedemus ad resolutionem quæsiti. Primò ponentur duæ conclusiones responsiuæ cum probationibus suis. Secundò soluentur aliqua argumẽta, quæ solent fieri magis apparentia in hac materia.

Quantùm ad primũ sit hæc prima conclusio, In naturalibus essentialiter ordinatis, nõ potest esse multitudo infinita actu: probatur, nõ potest in illis esse processus in infinitũ, sed necessariò datur primũ & vltimũ, ergo multò minùs potest illic esse multitudo infinita actu: consequẽtia nota per argumentum à maiori. Antecedens autem inuenies probatum in 1. Metaphy. quæst. 5. vide illic.

Secunda conclusio, In naturalibus non essentialiter ordinatis non potest esse multitudo actu infinita. Probatur sic, Omnis multitudo rerũ naturalium est in aliqua specie multitudinis, quia nihil est in genere quod nõ sit in aliqua specie illius generis. Sed omnis species multitudinis est secundùm aliquam speciẽ numeri. Non enim possumus cognoscere species multitudinis, nisi ex denominatione facta per species numeri, vt potè notiores nobis, sed nulla species numeri est nec potest esse infinita, quoniã numerus est multitudo mẽsurata vnitate, mẽsuratio autẽ repugnat infinitati. ergo est impossibile dari in naturalibus multitudinem infinitam actu.

Prætereà, Omnis multitudo entium naturalium quę sunt & quę possunt esse continetur in vltima sphęra, quoniam vt probat Philosophus in 1. Cœli in tex. 99. extra vltimã sphęram non est nec potest esse corpus naturale nec simplex nec compositum. Sed in vltima sphęra nõ potest contineri multitudo entium naturalium infinita, quoniã vt probat Philosophus in 1. Cœli diffusis imè, cœlũ nec est nec potest esse infinitũ, ergo si multitudo entium naturalium esset vel posset esse infinita, sequitur quòd infinitum possit contineri à finito, quod patet esse impossibile. Quare, &c.

Sed aduerte q̃ aliqui conantur soluere rationẽ primã, & dicunt, etiam q̃ illa ratio esset de mẽte Philosophi nõ cõcludit, & hoc declarant dupliciter. Primò dicunt q̃ quantitas sinue continua siue discreta diuiditur prima diuisione per finitam & infiniram, & vtraq; in species suas. Sed species quãtitatis finitæ denominãtur à numero, non autem species quãtitatis infinitę. Vnde licet concedant consequẽtiam, si datur multitudo infinita in naturalibus, ergo est in aliqua specie multitudinis, tamen negant istam, ergo est in aliqua specie multitudinis denominata à numero. Secundò dicunt q̃ prædicta ratio non est necessaria, etiã q̃ esset Philosophi, sed tantum probabilis, aliter Philosophus sibiipsi cõtradiceret. Nã in 5. Metaph. in c. de Quanto dicit. Pluralitas quidem finita est numerus: ergo secundùm ipsum non omnis pluralitas est numerus, sed tantùm finita, quasi excipiens infinitam: ergo non est necesse omnem quantitatem siue continuam siue discretam esse in aliqua specie denominata à numero, vt videtur dicere Philosophus in 3 Physic.

Sed contra primum dictum eorum arguitur, quòd si concedunt primã cõsequentiam habent cõcedere secũdam. Nã cùm species vt species respectu generis dicat quid determinatũ Comparatur enim ad genus vt determinatum ad determinabile ex doctrina Philosophi in 7 Metaph. & in 1. lib. Vniuersaliũ, quicquid est in specie est quid determinatũ, omne autẽ determinatũ, potest aliquo numero aut vnitate signari: ergo si est multitudo infinita & est in aliqua specie multitudinis, de necessitate est in aliqua specie denominata à numero.

Ad secundũ autem dico q̃ non fuit intentio Philos. in 5. Metaph. c. de Quanto excipere pluralitatem infinitam à finita quasi quoddã possibile esse, quoniã determinauit oppositũ hîc in 3. Phys. Sed excepit eam quò ad mensurationẽ, quasi dicat, Pluralitas finita est numerus, id est, mẽsurabilis ad differentiam infinitæ, quæ si daretur nõ esset numerus, & hæc condicionalis vtiq; est vera. Sed ex ea non potest haberi q̃ Philos. exceperit quantitatem siue pluralitatem infinitam vt possibilem esse, & est simile huic, Omnis locus naturalis est cõseruatiuus locari, & per hoc intẽdimus excipere vacuum non vt possibile esse, sed quoniam si esset non conseruaret.

Quantùm ad secundum aduerte quòd contra determinata solent fieri multa argumẽta, quorum solutiones ad Theologum spectant, & per aliqua arguitur quòd potest dari multitudo infinita rerum carentium quantitate, putà infiniti respectus in eodem, infinitæ species intentionales, infinitæ animæ intellectiuæ. Sed ista nolo adducere, quoniam hic tantùm de multitudine rerum naturalium quæ sunt quantæ, quæritur si potest esse infinita. Tria igitur argumenta formabimus, quibus arguitur posse dari multitudinem infinitam actu in rebus quantis.

Primum est, In quolibet continuo sunt actu partes infinitæ, ergo possibile est dari multitudinem infinitam in actu in rebus quantis: cõsequentia nota, & probatur antecedens, In quolibet continuo sunt partes infinitæ, aliter non esset diuisibile in infinitum. cuius oppositum probatur in lib. 6. Phys. nihil enim potest diuidi nisi in ea quæ insunt, & omnes sunt actu, quia omnes componunt, componens autem est actu, ergo in quolibet continuo sunt partes infinitæ actu. Ad hoc negatur antecedens. ad probationem concedo quòd in continuo sunt partes infinitæ, sed sunt tantum in potentia, & cum arguitur, quòd omnes actu componunt, ergo sunt actu, non concluditur nisi quòd omnes sunt actu componentes, & si vlterius infertur, Ergo omnes sunt in actu, negatur cõsequentia, quoniã ad hoc quòd sint in actu nõ sufficit q̃ actu cõponant, sed est necesse quòd omnes habeãt esse actu separatim quod est falsum, quã liu sunt in toto, quoniã nõ habẽt

esse actu, nisi per esse totius. Si autē separantur à toto desinūt esse actu partes, quia nō amplius actu cōponunt, & incipiūt esse in actu, id est habere esse separatim à toto, sed separatæ sunt finitæ, separabiles autem tenduntin infinitum.

Secundum est, Ex eo q̄ ponitur multitudo infinita nō implicatur cōtradictio, ergo est possibilis, consequētia nota ex 5. Metap. c. de Potestate. Antecedēs probat, quia infinitas nō tollit rationē multitudinis, nā posito q̄ esset multitudo infinita adhuc esset multitudo, nec tollit aliquid necessariò cōsequēs multitudinē, nec ecōuersò multitudo tollit rationē infinitatis, nec aliqd necessariò cōsequēs ad finitatē, ergo, &c.

Ad hoc negatur antecedens, ad probationē dico q̄ infinitas tollit rationē multitudinis actu existētis: repugnat enim multitudinē esse infinitā & actu existere, tollit etiā omnem speciē multitudinis, quia multitudo infinita nō potest cōtineri in aliqua specie multitudinis, aliter infinitū cōtineretur in aliquo finito. Sicut igitur aliquod quod non posset locari in aliqua specie animalis tolleret rationem animalis, sic quia multitudo infinita non potest locari in aliqua specie multitudinis tollit rationem multitudinis.

Tertium est, Tot nunc sunt potentiæ actu in materia prima, quot sunt formæ quas recipiet in futuro. Sed in futuro recipiet formas infinitas secundū Philo. quoniā ponit generationē æternā antē & pòst, ex 2. de Generatione, ergo nunc sunt potentiæ actu infinitę in materia prima. Minor quidem patet in via Arist. Maior autē probatur, Si nunc nō habet potentiam ad formam quam recipiet in futuro, ergo non poterit recipere eam. Implicat enim quòd aliquid sit potens respectu alicuius ad quod non habet potentiam, ergo nūc materia habet potentiam actu respectu cuiuscunque formæ recipiendæ in ea, & sic tot habet, quot formas recipiet.

Ad hoc argumentū nesciuit aliter respōdere Iādunus in 3. Physi. q. 11. nisi quòd cōcedit infinitā multitudinē actu potētiarū, quas nunc habet materia ad formas recipiēdas in futuro, & reputat hoc nō esse incōueniens, quia istæ potentiæ nō sunt indiuidua diuersa secundū quātitates cōtinuas. Et fortè Philos. non negauit multitudinē indiuiduorū infinitā nisi illam, quæ consequitur diuisionē cōtinui, & est multitudo indiuiduorum corporaliū. Sic respōdet Iandunus, & fuit deductus ad hoc, quia vt videre poteris in 1. lib. in q. nostra 33. tenuit ipse potentiā materiæ distingui realiter ab essentia materiæ, & multiplicari, vt multiplicātur formæ receptibiles. vnde ex hac sua positione bene sequitur, q̄ si formæ receptibiles sunt infinitæ, potentiæ sunt infinitę: verùm hoc argumentū in via nostra leue est, quoniam, vt determinauimus in prædicta q. & reprobauimus viā Iāduni, potētia materiæ est idem realiter, quātùm ad id quod dicit in recto cū materia, & nō multiplicantur realiter, sed formaliter modo, quo declarauimus illic, & ideo nō astringimur ad concedendū realem multitudinem actu potentiarū in materia, quoniā illa plurificatio nō est realis, sed formalis, sicut nec in vno patre plurificantur paternitates, etiam quòd habeat plures filios, vt determinauimus in 5. Metaph. Ad argumentū igitur sic respondendū est in via nostra, Potentia materiæ ad formā, potest dupliciter intelligi, aut de proxima, aut de remota, si de proxima, nego maiorem, aliter nunc materia esset disposita ad omnes formas recipiendas in futuro. Nā quando patiens est in potētia proxima nō indiget alia dispositione, aliter nō esset in potētia proxima, cō stat autem quòd materia existēs sub vna forma nō est disposita ad aliam formā, sed per abiectionē præsentis formæ paulatim disponitur ad aliā. Si de remota dico quòd maior nō verificatur nisi de pluralitate formali potentiarum, ex qua nō potest cōcludi infinita multitudo realis actu. Nam ex pluralitate formali nō valet cōsequentia ad pluralitatem realem, aliter genus & species distinguerentur realiter, quia distinguūtur formaliter, aliquid enim, includit species in suo conceptu, quod non includit genus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Diuisio & appositio magnitudinis tendūt in infinitum, non tamen per appositionē continget excedi quæcunq; data magnitudo.

QVAESTIO XI.

Num magnitudo sit diuisibilis in infinitum, & augmentabilis in infinitum, ita quòd possit excedere omnem magnitudinem finitam.

Quod autem secundum appositionē dem quodammodo est, & quod est secundū diuisionē, infinitū enim secundū appositionē fit ecōtrariò, tex. 59.

IN hac quæst. sic procedendum est, Primò probabitur q̄ magnitudo est diuisibilis in infinitum. Secundò quòd est augmētabilis in infinitum quòd possit excedere omnem magnitudinem finitam datam. Quartò soluentur quædam argumenta satis apparentia contra determinata.

Quantùm ad primū, ponitur hæc conclusio, In diuisione magnitudinis datur processus in infinitū. Hanc inēdo probare de intentione Com. quæ non discordat à via nostra, & arguitur sic, Si diuisio magnitudinis cessat, aut cessat ad nihil, aut ad aliquid: non ad nihil, quia hoc non esset diuidere, sed annihilare magnitudinē. Nā omnis diuisio possibilis requirit, maximè diuisio positiua, quòd ea, in quæ fit diuisio, fiat aliquius entitatis. Si ad aliquid, quēro aut ad diuisibile, aut ad indiuisibile. Non primū, quia omne diuisibile potest diuidi, ergo nō cessat diuisio, quod est contra te. Non secundū, quia si cessat ad indiuisibile, ergo componitur magnitudo ex indiuisibilibus, in eadem enim resoluitur vnumquodque ex quibus cōponitur. Sed probabitur in lib. 6. quod impossibile est continuum componi ex diuisibilibus, ergo, &c.

Quantùm ad secundum ponitur hæc conclusio, Appositio ad magnitudinem finitam tendit in infinitum. Probatur, Secundum quòd vna magnitudo est diuisibilis, alteri est apponibilis, putà secundùm quòd diuido hoc lignum, diuisa possunt apponi alteri ligno. Sed per conclusionem præcedentē, quælibet magnitudo est diuisibilis in infinitum, ergo & appositio tēdit in infinitum, & hoc est quod dicit Philosophus in tex. 59. Quod autem secundum appositionem idem quodāmodo est & quod secundum diuisionem, q. d. Appositio tendit in infinitum ex eo quòd diuisio tendit in infinitum.

Quātùm ad tertiū, ponitur hæc cōclusio, Licet magnitudo sit augmentabilis per appositionem in infinitum, non tamē per tale augmentum potest excedere omnem magnitudinē finitā datam. Probatur, Si magnitudo ita potest augeri in infinitū q̄ potest excedere omnem magnitudinē finitam, ergo poterit dari maior omni magnitudine finita. Sed quod est maius omni finito est infinitum, ergo poterit esse magnitudo actu infinita cuius oppositum probatum est suprà.

Quantùm ad quartum aduerte tria argumenta contra tertiam conclusionem.

Primum est, Sicut se habet diuisio ad diminutionem, sic appositio ad augmentationē: nam sicut res quanta quātò magis diuiditur tantò fit minor, sic quantò magis ei apponitur tātò fit maior. Sed per diuisionē vt docet Philos. cōtingit excedere quamcunq; paruitatē datam, ergo per appositionem contingit excedere quamcunque magnitudinem datam.

Ad hoc negatur similitudo, quoniā licet sit simile in hoc q̄ illud quod est acceptū ex diuisione sit minus præexistēti ante diuisionē, sic illud quod est cōstitutū per appositionē est maius præexistenti tamē est dissimile in hoc, quòd diuisio se tenet ex parte materię, quæ secundū se est infinita & interminata, & ideo non incōuenit per diuisionē tendere in minus in infinitū & excedere omnē paruitatē datam. Additio autē se tenet ex parte formæ, cuius est terminare quantitatē rei. Nam ex forma sumitur terminus rei quantæ.

Secundū, & est contra responsionē datam, Sicut magnitudini repugnat ex forma crescere in infinitū, ita quòd nō detur maximū, sic ex forma repugnat ei diuidi in infinitum ita quòd non detur minimū, aliter in naturalibus non daretur maximū & minimum, cuius oppositum determinatū est in 1. lib. ergo si magnitudo non potest crescere in infinitum ita quòd excedat omnē magnitudinem datam, nec potest diuidi in infinitum ita quòd excedat omnem paruitatem.

Ad hoc dicitur quòd repugnare ex forma magnitudinem diuidi in infinitum, ita q̄ non detur minimum potest intelligi dupliciter. Primò quòd repugnet per separationem, ita quòd vnaquæque pars in infinitū habeat esse extra totum, & sic concedo quòd repugnat ex forma talis diuisio in infinitum aliter non daretur minimum per se existens, cuius oppositum determinauimus in 1. lib. in q. 19. Secundò quòd repugnet per signationem partium, quæ tamen actu non separantur à inuicem, & sic nego quòd repugnet ex forma, & vt sic cōcedo quòd non datur minimū, tale enim est minimum inexistens, quod docuimus non dari in 1. lib. q. 19. Ad argumentū igitur nego similitudinem sumendo diuisionem in secundo sensu, & concedo quòd non datur minimū inexistens. Concedo autem similitudinem in secundo sensu, aliter vt arguitur non daretur minimum per se existens, & dico quòd Philosophus non posuit diuisionem in infinitum magnitudinis naturalis nisi in secundo sensu.

Tertium, Sicut est principium apud Geometrā quòd possibile est accipere lineam omni alia minorem, sic est principium quòd possibile est accipere lineam omni alia maiorem & sic in infinitū. Sed nō datur linea nisi in corpore naturali, quia quantitas non separatur à materia secundùm esse, ergo si possibile est dare lineam per appositionem omni alia maiorem sic erit etiam de magnitudine.

Ad

Ad hoc dicitur quòd principium Geometræ non est tale, Possibile est ad omnem lineam accipere maiorem illa. Sed est tale, Possibile est ad omnē lineā imaginari sīue opinari maiorem illa. Constat autem quòd non omne imaginabile est possibile esse, & hæc est responsio Com. in comm. 59. vbi inquit, Additio mēsuræ, id est, magnitudinis quæ vcitur Geometra, est de ca. propositionum opinabilium, & exemplicans inquit, Vt cùm imaginatur quòd figura habet positionem, & quòd cùm punctus mouetur facit lineā, & linea mota facit superficiem. Vnde patet quòd Geometer non sic ponit in re, aliter falsum poneret, quoniam in lib. 6. probatur impartibile non posse moueri, sed solùm ponit imaginariè, & sic patet quòd argumentum nihil concludit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum tertij libri Physicorum finis.

QVAESTIONES MAGISTRI CHRYSOSTOMI Iauelli, super quartum librum Physicorum.

Cuius sunt Quæstiones viginiquinque.

1 *Num ratio Antiquorum qua probatur quòd ad Physicum spectat considerare de loco sit sophistica.*
2 *Num locus naturalis habeat virtutem trahendi ad se locatum & conseruandi, & perficiendi ipsum.*
3 *Num sursum & deorsum sint species loci, & vtrum sint extrema longissimæ lineæ rectæ.*
4 *Num qui dicunt mundum factum in tempore necesse habeant ponere vacuum præcedere generationem mundi.*
5 *Num punctus & locus puncti sint idem, & numquid idem sequatur de corpore & loco eius, similiter de superficie & de linea.*
6 *Num hæc consequentia sit vera, Si locus est, ergo est aliqua causa.*
7 *Num apud Commentatorem concedendum sit, quòd materia sit dimensio in potentia.*
8 *Num sit impossibile scire formā sine materia, vt dicit Com. in com. 16.*
9 *Num ratio quam facit Philosophus in tex. 20. qua intendit probare locum non esse formam, nec materiā concludat contra Antiquos.*
10 *Num hæc sit vera, Amphora vini est in amphora vini.*
11 *Num locus sit æqualis locato.*
12 *Num materia possit separari à forma, ita quòd separatim existat.*
13 *Num diffinitio loci sit rectè assignata à Philosopho.*
14 *Num vltima sphæra sit in loco & quomodo.*
15 *Num vnum elementum sit locus naturalis alterius.*
16 *Num vnū elementū vt locatur in alio puta aër in igne patiatur ab eo.*
17 *Num si daretur motus in vacuo, esset in instanti.*
18 *Num duo corpora possint esse simul in eodem.*
19 *Num rarefactio & condensatio possint fieri sine vacuo, & sine acquisitione ac deperditione nouæ quantitatis.*
20 *Num hæc est vera, Tempus est & motus & econuerso.*
21 *Num diffinitio temporis sit bene assignata.*
22 *Quæ sint illa quæ mensurantur tempore.*
23 *Num tempus sit tantùm vnum.*
24 *Num tempus habeat esse extra animam.*
25 *Num in toto tempore sit idem instans vel plura.*

QVAESTIO PRIMA

Num ratio Antiquorum, qua probatur quòd ad Physicum spectat considerare de loco, sit sophistica.

Et ea nanque quæ sunt omnes opinantur alicubi esse. Quod enim non est, nusquam est, vbi enim tragellaphus. tex. 1.

IN HAC quæst. antequā deueniam ad resolutionē aduerte q̄ Antiqui sic arguebant, Quod nō est, nullibi est. ergo quod est, alicubi est: & secundùm Com. sic arguebant, Cùm videtur q̄ illud quod nō est ens vt chimæra non est in loco existimarūt q̄ sequitur secundū conuersionē quòd omne quod est ens est in loco. Vt autē scias an sit sophistica vel non, sic procedendum est, Primò ponitur distinctio de ente. Secundò declaratur quòd in vno sensu nō est sophistica, in alio autē sic. Tertiò declarabitur in particulari qualiter est sophistica, nam licet apud Com. & B. Tho. sit sophistica, non tamen videntur concordare de modo.

Quantùm ad primū aduerte, q̄ ens duobus modis potest considerari. Primò vt se extēdit ad entia sensibilia corporea, & incorporea, quæ non habent nisi quantitatem virtualem, quæ non est repletiua, nec commensurabilis loco. Secundò vt solum se extendit ad entia sensibilia corporea.

Quantùm ad secundum aduerte q̄ si sumatur ens secūdo modo, & teneat aliquis non dari ens nisi sensibile, ita q̄ omne ens est sensibile, & quod non est sensibile nō est ens, & vtatur ratione prædicta Antiquorū nō arguet sophisticē, quoniam posito illo casu ista tria sunt cōuertibilia, s. Esse ens, Esse sensibile, Esse in loco: ita quòd sequitur affirmatiuè, Si quid est ens, est sensibile, si est sensibile, est in loco, quoniam est quātum. Sequitur etiam negatiuè cōuertendo, Si nō est in loco, nō est sensibile, si nō est sensibile nō est ens. Vnde nota q̄ in terminis cōuertibilibus nō potest cōmitti fallacia cōsequētis arguēdo à destructione antecedētis ad destructionē cōsequentis, siue a positione consequētis ad positionē antecedētis. Nam procedendo & retrocedēdo affirmatiuè & negatiuè ab vno ad aliud valet consequētia, vt hic, Si tu es homo, tu es risibilis, ergo si nō es risibilis nō es homo, & hic, Si tu es homo, tu es risibilis, sed tu es homo, ergo tu es risibilis. Et quoniam Antiqui reputabant nullū esse ens nisi sensibile, ideo stante opinione eorum, licet falsa, nō cōmittebant fallaciā. Si autem sumatur ens primo modo, & vt veritas est, dico quòd prædicta ratio est sophistica, quoniā esse ens & esse in loco, se habent sicut magis cōmune & minus cōmune. Vnde sicut non sequitur hic, Si tu non es animal non es homo, ergo si tu es animal tu es homo: quia arguitur à destructione antecedentis ad destructionem consequētis. Sic nō sequitur hic, Quod nō est ens, nō est in loco, ergo quod est ens est in loco, stat enim q̄ aliquid sit ens & nō sit in loco, vt substātia abstracta, & quoniā veritas est, quòd ens se extēdit ad sensibile & incorporeum, ideo Com. & B. Tho. non considerantes illud solùm quod dicebant Antiqui, sed quid verum sit, tenent rationem Antiquorum esse sophisticam.

Quātùm ad tertiū, aduerte q̄ sequētes Com. inter quos est Bur. dicunt rationē Antiquorū esse sophisticā, quia arguunt à destructione antecedētis. Pro cuius noticia aduerte q̄ arguētia, Si antecedēs est negatū, affirmetur, si affirmatū negetur. Nā hic est fallacia, Si tu nō curris nō moueris, ergo si curris moueris, & similiter hic, Si tu es homo tu es animal, ergo si nō es homo nō es animal. Antiqui autē arguēbāt primo modo. Sic enim arguebant, Si aliquid nō est, nō est in loco, ergo si aliquid est, est in loco. Ideo cōmittebant fallaciā, quia arguebant à superiori ad inferius negatiuè, quia in plus est esse ens quàm esse in loco, vt diximus. Deinde conuertebant à superiori ad inferius affirmatiuè, quæ conuersio nō valet. Vnde inquit Com. in comm. 1. Declaratum est in Logica q̄ ista conuersio non tenet. Sunt enim entia quæ non sunt in loco.

Secundùm B. Thom. arguebant à positione consequentis, qui est alter modus committendi fallaciam consequentis, sic enim arguebant, Si id quod in nullo loco est, non est. ergo omne quod est, est in loco. Idem tenet Iandunus in 4. Physi. quæst. 1. ad vlt. Nolo autem immorari ad inuestigandū, quis modus magis consonet textui. Sufficiat tibi quòd siue arguant à destructione antecedētis, siue à positione consequētis, quòd eorum ratio secundum veram Philosophiam est sophistica: quia, vt demonstrabitur in lib. 8. & lib. 11. Metaphy. dantur entia quæ non sunt in loco, vtpotè non quanta & sine omni magnitudine.

Nec obstat quod dicit Philosophus in 8. li. Physi. in tex. 84. quòd principium mouens primum cœlum, quod est substātia abstracta est in medio, id est, in centro aut in circulo, &c. ex consequenti videtur esse in loco. Nam esse in loco physicè vt dicemus infrà, est quantitatem locati cōmensurari loco, & replere locum, quod repugnat enti non quanto. Primum autem principium esse in centro vel in circulo, id est in circunferentia primi mobilis, non est per commensurationem sed per contactum virtualem, de quo loquemur in lib. 8. & esse sic in loco, non est modo Physico, sed metaphysico. Sed non est præsentis loci id pertractare. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Locus naturalis habet virtutem conseruatiuam locati, & trahendi & perficiendi ipsum finaliter.

QVAESTIO II.

Num locus naturalis habeat virtutem trahendi ad se locatum & conseruandi ipsum ac perficiendi.

Sed quia & habet quandam potentiam locus, ferturenim vnumquodque in locum suum non prohibitum. tex. 4.

IN hac quæst. aduerte quòd non intendimus loqui quæ sint naturalia loca elementorum, vtrum, scilicet, vnum elem

elementum locetur in alio, hoc enim quæremus infrà, sed solùm intēdimus loqui, de proprietatibus loci naturalis absolutè sumpti & sic procedemus. Primò inuestigabitur si trahit ad se locatum. Secundò si conseruat. Tertiò, si perficit. Quartò, remouebitur quoddam dubium.

Quantùm ad primū aduerte ꝙ trahens est duplex. Quoddam vt efficiens, & est illud quod mouet ad se, vt dicemus in libr. 7. Quoddam vt finis, & est illud per quod tractum consequitur esse suum perfectum, quoniā finis habet rationē boni, bonū autem est perfectiuum eius cuius est bonum. In proposito dicitur ꝙ locus trahit locatum nō vt efficiens, siue vt mouens effectiuè, sed vt finis. Et quidem ꝙ non effectiuè probabiť in 8. li. vbi quæremus à quo mouetur effectiuè graue & leue. Nam omne locatum in sphæra actiuorū, aut passiuorum est graue aut leue, quia aut est elementum, aut elemētatum, & tunc inuestigabitur, si forma grauis aut generans aut locus mouent ipsum effectiuè. Quòd autem moueat & trahat vt finis, probatur, Illud mouet & trahit vt finis, ad quod cùm peruenerit tractum quiescit in eo, nec inde abstrahitur nisi violenter, finis enim habet rationem quietantis & immobilitantis. Sed istæ conditiones conueniunt loco naturali. Nam videmus quòd locatum extra locum naturalē non naturaliter quiescit, quoniam nō prohibitū tendit ad locum naturalē & ibi quiescit, nec potest extrahi nisi per agens violentans, ergo, &c. Tu tamen aduerte ꝙ vt declarabitur in li. 7. de mente Com. in commen. 10. trahens vt efficiens & trahens vt finis non conueniunt in attractione vniuocè, quoniā trahens vt efficiens mouetur cum tracto. Trahens autem vt finis non mouetur, sed tractum mouetur ad ipsum. Nam finis habet rationem mouentis non moti, vt determinauimus in 3. de Anima & in 12. Metaphysicæ.

Quantùm ad secundum concorditer conceditur ꝙ locus naturalis habet potentiam, id est, virtutem conseruatiuam locati, & ex opposito locus nō naturalis habet virtutem destructiuam locati: & primum quidem manifestatur ratione & signo. Ratione quidem sic, si locus naturalis, puta locus deorsum, nō haberet virtutē conseruatiuam sui locati, s. rei grauis, non magis moueretur graue ad vnū locum quàm ad alium, ex quo per te nō magis cōseruat hic locus quàm ille. Præterea, frustrà inditæ essent qualitates motiuæ grauibus & leuibus. Nam nulla ratione alia habent in se has qualitates, nisi vt per eas moueantur ad loca sua naturalia, vt ad sua conseruatiua. Signo autem id constat, quoniā non solū videmus in diuersis locis diuersa conseruare & proficere & augeri, in oppositis autem destrui & deficere, vt patet de arboribus & multis vegetabilibus trāslatis de regione ad regionem, sed etiam videmus quātùm conferat locus generationi. Nam elephantes propriè in tertio climate generantur. Aromata in primo climate & vltrà. Et non solùm locus cōseruat locatum, sed in humana specie maximam diuersitatē causat quò ad complexiones & mores, nam Arctici fortiores sunt complexione, sed ingenio depressi, moribus rudiores. Meridionales autem opposito modo, ergo, &c. quòd autem locus non naturalis sit causa corruptionis, ad sensum patet. Nam respirantia viuunt in aëre, & suffocantur in aqua. Non respirantia autem econuersò.

Vnde autem locus naturalis habeat virtutem generatiuā & cōseruatiuā locati, dicemus infrà, quādo inuestigabimus quomodo vnū elementū, est locus alterius elementi, licet habeant qualitates cōtrarias. Pro nunc dico ꝙ habet à primo locante, id est, à cœlo influēte talē virtutē cōseruatiuam, inde enim prouenit ex 1. Metheor. omnis virtus regitiua & generatiua & cōseruatiua huius mundi inferioris, vt declarauimus in Epitom. nostro in 1. Methcororum in Trac. 1.

Quantùm ad tertiū, scilicet, ꝙ perficiat locatū patet ex primo & secundo. Nam finis & cōseruatiuum habet rationem perficientis. Tu tamen aduerte ꝙ perficiens est duplex, scilicet intrinsecū & extrinsecum: intrinsecū quidem est forma rei perfectibilis siue substantialis, vt anima est perfectio animati, siue accidentalis, vt sciētia est perfectio sciētis. Extrinsecum autem est, vt bonus equus perficit sessorem, & robustus exercitus ducem, & solium regem, sic naturale cōtinens perficit contētum. Et ex hac distinctione soluitur argumētum, quò probatur locum nō perficere locatum, quia nō est forma, nec quid inhærens locato. Hoc quidem nō valet quia supponit omne perficiēs esse intrinsecum perfectibili, quod nō est verum, nam assistentia intelligentiæ perficit cœlū & magister assistens discipulo disputāti perficit ipsum inquātùm inanimat & roborat ipsum & inferiores intellectus perficiuntur ex conuersione ad superiores. Sed de hoc aliàs.

Quātùm ad quartum dubiū occurrit, quia nō videtur verum, ꝙ locus naturalis cōseruet locatū, & arguitur sic, Si locus haberet virtutē cōseruatiuam locati, locatū nunquā corrumperetur existēs in suo loco naturali: hoc autē est falsum, quoniam videmus animalia & plantas etiam ꝙ existant in loco sibi cōuenientissimo, corrumpi, & deficere. Consequētia probatur, quia nihil corrūpitur in eo in quo cōseruatur, aliter nō esset conseruans. Nam cōseruare est manu tenere in esse. Implicat autem quòd manu teneatur & corrumpatur.

Ad hoc dicitur ꝙ omne locatū naturaliter in sphæra actiuorū est corruptibile ex causa intrinseca, si est compositū ex contrariis vel ex contrario extrinseco sibi approximato, siue sit simplex siue compositum, si obtinet super ipsum.

Quòd autem corrumpantur & deficiāt locata in suo loco naturali, nō est quia nō cōseruat, sed quia nō potest prohibere corrumpentia intrinseca & extrinseca, quæ præualent suę virtuti cōseruatiuæ. Tu tamen aduerte ꝙ Locus naturalis licet ex se sit cōseruatiuus locati, tamē ex aliquo superueniēte extraneante ipsum fiet corruptiuus locati, vt aër recipiens cauma, & qualitates venenosas, & infectus malis vaporibus interficit animalia respirātia, vnde locus naturalis quamdiu stat in sua naturalitate est cōseruatiuus, si autē trahatur extra suā naturalitatē fit per accidens corruptiuus. Ad argumētum ergo nego cōsequentiā. Ad probationē dico ꝙ aliud nō cōcludit, nisi ꝙ cōseruans vt cōseruans nō corrūpit: & quantùm sit ex cōseruante nunquā corrumperetur, quòd autem corrumpatur aliunde prouenit, putà ab agente cōtrario superante virtutem conseruatiuā loci, aut quia locus extraneatus est ex receptione malæ qualitatis, sicut & panis nutritiuus est, sed ex admixtione alicuius nociui interficit nutritum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. III.

Num sursum & deorsum sint species, hoc est, nunquid sint extrema longissimæ lineæ.

Hæc sunt loci partes atque species. textu 4. Non enim sursum est, vt contingit, &c. textu 5. vbi inquit Com. Quia sunt in duobus extremis vnius lineæ rectæ longissimæ.

IN hac quæst. sunt duæ partes. Prima est, Vtrum sursum & deorsum sint species loci. Secunda est, Vtrum sursum ad quod fertur ignis, & deorsum ad quod fertur terra, sint extrema vnius lineæ rectæ longissimæ.

Quantùm ad primam partem stat difficultas in hoc, Cùm sursum sit locus leuium, & deorsum locus grauium, & locus sit superficies continētis, vt diffiniemus infrà, locus sursum & locus deorsum non differunt nisi vt superficies superior & inferior. Sed istæ superficies non differunt vt duæ species, sed vt duæ eiusdem speciei distinctæ situ, ergo non videtur verum, quòd sursum & deorsum sint duæ species loci.

Quantùm ad secundam partem stat difficultas in hoc, Si protrahatur linea à centro mundi ad conuexum vltimæ, id est supremæ sphæræ, certum est quòd erit longior linea recta protracta à centro mundi ad concauum orbis Lunæ, qui est locus ignis, ergo sursum, id est, locus ignis & deorsum, id est locus terræ non sunt extrema longissimæ lineæ.

Pro resolutione primæ partis aduerte, quòd Philosophus in eodem sensu intendit sursum & deorsum esse species loci, quo dixerat in tex. eodem locum habere quandam potentiam, scilicet virtutem conseruatiuam locati. Constat autem quòd sola superficies non est conseruatiua, quoniam quantitas vt quantitas nullam habet virtutem actiuam nec perfectiuam, sed habet terminare, vt ergo locus habeat virtutem talem necesse est, vt sumatur pro corpore locante, cui inest à cœlo huiusmodi virtus: & quoniam alia virtus distincta specie est in corpore locante sursum, & alia in corpore locante deorsum, ideo dicit Philosophus locum sursum & locum deorsum esse partes, scilicet, subiectiuas & species loci. Ad argumentum dicitur quòd supponit falsum, scilicet, ꝙ Philosophus per sursum & deorsum intendat solam superficiem superiorem & inferiorem, imò intendit corpus locans superius & inferius modo quo diximus aliter non posset sustinere locum esse conseruatiuum locati.

Pro solutione secundæ partis aduerte ꝙ extrema lōgissimæ lineæ possunt esse duobus modis, prima ꝙ sint extrema lōgissimæ lineæ absolutè, quæ possit in mūdo siue in hoc Vniuerso describi, secūdò quòd sint extrema lōgissimæ lineæ nō absolutè, sed inquantùm terminant motum rectum naturalē grauiū & leuiū: Philosophus & Com. non intēdunt in primo modo. Nam iuxta primum axis super quam voluitur cœlū motu diurno, cuius extrema sunt duo poli mundi, Arcticus &

& oppositus est longissima linea absolutè, intendunt autem secundo modo, & est verum, quoniam graue non potest suo motu transire centrū mundi, quod est vnum extremum incipiens descēdere à cōcauo orbis Lunæ, quod est alterū extremū, & opposito modo contingit in motu leuium. Ad argumentū ergo dicitur ꝙ cōcludit de extremis lineæ longissimæ in primo sensu, sed Philo. & Com. intendunt in secundo sensu & aduerte ꝙ hæc solutio cōformatur menti B. Tho. in lib. 5. Phys. lect. 3. vbi inquit, In loco inueniuntur duo termini maximè distantes per cōparationē ad motū aliquē, in quorum vno incipit motus & in altero terminatur, idē tenet in 1. Cœli in lect. 20. super tex. 96. Hæc de p̄sen. quęsi. dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Num qui dicunt mundum factum in tempore necesse habeant ponere vacuum præcedere generationem mundi.

Et est necessarium in existimatione eis, qui generant mundum secundū totum, scilicet, existimare vacuum præcedere, necesse est enim vt locus præcedat corpus, & cùm totum est generatum, sequitur vt vacuum præcedat generationem totius, & ideo loquentes nostræ legis dicunt vacuum esse, quia generant mundum. & infrà, Et hoc est vnum eorum, quibus Arist. destruit corpus generari simpliciter, quoniam sequeretur vacuum præcedere ipsum, & vacuum esse apud ipsum est falsum. Hæc Com. in comm. 6.

IN hac quæst. aduerte antequàm deueniamus ad resolutionem, ꝙ non mouetur propter dictū Philosophi in tex. 6. cùm dicit, Amplius vacuum esse affirmantes dicunt locum esse. Nam ex eo nō potest trahi vt declarabimus ꝙ Christiani sint coacti ponere vacuum, quia dicunt mundum factum in tempore. Mouetur autem propter Com. qui accepit occasionē arguendi contra tenētes creationem mūdi de nouo, vt tenent Hebręi ex lege, & Saraceni, & Christiani, vt igitur videas ꝙ nec Com. nec sequētes eum, inter quos est Burlæus in 4. lib. Phys. in expositione tex. 6. concludunt contra nos, sic procedēdum, primò declaratur quomodo ponētes mundum creatum in tempore vitant vacuum, secundò ponetur positio Burlæi sustinentis Comment. tertiò soluentur rationes Comment. & Burlæi.

Quantùm ad primum aduerte, quòd veri Theologi ponētes mūdum creatum in tēpore dicunt locum nō præcessisse mundum, sed simul creatū cum mūdo, & locū mundi dicūt esse vltimam circūferentiam locātem & circūdantē omnia, & vnumquodque corpus superius locans in se corpus inferius. Nam Philos. sic docuit localitatem Vniuersi, declarans quomodo terra locať in aqua, aqua in aëre, aër in igne, ignis in concauo Lunæ, cœlum Lunæ in concauo Mercurij: & sic ascendendo vsque ad vltimā circunferentiam, hæc autem nō est amplius in loco per se, quoniam extra vltimam circunferentiam non est aliquod circundans neque corpus, neq; locus capax corporis. Quomodo autem vltima circunferentia sit in loco per partes siue per accidens declarabitur infrà. Hæc est positio veri Theologi: Si autem Theologus teneret vltimam sphæram esse in loco per se, & creatam de nouo, vt fortè tenent loquentes in lege Machumeth, qui diuinæ legi multa falsa immiscuerunt, nō posset vitare vacuum, quoniā omne per se locatum habet circundans extra se. Et si pro aliquo tēpore in illo circundante non fuit cœlum, ergo erat vacuum. Nam vacuum est spacium non repletum, capax tamen corporis replentis.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Burlæus dicit difficile sibi videri, quod loquentes nostræ legis possint vitare vacuum extra mundum. Nā dicunt quòd sicut Deus creauit hunc mūdum potest creare alium. Ponamus igitur quòd Deus creet alium mundum, quæritur, Aut inter conuexitates vltimarum sphærarum horum mūdorum est aliquod medium, aut nihil: si primum, ergo est vacuum, quoniam cùm sit diuisibile & non repletum corpore est capax corporis. Si secundum, aut isti mundi tangunt se in puncto, aut in aliquo diuisibili. Non in pūcto tantùm, quoniam inter quæcunque indiuisibilia istarum sphærarum est aliquod diuisibile medium, & non nisi vacuum, ergo, &c. Si dicatur quòd tangūt se in aliquo diuisibili, hoc non potest dari, quia impossibile est sphęricū tangere sphęricū secundū aliquod diuisibile. nā superficies tangens superficiem conuexā in aliquo diuisibili quantum ad illam partē, secundum quā tangit, est cōcaua, & sic vltima superficies sphęræ esset cōcaua, quod est impossibile: & sic videtur quòd loquentes nostræ legis habent necessariò ponere vacuum. Hæc est positio Burlæi.

Quantùm ad tertium, aduerte ꝙ Com. in comm. 6. intēdit sic arguere, Si mundus de nouo genitus est, ergo præcessit locus in quo generatus est, Sed in illo loco ante generationē mundi non erat corpus, & erat capax corporis, aliter mundus nō fuisset generatus in illo, ergo erat vacuus, & per cōsequens generantes mundum coacti sunt ponere vacuum. Consequentia prima sic probatur, Necesse est locum præcedere corpus in eo genitum, ergo si mūdus de nouo genitus est, præcessit locus in quo genitus est.

Hæc ratio supponit falsum, scilicet, ꝙ eiusdem rationis sit generare totum mundum, & generare corpus particulare in loco. Quod quidē non est verum, quoniam quando generatur corpus particulare generatur in aliquo elemētorum, ideo de necessitate generatur in loco, quando autē generatur mundus non generatur in aliquo corpore, nec in aliquo loco, sed simul cum mundo generatur locus locans omnia, vt diximus, scilicet, vltima sphæra. Ipsa autē nō est per se in loco, vt disputabitur infrà. Ad argumentum igitur negatur cōsequētia. Ad probationē nego antecedens in generatione corporis simpliciter & vniuersaliter, quādo aūt genitus fuit mūdus genitum fuit corpus simpliciter, quia ante mundum non erat corpus. Quod quidem antecedens admittitur, quādo generatur corpus particulare.

Soluta ratione Com. soluenda est ratio Burlæi, quam recitauimus. Cum igitur arguit, Ponamus ꝙ Deus creet alterum mundū, &c. cōceditur casus, & dico ꝙ isti mūdi possunt esse distātes, & possunt se tangere modo quo sphæricum potest tāgere sphæricū, s. in indiuisibili. Et cùm arguitur, Aut habēt aliquod mediū aut nihil, dico ꝙ si per medium intelligis spaciū reale, nullū habent mediū, sed solùm spaciū imaginatū, quod non potest dici vacuū. Nam de ratione vacui est ꝙ sit spaciū nō solùm imaginatū, sed realiter quātum dimēsionatum cum reali aptitudine recipiendi corpus repletiuū & occupatiuum spaci). Istæ autē conditiones nō conueniunt illi medio imaginato. Item cùm arguitur, Si se tāgunt, aut in pūcto, aut in aliquo diuisibili, dico ꝙ in pūcto: & cùm arguitur, Inter quæcūque indiuisibilia istarum sphærarū est aliquod diuisibile medium. Nego de medio diuisibili reali & concedo tātùm de imaginato, quod non potest dici vacuum. Et sic patet quòd ratio Burlæi nullam habet efficaciam.

Et aduerte ꝙ sicut arguit Com. quòd tenentes mundum productū in tempore coacti sunt concedere vacuum, sic possumus arguere contra ipsum, Si mundus est productus ab ęterno, nam sicut ipse arguit quòd si mundus est productus in tempore, vacuum præcedit mundum tempore, ita ego arguo, quòd si mundus est productus ab æterno, & omnis productio corporis secundùm Auer. supponit locum, vacuum præcedit mundum, saltē natura, & sic sequitur ex fundamēto suo ꝙ siue ponatur mundus productus in tempore siue ab æterno, datur vacuum præcedens, tēpore aut natura. Quod nō concedit Philo. vt patet in 1. Cœli tex. 99. Nec video quomodo responderi possit ad mentem Com. huic obiectioni, nisi negando secundum ipsum ꝙ cœlum sit productū à Deo, nec ab æterno nec in tēpore eò quòd negat creationem absolutè, vt ei imponit B. Tho. in 8. lib. Physic. lect. 2. & vt determinauimus in lib. 12. Metaph. in q. 28. quam videre poteris. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Num punctus & locus puncti sint idem, & si idem sequatur de corpore & loco eius, similiter de superficie & linea.

At verò differentiam neque vnam habemus puncti & loci pūcti. Quare si neque ab hoc est locus alterum neque ab aliorum nullo, neque est aliquid præter vnumquodque istorum locus. tex. 9.

Punctus & locus pūcti sunt idem, mathematicè loquendo, non autē naturaliter, similiter corpus & eius locus.

IN hac quęst. aduerte antequā deueniamus ad resolutionē ꝙ Philos. in tex. 9. intendit hoc modo arguere, Si locus corporis est receptaculū distinctū à corpore, eadē ratione & locus superficiei est distinctus à superficie, & locus lineæ distinctus à linea & locus pūcti distinctus à pūcto. Sed pūctus & locus eius nō distinguunť, ergo eadē ratione nec locus lineæ distinguiť à linea, nec superficiei à superficie, nec corporis à corpore. Sed in hac ratione videnť esse duo falsa, primò ꝙ pūctus & locus eius nō distinguātur, nā pūctus locatus est subiectiuè in corpore locato, & pūctus qui est loc⁹ pūcti est subiectiuè in corpore locāte. Quæ distinguūtur subiecto, nō sunt idē, nec sunt vnū, imò distinguūtur realiter, ergo, &c. Secūdò videť falsum, ꝙ sit eadē ratio de corpore & loco suo, sicut est de pūcto & loco suo, ita, s. ꝙ si punctus nō distinguiť à suo, sic nec corpus à loco suo. Hoc, inquā, nō videť valere, nā punctus quia nō habet partē attingitur totaliter à pūcto, qui est locus eius. Sed nō sic est de corpore, quia cū habeat partes & sit profundæ substātiæ, nō attingitur totaliter à loco suo, sed tantū secundū superficiē, vt declarabimus cū disputabimus de æqualitate loci & locati, ergo stat ꝙ pūctus & locus puncti sint idem, non autem corpus & locus corporis.

Vt

Vt igitur vtrumque resolnatur sic procedendũ est,primò præponitur quoddã notandum,secundò per distinctionẽ resoluemus primum dubium,tertiò resoluemus secundum.

Quantùm ad primum aduerte, quòd Philos. hic arguit ex sermonibus famosis,& prout cõmuniter extimabant ac tractabant Antiqui de loco,ipsi autem tractabant de loco magis mathematicè quàm Physic. Considerabant enim locum vt dicemus in ca. de Vacuo ratione quantitatis & dimensionum,de subiecto autem loci & de virtute naturali quasi nihil considerarunt, vnde de distinctione vel identitate loci & locati interpretandus est textus Philosophi eo modo quo intendebant Antiqui, & non prout veritas se habet apud verum Physicum.

Quantùm ad secundum aduerte, stante notabili præposito punctus & locus puncti, qui etiam est punctus, possunt dupliciter considerari,scilicet,modo naturali & modo mathematico. Naturalis quidem dicit ea esse vnum aut distincta,quorum entitas & natura est eadẽ aut diuersa, Mathematicus autem dicit ea esse vnum quæ sunt in eodem situ,& distincta quæ sunt in distincto situ, non enim considerat aliquid vt res est sed vt quantũ est,quantitas autem accipit vnitatem & distinctionem ex situ. In proposito dico quòd pũctus & locus puncti apud naturalem distinguũtur realiter, quia sunt in distinctis subiectis,vt argumẽtum probat apud Mathematicum autem sunt idem, quoniam apud ipsum illa sunt idem,quæ non distinguuntur situ: constat autem quòd punctus & locus puncti cùm sint indiuisibiles nõ distinguũtur situ,& ideo sunt vnum. Philosophus autem hic loquitur de loco more Antiquorum,qui eũ magis mathematicè quã naturaliter considerabant: & ideo hæc propositio, Punctus & locus puncti nullam differẽtiam habent verificatur apud Mathematicũ,sed non apud Physicum,& aduerte, hæc solutio est ad mentẽ B.Tho.nam infrà in c.de Vacuo, quando quæremus,si duo corpora possunt esse in eodem loco, & an propter hoc,sequatur duo corpora esse vnum corpus replicabimus eandem distinctionem.

Quantùm ad tertium aduerte, simpliciter loquendo nõ est eadẽ ratio de corpore & loco corporis supponẽdo, locus sit superficies corporis continentis, vt diffiniet Philoso. infrà,sicut argumentum probat. Est autem eadem ratio accipiendo locum vt accipiebant Antiqui. Nam ipsi dicebant locum non esse superficiem continẽtis,sed spacium, siue dimensiones,quæ sunt inter latera continentis,vt declarabitur in c.de Vacuo. Hoc autem spacium siue dimensiones ponebant quòd attingebant totum corpus locatum, quia secundum eos dimensiones spacij penetrabant totum locatum,ex quo sequebatur, quòd dimensiones spacij & dimensiones corporis locati non distinguuntur situ,& sic, vt diximus,apud Mathematicum sunt idem.

Quia igitur Philosophus hic disputans de loco supponit positionem Antiquorum & ex hoc arguit, ideo bene dicit, si punctus & locus puncti sunt idem, similiter corpus & locus corporis sunt idem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Num hæc consequentia sit vera, Si locus est, ergo est aliqua causa.

Amplius & cuius vtique quis ponet his quæ sunt causam esse locum, neque enim vna causa inest ipsi de quatuor. tex.11.

Si locus est causam esse oportet.

IN hac quæst. duo pertractãda sunt, Primò, quomodo valet hec cõsequẽtia, Si locus est, ergo est aliqua ex quatuor causis: secundò si est verũ, non sit aliqua ex quatuor causis.

Ex primo quidem videtur primo aspectu consequentiam non valere, nam non omne ens est causa, potest ergo locus esse aliquid & tamen non erit causa. Nam ad hoc quòd sit ens sufficit quòd sit causa aut effectus.

Videtur etiam primo aspectu quòd sit aliqua ex quatuor causis: nam dixit Philos. in tex.2. quòd locus habet quandam potentiam, id est, virtutem cõseruatiuam, & determinatum est in q.2. huius libri, quòd locus trahit locatum non vt efficiens, sed vt finis, ergo videtur esse causa finalis.

Vt igitur ista duo resoluantur, primò declarabit, quomodo illa consequentia valet, & quomodo non: secundò declarabitur si in aliquo sensu potest sustineri locũ esse causam, etiam, Philos. videatur dicere ipsum non esse causam.

Quantùm ad primum aduerte, Philos. reliquit consequentiam illam vt communiter concessam expositionibus Antiquorum, secundum quas disputatiuas rationes adducit hæc de existentia loci, nam apud Antiquos erat vt principiũ, locus continet, capit, penetrat locatum, vt declarat Philo. in c. de Vacuo. Continere autem & capere & penetrare ad causam spectat & non ad effectum. Illa ergo consequentia licet non videatur valere, ex eo quòd si aliquid est eno non est necesse quòd sit causa, vt argumentum probat, valet tamẽ expositionibus Antiquorũ, secundum quas hic disputat. Dico vlteriùs, loquendo de loco naturali, non solùm vt est superficies ambiens locatum, sed vt est generans & conseruãs locatum ex qualitate sibi influxa à primo locãte quod est cœlum, illa consequentia est vera ex natura rei, nam non alia ratione locatur corpus in loco suo naturali, nisi vt cõseruetur in eo. Ratio ergo existendi locum naturalem in rerũ natura, non est nisi vt conseruet. Cõseruare autem dicit causam, ergo bene sequitur quòd si locus naturalis est, sit causa, aliter frustra esset. Patet ergo quomodo illa consequentia valet, & ex positione Antiquorum, & ex natura loci naturalis.

Quantùm ad secundum aduerte, locus potest considerari modo mathematico, scilicet, vt est quantitas siue dimẽsio sicut considerabant Antiqui vt diximus in q. præcedenti, & potest considerari modo naturali, prout locans conseruat locatum & ipsum mouetur ad locum suum vt in eo quiescat & perficiatur si consideretur primo modo, sic de eo non verificatur propriè aliqua quatuor causarum, de quibus tractauit Philosophus in lib 2. non enim est materia rei naturalis locatę, nam ex materia constituitur res in esse, sed ex loco non constituitur locatũ in esse, vt patet; nec ex forma, quoniã si esset forma corrumperetur locatũ, quãdo mutatur de loco ad locum. Nã sicut res habet esse per aduentũ formæ, sic desinit esse per remotionẽ formæ. Nec est efficiens, quoniam quantitas vt quantitas non est causa effectiua. Vnde in 3. Metaph. declaratur, Mathematica abstrahunt à motu & ab efficiente. Nec est finis, quia vt dicitur in eodem 3. Metaph. Mathematica abstrahunt à bono, ergo & à fine, quoniam finis habet rationem boni: & quoniam Philosophus hic disputat de existentia loci ex positionibus Antiquorum, qui non cõsiderabant locum nisi modo mathematico, ideo bene dest tunc illud consequens, scilicet, quod sit aliqua ex quatuor causis. Si autem consideretur secundo modo sic potest sustineri quòd sit aliqua ex quatuor causis, & præcipuè causa finalis, & id probauimus in q.2. huius libri. Sed aduerte, finis rei est duplex, scilicet, intrinsecus. & hic est forma & hoc modo locus non est finis: probatum est enim quod non est forma locati, extrinsecus & hic in corporibus simplicibus, vt in elemẽtis est illud ad quod terminatur motus localis naturalis corporis simplicis, & hoc modo locus est finis locati simplicis: & hæc est sentẽtia Com. in com.11. vbi inquit, Et post declarabitur quod est tanquam finis extrinsecus in corporibus simplicibus. Patet igitur quomodo locus est causa consideratus naturaliter, & quomodo non consideratus mathematicè. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num apud Comment. est concedendum quod materia sit dimensio in potentia.

Cùm enim remouentur termini & passiones & species relinquitur nihil præter materiam tex.15. inquit Comm. Et est necessarium vt materia sit dimensio in potentia, quoniam cùm abstuleris à materia vltimum & figuram nihil remanebit in ea nisi dimensio non determinata, scilicet, quæ est corpus in potentia, & cùm fuerit determinatur per vltima, scilicet per superficies sit corpus actu.

IN hac quæst, antequam deueniamus ad resolutionẽ adutte, hic non quærimus vtrum dentur dimensiones potentiales siue interminatæ inseparabiles à materia, quoniam id pertractauimus in li.8. Metaph. in q.2. vbi sustinuimus vid B.Tho. & soluimus rationes sequentiũ Com. inter quos præcipuus est Greg. &c. Sed quærimus quomodo potest sustineri dictum Com. cùm dicit hic, quòd est necessarium vt materia sit dimensio in potentia. Est autẽ difficultas in hoc Com. accipit hic dimensionem in potentia pro dimensione interminata. Nam postquam dixit in com. 15. quòd est necessariũ vt materia sit dimensio in potentia, subiungit sic, Quoniam cùm abstuleris à materia vltimum & figuram nihil remanebit in ea nisi dimensio non determinata. Has autem dimensiones interminatas, quas reputat esse in materia & inseparabiles ab ea, ponit esse accidentia & non substantiam, vt manifestè dicit in 1. Phys. comm. 63. vbi inquit & est necesse etiã vt tres dimensiones, quæ videntur inseparabiles ab ipso & eodem numero, quæ dicuntur corpus sint accidẽtia, quoniã si essent de dispositionibus substantiæ, non mutaretur nomẽ istius subiecti neq; eius diffinitio & esset tota transmutatio accidẽtalis. Pretereà discordat Com. ab Auic. in hoc quod Auic. ponebat corporeitatem formam substantialem coëternam materiæ, & sic secundũ Auic. materia erat corpus actu ante aduentum formę substantialis specifice, & in hoc Com. reprehendit Auic. in eodem com. vbi inquit, Et ex hoc patet quòd

quòd qui ponit hãc materiam esse corpus, peccat, & similiter qui ponit illud, quod defert dimensiones subiectũ habẽs formam in actu, vt extimat Auic. &c. Cùm igitur trina dimẽsio interminata apud Com. sit corpus vt dicit in illo com. si esset substãtia apud Com. non discordaret ab Auic. posito ergo, quod apud Com. dimẽsio in potẽtia quæ est idẽ cum interminata, sit accidẽs, id quod dicit Com. in hoc 4. lib. f. quòd materia prima est dimensio in potẽtia nõ videtur posse sustineri quin sibi cõtradicat. Nã hæc materia prima est substãtia, vt determinatum est in 1. Phys. & in 7. Metaph. & hæc materia prima, vt dicit Comm. est dimensio in potentia, ergo dimensio in potentia est substantia, cuius oppositum tenet Com. in 1. Phys. com. 63. vt declarauimus.

Pro concordantia inter dicta Com. inuenio duos modos respondendi, primus est Burlæi, qui in expositione tex. 15. in fine dicit, Ista propositio, Materia est dimensio in potẽtia, nõ est vera prædicatione essentiali, quoniã apud Com. dimẽsio in potẽtia siue interminata est in materia, vt in subiecto & est accidens de genere quantitatis, materia autẽ est de genere substantiæ, est autem vera prædicatione materiali, prout materia est subiectum in quo est talis dimensio. Sicut ista est vera prædicatione materiali, Ferrum est gladius, quia ferrum est subiectum figuræ gladij.

Secundus videtur esse B.Tho. exponẽtis, qui exponens dicit, Antiqui probantes locũ esse materiã sic sillogizabant, Locus est dimẽsio, & dimẽsio est materia, ergo locus est materia. Hæc ergo propositio, Dimensio est materia, & sua cõuertens, nõ sunt ad mẽtem Philosophi nec Com. sed ad mẽtem Antiquorũ, quãdo igitur Com. dicit hic quòd materia est dimensio in potentia nõ loquitur ex propriis, sed ex positione Antiquorum in 1. autem Phys. loquitur ex propriis, & ideo nulla est repugnãtia in dictis suis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. Tu tamen aduerte, licet concordauerim hęc dicta Com. tamen non intendo defensare ipsum in positione de dimensionibus coæuis materiæ, imò eius viam reprobaui, vt videre poteris in lib. 8 Metaph. q.2.

QVAESTIO VIII.

Num sit impossibile scire formam sine materia, vt dicit Com. in com. 16.

Metiũ autẽ ex his intendentibus, &c. tex. 16. vbi inquit Com.

circa finem, comm. 16. Scire formam absque materia, & materiam absque forma impossibile est.

IN hac quæst. aduerte, difficultas stat in hoc, Philos. dicit in 8. Metaph. in 3. tex. loquens de forma, Aliter verò, & forma & ratio, id est cognitione separabile est, ergo est falsum quòd forma non possit cognosci sine materia, & sic dictum Com. videtur repugnare dicto Philosophi.

Tu igitur aduerte quòd in 8. Metaph. in q. 6. hoc dubium determinauimus, vbi quæritur si forma est separabilis à materia secundum esse & secundum conceptum, & posuimus hanc conclusionem, quæ est in tertia in ordine, Nulla forma naturalis siue materialis siue immaterialis est separabilis à materia secundũ cõceptum & illic exposuimus dictum Philosophi alias gatum, vide illic & inuenies nullã esse repugnantiam inter Com. & Philo. Et vltra declarationem quam illic fecimus potest respõdere, si inueniatur Philoso. aut Com. dicere formam posse cognosci sine materia nõ intelligitur quòd possit de facto cognosci, sed quia cum forma sit actus, habet ex se suam cognoscibilitatem, materia autẽ cùm sit potentia non habet ex se vnde possit cognosci, sed hoc habet à forma. Dico igitur quòd forma licet coexigat materiam ad hoc, quod cognoscatur, nõ tamen sua cognoscibilitas pẽdet à materia sicut ecõuersò, sicut coexigitur subiectum ad hoc quòd videat albedo nõ tamen præstat visibilitatẽ albedini, quoniã hæc est per se, Albedo quia est color est visibilis ex 2. de Anima. similiter hæc est per se, Forma quia est actus, est cognoscibilis. Dictũ igitur Philo. in 8. Metaph. in tex. 3. intelligatur sic, Quia aliquodens ratione, i. cognitione separabile est, quantũ sit ex natura formę, quia actus est. Hęc de præsen. quęsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Num ratio quam facit Philos. in tex. 20. quia intendit probare locum non esse formam, nec materiam concludit contra Antiquos.

si igitur idem aut forma aut materia est locus, locus erit in loco. tex. 20.

IN hac quæst. aduerte antequàm deueniamus ad resolutionem quòd Philos. intendit sic arguere, Si locus est forma, aut materia, locus est in loco, cõsequens est falsum, ergo & antecedens: Probat cõsequentia, Cùm forma & materia sint partes compositi, vbi est cõpositum ibi sunt partes, & quãdo mouetur cõpositum mouentur partes sed cõpositum est in loco, & mouetur localiter, ergo materia & forma sunt in loco & mouentur localiter. Sed secundũ te materia & forma sunt locus, ergo locus est in loco & mouetur localiter. Falsitas autem consequẽtis sic probatur, Si locus est in loco, aut in seipso aut in alio, nõ primo, quia idem esset cõtinens & cõtentũ quod est impossibile: nõ secũdo, quia eadẽ ratione ille locus esset in alio loco, & ille in alio, & sic in infinitum.

Sed hæc ratio nõ videtur deducere opinãtes locũ esse formam, aut materiam ad aliquod inconueniẽs. Nam licet reputarent incõueniens locum esse per se in loco, nõ tamen apparet incõueniens locum esse per accidẽs in loco, & nihil aliud concludit ratio Philosophi. Nam eo modo, quo forma & materia, quæ sunt partes compositi, mouẽtur localiter & sunt in loco, sic locus, si est forma, aut materia mouetur localiter & est in loco. Cõstat autem, forma & materia mouentur localiter per accidẽs. & sunt in loco per accidẽs, quia sunt partes cõpositi moti per se localiter, & quod per se locatur, Ergo, si locus est forma aut materia, nõ erit in loco, nec mouebitur in loco nisi per accidens, quod nõ reputatur inconueniens. Sicut nõ reputatur incõueniens, clauus infixus nauis fit in aqua per accidẽs & mouetur per accidens, quia nauis est in aqua per se & mouetur per se. Et quãdo probatur cõsequens esse incõueniens, quia aut est in seipso, aut in alio, diceret Antiqui, ex quo locus est forma, aut materia esset in eo loco, in quo est cõpositum. Nec sequitur, fit processus in infinitũ ex positione loci in loco per accidens. Nã est status in loco compositi. Secus esset, si locus esset in loco per se.

Vt igitur scias quomodo ratio Philosophi deducit Antiquos ad inconueniens, siue ponatur locus in loco per se, siue per accidẽs aduerte vt innuit Com. in com. 20. quòd aliquid moueri in loco per accidens & esse in loco per accidẽs cõtingit dupliciter, quia aut semper aut raro, semper quidem cõpetit his quę sunt partes cõpositi, eò quòd sunt inseparabiles à cõposito quã diu stat cõpositum, vnde quandocũq; est cõpositum in loco per se, & mouetur per se in loco, etiam partes suæ sunt & mouẽtur per accidens in loco. Raro autẽ cõpetit his quæ sunt abinuicẽ separabilia. Et quia cõtingit locum separari à locato, ideo locus raro mouetur ad motũ sui subiecti, i. locantis & raro est in loco cum locãte. Stante hac distinctione dico, ratio Philos. sic debet formari vt cõcludat contra Antiquos, Materia & forma semper mouẽtur ad motũ eius cuius sunt, & semper sunt in loco licet per accidens. Sed locus non semper mouetur ad motum illius cuius est, f. locati. Sed solùm ad motum sui subiecti, id est, locantis & raro, ergo locus non est materia nec forma.

Sed contra hanc deductionem arguitur, quia minor videtur esse falsa, & probatur quòd locus semper moueatur ad motũ locãtis, nam accidens semper mouetur ad motum sui subiecti, sed locus est accidẽs locãtis, cùm sit superficies sua: ergo locus semper mouetur ad motum locantis. Similiter probatur quòd locus semper sit in loco per accidẽs. Nã supponitur quòd locus semper sit subiectiuè in locãte corpore, quod est semper & per se in loco. Tunc sic, Accidens semper est in eodẽ loco per accidens, in quo est suum subiectum per se. Sed locus est accidens locantis, quod est per se in loco, ergo locus est semper per accidens in loco.

Pro resolutione istorum aduerte quòd in sphæra actiuorum & passiuorũ loquẽdo de loco naturali, putà de aëre, aut aqua, quãdo locatũ recedit à loco suo, putà piscis à tali parte aquæ clauduntur latera aquæ, quæ prius continebãt piscem, & sic corrũpitur locus piscis. Quod autem corruptũ est, nõ mouetur in loco, nec est in loco nec per se, nec per accidens: vnde bene stat aquam, in qua erat piscis, moueri & esse in alio loco, non tamen locũ piscis moueri nec esse in loco etiã per accidens, quoniam iam corruptus est. Dico igitur ad propositum quòd propositio minor rationis inductæ intelligitur propriè de loco respectu corporum fluidorum, instantiæ autem inductæ concludunt de loco, vt est superficies continentis solidi, sicut est concauum orbis Lunæ, & quoniam locus vt locus abstrahit à loco corporis fluidi & à loco corporis solidi, ideò dicitur quòd raro accidit ipsum moueri ad motum locantis & esse in loco cum locante, præcipuè in sphæra actiuorum & passiuorum, vbi sunt tria locantia fluida, scilicet, ignis, aër, aqua. Patet igitur quòd siue ponatur locus in loco per se siue per accidens, sufficienter probat Philosophus, contra Antiquos locum non esse materiam nec formam. Hęc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Num hæc sit vera, Amphora vini est in amphora vini.

Amphora quidem igitur non erit in seipsa, neque vinum, vini autem amphora erit, scilicet, in seipsa. tex. 24.

Amphora vini eſt in amphora vini ex quadam tranſumptione verificatur, Amphorã vini pro vino,& pro amphora ſumendo.

In hac quęſt. aduerte, quòd difficultas ſtat in hoc, quoniam Philoſ. concedit hanc eſſe veram, Amphora vini eſt in amphora vini non quidem primò, ſed ratione partis, quia vinum quod eſt pars huius totius, ſ. Amphoræ vini, eſt in amphora, quæ ſimiliter eſt pars huius totius, dubitatur quomodo poſſit eſſe vera. Nã cùm amphora vini pręd icetur de ſeipſa quia vniuerſaliter idẽ prædicatur de ſeipſo, videtur ꝙ ſimilẽ ſuppoſitionẽ habeat in ſubiecto & in prædicato, & cũ in prædicato videatur ſupponere pro cõpoſito ex amphora & vino, eodem modo ſupponet in ſubiecto. Tunc autem eſſet falſa & impoſsibile quoniã eſſet, hoc totũ vt totũ, ſ. Amphora vini eſt in ſeipſo, vt totum eſt: & ſic idem eſſet in ſeipſo primò, quod conſtat eſſe falſum & contra Philoſophum.

Vt igitur ſcias quomodo dicta propoſitio ſit vera & quomodo nõ, aduerte ꝙ licet cõcedendũ ſit ſubiectũ & prædicatũ habere eandem ſuppoſitionẽ, quãdo idẽ prędicatur de ſeipſo, quoniã in tali prędicatione nõ eſt neceſſe ponere aliquã alietatem inter prædicatũ & ſubiectũ, tamen id nõ eſt cõcedendũ quãdo dicitur quòd aliquid eſt in ſeipſo, quoniã ineſſe de neceſsitate importat alietatem inter continens & contentum. Sed ſi in hac propoſitione, Amphora vini eſt in amphora vini tam ſubiectũ quàm prædicatum ſupponerẽt pro cõpoſito, nõ ſeruaretur alietas inter continens & cõtentum & ideo tenendum eſt quòd quãdo terminus ſignificat totũ habens duas partes, quarum vna cõtinet, poteſt indifferẽter ſupponere pro parte contenta & pro parte cõtinente, & nõ pro toto vt ſeruetur alietas inter contentũ & cõtinens. Vt igitur ſcias ſeruare veritatẽ huius, Amphora vini eſt in amphora vini, ſubiectum ſupponit pro contento, id eſt vino: & prædicatum pro continente, & æquipollet huic, Vinum eſt in amphora, ſed ex vſu loquendi dicitur quòd amphora vini eſt in amphora vini, & huiuſmodi ſermones ſumunt veritatem ex vſu loquendi, & per quandam tranſumptionem, & quòd huiuſmodi totum poſsit ex communi vſu loquẽdi ſupponere pro parte contenta & non pro toto patet in hac, Sortes bibit cyatum vini, certum eſt quòd nõ bibit hoc totum, ſed tãtum contentũ in cyato, ergo ly Cyatũ vini ſupponit pro parte cõtenta & nõ pro toto. Quod etiam ſupponat pro parte continẽte patet in hac, Hæc amphora vini cõtinet ſex cyatos, certũ eſt quòd vinum non cõtinet, ſed cõtinetur, ergo ly Amphora vini ſupponit ſolùm pro cõtinente. Ad argumentũ ergo negatur quòd in hac propoſitione, Amphora vini eſt in amphora vini, ſubiectũ & prædicatum habeant talem ſuppoſitionem qualem habent in iſta, Amphora vini eſt amphora vini, & rationem huius diuerſitatis aſsignauimus ſuprà. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAEST. XI.

Num locus ſit æqualis locato.

Ampliùs primum neque maiorem neque minorem eſſe. tex. 30.

Locus quò ad dimenſiones nõ æquatur locato niſi virtualiter, ſecundũ extenſionẽ verò locus æqualis eſt locato.

In hac quæſt. aduerte antequàm deueniamus ad reſolutionem quòd in tex. præpoſito, ſuper quem fundatur pręſens quæſitũ, loquitur Phil. de loco proprio, qui dicitur proprius, quia tantũ hoc locatũ & adęquatè continet. De hoc igitur dicit Philoſ. quòd nõ eſt maior nec minor, & cùm ſit quantus, ergo eſt æqualis locato quãto, Quòd autẽ nõ ſit æqualis ſumitur difficultas ex hoc, Nam locatũ cùm ſit corpus habet tres dimenſiones, locus autẽ cùm ſit ſuperficies tãtùm corporis cõtinentis, vt diffinietur infrà nõ habet niſi duas dimẽſiones, ſcilicet longitudinem, ergo, &c.

Pro reſolutione huius dubij duo agẽda ſunt. Primò præponitur diſtinctio de æqualitate. Secundò declarabitur in quo ſenſu locus eſt æqualis locato.

Quãtùm igitur ad primum aduerte vt notat Alber. in 4. Phyl. in Trac. 1. c. 7. æqualitas loci poteſt attẽdi penes duo, ſ. penes dimenſiones & penes extenſionẽ. Alij dicunt penes dimenſiones & penes cõtinentiam, locus dicetur æqualis locato ſecundũ dimenſiones ſi habet tot dimẽſiones quot habet locatũ, & dicetur æqualis ſecundũ extenſionẽ ſi nõ extenditur extra quantitatẽ locati, & dicetur æqualis ſecundũ cõtinentiã, ſi cõtinet ſolùm locatũ, nec plus nec minus eſt aptum cõtinere. Nam ſi eſt aptũ cõtinere plus eſt maior, & ſi minus eſt minor, ergo non erit æqualis ſecundùm continentiam.

Quantùm ad ſecundũ aduerte quòd omnes cõcedunt locum proprium eſſe æqualẽ locato ſecundũ extenſionẽ, quia ſuperficies concaua continentis, & ſuperficies conuexa locati ſunt cõtiguæ ſecundũ omnes partes ſuas, ergo ſimul coëxtenduntur & commenſurantur. Similiter concedunt æqualitatem continentiæ, nam ſi locus quò ad continentiam eſſet maior locato, tunc eſſet vacuus quò ad illam partem, iuxta quam excederet locatum, & ſi locatum eſſet maius ſuo loco, ergo ſecũdum illam partem, iuxta quam excederet ſuum locum, remanet locatum ſine loco, ſed eſt impoſsibile dari vacuum & corpus ſine loco, vt declarabitur infrà, ergo, &c. Quantùm autem ad æqualitatem ſecundùm dimẽſiones aduerte quòd in vno ſenſu non conceditur, in alio autem poteſt ſuſtineri. Nam ſecundũ quòd dicit Albert. vbi ſuprà dimenſiones poſſunt ab aliquo haberi dupliciter, ſ. per eſſentiã & formaliter, & virtualiter ſiue per effectum, per eſſentiam quidem & formaliter habẽtur, quãdo de eo formaliter prædicantur, vt quia locus eſt ſuperficies, ideo eſt latitudo & lõgitudo, & quoniam locatum eſt corpus, ideo lõgum, latum, & profundum: per effectũ autem ſiue virtualiter habentur, quando ex effectu æquipollent habẽti formaliter, ſicut calidum virtualiter ſiue per effectũ ęquipollet calido formaliter, vt Sol ex calefactione æquipollet igni. In propoſito igitur loquendo de æqualitate dimẽſionum dico quòd quò ad dimenſiones per eſſentiam & formaliter locus eſt inæqualis locato, quoniam locus eſt ſuperficies, cui nõ conuenit eſſentialiter niſi longitudo & latitudo, locatũ autem eſt corpus, nõ enim locatur aqua in cyato ſolùm ſecũdùm ſuperficiem, ſed ſecundũ ſubſtantiã, corpori autem eſſentialiter inſunt lõgitudo, latitudo, & profunditas. Quantùm autem ad dimẽſiones per effectum dico ꝙ locus eſt æqualis locato, quoniã licet locus nõ habeat profunditatẽ per eſſentiam, habet tamen per effectum, quoniã loci cõtinentia terminatur ad cẽtrum locati, & ſic per effectum penetrat locatum, ac ſi haberet profunditatem, quòd autem cõtinentia loci terminetur ad centrum locati patet ex hoc quòd totũ locatum cõſeruat, ergo penetrat virtualiter totum locatũ. Sicut ergo locatum habet tres dimẽſiones ſic & locus, ſed differentia eſt in hoc quòd locatum habet tres dimẽſiones per eſſentiã locus autem duas per eſſentiam, & tertiam per effectum, vt declarauimus. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO XII.

Num materia poſſit ſeparari à forma ita quòd ſeparatim exiſtat.

Adhuc neque deficere vnicuique, & ſeparabile eſſe. text. 30. vbi dicit Comm. Quoniam locus ſeparatur à locato, & in hoc etiam differt à materia & à forma.

Svper hunc textum Expoſitores formãt quæſitum, vtrum materia & forma ſint ſeparabiles abinuicem, ita quòd poſsit eſſe materia ſine forma, & forma ſine materia. Sed nõ eſt immorandum hîc, quoniam vtrumque quæſitum pertractauimus in lib. 8. Metap. & de ſeparabilitate materiæ à forma formauimus illic q. primã: de inſeparabilitate autẽ formæ à materia q. quintam. Et tu vide illic, & ſufficiet tibi.

QVAESTIO XIII.

Num diffinitio loci ſit rectè aſsignata à Philoſopho.

Quare terminus continentis immobilis primum hic eſt locus. tex. 41. vbi dicit Com. Et intendit per Vltimum vel Terminum ſuperficiem continentem, &c.

In hac quæſt. tria pertractanda ſunt. Primò ſi locus eſt ſuperficies. Secundo ſi eſt immobilis. Tertiò ſi locus eſt eſſentialiter & ſimpliciter in prædicamento quantitatis.

Quantùm ad primum aduerte tres opiniones. Prima tenet quod locus non eſt ſuperficies, ſed corpus. Secunda tenet ꝙ locus nõ eſt ſuperficies eſſentialiter ſed per accidens, & ꝙ eſſentialiter eſt ſitus ſiue poſitio. Tertia tenet ꝙ eſt eſſentialiter ſuperficies, & iuxta hãc intẽdo determinare propoſitũ.

Quantùm ad primam opinionem aduerte, quòd ponit locum eſſe corpus continens & circundans aliud corpus vndique, ita quòd quælibet pars corporis cõtinentis vltima verſus locatum, tangit aliquam partem locati: & nulla eſt pars locati verſus locantem, quæ non tangatur ab aliqua parte corporis cõtinentis, & quòd locus non ſit ſola ſuperficies corporis cõtinentis. hæc opinio ſic probat. Non eſt dabile in rerum natura aliquod longum & latum carens profunditate, ergo locus non eſt ſuperficies; conſequentia patet, quoniã cùm detur locus in rerum natura, ſi non eſt dabile longum & latum ſine profunditate conſtat quòd locus nõ eſt ſuperficies. Diffinitur enim ſuperficies per longum & latum ſine profunditate. Antecedens autem ſic probatur, Si eſt dabile tale longum & latum ſine profunditate, cùm ſit accidens, ergo eſt dabile aliquod ſubiectum & aliqua ſubſtantia, quæ eſt adæquatum ſubiectum talis accidentis: ſed conſequens eſt falſum, ergo, &c. Conſequentia patet, quia omne accidens extenſum in ſubiecto debet habere ſubiectum adæquatum, ita quòd in nulla dimenſione excedatur à ſubiecto & econuerſò, falſitas autem cõſequentis probatur, quia omnis ſubſtantia corporea eſt corpus: ſed de ratione corporis eſt habere tres dimenſiones, ergo non eſt dabilis aliqua ſubſtantia, quæ ſit longa & lata, & non profunda.

Sed

Sed hæc opinio eſt directè contra Philoſ. nam ſecundùm ipſum, vt patet in tex. 41. locus eſt terminus, ſiue vltimũ cõtinẽtis corporis, ergo non eſt corpus, cõſequentia patet, quia eſſe vltimũ & eſſe illud, cuius eſt vltimũ, repugnãt. Prætereà locus proprius & locatũ propriũ ſunt æqualia, vt dixit Phil. in tex. 30. Sed corpus cõtinens & corpus cõtentũ nõ ſunt æqualia. Patet enim ꝙ corpus cõtinens acceptũ ſecundũ ſe totum cõcludit contentũ, excedit ſecundũ ſuperficiẽ conuexã, ergo, &c. Prætereà, dicet Philo. quòd locus eſt immobilis, & ſi mouetur, mouetur per accidens. Sed omne corpus eſt mobile & mobile per ſe, ergo locus non eſt corpus.

Ad argumentum autem, in quo fundat ſe dicta opinio negatur cõſequentia. Ad probationem iterum negatur conſequentia. Nam ſtat quòd detur ſuperficies & tamen nõ inueniatur niſi coniuncta profunditati, licet enim poſsit cõcipi ſuperficies non concepta profunditate, nõ tamen eſt neceſſe quòd detur ſine profunditate, ſicut licet poſsit concipi linea non concepta rectitudine & obliquitate, non tamen datur linea, quæ non ſit recta, aut obliqua.

Quantùm ad ſecundam opinionem aduerte ꝙ iſti dicunt duo. Primò dicunt quòd locus eſſentialiter & quidditatiuè eſt poſitio, ſiue ſitus, hîc, vel illic. Dicunt ſecundò, quòd per accidens locus eſt ſuperficies corporis continentis.

Primum probãt ſic, Illa ſunt eadem eſſentialiter & quidditatiuè, quorum ſunt eædem differẽtiæ. Sed differentiæ loci & poſitionis ſunt eædẽ, ergo, &c. Maior patet, minor probatur, nam differentiæ poſitionis ſunt antè & retrò, ſursùm & deorsùm, dextrum & ſiniſtrum. Sed iſtæ etiam ſunt differentiæ loci. Nam locus per ſe diuiditur in locum antè & retrò, ſuperiorem & inferiorem dextrum & ſiniſtrum. Confirmatur, quia huiuſmodi differentiæ non cõueniunt corpori continenti inquantùm continens eſt, ſed per determinatam poſitionem. Non enim cõtinens vt cõtinens determinat ſibi ſursùm, aut deorsùm, nec aliam differentiam loci: ſed prout ponitur in ſitu determinato, ergo non ex alio quàm ex poſitione eſt locans, ex conſequenti locus eſt quidditatiuè poſitio. Prætereà, locari non eſt niſi ſituari, ergo locus non eſt niſi ſitus ſiue poſitio.

Secundum autem probant ſic, Stat quòd aliquid ſit in loco, & tamen non habeat ſuperficiem circundantem: ergo nõ conuenit loco per ſe & eſſentialiter eſſe ſuperficiem, ſed per accidens. Conſequentia patet, & probatur antecedens. Ponatur caſus ꝙ corrumpatur totum elementũ ignis & aëris & aquæ & ponatur terra iuxta interſticiũ Lunæ, & moueatur ad centrum locum ſuum naturalem: poſito hoc caſu cõſtat ꝙ in toto ſuo deſcenſu nõ erit in aliquo continẽte, & tamẽ verum erit dicere quòd modo eſt hîc, modo illic, modo ſuprà, modo infrà, ergo ſtat quòd aliquid ſit in loco, & tamen non habeat ſuperficiem circundantem, non ergo conuenit loco per ſe eſſe ſuperficiem, ſed per accidens.

Sed contra primum arguitur ſic, Locus eſt ſubiectiuè in locante, quia locus eſt, quo locans capit locatum. Sed poſitio & ſitus ſecundum quòd dicunt ordinem partium rei locatæ in loco non ſunt ſubiectiuè in locante, ſed in locato, vt dicit author libri Sex Principiorum, ergo poſitio non eſt locus, nec econuersò.

Prætereà, Secundùm Philoſophum in prædicamentis, & vt magis declarabitur infrà, locus eſt in prædicamento quãtitatis, poſitio autẽ ſpectat ad prædicamentũ ſitus, ergo, &c.

Prętereà, Poſitio dicit ſituationẽ paſsiuam partium locati in loco, ita quòd poni eſt ſituari & ordinatè capi in loco, & æquipollet huic ꝙ dico locari ordinatè in loco. Sed locus nõ dicit talem ſituationem paſsiuam, nam loci eſt actiuè capere, continere, circundare, quod eſt locare, ergo, &c.

Contra ſecundum ſic arguitur, Philoſ. in principio quarti lib. Phy. quoſdam qui dicebant quod locus eſt quoddã cõtinens, ſed ponebant illud eſſe vacuũ, aliqui autẽ quod eſt materia, aliqui quod eſt forma, aliqui quod eſt corpus: & reiectis omnibus aliis concordat cum his, qui dicebant quòd eſt continens, licet non concordet de vacuo: & quod teneat cõtinens eſſe eſſentiale loco & nõ accidentale patet ex tex. 43. vbi inquit Philoſo. Cui quidem igitur corpori ineſt aliquod extra corpus cõtinens ipſum hoc in loco eſt: cui verò non, minimè. Ex quo patet quod ad poſitionem continẽtis ponitur locus, & ad negationem negatur locus, ergo eſſe continens, vel eſſe ſuperficiem circundantem conuenit per ſe loco, & non per accidens.

Ad argumenta autẽ ſua ſic reſpondẽdum eſt. Ad primum inductum pro primo dicto, nego minorẽ. Nam licet differẽtiæ poſitionis & loci eiſdẽ terminis nominẽtur, non tamen cõueniũt in ſignificato. vnde aduerte quod antè & retrò, ſursùm, &c. ſunt differentiæ loci in ratione cõtinentis. Quando autẽ ſumũtur vt differẽtię poſitionis ſunt ſub ratione cõtẽti & ſituati, ita quod vnico verbo reſpõdebis, iſtas differentias ſub ratione actiui eſſe differentias loci & ſub ratione paſsiui eſſe differentias poſitionis.

Ad confirmationem nego antecedens, quoniam cõtinere ita contrahitur per ſursùm & deorsùm, &c. ſicut poſitio. Nã eſt æquè verum dicere, aliquem locum eſſe ſuperiorem, aliquem inferiorem, ſicut eſt verum dicere, Quędam ſunt locata ſiue ſituata ſuperiùs, quædam inferiùs.

Ad ſecundum nego conſequentiam. Nam locari ſe tenet ex parte locati, locus autem ex parte locãtis. vnde ex hoc antecedente, locari eſt ſituari non ſequitur niſi hoc cõſequens, Ergo locatum eſt ſituatum.

Ad argumentum inductum pro ſecũdo dicto, negatur antecedens, ad probationẽ dico quod dato illo caſu, nõ erit verum dicere terrã deſcendentem in vacuo eſſe modò hîc modò illic, modò ſuprà, modò infrà, quia vt dicet Philoſophus in c. de Vacuo, vacuum non poteſt eſſe locus, quia in vacuo non poſſunt aſsignari differentiæ locales.

Quantùm ad tertiam opinionem quam teneo eſſe ad mẽtem Philo. & Com. & B. Tho. pono hanc concluſionẽ, Locus eſſentialiter & quidditatiuè eſt ſuperficies cõtinentis, &c. Hanc intendo probare, deinde ſoluẽtur quædam argumẽta apparẽtia. Quòd igitur hæc ſit vera diffinitio loci probatur ſic, Illa eſt vera diffinitio loci, per quam ſoluũtur omnes difficultates cõtingentes circa naturã loci. Sed diffinitio, quam dat Philoſ. de loco, ſ. quòd eſt ſuperficies continẽtis eſt talis, ergo, &c. Maior patet per Com. in comm. 31. vbi inquit, Cum hoc tantùm quod diffinitio dat quidditatẽ loco, debet habere tria, quorum vnum eſt, vt per illam diſſoluantur quæſt. accidẽtes in eo, &c. Minorem autem probat Philo. & Com. in tex. & com. 47. vbi dicit Philo. Manifeſtum eſt ex his, quoniam dubitationes omnes ſoluũtur ſic vtique dicto loco, ſ. ꝙ eſt ſuperficies cõtinentis, &c. Et Com. in eodem com. ſoluit argumẽtum, quo probabat Zeno locum non eſſe. Quia ſi ſic, oportet ꝙ locus corporis ſit corpus, ſicut locus ſuperficiei eſt ſuperficies, ſed hoc eſt impoſsibile, quia ſi locus eſſet corpus & omne corpus eſt in loco oporteret locũ eſſe in loco & ſic in infinitũ. Reſpõdetur quòd qui cõcederet corpus eſſe locum corporis, & lineam locum lineæ, vtiq; eſſet proceſſus in infinitum: ponentibus autem locum eſſe vltimũ continẽtis non accidit hæc quæſtio, & eandem reſponſionẽ dat opinioni dicenti locum eſſe tres dimẽſiones ſeparatas, vnde dicit Com. Ponentibus locũ eſſe vltimũ cõtinentis non accidit hæc q. quoniã ſuperficies continẽtis nõ ſeparatur à corpore cõtinente, &c. Cũ igiť per hãc diffinitionẽ Phil. ſoluat omnia dubia quæ mouent de natura loci, ſignũ eſt ꝙ eſt vera, & ſic patet ꝙ locus eſt eſſẽtialiter & quidditatiuè ſuperficies, &c.

Prætereà, Per hanc diffinitionẽ verificantur proprietates quæ cõmuniter attribuũtur loco, ergo vera eſt. Patet conſequẽtia, declaratur antecedens, Propriũ eſt loci eſſe æqualem locato, vt dictũ eſt ſuprà, & hoc cõpetit ei ex hoc quòd eſt vltimũ continentis, quod eſt immediatum ipſi contẽto. Continet enim ipſum locatũ nec plus nec minus, ſed præcisè. Eſt etiã propriũ loci vt dictũ eſt ſuprà eſſe conſeruatiuum locati, & hoc etiam cõpetit ei ex hoc quòd eſt vltimũ continẽtis ſecundùm ꝙ eſt in tanta diſtãtia ad cœlum. Videmus etiã ad ſenſum quòd vltimum aquæ conſeruat terrã ſecũdùm quòd habet virtutem influxam ſibi à cœlo, ſimiliter vltimũ aëris conſeruat aquam, & ſic ordinatè ad alia procedes.

Sed contra hanc determinationem ſolent fieri multa argumenta, quæ videre poteris in Burlæo in 4. Phyſ. poſt expoſitionem tex. 42. ne hîc tempus conteramus.

Tu tamen aduerte, vt ſcias in quo ſenſu Phil. diffiniuit locũ, ꝙ poteſt ſumi multis modis. Primò cõſueuit ſumi apud cõmuniter loquẽtes pro corpore cõtinente, ſicut dicitur ꝙ doliũ eſt locus vini. Et in hoc ſenſu apud Philo. ignis eſt locus aëris, & aër eſt locus aquæ, & aqua terræ. Secũdò poteſt ſumi pro eo per quod aliquid locatur, licet nõ circũdetur ab eo, & hoc modo apud Com. vt dicemus infrà, centrũ mundi, eſſet locus cœli, quia ſecũdùm Com. cœlũ eſt in loco per cẽtrũ, vtrũ autẽ id ſit concedendũ in via B. Tho. dicemus infrà, loquentes de localitate vltimæ ſphæræ. Tertiò poteſt ſumi pro eo, circa qđ eſt alicuius agẽtis operatio, etiã ꝙ ſit agens immateriale, & hoc modo apud Philo. in 1. Cœli, cœlũ eſt locus Dei, eò ꝙ ibi maximè operatur per motũ, eadẽ ratione dicetur corpus eſſe locus animæ, quia opera animæ manifeſtãtur in corpore. Quartò poteſt ſumi pro ſitu ſiue vbi, quod

acquiritur per motū localē: vnde solet dici quòd motus localis est ad locū acquirendū, verum autem in motu locali aliquid inhæsiuè & intrinsecè acquiratur in ipso mobili, vide in 3. libr. in q. 2. ibi, Secundò videtur quòd diffinitio motus non cōueniat motui locali. Quintò sumitur pro virtute conseruatiua influxa locanti, qua nō solùm cōtinetur, sed etiam seruatur locatū, quomodo dicimus volucres cœli & pisces maris. Sextò sumitur pro immediato cōtinente locatum, ita quòd superficies cōtinentis cōcaua, & superficies contēti cōuexa sunt simul, & sunt æquales secundū continentiā. Et sic locus sumptus hoc vltimo modo diffinitus est hic à Philo. ita ꝙ prædicta diffinitio nulli ex aliis dictis modis cōuenire potest. Et si dicas ꝙ si superficies cōtinentis & cōtenti sunt simul, ergo nō remanebunt duæ distinctæ superficies, sed si etiam vna, hoc autem est falsum, quia locatum esset inseparabile à loco, consequentia verò probatur, quia sola quantitas facit distare quantitatiuè. Sed si dictæ superficies essent simul, nullam haberent quantitatem mediam, per quam possent distare, ergo fierent indistinctæ, ex consequenti fierent vna superficies, quod est impossibile.

Ad hoc dico, quòd si vna quātitas addat alteri ex ea parte, qua sunt diuisibiles, nō possunt esse simul, ita ꝙ remaneāt distinctæ, si autē vna addatur alteri ex ea parte qua sunt indiuisibiles, nō incōuenit quòd sint simul & remaneāt distinctæ, si verò dent duo quanta, quæ secundùm omnem dimensionē sunt diuisibilia, vt duo corpora, & vnū addatur adæquatè, alteri, nō possunt esse simul & remanere distincta, & quia superficies est diuisibilis secundū longitudinē & latitudinem, ideo si addatur alteri secundū longitudinē, vel latitudinē, ita fient vnū quòd remanebunt indistinctæ. Nam secundū lōgitudinē copulabuntur eidē puncto, & secundū latitudinē eidem lineæ. Quia aūt est indiuisibilis secundū profunditatē, ideo si vna superponatur alteri, licet sint simul, remanent tamen distinctæ, & quādo dicitur quòd sola quantitas facit distare quātitatiuè, verum est ex ea parte, qua quantitas est diuisibilis, non autem ex ea parte, qua est indiuisibilis, &c.

Locus est immobilis.

Quantùm ad secundā partem quæsiti, s. si locus est immobilis aduerte quòd cōmuniter Doct. concordant in duobus. Primò ꝙ locus est immobilis, est enim immobilitas de ratione ac diffinitione loci vt patet in diffinitione assignata à Philos. Secūdò quòd est immobilis per se & essentialiter, vt dicat Com. in com. 41. ad differentiā vasis, licet sit mobilis per accidens, s. ad motū locātis, cùm sit subiectiuè in locante. Discordāt autē in assignādo rationē talis immobilitatis, quoniā aliqui sequuntur imaginationē Com. aliqui autē viam B. Tho. & quoniā intēdo determinare secundū mentē B. Tho. quā conātur impugnare Cōmētistę. ideo sic procedendū est. Primò declarab. mens B. Th. circa immobilitatē loci. Secūdò ponet imaginatio eorū qui sequūtur Com. & formabunt rationes eorū, quibus arguūt contra B. Th. & soluemus eas.

Quātùm ad primū aduerte quòd mens B. Tho. stat in duobus. Primò quòd ratio immobilitatis loci cōsistit in respectu, vel in ordine locati, quem habet ad totū corpus sphæricū cœli, & ad fixionem polorum, ac centri. Secundò quòd ad vnitatem numeralem loci sufficit ꝙ ex parte locatorum seruetur idem ordo in specie ad totum cœlum, ex parte autem cœli potest seruari idem ordo secundùm numerum.

Primum quidem declaratur ex cōparatione quam facit Philos. in tex. 41. vbi dicit, Quando in moto mouetur & mutatur quod intus vt in flumine nauis tāquam in vase vertitur magis quàm in loco cōtinenti, vult autē locus esse immobilis, vnde omnis fluuius magis locus est, quia immobilis omnis. Et intendit Philos. quòd in flumine duo videmus. Primò quòd quælibet pars fluuij decurrit, eò quòd nulla pars aquæ signa è permanet. Secundò quòd totus fluuius inquantùm seruat eundē situ permanet immobilis, ex his duobus sequitur quòd si nauis ligetur in flumine per anchoram, vel lignū, & comparetur ad partes aquæ quæ subterfluūt dicetur esse in alio & alio loco materialiter, sicut in alio & alio vase, si autem comparetur ad totum fluuiū dicetur esse semper in eodem loco, quia licet alia & alia aqua subterfluat, tamē nauis semper retinet eundem ordinem ad totum fluuium, & vt sic locus nauis habet immobilitatē, scilicet per ordinem ad totum fluuium. Quod autem dictum est de naui locata in flumine applicari potest ad res locatas in Vniuerso. Nam licet quælibet pars Vniuersi sit mobilis, vt patet de partibus cœli & elementorum, totū tamen Vniuersum non mutat locum subiecto, & ideo locus sursùm dicitur immobilis, quia cōcauum orbis Lunæ semper est in eadem distātia ad centrū, similiter locus deorsùm est immobilis, quia semper stat eadē distantia cētri ad concauum Lunæ. Vnde, si locus sursùm & deorsùm deberent mutari, oporteret totum Vniuersum trāsferri, sicut si debet mutari locus nauis ligatæ in flumine oporteret totū fluuiū trāsferri. Tu igitur aduerte ex prædictis ꝙ si Sortes in terra quiesceret, & vento flāte, fluat totus aër qui est circa ipsum, non ex fluxu aëris mutaret locū, quia licet alius & alius aër circūdet eū, permaneret tamē in eodē loco, quia elementū aëris seruat eundē ordinē & situ in toto Vniuerso, sicut dictū est de naui in flumine. Non solùm autē sortitur locus immobilitatē ex ordine ad Vniuersum quod nō mutatur secūdùm substantiā, sed etiā ex fixione polorū & centri. Nam licet Sorte quiescente in aqua vel in aëre possit moueri aër circundans eū vel aqua, tamen dicitur esse in eodem loco, quia semper est in eadem distantia ad centrum & ad polos, patet igitur ad mētem B. Tho. vnde sumitur immobilitas, quæ per se & formaliter competit loco.

Secundum autē, s. quòd ad vnitatem numeralem loci sufficiat, &c. declaratur sic, sicut Padus dicitur cōtinuè manere idem flumen propter eundē ordinē secundū speciē ad vnicā fontem principiū ipsius, nō quod aqua, quæ est hodie in hac parte, sit illa quæ fuit heri, nec ordo qui est hodie huius aquæ ad fontem sit ille ordo idē numero, quem aqua prior habuit ad eundem fontē, sed sit cōsimilis in specie & ad eundē terminū numero, s. ad eundem fontē numero, sic in proposito ad vnitatem numeralē loci sufficit quod seruetur idē ordo distantiæ secundū speciē in omnibus superficiebus aëris, aut aquæ circundātis locatū ad primū cōtinens, quod manet idē numero, & quod non mutatur secundū subiectū, licet autē ordo superficierū aëris successiuè locantiū, putà turrim ad primum cōtinens sit tantùm vnius speciei, & sit alius & alius propter varietatē subiecti & fundamēti, tamen ordo primi continentis ad huiusmodi diuersas superficies, manet idem numero & non solùm specie. Nec obstat quod ille ordo cōtinuè habet aliū & alium terminū, s. aliam & aliā superficiē, quoniā vt determinauimus in 5. Metaph. in q. 11. apud B. Tho. ad vnitatem relationis sufficit vnitas subiecti & fundamenti, nec requiritur vnitas termini. Nam pater habens plures filios eadem paternitate refertur ad omnes, & Sortes albus eadem similitudine refertur ad omnia alba. Hæc igitur dicta sint pro seruanda immobilitate loci, & eius vnitate numerali ad mentem B. Thom.

Quantùm ad secundū aduerte quòd hæc via nō placet sectatoribus Com. inter quos sunt Petrus Aureoli, Burlęus & Iandunus, isti tenent immobilitatē loci nō attēdi penes ordinem ad primū cōtinens, nec penes immobilitatem centri & polorū, sed ex eo quòd cùm locus cōtineat locatū, non tamen necessariò mouetur ad motū locati: nā posito ꝙ aliqua pars ignis locata in cōcauo orbis Lunæ moueatur deorsum nō est necesse cōcauum orbis lunæ moueri deorsum. Addūt & alium modū dicentes quòd ideo locus est immobilis, quia quando aliquid mouet ad aliquē locū in quo naturaliter habet quiescere, ille locus non est mobilis eo motu quo locatū mouetur ad ipsum, quia tunc frustrà locatū moueretur, nā cùm perueniret ad talem locū nō quiesceret, & tamē mouet vt quiescat, & sic frustrà moueret. Quod patet sic, Leue mouetur ad locū sursum vt ibi quiescat, si igitur quādo perueniret leue ad locum sursum, locus ipse moueretur sursum vel deorsum, patet ꝙ frustrà moueretur. Hos modos immobilitatis loci assignant prædicti sectatores Com. Quos vtiq; cōstat esse veros sed adeò manifestos ꝙ nullū dubiū cadit super eos. Non vident autē esse ad intentionē Phil. quoniā nō adaptātur cōparationi quā fecit de naui & fluuio, & ideo teneo rationem assignatā à B. Tho. esse propriè ad mentē Philoso. pro qua defensanda intēdo soluere rationes sectatorū Com. quibus conātur reprobare positionē nostrā, & licet multipliciter arguant, principalia tamen argumenta sunt hæc.

Primò, Remota eadē distantia vel ordine locati ad totū cœlū, adhuc potest remanere idē locus numero, ergo distātia eadem & ordo talis nō est formale in loco, nec ab eo habet immobilitatē. Cōsequentia nota, quia nihil potest remanere remoto suo formali. Implicat enim ꝙ remaneat homo sine rationali. Antecedēs aūt probatur, Pono casum quòd aliquod corpus quiescat in aëre, & quod Deus moueat totum cœlū & quatuor elemēta motu recto versus Oriens: quo posito constat quòd corpus quiescens in aëre erit propinquius Occidenti & remotius ab Oriente, ergo mutata erit prior distātia, & tamen remanet corpus quiescens in eodē loco vt prius, implicat enim quod quiescat & mutet locū, ergo, &c. Sed aduerte quòd arguens cōsiderans casum nō concedendū à Phil. instat quòd saltē est imaginabile & intelligibile totū cœlum

posse moueri recto motu, vt dictum est, & per cōsequens illa distantia secundum imaginationem non erit eadem, & tamen locus secundum imaginationem erit idem.

Ad hoc respondetur dupliciter. Primò admisso casu per imaginationem non remanebit idē locus formaliter, sicut si totus alueus fluuij trāsferatur, dato quòd nauis semper esset in medio fluuij firmata non diceretur nauis esse in eodem loco formaliter, in quo prius propter mutationem totius fluuij, qui se habet vt primum continens.

Secundò dicitur quòd dato per imaginationē totū cœlū & elemēta moueri motu recto adhuc potest saluari per imaginationē eadē distātia, quoniam possum imaginari puncta Orientis & Occidentis, similiter polos in eodē situ, in quo prius erant, dato ꝙ per imaginationē mutaretur cœlū motu recto, & sic virtute illius imaginationis seruaretur eadē distantia: & si dices quòd licet seruem eādem distantiā imaginariā nō tamen realē, quā habet cōsiderare Physicus: Respondeo quòd ex quo transis ad casum, qui est verus solùm imaginariè secundū Philos. sic necesse est me transire ad distantiam eādem imaginariam, eandem autem distantiam realem seruo negando casum tuum, vt negaret Philosophus.

Secundò arguunt sic, Illa eadem distantia, quā tu ponis vt formale in loco, & per quā seruatur immobilitas in loco aut est subiectiuè in locāte particulari, aut in cœlo, nō primum, quia cùm omne locans particulare sit mobile, & illa distātia erit variabilis, aliter si remaneret in alio locāte succedente priori locanti, migraret accidens de subiecto in subiectum. Non secundū, quia aut est in parte diuisibili ipsius cœli, aut in puncto indiuisibili. Nō primū, quia cùm omnis pars cœli moueat & talis distātia moueret, & sic per eā nō potest saluari immobilitas loci. Nō secundū, quia cū indiuisibile in cœlo sit tātùm polus, sequitur ꝙ omnia loca quò ad suū formale erūt simul in eodē polo, & per cōsequens cùm talis polus sit inuariabilis, sequit ꝙ nullū corpus poterit moueri de loco ad locū, cùm non possit mutari id qđ est formale in loco.

Ad hoc dicitur ꝙ cùm talis distātia sit relatio mutua, est in corpore locāte particulari & est in cœlo, & quādo arguit, ꝙ cùm omne locans particulare, &c. dico ꝙ hæc distātia nō habet identitatē numeralē in locātibus particularibus sed specificam. Et hæc sufficit ad seruandū vnitatem loci numeralem, & cōcedo quòd mutato locāte hæc distātia mutabitur, & erit alia secundū numerū, remanebit tamen eadē secundū speciem, nec vt sic mutabitur. Dico etiā quòd est subiectiuè in cœlo, & remanet eadē semper secūdùm numerū vt diximus suprà. Et quādo arguitur ꝙ si est in cœlo aut est in parte diuisibili, &c. Dico ꝙ hęc distātia fundatur in polo & in cētro, ex quibus cœlū habet immobilitatū secundū subiectū: à polo autem deriuatur virtualiter ad totū cœlū, & quoniā polus & centrum non mouentur, ideo hæc distantia ex suo fundamento est immobilis: & cùm arguitur, Ergo omnia loca quò ad suū formale erūt simul, dico ꝙ supponit falsum, s. hāc distantiā esse subiectiuè tātùm in cœlo, vel in polo, quod non est verū. Vnde dico hanc distantiam vt est subiectiuè in corporibus locātibus posse multiplicari s̄m numerū, sed nō secundū speciē. Et cùm arguitur, Ergo nullū corpus mutabit locum formaliter, cōcedo ex ea parte qua distantia est subiectiuè in cœlo, cum hoc tamen stat quod potest mutare ex ea parte, qua est subiectiuè in corpore locanti particulari.

Tertiò sic arguūt, Poli sunt quædā pūcta imaginata, ergo illa distātia ad polos nō est quid reale, sed imaginatū, locus autē est quid reale. ergo illa distantia nō est formale in loco.

Ad hoc dicitur quòd siue poli sint puncta, siue non, tamen primum cōtinens est quid reale manens idē numero, & habens eundē ordinē ad loca, & ad quod omnis locus habet ordinem. Vltra hoc potest dici quòd in cœlo sunt puncta realia & non solùm imaginata immobilia, quoniam omnis orbis circulariter motus mouetur super polos & centrum.

Vltimò aduerte ꝙ Iandunus in 4 lib. Phys. q. 6. postquàm recitauit opinionem B. Tho. sic arguit contra eum, Cùm ille ordo ad totum corpus sphæricū cœli sit accidēs, necesse est vt sit subiectiuè in corpore continente siue locante, ergo est mobilis & variabilis, ergo non habet ex eo locus mobilitatem, repugnat enim esse aliquid immobile per aliquod mobile. Prima consequentia probatur, quia corpus continens est mobile, ergo quicquid est in eo est mobile. Non enim est intelligibile quòd aliquod subiectum moueatur & accidens ipsum informans non moueatur.

Ad hoc dicitur sicut ad secundū, quòd vtiq; ille, vt est subiectiuè in locāte particulari mobilis est secundum numerū, ne remaneat accidens sine subiecto, remanet tamen idem secundum speciem vt dictū est suprà, & hoc sufficit ad immobilitatem loci, & aduerte quòd Iandunus postquàm deuenit ad hāc vnitatem specificam nescit amplius instare, sed dicit, Quod si quis hanc positionem intelligit, placet mihi. Ex quo patet quòd argumentum suum tendit in incertum, quia non penetrauit sensum B. Thom.

Quātùm ad tertiū principale, s. in quo prædicamēto sit locus, aduerte vnā distinctionē, ex qua cōstabit tibi propositū.

Locus consideratur quantùm ad tria. Primò vt est ambiēs & continens locatum cōmensuratione. Secundò vt est conseruans locatum, si est locus naturalis, vel destruens, si est innaturalis. Tertiò vt est immobilis. Respectu primi in prædicamento quantitatis, quoniā vt ambiens & commensuratus locato est superficies continentis. Nam ambitus & cōmensuratio & æquatio sunt propria quantitatis dimensiuæ. Respectu autem secundi, non est in prædicamento quantitatis, sed qualitatis & in secunda specie. Quò ad primā partem probatur, quia quantitas vt quantitas non est actiua nec conseruatiua: alioquin, cùm omnis locus indifferenter sit superficies, indifferēter cōseruaret, quod repugnat sensui: videmus enim in vno loco conseruari locatū, in alio autem destrui. Quò ad secūdam partem probatur, quia locus cōseruat locatū propter qualitatem symbolā, quam habet cū locato, & propter virtutem influxam à cœlo in locante, vt dicemus infrà, ergo, &c. Quò ad tertiam partem probatur, quia qualitas actiua inexistens alicui naturaliter, & quæ non subest alicui sensui vt proprium sensibile, quod dico propter qualitates tertiæ speciei, est in secunda specie, quoniam est in potentia naturalis illi, cui inest, vt aqua locans piscem habet potentiam naturalem conseruandi & generandi piscem, ergo, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. XIIII.

Num vltima sphæra sit in loco & quomodo.

Cui quidem igitur corpori inest aliquid extra corpus continens, hoc in loco est, cui verò non, minimè. tex. 43.

Vltima sphæra nō est in loco per cētrū, sed per partes suas intrinsecas.

IN hac quęst. aduerte quòd ex tex. præposito videtur sequi, vltimam sphæram nō esse in loco, quia vltra ipsam non est corpus circundans eam. Quod tamen videtur impossibile, quoniam cùm moueatur localiter est necesse vt sit in loco. Implicat enim aliquid moueri in loco, & non esse in loco, quoniam moueri præsupponit esse. Hæc quæst. est difficilis propter varias sententias Antiquorum & Modernorū. Nolo autem omnes prosequi, nec discutere, quoniā Expositores, & præcipuè B. Th. eas discutit, sufficiet tibi si sustinuero mētem B. Tho. cōtra Com. & Cōmentistas. Sic igitur procedēdum est. Primò declarabitur quę fuit mens Com. in hoc. Secundò arguetur cōtra eum, vt B. Tho. arguit & defensabimus rationes B. Tho. Tertiò ponetur opinio Thęmistij quam sequitur B. Tho. & soluentur rationes, quæ fiunt contra Thæmist. Nam ex consequenti sunt contra B. Tho. Quartò soluētur quædam dubia, quæ fiunt contra B. Thom.

Quantùm ad primum aduerte quòd opinio Com. stat in quatuor, primū est quòd vltima sphæra est in loco, nam mouetur localiter, & tantùm localiter, ergo necesse est ipsam esse in loco. Antecedens manifestabitur in lib. 8. consequētia autem patet, quoniam moueri in loco siue localiter supponit esse in loco. Secundum est quòd vltima sphæra non est in loco per se. nam esse in loco per se est concludi ab aliquo cōtinente: sed extra vltimam sphæram non est aliquod continens, aliter non esset vltima sphæra, nec primum continens. Tertium est quòd vltima sphæra est in loco per accidēs. Nā cùm non sit per se, & sit in loco, à sufficienti diuisione, est in loco per accidens, cùm non detur medium. Quartū est quòd vltima sphæra est in loco per accidens, quia est per cētrum. Nam vltima sphæra habet fixionem & immobilitatem secūdum subiectum à centro, ergo per centrum est in loco. Antecedens patet, quia pro nullo tēpore magis aut minus propinquat centro, aliter nō moueretur purè sphæricè, ergo habet fixionem à centro, & nō mutat locū secundum subiectū. Consequentia autem probatur, quia per illud vltima sphæra est in loco, per quod est quiescens & immobilis & fixa, eo modo quo sibi debetur quies, immobilitas, & fixio, sed per centrùm hæc sibi debentur, ergo, &c.

Præterea dicit Com. in comm. 43. quòd vltima sphæra est in loco per accidens, s. propter centrum quod est in loco essentialiter: omne enim quod inuenitur in aliquo per accidēs, inuenitur in eo propter aliquod habens illud per se. Hæc Com. Cùm igitur vltima sphæra habeat fixionem à centro, & centrum sit in loco per se, quia cōtinetur à circundante extrinseco, vt patet in situ elementorum & cœlestium sphærarum

rum, sequitur vt opinatur Com. quòd vltima sphæra sit per accidens in loco propter centrum.

Quantùm ad secundũ aduerte quòd B.Tho. sic arguit contra Com. Arist. in hoc lib. 4. in tex. 32. declarans quid sit esse in loco per accidens vel moueri in loco per accidens dixit, Hæc enim sic transmutāt locum, quòd in quo sunt transmutatur. Ex quo habetur quòd aliquid mouetur in loco per accidens, quia mouetur illud, in quo est, ex cõsequenti aliquid est in loco per acccidens, quia continetur in eo quod est in loco per se. Ponere ergo aliquid esse in loco per accidens, quia aliquod quod est omninò extrinsecum ab ipso est in loco per se, repugnat doctrinæ Philosophi. Sed vltima sphæra non est in cētro, imò est omninò extrinsecum ab ea, vt patet, ergo ridiculum est dicere vltimam spheram esse in loco per centrum, quia centrum est in loco per se.

Hanc rationē conatur soluere Iand. in 4. Phys. q. 9. dicens, Quando dicitur quòd nihil est in loco per aliquod extrinsecum ab eo, verum est si est penitùs extrinsecum, & secundum subsistentiam & secundum continentiam, licet autem centrum sit extrinsecum ab vltima sphæra secundum existētiam, quia nec vltima sphæra inexistit cētro, nec econuersò, non tamen secundum cõtinentiam, quoniam sphæra vltima continet centrum, saltem mediatè. Dicit etiam quòd licet centrum sit extrinsecum ab vltima sphæra, tamen ipsa habet habitudinem ad ipsum, quo ad motum, quoniam recipit immobilitatem & fixionē ab eo: & ideo est in loco per ipsum. Hæc est solutio Ianduni.

Sed stante doctrina Philo. hæc solutio nulla est, & stat ratio B.Tho. in robore suo. Nam Philo. loquens suprà de loco, vt locus est siue communi siue proprio siue per se siue per accidens semper assignauit hanc conditionem inter alias ꝙ locus est receptaculum & ideo continens, ex hoc ergo quòd centrum non est continens, imò contentum in vltima sphæra, potius sequitur quòd sit locatum quam vltimæ sphæræ locus, & ideo Iand. potius inuenit fugam quàm solutionem. Similiter quod dicit centrum esse locũ vltimæ sphæræ, quia secundum motũ specierum recipit immobilitatē & fixionē ab eo, nihil est dictu. Nam eadē ratione cardines hostij possent dici locus eius & anchora locus nauis. Nec in tota doctrina Philo. inuenies has conditiones ita conuenire loco, ꝙ remota continentia saluetur quocunq; modo ratio loci assignata à Philos. Vnde Com. & eum sequētes non possunt per cētrum sustinere vltimam sphæram esse in loco, nisi improprijssimè & æquiuocè. Et tamen cũ verè & propriè moueatur motu locali, necesse est inuenire modum, quo sit in loco propriè, siue per se, siue per aliud.

Quantùm ad tertium aduerte quòd B.Tho. vt patet in expositione tex. 43. declinat ad opinionem Thæmistij, qui tenet cœlũ esse in loco per partes. Et summa opinionis Thæmistij stat in hoc, Thæmist. posuit totum cœlum aggregatum ex omnibus orbibus esse in loco secundũ partes, s. secundũ orbes, quos cõtinet maximus orbis, sicut etiā verũ est dicere de toto mundo, ꝙ est in loco per partes, prout pars superior cõtinet inferiorē, & intelligo partes principales vt quatuor elementa & orbes cœlestes. Differunt tamen orbes inferiores & suprema sphæra in hoc, quia omnis orbis inferior est in loco per se, quia cõtinetur in superiori ascendēdo vsq; ad supremum. Supremus autem, quia nõ habet superius continens, non est in loco per se, sed ratione partium intrinsecarũ tantum, s. quæ sunt in cõcauo eius, quoniā tales partes mouētur circa conuexũ corporis, circa quod reuoluitur, quod secundũ Philo. est sphæra Saturni, ponit enim cœlũ stellarum fixarum supremũ esse. Ponit igitur Thæmi. vltimam sphærā locari per sphæram Saturni secundũ partes concauas, ita ꝙ conuexum Saturni est locus cõcaui octauæ sphæræ, & quasi continens ac circundans illud. Nā si signaueris partes cõcauas octauæ sphæræ & diuiseris imaginariè similiter partes cõuexas Saturni, verũ erit dicere ꝙ octaua sphæra, quæ mouetur circa septimā, habet partes cõcauas succedētes sibi inuicē in motu, & correspondētes diuersimodè partibus cõuexis Saturni. Vt facile est imaginari sumptis duobus circulis cõcentricis, quorum vnus cõtineatur in altero & moueatur superior circa inferiorem. Et ratio quidem huius opinionis est vt notat B.Thom. in expositione, Quia corpori moto assignandus est locus prout suo motu mutat locum, & quia mota motu recto secundùm totum & secũdùm partes mutant locũ, ideo debetur eis locus per se: nā secundùm se tota relinquũt primũ locũ, & occupant nouum, mota autē motu sphærico, nõ secundũ se tota mutant locũ, quin semper stant in eodem loco propter immobilitatē polorũ & centri mutant autem locũ ratione partium, vt patet, quoniā sibi inuicē succedunt, ergo sufficit corpori sphærico, qualis est vltima sphæra, esse in loco non per se, sed secundum partes.

Sed contra hanc positionem arguunt Com. & sequentes eum, inter quos est Iand. in 4. Phys. q. 9. & quoniā B. Tho. cõcordat cum Thæmistio, ideo volo soluere rationes Iāduni.

Primò arguit cõtra illud super quod se fundat Thæmist. ex consequenti etiam B.Tho. s. quòd ideo vltima sphæra nõ est in loco secundũ totũ, sed secundũ partes, quia non mouetur secundũ totũ, sed secundum partes. Contra hoc sic arguitur, Totum nõ est aliud quā omnes partes, ergo si vltima sphæra mouetur secundũ omnes partes mouetur secundũ totũ. Et cõfirmatur, quia hoc est cõtra Philo. in li. 6. in tex. 76. vbi vult ꝙ tota sphæra suo motu, licet nõ mutet locũ secundũ subiectũ, mutat tamen secundùm formā, partes autē sphæræ mutant locum & secundùm subiectũ & secundùm formā, ergo vltima sphæra sicut & quodlibet sphæricum mutat locum secundùm totum & secundùm partes, licet diuersimodè.

Ad hoc dicitur ꝙ non fuit intentio Thæmistij nec B.Tho. negare ꝙ si omnes partes sphæræ mutant locũ ꝙ tota sphæra nõ mutet locũ: implicat enim omnes partes alicuius totius solidi moueri, & ipsum quiescere. Sed intēdunt ponere differentiā inter corpus motũ motu recto, & corpus motum motu sphærico, nam licet vtrumq; totum mutet locũ nõ tamen eodē modo, quoniam motũ motu recto ita mutat locũ quòd recedit secundùm se totũ & secundùm omnes partes à priori loco & occupat nouũ locũ, motum autē sphæricè nõ recedit à priori loco, sed in eodē permanet & mutat locum non subiecto, sed ratione: quod qualiter intelligatur, declarabitur in lib. 6. Nam quòd dicit Com. secundùm formā, dicit B.Tho. secundum rationē. Omnes autem partes sphæræ suo motu mutāt locum & subiecto & ratione siue secundũ formam vt dicit Com. Ad argumentum ergo siue totum sit idē quod omnes partes, siue distinguatur, vt nos tenemus, cõcedo ꝙ si omnes partes sphærici mutant locũ etiam ipsum totum, licet nõ eodem modo vt dixi, & quādo dicit Thæmi. ꝙ sphæra non mouetur secundùm totũ secundùm locum, intēdit nõ absolutè sed vt declaraui, & sic non est contra Philos. in 6. Phys. vnde confirmatio nihil concludit.

Secundò sic arguit, si vltima sphæra nõ est in loco nisi per partes suas intrinsecas, ergo nõ est in loco secundum actum, sed tantùm in potētia, quod est incõueniens, quia actu mouetur secundũ locũ, ergo oportet actu esse in loco. Consequētia autem patet, qua partes continui existentes actu in cõtinuo non sunt actu in loco, vt vult Philos. in hoc 4. in tex. 44. constat autem quòd partes quantitatiuæ existentes in vltima sphæra sunt continuæ, ergo sunt tantùm in potentia in loco, & id expressè concedit Philos. in prædicto textu.

Ad hoc respondet B.Tho. in hoc lib. in expositione tex. 43. & concedit quòd partes vltimæ sphæræ, cùm sit quoddam continuum, sunt in loco in potentia & nõ actu, quandiu sunt continuæ & indiuisæ abinuicem. Cõcedit similiter quòd vltima sphæra non est in loco actu, sed per partes, quæ sunt in loco in potentia, & quādo dicit Iand. hoc esse inconueniens, B.Thom. hoc negat, imò declarat id esse conueniens & dicit, Necesse est enim vt gradatim ab vno immobili descēdatur ad diuersitatem quæ est in mobilibus, minor autē est variatio, quæ est secundùm partes existentes in loco in potentia, quàm quæ est secundùm tota existentia in loco in actu, vnde primus motus qui est circularis minus habet de difformitate, & plus retinet de vniformitate propinquior existens substantiis immobilibus, hæc B.Tho. Quando autem probat Iādunus id esse inconueniens, quia actu mouetur secũdùm locum, ergo debet actu esse in loco, negatur consequentia, quia non est vera nisi in moto motu recto, eò quòd motu suo deserit totum locum præcedentem & subintrat in locum nouum, ideo debuit esse actu in loco præcedenti, & actu recipi in loco nouo, hoc autem non contingit in motu sphærico, vt patet, ideo consequentia non valet.

Sed aduerte ꝙ Iand. instat probans quòd partes vltimæ sphæræ non sunt in loco in potentia. Nam nunquā sunt diuisæ in actu abinuicem, & sic nunquam sunt in actu in loco: sed frustrà est potentia quæ nunquam reducitur ad actum, quia esset ociosa, quod esset maximum inconueniens, & præcipuè in corpore tam nobili, qualis est vltima sphæra.

Et confirmatur hæc ratio, Partibus vltimæ sphæræ aut est impossibile aut possibile esse in loco. Si impossibile, ergo nec in potentia, nec non repugnanter sunt in loco, quia non stat potentia cum impossibili: si possibile, ponatur ergo in esse quòd sint in loco, non debet accidere aliquod impossibile.

Sed

Sed accideret, quia essent actu diuisæ, quod repugnat incorruptibilitati vltimæ sphæræ, ergo nullo modo propriè sunt in loco, nec potentia, nec actu.

Ad hoc dicitur, ꝙ si ratio Ianduni aliquid cõcluderet, ita concluderet contra Philos. sicut cõtra B.Tho. nam in tex. 44. concedit Philos. ꝙ quando est cõtinuum eius partes vt sunt in continuo sunt in potentia in loco, cùm igitur partes vltimæ sphærę sint partes in continuo erunt in potentia in loco. Et cùm arguit Iand. ꝙ nunquam erunt actu diuisæ nec actu in loco concedo vt sunt partes talis corporis, cui repugnat diuisio propter naturam incorruptibilitatis, ipsi tamē non repugnat diuisio vt corpus est, quoniam vt corpus continuũ & partes abinuicem diuidi possunt. Et cùm arguit, quòd illa potentia esset frustrà & ociosa negatur. Illa enim potentia dicitur frustrà quæ non impedita non exit in actum: modò quòd partibus vltimæ sphæræ non conueniat diuisio actu & locari actu, nõ est ex parte ipsarum, quoniam vt sunt partes continui non inconuenit quòd diuidantur, sed est ex parte formæ cœlestis, quæ reddit cœlum incorruptibile. Vnde si materia vltimæ sphæræ informaretur forma rei corruptibilis, partes suæ possent actu diuidi, sicut partes aquæ & alterius continui inferioris.

Ad confirmationem dico quòd est possibile inquantùm sunt partes continui, & quando dicit, Ponatur ergo in actu quòd sint in loco nõ debet accidere aliquod impossibile: dico quòd vt sunt partes cõtinui non potest accidere aliquod impossibile, si ponantur in actu in loco, & cùm dicit quòd sequitur impossibile, s. quòd essent actu diuisę, quod repugnat incorruptibilitati vltimæ sphærę. Dico quòd licet repugnet vltimę sphærę inquātùm est tale corpus, s. incorruptibile, nõ tamen inquātùm est corpus & continuũ. Et sic patet ꝙ Iādunus nõ cõcludit contra viam nostrā. Et aduerte ꝙ ipsemet percepit hunc suũ discursum non cõcludere cõtra nos: vnde inquit, Vtrum autē hæc ratiocinatio sit sufficiens ad remouendum illam positionē, s. B.Tho. & Thæmistij, non determino.

Quantùm ad quartum aduerte quòd cõtra determinationem factam pro Thæmistio & B.Tho. tria insurgunt dubia.

Primũ est, Si sm̄ Thæmi. octaua sphæra quę est vltima sm̄ Phil. est in loco per partes intrinsecas, inquantùm mouetur circa septimam, ergo septima est locus octauæ. Sed hæc fuit opinio Auemp. quā reprobat B.Tho. Quomodo ergo stat B.Tho. cum Thæmistio, si habet eũdem sensum cum Auēpace?

Secundũ est, Si secũdùm Thęmi. octaua sphæra est in loco per septimā, cùm octaua nõ sit in septima, sed ecõuersò, quo modo valet ratio B.Tho. contra Com. qua probauit centrũ non esse locum octauæ sphæræ, quoniā octaua non est in centro, sed econuersò? Et cùm centrum sit omninò extrinsecũ, ideo non potest dici octauam esse in loco per cētrum. Sic & ego arguam, Octaua sphæra non est in septima, sicut nec in centro, ergo nõ est in loco per septimam, aliter ratio B.Tho. nihil concludit contra Commentatorem.

Tertium est, quia B.Tho. in Opusculo de Natura Loci, tenet cum Auerroë & videtur declinare à via Thæmistij, ergo sibimet contrarius est.

Ad primũ dico quòd Auemp. vt possemus elicere ex Cõment. tria dicebat in loco vltimæ sphæræ. Et contra duo prima procedũt rationes Com. & B.Tho. Primò dicebat Auēp. quòd vltimę sphærę debetur locus essentialiter & per se. Cõtra quod procedit prima ratio Com. & B.Tho. quæ cõsistit in hoc, Omne locatum essentialiter & per se habet cõtinens exterius, quoniam de loco per se verificatur propriè diffinitio loci data à Philosopho. Sed vltima sphæra, vt patet, non habet continens exterius: ergo, &c.

Secundò dicebat quod octaua sphæra secundùm se totam locatur circa septimam & sic erat in loco secundùm suum conuexum & cõcauum. Et contra hoc procedit ratio Com. & B.Tho. quæ stat in hoc, Locus est æqualis locato: sed octaua sphæra non est æqualis septimæ secundùm conuexum, sed tantùm secundùm concauum, ergo octaua sphæra non secundùm se totam locatur per se circa septimam.

Tertiò dicebat ꝙ octaua sphæra ex quo secundùm se totā locatur circa septimā, etiā locatur secundùm concauũ, quoniā secundùm omnes partes cõcauas tangit omnes cõuexas septimæ. Et circa eam voluitur. Et quantùm ad hoc tertium non dissentit Thæmistius nec B.Tho. ab Auemp. Stant ergo Thæmi. & B.Tho. cum Auemp. in 3. dicto, sed non in 1. & 2.

Ad secundũ dico ꝙ ratio B. Tho. concludit contra Com. de centro, & non est eadem ratio de septima sphæra, quoniā centrum non tangit octauam sphæram, nec terminat eam, nec æquatur ei. Sed septima bene tangit octauam, quoniam correspondent partes conuexæ septimæ partibus concauis octauæ & est æqualis secundùm extensionem & terminat, & potest dici circundans & firmās intrinsecum. Et propter has conditiones septima sphæra non dicitur omnino extrinseca ab octaua sicut centrum. Et ideo B Tho. potuit rationabiliter tenere cum Thæmistio & discordare ab Auerroë.

Ad tertium Thomistæ cõmuniter dicunt illud Opusculũ non esse B.Tho. ideo non admittunt quod illic dicitur. Tu autem admisso ꝙ illud Opusculum sit B.Tho. potes sic respondere, Auer. duo dicebat de localitate octauæ sphæræ. Primò quòd erat in loco, quia mouetur circa locum. Talis enim locus videtur sufficere corpori moto sphæricè, quia cùm sit semper in eodem loco non mouetur ad acquirendum nouũ locum, hoc autem competit corpori moto motu recto. Secundò dicebat quòd locus circa quem mouetur, est cētrum mundi. B.Tho. in 4. Physi. & in illo Opusculo nunquam concordat cũ Com. in secundo dicto. Quod patet, quia in 4. Phy. arguit cõtra eum. Et in illo Opusculo nunquam nominauit centrum, sed locum, circa quem. Cõcordat autem in primo dicto declarando quomodò diuersimodè debetur locus corpori moto motu recto, & corpori moto sphæricè, quoniam sphærico sufficit locus circa quem, cùm nõ moueatur à medio ad medium, sed circa medium. Hũc autem locum, circa quem Com. dicit esse centrum. Thæmist. aũt quem sequitur B Tho. dicit esse septimam sphæram. Et sic potes saluare ꝙ B.Tho. non est sibiipsi contrarius, nec est necesse dicere quòd se retractauit in illo Opusculo, vt dicit Petrus Pomp. Nec cogeris negare illud Opusculum, quin sit ad mentē B. Thomæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Num vnum elementum sit locus naturalis alterius elementi.

Et propter hoc quidem terra in aqua, hæc verò in aëre, hic aũt in æthere, æther verò in cœlo, cœlum autem non ampliùs in alio. tex. 46.

IN hac quęst. aduerte ꝙ duplici causa difficultas est. Primò quia Com. in li. 1. de Cœlo com. 17. & in hoc li. 4 Physic. in com. 46. tenet vnũ elemētũ locari in alio. Et similiter B.Tho. Sed in tex. 42. huius quarti videtur Phil. dicere quòd mediũ mundi, i. centrũ est locus elemēti simpliciter grauis, & B.Th. in expositione tex. 42. dicit sic, Vtitur aũt Phil. hoc modo loquendi, q̄a terrę, quæ est simpliciter grauis, locus est mediũ. Hæc autem duo repugnant, ꝙ locus terræ sit aqua, & sit medium, quoniā sicut vnius corporis simplicis est tātùm vnus motus naturalis, vt ꝓbatur in 1. de Cœlo, sic est tātùm vnus locus naturalis, ad quē mouetur, vt ad suum cõseruatiuum.

Centrum mundi est locus naturalis elemētorũ, id est, est ratio qua vnũquodq; locatur in suo naturali loco: superficies aũt aquæ cõcaua nõ præcisè sumpta, sed adiuncto eius situ, est locus naturalis contentiuus terræ: omnia verò elementa sunt in suis locis naturalibus per cētrum, vt per illorũ locatiuā rationem.

Secundò probatur ad sensum, ꝙ superficies cõcaua aquæ nõ est locus naturalis terræ. Nam locus naturalis inter alias conditiones datas à Phil. habet tres. Primò si locatũ est extra locum naturalem, non impeditum mouetur ad ipsum vt illic conseruetur. Secundò quādo est in loco naturali quiescit in eo, & non mouetur ab alio nisi violenter. Tertiò circundat vndique locatum, aliter non diceretur cõtinere, nec adæquari locato. Sed nulla istarum conditionum cõuenit superficiei cõcauæ aquæ respectu terræ. Nam ad sensum patet quòd terra non mouetur ad illam superficiē, sed ad medium. nec si est in illa superficie ibi naturaliter quiescit, imò remoto impedimento, & facto foramine tantum descendet quantum poterit. nec circundatur vndique, aliter tota terra esset submersa aquis. His igitur rationibus videtur non posse saluari quod dicit Phil. Et propter hoc quidē terra in aqua, &c.

Vt igitur scias, quomodo aqua est locus terræ secundùm superficiem concauam & etiam quomodo medium, i. centrũ est locus eiusdem sic procedēdum est. Primò ponitur distinctio de loco naturali. Secundò aliquæ conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur argumenta præmissa.

Quātùm ad primũ aduerte ꝙ locus naturalis in doctrina Phil. cõsueuit sumi duobus modis. Primò pro eo quod licet non cõtineat nec circundet locatũ tamē est ratio locatiua, i. ab eo habet ꝙ naturaliter locetur in tali vel tali continente, & solet dici locus quo, siue locus originatiuè, quoniā eo posito locabitur naturaliter locatũ in suo continente naturali, & eo remoto non locabitur. Secundò pro eo quod secũdùm superficiem concauam naturaliter continet & conseruat locatum. Et habet illas conditiones, quas suprà assignauimus de mente Philosophi communiter attributas loco naturali.

Locus naturalis sumptus primo modo conuenit centro mundi, quoniā est ratio locatiua vnius elemēti in alio. Nam quia centrum aquæ est idem cum centro mundi, ideo terra naturaliter continetur in superficie concaua aquæ. &, quia centrum aëris est idem cum centro mundi, ideo superficies concaua aëris est naturaliter contentiua elementi aquæ:

& sic ascende vsque ad concauum Lunæ. Quòd si centrum aquæ esset aliud à centro mundi iam non locaretur terra naturaliter in superficie cõcaua aquæ. Et ratio quidem eorum, quæ nũc diximus, sumitur ex doctrina Philosophi in 2. Cœli in tex. 101. vbi agit de motu terræ ad medium mundi, & de eius naturali quiete in eodem.

Locus aũt naturalis secundo modo sumptus conuenit superficiei vnius elementi ambientis aliud. Sed aduerte quòd talis superficies non est locus naturalis per seipsam præcisè, sed vt est in tali situ, vel distantia ab orbe cœlesti, à quo fluit virtus cõseruatiua locati. Nã, vt diximus suprà, superficies vt superficies, non habet nisi ambire locatũ, quòd autẽ cõseruetur est ex virtute influxa à cœlo in locãte, vt dicemus infrà.

Stãtibus pmissis respõdeo ad quęsitũ per tres cõclusiões.

Prima est, Centrum mundi est locus naturalis primo modo sumptus, quo quodlibet elementum naturaliter locatur in suo continente naturali, putà terra in aqua, aqua in aëre, &c. non autem est locus naturalis secundo modo sumptus. Prima pars probatur sic, Per illud, quo stante, seruatur eadẽ distantia, & ordo situs ad orbem, vt ad vniuersale locans, naturaliter locatur quodlibet elementum in suo continente naturali: sed centrum est illud, quo stãte, &c. Nam in corpore rotundo determinata distantia sumitur à centro ex diffinitione circuli: omnia aũt elementa sunt figuræ rotundæ, vt aliàs probatũ est. ergo à cẽtro sumitur ratio locatiua vnius elementi in alio, & sic est locus naturalis primo modo sumptus. Secunda autem pars sic probatur, quia locus naturalis secundo modo sumptus est continens & circundãs & adæquatus locato & cõseruatiuus. Sed istæ conditiones non cõueniũt centro, cùm sit indiuisibile, ergo, &c. & si dicas, quòd ex quo centrum est indiuisibile, non conuenit ei ratio loci, de cuius ratione est continere locatum, respondetur, Ratio loci non propriè conuenit nisi continenti, & non ei quod est ratio locatiua. Ad hoc autem quod centrum sit ratio locatiua sufficit quod sit illud, à quo sumitur origo locandi, hoc autem potest esse indiuisibile, quoniam ab eo sumitur determinata distantia, &c.

Secunda conclusio est, Superficies concaua aquæ præcisè sumpta non est locus naturalis secũdo modo sumptus ipsius terræ, idem dico de superficie concaua aëris respectu aquæ, & ignis respectu aëris, sed est ipsa superficies in tali situ & distantia ab orbe. Prima pars sic probatur, Ille est locus naturalis secundo modo sumptus, ad quem naturaliter nõ impeditum locatum mouetur, & illic quiescit, & ab eo non recedit nisi ex violentia, nam istæ sunt conditiones cõtinentis naturalis, vt suprà docuimus. Sed terra existens in superficie aquæ concaua non mouetur non impedita ad eandẽ superficiẽ absolutè sumptã, aliter etiã si aqua esset in sphæra ignis, terra moueretur ad dictã superficiem, & ibi quiesceret, &c. quod repugnat grauitati terræ, & hæc videtur esse intentio Com. qui dixit suprà, quòd graue quærit hũc finem, s. locum deorsum secundum quod est medium totius & non secundum quod est finis aquæ, & si non esset ita, tunc terra moueretur ad aquam, vbicũque fuerit finis eius, id est, superficies concaua aquæ, sicut ferrum mouetur ad magnetem vbicunque fuerit, sed hoc non sentitur de aqua.

Secunda autem pars sic probatur, Locus naturalis continens & circumscribens locatum, non solùm est vltimũ continentis, sed habet cõseruare locatum, hanc autem virtutem conseruatiuam habet aqua respectu terræ, vt dicemus in q. seq. non præcisè ex sua superficie concaua, sed ex tali situ, siue distantia ad orbem. Quare, &c.

Tertia cõclusio est, Licet omnia elemẽta sint in locis suis naturalibus per centrum, vt per illud à quo sumitur ratio locatiua, & per superficiem concauam sui proprij cõtinentis, tamen elementa grauia sunt magis in locis suis naturalibus per centrum quàm per superficiem proprij continentis: elementa autem leuia econuersò. Prima pars probatur, quoniã aqua & terra ideo quiescunt in suis locis naturalibus & conseruantur, quia centrum earum est idem cum centro mũdi, & si non esset idem non quiescerẽt vt declaratur in 2. Cœli, ergo magis locãtur naturaliter ratione centri quàm ratione superficiei proprij continentis, nam superficies illa non locat naturaliter nisi in respectu ad centrum. Secunda pars probatur, quia ignis licet habeat centrum idem cum centro mundi, non quiescit nisi pertingat ad superficiem cõcauam orbis Lunæ. similiter aër non quiescit nisi pertingat & applicetur & circumscribatur superficie concaua sphæræ ignis, ergo signum est quòd elementa leuia magis locantur superficie proprij continentis quàm centro, ex hoc tamen non infringitur quin centrum sit ratio & origo localitatis suæ, vt dictum est in prima conclusione.

Nũc superest soluere obiect. ꝑpositas in principio quæsiti.

Ad primã dicitur quod Phil. & Com. & B.Tho. in lib. de Cœlo & in hoc 4. li. in com. 46. loquũtur de loco naturali secundo modo sumpto. In tex. aũt & com. 41. loquuntur de loco naturali primo modo sumpto. Non est aũt inconueniens eidẽ elemẽto assignare pro loco naturali centrũ vt rationẽ & originẽ locãdi, & superficiẽ proprij cõtinẽtis vt locantẽ.

Ad secundã dico quod concludit pro tertia cõclusione, s. quod elementũ graue magis est in loco suo naturali per centrum quàm per superficiem proprij continentis, eò ꝙ mouetur deorsum & quiescit illic, cum hoc tamen stat quod etiã est in loco naturali per superficiem concauam continentis, sed non præcisè vt dictum est suprà, quando ergo arguitur, quod locus naturalis inter alias conditiones, &c. dico quod illæ conditiones conueniunt loco naturali sumpto primo & secundo modo simul, sed non si sumatur secũdo modo præcisè, & præcipuè quò ad primam & secundam conditionem & maximè in elemento graui. Tertia autem conditio nõ obstat, quia quòd aqua non circundet vndequaque terrã non est per se, sed per accidens, quia ad vitam animantium seruandam, quæ non viuũt in aqua, sufficit autem quod aqua ex natura sui est apta circumscribere terram, & vt sic est locus naturalis continens terram. Sic pro nunc dicendum occurrit, vtrum autẽ sit naturale aquæ circuire terrã ad modũ zonæ, vel totã comprehendere vt pila vel vas rotundum continet aquã, est alterius negocij. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVI.

Num vnum elementum vt locatur in alio, putà aër in igne, patiatur ab eo & econuersò.

Et simul apta nata impassibilia sunt. tex. 48.

IN hac quæst. aduerte, ꝙ difficultas stat in hoc, Cùm elementum locans sit contrarium locato saltem in vna qualitate, vt patet de igne locante aërem qui contrariatur in siccitate, & aëre locante aquã in caliditate, & aqua locãte terram in humiditate, necesse est quando proximantur & se tangunt agant & patiantur ad inuicẽ. Hæc est enim natura rerum habentium contrarias qualitates. Præterea, cùm omnis alteratio sit via ad corruptionẽ & corruptio opponatur saluti, videtur esse impossibile ꝙ vnum elementum sit locus naturalis alterius elementi, quoniã vt dictum est suprà, locus naturalis est cõseruatiuus locati, aliter non moueretur ad ipsum, si ergo vnum elementum est corruptiuum alterius locati in eo, non erit locus naturalis, sed violentus.

Vt igitur præsens quæsitum resoluamus sic procedendũ est. Primò ponetur distinctio. Secundò duæ cõclusiones responsiuæ. Tertiò pertractabitur dubium quod vertitur in hoc proposito inter B.Tho. & Egidium.

Quantùm ad primum aduerte ꝙ elementum locatiuum alterius dupliciter considerari potest. Primò secundũ quòd est contrariũ elemento locato in qualitate, putà quia locans est humidum & locatum est siccum, quomodo aqua contrariatur terræ. Secundò secundùm ꝙ est vnigeneum, & habet quandã proximitatẽ secundùm naturã cum elemento locato. Nam sicut est proximitas situs inter ea, sic est proximitas naturæ, ordo enim situs in partibus correspondet ordini naturæ, vnde videmus in elementis quæ proxima sunt ẜm situ vt ignis & aër, aër & aqua, aqua & terra, esse symbola, quæ autem non proxima sunt vt ignis & aqua aër & terra sunt non symbolica, & quidem quòd inter duo elementa, quorũ vnum est locãs & alterum est locatum, sit vnigeneitas naturæ declarat Com. in com. 48. ex eo quòd omne quod mouetur ad aliquid naturaliter est vnigeneum cum eo, aliter non magis moueretur ad hoc quàm ad illud. Cùm igitur videmus aquam naturaliter moueri ad superficiem concauã aëris, & aërem ad concauum ignis, & ignem ad concauum orbis Lunæ, necesse est, vt inquit Commen. quòd vltimum continentis conueniat cum remota & in eo locata.

Quantùm ad secundũ sit hæc prima cõclusio, Elementum locans vt habet qualitatem contrariã qualitati elementi locati agit alterando locatum & repatitur: probatur, Contraria adinuicem approximata agunt & patiuntur adinuicem: hæc est enim natura contrariorũ vt ad sensum videmus. Sed elementũ locans putà ignis habet qualitatem contrariã aëri locato, quoniam ignis est siccus, & aër humidus, ergo, &c.

Secunda cõclusio, Elementũ locans prout est vnigeneum locato secundùm superficiẽ concauã, non agit in locatũ nec repatitur, sed conseruat ipsum eo modo quo conseruabile est: probatur, Simile vt simile nõ agit in suum simile, quoniã omnis

omnis actio naturalis est inter cõtraria: ergo vt sic inter dissimilia. Sed elementũ locãs prout est vnigeneũ & proximũ secũdùm naturã elemẽto locato est ei simile. Nã dicit Com. in fine com. 48. similitudo inter ea est vnigeneitas, ergo, &c.

Cùm igitur vnum elementũ locetur in alio propter vnigeneitatem, & nõ propter qualitatem contrariã constat quod elementum vt locus & elementum vt locatum sunt impassibilia. Cum hoc tamen stat quòd vt se tangunt tactu non solum quãtitatiuo, sed physico, i. secundùm qualitates actiuas & passiuas, agunt & patiuntur adinuicem, & vnum generatur ex alio & ex eis mixtum vt pertractatur in 2. li. de generatione. & ideo benè dixit Philosopus in tex. 48.

Quæ verò tangũtur actiua & passiua sunt adinuicem. vbi Commen. inquit, Cùm res vnigeneæ fuerint continuæ non agunt in se adinuicem, & cùm fuerint contiguæ agunt in se adinuicem, s. propter qualitates contrarias.

Quantùm ad tertiũ aduerte quòd dubium est in quo consistat illa vnigeneitas & conuenientia inter elementum locans & elementum locatum, per quam saluatur elementum locatum, & per quam elementum vt est locus, & elemẽtum vt est locatum sunt impassibilia.

Tu igitur aduerte ꝙ B.Tho. in expositione text. 49. in fine attribuit hoc formis substantialibus elementorum, quas habent ex influẽtia corporis cœlestis. Nam sic inquit, Considerandũ tamen est quòd Phil. hîc loquitur de corporibus simplicibus secundùm formas substantiales quas habent ex influẽtia corporis cœlestis, quod est primus locus, & dans virtutem locatiuam omnibus aliis corporibus. Secundum autem qualitates actiuas & passiuas est contrarietas inter elementa, & vnum est corruptiuum alterius. Hæc B.Thomas.

Egidius autem in 4. Physi. post expositionem text. 48. mouens dubium, quomodo sit verùm quòd locatum non patiatur à loco, recitat sentẽtiam B.Tho. licet non nominet eum, & arguit quòd vnum elementum non potest dici locus alterius propter formas substantiales, secundùm quas non est alteratio inter ea, vt videtur dicere B.Tho.

Primò sic arguit, Cùm formæ accidẽtales sint quasi quædam organa formarum substantialiũ, licet immediata ratio alterandi sit forma accidentalis, vt aliqua qualitas actiua vel passiua, principalis tamen ratio alterationis est ipsa natura rei, ergo non solùm secundùm qualitates actiuas & passiuas sumitur ratio alterandi & transmutandi in elementis, sed etiam secundùm formas substantiales. Et sic ratio impassibilitatis vnius elementi ab altero inquantùm est locus eius naturalis non potest sumi à formis substantialibus.

Secundò sic, Si vnum elementum dicitur locus alterius propter formã substantialem secundùm quam non est transmutatio, quodlibet elementum potest dici locus cuiuslibet elementi, quia secundùm hanc hypothesim, nullum elementum trãsmutatur ab alio elemento secundùm formã substantialẽ. Si ergo vnũ elementũ est in alio naturaliter tanquã in loco, quia nõ patitur ab eo, quodlibet poterit esse in quolibet, cùm ẜm hunc modũ nullum elementorũ patitur ab alio.

Tertiò sic, Naturalis non abstrahit à transmutatione nec à motu, nec à materia sensibili: cùm ergo quodlibet sit sensibile per qualitatem, consideratio naturalis semper coniuncta erit qualitatibus sensibilibus. Velle ergo considerare de loco præter huiusmodi qualitates, non est considerare de ipso naturale, sed est abstrahere quantùm à quali, quod non pertinet ad Naturalem, sed ad Mathematicum.

Et postquàm arguit contra positionem B.Tho. declarans intentionem suam dicit quòd vnum elemẽtum est locus alterius, quia conuenit in aliqua qualitate, & saluatur elementum locatum in eo, quia per talem qualitatem est proximũ & conueniens elemento locanti. Et sic credit saluare impassibilitatem inter locum & locatũ hac distinctione, Elementum locans dupliciter consideratur. Primò quò ad qualitatem qua disconuenit cum elemento locato, & sic non est locus eius naturalis, quoniam vt sic est corruptiuum eius. Secundò quo ad qualitatem qua conuenit cum locato, & per eam est locus, & conseruat locatum & non est actio trãsmutatiua per talem qualitatem inter locum & locatũ, & propter talem qualitatem dicit Philosophus locum & locatum esse impassibilia: cum hoc tamen stat quòd sunt passiua & actiua propter qualitatem contrariam. Et sic tenet Egidius quòd non alia ratione vnum elementum est locus alterius nisi quia conuenisit in vna qualitate elemẽtari quæ dicitur symbola, putà aqua, & terra in frigiditate, & ignis cum aëre in caliditate.

Sed cõtrà, Cum illa qualitas symbola in aliquo elemẽto locante sit intensissima, & in elemẽto locato sit remissa, putà calor in igne est in summo & in aëre est remissus non est sufficiens conseruatiua locati, nec potest impedire quin agat in locatum, nam forma intensa & remissa non faciunt ea in quibus sunt ita similia quin vnum agat in aliud. videmus enim ad sensum minus calidum pati à magis calido, ergo per solam qualitatem symbolam non potest saluari impassibilitas inter locum & locatum. Præterea, ex sola qualitate symbola non potest saluari virtus generatiua, quam videmus in loco naturali super locatum. Et ideo teneo quòd sententia B.Tho. est verior, & optimè saluat impassibilitatẽ, quã ponit Phil. inter elemẽtũ locãs & elemẽtũ locatũ q̃ nõ penetrauit Egidius. Respexit enim ad nuda verba B.Th. & nõ ad sensum.

Tu igitur aduerte quòd non fuit intentio B.Tho. dicere ꝙ elementum est locans propter formam suam substantialem præcisè. Nam clarum est in doctrina sua formam substãtialem non esse immediatum principium alicuius actionis, sed per qualitates, vnde ponit hac de causa potentias distingui realiter ab essentia animæ. Cùm igitur elementum locans aliud naturaliter non solùm habeat circũscribere per superficiem concauam, sed etiam conseruare, & attrahere vt finis, necesse est vt habeat aliquam qualitatem vltra formam substantialem, qua sit seruatiuum & attractiuum locati, ad hoc autem non sufficit qualitas elementaris symbola, vt dictum est, ergo necesse est vt ex influentia cœli tanquam ex primo & vniuersali locante recipiat virtutem conseruatiuam elementi locati, ita quòd licet per qualitatem elementarem cõtrarietur, tamen per illam sibi influxam non agit alterando sed conseruat. Et hæc fuit intentio B.Tho. Vnde quãdo dicit quòd Philosophus, hîc loquitur de corporibus simplicibus quò ad formas substãtiales quas habent ex influentia corporis cœlestis, intendit de formis substantialibus nõ adiunctis qualitatib' alternatiuis, nã vt sic sunt actiua & passiua adinuicem, sed adiuncta illa qualitate influxa, quoniam vt sic non agit alterando elementum locans in locatum, sed cõseruat. Et ex his habes quòd forma substantialis elementi locantis, vt ab ea fluit qualitas alteratiua, est primum principium alterandi elementum locatum, vt autem est coniuncta virtuti influxæ, est principium conseruandi.

Hinc patet quòd obiectiones Egidij non concludunt cõtra viam nostram, quoniam credit quòd B.Tho. intendat de forma substantiali præcisè sumpta, in quo sensu obiectiones concludunt, & non aliter, ideo non est opus eas aliter soluere. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. In quo terminantur quæsita principalia in capitulo de Loco.

QVAESTIO XVII.

Num si daretur motus in vacuo, esset in instanti, vel in tempore.

Amplius autem, & ex his manifestum est, textu 71. vsque ad textum 75.

Si fieret motus in vacuo fieret in tempore, in instanti autem fortè fieret, supposita Antiquorum sententia.

IN hac quæst. antequàm ad decisionem deueniam, aduerte quòd Philosophus in hoc loco intendit destruere vacuum destruendo vnam ex causis propter quas Antiqui ponebant vacuũ. vna autem ex causis erat, vt grauia & leuia mouerentur localiter. Arbitrabantur enim ea nõ posse moueri in spacio pleno, Philosophus verò intendit hîc manifestare quòd sequitur oppositum, s. quòd non mouerentur, eò quòd si mouerentur in vacuo, mouerẽtur in instanti. Sed motus non potest esse in instanti, quoniam de ratione motus est successio vt probabitur in li 6. Phy. Ergo si ponitur spacium vacuum aufertur motus localis grauium & leuium.

Quæritur ergo si hæc consequentia Philosophi, s. Si daretur motus in vacuo, motus esset in instãti, sit absolutè vera, an teneat solùm ex aliquo posito & concesso ab Antiquis, putà quòd successio & tarditas & velocitas motus proueniãt præcisè ex parte medij pleni, ita quòd remota plenitudine medij, hæc non inessent motui.

Et quoniam præsens quæsitum habet solennes opiniones oppositas ideo est difficilis. Reducuntur autem hæ opiniones ad duas sectas. Prima est Com. & sequentium eum, sicut est v'a Alberti in 4. Physi. Tract. 2. ca. 7. & Burlæi & Ianduni, & Alberti de Saxonia. Omnes isti tenẽt cum Cõmen. quòd consequentia Philosophi est absolutè vera. Secunda via est Auempace & Auicen. quos B.Tho. in 4. Physi. in expositione text. 74. videtur sequi & Scotus in 2. Sent. dis. 2. q. 9. respondens ad argumenta, & Gratiadeus in Quæstionibus ordinariis super 4. Physi. Omnes isti tenent quòd non est vera absolutè, sed tenet ex aliquo dato & concesso ab Antiquis, per quod Philosophus concludit contra eos.

Vt igitur habeas resolutionem huius quæsiti in via nostra duo

duo principaliter agenda sunt.Primò habemus manifestare & firmare viam nostram.Secundò soluemus principales rationes eorum qui tenent viam Com.in vltimo autem quæsiti, declarabimus breuiter, gratia disputationis, quomodo tam via Commen. quàm B.Tho.est sustentabilis.

Quantùm ad primum principale, vt habeas mentem Thomisticam præmittuntur duo, deinde conclusio decisiua.

Primò præmittitur quòd in rei veritate totalis causa successionis in motu locali, non est sola plenitudo spacij.& probatur,Quæ sunt de ratione formali alicuius cõueniunt ei ex suа natura & non per aliquod extrinsecum, quoniã prędicata formalia & quidditatiua cõueniunt rei primo modo per se.Sed continuitas & successio,vt probatur in lib.6. Physic. sunt de ratione formali ipsius motus.ergo cõueniunt motui ex natura motus,& non præcisè ex plenitudine spacij, quod est quoddam extrinsecũ à motu, ergo siue ponatur plenitudo spacij siue vacuitas, hæc conditionalis erit vera, Si datur motus, datur continuitas & successio & per consequens datur de necessitate motus in tempore & non in instãti, quoniam nullum continuum successiuum est mensurabile instanti,sed tempore,vt declarabitur in lib.6.Physic.

Et aduerte q̃ hæc ratio sumpta ex essentiali ratione motus adeo stringit q̃ Albertus in 4.Physi.in Trac.2.in c.7.coactus est dicere motum qui fingitur in spacio vacuo & in instanti non esse verè motum, sed esse finem cuiusdam mutationis quæ fit in instanti, sicut illuminatio instantanea. Hæc Albertus. Ex quo sequitur, quòd si motus esset in vacuo. & esset verè motus secundùm Alber.sequentẽ viam Com.esset in tempore & non in instanti.Quod ergo motus sit successiuus & fiat de necessitate in tẽpore,non est præcisa causa plenitudo spacij,sed ipsa natura motus sic exigit.

Sed cõtra prædicta videtur esse ratio Philos.in tex. qui sic argumentatur,Proportio motuũ in velocitate est sicut proportio mediorum in subtilitate,&c.ergo videtur velle Philosophus q̃ omnis determinata velocitas motus sit ex plenitudine medij, diuersitas autem velocitatis sit ex diuersitate subtilitatis & densitatis medij pleni,ergo remota plenitudine medij erit indeterminata & infinita velocitas, & per consequens motus in vacuo erit in instanti.

Ad hoc dicitur ad mentẽ B.Tho.& Scoti & sequentiũ eos, q̃ ratio Phil.non cõcludit absolutè,sed contra Antiquos, eò quòd ponebãt totalẽ causam successionis in motu esse ex plenitudine medij.Quod non est verum,vt nunc declarabitur.

Secundò præmittitur q̃ sola quantitas dimensiua spacij etiã remota omni eius plenitudine,& remota omni resistentia per qualitatem cõtrariam inter motorem & mobile, est causa q̃ successio fit in motu,& de necessitate fiat in tempore.Quod sic declaro, In mobili ex sola quantitate spacij etiã vacui est semper aliqua dispositio opposita dispositioni inducendæ à motore in suo mobili per motum localem, ergo ex sola quantitate spacij etiam vacui, si motus fieret in eo fieret in tempore. Consequentia patet, quoniam dispositiones oppositæ non se compatiuntur simul in eodem, pro eodem instanti. Antecedens autem probatur,quoniam mobile mouendum super spacium quantum est in vbi opposito ad vbi acquirendum,se habẽt enim vt terminus à quo & terminus ad quem.ergo sunt opposita,vt declaratũ est in 1.li. Sed hæc duo vbi sunt vt dispositiones oppositæ cõparatæ ad ipsum mobile,quibus mobile resistit suo mouenti, ergo in mobili ex sola quantitate spacij etiam vacui,&c. Quod autem illa duo vbi sint vt dispositiones oppositæ probatur.Sicut se habẽt duæ qualitates oppositæ in alteratione,sic duo opposita vbi in motu locali,quoniã sicut alteratio est inter oppositas qualitates, sic motus localis inter opposita vbi.Sed qualitates oppositæ dicuntur dispositiones oppositæ, eò quòd vna existens in alterabili prohibet ne alterans statim & instantaneè trãsferat alterabile ad oppositã: sed necesse est vt trãsferat in tẽpore, ergo proportionaliter duo vbi opposita, dici possunt duæ dispositiones oppositæ, eò q̃ vnũ vbi existẽs in mobili mouendo prohibet ne mouens instantaneè transferat mobile ad alterum vbi acquirendũ per motum. Propter quod sequitur q̃ motus localis etiam ex sola quantitate spacij erit successiuus, cùm non possit idem mobile esse simul in oppositis vbi pro eodẽ instanti, sicut non potest idem subiectum esse simul pro eodem instanti sub duabus qualitatibus contrariis,& maximè pro gradibus intensis.

Et aduerte q̃ hæc ratio adeo stringit Alber. vbi suprà, q̃ cõcedit, si lapis descẽderet in vacuo, quòd in eodem instanti siue momento esset in vbi superiori & in vbi inferiori. Sed non secundùm idem, quoniã in eodẽ instanti vt est finis præteriti erit in vbi superiori,& vt est principium futuri erit in vbi inferiori. Sed hæc respõsio nõ euadit quin duo opposita vbi quæ sunt distincta realiter sint in eodem mobili pro eodem instanti reali.Nã consideratio instantis vt est finis præteriti,& principium futuri facit solam distinctionẽ formalem siue rationis. Sed distinctio rationis non sufficit ad hoc quòd duo opposita positiua(vt præseruem me ab oppositione contradictoria)se compatiantur simul in eodem.

Et ideo Iandu.vt effugeret hoc incõueniens dicit duo.Primò concedit quòd in eodem instãti sequeretur mobile esse sursum & deorsum, & quoniam hoc est impossibile, dicit bili non sequitur impossibile.

Sed hęc respõsio nõ valet,quoniã dato q̃ esset impossibile realiter loquẽdo,motũ esse in vacuo nõ tamẽ est impossibile ꝗm imaginationẽ & ꝗm intellectũ,cùm vacuũ sit spaciũ quãtũ imaginariũ,& ex sua extensione motus potest habere successionẽ,vt dictũ est suprà. Idẽ aũt mobile pro eodẽ instãti esse sursum & deorsum est impossibile & secundùm rem & secundùm imaginationem & secundùm intellectum,quoniã contradictoria simul essent in eodem, s. esse sursum & non esse sursum,quod non est imaginabile nec intelligibile.

Et ideo Iãdu.dicit secũdò q̃ simot' esset in vacuo,nõ esset oppositio situũ,eò q̃ nulla differẽtia esset inter partes vacui.

Sed & hęc respõsio nõ valet,quoniã nõ est dabile realiter spaciũ nec imaginabile nisi vt extẽsum.De ratione enim spacij est extensio vt patet ex terminis,si ergo datur spaciũ vacuũ saltẽ imaginariè datur extensio imaginaria: si extensio, ergo distãtia extremorũ, implicat enim dari extensionẽ imaginariã,& non dari distantiã extremorum. Si distãtia extremorum,ergo oppositio situum,quoniã non potest imaginari talis distãtia nisi cum imaginatione differentiarum localium,putà quòd vnum extremũ sit sursum & alterum deorsum , ergo siue detur vacuum spacium reale siue imaginariũ necesse est dari oppositionẽ situum eo modo quo datur vacuum,aliter negabis vacuum esse spaciũ,quod est stultum.

Suessa aũt fortè videẽs vim rationis factæ, quã dicit esse ftã à Cuculatis,i.à B.Tho.& à Scoto, cupiens euadere dicit q̃ in alio instanti si mobile moueretur in vacuo esset in vno vbi,& in alio in vbi opposito, sed non in aliquo instãti determinato nec signabili. Et q̃m aduertit ex hoc sequi q̃ simot' fieret in vacuo,fieret in tẽpore,q̃m inter duo instãtia mediat tẽpus, ideo cõcessit hoc, & dixit nõ fuisse de mente Com.q̃ idẽ fit motũ fieri in non tẽpore & fieri in instãti,quoniã non tempus sumitur pro breuissimo tẽpore & non pro instanti.

Sed hæc est fuga. Quoniam omnes Expositores sumunt non tempus pro instãti,& præterea,quantumcunq; sit tempus breue tamen determinatã proportionẽ habet ad quodcunque finitũ tempus, ergo si motus in vacuo fieret in tempore etiam breuissimo esset proportionalis motui facto in pleno,quod tamen Philosophus & Comment.negant.

Bur.aũt nesciuit aliter respõdere rationi factæ nisi q̃ si vacuũ resisteret priuatiuè ex incõpossibilitate terminorũ,qui imaginãtur in spacio vacuo , sequeretur motũ in vacuo fieri successiuè & in tempore,quod tamen Phil.& Com.negant.

Sed nos hanc consequentiã cõcedimus& dicimus rationem Philos.non concludere absolutè , sed contra Antiquos ponẽtes totalem causam successionis in motu prouenire ex plenitudine medij,patet ergo quòd nullus prædictorum,potest ex respõsionibus adductis effugere suprapositam rationem quæ est ad mentem B.Tho.& Scoti.

Præmissis his duobus ponitur hæc conclusio responsiua quæsiti,Si graue moueretur in vacuo,moueretur in tempore & non in instanti.Hanc probo duobus præsuppositis.

Primum est,Sicut in spacio reali pleno dantur duo extrema realia,s.sursum & deorsum vel duæ aliæ differentię locales oppositæ, ita in spacio vacuo imaginato dantur duo extrema imaginata opposita.Probatur similitudo,quoniam sicut se habet spacium reale ad extrema realia , ita spaciũ imaginatum ad extrema imaginata,vtrunque enim vt apprehenditur extensum habet extrema sibi proportionata.

Secundũ est, Omne q̃d mouetur de extremo ad extremũ prius peruenit ad mediũ.Hoc est Phil.in 6.li.Phys.Sed dicet id esse verũ,quãdo spaciũ habẽs extrema habet etiã medium non aũt est necesse inter quælibet duo extrema dari medium.

Sed contrà, In omni cõtinuo reali vel imaginario fidãtur extrema datur medium,aliter nõ apprehenderetur vt continuũ.Sed hũciam loquimur de cõtinuo imaginario quale ponitur spaciũ vacuum.ergo si in eo cõceduntur extrema imaginaria,necesse est cõcedere medium imaginariũ.Suppositis his,arguo ad conclusionẽ,arguendo semper cõditionaliter.

Si lapis descenderet in vacuo in illo instãti in quo esset in extremo sursum imaginato,nõ esset in medio, nec in eodem instanti esset in altero extremo,scilicet deorsum imaginato quia prius imaginariè attingit medium, ergo in vno instanti attingit medium , & in alio attingit extremum. ergo talis motus de necessitate esset in tempore, quia inter duo instantis semper cadit medium tempus.

Hæc rationi omnes Cõmentistæ nesciũt aliud respõdere nisi q̃ dicunt q̃ in rei veritate in spacio vacuo nõ est sursum nec medium nec deorsum,ideo dicunt q̃ si lapis moueretur in vacuo,non prius attingeret medium quia non datur medium in vacuo, sic respondet Albertus & Burlæus.

Sed hæc respõsio , licet neget & bene,sursum & mediũ & deorsum esse in vacuo,vt sunt reales differẽtiæ loci naturalis propter variã virtutem conseruatiuã locati,tamen nõ est intelligibile q̃ spaciũ vacuũ apprehẽdatur vt extẽsum & diuisionatũ imaginariè,quin apprehendãtur imaginariè duo extrema & mediũ,ex qu b' sic arguitur , Si lapis moueretur in spacio dimensionato cõtinuo secundùm imaginationem prius attingeret mediũ quàm extremũ, loquendo de medio imaginario & non reali. Sed si aliquid moueretur in vacuo, moueretur in spacio dimensionato continuo secundùm imaginationẽ: ergo si aliquid,putà lapis moueret in vacuo prius attingeret medium imaginarium quàm extremum,ergo de necessitate moueretur in tempore & non in instanti.

Alias rationes dimitto , quoniam ferè omnes procedunt sicut ista,supponendo quod in spacio vacuo admittantur saltem imaginariè opposita extrema & medium.

Quantùm ad secundum aduerte q̃ omnes Cõmentistæ insurgunt cõtra hanc determinationem factam , & conantur probare quòd si motus fieret in vacuo,absolutè fieret in instanti.Sua autem argumenta fortiora sunt hæc.

Primum est ratio Philosophi , sic enim arguit , Qualis est proportio medij ad medium in subtilitate,&c. talis est,&c. Vide quomodo format eam,B.Tho.

Ad hoc patet quid dicendũ sit ex prędictis.Nã ꝗm B.Tho. & Scotũ,propositio maior nõ est absolutè vera,nec tenet nisi ex suppositione facta ab Antiquis,qui credebãt præcisam & totalẽ causam successionis & resistẽtiæ in motu prouenire ex plenitudine medij,q̃ nõ est verũ,vt declarauimus suprà.

Secundũ est ratio Cõm. qui arguens cõtra Auemp. dicit q̃ tẽpus in motu requiritur vel propter resistentiã mobilis, quando s.motor distinguit à mobili,& mobile est in aliquo vbi & motor appetit ipsum trãsferre ad vbi oppositũ , sicut cõtingit in cœlo.Nam intelligẽtia ideo mouet Solem ab Oriente in Occidens in tẽpore,quia Oriens & Occidens sunt vbi opposita,quæ non possunt inesse Soli pro eodem instãti, vel propter impedimentũ & resistentiã medij pleni,sicut patet quãdo mouetur nauis in aqua,vel propter vtrũque,vt est in rebus animatis.Sed in motu grauiũ non est resistẽtia mobilis ad motorem,quoniã motor grauium non distinguitur à mobili. Mouetur enim graue à forma sua,ergo resistentia est tãtùm ex parte medij, ergo si grauia moueretur in vacuo, nulla esset resistentia,*quia* vacuum non resistit , & sic sequitur,quòd non esset necesse ponere tempus,si graue moueretur in vacuo.Sed motus esset in instanti.

Hoc argumentũ secũdùm viam nostrã peccat in duobus, primò quia dicit Com.q̃ graue nõ mouetur à motore distinto à grauí. Hoc negandum est, quoniã vt determinabimus in lib.8.Phy.mouetur à suo generãte, & de hoc formabimus specialem quæstionẽ in li.8. secundò quia dicit medium non resistere nisi quia plenũ, quod non conceditur in via nostra. Nam vt dictum est suprà, mobile & medium sunt causa successionis in motu ratione quãtitatis suę dimensiuę,& prout mobile est in vno vbi opposito alteri vbi acquirendo , quæ non se compatiuntur in eodem pro eodem instanti.

Sed cõtra hoc instatur secundùm Auer.quoniã si sumatur graue quò ad materiã vt est sub quãtitate remota per intellectũ forma grauis,graue vt præcisè quantũ non resistit,quoniã quantitas vt quantitas non est actiua ,.omnis aũt potẽtia resistitiua est actiua ex 9.Meta.ergo si auferatur impedimentum medij pleni, motus rei grauis in vacuo erit in instanti.

Ad hoc dicimus q̃ graue nõ solùm ratione formæ & qualitatis,sed etiã vt quantũ resistit, non quidẽ positiuè, sed priuatiuè resistit, quoniã vt quãtum non est in illo vbi ad quod mouens intendit ipsum transferre & quãdo arguitur quòd omnis potẽtia resistitiua est actiua,non est verum nisi de resistentia positiua,non autem de priuatiua,quæ potest prouenire ex sola materia vt est sub quantitate. Et ideo mobile vt quantum non potest moueri in instanti.

Tertia sumitur ex Arist.in 7.Phy.vbi habetur hęc relatiua, Si tanta virtus mouet tãtum mobile per tantum spacium in tanto tempore dupla virtus mouebit illud idem mobile per tantũdem spacium in medietate temporis.Tunc sic,Sed dupla virtus ideo mouet in medietate tẽporis quia citius scindit mediũ , ergo tempus requiritur in motu grauiũ ex diuisione medij pleni,ergo si medium esset vacuũ,cum illic nulla adesset diuisio medij motus esset in non tempore. Ad hoc dicitur q̃ cõcessa maiore,negatur minor.Nam q̃ dupla virtus moueat in minori tempore non est præcisa ratio diuisionis medij,sed hæc disiunctiua,citior diuisio medij,vel citior consumptio distantiæ quæ est inter duo extrema, vnde dico q̃ differentia velocitatis in motu non prouenit ex diuersa scisiõe medij, sed ex eo quod vigorosius mouẽs facit suum mobile citius pertrãsire distantiam quæ est inter duo vbi opposita. Et hæc est causa diuersarum velocitatũ in motibus corporum cœlestium,vt etiam confitetur Com. in sua digressione. Et eadem ratio seruatur in mobili grauiũ vt est quãtum & vt spacium vacuum imaginatur dimensionatum habens extrema abinuicem distantia.

Quarta sumitur ab Auerroe in fine digressionis,Si motus in vacuo esset in tẽpore,ergo æquè velociter moueretur magis graue& minus graue,quod videtur absurdũ.Cõsequẽtia probatur, quia remota resistentia medij pleni remanet sola incõpossibilitas terminorum,quæ respectu vtriusque mobilis,s.magis grauis & minus grauis est æqualis,dũmodò imaginemur vtrunque moueri in spacio vacuo æquè extenso.

Ad hoc potest negari falsitas cõsequẽtis sicut etiã dicem' de intẽsione motus naturalis in fine, põt etiã negari cõsequẽtia,q̃m maior vel minor aut æqualis velocitas nõ solùm causatur ex diuersa resistẽtia medij,sed etiã ex ina qualitate mouentiũ,vt patet in motibus cœlestibus. Nec valet dicere, q̃ nõ est eadẽ ratio de motu cœli & de motu grauiũ, q̃a in motu cœli mouẽs & mobile distinguũtur actu , nõ aũt in motu grauiũ,quoniã mouentur à suis formis. Hoc inquã non valet,quoniam in via nostra *non est concedendum graue* moueri à sua forma,sed à generãte vt probabimus in lib.8.Phy sic.ergo etiã in graui mouens & mobile distinguuntur actu.

Quinta est hæc,Si graue dum descẽderet in vacuo moueretur in tempore,sequitur quòd motus naturalis non intenderetur in fine , quoniam cùm ibi nulla *sit* resistentia medij, à principio ad finem semper est æqualis incompossibilitas terminorum,ergo vniformis velocitas.

Ad hoc dici potest q̃ motus naturalis non intẽderetur in fine ex minori resistentia medij,quæ nulla esset,sed ex maiori vigoratione *virtutis* ipsius mobilis,vt dicemus aliàs : potest etiam concedi falsitas cõsequentis. quoniã non est de ratione absoluta motus naturalis q̃ intendatur in fine,nisi quia mobile tendit ad locum cõseruatiuum locati ex virtute sibi impressa à cœlo & ex qualitate symbola , vt diximus suprà agentes de loco , & quoniam in vacuo *non* sunt loca diuersarum naturarum conseruatiua locati , ideo potest cõcedi q̃ in vacuo motus naturalis nõ intenderetur in fine, & si dicis hoc esse contra Philos. Dico q̃ Philos.intendit suppositа differentia locorũ,vt habent conseruare locatũ & nõ absolutè.

Hæc sunt fortiora argumenta tenentium contra viam nostram,quæ vt vidisti non concludunt.

Tu tamẽ licet vt sectator B.Tho. habeas tenere partem negatiuã præpositi quæsiti , si gratia disput. volueris vtramq; viam sustinere , sic facies , Viam Com. sustinebis solùm ex hoc principio, s. Ad *successionem* motus grauium & leuiũ requiritur spacium in quo sint duo extrema realia & mediũ reale. Hæc autem non inueniũtur in spacio vacuo vt omnes cõcedunt.Et ideo dato q̃ sit falsum,aliquid moueri vt possit moueri in vacuo,tamen hæc conditionalis est vera,Si quid moueretur in vacuo moueretur in instanti, eò q̃ in vacuo non sunt extrema realia nec mediũ reale, nec resistentia realis;quæ sunt necessaria ad successionem motus. Sic quidem posset disputatiuè teneri opinio Commen.respõdendo,non tamen arguendo,nisi suppositа sententia Antiquorum,quòd omnis resistentia & successio sit ex plenitudine spacij.

Opinio autem B. Tho.etiam faciliori modo sustinetur ex hoc principio,Ad successionem motus sufficit quãtitas spacij in quo imaginariè sunt extrema & mediũ,& ex sola quãtitate spacij causatur resistentia non quidem propter qualitates oppositas sed propter vbi opposita,quoniam si mobile esset in vno extremo vacui , esset sub vbi opposito ad alterũ vbi acquirendum per motum,& cum vbi opposita non possunt inesse eidem pro eodem instanti, sequitur quòd si motus

tus esset in vacuo, fieret in tempore. Sic sustinenda est via B. Tho. & potest sustineri arguendo & respondendo, quoniam rationes nostræ firmiores apparent ex eo quòd non possunt solui nisi incidendo in aliquod inconuenientium de quibus supra diximus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVIII.

Num duo corpora possint esse in eodem loco proprio.

Quid igitur distabit cubi corpus ab æquali loco & vacuo. tex. 76.

Duo corpora possunt esse in eodem loco proprio, non quidē per principia intrinseca, sed per diuinā potestatem.

IN hac quæst. gratia vniuersalis doctrinæ intendo inuestigare non solùm quid tenendum sit secundùm Physicum, sed etiā secundùm absolutam veritatem. Tu igitur aduerte quòd apud Peripateticos est cōmunis consensus, esse impossibile duo corpora esse in eodem loco. eò quod arbitrantur implicare contradictionem. Nam si sunt in eodem loco, nō distinguūtur: ergo erunt vnum corpus, ergo duo corpora erunt vnum corpus. & sic erunt duo & non duo. Verùm quia ea quæ implicant cōtradictionem per nullā potentiam, etiā diuinā, sunt possibilia: & tamē duo corpora posse esse in eodem loco tenetur possibile per diuinam potentiā & secundùm veritatem, & vt sic non videtur implicare cōtradictionem, ideo vt videamus quomodo est possibile & quomodo non in hoc quæsito sic procedemus, Primò ponitur quædā distinctio. Secundò duę cōclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur fortiora argumenta tenentium oppositum.

Distinctio sit hæc, Duo corpora posse esse in eodem loco, potest intelligi dupliciter. Primò per sua principia intrinseca essentialia, & quę sint hęc principia manifestabitur in probatione primæ cōclusionis. Secundò per diuinam virtutem supplentem & causantem effectum, qui naturaliter est causabilis à quantitate dimensiua vt declarabitur in probatione secundæ conclusionis.

Prima conclusio sit hæc, Duo corpora esse in eodem loco per sola sua principia intrinseca naturalia est impossibile, & implicat contradictionem. Hanc probo ex principiis Philosophi in tex. Et suppono duo. Primò quòd non debetur locus corpori, ex sua nuda materia nec ex forma nec ex qualitatibus. Hæc enim sunt indiuisibilia secundùm suam naturam nec sunt occupatiua loci sicut nec incorporea entia. Debetur aūt ei locus ex sua quantitate dimensiua, eò quòd per dimēsiones suas occupat locum, & habet partem extra partem. Secūdo suppono quòd materiæ & formæ & qualitates duorum corporū non distinguūtur nisi per distinctas quantitates & dimensiones, eò quòd qualitates distinguūtur suis subiectis, & formæ suis materiis, & materiæ suis quantitatibus, quoniam primum distinctiuum materiæ est ipsa quantitas. Quātitates autem distinguuntur suis subiectis sicut & alia accidentia, sed vltra hoc distinguuntur propriis sitibus. Impossibile est enim imaginari duas lineas æquales distingui, nisi sint in distinctis sitibus. Ex his suppositis sic arguo ad conclusionem, Si duo corpora possent esse in eodem loco per sua principia intrinseca essentialia, ergo duo corpora essent vnum corpus, quod est impossibile. Consequentia probatur. Nam ex primo supposito non sunt in loco nisi per dimensiones suas. Et ex secundo supposito dimensiones non remanent distinctæ nisi alio & alio situ. Sed si sunt in eodem loco non distinguūtur situ. Tunc vltra, Si dimensiones duorum corporum non remanent distinctæ, ergo nec materiæ nec formæ nec qualitates, & sic sequitur quòd omnia principia intrinseca duorum corporum erunt eadem, & per cōsequens duo corpora erunt vnum corpus. Aduerte quòd aliqui dicunt, quòd licet duo corpora si essent in eodem loco non distinguerentur quantùm ad corporeitates, tamen distinguerentur quātùm ad esse physicum, quoniam duorum corporum naturalium duo sunt esse.

Sed isti errant stando præcisè in principiis naturalibus, quoniā cùm esse corporis Physici causetur ex vnione formę & materiæ, si duorum corporum naturalium dimensiones non distinguuntur, nec materię distinguerētur: primū enim distinctiuum materiæ est quantitas. Nec formæ distinguuntur, quoniam vnaquæque forma respicit suam propriā materiam, ergo non resultaret nisi vnum esse physicum.

Secunda cōclusio sit hæc, Duo corpora possunt esse in eodem loco ex diuina virtute supplentē & causante effectum qui naturaliter causatur ex quantitate dimensiua.

Antequam probetur conclusio, declarandum est qui & quot sint illi effectus quantitatis dimensiuæ, quos Deus potest supplere si duo corpora essent in eodem loco. Aduerte igitur quòd tres effectus naturaliter causantur à quantitate dimensiua siue à corporeitate, quodam tamen ordine, ita quòd posterior pendet à priori.

Primus igitur effectus est, quòd corporeitas causat extensionem partium & diuisibilitatem in re cuius est corporeitas. Nam de ratione quantitatis dimensiuæ est extensio & diuisibilitas ex 5. Metaphysicæ cap. de Quanto.

Secundus effectus est, quòd corporeitas & corpus physicum per corporeitatem, naturaliter expellit aliud corpus à suo proprio loco ex aduentu ad locum suum, vt declaratum est in 4. Phy. textu 32. vbi dicitur quòd successio corporum in eodem loco fecit cognoscere locum.

Tertius effectus est, ꝙ distinctio corporū naturaliter causatur ex distinctione corporeitatū. Distinguuntur enim duo corpora physica ex materia subiecta quantitati, vel saltem forma delata à quantitate, & hoc dico propter corpus cœleste, nam posito secundùm Com. licet non concesso in via nostra, ꝙ materia non esset in cœlo adhuc duo corpora cœlestia distinguerentur suis formis vt stant sub quantitate, duæ autē corporeitates distinguūtur ex distinctis sitibus vt corporeitates sunt. Quod dico, quoniā vt accidentia sunt, distinguuntur suis subiectis. Hoc enim cōmune est omni accidēti.

In proposito dico, ꝙ diuina virtus non potest remouere à corporeitate primum effectū, nec potest ipsum causare sine corporeitate, quoniā primus effectus formalis est inseparabilis à forma. Prædicatur enim forma de suo primo effectu formali in 4. modo per se. Quæ autē per se alicui conueniunt sunt ab eo inseparabilia per quamcunque potentiam, vnde sicut Deus non potest facere quòd aliquid sit animatum sine anima, nec album sine albedine, ita non potest facere quòd aliquid sit extensum & diuisibile sine corporeitate.

Secundum autem effectum potest diuina virtus auferre à corporeitate siue suspēdere, quoniam non est primus sed secundarius eius effectus formalis. Et potest etiā teneri quòd est à corporeitate, vt à causa efficiente. Diuina autem virtus licet non possit auferre primum effectum formalem potest tamen secundariū, & potest vniuersaliter suspendere omnē effectum causæ efficientis, quoniā sicut causa efficiens secunda non agit nisi vt mota à prima, sic potest suspendi omnis eius actus per virtutem causę primę, vnde licet diuina virtus non possit impedire calorē quin det esse calidū ei cui inest, eò ꝙ hic est eius primus effectus formalis, tamen potest impedire quin calefaciat obiectum dispositū & debitè approximatum, vt tenēt Theologi, sic dico in proposito, licet Deus non possit impedire corporeitatem quin det esse extensum & diuisibile corpori, tamen potest impedire ne expellat aliud corpus ab eodem loco.

Tertium autem effectum, s. distinctionem duorum corporū potest diuina virtus manu tenere, & similiter distinctionem duarū corporeitatum dato ꝙ essent in eodem situ, quoniam non est de ratione formali quātitatis dimensiuæ quòd distinguatur situ. Situs enim nō est de ratione formali quantitatis, quoniā vnum prædicamentū non prædicatur formaliter & affirmatiuè de alio prædicamento ex 1. Poster. ergo nec distinctio per situm est de ratione formali quantitatis dimensiuæ, ergo potest diuina virtus seruare distinctionem duarum corporeitatum etiam si essent in eodem situ. Hanc consequentiam vltimam sic probo, Deus potest conseruare rem remoto omni prædicato extraneo, & quod non cōsequitur naturā rei vt sua proprietas naturalis. Sed distingui situ est prædicatum extraneum respectu quantitatis dimensiuæ, cùm non sit de ratione sua formali, nec consequatur ad eā vt sua proprietas naturalis, quoniam non est magis proprietas naturalis distingui situ, quàm ꝙ accidens inhæreat suo subiecto actu, quoniā inesse videtur esse de ratione accidentis, sed inhærere actu non est proprietas accidentis, sed solùm aptitudine. Nam diuina virtus potest cōseruare accidens sine actuali inhærētia, vt tenet Theologus. ergo nec distingui actu secundùm situm est proprietas quantitatis dimensiuæ. Et sic potest Deus manu tenere distinctionem duorum corporum, dato quòd eorum dimensiones essent in eodem situ.

Sed aduerte ꝙ distinctio quam Deus seruat inter duo corpora existentia in eodem situ non est imaginabilis apud Metaphysicum, quoniā secundùm eum, qui considerat quātitatem vt quantitas est, sola ratio distinguendi est situs, seruatur autem huiusmodi distinctio per diuinam potentiā apud Physicum, quoniā potest Deus seruare esse distincta duorū corporū, vt habēt esse naturale sine hoc ꝙ distinguātur quātitatibus distinctis secundùm sitū. Et potest seruare esse distinctū duarum quantitatū s'm ꝙ sunt accidentia, quæ distinguuntur suis subiectis apud Physicū, vnde licet quantitas A & quantitas B non essent distinctæ apud Mathematicum si essent in eodem situ, distinguerētur tamen apud Physicum, eò

quòd A esset subiectiuè in vno subiecto, & B in alio, sic diceret verus Philosophus qui non contrariatur veritati.

Ex his omnibus potest sic probari dicta cōclusio, Diuina virtus potest impedire duo corpora ne se mutuò expellāt ab eodē loco, & potest seruare distinctionē, etiam suarū dimensionum etiā quòd essent in eodem situ. Distinctionem dico secundùm Physicū licet non secundùm Mathematicū, ergo non implicat cōtradictionē duo corpora esse in eodem loco secundùm Physicū licet non secundùm Mathematicum. Consequentia nota, quoniā quod implicat contradictionem per nullam potentiam est possibile. Antecedens autem manifestatū est in prædictis, vbi declarauimus quid potest diuina virtus in 2. & 3. effectu corporeitatis. Prætereà, quia videtur minus possibile quòd diuina virtus possit separare accidēs à subiecto, quàm ꝙ faciat duo corpora esse in eodē loco, eò quòd inhærentia videtur esse de formali ratione accidētis. Quod quomodo verum sit & in quo sensu iam determinauimus in lib. 7. Metaph. q. 1. distingui autem situ non est de formali ratione quantitatis continuæ apud Physicum, vt dictū est suprà, ergo hoc videtur magis possibile.

Nota tamen ꝙ apud Arist. hæc probatio non valeret, quoniam negaret posse separari actu accidēs à subiecto, vt diximus in lib. 7. q. 1. Sed hîc non loquimur pro secunda conclusione secūdùm principia Arist. sed iuxta veritatem absolutā.

Sed contra determinationem factam pro 2. conclusione sunt multa argumenta satis apparentia.

Primū est tale, Non minus necesse est duo corpora distingui situ, quàm duas partes quantitatiuas eiusdē corporis. Sed duæ partes quantitatiuæ eiusdem corporis ita distinguūtur situ ꝙ impossibile est omnino eas esse simul in eodē situ, ergo & duo corpora esse simul in eodē situ est omnino impossibile. Maior videtur manifesta. Minor autem sic probatur, De ratione quātitatis cōtinuæ est ꝙ habeat partē extra partē, sed habere partē extra partē est distingui situ: ergo de ratione quātitatis continuæ est ꝙ suæ partes distinguātur situ.

Ad hoc negatur minor. Ad probationē dico ꝙ habere partē extra partē potest intelligi dupliciter. Primò sic, Habere partem extra partē, i. habere partem distinctā realiter à parte: & sic concedimus esse de ratione quātitatis continuæ habere partē extra partem. Secūdò sic, Habere partē extra partē, i. habere partem distinctā situaliter à parte: & in hoc sensu negamus esse de ratione quātitatis cōtinuæ habere partē extra partem. Sed dices, De ratione quātitatis continuę permanentis est habere positionē secūdùm Phil. in prędicamentis. Sed positio est situs, ergo, &c. Respōdetur, positio de qua loquitur Phil. in prædicamēto quātitatis non est situs, sed dicit permanentiā partiū ad differentiā rei successiuæ, & continuitatē vel copulationē inter eas. Positio aūt quæ est situs, dicit ordinē partium locatarum ad partes loci, & talē ordinem negamus esse de ratione quantitatis continuæ, quoniā nullū prædicamētū est de ratione formali alterius prædicamenti, vnde solet dici ꝙ positio quæ est differentia quantitatis continuæ dicit ordinem partium in toto. Positio autem quæ est prædicamētum dicit ordinem partiū locati in loco.

Secundum est tale, Diuina virtus non potest facere quòd duo accidentia absoluta eiusdem speciei, saltem producibilia in subiecto per alterationem, vt duo calores sint simul in eodem subiecto, ergo multo minùs potest facere quod duo corpora sint in eodē loco. Cōsequentia videtur ex se euidēs. Antecedens aūt sic probatur, quoniā illi duo calores essent inæqualiū graduum aut æqualiū, non primū quoniā idē subiectū numero esset magis & minus calidū, quod implicat cōtradictionē: non secundùm, quoniā subiectū existēs sub vno calore nō esset in potētia ad alterū calorē pro æquali gradu, quoniā iam existit actu sub tali calore pro æquali gradu, & si non esset in potentia ad illum, non posset ipsum recipere, ergo non possunt esse simul æquales in eodem subiecto.

Ad hoc potest negari antecedens, quia dato ꝙ non distinguerētur ex subiecto, diuina virtus faceret quòd distinguerētur ex seipsis. Ad probationem dico quòd potest fieri per diuinam virtutem vtroque modo, nec ad primum sequitur cōtradictio, quoniam esset idem subiectum magis & minus calidum nō respectu eiusdem caloris, sed respectu duorum inæqualium, nec secundum valet, quoniam negatur consequentia. Dato enim quòd iam existeret sub alio calore pro æquali gradu tamen dicitur esse in potentia ad ipsum, non quidem separata, sed coniuncta actui. Melius est autē vt negetur consequentia, nec est euidens ex se, vt putat arguens. Nam licet sit similitudo in hoc quòd est esse in vno subiecto & in vno loco, non tamen est idem modus inexistendi, imò est diuersarum rationum, quoniam accidentia se habent ad subiectum informatiuè, corpora autem ad locum contentiuè. Magis autem repugnat duas formas eiusdem speciei informare idem subiectum, quàm duo corpora contineri in eodem loco. Et ideo consequentia non valet.

Tertium tale est, Non minus repugnat duo corpora esse in eodē loco, quàm duo accidentia contraria perfecta & intensa esse simul in eodē subiecto. Sed hoc secūdum est omnino impossibile, ergo & primū. Maior probatur, nam sicut introducens vnum cōtrarium in subiecto, expellit aliud, sic inducens vnum corpus in vno loco naturaliter expellit corpus præexistens in eodem loco, ergo, &c. Minor autem est concessa ab omnibus, quoniam ex 4. li. Metaph. si duo contraria essent in eodem, ergo & cōtradictoria, vt illic deducit Phil.

Ad hoc dicitur quòd maior est falsa. Ad probationē dico quod non est eadem ratio. Nam quòd vnum cōtrarium perfectum & intensum expellat aliud contrariū intensum præexistens ab eodē subiecto, est penitùs necesse, ne dentur contradictoria, nec Deus potest impedire hāc expulsionē, quoniā non potest in id quod implicat contradictionem. Quod autem vnum corpus expellat aliud ab eodem loco non est penitùs necesse, quoniā vt diximus suprà hunc effectum qui est secundus in ordine Deus potest impedire nec sequūtur contradictoria, putà quòd duo corpora fiāt vnum corpus si essent in vno loco, quoniam Deus vt diximus suprà potest conseruare distinctionem duorum corporum quò ad esse physicum dato quòd essent in eodem loco, & dato quòd eorum dimensiones non distarent situ.

Quartum est tale, Causa repugnantiæ & incompossibilitatis duorum corporum in eodem loco sunt dimensiones distinctæ situ. ergo ista incompossibilitas est effectus formalis dimensionum distinctarum situ. sed effectus formalis est inseparabilis à forma. ergo impossibile est quòd stet coëxistentia duorum corporum in eodem loco sine distinctione dimensionum secundum situm.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam illa incōpossibilitas duorum corporū in eodē loco, non est effectus formalis dimensionum distinctarum situ, sed effectus quasi causæ efficientis, ita quòd dimensio est veluti causa effectiua illius incōpossibilitatis, & dato quòd esset effectus illius formalis, non tamen primus sed secundarius. Omnem autem effectum causæ efficientis, & effectum secundarium causæ formalis Deus potest suspendere, vt diximus suprà. Et ideo potest facere quòd duo corpora sint in eodem loco, dato quòd eorum dimensiones non distinguantur situ.

Quintum est tale, Si duo corpora possunt esse in eodē loco, & remanere distincta, ergo destruuntur principia per se nota apud Geometram, quorum opposita implicant contradictionem. Probatur consequentia, nam apud Geometram est quasi principium, quod duo circuli non se tāgunt nisi in puncto, & quòd inter duo puncta nō datur nisi vna linea recta. Sed si duo corpora sphærica essent in eodem loco, duo circuli se tangerent secundùm totum, quoniam non distinguerentur situ & inter duo puncta signata essent duæ lineæ rectæ duorum corporum locatorum.

Ad hoc respondet B Tho. in 4. Sen. dist. 44. q. 2. art. 2. quæstiuncula 3. ad secundum, & stat responsio in hoc, Deus non potest facere duo corpora vt sunt mathematica esse in eodē loco. quoniā cùm Mathematicus abstrahat à materia nō ponit distinctionem in quantitate continua ex subiecto in quo est, sed ex situ, vnde remota distinctione situs remouetur apud Mathematicum omnis ratio distinctiua duarum quantitatum abinuicē, cùm hoc tamen stat quòd Deus potest facere duo corpora physica secundùm esse physicū esse in eodem loco, quoniam licet quantitates duorum corporum nō remanerent distinctæ situ, tamen essent distinctæ ex suis subiectis. Et quando arguitur de duobus circulis, dico quòd distinguerētur non quidē secundùm Mathematicū, sed secundùm Physicū ex distinctione suorum subiectorū. Et de duabus lineis rectis dico ꝙ traherētur à quatuor punctis, quoniā in vtroq; duorū corporū essent signabilia duo puncta, q̄ essent distincta physicè ex suis subiectis, licet nō mathematicè.

Sed contra hoc videtur instantia, quoniam si quantitas dimensiua distincta situ causat distinctionem corporū secundùm te, ergo distincta corpora nō sunt causa distinctiua quātitatum. Aliter idem esset effectus à causa circulariter, vt si quis interroget, Quare duo lapides sunt distincti, & respondeatur quia habent distinctas quantitates. Et iterùm si quis interroget, Quare duæ quantitates duorum lapidum sunt distinctæ, & respondeatur quia sunt in subiectis distinctis, s.

in duobus lapidibus, patet quòd hic est circulatio.

Ad hoc dicitur quòd non est circulatio, quia hoc cõtingit diuersa consideratione, nam corpora distinguuntur ex suis distinctis quantitatibus secundùm considerationem mathematicam, eò quòd distinctio quãtitatum sumitur ab ipso ex distincto situ. Quando autẽ dicimus quantitates duorum lapidum distingui, quia sunt in subiectis distinctis, hoc est verum secundùm considerationem physicam. prout accidẽtia trahunt vnitatem & distinctionem à suis subiectis. Nõ ergo est incõueniens idem esse causam & effectum, secundùm diuersam cõsideationem, & maximè in diuerso genere causæ. Nam distinctio corporum est à quantitate in genere causæ efficientis vel formalis modo quo suprà exposuimus. Distinctio autem quantitatis est à corpore, vt à subiecto in genere causæ materialis vel subiectiuè. Hæc de presenti quæsito dicta sint: in quo excessi limites Physicos, vt excitaremin addiscẽte desiderium sciendi in diuina scientia, quid potest Deus gloriosus, qui est benedictus in secula.

QVAESTIO XIX.

Num rarefactio & condensatio sint possibiles sine vacuo, & sine acquisitione ac deperditione nouæ quantitatis.

Sunt autem quidam, qui per rarum & densum opinantur manifestè esse vacuum. tex. 79.

Rarefactio & cõdensatio possibiles sunt fieri sine vacuo & per relationẽ ad subiectum siũ acquisitione nouæ quantitatis & deperditione præexistẽtis.

IN hac quæst. quam distinguimus in duas partes, quarũ prima est, Si rarefactio & condensatio sunt possibiles sine vacuo. Secunda est, Si quando fiunt an acquiratur vel deperdatur noua quãtitas. Sic autem procedemus. Primò ad resolutionẽ primæ partis. Secundò ad resolutionem secundæ. Pro euidẽtia primę partis tria agenda sunt. Primò manifestatur quòd rarefactio & cõdensatio sunt possibiles. Secũdò quòd fiunt sine vacuo. Tertiò quot modis contingit eas fieri.

Quantùm ad primum ponitur hæc conclusio, Rarefactio & cõdensatio sunt possibiles. Probatur ex ratione Phil. supponendo duo. Primò quòd eadem est materia susceptiua sucessiuè cõtrariorum. Secundò quòd habẽtia vnam materiã sunt adinuicem transmutabilia. Hæc duo discussimus in li. 10. Metaph. in q. 11. vt videre poteris. Ex his sic arguitur, Raritas & densitas sunt qualitates contrariæ, ergo sunt aptæ esse succesiuè in eadem materia ex primo præsupposito, & ex secunda sunt aptæ adinuicem transmutari, ergo ex denso potest fieri rarum & econuersò. Sed non fit ex denso rarum nisi rarefiat, nec ex raro densum nisi condensetur, ergo rarefactio & condensatio sunt possibiles.

Quantùm ad secundũ ponitur hæc conclusio, Rarefactio & condensatio fiunt sine vacuo. Hanc probare possumus duplici ratione. Primò sic, Cõdensatio fit per appropinquationem partium adinuicem: rarefactio autem per elongationẽ partium adinuicem, & hoc potest fieri sine vacuo, ergo, &c. Quòd condensatio fiat per appropinquationẽ, & rarefactio per elongationem patet ex diffinitionibus earum. Nam sic diffiniuntur, Condensatio est restrictio partiũ corporis condensabilis, sine deperditione alicuius suæ partis, vt patet in aqua dum congelatur. Rarefactio autem est dilatatio partiũ corporis rarefactibilis, sine acquisitione alicuius nouæ partis. vt patet dum cera liquefit. Quod autem hæc restrictio & dilatatio fiat sine vacuo intrinseco probatur sic, nam partes corporis continui cõdensati vel rarefacti dum cõdensantur vel rarefiunt semper remanent continuatæ adinuicem, & ad cõmunem terminũ copulatæ, aliter dum aqua calefit & rarefit nõ remaneret vna aqua sed fierent plures. Sed si vacuitates mediarent inter eas non remanerent cõtinuatæ vt patet, ergo vt seruetur vnitas corporis cõdensati & rarefacti est necesse fieri condensationem & rarefactionẽ sine vacuo.

Secundo sic, Materia secundùm seipsam est in potẽtia ad formas contrarias successiuè, sed rarum & densum sunt formæ contrariæ, ergo eadem materia est in potentia ad vtrunque successiuè, ergo nõ est necesse dari vacuum intrinsecũ, vt materia stet modò sub maiori quantitate quod fit per rarefactionem, modò sub minori quod fit per cõdensationem. Sed sufficit quòd maior quantitas quæ erat in potentia reducatur ad actum per aliquem motum vt declarabitur, & hoc dum aliquid rarefit, opposito autẽ modo reducatur ad actum dum aliquid condensatur.

Quantùm ad tertium aduerte quòd rarefactio & condensatio in hoc vno conueniunt quòd semper fiunt per aliquem motum. Nam impossibile est imaginari partes propinquari vel elongari nisi per motum. Propinquatio autẽ & elongatio sunt de ratione rarefactionis & condensationis, vt diximus suprà. Differunt autem in hoc quòd non semper fiunt per eandem speciem motus. Sed modò per hanc modò per illam. Et reducuntur summatim ad tres.

Primò, aliquando fiunt per solum motum localem illius quod rarefit & cõdensatur, & hoc patet quando aliquid mouetur in aẽre: nã aẽr cõdensatur ante mobile, & rarefit post ipsum vt repleatur locus relictus à mobili, sed quia aẽr parũm sensibilis est, ideo hoc non est multum euidens sensui. Magis autem deprehenditur in aqua: nam si nauis velociter moueatur, videmus in parte anteriori aquam condensari, adeò quòd conuertitur in spumam. A parte verò posteriori rarefieri vt locus à naui dimissus statim repleatur.

Secundò, aliquando fiunt per alterationem solam vt per calefactionem & frigefactionem passiuã. Quod declaratur multiplici experiẽtia. Nam si ponatur aqua in olla vsque ad medietatem & calefiat vsque ad ebulitionẽ, tota olla replẽtur aqua, eò q̃ aqua ex calefactione intẽsa rarefacta est, si autem sumatur olla plena aqua calida & adeò frigefiat quòd congeletur non remanebit plena, imò videmus q̃ in summo habet concauitatem vel in fundo eò quòd ex congelatione dẽsior facta est: Prætereà, videmus quòd si vessica plena aẽre, & bene obturata proximetur igni ita quòd tota calefiat indurabitur eò quòd aẽr inclusus rarefit ex calefactione, si autẽ remoueatur ab igne, ponatur q̃; in loco frigido fiet mollis, eò quòd aẽr inclusus condensatur ex frigiditate loci. Prætereà, videmus in hyeme & manus & pedes & faciem hominis frigescentis constringi, & cum calefactus fuerit homo dilatari. Prætereà, videmus quòd si phiala ponatur super carbones accẽsos verso ore phialæ inferius, sic quòd aẽr inclusus in phiala calefiat, deinde phiala calefacta statim ponatur super aquam frigidã, ita q̃ os phialæ tãgat aquã, ex eo q̃ aẽr calefactus ab igne infrigidatur ex approximatione ad aquã, intantũ condensatur q̃ vix replet medietatem phialæ & huius signum est quòd videmus aquam continuè ascendere per os phialæ, donec repleuerit totum spacium phialæ interius, in quo definit esse aẽr ex sua condensatione.

Tertiò, aliquando fiunt per alterationem & generationẽ simul, vt quando ex aqua generatur aẽr, necesse est aquam rarefieri, & quãdo ex aẽre generatur aqua, est necesse aẽrem condensari, vt declarabitur in 2. lib. de Generatione.

Sed aduerte q̃ isti tres modi sic se habẽt quòd per primũ, s. per motum localem fit minor rarefactio & cõdensatio, per alterationem autem qui est secũdus modus fit maior, & per tertium adhuc maior, nam per solam alterationem aqua nõ posset rarefieri vsque ad gradum raritatis aẽris, nisi cum hoc esset generatio aẽris ex aqua. Pluribus modis non est imaginabile fieri condensationem & rarefactionem.

Sed dices, Nunquid possibile est omne cõdensabile simul totum cõdensari, & omne rarefactibile simul totũ rarefieri? Dico q̃ non, quia si omne condensabile simul totum cõdensaretur, & nihil aliud rarefactibile rareficeret nõ effugeremus quin esset necesse dare vacuum sub cõcauo orbis Lunæ, vel esset necesse circunferentiã cœli restringi. Et ideo oportet quòd si aliquid condensatur in vna parte Vniuersi, aliquid aliud rarefiat in alia parte, vt aggregatum ex omnibus quæ sunt infra orbem Lunæ permaneat æqualiter extensum. & hæc est causa quam assignauimus in Epitomate nostro super Metheoram in Tract. 4. in ca. vlt. quare, s. Oceanum non crescit introitu aquarum in ipsum, nec decrescat exitu earũ ab eo, quia, s. in Aquilone est perpetua & intẽsa frigiditas, quæ multum de aẽre per condensationem conuertit in aquam, & in meridie est perpetua & intensa caliditas, quæ multum de aqua per rarefactionem conuertit in aẽrem.

Quantùm ad secundam partem quæsiti, s. Si condensatio & rarefactio fiunt sine acquisitione nouæ quãtitatis, aut deperditione præexistentis, aduerte quòd omnes Cõmentistæ concordant in affirmatiua eò quòd secundùm Com. vt manifestauimus in lib. 8. Metaph. in q. 2. quantitas est inseparabilis à materia, ita quòd dum res rarefit aut condensatur, nec quantitas deperditur, nec de nouo acquiritur, & fundamenta Commenta. ac rationes sequentium eum, recitauimus ac soluimus in eadem quæst. vt videre poteris.

Sed omnes rationabiliter dubitãt, quoniã cùm rarefactio & cõdẽsatio sint motus oppositi, ergo habẽt terminos oppositos. Terminus aũt cõdensationis est minor quãtitas, rarefactionis aũt est maior, ergo videt q̃ maior & minor quãtitas cùm sint termini oppositi distinguãtur realiter, ex cõsequenti q̃ per rarefactionẽ acquiratur de nouo maior quantitas, & per condensationẽ acquiratur minor & deperdat maior.

Hic inuenio plures respõsiones, quarum nulla approbanda est in via nostra præter vltimam.

Prima est Alberti minoris dicti de Saxonia, qui dicit, q̃ terminus cõdensationis & rarefactionis non est maior quãtitas aut minor de nouo acquisita. Sed in rarefactione terminus est elõgatio partiũ, in cõdensatione aũt est ppinquatio, quæ vtiq; possunt fieri sine acquisitione nouæ quãtitatis.

Sed hæc responsio non videtur vera, quoniam cùm elongatio & propinquatio sint motus locales, motus condensationis & rarefactionis terminantur per se ad motum, quod est contra Philosophum in 5. lib. Physic. tex. 10.

Secunda videtur esse Burlæi, qui dicit q̃ per cõdensationẽ & rarefactionẽ nullum absolutum de nouo acquiritur, sed tantùm relationes nouæ, s. maioritas & minoritas.

Sed nec id videtur, quoniã probat Phil. in 5. Physic. tex. 10. motum non terminari primò & per se ad relationem.

Tertia est Suessæ moderni, qui concedit quòd aliquid de nouo per rarefactionẽ acquiritur, quoniã omnis motus terminatur ad aliquid quod nõ fuit ante motum, aliter motus esset frustrà: & sic videtur concedere q̃ per rarefactionẽ nõ nua quantitas acquiritur, verùm quia dicit Phil. in tex. 10. tenet quòd sicut ex minùs calido fit magis calidũ nullo facto in materia calido quod non esset calidum, sic magnitudo & parvitas sensibilis corporis non accipiente aliquid materia extẽditur, hæc ille. Ideo Suessa. conatur exponere huiusmodi dictum. Et dicit debere intelligi sic, non accipiente materia aliquid, s. aduenies ab extrinseco, sicut accidit in augmento animalium, quæ augentur ex aduentu cibi extrinseci, hoc autem non contingit in rarefactione simplicium. Sed ideo rarefiunt, quoniam licet ab extrinseco non aduenia nouaquantitas, tamen de nouo educitur de potentia materiæ.

Sed hæc expositio non videtur cõsona doctrinæ Com. quẽ Suessa sequitur, quoniã tenet Com. quantitatem inseparabilem à materia, ergo nec de nouo generari nec corrumpi potest. Et quando dicit Suessa q̃ omnis motus terminatur ad aliquid quod prius non erat, dicerent Commẽtistæ, q̃ sufficit motũ terminari ad aliquid, quod licet prius esset secundùm essentiam suam, non tamen secũdùm talem modum essendi, putà secundùm talem determinationem & mensuram.

Relictis igitur his respõsionibus dicendũ est in via nostra q̃ sicut in intẽsione & remissione formę, licet sit eadẽ secundùm essentiã forma intensa & remissa vt pertractauimus in li. 8. Meta. in q. 6. tamen quia potest participari à subiecto nõ solùm vno modo, sed magis & minus perfectè per actionem agentis intẽdentis aut remittẽtis, ideo intensio & remissio dicuntur terminari ad terminos oppositos secundùm diuersa esse quæ cõpetunt formæ intensibili, prout diuersimodè actuat subiectũ. Et id clarè videbis ac resolutè in 8. lib. Meta. in q. 6. Sic proportionaliter dico in proposito, licet quãtitas maior & minor sit eadẽ secundùm essentiã, tamen vt actuat & extẽdit materiã potest dare esse magis extẽsum & minus extẽsum per actionẽ rarefaciẽtis & condẽsantis: & tũc dicẽdũ ad argumentũ in via nostra q̃ rarefactio & cõdensatio habent terminos oppositos, prout rarefactio terminat ad quãtitatẽ nõ de nouo acquisitã, sed vt dat esse materię magis extensum. Cõdensatio aũt terminatur ad quãtitatẽ, vt dat esse minus extẽsum. Per idẽ patet quid dicendũ sit ad argumentum Suessæ. Nam cõcedo quòd omnis motus terminatur ad aliquid quod prius non erat sub tali esse vel tali modo essendi, & hoc sufficit ad seruandum motus oppositos esse inter terminos oppositos. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XX.

Num hæc sit vera, Tempus est motus, & econuersò.

Quare aut motus, aut aliquid motus est tempus. tex. 98.

IN hac quæst. postquàm multa legi & reuolui, puto sic procedendum esse ad resolutionem. Primò ponentur aliquæ distinctiones. Secundò aliquæ conclusiones responsiuæ. Tertiò declarabitur an determinatio fienda contradicat Philosopho. Quartò declarabitur quid in hoc senserit B. Tho.

Quãtùm ad primũ sit hæc prima distinctio, Tẽpus secundùm omnes Expositores, & præcipuè ẽm B. Tho. in Tract. de Instãtibus, est duplex, s. cõmuniter & propriè dictũ. Tẽpus cõmuniter dictũ est omne successiuũ quo possumus mẽsurare durationẽ alicuius motus, & in hoc sensu motus horologij potest dici tẽpus cõmuniter dictũ, imò ambulatio Socratis, & studium & lectio, &c. possunt dici tempus hoc modo, sicut quando consueuimus dicere, Potest esse meridiẽs, quia tantũ ambulaui, vel tantum studui, vel tantum legi. Tẽpus propriè dictũ est illud, quo primo vt vniuersali mẽsura mensuramus omnẽ motum siue superiorẽ siue inferiorem.

Secũda distinctio sit hæc, Tẽpus tã cõmuniter q̃ propriè dictũ potest dupliciter cõsiderari. Primò quò ad suũ reale, i. quantùm ad id quod est. Secundò quò ad suum formale, id est, quantùm ad id quo distinguitur formaliter à quolibet alio, & tale habet rationẽ differẽtię, vt manifestabitur infrà.

Tertia distinctio quæ adhuc magis explicat secundam sit hæc, Hæc propositio, Tẽpus est motus, potest esse vera dupliciter, s. identicè & formaliter, sicut etiã ista, Motus est actio. Identicè quidem est vera propositio, quando per prædicatũ & subiectum significãtur eadem entitas etiam q̃ prædicatũ non ingrediatur diffinitionẽ subiecti, vnde hæc est identica, Ens est bonũ, Intellectus in Deo est volũtas, &c. formaliter aũt est vera, quãdo prędicatũ dicit eandẽ rem cũ subiecto & prędicatur de subiecto in primo modo per se, & tũc dicitur ꝓdicatio nõ solùm idẽtica, sed etiã formalis & quidditatiua.

Quantùm ad secundum ex prædictis distinctionibus ponuntur tres conclusiones responsiuæ quæsito.

Prima est, Tẽpus cõmuniter dictũ est idẽ realiter cũ motu absolutè dicto: probatur. Quolibet motu dato cõtingit per ipsum mẽsurare durationẽ alterius motus: sed esse mensurã motus est vniuersalis ratio tẽporis, vt declarabitur infrà, ergo, &c. Maior acceptata est ex famositate & vsu magis quàm ex ratione. Et in hac cõclusione nõ dissentiunt Expositores.

Secũda est, Tẽpus propriè dictũ est idẽ realiter cum motu cœli diurno, qui præcipuè nobis innotescit per motũ Solis diurnũ: probatur, Illud est tẽpus, ꝓpriè, quo primo mẽluramus omnẽ motũ ex diffinitiõe tẽporis, quã infrà inuestigabimus, sed motu cœli diurno, vt primo & regularissimo ex li. 10. Metaphy. tex. 2. mensuramus omnem motum, ergo, &c.

Tertia est, Licet tẽpus siue cõmuniter, siue propriè dictũ sit idẽ realiter cum motu, nõ tamen formaliter, ita q̃ hæc est vera idẽtica, Tẽpus est motus, sed est falsa formalis & quidditatiua: probatur, De ratione tẽporis vt tẽpus est, est mẽsura siue numerus, de ratione aũt motus vt motus est, non est mẽsura siue numerus, sed actus existẽtis in potẽtia, ergo hæc non est vera formaliter & quidditatiuè, Tẽpus est motus. Et aduerte q̃ ex hac conclusione sequitur, q̃ sumendo tempus pro suo formali, quod est esse mensurã vel numerũ, cõparat ad motũ vt passio ad subiectũ. Quod sic manifestat, Quãdo duo termini supponũt pro eadẽ re, & nõ se habẽt vt inferius & superius sicut species & genus, quorũ vnus in sua ratione formali est magis cõnotatiuus quàm alius, se habẽt adinuicẽ vt subiectũ & passio, sed motus & tẽpus sunt idẽ re, vt dictũ est, & nõ se habẽt vt species & genus, & tẽpus in sua ratione plus cõnotat quàm motus, addit enim tẽpus supra motum, esse mẽsurã vel numerũ motus, qd̃ tamẽ nõ est de ratione formali ipsius mot̃, sicut & bonũ addit supra ens esse appetibile, ergo formaliter sũpta se habẽt vt subiectũ & ꝓpria passio.

Quãtùm ad tertiũ declarandũ est q̃ hæc determinatio nõ cõtradicit Phil. Quoniã licet dicat in tex. 97. & 98. q̃ tempus non est motus, & arguat contra sic tenentes, intelligendũ est q̃ Phil. nõ negat hanc vt falsam, Tempus est motus. Sed quia nõ est vera quidditatiuè & formaliter, eò q̃ motus nõ prædicatur quidditatiuè & in recto de tẽpore. Nec motus cœli vt motus est tẽpus propriè dictũ, nisi quia ipsi vt primus est cõpetit esse mẽsurã omnis alterius motus. Et q̃ Phil. hoc intẽderit, patet ex eo q̃ in principio Tract. de Tẽpore, incepit procedere disputatiuè, vt clarè dicit B. Tho. exponens: & determinatio sua incipit in tex. 98. & declarãs suam propriam sententiã circa hoc dicit sic in tex. 101. Non ergo motus tempus est, sed secundũ q̃ numerum habet motus. Ecce, negat tempus esse motũ absolutè & formaliter. Nõ aũt negat tempus esse motũ secũdum q̃ motus habet numerũ, i. rationem mensuræ. Hãc ergo cõcedit Phil. Tẽpus est motus secũdùm q̃ motus est mensura, & sic tempus & motus sunt idẽ realiter, sed distinguũtur formaliter. Et hoc est quod dicũt alij, s. quòd tempus & motus sunt idem subiecto, & re, tamen differunt diffinitione, & hac de causa dicuntur differre formaliter, quia vnum non prædicatur de alio quidditatiuè.

Quantùm ad quartum aduerte quòd quæ dixi hucusque, dicta sunt disputatiuè, vt scias q̃ non est difficile sustinere, quòd tempus & motus sint idem realiter & distinguãtur solùm formaliter. Nunc autem intendo manifestare quid senserit circa hoc B. Tho. Tu igitur aduerte quòd videtur declinare modò ad vnã partem modò ad alterã. Nam aliquando videtur sentire quòd non differant re, sed formaliter. Dicit enim aliquoties q̃ pars prior & posterior in motu vt sunt numeratæ, i. adinuicem comparatæ, prout vna præcedit alteram sunt tẽpus, & cum istæ partes motus numeratæ sint motus, vt sunt numeratæ, sunt tempus, ergo secũdùm eum tempus est realiter motus. Aliquãdo aũt vt in li. 4. Phys. exponẽs diffinitionem temporis & in 1. Parte, q. 10. arti. 1. & in Tract. de Instãtibus, videtur dicere quòd distinguatur realiter. Nõ

enim dicit in prædictis locis quòd prius & posterius in motu vt numerata sunt tempus. Sed q̃ numerus prioris & posterioris in motu est tempus. Quod sic reputo intelligendum. Anima apprehendit primâ partem motus vt vnã, & sequentem vt vnã, & vnam cõparat alteri secundum q̃ ei succedit, & has vnitates partium motus sibi succedentium aggregat adinuicẽ, & constituit numerum applicatum parti priori & posteriori in motu, & talis numerus est tẽpus. Quod autem hic numerus distinguatur à motu manifestatur sic, sicut se habet discretum ad continuũ sic numerus ad motũ, constat autem quòd discretũ distinguatur à cõtinuo sicut duo disparata genera in prædicamento quant. ergo, &c. Patet igitur q̃ B. Tho. declinat modò ad vnã partem, modò ad alterã: ideo aliquando loquitur disiunctiuè, vt patet in 4. Physi. in lec. 17. vbi in fine sic dicit, Numerus prioris & posterioris in motu dicitur tempus, vel etiam ipsa quæ sunt prius & posterius numerata. Hæc ille. Et ideo vtraq; pars in via nostra potest defendi, & pars affirmatiua, s. quòd tempus & motus sint idem re, videtur cõsona Com-nam in 4. Physi. com. 131. circa finem sic dicit, Tempus nihil aliud est quàm prius & posterius in motu secundùm quòd sunt numerata. Sententiam autem de distinctione reali inter tempus & motum sequitur Capreolus in 2. Sent. di. 2. q. 2. ad primum factũ contra secundam partem 6. conclusionis, vbi sic inquit, Tempus est quædam vera quantitas & accidens absolutum de genere quantitatis, à motu essentialiter distinctum sicut res alterius generis. Eandem sequitur Heruæus in 2. dist. 2. q. 1. art. 4. vbi inquit, Nec pono quòd ista quantitas, s. quæ est tempus sit motus, sed accidens faciens ipsum quantum, vel magis propriè dicitur accidens rei motæ, inhærens ei mediante motu, sicut qualitas inest rei mediante quantitate.

Puto igitur hoc quæsitũ in via nostra esse sustentabile pro vtraq; parte, & quidem si volueris defensare distinctionem realem inter motũ & tempus, tu solues duo argumenta, quę sunt Gregorij in 2. Sen. di. 2. q. 1. art. 1. in probatione secundæ conclusionis. Solues autem, vt Capreolus in 2. di. 2. q. 2. cõtra 4. conclusionem, & sunt duo vltima argumenta, s. nonum & decimũ: alia aũt relinque, quoniam tangunt aliud propositũ.

Si autem volueris sustinere identitatem realem inter motum & tempus, oportet vt etiam sustineas idẽtitatem realẽ inter prius & posterius in tempore, & prius & posterius in motu. Nã si aliqua duo tota sunt idem realiter, oportet etiã partes eorum esse idem realiter, sequitur igitur quòd si tempus est motus essentialiter, etiam pars prior & posterior in tẽpore sunt idem essentialiter cũ parte priori & posteriori in motu. Vt aũt scias hoc sustinere, formabo & soluã principalia argumẽta quæ solent cõtra hoc fieri. Sunt aũt quatuor.

Primum est, Si prius & posterius in tempore sunt idẽ realiter cũ priori & posteriori in motu, ergo tempus diffinitur per prius & posterius in tẽpore, quod videtur inconueniẽs. Consequentia probatur, quoniam secundùm Philosophum in textu tẽpus diffinitur per prius & posterius in motu. Sed secundùm te prius & posterius in motu sunt realiter idem cum priori & posteriori in tempore: ergo tempus diffinitur per prius & posterius in tempore. Quod autem consequens sit inconueniens probatur, quia secundùm Philos. in 7. Metaphy. tex. 35. partes quantitatiuæ non ingrediuntur diffinitionem totius quantitatiui, sed econuersò, non enim circulus diffinitur per semicirculum, sed econuersò. neque homo per digitum, sed econuersò: sed tempus est quoddam totum quantitatiuum, cùm sit quantitas continua diuisibilis in partes, quarum vna succedit alteri, ergo, &c.

Ad hoc dicitur q̃ Phil. non negat absolutè partes ingredi diffinitionem totius, distinguit enim partes in 7. Metaph. in tex. 35. in partes materiæ & partes speciei, & licet neget partes materiæ ingredi diffinitionem totius, non tamen negat de partibus speciei, ideo autem semicirculus nõ ponitur in diffinitione circuli, quia est pars materiæ, idem intellige de homine & de digito. Quæ autem sint partes materiæ & partes speciei iam declaraui mus in Epitomate nostro, in 7. lib. Metaph. in ca. 7. & tu vide illic. Quòd aũt non sit intẽtio Phil. negare absolutè totum quantitatiuum diffiniri per partes suas, patet ex li. 5. Metaph. tex. 18. vbi diffiniens quãtum dicit sic, Quantum verò dicitur quod est diuisibile in ea quæ insunt, quorum vnumquodq; est aptum esse hoc aliquid. Et in prædicamentis diffiniens quantitatem continuã dicit quòd est illa cuius partes copulantur ad terminum cõmunem. Et diffinitur numerus ex eo quòd est multitudo ex vnitatibus aggregata. Cùm igitur tempus vt totum successiuum distinguatur essentialiter & non per accidens in partem priorem & posteriorem siue præcedẽtem & subsequentem non inconuenit quòd diffiniatur per partes suas.

Secundũ est tale, Causa non identificatur suo causato. Et enim causa ad cuius esse sequitur aliud, ergo inter causam & causatum est distinctio realis. Sed prius & posterius in motu est causa prioris & posterioris in tẽpore, ergo, &c. Maior est communiter cõcessa. Minor autem videtur esse Philos. & Com. & B. Tho. in 4. Physi. in tex. 99. vbi inquit Phil. Quoniã autem in magnitudine primum & vltimum est, necesse est in motu prius & posterius esse. At verò & in tempore est prius & posterius propter id, quia sequitur semper alterum, alterum ipsorum. & Com. in com. 99. dicit q̃ causa continuitatis temporis est continuitas motus, ergo bene sequitur q̃ causa prioris & posterioris in tẽpore sit prius & posterius in motu.

Ad hoc dicitur quòd causa alicuius potest esse duplex, s. realis & illatiua, si est realis, cõceditur maior, quia vt determinauimus in li. 5. Meta. in q. 1. inter causam & causatum cadit prioritas & posterioritas & dependentia realis, quæ non possunt stare cum identitate reali, si autem est causa tantùm illatiua negatur maior. Nam verum est dicere, q̃ causa propter quam Sortes est homo, est rationale. Infertur enim, Sortes est rationalis, ergo est homo. Et tamen inter hæc tria stat identitas realis, vt declaratũ est in li. 3. Meta. Ad argumẽtum ergo dico q̃ Phil. & Com. & B. Tho. intendunt prius & posterius in motu esse causam non realem, sed illatiuã prioris & posterioris in tempore. Intẽdit enim illic Phil. declarare ordinem qui est inter magnitudinem super quã fit motus localis & motum & tempus quò ad cõtinuitatem & prius & posterius. Et dicit, quia magnitudo cõtinua est, bene sequitur, Ergo motus super eã est continuus. & quia motus factus super continuã magnitudinem est continuus. bene sequitur & tempus esse cõtinuum, quia quantus est motus tantũ fieri tẽpus videtur. Et similiter inquit Phil. quia in magnitudine est primum & vltimũ, bene sequitur & in motu factõ super talem magnitudinem esse prius & posterius proportionaliter, quia. s. primæ parti magnitudinis correspõdet prior pars motus, & sequẽti parti posterior pars motus: & quia in motu est pars prior & posterior bene sequitur idem & in tempore, quia alterum eorum semper sequitur ad alterum.

Tertium est tale, Si prius & posterius in tempore non distinguuntur realiter à priori & posteriori in motu, sequitur q̃ idem sit mẽsura & mensuratũ, quod est impossibile, aliter inter mensurã & mensuratum non esset relatio realis, cuius oppositum patet ex 5. Metaph. ca. de Ad aliquid. Consequentia probatur, quoniã prius & posterius in motu sunt mensurata à priori & posteriori in tempore, eò quòd priori parti motus applicatur, vt mensura prior pars temporis, & posteriori posterior, ergo si eadem sunt prius & posterius in tempore & in motu, idem erit mensura & mensuratum.

Ad hoc concessã cõsequentia, negatur falsitas siue impossibilitas consequentis, licet enim sit falsum idem secundùm idem mẽsurare seipsum, putà q̃ dies mensuret seipsum simiter annus & totũ tempus, tamen non est incõueniens quòd in aliquo toto sumatur aliqua pars quãtitatiua aliquota, quę per replicationem mensuret ipsum totum. Sicut per horam replicando mensuramus diem: & per diem mensem, & per mẽsem annum, & per annum lustrum. Ratione igitur partis aliquotæ est mensura, & ratione totius est mensuratum. Et quando probatur quòd inter mensuram & mensuratum nõ esset relatio realis, negatur cõsequentia, quoniã pars aliquota mensurans & totum mensuratum nõ sunt idem realiter, valeret autem consequentia, si idem secundùm idem, & eodem modo sumptum esset mensura & mensuratum.

Quintum tale est, Quæ ita se habent quòd vnum precedit naturaliter alterum nõ possunt esse idem realiter. Sed prius & posterius in tempore præcedunt naturaliter prius & posterius in motu, ergo, &c. Maior nota, & probatur minor, Mensura naturaliter est prior mensurato, ex 10. Metaph. tex. 1. sed prius & posterius in tempore sunt mensura prioris & posterioris in motu, quoniã si tẽpus est mensura motus, proportionaliter partes tẽporis sunt mensura partiũ motus, ergo, &c.

Ad hoc dico quòd minor est falsa, ad probationem dico quòd sufficit hanc esse veram, mensura est prior mensurato cognitione, quoniam ex cognitione mensuræ deuenimus in cognitionem mensurati, vt pertractauimus in li. 10. Metaph. in q. 2. vbi assignauimus conditiones mensuræ dimensuratò. Quòd autem mensura dimẽsiua sit natura prior suo mensurato, verificatur præcipuè, quãdo per partem aliquotã mensuramus totum, sicut per vnitatem decies replicatam mensuramus numerum denarium, & per vlnam pãni mensuramus totam peciam pãni: nam pars naturaliter est prior suo toto. Et quoniam in proposito per partem temporis, putà per horam mensuramus replicatione totam diem, sufficit in hoc casu mensurã esse priorem mensurato cognitione, quòd autem sit prior naturaliter verificatur pro quanto mensura sumitur, vt pars & mensuratũ vt totum. Sic pro nunc occurrit dicendũ, vt aũt habeas plenã cognitionem de diffinitione mensuræ & de conditionibus suis tam de mensura extrinseca quàm intrinseca, & de mensura perfectionali & quãtitatiua, necesse est vt videas in li. 10. Meta. q. secundã & tertiam.

Postremò aduerte q̃ licet in via nostra, vt prędiximus, vtraque pars quæsiti sic sustentabilis, tamen in quæstione sequẽti in qua declarabimus diffinitionem de tempore bene assignatam à Phil. procedemus disputatiuè secundùm opinionem eorum qui tenẽt identitatem realem inter motũ & tempus. Determinatiuè aũt procedemus secundùm opinionem eorũ, qui tenent distinctionem realem inter ea, & præcipuè propter honorem Capreoli, quem habemus vt fidissimũ defensorem Diui Tho. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXI.

Num diffinitio temporis sit bene assignata.

Hoc enim est: tempus numerus motus secundũ prius & posterius, tex. 101.

IN hac quæst. aduerte quòd tres modi sunt exponẽdi prædictã diffinitionem, & declarandi quomodo est rectè assignata secundùm quòd sunt tres opiniones diuersæ de entitate temporis. Nam aliqui tenent quòd tempus non distinguitur realiter à motu, sicut Alber. de Saxonia, & Scot. & quasi omnes Commentatores. Aliqui autem quòd distinguitur realiter à motu, sicut Heruæus & Capreolus, & videtur B. Tho. declinare ad hanc viã, vt diximus suprà. Aliqui tenent quòd est mobile motum regulariter, & hic est Gregorius de Arimino in 2. Sentent. di. 2. q. 1. art. 1. vbi tenet quòd cœlum realiter motum est tempus propriè dictum. Omne autem corpus realiter motum vt horologium potest dici tẽpus communiter acceptum iuxta diffinctionem quam posuimus in principio quæstionis præcedentis.

In hoc igitur quæsito potes procedere disputatiuè & determinatiuè. Si disputatiuè tenueris primã opinionem, expones diffinitionem temporis, sicut exponit Alber. de Saxo. in 4. Physic. in q. 15. Et illic inuenies quare Phil. dixit tempus esse numerum motus, & non dixit mensuram, & quare dixit motus ad differẽtiam rerum permanentium, & quare dixit secundùm prius & posterius, vt distingueret extensionem motus à sua protensione. Et inter omnia arguměta quæ format illic & soluit Alber. aduerte vltimum: quomodo licet tempus sit idem cum motu cœli tamen hæc est vera, Motus cœli mensurat tempore, tamen idem eodem modo sumptum est mensura & mensuratum.

Determinatiuè autem tenebis secundam opinionem, quę videtur esse magis ad mentem B. Tho. & iuxta illam sic expones diffinitionem datam de tempore.

Tria igitur declaranda sunt. Primò quòd tempus est aliquid motus. Secundò quòd tempus concernit motum ratione prioris & posterioris partis in motu. Tertiò quòd tẽpus concernit motum ratione prioris & posterioris partis quia est numerus prioris & posterioris in motu.

Primum quidem probatur sic, Non apprehendimus tempus nisi apprehendamus aliquem motum, aut in nobis, aut extra nos, ergo tempus est aliquid motus. & cõcernit eum. Consequentia nota, & antecedens manifestat Philosophus exemplo dormientiũ apud Sardos longo tempore, qui computantes nunc initium dormitionis cum nunc fine dormitionis non perceperũt aliquem motũ medium, nec tempus, ideo putabant se pro vno instanti, vel quàm breuissimè dormisse: & ad confirmationem huius dicit Cõmen. in com. 97. Cùm nos non perceperimus nec imaginati fuerimus motũ factum inter duo extrema, sed existimauerimus quòd nullus motus factus fuerit in nobis nec in aliis, sed quòd nos simus in esse indiuisibili tunc nõ percipimus tempus. Patet igitur quòd cum noticia temporis pendeat ex noticia motus, tempus concernit motum.

Secundum probatur sic, Quando determinamus motum parte priori & parte posteriori apprehendimus tempus. & si apprehenderemus motum non ordinantes partem priorẽ & prius factam, deinde posteriorem non apprehẽderemus tempus, ergo tempus concernit motum non absolutè, sed ratione prioris & posterioris. Cõsequentia nota. Antecedẽs declaratur cõmuni experientia. Nã quando aduertimus motum factum ordinatè super priorem partem spacij, & motũ factũ super posteriorem partem, tunc apprehendimus tempus, remoto autem hoc ordine non apprehẽdimus tempus & hoc vnusquisque potest in se experiri, ergo, &c.

Tertium probatur sic, Ratio temporis concernit prius & posterius in motu nõ quocunque modo, sed vt numerata vel numeralia, ergo concernit motum ratione prioris & posterioris, quia est numerus motus secũdùm prius & posterius.

Consequentia nota, antecedens probatur, Quando apprehendimus duo extrema alicuius successionis siue fluxus, vnũ quidem vt prius, alterum vt posterius, inter quæ necessariò cadit medium, quoniam duo extrema indiuisibilia, quorum vnum antecedit alterum, non sunt imaginabilia nisi per medium, percipimus tempus. Quando autem percipimus tantũ vnum nunc non percipimus tempus: & quando percipimus plura nunc, quorũ vnum est prius & alterum posterius, non tamen percipimus vnum vt prius & alterum vt posterius, non percipimus tempus, ergo ratio quidditatiua temporis requirit prius & posterius non absolutè, sed vt numerata, vel numerabilia.

Sed cõtra tria prædicta insurgunt tria dubia. Primum est contra primum. Nam videtur quòd tempus posit esse sine motu. Tempus enim est mensura motus, se habent ergo vt mensura & mensuratum, quæ sunt in tertio modo relatiuorum ex 5. Metaph. cap. de Ad aliquid. Sed quod est sic relatiuum, potest esse nõ existente alio relatiuo. sicut remota scientia potest remanere scibile. ergo potest esse tempus remoto motu. Et sic tempus non est aliquid motus.

Ad hoc dicitur quòd tempus alio modo comparatur ad motum primum, qui est motus cœli diurnus, & alio modo ad alios motus. Nam ad primum comparatur vt mensura & vt propria passio, ad alios autem vt mensura tantùm. Ad argumentum ergo dico quòd probat tempus posse esse remoto hoc motu & illo & illo, ad quos se habet præcisè vt mensura, sed nõ probat quòd possit esse remoto primo, quia implicat posse inueniri passionẽ remoto suo subiecto. Nec cõcedendũ est q̃ tẽpus & primus motus se habeãt pcisè vt relatiua tertij modi, qã tamẽ cõcedimus respectu aliorũ motũ.

Secundum est cõtra secundum. Nam tempus est quid absolutum, prius autem & posterius sunt respectus. Sed absolutum non est diffinibile per respectum, opponuntur enim absolutum & respectus, ergo, &c.

Præterea, Erit circulus in diffinitione. Nam prius & posterius secundùm Philosophum & Com. infrà in com. 129. diffiniuntur per tempus. Prius est enim quod fuit in aliquo tempore in quo non fuit aliud, sicut bellum Troianum fuit eo tempore in quo non fuit Roma, si ergo tempus diffinitur per prius & posterius erit circulus in diffinitione.

Ad hoc dicitur quòd prius & posterius non stant pro respectibus qui sunt prioritas & posterioritas, sed pro partibus motus, vt stant sub istis respectibus. Cõstat autem quòd partes motus non sunt respectus. Quare, &c.

Ad aliud cùm dicitur quòd erit circulus, &c. negatur cõsequentia. Ad probationẽ dico quòd prius & posterius dupliciter sumũtur. Primò vt sunt differentiæ ordinis in re secundùm generationem. Secundò vt sunt partes successionis siue fluxus, quarũ vna præcedit, alia subsequitur. Primo modo diffiniuntur per tempus, vt declaratur infrà per Philosophum in tex. 129. secundo modo tempus diffinitur per ipsa, & sic patet quòd non committitur circulus.

Tertium est contra tertium, quo probatur quòd tempus nõ est numerus. Nam si est numerus, vel est numerus partiũ motus prout vna est prior, & alia posterior, vel est numerus secundùm mutata esse, quæ sunt in motu indiuisibilia, quorũ vnũ est prius & alterũ posterius: non primũ, quia pars prior & pars posterior in motu cõtinuãtur adinuicẽ, & sic nulla est discretio inter eas, nec numerus. Non secundo, quia cum mutata esse sint discreta, tempus esset numerus discretorũ, & sic tempus esset quãtitas discreta, quod est contra Philosophũ.

Ad hoc dicitur, quod datur primum, ad improbationem dico quod licet partes motus sint continuæ, tamen possunt apprehendi distinctis apprehensionibus, & cõsiderari prout hæc est prior & illa posterior, & prout cadunt sub ordinatis apprehensionibus numerãtur vt plenius declarabitur, quando quæremus, si tẽpus habet esse per animã vel extra animã.

De tertia via quæ est Gregorij non curabis, quoniam nec est consona Philosopho nec Com, nec B. Tho. nec ipse author probat imaginationem suam aliqua efficacia, & videtur in hoc magis loquutus secundùm opinionem vulgi, quàm Peripateticè. Nam Philosophus in 4. Phys. in tex. 94. recitat hãc opinionem vt antiquam & dicit, Et quidã dixerunt tempus esse sphæram totius, existimauerunt autem hoc, quia omnia

sunt in tempore & sunt in sphæra mundi. & iste sermo est magis vanus quàm indigeat probatione: vbi dicit Commentator, Et decipiebantur in hoc quòd duæ affirmatiuæ non concludunt in secunda figura. & sic sermo eorum est in propositionibus falsis, & figuræ inconstantis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXII.

Quæ sint illa quæ mensurantur tempore.

Manifestum est quòd quorum esse mensurat his omnibus inerit esse in moueri & quiescere. Quæcunque igitur generabilia & corruptibilia sunt, & omnino quæ aliquando quidem sunt, aliquando autem non sunt, necesse est in tempore esse. tex. 120.

Motus primus per se mẽsuratur tẽpore, qes verò, ac cæteri motus per accidens, & extrinsecè generabilium verò, & corruptibiliũ ratione accidentalis alterationis illorũ per se.

IN hac quæstione aduerte, quòd Philosophus tria assignat quæ mensurantur tempore, s. motus, quies, & quæcunque aliquando sunt aliquando non sunt. Tria igitur consideranda sunt. Primò quomodo est mensura motus. Secundò quomodo quietis. Tertiò quomodo eorũ quæ non semper sunt, vt generabilia & corruptibilia.

Quãtùm ad primum aduerte non esse dubium quin mensuret motum, quoniam ex diffinitione sua est numerus motus. Sed dubium est de modo, putà an mensuret motum per se, & ecõuersò, i. posito quod tempus mensuret motum per se, an motus mensuret tempus etiam per se. Præterea, cùm motus possit considerari inquantùm est actus imperfecti ex diffinitione sua, & vt est quantus quantitate successiua, & continuus, dubium est vtrum mensuretur tempore inquantùm est actus imperfecti, vel vt est quantus quantitate successiua. Prætereà dubium est, si eodem modo mensurat motum primum qui est motus primi mobilis & alios motus. Prætereà, dubium est quomodo mensurat motum primum, cùm sit æternus, & tamen secundùm Philosophum in textu 120. quicquid mensuratur tempore, ita se habet quòd potest accipi tempus maius duratione sui mensurati.

Vt igitur ista ordinatè resoluãtur, dico ad primum simul cum Commen. in commen. 112. quòd tempus mensurat motum per se, id est ex natura sui, quoniam tempus est essentialiter & quidditatiuè mensura motus. Motus autem mẽsurat tempus per accidens, id est quò ad nos & non ex natura sua, quoniã non conuenit per se mensurato mensurare sed mensurari. Contingit autem quod aliquando est nobis notior quantitas motus quam temporis, putà hora prima diei incepi iter, & itineratus sum per 9. miliaria, & volens scire quot horæ præterierunt, sic computo, Feci tria miliaria pro hora, ergo tres horæ transierunt, ergo est tertia hora diei, & in illo casu propter maiorem noticiam quam habeo de motu, quàm de tempore, mensuro tempus per motum, sed hoc nõ est ex natura motus vt dictum est, sed respectu nostri.

Ad secundum dico, quòd motus mensuratur tempore vt est quantus quantitate successiua, & non vt est actus imperfecti, probatur ex 10. Metaph. tex. 2. mẽsura debet esse homogenea mensurato, sed tempus vt mensurat motum est quantitas successiua, ergo motus vt mensuratur tempore debet esse quantitas successiua, sed vt est actus imperfecti non est quantitas successiua, imò est in prædicamento qualitatis, vt in alteratione, vel in prædicamento vbi, vel in prædicamento quantitatis, & est quantitas permanens vt quę acquiritur per augmentum. Et quòd tempus mensuret motum vt est quãtus, patet non solùm per rationem dictam, sed etiam per Philosophum in hoc 4. lib. in tex 119. vbi inquit, Quare quod mouetur non simpliciter erit mensurabile sub tempore, secundùm quòd quãtum aliquid est, sed secundùm quòd motus ipsius est quãtus: vbi inquit Com. Et est manifestũ quòd tempus non mensurat rem motam secũdùm quòd est mota simpliciter, sed secundùm quantitatem accidentem motui.

Ad tertium dico, quòd alio & alio modo mensurat motũ primum & alios motus. Nam respectu primi dicitur mensura intrinseca, quoniam tempus intrinsecè & subiectiuè est tantùm in primo mobili. & ideo ab eo sumit vnitatem. vt dicemus infrà. Respectu aliorum motuum est mensura extrinseca, non enim mensurat ambulationem Socratis, nisi quia applicatur illi, sicut vlna aut cubitus applicatur panno mensurabili, & ideo non multiplicatur tempus ad multiplicationem aliorum motuum, quoniam vna mensura extrinseca multa possunt mensurari.

Ad quartùm dico quòd tempus non mensurat primũ motum secundùm se totum, quoniã vt dicit Philosophus in tex. 120. quod mensuratur tempore secundùm se totum, ita se habet quod potest esse tempus, in quo non erit illud mensuratum. Hoc autem non cõtingit in primo motu sumpto secundùm se totum, quoniam est æternus secũdùm Philosophum. Mensurat autem secundùm partes, quia nulla pars primi motus adæquatur toti tempori quod est æternũ secundùm Philosophũ, vnde dico quod tempus mẽsurat primum motum, quia mensurat omnem circulationem eius, quælibet autem circulatio finita est, quoniam cõpletur die naturali, ex consequenti licet totus motus cœli sit æternus secundùm Phil. quia non est assignabilis prima nec vltima circulatio, tamen nulla circulatio est æterna, & ideo est mẽsurabilis tẽpore. patet igitur quomodo tempus diuersimodè mẽsurat motum.

Quantùm ad secundũ aduerte quod videtur difficile saluare quietem mẽsurari tempore, eò quòd quies est non ens cùm sit priuatio quæ est negatio, non enti autem non est assignabilis mensura realis, quale est tempus.

Præterea, Tẽpus est mensura rei successiuæ, in quiete cùm sit non ens nulla est successio, ergo, &c.

Vt ergo scias propter quid quies mensuratur tempore & quo modo, aduerte quod ideo quies mensuratur tempore, quia est priuatio motus, qui ex natura sua & per se mensuratur tempore, vnde sicut ista est vera, Tenebræ videntur, quia sunt priuatio lucis, quæ est per se visibilis, sic & in proposito de quiete, quæ per accidens mensuratur tẽpore, quia motus per se mensuratur tempore.

Modus autẽ talis est, Quies mensuratur per accidens tempore, quia est quãdo est aliquis motus in aliquo mobili, quẽ mẽsuramus tempore: & cõparantes quietem alicuius quiescentis motui alicuius moti aduertimus quòd tanta est duratio illius quietis quãta est duratio illius motus. Verbi gratia, equitet Sortes tribus horis, & tãdiu dormiat Plato, quia diu equitat Sortes, dicemus Platonem quieuisse per tres horas, & sic comparantes quietem ad motum coëxistentem intelligimus quietem mensurari tempore.

Patet autem quòd obiectiones præpositæ non cõcludunt non prima, quia licet priuatio sit negatio non tamen simpliciter, sed ponit subiectum cum aptitudine ad motum, & ideo non inconuenit quod mensuretur tempore non per se sed per accidens, obiectio autem concludit de eo quod est negatio simpliciter. Nec secunda concludit, quoniam maior non est vera nisi de mensurato per se à tempore.

Quantùm ad tertiũ aduerte ꝙ tempus esse mensurã generabilium & corruptibilium potest dupliciter intelligi. Primò inquantùm subiiciuntur mutationi accidentali, vt aqua existens sub motu alteratiuo, & lapis vt descẽdit, & vt sic nõ est dubium quin mensurẽtur tempore: quoniã si tempus est mensura motus est, ex consequenti mensura rei mobilis vt stat sub motu. Secundò quantùm ad suũ esse substantiale, putà an permanẽtia & existentia aquę mensurentur tempore, & hoc est difficile dubium, quoniã cùm tempus sit mensura motus, & motus sit res successiua, ac partibilis videtur ꝙ nõ sit mensura nisi rei successiuę vel partibilis vel cui adiũgitur aliqua successio. Sed esse substãtiale rei corruptibilis nõ est successiuum nec partibile, nec admixtum successioni, quoniã acquiritur in instanti sicut & forma substantialis, & consistit in indiuisibili, sicut declarauimus in li. 8. Metaph. in q. 6. vbi determinauimus contra Scotum nullam formam substantialem partibiliter acquiri, nec intendi, nec remitti.

Et aduerte ꝙ propter hanc rationem Heruæus diuertit à via B. Tho. nam B. Tho. in 1. Parte. q. 10. art. 5. dicit ꝙ omnis motus, & esse rerum corruptibiliũ mensurantur tempore. Herueus autem in 2. Quolib. q. 12. tenet ꝙ mensuratur nunc temporis discreti. Quid autem & quale sit tale nunc nõ est Physici, sed Theologi cõsiderare. Nunc enim intendimus de mẽsura naturali: vt igitur scias defendere viam B. Tho. aduerte quòd inter esse substantiæ incorruptibilis, & esse substãtiæ corruptibilis est cõuenientia & differentia. Cõueniunt quidem in hoc, quòd caret omni successione intrinseca, sunt impartibilia & consistunt in indiuisibili. Differunt aũt in hoc ꝙ esse substantiæ incorruptibilis non est coniunctum qualitatibus actiuis & passiuis propter quas inest substantiæ corruptibili transmutatio alteratiua qua tenditur ad corruptionẽ. oppositũ aũt videmus in substantiis corruptibilibus siue sint elementa siue elemẽtata. In proposito constat quare esse substãtiæ incorruptibilis, vt cœli nõ mensuratur tempore, quia non est coniunctum huiusmodi qualitatibus, nec trãsmutationi qua tendat in nõ esse. Constat etiã quam rationabiliter ponitur esse rei corruptibilis mensurari tempore, quoniã & si intrinsecè sit impartibile, & non de genere successiuorũ, tamen quia est coniunctũ continuæ transmutationi ex qualitatibus contrariis, quæ insunt substantiæ elementari, ideo conuenienter mensurantur tempore. & potest sic probari propositum, Quæcunque transmutantur in tempore mensurantur

tempore ex 4. Phy. tex. 117. sicut ex opposito quæ nõ patiuntur à tempore non mensurantur tempore, vt immanẽtes actiones, & esse luminis in aëre, quia tempus non agit ad eorum nõ esse. Posito enim quòd sol firmaretur super hemisphærium nostrum per mille annos idẽ numero lumen semper conseruaretur, quoniã nullũ adesset corruptiuum. Sed substãtia corruptibilis patitur à tempore & trãsmutatur in tempore quò ad esse substantiale propter contrarietatẽ quę est in qualitatibus à quibus non potest separari, ergo, &c. Ad argumentum autem in quo videtur se fundasse Heruæus nego minorem. Nam ad hoc quòd aliquid mensuretur tempore non est necesse quòd sit intrinsecè admixtum successioni, sed coniunctum transmutationi alteratiuæ, qua tendit ad corruptionem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIII.

Num tempus est tantum vnum.

Tempus autem vbique idem. textu 132.

IN hac quæst. aduerte ꝙ Peripatetici consentientes Aris. in 4. Physic. in tex. 132. concordant in hoc quòd tempus est tantùm vnum. Et quoniam B. Thom. concordat in hoc cum Com. s. quòd tẽpus primò & principaliter consequitur diurnum motum corporis cœlestis, qui est primus & regulatissimus, vt patet in comm. 131. ideo vt plenè resoluatur sensus Philosophi & Com. & B. Tho. de vnitate vel pluralitate temporis sic procedendum est, Primò ponetur vna distinctio de tempore. Secundò duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur quædam argumenta, quæ videntur habere aliquam apparentiam contra viam nostram.

Quantùm ad primum aduerte quòd tẽpus apud Com & B. Tho. solet dupliciter accipi, s. Tempus, principaliter & primò, & tempus secundariò, vnde Com. in com. 132. inquit, Sed debes scire quòd tempus licet numerus cuiuslibet motus tamen non eodem modo, sed secũdùm prius & posterius, quoniam est numerus aliorũ motuũ propter translationem, i. motum localem, quoniam si translatio non esset, non esset tempus. Et si alteratio, non esset, neque augmentatio neq; generatio neque corruptio, & tamen esset translatio, esset tempus, & si de modis translationis non esset translatio circularis nõ esset tẽpus, & de circulari velocioris circulationis, s. diurni motus. Tẽpus igitur etsi est numerus cuiuslibet motus, tamẽ attribuitur eis principaliter & secũdariò, hæc Com. Aliqui autẽ solent sic distinguere, Tẽpus propriè dictũ & tẽpus cõmuniter dictum, & hanc distinctionem declarauimus suprà in q. 20. huius 4. vbi quæsitum est si tempus est motus vel nõ.

Quantùm ad secundum ponitur prima conclusio, Tempus secundariò vel cõmuniter dictum non est tantùm vnum numero, sed plurificatur vt plurificãtur motus. Hæc sic probatur. In quocunque est prius & posterius secundùm durationem in eo est tempus cõmuniter dictum, non enim est intelligibile quòd anima apprehendat in aliquo esse prius & posterius secundùm durationem nisi per habitudinem ad tempus: nam dicitur pars prior duratione, quia priori tempore facta est, & posterior quia posteriori tẽpore facta. Sed constat quòd in omni motu cùm sit res successiua est pars prior & posterior secundùm durationem, quoniã pars vna succedit alteri, ergo, &c. Prætereà, vno motu potest mensurari alter motus, vt deambulatione Socratis per tantũ spacium potest mensurari calefactio aquæ. Sed omne mensurans motum vt sic potest dici tẽpus largè, ergo, &c. Et aduerte quòd in hac cõclusione cõmuniter concordant Doctores, vt Heruæus & Greg. & Capr. vnde ipse Capr. in 2. Sen. di. 2. q. 2. soluens argumentum primum factum contra primam conclu. distinguit sic, Tempus potest dupliciter accipi, s. propriè & strictè, & sic est tantùm vnicũ tempus, s. numerus motus primi mobilis. Alio modo sumitur impropriè & largè, & sic numerus cuiuslibet successionis potest dici tempus. Et respondens ad septimum factũ cõtra eandẽ concl. inquit in fine solutionis, Argumentũ non aliud cõcludit nisi ꝙ in omni motu cõtinuo est formaliter tempus largè & impropriè dictũ. Eandem cõclusionem tenet Iand. in 4. Physi. q. 28. vbi inquit, Tempus secundariò & per posterius dictum est in quolibet motu tanquã in subiecto, & multiplicatur numeraliter secundùm multiplicationem mobilium quæ mouentur.

Secunda cõclusio sit ista, Tempus propriè dictum, siue vt inquit Com. primò & principaliter est tantùm vnum & idẽ numero respectu omnium temporalium: probatur sic, Nullum accidens est multiplicabile in plura numero nisi per multiplicationẽ sui primi & per se subiecti, & maximè multiplicatione naturali & reali, vt pro nunc excludam multiplicationem intentionalem. De qua locuti sumus in 5. Metaphysicæ, in q. 18. Sed tẽpus est accidens siue sit idem cum motu siue distinctum, est enim quantitas successiua, ergo non potest multiplicari nisi multiplicetur suum subiectum. Sed subiectum suum est motus primi mobilis, siue primũ mobile, vt est sub primo motu, quod est immultiplicabile stante vnitate mundi, ergo, & tempus propriè dictum est immultiplicabile. Quòd autem subiectum temporis sit primus motus probatur, quia motu primo mensurãtur omnes alij motus vt simplicissimo sui generis, ergo tempus propriè dictũ consequitur primum motum vt primum mensuratũ, & primum subiectum, ad quem comparatur, vt diximus suprà vt mensura intrinseca, & sua propria passio. Et hæc est intentio Com. in com. 132. vbi inquit, Tempus igitur sequitur hũc motum, s. primum & iste motus sumitur in diffinitione eius, & ipsum tempus mensurat illum, nõ secundùm quòd numerus mensurat numeratum, i. non comparatur ad ipsum præcisè vt mensura, sed secundùm quod mensurat aliquid quod est forma in re, i. sed secundùm quòd est mẽsura quæ est subiectiuè & intrinseca in re mensurata: alios verò motus mensurat secundũ ꝙ numerus mẽsurat numeratum, i. inquãtùm est præcisè mensura extrinseca, quæ mensurat, vt applicatur mensurato, vt vlna applicata mensurat pannum, nõ quia sit subiectiuè in mẽsurato. Patet igitur quomodo tẽpus propriè dictũ & principaliter est tãtùm vnum. Et de hoc tẽpore intelligendum est quod dicit Philoso. in tex. 132. s. quòd nõ possent esse plura tempora ęqualia simul, quorum vnum non sit pars alterius, vt duo dies, duæ horæ, duo menses &c.

Quantùm ad tertium aduerte quòd Iand. in 4. Physi. in q. 28. in principio responsionis videtur mordere B. Tho. de vnitate temporis propter vnitatem primi motus, vnde dicit, Ad quæstionem dicunt aliqui simpliciter & indistinctè, quòd ipsum tempus est vnum numero in omnibus temporalibus, quia primum motus qui est subiectum primum & proprium temporis, non est nisi vnum numero, vt notum est. Sed salua pace, &c. Et postquàm recitauit opinionem B. Tho. arguit dictis & rationibus contrà. Verum, quia non concludunt nisi de tempore communiter siue secundario dicto, ideo nolo immorari ad recitandum & soluendum ea.

Tu tamen aduerte quòd non est verum quòd B Tho. simpliciter & indistinctè ponat tempus vnum numero in omnibus temporalibus propter vnitatem primi motus, sed intendit de tẽpore propriè dicto. Nam & ipse innuit & acceptat distinctionem de tempore propriè & cõmuniter dicto. Vnde in 2. Sent. di. 12. q. 1. art. 5. ad tertium, sic dicit, Nam potest intelligi de tempore quod est numerus motus primi mobilis sed oportet quòd per tempus significetur tempus largè sumptum, si sumatur tempus pro numero cuiuscunq; successionis. Ex quibus constat quòd acceptat tempus propriè dictum, quod est numerus primi motus, & hoc ponit vnicum propter vnitatem primi motus, & tempus largè, & hoc multiplicatur, sicut multiplicantur successiones, & sic Iandunus non tendit ad mentem B. Tho. nec obiectiones suæ aliquid concludunt contra viam nostram.

Aliqui alij conantur destruere fundamentum B. Th. quod etiam est Com. vt allegatum est suprà, s. quòd tẽpus non fundatur in primo motu solùm, sed in omni motu, & inter omnia sua argumenta duo videntur sibi præcipua.

Primum est, Indiuidua eiusdem rationis habent passiones proprias eiusdẽ rationis, quia propria passio cõsequitur speciem, & non indiuiduum. Sed omnes motus circulares sunt eiusdem rationis, saltem in hoc quòd est esse successiuũ, & esse actum admixtum potentiæ. Sed in motu primi mobilis inquantùm est ens successiuum & actus admixtus potentiæ fundatur prius & posterius, igitur consimiliter in omni motu circulari fundabuntur prius & posterius inquantùm quilibet est eiusdem rationis in hoc quòd est esse successiuum, & esse actum admixtum potẽtiæ. Sed prius & posterius absolutè considerata in motu sunt tempus, ergo in omni motu circulari, vt in subiecto fundatur tempus.

Ad hoc dicitur in via nostra, quòd licet omnes motus circulares dicantur esse eiusdem rationis inquantùm successiui, & inquantùm sunt actus admixtus potentiæ, & inquantùm in eis sunt signabilia prius & posterius numerabilia, nõ tamen sunt eiusdem rationis in hoc quòd est esse primũ motum & notissimum & regulatissimum, quoniã istæ cõditiones sunt propriæ motus diurni primi mobilis, & tempus fundatur in eo non præcisè propter prius & posterius numerabilia in eo, sed simul cum dictis cõditionibus, quibus remotis non fundaretur in eo tempus propriè dictum, de quo nunc intendimus, sed tantùm tempus communiter dictum.

Ad argumẽtum igitur nego minorẽ, quæ fuit hęc. Sed prius & posterius absolutè conliderata in motu sunt tempus.

Secũdum est. Si nõ esset motus primi mobilis adhuc esset tempus, ergo non fundatur præcisè in eo vt in subiecto, sed & in aliis motibus. Conditionalis sic probatur, Si non esset motus primi mobilis adhuc anima apprehẽderet tempus in alio motu, putà in horologio, vel in motu rotæ figuli. Nam posset in eo numerare prius & posterius, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd stãte cõditionali esset tempus fundatum vt in subiecto in illo motu qui esset primus, quicunque esset ille. Nã ideo tempus cõsequitur primum motum, quia vnumquodque est aptum mensurari primo sui generis.

Sed dices, Cùm tempus sit accidẽs, & secundùm te sit vnũ numero, & nõ fit multiplicabile: si remoto motu primi mobilis qui nũc est primus motus esset in alio motu qui tũc esset primus putà in motu Solis, aut Lunæ, sequitur ꝙ migraret accidens de subiecto in subiectum, quod est impossibile.

Ad hoc respõdetur respõsione Heruæi in 2. Sen. di. 2. q. 1. in respõsione ad primũ, & dicitur ꝙ non sequit quòd accidens migret de subiecto in subiectũ, sed sequitur ꝙ accidẽs simul tunc existens habeat quandã nouam rationem, quã prius nõ habebat, s. quòd non habeat secum aliã successionẽ vniformiorẽ se, sicut etiã si Deus modo amoueret motũ primi cœli, motus sequẽtis cœli qui nunc non habet rationem primi motus traheretur ad rationẽ primi motus, & in hoc nihil sibi acquireretur, sed tolleretur habitudo ad aliquid prius, & similiter esset in ꝓposito. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. XXIIII.

Num habeat esse tempus extra animam.

Dignum autem consideratione est quomodo se habet tempus ad animam. text. 130.

Tempus formaliter ac materialiter habet suũ esse completum ab anima.

IN hac quæst. aduerte eius difficultatem consistere in parua entitate tẽporis, quæ est maximè latens, & in multa diuersitate opinionũ, vt autem habeas resolutionem in via nostra sic procedendũ est. Primò ponitur id in quo omnes cõmuniter cõueniunt. Secundò recitabuntur tres opiniones, ex quibus tertia erit B. Tho. & secundùm eam terminabitur quæsitum. Tertiò soluentur quædam argumenta.

Quantùm ad primum aduerte, quòd omnes cõueniunt in hoc ꝙ tẽpus in sui ratione duo includit, s. formale & materiale, formale est illud quo formaliter distinguitur tempus à motu, & hic est numerus, vt diximus suprà, quando quæsuimus si tempus est motus. Materiale est illud cui applicatur talis numerus. Sicut cùm diximus decem canes, ly Canes est materia talis numeri, sic in proposito motus est materia talis numeri quale est tempus. Tu tamen aduerte quòd licet numerus sit formale non tamen est vera forma temporis, & licet motus sit materiale, nõ tamen est vera materia, aliter tẽpus esset quid realiter cõpositum ex materia & forma, quod est impossibile, cùm sit accidens, & prætereà tempus est ens per se. Sed enti per se repugnat cõponi essentialiter ex duabus speciebus ejusdẽ prædicamẽti. Sed numerus est species quantitatis discretæ, motus autem est quantitas continua, ergo, &c. Sed dicitur esse formale in tempore numerus, quia sicut res naturalis habet à forma esse suum completum, sic tempus habet rationem suam completam ex numero quo numerat anima prius & posterius in motu. Motus autem est materiale, quia sicut materia supponitur formæ, sic motus supponitur numero & discretioni quam habet facere anima circa partes motus.

Quãtùm ad secundũ aduerte, ꝙ tres sunt sentẽtiæ famosæ de entitate temporis, s. Com. & eorũ, qui sequuntur eum, Alber. de Saxonia, & B. Th. Via Com. stat in duabus cõclusionibus. Prima est, Tẽpus quò ad suũ materiale est actu extra animã: probatur, Materiale in tempore est fluxus cõtinuus, quo mobile fluit ab vno vbi ad aliud in motu locali, vel ab vna parte formæ ad aliam in motu alterationis. Sed talis fluxus est ens extra animam, quoniam omni homine dormiẽte adhuc fluit cœlũ ab oriente ad meridiem, & quòd calefit fluit à calore, vt tria, ad calorem intensiorem, ergo, &c.

Secunda conclusio est, Tempus quò ad suum formale nõ est actu extra animam, sed ab anima: probatur sic de intentione Com. in com. 131. Cùm res numerans, quæ est anima, nõ fuerit, numerare, quod est actio numerantis, non erit, & cùm actio numerantis non erit, numerus non erit, quoniã numerus aut est numeratum, aut actio numerantis, sed constat ꝙ non est numeratum, ergo est actio numerantis in numerato vel circa numeratum, vt obiectũ. Sed numerans, s. motũ qui est fluxus continuus non est nisi anima intelligens & apprehẽdens partes motus, vt vna est antecedẽs aliã, ergo si anima intelligens nõ erit, nõ erit numerus, & cùm tempus quo ad suum formale sit numerus, sequitur quòd tẽpus vt sic nõ est extra animam, sed ab anima. Et aduerte quod radix semẽtæ Com. stat in hoc, quòd arbitratur ad numerũ rei cõtinuæ necessariò requiri actualem numerationẽ quæ nõ est nisi per animã intelligentẽ, ita quòd posito cõtinuo successiuo mirabili nisi actu numeretur, nõ dabitur eius numerus actu, sed tantùm in potentia, vnde concludit in supradicto com. Tempus igitur non erit in actu nisi anima fit, s. numerãs actu, in potentia verò erit si anima non fit, scilicet actu numerans.

Secunda via est Alber. de Saxonia in 4. Physic. in q. 16. Cui post quàm recitauit opinionẽ Com. tenet quòd tẽpus est ens reale extra animam quò ad suũ materiale, & in hoc cõcordat cum Com. & vltra hoc tenet etiam quò ad suũ formale, & in hoc dissentit à Com. & radix sua est, quia arbitratur ꝙ de ratione numeri applicati non sit actualis numeratio, sed numerabilitas, nec est necesse esse actu numerantem, sed potentem numerare. Vnde ad hoc quòd sit numerus dicendum, nõ est necesse quòd actu numerẽtur & quòd sit anima numerans actu, sed quòd sint numerabiles. & anima potens numerare. Et quòd ad numerũ rerũ actu nõ requiritur numerans actu, sed potens numerare, & quòd existãt res numerabiles videtur assentire B. Th. in expositione tex. 131. solues dubiũ motum. Tenet igitur Alber. de Saxonia quòd quia motus primi cœli est ens extra animam, & est numerabilis, distinguibilis in partem precedentẽ & partem sequentẽ per apprehensionem animæ, dato casu quòd anima actu non distingueret nec numeraret, adhuc est tẽpus actu quò ad suum formale & materiale extra animam, & aduerte quòd B. Th. in Tract. de Tempore in Opusculis videtur sequi hãc viam. Sed vt dicemus infrà, Trac. ille non acceptatur vt editus à Tho. Verùm hæc via videtur contradicere Philosopho qui in 4. Physico. tex. 131. dicit, Impossibile est esse tempus sine anima non sit, sed aut hoc quòd vtcunque en se sit tempus. Ergo Philosophus intendit quòd tempus pendeat ab anima, vel quò ad formale vel quò ad materiale.

Si quis vellet hanc viam sustinere dicere posset quòd licet Philosophus proposuerit hoc dubium, vtrum cùm non sit anima, erit tunc tempus, an non, vt patet in tex. 131. tamen non soluit nisi dubitatiuè & conditionaliter loquens, vt patet in tuenti textum prædictum. Vel potest dicere quòd licet non pendeat quantùm ad actualem numerationem, quia sine ea adhuc est tempus, pendet tamen quò ad numerabilitatem, quia hæc conditionalis est vera, Si non est aliquod potens numerare, nõ est aliquod numerabile, sicut si nõ est aliquod potẽs sentire, nõ est aliquod sensibile: sensibile enim respicit sensitiuũ, vnde bene sequitur, Si nõ est anima potens numerare motũ, nõ erit motus numerabilis, scilicet motus numerabilis secundũ prius & posterius quod est tempus, ergo si non est anima non est tempus. Vel potest dicere, quòd licet tempus non pendeat ab anima quò ad suã entitatẽ pẽdet tamẽ quò ad actualẽ applicationem motibus per ipsum mensurandis. Non enim tempus mensurat apprehensibiliter iter Socratis, nisi anima applicet tantum tempus itineri Socratis mensurando, putà horam aut diem. Sic posset dici disputatiuè, licet non intendam tenere hanc viã, sed immediatè sequentem, quam reputo esse ad mentem B. Tho.

Tertia igitur via, quam elicio ex B. Thom. in expositione tex. 131. tenet quòd tempus quantùm ad formale & materiale recipiat complementum ab anima, ita quòd licet fundamentum habeat in re, non tamen habet rationem perfectam, nisi per animam apprehendentem. Et mens sua stat in hoc, Rerum numerabilium quædam habent esse fixum & permanens extra omnem apprehensionem animæ, vt lapis & lignum & alia quæ dicuntur entia permanentia. Et ista nec quantùm ad esse nec quantùm ad numerum pendent ab anima. Nam dato quòd nullus intellectus numeraret lapides existentes in fundo maris, adhuc essent in numero certo & determinato: quia de ratione numeri numerati in permanentibus non est actualis numeratio, sed numerabilitas. Tales igitur res permanentes habent completum esse extra animam. Quædam autem res numerabiles sunt, quæ non habent esse permanens nec totum simiiliter, sed consistunt in quadam successione ita quòd eis repugnat habere partes simultaneas & de suo esse nihil habent extra animã nisi quodam indiuisibile continuatiuum partium succedentium, sicut est mutatum esse in motu & instans in tempore, & in his successiuis si debet esse aliqua totalitas numerabilis, est necesse quòd sit intellectus apprehendens partem præcedentem quæ iam fuit, & comparet sequenti futuræ, & distinguat eas in priorem & posteriorem. V. g. Intellectus considerans mobile vt sub tali dispositione vel vt existens in tali situ, cognoscit quòd causat priorẽ partem motus, & vt est in alio situ causat posteriorẽ partem. Cùm igitur motus nõ habeat in re nisi indiuisibile cõtinuatiuum si debet apprehẽdi vt quoddam totũ habẽs partes, quibus repugnat simul esse, hoc nõ erit nisi per opus animæ, ergo motus remota anima habet esse incompletum, & cùm tempus sit idem cum motu aut fundetur in motu primo, vt dictum est suprà, sequitur ꝙ si esset motus, vt est quoddam totũ pẽdet ab anima sequitur quòd etiam esse temporis & quo ad formale, & quò ad materiale quod est motus pẽdet ab anima, ita ꝙ sine anima habebit esse imperfectum, in hoc igitur stat resolutio B. Th. de cuius mente ponio hanc cõclusionem, Nec motus, nec tempus vt considerãtur sicut quædam tota, habent esse perfectũ extra animam, quoniam nullum totũ cui repugnat habere partes simultaneas, quanuis contingat eas simul intelligere habet completum esse actu sine apprehensione. Sed tẽpus & motus cum sint successiua sunt talia, ergo, &c.

Quantùm ad tertiũ aduerte tria argumenta cõtra determinationem factam. Primum sumitur ex Tract. de Tempore, B. Th. in Opusculis, in c. 1. qui expressè tenet cum secũda via, & reprehẽdit Com. qui tenet primã viam, & vltra hoc sic arguit, In quocunq; motus habet esse perfectũ illud mouetur necessariò, sed secundùm te, motus habet esse perfectũ in anima, ergo anima necessariò mouetur, quod est incõueniens.

Ad hoc dicitur ꝙ Tract. ille non est B. Tho. quod patet ex duobus. Primò quia in c. 3. illius Tract. in fine negat esse substantiale rei mobilis mẽsurari tempore, cuius cõtrarium tenet in prima Parte, q. x. vt declaratũ est suprà. Secundò, quia leuitas rationis adducẽtę nõ est attribuẽda tãto ingenio. Quis enim nescit quòd maior propositio non est vera nisi de eo in quo est motus, vt in subiecto mobili, & nõ de illo in quo est vt cognitum in cognoscente? Et hoc modo ponit B. Tho. motum habere esse perfectum in anima, s. vt obiectum cognitũ in cognoscente, & ideo non sequitur animam moueri.

Secundũ sumitur ex Heruæo in 2. Sent. dist. 2. q. 1. arti. 3. & arguitur sic, Si tempus est ens, secũdùm animam, ita ꝙ nõ habeat esse cõpletum extra animã vel est ens vt figmentũ excogitatum, de quo fundamẽtum nõ est in re, vt chimęra: vel est ens in anima, vt vniuersale, cuius fundamentum est in re, sed vniuersalitatem facit intellectus, nõ primo modo, vt cõmuniter cõceditur, nec secundo modo, quia Philo. in 6. Metap. tex. 4. diuidit ens in anima secundo modo dictum cõtra ens, quod diuiditur in x. prædicamenta. Sed tempus pertinet ad ens, quod diuiditur in x. prædicamenta, cùm sit species quãtitatis, ergo non est ens in anima, sed extra animam.

Ad hoc dicitur, ꝙ nõ est ens in anima primo modo nec sicut vniuersale, sumẽdo vniuersale pro intẽtione vniuersalitatis, quoniã vniuersale vt sic est ens rationis distinctũ cõtra ens reale diuisum in x. prædicamenta. Sed est ens in anima sicut natura, cui attribuit intellectus intẽtionẽ vniuersalitatis, quæ licet sit res, tamen nõ dicitur formaliter vniuersalis nisi per opus intellectus, vt declarauimus in 1. de Anima in q. 7. sic dico de tempore, licet fundamentum sit reale, tamen formale est ab anima. Argumentum autẽ Heruæi procedit ac si teneremus tempus esse præcisè per opus animæ, sicut intentio vniuersalitatis.

Tertium sumitur ab eodem Heruęo vbi suprà. & est tale, Posito quòd nullus intelligeret motũ, & tamẽ ꝙ cœlum moueretur, sicut nunc mouetur, quæro aut mouetur successiuè secũdùm rẽ, aut nõ. Si sic, ergo erit successio secũdùm rẽ extra animam in rerũ natura, sed impossibile est ponere successionẽ realẽ extra animam in motu quin ponatur consimilis realitas in tempore, præcipuè cùm videatur quòd tẽpus nõ sit aliud quàm talis successio formaliter accepta. Si non, cõtrà, Illud quod nihil reale ponit in motu vel mobili impossibile est quòd det esse successiuũ. Sed anima intelligẽdo motum nihil reale ponit in motu vel mobili, cum intelligere secundùm quòd huiusmodi nihil ponat in re intellecta, ergo anima nihil facit ad hoc quod successio sit in motu nec per consequens successio motus nec ipsum tempus habet esse ab anima, nisi sit anima quæ sit causa motus cœli.

Ad hoc dicitur, quòd nullo intellectu intelligẽte motum cœli erit successio secundùm rem in tali motu: quia erit mutatum esse vt continuatiuum partis præcedentis & partis subsequẽtis, & eodem modo conceditur, quòd tempus est extra animam ratione instantis continuantis præteritũ cum futuro. Sed ex hoc non sequitur quòd tempus & motus habeant esse perfectum extra animam, si cõsiderantur vt quædam tota, de quibus nihil est extra animam nisi indiuisibile continuatiuum vt diximus declarantes mentem B. Tho. Et si tu aduertes cognosces quòd hoc argumentũ nõ concludit nisi cõtra eos, qui ponunt tẽpus præcisè habere esse in anima, vt purum ens rationis, quòd nos non tenemus. Vnde via nostra est media inter duas extremas, quarum vna ponit tẽpus totaliter habere esse per animã, altera quòd totaliter habet extra animam nostrã, tenet quòd habet esse imperfectũ extra animam, sed per animam completur modo quo dictũ est suprà. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXV.

Num in toto tempore sit idem instans vel plura.

Diuidit autem potentia, & in quantùm quidem huiusmodi est semper est alterum ipsum nunc, inquantùm autem copulat semper idem est, sicut & in mathematicis lineas. Non enim semper idem punctum intellectu. tex. 121.

Idem instans extrinsecum est in toto tempore, non autẽ est idẽ intrinsecũ.

IN hac quæst. aduerte ꝙ quoniã instãs est minimæ entitatis & non permanẽs, ideo cũ summa difficultate potest manifestari quid sit, & an vnũ, an plura, nisi cõparetur ad aliquod indiuisibile permanens, putà ad pũctum vel comparetur ad mobile. Nam sicut punctum suo fluxu imaginario apud Geometram causat lineam, & mobile suo progressu causat motum localem. Et propter talem difficultatẽ Philos. in 4. Phy. tex. 121. loquitur proportionaliter de puncto & de instanti & eodem modo procedit B. Tho. in Tracta. de Instantibus. Vt igitur modo clariori quo possumus resoluamus præsens quæsitum, sic procedemus. Primò considerabimus de vnitate & pluralitate puncti in linea. Secundò de identitate & diuersitate mobilis in motu. Tertio loquemur proportionaliter de vnitate & pluralitate instãtis in tempore. Quartò soluemus quædam apparentia argumenta.

Quantùm ad primum aduerte quòd in linea assignatur duplex pũctum, scilicet, extrinsecum & intrinsecum: extrinsecum est illud quod suo fluxu ipsum causat lineam. Et dicitur extrinsecum eò quòd non est de essentia lineæ constitutæ, quia cùm sit quid vnum indiuisibile non potest esse in diuersis partibus lineæ. Nec est terminus lineæ, quia cùm linea finita habeat duo extrema actu quę sunt duo puncta, vt patet ex diffinitione lineæ finitæ, non potest idem punctum præcisè esse duo extrema. Nec est cõtinuans partes lineæ adinuicẽ, quoniã idem punctũ non potest cõtinuare plures partes lineæ, aliter haberet plures situs simul in cõtinuo, quod est impossibile, sicut impossibile est idẽ corpus esse simul in pluribus locis. Et hoc punctũ extrinsecũ est vnũ numero in tota linea quam causat imaginariè suo fluxu.

Punctum intrinsecum est illud quod terminat & continuat lineam, & non est vnus tantùm, imò sunt duo actu, vt actu terminant lineam finitam, & sunt infinita in potentia vt linea est diuisibilis in infinitum. Sed dices, Quid sunt hæc puncta intrinseca, & quare dicuntur intrinseca? Dico quòd sunt diuersa esse ipsius puncti extrinseci vt causat lineam. Nam est imaginandum quòd secundùm quòd fluit, acquirit diuersa esse accidentalia, prout enim est in prima parte sui fluxus acquirit vnum esse, & prout est in secunda, aliud, & differt à seipso vt fuit in prima parte fluxus, sicut differt Sortes vir à seipso puero & hæc diuersa esse dicuntur pũcta intrinseca. Quæ ideo dicuntur intrinseca quia sunt de ratione lineæ. Nam in eius diffinitione ponitur punctum, vt terminus vel vt extremum secundùm Euclidem, & ponitur & cõtinuans & copulans partes, eò quòd linea est de genere continuorum. Continuum autem est cuius partes copulantur ad vnum terminum communem. Patet igitur quomodo in linea est tantùm vnum punctum, & quomodo plura.

Quantùm ad secundum aduerte quòd licet mobile nõ sit causa effectiua motus, est tamen causa materialis eò quòd motus est actus mobilis vt declaratum est in 3. li. Et ideo mobile vt est sub motu potest dupliciter cõsiderari. Primò quò ad substantiam vel suum esse substantiale præcisè. Secundò quò ad esse accidentale quod sibi accidit vt est sub motu, prout aliter & aliter se habet in toto motu. Putà in 1. parte motus est in hoc vbi, & in alia in alio, &c. Si consideretur mobile primo modo, sic in toto motu est vnum & idem. Habet enim motus vnitatem ab vnitate mobilis vt dicetur in lib. 5. si consideretur secundo modo sic est diuersum & plura accidentaliter secundùm illa diuersa esse sibi accidentalia, & secundùm diuersas dispositiones quibus afficitur, dum est in moueri. Sed dices, Hæc diuersa esse accidentalia mobilis quid sunt? Dico quòd sunt illa quæ solemus appellare momenta vel mutata esse, & hæc continuant ac terminant motum sicut puncta intrinseca continuant & terminant lineam. Et hæc mutata esse sunt de ratione motus, vt

vt est degenere cõtinuorũ, sicut enim partes lineę copulãtur ad punctũ vt ad terminũ cõmunem, sic partes motus ad mutatũ esse, quod est finis præcedẽtis partis & principiũ sequẽtis: & sic patet quomodo in toto motu stat idẽ mobile secũdùm substantiam, & diuersum secundùm esse accidentalia.

Quãtùm ad tertium aduerte ꝙ proportionaliter instãs in tempore est duplex, s. extrinsecum & intrinsecũ. Extrinsecũ est illud quod suo fluxu imaginario causat tẽpus, sicut apud Geometrã punctũ extrinsecũ causat lineam. Sed in hoc differunt, quia punctũ causat quantitatem continuam permanentem, instans autem continuum successiuum. Et hoc instans extrinsecum nõ est pars tẽporis nec terminus, neccõtinuans tempus eadem ratione, qua diximus, pũctum extrinsecũ nõ esse terminum nec cõtinuatiuum lineæ, instãs autẽ intrinsecum est illud quod terminat & cõtinuat & diuidit tẽpus & est de ratione intrinseca temporis vt est quãtitas cõtinua cõformiter per omnia sicut diximus de pũcto intrinseco in linea. Si loquimur de instãti extrinseco sic est tãtùm vnũ secũdùm rem in toto tẽpore vt dicit Philo. & probatur sic, Si nõ est tantùm vnum secundùm rẽ, ergo ei succedit aliud instans immediatè, vel aliqua pars tẽporis: nõ primum, quia vnũ instans nõ potest cõtinuari alteri instãti, vt probabitur in li. 6. Phy. nec secũdum, quia nulla pars tẽporis potest existere sicut secũdùm aliquod indiuisibile cùm sit de genere successiuorum, vt diximus in q. præcedẽti. Præterea, Apud Philo. sicut se habet mobile ad motũ ita nũc ad tempus. Sed mobile est tãtùm vnũ in toto motu stãte vnitate motus vt declarabitur in 5. lib. ergo in toto tẽpore est tãtùm vnum instãs secũdùm rem, si autẽ loquamur de instãti' intrinseco terminãte & cõtinuante tẽpus, sic nõ est vnum tãtùm, sed plura realiter, duo quidem actu terminãtia omnem signatam partẽ tẽporis. V. g. In hora est primũ & vltimũ instãs & alia sunt infinita in potẽtia, prout hora est diuisibilis in partes infinitas, sicut diximus de linea. Quod autẽ hæc instãtia intrinseca sint plura probatur, Quodlibet cõtinuum finitum habet duo extrema distincta realiter, quo niam idẽ respectu eiusdẽ partis nõ potest esse principium & finis. Sed quælibet pars tẽporis est cõtinua & finita, vt ab omnib' cõceditur, ergo habet duo extrema: extremum autẽ in tẽpore est instãs, sicut extremũ in linea est pũctum, ergo in qualibet parte tẽporis sunt plura instãtia intrinseca terminãtia & cõtinuantia tempus. Sed terminãtia sunt actu cõtinuantia autem sunt in potẽtia, & si fiat diuisio in tempore, erunt actu terminãtia partes diuisas sicut proportionaliter est in diuisione lineæ.

Sed fortè quæres, quid sit instãs extrinsecum & intrinsecum, & in quo distinguuntur.

Dico quòd instãs extrinsecum nõ est substãtia primi mobilis, nec pura negatio, vt aliqui opinãtur, sed est vnitas de genere quãtitatis, vnitas inquam, mobilis nõ secũdùm substantiam immediatè & simpliciter, sed vnitas mobilis accidẽtalis prout est sub forma secũdùm quã est motus, putà sub vbi fluẽte, instãtia autẽ intrinseca sunt diuersa esse instantis extrinseci. Vnde aduerte ꝙ sicut se habẽt mutata esse ad ipsum mobile ita instãtia intrinseca ad instãs extrinsecum. Sed vt diximus mutata esse sunt diuersa esse quæ accidũt mobili. vt aliter & aliter se habet in motu, sic & in instãtia intrinseca sunt diuersa esse instantis extrinseci, prout suo fluxu imaginario causat tempus. Distinctio autem inter ea patet ex prædictis.

Quãtùm ad quartũ aduerte quòd quia impugnãtes viam nostrã, vt est Scotus & Greg. & Durã. nõ penetrarunt distinctionem datam de duplici instãti, s. extrinseco & intrinseco, ideo formarunt plura argumẽta quæ laborant in æquiuoco, quæ tu videre poteris in Capr. in 2. di. 2. q. 2. cõtra secũdam cõclusionem, nec volo hic immorari ad recitandũ: nam cùm Capr. soluat secundùm viam Thomi st. errare non poteris sequens eius solutiones. Has quæstiones de tempore ordinaui & determinaui vt potui, quoniam cùm sint de minimo ente, quale est ens successiuum, sunt multæ difficultatis & ambiguitatis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum naturalium super quartum librum Finis.

QVAESTIONES MAGISTRI CHRYSOSTOMI Iauelli, super quintum librum Physicorum.

In 5. lib. Physi. determinandæ sunt quæstiones infrascriptæ.

1 *Num generatio sit motus.*
2 *Num in substantia sit contrarietas.*
3 *Num relatio possit aduenire alicui de nouo sine mutatione sui.*
4 *Num motus accipiat esse per motum.*
5 *Num in quãtitate & qualitate sit motus, quia est in eis contrarietas.*
6 *Num magis & minus perfectum in forma ad quam est motus differant specie.*
7 *Num ad hoc quòd sit vnus motus numero necesse sit formam secundùm quam est motus esse vnam formam numero à principio motus vsque ad finem.*
8 *Num per motum forma corrupta possit reuerti eadem numero.*
9 *Num toto tempore quo durat sanitas sit eadem numero.*
10 *Num motus regularis sit magis vnus, quàm irregularis.*
11 *Nũ cõtrarietas in motibus sit accipiẽda ex terminis cõtrariis ad quos.*
12 *Num quies contrarietur motui.*
13 *Num quies in termino ad quem est perfectio motus.*

QVAESTIO PRIMA.

Num generatio sit motus.

Quoniam autem motus mutatio quædam est. Mutationes autem tres sunt dictæ, harum autem quæ sunt secundùm generationem & corruptionem, non sunt motus. textu 9.

IN HAC quæst. inuenio duas vias quarum vtranq; intẽdo pertractare, sed determinatio erit iuxta viam quę est ad mentẽ B. Tho.

Prima via est Iand in 5. Physi. q. 1. fundata super doctrinam Com. quam videtur sequi Ant. And. in lib. 10. Metap. q. vnica, Iandunus igitur aduertens apud Com. in 3. Cœli formas elemẽtorum suscipere magis & minus, vt patet illicit comm. 67. ex consequenti esse acquisibiles successiuè, sicut & qualitas intensibilis & remissibilis, ponit vnam distinctionem de motu, & duas conclusiones.

Distinctio est hæc, Motus sumitur dupliciter: primò communiter pro quacunque transmutatione successiua, & dicit quòd putat Philos. in lib. 1. diffinisse motum hoc modo acceptum, cùm dicit motum esse actum existẽtis in potentia secũdùm quòd huiusmodi. Et Com. dicit in 3. lib. Physi. quòd motus est generatio vnius partis post aliam illius perfectionis, ad quam est motus donec perficiatur. & sic in actu. Secũdò sumitur propriè & magis strictè pro omni transmutatione per quam non variatur nomẽ nec diffinitio transmutati, sed manet idem secundùm nomẽ & diffinitionem sub vtroque termino, sicut erat ante talem transmutationem, sicut quando calefit aqua remanet essentialiter aqua, post calefactionem sicut antè. Quãdo autem ex aqua generatur ignis, postquàm generatus est ignis non remanet aqua nec nomine, nec re, nec diffinitione. Ex hac distinctione ponit duas conclusiones in quarum prima discordat à via nostra, vt declarabitur, in secunda autem non.

Prima cõclusio, Generatio sumpta pro trãsmutatione facta in substãtia, qua extrahitur forma substãtialis de potẽtia materiæ, nõ est incõueniens quòd sit motus sumptus primo modo, hãc sic, pbat, Aliqua generatio substãtialis, putà qua acquiritur forma elemẽti est talis quòd forma acquirit per partem post partẽ, eò quòd forma elementi intẽditur & remittitur vt vult Com. in 3. Cœli in com. 76. ergo talis generatio est successiua, & sic est motus primo modo sumptus. Quod autẽ forma elemẽti intẽdatur & remittatur, sic probatur ad mentẽ Com. Cõstat ꝙ qualitas cõsequens formam elemẽti putà siccitas aut frigiditas terræ intẽditur & remittit, ergo & forma substãtialis elemẽti. Antecedẽs manifestũ est & probatur cõsequentia si stat forma elemẽti integra & perfecta, iã remissa & in parte amissa qualitate sua sequitur ꝙ forma elemẽti poterit omnino separari à qualitate sua, quia idẽ est iudiciũ de toto & parte, & sic poterit remanere forma ignis in materia remoto omni calore, ꝙ repugnat sensui.

Probat etiam Iandunus quòd hæc sit intẽtio Philosophi, nam in 7. lib. Physico. in c. de Compar. motuum, postquàm ostendit quomodo comparantur alterationes & motus locales, dicit distinctè quomodo comparãtur generationes ad inuicem secundùm velociùs & æquè velox. Nam cùm velox & velocius diffiniãtur tẽpore, vt patet in eodem loco, certũ est quòd trãsmutatio instãtanea nõ potest dici velocior nec æquè velox, si ergo vna generatio debet esse æquè velox vel velocior altera, necesse est vt mẽsuretur tempore, & ex cõsequenti ꝙ sit successiua. Nec valet dicere, ꝙ in generatione est successio & velocius & tardius solũ ratione alterationis præcedẽtis, vt aliqui fingunt, quoniã cùm Philos. ostendisset qualiter comparantur alterationes adinuicem secundũ velocius & æquè velox superfluè repetiisset de generationibus, quod non decet Philo. qui fuit summè breuiloquij.

Et quoniã hæc sua cõclusio videtur esse cõtra Phil. in hoc lib. 5. vbi ex proposito, vt patet in tex. 8. & in tex. 9. pbat neq; generationẽ neq; corruptionem esse motũ, ideo Iand. imaginatur talẽ glossam & dicit, Fortè illud fecit Philos. quia aliqui errauerũt dicẽtes generationẽ esse motũ omnino, & cõsimiliter sicut alij motus, s. in subiecto vno numero, sicut posuerunt Empedocles & Anaxag. & ideo voluit Philos. ostẽdere generationẽ non esse motũ illo modo, & hoc frequẽter dixit vt removeret errores illorũ. Sed nullus errauit dicẽdo generationẽ non esse motum secundo modo, imò forte omnes concedebant eam esse motum primo modo.

Secunda cõclusio, Generatio substãtialis nõ est motus acceptus secũdo modo. Probatur sic de intẽtione Philosophi, Si generatio est motus secũdo modo, ergo quod generatur motu accepto secundo modo. Sed hoc est falsum: cõsequentia patet, falsitas cõsequentis probatur, Ens in potentia nõ mouetur motu secundo modo, quia quod sic mouetur manet vnũ numero positiuè, & secundũ actum sub vtroq; termino motus sic accepti, vt patet de aqua quando mouetur à frigiditate ad calorẽ, stat eadẽ actu sub vtroque termino. Sed quod generat substãtialiter, est ens in pura potẽtia, vt declaratũ est in 1. li. generatio nõ est motus secundo modo, & de tali motu intẽdit Philo. vbi cunq; dicit ꝙ motus non est ad substantiã, & quòd motus nõ est nisi ad res triũgenerum, s. quãtitatis, qualitatis & vbi. Nã ẽm tales res contingit fieri transmutationẽ subiecto manente eodẽ numero secundũ actum & ẽm nomen & secundũ diffinitionẽ. Et hęc videt esse intẽtio Com. in hoc lib. 5. in com. 8. vbi inquit, Quia igitur in duabus, extremitatib' istius motus, s. generationis & corruptionis existẽtis in substãtia nõ est aliquod idẽ demonstratũ dispositũ per motũ à principio eius vsque ad finẽ dicit Philos. Ergo impossibile est vt generatio sit motus supplesinquit Iand. in quo manet idem nomen transmutati & eadem diffinitio. Tamen nõ sequitur ex hoc quin generatio sit motus prout motus dicit quancunque transmutationẽ successiuã. Hæc est opinio Iand. cui concordat Ant. And. in lib. 11. Metap. vnica, vbi dicit ꝙ generatio & motus cõtractè acceptus non differunt penes successiuũ & instantaneũ, sed penes terminos, quia, s. terminus generationis est substãtia, terminus autẽ motus cõtractè accepti est accidens, differũt etiã penes subiectũ, quia subiectũ generationis est ens in potẽtia, & subiectũ motus cõtractè accepti est ens actu, & fundamenta ac rationes huius opinionis pertractauimus in li. 8. Metap. q. 6. & illic soluimus rationes eius, vt videre poteris in prædicta quæst. Et si aduertis opinio Iand. & Scotistarum procedit ex fundamento falso, s. quòd forma substãtialis potest intendi & remitti, & per cõsequens succesiuè acquiri & deperdi, ex quo sequitur generationẽ substãtialẽ esse trãsmutationẽ successiuã, & similiter corruptionẽ, & per cõsequens esse motũ, quoniã de ratione motus est successio, vt declaratũ est in lib. 4. Phy. in c. de Vacuo. Destructo autẽ hoc fundamẽto, & tenendo omnẽ formã substantialẽ siue sit corporis simplicis siue compositi cõsistere in indiuisibili, ita ꝙ sibi repugnet intensio & remissio, totus processus dictarum opinionum ruit. Quod autem formæ substantiali repugnet intentio & remissio, determinauimus in lib. 8. Metap. in q. 6. & tu videillic, & inuenies solutiones rationum quas formant Scotistæ contra viam nostram.

Nunc autem sufficit soluere rationes, super quas fundauit se Iandunus probãdo suã primam cõclusionẽ. Cùm igitur arguit, Quia aliqua generatio substãtialis, &c. negatur antecedens nec in via nostra acceptatur dictũ Com. de forma elementi quòd intẽdatur & remittatur. Ad probationẽ negatur cõsequentia, ad probationẽ consequentiæ iterũ negatur cõsequentia, & nego quòd sit idẽ iudicium de toto & parte: nam qualitas cõsequens formam substantialẽ, & quæ cõseruatur ipsa forma in materia nõ cõseruat pro indiuisibili, sed pro aliqua determinata latitudine, vltra quam nõ cõseruat: vnde si talis qualitas remittatur vltra talem latitudinẽ, non stat forma substantialis in via nostra. Verbi gratia, Sat forma aquæ in materia, etiã ꝙ remittatur humiditas per duos aut tres gradus. Sed non stabit si remittatur per 7. gradus.

Et quando dicit Iand. ꝙ illa est intẽtio Philoso. in 7. lib. de Cõparatione motuum, dico ꝙ respõsio illic data est vera & est ad mẽtem B. Tho. in 6. lib. Phys. in expositione tex. 59. vbi dicit Philos. Manifestũ igitur, quoniã quod factũ est necesse est fieri prius, &c. Et quãdo dicit Iand. quòd Philos. superfluè repetiuisset, negatur consequentia, quia alteratio cuius est tantùm vnus terminus vt in dealbatione & alteratio cuius sunt duo termini, intrinsecus quidem est forma accidentalis, extrinsecus autem est forma substãtialis non sunt eiusdem rationis, quoniam prima dicitur absolutè alteratio, secunda autem dicitur generatio propter terminum vltimatum, & ideo non inutiliter repetiuit.

Et quãdo nititur Iand. exponere & glossare dicta Philos. in hoc lib. 5. in tex. 8. & 9. quibus probat Phil. generationẽ nõ esse motũ, dicens ꝙ hoc fecit Phil. quia aliqui errauerũt, &c. patet expositionẽ suam esse meram imaginationẽ, quia Phil. in hoc loco nullam facit mentionẽ de Antiquis, sed loquitur de generatione & motu ex natura rei, errores autẽ Antiquorum circa generationẽ rerum & alterationem, perscrutatur & reprobat in 1. de Generatione in tex. 2. 3. 4. 5. & 6. vbi & reprobat Empedoclem, Leucippum & Democritum.

Secunda via est B. Th. quæ in vno sensu cõcedit generationem esse motum, in alio autẽ negat. Nam & in via nostra distinguitur de motu, sicut distinguit Iand. sed alio sensu. Vnde aduerte quòd motus sumitur dupliciter: primo pro omni actione transeũte, siue sit successiua, siue instãtanea, modò instãtanea sit terminus successiuè, & dicit motus cõmuniter siue vniuersaliter, vnde in hoc sensu & generatio & corruptio, illuminatio dicunt motus, & in hoc sensu Phil. diffinit motũ in 3. lib. Phys. vt declarauimus in Epito. Secũdò sumitur motus pro trãsmutatione successiua, cuius subiectũ est ens actu, & terminus est diuisibiliter acquisibilis, & dicitur motus propriè & cõtractè, & in hoc sensu distinguit Philos. in hoc lib. 5. mutationẽ in generationem & corruptionẽ & motũ, vt in species oppositas, & differt motus sic acceptus à generatione, non solùm ex subiecto, nec solùm ex termino, quia scilicet subiectum generationis est ens in potentia, & subiectum motus est ens actu, & terminus generationis est subsistantia, terminus autem motus est accidens, sed quia terminus generationis est indiuisibilis & indiuisibiliter acquiritur, ex cõsequenti non successiuè, terminus autẽ motus est indiuisibilis & successiuè acquisibilis, & ex hoc vltimo habet motus quòd distinguitur à generatione, vt successiuum ab instantaneo. Quod autem terminus cuiuscunque generationis substantialis consistat in indiuisibili, iam declaratũ est in lib. 8. Metaph. q. 6. vt suprà diximus.

Et contra hanc determinationẽ non inuenies argumenta fortia, nam omnes arguẽtes procedunt ex hoc fundamẽto, quòd nõ repugnet formæ substãtiali eductæ de potentia materiæ intendi & remitti, & partibiliter acquiri, & habere gradus intrinsecos, quod fundamentũ nõ cõcedimus, & eorum argumenta soluimus hic, & in 8. Metaph. q. 6.

Tu solùm hoc argumentum aduerte, Omnis trãsmutatio successiua est verè & propriè motus in via B. Tho. Sed generatio substantialis est transmutatio successiua, ergo, &c.

Probatur minor, Generatio est transmutatio de non esse ad esse, aut ergo materia, qua res transmutatur de non esse ad esse, pro eodem instanti est sub esse & nõ esse, aut pro vno instanti est sub esse, & pro alio sub non esse: non primũ, quia sequerentur cõtradictoria simul in eodem, vt patet, ergo secũdum. Sed inter quælibet duo instantia datur medium tempus: ergo in hoc tempore medio transmutatur res generãda à non esse ad esse, hæc autem trãsmutatio est generatio substantialis, ergo fit in tempore, ergo est successiua, ex consequenti est motus propriè dictus.

Ad hoc negatur minor: ad probationem dico quòd diuisio est insufficiens, nam vt declarabitur in lib. 6. rei permanentis generãdæ nõ datur vltimũ non esse in vltimo instanti & primum sui esse in instanti sequẽti, quia sic argumentum haberet aliquam apparentiam, sed toto tempore præcedẽti vltimum instans introductionis formæ est sub nõ esse, in instanti autẽ vltimo illius temporis habet primum sui esse, inter tempus autem & instans non datur medium, & ideo sequitur generationem substantialem esse instantaneam & nõ successiuam. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num sit contrarietas in substantia.

Secundùm substantiam non est motus propter nullum entium substantiæ contrarium esse. textu 10.

Nullum est motus propriè in substantia, quia in ea nulla est proprie cõtrarietas.

IN hac quæst. non est immorandum ad inuestigandũ si pro aliquo sensu est substantia contraria substantiæ, quoniam id iam inuestigauimus in 10. libr. Metaphy. in q. 18. vt videre poteris. Sed volo immorari circa rationem quam facit Aristoteles, qua probat, ideo non esse motum in substantia, quia

quia in ea nõ est cõtrarietas: & intẽdo declarare an hęc ratio sit potiùs famosa & probabilis quã demõstratiua & necessaria.

Tu igitur aduerte q̃ aliter dicendum est secũdùm Com. & sequentes eum, & aliter secundũ B. Tho. Nam secundùm Com. in hoc lib. 5. in com. 10. Aris. duplici ratione probat motũ non esse in substãtia. Primò, quia transmutatio quæ est in substãtia non habet pro subiecto ens actu, sed ens in potẽtia, quod est materia prima. Motus aũt pro subiecto habet ens actu, vt declaratũ est in q. præcedenti. Et super hãc dicit Com. q̃ Aris. sustentatus est improbando quòd in substãtia nõ est motus. Secundò, quia vbi est motus ibi est contrarietas, & quia in substãtia non est cõtrarietas, ideò in ea nõ est motus, & secũdùm Com. licet prima ratio sit demõstratiua, quia super eã sustentauit se Philos. nõ tamen hæc secunda, sed potiùs famosa, vnde sic inquit Com. in com. 10. Et ista declaratio qua declarauit q̃ in substãtia non est motus fundatur super hoc q̃ in substantia nõ est cõtrarietas, & quòd motus est in cõtrariis, & fortè ista declaratio est famosa, & illa qua sustentatus est, est illa quam prædixit, quòd trãsmutatio quæ est in substãtia est generatio & corruptio, & generatio & corruptio non sunt motus, quia sunt in illo quod est in potentia non in actu, & motum est in actu. hæc Com. Et Iand. in lib. 5. Phys. in q. 3. sequens Com. sic corroborat, Quòd illa ratio sit famosa solùm, i. probabilis & non demõstratiua signum sumitur ex eo q̃ nõ videtur vniuersaliter verũ q̃ motus nullo modo sit ad illud quod non habet contrarium, quia motus circularis est verissimus motus, vt patet 8. lib. & tamen non est ad contrarium propriè vt etiam dicitur in 8. huius.

Sed B. Tho. in expositione tex. x. tenet rationem illam esse demonstratiuam & nõ solùm probabilem. Dicit enim, Probatio Aris. qua probat in substantia nõ esse motum, quia non est ibi contrarietas est demonstratiua, & non probabilis tãtùm, vt Com. innuere, videtur licet posit & alia ratione probari quòd motus nõ est in substãtia quam supra posuit, quia scilicet subiectum formæ sustantialis est ens in potentia tantùm: hæc B. Tho. Mouetur autẽ B. Tho. ad ponendum dictam rationem esse demõstratiuam ex eo quòd cùm omnis motus fiat in tẽpore, & de ratione motus propriè dicti sit successio impossibile est aliquid moueri ab vno termino ad alium, nisi inter eos sit quædã distantia & aliqui gradus, secũdùm quos res mota successiuè tendit ad terminum, ad quem, quòd si immediatè & statim sit tendentia ab vno termino ad alium iam non erit motus, cùm ibi nõ sit successio, sed mutatio vt distinguitur contra motum, vnde si quid tenderet à puncto A, ad pũctum B, moueretur quia cadit linea intermedia, per quam continuè & successiuè tenditur ab A ad B si quid autẽ tenderet à pũcto A, ad lineam immediatè sequentem, nõ moueretur, sed mutaretur in instanti, quia inter punctũ & lineã nulla est distãtia & nulli gradus successiuè acquisibiles. Cùm ergo in forma substãtiali nulli sint gradus successiuè acquisibiles, vt declarauimus in lib. 8. Metaph. non datur vera distantia inter formas substãtiales, nisi accipiamus talem distantiam, in quantùm hæc forma non est illa, sed hæc distãtia non facit oppositionem contrariam, sed cõtradictoriam, vel priuatiuam, inquantùm vna forma habet annexam priuationem alterius. Quòd si huiusmodi oppositio dicatur contraria, erit largè & communiter dictum vt diximus in lib. 8. Metaph. q. 18. Quia igitur in forma substantiali non est assignare talem distantiam cum pluralitate graduum successiuè acquisibilium, quæ est conditio necessariò requisita ad veram contrarietatem & ad motum propriè dictum, ideo ratio qua probat Philos. non esse motum in substantia, quia in ea non est contrarietas propriè dicta, est demonstratiua & necessaria, quia procedit ex natura motus.

Dictum autẽ Com. nõ acceptatur in via B Tho. & quando Iand. pro signo adducit, quòd nõ est vniuersaliter verũ, &c. Signũ suum nihil valet, quoniam intentio Philo. est dicere q̃ in quocunque genere vel prædicamẽto est motus, in eo est cõtrarietas, & quoniam in prædicamẽto vbi est cõtrarietas, quia secundùm locum assignatur maxima distãtia, s. centrũ mundi & circunferentia cœli, ideo in vbi est motus, & quoniam in prædicamento substantiæ nullo modo propriè est contrarietas nec respectu cuiuscunq; speciei, ideo nõ est motus in ea, licet ergo motus circularis nõ sit inter loca cõtraria, sed ab eodẽ ad idem, tamen verũ est dicere q̃ motus localis potest esse inter cõtraria putà motus localis rectus. Hoc autẽ nõ inuenitur in aliqua mutatione substãtiali, quia nulla forma substãtialis cõtrariatur alteri. Et ideo absolutè & vniuersaliter in substãtia nõ potest esse motus: & sic patet q̃ licet nõ sit vniuersaliter verũ, omnem speciẽ motus esse ad cõtrarium, tamen est vniuersaliter verũ q̃ in quocunq; genere est motus in eo est inuenire motũ inter cõtraria, & quoniam vt diximus, hoc nõ potest saluari in genere substantiæ, ideo in ea non est motus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num relatio possit aduenire alicui de nouo nulla mutatione facta in ipso.

Neque est in ad aliquid: contingit enim altero mutato verum esse alterum nihil mutans. textu 10.

IN hac quæst. aduerte quòd eius resolutio pendet ex identitate vel distinctione relationis & fundamenti. Nam qui ponent identitatem optimè saluant, quòd relatio aduenit alicui de nouo sine sui mutatione, & nos saluauimus in libr. 5. Metaph. in q. 22. vt videre poteris, quoniam illic sustinemus identitatem relationis & fundamenti & solujmus rationes in oppositum nec est repetendum hîc.

Qui autem tenent distinctionem inter relationem & fundamentum nõ solùm formalem, sed etiam realem, vt fabet Philo. dicentem quòd relatio aduenit alicui de nouo sine sui mutatione distinguũt de mutatione, quoniam aliqua est indiuisibilis & instãtanea, aliqua autem est successiua: & ex hoc distinctione dicunt duo. Primò q̃ nulla relatio realis potest attribui alicui de nouo nisi aliqua transmutatio saltem indiuisibilis facta sit in ipso. & hoc sic probant, stante distinctione reali inter relationem & fundamentum, Omne quod habet nunc aliter quàm priùs, est transmutatum, vt patet per Philos. in 6. lib. Phy. in tex. 37. Sed omne cui attribuitur de nouo aliqua relatio realis, quæ realiter distinguitur à suo fundamẽto, aliter se habet nunc quàm prius. Nam si se haberet omnino eodem modo nunc & priùs, sicut priùs non inerat ei relatio sic nec nunc. Secundò dicunt quòd relatio realis potest attribui alicui de nouo sine mutatione successiua facta in ipso, & sic declarant. Si Sortes hodie sit albus & crastino fiat aliquis albus in crastino, Sortes fiet similis illi albo, qui non est similis hodie, & tamẽ in Sorte nulla fiet mutatio successiua, quoniã eo instãti quo terminabitur dealbatio in illo albo adueniet similitudo Sorti, quæ ante illud instans non erat. Et erit aduentus similitudinis in Sorte, sicut aduentus luminis in aëre, qui est instantaneus, vt declarabitur in lib. 4. Isti igitur dicunt quòd Philos. non intendit relationem relem de nouo aduenire alicui nulla penitùs facta mutatione in eo, quia ratio adducta ad primum dictum concludit indubiliter, sed intendit de mutatione successiua quæ est verè motus, ita quod Philos. intendit sic arguere, Ad illud quod de nouo aduenit alicui sine sui mutatione successiua, non est motus: sed relatio est talis, ergo, &c.

Sed hæc positio nõ saluat dictum Philosophi, quoniam intendit ideo ad relationẽ non esse motũ, quia potest aduenire alicui sine mutatione successiua, ergo cũ aliqua qualitas, putà lumen adueniat aëri sine mutatione successiua, quoniã vt declarabitur in lib. 6. illuminatio fit in instanti, sequitur q̃ eadem ratione nec ad qualitatem erit motus, quod et cõtra Philos. Difficillimum est ergo saluare dictum Philosophi ponẽtibus distinctionẽ realẽ inter relationẽ & fundamẽtũ.

Alij autem conantur sic distinguere, Relatio potest aduenire alicui dupliciter. Primò vt subiecto. Secundò vt termino: si aduenit alicui vt subiecto non potest aduenire sine mutatione subiecti, quia quãdo aduenit de necessitate se habet subiectũ aliter quàm prius. Si aduenit vt termino, potest et aduenire sine quacunq; mutatione facta termino. Quod declarant sic. Cõstat q̃ esse dextrum est esse relatiuum: modò aliquid potest esse dextrũ nunc quod prius non erat dextrũ nulla mutatione facta in illo, vt si columna nunc est ad sinistrũ alicuius hominis, ipso homine mutato & colũna nullo modo mutata verũ erit dicere ipsam esse dextrã, & e cõuersò. similiter potest contingere quòd aliquis calor nunc est visus ab aliquo & prius non erat visus, & tamen nulla mutatio facta est in calore, qui est terminus visionis, & tamẽ esse visum & vniuersaliter esse cognitũ vel est esse relatũ vel nõ est sine aliqua relatione. Dicunt ergo isti q̃ dictũ Philos. sic debet intelligi, Ideo in Ad aliquid nõ est motus, quia potest aduenire alicui vt termino sine mutatione ipsius, licet non possit aduenire alicui vt subiecto sine mutatione subiecti.

Sed si aduertis siue sit verum siue nõ quòd relatio potest aduenire de nouo alicui vt termino, constat q̃ eorum probatio non est ad propositum. Nam vt dicit B. Tho. in expositione, Dictum Philosophi non habet difficultatem in relationibus rationis, quæ nihil ponunt reale nec quò ad fundamentum, in eo quo sunt, sicut est relatio scibilis ad scientiam, cogniti ad cognoscens, visi ad videntem, & dextrum & sinistri in columna, in qua nulla est virtus moriua, quæ est fundamentum dextri & sinistri. Sed difficultatem patitur in relationibus mutuis realibus, quæ in vtroque extremo ponunt fundamentum reale, & æqualitas & similitudo. Cùm igitur non probent propositum nisi in relationibus rationis, vt de dextro & sinistro in colũna, de respectu coloris visi ad videntem & vniuersaliter de respectu cogniti ad cognoscentem, constat probationem suam nihil valere.

Vt igitur dictũ Philosophi sustineatur vt verũ in omni relatione posita in prædicamẽto quæ est relatio realis, melius est vt teneas identitatẽ inter relationẽ & fundamentũ, quo posito cõstat quòd quando est fundamentũ in vno extremo, in eo est tota realitas relationis, licet nõ formalitas, & quãdo ponitur fundamẽtum in altero extremo insurgit formaliter relatio in extremo, in quo iam positum erat fundamẽtum, nulla realitate relationis sibi de nouo aduenente: quia iam priùs inerat, & ideo non est necesse quòd mutetur. Et aduerte quòd in præsenti quæsito non habebis plenam resolutionem nisi videris in 5. Metaph. q. 22.

QVAESTIO IIII.

Num motus accipiat esse per motum.

Non est motus motus, nec generationis generatio, nec omnis mutationis mutatio. textu 10.

IN hac quæst. aduerte q̃ non stat principalis difficultas in probatione cõclusionis negatiuę, quæ est hęc de mẽte Phil. Motus nõ est motus vt subiecti, i. motus non mouetur, neq; vt termini per se, i. motus nõ terminatur per se ad motũ. sed ad formã, putà quantitatẽ, aut qualitatem. &c. & quod dico de motu intellige de omni mutatione, vt de generatione & corruptione. Nã hæc cõclusio insolubiliter probabitur. Sed stat difficultas in rationibus Philosophi, ex quibus, videntur aliquæ non cõcludere intentum. Vt ergo resoluatur quæsitum sic procedendum est, Primò probabitur præposita conclusio vnica ratione insolubili. Secundò defendetur ratio secũda Philosophi, quæ incipit in tex. 13. qua intendit probare q̃ generatio nõ est generationis, vt termini. Nã inter omnes rationes, quas adducit Phil. in præsenti proposito illa patitur difficultatem. Tertiò soluetur dubium.

Quantùm ad primũ probatur q̃ motus non sit motus sic, Si motus est motus, aut est sicut subiecti, aut sicut termini: nõ primò, quia si motus est motus vt subiecti, ergo motus moueatur putà augetur aut alteratur, sed hoc est falsum, quoniã motũ vt quod, est substantia siue corpus quod abiiciens siue recedens à termino à quo, recipit terminũ ad quẽ. Cõstat autem motũ nõ esse substantiã, neque corpus. ergo, &c. Nõ secundũ, quia si motus terminatur ad motũ, vt ad terminũ per se, nã de termino per se hîc intẽdimus, quoniã q̃ motus terminetur ad motũ oppositum, quoniam sequuntur duo manifesta inconueniẽtia. Primum est quòd idem subiectũ moueretur ad duo contraria simul & secundũ actum. Nã ponatur quòd calefactio quæ est motus ad calorẽ terminetur per se ad infrigidationẽ quæ est motus ad frigiditatẽ, sequitur quòd per calefactionem tendit ad calorẽ, & quoniã secundũ te nõ terminatur calefactio nisi ad infrigidationẽ simul moueretur ad frigiditatẽ, & sequitur quòd terminata calefactione & frigidatione idem subiectũ necessario erit calidum & frigidum etiã sub gradibus intẽsis quod est impossibile, vt docuit Philo. in 10. lib. Metaph. secundum est q̃ idẽ subiectũ necessariò simul recedit ab vno termino, putà à nigredine, & accedit ad eundẽ. Nam posito quòd Sortes moueatur per dealbationem ad denigrationem, per dealbationem recedit à nigredine, & per denigrationem accedit ad nigredinem. Hoc autem est impossibile, ergo, &c.

Quantùm ad secũdum aduerte quòd Philosophus in tex. 13. intendens probare quòd generatio, nõ est generationis, vt termini facit hãc cõsequentiã, Si generatio est generationis, ergo nihil fit, neque mutatur aliquid. Ad probãdum autem hanc consequentiã præmittit duas propositiones, quarũ prima est hæc, Si generatio est generationis, ergo erit processus in infinitũ i generationibus, quia eadem ratione secũda generatio habebit aliam generationem, & tertia aliam, & sic in infinitum: Secunda est hæc, Si vltima generatio erit necesse est primã esse. Ex his duabus propositionibus deducit Philosophus suam consequentiã vt videre poteris in expositione B. Th. Sed hæc ratio Philosophi videtur nõ valere, quoniã secunda propositio super quã se fundat contradicit doctrinæ suæ, nam ipse ponit tẽpus æternũ, & dies procedere in infinitum, & tamen hæc cõsequentia nõ valet, Si datur dies vltima datur prima: cõstat enim q̃ datur vltima quę est hodierna. & tamẽ apud Philo. nõ datur prima, aliter nec tẽpus nec motus cœli essent æterna, nõ ergo ista cõsequentia valet, Si in aliquo esset processus in infinitũ, & in eo est dare vltimũ de facto, ergo est dare primũ, sic in proposito non valet, Si est processus in infinitum in generationibus, & datur vltima de facto, ergo est necesse dare primam.

Vt igitur scias sustinere rationẽ Philosophi, aduerte quòd Philos. in hoc lib. 5. in tex. 4. postquàm diuisit motũ & mutationẽ in per se & per accidens, dixit se velle dimittere motũ & mutationẽ per accidens, & intẽdere in sequẽtibus de eo quod est per se, idẽ replicat in tex. 17. vbi inquit, Hanc autẽ, s. mutationẽ secundũ accidens dimisimus olim, intẽdit ergo in omnib' suis rationibus, q̃ nec motus est motus per se, nec generatio est generationis per se. Facto hoc fundamento dico q̃ secũda propositio Philos. est vera & necessaria, quoniã si generatio est generationis per se inter huiusmodi generationes esset ordo essentialis, ea aũt inter quæ est ordo essentialis sic se habent q̃ sequens pẽdet à præcedẽti & supponit illud, & si datur vltimũ necesse est dare primũ, quoniã vt declaratũ est in lib. 2. Metap. tex. 5. in per se ordinatis vltimũ & mediũ pendet à primo, & qui aufert primũ, aufert mediũ & vltimum. Et id iã declarauimus in lib. 2. Metap. in q. 5. vt vide re poteris. Bene ergo dicit Philos. q̃ si vltima generatio erit, necesse est primã esse. Obiectio autẽ facta de tẽpore & motu æterno, non valet, quoniã inter vltimã diem & præcedẽtem nõ stat ordo essentialis, sed accidẽtalis: accidit enim vltimæ diei q̃ infinitæ præcesserint eã. In ordinatis autem per accidens nõ est necesse si datur vltimũ q̃ detur primũ, quoniã sequens nõ pendet essentialiter à præcedenti. Patet ergo q̃ secũda propositio Philosophi est vera & necessaria sic intellecta, & ratio Philosophi est efficax. Intendit enim sic arguere, Si generatio est generationis per se, i. si generatio per se generatur, ita q̃ per se accipiat esse per generationem generationes procederent in infinitũ. Nam qua ratione vna generaretur & alia, & sic in infinitũ: si procederent in infinitũ nõ daretur prima, si nõ daretur prima, nulla esset generatio neque mutatio, quoniam in per se ordinatis omnia pendent à primo. Quo remoto, remouentur omnia sequentia, ita quòd non est dabile medium nec vltimum.

Quãtùm ad tertiũ, aduerte q̃ dubiũ consurgit contra eãdem secundam rationem Philo. & etiam contra alias sequẽtes, quia Philos. assumpsit in his rationibus viam probandi q̃ generatio non est generationis nec motus est motus, vt termini & nõ vt subiecti, nã quòd non sit vt subiecti, iam probauit in prima ratione, vbi fecit hanc distinctionẽ, si motus est motus & generatio est generationis, vt est subiecti vel vt termini: & destruens vtrunq; primo probauit q̃ nõ est vt subiecti. Deinde incepit probare q̃ nõ est vt termini, ad quod probandũ inducit præcipuè secundã rationẽ, quæ incipit in tex. 13. & tertiã quæ incipit in tex 14. Et tamẽ tam in secunda quàm in tertia intẽdit cõcludere, quòd ideo generationis nõ est generatio, quia est impossibile q̃ generatio generetur, per quod videtur cõcludere q̃ generatio nõ potest esse subiectũ generationis. Nam hoc se habet vt quod est subiectũ, si autẽ intenderet cõcludere de termino, non cõcluderet hãc, Generatio non generatur, sed hanc, Generatio non est ad generationẽ, sicut concludimus, Dealbatio non est ad nigredinem, si autẽ concluderemus quòd dealbatio non dealbatur, concluderemus de subiecto & non de termino.

Ad hoc dicitur q̃ terminus motus siue generationis est duplex. s. terminus quo, & terminus quod: primũ est forma siue substãtialis siue accidẽtalis, secundũ est cõpositum quod acquirit esse. Quando volumus exprimere terminũ quo, sic dicimus, Calefactio est ad calorem, latio ad vbi, augmentum ad quantitatem, Generatio ignis ad formã ignis. Quãdo autẽ volumus exprimere terminum quod, sic dicimus, Calefactione fit calidum, i. calefactio terminatur ad calidũ. Generatione fit genitum, i. generatio terminatur ad genitum. In proposito ergo sicut in ista, Ignis generatur, ly Ignis dicit terminum quod & non subiectũ generationis, hoc enim nõ est cõpositum sed materia vt declaratum est in 1 lib. Physi. & in 1. de Generatione. Sic quando Philos. concludit quòd generatio non generatur, sumitur ly Generatio pro termino quod, q. d. Generatio non generatur, i. generatio non potest esse via ad generationem, ita quòd generatio accipit esse

per generationem sicut calidum accipit esse per calefactionem, & ignis per generationem.

Ad obiectionem ergo quando dicitur, ꝙ se habet vt quod est subiectum, negatur ista, quoniam potest se habere vt terminus quod. Et quando dicitur, Si autem intēderet, &c. dico ꝙ hic modus propriè non valet nisi de termino quo, Philosophus autem intendit de termino quod. Et ideo obiectio non concludit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Num in quantitate, & qualitate & vbi est motus, quia est in eis contrarietas.

Relinquitur secundùm quale aut quantum & vbi motum esse solum: In vnoquoque enim horum est contrarietas. tex. 18.

In quātitate, qualitate, & vbi est motus physicus, quia in his est proprie cōtrarietas ad motus rationem opportuna.

IN hac quæst. aduerte ꝙ Philos. intendit hanc rationē, Vbicunque est contrarietas, ibi est motus. Sed in quantitate & qualitate & vbi est contrarietas, ergo in eis est motus. Et huius quidem rationis maiorē non probat hîc, quia relinquit eam probatam ex doctrina lib. 1. Physi. tex. 45. & 47. vbi manifestat motum esse per se inter cōtraria. & in hoc lib. 5. in tex. 9. assignans differentiam inter mutationē, quæ distinguitur in generationē & corruptionem, & inter motū, dicit ꝙ mutatio est inter opposita contradictoriē: motus autem inter cōtraria. Minorem etiā non probat hîc quasi habens eā pro manifesta secūdùm euidentiā naturalē & à sensatis: verùm, quia non ita cōstat in vbi & in quātitate esse contrarietatē, sicut in qualitatibus, quas videmus ad sensum esse actiuas & passiuas adinuicē, susceptibilesq; successiuè in eodē subiecto, quę sunt cōditiones contrariorū, vt declarauimus in x. lib. Meta. q. 13. & 18. ideo vt appareat efficacia rationis inductæ à Philo. intendo hîc manifestare, si verū est ꝙ in qualitate & quātitate & vbi datur contrarietas necessaria motui, & sic procedēdum est. Primò declarabitur, quæ cōtrarietas sufficit ad motum & quæ non. Secundò si in qualitate & quantitate & vbi est cōtrarietas sufficiens ad motū. Tertiò si huiusmodi cōtrarietas inuenitur eodem modo in tribus prædictis prædicamentis. Quartò soluentur quædam obiectiones.

Quantùm ad primū aduerte ꝙ vt distinximus in lib. x. Metaph. q. 18. contrarietas est duplex, s. imperfecta siue cōmunis & perfecta siue propria, imperfecta siue cōmunis est illa quę solùm cōtinet cōmunem radicē cōtrarietatis. Hæc aut cōmunis radix est excellentia & defectus, nā quæcunq; contraria adinuicē cōparata ita se habent ꝙ vnū est nobilius reliquo. Perfecta siue propria est illa quæ vltra cōmunem radicē cōtrarietatis dicit maximā distantiā inter duo gradualiter siue successiuè acquisibilia, quorum esse non stat in indiuisibili, nec sua acquisitio est instantanea. Et hanc contrarietatē manifestè videmus inter qualitates tertiæ speciei.

Posita hac distinctione de qua etiā mentionē fecimus in x. Metap. q. 18. & in hoc lib. 5. q. 1. Dico ꝙ contrarietas cōmunis nō sufficit ad motū, aliter in prædicamēto substātiæ esset motus, cuius cōtrarium determinauit Philos. suprà in tex. x. Constat enim ꝙ formæ substantiales à quibus trahuntur species rerū ita se habent ꝙ vna est excellētior alia. Quare, &c. Cōtrarietas autem propria est illa quæ est necessaria motui, eò ꝙ cùm fit de ratione motus successio & cōtinuitas, debet esse inter formas non instāraneè & indiuisibiliter acquisibiles, sed successiuè & diuisibiliter: & quoniā istæ cōditiones saluātur, vt declarabimus in quantitate & qualitate & vbi, ideo Philos. ponit motum in his tribus prædicamentis.

Quantùm ad secundū manifestandum est ꝙ in his tribus prædicamētis sit cōtrarietas sufficiens motui, & arguitur sic, Vbi sunt duo extrema maximē distātia sub eodem genere, simul incōpossibilia, successiuè acquisibilia, ibi est cōtrarietas sufficiens motui, hanc manifestauimus in parte præcedēti. Sed in his tribus prædicamentis inueniuntur prædicta, ergo, &c. Hanc minorem cōstat esse verā in prædicamēto qualitatis, vt patet in genere saporū & odorū, & tangibiliū qualitatū, manifestatur autem in quātitate, deinde in vbi. Nam in qualibet specie naturali datur maxima & minima quātitas, putà in natura hominis datur ita magna quantitas ꝙ ipsa natura hominis non posset saluari sub maiori, & ita parua ꝙ non posset saluari sub minori, & huius ratio est quia secundùm Philosophū in 2. lib. de Anima tex. 41. Omnium natura constantiū est determinata quantitas & magnitudo, ergo in quantitate possunt sumi duo extrema maximè distantia sub eodē genere purà sub linea, vel superficie vel corpore determinato ad certā naturā. Quod autem talia extrema sint incompossibilia simul in eodem patet, quia maximū includit negationem minimi, & econuersò, ergo si se compatarentur verificarentur contradictoria de eodem. Quod autem sint successiuè acquisibilia patet quia res animata genita sub minima quantitate sub qua potest stare in materia forma animati per successiuum augmentū pertingit ad quantitatem perfectam. In vbi autē manifestatur sic: nam in Vniuersō secundum motum grauium & leuium, dantur duo vbi maximè distantia, scilicet concauum orbis lunæ, vltra quod non potest ascendere leue, & centrum mundi vltra quod non potest descendere graue, & sunt simul incompossibilia, quorum vnum est vbi sursum & alterum vbi deorsum, quorum vnū includit negationem alterius, & sunt successiuè acquisibilia, quoniam contingit ignem ascensu continuo moueri ab vbi deorsum ad vbi sursum. Quare, &c.

Quantùm ad tertiū aduerte ꝙ non eodē modo inuenitur cōtrarietas sufficiēs motui in his tribus prædicamentis. Nā licet *in eis* detur *maxima* distantia duorū extremorum sub eodem genere, vt manifestauimus, & successiuè acquisitio tamen istæ conditiones aliter inueniuntur in qualitate, & aliter in quātitate & vbi. Nam in qualitate inuenitur maxima distantia duorū extremorū absolutè & simpliciter sicut in colore album & nigrū, in sapore dulce & amarū, in qualitate tangibili calidum & frigidū, & inuenitur successiua acquisitio secundùm intensionē & remissionē, quæ quomodo fiant iam determinauimus in 8. Metap. q. 6. Et vltra has duas conditiones inuenitur tertia, qua dicitur ꝙ cōtraria sunt de formæ actiuæ & passiuæ adinuicem, quæ se mutuò expellūt ab eodē subiecto, &c. Hęc conditio seruatur propriè & qualitatibus tertiæ speciei, vnde Philo. in 7. lib. Physic. in tex. 14. iuxta huiusmodi qualitates ponet alterationē propriè sicut. Et propter has tres conditiones tenemus quòd absolutè & perfectissimè inuenitur contrarietas in qualitate. In quantitate autē & vbi nō seruatur simpliciter tertia cōditio, quoniam quantitas vt quātitas non est forma actiua aut passiua nisi fortè vt adiuncta formæ & qualitati naturali. Similiter locus vt quātitas non agit in locatum nec patitur, nisi sumatur locus pro corpore naturali locāte ex virtute sibi impressa à cœlo, qua habet seruare aut destruere locatū, vt declarauimus in lib. 4. in q. 2. & 15. nec seruatur simpliciter prima, s. maxima distātia. Nā omnis quātitas continua est diuisibilis in infinitū, & potest ei fieri additio in infinitū, modo quo declaratum est in 3. lib. In quātitate autem discreta licet detur minimus numerus, i. dualitas, non tamen maximus, similiter in loco non datur huiusmodi maxima distantia simpliciter. Nam quocunque loco sursum dato possum imaginari superiorem, & sic in infinitum. Seruatur autem in quātitate hæc maxima distantia solùm in natura determinata ratione motus augmenti & decrementi, prout, s. res naturalis existens sub minima quātitate in sui principio potest successiuè augeri vsque ad maximam quantitatem sibi debitā. In vbi autem seruatur maxima distantia ratione motus localis grauis & leuium, prout declarauimus in lib 4. Physi. in q. 3. Et tu vide illic. Nec seruatur secunda conditio secundùm eandē rationē in qualitate & quantitate: nā alteratio est secundùm intensionē & remissionē formæ. Augmentū aut & decrementum est secundū maiorē & minorē extensionē. Quod enim est secundū magis & minus in qualitate, est secundū maius, & minus in quantitate. Patet igitur ꝙ non eodē modo inuenitur cōtrarietas sufficiēs motui in prædictis tribus prædicamētis.

Quātùm ad quartum aduerte ꝙ cōtra determinationem factam videtur esse Philo. in prædicamentis, qui dicit, quantitati nihil esse contrarium. Sed dicendum ꝙ Philos. loquitur in comparatione ad qualitatem, in qua vt ostēdimus est perfectissima contrarietas, quoniā in ea reperiuntur omnes cōditiones simpliciter requisitæ ad omnimodā contrarietatem, quas declarauimus esse tres vltra cōmunem radicē contrarietatis, quæ est superabundātia & defectus, de qua radice loquitur Philos. in lib. de Longitudine & Breuitate vitæ, & dicit ꝙ superabūdans cōtrariatur diminuto, & quoniā in quātitate nō inueniūtur simpliciter tales cōditiones, vt declarauimus, ideo dicit Phil. ꝙ cōtrarietati nihil est contrariū. q. d. Licet in quantitate sit cōtrarietas prout inuenitur in ea maxima distātia in natura determinata & successiua processio per motū augmēti & decremēti ab vno extremo ad aliud, tamen quia ibi nō est maxima distātia ex natura quātitatis, nec intensio & remissio, nec actiuitas & passiuitas, ideo in respectu ad qualitatem quantitati nihil est contrarium.

Solent etiā aliqui arguere ꝙ in vbi nō sit cōtrarietas, quoniā licet vbi sursum & vbi deorsum, vt sic opponātur cōmuni radice cōtrarietatis, nō tamen cōtrarietate propriè dictā, eò ꝙ contraria propriè dicta sunt apta succedere sibiinuicē. In eodem subiecto ex lib. x. Metap. tex. 14. Sed vbi sursum ad quod

quod mouētur leuia, & vbi deorsum ad quod mouētur grauia nō possunt sibiinuicē succedere, patet enim ꝙ vbi deorsum nō potest esse incōcauo lunę, vbi est vbi sursum, nec vbi sursum pōt esse in cētro mūdi, vbi est vbi deorsum, ergo, &c.

Ad hoc dicitur ꝙ sicut esse actiuum & passiuū adinuicem & se mutuo expellere ab eodem subiecto, est conditio conuenens propriè ex natura sua solis qualitatibus contrariis, sic etiam sibiinuicem succedere in eodem subiecto, vnde argumentum probat quòd in vbi non est contrarietas ita perfecta sicut in qualitate quòd nos concedimus.

Potes etiam negare minorem, quoniam licet non possint succedere inuicem in eodem subiecto modo quo dicitur in argumento, possunt tamen succedere acquisitiuè ab eodem mobili pro quanto lapis qui est sursum potest moueri deorsum & econuersò, & sic relinquens vbi sursum, acquirit vbi deorsum & hoc sufficit ad sustinendum tantam cōtrarietatem esse in vbi quanta est necessaria motui. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Num magis & minus in forma, ad quam est motus, differant specie.

Quæ autem est in eadem specie mutatio in magis & minus alteratio est, textu 19.

IN hac quæst. aduerte ꝙ principalis difficultas non stat in probatione conclusionis negatiuæ, sed in solutione quorundam argumentorum, quibus satis apparenter videtur posse probari quòd magis & minus perfectum in forma, ad quam est motus differant specie. Pro resolutione igitur huius quæsiti, primò probabitur conclusio negatiua, secundò, soluentur quædam argumenta.

Sed antequàm deueniam ad cōclusionem aduerte ꝙ ex doctrina Philo. in hoc lib. 5. in tex. 31. forma ad quam est motus potest cōsiderari tripliciter. Primò in genere generalissimo, sic dicimus ꝙ alteratio est ad qualitatem. Secūdò in genere subalterno, sic dicimus ꝙ coloratio est ad colorē. Tertiò in specie specialissima, sic dicimus ꝙ albatio est ad albedinē & calefactio ad calorem. Hîc nō dubitatur de magis & minus perfecto in forma ad quā est motus primo & secūdo modo. Cōstat enim ꝙ sub qualitate datur magis & minus perfecta qualitas, cū differentia nō solùm in specie, sed etiā in genere, sicut motus ad qualitates primas, & motus ad qualitates secūdas, quæ sunt perfectiores primis, vt sapor & odor & color perfectiores sunt quatuor primis qualitatibus, vt declaratū est in 4. lib. Metheororū. Idem patet in secundo modo. Nam sub colore datur magis & minus perfectū cum differentia in specie, perfectior est enim albedo nigredine, & calor frigiditate. Dubiū autē vertitur circa tertium modum & quæritur, Si quādo Sortes dealbatur, cùm dealbatio sit motus ad albedinem cum tendentia ab imperfecta albedine ad magis perfectam vtrum imperfecta & magis perfecta albedo differant non solùm numero, sed etiam specie.

Pro decisione igitur huius tertij modi ponitur hæc conclusio, Magis & minus in forma ad quā est motus tertio modo nō differunt specie: probatur sic, Si differunt specie, ergo quādo corpus dealbatur nō erit vnus motus specie, sed tantùm genere. Sed cōsequens est falsum, ergo, &c. Consequētia probatur, quoniā secundùm doctrinam Philo. in hoc lib. 5. in tex. 31. ad hoc ꝙ motus sit vnus specie, requiritur ꝙ sit ad formā vnam specie & indiuiduā, i. non diuisibilem in species, nā si sit diuisibilis in species, non erit motus vnus specie sed genere, si ergo quando corpus dealbatur magis & minus perfecta albedo quæ acquiritur per dealbationem differunt specie illa dealbatio non erit motus vnus specie, sed tantùm genere, falsitas autem consequentis patet per Philo. in hoc lib. 5. in tex. 31. vbi inquit, Omnis autem dealbatio omni dealbationi idem secundùm speciem erit, & omni denigrationi denigratio. Vbi inquit Com. Et quia hæc albedo conuenit in specie cum hac albedine demonstrata, ideo hæc albificatio conuenit cum hac albificatione in specie.

Quantùm ad secundum aduerte quòd contra determinationem factam tripliciter arguitur. Primò sic, Calefiat aqua vsque ad summū calorem, tunc sumo calorem vt septem introductum in aquam, & calorē in summo, & arguitur sic, Calor vt septem & calor vt in summo, sunt calor imperfectus & perfectus, & differunt specie, ergo perfectum & imperfectum in forma ad quam est motus tertio modo differunt specie. Quod autem calor vt septem & calor vt in summo differant specie probatur, quia se habent vt medium & vt extremum. Calor enim vt septem mediat inter calorem vt vnum, & calorem vt decem qui est calor in summo. Sed ex lib. 10. Metaphy. tex. 13. medium & extremum quæ sunt eiusdem naturæ differunt specie ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd æquiuocatur de Medio. Nam mediū potest esse duobus modis. Primò secundùm latitudinē graduum in forma intensibili & remissibili, vt in latitudine caloris, calor vnius gradus, & calor decem graduum sunt extrema, calor autem vt duo & tria & quatuor vsque ad decem dicitur calor medius. Secundò secūdùm cōpositionem, & est illud quod sapit naturā extremorum & componitur ex extremis. Sicut medij colores & medij sapores, vt declaratum est in 2. de Anima, sapiunt naturam extremorum & componuntur ex eis, vtrum autem componantur ex eis virtualiter vel formaliter determinauimus in 10. Metaph. q. 17. vt videre poteris. Ad argumentum igitur dico quòd illa propositio, Medium & extremum differunt specie non est vera nisi de medio secundùm compositionem vt rubedo respectu albedinis, calor autem vt septem non est medium secundùm cōpositionem sed secūdùm latitudinem, ideo non sequitur quòd calor vt septem differat specie à calore in summo.

Secundò sic, Quæ duo ita se habent ꝙ vnum corrūpit alterum differunt specie, nam quæ sunt eiusdem materiæ specificæ potiùs se mutuò seruant & corroborāt. Sed magis calidum corrūpit minus calidum. Nā dicit Philo. in lib. de Causa longitudinis & breuitatis vitæ, ꝙ maior flamma corrumpit minorem. Se habet autem minor flamma ad maiorem sicut minus calidum ad magis calidum, ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd maior non est vera nisi in his quorū vnum corrumpit per se alterum, illa nanque sunt contraria ex natura sua, vt calidum & frigidum, dulce & amarum. Modò negatur minor: quòd enim flamma maior corrumpat minorem est merè per accidens secundùm Philo. in eodem lib. vnde sic inquit, Et propter hoc minor flamma corrūpitur à multa secundùm accidens, quia alimentum quòd illa multo tēpore consumit, hoc flāma multa citò. Et intendit Philo. ꝙ ideo flāma minor per accidens corrumpitur à maiori, quia flāma maior citò consumit illud paruum humidū quod erat nutrimentum minoris flammæ, in quo flāma minor erat apta diu conseruari. Ex eo igitur quòd flāma maior consumit citò illud quod erat conseruatiuum minoris flammæ dicitur corrumpere per accidens flāmam minorem sicut corrūpens oculum per accidens corrumpit visum, & corrumpens niuem per accidens corrumpit albedinem.

Tertiò sic, Maior differentia est inter magis & minus calidum quàm inter duo æquè calida, quia illa sunt difformia, hæc autem penitùs vniformia. Sed duo æquè calida differūt solo numero, ergo magis calidum & minus calidum differunt plusquàm numero. Sed non possunt differre plusquàm numero, nisi differant specie, ergo, &c.

Ad hoc negatur maior, quia cùm sint eiusdem naturæ specificæ æquè formaliter differunt, & ex natura sua. & quā 10 arguitur, quia illa sunt difformia, &c. dico quòd illa difformitas nō sumitur ex natura caloris, sed ex eo quòd difformiter actuat & perficit subiectum. Sed talis difformitas nō est sufficiens ad causandum differentiam specificam. Dico igitur ꝙ essentialiter & formaliter loquēdo æquè differunt illa quatuor, & solo numero. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num ad hoc quòd sit vnus motus numero necesse sit formam secundum quam est motus esse vnam formam numero à principio motus vsque ad finem.

Eadem enim ratio est, &c. & infrà, Vnus enim numero actus, s. motus vnius, scilicet formæ numero est tex. 38. vbi inquit Com. Si forma iterata est eadem motus qui est huius, sed hæc forma est idem, s. numero.

Vna numero forma necessaria est ad vnum numero motum.

IN hac quæst. aduerte quòd difficultas sua pendet ex identitate, vel diuersitate formæ intensæ & remissæ, & ex modo intensionis & remissionis. Nam qui tenent formā intensam & remissam non distinguū essentialiter, sed in modo actuandi subiectum receptiuum talis formæ: & qui tenent intensionem & remissionem formæ fieri non per additionem partis formæ vel gradus ad præexistentem partem siue gradum, sed per eductionem de imperfecto ad imperfectum & per maiorem radicationem formæ in subiecto, de facili sustinent seruari eandē formā numero in toto vno motu numero, quoniā licet in tota calefactione non acquiratur alius & alius calor, acquiritur tamen idem calor nouis & perfectioribus modis. Qui autem tenent formam intensam distinguū realiter à remissa, & intensionem ac remissionem fieri per additionem partis aut gradus formæ, cum difficultate sustinere possunt identitatem numeralem formæ in toto motu, quoniā cùm ponāt diuersitatem realem partium gradualiū in forma, ad quā est motus, variatis partibus per additionem

aut subtractionem, necesse est variari totalitatem formæ: & ideo aliqui ex sic opinantibus credunt ad seruandum vnitatem numeralem in motu sufficere vnitatem specificã in forma, ad quã est motus. Sed id videtur repugnare Philosopho in hoc lib. 5. in tex. 34. vbi inuestigans quis sit vnus motus numero, dicit quòd tria sunt secundùm numerum, quæ concurrunt ad vnum. motum numero, s. quod & in quo, & quando, id est subiectum vnum numero, forma vna numero, tempus vnum numero, id est non interruptum.

Tu igitur vt scias sustinere identitatẽ numeralẽ formę ad quam est motus vnus numero à principio motus vsq; in finẽ, necesse est vt videas quæstionem 6. in 8. lib. Metap. vbi sustinetur identitas formę intensæ & remissæ, & soluuntur rationes eorum qui tenẽt intensionem & remissionẽ fieri per additionẽ gradualem, inter quos est Scotus & Ant. Andr. & illa tibi sufficiet, pro nunc etiam sufficit vt scias soluere argumentũ sequens, Quod est in continuo fluxu dum acquiritur non permanet idem numero in toto motu acquisitiuo, quoniam dum fluit semper aliter & aliter se habet, ergo variatur. Sed forma ad quam est motus est in continuo fluxu dum acquiritur. Dicit enim motus tendentiam siue processum ab imperfecto ad perfectũ, & secundùm Com. in 3. Phy. com. 4. motus nõ est aliud quàm generatio partis post aliam illius perfectionis, ad quam intendit motus, ergo, &c.

Hoc argumentũ apud illos qui tenent in forma acquisibili per motum latitudinem graduum distinctorũ realiter abinuicem quos vocãt partes graduales formæ, est difficile ad soluendum. Vnde Iand. concedit maiorem & dicit, Verũ est quòd non est idem & vnum numero, ita quòd nihil acquiratur in tempore illo. Sed potest manere idem & vnum numero acquirendo aliud ad aliud, & sic est in proposito: nã pars formæ præcedens non manet sic eadem numero quòd nihil acquiratur in mobili imò semper acquiritur aliud & aliud durante motu. Hæc Iand. In qua responsione manifestè apparet quòd non seruat essentialem vnitatem numeralem formæ, quæ acquiritur per motum vnum numero, eò quòd non stat idẽtitas essentialis totius cum additione nouæ partis: in via autem Thomistica, hoc argumentũ non est difficile, quoniam sic distinguit maiorẽ, Aliquid potest esse in cõtinuo fluxu acquisitiuo dupliciter. Primò per acquisitionem nouæ & nouæ partis. Secundò per acquisitionem solum noui modi perficiendi subiectum in quo recipitur. In primo sensu concedo maiorem, sed nego minorẽ, & ad probationem minoris dicitur quòd ille processus non est per partem post partem, vt imaginatur Iand. sed per perfectiorem modum habendi formã, & dictum Cõmen. in via nostra non acceptatur nisi sumendo illas partes formæ pro nouis modis quibus actuatur subiectum à forma dum est sub motu. In secundo autem sensu nego maiorem & concedo minorem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Num per motum forma siue res corrupta possit reuerti eadem numero.

Si quidem contingit corruptum iterum vnum fieri numero, erit & hic vnus: si verò non idem quidem secundùm speciem, vnus autem numero non. textu 36.

Nõ potest idem numero corruptum reuerti agentis naturalis virtute.

IN hac quæst. antequam deueniamus ad decisionem aduerte quòd in duplici loco potest pertractari, scilicet hic & in 2. lib. de Generatione, nam Philoso. in fine secundi lib. in tex. vlti. declarans quomodo datur generatio circularis in rebus, an, s. secundũ speciem vel secundùm idem numero inquit, Principium autẽ intentionis rursus hoc, vtrum similiter omnia reiterantur aut non. Sed hoc quidem numero, hoc autem speciẽ solùm. Quorum quidẽ igitur incorruptibilis substantia mota manifestũ quoniam & numero eadem erunt. Quorum autem non, sed corruptibilis, necesse specie, numero autem nõ iterari. Ideo aqua ex aëre, & aër ex aqua specie idẽ, non autem numero: hæc Philoso. Licet autem principalis locus pertractandi propositum quęsitũ sic in 2. lib. de Generatione, tamen intendo determinare ipsum in præsenti loco, quoniam fortè non dabitur tempus nec ocium formandi quæstiones super libr. de Generatione, quanuis aliàs promiserimus. Aduerte insuper quòd præsens quæsitũ solet formari sub triplici titulo, & tamen redeunt in idem, nã solet quæri, Si idem numero potest bis generari. Item sic, Si corruptum potest bis generari idem numero. Item sic, Si res corrupta potest reuerti eadem numero.

Pro resolutione igitur præsentis quæsiti sic procedendũ est. Primò ponitur conclusio negatiua respectu agentis naturalis cũ probationibus suis, secundò declarabitur vnde sumitur ratio huius impossibilitatis, tertiò declarabitur quid tenendũ sit de cõclusione respectu agentis diuini, quartò soluentur quædam argumenta.

Quantùm ad primũ sic hæc conclusio responsua, Nullum agens naturale potest regenerare idem numero corruptũ secundùm substantiã. Dico Agens naturale, vt pro nunc excludam agens diuinum, de quo dicemus infrà. Dico corruptum secundùm substantiam, vt excludam materiam primã quæ dicitur pluries generari & corrumpi subiectiuè prout abiicit vnam formam & recipit aliam, & tamen remanet eadem numero materia. Prædicta conclusio sic probatur, Remota forma à materia, nulla amplius potentia remanet in materia ad recipiendum illam formam, ergo, &c. Patet consequentia, quia agens naturale non agit nisi supposita materia, & capacitate materiæ, materia autem non est capax formæ nisi ex potentia ad formã. Antecedens autem probatur, quia potentia non respicit præteritum sed futurum. Sed materia iam fuit sub forma rei præteritæ, ergo, &c. Præterea, Quando materia recepit formam rei corruptæ, vel recepit secundùm totã potentiam quam habuit ad illam formã vel secundùm partem tantùm. Non secundum partem tantùm, quia non posset ostendi quæ potentia reduceretur ad actũ & quæ non. Item sequitur quòd forma quam habet materia pro parte potentiæ, pro alia parte secundùm quam non habet adhuc desideraret illam, quod est irrationabile, ergo cõcedendum est primũ, & sic post corruptionem rei nullo modo remanet potentia in materia qua posit eadem res numero regenerari. Præterea, sic probatur dicta conclusio, Maior est interruptio secundũ esse quàm secundum magnitudinem, vt patet. Sed interruptio secundùm magnitudinẽ impedit numeralem identitatẽ, ergo multò magis interruptio secundũ esse. Minor quidem probatur, nam si lignum continuum diuidatur non remanet idem lignum numero, sed fiunt duo, vt patet, ergo, &c.

Quantùm ad secundũ aduerte quod ratio impossibilitatis in agente naturali sumitur ex hoc, Generatio substantialis respectu agentis naturalis est terminus præuiæ alterationis. Alteratio autẽ interrupta non potest esse vna numero, quia ad vnitatem numeralẽ motus requiritur tempus non interruptum ex lib. 5. Physic. tex. 41. vbi ergo est duplex alteratio præuia, est duplex generatio, vbi duplex generatio, ibi est duplex genitum, ex consequenti duo composita terminantia duas generationes, si ergo agens naturale idem bis generaret, cùm non generet nisi per alterationẽ præcedentem, duas alterationes causaret ex consequenti duas generationes ad quas sequuntur duo genita, & sic genitum secundo siue regeneratum non potest esse idem numero cum prius genito & postea corrupto. Hæc igitur est ratio impossibilitatis.

Quantùm ad tertium inuenio duas vias, quarũ vna est B. Tho. & Egidij in 2. libr. de Generatione in expositione vlti. tex. qui tenent respectu agẽtis diuini partem affirmatiuã, & ratio eorũ est, quia ratio impossibilitatis assignata in agente naturali non habet locum in agente diuino. Quoniam producit rẽ sine motu & alteratione, sed simplici emanatione, cuius actio est substantia sua nec vnquam transit in præteritũ sicut nec sua substantia, & ideo actio sua vt sic non interrumpitur tẽpore sicut actio agentis naturalis, vnde Theologus sustinet Deũ posse idẽ bis producere quoniam actio sua qua primo & secundo producit ex parte Dei est vna numero, & non mensuratur tẽpore interrupto sed indiuisa æternitate. Sed hæc altius speculari non est *præsentis negocij*.

Altera via est Marsilij Inguem in 2. de Generatione in q. vlti. Hic tenet duo, quæ iudicio meo videntur falsa. Primò dicit quòd nec potentia naturaliter agente potest idem numero bis generari, eò quòd omnes causæ requisitæ ad primã generationem non possunt eædem numero reuerti ad secundam generationem, inter quas sunt influentiæ & motus cœlestes, qui iam præterierunt & non possunt iidẽ numero per naturam reuerti, & quantùm ad h.d. verũ. Dicit vlterius q nec diuino miraculo potest idem bis generari, & ratio sua est hæc, Deus non potest bis generare B ex A dũ est, ergo nec postquàm corruptum est. Antecedens patet, Quia res dum est ingenerabilis est. Consequentia probatur, Quod generatur non fuit ante, aliter generatio non esset processus à non esse ad esse. Sed B corruptum fuit ante, ergo B corruptum non potest generari. Præterea, Propter quid esset Deus potentior ad generandum B, ipso corrupto, quàm ipso existente, non potest assignari causa, ergo, &c.

Hoc reputo falsè dictum, & ideo intendo soluere rationes suas. Ad primã concedo antecedens & nego consequentiam.

Ad probationem dico quòd apud diuinam potentiam hæc duo non repugnant, Aliquid fuit, & tamen illud idẽ numero de nouo generatur. Sed ne decipiaris in hoc aduerte quod aliquid fuisse potest dupliciter intelligi. Primò quòd toto tempore præcedente secundam generationem fuerit, & vt sic est ingenerabile etiam per diuinam potentiã. Quia quod generatur vt sic non est saltem pro aliquo tẽpore præcedente instans generationis. Secundò quòd pro aliquo tẽpore fuerit, deinde defierit esse per corruptionẽ, & sic potest de nouo idẽ numero per Dei potentiam produci, quoniam licet fuerit antè, non tamen continuatè sed interrupte.

Ad secundam quando quærit propter quid esset Deus potentior ad generandum B, ipso corrupto quàm ipso existente. Respondetur quòd hoc non est ex parte Dei nec maiorẽ nec minorem potentiã demonstrat in eo. Sed hoc est ex parte rei. Nam res vt existens non habet rationem generabilis vt autem non existens habet rationẽ generabilis, quoniam productio est deductio rei à non esse ad esse. Quare, &c.

Secundò quia tenet & benè animam hominis esse incorruptibilem dicit eam creari & non produci ab homine generante, & in hoc verum dicit. Vlteriùs dicit quando homo generatur ab homine illa generatio non est propriè generatio, quia in generatione propriè dicta datur forma genita actione agentis naturalis, & non miraculosè causata, modo hominis generatio est creatio formæ humanæ, in materia, igitur non est generatio naturalis & propriè dicta: similiter corruptio hominis nõ est propriè corruptio, quia in corruptione propriè dicta corrumpitur forma & substantia composita, sed in corruptione hominis nulla forma corrũpitur, sed solùm separatur à subiecto anima intellectiua. Et ideo non corrumpitur homo propriè cum vtraque pars remaneat, & sic concludit quòd si idem numero homo bis generaretur nec prima nec secunda generatio esset naturalis sed miraculosa & impropriè dicta.

Hoc secundũ dictum reputo falsum, quoniam si homo hominem naturaliter & propriè non generaret, esset imperfectior in actione naturali inferioribus animantibus. Vt igitur sustinere possis quomodo homo naturaliter & propriè generat hominem etiam quòd non producat auimã intellectiuã, vide quæstionẽ sextam quam formauimus in lib. 12. Metaph. & in ea inuenies plenam resolutionem.

Quantùm ad quartam aduerte contra factam determinationem duo argumenta.

Primum est tale, Sit ignis eodem modo se habẽs per duas horas, sumatur vas aquæ & applicetur igni per mediam horam, quæ calefacta in fine mediæ horæ extrahatur ab igne & frigefiat. In principio secũdæ horæ reponatur ad ignem vniformiter vt prius & calefiat æquali gradu, vt prius, quo facto probatur quòd caliditas prius genita & corrupta & caliditas secundò genita sunt idem numero. Nam dicit Philos. in 2. lib. de Generatione tex. 56. idem inquantùm idem & similiter se habens, semper natum est facere idem. Sed stat idem & vniformiter ignis & eadem aqua & eodem modo proximo igni in prima & secunda calefactione vt supponitur, ergo bis generat eandem caliditatem numero.

Ad hoc dicitur quòd propositio Philosophi in loco allegato sic habet intelligi, Idem manens idẽ facit idẽ in specie, & non suum contrarium, & hanc propositionem introduxit ad probandũ quòd vt seruetur generatio & suum contrariũ, i. corruptio in mundo inferiori nõ sufficit motus primi mobilis qui est motus vniformis, aliter causaret semper generationẽ, quoniã idẽ manens idẽ, &c. Sed requiritur motus difformis per circulũ obliquũ, qui est per accessum & recessum Solis à nobis, & per accessum causat generationẽ, per recessum corruptionẽ. Ad argumentũ ergo dico q nõ sufficiunt causæ & cõditiones adductæ, sed esset necesse q prima & secunda calefactio essent vnus motus numero, vt habeant eundem terminũ numero, non possunt autẽ esse vnus motus numero cùm sit tẽpus interruptũ, in quo prima caliditas desinit omninò esse vt supponitur, sed cõtra hãc solutionẽ instatur, Interruptio essendi nõ impedit quin reparetur idem numero, ergo posito q prima caliditas sit interrupta in esse per secundã medietatẽ primæ horæ nõ obstat quin reparetur eadẽ in secunda hora. Cõsequentia nota, & probatur antecedens, Si aqua continua diuidatur fiet eius interruptio, & tamen si reuniatur nõ erit alia numero à priori sed eadẽ, ergo à simili de caliditate licet interrũpatur eius esse per corruptionẽ si regeneratur est eadem numero cum priùs corrupta.

Ad hoc negatur antecedẽs, ad probationẽ nego similitudinẽ, quia licet aqua cùm diuiditur cesset eius cõtinuitas nõ tamẽ cessat eius esse, quia & aqua diuisa est aqua. Sed caliditas corrupta nõ remanet caliditas in esse, & ideo nõ est simile.

Secundò principaliter arguitur sic, Dicit Philos. in 5. Metaph. tex. 12. Ea sunt vnum numero quorũ est materia vna numero. Sed caliditatis hesternæ corruptæ, & hodiernæ regeneratæ est materia vna numero, putà aqua A: ergo potest idem numero regenerari.

Ad hoc dicitur q in illo tex. non intendit Phil. absolutè illa esse numero vnũ quorũ est materia siue subiectũ vnũ numero, aliter sequeretur albedinẽ & dulcedinẽ & grauitatẽ & figurã pomi esse vnũ accidens numero, cùm inhæreant eidẽ materiæ numero quæ est substãtia huius pomi. Sed intendit ponere differentiã inter vnũ numero & vnũ specie & vnũ genere & vnũ analogia, & dicit, V num numero sunt quorũ est materia vna numero, vnũ aũt specie quorũ est ratio vna, i. diffinitio. &c. Et aduerte q hoc argumentũ etiã soluimus in li. 5. Metap. in q. 14. in fi. vbi mouetur dubiũ, de generato & corrupto, & de duobus cõtrariis, quorũ est idem subiectũ numero cùm habeant fieri circa idem. Tu igitur vide illic & videbis argumentũ solutum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. IX.

Num toto tempore quo durat sanitas in sano, sit eadem numero.

Vtrum vna sanitas & omnino habitus & passiones substantiæ sint in corporibus. tex. 73.

Toto tempore, quo durat sanitas, nõ diuersificatur numero, sed prout sits eadem est.

IN hac quæst. aduerte q primo aspectu videtur conclusio negatiua esse vera, quoniã vt inquit Com. in com. 37. Nos videmus hanc formam, i. sanitatem existentẽ in corporibus & corpus moueri, i. transmutari & fluere semper: vnde necesse est vt ita sit in formis, quæ sunt in istis corporibus, cùm sint in substantia corporum transmutabilium: hæc Com. ex quibus sic arguitur, Mutato subiecto, mutatur & forma existens in subiecto. Sed subiectum sanitatis quod est corpus præcipuè humanum semper mutatur: quia licet non semper ægrotet, tamen est modo magis sanum & minus sanum, ergo licet non corrumpatur sanitas per ægritudinem, non videtur perseuerare eadem numero donec durat.

Tu igitur aduerte q licet Philos. in tex. 37. proponat præsens quæsitum, tamen non soluit ipsum, quoniam vt dicit in tex. 38. istæ dubitationes sunt extra præsentem intentionem, eò quòd considerare de idẽtitate vel diuersitate formæ magis spectat ad primum Philosophũ quàm ad Physicũ. Nam vt patet in x. Meta. Metaphysicus cõsiderat de ente & proprietatibus entis, quæ sunt vnũ & multa, idem & diuersum, &c.

Verùm vt habeas aliqualẽ resolutionem propositi quæsiti in via Thomistica, aduerte quòd resolutio stat in duplici distinctione, quarum prima sit hæc, Formarum quædam cõsistunt in esse indiuisibili, sicut figuræ denominatæ à numero, & formæ substantiales, à quibus res trahit speciem suã: quædam autem consistunt in esse secundùm quandam latitudinem, vt qualitates primæ ac tertiæ speciei, iuxta quas attẽditur intensio & remissio. Omnis quidem transmutatio facta quantumcunque modica circa formas primo modo dictas, destruit esse & identitatem numeralẽ, eò quòd stant in indiuisibili. Hoc autem non contingit in formis secũdo modo dictis, eò quòd licet varientur secũdùm magis & minùs, tamen non totaliter desinit nec totaliter interrumpitur esse eorum. Et quoniam sanitas quæ consistit in contemperantia siue in adæquatione humorum est de numero formarũ habentium latitudinẽ secũdùm quòd magis & minùs perfectè contemperantur humores, ideò non sequitur q quæcunque variatio facta in ea destruat eius identitatem numeralem.

Secunda distinctio sic hæc. Sanitas quæ est in Socra. & diluculo & nunc & in meridie, vt dicit Philo. in tex. 37. dupliciter potest considerari: primò secundùm se & ex sua natura, & sic cùm sit forma, & forma sit simplex & inuariabili essentia consistens, non habet vt sic vnde recipiat magis & minus. Secundò vt participatur à Socrate, & quoniã est apta actuare ipsum magis & minùs perfectè, ideo Socrat. recipit à sanitate diuersa esse sana. Quæ diuersa esse stant cum vnitate numerali sanitatis in via nostra, eò quòd vt determinauimus in libr. 8. Metaphysi. in q. 6. forma sub esse intenso & remisso quod dat subiecto, stat vno numero. In hoc ergo quæsito habes tenere partem affirmatiuam. Et tuum fundamentum erit quia forma intensa & remissa est eadem numero, quod fundamentum inuenies firmatum & sustentatum in libr. 8. Metaphysic. quæst. 6.

Ad argumentum autem in oppositum, dico quòd maior potest habere duplicem sensum. Primò sic, Mutato subiecto, mutatur forma existens in subiecto. ita quòd suum esse totaliter interrumpitur, & sic nego maiorem nisi sit forma de

numero primi modi primæ distinctionis. Secundò sic, Mutato subiecto, &c. mutatur forma existens in subiecto secundùm magis & minùs prout subiectum magis & minùs participat formam, & sic concedo maiorem. Sed nego ꝙ hæc variatio auferat in proposito, identitatem numeralem à sanitate, & aduerte quòd veriùs dicitur, Sortem variari secũdùm sanitatem, quam sanitatem variari. & hoc intẽdit B. Tho. in expositione tex. 37. in fine cùm dicit, Quandiu sanitas manet licet varietur homo secundùm sanitatem vt si fiat magis aut minus sanus, nõ intercipitur esse sanitatis, sicut intercipitur, quãdo totaliter corrumpitur sanitas. Hęc de præsenti quæsito dicta sint, reliqua remittentes ad Metaphysicum.

QVAESTIO X.

Num motus regularis est magis vnus quàm irregularis.

Irregularis enim non videtur vnus, sed magis regularis. tex. 43.

Regularis motus magis est vnus quò ad vniformitatem quàm irregularis.

IN hac quæst aduerte quòd difficultas stat in hoc, Quæcũque sunt requisita ad vnitatem numeralem motus ita possunt saluari in motu irregulari sicut in motu regulari, ergo non videtur minus vnus quàm regularis. Cõsequentia nota, probatur antecedens, Ad vnitatem numeralem requiritur vnum subiectum numero, vnus terminus numero, tempus cõtinuum, vt dixit Philosophus in tex. 41. Sed hęc tria ita possunt in motu irregulari seruari sicut in regulari, patet enim quòd si A & B ambulent per milliare cõtinuè, licet A ambulet æquè velociter vsque ad terminum, B autem modo tardè, modò velociter, dummodò nõ pauset, ita seruantur illa tria in motu B, sicut in motu A: ergo nõ videtur esse magis vnus motus A, quàm motus B.

Pro resolutione igitur præpositi quæsiti aduerte ꝙ motus vnus numero dupliciter considerari potest. Primò quò ad quantitatem suam, est enim de ratione motus habere partes & esse diuisibile in partes quantitatiuas loquẽdo de motu physico, vt nunc loquimur. Secũdò quò ad modũ existẽdi in partibus qui modus dicitur vniformitas & difformitas in partibus, nam vltra quãtitatem & continuitatẽ in motu partes possunt esse æqualis velocitatis vel æqualis tarditatis, vt patet in partibus circunferentiæ regulariter motæ, & in partibus circa centrum, possunt etiam esse aliquæ velociores aliquæ tardiores, vt ad sensum patet. Et ex hac distinctione dico ad propositum quòd Philoso. intendit motum regularem esse magis vnum nõ ratione quantitatis, nec ratione cõtinuitatis, quia vt argumẽtum probat omnia requisita ad vnitatem numeralem motus ita possunt saluari in motu irregulari sicut regulari: sed intẽdit esse magis vnum quò ad modum inuentum in partibus qui dicitur vniformitas. Nam licet cõtinuitas inueniatur in vtroque, tamẽ quia in motu regulari est cõtinuitas vniformis & in irregulari est difformis, ideo dicitur esse magis vnus ratione modi, sicut linea recta videtur esse magis vna quam tortuosa non ratione cõtinuitatis, sed negatione diuersitatis in partibus. Nam linea tortuosa vt dicit Com. in com. 43. videtur esse composita ex recta, & circulari & similiter motus per illam videtur esse diuersus, motus autem diuersus videtur esse plusquàm vnus, similiter quia motus irregularis distinguitur per velocitatem & tarditatem, regularis autem non, ideo ratione huius negationis dicitur magis vnus sicut & res simplex dicitur magis vna quam composita, quia caret diuersitate partium, licet in vtraque seruetur cõtinuitas. Ad argumẽtum positũ in principio quæsiti non oportet aliter respõdere, concludit enim quò ad primum modum distinctionis Philos. autem intẽdit in 2. modo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Num contrarietas in motibus sit accipienda ex terminis ad quos, vel à quibus.

Relinquitur qui est in contraria, & qui est in contraria ex contrariis. textu 48.

Nõ omnes motus incipientes à terminis contrariis contrarij sunt, possunt autẽ esse cõtrarij, omnes autem motus terminati ad cõtrarios motus, cõtrarij sunt.

IN hac quęst. aduerte: Fiet resolutio per tres conclusiones, & in fine remouebitur dubium. Prima conclusio erit hæc, Non omnes motus qui incipiunt à terminis contrariis sunt contrarij. Secunda erit hæc, Non inconuenit aliquos motus qui incipiunt à terminis contrariis esse contrarios. Tertia erit hæc, Omnes motus qui sunt ad terminos contrarios sunt contrarij.

Prima sic probatur de mente Philo. Motus contrarij non possunt terminari ad eundem terminum specie. Sed contingit quòd aliqui motus qui incipiunt à terminis contrariis possunt terminari ad eundem terminum specie, ergo, &c. Maior nota, & probatur minor. Contingit enim quòd aqua moueatur à calido ad tepidum, & alia aqua à frigido ad tepidum, ergo, &c. Item contingit quòd lapis moueatur ab vbi sursum ad vbi medium quod sit B. & ignis moueatur ab vbi deorsum ad B, ergo, &c.

Secunda autem probatur sic, Cõtingit aliquos motus qui incipiunt à terminis contrariis terminari ad terminos contrarios, ergo non inconuenit, &c. Consequentia nota, & antecedens patet ad sensum: nam contingit aquam calefactam infrigidari, & contingit aquam frigidam calefieri. Infrigidatio incipit à calore & terminatur ad frigiditatem, calefactio autem econuersò, ergo, &c.

Tertia sic probatur, Motus qui identificantur terminis contrariis sunt contrarij. Hæc patet per se, sed omnes motus qui sunt ad terminos contrarios, identificantur terminis cõtrariis, quia in lib. 3. in tex. 4. dicit Philos. quòd motus nõ est præter res ad quas est motus, & de identitate hac formauimus & resoluimus primam q. in 3. libr. vt videre poteris. In his tribus conclusionibus nõ est longius immorãdum, quoniam satis resolutæ sunt apud Philosophum.

Nunc superest soluere duo dubia. Primum est contra primam cõclusionem. Nam quòd motus qui sunt ex terminis cõtrariis semper sint cõtrarij siue terminentur ad eundem terminum, siue ad cõtrarios arguitur sic, Motus qui non se compatiuntur simul in eodem, sunt cõtrarij, nisi enim essent oppositi nihil obstaret quin simul compaterẽtur. Nam quia calefieri & sanari nõ opponuntur, ideo possunt simul inesse eidem. Sed omnes motus qui sunt ex contrariis, &c. Minor patet ad sensum, aliter esset possibile idem simul ascendere & descendere, calefieri & infrigidari.

Hoc dubium in via nostra non est multùm difficile, quoniam maior non est vniuersaliter vera, nam vt determinauimus in lib. 5. Metaphy. q. 6. duo accidentia eiusdem speciei in actu perfecto non se compatiuntur simul in eodem, & tamen non sunt opposita, vt duę albedines, duo calores, & quãdo arguitur quòd nisi essent oppositi nihil obstaret quin se compaterentur in eodem, hoc falsum est, nam vt videbis in prædicta quæstione vltra oppositionem assignatur alia ratio incompossibilitatis. Quare, &c.

Secundum dubium est contra tertiam conclusionem, & arguitur quòd nõ sit maior ratio sumendi contrarietatem in motibus respectu terminorum contrariorum ad quos, quàm respectu terminorum à quibus. Nam Philos. in tex. 48. probans motus non esse cõtrarios propter terminos à quibus sic argumentatus est, Contingit duos motus inceptos à terminis contrariis terminari ad eundem terminum, vt motus ex calido & frigido ad tepidum, ergo non sunt contrarij. Sed eadem ratione probatur quòd nec respectu terminorũ ad quos. Nam cõtingit duos motus terminatos ad terminos contrarios incipere ab eodem termino, putà aliquid ex palido potest mutari in album & ex palido potest mutari in nigrum, ergo non est maior ratio sumendi contrarietatem ex terminis ad quos quàm ex terminis à quibus.

Ad hoc dicitur quòd licet contingat duos motus terminatos ad terminos contrarios incipere ab eodem termino, sicut contingit duos motus inceptos à terminis contrariis terminari ad eundem terminum, tamen maior ratio habetur sumendi contrarietatem respectu terminorum ad quos quàm respectu terminorum à quibus. Hæc autem ratio sumitur in tex. 48, vbi Philosophus in tertia ratione probans contrarietatem in motibus non esse accipiendam à terminis à quibus, sed à terminis ad quos sic arguit, Motus accipit nomen & speciem à termino ad quem, & non à termino à quo. Dicitur enim sanatio motus in sanitatem, & non motus ab ægritudine, ergo conuenientius accipit contrarietatem à termino ad quem quàm à termino à quo: & probatur consequentia, quoniam contrarietas est differentia secundùm formam ex 10. Metaphysico. ergo sumenda est à termino ad quem qui habet rationẽ formæ. Et quoniã hæc ratio deficit in termino à quo, ideo negatur quod sit ęqualis ratio sumendi contrarietatem tam à termino à quo, quàm à termino ad quem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Num quies contrarietur motui.

Quoniam autem motui non solùm videtur esse motus contrarius, sed & quies, textu 53.

IN hac quæst, aduerte quòd difficultas stat in duobus, primò quia determinauit Philosophus motum cõtrariari motui, putà ægrotationem sanationi, quia ægrotatio est motus ad ægritudinem, sanatio autem ad sanitatem, vt ad terminos contrarios. Si igitur ægrotatio contrariatur non solùm sanationi, sed etiam quieti sub sanitatem non possumus effugere, quin vnum contrarietur pluribus. Quod videtur repugnare doctrinæ Philos. in 10. Metaph. tex. 14. vbi inquit, Non contingit vni plura contraria esse.

Secundò, quia oppositio contraria est distincta ab oppositione priuatiua, quoniam ex 10. Meta. contraria est inter duo entia positiua, vt inter calidum & frigidum, quæ successiuè sunt apta fieri circa idem, priuatiua autem inter habitum & priuationem, quæ est non ens. Cõstat autem quòd quies est priuatio motus in eo quod est aptum moueri, ergo motus non opponitur contrariè quieti. Præterea, Motus ordinatur ad quietem vt ad finem suum. Nam mouens mouet mobile ad formam, vt aliquo tempore quiescat sub ea, aliter inutiliter moueret. Quod autem ordinatur ad aliquid stultum est dicere quòd opponatur illi, ergo, &c.

Pro resolutione quæsiti ponitur duplex distinctio, ex qua manifestabitur sensus Philos. de oppositione motus ad quietem. Prima erit de oppositione contraria, secunda de quiete.

Contraria oppositio est duplex, s. cõmunis & imperfecta, propria & perfecta. Prima seruatur inter quęcunq; ita se habent ꝙ vnum est vt perfectum & alterum vt imperfectum, & quorum vnum est vt habitus & alterum priuatio, & hac de causa dicit Phil. in 10. Metaph. quòd prima cõtrarietas est habitus & priuatio, & in eodem in tex. 16. dicit quòd omnis contrarietas habet priuationem alterius contrariorum, secunda autem seruatur inter duo entia positiua, cum illis cõditionibus, quas manifestauimus in 10. Meta. in q. 18. Quas videbis tu, & eas tetigimus in q. 2. huius 5. li. nec est replicãdũ.

Secunda distinctio sit de quiete, pro qua aduerte ꝙ sicut in motu est duplex terminus, s. à quo & ad quem, sic est duplex quies: nã mobile antequàm incipiat moueri habet quietem in termino à quo, & post motum quiescit in termino ad quem. Quies in termino à quo est status mobilis sub forma abiicienda, vt quando stat aqua sub frigiditate abiicienda per calefactionem. Quies in termino ad quem est status mobilis sub forma acquisita per motum, vt quando stat aqua sub calore acquisito per calefactionem.

Ex his distinctionibus dico tria ad propositum quæsitũ, primò quòd Philosophus intendit motum contrariari motui contrarietate propria & perfecta, nam assignauit cõtrarietatem motuum per respectum ad terminos ad quos. Constat autem quòd termini ad quos duorum motuum contrariorum sunt propriè & perfectè contrarij, vt calor & frigiditas qui sunt termini acquisiti calefactionis & frigefactionis, ergo, &c.

Secundò intendit motum contrariari quieti contrarietate communiter dicta, prout consueuit Philosophus oppositionem priuatiuam appellare contrarietatem. Nam sicut silentium opponitur priuatiuè sermoni, sic quies motui, ideo propriè opponuntur priuatiuè, communiter autem contrariè. Et quòd motus opponatur motui contrariè, s. perfectè, quieti autem priuatiuè manifestat Com. in com. 53. cum dicit, Motus non solummodò opponitur motui, sed etiã quieti, quoniam motus opponitur motui secundùm contrarietatem, & quieti secundùm priuationem & [illegible]um.

Tertiò intendit quòd quies, cui opponitur motus contrariè siue priuatiuè, vt declaratum est, nõ est quies in termino ad quem, sed in termino à quo. Verbi gratia vt dicit Comm. in com. 54. Quoniam sanari est motus de ægritudine in sanitatem, quies igitur contraria huic motui est quies in ægritudine, nõ autem quies in sanitate quæ est terminus sanatione acquisitus: & similiter cõtrariorũ motui de sanitate in ægritudinẽ est quies in sanitate, & ratio quidem huius est, vt inquit Com. in com. 54. cui & concordat B. Tho. exponẽs, quoniam quies ista, s. in termino ad quem est perfectio & cõplementum motus, perfectio autem non est contraria ei cuius est perfectio. Cùm igitur altera quietum opponatur motui, quoniã quies est priuatio motus, & hæc non sit illa, quæ est in termino ad quẽ, restat vt sit illa, quæ est in termino à quo.

Ad obiectiones in oppositum pro respõsione ad primam vide in 10 Metaph. in q. 14. in qua declarauimus intentionem Philosophi dicentis, non contingit vni plura contraria esse, secunda autem concludit pro secundo dicto, tertia concludit pro tertio dicto. ideo non est necesse eas aliter soluere. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Num quies in termino ad quem est perfectio motus.

Qui enim in ipso motus est, in quo stetit quietatio magis est. text. 54. vbi inquit Commẽt. Quies in termino ad quem est perfectio motus, & B. Tho. exponens inquit, Quies in termino ad quem est magis cõseruatio vel perfectio motus quàm quòd ei opponatur.

Quies in termino ad quem sub esse perfecto, est motus perfectio.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hoc, Quies vt quies est negatio motus in eo quod est aptum moueri, ergo quies vt quies siue in termino à quo siue in termino ad quem est priuatio motus. Sed nulla priuatio cùm sit negatio dicit perfectionem, ergo, &c. Præterea, perfectio rei non tollit rem cuius est perfectio, sed seruat eam in meliori esse, aliter non esset perfectio sed destructio rei. Sed quies in termino ad quem tollit motum, quoniam adepto eo cessat motus, ergo, &c.

Pro resolutione quæsiti ponenda est distinctio de quiete in termino ad quem, ex qua ponentur duæ cõclusiones decisiuæ. Deinde soluentur obiectiones præpositæ, quæ videntur facere difficultatem.

Distinctio sit hæc, Quies in termino ad quem potest importare duo. Primò negationem fluxus siue tendentiæ ad vlteriorem gradum formæ acquirendæ in subiecto, quem fluxum siue tendentiam docuimus esse de ratione motus in 3. li. Physi. in q. 1. & 2. illam permanentiã siue durationem esse formæ acquisitæ in mobili per motum, quæ forma vt est terminus motus comparatur ad motum vt perfectum ad imperfectum. Diximus enim 3. lib. q. 1. & 2. quòd motus dicit essentialiter formam acquisibilem sub esse imperfecto, ita quòd non distinguitur calor & calefactio, nisi sicut calor in fieri & in facto esse.

Prima conclusio, Quies sumpta primo modo non est perfectio motus prout motus dicit fluxum siue tendentiã, probatur, Quies vt sic opponitur motui sicut negatio fluxus, ergo est vt priuatio, priuatio autem non perficit id cuius est priuatio sed potius imperficit aut remouet, ergo, &c.

Secunda conclusio, Quies in termino ad quem sumpta secundo modo, est perfectio & complemẽtum motus: probatur, Motus ordinatur ad talem quietẽ vt medium ad finem, ergo sicut medium recipit bonitatem & perfectionem à fine sic motus recipit perfectionem à quiete secundo modo dicta. Consequentia nota, & probatur antecedens, Ideo mobile mouetur ad formam vt acquirat aliquod esse à forma sub quo aliquo tempore permaneat, ergo vt quiescat sub tali forma: vnde aduerte quòd quando aliquid mouetur, putà infirmus ad sanitatem, prius recipit sanitatem diminutè & imperfectè quæ vt sic ordinatur ad receptionẽ sanitatis perfectè, sicut ordinatur dispositio ad habitum: & quando receperit sanitatem perfectè in qua continetur sanitas diminuta sicut forma remissa in forma intensa tunc sanatum quiescit, id est permanet sub esse sano aliquo tempore. & tunc dicimus sanationem esse perfectam & completam, ergo constat quòd motus ordinatur ad talem quietem sic sumptam, vt medium ad finem.

Ex his patet quid dicendum sit ad obiectiones factas, nam prima concludit pro prima conclusione, secunda autem sic soluitur, Licet quies sumpta secundo modo tollat motum, id est fluxum, non tamen tollit formam imperfectam quam dicit motus, imò includit eam sicut calor vt 8. includit calorẽ vt 6. ideo neganda est illa minor, scilicet quòd quies sumpta secundo modo tollat motum sumendo motum pro forma imperfecta. Ad probationẽ dico quòd probat de motu sumpto pro fluxu vel tendentia, non autem sumpto pro forma imperfecta. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum naturalium super quintum librum, Finis.

QVAESTIONES MAGISTRI CHRYSOSTOmi Iauelli, super sextum librum Physicorum.

In 6. lib. Physi. determinanda sunt quæsita infrascripta.

1 *Num continuum sit compositum ex indiuisibilibus.*
2 *Num sit necesse motum fieri super aliquod diuisibile, ita quòd sibi repugnet fieri super indiuisibile.*
3 *Num magnitudo & tempus & motus sint eiusdem rationis quãtùm ad hoc quod est componi vel non componi ex indiuisibilibus.*
4 *Num omne quod mouetur contingat velociùs & tardiùs moueri.*
5 *Num magnitudo & tempus se concomitentur quò ad finitum & infinitum.*
6 *Num in nunc temporis contingat aliquid moueri.*
7 *Num omne quod mutatur sit diuisibile.*
8 *Num illud in quo aliquid primò mutatum est, sit indiuisibile.*
9 *Num in motu sit primum mutatum esse à parte antè.*

QVAESTIO PRIMA.

Num continuum sit compositum ex indiuisibilibus.

Impossibile est ex indiuisibilibus esse aliquid continuum. textu 1.

Cõtinuorum nullũ ex indiuisibilibus cõponitur

IN HAC quæstione, non intendo probare conclusionem negatiuã per rationes Philosophi positas hic in tex. quoniã & Commen. & B. Tho. & alij Expositores sufficienter deducunt eas. Sed intendo aliis rationibus probare intentum, & declarare quid circa hoc senserint Auicen. & Algazel: sic igitur procedendum est. Primò ponetur conclusio negatiua & probabitur. Secundò ostendetur quæ fuerit mens Auicen. & Algazelis in hoc. Tertiò defensabitur conclusio soluendo argumenta tenentium oppositum.

Quantùm ad primum ponitur hæc conclusio, Impossibile est continuum componi ex indiuisibilibus. Hęc conclusio solet probari rationibus mathematicis & naturalibus. Relictis pro nunc mathematicis ne confundamus scientiam naturalem cum mathematica insistemus rationibus physicis, quatuor igitur rationibus probatur conclusio præposita.

Prima sit hæc, Si continuum, putà magnitudo cõponitur ex indiuisibilibus sequitur q̃ mobile velox cõtinuè & regulariter motum & mobile tardum similiter motum cõtinuè & regulariter pertransirent æqualia spacia in tempore eodem, putà in hora, consequens est falsum. & implicat contradictionem ex diffinitionibus velocis & tardi. Cõsequẽtia probatur, Sint duo spacia quorum vtrunque sit centum punctorum, & super vtrunque incipiant simul moueri & velox & tardum: tunc sic, Quocunq; tempore velox pertransit primum punctum spacij, tardum pertransit aliquid sui spacij, quia supponitur q̃ inciplat simul moueri & continuè & regulariter, s. velox, æquè velociter, & tardũ æquè tardè. Quero ergo an tardum pertranseat in eodem tempore præcisè primum punctũ sicut velox, an minus an plus: non plus, quia tardum esset velocius veloce, non minus, quia non datur minus puncto quod supponitur indiuisibile, ergo præcisè punctum, sicut velox, & quoniam supponitur q̃ continuè & regulariter moueantur ea ratione qua tardum in eodem tempore pertransiuit primum punctum sicut velox, pertrãsibit secundum & tertium & alia vsque in finem sicut & velox, ergo eodem tempore quo velox attinget vltimum spacij, attinget & tardum, & sic patet consequentiam esse veram.

Secunda ratio sit hæc. Si magnitudo componitur ex indiuisibilibus sequitur q̃ magnitudo minor sit æqualis maiori, quod est falsum, vt patet ad sensum. Consequentia probatur, Ponatur vt in ratione præcedenti quòd mobile velox & tardum simul moueantur continuè & regulariter per vnam horam super spacium centum punctorum, tunc quæro, Aut velox acquirit primũ indiuisibile spacij in tempore, vel in instanti, non in tempore, quoniam immediatè illius temporis acquireret partem illius primi indiuisibilis, & sic indiuisibile esset diuisibile, ergo in instanti. Tunc quæro, Aut in illo instanti tardum acquirit similiter indiuisibile aut plus aut minus, non plus aut minus ratione assignata in præcedenti ratione, ergo præcisè indiuisibile, & similiter arguatur de secundo indiuisibili & de aliis. Et sic sequitur quòd in eodẽ tempore tot indiuisibilia pertransit tardum quot & velox, ex consequenti æqualem magnitudinem. Constat aũt quòd cùm sit tardum ex diffinitione sua pertransibit minorem, ergo magnitudo minor erit æqualis maiori.

Tertia sit hæc, Si magnitudo componitur ex indiuisibilibus sequitur indiuisibile esse diuisibile, quod implicat. Consequentia probatur, Sint duo mobilia quorum vnum sit duplo velocius altero, & arguit sic, Si in vna hora velocius pertransit magnitudinem septem punctorum tardiùs transibit medietatem, medietas autem est magnitudo trium punctorum & dimidium puncti, ergo punctum quod supponitur, ex diffinitione sua esse indiuisibile erit diuisibile.

Quarta sit hęc, Si magnitudo componitur ex indiuisibilibus sequitur esse impossibile aliquod corpus rarefieri naturaliter secundùm omnem dimensionem absque acquisitione nouæ quantitatis. Hoc autem est falsum, vt determinatũ est in lib. 4. Phy. in q. 19. in 1. parte q. Consequentia autem sic deducitur, Sit corpus quadratum siue cubum habens secundùm omnem dimẽsionem magnitudinem decem punctorũ, & rarefiat vsque ad magnitudinem cẽtum punctorum, si tu dicis hanc rarefactionem esse possibilem absque generatione nouæ quantitatis, ergo necesse est punctũ extendi, vel idẽ punctum numero esse in pluribus sitibus. Vtrunque aũt est impossibile vt patet: nam indiuisibile extendi est fieri diuisibile, quod implicat. Quod autem sit impossibile ipsum esse in pluribus sitibus simul patet, quoniam non minùs naturaliter repugnat idem punctum quàm idem corpus esse in pluribus locis simul. Consequentia autem patet, quoniam non alio modo esset imaginabilis magnitudo q̃ rarefieret si nouæ quantitas non acquiritur. Quomodo autem sit possibilis rarefactio sine acquisitione nouæ quantitatis supposito q̃ magnitudo componatur ex magnitudinibus, iam declarauimus in 4. lib. Physi. in q. 19. tam secundùm viam Com. quàm secundùm viam nostram. Ex his igitur patet conclusio præposita.

Quantùm ad secundũ aduerte q̃ præposita conclusio non solùm est ad mentẽ Phil. sed etiã Auicen. & Algaze. Nam Auicen. in 6. Naturalium tenet esse impossibile puncta ordinari ad compositionem lineæ, similiter esse impossibile corpus ex punctis componi. Algazel autem in sua Metaphysica conatur pluribus rationibus idem demonstrare, quas longum esset hic formare. Sed tu vide ad placitum.

Quantùm ad tertium aduerte quòd tenentes oppositum multipliciter argũt, & primò sic, Partes diffinitionis significant partes rei, quoniam diffinitio indicat essentiã & principia essentialia rei, & in hoc distinguitur descriptio à diffinitione: sed puncta sunt partes diffinitionis lineæ, est enim linea apud Euclidem, longitudo sine latitudine cuius extrema sunt duo puncta, ergo puncta sunt partes lineæ.

Ad hoc negatur maior vniuersaliter sumpta, quoniam nõ verificatur nisi de diffinitione substantiæ completæ, cuius partes diffinitiuæ sunt proprium genus & propria differentia, & quoniã formæ & accidentia diffiniuntur per additamentũ, vt determinatũ est in li. 7. Meta. ideo propositio maior non habet veritatem in illis, linea aũt est accidens, propterea nõ est necesse omne diffinitiuũ lineæ esse partẽ lineę.

Sed cõtrà, Hęc respõsio videt repugnare Phil. in 1. Poster. in ca. de Per se, vbi assignãs primũ modũ dicit, q̃ substãtia lineæ est ex punctis, ergo puncta cõponunt substantiã lineæ.

Ad hoc dicitur q̃ exẽplum Phil. non est ad mentẽ suã, sed adducit ipsum, quia famosum erat apud Antiquos, lineã cõponi ex indiuisibilibus & resolui in indiuisibilia, nam mos fuit Arist. frequenter exemplificare iuxta sententias Patrũ.

Secundò sic, Aut nullum punctum est medium inter primũ punctũ lineæ A, & omnia alia puncta eiusdẽ lineæ, aut aliquod est mediũ. Hæc disiunctiua patet, quia partes mutuò contradicunt: si datur secundũ ergo illud punctũ mediũ erit immediatũ primo puncto, si primum, ergo primũ punctũ & omnia alia sunt immediata, & sic sola pũcta cõponunt lineã.

Ad hoc dicitur in via nostra, quæ est via realis quòd nullum purum punctum cadit medium inter primum & omnia alia, & negatur hæc consequentia, ergo primum punctum & omnia alia sunt immediata, quoniam licet nõ cadat præcisè punctum cadit linea media, & mediante linea cadit punctũ, quia non datur linea sine puncto.

Tertio sic, Aut omni parte magnitudinis est aliqua minor, aut nõ: si primũ, aut illa est diuisibilis aut indiuisibilis, nõ diuisibilis, quia nõ esset minor omni parte, quia nõ esset minor sua parte, ergo indiuisibilis, & sic aliquod indiuisibile cõponit magnitudinẽ, si secundũ, ergo per æquipollentiã aliqua parte nõ est aliqua minor, igitur aliqua est indiuisibilis, ita non est aliqua minor, & sic habetur propositum vt priùs.

Ad hoc dicitur concedendo primũ, & cùm arguitur, Aut est diuisibilis aut indiuisibilis, concedo primum, & vlteriùs concedo, q̃ illa non est minor omni parte magnitudinis, nec hoc repugnat vniuersali cõcessæ, quoniã hæc copulatiua est vera, Omni parte magnitudinis est aliqua pars minor, & illa nõ est minor omni parte magnitudinis, sicut posito quòd mũdus esset æternus, hæc copulatiua esset vera, Omni homine futuro esset aliquis homo futurus posterior, & ille non erit posterior omni homine futuro, alioquin generatio non esset æterna, sic respondendũ esset logicè. Tu autẽ potes te expedire breuiùs & dicere, q̃ omni parte magnitudinis abstãgnata, datur vel dabilis est aliqua minor. & quoniam illæ abstãgnationes tendũt in infinitũ, ideo quacunq; assignata dabilis est adhuc minor, & sic nunquã deueniemus ad indiuisibile. Plura alia argumenta solent in hac materia formari. Sed tu quære. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num sit necesse motum fieri super aliquod diuisibile, ita quòd repugnet fieri super indiuisibile.

Si igitur præsentis motus necesse est moueri per aliquam partem, &c. text. 6.

IN hac quęst. aduerte quod difficultas stat in hoc, Videmus ad sensum q̃ si sit magnitudo vel spacium duorum cubitorum, & in eius medio signetur punctum A illi pũcto potest succesiuè applicari mobile B, motum super tale spacium, ita quòd vna pars prius applicabitur, deinde alia, deinde alia, & alia donec totum B pertransierit punctum A, ergo non repugnat motum fieri super indiuisibile signatum.

Pro resolutione quęsiti sic procedẽdũ est. Primò ponitur distinctio. Secũdò duplex cõclusio respõsiua, & ex secũda apparebit solutio obiectionis factæ. Tertiò defensanda est ratio Philosophi quæ inducetur ad primam conclusionem.

Quãtùm ad primũ sit hęc distinctio, Motũ fieri super indiuisibile potest intelligi dupliciter. Primò q̃ fiat per se, i. cõsiderato indiuisibili præcisè, ita q̃ fi esset separatũ à quolibet diuisibili adhuc posset fieri motus super illud. Secũdò q̃ fiat per accidẽs, i. nõ ,ppter indiuisibile ꝑcisè, sed quia est cõiũctũ alicui diuisibili sup q̃ fit motus, & est signabile in illo diuisibili, sicut in linea pedali est signabile punctũ in medio, &c.

Quãtùm ad secũdum sit hæc prima cõclusio, Nõ est possibile motũ fieri super indiuisibile sumptũ primo modo, & sic probatur ratione Philosophi, si aliquid mouetur super indiuisibile sumpto primo modo, sequuntur duo impossibilia, s. vel simul erit moueri & motũ esse, vel indiuisibile erit diuisibile. Consequentia probatur, Moueatur B super A indiuisibile, ergo habet in se motũ, sicut enim nihil est albũ sine albedine sic nihil mouetur sine motu. Tũc vltrà, Aut simul mouetur & motũ est, aut nõ simul, si simul ergo sequitur primũ impossibile, quod probabitur esse impossibile: si nõ simul ergo prius mouebatur & est posterius motũ, ergo A est diuisibile, quia dum mouetur in A non quiescit in A, nec trãsiuit totum A, quia iam non moueretur in A: nihil enim mouetur super totũ spaciũ trãsitum, sed motũ est, ergo necesse est in A assignare partẽ & partem, & sic indiuisibile erit diuisibile quod est impossibile, quoniã implicat cõtradictionẽ. Quòd autem impossibile sit aliquid simul moueri & motũ esse declaratur dupliciter, primò ex successione motus: nam vt inquit B. Tho. exponens, Sicut possibile est duo tempora esse simul, putà duas horas vt dictũ est in 4. Physic. quia in successiuis repugnat simultas partium, sic impossibile est esse simul moueri & motum esse. Secundo quia vt dicit Cõmentator hoc 6. lib. in commen. 7. tunc moueri esset otiosum. V. g. si simul sint, ambulare ad balneũ, & ambulasse ad balneum, ergo simul sunt ire ad balneũ & esse in balneo, ergo ociosè vadit ad balneum, non enim vadit ad balneum nisi quia dum vadit non est in balneo. Si ergo esse in balneo est simul cum ire, ociosus erit motus eius.

Secũda cõclusio sit ista, Non incõuenit motum fieri super indiuisibile sumptũ secundo modo. Hãc probat sufficienter obiectio posita in principio quæsiti. Nec oportet eam aliter soluere quoniam concludit pro hac secunda conclusione.

Quãtùm ad tertium aduerte quod aliqui sic arguunt contra rationem Philosophi inductam pro prima conclusione, & volunt probare quòd non repugnat simul esse moueri & motum esse, & tamen super hoc fundauit se Philosophus.

Primò igitur sic arguunt, Motus potest esse totus simul, ergo moueri & motum esse. Consequentia videtur nota, quia si motui non repugnat esse totum simul, & tamen est de genere successiuorum non videtur maior ratio quare moueri & motũ esse nõ possint esse simul. Antecedẽs aũt probatur, quoniã dicit Philos. in li. de Sẽsu & Sẽsato quòd cõtingit ali quod totum simul alterari. Sed alterari est motus, ergo, &c.

Ad hoc negatur antecedẽs, ad probationẽ dico quòd non est sensus Philosophi dicere motum quò ad fluxum, & quò ad receptionẽ formæ acquisibilis per motũ esse totũ simul, quoniã de ratione fluxus est successio cui repugnat esse totã simul, & de ratione formæ ad quã est alteratio est tendentia ab imperfecto esse ad perfectũ. Sed intẽdit Philosophus alterari cõtingere esse simul quò ad partes alterabilis, q. d. Non est necesse quòd alterabile alteretur, i. recipiat formam per partem post partem pro tali gradu, sed potest totum, i. quò ad omnes partes simul recipere, vt aqua potest tota simul recipere calorem vel congelationem pro tanto gradu, deinde pro maiori & sic successiuè. Ad argumẽtum ergo dico quòd probatio nõ est ad propositum, quoniã si cõsequentia debet valere est necesse q̃ probet antecedẽs esse verũ nõ respectu mobilis, sed respectu fluxus & formæ acquisibilis per motũ.

Secundò sic arguunt, Moueri mensuratur tempore & motum esse mensuratur instanti. Sed tempus & instans sunt simul, quia de tẽpore non est nisi instans, ergo quando est instans est tempus & quãdo non est instans non est tẽpus, ergo simul sunt & non sunt, ergo moueri & motũ esse sunt simul.

Ad hoc dicitur q̃ minor potest habere duplicem sensum. Primò sic, Tẽpus & instãs sunt simul, quia partes temporis præterita & futura respiciũt instãs vt cõtinuatiuum, & terminatiuum vtriusq;, & hic sensus est verus. Secũdò sic, Tempus & instãs sunt simul, i. vnum non præcedit nec subsequitur alterum, & hic sensus est falsus, quoniã cùm instans continuet præteritũ cum futuro, necesse est ipsum esse posterius præterito, & prius futuro. Ad minorem ergo nego eam pro secundo sensu quo dato vtiq; sequeretur moueri & motum esse, esse simul, i. vnũ non præcedere nec subsequi alterũ. Ad probationem dico q̃ non concludit nisi pro primo sensu qui non infringit propositũ nostrũ, quoniã licet de tempore nõ sit nisi instans, tamen propter hoc nõ aufertur ordo tẽporis ad instans, imò quia de tẽpore non habemus nisi instans continuatiuum, necesse est partem vnã præcedere instans, & alteram subsequi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num magnitudo & tempus & motus sint eiusdem rationis quantùm ad hoc, quod est componi vel non componi ex indiuisibilibus.

Similiter autem necesse longitudini & motui indiuisibile esse tempus & componi ex ipsis nunc existentibus indiuisibilibus. tex. 10.

Magnitudo, tempus, ac motus quò ad compo ni, vel nõ cõponi ex indiuisibilibus sunt eiusdẽ rationis secũdum conse quentiã.

IN hac quęstione aduerte quòd stat difficultas in hoc, Quę sunt diuersorum generum non videntur posse conuenire in vna ratione compositionis. Constat autem quòd magnitudo distinguitur genere à motu & à tempore, quoniã magnitudo est de genere permanentium, tempus autem & motus de genere successiuorum, ergo, &c. Præterea, Dixit Philosophus in 4. lib. Physic. in tex. 71. quòd si motus fieret in spacio vacuo fieret in instanti, ergo stat spacium quod habet rationem magnitudinis & quãti esse diuisibile. & motum esse indiuisibile: ergo non sunt eiusdem rationis quantùm ad componi vel non componi ex indiuisibilibus, & quãtùm ad esse diuisibile vel indiuisibile.

Pro resolutione quæsiti sic procedendum est. Primò ponitur quædam distinctio. Secundò duæ conclusiones respõsiuæ. Tertiò pertractabitur vis secundæ obiectionis factæ in principio quæsiti.

Quãtùm ad primum distinctio sit hæc, Aliqua possunt esse eiusdem rationis dupliciter, primò quia conueniunt in aliqua natura siue specifica siue generica, & hoc modo indiuidua eiusdem speciei dicuntur esse eiusdẽ rationis, quia conueniunt in vna ratione specifica. Idem intellige de speciebus eiusdem generis, quia conueniunt in vna ratione generica. Secundò quia licet non conueniant in natura, conueniunt tamen in aliqua consequentia respectu alicuius prædicati, ita quòd si vnum est tale vel tale, sequitur & alterum esse tale. Verbi gratia, stomachus & caput sunt eiusdem rationis respectu huius prædicati quod est esse bene vel male dispositum: nam hæc consequentia valet, Si stomachus est bene dispositus, caput est bene dispositum, valet etiam respectu sui oppositi. Similiter mare & nauis sunt eiusdem rationis respectu huius quod est agitari & non agitari. Nam si mare nõ agitatur, nec nauis: idem dico respectu sui oppositi.

Quantùm ad secundum sit hæc prima conclusio, Tria prænominata non sunt eiusdem rationis primo modo. Hãc probat prima obiectio, & per se patet. Præterea, Stat vniformitas in partibus magnitudinis, & tamen contingit quòd non stat in partibus motus, nam mobile potest moueri super magnitudinem vniformem, putà æquè planam & tamen in vna parte mouebitur velocius & in alia tardius, ergo magnitudo & motus non sunt eiusdem rationis primo modo.

Secunda conclusio sit hæc, Tria prænominata sunt eiusdẽ rationis secundo modo: probatur, Hæc consequentia valet, Si magnitudo super quam est motus, componitur ex indiuisibilibus, motus super eam & tempus mensurans motum componuntur ex indiuisibilibus: probationem formalem huius conclusionis ad mentem Philosophi, videbis in Epit. nostro super 6. lib. Physi. Tract. 1. & est concl 3. & 4. in ordine. In tertia probatur quòd si magnitudo cõponitur ex punctis, motus super eam componitur ex momentis. In quarta probatur quòd si magnitudo componitur ex punctis vel diuiditur in puncta, tempus mensurans motum super talem magnitudinem componitur ex instantibus vel diuiditur in instantia. Tu igitur vide illic, & sufficiet tibi, & postquã sciueris illas probationes, manifestum erit tibi, quomodo illa tria prænominata sunt eiusdem rationis secundo modo.

Quantùm ad tertium aduerte q̃ non est necesse soluere prim

primã obiectionem, quoniã cõcludit pro prima cõclusione.

Pro secũda autẽ obiectione inuenio duas vias respõdẽdi, vna est Egidij, altera est in via Thomistica quam sustinemus.

Egidius in 6. li. Phy. in expositione tex. 6. respõdens quæst. motæ de diuisione motus secũdum diuisionẽ magnitudinis, dicit q̃ quãdo Philos. ait motũ diuidi secũdũ quãtitatẽ spacij, non loquitur de quãtitate spacij vacui, nec de quantitate mathematica, quoniã sola quãtitas spacij nõ sufficit ad motũ ad formã, nec ad motũ ad vbi, sed vltra talẽ quantitatem requiritur ibi cõtraria dispositio in materia, vel aliqua resistẽtia ex parte medij vel ex parte mobilis. Vnde si grauia mouerẽtur in vacuo, non mouerẽtur in tẽpore, quia non esset resistẽtia in tali motu. Sed loquitur de quãtitate corporis naturalis secũdùm quã quãtitatem semper intelligitur esse aliqua resistẽtia vel medij ad mobile, vel mobilis ad motorem. Cõcludẽs igitur Egidius dicit, q̃ huiusmodi quãtitas de qua loquitur Philos. ad cuius diuisionem diuiditur motus habet annexã resistẽtiã ratione cuius motus factus super talẽ magnitudinẽ fit in tẽpore, & quãtitas motus diuiditur secũdũ quãtitatẽ magnitudinis. Hæc est opinio Egidij, à quo discordat via nostra quã pertractauimus in 4. li. Physic. in q. 17. vbi probauimus q̃ sola quãtitas dimẽsiua spacij etiã remota omni eius plenitudine, & omni resistentia per qualitatem contrariam inter motorem & mobile est causa successionis in motu, & quòd fiat in tempore & ex consequenti diuidatur ad diuisionem spacij, vt spacium quantum est, & non solùm vt est spacium naturale cum resistentia, &c.

Tu igitur vide illic, ex quo sustinebis q̃ quãdo dicit Philosophus motũ & magnitudinẽ esse eiusdẽ rationis quò ad diuidi & componi ex indiuisibilibus vel diuisibilibus accipit magnitudinẽ absolutè, ita q̃ si motus fieret in magnitudine vacua adhuc esset diuisibilis, vt magnitudo quia fieret in tẽpore vt determinauimus in q. prædicta, fundamẽta aũt quæ facit Egidius de indispositiõe materię, de resistẽtia per qualitatẽ cõtrariã, de motu instãtaneo grauiũ & leuiũ in vacuo, soluimus in eadẽ q. in respõsione ad argumẽta quæ fiũt à Cõmẽtistis pro defensione Cõmẽ. quẽ in hac parte sequit Egid.

Ad secũdam ergo obiectionẽ positã in princip. quæsiti dico in via nostra, vt declarauimus in prædicta q. q̃ dictũ Philosophi nõ est absolutè verũ, sed tenet ex aliquo concesso ab Antiquis, putà quòd successio & tarditas & velocitas motus proueniãt præcisè ex plenitudine spacij, ita quòd illa remota motus esset instantaneus quod tamen positum & cõcessum ab Antiquis non est verum, vt illic declarauimus. Et ideo loquendo ex natura rei, siue motus fiat in spacio pleno siue vacuo seruatur eadem ratio per consequentiam quò ad diuisionem & compositionem motus & magnitudinis vt super eam fit motus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Num omne quòd mouetur contingit velociùs & tardiùs moueri.

Omne autem illud quod mouetur contingit & velociùs moueri & tardius. textu 15.

Motũ omne secũdum quod mobile cõtingit velocius vel tardiùs moueri, nõ autem quoduis tale motum.

IN hac quæst. aduerte quòd vt dicit Cõmẽ. in cõmen. 15. & B. Tho. exponens tex. 11. stat difficultas in hoc, Quoniã motus naturalis mobiliũ naturaliũ putà grauium & leuiũ remoto omni impedimento est terminatus à natura in tãta velocitate & tarditate. Virtus enim naturalis quæ est determinata ad vnum nisi impediatur agit secũdùm totum suum posse, & in hoc distinguitur ab agente volũtario. Præterea, vt inquit Commenta. in cõmen. 15. impossibile est quòd cœlum moueatur velocius, vt declarabitur infrà, i. in 8. lib. Physic. ergo videtur propositio esse falsa in qua dicit Philosophus, quòd cõtingit omne motũ velociùs & tardiùs moueri.

Pro resolutione quæsiti sic procedendum est. Primò ponetur distinctio quæ est ad mentem Commen. & quam innuit B. Tho. respondens huic quæsito. Secundò duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò mouebitur dubium contra determinationem & soluetur.

Quantùm ad primum distinctio sit hæc, Mobile similiter & motus possunt dupliciter considerari, primò mobile secundum quòd mobile, & motus secundum quòd motus, id est, mobile secundum cõmunem rationem mobilis non applicando ad hoc vel illud mobile, & motus secundum communem rationẽ motus non cõsiderando inquãtùm est talis vel talis motus putà motus cœli vel lapidis. Secũdò inquantùm est tale vel tale mobile, & motus inquãtùm talis, i. secũdũ quòd mobile est determinatæ naturę, & motus secũdum q̃ est in tali mobili, & si tu vis breuiùs loqui, sic distingue, Mobile & motus dupliciter sumi possunt, primò absolutè, secundò applicatè.

Quãtùm ad secundũ sit hæc 1. cõclusio, Omne mobile cõsideratum primo modo potest velociùs & tardiùs moueri quàm moueatur: probatur sic de mẽte Cõmenta. in cõmen. 15. & B. Tho. Motus est de genere continuorum, & velocitas quæ est in motu est similis diuisibilitati in continuo. Quemadmodum igitur diuisibilitas procedit in infinitum in continuo, similiter velocitas in motu, quoniam si velocitas finiretur in motu secundum quòd est motus, esset possibile motũ esse in instanti. Non repugnat igitur cuilibet motui quod sit velocior & tardior vt motus est, idem dico de mobili, vt est sub motu inquantùm mobile.

Secunda conclusio sit ista, Non omne mobile vt est determinatæ naturæ potest velociùs aut tardiùs moueri quàm moueatur, & hoc loquendo secundum ordinem naturalẽ, iuxta quem habet loqui Philosophus naturalis, vt præcindamus absolutam potentiam diuinam, de qua non est præsentis nogocij considerare, sed aut primi Philosophi aut Theologi. Hæc cõclusio sic probatur ex doctrina Philosophi in 8. Physic. tex. 84. & in 10. Metaphysi. tex. 4. motus primi mobilis est velocissimus in natura, vnde dicit in 10. Metaphy. tex. 4. Motum regularem & velocissimum supponunt eum qui cœli. Tunc sic, Motum motu velocissimo non potest velociùs moueri, hæc patet. Sed ex doctrina Philosophi datur in ordine naturalium motum motu velocissimo, s. primum cœlum, ergo, &c. Præterea, Primum mobile cũ sit inalterabile, vt declaratur in 1. Cœli, & primum mouens cum sit intransmutabile, sunt semper & eodem modo disposita ad motum, ergo motus primi mobilis non potest esse velocior aut tardior. Consequentia patet, quoniam in motibus naturalibus non deprehenditur maior aut minor velocitas, nisi quia mobile aut motor aut medium aliter & aliter se habent.

Quantùm ad tertium aduerte quòd si propositio Philosophi in qua dicit, Omne autem quod mouetur contingit velociùs & tardiùs moueri, non est vera nisi secũdum primam conclusionem & probationem eius, sequitur quod non possit supponi à naturali, nec super eam posit fundare Philosophus hãc cõclusionem, quam intendit probare, scilicet, quòd eiusdem rationis est tempus & magnitudinẽ diuidi in semper diuisibilia, aut in indiuisibilia. Nam supponere motum velocitari in infinitum, vt continuum, videtur esse suppositio mathematica, quæ considerat de continuo vt cõtinuum, & de proprietatibus eius, Philosophus autem non considerat de quanto continuo, nisi vt est in materia naturali determinata. Quare, &c.

Ad hoc dicitur quòd consideratio de magnitudine naturali & de motu, alio modo est in hoc libr. 6. quàm in cæteris partibus Philosophiæ naturalis. Hic enim est consideratio absoluta & non applicata in aliis partibus est determinata, vt in lib. de Cœlo. & in li. de Generatione, ex hoc dico quòd si Philosophus faceret dictum suppositum in cæteris partibus Philosophiæ naturalis, non esset conueniens, quoniam esset contra conclusionem secundam. Ex hoc autem quòd fecit illud in hoc 6. lib. non inconuenienter fecit, quoniam non repugnat mobili naturali absolutè sumpto semper velocius moueri, & motum absolutè sumptum esse velociorẽ & tardiorem. Repugnantia autem hæc prouenit ex determinata specie. Sicut dari maximum & minimum conuenit corpori naturali non absolutè sumpto, sed in tali specie propter talẽ determinatam formam, quæ requirit determinatam quantitatem. Et quando arguitur quòd supponere motum, &c. dico quòd Philosophus non supponit motum velociori in infinitum, vt continuum præcisè, sed vt continuum naturale sine applicatione ad talem vel talem materiam cõsideratum, & hæc non est consideratio mathematica, nam Mathematicus considerat de continuo abstrahendo ab omni materia sensibili tam in genere quàm in specie, Physicus autem considerat de continuo aliquando concernendo materiam sensibilem determinatam, vt in cæteris partibus Philosophiæ naturalis: aliquãdo cõcernẽdo absolutè & vniuersaliter materiã sensibilẽ vt in hoc lib. 6. & quãdo arguitur quòd Philosophus non consideret de quanto continuo nisi vt est in materia naturali determinata, hoc falsum est, quoniam vt docuimus in 1. lib. in q. 1. ens mobile non applicatum ad determinatam materiam, sed vt concernit materiã sensibilem absolutè sumptam est subiectum in his primis libris Philosophiæ naturalis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Num magnitudo & tempus se concomitantur secundum finitum & infinitum.

Et si quidem quodcunque infinitum est & alterum. textu 18.

IN hac quæst. aduerte q̃ stat difficultas in hoc, Nõ incõuenit idem mobile moueri semel & bis & ter & sic in infinitũ super eãdem magnitudinem finitã, quia nõ est maior ratio q̃ moueatur ter & quater quàm millies & infinities, ergo nõ repugnat motũ esse infinitũ & magnitudinem finitã. Præterea, Stat magnitudinem esse infinitã & motũ super eã esse finitum & fieri tempore finito, ergo, &c. Consequentia nota, probatur antecedens, In qualibet magnitudine, sunt partes infinitæ, cùm sit diuisibilis in semper diuisibilia ergo est infinita, quoniã sicut ex finitis finitum, sic ex infinitis resultat infinitũ, ergo, &c. Præterea, magnitudo cœli est finita vt. Cœli tex. 46. & secũdũ Philosophũ motus cœli & tempus mensurãs motũ sunt infinita, quia nũquam inceperũt & nũquã desinẽt, vt conabitur probare Philos. in li. 8. ergo, &c.

Pro resolutione huius quęsiti sic procedendum est. Primò ponetur distinctio de infinito. Secundò duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur obiectiones præpositæ.

Quãtùm ad primum distinctio sit hęc, Magnitudo motus & tempus possunt imaginari esse finita vel infinita dupliciter, primò ex vltimis, i. ex terminis, & dicetur magnitudo finita ex vltimis, si in ea datur principiũ ante quod nihil est illius magnitudinis, & datur post quã nihil est eiusdem. Idem intellige de motu & tempore. Opposito autem modo dicetur magnitudo infinita ex vltimis, quãdo caret tali principio & fine, & dico eodem modo de motu & tempore. Sed intellige de motu infinito facto semel super magnitudinem infinitã ex vltimis, similiter de tempore cõtinuo infinito ex vltimis mensurãte prædictũ motũ; & hoc dico vt præseruetur motus infinitus ex reiteratione, de quo loquemur in solutione obiectionũ. Secũdo ex diuisione & dicetur magnitudo finita ex diuisione, si esset deuenire ad vltimã partem indiuisibilem. Idem intellige de motu & tempore: si autem vt probatũ est supra, est diuisibilis in infinitũ, & in semper diuisibilia dicetur infinita ex diuisione, similiter & motus & tẽpus.

Quãtùm ad secũdum sic hæc prima conclusio, Magnitudo motus & tempus se cõsequuntur secũdum finitũ & infinitũ ex diuisione. Hãc manifestauit Philosophus suprà in text. 10. & nos formauimus tertiã quæstionem huius sexti libri, vt videre poteris. Nam eiusdem rationis est hæc tria cõponi ex diuisibilibus vel indiuisibilibus, & diuidi in semper diuisibilia vel indiuisibilia, quoniam vnum quodque ex quibus componitur, in ea diuiditur.

Secũda cõclusio, Tria prænominata se cõsequuntur quò ad finitũ & infinitũ ex vltimis, ita q̃ si magnitudo est finita motus factus semel super eã nõ potest esse infinitus, nec tempus mensurans ipsum motũ, ita quòd necesse est si vnũ est finitũ, & alia, & si vnũ est infinitum & alia. Hãc quidem conclusionem resolutè probat Philos. in text. 10. & 21. & 22. vt videre poteris. Et nos in Epitomate nostro super 6. Physi. in Trac. 1. in concl. 5. posuimus rationem formalem ad hoc, quam non est necesse hic replicare. Sed vide tu.

Quãtùm ad tertium aduerte quòd prima obiectio concludit de motu infinito per reiterationem, hãc autem intenditur de motu infinito semel facto super magnitudinem.

Secunda autem concludit de infinito ex diuisione in quo sensu magnitudo finita ex vltimis, & motus, & tempus sunt infinita, eò quòd sunt cõtinua, & vt sic sunt diuisibilia in semper diuisibilia. Philosophus autem intendit de infinito ex vltimis, vt patet per secundam conclusionem.

Tertia concludit vt prima de motu infinito per reiterationem, qui non est infinitus ex vltimis, quoniam quælibet circulatio qua mouetur tota magnitudo cœli est finita. Dicitur autem totus motus cœli esse infinitus, quia secundum Philosophum nõ est dabilis prima & vltima circulatio, Philosophus autem intendit hic de motu infinito, qui fit vnus numero & continuus, & non per reiterationem, qualis esset si formica moueretur continuè super lineam infinitam procedendo, & nunquam retrocedendo, de quo constat quòd sicut talis motus esset propriè infinitus sic tẽpus mensurans & linea siue magnitudo super quam esset motus, essent infinita. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Num in nunc temporis posit aliquid moueri.

Quod autem nihil in nunc temporis mouetur, ex his manifestum est. textu 29.

IN hac quæst. non est multa difficultas loquendo de motu propriè dicto, vt distinguitur à mutatione proprie dicta, quæ est terminus motus propriè dicti, vt illuminatio quæ est terminus motus localis, & generatio ac corruptio substantialis quę sunt termini alterationis, quas dicimus instantaneas mutationes, eò quòd motus, vt dicemus infrà, terminatur in instanti. Nam quòd huiusmodi mutationes fiant in instanti iam docuimus in lib. 8. Metaph. in q. 6. & in 1. quęst. 5. lib. Physic. vbi sustinuimus quòd generatio substãtialis non est motus propriè dictus. Quòd autẽ motus propriè dictus non posit fieri in instanti, nunc manifestandum est, deinde soluentur quædam obiectiones.

Sit igitur hæc conclusio respõsiua, Impossibile est aliquid moueri in instanti motu physico propriè dicto. Dico Motu physico ad differentiã motus metaphysici, qui dicitur actus perfecti quales sunt actiones immanentes, vt velle, & intelligere, de quibus determinauimus in libr. 9. Metaphy. in q. 7. quòd fiunt in instanti, & illic declarauimus quare dicuntur actus perfecti. Dico Motu physico propriè dicto ad differentiã mutationis substãtialis de qua diximus in 1. q. 5. lib. quòd est motus communiter dictus. Conclusio igitur sic declarata probatur ad mẽtem Philosophi, & stat vis probationis in hoc, Supponitur instans propriè acceptum esse quid indiuisibile, sicut punctum in linea: tunc sic. Si quid moueretur in instanti tunc si quod aliud mobile esset velocius illo modo moueretur in minori tempore per æquale spacium, quod est cõtra rationem velocioris. Velocius est enim quod in tẽpore æquali, pertranſit maius spacium, vel æquale spacium in minori tempore. Consequentia autem patet, quoniam cùm instans supponatur indiuisibile non potest dari minor mensura, ergo, &c. Præterea, cùm in instanti non possit assignari prius & posterius, sequitur quòd si quid moueretur in instãti, moueri non præcederet motum esse, cuius oppositum determinatum est suprà in q. 2. huius sexti libri. Præterea, Determinatum est in 3. lib. quòd successio & fluxus & tendẽtia ad vlterius est de ratione motus physici. Sed hæc requirunt mensuram partibilem, quoniam & mensurata sunt partibilia: in instanti autem repugnat partibilitas, ergo in instanti nihil potest moueri.

Quantùm ad solutionem quarũdam obiectionum aduerte quòd Gregorius in 2. Sen. di. 6. q. 3. artic. 2. concl. 1. tenet q̃ non repugnat aliquid moueri in instanti, & totum fundamentum suum est, quia si corpus grane descenderet de loco ad locum per vacuum descenderet in instanti. ergo non repugnat motum fieri in instanti. Antecedens autem probat quia si descenderet in vacuo nullam haberet resistentiam. Sed propter resistentiam motus fit in tempore. ergo remota resistentia quæ non potest assignari in vacuo, non est necesse motum fieri in tempore.

Ad hoc applicat quandam respõsionem cuiusdam doctoris dicentis, quòd resistentia propter quam apponitur tempus in motu, est multiplex, vna est medij ad mobile, alia est mobilis ad motorem, & hæc est quoties mobile est distinctum à motore. Nam eo ipso quòd mobile est in alio loco quàm velit motor, quædam resistentia ibi attenditur. Prima tantùm est in motu simplicium, quãdo mouentur in medio pleno, secunda tantùm est in motu corporum cœlestium, & est in motu animalium per vacuum, sed vtraque simul est in motu animalium per medium plenum.

Hãc responsionem conatur Gregorius improbare ex eo quod dicit quòd quotiescunque mobile est distinctum à motore, ibi est resistentia propter quã requiritur tempus in motu. Et probat q̃ sola distinctio mobilis à motore nõ facit resistentiam. Quòd vtique in via nostra concedimus. Sed dicimus quòd hanc resistentiam facit oppositio situum vt declarauimus in li. 4. Physi. in q. 17. vbi respondendo ad secũdam rationem factam pro Commen. declarauimus qualitatem huius resistentiæ vt videre poteris, nec ibi est replicandum.

Præterea, Aliqui sic arguunt, Sequeretur q̃ posito vacuo si animal esset in cacumine turris, & inde se proiiceret ad terrã per vacuũ, nõ descẽderet in instãti, sed in tẽpore, quoniã esset mobile distinctũ à motore. & alibi quam vbi vellet motor, nã esset in turri, & motor vellet illud esse in terra. Sed cõsequens est falsum, quoniã causa quare in motu simpliciũ & in motu naturali animaliũ requiritur tẽpus est resistẽtia medij, medio ergo sublato non mouebuntur in tempore.

Hoc argumentum in via nostra non est alicuius difficultatis, quoniam causa propter quã requiritur tempus in motu non est sola resistentia medij sed quantitas spacij & oppositio situum & id iam manifestauimus in 4. lib. Physi. q. 17. vt videre poteris. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num omne quod mutatur sit diuisibile.

Quod autem mutatur omne diuisibile esse necesse est. textu 32.

Omne quod mutatur physicè, diuisibile esse oportet.

IN hac queſt. aduerte q̃ ratio Phil. qua probat omne quod mutatur eſſe diuiſibile, ſtat in hoc, Omne qd̃ ſecundùm vnã partem eſt in termino à quo, & ſecundùm aliã in termino ad quẽ eſt diuiſibile. Sed omne quod mutatur ſecundùm vnã partem eſt in termino à quo & ſm aliã in termino ad quem, ergo omne quod mutatur eſt diuiſibile. Maior nota, & minor ſic probatur, Omne quod mutatur vel eſt ſecundùm ſe totum in termino à quo: & hoc non, quia dum eſt in termino à quo nondũ mutatur. Vel ſecundùm ſe totũ eſt in termino ad quẽ, & hoc nõ, quia non amplius mutaretur, ſed iam mutatũ eſſet, vel ſecundũ ſe totũ eſt ſimul in vtroq; termino, & hoc non, quia cùm termini mutationis ſint oppoſiti priuatiuè vel contrariè, vel contradictoriè oppoſita eſſent ſimul in eodem & contraria eſſent in eodem non ſolùm remiſſe, ſed etiam intenſè, vt patet quando calefactio incipit ab intenſa frigiditate & terminatur ad intenſam caliditatẽ, ergo à ſufficienti diuiſione reſtat quod partim ſit in termino à quo & partim in termino ad quem.

Sed cõtra hanc rationem inſurgit difficultas, quoniã non videtur minor poſſe eſſe vera, & arguitur ſic, Si omne quod mutatur, &c. aut ly Secundùm vnã partẽ ſtat pro parte quantitatiua ſubiecti quod mutatur, aut pro parte formæ ad quã eſt mutatio, aut vtroque modo: non primo, quia generatio ſubſtantialis eſt mutatio, & tamen falſum eſt dicere, quòd id quod generatur, generetur per partem poſt partem, quoniã agens naturale prius diſponit totã materiã ſuſceptiuã talis formæ maximè in generatione cõpoſitorum perfectorũ: non ſecundo, quoniã forma ſubſtãtialis & maximè cõpoſiti perfecti, vt nunc nõ diſputemus de forma ſimplicis elementi, ſtat in indiuiſibili, & repugnat ei partibiliter acquiri. Quòd aũt non tertio patet, quoniã tertium includit primum & ſecundum, ergo iſta vniuerſalis nõ poteſt ſaluari, Omne quod mutatur partim eſt, &c. quæ fuit minor in ratione formata.

Et quoniã difficultas quæſiti pendet ex veritate huius minoris, (conſtat enim quòd ſi minor eſt vera, bene ſequitur, Omne quod mutatur eſt diuiſibile) ideo ſic procedendum eſt. Primò relictis opinionibus quas recitat Com. & B. Tho. videndum eſt quomodo B. Tho. ſaluat illam minorem & defendenda eſt poſitio ſua. Secũdò quomodo ſaluat eam Comment. & quòd poſitio ſua non contradicit B. Tho. Tertiò mouenda ſunt quædam dubia & ſoluenda.

Quantùm ad primũ aduerte q̃ mens B. Tho. eſt illã minorem verificari in omni mutatione ſiue ſit propriè motus, vt in augmento & alteratione & motu locali, ſiue ſit mutatio diſtincta contra motum propriè dictum, vt illuminatio, & generatio, & corruptio, quæ dicuntur mutationes inſtantaneæ & indiuiſibiles: verificatur autẽ, ſed diuerſimodè, quoniam in motu propriè dicto terminus à quo & ad quẽ ſunt diuiſibiles, vt patet de quantitate dimenſiua circa quam eſt augmentũ & decremẽtum, & de qualitatibus tertiæ ſpeciei quæ ſunt intẽſibiles & remiſsibiles circa quas eſt alteratio, & de loco qui eſt ſuperficies, & de his verum eſt q̃ id quod mutatur eſt per ſe & ratione extremorũ partiũ in termino à quo, & partim in termino ad quem. In mutationibus autẽ indiuiſibilibus, quoniã eorum termini vltimi ſunt indiuiſibiles, non verificatur illa minor ratione terminorũ vltimorum, ſed ratione terminorũ motuum præcedentiũ ordinatorum ad acquiſitionẽ terminorũ vltimorũ indiuiſibiliũ. V.g. Quando generatur ignis ex aqua, licet materia nõ ſit partim ſub forma aquæ, & partim ſub forma ignis, quoniã huiuſmodi formæ ſubſtãtiales cõſiſtunt in indiuiſibili, tamen eſt partim ſub diſpoſitionibus formæ aquæ, putà ſub tanto gradu frigiditatis, & partim ſub diſpoſitionib⁹ formæ ignis putà ſub tanto gradu caliditatis: licet igitur quod mutatur mutatione indiuiſibili nõ ſit partim ſub termino, &c. ratione vltimi termini indiuiſibilis, eſt tamẽ ratione termini diuiſibilis adiuncti: quoniã vt determinauimus in li. 10 Meta. q. 11, qualitates cõtrariæ ſe cõpatiuntur in eodẽ in gradibus remiſsis, & ſic patet quomodo verificatur illa minor tã in mutatione diuiſibili q̃ indiuiſibili, ſed diuerſa ratione, vt expoſuimus.

Ex his patet quid dicẽdum ſit ad obiectionem poſitam in principio quæſiti. Nam pro nunc dicimus quòd in mutatione indiuiſibili verificatur ſecũdo modo non ratione formæ ſubſtantialis, ſed ratione diſpoſitionis adiunctæ. Quomodo autem verificetur etiam primo modo declarabitur infrà.

Sed hæc determinatio non placet Ianduno in 6. Phyſic, q. 13. & obiicit dupliciter.

Primò ſic, Licet illud, quod mutatur indiuiſibiliter, i. qd̃ generatur & corrũpitur ſubſtantialiter habeat partẽ de diſpoſitionibus vtriuſq; termini ante inſtãs generationis, tamẽ in inſtãti generationis, in quo recipitur forma ſubſtantialis indiuiſibilis in materia non habet tales partes, ſed tãtùm ſortem ſubſtantialem cũ diſpoſitionibus ſuis. V.g. Si ex aqua debeat generari ignis, verũ eſt antequã generẽt q̃ oportet materiã habere partẽ de diſpoſitione ignis, quæ eſt caliditas, & partẽ de diſpoſitione aquæ, quæ eſt frigiditas, ſin tpe procedẽtis alterationis, ſed in inſtãti in quo generãt forma ignis nõ habet aliquas diſpõnes formę aquę, ſed ſolas diſpoſiciones, q̃ forma ignis & formã igois. Ariſto. autẽ intelligit q̃ oportet quod mutatur habet partem de termino à quo, & partem de termino ad quem, & nõ ſolùm ante. Et ideo adhuc remanet dubiũ, quo verificatur illa minor in mutatione indiuiſibili.

Secũdò ſic, Aliquę mutationes ſunt ſecũdùm formas quæ non ſolùm ſunt indiuiſibiles ſecũdùm ſe, ſed nec requirũt diſpoſitiones diuiſibiles in ſubiectis quæ recipiunt eas. Sicut ſunt illuminationes & immutationes ſenſuũ à ſenſibilibus. Nam ad hoc q̃ aër illuminetur nõ requirũtur diſpoſitiones præcedẽtes cauſatæ per alterationẽ (idẽ dico de ſenſatione) ſed ſufficit debita proximatio luminoſi & obiecti ſenſibilis. Ergo in his mutationibus indiuiſibilibus illud quod tranſmutatur dũ trãſmutatur non oportet eſſe partim ſub termino à quo, & partim ſub termino ad quem, nec ſecundum extrema nec ſecũdum adiũctũ, quia illud nõ videtur ſufficere.

Ad primũ dico q̃ intentio Philoſophi & B. Tho. in illa minori eſt hæc, Omne quod mutatur dũ eſt in mutari, eſt partim in termino à quo & partim in termino ad quẽ, non autẽ dũ eſt in mutato eſſe, quoniã tũc eſt ſolùm in termino ad quẽ. Quod autẽ generatur ſubſtãtialiter, nõ dicitur propriè mutari niſi dũ eſt in præcedẽti alteratione, quoniam in inſtanti quo recipit formam mutatũ eſt, ita quod mutari non præcedit in his mutatum niſi ratione præcedentis motus. Decipitur autẽ Ianduo, quoniã diſtinguit mutari ſubſtãtialiter à mutato eſſe ſubſtãtialiter, quaſi prius à poſteriori quod non eſt verũ, quoniã in his mutari ſubſtãtialiter & mutatũ eſſe ſubſtantialiter ſimul ſunt. Dico igitur quod illa minor ſic intelligitur à Philoſopho, Omne quod mutatur dũ mutatur eſt partim in termino à quo & partim in termino ad quem, eo modo quo poteſt eſſe dum eſt in mutari, ſcilicet vel ratione extremi termini, ſi eſt motus propriè dictus vel ratione termini adiuncti ſi eſt mutatio indiuiſibilis.

Ad ſecundũ dico quòd intentio Philoſophi eſt loqui de eo quod mutatur motu phyſico, ſenſatio autẽ ſicut nec intellectio nec volitio, non eſt motus phyſicus, vt determinauimus in li. 9. Metaphy. q. 7. ideo nõ eſt ad propoſitum. De illuminatione autẽ dico quòd cùm ſubſequatur motũ localem luminoſi, ille motus localis in illuminatione ſe habet vice diſpoſitionis & alterationis præcedentis, & ideo ſicut illa minor verificat in generatione ſubſtãtiali ratione alterationis priuiæ, ſic verificat de illuminatione rõne motus localis præcedẽtis. Hæc dicta ſint quo ad intentionem & defenſionem B. Tho.

Quãtùm ad ſecũdum aduerte, q̃ cũ illa minor ſic voluerit ſalis affirmatiua Cõment. conatur ſaluare eã per talẽ diſtinctionem, Trãſmutatio eſt duplex: quædã per ſe, quædam per accidens. Trãſmutatio per ſe eſt illa, quæ eſt ſucceſsiua cõtinua, cuius terminus eſt diuiſibiliter acquiſibilis, eò q̃ eſt vel quãtitas dimenſiua, vel forma habẽs latitudinem gradũm, & talis trãſmutatio propriè dicta eſt motus propriè dictus, qui diſtinguitur in augmentum & decrementum & alterationem & motum localem. Tranſmutatio per accidẽs eſt illa, quæ ſecũdum ſe non eſt ſucceſsiua, ſed eſt terminus præcedẽtis trãſmutationis ſucceſsiuæ, & tales ſunt omnes trãſmutationes, quarum extremi termini ſunt indiuiſibiliter acquiſibiles. Dicuntur autem tranſmutationes per accidens, quia non ratione ſui, ſed ratione motus præcedentis merentur dici tranſmutationes: nam cùm ſecundùm ſe ſint inſtantaneæ, non diſtinguitur in eis mutari & mutatum eſſe.

Ex hac diſtinctione dicit Cõment. quòd Ariſto. intendit illã minorẽ de omni eo, quod mutatur mutatione per ſe, & eſt vera: & cõcluſio eſt vera, ſ. q̃ omne tale eſt diuiſibile, non autẽ loquitur Philoſophus de eo quod mutatur per accidẽs, nec debet accuſari Ariſt. ſi omiſit illud, qm̃ de his quæ ſunt per accidens nõ poteſt haberi demõſtratio nec ſcientia. Hęc fuit expoſitio Cõmen. & q̃ nõ repugnet B. Tho. patet ex eo quòd dicit B. Tho. Et hoc eſt quod dicere voluit Auer. quòd hoc eſt per accidens aliquas mutationes eſſe in nõ tempore.

Et ſi quæras ab Auerroë, licet Philoſophus omiſerit id quod tranſmutatur tranſmutatione per accidens, vtrum de eo aliquo modo verificetur illa minor: reſpondet quòd ſic, quoniam omne tranſmutabile tranſmutatione per ſe eſt diuiſibile, cùm eius termini ſint diuiſibiles vt diximus. Sed omne

omne tranſmutabile tranſmutatione per accidens eſt etiam tranſmutabile trãſmutatione per ſe localiter vel alio motu. Nã aër illuminabilis eſt mobilis localiter & alteratiuè quoniam calefactibilis & frigidabilis; & quod generatur ſubſtantialiter eſt mobile ſecundùm locum & alterabile: ergo ſequitur quòd omne quod tranſmutatur etiã tranſmutatione per accidens eſt diuiſibile, inquantùm eſt tranſmutabile per ſe, & hoc eſt quod dicit B. Tho. quòd eſt diuiſibile & ſi non ratione extremi termini, quoniam ille ſtat in indiuiſibili, ſaltem ratione termini adiuncti, de quo diximus ſuprà.

Sed contra prædictam determinationem inſurgunt duo dubia, & ideo tertio loco mouenda ſunt & reſoluenda.

Primum eſt, Tota declaratio facta à B. Tho. & à Com. ſuper illam minorem, Omne quod tranſmutatur partim eſt in termino à quo, &c. tendit ad concludendũ omne quod mutatur eſſe diuiſibile ſecũdùm partes formæ ad quam eſt motus. Sed hoc nõ intẽdebat principaliter Phil. imò intẽdebat q̃ eſſet diuiſibile ſecundùm partes quantitatiuas vt apparet ex his quæ dicit in tex. 32. Sic enim cõcludit, Neceſſe igitur hoc quidem aliquid in hoc eſſe, aliud verò in altero mutantur, & in tex. Com. clariùs id habetur. Sic enim legitur, Sequitur neceſſariò vt tranſmutatum ſecũdùm quandam partẽ ſit in hoc, ſ. in termino à quo, & ſecundùm aliam ſit in hoc ſ. termino ad quem, & Com. exponẽs inquit, Sequitur neceſſariò vt tranſmutatũ in prima tranſmutatione, ſ. quæ eſt tranſmutatio per ſe ſit ſecundùm vnam partem in eo à quo eſt tranſmutatio & ſecundùm aliam in eo ad quod eſt tranſmutatio primo. Non igitur ſufficit declaraſſe omne quod tranſmutatur eſſe diuiſibile ſecũdùm partes formæ, ſed eſt neceſſe manifeſtare quomodo eſt diuiſibile ſecundùm partes quantitatiuas, ita quod dum mutatur eſt ſecũdùm vnã partẽ quãtitatiuã in termino à quo, & ſecũdùm aliam in termino ad quẽ.

Ad hoc dubium non recedendo ab intentione B. Tho. quã & acceptant Commentiſtæ in ſolutione huius dubij, dico q̃ vtique Phil. in hac cõcluſione, Omne quod mutatur eſt diuiſibile intendit de diuiſione in partes quãtitatiuas, & quoniã iſta diuiſio patet magis in eo quod mouetur localiter, ideo & concluſio & illa minor aſſumpta intelligẽda eſt de moto localiter: nam de eo verũ eſt ſimpliciter dicere q̃ dum mouetur non habet ſimul & ſecundùm idem aliquid de loco à quo, & aliquid de loco ad quem, quia nõ eſt intelligibile naturaliter loquendo idem ſecundùm idem eſſe in diuerſis locis, dum mouetur: ſed prout ſecundùm vnam partẽ recedit à loco A, ſecundùm aliã ſubintrat locũ B, prout egregiè declarat B. Tho. in fine dubitationis quã mouerat. Sic igitur cõcluſio & ratio Phil. intelligẽda eſt principaliter de moto localiter, quoniã neceſſe eſt ipſum eſſe diuiſibile ſecundùm partes quãtitatiuas. De motis autem aliis motibus & mutationibus per accidens verificatur ex cõſequenti & ſecundariò. Nam probabitur in 8. li. q̃ motus localis eſt primus motũ. & ſupponitur omni alij motui, ita q̃ & augmẽtum & decrementũ & alteratio non poſſunt eſſe ſine motu locali ex 8. lib. tex. 55. vbi inquit Phil. Hæc aũt, ſ. augmentum & alterationẽ ſine loci mutatione non cõtingit eſſe. Omne ergo quod mutatur aliis motibus propriè dictis eſt mobile localiter. Sed omne mobile localiter eſt diuiſibile ſecundùm partes quantitatiuas, vt dictum eſt, ergo ex conſequenti omne mobile aliis motibus propriè dictis eſt diuiſibile ſecundùm partes quantitatiuas. & vlterius quia vt dictũ eſt ſuprà, omne quod mutatur mutatione per accidens, eſt mutabile mutatione per ſe, & omne tale eſt diuiſibile ſecundùm partes quantitatiuas, vt proximè probatum eſt, ſequitur q̃ omne mutabile mutatione per accidens ſit diuiſibile ſecundùm partes quãtitatiuas. Ex quibus ſequitur, q̃ omne mobile motu & mutatione phyſica eſt corpus. Nam quod mouetur motu phyſico eſt ſubſtantia, vt homo aut lapis, vt dixit Phil. in lib. 5. in tex. 34. & nunc probatum eſt quod eſt diuiſibile ſecundùm partes quãtitatiuas, omne autem tale eſt corpus, vt patet ex diffinitione corporis apud Phyſicum ergo, &c. Et hoc eſt quod intendebat B. Tho. in Procemio 1. lib. Phyſi. cùm dixit, non dico autem corpus mobile, ſ. eſſe ſubiectum, quia omne mobile eſſe corpus probatur in iſto lib. ſ. in lib. 6. Phyſic. nulla autem ſcientia probat ſuum ſubiectum.

Patet igitur quomodo illa minor aſſumpta in ratiõe Phil. eſt vera tam de partibus formalibus, quàm dẽ quantitatiuis modo quo declaratũ eſt. Et ſic patet propoſiti dubij ſolutio.

Secũdum dubium eſt, quia non videtur verum quod dicit Phil. in ratione aſſignata pro cõcluſione propoſita. Dicit enim, Non enim in vtriſq; neque in neutro poſsibile eſt eſſe. Et intendit q̃ id quod mutatur dum mutatur nõ poteſt eſſe in vtroq; termino. Hoc aũt eſt falſum, quoniã videmus in aqua dum calefit eſſe ſub frigiditate pro aliquo gradu, & ſub caliditate pro aliquo gradu. Nam ſicut partibiliter & cum latitudine acquirit caliditatem per intẽſionem ſic deperdit partibiliter frigiditatem per remiſsionem, ergo in toto iſto motu aqua dum calefit eſt ſub vtroque termino.

Ad hoc dicunt aliqui, q̃ Phil. intendit q̃ omne quod mutatur dum mutatur nõ eſt in vtroque termino ſecundùm idẽ, ſed ſecundùm partes, ita q̃ ſecundùm vnã partẽ eſt ſub vno, & ſecundùm aliã eſt ſub altero, & ſic iſti tenent eſſe impoſsibile aliquod alterabile dum alteratur ſimul & ſecũdùm idẽ habere aliquid de vtroque termino, & dicũt hanc eſſe intentionẽ Phil. in hoc li. 6. in tex. 32. cùm dicit, Neceſſe igitur hoc quidẽ aliquid in hoc eſſe, hoc autem in altero mutãtis, i. mutati. Et confirmant per Com. qui in 8. lib. Phyſi. com. 34. dicit q̃ illud ex quo tranſmutatur, & ad quod tranſmutatur ſunt oppoſita neceſſariò, & vtrunq; eorum eſt in parte tranſmutabili alia ab illa in qua eſt reliquũ, & hoc eſt cõmune omni tranſmutationi. Intendit ergo Com. quòd terminus à quo eſt in vna parte tranſmutati, & in alia terminus ad quem.

Sed hæc poſitio videtur repugnare Phil. in li. de Senſu & Senſato, qui ponẽs differentiã inter motum localem & alterationem, dicit ſic, Omnino aũt nec ſimiliter in alteratione ſe habet & latione, lata nanq; rationabiliter in medio prius attingunt. Quæcunq; verò alterantur non adhuc ſimiliter. Contingit enim totum ſimul alterari, & nõ dimidium prius valet aquam ſimul omnem coagulari: hæc Phil. Ex quibus arguitur ſic, Sumo illam totam aquam quam dicit Phil. cõtingere ſimul cõgelari, & diuido in duas partes A & B, & quæro aut in A eſt ſola frigiditas, aut ſola caliditas, aut caliditas & frigiditas ſimul, ſi dicis q̃ eſt ſola caliditas, ergo A eſt ſolùm in termino à quo frigefactionis, ſumatur enim cõgelatio pro frigefactione, ex conſequenti non frigefit, quia dum mobile eſt præciſè in termino à quo, nondũ mouetur, ſed ponitur ſecundùm Phil. totã illam aquã, cuius A eſt pars, ſimul frigefieri, & ſic ſequitur contradictio, ſ. q̃ aliquod totũ ſecũdùm ſe totũ moueatur, & tamẽ vna eius pars nõ moueatur, quod implicat, ſi dicis q̃ in A eſt ſola frigiditas, ergo ipſa ſola eſt ſub termino ad quem, & ſic ipſa non mouetur, cuius oppoſitum ponitur in caſu quòd tota congeletur ſiue frigefiat. Implicat enim aliquod totum ſimul moueri, & aliquam eius partem non moueri. Tenẽdum eſt ergo in A eſſe ſimul calorem & frigiditatem remiſsè tamen.

Dicendũ eſt ergo aliter ad propoſitũ dubiũ, & concedendum in alteratione idem ſecundùm idem ſimul eſſe ſub vtroque termino remiſsè tamen, vt ratio adducta probat. Propoſitio aũt Phil. qua dicit, Non enim in vtriſq; neque in neutro poſsibile eſt eſſe, non verificatur omnino niſi in motu locali, qui eſt verè continuus. Et Phil. in hoc lib. 6. agit de motu ſub ratione continui. Augmentum aũt & alteratio vt probat Phil. in lib. 8. non ſunt ſimpliciter motus cõtinui, & ideo nõ verificatur in eis dicta propoſitio, niſi quando vna pars alterat aliam propter debilitatem & paruitatem alteratis. Quando verò totum alterabile, putà amphora aquæ tota ſimul attingitur à vigoroſo alteratẽte, tunc tota & quælibet eius pars eſt ſub vtroq; termino remiſsè, & ſe habet ſicut quoddã indiuiſibile quantùm ad hoc q̃ ſimul totum alteratur, & non per partẽ poſt partem, licet aũt totum & omnes partes eius, ſint ſub vtroq; termino, tamẽ propter hoc non ceſſat alteratio, quia eſt proceſſus ad deperdendũ perfectiorẽ gradũ termini à quo, & ad acquirendum perfectiorem gradũ termini ad quem. Sic igitur occurrit dicẽdum ad prædictũ dubium.

Et quãdo dicit allegata opinio, hanc eſſe intentionẽ Phil. & confirmari per Com. in lib. 8. Phy. reſpondeo illud dictum Philoſ. & Com. non eſſe intelligẽdum ſimpliciter niſi in motu locali. Dixi quod occurrit, & ſi tu melius inuenies lętabor in te. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO VIII.

Num illud in quo aliquid primò mutatum eſt, ſit indiuiſibile.

In quo autem primò mutatum eſt, quod mutatum eſt neceſſe eſt atomum eſſe. tex. 44.

Id, in quo quippiam primo mutatum eſt indiuiſibile eſſe oportet.

IN hac queſt. aduerte, q̃ ſicut punctum eſt terminus lineæ, & inſtans temporis, ſic mutatum eſſe eſt terminus motus, & ſicut probauit Phil. motũ fieri in tempore, quia nihil mouetur in inſtãti, vt determinauimus in q. 6. huius 6. li. ſic nũc intendit primũ terminũ motus, quem appellat, Primò mutatum eſſe, fieri & menſurari inſtanti & non tempore. Difficultas aũt propoſiti quæſiti ſtat in hoc, Contingit quòd illud ad quod aliquid primò mutatũ eſt eſſe diuiſibile, putà per motum augmenti augmentabile mutatur primò ad quantitatẽ

continuam quam constat esse diuisibilem, & per motum lo calem mobile mutatur primò ad locum A, quem cõstat esse diuisibilem, cùm locus sit superficies: ergo mẽsura huius primò mutati esse debet esse diuisibilis. Cõsequentia patet, quia mensura debet esse proportionata & cõformis mensurato, aliter nõ notificaret mensuratum ex x. Meta. tex. 4. vbi dicit Phil. Semper aũt cognatũ est metrũ, i. Semper mẽsura debet esse eiusdẽ naturæ vel eiusdẽ mensuræ cũ mensurato. Ergo si id ad quod aliquid primò mutatum est, est diuisibile, id in quo vt in mensura primò mutatum est, debet esse diuisibile.

Pro resolutione igitur quæsiti ponetur conclusio responsua de mẽte Philosophi & probabitur. Deinde soluetur obiectio præposita.

Conclusio sit hæc. Primò mutatum esse non fit in tempore sed in instanti, & sic necesse est mensuram eius esse indiuisibilem. Probatur, Si tu dicis q̃ mensura primò mutati esse est diuisibilis erit tempus. Sit ergo illa mensura A C, & diuidatur in duas partes, s. A B, & B C, tũc quæro, vel in vtraque est primò mutatũ esse, vel in vtraq; est mutari, vel in vna est mutari, & in alia est mutatũ esse. Si primũ, cùm partes temporis habeant ordinem prioris & posterioris, prius fuit primò mutatũ esse in parte priori. Non ergo in toto A C fuit primò mutatum esse sed in parte A B, supponebatur aũt q̃ in toto A C esset primò mutatum esse: si secundum, ergo in A C nõ est primò mutatũ esse, sed solùm mutari. Si tertiũ, sequitur sicut ad primũ, s. q̃ non erat primò mutatũ esse in toto A C, sed in parte tantùm quod est contra propositũ. Nam esse aliquid primò in aliquo toto, est esse in omni eius parte. Præterea, Si ponitur aliquid in toto A C diuisibili esse mutatum primò, erit aliquod mutatũ esse priùs primò, quod implicat. Cõsequẽtia probatur, quoniã cùm A C ponatur diuisibile in partem priorẽ & posteriorẽ sicut & quodlibet aliud tẽpus, prius erit mutatũ esse in parte priori quàm in toto A C, ponebatur autem q̃ in toto A C, esset primò mutatum esse, ergo, &c. Cùm igitur mẽsura primò mutati esse non possit esse diuisibilis, sequitur quòd non fit in tempore, sed in instanti.

Pro solutione aũt obiectionis factæ aduerte q̃ id ad quod aliquid primò mutatũ est, potest dupliciter considerari: primò secundùm se, & ex sui natura, & sic contingit ipsum esse diuisibile, vt argumentũ probat de quãtitate cõtinua ad quã augmentabile mutatur, & considerãdo talem quantitatem, vt diuisibile dico q̃ debet mensurari mẽsura diuisibili sicut docuit Phil. in li. 10. Metap. in tex. 4. vbi dicit, Magnitudinũ enim magnitudo, s. est mensura, & secundùm vnumquodque longitudinis lõgitudo, latitudinis latitudo, &c. Secundò potest considerari quantùm ad receptionẽ in eo quod mutatur, sumendo receptionẽ pro fine acquisitionis formę vel rei ad quã est motus, & sic dico q̃ id ad quod aliquid primò mutatum est, est indiuisibile quo ad receptionẽ. Nam sicut ipsum acquiri est successiuum & mensuratur tempore, sic primò acquisitum esse, est instantaneum & est necesse vt mensuretur instãti, quod est mensura indiuisibilis. Ad argumentum igitur dico quòd vtique probat propositum inquantum id ad quod est primò mutatum esse consideratur secundùm naturam non autem quò ad receptionem, vt declaratũ est. Philosophus verò intendit quò ad receptionem, ac si diceret, Sicut motus mensuratur tempore, sic terminus motus mensuratur instanti, qui terminus dicitur, primò mutatum esse. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Num in motu sit primum mutatum esse à parte antè.

Quod autem secundùm principium omnino non est. Non enim principium est mutationis neque in quo primo quis mutabitur, &c. tex. 46.

In motu finito non assignabile est primũ mutatum esse ex parte principij, i. nisi illud indiuisibile ante quod nihil est de tali motu à quo incipiat.

IN hac quæst. aduerte q̃ difficultas stat in hoc, Concedit Phil. in tex. 46. quòd in motu ex parte finis, i. quoniã termi natur motus est dare primũ mutatum esse, sed non videtur maior ratio quare sit dare à parte finis motus, quàm à parte principij, imò arguitur q̃ sit necesse dare ex parte principij motus & ex parte finis. Nam cuiuslibet continui finiti est necesse dare duo vltima, aliter non esset finitum, vnde & linea finita diffinitur q̃ est lõgitudo, cuius extrema sunt duo puncta. Sed aliquis motus est cõtinuus finitus, vt patet in ictu lapidis, ergo est necesse dare primũ & vltimum mutatũ esse, aliter esset infinitus, aut ex parte vtriusque extremi, aut ex parte vnius sicut & linea si non terminaretur punctis. Præterea, Sicut se habet instans ad tempus, sic mutatum esse ad motũ. Sed in quolibet tempore finito est assignare primum & vltimum instans, vt declaratum est in lib. 4. Physi. ergo in quolibet motu finito est assignare duo mutata esse, vnum ex parte principij & alterum ex parte finis.

Pro resolutione quæsiti sic procedendum est. Primò ponitur distinctio de primo mutato esse. Secundò duplex cõclusio responsiua. Tertiò declarabitur quare est maior ratio q̃ sit assignabile, primò mutatum esse ex parte finis motus quàm ex parte principij, & sic patebit responsio ad obiectiones positas in principio quæsiti.

Quãtùm ad primum aduerte q̃ per Primum mutatũ esse, possumus intelligere duo ex parte principij in motu, primò possumus intelligere primam partem motus, antequàm nõ sit assignabilis prior neque diuisibilis in priorem & posteriorem, secundò possumus intelligere aliquod indiuisibile à quo initiatur motus & ante quòd nihil est de tali motu, sicut in hora est assignabile indiuisibile quod est primum instans ante quod nihil est illius horæ.

Quantùm ad secundum sit hæc prima conclusio, In motu finito ex parte principij non est assignabile primum mutatum esse in primo sensu, probatur, Quilibet motus propriè dictus est de genere continui successiui. Importat enim fluxum siue progressum vt declaratũ est in 3. li. Sed in continuo non est assignabilis prima pars, cùm quælibet pars sit diuisibilis in semper diuisibilia, vt declaratum est ibi prà in hoc 6. li. vnde si tu dicis q̃ in motu A, prima pars sit B, quæro aut B est diuisibile aut nõ: si non, ergo A componitur ex indiuisibilibus, cuius oppositum demõstratum est in 4. huius lib. 6. Si sic, cum continuo successiuo fiet diuisio in partem priorem & posteriorem. Ergo in B est assignabilis pars prior, & sic prima haberet priorem quod implicat.

Secunda conclusio sit hæc, In motu finito ex parte principij est assignabile primum mutatũ esse in secundo sensu: ponitur, Si in motu finito non esset dare primum indiuisibile ante quod nihil est illius motus & post quod est totus ille motus, non posset dici nouus & determinatus motus sicut proportionaliter si in tempore, putà in hora mẽsurante illi motum non esset dabile primum indiuisibile ante quod nihil est illius horæ, & post quod est tota illa hora, non posset dici certum & determinatum tempus, ergo, &c.

Tu tamen aduerte q̃ illud indiuisibile à quo initiatur motus & ante quod nihil est illius motus, non potest dici strictè & proprio significato, Primum mutatum esse, quoniam licet quodcunque indiuisibile in linea dicatur absolutè primum & quodcunq; indiuisibile in tempore dicatur instans, tamen in motu quodcunque indiuisibile nõ dicitur propriè mutatum esse, nisi ipsum præcesserit totus motus vel aliqua pars motus: nam esse motum vel mutatum supponitur præcessisse moueri vel mutari. Nõ enim est intelligibile aliquod esse mutatum quod prius non mutabatur. Cùm igitur ante illud indiuisibile à quo incipit motus, nihil de motu præfuerit dicitur impropriè primum mutatum esse.

Quãtùm ad tertium aduerte q̃ maior ratio stat in hoc, In illo indiuisibili à quo incipit motus, vt dictum est, mobile est omnino in termino à quo, quando autẽ est in termino à quo, nec mutatur nec mutatum est, quoniam ante illud indiuisibile nihil est motus, ergo nec mutatum esse propriè sumendo Mutatum esse, & post illud indiuisibile est totus motus, ergo & omnia mutata esse, quoniã quodcunque mutatũ esse signetur subsequitur aliquam partem motus, in vltimo aũt indiuisibili in quo terminatur motus verum est dicere motum præcessisse, & mobile esse in termino ad quem, ergo verum est dicere in fine motus mobile mutatum esse, & sic patet ex significato proprio mutati esse ratio propter quam debile in terminatione motus, & non in inchoatione.

Ad obiectiones autem factas patet respõsio ex dictis, concludunt enim pro secunda cõclusione, & Phil. intẽdit de prima. Item concludunt de primo indiuisibili quo incipit motus, sed non concludunt q̃ possit dici propriè primũ mutatũ esse. & similitudo facta de tẽpore non valet vt diximus, quoniã licet omne indiuisibile in tempore possit dici propriè stans siue aliquid tẽporis præfuerit siue non, tamen indiuisibile in motu nõ potest dici propriè mutatũ esse nisi aliquid motus præfuerit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum naturalium super sextum librum, Finis.

QVAESTIONES MAGISTRI CHRYSOSTOMI Iauelli, super septimum librum Physicorum.

In septimo lib. Physic. pertractantur infrascripta quæsita.

Nũ aliquid possit moueri à seipso primò & per se, ita quòd secundùm se totum

se totum sit mouens & motum, & non ratione partis.

1 *Num ex omnibus mobilibus possit fieri vnum continuum, ita quòd omnia mobilia contineantur adinuicem.*

3 *Num in motu locali sit necesse mouens & motum esse simul.*

4 *Num alterans & alteratum sint simul.*

5 *Num sit alteratio solùm ad qualitates tertiæ speciei.*

6 *Num æquiuoca sint comparabilia.*

7 *Num regulæ comparationis in motu locali assignatæ à Philosopho sint veræ.*

QVAESTIO PRIMA.

Num aliquid possit moueri à seipso primò & per se, ita quòd secundum se totum sit mouens & motum & non ratione partis.

Omne quod mouetur necesse est ab aliquo moueri, &c. tex. 1.

IN HAC quæst. aduerte quòd in 9. li. Metaph. in q. 3. determinauimus hoc quæsitum sub hoc titulo, Si potentia actiua & passiua æquirant distincta subiecta, & posuimus conclusionẽ hanc, Licet in eodem respectu eiusdem partis possit esse potentia actiua & passiua, nõ tamen eodem modo, nec formaliter, nec secundùm eandem rationem, cum probatione sua, vt videre poteris: ex quibus sequitur q̃ idem vt idem nõ potest esse mouẽs & motum per se primò, sed necesse est inter mouens & motum cadere distinctionem realem, nunc autẽ supponentes rationem Phil. sufficienter formatam & deductam & defensatam contra Galenum & Auicen. à Com. & B. Tho. pro hac conclusione impossibile est motu physico aliquid moueri à seipso per se primò, duo habemus pertractare quæ ingerunt difficultatem contra rationem Phil. vltra obiectiones factas à Galen. & ab Auic. primum est, Si ratio Phil. sufficienter concludit q̃ nihil potest moueri à seipso per se primò: secundum est, Supposito quòd sufficienter concludat vtrum sit demonstratio signi, vel propter quid: nam Commen. tenet primum & B. Tho. tenet secundum.

Quantùm ad primũ videtur, q̃ ratio Phil. non concludat propositũ. Nam per eundem modum arguendi, quo probat q̃ nihil moueri à seipso per se primò, potest probari q̃ nihil mouetur ab alio per se primò. Quod tamẽ est falsum, quoniã cœlum mouetur ab intelligentia per se primò, i. secundùm totum, & non solùm ratione partis. Quod aũt possit eodem modo probari declaratur sic. Phil. sic arguit ad conclusionẽ suam, Nullum quod quiescit aliquo alio quiescẽte mouetur à seipso per se primò, quia quod cõuenit alicui per se primò, nõ remouetur ab eo etiã q̃ remoueatur à quocunq; alio. V. g. Quia habere tres conuenit triangulo per se primò, ex hoc q̃ remouetur à quadrato non remouetur à triangulo, sic in proposito, si aliquid moueretur à seipso per se primò, non quiesceret, i. non cessaret à motu etiã q̃ aliquid aliud quiesceret. Sed omne quod mouetur quiescit ad quietem alterius, i. si aliquid aliud quiescit. Nam cùm omne mobile motu physico sit diuisibile, vt probatũ est in li. 6. habet partes, & si pars quiesceret totum vt totum quiesceret. Implicat enim totum vt totum moueri & partem eius quiescere, ergo nihil mouetur nec moueri potest à seipso primò. Sed eodẽ modo præcisè probatur q̃ nihil potest moueri ab alio per se primò, & arguo vt suprà, Illud non mouetur per se primò ab alio quod quiescit ad quietem alterius. Hæc patet, quia quod conuenit alicui per se primò cõuenit ei etiam q̃ remoueatur à quocunque, ergo si moueri per se primò ab alio cõpeteret alicui, non cessaret moueri per se primò ab alio, etiã q̃ aliquid aliud ab eo quiesceret. Sed omne quod mouetur, quiescit ad quietem alterius, quia cùm sit diuisibile in partes, si vna pars quiesceret totum, vt totum quiesceret, ergo nihil mouetur ab alio per se primò quod tamen est falsum. Ergo ratio Philosophi est inutilis.

Ad hoc dico q̃ nõ est similis ratio in eo quod ponitur moueri à seipso primò, & quod mouetur ab alio primò. Nã posito q̃ aliquid moueatur à seipso primò esset necesse totum moueri à seipso, & totũ mouere seipsum, similiter omnẽ eius partẽ moueri à seipsa & mouere seipsam, qd̃ est penitùs impossibile, quia, vt probabitur in li. 8. idem secundùm idẽ & eodẽ modo se habens esset in potentia vt motum, & in actu vt mouens, quod implicat contradictionem. Et quod sit penitùs impossibile iam declarauimus in li. 9. Metaph. in q. 3. Si autem aliquid mouetur ab alio primò, non est necesse totum & omnes eius partes moueri & mouere, sed sufficit moueri, ideo nõ est similis ratio. Id pro nunc mihi occurrit, sed fateor non quiesco, ideo & tu considera, quoniam difficultas est apparens & si aliàs melùs occurrerit dicam.

Quantùm ad secundum aduerte q̃ Com. in com. 2. tenet rationẽ Phil. esse demõstrationem signi & non simpliciter, i. demonstrationẽ quia, & non propter quid, vnde inquit, Declaratum est igitur ex hoc sermone q̃ ista demonstratio est vera, & q̃ est de genere certorum signorum, licet non sit de genere demonstrationũ simplicium, hæc Com. Sed B. Tho. tenet q̃ est demonstratio propter quid, quia est per causam propter quã ostendit Phil. esse impossibile aliquid moueri à seipso primò. Hanc aũt causam sic declarat B. Tho. Ostendit Phil. in lib. 6. omne mobile esse diuisibile in partes, & ex hac posteà ostẽdit q̃ non datur nec poteſt inueniri primũ in motu nec ex parte mobilis, nec ex parte magnitudinis, cum sint diuisibilia in infinitum. Et ex hac ostẽdit q̃ in motu non est inuenire aliquod primum cuius motus non dependeat à priori, & cùm totum depẽdeat à partibus, motus etiã totius dependet à motu partiũ. & ex hac sequitur q̃ si pars quiescit totum quiescit, & ex hac sequitur, vt ex causa proxima, q̃ nihil potest moueri à seipso, per se primò. Cùm igitur ratio Philosophi procedat ex causis ordinatis in consequentia vsque ad immediatam quæ est immediata causa conclusionis, & illa ordinatè resoluatur vsque ad primam, s. q̃ omne mobile est diuisibile in partes merito tenet B. Thom. hanc esse demonstrationem propter quid, & non solùm à signo, id est à posteriori, vt tenet Commentator.

Et aduerte q̃ Iand. in 7. Phy. in q. 1. nesciuit aliter reprobare deductionem B. Tho. & ostendere hanc non esse rationem Arist. nisi dicendo q̃ quãuis ista esset demonstratio propter quid, quam B. Tho. inducit, tamen Philos. in textu non vtitur illa demõstratione, sed longè alia, nam ad probandũ q̃ nihil mouetur à seipso primò, non innititur huic medio, q̃ motus cuiusl bet totius dependet ex motibus suarum partium, vt clarum est intuẽti literam Aristo. sed innititur huic medio, quòd si pars quiesceret, totum non moueretur primò, & sic non bene se habet ille homo in hoc, & siquis dicat quòd motum totius dependere ex motibus partium est causa quod si pars quiesceret totum quiesceret, ex hoc habeo intentum, s. quòd ista sunt diuersa, & quòd non est eadem demonstratio, quæ innititur super ambo hæc. Hæc Iandunus.

Cui respondemus, q̃ licet Phil. in hoc tex. 7. li. non adduxerit hanc propositionẽ formaliter, q̃ motus totius pendet ex motu partiũ, tamen supponitur ex his, quæ dixit in li. 6. vt ostendimus in deducendo rationẽ per consequentias, ex quibus tantùm vltima explicatur in hoc septimo, f. Si pars quiesceret, totum quiesceret: ergo nihil mouetur à seipso primò: illa autẽ conditionalis reducitur ad hanc, quia motus totius pendet à motu partium, & sic dico, q̃ licet ratio Phil. innitatur immediatè huic, Si pars quiesceret totum quiesceret, tamen resoluendo innititur huic, Motus totius pendet à motu partium. & ideo non est alia demõstratio, sed eadem: magis tamẽ explicata à B. Tho. quàm ab Arist. ex his quæ dixit ibidem, & quæ vult Phil. hãc subintelligi: & quando dicit Iand. q̃ habet intentum, s. q̃ ista sunt diuersa, &c. nõ sequitur quòd non sit eadem demonstratio. Quia non omnis diuersitas medorum diuersificat specie demonstrationem, nisi ea media quæ non sunt subordinata in cõsequentia. Modo ex eo quòd motus totius dependet ex motu partium, sequitur quòd si pars quiescit totum quiescit, & ideo est eadem demõstratio & propter quid, & non signi, vt tenet Commentator.

Et aduerte q̃ Iand. volẽs declarare pro defensione Com. q̃ hæc demonstratio non sit propter quid, sed signi, adducit hoc principium. Cùm aliqua affirmatio est causa alicuius negationis, nõ oportet vniuersaliter q̃ affirmatio opposita illi negationi sit causa negationis illius affirmationis. V. g. Aliquid esse rationale, est causa quòd non sit rudibile, sed esse rudibile non est causa huius negationis, scilicet non esse rationale. Sic in proposito, quod moueri remoueatur à toto si remouetur à parte, hæc non est causa propter quam moueri primò à seipso non insit toti, &c.

Ad hoc dicimus q̃ suum principiũ non est verum, quando illa affirmatio potest reduci ad affirmationem priorem dicentẽ causam. V. g. stando in exemplo suo, Licet esse rudibile præcisè & secundùm se non sit causa quòd aliquid non sit rationale, tamen si ista affirmatiua reducatur in aliã priorẽ. V. g. Si arguatur sic, Hoc est rudibile quia est irrationale & quia est irrationale non est rationale, dico quòd est ratio per causam, quia ex eo quòd est esse irrationale cõcluditur hæc negatiua, Ergo non est rationale, sic dico in proposito, quia

ista, Si pars quiescit, totum quiescit, reducitur ad hāc, Motus totius pendet à motu partium, ideo ratio Philosophi est demonstratio propter quid, & est firmissima, & vt dicit D. Albertus in lib. 7. Phys. in Tract. 1. in ca. 1. hæc demonstratio est optima in qua multi hactenus errauerunt: hæc Albertus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num ex omnibus mobilibus posſit fieri vnum continuum, ita quòd omnia mobilia continuentur adinuicem.

Erit enim ex omnibus vnum ipsum totum aut continuum. Hoc igitur contingens accipiatur. tex. 8.

Mouētia omnia & mobilia vt corporea & cōtinua sūt, continuari adinuicē possunt vt verò talia corpora, & secundùm proprias naturas minimè.

IN hac quęst. aduerte quòd stat difficultas in hoc, Certum est ꝙ inter mouētia & mobilia naturalia, quædā sunt corporea, quædam sunt perpetua, vt cœlestia corpora, quędam corruptibilia, vt elementa & quæ ex eis sunt, sed impossibile est perpetuum continuari corruptibili. Et inter corruptibilia quædam sunt contraria adinuicem ex qualitatibus contrariis, vt patet in elementis, contraria autem licet possint se tangere in extremis, non tamen continuari: videtur ergo dictũ Philosophi esse omnino falsum, quod tamen supponit, vt possibile. Dicit enim, *Hoc igitur vt cōtingēs accipiatur.*

Pro veritate huius dicti, aduerte ꝙ pręcipui Expositores, vt D. Alber. & Egid. cōcordant cum expositione B. Tho. quæ stat in hoc, Mobilia & mouentia omnia simul sumpta corporea tam superiora quàm inferiora, tam contraria quàm non cōtraria, tam simplicia quàm composita, tam animata quàm inanimata, dupliciter considerari possunt, s. vt corporea, vt ex corporeitate vnumquodque eorum est quantum continuum: & vt sunt talia corporea, i. vt determinata ad suas proprias naturas, primo modo non repugnat eis continuari, secundo autem modo sic. & Phil. intēdit hic primo modo, & non secūdo modo, & obiectiones factæ cōcludunt pro secūdo modo, & non pro primo, & hanc expositionē virtualiter tenet D. Alber. in 7. Phys. Trac. 1. ca. 4. vbi inquit, Si autem forte aliquis obiecerit ꝙ hęc demonstratio non valet, quia non concludit simpliciter, sed concesso quodam falso, hoc est, ꝙ omnia mouentia & mota continuentur, dicemus quòd non impedit nostram demōstrationem, quia licet hoc sit falsum secundùm corpora physica accepta in specie & forma, tamē est possibile secūdùm genus mobilis vt mobile, vt diximus. Dixerat aūt suprà in eodē cap. quòd mobile non contractū ad materiā sed vt diuisibile ex consequenti vt quantū continuum continuabile est cum omni mobili inquātùm mobile, eidem concordat Egid. in 7. Phys. in tex. 8. in q 1. Iand. autem insurgit contra B. Tho. quasi contra aduersarium Comment. & intendit prosternere expositionem B. Tho. dupliciter.

Primò dicit quòd solu[ti]o B. Tho. videtur cōcordare cum solutione Com. in hoc 7. li. in com. 2. qua soluit illam obiectionē, qua ostenditur quòd in aliquibus mobilibus pars nō potest quiescere, vt in cœlo. Ad hanc igitur obiectionē respōdens Com. inquit, Ad hoc aūt dicendū est, quòd partē quiescere corporū, de quibus demonstratū est, quoniā impossibile est vt corrūpantur, aut quiescant, quodammodò est possibile, & quodammodò impossibile: est enim possibile vt corpus, impossibile aūt secūdùm quòd est aliquod corpus. V.g. Neque graue, neque leue, & quia cōsideratio hæc est de corpore secundùm quòd corpus, quoniā motū secundùm quòd motū est corpus, ideo illud quod positū est hic est possibile. Hęc Com. & recitata solutione Com. dicit Iand. quòd cōtra hanc solutionem obiicit hîc Expositor, s. B. Tho. authoritate Auicen. quia propositio est simpliciter impossibilis, si prædicatū repugnat subiecto ratione differētię specificę, quamuis non repugnet ei ratione generis, est enim impossibile quòd simpliciter homo sit irrationalis, quamuis non impediatur esse irrationalem ex hoc quòd est animal, sic igitur simpliciter impossibile est quòd pars corporis mouētis seipsum quiescat, quia hoc est contra rationem talis corporis, licet non sit contra communem rationem corporis.

Recitata obiectione, dicit Iand. ꝙ B. Tho. non soluit illam obiectionē, quę tamē est similiter cōtra eū sicut cōtra Com. quia ipsis mobilibus repugnat ratione naturarū propriarū fieri vnum continuū, quāuis ex eo ꝙ mobilia sunt vel vt sunt corpora vel quanta nō repugnet eis. Et sic propositio dicēs ꝙ ex omnibus mobilibus fiat vnū est simpliciter impossibilis. Et sic ex eius dictis destruitur respōsio sua, & est mirabile quare iste homo non soluit hanc dubitationē, cùm sit cōtra eius responsionē manifestè, & fortè magis placuit ei apparēter contradicere Com. & ei obiicere, q̄ soluere dubitationē, quæ est cōtra positionē suā, quā soluendo sustineret dictum Com. Hæc Iand. & si aduertis, magis loquitur cōtra B. Tho. ex affectu erga Com. quā ex veritate. Nam B. Tho. non immoratur ad soluendū illā dubitationē, quia vellet contradicere Com. vt dicit Iand. cuius signū est, ꝙ B. Tho. recitata responsione Com. dicit ꝙ responsio Com. est conueniens & nō obiicit contra eum, nisi in ostendendo demonstrationē Philos. esse propter quid, & non à signo vt tenet Com. sed nō soluit duplici causa, primò quia B. Tho. recitabat solutionē Com. quæ est duplex, s. de distinctione partis, & de veritate cōditionalis, & aduertēs Com. stabilire se super secundā solutionē vt patet per verba sua in com. 2. cùm dicit, Sed dissolutio super quā sustentandū est in hoc loco est, &c. nō curauit soluere obiectionē factā ab Auicen. contra primā solutionē. Secundò nō soluit, quia apud intelligentē propositio Auicen. assumpta, qua dicitur, Aliqua propositio simpliciter est impossibilis, &c. sumendo ly Simpliciter, i. vniuersaliter & omnibus modis, est falsa, vt declarat B. Tho. in solutione præpositi quæsiti dicens, quòd alio modo sumitur contingens & impossibile, cùm demonstratur aliquid de genere, & cùm demonstratur aliquid de specie, &c. Vide tu. Vnde possumus dicere quòd licet non soluerit eam quando recitabat solutionem Comment. ex causa dicta, tamen nunc respōdendo proposito quęsito, s. si est possibile ex omnibus mobilibus fieri vnum continuum, virtualiter soluit eam. Et sic stat solutio B. Tho. ad præsens quæsitum in robore suo.

Secundò arguit sic cōtra B. Tho. Si omnia mobilia possent fieri vnū continuū, vt quāta siue vt corpora, ita ꝙ vt sic haberent potentiā qua possent fieri vnū continuum, illa potētia esset otiosa per tempus æternum, quia nunquam ex his fiet vnum cōtinuum, quod est impossibile, vt habetur ex multis locis Philos. quia non admittit aliquod ociosum in natura.

Et cōfirmat idem quasi eodem medio, quod non est opus recitare, quoniam laborat in æquiuoco de possibili.

Tu igitur aduerte quòd apud Phil. in 5. Meta. c. de Potestate distinguit de possibili & impossibili hoc modo, Aliquādo dicitur possibile propter potentiā actiuā aut passiuā, & impossibile propter carentiā talis potentiæ, aliquādo aūt non propter realē potentiā, sed propter non repugnantiā terminorū, & dicitur possibile logicū, impossibile aūt propter repugnantiā terminorū. In proposito, quādo dicit Phil. ꝙ accipiatur vt cōtingēs, i. vt possibile ex omnibus mobilib[us] fieri vnū cōtinuū, & quādo B. Th. declarat quomodo possibile & q̄uo nō, accipit possibile & impossibile nō primo modo, sed secūdo, obiectio aūt Iād. ꝓcedit primo modo, ideo nō valet.

Et aduerte ꝙ ipse Iand. ductus veritate cōcedit in illa q. tale possibile, vnde postquàm arguit cōtra B. Tho. inquit, Bene verū est quòd mobilibus vt mobilia sunt siue vt sunt corpora non repugnat fieri vnū continuū, quia omnis repugnātia propriè est ratione alicuius oppositionis, nunc aūt mobilibus nō inest aliqua oppositio vt mobilia sunt ad cōtinuitatē, & ideo vt sic non repugnat ex eis fieri vnū continuū, hæc Iandu. in quibus vt vides tandem concordat cum B. Tho.

Vltimò aduerte ꝙ ipse volens exponere dictū Phil. dicit, ꝙ sibi videtur dubiū, & nescit exponere nisi duobus modis, ex quibus vnus est, ꝙ Phil. nō dixit hoc ex intentione & opinione propria, sed secundùm opinionē eorū cōtra quos illic arguit. Sed quia imaginatio sua nō est fundata, melius est sequi expositionem grauium Expositorum, quales fuerunt B. Tho. D. Alber. & Egid. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num in motu locali necesse sit mouens & motum simul esse.

Primum autem mouens, non sicut quòd cuius causa, sed vnde est principium motus, est simul cum eo quod mouetur, simul autem dico, quia nihil ipsorum est medium, tex. 9.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hoc, Cœlum mouet elementa & hæc inferiora, & tamen non est simul cum illis vt patet, & præcipuè cœlum & hæc elementa residentia circa terram, patet enim quòd sunt aliqua elementa intermedia. Præterea, Sortes proiiciēs lapidem non semper est per totum motum cum lapide, ergo, &c.

Pro resolutione quæsiti sic procedendum est. Primò ponentur quędam distinctiones. Secundò conclusiones respōsiuæ. Tertiò remouebuntur quædam dubia.

Quantùm ad primum sit hæc prima distinctio, Mouēs est duplex, s. proximū & remotum. Proximū quidem est quod substantialiter est applicatum moto, & sine alio mouēte intermedio, vt quando manu moueo calamum scribens. Remotum autem est quod substantialiter distat à moto, & non mouet nisi medio alterius motoris, vt quando moueo lapidem medio baculo qui est mouens motum.

Secunda distinctio, Simultas immediata inter mouēs & motum potest esse duplex, s. secundùm substantiam & secundùm virtutem, vel secundùm virtutem tantum. V.g. Quādo manus mouet calamum, & manus substantialiter & virtus motiua quæ est in manu sunt simul immediatè cum calamo. Quando autem sol agit in terram, & sol & terra sunt immediatè simul secundùm virtutem, vt declarabitur infrà, licet non substantialiter, vt patet.

Tertia distinctio, Mouens esse simul cum moto, potest intelligi dupliciter, primò quòd sint simul tempore, ita quòd posito vno ponitur alterum, & remoto vno remouetur alterum. Secūdò quòd sint simul loco: & hoc dupliciter, primò quòd sint in eodem loco positiuè non solùm communi, sed proprio: secundo quòd sint simul loco, non quia sint in eodē loco proprio, sed quia inter ea non mediat corpus aliud, & sic esse simul loco est esse contigua, vel contacta.

Quantùm ad secundum aduerte quòd licet Phil. intēdat de mouente proximo in tex. præposito, sicut cōmuniter Expositores dicunt, tamen pro maiori doctrina loquemur tam de remoto quàm de proximo, quod B. Tho. dicit immediatum, sit ergo hæc prima conclusio, Mouens & motum actu tam proximum quàm remotum sunt simul tempore, probatur, Mouens & motū actu se habent, vt causa in actu & effectus in actu, quæ simul sunt & non sunt, vt determinatum est in 2. li. in tex. Præterea, ad existentiam motus necesse est ponere mouens, vt à quo est motus, & mobile vt in quo est motus, ergo, &c. Et de hac conclusione nullus dubitat.

Secunda conclusio, Mouens corporeum siue proximum siue remotū & motum corporeum non sunt simul loco primo modo, probatur, Determinatum est in 4. lib. quòd duo corpora nō possunt esse simul in eodem loco proprio, ergo, &c. Dixi mouens corporeum, quoniam si mouens est incorporeum, vt intelligentia mouens cœlum, & anima mouens corpus non est necesse quòd distinguatur loco suo mobili, quoniam incorporea non sunt occupatiuè in loco, sed tantùm per applicationem virtuti, ideo vbi est corpus motum est anima mouēs, & de his verum est dicere, quòd sint simul loco primo modo ad bonum sensum.

Tertia conclusio, Omne mouens proximum corporū est secundùm substantiam simul loco secundo modo accepto cum suo moto, probatur per sufficientem diuisionem factā de motu locali (nam de simultate mouētis & moti localiter in hac q. intendimus) Diuiditur autem motus localis secundùm Philosophum in pulsum, tractū, & vertiginem. In pulsu patet, quoniam impossibile est ad sensum, mouens siue pellens aliquid à se ad aliud pellere nisi tangat illud. In tractu patet, quia fit opposito modo ad pulsum, in vertigine patet, quia componitur ex pulsu & tractu, & hæc omnia clara sunt in textu Philosophi.

Quarta conclusio, Mouens remotum non est simul secundùm substantiam sed secundùm virtutem cum moto. Prima pars patet, quoniam inter ipsum & motum suum est vnum vel plura media, vt patet quādo manus mouet lapidem per vnum aut plura media. Secunda autem probatur, quoniam media mouentia non mouent nisi in virtute primi, ergo quò ad virtutem est immediatum. Et hoc est quod solet dici, Mouens primum mouet immediatione virtutis, sed non immediatione suppositi.

Ex hac quarta conclusione habes solutionem primæ obiectionis, quoniam sol non est mouens proximum, sed remotum, hæc inferiora.

Pro secunda autem obiectione habebis solutionem in lib. 8. in tex. 85. vbi Philosophus mouet dubium de proiectis.

Quantùm ad tertium aduerte, quòd contra tertiam conclusionem sunt duo dubia satis apparentia. Primum est de magnete, qui videtur esse proximum mouens, & trahens ferrum ad se, & tamen non est necesse quòd tangat ferrum, imò per notabilem distantiam trahit, ergo, &c.

Ad hoc dubium respondet Com. in hoc lib. 7. in com. 9. & in lib. 8. in com. 85. à quo non discordat B. Tho. in expositione tex. 10. vbi declarat triplicem tractum. Tu igitur aduerte secundùm Com. quòd attractio est duplex, quædā propria & vera, quædam impropria & metaphorica: vera est in qua attrahens mouetur cum attracto, & hoc quando attractum ad ipsum non fuerit quiescens. Necesse est enim vt motus attrahentis sit velocior quàm motus attracti, & hoc inuenitur in virtutibus volūtariis, & in pluribus virtutibus naturalibus vitalibus, & ideo posita sunt fila in membris animalium. Attractio autem in qua attrahens est quiescens, & attractū motum, non est attractio in rei veritate, sed attractum mouetur ad attrahēs, vt perficiatur, vt lapis ad inferius & ignis ad superius. Et similiter oportet hoc intelligere de motu ferri ad magnetem, & nutrimenti ad membra. V.g. de motu sanguinis ad superiora corporis, & vniuersaliter nutrimenti arborum ad superiora eorum. Sed est differentia inter ista & illa quæ mouentur ad locum proprium, quoniā illa mouentur ad locū siue fuerit propinquus siue remotus, nutrimenta verò non mouentur ad nutriendum nisi fuerint in aliqua dispositione de nutrito, & similiter ferrum non mouetur ad magnetem nisi cùm fuerit in aliqua dispositione de magnete. Et ideo quando magnes fricatur cum aleo amittit virtutem. Nam ferrum tunc non acquirit de lapide in illa dispositione qualitatem, per quam natum est moueri ad magnetē, & hoc manifestum est in ambra quæ attrahit paleam quando calefit. Ergo iste modus motionis si dicatur attractio, nō intendebatur ab Arist. in hoc nomine Attractio, hæc Com. ex quibus respondetur ad dubium motum, ꝙ quando Phil. dicit primum, i. proximum mouens localiter est simul cum moto, ita quòd non habet intermedium, intendit de vero & proprio trahente & de vero ac proprio tractu qui non est inter ferrum & magnetem, sed metaphoricè.

Secundum dubium est, quia Phil. in 2. de Anima in tex. 115. probat ꝙ duo corpora solida non possunt se tangere in aëre aut in aqua, quia de necessitate mediat inter ea aër aut aqua, ergo quando manus apprehendit lapidem in aëre aut in aqua, mouens proximum, quod est manus, non est simul loco secundo modo sumpto cum suo moto.

Ad hoc dicitur ꝙ intentio Phil. non est negare mediū absolutè & omnibus modis inter mouens proximum & motū, sed negare maximè in duobus modis, primò in quātitate notabili secundò in imprimēdo virtutem in medio, & per virtutem impressam in medio mouere motum, sed neuter modus contingit in proposito, quoniā aër aut aqua quæ mediat inter duo corpora solida, est insensibilis quantitatis, ideo est ac si non esset. Præterea ꝙ aër mediet aut aqua, non est quia manus imprimant virtutē mouendi in eis, sed quia cùm sunt in aëre aut aqua de necessitate fiunt humectata, humectatio autem non potest esse sine corpore humido, quale est aër, & etiam aqua, vnde quòd aqua mediet inter manum & lapidē, non est inquantùm mouet lapidem, quoniā etiam si non mediaret manus esset proximum mouens sed est inquantùm humectatur, quare, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Num alterans & alteratum sint simul.

At verò neque alterantis neque alterati vllum est medium. tex. 11.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hoc, Magnes vt trahat ferrum ad se necesse est vt alteret ferrum imprimendo aliquam qualitatem in eo. Cuius signum est vt dixit Com. in com. 9. si ferrum perungatur aleo, non trahitur, quoniam aleum prohibet illam impressionem, & præterea, si nihil imprimeret in ferro, ergo à quacunque distātia traheret ferrum ad se, quod videmus esse falsum. Hanc autem alterationem non facit in aëre medio, quoniam non trahit aërem ad se, ergo vel magnes non est proximum alterans ferrum, vel non est necesse alterans & alteratum esse simul.

Alterās & alteratum quod cūq; sunt simul tempore, non aūt simul loco primò, sed per exclusionē medij corporis: sed alterans remotum simul est secundùm virtutem, nō autem secundùm substātiā.

Pro resolutione huius dubij aduerte ꝙ hîc supponuntur omnes distinctiones factæ in q. præcedenti. Nam sicut deseruiunt mouenti & moto localiter sic alteranti & alterato. Ponentur igitur conclusiones responsiuę conformiter, vt in q. præcedenti, deinde soluentur quædam dubia.

Prima cōclusio, Alterans & alteratum siue proximū siue remotum, sunt simul tempore. Ista probatur eodem medio sicut probata est prima conclusio quæstionis præcedentis.

Secunda conclusio, Alterās & alteratum siue proximum siue remotum, non sunt simul loco primo modo sumpto, vt distinximus in q. præcedenti, hæc probatur vt probata fuit secunda conclusio q. præcedentis. Hîc enim intendimus de alterante corporeo, & similiter de alterato.

Tertia conclusio, Alterans proximum & alteratum sunt simul loco sumpto secundo modo. Hanc probat Phil. in tex. Et ratio sua stat in hoc, Omnis alteratio vel est secundùm sensum vel in re carente sensu, sed tam in hac quàm in illa alterās proximum est simul, i. immediatum alterato, ergo, &c. Maior nota à sufficienti diuisione, quoniam inter rem habentem sensum, & rem non habentem sensum, non datur mediū. Minor autem sic probatur, In alteratione secundùm sensum, vt declaratum est in 2. de Anima sensus mouet medium causando speciem sui in medio, & medium quod pertingit vsq; ad organum defert speciem ad sensum, ita ꝙ mediū est proximum alterans sensum, & sic patet quòd in hac alteratione alterās proximum est simul cum alterato. In alterationibus

aliis, i. quæ sunt in his quæ carẽt sensu, inuenitur q̃ sunt similes alterationibus secundùm sensum, eò q̃ omnes sunt secũdùm sensibiles qualitates, quæ sunt in tertia specie, vt ꝓbat Phil. in tex. 14. ergo sicut in alterationibus secũdùm sensum alterans proximũ & alteratũ sunt simul, sic & in aliis. Et huius quidem conclusionis ampliorẽ probationẽ inuenies in Epitomate nostro in 7. Phys. in Trac. 1. in ca. secũdo & tertio.

Quarta conclusio, Alterans remotum non est simul cum alterato secundùm substantiam, sed secundùm virtutẽ. Hæc probatur eodem medio, vt conclusio quarta præcedentis q.

Sed contra determinata primò videtur esse obiectio facta de magnete, & de sole calefaciente elementa & elementata, & tamen non alterat calefaciendo sphæras intermedias: & de oculo fascinante puerum, qui tamen non est immediatus puero, ergo tertia conclusio non est vera.

Pro declaratione omnium istorum, quoniam peccant in vna radice, aduerte q̃ licet sit necesse in omni alteratione, quæ fit per medium, priùs alterari medium, quàm vltimum, non tamen est necesse hanc alterationem esse semper eiusdẽ rationis in medio & in vltimo, sed fit in medio secundùm naturam medij, & in vltimo secundùm naturã vltimi, ita quòd si vtrunque est capax eiusdẽ qualitatis, fiet in vtroque secundùm eandem rationem, si autem non, non fiet secundùm eandem rationem. Hinc est, q̃ licet primum alterans alteret medium, & per medium, vltimum, nõ tamen semper causatur idem effectus in vtroque. In proposito dico q̃ magnes priùs alterat aërem quàm ferrum, sed non est necesse quòd trahat aërem ex illa impressione, sicut trahit ferrũ, quia non est eadem proportio aëris ad magnetem, & ferri ad magnetẽ propter diuersitatem naturarũ: nec est necesse q̃ sol calefaciens elementa calefaciat sphæras intermedias, quoniam nõ sunt receptiuæ qualitatum peregrinarum, sed sufficit quòd illuminet eas, sicut & quidam piscis captus in rete dicitur obstupefacere manum piscatoris, non tamen obstupefacit rete, quia non est capax stuporis. De oculo autem vetulæ fascinãte puerum dicendum est quòd in corpore vetulæ sunt mali & multi humores corrupti, à quibus resoluuntur subtiles spiritus venenosi, exeuntes maximè per oculos, vtpotè multùm porrosos, & quando vetula diu & fortiter inspicit puerum, fumi illi egressi recipiuntur in aëre, & ab aëre trãseunt delati ad faciem & os pueri, & puer respirando attrahit aërem infectum illis fumis, & aër sic attractus inficit puerum. Et sic patet quòd in omnibus exẽplis datis tam de magnete quàm de sole, & de oculo fascinante semper alterans primũ alterat medium quod pertingit vsque ad vltimum alteratũ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Num fit alteratio solùm ad qualitates tertiæ speciei.

Quoniam autem quæ alterantur, alterantur omnia sensibilibus, & solùm horum alteratio est, text. 14.

Ad qualitates quartæ speciei nõ est per se propriè alteratio, sed per accidens. neque ad qualitates primæ speciei, ad habitus verò ac dispositiones omnes est alteratio per accidens.

IN hac quæst. aduerte quòd principalis difficultas non stat in cõclusionibus, quas ponemus de mente Philosophi, sed in rationibus Philosophi pro illis conclusionibus, & ideo conandum est non solùm probare conclusiones, sed etiam defensare rationes Philosophi.

Sic igitur procedemus. Primò ponetur distinctio de alteratione. Secundò conclusiones responsiuæ & defensabũtur rationes Philosophi, quæ non videntur concludere.

Quantùm ad primum aduerte quòd duplex est alteratio, s. per se & propriè dicta, per accidens & impropriè dicta. Alteratio per se & propriè dicta est motus ad qualitatem partibiliter acquisibilem, secundùm quam videmus subiectum frequenter variari in magis & in minus, & de vna ad alterã qualitatem contrariam sensu deprehensibilem in subiecto, quales sunt primæ qualitates elemẽtares actiuæ & passiuæ, & hoc est vulgatum & famosum appellare huiusmodi trãsmutationem alterationem propriè dictã, eò quòd frequentiùs contingit in subiectis corruptibilibus, & est nobis ad sensum notior: & videmus res frequentiùs variari secũdùm calidum & frigidum, secundùm humidum & siccum, quàm secũdùm habitus siue corporales siue animasticos, & quàm secundùm potentias & imputẽtias, & quàm secundùm figuras. Accipienda autem sunt nomina pro eo quod magis est notum nobis & in quo magis consueuimus, vt declaratum est in 4. libro Metaphysicæ.

Alteratio aut̃ per accidẽs & impropriè dicta est receptio siue acquisitio cuiuscũq; qualitatis de nouo, quæ priùs nõ erat in subiecto, si nõ sit primus & per se terminus motus, sed cõsequẽs & secũdarius. Tales sunt habitus & dispositiones corporeę & qualitates quartę speciei, vt declarabitur infrà.

Quãtùm ad secundum sit prima conclusio, Ad qualitates quartæ speciei non est alteratio per se propriè dicta, probatur à Philosopho duplici ratione.

Prima ratio est hæc, Qualitates, ad quas est alteratio per se & propriè, prædicantur in recto de suo subiecto, in quo recipiuntur. Nam quia per calefactionem aqua recipit calorem, hæc est vera, Aqua est calida. Sed qualitates de quarta specie non prædicantur de subiecto, in quo recipiuntur: hęc enim est falsa, Signũ est figura, putà triangulus, vel pyramis, nec valet etiam prædicatio econuersò, ergo ad qualitates de quarta specie, non est alteratio per se & propriè.

Sed hæc ratio videtur non valere, quoniam aut maior intelligitur de prædicatione in abstracto, aut in concreto. Si primo modo, est falsa, quoniam hæc est falsa, Aqua est calidita. Si secundo modo, maior est vera, sed minor est falsa, nam licet ista est vera, æs est calidum, æs est humidũ, sic ista est vera, æs est figuratum, æs est triangulatum, &c. ergo cùm prędicatio denominatiua & nullo modo in abstracto seruetur tam in quarta specie quàm in tertia, ratio Philosophi nõ magis concludit pro tertia specie quàm pro quarta.

Ad hoc dicitur, quòd licet tã in tertia quàm in quarta specie seruetur prædicatio denominatiua non tamen eodẽ modo. Nam in tertia specie falsum est dicere quòd qualitas, putà caliditas fiat aut generetur sed ipsum cõpositum putà per calefactionem fit calidum siue aqua calida. Sed in quarta specie, verum est dicere quòd qualitas putà triangulus fit, & nõ fit compositum, putà non fit lignum triangulus, sed lignum triangulare. Ad argumentum ergo dico quòd maior debet sic intelligi, Qualitates ad quas, &c. prædicantur denominatiuè in recto de suo subiecto ita tamen quòd qualitates ipsę non sunt quæ fiunt sed ipsa composita. Qualitates autem de quarta specie & si aliquo modo denominatiuè prædicãtur de suo subiecto sunt tamen illæ quę fiunt, & hęc est vera, Idolum fit & pyramis & lectus. Cùm ergo non eodem modo fiat talis prædicatio in tertia & in quarta specie, ideo ratio Philosophi magis concludit pro quarta quàm pro tertia.

Alia ratio Philosophi est hæc, Nihil propriè & per se alteratur quã lo accipit suam perfectionem, quoniam alteratio supponit subiectum actu, & perfectum quò ad essentialia, quam perfectionem accipit per generationem. Sed quando res aptè figurari figura propria siue in naturalibus, siue in artificiatis recipit figuram suam perficitur. Cõsequitur enim figura formam propriam rei. Et ideo sicut res non potest dici perfecta antequàm suam propriam formã habeat, sic nec antequàm propriam habeat figuram, & de hoc cõstat ad sensum tam in naturalibus, quàm in artificiatis. Id autem deficit in qualitatibus tertiæ speciei, nam postquàm productus est Sortes, & ædificata domus, ex hoc quòd dealbatur vel calefit, non recipit essentialiter perfectionẽ suã, sed iam habet ex forma & figura. Ex his autem qualitatibus tertiæ speciei aliquando perficitur accidentaliter, aliquãdo imperficitur.

Sed hæc ratio non videtur valere, quoniam omnia liquida recipiunt diuersas figuras secundùm diuersitatem continentium, cùm sint figurabilia figuris continentium, ex 4. Cœli, & tamen tunc non recipiunt perfectionem essentialiter, aliter toties liquidum generaretur quoties figuratur figuris nouis ex figuris continentium, quod est vanum dicere, ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd hæc ratio propriè cõcludit in rebus figuratis propriis figuris, & non inconuenit quòd sit particularis: sufficit enim quòd concludat ex hoc quòd in aliquo genere rerum receptio figuræ est receptio ex consequenti perfectionis essentialis. In nullo autem genere rerum receptio qualitatum communium de tertia specie, est receptio talis perfectionis: ergo rationabilius ponitur alteratio per se & propriè in tertia quàm in quarta specie.

Secunda cõclusio sit ista, Alteratio per accidens & impropriè potest esse in quarta specie qualitatis, probatur ex declaratione facta in distinctione præmissa. Nam videmus quod cùm cera liquefit, aut induratur, accipit aliam & aliam figuram, & lignum rectum curuatum accipit aliã figuram, ergo.

Tertia conclusio sit ista, Ad qualitates primæ speciei quæ sunt habitus & dispositiones tam corporis quàm animæ nõ est alteratio per se & propriè dicta: probatur ex intentione Philosophi primò de habitibus corporis, Ad ea, quæ sunt ad aliquid, non est motus propriè dictus, vt probatum est in libro quinto. Sed alteratio propriè dicta est motus propriè dictus, vt visum est in libro quinto. Et huiusmodi habitus & dispositiones sunt ad aliquid, vt declarat Philosophus tex. 17. vt videre poteris, ergo, &c.

Sed hæc ratio non videtur valere, quoniam tales habitus sunt perfectiones, non possunt dici ad aliquid nisi secundùm dici, sed non inconuenit ad relatiua secundùm dici esse propriè motum. Patet enim quòd motus localis est ad differentias locales, quæ tamen sunt relatiua secundũ dici, vt locus sursum, & locus deorsum. Præterea, cùm prædicamenta sint impermixta, & huiusmodi habitus sint in prima specie qualitatis, impossibile est quod sint in ad aliquid.

Ad hoc dicẽdum admisso q̃ tales habitus sint relatiua secũdũ dici, q̃ relatiua secũdũ dici sunt in duplici differẽtia. Quædam sunt quæ licet concipiantur relatiuè, tamen essentialiter sunt absoluta, & non fundantur in aliqua relatione, sine qua esse non possint. Quædam autem sunt, quæ licet dicant essentialiter absolutũ, tamen sequuntur immediatè: & consurgunt ex relatione & fundãtur in ea, ita quòd nisi illa posita esse non possunt. In primo gradu sunt differẽtiæ locales, in secũdo sunt habitus corporei, vt sanitas, ægritudo, quę cõsurgunt ex adæquatione & inadæquatione humorũ, pulchritudo & turpitudo, quæ cõsurgunt ex debita & indebita proportione mẽbrorum cum aliis requisitis ad pulchritudinẽ, & ad suum oppositũ. Ad ea, quę sunt in primo gradu nihil prohibet esse motum propriè dictum, quia non sunt relatiua essentialiter nec cõsurgunt ex relatione. Ad ea autem quæ sunt in secundo gradu non est motus propriè dictus, quia licet nõ sint relatiua essentialiter, sapiunt tamen naturã relationis eò q̃ fundãtur in ea. Ex quo patet quid dicendũ sit ad obiectionẽ. Et si tu vis videre efficaciã rationis Philo. forma ea sic, Ad ea quæ sunt essentialiter ad aliquid, vel fundantur immediatè & necessariò in ad aliquid, non est alteratio per se & propriè dicta, sed qualitates primę speciei maximè quò ad habitus corporales sunt huiusmodi, ergo, &c.

Secundò probatur de habitibus moralibus existẽtibus in parte appetitiua sic, Res non alteratur per se & propriè quãdo recipit perfectionem propriam. Sed virtus est perfectio rei, ergo dum recipit, virtutem non alteratur per se & propriè. Maiorem quidem probat Philos. vt patet in tex. Minorem autem sic probat Com. in com. 18. Perfectio rei non est diuisibilis, alteratio autem est in re diuisibili secũdùm magis & minus, vt dictum est de motu in lib. 5. quòd non inuenitur nisi in rebus diuisibilibus. Hæc Com. ergo, &c.

Sed aduerte quòd hæc probatio non placet B. Tho. quia licet virtus consistat in quadam perfectione quę est medii inter duo extrema, illud tamen medium non stat in puncto vt arbitrati sunt Stoici, sed habet latitudinem vt declarabitur in Ethicis, aliter pauci aut nulli essent virtuosi. Præterea, Admisso quòd virtus quæ est perfectio staret in indiuisibili, esse tamen maliciæ & vitij non stat in indiuisibili: quoniam cùm malicia fiet in recessu à virtute, potest magis & minus fieri talis recessus, ergo non est negãda alteratio saltem à malicia propter rationem assignatam à Commentatore.

Tu igitur potes illam maiorem duobus aliis modis probare, primo sic, Sicut dixit Philos. in tex. 16. Si ridiculum est dicere domum accipientem finem, i. perfectionem sibi debitam quando alteratur & tegitur esse alteratam, multò magis esset ridiculum dicere hominem alteratum quando recipit virtutem & propriam perfectionem.

Secũdò sic. Perfectio virtutis, & imperfectio maliciæ sunt in ad aliquid secundùm Philoso. in tex. 17. vbi inquit, Virtus autem & malicia omnis in ad aliquid sunt, sed in ad aliquid nõ est motus nec alteratio per se & propriè, ergo, &c.

Tertiò probatur q̃ ad habitus intellectuales, vt ad scientiam & prudentiam, &c. non fit alteratio per se & propriè, & arguit sic Philo. in tex. 20. Anima nostra recipit scientiam & alios habitus intellectuales, quiescens & cessans à motibus. Sed hoc non esset, si deberet accipere scientiam per alterationẽ, vt patet ergo in parte intellectiua non est alteratio per se & propriè, & maiorem manifestat sic Phil. Quæ autẽ ex principio acceptio scientiæ non est generatio neq; alteratio. Inquietari enim & residere anima sciens fit & prudens.

Sed hæc ratio non videtur valere, quoniam frequenter contingit hominem esse in bona corporis dispositione, nec agitari inordinatis motibus, nec molestari passionibus appetitiuæ partis, vt patet in viro sano virtuoso idiota, & tamen nunquàm efficitur sciens neque doctus, ergo maior propositio non est vera.

Ad hoc dicitur secundùm Com. in com. 20. quòd hæc ratio Philosophi est tãtùm probabilis & persuasiua, & videtur procedere vt dicit B. Tho. ex his quæ dicebantur à Platone, s. quod anima à principio creationis suæ habet scientiam omnium rerum. Sed in puericia impeditur propter multiplices motus humorum, & passionum, & quando sedantur huiusmodi motus, tunc expergiscitur anima, &c. De his enim loquemur aliàs, & dicit B. Tho. non esse mirandum si Philo. hîc fundat rationem suam probabilem super positionem Plat. quoniam est suæ consuetudinis, quòd antequàm probet sententiam suam vtatur sententia aliorum, sicut in lib. 3. Physi. vsus est q̃ omne corpus est graue, vel leue secundũ mentem Platonis, quod tamen reprobabit in 1. Cœli. Quomodo autẽ secundùm sententiam suam generetur scientia in nobis manifestabit in Procemio primi libri Metaphysicæ.

Sed aduerte quòd Egidio in 7. Phys. in q. quam mouet in tex. 20. non placet dictum B. Tho. & dicit quòd non est credibile, quòd in probãdo veritatem Philosophus se fundet super fundamentis falsis, nunquam enim licet arguere ex positionibus falsis, nisi arguendo cõtra tenẽtes positiones falsas, quia tunc ex dictis eorum licet arguere contra eos.

Sed Egidius non consideauit quòd ad cõclusionem propositam Philo. nonvtitur sola hac ratione fundata in opinione Platonis, nam aliam secundùm sententiam propriã præmiserat in tex. 20. cùm dixit, Sciens enim ad aliquid maximè dicitur. Et postquàm fundauit conclusionem super rationẽ propriam, non fuit incõueniens hanc vt suasibilem adducere, secùs esset si hanc solam posuisset. Dico vlteriùs, quòd B. Th. vt patet declarat, quomodo hæc ratio potest verificari in doctrina Arist. & declaratio quam facit Egidius cõcordat cum tertio susceptiuo assignato à B. Tho. Ideo in hoc non habuit Egidius veram causam improbandi dictum B. Tho.

Quarta conclusio sit ista, Ad habitus & dispositiones tam corporis quàm animæ est alteratio per accidens. Hanc declarat Philo. in tex. 19. ibi, Quod autem alteretur aliquid manifestum est, &c. & in tex. 20. ibi, In vtrisque autem his alterari aliquid accidit. Et quomodo fiat huiusmodi alteratio per accidens tam in parte animæ sensitiua quàm appetitiua declarat ad plenum B. Tho. vide tu.

Sed quæret aliquis, cùm sint quatuor species qualitatis, quare tacuit secundam?

Ad hoc respondet Com. recitans Alexandrum in com. 20. quòd hoc ideo fecit, quia potentia naturalis non est qualitas. Opinatur enim quòd potentia rei non distinguatur à forma rei, forma autem rei sicut & materia est substantia. Sed id non acceptatur in via nostra, quoniam in nullo præterquàm in primo principium proximum agendi est substantia, & de hoc iam loquuti sumus in lib. 2. de Anima in q. 12. & ideo dico cum B. Tho. quòd eam prætermisit, quoniam manifestum est naturalem potentiam sequi ad formam rei, forma autem rei ponitur per generationem & remouetur per corruptionem, generatio autem & corruptio subsequuntur alterationem, & sic tam forma rei quàm potentia sua naturalis non sunt termini primò & per se alterationis: vnde manifestũ est quòd ad potentiam naturalem & ad suum oppositum non est alteratio per se & propriè, sed per accidens vt dictum est de prima & quarta specie. Reliquit igitur eam vt manifestam. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Num æquiuoca sunt comparabilia.

Sed quæcunque non æquiuoca comparabilia sunt, putà, quare non comparabile, vtrum acutius vinum aut stilus, aut vltima, s. vox sus corda cytharæ. Quia enim æquiuoca non comparantur. text. 14.

Comparatio secundum proportionem non potest esse inter æquiuoca nec analoga, sed vniuoca: at comparatio secundũ proportionalitatẽ dicetur inter æquiuoca esse non possit, potest tamen esse inter analoga.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hoc, Si aliqua conueniunt in vno prædicato, quod possit verificari de eis secundùm magis & minus, sunt cõparabilia adinuicem. Hæc patet ex diffinitione comparationis. Sed aliqua æquiuoca, putà magnitudo acuta, & sapor acutus, & vox acuta, sunt æquiuoca in hoc, quod est esse acutum, vt dicit Philos. in text. & conueniunt in hoc quod est multũ & citò pungere, vel penetrare, quæ est ratio acuti. Nam dicitur magnitudo acuta, quia multùm & citò mouet ac penetrat tectum, & sapor acutus, vt in pipere, quia multùm & citò mouet ac penetrat gustum, & vox acuta, quia idem facit in auditu, & verificantur secundùm magis & minus, quia cõtingit quòd plus & citiùs sapor talis mouet gustum quàm vox auditum, ergo licet æquiuoca sunt comparabilia.

Pro resolutione huius quæsiti sic procedendum est, primò inuestigabitur quot sint conditiones requisitæ ad veram & propriissimam comparationem, secundò ponentur quędam distinctiones, tertiò responsiuæ conclusiones, ex quibus apparebit solutio obiectionis præpositæ.

Quantùm ad primum aduerte ꝙ cõtingit fieri comparationem tribus modis, s.cõmuniter, proprie, & propriissimè & relictis duobus primis, quoniã Philos. intendit de tertio dico ꝙ tres conditiones requiriũt, s. ꝙ prædicatum in quo fit cõparatio fit verè vniuocum, & quod recipiatur in vtroque extremo eodẽ modo, & ꝙ sit eiusdẽ naturæ secũdùm speciẽ specialissimã, & horũ omniũ resolutam declarationem iam fecimus in Epitomate nostro in 7. lib. Phys. in Tract. 2. in c. 1. & tu vide illic, quoniam hic repetere foret inutile.

Quantùm ad secundum aduerte duas distinctiones, quarũ prima sit hæc, Eorum quæ sunt, quædam sunt purè vniuoca, vt quæ cõueniunt in specie specialissima. Quædã purè æquiuoca, vt quę in solo nomine cõueniunt. Quędã media, & hęc sunt in duplici gradu. Quædã magis declinãt ad vniuoca sicut ea quæ sunt vnius generis, quæ licet nõ sint vnius naturę, cõueniunt tamẽ in vna ratione sine aliquo ordine, ideo apud Logicũ genus prædicatur vniuocè de speciebus suis. Quædã magis declinãt ad æquiuoca, sicut analoga, quæ nec vnã naturam dicunt, nec vnam rationem æqualiter participatam.

Secunda distinctio sit hæc, Comparatio quoniã attẽditur iuxta aliquam vnitatẽ, ex eo enim ꝙ aliqua in vnum cõueniunt sunt cõparabilia, potest dupliciter firi, primò secũdùm ꝙ aliqua vniuntur secũdùm proportionẽ, secundo secũdùm quòd aliqua vniuntur secũdùm proportionalitatẽ. Dicuntur autẽ illa vniri secũdùm proportionẽ, quæ ad seinuicem seruant aliquã habitudinẽ, quoniã proportio est duorũ adinuicẽ certa habitudo secũdùm quantitatẽ, vnde quæ habent proportionẽ adinuicẽ debent esse eiusdẽ rationis vt numeri ad numerũ, lineæ ad lineã, non autem lineæ ad numerũ, nec numeri ad superficiem, ea autẽ vniuntur secundùm proportionalitatẽ quæ nõ ad se inuicem, sed ad alia cõparantur, quoniã proportionalitas est duarũ proportionũ similitudo ex quinto Euclidis, putà duæ proportiones duplæ habent proportionalitatẽ, dicendo, sicut se habent 6. ad 3. ita 4. ad 2. Et hæc quidẽ proportionalitas potest seruari inter res diuersorũ generũ, & quę nõ sunt eiusdẽ rationis, & inter analoga, nõ autẽ inter purè æquiuoca, quoniã in solo nomine cõueniũt, quod etiã est ad placitũ: sicut igitur duplex est vnitas sine cõuenientia in aliquo vno, s. secũdù proportionẽ & secũdùm proportionalitatẽ, sic duplex est cõparatio eodẽmodo.

Quantùm ad tertium sit prima cõclusio, Cõparatio secũdùm proportionem, quæ est verè & propriè cõparatio, non potest esse inter æquiuoca, nec inter analoga, sed solùm inter vniuoca, quæ nõ solùm sunt vniuoca ex ratione, sed ex natura ita quòd sunt eiusdẽ naturæ specificæ. Probatur, Quæ sunt cõparabilia secũdùm proportionem, debent esse eiusdem rationis nõ solùm logicè, sed etiam physicè, alioquin nõ verè & realiter in aliquo vno cõuenirent, & per consequens non esset vera cõparatio secũdùm proportionẽ inter ea, sed nec æquiuoca nec analoga, vt patet ex eorum diffinitione sunt eiusdẽ rationis logicæ & physicæ. Sed sola vniuoca ex natura, eò ꝙ talia sunt speciei specialissimæ, & indiuidua formaliter, ergo, &c. Secũda cõclusio, Cõparatio secũdùm proportionalitatẽ, quæ largè est cõparatio, licet nõ possit esse inter simpliciter ęquiuoca, vt æquiuoca sunt, potest tamen esse inter ea quæ sunt analoga, & quæ nõ sunt omninò eiusdem rationis. Probatur, quia talia possunt conuenire in similitudine duarum proportionum, vt quãdo comparamus magistrum in schola ad rectorem in naui, quoniam sicut ille imperat & regulat discipulos, sic ille regulat nautas, & tamẽ lex in scholis & lex in naui non sunt eiusdem rationis, ergo, &c.

Ex his patet quid dicendũ sit ad obiectionẽ in principio quęsiti. Cõcludit enim quòd inter magnitudinẽ acutã & saporem acutum, & vocem acutam seruatur cõparatio secũdùm proportionalitatem, sic arguẽdo, Sicut se habet magnitudo acuta in mouendo tactum, sic sapor acutus in mouẽdo gustum. Sed magnitudo acuta multùm & citò mouet tactũ, ergo sapor acutus multùm & citò mouet gustum. Sed quia Philos. non intendit hic de comparatione nisi secũdùm proportionem, quæ non seruatur nisi inter ea, inter quę inueniũtur tres conditiones præmissæ, ideo illa obiectio non cõcludit in hoc loco. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Regulæ cõparationis in motu locali assignatæ à Phil. sint veræ.

Quoniam autem mouens mouet semper aliquid in aliquo, & vsque ad aliquid. texta 35.

IN hac quæst. aduerte antequàm deueniamus ad difficultatem, quòd Philosophus ponit duas regulas, sed possunt distingui in quatuor, ita quòd duæ se tenent ex parte mobilis *sunt veræ*, & duæ ex parte mouentis.

Prima ex parte mobilis est hæc, Si diuiditur mobile in duas medietates, & stat integra virtus mouentis, tunc illa virtus quæ mouebat totum mobile per tantum spacium, putà per centum passus in tanto tempore, putà in hora, mouebit medietatem illius mobilis per duplex spacium, putà per ducentum passus in eodem tempore, id est in hora.

Secunda est hæc, Eadem virtus mouentis remanens integra mouebit medietatem mobilis per tãtum spacium, id est per centum passus in medietate temporis, quia sic seruatur proportio motoris ad mobile.

Prima ex parte mouentis est hæc, Si tota virtus motoris mouet aliquod totum mobile per tantum spacium in tanto tempore, mouebit medietatem illius mobilis per tãtundem spacium in medietate illius temporis.

Secunda est, Si totum mouens mouet totum mobile per tantum spacium, in tanto tempore, media virtus mouebit medium mobile per idem spacium in eodem tempore, quoniam inter adęquata semper seruatur æqualis effectus. Cùm igitur ita adæquetur medium medio sicut totum totiper idem spacium & in eodem tempore medium mouens mouebit medium mobile, sicut totum mouet totum, istæ sunt regulæ Philosophi. Sed prima non videtur vera, Quia bene stat quòd Sortes moueat siue proiiciat lapidem quatuor librarum per centum passus, & tamen non proiiciet lapidem duarum librarum per ducentum passus, vt patet per experientiam. Præterea, si secũdùm ꝙ diuiditur mobile augetur transitio maioris spacij, sequitur ꝙ si Sortes mouet lapidem decem librarũ per cẽtum passus, mouebit lapidẽ vnius libræ per miliare, quod est ridiculum: ergo non videtur prima regula sumpta ex parte mobilis esse vera.

Similiter secunda sumpta ex parte mouentis non videtur vera. Nam si media virtus motoris mouet medium mobile per idem spacium in eodem tempore, sequitur eadem ratione quòd dupla virtus mouebit idem mobile per idem spacium in duplo minori tempore, & tripla in triplo minori, & sic deinceps, quoniam secũdùm Philosophum quantò virtus motoris superat mobile tantò velociùs mouet ipsum. Hoc autem est falsum, quoniam motor infinitæ virtutis, infinitè velociter moueret & sic moueret in instanti. Repugnat autem motum fieri in instanti, vt probatum est in 6. libr. ergo regula Philosophi non videtur vera. Vt igitur scias sustinere has regulas, sic procedendum est. Primò ponenda sunt quædam notabilia. Secundò, ex eis declarabitur quem sensum habet Philosophus in illis maximis. Tertiò, soluentur obiectiones factæ.

Quantùm ad primũ aduerte quatuor notabilia, quæ sunt de mente B.Tho. & Commentatoris.

Primum est, quod licet motor possit esse virtus in corpore & incorporea, vt sub stantia immaterialis, tamen Philosophus in his regulis semper intendit de motore corporeo cuius signum est quòd dicit in text. 35. Semper enim mouet & mouetur, vbi dicit Commenta. Motor enim qui quando mouet mouetur est corpus necessariò, & in fine comment. 35. inquit, Et Aristot. non loquitur hic nisi de motoribus materialibus.

Secundum est quòd illa maxima qua dicitur, quòd velocitas propria vnicuique motui sequitur excessum potẽtiæ motoris super potentiam moti, verificatur in omni motore, cuius potentia est finita, & hæc est mens Com. in eodem com. vbi subinfert hæc verba, Vtrum verò hoc sit cõmune & potentiis mouentibus non corporalibus, si aliquid sit tale, habet quæstionem difficilem.

Tertium est, quòd si aliquis ex motoribus, qui sunt in materia haberet virtutem infinitam, moueret in instanti, & hoc est ad literam de intentione Com. in eodem cõmen. & declarabitur in lib. 8. in text. 79.

Quartum est, quòd Philos. hic tradit regulas de comparatione motuum, considerando motum per se & in communi nõdum applicando ad naturam particularem, & hæc est intentio B.Tho. in expositione tex. 36. vbi inquit, Loquitur Philosophus secundùm consideratione communem nondum applicando ad aliquam naturam specialem.

Quãtùm ad secũdum aduerte quòd prima regula ex parte mobilis est vera considerando motũ per se & in communi, quæ tamen potest falsificari per accidens ex applicatione ad materiã specialẽ. Nam quãtùm sit ex proportione motoris, vt motor est, & mobilis vt mobile est, semper sicut diminuitur mobile oportet motorẽ obtinere supra mobile, & quãtò plus obtinet super ipsum tãtò mouet ipsum per maius spacium in æquali tempore, vel per idẽ spaciũ in minori tẽpore.

Hæc tamen proportio per accidẽs, i. ratione alicuius annexi potest impediri. Nã si figura totius mobilis & medietatis suę non sit vniformis, & si medium putà aër non sit æquè subtile, & si spacium putà magnitudo non sit vniforme non ratione motoris & mobilis secundum se, sed ratione dictorum falsificatur regula.

Secunda regula sumpta ex parte mouentis verificatur stando præcisè in motore corporeo, & virtutis finitæ iuxta secũdùm & tertium notabile. Quod si fiat transitus ad motorẽ incorporeũ regula nõ tenebit de proportione velocitatis iuxta proportionem excessus & victoriæ motoris supra mobile, eò ꝙ motor incorporeus nõ est eiusdẽ ordinis cum motore corporeo, & præterea motor corporeus, dum mouet mouetur, quod nõ cõtingit in motore incorporeo, vt declarabitur in lib. 8. Et ex eò ꝙ motor corporeus mouens mouetur semper stat aliqua resistẽtia mobilis ad motorẽ, siue sit motus naturalis siue innaturalis, & ex proportione huius resistẽtiæ stat proportio velocitatũ. Nã quia magis resistit totũ mobile mouẽti corporeo quàm medietas, ideo tardiùs mouet totũ quàm medietatem. Inter motorem antem incorporeum & suum mobile, non seruatur talis resistẽtia, qualis inuenitur in his inferioribus corporeis, vt aliàs dicemus.

Quantùm ad tertium aduerte ꝙ prima obiectio cõcludit regulam falsificari per accidens, sed non per se, nec ratione motus in cõmuni. Nam ideo falsificatur in exemplis datis de proiectione lapidis, quia dũ proiicitur lapis mouetur secũdùm circulos factos in aëre. Sed non oportet ꝙ si virtus mouentis est sufficiens ad causandum circulos in aëre per decẽ passus, ꝙ sit sufficiens per centum, aut mille, & maximè stãte difformitate aliqua ex his, quæ dicta sunt suprà, falsificatur ergo regula non ratione motus secundùm se, sed per accidens, id est ratione eorum quæ annectuntur motui.

Ad secundam concedo consequentiam, stãdo in motoribus materialibus iuxta secũdùm notabile. & nego falsitatem cõsequentis iuxta tertium notabile, & quando dicis ꝙ hoc repugnat Philosopho, respõdeo, licet hęc sit falsa, Potest esse motus in instanti, hæc tamẽ cõditionalis est vera, Si daretur virtus motiua infinita in magnitudine moueret in instanti: & hanc cõditionalem admittit Philos. in lib. 8. licet antecedens & cõsequens sit impossibile. Si autem fiat transitus ad motorem incorporeum & præcipuè ad primum supposito quòd sit virtutis infinitæ, nego consequentiam iuxta secundùm notabile. Ad probationem dico quòd Philos. intendit de virtute motoris qui sic eiusdem ordinis cum suo mobili. Corporeum autem & incorporeum non sunt eiusdem ordinis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum naturalium super septimum librum Physicorum, Finis.

QVAESTIONES MAGISTRI CHRYSOSTOMI Iauelli, super octauum librum Physicorum.

1 *Num Philosophus in 1. text. intendat inquirere de æternitate motus in communi, vel motus cœlestis.*
2 *Num consideratio de perpetuitate motus sit omninò necessaria ad intelligendum primum principium esse.*
3 *Num creatio sit possibilis secundùm Philosophum.*
4 *Num rationes Philosophi & Commentato. quibus extimant se efficaciter probasse motum esse perpetuum, inuitabiliter concludant.*
5 *Supposito quòd motus esset æternus, vtrum dependeret à primo mouente, vt ab agente vel efficiente.*
6 *Num augmentum quod fit in re viuente sit motus continuus.*
7 *Num alteratio sit continua & diuisibilis in infinitum.*
8 *Num in animali mouente seipsum, anima sit pars mouens, & corpus pars mota, & nunquid motus animalis sit motus naturalis.*
9 *Num grauia & leuia moueantur à seipsis, vel à principio extrinseco, & quod sit illud.*
10 *Num motores orbium planetarum moueantur per accidens.*
11 *Num motus localis sit prior aliis motibus.*
12 *Num motus localis reflexus possit esse continuus.*
13 *Num motus circularis possit esse æternus.*
14 *Num mouens potentiæ finitæ, possit mouere per tempus infinitum.*
15 *Num in magnitudine finita possit esse virtus infinita.*
16 *Num primum mouens sit vigoris infiniti.*
17 *Num primum mouens sit tantùm vnum.*

QVAESTIO PRIMA.

Num Philosophus in 1. text. intendat inquirere de æternitate motus in communi, vel motu cœli.

Vtrum autem factus sit aliquando motus cùm non esset priùs. text. 1.

IN HAC quæst. inuenio duas vias satis famosas, s. B.Tho. & Com. B. Tho. tenet quòd intentio Philosophi est inquirere de æternitate motus in cõmuni siue secũdùm genus. Com. autem de motu cœli. In hac igitur quæst. sic procedendum est. Primò defensabitur via B. Tho. Secũdò soluentur rationes Com. Tertiò declarabitur quomodo vtraque via potest concordari.

Intentio Philosophi est inquirere æternitatẽ motus in communi magisquã motus cœli.

Quantùm ad primũ aduerte quòd B.Tho. non fuit primus inuentor huius expositionis, quoniã vt recitat Com. in 8. lib. Phys. in com. 1. Alpharabius in lib. suo de Entibus Transmutabilibus, & Auic. & Auempace Hispanus tenuerunt quòd intentio Arist. in principio istius Tracta. est declarare quòd ante omnem motum est motus, & ante omnem transmutationem est transmutatio, & quòd motus non deficiet secũdùm genus, vt ex hoc proceda ad declarandum esse primũ motũ & æternum qui continet omnia, aut vnum aut plures & ipsemet Com. vt illic dicit stetit multo tẽpore in perseuratione de hac declaratione quam, s. Alex. quoufq; sibi apparuit intentio Arist. prout sibi videtur, ꝙ s. Arist. intendit non de motu in cõmuni, sed de motu cœli. vtrum sit factus de nouo. Igitur B.Tho. concordans cum Alexandro & aliis prænominatis probat intentum multipliciter.

Primò quia nulla ex rationibus quas infrà adducet incipiens à text. 4. vsque ad tex. 14. continet medium proprium & particulare quo possit euidenter concludi quòd intendat de motu cœli. Sed de motu in communi.

Secundò Philos. inquiret infrà, vtrum aliqua semper moueãtur, & in tex. 53. probabit quòd motus primus qui est motus cœli est perpetuus, ergo si hic inquireret, & probaret æternitatem primi motus, frustrà & inutiliter inquireret & probaret hoc idem infrà.

Tertiò Philosophus volens infrà in text. 52. demonstrare aliqua semper moueri, supponit æternitatem motus in hoc loco demonstratam suo iudicio, vnde inquit in tex. 52. Si debet sicut diximus, in his quæ sunt esse incessabilis quidam & immortalis motus, &c. Si ergo hic demonstrasset æternitatem motus cœlestis, cùm ex hoc inferiùs probet cœlum semper & perpetuò moueri, peteret principium & probaret idem per idem.

Et aduerte quòd Commenta. vt recitat B Thom. conatur respondere secundæ rationi declarans non frustrà nec inutiliter reiterari infrà hæc perseuratio, quia hic aliquid omisit, quod sufficientius & clariùs explicat infrà. Sed aduerte quòd Commenta. in cõmen. 1. non dicit quòd Philosophus hic aliquid omiserit, sed dicit, Sic ego autem cum hoc quòd credebam expositionem istius loci esse istam tantùm, eram aliquantulum in errore, scilicet in hoc quòd declaratio Arist. est declaratio diminuta.

Sed vt inquit B.Tho. hoc non valet, quia Arist. habuit copiam corrigendi & ordinandi librum, & supplendi in loco debito, si quid omisisset, ne faceret lib. suum inordinatum.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Com. in com. 1. dicit quòd Arist. intendit hic declarare, Vtrum primus motus continens mundum, aut primi motus si sint plures vno sint facti de nouo, ita quòd ante eos nõ fuit motus omninò. Aut si primus motus qui continet omnia existens in primo moto aut in primis motibus si fuerint plures vno motu, sit æternus, qui nunquam cessauit nec cessabit, sed est sicut vita, vt dixit, eorum quæ constituuntur per naturam: hæc Com. & qui sequuntur eum conantur exponere & firmare intentionem eius multipliciter.

Primò sic. Inquirit Arist. an motus, qui est vita quæ dã substẽtium in natura, sit factus de nouo, an sit æternus. Sed motus cœli est ille qui est vita his inferioribus, quoniã per ipsum saluat generatio in mũdo inferiori, vt declarabit infrà Phil. & in 2. de Generatione, & in 12. Metap. ergo de motu cœli, & non de motu in communi intendit Arist. inquirere.

Secundò sic, Arist. probans æternitatem motus arguit ꝙ ideo motus est æternus, quia ante omnem motum nouum est dare motum aliquem, sed motus prior omni motu nouo

nouo est motus cœli, ergo de hoc intendit Philosophus.

Tertiò sic, Si nõ intendit de motu cœli, fuæ rationes sunt insufficientes, nam motus alij non continuantur, nec durant in perpetuum, vt generatio, & corruptio, nisi per motum cœli, ergo diminutè probaret Philosophus æternitatem motus, nisi probaret de motu cœlesti.

Sed istæ rationes non cõcludunt. Ad primã dicitur ad minorem, quòd non solùm motus cœli potest dici vita, sed & alij motus, eò quòd motus in animalibus est signum vitæ, & loquitur hîc Philos. vt dicit B. Th. de mundo sicut de magno animali, in quo deprehenditur vita, quandiu inest ei motus, &c. loquendo ergo de mundo, vt de quodam animali, tenendũ est q̃ sicut omnis motꝰ qui est in animali potest dici vita, & nõ solùm motus primus qui est motus cordis, sic in toto Vniuerso omnis motus cuiuscunq; partis põt dici vita & nõ solùm motus cœli, qui est motus primę & nobilioris partis.

Ad secundam dico quòd Philo. probans æternitatem motus in cõmuni, vt patet in tex. 9. facit hanc consequentiam, Si non semper fuit motus, ergo datur primus motus, ante quẽ non fuit alius motus, sed hoc est falsum, & quoniam consequentia est euidens, immoratur ad probandum falsitatem consequentis, & deducit ad hoc incõueniens, erit ergo quædam prior mutatio prima. Sed per illam priorem non intelligit motum cœli, sed mutationem factam, aut in mouẽte, aut in mobili, vt patet in tex. 9. Ad argumentum ergo nego minorem, quoniã motus prior omni motu nouo potest esse alius quàm motus circularis cœli, potest enim secũdùm Arist. esse mutatio qua mutatũ est mouens aut mobile ab vna dispositione qua quiescebant, ad aliam qua inceperunt mouere.

Ad tertiam respondet B. Tho. in expositione ibi, Sed hoc nihil est, &c. vide tu.

Quantùm ad tertium aduerte quòd aliqui conantur concordare vtramque opinionem dicentes, quòd ex rationibus hîc inductis ab Arist. potest concludi & motum in communi nunquam incepisse, & similiter motum cœli. Concedunt tamen quòd rationes inductæ clariùs & sensibiliùs concludunt de perpetuitate motus in cõmuni, quàm motus cœli, & ideo hoc aduertens Philos. vt clariùs suum propositum ostenderet, probat determinatè & particulariter infrà, motum cœli esse æternum. Sed de hac concordia tene quid volueris, dummodo vt Thomista sustineas q̃ prima & expressa intentio Arist. fuit de perpetuitate motus in communi, vtrũ autem secundaria intentio fuerit loqui de motu cœli, nihil refert. Hæc enim discordia inter B. Thom. & Cõment. stat super primam intentionem Aristotel. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num consideratio de perpetuitate motus sit omnino necessaria ad intelligendum primum principium esse.

Considerandum igitur quomodo se habet hoc, præopere ei non solùm ad naturæ considerationem scire veritatem, sed ad scientiam de primo principio. textu 3.

Perseruatio æternitatis motus vtilis est ad inuestigandũ primũ principiũ esse, sed nõ est absolutè necessaria ad hoc: cùm alia adsit Metaphysico via hoc inueniendi.

IN hac quæst. aduerte quòd Com. in com. 3. & B. Tho exponens in hoc conueniunt, quòd consideratio de æternitate motus est vtilis ad sciendum primum principiũ, quia Arist. vtitur in 8. Phys. & in 12. Metaph. æternitate motus ad probandum primum principium. Sed in duobus disconueniunt primò quia dicit Com. in com. 3. quòd Metaphy. nullam haber viam ad demonstrandum primum motorem esse nisi accipiat ipsam pro constanti à Naturali. Et intẽdit quòd nullo alio medio potest cõcludere primum principium esse, nisi motu physico. In hoc dissentit à B. Tho. vt docuimus in libr. 12. Metaphy. in q. 3. vbi declaramus mentem B. Thom. fuisse quòd Arist. in 8. Phys. posuit primum fundamentum probationis de primo principio, scilicet motum physicum æternum. Sed ex hoc solo non concludit primum principium esse, imò ex hoc vt ex primo & magis noto fundamento ascendit in Metaphysica, ad motum metaphysicum, qui est motus desiderij, & ex eo concludit primum principium esse. Et totum processum Philosophi & ascensum à motu physico ad motum Metaphysicum, & quomodo concludit primũ principium esse, videbis in libr. 12. Metaphy. in quæst. 3. & in q. 9. nec hîc replicandum est, vnde aduerte quòd quando dicit B. Thom. in hoc 8. lib. in expositione text. 3. quòd Philosophus in 8. Physic. & in 12. Metaphy. vtitur æternitate motus ad probandum primum principium esse, nõ intelligas quòd vtatur eo, ita quòd eo solo concludas, sed vtitur eo vt primo fundamento, & concludit per motum metaphysicum.

Secundò disconuenit in eo quòd tenet æternitatem motus non solum vtilem, sed omninò necessariam ad declarandum primum principium esse. Nam in 2. libr. Physico. com. 21. loquens contra Auicen. dicit quòd est omninò impossibile, vt declaretur primum motorem esse nisi naturali signo quod arbitratur esse motum æternum. Sed B. Tho. tenet, vt veritas est, quòd siue ponatur motus æternus, siue non, habemus efficacissimam viam ad concludendum primum principium esse: & argnemus sic, Si motus est æternus necesse est esse primum principium quod sit causa motus æterni, Si motus non est æternus, sed incepit, necesse est primum principium esse, quia omne nouum indiget aliquo innouante. Non ergo ex ablatione motus æterni, aufertur omnis via probandi motorem primum, vt putauit Comm. In hoc quæst. noluo me extendere. Sed vide in 12. Metaph. in quæst. 3. vbi declarauimus si ad Physicum vel Metaphysicum spectat probare entia abstracta tam in genere quàm in specie, & illic pertractauimus viam Com. & Auicen. & Scoti. & B. Thom. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num creatio sit possibilis secundùm Philosophum.

Dicimus autem motum esse endelechiam mobilis secundum quòd mobile, &c. tex. 4. vbi inquit Commen. & ex hac diffinitione motus apparet benè impossibile esse generationem ex puro non esse, id est ex nihilo. com. 4.

IN hac quæst. non est diu immorandum, quoniam in 11. Metaphy. quæst. 5. resoluimus hoc quæsitum vbi pertractamus de creatione cum nouitate & sine nouitate essendi, & quid tenendum sit in via nostra, & de positione Arist. & de positione Commentatoris. Ideo vide illic. Quæ autem dicit B. Tho. contra Com. & quomodo soluit eius obiectiones patet in expositione sua super tex. 4. Et aduerte quòd Albertus in li. 8. Phys. in Trac. 1. in c. 4. reprobat quæ dicit hîc Com. contra creationem, vt videre poteris.

QVAESTIO IIII.

Num rationes Aristo. & Commenta. quibus existimant se efficaciter probasse motum esse perpetuum, concludunt ineuitabiliter.

Ergo & hoc necessarium est, aut facta aliquando esse cum non essent, aut perpetua esse. textu 5.

IN hac quæst. aduerte quòd aliqui Expositores Christiani nimis innitentes doctrinæ Philosophi & Comm. audent adeò magnificare rationes Philosophi & Com. de æternitate motus, quòd dedignãtur acceptare solutiones præcipuas B. Tho. & conantur destruere eas. Nos igitur in hoc quæsito nil aliud intẽdimus quam rationes illas, & singulas soluere, vt B. Th. & solutiones sustinere, ne ipsi soli scientes videãtur.

Prima ratio Philoso. est hæc, Si motus incepit postquàm nullus erat motus, hoc potuit esse vel quia mobilia & mouẽtia sunt facta, cùm prius nõ essent, aut sunt perpetua: sipmũ cùm mobile sit prius suo motu, vt præmissum est, necesse est productionem mobilis præcedere motum illum, productio autem mobilis est motus vel consequens motum, ergo ante primum motum erit motus prior.

Ad hanc primam deductionem respondetur quòd mouens primum semper fuit: mobilia autem omnia producta sunt, cùm priùs non essent, sed hæc productio non est motus, nec mutatio physica, quoniam illa supponit materiam, sed est simplex productio ex nihilo, quæ non est propriè motus, & ideo negatur illa consequentia, Ergo ante motum primum, erit motus prior.

Contra hanc solutionem dicunt sequentes Commentat. q̃ talis productio ex nihilo non potest probari nec manifestari per aliqua apparentia sensui nec mediatè nec immediatè, & ideo Philosophi naturales, & vniuersaliter Philosophi procedentes secundùm humanum medium non viderunt huiusmodi productionem.

Præterea, Tenentes productionem ex nihilo habent concedere quòd productiones sunt ęquiuocè stante termino vniuoco. Terra enim genita, & terra creata sunt eiusdem speciei specialissimę, quod tamen est manifestè falsum.

Præterea, Secundùm hanc productionem potẽtiæ actiuæ non corresponderet potentia passiua, cuius oppositum vult Philos. in lib. 5. Metaph. in tex. 17. ergo Philosophus non admittit talem productionem.

Præterea, Si ipsum mobile incępit esse, aut priùs potuit esse, aut nõ. Si primũ, illa potẽtia fuit in nihilo, aut in subiecto præexistente, non enim potuit esse in primo agente tantùm, quia manifestũ est potẽtiam receptiuam esse alicuius rei, & non

nõ esse in agẽte, aliter agens, vt agens, esset productibile. Sed nõ potest esse in nihilo, vt patet, ergo est in subiecto præexistente. Si secundũ, ergo fuit impossibile produci, quod enim non potest esse, est impossibile esse, & impossibile produci.

Ad primũ dicitur quòd licet primi Philo. naturales non cognouerint hanc productionẽ, quia non considerabãt nisi particulares factiones agentium particuliũ, tamen posteriores vt Plato & Arist. apertè cognouerunt. Plato quidẽ vt patet in Timæo. De Arist. autem iam docuimus in lib. 12. Metaph. q. 5. vt videre poteris, nec est replicandum hîc.

Ad secundum, nego falsitatem cõsequentis, quoniam in 7. Metaph. in q. 11. iam determinauimus contra Com. quòd non inconuenit ex productionibus æquiuocis præcedere terminum vniuocum, vt murem genitum ex putrefactione & genitum ex propagatione. Et tu vide illic.

Ad tertium concedo consequentiam & nego quod Philosophus teneat oppositum, vt iam docuimus in lib. 5. Metap. in q. 19. vbi ex proposito de hoc loquuti sumus, & inuenies q̃ Arist. intendit de potentia actiua naturali.

Solutionem quarti inuenies in 5. Metaph. in q. 11. vbi recitatur idem argumentum ex opinione Ianduni, vt videbis.

Soluta prima deductione Philosophi, & defensata solutione B. Tho. procedamus ad secundam deductionem quam facit Philos. quæ est hæc, Si mouens, & mobile sunt æterna, & non est motus æternus, sed posteà incæpit, dicit Philoso. quòd hoc est irrationabile, & ab inscientibus dictum, quoniã si fuit mouens & mobile ab æterno & non mouetur ab æterno, ergo mobile prius quieuit, & posteà incæpit moueri. Est enim quies priuatio motus in subiecto apto moueri quale est mobile. Priuatio autem nunquam est in subiecto apto nisi ex aliqua causa, oportuit ergo præexistere aliquam causam illius, quietis in illo mobili, & donec causa illa stetit, stare quietem, vt ergo inciperet moueri, necesse fuit causam quietis remoueri. Sed remotio causæ quietis non est nisi per motum, vel consequitur motum. Et sic sequitur idẽ quod prius, scilicet quòd datur motus præcedẽs primum motum, quod implicat contradictionem.

Respondetur quòd mouens est æternum, & potuit producere mobile ab æterno. Sed illa productio non esset motus nec mutatio naturalis, vt dictum est, & posito q̃ produxisset ab æterno potuit tamen non mouere ab æterno: & conceditur quòd mobile æternum potuit quiescere, sed causa quietis non fuisset nisi voluntas primi mouentis, quæ liberè determinasset mouere in tempore & non ab æterno. Et non fuit necesse illam causam quietis remoueri per motum aut consequi motum, quoniam non est agens per naturam, sed est agens liberum, quod potest agere modo quo placet & quando placet, sine sui mutatione.

Sed contra hanc responsionem arguitur de mente Philo. in tex. 8. Nam si mobile & mouens sunt æterna, & tamen nõ semper erat motus, quæritur aut semper fuerunt adinuicẽ propinqua & sufficienter disposita ad mouendum, aut non: si primum, ergo qua ratione nũc motus est, semper etiã fuit. Si non, ergo vt inciperet motus oportuit ea adinuicem appropinquari, & acquiri in vtroq; vel in altero talem dispositionẽ, qua posset mouẽs mouere, & mobile moueri. Sed nõ potuerunt appropinquari nec acquirere nouam dispositionem sine motu, quia vt declarat Philo. in tex. 9. relatio nõ potest de nouo inesse alicui nisi ipso, aut altero correlatiuo mutato, vt si quid nunc est duplum & antè non erat duplum, oportet mutationem factam esse in eo, aut in altero, aut in vtroq; Si igitur hoc est nunc mouens secũdùm actũ, quod priùs nõ erat actu mouens, & hoc motũ secundũ actũ, quod priùs nõ erat motũ actu, cùm mouens actu & motũ actu sint in ad aliquid, necesse est hanc mutationẽ, quæ appropinquant aut nouam dispositionem acquirunt præcedere eam, quæ potest esse prima, quod implicat contradictionem.

Ad hoc dicitur posito q̃ mouẽs & mobile essent æterna, mouens semper fuit in eadem dispositione in qua nũc est & semper erit vt moueat, & etiã mobile vt moueatur, & cùm dicitur, Ergo qua ratione nunc est motus, semper fuit, nego cõsequẽtiam, quia nõ valet nisi in agẽte naturali determinato ad vnum. Agens autẽ per intellectum & voluntatẽ nõ necessitatur ad agendũ etiam quòd sit sufficienter dispositum & nullũ adsit impedimẽtum, sed agit modo quo placet & quãdo placet: & sic primum mouens potest voluntate sua æterna incipere motum de nouo, nulla facta mutatione in illo: nec facta in mobili supposito q̃ sit æternum. Et quando probatur quia noua relatio, &c. dico q̃ illud principium nõ tenet in hoc proposito, quia mobile æternũ est semper dispositum ad moueri, & non fit de potentia actu motum nisi volũtate primi mouentis, vnde hæc consequentia nõ valet, Si igitur hoc est nunc mouens secundùm actum, &c.

Sed cõtra hanc solutionẽ instat Com. in com. 8. Mouẽs per intellectũ & voluntatẽ nõ incipit mouere post quietem, nisi quia in hora in qua incipit mouere fit cõcupiscentia in agẽte quæ non erat antè: & illa est causa propinqua ad agẽdum in illa hora, quæ nõ erat antè. Et causã illius concupiscentiæ est præsentia tẽporis, & præsentia tẽporis quæ nõ erat antè est trãsmutatio necessariò aut sequens transmutationẽ. Concupiscentia igitur facta per præsentiam tẽporis est transmutatio extra transmutationẽ. Ante igitur transmutationẽ quæ est posita prima est alia transmutatio, & non potest homo sanus fugere hanc fidem existimatione præsente: hæc Com.

Ad hoc dicitur q̃ Com. idem iudicũ facit de primo agẽte per intellectum, & de aliis agẽtibus per intellectũ sicut fuit intelligẽtiæ & homo: nam in istis instãtia sua cõcludit, in primo autẽ nõ. Et ratio differẽtiæ est hæc, Agẽtia per intellectũ alia à primo intẽdunt & appetunt actione sua consequi finẽ aliũ ab eis, qui cõparatur ad ea vt perfectiũ ad pfectibile, & in agendo supponũt aliquid ex parte passi, & supponũt tẽpus in quo eligũt agere. V. g. Si Sortes nõ stat ad ignẽ in æstate, est quia nõ est tẽpus frigoris, ideo expectat tẽpus hyemale vt tunc faciat ignẽ. Si quis facit vinũ expectat Autũnum, quia supponit materiã ex qua extrahat vinũ, s. vuã quæ nõ est nisi in Autumno. Si quis ambulat dum est sanus & quiescit quãdo ægrotat, est quia mutatur de fortitudine ad debilitatẽ. Sed nullũ istorũ habet locũ in primo mouẽte, quoniã ad nullũ aliũ finẽ ordinatur, sed est & operatur gratia sui, & in agẽdo nihil necessariò supponit ex parte passi. Nec supponit nec expectat tẽpus, quoniã est supra tẽpus & aut hor tẽporis. Et ideo in mouẽdo in producẽdo Vniuersum nõ est quærẽda causa extra primũ mouens sed in ipso tãtùm, si ergo nunc mouet aut producit & nõ prius nõ est propter mutationẽ facta in ipso nec in alio. Sed quoniã sic disposuit ex intellectu & libera volũtate sua & modo & quãdo & quãtùm voluit.

Iterum aliqui sic arguunt in fauorem Comm. Si primum mouens nunc incipit mouere, & priùs non mouebat, aut ab æterno voluit mouere, aut non: si non, cùm nunc velit quia nunc mouet, & ab æterno nõ habuit hanc volitionem, ergo mutatus est à nolle ad velle, & sic ante motum primum est mutatio prior: si sic, ergo cùm ipsum adiuncta voluntate sit per se & immediata, & sufficiens causa motus, fuit motus ab æterno.

Ad hoc dicitur, q̃ ab æterno voluit mouere in hoc nunc & nõ antè, & sicut ab æterno prædiffinuit, sic incepit mouere, & ideo non trãsiuit à nolitione ad volitionem nec à volitione antiqua ad volitionem nouam.

Sed dicit Ianunus, Hoc non est ad propositum, quia non quero, an primus motor ab æterno voluit mouere nunc, sed absolutè vtrum ab æterno voluit mouere vel non, oportet enim alterum istorum concedere, cùm sit diuisio per contradictionem: & si dicas absolutè quòd ab æterno voluit mouere, tunc ab æterno mouit, quia vt dictum est posita causa sufficienti per se & immediata ponitur effectus, & si non ab æterno voluit mouere & nunc vult mouere, ergo est innouatus, quod est impossibile.

Ad hoc respondet B. Tho. in 1. Parte, q. 46. art. 2. ad 9. & ad 10. & tu habes concedere q̃ absolutè Deus ab æterno voluit producere mundum & mouere cœlum, sed nõ pro æterno, & quando arguitur, Ergo ab æterno mouit, negatur consequẽtia. Ad probationẽ dico quòd illa propositio, Posita causa, &c. nõ verificatur simpliciter nisi in causa naturali, in agẽtibus autẽ per intellectũ & voluntatẽ quod cõceptum est & prædiffinitum accipitur vt forma, quæ est principium actionis, & quoniã primus motor agit per voluntatem nõ sequitur q̃ ex volitione eius æterna fit effectus æternus, sed qualẽ & quando voluit, vt scilicet haberet esse post non esse.

Item adhuc sic arguitur, Si primũ mouens voluit & potuit producere res & mouere ab æterno, quæritur quare nõ fecit cùm sit melius rem esse quàm non esse, & primum principiũ cum sit optimum semper facit quod melius est.

Ad hoc respõdet B. Tho. quòd sic voluit propter seipsum, sicut enim propter res fecit vt in eis suę bonitatis similitudo manifestaretur, ita voluit eas non semper esse, vt sua sufficiẽtia manifestaretur in hoc quòd aliis non existentibus ipse in seipso omnem sufficientiam beatitudinis habuit, & virtutis ad rerum productionem.

Sed hæc solutio non placet Ianduno, & dicit quòd hæc responsio nõ est nisi persuasio rhetorica, & nullã certitudinẽ habens,

habens, quod sic manifestat, quoniam fine motus & mundi nouitate potest hominibus per demonstrationem cõstare ꝙ ipse Deus est sibiipsi sufficiens, sic quòd à nullo vt à principali causa dependet in quocunque genere causæ. Et quòd ipse est prima & nobilissima causa omnium entium secundùm aliquem modum, vnde dicit Philos. in procemio Metaphysicę quòd totaliter optimum eorum quę in natura sunt Deus est, & in 12. Metaphysic. in tex. 38. quòd ab hoc principio cœlum & natura pendet.

Sed si Iand. aduertisset verba sequentia B. Tho. non ita de facili insurrexisset. Dicit enim B. Th. Et hoc quidem dici potest quãtùm humana ratio capere potest de diuinis, saluo tamen diuino secreto & sapiẽtiæ suę, quoniã à nobis cõprehendi nõ potest. Non igitur inducit hoc tanquã necessariũ & demonstratũ, sed vt rationabile pro humano captu, & hoc sufficit. Et fuit melius sic respondere, quàm dicere, vt ipse Iand. respondens ad quintam rationẽ, qui dicit, Si est aliqua specialis causa & propria nouitatis mũdi, propter quã melius fuit ipsum esse nouũ quam æternũ ipsam scit Deus & fortè quidam alij habentes intellectũ magis eleuatum, sed ego ignoro sicut & multorum effectuum causas naturales nescio, de quibus tamẽ mihi cõstat ꝙ habent esse in rerũ natura, hęc ille. Sed laudabilius est ad quæsitũ afferre aliquid rationabile quàm dicere se nescire: & quando Iand. manifestat ꝙ fine nouitate motus & mundi, &c. dicitur ꝙ licet sufficientia & independentia Dei possit cõstare nobis etiã sine nouitate mũdi, non tamen ita manifestè causalitas effectiua respectu omnium entiũ tam incorruptibiliũ quàm corruptibilium. Nam vt dicit B. Tho. in 1. Parte, q. 46. art. 1. si mundus non semper fuit manifestius ducit nos in cognitionem diuinæ potẽtiæ creantis quàm si semper fuisset, quoniã omne quod nõ semper fuit manifestũ est habere causam efficiuam, & verè sui productiuam. Sed nõ ita manifestum est de eo quod semper fuit. Cuius signum est, ꝙ Com. & sequentes eum, tenent Deũ esse quidem causam finalem omnium sed non effectiuam, vt docuimus in lib. 12. Metaph. q. 28. eò quòd tenentes æternitatem mundi ad mentem Philosophi nescierunt intelligere quomodo æternũ permanens processerit à non esse ad esse. Cõstat autẽ quòd si nouitatem mundi tenuissent, nõ in hunc laqueũ incidissent, quoniã repugnat dari nouum sine innouante. Bene ergo dixit B. Tho. ꝙ ex nouitate motus & mundi magis manifestatur nobis sufficiẽtia diuinæ virtutis ad rerum productionem. Hæc dicta sint pro defensione solutionum B. Tho. ad primam rationem Philosophi.

Secũda ratio principalis Aris. sumitur ex parte temporis, & supponit duo, primò quòd non datur prius aut posterius sine tẽpore, secundò quòd omne nunc est medium inter præteritũ & futurum. Tunc arguit sic, Si tempus est æternũ, motus est ęternus. Sed tẽpus est æternum, ergo, &c. cõsequentia nota, quia aut tẽpus est motus aut per se cõsequitur motũ, vt declaratũ est in 4. lib. Phys. Quod autẽ tempus sit æternum probatur. Si tempus est generatũ, verũ est dicere ꝙ nunc est, & prius nõ fuit. Sed prius & posterius non sunt sine tẽpore per primum suppositũ, ergo tẽpus fuit antequam fuit, quod implicat. Præterea, Si tẽpus incepit, incepit ab ipso nũc sicut punctus à linea, ergo datur primum nunc quod est principiũ futuri & non est finis præteriti. Sed hoc est contra rationem ipsius nunc. quoniã de ratione nũc est quòd sit continuatiũ temporis, ergo quòd sit medium inter præteritũ & futurũ, ergo necesse est omne nunc esse finem preteriti & initiũ futuri, ergo est impossibile tẽpus incepisse & tẽpus desinere.

Hanc rationem soluet B. Tho. negando primũ & secundũ suppositũ, quoniã illa sunt fundata super æternitatẽ motus, qua sublata ista duo supposita nõ habent aliquã apparentiã. Et quoniã Iand. conatur reprobare solutionẽ B. Tho. dicẽtis ꝙ remoto tempore reali, nõ datur prius & posterius nisi vt sunt differẽtiæ tẽporis imaginati, ideo defensanda est, cuius defensionem inueniesin lib. 12. Metaph. in q. 14. quam nõ est necesse hũc replicare. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Tametsi motus est æternus dependeret à motore æterno essẽtiuè non quidẽ secundum actionem corruptiuã alterã do, sed perfectiuam.

QVAESTIO V.

Supposito quòd motus esset æternus, verum dependeret à primo mouente, vt ab agente vel efficiente.

IN hac quæst. aduerte ꝙ licet ab omnibus concedatur motum æternum esse à mouente æterno, quoniam non est intelligibile dari motum sine mouẽte, vt à quo, & sine mobili vt in quo, tamen nõ omnes cõcordant de modo quo est à mouẽte æterno, dicunt enim aliquiꝙ licet mouens æternũ moueret motu ęterno, nõ tamẽ est verum dicere, ꝙ sit agens aut efficiens motum ærernũ. Et ratio sua est, quia credunt repugnare rei æternæ habere agens siue efficiens, & arguunt sic, Quod efficitur est in potentia ad esse, & dum efficitur exit de potentia ad actum. Sed rei æternæ repugnant ista, quia si est æterna, semper est actu & non potest nõ esse: ergo sibi repugnat habere agens & efficiens, si motus igitur esset æternus licet esset à mouente ęterno, nõ tamẽ mouens illud esset agens aut efficiens motum. Et cõfirmatur, quia si omne mouens esset agens, non in plus se haberet mouens quàm agẽs: hoc autem repugnat Arist. qui in 1. de Generatione inquit in tex. 45. Non enim possibile est mouens omne agere & facere, sed mouere est amplius quàm agere.

Vt igitur hoc quæsitum resoluatur iuxta mẽtem quam tenemus esse Arist. & Com. & B. Tho. sic procedendum est.

Primò ponitur distinctio de agente siue efficiente. Secũdò conclusiones responsiuæ cum probationibus suis. Tertiò soluentur obiectiones & declarabitur quæ fuit mens Philosophi in 1. de Generatione.

Quantùm ad primum aduerte quòd ex doctrina Philosophi in 2. de Ani. tex. 57. sicut actio siue agere est duobus modis, sic & agens. Nam quædã est actio corruptiua, per quam corrumpitur aliqua forma præexistens in subiecto siue substantialis siue accidẽtalis, & introducitur alia, & huic actioni correspondet agens remouens vnum contrarium à subiecto & introducens alterum, vt quãdo ignis agit in aquã corrumpens frigiditatẽ, & introducens oppositũ, & tale agens necesse est vt aliquo modo sit cõtrarium passo, quia nihil patitur à suo simili vt simile est ex 1. de Generatione tex. 48. vbi inquit Phil. Simile enim & omnifariẽ & omnino indifferẽs rationabile est nõ pati à simili. Et etiã debet in materia cõmunicare cũ passo vt determinauimus in x. lib. Meta. in q. 11. Quædam etiã est actio quę non corruptiua, sed perfectiua dicitur, eò ꝙ nullum contrariũ abiicitur à subiecto, sed subiectũ actione alicuius existẽtis in actu recipit aliquid ad quod erat in potẽtia: & huic actioni correspõdet agens, quod agit in subiectũ nõ corrũpendo cõtrariũ, sed reducẽdo ipsum ad actũ respectu alicuius ad quod erat in potẽtia ex natura sui. Et hoc modo luminosum dicitur agens respectu diaphani, quod fit illuminatũ actu ex illuminabili in potẽtia. Et sensibile agit in sensum, & intellectus agens in intellectum possibilem, vt declaratum est in li. de Anima. Et sicut hæc actio dicitur apud Philo. in 2. de Anima tex. 57. salus siue perfectio sic & hoc agens dicitur perficiens siue actuans. Quantùm ad secundum sit hæc prima conclusio, Posito ꝙ esset motus æternus depẽderet à motore æterno, vt ab agente: probatur, Omni potentiæ passiuæ naturali ex lib. 5. Metaph. tex. 17. correspondet potẽtia actiua. Sed mobile, quod moueretur motu æterno esset in potẽtia passiua ad motum. Nam mobile, vt mobile, est quod est aptũ moueri: ergo siue sit mobile motu æterno, siue in tempore finito, & in potentia passiua vt moueatur: ergo sibi debet correspõdere aliqua potẽtia actiua, hæc autẽ non potest esse nisi potentia sui motoris æterni, eò quòd reducitur ad actum vel à seipso, vel à motore æterno: non primo vt patet, ergo secundo. Sed omne habens potentiam actiuam respectu alicuius subiecti siue passi est agens respectu illius, ergo, &c.

Sed aduerte quòd aliqui nolũt cõcedere maiorem nisi de potentia passiua nõ cõiuncta actui, dicũt autem ꝙ si mobile moueretur motu æterno, potentia passiua mobilis semper esset cõiuncta actui, i. motui æterno, & ideo non est necesseꝙ sibi correspondeat aliqua potentia actiua motoris.

Sed cõtrà, Hoc mobile quod est motũ motu æterno, certum est ex natura sua est in potẽtia passiua ad motũ, quoniã est aptum natũ moueri, quæro ergo vnde habet ꝙ semper sit actu sub motu. Non à se, quia nihil se reducit de potẽtia ad actum, vt declaratum est in 9. lib. Metaph. ergo à motore, ergo suæ potentiæ passiuæ, dato quòd semper esset coniuncta actui, correspondet potentia actiua motoris.

Præterea, licet motum motu æterno non sit priuatum toto motu, tamen est in potẽtia remota ab actu respectu circulationis futuræ putà crastinæ, & quando erit actu sub circulatione crastina, erit in potẽtia separata ab actu respectu circulationis postcrastinæ, & sic succesiuè: ergo respõsio data nõ valet, & aduerte ꝙ hæc cõclusio est etiã de mẽte Com. nã in 12. Metap. in com. 34. dicit de mouente separato ꝙ est mouẽs, quia agit motum, & est finis motus, & de hoc diffusè tractauimus in lib. 12. Metaph. in q. 15. vt videre poteris.

Secunda conclusio, Si daretur motus æternus nõ depẽderet à primo motore vt ab agente primo modo, sed secundo modo dicto iuxta distinctionem præmissam: probatur secũdùm doctrinam Philo. & veritatem in 1. Cœli, Primũ mobile est inalterabile, ergo ab eo non potest remoueri vnum contrarium & introduci alterum, nec primus motor cõmunicat in materia cum primo mobili cum sit immaterialis, ex 11. Metap. tex. 30. istæ autem sunt conditiones agentis primo modo dicti, vt declarauimus suprà, ergo, &c.

Quod autem sit agens secundo modo probatur, quoniam sicut luminosum per præsentiã suã reducit diaphanũ illuminabile de potẽtia ad actum, & fit actu illuminatũ sine abiectione verè cõtrarij, sic primus motor reducit de potẽtia ad actum primũ mobile per applicationẽ virtutis suæ actiuæ, vt fit actu sub motu æterno, quod ex sua natura, i. inquãtùm mobile, est in potentia passiua ad illum, ergo, &c.

Quantùm ad tertium aduerte quòd prima obiectio nullã habet apparentiã nisi de eo quod agitur aut efficitur ab agẽte primo modo dicto, eò ꝙ omne tale potest esse & non esse & hæc repugnant rei æternæ. Si autem res agitur ab agente secundo modo dicto, verum est quòd potest esse, & exit de potentia ad actum per virtutem actiuam agentis, quia ex se nõ fit actu, nõ tamen est necesse quòd omne tale possit esse & non esse ex parte sui, & à principio intrinseco, sicut id quod efficitur ab agẽte primo modo dicto. Sed si dicatur posse nõ esse, hoc erit respectu principij extrinseci, putà si agens secũdo modo dictum subtraheret virtutem actiuam. Ad argumentum ergo conceditur ꝙ id quod efficitur ab agente secundo modo dicto, est in potentia ad esse, quia sibi non repugnat esse & ex se non habet esse, & conceditur ꝙ exit de potentia ad actum, quia ex se non fit actu, sed virtute agentis. Et nego quòd ista repugnent rei æternæ, & quando probatur, quia res æterna semper est actu, concedo sed nõ ex se, & quando dicitur ꝙ nõ potest non esse, cõcedo ex principio intrinseco, potest tamen desinere esse subtractione virtutis agentis secundo modo dicti, sicut deficit lumen in aẽre subtractione luminosi, & ideo negatur vltima consequentia, s. Ergo sibi repugnat habere agens aut efficiens, quod vtique esset verum de agente primo modo dicto. Nos autem intendimus de agente secundo modo dicto.

Ad secundam dico quòd Philo. in 1. de Generatione in tex. 45. declarat seipsum. Nam postquàm dixit, Non enim possibile & mouens omne agere & facere, subiungit, Si facere oportet patiẽti. Hoc autem in omnibus in quibus est motus passio, passio autem secundùm quòd alteratur solùm, verbi gratia, calidum & album. Sed mouere amplius quàm agere est. Hæc Arist. ex quibus patet quòd quando dicit mouens esse in plusquàm agens, non accipit Agens in sua vniuersalitate vt se extendit ad agens primo & secũdo modo dictum, sed vt contrahitur ad agens primo modo dictum, & non vltrà: & dicitur agens alterariuum passi. Vnde exemplificat de calido & de albo, & ideo secunda obiectio nihil concludit contra determinationem factam. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Num augmentum quod fit in re viuente sit motus continuus.

Non enim augeri, neque diminui possibile est continuè. tex. 23.

IN hac quęst. sic procedendum est. Primò ponetur quædã distinctio, quam cõmuniter ponunt omnes qui considerãt & tractant hoc quæsitum. Secundò ponentur quædam conclusiones responsiuæ, inter quas vltima tenenda est & defensanda in via nostra. Tertiò soluentur quædam dubia.

Quantùm ad primum aduerte quòd ista propositio, Augmentum in re viuente est motus continuus, potest habere triplicem sensum. Primò ꝙ sit continuus, i. vnus numero perpetuus, & secundum hũc sensum Philos. infrà in tex. 54. accipit motum continuum cùm dicit, Considerandum enim est vtrum continuum contingit esse aliquem motum, i. vnum numero perpetuum, & cõcludet in fine solùm motum localem circularẽm esse in hoc sensu continuum. Secundò quòd sit continuus, i. non interruptus quiete media à primo instanti, in quo incipit viuens augeri vsque ad vltimum instãs, in quo totaliter desinit augeri. Verbi gratia, Si Sortes purè incipit augeri in principio huius anni, & desinit omninò augeri in fine anni, & per totum annum sine interpollatione acquisiuit maiorem & maiorem quantitatem, dicetur motus augmẽti continuus hoc modo, si autem interpollatè auctus est, putà per mensem primum auctus est, & per secundùm mensem quieuit sub illa quantitate præcisè, & in 3. iterum auctus est, dicetur motus discontinuus considerando totale augmentũ à primo instanti vsque ad vltimũ. Tertiò quòd sit continuus partialiter, i. per vnum diem, aut mensem. Verbi gratia, Posito quòd Sortes in vno anno acquirat quãtitatem quatuor digitorum, & quòd pro vno mẽse augeatur quãtitate vnius digiti, & in alio mense quiescat, si in toto illo mense cõtinuè acquirit plus & plus de quantitate donec in fine mẽsis perueniat ad quantitatẽ digitalẽ, quam ante mẽsem nõ habebat dicetur motus continuus augmẽti partialis licet nõ totalis.

Quantùm ad secundũ sit hæc prima conclusio in qua omnes boni iudicij cõcordat, Augmentum rei viuẽtis nõ est motus continuus in primo sensu. Probatur, quoniam si sic, rei viuentis esset indeterminata magnitudo, quod est cõtra Philo. in 1. Phys. tex. 36. & in 2. de Anima, tex. 41. Cõsequentia autem patet, quoniã si est cõtinuus primo modo, tunc res viuens acquireret maiorem & maiorẽ quãtitatem sine termino. Implicat enim rem augeri & permanere in eadẽ quãtitate præcisè quam priùs habebat, & iuxta sensum huius conclusionis interpretantur aliqui dictum Com. in lib. 8. Physi. in com. 23. cum dicit, Non est hic motus continuus in veritate, nisi motus localis, qui est velocissimus motuum, vtrum autem hæc fuerit intentio Comment. in suo dicto pro nunc non refert.

Secunda conclusio sit ista, Non oportet totale augmentũ rei viuentis esse motum continuum in secundo sensu. Probatur, quoniã viuũ potest infirmari, & stante infirmitate ex paucitate nutrimenti & debilitate caloris naturalis, nõ fiet tanta conuersio in substantiam nutriti, quæ sit sufficiens ad nutritionem & ad extensionem partium viuentis, ergo stante infirmitate non fiet augmentum, sed diminutio. Præterea, Posito quòd viuum à principio augmenti vsque ad finem staret semper sanum non est necesse ipsum sine interpollatione augeri, & ratio Philosophi in textu est, quia licet quãtitas acquisibilis per augmẽtum sit continua & diuisibilis in infinitum, tamen est deuenire ad aliquam partem, quæ tota simul acquiritur, & non vna eius pars prius tempore quam alia, & post illud instans in quo acquisita est tota illa pars quantitatis, incipit augmentabile per aliquod spacium temporis sequentis disponi ad aliam totalem partem quãtitatis acquirendam, & assimilat augmentum excauationi lapidis, vt videre poteris, & ideo concludit Philos. quòd si viuens in vno anno augetur digito, non est necesse quantitatẽ digitalẽ diuidi proportionaliter per omnes partes anni. Et hæc conclusio est secundùm mentem B. Tho. & Com. Nam in 5. Phys. in com. 6. sic inquit, Videmus quòd motus augmenti & alterationis sunt plures motus. Nõ enim possumus dicere quòd augmentatum est motum vno motu de initio augmẽti vsq; in finem, apparet enim motus eius in tempore sensibili, & similiter est dispositio in pluribus alterationibus. Et impossibile est, vt in toto tempore augmenti augmentatum sit motum, & non comprehendatur sensu. Motus igitur augmenti de initio motus ad finem componitur ex pluribus motibus & pluribus quietibus, in vno autem motu translati, i. moti localiter qui est de principio ad finem non interponitur quies, & ideo continuatio est manifestior in eo, & credimus hoc in augmento & alteratione quia videmus aliqua augeri per annum vno digito. Et remotum est, i. non est verisimile vt ille digitus diuidatur per omnes partes illius temporis anni, quoniam minimum tẽpus sensibile non habet ex eo, i. ex illo digito partem sensibilem. Hæc Com. & in hac conclusione communiter concordant Commentistę & Thomistæ.

Tu tamen aduerte quòd Marsilius in 1. de Generatione in q. 14. tenet contra hanc cõclusionem, & negat Com. in dicto allegato, & in 8. Physi. in com. 23. & dicit quòd nõ est impossibile quòd cõtinuè per vnum annum integrum acquiratur digitalis quantitas & quòd cuilibet parti illius anni correspondeat aliqua pars huiusmodi quantitatis, cum quodlibet continuum sit ita diuisibile in infinitum sicut tempus quantumcunque sit magnum, vt patet ex 6. Physicorum. Contra igitur hanc conclusionem secundam ponit ipse talem cõclusionem, Si viuum maneat semper sanum & nutrimẽtum sufficiens appareat debitum approximatum, possibile est quòd sine interruptione temporis à principio augmenti vsque ad finem quo non potest vlteriùs augeri, augeatur continuè, & hanc sic probat, Causis sufficiẽtibus cõtinuè positis in agẽtibus naturalibus, cõtinuè & sine interpositione ponetur effectus. Sed in hoc casu sunt sufficientes causæ augmenti positæ cõtinuè & sine interpositione, ergo, &c. Maior nota, quia agentia naturalia tantùm & tandiu agunt quãtùm & quãdiu possunt. Minor patet, quia causa sufficiens augmenti à principio vsque ad finem in quo est aptum augeri viuẽs est corpus sanum, quia tunc est anima in sufficienti dispositione cum sufficienti calore naturali, & sic est posita sufficiens causa efficiens, & nutrimẽtum sufficiens debitè approximatum est causa materialis, ergo minor est vera.

Ad hoc pro nunc dicitur in via nostra quòd vltra omnes causas sufficientes numeratas requiritur ad auctionem con-

tinuum ratio continuæ producibilitatis ex parte formæ, ita quòd ipsa forma sit apta continuè produci, sicut spacium est aptum continuè transiri per motum localem. Hoc autem non est verum de quantitate continua, quia sicut repugnat in via nostra qualitatem continuè intendi, sic quantitati continuè extendi. Cùm hoc tamen stat quòd diuisibiliter acquiritur vt declarabitur infrà, aliter non esset motus, sed mutatio ad quantitatẽ, vt docimus in lib. 5. in q. 1. vbi posuimus differentias inter mutationem & motum propriè dictum.

Tertia conclusio sit ista, Augmentum non est motus continuus iuxta tertium sensum, hæc conclusio in via nostra reputatur esse de mente Philosophi & Com. & B. Thom. Philosophi quidem, quia in 8. Physi. in tex 23. assimilat motum augmẽti motui guttarum stilantium & excauantium lapidem, quem constat nõ esse cõtinuum, ita ꝙ quælibet gutta aliquid lapidis extrahat, &c. & Com. in com. 23. videtur esse eiusdẽ intentionis, nam sic inquit, Illud quod augmentatur, verbi gratia, digitaliter in vno anno, nõ possumus, dicere quòd in qualibet parte temporis demonstrata inueniamus fieri partẽ magnitudinis, sicut accidit in motu in vbi, & causa in hoc est, quia minima partium magnitudinis factarum est determinata in actu, & quælibet earum fit in instanti cùm sit indiuisibilis in factione. Vnde necesse est vt istæ partes non cõtinuẽtur in motu nisi continuentur in instanti adinuicem, alia litera habet sic, Nisi continuentur instantia ad inuicem. Et id clarius est. Quod autem id sit de mẽte B. Tho. patet in 8. Phy. in expositione tex. 23. vbi dicit, Non est possibile aliquid augeri cõtinuè ita, s. quòd quantitas aucti diuidatur secundùm tempus, ita quòd in qualibet parte temporis aliquid eius augeatur, sed interponitur medium tempus post augmentũ vnius partis in quo nihil augetur, sed fit dispositio ad augmentum sequentis partis: hæc B. Tho. Et quoniã aliqui exponunt Philoso. & Com. & B. Tho. solùm ad intelligentiam secundæ cõclusionis, probandum est ratione quòd augmentum nec secundùm totum iuxta secũdam cõclusionem, nec secũdùm partem iuxta tertiam conclusionem potest esse motus cõtinuus, & arguitur sic, De mente Philos. vt declaratum est in lib. 6. Physi. cuiuslibet rei permanentis ex parte productionis est dare primum esse, sed quãtitas secundùm quã fit augmẽtum rei viuentis est res permanens, vt patet: ergo in sui productione est dare primum esse. Sed si producitur motu continuo sumendo continuitatem ex producibilitate formæ nõ est in ea dare primum esse, ergo nõ potest produci nec acquiri motu cõtinuo. Quod autem si producitur motu continuo nõ sit in ea dare, primum esse probatur: quia in omni motu continuo, vt probatum est in lib. 6. ante quodlibet moueri est motum esse & ecõuersò, ergo est impossibile in motu cõtinuo dari primum, ergo nec in re acquisita per motum continuum, quoniã si cõtinuè acquiritur, patitur sicut motus & tempus: ergo sicut nec in motu, nec in tempore est dare primum, sic nec in re acquisita per motum continuum.

Sed contra hanc conclusionem est Iand. in lib. 8. Phys. in q. 7. vbi tenet pro sua tertia cõclusione quòd augmentũ potest esse continuum iuxta tertium sensum, quia s. per aliquod tẽpus durat, putà per mẽsem sine quiete media & probat sic, Si augmentum per aliquod tempus nõ esset cõtinuum, nõ esset verè motus prout motus distinguitur contra mutationem instãtaneam, quod est cõtra Philo. in lib. 5. vbi distinguit motum propriè dictum in augmentum, & decremẽtum & alterationem & motũ localem. Consequẽtia autem patet, quia motus propriè dictus differt à mutatione propriè dicta, quia de ratione eius est successio & cõtinuitas & quòd sit ad formam cuius esse nõ stat indiuisibili, ergo, &c. Et quoniã dictũ Com. in 8. Phys. in com. 23. videtur esse contra ipsum, quoniã sic dicit, Et cùm ita sit sicut narrauimus benè apparet ꝙ dictum Alpharabij in principio sui libri de Entibus Transmutabilibus, s. quòd in diffinitione motus virtualiter apparet cõtinuatio est sermo nõ verus. Sed non apparet hoc nisi in motibus localibus de quibus dicitur hoc nomen motus principaliter, hæc Com. Dicit Iand. ꝙ in illo loco Com. non intẽdit augmentum nõ esse vllo modo continuum, sed quòd nõ est continuum à principio quo incipit viuens augeri vsque ad terminum vltra quem non est natum amplius augeri.

Sed ista non valent, & ad probationem suam nego cõsequentiam: ad probationem cõcedo quòd de ratione motus propriè dicti est successio, & esse ad formam partibiliter acquisibilem, & ista duo cõueniunt omni motui propriè dicto sed secunda conditio non conuenit propriè nisi motui locali ratione spacij cõtinuè acquisibilis, & hæc est intẽtio B. Th. in hoc 8. lib. in expositione tex. 23. vbi inquit, Sed sciendũ est ꝙ Arist. in 6. determinabat de motu in communi, &c. videtu.

Expositio autẽ quam dat de dicto Com. non valet, quia nõ cõcordat rationi quam adducit Com. in 3. Phys. loquens in eodem proposito in com. 6. vbi declarãs quare est remotum quòd ille digitus secundùm quem est factum augmẽtum in vno anno diuidatur per omnes partes illius anni, sic subiungit, Quoniã minimum tempus sensibile nõ habet ex eo partẽ sensibilem: & ex his vltimis verbis sic intẽdit Com. arguere, Si augmentum nõ solùm totum, sed etiam partiale esset simpliciter continuum ex parte quãtitatis qua fit augmentum sequitur, quòd secundùm quodlibet minimum tẽpus sensibile totius temporis mensurantis augmẽtum partiale continuum esset assignare minimam partẽ quantitatis acquisitæ. Sed hoc est falsum, vt illic intendit concludere Com. & experimento patet quòd nõ comprehendimus distinctas partes quantitatis acquisitæ in augmẽtato, sicut apprehẽdimus partes temporis mensurantis. Contra autem Com. probat, quia si augmentum partiale est continuum, sicut tota quãtitas, putà digitalis fit in toto tempore, putà in mense: sic medietas fit in medietate mensis, & medietas medietatis in medietate medietatis mensis, & sic successiuè. Hoc autem non constat sensui: ergo irrationabile est augmentum esse continuum ex parte acquisitionis quantitatis.

Quantùm ad tertium soluẽda essent quædam dubia, quæ contingunt circa negatam continuitatem augmẽti. Sed quia eadem dubia mouentur circa continuitatem alterationis & intensionis qualitatum ad quas est alteratio, & quæ sunt intensibiles, ideo relinquuntur mouenda & soluenda in q. seq. Nam Philos. in tex. 23. idem extimat tenẽdum de alteratione quò ad continuitatem, & diuisibilitatem, & de augmẽto vnde & Com. in 3. Physi. com. 6. & in 8. Physi. com. 23. loquitur simul & vniformiter de augmẽto & alteratione. Et aduerte quòd quando negamus continuitatem ab augmento intelligimus ratione augmenti, & non ratione motus alterius requisiti ad augmentum rei viuentis, qualis est motus localis, nam ex 1. de Generatione tex. 25. licet quòd generatur aut alteratur non necesse sit moueri secũdùm locum, tamen quod augetur necesse est mutari localiter. Ratione igitur motus localis concomitantis augmentum, qui est verè continuus potest dici augmentum continuum, sed non essentialiter. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num alteratio sit continua & diuisibilis in infinitum.

Similiter autem & in alteratione qualibet. Non enim si partibile est in infinitum quod alteratur, propter hoc & alteratio. Sed velox fit multoties sicut congelatio. tex. 23.

IN hac quęst. sic procedendum est. Primò ponetur quædam distinctio de continuitate. Secundò cõclusiones responsiuæ. Tertiò, soluentur quædam argumenta, quæ fiunt contra determinationem quam facturi sumus. Multi enim tenent contra viam nostram.

Quantùm ad primum aduerte quòd alteratio potest dici cõtinua tribus modis. Primò ex parte durationis, vt dicatur continua sicut tenebat Heraclitus, quem reprobat Philoso. in hoc 8. lib. in tex. 23. & in tex. 55. & in hoc sensu esset idem dicere alterationem esse continuam, & esse perpetuam. Secundò ex parte subiecti alterabilis, & erit in hoc sensu continua, si quælibet pars subiecti alterabilis quantacunque sit, successiuè & ordinatè recipit formam, ad quam est alteratio, ita quòd sicut in motu locali mobile nullam partem spacij acquirit totam simul, sed successiuè acquirit partẽ post partem, & prius partem minorem quam maiorem, &c. sic successiuè alteretur alterabile ita quòd nulla eius pars tota simul alteretur, sed prius pars partis quàm tota pars: & eo modo quo alterabile est diuisibile in infinitum, sic eodem modo seruetur ordo in alteratione. Tertiò ex parte formæ, ad quam est alteratio, & hoc erit si in eadem parte subiecti, quæ tota simul alteratur, putà in vno cyato aquæ debitè approximato igni, acquiritur cõtinuè calor secundùm magis & magis vsque ad vltimum terminum calefactionis, ita quòd non sit assignare tempus in quo alterabile eodem modo se habeat respectu formæ acquisitæ, sicut in motu locali non est assignare tempus, in quo mobile si mouetur motu cõtinuo eodem modo se habeat respectu spacij pertransiti, & in hoc sensu alteratio esset propriè continua, quia sumeretur continuatio ex parte producibilitatis formæ, ad quam est, sicut sumitur vera continuatio in motu locali ex parte transitionis spacij, per quod est.

Quantùm ad secũdum non est immorandum ad probandum

dum alterationem non esse continuam in primo sensu, cõtra Heracl. hoc enim sufficienter impugnat Philo. in tex. & præcipuum inconueniens cõtra opin. dicentem omnia continuè moueri est, vt ægritudo, sicut dicit Com. in com. 23. transmutetur in sanitatem in tempore ægritudinis, ita quòd in eodẽ existant contraria simul. Omne enim transmutatum transmutatur in tempore & nõ instanti, vt probatum est in lib. 6. Si igitur tempus in quo æger transmutatur ad sanitatem nõ est aliud à tempore in quo transmutatur de sanitate in ægritudinem, cõtinget vt transmutetur ad sanitatem & infirmitatem simul, quæ sunt manifestè impossibilia. Immorãdum est igitur circa secundum & tertium sensum, & in via nostra pono duas conclusiones negatiuas. Prima est, Alteratio non est continua in secundo sensu. Probatur supponendo quòd forma seu qualitas ad quam est alteratio non potest seruari in materia quantuncũque minima. Nam in tantùm posset diuidi quòd qualitas ad quã est alteratio nõ posset in ea seruari: & huius ratio est, quia quælibet forma naturalis determinata est ad minimum diuisim & seorsum in quo, ex quo sequitur quòd oportet tãtam partem simul alterari in qua seruari possit qualitas per alterationem inducta. Quod autem forma naturalis sit determinata ad minimũ diuisim & seorsum ostensum est in 1. lib. in q. 19.

Hoc supposito sic arguitur, Tota illa pars debet simul alterari supra quam totam simul obtinet alterans, & sub qua minori non potest saluari qualitas sensibilis diuisim & seorsum. Sed aliqua pars tota est supra quam simul obtinent alterans, & sub qua minori, &c. ergo alteratio non est continua in secundo sensu, consequentia patet ex declaratione facta in secundo membro distinctionis positæ. Prima autem propositio euidens est. Secũda verò quòd ad primam partem est Philosophi in tex. 23. & clarius in lib. de Sensu & Sensato in tex. 70. vbi inquit, Primum autem ab ipso faciente transmutari necesse est simul alterari, & ratio huius est, quia tota illa pars, quæ simul attingitur à virtute alterãtis, habet se sicut quoddam indiuisibile quãtùm ad hoc quòd simul alteratur. Et ideo non est necesse quòd tota illa pars partialiter alteretur, secunda autem pars secundæ propositionis patet ex supposito facto de determinatione formę naturalis ad minimũ seorsum. Et sic patet quòd non est necesse alterationem esse cõtinuam ex parte alterabilis. Sed debes imaginari ꝙ cùm alteratio fiat per virtutem alterantis, cuius virtus quãtò maior fuerit tantò maiorem partem alterabilis simul alterare potest, & quoniam est finitæ virtutis vsque ad tantam quantitatem corpus alterabile subditur eius virtuti, & totum illud, super quod obtinet virtus alterantis simul recipit impressionem eius & totum simul alteratur pro aliquo gradu qualitatis habẽtis latitudinem, & nõ alteratur pars post partem, sed totum illud alteratum alterat aliud sibi cõiunctum, & sic successiuè quousq; deficiat virt⁹ alteratiua. Sicut ignis calefacit vnam partem aëris totam simul, s. propinquiorẽ sibi & illa calefacta calefacit aliam, & alia aliam, & sic procedendo totus aër qui est in camera calefit. Et hæc est doctrina Philo. in lib. de Sensu & Sensato, vbi suprà. Dicit enim, Attamen si multum fuerit quod calefit aut coagulatur habitum ab habito patitur, i. pars sequens tota simul alteratur à parte præcedente iam simul tota alterata, & in hac conclusione communiter conueniunt Commentistæ & Thomi.

Secunda conclusio, Alteratio non est cõtinua in 3. sensu, quam sic declaro, Sumatur prima aëris propinquior igni & sit pedalis quam diximus in conclusione præcedenti totam simul calefieri ita quòd receperit primum gradum caloris, & calefiat non interruptè per totam vnam horam, & in fine horę habeat vltimum gradum caloris, dico quòd ista alteratio qua intenditur calor in eadem parte aëris per totam horam vsque ad vltimum gradum non potest esse continua ex parte formæ, probatur, Si esset continua, ergo in fine horæ calor esset infinitus in eadem parte aëris, quod est impossibile, probatur consequentia, quia si est cõtinua quò ad acquisitionem, ergo in quolibet instãti horæ pars aëris est magis calida quàm priùs, quia si in aliquo instãti se haberet in calore eodem modo vt prius nõ moueretur cõtinuè, quod est cõtra te. Nam vt dictum est in lib. 6. moueri est aliter se habere quã priùs: nõ potest autẽ dicere quòd licet in quolibet instãti se habeat aliter quàm prius non tamen est necesse ꝙ sit magis calida, quia fortè ignis nõ calefacit æquè in omni parte horæ, sed in aliqua plus, in aliqua minus. Hoc inquam nõ valet, quia supponitur ꝙ virtus ignis sit vniformis per totã horã, & pars aëris æquẽ ꝑpinqua, & deductũ omne impedimentũ, cùm igitur ignis in principio horæ tãtum calorẽ impresserit in parte aëris, tantũdem imprimet in quolibet instãti sequẽti, & cùm in hora sint infinita instãtia, sequitur ꝙ in fine horæ erit infinitus calor. Cùm igitur hoc sit impossibile alteratio nõ erit continua in 3. sensu, sed discõtinua in hunc modum, videlicet, cùm alterans fuerit debitum approximatum alterabili putà ignis cyato aquæ prius per aliquod tẽpus disponit ipsum ad calorem, & in instãti terminãte tẽpus debitæ dispositionis causat calorem tãtum quantũ potest in illo instanti & sub illo calore quiescit aqua donec ignis in tẽpore immediatè sequẽti iterum disposuerit aquã ad esse magis calidum, & facta sufficiẽti dispositione causat in aqua in instãti terminãte illud tẽpus esse magis caldum & sub illo quiescit donec iterũ, &c. & sic deinceps quãdiu alterãs & alterabile erunt debitè approximata, vel donec alterãs fecerit alteratũ ita intẽsè tale, ꝙ non poterit in magis, & sic patet ꝙ alterans per nullũ tẽpus est præsens alterabili quin agat in ipsum vel per dispositionẽ ad formã, vel per impressionẽ formæ post debitã dispositionẽ, quãuis nõ semper agat & cõtinuè producẽdo formã. Et ideo alteratio nõ est cõtinua ex parte formę, & in hoc stat determinatio præsentis quæsiti in via nostra.

Quãtùm ad tertium aduerte ꝙ cõtra cõclusionẽ secundã & determinationem factã in declarando qualiter alteratio non est cõtinua ex parte formæ, insurgunt tenentes viam oppositam, & inter cætera aduerte duo argumenta.

Primum est, Si nulla alteratio esset continua ex parte formæ sequitur quod per aliquod tẽpus agens naturale potens agere in aliquod subiectũ alterabile esset sufficienter approximatum illi potẽti pati ab eo & in omni dispositione necessaria ad agendũ & patiendum, & nullum esset impediens actionem agẽtis in passum, & tamen nõ ageret, quod est cõtra naturam agẽtis naturalis, vt patet ex 1. de Generatione, & ex 9. Metaph. Consequentia probatur, Sit calefactiuum approximatum corpori aliqualiter calido, & potẽti ab illo magis calefieri, & sint in omni dispositione requisita ex parte vtriusque ad actionẽ & nullum sit impediens: tunc quæro, Aut hoc calefactiuũ in qualibet parte tẽporis suæ præsentiæ agit in partem calefactibilis sibi proximam aut nõ: si sic, ergo illud calefactibile secũdum illã partẽ per totũ tẽpus pręsentiæ calefactiui fit magis calidũ, & magis calidum cõtinuè, & per cõsequens alteratio est cõtinua ex parte formæ, cuius oppositũ sumitur in antecedẽte: si nõ, ergo in qualibet parte tẽporis præsentiæ suæ nõ agit in passum, & sic patet cõsequentia.

Ad hoc patet quid respõdendum sit ex determinatione facta. Negatur igitur consequẽtia, ad probationẽ admisso casu dico quòd calefactiuũ in qualibet parte tẽporis suæ præsentiæ agit in calefactibile, & nego quòd cõtinuè fiat magis & magis calidum. Nam, vt diximus suprà alterans semper agit in alterabile sibi præsens aut disponẽdo ad formam aut imprimendo formam post debitam dispositionem. Sed non semper & continuè agit imprimendo formam: quoniam non semper & continuè adest debita dispositio, etiam quòd alterans sit approximatum.

Sed contra hanc responsionem sic instatur, Sicut calefactiuo præsente in quocunque instanti subiectum est sufficiẽter dispositum & nullum est impedimentum ipsum subiectũ fit calidum ex non calido, sic calefactiuo eodem modo præsente in quocunque instãti subiectum est magis dispositum eodem inquam instãti subiectum fit magis calidũ quàm priùs, & per consequens nõ solùm in dispositionibus, sed etiam in ipso calefieri alteratio intensiua est continua.

Ad hoc dicitur quòd similitudo nõ tenet, quia licet subiectum cõtinuè disponatur, putà per rarefactionem vel cõdensationem vel alio modo ad calorẽ, & in quolibet instãti sit maior dispositio quàm priùs, nõ tamen sufficiens ad calorẽ intẽsiorẽ, quàm priùs, & ideo licet dispositio fiat cõtinuè, nõ tamẽ introductio caloris maioris, nisi quãdo peruentũ fuerit ad sufficientẽ dispositionẽ pro forma intẽsiori introducẽda.

Secundò arguitur sic, Alteratio est motus, & motus de necessitate est continuus, quia est quãtitas & non discreta, vt patet, ergo continua, ergo est impossibile alterationem esse motum & non esse continuam, & cõfirmatur, quia ex 6. Phys. tempus habet continuitatem ex motu & motus ex magnitudine. Sed magnitudo alterabilis est quid continuum, ergo & alteratio est motus continuus.

Ad hoc dicitur vt suprà, hanc propositionem, De necessitate motus est cõtinuus, nõ esse simpliciter veram, nisi in motu locali, eò ꝙ spacium est verè cõtinuum, & cõtinuè acquiritur, quia priùs pars minor quàm maior. Applicando igitur ad alterationem dico quòd nõ est vera. Ad probationẽ dico quòd motus nõ est ex se quãtitas continua, sed continuitatẽ

trahit ex mobili & ex magnitudine, sicut diuisibilitatem, vt declaratum est in lib. 6. & ideo si mobile esset nõ quãtum, & si res ad quam est motus nõ sit acquisibilis continuè, non est necesse motum esse continuum. Ad cõfirmationem dico q̃ licet alterabile inquãtùm est corpus, sit cõtinuum, non tamẽ inquantùm alterabile, quia vt determinatum est per primã cõclusionem non est necesse quòd alterabile alteretur modo quo est diuisibile, quoniã cõtingit totam vnã partem notabilis quantitatis simul alterari, & nõ prius partem partis, & iam determinatum est per secũdam conclusionem quòd forma ad quam est alteratio non est continuè acquisibilis. Quoniã igitur alterabile, vt alterabile, i. ratione qua alterabile non est quid cõtinuum non sequitur alterationem esse motum continuum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Num in animali mouente seipsum, anima sit mouens, & corpus pars mota, & vtrùm motus animalis sit naturalis.

Quodcunque enim ipsum à seipso mouetur, natura mouetur, vt quodcunque animalium, mouetur enim ipsum animal à seipso. tex. 27.

In animali mouẽte seipsum, anima est mouens quo, corpus verò pars mota, animal verò vt quod mouetur, talisq; motus naturalis est, quia est à principio intrinseco.

IN hac quest. duo videda sunt, primò quia secundum Phil. vt demõstrat infrà in tex. 41. nihil potest mouere seipsum primò, necesse est vt mouens seipsum distinguatur in partẽ mouẽtem & partem motam, quoniã igitur tenet Philo. animal mouere seipsum & dicitur communiter animal cõponi ex corpore & anima, perscrutandum est, si anima est pars mouens, & corpus pars mota, secundo quia dicit Philoso. in tex. præposito, Quodcunque mouetur à seipso, natura mouetur, considerandum est si motus quo mouetur animal à seipso potest dici motus naturalis.

Quantùm ad primã partem sunt duæ opiniones. Prima dicit, quòd anima est pars mouens & corpus est pars mota, & fundat se super multa dicta Com. quorum primũ est in hoc li. 8. in com. 27. vbi inquit, Nullus dubitat q̃ animal mouetur ab anima, & q̃ anima est motor & corpus est motũ. Et in eodẽ lib. in com. 30. inquit, Anima quę est motor in animalibus distinguitur à corpore quod est motũ: & in 2. de Anim. com. 37. inquit, Cùm declarauit, s. Phil. animã esse causam secundũ formã, & secundũ finẽ declarauit eã esse causam mouentem secũdùm omnes modos motus siue veros siue existimatos.

Prædicta opinio fundat se etiã super duas rationes, quarum prima talis est. Illud est primum subiectũ alicuius accidentis cui inest illud accidens nõ per alterum principaliter, & cuicunque inest, inest per ipsum, hæc habetur ab Arist. in 1. Posterio. in c. de Acceptione Vniuersalis. Sed ipsi animæ inest virtus motiua secũdùm motum localem nõ per alterum principaliter, & cuicunque inest illa virtus inest per naturã animæ principaliter, ergo anima habet per se & primò ipsam virtutem motiuam secundùm locum, & tale est principium intrinsecum mouens ipsius animalis.

Secunda ratio talis est, Vel anima, vel aliqua pars quantitatiua cui primò inest virtus motiua, putà cor, est principiũ intrinsecum, mouens animal vel alias partes animalis. Non secundum, ergo primũ. Quod nõ secundũ probatur, quoniã sequereetur q̃ materia prima esset per se motiua in animali, quod est absurdum, probatur cõsequentia, Quãdocunq; aliquod accidens debetur alicui subiecto cõposito per se & primò, oportet quòd cõueniat cuilibet parti eius per se licet nõ primò, hæc accipitur vt manifesta. Si igitur totum ex materia prima & anima compositum est per se & primò motiuũ ipsius animalis, ergo materia prima quæ est pars illius cõposiri erit motiua in animali. Quod autẽ hoc sit absurdũ, patet, quoniam dixit Philos. in lib. 3. Phys. in tex. 18. q̃ semper extinguitur aliqua species mouẽs. Animal igitur sic est intelligendũ mouere seipsum quia cõponitur ex duabus partibus, quarũ vna est mouẽs, s. anima, & alia mobilis, scilicet corpus.

Secunda opinio dicit quòd ipsa anima nõ est quæ mouet omnes partes animalis, sed in animali assignantur distinctæ partes distinctarum rationum & complexionum, eò quòd animal est totum æterogeneum inter quas est dare vnam primam, cui primò insidet anima secundùm virtutem motiuam, & hæc pars mouens est alias per calorem & spiritum communicatum eis ab illa parte primo mouente: & hæc opinio videtur fundare se super doctrinã Philosophi in Paruis Naturalibus in lib. de Motu Animalium, & de hac parte primo mouente alias diffusè tractauimus in Epitomate nostro super dictum lib. in Tract. 2. in ca. 3. & 4. vbi declarauimus ad mentem Philosophi animam se habere in illa parte sicut auriga super currum, sicut rex super ciuitatem, sicut thæmo in naui, & quomodo per spiritum complantatum hæc pars mouet alias partes, & quoniam in via nostra communiter hæc opinio sustinetur, ideo vt scias sustinere eam, & scias quid veri aut falsi cõtinet prima opinio, ideo sic procedendum est, Primò ponetur distinctio de principio intrinseco mouente. Secundò conclusiones responsiuæ. Tertiò respondebitur fundamentis primæ opinionis.

Quantùm ad primum aduerte quòd in doctrina Philosophi sicut inuenimus finem quo & finem qui, vt declaratum est in lib. 2. Phys. in tex. 29. Nam media ad finem vltimum dicuntur finis quo, s. attingitur vltimum: vltimum, ad quod omnia præcedẽtia ordinatur dicitur finis qui, sic inuenimus duplex mouẽs, s. quo & quod, nam respectu inferiorum, quæ calefiunt à sole, mouens quo est lux, mouens quod est Sol. & differunt hæc duo, quia mouens quo est actus, & nõ propriè dicitur ens in actu nisi prout distinctum ab ente in potẽtia potest dici ens actu. Mouẽs autem vt quod est ens actu, quia sibi debetur existere. Et nõ propriè dicitur actus nisi sit mouens separatum vt intelligẽtia quæ dicitur actus Meta. Item mouẽs quo nõ est necesse q̃ distinguatur secũdùm esse à moto, sed bene mouens quod, & hæc est ratio vt dicemus in q. sequenti, quare inanimata non mouent seipsa.

Quantùm ad secũdum sit prima cõclusio, Animal est mouens seipsum, quia anima est principiũ intrinsecum primum quo mouetur animal: probatur. Bodẽ modo anima est principium intrinsecũ primũ mouẽdi localiter in animali & vegetãdi & sentiendi, hæc est Philo. in 2. de Ani. tex. 18. Sed anima, vt patet in 2. de Ani. in tex. 24. est principiũ quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò, ergo, &c.

Secunda cõclusio, Animal non est mouens seipsum, quia animal sit mouens partes corporis vt quod, sed quia in animali datur vna prima pars, cui primò cõmunicat anima virtutem motiuam, & per hanc mouẽtem cæteræ partes mouẽtur. Probatur, Mouẽs quod in istis materialibus nõ est actus, quia actus habet rationem quo, sed existens in actu distinctũ in esse à moto. Sed anima est actus, & nõ est propriè existens in actu, quia nõ subsistens nisi anima intellectiua vt intellectiua & nõ vt motiua. Nec distinguitur secũdùm esse ab animali moto, quoniam idem est esse partis & totius vt existit in toto, ergo anima nõ est mouẽs vt quod. Istæ autem cõditiones cõueniunt vni primæ parti existenti in animali, s. cordi, est enim distinctæ complexionis, & distincti situs, & distincti motus, & est primum & vltimum in motu, & est distinctæ figuræ, & videtur esse quodammodo animal per se, vt declaratum est in fine libri de Motu animalium. Rationabiliter igitur non anima, sed talis prima particula est mouens intrinsecum in animali, vt quod.

Quantùm ad tertium dico quòd omnia dicta Com. allegata concludunt pro prima conclusione & non aliter.

Ad primam rationem dico q̃ si aliquid cõcludit, cõcludit de mouẽte quo, & nõ vt quod, quoniã potẽtia motiua nõ inest animæ, nisi vt primo principio quo viuimus & mouemur.

Ad secundã dico quòd est secundum, ad improbationem nego consequentiam, ad probationem nego illam propositionem quam dicit arguens esse manifestam, imò nullam veritatem habet, nisi in partibus quantitatuis. Nam bene sequitur quod si sol est corpus primò & per se lucidum quælibet eius pars quantitatiua est lucida, & si cœlum primò & per se mouetur quælibet eius pars quantitatiua mouetur, non autem habet veritatem de partibus essentialibus, falsum est enim materiam moueri, quia quod mouetur est ens actu ex lib. 5. Phys. tex. 8. Præterea esse partem, cõueniet primò & per se binario, & tamen nõ conuenit alicui suæ parti, patet ergo quòd prima opinio nõ habet veritatem nisi de mouẽte quo, in præsenti autem quæsito quærimus de mouente quod.

Quantùm ad secundam partem quæsiti aduerte quòd naturale in doctrina Philosophi sumitur multipliciter, primò vt distinguitur contra violentum, vt dicatur naturale quòd est à principio intrinseco siue actiuo siue passiuo, ita quod est secũdùm rei naturam & inclinationẽ. Et ex opposito dicatur violentum cuius principium est extra, repugnantem natura patientis. Et in hoc sensu accipit Philosophus in 1. Cœli tex. 12. naturale, vbi assignat motum naturalem & violentum corpori simplici. Secundò vt distinguitur contra voluntarium siue desideratiuum, vt dicatur naturale quod fit sine cognitione & desiderio operantis, in quo sensu ignis naturaliter calefacit nõ autem animal in hoc sensu naturaliter ambulat, quia ex 3. de Anima tex. 48. animal mouetur progressiuè phantasia & appetitu. Voluntarium autem siue desideratiuum est quod fit apprehensione & appetitu agentis. Et in hoc sensu loquitur Philosophus in 2. lib. Phy. tex. 4. cùm dicit,

Horum quæ sunt alia sunt à natura, id est ab agẽte sine apprehensione & desiderio, aliaverò per alias causas, quod communiter exponitur sic, id est à causis agentibus ex cognitione & à proposito, vt quæ fiunt ex arte vel à casu.

Ex his dico ad propositum quòd motus animalis potest dici naturalis in primo sensu, quia est à principio intrinseco, i. ab anima, quæ vt forma dicitur natura ex 2. Phys. tex. 11. si autem sumatur naturale in 2. sensu sic non potest dici naturalis, quia in animali principia motiua secũdum locum ex 3. de Anima. tex. 48. sunt phantasia & appetitus, vtrum autem moueant secundùm vnam cõmunem speciẽ siue rationem determinauimus in lib. 3. de Anima in q. de Potẽtia Motiua. & est q. 8. & aduerte quòd hic intẽdimus de motu animalis, vt animal est, & non vt est graue vel leue, quoniã vt sic dicitur motus eius naturalis ex primo sensu, sicut diceretur motus naturalis in elemento prædominante. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. De aliis autem pertinentibus ad potentiã motiuam, & ad primum mouens organicũ determinauimus in 3. de Anima in quæstione 5. & 6. & 8. & 10.

QVAESTIO IX.

Num grauia & leuia inanimata moueantur à seipsis vel à principio extrinseco, & quod sit illud.

Et nanque ipsa à seipsis ponere impossibile est, animalis enim hoc proprium & animatorum. tex. 29.

IN hac quæst. aduerte antequam ad decisionem deueniam, quòd apud Philosophũ pertractatur textualiter in 4. Cœlii in tex. 25. vbi dicit Philosophus, Mouet autem & quod à principio fecit, id est, generans, & impedimentum remouens, &c. Apud Comment. autem mouetur hæc q. in 3. lib. de Cœlo, in com. 28. vbi inquit. Declaratum est enim de elementis quòd non nominantur inter ea quæ mouent seipsa, cùm non mouentur ad locum nisi à generante, volo autem hic ordinare eam, quoniam Philosophus in textu præpofito videtur negare quòd moueantur à seipsis, ergo à principio extrinseco, & quærendum est quid sit illud, an mouens, an locus naturalis ad quem naturaliter mouentur, an generans vniuersale vel particulare, & quoniam hoc quæsitum solet à Commentistis & sectatoribus Scoti & nutritis in via Thomistica diffusissimè pertractari, ideo studendũ est quàm breui resolutioni. Tu igitur aduerte quòd intentum meum est tantùm vnum inquirere., scilicet, in quo conueniunt & disconueniunt B. Thom. & Com. & sic procedam, primò ponentur quædam distinctiones, secundò ponentur conlusiones pro via in qua conueniunt B. Thom. & Commen. tertiò conclusiones in quibus disconueniunt, quartò soluentur argumenta eorum qui tenent contra viam nostram.

Quantùm ad primum sit hæc prima distinctio quam tangit Philosophus in hoc libr. 8. in text. 32. & Comm. in 3. Cœli, in commen. 28. Graue mobile deorsum potest considerari esse in potentia ad locum deorsum dupliciter, scilicet, vel in potentia essentiali vel in potentia accidentali. Aliquid dicitur esse in potentia essentiali, quod est in potentia ad formam & ad motum qui consequitur talem formam, sicut Sortes antequàm habeat habitum scientiæ est in potentia essentiali ad speculari, sic graue antequàm habeat grauitatem est in potentia essentiali ad locum deorsum, quia nõ habet illam essentiam, id est, grauitatem qua potest moueri deorsum. Aliquid dicitur esse in potentia accidentali, quod actu habet formam quæ est principium actionis aut motus, sed nondum actu mouetur aut operatur. Sicut Sortes post acquisitum habitum scientiæ est in potentia accidentali ad speculari, sic graue factum actu graue est in potentia accidentali ad locum deorsum.

Secunda distinctio, Mouens graue potest esse duplex, scilicet, remotum quod dicitur vniuersale & mediatum, & proximum quod dicitur particulare & immediatum, loquemur autem de vtroque, licet propriè intẽdamus de proximo & immediato.

Tertia distinctio, Mouens immediatum potest esse duplex, scilicet, mouens per se, & mouens per accidens, & intendimus loqui de mouente immediato per se, quoniam de immediato mouente per accidens omnes concedunt & est clarum apud Philosophum in hoc libr. 8. in tex. 32. quòd est remouens impedimentum, sic enim inquit illic, Sustinens autem & prohibens mouens est, vt est columnas diuellens, aut lapidem remouens, aut à vase aquam, secundùm accidens enim mouet, &c.

Quantùm ad secundum pono quatuor conclusiones in quibus conueniunt Commentistæ & via nostra.

Prima est, Graue non mouet seipsum de potentia essentiali ad actum, imò generans graue est illud quod causat talem motum ad quem erat in potentia essentiali, probatur, Quod dat formam rei, dat accidentia quæ per se consequuntur illam formam, sicut dans formam homini dat risibilitatem. & producens ignem producit calorem & siccitatem & leuitatem & lucem. Sed generans graue, dat formam graui, quia generatio terminatur ad formam ex 5. lib. Physic. & motus deorsum est statim consequens formam grauis si est genitũ extra locum naturalem, & nihil impediat, ergo generans causat talem motum grauis.

Secunda conclusio, Quando graue est in potentia accidẽtali ad locum deorsum, necesse est quòd moueatur à generante mediate, saltem virtualiter, probatur, Dans formam dat consequentia formam saltem mediatè & virtualiter, sicut ignis calefaciens aërem, mediatè & virtualiter calefacit manum. Sed generans dat formam graui, ergo & motum graui, saltem mediatè & virtualiter. Et hæc conclusio nisi vltrà extendatur acceptatur ab omnibus, difficultas enim est de mouente per se immediato.

Tertia conclusio, Graue non mouetur actiuè & effectiuè à loco suo naturali. Probatur, Locus naturalis non mouet locatum nisi motu attractionis, vt visum est in lib. 4. Sed illa attractio non est vera propria, imò metaphorica. Nam in vero tractu, vt declaratum est in 7. libr. text. 10. necesse est moueri trahens cum tracto. Cùm igitur locus naturalis grauis sit centrum necesse esset si centrum moueret graue actiuè, quòd moueretur simul cum graui, hoc autem repugnat centro, quoniã de eius ratione nõ est esse immobile. Non ergo loca naturalia sunt causa effectiua sed finalis motuum naturalium in graui & leui. Et hæc est expressa intentio Com. in lib. 7. Phys. in com. 22. & ab eo non dissentit via nostra.

Quarta conclusio, Graue & leue non mouentur per se à medio in quo sunt, suppofito quòd tale medium non sit eorum generans. Verbi gratia, Generetur ignis in terra, & ascẽdat per totam sphæram aëris vsque ad locum suum naturalem sursum, dico quòd aër, vt medium non est per se mouens ignem sursum. Probatur, quia tunc idem actiuum naturale per se moueret ad plures differentias locales & secũdùm contrarios motus, quod est impossibile, quia hoc repugnat actiuo naturali ex libr. 9. Metaph. eò quòd est determinatum ad vnum, & non potest in opposita nisi per accidens, vnde in 9. Metaph. tex. 3. dicitur de potentiis irrationalibus, quæ & naturalis dicitur, quòd est vna vnius, vt calefaciendi solùm. Consequentia autem probatur, quoniam per eandem partem aëris per quam leue ascendit contingit graue descẽdere & econuerso, & simul dum per vnam partem ascendit leue, contingit per aliam propinquam descendere graue, ergo idem medium vt medium nõ per se mouet graue & leue, quia non potest ad contraria & contrariis motibus mouere per se. Dico, Vt medium, quoniam de medio vt est generans aliter dicendum esset vt patet per primam & secundam conclusionem. In his quatuor conclusionibus concordant Commentistæ, pro maiori parte & Thomistæ.

Quantùm ad tertium ponuntur duæ conclusiones pro Commen. ad iudicium Cõmentistarum, & duæ pro B. Tho.

Prima pro Com. est hæc, Grauia & leuia existentia in potentia accidentali non mouentur immediatè à generante. In hac conueniunt Iandunus in 8. Physico. in q. 11. per totum & Alber. Saxo. in 3. libr. Cœli in q. 8. & idem in 8. Phy. in quæst. 6. & Gregorius in 2. dist. 6. q. 1. artic. 3. in conclusione quarta, & omnes tangunt eadem media, quæ virtualiter stant in hoc, Mouens immediatum & proximum est simul cum moto, vt probatum est in libr. 7. sed contingit lapidem generari inferiùs, & post tempora proiici sursum, deinde descendere, & in de sensu patet quòd generans quod est inferius per casum datum, nõ est simul cum lapide imò multùm distans, ergo nullus sanæ mentis diceret lapidem illum moueri deorsum immediatè à generante, quod per casum datum non est simul cum lapide moto.

Præterea, Contingit olim dudum corrupto generãte talia corpora ad sua loca naturalia mouẽti si fuerint posita extra ea, quo dato constat quòd non mouentur à generante, quoniam quod non est in rerum natura non potest moueri, sicut enim moueri est actus existentis in potentia, item mouere est actus existentis in actu.

Præterea, Hæc est intentio Commen. in 3. Cœli, com. 28. vbi inquit, Sed quia motus non existunt à generante nisi mediante genito, & motus primò essentialiter non fit nisi à motore & nullo alio mediãte propter hoc iste motus nõ est

primò & eſſentialiter à motore extrinſeco,ſed à forma moti:hæc Com.Et dicunt,iſti quòd ſi inueniatur Com.aut Philoſophus dicere quod mouentur à generante eſt intelligendum mediatè eò quòd vt dicit Com.in 8.libr.Phyſic.in com. 32. generans eſt illud quod corpori ſimplici generat formam ſuam, & omnia accidentia contingentia formæ, quorum vnum eſt motus in loco.

Secunda pro Com. eſt hæc, Grauia & leuia exiſtentia in potentia accidentali mouentur immediatè à ſeipſis, & non à motore extrinſeco,ita quòd habent in ſeipſis principium actiuum ſui motus principale & inſtrumentale, principale quidem eſt eorum forma ſubſtantialis, accidentale autem & inſtrumentale ſunt qualitates eorum & motiuæ vt grauitas & leuitas. Hanc tenẽt omnes prænominati, & probatio eorum principaliter ſtat in hoc, Sicut ſe habet aqua calefacta ad reductionem ad frigiditatem, ita & graue poſitum ſuprà ad reductionem ad locum inferiorem, ſed aqua ſeipſam infrigidat,ergo graue mouet ſe deorſum.Maior videtur nota, & minor probatur, quia non poteſt aſsignari extrinſecum infrigidans & præcipuè tempore æſtatis exiſtente medio, putà aëre calefacto. Præterea,Motus grauium & leuium ad loca ſua ſunt naturales, ergo ſunt à principio intrinſeco ex diffinitione naturæ. Quæ autem habent principium intrinſecum ſui motus,mouent ſeipſa, ergo, &c. Greg. autem vbi ſuprà reputat hanc concluſionem ſufficienter probatam à ſufficienti diuiſione, quia per concluſiones præmiſſas non mouentur à loco, non à medio,non à generante immediate,ergo non ab extrinſeco principio, ergo ab intrinſeco,ſed huiuſmodi mouent ſeipſa,ergo,&c.

Prima concluſio pro B.Tho.eſt hæc,Graue exiſtens in potentia accidentali nõ mouetur à ſeipſo, ſed ab alio.Hæc eſſe videtur Philoſophi in tex.29.& 30.& probat quatuor rationibus,vt videre poteris, & B. Tho. exponens clarè deducit eas.Sed tenentes viam oppoſitam dicunt quòd Philoſophus non negat quin moueant ſeipſa,ſed quòd nõ mouent ſeipſa illo modo quo animal mouet ſeipſum: nam animal mouet ſeipſum per apprehenſionem & appetitum & ſicut eſt in poteſtate ſua mouere ſe ſic eſt in ſua poteſtate ceſſare à motu & quieſcere,& quando vult ſe mouere, nõ indiget motore extrinſeco ponente illud in debita diſpoſitione ad motum. Iſtæ autem conditiones non competunt graui nec rei inanimatæ,& ideo dicit Philoſ.quòd non mouẽtur à ſeipſis,ſ.modis quibus animata mouent ſeipſa.Vnde vnico verbo cõcludunt quòd motus animatorum & inanimatorum non diſtinguuntur in hoc,quòd vnum mouet ſeipſum & aliud mouetur ab alio,ſed in hoc,ꝙ animatum mouet ſeipſum ex ſeipſo, inanimatum autem mouet ſeipſum, ſed non ex ſeipſo, quia indiget motore extrinſeco ponente illud in debita diſpoſitione ad motum. Non enim poſſunt moueri niſi ſint extra loca propria,& nõ poſſunt eſſe nec ſe ponere extra loca propria,niſi generentur extra locum proprium, vt cum generatur pluuia aut grando in aëre vel quando proiiciuntur extra locum ſuum iſta grauia in terra reſidentia, & ex hac diſtinctione dicunt Philoſophum ſic exponẽdum in tex.29. Et nũquam ipſa à ſeipſis moueri impoſsibile, i. ipſa à ſeipſis ex ſeipſis,quoniam hoc cõuenit ſoli animato,& in hoc ſenſu concludunt rationes Philoſophi,& non in alio ſenſu.

Sed rectè conſideranti patet quòd iſtæ gloſſæ ſunt potiùs per imaginationem quàm fundatæ in Philo.vt relinquamus Com.in hoc,quoniã ſi eſt huius mẽtis quòd moueant ſeipſa, non cõuenit cum via noſtra,ſtãdo igitur in doctrina Philoſ. nõ inuenitur eum dixiſſe ꝙ moueant ſeipſa ſiue ex ſe,ſiue nõ ex ſe ſed vbiq; inuenitur quòd mouẽtur ab alio,&ab extrinſeco,vnde poſtquàm in tex.29.& 30. probauit quòd nõ mouentur à ſeipſis incepit inueſtigare in tex.31.à quo moueãtur, & in tex,33. concludit ſic, Quæcunq; à ſeipſis mouẽtur ab aliquo mouẽtur,& quæ non à ſeipſis,vt leuia & grauia. Aut enim à generãte & faciente graue & leue,aut ab impediẽtia & prohibẽtia ſoluente.Hæc fuit cõcluſio Philoſophi,& eandem replicat in 4.Cœli,in tex.25.vbi inquit loquens de motu & motore grauium & leuium, Mouet autem & quod à principio fecit, & impedimentum remouens,aut vnde reſiliit,quemadmodum dictum eſt in primis ſermonibus,i.in 8. li.Phyſ.in quibus determinauimus quòd nihil horũ ſeipſum mouet;hæc Philoſophus,ex quibus patet quòd intentio ſua fuit ſine diſtinctione aliqua negare grauia & leuia mouere ſeipſa,faciãt igitur modo quo volũt imaginationes ſuas, ſed non oſtendent eas fundari in via Philoſophi.

Præterea, Licet poſſent gloſſare modo ſuo primam & ſecũdam & tertiam rationẽ Philoſophi non poſſunt euadere, quin quarta abſolutè concludat,ſic enim arguit Philoſ. nullum cõtinuum mouet ſeipſum,graue & leue ſunt continua, ergo,&c.Maiorem ſic probat,Sed ſecũdùm quòd diuiditur, ſi hoc quidem aptum eſt facere, illud vero pati, & intendit ſic arguere,quia mouens & motum ſe habent, vt agens & patiens & cùm agens ſit contrarium patiẽti, neceſſe eſt quòd diuidatur id quod eſt aptum agere ab eo quod eſt aptum pati,ſed in continuo nulla pars eſt diuiſa ab alia,ergo vna non poteſt eſſe mouẽs alia mota,& ideo in animalibus potius eſt colligatio partiũ,quam cõtinuatio, vt declaratur in libr. de Motu Animaliũ,vt ſit vna pars prima mouẽs alias,putà cor.

Præterea,Si mouet graue ſeipſum ſequitur quòd mouere & moueri conueniat eidem ſecundùm idem,quod eſt impoſsibile,aliter idem ſecundum idem eſſet in potentia & in actu.Conſequentia probatur,Nam cùm graue non componatur niſi ex ſimplici materia & forma mouere non competit ei ratione materiæ, ſemper enim mouens eſt aliqua ſpecies ex 3.lib.Phyſi.tex.18.Nec etiam moueri,quoniam omne mobile reſiſtit mouenti,ſe habet enim mobile vt potentia & mouens vt actus: ſed materia non reſiſtit formæ quò ad motum localem, cùm ſe habeat indifferenter ad quodlibet vbi, ergo ſi graue mouet ſeipſum mouere & moueri competit ſibi ſolùm ratione formæ.

Ad hanc rationem conatur reſpondere Iandunus de mẽte Com.dicens,ꝙ nõ eſt ſecundùm idem,quoniam forma vt forma mouet,vt autem eſt in materia eſt mota.

Sed contra,Cùm mouere ſupponat eſſe forma nõ mouet niſi vt habet eſſe, non habet eſſe niſi in materia cùm forma grauis ſit merè forma materialis,ergo non mouet niſi vt recepta in materia,ergo ſecundùm idem eſt mouens & mota.

Secunda concluſio pro B.Tho.eſt talis, Graue exiſtens in potentia accidentali,mouetur immediatè à generante, ſiue ſit cœlum,ſiue aër,ſiue aliud. Hanc B.Tho.vbique tenet, & præcipuè in 8.Phyſic.in tex.32. & 33.& ratio ſua principalis fuit iſta, Si aliqua duo ita ſe habent, quòd remoto impedimento vnum naturaliter ſequitur ad alterum, à quocunque eſt vnum ab eodẽ eſt aliud.Sicut à quocũq; eſt ignis ab eodẽ eſt forma & calor eius. Sed grauitas & locum deorſum naturali ſequela ſe conſequuntur remoto impedimẽto,ergo cũ grauitas ſit immediatè à generãte eſſe in loco deorſum vel tendere ad locum deorſum eſt immediatè à generante.

Hanc rationem omnes de via oppoſita dicunt concludere quòd mouetur à generante,ſed non immediatè,quoniam vltra generans vniuerſale & mouens vniuerſale,eſt aſsignãdum generans & mouens proximum.

Vt igitur dicta ratio habeat apparẽtiam dicimus quòd cœlum vel aliqua pars cœli eſt generans & mouens proximum ac particulare.Sed aduertendũ quòd alio modo eſt generans particulare quàm mouens particulare.Nam cœlum ad producẽdum determinatam formã,putà animã huius animalis determinatur per hoc animal generans ſibi ſimile,ad cauſandum verò determinatum motũ putà ſurſum aut deorſum, ſufficit ꝙ determinetur per formã naturalẽ mobilis ad quã ſequitur certa inclinatio ad talem locũ, & ſic cœlũ vel pars cœli per grauitatem in graui,& per leuitatẽ in leui determinatur,vt ſit proximum mouẽs in motu eorum naturali,licet ergo nec cœlum per ſe,nec grauitas per ſe ſit in graui immediatũ mouens,tamen cœlum vel pars cœli, vt reſpicit hanc grauitatem ſub tanto gradu in hoc graui efficitur eius mouens immediatum. In his ſtat ſumma viæ noſtræ.

Quantùm ad quartum aduerte,quòd præcipui contra viã noſtram ſunt Sco. & Gregor.& Iand. Sed argumenta Iand. non diſtinguuntur ab argumentis prædictorum, ideo conare vt ſcias eorum argumenta & ſolutiones,& quoniam Capreol.in 2.diſt.6.q.1. contra primam concluſionem, omnia ad literam recitat,& Thomiſticè ſoluit, ideo & tu exerce teipſum , & vide illic, ne tantùm laboremus in ſcribendo, quod alibi inuenire poteris. Pro nunc ſufficiat tibi ſi ſoluerimus rationes ſuprà poſitas in concluſione prima & ſecunda pro Commentatore.

Ad primam igitur & ſecũdam dicitur quòd quãdocũque lapis mouetur motu naturali,mouetur immediatè à ſuo generãte etiã ꝙ diſtaret,vel eſſet corruptũ, quoniã ex quo impreſsit grauitatẽ,ſtãte grauitate ſtat mouens virtualiter, & dato ꝙ eſſet corruptum ſecundùm ſubſtantiam, nõ eſt corruptum quò ad virtutem quam impreſsit in mobili.Et quoniam grauitas non diſtat à graui, ideo quandiu ſtat grauitas, ſtat generans ſimul cum graui, & ſi dicis quòd intentio Philoſophi in 7.Phyſi.eſt,quòd mouẽs proximũ & motũ ſint ſimul ſecundũ ſubſtãtiã,vt declaratũ eſt illic, reſpõdetur quòd

quòd ſufficit hanc ſimultatem ſecundùm ſubſtãtiam ſeruari in principio motus, & maximè in motione eſſentiali, voco autem motionem eſſentialem qua transfertur mobile à mouente de potentia eſſentiali ad actum, & hæc motio in hoc propoſito eſt, quando graue generatur extra locum ſuum, & ſtatim genitum mouetur deorſum à generante remoto impedimento, & tunc patet quòd mouens & motum ſunt ſimul ſecundùm ſubſtantiam. In omni autem alia motione, qua transfertur mobile de potentia accidentali ad actũ, ſufficit ſimultas virtualis.Nec Philoſ.aliter intẽdit, & ſic tu intelliges determinationem quam fecimus in lib.7.in q.3.

Ad primam pro ſecunda concluſione,dico quòd aqua calefacta habet à generante quòd reducatur ad frigiditatem,ita quòd infrigidans vt quod eſt generans,in aqua autem etiam calefacta remanet frigiditas virtualis impreſſa in generatione aquæ à generante quæ eſt irremouibilis ab aqua cuius virtute reducitur ad frigiditatem actualem, ſic & graue per grauitatem ſibi impreſſam inſeparabilem à graui reducitur à generante ad locum ſuum naturalem.

Ad ſecundam dico, quòd ad ſeruandum motum naturalem ſufficit ineſſe mobili principium motus actiuum, vel paſsiuum, & alterum ſufficit in animatis & eſt actiuum vt quo,in inanimatis eſt paſsiuum vt quo. Nam in graui eſt grauitas,qua mouetur non à forma ſua ſed à generante. Hęc de præſenti quæſito dicta ſint.Tu tamẽ aduerte quòd hoc quæſitum eſt vt problema, vnde diſputatiuè vtraque via ſuſtentabilis eſt.Quod ſi volueris ſuſtinere,quòd immediatè moueantur à ſeipſis tu ſolues argumenta in oppoſitũ quæ formantur à Iand.& ſolues,vt ipſe in 8.Phy.in q.11.vel vt ſoluit Grego.in 2.di.6.q.1.ar.3. poſt probationes omniũ concluſionum.Textum autem Phil.in 8.Phyſi.in tex.29.vbi inquit, Et nanque ipſa à ſeipſis, &c. expones per diſtinctionem Greg. quam præmittit in principio ſolutionum ad argumẽta.Cùm autem volueris ſuſtinere viam Thomiſti ſequeris ſolutiones Capreoli in 2.diſt.6.q.1.contra primam concluſionem.

QVAESTIO X.

Num motores orbium planetarum mouentur per accidens.

Non eſt autem idem moueri ſecundùm accidens à ſeipſo, & ab altero. Ab altero quidem enim ineſt & eorum quæ ſunt in cœlo quibuſdam principiis,quæcunque ſecundùm plures feruntur motus,tex.52.

IN hac quæſt.aduerte quòd difficultas ſtat in hoc, Ariſt.dicit in tex.51. quòd ſi aliquod mouens immobile mouetur per accidens, non poteſt mouere motu æterno, vt patet de anima mouente animal, quæ quoniam mouetur per accidẽs ad motum corporis,ſicut nauta ad motum nauis,non poteſt continuè & perpetuò mouere animal.Si igitur motor orbis planetæ, mouetur per accidens,vt videtur Phil.cõcedere in tex.52. ergo non mouet orbem ſuum continuè & perpetuò. Hoc aũt contradicit doctrinæ ſuæ,quoniã in li.12. Meta.tex. 48.concludit tot ſubſtantias æternas quot motus æterni inter quos prænumerat motus planetarum,ergo,&c.

Vt igitur habeas reſolutionem huius quæſiti, ſic procedendũ eſt.Primò ponemus omnes modos,quibus poſſumus apprehendere ſubſtantiã immaterialem mouere corpus localiter. Secundò declarabimus,quot ex his modis acceptat Ariſt.Tertiò declarabimus, ſi ex modo quo ponit Phil.ſubſtantiam immaterialem mouere orbem planetæ verum eſt eam moueri per accidens.Quartò remouebimus dubium.

Quantùm ad primum aduerte quòd poſſumus imaginari ſubſtantiam immaterialem mouere corpus localiter.Primò de loco ad alium locum,ſecundò circa locum. Si primo modo,iterum dupliciter:primò proiiciendo corpus motum,ſicut Sortes proiicit lapidem,ſecundò vehendo vel portando corpus de loco ad locum.Si ſecundo modo,iterum dupliciter:vel ſicut nauta mouet nauem,vel ſicut figulus mouet rotam,nauta quidem ita mouet nauem quòd nunquam deſerit eam,& eſt ſicut mouens intrinſecum, figulus autem mouẽs rotã eſt ſicut mouens extrinſecũ.nec eſt neceſſe ꝙ omnibus partibus immediatè adſit, ſed facto impulſu in vna parte girat rota,donec debilitatur impulſus,& iterum impellit,&c.

Quantùm ad ſecundum aduerte,quoniã ex doctrina Philoſophi non dantur ſubſtãtiæ immateriales niſi quæ mouẽt corpora cœleſtia, ideo non concederet primum modum, ſ. mouere de loco ad locũ qui tamen conceditur in via Platonis,eò quòd vltra cœlites ponit dæmones. Sed de hoc aliàs. Concedit autem ſecundum,ſ.circa locum. Sed vtrum concederet tam primum quàm ſecundum modum mouendi circa locum eſt dubium.Nam vt videbis in li.12.Metap.in q.17. eſt vna opinio,quæ tenet de mẽte Philoſophi, non repugnare intelligentiæ vniri cœlo non ſolùm vt motor, ſed vt forma,quam opinionem illic reprobauimus & ſoluimus rationes eius: ſecundùm iſtos, diceretur quòd ſubſtantia immaterialis mouet cœlum vt nauta nauẽ, vt motor intrinſecus, vt anima corpus. Secũdum autem opinionem communem, quæ tenet intelligẽtiam non vniri cœlo, niſi vt eſt motor & per contactũ virtualẽ, dicendũ eſt ꝙ motor cœli eſt ſicut figulus ad rotam, vt mouens extrinſecum appropriatum, applicando virtutem ſuam mobili per partem poſt partem.

Quantùm ad tertium aduerte quòd motorem orbis planetæ moueri per accidens ab alio motore dupliciter poteſt intelligi, primò quòd motus recipiatur in eo ſubiectiuè, ex eo quòd mobile ſuũ mouetur motu diurno à primo mobili, & ſic transfertur ab vno vbi ad aliud vbi, ſicut quãdo nauis defertur ab aqua decurrente ad inferius,nauta per accidens defertur ad inferius, ſecũdo quòd motus non recipiatur in eo, ſed in orbe ipſius planetæ, & dicatur motor orbis moueri accidentaliter non ratione ſui,ſed ratione orbis cui appropriatur,& ſic moueri per accidens eſt per denominationem extrinſecam,ſicut lapidem videri,nam ex eo quòd viſio recipitur ſubiectiuè non in lapide, ſed in vidente denominatur lapis viſus.Sic ex eo quòd orbis planetæ mouetur à motore primi mobilis denominatur extrinſecè motor orbis planetæ motus per accidens: facta hac diſtinctione dico in propoſito quòd ſi intelligentia vniretur orbi planetæ,vt forma, vt tenet opinio quam ſuprà recitauimus, ita quòd cœlũ eſſet verè & propriè animatum,moueretur per accidẽs primo modo.Rotaretur enim ad rotationem ſui orbis,ſicut vehitur nauta ad vectionem nauis,quæ vehitur ab aqua currẽte ad inferius,& ſicut mouetur anima de vbi ad vbi ex motu progreſsiuo animalis.Sed quia cœlum non eſt verè & propriè animatum etiam ad mentem Philoſophi, vt determinauimus in lib.12.Metaph.q.16.vbi pertractauimus viam Comment.& Auicen. & B.Tho. ideo non eſt admittendum apud Philoſophum,intelligẽtiam quæ mouet orbem planetæ moueri per accidens primo modo, & probat ratione etiam ſic, Si aliqua duo diſtinguuntur ſecundùm ſubſiſtentiam, & nõ continuantur,nec contiguantur ad inuicem,nec vnum conſtituitur in eſſe per aliud,non eſt neceſſe vnũ moueri ad motum alterius ita quòd motus recipiatur in eo ſubiectiuè. Et id patet in nauta qui niſi eſſet contiguus naui aut alicui parti: non moueretur ad motũ nauis nec in ſe reciperet motum ad inferius. Sed conſtat apud Philoſophum orbem planetæ & intelligentiam diſtingui ſecundùm ſubſiſtentiam,cum vtrunque ſit perfectum ſecundùm naturam ſuam, nec vnum ſit pars alterius, nec ſint duæ partes coniunctæ quid vnum, nec intelligentia continuatur nec contiguatur orbi, cùm ſit ſine omni magnitudine,vt demonſtratur hîc,nec cõſtituitur in eſſe per orbem,ad differẽtiam animæ animalis,ergo,&c. Tenendum eſt ergo quòd mouetur per accidens ſecundo modo, ita quòd denominatur moueri denominatione extrinſeca,ſicut diximus de lapide viſo.Sed aduerte quòd hoc eſt valdè impropriè moueri per accidens, quoniam motus propriè eſt in eo quod dicitur moueri, ſiue dicatur moueri per ſe,ſiue per accidens.

Quãtùm ad quartũ aduerte,ꝙ hic modus non videtur valere, quia qua ratione dicitur motor orbis planetæ moueri per accidens denominatione extrinſeca, ſic poterit dici ſphæricus lucidus quantus denominatione extrinſeca,eò ꝙ iſta inſunt orbi cui appropriatur, hoc autem eſt abſurdũ dicere.Præterea,cum dicatur motor cœli moueri per accidẽs quia ſuum mobile mouetur, & non alia ratione, quare non poteſt dici motor primi mobilis moueri per accidẽs ex quo ſuum mobile mouetur, ſicut dicitur motor orbis planetæ moueri per accidens,quia orbis planetæ mouetur.

Ad primum dicitur quòd nõ eſt eadem ratio, quia motus proprius orbis planetæ, qui eſt effectus ſui motoris appropriati,& motus diurnus quo mouetur ad motum primi mobilis,ſunt eiuſdem generis,quia vterq; eſt motus ſphæricus. Alia autem accidentia orbis planetæ,vt figura,quãtitas,lux, non ſunt effectus actiuè ab ipſo motore appropriato producti, ſed à primo rerum omnium principio, vt determinatũ eſt in lib. 12.Metaph.q.18. ideo conuenientiùs attribuitur ei motus per accidens ratione ſui mobilis, quàm cætera accidentia.Præterea,Quia huiuſmodi accidentia repugnant naturæ incorporeæ, motus autem ſaltẽ per accidens non repugnat rei incorporeæ, nam conuenit animæ etiam intellectiuæ,quæ eſt motiua in homine,ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad ſecundum dicitur,quòd ratio diſsimilitudinis ſtat in hoc, quia motor cuius mobile non mouetur alio motu, eſt

perfectior motore cuius mobile mouetur alio motu, vltra motũ quo mouetur à suo appropriato motore, & vt sic motor orbis planetæ est minus mobilis quàm motor primi mobilis, & ratione minoris nobilitatis attribuitur ei aliquo modo conditio motorum in his inferioribus animatis. i. animarum quæ mouentur per accidens, licet, vt diximus, moueri per accidẽs verificetur æquiuocè de anima, & de intelligẽtia mouẽte orbem planetæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Num motus localis sit prior aliis motibus.

Tribus autem existentibus motibus, &c. necessarium est hunc, s. motum localem esse primum. tex. 55.

Motus localis cœli comparatus motibus rerũ inferiorũ diuersorũ subiectorum respectu est prior consecutione, tempore, ac perfectione, respectu autem eiusdem subiecti numero prior est tãtùm secundum perfectionem, posterior verò tẽpore ac cõsecutione.

IN hac quæst. aduerte quòd non habemus comparare motum localem ad omnem aliam mutationem, siue sit motus propriè dictus siue non, sed ad alias species motus propriè dicti. Nam si comparemus motum localem ad generationẽ respectu eiusdem secundùm numerum patet quòd generatio est prior & tempore & perfectione, quàm motus localis. Nam priùs generatur Sortes quàm moueatur localiter, & terminus generationis in Sorte est perfectior, cum sit substantia, quàm terminus motus localis qui est accidens. Intentio igitur Philosophi est comparare motum localem ad alios motus propriè dictos, & sic procedendum est: primò ponentur distinctiones necessariæ huic quæsito, secundò conclusiones responsiuæ.

Quantùm ad primum sit hæc prima distinctio, Motus localis potest intelligi esse prior aliis tribus modis: primò secundùm consequentiam, dicitur autem aliquid prius secundùm consequentiam, quando ab eo non conuertitur consequentia, & est illud quod potest esse sine aliis, sed non alia sine eo, sic duo sunt priora secundùm consequentiam quàm tria. Nam bene sequitur, Tria sunt, ergo duo sunt, sed non cõuertitur, vt patet. Secundò secundùm tempus, & est illud quod comparatum alteri est in rerum natura, altero non existente. Sic causa agens per motum, est prior tempore suo effectu. Tertiò secundùm perfectionem, & hoc modo esse prius est idem quod magis perfectũ & nobilius, vt actus est hoc modo prior potentia, vt declaratum est in li. 9. Metaph.

Secunda distinctio sit hæc. Motus localis potest comparari aliis motibus quò ad triplicem prioritatem dictam duobus modis, primò vt considerantur in eodem subiecto, putà comparando motum localem in Socrate, ad alterationem & augmentum in Socrate, secundò respectu diuersorum subiectorum, putà comparando motum localem in cœlo, ad alterationem & augmentum in his inferioribus.

Quantùm ad secundum sit hæc prima conclusio responsiua, Motus localis cõparatus aliis motibus respectu diuersorum subiectorum, putà motus cœli comparatus aliis motibus rerum inferiorum est prior illis 1. 2. & 3. modo prioritatis. Quòd sit prior primo modo probatur, Motus cœli nõ pendet à motibus rerum inferiorum, sed econuerso, quoniam vt determinauimus in li. 12. Metaph. q. 13. contra Durandum & Paulum Sonci. si cœlum non moueretur, non esset in inferioribus alteratio nec generatio nec motus localis. Hæc etiam cõsequentia valet, Si motus inferiores sunt, motus cœli est. Sed non econuersò. Nam bene sequitur, Si Sortes alteratur, cœlum mouetur: sed non sequitur, Si cœlum mouetur, Sortes alteratur, quia fortè Sortes non est. Quod autem sit prior tempore probatur, quia perpetuũ est prius tempore siue duratione non perpetuo. Sed motus cœli est perpetuus secũdùm Philosophum, vel potest esse perpetuus secundùm veritatem, & nullus alius motus vnus numero potest esse perpetuus, ergo, &c. Maior patet. Minor autem quò ad primam partem probatur infrà in tex. 73. quò ad secundã partem probatur in tex. 62. de alteratione & augmẽto & decremento & generatione & corruptione, & in tex. 64. probatur de motu locali recto, & tu horum omnium probationes videre poteris in litera Philosophi. Quòd verò sit prior secundùm perfectionem probatur, quia nullo modo lædit nec imperficit quò ad esse substantiale, nec quò ad esse accidentale mobile cui inest: alij autem motus, vt alteratio & augmentum imperficiunt id cui insunt, ergo prior est secundùm perfectionem. Consequentia nota. Antecedens autem probatur, nam per motum localem non videmus cœlum imperfici nec debilitari, nec corrumpi nec disponi ad corruptionem, per alios autem motus res inferiores aut corrumpuntur aut disponuntur ad corruptionem: nam aqua potest tantùm calefieri quòd corrumpitur, & aër tantùm augeri per rarefactionem quòd corrumpitur, ergo, &c.

Secunda cõclusio, Motus localis comparatus ad alios motus respectu eiusdem subiecti numero, est posterior secundùm consequentiam & secundùm tempus, sed prior secundùm perfectionem, probatur, nam sumpto Sorte, alij motus possunt esse in eo sine motu locali & præcipuè motu processiuo, & non econuersò. Patet enim quòd Sortes prius nutritur, & prius augetur ad tantam quantitatem, antequàm moueatur motu processiuo, ergo isti motus non pẽdent in Sorte à motu processiuo, sed bene econuersò, ergo, &c. Similiter patet quòd est posterior tempore, quoniam pro aliquo tempore putà 1. anno datur in Sorte alteratio per nutritionem, & datur augmentum, & nondum datur in eo motus localis processiuus. Quòd autem sit prior secũdùm perfectionem, probatur, quoniam aliis motibus disponitur Sortes ad non esse, & præcipuè alteratione, motus autem localis non transmutat rei substantiam, quoniam non est motus ad formam, sed ad locum, qui non recipitur subiectiuè in locato, sed est in locante, vt declaratum est in 4. libr. Physic. in q. 13. Præterea, In istis inferioribus posteriora secundùm generationem sunt priora secundùm perfectionem, quia via naturæ est procedere ab imperfecto ad perfectũ, sed vt diximus, motus localis processiuus in Sorte est posterior generatione aliis motibus, ergo, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Num motus localis reflexus possit esse continuus.

Quòd autem quod fertur secundùm rectum & finitum non feratur continuè, manifestum est, reflectitur enim. Reflexum autem secundùm rectum per contrarios mouetur motus. tex. 64.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hoc, Si motus reflexus non est continuus, sed necessariò cadit quies media in puncto reflexionis, sequitur quòd graue sursum existens, & nõ prohibitum ab aliquo detinente quiesceret sursum, quod est contra naturam grauis. Consequentia probatur, Proiiciatur lapis sursum, & à sursum descendat deorsum, quæro vtrum inter motum lapidis sursum, & motum deorsum detur quies, aut non: si non, ergo motus reflexus est continuus, si sic, ergo graue existens sursum & à nullo prohibitum, non mouetur deorsum, aliter similiter quiesceret & moueretur, & si dicas, quòd ab aliquo detinetur, tu non poteris assignare illud nisi dicas aërem, quod tamen non est verum: quoniã si non potuit prohibere lapidem quin ascenderet violenter, minus potuit prohibere quin descenderet naturaliter. Præterea, si lapis sursum proiectus obuiaret molari descendenti, certum est quòd pro nullo tempore posset obstare molari, quin continuè & sine quiete media descenderet, si molaris obuiatus à lapide sine quiete descendit, ergo & lapis sine quiete media reflectitur deorsum, quia stultum est dicere molarem grauissimum superponi in aëre lapidi paruo & nõ mouere ipsum deorsum, ergo necesse est dicere motũ reflexũ esse continuũ, quando in puncto reflexionis non datur aliquod detinens mobile. Tunc enim constat dari quietem inter primum & secundum motum, vt si Sortes mittat pillam ad manum Platonis, & Plato per moram retineat eam, deinde remittat ad manum Sortis.

Hæc quæstio est difficilis propter rationes factas, & propter rationes quas intendit Philosophus, quæ sequuntur.

Prima est, Si motus reflexus est continuus, sequitur quòd idem mobile mouetur simul cõtrariis motibus, quod est impossibile, & contra naturam contrariorum, quæ sunt eidem simul incõpossibilia ex 4. & 10. Meta. Cõsequentia probatur facta priùs hac suppositione, Si mobile mouetur motu continuo à termino ad terminum, verum est dicere quòd mouetur ad illum terminum per totum tempus mensurans motũ illum continuum, non solùm quando propinquat termino, sed etiam à principio motus. Nam si motu continuo equitarem ex Francia Romam, verum esset dicere statim quòd incepissem equitare, Vado Romam. Hoc supposito arguo sic, Si lapis proiectus à deorsum sursum, & per reflexionẽ à sursum deorsum mouetur motu cõtinuo, tunc per suppositionem factam per totum tempus mensurans illum motũ continuum mouetur deorsum. Sed antequàm reflecteretur mouebatur sursum, vt patet, ergo mouebatur motu sursum, & motu deorsum, qui sunt contrarij cùm sint ad terminos contrarios, ergo, &c.

Secũda est talis, Mobile in motu reflexo accedit ad vnum terminum numero, & ab eo recedit vt patet ad sensum, ita quòd vtitur termino vt actu fine, & actu principio motus. Tunc quæro, Aut eodem instanti accedit & recedit, aut vno instanti accedit & alio recedit: non primò, quia opposita actu essent simul in eodem, ergo secundò. Sed inter duo instantia

instantia datur tempus in quo nec accedit nec recedit, ergo in illo quiescit, ergo in motu reflexo de necessitate cadit quies media, & sic non potest esse continuus. Vides ergo quòd pro vtraque parte rationes sunt multum apparentes.

Vt igitur resoluamus quæsitum modo quo possumus, sic procedendum est. Primò recitabitur vna opinio, quam non credo veram. Secundò ponetur opinio quæ videtur rationabilior, & per eam manifestabitur, quomodo rationes pro vtraque parte possunt saluari. Tertiò recitabitur quædam nona opinio, quæ vtique disputatiuè sustentari potest, sed non saluat positionem Aristotelis in litera, nec est acceptanda in via Thomistica.

Quantùm ad primũ aduerte quòd est vna opinio quæ attribuitur Egidio in 8. Phys. in expositione tex. 65. vbi quærit, si inter duos motus contrarios est dare quietem mediã. Iste distinguens sic dicit, Aliquid moueri motibus contrariis sine quiete media, potest intelligi dupliciter, vel motu proprio & per se, vel motu alterius & per accidens. Motu proprio & per se non contingit. Motu autem alterius & per accidens non incõuenit. Vt si pilla proiiciatur in terram, & ex vi proiectionis eleuatur in altum, priusquam moueatur motu sursum cõtrario motui proiectionis deorsum quiescit in terra. Sed si terra in illo instãti in quo pilla attingit eã ascenderet, non est dubium quòd terra ascendens eleuaret pillã, & tunc pilla sine quiete ascẽderet, sed hoc esset per accidẽs. Nam pilla per se quiesceret in terra, per accidens autem moueretur mota terra. Non est igitur incõueniens aliquid moueri motu contrario non per se, sed per accidens, vel nõ motu proprio sed alterius, ex hac distinctione dicit Egidius quòd rationes Philosophi concludunt de primo sensu, & de eo intendit. Non autem intẽdit in secundo sensu, nec in eo rationes adductæ ab Aristotele concludunt.

Sed hæc opinio non potest stare ex eo quòd concedit non esse inconueniens motus cõtrarios posse simul inesse eidem per accidens tamen. Nam si motus contrarij possunt simul inesse eidem per accidens, eadem ratione duo contraria intensa & perfecta poterunt inesse eidem per accidens, & sic idem poterit esse calidissimum & frigidissimũ per accidẽs, quod repugnat sensui. Et sicut duo cõtraria intensa sine contrarietate perfecta non possunt simul esse, sic nec motus sursum & motus deorsum, eò quòd sicut sursum & deorsum sunt differẽtiæ locales cõtrariæ contrarietate perfecta, sic & motus sursum & motus deorsum, & ideo nisi inueniatur alia distinctio, videntur rationes Philosophi stare in robore suo.

Quantùm ad secundum aduerte quòd motus reflexus potest dupliciter fieri. Primò quando mobile ex sui natura reflectitur à termino quem prius attigerat, & non ratione nec impetu fortioris mobilis obuiantis, vt quando Sor. proiicit sursum in aërem lapidem, qui ascendit donec cessat impetus proiiciẽtis, & tunc ex sui natura quia grauis reflectitur deorsum. Secundò quando stante adhuc impetu proiicientis mobile dum mouetur obuiat mobili fortiori, cuius impetu cogitur reflecti, ita quòd nisi obuiaret adhuc vltrà procederet, vt quando lapis proiicitur sursum, & dum ascendit antequã deueniat ad vbi determinatum ex impetu proiicientis, præuenitur ab alio mobili grauiori descendente, cuius cõtactu repercutitur inferiùs. Ex hac distinctione dico quòd rationes Philosophi concludunt in primo sensu sed non in secundo, quia obuians fortiùs impedit quietem mediam, & ibi nõ est propriè accessus & recessus ab eodẽ termino, sed potiùs impedimentum accessus. Aliter autem cõtingit in primo sensu, in quo rationes Philosophi sunt efficacissimæ. Ratio autẽ secunda in oppositum concludit pro secundo sensu. Ad primam autem dicendum, quòd est aliquod prohibens, quod non est generans: nec aër nec natura talis mobilis, sed natura & ratio motus reflexi in primo sensu. Quoniam de eius ratione est quòd sit accessus & recessus actu ab eodem vbi, hæc autem non possunt esse in eodem instanti, quare, &c.

Sed contra determinationem factã arguitur & probatur quòd tam in primo sensu quàm in secũdo cadit quies media in motu reflexo, & arguitur sic, Omne quod nunc mouetur aliquo motu, quo motu non mouebatur prius quiescebat ab illo motu. Hæc est per se nota, quoniam si nũc mouetur motu A, & ante hoc nunc non mouebatur motu A, & erat mobile motu A, quiescebat à motu A. Tunc vltrà, Ponamus quòd faba sursum proiecta obuians molari descendat, clarum est quòd descẽdens mouetur deorsum, & priùs, s. ante obuiationem non mouebatur deorsum, ergo quiescebat quiete opposita motui deorsum. Sed hæc quies nõ est nisi quies in vbi sursum, ergo aliquãdo quiescebat in vbi sursum, & sic in motu reflexo etiam secundo modo datur quies.

Ad hoc dicitur quòd prima propositio potest esse vera & falsa: vera quidem si illud quod nunc mouetur, &c. non impeditur vel nõ prohibetur quiescere quiete opposita illi motui per aliquod prædominans & obtinens super illud quod mouetur, & in hoc sensu procedit probatio eiusdem propositionis. Est autem falsa, Si illud quod mouetur prohibetur quiescere à prædominante cui obuiat. Quare, &c. Sic occurrit dicendum: qui autem melius inuenerit, melius soluet. Nam, vt præmisi, quæsitum hoc est valdè difficile.

Quantùm ad tertium aduerte quòd aliqui moderni tenẽt Philosophum sufficienter probare motum localem reflexũ non posse esse continuum perpetuum, eò quòd est inter terminos contrarios & per eandem lineam. Sed nõ efficaciter probãt eius discontinuitatem per quietem mediam. Dicunt enim quòd quando lapis proiicitur sursum ascẽdit. V. g. per tempus A, vsque ad vltimum instans exclusiuè temporis A, & in instanti vltimo incipit descendere, & sic nõ est necesse quòd pro aliquo tempore quiescat, quoniã inter tempus A, & suum vltimum instãs non datur tempus mediũ, sicut datur inter instãs & instãs. Philosophus autem opinatur quòd in vno instanti vltimo temporis mensurantis ascensum terminetur ascensus, & in primo instanti temporis sequẽtis incipiat descensus, quod non est necesse: sicut non est necesse quòd alteratio præcedens generationem substantialem terminetur in vltimo instanti temporis mensurantis alterationem, & in alio instanti fit introductio formæ substantialis. Sed alteratio durat in toto tempore mensurante alterationem, & generatio substantialis est in vltimo instanti illius temporis, & sic nõ cadit tempus inter alterationem & generationem substantialem. Sed hæc opinio quantùm valeat tu considera, ego enim reputo hoc quæsitum problema neutrũ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Num motus circularis possit esse perpetuus.

Quare nihil prohibet moueri cõtinuè & nullo tempore deficere. tex. 37.

Possibile est motum circularẽ esse perpetuum, & de facto perpetuus est, & necessariò apud Philosophum.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hoc, Si potest esse perpetuus potest esse infinitus. Implicat enim quòd sit finitus & terminatus, & sit perpetuus, sed nõ potest esse infinitus, quoniam, vt probatum est in lib. 6. tex. 39. motus localis consequitur magnitudinem quò ad diuisionem. Sed nulla magnitudo mota circulariter est infinita, vt probatur in 1. Cœli, ergo nullus motus circularis est infinitus. Vt igitur resoluamus præsens quæsitum aduerte quòd sub triplici titulo potest pertractari. Primo si potest esse perpetuus. Secũdo si de facto est perpetuus. Tertio si necessario est perpetuus, ita quòd non possit non esse perpetuus.

Quantùm ad primum aduerte quòd Arist. in tex. 73. efficaciter probat esse possibile motũ circularem esse perpetuũ, nec est necesse formare hic rationes suas. Sed tu vide, vt deducit eas B. Tho. & iam formatas habes in Epitomate in 8. lib. Physi. in Tract. 3. in cap. 4. vide illic, & in hac conclusione nullus dubitat quia est in se vera, & est ad mentem Philosophi. Vnde dicit in tex. 73. Nullum enim impossibile contingit, quasi sic arguat, Ex continuitate & perpetuitate motus circularis nullũ sequitur impossibile, ergo est possibile.

Quantùm ad secundum aduerte quòd licet rationes Philosophi videantur concludere possibilitatem perpetuitatis motus circularis & non vltrà, tamen intẽtio Philosophi est quòd de facto sit continuus & perpetuus, eò quòd doctrina sua vt declaratum est in lib. 3. Physic. tex. 32. in perpetuis non differt posse & esse. Præterea, Philosophus docuit quòd motus circularis non habet cõtrarium, & quòd inter vnam circulationem cœlestem & aliam non cadit tempus medium, & ex his duobus putauit nõ solùm de possibili, sed de facto motum circularem in cœlo esse continuum perpetuum, & intendit sic arguere, Quicunque motus potest continuari in perpetuum, si verò non cõtinuatur, hoc est quia incidit tempus medium. Sed cum vna circulatio cœli cõtinuetur cum alia, eò quòd idem punctum in Oriente est finis præcedẽtis, & principium sequentis non cadit tempus mediũ, ergo non solùm potest sed de facto continuatur in perpetuum.

Sed aduerte quòd hæc ratio non concludit nisi actualem continuitatem motus circularis quandiu durat, eò quòd circulatio continuatur circulationi: sed non concludit perpetuitatem circulationum, nisi supponẽdo non dari primã nec vltimam circulationem, quod Theologus non admittit.

Quantùm ad tertium aduerte quòd Com. in lib. 8. Physic. com. 76. tenet de mente Phil. motũ circularem in cœlo non solum esse possibile quòd sit continuus perpetuus, sed sit necessarium

cessarium sic esse, vnde inquit, Et existimatur quòd ista causa quam dedit hic Arist. non solummodò dat quòd sit possibile motum circularem esse perpetuũ, imò quòd sit necessarium. Sic igitur debet intelligi locus iste, hęc Com. & Iand. volens sustinere dictũ Com. in 8. Phys. in q. 18. dicit sic posse intelligi, Si motus circularis terminaretur oporteret ipsum terminari ad aliquod determinatum vbi. Sed hoc non oportet, quia cum quodlibet vbi quod acquiritur in mobili circulari per suum motũ sit ei naturale, non est maior ratio de vno vbi q̃ de alio. Non aũt sic est de motu recto. Nam motus rectus naturalis incipit ab vbi nõ naturali & terminat in vbi naturali, & ideo cũ mobile ad illud pueneric quiescit in eo.

Vel potest sic intelligi, In omni motu terminato necesse est vt terminus ad quem sit actu distinctus à termino à quo. Sed in motu circulari non est sic, imò sunt vnum & idem, vt circulatio Solis incipit ab Oriente, & terminatur ad Occidentem, ergo necesse est motum circularem esse perpetuum.

Sed istæ rationes non cõcludunt, quoniam quò ad primã, Theologus negabit minorem, ad probationẽ dicet quòd licet quodlibet vbi sit naturale mobili moto circulariter inquantùm sic mobili, tamen non inconuenit ex parte primi mouentis per intellectum & voluntatem determinari sibi vnum vbi à quo incipiat prima circulatio, & ad quod terminetur vltima circulatio, & sic ex parte primi mouentis non est eadem ratio de quolibet vbi, secus autem esset si primum mouens moueret merè naturaliter, & non per intellectum. Nam in illo casu ratio concluderet.

Ad secundam negaret maiorem, quoniam ex illa non infertur necessariò perpetuitas motus circularis, sed cõtinuitas in circulationibus quandiu durant, & non aliud.

Ad obiectionem factam pro principio quæsiti dico quòd concludit motum circularem non esse infinitũ ex parte mobilis, quoniam non datur mobile infinitum actu, sed non cõcludit de infinito per reiterationem, in quo sensu probat Philosophus motum circularem posse esse infinitum. Non enim inconuenit mobile sphæricum finitum infinitiès circunuolui. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIIII.

Num mouens potentiæ finitæ possit mouere per tempus infinitum.

Impossibile est aliquod finitũ mouere secũdùm infinitũ tempus. tex. 78.

Mouens finitũ non potest mouere tempore infinito.

IN hac quæst. aduerte q̃ stat difficultas in hoc, Corpus cœli est finitæ virtutis, quia in magnitudine finita nõ potest esse virtus infinita, vt demonstrat Philosophus in hoc lib. in tex. 79. probatum est autem in 1 Cœli, quòd cœlum est corpus finitum, & tamen secundùm Philosophum in 2. de Generatione, tex. 50. & in hoc libr. tex. 53. cœlum mouet inferiora tempore infinito per generationem perpetuam, ergo, &c.

Præterea, Mouens potens semper esse, potest semper mouere, quia si potest semper esse potest semper habere virtutem mouendi, ergo qua ratione potest mouere per x. annos potest mouere per centum & mille, & sic in infinitum. Sed aliquod mouens finitum, putà intelligentia Saturni potest semper esse cùm sit incorruptibilis & immaterialis, vt probatur in 12. Meta. in text. 30. ergo potest semper & tempore infinito mouere, & de facto mouet secũdùm Philosophum.

Pro resolutione præsentis quæsiti aduerte quòd nolo immorari ad formandum rationem, qua probat Phil. in tex. 78. nullum mouẽs finitum, i. potentiæ finitæ posse mouere tempore infinito. Hanc enim deducit B. Tho. & in Epitomate nostro in lib. 8. Physic. in Tract. 4. in ca. 2. videbis formatam. Sed volo immorari ad declarandum in quo sensu intelligat Philosophus hanc esse veram, Nullum finitum potest mouere secundùm infinitũ tempus. Nam primo aspectu videtur falsa vt probant obiectiones positæ in principio quæsiti.

Tu igitur aduerte quòd hîc inueniuntur tres modi interpretandi conclusionem præpositam.

Primus est quorundam dicentium quòd intentio Phil. in dicta conclusione est hæc. Mouẽs finitæ potentię, non potest mouere tempore infinito vno motu numero perpetuo, non inconuenit autem quòd moueat tempore infinito motu perpetuo vno secundùm speciẽ vel secundùm genus: & ex hoc dicunt ad obiectionem factã de cœlo, quòd non mouet inferiora motu vno numero perpetuo, quia motus vnus numero est vnius mobilis numero ex lib. 5. Physi. Sed in inferioribus non est dabile vnum mobile numero durans tempore infinito ex 2. de Generatione, tex. 14. Mouet autem motu vno secundùm speciem tempore infinito, putà causans perpetuam generationem hominis, aut equi, &c.

Sed hic modus dicendi non saluat intentionem Phil. nam intelligentia Solis, vt dictum est in principio quæsiti, est virtutis finitæ, vt declaratum est in lib. 12. Meta. in q. 21. & tamen secundùm Philosophum mouet orbem Solis, motu vno numero tempore infinito, ergo, &c. Præterea, Ratio Philosophi adducta pro cõclusione ita concludit de vno motu numero sicut de vno specie siue genere & econuersò. Sic enim intendit Phil. arguere, Tempus cõstans ex partibus finitis æqualibus est finitum, quoniam repugnat partes cõponentes esse finitas & totum resultare infinitum. Sed tempus in quo finitum mouens mouet constat ex partibus finitis æqualibus, quoniam cuilibet parti motoris & mobilis correspondet aliqua pars temporis in qua mouet per determinatum signũ magnitudinis, & partibus æqualibus motoris & mobilis correspondent partes temporis æquales, cùm igitur partes mouentis finiti æquales, & partes mobilis finiti æquales sint finitæ, sequitur quòd partes temporis æquales in quo mouet mouens finitum sint finitæ, & sic sequitur quòd tempus in quo mouet mouens finitum non potest esse infinitũ siue moueat motu vno secundùm numerum siue secundùm speciem.

Secundus modus dicendi est eorum qui dicunt quòd intentio Phil. est hæc, Nullum mouens finitum potest mouere per tempus infinitum si sit prima causa infiniti siue perpetui motus, secùs autem si sit causa secundaria accipiens virtutẽ mouendi à prima infinita, nã tunc non inconuenit quòd moueat tempore infinito per reiterationem, & sic intelligẽta finitæ potentiæ accipiens virtutem mouendi à primo motore infinitæ potentiæ, potest mouere orbem suum tempore infinito, & cœlum motum ab intelligentia mouere inferiora tempore infinito, quia nec intelligentia, nec cœlum sunt causa prima huius motus infiniti per reiterationem, & hunc modum dicẽdi videtur approbare B. Tho. in vltimo solutionis quæstionis motæ in tex. 78. sic enim dicit. Ad hoc quòd aliquid sit causa motus infiniti per reiterationem, non oportet quòd habeat virtutem infinitam, sed sufficit si habet virtutem immobilem finitam, quia semper manente eadem virtute poterit reiterare eundem effectum. Sicut sol habet virtutem finitam, & tamen posset mouere inferiora elementa tempore infinito si motus eius esset sempiternus secundùm positionem Aristotelis Non enim est prima causa infinitatis motus, sed quasi ab alio mota ad mouendum tempore infinito secundùm positionem prædictam: hoc B. Tho.

Sed aduerte quòd hic modus dicendi non placet aliquibus sequentibus viã Com. quia dicunt quòd ratio Phil. qua probat nullum finitum posse mouere tempore infinito, videtur concludere de omni mouente finito, siue sit prima causa motus siue nõ, fundauit enim se Phil. super hanc propositionẽ, quòd cùm mouens finitum mouet aliquod mobile per aliquod tempus, pars mouẽtis mouet partem mobilis in minori tẽpore per determinatũ signum magnitudinis siue spacij in quo vel circa quod fit motus, & hoc videtur esse verũ de quolibet mouẽte finito, siue sit prima causa motus siue non.

Sed isti decipiuntur, quoniam intentio Phil. est loqui de mouente finito quod sit prima causa motus & nõ aliter. Cuius signũ est quòd infrà, in tex. 86. probans primum mouẽs esse virtutis infinitæ, fundat se super conclusionẽ hic demonstratam, q̃ quòd nullum mouens finitum potest mouere tempore infinito. Sed primum mouẽs mouet tempore infinito, ergo non est mouens finitum, i. virtutis finitæ. Cõstat autem quòd primũ mouens est causa prima motus infiniti. Et ideo quãdo Philosophus probat motum infinitum non posse esse à mouente finito intendit de mouente quod est prima causa motus infiniti. Nam bene notum erat Philosopho, potentiã finitam incorruptibilem, inalterabilem, non informantẽ aliquod corpus, accipientẽ virtutem mouendi à primo infinito secundùm potentiam, posse mouere tempore infinito, sicut conclusit in 12. Meta. in tex. 48. de motoribus applicatis immediatè orbibus cœlestibus, & dato quòd illa propositio Philo. super quam se fundauit de diuisione mouentis posset applicari cuilibet mouenti, tamen intentio Phil. erat loqui de causã prima motus, quoniam hîc ponebat fundamẽta ad probandum infinitatem primi motoris, & non alterius.

Tertius modus dicendi est etiam B. Tho. in solutione quæstionis motæ in expositione tex. 78. ibi, Ad huius autem dubitationis solutionem, &c. Verùm quia hãc solutionem quã reputamus ad mentem Philosophi aliqui Commẽtistæ præsumunt impugnare, ideo defensaui eam in lib. 12. Metaphy. in q. 20. & est prima ratio, qua probatur contra Cõment. primum mouens secundùm Arist. esse infinitum in vigore, videtu illic, ne idem replicemus.

Ad obiectiones positas in principio quæsiti patet solutio, concludunt enim quòd mouens finitũ incorruptibile, quod non est prima causa motus infiniti potest mouere tempore infinito, in virtute tamen motoris infiniti. Sed vt diximus Philosophus intendit quòd nullum mouens finitum est mouẽs tempore infinito, vt prima causa motus infiniti. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Num in magnitudine finita possit esse virtus infinita.

Quòd autem infinita magnitudine non contingat esse potentiam infinitam ex his manifestum est. tex. 79.

IN hac quæst. aduerte q̃ stat difficultas in hoc, Sicut quod habet potentiam mouendi per tempus infinitum est virtutis infinitæ, quia, vt conclusum est in quæstione præcedenti, nulla potẽtia finita potest mouere per tempus infinitum, ita quod habet potentiam essendi per tempus infinitũ videtur esse potentiæ infinitæ. Sed corpus cœli cùm sit incorruptibile habet potentiam essendi per tempus infinitum sicut & potentiam mouendi inferiora cùm eius motus sit æternus secundùm Philosophũ & posit esse secundùm veritatẽ, ergo cœlũ est potentiæ infinitæ. Constat aũt q̃ est magnitudo finita, ergo in magnitudine finita potest esse potentia infinita.

Pro resolutione huius quæsiti, aduerte quòd nõ est immorandum in formando rationem Philosophi pro hac conclusione negatiua, In magnitudine finita non potest esse virtus infinita. Nam B. Tho. clarè deducit eam & iam habes resolutam in Epitoma. in li. 8. Phys. in Trac. 4. in c. 2. Sed considerandum est, si ratio ipsa concludat intentũ, & videtur quòd nõ, quia vt arguit Com. in com. 79. si ratio Philosophi concludit, non solùm concludit quòd virtus infinita non sit in magnitudine, sed quòd nec sit in rerum natura extra magnitudinem. Probat enim Phil. virtutem infinitam non esse in magnitudine, quia moueret in non tempore vel in tempore æquali mouerent potentia infinita & finita, quorum vtrunq; est impossibile. Sed inquit Com. Dicet enim aliquis, vt quid Aristo. dicit consequens esse si potentia corporea habet actionem infinitam ipsam agere non in tempore, & non esse consequẽs, si actio infinita sit potentiæ nõ corpore quòd agat non in tempore. Quasi dicat, Cùm potentia incorporea sit magis libera & vigorosa, si est virtutis infinitæ ita aget in non tempore sicut virtus infinita, si esset in magnitudine. Cùm igitur repugnet dari motum in instanti sequitur quòd non datur virtus infinita in magnitudine nec extra magnitudinem, & sic primum mouens incorporeum non est virtutis infinitæ, cuius oppositum dicit Philosophus in tex. 86. Vel igitur ratio Philosophi non concludit intentum, vel concludit contra Philosophum, & aufert absolutè potẽtiam infinitam ab Vniuerso.

Huic obiectioni respõdet B. Tho. vt videre poteris in expositione tex. 78. cuius summa stat in hoc, Nulla potentia existẽs in magnitudine agit nec mouet per intellectũ, quoniam probatum est in 3. de Anima tex. 6. intellectũ non esse immixtum corpori. Omnis verò potentia quæ non est in magnitudine agit & mouet per intellectum. Nam sic probat Arist. cœlũ in 12. Meta. tex. 40. moueri à suo motore. Differunt aũt agens per intellectũ & agens materiale, quia actio agẽtis materialis proportionatur naturæ eius, & tantùm quantùm potest, agit. Tanta enim est calefactio quantus est calor. Sed in agente per intellectum non oportet actionem suam proportionari naturæ eius, ita quòd tantum quantum potest agat, non enim ædificator tantũ ædificat quantũ potest, sed quantum exigit ratio formæ ædificij præcõcepti. Ex his igitur sequitur q̃ si virtus infinita esset in magnitudine esset agẽs materiale, & motus ab ea procedẽs esset secundùm proportionẽ naturæ eius, & in hoc sensu procedit demonstratio Phil. siaũt sit virtus existẽs infinita extra magnitudinẽ, motus nõ procedit ab ipsa secũdùm proportionẽ virtutis infinitæ, sed secundùm rationẽ formæ apprehẽsæ, i. secundùm q̃ cõuenit fini. & naturæ subiecti mobilis. Attendendum est vlteriùs q̃ sicut probatum est in li. 6. nihil mouetur nisi habẽs magnitudinẽ, quoniã omne mobile est diuisibile, vnde velocitas motus est effectus receptus à motore in aliquo habente magnitudinẽ. Sed constat q̃ nihil habens magnitudinẽ potest recipere effectũ proportionatũ virtuti quæ est extra magnitudinem, quia omnis natura corporea cõparatur ad incorporeã, sicut particulare ad absolutũ & vniuersale, vnde non potest cõcludi si virtus infinita non sit in magnitudine q̃ ex ea sequatur infinita velocitas in aliquo corpore, quæ est effectus proportionatus tali potentiæ infinitæ, sed nihil prohibet in aliqua magnitudine recipi effectũ virtutis, quæ est in magnitudine, quia causa est potior effectu. Vnde si poneretur q̃ aliqua virtus infinita esset in magnitudine, sequeretur q̃ effectus correspõdens, s. velocitas infinita esset in magnitudine, quod est impossibile, ergo & primũ. Hæc est solutio B. Tho. Ex qua habetur quòd si est aliquod mouens infinitæ virtutis sine magnitudine, non oportet quòd moueat velocitate infinita, sicut moueret si esset in magnitudine, quia agit non sicut & quantum potest, sed vt apprehendit esse bonum tanta vel tanta velocitate moueri.

Sed contra hanc solutionẽ insurgunt Egidius & Iandun. Egid. quidem in 8. li. Phy. in expositione tex. 81. in q. 2. dicit quòd hæc solutio non videtur sufficere, quoniã licet virtus intellectualis non semper agat tantum quãtum potest, nihil tamẽ prohibet nec repugnat, quin velit agere tantum quantum potest. Posito ergo quòd apprehendat & velit mouere tantum quantum potest, sequitur vt prius quòd mouebit in instanti, quod est impossibile. Vnde licet hæc solutio sufficienter ostendat, quòd posita virtute infinita extra magnitudinem non sit necessariũ motum fieri in instanti, non tamen probat quin motus possit fieri in instanti.

Ad hoc dicitur q̃ si esset virtus infinita extra magnitudinem, apprehensio sua & volitio essent efficaces & non vanę, nec ad aliquod impossibile ex parte rei: ex hoc dico, q̃ talis virtus non potest apprehendere similiter & velle mouere toto suo posse, quoniã repugnat ex parte mobilis dari motũ in instanti, sicut non potest. Deus velle producere maximum effectũ quem potest, quoniã quocũq; dato potest producere maiorẽ, aliter sua virtus infinita esset exhausta, & sic stat solutio B. Tho. quia virtus infinita extra magnitudinẽ agẽs per intellectum non mouet tantum quantum potest, nec apprehendit similiter nec vult mouere tantum quãtum potest, & sic sufficienter probat non posse dari motum in instanti.

Iand. aũt multipliciter arguit contra prædictã solutionẽ, & primò sic, Siue mouens infinitũ sit mouens per intellectũ siue non oportet q̃ moueat in aliquo tempore determinato, & illius temporis erit aliqua proportio ad tẽpus in quo mouet aliqua virtus finita, & tunc si sumatur quædã alia virtus finita habẽs eandem proportionẽ ad illam virtutem finitam sicut tempus habet ad tempus, necessariò mouere poterit in tempore æquali cum potentia infinita, quod est impossibile sicut prius, quoniã maior potentia semper mouet in minori tempore, & constat quòd potentia infinita est maior finita.

Secundò sic, Cuilibet potentiæ actiuæ debet correspõdere aliqua potentia passiua ex lib. 5. Meta. text. 17. Si igitur est aliquod mouens infinitum mouens per intellectum habens virtutem actiuam infinitæ velocitatis, ita quòd quantum sit ex se potest mouere in non tempore, oportet quòd isti potentiæ actiuæ correspondeat aliqua potentia receptiua infinitæ velocitatis in mobili, quod est impossibile.

Tertiò, Naturalis Philosophus non debet aliquid ponere, quod non appareat ad sensum, experimentũ enim sermonũ verorum, est vt concordent rebus sensatis, vt dicit Com. in hoc li. 8. in com. 22. Sed nihil apparet nobis ad sensum ex quo mediatè vel immediatè possit conuinci, quòd sit aliquis motor vigoris infiniti, & quòd possit moueri in non tempore, cum omnis reuolutio & omnis motus sit in tempore determinato, & habeat determinatam velocitatem, ergo, &c.

Quartò, Cùm quilibet motor cœlestis sit virtus incorporea sequitur secundùm dicta huius hominis q̃ orbes inferiores nõ sunt nati recipere tantã velocitatem quantã sunt nati facere sui motores, imò quilibet illorum motorũ potest mouere velocius, si quidẽ res corporea nõ est nata recipere ẽm hunc hominẽ effectũ proportionatũ virtuti non existenti in magnitudine. Hoc aũt est grauissimũ incõueniẽs, ergo, &c.

Vltimò reprobat distinctionẽ datam de agente materiali, & agẽte per intellectum, & dicit, Quod autem dicitur de agente per intellectum, friuolum est. Bene quidem verũ est q̃ intellectus transmutabilis qui non semper intelligit nec omni modo quicquid potest intelligere, nõ semper agit quicquid potest agere, sicut intellectus meus. Sed intellectus intrãsmutabilis qui semper intelligit quicq̃d potest intelligere, & ideo modo pfectissimo quo potest intelligere, semper agit q̃cq̃d põt agere, & quocũq; modo agere. Nũc aũt intellectũ primi, est omninò intrãsmutabilis ẽm omnes, quare, &c.

Ad primum concedo q̃ mouet in tempore determinato prout apprehẽdit esse cõueniens in tanto tempore mouere, & concedo quòd potentia finita potest mouere æquali tẽpore cum potentia infinita mouente per intellectum, non autẽ cum potẽtia infinita si esset in magnitudine, quoniã illa non mouet tantũ quãtũ potest, sed vt apprehẽdit & vult, & ideo nõ incõuenit q̃ moueat æquali tẽpore cũ finita. potentia aũt infinita si esset in magnitudine moueret tãtũ quãtũ posset, & ideo incõueniẽs esset si potẽtia finita moueret æquali tẽpore cum

cum tali infinita. Et si dicis quòd Philo reputat impossibile potentiam finitam mouere æquali tempore cum infinita, quia maior virtus semper in minori tempore mouet. Respõdeo, quòd Phil. intendit de potentia finita & infinita agente & mouente tantum quãtum potest, & non aliter. Modò iam diximus quòd virtus infinita agens per intellectum non mouet tantum quantum potest, & illa propositio, Potentia maior semper agit in minori tempore, nõ est vera nisi in potentiis naturalibus, in liberis autem & intellectualibus non tenet, & si dicas, Si virtus agens per intellectum & infinita moueret tota potentia sua, nunquid moueret in non tẽpore? Dico quòd ex parte potentiæ infinitæ posset, sed quòd non moueat est ex repugnantia rei, quia s. est contra rationẽ motus, potentia aũt finita non potest mouere in instanti etiã cũ non esset repugnãtia ex parte motus, & in hoc stat vera differentia inter virtutem finitam & infinitam secundùm vigorem.

Ad secundum dico quòd maior non est vera nisi de potẽtia actiua naturali, vt docuimus in 5. Meta. in q. 19. vnde aduerte quòd differentia inter potentiam primi agentis & secundorum agentium siue agant per intellectum siue non, stat in hoc quòd primũ non agit ex suppositione potentiæ passiuæ, & ideo non oportet quòd quicquid potest facere, correspõdeat ei aliqua potentia passiua, ex qua vel in quaillud possit fieri, nec oportet quòd possit fieri effectus adæquatus potentiæ infinitæ primi agentis, agentia autem secunda agunt ex suppositione potentiæ passiuæ, & ideo in agentibus secũdis siue agant per intellectum siue non si esset potẽtia infinita ad agendum vel mouendum, oporteret assignare aliquòd passiuum, quod tam velociter posset moueri, quàm actiuũ posset mouere, quod esse non posset nisi motus fieret in instãti. Hoc autem non oportet ponere respectu primi, quia illi non correspondet adæquatè aliqua potentia passiua.

Ad tertium iam respondimus in lib. 12. Metaph. in q. 20. in fine, vbi formatur idem argumentum, & est tertia ratio Ianduni, & tu vide illic, ne fiat inutilis repetitio.

Ad quartum possem negare illud esse grauissimum incõueniens, quoniam illi motores non sunt informantes orbes suos sicut animæ animalium, & ideo non inconuenit si non mouent tanta velocitate quanta possent mouere, sed quantã apprehendunt expedientem pro conseruando Vniuerso, & conseruanda sua perfectione accidentali, quam exposuimus in li. 12. Meta. q. 9. tamen nego consequentiã absolutè. Ad probationem dico quòd dictum B. Tho. propriè & principaliter intelligitur de substantia omninò incorporea, qualis est primum mouens infinitæ virtutis, quod nec informatiuè nec appropriatiuè potest dici esse in magnitudine, vt determinauimus contra Com. in li. 12. Metaph. in q. 15. Secùs est de aliis intelligentiis, quoniam cum sint applicatæ orbibus, vt proprij & coniuncti motores, & sint finitæ virtutis, non inconuenit eas mouere omni velocitate qua possunt, quoniã cùm sint finitæ virtutis necessariò mouent in tempore.

Quod autem dicit intellectũ intransmutabilem qui perfectissimo modo intelligit & semper quicquid potest intelligere, semper agere quæcunque potest agere, & quocũque modo potest agere, est vanè dictum, quoniã si præcisa intellectio diuini intellectus esset causa productionis rerum & actionis in rebus eo modo quo intelligit, sic produceret & ageret, sed seipso omnia intelligit, & similiter intelligit, ergo seipso omnia & similiter produceret, cuius oppositũ videmus, non ergo semper agit quæcunque potest agere & quocunque modo potest. Sed ea agit, & eo modo agit, quo dictat sapientia sua adiuncta voluntate, & non ex mera sua potentia, hoc enim est proprium agentis materialis. Et ideo non est friuola distinctio B. Tho. de agente materiali, & de agente per intellectum.

Postquam Iand. reprobauit solutionem B. Tho. recitat solutionem Com. quam etiam recitat B. Tho. ibi. Ad secundam autem dubitationem respondet Auer. &c. Et quoniã B. Tho. reprobat solutionem Com. distinguens de infinitate, quoniã quædam est infinitas magnitudinis, & hæc est quantitatiua, quædam est infinitas perfectionis, & hæc est secundùm virtutem siue vigorem, & licet prima sicut suum oppositũ conueniat soli quantitati, non tamen secunda, & tu vide B. Tho.

Sed Iand. nitẽs fauere Com. dicit obiectiones B. Tho. procedere ex malo intellectu verborũ Com. Nam Com. intendit quòd primum mouens nullo modo est in magnitudine nec subiectiuè, quia nõ informat corpus cœli, nec appropriatiuè, quia non applicatur cœlo vt motor proprius & cõiunctus ad differentiam aliarum intelligentiarum, quæ licet nõ sint in magnitudine informatiuè sunt tamen appropriatiuè, & quoniam neutro modo est in magnitudine ideo non est finitus nec infinitus in virtute actiua motus, propter quod non sequitur ipsum mouere in non tempore. Sed si esset in magnitudine altero dictorum modorum, oporteret quòd esset causa propria alicuius determinatæ velocitatis motus, & posset accipi tempus determinatum in quo reuolueret suum mobile, & illud tempus haberet determinatam proportionem ad tempus in quo moueret virtus finita, & sic deduceretur ad inconueniens, vt prius, & ideo illa instantia B. Tho. dicit Iand. non valet contra Com. si bene intelligatur.

Tu igitur aduerte quòd Iand. nõ reprobat dist. de magnitudine & de infinitate data à B. Tho. quoniã scit eam esse veram & vsitatam in doctrina Philosophi, nec reprobat obiectionem factã à B. Tho. contra Com. vt falsam in se, sed quòd non tendit contra intentionem Com. Quæ tamen tendent sicut dicit Iand. primũ mouens secundùm Com. esse in magnitudine appropriatiuè. Si igitur probatum fuerit cũ Com. tenet primum mouens mouere primũ cœlum immediatè, & esse illi applicatum, nulla erit defensio Iandu. pro Com. contra B. Tho. Quid autem Com. sentiat primũ mouens esse applicatum primo cœlo, & vt sic esse in magnitudine appropriatiuè iam determinauimus in li. 12. Meta. in q. 15. vbi soluimus rationes Iand. tenentis oppositum, cùm tamen nobiliores Cõmentistæ teneant contra Iand. Tu igitur vide illic.

Ad obiectionem positam in principio quæsiti dico quòd concludit de potentia infinita essendi & mouendi secũdùm durationem, quæ tamen non potest esse causa primo motus infiniti vt declarauimus suprà. Nos autem cum Phil. intendimus quòd in magnitudine finita non potest esse virtus infinita secundùm vigorem quæ est prima & per se causa perpetuitatis motus secundùm positionẽ Philosophi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVI.

Num primum mouens habeat virtutem infinitam.

Determinatis autem his manifestum est quoniam impossibile est, &c. tex. 86.

IN hac quæst. non est immorandum, quoniam in lib. 11. Metaph. in q. 20. resoluimus eã, & defensauimus rationes Philosophi contra Commentistas tenentes oppositum, & soluimus principales rationes eorum, & tu vide illic.

QVAESTIO XVII.

Num primum mouens sit tantùm vnum.

Manifestum itaque quòd indiuisibile est & impartibile. tex. 86.

IN hac quæst. non est immorandum, quoniam eam resoluimus in li. 12. Meta. in q. 19. vbi declaratũ est quomodo hæc conclusio sit demonstrata, & quomodo non, & tu vide illic.

Quæstionum Naturalium M. Chrysostomi Iauelli super octo libros Physicorum,

FINIS.

D. CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII PHILOSOPHI ACVTISSIMI, QVAESTIONES NATVRALES SVPER III. LIB. ARIST. DE ANIMA,

Cum singularum Quæstionum Conclusionibus mira breuitate nuper collectis, & iuxta Thomisticum dogma decisis.

Super primum librum Aristotelis de Anima, discutiuntur subsequentes Quæstiones quæ sunt vndecim numero.

QVONIAM in libr. 1. de Anima immoratur Aristoteles in opinionibus Antiquorum, quæ nobis parum conferunt, satis erit si quæsita quæ in toto Proœmio suo difficultatem ingerunt resoluere poterimus, & eruunt infrascripta.

1 Num anima sit subiectum in libris de Anima.
2 Num tam scientia practica quàm speculatiua sit honorabilis.
3 Num scientia de Anima excedat omnes alias etiam Mathematicas, præter scientiam Diuinam.
4 Num scientia de Anima sit vtilis omni scientiæ, & præcipuè ad confirmationem primorum principiorum, vt dicit Commentator in comment. 2.
5 Num scientia de Anima sit difficillima.
6 Num sit vna; communis via inuestigandò quod quid est, & quæ sit illa apud Aristotelem.
7 Num vniuersale nihil sit, aut posterius singularibus.
8 Num accidentia conferant ad cognoscendum quod quid est.
9 Num intelligere sit propria operatio animæ, an coniuncti.
10 Num possit sustineri modus arguendi à destructione antecedentis ad destructionem consequentis.
11 Num Logicus diffiniat per formam, & per materiam Physicus.

QVAESTIO PRIMA.

Num anima sit subiectum in libris de Anima.

Et propter vtraque hæc, animæ historiam rationabiliter vtique in primis ponemus. tex. 1.



IN HAC quæstione intendo primò pertractare opinionem quam teneo esse de mente Philosophi & Comment. & B. Tho. Secũdò pertractabo opinionem oppositã, & soluam rationes suas. Tertiò soluam dubium.

Quãtùm ad primũ, dico cũ mens B. Tho. & Phil. & Com. fuit non ens mobile animatum, nec corpus animatum, sed animam esse hîc subiectum, quod manifesto dictis & ratione: nam Philosophus in Proœmio & Comment. & B. Tho. nunquam dicunt hîc tradendam esse scientiã aut notitiam de animato ente, siue corpore, sed de anima, nulla facta mentione de animato. Vnde in 1. tex. dicit Philosophus, Historiam animæ in primis ponemus, & Commentator in comment. 1. postquàm dixerat quòd in scientia de Anima inueniuntur hæc duo, scilicet nobilitas & certitudo, subinfert, Et manifestum est considerantibus, quòd subiectum huius scientiæ est nobilius aliis: quod quidem subiectum ex his quæ præmiserat oportet intelligere de anima, & in tex. 2. dicit Philosophus, Inquirimus autem considerare & cognoscere naturam ipsius, s. animæ & substantiam, posteà quæcunque accidunt circa ipsam. Apud Commẽtatorem autem est clarum in 2. de Anima comment. 27. vbi inquit, Artifex enim necesse est vt ponat, i. supponat subiectum de quo loquitur, & diuidit genera eius, artifex enim non potest demonstrare subiectum suæ artis: hæc Commen. Patet autem quòd Philosophus in tex. illo loquitur de anima, in quo diuidit genera potentiarum eius, ergo secundùm Commentatorem anima est hîc subiectum.

Quod autem secundùm B. Tho. sit subiectum patet in lib. de Sensu & Sensato: nam in Proœmio suo sic inquit, Arist. in libr. de Anima considerauit de anima secundùm se quasi in quadam abstractione, in Paruis autem Naturalibus considerat de anima in quadam concretione & applicatione ad corpus. Si ergo considerauit Philosophus in lib. de Anima, de anima secundùm se & non per applicationem ad corpus animatum, patet quòd illic anima est subiectum.

Et aduerte quòd Albertus in 1. de Anima, in Tract. 1. in c. 1. est eiusdem sentẽtiæ, & non est verum quòd ponat corpus animatum esse hîc subiectum vt sibi imponit Iandunus in 1. de Anima, q. 3. Nam tenet illic Albertus quòd inquisitio & noticia de anima præcedit scientiam corporis animati, vnde inquit, Cùm autem omnium animatorum principium sit anima, non poterũt animata cognosci, nisi per cognitionem animarum suarum, sicut & vnumquodque aliorum cognoscitur per formam suam, eò quòd forma est principium esse & cognitionis. Oportet ergo hanc de necessitate de anima facere inquisitionem, antequàm de corporibus animatorũ aliquid possimus disserere: & infra, Licet ergo anima & opera eius & passiones non sint corpus mobile, quod est subiectum Philosophiæ naturalis, est tamen anima principium essentiale talis corporis, & ideo in scientia naturali oportet inquirere de ipsa, & in fine dicti c. inquit, Animæ autem noticia est prior noticia corporis animati: congruè igitur ordinamus hanc scientiam post scientiam Mineralium, & ante scientiam Corporum Animatorum. Hæc Albertus, ex quibus patet quòd secundùm ipsum agitur hîc de anima, vt est principium essendi & cognoscendi corpus animatum, & vt sic noticia eius præsupponitur noticiæ corporum animatorum, ergo non corpus animatum, sed anima est hîc subiectũ.

Probatur autem ratione sic, Secundùm doctrinam Philosophi in 1. Poster. Illud est subiectum in scientia de quo primò noticiam quærimus, cuius partes subiectiuas & passiones siue proprietates consideramus: sed in lib. 2. & 3. de Anima immoratur Philosophus circa substantiam animæ, & nõ circa corpus animatum, & diuidit animam in genera sua, & immoratur in consideratione potentiarum animæ tam vegetatiuæ quàm sensitiuæ, & etiam intellectiuæ, nullam autem facit diuisionem de corpore animato, nec consideratione de proprietatibus eius: ergo anima & nõ corpus animatum est hîc subiectum.

Aliqui ad idem sic arguunt, Si anima non est hîc subiectũ scientia de anima non erit nobilior aliis partibus scientiæ naturalis, quod est contra Philosophum in hoc Proœmio, & nos declarabimus infrà. Consequentia sic probatur, Si anima non est subiectum, ergo corpus animatum generabile, quale est vegetatiuum & sensitiuum, cuius principium est anima, est hîc subiectum. Sed corpus cœli est animatum & est ingenerabile & incorruptibile, ergo nobilius, ergo scientia libri de Cœlo erit nobilior ista.

Hæc ratio non est efficax, quoniam qui tenent corpus animatum esse hîc subiectum, dicerent quòd animatio est æquiuoca ad animationem cœli, & animationem horum inferio

rum, nam illa est tãtùm secundùm motum, vt determinauimus in lib.12. Metaph. Hæc autem est secundùm motum & secundùm esse, & ideo comparatio nulla est.

Quantùm ad secundum aduerte, quòd est vna opinio opposita quæ tenet non animam, sed corpus animatum esse hîc subiectum, cuius fundamentum est, quòd in libris de Anima non considerantur potentiæ nec operationes animæ nisi vt respiciunt corpus animatum. Vnde si daretur aliqua actio animæ, in qua nullo modo communicaret corpus, vt si daretur intelligere sine sensu & sine phantasmate, non consideraretur à Physico, sed à Metaphysico. Sed quia, vt dicet Philosophus in libr. 3. non datur intelligere sine phantasmate, ideo non solùm potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ & motiuæ & appetitiuæ, sed etiam intellectiuæ videntur respicere cõiunctum, quod est corpus animatum. Conatur autem hæc opinio firmare intentum suum tribus rationibus.

Prima ratio, Illud est hîc subiectum ex 1. Poster. cuius passiones hîc quæruntur. Sed corpus animatum est illud, cuius passiones quærũtur, quoniam potentiæ & actiones hîc quæsitæ non sunt solius animæ, sed coniuncti, vt patet in hoc Procemio, in tex. 12. & 14. ergo, &c.

Secunda, Cùm hæc scientia sit pars scientiæ naturalis sui subiectum debet esse pars subiecti sciẽtiæ naturalis, sed corpus mobile est subiectum scientiæ naturalis, anima autem non est pars, s. subiectiua (de hac enim hîc intendimus) corpus autem mobile animatum est pars corporis mobilis, ergo non anima, sed illud est hîc subiectum.

Tertia, Illud est subiectum cuius gratia omnia hîc tradita pertractantur. Sed corpus animatum est illud, ergo, &c. Maior patet ex conditionibus subiecti. Minor probatur, quia omnia determinata sunt potentiæ & actiones animæ quæ respiciunt animam, & anima respicit corpus animatum, & hîc est status, ergo corpus animatum est illud, respectu cuius vltimatè omnia hîc tradita considerantur.

Pro solutione primæ & tertiæ rationis præmitto distinctionem de mente B.Tho. super librum de Sensu & Sensato lect. 1. quæ est hæc, Potentiæ & operationes animæ dupliciter considerantur. Primò vt sunt ipsius animæ, vt principij à quo habent originem. Secundò vt sunt ipsius rei animatæ, sicut suppositi operãtis, licet enim vegetare, sentire, moueri sint ab anima, vt principio formali, tamen ipsa res animata est quæ viuit, sentit, mouetur, appetit, &c. In primo sensu considerantur in libris de Anima, in 2. sensu in Paruis Naturalibus, sed in communi, determinate autem in libris de Vegetabilibus & de Animalibus.

Ex hac distinctione, ad primam rationem nego minorem. Ad probationem nego quin sint solius animæ vt principij, & sic considerantur in libris de Anima, Philosophus autem in tex. 12. & 14. intendit quòd sunt coniuncti, non vt principij, sed vt operantis, & vt sic non principaliter considerantur in hoc libro.

Ad tertiam nego minorem, ad probationẽ concedo quòd respiciunt animam vt principium, & anima respicit corpus animatum vt actus & forma eius: nego autem hanc consequentiam, Ergo corpus animatum, &c. quoniam anima non respicit corpus vt illud quod operatur, sed vt materiam suã, ideo arguens non concludit intentum.

Pro solutione secundæ rationis, præmitto distinctionem sic, Aliquid potest contineri sub corpore mobili dupliciter. Primò vt inferius sub superiori ita quòd superius prædicatur de eo in recto, & sic non est necesse omne quod est subiectum in parte totalis scientiæ contineri sub subiecto totalis scientiæ. Patet enim quòd primus motor est subiectum in lib. 8. Phys. & tamen non est ens mobile, nec corpus mobile. Secundo aliquid continetur vt reducibile ad subiectum totalis scientiæ, putà quia est passio aut principium corporis mobilis, sicut locus, tempus, motus, infiniti, sunt passiones suæ, & primus motor est principium productiuum corporis mobilis, & forma & materia sunt principia intrinseca, sic anima continetur sub corpore mobili, quoniam est principium formale corporis animati, quod est mobile.

Ex hac distinctione ad secundam rationem, nego maiorem. Ad probationem dico, quòd non est necesse subiectum partis scientiæ Naturalis esse partem subiectiuam subiecti totalis, licet pars scientiæ naturalis sit pars subiectiua totius Philosophię Naturalis, sufficit autem quòd sit aut passio aut principium subiecti totalis, quare, &c.

Quantùm ad tertium aduerte quòd dubium apparens insurgit cõtra determinationem factam: nam ex doctrina Philosophi in 1. Poster. de subiecto sciẽtiæ præsupponitur quid, sed in hoc libro non supponitur quid de anima, imò suum quid inuestigatur in principio libri secũdi: ergo anima non est hîc subiectum.

Ad hoc solet responderi, quòd propositio Philosophi in 1. Poste. cùm dicit, De subiecto sciẽtiæ præsupponitur quid, non sic habet text. Philosophi. Sed sic, Alia autem oportet præcognoscere quid est quod dicitur, id est, quid significatur per nomen, vt illic exponit Com. & hoc quidem necesse est, nam si discipulus ignoraret quid significet nomen impositum illi rei de qua instruendus est, nunquam addisceret. Licet autem de subiecto sit necesse præcognoscere significatum nominis tamen non obstat quin possit venari suũ quid rei siue diffinitio, dummodo inuestigatum fuerit ante demonstrationem passionum de subiecto, quoniam cum medium in demonstratione sit diffinitio, vt aliàs discursum est & demonstratio sit ex prius & magis notis, oportet ante demonstrationem præhabere quid. Tu igitur aduerte quòd in scientia possunt esse duæ partes: vna dicitur pars principiorum, alia dicitur pars scientifica. Pars principiorũ est in qua inuestigantur principia propria ex quibus deducendæ sunt conclusiones in tali scientia, sicut apud Euclidem in principio præponitur quid linea, quid angulus, quid figura, pars autem scientifica est in qua ex principiis datis deducuntur conclusiones & probantur passiones de subiecto per principia posita, quę sunt diffinitiones subiecti aut passionis. Hunc ordinẽ tenuit Philosophus in lib. de Anima, nam in 1. Parte 2. lib. vsq; ad tex. 27. inuestigat quid sit anima, & hæc dicitur esse pars principiorũ. In 2. Parte quæ incipit in tex. 17. inuestigat diuersas passiones quæ dicuntur potentiæ animæ & probat de anima similiter operationes. & hæc dicitur pars scientifica. Ad argumẽtum ergo dico quòd in omni scientia præcognoscitur quid de subiecto, non in omni parte scientiæ, sed in parte scientifica, & in hoc sensu nego minorem. Quoniam licet Philosophus inuestiget quid sit anima, non tamen in parte scientifica, sed in parte 1. quæ est pars cognoscitiua principiorum, quæ propriè non est scientia nec pars scientiæ, sed præuia ad scientiam sumendo Scientiam propriè, prout est habitus conclusionis in qua demonstratur passio de subiecto. Eundem modum tenuit Philosophus in lib. Peryermenias & in Posteriorib. vbi priùs inuestigauit quid enunciatio, quid demonstratio, antequàm descẽdat ad suas proprietates. Patet igitur quòd non incõuenit animam esse hîc subiectum, & inuestigari quid sit anima. Hęc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num tam scientia practica quàm speculatiua sit honorabilis.

Bonorum honorabilium noticiam opinantes. tex. 1.

IN hac quæstione ante resolutionem aduerte quòd Expositores communiter sumunt ly Noticiam pro scientia speculatiua quæ est propriè honorabilis: scientiam autem practicam dicunt propriè esse laudabilem. Verùm quia Philosophus sumit ly Noticiam absolutè, ideo inuestigandum est, an tam practica quàm speculatiua possit dici honorabilis, & sic procedemus. Primò declarabitur quòd scientia practica potest dici honorabilis secundùm quid, simpliciter autem laudabilis. Secundò quòd scientia speculatiua dicitur simpliciter honorabilis, & potest dici laudabilis secũdùm quid. Tertiò soluetur dubium solutione Thomistica, quæ defenditur contra Iandunum.

Quantùm ad primum aduerte quòd scientia practica habet duo. Primò facit hominem scientem, & hoc est commune omni scientiæ. sicut enim homo est albus albedine, sic est scientia sciens: secundò facit scire propter alterum, id est, propter opus, finis enim eius est ordinari ad opus ex 2. Metaphys. tex 3. Ratione primi potest dici honorabilis, omnis enim sciens vt sciens honorabilis est: vnde honoramus ingeniosos artifices, qui artem aut inueniunt, aut augent, aut de artificiatis sciunt rationem reddere. Ratione autem secundi datur laudabilis, laudamus enim bonum quod ad aliud ordinatur, & propter illud quæritur, vt laudamus reubarbarum non gratia sui, sed quia sanatiuum febricitantis, & quoniam scientia practica non quæritur simpliciter & principaliter propter scire sed propter opus, ideo est honorabilis secundùm quid, sed laudabilis simpliciter.

Quantùm ad secundum aduerte quòd speculatiua opponitur practicæ in duobus. Primò quæritur propter seipsam simpliciter, practica autem secundùm quid. Secundò accidit speculatiuæ quòd quæratur propter aliud. Nam dato quòd non esset vtilis nec necessaria scienti propter aliquod bonum

bonum extrinsecum, adhuc ex natura sua appetibilis est eò quòd perficit & eleuat intellectum. Vnde Philosophus vocat in Procemio primi Metaphys. manifestare Metaphysicam esse speculatiuam dicit quòd existentibus cunctis, quæ sunt necessaria vitæ & ad voluptatem & ad eruditionem sicut est Grammatica & Rhetorica, talis prudẽtia, id est, scientia Metaphysicæ cœpit inquiri. Palàm igitur est quòd propter nullam aliam necessitatem ipsam quærimus. Practicæ autem competit per se, eò quòd de ratione sua est ordinari ad opus vel esse ordinabilem. Ratione primi dicitur simpliciter honorabilis, quoniam secundùm doctrinam Philosophi in 1. Ethicorum, Bonum honorabile est quod propter seipsum quęritur, vt fœlicitas & Deus, laudabile autem quod propter aliud quæritur, vt equus benè deferens. Sed scientia speculatiua propter seipsam quæritur simpliciter & principaliter vt declarauimus: ergo est simpliciter honorabilis. Ratione autem secundi dicitur laudabilis secundùm quid, vel per accidens, quia non est de ratione sua quòd quæratur propter aliud, vt patet, vnde dato quòd Algazel in primo suæ Metaphysicæ dicat omnes scientias ordinari ad Metaphysicam, hoc tamen non facit eas simpliciter laudabiles, sed secundum quid, eò quòd sunt secundùm se appetibiles, dato quòd non ordinarentur ad Metaphysicam.

Quantùm ad tertium aduerte quòd si scientia speculatiua est honorabilis per se & simpliciter, ergo est bona, quoniam dicit Philosophus, Bonorum honorabilium, &c. Sed quòd non sit bona arguitur sic, Bonum & malum sunt in rebus, verum autem & falsum in mente. Sed scientia speculatiua non est in rebus, sed in mente, ergo licet possit dici vera tamen non bona.

Ad hoc respondetur ex dicto B.Tho. exponentis tex. Philosophi in 6. Metaphysicæ, textu vltimo, in quo dicit Philosophus verum & falsum sunt in mente, bonum autem, &c. vbi inquit B.Tho. Nihil prohibet verum esse quoddam bonum intellectus secundùm quòd intellectus cognoscens accipitur vt quædam res, sicut enim quælibet alia res dicitur bona sua perfectione sic intellectus cognoscens sua bonitate: hæc B.Tho. ex quibus accipio talem distinctionem, Intellectus dupliciter confideratur: primò vt res potentialis & perfectibilis, & vt sic habens rationem materiæ, & hoc modo perficitur scientia, sicut materia forma: vnde sicut forma est bonum materiæ, quia perficit eam, sic scientia intellectus. Secundò confideratur vt cognoscens & apprehendens actu, & sic dicitur in eo esse verum & falsum, eò quòd vel est apprehẽdens rem, vt est vel aliter quàm sit, si primò est verus, si secundò est falsus. Cum hoc tamen stat quòd illa vera apprehensio & habitus scientificus causatus ex illa vera apprehensione comparatus intellectui vt subiecto perfectibili potest dici bonum & perfectio sua. Ad argumentum ergo dico quòd supponitur falsum, scilicet intellectum siue mentem in nullo sensu esse rem, nam licet vt apprehendens possit dici quòd non est res nõ absolutè, sed vt distinguitur contra cognoscitiuum, tamen vt natura potentialis est verè res, & vt sic scientia est bonum eius.

Aduerte quòd Iandunus in 1. de Anima, q. 4. in responsione ad primum recitat hanc responsionem, licet imperfectè, & contra eam arguit dupliciter.

Primò sic, Si scientia esset in anima, vt est quædam natura sine forma naturalis, tunc posset esse in quacunque forma naturali, quod patet esse falsum.

Secundò, Scientia est habitus verus, ergo sub illa ratione est in anima sub qua verum & falsum sunt in anima. Sed verum & falsum sunt in anima, vt cognoscens est, ergo sciẽtia est in anima, non vt res, sed vt cognoscens, quod est contra solutionem datam.

Ad primum respondetur, quòd B.Tho. non dicit animam siue intellectum accipi vt est quædam forma naturalis, sed vt est quædam res. Sed dices, Ergo sciẽtia potest esse in quacunque re, negatur consequentia, quoniam B.Tho. non accipit rem absolutè, sed quæ est de natura intellectuali, & vt sic conceditur quòd scientia potest esse in quacunque re intellectuali, non autem in quacunque re quæ propriè sit forma naturalis, aliter esset in forma terræ & lapidis, & quoniam Iandunus in sua consequentia intendit de tali re, ideo negatur consequentia. Ad secundum negatur prima consequentia, quoniam habitus verus est perfectio intellectus prout intellectus est res perfectibilis & potentialis, verum autem & falsum formaliter sumpta non sunt perfectio intellectus cùm sint ens rationis, quod non dicit perfectionem nec bonum, nam vt determinauimus in Quæstionibus nostris, in 4. Metaphys. bonum est passio entis realis absoluti existentis in actu. Vnde patet quòd Iandunus non concludit contra responsionem datam ad mentem B.Tho. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num scientia de anima excedat omnes alias etiam Mathematicas præter scientiam Diuinam.

Propter vtraque hæc, animæ historiam in primis vtique ponemus. tex. 1.

Scientia libri de Anima excedit omnes alias partes sciẽtiæ naturalis certitudine & nobilitate subiecti, excedere etiam dici potest omnes alias absolutè quò ad cõsiderationem principij omnis cognitionis & certitudinis, luminis scilicet intellectus agentis.

IN hac quæstione aduerte quòd ex textu Philosophi non possumus elicere hanc excedentiam quò ad omnes scientias absolutè excepta sola Diuina scientia, sed sufficit ad intentionem Philosophi quòd scientia de anima excedat omnes alias scientias siue noticias quæ traduntur in aliis partibus scientiæ Naturalis: verùm quia & in primo sensu & in secundo textu Philosophi sustentabilis est, & videtur Comment. in fine comment. 1. huius Procemij tenere primum sensum, inquit enim, Scientia de anima in his duobus, scilicet nobilitate subiecti & certitudine superat alias scientias præter Diuinam, & B.Thom. simul cum Egidio videtur tenere secundùm sensum, vt patet in eorum expositionibus, ideo procedemus sic. Primò sustentabimus secundum sensum ad mentem B.Tho. Secundo declarabimus quomodo ad mentem Commen. potest sustineri primus sensus. Tertio soluemus quædam argumenta insurgentia contra determinationem, quam facturi sumus ad mentem B.Tho.

Quantùm ad primum aduerte quòd mens B.Tho. & Egidij est, scientiã de anima excedere omnes alias partes scientiæ Naturalis primò certitudine, secundò nobilitate subiecti. Quò ad certitudinem sic manifestatur, supponitur dictũ Commentatoris in 2. Metaphy. comment. 16. quòd demonstrationes naturales non procedunt ex notioribus simpliciter, sed ex notioribus nobis, qui sunt effectus notiores, ex quo infertur quòd cùm effectus naturales non omnes sint nobis æquè noti, imò datur magna latitudo in huiusmodi noticia, illa pars scientiæ Naturalis erit certior quæ procedit ex effectibus magis notis nobis, & quos experimur in nobis habere, & per quos certiùs deuenimus in noticiam suarum causarum. Talis autem est scientia de anima, quæ procedit ex obiectis ad actus, ex actibus ad potentias, ex potentiis ad animæ essentiam. Quilibet nostrum experitur non solùm habere animam, sed quòd nutritur, quòd augetur, quòd sentit, quòd mouet se secundùm locum, quòd desiderat, quòd intelligit: & has operationes sapiens Physicus reducit in potentias, vt in proxima principia, demum in substantiam animæ, vt in primum principium: ergo certior est hæc scientia aliis partibus scientiæ naturalis. Præterea, in aliis partibus scientiæ naturalis procedimus per effectus extrinsecos, in hac autem per effectus nobis intrinsecos & intimos, ergo est certior: nec valet quod dicunt quidam, Licet experiamur in nobis habere hos actus, non tamen facile est eos reducere in causas suas, imò in hoc est summa ambiguitas. Dico enim ad hoc quòd in tota Philosophia Naturali hæc reductio est difficilis, sed difficilior est in aliis partibus quam in hac parte si quis bene consideret. Quomodo autem stante hac responsione sit verum quòd dicit Philosophus scientiam de anima esse difficillimam declarabo infrà.

Quantùm ad excedentiam ex nobilitate subiecti non est difficile ostendere. Nam cùm omnia naturalia sint composita loquendo de substantiis naturalibus completis in specie, & compositũ trahat nobilitatem à forma quæ dat esse, anima est nobilior qualibet forma mere naturali, sicut quod aliquo modo est immateriale nobilius est omnino materiali. Inter animas autem intellectiua est nobilior, quoniam propinquat substantiis abstractis ex gradu intellectuali. Sed anima intellectiua in hac parte est præcipua considẽratio vt patet in toto 3. lib. ergo excedit omnes partes scientiæ Naturalis in nobilitate subiecti.

Quantùm ad secundum aduerte quòd omnes reputant difficile posse saluare sensum Commentatoris. Consilium est enim ab omnibus demonstrationes mathematicas obtinere primum gradum certitudinis & secundùm naturam & quò ad nos, ergo hæc scientia non excedit omnes præter diuinam: licet autem sit difficile, tamen potest saluari sic dictum Comment. Est intelligendum collectiuè & non diuisiuè, videlicet quòd scientia de anima superat in his duobus simul sumptis, scilicet certitudine & nobilitate subiecti omnes scientias, etiam Mathematicas præter Diuinam. Nam licet Mathematicæ superent certitudine demonstrationis,

tamen plus proportionaliter hæc ſcientia ſuperat Mathematicas nobilitate ſubiecti quàm ſuperetur certitudine demonſtrationis, & ſic abſolutè in his duobus ſimul ſumptis ſcientia de anima ſuperat Mathematicas. Hoc modo ſolent Commentiſtæ præcipuè Burlæus ſaluare dictum Comment. Mihi autem magis videtur conſonum quod dicit Albertus in 1. de Anima Tract.1.cap.2. videlicet quòd hæc ſcientia eſt certior, quia tradit noticiam de eo, à quo etiam Mathematicæ trahunt certitudinem, & hæc eſt lux intellectus ſiue lumen intellectus agentis. Ad illud enim lumen certificatur, inquit Albertus, quicquid certè ſcitur, & tunc ſciri iudicatur, quando illi conueniens inuenitur. Cùm igitur ſcientiæ non ſolùm Naturales & Morales, ſed & Mathematicæ accipiant certitudinem ab intellectu agente, cuius natura ſcrutatur in hac ſcientia, vt patebit in lib.3. hac de cauſa eſt certior. Hæc dicta ſint pro ſuſtentatione dicti Commen. Quod ſi quis melius inuenerit cedo.

Quantùm ad tertium, aduerte quòd contra determinationem factam ad mentem B. Tho. & Egidij inſurgunt tres inſtantiæ. Prima eſt, Quia libri de Phyſico auditu videntur habere demonſtrationes certiores, eò quòd minus applicantur ad materiam, nam Philoſophus in eis pertractat de ente mobili ſimpliciter, id eſt, non applicatè. Quantò autem aliquid eſt minus applicatum ad materiam videtur eſſe certius, quoniam materia eſt principium tranſmutationis & variabilitatis ex 8. Metaphy. tex.4.

Reſpondetur, Hîc non loquimur de certiori demonſtratione ſecundùm naturam, ſed quò ad nos: vnde licet quod eſt minus applicatum materiæ poſsit eſſe certius ſemper ſecundùm ſe, non tamen ſemper quò ad nos, & in propoſito dico quòd in ſcientia de anima conſiderantur effectus notiores nobis: ex quibus deducimus concluſiones, in ſcientia autem de phyſico auditu deducimus concluſiones ex minus euidentibus quàm ſint actus animæ. Deducimus enim ex diffinitione, formæ & materiæ & motus & naturæ & temporis & loci, &c. quæ non multùm conſtant nobis, inſtantia ergo non concludit niſi de certiori ſecundùm ſe & nos intendimus de certiori quò ad nos.

Secunda eſt, quia liber 8. Phyſicorum videtur habere nobilius ſubiectum, habet enim motorem primum, ſimiliter liber de Animalibus videtur habere nobilius ſubiectum: animal enim nobilius eſt quàm anima, eò quòd totum includens partem eſt nobilius parte.

Reſpondetur, Licet primus motor vt ſubſtantia abſtracta & completa in natura ſua ſit nobilior anima, non tamen vt eſt primus motor & vt ſub ratione primi motoris conſideratur. Sicut enim animare & viuificare nobilius eſt quàm mouere, ſic eſſe principium vitæ nobilius eſt quàm eſſe principium motus: & quoniam in 8. Phyſic. conſideratur de primo motore vt mouet & in libro de Anima conſideratur de anima, vt animat, ideo inſtantia non valet. Ad aliud de ſubiecto in lib. de Animalibus, dico quòd licet anima ſit quid nobilius quàm anima, quia includit animam & aliquid plus, tamē originatiuè anima eſt nobilior, eò quòd tota perfectio compoſiti pendet à forma. Vnde & Commen. in 7. Metaph. com.7. dicit formam eſſe magis ens quàm cōpoſitum, quod intelligendum eſt ſecundùm independentiam, perfectio enim principiati pendet à principio, & non econuerſò.

Tertia eſt, Forma cœli quæ eſt forma merè naturalis eſt nobilior anima, quoniam complet appetitum materiæ, ita quod non eſt in potentia ad aliam formam, & conſtituit cœlum incorruptibile, & vigoroſiſsimum, vt demonſtratur ex effectibus cauſatis in hoc mundo inferiori à corpore cœleſti, ergo non eſt verum quod dictum eſt, ſcilicet animam eſſe nobiliorem quacunque forma merè naturali.

Reſpondetur, Hanc inſtantiam iam ſoluimus in li.12. Metaphy. q.16. vbi locuti ſumus de animatione cœli, & aduerte quòd inſtantia oſtendit formam cœlj eſſe nobiliorem quò ad modum actuandi materiam, ſed non quò ad gradum eſſendi: in quo ſenſu tenemus animā eſſe nobiliorē quacunque forma naturali: Nobilius eſt enim principiū eſſendi, & viuendi q̄ eſſendi ſolùm. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO IIII.

Num ſcientia de anima ſit vtilis omnibus ſcientiis & præcipuè ad confirmanda prima principia, vt dicit Comment.

Videtur autem ad veritatem omnem cognitio ipſius multum proficere.

IN hac quæſt. non cadit multa difficultas, ideo me expediēs ſic procedo. Primò ponitur diſtinctio de vtili. Secundò ex diſtinctione declarabitur in quo ſenſu hæc ſcientia eſt vtilis & in quo non. Tertiò remouebitur dubium.

Quātùm ad primum aduerte, quòd Auicen. in primo ſuæ Meta. ca.3. intendēs manifeſtare quomodo Metaphyſica eſt vtilis ad alias ſcientias, ſic diſtinguit, Vtile dicitur dupliciter. Primò, Illud eſt vtile quod nō eſt gratia ſui ſed propter aliud, & actiones ſuæ non ſunt propter ipſum ſed propter aliud ad quod vt ad nobilius ordinatur, & hæc vtilitas dicitur propriè ſeruitus: & quod hac vtilitate eſt vtile dicitur inſtrumentū & ſeruus: ſic gladius eſt vtilis militi, equus homini, ſeruus domino, quoniam hæc omnia aliquod nobilius reſpiciunt. Secundò dicitur vtile quod licet ſit gratia ſui & non ordinetur ex ſui natura ad alterum tamen prodeſt alteri aut regendo aut adiuuando aut firmando ipſum, & hæc vtilitas non eſt ſeruitus ſed profectus, & hoc modo ſuperius poteſt eſſe vtile inferiori, vt dominus ſeruo, pater filio, inquantùm regit & prouidet illi.

Ex hac diſtinctione dico ſcientiam de anima non eſſe vtilem aliis primo modo, quoniam cùm ſit ſpeculatiua eſt gratia ſui & ex ſe non ordinatur ad aliam nec ſeruit alteri. Iſtæ enim conditiones potius conueniunt ſcientiæ practicæ, & inter practicas ſubordinatas, inferior eſt vtilis ſuperiori vt ſic nefactiua equeſtri, equeſtris militari, militaris ciuili, quoniā inferior eſt ſicut inſtrumentum ſuperioris: eſt autem vtilis ſecundo modo, quoniam quæ conſiderantur in hac ſcientia proficiunt ad habendum & acquirendum alias ſcientias, & vt dicit Alber. in 1. de Anima, Tract.1.c.2. ad veritatem quidē omnium proficit, quia in ea conſideratur intellectus agēs in quo eſt examen veritatis reſpectu quorumcunque ſcibiliū, proficit autem Naturali ſcientiæ, eò quòd ipſa eſt pars nobiliſsima ſciētiæ naturalis, & quoniam anima eſt principium formale omnium animatorū & ſine noticia animæ, non poteſt haberi noticia de animatis, quoniam forma eſt principiū eſſendi & cognoſcendi. Proficit & ſcientiæ Diuinæ, quoniam hîc traditur noticia de intellectu, per quē deuenimus in noticiam intellectuum ſeparatorū: proficit & Morali, quoniam hîc datur noticia de partibus animæ, in quibus poteſt eſſe vicium & virtus, & in qua parte ſtat electio & cōſilium & multa alia, & de paſsionibus circa quas locantur virtutes. Proficit Mathematicis, quoniam lumine intellectus firmantur principia ſua. Proficit vniuerſaliter omnibus ſcientiis, vt dicit Com. in com.2. quia facit acquirere cōfirmationem in primis principiis, in quibus fundantur omnes ſcientiæ. Nam ex hac ſcientia acquiritur cognitio cauſarum primarum propoſitionum, & cognitio alicuius per cauſam eſt magis firma quàm ſui eſſe tantùm.

Sed contra hoc dictū Com. inſurgit dubium. Nam ſi prima principia habent cauſam ſunt demonſtrabilia, quod eſt falſum ex 4. Meta. & in 1. Poſte. Conſequentia patet, quoniā demonſtratio eſt eorum quorum eſt altera cauſa ex 1. Poſt.

Aduerte quòd Iand. in 1. li. q.5. propter hoc argumentum cōcedit quòd prima principia, vt ſunt quædam ſpeculabilia, & vt ſunt in intellectu poſsibili vt in ſubiecto, & vt cauſæ eorū in intellectu ſunt intellectus agens & intentiones imaginatæ, ſunt demonſtrabilia, verùm quia apud Philoſophum in nullo ſenſu reputantur demōſtrabilia, cùm ſint primò notiſsima, ideo aliter dicendum puto. Aduerte igitur q̄ prima principia habere cauſam poteſt intelligi dupliciter. Primò quòd habeant cauſam formalē, non quidē realiter ſed ſecundùm rationē, & voco cauſam formalē ſecundùm rationem omne illud ex quo, vt magis noto, aliquid deducitur, ſiue illud ſit magis notū ſecūdùm ſe & quò ad nos, ſiue quò ad nos tantùm. Secundò q̄ habeāt cauſam non formalē modo expoſito ſed productiuā vel ſubiectiuā, & voco productiuā cauſam omne illud, virtute cuius aliquid producitur, ſubiectiuā aūt in quo recipitur. Dico igitur q̄ Com. per cognitionē cauſarū primarū propoſitionū, non intendit de cauſa formali, quoniā cùm ſint primò cognita non poſſunt cognoſci ex notioribus, ſed de cauſa productiua & ſubiectiua. Productiua quidē eſt lumen intellectus agentis quo ſimpliciter aſſentimus primis principiis, vt determinabimus in 3. de Anima, ſubiectiua autem eſt intellectus poſsibilis, in quo recipitur omnis habitus intellectualis, & quoniam in 3. de Anima pertractatur de natura vtriuſq; intellectus, dicit Com. q̄ ex hac ſcientia acquiritur cognitio cauſarū primarū propoſitionū, ex conſequenti dat iuuamentū omnibus ſciētiis, quoniā fundantur ſuper prima principia, & illa habent ſtabilitatē ex lumine intellectus agentis, qui ſolùm in hac ſcientia cōſideratur: nā licet aliȩ ſcientiæ fundentur & innitātur primis principiis, non tamen cōſiderant cauſam huius aſſenſus: ſed hoc ſpectat ad 3. de Anima. Ad argumentum ergo negatur conſequentia, ad probationem dico quòd Philoſophus intēdit de

cauſa

cauſa formali modo quo declarauimus & non de ſola cauſa productiua vel ſubiectiua. Hęc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO V.

Num ſcientia de anima ſit difficillima.

Omninò autem & penitùs difficillimorum eſt accipere aliquam fidem de ea. tex.4.

IN hac quæſt. aduerte quòd difficultas pendet ex ſupradictis, nam determinatum eſt in q.3. quòd hæc ſcientia excedit alias partes ſcientiæ naturalis non ſolùm nobilitate ſubiecti, ſed etiam certitudine demonſtrationis. Talis autē certitudo videtur minuere difficultatem ſciēdi, vnde diuinam ſcientiam reputamus difficillimā: quia difficillimum eſt probare & inueſtigare abſtractorum ſubſtantiam & proprietates. Hæc ergo duo videntur repugnare, quòd ſit certior & ſit difficillima. Vt igitur euitetur hæc repugnantia ſic procedendum eſt. Primò ponentur duæ diſtinctiones. Secūdò ex eis declaratur quomodo ſit difficillima & quomodo nō & ſic clarum erit quòd nulla eſt repugnantia in textu Philoſophi. Tertiò ſoluentur quædam dubia.

Prima diſtinctio eſt hæc, Difficultas ſciendi poteſt prouenire ſecundùm doctrinam Phil. & Com. in 2. Metap. tex.1. & vt manifeſtauimus in li.2. Metaph. in q.2. aliquando ex parte rei, vt quando res imperfecta eſt, vtpotè potentialis aut habens actum ſemper admixtum potentiæ, aut quia non dicit aliquam realitatem, aut quia merè reſpectiua ſunt, aut priuatiua entia. His de cauſis difficile eſt nobis ſcire naturam materiæ primæ & motus & infiniti & temporis & entis rationis & relationum & priuationum. Aliquando ex parte noſtri intellectus, qui vltimum gradum tenet in intellectualibus, cuius cognitio incipit à ſenſu, & ſine phantaſmate non intelligit, vt declarabitur in li.3. vnde hæc materialia ſunt ſibi proportionata, quæ autē ſunt immaterialia, licet in ſe ſint valdè ſcibilia ex perfectione entitatis ſuæ, & quia ſunt ſemper actu & ſimplices actus, tamen quia non cadunt ſub ſenſu, de eis paruam cognitionē & cum magna difficultate habemus: ex hoc prouenit quòd ſi datur forma informans materiam, cuius operationes non cadant ſub ſenſu, ſed ſint eleuatæ ſuper materiam, quales ſunt actus intellectuales, difficultas ſciēdi nō erit ex parte talis formę, cùm ſit pfectior inter formas rerum inferiorū, ſed ex parte noſtri intellectus.

Secunda diſtinctio, Anima propriè dicta, ſ. quæ eſt actus corporis phyſici, &c. diuiditur in vegetatiuam, & ſenſitiuā, & intellectiuam, vt pertractabimus in li.2. ex quibus vegetatiua eſt parum immaterialis, eò quòd exercet operationes ſuas per qualitates naturales actiuas, ſenſitiua autem magis immaterialis, quoniam principium ſentiendi non eſt qualitas naturalis, ſed ſpiritualis, quæ dicitur ſpecies intentionalis obiecti, intellectiua verò adhuc immaterialior eſt, eò q̄ vt intellectiua non exercet actum per organum, nec principium ſui actus eſt ſpecies intentionalis repræſentatiua indiuidui, ſed ſolius naturæ vniuerſalis.

Ex his diſtinctionibus dico ad propoſitum quæſitū quòd ſcientia de anima applicando ad vegetatiuam & ſenſitiuam non eſt difficillima, quoniā non excedunt multùm materiā, & actus earum cùm ſint per organum, cadunt ſub ſenſu, vnde iudicium fiendum eſt de illis, ſicut de quidditatibus materialibus, quæ quoniam proportionatæ ſunt noſtro intellectui non ſunt difficillimæ ad cognoſcendū. Applicando autem ad animam intellectiuam, dico quòd eſt difficillima, nō ex parte rei, vt tenet Iand. in 1. lib. in q.6. opinatur enim intellectum poſsibilem eſſe ens in pura potētia vt materia, cuius error manifeſtabitur in li.3. quando loquemur de natura animæ & intellectus contra Auer. quem in omnibus conatur Iand. defenſare. Sed ex parte noſtri intellectus, eò quòd vt intellectiua excedit omninò materiam, & eius actus non recipiuntur in corpore, nec ſub ſenſu cadunt, ideo difficillimū eſt inueſtigare naturam eius. V.g. Si habet eſſe ante corpus, ſi remanet poſt corpus, ſi intellectus eſt in ſola anima, an in coniuncto. Idem dico de intelligere, ſi intellectus diſtinguitur à ſenſu & à phantaſia, & multa alia circa quæ dubitatum eſt ab Antiquis & nondum ſunt firmata. & hæc manifeſtabūtur in 3. lib. quando pertractabimus de anima, de intellectu, de actu ſuo, de cōceptu, de ſpecie, de obiecto. Ex his apparet quòd in dictis Philoſophi nulla eſt vera repugnantia: nam licet tota ſcientia de Anima ſit difficilis, quia, vt dicit Phil. in hoc 1. lib. in tex.4. difficile eſt inuenire ſubſtantiam, & quod quid eſt animæ & de accidentibus ſuis, i. potētiis noticiam habere, tamen ſcientia de anima vt vegetatiua & ſenſitiua comparata aliis partibus ſcientiæ naturalis, & certior & minus difficilis eſt, ſcientia autem de anima vt intellectiua eſt, & incerta & ſummè difficilis eſt, quoniam ſemper dubitatū eſt à ſapientibus an exeat in eſſe per generationem, vel aliter, an ſit ęterna, an incorruptibilis, an vna, aut plures, an ſimplex, an compoſita ex intellectu poſsibili & agente, vt ex duabus partibus eſſentialibus.

Sed contra hanc determinationem inſurgunt dubia, & primò videtur quòd ſciētia de materia prima quæ traditur in 1. Phyſ. & in 8. Meta. ſit difficilior quàm ſciētia de Anima, nam materia prima eſt maximè elongata ab actu, anima autem intellectiua eſt actus, ſi ergo vnumquodque eſt cognoſcibile ex 9. Metaphy. inquantùm eſt actu conſtat ſcientiam de materia prima eſſe difficiliorem hac ſcientia, vt etiam applicatur anima animæ intellectiuæ.

Iand. in 1. lib. in q.6. concedit hanc ſcientiam eſſe ita difficilem ex parte rei, i. ex parte animæ intellectiuæ, ſicut ſciētia de materia prima, eò quòd ſequens mentem Com. tenet animam intellectiuam reſpectu intellectus poſsibilis eſſe ens in pura potentia, ſicut & materia prima. Sed hunc errorem excludemus cùm loquemur de natura animæ intellectiuæ contra Commentiſtas. Nos igitur reſpondentes dicimus argumētum concludere maiorem difficultatem ex parte rei, i. materiæ primę cùm ſit ex ſe nullo modo actu nec actus, nō autem concludit ex parte noſtri intellectus, quoniam ſubſtātia animæ vt intellectiua eſt, nec operationes ſuæ, quæ non explētur per organum, cadunt ſub ſenſu. Sed materia prima licet non ſecūdùm ſe, tamen vt eſt ſubiectum tranſmutationis & motus quem dicemus in 2. li. eſſe ſenſibile per ſe cadit ſub ſenſu, per trāſmutationem autem cognoſcimus materiā primam ex 1. Phyſ. text.62. & in 8. Metaph. Quia igitur materia prima ratione tranſmutationis magis cadit ſub ſenſu, quàm anima intellectiua ratione cuiuſcunque operationis ſuæ ideo ſcientia de ea ex parte noſtra, ſed non ex parte ſua eſt difficilior aliis partibus ſcientiæ naturalis.

Secundò videtur q̄ hæc ſcientia ſit magis difficilis quàm ſcientia de intelligētiis, quod tamen videtur repugnare Philoſopho, qui in 2. Meta. tex.1. aſsimilans intellectum noſtrum oculo noctuæ facit, mentionē ſolùm de manifeſtiſsimis naturæ, i. de ſeparatis & non de anima noſtra. Conſequētia autem probatur, quoniam Metaphyſica non eſt difficilis, niſi reſpectu noſtri intellectus, cùm abſtracta ſint maximè intelligibilia propter immaterialitatē, ſicut & ſol eſt maximè viſibilis ex ſe. Scientia autem de anima intellectiua eſt difficilis ex parte ſui, & ex parte noſtri, quia vt dictum eſt non cadit ſub ſenſu.

Iandunus concedit hanc ſciētiam eſſe difficilem ex parte animæ & ex parte noſtra, quod tu non concedes, vt dixi in reſponſione ad præcedens, ſed tantùm ex parte noſtra. Cum hoc tamen ſtat quòd non ſit difficilior Metaphyſica, quoniā actio intellectualis intelligentiæ eſt magis elongata à ſenſu quam intellectio animæ intellectiuæ, quoniam, vt coniuncta non intelligit ſine phantaſmate, quod eſt quoddam ſenſatū, quod non contingit in intelligentia. Quādo igitur dicit Philoſophus ſcientiam hanc eſſe difficillimam non accipias abſolutè, ſed reſpectu aliarum partium ſcientiæ naturalis. Hęc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO VI.

Num ſit vna communis via inueſtigandi quod quid eſt, & quæ ſit illa apud Ariſtotelem.

Fortaſsis alicui videbitur vna quædam methodus eſſe de omnibus, de quibus volumus ſubſtantiam cognoſcere. tex.4.

Vna quadā communis eſt via inueſtigādi quod quid eſt abſolutè, in ſpecie autem nō eſt vna ſola, & certa via ſe in omnib⁹ ſciētiis ſpecie diſtinctis, prius eſt diffiniēdi modus.

IN hac quæſtione ſic procedemus. Primò ponetur vna diſtinctio. Secundò duæ concluſiones reſponſiuæ. Tertiò reſpondebitur cuidam dubio.

Quātùm ad primum diſtinctio eſt hæc, Quod quid eſt dupliciter poteſt conſiderari. Primò abſolutè, vniuerſaliter. Secundò in particulari, vt quod quid eſt lineæ, & hominis, & terræ, & animæ, &c.

Quantùm ad ſecundum ſit hæc prima concluſio, Ad inueſtigandum quod quid eſt abſolutè datur certa via & vna cōmunis doctrina: hæc declarata eſt à nobis in 7. Metaphyſi. in Quæſt. noſtris, vbi docuimus de mente Philoſop. ex quibus prædicatis conſtare debet ipſum quod quid eſt, & quomodo conſtat ex propria differentia, & proximo genere vel ex primo genere & differentiis pluribus, vſq; ad ſpecificā. Exemplū primi, Homo eſt animal rationale: exemplū ſecundi, Homo eſt ſubſtātia corporea animata ſenſitiua rationalis, & quā via inueſtigādū eſt, pximū genus, ac propria differētia. Tu igitur vide quæ illic ſcripſimus. Sed de modo inueſtigādi proprium genus & differentiā dicemus in 3. loco huius quæſiti.

Secunda concluſio, Ad inueſtigandū quod quid eſt in ſpe-

cie, nõ potest dari vna sola & certa via, sed in diuersis scientiis est diuersa. Probatur, Diuersæ scientiæ habent diuersum mõdum diffiniendi sua diffinibilia, vt Naturalis per materiã & formã, Mathematicus per solam formã, vt docet Philo, in 2. Phys. tex. 15. & Logicus per solã formã. Vnde de hoc quæremus infrà, in tex. 16. Præterea, substãtiæ cõpletæ in specie, i. quæ non habent rationẽ partis, vt homo & leo, diffiniũtur per prædicata intrinseca & quidditatiua, formæ aũt & accidentia per subiectũ, quod non est de essentia eorum, vnde di cũtur diffinitiones per additamentũ, & de his locuti sumus in 7. Meta. in Quæst. nostris, nulla aũt est vna cõmunis scientia, neque specialis, quæ cõsideret propria & intrinseca principia cuiuslibet diffinibilis prout sunt sibi propria, nã, vt determinauimus in 1. Meta. in Quæst. nostris, Metaphysica, quę est cõmunis scientia, non considerat rerũ quidditates quò ad prædicata propria, sed vniuersalissima: scientiæ aũt particulares immorãtur in suis propriis principiis, quia non est maior ratio quòd vna magis consideret de propriis principiis omnium diffinibilium, quàm alia, non ergo potest dari vna communis via diffiniendi & venandi, quod quid est in specie. vnde Alber. in 1. de Anima, Tract. 1. c. 3. inquit, Quoniam rerum diuersarum diuersa sunt principia essentialia, sicut alia sunt principia numerorum, & alia planarum superficierum, secundùm illa propriè variantur diffinitiones.

Quantùm ad tertium aduerte quòd contra primã conclusionem insurgit dubium, nam si est vna cõmunis via venãdi quod quid est, dubitatur quę sit illa secundùm Philosophum.

Ad hoc videtur respõdere Com. in com. 5. huius 1. lib. vbi dicit quòd apud Hipocratem, videtur esse demonstratio, apud Platonem diuisio. Arist aũt dedit in Poster. viam cõpositionis. Idẽ dicunt B. Tho. & Albert. & Egid. in expositione text. 4. Sed difficile est sustinere quomodo hæc expositio & respõsio posit stare. Nã Phil. in 2. Poster. in tex. 18. & 19. dicit peruti lẽ esse diuisionem ad inuestigandũ quod quid est. Sic enim inquit, Congruum aũt cùm totum aliquod aliquis negocietur departiri genus in atoma specie primam. Itẽ text. 19. sic dicit, Diuisiones autem quæ sunt secundùm differentias vtiles sunt in his. Non ergo videtur Philoso. reprobare viam demonstratiuam & diuisiuam & tenere cõpositiuam.

Ad huius euidentiã aduerte quòd Phil. in 2. Poster. tex. 3. probauit quod quid est non posse demonstrari de eo cuius est, quoniã semper sequeretur petitio principij, ideo hãc viã vt inutilem reliquit. In tex. aũt 4. probauit quòd non potest probari syllogismo diuisiuo, ideo hanc viã, syllogisticæ diuisionis, vt inutilem reliquit, & si prima via fuit Hipocratis & secunda Platonis, implicitè reprobauit eos, non enim fit expressa mentio de eis. In tex. aũt 17. vsque ad tex. 22. inuestigãs secũdùm propriã opinionem quomodo venatur quod quid est amplectitur duas vias. Prima est via diuisionis, s. diuidendo genus in differentias suas, vt volens diffinire hominem, cõgnito quòd est ens, quod est substãtia, diuidit substantiã per corporeã & incorporeã, habito quòd est substantia corporea diuidit per animatã & inanimatã, habito quòd est animata diuidit per sensitiuã & non sensitiuã, habito q̃ est sensitiua, diuidit per rationalem & irrationalẽ, & hic est status. Sed aduerte quòd hæc est via simplicis diuisionis. & nõ syllogismi diuisiui, & in hoc differt opinio Phil. ab opiniõe Platonis, si tamen Plato sic sensit: quod nobis non cõstat. Via secũdã sumpta à Phil. est via cõpositionis, siue collectionis, s. simul colligere cũ primo genere omnes differẽtias vsq; ad vltimã conuenientes diffinibili relictis oppositis, sic homo est substãtia corporea animata sensitiua rationalis. Ex his patet q̃ secundùm Philos. via venãdi quod quid est, est diuisiua & collectiua, quam appellat Com. cõpositionis viã: sed diuersimodẽ, nam via diuisiua est inchoatiua, via aũt collectiua siue via cõpositiõis, est, quę perficit, format & cõplet qd̃ quid est.

Sed dices, si Phil. vtitur vtraq; via, quare Com. nominat solùm viam cõpositionis quam attribuit Philosopho in Poste.

Ad hoc dico quòd Philo. non vtitur via diuisiua, nisi quia præcedit & ordinatur ad viam compositionis, vt patet in 2. Post. in tex. 19. vbi postquàm dixit quòd diuisiones quæ sunt secũdùm differẽtias sunt vtiles in his, subdit quomodo sunt vtiles dicens, Vtiles aũt sunt vtique sic solùm ad colligendũ quod quid est. Patet ergo quòd ordinat diuisionem ad collectionem per quam, vt dictũ est, cõpletur quod quid est. Vbi autẽ sunt duo & primũ propter secundũ, videtur esse solùm vnum. Quia ergo diuisio non quæritur nisi propter compositionem, ideo Com. de mente Phil, non nominauit nisi compositionis viam. Patet etiam ex his falsam esse respõsionem Ianduni quam dat præposito dubio in primo de Anima, q. 7. Arbitratur enim quòd quãdo Commen. dicit viam Arist. esse viam compositionis, per ly Viam compositionis intelligat viam compositam ex diuisione & demõstratione, quod est alienum à mente Philosophi, vt tibi manifestum erit, si leges in 2. Poster. text. 18. vsque ad text. 22. Illic enim innuit quòd accipit diuisionem differẽtiarum, & compositionem pro collectione differentiarum conuenientium diffinibili relictis oppositis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num vniuersale nihil sit, aut posterius singularibus.

Animal autem vniuersale, aut nihil est, aut posterius. tex. 8.

IN hac quæst. aduerte q̃ difficultas eius pẽdet ex multiplici & varia Expositorum sententia: nam Com. exponit vno modo, & Egid. alio, & B. Tho. alio, & Iandun. alio, & omnes quidem rationabiliter præter Iandu. vt videbis, ideo solam eius opinionem relinquemus, & soluemus rationes suas.

Quantùm ad mentem Com. aduerte quòd in 1. de Anima com. 8. ibi, Demonstratur per hoc quòd ipse non opinatur, quòd diffinitiones generum & specierum sint diffinitiones rerum vniuersalium existentium extra animã, sed sunt diffinitiones rerum particularium extra intellectum, sed intellectus est, qui agit in eis vniuersalitatem, quasi dicat, Et nõ attribuitur esse diffinitionũ speciebus & generibus, ita quòd illæ res vniuersales sint existentes extra intellectum, vnum enim vniuersale, aut nihil est omninò, aut esse eius est posterius ab esse rerum sensibilium, si est aliquid vniuersale ens per se, & dicit hoc, quia apparet hic quòd diffinitiones sunt de istis rebus sensibilibus existentibus extra intellectum, & tunc aut non sunt res vniuersales existentes per se vt Plato dicebat, aut si sunt, esse earum non est necessarium in intelligendo substantias rerum sensibilium, quasi diceret, quòd rõ curat in hoc loco quomodocunq; fit, cùm apparet quòd istæ diffinitiones nõ sunt nisi in rebus particularibus existẽtibus extra animam secundùm quòd apparet, hinc est quòd aut nõ sunt omninò, aut si sunt postremum sunt, i. sunt posteriores à rebus sensibilibus, quoniam si præcederent eas ita quòd essent causæ earum non possemus intelligere substantias rerum sensibilium nisi postquàm habuissemus fidem sui esse, sicut est dispositio de aliis causis rerum existentibus in eis, scilicet forma & materia. Hæc Commentator.

Et intẽdit exponere dictum Philosophi hoc modo, Illud viuum, id est animal Platonicum, quod ponitur separatum, aut nihil est, quasi dicat, Est chimæricum. Aut si est, est posterius quò ad intellectionem, id est, est posterius intellectum quàm singularia sensibilia. Quod probat Comment. cùm dicit, Quoniam si præcederẽt, &c. & intendit hanc rationem, Si vniuersale Platonicum esset de quidditate rerum sensibilium existentium extra intellectum, sicut forma vel materia, non possemus eas cognoscere ignorato vniuersali Platonico. Hoc autem est falsum, cognoscimus enim vt apparet, Sortem & Platonem sine illo vniuersali, ergo vel nihil est, vel est posterius notum suis singularibus. Aduerte igitur quòd ly Posterius secundùm Commen. non refertur ad esse reale illius vniuersalis, sed ad esse cognitum. Vnde dicit, quòd Philosophus non curat in hoc loco quomodocunque fit, dummodò concludat quòd siue habeat esse prius, siue posterius, tamen est posterius notum suis singularibus.

Sed in expositione Commẽ. suprà recitata, sunt duæ propositiones dubiæ, quas necesse est bene considerare, vt earum veritas appareat.

Prima est hæc, Diffinitiones generum & specierum non sunt diffinitiones vniuersalium existentium extra animam, sed sunt diffinitiones particularium extra intellectum. Hæc Commentator, sed hoc videtur repugnare Philosopho in 7. Metaphys. tex. 35. vbi vult quòd diffinitiones dentur de vniuersalibus & non singularibus. Vnde inquit, Singulare non est diffinibile, sed sensu attingibile.

Ad hoc dicitur quòd singulare siue particulare, dupliciter potest cognosci. Primo, modo particulari & singulari, id est, vt est coniunctum conditionibus indiuiduantibus, & sic de eo non est diffinitio, sed cognitio per sensum. Secundo modo, vniuersali. id est, in quantùm consideratur sine conditionibus indiuiduantibus & vt sic actione intellectus fit vniuersale & vniuersaliter concipitur, & hoc modo de particulari secundùm esse quod est vniuersale secundùm conceptum datur diffinitio, & sic intellexit Commentator vt patet consideranti illud commentum, & hoc dixit ad destruendum sensum Platonis, qui ponebat non solùm particulare habere esse extra intellectum, sed & vniuersale per se existens extra singularia.

Secunda est hæc, Sed intellectus est qui agit vniuersalitatem in eis: hoc videtur falsum, nã vniuersalitas, vt declaratũ est 6. Meta. in q. nostris & in Trac. de Transcẽdentibus, est pura ens rationis. Tale autẽ ens à nullo fit, quoniã omne habẽs causam efficientem est ens reale, vt declarauimus in eodem loco de mente Heruæi in Quoli. 3. in q. 1.

Ad hoc dicitur quòd contingit aliquid fieri ab intellectu dupliciter. Primò per se, & primò, eò quòd ad ipsum terminatur actus intellectus, & hoc modo nõ fit ab intellectu vniuersalitas, sed potiùs conceptus & habitus sciẽtiæ. Hæc autem sunt entia realia, quia sunt in prædicamento qualitatis, & sunt subiectiuè & non obiectiuè in intellectu. Quid autẽ sit esse obiectiuè & subiectiuè in intellectu, iã declarauimus in Trac. de Transcendentibus. Secundò fit aliquid ab intellectu secundariò & consequenter, sicut qui per se facit album consequẽter facit simile, & hoc modo dicitur intellectus facere vniuersalitatem: nam ex hoc quòd format conceptum de homine sine conditionibus indiuiduantibus, cõsequitur quædam vniuersalitas prædicandi de pluribus, vnde in rei veritate magis congruum esset dicere vniuersalitatem consequi actum intellectus, quàm fieri ab intellectu, quoniam fieri propriè est solius entis realis.

Quantùm ad mentem Egidij aduerte q̃ sensus suus stat in hoc, Supponitur ex 7. Phy. quòd animal genus non dicat vnã naturam, species autem specialissima quãtùm sit ex se dicit vnam naturam, nec plurificatur per differentias, aut gradus formales, sicut plurificatur genus in speciebus, sed solùm in indiuiduis per materiam, vt determinauimus in 11. Metaph. in Quæst. nostris. licet autẽ genus nõ dicat vnã naturã: dicit tamen vnũ cõceptum formatũ ab intellectu abstractũ à singularibus, & tũc sic exponit dictũ Phil. Animal vniuersale, i. vt est genus, aut nihil est, i. in re quantùm ad fundamentũ cũ non dicat vnam naturã: aut posterius est, s. singularibus, quãtùm ad conceptum genericum cùm sit abstractum à singularibus per actionem intellectus.

Sed aduerte q̃ hæc expositio videtur diminuta. Nam licet declaret sensum Philosophi quantùm ad vniuersale genericum, non tamen quo ad vniuersale specificum, quod secundum le dicit vnam naturam. Cùm ergo Philoso. loquatur de quolibet vniuersali, vt patet cùm dicit in verbis vltimis illius text. Et si aliquod commune aliud prędicetur, debuit Egidius declarare vniuersaliter, si vniuersale nihil est, aut posterius suis singularibus.

Quantùm ad mentem B. Tho. aduerte q̃ exponens dictum tex. loquitur de vniuersali tam generico quàm specifico, & intendit hãc distinctionẽ. Vniuersale sumitur dupliciter. Primò pro natura, vt res est, putà id quod est animal. id quod est homo. Secũdò pro natura vt subiecta intẽtioni vniuersalitatis, putà animal, vt genus, homo, vt species. Quando dicit Philoso. Animal, & sic quodlibet aliud cõmune aut nihil est aut posterius, si sumatur secundo modo constat quòd est posterius, quia illa intentio vniuersalitatis est collecta ex singularibus, & in hoc omnes Peripatetici cõueniunt: si autem sumatur 1. modo dicit B. Tho. quòd est aliquid, & est prius. Tu tamen nõ intelligas quòd sit prius & aliquid separatim existens extra singularia. Hoc enim esset Platoni. Sed dicitur esse aliquid & prius, licet sit in suis singularibus, sicut potẽtiale est prius actuali. Vel vt alij declarant, Sicut illud dicitur esse prius, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, vt duo sunt priora tribus. Sic dicitur animal esse prius homine, & homo Socrate. Nam bene sequitur, Homo est, ergo animal est. Sed non econuersò. Item Sortes est, ergo homo est, non tamen econuersò.

Quãtùm ad mentẽ Iand. aduerte q̃ errauit, eò q̃ tenet in 1. de Anima, q. 8. formã genericã distingui realiter à specifica. Multiplicat enim formas incõposito sicut multiplicantur prædicata quidditatiua, cuius imaginationẽ reprobauim' in 1. Meta. & in 8. in q. nostris. Pro expositione autẽ huius dicti, Animal vniuersale aut nihil est, aut posterius, sic distinguit. Vniuersale dupliciter sumitur. Primò pro intẽtione vniuersalitatis quod est esse prædicabile de pluribus. Secũdò pro re siue quidditate quæ denominatur vniuersalis ex tali intẽtione. Iterum res vel ipsa quidditas est duplex. Quædã est reperibilis in pluribus differẽtibus specie, & hæc est quidditas generica. Quæd ãm est reperibilis in pluribus differentibus solo numero & hæc est quidditas specifica. Post distinctionem dicit tria. Primò quòd vniuersale pro intẽtione est posterius singularibus. Secũdò q̃ vniuersale pro re quæ denominatur genus est prius realiter ipsis speciebus quãtùm ad formam genericam. Tertiò quòd vniuersale pro re quæ denominatur species specialissima, non est priùs essentialiter ipsis essentiis suorum indiuiduorum.

Et aduerte quòd ex his tribus habes concedere primum, nam intentio vniuersalitatis caufata est & collecta ex singularibus, vt dictum est de mente B. Tho. exponentis tex. 8. Philosophi. Item habes concedere tertium, quoniam forma specifica & forma indiuidualis non distinguuntur realiter: hæc enim est in primo modo per se, Sortes est homo, vnde apud Boẽtium in lib. Diuisionum, species est totum esse, id est tota essentia indiuiduorum. Debes autem negare secundum, quoniam in via nostra non distinguuntur realiter forma, à qua sumitur genus, & forma, à qua sumitur species, nam ab eadem anima Sortes habet quod sit animal, quia sensitiua, & ab eadem quòd sit homo, quia intellectiua: & id totum iam resoluimus in 7. Metaphy. in quæst. nostris vbi defendimus vnitatem formæ in composito. Et quoniam Iandunus in 1. de Anima, in q. 8. conatur probare hoc secũdum dictum ex eò quòd tenet distinctionem realem inter formam genericam, & fomam specificam, ideo volo soluere rationes suas, quæ sunt tres.

Prima est, Forma, qua mediante materia prima recipit formas specificas vsque ad indiuiduales, distinguitur realiter à formis specificis, quia nihil est medium respectu sui ipsius, sed forma generica est qua mediante materia, &c. nã dicit Com. in 1. Metaph. com. 17. quòd materia prima prius recipit formas generales, & mediantibus illis formas specificas vsque ad indiuiduales, ergo, &c.

Ad hoc respondet Gregor. in 2. distin. 16. quæst 2. artic. 1. ad quartum, contra primam conclusionem, & dicit conformiter viæ Thomisticæ, quòd dictum Commen. non debet intelligi ita quòd materia prius recipiat formam genericam, & deinde specificam, & simul stent in materia, sed successiuè: puta quòd materia actuanda forma hominis, prius recipiat vegetatiuam, quam vocat generalem, quia vniuersalior est, deinde sensitiuam corrupta vegetatiua, & hanc vocaret minus generalem, quia minus vniuersalis est, deinde intellectiuam corrupta sensitiua, & hanc vocat specificam, ex hoc tamen non habetur quòd sensitiua existens in homine distinguatur realiter ab intellectiua, quoniam eadem forma dat homini esse sensitiuum & intellectiuum. Vnde aliud est dicere q̃ sint distinctæ formæ, & q̃ vnãmet forma æquipolleat distinctis formis. Primum enim fuit error Ianduni, secundum autem admitritur in via nostra, & omnium, qui tenent vnicam formam in composito. Ad argumentum ergo nego maiorem. Ad probationem dico, quòd licet idem respectu eiusdem gradus essendi non sit medium suiipsius, tamen non inconuenit respectu diuersi gradus: nam calor, vt duo receptus in aqua est medium quòd recipiatur vt quatuor, non enim recipitur vt quatuor, nisi mediante ipso, vt duo, sic dico in proposito de forma, quæ dat multos gradus essendi.

Secunda est, Forma generica est potentialis respectu formæ specificæ, ergo distinguuntur realiter: consequentia nota. Antecedens probatur ex 7. Metaph. tex. 41. ex quo habetur quòd genus est potentia & differentia est forma, ergo forma generica est potentialis respectu formæ specificæ.

Ad hoc dicitur, quòd Aristotel. vt exponit B. Thom. intendit genus esse potentiam non quidem realiter, sed conceptibiliter, quoniam conceptus genericus comparatur ad specificum, vt materiale ad formale, ex consequenti vt potentiale ad actum, ex hoc tamen non sequitur quòd forma generis sit realiter distincta à forma specifica, sicut non sequitur genus esse materiam, licet habeat modum materiæ ex 8. Metaphysi. tex. 6.

Tertia est, Aliquod accidens conuenit homini secundùm formam specificam quod non conuenit ei secundùm formam genericam, nam homo inquantum homo est risibilis, & tamen non est risibilis inquantùm animal, aliter omne animal esset risibile, ergo non est eadem forma qua homo est homo, & qua homo est animal.

Ad hoc negatur assumptum, quoniam cùm teneamus vnicam formam in homine, per illam formam insunt homini omnia accidentia conuenientia homini. Ad probationem concesso antecedente nego consequentiam; nam ad verificandum illam consequentiam sufficit hanc disiunctiuam esse veram, Ergo non est eadem forma, vel non dat tantum esse hominem, sed esse animal & esse corpus, & secunda pars est vera, & ideo inquantùm forma dat esse hominem conuenit homini aliquod accidens inquantùm est homo,

& inquantùm dat esse animal cõuenit homini aliquod accidens nõ inquantùm est homo, sed inquantùm animal, & hoc accidens est mouere seipsum localiter modo quo determinabimus in lib. 3. Si autẽ daret tãtùm vnum esse, argumentum suum concluderet, verum quia forma hominis vna existens æquipollet distinctis dantibus distincta esse, ideo nihil cõcludit. Nam ad reduplicatiuã verificandam necesse est reduplicare sub eadem ratione formali, & quoniam anima hominis non eadem ratione dat homini esse hominem quadat esse animal, vt dictum est, ideo stat quòd homo risibilis inquantùm homo, & non inquãtùm animal. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Num accidentia conferant ad cognoscendum quod quid est rei substantiam, siue quidditatem.

Sed econuersò, accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. tex. 11.

Propriorum accidentiũ notitia quã maximè vtilis est ad diffinitiuã, & discursiuã cognitionẽ habendã de substantia.

IN hac quæst. aduerte q̃ non est necesse distinguere accidens in cõmune & proprium, vt sciamus quæ cõferunt & quæ non. Constat enim quòd Phil. intendit de propriis, vnde exemplificat de recto & obliquo, quæ sunt propria lineæ & Com. in com. 11. inquit, & non præparatur nobis cognitio substantiæ per cognitionem accidentium, nisi cum sciuerimus accidentia propinqua essentialia, i. quæ cõsequuntur essentiam vel quæ fluunt ab essentia, qualia sunt accidẽtia propria, & ratio quidem huius est, quoniam cùm accidens commune sit indifferens, vt insit multis & distinctis naturis non potest nos ducere in cognitionem determinatam vnius naturæ. Ex opposito autem, quoniã accidens proprium consequitur tantùm vnã naturam, ideo potest cõferre ad cognoscendum illam naturam, ad quam consequitur.

Insistendum est ergo circa accidentia propria, de quibus duo inuestiganda sunt. Primò si conferunt. Secundò de modo quo conferunt.

Quantùm ad primum præpono duas distinctiones, deinde conclusiones responsiuas ad quæsitum cùm probationibus suis.

Prima distinctio, Noticia est duplex, diffinitiua & discursiua, diffinitiuam voco simplicem apprehensionem qua apprehenditur rei natura quid sit. Discursiua est quæ habetur per ratiocinationẽ, qua probatur & concluditur aliquid de substãtia absolutè vel in specie, putà q̃ existit, q̃ est corruptibilis, vel incorruptibilis, q̃ est materialis vel immaterialis.

Secunda distinctio, Substãtia potest cõsiderari dupliciter. Primò absolutè. secũdò descendẽdo in genere, putà substãtia naturalis, substantia naturalis corruptibilis, & naturalis incorruptibilis, vt cœlũ: & substantia separata, & substantia separabilis à materia, vt anima intellectiua.

Ex his distinctionib' ponũtur duæ cõclusiones respõsiuæ.

Prima est, Accidentia propria multùm nobis cõferunt ad cognitionẽ diffinitiuam substãtiæ. Probatur, quia cùm differẽtiæ essentiales quasi pro maiori parte sint nobis incognitæ, vtimur in diffinitionibus ex doctrina Philo. in 7. & in 8. Metaph. propriis accidentibus loco differentiarũ. Vnde per calorem in summo notificamus ignẽ, per par & impar & alias proprietates notificamus species numerorum, & in naturalibus per virtutes proprias & proprios effectus notificamus naturam vegetabilium & mineralium & animalium. Præterea, propria accidentia, vt declarauimus in 4. Metaph. in q. nostris, sunt vt effectus causati à natura rei in genere causæ non solum subiectiuæ & materialis, sed etiam efficientis saltem permodum naturalis sequelæ. Sed omnis proprius effectus disponit intellectum nostrum ad noticiam suæ causæ, qua scimus naturam ipsius, ergo, &c. Præterea, ex motu circulari, vt patet in primo de Cœlo notificatur nobis natura cœli, quomodo est quintum corpus simplex, &c.

Secunda conclusio, Accidentia propria multùm cõferunt ad noticiam discursiuam substantiæ, & absolutè, & in specie. Absolutè quidem, quoniam ex inexistentia accidentium concludimus existentiam per se substantiæ: nam cùm videam calorem & lucem & grauitatem esse, necesse est vt sit aliquod subiectum cui insint, quoniam cùm sint accidentia eorum esse est inesse, illud autem subiectum constat esse substantiam. In specie autem patet quòd per motum & transmutationem concludimus materiam primam esse ex 1. Phy. & 8. Metaphy. per motum sphæricum proprium cœlo concludimus cœlum esse incorruptibile, non compositum ex elementis ex 1. Cœli. Per combinationes compossibiles quatuor primarum qualitatum, concludimus quatuor esse elementa ex 2. de Generatione. Per motum æternum concludimus existentiam primi motoris, & quòd est actus, & quòd est fine materia, & quòd est vnus ex 12. Metaphys. Ex operatione intellectus non organica concludemus in libr. 3. de Anima quòd est separabilis. Ex his ergo patet quòd accidentia propria non solùm conferunt ad noticiam diffinitiuam & discursiuam habendam de substantia, sed ita inchoant nobis viam ad Philosophiam, quòd fine eis vanum esset omne studium nostrum, quoniam nostra cognitio incipit à sensu, sensus autem est apprehensiuus accidentium, & per accidentia vt per primos nuncios paratur nobis via ad noticiam substantiæ.

Quantùm ad secundum aduerte hic varias opiniones: nã quidam arbitrãtur quòd primò cognoscamus accidens per propriam speciem accidentis, deinde per eandem speciem cognoscamus substantiam, ita quòd non cognoscimus substantiam per propriam speciẽ substantiæ, sed per solam speciem accidentis. Quidam autem arbitrantur quòd per speciem substantiæ abstractam à phantasmate accidẽtis cognoscamus prius substantiam, sed confusè, deinde per speciem accidentis cognoscamus accidens, & has opiniones iam pertractauimus in 7 Metaph. q. 3. & illic declaratum inueniet quam viam debeas sequi, vt Thomista.

Quantùm autem ad imaginationem Ianduni in 1. de Anima, q. 10. aduerte quòd imaginatur accidens hoc modo conferre ad noticiam substantiæ, sicut materia non recipit formam substantialem nisi prius disponatur per formas accidentales, quæ sunt dispositiones pro forma introducenda, sic intellectus possibilis cùm sit ens in pura potentia ingenere intelligibilium, vt declarabitur in 3. li. non recipit speciem intelligibilem substantiæ nisi prius recipiat speciem accidentis per quam disponatur ad recipiendum speciem substantiæ & per quam intelligat substantiam, ita tamen q̃ priùs intelligit accidens per speciem intelligibilem accidentis, quàm substantiam per speciem intelligibilem substantiæ: & hunc modum nonaliter probat, sed dicit quòd concordat naturæ rei, vt declaratur similitudine sumpta inter materiam primam & intellectum possibilem.

Sed hic sensus videtur contradicere Philosopho in 7. Metaph. tex. 4. Dicit enim substantiam omnium primã notitia, ratione, & tempore, si ergo est prior noticia quàm accidens primum cognicum absolutè, siue confusè, siue distinctè, non est accidens, sed substantia.

Huic instantiæ respondens Iand. in eadem quæst. in respõsione ad vltimum factum ad oppositum & est sua vltima responsio, dicit quòd ipsum accidens priùs cognoscitur quàm substantia simplici cognitione, sic intelligendo quòd cognitio accidentis prior est in intellectu via generationis, quàm cognitio substantiæ, tamen verum est quòd cognitio substantiæ prior est via perfectionis & dignitatis & principalitatis, sicut & substantia est prius ens principalitate & nobilitate quàm accidens & ad illam intentionem loquebatur Arist. in 7. Metaph. tex. præallegato. Hæc Ianduuus.

Sed illa expositio non est ad mentem Philosophi: nam dicit Commen. in com. 4. quòd Philosophus dat modos quibus substantia præcedit alia entia. Constat autem quòd ly Præcedit si propriè sumatur dicit prioritatem naturæ, aut temporis. Præterea, Philosophus in eodem text. dicit substantiam esse priorem ratione, eò quòd non potest diffiniri accidens sine substantia, sed benè econuersò. Cùm ergo ibi loquamur principaliter de cognitione diffinitiua, quando dicit Philos. quòd accidentia, multùm conferunt ad cognoscẽdum naturam rei, sequitur quòd substantia sit prior quòd ad conceptum quàm accidens, & sic priùs nota, nõ modo prioritate perfectionis, sed etiam naturæ aut temporis.

Similitudo autem data à Ianduno inter materiam primam & intellectum possibilem, non habet aliquam euidentiam nec necessitatem, cùm non sint eiusdem generis, nec est necesse eodem ordine disponi intellectum possibilem quo disponitur materia: nam intellectus hoc ordine sufficienter disponitur. Primò quòd phantasia recipiat à sensu exteriori phantasma accidentis. Secundò quòd intellectus agens illustrationem phantasmatis extrahat speciem intelligibilem substantiæ ex phantasmate accidentis. Tertiò quòd intellectus possibilis actuetur tali specie, qua actuatus est sufficienter dispositus ad intelligendam substantiam, conceptu saltem confuso antequàm intelligat accidens confusè, nec distinctè, vt declarauimus in 7. Metaphy. in quæst. 3. Et pro habendo conceptu confuso de substantia non conferunt accidentia propria, sed pro habendo conceptu distincto, vt declaratum est in eodem loco.

Cogni-

cognitio enim propriorum accidentium subsequitur cognitionem confusam substantiæ, & antecedit cognitionem distinctam. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. IX.

Num intelligere sit propria operatio animæ, an coniuncti.

Maxime autem æstimãtur proprio intelligere. vsque ibi, Sine corpore esse, tex. 12.

IN hac quæst. aduerte quòd ibi incipit varietas exponendi textum Philosophi de anima intellectiua. Nam Auerroes & sequentes eum supponũt animam intellectiuam non esse vnitam corpori vt formam dantem esse, sed vt principium operandi modo quo dicemus in libr. 3. de mente Com. & q̃ intellectus agens sit substantia separata intelligens se intellectione æterna, quæ non pendet ab organo, nec à Phantasmate, vt ab obiecto, sicut nec intellectio intelligentiæ, qua seipsam intelligit. Sed B. Tho. & Egid. & Sco. & Grego. tenent animam esse verè formam dantem esse homini; & intellectum agentem esse potentiam intrinsecam animæ, participantem species intelligibiles intellectui possibili, vt per eas fiat intellectio, quæ non producitur ab intellectu agente, sed possibili, & de his omnibus loquemur in 3. libr. pro nunc autem sufficit proponere.

Igitur dimissa pro nunc imaginatione Com. & sequentium eum, quærendum est si animæ coniunctæ, quam supponimus formam dantem esse, est aliqua propria operatio. Ad huius igitur euidentiam, primò declarandum est quid importat propria operatio & communis operatio. Secundò ponetur distinctio. Tertio resoluetur propositum.

Quantùm ad primum aduerte quòd ly Propria, excludit communicationem alterius operantis, vel cooperantis, vt propria operatio calidi est calefacere, quia solùm calidum calefacit, & nullum nõ calidum calefacit, communis autem est per oppositum, quia scilicet includit communicationem alterius operãtis, sicut dum Sortes & Plato trahunt nauem, tractus ille non est operatio propria vnius, sed communis duorum. Ad propositum dico quòd si aliud distinctum ab anima concurrit ad intelligere, vt cooperans animæ, putà quòd anima communicet corpori in hac operatione, non erit propria animæ, sed communis corpori & animæ, si autem non concurrit, erit propria.

Quantùm ad secundum aduerte quòd aliquid distinctũ ab anima, potest concurrere ad intelligere dupliciter. Primò vt organum, sicut oculus concurrit ad visionem. Secundò vt obiectum, sicut sonus ad auditionem. Si cõcurrit primo modo, anima communicabit corpori intelligere, si cõcurrit secundo modo, anima non cõmunicabit corpori, Sed cõmunicabit ei quod cõmunicat corpori. Pro quo aduerte, vt benè dicit Alber. in 1. de Anima Trac. 1. c. 6. aliud est communicare corpori in actione, vel passione animæ & aliud cõmunicare ei, quod cõmunicat corpori, communicat enim anima corpori in actione vel passione quæ nõ expletur nisi organo corporali per virtutem affixam organo, sicut ambulatio vel visio, quæ fiunt motu vel passione corporis, & per virtutes affixas ipsis membris, quorum vnum, s. tibia explet motu operationem suam, alterum, s. oculus explet passione, i. receptione coloris operationem suã. Communicare autem ei quod cõmunicat corpori est q̃ licet aliqua operatio nõ fiat sine motu vel passione alicuius partis corporis, tamẽ expletur sine alia operatione quæ fit motu vel passione alicuius partis corporis, sicut est intelligere sensibilia & mathematica. Nam licet, vt declarabitur in 3. lib. intelligere nõ expleatur motu vel passione alicuius membri corporalis, tamẽ nõ fit sine acceptione formæ sensibilis & imaginabilis per phãtasiam, quæ cõmunicat corpori ex eo quòd operatio sua non expletur sine motu & passione mẽbri corporalis, quod est organum phantasiæ. Oportet enim formas imaginationis & phantasiæ fieri per motum à sensu in spiritu animali deferente formas huiusmodi, & easdẽ recipi oportet in parte cerebri, in qua complantatum est organum phantasiæ. Patet igitur q̃ aliud est animã in operatione cõmunicare corpori, hoc enim est operari per instrumentũ corporale, & cõmunicare ei quod cõmunicat corpori, hoc enim est sine instrumento operari, sed requiritur obiectum receptum in potentia organica. Et ex his elicio tria. Primum, Possibile est q̃ substantia incorporea existens in corpore vt actus corporis cõmunicet corpori in operatione sua. Secundũ Possibile est vt nõ cõmunicet corpori, sed cõmunicet ei quẽ communicat corpori. Tertium possibile est vt neutro modo cõmunicet, sed habeat operationes suas sine nulla depẽdentia ad corpus & hoc inquirere de anima intellectiua necesse est vt sciamus si est separata in operãdo vel non, & hæc quæst. est quàm maximè desiderant homines scire de anima.

Quantùm ad tertium, vt pro nunc superficialiter determinetur quæsitum (nam vltimatam determinationem faciemus in 3. li.) ponuntur duæ cõclusiones, quas cõcedunt omnes Expositores Philosophi, siue ponant animam intellectiuam esse verè formam corporis, siue non.

Prima conclusio, Anima non communicat corpori vt instrumento in ipso intelligere: probatur, Anima intelligit per intellectum possibilem, qui non est organo affixus per Aristotelem in 1. de Anima tex. 5. ergo, &c. Et pro nunc nolo aliam probationem ad ducere, donec pertractemus in libr. 3. de natura intellectus possibilis, & agentis, & de incorruptibilitate animæ intellectiuæ.

Secunda conclusio, Anima communicat corpori, vt obiecto, in ipso intelligere. Ratio huius est quoniam determinabitur in lib. 3. quòd necesse est phantasiam præparare phantasmata ipsi animæ coniunctæ, vt intelligat. Non enim sine phantasmate intelligit, vt dicet in lib. 3. phantasmata autem comparantur ad intellectum vt colores ad visum, ex consequenti vt obiectũ, quod quomodo sit verum, cum phãtasma sit singulare, & obiectum intellectus sit vniuersale, declarabitur in 3. lib. cùm agemus de obiecto intellectus.

Ad propositam ergo quæst. dico pro nunc quòd intellegere est propria operatio animæ: nam ex dictis patet q̃ ad hoc quòd sit cõmunis animæ & corpori, est necesse quòd corpus concurrat vt instrumentum operans, propterea vegetare & sentire non sunt propria opera animæ: organa enim simul cum potentiis quibus sunt alligatæ cõcurrunt, & propterea dicuntur opera coniuncti. Ex hoc autem quòd corpus fiat corporeum concurrit, vt obiectum, s. phantasma non impedicur quin intelligere sit propria operatio animæ, nam si ex obiecto corporeo concurrente deberet dici actio communis, visio diceretur communis calori & oculo, similiter volitio non esset operatio propria voluntatis, cùm ad ipsam concurrat obiectum volitum.

Tu tamẽ aduerte, quòd vt dicit Alber. in 1. de Anima, Trac. 1. c. 6. sunt quidem homines idiotæ & depressi ingenij nõ discernentes vniuersale à particulari, sed prosequuntur rationem vniuersalis in particulari permixtam, ita quòd quicquid cognoscunt, cognoscunt in singulari, & horum intelligere potius est phantasiare, vel cogitare, ex consequenti non habent operationem propriam animæ. Aliqui autem accipiũt vniuersale distinctum à particulari, quod est in phantasia, & horum intelligere licet non sit sine phantasia, tamen non est phantasiare, sed cognitio eleuata supra totum ambitum cognitionis sensitiuæ, & istorum intelligere est operatio per se ipsius animæ, & ex eo in li. 4. pertractabimus de incorruptibilitate animæ humanæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Num possit saluari modus arguendi à destructione antecedentis ad destructionem consequentis: quem videtur facere Philosophus in text. 13.

Si quod igitur animæ operum, aut passionum proprium: vsque ibi, Separabilis. tex. tex. 13.

In cõuertibilibus posset argui à destructione antecedentis ad destructionẽ cõsequẽtis, tamen fortè Philo. nõ vsus fuit hic tali modo, sed modo arguendi in causis præcisis.

IN hac quæst. aduerte q̃ modus arguendi, quem facit Phil. in præsenti tex. talis est, Si anima habet operationem propriam, est separabilis à corpore, ergo si non habet operationem propriam non est separabilis à corpore. Constat autem quòd hic modus à destructione antecedentis ad destructionem cõsequentis, qui reprobatur generaliter, quoniã in eo cõmittitur fallacia consequentis. Præterea si valeret, liceret arguere ab inferiori ad superius in linea prædicamẽtali à destructione, &c. vt hic, Si tu es homo, tu es animal, ergo si non es homo, nõ es animal. Patet autẽ quòd non sequitur, quoniã demonstrato asino, verum est dicere quòd nõ est homo, & tamen falsum est quòd non sit animal.

Pro sustentatione huiusmodi positi à Philo. inuenio quatuor modos dicendi: primus est Thæmistij, vt innuit Com. in hoc primo lib. in com. 13. vbi sic habes, Et est manifestum, sicut dicit Thæmistius, quòd propositiones hypotheticæ continuatiuæ in quibus est consequens possibile esse cum antecedente, necesse est semper vt destruamus antecedens & cõcludamus oppositum consequentis: ecõtrariò dispositioni propositionũ quarũ cõsequens sequitur antecedens necessariò, & ideo nullũ impossibile cõtingit Aris. inquãtũ destruit antecedens. V. g. Si hoc vi fibile est animal, possibile est vt sit homo. Sed nõ est animal, ergo impossibile est vt sit homo. Hęc Com. & intẽdit q̃ cõditionales sunt in duplici differẽtia, in quibusdã antecedẽs est de inesse, & cõsequens de possibili, vt in exemplo

exemplo dato in quibusdam antecedens & consequens fuerit de inesse, vt si tu es homo tu es animal: si curris moueris in prima dispositione licet arguere à destructione antecedētis, &c. In secunda non licet. Arist. autem arguit in prima dispositione. Sic enim inquit secundū tex. cōmenti, si aliqua actionum aut passionū animæ, sit propria sibi, possibile est vt sit abstracta, & si nihil est ei proprium, impossibile est vt sit abstracta: & ideo nulla cōmittitur fallacia, secus autem esset si argueret in dispositione secunda. Vnde regula de nō arguere à destructione antecedentis, tenenda est concludere vniuersaliter in secunda dispositione.

Sed nec in prima dispositione videtur vniuersaliter vera, vt patet in hac, Si tu curris, possibile est te moueri, & tamen nō sequitur. Sed non curris, ergo impossibile est te moueri, stat enim quòd non curras, & tamen potes moueri.

Respondetur, Themistius intēdit quādo cōsequens nō de necessitate sed possibiliter sequitur ad antecedens sicut ibi, Si tu es animal, licet nō necessariò, tamen possibile; est q̄ sis homo, si autē sequit necessariò nō licet arguere. sicut in exēplo datorum ad currere sequitur necessariò q̄ potes moueri, & de facto moueris, & hoc semper contingit quando in antecedente ponitur superius cum propositione de inesse & in consequente ponitur inferius cum propositione de possibili, vt exemplificatum est.

Secundus modus dicendi est Egidij in expositione tex. 13. & stat in hoc, Quādo conditionalis est de terminis cōuertibilibus licet arguere à destructione antecedentis ad destructionem cōsequentis & econuersò. Quādo autem nō est de terminis cōuertibilibus, vt quādo in antecedēte ponitur inferius & in consequente suum superius non licet. Cōditionalis verò Philosophi est de terminis cōuertibilibus. Omne enim habens operationē propriā est separabile, i. potest separatim existere & ecōuersò, & ideo Philo. nō cōmittit fallaciam consequentis. Hæc responsio satis euidens est.

Tertius modus dicendi est vnius doctoris moderni qui tenet q̄ nō fuit intētio Philosophi arguere à destructione antecedentis ad destructionē cōsequentis. Sed arguere per regūlam datam in 1. Phys. Sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis vt hic, Si animal habet pulmonem, respirat. ergo si non habet pulmonem non respirat. Sic arguit hic Philos. nam sicut positio pulmonis est causa respirationis, & negatio eiusdē est causa nō respirationis, ita in proposito, positio operationis, ppriæ est causa animæ quòd possit separari, & negatio propriæ operationis est causa inseparabilitatis. Hæc responsio bona & resoluta est.

Quartus modus dicendi est quem innuit B. Tho. in expositione tex. 13. & intēdit q̄ Arist. in illo tex. non arguit à destructione, &c. nec per regūlam primi Poste. Sed intendit duas cōclusiones, vnam affirmatiuam, s. Si anima habet operationem propriam est separabilis, & aliam negatiuam, s. si nō habet operationem propriam non est separabilis: & ratio quidem primæ est, quia si habet operationem propriam habet operationem per se: si operationem per se, habet esse per se, quia vnumquodque operatur vt habet esse, vel eo modo quo est actu. Si habet esse per se, ergo est separabilis à corpore, i. potest separatim existere. Ratio autem secundæ est, quia si non habet operationem per se, ergo nec esse per se, ergo non est separabilis. Omnes isti modi dicendi rationabiles sunt, & sufficienter saluant rationem Philosophi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. Et aduerte quòd omnes istæ consequentiæ, Si habet operationem per se, habet esse per se, & si habet esse per se est separabilis, examinabuntur in lib. 3. quādo defendemus rationem B. Tho. de incorruptibilitate animæ ad mentem Philosopāi contra Scotum.

QVAESTIO XI.

Num Logicus diffiniat per materiam, Physicus autem per formam.

Diffinientes autem diffinient Physicus & Dialecticus. textu 16. Vel dicit Com. Naturales differunt à Disputatoribus modo diffiniendi: Disputatores enim dant diffinitiones secundùm formam, Naturales verò secundùm materiam.

Logicus diffinit per formam conceptā nomine generis & differentiæ, Physicus autem per materiā, quam exigit natura rei.

IN hac quæst. aduerte quòd magna est difficultas scire quis fuerit sensus Philosophi in præposito text. & Com. & B. Tho. & Egidij. Omnes enim transeunt nec aliter declarant. Constat autem quod dictum Philosophi & Com. primo aspectu videtur esse falsum. Nam & Dialecticus diffinit per materiam, vt quando diffinit syllogismum per propositiones quæ sunt materia sua, & demōstrationem in 1. Poste. cùm dicit, quòd est ex primis, veris, immediatis, &c. Patet etiam quòd Physicus diffinit multa sine materia, vt naturam, motum, locum, tempus, &c. Vt ergo scias sensum Philosophi dicemus tria quantùm ad Logicum, & tria quantùm ad Physicum.

Quantùm ad Logicum, primò præponitur vna distinctio. Secundò duplex conclusio. Tertiò soluentur quædam dubia.

Distinctio sit hæc, Forma dicitur dupliciter. Primò de forma partis, quæ est pars compositi. Secundò de eo quod est idem essentialiter cum diffinito, & prædicatur de illo in recto, & est prius ac notius eo, vel secundùm aliquos est commune omni distinctioni, vt stat sub tali intentione: in primo sensu anima est forma, cùm sit pars rei animatæ, in secundo sensu, genus & differentia sunt forma, quoniam prædicantur de diffinito in recto & sunt idem essentialiter cum eo, & sunt priora ac notiora, quoniam diffinitio datur per priora & notiora, aliter non notificarent naturam diffiniti, & sunt communia omni diffinitioni. O mnis enim diffinitio constat ex genere & differentia ex 7. Metaph.

Prima conclusio, Logicus non diffinit per formam primo modo sumptam. Probatur, Considerare formam, vt est pars compositi & actuans materiam est officium Philosophi Naturalis, vt patet in 1. Physic. & in 8. Metaphysic. ergo ad Logicum non pertinet cùm sint distinctæ scientiæ. Praterea, Quælibet pars diffinitionis logicæ prædicatur in recto de diffinito, cùm diffiniat per genus & differentiam quorum vtrunque prædicatur in recto de diffinito, sed forma primo modo sumpta cùm sit essentialis pars compositi non prædicatur in recto de diffinito, ergo Logicus non diffinit per eam, & in hac conclusione omnes conueniunt.

Secunda conclusio, Logicus diffinit per formam secundo modo sumptam. Probatur, Logicus diffinit per ea, quæ prædicantur in recto de diffinito, & sunt idem essentialiter cum eo, aliter non prædicarentur in recto de eo, & sunt notiora, aliter non manifestarent naturam diffiniti, & hæc sunt genus & differentia, vt patet in hac diffinitione, Homo est animal rationale, ergo, &c.

Sed hic sunt duo dubia. Primum vnde est quòd diffinitio data per genus & differentiam dicitur data per formam, & dicitur diffinitio logica.

Ad hoc dicit Iandunus quòd sic dicitur, quia consuetum est vocari, causa autem propter quam sic vocatur, non est multùm exquisita. Sed ego dicerem causam huius esse quia Logicus considerat quidditatem rei, præcisè vt stat sub genere & differentia, quorum vtrumque dicit totam quidditatem, licet sub diuerso conceptu, & non considerat talem quidditatem, vt habet tale esse, vel vt est in tali materia sensibili. Hæc enim consideratio est Physica, & quoniam quidditas rei vt quidditas habet rationem formæ ex 7. Metaphy. tex. 55. ideo diffinitio logica dicitur dari per formam. Quidditas autem considerata à Physico, consideratur contractè ad materiam & maximè quidditas rei naturalis, circa quam negociatur Physicus, & ideo vt declarabitur dicitur diffiniri per materiam.

Aliqui autem dicunt, q̄ diffinitio logica dicitur dari per formam, quia datur per communia, commune autē habetur tionem formæ, omnis enim forma ex se cōmunis est, & tutiorem responsionem quam volueris, quoniā vtraque probabilis est, & aduerte q̄ responsio secunda est fundata in Albert. in 1. de Ani. in Trac. 1. c. 7. vbi inquit, Dialect. ideo diffinit per formam, quia forma de se cōmunis est, & non appropriatur ad esse rei nisi per propriam materiam vniuscuiusque rei.

Secūdum dubium est, Si Logicus dicitur diffinire per formam, quia diffinit per genus & differentiam, ergo diffinitio Metaph. quæ etiam datur per genus & differentiā non distinguetur à diffinitione logica, qd̄ est falsum, vt patet, quoniam quelibet distincta scientia habet distinctum modū diffiniēdi.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam licet vtraque diffinitio sit per genus & differentiam, differenter tamen, quoniam sicut Logicus & Metaphysicus diuersa ratione cōsiderant diffinitionem, sic diuersa ratione considerant genus & differentiam. Cōsiderat enim Logicus diffinitionem inquātùm per ipsam, vt per instrumentū ducitur intellectus in noticiā quidditatis eius cuius est diffinitio, vnde Logicus dicit diffinitionem esse orationē indicantem, quid est esse rei, Metaphysicus autem considerat eam inquantùm est ipsa quidditas rei diffinitæ, quoniam apud ipsum diffinitio & diffinitum sunt idem siue quod quid est & id cuius est, vt probatur libr. 7. Metaphysicæ, & nos id determinauimus in Quæst. nostris, considerat autem & diffinit Logicus per genus & differentiam inquātùm ex his consticuitur diffinitio ducente intellectū in noticiam quidditatis rei. Diffinit autē Metaph. per genus & differentiam, vt dicunt quidditatem rei diffinitæ, ita quòd vtrunque dicit totam quidditatem, licet distinctè cōceptu, scilicet confuso & determinato, vt declarauimus in 7. Metaph. in Quæst. nostris.

Quantùm ad Physicum, vt scias quomodo diffinit per materiam dicemus tria. Primò distinguemus de materia. Secūdo applicabimus ad propositum. Tertiò soluemus argumentum factum in principio quæsiti.

Distinctio sit hæc, Materia sumitur dupliciter. Primò pro materia vt est pars compositi & subiectum formæ substantialis. Secundò pro omni subiecto motus vel transmutationis & accidentis modo quo dicimus cor esse subiectum passionum, id est, materiam in qua, &c.

Ex hac distinctione applicādo ad propositum dico quod Physicus non semper diffinit per materiā, primo modo sumptam, aliter non posset diffinire qualitatem sensibilem, constat enim quòd non habet materiam 1. modo sumptā, nec formam nec motum, nec locum, nec tempus, nec etiam semper diffinit per materiam 2. modo sumptam; aliter nō posset diffinire cōposita naturalia, de quibus constat quòd habent materiam ex qua, & nō in qua. Dico ergo quòd hæc propositio, Physicus diffinit per materiam, intelligēda est primò vel 2. modo prout requirit natura rei diffinibilis, vnde diffiniet Philosophus animam per materiam in qua, scilicet per corpus & diffinit passiones irascibilis per materiam in qua, putā quòd ira est accensio sanguinis circa cor, eodem modo diffiniet gaudium, amorē, & odium, vt aliàs videbimus cùm loquemur de appetitu sensitiuo in libr. 3.

Ex his patet quid dicendum sit ad argumentū positum in principio quæsiti, nam nihil prohibet Logicū diffinire syllogismum & demonstrationē per propositiones ex quibus cōstat, quoniā illæ nō sunt materia primo, aut 2. modo sumpta, similiter Physi. diffiniens naturam, motum, locum, tempus licet non diffiniat per materiam 1. modo, diffinit tamen per materiam 2. modo, vt tibi constare potest exercitato in libr. de Physico auditu. In diffinitionibus enim prēdictorū cāgitur subiectum in quo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Et quoniam Phil. in 1. lib. de Anima immoratur circa opiniones Antiquorum, quæ nobis parùm proficiūt, ideo super primum librum non formabimus alias quæst. sed transeremus nos ad secundum librum.

Quæstionum Naturalium super primum librum de Anima, Finis.

QVAESTIONES
MAGISTRI CHRYSOSTOMI Iauelli super secundum librum Aristotelis, De Anima.

In secundo libro Arist. De Anima, enodantur Quæstiones infrascriptæ.

1 *Num anima sit substantia.*
2 *Num diuisio substantiæ sit diuisio generis generalissimi in genera subalterna, an analogi in sua analogata.*
3 *Num anima sit forma substantialis.*
4 *Num prima diffinitio data de anima sit vera, & si conueniat omni anima, etiam includendo intellectuam.*
5 *Num ex anima & corpore fiat vnū per se, & propter quam causam.*
6 *Num ablata forma dolabræ, remaneat dolabra.*
7 *Num manifestū sit animā non vniri corpori, vt nautā vnitur naui.*
8 *Num prima diffinitio de anima conuenienter demonstretur per secundam, & quæ demonstratio sit illa.*
9 *Num in partibus animalis annulosi post diuisionem remaneat anima, quæ sit principium motus localis, & habeat phantasiam.*
10 *Num potentiæ animæ distinguantur subiecto & loco, situ quòd plures non possint esse in eadem parte animati.*
11 *Num potentiæ distinguantur per actus, & actus per obiecta.*
12 *Num potentiæ animæ distinguantur ab essentia animæ, & num causentur ab ea.*
13 *Num genera potentiarum animæ sint quinque & animæ tres, & genera viuentium quatuor.*
14 *Num vegetatiuum contineatur in sensitiuo, &c.*
15 *Num determinandum sit priùs de actibus quàm de potentiis, & prius de obiectis quàm de actibus.*
16 *Num generare sibi simile est naturalissimum omnibus viuentibus, & se competat solis viuentibus.*
17 *Num nutritio & augmentum sint ab anima vegetatiua, an ab igne.*
18 *Num potentia nutritiua & augmentatiua & generatiua distinguantur realiter.*
19 *Num quod nutritur patiatur à nutrimento, sicut econuersò.*
20 *Quomodo valet hæc consequentia, Si sensus esset actiuus secundùm se sentiret sine sensibili exteriori.*
21 *Num sensus sit potentia actiua, an passiua.*
22 *Num sensus postquàm productus sit, est in potētia ad actum primum & secundum, vel tantùm ad secundum.*
23 *Num sensu possit errare circa proprium sensibile.*
24 *Num sensibilia communia sint sensibilia per se.*
25 *Num sit verum quòd sensibilia propria sint sensibilia per se & primò, communia autem per se, sed non primò.*
26 *Num color sit obiectum visus.*
27 *Num color sit per se visibilis.*
28 *Num diffinitio diaphani conueniat diaphano vniuersaliter & communiter sumpto.*
29 *Quid sit lumen, & nunquid habeat esse reale in medio.*
30 *Num aliqua videantur in tenebris, & num omnia, quæ videntur in die, videantur, vt colorata.*
31 *Propter quid sensibile positum supra sensum non sentiatur.*
32 *Quomodo hæc diffinitio conueniat colori, Color est actus diaphani.*
33 *Num sonus ita sit subiectiuè in aëre, quòd non potest generari in aqua sine aëre.*
34 *Quomodo se habeat echo ad sonum præcedentem.*
35 *Num sonatiuum rectè diffinitur à Philosopho.*
36 *Num aër ex natura sua est insonabilis.*
37 *Num aër existens in aure est immobilis.*
38 *Num diffinitio vocis sit bene assignata à Philosopho.*
39 *Num homo habeat peiorem odoratum cæteris animalibus.*
40 *Num homo sit melioris tactus quàm cætera animalia.*
41 *Num conueniente nominentur species odoris nominibus specierum saporis.*
42 *Num odor habeat esse reale in medio.*
43 *Num proprium sit hominis non odorare sine respiratione.*
44 *Num omnia odorantia per respirationem melius odorent quàm odorantia sine respiratione.*
45 *Num gustus sit quidam tactus.*
46 *Num dulce & amarum sint extremi sapores.*
47 *Num tactus sit vnus vel plures sensus.*
48 *Quod sit organum in tactu.*
49 *Num duo corpora discontinua existentia in aqua aut in aëre possint immediatè se tangere.*
50 *Num sensibile positum supra sensum non sentiatur.*
51 *Num diffinitio sensus sit verè assignata à Philosopho.*
52 *Num excellens sensibile corrumpat sensum, & organum & propter quid.*
53 *Num inanimata non patiantur ab odore & colore & lumine & tenebra, patiantur autem à qualitatibus tangibilibus & sapore.*
54 *Num Philosophus posit conuenienter differentiam inter odorare & pati ab odore.*
55 *Num sensus exteriores sint tantùm quinque.*
56 *Num sensus exterior cognoscat actionem suam.*
57 *Num detur sensus communis, & si sit vnus.*
58 *Num vermes & apes & formicæ habeant phantasiam.*
59 *Num phantasia sit sensus interior distinctus realiter ab aliis sensibus interioribus, & dato quòd sic, vtrum diffinitio eius assignata à Philosopho sit conueniens.*

QVAESTIO PRIMA.

Num anima sit substantia.

IN HAC quæstione aduerte q̄ Philosophus inuestigans prædicata diffinitiua ponenda in diffinitione animæ non incipit ab ente, sed à substantia, & immediatè diuidit eam in materiam, formam, & compositum, vt patet in tex. 2. quoniam, vt inquit Com. in com. 2. fuit quasi manifestum quòd anima collocatur in genere substantiæ & ideo Philosophus supponens hoc esse concessum ab omni rectè philosophante, non immoratur ad inuestigandum si anima est substantia, vel accidens, sed pro constanti habet quòd sit ens & substantia, verum vt addiscentes sciant rationem assignare quare est substantia, volui præsens quæsitum formare, in quo duo agenda sunt. Primò, ponetur conclusio affirmatiua cum probationibus suis. Secundò, soluentur quædam argumenta probantia oppositum.

Anima absolutè accepta, substātia est.

Quan

Quantùm ad primum ponitur hæc conclusio, Anima absolutè sumpta, vt sub se cõtinet vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam est substantia: probatur primo ratione adducta à Com. in com. 2. quæ stat in hoc, Substantia est nobilior accidente, quoniã in 7. Meta. tex. 1. est primum & simpliciter ens, accidens autem secundũ quid, quia est ens tantùm in ordine ad substantiam, & anima est nobilior omnibus accidẽtibus existẽtibus hîc, ergo cognitione naturali cõstat quòd impossibile est animam esse accidens. Quòd autẽ sit nobilior omnibus accidentibus patet, quia nullum accidens dat esse simpliciter ei, cuius est accidens, sed esse quale vel quantũ. Anima autẽ dat esse simpliciter animato, quia stãte anima habet esse actu, remota anima desinit esse animatũ actu, ergo.

Secundò probatur ratione, quam adducit Alber. in 1. lib. de Anima Trac. 1. c. 1. & stat in hoc, Scitũ est ab omnibus accidens partem substantiæ non esse neque perficere simpliciter substantiam. Anima autem est animati pars essentialis & dignior & perficit animata corpora, ergo in genere substantiæ contineri supponimus.

Tertiò probatur ratione Auicẽ. in 6. Naturalium quæ particulariter probat de anima humana, Quod est susceptiuũ contrariorũ vnũ numero existens & primum susceptiuũ est substantia, vt patet in Prædicamẽtis, & dico primum susceptiuum ad differentiam superficiei, quæ nõ recipit contrarios colores, nisi in virtute substãtiæ. Sed anima vna numero existens recipit contraria, putà ignorantiam & sciẽtiam, virtutem & vitium, & est primum susceptiuum, quia homo non recipit ista nisi ratione animæ, vt patet.

Quartò probatur sic, In animato videmus aliquas operationes non reducibiles in aliquod principium, quod sit accidens: ergo, cùm anima sit principium primũ operationum in animatis, vt determinabim' infrà, necesse est vt sit substãtia. Consequẽtia nota, probatur antecedens, Videmus in animato augmentum & motum localem ad omnẽ positionẽ. Sed horum motuum non potest esse primum principiũ quãtitas nec aliquod accidens respectiuum, quoniã nec quãtitas est principium actiuum, nec respectus, sed potiùs consequũtur actionẽ, vt determinauimus in q. nostris Metaphysicalibus, nec potest esse quãtitas prima, nec secũda, nec aliqua forma merè naturalis, quales sunt formæ corporum inanimatorũ, quoniam sunt principia actiua determinata ad vnam positionem tantum, vt patet in graui & leui, ergo istæ operationes non possunt reduci aliquod principium, quod sit accidens: & cùm reducãtur in animam, vt in primum principiũ, sicut declarabimus infrà, quando inuestigabimus principiũ operationum vegetatiuarum, patet quòd anima non est accidens, sed substantia.

Quantùm ad secundum aduerte quòd argumenta quibus communiter probatur animã non esse substantiam, recitantur à Iand. Sed quia solutiones suę nõ sunt Thomisticæ, ideo formabo illa, & soluam secundum viam nostram.

Primum, Quod est substãtia debet esse per se subsistens, dicitur enim substantia à subsistendo. Sed anima nõ est subsistens, quoniam habet esse in alio, subsistens autem habet esse per se: ergo anima non est substantia.

Ad hoc respondens Iand. distinguit maiorem. Sed tu absolutè negabis eam, non enim per se subsistere competit omni quod est substantia, sed tãtùm ei quæ est completa in specie, & si competit alicui quod est pars speciei illud non est eductum de potentia materiæ quod dico propter animam intellectiuam, de qua conceditur quòd est per se subsistens, ex consequenti est substantia. Propria autem ratio substantiæ est esse ens per se, i. non in subiecto inhærenter, ad differentiam accidentis. Hæc autem ratio conuenit omni substãtiæ, & animæ & omni formæ substantiali, quoniam licet sint in materia non vt inhærentes, sed vt actuantes, & quando probatur maior, quia dicitur substantia à subsistendo, hoc negãdum est, sed dicitur substãtia, quia est ens per se modo exposito. Vnde aduerte quòd si dicatur substantia à substando, s. accidẽtibus, nõ cõuenit omni substantiæ, putà primæ causæ. Si à subsistendo non conuenit omni, vt dictum est, si à per se essendo conuenit omni, & ideo in 5. Metaph. in q. nostris assignauimus esse ens per se pro vniuersalissima ratione substantiæ vniuersalissimè sumptæ.

Secundum, Quod est in subiecto non est substantia, quia dicit Philosophus in prædicamentis, Commune est omni substantiæ non esse in subiecto. Sed anima est in subiecto, quia est actus corporis, ergo, &c.

Ad hoc dicitur secundùm viam nostram, quòd esse in subiecto existenti in actu est proprium accidentis & nulli formæ substantiali cõuenit, esse autem in subiecto merè potentiali informatiuè & non inhæsiuè est proprium formæ substantialis. Ad argumentum ergo nego minorem in primo sensu & concedo in 2. in quo sensu nego maiorem.

Tertium, Quod diffinitur per additamentum nõ est substãtia ex 7. Meta. Anima diffinitur per additamẽtum, quoniã vt patebit infrà corpus physicum quod est extra essentiam animæ ponitur in diffinitione eius, ergo, &c.

Ad hoc aduerte quòd licet prima responsio data à Iand. non sit vera, tamen nõ verè improbat eam nam Phil. in 7. Metaph. loquens de substantia, quæ non debet diffiniri per additamentum, nõ intelligit per Formam formam substantialẽ, sed quidditatem rei, vt significatur in cõcreto, putà id quod est homo, & talem quidditatem vocat formam, & quod quid erat esse. Vnde ad argumentum diceret Thomista quod Philos. in 7. Metaph. intendit de substantia completa in specie, quæ sicut est id quod est, ita est per se diffinibilis, forma autem est id quo aliquid est, ideo recipit extraneum in diffinitione sua, & in hoc assimilatur accidenti.

Quartum, Illud solùm est substantia, quod secũdùm Philo. in prædicamẽtis vnum numero existens est receptiuum cõtrariorũ. Anima nõ est talis, quia recipiens cõtraria est in potentia, anima non est in potentia, quoniam est actus, & potẽtia, & actus sunt differentiæ valde oppositæ, ergo non possunt conuenire eidem.

Ad quartum diceret Thomista non esse incõueniens actũ substantialẽ esse in potentia accidẽtali, esset autem incõueniens si esset in potẽtia substãtiali, quoniam secũdùm eãdem rationem esset potẽtia & actus, quod implicat. Dico ergo ad argumẽtum, quòd minor est falsa. Ad probationẽ dico quòd nõ incõuenit quòd sit potẽtia & actus respectu diuersorum, nec sunt differentiæ oppositæ nisi respectu eiusdem.

Quintum, Si est substãtia aut materia, aut forma, aut compositum, nõ est materia, nec cõpositum, secundùm Philo. in tex. 3. nec potest esse forma, quia talis forma corrũpitur ad corruptionem compositi ex 7. Metap. Sed anima saltem intellectiua, vt dicetur in 3. lib. non corrumpitur, ergo non est forma, ex consequenti non est substantia.

Ad hoc respondens Iand. dicit quòd est forma, sed respectu animæ intellectiuæ non est forma dans esse, quoniã putat vt sequens viã Com. omnẽ talem esse corruptibilem, sed forma dans solùm operari, & de hac negat corrumpi ad corruptionẽ compositi. Et Philos. in 7. Metap. non intendit nisi de forma dante esse. Sed hanc responsionem destruemus in lib. 4. probãtes animam intellectiuam esse verè formam dãtem esse & incorruptibilem. Et id iam determinauimus in 12. Metaph. in q. nostris de mente expressa Philosophi.

Tu igitur ad argumentum respõdens, cõcedes animã esse formam, ita quòd omnis anima etiã intellectiua est verè forma dans esse. Ad improbationem dico falsum esse omnem formam esse corruptibilem, nec verificatur nisi de forma educta de potẽtia materiæ, quæ dicitur forma materialis. Et de hac propriè intendit Philosophus in 7. Metaph. vt videre poteris. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num diuisio substantiæ in materiam, formam, & compositum sit diuisio generis generalissimi in genera subalterna, an analogi in sua analogata.

Dicamus itaque vnum quoddam genus eorum quæ sunt substantiam. Huius autem aliud quidem est sicut materia, &c. tex. 2. Vbi Com. inquit, Et cùm narrauit quod substantia vniuersaliter debet poni genus talium entium, incæpit diuidere eius genera.

IN hac quæst. aduerte, quòd in 5. Metaph. in q. nostris declarauimus quomodo substantia potest esse genus generalissimum, & quomodo potest esse quid analogum, & quæ sit eius propria ratio, vt est generalissimum genus. Hîc autẽ faciunt difficultatem verba Philo. & Com. eò quòd in tex. præposito appellat substantiam genus, quod immediatè diuidit in materiam, formam, & compositum, & Comm. dicit quòd incipit diuidere substantiam genus in eius genera. Vt ergo resoluamus propositum duo agenda sunt. Primò ponemus duas conclusiones responsiuas & sustinebimus eas. Secũdò, declarabimus quòd verba Philosophi & Com. non obstant determinationi, quam facturi sumus.

Quantùm ad primum sit prima conclusio, Substantia non prædicatur de materia & forma & cõposito, sicut superius de inferioribus, vel sicut genus de generibus subalternis, vel sicut totum de partibus subiectiuis. Probatur, Omne inferius, quod ponitur sub superiori, vt genus, vel vt species, vel vt pars subiectiua habet rationem totius & completi modo sibi

sibi conuenienti ex natura, sed materia & forma nõ habent rationem totius & completi, cùm sint partes, ergo non ponũtur sub substantia, vt genus, nec vt species, nec vt pars subiectiua. Ex consequenti non sunt in prædicamento substãtię reductiuè, nec substantia diuiditur in ea vt genus in genera. Minor patet. Maior probatur, Superius & inferius in linea prædicamẽtali, se habent vt totum magis commune & minus commune, ergo inferius habet rationem totius & nõ partis. Consequentia nota, probatur antecedens, Si superius habet rationem totius, & inferius potest habere rationẽ partis essentialis aut integralis, vt excludamus partẽ subiectiuam, quoniam illa habet rationem totius sequitur q totum prædicatur in recto de parte essentiali, vel integrali, quod patet esse falsum. Sicut patet hîc, Paries est domus, Anima est animal. Et prętereà in vno toto essent multa tota, quoniã in vno toto sunt multę partes essentiales & integrales, & si quælibet pars suscipit prædicationem superioris in recto, ergo Sortes est multæ substãtiæ, multa corpora, multa animalia, multi homines, quæ omnia sunt absurda.

Secunda cõclusio, Substantia diuiditur in materiã & formam & compositũ, vt analogum in sua analogata. Probatur, Si aliqua ita se habent, quòd vnũ sit prius altero prioritate causalitatis, & recipiãt prædicationẽ alicuius cõmunis analogantur sub illo. Hæc manifestatur de sano, nam quia sanũ dictũ de animali est causa sani, vt dicitur de vrina & de medicina, & de omnibus his modis prædicatur sanum, ideo est analogum, & illa sunt analogata: sed forma est causa materiæ quò ad esse actu, & vtraque est causa intrinseca compositi, & de eis prædicatur substantia, ergo substantia diuiditur in illa, vt analogum in sua analogata.

Sed huic rationi quidam respondent dicẽtes quòd minor est falsa, quoniam ordo, qui est inter materiam & formã & compositũ non est secũdùm prioritatẽ causalitatis, sed perfectionis, & licet prioritas causalitatis impediat vniuocationem, non tamen prioritas perfectionis, nam manifestum est quòd homo est prior asino prioritate perfectionis, tamen quia non est causa quòd animal prædicetur de asino, nõ impeditur vniuocatio animalis.

Sed hæc responsio repugnat Philosopho in 7. Meta. tex. 7. vbi comparans formã materiæ dicit q species est prior materia & magis ens, & est prior cõposito. & ratio est quia per formam materia fit actu, & forma dat esse cõposito. Ex quibus patet q cùm forma sit prior, & per illam materia fit ens actu, illa est prioritas causalitatis. Respectu autem cõpositi clarum est q dicit prioritatem causalitatis & non perfectionis, quoniam vt declarauimus in 7. Metap. in q. nostris cõpositum est simpliciter perfectius forma, sicut totum parte: nec potest dici formam esse magis ens quàm cõpositum, nisi in ratione principij vel independẽtiæ, vt in eodem loco exposuimus. Cùm igitur prioritas causalitatis impediat vniuocationem, patet quòd præposita diuisio substãtiæ in materiam & formam & compositum est analoga.

Quantùm ad secundũ aduerte q si Philos. diceret substantiam esse quoddam genus entis, quod genus prædicatur de materia & forma & cõposito vt genus superius de inferioribus, vtiq; obstaret determinationi factæ, sed dicit substantiam esse quoddam genus entis, huius autẽ aliud quidẽ est materia, aliud forma, q. d. Materia nõ est substãtia, quæ est genus, sed est pars illius, similiter forma, compositũ autẽ est essentialiter & cõpletè substantia. Quod autẽ dicit Com. substantiam diuidi in eius genera non accipit ly Genera in significato proprio, sed impropriè, prout solet sumi genus pro cõmuni, & quoniã materia vt materia, forma vt forma, cõpositum vt compositũ, vt sic quædam cõmunia sunt, ideo appellat ea genera, in quæ magis cõmune quod est substantia analogicè diuiditur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num anima sit forma substantialis.

Necesse ergo animam substantiam esse, sicut speciem. tex. 4.

IN hac quæst. aduerte q potest dupliciter tractari. Primò de anima in genere. Secundò de anima in specie, putà de anima intellectiua. Item potest tractari, an sit forma substãtialis, i. de genere substantiæ, siue det esse & speciem ei cuius est forma, siue non, vel an sit forma propriè dicta dans esse & speciem, &c. Hîc intendo loqui de anima in genere, & de forma dante esse. Sed in 3. lib. loquendum est in specie de anima intellectiua, an sit forma substantialis dans esse homini. In hoc enim stat differentia inter nos & Comm. ac sequentes eum. Tenent enim Commẽtistæ quòd per formam substantialem duo possunt intelligi. Primo potest intelligi forma quæ est de genere substantiæ ad differentiam formæ accidentalis quæ est de genere accidentis. Et sic tenent animam vt se extendit ad omnes suas partes subiectiuas includendo animam intellectiuam esse formã substantialem. Secundò potest intelligi forma quæ non solùm est de genere substantiæ, sed quæ dat quidditatem & esse substãtiale ei cuius est forma. Et sic tenent tantùm animam vegetatiuam & sensitiuam esse formam substantialem, nõ autem intellectiuam, sed tãtum primo modo. Nos autem tenemus nõ solùm vegetatiuam & sensitiuam, sed & intellectiuam esse formam primo & secundo modo, & id disputabimus in 3. libr. pro nunc ne fiat confusio tractabimus quæsitum de anima in genere. Ad cuius resolutionem tria agenda sunt. Primò probabitur quòd anima est forma. Secundò quòd est forma substantialis. Tertiò soluentur quædam argu.

Quantùm ad primum ponitur hæc conclusio, Anima est forma, probatur primò ratione Philos. in tex. 4. sic, Quod est in subiecto, est forma, quoniam vt dicit Com. in com. 4. hoc est proprium formæ esse in subiecto, materia enim & corpus sunt subiectum, & non in subiecto. De composito autẽ constat quòd non est in subiecto, quoniam habet esse per se & nullo modo in alio, sed anima est in subiecto, quia est in corpore quod animat, ergo est forma. Hæc est ratio Philosophi & Commentatoris.

Secundò ex anima & corpore fit vnum ens in actu, ergo necesse est vtrunque esse in potentia, vel vtrunque in actu, vel alterum vt potentia alterum actus. Primum non potest esse, quia oporteret dare tertium præter animam & corpus, per quod animatum fieret actu, nullum enim potentiale fit actu nisi per actum. Nec secundum, quoniam vt determinatum est in 8. Metaph. in q. nostris, ex duobus entibus in actu non fit vnum per se actu. Supponimus autem ex corpore, & anima fieri vnum per se, vt dicit Philosophus in hoc 2. libr. tex. 8. ergo oportet dare tertium. Constat autem quòd corpus non est actus, quoniam perficitur & manu tenetur anima, ergo habet rationem perfectibilis, & anima rationem perfectiui, sed perfectibile est vt potentia, ergo anima est actus, actus autem est forma, ergo, &c.

Tertiò ex anima & corpore fit animatum, quęro ergo, Aut sunt partes integrales, aut essentiales. Non primò, quoniam omnes partes integrales sunt quantæ, sed anima vt anima nõ est quãta, aliter distingueretur situ à corpore, duo enim quãta nõ possunt esse in eodem situ. Si distingueretur situ, nõ esset tota in toto, nec quanlibet partẽ animati animaret, quod est falsum & repugnãs sensui, ergo secũdo modo. Sed ex partibus essentialib' altera est materia, altera forma. Sed corpus est materia, quia est subiectũ animæ, ergo anima est forma.

Quantùm ad secundum sit hæc conclusio, Anima est forma substãtialis rei animatæ. Probatur. Per animã differt per se & essentialiter animatum ab inanimato, ergo est eius forma substãtialis. Consequẽtia patet, quoniam sicut res habet esse à forma sua ita distinctionẽ à quocunq; alio. Antecedẽs probatur, Animatũ differt essentialiter ab inanimato, cũ sint naturæ distinctæ, ergo differt essentialier per ipsum corpus aut per aliquod accidens aut per animam: non primo, quoniã in eo conuenit animatum cum inanimato, non secundò, quoniam accidens non potest facere differre nisi accidẽtaliter, & prætereà, accidens est posterius natura eo, cuius est accidens, vt determinauimus in 7. Metaph. in q. nostris: ergo non primo & essentialiter distinguit, sed supponit distinctum, ergo datur tertium.

Prætereà, illud quo primò animatum viuit & operatur, & quo ablato non remanet animatum nec operatur est forma eius substantialis, quoniam cùm omnis forma det esse & ea remota desinit illud esse si dat esse substãtiale est forma substantialis, si accidentale accidentalis. Sed anima vt patet ad sensum est illud, quo primo viuit animatum, sumẽdo Viuere pro esse viuo, & quo primo operatur, & quo ablato non remanet animatum, nec operatur: ergo, &c.

Prætereà, illud quo ablato aufertur nomen & diffinitio rei, est forma eius substantialis: in hoc enim differt forma artificialis, quæ est accidens, à forma naturali, quoniam remota forma gladij adhuc stat substantia gladij, quod est ferrum, sed remota forma ferri non stat nomen, nec substantia nec diffinitio ferri. Sed ablata anima non stat nomen animati, nec substantia, nec diffinitio, nam remota anima falsum est dicere, Hoc est animatum, & mouet seipsum, hæc est enim ratio animati, ex 1. de Anima, & ex 8. Phys. ergo, &c.

Prætereà, sic arguit Com. in com. 4. Quod est in subiecto & non sicut accidens est forma substantialis, nam, vt inquit

illic Com. proprium eſt formæ eſſe in ſubiecto, ergo ſi eſt vt accidens erit forma accidentalis, ſi non vt accidens erit forma ſubſtantialis, quoniam non datur medium inter formam accidentalem & ſubſtantialem. Sed anima eſt in ſubiecto, & non vt accidens: hanc declarat Com. illic, Quia accidens nõ eſt pars ſubſtantiæ compoſitæ. Anima autem eſt pars animati quod eſt ſubſtantia compoſita, & quoniam ſubiectum accidentis eſt corpus compoſitum ex materia & forma, & eſt aliquid exiſtens in actu, & in ſuo eſſe non indiget accidente: ſubiectum autem animæ non habet eſſe in actu ſecundum quod eſt ſubiectum, niſi per animã & indiget anima vt ſit in actu: nam corpus ante animam & poſt animam nõ eſt, nec remanet animatum actu, ergo conſtat quòd anima eſt forma ſubſtantialis.

Sed videtur Com. in declaratione minoris aſſumere duas propoſitiones dubias maximè in via ſua.

Prima eſt, Subiectum accidentis eſt aliquid exiſtens actu.

Secunda eſt, Subiectum formæ ſubſtãtialis non habet eſſe in actu ſecundùm quòd eſt ſubiectum niſi per formam.

Prima quidem videtur falſa, & maximè in via ſua, quoniam ſecundùm ipſum dimenſio interminata eſt accidens & ſubiectũ eius eſt materia prima quæ eſt ens in pura potẽtia.

In ſecunda autem videtur quòd fruſtrà addiderit, Secũdùm quòd eſt ſubiectum: nam commune eſt omni ſubiecto, etiam formæ accidentalis, vt eſt ſubiectum, non eſſe in actu niſi per formam, ad quam eſt in potentia. Vnde manus ſecũdùm quòd eſt ſubiectum caloris receptiuum non eſt in actu niſi per calorem.

Ad primum dicitur quòd Com. intendit de accidente actuali non autem potentiali, qualis eſt dimenſio interminata apud ipſum, vt declaraui in 8. Metaph. in q. noſtris de mẽte Commentiſtarum, licet in via noſtra non teneamus ſententiam Commen. in hoc, nam apud nos eſt abſolutè verum, quòd ſubiectum cuiuſcunque accidentis eſt exiſtens actu, quoniam nullum accidens præcedit formam ſubſtantialem in materia prima.

Ad ſecũdum dico, quòd ly Secũdùm quòd eſt ſubiectum, dupliciter poteſt conſiderari. Primò ſimpliciter nihil addendo. Secundò addendo ſic, Secundùm quòd eſt ſubiectum formæ ſubſtantialis: & tunc dico, quòd dictum Com. eſt intelligendum ſecundo modo, vt ſit ſenſus, Subiectum formę ſubſtantialis ſecundùm quòd eſt ſubiectum formæ ſubſtantialis, nõ habet eſſe in actu ſimpliciter, niſi per formam ſubſtantialem. Hoc autem ſi applicatur ſubiecto formæ accidentalis nõ verificabitur, nã hæc eſt falſa, Subiectum formæ accidentalis ſecundùm quòd eſt ſubiectum talis formæ nõ habet eſſe ſimpliciter, niſi per formam accidentalem, patet enim quòd habet eſſe ſimpliciter per formam ſubſtãtialem, eſſe autem ſecundùm quid per formam accidentalem, vt patet in exemplo dato de manu quæ eſt ſubiectum receptiuũ caloris, quæ vt manus habet eſſe ſimpliciter per animam, vt calida habet eſſe ſecundùm quid per calorem.

Quantum ad tertium aduerte quòd Iand. in 2. de Anima, q. 2. format multa argumenta quibus arguit animam nõ eſſe formam ſubſtantialem, ex quibus aliqua ſoluit ſolutionibus non declinantibus à via Thomi. vt videre poteris, ſ. primum & quartum quò ad primam ſolutionem, & quintum & ſextum & ſeptimum & octauum: & ideo de his non me intromitto. Tantùm ſecundum & tertium volo formare & ſoluere non approbando, ſed reprobãdo aliquas ſolutiones Iand. Aduerte igitur quod ſecundum in ordine tale eſt, Quod patitur non eſt forma ſubſtantialis, anima patitur, ergo, &c. Maior patet, quia formæ & materiæ conueniunt proprietates oppoſitæ, ſed materiæ, quia eſt pura potentia paſsiua, cõuenit eſſe principium patiendi, formæ autem, quia eſt actus, cõuenit eſſe principium agendi. Minor autem patebit in hoc 2. & in 3. lib. vbi declarabitur quòd anima eſt receptiua potentiarum ſuarum, & actionum immanentium.

Ad hoc reſpõdens Iand. dat duas ſolutiones. Prima eſt de paſsione corruptiua, & hæc non conuenit formæ, ſaltem per ſe: quod dico, quia nulla forma, vt determinatum eſt in 7. Metaph. ſicut nõ fit per ſe, ſed ad productionem cõpoſiti, ſic non corrumpitur per ſe, ſed ad corruptionem cõpoſiti: cõuenit autem ei paſsio perfectiua, vt animæ intellectiuæ, intelligere, & velle. Maior autem argumenti intelligi debet de paſsione corruptiua. Hæc reſpõſio non declinat à via noſtra. Secunda talis eſt, Forma eſt duplex. Quædam omninò liberata à materia, vt Deus & intelligentia. Quædam coniuncta materiæ ſecundùm eſſe, vel ſaltem ſecundũ operationem. De prima verificatur maior abſolutè, quoniam Deus & intelligentia non patiuntur paſsione primo modo dicta, nec ſecundo modo. De ſecunda negatur maior, & quoniam anima eſt forma coniuncta materiæ, ideo non inconuenit eam pati paſsione primo, vel ſecundo modo dicta. Aduerte quòd hęc reſpõſio quò ad intelligentiam nõ eſt vera in via noſtra. Nam in 12. Metaph. in q. noſtris determinauimus intelligentiam fuiſſe productam à prima cauſa, ex cõſequenti actio ſua eſt accidẽs in ea. Vnde perficitur ex eo ꝙ intelligit & vult & mouet: & ſic paſsio perfectiua nõ ſolùm eſt in forma informãte materiã, ſed etiã in ea quæ omnino eſt liberata à materia.

Secundum tale eſt, Quod aduenit enti in actu, nõ eſt forma ſubſtantialis, nam dicit Com. in hoc 2. lib. in com. 4. quòd formæ ſubſtantialis ſubiectum eſt ens in potentia, accidentalis autem eſt ens actu. Sed anima aduenit enti in actu, ſcilicet corpori organizato, ergo, &c.

Ad hoc reſpondens Iand. quia tenet pluralitatem formarum ſubſtãtialium in eodem compoſito quarum præcedens cõparatur ad ſequẽtem, vt imperfecta & incõpleta ad perfectam, & tenet quòd diſpoſitiones præuiæ nõ corrũpuntur in aduentu formæ, nec organizatio corrumpitur in aduentu animæ: ideo opinatur non repugnare formæ ſubſtãtiali aduenire enti in actu, dummodò non ſit in actu per completã & vltimã formã dantẽ eſſe ſpecificum, qualis eſt anima ſenſitiua reſpectu vegetatiuę & corporeitatis. Ad argumentũ ergo negat maiorẽ. Ad probationẽ dicit dictũ Com. intelligẽdum ſic, Subiectum formæ ſubſtantialis, vel eſt ens in pura potẽtia, vt materia prima, vel ſi eſt actu per formam ſubſtãtialem remiſſam aut imperfectam, eſt in potentia reſpectu formæ perfectioris ſubſequentis, ita quòd non eſt actu perfectè donec vltimatam formam receperit. Verùm quia de incõpoſſibilitate formarum plurium ſubſtantialium in eodem & de diſpoſitionibus ac qualitatibus non remanentibus in aduẽtu formæ, & quòd elementa nõ remaneant ſub eſſe remiſſo, nec qualitas ſymbolica dum generatur elementũ ex elemẽto iam locuti ſumus in 8. Metaph. in Quæſt. noſtris, & ſoluimus virtualiter omnia argumenta tenentium oppoſitum, cũ quibus coincidũt argumẽta quæ format hîc Iand. de diſpoſitionibus remanẽtibus, ideo nõ eſt hîc immorandũ. Sed vide in 7. Meta. vbi determinauimus & defendimus viã noſtram.

Ad argumentum igitur ſic reſpondebis, ſicut reſpondent tenentes vnicam formam in compoſito, & dicunt ſubiectũ formæ ſubſtãtialis eſſe ſolam materiam primam, quæ eſt ens ſecundùm ſe nullo modo actu, & quando arguitur quòd anima aduenit enti in actu, quia corpori organico, reſpondetur quòd non aduenit corpori conſtituto in actu per aliam formam præcedentem & permanentem in aduentu animæ, ſed per ipſámmet animam, vt dat eſſe corporeum: nam non inconuenit quòd anima vt dat eſſe corporeum præcedat ſeipſam vt dat eſſe vegetatiuum. Item vt dat eſſe vegetatiuum præcedat ſeipſam vt dat eſſe ſenſitiuum, idem dico reſpectu eſſe intellectiui, iſtæ tamen præcedentiæ non ſunt in diſtinctis inſtantibus temporis, ſed inſtantibus rationis, vnde in eodem inſtanti temporis anima adueniens materiæ primæ dat ſibi ordinatè omnes prædictos gradus eſſendi. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO IIII.

Num diffinitio animæ prima aſsignata à Philoſopho ſit vera, & nunquid vniuocè conuenit omni generi animæ includendo intellectiuam.

Anima eſt primus actus corporis phyſici, potentia vitam habentis. tex. 4.

IN hac quæſt. duæ erunt partes. Primò declarabitur veritas diffinitionis quò ad ſingulas particulas. Secundò inueſtigabitur ſi conuenit vniuocè omni generi animæ. Tertiò mouebuntur quædam dubia & ſoluentur.

Quantùm ad primum aduerte in diffinitione animæ poni has particulas, anima eſt actus primus, corporis phyſici organici ex conſequenti potentia vitam habentis.

Quod anima ſit ſubſtantia probatum eſt in q. 1. quòd ſit actus, id eſt forma probatum eſt in q. 3. Quòd ſit actus primus probatur poſita prius noticia de actu primo & ſecundo, Actus primus eſt forma, quæ ex natura ſua eſt principium alicuius operationis, & ſupponitur illi operationi: quæ quidem forma poteſt eſſe ſubſtantia, & poteſt eſſe accidens, nam formæ naturales corporum ſimplicium, ſunt prima principia, licet non proxima operationum naturalium: & qualitates naturales ſunt proxima principia operationum naturalium & omnis habitus ſiue corporalis, ſiue intellectualis, ſiue moralis eſt principium operandi & ideo formæ ſubſtantiales, & qualitates naturales & habitus prædicti, & potentiæ animæ dicũtur actus primi. Actus autem ſecundus eſt ipſa operatio egrediens ab actu primo, vnde Philoſophus in tex. 4. declarauit proportionaliter actum primũ per ſcientiam, vt eſt principium conſiderationis & actum ſecundum per Conſiderare: ſtante hac noticia probatur quòd anima ſit actus primus, Anima ſupponitur omni operationi rei animatæ, ita quòd ipſa inexiſtente poteſt animatum operari, & ea remota non poteſt operari, ergo eſt actus primus: conſequẽtia patet ex noticia data de actu primo. Antecedẽs autem conſtat ad ſenſum. Præterea, anima ſecundùm Philoſophum in tex. 4. proportionatur ſcientiæ, ſed ſcientia eſt actus primus, ſtat enim quòd aliquis habeat ſcientiam & non vtatur ea, ſimiliter ſtat quòd animatum habeat animam, & non operetur, vt patet in animali dormiente, ergo, &c.

Quòd ſit primus actus corporis probatur, quia nullã habet operationem ſine corpore vt declarabitur in lib. 3. Præterea, in hoc diſtinguitur anima ab intelligẽtia, quæ cùm ſit ſine materia & extra omnem magnitudinem eſt ſimpliciter actus & operatio & ſua propria intellectualis, nullo modo reſpicit corpus, nec vt organum, nec vt obiectum. Oppoſitum autem declarabitur de anima in lib. 3.

Quòd ſit actus primus corporis phyſici, probatur quia ſi eſſet actus corporis artificialis non eſſet ſubſtantia. Dictum eſt enim ſupra quòd in hoc diſtinguitur forma naturalis à forma artificiali, quia hæc eſt ſubſtantia, & illa eſt accidens. Præterea, anima eſt principiũ motus & quietis in animato, ergo eſt natura, ergo illud in quo eſt, eſt naturale, ſed eſt in corpore, cũ ſit actus corporis, ergo illud corpꝰ eſt naturale.

Quod ſit organicum probatur, Corpus organicum eſt illud quod conſtat ex diuerſis partibus quæ diſtinguuntur ſitu, figura, complexione, & in animato perfectiori maior apparet hæc diuerſitas. Sed anima eſt actus talis corporis, vt patet etiam in plantis, ergo, &c. & in hoc apparet nobilitas animæ ſuper formas corporum ſimplicium & mineralium, quæ ſunt actus corporis homogenei, & non organici.

Quòd ſit actus, &c. potentia vitã habẽtis, probatur, Quod habet principium operationis vitalis, eſt in potentia vt habeat operationem vitalem, aliter illud principium ſibi fruſtrà ineſſet, ſicut ſi quis ſcientiam haberet & non poſſet conſiderare, fruſtrà eſſet ſciens. Sed animatum habet animã, quę eſt principium operationis vitalis, ergo, &c. Cùm igitur omnes particulæ verificentur de anima, conſtat eius diffinitionem eſſe veram & bene aſsignatam ab Ariſto.

Quantùm ad ſecundam partem, ſcilicet an prædicta diffinitio cõueniat omni generi animæ etiam intellectiuæ vniuocè inuenio duas extremas ſentẽtias. Vna eſt eorũ, qui tenent animam intellectiuam eſſe verè formam informantem materiam & dantem eſſe ſubſtantiale homini, multiplicarique ad multiplicationem corporum, & hanc viam tenet B. Tho. Egidius, Scotus, & Gregorius, non ſolùm vt Theologi ſed etiam ad mentem Philoſophi, vt declarabimus in 3. libr. Iſti tenent hanc diffinitionem conuenire vniuocè omni animæ, eò ꝙ eſſe actum primum ſubſtantialem corporis phyſici, vnitum corpori vt principium eſſendi & operandi inuenitur ſecundùm eandem rationem in omni genere animæ, vt anima eſt: ſed quoniam hæc ratio ſupponit animam intellectiuã eſſe verè formam dantem eſſe, quod differimus probandum vſque ad 3. lib. vbi erit conſideratio noſtra particularis de natura animæ intellectiuæ, ideo pro nunc ſuſtine.

Alia via eſt Com. & ſequentium, vt patet in hoc 2. libr. in com. 7. vbi tenet, quòd eſſe perfectionem, id eſt actum primum corporis dicitur ferè pura ęquiuocatione de anima rationali, & aliis partibus animæ, ex quibus patet quòd tenet diffinitionem animæ non conuenire vniuocè animæ intellectiuæ & animæ ſenſitiuæ, nec purè æquiuocè, quia dicit ferè: ergo analogicè, & hanc viam ſequitur Iand. in lib. 2. q. 3. & dicit quòd ſicut Philoſophus diffinit naturam & motum in 2. & 3. Phyſ. quæ non dicuntur purè vniuocè de ſuis inferioribus ſic diffiniuit vna communi diffinitione animam, licet dicatur analogicè de intellectiua & aliis: & ſecundùm famoſitatem dicitur de prius ſenſitiua, quoniã eſt nobis notior, poſterius autem de intellectiua, ſecundum nobilitatem autem dicitur prius de intellectiua, deinde de ſenſitiua, deinde de vegetatiua, & ad hãc viam declinat, quoniam tenet animam intellectiuam non eſſe actum primum, quo homo eſt homo, ſed quo homo intellectualiter operatur, vt finxit Com. Cùm igitur in lib. 3. declaratum fuerit à nobis quòd Philoſophus ſenſit animam intellectiuam eſſe verè formam, quæ eſt principium eſſendi & operandi in homine, tunc apparebit hanc diffinitionem eſſe vniuocam, & non analogam. Pro nunc igitur adducam rationes Iand. quibus probat eam eſſe non vniuocam & ſunt duæ.

Prima eſt, Corruptibili & perpetuo nihil eſt cõmune vniuocum ex 10. Metaph. ſed anima intellectiua eſt perpetua & aliæ ſunt corruptibiles, ergo non poſſunt habere vnam diffinitionem vniuocam.

Secunda eſt, Si Philoſophus intendiſſet hanc diffinitionem eſſe vniuocã, nõ induxiſſet ſuum ſermonẽ in forma dubitationis, cùm inquit, Si autem aliquod cõmune in omni anima oportet dicere, erit vtique actus primus corporis, &c. Sed ſic introduxiſſet, Cõmune igitur eſt omni animæ eſſe actum primum, &c. Ex eo igitur quòd dubitatiuè concludit innuit hanc diffinitionem non eſſe vniuocã, & aduerte quòd Com. in com. 7. formauit hanc rationem, quam in fauorem ſuum aſſumpſit Iand. ſic enim inquit Com. Et hunc ſermonem in forma dubitationis induxit, cùm dicit, Si igitur aliquod vniuerſale dicendum eſt, &c. excuſando à dubitatione accidente in partibus iſtius diffinitionis, perfectio enim in anima rationali & in aliis virtutibus animæ ferè dicitur pura æquiuocatione, vt declarabitur pòſt, & ideo poteſt aliquis dubitare & dicere quòd anima nõ habet diffinitionem vniuerſalem, & ideo dixit, Si igitur, &c. quaſi dicat, Si igitur conceſſum fuerit nobis quod poſsibile eſt inuenire ſermonem vniuerſalem comprehendentem omnes partes animæ erit iſte ſermo, &c. Hæc Commenta.

Ad primã aduerte quòd propoſitio Philoſophi in 10. Metaphy. & eſt in text. 26. verificatur de vniuocatione phyſica, vt ſuſtinuimus contra Iand. in 10. Metaph. in q. noſtris & eſt quæſt. vltima, qui tenet quòd Philoſ. intendit de vniuoco logico, ſed ipſum illic reprobauimus, vt videre poteris. Vnde dico in propoſito quòd nihil prohibet animam intellectiuã, quæ eſt alterius generis phyſici ab anima ſenſitiua & vegetatiua, conuenire vniuocatione logica in vna communi diffinitione cum ſenſitiua & vegetatiua, ideo ratio Ianduni nullum habet fundamentum.

Ad ſecundã dico quòd Com. nec Iand. exponunt illũ tex. ad mentem Philoſophi, quia non eſt verũ quòd introducat ſub dubitatione, nec vt dubitans, ſed vt determinans: quod ſub difficultate propoſuerat in Proœmio 1. lib. in tex. 8. vbi dixerat, Formidandum autem quatenus non lateat vtrum vna ratio ipſius eſt ſicut animalis, i. vtrum ſit vna generalis ratio animæ, aut ſecundùm vnũquodque altera, vt equi, canis, hominis, &c. id eſt, aut ſit aſsignanda alia ratio de anima, putà ſenſitiua, alia de vegetatiua, &c. Sicut aſsignatur propria ratio equi, & propria canis, &c. Hanc igitur difficultatẽ determinãs in 2. li. in tex. 7. dicit, Si igitur aliquod cõmune, &c. quaſi dicat, Cùm ordo doctrinæ requirat quòd prius conſideretur anima in cõmuni quàm in ſpecie, ex conſequenti accipiatur ſua cõmunis ratio priuſquã ratio ſpecifica, ſi eſt aſsignanda cõmunis ratio ſicut debet aſsignari, erit iſta, Anima eſt actus primus corporis phyſici, &c. & ſignum quòd non induxit hunc ſermonẽ dubitatiuè, ſed determinatiuè ſumitur ex eo quòd in principio ſecundi lib. dicit, Iterum autem tãquam ex principio redeamus tentantes determinare quid eſt anima, & quæ vtique erit communiſsima ratio ipſius, hęc Philoſophus. Sed non inuenitur determinaſſe quæ ſit communiſsima ratio ipſius niſi hîc. Quapropter non eſt acceptanda expoſitio Com. in hoc: nam incipit ponere fundamentum erroris ſui circa animam intellectiuam, & ideo incipit trahere dicta Philoſophi ad imaginationem ſuam.

Quantùm ad tertiũ aduerte quòd duo inſurgunt dubia. Vnũ quidem contra hanc particulã, Anima eſt actus primus. Alterum autem contra hanc particulã, Potentia vitã habentis. Primum ſic formatur, Non videtur quòd anima ſit actus primus, quia eſt nobiliſsimus actus, ſiue forma inter omnes inferiores actus & præcipuè anima intellectiua, vt dictũ eſt in Proœmio primi lib. Sed actus primus non eſt nobiliſsimus, imò actus ſecundus, eò quòd actus primus ordinatur ad ſecundum, vt ad finem & non econuerſò. Nam in 9. Metaph. inquit Philoſophus, Viſum habemus vt videamus & nõ videmus vt viſum habeamus, ſic in propoſito, Animatum habet animam, vt viuat, id eſt, operetur opera vitæ & non ecõuerſò, & Com. dicit in hoc 2. lib. com. 2. quòd actus ſecundus eſt poſtrema perfectio. Debuit ergo anima diffiniri per actũ ſecundum & non per actum primum.

Ad hoc dicitur quòd actus primus & ſecũdus dupliciter conſiderantur. Primò quò ad entitates ſuas, & ſic primus eſt nobilior, quia eſt ſubſtantia, ſi eſt forma ſubſtantialis, licet poſsit eſſe accidens, vt ſunt qualitates naturales & habitus intellectuales & morales & naturales potentiæ, actus autem

fecũdus in quolibet præter quàm in primo principio est accidens, vt dictum est in 12. Meta. Præterea primus est principium secundi & non econuersò, principium autem vt principii videtur esse nobilius principiato. Secundò considerãtur vt stant sub ly Primus & secundus, & sic cõceditur quod ly Primus est minus nobilis eò quòd semper ordinatur ad secundum & non econuersò. Ad argumẽtum ergo dico quòd sufficit animam diffiniri per actum nobiliorem quò ad entitatem suam, non autem inconuenit quòd diffiniatur per minus nobile, vt stat sub tali ordine, eò quòd vt sic melius manifestatur natura animæ intellectui nostro, qui gradualiter procedit ab imperfecto ad perfectum.

Secundum sic formatur, Conceditur cõmuniter q̃ anima vegetatiua semper actu nutrit vsque in finem vitæ, vnde & Phil. in 1. de generatione tex. 41. Igitur nutritur quis quousq; saluat, augmẽtatur autẽ nõ: ergo vel vltima particula diffiuitionis est falsa, vel diffinitio nõ cõpetit omni generi animæ.

Ad hoc dicit Com. in com. 5. quòd anima nutritiua nunquam inuenitur in animalibus, nisi secundùm postremã perfectionem, i. secundùm actũ secundũ, nisi aliquis ponat quòd sit quidem modus animalium, qui non nutritur in aliquo tẽpore, s. in tempore in quo manent in lapidibus, vt ranæ magnæ, quæ nihil thesaurizant, & manent tota hyeme in lapidibus, & similiter plures serpentes: & secundum hoc dictum Com. patet quòd argumentum nihil concluderet, sed quia inquit Philos. in 1. de Generatione, tex. 41. nutritur quis semper quousque saluatur, & dicit Albert. in 2. de Anima. Tract. 1. c. 2. quòd in animavegetatiua videmus ipsam esse magis similem vigiliæ continuæ, quia ipsa quãtùm ad nutritiuæ opera semper agit operationes vitæ, & nunquam quiescit ab eis quandiu anima inest corpori, semper enim vel trahit nutrimentum de membro ad membrõ, vel dissoluit ipsum & alterat & vnit membro, & ideo quantùm ad hunc modum vitæ semper agit vitæ actiones. Quamuis enim quædam animalia quiescant aliquando ab inquisitione nutrimenti exterius, vt vrsi & hirundines & ciconiæ & glires, & fortè mulieres aliquæ, & quædam alia, quæ habent calorem debilem, & est ipsorum viscosa humiditas, & non porrosum corpus, tamen idem calor in eodem tempore quando cibum extra nõ quærunt dissoluit nutrimẽtum & humidum quod est circa locum digestionis, & alterat ipsum & conuertit & attrahit ad membra: nam talia animalia voracia sunt in æstate, quando confortatur eorum calor, quia multi cibi appetitus causatur à frigiditate: & ideo quia calor eorum paùm consumit, sed tantùm conuertit modica alteratione cibum, remanet in eis multa indigesta humiditas, & pinguedo magna operiens interiora omnia eorum viscerum & sunt in eis venæ, &c. vasa stricta multùm propter debilitatem caloris pene tranеis. Et ideo quoniam venit frigus extrinsecum hyemis obturantur pauci porri existentes in corporibus eorum. Et tunc modicus calor non habens quo euaporet cum fumo humido redundat ad interiora ad locum digestionis & generat in eis flegma abundans & obstruens vias nutrimenti, & sic cessat in eis appetitus, & quiescunt ab inquisitione exterioris nutrimenti. Et humiditas grossa euaporans cerebra eorum facit ea quasi ebria & somnolentia, & ideo iacent immobilia, & sagacitate naturæ prouident sibi de cauernis. Et huius signum est, quia egredientia de cauernis inueniuntur macilenta eò quòd cõsumpta est humiditas impinguans ea. Hæc Albertus, ex quibus patet quòd vegetatiua semper nutrit etiam animalia de quibus loquitur Com. Et ideo Com. in eo. com. 5. quasi non stabiliens primum dictum, subiũgit, quòd non nocebit hoc accipere indefinitè in hac diffinitione. q. d. Et si est verum quòd omne animal omni tempore nutriatur, etiam quæ non videntur nutriri habitantia in hyeme in lapidibus, tunc hæc particula, Potentia vitam habentis accipienda est indefinitè, quia & si non conuenit omni animæ, quia non cõuenit vegetatiuæ, conuenit saltem sensitiuæ, nam in somno est potentia vitam habens, & conuenit intellectiuæ, quæ non semper intelligit. Sed quia Philosophus in tex. 8. dicit, Vniuersaliter quidem igitur dictum sit quid sit anima, ideo debemus saluare quòd hæc diffinitio omni genere animæ conuenit.

Tu igitur aduerte q̃ cùm operationes animæ vegetatiuæ sint tres, s. nutrire, augere, generare, de quibus loquemur infrà, ad hoc quòd saluetur illa particula diffinitionis, Potẽtia vitam habentis sufficit q̃ nõ semper sit coniuncta alicui harum operationum. Et posito quòd semper esset cõiuncta nutritioni quandiu animal viuit, non tamen semper est coniuncta augmento, nec generationi, vt patet.

Potes etiam dicere quòd anima vegetatiua dupliciter cõsideratur. Primò vt anima est. Secundò vt est coniuncta qualitatibus actiuis, per quas operatur, inter quas præcipua est calor. Ad propositum dico, quòd vt anima est non repugnat eam esse separatam ab omni actione sua, & sic considerãtur eam Philos. in diffinitione data. Secundum autem q̃ est coniuncta qualitatibus actiuis cõcedo quòd semper est in actu respectu, & sic nõ respectu omnium operationũ suarum, sed respectu alicuius, putà nutritionis. Sed id conuenit ei propinquato passo ex 9. Metaph. Non incõuenit ergo q̃ hæc particula, Potentia vitam habentis verificetur de omni anima inquãtùm est anima, & tamẽ quòd aliqua anima ratione qualitatum actiuarum semper sit coniuncta alicui operationi suæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Num ex anima & corpore fiat vnum per se & propter quam causam.

Vnde non oportet quærere si vnum est anima, & corpus sicut neque cera & figura, tex. 7.

IN hac quæst. aduerte q̃ hoc propositum iam pertractãtimus in 8. Metap. & declaranimus quomodo ex materia & forma fit vnum per se, nõ autem ex subiecto & accidẽte, sine vnum fit accidens propriũ, siue cõmune. Ideo non reputo amplius repetendum, sed vide illic. Tantùm videdum est, quam veritatem continet dictum Philosophi, qui est in tex. 7. postquam dixit, Vnde nõ oportet quærere si vnum est anima & corpus sicut neque figura & cera, neq; omninò vniuscuiusq; materia, & id cuius est materia, subiungens rationem dicti sui inquit, Hoc enim vnũ & esse cum multipliciter dicãtur, quod magis propriè est actus est. Vbi Com. inquit, Forma magis digna est vt habeat hoc nomen vnum, & ens, quam illud quod est congregatum ex materia & forma: hæc Com. Sed hoc videtur falsum, quoniam esse propriè est eius quod fit ex 7. Meta. sed forma non est id quod fit, sed cõpositum, vt probat illic Philos. ergo forma non est id quod propriè est, sed quo aliquid est. Præterea, quod propriè est nõ habet esse in alio, sed per se, sed forma præcipuè materialis, habet esse in alio & nõ per se, nec potest separatim existere: ergo esse id quod propriè est nõ competit formæ vt forma est. Accipit enim Phil. actum pro forma quando dicit, Quod proprie est, actus est.

Ad hoc respondetur quòd dictũ Philosophi potest habere duplicẽ sensum. Primò sic, Quod propriè est vt quod est sicut suopositũ, & nullo modo vt quo est actus est: & hic sensus est falsus, quoniam cùm forma sit principium formale essendi de necessitate est id quo est. Secundo sic, Quod propriè est vt quod & quo actus est, & sic verum, sed non vniuersaliter de omni actu, sed de actu non educto de potentia materiæ vt est anima intellectiua, vt dicemus in lib. 3. quæ licet informet materiam, & vt sic sit vt quo, tamen quia potest separatim existere est quo & quod, quilibet actus autẽ eductus de potentia materiæ habet solum rationem, vt quo.

Sed dices, Cùm Philosophus loquatur de actu & de anima vniuersaliter, quomodo verificatur dictum suum, respõdeo debet exponi originaliter vel dependenter sic, Quod propriè est, id est, quod est principium, & à quo pendet esse rei, actus est, quoniam vnumquodque compositum intantùm habet esse inquãtùm est actu, est autem actu per actum, id est, per formam, ergo, &c.

Sed dices, Si dictum Philosophi non est verum nisi in ratione principij à quo compositum habet esse actu, ergo dictum Com. scilicet quòd forma sit magis digna, vt habeat hoc nomen Ens quàm compositum est falsum: respondeo, Concedo quòd est falsum, nec potest sustineri in via Thomistica. Et radix suæ falsitatis fuit, quia arbitratur solam formam esse totam quidditatem rei compositæ, & nomen speciei prius verificari de forma quàm de composito, vt dicit expressè in 8. Metaph. in commen. 7. vbi inquit, Et intendebat quòd hoc nomen Animal dicitur principaliter per formam & dicitur de cõgregato ex materia & forma secũdarò, scilicet, quia dicitur de forma. Nomen enim non significat rem nisi secundùm quòd est in actu, & causa actus in composito est forma. Et cùm duo fuerint quorum alterum est causa reliqui, illud quòd est causa dignius habebit nomen. Illud enim nomen est secundi propter primum. V. g. Resca lidæ, quoniam non habent nomen Caloris nisi propter calorem ignis qui est in fine. Et ideo cum fuerint plura quæ nomen idem habent propter aliud, illud aliud est dignius habere illud nomen, & erit causa illorum. Hæc Com. Sed in 7. lib. Metaph. formauimus quæst. 9. contra hanc viam. & sequimus rationem Comm. & sequacis sui Iandu. fundatam in supra-

dicto com. ideo vide illic. Nec curabis quæ dicit Iand. in hoc 1. de Anima, in q. 4. ibi, Ex hoc enim patet error, &c. Nam illic loquitur contraviã nostram, in qua tenemus quòd forma nõ est propriè ens, vt quod est, sed est quo aliquid est. Ipse autem tenet oppositum & dicit, Forma propriè est, & secundùm Arist. & secundùm Com. Et ex hoc ipso, q̃ ipsa formain composito sola est illud, quod propriè est, & quod propriè est vnum, cõuincitur quòd ex materia & forma fit vnũ simpliciter & propriè. Et hanc suam imaginationem conatur probare dupliciter.

Primò sic, Hæc propositio est vera in primo modo dicẽdi per se, Forma substantialis est ens, modò esse & ens sunt idẽ realiter & essentialiter, vel vnum necessariò sequitur ad alterum per se. Vnde idem est realiter quòd forma fit & quòd ipsa fit ens. Cùm ergo forma sit ens per se, ipsa per se est, ergo quod propriè est, actus, id est forma est.

Secundò sic, Sicut nõ differunt realiter secundùm Philo. in 1. Metap. in c. de Ente, Homo cõualescit & homo conualescens est, sic nihil differt dicere, Forma est ens per se, & forma est per se. Cùm igitur forma sit per se ens, quia ens prædicatur de vnoquoq; per se, sequitur q̃ forma per se est. Et ideo decipiuntur iuuenes qui radicantur in hoc dicto principio, scilicet, Nec forma, nec materia propriè est, sed compositum est quod propriissimè est. Hic enim est error, vt patet cuilibet sani capitis.

Sed non aduertit Iand. q̃ in hac sua imaginatione declinauit à doctrina Philo. in 7. Metap. tex. 27. vbi tenet nec formã nec materiam per se fieri, nec per se generari, sed compositũ. Constat autẽ ex doctrina Philo. quòd cùm generatio fit processus à non esse ad esse, non alio modo forma habet esse quã quòd generetur, sed non generatur per se secundùm Philo. ergo nõ habet esse per se, nec per se est. Solùm autem cõpositum per se generatur, ergo habet esse per se, & per se est.

Ad primam rationem Iand. concedo quòd hæc est vera, Forma est ens, prout ens in 5. Metaph. c. de Ente significat x. prædicamenta, & omnis forma est substantia, vel accidens. Et admitto pro nũc quòd esse & ens sunt idem in hoc sensu, q̃ ens stet participialiter, nam vnumquodque eo modo quo existit, habet esse, & concedo q̃ idem est quod forma fit, & q̃ ipsa fit ens. Sed nego hãc consequentiã. Forma est ens per se, ergo ipsa per se est, quoniam sit transitus ab ente nominaliter sumpto ad per se esse. Nam in antecedente, ly Ens per se, sumatur nominaliter, concedo ipsum, quoniam ly Ens per per se distinguitur contra ens per accidens, & contra ens in alio subiectiuè, & sic esse ens per se conuenit formæ substãtiali & materiæ primæ & cõposito, & tamen hoc consequẽs est falsum, Ergo forma per se est, & materia prima per se est. Et ideo negatur cõsequentia. Si autem tu vis q̃ in antecedẽte sumatur ens per se participialiter, nego ipsum, quia nõ verificatur nisi de cõposito, & de sola forma non educta de potẽtia materiæ, quæ est anima nostra, eò q̃ est per se subsistẽs, vt declarabitur in lib. 3. Et breuiter decipitur Iand. quia ex eo quòd est forma ens per se inducit quòd sit per se, quæ inductio nulla est, quoniã ex ente per se nominaliter sumpto, non potest inferri esse, vel existere per se.

Ad secundã nego similitudinẽ, quia cõualescens stat participialiter, & ideo non differt à ly Conualescit. In proposito autẽ, cùm dicitur, Forma est ens per se, non stat ly Ens participialiter, sed nominaliter, & ideo non potest inferri, Ergo forma per se est, cõsequẽs enim dicit existẽtiã, quã nego per se cõuenire formæ, antecedẽs autẽ dicit entitatẽ quã cõcedo per se cõuenire formæ substãtiali, eò q̃ nõ est entitas per accidens, nec entitas accidẽtis, quę respicit subiectũ inherẽter, saltẽ aptitudine, vt determinauimus in 7. Meta. in q. nostris. Non ergo decipiũtur iuuenes ex doctrina nostra, sed potius ex imaginatione Iand. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Num ablata forma dolabra remaneat dolabra.

Diuisa autem hac, scilicet forma, non vtique amplius dolabra erit, sed aut æquiuocè. tex. 8. Nunc autem est dolabra.

IN hac q. aduerte antequàm deueniamus ad decisionem q̃ Philos. in hoc tex. 8. intẽdit declarare differentiã inter formam substantialem & formã accidentalẽ, siue inter formã naturalem & formam artificialẽ: & stat in hoc, Quando removetur forma naturalis nõ remanet res, nec materia proxima rei, nisi æquiuocè. Vt quãdo remouetur anima ab homine, nõ remanet homo, nec idem oculus, nec eadem caro nisi æquiuocè. Et signũ huius trahitur ab operatione, quæ removetur. Vnde Philo. in 4. Meteo. tex. vlt. dicit quòd ablata propria operatione à re, res non permanet nisi æquiuocè. Si autẽ auferatur forma artificialis ab artificiato, remanet artificiatum saltem quò ad substantiam & materiam proximã, licet mutetur quò ad talem formam, quia non remanet eiusdẽ figuræ. Et dat exemplum in artificiatis, quæ reponũtur in prædicamento substantiæ quò ad materiã tantùm, formæ enim eorũ sunt accidentia, & ponũtur in quarta specie qualitatis. Et dicit quòd quia dolabra est artificiatũ, cuius forma, s. acumen est accidens, si auferatur acumen adhuc remanet dolabra. Si autem dolabra esset corpus Physicum, remoto acumine non remaneret dolabra nisi æquiuocè.

Pro resolutione quæsiti sic procedẽdum est. Primò declarabitur in quo stat difficultas consurgens cõtra dictum tex. Philos. Secũdò ponetur expositio Com. Tertiò expositio B. Th. & Egid. quam sustinebimus, & sic terminabitur quæsitũ.

Quantùm ad primum aduerte, quòd nõ videtur posse stare dictum Philosophi, scilicet quòd quia dolabra est corpus nõ physicum, sed artificiatum, ideo remota forma dolabræ, adhuc est dolabra. Nam cõtra hoc sic arguitur, sicut se habet corpus physicum ad formam suam naturalem, sic corpus artificiatũ ad formam artificialem, sicut enim illud est actu in rerum natura per formã suam, sic istud est actu in genere & natura artificialium per formam suam. Sed non dicitur corpus naturale esse tale, putà animatum, nisi per formã, nec remanet remota illa, vt dicit Philosophus hic, ergo non dicitur corpus artificiatum esse tale, nec remanet nisi forma remaneat. Quomodo ergo est verum quòd remota forma dolabræ adhuc est dolabra.

Quantùm ad secundum aduerte, quòd hic sunt duæ expositiones, vna est Com. alia B. Tho. cui concordat Alber. & Egid. vt dicemus. Sed priùs pertractemus opin. Com. Aduerte igitur quòd in com. 8. conatur saluare dictũ Philosophi, vt sonat, scilicet, quòd remaneat dolabra quam appellat secũrim, & quò ad nomen & quò ad diffinitionem, ita quòd remoto acumine vt forma, adhuc est securis. Et fundat se super tres propositiones. Prima est, Hoc nomen securis siue fuerit naturale, siue artificiale, dicitur de congregato ex materia, scilicet ferro, & forma, s. acumine. Secunda est, Nomen compositi naturalis in hoc differt à nomine compositi artificialis, quia in naturalibus dicitur primo de forma & secundarò de congregato. In artificialibus autem ecõuersò, quia primò de materia & secundarò de congregato. Et hoc est manifestũ in doctrina sua, quoniã arbitratur in naturalibus formam esse totam quidditatem & substantiam, vt patet in 8. Meta. com. 7. In artificiatis autem sola materia est tota rei substantia, quoniã artificialis forma est accidens. Tertia propositio, quæ licet non sit in d. com. 8. formaliter, excipitur tamen corollariè. Si illud quod est primo significatum per nomen permanet, verum est dicere quòd illa res permanet eadem & non solùm æquiuocè. Et ex his sic arguitur ad mentẽ Com. Remota forma securis, adhuc remanet illud quod primo significatur per nomen securis. Sed ex secunda propositione per nomen securis primo significatur materia, ergo remota forma securis adhuc est securis.

Sed hanc expositionem tu Thomista non sequeris, quoniã secunda propositio quò ad primã partem est falsa in via nostra. Nam in 8. Meta. q. 8. determinauimus cõtra Com. nomẽ Substantiæ compositæ prius significare compositum quàm formam. Similiter secunda pars eiusdem propositionis videtur contra Phil. Nam in 2. Phy. tex. 11. eodẽ modo cõparantur naturalia & artificialia ad formas suas ad hoc quòd sint actu. Vnde dicit illic Philo. Sicut lignum nõ est lectus nisi habeat speciem, i. formam lecti, sic nec caro est caro nisi habeat speciem carnis. Ergo ad mentem Philos. non remanet dolabra nisi habeat speciem dolabræ. Quare dictum Com. non videtur sustentabile nisi in sensu, quem dicemus infrà.

Quantùm ad tertium aduerte q̃ B. Th. arbitratur dictum Philosophi, s. Nunc autem est dolabra, debere intelligi quò ad materiam proximam præcisè, quæ est tota substantia dolabræ. Et dicit q̃ in hoc sufficienter distinguitur forma naturalis à forma artificiali, eò q̃ cùm illa sit pars substantiæ rei naturalis compositæ mutata tali forma nõ remanet res substantialiter, nec eius materia proxima. Econtrà, quia forma artificialis non est de substantia artificiati cùm sit accidẽs ea remota non remouetur artificiatum substãtialiter: stat enim materia proxima, quę est tota substantia sua, quæ materia est corpus naturale cõpositum ex materia & forma sua substãtiali, putà ferrũ, aut lignũ. Iuxta igitur hãc expositionẽ dictũ Philosophi est verũ, quò ad substantiã dolabræ, sed non est verum formaliter sumendo dolabram, vt est compositũ artificiatum. Non est enim actu artificiatum nisi per formam

suam artificialē; & confirmatur, Sicut corpus naturale remota sua forma non habet suam propriam operationē, sic nec artificiati materia remota forma artificiali, patet enim quòd ferrum non scindit remoto acumine: ergo sicut in genere naturalium remota forma res non permanet, sic nec in genere artificialium artificiatum permanet remota forma artificiali. Ad argumētum ergo diceret B.Tho. quòd cōcludit respectu aggregati, non autē respectu materiæ proximæ. Vnde cōcederet quòd sicut homo nō est homo remota anima, sic dolabra non est dolabra remoto acumine, remanet tamen quò ad substantiam, quæ est ferrum. Et sic habet intelligi dictum Philosophi. Idē sentit Egid. idē & Alber. Vnde in 2. de Anim. Trac. 1. c. 3. sic inquit, Si dolabra sit corpus physicum, & corpus dolabrale, quod est ferrum, separetur à forma dolabræ, iam non habebit nec nomē, nec rationem dolabræ, nisi æquiuocè: nec ferrum habebit rationem ferri, sed quòd ferrū adhuc est ferrum separata ab ipso forma dolabræ, apud vsum loquendi ideo est, quia dolabra est organum artis, & nō physicum. Et corporum artificialiū superius diximus, esse principia corpora physica, quæ formas physicas retinent in eis, hæc Alber. Ex quibus constat quòd hæc propositio non est vera; Dolabra est dolabra remota forma sua, nisi quia ferrum est ferrum post remotionem formæ dolabræ, quod est corpus physicum, & est tota substantia dolabræ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num manifestum sit animam non vniri corpori, vt nauta vnitur naui.

Amplius immanifestum est, si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis. tex. 11.

Quāquā pateat animā esse actū corporis, immanifestū tamen est, num vniatur corpori vt motor, an formaliter & perfectiuè.

IN hac quæst. aduerte, quòd difficultas stat in hoc, Philo. in supradictis voluit pro manifesto haberi, ꝙ anima sit forma substantialis, quæ dat esse ei, cuius est forma. Cōstat autē quòd nauta non dat esse naui, ergo videtur sibi contradicere dicens in tex. præposito ꝙ est immanifestum, &c. illud quod supra sensit manifestum. Quod autē hoc senserit in supradictis patet, quoniam in tex. 7. dixit animam esse primum actū coporis Physici. Primus autem actus est forma substātialis, quę dat esse. Item in eo. tex. dixit, Non oportet querere propter quid ex anima & copore sit vnum. Quod dictum nullā habet apparentiam, si non supponitur quòd anima sit forma dans esse. Non enim vanum est quærere, si per aliquod medium vnitur motor mobili, sicut nauta naui, s. per virtutem motiuam. Non enim ex motore & mobili fit vnum per se, sicut ex materia & forma. Item dixit in tex. 8. animā esse substantiam secundùm rationem, i. à qua sumitur quod quid erat esse viuentis. Sed à motore nō sumitur quod quid erat sui mobilis, cùm non det imò supponat esse mobilis. Patet ergo, ꝙ Philosophus sensit in prædictis & concludit animam esse formam corporis, & non tantùm motricem. Quomodo igitur immanifestum est si anima vnitur corpori vt nauta naui?

Pro solutione huius dubitationis, & vt auferamus omnem repugnantiam à dictis Philosophi, aduerte quòd dupliciter responderi potest.

Primò potest dici, quòd dictum Philosophi aut intelligitur de anima, vt sub se continet vegetatiuam, sensitiuam, intellectiuam, aut de anima tali, putà vegetatiua, vel sensitiua: si primo modo, sic est immanifestum, scilicet vtrum omnis anima sit actus, &c. quoniam non omnis anima habet potentias, quæ eodem modo respiciant corpus. Nam potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ sicut patet ad sensum sunt organicæ, & vt sic inseparabiles à corpore. Et de his animabus constat, quòd sunt forma corporis, & non vniuntur vt nauta naui, quoniam inseparabiles sunt. Potentiæ autem intellectiuæ, cùm non exerceant actiones per organa, videntur nullius corporis esse actus. Constat tamen quòd denominant hominem esse intelligentem, ex consequenti necesse est animam intellectiuam vniri homini, sed qua vnione, vtrùm vt principium essendi vel solùm vt principium operandi immanifestum est, eò quòd potentiæ suæ inorganicæ sunt. Et putatur à multis hanc fuisse intentionem Philosophi. Vnde in text. 11. postquam dixit quòd quædam animæ partes sunt inseparabiles statim subiungit, Amplius immanifestum si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis. Quod quidem dictum si referatur ad immediatè prędicta, patet quod debet intelligi de anima intellectiua, de qua secundum multos & solemnes, vt declarabitur in lib. 3. Philosophus semper fuit dubius. Et ideo nō est mirum si illud est sibi immanifestum. Si autem dictum Philosophi intelligatur de tali anima, putà sensitiua, dico quòd fuit sibi manifestum eò quòd non habet aliquam operationem sine organo. Et sic de sensitiua & vegetatiua dicunt intelligi text. Philosophi adducti in principio quæstionis, ex quibus argumentatum est animam esse actum non sicut nauta naui. De intellectiua autem tantùm intelligendum est quod dicit, Amplius immanifestum, &c. Et sic nulla est repugnantia in dictis Philosophi.

Sed tu aduerte quòd hæc responsio videtur declinare ad viam Commenta. qui tenet, vt diximus suprà, diffinitionem datam de Anima non conuenire vniuocè vegetatiuæ & sensitiuæ & intellectiuæ. Et ideo secūdum imaginationem suam cùm Anima intellectiua non sit vniuocè perfectio corporis diceret esse immanifestum Arist. si est actus vt nauta nauis. Verùm quia B.Th. vt videbitur in 3. lib. assumet eam contra Commen. & manifestabitur quomodo diffinitio de Anima vniuocè conuenit etiam intellectiuæ, ideo non quiesces in responsione data.

Sed ad mentem B.Tho. sic respondebis, Quoniam Philosophus supra concluserat animam esse actum corporis eò quòd separata anima non est actu viuens posset aliquis dubitare quomodo sit actus. Nam aliquid potest dici actu tale ad præsentiam alicuius dato quòd non sit forma, sed sufficit quòd sit motor. Sicut combustibile ad præsentiam comburentis actu comburitur, & quodlibet mobile ad præsentiam mouentis actu mouetur. Simili modo aliquis posset dubitare vtrùm corpus sic viuat actu ad præsentiam animæ, sicut mobile mouetur ad præsentiam motoris, an sicut materia est in actu ad præsentiam formæ, & maximè quoniam Plato posuit animam non vniri corpori vt formam, sed magis vt motorem & rectorem, ideo post præmissa insinuat hanc dubitationem dicens, Amplius immanifestum, &c. q.d. Licet conclusum sit animam esse actum corporis, tamen immanifestum est adhuc de modo, quo sit actus, id est quomodo facit corpus viuere actu, an vt forma, an vt motor, vt Plato tenuit. Et ideo in tex. 12. incipit Philoso. præparare secundam diffinitionem de anima, per quam demonstrabit primam, & manifestabitur quomodo anima est actus non vt motor, nec facit corpus viuere efficienter, sed formaliter, ex consequenti manifestum erit quòd anima vnitur corpori vt forma materiæ & nō vt motor mobili, sicut tenuit Plat. Hęc responsio resoluta est & quadrat literæ, & aufert omnem repugnantiam à dictis Philosophi. Nam bene stat manifestum esse quòd anima est actus corporis, sed immanifestum esse modum, quo actuat corpus, an effectiuè & motiuè, vt tenet Plato, an formaliter & perfectiuè, vt infrà in quæst. sequenti manifestabitur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Num prima diffinitio de anima conuenienter demonstretur per secundam, & quæ demonstratio sit illa.

Quoniam ex incertis quidem, certius autem fit. textu 12.

IN hac quæst. aduerte quòd difficilis est ad resoluendum, propter varietatem Expositorum. Nam B.Th. tenet quòd prima diffinitio de anima est prior secundùm naturam & dicit causam, sed est posterior quò ad nos, id est quò ad cognitionem nostram. Diffinitio autem secunda est prior quò ad nostram cognitionem, quia datur per operationes animæ, quæ nobis notiores sunt quàm essentia animæ. Et quoniam à notioribus nobis debemus procedere & probare minus nota nobis, licet fortè sint priora & notiora secundùm naturam, ideo Philosophus per diffinitionem secundam demonstrat primam.

Sed contra hoc sunt duæ instantię. Prima est, Si prima diffinitio est minus nota nobis, magis autem nota secundùm naturam, & secunda est econuersò, ergo Philosophus debuit incipere notificare animam per secundam diffinitionem, deinde ponere primam & eam probare per secundam. Nam iste est ordo doctrinæ, quem nos docuit Philosophus in 1. Phys. vt procedamus à notioribus nobis.

Ad hoc dicimus ꝙ ordo doctrinæ in hac sciētia est duplex, s. ordo proponendi, & ordo probandi, ac determinandi. Ordo proponēdi est secundùm ordinē naturæ. Debemus enim proponere ꝙ de anima tractandum est, & de potentiis & de actibus & de obiectis. Ordo autē probandi & determinādi est secundū ordinem proportionatū nostro intellectui, vt s. procedamus in propositionibus à magis sensatis, quæ prius cadunt in cognitione nostra. Vnde procedentes in cōsideratione de anima quò ad viam probatiuam & declaratiuam incipimus ab obiectis, & per obiecta notificantur nobis actus

& per actus potentiæ, & per potentias substātia animæ. Et hūc ordinem seruat Philosophus in processu huius 2. lib. sic fecit in diffiniendo animam. Proposuit primò diffinitionem priorem secundum naturam, deinde diffinitionē priorem quò ad nos. Cùm autem voluit demonstrare alteram earū, per eam quæ nobis notior est, sed posterior secundùm naturam demonstrauit minus notam nobis, sed priorem secundùm naturam. Et sic patet quòd Philo. in demonstrando seruauit ordinem doctrinæ, quem ipse docuit in 1. Physic.

Secunda instantia est, Si secunda diffinitio est prior quò ad nos & posterior secundùm naturam, ergo non dicit causam primæ diffinitionis, nec per eam, vt dicentem causam potest demonstrari prima diffinitio, cuius oppositum innuit Philosophus in tex. 12. vbi dicit, quòd non solùm oportet rationem diffinitiuam ostendere rem diffinitam, sed etiam ostendere causam inesse & demonstrare, &c.

Ad hoc diceret B.Tho. quòd ordine naturæ prima diffinitio dicit causam in essendo, & secunda dicit effectum. Ordine verò nostræ cognitionis prima dicit quia, secunda autem dicit propter quid, non in essendo, sed in inferendo. Nam medium, quod in probando assumimus etiam quòd secundùm naturam sit effectus habet rationem illatiuæ causæ. Conclusio verò habet rationem effectus etiam quòd sit causa secundùm naturam, prout est illata per tale medium. Et quoniam mens Philosophi in tex. 12. sumenda est secundùm ordinem cognitionis nostræ, & non secundùm ordinem naturæ, ideo patet quomodo secunda diffinitio dicit causam in inferendo & notificando, non autem est necesse quòd dicat causam in essendo. Et sic concedo vt instantia probat quòd non dicit causam secundùm naturam. Nec est cōtra Philosophum, quoniam intendit de causa aut in essendo & demonstrando, vt exemplificat de tetragonismo & orthogonio, aut in demonstrando tantùm, vt in proposito, & quandocunque per effectum demonstramus aliquid de causa.

Quantùm ad secundam partem, s. quæ demonstratio sit hæc, qua demōstramus primam diffinitionem de anima per secundam, inuenio varias opiniones, quæ omnes possunt sustentari, licet intendā determinare secundùm mentē B.Tho.

Com. in com. 12. dicit quòd Phil. intendit hic inuestigare quomodo anima sit diffinięda diffinitione propria, eò quòd prima diffinitio est vniuersalis & nō sufficit ad notificandū naturā animæ. Et ideo assignare oportet diffinitionem propriam & specificā per causam propriam & propinquā, per quam declaretur natura animæ in specie, putà natura animę vt vegetatiuæ, & vt sensitiuæ, &c. Et quando Phil. dicit quòd prima diffinitio animæ est conclusio demonstrationis, & secunda est principium, Cōment. vult hoc intelligi secundùm similitudinem, vnde inquit, Non intendebat Phil. quòd ista diffinitio inducta in anima, s. Anima est actus corporis, sit conclusio demonstrationis, sed intendebat quòd est ex genere diffinitionum, secundùm quòd tales diffinitiones sunt vniuersales. Et istæ diffinitiones aut sunt conclusiones, aut sunt similes diffinitionibus, quæ sunt conclusiones demonstrationis. Neque etiam intendebat quòd diffinitio quærenda hic in vnaquaque partium animæ est ex diffinitionibus, quæ sunt quasi principium demonstrationis, ità quòd sint manifestæ per se, sed intendebat quòd est ex genere illarum diffinitionum, quæ sunt quasi principium demonstrationis, aut sunt similes diffinitionibus, quæ sunt quasi principium demonstrationis. Et ideo sermo Philosophi ita debet legi, Sed etiam causa erit inuenta & manifesta in cap. 1. Sed sermo diffiniens animam perfectè, debet esse vt causa propinqua sit manifesta in ea. Et ista diffinitio est ex diffinitiōibus, quæ assimilātur diffinitionibus, quæ sunt principia demonstrationis, inquātùm est propria diffinitio. Diffinitio autem, quam dedimus modo in anima, est ex diffinitionibus, quæ assimilantur diffinitionibus, quæ sunt conclusiones demonstrationum, secundùm quòd est generalis omnibus partibus animæ, & non est inducta in ea causa propinqua. Hæc Com. Ex quibus elicitur quòd secundùm Comment. Philosophus non demonstrat primam diffinitionem per secundā, sed naturam animæ quam imperfectè notificauit per primam diffinitionem, vtpotè generalem, intendit perfectiùs notificare per secundam, vtpotè propriam & specificam, & datam per causam propinquam. Nam esse principium primum nutriendi, augendi, generandi conuenit propinquè & conuertibiliter animæ vegetatiuæ: esse autem actum primum corporis viuentis, non conuenit alicui generi animę conuertibiliter, sed est commune omni generi animæ, ideo anima per primā diffinitionem non cognoscitur nisi in genere. Vnde secundùm Comment. non oportet quærere quæ demonstratio sit ista, quoniam non concedit primam diffinitionem demonstrari per secundam, sed naturam animæ perfectius notificari per secundam quàm per primam.

Egid. autem arbitratur dicendū quòd Phil. dat duas diffinitiones de anima, s. communem omni animæ, putà quòd est actus primus corporis, &c. & alteram propriam cuilibet generi animæ, putà quòd vegetatiua est primum principium nutriendi, augendi, & generandi, & sensitiua est primū principium sentiendi: & intellectiua est primum principium intelligendi. Et quoniā diffinitio propria perfectior est quàm communis, eò quòd facit perfectiùs & distinctiùs scire diffinitū, ideo secunda potest dici diffinitio propter quid, & prima diffinitio quia. Et quoniam diffinitio propria non potest probari per communem nisi negatiuè, communis autem potest probari per propriam affirmatiuè, ideo diffinitio communis est conclusio demonstrationis, secunda autem, quæ est propria, est principium demonstrandi primam. Quòd autem communis diffinitio non possit probare propriā affirmatiuè, sed negatiuè patet hîc, Nō valet, Anima est actus primus corporis, &c. ergo est principium vegetandi, augendi, generandi tantùm. Negatiuè autem bene sequitur, Anima non est actus primus corporis, &c. ergo non est primū principium vegetandi, &c. Quod autem per propriam probetur communis affirmatiuè patet hîc, Bene valet, Anima est principium vegetandi, &c. ergo est actus corporis physici, &c. Ex Egid. igitur elicitur, quòd prima cùm sit communis conuenienter demonstratur per secundam, quia est propria, & quòd hæc demonstratio potest dici propter quid. Nam vt Phil. dicit in 1. Poster. demonstratio, quia est duplex, quædā est per causam communem & remotam; quædam per effectum. Velle ergo inuestigare naturam animæ per diffinitionem communem datam de anima, est ire per causam cōmunem & remotam, & demōstrare quia, sed ire per diffinitiones proprias, & per causam specialē est incidere magis propter quid. Quare demōstratio qua demonstratur prima diffinitio per secundam, est magis propter quid, quàm quia. Hanc expositionem non reputo falsam. Determinationem tamen, quam faciam, reputo magis ad intentionem Philos.

Vt igitur determinemus propositum aduerte quòd aliter tenendum est secundùm Albertum aliter secundùm B. Tho. & vtraque via potest adaptari textui, poterisque tenere vtranque per distinctionem quam formabimus.

Tu igitur aduerte quòd in secunda diffinitione, qua dicitur quòd anima est principium vegetandi, sentiendi, mouendi, &c. ly Principium potest sumi dupliciter. Primò actualiter, ita quòd anima actu sit principium harū operationum. Secundò habitualiter, vel aptitudine naturali, ita quòd licet anima non esset actu principium talium operationum, tamen est talis naturæ, quòd sibi competit essentialiter esse primū principium talium operationum. Ex hac distinctione dico duo. Primò si secunda diffinitio datur per ly Principium sumptum secundo modo, sic secunda est prior quàm prima ordine naturæ, & dicit propter quid non solùm in inferendo, sed etiam in essendo, & demonstratio primæ per secundam est demonstratio propter quid. Ratio enim propter quam anima informat & perficit corpus est, quia animæ competit ex natura sua esse principium primum operū vitæ. Nulla enim ratio est quare anima actuat materiam nisi vt ab ea vt à prima radice emanant opera vitalia, sicut nulla ratio est quare sanitas perficit corpus nisi quia dat esse sanum, & est principium ex natura sua operum conuenientium sano. Et hanc viam secutus est Albertus, ideo tenet quòd secunda diffinitiò sumpta est à principio secundo modo accepto, & ex consequenti hæc demonstratio est propter quid, quia per causam propinquam sic deducendo, Cui competit ex natura sua esse primum principium viuendi, augendi, &c. est actus primus corporis physici, &c. anima est talis, ergo, &c. Et hæc quidem expositio videtur conformis textui, eò quòd exemplificat Philosophus de demonstratione mathematica tetragonismi, quam constat esse propter quid. Et quod hæc fuerit mens Alberti patet in secundo libro, in Tractatu 1. in capite 5. vbi sic inquit, Oportet enim quod id, quod communiter rei attribuitur, sicut animæ communiter attribuitur quòd sit actus corporis physici per causam propriam inesse probetur. Et hoc non potest fieri nisi tali diffinitione & modo, quæ dicat causam, quare anima sit actus corporis.

Hoc autem erit si acceperimus secundùm quamlibet partem animæ quòd ipsa est principiū & causa huius vitæ, i. ope-

rationis vitalis, quæ exercetur in corpore physico, tũc enim habebitur propositum. Cùm enim habuerimus quòd quicquid essentialiter est principiũ & causa huius vitæ, quæ exercetur in corpore physico organico, est actus corporis physici organici. Et coniunxerimus istam, quòd anima est essentialiter principiũ & causa huius vitæ, quæ exercetur in corpore physico organico, concludemus demonstratiuè, quòd anima est actus primus corporis physici organici. Et sic concludemus superiùs inductam diffinitionem per eam, quæ dicit causam eius, sicut diximus in exẽplo geometrico iam inducto. Hæc Albertus.

Si autem secunda diffinitio sumatur à ly Principio accepto primo modo, sic prima diffinitio est prior secunda ordine naturæ, prius enim natura anima informat & est actus corporis physici organici, quàm ab ea actualiter procedant opera vitæ. Et demonstratio est quia, scilicet ab effectu, & non dicetur esse per causam nisi in inferendo, effectus enim comparatus causæ in essendo, solùm effectus est, in cognoscẽdo autem & probando aliquid de causa, apud nostrũ intellectum habet rationem causæ, & causa habet rationem effectus non in esse, sed in cognosci. Et de hoc iam locuti sumus in 6. Metaph. in Quæst. nostris. & quoniam B. Tho. in expositione tex. 12. arbitratur secundam diffinitionem sumptam à principio primo modo accepto, ideo tenendũ est secundùm ipsum diffinitionem secundam esse posteriorem prima ordine naturæ, & demonstrationem esse quia. Et quando dicit Philosophus quòd oportet diffinitionẽ afferre quæ causam ostendat, intelligendum est de causa in inferendo & probando, & illa sufficit, vt suprà diximus. Ad resolutionem igitur vlcimam quæsti potes tenere cum Albert. & B. Tho. per diffinctionem datam. De Egidio autem & Commen. nõ multùm curabis in hoc, quoniam videntur extorquere textum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Num in partibus animalis anulosi post diuisionem remaneat anima, quæ sit principium motus localis & habeat phantasiam.

Sicut enim in plantis quædam diuisa videntur & viuentia separata abinuicem tanquam existente in his anima actu quidem in vnaquaque planta, potentia autem pluribus, sic videmus & circa alias differentias animæ accidere, vt in enthomis decisis, etenim sensum vtraque pars habet, & motum secundùm locum. Si autem sensum & phantasiam & appetitum. Vbi enim sensus est & tristitia & lætitia est. Vbi autem hæc sunt, ex necessitate desiderium est. tex. 20.

In parte animalis anulosi decisa remanet anima habẽs non modò sensum, sed phantasiam, in determinatam tamen.

IN hac quæst. aduerte quoniam Phil. in tex. præposito tangit tria, s. quòd pars animalis anulosi decisa ac separata à toto habet animam, & quòd anima, quæ erat vna actu in toto animato, & plures in potentia, sola diuisione fit plures actu: & quòd pars decisa habet phantasiam, ideo hæc tria inuestiganda sunt, qualem veritatem contineant.

Quantùm ad primum ponitur talis conclusio affirmatiua, In parte decisa animalis anulosi est actu animę per aliquale tempus, dummodò diuisio non fiat secũdùm longitudinem animalis, sed per transuersum, & pars sit notabilis quantitatis. Hanc primò declaro, deinde probabitur. Dicitur Per aliquale tempus, quoniam cùm in omni parte talium animaliũ non sint sufficientia organa deputata receptioni nutrimẽti & nutritioni, nõ possunt diu seruari in esse, nec fieri animal. sicut ramus plantatus fit planta, propter maiorem imperfectionẽ repertã in animato solùm vegetatiuo. Dicitur Dummodò diuisio non fiat, &c. Nam secũdùm Albert. animalia huiusmodi habent dorsum proportionale cordi. Vnde sicut læso corde animal perfectum statim deficit, sic læso & diuiso dorso in longum anulosum animal deficit. Dicitur, Et pars sic, &c. quoniam si forma substantialis inanimati simplicis, vel mixti requirit determinatam quantitatem, multo magis anima, quæ est altior forma. Nunc ergo sic probatur conclusio de mente Phil. Pars plãtæ decisa viuit adeò quòd si plantatur efficitur arbor. ergo habet animam, quia non datur viuere sine anima in his inferioribus, ergo à simili partes animalis anulosi viuunt & habent animam, cùm huiusmodi animalia sint valdè propinqua plãtis propter sui imperfectionem. Præterea vt inquit Com. in com. 10. in parte decisa videmus opera vitæ, quia mouet seipsam localiter per dilatationẽ & constrictionẽ, & sentit. Sed nõ datur opus vitæ sine principio viuendi. Sed anima, vt supra dictũ est, est principiũ viuendi, sentiendi, mouendi secundum locum, ergo, &c.

Quantùm ad secundum declarandum est quomodo sit verum quòd anima, quæ est vna actu & plures in potentia in toto animali anulosi ante diuisionem, fit plures actu post diuisionem, & per solam diuisionem. Nam primo aspectu videntur sequi duo incõuenientia. Primum est quòd si animal anulosum diuidatur in quatuor partes, fiẽt quatuor animalia. Nam omnis hæc anima actu informans aliquam materiã omninò diuisam ab alia, videtur constituere animal vnum. Et tamen hoc videtur ridiculum, posset enim produci animal nõ solùm à natura, sed sola voluntate diuidentis. Secundum est, quòd producetur animal nouum sine noua generatione, & introducetur forma in materia sine alteratione præuia, & quòd generatio vnius non erit corruptio alterius, sed per solam diuisionem producetur nouum animal, quæ omnia vniuersaliter reputantur falsa.

Ad euidentiam igitur huius dubij aduerte quòd ad constitutionem noui animalis non sufficit animam informare materiam omninò diuisam, nisi addatur, Ex intentione naturæ, &c. Sed requiritur vltra illud quòd informet ex intentione naturæ ad constituendum vnum suppositum, in quo sint debita organa, per quæ possint exerceri opera vitæ debita illi animali secundùm speciem suam. Et ad hoc nouum suppositum constituendum dico quòd anima non vnitur materiæ nisi per dispositiones agentes pro introductione & conseruatione formæ in materia, & per actionem alteratiuam agentis naturalis, & per corruptionẽ alterius suppositi. Stante hac declaratione, respondendo ad primum argumentum negatur consequentia, ad probationem cùm dicitur, Nam omnis hæc anima, &c. dico quòd illud non sufficit, nisi addatur vt diximus, Ex intentione naturæ ad constituendũ, &c. Propter quod non est concedendum illas 4. partes esse 4. animalia, sed 4. animata partialia. Aduerte tamen quòd licet id negemus in animali anulosi in partibus diuisis, possumus tamen concedere in partibus aliquarum plantarum, quæ ex suæ animæ imperfectione, si replantentur cõstituunt diffinctas arbores. Ad secundum argumentum negatur antecedẽs, s. quòd producatur nouum animal sine noua, &c. Dictum est enim quòd non producitur nouum animal, sed nouum animatum partiale, quòd autem recipiatur forma in materia sine alteratione præuia, & quòd generatio vnius non fit corruptio alterius non reputandum est inconueniens in tali casu, cùm non producatur tale animatum partiale ex intentione naturę aliquo tempore conseruandũ in quo debeant exercere opera vitæ. Potes etiam dicere quòd non denouo recipitur penitùs noua forma, nec fit noua generatio, nisi secundùm quid, sicut nec fit simpliciter nouum animal.

Quantùm ad tertium, s. quòd pars decisa animalis habet sensum & motum secundùm locum non progressiuum, sed constrictione & dilatatione, patet euidenter, quòd autem habeat phantasiam magis dubium est, quoniam vt determinabitur in 3. li. etiam de mẽte Com. & B. Tho. qui in hoc sequitur Com., huiusmodi virtus determinat sibi propriũ organũ in parte determinata corporis, s. in capite, ergo nõ potest esse indifferenter in omni parte decisa animalis anulosi.

Ad hoc patet responsio per Commentatorẽ in commen. 20. vbi inquit, Sed tamen debes scire quòd in quibusdam animalibus virtus imaginatiua est semper coniuncta cum sensu, non quando sensatum est absens, & animal est diminutum, in eis autem quæ sunt perfecta inuenitur in absentia sensatorum. Hæc Commentator. Ex quibus accipitur quòd phantasia est duplex, scilicet determinata, & indeterminata. Determinata quæ & perfecta dicitur est, quę ablentibus sensibilibus retinet eorum species sensatas, & potest imaginari circa illa. Indeterminata est quæ non retinet species in absentia obiecti sensati, nec mouetur nisi pro quanto obiectum est sibi præsens & coniunctum, quod si est conueniẽs causat delectationem, si discõueniens tristitiam. Prima quidem determinat sibi proprium organum, de quo loquemur agentes de sensibus interioribus. Secunda autem ex sui imperfectione nõ determinat sibi proprium organum. Et hæc est in omni parte decisa animalis anulosi, quæ se mouet localiter. Nam vt inquit Commentator in comment. 20. omnia habens sensum & motum necesse est vt habeat desiderium & imaginationem, quoniam vbi existit sensus, illic necesse est vt existat voluptas & tristitia apud comprehensionem rei sensibilis, & cùm illic voluptas & tristitia fuerint, erit illic necessariò motus ad illud voluptuosum & motus attristante. Et illud ad quod est motus non est in actu delectabile aut contristans, nisi fuerit imaginatum & desideratum. In omni igitur parte istius animalis, existit anima sensibilis & desideratiua & imaginatiua, & mouens in loco. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Num potentiæ animæ distinguantur, & separentur subiecto & loco, ita quòd plures non possint esse in eadem parte animati.

Reliquæ autem partes animæ manifestum est ex his quid non separabiles, scilicet subiecto. tex. 22.

IN hac quæstione sic procedetur. Primò ponẽtur quædam distinctiones. Secundò conclusiones responsiuæ. Tertiò soluetur quoddam dubium.

Quantùm ad primum sit hæc prima distinctio, Potentiæ animæ sunt in duplici differentia. Quædam singulares, vt visus, auditus, gustus, olfactus, & sensus interiores in animali perfecto. Quædam velut vniuersales, quia quasi per totũ corpus expansæ sunt, vt vegetatiuum, sensitiuum, & tactiuum.

Secunda distinctio, Separari subiecto, potest cõuenire potentiis animæ dupliciter, primò per se, secũdò non repugnanter. Per se quidem, quando non compatitur secum aliam potentiam propter variam complexionem organorum quam sibi vendicant. Non repugnanter autem, quando licet separentur subiecto ab aliis potentiis, tamẽ non incõuenit quòd se compatiantur in eadem parte, vt declarabitur.

Quantùm ad secundum sit hæc prima conclusio, Omnes sensus exteriores & interiores in animali perfecto præter tactum distinguũtur subiecto, quia requirunt in actionibus suis diuersas dispositiones organorum. Sicut auditus aërẽ, visus aqueum humorem, olfactus siccum calidum, vt declarauimus in Epito. nostro in libr. de Sensu & Sensato. Similiter quãtam distinctionem requirant in organis sensus interiores declarauimus in Epitom. nostro in lib. de Anima, in Tract. de Sensibus interioribus, & ideo non se compatiũtur in eadem parte, ex consequenti separantur subiecto per se.

Dixi autem, Præter tactum, quoniam organum quod est nerueus, & medium, quod est caro, vt declarabitur infrà expãsa sunt per totum corpus, ideo in omni parte corporis vbi est neruus & caro viget tactus. Vnde & in aure stat auditus & tactus, & in oculo visus & tactus, sentimus enim calidum & frigidum & dolorem & asperitatem & cæteras qualitates tangibiles. Et aduerte quòd hæc conclusio intelligitur respectu eiusdem suppositi. Nam respectu diuersorum suppositorum non inconuenit quòd vnum inueniatur sine alio, sicut in talpa est auditus, sed non visus, & in ape est visus, sed non auditus, sicut diximus in Prooemio 1. Metaphy.

Secunda conclusio, Potentiæ, quæ sunt vt generales, sicut vegetatiuum & sensitiuum, respectu alicuius partis de necessitate separantur subiecto, ita quòd in aliqua parte inuenitur vnum sine alio, vt in ossibus inuenitur vegetatiuum sine sensitiuo & in capillis, & id contingit propter magnam terrestreitatem. Appropinquat enim naturæ plantæ. Respectu autem alterius partis non separãtur subiecto, vt in carne est vegetatiuum & sensitiuum. Et id manifestius est in cauda lacertæ diuisa, vt diximus in quæstione præcedenti.

Quantùm ad tertium aduerte quòd contra secundã conclusionem insurgit dubium ex eo quod dicit Philo. in lib. de Somno & Vigi. vbi tenet quòd sensitiuum & motiuum in loco sunt subiectiuè in corde, vel in aliquo proportionali ipsi cordi, ergo non sunt expansa per totum corpus.

Ad hoc dicitur quòd Phil. in lib. illo non inuestigat adæquatum subiectum sensus & motus, sed primum principiũ, vt primam radicem, & quòd hæc sit mens sua patet ex litera, quæ sic habet, Quare ex his omnibus speculandum, quod quidem sensus principium sit. Habentia quidem igitur sanguinem hoc est quæ circa cor pars. Omnia enim habentia sanguinem cor habent principium motus & sensus, hæc Philosophus. Vnde licet radicentur primò in corde, tamen non sequitur totale subiectum esse solùm cor, secus est de visu, qui totaliter terminatus est ad pupillam, & auditus ad myringam auris. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Num potentiæ distinguantur per actus, & actus per obiecta.

Sensiliuo enim esse & opinatiuo alterum, siquidem & sentire ab ipso opinari, similiter. tex. 22.

IN hac quæst. inuenio tres opiniones, scilicet Iand. Heruæi & B. Tho. & singulas pertractabo, determinaturus secundùm B. Tho. cui conabor concordare viam Heruæi per distinctionem. Sed antequàm pertractem dictas opiniones præponо tres distinctiones.

Prima est, Potẽtiæ possunt distingui per actus dupliciter. Primò secundùm se & quòd ad naturam suam, quæ erit distinctio à priori. Secundò quò ad noticiam nostram. Et hæc distinctio coincidit cum illa qua solent vti Thomistæ dicẽtes, Aliquid distinguitur per alterum dupliciter. Primò essentialiter, vt homo per rationale. Secundò notificatiuè, vt causa per effectum.

Secunda est, Principia distinctiua alicuius sunt in duplici differentia. Quædam intrinseca, quædam extrinseca. Sicut enim est: rei potest esse à principiis intrinsecis, vt à forma & à materia, & ab extrinsecis, vt ab efficiente & à fine, sic & distinctio, quoniam à quocunque res habet esse, habet vnum esse, ergo distinctum. Vnum enim importat distinctionem in se & distinctionem à quolibet alio.

Tertia est, Potentia potest comparari ad actum dupliciter. Primò vt cõiuncta actui, vt visus actu videns, secundò vt separata potens tamen agere, vt visus in dormiente.

Quantùm ad viam Iand. aduerte quòd ipse in 2. de Anima in q. 8. dicit tria. Primò quòd potentiæ distinguuntur per actus & obiecta, quò ad noticiam nostram siue notificatiuè. Secundò quòd quando potentiæ non sunt coniunctæ actibus, non distinguuntur realiter & simpliciter per actus. Tertiò quando potentiæ sunt coniunctæ actibus, actus distinguunt vt fines.

Primum dictum sic probat, Distinctio actuum & obiectorum est nobis notior quàm distinctio potentiarum, quoniam illa magis cadũt sub sensu, ergo distinctio potentiarũ notificatur nobis per distinctionẽ actuũ, consequẽtia patet, quoniam per magis notum notificatur nobis minus notum.

Secundũ sic probat, Non ens dum est non ens, non est per se causa entis, hæc de se patet. Sed quando potentię non sunt coniunctæ actibus suis, actus sunt non entes, non enim est vis nisi dum visus actu videt, ergo actus non existentes non sunt per se causa distinctionis potentiarum. Præterea, patet quòd in dormiente sunt visus & auditus distincti, & tamen non sunt actus eorum, ergo actus non existentes non sunt per se causa distinctionis in potentiis. Consequentia patet, quia remoto distinctiuo remoueretur distinctio.

Tertium probat, Aliqua ordinata ad distinctos fines distinguuntur per ipsos fines, sicut enim ratio eorum sumitur à fine sic & distinctio. Sed potentiæ existentes sub actibus, ordinantur ad eos & perficiuntur vt ad fines: ergo quando sunt coniunctæ actibus, vt fines actus distinguunt.

Ex his tribus dictis aduerte quòd primum accepta tur in via Thomist. & Her. & Com. nõ solùm ratione facta de mente Iand. sed etiam quia quilibet effectus proprius est aptus notificare non solùm existentiam, sed & proprietatẽ suę causæ, aliter non cognosceretur esse proprius effectus talis causæ. Si proprietates, ergo & distinctionẽ. Quælibet enim causa distinguitur ab alia per aliquod sibi proprium. Tertiũ similiter acceptatur, & ratio adducta à Iando. Secundum autem non acceptatur, quoniam actus siue existat siue non, semper est finis potentiæ, quoniam potentia etiã quòd actu non operetur ex natura sui est ordinata ad actum, vt ad finem & perfectionem suam. Ad hoc autem quòd sit finalis causa non est necesse quòd sit actu, vt determinauimus in 5. Meta. in q. nostris agentes de causalitate finis. Et si tu consideras aduertes Iand. deceptum fuisse ex eo quòd cõsiderauit actum solùm, vt est effectus potentiæ, & non vt finis, quoniam vt finis est prior potẽtia, quæ se habet ad actum, vt ad finem ex 9. Meta. tex. 15. vbi inquit Phil. Actus est finis, & huius gratia potẽtia sumitur. Ratio autem sumpta à fine est à priori ex 2. Phys. Et sic distinctionis ratio sumpta ab actibus vt sunt fines, erit à priori & non solùm quò ad nos, vt magis manifestabitur infrà. Ad argumentum autem Iand. inductum pro probatione secundi dicti, negatur maior in causa finali. Nam finis modò habeat esse potentiale, habet causalitatem sibi debitam, quod tamen non sufficeret in causa formali, nec efficiente. Et huius causam assignauimus in 5. Metaph. in q. nostris. Ad aliud negatur consequentia, quoniam actus siue existat siue non, est sufficiens distinctiuũ potentię. Et posito quòd remoueatur quò ad existentiam, non remouetur quin sit distinctiuum vt finis, ad quem potentia ex natura sui ordinatur.

Quãtùm ad viam Heruæi aduerte quòd in Quolib. 1. in q. 12. tenet tria. Primò quòd potentiæ distinguuntur per actus notificatiuè, i. quò ad noticiam nostram, quoniam cùm actus sit effectus potentiæ, effectus vt effectus est nobis manifestiuus causæ suæ, præcipuè quia intellectus procedit in naturalibus ab effectibus ad causas. Secũdò dicit quòd potentiæ distinguũtur per actus & obiecta vt per principia extrinseca, quæ sunt finis & agẽs. Nam actus sunt fines potentiarũ, & vltimæ perfectiones. Et obiectũ potentiæ passiuæ, qualis est potentia cognoscitiua cõparatur ad eam vt mouens & agẽs, color enim mouet visum ad visionem, & obiectum intelligibile est motiuum intellectus. Obiectum autem potentiæ actiuæ, qualis est potentia vegetatiua, comparatur ad eam vt fin

vt finis & terminus, vt finis generatiuæ est genitum sibi simile, vt dicemus infrà. Tertiò dicit quòd potentiæ non distinguuntur essentialiter & intrinsecè per actus & obiecta, sed seipsis, i. suis essentiis. Et ratio huius secundùm Her. est, quia principia intrinseca distinctiua sunt priora realiter ipso distincto, sunt enim forma vel propria ipsius differentia. Constat autẽ quòd actus non sunt priores potentiis, cùm sint effectus earum, ergo non distinguuntur essentialiter per actus. Quòd autem distinguantur essentialiter seipsis sic probat, Principium distinctiuum intrinsecum & essentiale, vel est ipsa rei essentia, vt in simplicibus, vel pars essentiæ putà forma, vt in compositis. Sed potentia animæ est quid simplex, putà visus, intellectus, ergo distinguitur essentialiter nõ per actus cum sint quid extrinsecũ ab essentia potentiæ, non per partẽ essentiæ, cùm sit simplex, ergo seipsa, i. suámet essentia.

Aduerte quòd in via Thomistica acceptatur primũ & secundum dictum Heruæi, Nam & B. Tho. in 2. de Anima in expositione tex. 33. declarat conformiter cum Heruæo quòd potentiæ distinguuntur per actus & obiecta, vt per finem & agens, quæ sunt principia extrinseca. Tertium autem non acceptatur, quoniam est mens B. Tho. quòd non solùm notificatiuè, sed ex parte rei & essentialiter sumatur distinctio formalis & specifica potentiarum ab actibus & obiectis, vt statim manifestabitur, & soluetur ratio Heruæi.

Quantùm ad viam B. Tho. cui concordant considerantes differentiam inter entia absoluta in quorum diffinitione nõ cadit aliquod extrinsecum ex eo quòd non sunt nec dicuntur ad alterum, & entia respectiua, quę opposito modo se habent, aduerte vt patet in 1. Parte, q. 77. art. 3. & in 2. de Anima, in expositione tex. 33. quòd mens B. Tho. & sequentium eum est, quòd cùm potentia non possit concipi nisi conceptu relatiuo, quoniam vt potentia ordinatur ad alterum, i. ad actũ, ideo suum distinctiuum formale specificum & à priori licet sit intrinsecum, sumitur tamen ab extrinseco, ad differẽtiam entium absolutorum, quæ concipiuntur conceptu absoluto. In his enim suum essentiale distinctiuum est intrinsecum & sumitur ab intrinseco, sicut rationale est distinctiuũ intrinsecum in homine & sumitur ab intrinseco, i. à forma sua. In proposito igitur extrinsecum à quo sumitur principium distinctiuum intrinsecum potentiarum sunt actus & obiecta, quoniam impossibile est sumi rationem potẽtiæ nisi in ordine ad actum, ex consequenti oportet quòd non solùm quò ad nostram noticiam, sed ex natura rei & essentialiter diuersificetur ratio potentiæ sicut diuersificatur ratio actus. Tu igitur nota quòd quando dicit B. Tho. potentias distingui specificè & ex natura sua per actus, non intẽdit quòd actus sint principium distinctiuum essentiale, sed quòd ab actibus tale principium sumitur, ad differentiam entis absoluti, de quo diximus quòd principium distinctiuũ essentiale est intrinsecum & sumitur ab intrinseco. Et quoniam Heruæus existimauit de potentia sicut de ente absoluto simplici vel composito, ideo defecit non perueniens ad vltimam resolutionem. Non enim sufficit assignare in potentia principiũ intrinsecum distinctiuum, sed etiam oportet considerare vtrum sumatur ab intrinseco vel ab extrinseco.

Si vis igitur tenere quòd Heruæus habuerit sensum oppositũ B. Tho. respondebis rationi ipsius, Quando dicit quòd principium distinctiuum intrinsecum est essentia vel pars essentiæ, hoc non est verũ nisi in substantiis simplicibus, quæ seipsis distinguuntur, & compositis, quæ per formas suas distinguuntur. In accidentibus autem nõ est verum, quoniam sicut habent esse per subiectum, ita & distinctionem. Dico insuper quòd latius extendendo fundamentum suum potest habere veritatem tam in substantiis, quàm in accidentibus absolutis, nõ autem tenet in respectiuis, quoniam cùm in ratione sua respiciant aliquod extrinsecum, non incõuenit suũ distinctiuum sumi ab intrinseco. Et ideo quia potẽtia, vt potentia est quid respectiuum non est mirum si suum distinctiuum sumitur ab actu & obiecto, licet nõ sint essentia nec pars essentiæ ipsius potentiæ.

Si autem volueris concordare eos adinuicem, sic dices, Quando B. Tho. dicit quòd distinctio specifica potentiarum sumitur ab actibus, ista propositio potest habere duplicem sensum. Primò quòd sumatur ab actibus ita quòd actus sint principia specifica distinctiua, & hic sensus non est verus, eò quòd principium distinctiuum essentiale debet esse intrinsecum rei distinctæ. Secundò quòd sumatur ab actibus, quia ab eis sumitur differentia propria & specifica ipsius potentiæ, per quam distinguitur specificè & essentialiter ab alia potentia. Et hic sensus est verus. Non enim inconuenit in entibus respectiuis differentias sumi ab extrinseco. In absolutis autem hoc esset inconueniens, quoniam in ratione sua nõ respiciunt alterum. Quando igitur Heruæus negauit distinctionem specificam & formalem sumi ab actibus intellexit in primo sensu. Sed B. Tho. ponens eam, intelligit in secũdo sensu. Et sic potes vtrunque saluare.

Sed contra determinationem Thomisticam insurgit dubium. Nam si potentiæ distinguuntur specificè & essentialiter per actus & per obiecta, quæritur quæ distinctio in obiectis requiritur, & quanta sufficit vt causatiua distinctionis realis, quam tenemus in potẽtiis. Nam vel requiritur distinctio realis in obiectis, vel sufficit distinctio rationis. Non potest dici primum, quoniam tunc ens, quod est obiectum intellectus, & bonum, quod est obiectum voluntatis distinguerẽtur realiter, quod est falsum, vt determinauimus in 4. Metaph. in Quæst. nostris, & in Tract. de Transcẽdentibus. Nec sufficit secundum, quoniam tunc causa esset minoris entitatis & perfectionis suo effectu. Prætereà, remoto omni opere intellectus adhuc res reales quales sunt potentiæ animæ distinguuntur realiter, ergo distinctio rationis in obiectis, non est sufficiẽter causatiua distinctionis realis in potẽtiis.

Ad hoc in via nostra potest multipliciter responderi. Et primò dicitur, quòd licet distinctio rationis, quæ est ex parte intellectiua tantùm non sit sufficiens causa distinctionis realis, tamen distinctio rationis ex parte rei, quã dicunt Scotistæ ex natura rei sufficit eò quòd in causalitate æquipollet distinctioni reali. Nam licet esse principium & esse finem differant secundùm rationem respectu eiusdem puncti, tamen sub ratione finis realiter terminat, & sub ratione principij realiter inchoat. Tunc ad argumentum primum dico quòd licet distinctio rationis ex parte rei videatur esse minoris entitatis & perfectionis formaliter, non tamen æquipollenter. Ad secundum dico quòd concludit de distinctione rationis primo modo, sed non secundo modo, in quo nos loquimur.

Secundò potest dici quòd licet omnes potentiæ distinguantur per obiecta, non tamen omnes eodem modo. Nam in potentiis non subordinatis, quales sunt potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ exteriores tota distinctio sumitur ex distinctione reali obiectorum. In potentiis autem subordinatis, quales sunt appetitiuæ, quæ subordinãtur cognoscitiuis distinctio realis inchoatur à distinctiõe obiectorum. Sed quia obiecta earum non semper distinguuntur realiter, vt ens & bonum, hoc ens & hoc bonum, ideo non sufficiunt ad complendam distinctionem realem in potentiis. Completur autem ordine naturæ, qui est inter has potentias. Nam appetitiua, vt dicemus infrà, in sua operatione pendet à cognoscitiua, quoniam bonum cognitum concurrit ad actum appetendi tam in appetitu sensitiuo quàm in intellectiuo. Quia ergo actus supponit actum sic potentia appetitiua supponit cognoscitiuam. Et quoniam nihil seipsum supponit, aliter esset prius & posterius seipso, ideo ex tali ordine completur distinctio realis inter huiusmodi potentias, quæ quidem fuit inchoata ex distinctione rationis obiectorum. Ex his dico ad primum argumentum quòd supponit falsum, scilicet totalem distinctionem potentiarum causari ex sola distinctione rationis obiectorum. Sufficit enim quòd inchoëtur. Nec oppositum habetur à B. Thom. Ad secundum patet per idem.

Tertiò potest dici quòd distinctio obiectorũ non est propriè causa distinctionis in potentiis, quoniam distinctio aut diuersitas aut vnitas, non sunt propriè causæ, sed potius cõditiones requisitæ in causis. Vnde, propriè loquendo, dicemus quòd obiecta distinguunt potentias, eò quòd hæc potentia ordinatur ad hoc obiectum, vt finem suum, & illa ad illud. Diuersitas autem est conditio requisita in obiectis, sed non est necesse tantam diuersitatem esse in conditionibus causandi quanta est in effectibus. Videmus enim quòd ab vnitate causæ prouenit diuersitas effectuum, vt patet in Sole. Non ergo incõuenit à minori diuersitate causæ præcipuè in conditione causandi prouenire maiorem distinctionem in effectibus. Et si dicas, Ergo perfectior erit effectus quàm sua causa, nego consequentiam, quoniam, vt dictum est, distinctio non dicit causam, sed conditionem causæ. Et ideo distinctio, vt sic non dicit perfectionem. Et sic patet quid dicendum sit ad primum & secundum argumentum. Hæc de præsenti quæsito pro nunc dicta sint.

QVAESTIO XII.

Num potentiæ distinguantur ab essentia animæ, & num causentur ab anima.

Potentiarũ aũt animæ quæ dictæ sunt, aliis quidẽ insunt omnes. tex. 27.

IN hac quæst. duo inuestiganda sunt. Primò si potentiæ animæ sunt idem realiter, vel distinctæ ab essentia animæ. Secundò posito quòd distinguantur, si anima est causa earum, & in quo genere causæ.

Quantùm ad primum inuenio duas extremas opiniones, quarũ vna tenet quòd distinguuntur realiter ab anima, altera tenet partem negatiuã. B. Tho. tenet quòd distinguuntur, cui adhæret Egid. & Iand. in lib. 2. de Anima, q. 9. Scot. tenet partem negatiuam, cui adhæret Greg. in 2. dist. 16. q. 3. Vt igitur præsens quæsitum resoluatur in via nostra, primò pertractabo viam B. Tho. & defensabuntur suæ principales rationes, quas assumit in hoc proposito. Secundò soluam principales rationes tenentium contra viam nostram.

Quãtùm ad primũ aduerte quòd apud B. Tho. vt patet in 1. Parte, q. 77. art. 1. reputatur impossibile potentias animæ esse eidem cum essentia animæ, quoniam tenet potentias animæ esse veras qualitates & in secunda specie. Anima aũt est substantia, vt suprà probatum est. Item tenet in nullo extra Deum essentiam esse principium proximum operandi, sed per potentiam mediam consequentem essentiam, quoniam in nullo extra Deum actio sua est substantia sua. Et hoc iam determinauimus in lib. 12. Meta. supposito omne extra Deũ productiuè esse à Deo. Igitur pro præsenti quæsito ponitur hæc vnica conclusio, Potentiæ animę distinguuntur realiter ab essentia animæ. Ad quam cõclusionem, licet à multis plures soleant rationes adduci, tamen fortiores sunt tres, quas oportet defensare contra Scotum.

Prima est, Actus animæ & potentia animæ sunt in eodem genere, quoniã apud Phil. in 9. Meta. tex. 1. & in 12. in text. 26. cum potentia & actus diuidãt ens & quodlibet genus entis, ad idem genus refertur potentia & actus. Sed actus animæ sunt accidentia, quoniam in solo primo actu sua actio est essentia sua. Anima autem est substãtia, vt probatum est suprà, ergo potentia animæ est accidens, sicut operatio sua, ergo non est idem essentialiter cum substantia animæ.

Aduerte quòd Scotus in 2. dist. 16. q. 1. conatur soluere hãc rationem duplici via. Primò declarat quòd laborat in æquiuoco de potẽtia & actu. Nam dicit quòd illa propositio Philosophi, Potentia & actus sunt in eodem genere, non est vera de potentia actiua, quæ est principium transmutandi alterum, nec de potentia passiua, quæ est principium transmutandi ab altero. Constat enim apud Philosophũ in Metaphy. tex. vltimo quòd licet substantia non producatur nisi à substantia, tamen accidens potest produci à substantia. Vnde vult quòd fiat quantum & quale non præsupposito aliquo quanto, aut quali, ergo potentia actiua non de necessitate est in eodem genere cum suo producto.

Secundò dicit hanc rationem contradicere B. Tho. Nam B. Tho. vult animam esse productiuam suarum potentiarum, & tamen non sunt eiusdem generis secundùm ipsum. Item anima est receptiua suarum potentiarum, & sic comparatur ad eas vt potentia passiua ad actũ, & tamen secũdùm ipsum non sunt eiusdem generis. Ergo ratio B. Tho. nullam habet euidentiam.

Dicit autẽ Scotus quòd illa propositio Philosophi, Actus & potentia, &c. est vera de potentia vt distinguitur contra actum, i. de ente in potẽtia, vt distinguitur cõtra ens in actu, Verbi gratia, Sit A rosa producibilis, & producatur, tũc ipsa producibilis & vt producta sunt eiusdem generis, imò sunt idem specie & idem numero, quoniam eadem rosa, quę erat producibilis actu, producitur. Et sic videtur Scoto quòd ratio B. Tho. laboret penitùs in æquiuoco.

Ad hęc dico quòd Scotus nõ habuit nec intellexit sensum B. Tho. Nam in doctrina sua, illa propositio, Actus & potentia sunt in eodem genere, non est intelligẽda de quocunque existente in potentia, nec de quacunque cõparatione potentiæ ad actum quocunque modo siue sit potentia actiua siue passiua. Sed debet intelligi de eo quod ex sui natura & principaliter & ex primo intento primi auctoris productum est, vt sit principium actiuum, aut receptiuum alicuius actus, ita quòd primò & per se & non secundariò aut per accidens ordinetur ad actum illum, sicut visus ad videre, & materia ad formam substantialem, & diaphanum ad lumen. Scotus autem credidit B. Tho. loqui absolutè de omni eo, quod est potentia quocunq; modo siue per se, siue per accidens. Tunc respondendo ad obiectiones suas ad primam de substantia productiua accidentium, dico quòd non primo, sed secundariò est ordinata ad productionem accidẽtium, primo autem ad productionem substãtiæ: ad aliam dico quòd anima non est ordinata primò ad productionem, siue efficientiam suarum potentiarum, nec est primo receptiua earum, sed est ordinata primo ad actuandum materiam, & vt det esse substantiale & vt constituat animatum. Hæc autem sunt in eodem genere cum anima, quia sunt substantia. Quod autem efficiat potentias suas non est verum, nisi naturali sequela, vt dicemus in secunda Parte huius quæsiti. Similiter recipit, quia sustentat eas vt subiectum propria accidentia. Quod autem dicit Scotus illam propositionem Philosophi, Actus & potentia, &c. verificari de potentia, vt distinguitur contra actum, quam quidam vocant obiectiuam, eò quòd illa non solùm genere, sed etiam numero est eadem cum actu suo, falsum est, quoniam termini incompossibiles & penitùs impermixti distinguuntur realiter. Constat autem quòd rosa producibilis est terminus à quo, & ipsa producta est terminus ad quem, qui cùm sint oppositi sunt incompossibiles, & impermixti, ergo distinguuntur realiter. Et aduerte quòd dixi Impermixti, ad differentiam termini à quo & termini ad quem in intensione formæ. Nos enim tenemus terminum à quo, qui est forma remissa, & terminum ad quem, qui est forma intensa, non distingui essentialiter, vt determinauimus in 8. Metaphy. in Quæstionibus nostris.

Secunda ratio B. Tho. est talis, Esse & operari in quolibet creato distinguuntur realiter, quia esse reductiuè est in genere substantiæ, operari autem in genere accidentis, quoniam in solo primo actio est substantia sua, ergo essentia rei & potentia sua operatiua distinguuntur realiter. Consequentia deducitur, Diuersorum actuum distincta sunt principia, quoniam vnusquisque actus proportionatur suo principio. Sed esse & operari sunt diuersi actus, quoniam esse est actus essentiæ, operari autem est actus potentiæ operatiuæ, ergo principia eorum, quæ sunt essentia rei, & potentia operatiua sunt distincta realiter.

Contra hanc rationem datur instantia, quoniam propositio assumpta ad probandum consequentiam, scilicet, Diuersorum actuum, &c. non est vera nisi quando diuersi actus comparantur ad diuersa principia in eodem genere causæ, putà diuersi actus formales ad diuersa principia formalia, sicut esse album, & esse dulce, vel diuersi actus effecti ad diuersa principia efficientia, sicut esse calefactum & esse infrigidatum. Modò constat quòd esse & operari non comparantur ad principia sua in eodẽ genere causæ, nam esse est actus formalis essentiæ, si admittatur quòd sit effectus, operari autem est actus effectus potentiæ operatiuæ. Non inconuenit autem ab eodem principio prouenire actus formalis & actus effectus. Esset autem inconueniens de duobus actibus formalibus, aut duobus actibus effectis. Vnde non inconuenit quod ab essentia animæ fluat esse formaliter, & operari effectiuè.

Sed hæc instantia non impedit rationem nostram, quia admisso quod esse & operari non comparentur ad principia sua in eodem genere causæ, tamen adhuc efficaciter probatur illa principia distingui realiter. Nam si dantur duo principia, quorum vnum non est expectatiuum sui actus, sed semper est ei coniunctum naturali sequela, alterum autem est expectatiuum sui actus, quia aliquando fluit actus ab eo, aliquando non, necessariò concluditur distinctio realis inter ea, quia hoc non potest reduci nisi in diuersam eorum naturam. Sed in proposito essentia animæ non est principium expectatiuum sui actus, quia semper ab ea fluit esse animati. Potentia autem animæ est principium expectatiuum, quia visus non semper videt, nec intellectus semper considerat, ergo essentia animæ & potentia sua distinguuntur realiter.

Tertia ratio, Essentia animæ est vna realiter, & potentiæ suæ sunt plures realiter, ergo distinguuntur realiter essentia animæ & potentia sua. Consequentia nota. Antecedens pro prima parte est euidens, pro secunda parte probatur, Cùm potentia, vt potentia, ordinetur ad actum vt ad finem sicut suprà ostendimus, necesse est quòd si actus sunt diuersi realiter, & potentiæ sint diuersæ realiter, aliter non quilibet actus esset à determinata potentia, sed indifferenter, quod repugnat sensui. Sed actus potentiarum animæ sunt distincti realiter, stat enim videre sine audire, &c. ergo, &c.

Huic rationi aliqui respondent dicentes, quod licet actus sint distincti realiter, & etiam genere, sicut vegetare & sentire, & etiam specie, sicut videre & audire, tamen possunt esse immediatè ab essentia animæ, licet non æquè primò, sed quodam ordine, & vt seruatur talis ordo in operando, dicitur anima esse diuersa principia non realiter, sed secundùm

rationem. Nam sub vna ratione est principium audiēdi, sub alia intelligendi, & sub alia appetendi, &c. Nam non est magis incōueniens animā vnam esse principium productiuū & receptiuum multarū operationum quodam ordine, quàm quòd sit principium productiuum multarum potentiarum, & receptiuum quodam ordine. Sed secundum conceditur in via Thomistica, ergo debet concedi etiam primum.

Sed hæc respōsio non militat, quoniam non eodem modo producendi se habet anima ad potentias suas, & potentię ad operationes. Nam anima, vt dicemus in secunda parte quæsiti, non est propriè productiua potentiarum suarum, ab eodē enim agente est res & proprietas rei, vnde, propriè loquendo, à quo est anima ab eodem est potentia animæ. Potentiæ autem sunt propriè productiuæ actuū suorum. Et nunc non facio vim, vtrum sola potentia, an potētia cum organo. Præterea, anima etiam quòd esset propriè productiua potentiarum suarum, non recipit distinctionem specificam à potentiis suis. Potentiæ autem, vt dictum est suprà, recipiunt distinctionem specificam ab actibus, & ideo maior ratio est quòd distinguantur realiter potentiæ vt sunt productiuæ diuersarum operationum, quàm quòd diuersificetur anima vt est productiua diuersarum operationum.

Quarta ratio, Essentia animæ est actus primus corporis. Sed non omnes potentiæ sunt actus corporis, nec partiū corporis, quoniam aliquæ sunt inorganicæ, vt declarabitur in 3. lib. ergo non sunt essentia animæ, quoniā cùm anima sit forma & simplicis essentiæ non potest esse actus corporis, & separata nisi secundùm diuersa, ita quod quò ad essentiam sit actus, quia dat esse viuenti, & quò ad potentiam sit separata, putà quò ad intellectum.

Huic aliqui respondent, & dicunt ad minorem hanc propositionem, Sed non omnes potētiæ, &c. non esse veram nisi in hoc sensu, quia anima habet aliquas operationes exercitas cum organo, & aliquas sine organo. Ex hoc tamen non habetur secundùm Philosophum quòd operatio, quæ est sine organo, sit à potentia distincta ab essentia animæ, quæ realiter sit sine organo.

Sed hæc responsio est contra Philosophum in 3. lib. in tex. 4. & in tex. 7. vbi non solùm intendit intelligere expleri sine organo, sed & intellectum esse immixtum & separatum, quod cùm nō possit verificari de essentia animæ, patet quòd intellectus distinguitur à substantia animæ, & idem dico de aliis potentiis.

Quinta ratio, Si anima esset potentiæ suæ, vna non moueret aliam, quod est falsum, vt declarabitur in lib. 3. vbi dicet Philosophus phantasiam mouere appetitū, &c. Consequentia patet, quoniam probauit Philosophus idem secundùm idem non mouere seipsum, vt patet in 8. Physic. & nos idem discussimus in lib. 9. Metaph. in q. nostris.

Huic rationi aliqui respondent, & dicunt non esse maius inconueniens ponere animam esse principium proximum actionis & passionis sine potētia media quàm ponere ipsam esse proximum principium productiuum & subiectiuū potentiarum suarum. Sed hoc secundum cōceditur in via Thomistica, ergo debet concedi etiam primum.

Sed hæc responsio nulla est, quoniam est eadem ratio de principio actionis & passionis: & de principio potentiæ actiuæ & passiuæ. Nam repugnat idem secundùm idem esse principium agendi & patiendi, aliter idem secundùm idem esset in potentia & in actu. Principium enim agendi spectat ad actum & patiendi ad potentiam. vt determinatum est in 9. Metaph. Non autem repugnat animæ quòd ad eam sequantur naturali sequela potentiæ suæ, siue actiuæ, siue passiuæ, & sit earum subiectum. Non enim anima est propriè principium actiuum suarum potentiarum, sicut potentia est propriè principium actiuum suæ operationis. His rationibus probata sit conclusio, nam fortiores non inuenies. Licet enim Iand. in 2. de Anima, q. 9. probet eandem conclusionem multis rationibus, vt videre poteris, leuiores tamen sunt. Nam tenentes partem oppositam negabunt propositiones minores, Quare tu conaberis defensare rationes, quas accepimus ex doctrina B. Tho. & sufficient tibi.

Quātùm ad secundum aduerte quòd rationes tenentium oppositum præcipuè sunt quinque.

Primò, Aliquis actus primus & accidentalis & substantialis inferior anima, est immediatum principium operādi, ergo id non repugnat animæ, cùm sit forma perfectior. Consequentia nota, quia quod potest forma imperfectior, potest & perfectior. Antecedens autem quò ad actum primum accidentalem manifestum est. Nam qualitates actiuæ elementares sunt proxima principia agendi in elementis, vt calor in igne, frigiditas in aqua.

Quantùm ad actum substantialem primū probatur, quoniam necesse est substantiam generari substantia immediatè, eò quòd in generatione substātię, siue sit generatio vniuoca, siue æquiuoca forma generantis est æquè perfecta vel perfectior forma geniti, sed nulla forma accidentalis, quæ sit in generante est æquè perfecta, vel perfectior forma geniti, ergo necesse est formam substantialem generantis esse immediatum principium generandi.

Ad hoc dicitur negando consequentiam illatam ex actu primo accidentali. Nam cùm actus accidentalis non det esse simpliciter non repugnat quòd sit in potentia ad actum secundum, qui est operatio, & sic potest esse immediatū principium operandi. Anima autem & quælibet forma substantialis dat esse simpliciter, ideo non est ordinabilis ad actum secundum, propterea cùm sit actus simpliciter repugnat sibi esse in potentia ad vlteriorem actum, s. ad actum secundum, ex consequenti non competit naturæ suæ esse immediatum principium operandi. Quantùm autem ad primum actum substātialem negatur antecedēs. Ad probationē dico quòd hæc propositio, Necesse est generari substantiam à substantia immediatè, potest habere duplicem sensum. Primò quòd immediatè generetur à substantia, quæ est vt quod, & hæc est substantia composita, & sic concedo eam. Nam homo hominem immediatè, i. non medio alio composito particulari generat, & ignis ignem. Secūdò quòd immediatè generetur à substantia, quę est vt principium formale, & sic nego eam, & teneo quòd agens naturale producit sibi simile, per virtutes naturales, quæ sunt suæ propriæ qualitates. Et cùm arguitur, quia nulla forma accidentalis est æquè perfecta, &c. Nego hoc, inquantùm agit in virtute formæ substantialis. Nam calor naturalis, & virtus, quæ est in semine, pducit animatū, vt agit in virtute animæ. Secùs aūt esset si ageret sua propria virtute, sicut calor receptus in aëre nō potest nisi calefacere.

Secundò, Voluntas & intellectus secundùm sui mutationem recipiunt successiuè contraria. Nam voluntas recipit virtutem & vitium, & intellectus verum & falsum, habitū, & contrarias opiniones, ergo sunt substantia, & sic non distinguuntur ab essentia animæ. Consequentia patet, quoniā secundùm Philosophum in prædicamētis, esse suscept uum contrariorum est proprietas substantiæ, ergo non conuenit nisi substantiæ.

Ad hoc dicitur quòd illa propositio, Esse susceptiuū contrariorum non est vera nisi in hoc sensu, Esse susceptiuū primò & per se, & non virtute alterius, aliter diaphanum esset substantia, quia est receptiuum tenebræ & lucis, similiter superficies quia est receptiua albi & nigri. In proposito dico quòd voluntas & intellectus non primò & per se, sed virtute animæ cui insunt, sicut superficies virtute substantiæ suscipiunt contraria, ideo negatur consequentia. Et probatio non valet nisi in sensu dato.

Tertiò Eadem sunt principia essendi & operādi. Sed anima est principium immediatum essendi in animato, ergo & immediatum principium operandi, ergo non dantur potentiæ distinctæ ab anima. Minor quidem manifesta est, cùm sit forma substantialis animati. Maior autem apparet in agente naturali, nam ignis eodem est calidus & calefacit, & lapis eodem est grauis & descendit, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd maior non est vera nisi sub distinctione, s. mediatè, vel immediatè quò ad operandum. Nam si principium immediatum essendi est accidens, sibi non repugnat esse immediatum principium operandi, vt argumentū probat de calore in igne. Si autem principium immediatum essendi est substantia, est principium operandi, sed mediatè, quoniam cùm sit actus & faciens esse actu simpliciter, non est ordinatum per seipsum, sed per potentiam mediam ad vlteriorem actum, qui est operatio.

Quartò, Actus & potentia sunt in eodē genere. Sed actus potentiæ vegetatiuę videntur esse substantiæ, nam actus illi sunt nutrire, generare, qui terminantur ad substantiam, i. ad nutritū & genitū, ergo istæ potentiæ sunt substantia animæ.

Ad hoc negatur minor, quoniam licet terminus formalis nutritionis & generationis sit substantia, ipsę tamen vt sunt actiones nutritiuæ & generatiuæ potentiæ sunt accidentia, sicut & ipsæ potentiæ. Nec est necesse ab eodē principio immediatè esse generationem & terminum formalem eiusdē, sed sufficit generationem actionem esse immediatè à potentia generatiua, & terminum ab anima vegetatiua, in cuius virtute agit potentia generatiua, quoniam formæ accidentali vt inferiori repugnat propria virtute attingere formam superiorem, quæ est forma substantialis geniti.

Quintò, Si anima non est principium immediatum operationum suarū, ergo non est natura. Sed hoc est falsum, quoniam ex 2. Phys. natura dicitur maximè de forma, sed anima est forma, ergo, &c. Consequentia patet ex diffinitione naturæ. Dicitur enim, Natura principiū motus & quietis primò & per se & non per accidens. Sed si anima est principiū operationum suarum mediante potentia distincta realiter ab anima iam non est principium primò & per se, sed per aliud, & sic per accidens, ergo non est natura.

Ad hoc negatur consequentia. Ad probationem negatur iterum consequentia, quoniam intentio Phil. est quòd natura sit principium motus & quietis primò & per se, & nō per aliud à quo accipiat virtutem. Cum hoc tamen stat quòd possit mouere & agere per aliud, vt per instrumētum, cui dat virtutem agendi. Sic est in proposito, Anima est primū principium intrinsecum animato mouendi & agendi, & licet agat & moueat per potentias, tamen non accipit virtutem agendi à potentiis, sed potiùs ecōuersò, ideo non obstat quin sit natura, licet non sit principium proximum agendi, quod est vt instrumentum. Concedo ergo quòd anima agit & mouet per aliud, quod est accidens, quia sua potentia est accidens, & nego hanc consequentiam, Anima est principiū motus & quietis per aliud quod est accidens, ergo est principiū motus & quietis per accidens, siue secundùm accidens. Patet inquam quòd hæc cōsequentia non valet. Istæ sunt principales rationes eorum, qui negant distinctionē realem potentiarum ab essentia animæ, & sic solutæ sint.

Quantùm ad secundam partem quęsiti, s. Si anima est causa suarum potentiarum, & in quo genere causæ, est varia opinio inter eos, qui tenent distinctionem potentiarū ab anima, & quòd se habent ad animam sicut propria accidētia ad subiectum. Nam quò ad causam materialem omnes concordant in parte affirmatiua, eò quòd anima est subiectum receptiuum & sustentatiuum potentiarum suarum. Quantùm autem ad causam efficientem videtur esse discordia inter Cōmentistas & Thomist. Nam Iandu. in 2. de Anima, q. 10. tenet partem negatiuam, & ratio sua est hæc, Si substantia animæ ageret per se & immediatè suam potētiam naturalem, putà vegetatiuam, tunc vnum & idem & secūdùm idem simul esset principium actiuum per se & principium receptiuum eiusdem. Sed hoc est manifestum impossibile vt nunc suppono, ergo, &c. Probatur consequentia, quia constat quòd ipsa anima est principium receptiuum immediatum suæ potentiæ per priuationē medij principalis, si igitur ipsa esset principium actiuum eiusdem cùm substantia animæ sit vna indiuisibilis in essentia secūdùm omnes, sequitur prædictum inconueniens & impossibile.

Thomistæ autem tenent partem affirmatiuam & fundant se super dictum B. Tho. in 1. parte q. 77. art. 6. ad secundū, vbi inquit, Subiectum est causa proprij accidētis finalis, & quodammodò actiua & etiā vt materialis, inquantùm est susceptiuum accidentis, & ex hoc potest accipi quòd essentia animæ est causa omnium potentiarum sicut finis, & sicut principium actiuum, &c.

Vt autem scias in quo sensu subiectum est causa efficiens sui proprij accidentis, & respondere possis rationi Iand. aduerte secundùm doctrinam Heruæi in 1. dist. 3. q. 5. quam teneo in hoc non discordare à doctrina B. Tho. quòd efficiens est duplex. Aliquod est, quod dat esse efficienter ei, cuius est principium per actionem mediam, sicut ignis efficit aquam calidā calefactione. Aliud est quo posito statim originatur aliud ab eo, vel sequitur ad illud naturaliter sine actione media, & id cōtingit, quando agens producit duo, sed non attingit secundum nisi prius attingat primum. Sicut mouens causat motum in partibus continui propinquis & distantibus, sed non causat motum in distantibus, nisi prius causet in propinquis, & sic motus partis distantis dicitur originari à motu partis propinquæ. Et in hoc sensu dicere possumus motū partis ppinquæ esse principiū effectiuè motus partis distātis.

Stante hac distinctione ponuntur duæ cōclusiones. Prima est, Subiectum non est in primo sensu causa effectiua sui proprij accidentis, quoniam iuxta primū sensum generans efficit subiectum & consequentia ad ipsum per actionem mediam. Patet enim quòd generans ignem eadem generatione producit ignem & calorem suum, & cætera accidentia consequentia naturam ignis.

Secunda conclusio, Subiectum est causa effectiua sui proprij accidentis in secundo sensu. Nam generans non attingit proprium accidens geniti, nisi priùs attingat essentiā geniti, cùm sit prius natura suo proprio accidēte. Præterea, Si subiectum non haberet aliquā causalitatem effectiuā, sed tātùm materialem super suum proprium accidens, non necessariò quantùm sit ex parte subiecti inesset ei proprium accidens, sicut videmus in accidentibus communibus, quæ quoniam subiectum est tantùm receptiuum eorum non habēt necessariam cōnexionem ad ipsum. Præterea, quomodo accidentia propria agerent in virtute formarum substantialium nisi originarētur ab eis, & acciperent virtutem, non quidem aliā à virtute ipsarum formarum, sed quia agunt æquipollenter, ac si ipsæ formæ substantiales agerent.

Ex hac determinatione dico ad rationem Iand. cōsequentiam non valere. Ad probationem dico quòd licet anima sit essentiæ indiuisibilis pro quanto non est composita ex materia, tamen in via B. Tho. componitur ex potētia & actu, sicut & quęlibet substantia separata producta, vt declarauimus in li. 12. Meta. in q. nostris, & ex eo quod est actu est productiua potentiæ suæ, ex eo autem quod est in potentia est receptiua eiusdē. Et hæc responsio trahitur ex B. Tho. in 1. Parte, q. 77. art. 6.

Potes etiam dicere secundùm doctrinam Heruæi vbi suprà quòd non inconuenit in secundo sensu idem esse productiuum & receptiuum, quoniam non est efficientia propriè dicta, sed potiùs resultantia, esset autem incōueniens in primo sensu, quoniam idem secūdùm idem esset in potentia & in actu. Et aduerte quòd hæc responsio est cōformis responsioni B. Tho. in 1. Parte, q. 77. ar. 6. ad tertium. Vbi soluens argumentum, quod consonat argumento Iand. inquit, Emanatio propriorum accidentium à subiecto nō est per aliquam transmutationem, id est per aliquam actionem, siue motum medium, sed per aliquam naturalem resultationem, quasi dicat, Propriū accidens emanat à subiecto seipso & non actione media. Nam tali actione producitur à producente subiectum, & eadem productione.

Sed contra hanc determinationem videtur esse Com. qui in 4. Meta. com. 2. dicit quòd prædicamenta accidentiū attribuuntur substantiæ, non quia est agens aut finis eorum, sed quia constituuntur per illam, i. subiectum eorum. hæc ille. Ergo substantia non efficit suum accidens.

Ad hoc dico quòd Com. illic loquitur de actionibus absolutè & non de accidentibus propriis. Patet autem quòd hęc consequentia non valet, Anima non est causa effectiua accidentiū absolutè, i. communiter, ergo non est causa propriorum accidentium. Hæc de præsenti quæsito dicta fuerint.

QVAESTIO XIII.

Num genera potentiarum sint quinque & animæ tres, & genera viuentium quatuor.

Potentias verò dicimus, Vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, secundùm locum motiuum, & intellectiuum. tex. 17.

Animæ, tres tantùm sunt, videlicet, vegetatiua, sensitiua, & intellectiua: quatuor autē tantùm sunt viuētium genera, vegetatiuū, sensitiuū, motiuū secundùm locū, & intellectiuū: & quinque duntaxat sunt potētiarū animæ genera, intellectiua, sensitiua, appetitiua, vegetatiua, secundùm locū motiua.

IN hac quæst. tria inuestiganda sunt. Primò vnde sumitur sufficiētia triū animarū in cōmuni, s. vegetatiuæ, sensitiuæ & intellectiuæ. Secundò vnde sumitur sufficientia quatuor generū viuentiū. Tertiò vnde sumitur sufficientia quinque generū potētiarum, & postremò soluetur quoddā dubium.

Quantùm ad primum aduerte quòd numerus trium animarum in cōmuni, sumitur in via Thomist. ex eo quòd operatio animæ diuersimodè supergreditur operationem naturæ merè corporeæ, qualis est operatio elemēti, aut mixti mineralis. Nam secundùm quòd operatio animæ magis aut minùs pēdet à materia & à corpore, sic anima magis aut minùs nobilis est. Est igitur operatio aliqua, quæ non exercetur organo corporeo, nec per qualitates sensibiles naturales actiuas, aut passiuas, & hæc attribuitur animæ intellectiuæ, vt intelligere, de cuius natura & conditionibus locuti sumus in li. 3. Est alia operatio, quæ licet exerceatur organo corporeo, tamen non per qualitates actiuas, aut passiuas, vt sentire. Licet enim in complexione organi sensus, quod est elementatum, concurrant qualitates actiuæ & passiuæ, tamen sentire, vt sentire est, non fit per has qualitates, aliter in omni sensatione concurreret alteratio, quod est falsum, vt patet de visu & auditu. Sed id magis manifestabitur cùm loquemur infrà de sensibus. Et hæc secunda operatio attribuitur animæ sensitiuæ. Est tertia operatio, quæ exercetur organo corporeo & per qualitates actiuas, aut passiuas; vt patet in nutritione quæ exercetur calore vt patebit infrà, cùm agemus de operationibus vegetatiuis. Hæc tamen operatio in hoc excellit operationem naturæ merè corporeæ inanimatæ, quia hæc est à principio effectiuo intrinseco, illa autem à principio extrinseco. Nam animata generātur à principio intrinseco, quod est in semine. Inanimata verò generantur à

principio effectiuo extrinseco, vt ignis generat ignem, & lapis generatur à cœlo, & hæc operatio attribuitur animæ vegetatiuæ. Ex triplici igitur operatione eleuata diuersimodè super operationem naturæ omninò corporeæ & materialis sumitur triplex anima. Operatio enim naturæ omninò corporeæ & materialis, est per immersionem omninò in materia, & per principium extrinsecum, & per qualitates sensibiles: & si licet loqui per organum corporeum, quòd dico, quoniam inanimata non propriè habent organum.

Quantùm ad secundum aduerte quòd quatuor genera viuentium distinguuntur penes diuersas combinationes separabiles vegetatiui, sensitiui, &c. Nam cùm vegetatiuum sit primum inter gradus viuentium, quoniã omnes reliqui sup ponunt ipsum, & ipse non supponit alios, non inconuenit inueniri sine posterioribus. Vnde quæ habent solùm vegetatiuum constituunt primum genus viuẽtium, vt plantæ. Item vegetatiuum & sensitiuum priora sunt motiuo secũdùm locum, & ideo non incõuenit inueniri sine motiuo secundùm locum. Vnde constituunt secundum genus viuẽtium, vt animalia imperfecta, sicut ostrea & conchilia affixa lapidibus quæ non mutant locum nisi in sensu, vt dicemus infrà. Item vegetatiuum & sensitiuum & motiuũ secũdùm locum sunt priora intellectiuo, ideo possunt inueniri sine intellectiuo, vnde constituunt tertium genus viuentium, vt animalia perfecta mobilia secundùm locum. Ad intellectiuũ autem non sequitur alius gradus in his inferioribus, quoniam tenet medium inter bruta & intelligentias, ideo constituit quartum & supremum gradum viuentium.

Sed hîc oriuntur tria dubia. Primum est, quare non assignatur vnum genus viuentium iuxta appetitiuum, sicut iuxta motiuum secũdùm locum, & intellectiuum.

Ad hoc dicitur quòd ideo est, quia appetitiuum cõsequitur sensitiuum inseparabiliter. Vbicunque enim est sensitiuum, ibi est appetitiuum, vt probat Philosophus in hoc 2. li. in tex. 27. & de hoc iam supra locuti sumus. Nõ sic autem est de sensitiuo & motiuo secundùm locum, quoniam separantur, vt patet in animali imperfecto, quod est immobile secũdùm locum. Similiter sensitiuum & intellectiuum separabilia sunt. Stat enim in bruto sensitiuum sine intellectiuo.

Secundum dubium est, quoniam non videtur homo constituere supremum genus viuentium. Nam intelligentiæ & prima causa viuunt, vt determinatum est in 2. Cœli & in 12. Metaph. ergo datur quintum genus viuentium.

Ad hoc dicitur quòd hîc quærimus sufficientiam generũ viuentium in rebus mortalibus vt secludamus viuere cœli & entium separatorũ, quod non est de consideratione naturalis Philosophi, sed Metaphysici. Et de hoc genere viuẽdi, quod est purũ intellectuale iam locuti sumus in 12. Metaph.

Tertium dubium est, quia non videtur verum quòd secũdum locum motiuum constituat tertium genus viuentium, quod dicitur animal perfectum. Ex hoc enim sequitur quod vermis sit animal perfectum, cùm moueat se de loco ad locum, & tamen computatur inter animalia anulosa, quæ vt diximus suprà, ex sua imperfectione decisa viuunt.

Ad hoc dicitur quòd motiuum secundum locũ non quocunque modo, sed motu progressiuo constituit tertium genus viuentium & indicat animal perfectum. Vermes autem & alia, quæ dicuntur reptibilia, non mouentur propriè motu progressiuo, sed potius motu dilatationis & constrictionis, qui est cõmunis omni animali imperfecto, & quòd moueãtur motu dilatationis & cõstrictionis patet ex eo quòd videmus reptile quando se mouet primò retrahit se & constringit secundùm partem anteriorem, & deinde trahit post se partem posteriorem. Et postquàm se constrinxit, & traxit post se partem posteriorem se dilatat in parte constricta, & sic mouet se ad vlteriorẽ locum. Ex quo patet quòd motus reptationis magis propinquat motui dilatatiuo & cõstrictiuo quàm motui, progressiuo, vnde non indicat in animali reptibili perfectionem, sed potiùs imperfectionem.

Quantùm ad tertium aduerte quòd cùm potentia dicatur ad actum oportet secundùm sufficientiam actuum, i. operationum, quæ sunt in viuentibus, assignare sufficientiã quinque generum potẽtiarum animæ. Tu igitur aduerte quòd in viuẽte inferiori perfectissimo, quod est homo, inuenitur operatio penitùs immaterialis, quę est intelligere, quę est sine organo, sine cõditionibus indiuiduantibus, sine qualitatibus actiuis & passiuis. Et hæc est ab intellectu. Et sic habemus primum & nobilissimum genus potentiarum animæ. In viuentibus autem inferioribus ab homine, vt in brutis, inuenimus operationem, quæ nõ penitùs immaterialis est, eò quòd fit per organum & non abstrahit à conditionibus singularibus, est tamen immaterialis pro quãto potentia recipit obiectum sine materia, vt declarabimus, quando loquemur de sensu, & non exercetur per qualitates actiuas. Et hæc est à sensu. Et sic habemus secundum genus potentiarum animæ minus nobile quàm primum. In viuentibus autem inferioribus ab animali, vt in plantis inuenimus operationem mixtè immaterialem, quoniam exercetur organo & qualitatibus actiuis. & in hoc solùm est excedens operationem naturæ inanimatæ quòd illa est à principio extrinseco, hæc autẽ à principio intrinseco, nam animata generantur, augentur, nutriuntur à principio intrinseco, vt diximus in principio huius quæstionis. Et hæc est à potentia vegetatiua. Et sic habemus tertium genus potentiarũ animæ minus quidem nobile secundo. Quartum autem & quintum genus sic notificatur ex doctrina B. Tho. in 2. de Anima in expositione ter. 27. Sicut ad formam naturalem sequitur inclinatio in finem, vt ad formam ignis sequitur inclinatio ad locũ sursum vbi conseruetur: & sicut ad inclinationem in finem sequitur operatio, qua acquiritur finis, vt quia ignis inclinatur esse sursum mouetur & tendit sursum, sic ad formam apprehensam per sensum vel per intellectum sequitur inclinatio in rem apprehensam, & ad inclinationem sequitur tendentia in talem rem consequendam. Et hanc quidem inclinationem dicimus potentiam appetitiuam, quæ distinguetur in 3. lib. per appetitum sensitiuũ & intellectiuum. Et sic habemus quartum genus potentiarum animæ. Tendentiam autem in rem apprehensam consequẽdam habemus per motum localem, qui est à potentia motiua secundùm locum. Et hoc est quintum genus potentiarum animæ.

Sed hîc est dubium, videtur enim quòd sint tantùm quatuor genera potentiarum. Nam appetitiuum ita videtur inesse plantis, sicut animali imperfecto, & animali perfecto & homini, ergo si cõsequitur omnia genera potentiarũ animę non constituit speciale genus. Quod autẽ appetitiuum sit in plantis patet, quia vt dictum est, ad omnem formã sequitur aliqua inclinatio, talis aũt inclinatio est appetitus, ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd appetitiuum non quocunque modo acceptum, sed vt consequitur formam cognitam, siue sensu siue intellectu facit distinctum genus potentiarum animæ. Hoc autem non inest plantis, quoniam omni cognitione carent, sed solis animalibus & homini. Ad probationem quidẽ concludit quòd appetitiuum inest plantis, prout appetitiuũ dicit inclinationem naturalem consequentem formam naturalem & animam, vt est quædam natura. Et non vt est cognoscitiua, & talis inclinatio dicitur appetitus naturalis, qui cùm insit omni naturæ, non facit speciale genus potentiarum animæ, nec distinguitur realiter à substantia rei. Quid autem sit appetitus naturalis, quid sensitiuus, quid intellectiuus, quomodo distinguantur, iam determinaui in 1. Metaph. in Quæst. nostris. Et tu vide illic ad placitum. Hæc de præsenti quæsito dicta fuerint.

QVAESTIO XIIII.

Num vegetatiuum contineatur in sensitiuo, &c.

Semper enim in eo quod consequenter, est potentia quod prius est. textu 31.

IN hac quæst. aduerte quòd non cadit difficultas nisi in scire declarare qualis est hæc continentia, per quam verificatur dictum Philosophi. Igitur pro decisione propositi aduerte triplicem continentiam. Prima dicitur formalis. Secunda materialis. Tertia virtualis.

Prima est, quando consequẽs comparatur ad antecedens vt superius ad inferius, & prædicatur de eo in primo modo per se. Sic homo continetur in animali, & quælibet species in suo genere. Hoc modo vegetatiuum non continetur in sensitiuo. Non enim sunt subalternatim posita, nec sensitiuum prædicatur per se de vegetatiuo, aliter non inueniretur vegetatiuum sine sensitiuo, sicut non potest inueniri homo sine animali. Sed se habent sicut duo genera, quorum vnum est perfectius, alterum imperfectius, inter quæ est ordo naturæ, sicut inter numeros & figuras. Nam sicut non est transitus à trigono ad tetragonum, nisi secundum contineat primum, sic non est transitus à vegetatiuo ad sensitiuum, nisi secundum contineat primum.

Secunda est, quando vnum fundatur in altero & non cõuersò. Et hoc modo sensitiuum fundatur in vegetatiuo. Omnis enim gradus viuendi in his inferioribus radicatur in vegetatiuo, eò quòd omne viuens inferius indiget nutritiũne, quæ est operatio vegetatiui. Et de hac continentia non intendit hîc Philosophus, cùm dicit, Sicut trigonum in tetragono, sic vegetatiuum in sensitiuo. Est enim potiùs econuerso, cùm fundamentum omnis vitæ in inferioribus sit vegetatiuum, ex cõsequenti secundùm hunc modũ continẽtię potiùs debet dici sensitiuũ esse in vegetatiuo quàm ecõuerso.

Tertia dicitur virtualis vel perfectionalis, quam Philosophus vocat Potentia, i. potentialis, est quando secundũ continet in se eminenter totam virtutem primi & aliquid amplius, ita quòd in omnem operationem in quam potest primum potest secundum & plus. Et hæc continentia virtualis ad potentialitatem actiuam & non passiuam reducitur. Et in hoc sensu Philosophus intellexit vegetatiuum contineri potẽtia, i. virtute actiua, in sensitiuo. Non quidem quòd sensitiuum producat vegetatiuum, sed quia potest in omnem operationem, in quam potest vegetatiuum, s. nutrire, augere, generare, & adhuc amplius, s. sentire. Et aduerte quòd eandẽ continentiam virtualem habet motiuum secundùm locum comparatum sensitiuo, & intellectiuum comparatum motiuo secundum locum. Et hanc quidem continentiam tripliceṃ volui præponere vt scias mentem Philosophi. Multi enim decipiuntur in primo & in secundo sensu. Et quoniam circa text. Philosophi præpositum non cadit alia difficultas, ideo pro præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Num determinandum sit prius de actibus quàm de potentiis, & de obiectis quàm de actibus.

Priùs adhuc dicendum est quid sit intelligere & quid sentire. Priores enim potentiis actus. tex. 33.

IN hac quæstione aduerte quòd difficultas stat in hoc, Potentiæ videntur esse priores actibus, sicut causæ suis effectibus, cùm ergo à prioribus inchoandum sit, potiùs debuit Philosophus inchoare à potentiis quàm ab actibus. Et si dices, quòd licet potentiæ sint priores quò ad esse, non tamen quò ad cognitionem nostram, & ideo inchoandum est ab actibus, quoniam ex doctrina data in x. Phy. si à notioribus nobis procedendum est. Cõtrà, si actus sunt priores solùm quò ad cognitionem nostrã, ergo modus Philosophi, quo determinat de potentiis animæ, non est secundùm ordinem naturæ, sed tantùm secundùm cognitionem nostram, quod videtur irrationabile. Non enim Philosophus posuisset hãc quæstionem inter difficiles de anima, quàs mouit in Procemio 1. lib. tex. 10. Notum est enim omnibus, quòd actus sunt notiores nobis, & vt sic sunt priores in nostra cognitione quàm potentiæ. Tu igitur vt dignifices quæstionem motam à Philosopho, & sequaris determinationẽ quam suprà fecimus, quòd distinctio potentiarum per actus & obiecta est distinctio specifica & à priori in via Thomistica, ideo hîc sustinebis quòd actus sunt priores potentiis quò ad nos & secundùm naturam. Idem dico de obiectis comparatis ad actus.

Tu igitur sic procedes. Primò declarandum est actũ esse priorem potentia quò ad nos. Secundò quòd secundùm naturam. Tertiò quòd obiectũ est prius actu quò ad nos. Quartò quòd est prius secundùm naturam.

Primũ sic probatur. Cùm diffinitio habeat notificare naturam diffiniti oportet quòd diffinitiuum potentię sit prius notum quò ad nos quàm ipsa potentia. Sed actus est diffiniẽs potentiam, vt determinatum est in 9. Metaphy. Et idem dicit hîc Philosophus in tex. 33. Sic enim inquit, Priores enim potentiis actus & operationes secundùm rationem, scilicet diffinitiuam sunt, ergo, &c.

Secũdum sic probatur. Causa finalis prior est eo quod est ad finem. Prius enim natura intendit finẽ quam ea quæ sunt ad finem. Sed actus est finis potentiæ ex 9. Metaph. Et potentiæ sunt vt organa, quibus operamur, ergo secundùm naturã & de prima intẽtione naturæ actus vt fines sunt priores potentiis. Dico Vt fines, quoniam si comparãtur ad potentiam in genere causæ efficientis sunt posteriores. Sunt enim effectus, & omnis effectus causę efficientis est posterior natura, vel tempore causa sua, vt determinatum est in 5. Metaph.

Tertium sic manifestatur, Anima procedit in cognoscendo seipsam modo resolutiuo. Nam licet potentiæ egrediantur ab anima, & actus à potentiis, & per actus fit progressus ad obiecta, ita quòd per actus attingimus obiecta, tamen in cognoscendo seipsam, anima primò cognoscit obiectum, & reflexiuè per obiectum cognoscit actum, & per actum potentiam, & per potentiam seipsam. Et in hoc ordine patet quòd cognitio obiecti est prior. Cognoscitur enim directè, & cognitio directa prior est cognitiõe reflexa. Reflexa enim supponit directam.

Quartum sic manifestatur, Obiecta sunt aliquo modo causæ actuum, ergo sunt priora secundùm naturam, consequentia patet, quoniam causa ex sui natura est prior suo effectu. Antecedens probatur. Et primò quò ad potentias passiuas, quoniam obiecta earum sunt quodammodo causa efficiens ipsius actus. Non enim à solo visu causatur videre, sed etiam concurrit obiectum, vt dicemus loquentes de sensu quomodo fiat in actu. Sunt etiã causa finalis. Sicut enim potentia est propter actum, sic actus est propter obiectum attingendum. Vnde sicut potentia ex sui natura diffinitur per actum, sic actus per obiectum. Quantùm autem ad potentias actiuas, licet non sint causæ in genere efficientis, sed potiùs effectus, vt nutritum est effectus potentiæ nutritiuæ, & genitum potentię generatiuæ, tamẽ sunt causæ in genere causæ finalis. Ordinatur enim generatiua ad genitum, vt ad finẽ intẽtum à natura. Sicut ars ædificatiua ad ædificium. Et hoc est de intentione Philosophi in 1. Ethi. vbi inquit, Quorumcunque præter operationem sunt aliqua operata, ipsa sunt fines operationum. Patet igitur quòd actus sunt priores potentiis quò ad nos, & secundùm naturam, idem dictum est & declaratum de obiectis. Quapropter rationabiliter secundùm Philosophum priùs determinandũ est de actibus quàm de potentiis, & priùs de obiectis quàm de actibus, & hæc determinatio non solùm est respectu nostri, sed etiã secundùm ordinem naturæ.

Sed hîc oritur dubium, Si actus sunt priores potentiis nõ solùm quò ad cognitionem nostram, sed etiam secundùm ordinem naturæ, quæro, Vel vt non existentes, vel vt existẽtes. Non primò, quia vt non existentes sunt non ens. Non ens autem nullum ordinem realem prioritatis dicit ad potẽtiam, quæ est ens. Non secundò, quia vt existentes quædam singularia sunt & variabilia. ergo nõ sunt de quidditatiua ratione potentiæ, vt potentia est. Diffinitio enim alicuius vniuersalis ex inuariabilibus constat, aliter de eo non haberetur scientia.

Ad hoc dicitur quòd diuisio est insufficiens. Nam datur tertium, s. actus vt abstrahunt ab existentia & non existẽtia. Quod est cõsiderare actum quidditatiuè. Et vt sic est prior potentia, sicut finis quidditatiuè est prior his, quæ sunt ad finem. Nec est verum, quòd actus abstractiuè sumptus sit non ens. Nam sicut homo vt homo ens est & diffinibilis & scibilis sic potentia vt potẽtia ens est & diffinibilis ac scibilis per actum, vt actus est, & non per actum vt existentem, nec vt nõ existentem. Ibi enim considerandum est secundùm Philosophum de potentiis & actibus & obiectis quidditatiuè sumptis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. Inferiùs autem considerabimus de prædictis magis in particulari.

QVAESTIO XVI.

Num generare sibi simile est naturalissimum omnibus viuentibus, & si competit solis viuentibus.

Naturalissimum enim operum viuentibus est, quæcunque perfecta, &c. tex. 34.

IN hac quæst. duo inuestigãda sunt. Primò quomodo sit verum quòd naturalissimum opus in viuentibus sit generare sibi simile. Secundò si competit solis viuentibus.

Inter opera animæ vegetatiuæ conuenientia viuentibus vt viuentia sunt, generare sibi simile naturalissimũ est.

Quantùm ad primum aduerte quòd circa propositã propositionem Philosophi, tria faciunt difficultatem, ita quòd non videtur esse vera. Primò quia nutriri & augeri videtur esse in viuentibus opera magis naturalia, eò quòd sunt communia viuenti siue perfecto, siue imperfecto, generare autẽ sibi simile non conuenit omni viuenti, sed solùm perfecto & non orbato, vt dicit Philosophus in tex. 34. Secundò, quia sentire videtur naturalius omni animali, competit enim animali inquantùm animal & non inquantùm perfectum, vel imperfectum, & est perfectius opus sentire quàm opera vegetatiuæ. Est enim opus altioris gradus in ordine viuentiũ. Tertiò quia generare sibi simile non conuenit solis viuentibus. Nam & ignis generat ignem, ergo non videtur naturalissimum viuentibus. Illud enim est naturalissimum alicui, quod est sibi propriũ, vt igni calefacere, homini intelligere.

Vt igitur habeas resolutionem huius, & tibi manifestetur sensus, in quo propositio Philosophi erit vera, proponũtur tres distinctiones.

Prima est, Naturalissimum opus potest intelligi dupliciter. Primò aliquod opus dicitur naturalissimum viuenti, quia est communissimum omni viuenti absolutè. Et sic generare sibi simile, non est naturalissimum, sed nutrire seipsum & augeri. Secundò dicitur naturalissimum, i. perfectissimum non absolutè, sed comparatum aliis operationibus

vegetatiuis generare in quocunque viuente reperiatur perfectius est quàm nutriri & augeri. Nam in ordinatis operationibus, quæ posterior est, perfectior est. Priores enim ordinantur ad illam & non econuersò. Constat autē quòd generare est posterius ad nutritionem & augmētationem. Omni enim tempore nutritur viuens, sed non omni tempore generat. Præterea, vt inquit Philosophus in tex.14. per ipsum generare participat viuens diuino & immortali esse, &c. ergo est perfectissimum inter opera vegetatiua.

Secunda distinctio, ly Operum sumitur dupliciter. Primò absolutè, vt sit sensus, Inter omnia opera, quæ insunt viuentibus, generare est naturalissimum, i. perfectissimum & sic est falsum, quoniam sentire perfectius est, & multò plus intelligere, quæ inueniuntur in aliquibus viuētibus, quibus competit etiam generare sibi simile, vt in homine, &c. Secundò sumitur comparatiuè non ad quæcunque opera viuentium, sed comparando generare ad alia opera vegetatiuæ animæ, & sic est verum. Et in hoc sensu loquitur Philosophus, eò quòd vt diximus alia opera vegetatiuæ, ordinantur ad generare, & per generationem participamus esse æterno secundùm speciem.

Tertia distinctio, ly Viuentibus sumitur dupliciter. Primò vt viuentia sunt. Secundò vt sunt talia vel talia viuentia in tali natura, putà homo vt homo. Dico quòd Philosophus intendit de viuentibus vt viuentia sunt. Viuunt autem anima vegetatiua, quæ est fundamentum omnis vitæ in his inferioribus viuentibus. Non autem intendit de viuētibus vt talia sunt, putà sensitiua, aut intellectiua. Sic enim habēt operationes altioris gradus quàm sint operationes animæ vegetatiuæ. Sic ergo ex prædictis distinctionibus sic limitabis propositionem Philosophi, Inter opera animæ vegetatiuæ, quæ conueniunt viuentibus, vt viuentia sunt, generare sibi simile est naturalissimum, id est perfectissimum, dummodò non sint imperfecta nec orbata, nec spontaneè genita, i. per putrefactionem. Et de genitis ex putrefactione iam determinauimus in lib.7. Metaph. in Quæst. nostris.

Quantùm ad secundam partem quæsiti aduerte quòd generare sibi simile non est proprietas competens solis viuentibus. Nam in 7. Metaph. & in 12. probat Philosophus contra Platonem vnum quodque generari à suo simili tam in naturalibus quàm in artificialibus. Et id iam declarauimus in q. nostris, in 7. Metap. ostendimusq; gradualem similitudinem inter generans & genitum in diuersis naturis. Licet autem commune sit animato & inanimato generare sibi simile, non tamen eadem ratione, nec eisdem modis. Tu igitur aduerte quòd generare sibi simile cum conditionibus subsequentibus, est proprium animati.

Pro inanimatis etiam seruatis conditionibus, quas infrà numerabimus oppositas cōditionibus, quæ inueniuntur in generante viuente, fiet proprium eis.

Prima conditio in viuente est, quòd viuens generat sibi simile, per emissionē alicuius substantiæ, quę dicitur semen, in quo residet virtus formatiua ex 2. de Generatiōe Animalium. Per oppositum autem inanimatum non generat sibi simile per huiusmodi emissionem, sed per transmutationem materiæ sibi proximæ de potentia ad actum. Nam cùm ignis proximatur combustibili, non exit aliqua substātia ab igne, qua mediante generetur ignis, sed per suas qualitates transmutat materiam de potētia ad actum. Ex quo sequitur quòd viuens in generando vtitur quodam separato secundùm esse ab ipso viuente, s. semine, & in hoc assimilatur quodammodò intelligentiæ quæ producit inferiora medio cœlo vt instrumento, cui tamen non copulatur vt forma, vt determinauimus in 12. Metap. in Quæst. nostris. Tali autem instrumento non vtitur inanimatum, sed per qualitates actiuas disponendo materiam producit sibi simile.

Secunda conditio in viuente est, quòd viuens antequàm simile generet priùs inducit in materiam formam præuiam animæ, id est formam seminis in materia nutrimenti, deinde per virtutem formatiuam, quæ est in semine, pertingit ad animam, qua fit animatum. Per oppositum autem inanimatū ad hoc quòd producat sibi simile non est necesse quòd priùs inducat in materiam aliquam formam præuiam, sed quòd disponat materiā, qua disposita statim inducitur in materia forma inanimati, putà ignis, similis formæ ignis generantis.

Tertia conditio in viuente est, quòd viuens habet aliquas partes organicas diuersas ab aliis partibus deseruientes generationi. Per oppositum huiusmodi diuersitas non datur in animato generante, quoniam omnes partes suæ consimiles sunt, vt manifestum est in elemento generante sibi simile, nam partes ignis generātis ignem ex aëre, habet omnes partes homogeneas, quare, &c. Constat igitur quibus conditionibus est proprium viuentibus generare sibi simile & quibus conditionibus conuenit etiam inanimatis. Hæc de præsenti quæsito dicta fuerint.

QVAESTIO XVII.

Num nutritio & augmentum in rebus animatis sint ab anima vegetatiua, an ab igne.

Videtur autem quibusdam natura ignis simpliciter causa alimēti & augmenti esse, & nunquè ipsum videtur solùm corporum & elementorum, quod alitur & augmentatur, tex. 40. Ignis enim augmentum in infinitum est quousque fuerit combustibile. Natura autem constantium omnium tetminus est & ratio magnitudinis & augmenti, tex. 41.

IN hac quæst. stat difficultas propter aliquas propositiones Philosophi quæ cōtinentur in tex. 40. & 41. quas videtur difficile saluare. Et primo quomodo est verum quòd nutritio & augmentum sint actiones solius animæ vegetatiuæ. Secundò supposito quòd sic, quomodo est verū quòd ignis nutriatur & augeatur, cùm non sit animatus. Tertiò quomodo in tex. 41. istæ duæ propositiones stant simul, Omnium natura constantium est terminata quantitas & magnitudo, &, Ignis crescere in infinitum si apponeretur combustibile in infinitum. Nam cùm ignis sit aliquid natura constantium, videtur propositio secunda contradicere primæ.

Quantùm ad primum dico duo. Primò quòd nutritio & augmentum sunt principaliter ab anima vegetatiua & non ab aliqua virtute, siue forma elementari. Secundò quòd ad huiusmodi actiones concurrit instrumentaliter ignis ratione caloris.

Primum sic probatur, Motus qui sunt ad omnem positionem localem & non tantùm ad vnam, non sunt ab aliqua virtute elementari principaliter, quoniā cùm virtutes elementares sint potentiæ naturales, determinatæ sunt ad vnum, & sunt principia motus ad vnam differētiam localem tantùm, vt grauitas deorsum & non sursum, leuitas sursum & non deorsum. Et si mobile sit mixtum, non monetur nisi motu ad illam positionem, ad quam inclinat elementum prædominans. Sed motus nutritionis & augmenti in viuentibus est ad omnem positionem localem, nutritur enim secundùm omnem partē corporis & augetur secundùm omnē diametrum, ergo non sunt principaliter ab aliqua virtute naturali elementari, sed ab anima vegetatiua ex sufficienti diuisione.

Præterea, probatur in specie contra Antiquos, quòd augmentum in viuentibus non fit principaliter ab igne. Nam omni viuenti debetur certa & determinata quantitas, ita quòd sub maiori non potest saluari, eò quòd omnis forma mobilis materiæ requirit determinatam quantitatem in materia, vt determinatum est à nobis in 1. Physic. Sed augmentum determinatæ magnitudinis nō potest esse ab igne, quoniam sicut ignis est augmētabilis in infinitum ex appositione combustibilium in infinitum, ita quantùm sit ex se est extensiuus rei quantæ vltra omnem determinatam magnitudinem, nisi reguletur ab anima vt à principali causa augmenti. Nam non spectat ad causam instrumentalem ponere terminum effectui, sed ad principalem, vt ars ædificatoria imponit terminum magnitudinis ædificio. Ergo augmentum principaliter est ab anima vegetatiua.

Secundum autem sic declaratur. Nutrimentum, cuius apposicione nutritur & augetur anima, vt patet ad sensum in sui principio est dissimile nutrito. Non enim panis & vinum sunt caro, nec os, &c. ergo necesse est ipsum alterari, vt fiat simile nutrito. Non autem potest assimilari nisi per decoctionē, decoctio autem fit per calorem naturalem depurantem & segregantem partes nutrimenti grossas à subtilibus, calor autem inter elementa maximè attribuitur igni, ergo igni ratione caloris decoquentis vt instrumento animæ attribuitur nutritio & augmentum in viuentibus.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Philosophus in 2. de Generatione, in tex. 50. dicit eandem sententiam, vt hic, s. ignem inter omnia simplicia corpora nutriri. Quod quomodo sit verum iam declarauimus super eundem tex. Et diximus quòd omnes rectè sentientes conueniunt in hoc, nec ignem nec aliud elementum nutriri nutritione propriè dicta, quoniam illa est per calorem animati & animam vegetatiuam. Conueniunt etiam in hoc quòd nutritione communiter dicta, i. qua aliquid in naturam alterius ad illius conseruationem conuertitur, siue illa conuersio fiat per calorem vt in igne, vel per alias primas qualitates vt in aliis elementis, quando vnum conuertitur in alterū, non solùm ignis, sed & alia

& alia elementa possunt nutriri. Dictum est enim in 2. de Generatione, quodlibet elementum potest conuertere in seipsum aliud elementū immediatè, siue sit symbolicū, siue nō.

Sed dices, Si nutriri nutritione communiter dicta est cōmune omni elemento, quare dicit Philosophus hic & in 2. de Generatione, Rationabile quidem solùm simplicium corporum nutriri ignem?

Ad hoc dicitur, Licet alia elementa possint in se conuertere aliud elementum ad sui conseruationē & augmentum, id tamen ad sensum manifestius est in igne ex sua actiuitate intensa, qua non solùm elementa, sed & mixta combustibilia trahit in sui naturā corrumpendo & conuertendo. Quod autem alia elementa corrumpant aliud elementum, vel mixtum & conuertant in sui naturam, non est sensui ita manifestum, ideo dicit Philosophus hic, quòd videtur solus ignis inter alia simplicia corpora nutriri, id est apertius est sensui, cum hoc tamen stat quòd & alia elementa nutriuntur modo dicto, licet id non ita constet sensui.

Sed dices iterum, In quo differt particulariter nutritio & augmentum rei viuentis, & rei non viuentis? Respondeo, Differentia stat in hoc, quòd in nutritione & augmento rei viuentis nutrimentum diffunditur ad omnes particulas nutriti, & quælibet eius pars nutritur & augetur, vt declarauimus in 1. de Generatione. Sed in nutritione inanimati qualis est ignis non contingit quòd aliquod corpus ingrediatur ad singulas particulas ignis præexistentis, & quælibet nutriatur ac augeatur, sed solùm ex materia proximata generatur alius ignis, qui continuus, aut contiguus fit secundùm superficiem igni præexistenti, & fit inanimatū vnum maius quam prius ex oppositione noui ignis.

Quantùm ad tertium inuenio tres modos concordandi illas duas propositiones, quorum primus attribuitur Commentatori, secundus Egidio, tertius B. Thomæ.

Comment. in 2. de Anima, in com. 41. videtur tenere quòd ly Natura constantium non est intelligendum absolutè, sed solùm in corporibus augmentabilibus, quæ propriè sunt animata. Vnde dicit, Et intendit per terminum & mensuram vltima naturalia, i. terminos rerum naturalium, quæ inueniuntur in quantitatibus corporum augmentabilium, hæc ille. Augmentabilia autem propriè sumpta non sunt nisi animata. Et quoniam ignis non est de natura animatorum augmentabilium, ideo non habet ita determinatam magnitudinem quin possit excedere quamcunque magnitudinē rei animatæ. Et si dicas, Ergo si ignis potest crescere in infinitū ex appositione combustibilis in infinitū non est dabilis maximus ignis: respondent Commentistæ & maximè Iand. in 2. de Anima, q. 12. quòd quando dicit Philosophus augmentum ignis esse in infinitum, sic est intelligendum, quòd potest excedere omnem magnitudinem rei viuentis, non tamē omnem magnitudinem simpliciter, quoniam cùm ignis habeat formam naturalem requirit etiam determinatā magnitudinē, quæ quia indeterminatè potest excedere magnitudinē cuiuscunq; viuentis, dicitur augmētabilis in infinitū.

Hæc expositio non est falsa, sed non videtur ad mentem Philosophi. Nam ly Natura constantium, nō videtur restringendum ad genus viuentium, sed sumendum pro omni ente naturali, cui debetur ex natura sua aliqua magnitudo & figura. Vnde melius est vt sumatur ly Natura constantium pro omni ente naturali quod terminatur propria figura ad differentiam fluidorum, quæ terminātur non propria, sed continentis figura. Et quoniam ignis, sicut & aër & aqua, non propria, sed continentis figura terminantur, vt dictum est in 4. Cœli, ideo ignis non debet cōputari inter natura cōstantia.

Egidius autem in 2. de Anima, super tex. 41. dicit quòd omnia quæ constant ex natura habent terminum aut ex parte formæ vt omnia animata, aut ex parte materiæ, vt quæ cōstant ex tota sua materia ex 1. Cœli: aut ex ordine Vniuersi, ne s. fi augerentur in infinitum destruerent alias partes Vniuersi. Intendit ergo Philosophus dicere, quòd quia ignis nō est animatus, nec ignis, putà A, constat ex tota sua materia quantùm sit ex parte formæ & ex parte suæ materiæ est augmentabilis in infinitum, licet id repugnet ex ordine Vniuersi. Vnde potest dari adeò magnus ignis, quòd appositam sestucam non posset comburere propter impedimentū extrinsecum, i. ne destruatur ordo Vniuersi. Sic igitur concordabit tex. Philosophi, Omnium natura constantium est terminata magnitudo ex parte formæ, aut materiæ, aut ordine Vniuersi. Et sic ignis habet terminatam magnitudinem. Omniam autem natura constantium, quæ sunt de genere viuētium, est terminata magnitudo ex parte formæ, i. animæ, quæ requirit determinata organa, & sic ignis, cùm non sit viuens, non habet determinatam magnitudinem ex parte formæ, imò est augmentabilis in infinitum, si apponatur combustibile in infinitum, nisi ordo Vniuersi obsisteret.

Hæc positio non bene saluat maximum & minimum per se existens in homogeneis. Nam vult non dari maximū ignē ex parte formæ, imò maiorem & maiorem in infinitum, nisi ordini Vniuersi repugnaret. Et tamen in 1. Phys. contra Anaxagoram determinatur maximum eo quòd quælibet forma naturalis statutum terminū præfigit ei, cuius est forma, ergo igni debetur maxima quantitas non solùm propter cōseruationē ordinis Vniuersi, sed ex sua propria forma, licet illa quantitas possit excedere omnē magnitudinē rei viuētis.

Tertius modus est respondendi, qui videtur esse de mente B. Tho. in 2. de Anima, in expositione tex. 46. Dicit igitur hæc opinio, quòd omnium natura constantium absolutè tam viuentium quàm non viuentium datur terminata magnitudo, & quòd in igne datur maximum & minimum per se existens. Et cum hoc stat quòd ignis augeatur in infinitū si apponatur combustibile in infinitum. Nam ignis dupliciter consideratur. Primò vt per se vnus numero, putà ignis A, ignis B, ignis C. Secundò vt est vnus aggregatione plurium ignium, quæ est vnitas per accidens, sicut vnitas lapidum in aceruo. Et hæc vnitas aggregationis fit, quando igni præexistenti applicatur alia materia combustibilis, in qua introducitur forma ignis. Tūc ignis de nouo genitus est alius à præexistenti licet ad sensum non sic appareat. Et si applicarētur centum combustibilia fierent centum ignes, qui omnes non essent vnum per se, sed contactu, sicut quidam cumulus. Nec primus ignis, cui appositā sunt cētum combustibilia, potest dici esse propriè augmentatus, sed auctus, quoniam ex 1. de Generatione, quod verè augmentatur remanet idem ante & pòst. Et ideo augmentum propriè inuenitur in solis viuētibus. Ex hac ergo distinctione dico quòd sumendo ignem vt est per se vnus numero habet determinatam magnitudinem, quia dato quòd apponatur nouum combustibile & cōburatur, non augetur ille idem numero, sed nouus generatur. Si autem sumatur ignis vt est quid vnum aggregatione, sic dico quòd non habet determinatam magnitudinem, sed potest ex generatione nouorum ignium in infinitum augeri illud aggregatum in infinitum. Nec ex hoc sequitur aliquod inconueniens, quoniam quando dicit Philosophus, Omniū natura constantium, &c. debet intelligi de his quæ sunt per se vnum, sicut vnus homo, vna planta, vnus lapis. Similiter quilibet per se ignis, vna per se aqua. Quando ergo dicit Philosophus, Ignis augmentum est in infinitum quousque fuerit combustibile, exponatur de igne qui est vnus non per se, sed aggregatione. Aduerte tamen quòd illud augmentum ignis est improprium, sicut & nutrimentum suum, vt exposuimus suprà. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVIII.

Num potentia nutritiua & augmentatiua & generatiua differant realiter.

Quoniam autem est eadem potentia animæ vegetatiua & generatiua. textu 42.

IN hac quæst. aduerte, quòd omnes Expositores in hoc cōcordant, quòd licet harum trium sit vnum obiectum materialiter sumptum, quod est ipsum nutrimentū, tamen quia diuersa ratione respiciunt ipsum, & habent distinctas operationes circa ipsum, ideo concludunt quòd sunt tres potētiæ distinctæ realiter. Ad resolutionem igitur quæsiti declarandum est quomodo nutrimentum alia & alia ratione formali est obiectum harum trium potentiarum, ex quo constabit distinctio realis inter eas. Deinde soluetur dubium, quod oritur ex textu Philosophi.

Potentiæ nutritiuæ augmentatiuæ, et generatiuæ differunt realiter.

Quantùm ad primum aduerte quòd res viuens indiget conseruatione in esse indiuiduo per aliquod tempus & debita quantitate, & conseruatione in specie vt perpetuetur. Conseruari non potest in esse indiuiduo nisi per nutritionē, in qua ad restaurationem deperditi conuertitur nutrimentum in substantiam nutriti per potentiam nutritiuam mediante calore naturali decoquente, sicut iam locuti sumus in Tractatu de Morte & Vita. & in Tractatu de Causis Longitudinis & Breuitatis Vitæ. Nutrimentum igitur, vt quid, id est, vt substantia conuertibilis in nutriti substantiam, est obiectum formale potentiæ nutritiuæ. Deduci non potest ad debitam quantitatem, nisi fiat maior conuersio alimenti in substantiam nutriti pro aliquo tempore, quàm fit restauratio deperditi. Ex eo autem quòd nutrimētum est substan

ſtantia quanta, & additur nutrito quanto ſit maius quãtum. Nutrimentum igitur vt eſt quãtum & non ſolùm, vt eſt ſubſtantia, eſt obiectum formale potentiæ augmentatiuæ. Conſeruari non poteſt in ſpecie ſecundùm perpetuitatem niſi generet ſibi ſimile, non generat ſibi ſimile niſi per ſemen. Semen autem eſt id, quod ſupereſt de alimento conuertibili in ſubſtãtiam nutriti, & per illud generatur ſimile in ſpecie. Nutrimentum ergo vt ſupereſt nutritioni & augmento eſt obiectum formale potentiæ generatiuæ. Ex his conſtat ratio quare diſtinguuntur realiter. Determinatum eſt enim ſuprà quòd potentiæ diſtinguuntur per actus & actus per obiecta formaliter ſumpta. Vbi ergo ſunt diſtincti actus reales, & diſtincta obiecta formaliter, ibi eſt diſtinctio realis potentiarum. Sed in parte vegetatiua diſtinguuntur vt patet realiter nutrire, augere, generare, quia ſtat vnũ ſine alio, & diſtinguuntur formaliter nutrimentum vt ſubſtantia, vt quantum, vt ſuperfluum, ergo potentia nutritiua, augmentatiua & generatiua diſtinguuntur realiter.

Quantùm ad ſecũdum aduerte quòd ex dicto Philoſophi in tex. 42. vbi inquit, Quoniam eſt eadem potentia vegetatiua & generatiua, inſurgit dubium. Nam ſi ſunt eadem potentia, ergo non diſtinguuntur realiter cuius oppoſitum determinatum eſt.

Aduerte quòd aliqui vt effugiant hanc difficultatẽ dicunt quòd Philoſophus per ly Vegetatiua non intendit nutritiuam, ſed intendit vegetatiuam vt eſt genus, quod ſub ſe continet has ſpecies, nutritiuam, augmentatiuam, generatiuam, quod non diſtinguitur realiter ab eis, ſicut animal non diſtinguitur realiter à ſuis ſpeciebus. Sic dicunt iſti, Quoniam eſt eadem potentia vegetatiua, ſcilicet, ſumpta vt genus, & generatiua ſumpta vt ſpecies, &c. Sed hæc expoſitio deuiatà Commentatore, cui adhæret in hoc B. Thom. Nam Commentator in 2. de Anima textu 42. exponit vegetatiuam pro nutritiua. Vnde & eius textus ſic habet, Quoniam igitur virtus nutritiua & generatiua ſunt eædem, &c. Et B. Thomas exponit vegetatiuã pro nutritiua, Suppoſito igitur quòd accipiatur vegetatiua pro nutritiua, declarandum eſt quomodo hæc duo ſtant ſimul, quod ſint eædem, & diſtinguantur realiter.

Egidius in expoſitione textus 42. in fine quæſtionis, dicit quòd ſunt eædem prout nutritiua præparat & decoquit nutrimentum quo nutritiua nutrit, augmentatiua augmentat, generatiua generat, & ſic erunt eædem non ſimpliciter, ſed obiecto materialiter ſumpto. Et hæc expoſitio videtur eſſe ad mentem Commentatoris, qui in commento 42. exponens dictum Philoſophi inquit, Et quia ſubiectum potentiæ nutritiuæ & augmentabilis & generatiuæ idem eſt, ſcilicet nutrimentum, &c.

Sed contra, Si nutritiua & generatiua poſſunt dici eadem potentia, quia obiectum earum materialiter ſumptum eſt idem ergo ſenſus, viſus & odoratus erunt idem ſenſus, quia obiectum eorum materialiter ſumptum eſt idem. Nam eſt idem corpus coloratum & odorabile.

Reſpondetur, Non eſt ſimilis ratio, quia actus potentiæ nutritiuæ ordinatur ad actũ potentiæ generatiuæ, ideo proximiores ſunt adinuicem quàm viſus & odoratus, quorum actus vnius non ordinatur ad actum alterius. Sic dicendum eſſet ad mentem Egidij.

Tu autem dic, quòd potentia nutritiua & generatiua ſunt eadem potẽtia apud Philoſophum radicaliter, quia radicantur in eadem eſſentia animæ vegetatiuæ. Item ſunt eædem ordinabilitate, quia nutritiua ordinatur ad generatiuam vt ad nobiliorem. Sequere tu quam expoſitionem volueris, quoniam omnes ſuſtentabiles ſunt. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO XIX.

Num quod nutritur patiatur à nutrimento, ſicut econuersò.

Patitur aliquid alimentum ab eo quod alitur, ſed non hoc ab alimento. tex. 45.

Nutritũ patitur à nutrimento, ſed non eodẽ modo

IN hac quæſtione aduerte quòd difficile eſt ſaluare præpoſitum textum Philoſophi. Primò quidem, quia contraria agunt & patiuntur adinuicem. Sed nutrimentum eſt contrarium nutrito, ſaltem in principio, aliter non decoqueretur. Prætereà, dicit Philoſophus in eodem textu, Inquantùm nõ coctum, contrarium contrario alitur. Si ergo contraria mutuò agunt adinuicem, ſequitur quòd nutritum repatiatur à nutrimento. Prætereà, ad ſenſum experimur ſtomachum laborare in decoctione cibi duræ digeſtionis, ergo repatitur à nutrimento. Prætereà, Philoſophus in 1. de Generatione text. 44. vult alimentum comparari ad alitum ſicut aqua ad vinum, ſed conſtat aquam agere in vinum remittendo virtutem ſuam, ergo & nutrimentum agit in nutritum.

Pro reſolutione huius quæſiti inuenio tres modos dicendi. Primò dicunt aliqui dictum Philoſophi debere intelligi de eo quod alitur non ſecundùm ſe totum, ſed ratione principij formalis quo alitur, hoc autem principium eſt potentia nutritiua de qua conſtat quòd ſecundùm ſe non patitur à nutrimento, ſicut nec potentia viſiua ſecundùm ſe patitur à colore, imò coniunctum ex potentia ex organo patitur.

Sed expoſitio hæc non eſt ad mentem Philoſophi. Nam loquitur de eo quod alitur, vt de cõpoſito. Comparat enim illud quod alitur artifici, & alimentum materiæ in quam artifex agit. Conſtat autem quòd artifex non dicit ſolã artem ſed compoſitum, ita nec quod alitur dicit ſolam potentiam nutritiuam, ſed compoſitum animatum.

Secundò dicunt aliqui quòd textus Philoſophi debet intelligi de nutrimento decocto & digeſto. Cùm enim ſit iam aſſimilatum nutrito, & ſit in potentia proxima vt tranſmutetur in ſubſtãtiam eius, non eſt ampliùs cõtrarium ei quod alitur, & per conſequens alitum non patitur à nutrimẽto, ſed econuersò, quia tranſmutatur in ſubſtantiam aliti.

Sed hæc expoſitio adhuc non quadrat ad ſenſum Philoſophi. Ipſe enim prępoſuit textum prędictum, antequàm mentionem faceret de alimento cocto vel non cocto. Nam de huiuſmodi differentiis alimenti facit mentionem in fine textus 45. vbi inquit, Secundùm enim quòd eſt non digeſtum contrarium, nutritur à contrario, ſecundùm verò quòd digeſtum ſimile à ſimili. Hanc autem propoſitionem, Patitur aliquid alimẽtum ab eo quod alitur, ſed non hoc ab alimento, præpoſuerat in principio eiuſdem textus. Vnde ſignum eſt quod intendebat de alimento ſecundùm ſe nondum diſtinguendo de cocto & non cocto, ſicut etiã comparauit fabrum ad materiam in quam agit, non ſolùm quando diſpoſuit eam ad formam ſuſcipiendam, ſed abſolutè.

Tertiò ponitur expoſitio Commentatoris vt melior & penitùs ad mentem Philoſophi in commento 45. & ſtat in hoc quòd nutrimentum non agit in nutritum eo modo, quo nutritum agit in ipſum. Nam nutritum agit in nutrimẽtum tranſmutando ipſum in ſui ſubſtantiam, quo modo nõ agit nutrimentum in nutritum, non enim nutrimentum convertit nutritum in ſui ſubſtantiam, ſicut artifex quidem agit in materiam figurando ipſam, quomodo materia non agit in artificem, non enim lignum figurat artificem. Et quòd hæc fuerit intentio Commentatoris patet in dicto commento, vbi ſic inquit, Poteſt enim aliquid dicere quòd ſi nutrimentum eſſet contrarium nutribili oportet vt vtrunque tranſmutetur à ſuo compari & patiatur ab eo: quaſi dicat, reſpondendo quòd nutrimentum eſt quod patitur à nutribili, non nutribile à nutrimento. Non enim eſt neceſſe vt ab omni patiente patiatur agens eo modo quo patiens patitur ab eo. Lignum enim patitur à carpentario, ſed carpentarius non patitur à ligno, niſi aliquis vocet illam tranſmutationem quę eſt ex ocio ad operationem. Et infrà in eodem commento inquit, Nutrimentum eſt illud quod tranſmutatur in formam nutribilis, non nutribile in formam nutrimenti. Hæc Commentator.

Ex quibus patet quòd intentio Philoſophi & Commentatoris fuit non negare omnem reactionem nutrimenti in nutritum, quoniam vt arguebatur, in principio cùm ſint diſſimilia & contraria agunt & repatiuntur adinuicem, & ſeinuicem alterant & ad ſenſum ſentimus laborem in digeſtione, ſed intentio ſua fuit negare illam actionem conuertiuam à nutrimento, qua agit nutritum in nutrimentum dum illud conuertit in ſui ſubſtantiam. Ad ea quæ in principio quæſtionis obiiciebantur non oportet reſpondere, quoniam ſequendo tertiam expoſitionem, concedimus nutritum patiatur à nutrimento, ſed non eo modo vltimato quo nutrimentum patitur à nutrito, vt declaratum eſt. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO XX.

Quomodo valet hæc conſequentia, Si ſenſus eſſet actiuus ſecundùm ſe, ſentiret ſine ſenſibili exteriori.

Manifeſtum eſt igitur quod ſenſitiuum non eſt actu ſed potentia tantùm. Vnde non ſentiunt, ſicut combuſtibile non comburitur ipſum à ſeipſo ſine combuſtiuo. Comburere enim ſeipſum & nihil indigeret actu ignem eſſe. tex. 52.

IN hac queſt. aduerte quòd conſequentia præpoſita non videtur valere, quia videmus multa habere potentiam actiuam, quæ tamen non agunt niſi concurrente obiecto extrinſeco. Nam ignis habet potentiam actiuam ad comburendum, & tamen nec ſe nec aliud comburit niſi adſit combuſtibile. A ſimili ergo poſito quòd ſenſus actiuus ſenſationis, & eſſet in potentia actiua, non ſequitur quòd ſentiat ſine ſenſibili exteriori.

Vt igitur manifeſtetur quomodo conſequentia valet, & quomodo non, duo agenda ſunt. Primò ponetur opinio Egidij, & improbabitur. Secundò ponetur opinio, quam reputo veram & ſuſtinebitur, in qua declarabitur veritas conſequentiæ.

Quantùm ad primum aduerte, quòd Egid. in 2. de Anima in expoſitione tex. 52. in quæſt. ſua 2. dicit duplici de causa prouenire quòd actio non fit in agente niſi concurrat aliquod extrinſecum. Primò quando actio tranſit ab agente in exteriorem materiam. Et ſic actio comburentis non poteſt eſſe ſine combuſtibili exteriori, quia hæc actio non remanet in comburente, ſed recipitur in combuſto. Secundò quando illud in quo recipitur actio non eſt in potentia actiua, ſed paſſiua tantùm & ideo combuſtibile nõ comburitur ſine exteriori combuſtiuo, quia combuſtibile eſt ſolùm in potentia paſſiua vt cõburatur. Quòd ſi actio non ſit tranſiẽs in exteriorem materiam, & illud in quo eſt talis actio ſit in potentia actiua quò ad illam actionem nihil requiretur exterius, ſed ageret in ſeipſum, & ſine alio exteriori. Et ideo cùm ſentire non ſit actio tranſiens in materiam exteriorem, ſed remaneat in ſentiente ſi ſenſus eſſet in potentia actiua reſpectu huius actionis, id eſt, ipſius ſentire ſequeretur quòd ſenſus poſſet ſeipſum ſentire, & poſſet ſentire non præſentibus ſenſibilibus exterioribus. Et quoniam hoc eſt falſum, ideo ex hoc vult quòd ſi ſenſus eſſet in potentia actiua reſpectu ſenſationis, ſequeretur quòd ſenſus ſentiret abſque ſenſibili exteriori. Et quia hoc eſt falſum, ideo Philoſophus vult ſenſum non eſſe potentiam actiuam, ſed paſſiuam. Hæc eſt declaratio Egidij, Et vt ſcias quòd non eſt ad mentẽ Philoſophi declaro priùs quid intendat hic Philo. & quomodo ſaluanda eſt præpoſita conſequentia. Deinde manifeſtũ erit ſententiam Egidij non deferuire in propoſito.

Aduerte igitur quòd vt conſequentia ſit vera, oportet ſupponere ſecundùm Philoſophum ſenſum eſſe potentiam paſſiuam, & ſecundùm Antiquos eſſe potentiam actiuam, & iudicare de eo ſicut ſi eſſet aliquod combuſtibile, quidem ſimul cum hoc quòd habeat potentiam paſſiuam vt comburatur, habeat etiam potentiam actiuam vt comburat. Hoc enim dato clarum eſſet q̃ illud combuſtibile comburet ſeipſum ſine exteriori combuſtibili. Sic in propoſito arguit Philoſophus, Cùm ſenſus ſit in potentia paſſiua, ſi ſecundùm Antiquos eſſet etiam in potentia actiua ad ſentiendum, ſequitur quòd ſentiat ſine exteriori ſenſibili, ſicut dictum eſt proportionaliter de combuſtibili, quod haberetin ſe potentiam actiuam comburendi. Hoc modo deberet ſaluari conſequentia Philoſophi. Vnde non eſt neceſſe diſtinguere de actione immanente & tranſeunte, vt diſtinguit Egidius. Patet enim in text. Philoſophi quòd confirmat actum ſentiendi quo ſenſus ſentiret ſine ſenſibili exteriori, per actum comburendi quo combuſtibile comboureret ſine exteriori combuſtibili, & tamen actus ſentiendi eſt actio immanens: & actus comburendi eſt actio tranſiens. Vnde quantùm ad hoc tenet conſequentia in vtraque actione, dummodò vtrobique ſupponatur potentia, quæ ſit actiua & paſſiua ſecundùm ſe & ſufficienter. Defecit autem Egidius, quia non conſiderauit combuſtiuum vt combuſtibile & combuſtiuum, ſed tantùm vt combuſtiuum. Et ideo bene ſequitur quòd purum combuſtiuum non poteſt comburere niſi adſit combuſtibile exterius. Si autem idem eſſet combuſtibile & combuſtiuum comboureret nõ indigens combuſtibili exteriori.

Ex his patet reſponſio ad argumentum in principio quæſiti, quoniam licet multa habeant potentiam actiuam quæ non agunt niſi præſente obiecto extrinſeco, vt paret de igne, tamen nullum poteſt dari habens in ſe & ſecundùm ſe, potentiam actiuam & paſſiuam, quod non poſſit agere ſine obiecto exteriori, vt diximus de eo quod eſſet combuſtiuum & combuſtibile, & in hoc ſenſu loquitur Philoſophus, & non de eo quod habet potentiam actiuam tantùm. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAEST. XXI.

Num ſenſus ſit potentia actiua, an paſſiua.

Senſus autem in ipſo moueri & pati aliquid accidit. Videtur enim quædam alteratio eſſe. tex. 51.

IN hac quæſt. duo inuenio, in quorum vno ferè omnes concordant, ſcilicet quòd ſenſus eſt potentia paſſiua. In altero autem diſcordant, ſcilicet, An ſit potentia merè paſſiua. Nam Thomiſtæ tenent quòd idem ſenſus numero eſt paſſiuus & actiuus. Alij autem inter quos eſt Ianduinus tenent quòd in parte ſenſitiua eſt duplex ſenſus, vnus merè paſſiuus, cui correſpondet ſenſus actiuus, ita quòd ponit duos viſus actiuum & paſſiuum, ſimiliter intelligẽ de aliis ſenſibus. Pro reſolutione igitur quæſiti primò pertractabitur illud in quo omnes conueniunt. Secundò via Thomiſtica. Tertiò via Ianduni, & oſtendetur quòd nullam habet apparentiam.

Sẽſum nõ modò paſſiuam potentiam dicimus, ſed actiuã, quanquãm nõ eadem ratione.

Quantùm ad primum aduerte quòd omnes in hoc conueniunt, potentias vegetatiuas eſſe de numero potentiarum actiuarum, cognoſcitiuas autem de numero paſſiuarum. Et hæc eſt prima differentia, quæ aſſignatur inter potentias vegetatiuas & ſenſitiuas, vt dicit Com. in 2. de Anima in com. 52. Et quòd ſenſus ſit potentia paſſiua manifeſtatur primò per Com. in 2. de Anima in com. 51. vbi inquit, Primum conſideratum de ſenſu eſt, vtrùm ſit numeratus in virtutibus actiuis, aut paſſiuis. Et cùm poſuit eum, ſcilicet Ariſt. in genere potentiarum paſſiuarum dedit cauſam iſtius extimationis, &c. Manifeſtatur ſecundò ratione ſic, Senſus mouetur ab obiecto & actuatur ſpecie obiecti. Cuius ſignum eſt quòd non ſentit niſi præſente obiecto, ergo patitur ab obiecto. Item cùm ſentire ſit actio immanens recipitur in ſenſu. Virtus autem receptiua eſt paſſiua, ergo, &c.

Quantùm ad ſecundum, ſcilicet, quòd ſenſus non ſit virtus purè paſſiua, nec purè actiua, ſed mixtim, B. Thom. innuit in expoſitione tex. 59. qui incipit, Senſitiui autem. Illic B. Thom. cum Philoſopho loquens proportionaliter de ſentiente & ſciente declarat quòd ſicut in ſciente poteſt inueniri duplex actus & duplex potentia, ſic in ſentiente. Nam antequàm homo ſcientiam addiſcat eſt in potentia pura ad ſciendum, cùm autem iam habet habitum ſcientiæ eſt in actu primo & in potentia nõ pura ſed media. Reſpectu enim habitus iam actu eſt, reſpectu autem conſiderare adhuc eſt in potentia. Cùm autem actu conſiderat eſt totaliter in actu & nullo modo in potentia. Sic contingit circa ſenſum: Antequàm generetur animal, eſt in pura potentia ad ſentiendum, cùm autem iam genitum eſt animal, iam habet actu primo ipſum ſenſum, ſicut ille, qui actu acquiſiuit ſcientiam, ita quòd per generationem conſtituitur animal in media potentia ad ſentiendum. Cùm autem actu ſentit eſt completè in actu, ſicut qui conſiderat. Ex iſtis declaro quòd ſenſus eſt potentia partim actiua & partim paſſiua. Nam, vt dicit Philoſophus in text. 59. habens ſenſum eſt ſicut habens ſcientiam. Sed habens ſcientiam eſt partim in potentia actiua & partim in potẽtia paſſiua. Quod enim habet ſcientiam eſt in primo actu, ergo non eſt in pura potentia, & nondum eſt vt ſic in ſecundo actu, ergo non eſt in puro actu, ſex mitim, ita quòd vt habet ſcientiam eſt in potentia actiua ad conſiderationem. & ſic ſcientia eſt potentia actiua, ſicut potentia materiæ eſt potentia paſſiua. Vt autem habens ſcientiam eſt receptiuus cõſiderationis & perfectibilis per ipſam, ſic ſcientia poteſt dici potentia paſſiua, licet magis propriè dicatur ſciens in potentia paſſiua per ipſam ſcientiam. Non enim recipitur conſideratio in ſcientia, ſed in ſciente. Ergo à ſimili ad mentem Philoſophi poſtquàm animal per generationem acquiſiuit ſenſum eſt in potentia actiua ad ſenſationem, & ſic ſenſus eſt potentia actiua, quia productiua ſaltem partialis ipſius ſenſationis. Sicut enim ſcientia eſt quædam forma, ſic & ſenſus eſt forma, potentia autem formæ eſt potentia actiua. Nam actui, vt actus eſt repugnat pati ſecundùm Commen. in 1. cap. de Subſtantia orbis. Poſtquàm autem animal habet ſenſum adhuc eſt in potentia ad recipiendum ſenſationem, quæ quoniam eſt actio immanens in eodẽ recipitur à quo producitur, cùm ergo producatur à ſenſu, vel à compoſito ex organo & ſenſu in eodem recipitur, & vt ſic ſenſus eſt in potentia receptiua, quæ eſt paſſiua. Patet ergo q̃ ſenſus eſt productiuus & receptiuus ſenſationis, & ſic eſt in potentia actiua & paſſiua. Sed dices, Nunquid ſecundùm Philo. ſenſus eſt totale productiuum ſenſationis? Reſpõdeo quòd non, imò ſunt duæ cauſæ partiales, ſcilicet ſenſus & ſenſibile mouens ſenſum. Et quòd ſenſus ſit cauſa effectiua ſenſationis patet in hoc 2. libr. in text. 37. vbi Philoſophus vult animam eſſe principium vnde quo motus localis & alterationis, i. ſenſationis & augmenti & decrementi. Sed

constat quòd apud Philosophum, anima non est immediatum principium operandi, sed per aliquam suam potẽtiam, ergo est principium effectiuũ sensationis per sensum. Quòd autem sensibile ad extrà sit etiam principium effectiuum sensationis patet in hoc 2. li. in tex. 60. vbi dicit Philosophus, Huiusmodi actiua operationis, s. sensationis extrà sunt visibile & audibile. Patet ergo quòd sensatio est effectiuè à sensu & à sensibili. Et nõ potest dici quòd vtrunque sit principium totale, quoniam vnus effectus non possunt esse duæ causæ productiuæ totales, vt determinatum est in 5. Metaph. in q. nostris, ergo sunt duæ causæ partiales, quæ integrant vnam totalem. Hæc est sententia quam communiter tenent Thomistæ, quomodo sensus sit potentia actiua & passiua. Quam autem potentialitatem dicat respectu speciei sensibilis quam recipit ab obiecto exteriori dicam in quæst. sequentibus. Habet enim specialem difficultatem propter dicta Philosophi, vt declarabo.

Quantùm ad tertium, scilicet quòd ad phantasiam Iand. aduerte quòd ipse in lib. 2. in q. 16. tenet dari in parte sensitiua duos sensus sicut in parte intellectiua dantur duo intellectus. Vnum sensum ponit productiuum sensationis, alterum autem receptiuum eiusdem, qui nõ reciperet nisi disponeretur per speciem sensibilem impressam ab obiecto exteriori in sensu passiuo. Causæ autem, quæ mouerunt eum ad hanc positionem sunt principaliter tres, quas tractabimus & sigillatim euacuabimus.

Prima fuit, quia arbitratus est non posse assignari productiuum sensationis nisi concedatur sensus agens. Nam dicit Iand. quòd sensus receptiuus sensationis non potest illam producere, quia idem respectu eiusdem non est actiuum & receptiuum. Item sensibile ad extrà non est productiuum sensationis, vt in via Peripatetica communiter conceditur. Item animæ substantia nõ est immediatè productiua illius, quia alias nihil agit nisi mediante potentia. Item species sensibilis impressa sensui ab obiecto non est illius productiua, aliter esset nobilior sensu. Nobilius est enim producere sensationem quàm recipere, sicut omne agere, vt agere, est nobilius pati.

Hæc ratio apud B. Tho. & Sco. nullius est efficaciæ, quoniam distinctio facta est insufficiens. Nam dicimus quòd sensus actuatus specie est productiuus sensationis, ita quòd sensus & species sunt duæ causæ partiales. Nec inconuenit idem esse actiuum & passiuum eiusdem, non tamen eodem modo acceptum. Nam sensus cum specie producit sensationem, sensus autem secundùm se recipit eam. Distinguuntur verò sensus cum specie, & sensus præcisè sumptus.

Secunda fuit, quia arbitratus est speciem sensibilem esse receptiuam sensationis, quod sic probat, Sensus vel species sensibilis est receptiua sensationis, non sensus, quia cùm sit receptiuus speciei non potest simul recipere sensationem. Idem enim non est receptiuum duorum ordinatorum adinuicem. Ex his sic arguit, Species sensibilis nõ est productiua sensationis, quia vt probatum est, est receptiua eiusdem. Nec sensus receptiuus speciei est productiuus sensationis, quia est pura potentia cui repugnat agere, ergo datur sensus agens productiuus sensationis.

Hæc ratio minorem euidentiam habet quàm præcedens, falsum est enim & à nemine experto in Philosophia concessum speciem sensibilem esse receptiuam sensationis. Nec inconuenit idem esse receptiuum duorum quorum vnum ordinatur ad alterum, sicut in lapide recipitur grauitas & motus deorsum. Nec est verum, quòd sensus sit pura potentia passiua. Diximus enim q̃ sensus est quędam forma & à Philosopho comparatur scientiæ. Potentia autem formæ est potentia actiua & non purè passiua.

Tertia causa fuit, quia arbitratus est per omnia simile iudicandũ in parte sensitiua sicut in parte intellectiua, & quia datur intellectus agens quem dicit esse productiuum intellectionis, vt patet in 3. de Anima, in q. sua 23. & intellectum possibilem quem dicit esse parum receptiuum & non productiuum intellectionis, quam tamen non reciperet nisi disponeretur per speciem intelligibilem sibi impressam, sicper omnia reputat dicendum in parte sensitiua.

Sed quoniam non leuiter errat attribuens actiuitatem intellectionis intellectui agenti, & auferans eam ab intellectu possibili, ideo ex falsis ad magis falsa processit. Quòd autem intellectus agens non producat intellectionem, sed intellectus possibilis actuatus specie pertractabitur in 3. lib. Considerans ergo falsa fundamenta sua & paruitatem rationum suarum quibus ad hoc motus est, extimo non esse tempus conterendum in sua q. quam protraxit ad formam tractatus, extimans se posse ex prolixitate sermonis hanc suam imaginationem mentibus addiscentium inserere. Hæc de præsenti quæsito dicta fuerint.

QVAESTIO XXII.

Num sensus postquàm productus est, sit in potentia ad actum primum & secundum, vel tantùm ad secundum.

Sensitiua autem prima quidem potentia mutatio fit à generante, cùm autem generatum est, habet iam sicut scientiam, textu 59.

IN hac quæst. aduerte, quòd difficile est saluare textum Philosophi. Nam ex proportione, quam ponit Philosophus inter sensum genitum & scientiam acquisitam videtur sentire quòd sicut habens scientiam iam est in actu primo, & est in potentia solum ad actum secundum, qui est considerare, ita habens sensum iam est in actu primo, & est in potentia solùm ad actum secundum, qui est ipsa sensatio. Et hoc modo tex. exponunt B. Tho. & Egid. & Commen. in com. 59. vbi inquit, Opinatur enim, scilicet, Philosophus quòd prima perfectio sensus sit ab intelligentia agente, vt declaratur in lib. de Animalibus. Hæc Commen. Prima autem perfectio apud Commen. dicitur primus actus. Vnde dixit in diffinitione animæ, animam esse primam perfectionem corporis. Intelligentia agens apud Philosophum in lib. de *Animalibus sumitur* pro virtute formatiua, quæ est in semine, quia occultè & mirabiliter operatur ad instar intelligentiæ. Patet igitur quòd sensus genitus iam est in actu primo, & potest dici actus primus, *sicut scientia*. Sed ex alio fundamento Philosophi probatur quòd sensus *genitus sit in potentia ad actum primum & secundum*. Nam dicet Philosophus infrà in text. 121. quòd sensus est receptiuus specierum sine materia, ergo necesse est sensum prius actuari specie quàm sentiat. Si actuatur specie, quæro, actu primo, aut secundo. Non secundo, quia recipere speciem præcedit sensationem & est causa sentiendi, aliter sentire non esset effectiuè à sensu, sed à solo sensibili extrinseco, quod est falsum, vt determinatum est in quæst. præcedenti, ergo per speciem cõstituitur in actu primo, & per sensationem in actu secundo. Præterea, dicit Philosophus in 8. Phys. tex. 32. quòd *quando aliquid est in actu primo statim potest* operari, nisi aliquid impediat. Et hoc declarat in naturalibus & in potentiis intellectiuis. Sed postquàm animal habet sensum nõ potest operari nec sentire nisi actuetur specie obiecti, ergo sensus ex se non est in actu primo.

Propter has rationes Iandu. in lib. 2. in q. 15. concedit sensum reduci ad actum primum per speciem obiecti quam in se recipit. Et tamen non saluat text. Philosophi 59. in quo expressè assimilat sensum genitum scientiæ, quæ est in potentia solùm ad actum secundum. Nos autem sustinere intendentes *expositionem* Comment. & B. Tho. & Egidij, quam posuimus in principio huius quæsiti, tenemus quòd postquàm genitus est sensus, est in actu primo, antequàm recipiat speciem. Sed antequàm respõdeamus rationibus in oppositum duo prænotanda sunt.

Primum est quòd receptio speciei in sensu & sensatio non debent extimari sicut duo actus. Licet enim in naturalibus receptio formæ & actus egrediens à forma sint duo actus realiter distincti vt primus & secundus, non tamen in potentiis cognoscitiuis. Et ratio dissimilitudinis est, quia in naturalibus actio est transiens cuius principium, id est, forma est in agente, & est primus actus agentis, actio autem & terminus actionis transit in passum, & aliquid ponit in passo ideo sunt duo actus realiter distincti & subiecto. In potentiis autem cognoscitiuis non est verè actio quæ sit motus physicus, nec est in prædicamento actionis, imò talis actio est in prædicamento qualitatis, vt determinauimus in lib. 9. Metaph. in quæst. nostris. Et est potiùs qualitas per modum actionis quàm vera actio. Vnde sentire realiter est speciem sensibilem esse præsentialiter & formaliter in sensu. Nec est imaginandum quòd sensatio procedat *realiter* à sensu actuato specie sicut procedit calefactio à calore, sed solùm actione Grammaticali, quæ potius habet modum actionis quàm sit vera actio. Vnde recipere speciem sensibilem & sentire sunt realiter idem actus secundus, distinctus tantùm ex modo considerandi.

Secundum notãdum est q̃ illa propositio in 8. Phy. Omne quod est in actu primo potest statim operari nisi aliquid impediat, licet sit vera tã in naturalibus quàm in cognoscitiuis tamen

tamen in cognoscitiuis datur latitudo, eò quòd actus intelligendi & sentiendi nõ assimilantur in obiecto. Nam obiectũ actus intelligẽdi est vniuersale, quod abstrahens ab existẽtia est semper præsens intellectui secũdùm esse cognoscibile. Et ideo habens scientiam quoties voluerit remoto impeditiuo potest considerare, quoniam in intellectu est obiectum vniuersale repræsentatũ per speciem intelligibilem. Obiectum autem actus sentiendi est singulare ad extrà, cuius species nõ remanet in organo sensus exterioris nisi ad præsentiã obiecti. Et ideo licet animal habeat sensum, & per sensum sit in actu primo, tamen nõ quoties vult, potest sentire propter cõditionẽ sui obiecti cuius species non remanet in sensu in absentia obiecti. Ex quo sequitur corollariè q̃ quia sensus interior putà phantasia est in actu primo postquàm producta est, quoniam retinet speciẽ sensatam etiam absente obiecto, potest animal phãtasiare quoties, & quando voluerit remoto impediente, putà infirmitate aut alio distrahente.

His prænotatis patet quid dicendum sit ad rationes in oppositũ positas suprà. Ad primã dicitur q̃ recipere speciẽ prę sentialiter nõ est actus distinctus ab acta secũdo, & quando dicitur q̃ receptio speciei est causa sensationis, nõ est verũ nisi Grãmaticaliter. Secus esset si sensatio esset actio trãsiens, & quãdo dicitur q̃ actus sentiendi nõ esset effectiuè à sensu, negatur consequẽtia. Sed aduerte q̃ causa huius erroris est, quia iudicatur de actione immanenti sicut de transeunte: & sic idem iudiciũ de potẽtiis naturalibus & de cognoscitiuis.

Ad secundum patet quid dicendum sit. Nam quòd habens sensum non exeat in actũ sentiẽdi quando vult, sicut habens scientiam considerat quãdo vult, non est defectus ex parte sensus sed ex modo sui obiecti quod est singulare, quod non semper præsens est sensui, sicut vniuersale est semper præsens intellectui. Et ideo Philo. aduertens hanc dissimilitudinem ex parte obiectorũ dixit in hoc 2. lib. in tex. 60. Causa autem est, quoniam singularium quidem secundùm actum sensus, scientia autẽ est vniuersalium. Hæc enim in ipsa quodãmodo sunt anima. Vnde intelligere quidem est in ipsa cùm velit sentire autem non est in ipsa, necessarium enim est esse sensibile, &c. Patet ergo quòd est magis ad mentem Philosophi tenere sensum esse in potentia solùm ad actũ secundum quãtùm sit ex natura sua, quàm in potentia ad actum primum & secundum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIII.

Num sensus possit errare circa proprium sensibile.

Dico autem proprium quidem, quod non contingit altero sensu sentiri, & circa quod non contingit errare. text. 63.

IN hac quæst. nõ inuenio magnam difficultatem, quoniam quòd sensus non erret circa proprium sensibile est propositio quasi per se nota. Tamen pro plena resolutione tria agenda sunt. Primò ponitur distinctio de sensibili proprio. Secundò ponentur conclusiones responsiuæ. Tertiò remouebitur dubium.

Quantùm ad primum aduerte quòd sensibile proprium dicitur dupliciter. Primò dicitur illud, quod non sentitur alio sensu, & per se immutat sensum, & sub se continet omnia, quæ per se sentiuntur ab illo sensu tantùm. Sic color est sensibile proprium siue visibile sensus visus, & sapor gustus, & sonus auditus. Et sensibile proprium sic acceptum dicitur obiectum proprium sensus. Secundò dicitur illud quod per se immutat sensum, & non potest sentiri alio sensu. Sic species contenta sub sensibili proprio sumpto primo modo, dicitur sensibile proprium, vt albedo. Nam per se immutat visum, quoniam imprimit speciem in visu, & non sentitur per se nisi à visu. Idem intellige de speciebus soni & saporis & odoris, &c.

Quantùm ad secundum pono tres conclusiones. Prima est, Sensus nõ decipitur circa proprium sensibile sumptum primo modo: probatur, Nam experimur quòd visus nunquam iudicat aliquid esse coloratum, nisi sit aliquo modo coloratum. Nec gustus iudicat aliquid esse saporosum nisi aliquo modo sit saporosum. Nec auditus iudicat aliquid esse sonum, vel sonans nisi sic sit aliquo modo, & sic de aliis sensibus. Et aduerte quòd tex. Philosophi propriè intendit de sensibili proprio sic accepto quod est obiectum proprium & formale sensus. Vnde in tex. 63. exemplificans quomodo non decipitur sensus circa proprium sensibile inquit, Vt visus coloris, auditus soni, & gustus humoris, &c.

Secunda conclusio, Sensus non errat circa sensibile proprium sumptum secundo modo stantibus conditionibus requisitis ad veram sensationem. Antequàm probetur conclusio aduerte quòd tres conditiones requiruntur. Primò quòd sensibile sit debitè approximatum sensui, nam si est in maiori, aut minori distantia quàm sit oportunum, iudicium sensus non erit verum. Vnde si rubeum sit multùm distans à videnti, non apparet rubeum, sed nigrum. Secũdò quòd organum sit debitè dispositum & non deprauatum. Vnde gustus febricitantis iudicat dulce esse amarum. Tertiò quòd medium sit depuratum, vnde si aër, aut aqua non sint purè diaphana, visus non iudicat de visibili sicut est. Nam videns Solem per aërem admixtum vaporibus ignitis iudicat Solem esse rubeum qui tamen non est. Stante igitur debita approximatione obiecti, debita dispositione organi, & medij probatur conclusio sic, Positis causis proximis per se sufficientibus & naturalibus requisitis ad veritatem alicuius effectus, ponitur ille effectus verus. Hæc per se patet. Sed causæ veræ sensationis sunt illæ quę allegatæ sunt, ergo quãdocunque illæ ponuntur, sensus non errat. Ex quo sequitur quòd error circa propriũ sensibile contingit semper, vt experiẽtia docet ex defectu alicuius vel omniũ illarum conditionum.

Tertia conclusio, Licet sensus non erret circa proprium sensibile secundo modo sumptum stantibus conditionibus prædictis, tamen errat circa subiectum proprij sensibilis & circa locum aut vbi. Hanc declarat Commenta. in commen. 63. huius secundi. Nam si viso aliquo colorato iudicat videns illud esse argentum aut stannum, vel vbi sit scilicet, an superius aut inferius multoties decipitur. Nam, vt inquit Commen. vbi suprà, iudicare de subiecto quid sit, aut vbi sit, non spectat ad sensum exteriorem, sed interiorem quæ dicitur cogitatiua quæ habet apprehẽdere intentiones indiuiduales. Et de hac virtute loquemur inferiùs agentes de sensibus interioribus.

Quantùm ad tertium aduerte quòd videtur sensus nulla exceptione facta semper esse verus in apprehendendo proprium sensibile tam primo quàm secundo modo dictum, & arguitur sic, Quandocunque sensus recipit speciem proprij sensibilis eo modo quo sensibile proprium eam imprimit, tunc videtur esse verum iudicium sensus, quoniam natus est iudicare per speciem sibi impressam. Sed quando sensus sentit, semper recipit speciem, &c. ergo, &c. Maior patet, minor probatur, quoniam passum non recipit formam ab agente nisi quam agens inducit, nec aliter, nisi vt est aptum inducere, ergo, &c.

Respondeo, Licet sensus recipiat speciem à sensibili, non tamen omni eo modo recipit, quo agens est aptum inducere. Nam stat quòd agens sit aptum inducere perfectissimè, & tamen patiens ex sui indispositione recipit imperfectè sine ex debilitate, sicut sol est aptus perfectè illuminare oculum meum, qui tamen ex sui debilitate magis excæcatur quàm illuminetur. Cùm igitur in proposito possit contingere quòd ex nimia distantia aut indispositione medij siue organi quòd sensus non recipit speciem modo perfecto quo sensibile causat eam, non inconuenit sensum errare. Ad probationem igitur minoris dico quòd licet sensus non recipiat, &c. non tamen omni perfecto modo, vt causatur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIIII.

Num sensibilia communia sint sensibilia per se, & propter quid.

Communia autem motus, & quies, numerus, & figura, & magnitudo. text. 64.

IN hac quæst. aduerte quòd est vnum concessum ab omnibus, scilicet quòd sensibilia communia sunt sensibilia per se. Vnde & Comment. in hoc 2. in commen. 65. sic dicit, Cùm declarauit Philosophus duos modos sensibilium per se, scilicet, propriorum & communium, incepit declarare tertium modum qui est sensibilis per accidens. Circa aliud autem, scilicet propter quid sunt sensibilia per se, est multa opinionum diuersitas. Verùm pro resolutione in vna nostra, primò ponam modum & causam assignatam à B. Tho. & defensabo. Secundò causam resignatam à Commenta. & declarabo in quo sensu militant rationes B. Thom. contra Commenta. & in quo non. Tertiò causam assignatam ab Albert. & ostendam si potest sustineri vel non. Sensum Egid. & Iandu. pertransibo, quoniam cùm sequantur Comment. & declaratum fuerit quomodo & in quo sensu potest Commen. sustineri, manifestum erit quid veri aut falsi contineat sensus Egid. & Iandu.

Communia sunt sensibilia per se quia cõuncta sunt sensibilibus propriis, & propria sunt sensibilibus communi.

Quantùm ad primum notanda sunt duo, quæ tangit B. Tho. in hoc lib. 2. in tex. 64. Primum est quòd sensibile per se distin

distinguitur à sensibili per accidens in hoc, Sensus aliquid patitur à sensibili per se, sed à sensibili per accidens nihil patitur. Et hanc differētiam assignat Philos. in tex. 65. cùm dicit sensibile per accidens, vt Diarij filius, quoniã ab eo nihil patitur sensus. Ex quo sequitur quòd hæc duo repugnant, Hoc est sensibile per se, & tamen nihil imprimit in sensu, nec sensus ab eo aliquid recipit. Oportet ergo quòd sensibilia communia aliquid agant in sensu, aliter non poterimus defensare quòd sint sensibilia per se.

Secundum notandum est quòd sensibile per se dupliciter potest immutare & agere in sensum. Primò quia speciē suam imprimit in sensu, & ita in vno sensu quòd non in alio, vt album in visu, sonus in auditu. Et ita sonus in auditu quòd nō in visu, &c. Et hoc modo sensibilia propria agunt in sensum & diuersificant sicut proprium obiectum diuersificat potentiam. Secundò sensibile agit in sensum diuersificando sensationem, non quidem per speciem impressam: nam licet speciem sui imprimat in sensu, nō tamen ita in vno, quin in alio, sicut species, figuræ, & motus potest indifferenter imprimi in visu & in tactu, sed diuersificat quò ad modum immutandi. Nam maior figura facit quòd color existens in ea magis immutat visum quàm color existens in figura minori. Similiter color existens in corpore moto aliter immutat visum quàm existens in corpore quiescente. Nam ille immutat per modum decurrētis, iste autem sub esse stabili. Et hoc modo sensibilia communia agunt in sensum. Et propter hunc diuersum modum immutandi quem aliqui Thomistæ appellant modificationem sensationis B. Tho. ponit sensibilia communia esse sensibilia per se.

Hanc opinionem B. Tho. interpretatur modo suo Iand. in lib. 2. in q. 18. & Egidi. super tex. 65. in sua prima dubitatione. Et attribuunt B. Tho. quòd negat sensibilia communia imprimere speciem in sensu. Sed hoc non negat B. Tho. Negaret enim quod est manifestum sensui. Nam videmus in speculo non solùm recipi speciem coloris, sed etiam speciem figuræ & magnitudinis & motus, ergo hoc non est negandum præsertim in speculo animato, quale est oculus. Sed B. Tho. dicit quòd non debent iudicari sensibilia per se, ex eo quòd imprimunt speciem, quoniam quò ad speciem non diuersificāt sensum. Hoc enim spectat ad sensibile proprium. Sed debent iudicari sensibilia per se quia immutant & diuersificant sensum quo ad modum sentiendi eo quòd faciant sensibilia propria existentia in diuersa magnitudine & figura, aut sub motu, aut sub quiete alio & alio modo diuersificare sensationem. Egidi. quidem & Iandu. arguunt contra B. Thom. probantes quòd sensibilia communia imprimunt speciem. Et quoniam id non negat B. Thom. ideo transeant argumenta eorum. Potiùs enim iudicandum est quòd mentem B. Thom. non attigerint quam quòd aliquid contra eum concludant.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Comm. in com. 65. duas causas assignat, propter quas reputat quòd sint sensibilia per se. Prima est, quia sensibilia communia sunt necessariò coniuncta sensibilibus propriis, aliter sensibilia propria non immutarent sensum. Non enim videtur color nisi in magnitudine, quoniam superficies est immediatum subiectum eius. Sensibilia autem per accidens non sunt necessariò coniuncta sensibilibus propriis. Nam dato quòd albedo non sit in lapide vel in ligno adhuc potest videri, quia potest existere in alio quàm in lapide. Secunda causa est, quia sensibilia communia sunt propria sensui communi, sicut sensibilia propria sunt propria sensibus particularibus. Has causas recitat B. Tho. super text. 64. & tamen non allegat Com. quia licet quò ad verba sint Com. tamen quia fortè Com. non intendit illum sensum contra quem B. Thom. arguit, ideo non nominauit eum. Et propterea Egidius super text. 65. in 2. suo dubio, & Iandunus in secundo libro in quæst. 18. dicunt illas causas non esse Comm. sub illo sensu, secundum quem improbantur à B. Tho. vt igitur scias defendere Comment. & sustinere rationes B. Thom. aduerte quòd illa propositio Commen. assumpta in prima causa, scilicet, Sensibilia communia sunt necessariò coniuncta sensibilibus propriis, potest habere duplicem sensum. Primò quòd sint necessariò coniuncta sensibilibus propriis prout sensibilia propria sunt res ita quòd sine illis non essent. Et sic propositio Commen. non est vera, & sic ratio B. Thom. concludit contra eum. Nam substantia ignis necessariò coniuncta est calori ignis, ita quòd sine tali substantia vt proprio subiecto, calor ignis non esset in rerum natura, & tamen falsum est substantiam ignis esse sensibile per se. Secundò quòd sint necessariò coniuncta sensibilibus propriis, vt sensibilia sunt, ita quòd sine sensibilibus communibus non immutarent sensum. Et sic propositio Comment. est vera, nec instantia B. Thom. concludit contra eum nec tendit ad hunc sensum. Nam dato quòd calor ignis per casum imaginabilem non esset subiectiuè in substantia ignis dummodò imaginetur esse in quantitate ignis adhuc ex se esset immutatiuus sensus, sicut tenent Theologi accidentia sacramenti immutare sensum, quæ tamen nulli substātiæ inhærent. Similiter aduerte quòd secunda propositio assumpta in secunda causa, scilicet, Sensibilia communia sunt propria sensui communi, potest habere duplicem sensum. Nam sensus communis dupliciter sumitur. Primò pro primo sensu interiori de quo loquemur in loco suo. Et sic propositio Commen. nullam habet apparentiam & contra hunc sensum procedit instantia B. Thom. Secundò sumitur pro sensu communi, id est communiter & in vniuersali sumpto, & sic propositio Commen. habet veritatem. Intendit enim dicere, quod sicut sensibilia propria determinant sibi hunc vel illum sensum, quia tantùm ab vno sensu sentiuntur, ita sensibilia communia determinant sibi sensum exteriorem in communi acceptum, quia ab omnibus sensibus, aut à pluribus sentiri possunt. Et hic videtur fuisse sensus Commen. Nam in com. 64. in fine, sic inquit, Ista enim, scilicet, Sensibilia communia sunt comprehensibilia sensuum, secũdùm quod sunt sensus, id est, secundùm naturam communem eorum, non secundùm quòd sunt aliqui sensus, id est, non secundùm particularem naturam huius vel illius sensus. Sic enim ab vno solo sensu sentirentur sicut sensibilia propria. Ex prædictis patet quomodo potes sustinere & Commen. & rationes B. Tho.

Quantùm ad tertium aduerte quòd Albert. in 2. lib. in Tracta. 3. in cap. 5. tenet sensibilia communia ideo esse per se sensibilia, quia imprimunt speciem in sensu, sensibilia autem per accidens nihil imprimunt, sed vt distinguantur à sensibilibus propriis, quæ etiam imprimunt speciem, dicit quòd sensibilia propria imprimunt speciem primò & per se, communia autem per se, sed non primò, quoniam imprimunt mediantibus propriis sensibilibus. Non enim videtur magnitudo nisi quia lucida aut colorata, sic nec figura, nec motus, nisi sint in corporibus qualificatis qualitatibus sensibilibus.

Hęc opinio cum difficultate potest sustineri, quoniam imprimere speciem etsi conueniat sensibilibus communibus indefinitè, non tamen vniuersaliter, Nam quies cùm sit priuatio, nullam speciem causabit. Vnde sicut silentium & tenebra non sentiuntur per seipsa, sed per sua opposita, ita erit de quiete. Vt ergo detur causa vniuersalis propter quam dicuntur sensibilia per se, melius est, vt sequaris sensum B. Tho. vel Commen. non in eo sensu in quo improbatur à B. Tho. sed prout exposuimus.

Quantùm ad sensum Egidij & Ianduni, aduerte quòd nihil proprij dicunt, sed laborant declarare sensum Com. eo modo quo & nos declarauimus, & id quidem faciunt ne causæ adductæ per Commen. eneruentur per instantias B. Tho. solùm declarant quòd apud Com. licet sensibilia communia sint sensibilia per se, non tamen per se primò, sed per se non primò. Sed de hoc loquemur in quæstione sequenti. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXV.

Num sit verum quòd sensibilia propria sint sensibilia per se & primò, communia autem per se, sed non primò.

Sensibilium autem secundum se propriè propria sensibilia sunt. textu 65. vbi inquit Commenta. Ista sunt quæ sentiuntur primò & essentialiter, illa autem, scilicet, communia licet sentiantur essentialiter, tamen non sunt prima.

IN hac quæst. aduerte quòd ex mente Commenta. cui omnes concordant sensibilia propria differunt à communibus in hoc quòd illa sentiuntur per se primò, hæc autem per se, sed non primò. Et ratio huius assignata ab omnibus est quia communia non immutant sensum nisi coniuncta sensibilibus propriis, nō enim magnitudo videtur nisi lucida aut colorata, quòd ergo sentiantur non habent à se, sed à propriis sensibilibus, ergo licet per se sentiantur vt determinatum est in q. præcedenti non tamen primò. Tu igitur aduerte quòd in hac quæstione non stat difficultas nisi in solutione quarundam rationum, quibus apparenter probatur oppositum. Eas igitur formabimus & soluemus, & non vltra immorabimur in præsenti quæsito.

Prima

Prima est, Sicut sensibile commune non immutat sensum nisi cōiunctum sensibili proprio. Sic nec sensibile proprium immutat sensum nisi coniunctum sensibili communi. Color enim nisi quantus non videtur, & sonus nisi expensus in aëre non auditur. Ergo eadem ratione sensibilia propria non sentiuntur per se primò, sicut nec sensibilia communia, quod est contra Commen.

Ad hanc negatur consequentia, non enim est eadem ratio, nam sensibilia propria sunt ratio quòd communia immutēt sensum, & rationem formalem agendi trahunt à propriis, quia sensus primò & per se respicit proprium sensibile, vt proprium obiectum penes quod diuersificatur. Sed sensibilia propria non sumunt à communibus rationem immutandi licet necessariò sint coniuncta illis, vt in quibus & cum quibus exerceant & causent actum sentiēdi. Et est simile de substantia ignis & calore suo. Nam ignis non potest calefacere sine calore, nec calor ignis sine igne, quoniam separatus non haberet actionem naturalem. Et tamen verum est quòd calor est ratio agendi ipsi igni, & non econuersò, quia ratio agendi se tenet ex parte causæ formalis. Dicemus autē ignē esse necessarium calori vt subiectum in quo exerceatur calefactio. Idem extimandum est de sensibili proprio & cōmuni, quæ seipsis mutuò indigent vt immutent sensum.

Secunda ratio, Si sensibile cōmune indiget sensibili proprio vt moueat sensum: ergo secundùm naturam suam sibi derelictum non est motiuum sensus, & sic non est sensibile per se. Nam illud est per se sensibile, quod per se immutat sensum. Et eandem consequentiam probare possumus per ipsum Commen. qui in hoc libr. 2. in comm. 67. inquit, Impossibile est dicere quod lux est illud quod largitur colori habitum & formam qua fit visibilis, quoniam si ita esset, tunc comparatio visionis ad colorem esset accidentalis, hæc Com. ergo à simili, si sensibile proprium largitur sensibili communi potentiam immutandi sensum, sensibile commune erit sensibile per accidens.

Ad istam dicitur quòd motiuum sensus est duplex, vnum est vt obiectum, sicut color in visu, sonus in auditu, calidum in tactu, & de tali motiuo conceditur quod debet esse per se ipsum motiuum sensus, nec expectare ab alio rationem aut potentiam immutandi sensum. Et in hoc sensu intelligenda est propositio Com. in com. 67. Alterum est vt modus obiecti, quod scilicet immutat sensum quantùm ad qualificationem actus sentiendi. Verbi gratia, Facit quod sensibile proprium alio modo immutat sensum dum mouetur, & alio modo dum quiescit & alio modo existens in maiori magnitudine, & alio modo existens in minori, & sic non inconuenit quod tale immutet sensum non per se primò sed per alterum cuius est modus. Talia sunt sensibilia communia, vt diximus in quæstione præcedenti. Vnde non est mirum si immutant sensum mediantibus sensibilibus propriis, quoniam modus obiecti est posterior obiecto, & per consequens supponit causalitatem obiecti.

Tertia est, Videtur falsum quòd sensibile commune non possit sentiri sine sensibili proprio. Nam si quis approximaret manum cœlo, tangeret magnitudinem siue quantitatem cœli, nec posset vltra extendere manum propter resistentiam soliditatis cœli, & tamen in cœlo respectu tactus nullum est sensibile proprium, vt conceditur in via Peripatetica, quæ tenet cœlum quantum corpus, & non de natura elementorum.

Ad istã dicitur, quòd tactus potest fieri tribus modis. Primò quando tango aliquid primò & per se, & est quando fit per propriam speciem proprij sensibilis, vt quãdo tango frigidum aut calidum &c. Secundò quando tango aliquid per se sed non primò, quia mediante alio, & tamen positiuè, & est quando tango aliquod frigidum motũ aut quiescens. Tunc enim tactus primò terminatur ad frigidum, secundariò ad motum. Tertiò quando tango aliquid per se nōn primò, & tamen priuatiuè aut negatiuè: & est quando tango aliquid residens manui sine hoc quòd manus calefiat aut infrigidetur. Tunc dicitur tactus per negationem immutationis à proprio obiecto, sicut dicitur visus tenebrarũ quia non immutatur à luce, & auditus silentij, quia non immutatur à sono. Et hoc tertio modo potest concedi sensibile commune sentiri sine sensibili proprio nō tamen sine negatione immutationis à sensibili proprio. Vnde si propositio Com. limitetur ꝙ sensibile commune non potest tangi secundo modo sine sensibili proprio, instantia de tactu cœli nulla erit, quoniam ille tactus est in tertio gradu. Nos autem intelligimus in secundo gradu. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXVI.

Num color sit obiectum visus.

Cuius quidem est visus hoc est visibile. Visibile autem est color. tex. 66.

Color propriè dictus nō est adæquatum obiectum visus, sed color cōmuniter dictus vt cōtinet colorē propriè & lucem, at visibile primo & per se est obiectum adæquatum.

IN hac quæst. aduerte antequam deueniamus ad resolutionem quòd ibi est sermo de obiecto adæquato primo & per se immutatiuo visus. Dico de obiecto adæquato, quoniam de obiecto nobiliori constat esse lucem præcipuè cœlestem. Item de obiecto proportionato constat esse colorem propriè dictum, qui est qualitas secũda resultans ex luce & perspicuo terminato, vt declarabitur infrà. Intēdo ergo de adæquato quod sub se continet omne immutatiuum visus, modo immutet per se & primo. Vt per ly Per se excludatur sensibile siue visibile per accidens, vt substantia lapidis aut ligni, quoniam vt substãtia nihil imprimit in visu, & per ly Primò excludũtur sensibilia communia, de quibus diximus in superioribus quòd licet sentiantur per se, non tamen primò, quia non immutant sensum nisi mediantibus sensibilibus propriis, & cum hoc tamen stat quòd sint sensibilia per se, vt declaratum est in quæstione præcedenti, in responsione ad secundam rationem.

Sic declarato titulo, pro resolutione propositi tria agenda sunt. Primò ponetur distinctio de colore. Secundò ponentur duæ conclusiones, quarum vtraque sustineri potest. Tertiò ponetur conclusio, quam reputo esse ad mentem Philosophi, & verè responsiuam ad quæsitum. Postremò si quæ sunt argumenta apparentia contra determinationem quam faciemus soluemus in fine.

Quantùm ad primum, distinctio est hæc, vt potest elici ex doctrina Philosophi in lib. de Sensu & Sensato, Color sumitur dupliciter, primò communiter, secundò propriè. Color communiter sumitur pro omni eo quod est actus diaphani terminati cum opaco terrestri, de quo dicemus infrà vel non terminati ex admixtione opaci, prout dicemus lumen esse actum diaphani, in quo sensu possumus dicere lumen esse colorem communiter dictum, eò quòd est hypostasis coloris. Et in quo sensu dixit Philosophus in lib. de Sensu & Sensato, quòd omnia corpora participant colore, quoniam tam superiora quàm inferiora participant lumine. Color sumitur propriè pro qualitate secunda consurgens ex mixtione primarum qualitatum, vel ex admixtione lucidi cum opaco secundùm aliquam proportionem, de cuius natura satis diximus in quæst. nostris super lib. de Sensu & Sensato. Et declarauimus quòd ad eius naturam tria requirũtur. Primò lux siue lumen, quæ est vt forma coloris. Secũdò perspicuũ, vt materia in qua recipitur lux. Tertiò aliquod opacum terminans & condensans ipsum perspicuum. Lux quidem attribuitur igni, perspicuum aëri & aquæ, opacum condensans terræ. Ex quibus patet quòd color propriè dictus est qualitas secunda elementaris, quæ non reperitur nisi in corporibus inferioribus, ita quòd omne coloratum propriè est elementatum. Et de colore propriè dicto, intelligendum est dictum Philosophi in tex. 33. in lib. de Sensu & Sensato, cùm dicit, quòd color est extremitas perspicui in corpore terminato: quam diffinitionem & sensum eius declarauimus in q. supradictis super lib. de Sensu & Sensato.

Quantùm ad secundũ sit hæc prima cōclusio, Color propriè dictus nō est obiectũ adæquatum visus. Nã vidētur multa per se à visu, quæ tamen non sunt colorata colore propriè dicto vt astra, & ignis, & multa sunt quæ vidētur & sunt colorata, & tamen nō videntur sub proprio colore, sicut quercus putrida in nocte, & noctiluca, & oculus cati. Hæc enim non vt colorata, sed vt lucida videntur, ergo, &c.

Secũda cōclusio, Color cōmuniter dictus est obiectũ adæquatũ visus, quoniã color sumptus cōmuniter cōtinet sub se colorē propriè dictũ & lucē, sed omne quod primò & per se immutat visum aut videt vt coloratũ, vel vt lucidũ, ergo, &c.

Quantùm ad tertium inuenio aliam conclusionem, quæ videtur magis ad mentem Philosophi, scilicet visibile primo & per se, est obiectum adæquatum visus. Nam primò & per se visibile prædicatur tam in lucido quàm de colorato & de his, quæ videntur in die colorata & in nocte lucida. sicut noctiluca & quercus putrida. Et hæc conclusio magis consonat textui Philosophi. Nam incipiens tractare de sensibili proprio à visu in text. 66. sic dicit, Cuius quidem est visus, hoc est visibile. Et visibile diuidit in colorem & aliud innominatum, de quo pertractat infrà. Idem confirmatur per Commentatorem qui in comment. 66. inquit, Et manifestum est per se, quòd sensibile, quod per se attribuitur visui, est visibile. Et iudicio meo hæc conclusio est securior

quàm

quàm ſecunda de colore cõmuniter ſumpto, quoniã viſibile prædicatur eſſentialiter de omni, quod primo & per ſe apprehenditur viſu. Prętereà non poteſt eſſe error in aſsignando obiectum adæquatum potentiæ, vt denominatur à potentia, vt intelligibile eſt obiectum adæquatum intellectui, & appetibile appetitus & tangibile tactus, &c.

Contra hanc determinationem non inuenio argumenta difficilia, etiam quòd velis ſuſtinere ſecundam concluſionẽ. Nam quæ adducit Iand. in arguendo parùm valent, & quãdo arguit de ſenſibilibus communibus, quæ ſenſiuntur à viſu, & tamen non continentur ſub colore communiter dicto, dicẽdum eſt quòd ibi eſt ſermo de ſenſibili proprio, quod primo & per ſe immutat viſum, talia autem non ſunt ſenſibilia communia, vt determinatum eſt ſuprà quoniam nõ ſentiuntur niſi mediantibus ſenſibilibus propriis.

Et quãdo arguit quòd ſi color cõmuniter dictus eſſet obiectum adæquatum viſus maior vnitas eſſet in viſu quàm in ſuo obiecto adæquato, quoniam viſus habet vnitatem ſpecificam, color autẽ cõmuniter ſumptus minus quàm genericã. Nam non prædicatur genericè, ſed potiùs analogicè de luce, & de colore propriè dicto, nõ reſpondebis vt ipſe, ſed tu dic, quòd licet color vt res habeat vnitatẽ genericam vel minus quàm genericam, tamen vt viſibilis eſt habet vnitatem ſpecificã. Talis autem vnitas conſiſtit in hac ratione formali, quod eſt eſſe immutatiuum viſus merè intentionaliter, ſiue ſpiritualiter. Et hæc ratio æquè conuenit omnibus viſibilibus. Et ab iſta, Viſus vt viſus eſt, habet vnitatem ſpecificam. Dico vt viſus eſt, quoniam viſus vt res eſt, genus eſt. Sicut enim anima equi diſtinguitur ſpecie ab anima leonis, ſic viſus equi, vt radicatur in anima equi differt ſpecie à viſu leonis, vt radicatur in anima leonis. Sed de hoc aliàs. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO XXVII.

Num color ſit per ſe viſibilis.

Viſibile enim color, hoc autem in eo quod ſecundum ſe viſibile. text. 67.

Color eſt per ſe viſibilis, quãquam ſine lumine minimè videatur.

IN hac quæſt. aduerte quòd difficultas ſtat in repugnantia, quæ videtur eſſe in tex. Philo Nam in tex. 67. dicit quòd color eſt ſecundùm ſe, id eſt per ſe viſibilis. Et in eodem text. parùm infra dicit quòd non eſt viſibilis ſine lumine, quod autem eſt viſibile per alterum, non eſt viſibile per ſe. Vtergo videamus quomodo hæc duo ſtant ſimul, quòd color ſit viſibilis per ſe. & tamen non poteſt videri ſine lumine tria agenda ſunt. Primò quòd viſibilitas per ſe & ex natura coloris competit colori, ita quòd hæc eſt per ſe, Color eſt viſibilis, & in ſecundo modo per ſe. Secundò vnde ſumitur neceſſitas luminis ad viſionem coloris. Tertiò pertractabitur opinio Auicennæ, quæ videtur eſſe oppoſita Ariſto. & ſoluentur motiua ſua. Poſtremò remouebitur dubium, quod poteſt oriri ex text. Philoſophi.

Quantùm ad primum aduerte quòd neceſſitas luminis in viſione coloris fecit multos dubitare vtrum color ſit per ſe viſibilis. Quod enim conuenit alicui ab extrinſeco non conuenit ei per ſe & ex natura ſua, ſed per accidens. Nam quia aquæ conuenit calefacere non ex natura ſua, ſed vt recipit ab extrinſeco calorem, ideo non per ſe, ſed per accidens eſt calefactiua. Sic in propoſito, quia videtur color per extrinſecum, id eſt per lumen, apparet multis quòd ſit viſibilis per accidens. Sed quòd hoc non obſtet declarabitur parùm infrà. Ratio autem propter quam eſſe viſibile competit per ſe colori eſt duplex. Primò, quia eſſentialiter color eſt lux non pura, ſed obumbrata, vt declarauimus in lib. de Senſu & Senſato. Lux autem vt lux eſt per ſe viſibilis, quia ex natura ſua eſt motiua viſus, differenter tamen, vt pura & vt obumbrata, nam vt pura eſt motiua diaphani & viſus, vt obumbrata propter ſui debilitatem non eſt motiua diaphani, ſed ſolius viſus, & actu mouet viſum, ſi actuatum fuerit diaphanum à luce pura. Secundò quia omnis forma ex ſui natura eſt productiua ſui ſimilis. Sed color eſt quædam forma, ergo ex ſui natura eſt productiuus ſuæ ſimilitudinis, ſed ex hoc quòd eſt productiuus ſuæ ſimilitudinis eſt per ſe ſenſibilis, diximus enim aliquid eſſe per ſe ſenſibile, quia eſt immutatiuum ſenſus per impreſsionem in ſenſu. Cùm igitur color non minus imprimat ex ſui natura ſpeciem in oculo, quàm in ſpeculo, ſequitur quod ſit per ſe ſenſibilis, & non per aliud, neque ab alio ſenſu quàm à viſu, ergo color eſt per ſe viſibilis.

Quod autem hæc propoſitio, Color eſt viſibilis, ſit in ſecundo modo per ſe declaratur ex Com. in 2. lib. in com. 66. vbi inquit, Et eſt illud in quo ſubiectũ eſt in diffinitione prædicati, &c. Et intendit hanc eſſe per ſe, ſicut iſtam, Homo eſt riſibilis, quam cõſtat eſſe in ſecundo modo per ſe. Procuius notitia aduerte quòd primus & ſecũdus modus per ſe in iecti & ponitur in diffinitione ſubiecti, in 2. autẽ modo ſubiectum eſt cauſa prædicati & ponitur in diffinitione eius, & ſic in primo modo prædicatum eſt prius ſubiecto, in ſecũdo autem modo eſt econuersò. Conſtat autẽ colorem eſſe prius viſibili, quoniam prius intelligo colorem eſſe, quam eſſe immutatiuum viſus, quod eſt eſſe viſibile. Sicut prius intelligo hominem eſſe quã eſſe riſibilem, ergo iſta propoſitio, Color eſt viſibilis, non eſt in primo, ſed in ſecundo modo per ſe. Quòd ſi dicas illã nõ eſſe in primo modo, nec in ſecũdo modo per ſe, contrà, quãdo proprietas prædicatur de ſubiecto, conſtituitur ſecundus per ſe. Sed eſſe immutatiuum viſus eſt proprietas coloris, nulli enim alteri ſenſibili propriè conuenit, eſſe autem immutatiuũ viſus eſt eſſe viſibile, ergo eſſe viſibile eſt proprietas coloris, & per conſequens hæc propoſitio, Color eſt viſibilis, eſt in ſecundo modo per ſe.

Quantùm ad ſecundum aduerte quòd neceſſitas luminis ad videndũ colorem non ſumitur ex parte coloris, tunc enim vt inquit Com. in com. 67. viſio coloris à viſu eſſet accidẽtalis, ex cõſequenti color nõ eſſet viſibilis per ſe. Sumitur autẽ hæc neceſſitas ex parte medij, eò q̃ cùm color ſit lux obumbrata admixta opaco nõ eſt tantæ actiuitatis quantæ eſt ipſa lux ſiue lumen non admixtum opaco. Nam lux ex ſua claritate potens eſt actuare, illuſtrare diaphanum, & in eo cauſare ſui ſpeciem, & in viſu, vnde ad viſionẽ lucidi non requiritur aliud, nec ex parte lucidi, nec ex parte diaphani medij. Color autem propter obumbrationẽ ſuam nõ poteſt actuare diaphanũ nec diſponere per illuminationem. Poteſt autẽ ſi ſouenerit illuminatum diaphanum cauſare ſui ſpeciem in diaphano & in viſu. Patet ergo quòd & lux & color ſunt per ſe viſibiles, ſed lux per ſeipſam ſufficit, color autem adiutus à luce, qua diſponitur & actuatur diaphanum. Et hanc reſolutionem omnes Peripatetici ſequuntur.

Quantùm ad tertium aduerte quòd Auic. in 6. Naturali Parte 3. in c. 1. videtur tenere viam oppoſitam Ariſ. vult enim quòd colores ſine lumine, ſint colores ſolùm in potentia, & non in actu. Vnde ſic dicit, Color enim in effectu non accidit niſi ex cauſa luminis. Lumen enim cùm illuſtrauerit aliquod corpus, accidit ei albedo in effectu, aut nigredo, aut viriditas, &c. Si verò non illuſtrauerit eſt tenebroſum tantùm, ſed in potentia eſt colora tum, nõ enim albedo eſt albedo, nec rubedo eſt rubedo niſi ſecundùm quod libet quod videmus. Non autem ſic hoc, vt videamus niſi fuerit illuſtratũ & infra, Corpus cuius color ſolet videri cùm non fuerit illuminatum fiet obſcurum, & tunc non erit certiſsimè color in eo in effectu. Hæc ille. Ex quibus patet quòd arbitratur lumen dare eſſe colori & ſine eo non habere eſſe niſi in potentia. Fundamentum autem ſuæ opinionis fuit hoc principaliter, quia experiuntur quòd ſi oculus fuerit in diaphano illuminato, & color in non illuminato non videtur color. Si autem color ſit in diaphano illuminato, & oculus in non illuminato, color videtur. Ergo ſignum eſt quòd lumen facit colores eſſe actu. & ſic eſt neceſſarium non ſolùm ex parte medij, ſed etiam ex parte coloris. Et aduerte quòd aliqui ſcribentes in via Thomiſtica videntur declinare ad hanc viam. Et dicunt quòd non inconuenit apud Ariſt. lumen requiri & propter medium & propter colorem. Quod affirmant ex dicto Philoſophi in 3. lib. de Anima in tex. 18. vbi inquit, Quodam enim modo lumen facit potentia colores actu colores. Super quem text. dicit Com. in com. 18. Viſus non mouetur à coloribus niſi quando fuerint in actu, quod non completur niſi luce præſente, cùm ipſa ſit extrahens eos à potentia ad actum.

Sed hæc non infringunt concluſionem noſtram, nec determinationem, quam putauimus eſſe ad mentem Ariſ. Non quidem fundamentum adductum ab Auic. nam quòd oculus exiſtens in medio illuminato non videat colores exiſtentes in tenebris, nõ eſt quia lumen det eſſe actu coloribus, ſed quia medium, quod eſt inter oculum exiſtentem in lumine, & colores exiſtentes in tenebris non eſt ſufficienter illuminatum vſque ad colores, ideo colores non poſſunt generare ſpeciem ſuam in parte medij ſibi propinqua, ex conſequenti nec in parte medij diſtante, & ideo non videtur. Quando autem color eſt in medio illuminato, potens eſt generare ſui ſpeciem in parte propinqua & diſtante, & ſucceſsiuè vſque ad oculũ exiſtentem in obſcuro, & ſic videtur, licet enim pars medij propinqua oculo exiſtenti in obſcuro non illuminetur vt partes magis diſtãtes, tamen pro tanto gradu illuminatur quòd potens eſt deferre ſpeciẽ coloris ad oculum.

Ad aliud acceptum ex dicto Philoſophi in 3. de Anima. reſpondet B. Tho. exponens dictum tex. 18. Intendit Phil. quod lumen facit colores actu non ſecũdùm eſſe reale actu, ſed ſecundùm eſſe actu motiuos viſus. Nam licet ſint realiter & actu colores ſine lumine, non tamen actu poſſunt mouere viſum ſine lumine. Et huic ſententiæ contentit Egid. exponens eundem tex. Dicit enim lumen colores exiſtentes potẽtia viſibiles, facit actu viſibiles. Aduerte q̃ non dicit, Facit actu colores, ſed facit actu viſibiles. Et odẽ ſenſu expones dictũ Com.

QVAESTIO XXVIII.

Num diffinitio diaphani poſita à Philoſopho in litera conueniat diaphano vniuerſaliter ſumpto.

Diaphanum autem dico, quod eſt quidem viſibile, non autem ſecundùm ſe. tex. 68.

IN hac quæſt. pro deciſione ſita aduerte, quòd diaphanum triplicem habet gradum. Nam cùm diaphanum ſit idem quod ſuſceptiuum luminis, aliquod eſt ita repletũ & actuatum lumine, quod non eſt vlterius receptiuum alicuius gradus luminis, & huiuſmodi diaphana ſunt Sol & aſtra, prętet lunam. Aliquod autem eſt quod de ſe non habet lumen, ſed eſt receptiuum luminis ab extrinſeco per totum & in omnẽ ſui profunditatem, & tale dicitur propriè perſpicuum & tranſparens. Et huiuſmodi ſunt ſphæræ cœleſtes, & ignis in ſphæra ſua propter raritatem, & aër, & aqua in ſua naturali diſpoſitione, & quædam mixta, in quibus prædominatur aër & aqua, vt cryſtallus, & vitrum & glacies, & aliquæ gemmæ, quæ ſunt quaſi quædam vita naturalia. Aliquod autem eſt, quod eſt ſuſceptiuum luminis ſolùm ſecundùm partes ſuperficiales, vt terra & ſolida terrea, eò quòd partes exteriores propter ſui groſsitiem obumbrant interiores & prohibent à receptione luminis. In propoſito diffinitio diaphani data hic à Philoſopho conuenit propriè diaphano in ſecundo gradu, cuius ſignum eſt quòd exemplificat de aëre & de aqua. Item quia dicit hoc diaphanum eſſe viſibile non ſecundùm ſe, ſed per alterum. Conſtat autem quòd aſtra & terra, & opaca terrea videntur ſecundùm ſe, ergo non intendit hic diffinire diaphanum pro omni gradu ſuo. Et ſi dicas, Ergo hæc diffinitio non valet, quia non conuenit omni diaphano, reſpondeo, Sufficit quòd conueniat omni diaphano ſimpliciter dicto, id eſt omnino tranſparẽti. Tale autem eſt diaphanum ſecũdi gradus. In primo autem & in tertio gradu eſt diaphanum ſecundùm quid, ideo non eſt neceſſe hanc diffinitionem conuenire eis, quia Philoſophus nõ aſſumit hic conſiderationem de diaphano ſecundùm totam ſuam latitudinem, ſed vt eſt medium in actu videndi, quod eſt ſolùm pro ſecundo gradu. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint, nec maior occurrit circa illud difficultas.

QVAESTIO XXIX.

Quid ſit lumen, & vtrum habeat eſſe reale in medio, an tantùm intentionale.

Lumen autem eſt huiuſmodi actus diaphani ſecundùm quod eſt diaphanum. text. 69.

IN hac quæſt. quatuor inueſtiganda ſunt. Primò, quomodo ſit vera diffinitio de lumine aſsignata hic à Philoſopho. Secundò quid ſit lumen ſecundùm naturam ſuam. Tertiò in quo differant lux, lumen, radius, ſplendor. Quartò ſuppoſito quòd lumen ſit qualitas cauſata in medio diaphano à corpore lucente, vtrum habeat eſſe ſolùm intentionale in medio, vel non.

Quantùm ad primum aduerte quòd lumen dupliciter conſideratur. Primò quò ad entitatem ſuam. Secundò vt deſeruit viſui illuminans medium per quod videmus. In lib. de Anima & in tex. 69. non conſideratur lumen primo modo niſi fortè ſecundariò. Id enim ſpectat ad librum ſecundum de Cœlo. vbi agitur de fonte luminis, qui eſt Sol, & de aliis aſtris quomodo per lumen calefaciunt inferiora & generant. Et nos iam de hoc conſiderationem fecimus in 1. de Cœlo ſuper tex. 44. Conſideratur autem hic & diffinitur ſecundo modo, ſicut etiam diximus in q. præcedenti de diaphano, quod hic non conſideratur in ſua tota latitudine, ſed vt eſt medium viſionis. Quoniam igitur lumen aduenien diaphano facit ipſum actu tranſparentem & eſſe medium actu ad videndum actu ideo diffinitio Philoſophi hic aſsignata de lumine intelligenda eſt prout lumen deſeruit viſui. De eo autem quid ſit ſecundùm entitatem ſuam ſtatim manifeſtabitur.

Quantùm ad ſecundum, ſcilicet quid ſit lumen ſecundùm naturam ſuam aduerte quòd Auicen. in 6. Naturalium Parte 3. ca. 1. recitat multas opiniones. Inter quas famoſior fuit apud Antiquos illa, quæ tenet lumen eſſe corpus, de qua ſic inquit Auicenna, Quidam putauerunt quòd lumen deſcendens ex lucido ſuper corpora nõ eſt qualitas quæ contingit in eis, ſed ſunt corpora paruiſsima ſeparata à lucido, corpore circunquaque comitantia longitudinem lucidi, quæ mouentur motu illius, & cùm cadunt ſuper corpora illuminantur ab illis. Rationes ſic opinantium vt recitat Auic. vbi ſuprà ſunt iſtæ, Radius ſine dubio deſcendit à parte Solis, & aduenit ex parte ignis, & hic eſt motus, nullius autem motus eſt niſi corporis. Item radius mouetur motu locali, ad motum localem lucidi, motum autẽ localem non habet niſi corpus. Item radius offendit in aliquod, & reuerberatur ab illo ad aliud, reuerberatio autem motus localis eſt ſine dubio. Hæc ſunt argumentationes ſic opinantium.

Sed hæc opinio falſa eſt, & ſic primò reprobanda eſt ad mentem Philoſophi & Auicenn. deinde ſoluentur rationes adductæ.

Quòd igitur lumen non ſit corpus probatur dupliciter. Primò quia cùm lumen recipiatur in aëre ad præſentiam lucentis, & non videamus aërem cedere, duo corpora eſſent ſimul, cuius impoſsibilitas probata eſt in 4. Phyſi.

Secundò, Si lumen eſſet corpus, illuminatio eſſet motus localis, quod eſt falſum, quia omnis motus localis fit in tempore, vt probatur in 6. Phyſicorum, illuminatio autem fit in inſtanti. Nam ad ſubitam præſentiam candelæ tota domus illuminatur. Conſequentia autem patet, quoniam ſi lumen eſt corpus, non aliter illuminaretur medium, niſi quia tale corpus moueretur per medium ab vna parte ad aliam, quod eſt moueri localiter.

Rationes autem ſic opinantium vt inquit Auic. falſæ ſunt, & propoſitiones quas aſſumunt ſunt falſæ. Ad primam dicitur quòd deſcendere ſiue procedere ſiue egredi dupliciter ſumitur. Primò aliquid deſcendit ſiue procedit à loco in quo prius continebatur ad alium locum. Secũdò aliquid deſcendit ſiue procedit à cauſa efficiente, ſicut calor deſcendit à Sole & procedit ad inferiora. Proceſſus & deſcenſus primo modo eſt motus localis, non autem ſecundo modo. In propoſito hæc propoſitio, Radius deſcendit à Sole, non eſt vera niſi in ſecundo ſenſu, ideo non ſequitur quòd ſit motus localis. Ad ſecundam dico vt ad primam. Ad tertiam dico quòd reuerberari & reflecti & diuidi & multiplicari ſunt proprietates corporis & non conueniunt radio, nec lumini niſi impropriè & per ſimilitudinem. Nam ſicut corpus velociter motum obuians obſtaculo reuertitur verſus priorem locũ, à quo mouebatur, ſic lumen cauſatum à luminoſo peruenians ad corpus terſum impeditur ne vltra diffundatur in directum & receptum in corpore terſo generat aliud lumen in parte medij verſus luminoſum, & ſic videtur illud idem lumen reflecti ad locum, à quo veniebat, quod tamen nõ eſt verum: quoniam nouum lumen generatur à lumine recepto in obſtaculo, & ideo non eſt propriè reuerberatio, & propterea dixit Auic. vbi ſuprà, q̃ hæc nomina non verificantur de radio, nec de lumine niſi tranſumptiuè, & ſic ex eis non poteſt concludi quòd lumen ſit corpus.

Alij opinantur vt recitat Auic. vbi ſuprà quòd lumen non eſt aliud niſi manifeſtatio colorati, imò quidam fuerunt putantes quòd lumen, quod eſt in Sole, non eſt niſi multa apparẽtia ſui coloris quæ ſuperat viſum. Sed hæc opinio falſa eſt, quoniam in nocte quando videtur lux noctilucæ, non manifeſtatur color eius, imò occultatur. Nam cauda noctilucę eſt alba, & tamen in nocte non alba, ſed lucida videtur, non ergo lux eſt manifeſtatio coloris. Quod ſi dicas ſic opinantes intelligere lucem eſſe euidentiam vel manifeſtationem coloris, non quia manifeſtet colores tantum, ſed quia eſt euidentior & manifeſtior color inter omnes colores. Vnde in Sole lux ſua nõ eſt niſi manifeſtiſsimus color vincens viſum noſtrum, ita quòd maximè lucida ſunt maximè colorata. Sed hanc ſententiam reprobare non eſt difficile, quoniam ſi lux vel lumen eſt manifeſtior color, ergo eſt aliquid coloris: aut ergo eſt aliquid coloris in ſpecie, aut in genere, ſi in ſpecie, ergo habet contrarium, quia omnis color in ſpecie habet contrarium, & concomitans vnum colorem in ſpecie contrariatur alteri concomitanti alterum colorem in ſpecie, vt diſgregare concomitans album contrariatur congregare concomitanti nigrum. Lux autem non habet contrarium, ſed tantùm priuatiuè oppoſitum, ſcilicet tenebram, ſi eſt aliquid coloris in genere, cùm color in genere non differat ſecundùm eſſe à colore in ſpecie, nam color in albedine eſt albedo oporteret quòd lux eſſet ſecundùm eſſe color in ſpecie, & tunc ſequitur id quod prius.

Alij opinantur lumen esse formã substantialem, quæ substantificat quicquid substantificatur in his generabilibus.

Alij opinantur lumen esse substantiam spiritualem quasi mediam inter corpoream & incorpoream.

Sed in his reprobandis non est immorandum, quoniam nullam habent in se euidentiam, nec probabilitatem. Quod si reprobare volueris vide Albertum in secundo de Anima, Tract. 3. cap. 11.

Relictis his opinionibus dico secundùm doctrinam Peripateticam quòd lux siue lumen est qualitas siue virtus actiua primi alterantis, id est corporis cœlestis, quæ agit & influit in hæc inferiora, quæ virtus est viuificatiua viuorũ, & calefactiua & motiua ad esse generabilium, inquantùm est instrumẽtum intelligentiæ, quæ per motum luminarium lumine emisso mouet ad esse omne, quod hic generatur. Et ratio quidem huius est, quia sicut elementa vt sunt corpora naturalia habent qualitates suas actiuas, ita cœlum cùm sit corpus naturale debet habere suam qualitatem actiuã, nullam autem comprobamus ad sensum esse qualitatem actiuam in cœlo nisi lucem, adiuncto motu, vt declaratur in 2. Cœli.

Sed aduerte quòd hæc diffinitio non videtur posse intelligi de luce vniuersaliter sumpta: ponimus enim lucem ignem, in carbunculo & in aliis gemmis, quam constat non esse qualitatem actiuam primi alterantis. Verificatur igitur dicta diffinitio de luce prima, quæ inest primo corpori. Si autem vis scire quid sit lux vniuersalissimè sumpta potes illam diffinire secundùm se, & per respectum ad visum: si secundùm se, sic diffinies vt Auicen. in 6. Naturalium, Parte 3. ca. 2. Lux est qualitas quæ ex sua essentia est perfectio corporis lucentis secundùm quòd est lucens, si per respectum ad visum sic diffinies, Lux est qualitas in eo quod est visibile ex sua essentia & non per aliud: & qua disponuntur media ad visionem colorati.

Quantùm ad tertium aduerte quòd omnes Expositores in hoc conueniunt per hæc quatuor nomina idem realiter significari, sed sub diuersis rationibus. Nam dicitur lux illa qualitas secundum quod est in suo primo & principali subiecto, putà in cœlo & præcipuè in Sole, qui est fons lucis, cuius participatione extimant multi alia astra esse lucida & lucere. Et dicitur lumen secundum quod est receptum in aliquo perspicuo, quod ex se non est lucidum, sicut est aqua & aër. Et dicitur radius secundùm quod emittitur à lucente & multiplicatur per incessum rectum ad modum lineæ rectæ. Et dicitur splendor secũdùm quòd multiplicatur iuxta aliquod corpus refrangens sensibiliter, à quo fit reuerberatio radiorum, vt videmus quando radius lucentis ferit corpus politum solidum, quale est speculum vitreum, vel æreum, vel lapideum. Tu tamen aduerte quòd licet prædicta differant ratione, tamen multoties vtimur pro eodem propter identitatem significati realis.

Quantùm ad quartum, scilicet, Vtrum lumen causatum à lucente in medio diaphano habeat esse reale vel intentionale in ipso medio, inuenio duas sententias. Prima est B. Thom. in 2. lib. De Anima, in expositione text. 70. Ipse tenet quòd habet esse reale in medio, & probat dupliciter. Primò, A forma intentionali non prouenit actio physica, non enim essent eiusdem rationis causa & effectus. Sed à lumine quod est causatum à cœlo in aëre aut in aqua prouenit actio physica, scilicet calefactio ex 2. Cœli text. 46. ergo, &c. Secundò, A forma intentionali non denominatur subiectum tale, non enim denominatur oculus albus ex eo quòd recipit speciem intentionalem albedinis, sed lumen denominat subiectum in quo recipitur, dicitur enim aër luminatus lumine, ergo, &c.

Secunda opinio est Egi. in lib. 2. de Anima super text. 76. in dubitatione 2. & 3. Ipse tenet quòd lumẽ in medio diaphano habet esse intentionale tantùm: & probat duplici ratione, deinde soluit rationes B. Tho. quas formauimus.

Prima est, Lumen habet tale esse in medio quale habet in organo, quia eodem modo immutatur medium & organum. Sed in organo habet esse intentionale. Sensus enim recipit sine materia, vt declarabitur infrà, ergo recipit solùm intentionaliter. Præterea si lumen protenderetur secundum esse reale à lucente per totum medium vsque ad organum, sequitur quòd sensibile positum supra sensum faceret sensationem, quod reprobat Philosophus in text. 73. Præterea, omnis forma realiter recepta in materia habente contrarium, habet contrarium, quoniam omne quod recipitur in aliquo, recipitur per modum recipiẽtis. Si ergo recipiens habet contrarium receptum habet contrarium. Sed omne corpus inferius diaphanum habet contrarium, cùm sit elementum, aut elementatum. Ergo si lumen recipitur in eo secundùm esse reale habebit contrarium. Hoc autem est falsum, quoniam lumini non opponitur nisi tenebra, quæ est priuatio.

Ad primam dicitur quòd lumen in medio & in organo habet esse reale & intentionale. Reale quidem vt illuminat, intentionale autem vt immutat visum. Nam cùm sensus sit potentia pro aliquo gradu spiritualis, aliter non recipiet sine materia, est necesse quòd spiritualiter & intentionaliter immutetur à suo obiecto. Ad argumentum ergo nego minorem. Ad probationem dico quòd stat sensum recipere sine materia, & tamen cum immutatione intentionali, concurrere receptionem realem & materialem, vt dicemus infrà de organo & medio tactus. Sed cõtrà, Stante hac responsione sequitur quòd visus non est altior & spiritualior inter omnes sensus. Nam dicit B. Tho. in tex. 70. in responsione primæ quæst. quòd ideo visus est spiritualior, quia in omni alio sensu est immutatio naturalis, in visu autem tantùm spiritualis & ex parte medij, & ex parte organi. Ergo si lumẽ est realiter in medio & in organo non erit spiritualior. Ad hoc dicitur quòd propositio B. Tho. intelligenda est non repugnanter, nam aliis sensibus repugnat sentire aliquid contentum sub suo obiecto per immutationem purè spiritualem, vt declarabimus quando assignabitur sufficientia quinque sensuum exteriorum, visui autem non repugnat, quoniam cùm suum obiectum adæquatum sit visibile, sub quo continetur color quando videt colorem à colore non fit aliqua immutatio naturalis, nec in medio nec in organo. Et sic patet quod prima ratio Egidij non concludit.

Ad secundam negatur consequentia. Intentio enim Philosophi est quòd sensibile positum supra sensum secũdùm esse reale, vt sic, nõ causat sensationẽ, & rationem huius assignabimus infrà. Si autem vltra esse reale cõiungatur sensui per esse intẽctionale non prohibetur sensatio, aliter sensus tactus nunquã haberet sensationem, quoniã obiectum suum immutat mediũ & organum nõ solùm intentionaliter, sed etiã realiter, vt manifestabimus cùm loquemur de tactu, & quoniam in proposito lumen recipitur realiter & intentionaliter in medio & in organo, ideo non prohibetur sensatio.

Ad tertiam negatur maior, ad probationem dico quòd non est necesse vt receptum assimiletur recipienti quo ad omnes conditiones recipiẽtis, aliter anima intellectiua esset extensa: quia recipitur in materia quanta & extẽsa. Dicitur etiam quòd recipiens lumen licet vt elementum vel elementatum habeat contrarium, non tamen vt est receptiuum luminis, recipit enim lumen quia est diaphanum. Diaphanei tas autem non conuenit elementis, vel elementatis vt elementa sunt, vel elementata, sed vt communicant analogicè in natura superiori, id est, cum corpore cœlesti. Et hæc responsio est ad mentem Philosophi in tex. 68. vbi postquàm diffiniuit diaphanum subiungit, Non enim secundùm quòd aqua nec secundùm q̃ aër diaphanum est, sed quoniã est natura eadem in vtrisque & in perpetuo superius corpore.

Nunc restat declarare quòd solutiones quibus Egi. soluit rationes B. Tho. inualidæ sunt.

Ad primam dicit quòd licet à forma intentionali debili non fiat denominatio, fit tamen à fortiori & intensa. Nam si radius Solis trãsit per vitrum colorat terram vel parietem, ad quem reflectitur, & dicitur paries coloratus. Quod confirmat dicto Philosophi in hoc 2. lib. in tex. 138. vbi concedit videntem ex eo quòd recipit intentionem coloris, esse quodammodo coloratum.

Ad secundam dicit quòd lux cœli vna qualitas existens tria agit, illuminat aërem, calefacit, & immutat visum, vel illuminat aërem & habet immutare visum, habet esse intentionale, vt calefacit habet esse reale, sed dicit quòd non calefacit vt lux, sed vt calor.

Sed istæ solutiones sunt inualidæ: & quantùm ad primam, in qua concedit denominationem realem fieri à forma intentionali intensa, mirum est. Nam si Philo. non vult concedere in Prædicamentis, in prædicamento qualitatis denominationem absolutè fieri à rubore reali causato in facie ex verecundia, quomodo ergo fiet à forma intentionali etiam intensa, cum sit minoris entitatis? Nec sic deseruit dictum Philosophi in 2. de Anima in tex. 138. Patet enim q̃ dicitur absolutè & sine conditione diminuente aër illuminatus lumine, & tamen non concedit Philos. quòd euidens recipiens colorem intentionaliter fit coloratum absolutè. Sed dicit, Amplius autem & videns tanquam coloratum est. Vbi & Commentator, Videns quando comprehendit colorem efficitur, quasi

quasi coloratum quoquomodò.

Quantùm autem ad secundam, vbi concedit trãsmutationem realem, s. calefactionem, quam dicit fieri à luce non vt lux est, sed vt lux calor est, dicit contra Com. in 2. Cœli. com. 41. vbi inuestigans causas, propter quas, Sol magis calefacit, dicit, vnam esse, quia magis luminosus. Lux enim ex natura sua est calefactiua, tunc sic, Impossibile est dari effectum naturalem realem sine causa naturali reali: sed calefactio aëris est effectus naturalis realis, & secundùm Com. est à luce ex natura lucis, ergo necesse est hãc lucem habere in medio, quod calefacit, esse naturale reale. Arbitror autem Egi. hãc imaginationem habuisse, quia nesciuit saluare visionem luminis cum existentia reali eiusdem in medio. Sed hæc eadẽ difficultas accidet ei de odoratu, cum odor realiter & nõ solùm intentionaliter recipiatur in medio. Vnde, si secundùm eum hæc esset vera, Eo modo recipitur sensibile in organo quo in medio, saluare non posset actum odorandi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. XXX.

Num aliqua videntur in tenebris, & si omnia, quæ videntur in die, videntur vt colorata.

Non omnia autem visibilia sunt in lumine, sed solùm vniuscuiusque proprius color. tex. 74.

In hac quæst. aduerte quòd non est difficultas nisi scire saluare vtranque partem præpositi textus. Arguemus igitur contra vtranque partem, deinde resoluemus propositum.

Contra primam partem sic arguitur, Si non omnia visibilia videntur in lumine, ergo aliqua videntur sine lumine, si sine lumine, ergo diaphanum potest esse actu sine lumine, nihil enim videtur nisi per diaphanum actu. Sed impossibile est diaphanum esse actu sine lumine, quoniã lumen est actus diaphani ex tex. 69. ergo sicut non potest esse materia actu, sine forma, sic nec diaphanum actu sine lumine.

Contra secundam partem sic arguitur, In lumine dici videmus Lunam palidam, & videmus ignem. Constat autem Lunam non habere propriè colorem, quoniam cùm sit qualitas resultans ex primis qualitatibus non inuenitur nisi in elementatis. Similiter ignis lucidus est & non coloratus: ergo in lumine diei non solùm videtur proprius vniuscuiusque rei color, sed & lux.

Pro resolutione igitur propositi, aduerte quòd Philosophus dum dicit, Non omnia visibilia sunt in lumine, intendit quòd non omnia videntur in lumine perfectè actuante diaphanum, quale est lumen Solis, vel lumen clari ac magni ignis, sed aliqua videntur in tenebris non existentibus omninò continuatis tenebris, sed cum aliquali & imperfecto lumine imperfectè actuante diaphanum. Sicut videntur stellæ & noctiluceæ & quercus putrida, quæ dicuntur videri in tenebris eò quòd lumen eorum remissum est, nec potest simpliciter fugare tenebras, fugat tamen intantùm quòd secundùm quid actuat diaphanum, vt per ipsum fieri possit visio supradictorum. Ex his dico ad argumentum, Si non omnia videntur in lumine, ergo aliqua videntur sine lumine: respondeo, Si in consequenti sumatur sine lumine omnino, negatur consequentia, si sumatur sine lumine perfecto, vt est lumen diei, concedo consequentiam & nego falsitatem consequentis. Ad probationem, nõ valet quia licet sit impossibile esse diaphanum actu sine omni gradu luminis, tamen potest esse actu secundùm quid per lumen remissum, quale est lumen noctiluceæ & lumen stellæ. Et quoniam tale lumen non fugat simpliciter tenebras, ideo dicit Philosophus quòd non omnia sunt visibilia in lumine, cum hoc tamen stat quòd videntur in tenebris aliqualiter illuminatis.

Pro solutione secundi argumenti aduerte quòd sensus Philo. in 2. Parte tex. præpositi est, quòd si aliqua sunt visibilia solùm per lumen extraneum & alienum, videntur quò ad proprium colorem. Si autem aliqua sunt apta videri per lumen proprium sibi intrinsecum, & per lumen alienum, non inconuenit quòd videantur, non quidem quò ad colorem proprium, si non sunt colorata, sed quò ad lumen remissè quidem apparentem, eò quòd lumen fortius, vt est lumen Solis remittit eorum lucem. In primo gradu sunt omnia colorata, quæ non sunt lucida, quoniam illa non videntur nisi lumine extraneo, quale est lumen Solis & ignis. In secundo gradu sunt Luna & ignis & gemmæ lucidæ. Nam prima de necessitate videntur lumine alieno, ideo videntur solùm vt colorata, & de his propriè intendit Philosophus cum dicit, quòd in lumine, scilicet alieno videtur vniuscuiusque color. Secunda autem videntur & lumine proprio & alieno, & de his non intendit Philosophus loqui, accidit enim quòd videantur lumine alieno. Ad argumentũ, ergo patet quid dicendum sit ex dictis. Hic non accidit alia difficultas, ideo hæc sufficiant pro præsenti quæsito.

QVAESTIO XXXI.

Propter quid sensibile positum supra sensum non facit sensationem sed indiget medio in quo sui speciem causet.

Si quis enim ponat habens calorem super ipsum visum non videtur. tex. 73.

Sensibile positũ supra sensum non facit sensationem.

In hac quæst. aduerte quòd omnes Peripatetici in hoc conueniunt, q̃ sensus indiget medio, in quo prius recipiatur species quàm in organo, aliter non fieret sensatio. Dico autem quòd omnes Peripatetici, quoniam Auicen. in 6. Naturalium, Parte 2 c. 5. non concedit medium esse necessarium absolutè, sed tantum sub conditione, vnde inquit, Sensatum etenim si posset occurrere sentienti, sentiretur etiam sine medio. Hæc Auic. Non tamen huius rationem assignat. Sed nec Philosophus in text. 73. rationem adducit propter quid medium sit necessarium, sed dicit experientia cõstare, quòd si sensibile ponitur super sensum non sentitur. Et dicit id esse verum in omni sensu, vt patet in text. 75. Ex quo infertur quòd sensus indiget medio ex necesitate.

Vt igitur ad mentem Philosophi resoluamus propositum aduerte quòd alia ratio & causa videtur assignari ad mẽtem Com. & sequentium eum, alia in via nostra, & secundùm hanc intendo resoluere propositum.

Quantùm ad Commen. aduerte quòd in com. 74. ibi, Et est sustentatus super hoc, &c. videtur dicere quòd Philosophus propositum dupliciter probat. Primò experientia: experimur enim quòd sensibilia posita supra sensum non sentiuntur. Secundò ratione: nam visio non fit sine lumine. Lumen autem non datur sine medio in quo recipitur, cùm sit actus medij diaphani, ergo non datur nec potest dari visio sine medio.

Sed experientia adducta & ratio non videntur sufficienter probare propositum. Nam si quid probant, probant tantùm de visu. In aliis enim sensibus hoc non apparet. Nam in odoratu videtur quòd si odoriferum posset tangere organum, vt dicit Auic. adhuc sentiretur. Experimur enim quòd quantò propinquius est odoriferum odoratui, tantò perfectius odoratur. Item id est magis occultum in gustu & tactu, in quibus videntur obiecta tangere sensum, quoniam non sentiuntur per medium extraneum. Similiter ratio de lumine non videtur concludere nisi in visu. Sed nec fortè in visu, posset enim dici quòd licet visus indigeat lumine actuãte diaphanum, tamen non est necesse quod illud diaphanum sit medium, sed sufficit quòd sit organum. Verbi gratia, Pupilla quæ est diaphana terminaca, vt aliàs dicemus. Ideo diceret Auic. quòd si aliquod lucidum ex contactu pupillæ illuminaret eam adhuc remoto medio posset sentiri, dummodò tale lucidum ex contactu non offenderet pupillam, sicut offenderet lucidum excellens, & lucidum igneum.

Dimissis igitur his cãusis & rationibus particularibus quærenda est causa vniuersalis, propter quam necesse est in omni sensu assignare causam de necessitate medij receptiui speciei intentionalis. Aduerte igitur quòd causa vniuersalis in via nostra, quam reputamus verè Peripateticam, est assimilatio sensibilis ad sensum. Vnde notandum tibi est, quòd sensibile ad extrà est purum materiale, sensus autem cùm sit potentia animæ, quæ eleuata est super formas naturales est quid spirituale & immateriale, non quidem in supremo gradu, hunc enim obtinet potentia intellectiua. Ad hoc ergo quòd sensibile sentiatur est necesse quòd fiat aliquo modo spirituale, quoniam omnis cognitio fit per assimilationem. Non potest autem transire ab esse purè materiali, quale habet in se, ad esse multùm spirituale, quale habet in sensu nisi prius deueniat ad esse minus spirituale quod est in infimo gradu in latitudine esse spiritualis. Tale autem esse spirituale infinitum habet sensibile in medio. Vnde imaginandum est vt tenet Commen. in suo lib. de Memoria & Reminiscentia quòd sicut species sensata in phantasia est spiritualior quàm in sensu communi & in sensu communi spiritualior quàm in sensu exteriori, sic in sensu exteriori est spiritualior quàm in medio. Vt ergo seruetur ordo inter gradus spiritualitatis necesse est in sensatione dari medium susceptiuum minimi gradus. Quod si dicas obiectum habere esse æquè spirituale in medio & in organo, ergo ratio nulla, id negandum est. Nam quòd habeat esse magis spirituale in organo quàm in medio sumitur signum ex hoc quòd organum est susce-

ptiuum potentiæ sensitiuæ, quæ est spiritualior specie sensibili: medium autem non est susceptiuum potentiæ sensitiuæ, ergo organum est receptiuũ spiritualioris formæ quàm sic medium. Patet igitur propter quid omnis sensus indiget medio, &c. Quòd ſiid tibi nõ satisfacit, exerce & tu teipsum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXII.

Quomodo hæc diffinitio conuenit colori, Color est motiuus diaphani secundum actum, id est, diaphani illuminati.

Hoc autem erat ipsi colori esse, motiuum esse diaphani secundum actum, tex. 73.

Color est motiuus diaphani secundum actum, id est diaphani, & medij illuminati.

IN hac quæst. aduerte antequàm deueniamus ad decisionem quòd color potest dupliciter considerari. Primò quò ad quidditatem suam, & sua prædicata quidditatiua, putà inquantùm est qualitas secunda facta ex proportione primarum qualitatum, modo quo declarabimus infrà. Secundò vt est visibilis; & immutatiuus visus, quæ consideratio est respectiua.

Pro resolutione quæsiti duo cõsideranda sunt. Primò quomodo diffiniendus est color iuxta secundam considerationem. Secundò quomodo diffiniendus est iuxta primam consideationem.

Quantùm ad primum dico, quòd diffiniendus est, vt diffinit hic Philosophus. Nam hæc diffinitio non conuenit colori, nisi vt respicit visum, & ratione qua visibilis est. Quod declaratur de mente Com. & B. Tho. Nam Comm. in com. 73. inquit, Et intendit per hoc, scilicet Philosophus, quòd ista diffinitio non declarat esse, id est naturam coloris nisi secundùm quòd apparuit nobis, quod impossibile est vt color videatur sine luce. Sed manifestius id habes à B. Tho. in expositione text. 77. vbi sic inquit, Vnde est alia consideratio ipsarũ qualitatum secundùm se & secũdùm quòd immutãt sensum: & parùm pòst inquit, In hoc autem lib. scilicet de Anima, nõ intendit determinare de sensibilibus nisi secũdùm quod immutant sensum, hæc ille. Ex quibus elicitur quòd diffinitio coloris hic assignata à Philosopho non conuenit ei nisi vt respicit visum. In lib. autem de Sensu & Sen. inuestigatur quid sit secundùm naturam suam, vt declarabimus. Ex his patet error quorundam scribentium in via nostra, qui arbitrãtur hanc diffinitionem, Color est motiuus diaphani secundùm actum, dari de colore secundùm naturam coloris, eò quòd opinantur non dari colorem actu nisi per lumen. Sed quia iam suprà docuimus hoc non esse de mente Philosophi nec Com. nec B. Tho. qui tenent lumen non requiri ad esse coloris, sed ad actuandum diaphanum, vt sit medium sufficiens, per quod fiat visio, ideo hanc opinionem relinquo, vt deuiantem à mente Philosophi.

Quantùm ad secundum tria agenda sunt. Primò declarabitur quot requirantur ad generationem & naturam coloris propriè dicti. Secundò ex his formabuntur diffinitiones, quę dari consueuerunt de colore exprimẽtes naturam eius. Tertiò soluentur quædam dubia.

Quantùm ad primum dico quòd ad naturã & productionem coloris tria requiruntur. Primò lux, vel lumen, quod est vt forma & essentia coloris. Hæc enim est vera & essentialis, Color est lux licet non simpliciter, vt dicam. Vnde Alber. in lib. de Sensu & Sensato, Trac. 2. c. 1. dicit quòd lumen est hypostasis & forma coloris: & probatur ratione sic, Visus est vnus sensus, ergo est vnius obiecti. Hoc obiectum est lux & color, vt conueniunt in hoc quod est esse per se visibile. Omne enim per se visibile est lucidum vel coloratum, ergo est necesse quòd lux & color sint idem omninò, vel vnum reducatur in aliud vt in principium essentiale. Constat autem quòd lux *non reducitur* ad colorem, cùm sit prior & cõmunior; inuenitur enim in superioribus & inferioribus. Nõ autem color vt declarabitur, ergo color reducitur ad lucem, est ergo color lux. Secundò requiritur perspicuum, vt materia, in qua recipitur lumen. Si enim color esset lux simpliciter, omnia lucida essent colorata. Et sic color esset in astris, cuius oppositum declarabitur infrà. Requiritur ergo receptiuum luminis. Tale autem receptiuũ est ipsum perspicũ, id est, diaphanum ex 2. de Anima text. 65. vbi dicit Philosophus lumen esse actum diaphani, ergo diaphanum est sicut *materia receptiua luminis & tenebræ*. Tertiò requiritur aliquod terminans & condensans ipsum perspicuum. Nam si non terminatur & condensatur recipit lumen in toto sui profundo, & non reuerberat ipsum, & tunc dicitur perspicuum illuminari & non colorari, vt quãdo recipitur lumen in aëre, aut in aqua. Si autem *terminatur* perspicuum, tunc recipit lumẽ in sui extremitate & reuerberat ipsum. Et tunc dicitur colorari. Primum autem terminans & condensans materialiter est terra in his inferioribus, eò quòd alia tria elementa sunt perspicua secundùm partes profundas. Terra autem est minimè perspicua, quia tantùm secundùm superficiem. Ad cõpletam ergo naturam & generationem coloris requiritur lumen non quidem cœleste, quoniam licet illud influat in his inferioribus, nõ tamen incorporatur, erit ergo lumen elementare quod attribuitur igni. Et requiritur diaphanum aëris, vt aquæ, quod est receptiuum luminis, & requiritur opacum, quod ex sua grossitie terminet diaphanũ, & hoc attribuitur terræ. Ex quibus patet quòd omne colorum vero colore est mixtum ex 4. elementis, nec aliquod purum elementum est verè coloratum, nec cœlum nec astra, cùm non sint ex natura elemẽtari, patet etiam quomodo color computatur inter qualitates secundas.

Quantùm ad secundum aduerte quòd ex principiis datis Com. & Alber. & B. Tho. diuersimodè diffiniunt colorem, licet in sententia concordent: nam Com. in suo lib. de Sensu & Sensato, sic diffinit, Color est perfectio diaphani terminati, sicut lux est perfectio diaphani interminati. Et per hoc distinguitur color à luce.

Albertus autem in libr. de Sensu & Sensato, Tractat. 1. capit. 1. ponit duas diffinitiones, quarum prima est hæc, Color est lux incorporata, & retenta in perspicuo terminato. Secunda est hæc, Color est participatio lucis à perspicuitate terminata.

B. Tho. in 2. de Anima, in lect. 14. circa fin. sic diffinit, Color est lux obumbrata ex admixtione corporis opaci.

Præter has diffinitiones aduerte quòd Philosophus in libro de Sensu & Sẽsato, sic diffinit colorem, vt patet in tex. 31. color est extremitas perspicui in determinato corpore. Vt autẽ scias quomodo hæc diffinitio verificatur, aduerte quòd color dupliciter sumitur. Primò color in actu. Secundò color in potentia. Color in actu est tantum in extremitate corporis colorati, secundùm quòd est in extremitate, id est in superficie potest actu mouere visum, non autem si esset in profundo corporis terminati. Color autem in potentia est per totum corpus terminatum, & fit in actu per solam *diuisionem corporis, non quidem in actu naturæ*, sed in actu motiui. Non enim color existens in profundo corporis terminati actu mouet visum nisi corpus actu diuidatur. Stante hac distinctione dico, quòd Philosophus diffinit colorem non quocunque modo consideratum, sed vt actu potest mouere visum. Constat autem quòd actu non mouet visum nisi vt in extremitate perspicui terminati. Et sic patet quòd Philosophus in prædicta diffinitione potiùs consideraùit colorem quantùm ad sui apparentiam, quàm quantùm ad sua essentialia, vnde sic est exponenda dicta diffinitio, Color est extremitas perspicui terminati, id est, Color est id quod superapparet in extremitate perspicui terminati. Et quòd Philosophus sic intelligat patet per ea, quæ dixerat in text. 31. vbi confirmauit sensum suum auctoritate Pythagoricorum, qui dicebant colorem esse epyphaniam, id est, superapparentiam, quasi sit superficialis apparentia. Ex his omnibus potes habere quid sit color essentialiter per diffinitiones suprà positas Commen. & Alberti & B. Thom. & quid sit in comparatione ad apparentiam visui per diffinitionem Philosophi.

Quantùm ad tertium aduerte quòd contra prædicta iolunt gunt duo dubia.

Primò, Illa tria principia assignata in generatione coloris non videntur necessariò requisita. Nam Comment. in libr. suo de Sensu & Sensato, non adducit nisi duas naturas, ex quibus constat color, scilicet naturam luminosi quam attribuit igni, & naturam diaphani, quam attribuit aëri & aquæ, ergo non est necesse apponere tertium, scilicet opacum terræ terminatiuum.

Ad hoc dicitur quòd Commen. consideraùit colorem solùm quò ad formam & materiam receptiuam, quæ quidem forma est ipsa lux siue lumẽ, materia autem est diaphanum. Et hæc duo sunt principia essentialia coloris. Illa autem terminatio est conditio materiæ. Vnde est potiùs cõditio sine qua non, quàm quid intrinsecum colori. Non ergo Commentator tertium principium nisi sub hac ratione, quòd non concurrit sicut forma vel materia sed vt conditio materiæ.

Sed contrà, Si lumen est forma coloris & diaphanum materia, ergo color non est qualitas simplex, sed potiùs quid compo

compositum ex materia & forma, quod tamen est falsum, quoniam compositio partium essentialium cõuenit soli substantiæ compositæ ex 7. & 8. Metap. & iam determinauimus in lib. 11. Metaph. in Quæst. nostris, quòd accidens non componitur intrinsecè ex materia & forma.

Ad hoc dicitur etiam de mente Alberti in lib. de Sensu & Sensato in Trac. 2. c. 2. quòd aliquid dicitur includere formam & materiam dupliciter. Primò vt resultans ex compositione formæ & materiæ, & tale est verè est compositum sicut substantia materialis. Secundò vt fluens ab eis & hoc non est necesse esse cõpositum intrinsecè, sed potest esse simplex essentialiter, & erit illud quod est vt forma. Nam alterum est vt materia concurrit vt recipiens & terminans. Exemplũ habemus quãdo diffinitur accidens in concreto. Dicit enim formam in recto, & in obliquo subiectum vt receptiuum. Nam album albedinem significat, non quidem secundùm se, sed vt receptam in subiecto. Sic in proposito color significat lucem non secundùm se, sed vt receptam in diaphano vt in materia, ita quòd diaphanum dicit materiam non ex qua, sed in qua. Et ideo non sequitur quòd sit quid compositum ex materia & forma.

Secundò dubitatur de diffinitione coloris data à Philosopho, qua dicitur quòd color est extremitas perspicui in terminato corpore. Nam si color est extremitas, &c. ergo res mixta non habet colorẽ in sui profunditate, quod est falsum. Nã marmor & nix sunt alba in superficie & in tota profunditate. Idem apparet in aliis mixtis coloratis.

Ad hoc respondetur ad mentem B. Tho. in lib. de Sensu & Sensato, in expositione tex. 33. quòd hæc diffinitio datur de colore prout est in actu. Color autem est in actu quando existente medio illuminato potest per seipsum mouere visum. Id autem potest solùm vt est in specie, quoniam visus non attingit profunda rei visæ nisi per accidens, & ideo licet in profunditate rei sit color, non tamen actu, sed in habitu vel in potentia proxima, eò quòd ex sola diuisione corporis potest actu mouere visum. Sicut etiam in profundo corporis sunt mulæ superficies virtualiter, quæ sola diuisione fiunt in actu.

Potest etiam dici quòd diffinitio Philosophi datur de colore magis secundùm apparentiam & essentiam, quàm secũdùm essentiam tantùm, & quoniam color in profundo corporis, terminati non apparet, ideo licet insit secundùm essentiam, quia est lux incorporata, non tamen secũdùm apparentiam. In superficie autem est secũdùm apparentiam & essentiam, quare, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXIII.

Num sonus sit subiectiuè in aëre & solùm in aëre ita quòd non possit generari in aqua sine aëre.

Hoc autem est ipsius medij & auditus facere sonum actu. text. 77.

IN hac quæst. aduerte quòd circa primam partem non inuenio discrepantiam inter Expositores. Omnes enim in hoc cõcordant quòd causaliter quidem sonus est in corpore potente facere sonũ, quod dicitur sonatiuum, sicut sanitas causaliter est in medicina. Subiectiuè autem & formaliter est in aëre medio inter percutiens & percussum, sicut sanitas est subiectiuè in animali. Quod & ratione sic probatur, Sonus vel est subiectiuè in percutiẽte & percusso, vel in altero tantùm, vel in aëre medio. Non primò, quia cùm sit accidens vnum numero, putà hæc vox Socratis, non potest esse in duobus subiectis. Non secundò, quia non est maior ratio quòd sit in vno quàm in alio, ergo est subiectiuè in aëre medio. Quod & signo confirmatur. Experimur enim ad motionem aëris deferri sonum, nam si ventus fiat versus non defertur intensiùs sonus ad auditum: oppositò autem modo contingit si ad partem oppositam ventus spirat. Præterea, si videmus à longè duo corpora dura adinuicem percuti, non statim audimus sonum donec aër motus ad nos detulerit sonum, ergo signum est sonum esse subiectiuè in aëre & non in corpore sonatiuo.

Quantùm autem ad secundam partem, scilicet vtrum solùm in aëre possit generari, est dissensio, nam Albert. in hoc capi. vult quod sit subiectiuè in solo aëre, ita quòd non potest generari in sola aqua, nisi sibi admisceatur aër. Cuius signum accipit ex hoc quòd si fiat sonus in fundo aquæ, est necesse supernatare aërem & apparere super aquam in quibusdam ampullis. Item sumitur signum ex hoc quòd pisces velociter natantes in fundo aquæ & in medio etiam quòd percutiant branchas non faciunt strepitum, faciunt autem quando natant in superficie aquæ, eò quòd fit cõtigua aëri. Et hanc sententiam Alberti sequuntur Caietanus Vincentius, & Iandunus in 2. de Anima, in q. 22.

Auicenna autem in 6. Naturalium, in Parte 2. in ca. de Auditu, tenet quòd commune est aquæ & aëri in eis fieri sonum, eò quòd aqua est mollis, impetuosa constringibilis inter duo dura sicut aër, minùs tamen propter sui grossitiem. Si ergo sonus generatur in aëre, quia mollis est, & quia impellitur, & quia stringitur inter duo corpora dura, eadem ratione potest generari in aqua. Vbi inquit Auicen. Sonus ergo accidit ex commotione mollis corporis impetuosi & constricti inter duo corpora dura sibi resistentia secundùm quòd fit est. Et sicut aqua & aër & cœlum conueniunt in natura reddendi colores, quæ natura vocatur claritas siue diaphaneitas, sic aqua & aër conueniunt in hoc quòd accidit eis sonus. Cuius nomen sit receptio commotionis. Hæc ille.

Quid autem tenendum sit secundùm Philosophum, non est clarum. Nam in tex 79. dicit, Non est autem proprius soni aër neque aqua. Quod aliqui vt Egidius sic exponunt, Nec aqua nec aër est proprius effectiuus soni, sunt autem talia media in sono, & sunt ea in quibus formaliter potest esse sonus. Est ergo commune vtrique eò quòd non solùm aër, sed & aqua habet illas conditiones, per quas potest esse subiectum soni, scilicet esse fluxiuum, posse percuti, & posse resilire. Verùm in eodem textu dicit Philosophus, quòd oportet firmorum fieri percussionem adinuicem & ad aëra. Ecce quod dicit Ad aëra, & nõ amplius replicat Ad aquam. Et per totũ tex. 79. & 80. declarat quòd sonus ex eo fit quòd aër resilit inter percutiens & percussum. Et declarat fieri echo in aëre ex reflexione, &c. Et in tex. 90. declarans quid sit vox inquit, Percussio respirati aëris ab anima, ad arteriam vocalem vox est. Ergo signũ est quòd mens Philosophi fuit sonum posse generari solùm in aëre.

Propter igitur duo dicta Philosophi recitata in tex. 79. quę videntur quasi opposita facta est varia determinatio. Aliqui Thomistæ scribentes propter primum dictum declinauerũt ad hoc quòd sonus potest fieri in aëre & in aqua. Et ne videatur dictum secundũ repugnare primo dicunt quòd ideo Philosophus declarat sonum fieri in aëre, nõ quia id sit proprium aëris ita quòd non conueniat aquæ, sed quia nobis habitantibus in aëre id manifestius est. Et quoniam scientia de sensibilibus debet tradi per magis manifesta, ideo declararuit propositum in aëre solo.

Mihi autem videtur tenenda via opposita, scilicet quòd sit subiectiuè in aëre solo, & quòd nunquam generetur in aqua nisi concurrente aëre. Hoc enim est de mente Commenta. nam dicit sic in comment. 81. Cùm declaratum est ex hoc quòd aër est materia soni qui impossibile est fieri nisi per illum. Hæc ille. Et huic viæ fauet B. Thom. qui in expositione text. 77. sic inquit, Necessarium est ad soni generationem in aëre vel in aqua, quòd aliqua corpora dura percutiant seinuicem & percutiant aërem. Hæc ille. Ecce quòd dicit siue generetur in aqua, siue in aëre necessaria est percussio aëris, ergo non potest generari in aqua nisi concurrente aëre.

Sequendo igitur hanc viam quam reputo esse ad mentem B. Thõ. dico quòd primum dictum malè exponitur. Sed sic debet exponi secundùm B. Tho. Aër nõ est proprius soni, neque aqua, i. nec aër, nec aqua habent proprium sonum, quia cùm sint corpora mollia secundùm se carent sono.

Ad Auicen. autem dicerem, quòd quia sententiam suam non firmat sensibili experimento, quòd plurimùm valet in his, ideo non recipitur opinio sua. Ad rationem autem suam dicerem, quòd illæ conditiones non inueniuntur in aqua in tanta perfectione quòd possit in ea sola generari sonus: quæ tamen inueniuntur in aëre.

Sed contra determinationem factam videtur esse Philosophus in text. 77. vbi inquit, Sonus in actu est medij & auditus, ergo non solùm est in medio, quod est aër vt in subiecto, sed etiam in auditu.

Ad hoc dicitur quod sonus potest esse in aliquo subiectiuè dupliciter. Primò secundùm esse naturale, & sic est in aëre in quo generatur saltem quò ad partem propinquam corpori sonatiuo. Secundò quò ad esse intentionale, sic potest esse subiectiuè in parte aëris multùm remota à sonatiuo & in organo auditus, vt dicemus infrà. Dico ergo quòd sensus Philosophi est iste, Sonus est medij naturaliter pro aliqua parte, & auditus intentionaliter. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXIIII.

Quomodo se habeat echo ad sonum præcedentem.

Echo autem fit cùm ab aëre vno facto propter vas determinans & prohibens diffundi, iterum aër repellitur sicut sphæra. tex. 80.

Echo fit ex reuerberatione aëris deferentis sonii primii, à quo tamẽ realiter & solo numero differt.

IN hac q. tria sunt agenda. Primo declarandum quomodo generatur echo. Secundò si differt realiter à sono præcedenti. Tertiò si differt specie, an solo numero.

Quantùm ad primum aduerte q; Philosophus & Commen. intendunt echo sic generari, Quando aër fortiter expulsus à corporibus solidis, quorum alterum est percutiens, & alterum percussum, deferens sonum deuenit ad aliquod corpus concauum & firmum, quod se habet vt vas continens aërem vnitum, & prohibens ipsum diffundi, ab illo corpore concauo repellitur idem aër & reflectitur ad locum priorem à quo fuit expulsus: sicut quando pila proiecta ad parietem repercutitur à pariete, & retrocedit ad locum à quo fuit proiecta. In huiusmodi autem aëre sic retrocedente generatur sonus quasi omnino similis priori sono, & quasi eodem modo formatus, qui dicitur echo, & nos dicimus resonantiam. Corpora autem apta generare resonantiam sunt corpora concaua & præcipuè rotunda, vt fornices, cisternæ, putei profundi & valles. Talia enim detinent aërem inclusum multo tempore, & sunt repercussiua aëris deferentis sonos, ex qua repercussione formatur echo. Ex his tibi constare poterit descriptio echo afsignata à Com. in com. 80. cùm dicit, Echo est iteratio soni conseruando suam figuram, vt accidit in domibus inhabitatis.

Quantùm ad secundum aduerte quòd vniuersale concessum est priorem sonum & echo esse duos sonos distinctos realiter. Quod probatur primò per Comment. deinde ratione. Inquit Commen. in commen. 80. Et afsimilauit, scilicet Philosophus istud sphæræ expulsæ, quoniam quando sphæra expellitur contingit in ea motus similis primo motui, & echo auditur post primum sonum quasi respondens, quia declaratti est quòd inter omnes duos motus est quies. Hæc Comment. Ex quibus habetur quod echo se habet ad præcedentem sonum, sicut secundus ad primum, ergo sunt distincti realiter. Ratione autem sic probatur, secundùm Philosophum in litera, Ideo causatur echo, quia iterum aër repellitur ad priorem locum, sicut pila repercussa à pariete: ergo echo consequitur motum reflexum aëris, sed ex 8. Physic. tex. 62. motus reflexus non est idem cum priori motu, quia in puncto reflexionis cadit quies, vt sustinebimus in 8. Physic. ergo nec echo est idem motus cum priori. Et hoc est communiter concessum.

Quantùm ad tertium est difficultas: nam aliqui volunt q; sint eiusdem speciei & differant solùm numero, & rationem huius afsignant maximam similitudinem & figuram syllabarum: & quoniam in eodem aëre generantur.

Aliqui autem volunt quòd differant specie & numero, eò quòd primus sonus est vox, echo autem nõ videtur vox cùm non fiat ab ore animalis, sed à loco concauo repercutiente aërem ad locum primum. Sed sonus vox & sonus non vox differunt specie, cùm diuidant sonum formaliter.

Mihi autem videtur dicendum quòd differant solùm numero, & tenendum quòd quando fit echo ex voce animalis, sit vox licet secundaria & reiterata, & dico quòd tunc echo fit ab ore animalis, non quidem formaliter, vt vox præcedens, sed virtute, eò quòd in aëre repulso à corpore concauo seruatur virtus impressa ab ore animalis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST. XXXV.

Num sonatiuum rectè diffiniatur à Philosopho.

Sonatiuum quidem igitur quòd motiuum vnius aëris continuitate vsque ad auditum. tex. 82.

Sonatiũ est quod est motiuũ vnius aëris vsque ad auditũ continuitate.

IN hac quæstione aduerte difficultatem eius in hoc consistere, quòd singulæ diffinitionis particulæ videntur falsæ.

Primò contra ly Motiuum. Nam contingit vt audiamus sonum in parte aëris multum remota à sonante, ad quam non peruenit motio realis aëris facta à sonante. Ad sensum enim patet quòd machinam belli sentimus per 30. miliaria in circuitu, irrationabile autem videtur dicere machinam illam facere commotionem in aëre realem per tantum spatium. Non igitur est verum quòd sonatiuum sit motiuum aëris vsque ad auditum.

Secundò contra ly Aëris. Nam contingit quòd sonus auditur in aqua. Dixit enim Philosophus in text. 79. Auditur sonus in aëre & in aqua, ergo ly Aëris non sufficienter explicat medium in auditu.

Tertiò contra ly Vnius continuitate, id est, vnius aëris existentis continui & non interrupti. Nam experimur ad sensum quòd audimus sonum factum in loco vndique clauso vt in cauernis terræ, & in camera clausa, & in vasculo obturato. Nam si claudatur lapillus in tympano obturato & circunuoluatur tympanum, audimus strepitum causatum ex motione lapidis. Constat autem quòd aër clausus in tympano non continuatur aëri ad extrà, propter interpositionem corporis continentis aërem conclusum, ergo, &c.

Quartò contra ly Auditum. Nam remoto quocunque auditu adhuc datur sonatiuum, putà æs & argentum. Sicut remoto quocunq; visu adhuc potest dari coloratum, non enim color secundùm esse pendet à visu, ergo nec sonus, nec sonatiuum pendet ab auditu.

Tu igitur vt scias defendere diffinitionem Philosophi de sonatiuo prænotabis duo. Primò quòd sensibile vt sensibile non est necesse vt sit motiuum medij, nec organi, nisi intentionaliter. Et ideo sensibili, vt respicit sensum, conuenit esse motiuum intentionaliter. Si autem contingat quòd moueat medium realiter hoc non competit ei vt respicit sensum, quoniam cùm medium sentiendi deferuiat sensui, non est necesse quòd aliter immutetur à sensibili quàm immutatur sensus. Sensus autem cùm sit receptiuus speciei sine materia non immutatur nisi intentionaliter. Omnis ergo immutatio realis facta in medio ab obiecto sensibili est per accidens in actu sentiendi. Et id magis manifestabimus cùm loquemur de tactu.

Secundò notabis quòd in lib. de Anima non consideratur de sensibilibus propriis nisi vt respiciunt sensum, putà color vt visibilis, sapor vt gustabilis. De eis autem secundùm se & quò ad naturam suam, vt diximus suprà, agentes de colore vt cõsideratur in lib. de Sensu & Sensato, & de tangibilibus qualitatibus primis agitur in li. de Generatione & Corrup. & de qualitatibus secundis in 4. Meteo. Per accidens autem fuit quòd hic tractaretur de generatione soni, quoniam non habet esse permanens, cùm fiat ex motu, & non auditur nisi dum fit. His prænotatis soluenda sunt argumenta formata contra particulas diffinitionis.

Ad primum dicitur, quòd ly Motiuum proue sonatiuum respicit sensum auditus, dicit motionem intentionalem, quam est necesse diffundi quasi sphæricè per medium totum vsque ad auditum. Argumentum verò procedit de motione reali, quam concedimus esse in parte propinqua percutienti. In parte autem valdè remota medij sufficit quod sonus causet suam speciem intentionalem, quæ defertur vsque ad auditum, sicut species coloris ad pupillam. Aduerte tamen, quòd non reputamus inconueniens sonum in illa parte medij, in qua habet esse reale habere etiam esse intentionale, præcipuè quando sonatiuum est propinquum audienti, ita quòd aer sphæricè commouetur vsq; ad auditum. Diximus enim suprà, in q. 31. quòd necesse est obiectum sensibile incipere habere esse spirituale in medio, vt transeat ad esse magis spirituale in organo sensus.

Ad secundum dico, quòd Philosophus de medio in auditu visus est variè loqui. Nam loquens de visu in text. 76. dicit quòd medium in sono est aer, & in tex. 79. dicit quòd auditus fit in aëre & in aqua. Et in tex. 81. videtur approbare Antiquos dicentes vacuum esse proprium medium audiendi. Videtur enim esse vacuum aër. hoc autem est faciens audire. Cùm igitur Philosophus dicat modò aërem, modò aërem & aquam esse medium in auditu, tenendum est vtrunque esse verum, sed diuersimodè. Nam aër & aqua sunt medium adæquatum respectu auditus vniuersaliter sumpti, tam in terrestribus quàm in aquatilibus. Nam pisces per aquam audiunt. Aër autem solus est medium respectu terrestrium. Et quoniam Philosophus ex experientia tractat de sensibilibus sufficit sibi afsignare illud medium, quod nos experimur in nobis & in aliis terrestribus & volatilibus. Concedimus igitur quòd ly Aër non sufficienter explicat medium vniuersaliter in auditu, sed sufficit quòd explicet medium notius nobis & expertum. Nam per hoc ex consequenti cognoscere possumus aquam esse medium.

Ad tertium dicendum quòd si debet sonus audiri quantuncunque videatur fieri in loco vndique clauso necesse est esse aliquas rimulas, aut parua foramina, aut poros, vt per huiusmodi continuetur aliqualiter aër interior aëri exteriori. Sed quoniam multoties hæc latent visum propter suam paruitatem, ideo iudicat vulgus aërem discontinuari. Exemplum habemus si ponatur musca in tympano vndique clauso adhuc sentitur eius strepitus, eò quòd aër exterior & interior continuantur per poros pellis circundantis tympanum.

Ad quartum dicendum quòd licet remoto auditu detur sonatiuum secundùm se, non tamen vt audibile. Nam vt sic respicit auditum. Sicut etiam dicendum esset de colore, qui licet daretur secundùm se, non tamen vt visibilis nisi detur visus. Est enim visibile visu visibile. Et quoniam vt diximus in secundo notando, agitur hic de sensibilibus, vt sensibilia sunt. Sunt autem sensibilia vt immutatiua sensuum, ideo Philosophus conuenienter diffinit sonatiuum ex hoc quòd est immutatiuum medij & auditus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXVI.

Num aër ex natura sua sit insonabilis, & si sonus est idem quod motus aëris.

Per se quidem igitur insonabilis est aër, propter id quod cessibilis est facile. Cùm verò prohibetur diffluere, huiusmodi motus sonus est. tex. 83.

IN hac quæstione aduerte, quòd difficultas consistit in scire saluare vtranque partem textus præpositi. Nam quòd aër sit per se sonabilis, sic arguitur, Videmus in aëre alto dum spirat ventus generari sonũ, & tamen ibi solus aër existit, nec ad aliquod durum percutitur. Supponitur enim quòd ventus sit altior quocunque ædificio, aut monte, aut spirec in medio mari. Præterea, ad motum virgæ, aut corrigiæ causatur sonus in aëre, & tamen non videtur aliquod prohibens aerem fluere, ergo aer est per se insonabilis.

Quòd autem sonus non sit motus aeris sic arguitur, Docuit Philosophus in tex. 78. quòd percussio fortis duorum solidorum adinuicem est faciens sonum, percussio autem est motus: est igitur motus causa soni. Sed causa non est effectus, vt patet: ergo sonus non est motus aëris, sed effectus eius. Præterea differentiæ soni sunt graue & acutum, differentiæ autem motus sunt tardum & velox. Sed istæ distinguuntur ab illis, quoniam differentiæ soni causantur ex differentiis motus, sonus enim acutus causatur ex motu veloci, & sonus grauis ex motu tardo, quorum autem sunt distinctę differentiæ & illa sunt distincta, ergo sonus non est motus.

Pro solutione primi dubij, aduerte quòd Philosophus intendit aërem per se, id est, secundùm naturam suam præcisè consideratum, scilicet inquãtum mollis & fluxibilis est, esse insonabilem, si autem aëri inferatur ab extrinseco aliqua violentia, tunc non per seipsum, sed ratione alterius causabit motum. Quod contingit in duobus casibus adductis in argumento. Nam dum spirat ventus, vapor sic eleuatus, qui est materia ventorum, vt diximus in Meteoris, impetuosè percutit proximam partem aëris, & illa secundam, & secundam tertiam. Ex tali autem impetuoso motu partes aëris sunt quasi sibi mutuò obsistentes, ac si adinuicem collderentur sicut accidit in vndis marinis tempore tempestatis. Et sic patet quòd aer non per se, sed vt agitatus est sonabilis. Similiter in motu virgæ ne detur vacuum partes aeris velociter recurrunt ad locum, vbi virga diuidit partes aeris. Et quoniã ille recursus cum tanta velocitate non competit aeri dimisso in sua naturali dispositione, ideo non per se, sed quasi extraneatus & fungens vice corporis solidi causat sonum resistens virgæ cedenti. Et sic patet solutio primi dubij.

Pro solutione secundi dubij aduerte quòd in doctrina Philosophi inuenimus huiusmodi prædicationes aliquando esse causales, aliquando formales. Causales quidem, sicut diffinuit phantasiam in tex. 161. cùm dicit, Phantasia est motus factus à sensu secundùm actum, quod quomodo debeat intelligi declarabimus cùm disputabimus de sensibus interioribus. Et in libro de Sensu & Sensato diffiniens odorem dixit in tex. 26. quòd odor est fumalis euaporatio, id est, est qualitas causata ex fumali euaporatione, vel fundata in tali euaporatione, vt aliàs declarabimus. Formales quidem sicut diffiniuit echo quod est sonus reiteratus, &c. In proposito igitur dico quòd cùm dicit Philosophus sonum esse motum aeris, est intelligendum causaliter & non formaliter. Quod confirmatur per Com. in com. 83. qui exponens textum Philosophi dicentis, Cùm igitur prohibetur à diuisione, tunc motus eius erit sonus, sic inquit, Et cùm contingit in eo motus per aliud qui prohiberet eum à diuisione, & est motus qui fità percutiente in percussum, tunc iste motus faciet in eo sonum. Hæc ille. Ecce quòd non dicit, Motus erit sonus, sed motus faciet sonum. Patet igitur quid dicendum ad secundum dubium. Et aduerte quòd eodem modo exponẽdus est text. 85. in quo dicit Philosophus, Sonus est motus illius quod potest moueri, id est, aeris, id est, sonus causatur à motu illius, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXVII.

Num aër existens in aure sit immobilis.

Hic autem est in aure complantatus immobilis. tex. 83.

Aer cõplantatus in aure bene dispositus est omninò immobilis vt omnes percipiat motus, indispositus autem mobilis est.

IN hac quæstione stat difficultas propter apparentem repugnantiam, quæ videtur esse in textu Philosophi. Nam dicit in text. 83. quòd aer complantatus in aure est immobilis, & in text. 84. dicit quòd semper quodam proprio motu aer mouetur in auribus, Hæc autem vt patet repugnant, s. esse immobile, & semper moueri quodam proprio motu.

Pro concordantia huius apparentis repugnantiæ inuenio duas sententias, Prima est Comment. & sequentisi eum. Secunda est B. Tho. iuxta quam intendo determinare præsens quæsitum.

Quantùm ad Commentatorem aduerte, quòd ipse in cõmento 84. dicit quòd aer in aure semper mouetur quodam motu proprio causans tinnitum in aure, vt accidit homini quando posuerit in aures cornu, & afscultauerit sonum in eo propter aerem inclusum in cornu & propter duritiem cornu. Et dicit quòd signum verificationis, id est veri & boni auditus in homine est, vt dicunt medici quòd semper audiat tinnitum in auribus. Et hunc sensum Commentatoris sequitur Egidius & Caietanus Vincentinus. Verùm quia Commentator exponens text. 83. dixerat cum Philosopho, quòd natura posuerat in aure aerem valde quiescentem, & quòd non est motus, vt sentiat perfectè omnes modos motus factos in aere extrinseco, ideo nisi aliud dicatur, videtur stare repugnantia in dictis Philosophi & Commentatoris. Vt igitur sequentes Cõmentatorem remouerent talem repugnantiam inuenerunt hanc distinctionem, Aer potest moueri dupliciter. Primò per fluxum & refluxum, siue per ingressum & regressum, vt quando egreditur ex camera, & reuertitur siue alius subintrat. Et iste motus competit aeri extrinseco ab aure & deferenti sonum ad auditum. Non autem competit aeri existenti in aure. Nam si ille egrederetur corrumpereturauditus, sicut si egrederetur humidum aqueum inclusum in pupilla corrumperetur visus, & tali motu intendit Philosophus & Commentator aerem in aure esse immobilem. Secundò potest moueri in seipso quasi circulariter, sicut aqua in vase quando agitatur, ita tamen quòd nunquã exeat, & sicut mouetur aer in tympano inclusus quando percutitur tympanum. Et hoc motu intendit Philosophus & Commentator in commento 84. aerem in aure semper moueri. Et signum adducitur quòd si manum superponimus auri sentimus sonum obscurum profundũ, sicut sonum tympani leuitè percussi. Dicunt autem illum aerem sic moueri propter calorem capitis, vel secundùm Albertum, vt conseruetur in aure, & quantùm ad hunc motum intendit Philosophus & Commentator aerem in aure moueri, & sic conantur euadere repugnantiã quæ insurgit in Philosopho & Commentatore. Nam hæc duo non repugnant, Aer in aure complantatus est immobilis quò ad fluxum & refluxum, & est mobilis circulariter semper existens in aure.

Quantùm ad mentem beati Thomæ aduerte quòd omninò dissentit à Commentatore & sequentibus eum. Arbitratur enim vt patet in Expositione text. 83. quòd sicut pupilla debet carere omni colore vt percipiat omnes differentias colorum, ita aer existens in aure, vt est organum auditus, debet carere omni motu locali tam proprio quàm communi, vt auditus percipiat omnes differentias motuum localium & sonorum. Et hanc causam adduxit Philosophus in text. 83. cùm dixit, Hic autem est in auribus ædificatus, vt immobilis sit, quatenùs certè sentiat omnes differentias motus, ex quibus sequitur quòd bonitas auditus consistit in omnimoda quiete aeris complantati in auribus ita quòd neque motus neque tinnitus sit in aure. Quod autem dicit Philosophus in textu 84. Semper enim quodam proprio motu mouetur aer in auribus, beatus Thomas non vult id debere intelligi de aere in aure existente in sua bona dispositione, quoniam vt sic est quietus & immobilis ex textu 83. sed de aere in aure existente in mala dispositione. Vnde ad mentem B. Thomæ Philosophus, in tex. 84. intendit declarare aerem in aure debere esse omninò immobilẽ hoc modo, Si aer ille habet tinnitũ in aure, sicut est in cornu, quando apponi-

mus auri, est signum mali auditus, ergo vt bonus sit auditus debet esse immobilis & sine tinnitu. Et sic exponendo patet quòd nulla est repugnantia in dictis Philosophi. Nam hæc duo non repugnant, Aër in aure existens benè dispositus est immobilis vt omnes differentias motuum & sonorum percipiat. Et idem existens malè dispositus semper mouetur & causat tinnitum, ideo vt sic malè percipit differentias motuum & sonorum. Et hæc expositio est magis continuatiua textus, & videtur euidentior ad sensum. Quilibet enim experitur quòd quandiu sentit strepitum aut tinnitum in aure malè audit, & quantò magis sentit quietē in aure tantò melius audit. Nec valet signum quod à multis allegatur. Dicūt enim quòd signum continui motus in aëre complantato sumitur ex hoc, Si opponatur manus ad aurem semper sentimus tinnitum in aure & strepitum profundum quasi aquarum decurrentium. Et hoc nunquam fallit. Hic autem tinnitus siue strepitus non esset nisi aër in aure moueretur per tortuositates auris: ergo non solùm quando organum auditus est malè dispositum, sed semper aër in aure mouetur.

Hoc, inquam, signum non valet, quoniam strepitus ille nō solùm potest procedere à motu aëris in aure circungirātis, sed à calore à corde ad caput ascendentis, & spirante per aures, vel ab ascensu vaporum, vel à venis pulsatilibus locatis iuxta aurem. Hæc mihi videntur dicenda pro defensione B. Tho. Qui autē meliùs inuenerit, benedicatur à Deo glorioso. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXVIII.

Num diffinitio vocis sit benè assignata ab Aristotele.

Quare percussio respirati aëris ab anima quæ est in his partibus ad vocalem arteriam, vox est cum imaginatione aliqua. Significatiuus enim quidam sonus vox est. tex. 90.

Vox est percussio respirati aëris ab anima in his partibus existēte ad vocalē arteriam cum imaginatione aliqua.

IN hac quæstione insurgit difficultas contra singulas particulas præpositæ diffinitionis, ideo formandæ sunt obiectiones contra singulas. Deinde per solutiones ad mentem viæ Thomisticæ terminabimus quæsitum.

Contra ly Percussio sic arguitur, Vox est sonus, sonus autem non est percussio, quia percussio est motus localis. Sed sonus non est motus localis, vt determinauimus suprà, ergo vox non est percussio.

Contra ly Respirati aëris sic arguitur, Nam aër est id in quo fit vox, quia omnis sonus fit in aëre, vt determinauimus suprà, ergo aër est subiectum in quo recipitur vox. Si est subiectum, ergo non habet rationem percussi. Sed in hoc quod dicit Respirati aëris ad arteriam vocalem, insinuat Philosophus quòd aër respiratus percutitur ad arteriam, sicut pila ad parietem, ergo, &c.

Contra ly Ab anima sic arguitur, Aër respiratus attrahitur formaliter & realiter à pulmone, vt patet in lib. de Inspiratione & Expiratione, ergo non ab anima existente in his partibus, s. in corde & in pulmone.

Contra ly Ad arteriam vocalem sic arguitur, Nam grilli secundùm Albertum cantant sine arteria vocali, in cuius signum dicit ipse quòd expertus est grillum cantare etiam amputato capite.

Contra ly Significatiuus sic arguitur, Nam apud omnes Logicos vox diuiditur per significatiuam & non significatiuam, & acceptatur hæc diuisio etiam à Boētio, ergo non est necesse vocem vt vox est esse sonum significatiuum, sed abstrahit à significatiuo & non significatiuo.

His non obstantibus tenendum est diffinitionem præpositam esse bene assignatam, & sufficienter distinguentem naturam vocis à quocunque, quod non est vox. Pro cuius intelligentia aduerte quòd in animalibus habentibus sanguinē, vt declarauimus in lib. de Inspiratione & Respiratione, necesse est fieri attractionem aëris per pulmonem ad cor, quæ quidem attractio ad duo ordinatur. Primò ad refrigerandū cor, cùm enim in his animalibus cor sit valdè calidum, nisi per aërem attractum & emissum reciperet refrigerium suffocaretur animal, vt videre poteris in Epitome nostra, super librum de Inspiratione & Respiratione. Secundò ordinatur ad formandam vocem. Nam quando aër trahitur per os & cannam pulmonis ad pulmonem & cor, deinde eadem via remittitur, ad os remissus percutitur ad arteriam vocalem, & vt sic percutitur in eo causatur vox. Et per hoc quod dicitur, Vox est percussio respirati aëris, differt vox à sono facto in animali, sed non per respiratum aërem, vt quando homo manu percutit pectus & per ly Ab anima, distinguitur à sono facto in re inanimata, & per ly In his partibus, denotatur membrum percutiens siue emittens aërem inspiratū, & per ly Ad arteriam vocalem, denotatur membrum percussum. Ex his patet quid respondendum sit obiectionibus factis.

Ad primam dicitur, vt dictum est suprà de sono, Sicut ista diffinitio, Sonus est motus, intelligēda est causaliter, ita ista, Vox est percussio, id est, ex percussione causata.

Ad secundam dico, quòd non est inconueniens, in formatione vocis aërem fungi vice duorum, s. percussi & subiecti, aut medij in quo recipitur: vox percussi quidem, vt expellitur à pulmone & repercutitur ad arteriam vocalem. Subiecti autem aut medij, vt in quo ex tali percussione causatur vox. Nec id contingit solùm in voce, sed etiam in motu baculi per aërem. Nam quando baculus ducitur velociter per aërem, aër resistit baculo, & se habet vt corpus percussum à baculo, & tamen in eodē aëre recipitur sonus factus ex motu forti ipsius baculi. Dico ergo ad obiectionem quòd non inconuenit aërem habere rationem percussi & rationē subiecti aut medij.

Ad tertiam dico quòd vtrunque est verum, scilicet quòd attrahitur ab anima & pulmone, sed ab anima, vt à primo mouente, & à pulmone, vt ab instrumento immediato. Et ideo Philosophus quasi complectens primum mouēs & instrumentum dicit ab anima, quæ est in his partibus. Quod intelligas non præcisè, quoniam in omni parte animati est anima. Verùm quantùm ad virtutem motiuam viget præcipuè in corde & pulmone.

Ad quartam dicitur præcipuè secūdùm Alber. quòd cum grilli & cicadæ careant sanguine, non faciunt vocem, nec suum sonum formant ore per aërem respiratū, sed frequentatis ictibus percutiēdo aërem exteriorem cum diafragmate seu parte pectorali. vnde ad obiectionem nego quòd habeant sonum qui sit vox, nec habent arteriam vocalem.

Ad quintam dico quòd omnis vox est significatiua, quia aut significat seipsam ex imaginatione & appetitu formatam ab anima. Nisi enim homo aut brutū imaginaretur aliquid, non formaret vocem vt placet Com. in com. 90. vbi inquit, Non omnis sonus factus ab animali est vox, vt sonus qui fit sine voluntate apud tussim & apud motum linguæ, sed vox est sonus qui fit cum imaginatione & cum voluntate. Et innuit Aristoteles quòd ista actio completur duabus virtutibus animæ, quarum vna est concupiscibilis, altera imaginatiua. Hæc Comment. Ex quibus constat quòd si animal non imaginatur non profert vocem, licet possit ore facere aliquem sonum ex motu linguæ. Ex hoc autem quòd imaginatur profert vocem repræsentatiuam rei imaginatæ, quam non est necesse distingui ab ipsa voce. Nam quia imaginor hanc vocem bus, ideo illam profero, & sic est significatiuus suiipsius. Aut significat aliquid extra se vel præter ipsam, & hoc dupliciter, quia vel naturaliter vt interiectiones & voces brutorum quibus indicant suos affectus, vel ad placitum vt termini diuersorum idiomatum. Dico igitur quòd mens Philosophi fuit omnem vocem esse significatiuam sub hoc disiuncto, quia vel significat seipsam tantùm imaginatam priùs, vel aliquid præter seipsam naturaliter, vel ad placitum. Ad obiectionem dico quòd Logici non curant de significato vocis quo significat seipsam, sed quo significat aliquid præter seipsam, eò quòd assumit vocem vt signum conceptus, & propterea vocem quæ solùm seipsam significat reputat non significatiuam, non quidem absolutè, sed quoniā nihil sibi deseruit. Hæc tibi sufficiāt pro diffinitione vocis. De qua tamen aduerte quòd Philosophus non addunit nisi tria instrumenta causantia vocem, scilicet pulmonem vel animam existentem in pulmone, & aërem respiratum, & arteriam vocalem, quoniam non considerat de formatione vocis nisi absolutè, & illa tria sufficiunt. In consideratione autem vocis in particulari, putà dearticulatè vt deseruit sermoni additur palatum & lingua & dens & labia, quia sine his non diuiditur per literas & syllabas. Sed de his aliàs tractabitur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXXIX.

Num homo habeat peiorem odoratum cæteris animalibus.

Sensum hunc non habemus certum, sed peiorem quàm in multis animalibus. tex. 92.

IN hac quæst. aduerte quòd difficultas eius consurgit ex eo quòd Commenta. videtur contradicere Philosopho. Nam in libro suo de Sensu & Sensato dicit quòd homo meliùs distinguit differentias sensibilium olfactus quàm cæteræ animalia, impossibile est aut quòd melius distinguat nisi meliorē habeat odoratū. Hoc autem cōtradicit Philosopho, qui

qui nō solùm in 2. de Anima, in tex. 92. dicit nos habere hunc sensum peiorem quàm sit in multis animalibus, sed etiam in libro de Sensu & Sensato in tex. 44. dicit naturā saporis esse nobis manifestiorem quàm sit natura odoris, eò quòd peiorem habemus odoratum, & hac de causa species odoris non esse nobis multùm manifestas.

Pro resolutione huius quæsiti præpono duas distinctiones, ex quibus manifestabitur nullam esse repugnantiam inter Philosophum & Comment.

Prima distinctio de odore sit hæc, Odor dupliciter sumitur. Primò est odor qui secundùm se est delectans vel contristans odoratum, dato quòd non ordinetur ad cibum quærendum vel fugiendum, sicut odor rosarum & lilij & aromatum. Secundò est odor qui ordinatur ad cibum, & correspondet sapori, & per huiusmodi odorem excitantur animalia & homines ad quærendum cibum. Inde videmus animalia viuentia ex venatione & rapacitate venari cibum ex odore, vt canis leporem, catus murem, lupus ouem.

Secunda distinctio est de meliori aut peiori odoratu. Aduerte igitur quòd tribus modis potest dici odoratus melior vel peior. Primò quia vnus fluit à nobiliori anima sensitiua, alter autem à viliori, vt si dicatur odoratus leonis melior odoratu canis, quia anima leonis nobilior est quàm anima canis. Secundò quia vnus percipit plures species contentas sub suo obiecto, alter autem pauciores, sicut diceretur intellectus Philosophi nobilior intellectu rustici, quia plures entium species cognoscit. Tertiò quia vnus licet tot species sui obiecti apprehendat quot alter, tamen perfectiùs & sub remissiori gradu vel à maiori distantia percipit quàm alius. Sicut dicitur visus in iuuene perfectior quàm in sene, non quia videat aliquam speciem coloris aut lucidi, quam non videre potest senex, sed quia à maiori distantia videt, & quia sub minori gradu, & sub minori quantitate.

Ex his dico ad quæsitum, quòd homo non habet peiorem odoratum cæteris animalibus primo modo, imò habet nobiliorem: quoniam fluit ab anima sensitiua humana, quæ non realiter distinguitur ab intellectiua, vt determinauimus in libr. 7. Metaphysicæ, in Quæstionibus nostris. Vnde in hoc sensu non solùm odoratum, sed omnes potentias habet homo nobiliores aliis animalibus. Sed aduerte quòd hæc consideratio non facit potentiam vt potentiam nobiliorem aut viliorem, sed potentiam vt res est. Nam potentia vt potentia respicit obiectum & non subiectum in quo est, & nobilitas potentiæ debet trahi ab obiecto, aliter non possemus suluare maiorem perfectionem in visu aquilæ quàm in visu hominis. Dico etiam quòd non habet peiorem odoratum secundo modo, imò habet vt sic perfectiorem, quia potest percipere species odoris 2. modo sumpti, aliter nō allicerētur ad cibum ex odore, sicut alliciuntur bruta modo sibi conuenienti, percipit etiam species odoris primo modo sumpti, quas non odorat brutum. Non enim curat brutum de odore rosarum aut aromatum quia non deseruiunt suo nutrimento. Patet ergo quòd homo in hoc sensu habet meliorem odoratum, quia non solùm tot, sed & plures species odoris percipit. Dico tertiò, quòd sumendo odoratum in tertio modo, & respectu odoris considerati secundo modo, homo habet peiorem odoratum multis animalibus, quia non percipit odorem in tali gradu remisso, nec in tanta distantia vt multa animalia, sicut patet de animalibus venatitiis quæ subtilissimè odorant & de vulturibus qui per multa stadia trahuntur ad odorem cadauerum. Causa autem huius in homine communiter assignatur indispositio organi odoratus. Nam cùm odor fundetur in calido & sicco, vt dicemus infrà, necesse est vt organum odoratus non sit intensè frigidum humidum, vt sit bene perceptiuum odoris. Inde videmus quòd multùm reumatizantes quasi nullum sentiunt odorem. Cùm autem homo habeat cerebrum valde magnum quod est ex sua complexione frigidum humidum & habeat organum odoratus propinquum cerebro quæ sunt caruncula mamilares, quæ à cerebro recipiunt multas humiditates frigidas, sequitur quòd homo habeat naturaliter indispositum organum odoratus, ex consequenti non percipit odores nisi in gradu intenso & à debita distantia, hac igitur de causa homo non bene odorat.

Ex his declaratur quòd nulla est repugnantia inter Philosophum & Cōmentatorem. Nam quando Commentator dicit quòd homo meliùs distinguit differentias odoris, ex consequenti vt sic habet meliorem odoratum intendit de odoratu in secundo sensu, & quò ad differentias odoris primo modo sumpti. Quando autē dicit Philosophus quod homo habet peiorem odoratum, intendit de odoratu in tertio sensu & quò ad differentias odoris sumpti secundo modo. Cui concordat Commentator in libro de Sensu & Sensato. Nam postquàm dixerat quòd homo meliùs distinguit differentias sensibilium olfactus quàm cætera animalia, statim subiungit, Tamen multa animalia sentiunt odorem magis à remotis & sensibilius. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XL.

Num homo sit melioris tactus quàm cætera animalia, & vtrum ex hoc possit argui bonitas mentis, non autem ex alio sensu.

Secundùm autem tactum differenter certificat, vnde & prudentissimum est animalium. Signum autem in genere hominum secundùm sensum hunc ingeniosos esse & non ingeniosos, secundùm alium autem nullum. textu 94.

Melioris est tactus homo cæteris animalibus, ex quo tantùm sensu bonitas mentis indicatur.

IN hac quæstione tria consideranda sunt. Primò si homo est perfectioris tactus inter cætera animalia. Secundò si ex hoc potest argui homo ingeniosus. Tertiò si potest argui idem ex alio sensu.

Quantùm ad primum aduerte, quòd organum tactus differt ab organis aliorum sensuum in hoc, quod illa debent esse denudata à qualitatibus sensibilibus, quarum sunt receptiua, vt pupilla debet esse sine colore, miringa sine sono, carunculæ in naribus sine odore, lingua sine sapore. Organum autem tactus & gustus non vt gustus, sed vt quidam tactus, non potest esse denudatū à qualitatibus tangibilibus sed sufficit quòd sit denudatum ab excellentiis earum. Consurgit enim ex qualitatibus tangibilibus redactis ad medium, siue ad quoddam temperamentum. Vnde quantò magis in animali huiusmodi qualitates sunt contemperatæ tantò magis in eo est perfectus tactus. In illo verò animali tales qualitates sunt perfectius temperatæ cuius compositio & mixtio magis reducta est ad medium. Hic autem est homo, quoniam cùm materia fit propter formam, qualis est forma hominis talis debet esse materia in qua recipitur. Constat autem animam humanam esse nobiliorem formam in his inferioribus, ergo mixtum & complexionatum in quo recipitur debet esse non nobilissimum inter mixta, aliter anima humana non posset exercere nobilissimas operationes, quas videmus in corpore humano. In illo ergo animali tactus est perfectior, cuius corpus est magis temperatum, hic autem est homo propter nobilitatem formæ, ergo in homine est nobilior & certior tactus. Tu tamen aduerte quòd licet homo vt homo respectu aliorum animalium habeat nobiliorem tactum, ita quòd imperfectissimus homo habet nobiliorem tactum quocunque bruto quantuncunque perfecto in genere suo, tamen in hominibus dantur gradus huiusmodi perfectionis, quoniam cōplexio humana magnam habet latitudinem in nobilitate, vnde qui habēt complexionem nobiliorem in qua perfectius qualitates primæ contemperatæ sunt, habent nobiliorem tactum, & qui habent minus nobiliorem, sic habent & tactum.

Quantùm ad secundum aduerte quòd non iudicatur homo ingeniosus vel non ingeniosus nisi ex faciliori & certiori & subtiliori actione intellectuali tam in practicis quàm in speculatiuis. Vnde Architectos dicimus ingeniosos, & Metaphysicos ingeniosos. Huiusmodi autem actio non exercetur ab anima nisi in corpore pro hoc statu. Cuius igitur corpus liberiùs & expediriùs deseruit animæ in tali actione illud nobilius erit. Tale autem est quod est nobiliùs complexionatum, & hoc est quod nobiliorem habet tactū, eò quòd in eo qualitates primæ reductæ sunt magis ad medium. Rationabiliter igitur ex bonitate tactus arguitur homo ingeniosus. Vnde dicit Comment. in com. 94. Complexio conueniens bonitati istius sensus, conuenit discretioni intellectus.

Quantùm ad tertiū aduerte quòd aliud est sensum deseruire intellectui, & sensum ostendere bonitatem intellectus. Nam primū est cōmune omni sensui, quoniā cùm nihil sit in intellectu quin prius fuerit in sensu & si defecerit nobis aliquis sensus, necesse est vt deficiat nobis scientia illius sensus, omnis sensus subministrat nobis phantasma sui proprij obiecti, à quo virtute intellectus agētis potest abstrahi species intelligibilis, qua actuatus intellectus fertur in cognitionem obiecti cuiuslibet sensus. Et inter omnes sensus nobiliùs deseruiunt visus & auditus. Visus quidē in scientia quæ habetur per inuentionē, & auditus in ea quæ habetur per doctrinam, vt pertractauimus in Procemio Meta. in Quæst. nostris.

Secun

Secundum autem conuenit soli tactui. Nam non declaratur aliquis quòd sit boni intellectus, quia offeruntur ei per sensum multa intelligibilia, sed quia circa illa ordinatè & subtiliter negotiatur & veraciter ea intelligit, & de intellectis vera enunciat. Id autem declaratur sola bonitate tactus, quoniam per ipsum manifestatur corpus mixtum nobilissima mixtione, qua redditur aptum animæ ad exercendũ opera intellectualia, vt suprà diximus. Et propterea rarò fallit, quòd qui sunt boni tactus non sint ingeniosi, quod non contingit ex bonitate aliorum sensuum. Vnde inquit Com. in com. 94. Bonitas discretionis non videtur consequi bonitatem aliorum sensuum. Boni enim visus homo potest esse indiscretus & similiter boni auditus, sed boni tactus semper videtur esse discretus. Bonitas autem tactus declaratur ex molli carne, & quoniã homo est mollioris carnis quàm cætera animalia, ideo solus homo est ingeniosus, & inter homines qui sunt duræ carnis respectiuè non sunt ita ingeniosi sicut illi qui sunt molles carne. Quod tu intelliges quando talis mollities prouenit ex bona contemperãtia miscibiliũ, & non ex superabundanti humido, vt prouenit in mulierе, quæ potius dicenda est laxæ cutis, quam mollis carnis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XLI.

Num conuenienter nominentur species odoris nominibus specierum saporis.

Est autem quemadmodum humor hic quidem dulcis, ille verò amarus, sic & odores sunt. tex. 95.

Nominantur odoris species nominibus saporum, quibus aliquo modo correspondent ac proportionales sunt.

IN hac quæstione aduerte quòd nõ potest resolui, nisi sciamus quæ sint principia odoris, & quomodo generatur & quid sit. Vt igitur resoluamus quæsitũ, sic procedemus. Primò declarabuntur principia concurrentia ad generationem odoris. Secundò declarabitur modus generationis suæ. Tertiò assignabitur diffinitio odoris. Quartò declarabit quomodo species odoris correspõdent speciebus saporis. Quintò soluetur dubium.

Quantùm ad primum aduerte, vt ponit Albertus in libro de Sensu & Sensato, Tract. 2. cap. 9. ea quæ sunt principia saporis sunt etiam principia odoris, quoniam odor supponit saporem in odorabili. Vnde Commentator, in libro de Sensu & Sensato, dicit quòd materia odoris est sapor, quoniam omne habens odorem habet saporem. Tu verò intelliges saporem esse materiam odoris, id est, humidum saporosum, de quo dicemus cùm loquemur de sapore, quòd est humidum aqueum admixtum ficco. Ad odorem igitur concurrunt humidum & siccum & calidum, sicut ad saporem. Sed in hoc est differentia, quod in sapore prædominatur humidum, in odore autẽ siccum. Vnde disponenda sunt hæc principia in generatione odoris opposito modo quàm in generatione saporis. Dicendum ergo secundùm B. Thom. & Albertum quòd in sapore humidum est principium passiuum, actiuum autem est siccum terrestre & calidum decoquens humidum ac permiscens sicco terrestri. In odore autem siccum est passiuum, actiuum autem est humidum enchimum, id est, incorporatum sicco, quod idem est quòd humidum saporosum, & calidum resoluens. Nam calor agens cum humido saporoso resoluit siccum calidum, quod non est aliud quàm quidam spiritus. Et hic spiritus qui est pars ignea sicca resoluta est primum subiectum odoris. Vnde Commentator dicit in libro de Sensu & Sensato quòd Philosophus attribuit odori siccitatem & calliditatem, quæ fit ex humiditate saporosa.

Quantùm ad secundum, scilicet quomodo generetur odor, dico quòd ordinenaturæ subsequitur saporẽ. Vnde imaginãdum est quod ex humido aqueo & aëreo quando admiscentur sicco terrestri, & quando humidum aqueum decoquitur à calore fit sapor. Cùm autem sapor productus est tunc calor agens in illud humidum saporosum, quod est idẽ cum enchimo resoluit ex eo siccum calidum, quod est idem cum odore, vel primum subiectum odoris.

Quantùm ad tertium, scilicet quid sit odor, aduerte quòd difficile est inuenire eius diffinitionẽ. Nec Philosophus nec Comment. nec Albertus nec B. Thom. formaliter ipsum diffiniunt. Stantibus tamen principiis prædictis potest de eo formari talis diffinitio, Odor est impressio, id est qualitas causata ex humido saporoso per calorem resoluentem, existens subiectiuè in sicco subtili calido euaporante à corpore odorabili. Sed aduerte quòd secundùm B. Tho. in secundo de Anima, in expositione tex. 95. existit subiectiuè in sicco aëreo contemperato, sicut sapor existit subiectiuè in humido aqueo aliqualiter digesto, secũdùm autem Albertum existit subiectiuè in spiritu, id est, in parte ignea tamen contemperata, quæ resoluitur ab humido saporoso. Clariorem non inuenio diffinitionẽ, nec potest à nobis inuestigari, eò quòd imperfectum habemus odoratum. Vnde dixit Philosophus in tex. 92. Et immanifestũ nobis est quale quid sit odor; causa autem est quia sensum hunc non habemus certum.

Quantùm ad quartum aduerte aliud mouisse Philosophũ in secundo de Anima, in tex. 95. & in libro de Sensu & Sensato, in tex. 63. ad assignandum species odoris proportionales speciebus saporis, & nominare nominibus eisdem, quibus nominantur species saporis, nisi quia vt dicit Philosophus in eodem textu, propter id quod non multùm sunt manifesti odores sicut sapores ab his acceperũt nomina. Et id quidem rationabiliter, quoniã nobis naturale est manifestare & nominare minus notũ per magis notum. Visum est igitur Philosopho facere satis si manifestaret species odoris proportionaliter per species saporis, præcipuè cùm causetur odor ex humiditate saporosa vt diximus suprà. Tu tamen aduerte quòd licet species odorum nominentur nominibus specierum saporum, non tamen est vniuersaliter verum quòd species odoris correspondeant in re speciebus saporis. Nam licet aliqua habeant suauem saporem & suauem odorem, tõ omnia sic se habẽt, imò vt dicit Philosophus in tex. 95. Quædam habent odorem contrarium sapori, putà sunt dulcia in sapore & acuta in odore. Et huius quidem causa est, quoniã sapor fundatur in humido aqueo grosso. Odor autẽ in subtili aëreo contemperato ipsi humido aqueo, & in sicco subtili debitè proportionato, quando ergo in corpore est bene digestum humidum aqueum grossum & bene temperatũ est illud subtile aëreũ, ibi erit dulcis sapor & dulcis odor. Sed si in eodem corpore vnum quidem sit malè digestum, alterum autem benè temperatum, odor non correspondebit sapori, quoniã habebit saporem acrem, odorem verò dulcem, aut ecõuersò. Et quod dicitur de saporibus & odoribus extremis intellige tu de mediis. Igitur de speciebus odoris quomodo correspondeant speciebus saporis sic pertransieo. Nam & Albert. in 2. de Anima, in Tract. 3. in cap. 24. incepit declarare superficialiter quomodo correspondeant & quomodo diuersificentur promittens se de his sufficienter determinaturum in lib. de Sensu & Sensato. sed nec illic compleuit. Et arbitror id euenisse, quoniã nec ipse potuit id sufficienter inuestigare.

Quantùm ad quintum aduerte quòd videtur esse repugnantia in dictis Philosophi. Nam in 2. de Anima in tex. 95. facit correspondere dulcem saporem dulci odori & amari amaro. In libro autem de Sensu & Sensato amaro saporinõ facit correspondere amarum odorem, sed putridum. Inquit enim, Et amaris scilicet saporibus proportionales dicaeuique quis putridos, scilicet odores. Putridos autem fœtores dicimus.

Ad hoc dicitur quòd Philosophus in lib. de Anima, assignat correspõdentiam inter sapores & odores ex parte rei, & ideo amaro sapori correspondet amarus odor. In libro autem de Sensu & Sensato assignat correspondentiam ex parte offensionis sensus præcipuè humani. Nam sapor amarus & odor putridus in hoc cõueniunt quod maximè offendunt nos: ille quidem gustũ, qui est sensus nutrimenti, quod quidem maximè saluatur in dulci, eò quòd benè nutrit, vt dicit Philosophus in libro de Sensu & Sensato. Odor autem putridus maximè offendit odoratum humanum, non autem aliorum animalium. Non enim fugiunt fœtores nisi sint corruptiui complexionis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XLII.

Num odor habeat esse reale in medio.

Est autem olfactus per medium aëram vt aquam. tex. 97.

IN hac quæstione aduerte, quòd omnes Expositores super textum præpositum quærunt, Cùm obiectum prùs recipiatur in medio quam in sensu quomodo suscipitur odor in medio, aut realiter, an intentionaliter? Et circa hoc inuenimus omnes Expositores Philosophi concordes, eò quòd omnes assentiunt Comment. in 2. de Anima, in commento 97. soles Auicen. in 6. Naturalium in Parte 2. in cap. de Odoratu, videtur aliter sentire, licet ex difficultate & obscuritate vix percipi possit sensus eius. Vt igitur resoluatur præsens quæsitum sic procedẽdum est. Primò recitabitur opin. Auicen. Secundò argumentabitur contra eum ex rationibus Comment. Tertiò declarabitur quid tenendum sit secundùm Philosophum. Quartò soluetur dubium.

Quantùm ad primum aduerte, quòd Auic. opinatur à corpore odorifero resolui vaporem subtilem & illum fieri odorem, odoremq; illum siue vaporẽ subtilem diffundi in aëre, & deportari ad organum odoratus. Et sic non concedit necessitatem medij propter receptionem intentionalẽ obiecti priùs quàm deferatur ad sensum, imò dicit ipse, Si sentatum posset occurrere sensui sentiretur sine medio. Quòd autem odor pertingens ad odoratum fit realiter diffusus in medio & non intentionaliter probat signo & ratione. Signo quidem, quoniam experimur quòd quando frequenter odoramus pomum paulatim extenuatur, & odor adhæret manibus, & remoto pomo adhuc remanet odor in medio, putà in aëre clauso in camera. Quomodo autem posit realiter diffundi in tanto spacio putà per miliare in circuitu, dicit ipse exemplificans de camphorã acutissima in odore, quòd si euaporaremus camphorà adeò quòd videretur tota eius substantia resoluta, partes illæ resolutæ diffunderẽtur vsque ad certum spacium, putà 10. cubitorum. Iterum autem illæ partes redderẽtur subtiliores actione caloris, qui est in medio, & ex eis aliquæ aliæ particulæ subtiliores præcedentibus euaporarent, quæ in vlteriori spacio diffunderentur, & sic spacium duplo maius odoriferum redderent. Et hoc modo non inconuenit odorem realiter diffundi per multum spacium. Ratione autem sic intendit probare intentum. Quando obiectum immutat mediũ intentionaliter, species intentionalis statim cessat remoto obiecto, vt patet de colore, quo sublato non remanet species eius in oculo, nec in speculo, nec in medio. Sed remoto odorabili adhuc remanet odor eius in medio, vt patet ad sensum, ergo non immutat mediũ intentionaliter, sed realiter.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Com. in 2. de Anima in com. 97. reprobat Auicen. tribus rationibus, quas intendo hic formare & defendere. Deinde soluã signum sumptum ab Auicenna & rationem eius.

Prima ratio Com. talis est, Quædam aues, vt vultures in bello facto in Græcia venerunt per multas dietas, vtpotè per 50. miliaria attractæ ex odore cadauerũ ad deuorandum occisorum corpora, ergo odor cadauerum non fuit realiter, sed intentionaliter in tanto spacio medio. Antecedens quidem accepratur ex historiis, consequentia autem probatur, quoniam si illa corpora resoluta fuissent in rarissimum elementum, quale est ignis, quo non datur rarius, non potuisset ignis ille ad tantam distantiam sphæricè diffundi, ergo multò minùs vapor subtilis effluens à corpore odorifero.

Aduerte quòd Auicen. conatur hanc rationem soluere & dicit quòd potuit contingere in illo tempore quo pútrescebant cadauera flare vehementem ventum, qui deportare potuit aliquam partem aëris infectam vsque ad odoratum huiusmodi auium, & sic non oportuit illa cadauera rarefieri vltra raritatẽ ignis ad hoc q̃ deueniat odor realiter ad odoratum illarũ auium. Stante enim casu de vento flante, non fuit necesse sphæricè diffundi odorem realiter ad tantam distantiam, sed per lineam rectam simul cum aëre deportari.

Sed hæc solutio nulla est. Nam sumpto modico odorabili, putà modico sulphure, si inflammatur à valde remotis sentitur etiam nullo stante vento, & sentitur sphæricè, & tamen constat quòd si ad raritatem ignis deueniret non posset ad tantam distantiam sphæricè diffundi, ergo signum est quòd non est necesse odorem esse realiter in medio.

Secunda ratio talis est, Dum resoluitur fumalis euaporatio à corpore odorifero, & recipitur in aëre, aut aër cedit aut non, non est dicendum quòd cedat per totum spacium intermedium inter corpus odoriferum & odoratum, vt patet ad sensum, aliter animal odorans non respiraret, ergo si per totum illud spacium esset fumalis euaporatio duo corpora essent simul, scilicet fumus & aër, consequens autem est impossibile. Ergo sequitur quòd cùm per totũ illud spaciũ posit odor sentiri non est in eo realiter, sed intentionaliter.

Aduerte quòd aliqui conantur hanc rationem soluere dicentes quòd eo modo immiscetur odor aëri, quo immiscentur vapores eleuati à terra, quando autem vapores immiscẽtur, nec aër totaliter expellitur, nec plura corpora sunt simul. Vnde sicut naturaliter & realiter contingit vapores eleuatos immiscere aëri per multum spacium, putà per centum miliaria, sic idem dicẽdum est de fumali euaporatione subtili, quæ est odor secundùm Auicennam.

Sed hæc solutio non valet, quia species obiecti sensibilis non multiplicat se per medium, sicut vapores immiscent se aëri, nam vbi est vapor ibi non est aër, aliter duo corpora essent simul. Non autem est necesse quòd vbi est species odoris ibi non sit aër, imò se compatiuntur vt declarabitur, & ideo solutio non valet.

Tertia ratio talis est, Simplex corpus vt est elementum non recipit qualitates secundas secundum esse reale. Sed odor est qualitas secũda, vt patet, ergo non recipitur realiter in aëre, quod est corpus simplex, sed se habet vt color, cuius species intentionaliter est in medio, & non realiter.

Aduerte quod aliqui sic respondent huic rationi, Conceditur tota ratio, quia nihil concludit contra Auicennã. Non enim dicit Auicenna, odorem recipi subiectiuè & immediatè in aëre, sed dicit fumalem euaporationem subtilem immisceri aëri, in qua est odor.

Sed hæc solutio nõ valet, quia cùm odor sit accidẽs, quod est passibilis qualitas, necesse est si habet esse reale in medio quòd sit in aliquo subiecto, quæro ergo, Aut est in aëre, aut in alio corpore, non in alio corpore, quia aut expelleret aërem, aut esset simul cum aëre: non potest esse simul, quia plura corpora nõ se compatiuntur simul, nec patet quòd expellat aërem, ergo est immediatè in aëre, vt in subiecto. Et sic patet quòd ratio concludit contra Auicennam.

Positis rationibus contra Auicen. respondendũ est signo & rationi suæ. Ad signum igitur datum de camphora dico quòd illa secunda resolutio in partes subtiliores non cõstat sensui, & ideo non acceptatur à Peripatetico. Ad rationem dico quòd maior est vera quãdo medium immutatur solùm intentionaliter sicut accidit in visione. Non sic autem est in odoratu. Nam vt dicetur infrà medium secundùm aliquam distantiam immutatur ab odore realiter & intentionaliter, eò quòd pro tanta distantia recipiuntur in aëre vapores illi fumales, in quibus vt in causa proxima continetur odor. Vltra autem illam distantiam odor, qui continetur in illis vaporibus fumosis, causat speciem intentionalem in vlteriori medio vsque ad odoratum.

Et tu aduerte quòd Auicen. videtur deceptus, quia credidit totum medium realiter immutari ab odore. Nec potuit cadere in mentem eius quomodo idem obiectum posit immutare medium mutatione reali & intentionali.

Quantùm autem ad tertium, s. quid tenendũ sit secundùm Philosophum, dico quòd odor in aliquo est realiter tãtùm, in aliquo intentionaliter tantùm, in aliquo realiter & intentionaliter. Primo modo est in corpore odorifero. Nam in tali corpore experimur quòd ab eo exit fumalis euaporatio in qua cõtinetur odor, cuius signum est quòd odorabile per emissionem odoris paulatim deficcatur. Secundo modo est in medio, vt in aëre præcipuè multùm distante ab odoratu. Nam vt dictum est per Com. arguentem contra Auicen. corpus simplex, quale est aër, non est immediatum susceptiuum odoris realiter. Tertio modo est in medio propinquo corpori odorabili, non quidem immediatè, sed mediatè, nam aëri propinquo odorabili immiscentur fumales vapores exalantes ab odorabili in quibus odor continetur realiter, qui & suam intentionalem speciem causat in medio, quo deferatur ad odoratum receptiuum odoris sine materia. Sic tenendum est secundùm Philosophum & Comment.

Quantùm ad quartum aduerte quòd contra hanc determinationem videtur militare ratio secunda Com. quam assumpsit contra Auicen. Et arguitur sic, Si vapores fumales exalantes ab odorabili immiscentur aëri propinquo odorabili secundùm aliquem terminum, putà per duos cubitos in circuitu, quæro, Aut sunt simul cum aëre, aut aër cedit. Non primò, quia plura corpora essent simul. Non secundò, quia sequeretur quòd totus aër in circuitu odorabilis expelleretur, quod est falsum, quoniam homo existens prope odorabile non posset respirare: aut igitur odor in nulla parte medij est realiter nec mediatè, nec immediatè, aut ratio Com. facta contra Auicennam nulla est.

Ad hoc dicitur quòd terminatio facta bona est, nec contra eam militat ratio Com. sicut militat contra Auicen. pro cuius euidentia scito, quòd ratio Com. pro tanto militat cõtra Auic. quia supponit q̃ Auic. opinetur illos vapores receptos in aëre esse continuos vel contiguos adinuicẽ, ex quo sequitur, q̃ necesse est vel plura corpora esse simul, vel totũ aërem expelli. In determinatione autem quam facimus, non supponimus illos vapores esse continuos, nec cõtiguos, imò inter illos mediare aërem, ita quòd non est necesse aërem cedere nisi pro quanto occupat pars illorum vaporum, & sic respondendo ad argumentum dico quòd nec plura corpora sunt simul, nec aër totaliter cedit, sed solùm pro tanta parte pro quãta occupat vnus ex illis vaporibus, qui dicuntur esse corpuscula parua siue spirituosa.

Ex his igitur aduerte quòd non habetur pro inconuenienti quòd species intentionalis odoris diffundatur continua in toto intermedio spacio inter odorabile & odoratum, quòd autem odorrealis, quoniam non potest immediatè recipi in elemento puro, nec illa corpora spirituosa possunt esse continua nec cõtigua, quin totus aër medius inter odorabile & odoratum expellatur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XLIII.

Num proprium sit homini non odorare sine respiratione.

Sed sine respiratione non sentire proprium est hominum. tex. 98.

Propriũ est hominis nõ odorare, neq; perfectè, neque imperfectè sine respiratione.

IN hac quæst. aduerte quòd difficultas stat in hoc, Quod est commune omni animali habenti sanguinem & respiranti, non est proprium homini. Sed non odorare sine respiratione est commune omni animali habenti sanguinem & respiranti, vt patet per Comment. in 2. de Anima, comm. 98. ergo, &c. Vt igitur resoluatur propositum aduerte quòd alio modo exponitur à Com. tex. præpositus, quàm aò Alber. & à B. Tho. Nam Com. in com. 98. non exponit eum de solis hominibus, sed de hominibus & animalibus anhelantibus. Sic enim inquit, Hoc verò quòd homo & alia animalia anhelantia impossibile est vt olfaciant absque inspiratione manifestum est per se. Hæc Com. Vnde aduerte quòd secũdùm Com. quando dicit Philosophus, Proprium est hominum, ly Hominum non stat pro homine vt homo est præcisè, sed vt respirans est. In quo prædicato non distinguitur ab aliis animalibus respirantibus. Verùm quia & Albert. & B. Thomas, & Egidius exponunt ly Hominum, vt homo est, videndum est quomodo sit proprium hominum cùm id sit commune omni animali respiranti.

Tu igitur aduerte quòd Alber. in li. 2. de Anima, in Tract. 3. in cap. 26. dicit quòd odorare non sine respiratione est, proprium hominum, quia conuenit omni homini, sed non soli, conuenit enim aliis animalibus respirantibus. Verùm quia illud verè est proprium quòd cõuenit omni & soli, ideo melius est vt sequaris intentionem Egidij, quam non negaret B. Tho. Et stat in hoc, Aliqua animalia sunt quæ nullo modo indigent respiratione vt odorent, vt carentia sanguine, quæ habent organum odoratus discoopertũ vt viuentia in aquis. Aliqua autem animalia sunt, quæ odorant sine respiratione, sed non perfectè eò quòd habẽt organum odoratus aliqualiter coopertum, sed non tantùm quin aliqualiter odorent etiam non trahendo aërem. Ad hoc autem quòd perfectè odorent, necesse est vt respirent, quia respiratione discooperitur in eis organum odoratus. Et hæc sunt omnia animalia respirantia excepto homine. Aliqua autem sunt, quæ nullo modo odorare possunt sine respiratione, eò quòd habent organum odoratus penitùs coopertum, ita quòd nisi respiratione discooperiatur, neque perfectè, neque imperfectè odorare possunt. Et hoc est proprium hominum, quia conuenit omni & soli homini habere organum odoratus omninò cooperatum. Cuius causa est magnitudo cerebri abundantis in humiditate & frigiditate, ex quibus tanta prouenit opilatio ad organum odoratus, quòd viæ illius ingrossantur, & ideo nisi homo attrahat aërem per nares nullo modo odorat, quod non contingit in aliis animalibus. Dictum igitur Philosophi sic intelligendum est, Sine respiratione non sentire, id est, non odorare neque perfectè, neque imperfectè proprium est hominum, quia vt sic conuenit omni & soli homini & semper. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XLIIII.

Num omnia odorantia per respirationem melius odorent quàm quæ odorant sine respiratione.

Videtur autem in hominibus differre hoc sensitiuum ad ea, quæ aliorum animalium, sicut oculi ad ea, quæ durorum oculorum sunt. tex. 100.

Odorantia per respirationẽ melius odorãt non respirantibus, quia perfectè, & imperfectè, non qui sint in meliori dispositione ad odorandum.

IN hac quæst. aduerte quòd difficultas stat in dubio quod mouet Com. in com. 100. super textum præpositum. Quod dubium tale est, Non videtur similitudo Philosophi tenere. Nam in textu præposito intẽdit talem similitudinem, Odoratus in respirantibus, differt ab odoratu in non respirantibus, sicut visus in habentibus oculos coopertos differt à visu in non habentibus oculos coopertos, sed duros, quales sunt in locustis. Tunc Com. sic subsumit, Sed habentia oculos coopertos habeut visum meliorem, vt supra dixerat Philosophus, ergo si similitudo Philosophi tenet, odoratus in non respirantibus melior & perfectior erit, hoc autem est falsum de homine respirante, cuius odoratus est imperfectior odoratu formicæ & apum, quæ non respirant, quoniam carent sanguine.

Huic dubio respondet ipsemet Com. in eodem com. ibi, Sed hoc quod dixit ampliantur venæ, &c. Et responsio stat in hoc, Illa similitudo non fuit posita à Philosopho quàm ad bonitatem vel defectum odoratus, sed quantùm ad dispositionem organi. Nam sicut habẽtia oculos velatos palpebris non vident nisi discooperiant oculos, habentia autẽ oculos duros & discoopertos statim vident sine discooperatura, sic respirantia quia habent organum odoratus cooperatum non odorant saltem perfectè vt animalia bruta, vel nec perfectè nec imperfectè vt homo, nisi per respirationem discooperiatur. Non respirantia autem, quia habent organum odoratus discoopertum odorant etiam perfectè, sine respiratione. Non ergo debet subsumi illa minor quò ad bonitatem siue malitiam odoratus, quia esset arguere à simili in eo quod non est simile. Hæc sufficiant quò ad sensum odoratus. Reliqua autem quomodo generetur odor & quotplex sit, & quomodo proportionatur odores saporibus, iam pertractauimus, & præcipuè in lib. de Sensu & Sensato.

QVAESTIO XLV.

Num gustus sit quidam tactus.

Gustabile autem est quoddam tangibile. tex. 101. & tex. Arabicus dicit, Gustus autem est aliquis tactus.

IN hac quæst. aduerte quòd difficultas ex eo cõsurgit quòd gustus & tactus sunt duo sensus specifice distinctí, constat autem quòd vna species non prædicatur de altera, cùm opponantur disparatè, & sint contrariè, vt determinauimus in 10. Metap. ergo hæc prædicatio est falsa, Gustus est quidam tactus. Vt igitur scias quomodo potest saluari ponemus distinctionem, ex qua eliciemus tres conclusiones, deinde moueb itur dubium & soluetur.

Quantùm ad primum, distinctio sit hæc, Hæc prædicatio, Gustus est quidam tactus potest tripliciter intelligi. Primò quòd sit prædicatio proportionalis, vel vt aliqui dicunt sit modalis, vt sic exponatur, Gustus est quidam tactus, i. Gustus est perceptiuus sui obiecti, sicut si esset quidam tactus. Nam sicut omnis tactus sentit obiectum suum per medium coniunctum, quod est caro, ita gustus sentit obiectum suum per medium coniunctum, quod est caro linguæ. Secundò sit prædicatio formalis, ita quòd tactus prædicetur essentialiter de gustu in primo modo per se. Sed hoc dupliciter. Primò quòd ly Tactus teneatur genericè, & prædicetur de gustu vt prædicatur animal de homine. Secũdò quòd teneatur specifice, vt facit quintum sensum condistinctum contra gustum, sicut distinguitur odoratus contra gustum.

Quantùm ad secundum, sit hæc prima conclusio, Si exponatur & teneatur iuxta primum sensum, potest optimè saluari, sicut & saluat B. Tho. in expositione præpositi text. vbi & hoc dubium mouet, & soluens dicit, Gustus est quidam tactus quantùm ad modum sentiendi, quia sentit per medũ coniunctum sicut tactus. Eodem modo saluat & exponit Comm. in com. 101. vbi inquit, Et quasi dicat, Gustus autem est aliquis tactus cùm comprehendat suum sensibile nõ per medium quod sit corpus extraneum sicut tactus.

Secunda conclusio, Si exponatur secundo modo iterum potest saluari, quoniam si gustus in sentiendo saporem eos sentiret humidum, quod est quoddam tangibile, non sentiret ipsum saporem. Sapor enim fundatur in humido, vt declarauimus agentes de odore, & magis expresè in libro de Sensu & Sensato. Et quoniam tactus genericè sumptus prædicatur de tactu apprehensiuo humidi & ficci, & de tactu apprehensiuo calidi & frigidi, ideo cùm gustus apprehendens saporem apprehendat etiam humidum, potest vt sic dici quidam tactus, sicut homo quoddam animal. Sed vt sic non distinguitur contra tactum, sicut nec species contra genus & in hoc sensu etiam Com. saluat eam in com. 101. vbi inquit, Et alio modo dicimus etiam quòd iste sensus est aliquis tactus. Corpus enim in quo existit sapor nõ est gustabile nisi secũdùm quòd ille sapor existit in eo humore, cuius proportio ad illum saporem est sicut materiæ ad formam. Et ideo iste sensus non comprehendit saporem nisi comprehendat humorem, cùm sit impossibile vt denudetur ab eo, & comprehendere humorem est aliquid tangere. Vnde iste sensus videtur aliquis tactus. Hæc Commentator.

Tertia conclusio, Si exponatur tertio modo non potest saluari, quoniam quælis est proportio inter obiecta, talis est inter potentias. Sed obiectum formale tactus non prædicatur formaliter de obiecto gustus vt gustus est, nam hæc est falsa, Sapor est caliditas vel frigiditas vel humiditas vel siccitas, quoniam nulla qualitas secunda est aliqua primarum qualitatum nisi radicaliter, quia fundatur in primis vt patet ex quarto Meteororum. Ergo hæc est falsa formaliter, Gustus

stus discretiuus saporum est tactus, vt discretiuus primarũ qualitatum. Et sic B. Thom. & Egidius super text. 101. tenent eam esse falsam, & in hoc sensu argumentum factum in principio quæstionis concludit.

Quantùm ad tertium aduerte quòd secunda conclusio videtur contradicere tertiæ. Dictum est enim in secunda conclusione quòd gustus non sentit saporem nisi sentiat humidum, ergo gustus vt discretiuus saporum est quidam tactus vt discretiuus primarum qualitatum, cuius oppositum dictum est in tertia conclusione.

Ad hoc dicitur, quòd in tertio modo considerare debemus gustum & tactum quò ad primariam immutationem, quam patiuntur à suis obiectis, falsum est autem quòd gustus vt cognoscitiuus saporis, immutetur primò ab humido, sed consequenter, pro quanto in humido radicatur sapor. Quia ergo gustus vt gustus immutatur primò à sapore, tactus autem vt tactus primò à qualitatibus primis, ideo sunt condistincti vt duo sensus, nec vnus prædicatur de altero. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XLVI.

Num dulce & amarum sint extremi sapores.

Species autem humorum sicut & in coloribus simplices quidem contrariæ sunt, sicut dulce & amarum. textu 105.

IN hac quæstione inuenio duas vias, vna est Philosophi, altera Galeni. Philosophus & Commentator, & omnes sequentes viam Philosophi tenent dulce & amarum esse extremos sapores. Galenus autem tenet non dulce & amarum, sed acutum & ponticum esse extremos sapores. Vt autem resoluamus quæstum in via Philosophi, primò declarandum est fundamentum huius diuersitatis. Secundò pertractabitur via Philosophi. Tertiò via Galeni & arguetur contra eã, vt arguit Commentator. Quartò gratia exercitij soluentur rationes Commentatoris contra Galenũ, vt scias quòd præsens quæsitum pro vtraque parte sustentabile est. Vltimò solnemus dubium.

Quantùm ad primum aduerte quòd fundamentum huius diuersitatis sumitur ex eo quòd cùm ad generationem saporis concurrant caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas, vt declaratum est suprà, & etiam in libro de Sensu & Sensato, contrarietas & extremi saporum videntur posse assignari non solùm penes humidum & siccum, sed etiam penes calidum & frigidum, vt dicamus illos sapores esse extremos, in quorum vno maximè dominatur caliditas, in altero autem frigiditas. Vel in quorum vno maximè dominatur humiditas non absolutè, sed bene digesta à calido, & non consumpta, in altero autem maximè dominatur siccitas non absolutè, sed per consumptionem humiditatis factam à calido potiùs adurente quam decoquente.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Aristoteles & Cõment. in comment. 105. & B. Tho. super libr. de Sensu & Sensato in lect. 11. tenent quòd penes humiditatem & siccitatem assignandi sunt extremi sapores. Et ratio eorum præcipua est, quia sapor propinquius consequitur humidum quam calidum, eò quòd humidum aliqualiter passum à sicco & calido est materia saporis. Idem dicit Comment. in comment. 105. vbi inquit, Et videtur quòd sapor magis sequitur humidum & siccum quàm calidum & frigidum. Et ex hoc fundamento dicunt quòd extremi sapores sunt dulce & amarum, eò quòd in dulci est maximè de humiditate non absolutè, sed optimè decocta, & bene commixta cum sicco proportionali. In amaro autem est minimũ de humiditate, eò quòd est consumpta forti actione caloris, & prædominatur siccitas. Quomodo autem inter amarum & dulce ordinentur medij sapores secundùm Philosophum patet in lib. de Sensu & Sensato text. 54. Quod vt tibi manifestum sit declarabimus quomodo & quando generatur sapor amarus, & quando dulcis, deinde quando & quomodo ordinatè generantur medij sapores respicientes dulcem & declinantes ab eo. Deinde quando & quomodo generantur medij sapores respicientes amarum & declinantes ab eo, & sic habebis summam & ordinem saporum secundùm viam Peripateticam.

Tu igitur aduerte quòd sapor dulcis generatur quando calor temperatus suauiter decoquit humidum non consumendo ipsum, sed subtiliando quasi reducens ad humidum aërium quod est subtile, & bene commiscendo sicco terrestri. Vnde dulcia sunt subtilis substantiæ, & leuia & optimi nutrimenti, sicut dicit Philosophus in lib. de Sensu & Sensato in text. 53. quod omnia nutriuntur dulci simplici aut mixto. Sapor autem amarus generatur, quando calor intensus obtinet super humidum consumendo potiùs quàm decoquendo & subtiliãdo, vnde siccum remanet adustum, & hac de causa amara sunt calida & ficca & multùm terrestria, vnde & Comment. dicit in libro de Sensu & Sensato, Amaritudo attribuitur caliditati & siccitati. Medij autem sapores generantur secundùm quòd magis vel minus decoquitur humidum, aut cõsumitur. Vnde aduerte quòd secundùm quòd magis vel minus decoquitur humidum sine consumptione sic multiplicantur sapores medij respicientes saporem dulcem & declinantes ab eo, secundum autem quòd humidum magis aut minùs consumitur à calido intenso multiplicantur sapores medij respicientes amarum à quo declinant. Sequendo igitur hæc fundamenta ordinandi sunt medij sapores, vt innuit Philosophus in libro de Sensu & Sensato, in tex. 55. hoc modo,

Dulcis) Pinguis vel vnctuosus immediatè sequitur
Pinguis) ad dulcem. Conuenit enim cum dulci in perfecta digestione humidi à calido temperato facta.
Ponticus) Sed disconuenit in sicco terrestri. Nam in dulci
Austerus) siccum terrestre non tenet humidum ita concatenatum sicut in pingui & vnctuoso. Et hoc in-
Stipticus) dicat sua viscositas quæ est quasi concatenatio
Acutus) partium humidarum per siccum bene commi-
Salsus) xtum, vt dictum est in 4. Meteoro.
Amarus)

Salsus immediatè sequitur amarum. Conueniunt enim in humido consumpto ex intenso calore, & in sicco adusto. Disconueniunt autem, quia in amaro est maior consumptio humidi, vt declarat B. Tho. in libro de Sensu & Sensato, in expositione tex. 55. Vnde & Albertus dicit quòd non differunt nisi per maiorem & minorem consumptionem humidi.

Ex parte dulcis ad pinguem sequitur põticus, id est, mordicatiuus. Ad ponticum sequitur austerus, id est acris. Et isti duo causantur non ex consumptione humidi, sed ex indigestione eius, eò quòd calor debilis est, qui est causa indigestionis, vt dicitur in 4. Meteoro. Differunt tamen in hoc vt dicit Albert. Ponticus causatur ex multo terrestri, quod propter defectum caloris non est subtiliatum. Austerus autem causatur ex calido alterante siccum, quod alteratum alterat humidum, sed non perfectè decoquitur. Vnde fructus ante maturitatem habent saporem austerum, id est acrem.

Ad austerum sequitur stipticus, qui est multi terrestris, & magnæ siccitatis. Sed plus habet de calido digerente. Nam quædam etiam matura sunt stiptica, vt fructus sorbæ, & semen mirti.

Ad stipticum sequitur acutus, qui se tenet magis ex parte salsi, non quidem propter consumptionem humidi, sed propter intensum calorem non comburentem, sed acuentem siccum terrestre. Et iste sapor inest calidis multùm virtualibus, vt piperi, raphano, aleo, zinziberio, sinapi.

Sed videtur Philosophus diminutus, non enim posuit acetosum, qui tamen videtur ab aliis distinctus, vt gustu discernimus.

Ad hoc dicitur secundùm B. Tho. quòd non distinguitur ab austero, vnde ipse exponit austerum, id est acetosum. Si tamen id non placet, quia videtur repugnare sensui gustus, dicere potes cum Alberto quòd differunt in hoc, quia austerum est ante completam digestionem. Acetosum est postquàm ex acutis aut euaporabilibus humidis euaporarũt partes subtiles calidæ, vt ex vino, vnde acetum est frigidæ substantiæ licet sit acutæ actionis. Dico ergo quòd quò ad humidum & defectum calidi non distinguuntur. Distinguuntur autem in hoc solùm, quòd austerum dicit defectum calidi ante completam digestionem. Acerosum autem dicit defectum calidi per euaporationem post completam digestionẽ & maturationem. Vnde quia conueniunt in defectu calidi, Philosophus non curauit eos distinguere. Hæc dicta sint de extremis & mediis saporibus quantùm mihi occurrere potuit in via Philosophi, & sequentium eum.

Quantùm ad tertium aduerte quòd Galenus, vt Commẽtator refert in secundo de Anima in commen. 105. tenet penes calidum & frigidum in extremo debere assignari extremos sapores. Vnde apud ipsum acutum ex parte calidi, & ponticum ex parte frigidi sunt extremi sapores. Et vt habeas vniuersalem ordinationem saporum secundùm mentem Galeni aduerte quòd corpus saporosum distinguitur in tria: quia vel est complexione calidum, vel complexione frigidum, vel temperatum inter calidum & frigidum: si est complexione calidum, hoc tripliciter, quia vel est subtilis substãtiæ, vel grossæ, vel mediæ. Si subtilis, eius sapor est acu-

tus, & est extremus ex latere calidi. Si grossæ, eius sapor est amarus. Si mediæ eius sapor est salsus. Si est complexione frigidum, hoc tripliciter, quia vel est substantiæ grossæ, vel substantiæ subtilis, vel substantiæ mediæ. Si grossæ, eius sapor est ponticus, qui est extremus ex latere frigidi. Si subtilis, eius sapor est acetosus. Si mediæ, eius sapor est stipticus. Si verò corpus est temperatum inter calidum & frigidũ, hoc potest esse tripliciter, quia vel est substantiæ subtilis, & sic eius sapor est pinguis vel vnctuosus: vel est substantiæ grossæ, & sic eius sapor est dulcis: vel est substantiæ medię, & sic eius sapor est insipidus, vt est in albumine oui. Et sic patet quòd apud Galenum, sapores sunt nouem specie distincti. Tres ex dominio calidi. Tres ex dominio frigidi. Tres ex contemperamento.

Aduerte quòd opinio Galeni non placet Comment. nam in secundo de Anima commen.105. arguit contra eum tripliciter. Primò ibi, Et si nos concesserimus, &c. Et intendit talem rationem, Si opinio Galeni esset vera sequeretur quòd idem sapor in specie, putà amaritudo non posset causari aliquando ex prædominio caloris, aliquando ex prædominio frigiditatis. Sed hoc est falsum, ergo, &c. Consequẽtia patet, quia secundùm Galenum, amaritudo se tenet ex latere caliditatis prædominantis, sicut ponticitas ex latere frigiditatis prædominantis, ergo nec amaritudo poterit sequi dominiũ frigiditatis, nec ponticitas dominium caliditatis.

Quòd autem consequens sit falsum, Commentator sic probat, Sicut albedo aliquando causatur ex caliditate vt in calce & osse combusto, aliquando ex frigiditate vt in niue & pruina. Sic amaritudo & dulcedo. Vnde in quibusdam fructibus non maturis inuenitur amaritudo, vt in persicis, & illa sequitur frigiditatem, eò quòd calor decoquens nondum obtinuit super frigiditatem in humido indigesto, in rebus autem combustis, vt in pane adusto & in vrina est amaritudo, quæ secuta est ad caliditatem potiùs consumentem, quàm decoquentem humidum. Similiter dulcedo aliquãdo sequitur caliditatem, vt patet in quibusdam fructibus, qui cùm sunt maturi sunt amari, & tamẽ in principio antequàm calor decoquens obtineat super frigiditatẽ sunt veluti dulces. Aliquãdo autem sequitur caliditatem vt in melle, quod est calidum à prædominio.

Secundo ibi, Et signum eius, &c. Et intendit talem rationem, Ex eo quòd aliquod corpus non transfertur de albedine in nigredinem, nisi transeat per medios colores, aut omnes, aut aliquos, arguimus quòd albedo & nigredo sunt extremi colores. Ergo à simili cùm videamus quòd fructus plantarum non transeunt ab amaritudine ad dulcedinem, nec econuersò nisi per medios sapores debemus arguere dulce & amarum esse extremos sapores.

Tertiò ibi, Et si concesserimus quòd omne dulce est calidum, &c. Et hæc ratio est quasi solutiua experimenti, quod ponebat Galenus, Qui dicit omne dulce & omne amarum esse calidum, eò quòd inducunt semper calorem in corpore humano. Huic quasi respondens Commentator inquit, Licet amarum sit calidum respectu humani corporis, quoniã ipsum calefacit, non tamen iudicandum est esse calidum simpliciter & ex natura sua. Quod enim calefacit hominem potest infrigidare leonem, & econuersò. Vnde breuiter dicendum est, quòd si aliquid est in respectu tale, non est simpliciter tale ex se, sicut granum fabæ est magnum respectu milij, non tamen absolutè. Nam respectu montis est quid paruum. Istæ sunt rationes quas intendit Commen. contra Galenum.

Quantùm ad quartum aduerte quòd rationes inductæ à Comment. contra Galenum non demõstrant. Vnde si disputatiuè velles sustinere Galenum, poteris eas soluere vt Medici soluunt.

Ad primam ergo dicunt Medici, quòd amaritudo semper sequitur calidum à prædominio, & dulcedo calidũ temperatum, & non negant quòd fructus non maturi sint amari simpliciter, imò pontici vel stiptici. Similiter negant quod aliqui fructus antequàm calor decoquens obtineat super frigiditatem sint dulces, imò dicendi sunt insipidi propter aquosum indigestum.

Ad secundam dicunt quòd vtique probat amarum & dulce non esse sapores immediatos, quoniam constat quòd habent medios sapores, non tamen sequitur quòd sint simpliciter extremi. Aliter eodem modo probaretur croceum & viride esse colores extremos, quoniam inter eos mediat rubeum & puniceum.

Ad tertium secũdùm doctrinam Galeni est facilis responsio. Nam ipse posuit complexionem hominis temperati esse medium in tota latitudine complexionũ, & per consequens in ordine ad illam cætera habent graduari & mensurari, ita quòd omne calefaciens, vel infrigidans hominem iudicandum est ex natura sua, & non solùm in respectu calidum vel frigidum.

Quantùm ad vltimum aduerte quòd B.Tho. in 2. de Anima in expositione tex.105. videtur esse contrarius Commen. & sibiipsi. Nam in libro de Sensu & Sensato tenet cum Comment. quòd sapores extremi non sunt assignandi penes proportionẽ calidi & frigidi, vt voluit Galenus, sed penes proportionem humidi & sicci, vt suprà declarauimus. In libro autem 2. de Anima, in expositione text.105. negat vtrunque, & dicit quòd maxima distantia inter sapores sumenda est, secundùm ordinem ad gustum prout natus est immutari à sapore, vel cum horrore vel cum suauitate. Constat autẽ quòd maxima distantia & contrarietas in saporibus non est nisi inter extremos sapores, ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd sapores dupliciter cõsiderantur. Primò quò ad naturas suas. Secundò vt gustabiles sunt. Primo modo considerantur in lib. de Sensu & Sensato. Secundo autem modo in lib. de Anima. Vnde diximus suprà quòd hic non considerantur sensibilia obiecta nisi vt immutatiua sensuum. Dico ergo quòd sapores secundùm naturam suã considerati debent accipi extremi penes humiditatem & siccitatem, modo quo suprà exposuimus, secundùm autem quòd gustabiles sunt debent accipi extremi penes horrorẽ & suauitatem, vt dicãtur extremi sapores, quorum vnus maximè delectat gustum, alter autem maximè horrorem inducit. Et quoniam Comment. in commen.105. & B.Tho. in lib. de Sensu & Sensato considerauerunt sapores in primo modo. Et B. Thom. in hoc 2. de Anima considerauit eos secundo modo, ideo cessat omnis repugnantia. Et hæc sufficiant de gustu & gustabili. Reliqua enim quæ ad sapores spectant iam pertractata sunt in libro de Sensu & Sensato.

QVAESTIO XLVII.

Vtrùm tactus sit vnus, vel plures sensus.

Habet autem dubitationem, vtrum plures sint aut vnus. tex.106.

IN hac quęstione vt habeatur plena resolutio sic procedendum est. Primò ponentur quædam distinctiones de vnitate sensus & obiecti & subiecti. Secundò ex his distinctionibus ponentur conclusiones responsiuæ. Tertiò remouebuntur duo dubia.

Quantùm ad primum sit hæc prima distinctio, Vnitas sensus potest esse generica & specifica. Nullus dubitat quin sensus tactus sit vnus sensus genere, eò quòd in eo seruatur vnus modus sentiendi qui est per medium intrinsecum, qui modus seruatur in omni tactu. Sed dubium est de vnitate specifica. Nam constat quòd visus vt visus, est vnus sensus specie propter vnicam rationem formalem sui obiecti, quæ est immutare sensum & medium purè intentionaliter, & propter vnam primam contrarietatem repertam in suo obiecto, putà inter album & nigrum. In sensu autem tactus ex parte obiecti inueniuntur duæ primæ contrarietates, Vna calidi & frigidi altera humidi & sicci, & ideo meritò dubitatur si tactus est vnus specie vel plures.

Secunda distinctio, Vnitas sensus potest attendi vel ex parte generis subiecti, id est organi in quo radicatur vt dicatur quòd visus est vnus sensus, quia habet vnum organum in quocunque inueniatur, scilicet pupillam. Vel ex parte generis obiecti quod respicitur à sensu, vt auditus est vnus sensus propter vnitatem sui generis obiecti quod est sonus.

Tertia distinctio, Vnitas obiecti est duplex, quædam materialis quædam formalis. Vnitas materialis est quando omnes species contentæ sub tali obiecto possunt inesse eidem saltem sub gradibus remissis, formalis est quando omnes species talis obiecti continentur sub vno genere proximo, in quo tantùm vna prima contrarietas inuenitur, vt declarauimus in lib.10. Metaphysicæ.

Quarta distinctio, Vnitas organi est duplex, scilicet materialis & formalis. Vnitas materialis est quando est vna numero substantia organi, nec diuersificatur in plures, & per illam omnis species obiecti proprij à sensu percipitur. Vnitas formalis est quando non solùm est vna numero substantia organi, sed & per eandem dispositionem sentitur à sensu omnis species sui proprij obiecti. Quod si per vnam dispositionem sentitur vna species, & per aliam alia, tunc dicetur organum esse vnum materialiter siue substantialiter, sed non formaliter.

Quantùm ad secundum, sit hæc prima conclusio responsiua, Tactus est vnus sensus vnitate materiali sui obiecti. Hæc sic ma-

sic manifestatur, Dictum est in tertia distinctione quòd vnitas materialis obiecti est quando omnes species talis obiecti possunt inesse eidem saltem sub gradibus remissis. Sed omnes qualitates tangibiles conueniunt in vno subiecto secundùm gradus remissos, id est in vno composito elementato, vt declaratũ est in 2. de Generatione, ergo prout sic conueniunt habẽt vnitatem materialem, & à tali vnitate potest dici tactus esse vnus sensus vnitate materiali sumpta ex parte subiecti, in quo qualitates tangibiles conueniunt vt dictũ est saltem in gradibus remissis. Et aduerte quòd B.Tho. in 2. de Anima in expositione tex.108. declarans quomodo tactus est vnus vel plures sensus acceptat hũc modum vnitatis, determinans quòd tactus est plures sensus formaliter, sed vnus subiecto, prout, scilicet sensus tactus est discretiuus qualitatum tangibilium quæ conueniunt in cõsistentia vnius corporis compositi naturalis.

Secunda conclusio, Tactus non est vnus vnitate formali sui obiecti. Hanc intendit sic probare Philosophus, Sensus qui est vnus formaliter, est vnius primæ contrarietatis, ad quam reducuntur aliæ contrarietates si quæ sunt in illo genere, & exemplificat in tex.107. de visu qui primò est albi & nigri, & de auditu qui primò est grauis & acuti soni, & de gustu qui primò est dulcis & amari saporis. Sed tactus non est vnius primæ contrarietatis sed plurium quarum vna nõ reducitur ad aliam. Non enim contrarietas calidi & frigidi reducitur ad contrarietatem humidi & sicci, habent enim oppositionẽ adinuicem, eò quòd duæ sunt actiuæ, s. caliditas & frigiditas & duæ aliæ passiuæ, vt declaratum est in 2. de Generat. ergo tactus nõ est vnus vnitate formali sui obiecti.

Et aduerte quòd Com. in 2. de Anima in com.108. aliter probat dictam conclusionem ibi, Vnde necesse est, &c. Et intendit sic arguere, Sensus qui est formaliter vnus, est vnius obiecti quod prædicatur vniuocè de suis inferioribus comprehensibilibus à sensu. Sed ad calidum & frigidum humidum & siccum, graue & leue, quæ sunt comprehensibilia tactũ nullũ est superius vniuocè dictum. Nam quale quod de eis prædicatur, non dicitur vniuocè, quoniam frigidum & calidum, humidum & siccum, sunt in prædicamento qualitatis, graue autẽ & leue in prædicamẽto substãtiæ, ergo, &c.

Hæc ratio habet instantias. Primò quia non seruatur vera vniuocatio nisi in specie specialissima, vt declaratum est in 7. Physic. ex hac ergo ratione Cõment. nullus sensus esset formaliter vnus, quoniam obiectum suum est genus, vt color, odor, sonus, sapor, & inquantùm genus non prædicatur simpliciter vniuocè. Latent enim iuxta genera ęquiuocationes, ergo, &c. Secundò quia falsum est grauia & leuia esse in prædicamento substantiæ, aliter essent formæ substãtiales, & sic non essent per se sensibiles, quoniã nulla substãtia vt substãtia est per se sensibilis, ergo non est admittẽda ratio Com. Si tamẽ aliquo modo sustinere volueris eam, vide Egidiũ in 2. de Anima in expositione tex.108. & est sua prima dubitatio.

Tertia conclusio, Tactus est vnus sensus vnitate materiali sui organi, probatur, Nã per experiẽtiam cognoscimus quòd quacunque parte corporis sentiamus calidum & frigidum, eadem sentimus humidum & siccum. Siue ergo organum tactus sit caro, siue neruus, siue cor (nam de hoc formabimus sequentem quæstionem) patet quòd omnes tangibiles qualitates sentiuntur ab vno organo, quod est vnum vnitate numerali, ergo, &c.

Quarta conclusio, Tactus non est vnus vnitate formali sui organi. Hæc conclusio fundatur super dictum Commentatoris in 2. de Anima in com.107. vbi inquit, Vnũ instrumentum non est nisi vnius virtutis. Constat autem apud Philosophum quòd tactus non est vna virtus sensitiua simpliciter. Et tamen habet vnum organum numero, quoniam eodem neruo & eadem parte corporis sentimus omnes qualitates tangibiles. Vt ergo pluribus sensibus tactus correspondeãt plura organa, dicendum quòd vnus neruus numero secundùm vnam dispositionem sentit calidum & frigidum & secundùm aliam humidum & siccum: & sic organum tactus licet sit vnum substãtialiter, tamen diuersificatur formaliter. Patet ergo quomodo tactus est vnus & plures sensus.

Quantùm ad tertium aduerte quòd contra determinata duo præcipuè insurgunt dubia. Primum est, Si tactus est plures sensus formaliter, ita quòd distinguatur specie tactiua virtus qua tangimus calidum & frigidum, à tactiua qua tangimus humidum & siccum, dubitatur quot sunt istæ virtutes tactiuæ distinctæ specie, an tantum duæ, vel plures.

Respondetur in hoc non inueniuntur Doctores concordes. Nam B.Tho. non expressit nisi duas. Vnam calidi & frigidi, alterã humidi & sicci. Idem tenere videtur Egid. in expositione tex.107. in sua 3.q. vbi declarat alias qualitates tangibiles reduci ad motum & figuram, vt ad sensibilia cõmunia. Licet tu possis sustinere, quòd durum & molle, asperum & lene reducũtur ad humidum & siccum, & sic sentiuntur eo tactu qui est humidi & sicci. Nam durum resistens tangenti declinat ad siccum, molle autem cedens declinat ad humidum. Asperum in pluribus suis partibus resistens tangenti est aliquid sicci. Et lene quod se habet opposito modo est aliquid humidi. Similiter Comment. in com.107. videtur non ponere nisi duos prædictos tactus licet aliqui sibi attribuant quòd ponit tertium, scilicet tactum grauis & leuis. Solus Auicenna in 6. Naturalium, in cap. de Tactu, videtur ponere duos alios tactus distinctos specie à prædictis, scilicet tactum discontinuitatis & continuitatis, siue dissolutionis & consolidationis quæ non proueniunt ex calido, aut frigido regulariter, sed ex verbere aut alio læsiuo extrinseco. Item addit tactum secundum voluptatem Veneris. Aliqui tenent idem de tactu quò ad voluptatem comestionis & potationis. Sed hoc non est necesse, quoniam vt inquit Albert. in 2. de Anima, Tract 3. cap.29. quia delectatio cibi est calidi & sicci, prout respõdet fami, & delectatio potus est humidi & frigidi, prout respondet siti. Verùm quia in his penè nullam certitudinem habemus, ideo sequere quem volueris.

Secundum dubium est, quia communiter tenetur sensus exteriores esse tantùm quinque, quod non stat cum pluralitate tactuum.

Respondetur, Non est necesse æqualem vnitatem seruari in omni sensu. Nam sufficit quòd seruetur vnitas formalis vel materialis. Et quoniam in tactu seruatur saltem vnitas materialis obiecti & organi vt declarauimus suprà, ideo potest dici vnus sensus. Et hoc sufficit ad seruandum determinatum & famosum numerum sensuum exteriorum. Hęc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XLVIII.

Num sit organum in tactu.

Vtrùm autem est sensitiuum intus, aut non, sed mox caro. tex.109.

Neruus magis quàm caro, vel caro neruosa, vel cor, est organũ sensus tactus.

IN hac quæstione aduerte quòd magna est diuersitas opinionum in hoc propter rei ineuidentiã. Inuenio autẽ quatuor præcipuas opiniones.

Prima fuit ipsius Philosophi in libro de Animalibus, qui dixit carnem esse organum in tactu. Quam opinionem etiã aliqui Moderni Thomistæ scribentes super hunc librum tenent. Et tamẽ patet quod Philosophus hic, in tex.109. expressè negat, & vult eam esse medium. Idem tenet B.Tho. in expositione eiusdem textus. Idem tenet Comment. in cõmen.108. vbi excusat Aristotelem quare tenuit contrarium in libro de Animalibus. Et verba sua sunt hæc, Et ideo oportet opinari quod velit Aristoteles quod sensus tactus est plus quàm vnus, & quòd caro est quasi ei medium, licet iste sermo sit contrarius sermoni in libro de Animalibus. Sed tamen fortè ille sermo fuit secundùm quòd apparuit illic, scilicet quod sciuit de membris animalium in illo tempore, tunc enim adhuc nesciebat neruos, & dixit quòd instrumentum sensus istius est caro, &c.

Secunda opinio est Philosophi in libro de Anima, & communiter Expositorum suorum, quòd neruus est organum in tactu. Vnde dicit Commen. in secundo de Anima, commen.108. Post apparuit per anatomiam, scilicet quòd nerui habẽt introitum in tactu & motu.

Tertia est Auicennæ in sexto Naturalium in cap. de Tactu. qui arbitratur nec carnem, nec neruum esse organum in tactu, sed carnem neruosam. Vnde inquit, Ex proprietatibus autem tactus est, quod habet instrumentum naturale, quod est caro neruosa. Et fundamentum suum, licet falsum sit in via Aristotelis, fuit quòd arbitratur qualitatem tangibilem sentiri sine medio. Non enim reputat medium necessarium in actu sentiendi nisi quando sensibile non potest contingere organum sensus vt in visu. Si enim coloratũ tangeret pupillam, non videretur. Vult autem quòd qualitas tangibilis coniungatur immediatè organo tactus & tamen non impediatur in sua operatione. Idem voluit de odore, vt diximus suprà. Verùm quia suprà in quæst.31. determinauimus contra Auicennam in omni sensu esse necessarium medium, & causam illic assignauimus, ideo hìc non est immorandum contra Auicennam.

Quarta opinio ponit organum tactus esse cor, & à Modernis attribuitur Aristoteli & B. Thom.. eo quòd Philosophus in libro de Sensu & Sensato, in textu qui incipit, Et ideo iuxta cor sensitiuum est ipsorum, videtur esse huius opinionis,

& B. Tho. exponens inquit, Propter quod oportet organum tactus quod terreum est, esse principaliter in loco calidissimo corporis, vt per caliditatem cordis ad temperiem terræ frigiditas reducatur. Veruntamen si rectè consideretur textus ille, non habent intentum. Aliud enim est dicere quod sit cor & quod sic iuxta cor, posset enim esse aliquid iuxta cor, puta aliquis nervus primus & principalis vel proportionale, quod sit primum organum tactus, & à quo extendatur per totum corpus, nec tamen erit cor nec quid sit illud Philosophus expressit. Vnde vel dicamus nervum esse organum in tactu, vel quòd Philosophus in hac re nihil certi expressit. Sed tamen suppofito, vt communiter tenetur, mentem Philosophi esse quòd sit nervus soluenda sunt quædam argumenta in oppositum.

Primum, Caro est magis reducta ad medium tãgibilium qualitatum quàm nervus, vt communiter conceditur, eò quòd nervus multùm declinat ad naturam terræ, ergo caro debet esse organum tactus magis quàm nervus. Consequentia patet, quia cùm tactus sit perceptivus qualitatum tangibilium organum suum debet esse denudatum ab omni excellentia qualitatum tangibilium, aliter non sentiret eas.

Ad hoc dicitur quòd etsi absolutè temperatior sit caro, quàm nervus, non tamen pro operatione tactiua.

Secundum, Si caro esset medium, ergo qualitas tangibilis priùs immutaret carnem quàm sentiremus eam, quod est falsum. Nam experimur statim quòd pungitiuum tangit carnem sentimus dolorem, idem dico de calido & frigido. Cõsequentia patet, quia non immutatur organum nisi priùs immutato medio.

Ad hoc negatur falsitas consequentis. Ad probationem dicitur, quòd licet simul tempore immutetur caro & sentiamus qualitatem tangibilem, tamen priùs natura vel causalitate immutatur caro. Et hæc prioritas sufficit.

Tertium, Eodem signo potest probari quòd nervus non est organum, quo probat Philosophus carnem non esse organum. Nam dicit Philosophus, quòd ideo caro non est organum in tactu, quia statim tacta carne sentimus, sed sensibile positum supra organum non sentitur, vt diximus suprà, in cap. de visu, ergo, &c. Sed idem accidit de nervo. Nam si nervus denudetur & tangibile tangat eum, statim sentitur, ergo eodem signo nec nervus est organum.

Ad hoc dicitur quòd id non contingit ratione nervi, sed quia est admixtus carni. Vnde si daretur nervus in aliqua parte corporis omninò denudatus à carne non sentiret tangibile, sicut nec os omninò denudatum à carne. Hæc sunt quæ de organo tactus occurrunt, quæ nec multam habent euidentiam. Et tu considera si melius inuenire poteris.

QVAESTIO XLIX.

Num duo corpora discontinua existentia in aqua, aut in aëre immediatè se tangere possint.

Si autem hoc verum, impossibile est tangere aliquid aliud in aqua. tex. 113.

Duo corpora discõtinua dura, vel quorum vnum est durum, alterũ molle existẽtia in aqua, vel in aëre immediatè se tãgere non possunt.

IN hac quæstione quatuor principaliter agenda sunt. Primò inuestigãdum est an sit vniuersaliter verum, quòd semper in tactu concurrat medium extrinsecum. Secundò declarandum est quomodo differenter concurrit medium extrinsecum in aliis sensibus & in tactu. Tertiò ponetur conclusio responsiua quæsito. Quartò soluentur quædam argumenta.

Quantùm ad primum inuenio duas sententias. Prima est Alberti & communiter Thomistarum. Isti dicunt quòd intentio Philosophi fuit ponere & manifestare differentiam inter sensum tactus & alios sensus alio modo quàm ponebant Antiqui. Illi enim eximabant alios sensus semper sentire per medium extrinsecum, id est, quod non est pars, nec substantia animalis sentientis, vt per aquam aut aërem. Sensus autem tactus semper sentit per medium intrinsecum, id est, per carnem, ita quòd inter tangẽs & tangibile secundùm Antiquos non mediat medium extrinsecum. Philosophus ergo ostendere volens hanc differentiã non esse bene assignatam probat quòd tactus sit etiam cum medio extrinseco, vt patet in tex. 114. vbi inquit, Hoc autem non est, sed durum & molle per altera sentimus, quasi dicat, Quando durum tãgit durum, aut molle tangit durum mediat medium extrinsecum. Ex hoc tamen non potest cõcludi quod semper sic fiat, veputà quando manus tangit elementum fluidum vel aliud corpus fluidum, quod nec est durum nec molle, non est necesse inter manum & corpus fluidum esse medium extrinsecum. Conclusio ergo Philosophi non est intelligenda nisi inter corpora dura discontinua, vel inter durum & molle, vel inter molle & molle, & quãdo duæ petiæ panni se tangunt, vel duæ ceræ molles. In hoc ergo stat vera differentia ad mentem Aristotelis, inter tactum & alios sensus includendo etiam gustum, vt est quidam tactus, quoniam alij sensus semper sentiunt per medium extrinsecum, tactus autem aliquando sic, aliquando non, semper autem & de necessitate concurrit mediũ intrinsecũ, i. caro, vel proportionale carni.

Secunda est Commen. in 2. de Anima in com. 115. qui principaliter dicit duo. Primò quòd tactus semper fit per medium extrinsecum etiam quando ponimus manum in corpore fluido, vt in aqua sentientes eam calidam vel frigidam; & fundat se super hoc quòd extimat aërem & aquam in sua naturalitate existentes non sentiri à nobis, nec animal viuens in aqua sentit aquam quandiu est in sua naturali simplicitate, quã debet habere secundùm quòd est locus naturalis illius, cuius dicti ratio talis assignatur de mente Comment. Sensibile secundùm tactum est cõtrarium nobis ante passionem, nam secundùm Philosophum similiter calidum vel frigidũ, sicut nos sumus calidi vel frigidi non sentimus, sed eorum excellentias. Sed aër quandiu est in ipsa dispositione naturalissima quam debet habere secundùm quòd est locus naturalis nullam habet contrarietatem qualitatum tangibilium ad nos, imò est similis nobis, quia locus naturalis est similis locato, ergo, &c. Maior quidem est Philosophi. Minor autẽ sic probatur, Si aër vt est locus naturalis animalis quod continetur in eo haberet contrariam qualitatem prohiberet animal comprehendere qualitates tangibiles contrarias ipsi animali, quod est manifestè falsum. Consequentia quidem patet, quoniam sicut si aliquod medium in videndo haberet colorem contrariũ colori alicuius visibilis impediret comprehensionem illius coloris sic esset in proposito. Vnde experimur quòd cùm videtur album per medium rubeum, videtur esse rubeum. Secundò dicit quòd elementa existentia in sui puritate non possunt calefieri nec infrigidari, sed hoc fit per admixtionem corporum calidorum & frigidorum, quæ sunt extranea à pura natura aëris & aquę. Ex hoc autem cõcludit quòd animal non sentit calorem nec frigiditatem in aëre, nec in aqua nisi quãdo eis admiscentur prædicta corpora extranea, & tunc totum illud cõmixtum sentitur mediantibus illis corporibus admixtis, quæ cùm non sint de substantia animalis dicuntur medium extrinsecum.

Cùm igitur quicquid per se tangitur sit durum, aut molle, aut fluidum, & omnia ista tangantur per medium non solum intrinsecum, sed etiam extrinsecum secundùm opinionem Commentatoris, ideo videtur tactus fieri semper & de necessitate per medium extrinsecum.

Sed aduerte quòd B. Thom. in 2. de Anima, in expositione tex. 113. aduersatur Commen. & reprobat eum in tribus. Primò in hoc quod dicit nos non pati, nec alterari ab elemento vt est locus noster naturalis, quoniam vt sic est simile nobis. Contra hoc arguit duabus rationibus, quas videre poteris, quas nec Egid. nec Iand. nec Caietan. Vicen. soluunt, licet initantur viæ Comment. & conentur defensare doctrinam suam. Secundò reprehendit eum de ignorãtia, quia videtur nesciuisse distinguere de elementis, vt sunt contraria & vt sunt locantia. Nam primo modo alterant seinuicem, & etiã locata in eis. Secundo autem modo conseruant se & mixta naturaliter locata in eis. Sed non sunt locantia secundùm suas qualitates contrarias actiuas aut passiuas. Nam vt sic alterant & corrumpunt seinuicem, & in eis contenta. Sunt autem locantia secundùm suas formas substantiales quas cõsequuntur ex impressione corporis cœlestis, & vt sic non sunt alterantia, sed conseruantia, & similia contentis in eis, quoniam locus naturalis vt naturalis ex 4. Physic. est cõtentius & conseruatiuus & conformis locato.

Sed aduerte quòd Egid. in 2. de Anima, in expositione textus 113. in sua secũda quæstione reprobat hanc distinctionem datam à B. Thom. Dicit enim quòd sola forma substantialis non est principium motus, nec aliculus operationis nisi per qualitates medias. Et hoc etiam tenet doctrina Thomistica: ergo ad hoc quòd elementa locent se & mixta non sufficiũt eorum formæ substantiales.

Hæc instantia non militat contra B. Thom. *non enim dicit* quòd elementa sint locantia per solas formas substantiales, sed quòd non locant per qualitates contrarias. Cum hoc tamen stat quòd locant per aliquam qualitatem, quæ cõsequitur eorum formas substantiales ex impressione corporis cœlestis, quod est locans naturale primum, *sicut est primum* generans. Et hanc qualitatem B. Tho. in 4. Physi. nominat virtutem locatiuam, quam dicit dari à corporibus cœlestibus omnibus corporibus naturaliter locãtibus. Patet ergo quòd instan-

instantia Egidij *processit* ex eo quòd non habuit sensum B. Tho. expressum ab ipso in 4. Physic.

Tertiò arguit Comment. in hoc quod dicit aërem & aquã non alterari, ex cõsequenti non calefieri nec infrigidari nisi per admixtionem corporum calidorum & frigidorum, quæ sunt extranea à simplici natura elementorum. Patet enim quòd secundùm naturam suam sunt corruptibilia, cùm sint contraria, ergo etiam secundùm naturam suam sunt alterabilia. Alteratio enim præcedit corruptionem ex 1. de Generatione. Præterea elementa sunt ex natura sua miscibilia, alioquin omnis mixtio esset violenta & innaturalis, ergo alterabilia. Mixtio enim est alteratorum miscibilium vnio, ergo remota omni admixtione corporum extraneorum aër & aqua possunt alterari per calefactionem & infrigidationem.

Et aduerte quòd Iandunus in 2. de Anima, in q. 28. videns prædictas rationes esse fundatas in 1. de Generatione, vt possit apparenter euitare eas, conatur modificare dictum Comment. Et dicit quòd Comment. non simpliciter negat alterationem in puro elemento, sed alterationem cognoscibilẽ à tactu. Eodem modo exponit eum Egidius in q. 2. suprà dicta. Sed quòd hæc non fuerit mens Commentatoris, patet ex eo quòd in fine commenti 115. attribuit existimationem vulgi, aquam existẽtem in sua puritate calefieri, quasi dicat, Aqua in veritate nõ calefit, licet extimet vulgus aliter, quia non intelligit admixtionem corporũ calidorum. Præterea, si Comment. intellexisset aquam puram posse calefieri siue intensè siue remissè, non oportuisset eum dicere absolutè quòd non est opinandum aquam calefieri dum fuerit aqua pura, sed hoc accidit propter corpora admixta cum ea calida. Non igitur valet glossa Ianduni nec Egidij).

Quantùm ad secundum, scilicet quomodo differenter cõcurrit medium extrinsecum in aliis sensibus & in tactu dico duo. Primò quòd in aliis sensibus medium extrinsecum concurrit per se & de necessitate, in tactu autem per accidens & contingenter. Et in hoc omnes Expositores conueniunt, cuius ratio est, quia in aliis sensibus obiectum nõ mouet sensum, nisi priùs moueat medium extrinsecum, & mediũ motum mouet sensum, vtpotè deferens speciem obiecti ad sensum, ita quòd si non esset medium extrinsecum deferens nõ esset sensatio. Non sic autem contingit in tactu, imò si non mediaret medium extrinsecum esset perfectior sensatio in tactu, quia tangibile esset proximus tangenti. Quòd igitur tactus fiat per medium extrinsecum non est per se, nec ex necessitate, sed ex conditione corporum se tangentium, quę cùm sunt in aqua aut in aëre non possunt humectari. Et quoniam huiusmodi medium non concurrit per se, ideo dicit Comment. in commen. 115. quòd medium, scilicet extrinsecum nihil facit in hoc, scilicet in tactu, sed est aliquod accidens, quia non est necesse inesse sensus, id est, ad hoc quòd tactus sentiat, sicut est necessarium inesse aliorũ, id est, ad hoc quòd alij sensus sentiant. Dico secundò quòd in aliis sensibus mouens remotum est ipsum sensibile, mouens autẽ proximum est ipsum medium extrinsecum deferens speciẽ obiecti ad sensum, & sic medium se tenet ex parte agentis, solus autem sensus ex parte patientis. In tactu verò mouens proximum est ipse tangibile solùm quod ex natura sua aptum est agere in tangens sine medio extrinseco. Et medium extrinsecum non est mouens proximum nec remotũ, eò quòd nec per se, nec causaliter concurrit ad tactum, imò, vt diximus impedit perfectionem tactus. Propter quod sicut clypeus se tenet ex parte percussi, vt dicit Philosophus in text. 115. sic medium extrinsecum in sensu tactus se tenet ex parte passi. Ex his sequitur corollariè quòd non erat necesse Iandunii in 2. de Anima, in q. 28. circa finem tantùm laborare ad declarandum quòd nam sit mouens proximum, aut remotum in tactu. Nam cùm medium extrinsecum concurrat in tactu merè per accidens, nullam habet causalitatem, vt etiam dicit Commentator in commento 115. ex consequenti nullam habet motionem actiuam, nec proximam, nec remotam, omnis enim motio actiua dicit aliquam causalitatem.

Quantùm ad tertium ponitur hæc conclusio responsiua, Si duo corpora dura, aut vnum durum, & alterum molle sint in aquã, vel in aëre non possunt se tangere immediatè. Probatur, Illa propriè & immediatè se tangunt, vt declaratum est in 5. Physic. quorum extrema sunt simul, ita quòd inter ea non mediat aliquid, quod sit eiusdem, nec alterius generis. Sed quando dura corpora, aut durum & molle sunt in aqua, aut in aëre eorum extrema non possunt esse simul, quoniam semper mediat aqua, aut aër: quæcũque enim sunt in aqua, aut in aëre necesse est vt humectentur: non possunt autem humectari nisi per corpus humidum, nõ enim datur humiditas, cùm sit accidens, siue subiecto. Subiectum autem suum est corpus humidum, sicut subiectum caloris est corpus calidum, ergo de necessitate mediat corpus humidum, quã erit aqua, si sunt in aqua, vel aëre, si sunt in aëre. Et quod dico de aqua & aëre intellige de omnibus existentibus in corpore fluido, vt in vino, vel cera, vel melle liquato, hæc enim sapiunt naturam aquæ, quoniam, vt dictum est in 8. Metaph. Materia humidorum est aqua.

Quantùm ad quartum aduerte quòd duo solent fieri argumenta contra conclusionem responsiuam, aliculus apparentiæ, quæ intendo hic formare & soluere.

Primum, Si inter duo corpora dura existẽtia in aëre sem per mediat aër, ergo graue non impeditum stabit sursum, quod repugnat naturæ suæ. Consequentia probatur, Sit lapis A, in superficie terræ, sit lapis B, in aëre & descendat directè super A, tunc quæro quando descenderit super A, Aut inter eos mediat aër, aut non. Si non, habetur intentum: si sic, ergo non tantum descendit quantum potest, quoniam secundùm te mediat corpus, per quod tenetur sursum.

Secundum, quando B, descendit super A, in principio motus est magis de aëre inter A, & B, & est maioris resistentiæ quàm in fine motus, & tamen in principio motus aër non potest impedire quin B, descendat, ergo in fine motus non impedit quin B, immediatè tangat A, & sic non mediat inter A, & B.

Ad hæc argumenta duobus modis respondetur. Primò quòd B, impeditur ne tantum descendat quantum potest inquantùm graue, non quidem ab aliquo resistente particulari, sed à natura vniuersali, ex cuius ordine est quòd existentia in aqua, aut in aëre humectentur & per consequens mediat inter ea aqua, aut aër. Secundò dicitur quòd aër mediãs adeò modicus est quòd non sufficit ad denominandum lapidem stare sursum, vnde apud Philosophum pro nihilo reputatur. Cuius signum est quòd Philosophi nominant sensum quintum nomine Tactus, quasi obiectũ suum & sensus ipse in sentiendo sint simul (ea enim propriè se tangunt, quorum extrema sunt simul) cùm tamen in veritate mediẽt aqua, aut aër, sed quoniam sunt in tam parua quantitate, idcò præsupponunt ac si nihil mediaret. Nullus autem ex aliis sensibus potest denominari tactus nisi gustus, quoniam à remotis & per medium multùm extrinsecum potest sentire proprium obiectum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO L.

Num sensibile positum supra sensum non sentiatur.

Apposita enim supra sensum non sentiunt. tex. 116.

IN hac quæstione tria agenda sunt. Primò videndum est si hoc est commune omni sensui. Secundò supposito quòd sic, si id competit omni sensui per accidens, an per se, & posito quòd per se, quæ sit ratio huius. Tertiò soluam aliqua argumenta, quæ videntur habere aliquam apparentiam.

Commune est omni sensui per se vt non sentiant sua sensibilia supra se posita, sed ad hoc medio egeant, in quo sensibile suscipiat esse spirituale, quo sensum immutare valeat.

Quantùm ad primum aduerte quòd Alexander vt refert Commentator in commento 116. putat medium esse necessarium solùm in tribus sensibus, scilicet visu, auditu, & odoratu, eò quòd eorum obiecta sunt distantia, & per consequẽs est necesse inter obiecta & sensus cadere medium. Sed contra eum sic arguit Commentator, Si cadit medium eò quòd sunt distantia & non alia ratione, ergo cùm ponerentur super sensum sentirentur, tunc enim non indigerent medio, cùm fiant in distantia, & tamen vt patet non sentirentur, sicut experimur in visu. Dicit enim Philosophus in text. 116. Ipso autem sensitiuo tacto, neque ibi, neque hic vtique fiet sensus, vt si quis ponat in oculo corpus album. Tenendum est igitur secundùm veritatem quòd in omni sensu requiritur medium, sicut etiam tenet Commentator in commento 116. vbi inquit, Ergo omnis sensus indiget medio in ipso sentire, non quod medium est in istis tribus sensibus tantùm, quia sensibilia eorum sunt remota, vt putat Alexander.

Quantùm ad secundum, aduerte quòd vt Commentator dicit in commento 116. sensus indigẽt medio propter ipsum sentire, ita quòd non sentirent nisi adesset medium, & cùm sensus ordinentur per se & ex natura sua ad ipsum sentire sicut potentia ad proprium actum, patet ex cõsequenti quòd medium non per accidens, sed per se & necessariò requiritur. Cuius quidem causam & rationem puto esse illam, quã Commentator in dicto commento allegat, scilicet quòd indigent medio non alia causa nisi quòd sunt sensus. Ergo indigentia medij ad sensus est eis in hoc quòd sensus, non secundùm quòd quidam sensus. Hæc Commentator. Quæ sic intell

intelligenda extimo, vt ipsémet innuit in libro suo de Sensu & Sensato, Sensus est potẽtia spiritualis, & aliquo modo spiritualis. Obiecta autem extra animam habent esse purũ corporeum & materiale. Vt ergo percipiãtur à sensu est necesse quòd fiant aliquo modo spiritualia. Nam si non proportionarentur sensui non sentirentur. Indigent igitur medio in quo causatur species intentionalis obecti, & ab ipsa iterum magis spiritualis fit in organo. Ratio ergo necessitatis medij est spiritualitas, quæ est communis omni sensui, licet non æqualiter. Hanc autem rationem diffusius pertractauimus suprà, cùm loqueremur de visu, in quæstione 31. Eandem rationem tangit Iandunus in 2. de Anima, quæst. 29. & Egidius in eodem libro post expositionem textus 111. & est sua secunda quæstio.

Quantùm ad tertium aduerte quòd per experientiam in quolibet sensu videtur posse probari quòd posito sensibili supra sensum sentiatur. Nam experimur in visu quòd percipimus fulgorem existentem in oculo quando comprimimus oculum. Præterea, dicit Philosophus in libro de Sensu & Sensato, in tex. 15. quòd ipse seipsum videt oculus, & tamen constat quòd oculus non distat à seipso. Secundò experimur in auditu quòd percipimus sibilum existentem in aure. Tertiò experimur in odoratu quòd sentimus odorem existentem in naribus. Quartò experimur in gustu quòd febricitans sentit amaritudinem respersam super linguam. Quintò experimur in tactu quòd sentimus carnem calefactam immediatam neruo. Item si neruus nudus pungitur fit maximus dolor, ergo, &c.

Ad primum aduerte quòd de fulgore illo, qui videtur esse in oculo & videri ab eodem satis diximus in libro de Sensu & Sensato. Nam ex eo probare volebant Antiqui ignem esse in oculo, & organum visus æstribuendum igni & visionem fieri extramittendo, quasi quòd oculus emitteret radium siue fulgorẽ vsque ad obiectum visibile. Verùm quòd hæc non concludant iam docuimus in præfato libro. Nunc autem quantum ad propositum spectat nego quòd compresso oculo fiat visio realis illius fulgoris. Nam illud accidit ex concursu spirituum. Vnde illud apparet nobis sicut quando videtur nobis quòd lignum existens in aqua sit fractum vel tortuosum.

Ad aliud dico quòd oculus dupliciter consideratur. Primò secundùm se & præcisè. Secundò vt emittit fulgorem ex sua leuitate in quo repræsentatur ipse oculus: sicut in speculo, quando quis respicit speculum, & oculus videt figuram suam in speculo, & per illam reflexiuè videt seipsum, sic in proposito dico quòd oculus celeriter motus videt in tenebris fulgorem suum, quem emisit antequàm fulgor ille euanescat, & per fulgorem sibi similem videt seipsum. Ad argumentum ergo nego quin oculus in illo casu distet à seipso. Nam distat, vt effectus à causa, & sicut distat ab oculo imago sua impressa in speculo, sic distat ille fulgor emissus ab oculo, per quem oculus videt reflexiuè seipsum.

Ad secundum nego quòd ille sibilus sit in aëre immediato ipsi organo auditus, imò est in aëre respersо in concauitatibus auris.

Ad tertium nego quòd odor qui immediatè tangit carunculas sentiatur, imò necesse est vt sit parùm distantior.

Ad quartum nego quòd ille vapor amarus in ore tangat immediatè neruum, qui est organum, sed priùs respergitur in carne linguæ, quæ est medium in gustu, inde ad neruum peruenit.

Ad quintum dico quòd neruus non sentit immediatam caliditatem, sed à caliditate extrinseca multiplicatur species ad neruum per quam ipsa sentitur. Ad illud de neruo nudo dico quòd si non esset colligatus carni nullum sentiret dolorem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Sensus est receptiuus specierum sine materia, quæ sunt proximũ principiũ cognitionis sensitiuæ, non tamen abstractæ ab hic & nunc.

QVAESTIO LI.

Num diffinitio sensus sit verè assignata à Philosopho.

Sensus est susceptiuus specierum sine materia, tex. 121.

IN hac quæstione duo principaliter pertractanda sunt. Primò quia dicit Philosophus quòd sensus est susceptiuus specierum, ergo supponit species intentionales obiectorum sensibilium, quæ recipiuntur in sensu, & quibus mediantibus apprehendit obiectum suum. Quærendum est ergo à quo causatur huiusmodi species. Secundò inuestigandum est quomodo esse susceptiuum specierum sine materia possit esse propria diffinitio sensus, cùm & medium & speculũ & intellectus recipiant etiam speciem sine materia.

Quantùm ad primã partem inuenio duas opiniones. Prima est Commentatoris in secundo de Anima in commento 60. vbi mouens hoc dubium inquit, Et potest aliquis dicere quòd sensibilia *non mouent sensus* illo modo, quo existunt extra animam. Mouent enim sensus secundùm quòd sunt intentiones, &c. Et determinans dubium in eodẽ commento inquit, Et cùm ita sit necesse est ponere motorem extrinsecum in sensibus alium à sensibilibus, sicut fuit necesse ponere in intellectu. Ex quibus verbis plures Commentist̃ duo eliciunt. Primò quòd fuit opinio Commentatoris obiectum sensibile non posse producere speciem intentionalem in sensu. Secundò quòd necesse est ponere agens extrinsecum distinctum à sensibilibus, quod sit causatiuum specie*rum intentionalium*, *sicut in parte intellectiua* datur intellectus agens producens species intelligibiles eò quòd phantasmata non sufficiunt. Et hoc quidem agens plures Commentistæ ponunt esse quandam intelligentiam, sicut & intellectum agentem.

Quòd autem obiectum sensibile non possit producere speciem intentionalem sic conantur probare. Primò, Obiectum sensibile & species sua intentionalis differunt specie, eò quòd vnum est materiale omninò, alterum autem immateriale, quando autem duo differunt specie, vnum non producitur ab altero, *quoniam nihil agit vltra speciem suã*, vnde albedo non producitur à nigredine.

Secundò, Materiale & immateriale se habent, vt minùs & magis nobile. Sed minùs nobile non est *productiuum* magis nobilis, aliter causa productiua principalis esset minùs nobilis suo effectu.

Tertiò, Magis distant obiectum sensibile & species sua intentionalis quàm phantasma & species intelligibilis. Vtrunque est spirituale, licet nõ æqualiter. Obiectum autem sensibile nullo modo est spirituale, species verò intentionalis est pro aliquo gradu spiritualis. Sed phantasma non potest producere speciem intelligibilem, producitur enim ab intellectu agente illustrante phantasmata, vt declarabitur infrà, ergo multo minùs potest *obiectum sensibile* producere speciem sensibilem intentionalem. Hæ sunt rationes Cõmentistarum, quas intendo soluere postquam pertractauero viam Thomisticam & declarauero illam esse ad mentem Philosophi.

Secunda opinio est beati Thomæ qui tenet obiectum sensibile esse causam productiuam speciei intentionalis, ita quòd non est necesse recurrere ad agens extrinsecum separatum, vt putat Commentator. Intentionem autem beati Thomæ habemus in Quæstionibus de Potentia Dei, quæstione quinta, articulo octauo, qui dicit causam speciei intentionalis esse obiectum sensibile non ex sua proprietate, qua corpus est, sed vt participat aliquid de modo substantiarum separatarum & formarum superiorum. Et verba quidem sua sunt hæc, Sciendum quòd corpus habet duplicem actionem. Vnam quidem secundùm proprietatem corporis, vt scilicet agat per motum. Hoc enim proprium est corporis vt motum moueat & agat. Aliam autem actionem habet secundùm quòd contingit ad ordinem substantiarum separatarum & participat aliquid de modo ipsarum. Sicut *naturæ inferiores consueuerunt aliquid participare de proprietate naturæ superioris*, vt apparet in quibusdam animalibus, quæ participant aliquam similitudinem prudentiæ, quæ propria est hominum. Hæc autem est actio corporis quæ non est ad transmutationem naturæ, sed ad quandam diffusionem & similitudinem formæ in medio secundùm similitudinem spiritualis intentionis, quæ recipitur de re in sensu vel in intellectu. Et hoc modo sol illuminat aërem, & color speciem multiplicat in medio. Hæc beatus Thomas. Dicemus ergo secundùm ipsum quòd obiectum sensibile in se præcisè consideratum non est sufficiens productiuum suæ speciei intentionalis, cùm sit inferioris ordinis vtpotè materiale comparatum spirituali. Si autem consideretur participatiuè, prout scilicet omne per se sensibile est quædam forma simplex participans vtcunque superiorem naturam simplicis & separatæ formæ à materia secundùm rem sic est sufficiens productiuum, nec est inferioris ordinis. Nam licet sit realiter materiale, tamen sub tali participatione censetur spirituale virtualiter. Et quòd hæc via sit consona doctrinæ Philosophi declaratur sic, Dicit Philosophus *in 2. de Anima* text. 111. Sensus *patitur ab habente* colorem, aut humorem aut sonum. Sed non est intelligibile quòd visus patiatur à colorato nisi coloratum aliquid causet in visu. Constat aũt q̃ non causatur secundùm esse materiale, aliter sensus denominaret̃ talis, ergo causatur secundùm esse intẽtionale, quale habet ipsa species intentionalis. Præterea dicit

dicit in c. de visu quòd color est per se visibilis, eò quòd habet in se causam visibilitatis, scilicet esse motiuum diaphani actu. Item sequitur nullum esse sensibile per se. Nam Philosophus in 2. de Anima, in tex. 64. distinxit sensibile per se à sensibili per accidens in hoc, quia sensus nihil patitur à sensibili per accidens, ergo ex opposito sensibile per se est quando aliquid patitur sensus, constat autem quòd non patitur materialiter, ergo intentionaliter. Præterea, videmus ad sensum obiectum causare sui speciem in speculo, ergo non inconuenientiam in visu, cùm sit oculus vt speculum naturale viuum.

Stante hac determinatione non est difficile soluere rationes factas in fauorem Commentatoris.

Ad primum dicitur quòd aliqua possunt differre specie dupliciter. Primò secundùm naturam, vt duæ essentiæ distinctæ gradibus formalibus, vt homo & leo, albedo & nigredo. Et sic conceditur quòd vna non potest producere alteram, quoniam opponuntur contrariè, vel disparatè. Secundò aliquoniam differunt specie quantùm ad modum essendi, putà quia vnum habet esse materiale, alterum autem immateriale, & sic negatur quin vnum possit producere alterum. Sic est in proposito. Nam licet domus in mente artificis & domus ad extrà differant specie, quantùm ad modum essendi tamen domus in mente est causa domus ad extra, ex 7. Metaphy. sic est in proposito. Vnde nego illam propositionem esse veram vniuersaliter, Si aliqua differunt specie, vnum non producit alterum.

A secundam dico, quòd licet minùs nobile ex sua præcisa proprietate non producat magis nobile, tamen potest producere vt participat superiorem naturam, sicut suprà declarauimus de mente B. Tho. Et habemus exemplum de calore naturali, qui vt calor habet alterare, vt autem participat virtutem animæ habet nutrire & seruare animatum.

Ad tertiam nego maiorem. Nam licet species sensibilis comparatiuè possit dici immaterialis, non tamen simpliciter, quia non abstrahit à conditionibus materiæ. Idem dico de phantasmate. Vnde loquendo absolutè, hæc tria, Obiectum, species, Phantasma continentur in genere materialiũ. Non autem hoc est verum de phantasmate & specie intelligibili, quoniã species intelligibilis est omninò immaterialis, phantasma autem materiale est. Vnde non est vtrobique eadem ratio, propter quod sequitur quòd necesse est ponere intellectum agentem propter omnimodam immaterialitatem speciei intelligibilis, non autem est necesse ponere agẽs extrinsecum productiuum speciei intentionalis sensibilis in medio & in sensu, cùm illa *non* ingrediatur genus materialium simpliciter, sed tantùm comparatiuè. Et tamen super hanc similitudinem fundauit se Comm. in com. 60. cum dicit, Et cùm ita sit, necesse est ponere motorem extrinsecum in sensibus animalium à sensibilibus distinctum, sicut fuit necesse in intellectu. Hæc Comm. Patet autem ex dictis quòd hæc similitudo nullam habet firmitatem. Et ideo quasi aduertens infirmitatem suæ rationis dicit *sic in fine* commenti, Aristot. tacuit hoc in sensu, quia latet, & apparet in intellectu. Et tu debes hoc considerare, quia indiget perscrutatione. Hæc Commentator.

Quantùm ad secundam partem principalem sic procedẽdum est. Primò ponetur quædam distinctio. Secundò manifestabitur quòd esse susceptiuum speciei sine materia nõ est proprium sensui, nisi limitetur. Tertiò quomodo hæc diffinitio Philosophi est supplẽda, vt conueniat soli sensui. Quartò soluetur dubium vnum.

Quantùm ad primum aduerte quòd text. Philosophi in quo inquit sensum esse receptiuum specierum sine materia potest dupliciter exponi. Primò sic, Sẽsus receptiuus est species, id est, formarum sine materia, id est, non recipiendo materiam in qua est talis species, putà odoratus recipit odorem non recipiendo odorabile, & in hoc sensu non loquitur Philosophus. Est enim commune omni patienti. Nam ignis communicat aquæ calorem dum calefit, & tamen non communicat aquæ materiam ignis. Secundò sic, Sensus est receptiuus specierum sine materia, id est, sine esse materiali, eò quòd sensibilia habent in suis subiectis esse materiale & naturale, & denominant ea esse talia, in sensu autem habent esse intentionale & per consequens pro aliquo gradu spirituale at immateriale, nec denominant sensum talem, putà album vel nigrum. Et hæc fuit intentio Philosophi, quasi dicat, Sensus est receptiuus specierum sine materia, id est, modo immateriali ad differentiam corporum inanimatorum, quæ recipiunt modo naturali & materiali. Et hanc intelligentiã super dictum text. sequitur Commentator in commen. 521. vbi inquit, Et opinandum est, quòd receptio formarum sensibilium ab vnoquoque sensu est receptio abstracta à materia. Si enim reciperet eas cum materia, tunc idem esse haberent in anima & extra animam, & ideo in anima sunt intentiones & comprehensiones, & extra animam non sunt intentiones & comprehensiones, sed res materiales. Declarato textu Philosophi per distinctionem datam, probare de facili poteris sensum esse receptiuum formarũ sensibilium sine materia modo præexposito. Sic autem probare poteris, Sensus recipit à sensibili per se & proprio aliquam formam, aliter sensibile non reduceret sensum de potentia ad actum, cuius oppositum docuit suprà Philosophus, aut igitur recipit secundùm esse materiale, vel immateriale: non primo modo, quia forma haberet idem esse in anima & extra animam, ergo sicut extra animam non est principium proximum comprehensionis, sic nec in anima, quod est falsum, vt patet. Præterea, si reciperet secundùm esse materiale, ergo visus recipiens albedinis speciem potest dici albus, sicut paries aut charta, quod est absurdum dicere, ergo sequitur quòd recipiat secundo modo.

Quantùm ad secundum, scilicet quòd recipere speciem sine materia non sit proprium sensui non indiget multa inquisitione. Constat enim quòd medium recipit intentionaliter, & licet non sit ita manifestum in medio cuiuslibet sensus, hoc tamen constat in medio visus & in speculo. Constat etiam apud Philosophum quod intellectus recipit species sine materia. Vnde dicit Philosophus in tertio libro, quod anima est locus specierum nõ tota, sed intellectiua, & est tex. 6. Quare circa hoc non est immorandum.

Quantùm ad tertium aduerte quòd Philosophus cùm dicit sensum esse susceptiuum specierum sine materia, videtur huchi contra Antiquos, qui ponebant animam compositam ex omnibus entibus realiter, vt cognosceret omnia entia, vnde in visu ponebant omnes colores realiter vt suprà declarauimus. Contra quos dicit Philosophus, Sensus est susceptiuus specierum modo immateriali, & non modo materiali siue naturali. Et exponendo sic textum, hæc non esset propria descriptio, nec diffinitio sensus, sed potiùs declaratio quomodo recipit sensibilia. Nam descriptio & diffinitio non debent alteri competere, quàm descripto aut diffinito. Verùm quia Commentator in commento 121. videtur innuere hanc esse vniuersalem descriptionem de sensu, & B. Thom. exponens dicit quòd Philosophus ostendit hic quid sit sensus, & ex diffinitione data de sensu soluit infrà quasdam quæstiones siue dubitationes, ideo iudicio meo sic extendenda est prædicta diffinitio vt fiat propria sensui. Sensus est susceptiuus specierum sine materia, quæ sunt proximum principium cognitionis sensitiuæ, non tamen abstrahunt ab hic & nunc. Per hoc quod dicitur, Sine materia vel immaterialium, differt sensus à patiente naturali, quod naturaliter & secundùm esse materiale recipit & non secundùm esse intentionale. Per hoc quod dicitur, Quæ sunt proximum principium cognitionis sensitiuæ, differt à medio, quoniam licet aër aut aqua recipiant intentionales species colorum, tamen vt sunt in medio non sunt proximum principium sensationis nisi immaterialiores recipiantur in organo sensus. Potes etiam dicere quòd sensus recipit species immateriliter subiectiuè, medium autem non simpliciter subiectiuè, sed magis per modum deferentis, ideo dupliciter differt sensus à medio, vt patet ex dictis. Per hoc autem quòd dicitur, Non tamen abstrahunt ab hic & nunc, differt sensus ab intellectu, eò quòd species intelligibiles sunt in vltimo abstractionis, cùm abstrahant ab omnibus conditionibus materiæ & ab omnibus circunstantiis indiuiduantibus. Vnde imaginandum est secundùm Alber. & Com. quòd in infimum gradum immaterialitatis & abstractionis obtinet species sensibilis in medio, secundum in organo sensus exterioris, tertium in sensu communi, quartum in phãtasia, quintum in cogitatiua, supremum obtinet species intelligibilis in intellectu abstracta à phãtasmate illustratione intellectus agentis. Tu igitur aduerte quòd si hoc modo predicto formaueris diffinitionem de sensu fiet vera diffinitio, aliter autem non, eò quòd non conuerteretur diffinitio cum diffinito. Est enim in plus esse susceptiuum specierum sine materia quàm sensus.

Quãtùm ad quartum aduerte quòd diffinitio data de sensu non videtur competere omni sensui. Nam gustus & tactus vt experimur recipiunt species non intentionaliter, sed naturaliter. Verè enim alterantur à qualitatibus tangibilibus & denominantur tales, putà manus tangendo calidum

sic calida & lingua gustando humidum humectatur, ergo diffinitio sensus non competit omni, &c.

Ad hoc respondetur quòd etiam in tactu & gustu est susceptio specierum intentionaliter, quæ est per se ratio sentiẽdi. Sed verum est quòd tactus & gustus cùm sint minùs spirituales quàm alij sensus recipiunt etiam modo materiali. Sed hęc receptio materialis nõ est per se ratio sentiendi, imò magis imperficit sensationem tactus. Nõ enim tactus sentit nisi quia est sensus, est autẽ sensus quia pro aliquo gradu est spiritualis. Sensus enim vt sensus est potentia pro aliquo gradu spiritualis. Quòd ergo sentiat, est quia spiritualiter, & nõ quia naturaliter recipit. Patet igitur quòd argumẽtum non aliud concludit nisi quòd gustus & tactus non recipiunt purè intentionaliter. Quod vtique conceditur, cum hoc tamen stat quòd eis competit diffinitio data de sensu. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO LII.

Num excellens sensibile corrumpat sensum & organum, & propter quid.

Manifestum autem ex his & propter quid sensibilium excellentiæ corrumpunt sensitiua: si nanque sit fortior sensitiuo motus, soluitur ratio, hoc autem erat sensus. tex. 123. Et hoc idem infrà in tex. 143. Inquit enim, Et sensus est similis proportio, & ùm fuerint intensa, s. sensibilia, nocebunt & corrumpent.

Excellens sensibile, cùm destruat sensu rationem, id est proportionem, corrumpit sensum.

IN hac quæst. aduerte, quòd conclusio in se non est difficilis, s. quòd excellens sensibile corrumpit sensum. Nam ab effectu constat, & experimur, quòd excellens sensibile destruit actum sensus, & impedit ne rectè iudicemus de ipso, vt quando defixo intuitu conamur videre Solem, nec iudicare rectè possumus qualis aut quãtus sit, imò nec post desiderium incuitum iudicare possumus de aliis coloratis. Non solùm autem corrumpit sensum quò ad actum suũ, sed etiam destruere potest substantiam organi, & per consequens potentiam sensitiuam. Nam tãdiu posset aliquis intueri solem quòd efficeretur cæcus. Difficultas autem huius quæsiti stat in redditione causæ, quam adducit Philosophus in text. 123. Dicit enim hoc ideo esse quia ab excellenti sensibili soluitur ratio, & per rationem intendit proportionẽ, vt patet in tex. 143. in qua proportione consistit organum sensus, vt tonus in consonantia vocum. Et Comment. in comment. 123. vocat illam proportionem intentionem. Inquit enim, Quando motus sentientis à sensibili fuerit fortior quàm sentiens possit tollerare dissoluetur illa intensio, per quam sentiens est sentiens, & remanebit corpus sine illa intensione, quæ est sensus. Hæc Commentator.

Sed hæc ratio assignata à Philosopho non videtur valere in omni sensu, imò valet tantùm in actu. Solum enim instrumentum tactus habet medietatem & proportionem sui proprij obiecti, quæ sunt principaliter quatuor primæ qualitates tangibiles, & dico proportionem per participationem vt dictum est suprà, in q. de Tactu. Organa autem aliorum sensuum sunt omninò denudata à participatiõe sui obiecti. Vnde dictum est in cap. de Visu, diaphanum & pupillam debere esse sine omni colore. Similiter aër complantatus in aure sine omni sono. Ergo ratio Philosophi non concludit nisi de tactu, & tamen intentio sua est assignare causam vniuersalẽ in omni sensu, quare corrumpitur ab excellenti sensibili, cuius signũ est quòd infrà, in tex. 143. dicit vniuersaliter, quod in omni sensu extrema contristant, eò quòd soluunt simphoniam & contemperantiam sensus.

Vt igitur appareat quomodo ratio Philosophi verificatur pro quolibet sensu, quo viso resolutum erit præsens quæsitũ, præponenda est quædam distinctio, ex qua manifestabitur sensus Philosophi. Deinde soluentur duo argumenta, quæ videntur apparentia contra determinationem quam faciemus.

Quantùm ad primum sit distinctio hæc, Proportio in organo & in sensu potest dupliciter accipi. Primò per participationem sui proprij obiecti, putà quia obiectum remissè sumptum ingreditur constitutionem organi, vt in tactu organum confluatur ex contemperamento calidi & frigidi, humidi, & sicci. Et hoc modo non intelligit Philosophus rationem siue proportionem, sicut sufficienter probat ratio adducta in oppositum. Secũdò sumitur proportio per comparationem ad ipsum pati sensum ab obiecto. Vnde aduerte quòd licet sensus possit pati à proprio obiecto secũdùm totam latitudinem ipsius obiecti, putà gustus potest immutari à sapore quantumcunque intenso & etiam remisso, tamen naturale est ipsi sensui vt immutetur ab obiecto mediocriter sumpto, sic enim perficitur & saluatur sensus, eiusque operatio redditur delectabilis, vt experientia constat. Et quoniam organũ & sensus naturaliter respiciunt proprium obiectũ sub tali mediocritate, ideo dicit Philosophus quòd si motus obiecti fortior sit sensitiuo, id est, quàm naturaliter possit pati organum & sensus soluitur ratio, id est, proportio, qua naturaliter pro tanto gradu & non secundùm totam latitudinem sensus & organum sunt apta perfectiuè & delectabiliter immutari ab obiecto. Et hoc secundo modo sumit Philosophus proportionem, quæ saluatur in omni sensu. Aduerte tamen, quòd hæc proportio non est eiusdem rationis in omni specie animalis. Nam lumen quod pro tanto gradu est delectabile oculo humano erit improportionatũ oculo noctuæ. Et huius quidem diuersitatis primam radicem putandũ est esse diuersitatem cõplexionis organi in animalibus distinctis specie, ex quo sequitur quòd lumẽ proportionatum oculo humano est cõtristatiuum in oculo noctuæ.

Quantùm ad secundum aduerte duo argumenta satis apparentia contra determinationem factam.

Primum, Omnis immutatio intentionalis, vt intentionalis est perfectiua, est enim sine alteratione physica, immutatio sensus ab obiecto est intentionalis dato quòd obiectum sit valde excellens. Recipit enim sensus speciem sine materia, & hoc præcipuè patet in visu, in quo sola intentionalis immutatio inuenitur: ergo excellens sensibile non debet corrumpere, sed potius perficere sensum.

Ad hoc respondetur quòd immutatio realis & alteratiua in hoc per se differt ab immutatione intentionali, quòd illa est per se corruptiua, eò quòd est de contrario in cõtrario, & per abiectionem formæ oppositæ, vt calefactio est per abiectionem frigiditatis & receptionẽ caloris, immutatio autem intẽtionalis per se est perfectiua, eò quòd per se est producliua alicuius formę sine abiectione contrarij. Cùm enim albedo causat sui speciem in medio, aut in sensu, aut in specu lo nulla forma vt sic abiicitur. Et ideo, quia immutatio intentionalis est per se productiua & non abiectiua, ideo dicitur perfectiua, vt intentionalis est. Cum hoc tamen stat quòd est corruptiua non secũdùm se, sed ratione alicuius adiunctũ, putà quia tanta immutatio excedit naturalitatem patientis. Sic est in proposito, quia immutatio intentionalis, quę fit ab excellenti obiecto, non est naturalis tali sensui in tali animali, ideo per accidens est corruptiua.

Secundum, Potentia quæ adęquatè respicit aliquod obiectum vt sui perfectiuum, respicit totam latitudinem ipsius obiecti vt perfectiuam. Quod enim simpliciter & adęquatè dicitur, totam gradualem latitudinem comprehendit. Sed sensus, putà visus, respicit colorem simpliciter & adęquatè, eò quòd color, vt color est eius obiectum adęquatum, vel visibile vt diximus suprà, ergo respicit omnem gradum coloris siue visibilis vt perfectiuum. Non ergo debet corrumpi ab excellentia sui obiecti, quoniam & illa excellentia sub ipsa latitudine comprehenditur.

Ad hoc respondetur quòd sensus vt sensus est, & in toto suo ambitu consideratus, obiectum suum simpliciter & secundum suam totam latitudinem respicit. Omnis enim gradus coloris siue ipsius visibilis naturaliter ab aliquo visu perceptibilis est. Sic omnis gradus soni, &c. Si tamen consideretur sensus vt in tali specie animalis dico, quòd non respicit obiectum suum secundùm totam latitudinem, sed sub certis gradibus. Et ideo vltra illos gradus patitur & corrumpitur. Ad argumentum ergo nego minorem considerando sensum non abstractè & simpliciter, sed physicè & applicatè ad hanc vel illam speciem animalis. Sic enim de sensibus apud Physicum considerandum est. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO LIII.

Num inanimata non patiantur ab odore & colore & sono & lumine & tenebra, patiantur tamen à tangibilibus & saporibus.

Dubitabit autem aliquis, si patiatur aliquid ab odore quod impossibile est olfactum habere, aut à colore non possibile videre, &c. tex. 125. & 126.

IN hac quæst. aduerte, quoniam dicit Philosophus in prædicto text. quòd ea, quæ non habent olfactum non patiuntur ab odore, & quæ non habent auditum, non patiuntur à sono, & quæ non habent visum, non patiuntur à colore, nec à lumine, nec à tenebra, sequitur quòd inanimata quæ carent his sensibus non patiuntur à prædictis, quod tamen videtur falsum. Nam odor receptus in aqua, vel in aëre facit ipsam odoriferam, ergo aqua & aër, quæ carent odoratu patiuntur ab odore. Similiter vehemens sonus, vt tonitruum, scindit lignum, quod caret auditu. Similiter lumen Solis calefacit aërem ex secundo Cœli, qui caret visu, ergo, &c. Et quoniam dicit in tex. 126. quòd tangibilia & sapores agunt in re inanimata, videtur falsum, maximè de sapore, quoniam nullum videmus effectum, quem faciat sapor in re inanimata.

Vt igitur appareat quomodo dicta Philosophi vera sunt, loquemur primò de odore & sono & colore. Secundò de lumine. Tertiò de saporibus.

Quantùm ad primum aduerte quòd, apud Com. in com. 125. & 126. differentia est inter visum, auditum, & odoratum ex vna parte, & tactum ac gustum, vt est quidem tactus ex alia parte. Nam tres primi sunt in genere relationis per se, ita quòd visibile refert videns, sonus auditum, odor vt odor olfactum, & econuersò. Et ideo apud ipsum color & odor & sonus non immutant per se nisi sensum. Vnde quæ non habẽt sensum non dicuntur immutari per se & formaliter ab illis, sed ratione adiuncti. Verbi gratia, Quia odor est in corpusculis euaporatis, quæ immiscentur aeri, aut aquæ, dicimus quòd odor non vt odor, sed per admixtionẽ odorabilis reddit aërem odoriferum. Similiter sonus vt sonus sicut dicit Philosophus in tex. 126. non agit in corporibus actione alteratiua, sed respectu adiuncti, id est motus localis, qui ad sonum concurrit vt patet in c. de Auditu. Sicut tonitruum scindit lignum, nõ vt tonitruum, sed propter vehementissimum motum aëris. Dico autẽ, Alij sensus, scilicet tactus & gustus vt est quidam tactus secundùm Com. in com. 125. sunt in genere actionis & passionis per se, in genere autem relationis per accidens. Quod sic intelligo, Quia obiectum tactus principaliter sunt quatuor primæ qualitates: & illę secũdùm se sunt actiuæ & passiuæ ex 2. de Generatione, ex consequenti sunt alteratiuæ. Alteratiuum autem respicit alterabile. Alterabile verò indifferenter conuenit animato & inanimato. Et ideo qualitates primæ tangibiles per se immutant alteratiuè tam inanimata quàm animata. Quòd autem respiciant tãgens aut tactum inquantùm sunt alteratiuæ, est per accidens, quoniam remoto tactu adhuc sunt alterius immutatiuæ, scilicet corporis alterabilis. Et ideo dicit Cõmen. quòd per accidens sunt in genere relationis, id est, per accidens respiciunt tangens, aut tactum. Et quoniam sermo Philosophi est intelligendus de per se, ideo dicit colorem vt color est, sonum vt sonus est, odorem vt odor est non agere nisi in habente sensum. Tangibilia verò & sapores agere in habente sensum & in non habente.

Quantùm ad secundum, s. de lumine, aduerte quòd duæ sunt actiones luminis solaris, s. illuminare & calefacere. Prima non est alteratiua, nec cum abiectione cõtrarij, quoniam lumini opponitur solùm tenebra, quæ est priuatio & non qualitas contraria. Secunda est alteratiua, sed non competit lumini præcisè, imò concurrit motus localis. Nam vt determinauimus in lib. 12. Metaph. in illa quæst. Quomodo cœlum agat in hæc inferiora, si cœlum quiesceret Sol quidem illuminaret partem terræ sibi oppositam, sed non calefaceret. Et quoniam vt diximus, sermo Philosophi intelligendus est per se, cùm lumen vt lumen non alteret nisi adiuncto motu locali, ideo computauit lumen, & tenebram in eodem gradu cum sono & odore.

Quantùm ad tertium, scilicet de saporibus, aduerte quòd aliter exponendus est tex. Philosophi 126. vbi inquit, Sed tangibilia & sapores agunt. Si enim non, à quo vtique patiẽtur inanimata & alterabuntur secũdùm B. Tho. & Egid. & aliter secũdùm Com. Nam B. Tho. & Egid. volunt dictũ Philosophi esse verum materialiter, vt sit sensus, Sed tangibilia & sapores agunt, &c. non inquantùm sapores, sed inquantùm fundantur in humido, vt declarauimus in libro de Sensu & Sensato: humidum autem cum sit qualitas tangibilis & alteratiua per se, agit indifferenter in habente sensum & in non habente, secundùm Comm. verò in commen. 126. potest exponi de sapore, vt sapor est. Et cùm arguitur, quòd non videmus aliquem effectum causatum à sapore in re inanimata falsum est. Nam vt adducit Com. in eodem com. Platonem in Timæo, videmus, quòd diuersi sapores habent in corporibus inanimatis diuersas passiones adiunctas calefactioni & infrigidationi. Verbi gratia, Exasperare, quod est pontici, lenificare quod est vnctuosi, & alia multa quæ dicta sunt in Timæo, quæ Galenus laborat exponere. Hæc Com. Et hæc dicta sint pro præsenti quæsito.

QVAESTIO LIIII.

Num Philosophus ponat conuenienter differentiam inter odorare & pati ab odore.

Quid igitur est odorare præter pati aliquid. tex. 127.

IN hac quęst. aduerte quòd difficultas stat in hoc, cùm odorare fit idem formaliter quòd sentire odorem non videtur Philosophus quietasse intellectum dubitantis. Si enim quæreret dubitans, in quo differunt sentire odorẽ & pati ab odore non potest responderi nisi quòd odorem sentire est odorare & sic remanet quæst. dubia, vt suprà.

Odorare est odorẽ sentire ad uertenter, pati verò ab odore est quomodocunque immutari ab odore.

Vt igitur cognoscas quòd per ly Sentire odorem ponit Philosophus sufficientem differentiam inter odorare & pati ab odore aduerte quòd odor, similiter quodcunque aliud sensibile proprium potest tribus modis esse in alio. Primò naturaliter, sicut accidens in subiecto, vt odor in pomo, color in colorato, calor in calido, sonus in aëre. Et hæc dicitur receptio materialis, quia secundùm esse materiale. Secundò intentionaliter, id est secundùm esse spirituale. Sic recipitur color in diaphano, & in speculo, & in organo visus. Et huiusmodi non denominantur colorata à colore sic recepto. Similiter recipitur intentionaliter odor in medio ad magnam distantiã vt diximus in c. de Odoratu. Tertiò sensibiliter, quod quidem est idem cum recipi intẽtionaliter in organo sensus. Dixit enim Philosophus suprà q̃ sensus est receptiuus specierum sine materia. Sed suprà ly Intentionaliter addit Aduertenter. Nã dato quòd color recipiatur intentionaliter in medio illuminato & in papilla, si homo esset fixus imaginans circa aliud obiectũ cogitando de seipso intensè non videret colorem, nec coloratũ ante se positum. Et quòd non videat non est alia causa nisi quia non aduertit se immutari à colore ante se posito. Recipi ergo obiectũ sensibiliter in sensu est recipi intentionaliter aduertẽter. Et hoc tale recipi coagente sensu actiuè est idem q̃ sentire. Dico autem Coagente sensu actiuè, quoniam vt determinauimus suprà, sensatio non est purè actiuè ab obiecto, nec est sensum purè pati ab obiecto, sed sensus cõcurrit passiuè in recipiendo specię, & actiuè in eliciendo sensationem. Ex his declaro differẽtiam positam à Philosopho inter odorare & pati ab odore esse cõuenientem. Nam pati ab odore & odorare se habent vt magis commune & minus commune. Pati enim ab odore indifferenter verificatur de triplici modo suprà assignato recipiẽdi odorem. Nam aqua effecta odorifera patitur ab odore & aër multum distans ab odorabili, & propinquus odorãti recipiens speciem odoris patitur ab odore. Et organũ cui est alligata potentia odoratiua recipiens speciem odoris aduertenter patitur ab odore. Odorare autem verificatur solùm tertio modo. Vnde solutio Philosophi sic est interpretãda, Odorare differt à pati ab odore, quoniam odorare & sentire odorem, est recipere odorem sensibiliter. Hoc autem est recipere odorem immaterialiter aduertenter. Aduertẽter autem est per virtutem animæ cognoscitiuam. Sed pati ab odore est recipere odorem vel purè materialiter, sicut recipit pars aëris propinqua odorabili, vel intentionaliter tantùm, sicut pars aëris multùm distans ab odorabili. Et ex his receptionibus licet aër patiatur ab odore, non tamen est odorans, quia deficit sibi tertia receptio. Et aduerte quòd Com. in com. 127. in fine paucis verbis explicat hanc differentiam dicens, Si igitur aliquis quæ fierit & dixerit, Cùm olfacere fit passio, & receptio odoris à medio fit passio etiam, quæ igitur est differentia inter vtranq; passionem? Dicemus ei, quòd cùm aër patiatur velociter à sensibili efficitur per hanc passionẽ sentiens non sensibile. Hæc Com. Patet igitur quomodo differentia assignata à Philosopho inter odorare & pati ab odore fuit conueniens. Nam odorare est pati ab odore & non econuersò. Limitat enim odorare ly Pati ab odore, sicut homo limitat animal. Vnde odorare est pati ab odore nõ absolutè, aliter aër odoraret, sed est pati ab odore sensibiliter aduertenter, vt exposuimus. Et hoc est idem quòd sentire odorem, & sic quietatur intellectus dubitantis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO LV.

Num sensus exteriores sint tantùm quinque.

Quoniam autem non sit sensus alius præter quinque. tex. 128.

Quinque tantùm sunt exteriores sensus.

IN hac quæstione aduerte, quòd Philosophus à tex. 128. vsque ad textum 134. immoratur ad probandum quòd non sunt, nisi quinque sensus exteriores. Probat autem quadruplici via, scilicet ex mediis, ex organis, ex sensibilibus propriis, ex sensibilibus communibus. Et quoniam in suis probationibus Philosophus assumit plures propositiones, quæ primo aspectu videntur falsæ, ideo sic procedemus. Primò assignanda est sufficientia quinque sensuum exteriorum. Secundò sustinendæ sunt quinque propositiones Philosophi, & declarandæ in quo sensu sint veræ.

Quantùm

Quantùm ad primum,aduerte,quòd sufficientia quinque sensuũ solet à diuersis diuersimodè assignari. Tu tamen sequere B.Tho.in 2.de Anima,in expositione tex.135.vbi formaliter ponit eorum sufficientiam sumptam ex parte obiectorũ,quam & formaliùs & distinctiùs ponit in prima Parte, in q.68.in arti.3.Et vide tu,quoniã difficultatem non continet. Quod si vis iuxta viam Com.incedere, quæ non repugnat B. Tho.sequere Iandu. in 2.de Anima,in q.32.Illud solùm caue circa finem quæst.vbi dicit quòd sensus actiuus & passiuus debent computari pro vno, inquantùm sunt vnũ secundùm analogiam, vel inquantùm ordinantur ad vnum finem, &c. Id quidem nos non concedimus,nec celebriores Commentistæ,quoniam non acceptamus sensum actiuum distinctum realiter à sensu passiuo,sed eundem sensum esse actiuum & passiuũ vt determinauimus suprà contra Iand.in q.21.Et aduerte quòd fortius argumentum probans dari plures sensus quàm quinque sumitur ex tactu, qui cùm sit plurium primarum contrarietatum, videtur esse plures sensus. Sed illud iam soluimus suprà in quæst. 47.vbi inuestigauimus de vnitate & pluralitate tactus.

Quantùm ad secundum aduerte quòd prima Philosophi propositio quæ videtur esse falsa est in tex.128.vbi dicit ꝙ tactu sentimus omnes tangibiles qualitates, vbi Com. dicit ꝙ similiter est de qualitatibus visibilibus & audibilibus & olfactiuis. Sed hoc apparet falsum,quia multa animalia habent visum,quæ tamen non apprehendunt omnes differentias colorum,sicut pisces & habentia oculos duros,& sicut noctua. *Et homo per odoratum non sentit omnes species odoris*, eò quòd homo malè odorat ex 2.de Anima,tex.91.

Ad hoc respondetur quòd propositio Philosophi est vera considerando sensum ex natura sensus,cuius obiectũ est color vniuersaliter sumptus,vel odor vel sonus eodem modo. Quod autẽ in aliquo animali visus non percipiat omnes differentias coloris,vel odoratus omnes differẽtias odoris,hoc nõ prouenit ex sensu secũdùm se,sed ex tali dispositione organi in tali animali,vt exemplificatũ est de habentibus oculos duros.De homine autem quòd non percipiat omnes differentias odoris ex indispositione organi nõ est cõcessum ab omnibus,& id iam determinauimus supra in q.39.vbi exposuimus illud dictum Philosophi,Prauè enim odorat homo.

Secunda propositio,quæ videtur falsa est in tex.129.vbi dicit Philosophus, Quæcunque quidẽ ipsi tangentes,id est sine medio extrinseco sentimus,tactu sensibilia sunt. Sed hoc videtur falsum.Nam per sensum cõmunem, vt dicemus infrà, cognoscimus omnia sensibilia quinque sensuũ, ergo non est necesse quòd ea quæ sentimus sine medio extrinseco sentiamus tactu,cùm possint sentiri sensu communi.

Quantùm ad hoc respõdetur quòd propositio Philosophi debet intelligi de sensu sentiente primò qualitates tangibiles,hìc autem non potest esse nisi tactus.Quod autem arguitur de sensu cõmuni non valet,quoniam ipse non primò immutatur à sensibilibus, sed supponit immutationem iam factam in sensu exteriori,vt dicemus infrà quando quæremus si datur sensus communis. Vnde cæcus natus nullo modo per sensum communem apprehendit colorem.

Tertia propositio,quæ videtur falsa est in tex. 129.vbi dicit Philosophus,Et ita est scilicet quòd si per vnum fiant sensibilia plura vno,quæ differunt abinuicem genere,necesse est habens istum sensum quòd sentiat vtrunque. Et intẽdit Philosophus dicere quòd si per vnũ medium cognoscuntur plura sensibilia,vt per aërem color & sonus, habens organũ cõforme illi medio,cognoscet per illud organũ illa plura sensibilia.Sed videtur hoc esse falsum,nam per aërem cognoscitur color & sonus, & organum auditus est conforme aëri. Constat enim ex aëre cõplantato,vt diximus suprà,& tamen per organum auditus non cognoscitur color & sonus.

Ad hoc respondetur quòd dictũ Philosophi sic debet intelligi, Si plura sensibilia distincta genere cognoscantur per idem medium,habens organum conforme illi medio prout est medium vtriusque illorum sensibilium per illud organũ cognoscit illa plura sensibilia.Sed non est sic de organo auditus. Nam licet aër sit medium in sentiendo colorem & sonum,tamen non per eãdem dispositionem,imò per diuersas. Nam aër prout diaphanus est medium in videndo colorem, prout verò condensabilis & rarefactibilis est medium in sentiendo sonum. Organum autem auditus est conforme aëri non secundùm quòd diaphanus, sed vt est condensabilis & rarefactibilis,ideo per ipsum cognoscitur solùm sonus, & non color, secus esset si conformaretur aëri secundùm vtranque dispositionem,tunc enim per ipsum & sonum & colorem cognosceremus. Et sic patet dictum Philosophi esse verum,si rectè,vt declarauimus,intelligatur.

Quarta propositio, quæ videtur esse falsa est in tex.130.vbi Philos.declarans quomodo organa sensuum à prædominio sunt attribuenda elementis,dicit,Pupilla quidem aquæ,auditus verò aëris,olfactus verò horum alterius est: ignis autẽ aut nullius est,aut cõmunis omnibus. Sed oppositum huius dicit in lib.de Sensu & Sensato,vbi attribuit organum visus aquæ,auditus aëri,odoratum verò attribuit igni.

Ad hoc respondetur quòd Philosophus in lib.de Sensu & Sensato non dicit odoratũ attribuendum igni simpliciter & ex propria sentẽtia,sed quasi cõdescendens Antiquis,qui sic extimabant.Et quòd hæc fuerit mens Philosophi patet ex eo quòd cõditionaliter loquitur.Sic enim inquit,Quòd si oportet secundùm hunc modum,id est vt dicebant Antiqui attribuere & assignare vnunquodque sensitiuorũ vni elementorum,oculi quidem visiuum aquæ extimãdum,aëris verò sonorum sensitiuum, ignis autem odoratum. Cùm igitur in 2. de Anima loquatur ex propria sententia,& in libr.de Sensu & Sensato,non ex propria sententia, sed aliquo modo condescendens Antiquis & conditionarè loquatur, patet non esse veram repugnantiam in dictis suis.

Quinta propositio,quæ videtur esse falsa est in tex.133.vbi dicit Philos.quòd sensibilia communia sunt sex,scilicet motus,status,magnitudo,figura,numerus,vnum.Nam suprà in tex.64.posuit tantùm quinque,dimisit enim vnum, ergo aut supra fuit diminutus,aut hìc non videtur verum dicere.

Ad hoc respondetur quòd vnitas comprehenditur in numero,vt pars in toto.Vnde Philoso.tractans suprà de Numero quomodo est sensibile cõmune implicitè tractat de vno,& ideo non fuit diminutus. Aduerte tamen quòd solus numerus quãtitatiuus est sensibile commune & non numerus transcendens,vel metaphysicalis,eò quòd ille non causatur diuisione continui,vt declarauimus in 8. Metaph. in Quæst. nostris,& est q.11.sic solùm vnum quantitatiuum & non vnũ transcendens intelligitur hìc à Philosopho esse sensibile cõmune. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO LVI.

Num sensus exterior cognoscat actionem suam.

Quoniam autem sentimus quod videmus & audimus. Necesse est aut visum sentire quia videt, aut altero. tex.136.

IN hac quæst.aduerte quòd Philosophus in hac conclusione,Sensus exterior cognoscit actionem suam,purè disputatiuè procedit ad vtranque partem arguens,& quasi indeterminatus transiit. Se tamen magis determinauit in libro de Somno & Vigilia ad partem negatiuam,vbi inquit, Est autẽ quædam potentia communis,quæ sequitur omnes,quia & ꝙ videt sentit & audit.Non enim sensus quidem videt,quoniã videt:hæc Philosophus.Quia tamen vtraque opinio sustineri potest,scilicet quòd sensus exterior cognoscit actionem,& quòd non cognoscit,ideo procedes media via, quæ erit hæc. Sensus exterior vt immutatur ab obiecto suo non cognoscit actionem suam, vt autem continuatur & per consequens aliquo modo fit vnum cum sensu communi cognoscit eam. Pro cuius euidentia aduerte,ꝙ, vt dicemus, cùm loquemur de parte intellectiua, sola potentia omninò immaterialis, qualis est intellectus,seipsa præcisè cognoscit actum suum. Cognoscit enim intellectus lapidem, & se cognoscere lapidem.Cùm autem sensus exterior non sit potentia omninò immaterialis, est enim affixa organo, non potest seipso vt *immutatur ab obiecto cognoscere actionem suam*, ergo vel nullo modo cognoscit eam,sed hoc pertinet ad altiorem potentiam,vel cognoscit vt fit vnum cum sensu communi. Fit autem vnum prout sensatio exterior non completur donec terminetur ad sensum communem, sicut non completur linea protracta à circunferẽtia donec terminetur ad cẽtrum. Dicemus igitur quòd sensus,putà visus,videt colorem,& videt se videre colorem non præcisè inquantùm immutatur à colore,quia visio non est colorata,sed prout visio terminatur ad sensum communem. Tunc enim per talem continuationem est æquipollenter visus. Et quod dico de visu intellige de aliis sensibus, vt continuantur sensui communi. Nam sicut idem centrum æquipollet distinctis punctis, ad quæ terminarentur distinctæ lineæ,si non vnirentur in centro: sic idem sensus communis æquipollet omnibus sensibus exterioribus,prout eorum sensationes complementum habent in sensu communi. Patet igitur quomodo cognoscit sensus & nõ cognoscit actionem suam. Non cognoscit quidem per seipsum,cognoscit autem, vt fit vnum cum sensu communi. Nam vt sic est vna actio vtriusque. Et hoc est quod dicunt alij

alij,scilicet quòd sensus exterior per seipsum & directè non cognoscit actionẽ suam.Indirectè tamen cognoscit inquantùm immutat sensum cõmunem.Sensus verò cõmunis directè percipit actionem sensuum exteriorum,eò ꝙ directè immutatur ab immutationibus factis in sensibus exterioribus.

Ex prædictis concordare poteris Philosophum in libr. de Anima,& in lib.de Somno & Vigilia. Nam si videtur in lib. de Anima declinare ad partem affirmatiuam intelligendum est quòd indirectè. Cùm autem in libro de Somno & Vigilia, tenet absolutè partem negatiuam, intelligendum est directè & in se,prout, scilicet est distinctus à sensu communi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO LXVII.

Num detur sensus communis, & nunquid sit vnus.

Neque vtique separatis contingit discernere quod alterum sit dulce ab albo sed oportet aliquo vno vtraque manifesta esse. text.147.

IN hac quæst.quatuor agenda sunt.Primò considerandum est si necesse est dare sensum communẽ.Secũdò si est vnus vel plures.Tertiò supposito quòd sit vnus,quem modũ vnitatis habet. Quartò supposito quòd habeat vnitatem admixtam diuersitati,à quo trahit hãc vnitatem & diuersitatem.

Quantùm ad primum ponitur hæc conclusio, in qua omnes Peripatetici conueniunt,Præter quinque sensus particulares exteriores,de quibus iam pertractatum est, necesse est dare alium sensum,ad quem terminentur omnes immutationes sensuum exteriorum, vt ad cmõunem terminum.Et sic probatur, Si non datur, &c. ergo differentia inter obiecta distinctorum sensuum,putà inter album & dulce,remaneret nobis incognita secundùm sensum,cuius contrarium experimur. Nam constat quòd ad sensum indicamus album & dulce distingui, quorum vnum apprehendimus visu & alterum gustu.Consequentia quidem sic probatur,Quæcunque virtus cognoscitiua ponens differentiam inter aliqua duo, necesse est vt vtrunque apprehendat: hæc de se patet,quoniã iudicium inter aliqua supponit cognitionem eorum. Sed nullus sensus particularis exterior apprehendit obiecta distinctorum sensuum,aliter nõ respiceret determinatè suum proprium obiectum,nec vnitatem & distinctionem sortiretur ab eo,cuius oppositum determinauimus suprà. Ergo si non daretur alius sensus cognoscitiuus omnium obiectorũ sensuum particularium,differentia inter obiecta distinctorũ sensuum remaneret nobis incognita secundùm sensum. Necesse est igitur dare sensum communem, vt per ipsum cognoscamus dictam differentiam. Quem quidem appellamus sensum communem, non prædicatiuè, sed propter omnem immutationem quinque sensuum exteriorum, qui terminantur ad ipsum, & vt sic potest dici quòd videt vt vnitur visui, & audit vt vnitur auditui, & idem intellige de aliis sensibus.

Quantùm ad secundum ponitur hæc conclusio, Sensus communis necessariò est vnus, & huius rationem assignans Philosophus fundat se super hanc consequentiam, Si non esset vnus non posset cognoscere differentiam inter obiecta diuersorum sensuum: se haberet enim sicut si essent duo homines, quorum vnus cognosceret album & alter dulce, de quibus constat quòd neuter cognosceret differentiam inter album & dulce, quia neuter vtrunque cognoscit. Et hæc ratio euidens est. Quam & Commenta. in commen.146.sic format, Si esset possibile iudicare hæc duo esse diuersa per duas virtutes diuersas, quarum vtraque singulariter comprehendit alterum duorum illorum, tunc necesse esset quando ego sentirem hoc esse dulce, & tu illud esse album, & ego non sentirem, quod tu sensisti, neque tu quod ego, vt ego comprehenderem sensibile meum esse aliud à tuo, licet non sentiam tuum. Et vt tu comprehenderes sensibile tuum esse aliud à meo, & hoc est manifestè impossibile. Necesse est ergo sensum communem iudicantem & ponentem differentiam inter obiecta distinctorum sensuum esse vnam animæ potentiam & non plures.

Quantùm ad tertium aduerte quòd licet sensus communis sit vna potentia,tamen necesse est vnitatem suam esse admixtam aliquali diuersitati siue pluralitati, vt arguit Philosophus in text.147. eò quòd sensus communis simul immutatur sensibilibus contrariis, vt albo & nigro, dulci & amaro,& per consequens immutationibus contrariis. Sed in eodem & indiuisibili non simul possunt recipi contraria, ergo est necesse sensum communem, vt recipit nigrum diuersificari, vt recipit album. Sic dico de aliis sensibus contrariis. Qualis autem sit hæc diuersitas inuenio duos modos dicendi.Vnus ponitur à Philosopho in text. 148.qui dicit ꝙ sensus communis est vnus numero & essentialiter,sed diuersus secundùm esse. Nam prout immutatur ab albo recipit aliud esse,accidentale tamen, quàm quando immutatur à nigro,quoniam distinctæ formę dant distincta esse.Sed iste modus dicendi non placet Philosopho, imò eum improbat in eodem tex.eò quòd contraria non possunt esse simul in eodẽ numero,licet diuersificẽtur secundùm esse. Nam licet calor & frigiditas dent diuersa esse accidentalia aquæ, tamen non possunt simul inesse eidem aquæ numero.

Sed tu aduerte quòd iste modus non reprobatur à Philosopho vt falsus.Nam in lib.de Sensu & Sensato,ponit eundẽ modũ circa finem libri & non reprobat,imò in secundo loco ponit eum approbatiuè,vt patet ibi, vel quemadmodum in rebus ipsis contingit,&c.Nec ratio quam adducit Philoso. hìc contra talem modum concludit. Nam licet album & nigrum ad extrà sint contraria,tamen species eorum intentionales in medio & in sensu non sunt contrariæ, sicut nec in intellectu, eò quòd illic sunt solùm quò ad esse intentionale. Et per consequens motus, qui fiunt ab his speciebus in sensu communi, non sunt contrarij. Propter quod non sequitur contraria esse in eodem. Et aduerte quòd B. Tho. exponens prædictum tex. in lib.de Sensu & Sensato soluit eandem rationem ex verbis eiusdem Philosophi tractis ex 2.de Anima,ex tex.148.ibi, Quare neque species pati ipsorum, si huiusmodi est sensus & intelligentia. Ex quibus patet quòd illa improbatio Philosophi non fuit nisi apparens. Alter modus diuersitatis in sensu cõmuni est ille quem ponit Philosophus in tex.149.exemplificans de centro. Et hanc diuersitatẽ nominat Com.in com.149.diuersitatem ex instrumentis particularium sensuũ copulatis sensui communi,sicut multæ lineæ copulantur centro,ex quibus centrum accipit diuersitatem.Vnde inquit, Et quasi opinatur,scilicet Arist. quòd virtus primi sentientis, id est sensus communis melius est vt dicatur vna forma & multa instrumentis copulatis cum ea, per quæ transeunt motus sensibilium quoúsque copulentur cum ea, quàm dicere ipsam esse vnam subiecto,& multa secundùm formam.

Quantùm ad quartum aduerte quòd sensus communis nõ habet ex eodem vnitatem & diuersitatem. Nam pro nunc duo sunt eius officia. Primum est recipere species propriorum sensibilium quinque sensuum.Secundum est cognoscere & iudicare differentias dictorum sensibilium.Prout recipit diuersa propria sensibilia debet esse diuersus, vt autem ponit differentiam inter talia sensibilia & iudicat de eis,debet esse vnus.Et hoc est quod dicit Com. in com.149. vbi sic inquit,Illud enim esse,scilicet esse vnum est dignius ei secundùm quòd est iudicans. Illud autem, scilicet esse diuersum conuenit ei secundùm quòd est recipiens.Hæc de sensu communi dicta sint. Reliqua autem,scilicet quomodo situatur in anteriori parte capitis, quomodo ab hac virtute vt ab vniuersali fonte emanant spiritus animales ad organa sensuum exteriorum, quomodo comparatur ad sensus exteriores, vt rex ad nuncios suos, iam manifestauimus in Epitomate nostro ordinato super lib.de Anima Arist.& illic tetigimus mentem Auicen.& Algazelis.

QVAESTIO LVIII.

Num vermes & apes & formicæ habeant phantasiam.

Si verò ei quod actu idem,omnibus vtique contingeret bestiis phantasiam inesse, videtur autem non, vt formicæ,aut apes,aut vermes.tex.156.

IN hac quæst. inuenio duas opiniones, quarum prima est Commen. cui concordat Albert. Secunda est B. Tho. cui concordat Egidi. quò ad conclusionem, licet non quò ad rationem, vt declarabitur infrà.

Vermes ac muscæ imaginatione ac phantasia prorsus carent, quã habent apes & formicæ, sed indeterminatam.

Quantùm ad Comm.aduerte quòd in com.156.facit differentiam inter vermes & muscas, & inter apes ac formicas. Nam quò ad muscas & vermes tenet negatiuam,quò ad apes & formicas tenet affirmatiuã. Vnde inquit, Extimatur enim quòd non omne animal imaginatur, & est animal quod non mouetur ad sensibilia nisi apud præsentiam eorum in actu, vt vermes & muscæ. Apes verò & formicæ necessariò imaginantur. Apes quidem propter artificium, formicæ autem propter depositionem, sed non curatur de exemplo. Hæc Commen.Vult ergo quòd apes & formicæ habeant phantasiam perfectam & determinatam,& quòd non sit curandum de exemplo Philosophi. Non enim exempla semper vt vera inducuntur,sed causa notificationis.

Commen.concordat Albertus, qui in suo 3.lib.de Anima, Tra.1.c.7.tenet quò ad vermes & muscas partem negatiuam, &

& quò ad apes & formicas partē affirmatiuam. Sic enim inquit, Si actu & essentialiter idē essent sensus & phātasia hoc modo dicta, s. perfecta & determinata, tunc quibuscunq; inesset sensus inesset & phantasia hoc modo dicta, id est, perfecta & determinata, & secūdùm omnem suam operationem, & hoc non est verum: quia vermes, qui sunt lumbrici terræ & muscas & cimices & pediculos & huiusmodi animalia immunda & incompleta nihil videmus ad phantasiam operari eo modo quo suprà determinauimus opera phantasiæ, inest tamen talibus imaginatio aliqua. Superiùs enim hoc probatum est. Videtur tamen Arist. dicere formicas & apes non habere phantasiam. Quod omninò falsum est, cùm talia animalia artificios è operentur casas, & si prouideant in futurum & operentur in communi. Puto autem hoc non ex vitio esse Philosophi, sed ex vitio translationis, quia translator non intellexit vllum animalium, quæ Arist. dixit phantasiam non habere, & loco eorū transtulit formicas & apes, & corrupit veritatem ex mala translatione. Hæc Albertus.

Quantùm ad viam B.Th. aduerte quòd in expositione tex. 156. tenet partem negatiuam, & soluit rationem super quam fundarunt se Com. & Alber. quia, scilicet operātur artificiosè & congregant sibi prouidētes in futurum. Et dieit, Quòd autem operantur propter finem quasi prouidentes sibi in futurum, non contingit ex hoc quòd habeant imaginationem ipsius futuri, sed imaginantur actus præsentes, qui ordinantur ad finem ex naturali inclinatione magis quàm ex apprehensione. Et *sic concludit* quòd apes & formica operantur opera sua, quæ videntur fieri quadam admirabili prudentia, non ex hoc quòd habeant phantasiam determinatam & distinctam à sensu, sed naturali inclinatione, quia non phantasiantur aliquid nisi dum mouentur à sensibili.

Sed aduerte quòd Egidi. post expositionem tex. 156. in sua q. 2. licet videatur in conclusione non discordare à B. Tho. tamen non approbat rationem ab ipso allegatam. Dicit enim Egidius quòd operari ex instinctu siue ex inclinatione naturali est cōmune omnibus animalibus tam habentibus phantasiam determinatam quàm *non habentibus*, eò quòd *non habent* dominium suorum actuum, ex consequenti excepto homine omne animal operatur inclinatum in sic vel sic agendum ex naturali instinctu, ergo per id quod est commune omnibus bestiis non potest probari formicam & apem non habere phantasiam determinatam.

Verùm si aduerteris dictā B Tho. cognosces quòd Egid. nō efficaciter impugnat eum. Non enim B.Tho. ex illo solo communi omnibus bestiis concludit phantasiam determinatam non inesse formicæ & api, sed ex hoc toto. Videlicet quia imaginantur tantùm actus præsentes, s. congregare & fabricare, qui actus ordinantur ad finem, id est ad sustētationem suam non ex apprehensione futuri, sed ex naturali inclinatione tali modo existente in formica & ape. Et quando dicit Egidius quod api inest memoria, per quam reuertitur ad locum vbi fabricare incæperat. Et formicæ inest memoria per quam reuertitur ad foueam, in qua frumentum congregare cæperat, memoria autem est absentium, hæc omnia neganda sunt in via nostra. Nam non reuertitur quia memoratur, sed quia est in continuo exercitio. Vnde videmus quòd si interrumpatur semita facta à formicis, & cessent ab actuali & continuato exercitio nesciunt ad pristinum locum reuerti. Et aduerte quòd & ipse Egid. in fine suæ quæst. ad idem se resoluit. Inquit enim, Apes habent phantasiam de loco vbi fabricant dum sunt in continuo exercitio, & dum sunt præsentia illa sensibilia quæ ordinātur ad huiusmodi fabricam. Sed si posita extra exercitium & existentia extra locum fabricæ inciperent de fabrica habere memoriam, & imaginarentur qualiter deberent fabricare, non posset hoc eis contingere nisi haberent determinatam phantasiam. Et quia hoc non inest apibus & formicis non dicuntur habere phantasiam determinatam, sed indeterminatam. Hæc Egidius. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO LIX.

Si phantasia sit sensus interior distinctus realiter ab aliis sensibus exterioribus. Et dato quod sic, vtrum diffinitio eius assignata à Philosopho sit conueniens.

Erit vtique phantasia ipsi motus non sine sensu contingens. tex. 161.
Et infrà in eodem text. Phantasia vtique erit motus à sensu secundùm actum factus.

Incertum est apud Philosophum phātasia sit interior sensus realiter distinctus ab omnibus

IN hac quęst. duo principaliter pertractanda sunt. Primò si phantasia est sensus interior distinctus realiter ab aliis. Secūdò quomodo verificatur diffinitio eius assignata à Philo.

Quantùm ad primum aduerte quòd alio modo tenendum est secundùm mentem Auic. & Algazel. & Alber. & Com. & B. Tho. & alio modo secundùm Philosophum. Nam secūdum illos verè & realiter distincta est ab aliis. Ponūt enim Auic. & Algazel & Alber. sensus interiores esse quinque distinctos realiter. Com. autem & B. Tho. ponunt quatuor. Et de hisopinionibus copiosè tractani in Epitomate nostro super lib. de Anima, in Trac. de Sensibus Interioribus, vt videre poteris, nec hic replicandum est. Secundùm autem Philosophum difficile est videre quid expressè trahi possit ex doctrina sua. Vnde aduerte quòd quantùm ad id quod possumus extrahere ex libris suis de Anima, non accipit phantasiam vt virtutē distinctam realiter ab imaginatiua, nec à cogitatiua, nec ab extimatiua, nec à memoria. Sed sumit eam pro toto genere animæ phantastico, quod comprehendit omnes sensus interiores præter sensum communem. Constat enim quòd Philosophus in text. 136. & infrà determinat seorsum de sensu communi, deinde de phantasia. Quòd autem sumat eam modo prædicto patet consideranti dicta sua, in quibus aliquādo sumit phantasiam, vt est cōseruatiua specierum sensibilium, vt cùm dicit, quòd in ipsa permanent simulacra similia sensibilibus: aliquando sumit eā pro cogitatiua, vel extimatiua, sicut dicet infrà in lib. 3. in tex. 38. quòd multi præter scientiā sequuntur phantasiam, & in tex. 49. quòd phantasia cùm moueat nō mouet sine appetitu. Et quòd hoc dicti debeat intelligi de phantasia vt extēditur ad cogitatiuam & extimatiuā manifestabimus cùm loquemur in lib. 3. de Potentia motiua.

Tu tamen aduerte, quòd licet in libris de Anima non agat separatim de phantasia & de memoria, id tamen facit in libr. de Memoria & Reminiscentia, vbi declarat quòd memoria est eius cuius est phātasia, & ea sunt bene memorabilia, quorum est phantasia. Vtrum autem distinguat phantasiam realiter à memoria non constat. Nam in prædicto lib. non concludit aliud nisi quòd memoria pertinet ad eandem partem animæ ad quam & phantasia: cuius signum adducit quòd ea sunt memorabilia, quorum est phantasia. Propter hoc apud Peripateticos communiter tenetur quòd licet vulgata sit & famosa distinctio realis quinque vel quatuor sensuum interiorum, tamen quid super hoc senserit Aristo. non constat, quia quasi penitùs indistinctè loquitur de eis. Similiter intelligę de eorum organis & situatione in capite, & quòd videtur magis mirum licet distinguat sensum cōmunem à phantasia, tamen in libro de Somno & vigilia, videtur ponere organum eorum indistinctum.

Quantùm ad secundam partem, scilicet quomodo diffinitio data à Philosopho de phantasia est cōueniens & vera, difficile est videre propter tria. Primò, quia ita videtur posse conuenire sensui communi, sicut phantasiæ. Nam etiam sensus communis potest dici quātùm ad actum suum quòd est motus factus à sensu, i. ab immutatione sensus exterioris. Non enim sensus communis sentit nisi ad eum terminetur immutatio exterior. Secundò quia potentia animę nō est motus vt pater, sed phantasia ponitur potentia animæ, cùm sit vnus ex sensibus interioribus, ergo non est motus. Tertiò contingit homini phantasiari etiā nullo sensu exteriori actu sentiente, vt patet in somniante: ergo nō bene dicitur quòd phātasia est motus factus à sensu secundùm actum.

Ad primum respōdet Egidius post expositionem tex. 161. quòd hæc diffinitio conuenit soli phantasiæ propter illā particulam, Et multa agunt ac patiuntur propter ipsam. In hoc enim distinguitur sensus communis à phantasia. Sed hæc responsio non valet, quoniam illa particula non ingreditur diffinitionem datam à Philosopho: cuius signū est quòd infrà in eodē tex. 161. concludens diffinitionē phantasiæ dicit, Phantasia vtique erit motus à sensu secundùm actum factus. Nec replicat amplius illam particulam. vnde tenendum est illam particulam potiùs sequi ad diffinitionem quàm ingredi.

Dicendum est igitur, quòd conuenit soli phantasiæ per illam particulam, factus à sensu secundùm actum, dummodò sic intelligatur quòd phantasia est motus distinctus realiter à motu sensuum exteriorum iam completo & perfecto, & per hoc distinguitur à sensu communi. Nam motus sensus communis non est totaliter distinctus à motu sensuum exteriorum, imò immutationes sensuum exteriorum non complentur nisi per sensum communem. Sicut lineæ ductæ à circunferentia ad centrum terminantur nisi per centrum, sic actus videndi inchoatur à visu & completur in sensu communi. Idem intellige de aliis. Vnde sensatio sensuum exteriorum, & sensatio sensus communis non sunt extinmandæ vt duæ disparatæ sensationes, sed potiùs vt vna continua

continuata & perfecta. Sed *id non* potest dici de motu phantasiæ, quoniam iam completa est sensatio sensus communis & sensuum exteriorum, antequam phantasia species iam sensatas recipiat, & ideo est alia immutatio. Patet ergo q̄ hæc diffinitio competit soli phantasiæ si sic intelligatur, Phātasia est motus causatus à sensu exteriori secundùm actum, id est, qui habet vel habuit sensationem completam & perfectam. Hoc autem non verificatur de sensu communi, quoniam non immutatur à sensu exteriori habente iam completam sensationem suam, imò per sensum communem perficitur, vt diximus.

Ad secundum dicitur, quòd phātasia potest tripliciter diffiniri. Primò vt est potentia animæ, & hoc modo diffinit eam Com. in 2. de Anima, in com. 160. Phantasia est animæ virtus, quæ innata est se assimilare sensationibus, quæ sunt in ipso sensu communi. Secundò vt est operatio ipsius potentiæ phātasticæ, & sic diffinit eam Philosophus cùm dicit, Phantasia est motus factus à sensu secundùm actum. Vnde ly Phātasia sumitur pro phātasiari, sicut sumitur aliquādo voluntas pro ipso velle. Tertiò vt est potentia stans sub actu, & sic diffiniē dat est secundùm Alber. in suo lib. 3. de Anima, Trac. 1. c. 8. Phātasia est potentia, in qua est motus sensus secundùm actū, id est, in qua est motus factus à sensu exteriori secūdùm actū, id est eò q̄ apprehendit sensibile exterius. Et aduerte vt illic dicit Alber. quòd si phantasia dicatur motus à sensu factus, & non potentia in qua siue in quam fit huiusmodi motus, erit descriptio potentiæ per suum proprium actum. Ex his igitur patet, quòd argumentum non concludit, quia diffinitio Philosophi intelligitur de phantasia non vt est potentia, sed quò ad actum suum.

Ad tertium dicitur quòd ly Secundùm actum, aliter verificatur in phātasia indeterminata, quę est in animali imperfecto & aliter in phātasia determinata. Nam respectu primę necesse est sensum exteriorem præsentialiter esse sub actu, nō enim mouentur animalia imperfecta nisi ad præsentiam sensibilium. Respectu autem secundæ sufficit sensum exteriorē esse vel fuisse sub actu secundùm totum sensibile, vel saltem secundùm partē. Patet igitur quòd in dormiente potest esse actus phantasiandi, quia et si sensus exterior non sit actu dum dormit, potuit tamen fuisse in vigilia, & quoniā species illæ sensatæ remanent, ideo in dormitione potest homo phantasiari. Dicetur ergo phantasia motus factus à sensu secundùm actum, id est ex eo quòd actu de præsenti apprehendit vel in præterito apprehendit suum sensibile, circa q̄ etiam in absentia sensibilis potest esse actus factus phātasię siue dormiat homo siue vigilet. Hæc de phantasia dicta sint. Et quoniam Philosophus in li. suis de Anima, non distinctè pertractat de aliis sensibus interioribus sequentibus phantasiam, ideo hic terminare constitui dubitabilia super totū 2. lib. de Anima, iuxta signationem Com. In sequētibus pertractare intendo de quæst. cōtingentibus circa animā intellectiuā, vt intellectiua est, & circa intellectum, & circa potentiam motiuam.

Quæstionum naturalium super secundum librum de Anima, Finis.

QVAESTIONES
MAGISTRI CHRYSOSTOMI Iauelli super tertium librum Aristotelis, De Anima.

PROOEMIVM.

DEcreueram ordinare ac resoluere quæstiones, quæ formandæ occurrunt circa substantiam animæ intellectiuæ & intellectum tam possibilem quàm agentem, & actum intelligendi & obiectum intelligibile, sequendo ordinem textuum & commen. sicut & obseruatum est in 2. lib. & obseruabitur quando incipiemus agere de potentia motiua cuius consideratio incipiet in tex. 40. huius 3. lib. Verùm quia quæsita de anima intellectiua non solùm à Philosopho naturali, sed etiā & subtiliùs & diffusiùs pertractantur à Theologo, ideo vt ordinatè disponantur & resoluantur ad mentem viæ Thomisticæ prætermisso processu textus disputabimus, primò de substantia & essentia animæ intellectiuæ. Secundò, de intellectu possibili. Tertiò, de intellectu agente. Quartò, de specie intelligibili. Quintò, de actu intellectus. Sextò, de conceptu. Septimò, de obiecto. Et quoniā laboriosissimum mihi foret opiniones, quas allegatur sum, singulas prosequi, ideo tibi sufficiet si direxero te ad ꝓpria eorū loca, vbi fideliter & cōpletè inuenies quicquid allegabitur siue recitatiuè, siue impugnatiuè, siue defensiuè, siue resolutiuè. Et vt verbo concludā mens mea est in infrascriptis quęsitis formare tibi directorium, quo exercere poteris ingenium, occasioq̄ tibi præstabitur multa videndi compendiosè & citò, quæ nec multa reuolutione librorum fortè inuenire potuisses. Et id quidem feci, vt pateat tibi via non solùm in Philosophia naturali, sed Metaphysicè & Theologicè resoluendi te & defensandi viam Thomisticam. Incipiendo igitur ab essentia animæ intellectiuæ formantur quæsita, vt infrà.

QVAESTIONES,
De anima i intellectiua.

1 *Num anima intellectiua sit forma dans esse homini.*
2 *Num anima intellectiua sit tantùm vna.*
3 *Num anima intellectiua sit incorruptibilis.*
4 *Num anima intellectiua componitur intrinsecè ex partibus essentialibus, quæ sunt realiter distinctæ.*
5 *Per quid indiuiduatur anima intellectiua.*
6 *Num anima intellectiua sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis.*

De intellectu possibili.

1 *Num intellectus possibilis sit separatus non solùm ab omni organo, sed ita quòd sit extra corpus.*
2 *Num intellectus possibilis sit aliquod ens actu.*
3 *Num intellectus possibilis distinguatur realiter à voluntate, & à memoria.*
4 *Quæ & quot sint proprietates ac denominationes intellectus possibilis.*

De intellectu agente.

1 *Num sit potentia animæ, vel substantia separata.*
2 *Num sit necesse ponere intellectum agentem.*
3 *Quæ & quot sunt operationes intellectus agentis.*

De specie intelligibili.

1 *Num sit necesse ponere speciem intelligibilem.*
2 *A quo producitur species intelligibilis.*
3 *Num plures species intelligibiles se compatiantur in eodem intellectu.*
4 *Num species intelligibilis remaneat in intellectu post quàm cessat intelligere.*

De actu intelligendi.

1 *Num actus intelligendi differt realiter à specie intelligibili.*
2 *Num intelligere sit formaliter & essentialiter agere vel pati.*
3 *Num actus intelligendi sit à sola specie, vel à solo intellectu possibili, vel ab vtroque.*
4 *Num possit esse actus intelligendi sine conuersione ad phantasmata.*

De conceptu intellectus.

1 *Quid sit actus intellectus, & an distinguatur ab actu intelligendi.*
2 *Num conceptus verè distinguatur in intentionē primam & secundā.*

De obiecto intellectus.

1 *Num obiectum primum intellectus possibilis sit ens inquantùm ens.*
2 *Num obiectum intellectus nostri coniuncti sit quidditas materialis, ita quòd non possit aliquod abstractorum intelligere.*

QVAESTIO PRIMA.
Num anima intellectiua sit forma dans esse homini.

Anima intellectiua est forma verè dans esse homini.

IN HAC quęst. quam intēdo ordinare sub forma directorij, sicut & pro maiori parte sequentes, quatuor videnda sunt. Primò quid in hoc senserit Com. Secundò quid senserit Philosophus. Tenemus enim in via Thomistica imaginationem Commentatoris non esse ad sensum Philosophi. Tertiò quid tenendum secundùm veritatem. Quartò quis recitat & soluit pro veritate, principalia argumenta Commentistarum.

Quantùm ad primum est varietas opinionum. Nam aliqui arbitrantes se loqui ad mentem Com. tenent quòd est forma dans esse, & quòd sic sentit Com. Et hanc opinionē cum ratione, super quam se fundat recitat Ioan. Bach. in 2. Sent. distin. 19. q. 1. art. 2. ibi, Sequitur de 2. artic. Et postquam videris hanc opinionem arguens contra eam, vt arguit Ioan. Bacho. vbi suprà, ibi, Contra istam viam arguo. Secunda opinio est communiter omniū aliorum sequētium viam Com. qui dicunt ad mētem Auer. quòd forma dans esse homini & qua essentialiter differt à bruto est intellectus passiuus, quia

apud Comm. est imaginatiua humana siue cogitatiua. Animam verò intellectiuam esse formã hominis vt principium operandi, sed nõ essendi. Hanc declarat Ioan. Bac. vbi suprà, ibi, Dico ergo quòd opinio Com. &c. Eãdem declarat Iand. in 3. de Anima, q. 5. Totum autem sensum Com. circa hoc ponit resolutè Greg. de Arimi. in 2. Senten. dist. 19. & 17. q. 1. art. 1. in principio quæstionis.

Quantùm ad secundum dico quòd Philosophus sensit manifestè animam intellectiuam esse formam dantẽ esse homini, & nõ solùm principiũ formale operandi, sicut proportionaliter anima sensitiua leonis est forma eius, &c. Hanc conclusionem esse de mente Philosophi iam manifestauimus in lib. 12. Metaph. in q. nostris, vbi de hoc particulare quæsitum formauimus. Nunc autem probabis vt probat Greg. vbi suprà, ibi, Quod igitur Philosophus senserit. Et tu defensabis dicta Philosophi improbando expositiones Auer. vt reprobat Grego. in eodem loco.

Quantùm ad tertium, scilicet quid sit tenendum secũdùm veritatem, tu tenebis partem affirmatiuam, & probabis vt Greg. vbi suprà, ibi, Nunc secundò per rationem, &c. Et aduerte quòd ratio illa est etiam B. Tho. in 1. Parte q. 76. art. 1. Et defendit eam egregiè Greg. contra distinctionem imaginatam à Iand. in 3. de Anima, in q. 5. de forma quæ est principiũ essendi & operandi, & de forma quæ est principium operãdi tantùm. Item Greg. arguit contra illum modum quo fingit Auer. intellectum qui est separatus ab homine secundùm esse continuari homini, quia recipit intentionem à specie imaginata, quæ est in homine. Vide Greg. vbi suprà, ibi. Consequenter arguo contra modum dicendi Com. Et aduerte q̃ prima ratio Greg. est etiam B. Tho. in 1. Parte q. 76. ar. 1. circa medium ibi, Hanc autem vnionem Com. in 3. de Anima, &c.

Quantùm ad quartum aduerte quòd B. Tho. in 1. Par. q. 76. ar. 1. recitat sex argumẽta & soluit. Cętera autẽ quæ videtur posita pro maiori parte ab Auer. recitãtur à Greg. vbi supra, ibi, Cõtra istã conclusionẽ arguo multipliciter, & soluũtur, licet in responsionibus eorũ, aliquando deuiet à via Thomistica, sicut cuilibet exercitato in via nostra constare poterit.

Pro hoc quæsito postquàm te firmaueris in 1. Par. B. Tho. in q. 76. arti. 1. non laborabis nisi in studio Ioan. Bach. & Gregorij. Isti sufficientes sunt, nec deuiant in hoc quæsito à via nostra, nisi in responsione quorundam argumentorum, quibus respondent secundùm eorum propria principia. Sic sufficiat te direxisse in præsenti quæsito.

QVAESTIO II.

Num anima intellectiua sit tantùm vna.

Anima intellectiua, siue intellectus humanus non est vno numero omniũ hominũ, sed numeratur ad numerationẽ corporũ, vel hominũ.

IN hac q. aduerte ante quàm deueniamus ad resolutionem, quòd idẽ est quærere, an anima intellectiua sit tantùm vna numero hominũ omniũ & an sit tantùm vnum numero principium intellectiuũ humanũ, & an sit tantùm vnus numero intellectus humanus, & sub hoc vltimo titulo proponitur à Cõmentistis præsens quæsitum. Vt autẽ dirigaris in resolutionem verã primò pertractabis imaginationem Com. quæ arbitratus est intellectum humanũ esse tantùm vnũ numero omnium hominũ, & declarabis modũ positionis suę, quomodo, s. fingebat esse possibile vnũ intellectũ numero posse copulari omnibus hominibus, & per ipsum omnes homines intelligere. Hoc totũ inuenies apud Ioan. Bach. in 2. dist. 10. q. 1. art. 3. ibi, Dubitatur rationabiliter, &c. Secũdò addures omnes rationes Com. quibus conatur colorare imaginationem suã, quas adducit B. Th. & soluit in 1. Par. q. 76. art. 2. Et Greg. in 2. Sen. dist. 17. q. 1. art. 2. in principio. Et Ioan. Bach. in 2. Sen. dist. 20. q. 1. Et soluit eas mira facilitate in art. 4. de quo facit particularem q. Illic inuenies quomodo ex dictis & concessis à Com. soluit rationes eiusdẽ. Tertiò pones conclusionẽ negatiuã contra Com. & pro veritate, Non est tantùm vnus intellectus omniũ hominũ, sed numeratur ad numerationẽ hominum. Hanc probabis primò ex ratione B. Tho. in 1. Par. q. 76. art. 2. vbi deducit ad hoc incõueniens q̃ omnium hominum esset vna tãtùm intellectio, nec potest diuersificari ex diuersitate phantasmatum, quæ sint in distinctis hominibus, vt putabat Com. Secũdò probabis eandem vt Greg. in 2. dist. 17. q. 1. art. 2. vbi declarat q̃ nec Com. nec sequẽtes eum possunt fugere hanc cõsequentiam, Plato potest intelligere aliquid, & tamen Sortes non intelligit illud, ergo intellectus Sortis & Platonis non est tantùm vnus numero. Et aduerte, vt dictũ est in titulo quæst. q̃ apud Com. semper sumitur pro eodẽ, Intellectus vnus numero, & Anima intellectiua vna numero. Hæc tibi sufficiant pro directione in præsenti quæsito.

QVAESTIO III.

Num anima intellectiua sit incorruptibilis.

IN hac quæst. tria principaliter consideranda sunt. Primò, quid circa hoc senserit Commen. Secundò quid senserit Philosophus. Tertiò quæ sit veritas.

Quãtùm ad mentẽ Com. distinguendũ est, quia aut loquimur de anima intellectiua, siue de intellectu secũdùm essentiam suam, vel vt est sub speciebus intelligibilibus, & actu intelligendi, quem vocat Com. intellectum speculatiuum. Si primo modo, sic patet secũdùm eum quòd est incorruptibilis, nam vt notatum est in q. præcedẽti, potuit ipsum abstractum ab omni materia informatiuè, & est sicut substantia separata. Quæ autem carent materia sunt incorruptibilia ex lib. 12. Metaph. tex. 33. ergo, &c. Si secundo modo, sic ponit eũ generabilem & corruptibilem, non quidem absolutè, sed respectu signatorũ indiuiduorum corruptibilium, cum quibus definit, & cum aliis incipit copulari. Et huius resolutam declarationem in via Com. vide in Ioan. Bach. in 1. Sen. dist. 20. q. 1. ibi, Sequitur de intellectu speculatiuo, &c.

Quantùm ad secundum, scilicet quid senserit Philosophus, aduerte quòd quĩa omnes, qui non tenent viam Com. attribuunt Philosopho quòd senserit animam intellectiuam esse verè formam informatiuè, & plurificari secundùm humana corpora, ideo ponuerit ipsam immortalem, est multa dissensio inter præcipuos. Nam B. Tho. in 3. de Anima, super tex. 20. determinat de mẽte Philosophi, quòd est immortalis, & perpetua, non quidem à parte antẽ, sed à parte pòst. Heruæus autem in 1. Quolib. in q. 11. ibi, De tertio autem, vtrum anima intellectiua remaneat, &c. determinat quòd Philosophus in hoc semper fuit dubius, & glossat omnia dicta Philosophi, quibus videtur dicere quòd sit incorruptibilis. Similiter Scot. in 4. Sen. dist. 43. q. 2. ibi, De secunda propositione principali, quæ est q̃ anima, &c. concordat cum Heruæo, & glossat omnia dicta Philosophi. Et determinat quòd Philosophus declinabat modò ad partem affirmatiuam, modò ad negatiuam. Et non solùm tenet Philosophum in hoc fuisse varium, imò q̃ rationes aliquæ nondum inuentæ sunt, quæ sufficienter probent intentum. Et quoniam B. Th. in hoc plurimùm laborauit, ideo conatur Scot. rationes eius soluere, sed nos defensabimus infrà. Ad viam Heruei & Scoti declinauit Thomas Caiet. quẽ secutus est Pet. Pompona. Mantuanus, in Tract. quem edidit de Immortalitate.

Prædictas igitur opiniones intendo ventillare in hoc quæsito, vt scias viam nostram defensare & aliorum fundamenta destruere, & sic procedam. Primò sustinebo cum B. Tho. partem affirmatiuam. Secundò pertractabo mentem Heruei. Tertiò mentem Scoti. Quartò mentem Thomæ Caietani. Et quoniam Pet. Pompona. nihil noui dicit, quod nõ fuerit tactum à Thoma Caie. ideo simul improbabitur. Quintò soluentur fortiora argumenta, quæ solent induci à tenentibus partem negatiuam. Et ne labores in multiplici studio pro hoc quæsito ordinabo ipsum non per modum directorij, sed cum sufficienti resolutione quantùm spectat ad Philosophum Naturalem. Quod dico, quia non intendo hic me intromittere de rationibus B. Tho. quas pro hoc quæsito format in 1. Parte q. 75. arti. 6. Illas enim defensare est officium Thomistæ, in lect. primæ Partis, sicut & nos defensauimus, in lect. nostra, quam & reduximus in scriptis.

Quantùm ad primum pono hanc conclusionem cum B. Tho. & sequentium eum, Philosophus in lib. suis de Anima sensit & determinauit absque hæsitatione animam intellectiuam quam temnit esse formam hominis informatiuè, esse incorruptibilem secundùm substantiam. Hanc sic deduco ex processu Philosophi. Arist. in 1. de Anima, in tex. 11. declarans difficultatem scientiæ de Anima, ponit hanc conditionalem, Si intelligere est phantasia, aut nõ sine phantasia, non est propria operatio animæ, quia non est sine corpore. In tex. 13. ponit aliam conditionalem, Si est aliqua operatio propria animæ contingit eam separari, si non est, non contingit eam separari. Positis autẽ his duabus cõditionalibus in tibi nullã earũ affirmauit, nec destruxit, vt appareret difficultas scientiæ de anima, & sic suspendit determinationem suam.

In 2. autem lib. à tex. 152. vsque ad tex. 155. destruit primam partem primæ conditionalis, scilicet, Intelligere est phantasia. Illic enim probat differre sensum ab intellectu, & intelligere à sentire. Vnde dicit in tex. 153. phantasia enim alterum est & à sensu, scilicet exteriori & ab intellectu.

In 3. autem lib. in tex. 4. vsque ad tex. 8. probat intellectum esse non organicum, & intelligere esse operationem non expletam per organum & per consequens intellectum esse separatum ab omni organo, & intelligere non recipi in organo, ad differentiam ipsius sentire. Deinde in textu 10. ex eo quòd

quòd intelligere non est phantasia & intellectus & intelligere non sunt organica concludit intellectum esse immortalem & perpetuum.

Ex prædictis elicio quòd licet Philosophus in primo libr. proponens difficultatem scientiæ de Anima formauerit primam conditionalem cum duabus partibus, tamen determinare volens & aduertens quòd sola pars prima excludebat propriam operationem ab anima, & per consequens reddebat ipsam totam inseparabilem, quia tota & secundùm omnem virtutem esset organica, ideo nõ curans secundam partem, vtpotè non obstantem, postquàm destruxit primam partem, concluſit intellectum esse immortalem. Cuius signum est, quòd postquàm concluſit in tex. 20. ipsum esse immortalem distulit vsque ad tex. 30. declarare quomodo sine phantasia non intelligit anima, comparans phantasmata ad intellectum sicut colores ad visum. Vnde pro constanti tenendum est Philosophum sensisse animam esse immortalem ex eò præcisè, quòd intelligere non est phantasia, sed est à solo intellectu, & recipitur in solo intellectu. Quod autem nõ intelligat sine phantasia, prouenit ex tali statu, in quo nunc est coniuncta materiæ.

Sed fortè obiicies, Arist. in tertio de Anima, text. 30. dicit absolutè quòd anima nihil intelligit sine phantasmate, ergo vel secũdùm ipsum corrumpitur, vel remanet post corpus ociosa, quod repugnat principiis suis.

Ad hoc dico quòd Philosophus in toto lib. de Anima non consideraui animam intellectiuam nisi physicè, id est, nisi prout actuat corpus, & ideo non tractat de intelligere nisi vt est non separata. Cuius signum est quòd in tex. 36. quærit vtrum intelligat aliquid separatorum existens intellectus nõ separatus. Dico ergo quòd quando dicit, Non sine phantasmate, non intendit de intelligere absolutè, sed de tali intelligere, vt est forma corporis physici.

Sed dices, Aristoteles in nullo alio loco doctrinæ suæ attribuit intelligere animæ alio modo, nec pro alio statu, nisi hic: ergo tenuit, quòd omne suum intelligere est cum phantasmate.

Ad hoc respondetur & negatur quòd Aristoteles non attribuerit animæ intelligere nisi pro hoc statu. Nam in nono Metaphysicæ, textu 22. pertractans quomodo simplicium substantiarum quidditates non cognoscuntur compositione, aut diuisione, sed simplici attingentia, aduertẽsque quòd pro hoc statu non possumus intelligere nisi admiscendo compositionem & diuisionem, etiam venando ipsum quod quid est & sic sequebatur quòd pro hoc statu ignoramus simplicium substantiarum quidditates, declarauit quod hæc ignorantia non est sicut cæcitas, quæ non potest remoueri & est priuatiua visus, eò quòd permanet principium intellectiuum, vnde inquit, Cæcitas enim est vt vtique si quis principium intellectiuum non habeat, &c. patet ergo quod Philosophus attribuit intellectui nostro posse intelligere quidditates separatas, & non pro hoc statu, vt declarauimus de mente sua in 2. Metaphysicæ, in Quæst. nostris quoniam sine compositione hic nihil intelligit, ergo concessit posse eas intelligere pro alio statu.

Quòd autem non assignauerit alium determinatum modum concedo. Non id mirandum est, nam certum est quòd in 12. Metaph. posuit entia abstracta esse intelligentia, vt patet in tex. 36. Quomodo autem intelligant, an per species, an per substantiam suam, an per essentiam rei intellectæ ab eis, nescituit exprimere præter in primo, cuius intellectionem cognouit esse substantia suam & non accidens. Hoc enim erat penitùs supra sensum. Quid ergo mirum si nescituit exprimere modũ, quo intelligit anima post hunc statum? Sed & Theologus in hoc satis laborat, sed non est præsentis negocij. Sufficit ergo quòd Philosophus attribuerit intelligere animæ separatæ, licet modum inuestigare non potuerit, nisi hanc negatiuam, Non intelligit cum phãtasmate. Et qui volunt attribuere Philosophoq̃ poneret talem vel talem modũ cadunt in multa deriforia, sicut Niphus in Trac. suo, quem cõposuit contra Petr. Pomponatium de Animæ Immortalitate.

Heruei sententia.

Quantùm ad secundũ, in quo pertractanda est opinio Heruei aduerte quòd ipse in 1. Quoli. in q. 11. attribuit tria Arist. in hoc proposito, primò quòd expressè posuit principium intellectiuum esse formam dantem esse homini contra Auer. Et id probat dictis Philosophi. Primò ex diffinitione communi data a Philosopho de Anima. Et tu præcipuè nota tex. Philosophi in 2. de Anima tex. 30. & 31. vbi comparat figuris gradus contentos in anima. Secundò probat idem ex 2. Metaph. in tex. 16. ibi, Mouentes igitur causæ. Super quem tex. & nos in Quęst. nostris Metaph. determinauimus idẽ. Secundò dicit q̃ Philos. expressè posuit animam esse subiectum, in quo recipitur actus intelligendi, eò quòd secũdùm Philoso. & veritatem, intellectus & intelligere sunt inorganica. Tertiò dicit quòd Philosophus sub dubio reliquit an anima remaneat post corpus. Et conatur hoc multipliciter declarare.

Primò ex dicto Philosophi in 12. Metap. tex. 16. vbi inquit, Vt si est anima talis, scilicet quòd remaneat pòst. Cùm autem loquatur conditionaliter patet, quòd non fuit certus.

Hoc dictum non concludit in proposito, quoniam vt bene exponit B. Tho. dicit, Forsan & si, non quia dubitet, sed quia non erat intentionis suæ in illo loco id determinare, sed in lib. de Anima, sicut & fecit, vt docuimus in prima Parte huius quæsiti.

Secundum dictum allegat ex 1. de Anima, text. 13. vbi Philosophus comparat animam ad corpus quò ad separationem sicut comparatur ænea sphæra ad planum, quò ad contactum secundùm punctum, & dicit, Si verò nullum est proprium ipsius, id est, si verò nullum est proprium opus animæ, non erit vtique separabilis: sed sicut recto inquantùm rectum multa accidunt, vt tangere æneam sphæram secundùm punctum, non tamen tanget ob hoc separatum rectum. Inseparabile, id est, siquidem semper cum quodam corpore est.

Hoc dictum etiam non concludit in proposito. Nam diximus in 1. parte huius, quæsiti quòd Philosophus in 1. de Anima, in text. 13. solùm proponendo difficultatem scientiæ de anima format hanc conditionalem, Si anima habet operationem propriam contingit eam separari, si non habet, non contingit, sed erit sicut ænea sphæra in tangendo planum, &c. Deinde in libro tertio determinans illud quod conditionaliter proposuerat probat in text. 4. quòd habet operationem propriam, scilicet, intelligere, vt diximus in parte 1. huius quæsiti, & in text. 20. concludit quòd est intellectus immortalis & perpetuus nulla dictione dubitatiua, nec conditionali apposita. Sic enim concludit, Separatus autem est solùm in hoc, quod verè est, & hoc solùm immortale & perpetuum.

Deinde Heruæus ad propositum suum format argumentum, quo Philosophus videtur sensisse quòd anima omninò sit corruptibilis. Quia oppositum videtur repugnare principiis suis. Posuit enim Philosophus generationem hominum æternam, vt pater in 2. de Generatione, & in 11. Metap. Ergo animæ essent infinitæ, quod quidem repugnat Aristo. neganti in tota doctrina sua infinitum actu. Et ad hoc Heruæus respondens inquit, Non est necesse quicquid implicitè continetur in principiis doctrinæ alicuius auctoris sit expressa sententia sua. Vnde licet Aristo. sit magis declinans ad mortalitatem animæ, quam ad oppositum cõsideratis principiis doctrinæ suæ, tamen nõ sequitur quòd hęc sit expressa mens sua. Et sic Arist. remanet dubius. Hoc modo respondet Heruęus. Nos autem infrà, ad hoc argumentum respondebimus aliter & declarabimus quomodo nõ repugnae absolutè principiis Aristo. concedere infinitum actu in non quantis. Ex consequenti non potest concludere Heru. Philosophũ fuisse dubium ex hoc argumento.

Demùm conatur Heruęus exponere duo dicta Philosophi, ex quib' videtur omninò sensisse animæ incorruptibilitatẽ.

Primum est in 2. de Anima tex. 21. Vbi inquit, Videtur, scilicet intellectiuum genus alterum animæ esse, & hoc solùm contingere separare, sicut perpetuũ à corruptibili, &c. Quomodo exponat vide tu. Verùm aduerte quòd non fuit necesse Heruæo laborare in exponendo tali dicto. Nam pro rei veritate Philosophus non determinat illic, sed solùm proponit quod prima facie apparebat. Siquidẽ proposuerat in tex. 19. Vtrum omnes partes animæ, id est, potentiæ sint separabiles adinuicem solùm ratione, vel etiam loco, aut subiecto. Et dicit q̃ de quibusdam patet, quòd non separantur loco, de quibusdam autẽ est dubium. Et subdit, De intellectu autẽ & perspectiua potentia non est adhuc aliquid manifestũ. Concedimus ergo q̃ non est agendum efficax fundamentum ad probandum animam incorruptibilem super dictum illud.

Secundum dictum est in 3. de Anima, tex. 20. vbi inquit, Separatus autem est solùm in hoc quod verè est, & hoc solùm immortale & perpetuum, &c.

Heruæus hoc dictum dupliciter glossat. Primò dicit quòd Philosophus illic non intendit de anima, sed de intellectu agente, qui ponitur à quibusdam putatus ab Aris. substantia, separata, inter quos est Com. & Tho. Caietanus, vt dicemus agentes de intellectu agente. Sed quòd hęc solutio nõ teneat

ad mentem Philosophi manifestabimus infrà, quando quæremus si intellectus agens est potentia animæ, an substantia separata. Secūdò dicit Herueus, dato quòd intellectus agēs, de quo intendit Philosophus illic loqui esset potētia animæ, & quantùm sit ex se existat incorruptibilis, quia non habet contrarium, tamen corrūpitur, quia fundatur in anima, quæ est forma innixa materiæ subiectæ priuationi.

Sed hæc solutio non valet. Primò quia manifestabimus infrà sensisse Philosophum intellectum agentem esse potentiam animæ & non separatum extra animam. Secundò non valet, quia ex operatione animæ intellectiuæ non organica, & quæ recipitur in sola anima, vt diximus suprà, ipsa anima non innititur materiæ, licet eam informet. Hæc est summa opinionis Heruæi in hoc proposito, qui tamen meliùs se habuisset si concordasset cum B.Tho. quoniam nullum dictum Philosophi ab ipso allegatum cogebat ad hoc quod relinqueret eum dubium in tanta re.

Scoti opinio.

Quantùm ad tertium, scilicet ad mentem Scoti aduerte quòd in 4.Sen.distin.43.q.2. tenet quòd potest sustineri Philosophum expressè posuisse animam immortalem, sed nō habuisse rationes efficaces ad hoc. Sicut tenet expressè in 2. Cœli tex.60. aliqua circa astra, præcipuè quòd sphęræ planetarum non pluribus motibus mouentur quantò magis elongantur à primo mobili, quam intermedia, & tamen ad hoc non habuit vt ipse confitetur nisi paruas sufficientias, quæ debent satis esse Philosopho in tali materia. Dicit vlteriùs, ꝙ potest sustineri ipsum semper fuisse dubium. Et quòd declinabat modò ad hanc partem, modò ad illam, prout materia requirebat, quam tractabat, putà moralis vel naturalis.

Relicta tamen sententia prima sequitur secundam, scilicet quòd declinauerit potiùs ad partem negatiuam, quam affirmatiuam, & adducit duas rationes sumptas suo iudicio ex Arist. quas intendo recitare & soluere.

Prima sumitur ex 7.Metaph.tex.vltimo, ibi, Quoniam verò ex aliquo, &c. vbi vult Philosophus quòd omnes partes, quæ possunt remanere separatæ à toto, sunt elementa, id est, Partes materiales, sicut ipse accipit elementa, & præter tales necesse est ponere in toto aliquam formam, quæ est totum illud quod est, quæ non posset manere separata à parte materiali toto non manente. Ergo si concessit animam intellectiuā esse formā hominis informatiuè, prout veritas est, nō ponit eā remanere separatam à materia toto nō remanente.

Huic rationi respondetur quòd Philosophus nō facit illic hanc vniuersalem, Omnes partes remanentes destructo toto sunt elementa, i. partes materiales. Sed solùm intendit declarare, quòd in compositis, quæ sunt vnum per se, ipsum totum est aliud à partibus, quoniā contingit remanere partes destructo toto. Et gratia exempli ponit B, & A, cōponentia B1, & ignem & terram cōponentia carnem. Patet autē quòd hæc consequentia nō valet, Ignis & terra componentes carnem remanent, ergo omnes partes remanētes post totū sunt partes elementares. Dico insuper, Quando dicit Scotus ꝙ secundùm Philosophū necesse est illic ponere aliquam formā, quæ est illud totū, quæ non remanet separata à partibus materialibus, intelligendum est de forma totius, quam concedimus corrūpi, vt humanitas. Sed anima non est forma totius, nec pars materialis, ideo potest remanere post totum.

Secunda ratio Scoti talis est, Habet Philosophus contra Platonem in 1.Cœli tex.126. & vltrà, quòd omne genitum est corruptibile, & ingenitum incorruptibile. Constat autem quòd si anima est forma dans esse homini est genita, quia incæpit esse, quia non fuit ante illud, cuius est forma, ex 12. Metaph.tex.16. ergo est corruptibilis.

Ad hoc respondetur dupliciter. Primò quòd Philosophus accipit genitum pro producto generatione physica, & ingenitum pro non producto cōsimili generatione, posito quòd alio modo incæperit esse. Constat autem quòd anima, quam ponimus incorruptibilem, licet sit producta, non tamen productione physi. quia non est de potentia materiæ. Et ideo vt ingenita productione physica potest esse incorruptibilis. Verùm hæc responsio nō videtur ad mentem Philosophi, quoniam nec B.Th. exponens tex.115. videtur ei fauere. Sic enim dicit, Ingenitum est propriè, quod est impossibile esse & nō esse, & quod non potest fieri quocunque tali modo, ꝙ priùs non fuerit, sicut diametrum esse simetrum.

Tu tamen aduerte quòd si gratia exercendi ingenij volueris dictam responsionem sustinere, dicere poteris ꝙ B. Tho. non dicit Quocunque modo, sed Quocunque tali modo, & potes exponere sic, Quocunque tali, id est naturali modo, putà substantiali, vel accidentali generatione. Et in hoc sensu posses sustinere ꝙ Philo. intendit de genito non quocunque modo, sed physico, & sic non includitur anima intellectiua.

Respondetur secundò & huic responsioni adhæreo, quòd Philosophus intendit nō de quolibet ente vniuersaliter, sed de quolibet ente determinante sibi contrarium, id est habente contrarium, vel qualitates contrarias, sicut calor habet frigiditatem contrariam & siccum humidum. Hoc enim quocunque modo incæperit esse, est corruptibile, quoniam habet contrarium, sicut elementum & elementatum. Et quia Plato ponebat cœlum ex elementis quocunque modo incæperit esse vel per generationem physicam, vel per creationem, sequitur quòd sit corruptibile, & de facto corrumperetur secundùm cursum naturæ. Ex his sequitur quòd ens de nouo productum non habens contrarium intrinsecum, nec determinans sibi contrarium, aut cōtrarias qualitates, vt lumen, potest perpetuari quantùm sit ex se, dummodò non relinquatur à suo conseruante. Et quoniam tale ens est anima intellectiua, cuius esse non est ex potentia materiæ, ad differentiam aliarum formarū inferiorum, nec est ex contrariis, nec determinat sibi cōtraria pro gradu intellectiuo, eò quòd vt intellectiua formaliter excedit materiam, ideo non incōuenit eam de nouo produci & perpetuari in esse stante conseruatione à suo producente. Quòd autem lumen de nouo productum posit perpetuari declaro sic, Formo talem conditionalem, Si sol & luna in hac hora inciperent quiescere in situbus oppositis & in æternum quiescerent, constat quòd lumē hodie impressum à sole in luna idem numero perpetuaretur, & tamē de nouo esset productum, ergo, &c. Quòd autem perpetuaretur patet, quoniam non corrumperetur à cōtrario, cùm non habeat: nec recessu Solis illuminantis, si in æternum quiesceret: ergo, &c.

Sed fortè dices, Hic casus repugnat doctrinę Aris. quia nō concederet Solem & Lunam posse in æternum quiescere.

Sed hoc non obstat. Stat enim conditionalem esse veram, nec eam negaret Philosophus, licet non admitteret antecedens & consequens extra conditionalem. Nam in 7. Phys. tenet quòd motus totius pendet à motu partium, quoniā hæc conditionalis est vera, Si partes quiescerent totum quiesceret: constat tamen quòd antecedens & cōsequens nō admitterentur à Philosopho in cœlo extra conditionalē, & tamen verum est dicere quòd motus totius cœli pēdet à motu partium. Patet igitur quòd ratio Scoti non cogit.

Quantùm ad quartum, s. ad opinionē Tho.Caie. qui in hoc declinauit à via B.Tho. aduerte quòd exponens lib.3. de Ani. in c. de Intellectu agēte proponit quid iudicio suo Phil. senserit de immortalitate animę intellectiuę. Et tenens partem negatiuā in toto suo processu quatuor principaliter facit. Primò declarat Philosophū sensisse intellectū agentē esse substantiā separatā, & non potentiam intrinsecā animæ. Sed hæc sua declaratio dissoluetur infrà, quādo loquemur de intellectu agēte. Secūdò probat ex duobus fundamētis Philosophi animā esse mortalē. Tertiò reprobat quasi per singula verba expositionē B.Th. super tex.20. ibi, Nō reminiscimur aūt, &c. Quartò declarat expositionē suā consonare Aris. & adducit quædā eius dicta, in quibus videtur expressè tenere mortalē esse animā. Nos igitur primo soluemus rationes suas. Secūdò defensabimus expositionē B.Tho. Tertiò declarabimus quomodo dicta Philosophi non concludunt mortalitatē animæ.

Quantùm ad primū aduerte ꝙ ratio sua prima stat in hoc, Aris. in 1. de Ani.tex.12. facit hoc fundamētū, Si anima habet operationē propriam est separabilis, & si non, non. Sed Aris. non inuenit operationē propriā animæ, quoniā in omni operatione sua etiam in ipso intelligere admiscetur corpus, nam siue sit phantasia, siue non sit sine phantasia, patet quòd corpus concurrit, & per consequens intelligere non est operatio propria animæ, sed communis animæ & corpori. Constat autem quòd non inuenit intelligere, in quo non concurrat phātasia. Tertiò sequitur ꝙ non potuit ponere animā immortalem, quia non potuit inuenire suum proprium opus.

Hæc ratio iam soluta est ex his, quæ diximus in 1. Parte huius quæsiti. Supponit enim arguens quòd Arist. teneat intelligere non esse proprium opus animæ, si ei concurrat corpus vt obiectum, quoniam vt sic non erit sine phantasia. Sed hoc suppositum est falsum, quoniam licet proposuerit illam conditionalem sub duplici parte, tamen in 3. lib. determinans, vt suprà diximus inuenit ꝙ intelligere non est phantasia. Et ex hoc conclusit in 3. lib. in tex.4. vsque ad 8. intellectum & intelligere non esse organica, ex consequenti intelligere esse à sola anima & recipi in ea sola. Et quoniā vt diximus suprà aduertit Philosophus secundam partē cōditionalis nō obstare, quia

quin intelligere sit propriū opus animæ, ideo non destruens illam secundā partem conclusit in tex.20. intellectū esse immortalem. Et quòd ad mentē Philosophi non debeat illud dictum exponi de intellectu agente, quasi de substantia separata, ostendemus cùm loquemur de intellectu agente

Secūda ratio sua fundatur super separationem quam Philosophus diuersimodè attribuit intellectui possibili & intellectui agenti. Nam loquens de possibili in 3. lib. de Anima, in tex.7. dicit absolutè, Hic autē separatus, scilicet ad differentiam sensus: loquens autem de intellectu agente in tex.20. nō dicit absolutè quòd sit separatus, sed dicit quòd est separatus in hoc ꝙ verè est, id est in essendo. Ex his vult ꝙ Philosophus de intellectu possibili intellexerit solam separationē formalem. De agente autem & formalem & quò ad existentiam. Et vt scias imaginationem suam nota quòd per separationem formalem vt ipsémet exponit in 3. lib. de Anima, super tex.7. intendit separationem quidditatiuam, ita quòd intellectus in sua essentia non est corporeus, nec perficit corpus ratione qua intellectus, quia non est mixtus, & est nō organicus, cum quo tamen stat quòd non potest esse separatus quò ad existentiā. Sicut dicitur de sphæra ęnea, quæ quidditatiuè est abstracta ab omni materia naturali. Neque enim vt sphæra est linea aut ænea, & tamen nō potest existere nisi in aliqua materia naturali, nec tangere planum nisi sit existēs in aliqua materia naturali. Et quoniam arguens persuadet sibi Arist. nō inuenisse proprium opus intellectus possibilis, vt supra diximus, ideo credit Aris. sensisse hunc intellectum non esse separatum nec separabilem nisi formaliter, sicut æneam sphæram, & propterea dicit Arist. absolutè quòd est separatus. Verùm quia inuenit propriū opus agentis, vtpotè substātiæ semper intelligētis, ideo de illo dixit ꝙ est separatus in eo quod verè est, i. in essendo. Hęc sua est secūda ratio.

Sed hæc ratio non concludit, quoniam exponit tex. Arist. modo & iudicio suo, & super tales expositiones fundat rationem, & vult hanc esse mētem Philosophi. Sed quia aliter & rationabiliter potest exponi ideo ratio non habet euidentiam. Tu igitur aduerte quòd Philosophus in tex. 7. intendit de separatione in essendo, sicut in tex.20. Quod sic manifestatur, Dixerat Philosophus in tex.6. intellectum possibilem esse immixtum & separatum. Et has easdem conditiones sub eisdem terminis attribuit intellectui agenti quasi arguens à minori, nam si patiens intellectus est immixtus & separabilis multò magis intellectus agens, quoniam, vt inquit Philosophus honorabilius est agens patiente. Tunc sic, Secundum expositionem arguentis, istæ conditiones sub eisdem terminis arguunt separationem in essendo de intellectu agēte, ergo & in intellectu possibili. Probatur cōsequentia, quoniam & eædam & sub eisdem terminis attribuūtur vtrique à Philos. vt diximus, ergo vel vterque est separabilis in essendo, vel neuter. Præterea iuxta æquiuoca nō fit comparatio ex 7. Phys. Sed separatio formalis & separatio in essendo sunt æquiuocæ, ergo quando Philos. comparauit vtrumque intellectum quò ad separationem, & innuit quòd cùm honorabilius sit agens patiente, si possibilis intellectus est separatus multò magis intellectus agens, hæc comparatio non valeret nisi sumatur in eodem sensu illud in quo fit cōparatio pro vtroque intellectu. Nec valet quod dicit, scilicet quòd de intellectu agente non dicit Philosophus ipsum esse simpliciter separatum, sed adiungit in hoc quòd verè est, id est in essendo. Hoc inquam non obstat, quoniam in tex.19. dixerat absolutè quòd intellectus agens separabilis & impassibilis & immixtus est. Illud autem verbum, scilicet in eo quòd verè est, apposuit in tex. 20. in quo non ampliùs de solo intellectu agente loquitur, sed de tota anima intellectiua, vt intellectiua est. Et hoc quod verè est non debet exponi in essendo, sed sic, In hoc quod verè est, id est, ex eo quod est substātia. Nam apud Aris. quod verè est stat pro substātia, vt in 1. Phy. Quod verè est nulli accidit. Vnde secundùm expositionem B.Tho. quam veriorem reputamus, sic intendit Philo. vt diximus.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Tho.Caie. destruit totam expositionem B. Tho. super illum tex. Non reminiscimur autem, &c. Et primo dicit quòd non potest exponi de statu post mortem, sicut B.Tho. exponit, quoniam dicit, Non reminiscimur, scilicet nos homines. Nam si de anima intenderet, diceret, Non reminiscitur.

Sed id non cogit. Nam vt dicit Philosophus in 9. lib. Ethi. Illud potissimum est vnumquodque, quod est principale in eo. Et quoniam principale in nobis est anima, ideo potuit dicere Philosophus, Nō reminiscimur nos homines post mortem, sumendo hominem pro anima. Et hæc etiam est sententia B.Tho. in 1. Parte, q.75. art.4. ad 1. vbi adducit prædictum Philosophi tex.9. lib. Ethicorum.

Secundò dicit, quòd iuxta expositionem, quæ est B. Tho. non potest saluari ly Quia in tex. Philosophi. Est enim nota causalis. Et iuxta expositionem B.Tho. nihil deseruit.

Sed si bene consideretur cōtextus & expositio B.Tho. aduertes quòd optimè deseruit, vt causalis nota. Ratio enim quare non reminiscimur post mortem est, quia intellectus passiuus corrumpitur.

Tertiò dicit quòd ly Intellectus passiuus non bene exponitur pro cogitatiua, quia in nullo Arist. lib. hoc nomen Intellectus sumitur nisi pro intellectu propriè dicto.

Sed & hoc non cogit. Nam sicut in fine 1. Ethic. dicit partem sensitiuam in homine esse rationalem, quia est apta obedire rationi, sic potuit dicere cogitatiuam esse intellectum, quia propinquat intellectui, adeò quòd dicitur ratio particularis, discurrit enim ab vno singulari ad aliud. Dico insuper quòd & in lib. Philosophi aliquando inuenimus phantasiam sumptā pro intellectu. Vnde in 3. de Anima, tex.48. dicit Philosophus, Videntur autē duo hæc mouētia, aut appetitus intellectus, si aliquis posuerit phātasiam, vt intellectum quendam. Si igitur phantasia apud Philosophum potest poni pro quodam intellectu, multò magis cogitatiua, quæ altior & propinquior est intellectui. Et si tu inuestigabis inuenies ꝙ Philosophus in sua Metaph. cogitatiuam appellat intelligentiam. Sed locus nunc non occurrit.

Quartò dicit, ꝙ si ly Intellectus passiuus exponitur pro cogitatiua, non debuit Philosophus dicere, quòd sine hoc nihil intelligit anima, sed quòd sine hoc nihil cogitat.

Sed nec id cogit, quoniā ly Sine hoc, debet referri ad partem sensitiuam & in particulari ad cogitatiuam, quam dixerat intellectum passiuum, quo cessante cessat reminiscentia, quoniam ad actum reminiscentiæ concurrunt omnes sensus interiores, vt declarauimus in Epitomate nostro, in Paruis Naturalibus in li. de Memoria & Reminiscētia. Et sine quo nihil intelligit anima coniuncta, sicut sine eo nōn reminiscitur. Credit autem Tho.Caie. quòd B.Th. accipiat ly Nihil intelligit absolutè, cum tamē accipiat solùm pro hac vita. Erat enim notum B.Tho. quòd si anima separata intelligit, intelligit sine cogitatiua, quæ ad partem sensitiuam spectat.

Quintò dicit quod verba Philosophi in 1. de Anima text. 66. quæ adducuntur hìc à B.Tho. & sunt hæc, Quare & hoc corrupto nō reminiscitur neq; amat. Non enim illius erant, sed communis, &c. adducuntur autem à B.Th. in expositione illius tex. Non reminiscimur autem, &c. ad insinuandum quòd quæ illic disputauit Philosoph. & hìc determinat, sunt extra propositum, quoniam in 1. lib. loquitur de anima vt distinguitur contra compositum, vnde dicit quòd non sunt illius passiones, sed habentis, hìc autem loquitur de nobis hominibus cùm dicit, Non reminiscimur.

Sed nec id cogit, quoniam, vt iam dixit Philosophus intendit loqui hìc de anima post mortem, quæ potest dici homo, quia est principale in nobis, vt iam dictum est ex 9. lib. Ethic. Vnde & in 1. lib. & hìc intendit de Anima & non de composito. Et sic B. Thom. adduxit verba illa ad propositum. Non ergo debemus relinquere expositionem Beat. Thom. propter has nouas expositiones, quas & alij nostri reprobauerunt.

Quantùm ad tertium Tho. Caie. adducit quinq; dicta Philosophi. Duo quidem assumit ad intentum suum. Tria autem glossat, quoniam non deseruiunt sibi.

Primum per se est hoc, Philosophus in 1. Ethi. ponit hominē fœlicitari secundùm quid & non simpliciter. Sed si anima esset immortalis posset fœlicitari simpliciter, ergo non fuit mens Philosophi animam esse immortalem.

Respondetur conformiter cum B. Tho. exponente, quòd Philosophus in omnibus libris moralium loquitur de homine pro præsenti statu. Nam dicit in 1. Ethic. lec.15. vbi Philosophus quærit vtrum bonæ fortunæ amicorum conferant defunctis. Quare vtrum homines viuant post mortem aut cognoscant quæ hìc fiunt, non pertinet ad propositum cùm hìc agat de fœlicitate præsentis vitæ. Hæc B.Tho. Sed dices vtrū Philosophus concesserit fœlicitatem post mortem. Dico ꝙ sic, & in cognitione separatorum ex 9. Metaph. in text. 22. vt ostēdimus suprà. Sed modum illius cognitionis nesciuit, nec potuit inueniri nisi ex reuelatione.

Secundum pro se, Dicit Philosophus in lib.12. Metap. tex. 39. Deductio autem optima qualis, nobis paruo tempore, illis autem, scilicet intelligentiis continua & perpetua. Sed si essemus immortales secundùm animam haberemus & nos

semper illam dispositionem optimam.

Respondetur quòd Philosophus refert se ad illud quod dixerat in x. Ethic. cap. x. vbi inquit, Diis quidem omnis vita beata, hominibus autem inquantùm quædam similitudo talis operationis, id est speculationis existit. Constat autem quòd in moralibus loquitur de fœlicitate pro præsenti statu, & hominibus illa speculatio est paruo tempore, quoniam citò deficiunt, & dum viuunt distrahuntur in multis, & in actu speculatiuo admiscetur phantasia, quæ cùm sit organica alterabilis est. Et ideo multo tempore persistere non possumus in speculatione. Patet ergo quòd hæc duo dicta Philosophi non concludunt animæ mortalitatem.

Primum dictum Philosophi contra se & quod glossare conatur est in 2. de Anima, tex.41. Separatur autẽ vt perpetuum à corruptibili, &c.

Sed non fuit necesse ipsum laborare in glossando tale dictum. Nam & nos concedimus per illud dictum non concludi immortalitatem animæ, quoniam Philosophus illic non determinat, sed proponit quod prima facie apparet, vt diximus supra. Expositionem autem suã de separatione formali non acceptamus, quoniam vt diximus supra Arist. deuenit in cognitionem operis, quod est proprium animæ, & per consequens cognouit separabilitatem animæ in essendo.

Secundum contra se, est in lib. de Generatione Animaliũ, c.3. Mens autem de foris est, &c. Dicit ipse quòd ly Mens non stat pro anima, sed pro intellectu agente, quem reputat substantiam separatam.

Hæc expositio est contra Philosophum. Nam illic loquitur ordinatè de anima vegetatiua, qua plãtæ, & sensitiua, qua animal, & intellectiua qua homo. Et ponit duas quæstiones. Prima est, Vtrum omnes animæ præfuerint, an nulla, an aliqua sic, aliqua non? Secunda est, Vtrum omnes veniant ab extra, vt posuit Auic. vel omnes sint in materia, ita quòd educantur de potentia materiæ, vel aliqua de foris veniat, aliqua autem non? Et concludit quòd sola mens de foris venit. Patet ergo quòd mens sumitur pro anima, qua homo est homo, aliter ille processus de generatione hominis non staret, in quo ordinatè proceditur ab vltima forma animati ad supremam.

Tertium contra se est in 12. Metap. tex.16. Vt si est anima talis, non est omnis, sed intellectus est.

Sed nec in isto erat sibi laborandum, quoniam concedimus quòd non concludit intentum cùm sit conditionalis. Sed hoc non obstat vt dicit illic B.Tho. exponens, quoniam illic non erat locus proprius, sed in 3. de Anima, vbi vt supra diximus, determinauit absolutè in tex. 20. quòd est incorruptibilis. Hæc sufficiant quantùm ad reprobationem prædictæ opinionis.

Quantùm ad quintum & vltimum principale superest soluere tria argumenta vltra ea, quæ soluimus contra Scotum & Thom. Caieta. His enim solutis non inuenies aliquid noui aut difficilis in Tractatu Petri Pompona. Mantua. Philosophi, quem edidit de Immortalitate Animæ. Nam tota vis sua stat in 5. argumentis, quorum vnum fundatur in 1. de Cœlo super illud, Omne genitum est corruptibile, &c. Et iam soluimus ipsum contra Sco. Aliud est, Si intelligere est phantasia, &c. Et id iam soluimus contra Tho. Caiet. Supersunt adhuc tria soluenda.

Primum, Si anima est incorruptibilis, & forma dans esse homini, & generatio est æterna vt arbitratur Philosophus, ergo animæ sunt infinitæ actu, quod repugnat principiis Philosophi negantis infinitum actu.

Ad hoc dicit Heruæ. in 1. Quo. q.11. quòd licet id repugnet principiis Arist. cum hoc tamen stat non fuisse expressam sententiam suam animam esse corruptibilem, quia fortè nõ aduertit hanc repugnantiam.

Sed pro honore Philosophi dico cum B.Tho. in 2. Contra Gent. c.81. quòd Philosophus non probauit in 3. Phys. & in 1. Cœli, non dari infinitum actu, nisi in corporalibus.

Sed contrà, Dicit Philosophus tertio Physicorum text. 36. Separatum quidem igitur esse infinitum à sensibilibus impossibile est, ergo nec in incorporeis, & separatis concedit infinitum.

Respondeo, Intendit Philosophus per separatum infinitũ, Pythagoricum separatum infinitum, quod Pythagoras ponebat esse principium, quod secundùm Pythagorã est quantum infinitum separatum ab omni materia sensibili, sicut si imaginemur spatium infinitum extra mundum. Nos autem intendimus de infinito separato secundùm multitudinem in natura intellectuali. In quavtrum possit dari infinitum dicit Philosophus in 3. Phy. in tex.39. Sed fortassis est vniuersalior quęst. (q.d. Quàm naturalis) si cõtingit in mathematicis & in intelligibilibus, & in nullam habentibus magnitudinem infinitum esse. Nos autem intendimus nunc de sensibilibus hęc ille. Ex quibus patet, quòd si hæc quęstio est vniuersalior spectat ad Metap. & tamen illic non determinauit oppositũ.

Sed dices, Imò determinauit. Nam in lib.11. Metap. in lec. 11. secundùm signationem B. Tho. probat & concludit non dari infinitum actu in naturis sensibilibus, nec in separatis, vt videre poteris. Respondeo, Loquitur illic in eodem sensu quo & in 3. Physi. contra Pythagoram. Nam est quasi idem text. & quasi eadem verba, & est potiùs repetitio quàm noua determinatio.

Sed contra, Ratio Philosophi in 3. Physi. tex.37. non dari infinitum in actu in rebus sensibilibus & corporeis, concludit vniuersaliter etiã in intellectualibus separatis. Sic enim arguit, Si datur corpus infinitum, dantur duo corpora infinita, quoniam in infinito sunt infinities infinita. Duo autem corpora esse infinita est impossibile, quoniam vnum infinitum occupat omnia. Sed eadem ratio concludit in abstractis. Si enim datur infinitum abstractum, erunt duo infinita, quoniam in infinito sunt infinities infinita. Sed non possunt esse duo infinita abstracta, quoniã infinitum omnia cõtinet.

Respondeo, Licet eadem ratio cõcludat de infinito abstracto Pythagorico, quod est quantum, quoniã infinitum quantum vt quãtum occupat omnem locum & continet omnem quantitatem, non tamen est eadem ratio in abstractis intellectualibus non quantis, quæ non habent virtutem occupatiuam. Et si tu aduertes inuenies quòd Arist. in ratione illa arguens contra Pythagoram semper supponit quantitatem. Sic enim concludit in fine tex.37. Sed impossibile est esse actu infinitum, quantitatem enim aliquam esse necesse est.

Secundum est, Si anima post corpus manet, cùm sit imperfecta, vtpotè pars extra totum, aut stabit extra corpus in æternum, quod est contra Arist. quoniam ponit in Vniuerso causas sufficienter ablatiuas imperfectionis. Et prætereà daretur violentum perpetuum contra Philosophum in secũdo Cœli tex.18. Violentum est enim animæ separari à corpore, aut dabitur resurrectio naturaliter, quod repugnat Philosopho, quoniam à priuatione ad habitum non est reuersio.

Huic argumento respondetur, vt diceret Aristot. qui est extra fidem. Concederet igitur quòd anima stabit separata in æternum. Et cùm arguitur, quòd daretur violentum perpetuum, negatur consequentia. Nam violentum propriè est illud, quod est constitutum in opposita dispositione suæ naturæ, & habet principium sibi intrinsecum, quo potest reduci ad statum suum naturalem. Si terra esse sursum est violentum, quoniam est extra suum locum naturalem & habet principium sibi intrinsecum, putà grauitatem qua potest reduci ad locum suum, & est locus deorsum naturaliter receptiuus ipsius terræ. Si autem poneretur res extra locum suum, & destrueretur locus eius, & non posset reparari per agens naturale, & non haberet principium sibi intrinsecum, quo posset reduci ad locum suum, tale non diceretur propriè violentum, & non esset inconueniens apud Philosophum sic perpetuari. Primo autem sensu esset inconueniens. Et in primo sensu loquitur Philosophus in 2. Cœli. Nam semper loquitur de corporibus naturalibus habentibus principium intrinsecum, quo possunt reduci ad locum suum proprium, & stat locus naturalis eorũ. Et quoniam anima separata est in secundo sensu, quia non habet in se qualitates, quibus possit se reunire corpori, nec datur agens naturale potens reparare idem corpus numero, ideo non inconuenit hoc violentum esse perpetuum, licet non sit propriè violentum, vt dictum est, nec de tali intendit Philosophus in 2. Cœli.

Tertium est, Si anima est immortalis supposito quòd sit forma corporis, ergo creatur, & de nouo, sed hoc contradicit Philosopho in 8. Physic. à text.6. vsque ad text.13. quoniam vult ab agente æterno & à voluntate antiqua non posse prouenire effectum nouum, sine mutatione ipsius agentis æterni. Consequentia quidem patet, quia si non creatur educitur de potentia materiæ, omne autem tale est corruptibile, & si non creatur de nouo non erit forma corporis, quia causa formalis non pręcedit id cuius est forma ex 12. Metaphysi. tex.16.

Ad hoc respondent Heruæus in primo Quolib. quæst.11. & Scotus in 4. distin.43. q.2. in examine secundæ propositionis, & cõcordant, & stant in hoc. Effectus nouus productus ab agente æterno potest esse duplex. Primò qui fit completus

tus in specie, & ad sui productionem non requirat nouum susceptiuum, sicut si Deus hodie produceret lapidem. Et sic Aristo. reputaret impossibile talem effectum produci de nouo ab agente æterno sine mutatione sui. Secundò qui fit incompletus & ad sui productionem requirat nouum susceptiuum, quod quidem producitur à causis secundis, cũ mutatione earum, vt quando generatur corpus susceptiuũ animæ, & tunc dico ad argumentum, quòd Arist. non reputaret inconueniens talem effectum de nouo produci à Deo, nec erit necesse ponere mutationem in Deo, sed sufficit ponere in susceptiuo. Vnde sufficit hanc propositionem esse veram apud Arist. Ab agente æterno non prouenit effectus nouus sine mutatione ipsius agentis, vel ipsius passi, id est, receptiui. Et ad propositum de anima, secunda pars est vera.

Aduerte tamen quòd ferè omnes Philosophi moderni dicunt creationem cum nouitate & sine nouitate, & respectu cuiuscunque effectus siue completi in specie sua, siue incompleti repugnare Aristo. Sed de hoc formaui quæstionem in 11. Meta. q.5. vbi determinatur ex doctrina Philosophi ipsum concessisse creationem etiam cum nouitate essendi. Licet Com. vt sibi imponit B.Tho. absolutè negauerit eã. Tu quære quæstionem illam si vis super hoc pleniorem habere resolutionem. Puto quòd ad præsens hæc sufficiant pro præsenti quæsito. Superesset formare rationes B.Tho. in hoc proposito quas adducit in 1. Parte, q.75. art.6. sed vt dixi in principio quæsiti, quia Scot. in 4. dist.43. q.2. in examine secundæ propositionis impugnat eas, & ego iam defensaui in Lectura nostra super primam Partem, ideo quære tu illic, ne præsens quæsitum inuoluatur.

QVAESTIO IIII.

Num anima intellectiua componatur intrinsecè ex partibus essentialibus, quæ sint partes realiter distinctæ.

Nulla anima, siue vegetatiua, siue sensitiua, siue intellectiua est intrinsecè composita ex materia & forma vera.

IN hac quæstione, quam intendo ordinare solùm per modum directorij vt scias te resoluere, & defensare viã Thomistic. sic procedendum est. Primò aduerte pro euidentia tituli, quòd partes essentiales dicuntur, quarum vna est verè potentia, altera verè actus: quæ est potẽtia, est perfectibilis, quæ est actus, est perfectio, vel altera est materia, & altera est forma. Quæritur ergo, si anima est vera composita ex duabus partibus realibus realiter distinctis, vt ex potentia & actu, vel ex materia & forma. Posita hac declaratione formantur duæ conclusiones responsiuæ, quarum prima est vniuersalis, secunda est particulariter de anima intellectiua.

Prima conclusio, Nulla anima siue vegetatiua siue sensitiua siue intellectiua, est verè & intrinsecè composita ex materia & forma, nec ex actu & potentia, vt ex partibus essentialibus. Hanc probat B.Tho. in prima Parte, q.75. artic.5. & nos iam idem determinauimus in 12. Metaph. in Quæstionibus nostris.

Secunda conclusio, Anima intellectiua non componitur intrinsecè ex vera materia nec vera forma vt partibus essentialibus. Hanc probat B.Tho. ibidem, & deducit hanc consequentiam, Si componeretur intrinsecè, cognosceret tantum indiuidualiter, & per consequens solùm singularia & non vniuersalia apprehenderet.

Postquàm conclusionem probaueris, aduerte quòd Aureolus, vt recitat Capræolus in 2. Sent. distin.3. q.2. cõtra primam cõclusionem conatur probare animam intellectiuam componi ex materia & forma, & vsque ad quartum argumentum probat ex dictis Philosophi illam componi ex intellectu possibili, vt ente in pura potẽtia, & ex intellectu agente, vt actu. Tu igitur vide argumenta sua in Capræ. in 2. dist. 3. q.2. contra primam conclusionem, quæ licet probent de substantiis intellectualibus abstractis, tamen applicantur eadem ratione ad animam intellectiuam, cùm sit in genere intellectualium. Dimittes autem 1. & 2. & 3. argumẽtum, quoniam soluentur quando quæremus de intellectu possibili si est ens actu vel in pura potentia. Pro præsenti verò quæsito solues 4.5.6.7.8. Nonum propriè applicatur intelligentiis, quæ dicuntur se totis intellectuales. Auctoritates Cõment. quas illic adducit Aureolus, aut negabis, aut expones vt Capręolus. Tu tamen aduerte quòd dicta Comment. in hac materia parùm veritatis continent, propter errorem, quem habuit de anima intellectiua. Hæc tibi sufficiant pro directione in præsenti quæsito.

QVAESTIO V.

Per quid indiuiduatur anima intellectiua.

Indiuiduationis animæ ratio ex vnibilitate et commẽsuratione ad corpus informabile ab ipsa sumẽda est, at nec corpus, nec mutua proportio præcisa ratio sunt, quòd anima habeat indiuiduatum esse, sed retinet esse indiuiduatum ex tali gradu essendi acquisitum in corpore.

IN hac quæstione antequàm fiat resolutio aduerte quòd si anima intellectiua nõ esset forma informatiuè, sed vt substantia separata, vt fingit Commẽt. eodem modo indiuiduaretur quo & intelligentiæ, de quarum indiuiduatione ordinaui q.24. in 12. Metaph. & determinatum est quòd seipsis indiuiduantur. Verùm quia non sequimur fictionem Cõment. sed ponimus eam verè formam corporis & vnibilem materiæ, ideo ratio suæ indiuiduationis sumenda est ex corpore, vt ex materia propria, quam informat. Vt autem cognoscas in via nostra resolute quomodo indiuiduatur ex corpore tria principaliter agẽda sunt. Primò ponetur vna distinctio. Secundò tres conclusiones responsiuæ. Tertiò defensabitur via nostra cõtra Scotum & soluemus rationes suas, quas format contra determinationem quam facturi sumus.

Quantùm ad primum aduerte quòd indiuiduatio animæ potest dupliciter considerari. Primò quò ad rationem indiuiduandi. Secundò quò ad indiuiduatum esse. Quò ad rationem indiuiduandi voco illud, sine quo non indiuiduaretur: quò ad indiuiduatum esse voco illud quo anima indiuiduata remanet intrinsecè indiuiduata tam coniuncta quàm separata, etiam quòd desineret esse illud, quod fuit ratio indiuiduationis.

Quantùm ad secundum ex hac distinctione pono tres cõclusiones, in quibus stat resolutio viæ nostræ.

Prima conclusio, Ratio indiuiduationis animæ sumitur ex vnibilitate vel commensuratione ad corpus informabile ab ea: putà anima Sortis ideo indiuiduatur, quia habet proportionem & commensurationem ad corpus Socratis. Hæc sic probatur ex doctrina B.Tho. Sicut se habet corpus informabile ab anima ad productionem animæ, sic ad vnitatem numeralem eiusdem. Nam productio animæ non terminatur ad esse animæ, nisi quia terminatur ad hoc esse animæ, quod est esse indiuiduale vel vnum numero. Sed corpus est ratio quòd producatur anima, hac enim ratione producitur forma, vt materia propriam informet, & formatum cõuenientem operationem habeat, ergo corpus est ratio quòd anima producta habeat vnitatẽ numeralem. Tunc vltrà, Sed corpus non est ratio quòd producatur anima nisi quia proportionatur ipsi animæ & econuersò. Nam proprius actus & propria materia naturaliter proportionantur ex 2. de Anima, tex.26. ergo nec corpus est ratio indiuiduandi animam, nisi quia mutuam habent proportionem, quare, &c.

Secunda cõclusio, Nec corpus, nec mutua proportio sunt præcisa ratio quòd habeat anima indiuiduatum esse. Probatur, Si hæc esset præcisa ratio, ergo destructo corpore & cessante actuali mutua proportione quæ cessat in morte dum corpus corrũpitur (hæc enim relatio ex parte corporis fundatur in eo) destrueretur ipsa anima: non enim remanet vt specifica, sed vt hæc, & sic non possemus seruare permanentiam eius post corpus.

Tertia conclusio, Anima habet & retinet esse indiuiduatum etiam post separationem à corpore per talem gradum essendi signatum, vel tale esse terminatum acquisitum animæ in corpore, nõ tamen per dependentiam ad corpus. Hæc conclusio est B.Tho. in 1. Sentent. distinct.8. q.5. artic.2. ad 6. Et intendit quòd remotis corporibus adhuc remanet cuilibet animæ esse suum terminatum non tantùm secundùm affectiones vel dispositiones, quæ consecutæ sunt ipsam prout fuit perfectio talis corporis. Et manifestatur per exẽplum sensibile, Si aliquod vnum non retinens figuram distinguatur per diuersa vasa, sicut aqua non congelata, quando vasa remouebuntur non remanebunt multæ aquæ distinctæ, sed tantùm vna aqua, quia non permanent figuræ, quas sortitæ erant ex figuratione vasorum. Ita est de formis materialibus & animatorum, quæ eductæ sunt de potentia materiæ, quæ non habent nec retinent esse per se, sed earum esse pendet ex materia sic, vel sic disposita. Et ideo remotis dispositionibus materiæ remouetur esse earum. Si autẽ sit aliquod retinens figuram & distinguatur secundùm diuersas figuras per diuersa instrumenta, etiam remotis instrumentis remanent distincta figurata, vt patet in cera, quæ acquirit & retinet varias figuras secundùm varia vasa, quibus infunditur & tamen fractis vasis remanent illæ figuræ in cera indurata. Idem intellige de omni liquabili. Et ita est de anima, quæ acquisiuit determinatum esse sibi intrinsecum & substantiale in corpore, cuius est perfectio, & permanet in ea post separationem, sicut figura in cera solidata etiam remoto vase figurante. Aduerte tamen quòd dictum est, Licet huiusmodi esse acquiratur animæ in corpore, non tamen per dependentiam ad corpus. Quoniam si tale esse dependeret ex corpore conseruaretur etiam ex corpore, ergo remoto corpore tale esse destrueretur sicut destruitur figura corporis liquidi, remoto vase figurante.

Aptissimũ exemplum est hoc de indiuiduali esse animæ à corpore separatæ.

Et sic esset impossibile seruare incorruptibilitatem animæ.

Quantùm ad tertium aduerte quòd Scotus contra determinationem factã sic arguit, Si anima indiuiduatur per materiam vel corpus cui vnitur, hoc est vel per habitudinem & commensurationem ad tale corpus, vel per esse quod acquirit in tali vel tali corpore, sed neutro modo, ergo, &c. Et quòd non per habitudinem & commensurationem probat tripliciter.

Primò sic, Hæc habitudo est ens respectiuum, ens autem respectiuum præsupponit absolutũ, ergo illa habitudo iam supponit substantiam huius animæ vt suum fundamentum, ergo non constituit nec indiuiduat hanc animam, sed supponit iam constitutam & indiuiduatam.

Secundò sic, Indiuiduatiuum animæ est de ratione animæ. Est enim sicut differentia huius animæ. Sed habitudo & commensuratio non est de ratione huius animæ, quia hæc anima est quid absolutum, respectiuum autem non est de ratione absoluti, ergo, &c.

Tertiò sic, Hæc habitudo in morte corrumpitur, quoniã corpus quod est terminus eius, corrumpitur, ergo si per illã indiuiduatur anima post corruptionem eius, non remanebit anima indiuiduata, ex consequenti non seruatur secundùm hanc viam incorruptibilitas animæ intellectiuæ.

Ad primum quia teneo quòd relatio est idem realiter cũ suo fundamento, vt determinaui in 5. Metaphy. in Quæstionibus nostris, dico quòd respectiuum non supponit absolutum suppositione reali, sed tantùm secundùm materiam intelligendi, eò quia res absoluta vt fundat conceptum relatiuum supponit seipsam vt fundat conceptum absolutum, sicut albedo, quę realiter est similitudo supponit seipsam vt fundat conceptum similitudinis formaliter. Stante hoc nego omnes consequentias Scoti. Nam hoc concludit & non plus, quòd illa habitudo supponit substantiam huius animæ quò ad modum intelligendi, non autem realiter, quoniam illa est realiter essentia huius animæ, vt respicit hoc vel illud corpus.

Ad secũdum nego quòd anima sit purum absolutum, imò cùm sit forma & sit pars, semper habet annexum respectum, sicut & accidens vt accidens semper respicit subiectum. Vt de vt determinaui in 7. Metaph. in Quæstionibus nostris, inhærentia est de ratione accidentis. Similiter dico quòd de ratione animæ, vt est forma, est respectus ad suum formabile. Et ideo Philosophus in diffinitione animæ ponit corpus non vt de essentia eius, sed vt propriam materiam, cuius est perfectio & actus.

Ad tertium respondeo dupliciter. Primò quòd licet quando corrumpitur corpus corrumpatur illa habitudo quò ad suum formale, vel quò ad suum cõoratum. non tamen quò ad suum reale intrinsecum. Hoc enim est essentia animæ sicut similitudo est realiter & identicè albedo. Dico secundò, Dato quòd illa habitudo corrumperetur realiter ad corruptionem corporis, vt tenent illi, qui arbitrantur relationẽ distingui à fundamento, tamen ex hoc non sequitur, quin remaneat anima indiuiduata: nam remanebit indiuiduata per determinatum esse sibi intrinsecum, & sibi acquisitum in ipso corpore, cuius fuit actus. Scotus autẽ supponit quòd nos teneamus totalem & præcisam rationem indiuiduationis animæ esse illam solam habitudinem, quod non est verũ, vt declaratum est in secunda conclusione. Et ideo argumentum suum non concludit.

Quod autem anima nõ indiuiduetur per esse, sibi acquisitum in corpore, probat Scotus duplici argumento.

Primò sic, Tale esse præsupponit determinationem & distinctionem essentiæ huius animæ ab essentia cuiuscunque alterius animæ, ergo non indiuiduat hanc animam, sed supponit iam indiuiduatam. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia esse existentiæ non est ex se distinctũ nec determinatum, alioquin haberet proprias differentias alias à differentiis esse essentiæ, quod est falsum, quia oportet ponere coordinationem existentiarum aliam à coordinatione essentiarum, quæ omnia falsa sunt.

Secundò sic, Esse existentiæ non est de ratione huius animæ, sicut nec de ratione animæ. Circunscripta enim existentia potest concipi singulare, ergo non est indiuiduatiuum huius animæ. Consequẽtia patet, quoniam indiuiduatiuum est distinctiuum, & distinctiuum habet rationem differentiæ. Differentia verò est de ratione eius cuius est differẽtia, ergo, &c.

Ad primum, Transeat pro nunc antecedens. Consequentia autẽ in vno sensu est vera, in alio est falsa. Nam si sumatur indiuiduatio pro ratione indiuiduãdi, sic concedo eam, nec est contra nos vt patet in prima cõclusione. Si autem sumatur pro permanentia in indiuiduato esse, sic negatur consequentia: & solùm in hoc sensu concedimus quòd anima indiuiduatur per tale esse, vt patet in conclusione tertia.

Ad secundum dicitur quòd non est necesse omne indiuiduatiuum esse de ratione indiuiduati nec habere sve differentiam, nisi sic illud à quo sumitur prima ratio indiuiduandi, hoc autem non est ipsum esse, sed illa habitudo, quam diximus esse de ratione huius animæ, & realiter esse substantiam huius animæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. Quæ si non sufficiunt dedi saltem viam exercendi ingenij.

QVAESTIO VI.

Num anima intellectiua est tota in toto & tota in qualibet parte corporis.

IN hac quæstione aduerte quòd Iand. in 2. de Anima pertractat eandem quæstionem, & est sua quæstio 7. sed sub titulo animæ in communi, & non applicat se ad animam intellectiuam, quoniam cùm sequatur viam Comment. si non est forma corporis dans esse non potest propriè dici quòd sit tota in toto, nec secũdùm partem. Nos autem quia tenemus esse ipsam esse verè formam informatiuè, meritò quærimus si est tota in toto, &c. Vt ergo habeas in via nostra resolutionem propositi sic procedendum est. Primò ponetur distinctio de totalitate. Secundò ponentur conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur tria dubia. Quartò soluentur principalia argumenta Commentistarum quæ militant contra determinationem quam acturi sumus.

Quantùm ad primum aduerte quòd aliquid potest intelligi totum quadruplici totalitate. Primò totalitate essentiali, & est illud quod verè componitur ex partibus essentialibus realiter distinctis, quarum vna est materia, altera forma: & in hoc sensu omnes substantiæ sensibiles habẽt totalitatem. Secundò totalitate quantitatiua, & est illud quod diuiditur in partes quantitatiuas, vt linea, corpus, lapis, &c. quę dicuntur quanta per se, vel saltem quanta per accidens, vt albedo, quę diuiditur, vt diuiditur superficies. Et in hoc sensu omnes substãtiæ corporeæ, & accidentia sensibilia recepta in quanto habent hanc totalitatem. Tertiò totalitate potestatiua seu virtuali, & est illud quod multas virtutes siue qualitates quæ sunt principia diuersarum operationum siue motuum, continet. Et in hoc sensu ignis continens caliditatem, siccitatem, leuitatem, & lucem, habet hanc totalitatem. Quartò totalitate perfectionali, & est illud cuius natura perfecta est perfectione sibi debita, & vbi est, secundùm totam perfectionem est. Hæc totalitas non includit partes reales, quia non dicitur totum in hoc sensu, nisi quia perfectum, & hæc totalitas inuenitur in omnibus substantiis simplicibus, vt in Deo & in aliis abstractis & in qualitatibus simplicibus, nam tota albedo, id est, perfecta est in quolibet pugillo niuis, & tota dulcedo in omni parte mellis, & tota caliditas in omni parte ignis.

Quantùm ad secundum ponuntur quinque conclusiones responsiuæ. Prima conclusio, Anima intellectiua & quælibet alia anima est in qualibet parte corporis animati. Hæc non habet difficultatem, quia forma inest omni illi quod habet esse formaliter per ipsam, nihil enim habet esse formaliter per aliquod separatum ab eo. Sed quælibet pars corporis animati habet esse formaliter per animam, quia anima est forma substantialis animati, vt determinatum est in secũdo libro, in q 3. forma autem substantialis dat esse toti & cuilibet parti, toti quidem primò & per se, partibus autẽ vt sunt in toto, vel respiciunt totum, & sic secundariò.

Secunda cõclusio, Nec anima intellectiua, nec alia anima est tota in omni parte corporis animati totalitate essentiali. Probatur, quia nulla anima vt determinatum est in 4. quæstionibus 3. lib. & in 12. Metaphysic. in Quæstionibus nostris, componitur intrinsecè ex partibus essentialibus distinctis, vt ex materia & forma. Repugnat enim animam esse formam, quia est actus corporis & eam componi ex materia & forma, ergo talis totalitas non conuenit animæ intellectiuæ, nec alij animæ.

Tertia conclusio, Anima intellectiua non est tota totalitate potestatiua in omni parte corporis. Probatur, quia cùm diuersæ potentiæ animæ requirant diuersa organa, & diuersam complexionem in organis, vt visum est in secundo libro de visu, auditu, tactu, &c. vbi est anima secundùm visum, putà in pupilla, non est secundùm auditum. Quædam etiam potentiæ vt intellectus & voluntas in nulla corporis parte sunt, vt dicemus infrà, ergo, &c. Aduerte tamen quòd Iandunus in secundo lib. de Anima, quæst. septima adducit opinionem tenentem oppositum huius conclusionis, vt videre poteris, sed potiùs est derisibilis quàm reprobãda.

Quarta conclusio, Anima intellectiua non est tota in toto, nec tota in parte, nec pars in parte totalitate quãtitatiua. Probatur quia nullo modo est quanta, nec per se, nec per accidens, ergo non potest dici tota quantitatiuè, nec habere partes quantitatiuas, ergo hac totalitate non potest dici tota in toto, &c. Quòd autem nullo modo sit quanta, probatur, quia non intelligeret vniuersale, sicut patet de sensu, quoniam est quantus per accidens & organicus non recipit nisi indiuidualiter & cognoscit tãtùm singulare. Idẽ accideret de anima intellectiua, nihil enim reciperetur in ea nisi sicut, & illud non duceret in cognitionem nisi alicuius sicut existentis hic & nunc.

Quinta cõclusio, Anima intellectiua totalitate perfectionali est tota in toto & tota in omni parte corporis. Probatur, Perfectio essentialis animæ intellectiuæ est indiuisibilis ex quarta cõclusione, ergo vbi est, tota est, i. perfecta est. Sed est in omni parte corporis per primam conclusionem, cùm sit forma substantialis totius animati, ergo, &c. Simile habemus in niue, de qua est verum dicere quòd tota albedo est in omni parte niuis, non quidem secundùm quantitatẽ, quoniam per accidens extenditur vt superficies, sed secundùm perfectionem, quoniam albedo vt forma est simplex & ex se indiuisibilis. Sed aduerte quòd totalitas perfectionalis debet exponi potiùs negatiuè, quàm positiuè, vt quando dicitur, Tota albedo est in pugillo niuis, sic exponatur, Essentia albedinis est in pugillo niuis, non secundùm partem & partem sed indiuisibiliter. Similiter cùm dicitur, Tota anima est in capite & in corde & in pede, sic exponatur, Essentia animæ est in capite & in corde nõ secundùm partem & partem, quia non habet partes, sed indiuisibiliter. Hoc modo exponit Heruæus & est expositio vera.

Quantùm ad tertium aduerte tria dubia, quæ insurgunt contra determinationẽ factã secundùm viam, quã tenemus.

Primò dubitatur si sola anima intellectiua inter omnes formas informantes materiam siue sint formæ inanimatorum, siue animatorum tam imperfectorum quam perfectorum, careat omni totalitate quãtitatiua tam per se quam per accidens, ita quòd omnes aliæ sint quantæ & extensæ per accidens præter solam animam intellectiuam.

Pro euidentia huius dubij inuenio quinque modos dicendi, & quilibet modus habet propriam opinionem.

Prima opinio dicit, quòd nulla forma substantialis est quanta, nec extensa, nec per se, nec per accidens. Et ratio sua præcipua est hæc, Quia ratione sui non est extensa, quoniam omnis forma vt forma est simplex non habens in se partes ad differentiam quantitatis, nec ratione sui subiecti quod est materia prima, quæ vt materia prima non est extensa, sed extenditur per quantitatẽ. Nec potes dicere in via Thomist. suum subiectum esse materiam existentem sub quantitate, quoniam quantitas pro forma corrumpenda non remanet in instanti introductionis formæ generandæ, & quantitas subsequens pro forma generanda est posterior natura ipsa forma, ex consequenti forma substantialis non recipitur in materia existente sub quantitate.

Sed hæc ratio non concludit: possumus enim dicere quòd licet non sit extensa ratione sui, nec ratione materiæ primæ, tamen sit extensa quia est pars compositi recipientis extensionem. Sed aduerte quòd nisi aliud addatur, anima intellectiua esset extensa, quoniam est pars hominis recipientis extensionem. Et ideo infrà assignabitur aliud vt videbis. Item aduerte quòd licet in instanti introductionis formæ non remaneat quantitas actu in materia, remanet tamen virtualiter, ac si eam haberet actu, & est in potentia ad consimilem per aduentum formæ generandæ. Et dico quòd illa virtualis quantitas sufficit ad distinctionem materiæ pro illo priori, æquipollet enim quantitati actuali, quam materia haberet si non deesset in illo priori subiectum quantitatis, quod est ens actu in via nostra. Pro nunc extimo sic respondendũ. Tu autem si vis scire determinationem quam feci de materia quanta siue distincta in aduentu formæ, vide in 8. Metap. in Quæstionibus nostris.

Secunda opinio dicit, quòd omnis forma informans materiam est quanta & extensa. Et hic est Comment. & sequentes eum, & ideo tenent, quod si anima intellectiua informat materiam esset extẽsa. Et ratio eorum præcipua est hæc, Quod recipitur in quanto fit quantum, vt patet de albedine recepta in superficie: & ratio huius est, quia quod recipitur in aliquo recipitur per modum recipientis, ergo si anima intellectiua recipitur in quanto fiet quanta.

Sed hæc ratio non concludit, quoniam maior sumpta vniuersaliter est falsa. Ad probationem dico quòd illa maxima potest habere duplicem sensum, scilicet verum & falsum, falsum quidem si intelligatur quod receptum fit tale quale est recipiens. Nam aqua recepta in vase solido fieret solida. Verum autem si intelligatur quod receptum recipitur in recipiente secundùm quòd recipiẽs est capax & dispositum. Sed sic intellecta non deseruit arguenti, quoniam licet anima recipiatur perfectiùs vel imperfectiùs secundùm dispositiones materiæ, vt determinauimus in 8. Metaph. in Quæst. nostris, non tamen ex hoc fit extẽsa, quoniam ex sui perfectione est penitùs impartibilis.

Tertia opinio dicit, quòd non omnis forma substantialis informans materiam est extensa, sed tantùm illa, quæ educitur de potentia materiæ. Et quia omnes præter animam intellectiuam educuntur de potentia materiæ, ideo tenent solam ipsam esse inextensam. Et ratio sua præcipua est, quia sicut tota educitur de potentia materiæ, ita pars de parte.

Sed hæc ratio non concludit, quia illa propositio, Sicut totum de toto, ita pars de parte, non est vera, nisi vbi totum est habens partes. Vbi autem est totum non quia habet partes, sed quia perfectum, sicut dicitur, Totus Deus est vbique, non est vera. Et quia non omnis forma educta de potentia materiæ, vt dicemus de anima bruti perfecti, est totum habens partes, sed sumitur totum pro perfecto, ideo nõ est necesse quòd pars educatur de parte.

Quarta opinio dicit quòd omnis forma inanimati est extensa, non autem aliqua anima. Et ratio sua est, quia omnis anima supergreditur materiam, ita quòd non totaliter immergitur, forma autem inanimati totaliter immergitur. Ità forma inanimati æquè respicit & denominat singulas partes sicut totum. Omnis enim pars lapidis est lapis, sed nõ omnis pars animalis est animal.

Sed hæc ratio non concludit, quoniã non quælibet supergressio materiæ facit formam inextensam, sed requiritur, vt dicemus in sequentibus quòd nullo modo forma perficiat nec actuet partem extra totum, & quia nõ solùm forma inanimati, sed etiam anima vegetatiua & sensitiua brutorum imperfectorum perficiunt & actuant partem extra totum, vt declarabimus in sequẽtibus, animæ verò brutorum perfectorum nullo modo actuant partem extra totum, ideo nõ inconuenit illas esse extensas, has autem non. Quantùm verò ad respectum & denominationem dico quòd non solùm forma inanimati respicit & denominat partes sicut & totum, sed etiam anima animati imperfecti, licet nõ æquè perfectè. Nã sicut pars lapidis decisã à lapide est lapis, sic pars animati imperfecti vt lacertæ & vermis decisa est animata. Quòd autem non dicatur animal sicut ipsum totum, non est quia careat anima sensitiua, sed quia non habet sufficientia organa requisita ad ipsum animal.

Quinta opinio dicit, quòd non solùm anima intellectiua, sed & animæ omnium animalium perfectorũ sunt inextensæ, imperfectorum autem sunt extensæ, & dicuntur animalia perfecta, quorum partes decisæ non viuunt, imperfecta autem quorum partes extra totũ viuunt. Et ratio huius opinionis est hæc, Quod aliquod vnum diuiditur in plura eiusdem rationis & diuisa permaneant, non est possibile nisi sit quantum, vel per se, vel per accidens. Ex opposito autem si aliquod vnum non potest diuidi in huiusmodi, necesse est vt sit non quantum & inextensum per se & per accidens. Sed animæ imperfectorum animalium diuiduntur in plura animata, & diuisa permanent, vt patet in partibus animalis anulosi, quæ separatæ à toto viuunt. Animæ autem perfectorum animalium non sic se habent, vt patet ad sensum, quoniã non animant partes nisi coniunctas toti: ergo necesse est ponere animas animatorum imperfectorum extensas per accidens, perfectorum autem & non solùm animam humanam inextensas.

Et hanc opinionem sequor, quæ est Heruæi in primo Sentent. distinct. 8. quæst. 4. Et est consona B. Tho. in prima Parte, quæst. 76. artic. 8. vbi sic habes, Sed forma, quæ requirit diuersitatem in partibus, sicut est anima, & præcipuè animalium perfectorum non æqualiter se habet ad totum & ad partes, vnde non diuiditur per accidens, scilicet per diuisionem quantitatis. Et aduerte quòd beatus Thomas intendit quòd quando forma non est nata perficere partem se paratam à toto, & dico Perficere nec totaliter, sicut forma elementi, quæ quantum sit ex se æquè perficit materiã bicubitam & vnicubitam si abscindatur à bicubita: nec secũdùm quid,

quid, sicut vegetatiua, quæ perficit ramum abscissum secundùm quid quidem formaliter, sed secundùm totum virtualiter, quoniam ramus abscissus si plantatur fiet arbor, vt patet in salice. Similiter sensitiua brutorum imperfectorũ perficit partem abscissam secundùm quid solùm virtualiter & formaliter, quoniã non potest fieri animal, licet pro aliquanto tẽpore viuat, vt patet de cauda lacertæ. Et quoniã anima intellectiua & sensitiua brutorum perfectorũ nec totaliter, nec secundùm quid possunt perficere nec viuificare partem extra totũ, ideo ex hoc B. Tho. infert quòd non sunt extentæ, nec diuiduntur per accidens, s. per diuisionem quantitatis.

Sed dices quòd B. Tho. tenet omnem formam inferiorum præter animam intellectiuam situari in materia, ergo extenditur in materia & fit quanta per accidens.

Respondetur negando consequentiam, quoniam per ly Situari non intendit quòd extendatur, sed quòd ita complantatur in materia quòd non potest ab ea separari, eò quòd est de potentia illius educta. Et per oppositum anima intellectiua non sic situatur. Cum hoc tamen stat quòd vtraq; sit inextensa propter rationem dictã, quia scilicet non possunt informare partẽ extra totum, nec secũdùm quid, nec simpliciter.

Secundò dubitatur quomodo B. Tho. potest saluare id qd dicit in 1. Parte, q. 76. art. 8. s. quòd anima est tota in qualibet parte corporis secundùm totalitatem essentiæ. Nam I and. in 2. de Anima, quæst. 7. sic arguit, Totũ essentiale habet partes. Omne enim totum partes includit. Sed anima in essentia sua non habet partes, quia est actus, ergo, &c.

Ad hoc dicò quòd licet responderi possit animam habere partes essentiales non quidem reales, sed rationis, quæ sunt partes diffinitionis, meliùs tamen dicitur quòd B. Thom. per totalitatẽ essentiæ non intendit inclusionẽ partiũ, sed perfectionẽ essentiæ, vt ly Totũ sit idẽ quod perfectũ, vt expo suimus in 5. cõclusione. Argumentũ aũt I and uni procedit iuxta sensum primæ conclusionis, quam posuimus negatiuam.

Tertiò dubitatur, quomodo potest saluare B. Thom. quòd anima vegetatiua sit eadem essentialiter cum intellectiua, si intellectiua est inextensa. Nam communiter tenetur quòd omnis vegetatiua est extensa, si igitur est eadem cum intellectiua, ergo eadem forma erit extensa & inextensa, quod implicat contradictionem.

Ad hoc respondetur quòd vegetatiua dupliciter considerat ur. Primò vt vegetatiua præcisè, & sic non repugnat sibi esse extensam, vt patet in planta & in animali imperfecto. Secundò consideratur vt adiuncta intellectiuæ, & est eiusdem essentiæ cum ea, & sic sibi repugnat esse extensam.

Sed dices, Forma cuius actus recipitur in extenso videtur extensa. Sed vegetare recipitur in extenso, quia in corpore & in omni parte corporis, ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd vegetare in homine non est actus immediatus animæ vegetatiuæ, sed potentiæ nutritiuæ, quã concedo esse extensam. Concludit ergo instantia quòd potentia ipsa nutritiua est extensa, non autem concludit de anima vegetatiua, vt est idem cum intellectiua. Vnde in via B. Tho. hæc instantia non est grauis, difficilior autem est in via eorum, qui negant distinctionem realem inter essentiam animæ & eius potentias, & tenent identitatem realem inter vegetatiuam & sensitiuam & intellectiuam.

Quantùm ad quartum aduerte, quòd Com. pro indubitato tenet quòd omnis forma informans materiã secundùm esse sit extensa & diuisibilis, vnde inquit in 8. Physi. com. 78. Omni formæ in corpore conuenit diuisibilitas. Et ex hoc fundamento negauit animã intellectiuã esse formã corporis secundùm esse, credẽs ipsam esse inextẽsam. Et q; hæc duo repugnent, animã intellectiuã esse, inextensam & esse formam corporis informatiuè, sic arguitur ad mentem Comment.

Primò, Omne quod recipitur in quãto & extenso sit quantum & extensum, vt patet de albedine, quæ recipitur in superficie, sed si anima intellectiua est forma corporis informatiuè recipitur in quanto, quia in corpore, & in materia diuisa à quacunque alia materia, quoniam proprius actus fit in materia propria, ergo de necessitate anima intellectiua erit extensa.

Ad hoc negatur maior vniuersaliter sumpta nisi formẽtur sic, Omne quòd recipitur in quanto siue in materia quãta, & est ratio recipiendi quãtitatem, est quantum. Et in hoc sensu conceditur maior, sed negatur minor, quoniam in homine anima intellectiua non est ratio recipiendi quantitatẽ, sed materia tãtum, quãuis enim cõpositum sit subiectũ quantitatis & omniũ accidẽtium consequentiũ quantitatẽ, tamẽ ratio propriè receptiua est sola materia. Et id iam determinaui in 8. Meta. in 9. nostris, vbi declaratũ est quomodo differunt hæc duo, s. esse subiectũ quantitatis & esse rationem recipiendi quantitatem. Et ex hoc elicitur quòd si in quolibet composito præterquã in homine ratio receptiua quantitatis sit forma & non sola materia omnis alia forma distincta ab anima intellectiua erit extensa. Si autem non solum in homine, sed etiam in aliis, putà in animalibus perfectis, ratio recipiendi quantitatem sit solam materia, poterit alia forma, putà anima equi, recipi in materia extensa, & tamen non erit extensa, nec per se, nec per accidens.

Secundò sic, Omne quod recipitur in aliquo, recipitur per materiam recipientis, ergo si anima intellectiua recipitur in quanto & extenso, recipitur vt quanta & extensa.

Ad hoc iam respondimus soluentes rationẽ secundæ opinionis, quam suprà recitauimus.

Vltimò aduerte quòd Heru. in 2. Quoli. q. 10. contra hoc fundamẽtum, quo tenemus in homine solam materiam esse rationem recipiendi quantitatem & non animam intellectiuam format 22. argumenta & soluit. Inter quæ aduertes solutiones argumentorum, 14. & 15. & 16. & 17. Quæcunque autem argumenta probant quòd sola materia non est subiectũ quantitatis, concedes, cum hoc tamen stat quòd est ratio recipiendi quantitatem, quoniam non est idem esse subiectum quantitatis & esse rationem recipiendi quantitatem primũ enim conuenit cõposito secundùm viam Thomist. secundùm aũt conuenit materiæ, vt iam declaraui in 8. Metap. Hæc pro præsenti quæsito dicta sint. Et hic terminãtur quæsita occurrentia, circa naturam & substantiam animæ intellectiuæ. Et trãsfero me ad quæsita circa naturam intellectus possibilis.

QVAESTIONES NATVRALES
De intellectu possibili.
QVAESTIO I.

Num intellectus possibilis sit separatus, non solùm ab omni organo, sed etiam si est separatus, ita quòd sit extra corpus.

IN hac quæst. tria principaliter consideranda sunt. Primò quæ fuerit mens Com. in hoc. Secundò quæ fuerit mens Phil. secundùm B. Tho. cuius sensum tenemus esse ad mentẽ Phil. Tertiò quãtùm cõcludat ratio Phil. probãtis separationẽ intellectus, quæ fundatur super hanc maximã. Omne receptiuũ oportet esse denudatũ & separatũ à natura recepti.

Quãtùm ad primum aduerte quòd Com. opinatur ipsum esse separatum & extra corpus, & omnino immixtum materiæ, sicut si esset aliqua intelligentia. Et id cõstat in 3. de Anima, com. 4. vbi inquit, Manifestum est quòd ista substantia, quæ dicitur intellectus materialis, non est corpus neque forma in corpore, est igitur non mixtus omninò cum materia. Præterea Com. in eodem com. ponit intellectũ possibilem & agentem esse duas virtutes in anima intellectiua, quas appellat virtutes actionis & passionis: sed constat ex doctrina sua & sequentium eum, quòd anima intellectiua non est forma corporis informatiuè, vt dictum est suprà, ergo & intellectus est separatus & extra corpus. Idem sibi imponit B. Tho. in tertio de Anima in expositione tex. 7. vt videre poteris, sed de hoc satis pro nunc.

Quantùm ad secundum sequendo mentem B. Tho. in expositione text. 4. & 5. in 3. de Anima dico quòd Philosophus duo intendebat contra Antiquos errantes circa naturam intellectus. Primò intendit quòd intellectus sit immixtus, id est, non compositus intrinsecè compositione reali ex naturis corporeis sensibilibus, nec ipse est aliqua talium naturarum, eò quòd est cognoscitiuus omnium earum. Et si esset aliqua talis natura vel compositus ex eis impediretur ejus cognitio: sicut si in oculo esset aliquis connaturalis color impediret visionem aliorum colorum, quoniam cognoscitiuum aliquorum oportet vt nihil eorum habeat in sui natura. Secundò intendebat contra Antiquos hoc corollarium, Si intellectus possibilis non est aliqua natura corporea determinata nec intrinsecè compositus ex eis, ergo non miscetur corpori, sicut sensitiuum, quoniam si misceretur corpori, vt sensus, esset qualis, putà calidus vel frigidus, qualificatur enim sensus ex organo cui alligatur. Quod quidem quomodo verum sit declarabitur infrà. Ex hoc autem quòd nõ miscetur corpori, vt sensus, deducit Philosophus, in text. 6. quòd nullum habet organum, sicut habet sensus. Ex quo patet quòd Philosophus comparàns, intellectũ sensui intendebat illam separationem attribuere intellectui, quam negat sensui, sensui autem negat separationem ab organo, ergo oppositum intẽdebat de intellectu. Cum quo tamen stat quòd sit virtus animæ intellectiuæ, quam tenemus de mente Philo

Philosophi esse formam corporis informatiuè, non tamen complexionalem, nec eductam de potentia materiæ.

Quantùm ad tertium declarandum est primò in quo sensu illa maxima sit vera, qua declarata formabitur ratio Philosophi qua probat intellectum esse immixtum & separatũ ab omni natura sensibili corporea. Secundò soluentur quatuor dubia. Sed quartum erit circa hanc consequentiã Philosophi, Si intellectus est mixtus, i. habens organum, vt sensus, ergo est qualis, putà calefactus, aut frigidus.

Pro euidentia igitur illius maximæ (quæ solet dupliciter formari: primò sic, Omne receptiuum aliquorum debet esse denudatum à natura receptibili, secundò sic, Omne cognoscitiuum aliquorum, oportet vt nihil habeat eorum in sui natura, & hic hoc secundo modo declarabitur) nota distinctiones sequentes, ex quibus extrahetur veritas eius.

Prima distinctio, Cognoscitiuum, similiter receptiuum importat potentiã, possunt importare dupliciter. Primò potentiam essentialem & accidentalem simul. Secundò potentiam solùm accidentalem. Voco Potẽtiam essentialem & accidentalem simul, quãdo cognoscitiuum est cognoscitiuum in pura potentia, & nullo modo in actu. Voco Potentiam accidentalem, quando iam actu habet principiũ cognitionis suæ, sed non actu cognoscit. Intellectus pueri dicitur cognoscitiuus potẽtia essentiali & accidẽtali simul. Intellectus aũt dormiẽtis Philosophi in potentia accidẽtali tãtùm.

Secunda distinctio, Obiectum cognoscibile dupliciter considerari potest. Primò secundùm esse suum reale & naturale. Secundò secundùm esse intẽtionale. Hæc patẽt in albedine, & intentionali specie albedinis.

Tertia distinctio, Obiectum cognoscibile aliquãdo est natura determinata & contracta per materiam, vt naturæ sensibiles, aliquando est natura communis, vel secundùm prædicationem, vt substantia, actus, bonum, vnum, &c. vel secundùm continentiam perfectionis, vt intelligentiæ, & proportionaliter natura animæ intellectiuæ, quæ in se eminenter continet gradus inferiorum formarum.

Quarta distinctio, Obiectum cognoscibile consideratum secundùm esse reale potest esse in cognoscitiuo dupliciter. Primò inexistenter, sicut forma in materia, vel accidens in subiecto. Secundò compositiuè, quia scilicet componitur ex eo cognoscitiuum naturaliter, vt componitur oculus videẽs ex tot humoribus & tunicis.

Stantibus his distinctionibus dico, quòd illa maxima sic debet intelligi, Omne cognoscitiuum, quod est in potentia essentiali, debet esse denudatũ ab omni obiecto ab ipso cognoscibili secundùm esse naturale & intentionale, quod sit determinatæ & contractæ naturæ. Et dico Denudatum, ita quòd nec naturaliter inhæreat, nec componatur ex eo. Dico primò quòd I est in potentia essential, quoniam cognoscitiuũ quod est solùm in potentia accidentali, potest in se habere speciem sui obiecti cognoscibilis, vt patet in intellectu Philosophi dormientis, in quo sunt species intelligibiles in habitu. Dico secũdò secundùm esse naturale vel intentionale, quoniam si naturaliter tale obiectum esset in cognoscitiuo siue realiter siue intentionaliter impediret cognitionem, vt dicam. Dico tertiò quòd sit determinatę naturę & cõtractę, quoniam natura communis siue secundùm prædicationem, siue secundùm perfectionem non impedit cognitionem. De prima patet, quoniam licet anima intelligat substantiam & actum & bonum & alia transcẽdentia, non tamen est necesse quòd sit carens his prædicatis. De secunda etiã patet, quoniam licet intelligentia cognoscat per essentiam suam inferiora entia, nõ est necesse quòd careat essentia sua, quoniam est veluti cõmunis secundùm perfectionem & continentiam virtualem. Idem dico de anima cùm separata fuerit, quæ se per seipsam intelliget, nec est necesse quòd sit denudata à sua propria essentia, quoniã est quasi vniuersalis & contentiua perfectionaliter respectu formarum inferiorum. Dico aũt Cùm separata fuerit, quoniam vt coniuncta non est apta cognoscere seipsam nisi reflexiuè, i. aliquo priùs cognito. Dico quartò, Ita quòd non inhęreat naturaliter, nec componatur ex eo, quoniã vtroq; modo poterit impediri cognitio. Nam si oculo inhæreret naturaliter aliquis color siue realis siue intentionalis oculum impediret ne alios videret colores. Sicut sapor amarus respersus super linguam febricitantis tanditu impedit apprehensionem aliorum saporum quandiu linguæ inhæret, quòd si lingua generaretur cũ tali sapore omni tempore careret apprehensione aliorum saporum. Idem fieret si lingua componeretur intrinsecè ex aliquo saporoso, aut oculus ex aliquo colorato, quoniam extrinseco componente determinaretur & restringeretur ad cognitionem intrinseci componentis.

Ex his declaratis sic debet formari ratio Philosophi. Cognoscitiuum secundùm potentiam essentialem omnium naturarũ sensibilium, quæ sunt determinatæ & contractæ, debet esse denudatum & per inhęsionem & per compositionẽ naturalem ab omni natura sensibili secundùm esse naturale & intentionale: sed intellectus possibilis est cognoscitiuus secundùm potentiã essentialem, &c. ergo, &c. Minor est cõmuniter concessa. Maior aũt sic probatur, quia si haberet in se aliquã naturam sensibilem non esset in potentia essentiali. Si enim haberet in se actu aliquod obiectũ sensibile posset cum eo illud cognoscere. Et vt sic constitutũ in actu primo non esset in potentia essentiali cognoscitiuum, sed accidentali, eo modo quo suprà exposui potentiam accidentalem.

Postquàm declarauimus illam maximã & formauimus rationem Philosophi soluenda sunt quatuor dubia.

Primum est, Si cognoscitiuum debet esse denudatum à natura sui cognoscibilis, ergo tactus non cognoscit qualitates tangibiles, quia organum tactus componitur ex eis, vt dictum est in 2. libro.

Ad hoc dicitur quòd cognoscitiuum debet esse denudatũ à natura sui cognoscibilis pro illis gradibus, pro quibus est aptum cognoscere: vnde concedo quòd tactus Sortis nõ cognoscit qualitates tangibiles secundùm illos gradus, secundùm quos ingrediuntur contemperamentum organi tactus in Sorte, sed prout deficiũt aut excellunt, vnde & Phil. dixit in 2. de Anima, quòd similiter calidũ aut frigidum aut durum, aut molle, quale est organum tactus non sentimus.

Et si dicas, Ergo dabuntur qualitates tangibiles, quæ non cognoscuntur tactu, quod est contra Philosophum in 2. lib. vbi dixit quòd omnes tangibiles inquantùm tangibiles passiones nobis sunt manifestæ tactu.

Ad hoc negatur consequẽtia; aliud est enim dicere quòd tactus non cognoscit omnes qualitates tangibiles, & quòd non cognoscit omnes sub quolibet gradu, nam primum est falsum, & secundum est verum. Potest etiam dici quòd licet non cognoscantur omnes sub omni gradu à tactu singulari, putà tactu Socratis, cognoscũtur tamen à distinctis tactibus, quoniam non omnes tactus componuntur sub eisdem gradibus, vnde temperamentum in tactu leonis, non est temperamentum in tactu equi, & in hominibus diuerficatur secundùm complexiones, propter quod gradus qui nõ cognoscuntur à Sorte melancholico cognoscuntur fortè à Platone cholerico, & sic de aliis.

Secundum est, Si illa maxima est vera, ergo cogitatiua remanebit omninò incognita: nam non cognoscetur à seipsa, quoniã est cognoscitiua indiuiduorũ sensibilium & ipsa non est denudata ab omni natura sensibili, cùm ipsa sit sensus interior, ergo nõ poterit cognoscere seipsam nec cognoscetur ab intellectu, quoniã est propriè cognoscitiuus vniuersaliũ.

Ad hoc dicitur quòd seipsam nõ cognoscit, quoniã nullus sensus seipsum cognoscit cùm sit organicus, & nõ possit reflecti supra seipsum, sed cognoscitur ab intellectu, fortè hoc modo, quia licet sit indiuidua, tamẽ est tantæ spiritualitatis, quòd ipsa cum virtute intellectus agentis est sufficiẽs causare sui speciem intelligibilẽ in intellectu possibili: nec id debet videri extraneũ, quoniã si phantasma recipiens spiritualitatẽ ab intellectu agẽte, quod est minùs spirituale quàm cogitatiua, potest causare speciẽ intelligibilem multò magis cogitatiua. Nec obstat quòd intellectus est propriè cognoscitiuus vniuersalium, quoniam cõceditur quòd intellectus per speciem cogitatiuæ cognoscere potest cogitatiuã, vt cogitatiua est, indirectè autem hanc, aut illam. Et si dicas, Ergo hæc cogitatiua singularis à nulla potentia cognoscitur directè. Dico quòd hoc non est inconueniens. Sic mihi occurrit dicendum ad hoc dubium, & tu etiam considera, quoniam in huiusmodi non potest haberi multa euidentia.

Tertium est, Sequitur quòd intellectus non potest cognoscere intellectualia & incorporea, quoniam non est denudatus ab eis, cùm sit naturæ incorporeæ & intellectualis.

Ad hoc iam dictũ est in declaratione illius maximæ, quòd non oportet cognoscitiuum esse denudatum nisi à natura determinata & cõtracta, qualis est natura sensibilis. Natura autem intellectualis & incorporea est quasi indeterminata non contracta per materiam imò vt vniuersalis secundùm continentiam virtualem, ideo non impedit cognitionem.

Quartum est contra consequẽtiam, quam videtur facere Philosophus in text. 6. s. Si intellectus habet organum, ergo est calefactus aut frigidus, sicut sensus: falsum est enim sensum

ſum poſſe calefieri aut infrigidari. Nõ enim eſt quid elementatum, ſicut nec anima ſenſitiua, licet id poſsit dici de organo ſenſus, quoniam eſt corpus elementatum.

Ad hoc dicitur quòd licet ſenſus non ſit nec poſsit eſſe calidus aut frigidus, vt ſenſus eſt, ſicut nec anima, vt anima, quoniam non eſt elementum, nec elementata, vt quid compoſitum tamen, quia alligatur organo, quod eſt calidum, vel frigidum, poteſt dici eſſe & fieri conformis ſuo organo, & quoniam ex organo & ſenſu fit vnum, poteſt dici ſenſus qualis propter organum quale, ſicut albedo recepta in ſuperficie denominatur quanta non ex ſe, ſed ratione ſuperficiei, cui inhæret. Idem dico de ſenſu, qui denominatur qualis ex organo, cui alligatur. Idẽ verificaretur de intellectu, ſi organo alligaretur. Sed dices, Nunquid ex hoc quòd organum præciſè habet aliquam determinatam qualitatem, ſenſus impediturà cognitione aliarum qualitatum eiuſdem generis, dico quod ſic. Vnde B. Tho. in expoſitione text. 6. dicit quòd ſimiliter impediretur viſio, ſiue potentia viſiua, ſi pupilla haberet determinatũ colorem. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO II.

Num intellectus poſsibilis ſit aliquod ens actu.

Intellectus poſsibilis in genere intelligibilis eſt pura potentia, ſed in genere entis, eſt ens in actu, virtus, ſcilicet animæ, & potentia.

IN hac quæſtione intendo procedere per modum directorij, vt detur tibi occaſio ſtudẽdi. Aduerte igitur quòd difficultas ſtat in ea propter verba Philoſophi in 3. de Anima, in tex. 5. vbi inquit, Quare neque ipſius eſt eſſe naturam, neque vnã, ſed aut hoc quòd poſsibilis eſt vocatus. Et propter Comment. qui in 3. de Anima, com. 18. dicit quòd intellectus materialis nullam habet naturam niſi poſsibilitatis, &c. Et ideo tenent aliqui quòd Philoſophus & Commen. ſenſerint hunc intellectum eſſe ens purum potentiale, ſicut materia prima, vt poſsit recipere & cognoſcere quæcunque entia actu tam materialia quàm immaterialia. Inter iſtos præcipuus fuit Aureol. vt refert Capræol. in 1. diſtinct. 3. q. 3. art. 2. ad primum Aureol. contra primam concluſionem. Tu ergo vide Capræo. illic. Et tua reſolutio ſtabit in hoc, Intellectus poſsibilis in genere intelligibilium eſt in pura potẽtia, quia nullam habet ſpeciem intelligibilem ſibi congenitam, nec poteſt ſeipſum per ſeipſum, nec per propriam ſpeciem naturaliter ſe intelligere, niſi reflexiuè, aliquo, ſcilicet obiecto priùs cognito. Et hoc quandiu anima eſt in hoc ſtatu. Vtrùm autẽ ſeparata ſe directè cognoſcat, eſt alterius negocij. Id enim ad Theologum ſpectat. In genere autem entium dico, quòd eſt ens actu, quia eſt virtus & potentia animæ. Et qualitas in ſecunda ſpecie ſecundùm viam noſtram. Et aduerte quòd huius diſtinctionis declarationem in Capræolo inuenies vbi ſuprà, in principio reſponſionis ad primum Aureoli.

Data hac diſtinctione ſolues quinque argumenta Aureoli, quibus replicat contra diſtinctionem, quam præmiſimus, & probat ex dictis Philoſophi & Comment. quòd intellectus poſsibilis eſt ens in pura potentia in genere entium, & in genere intelligibilium. Vide illa in Capræol. vbi ſuprà, poſt reſponſionem ad primum, ibi, Sed adhuc replicat.

Solutis argumentis Aureol. declarabis quem ſenſum habuit Philoſophus in tex. 5. cùm dixit, Quare neque ipſius eſſe naturam neque vnam. Et ſequeris Expoſitionẽ B. Tho. quam & Tand. approbat in 3. de Anima, in q. 6. in fine, ibi, Poſtmodùm percepi quendam doctorem Theologum, &c. Nam in q. illa tenet cum B. Tho. quòd eſt ens actu in genere entium.

Sed fortè dices, Quid conduxit Aureolũ ad hunc ſenſum, vt negaret omnem actualitatem ab intellectu poſsibili, cùm ſit actiuus intellectionis, & vnũquodq; operetur, vt eſt actus? Dico quòd duo falſa ſuppoſita, quæ reputabat vera, deduxerunt eum. Primò quòd intellectus poſsibilis non eſt actiuus, ſed merè paſsiuus & receptiuus intellectionis, quam reputat eſſe actiuè à ſpecie intelligibili, ſed id reprobabitur, cùm agemus de actu intelligendi. Secundò quòd omne recipiens & cognoſcituum debet eſſe denudatum à natura recepti & cognoſcibilis, & quia intellectus eſt cognoſcitiuus omnis entis actu tam corporei, quàm incorporei, quia eius obiectum eſt ens, vt ens, ideo non poteſt eſſe aliquod ens actu. Sed quomodo habeat intelligi illa maxima iam declaratum eſt in quæſt. præcedenti. Hæc tibi ſufficiant pro directione præſentis quæſiti.

QVAESTIO III.

Num intellectus poſsibilis diſtinguatur realiter à voluntate & à memoria.

Intellectus poſsibilis diſtinguitur.

IN hac queſtione ſequendo viam magis conſonam Philoſopho pono duas concluſiones, deinde mouebitur dubiũ, quod habet fundamentum ex doctrina B. Tho.

Prima cõcluſio. Intellectus poſsibilis differt realiter à voluntate. Huius concluſionis probatio in via noſtra ſic formatur, Intelligere & velle ſunt motus metaphyſici oppoſiti, ergo habent principia actiua oppoſita, principia autem eorum ſunt intellectus & voluntas, ergo vt principia horũ actuum ſunt oppoſita, & per conſequens diſtincta realiter. Antecedens autem probatur, quoniam intelligere eſt motus rei ad animam. Ex hoc enim aliquid intelligitur, quia in anima recipitur res ipſa, vel ſpecies eius, velle autem eſt motus animæ ad rem. Ex hoc enim aliquid eſt volitum, quia animo eo cognito vt bono inclinatur ad ipſum, ergo patet quòd ſunt oppoſiti. Quòd autem ſi ſunt motus oppoſiti habent principia electiua oppoſita, probatur, ſupponendo intellectum & voluntatem eſſe principia vniuoca actionum ſuarum, tunc ſic, Effectus vniuoci oppoſiti habent principia actiua vniuoca oppoſita: hæc patet, quoniam cauſa vniuoca poteſt tantùm in vnum effectum per ſe, vt patet de igne, qui per ſe tantùm calefacit, ergo duo effectus oppoſiti vniuoci non poſſunt eſſe ab vno principio actiuo, ſed à diſtinctis, & ſignanter loquor de principio actiuo vniuoco, vt ceſſet inſtantia Scoti, qui dat inſtantiam de Sole, quem experimur cauſam effectuam contrariorum effectuum in his inferioribus, nam eſt mollificans ceram, indurãs lutum. Eſt enim cauſa æquiuoca, quare, &c.

Secunda concluſio, Intellectus poſsibilis & memoria intellectiua non diſtinguuntur realiter, ſed ſolùm ratione. Dico Intellectiuam, quoniam non eſt dubium de diſtinctione reali à ſenſitiua, cùm ſit organica, intellectus autem non organicus. Probatur ſic, Intellectus reſpicit ens vt ens vt formale & adæquatum obiectum, ſicut viſus reſpicit viſibile, vt viſibile. Quòd autem reſpiciat ens, vt præſens, vel vt cognitum in præterito, accidit ſibi, ſicut accidit viſui quòd reſpiciat viſibile, vt album, vel nigrum. Et ideo ſicut non diuerſificatur viſus in plures potentias realiter diſtinctas vt reſpicit album & nigrum, quoniam ſunt differẽtiæ accidentales ipſius viſibilis, ſic non diuerſificatur potentia intellectiua vt reſpicit ens in præſenti intellectum, & in præterito. Tales enim differentiæ accidunt enti, vt eſt obiectum intellectus. Intellectus ergo & memoria ſunt vna potentia realiter, ſed diſtincta ratione, vt dicatur intellectus inquantùm apprehendit, & memoria, vt retinet apprehenſum.

Pro prima concluſione, vt poſsis eam defenſare aduerte quòd Capræol. in 1. Sent. diſt. 3. q. 3. art. 2. contra ſecundam concluſionem recitat & ſoluit plurima argumenta, inter quæ notabis & ſolues duo prima: quorum alterum eſt Scoti, alterũ eſt Aureoli. Et illud Aureoli apparentius eſt, quoniam procedit ex dictis Philoſophi & Commentatoris.

Pro ſecunda concluſione inſurgit dubium ex doctrina B. Tho. qui in 1. Sent. diſt. 3. q. 4. art. 1. videtur tenere oppoſitum. Illic enim tenet quòd intellectus, & voluntas, & memoria ſunt tres potentiæ. Sic enim inquit, Cùm proprietas animæ conſequatur naturam animæ, omnis talis proprietas poteſt dici potẽtia animæ. Et ideo ſicut ſunt tres proprietates, ſunt etiam tres potentiæ diſtinctæ abinuicem, vnde videtur ſibi contrarius.

Capræolus dicit quòd in 1. Sen. ſequebatur intentionẽ Magiſtri, & non propriam ſententiã. vnde in 1. Parte vbi loquitur ex propria ſentẽtia, in q. 79. art. 7. determinat oppoſitum quò ad intellectum & memoriam, & in reſponſione ad primum non approbat quod dictum eſt in 1. Sent. diſtin. 3. Et ſic non eſt verè ſibi contrarius, quia in vtroque loco non loquitur ſecundum propriam ſententiam, ſed tantum in 1. Parte, vbi tenet partem negatiuam.

Tu tamen aduerte quòd ſi rectè conſideras non dicit in 1. Sent. quòd ſint potẽtiæ diſtinctæ realiter, ſed quòd ſint potentiæ diſtinctæ, ad quod ſufficit diſtinctio rationis. Sicut terminare & principiare ſunt diſtinctæ proprietates puncti continuantis lineam. Et quòd B. Tho. non intendat in 1. Sent. ponere diſtinctionem realem inter intellectum & memoriam, patet ex hoc, quòd eandem auctoritatem Philoſophi quam adducit in 1. Parte, q. 79. art. 7. in arguendo, ſed contra ad probandum quòd non diſtinguuntur realiter cùm dicit, Anima eſt locus ſpecierum nõ tota, ſed intellectus, &c. adducit etiã in 1. Sen. vbi ſuprà. Poteſt ergo facilè ſuſtineri quòd nec verè, nec apparẽter ſit ſibi contrarius. Licet in 1. Parte vbi ſuprà, in reſponſione ad primum, non approbet declarationem factam à Magiſtro ſuper verba Auguſt. Nam licet Magiſter dicat quòd ſunt tres proprietates, & quòd ſunt à ſeinuicẽ differentes, non tamen explicat qua diſtinctione, an reali, aut rationis. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAEST.

QVAESTIO IIII.

Quæ & quot ſint proprietates ac denominationes intellectus poſsibilis.

IN hac quæſt. aduerte, quòd licet intellectus poſsibilis ſit tantùm vna potentia, apud Philoſophos ſecundùm diuerſas conſiderationes multipliciter denominatur. Et quoniam aliquæ huiuſmodi denominationes ab aliquibus falsò exponuntur, vt declarabimus præcipuè ab Auicen. & ab Auer. ideo vt ſcias quæ communiter ſint, & quomodo debeant exponi ſecundùm mentem B. Tho. quam tenemus eſſe mentem Philoſophi, formamus præſens quæſitum.

Tu igitur aduerte quòd prętermiſsis denominationibus, quas ſolent Theologi attribuere intellectui poſsibili, apud Philoſophos ſunt præcipuè quatuor. Primò dicitur intellectus materialis. Secundò intellectus in habitu. Tertiò intellectus in actu. Quartò, Intellectus adeptus, dicitur intellectus mat. cõſideratus, vt ex natura ſua nullã habet in ſe ſpeciem intelligibilẽ & nullũ habitum ſcientificum, ſed eſt vt materia prima quæ ex ſe nullam formam habet, ſed eſt in pura potentia, vnde & intellectus dicitur materia in genere intelligibilium.

Tu tamen aduerte quòd licet ſit ens in pura potentia & velut materia in genere intelligibiliũ non tamen in genere entium vt arbitratur Com. Et id iam declarauiin q. 2. de Intellectu Poſsibili. Dicitur intellectus in habitu, quando eſt reductus ad actum primum ex potentia eſſentiali per receptionem ſpeciei intelligibilis productæ per actionem intellectus agentis, vt manifeſtabimus, quando loquemur de intellectu agente, nam ſicut per formam conſtituitur materia in actu primo, ſic intellectus poſsibilis per ſpeciem intelligibilem. Sed aduerte quòd conſtituitur in actu primo per ſpeciem intelligibilem, & etiam per habitum ſcientiæ acquiſitum, nam ſicut poteſt exire in actum ſecundum actuatus ſpecie intelligibili, ita etiam per habitum ſciẽtiæ iam acquiſitum. Et enim habitus quo quis operatur quando voluerit remoto impedimento.

Tu tamen aduerte quòd intellectus poſsibilis poteſt dici intellectus in habitu ſecundùm duos gradus, quorum ſecundus eſt perfectior primo. Nam quàm primùm receperit ſpeciem intelligibilem dicitur in habitu etiam ante omnem intellectionem, quoniam exiſtens in actu primo poteſt ſe reducere ad actum ſecundum, poſtquàm etiam intellexerit & ſcientiam acquiſierit ceſſante conſideratione adhuc eſt intellectus in habitu, ſed perfectiori modo, quoniam ſi actuatus ſola ſpecie poteſt exire in actum ſecundum, multò magis actuatus ſpecie & acquiſito habitu ſcientiæ.

Sed iterum aduerte quòd Auic. quia negat conſeruari ſpecies in intellectu ceſſante intellectione, diceret intellectum in habitu eſſe ipſum intellectum potentialem habilitatum ad recipiendum ſpeciem ſibi defluxã ab intelligentia agente per frequenti conuerſione ad ipſam. Quæ autem ſit hæc intelligentia agens ſecundùm imaginationem Auic. iam diximus in 12. Meta. in q. noſtris. Dicitur intellectus in actu quando intellectus potentialis actuatus ſpecie, aut cum habitu ſciẽtiæ acquiſito reducit ſe ad actum ſecundum & diceretur intellectus conſiderans, vel actu intelligens. Dicitur intellectus adeptus, quãdo inuenitur vt iam perfectus ex receptione omnium ſpecierum intelligibiliũ & acquiſitis omnibus habitibus ſcientificis. Tunc enim dicitur adeptus quaſi conſtitutus in fine adeptionis ſuæ perfectionis poſsibilis acquiſitis ab intellectu humano. Sed hũc ſtatum ſibi attribuit Com. in 3. de Anima, com. 36. quando ſecundùm Com, intellectus agens quem ponit ſeparatum vnietur poſsibili non ſolùm vt efficiens intelligibilia in potentia eſſe intelligibilia actu, ſed vt forma intelligibilis, & quidditatiuè intelligetur ab intellectu poſsibili & per ipſum intelligentur aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ, ita quòd ſecundùm Com. non meretur dici intellectus adeptus, niſi poſtquàm perfectus fuerit totus motus eius in acquirendo omnes habitus ſciẽtificos non ſolùm generales, vt communiter ſciunt homines, ſed diſtinctos & ſpecificos qui poſsint acquiri de naturis materialibus & corporeis ſiue ſimplicibus ſiue cõpoſitis ſiue animatis ſiue inanimatis. Sed vſque ad hunc ſtatum non eſt adeptus niſi dimi nutè. Omnibus autem ſcientiis rerum materialium acquiſitis ſi eidem copulatus fuerit intellectus agens tanquã propria forma non informans, ſed vt forma intelligibilis, ita quòd intelligat eum vt proprium intelligibile & quidditatiuè, & alias ſubſtantias ſeparatas, tunc erit perfectè intellectus adeptus. Et in tali ſtatu dicit Com. conſiſtere humanã fœlicitatem per quam efficitur homo diuinus. Et Auer. concordat cum Alber. in 3. de Anima, Tract. 3. cap. 11. vbi ſic habetur, Et in hoc conueniemus in toto cum Auer. & cum Auempace, in parte cum Alpharabio dicẽtes quòd intellecta ſpeculata dupliciter fiunt in nobis. Quædam fiunt per naturam ita quòd non accipimus ea per aliquod, nec ab aliquo doctore, nec per inquiſitionem inuenimus ea, ſicut ſunt dignitates demonſtrationum, quæ ſunt prima vera, ante quæ omnino nulla ſunt, quæ non ſcimus ex ſenſu niſi inquantùm terminos cognoſcimus. Quædam autem ſpeculata fiunt in nobis per voluntatẽ, quia ſtudemus inueniendo & audiendo à doctore. Et hæc omnia fiunt intellectu agente influente eis intellectualitatem, & faciendo hæc intellecta in potẽtia eſſe intellecta ſecundùm actum, & intellectus agens coniungitur nobis vt efficiens. Et quia in omnibus his influit intellectualitatẽ & denudationem, ſcilicet à conditionibus materialibus ſunt omninò ſibi ſimilia in hoc quòd ſeparata ſunt & nuda. Et ideo in omnibus his accipit cõtinuè intellectus poſsibilis lumen intellectus agẽtis, & efficitur ſibi ſimilior de die in diem. Et hoc vocatur à Philoſophis moueri ad continuitatem & conjunctionem cum intellectu agente, & ſic cùm acceperit omnia intellecta habebit lumen intellectus agentis in formam ſibi adhærentem, & cùm ipſe ſit lumen ſuum eò quòd lumen ſuum eſt eſſentia ſua, & non eſt extra ipſum, tunc adhæret intellectus agens poſsibili vt forma. Et hoc ſic compoſitum vocatur à Peripateticis intellectus adeptus & diuinus, & tunc homo perfectus eſt ad operandum opus illud quod eſt opus ſuum inquantùm eſt homo, & hoc eſt opus quod operatur Deus, & hoc eſt, perfectè per ſeipſum contemplari, & intelligere ſeparata. Et iſte modus & iſta coniunctionis operatio concordat cum Ariſt. in 11. Ethicæ ſuæ, vbi ferè dicit iſta, Et præcipuè concordant cum Euſtracio & Michaẽle Effeſio, qui ferè in hunc ſenſum exponunt Ariſt. ibidem, & infrà, Mirabilis autem & optimus eſt iſte ſtatus intellectus adepti, per eum enim fit homo quodãmodo ſimilis Deo, eo quòd poteſt operari ſic diuina & largiri ſibi & aliis intellectus diuinus & accipere anima intellecta quodãmodo, & ille ſolus in veritate eſt modus, quo omnes homines natura ſcire deſiderant, quia iſto ſolo modo homo eſt homo, & operatur quæ ſunt hominis. Vides enim eos qui ſic intellectum non ſunt adepti, ſi dicas aliquid de contemplabilibus non intelligunt plus quàm beſtiæ quæ in ſingularium ſemper remanent cognitione, & infrà, Cùm autem hæc ſit coniunctio intellectus adepti cum homine, oportet ſcire quòd quidam nobilioris animæ exiſtentes quaſi omnia quærenda de philoſophia quaſi per ſe ipſos facile intelligũt ſicut dicebatur de Hypocrate. Et horum intellectus eſt ſanctus vocatus à Philoſophis, eò quòd poſsibilis eorum intellectus plurimum accidit ad intellectum verum qui eſt intellectus agens. Hæc autem aptitudo vera dicitur ſubtilitas. Et adepto vero ſubita inuẽtio medij termini qui eſt cauſa quæſiti vocatur ſolertia quæ vna eſt virtutum intellectualium, quãdo autem adeptus quaſi totus eſt perfectionem luminis agẽtis ita quòd per ſe facit intellecta, tunc ille proximus eſt ad cognoſcendum futura ex præſentibus. Et etiam illi efficiuntur Prophetæ frequenter. Quando enim duo extrema habent coniungi per gradũ, tunc multi gradus tam ex aptitudine naturæ quàm ex ſpeculatione inueniuntur medij. Et ſecundùm eorum diuerſitatem & nobilius & minus nobiliter coniunguntur extrema, hæc Albert. Vtrum autem hic ſtatus ſit poſsibilis homini pro hac vita, inuenio duos modos reſpondendi. Nam qui ſequuntur viam imaginatam ab Auer. dicunt quòd ſic, inter quos dicit Alber. in eodem loco, Et ſi fortè diceretur quòd hæc coniunctio ſecunda eſt impoſsibilis refellitur hoc, per hoc quòd nos videmus animas fœliciũ, ſicut quando perficiuntur animæ eorum ſecundùm optimum ſtatum ſapientiæ, quando videlicet ſapiunt diuina quæ ſapit Deus, & habent delectationem in his. Per effectum igitur probatur quòd hæc cõiunctio erit hic in multis & eſt poſsibilis. Sed nobis adhuc deeſt modus & cauſa huius coniunctionis. Hæc Albert. quæ nec aliter probat, & potiùs videntur imaginationes quàm euidentiæ, ſecundùm doctrinã autem quam ſequimur & conſonã rationi, hic ſtatus eſt impoſsibilis homini pro hac vita, quoniam vt determinauimus in 2. li. Meta. in q. noſtris, impoſsibile eſt homini pro hac vita intelligere quidditatiuè entia ſeparata. Vnde ſecundùm B. Tho. & experientiam vel non datur pro hac vita talis intellectus adeptus, vel ſi datur eſt valde diminutus, quoniam ſolùm per ſcientias ſpeculatiuas & à poſteriori poſſumus vtcunque aſcendere in cognitionem ſeparatorum. Pro nunc dimitto illam fictionem de intellectu agente quòd ſit ſepara

tus, & posit vniri intellectui possibili vt forma intelligibilis. Nā ꝙ hæc non sint ad mentē Phil. declarabimus in quæstione immediatè sequēti. Hęc de pręsenti quęsito dicta sint.

QVAESTIONES NATVRALES

De intellectu agente.

QVAESTIO I.

Num intellectus agens, sit potentia animæ, an substantia separata.

Intellectus agens non est substātia separata, sed intrinsecè est potētia animæ, quæ formaliter anima, vt principio formali intrinseco facit intelligibilia in potētia intelligibilia in actu.

IN hac quęst. aduerte antequam deueniamus ad resolutionem quam intendo facere completè, & non per modum directorij quòd apud præclaros Philosophos nullum inuenio qui posuerit animam intellectiuā esse formam hominis, & intellectum agentem potentiam animæ sibi intrinsecam. Nam qui ponunt animam intellectiuam esse formam informantem ponunt intellectum agentem esse substantiam separatam & nullo modo potentiam animæ. Inter hos præcipui sunt Alexan. & Auic. sed differenter. Nam Alex. in lib. suo de Anima, c. de Intellectu Agente, tenet quòd est 1. ca. Vnde inquit, Sicut 1. causa dicitur bona, quia est causa bonitatis aliorum ita dicitur intellectus, quia est causa quòd alia cognoscantur. Et hæc est conditio intellectus agentis secundùm Arist. Et dicit quòd cōditiones intellectus agentis assignatæ à Philosopho sunt propriç cōditiones primæ causę. Auic. autem vult in 9. li. suæ Meta. c. 4. quòd sit vltima intelligentia præsidens mundo inferiori, quam dicit esse datorem formarū prout secūdùm ipsum causat formas in materia disposita per agens naturale. Et dicit eandem vocari intellectum agentem prout in anima nostra secundùm ipsum influit species intelligibiles ex eo quòd anima nostra ad ipsam se conuertit. Qui autem arbitrati sunt animam intellectiuam non esse formam informatiuè, sed tantùm assistenter, inter quos est Auer. dicunt intellectum agentem esse separatum sicut anima. Et tamen Auer. non negat quin dicatur virtus animę sicut & intellectus possibilis vt patet in 3. de Anima, in com. 18. vbi appellat vtrunque intellectum partem animæ. Sic enim inquit, Necesse est vt in ea sit pars quæ dicitur intellectus secundùm quòd efficitur omne modo similitudinis & receptionis, & quòd in ea sit etiam secunda pars quæ dicitur intellectus secundùm quòd facit istum intellectum qui est in potentia intelligere omnia actu. Tu tamen aduerte quòd in quo sensu secundùm Auer. sit pars animæ dubiū est apud Commentistas, dum aliqui tenent quòd Com. intellexerit agentem intellectum esse ipsum Deum, qui vt motor 1. cœli potest dici apud Com. pars primi mobilis sumendo primum mobile pro aggregato. Nā vt manifestauimus in li. 12. Meta. in q. nostris arbitratus est Com. Deum esse applicatum primo mobili, ita etiam vt est causa speciei intelligibilis & intellectionis dicitur pars animæ. Aliqui aūt tenent de mente Com. quòd sit pars essentialis cōponens animam intrinsecè, ita quòd sicut in natura sensibili dantur materia & forma vt vera potentia & verus actus, vt partes componētes essentiales naturam sensibilem, ita in anima intellectus possibilis & intellectus agens sint partes verè essentiales, alter quidē vt potentia, alter vt actus. Et hanc viam sequitur Iand. in 3. de Anima, q. 26. Et id sequitur, vt saluare possit quomodo intellectio sit actio immanens, sed plura falsa supponit vt manifestabimus infrà. Primò quòd solùm phantasma producat speciem intelligibilē quod est falsum, vt dicemus in Quæst. de Specie Intelligibili. Secūdò quòd abstrahere speciem sit intelligere, quod non est verum, vt dicemus quando loquemur de actu intelligendi. Tertiò quòd intelligere sit effectiuè ab intellectu agēte, quod est falsum, vt dicemus infrà. Relinquentes igitur omnes supra dictas opiniones & imaginationes pro resolutione præsentis quæsiti, duo principaliter agenda sunt. Primò probabimus intellectū agentem esse verè potentiam animæ intrinsecam, & non quid separatum à nobis. Secundò declarabimus hanc esse mentē Phil. soluēdo fundamenta & rationes Tho. Caie. qui in hoc deuiat à via B. Tho. sicut etiā in incorruptibilitate animæ, vt visū est suprà.

Quātùm ad primum aduerte quòd supponimus de mēte Philosophi animam intellectiuam esse verè formam informatiuè. Et id iam determinatum est à nobis in lib. 12. Meta. in q. nostris ex tex. 16. Quo supposito ponitur hæc conclusio contra Alex. & Auic. Intellectus agens est verè potentia animę sibi intrinseca, quo formaliter anima vt principio intrinseco formali facit intelligibilia in potētia esse intelligibilia actu. Hæc cōclusio est B. Tho. in 1. Parte, q. 79. art. 4. cuius mēs stat in hoc, Super animam intellectiuā est necesse dare vnū superiorem intellectū, quem dicimus Deum, à quo sortitur anima virtutem intelligendi, sicut omne mouens secundum supponit mouens primum à quo recipit virtutem mouēdi. Hic autem intellectus Dei dicitur intellectus agens vniuersalis siue primum & vniuersale principiū intellectionis. Et si de hoc intellexissent Alex. & Auic. & Auer. verū dixissent, sed de hoc vniuersali principio non intelligebant, imò de intellectu agēte quo vt principio proximo anima, &c. sicut & de eodem intendebat Phil. in 3. de Anima, tex. 18. Loquendo ergo de tali intellectu dico quòd est potentia intrinseca animæ intellectiuæ & non substantia separata. Et probatur sic de mēte B. Tho. & Phil. In omni natura perfecta pręter agentia vniuersalia inditæ sunt propriæ virtutes actiuæ ad perficiēda opera propria illius naturæ. Sicut patet de homine in quo ad causandam generationem sui similis in specie vltra vniuersalem virtutem Solis inserta est virtus seminalis generatiua. Sed anima humana, & homo per animam est natura perfecta, imò perfectior omnium animatorum inferiorum, ergo in anima & in homine per animam sunt propriæ virtutes inditæ actiuæ suæ propriæ operationis, vt est homo, hæc autem est intelligere vt ab omnibus conceditur. Sed ad intelligere requiritur quòd ea quæ sunt intelligibilia in potētia fiant intelligibilia actu qualia sunt materialia de quibus dicemus infrà, fiunt autem intelligibilia actu per intellectū agentem, vt manifestabimus, quando loquemur de operationibus ipsius, ergo intellectus agens est virtus intrinseca animæ, & est in homine per animam, vt fiant huiusmodi intelligibilia in potentia intelligibilia actu. Alioquin si anima & homo per animam non haberet in se hanc virtutem, esset imperfectior aliis naturis inferioribus, quibus non deficiūt sufficientia principia operationis propriæ.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Tho. Caietanus in 3. de Anima exponens tex. 18. tenet quòd ex litera Philosophi non potest deduci intellectum agentem esse potentiam animæ intrinsecam, sed potiùs & indubiè oppositum, & id conatur probare multipliciter.

Primò ex litera Philosophi non habetur quòd intellectus agens & possibilis sint in anima nisi sicut agens & patiēs in omni natura. Cōstat autem quòd in omni natura nō sic sunt agens & patiēs quòd vna numero natura habeat in se vtrūq; eo modo quo subiectum habet in se accidentia sua, & cōpositū habet materiam & formā. Sed sufficit quod in omni natura producenda insunt agens & patiens, sicut causæ insunt effectui, ergo non concluditur quòd in anima intellectiua quantùm ad esse intellectiuum, aliter sint hi duo intellectus quàm vt causæ in suo effectu, ergo nō est necesse quòd insint essentialiter & formaliter per inhærentiā, quod tamē requiritur si debet cōcludi ꝙ sit propriè virtus & potētia animæ.

Ad hoc dico, quòd supponit falsum, s. quòd quādo Philosophus dicit in tex. 17. Quoniā aūt in omni natura, &c. intendat absolutè & vniuersaliter de omni natura. Manifestè enim patet quod non in omni natura sunt agens & patiēs intrinseca vt patet in generatione inanimatorum, quorum generatio est à principio extrinseco actiuo, vt declaratur in 1. lib. de Generatione. Dico igitur quòd Philosophus intēdit de omni natura animatorum perfectorum quæ producēda fit ad esse. Nam cùm talis generatio & productio ex 5. Meta. ca. de Natura, sit à principio viuente coniuncto, cōstat quòd agens & patiens siue materia sunt intrinseca ipsi genito, vt virtus seminis in materia ex qua animatum perfectum producitur in esse. Ex hac ergo natura animati perfecti deducenda ad esse arguit Philosophus de anima intellectiua deducēda in esse non quidem naturali sed intelligibili. Et intendit sic arguere, Si in omni natura animati perfecti deducenda ad esse naturale inuenitur hæc quidē materia, illud verò vt factiuū, multò magis id inuenitur in anima intellectiua deducenda ad esse intelligibile quò ad actum primum. Sed illa inueniuntur intrinseca & non solùm, vt causæ in effectu in omni natura animati perfecti quod generatur à principio coniuncto, ergo multò magis in anima intellectiua & in homine per animā, cùm sit dignior natura inter omnia animata perfecta. Et ne videar somniasse hanc responsionem vide B. Th. in q. disputatis de Anima, q. 5. & illic inuenies vt infrà. Quidam Catholici posuerunt quòd intellectus agēs sit ipse Deus, eò quòd est lux vera illuminās omnem hominem, sed hæc positio si quis diligenter consideret non videtur conueniens. Comparantur enim substantiæ superiores ad animas nostras, sicut corpora cœlestia ad inferiora corpora, sicut enim virtutes superiorum corporum sunt quædam principia actiua vniuersalia respectu inferiorum corporum, ita virtus diuina & aliarum substantiarum separatarum si quæ influentia ex eis fiat in nos cōparantur ad animas nostras sicut prin-

cipia

cipia actiua vniuersalia. Videmus autem quòd præter principia actiua vniuersalia quæ sunt virtutes cœlestium corporū, oportet esse principia actiua particularia quæ sunt virtutes inferiorum corporū determinatè ad proprias operationes huius vel illius rei. Et hoc præcipuè requiritur in animalibus perfectis. Inueniuntur enim quædam animalia imperfecta ad quorum productionem sufficit virtus cœlestis corporis, sicut de animalibus generatis ex putrefactione. Sed ad generationem animalium perfectorum præter virtutē cœlestem, requiritur etiam virtus particularis quæ est in semine. Cùm igitur id quod est perfectissimum in omnibus corporibus inferioribus sit intellectualis operatio præter principia actiua vniuersalia quæ sunt virtus Dei illuminātis vel cuiuscunq; alterius substantiæ separatæ requiritur in nobis principium actiuum proprium per quod efficiamur intelligibiles actu, & hic est intellectus agens. Hæc B. Tho.

Secundò Arist. in 3. de Anima, tex. 18. appellat hanc virtutem in omnia facere, ergo dicit duo, s. intellectum & agentē omnia, ergo inquantùm intellectus intelligit, & inquantùm agens facit intelligibilia in potentia esse intelligibilia actu in intellectu possibili. Sed nullus est intellectus intelligens in homine inexistenter nisi intellectus possibilis, ergo intellectus agens non existit in homine, sed est separatus secundùm mentem Philosophi.

Ad hoc concessa prima consequentia nego secundam, s. Ergo inquantùm intellectus intelligit, loquendo de intelligere formaliter. Nam ad hoc quòd dicatur intellectus sufficit hanc disiunctiuam esse veram, Intelligit vel est causa intellectionis pro quantò facit intelligibilia actu. Et quòd hæc sit mens Philosophi patet ex eo quòd comparat ipsum lumini, cuius actio est facere apparere, sit hæc virtus dicitur intellectus non quia formaliter intelligat, sed quia facit intelligibilia apparere, quæ vt velata sub conditionibus singularibus resident in phantasmatibus. Vnde apud Philosophum dicendus est intellectus causaliter, & vt sic est eminentior intellectu possibili, sicut agens vt agens patiente vt patiens est.

Tertiò, Arist. in 3. de Anima, tex. 19. ponens differentiam inter intellectū agentem & possibilem dicit quòd intellectus agens est substantia actu ens, ergo est naturæ intellectualis actu cùm sit immaterialis & immixtus vt prædixerat, sed natura intellectualis actu non est potentia animæ. Tunc enim potentia animæ esset perfectiori modo intellectualis quàm ipsa substantia animæ, quæ est potentia intellectualis in genere intellectualium.

Ad hoc dico quòd ly Substantia stat in obliquo, vt sit sensus, Intellectus agens secundùm substantiam suam est actu ens. Et non stat substātia hic vt distinguitur contra accidēs, sed prout quælibet rei natura siue essentia potest dici substātia, vt declarauimus in 5. lib. Metaph. Et ly Actu ens non sumitur pro ente actu in genere entium naturalium. Sic enim differret ab intellectu possibili cùm vterque sit potentia animæ intellectiuæ, & in secunda specie qualitatis, sed sumitur pro ente actu in genere intelligibilium, in quo genere intellectus possibilis est ens in pura potentia, vt patet in 3. lib. de Anima, tex. 4. & iam declarauimus suprà. Sed iterū aduerte, quòd actu ens in genere intelligibiliū potest esse dupliciter. Primò formaliter & causaliter simul. Secūdò causaliter tantùm. In proposito dico, quòd Philosophus intēdit ipsum esse actu ens in genere intelligibilium causaliter tantùm & non formaliter. Tunc dico ad argumentū, & ad illam consequentiam, Ergo est naturæ intellectualis actu, cōcedo causaliter, sed non formaliter. Et quando dicitur, Sed natura intellectualis actu non est potentia animæ, nego de natura intellectuali actu causaliter. Et quando dicitur, Tunc enim potentia animæ esset perfectiori modo intellectualis quàm substātia animæ, consequentiā nego, quoniam substantia animæ est formaliter intellectualis, hæc enim est vera, Anima intelligit, & quoniā cōtinet intellectū agentē, ex hac parte est intellectualis etiā causaliter, sed intellectus agēs solū causaliter.

Quartò Arist. in 3. de Anima, tex. 20. attribuit intellectui agenti quòd sua scientia est idem rei scitæ, & quòd non priùs intelligit in potētia, deinde in actu, sed quòd semper intelligit. Sed istæ conditiones non possunt verificari de potentia animæ. Non enim intellectus humanus est idem absolutè cū re scita sed tantùm vt scita. Nec datur intellectus in nobis vt experimur qui semper intelligat, ergo ex dictis Philosophi constat, quòd non est potentia animæ sed substātia separata. Et sic patet ꝙ Thomas Caietanus conuenit cum Auer. qui in 3. de Anima, com. 18. inquit, Et intendat Philosophus per istum intellectum intelligentiam agentem. & infrà in eodem commēto, Et fuit necesse attribuere has duas actiones animæ, s. abstrahere & recipere, quamuis agens & recipiens sint substantiæ æternæ. Verùm quia Comment. in materia de intellectu maximè errauit, ideo nec dicta eius in hoc recipimus, nec concordantem cum eo acceptamus.

Ad hoc dicimus cum B. Tho. in 2. contra Gentiles, in cap. 78. & in q. disputatis de Anima, q. 5. ad primū quòd illæ tres cōditiones non attribuūtur à Philosopho intellectui agenti sed intellectui possibili existenti sub actu intelligēdi. Et appellatur intellectus in actu, de quo diximus suprà quando inuestigauimus proprietates intellectus possibilis. Et prima quidem conditio sic verificatur, Cùm potentia cognoscitiua apud Arist. sit ipsum obiectum cognoscibile si est cognoscēs in potentia, est ipsum obiectum cognitum in potentia, si est cognoscens in actu, est ipsum obiectum cognitum in actu. Vt ergo Philosophus poneret differentiam inter intellectum possibilem vt potentialis est, & ipsúmmet vt actu intelligit, dicit quòd intellectus in actu & scientia rei, id est, res scita actu sunt idem. q. d. In hoc distinguitur intellectus potētialis ab ipsómet existente sub actu, quia ille est res scita in potentia, iste autem est res scita in actu.

Sed dicit arguens quòd Philosophus non dicit hunc intellectum esse idem cum re scita vt scita, sed absolutè, quod non verificatur nisi in substantiis abstractis, in quibus apud Philosophum intelligens & intellectum sunt idem pro quanto tendunt in essentiam suam vt in proprium obiectum.

Sed hoc non impedit propositum nostrum, quoniam dato quòd Philosophus non dicat expressè hunc intellectum esse idem cum re scita vt scita, tamen debet subintelligi, quia nō est consuetudo Philosophi in tali materia facere reduplicationem, licet necessariò subintelligatur. Nam in 3. de Anima, tex. 37. dicit quòd anima secundùm intellectum est intelligibilia & secundùm sensum est sensibilia, quod tamen non est verū nisi inquātùm intellecta & sensata. Secunda aūt cōditio manifesta est, quoniam intellectus in actu vt est in actu, non priùs intelligit in potētia, deinde in actu, sed solùm intelligit actu. Tertia similiter clara est, quoniā intellectus cōstitutus subintelligere, vt sic, nō quādoq; intelligit & quādoq; non.

Sed dicit arguens quòd hæc expositio est puerilis. Verùm id non dixisset si considerasset consuetudinē Philosophi. Nā apud ipsum essent multæ expositiones pueriles in 9. li. Meta. in tex. 11. volens exponere quid sit aliquid esse actum dicit, Est aūt actus rem existere non ita sicut in potentia dicimus. Patet autem quòd in mente alicuius recti iudicij, non potest esse dubium quin esse actu sit aliter quàm esse in potentia, ergo & hæc declaratio Philosophi esset puerilis. Similiter in 2. Physic. & in 5. Metaph. in ca. de Causis, declarans differentiam inter causam in potentia & causam in actu dicit, Agentia simul sunt & non sunt cum his, quorum sunt causæ, quæ verò secundùm potentiam non semper. Quis verò dubitaret circa hæc? Cùm igitur talis fuerit cōsuetudo Philosophi, non debet magis æstimari ridiculosa hæc expositio B. Tho. quàm illæ allegatæ ex Philosopho. Et aduerte quòd B. Tho. in q. disputatis, de Anima, in q. 5. ad primū, quasi pronosticās hanc arguentis instantiā, & ab aliquo suam expositionē fore reputandā ridiculosam, tali opinioni obuiās dicit, Et similē differentiam ostēdit Arist. in 2. Physi. inter causas in potentia & causas in actu. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num sit necesse ponere intellectum agentem.

Præter intellectum possibilem in anima necesse est alterius ponere intellectum agentem, quo materialia quæ sunt intelligibilia in potentia, fiant intelligibilia in actu.

IN hac quæst. antequàm veniamus ad decisionem aduerte quòd omnes Peripatetici concordant in hoc quòd est necesse ponere intellectū agentem, sed non concordant in assignanda ratione huius necessitatis. Nam Iand. in 3. de Anima, in q. 23. tenet ideo esse necessariā positionē intellectus agentis, vt assignetur intellectioni principium actiuum. Hoc aūt dicit non posse esse speciem intelligibilem nec intellectum possibilem, sed intellectum agentem. Alij autē & præcipuè B. Thom. tenet quòd ratio suæ necessitatis sumitur ex hoc ꝙ res sensibiles materiales non possent intelligi nisi fierent actu intelligibiles per intellectum agentem. Vt igitur quæsitum resoluatur. Primò pertractabitur & confirmabitur sententia B. Tho. vt consona Philosopho & Com. Secundò pertractabitur imaginatio Ianduni & soluentur rationes suæ.

Quantùm ad primum aduerte quòd apud B. Tho. in 1. Parte, q. 79. art. 3. ratio suæ necessitatis sumitur ex hoc quòd res sensibiles materiales vt materiales sunt & indiuiduatæ & adiunctæ conditionibus materiæ non possunt mouere intellectum possibilem ad earum intellectionem nisi denudētur à conditionibus materiæ, eò quòd intellectus est penitùs im-

materialis non affixus organo. Est ergo necesse, vt in anima sit potentia actiua immaterialis, quæ denudet & abstrahat hæc sensibilia à conditionibus materiæ, & per consequens faciat ea intelligibilia actu. Hæc aũt potentia apud Philoso. dicitur intellectus agens. Et huius conclusionis assignatur talis ratio, Omne quod est in potẽtia non reducitur ad actũ nisi per aliquod ens actu, sed intellectus possibilis est in potẽtia ad intelligendũ sensibile materiale, putà lapidem, ergo non reducitur ad actum nisi per intelligibile in actu. Sed intelligibile in actu quãtùm spectat ad res sensibiles non inuenitur in eis secundùm esse suũ ad extrà, quoniã sunt coniunctæ conditionibus materiæ & singulares. Ergo oportet eas fieri actu intelligibiles per aliquam potentiam animę immaterialẽ. Sed hæc nõ potest esse intellectus possibilis, quoniã ex natura sui est potẽtia passiua, est enim quo est omnia fieri. Ergo vltra intellectum possibilem est necesse ponere in anima intellectum agentem, qui faciat sensibilia & materialia, quæ sunt intelligibilia in potentia, esse intelligibilia actu.

Et aduerte quòd B.Tho. in assignanda ratione necessitatis in positione intellectus agentis concordat cum Auer. in 3. de Anima, in com. 18. licet non concordet in ponendo ipsum separatum & extrinsecum ab anima, vt docuimus in q. præcedenti. Sententia aũt Com. in com. 18. est hæc, Et quia hæc intentio cogens ad ponẽdum intellectum agentẽ alium à materiali & à formis rerum, quas intellectus materialis cõprehendit, est similis intentioni propter quam visus indiget luce, cum hoc quòd agens & recipiens alia sunt à luce, contentus fuit Arist. in notificãdo hunc modum per hoc exemplũ, q.d. Et modus qui coẽgit nos ad ponendum intellectũ agentem, idem est cum modo propter quem indiget visus luce. Quemadmodum enim visus non mouetur à coloribus, nisi quando fuerint in actu, quod non completur nisi luce præsente, cùm ipsa sit extrahens eos à potentia in actum, ita etiã intentiones imaginatæ non mouẽt intellectum materialem nisi quando fuerint intellectæ in actu, quod non perficitur in eis, nisi aliquo præsente quod sit intellectus in actu. & in fine commenti sic concludit, Et omnia dicta ab Arist. in hoc sunt ita quòd vniuersalia nullum habent esse extra animam quod intendit Plato, qui si ita esset non indigeret ponere intellectum agentem. Hæc Commentator.

Quantùm ad secundũ aduerte quòd Iand. in 3. de Anima, q.23. tenet necessitatem intellectus agentis, rationem autem necessitatis dicit esse, vt intellectio habeat principium actiuum, quod nõ potest esse aliud quam intellectus agẽs, quod probat ratione & ex Comment.

Ratio sua est hæc, Principium actiuũ intellectionis à sufficienti diuisione, vel est res materialis extra animam vel eius phantasma, vel eius species intelligibilis, vel intellectus possibilis, vel intellectus agens: non primum, quia secundùm doctrinã Phil. est intelligibilis tantùm in potentia, ergo ex se sola non potest intellecta fieri actu nec esse principiũ intellectionis suæ nisi aliud concurrat. Non secundum quia est materiale, & non repræsentat nisi singulare, intellectio autem cadit super vniuersale. Non tertiũ, quia esset nobilior intellectu possibili, qui recipit intellectionem. Nobilius est enim producere intellectionẽ quam recipere, sicut secundùm Philosophũ præstantius est agere quam pati. Non quartũ, quia cùm sit ex natura sua potẽtialis & materia, eius est pati & nõ agere, ergo habet recipere & nõ producere, ergo à sufficiẽti diuisione erit quintum, & sic habetur intentum. Quod cõfirmatur ex doctrina Com. qui in 3. de Anima, com. 17. vult ꝙ intellectus agens sit ille qui facit ex potentia intellectis actu intellecta, propriissimè autem facit ex potentia intellectis actu intellecta, quia perficit & complet ipsam intellectionẽ.

Ad hoc dicitur quòd diuisio est insufficiens, nam concesso 1. & 2. & 3. & 4. adhuc non sequitur quintum, quoniam vltra omnia illa mẽbra datur aliud, s. intellectus possibilis actuatus specie intelligibili. Nam licet intellectus possibilis præcisè consideratus sit tantùm receptiuus intellectionis, tamẽ simul cum specie est sufficienter actiuus eiusdem eò quòd per speciem, vt per formam constituitur in actu primo, & potest se reducere ad actum secundum, remoto impedimento, patet ergo quòd ratio sua insufficiens est.

Dictum autem Commentatoris non concludit propositum suum, nam facere intelligibilia in potentia esse intelligibilia actu non est producere nec perficere nec complere intellectionem, sed causare speciem intelligibilem per abstractionem à phantasmate, qua specie causata & actuante intellectum possibilem possunt intelligi actu: vnde dicitur facere intelligibilia actu, quia per actionem intellectus agentis possunt actu mouere intellectum possibilem ad eorum intellectionem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Quæ & quot sint operationes intellectus agentis.

IN hac quæst. est multa difficultas propter rei ineuidentiã & varietatem opinionum, tamen vt resoluatur secundùm viam quã reputo ad mentem B.Tho, duo principaliter agẽda sunt. Primò declarabitur, quot sunt eius operatiões, quæ sibi communiter attribuuntur. Secundò supposito quòd inter alias sit producere speciem intelligibilem, & facere obiectũ materiale intelligibile actu, quid prius ex his duobus fiat.

Quãtùm ad primum aduerte, quòd communiter sibi attribuũtur tres operationes. Primò illuminat phantasmata, sed quomodo fiat hæc illuminatio est duplex opinio. Prima dicit quòd illuminat imprimendo phantasmati aliquã formam spiritualem, per quam phantasma potest mouere intellectum possibilem, & simul cum intellectu agente producere speciem intelligibilem.

Sed hæc via non videtur esse ad mentẽ Phil. & Com. vt patet in 3. de Anima tex. & com. 18. vbi cõparãt intellectũ agentem ad phantasmata, sicut lumen ad colores, sed lumen non dicitur illuminare colores aliquid imprimẽdo in coloribus, quoniã sunt per se visibiles, vt determinatũ est in 2. de Anima. Præterea, hoc non cõsonat doctrinæ B.Tho. Dicit enim in 1. Parte, q.85 art.1. ad quartũ, quòd phantasmata illuminantur, quia sicut pars sensitiua efficitur virtuosior ex coniunctione ad intellectiuã, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, vt ex eis abstrahantur species intelligibiles, sed constat quòd pars intellectiua non facit sensitiuam virtuosiorem imprimendo aliquid in ea, sed tãtum ex eo quòd vniuntur in vno subiecto, ergo, &c. Idem tenet Her. in 2. Sent. dist. 17. q.2. vbi dicit quòd secũdùm ordinem naturæ species & forma intentionalis nõ potest imprimi in organis sensuum exteriorũ, nec interiorũ nisi à sensibilibus, vnde Philosophus diffinit phantasiam per motum factũ à sensu secundùm actũ. Idem tenet Io. Bac. in 1. Sent. q.2. Prologi, vbi vult ꝙ intellectus agens dicatur agẽs sine actione media, & ex consequenti nihil imprimit, sed suum agere est facere ex sua præsentia quòd phãtasmata moueant intellectũ, sicut lumen facit ex sua præsentia colores actu mouere visum.

Secunda opinio dicit quòd intellectus agens dicitur illuminare phantasmata non imprimẽdo, sed assistentia & præsentia sua, eo modo quo secundùm Arist. in 3. de Anima tex. 18. lumen illuminat colores existentes in tenebris, quæ quidẽ illuminatio fit ex sola præsentia luminis. Nam licet colores sint ex se visibiles & motiui ipsius visus, tamẽ vt in tenebris sunt nõ mouent actu: si aũt presentatur lumen, remouentur tenebræ & actu mouent visum. Sic obiectũ intellectus existens in phantasmate est motiuũ intellectus, sed quia est coniunctũ conditionibus materialibus, quæ obsistũt intelligibilitati, sicut tenebræ visioni, ideo vt actu moueãt necesse est præsentari intellectũ agentẽ, vt lumẽ, ex cuius præsentia prouenit quòd obiectũ mouet sine materialibus cõditionibus, licet sint coniunctæ eidem obiecto existenti in phantasmate. Vnde phantasma sic illuminari non est aliud quàm facere quòd præsentet intellectui quidditatem vniuersalem non præsentatis conditionibus materialibus & indiuiduantibus. Hoc aũt facit intellectus agens sua præsentia. Nã si lumen facit quòd albedo in lacte coniuncta dulcedini præsentatur visui non præsentata dulcedine, hoc excellentius præstat intellectus agens suo lumine. Et hanc viam sequitur Herueus & Ioan. Bacho. & Capræol. & Thom. Caietan. vt magis consonam Philosopho & doctrinæ Thomisticæ.

Sed contra obiicitur, Si intellectus agẽs est agens, quia illustrat phantasma, & secundùm te nihil imprimit in phantasmate, ergo non est agens, & videtur conditio.

Ad hoc dico quòd nõ omne verè agens habet imprimere nisi agat actione media, qua aliquid ꝑducitur siue imprimitur sed sufficit quòd ex sui presentia confert id, cui fit præsens & possit aliquid ex tali præsentia quod ex se non posset. Et hæc est nobilissima actio, qua superiora confortant inferiora.

Secundò facit intelligibilia in potentia esse intelligibilia actu. Et hæc est operatio, quã sibi attribuit Com. in 3. de Anima com. 18. Et est eadẽ cum illuminatione phantasmatis vel concomitatur illam. Nam ex eo ꝙ lumen illustrat, i. præsentatur colori, facit colorem, qui existens in tenebris erat motiuus visus tantum in potentia mouere actu, sic intellectus agens ex eo quòd præsentatur phantasmati, facit quòd obiectũ, quod erat motiuum intellectus in potentia, vtpotè stans sub cõditionibus materialibus, mouet actu, & sic ex tali præsentia transit ex intelligibili in potẽtia ad intelligibile actu. Et ista actio coincidit cũ illa, quæ solet dici abstractio quidditatis vniuersalis à conditionibus indiuiduantibus. Quæ quidem nõ fit per realem separationem, vel remotionẽ, sed per repræsentationem vnius non repræsentando aliud, licet sint coniuncta. Et talis repræsentatio dicitur abstractio, quia fit ac si illæ conditiones remouerentur, sicut quando remouentur tenebræ ex præsentia lucis.

Tertiò producit speciem intelligibilem in intellectu possibili per abstractionẽ à phantasmate. Sed hæc operatio multam ambiguitatem continet, quoniã aliqui volunt quòd hæc species producatur à phantasmate solo, dummodò sit sibi præsens lumen intellectus agẽtis, sicut species visibilis producitur à solo colore per assistentiam luminis.

Sed contra arguitur, Phantasma quantũcunq; sit sibi præsens lumen intellectus agentis nõ egreditur genus materialium, cùm receptum sit in potentia organica, ergo nõ potest per seipsum producere speciem intelligibilẽ, quæ est penitùs immaterialis. Exẽplũ aũt adductũ de colore non valet, quoniã species visibilis nõ egreditur genus materialiũ, ergo, &c. Omnes rectè sentientes in hoc conueniunt quòd nõ potest produci à solo intellectu agente, quia nisi phantasma cõcurreret posset produci species de omninò non phantasiato, & sic deficiẽte nobis aliquo sensu adhuc possemus habere sciẽtiã obiecti illius sensus, quod est cõtra Phil. in 1. Posteriorũ. Opinio aũt Thomistica est ꝙ non producatur ab vtroq;, sed ab intellectu agẽte principaliter, & à phãtasmate instrumẽtaliter, vel in virtute intellectus agẽtis sibi assistentis, nõ quia recipiat aliquam virtutem per impressionẽ ab eo, sed quia non potest nisi concurrente & assistente ipso intellectu.

Sed fortè obiiciet aliquis, Quòd ex se nõ potest in aliquid, per nullam virtutem poterit in illud, sed phantasmati ex se repugnat producere speciem intelligibilem, cùm sit materiale, ergo nec per virtutem intellectus agentis sibi assistentis poterit producere eam.

Ad hoc dico quòd dupliciter cõtingit impossibilitas effectus ab aliquo agente. Primò quia habet oppositionẽ ad virtutem actiuam agentis, sicut impossibile est homini volare, quia opponitur volatus potẽtiæ progressiuæ, quæ est in homine, & talis effectus per nullam potentiã potest fieri à tali agente. Secundò quia agẽs habet virtutem imperfectam, & tamẽ si ei adiungatur aliquid, per quod fiat vigorosius & virtuosius poterit in illum effectum, in quem per se non potest, sic est in proposito, vt declarauimus: quare, &c.

Quantùm ad secundum, scilicet quid prius faciat, an intelligibile actu, an producat priùs speciem intelligibilem, inuenio tres opiniones in hoc negocio.

Prima est negantium species intelligibiles, inter quos est Ioan. Bac. in 1. Sent. q.2. Prologi. Ipse tenet quòd intellectus agens dicitur agere non ex parte intellectus possibilis, quia secundùm ipsum nihil causat in eo, sed solùm ex parte obiecti. Vult enim quòd solùm illuminet phãtasmata, quæ illuminata dicuntur intelligibilia actu, & sic sufficiunt ad mouendum intellectũ possibilẽ, vt exeat in actũ intelligendi, & sic arbitratur non esse dandam speciẽ intelligibilẽ. Vnde secundùm hãc viã licet intellectus agẽs dicatur diuersimodè agere, vna tamẽ & nõ plures est actio sua. Nam illuminare phantasmata, facere intelligibilia actu, producere speciẽ, abstrahere speciẽ à phãtasmate, mouere intellectũ possibilẽ, omnia facere æquipollẽt ly Illuminare phãtasmata, & sic apud istos præsens dubium nullum est. Nam si non datur species intelligibilis vanũ est quærere, quid prius fiat ab intellectu agente, an species, an intelligibile in actu. Verùm de necessitate speciei dicemus, cùm loquemur de ea in q. sequenti.

Secunda opinio est quorundam Thomistarum, qui tenent quòd intelligibile in actu sit posterius ipsa specie, ita quòd nũquam est intelligibile in actu nisi producta sit species. Et intellectus agens ex eo quòd illuminat phantasmata non facit ex hoc præcisè intelligibile in actu, sed ex eo quòd illuminat phantasmata, & simul cum phantasmate illuminato producat speciẽ, & per eam fit res intelligibilis actu, quæ priùs erat intelligibilis in potentia, eò quòd per speciem obiectũ repræsentatur tantum in vniuersali, & sic secundùm istos priùs natura producitur species, secundariò fit intelligibile actu ex vniuersali repræsentatione.

Sed hæc opinio non videtur cõsona doctrinæ B.Tho. nam in q. disputatis de Anima, q.15. inquit quòd intellectus agens per phantasmata facta intelligibilia actu causat speciem intelligibilem in intellectu. Ergo priùs videtur velle produci actu intelligibile quàm species.

Tertia opinio, quæ videtur conformior doctrinæ Thomisticæ tenet, quòd priùs natura sit obiectũ intelligibile actu, deinde producitur species. Et id quidem sic imaginandũ est fieri, Intellectus agens suo lumine illuminat phantasmata non sicut mediũ, sed sicut obiectum. Et illuminare hoc modo est facere apparere quod prius nõ apparebat, sicut lumẽ facit apparere colores, qui priùs non apparebãt in tenebris. Proportionaliter phãtasma sic illuminari est facere quòd in phantasmate appareat quidditas rei sine conditionibus materialibus per tale lumen, quæ conditiones non sunt apparibiles intellectui, sed sensui, sicut licet cum albedine sit in lacte coniuncta dulcedo, tamen mediãte lumine apparet visui sola albedo, non apparente dulcedine, quæ nõ visui, sed gustui est apparibilis. Per talem autem illuminationem fit obiectũ intelligibile actu, id est potens mouere actu intellectũ possibilem quantum sit ex se, quoniam apparet intellectui per tale lumen non apparẽtibus conditionibus singularibus. Deinde intellectus agens simul cum phantasmate illuminato obiectiue producit speciem intelligibilẽ repræsentatiuã ipsius obiecti vniuersalis, quæ recipit in intellectu possibili, & est illud, quo formaliter obiectũ vnitur intellectui, & est principium actuãs & determinãs intellectum ad intelligẽdum.

Et si fortè dicas quòd ex quo per illuminationem phantasmatis fit res intelligibilis actu videtur species intelligibilis superfluere.

Respondetur quòd non superfluit, quoniam licet per illuminationem fiat obiectum intelligibile actu, tamẽ vltra hoc est necesse vt obiectũ vniatur intellectui, sed nõ potest vniri per substantiam suam, hoc enim est proprium diuinæ essentię, quòd s. vniatur alieno intellectui per seipsam, nec potest vniri per phantasma, quoniam etiam quòd sit illuminatum non egreditur ordinem rerum materialium, ideo nõ potest esse forma intellectus, ergo necesse est produci formam penitùs immaterialem, quæ constituat intellectum possibilem in actu primo & quæ repræsentet obiectũ vniuersale, & quę vniat obiectum intellectui, & hæc est species intelligibilis, quæ posterior natura producitur vt declarauimus. Et id videtur consonare dicto B.Tho. in 3. li. contra Gent. cap. 77. vbi dicit quòd actio intellectus agẽtis in phantasmate præcedit receptionem intellectus possibilis, ergo illuminatio, qua fit obiectum intelligibile actu, præcedit speciem, quę recipitur in intellectu possibili. Quoniam igitur hic modus dicendi videtur conformior ordini operationum intellectus agentis, quas suprà assignauimus, ideo talem modum præpono cuicunque alteri, vt magis cõsonum doctrinæ Thomisticæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIONES NATVRALES
De specie intelligibili.

QVAESTIO I.

Vtrùm speciem intelligibilem ponere sit necesse.

Præter phãtasma necesse est in intellectu possibili produci speciem intelligibilẽ distinctã realiter à phãtasmate, qua intellectus possibilis actuatus formaliter intelligat.

IN hac quæst. aduerte quòd antequã deueniamus ad resolutionem, inquirẽdum est quid sit species intelligibilis & cuius entitatis sit. Duo igitur agenda sunt. Primò quæretur de entitate sua. Secundò de necessitate.

Quantùm ad primum aduerte circa hoc duas opiniones. Prima est Hẽrici, quem sequitur Ioan. Bac. in 2. Sen. dist. 6. q. 1. Hic non concedit dari speciem intelligibilem distinctam realiter à phantasmate, nec productam ab intellectu agente cum phantasmate, siue à phãtasmate virtute intellectus agẽtis. sed tenet quòd phantasma, postquàm illustratum est ex præsentia intellectus agẽtis, videtur species intelligibilis, eò quòd potest actu mouere intellectũ possibilem. Et quoniã Phil. & Com. frequẽtant hoc nomen Species, dicit quòd semper accipiunt speciẽ pro illustrato phãtasmate, vel pro actu intelligendi. Illud autem phantasma illustratum dicunt esse speciem intelligibilem expressam, i. per quam exprimitur & præsentatur intellectui possibili quidditas rei sine cõditionibus materialibus, non autem dicunt impressam, quia negant tale phantasma recipi in intellectu possibili.

Secunda opin. est B.Tho. & Scoti & Iand. in 3. de Anima, q.15. Isti tenent, quòd hæc species est quædam forma intentionalis realiter producta virtute intellectus agentis recepta in intellectu possibili, vt sit ipsum actuans, quoniam est ex se in pura potentia in genere intelligibilium. Vnde est sicut primus actus in intellectu possibili, sicut anima est primus actus in corpore physico. Et sine hac specie non esset intellectio, sicut sine speciẽ sensibili non esset sensatio. Et ratio quidem huius nostræ positionis assignabitur simul cum necessitate speciei.

Quantùm ad ſecundũ aduerte quòd omnes concordant neceſſe eſſe eam ponere, ſed vnuſquiſq; modo ſuo. Nam Hẽricus & Ioan. Bac. dicunt eam non neceſſariã, vt actuetur per illam intellectus poſsibilis, qui ex natura ſua eſt in potentia eſſentiali ad intelligendũ. Sed tenent quòd ſufficiẽter actuatur per phantaſma illuſtratũ factum intelligibile actu, quod vocant ſpeciem expreſſam. At B. Tho. & Scotus dicunt quòd eſt neceſſe eã ponere impreſſam in intellectu poſsibili & productam ab intellectu agente diſtinctam; realiter à phantaſmate etiam illuſtrato, quoniã cùm intellectus poſsibilis ſit in pura potentia ad intelligendum neceſſe eſt vt cõſtituatur in actu primo per aliquam formam, quæ recipiatur in eo, & qua ſit formaliter intelligens. Et quoniam phantaſma etiam illuſtratum non poteſt recipi in intellectu, quia licet illuſtratum, tamẽ materiale eſt, cùm ſit idem ſecũdùm rem illuſtratum & non illuſtratum, ſicut eſt idem color in luce & in tenebris. ideo vltra phantaſma eſt neceſſe ponere vnam formã omninò immaterialem productam virtute intellectus agentis & receptam in intellectu, qua formaliter actuetur. Et nota quòd fundamentum poſitionis noſtræ ſtat in hoc, Impoſſibile eſt aliquod potẽtiale eſſentialiter fieri actu formaliter niſi per aliquod in eo receptũ & intrinſecũ, ſicut impoſsibile eſt aliquid fieri actu calidũ niſi per calorẽ ſibi intrinſecũ. Et hoc principium accepimus ſuprà contra Com. volentes ponere animã intellectiuã eſſe formã hominis informatiuã.

Vtraque opinionũ diſputatiuè ſuſtinetur, licet negantes ſpeciem impreſſam multùm extorqueãt dicta Phil. & Com. Tu autem ſuſtinebis viam Thomiſticam, quæ dat de mente Philoſophi ſpeciem intelligibilem impreſſam & expreſſam, quæ quomodo differãt dicemus infrà. Et vt defendas viam noſtram fundabis te ſuper quatuor; ex quibus ruent argumenta tenentium oppoſitum.

Primum eſt, Intellectus poſsibilis actiuè producit & non ſolùm recipit actum intelligendi. Et quoniam dicit Philoſophus quòd intelligere eſt pati, & ſuper hoc dictum fundant ſe tenentes oppoſitum viæ noſtræ, ideo dices quòd eſt verũ antecedenter, id eſt, quia primo requiritur quòd intellectus recipiat ſpeciem qua actuetur. Et illud recipere quod eſt pati, dicitur à Philoſopho intelligere non formaliter, ſed cauſaliter, ſiue antecedenter.

Secundum eſt, Phantaſma, quamuis illuminatum, cùm nõ egrediatur ordinem materialium, non poteſt actuare intellectum poſsibilem ad eliciendum intellectionem.

Tertium eſt, Solum phãtaſma etiam illuſtratũ non poteſt præſentare intellectui quidditatẽ vniuerſalẽ in eſſe obiectiuo niſi producãt ſpecies, quæ ſit vniuerſalis in repræſentãdo.

Quartum eſt, Primum quod recipitur in intellectu poſsibili non eſt ipſum intelligere. Et quoniam Ioan. Bach. ſuper hoc facit magnum fundamentum, eò quòd Philoſophus dicit in 3. de Anima, tex. 5. Intellectus nihil eſt eorum, quæ ſunt ante intelligere, dices quòd ſumit ly Intelligere cauſaliter, & non formaliter. Et ſi autem cauſaliter intelligere actuari ſpecie, qua poteſt intellectus iam poſitus in actu primo exire in actum intelligendi. Nam & hoc modo Comm. accipit Intelligere in 3. de Anima, commen. 18. cùm dicit, Intelligere nihil aliud eſt, quàm recipere has intentiones.

Poſitis his fundamentis videbis ſoluta omnia argumenta Io. Baco. in 2. diſt. 6. q. 2. art 3. ibi, Cõtra Scotum primò oſtendo, &c. Similiter videbis ſoluta argumenta Henrici, quibus probat quòd non dentur ſpecies impreſſæ, cuius argumenta & reſponſiones videbis in Capræolo, in 1. diſt. 35. q. 1. contra iſtam concluſionem ibi, Contra eandem concluſionem arguit Henricus. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint, quod parcim reſolutiuè, partim directorie pertractauimus, vt & tu habeas occaſionem exercendi ingenij.

QVAESTIO II.

A quo producatur ſpecies intelligibilis.

Species intelligibilis ab intellectu quidẽ agẽte primò producitur, à phãtaſmate autem inſtrumentaliter.

IN hac quæſtione aduerte, quòd omnes tenentes ſpeciem impreſſam concordant in hoc quòd producitur à phãtaſmate, & ab intellectu agente, quoniam vnum nõ poteſt ſine reliquo. Nam intellectus agens requirit phantaſma, à quo abſtrahit ſpeciem, phãtaſma autem requirit intellectũ agentem, vt color lumen vt illuſtretur.

Sed de modo huius productionis magna eſt opinantium diuerſitas. Nam aliqui opinantur quòd phantaſma cauſat vt purum inſtrumentum, intellectus agẽs vt principale & proximum. Alij opinantur quòd phantaſma eſt agens proximũ totale, dummodò illuſtretur ab intellectu agente, ſicut ſpecies ſenſibilis cauſatur ab obiecto ſolo, putà colore, dummodò adſit lumen, ita quòd lumen non eſt actiuum ſpeciei, ſed eſt ratio ſine qua non. Alij opinantur quòd ſpecies eſt partialiter ab vtroque ſecundùm vtriuſque propriam virtutem naturalem, ita quòd phantaſma exiſtens in phantaſia hominis habet virtutem producendi ſpeciem, ſed non ſufficientem ex ſe, niſi concurrente virtute intellectus agentis. Sicut homo habet virtutem generandi hominem, concurrente tamen Solis virtute. Similiter intellectus agens habet virtutẽ producendi ſpeciem, ſed vt agens vniuerſale, eſt neceſſe vt determinetur ab hoc, vel illo phantaſmate.

Iterum aduerte diuerſitatem opinantium in modo, quo intellectus ſe habet in illuſtrãdo phantaſma. Nam aliqui opinantur quòd illuſtrat aliquid imprimendo in phantaſmate, puta aliquam ſpiritualitatem, qua redditur phantaſma potens ad producẽdum ſpeciem. Aliqui autẽ opinantur quòd nihil imprimit, ſed ſola præſentia, vel vt ita loquar quaſi contactu virtuali facit quòd quidditas rei apparet intellectui in illa ſpecie, vt in idolo ſuo, & vtranque harum opinionũ iam tetigimus in q. 1. de Intellectu Agente.

Cùm igitur in hoc tanta ſit opinionum diuerſitas, & vnaquæque ſe defendit ſuis fundamẽtis, videtur mihi hoc quæſitum eſſe purum problema. Et ideo potiùs eſt tibi inſiſtendum auctoritati B. Tho. quem ſequimur, quam rationibus, quæ pro vtraq; parte ſolubiles ſunt. Tu igitur aduerte quòd mens B. Thom. fuit ſpeciem produci ab intellectu agente, & à phantaſmate, ſed ab intellectu vt principali agẽte, & phantaſmate vt inſtrumento. Et quod hæc ſit mens ſua patet in 1. Quolib. q. 2. artic 2. vbi quærit vtrùm anima cognoſcat per ſpecies, quas accipit à rebus extra animam. Vbi ſic habes, Phantaſmata mouent intellectum poſsibilem, non autem ad hoc ſibi ſufficiunt ex ſeipſis, cùm ſint in potentia intelligibilia, intellectus autem non mouetur niſi ab intelligibili in actu. Vnde oportet quòd ſuperueniat actio intellectus agentis, cuius illuſtratione phantaſmata fiant actu intelligibilia. Sicut illuſtratione lucis corporalis fiunt colores actu viſibiles. Et ſic patet quòd intellectus agens eſt principale agens, quod agit rerum ſimilitudines in intellectu poſsibili; phantaſmata autem, quæ à rebus exterioribus accipiuntur, ſunt quaſi agentia inſtrumentalia. Hæc B. Tho.

Verùm vtrùm intellectus agens dum illuminat phantaſma aliquid in eo imprimat, vel non, B. Tho. non explicat. Tu tamen debes ſequi partem negatiuam iuxta doctrinam quã poſuimus in q. 3. de Intellectu Agẽte. Nec te moueat dictum B. Thom. in 2. Contra Gentiles, cap. 77. vbi inquit, *Per actionem intellectus agentis ſimilitudines rerum eleuantur ad aliquid altius*, vt ſcilicet ſint abſtractæ à conditionibus indiuiduantibus. Ex quo dicto aliqui ſic arguunt, Eleuari non eſt niſi per impreſsionem alicuius formæ, qua id, quod eleuatur, fit nobilius & altius, ergo ſi intellectus agens eleuat phantaſma, imprimit in eo. Sed hæc ratio non cogit. Contingit enim aliquid eleuari & nobilius fieri non ſolùm impreſsione, ſed abſiſtentia & coniunctione alicuius ſuperioris. Vnde dico, quòd intellectus agens eleuat phantaſma ſecundo modo, & non primo, iuxta doctrinam, quam dedimus in quæſtione tertia de Intellectu Agente. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO III.

Num plures ſpecies intelligibiles ſe compatiantur ſimul in eodem intellectu.

IN hac quæſtione antequàm ad reſolutionem deueniam aduerte, quòd cùm ſpecies intelligibilis ſit repræſentatiua naturæ ſpecificæ, de eadem natura ſpecifica non producitur niſi vna ſpecies intelligibilis in vno intellectu: ex quo ſequitur, quòd cùm omnes naturæ ſpecificæ diſtinguantur ſpecie, etiam in eodem intellectu omnes ſpecies intelligibiles diſtinguuntur ſpecie. Si ergo duabus naturis ſpecie diſtinctis repugnat ſe ſimul compati in eodem, etiam repugnabit pluribus ſpeciebus intelligibilibus primo aſpectu ſe ſimul compati in eodem intellectu, licet, vt dicemus, non ſic omnimodò eadem ratio.

Pro reſolutione igitur quæſiti duo principaliter agenda ſunt. Primò ponentur duæ concluſiones reſponſiuæ cum probationibus ſuis. Secundò ſoluenda ſunt quædam argumenta, quæ formantur à contradicentibus viæ noſtræ.

Prima concluſio, Sicut duabus naturis ſpecie diſtinctis repugnat ſimul eſſe in eodem ſecundùm eſſe actu perfecti, ita pluribus ſpeciebus intelligibilibus repugnat eſſe ſimul in actu perfecto in eodem intellectu, ita quòd ſimul actuẽt intellectum, vt ſimul plura inquantùm plura intelligat. Prima pars iam probata eſt à nobis in 10. Metaphyſ. q. 13. vt videre poteris. Secunda autem pars probatur à B. Tho. in 1. Parte, q. 85. art. 4. ſic, Impoſsibile eſt idem ſubiectũ perfici ſimul pluribus formis vnius generis & diuerſarum ſpecierum, ſicut eſt impoſsibile idem corpus ſimul colorari diuerſis coloribus & figurari diuerſis figuris. Sed omnes ſpecies intelligibiles ſunt vnius generis, quia ſunt perfectiones vnius intellectiuæ potentiæ. Impoſsibile eſt ergo quòd idem intellectus ſimul perficiatur pluribus ſpeciebus intelligibilibus ad intelligendum ſimul diuerſa actu. Hæc ratio quãtum valeat declarabitur in ſolutione argumentorum.

Secunda concluſio, Dato quòd duæ formæ contrariæ diſtinctæ ſpecie non ſe compatiantur ſimul in eodem ſecundùm eſſe reale naturale, poſsibile tamen eſt q̃ ſe ſimul compatiantur in eodem ſecundùm eſſe intentionale. Probatur, Ideo non ſe compatiuntur ſecũdùm eſſe naturale, quoniã ſe mutuò corrumpunt, cùm ſint qualitates contrariæ. Sed hæc actio corruptiua non competit eis ſecũdùm eſſe intentionale. Vanum enim eſt dicere ſpeciem intentionalem caloris calefacere. Vnde & apud Philoſophum ſpecies contrariorum in anima non ſunt contrariæ. Et aduerte quòd hæc concluſio eſt de mente B. Tho. in lib. de Senſu & Senſato, in expoſitione text. vl. eimi, qui incipit, Vel quem ad materiã. Nam ſic inquit, Non omninò ſe habet in ſenſu & in intellectu ſicut in corporibus naturalibus. Corpus enim naturale recipit formas ſecundùm eſſe naturale & materiale ſecũdùm quòd habent inter ſe cõtrarietatem, & ideo non poteſt idem corpus ſimul recipere albedinem & nigredinem. Sed ſenſus & intellectus recipiunt formas rerum ſpiritualiter & intentionaliter ſecundùm eſſe quod dam intẽtionale, ſecũdùm quod non habent cõtrarietatem. Vnde poſſunt ſimul recipere ſpecies contrariorum. Cuius ſimile poteſt videri in diaphano, quod in vna & eadem ſui parte immutatur ab albo & à nigro, quæ immutatio non eſt materialis, ſed ſecundùm eſſe intẽtionale: hæc B. Th. ex quibus patet quòd ad mentem eius poſſumus concedere duo accidentia intentionalia ſe compatiri in eodem ſubiecto, & in eodem medio. In quo autem ſenſus ſe ſimul compatiantur, an vt res & qualitates licet habeant eſſe intentionale vel vt ſpecies: ſimiliter an in actu perfecto, vel imperfecto, vel in habitu, declarabimus in ſolutione argumentorum.

Quantùm ad ſecundum aduerte quòd Scotus contra illam propoſitionem B. Tho. aſſumptam in probatione primæ concluſionis, ſcilicet, Impoſsibile eſt idem ſubiectum perfici ſimul diuerſis formis eiuſdem generis, ſic arguit. Primò, In eodem puncto aëris contingit eſſe plures ſpecies intentionales, ergo, &c.

Ad hoc dico, quòd ſpecies intentionales dupliciter conſiderantur. Primò vt ſunt res & qualitates in genere entiũ, ſic conceditur quòd ſunt actu in medio. Secũdo vt ſunt ſpecies ſenſibiles, id eſt vt ſunt principium ſentiendi ipſi ſenſui, & ſic nunquam ſunt in actu perfecto, niſi quando ſenſus actu ſentit, vnde nego quòd vt ſic ſint in actu cõpleto in ipſo medio, ſed ſunt ſolùm, vt in deferente ſecundum doctrinam B. Tho. in q. de Veritate, q. 8. art. 14. Nam B. Tho. intendit quòd impoſsibile eſt idem perfici ſimul pluribus formis eiuſdem generis ſecundùm actum perfectum & completum. Nam de actu incõpleto, ſiue vt in habitu, non reputat impoſsibile, vt dicemus. Sicut non eſt inconueniens duo contraria ſe compati in gradibus remiſsis, vt determinauimus in 10. Metaph. in Quæſtionibus noſtris.

Secũdò, Impoſsibilitas formarũ exiſtẽdi ſimul ſumitur ex oppoſitione: ſed ſpecies oppoſitorũ in intellectu nõ ſunt oppoſitæ, quoniã ibi non ſunt ſecũdùm eſſe naturale, ergo, &c.

Ad hoc dico ſecundùm doctrinam B. Tho. quòd cauſa ſufficiens & totalis huius incompoſsibilitatis non eſt ſola oppoſitio, vel repugnantia ſecundùm eſſe, aut ſecundùm diuerſum ſitum in partibus, vt reperiũtur in diuerſis corporibus realiter receptis in corpore, & in figuris propter diſtinctionem ſitus, ſed etiam vnigeneitas formarum, i. quia ſunt vnius generis proximi, ſicut ſunt omnes ſpecies colorũ. Et ſi quæras, Vnde fit quòd tales formæ vnigeneæ dato quòd non ſint oppoſitæ non ſe compatiuntur? Dico ſecundùm doctrinam B. Th. in q. de Veri. q. 8. art. 14. quòd cauſa huius eſt vnitas potentiæ receptiuæ in ſubiecto. Nam formæ diuerſorum generum recipiuntur in ſubiecto ſecundùm diuerſas potentias, vt color recipitur in corpore propter diaphaneitatem, & ſapor propter humiditatem, vnde in pomo ſtant ſimul album & dulce: formæ autem vnius generis proximi reſpiciũt ſubiectum ſecundùm vnãmmet potentiam receptiuam, ſicut omnes colores reſpiciunt corpus ſecũdùm diaphaneitatem. Eſt enim coloractus perſpicui, vt declarauimus in lib. 2. Et quoniam ſicut potentia reſpicit actum, ſic vna potẽtia vnum actum, & plures potentiæ plures actus, ideo eſt impoſsibile, vt vna potẽtia ſimul plures actus reſpiciat. Nam ſi plures reſpiceret iam non eſſet vna. Dico ergo ad argumentum, quod non adducit cauſam ſufficientem & totalem talis incompoſsibilitatis, ideo non concludit.

Tertiò, Species intelligibiles ſeruantur ſimul in eodem intellectu & ſunt actu, quia ſunt ſubiectiuè in intellectu ſecundùm Thomam, ergo, &c.

Ad hoc dico quòd intellectus dupliciter conſideratur. Primò vt eſt res & natura quædam. Secundò vt intellectus eſt, ſimiliter ipſa ſpecies intelligibilis dupliciter conſideratur. Primò, vt res & qualitas quædam eſt. Secundò vt eſt ſpecies intelligibilis, id eſt vt poteſt conſtituere in actu intellectum, vt intellectus eſt, id eſt, in eſſe intelligibili nõ in eſſe naturæ. Tunc dico ad argumentum, Licet conſeruentur & inhæreant intellectui vt res & qualitates ſunt, & vt intellectus res eſt quando etiam intellectus non intelligit, tamen non ſunt in actu perfecto, vt ſunt ſpecies intelligibiles, & vt intellectus eſt, niſi quãdo actu mouent ipſum ad intellectionẽ. Et quoniã plures non mouent ſimul ad intelligendum plura vt plura ſunt, ideo plures ſpecies intelligibiles, vt intelligibiles, non ſunt in actu perfecto ſimul in eodem intellectu, vt intellectus eſt. Et aduerte quòd neſcientia huius diſtinctionis præpoſitæ decepit arguentem. Nonenim cõſideranit de ſpecie & de intellectu, niſi ſicut formam naturalem & ſubiectum ſuum. Et tamen conſiderare debebat de eis in ordine intelligibilium & non ſolùm in ordine naturalium.

Quarò arguit contra illud, quod dicit B. Th. ſcilicet omnes ſpecies intelligibiles eſſe eiuſdem generis. Nam non minus diſtant ſpecies lapidis & ſpecies cœli, quàm lapis & cœlum. Si enim cauſæ vniuocæ diſtinguũtur genere, & effectus earum ſimiliter: ſpecies autem cauſatur ab obiecto, ergo ſpecies lapidis & cœli non ſunt eiuſdem generis.

Ad hoc dico quòd arguens deficit ex inconſideratione diſtinctionis, quam præpoſui in reſponſione ad præcedens. Nam admiſſo quòd ſpecies lapidis & cœli vt effectus & qualitates diſtinguantur genere, nego tamen vt ſunt ſpecies intelligibiles, id eſt, vt reſpiciunt intellectum, vt ipſius formæ in eſſe intelligibili, quòd diſtinguantur genere: quoniam intellectus noſter eſt forma ſimplex, & vno modo reſpicit ſuas ſpecies intelligibiles. Ex quo ſequitur, quòd ſi duo intellectus nõ ſunt eiuſdem ordinis, nec ſpecies eorum erunt eiuſdem generis: vnde ſpecies intellectus angelici & humani non ſunt eiuſdem generis.

Quidam autem ſequentes viam Scoti ſic arguunt, Quando duæ formæ, aut duæ actiones nihil abiiciunt à ſubiecto, poſſunt ſimul ineſſe, vt patet in aëre, in quo ſimul recipiuntur calor & lumen. Sed plures ſpecies nihil abiiciunt ab intellectu, ergo, &c. Præterea, ratio B. Tho. non videtur valere, quoniam non eſt idem iudicium de figuris & de ſpeciebus. Nam figuræ habent repugnantiam adinuicem propter diuerſos ſitus partium, & ideo non poſſunt ſimul eſſe, ſed ſpecies non habent repugnantiam, ergo, &c.

Ad primum dico quòd maior eſt falſa, ſi formæ ſunt eiuſdem generis proximi & ſecundùm eſſe perfectum. Ad probationem nego, quòd calor & lumen ſint eiuſdem generis proximi.

Ad ſecundum datur eadem reſponſio, quæ data eſt ad primum; quia non aſsignat ſufficientem & totalem cauſam incompoſsibilitatis. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO IIII.

Num ſpecies intelligibilis remanet in intellectu poſt quàm ceſſat intellectus intelligere.

Species intelligibilis ceſſante intellectu intelligere, remanet ſimpliciter & intrinſecè incorruptibilis.

IN hac quæſtione duo ſunt agenda. Primò probabitur quòd ſpecies intelligibilis poſtquàm eſt recepta in intellectu poſsibili non corrumpitur, etiam quòd intellectus ceſſet omninò ab intellectione, vt patet in Philoſopho dormiente. Secundò ſoluetur dubium quod oritur ex dicto Commentatoris.

Quantùm ad primum aduerte quòd B. Tho. in 1. Parte, q. 89. art. 5. probat nec habitum ſcientiæ, nec ſpeciem intelligibilem corrumpi, etiam ceſſante omni intellectione: & fundat ſe ſuper doctrinam Philoſophi in lib. de Lõgitudine & Brevitate vitæ, vbi ſic inquit, Sunt enim & propriæ corruptiones multas exiſtentium, vt ſcientia, ſanitas, ægritudo, hæc enim corrumpuntur, etiam non corruptis ſuis ſuſceptiuis, ſed ſalutis, vt ignorantiæ corruptio, reminiſcentia & erudicio.

Scientiæ autē obliuio & deceptio, secundùm accidens corrũpitur corruptis naturalibus subiectis. Corruptis enim animalibus corrũpitur & sanitas & scientia quæ est in animalibus. Hæc Philosop. ex quibus sic arguitur, subiectũ scientiæ & speciei est intellectus, qui est incorruptibilis, vt determinatum est suprà: & non habent contrarium, præcipuè quantùm ad primam operationem intellectus, in qua non est per se verum, nec falsum nisi per accidens. Et præterea, vt dictũ est in q. præced. species contrariorum in potentiis cognoscitiuis non sunt contrariæ, nec habent repugnantiam, ideo se simul compatiuntur in habitu, siue in actu imperfecto, vt diximus suprà. Si ergo ex doctrina Philosophi, omne quòd corrumpitur, corrumpitur à suo cõtrario, vel ad corruptionem sui subiecti, & neutra harum causarum insit speciei intelligibili, sequitur quòd permanet in intellectu post intellectionem, imò q; indelebiliter perseuerat in intellectu postquàm producta est, loquendo de incorruptione intrinseca & reali. Et id dico, quoniam si consideretur species vt respicit phantasma à quo producta est potest dici q; corrumpitur corruptione extrinseca pro quanto corrumpitur phantasma. Sicut & potentia materiæ realiter & intrinsecè est incorruptibilis, eò quòd est ipsa substãtia materiæ, vt determinauimus in Quæst. nostris Metaph. corruptibilis autem est vt respicit hanc vel illam formam, quæ abiicitur à materia. Et hæc potest dici corruptio ex connotato, vt quando corrũpitur relatio ex corruptione termini in via nostra. Cùm igitur remaneant post intellectionẽ principia actiua propinqua speciei, & subiectum eius, & nulla adsit cõtrarietas, nulla videtur ratio suadere quòd post intellectionem nõ remaneat. Constat autē q; in intellectu Philosophi dormientis remanent principia actiua propinqua speciei, scilicet phantasma in phantasia, & intellectus agens vt lumen. Nec potest dici quòd humiditas quæ est causa dormitionis impediat conseruationẽ speciei in intellectu, quoniam non est subiectiuè in phantasma, sed in intellectu qui est virtus non organica, qui nec denomi natur calidus nec humidus, vt dictum est suprà quando pertractauimus de abstractione intellectus. Secus autem esset de specie sensibili quæ sigillatur in organo, vnde si organum est humidum licet bene recipiat, tamen malè retinet vt declarauimus agentes de sensibus interioribus in Epitomate nostro in tertio de Anima.

Quantùm ad secundũ aduerte quòd Com. in 3. de Anima, in com. 39. videtur esse contra hanc determinationem. Nam sic inquit, Necesse est vt formæ sint existentes in intellectu secũdùm velocitatem, & rem velocis transmutationis non fixam. Et quòd illæ eædem formæ sint existentes extra animam in rebus sensibilibus secundùm quòd habitus existit in habente habitum, & res fixa in re patiente. Ex quibus verbis constat quòd si formæ existentes in intellectu quæ sunt ipsæ species sunt secundùm velocitatem & rem non fixam, sed velocis transmutationis, non recipiuntur indelebiliter in intellectu, sed potius vt in transitu.

Ad hoc dicunt qui negant speciem impressam, q; in intellectu non est alia forma nec species, nisi actus intelligendi quẽ constat non habere esse fixũ in intellectu, eò q; cessamus quãdo volumus, & est velox quia cùm fit actio immanens producitur in instanti. Et sic secundùm istos dictum Com. non habet difficultatẽ. Verùm quia in via nostra sustinemus speciem impressam, ideo apud nos hoc dictum est difficilius.

Tu igitur relictis multis opinionibus exponentibus verba Com. dic q; species intelligibilis dupliciter considerari potest. Primò secũdùm se. Secundò vt cõiuncta actui intelligendi: vel sic, primò vt receptacula est in intellectu, secundò vt plenè actuat intellectũ pro actu secundo: vel sic, primò quò ad naturam suam, secundo quò ad vsum. Si primo modo dico q; est fixa & permanens per rationem iam allegatam. Si secundo modo, nõ habet maiorem fixionem quàm actus intelligendi, in quo diu persistere non possumus propter laborem phantasiæ. Et in hoc secundo sensu intelligendum est dictum Com. Quod si tu velis intelligere quò ad primum sensum, non est concedẽdum à Thomista. Sic mihi occurrit dicendum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Actus intelligendi & species intelligibilis distinguũtur realiter.

QVAESTIONES NATVRALES

De actu intelligendi.

QVAESTIO I.

Num actus intelligibilis distinguatur realiter à specie intelligibili,

IN hac quæst. inuenio duas extremas opiniones. Quarum prima est tenẽtium speciem intelligibilem impressam. Secunda est negantium eam. Qui tenent primam viam concedunt distinctionem realem inter actum intelligendi & speciem. Qui autem tenent secundam viam, negant hanc distinctionem. B. Tho. & Scot. & Iand. tenent primam viam. Henricus Aureolus & Ioannes Bachon. tenent secũdam. Tu igitur primò formabis viam B. Tho. & sequentium eum. Secundò solues rationem tenentium oppositum.

Quantùm ad primum ponitur hæc conclusio. Actus intelligendi & species intelligibilis distinguuntur realiter. Hæc conclusio est de mente B. Tho. in q. de Potẽtia Dei, q. 8. art. 1. vbi inquit, Differt actus intelligẽdi à specie. Nam species intelligibilis qua fit intellectus actu consideratur, vt principiũ actionis. Et ad hanc conclusionẽ adducitur multiplex ratio.

Prima. Species reducit intellectum de potentia ad actum intelligendi, ergo distinguitur realiter ab intellectione. Antecedens patet, quia intellectus cùm sit in pura potentia secundùm se nõ potest se reducere ad actum nisi per illud, per quod constituitur in actu primo. Hoc autem est species, vt dictum est suprà, ergo, &c. Consequentia autẽ probatur, quoniam principiũ actus intelligendi & ipse actus se habent vt causa & effectus, inter quæ necessariò interuenit distinctio realis, vt determinatum est in 5. Metaph. in Quæst. nostris.

Secunda. Si species est idem cum intellectione, ergo quod est principium productiuũ speciei, est etiam intellectionis, quod est falsum. Consequentia manifesta est: falsitas consequentis, probatur. Nam phãtasma simul cum intellectu agẽte, est principium speciei productiuum, vt dictũ est suprà, & principium productiuum intellectionis est intellectus possibilis actuatus specie, vt determinabitur infrà, ergo, &c.

Tertia. Species intelligibilis, vt determinatum est suprà, remanet in intellectu saltem habitu, remota omni intellectione, ergo patet quòd distinguuntur realiter. Sed aduerte quòd apud negantes speciem impressam, istæ rationes non concludent, quoniam tenent quòd phantasma illustratum est immediatum motiuum intellectus ad intellectionem. Est ergo necesse, vt priùs sustineat dari de necessitate speciem impressam iuxta determinationem, quam fecimus in 1. quæst. de Specie intelligibili.

Quantùm ad secũdum aduerte quòd tenentes oppositum fundant se super duo. Primò dicunt quòd non datur alia species nec alia forma in intellectu nisi actus intelligendi, & quando Philosophus & Com. nominant speciem in intellectu, per speciem non intendunt nisi actum intelligendi. Secundò dicunt quòd posito quòd concederent dari speciem impressam non datur actus intelligendi, vt quid productum realiter ab intellectu actuato specie. Sed dicunt q; per speciem intelligibilem res sufficiẽter apparet intellectui inesse cognito. & hoc est secundùm eos formaliter intelligere.

Quòd igitur non detur species distincta realiter ab actu intelligendi probant tripliciter.

Primò, Supponitur quòd intelligere non est aliud quàm menti habere presens obiectum per modum apparentis siue manifestati. Sicut videre non est aliud quàm habere præoculis obiectum visibile, vt apparens. Ex hoc sic arguitur. Si species distinguitur realiter ab intelligere, sequitur quòd res bis intelligitur, & bis apparet intellectui, quod est superfluum. Consequentia probatur, quoniam cùm species intelligibilis sit repræsentatiua & similitudo obiecti, per ipsam apparet obiectum intellectui, & secundùm re apparet per ipsum intelligere, ergo bis apparet, & sic bis intelligitur sufficit ergo species, & non est ponendum aliud distinctum à specie in intellectu.

Ad hoc dicitur quòd res apparet intellectui per speciem habitualiter, & apparet per intellectionem actualiter, & sic conceditur quòd bis apparet, sed negatur quòd bis intelligatur, non enim intelligitur nisi actualiter apparet. Et cùm dicitur quòd hoc est superfluum, negatur. Superfluũ quidem esset si bis appareret actualiter, non autem si semel actualiter & semel habitualiter, sicut non est superfluum, Philosophum dormientem scire lapidem habitualiter, & dum vigilans consideret scire actualiter.

Secundò, Intelligere vel est similitudo obiecti, sicut species vel non. Si datur primum, ergo duę similitudines eiusdẽ obiecti erunt simul in eodem intellectu, quod videtur superfluum. Si secundum, contra, quia actus magis imitatur obiectum quam quæcunque alia similitudo, ergo vanum est ponere intelligere distinctum realiter à specie.

Ad hoc dicitur quòd datur primum, & conceditur in eodem intellectu respectu eiusdem obiecti esse duas similitudines, sed vnam in habitu, aliã in actu, nec id est superfluum, vt dictum est ad primum.

Tertiò

Tertiò dicit Com. in 2. de Anima, com. 122. quòd intentiones rerum in anima sunt comprehensiones, sed intentiones sunt ipsæ species, ergo species est intellectio. Et in 3. de Anima, commen. 31. dicit quòd intelligere non est aliud quàm recipere intentiones, sed intentiones quas recipit intellectus possibilis ab intellectu agente sunt ipsæ species, ergo species receptæ sunt actus intelligendi.

Ad hoc dicitur in via nostra quòd si Com. intendit hanc prædicationem esse essentialem, Intentiones sunt comprehensiones, & hanc, Intelligere est receptio intentionis, negandæ sunt dictæ eius, quoniam ex eis sequitur intellectum possibilem esse merè potentiam passiuam, quod nos nõ concedimus, quoniam est verè productiuus intellectionis actus specie. Si autem intendit prædicationem illam esse causalem, conceditur vt sic exponatur, Intẽtio est cõprehensio, id est, est causa comprehẽsionis: eodem modo exponatur secunda. Sed ex hoc non sequitur identicè intentionem esse cõprehensionẽ, nec receptionem intẽtionis esse intellectionẽ, imò sequitur oppositum: quoniam causa non identificatur effectui. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num intelligere sit formaliter & essentialiter agere, vel pati.

IN hac quæstione inuenio tres vias, & volo singulas dicere ex quibus tertia est B. Thom. iuxta quam determinabo quæstum.

Prima tenet quòd intellectus possibilis nullo modo producit intellectionem, sed tantùm recipit, producitur autem ab intellectu, agente secundùm hanc viam, sed alio modo secundùm Aureo. & alio modo secundùm Iand. Nam vult Aureolus quòd actus intelligendi non distinguatur à specie intelligibili, cuius argumẽta iam soluimus in q. præced. & vult speciem produci ab intellectu agente, & in hoc benè dicit. Et arbitratur quòd intelligere non sit aliud quàm intellectũ possibilem recipere speciem, & sic apud ipsum intelligere est essentialiter pati, quoniam recipere est pati, & fundat se super dictum Com. in 3. de Anima, com. 18. qui dicit quòd intelligere non est aliud quàm intentiones recipere. Sed dictũ Com. in quo sensu concedendum, & in quo sensu negãdum sit in via nostra, iam exposuimus in quæst. præced. Iand. autẽ in 3. de Anima, quæst. 2. 4. tenet quòd vltra hoc quòd agens intellectus producit speciem producit etiam actum intelligẽdi qui recipitur in intellectu possibili, & sic respectu intellectus possibilis est essentialiter pati. Et dicit Iand. Doctores Latinos non potuisse vel non inuenisse hanc viam magis occupari circa Theologalia. Sed dicat quomodo vult, dummodò volens seruare imaginationem suam, incidit in manifesta inconuenientia. Nam non potest saluare quòd intellige re sit verè actio immanens contra Philosophum in 9. Metap. tex. 16. Si enim intelligere est actiuè ab intellectu agẽte & recipitur in possibili, ergo actio immanens non est subiectiuè in suo agente: & quoniã Iand. propter suam imaginationem cogitur concedere consequentiam, ideo cõtradicit Philosopho in 9. Metap. in tex. 16. vbi inquit, Quorum verò nõ aliquod nous præter actionem in ipsis existit actio, vt visio in videte, speculatio in speculante, fœlicitas in fœlice.

Dicit etiam Iand. q; intellectus agens est vnitus possibili secũdùm esse, sicut forma suo subiecto. Hoc autem est cõtra Com. in 3. de Anima, com. 35. qui vult q; intellectus agens copuletur possibili vt agens passo donec completa fuerit adeptio totius habitus scientifici, & tunc copulatur vt forma. Præterea ex responsione Iand. sequitur q; omne agens in seipsum agat actione immanẽti, quia tunc nõ distinguitur subiecto, principium actiuum à suo passiuo. Et sic aqua calida infrigidans se, & animal mouens seipsum habent actionem immanentem, quod nullus recte sentiens concedit.

Secũda tenet q; respectu intellectus possibilis est pati partialiter, sed non totaliter agere, eò q; intellectus possibilis est causa partialis intellectionis, & species alia causa & producunt distincta causalitate. Et hæc videtur esse opinio Sco. de qua loquemur infrà, quãdo quæremus si intelligere est à fe 11 specie vel à solo intellectu, vel ab vtroque. Et sic secundùm Scotum intelligere nõ est pati nisi concomitanter prout intellectus recipit in se intellectionem productam actiuè ab intellectu & à specie, vt à duabus causis partialibus.

Et si dicas q; secundùm Sco. intellectus priùs recipit speciem quam producat actum intelligendi, ergo intelligere secundùm Sco. non solùm concomitãter, sed antecedenter est pati. Respondeo quòd apud Sco. per accidens est q; species vt productiua partialiter ipsius intellectionis informet intellectum, & ideo secũdùm ipsum non nisi per accidens intelligere est antecedenter pati, nunc autem loquimur de per se. Hæc autem opinio quomodo concordet cum via nostra dicemus infrà, & quomodo non.

Tertia via tenet intelligere esse essentialiter agere, quoniã solus intellectus producit intellectionẽ, sed non per seipsum præcisè, cùm sit vt materia in genere intelligibili, vt declaratum est suprà, sed mediante specie intelligibili per quã, vt per formã suam constituitur in actu primo, nõ vt res & natura quædam est, sed vt potentia cognoscitiua est. Et tunc cùm fit in potentia accidentali potest se reducere ad actũ secundum. Et hæc sententia est sententia, & mens B. Tho. & Com.

Sed aduerte quòd hæc positio potest benè & malè intelligi. Malè quidem si imaginemur quòd intellectus sub specie existens producit intellectionem sicut aqua existens sub calore calefacit. Nam licet aqua denominetur calefaciens, tamen verum est dicere quòd calefactio est à solo calore. Nec potest dici esse ab aqua nisi quia sustentat calorem. Sic & intellectio esset à sola specie denominatiuè autẽ ab intellectu. Item potest malè intelligi si imaginemur q; sicut ex forma & materia fit vnum tertium, quod non se toto sed solùm ratione formæ est actiuum, sic ex intellectu & specie fiat tertium, quod tantum ratione speciei sit actiuum, nam hoc est falsum in genere cognoscentium, licet sit verum in genere naturalium. Bene autẽ intelligitur si imaginemur quòd ex eò quòd species quę est ipsum obiectũ contẽtiuè in esse cognoscibili recipitur in intellectu non fit aliquod tertiũ, sed ipse intellectus fit ipsum intelligibile in esse cognoscibili, tũc intellectus factus totus in actu se toto & non ratione partis exit in actũ intelligendi. Et secundùm hunc sensum dicendum est quòd intelligere est agere essentialiter. Nec debet dici esse essentialiter & permixtim agere & pati, sed q; est agere essentialiter, & est pati antecedenter, & cõcomitanter, vt exposuimus suprà. Et aduerte quòd si propriè volumus loqui, debemus potiùs dicere quòd intellectus intelligens se habet modo actiui essentialiter & modo passiui antecedenter & concomitãter quàm quòd sit verè agens & patiens. Tales enim termini non propriè verificantur nisi de agente & patiente actione & passione prædicamentali. Intelligere autem & omnis actio immanens, non sunt in prædicamento actionis sed qualitatis, vt determinauimus in lib. 9. Metap. in q. nostris. Vnde intelligens & agens immanenti potiùs habet modum agentis quam sit propriè agens. Et si tu hanc viam consideras dignificat animam intellectiuam, & eleuat eam supra ordinem agentium actione naturali.

Contra hanc viam nostrã non inuenies argumenta difficilia nisi hæc duo quæ immediatè formabimus & soluemus.

Primò, Si intellectus se toto & non partialiter producit intellectionem, & illam in seipso recipit, ergo efficiens & materia coincidunt in idem numero respectu eiusdem, quod est contra Philosophum in 5. Metaph. in c. de Causis.

Secundò, Cùm inter agens & patiens sit relatio realis in 5. Meta. c. de Ad aliquid, ergo eiusdem ad seipsum erit relatio realis, quod est falsum, quoniã relatio realis requirit extrema distincta realiter, idẽ autẽ non distinguitur realiter à seipso.

Ad hæc duo argumenta dicunt aliqui Thomistæ concedẽdas esse consequentias, nec vllum sequitur inconueniens. Essent autem incõuenientia, si intellectus esset verè & propriè agens, sicut contingit in naturalibus per actiones transeuntes. Sed in huiusmodi actionibus quæ sunt actus perfecti nõ sunt inconuenientia, nec illa principia adducta ex Philosopho de non coincidentia efficientis & materiæ in idem numero, & de relatione reali eiusdem ad seipsum verificantur in huiusmodi actionibus parmanentibus.

Sed hæc responsio sit vera vel falsa, transeat, ego autem puto tutius esse in via nostra negare vtranque consequentiã. Nam prima nõ concludit respectu eiusdem, quia intellectus actuatus specie est efficiens intellectionis, & vt nudus est receptiuus eiusdem, similiter secunda non concludit, quoniam relatio illa nõ est eiusdem ad seipsum eodem modo sumptũ, Nam intellectus vt actuatus specie, & vt præcisè intellectus, non sunt idẽ realiter, aliquid enim reale includit intellectus actuatus specie, quod non includit intellectus vt præcisè intellectus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num actus intelligendi sit effectiuè à sola specie, vel à solo intellectu possibili, vel ab vtroque.

Sola species nõ est totale productiuũ intellectionis, nec so-

IN hac quæst. inuenio diuersitatẽ & vnitatem opinionum. Sed aliter & aliter. Nam omnes Commentistæ & Scotistæ & Thomistæ concordant in tribus conclusionibus, vt infrà.

Prima,

Ius intellectus possibilis præcisè sumptus, remota quacunq; specie intelligibili actuante ipsum, sed intellectus possibilis actuatus specie intelligibili, est sufficiēs productiuū intellectionis.

Prima, Sola species non est totale productiuum intellectionis. Hæc probatur duplici ratione. Primò, Si species sola produceret intellectionem, ergo intellectus possibilis tantùm reciperet, ergo dignior esset species ipso intellectu, quod nullus rectè sentiens concederet, quoniam intellectus vel est idem cum essentia animæ intellectiuæ, quæ est dignissima inter formas inferiores, vel est nobilissima potentia fluens ab essentia animę. Species autem est forma intentionalis tantùm, ergo, &c. Consequentia autem probatur, quoniā cuius actus est nobilior & ipsum est nobilius, sed si species producit intellectionem & intellectus solùm recipit, cōstat quòd actus speciei est nobilior. Nobilius est enim agere quā pati. Et dicit Philosophus in 3. de Anima, tex. 19. quòd honorabilius est agens patiente, & principium, s. actiuum quàm materia, id est receptiuum, ergo, &c. Secundò sic, Si species sola producit intellectionem, ergo causa principalis & totalis imò æquiuoca esset indignior suo effectu, quod est falsum, vt patet ex se. Consequentia autem sic probatur, Cōstat apud omnes quòd intellectio est nobilior specie intelligibili, quoniam perficit intellectum vltima perfectione, si ergo species est totalis causa intellectionis patet quòd causa principalis & totalis & æquiuoca erit indignior suo effectu.

Secunda conclusio, Solus intellectus possibilis præcisè sumptus, & remota quacunque specie actuante ipsum intelligibiliter non est totalis causa intellectionis. Hæc conceditur ab omnibus sequentibus viam Arist. eò quòd secundùm ipsum, est pura potentia in genere intelligibilium, vt declaratum est suprà. Quicquid autem est in pura potentia passiua, non reducitur ad actum per seipsum, sed indiget aliquo ente actu vel actuante ipsum, vt determinauimus in q. nostris Metaphysicalibus.

Tertia conclusio, Intellectus possibilis simul cum specie est sufficiens principium productiuū intellectionis. Omnes Thomistæ & Scotistæ concordant in hac cōclusione, quoniā cùm non sit sola species nec solus intellectus, restat à sufficienti diuisione quòd sit intellectus simul cum specie.

Sed tu aduerte quòd non concordant in vno aliquo sensu conclusionis. Nam Scotus in 1. dist. 3. q. 7. ibi, Ad quęst. respondeo, Tenet expressè quòd vtrūque concurrit actiuè. Sed partialiter, & non ex æquo. Sed principaliter causa est intellectus. Species autem est causa inferior. Nec sunt verè subordinatæ, quia species non accipit causalitatem ab intellectu nec econuersò, sed vterque habet causalitatē suam, & prout species producit intellectionem, accidit ei quòd informet intellectum. Vnde licet ibi sit vnitas ordinis per se inquantùm tali ordine concurrunt ad eundem actum producēdum admiscetur tamen vnitas per accidens prout ex specie & intellectu fit vnum per accidens, sicut ex accidente & subiecto, licet autem species non accipiat causalitatem ab intellectu nec econuersò, tamen dicuntur duę causæ partiales, quia intellectio non potest produci nisi simul cōcurrant, sicut est de patre & matre respectu generationis. Et quidem quòd intellectus producat actiuè habet pro manifesto. Alioquin nō esset in potestate nostra intelligere quando volumus deductis impedimentis. Quòd autē non solus intellectus producat iam manifestum est per secundā conclusionem. Quòd verò species actiuè cōcurrat non probat, quia videtur ei necessariò sequi. Nam si solus intellectus nō sufficit requiritur obiectum vel per seipsum si potest immediatè vniri intellectui vel per speciē mediā quæ sit vice obiecti, ergo obiectū vel species obiecti concurrit actiuè ad intellectionem.

Hæc est opi. Scoti, quæ quantam veritatem contineat declarabitur infrà. Inter Thomistas autem de sensu tertiæ conclusionis est apparens diuersitas. Nam aliqui videntur tenere sensum Scot. etiam ad mentem B. Tho. Vnde Capræo. in 1. dis. 35. q. 1. respondens ad quintum Scoti factum contra primam conclusionem, dicit quòd species intelligibilis non est totale principium intellectionis, sed partiale, & sic videtur declinare ad sensum Scoti. Tamen respondens ad quartum Scoti factum contra eandem conclusionem dicit, Species intelligibilis non habet rationem potentiæ, sed ipse intellectus habet rationem potentiæ, cuius causa est, quia licet tam intellectus quam species concurrant in actu intelligendi tamen intellectus principaliter respicit substantiam actus. Species autem modum actus, vnde quòd ille actus sit intellectio habet ab intellectu, quòd autem sit huius vel illius obiecti habet à specie: hæc ille, ex quibus patet quòd Capræ. videtur declinare modò ad vnum, modò ad alium.

Mihi autem videtur tenendum de mente B. Thom. quòd intellectio fit effectiuè à solo intellectu, non quidem nudo, sed actuato specie, quæ requiritur, vt constituat intellectum in actu primo, & sic actu constitutus producit intellectionem: vnde ponimus, quòd tota substantia intellectionis est ab intellectu effectiuè & non partialiter à specie, ita quòd species vel obiectum repræsentatum per speciem non cogit, sed determinat ac specificat operationem cognoscentis, quod ex se est differens ad cognoscendum hoc vel illud obiectum.

Tenendo igitur hanc viam declarandum est quòd opinio Scot. non est acceptanda, nec fundamentum suum validum est. Vnde aduerte quòd Scotus in duobus se decepit. Primò credidit hanc consequentiam valere, Species requiritur ad intellectionem, ergo requiritur vt concurrat actiuè, & tamen non valet quoniam species nullam actiuitatem habet respectu intellectionis. Sed dico quòd propter duo concurrit. Primò, vt repræsentet obiectum, vniatque obiectum intellectui, quod non potest vniri per essentiam. Non enim lapis est in anima, sed species lapidis. Secundò, vt actuet intellectum ita quòd educat ipsum de potentia essentiali ad actum primum. Sicut & forma substantialis actuat materiam in genere entium naturalium.

Secundò videtur deceptus, quia non considerauit naturam intellectus possibilis. Si enim aduertisset quòd est merè potentia essentialis in genere intelligibilium, & quòd potentiæ essentiali repugnat actiuitas non potuisset intellectum nudum habere actiuitatem partialiter. Quòd autem intellectus nudus sit in potentia essentiali patet per Arist. in 3. de Anima, tex. 4. quando dicit quòd habet hanc solam naturam, quòd est possibilis vocatus.

Contra hanc determinationem non inuenies argumenta fortia, nam quæcunque probant speciem concurrere ad intellectionem, peccant in hac consequentia, Ergo comproducit intellectionem, hæc neganda est, sed concedendum est quòd determinat & specificat intellectionem, & in hoc videbis soluta argumenta Scoti & aliorum, quæ recitantur, & Capræ. in 1. dist. 35. q. 1. contra primam conclusionem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Num possit esse actus intelligendi sine conuersione ad phantasmata, vel sine vsu phantasmatum.

IN hac quæstione tria agenda sunt. Primò ponetur conclusio responsiua. Secundò declarabitur quomodo se habet intellectus ad phantasmata ante abstractionem speciei, & quando se conuertit ad illud, vt intelligat. Tertiò soluentur dubia aliqua.

Quantùm ad primum sit hæc conclusio responsiua, Intellectus humanus vt coniunctus non solùm quando de nouo acquirit scientiam, sed etiam post acquisitam scientiam non potest producere actum intelligendi nisi vtatur phantasmate, in quo relucet & fundatur obiectum suum: hanc probat B. Thom. in 1. Parte, quæst. 84. artic. 7. sic, Si in actu intelligendi siue in acquisitione scientiæ, siue post, non requireretur phantasma sequitur quòd intellectus non impediretur in actu suo propter læsionem alicuius corporalis organi, quod est falsum. Consequentia quidem patet, quoniam intellectus est virtus non organica, non vtens organo corporali ad differentiam ipsius sentire, ergo, &c. falsitas autem consequentis experientia patet. Nam videmus freneticum propter læsionem imaginatiuæ, & litargicum propter læsionem memoratiuæ impediri in acquisitione scientiæ, & in vsu scientiæ acquisitæ, ergo, &c. Confirmatur signo, nam quilibet experitur quando vult aliquid intelligere quòd format sibi aliqua phantasmata aut exempla, vt in eis quodammodò aspiciat id quod studet intelligere. Et quando volumus discipulum docere, admonemus, vt formet sibi per imaginationem, sic vel sic, & proponimus ei exempla. Quod vtique non esset necesse si posset intellectus sine phantasmate intelligere. Et aduerte quòd ibi sumitur Phantasma pro specie existente siue in imaginatiua, siue in cogitatiua, siue in memoria, omnes enim deseruiunt intellectui, & impeditæ impediunt, & indispositæ aut distractæ faciunt intellectum laborare in speculando, vt experimur. Vnde Auicenna in 6. Naturalium dicit animam esse in continuo labore propter naturalem mutabilitatem phantasiæ.

Quantùm ad secundum aduerte quòd in doctrina quam tradit B. Tho. in 2. Contra Gent. c. 73. alio & alio modo respicit intellectus phantasma ante productionem speciei, & quando se conuertit ad illud vt intelligat. Et hæc differentia stat

stat in duobus. Primò in abstractione speciei phantasma se habet vt causa & mouens intellectum. Diximus enim supra quòd phantasma virtute intellectus agentis causat speciem, & intellectus possibilis recipit: vnde comparatur intellectus ad ipsum vt motum ad mouens. In conuersione autem ad ipsum se habet vt fundamentum & speculum in quo relucet species intelligibilis, ita quòd quodammodò modificata in phantasmate repræsentat non solùm naturam communem sed etiam modum existendi in particularibus. Secunda differentia stat in hoc, Phantasma à quo abstrahitur species, est causatum ab obiecto exteriori, vt declaratum est in Epitomate nostro, in 3. de Anima, in Tract. de sensibus interioribus. Illud autem ad quod fit conuersio causatur ab imaginatiua, tāquam exemplum & speculum deseruiens intellectioni. Causatur autem ex propositione intellectus & imperio voluntatis. Proponit enim intellectus voluntati quòd sine tali phantasmate non potest exire in actum intelligendi circa tale obiectum, & tunc voluntas præcipit imaginatiuæ vt formet tale vel tale phātasma. Hoc enim ad ipsam pertinet, vt diximus loquentes de sensibus interioribus.

Quantùm ad tertium aduerte quòd circa prædictam determinationem insurgunt tria dubia.

Primò, Posito quòd non possimus intelligere pro hoc statu intellectus coniuncti sine phantasmate, dubitatur si hoc est naturale nobis, vel sit ex alia causa.

Aduerte quòd Sco. in 1. dis. 3. q. 3. vult pro nullo statu esse naturale homini intelligere per conuersionem ad phantasmata, sed id esse potiùs pœnale, quàm naturale. Verū in hoc non videtur fuisse verus Philosophus. Nam si considerasset quòd anima intellectiua est media inter sensitiua & intellectualia & ex consequenti quòd debet habere intelligere pro hoc statu participans de sensitiuo vt cognoscat modum naturæ vniuersalis, prout existit in particularibus, & tamen est verum intelligere, quoniam attingit naturam vniuersalem, cognouisset hunc modum intelligendi esse nobis naturalem & non pœnalem.

Secundò dubitatur, Si conclusio respōsiua intelligēda est de omni intellectione tam perfecta & completa quàm imperfecta, & ratio dubitandi est quia B. Tho. in 1. Parte, vbi suprà, videtur loqui solùm de intellectione perfecta. Dicit enim quod natura lapidis & cuiuscunque corporei non potest completè & verè cognosci, nisi secundùm quòd cognoscitur vt in particulari existens. Particulare autem apprehendimus per sensum & imaginationem, & ideo necesse est vt intellectus cognoscat obiectum suum, quod conuertat se ad phantasmata.

Ad hoc dicitur ꝙ conclusio intelligēda est vniuersaliter. Nam B. Tho. intendit arguere à minori ad maius sic, Minus videtur quòd in intellectione completa & perfecta indigeat intellectus conuersione ad phātasmata quàm in imperfecta, quoniā intellectus quantò perfectior est in actu suo, tantò eleuatior & immaterialior est. Si ergo in intellectione perfecta indiget tali conuersione, multò magis in omni alia imperfecta. Licet igitur B. Tho. absolutè cōclusionem posuerit & solùm de cognitione completa probauerit, tamen sufficiēter ex hac completa intellectione innuit quòd multò magis verificatur in omni alia etiam imperfecta.

Tertio dubitatur, quia si intellectus nihil intelligit sine phantasmate, ergo necesse est omne intelligibile à nobis esse phantasiabile, quod est falsum, quoniam solum ens corporeum esset à nobis intelligibile, & sic deperiret Metaph. nec intellectus seipsum intelligeret, nec entia abstracta.

Ad hoc dicitur quòd intelligibile est duplex, quoddam quidditatiuè, quoddam per effectum. Si primo modo sic dico quòd necesse est ipsum esse phantasiabile & materiale, quando, vt dicemus infrà, proprium & proportionatum obiectum intellectus coniuncti est quidditas materialis. Si secundo modo sufficit ipsum esse phantasiabile per seipsum, si est cadens sub sensu, vel habere effectum phantasiabilem & corporalem per quem deducatur intellectus in cognitionē illius. Et hoc modo cognoscit anima seipsam, & quæ sunt remota à sensu vt superiora entia. Non autem cognoscit ea primo modo, vt determinauimus in 2. Metaph. in q. nostris. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIONES NATVRALES

De conceptu intellectus.

QVAESTIO I.

Conceptus intellectus quid sit, & an distinguatur ab actu intelligendi.

IN hac quæst. tria agenda sunt. Primò declarabitur quid sit hic conceptus & quomodo nominatur. Secundò quomodo se habet ad actum intelligendi. Tertiò soluetur dubium, quod videtur fundari in doctrina Philosophi.

Conceptus intellectus est quid productū per actum intelligendi, quod est terminus intellectionis, in quo primo res intellecta cōspicitur & manifestatur intellectui, distinctum realiter ab actu intelligendi.

Quantùm ad primum dimissis aliorum opinionibus quas longum esset referre, & tu videre poteris in Io. Bac. in 1. dis. 27. q. 1. & in Capræ. in 1. dis. 27. q. 2. dico quòd in via B. Th. cōceptus est quid productum per actum intelligēdi, & est terminus intellectionis, in quo primo res intellecta cognoscitur & manifestatur intellectui. Et hic conceptus apud Theologum dicitur verbum intellectus de quo nunc non est pręsentis considerationis cōsiderare. Dicitur apud Logicum intentio quæ diuiditur in primam & secundam: vt declarabimus in q. seq. Dicitur apud Philosophum, ratio vel diffinitio vel similitudo, aut imago rei intellectæ in qua relucet & manifesta fit intellectui. Dicitur in via nostra species. Sed aduerte quòd apud B. Tho. datur in intellectu species pręuia intellectioni, de qua loquuti sumus suprà, quæ producitur illustratione intellectus agentis, qua constituitur intellectus in actu primo, quæ est causa intellectionis vel comproductiua vel determinatiua. Et dicitur in via nostra species impressa, quoniam per intellectum agētem imprimitur in intellectu, vt forma in subiecto. Datur etiam species subsequens intellectionem, vt terminus eius quæ est imago & similitudo rei intellectæ, & dicitur species expressa, non ad sensum eorum, de quibus diximus suprà qui opinantur phantasma illustratum esse speciem expressam, quia exprimit & manifestat siue patentem facit rem intelligibilem intellectui. Sed secūdùm viam B. Tho. dicitur conceptus species expressa, quia est expressa & producta ab intellectu per actum intelligendi & est veluti proles genita ab intellectu, ideo apud Theologum dicitur verbum, sed de hoc aliàs.

Quantùm ad secundum aduerte quòd non omnibus scribentibus in via nostra est clarum quid B. Tho. in hoc senserit. Nam licet dicat in q. de Potentia, q. 8. art. 1. quòd intellectus in intelligendo habet ordinem ad quatuor, scilicet ad rem intellectam ad speciem præuiam ad actum intelligendi ad conceptum. Et dicat ibidem, quòd conceptus differt ab actu intelligendi quia consideratur vt terminus actionis & quasi quoddam per ipsam constitutum, tamen dicunt aliqui Thomistæ quòd ex hoc non sequitur ipsum differre realiter ab actu intelligendi, sed sufficit distinctio rationis. Quòd autem non possit differre realiter, probat ex eo quòd intellectio & cōceptus se habent vt motus & terminus motus. Sed apud B. Th. hæc duo sunt idem realiter, vt patet in expositione sua, in 3. Physi. declarans naturam & diffinitionem motus, ergo intellectio quæ est vt motus, & conceptus, qui est vt terminus, sunt idem realiter.

Sed hæc ratio non cogit, quoniam maior si est vera, est vera tantùm in motibus physicis continuis, intellectio autem non est motus physicus, sed motus qui est actus perfecti. Vnde falsum est quòd intellectio sit via ad conceptum eo modo quo motus physicus est via ad terminum, nec se habet vt actus medius inter potentiam & actum. Nec oportet vt cesset intellectio completo conceptu, sicut cessat motus physicus acquisito termino. Propter quod velle concludere identitatem realem inter intellectionem & conceptum ex identitate motus physici cum termino suo, est laborare in æquiuoco. Dico ergo, quòd in motu, qui est actus perfecti, maior non est vera, aliter actus moralis & habitus moralis, ad quem acquirendum ordinatur, essent idē. Dico vlteriùs quòd maior in motibus physicis, non est vniuersaliter & absolutè vera. Nam illuminatio est terminus motus localis secundùm Philosophum, & tamen vt patet, non sunt idem realiter.

Alij autem, vt Capræolus & Heruæus, quos reputo pręcipuos in hoc proposito, tenent, quòd distinguuntur realiter. Et quidem quod Capræolus id sentiat, patet in primo distinct. 27. quæstione secunda ad primum, factum contra primam conclusionem secundo loco. Illic declarans quomodo non est contra mentem Philosophi per actionem immanentem aliquid produci, tenet conceptum esse quid aliud ab actu intelligendi, & quod comparatur ad ipsum vt habitus moralis ad actum moralem, & vt habitus intellectualis ad actum intellectus. Sed dissimile est in hoc, quod habitus moralis permanet remoto actu, non autem cōceptus. Quod autem Heruæus ad id declinet patet in secundo Quolib. q. 8. vbi inquit, Teneo vt probabilius, ꝙ in intellectu formetur quædam forma, quæ non est actus intelligendi, licet talis forma sit in eo. Et id sic probatur, Respectu complexorū omnis

actus

actus intelligendi vel est dubitare, vel assentire, vel dissentire. Sed conceptus mentis nullum est istorum, ergo, &c. Maior videtur manifesta. Minor sic probatur, Quod stat cum quolibet horum actuum, non est aliquod illorum, quia cum isti actus sint oppositi non stat vnus cum alio, purè enim dubitans nec assentit, nec dissentit, nec dissentiens assentit, nec econuersò. Sed similis conceptus mentis stat cum quolibet eorum, nam formando conceptum istum, quem ista propositio significat, scilicet, Stellæ sunt pares, vel istum, Stellæ non mouent motibus propriis, quandoque conuenit dubitare, quandoque dissentire, quandoque assentire, ergo, &c. Teneo igitur hanc viam cum Capræolo & Heruæo.

Quantùm ad tertium aduerte quòd contra hanc determinationem non inuenies argumentum alicuius apparentiæ, nisi illud, quod fundatur super Philosophum in lib. 9. suæ Metaph. tex. 19. vbi ponens differentiam inter actionẽ transeuntem & immanentem videtur dicere, quòd per actionem transeuntem aliquid vltra actionem constituitur, quod est finis actionis, per immanentem autem nihil vltra ipsam cōstituitur, sed ipsa est finis. Cùm igitur intelligere sit immanens actio secundùm Philosophum nihil producitur distinctum realiter ab ipso intelligere.

Huius argumenti vim, & quæ fuerit intentio Philosophi in 9. Metaph. & in quibus stat essentialis differentia actionis transeuntis ab immanenti & econuersò, diffusè & ex proposito pertractaui in Quæstionibus nostris Metaph. Ideo vide illic, & facilè te resolues, & inuenies quòd non repugnat actioni immanenti producere aliquid vltra actionem, aliter non daretur habitus moralis, nec intellectualis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num conceptus verè diuidatur in intentionem primam & secundam.

Conceptus intellect⁹ diuiditur in primã & secundam intẽtionem formaliter sumptas, non autem obiectiuè.

IN hac quæst. aduerte, quòd difficultas stat in hoc, Cùm secunda intentio ponatur communiter ens rationis, vt distinguitur contra ens reale, & omnis conceptus formatus ab intellectu sit quid reale, sicut & actus intelligendi, vel sicut terminus actionis realis, videtur quòd sit falsum diuidere conceptum in primam & secundam intentionem. Prętereà est dictum Auicennæ, & B. Tho. in 4. Metaphy. in expositione tex. 5. quòd Logica est de secundis intentionibus, quæ dicuntur entia rationis.

Vt igitur scias quomodo sit verum & quomodo non conceptum intellectus diuidi in primam & secundam intentionem tria agenda sunt. Primò ponetur vna distinctio. Secundò duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur quædam argumenta.

Quantùm ad primum distinctio est hæc, Intentio tam prima quàm secunda sumuntur dupliciter, s. obiectiuè & formaliter. Prima intẽtio obiectiuè est res intelligibilis, putà quidditas hominis, vt obiecta & præsentata intellectui, in quam cognoscendam tendit intellectus actuatus specie, & ad quã ordinat actum intelligendi & conceptum formandum. Et sic prima intentio idem est quod obiectum actu præsentatum intellectui per speciem intelligibilem, siue illud sit substantia, siue accidens, vnde lapis obiectus intellectui est prima intentio obiectiuè.

Prima intentio formaliter est conceptus formatus ab intellectu de re obiecta, qui dicitur ratio, vel diffinitio rei intellectæ, & fundatur immediatè in re obiecta, vt in fundamento suæ veritatis. Vnde animal rationale vt est diffinitio hominis comparatur ad naturam hominis sicut prima intentio formalis ad primam intentionem obiectiuè.

Secunda intentio obiectiuè est respectus rationis, qui cōsequitur rem, vt est obiecta intellectui, & per primam intentionem formalem cognitam. Quod quomodo & quo ordine fiat aduerte vt declarat Heruæ. in 3. suo Quolib. q. 1. & in suo Tract. de Secundis Intentionibus, quòd quando intellectus quidditatem rei in vniuersali intelligit non intelligit eam vt respicit singularia, imò vt abstrahit ab eis, & sic in quadam communitate & indistinctione obiicitur intellectui, vt autẽ est sic obiecta & cognita per primam intentionem formalẽ intellectus aduertit, quòd ad eam sic obiectam consequitur quidam respectus, qui dicitur cōmunitas, vel indistinctio, eò quòd quidditas rei vt sic intellecta, est cōmunis omnibus suis inferioribus & indistincta, siue inferiora sua sint species, siue indiuidua. Et hic quidem respectus est resolutio rationis, eò quòd non consequitur rem, vt habet esse ad extrà, quoniã ad extra est determinata & distincta in singularibus, sed vt est obiecta intellectui sine cōditionibus materialibus, & hic respectus qui est verè ens rationis, vt distinguitur contra ens reale secundùm quòd declarat Heruæ. vbi suprà, dicitur secunda intentio obiectiuè, quia, s. intellectus aduertit secundariò, quòd ad quidditatem rei vniuersalem primo cognitã per primã intentionem formalẽ consequitur talis respectus, qui est immediatum fundamentum secundi conceptus, quẽ appellamus secundam intentionẽ formalem, vt dicemus. Sicut res primo obiecta est fundamentum immediatũ primæ intentionis formalis, quæ dicitur primus conceptus.

Secunda intentio formaliter est secundus conceptus productus & formatus ab intellectu de re, vt stat sub illo respectu rationis & immediatè fundatur in illo respectu, virtute tamen rei sic obiectę. Vnde aduerte, quòd postquàm intellectus aduertit naturam rei sic intellectam in vniuersali esse cōmunem suis inferioribus secundùm prædicationem format conceptum generis, si est cōmunis multis speciebus, vel conceptum speciei, si est communis multis indiuiduis actu vel aptitudine, & hæc est secunda intentio formaliter.

Quantùm ad secundum formãtur duę cōclusiones respōsiuæ. Prima est, Conceptus intellectus non diuiditur in primã & secundã intẽtionem sumptas obiectiuè. Probatur, Intentio prima obiectiuè, non fit per opus intellectus, sed est ipsa rei quidditas obiecta intellectui. Sed omnis conceptus intellectus fit per opus intellectus, cùm sit terminus intellectionis, vt declaratum est in q. præced. ergo, &c. Secunda autem intentio obiectiuè est purum ens rationis, quod à nullo est effectiuè, nec in aliquo est subiectiuè. Conceptus autẽ intellectus est ens reale & in prædicamento qualitatis, & in prima specie: neque enim est minoris entitatis quã actus intelligendi, cùm sit quid per ipsum productũ, & est subiectiuè in intellectu, sicut intellectio & habitus scientiæ, ergo, &c.

Secunda conclusio, Conceptus intellectus conuenienter, diuiditur in primam & secundam intentionem sumptas formaliter. Probatur, Omnis conceptus intellectus vel fundatur immediatè in re obiecta intellectui, & sic est prima intentio formaliter, quæ dicitur diffinitio, vel ratio rei: vel fundatur immediatè in illo respectu, qui dicitur communitas vel indistinctio, aut in re, vt stat sub tali respectu, & sic est secunda intentio formaliter, quæ, vt diximus, est ens reale & in prima specie qualitatis, ergo, &c.

Quantùm ad tertium aduerte, quòd multi non aduertentes distinctionem datam credunt, quòd nos teneamus conceptum intellectus diuidi in primam & secundam intentionem sumptas obiectiuè. Et super hanc falsam credulitatem fundant argumenta sua probantes, quòd prima intentio & secunda non sunt conceptus, quod vtique concedimus, si sumantur obiectiuè: & quoniã laborant in æquiuoco, & vtraque pars est vera, scilicet quod sunt conceptus & non sunt cōceptus, vt declarauimus in distinctione suprapo sita, ideo non est immorandum ad recitandum & soluendum ea. Si tamen videre volueris inuenies ea in Capræo. in 1. distinct. 3. q. 1. contra primam conclusionem, & sunt argumẽta Aureo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIONES DE OBIECTO primo intellectus possibilis.

QVAESTIO I.

Num obiectum primum intellectus possibilis sit ens, inquantùm ens.

IN hac quæst. aduerte, quòd intendimus loqui de primo obiecto intellectus possibilis, considerando ipsum absolutè, id est, non inquantùm est coniunctus, vel pro statu, in quo erit separatus, sed simpliciter, vt est natura intellectualis. Vt igitur resolutè procedamus, primò proponemus tres distinctiones. Secundò tres conclusiones responsiuas. Tertiò soluentur aliqua argumenta, si soluenda sunt hîc.

Quantùm ad primum, distinctio prima sit ista, Obiectum potest esse primum quadruplici primitate, scilicet adæquationis, temporis, resolutionis, perfectionis.

Primitas adæquationis est in obiecto, quando potest potentia in ipsum & non in plus, & aliquo modo in quodlibet contentũ sub ipso. Sic visibile est obiectum visus vt visus est.

Primitas temporis in obiecto est quando potentia potest in aliqua plura quodam ordine, primo potest in vnũ ex his, & ex eo in alia & sine eo non potest in alia, illud vnum dicitur obiectum primum primitate tẽporis siue generationis. Sic literæ sunt obiectum primum in Grammatica, quia Grammaticus priùs cognoscit literas, & per eas syllabas, & per syllabas dictiones, & per dictiones orationem, &c.

Primitas resolutionis est quando potentia potens in aliqua plura ordinatè resoluit omnia ad aliquod vnum & in eo est

est status, sicut Grammaticus resoluit dictiones in syllabas & syllabas in literas, & in illis est status, & sic literæ sunt etiã primum obiectum primitate resolutionis.

Primitas perfectionis est quando potentia potest in aliqua plura, inter quæ est vnum perfectissimum: tale dicitur subiectum primum primitate perfectionis, sic albedo est primum subiectum visus hac primitate.

Secunda distinctio, Obiectum est duplex, scilicet formale & materiale. Item formale est duplex, scilicet quo & quod. Obiectum formale quo, est illud, per quod aliquid obiicitur potentiæ & mouet eam. Sic lumen est obiectum quo obiicitur color visui & mouet eum. Obiectum formale quod, est illud quod obiicitur potentiæ, & ad quod potentia vt potentia talis terminatur, nec terminatur ad aliud nisi quia continetur sub obiecto formali. Sic color vel visibile est obiectũ formale visus, quia ad colorem siue ad visibile primò terminatur visio, nec terminatur ad albedinem, siue nigredinem, nisi quia cōtinentur sub colore, qui est per se visibilis, vt determinauimus in 2. lib. Obiectum materiale est illud, quod obiicitur potentiæ non inquantùm potentia est, sed vt est in tali natura, vel in tali statu, & tale obiectũ materiale est quasi pars subiectiua obiecti formalis, sicut visibile remissum est obiectum materiale visus, non inquantùm est visus, sed inquantùm est visus in noctua, quoniam vt sic est proportionatum & connaturale visui existenti in tali natura.

Tertia distinctio, Obiectum potentiæ est duplex, scilicet motiuũ & terminatiuum. Et hæc sic distinguuntur, quia obiectum vt motiuum aliquando minus cōmune est, quam obiectum vt terminatiuum. Nam vt declarabitur in quæst. sequenti, licet omne motiuũ potentiæ intellectualis possit esse terminatiuum non tamen omne terminatiuum potest esse motiuum. Et hæc tibi manifesta erunt in quæst. sequenti.

Quantùm ad secundum sit hæc prima conclusio responsiua, Ens, vt ens, id est vniuersalissimo modo sumptum prout in se comprehendit omnes modos entis, est primum obiectum intellectus primitate adæquationis & tẽporis, siue generationis & resolutionis, sed non perfectionis.

Quòd primitate adæquationis probatur. Nam vnũquodque intelligibile est inquantùm est ens. Vnde dixit Philosophus in 1. Physic. Quod non est non contingit scire, & intendit, Quod nullo modo est ens, nec re, nec ratione, non potest intelligi. Ideo Philosophus in 4. Metap. annumerat priuationes & negationes inter entia, prout apprehenduntur ab intellectu, & vt sic intelliguntur, aliter intellectus non formaret has propositiones, Priuatio est negatio formæ in subiecto apto, Non est ens, non ens, &c.

Quòd primitate temporis & resolutionis probatur. Quia sicut in demonstrationibus fit resolutio in aliqua prima principia complexa per se nota intellectui, in quibus est status in discursu intellectus, ita in inuestigando quid est vnumquodque, fit resolutio ad vnum primum primò apprehensum, & conceptum ab intellectu, aliter esset processus in infinitum & periret omnis certa & determinata cognitio. Sed illud, quod primò concipit intellectus, vt notissimum est ens, & in ipsum omnes alios conceptus resoluit, vt inquit Auicen. in prin. suæ Metaph. ergo ens est primum obiectum intellectus, & tempore, & resolutione. Et aduerte, quod hæc est doctrina B. Tho. in q. de Veritate, q. 1. art. 1.

Quòd autem non sit primum obiectum primitate perfectionis, probatur. Quia sub ente vniuersalissimè sumpto dãtur gradus, quorũ vnus est perfectior reliquo, & inter quos datur vnum ens perfectissimum continens eminenter omnes gradus entis. Et hic est Deus benedictus apud Metaphy. ergo Deus est primum obiectum intellectus primitate perfectionis, & non ens vt ens. Et in hac sententia conueniunt omnes veri & rectè sentientes de Deo.

Secunda conclusio, Ens vt ens non est obiectum formale quo, sed quod nostri intellectus absolutè considerati. Probatur prima pars sic, Verum est obiectum formale quo intellectus, ergo non est ens vt ens. Consequentia patet, quia vnius potentiæ non sunt duo obiecta eiusdem rationis. Antecedẽs autem sic probatur, Sicut luce aliquid est visibile, & ideo lux est obiectum quo in visu, sic veritate aliquid est intelligibile. Nam ideo aliquid ab intellectu intelligitur, quia intellectus ei assimilatur per speciem. In assimilatione autem stat ratio veri, ergo, &c. Secunda pars sic probatur, Ad rationem entis semper in omni intelligibili terminatur intuitus intellectus, quia vnumquodque est intelligibile & intelligitur inquantùm est ens, & inquantùm ei debetur esse, ergo est obiectum, vt quod, nostri intellectus, id est, vt quod attingitur & ad quod terminatur actus eius.

Tertia conclusio, Licet ens vniuersalissimo modo sumptũ sit obiectum adæquatum terminatiuum, non tamen motiuũ. Hæc conclusio manifestabitur in quæst. sequenti, vbi ponemus conclusionem, quod quidditas materialis est propriè obiectum motiuum, sed non terminatiuum

Quantùm ad tertium aduerte quòd non inuenio argumenta directè militantia contra determinationem factam, sed solùm reductiuè sic arguendo, Si ens est primum obiectum intellectus, ergo de eo potest formari vnus conceptus distinctus à conceptu substantiæ & accidẽtis & aliorum inferiorum, sed hoc est falsum. Consequentia quidem videtur manifesta, quoniã ratio subiecti est medium ad demonstrandũm passiones de subiecto, falsitas autem consequentis multipliciter probatur à contradicentibus viæ nostræ. Verùm, quia, vt scias quem & qualem conceptum habet ens, scilicet vniuocum, vel analogum, est necesse, vt videas in 4. lib. Metaph. in Quæstionibus nostris, de Conceptu Entis, vbi determinauimus, quòd licet non habeat conceptum vniuocum, tamen non obstat quin sit subiectum in scientia. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num quidditas materialis sit obiectum intellectus nostri coniuncti, ita quòd non possit aliquod abstractorum intelligere.

Quidditas rei materialis est proportionatũ obiectum intellectus humani pro hoc statu nō quidem terminatiuum, sed motiuum: & intellect⁹ non potest pro hoc statu quidditatiuè cognoscere substãtias separatas, sed ex sensibilibus effectibus eas esse, & illarũ multa prædicata cognoscere potest.

IN hac quæst. aduerte, quòd intendimus loqui de obiecto intellectus nostri non absolutè considerati, sic enim de eo loquuti sumus in q. præced. sed de obiecto eius, vt coniunctus est, siue pro statu præsentis vitæ. In hoc igitur proposito aduerte, quòd plures, vt Sco. & Aur. & Auer. impugnant B. Tho. potiùs verbis quàm sensu, eò quòd nō habuerunt nec intellexerunt mentem B. Tho. Arbitrãtur enim quòd B. Tho. teneat quidditatem materialem esse primum & formale & adæquatum obiectum intellectus nostri coniuncti, quod tamen est falsum, nec ista fuit mens B. Th. Pro resolutione igitur quæsiti sic procedẽdum est. Primò manifestabitur in quo sensu apud B. Tho. quidditas materialis est obiectum intellectus coniuncti. Secundò declarabitur si hæc duo stant simul, quòd quidditas materialis sit obiectũ intellectus nostri coniuncti, & ꝙ pro hac vita possit intelligere entia separata.

Quantùm ad primum resoluo propositum per duas conclusiones. Prima est, Quidditas materialis est obiectum proportionatum & connaturale intellectus nostri coniuncti. Hæc conclusio est de mente B. Tho. in tota doctrina sua præcipuè super Boëtium de Trinitate, q. 1. art. 3. cuius declaratio & probatio stat in hoc, Cùm anima, per quam intelligimus, non sit substantia separata, sed forma alicuius materiæ, & in ea sint duæ potentiæ intellectiuæ, s. passiua, quæ est intellectus possibilis, & actiua, quæ est intellectus agens, illud est obiectum proportionatum & connaturale intellectui possibili pro hac vita, quod exit in actum, i. fit intelligibile actu per potentiam actiuã, id est intellectum agentem, quia potentiæ passiuæ debet correspondere suum actiuum Sed intellectus agens non facit quidditatem substantiæ abstractæ intelligibilem actu, quoniã cùm sit immaterialis est ex se intelligibilis actu, facit autem intelligibilem actu quidditatem substãtiæ materialis, quoniã cùm sit materialis necesse est vt abstrahatur à conditionibus materiæ lumine intellectus agẽtis modò, quo diximus suprà agentes de operationibus intellectus agentis, ergo quidditas substantiæ materialis est primũ primitate, s. generationis & proportionatum & connaturale obiectum intellectus coniuncti. Et aduerte quòd per quidditatem substantię materialis intelligo quidditatem sumptam in vniuersali rei compositæ ex materia & forma, de qua potest haberi phantasma, à quo potest abstrahi species intelligibilis lumine intellectus agentis. Et hæc est doctrina, quam communiter tenent & defensant veri Thomistæ.

Secunda conclusio, Licet quidditas substantiæ materialis sit primum obiectum motiuum intellectus nostri cōiuncti, non tamen est totale & adæquatum terminatiuum. Prima pars probatur, Quia intellectus possibilis cùm sit potentia passiua, cui correspondet intellectus agens, vt proprium actiuum, non potest ab aliquo moueri nisi in virtute intellectus agentis, sed virtus intellectus agentis non se extendit nisi ad illud, de quo potest haberi phantasma, vt dictum est suprà: tale autem est sola natura materialis, vt patet, quoniam immateriale, vt sic, non cadit sub sensu, nec sub phantasia. Ergo sola quidditas substantiæ materialis est primò motiua intellectus coniuncti. Secunda autem pars manifesta est, quoniam actus intelligendi potest terminari ad relationem & priuationem & ad ens rationis, & potest terminari

ad existentiam substantiæ separatæ, quoniam ex sensatis & præcipuè ex motu æterno concludimus illam existere, vt cõclusit Philosophus in 8. lib. Phys. & in lib. 12. Meta. Et de hoc formauimus quæst. in lib. 12. Metaph. vt videre poteris.

Contra hanc determinationem arguit multipliciter Aureo. in Capræo. in 1. dist. 2. q. 1. contra tertiam conclusionem. Sed nolo in eis immorari. Laborant enim in æquiuoco, quoniam concludit quòd quidditas materialis nõ est obiectum terminatiuum adæquatum intellectus coniuncti, quod & nos tenemus. Cum quo tamen stat, quòd sit motiuum proportionatum & connaturale. Nec B. Tho. aliud sentit. Ideo transeant sua argumenta, quæ per seipsum & videre & soluere poteris ex conclusionibus præmissis.

Quantùm ad secundum, licet de eo iã loquuti simus in lib. 2. Metap. in q. nostris, tamen pro præsenti doctrina tria agemus, & præcipuè quia Iand. in 3. lib. de Anima, q. 37. insurgit contra B. Th. Primò igitur pertractabitur opinio B. Tho. Secundò opinio Scoti. Tertiò defensabitur via B. Tho. Quartò quid sentiunt in hoc antiqui Expositores Philosophi.

Opinio B. Tho. stat in duabus conclusionibus, quarum prima est. Intellectus coniunctus non potest intelligere quidditatiuè substantias abstractas. Antequàm probetur conclusio declarandum est quæ sit cognitio propriè quidditatiua in via B. Th. Vnde aduerte quòd aliud est cognoscere quidditatem & cognoscere quidditatiuè. Nam cognoscere quidditatem est per aliquem conceptum siue à priori siue à posteriori attingere rei quidditatem. Vnde ille qui cognoscit causam per effectum dicitur attingere quidditatem causæ, quoniam omnis effectus infert causam. Sed cognoscere quidditatiuè est per essentiam rei cognitæ vel per speciem sufficienter repræsentatiuam & propriam differentiam attingere rei quidditatem. Et aliqui addunt, Vel per effectum adæquantem virtutem suæ causæ. Et hæc propriè dicitur cognitio quantùm ad quid est. Prima autem dicitur cognitio quia est. Stante hac declaratione probatur conclusio ad mentem B. Tho, sic, Omne quod intelligitur pro præsenti statu intelligitur per species abstractas à phantasmatibus. Sed nulla ex huiusmodi speciebus est sufficiens ad repræsentandum naturam & quidditatem substantiæ abstractæ, quoniam quidditates rerum sensibilium quarum similitudines sunt tales species abstractæ, sunt alterius rationis & inferioris ordinis ab essentiis substantiarum immaterialium, ergo impossibile est intellectum coniunctum cognoscere quidditatiuè substantias separatas. sumendo cognitionem quidditatiuam in suo proprio significato, vt declarauimus.

Secunda conclusio, Intellectus coniunctus potest ex effectibus & à sensatis cognoscere entia abstracta, quia sunt & multa prædicata sibi intrinseca & essentialia. Hæc cõclusio est de mente Philosophi & Com. & nos probauimus eam in 2. Meta. & in 12. in Quæst. nostris, vbi docuimus quomodo Philosophus ex motu æterno deuenit in cognitionem motoris æterni, cuius substantiam necesse est esse actum & non potentiam, immaterialem, indiuisibilem, inalterabilem, &c. Hæc omnia inuenies in lib. 12. Metap. in q. nostris.

Opinio Scoti est à nobis pertractata in lib. 2. Metaph. in q. nostris, vbi declarauimus quomodo Scotus non verè diffentit à via B. Th. Sed decipitur Sco. in hoc quòd credit omnem cognitionem, qua attingitur rei quidditas posse dici quidditatiuam. quod nos negamus, vt est declaratum in prima cõclusione. Tu igitur vide eius opinionem & solutionem rationum suarum in 2. Metaph. in q. nostris.

Et quoniam Iand. in 3. de Anima, in q. 37. insurgit contra viam nostram pro Auerroistis, ideo non sufficit soluere rationes Sco. Sed intendo soluere etiã rationes Iand. ne videatur ipse solus præualere contra viam nostram.

Aduerte igitur quòd recitans opinionem B. Tho. dicit, Opinio quorundam Expositorum Latinorum, & præcipuè fratris Tho. fuit q̃ intellectus noster vnitus corpori non potest intelligere substantias abstractas quantùm ad earum quidditates. Addunt tamen isti quòd potest eas intelligere quãtùm ad esse. Contra igitur sic arguit, primò, Nulla forma impeditur à sua nobilissima operatione per vnionem eius ad propriam materiam, quia illa vnio non esset naturalis ipsi formæ. Sed intelligere quidditatem substantiæ abstractæ est nobilissima operatio animæ humanæ, stat enim in hoc eius fœlicitas ex 10. Ethic. Corpus autem humanum est eius propria materia, &c.

Ad hoc nolo adducere responsionem quam ipse adducit & contra quam instat, quoniam impertinens est viæ nostræ: sed respondens dico quòd anima non impeditur coniuncta corpori à sua nobilissima operatione eo modo quo est apta habere illam, est autem apta per effectus sensatos habere & non aliter pro præsenti statu, & sic eam habet vt declarauimus in conclusione secunda.

Secundò, Anima humana aut est nata intelligere substantiam separatam per substantiam ipsius animæ, aut per speciem impressam à substantia separata, aut per speciem causatam à phantasmate. Si primo modo, tunc cùm vnio eius ad corpus non remoueat substantiam animæ, non impediet cognitionem substantiæ separatæ. Si secundo modo, corpus nõ impediet receptionem illius speciei, quia receptio alicuius speciei non impeditur per corpus nisi habeat dispositionem contrariam dispositioni quam requirit illa species. Sed corpus humanum non habet dispositionem impeditiuam receptionis illius speciei, nisi quis fingat sine ratione.

Ad hoc dicitur quòd est nata intelligere per speciem sibi impressam à primo principio, vel ab ipsa substantia separata sufficienter eiusdem repræsentatiua: & quãdo probat quòd corpus non impedit receptionem talis speciei, quia non habet dispositionem contrariam, &c. dico quòd non est quia corpus habeat dispositionem cõtrariam, sed quia intellectus passibilis ex ordine naturæ non est aptus, vt coniunctus actuari nisi virtute intellectus agentis, cuius virtus non se extendit nisi ad speciem extrahibilem ex phantasmate.

Tertiò, quæratur ab istis, Si quidditas substantiæ separatæ differt ab esse, vel non: si non, ergo si intellectus coniunctus cognoscit esse, cognoscit quidditatem, cùm sint idem realiter. Si sic, quæritur vtrum cognoscat hanc alietatem vel non. Si non, ergo loqueris de eo quod non cognoscis, & sic non est disputandum tecum: si sic, & non per sensum, ergo per intellectum. Sed nõ potest cognosci diuersitas inter duo nisi cognito vtroque eorum, ergo si cognoscit intellectus coniunctus esse diuersum à quidditate in substantia separata, cognoscit quidditatem.

Ad hoc dicitur, quòd esse est diuersum ab essentia in omni abstracto secundùm viam nostram præterquàm in primo principio, & conceditur quòd intellectus cognoscit hanc diuersitatem, & cognoscit vtrunque extremum, sed non cognitione quidditatiua in sensu declarato in prima conclusione, vnde Iand. defecit eo dem fundamento quo & Sco. vt patet per secundam conclusionem.

Vltimò aduerte quòd Iand. in eo quòd dicit, Dicunt enim scilicet Thomistæ, quòd intellectus noster vnitus non intelligit substantias abstractas, ex quo sequitur contra eos, quòd nullo modo intelligit eas, nec quò ad quidditatem, nec quò ad esse, quod est contra positionem eorum: quoniam concedunt quò ad esse, & consequentia patet per locum à toto in modo ad partem suam negatiuè. Hæc Iand. in quibus ostendit se non habuisse nec penetrasse sensum viæ nostræ. Nostrum non dicimus non posse intelligere substantias abstractas, sed quòd nõ possumus quidditatiuè. Vnde suprà posuimus duas conclusiones, vnam negatiuam, alteram affirmatiuam. Quapropter si Iand. facit hanc consequentiam, Non cognoscimus eas quidditatiuè, ergo nullo modo cognoscimus eas, patet quòd non est vera. De illo modo arguendi à toto in modo ad partem negatiuè non curamus, quia non tangit viam nostram, nam concedimus quòd cognoscimus abstractas, sed non quidditatiuè.

Quantùm ad id quod senserunt, Antiqui Expositores Aristotelis de cognitione abstractorum pro hac vita, aduerte quòd apud eos est magna ambiguitas, & præcipuè quia fuerit mens Philosophi in hoc. Nam licet in 3. de Anima, tex. 36. promiserit se id tractare posteriùs, tamen quomodo, & vbi id determinauerit non clarè constat secundùm eos ex eius libris, quoniam, vt inquit Alber. fortè ille liber in quo id pertractat excidit ex manibus nostris, vel si id determinauit, hoc fecit in lib. 10. Ethic. secundùm Alber. vbi asserit fœlicitatem humanam pro hac vita consistere in speculatione diuinorum entium. Verùm quia Philosophus non expressit modum talis cognitionis, ideo inter Posteriores fuit maxima diuersitas, qui licet conueniant in hoc quòd cognoscere possumus abstracta quidditatiuè, diuersos tamen modos inuenerunt, quos recitat Com. in 3. de Anima, com. 36. ac reprobat modo suo. Demùm suum proprium ponit, quem credidit præstantiorem cæteris. Sed nec ipse demonstrat. Et quoniam de his opinionibus Tractatum ordinaui, & eas reprobare conatus sum, qui incipit, Quoniam apud Philosophos veteres, & Theologos, &c. ideo recurre ad ipsum. Si tamen diffusiùs videre volueris Antiquorum sensus & præcipuè Com. vide Io. Bachonem in 1. Sent. q. 1. Prologi. per totum primum artic.

Illic inuenies quòd attribuit Comm. intellectum possibilem non aliter intelligere separata nisi vt relucent in phantasmatibus, vel in suis effectibus. Quod si sic esset, non longè distaret à sensu B. Tho. Idem videtur sentire Iand. in 3. de Anima, q. 37. circa fi. ibi, Ad primam rationem in principio quæst. ad lectum. Et sic patet quod quasi ratione & veritate coactus credens impugnare B. Th. incidit in sensum eius, licet obliquè. Hæc de præsenti quæstro dicta sint. Et hãc termino quæsita de Ani. Intellectiua. In quibus ideo diffusior fui, vt præsterur addiscenti via paulatim ascendendi ad subtiliora pertractata à Theologo in hac materia.

QVAESTIONES DE ANIMA, VT MOtiua est corporis.

POstquàm determinauimus dubia de anima vt intellectiua est, in vltimo loco huius 3. lib. determinabimus dubia de anima vt est motiua corporis. Et incipit pars hæc in text. 40. Quæsita autem quæ hic determinantur patent infra.

1 *Quot sint genera potentiarum animæ, similiter & species.*
2 *Num potentiæ animæ sufficienter diuidantur per rationales & irrationales.*
3 *Num in homine sint tres appetitus realiter distincti, scilicet voluntas, irascibilis, & concupiscibilis: & non sint plures, nec pauciores.*
4 *Num intellectus & voluntas sint potentiæ realiter distinctæ, similiter sensus & appetitus sensitiuus.*
5 *Num potentia appetitiua sit motiua secundùm locum.*
6 *Num phantasia sit motiua secundùm locum.*
7 *Num intellectus practicus differat realiter à speculatiuo, an tantùm ratione.*
8 *Quomodo sit verum, quòd intellectus & appetitus secundùm vnam communem speciem mouent.*
9 *Quomodo sit verum quòd intellectiuum & consiliatiuum magis differant quàm irascibile & concupiscibile.*
10 *Num Philosophus per organicum motum, à quo est principium & finis motus in animali intendat cor: & posito quòd sic, quomodo in corde est principium & finis motus; & quomodo motus cordis est sicut motus in circulo, & quomodo omnis motus in animali incipit à corde.*
11 *Num animalia imperfecta moueantur localiter & quid mouet ea.*
12 *Num omne corporeum habens intellectum habeat etiam sensum, siue sit generabile, siue ingenerabile, siue corruptibile, siue incorruptibile.*
13 *Num ratio Philosophi, qua probat tactum necessarium animali concludat.*
14 *Num omnis sensus sentiant tangendo.*
15 *Num ea, in quibus dominatur terra, possint habere sensum tactus.*
16 *Num solus tactus sit necessarius animali.*
17 *Num præter tactum sit necessarius animali sensus communis.*

QVAESTIO PRIMA.

Quot sint genera potentiarum animæ, similiter & species.

Habet autem dubitationem mox, quomodo oportet partes animæ dicere & quot. tex. 41.

IN HAC quæst. aduerte, quòd de numero potentiarum animæ possumus loqui in genere & in specie. In genere quidem iam determinauimus in 2. li. in q. 13. quòd animæ sunt tres, & quatuor genera viuentium, & quinque genera potentiarum animæ, scilicet vegetatiuum, sensitiuũ, intellectiuum, appetitiuum, secundùm locum motiuum. Quantùm autem ad numerum potentiarum in specie inuenio duas opiniones, quarum vtranque pertractabo improbans primam & sustinens secundam.

Prima dicit quòd tot sunt species potentiarũ animæ, quot sunt obiecta distincta specie in rerum natura, & intentum suum probat dupliciter. Primò sic, Potentiæ distinguuntur per actus & obiecta, ergo qualis est distinctio in obiectis, talis est in potentiis, ergo distinctio specifica obiectorum causat distinctionem specificam in potentiis. Præterea adducit hæc opinio pro se dictum Philosophi in 3. Physi. tex. 11. Posse sanari & posse infirmari non sunt idem, sicut sanari & infirmari non sunt idem. Constat autem quòd sanari & infirmari distinguuntur specie & sunt quasi motus contrarij, ergo potentiæ ad hos motus sunt distinctæ specie. Idem iudicium dicit esse de potentiis animæ, & sic concedit quòd potentia videndi albedinem distinguitur specie à potentia videndi nigredinem, eò quòd istæ visiones sunt contrariæ. Hæc fuit opinio Iand. in 3. de Anima, q. 38. vt videre poteris.

Sed hæc opinio continet absurda, & est contra Philo. Absurda quidem continet, quoniam sequitur quòd in vno organo, putà in oculo Socratis sint centum potentiæ visiuæ distinctæ specie, imò tot quot colorum species videri possunt. Idẽ sequitur de odoratu & aliis sensibus. Item quòd tot sint intellectus in Socrate distincti specie, quot intelligit intelligibilia distincta specie, quæ nullus sani capitis concederet. Quòd autem sit contra Philosophum patet. Nam in lib. 2. de Anima, tex. 107. inuestigans pluralitatem specificã tactus dicit sic, Vnusquisque sensus est vnius totius contrarietatis, vt visus albi & nigri. Et clarum est apud omnes Expositores, quòd loquitur de vnitate specifica, quæ dicitur atoma, id est formaliter indiuisibilis, ergo hęc opinio est relinquenda. Ad probationes suas respondebitur in fine quæsiti.

Secũda opi. quæ est Thomistica & Peripatetica tenet partem negatiuam. Et quoniam Iand. in fine suæ prędictæ quęst. dicit hanc opinionem non fundari in ratione, sed in quadam consuetudine qua sic opinantes, sunt consueti audire, quòd visus est vna potentia, similiter auditus, &c. ideo intendo adducere rationem super quam fundatur.

Aduerte igitur quòd potentiæ sunt in duplici differentia. Quædam sunt contractæ ad naturam materiæ & possunt dici potentiæ naturales. Quædam sunt contractæ ad naturam animæ, & possunt dici potentiæ animasticæ. Primæ quidem multiplicantur specificè secũdùm q̃ multiplicãtur species formarum quas recipiunt. Et huius ratio est, quia natura materiæ, s. proximæ diuiditur secundùm singulas rerum species quas respicit vt propria potentia proprium actum. Nam cùm quilibet actus recipiatur in propria materia formæ distinctæ specie requirunt materias proprias siue proximas distinctas specie, vt determinauimus in 8. & in 12. lib. Meta. Et hac de causa Philo. in 3. Physi. tex. 11. loquens de his potentiis naturalibus dicit quòd posse infirmari & posse sanari distinguuntur. Et Com. in 12. Metaph. in com. 11. dicit quòd numerus habilitatum in materia, est secundùm numerum specierum. Secundæ autem, i. cõtractæ ad naturam animæ non de necessitate sic multiplicãtur, eò q̃ anima est altioris gradus quàm sit ipsa natura. Nam anima vna numero existens, mouet corpus ad contrarias differentias locales, quod non facit natura, vt patet in igne, qui ex sui natura mouetur sursum tantùm. Cùm igitur anima sit altioris gradus consequens est vt potentiæ suæ etiam sint altiores, ita q̃ non diuersificentur specie propter distinctionem specificam obiectorum in esse naturali, sed propter distinctionem specificam obiectorũ in esse sensibili. Sensibile autem vt sensibile diuersificatur specificè secundùm diuersum modũ immutandi sensum: & quoniam omnes colores quantumcunque distincti specie secundùm esse naturale, eodem modo immutant visum, s. pure intentionaliter tam ex parte medij quàm ex parte organi; ideo spectant ad visum vnum specificè. Idem dico de sono respectu auditus. Patet igitur quòd hæc opinio non ex consuetudine audiendi sed ex conuenienti ratione procedit. Nunc superest soluere rationem inductã pro alia opinione, & exponere dictum Philosophi in 3. Physi.

Ad rationem igitur quę fuit Ianduni dico quòd obiectum sumitur dupliciter. Primò vt est res. Secundò vt est obiectũ. Potentiæ autem non distinguuntur per obiecta vt res sunt, sed vt obiecta. Stat autem duo distingui specificè vt res & naturæ sunt, non autem vt obiecta, quoniam possunt respici ab vna potentia animæ sub vna ratione formali. Sic est in proposito de albedine & nigredine respectu visus, & de amaro & dulci respectu gustus.

Ad auctoritatem adductam ex 3. Physi. patet quòd Philosophus loquitur de potentiis contractis ad naturam materiæ. Non autem idem potest trahi ad potentias animæ, quoniam illæ & istæ non sunt eiusdem ordinis. Et hac de causa deceptus fuit Iand. iudicans eodem modo de vtrisque: qui si aduertisset quoniam potentia rationalis vna existens est duorum contrariorum vt scientia medicinæ sani & ægri. Et tamen est alia potentia naturalis ad sanitatẽ. & alia ad ægritudinem, secundùm illud adductum ex 3. Physi. posse sanari est aliud à posse infirmari non fecisset idem iudicium de potẽtia naturali & de animastica. Hęc de prę̃senti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Num potentiæ animæ sufficienter diuidantur per rationales & irrationales.

Hi autem scilicet diuidunt per rationem habentem & irrationabilem. tex.41.

Potentiarum animæ non absolutè, sed humanæ, aliæ rationales, aliæ irrationales.

IN hac quæst. aduerte quòd difficultas stat in hoc, Quia Philosophus in eodem tex.3.de Anima improbat hanc distinctionem vbi dicit quòd vegetatiuam quæ plãtis inest & omnibus viuentibus,& sensitiuam, neque sicut irrationabilem neque sicut rationem habentem ponet quis vtique facile. In 1.autem Ethi.in fine approbat hanc diuisionem,& memoratur eiusdem in 3.de Anima.Vnde inquit,Dicuntur autẽ de hac,scilicet de anima & in exterioribus sermonibus, id est in libris de Anima quędam sufficienter,& vtendum ipsis, putà hoc quidem irrationabile ipsius esse, hoc verò rationẽ habens.Et postquàm declarauit ac subdiuisit vtrunque membrum diuisionis fundat virtutes intellectuales & morales super prędictam diuisionem.Cùm igitur hîc improbet eam, & illic approbet videtur sibi contrarius. Præterea omnis animæ potentia vel est cum ratione, & sic est rationalis, vel sine ratione,& sic est irrationalis,ergo non debuit eam Philosophus improbare.

Vt igitur videas quòd nulla est repugnantia in dictis Philosophi, præponitur distinctio, deinde duæ conclusiones, & vltimo loco manifestabitur quòd Philosophus non est sibiipsi contrarius.

Distinctio est hæc.Diuisio potentiarum animę potest fieri dupliciter.Primò considerando animam absolutè. Secundò considerando animam contractè, putà vt est anima humana.

Prima cõclusio, Si fiat primo modo hæc diuisio per rationale & irrationale non est conueniens, quia non verificatur in qualibet anima.Nam vegetatiua,vt patet non habet potẽtias quarum aliquæ sunt rationales,aliquæ non,similiter sensitiua in bruto,ergo,&c.Antecedens patet,cõsequentia probatur, quia omnis bona diuisio debet sufficienter euacuare naturam diuisi.Nam ideo hęc est cõueniens,Animaliũ aliud rationale aliud irrationale,quia non potest inueniri animal, quod non contineatur sub altero membro diuisionis.

Secunda conclusio,Si fiat secundo modo,est conueniens. Nam in anima humana,vt declarat Philosophus in fi.1.Ethi. omnis eius potentia vel est irrationalis vel rationalis. Sed irrationalis est duplex quędam quæ nec habet rationem,nec participat ratione,nec est apta obedire rationi,& hæc est potentia vegetatiua, quæ dicitur irrationalis negatiuè sicut lapis non videns,qui non videt,nec est aptus videre. Quædam autem licet non habeat rationem est tamen apta obedire rationi imperanti sicut filius patri,aut seruus domino, & hæc est potẽtia appetitiua sensitiua ex consequenti potentia sensitiua & motiua secundùm locum,& de his loquemur infrà. Vnde hæc pars animæ licet essentialiter sit irrationalis, quia non habet rationem,tamen nõ dicitur irrationalis merè negatiuè sicut pars vegetatiua,sed dicitur irrationalis priuatiuè quia est apta obedire rationi. Similiter rationalis est duplex,quædã est rationalis in seipsa & essentialiter,& hæc est pars intellectiua,quædã rationalis participatiuè, & hæc est quæ licet non sit rationẽ habens essentialiter,tamen rationẽ audit,& est apta ei obedire,& hæc est pars sensitiua nõ absolutè sed in homine in quo potest esse virtus moralis. Ex quibus patet ꝙ pars sensitiua præcipuè appetitiua in homine dicitur irrationalis per essentiã,& rationalis ꝑ participationẽ.

Ex prædictis constat nullã esse repugnantiam in dictis Philosophi. Nam in 3.de Anima reprobans prædictam diuisionẽ, ideo fecit quia considerabat de anima & de potentiis animæ absolutè & vniuersaliter:iuxta quam consideratione non verificatur prædicta diuisio,vt declaratum est per primã conclusionẽ.In 1.autẽ Eth.approbans dictam diuisionem ideo fecit,quia considerabat de anima & potentiis eius non absolutè sed contractè,s.de anima humana vt humana,i. vt in ea potest esse habitus virtutis.Vnde in eodem loco inquit,Contẽplandum itaque & ciuili de anima, contemplandum autem horum gratia,& inquantùm sufficienter habet ad quæsita,i. non absolutè sed pro quanto sufficit negocio morali. Et iuxta hanc considerationem verificatur prædicta diuisio,vt patet per secundam conclusionem.

Ad argumentum autem,cùm dicitur quòd omnis potentia animæ vel est cum ratione,vel non cum ratione,respondetur quòd hæc diuisio non est vera strictè loquendo & propriè nisi in anima humana,quæ vna existens est realiter vegetatiua,& sensitiua, & vt sic est sine ratione essentialiter, & est intellectiua,& vt sic est rationalis essentialiter, & vt sensitiua adiuncta gradui intellectiuo est rationalis participatiuè.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Num in homine sint tres appetitus realiter distincti, scilicet, voluntas, irascibilis, & concupiscibilis, & non sint plures, nec pauciores.

In ratiocinatiua voluntas fit. In irrationali autem concupiscentia & ira.Si autem tria in anima, in vnoquoque erit appetitus.tex.41.

IN hac quæst.sic procedendũ est.Primò declarabitur quomodo distinguitur appetitus intellectiuus,qui dicitur voluntas ab appetitu sensitiuo, qui dicitur concupiscentia & ira.Secundò declarabitur per quid distinguitur concupiscentia quæ solet appellari cõcupiscibilis,ab ira quæ solet appellari irascibilis.Tertiò declarabitur quare appetitus intellectiuus nõ distinguitur in duos appetitus sicut appetitus sensitiuus. Quartò ponetur conclusio responsiua ad quæsitum. Quintò remouebitur dubium.

Quantùm ad primum aduerte quòd appetitus inclinationem importat rei in finem vel in bonum suum.Talis inclinatio formam rei consequitur,forma autem rei vel est naturaliter impressa vel est apprehensa. Si est naturaliter impressa ad eam sequitur inclinatio naturalis in bonum suum,quæ dicitur appetitus naturalis, quo appetitu naturaliter inclinatur vnumquodque in bonum suum,vt graue deorsum & leue sursum,& vnumquodque agens in suam propriam operationem.Si est forma apprehensa,vel est apprehensa per intellectum vel per sensum. Si primo modo ad eam sequitur inclinatio quæ dicitur appetitus intellectiuus,& hic est voluntas, quæ prosequitur bonum & refugit malũ apprehensum per intellectum. Si secundo modo ad eam sequitur inclinatio quæ dicitur appetitus sensitiuus,quia prosequitur bonum & refugit malum apprehensum per sensum, & dicitur concupiscibilis & irascibilis.Patet igitur in quo distinguuntur appetitus intellectiuus & sensitiuus.

Quantùm ad secundũ est duplex opinio.Prima dicit quòd in hoc differunt, quia concupiscibili prosequimur bona sensualia,id est, quæ sensum delectant, & irascibili diffugimus ac repellimus mala sensualia.

Sed hæc opinio non est vera, quoniam sicut per eundem appetitum naturalem,natura rei putà lapis recedit à loco disconuenienti,putà loco sursum,& tendit ad locũ conuenientem,id est,deorsum,quæ duo loca se habent ad lapidem,vt malum & bonum. Et sicut idem intellectus eodem desiderio naturali refugit ignorantiam vt malum,& quærit scientiam vt bonum & perfectionem suam, sic animal eodem appetitu sensitiuo refugit malum putà ægritudinem & desiderat ac prosequitur bonum & sanitatem.

Et ideo secunda opinio dicit quòd in hoc differunt, quia animal per concupiscibilem prosequitur cõuenientia sensui, & abominatur disconuenientia ac contristatiua:per irascibilem autem aggreditur impedientia, & propulsat contraria resistentia,quæ nos prohibere contendunt ne consequamur optata. Aduerte tamen quòd irascibilis ita habet prosecutionem boni & fugam mali ardui,sicut & concupiscibilis respectu boni & mali non ardui.Nam si videtur nobis quod possimus superare impeditiuum boni desiderati,irascibilis insurgit & per eam pugnamus contra ipsum cum spe victoriæ.Et hæc est prosecutio,quæ fit per spem & audaciã quæ sunt passiones irascibilis. Si autem iudicamus nõ posse superare nec obtinere,tunc irascibilis refugit & cedit. Et hæc est eius fuga quæ fit per desperationem & timorem.Et de his passionibus satis loquuti sumus in Epitomate nostro super 3.de Anima in Trac.de Potentia motiua. Patet igitur in quo differũt concupiscibilis & irascibilis, & quomodo vtraque habet prosecutionem & fugam sibi propriam.

Quantùm ad tertium aduerte quòd ideo non multiplicatur,quia ratio propter quã plurificatur appetitus sensitiuus deficit in appetitu intellectiuo.Nam ideo plurificatur appetitus sensitiuus,quia sequitur apprehensionem particularem boni,quæ apprehensio multiplicatur, sicut etiam multiplicantur sensus. Et ideo quia alio modo apprehẽditur bonum particulare vt conueniens & delectabile,& alio modo vt arduum ad obtinendum, ideo ad bonum particulare apprehensum vt conueniens ordinabitur concupiscibilis, ad bonum autem particulare apprehensum vt difficile ad consequendum, ordinatur irascibilis. Sed hæc ratio deficit in appetitu intellectiuo, quoniam respicit bonum vniuersale apprehensum ab intellectu. Quando autem aliqua potentia respicit suum obiectum sub ratione vniuersali, non diuersificatur per differentias particulares contentas sub illa ratio-

ne communi. Vnde quia visus respicit visibile inquantùm coloratum, & non inquantùm album vel nigrum, non plurificatur secundùm diuersas species colorum. Sic in proposito quia voluntas respicit bonum vniuersale, & non hoc bonum vt conueniens vel arduum, ideo non est necesse vt plurificentur appetitus in parte intellectiua sicut plurificantur in parte sensitiua.

Quantùm ad quartum ponitur conclusio responsiua quęsito, Sunt tantùm tres potentiæ appetitiuæ in anima, vna in parte rationali, siue intellectiua, duæ in parte sensitiua, & omnes sunt realiter distinctæ. Prima pars sic probatur, Omnis potentia animæ appetitiua sequitur bonum apprehensum, quia non tendit per desiderium animal in incognitum. Apprehensio autem boni vel est super bonum vniuersale, vel particulare. Si primo modo sic ad eam sequitur appetitus intellectiuus qui non plurificatur ratione suprà dicta. Si secundo modo sic ad eam sequitur appetitus sensitiuus qui distinguitur in duos vt suprà dictum est, & ratione supra allegata,ergo,&c.

Quòd autem omnes sint realiter distinctæ manifestatur sic,Volũtas est in gradu intellectiuo,appetitus sensitiuus in gradu sensitiuo:sed intellectiuum & sensitiuum distinguuntur genere,quæ autem distinguuntur genere distinguuntur realiter,ergo,&c. Præterea,sicut se habet intellectus ad sensum,sic voluntas ad appetitum sensitiuum. Constat autem quòd intellectus & sensus distinguuntur realiter,ergo,&c.

Quòd autem in appetitu sensitiuo distinguatur realiter cõcupiscibilis ab irascibili probatur dupliciter. Primò quia aliud est obiectum concupiscibilis,s.bonum delectabile,& aliud obiectum irascibilis,scilicet bonũ arduum,sed distincta obiecta arguunt distinctas potentias,vt declaratum est in lib.2.Secundò sic,Passiones concupiscibilis & irascibilis repugnant adinuicem.Nam experimur quòd accensa cõcupiscentia minuit iram,& accensa ira minuit concupiscentiam, ergo signum est quòd distinguuntur realiter, quia nihil sibiipsi secundùm idem repugnat & contrariatur.

Quantùm ad quintum aduerte quòd determinationi factæ videtur obstare appetitus naturalis qui est in homine,sicut & in quacunque alia natura, de quo dicit Philosophus in principio suæ Metaph.quòd omnes homines natura,id est naturali appetitu scire desiderant,ergo in homine non tantùm tres,sed quatuor sunt appetitus.

Ad hoc dicitur quòd hîc quærimus de appetitu, qui est specialis potentia animæ,& non qui inuenitur in quacunque natura tam animata quàm inanimata. Appetitus autem naturalis consequitur omnem rei naturam, nec est quid particulare in animali nec in homine, nec est potentia fluens ab anima sensitiua nec intellectiua,ideo non ponit in numerum cum appetitu intellectiuo nec cum sensitiuo. Nam vt voluntas & concupiscibilis & irascibilis sunt quædam naturæ habent appetitum naturalem,id est,inclinationem in suã propriã operationem.Et de hoc appetitu naturali quid sit, quomodo distinguatur ab intellectiuo & sensitiuo iam loquuti sumus in q.nostris Metaphy.super 1.Metaph. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Num voluntas & intellectus sint potentiæ realiter distinctæ, similiter appetitus sensitiuus & sensus.

Videntur autem hæc duo mouentia aut appetitus aut intellectus.textu 48.

IN hac quæst. inuenio duas opiniones. Prima quidem est eorum qui tenent distinctionem realem inter essentiam animæ & potentias suas, inter quos annumeratur B.Tho. vt iam determinauimus in lib.2.in q.12.Et isti tenent partem affirmatiuam.Secunda est eorum qui negãt pluralitatem in potentiis animæ realem, ad quos videtur declinare Iand. in 3. de Anima,in q.39.isti tenent partem negatiuam. In hac igitur quæst.sic procedendum est.Primò firmabitur opinio tenentium partem affirmatiuam, quæ est etiam B.Tho.Secundò recitabitur opinio opposita, & soluentur fundamenta sua quæ adducit Iandunus.

Quantùm ad primum ponitur hæc conclusio responsiua, Intellectus & voluntas,sensus & appetitus sensitiuus distinguuntur realiter:probatur,Potẽtiæ subordinatæ,inter quas est ordo naturæ,& quarum vna pendet ab alia in operatione sua,ita quòd actus vnius supponit actum alterius distinguũtur realiter.Hæc est manifesta, quoniam nihil ordinatur ad seipsum,nec pendet à seipso,nec supponit seipsum,sed aliud: sed voluntas subordinatur intellectui,quoniam subsequitur apprehensionem boni factam ab intellectu.Et appetitus sensitiuus subordinatur sensui,quoniam subsequitur apprehensionem boni particularis factam à sensu, putà à cogitatiua. Et voluntas pendet in operatione sua ab intellectu, quoniã bonum intellectum concurrit ad volitionem,vt determinauimus in lib.9.in q.nostris, idem dico de sensu & appetitu sensitiuo.Et actus voluntatis supponit actum intellectus vt patet ex conditione præcedenti.Idem seruatur inter sensum & appetitum sensitiuum,ergo patet apud intellectum bene dispositum quòd distinguuntur realiter.

Præterea,Potentiæ quæ habent obiecta diuersa formaliter distinguuntur realiter. Sed voluntas & intellectus, sensus & appetitus sensitiuus habent obiecta diuersa formaliter,quoniam obiectum intellectus est ens,obiectum voluntatis est bonum.Constat autem quòd alia est ratio entis, alia ratio boni,obiectum sensus est ens particulare obiectum appetitus sensitiui est bonum particulare,quorum est ratio diuersa proportionaliter sicut entis & boni, ergo,&c. Et aduerte quòd hanc rationem defensauimus in libr.2. q. 11. vbi declarauimus quomodo duo obiecta licet non sint distincta realiter sed solùm formaliter sufficiunt ad realem distinctionem potentiarum, & soluta sunt argumenta tenentium oppositum: vide illic.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Iand. in 3. de Anima,in q.39. declinat ad quosdam qui dicunt intellectum & voluntatem esse idem realiter & distingui sola ratione.Idem dicunt de appetitu sensitiuo & potentia sensitiua iudicatiua boni & mali in homine quæ dicitur cogitatiua. Et modus quidem positionis eorum quò ad intellectum & voluntatem talis est, Eadem potentia dicitur intellectus secũdùm quòd est virtus naturalis substantiæ immaterialis & abstractæ.Sed dicitur voluntas inquantùm ad eius actum,scilicet ad intelligere bonum vel malum sequitur aliquis motus qui est prosecutio vel fuga boni vel mali intellecti. Et similiter isti dicunt quòd intelligere bonum humanum & ipsum velle sunt vnus actus realiter,sed differunt ratione. Nam ille actus dicitur intelligere inquantùm est actus secundus receptus in potentia abstracta,& dicitur velle inquantùm ad ipsum consequitur motus ad prosequendum vel fugiendum bonũ vel malum humanum intellectum.

Modus autem positionis eorum quò ad potentiam sensitiuam iudicatiuam boni & mali humani quæ est ipsa cogitatiua & appetitiuum sensitiuum talis est,Eadem potentia dicitur sensitiua cognoscitiua boni particularis, & mali humani inquantùm est virtus animæ receptiua speciei rei. Et eadẽ dicitur appetitus inquantùm ad eius actum consequitur motus localis animalis. Et similiter idem est actus realiter cogitare,& appetere bonum cogitatum. Sed dicitur cogitare, prout est à virtute cogitatiua.Et dicitur appetere, prout ad ipsum consequitur motus localis aut totius, aut partis. Hic est mod' positionis eorũ,qui potius est imaginatione quàm ratione fundatus, quæ sit alicuius efficaciæ. Nam ad probandam identitatem realem inter voluntatem & intellectũ Iand.in fauorem illius positionis sic arguit, Nunquam saluanda sunt per plura quæ possunt saluari per pauciora & æquè bene ex 1.Physi.Sed supposito quòd sit eadem potentia intellectiua boni & mali humani & voluntas, saluãtur æquè bene omnia apparentia sicut si essent distinctæ realiter.Nam sicut supposito quòd istæ duæ virtutes sint diuersæ motus hominis procedit ab eis,scilicet intelligere & appetere bonum,sic si esset vna sola virtus.Motus enim procedit ab ea ita quòd statim cùm homo intelligit aliquod bonũ sub ratione boni,& possibilis acquiri,& non considerat aliquod malum quod debeat inde accidere,statim mouetur ad illud nisi aliquid prohibeat,ergo non est necesse ponere distinctionem realem inter intellectum & voluntatem.

Præterea, si voluntas differt realiter ab intellectu, tunc cùm ipsa potentia intellectiua iudicat determinatè aliquod esse bonum & non iudicat malum quod debeat contingere ex illo,voluntas pro illo tunc & stante illo iudicio non posset non velle,illud bonum quod est falsum,& hanc rationem non aliter fortificat.

Quòd autem sensus & appetitus sensitiuus sint idem re& distincti solùm ratione, sic probat ad mentem Philosophi, Dicit Philosophus in 3.lib.de Anima,tex.29.Et non alterum appetitiuum & fugitiuum neque abinuicem, neque à sensitiuo sed esse alterum est.Hæc Philosophus. Tunc sic, Si appetitiuum & fugitiuum quæ videntur esse partes appetitus sensitiui, non differunt realiter abinuicem,nec à sensitiuo ergo potentia appetitiua sensitiua & potentia cognoscitiua

sensitiua non distinguuntur realiter.

Sed istæ rationes apud nos parui momenti sunt vt statim apparebit ex responsionibus.

Ad primam de idētitate intellectus & voluntatis nego minorem. Ad probationem nego quòd si intellectus & volūtas essent vna sola virtus ita procederet ab eis motus, s. intelligere & appetere bonum sicut si essent diuersæ. Et ratio huius est quia intelligere est motus rei ad animam, appetere autē est motus animæ ad rem, & sic sunt oppositi. Non incōuenit autem motus oppositos esse à duabus potentiis distinctis realiter quod vtique est impossibile eidem.

Ad secundam nego consequentiam. Nam vt determinaui aliàs, voluntas non necessitatur ab intellectu pro hac vita respectu cuiuscunq; boni propositi quò ad exercitium, licet necessitari possit quò ad specificationē actus. Sed Iand. loquitur de exercitio, ideo consequētia sua non valet. Potest enim voluntas etiam pro illo tunc suspendere actum suum, ita q; nec velit nec nolit. Dici etiam potest quòd consequens non est falsum, quoniam radix libertatis & necessitas est ab intellectu vt declarauimus in lib. 9. Metap. in q. 4. Quid ergo inconuenit si voluntas non potest non velle bonum, quādo intellectus offert sibi bonum ex quo non potest contingere aliquod malum, puta summum bonum?

Ad rationem qua probat sensum & appetitum sensitiuum esse idē realiter ex dicto Philosophi, respondetur quòd Philosophus per ly Non alterum, non intendit identitatem realem sed identitatem in subiecto vt exponit Com. in com. 29. & B.Tho. & Egid. & intendit Phil. in hoc cōtradicere Platoni, qui vt inquit B.Tho. in alia parte corporis ponebat organum appetitiui, & in alia organum sensitiui. Contra quem replicat Philosophus quod iam probauerat in lib. 2. in text. 19. videlicet quòd sensitiuum & motiuum secūdùm locum, & appetitiuum non distinguuntur subiecto, quia inueniuntur in eadem parte decisa ab animali imperfecto, vt in verme, & in cauda lacertæ. Et de hoc iam loquuti sumus in 2. lib. in q. 9. vt videre poteris. Stat autem quòd aliqua sint idem subiecto, & tamen sunt distinctæ res, vt patet de caliditate & siccitate in igne. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Num potentia appetitiua est motiua secundùm locum.

Videntur autem hæc duo mouentia, scilicet, secundùm locum aut appetitus aut intellectus. tex. 48.

Potentia appetitiua animæ est potentia motiua directiua, & imperatiua, non autē motiua exequutiua.

IN hac quæst. aduerte quòd stat difficultas in hoc, Philos. in lib. 2. in tex. 27. distinguens siue numerans genera potētiarum, dixit ea esse quinque, scilicet vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, secundùm locum motiuum & intellectiuum: hîc autem dicit quòd appetitiuum est motiuum secundùm locum, ergo sunt tantùm quatuor, & sic videtur Philosophus sibi contrarius.

Pro concordantia Philosophi inuenio duas vias, quarum prima dicit quòd diuisio potentiarū posita in 2. lib. in tex. 27. fuit secundùm famositatem. Verum autem esset vera sicut & famosa tunc Philosophus non curauit scrutari. Sed in 3. lib. postquàm de omnibus animæ potentiis considerauerat inuenit quòd non est necesse distinguere motiuum secundùm locum ab appetitiuo. Cuius signum est quòd in 3. lib. in tex. 52. replicans eandem diuisionem dimittit motiuum secūdùm locum, & tamen in illa diuisione comprehenduntur omnia genera potentiarum. Sic enim inquit, Diuidentibus autem animæ partes si secundùm potentias diuidunt & separant, valdè multæ fiunt: vegetabile, sensitiuum, intellectiuum, consiliatiuum, adhuc appetitiuum.

Sed hæc opinio non est ad mētem Com. qui tenet ea quæ dicit Philosophus in lib. 2. in tex. 27. esse manifesta, ea autem dicuntur manifesta, quæ patent per se esse vera, & non quia ex eo solo quòd sunt famosa. Et verba Com. in com. 27. sunt hæc, Et sermo eius, scilicet Arist. in hoc c. est manifestus. Nec suffragatur huic opinioni dictum Philosophi in 3. lib. in tex. 52. quoniam illic nō intendit replicare diuisionem generum potentiarum ex integro. Sed excludere diuisionem quam faciebant Antiqui, diuidentes potentias animæ in tres & non plures, scilicet, irrationalem, irascibilem & cōcupiscibilem, contra quos dicit Philosophus quòd plures sunt, & exemplificat de vegetatiuo & sensitiuo, &c.

Alia est igitur opinio quā credo esse veram. Et dicit quòd triplex est potentia motiua, s. directiua vel impulsiua. Secunda est imperatiua motus. Tertia est executiua motus. Potentia directiua est potentia cognoscitiua, vt intellectus vel phantasia. Vnde aduerte quòd intellectus dicitur potentia cognoscitiua, vt apprehendit obiectum, putà bonum, & dicitur potentia motiua directiua, quia offert & proponit appetitui bonum cognitum vel malum sub ratione prosequendi vel fugiendi. Idem intellige de potentia phantasiæ, vt sub se comprehendit imaginatiuam & cogitatiuam vel extimatiuam. Potentia imperatiua motus est appetitus intellectiuus vel sensitiuus. Potentia executiua motus est virtus diffusa in membris & musculis, cōplantata in corde vt in primo principio vel in aliquo proportionali. Dico igitur quòd Philo. in lib. 2. in tex. 27. distinguens motiuum secundùm locum ab appetitiuo intendit de motiuo executiuo, & nō de imperatiuo nec directiuo, in 3. autem lib. in tex. 48. sumit motiuum directiuum quod realiter est idem cum intellectu vel phantasia, & motiuum imperatiuum quod realiter est idem cum voluntate aut appetitu sensitiuo. Et sic nulla est repugnantia in dictis Philosophi. Et aduerte quòd infrà in tex. 55. tanget aliqualiter de motiuo executiuo. Sua tamen consideratio completa est in Paruis Naturalibus, in lib. de Motu Animalium. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Num phantasia sit motiua secundùm locum.

Multi enim præter scientiam sequuntur phantasias, & in aliis animalibus non intellectus neque ratio est sed phantasia. tex. 48.

Phantasia non apprehendens aliquid [illegible] secundùm locum.

IN hac quæst. aduerte quòd non est dubium vtrum phantasia sit motiua secundùm locum imperatiua vel executiua motus, id enim iam declaratum est in q. præcedenti q; non, sed dubium est an sit motiua directiua & impulsiua vt videtur innuere Philosophus in hoc tex. in quo ponit intellectū & phātasiam in eodem ordine motiui. Dicit enim, Si aliquis posuerit phantasiam sicut intellectum quendam. Constat autem quòd ponit intellectum vt motiuum directiuum, ergo & phantasiam. Difficultas autem stat in apparenti repugnātia quę videtur esse in dictis Philosophi. Nam dicit hic in tex. 48. quòd multi, s. homines dimissa sciētia, id est dictamine rationis sequuntur in motibus, id est actionibus suis phantasias, & sunt illi qui non ratione ducuntur sed impetu, & phātasia impellit & incitat ad aliquid agendum. In aliis autem animalibus id constat, quoniam cùm careant intellectu & ratione mouētur sola phantasia. Sed oppositum huius videtur dicere in 2. lib. in tex. 154. Vbi assignans rationē quòd opinio differt à phātasia sic arguit, Cùm opinamur difficile aliquid aut terribile statim compatimur, similiter autem & confidendum, secundùm phantasiam autem similiter nos habemus, sicut si essemus considerantes in pictura difficilia & confidentia, & intendit quòd quando opinamur aliquod difficile aut terribile statim commouemur passione timoris ad fugiendum & euitandum illud, & quando opinamur aliquod confidendum siue sperandum, statim mouemur ex passione spei ad consequendum, ergo opinio est principium motiuum. Sed quando imaginamur aut phantasiamur aliquod terribile aut confidendum non commouemur ad euitandum vel fugiendum nec ad prosequendum, sed habemus nos sicut qui vident terribilia aut appetibilia depicta, qui ex huiusmodi non commouentur, ergo sicut pictura non est principium motiuum sic nec phantasia. Videtur igitur Philosophus sibiipsi contrarius.

Pro concordantia huius apparentis repugnantiæ propono distinctionem de phantasia & actu suo per quam apparebit solutio repugnantiæ. Aduerte igitur quòd sicut apprehensio intellectus de aliquo terribili vel conuenienti potest fieri duobus modis, sic & actus phantasiæ. Primò contingit quòd intellectus apprehendit simpliciter aliquod terribile vel confidendum, & tamen non iudicat nec concludit illud esse fugiendum vel prosequendum, sicut qui considerat atrocitatem belli naualis, & dignitatem principatus, & tamen non deliberat illud fugiendum & hoc procurandum, & ad talem simplicem apprehensionem nec sequitur compassio nec motus: quia est apprehensio modo speculatiuo. Secundò contingit quòd intellectus sic considerat de re terribili, vel conuenienti, quòd concludit hoc esse fugiendum illud autem prosequendum, tunc ad talem apprehensionem sequitur compassio & motus, quia huiusmodi consideratio est modo practico, eodem modo dicendum est de phantasia. Nam aliquando occurrit phantasiæ aliquod terribile vel confidendum, super quo phantasiatur quid, quale, quantum sit absque hoc quod existimet tale esse fugiendum vel prosequendum, sicut qui imaginatur terribilem exercitum inimicorum, & victoriam ducis contra inimicos suos, & vltra imaginationem non procedit, & tunc per phantasiam sic considerantes non compatimur nec

commo

commouemur, sed habemus nos vt intuentes imagines terribilium aut delectabilium. Aliquando autē occurrit phantasiæ aliquod terribile vel delectabile circa quod nō solùm immoratur in imaginando, sed etiam extimat illud nobis nociuum vel proficuum ideo esse fugiendum, vel prosequendum, & tunc sequitur in nobis compassio & motus aut fugæ aut prosecutionis, & se habet in illo casu phātasia vt intellectus non solùm simpliciter considerās, sed opinans & cōcludens de intellectu aut fugiendum aut prosequendum esse.

Ex his patet quòd in dictis Philosophi nulla est repugnantia. Nam in 2. lib. in tex. 152. intendit de phātasia in primo sensu. In lib. autem 3. in tex. 48. intendit de ea in secundo sensu, quare, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Num intellectus practicus differat realiter à speculatiuo, vel tantùm ratione.

Et qui practicus est, differt à speculatiuo fine. tex. 49.

Intellect' practicus & speculatiuus non sunt duæ intellectiuæ realiter distincti, sed vnus secundùm duas rationes diuisus.

IN hac quæstione inuenio duas vias. Vna quidem tenet partem negatiuam, & hæc est via, in qua communiter conueniunt Expositores, inter quos est B.Tho. vt declarabitur. Altera autem tenet partem affirmatiuam, & est via particularis, quam sequitur Iand. Igitur pro resolutione quæsiti primò pertractabitur via, quam sequitur B.Tho. Secundò via, quam sequitur Iand. & soluentur rationes suæ.

Quantùm ad primum aduerte quòd B.Tho. in 1. Parte, q. 79. art. 11. pertractans hoc quæsitum ponit hanc conclusionē, Intellectus practicus & speculatiuus non sunt diuersæ potentiæ: cuius ratio est hæc, Differētiæ accidentales alicuius obiecti non diuersificant potentiam. Hæc patet, nam quia accidit colorato quod est obiectum visus esse hominē, aut asinum magnum, aut paruum, hæc non diuersificant visum, sed ab eadem potentia visiua apprehenduntur. Sed apprehēdere rem, vt ordinabilem ad opus, aut nō ordinabilem, sunt differentiæ, quæ accidunt apprehenso per intellectum. Sed intellectus practicus & speculatiuus non differunt nisi his differētiis accidentalibus. Nam intellectus speculatiuus est qui quod apprehendit non ordinat ad opus, sed ad solā considerationem veritatis. Practicus autem est opposito modo, vt patet ex 2. & 6. Metaphy. Non ergo sunt duæ, sed vna potentia realiter, quæ secundùm vnam rationem dicitur speculatiuus, & secundùm aliam practicus.

Quantùm ad secundum aduerte quòd Iand. in 3. de Anima, in q. 36. tenet quòd sunt duæ potentiæ distinctæ realiter, & probat dupliciter. Primò quia actus sunt diuersi, s. intelligere ens ordinabile ad opus, & intelligere ens non ordinabile ad opus, ergo diuersificant potentiam. Antecedens notum, probatur consequentia, quia apud Philosophum vt visum est in 2. lib. Potentiæ diuersificantur per actus. Et scito, quòd tantum magnificat hanc rationem, quòd ponit tot potentias animæ, quot sunt obiecta specifica, vt res sunt, & sic ponit tot visus in homine, quot sunt species colorum, & tot odoratus, quot sunt species odorum, & de hoc iam locuti sumus suprà contra Iandunum.

Ad hanc suam rationem respōdentes dicimus, quòd ignorauit quæ sit diuersitas actuum & ex qua causatur diuersitas realis in potentia. Non enim omnis, sed illa tantum, quæ procedit à diuersa ratione formali ipsius obiecti non vt res est, sed vt obiectum est, sicut iam docuimus in 2. lib. Et quoniā operabile & non operabile non diuersificant ens, vt est obiectum intellectus, sed vt res est, ideo nō infertur distinctio realis potentiarum intellectiuarum ex intelligere operabile & intelligere non operabile. Vnde ad antecedens suum dico, quòd illi actus non sunt diuersi diuersitate procedente ex diuersa ratione formali obiecti intellectus, vt obiectum est, & propterea ratio sua nulla est.

Secundo probatur idem ex dicto Philosophi in 6. Ethic. vbi inquit, Supponantur duo rationem habentia, id est, duæ potentiæ rationales. Vnum quidem quo speculamur talia entium, quorum principia non contingit aliter se habere. Vnū autem, quo contingentia. Ad ea enim quæ altera genere, & animæ particularum alterum genere ad vtrunq; aptum natum. Hæc Philosophus. Et intendit talem rationem, Ad obiecta, quæ sunt diuersa genere necesse est adaptare diuersa genera potentiarum animæ. Sed necessariū & contingens sunt obiecta diuersa genere, ergo diuersum est genus partium animæ rationalis, quo cognoscit necessaria & contingentia. Sed in proposito intelligibile ordinabile ad opus, & intelligibile non ordinabile ad opus differunt genere, ergo potentiæ animæ, quæ sunt intellectus practicus & speculatiuus differunt genere ex consequenti realiter.

Ad hoc dicitur quòd intentio Philosophi est, vt entia necessaria cognoscantur intellectu. Entia autem contingentia, & in particulari cognoscantur potentia sensitiua, vt cogitatiua: & quoniam intellectus & cogitatiua sunt diuersorum ordinum, ideo distinguuntur realiter sicut ens necessarium & ens contingens. Sed non est simile in proposito, quoniam ens ordinabile ad opus & non ordinabile ad opus cognoscūtur intellectu practico & speculatiuo, quorum vterque est eiusdem gradus, s. intellectiui, ideo non est necesse quòd distinguantur realiter. Et quando dicit Philosophus, Ad ea enim quæ sunt altera genere, &c. intendit quādo obiecta sunt distincta genere, & non sunt apta cognosci nisi à potentiis diuersorum ordinum, quales sunt sensitiua & intellectiua. Non sic autē est in proposito nostro, quare, &c. Nam si quæcunque sunt distincta genere oporteret cognoscere distinctis potentiis, ergo non eadem potētia visiua videretur ignis & sol, nec homo & lapis. Nec eodem intellectu Socrates cognosceret substantiam & accidens, substantiam materialem & immaterialem, quæ omnia sunt absurda. Cùm igitur nulla sit necessitas diuersificandi realiter intellectum practicū & speculatiuū, melius est vt dicamus, quòd differunt solùm ratione, sicut idem intellectus dicitur intellectus, vt simpliciter apprehēdit, & ratio vt discurrit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Quomodo sit verum quòd intellectus & appetitus secundùm vnam communem speciem moueant.

Si enim duo intellectus & appetitus mouebant, secundùm communem speciem mouebant. tex. 50.

Intellect' & appetitus dicuntur mouere secūdū vnā communē speciem, vt respiciunt appetibile.

IN hac quæst. aduerte, quòd difficultas stat in hoc: Si mouent secundùm communem speciem hoc est vel inquantùm potentiæ sunt, vel vt mouent moti ab appetibili. Non primo, quia cùm intellectiuum & appetitiuum distinguantur genere, non possunt intellectus & appetitus esse potentiæ secundùm vnam communem speciem. Non secūdo, quoniam appetibilia non sunt vnius speciei, vt patet, ergo non videtur posse saluari dictum Philosophi.

Vt igitur scias in quo sensu verificatur dictum Philosophi aduerte, quòd species dupliciter sumitur. Primò pro vno quinque prædicabilium, & sic non sumitur hîc, quoniam in hoc sensu concluderet obiectio facta. Secundò sumitur pro ratione formali. Et sic ea dicuntur vnius speciei, quæ sub vna ratione formali continentur. Vt omnes soni, vt immutatiui sunt auditus sunt eiusdem speciei, habent enim eundem modum immutādi auditum. Similiter omnes colores vt immutatiui sunt visus sunt eiusdem speciei, quia cōueniunt in eodem modo immutandi. Qui autem sint modi proprij, quibus sonus immutat auditum & color visum & odor odoratum, &c. iam de his diximus in lib. 2. in q. 55. vbi remittimus te ad declarationem B.Tho. in 2. de Anima, post expositionē text. 131. Et clariùs in 1. Parte in q. 78. art. 3. Et hoc 2. modo sumitur ibi species. Vnde intentio literæ apud Philosophum est hæc, Intellectus & appetitus mouens secundùm communē speciem, id est, vt respiciunt appetibile, quod vt appetibile, est vnius speciei, i. vnius rationis formalis, sicut color vt est visibilis, & sonus vt est audibilis. Quod autem appetibile vt appetibile sit vnius rationis formalis patet ex hoc, quòd nihil est appetibile nisi vt perfectiuum & bonum verum, vel apparens. Intellectus ergo & appetitus mouent secundùm communem speciem, i. vt conueniunt in hoc quòd per appetibile perficiunt appetentem. Ad obiectionem ergo dicitur quòd mouent secundùm communem speciem vt respiciunt appetibile, & cùm dicitur quòd appetibilia non sunt eiusdem speciei, verum est sumendo speciem primo modo, non autem secundo modo in quo verificatur dictum Philosophi vt docuimus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Intellectiuū & consiliatiuū simul comparata appetitiuo plus differūt quā irascibilis & concupiscibilis, cùm differant genere: vel intellectiuū & consiliatiuū, id est, co- plus differunt quā illa.

QVAESTIO IX.

Quomodo sit verum quòd intellectiuum & consiliatiuum magis differant quàm irascibile & concupiscibile.

Diuidentibus autem partes si secundùm potentias diuidunt & separant vnde multæ fiunt, vegetabile, sensibile intellectiuum, consiliatiuum, adhuc appetitiuum: hæc enim plus differunt abinuicem, quàm concupiscibile & irascibile. tex. 52.

IN hac quæst. aduerte, quòd stat difficultas in hoc, Intellectiuum & consiliatiuum, quæ Philosophus appellat scientificum & ratiocinatiuum in 6. Ethic. non sunt potentiæ distinctæ realiter in via nostra, vt patet per B.Tho. in 1. Parte, q. 79. art. 9. ad tertium vbi inquit, Philosophus posuit duas particulas animæ, sciētificum & ratiocinatiuum, non quia sunt duæ potentiæ distinctæ, sed quia distinguuntur secundùm diuersam habitudinem ad recipiendum habitus, quorum

diuersitatem illic inquirere intendit. Contingentia enim & necessaria etsi differant secundùm propria genera, conueniunt tamen in communi ratione entis, quam respicit intellectus ad quam diuersimodè se habent, scilicet scientificum & ratiocinatiuum secundùm perfectum & imperfectũ. Hęc B.Tho. Sed irascibilis & concupiscibilis sunt potentiæ distinctæ realiter, vt determinauimus in hoc lib.3. in q.3. Ergo non magis differunt intellectiuum & consiliatiuum quàm irascibilis & concupiscibilis, imò minùs.

Pro resolutione huius dubij inuenio duos modos dicendi, qui omnes sustentabiles sunt.

Primò dicitur, quòd licet Philosophus numeret vegetabile & sensibile, intellectiuum & consiliatiuum & appetitiuũ, non tamen intẽdit quòd omnia adinuicem comparata plus differant quam irascibilis & cõcupiscibilis. Sed intendit sic comparando, Vegetabile cõparatum sensibili, sensibile comparatum intellectiuo & consiliatiuo simul, intellectiuum & consiliatiuum simul comparata appetitiuo. Nam patet sic comparando quòd magis differunt, quoniam differunt genere. Irascibilis autem & concupiscibilis licet differant realiter, non tamen genere, quoniam continẽtur sub appetitiuo.

Secundò dicitur, quòd ly Consiliatiuum non stat pro potentia intellectiua negociante circa cõtingentia, sed pro cogitatiua, quæ dicitur ratio particularis, quæ considerat & ratiocinatur circa contingentia singularia, de quibus consiliamur vt inquit Philosophus in 6. Ethic. Ly autem Scientificũ siue Intellectiuum stat pro intellectu negociante circa necessaria, quæ non contingit aliter se habere, & de quibus haberi potest scientia, quæ opponitur cõsilio, sicut perfecta cognitio imperfectæ. Constat autem quòd plus differunt intellectus & cogitatiua quam irascibilis & concupiscibilis. Nã illa est diuersorum generum, s. intellectiui & sensitiui, ista autem vnius generis, s. appetitiui. Ex his duobus modis tene quem volueris. Aduerte tamẽ quòd primus modus videtur magis conformis viæ Thomisticæ quæ attribuit intellectiuũ & consiliatiuum potentiæ intellectiuæ. Secundus autem est magis conformis viæ Comment. Nam in 3. de Anima, in tex. Arabico 52. loco consiliatiui habet cogitatiuam. Et Cõmen. commentans inquit, V.g. Nutritiuam sensibilem intelligibilem & cogitatiuam. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Num Philosophus per organicum mouens, à quo est principium & finis motus in animali, intendit cor: & posito quòd sic, quomodo in corde sit principium & finis motus, & quomodo motus cordis sit sicut motus in circulo, & quomodo omnis motus in animali incipiat à corde.

Nunc autem, vt in summa dicatur mouens organicè vbi principium & finis illud velut in circulatione, &c. tex. 55.

Primum mouẽs organicũ in animali est cor, q principiũ & finis omnis motus est, q vt motus assimilatur circulo moto.

IN hac quæstione aduerte duas partes principaliter considerandas. Prima erit, Si Philosophus per Organum mouẽs intendit cor. Secunda erit, Posito quòd sic, quomodo in corde est principium & finis motus, &c.

Quantùm ad primam partem inuenio duas sentẽtias. Prima est Comment. quam sequitur B.Tho. & Egid. Secunda est Alberti. Intentio Comment. est quòd Philosophus per mouens organicum, à quo est principium & finis motus, intẽdit cor. Vnde dicit in com. 55. Et membrum quod est tale in animali est cor secundùm ipsum, s. Arist. Et in fine commẽti inquit, Et quia videmus quòd vltimum membrum quod quiescit in motu locali est cor, necesse est vt eius principium sit ex eo. Sic igitur est intelligendus iste locus. Hæc Comment. Quem sequens B.Tho. in expositione tex. 55. inquit, Oportet quòd in ipso organo motus, quod est cor, sit aliquid quiescẽs inquantùm est principium motus, &c. Et infrà. Sic etiam est in omni motu cordis. Nam cor in eadem parte corporis confixum manet, sed mouetur secundùm dilatationem & constrictionem vt causet motum pulsus & tractus. Et Egidius in expositione tex. 55 inquit, Determinat Philosophus de organo ipsius motus, cuius principale organũ est cor, quia in eo est principium & finis motus. Et ratio quidem, super quam fundarunt se Cõment. & B.Tho. & Egid. fuit quia sicut Philosophus in tex. 54. declarauerat quòd sit mouẽs immobile, & mouens motum, & motum non mouens in motu locali animalis, & dixit mouens immobile esse ipsum appetibile, ideo in hoc ordine esse primum mouens, deinde mouẽs motum esse ipsum appetitum, sic volẽs inuestigare qualitatem organi, quo appetitus mouet animal, non intendit communiter de organis, sed de primo, à quo, vt à fonte emanat virtus mouendi ad alias partes corporis. Primum autẽ constat esse cor. Vnde quando Comment. incipit declarare tex. 55. dicit quòd Philosophus loquitur hîc quomodo corpus mouetur à primo instrumento, quod cõstat esse cor. Sed Albertus in 3. de Anima, in Tract. 4. in cap. 8. tenet quòd Philosophus non intendit hîc de corde, sed de omni instrumento loquendo generaliter, à quo est principiũ & finis motus in animali per expulsionem & attractionem eiusdem partis, vt patet in ambulatione, in qua priùs expellitur tibia, deinde trahitur, sicut in apprehensione manus, sic in motu capitis, sic in agitatione brachij. Et reprehendit Auerroëm, qui dicit in commento 55. quòd cor est quiescẽs in animali, vnde fit expulsio & ad quod fit attractio. Et verba Alberti sunt hæc, Et ideo meo iudicio mentitur Auerroës dicens cor esse quiescens, vnde fit expulsio & ad quod fit attractio, &c. Et ratio Alberti contra Auerroëm ex consequenti contra B.Tho. & Egid. talis est, Immobile & quiescẽs à quo est motus, oportet esse coniunctum organo, per quod expletur motus. Constat autem ex anatomia quòd cor non est cõiunctum cum organis, quibus expletur motus localis in animali. Certum est enim omnium membrorum motum perfici musculis animalium. In omni autem musculo motiuo membri videmus neruum egredientẽ ad membrum, quod mouetur, per quem expellitur à loco suæ fundationis, & videmus chordam in alia parte ad radicem membri deriuari à fine musculi per quem attrahitur ad locum suum. Patet igitur non esse cor huiusmodi membrum. Hæc Albertus.

Sed si tu bene consideras aduertes rationem Alberti non procedere, quoniam intentio Comment. & B.Tho. est loqui de primo & vniuersali mouente organico, à quo egreditur virtus motiua ad quodcũque aliud organum, siue sit neruus siue musculus, per quos expletur motus localis in partibus animalium, & in quibus necesse est dare partem quiescẽtẽ, super quã innititur pars mota, sicut videmus quòd dum mouetur digitus quiescit manus, & dum mouetur manus quiescit brachium, & dum mouetur brachiũ quiescit humerus. Hoc autem primum mouens in animali est cor, à quo deriuatur virtus motiua ad alias partes motiuas, de quibus concedo quòd debent esse coniunctæ cum partibus motis, vt videmus coniungi digitum manui, manum brachio, brachiũ humero, sed primum mouens organicum non est necesse quòd sit coniunctum situ omnibus particularibus organis, sed sufficit coniunctio virtualis pro quanto virtus motiua diffunditur à corde ad alia organa, sicut virtus primi mouentis ad secundaria mouentia. Ex his dico ad rationem Alberti, Si intelligat maiorem de cõiunctione situali, nego eam applicando primo mouenti organico de quo intendit Commen. sufficit enim coniunctio virtualis. Conceditur autem applicando eam mouenti secundario & particulari, sed de hoc non intendit Commentator. Et ideo stat primum mouens organicum esse cor, & tamen non esse coniunctum situaliter alijs organis, sed sufficit coniunctio virtualis.

Quantùm ad secundam partem tria declaranda sunt, quæ sunt tres propositiones Philosophi in textu 55. Prima est, Si dicatur mouẽs organicè vt principium & finis. Secunda est, Propter quod oportet sicut in circulo manere aliquid. Tertia est, Et hîc incipere motum. Et quoniã sustinuimus quòd Aristot. per primum mouens organicum intendit cor, ideo manifestanda sunt hæc tria de corde. Primò quomodo in eo est principiũ & finis motus localis in animali. Secundò quomodo oportet in corde moto ponere vt in circulo moto. Tertiò quomodo oportet incipere motum in animali à corde.

Quãtùm ad primum aduerte quòd ideo in corde est principium & finis motus, quia ad oculum videmus cor moueri per dilatationem & constrictionem, & dum dilatatur eleuatur, dum constringitur deprimitur: eleuatio autem fit per motum pulsus, depressio verò per motum tractus. Cor ergo mouetur pulsu & tractu. Dum autem mouetur pulsu est principium motus, dum mouetur tractu est finis motus. Nam pulsus ex septimo Physicorum differt à tractu in hoc, quòd pellens remouet aliquid à se, & vt sic est principium motus pulsi, & trahens trahit aliquid ad se, & vt sic est finis motus tracti. Tractus enim incipit ab aliquo distante, & finitur ad trahens, cui approximatur. Patet ergo quomodo in corde est principium & finis motus. Et hac de causa cor est gibosum & concauum, vt declarabimus infrà. Quomodo autem motus pulsus & tractus est naturalis cordi, & quomodo mouetur per spiritus, & quomodo à corde diffunduntur ad alias partes corporis, iam declarauimus in Epitomate nostro super librum de Causa Motus in animali, in Paruis Naturalibus.

Quan

Quantùm ad secundũ aduerte quòd propter duo cor assimilatur circulo. Primò quò ad mutationem & quietem in loco. Secundò quò ad motum. Quò ad primum quidem assimilatur, quoniam sicut corpus circulare dum mouetur aliquo modo quiescit, & aliquo modo mutat locum, quiescit quidem secundùm totum, sed mutat locum secundùm partes, vt declaratum est in 8. Physic. sic cor secundùm totum non mutat locum, quoniam complantatum est in vna determinata parte animalis, vt declaratũ est in Tractatu de Causa Motus animalium, in Paruis Naturalibus: secundùm partes autem mutat locum, pro quanto in motu suo dilatatur & constringitur, eleuatur & deprimitur. Quò ad secundùm assimilatur, quoniam sicut motus circularis ex 7. Physic. componitur ex pulsu & tractu, pulsu quidem ex motu semicirculi superioris, & tractu semicirculi inferioris, sic & motus cordis. Nam in eleuatione seruatur pulsus, in depressione seruatur tractus. Et hac de causa cor est gibosum & concauum, vt secundùm quòd gibosum moueatur pulsu, & secundùm quòd concauum moueatur tractu. Et simile huic est, si tu imaginatus fueris motorem residere super centrum circuli, & manu apprehendere flexibilem circunferentiam, & trahere ad se deinde expellere à se, per tractum circunferentia fiet concaua, per pulsum gibosa.

Quantùm ad tertiũ aduerte quòd sicut mundus inferior conseruatur & regitur incessabili motu cœli, ita & animal incessabili motu cordis. Vnde sicut motus cœli est causa & principium omnis motus in inferioribus, sic motus cordis est causa & principium omnis alterius motus in animali: cuius signum est, quòd cessante motu cordis cessat omnis operatio & motus in animali & destruitur animal, sicut si cessaret motus cœli, cessaret omnis motus in inferioribus, vt determinauimus in lib. 12. Metaphy. in Quæstionibus nostris. Et propterea bene dicit Philosophus in tex. 55. Oportet hinc, id est, à corde incipere motum, scilicet in animali. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Num animalia imperfecta moueantur localiter, & quid moueat ea.

Considerandum autem & de imperfectis quid mouens est, quibus tactus solùm inest sensus. Vtrùm phantasiam contingat inesse his, aut non. tex. 56.

Animali imperfecta mouẽtur localiter, nõ quidẽ motu progressiuo, sed motu dilatatiuo & constrictiuo & phantasia indeterminata.

IN hac quæst. aduerte, quòd difficultas stat in apparenti repugnantia in dictis Philosophi. Nam in lib. 2. tex. 27. & 29. dixit aliqua animalia moueri secũdùm locum, aliqua autem non, vt ostrea & conchilia, &c. In 3. autem lib. in tex. 48. dicit, quòd in animalibus perfectis motiuum secundùm locũ est intellectus & appetitus, si aliquis phantasiam posuerit sicut intelligentiã quandam. Deinde in tex. 56. inuestigat principium motiuum secundùm locum in animalibus imperfectis. Cùm ergo animal sufficiẽter diuidatur per perfectum & imperfectum, sequitur quod omne animal mouetur secũdùm locum, & per consequens videtur repugnãtia in dictis Philosophi.

Ad hoc respõdetur, quòd in animalibus inuenitur duplex motus localis. Primus dicitur progressiuus, quo tendit animal siue gressu, siue volatu, siue natatione, siue alio modo de loco ad locum distantem determinatum. Secundus dicitur dilatatiuus & constrictiuus, quo dilatat se animal & cõstringit permanens in eodem loco. Primus est tantum in animalibus perfectis, quæ ad distans mouentur, quoniam non habent necessaria sibi vnita. Et de his intelligendum est dictũ Philosophi in 2. lib. Secundus autem est in animalibus imperfectis. & quoniam Philosophus in 3. lib. intendit pertractare de potentia motiua vniuersaliter, & sufficienter, ideo quærit quod sit motiuum secundum locum in animali non solum progressiue, sed quocunque alio modo, putà dilatatiuè, &c. Et ideo non est repugnantia in dictis Philosophi.

Tu tamen aduerte, quòd in animali inuenitur duplex motus dilatatiuus & constrictiuus, scilicet naturalis & animalis. Naturalis est in corde, qui dicitur naturalis, quia non sequitur intellectum, nec phantasiam, nec appetitum siue intellectiuum, siue sensitiuum, in quo etiam sensu potentiæ vegetatiuæ dicũtur habere motus naturales. Animalis autem est ille, qui causatur à phantasia & appetitu imperante, siue sumatur phantasia, vt est determinata, qualis est in animali perfecto, siue indeterminata, vt in animali imperfecto. Quę autem differentia sit inter vtranque statim declarabitur.

Quantùm ad secundum propositũ in titulo quæsiti, quid, scilicet sit motiuum secundùm locum dilatatiuè & constrictiuè in animali imperfecto, dicit Philosophus, quòd est phãtasia indeterminata. Tu igitur aduerte, quòd phantasia determinata & indeterminata differunt in quatuor, scilicet organo, tempore, situ, loco.

Organo quidem, quia determinata habet certam particulam in animali, putà in capite pro instrumento suo, indeterminata autem est quasi confusè in corpore, nec certam partem sibi vendicat.

Tempore, quoniam determinata respicit præsens & futurum, indeterminata autem præsens tantum: non enim speciẽ seruat post absentiam rei sensatæ.

Situ, quia determinata est ad coniunctum & ad distans, indeterminata autem ad coniunctum tantùm.

Loco, quia determinata mouet ad certum & præextimatum locum, indeterminata autem ad incertum, vel ad circundantem tantum, prout animali imperfecto applicatur aliquod delectabile vel tristabile. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Num omne corporeum habens intellectum habet etiam sensum, siue sit generabile, siue ingenerabile, siue corruptibile, siue incorruptibile.

Non potest autem corpus habere quidem animam & intellectum discretiuum, sensum autem non habere, non mansiuum existentis, generabile autem: at verò neque ingenerabile. tex. 61.

Quoduis corporeũ habens intellectum siue generabile & corruptibile, siue ingenerabile & incorruptibile sit, necesse est habere sẽsũ, supposita imaginatione Platonis de incorruptibili & ingenerabili corpore aptato animæ humanæ.

IN hac quæstione inuenio duas vias. Vna est Commentatoris, quem sequitur Albertus in 3. de Anima, in Tract. 5. in c. 1. Altera est B.Tho. quem sequitur Egidius post expositionem tex. 61. in 3. de Anima.

Quantùm ad viam Comment. aduerte quòd aliud sentit de corporeo generabili & corruptibili, quale est animal terrenum, & aliud de corporeo ingenerabili & incorruptibili, quale est animal cœleste secũdùm viam Philosophi, qui tenent cœlum animatum, de cuius animatione iam pertractauimus in lib. 12. Metaph. in q. nostris. Nam de corporeo generabili tenet partem affirmatiuam propter rationem adductam à Philosopho, quia si non haberent sensum, non perciperent singularia cõuenientia & nociua sibi, & citò corrumperentur: vt igitur conseruentur in esse oportet eis inesse sensum, quo prosequantur conuenientia & refugiãt nociua. Et quoniam homo habens intellectum cõtinetur in genere corporeorum generabilium, ideo necesse est vt habeat sensum cum intellectu. De corporeo autem ingenerabili & incorruptibili tenet partem negatiuam. Tale autem corporeum reputat esse cœlum, quod vt animatum, licet habeat intellectũ propter intelligentiam, quæ est vt anima eius, tamen non habet sensum, quia si haberet sensum nullum ex eo haberet iuuamentum. Vnde dicit, Iuuamentum enim, quod est per animam, nõ habet, quia anima sensibilis impedit in maiori parte intellectum. Iuuamentum autem virtutis sensibilis, quæ est per corpus, non habet etiam, quia sensus in maiori parte non est causa longitudinis vitę & durationis. Nam sensibilia sunt minoris vitæ, quàm multæ plantæ. Cùm igitur sensus nihil proficiat corpori ingenerabili & incorruptibili, quale est cœlũ, non est necesse illic ponere sensum cum intellectu.

Hæc fuit intentio Commentatoris quæ non reprobatur à B. Thoma vt falsa, quoniam vtraque conclusio cum ratione adducta est vera, sed reprehenditur, quia non continuat textum Philosophi. Dicit enim Philosophus quòd non potest corpus non mansiuum habere animam & intellectum, & non habere sensum, generabile autem, at verò neque ingenerabile: quasi dicat, Siue sit generabile siue ingenerabile, ita quòd ly Generabile & ingenerabile faciunt vnum copulatum. Quod & manifestius est in textu Arabico, in quo sic habetur, Siue fuerit generatum, siue non fuerit generatum etiam. Intentio ergo Philosophi est, quòd nullum corpus generabile & corruptibile, nec ingenerabile & incorruptibile potest habere intellectum sine sensu, & quoniam id non potest verificari de cœlo, ideo vt continuetur textus Philosophi dimisso cœlo, inuestigãdum est si datur aliud corpus ingenerabile, in quo sit inconueniens ponere intellectum & non sensum.

Quantùm ad viam B.Tho. & Egidij vt continuent tex. Philosophi dicunt Philosophum per corpus ingenerabile non intellexisse cœlum, sed corpus imaginatũ à Platone, qui tenet animã intellectiuã vniri dupliciter corpori, s. grosso & terreno, ac corruptibili, quale nos videm⁹ corpus humanũ, & corpori subtiliori ac simplici, quod ponebat ingenerabile

& in

& incorruptibile, vt proportionatum animæ, cuius natura est simplex & incorruptibilis. Intendit ergo Philosophus quòd data imaginatione Platonis esset necesse corpus illud incorruptibile habere sensum, quia secundùm Platonē illud corpus est magis proportionatum animæ, quàm hoc corpus terrenum: ergo sicut hoc terrenum corpus, quia est magis proportionatum animæ intellectiuæ, quàm corpus bruti, habet meliorem tactum cæteris animalibus, sic quia illud corpus subtile incorruptibile est magis proportionatū animæ intellectiuæ, quàm corpus terrenum, debet habere sensum tactus, etiam nobiliorem, quàm sit in corpore terreno: ergo corpus habens animam, si habet intellectum habet etiã sensum, siue sit generabile, siue ingenerabile, id est, siue sit corruptibile, siue incorruptibile, vnde patet quòd melùs continuatur textus Philosophi tali expositione, quàm via Comment. Et hoc quod dixi de illo corpore Platonico respectu animæ, potes tu adaptare ad corpus aéreum attributum dæmoni, in via Platonica, vt adaptat B. Tho. sicut videbis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Num ratio Philosophi, quæ probat tactum necessarium animali concludat.

Quoniam enim animal corpus animatum est, corpus autem omne tangibile, tangibile autem quod sensibile tactu necesse & animalis corpus tactiuum esse, si debet saluari animal, tex. 63.

Cuiuis animali necesse est inesse sensũ tactu cũ quodvis animal corpus existens non sine sensu necessariũ sit esse tactiuũ.

IN hac quæst. aduerte, quòd difficultas stat in hoc, Per eandem rationem adductã à Philosopho ita potest probare, plantã habere tactum, sicut & animal. Sic enim videtur Philosophus arguere, Animal est corpus animatum, ergo est tangibile, quia s. est corruptibile, & per consequens continet qualitates cõtrarias elementares: si est tangibile, ergo oportet esse tactiuum, i. habere tactum, aliter non posset saluari. Nam nisi per tactum discerneret corrumpẽtia vt calida, aut frigida excessiuè, non ea vitaret, ex consequenti non saluaretur. Sed hæc ratio ita videtur concludere de planta, sicut de animali. Nam planta est corpus animatum, ergo tãgibile: si tangibile, ergo sensibile tactu: si sensibile tactu, ergo oportet esse tactiuum, quia cùm sit tangibile est corruptibile, ergo oportet esse tactiuum, aliter planta non posset saluari, & tamen cuilibet naturæ insitum est appetere sui salutem. Non ergo videtur ratio Philosophi magis concludere de animali, quàm de planta.

Vt igitur scias quomodo ratio cõcludit aduerte, quòd supponitur vnum iam præmissum & probatum à Philosopho in tex. 50. s. Necesse est animal habere sensum, vnde & sensitiuum est de ratione quidditatiua animalis. Hoc supposito & non aliter, dico quòd ratio Philosophi concludit. Nam incipiendo à tex. 60. sic intendit arguere, Animal de necessitate habet sensum: hæc patet ex præsupposito, ergo sensum tactus. Probatur consequentia, Sensus datur animali vt saluetur in esse animal: sed non potest saluari nisi habeat sensum tactus, quod sic probatur, Animal est corpus animatum, ergo tangibile: si tangibile, ergo corruptibile, sumendo Tangibile propriè: si corruptibile, ergo nisi habeat sensum, per quẽ cognoscat corrumpentia, non poterit ea vitare, & per consequens non poterit se saluare: sed per solum sensum tactus cognoscuntur corrumpentia, vt calidum, frigidum, &c. ergo cùm sit necesse quòd habeat sensum, necesse est vt habeat sensum tactus. Et hoc est quod cõcludit Philosophus dicẽs, Necesse & animalis corpus tactiuũ esse, si debet saluari. Patet autem quòd prædicta ratio sic deducta non concludit de planta, eò quòd non supponitur plãtam habere sensum, nec posse habere propter sui terrestreitatem, & quia nõ est per aliquam suam potentiam susceptiua specierum sine materia.

Et si quæras, Quare natura non dedit sensum tactus plantæ, vt se saluare possit à corrumpentibus cùm vnumquodq; appetat se saluare in esse: respondetur, quòd gradus naturæ vegetatiuæ non est capax virtutis sensitiuæ propter suam materialitatem. Sufficit autem ad sui salutem, quod habeat qualitates actiuas modo debito naturæ suæ, quibus potest reagere in agens sibi contrarium. Nec est capax altioris saluatiui, nisi transferatur vegetatiuum ad sensitiuum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIIII.

Num omnes sensus sentiant tangendo.

Et tamen alij sensus tactu sentiunt. tex. 66.

Omnes sensus sentiunt tangẽdo, quã quàm nõ eadem ratione.

IN hac quæstione non cadit multa difficultas. Nam tria declaranda sunt, quibus notificatis constabit veritas huius dicti, Alij sensus tactu sentiunt. Primo enim aspectu videtur falsum, quoniam omni alio sensu cognosceremus qualitates tangibiles, quod constat esse falsum præcipuè in visu & auditu. Præterea in omni alio sensu interueniret immutatio alteratiua, sine qua non fit tactus, vt declaratum est in 2. libro.

Vt igitur habeas huius resolutionem tria declarãda sunt. Primò quomodo sit verum, quòd omnes sensus sentiunt tangendo. Secundò quòd iste tactus nõ est eodem modo in sensu, qui propriè dicitur tactus, & in aliis sensibus. Tertiò declarandum est, quare non omnes sensus dicuntur sensus tactus, si sentiunt tangendo, sed tãtùm vnus appellatur tactus.

Quãtùm ad primum aduerte illud ideo esse verum, quia inter agens & patiẽs, vt proueniat actio, necesse est esse proximationem & vnionem, ita quòd sint simul, quam quidem vnionem possumus appellare tactum: diffinitum est enim in 27. Phy sic. quòd illa se tangunt, quorum extrema sunt simul. Et quoniam sensibile proprium agit in sensum, vt declaratum est in secundo libro, ideo necesse est inter sensibile & sensum, vt sequatur sensatio, esse tactum, id est, vnionem. Et quidem quòd necesse sit omne agens tangere passum, vt sequatur actio & passio diffusè declarauimus in Epitomate nostro super 1. de Generatione, Tract. 3. in cap. 2. exponentes illud dictum Philosophi, in 1. de Generatione, tex. 44. Omne agens agit per contactum. Verùm, quia in secundo libro de Anima, in q. 50. iam docuimus quòd sensibile positum suprà sensum nõ sentitur, ideo tu intelligens quòd sensus sentiunt tangendo suum sensibile non immediatè, sed per speciem intentionalem, quæ causatur ab obiecto in medio & in organo, ita quòd sicut ignis tangit manum mediante calore causato in aëre vsque ad manum, sic sensibile tangit sensum mediante specie causata in medio vsque ad sensum.

Quantùm ad secundum aduerte, quòd cùm sensibile non tangat sensum ad hoc quòd fiat sensatio nisi per medium, tale medium vel extraneum est à natura sentientis, vel est intrinsecum & de substantia sentientis. Primo modo sentiunt tangendo visus, auditus, odoratus, horum enim sensationes fiunt in aëre, aut aqua, vt iam declarauimus in 2. lib. quæ sunt medij extra substantiam sentientis. Secundo modo sentiunt tangendo, tactus & gustus, horum enim medium est caro, quæ est de substantia sentientis, sicut declarauimus agentes de tactu & gustu. Patet igitur quòd non eodem modo sentiunt tangendo tres primi sensus, & gustus & tactus.

Quantùm ad tertium aduerte quòd licet omnes sensus sentiant tangendo modo suprà exposito, tamen solus quintus dicitur propriè tactus, quia sentit per medium intrinsecum & cõnaturale, & tanta est vnio cum obiecto suo, quòd videtur immediatè sibi vniri. Neque enim distãs obiectum sentitur à quinto sensu, nec à quarto, vt est quidam tactus, in visu autem & auditu & odoratu sentitur obiectum etiam distans notabili distantia. Hac igitur de causa solus quintus sensus appellatus est tactus, & obiectum tangibile. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Num ea in quibus dominatur terra possint habere sensum tactus.

Neque itaque terrenum, omnium enim tangibilium tactus est sicut medietas. tex. 66.

IN hac quæstione aduerte, quòd difficultas stat in hoc, Cùm omnia inferiora composita moueantur deorsum vt detur in eis dominari terra. Motus enim compositi consequitur naturam elementi prædominantis ex primo Cœli. Si igitur corpus terrenum non potest habere tactum, eò quòd in corpore terreno prædominatur terra, sequitur quòd in nullo animali sit tactus. Corpus enim animalis est corpus terrenum.

Ad hoc inuenio duos modos respõdendi. Quidam dicit quòd non est intentio Philosophi loqui hic nisi de corporibus simplicibus elementorum, & declarare quòd nullum simplex elementũ potest esse organum tactus. Vnde in principio textus 66. dicit manifestum esse quòd impossibile est animal esse corpus simplex. Et quando dicit Philosophus, Putà igneum aut aëreum neque terrenum, non intendit corpora in quibus dominatur ignis aut aër, aut terra, sed intendit simplicia elementa, vt est ignis, aër, terra. Quod & patet per textum Commentatoris in quo sic habetur, Impossibile est vt corpus animalis sit simplex, sicut ignis aut aër. & infra, Nullum istorum elementorum est corpus animalis neque terra. Cùm igitur Philosophus non intendat probare nisi de simplici elemento quòd non potest esse corpus animalis, ex consequenti non potest esse organum tactus, non inconuenit compositum in quo dominatur terra siue aliud elementum posse esse organum tactus & esse anima, aliter non daretur complexio cholerica in qua dominatur calidũ siccum attributum igni. Nec complexio sanguinea in qua dominatur calidum humidum attributum aëri, nec complexio flegmatica, in qua dominatur humidum frigidum attributum aquæ, nec complexio melancholica, in qua dominatur frigidum siccum attributum terræ.

Sed quòd Philosophus intendat quòd non solùm est impossibile corpus animalis & organum tactus esse simplex elementum, putà terra sed nec compositum in quo dominatur terra patet in eodem textu 66. vbi assignans causam quatur re per ossa & capillos non sentimus inquit, Et propter hoc nõ sentimus ossibus & capillis, & huiusmodi partibus, quia terræ sunt, vbi inquit Commentator, Et ideo non sentimus per ossa neque per pillos propter dominium qualitatum terrestrium in his corporibus. Et in fine eiusdem commenti inquit, Et instrumentum tactus neque est ignis neque aliud corpus elementorum, neque est corpus attributum eis secundùm dominium. Isti ergo non saluant intentionem Philosophi nec Commentatoris.

Et ideo est alius modus respondendi quem credo verum & fundatum super doctrinam Philosophi in libro secundo de Generatione, in text. 48. vbi probat quòd in generatione cuiuslibet mixti residentis circa terram conueniunt de necessitate quatuor elementa. Et nos id iam manifestauimus in Epitomate nostro, super 2. de Generatione, in Tractatu 2. in cap. 1. vbi docuimus ad mentem Philosophi quòd mixtio non fit solo vno modo, sed pluribus, in quibus dominatur modò hoc, modò illud elementum. Et tu vide illic. Non recedens igitur à fundamento præfatæ doctrinæ dico quòd terra in composito potest dupliciter prædominari. Primò secundùm molem vel quantitatem, vt scilicet plus sit in eo de substantia terræ quàm de substantia alterius elementi, nõ tamen quòd dominetur secundùm virtutem quæ est per qualitates suas, scilicet per frigiditatem & siccitatem, imò quantùm ad virtutem dominetur aliud elementũ, putà ignis aut aër. Secundò potest prædominari & secundùm molem & secũdùm virtutem, ita quòd in mixto præualeant substantiæ terræ & qualitates eius omnibus aliis elementis. Si dominatur terra tantùm primo modo, nõ obstat quin possit illud mixtum esse animal & habere sensum tactus. Nam si sic obstaret, cùm in omni composito perfecto inferiori dominetur terra secundùm molem, vt declarauimus in secundo de Generatione, in Epitom. nostro, vbi suprà, & huius rationem euidentem illic assignauimus, vt videre poteris, sequitur quòd in nullo mixto inferiori quãtumcunque perfecto posset esse tactus, & sic non daretur in natura gradus sensitiuus. Si autem dominatur secundo modo, ita quòd in tali mixto non possit seruari media proportio tangibilium qualitatum, omnino obstabit sensui tactus. Tale enim dominiũ propter sui grossiciem & siccitatem & frigiditatem repugnat omni gradui spiritualitatis, ex consequenti prohibet receptionem specierum sine materia, quæ est de ratione sensus, & quoniam in planta, in osse, in capillo prædominatur terra secundo modo, ideo non habent sensum.

Ad quæsitum ergo dico quòd intentio Philosophi est nec simplex elementum, nec compositum in quo dominatur terra secundo modo, posse habere tactum ratione dicta. Et argumentum positum in principio quæstionis patet quòd non concludit, quia ex motu deorsum quo mouentur omnia inferiora composita, non potest argui dominium terræ nisi secundùm molem. Et Albertus in 3. de Anima Tracta. vltimo cap. 3. vocat dominium terræ secundùm medietatem, quæ vocatur arithmetica, quia videlicet plus quantitatis terræ & aquę dominatur in corporibus animatorum quàm aliorum elementorum, secundùm autem medietatem quæ vocatur geometrica non datur hoc dominium terræ super alia elementa aliter non constaret natura animalis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVI.

Num solus tactus sit necessarius animali.

Neque cùm sit animal, alium necesse est habere præter hunc. tex. 67.

Quia necesse solùm hunc habere. tex. 68.

IN hac quæstione aduerte quòd difficultas stat in apparenti repugnantia quæ primo aspectu videtur in dictis Philosophi. Nam in hoc 3. lib. in tex. 64. dixit, Hi quidem igitur, s. tactus & gustus necessarij sunt animali. In textu autẽ 68. dicit, Neque cùm sit animal alium necesse est habere præter hunc scilicet tactum, ergo videtur manifesta repugnantia.

Vt ergo auferatur hæc repugnantia aduerte quòd gustus dupliciter considerari potest. Primò vt est gustus. Secundò vt est quidam tactus. Consideratur gustus vt gustus prout respicit saporem vt proprium obiectum distinctum ab obiecto tactus. Obiectum enim tactus sunt primæ qualitates actiuæ & passiuæ: obiectum autem gustus vt gustus est sapor qui est qualitas secunda fundata in primis, vt declarauimus in lib. 2. in q. 41. vbi pertractauimus de generatione odoris. Gustus igitur vt gustus est sensus condistinctus contra quẽcunque aliũ sensum apprehensiuus saporis, vt sapor est. Consideratur autem gustus vt quidam tactus prout sicut obiectum gustus quod est sapor fundatur in humido quod est obiectum tactus, sic gustus fundatur & supponit tactũ, ideo potest dici in hac consideratione quòd gustus est tactus fundamentaliter. Sed aduerte quòd nõ fundatur in tactu diffuso in omni parte animalis, sed solùm in parte ex qua sumit cibum quæ dicitur os & guttur vel aliquid proportionale. Et quia non fundatur absolutè in tactu, sed in tactu determinatæ partis, ideo dicitur quidam tactus, i. qui est in tali parte. Ex hac distinctione patet quòd nulla est repugnantia in dictis Philosophi. Nam quãdo dixit in tex. 64. gustum & tactũ esse necessarios animali considerat gustum vt est quidam tactus. Vnde dicit in eodem textu, Quare necesse est gustum esse tactum quendam: quia tangibilis & vegetatiuì, id est alimenti sensus est. Vt autem est quidam tactus non condistinguitur contra tactum, sicut non cõdistinguitur species contra genus, vt determinatum est in lib. 2. q. 45. Quando autem dicit in tex. 68. Quia necesse solùm hunc habere, s. tactum cõsiderat tactum vt distinctum contra gustum, prout gustus est discretiuus saporis vt sapor est. Nam vt sic inest animali ad bene esse, vt s. delectetur cibo, & moueatur ad illũ. Quòd autem vt gustus non sit necessarius animali absolutè patet ex eo quòd non inest nisi animali perfecto, in imperfecto autem non est nisi vt quidam tactus. Sed contrà, Si in animali imperfecto non est gustus vt gustus, ergo non mouebitur ad cibum. & sic deficiet. Patet consequentia, quia nisi delectetur cibo non mouebitur ad illum, sed non delectatur, nisi apprehendat saporem, ergo si non inest gustus vt gustus non mouebitur ad cibum.

Respondetur quòd cibus & potus non solùm est delectabilis gustu vt gustu, sed etiam tactu, qui viget in ea parte animalis ex qua sumitur cibus. Quod declaratur ex doctrina Philosophi quam tradit in 3. Ethic. agens de temperantia, & suo opposito, vbi inquit, Temperantia & intemperãtia sunt circa delectationes quæ sunt tactus & gustus. Quæ quidem delectationes sunt maiores in cibo ratione tactus quàm ratione gustus, quod Philosophus ibidem manifestat ex eo quòd intemperati non multùm gaudent gustantes lingua saporem vini aut pulmenti, sed magis gaudent sumentes vinum & bibentes & comedentes pulmentum, eo quòd delectationem maiorem sentiunt in gutture, vbi est propriè tactus nutrimenti quàm in ore. Vnde vt refert illic Philosophus oranit quidam Philosenus Erichius Pulciuorax existens, guttur ipsius longius gruis fieri, vt magis delectaretur tactu. Ad argumentum ergo negatur consequentia. Ad probationem nego quòd si non apprehendit saporem non delectetur cibo. Potest enim delectari tactu qui est in parte ex qua sumitur cibus, & hæc delectatio vt dictum est, cõmunis est animali perfecto & imperfecto. Sed in animali perfecto est delectatio cibi secundùm gustum, vt gustus est, & secundùm tactũ, qui est in gutture. In animali autem imperfecto est delectatio solùm secundùm tactum, qui est in parte ex qua sumitur cibus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVII.

Num præter tactum necessarius est animali sensus communis.

Quia necesse solùm hunc habere. tex. 68.

Præter sensum tactus necesse est animalibus inesse sensum communem.

IN hac quæstio. aduerte quòd difficultas stat in hoc, Quia sensus communis apud Philosophum in 2. de Anima. text. 149. dicitur esse primum sensitiuum. Et idem dicit in lib. de Somno & Vigilia, Et quia nõ potest animal sentire sine primo sensitiuo videtur quòd non solùm tactus, sed & sensus communis sit necessarius animali.

Vt igitur præsens difficultas auferatur, aduerte, quòd ex falso supposito procedit. Supponitur enim à dubitãte, quòd sensus communis sit sensus omninò distinctus à sensibus exterioribus, quod non est verum, imò, vt diximus suprà, est consummatio & perfectio sensũ exteriorum. Sicut centrũ non est omninò distinctum à lineis terminatis ad ipsum sed est communis earum terminus. Vnde diximus suprà, Licet visio incipiat ab oculo, tamen non terminatur nisi per sensum

ſenſum communem. Similiter dico de ſenſationibus aliorũ ſenſuum exteriorum. Stantibus his dico quòd mens Philoſophi fuit docere ſolùm ſenſum tactus eſſe neceſſariũ animali, ſic exponendo, Tactus eſt neceſſarius animali, & nullus alius ſenſus omnino diſtinctus à tactu eſt neceſſarius animali, ergo, &c. Per hoc quod dicitur Omninò diſtinctus, non excluditur guſtus vt eſt quidam tactus, nec ſenſus communis, imò nec phantaſia ſiue terminata ſiue interminata. Nam cùm omne animal moueatur localiter ſaltem dilatatiuè vel conſtrictiuè, & principium motiuum poſitum fuerit eſſe phantaſiam etiam in animali imperfecto, neceſſe eſt omni animali ineſſe tactum & ſenſum communem & phantaſiam. Et quòd intentio Philoſophi fuerit non excludere ſenſum communem patet ex eo quòd ſubiungit in tex. 68. poſtquàm dixerat, Quia neceſſe ſolùm hunc habere, deinde ſequitur, Alius autem ſenſus habet animal, ſicut dictum eſt, &c. Et exemplificat ſolùm de ſenſibus exterioribus.

Dictum autem Philoſophi in 2. de Anima, tex. 149. & in li. de Somno & Vigilia, debet ſic intelligi, Senſus communis dicitur eſſe primum ſenſitiuum non quia ſit primus ſenſus conditinctus contra omnes alios, ſed quia eſt primum ſine quo nullus alius ſenſus perficit actum ſuũ. Item poteſt dici primum ſenſitiuum non formaliter ſed virtualiter, eò quòd ab eo tranſmittuntur ſpiritus animales ad organa ſenſuum, & ipſo ligato vt patet in dormitione nullus ſenſus exterior habet actum ſuum. Hæc de præſenti queſito dicta ſint: quod erit vltimum in tertio libro de Anima, Ad laudem Datoris omnis vitæ omniſque boni, Dei benedicti & glorioſi in æternum, Amen.

Quæſtionum naturalium M. Chryſoſt. Iauelli, ſuper tres libros Ariſt. De Anima,
F I N I S.

QVÆSTIONES

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII,

Super duodecim Metaphyſices Ariſtotelis libros, ad mentem Ariſtot. & S. Thomæ vtplurimum deciſæ.

Adiectis in margine ſingularum quæſtionum abſolutis concluſionibus.

Procemium in Quæſtiones Primi libri Metaphyſices.

QVoniam primus liber verſatur tantũ circa recitationes & reprobationes ſententiarum antiquorum de primis cauſis & principiis entium, ideo pertractabimus ſolùm illa quæſita, quæ fundamentum habent in procemio Ariſtotel. ante quæ pertractabimus illa duo quæſita famoſa, quorum primum eſt de ſubiecto huius ſcientiæ, ſecundum eſt de ſubalternatione aliarum ſcientiarum huic ſcientiæ, erunt igitur numero decem.

1 Si ens, vt ens abſolutè & vniuerſaliſsimè ſumptum, eſt ſubiectum in hac ſcientia.
2 Si Metaphyſica ſubalternat ſibi alias ſcientias.
3 Quomodo hæc eſt vera, Omnes homines natura ſcire deſiderant.
4 Si ſenſus viſus eſt nobilior aliis: & ſi eſt magis cauſa ſcientiæ: & ſi deſideramus ipſum præ aliis ſenſibus.
5 Si in brutis eſt prudentia.
6 Quomodo ex experimento generatur ars & ſcientia.
7 Si omnis actio eſt circa ſingulare.
8 Si obiectum ſenſus eſt vniuerſale, vel ſingulare.
9 Si Metaphyſicus conſiderat omnium quidditates tantùm in vniuerſali, an etiam in ſingulari.
10 Si maximè vniuerſalia ſunt difficillima ad cognoſcendum.

QVAESTIO I.

Si ens, vt ens abſolutè, &c. eſt ſubiectum Metaphyſicæ.

CIrca hanc quæſtionem, ante determinationem aduerte duo. Primò quod hæc quæſtio habet fundamentum in quarto libro, in textu primo, vbi inquit Ariſto. eſt autem quædam ſcientia, quæ ſpeculatur ens inquantum ens, vbi Comm. dicit, quòd prima pars quarti libri eſt in diffiniendo, id eſt determinando ſubiectum huius artis, verùm quia ex primo poſteriorum, in omni ſcientia de ſubiecto præcognoſcere oportet quid & quia, ideo notitiam ſubiecti huius ſcientiæ extimamus neceſſariam, vt in primis immoremur circa ipſum. Secundò aduerte, quod præſens quæſtio proponenda eſt ſub tali titu. Vtrum ens inquantum ens ſimpliciter ſumptum, ſit ſubiectum primum, primitate adæquationis in Metaphyſica.

Ad huius igitur quæſiti reſolutionem, tria agenda ſunt. Primò declarabitur titulus. Secundò adducentur tres opiniones, ex quibus duæ relinquentur, & tertia ſuſtinebitur. Tertiò ſoluentur quædam dubia, quæ ſolent verti inter Thomiſtas.

Igitur pro declaratione tituli aduerte primo, quod ly inquãtum poteſt teneri reduplicatiuè, & ſpecificatiuè. Reduplicatiuè tenetur, quando reduplicat rationem formalem termini, cui apponitur, vt homo inquantum homo intelligit, id eſt homo ſub ratione qua homo intelligit. Si autem dicatur homo inquantum homo ſentit, falſum eſt: quoniam non inquãtum homo, ſed inquantum animal ſentit: ſpecificatiuè tenetur, quando modificat terminum, cui apponitur: vt homo inquantum bipes ambulat, & vt ſpecificat non relinquit terminum, cui apponitur in ſua ratione formali abſolutè ſumpta, ſed reſtringit. Aduerte ſecundo, quod ly ſimpliciter, ſtat pro non contractè: vt ſit ſenſus, vtrum ens, ratione qua ens, ſimpliciter, id eſt non contractum per aliquam diuiſionem, ſed vniuerſaliſsimo modo ſumptum, vt ſe extendit ad ens reale & rationis, ad ens per ſe & per accidens, ad ens finitum & infinitum, ad ens diuiſum in decẽ prædicamẽta, ſit ſubiectũ, &c. Aduerte tertio circa ly primum primitate adæquationis, quoniam duplex primitas poteſt aſsignari in ſubiecto ſcientiẹ, ſcilicet perfectionis & adæquationis, primitas perfectionis dicit nobiliorem entitatẽ in aliquo conſiderato in ſcientia, quod excedit quodcunq; aliud conſideratum in illa ſcientia, vt cœlum eſt primum hac primitate in ſcientia naturali. Primitas adæquationis dicit præciſam æqualitatem ſubiecti ad ſcientiam & econuerſo, ita quod omne conſideratũ in ſcientia cadit ſub ratione formali ipſius ſubiecti, & quicquid participat rationem formalem ſubiecti conſideratur in illa ſcientia. Eſt ergo titulus talis, Vtrum ens ſub ratione entis ſumptum vniuerſaliſsimè ſit ſubiectũ adæquatũ Metaphyſicæ, ita quod nullum participans rationẽ entis ſubterfugiat cõſiderationẽ Metaphyſicã, & Metaphyſicus nihil cõſideret niſi ratione qua ens. Poſita declaratione titu. aduerte circa hoc quæſitum tres opiniones. Vna dicit, quod ens non eſt ſubiectum, ſed genus ſubſtantiarum ſeparatarum, & hãc opinionem aliqui attribuunt Commentatori, eo quod in primo Phyſ commen. vlt. arguens contra Auicẽ. qui poſuit ens inquantum ens ſubiectum huius ſcientiẹ ſic dicit: Qui dicit quod prima Philoſophia nititur probare entia ſeparabilia eſſe, peccat. Genus enim entium ſeparatorũ eſſe non demonſtratur niſi in ſcientia naturali. Hæc enim entia ſunt ſubiectum primæ Philoſophiæ, & impoſsibile eſt aliquam ſcientiam demonſtrare ſuum ſubiectum eſſe, ſed concedit ipſum eſſe, aut quia eſt manifeſtum per ſe, aut quia probatum eſt in alia ſcientia: vnde peccauit Aui. qui dicit primum Philoſophum demonſtrare primum principiũ eſſe. Hæc Commen. Vltra authoritatem Commen. tenentes hanc concluſionem, ſic arguunt ad eam: Totum negotium Metaphyſicum videtur apud Ariſ. ordinari ad librum duodecimũ, in quo de ſeparatis agitur: cùm ergo tota hæc ſcientia ad entium abſtractorum cognitionem ordinetur, videntur huiuſmodi ſeparata eſſe hic ſubiectum. Præterea dicit Ari. in prologo huius ſcientiæ, quod hæc ſcientia conſiderat primas & vniuerſales cauſas entium, & quod eſt maximè diuina & honorãda, quoniam eſt conſideratiua diuinorum entium: & in li. 6. tex. 2. inquit, prima verò, ſcilicet Philoſophia, circa ſeparabilia & immobilia, &c. videtur ergo quod entia ſeparata ſint ſubiectum in hac ſciẽtia.

Sed hæc opinio falsò attribuitur Com. nam ſi ſic eſſet ſibi ipſi contradiceret: quoniam in tertio li. Met. com. ſexageſimo quarto, & in 4. li. com. 1. & in 12. lib. commẽ. primo, etiam authoritate Alex. dicit Meta. eſſe de ente inquantũ ens, & de his,

quæ consequuntur ens: nec obstat dictum suum allegatum in primo Physi. contra Auic. non enim illic intendit entia separata esse in hac scientia subiectum adæquatum. Primo, quia in eodem commen. præmiserat hanc scientiam esse de ente simpliciter: secundo, quia loquitur de separatis in pluralí, vna autem scientia, qualis est Metaphy. debet esse vnius & non plurium subiectorum. Intendit ergo cum dicit, quòd sunt subiectũ, quòd sunt principaliores & perfectiores partes sui adæquati subiecti, quod est ens: & hoc sufficiebat Cõment. cõtra Auic. opinatur enim Cõment. quòd sicut nulla scientia probat suum subiectum adæquatum esse, sic nec probat suas principales partes. Quod autem dicit hæc opinio, totũ negocium metaphysicum ordinari ad cognitionem entium separatorum, non concludit intentum: nam hoc admisso, aliud non probat nisi quòd ens separatum est primum subiectum, primitate perfectionis: idem concludunt dicta allegata Arist. in prœmio, & in lib. 6. huius scientiæ, nos autem quærimus de subiecto adæquato, quod necesse est esse vniuersale considerati: & hoc vt sustinebimus infrà, est ens inquantum ens cum proprietatibus suis conuertibilibus & disiunctis.

Secunda opinio est, quæ tenet subiectũ huius scientiæ esse ens, non quidem simpliciter sumptũ, sed ens reale finitũ diuisum in x. prædicamẽta, quod solet dici ens prædicamẽtale: & hãc opinionẽ sequitur Dominicus Flandrẽsis in quæstionibus suis metaphysicalibus, & dicit eam esse ad mentem B. Tho. & quoniam peritiores Thomistæ reputant id esse falsum, ideo adducam rationes suas & soluam. Sed prius aduerte, quòd alii qui tenent hanc opinionem esse etiam ad mentem Commentato. Quod tamen patet esse falsum inspectis principiis Comment. Certum est enim vt allegatum est in 1. physi. commen. vltimo quòd Metaphysicus considerat entia abstracta, quæ tamẽ apud Cõm. non sunt in prædicamẽto substantiæ, quoniã arbitratur sola corruptibilia reponi in prædicamẽto. Præterea entia abstracta apud Commenta. non componuntur ex potentia & actu, sed sunt purus actus, vt declarabitur de intentione sua in libro duodecimo. Hæc autem opinio dicit, quòd substantia prædicamentalis componitur ex potentia & actu, ergo non est ad mentem Commenta. Quantum igitur ad rationes Flandrensis aduerte, quòd modicæ sunt efficaciæ, & sunt istæ.

Prima, subiectum in metaphysi. est illud, cuius principia & causas quærimus: sed in ea quærimus principia & causas solius entis prædicamentalis, eo quòd ens vt ens, non habet causas, aliter omne ens haberet principium, & sic principia & non esset deuenire ad primum ens, cuius oppositum demonstrabitur in libro 12.

Respondeo, negatur minor, nam manifestabitur in lib. 6. quomodo hæc propositio est vera, ens vt ens habet principia, & declarabitur tam de principiis complexis, quàm incomplexis. & tu sustine, donec in lib. 6. resoluamus quæ illic formabuntur quæsita.

Secunda, si ens commune Deo & creaturis est subiectum in hac scientia pari ratione ens commune enti reali, & enti rationis, quoniam vtrunque sub ente vt ens est, continetur, & tamen hoc est falsum, quoniam Logica tantum considerat de ente rationis. cum sit subiectum in ea, & quoniam Aristot. in lib. 6. excludet ipsum à metaphy.

Respondeo, negatur consequentia: non enim est eadem ratio, quoniam cum metaphysica sit scientia realissima, conuenit ei subiectum reale, ens autem commune enti reali & enti rationis, non est quid reale, sed ab vtroque abstrahit.

Tertia, omnes conditiones subiecti adæquati, ita possunt attribui enti enti prædicamentali, sicut enti communi, Deo & creaturæ, ergo, &c.

Respondeo, negatur antecedens, quod nec ipse probat, falsitas autẽ eius cõstat ex hoc, quoniam ens prædicamẽtale non adæquat considerationem Metaphysici: considerat enim de passionibus entis, vt declarabitur in lib. 4. quæ non conuertuntur cum ente prædicamentali. imò præcedunt ens diuisum in x. prædicamenta, vt declarabitur in lib. 4.

Tertia opinio, quam reputamus ad mentem Arist. & Commen. & Auic. in 1. suæ metaphysi. & Algazellis, & domini Alber. & B. Tho. & Scoti est hæc, ens reale per se commune finito & infinito, id est creato & increato, est subiectum adæquatum in hac scientia. Declaro primo titulum, deinde probo cõclusionem, dicitur ens reale, ad differentiam entis communis enti reali & rationis, quoniam vt sic in nulla scientia est subiectum, nullam enim dicit vnitatem, sed tantum vnitatem vocis, ens autem reale dicit vnitatem vniuocationis secundum Scotum, vel analogiæ secundum B. Tho. & propterea potest esse subiectum in Metaphysica, sicut & in Logica subiectum est ens rationis. quod Arist. in lib. 6. tex. 8. dicit prætermittendum à metaphy. vbi dicit Commen. vtrunque, scilicet ens per accidens, & ens verum numeratur in genere entis diminuti, & ideo perscrutandum est de ente perfecto, quod est ens extra animam, hæc Commentator.

Nec obstat quod dicit philosophus in 4. lib. tex. 1. quòd Metaphysi. & Logicus loquuntur de omnibus, & sic conueniunt in ente, vbi & Cõment. ait, quòd conueniunt in subiecto, illud enim intelligendum est de subiecto materialiter & non formaliter sumpto. nam alia ratione considerat Metaphysicus de ente & de quolibet ente, & alia ratione Logicus. Metaphysicus quidẽ scrutatur veram entitatẽ cuiuslibet entis, vt entitas est, Logicus autem ideo considerat de omnibus, vt cuilibet enti attribuit aliquam ex intentionibus secundis: vel considerat de omnibus procedendo ex aliquibus communibus, Metaphy. autẽ procedendo ex propriis, & ideo discursus metaph. scientiam generat, Logicus autem opinionem tantum. Loquendo ergo de subiecto adæquato, & secũdum suam rationem formalem non conueniunt metaph. & logicus: & tu aduerte, quòd aliqui breuius respondentes dicunt Arist. & Comment. intelligere de subiecto cõmunissimo, & nõ de adæquato. Sed id non videtur consonum, quoniam Arist. in 1. tex. eiusdem libri iam proposuerat, quòd est aliqua scientia, quæ speculatur ens inquantum ens, & secũdum Cõment. illic agit de subiecto propriè huius artis, vt distinguitur à subiectis aliarũ scientiarum: ergo continuãdo tex. phylosophi rationabile est, quòd in sensu eodem loquatur de subiecto in tex. 5. Ideo tu tenе primam responsionem, quæ etiam consonat B. Tho. illic exponenti.

Dicitur ens reale per se, quoniam Arist. in lib. 6. in tex. 8. excludit ens per accidens, de quo probat illic Arist. quòd nõ potest sciri, sicut nec ens fortuitum, vnde in fine sexti libri, quasi purificans subiectum huius scientiæ inquit: Quapropter dimittatur scilicet. ens per accidens, & ens verum. vbi Cõmen. inquit, dimittamus ergo perscrutari ens per accidẽs, & ens, quodest in anima, quoniã verunque numeratur in genere entis diminuti. & ideo perscrutandum est de ente perfecto, quod est ens extra animam.

Dicitur cõmune enti finito & infinito, quod tu non intelliges quantitatiuè, sed essentialiter, quod exponitur per creati & increatum, siue per productum & improductum, quoniam vt rationes pro conclusione probabunt, Metaphysicus non solũ versatur circa ens prædicamẽtale, sed circa ens reale, prout verificatur de quolibet ente reali per se: consilat autem quòd non solum ens finitum est ens reale per se, sed & infinitũ. vt Deus est ens reale per se, imò realissimum, cum sit perfectissimum.

Sed dices, ergo tu tenes ly inquantum specificatiuè, & sic coincidis cum opinione secunda.

Respondeo, non inconuenit specificare ly ens, non tamen sicut secunda opinionã illa contrahit ad ens x. prædicamẽta, quæ dicunt species modos essendi, vt declarauimus in trac. de transcendentibus, nos autẽ non sic contrahimus, sed relinquimus ipsum in sua maxima vniuersalitate tractum ad ens reale per se, quod est longè maioris ambitus, quàm ens prædicamẽtale: vnde pro nostra opinione. sic formetur conclusio, ens reale per se inquantum tale est subiectum in hac scientia.

Sic declaratam conclusionem probamus duplici ratione: primo sic, Illud est subiectum in Metaph cuius passiones, primo & per se conuenientes ei considerantur in Metaphy. Hæc patet, quoniam est conditio requisita in subiecto cuiuslibet scientiæ: sed entis realis per se passiones primo & per se ei cõuenientes considerantur in Metaphysic. hæc patet, quoniam vt declabitur in quarto libro passiones primo & per se entis, sunt transcendentia, & actus & potentia, & finitum & infinitum entitatiuè, & istæ considerantur in metaph. vt patet in libr. 4. & 9. & 10. ergo, &c.

Sed aduerte quòd Flandrensis conatur hanc rationem soluere dicens, quòd metaphysi. non cõsiderat passiones entis, nisi vt diuiditur in x. prædicamẽta. similiter nec ipsum ens, cuius signum dicit esse. quòd phylosophus in libro quinto in cap. de ente, diuidit ens, quod posuerat in 4. lib. subiectum metaphy. in x. prædicamenta.

Sed hæc respõsio rudis est, quoniã philosophus in lib. 4. tex. 1. dixit quòd est quædam scientia, quæ speculatur ens inquantum ens, & quæ huic insunt secũdũ se, exẽplificans autẽ in tex. 3. de his quæ per se insunt enti, nominat vnũ, & infrà nominat species vnius: & dicit ad eandẽ scientiã pertinere considerare de ente & vno, sed vnũ & alia transcendentia non cõsequitur per se

per se, sumendo per se cõuertibiliter ens prædicamentale, imò ens reale. Aliquod enim est ens & vnum & bonum & verum, quod tamen nõ est in prædicamento, puta prima causa: falsum est etiam, quod Philosophus in quinto libro, capite de ente, diuidat ens solum in decem prædicamenta, quoniam in eodem capite diuidit per potentiam & actum, & constat quod vtranque diuisionem prosequitur: eam quidem, quæ est in decem prædicamẽta in libro septimo, & octauo, reliquam autẽ in lib. nono. Stat igitur ratio adducta pro conclusione in robore suo.

Secundò sic arguitur, cum ens inquantum ens habeat passiones de ipso demonstrabiles, vt declarabitur in quarto libro, est verè scibile, ergo in aliqua scientia debet esse subiectum: non in Physica, nec in Metaphysica, quoniam, vt inquit Aristote. in quarto libro textu primo, cum sint scientiæ particulares, partem entis considerant, si ergo non est subiectum in hac scientia, oportet dare aliam scientiam vniuersalem distinctam ab hac scientia: quod est falsum: quoniam tunc essent quatuor Philosophiæ speculatiuæ, quod est contra Aristot. in libro sexto, textu secundo, & illa quarta esset prima, & vniuersalis scientia, quoniam esset de primo & vniuersalissimo subiecto, ex consequenti falsò attribuisset Aristotel. huic scientiæ nomen primæ Philosophiæ, & nomen sapientiæ, cum igitur hæc sit apud Aristotel. prima Philosophia, eius est de ente inquantum ens speculari, & non solùm de ente prædicamentali.

Probata conclusione aduerte, quod inter Thomistas est discrepantia, quoniam aliqui tenent cum Flandrensi, aliqui autem cum tertia opinione, quam credo esse ad mentem Beati Thom. Qui tenent cum Flandrensi, fundant se super duo dicta Beat. Thom. Primum est super Boëtium de tri. in quæstio. qua quærit de distinctione scientiarum speculatiuarum: illic sic dicit, Theologia, siue scientia diuina est duplex: vna, in qua considerantur res diuinæ non tanquam subiectum scientiæ, sed tanquam principia subiecti, & talis est Theologia, quam Philosophi prosequuntur, quæ alio nomine Metaphy. dicitur: alia verò, quæ res diuinas considerat propter seipsas, vt subiectum scientiæ, & hæc est Theologia, quæ sacra scriptura dicitur. Theologia ergo Physica determinat de separatis, sicut de principiis subiecti, Theologia verò sacræ scripturæ considerat de separatis, vt de subiecto. Hæc Beat. Thom. Tunc isti sic arguunt. Principia subiecti non continentur sub subiecto, aliter causa contineretur sub suo effectu secundum Beat. Thom. substantiæ separatæ considerantur à Metaphysico, vt principia entis, quod est subiectum in Metaphysic. ergo non continentur sub subiecto Metaphy. ex consequenti ens reale per se acceptum in sua maxima vniuersalitate, non est subiectum in hac scientia.

Secundum dictum Beat. Thom. est in prologo, quem præponit in principio Metaphy. vbi circa finem sic inquit, ex quo apparet, quod quamuis ista scientia, prædicta tria consideret, non considerat quodlibet eorum vt subiectum, sed ipsum solum ens commune. Hoc enim est subiectum in scientia, cuius causas & passiones quærimus, non autem ipsæ causæ generis quæsiti. Hæc Beat. Tho. & parum ante præmiserat, quod substantiæ separatæ sunt omnes & vniuersales causæ entis communis, quod est genus, id est subiectum in hac scientia. Tunc isti sic arguunt, illud ens commune est subiectum in Metaph. cuius causæ & principia sunt substantiæ separatæ, hæc est Bea. Thom. sed entis communis Deo & creaturæ substantiæ separatæ non sunt causæ & principia, aliter & Dei & sui essent causæ, ergo secundum Beat. Thom. ens commune Deo & creaturæ, non est subiectum in hac scientia.

Ad primum dictum Beat. Thom. respondeo, & dico, quod ex eo nõ intendit negare quin separata contineantur sub subiecto Metaphysicæ, sed innuit modum, quo cognoscuntur ab ea: vnde aduerte quod licet omnia entia realia per se considerentur à Metaphysico, & vt sic contineantur sub suo subiecto, non tamen eodem modo omnia considerantur, sed quædam à priori & per essentias suas, vt pote proportionata intellectui nostro, quædam à posteriori & per effectus, quorum sunt principia vt entia separata & immaterialia: cum ergo dicit Beat. Thom. quod Metaphysicus considerat separata vt principia entium, dedit modum cognitionis, quasi dicat per effectus, ex quibus ascendimus ad cognoscendum hæc prædicata de illis, scilicet principia, causæ, primi motores, æterni, immateriales, intellectuales, &c. Tunc ad argumentum, distinguo Maiorem. Principia subiecti contineri sub subiecto potest esse dupliciter, primo in ratione productiua, vel causalitatis, & sic est vera, aliter effectus esset productiuus sui principij, secundo in ratione cognoscitiua, vel cognoscibilitatis, & sic nego ipsam maiorem: nam quando cognosco causam per effectum, effectus in ratione cognoscitiua habet rationem principij & causæ, & vt sic continet sub se principium & causam suam productiuam, & sic patet quod non inconuenit substantias separatas esse realia principia entium, & tamen contineri sub ente, vt principia sub suo effectu in ratione cognoscitiua.

Ad dictum secundum dico, quod minus eis suffragatur, quoniam licet quodlibet horum trium, substantiæ separatæ, ens commune, passiones & partes entis, non sit subiectum in hac scientia, eo quod vna scientia est vnius subiecti, ex hoc tamen non sequitur, quin ens commune Deo & creaturæ sit subiectum adæquatum: & ad argumentum nego minorem, ad probationem nego consequentiam: quoniam ista propositio: substantiæ separatæ sunt causæ entis communis, non est necesse quod verificetur vniuersaliter, sed partialiter, sufficit enim quod aliqua pars entis subiectiua, puta ens corruptibile sit causatũ ab eis. Et præterea hoc argumentũ est contra arguentes: nam ex eo sequitur, quod nec ens prædicamẽtale sit subiectũ, cum enim substantiæ separatæ excepta prima, cõtineantur in prædicamento, & secundum ipsos solum illud ens cõmune cuius sunt principia substantiæ separatæ sit subiectũ in hac scientia, sequitur quod vel illæ substantiæ producant seipsas, vel quod subiectum Metaphysicæ non se extendat ad omne ens prædicamẽtale, quod est cõtra sic arguentes. Patet ergo quod dicta Bea. Tho. non eis suffragantur. Et aduerte laqueum eorũ fuisse, quia nesciernnt intelligere quomodo sit verũ, quod ens inquantũ ens habet principia, & tamen Deus, qui continetur sub ente, non habet principium. Id autem nos resoluemus in libro sexto, & tu sustine vsq; illic, ne inutilis fiat repetitio. Hæc pro præsenti quæstione sufficiant. In recitandis autem argumentis & soluendis, quæ solent adduci contra huiusmodi determinationem nõ est vtile nobis immorari, quoniam apud Antoni. Andre. & Paulum Soncinatem, & Ioã. Iandunum & plures alios, quæstiones formantes in hac scientia videri possunt, & idem modus seruabitur à nobis in quæstionibus sequẽ.

QVAESTIO II.

Si aliæ scientiæ subalternantur Metaphysicæ.

Conclusio. Nulla scientia subalternatur propriè Metaphysicæ, sed improprié.

Circa hanc quæstionem aduerte quod oritur à præcedẽti: nam qui tenent ens commune Deo & creaturæ esse subiectum in hac scientia, videntur compelli ad talem subalternationem, eo quod aliæ scientiæ contrahunt subiectum Metaphysicæ per differentiam additam, licet nõ sit differentia propriè sumpta, cum ens non sit genus: vnde sicut linea visualis contrahit lineã, & propterea prospectiua subalternatur Geometriæ, sic videtur ens mobile contrahere ens, & ideo videtur Physica subalternari Metaphysicæ. Idem videtur de Mathematica, cuius subiectũ est ens quãtum. Vt igitur id resoluatur, & appareat quod ad id nõ compellimur, agemus tria: primo ponemus aliquas distinctiones, ex quibus apparebit quid sit propriè subalternari, secundo ponemus duas cõclusiones, ex quibus resoluetur totũ quæsitũ, tertio soluentur quædã dubia.

Prima distinctio est de contractione subiecti. Aduerte igitur quòd contractio fit dupliciter, primo per contractiuum per se, secundo per contractiuum accidentale. Secundum primum sensum ex contractiuo, & contracto fit vnum per se in primo, vel secundo modo per se. Et hæc contractio seruatur inter differẽtiam essentialem & suum genus: vt animal rationale, vel inter genus, & speciem, vt animal homo, & breuiter inter superius & inferius in ordine prædicamentali. Similiter inter subiectũ & propriam passionem, & præcipuè disiunctã, vt numerus par, vel numerus impar. In secundo sensu ex contractiuo & contracto fit vnum per accidens: vt ex linea & visuali, non enim visuale est differentia vel propria passio lineæ, nec vnum est de ratione alterius. Secus autem esset si diceretur linea longa, vel linea breuis, quoniam esset contractio iuxta primum sensum.

Secunda est de varia subalternatione. Aduerte igitur, quod vna scientia potest dici subalternari alteri dupliciter, primo denominatiuè & quasi extrinsecè tantum, & fit quando finis inferioris ostendit ad finem superioris, vel quãdo subiectum inferioris continetur sub subiecto communioris. Primo modo, omnes scientiæ vel artes subseruientes, possunt dici subalternari principali, iuxta quem modum dicit Philosophus in primo Ethicorum frænefactiuam, æquestrem, & militarem ordinari ad politicam. Secundo modo, omnes scientiæ, quæ sunt de partibus subiectiuis alicuius subiecti communis possunt dici subalternari scientiæ, quæ est de subiecto communi, puta quod scientia de cœlo, de elementis, de mixtis, de animatis subalternantur Physic. iuxta eundem modum, scientiæ de substantia, de accidente, de actu, de potentia, de vno, de multis, possunt dici subalternari scientiæ, cuius subiectum est ens. Sed hæc subalternatio est communiter dicta & improprie

pria, nec iuxta eam formatur præsens dubium: secundo dicitur vna alteri subalternari intrinsece & essentialiter, ita quòd si non subalternaretur alteri, non esset scientia, nec haberet viam ad probandum conclusiones suas. & hæc est vera & propria subalternatio, quæ tria requirit. Primo quòd subiectum subalternatæ contineatur sub subiecto subalternantis: & defectu huius, physica non subalternatur Geometriæ. Secundo quòd subiectum subalternatæ addat super subiectum alternantis aliquod accidentale, & extraneum, & non aliquod per se: & defectu huius scientia de specie non subalternatur scientiæ de genere. nec scientia de passione, scientiæ de subiecto: tertio quòd scientia subalternans dicat quid de proximis principiis subalternatæ, ita quòd non potest reducere conclusiones in principia sua, nisi auxilio scientiæ subalternantis, vel sic. quod de principiis suis proximis nullam habet euidentiam, nisi probata sint in subalternante. & vt probata recipiat. & hæc est perfectissima subalternatio, de qua locutus est philosophus in 1. poste. & potest sic describi, subalternatio est suppositio vnius scientiæ alteri scientiæ, cuius subiectum cõtrahitur per differentiam accidentalem & extraneam, & probat principia proxima scientiæ sibi suppositæ.

His præmissis pro determinatione quæsiti proponuntur duæ conclusiones. Prima est, subalternatione denominatiua, siue extrinseca aliæ scientiæ subalternantur metaphysicæ, nam aliæ sunt de aliqua parte entis, vt patet in 4. lib. huius scientiæ tex. 1. Quælibet autem pars entis contrahit, vt ens mobile, ens quantum continuum, ens quantum discretum: cum ergo subiecta aliarum scientiarum contineantur sub subiecto metaph. & addant super ipsum, possunt vt sic dici subalternari Metaphy. Præterea videntur omnes ordinari ad eam, vt ad nobiliorem: ideo appellatur sapientia. ergo vt sic subalternat sibi alias.

Secunda conclusio, subalternatione propria dicta, nõ subalternantur. nam subiecta earum non addunt supra ens aliquod extraneum ab ente. enti enim nihil est additum, quod in eius ratione non includatur: ens, & ipsum non sic de ratione entis. quoniam nihil subterfugit rationem entis. aliter esset nõ ens. Ad veram autem subalternationẽ ratione illius quod addit subiectum subalternatæ super subiectum subalternantis, requiritur quòd vnum non sit de ratione alterius, nec econuerso. nam linea non est de ratione visualis nec econuerso. Præterea aliæ scientiæ habent sua principia proxima sibi euidentia aut ex sensu, aut notitia suorum propriorum terminorum, vt prima principia mathematica, & plura principia, scilicet physica, vt motus est, natura est, plura entia sunt. Hæc & plura alia sunt sufficienter nota in scientia, in qua sunt principia, ita quòd Mathematicus & physicus possunt ex eis deducere conclusiones suas, absque hoc quòd innitantur superiori scientiæ: ergo constat q̃ aliæ scientiæ nõ subalternãtur Meta.

Vltimo aduerte duo dubia contra prædictam determinationem. Primum est, q̃ Metaphysica probat principia omniũ scientiarum, & habet firmare, vt patet in 4. lib. huius scientiæ: & Arist. dicit in 1. physi. tex. 8. & 12. quòd si quis negat principia Geometriæ, non est Geometræ, sed primi philosophi probare. ergo videntur aliæ scientiæ subalternari huic.

Respondetur dupliciter, primo quòd primus philosophus non probat principia proxima aliarum scientiarum, quoniã illa supponuntur vt manifesta in illa sciẽtia, pro tanto autem dicitur probare principia aliarum scientiarum, quia probat prima & vniuersalissima principia complexa, quibus vtũtur scientiæ particulares, non quidem in sua communitate, sed vt eis opus est, vt declarauimus in 4. lib. Ad hoc autẽ quòd vna scientia subalternetur alteri necesse est vt principia proxima subalternatæ sint conclusiones probatæ in subalternante, quibus deducuntur conclusiones in subalternata, aliter scientia subalternata non esset scientia. Dico secundo, quòd dato & non concesso quòd Metaphysica probaret principia proxima aliarum scientiarum. adhuc non esset verè subalternans, quoniam subiecta aliarum scientiarum, non addunt differentiam extraneam ab ente, quoniam ens est de ratione differentiæ additæ. Quare, &c.

Secundum dubium est, quia B. Tho. in opusculo de natura generis dicit in ca. quinto, quod incipit, de metaphysica & logica, &c. q̃ physica subalternatur metaphysicæ, & videtur loqui de subalternatione propriè dicta. nam si legis dictũ opusculum inuenies quòd eo sensu, quo prospectiua subalternatur geometriæ, physica subalternatur metaphysicæ.

Ad hoc dicitur ab aliquibus Thomistis, Illud opusculum non esse B. Tho. & præcipuè quia ratio, quam adducit ad hoc, non valet. Dicit enim, Isto modo Naturalis scientia, quæ applicat naturam entis ad naturam sensibilem, est sub Metaphysica. quæ considerat de ente absolute, quia ens mobile non est species entis. cum ens non sit genus. patet autẽ quòd hoc non valet: non enim ad veram subalternationem sufficit q̃ non sit species, sed est necesse vt ille modus contractiuus sit ita extraneus à subiecto subalternantis, quòd non diffuniatur per ipsum: sicut patet quòd linea nõ est de ratione visualis, neque numerus de ratione sonori. est autem impossibile inuenire aliquid, de cuius ratione non sit ens: & ideo similitudo, quæ ad ducitur de prospectiua, & Geometria, & de Physica, ac Metaphysica nulla est, vnde non est verisimile B. Tho. ita inconsulte locutum fuisse. Potest etiam dici, admisso, quod opusculum sit B. Tho. quòd illic non loquitur de propria subalternatione, de cuius ratione est, quòd non solum subiectum subalternatæ addat extraneum super subiectum subalternantis, sed quod subalternans probet principia proxima subalternatæ. quod nõ facit Metaphysica respectu Physicæ. Nec obstat quòd dicit illo modo subalternari Physicam Metaphysicæ, quo prospectiua geometriæ. Hæc enim similitudo currit solum quantum ad hoc, quòd sicut linea visualis non est species lineæ, sic nec ens mobile est species entis. Sed, vt diximus, hoc non sufficit ad veram & propriam subalternationem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Si hæc est vera, Omnes homines natura scire desiderant.

Circa hanc propositionem, vt appareat eius veritas, quatuor agenda sunt. Primo quomodo sumitur ly natura. Secundo distinguendum est de multiplici appetitu, siue desiderio. Tertio ponentur aliquæ conclusiones responsuæ. Quarto soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte quòd ly natura, vt patet in 5. lib. multipliciter sumitur. scilicet pro generatione viuẽtium, & dicitur natura quasi nascitura, vel quia est via ad naturam, id est ad formam: sumitur etiam pro forma, & pro materia, quia sunt principium motus intrinsecum. Sumitur etiam pro rei essentia, sicut cum dicimus, natura hominis est esse animal rationale. Sed nullo horum modorum sumitur hic natura, videtur autem sumi pro quadam essentiali proprietate consequente inseparabiliter ipsum hominem, qua inclinatur ad scientiam: sicut cum dicimus, lapis natura, id est sua naturali proprietate inclinatur in centrum, & in hoc sensu ly natura solet exponi pro naturaliter.

Quantum ad secundum aduerte quòd ex doctrina B. Tho. in prima parte q. 80. arti. 1. & 2. triplex est appetitus, scilicet naturalis, sensitiuus. & intellectualis: naturalis consequitur rei naturam, sensitiuus sensum, siue cognitionem sensitiuam, & diuiditur per irascibilem & cõcupiscibilem, vt declarauimus in 3. de anima in trac. de potentia motiua. Intellectualis sequitur intellectum, siue cognitionem intellectiuam, & dicitur voluntas. siue appetitus liber, quo potest appetens in opposita. Naturalis est tendentia siue inclinatio rei in perfectionem suam, & inest cuilibet rei. quoniam vnũquodque ex sui natura tendit in suam perfectionem. & hic appetitus non distinguitur realiter ab essentia rei, nec dicit potentiam, vel actum additum essentiæ, sed est ipsa rei essentia, vt ordinatur & tendit in suum proprium finẽ. vnde appetitus naturalis in lapide est ipse lapis, vt inclinatur in centrum. Sensitiuus autem est potentia animæ, qua tendit animal in bonum apprehensum per sensum, vt sibi conueniens. & diffugit malum apprehensum, vt disconueniens. Intellectualis vero est potentia animæ, siue naturæ intellectiuæ, qua tendit in bonum & refugit malum, vt apprehenditur intellectu, & quoniam in natura creata intellectuali, secundum viam nostram distinguitur potentia à rei essentia, sequitur appetitum intellectualem distingui realiter ab essentia rei. Idem intellige de sensitiuo. Et aduerte hos appetitus sic ordinari, quòd prior & communior est naturalis, est enim in qualibet natura, vnde & sensus & intellectus & voluntas vt sunt quædam naturæ, dicuntur habere appetitum naturalem, prout inclinantur in perfectionem suam, posterior autem & minus communis est appetitus sensitiuus, quoniam inest omni & soli animali ex secundo de anima, postremus & adhuc minus communis, est intellectualis, qui inter mortalia, inest omni & soli homini, absolute autem inest soli naturæ intellectuali. Nam, vt declarabitur in libro duodecimo in substantiis separatis datur nobilissimæ subitantiæ intellectus & voluntas.

Quantum ad tertium, pro determinatione quæsiti ponuntur tres conclusiones responsuæ.

Prima conclusio, propositio philosophi non verificatur de appetitu

appetitu intellectuali, quoniam cum sit formaliter potentia libera, posset in oppositum, & sic posset homo appetere non scire, quod est falsum, aliter propositio Philosophi non esset necessaria, sed contingens.

Secunda conclusio, non verificatur de appetitu sensitiuo, nam iste appetitus sequitur apprehensionem sensus. Sed sensu non apprehendimus vniuersale, de quo propriè est scientia. Præterea, sensu cognoscimus tantum sensibilia. Sed non appetimus cognoscere tantum sensibilia, imò & magis quæ non cadunt sub sensu: ergo, &c.

Tertia conclusio, verificatur propriè de appetitu naturali. Hæc conclusio patet à sufficienti diuisione data de appetitu, quam & Bea. Thom. probat tribus rationibus exponens textum. Prima est, sicut se habet materia ad formam in genere entium, sic intellectus noster ad scientiam. Nam ex tertio de anima, sicut materia est ex se in pura potentia ad formam & non perficitur nisi per formam, sic intellectus noster est in pura potentia ad scientiam, & non perficitur nisi per receptionem scientiæ. Sed ex eo, quod materia est in potentia ad formam naturaliter appetit eam ex primo Physicorum tãquam suum perfectiuum, ergo idem contingit ex parte intellectus respectu scientiæ. Secunda est. Quælibet res naturalem inclinationem habet ad propriam operationem, vt calidum ad calefactionem, luxidum ad illuminationem, lapis ad descensum. Sed propria operatio hominis in quantum intellectualis est intelligere & scire: ergo, &c. tertia est, vnicuique rei inest desiderium naturale vt coniungatur suo principio, quoniam in hoc est vltimata perfectio sua: sed principium hominis inquantum est naturæ intellectualis est ipsa prima substantia separata, id est Deus, cui non potest homo vniri nisi per intellectualem cognitionem, cum sit penitus immaterialis ergo naturaliter desiderat intelligere & scire Deum, vnde in huiusmodi reponitur humana felicitas ex decimo Ethicorum.

Sed aduerte quod Anto. And. in primo libro, quæstione secunda, impugnat Beat. Thom. non de falso, sed de pluralitate harum rationum. Dicit enim quod tres coincidunt in vnam tantum, & arguit sic, omne appetens primam perfectionem, id est scientiam appetit propter secundam, id est propter scire, & secundam appetit propter tertiam, id est propter vnionem ad obiectum suum, siue principium vbi autem vnum propter alterum est tantum vnum, si ergo prima perfectio, à qua sumitur prima ratio est propter secundam perfectionem à qua sumitur secunda ratio, & secunda perfectio est propter tertiam perfectionem, à qua sumitur tertia ratio videntur realiter esse tantum vna ratio.

Ad hoc dicitur quod Beat. Thom. plurificat has rationes non ea ratione qua vna perfectio ordinatur ad alteram, sed prout distinctæ perfectiones habẽt distinctas appetibilitates: scientia enim cum sit habitus perfectiuus, est ex se appetibilis, idem dico de scire, & vnione ad obiectum. Anton. And. autem opinatur harum trium perfectionum esse tantum vnam appetibilitatem, ita quod non sint appetibiles nisi in ordine vnius ad alteram, ideo credidit tres rationes ad vnam reduci. Dicemus ergo quod secundum appetibilitatem sunt tres & in hoc sensu formauit eas Beatus Thomas, & plurificauit.

Quantum ad quartum aduerte tria dubia, primum est de appetitu naturali, & est tale, si appetitus naturalis non distinguitur ab ipsa essentia rei, ergo intellectus vt inclinatur ad scientiam vt ad sui perfectionem, est appetitus naturalis. Sed hoc est falsum quoniam cum obiectum appetitus sit bonum, esset etiam obiectum intellectus, quod patet esse falsum, quoniam eius obiectum est verum est non bonum.

Respondeo intellectus dupliciter consideratur, primo vt natura quædam perfectibilis, secundo vt intellectus est: primo modo suum obiectum est bonum & ipsum verum siue scientia vt perficiunt intellectum sunt bonum suum, secundo modo suum obiectum est verum, vt declarauimus in tractat. de transcendentibus, patet igitur non esse inconueniens, quod intellectus sit appetitus naturalis inquantum inclinatur in scientiam vt in suam perfectionem, & vt sic suum obiectum esse bonum, idem dico de sensu vt inclinatur in obiectum suum, similiter de voluntate, vt ex vi naturæ suæ tendit in obiectum suum, vnde voluntas vt natura est appetitus naturalis, vt voluntas est appetitus rationalis.

Secundum dubium est cum homo naturaliter appetat scientiam vt primam perfectionem & considerare siue speculari vt secundam perfectionem, dubitatur si eodem aut diuerso appetitu desiderat vtranque perfectionem, & videtur quod diuerso. Nam antequam habeat primam perfectionem est in potentia essentiali, qua habita est in potẽtia accidentali respectu secundæ. Sed nõ videtur esse eadem potentia essentialis & accidentalis, cum nõ dicatur de eis potentia vniuoce, ergo nõ videtur esse idẽ appetitus, quo appetimus scientiã & speculari.

Respondeo secundum doctrinam Bea. Th. dico quod eodem appetitu reali. nam sicut vna materia numero appetit formã substantialem primo, deinde formas accidentales, quoniam accidentalis supponit substantialem. Sic idem intellectus eadem inclinatione reali inclinatur primo ad scientiam deinde ad speculari, quoniam hoc præsupponit scientiam. Ad argumentum dico quod distinctio potentiæ in essentialem & accidentalem, non est distinctio realis, sed secũdum rationẽ, vnde licet concedamus intellectũ alia ratione inclinari ad scientiã, alia ad speculari, tamen negatur hæc consequentia, ergo alia & alia potẽtia siue alio & alio appetitu. Nec obstat quod potẽtia non dicitur vniuocè de essentiali & accidentali, quoniam ad prædicationem non vniuocam sufficit distinctio rationis.

Tertium dubium est, si omnes homines natura scire desiderant, vnde est quod aliqui desiderant scire naturalia, & diffugiunt Mathematica, & aliqui econuerso, & aliqui tantum Physicalia, aliqui tantum rhetoricam, aliqui tantum poẽticam, aliqui tantum historiam, &c.

Respondeo. Hoc dubium diffusè resoluimus in epitome nostra in secundo Metaphysi. in capite tertio, quære illic, ne pluries idem inutiliter repetatur. Hæc de tertia quæst. dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Si visus est nobilior sensus, & si est magis causa sciendi, & si ipsum magis diligimus.

Ipsum videre præ omnibus diligimus, quia hic maximè cognoscere nos facit. In procemio.

Circa hoc quæsitum sic procedemus. Primò probabitur quod visus est nobilior cæteris sensibus. Secundò quod per se magis facit scire. Tertiò quod ipsum magis diligimus. Quartò soluentur quædam dubia. *Conclusio. Sensus visus omnium sensuũ nobilissimus est, & maximè vtilis ad sciẽtiam, quæ per inuentionem est, & ipsum maximè diligimus.*

Quantum ad primum aduerte quadruplicem viam qua notificatur nobilitas visus super alios sensus. Prima sumitur ex obiecto, respicit enim lucem & colorem, qui est quædam lux licet non pura, vt declarauimus in li. de sensu & sensato, lux autem nobilior est inter omnes qualitates sensibiles, cuius signũ est quod in nobilissimo corpore inuenitur, & dicitur qualitas primi alterantis, nam ex secundo lib. de cœlo, cœlum agit in hæc inferiora motu & lumine, & hanc rationem tangit Philosophus in secundo lib. de generatione tex. septimo, vbi probat visum esse priorẽ tactu ex prioritate visibilitatis ad tangibile. Itẽ color inest omni corpori formaliter vel radicaliter prout in omni corpore potest recipi lux. Item visus cognoscit magnitudinẽ & figurã communius siue extensius quàm cæteri sensus: cognoscit enim eas vt sunt in cœlo & in his inferioribus, cæteri autem sensus vt sunt in his inferioribus tantum. Tunc sic, sensus qui est vniuersalioris obiecti videtur esse nobilior, visus ex prædictis est vniuersalioris obiecti: ergo, &c.

Secunda via sumitur ex organo, cum enim visus sit potentia organica, ex nobilitate organi ostendi potest nobilitas eius, nobilitatem autem organi, manifestant nobis plura, primo facillima læsio quorumcunque contingentium ipsum, etiam quod sint minima secundo mirum artificium compositionis suæ: constat enim ex diuersis humoribus & pelliculis, de quarum diuersitate non est ad præsens considerandum: id enim ad Physicum & prospectiuum spectat, tertio ex multiplici defensuo, quod natura ei præparauit, vt sunt palpebræ & supercilia & concauitates ossium, &c.

Tertia via sumitur ex excellentia medij quod est diaphanum, quod non solum inuenitur in his inferioribus, sicut media aliorum sensuũ sed etiam in cœlestibus, quod quanto simplicius & purius est, tanto perfectius per ipsum fit visio, verum quia diaphanum est medium in auditu & in odoratu sicut in visu, ideo ex hoc non possumus concludere nobilitatem visus super alios sensus, propterea sequitur quarta via.

Quarta via sumitur ex nobilitate visionis, quæ est actus purè spiritualis, eo quod ad ipsam non concurrit aliquis motus aut mutatio realis, nec ex parte obiecti, quoniam obiectum non causat nisi speciem intentionalem, nec ex parte medij nec organi, quoniam illa species tãtum intentionaliter immutat & medium & organum. In aliis autẽ sensibus, semper interuenit aliqua mutatio realis, siue ex parte obiecti, siue ex parte medij, siue ex parte organi, vt declarauimus in li. secundo de anima. Item visio se extendit ad superiora corpora & inferiora, actus autẽ aliorum sensuũ solum ad inferiora. Item magis tristatur homo priuatione huius actus & magis delectatur positione sua circa obiectũ proportionatũ. Patet ergo ex his omnibus excellentia & nobilitas visus super omnes alios sensus.

Quantum ad secundum dico quòd facit magis scire per se. Dico per se ad differentiam auditus qui magis facit scire per accidens in scientia quæ habetur per doctrinam vt diximus in lib. de sensu & sensato. Quod quidem sic intelligendum est. Auditus non confert doctrinæ nisi exaliquo quod est accidentale obiecto audibili vt audibile est, non enim vox ista homo vel lapis habet ex se quòd sit repræsentatiua conceptuum, sed ex instituto humano, quod quidem accidit voci vt vox est. Quia igitur voces audibiles, magis quàm alia sensibilia puta colores autodores, iudicatæ sunt esse promptiores & magis accommodatæ ad manifestandum conceptum, ideo dicitur auditus magis deseruire scientiæ quæ habetur per doctrinã, per accidens tamen quia non ex suo obiecto, sed ex instituto humano, quo ordinatum est, obiectum auditus esse manifestatiuum conceptuum.

Hanc igitur conclusionem, scilicet visus magis facit scire per se sic probo. Magis deseruit priori scientiæ, quæ est illa quæ habetur per inuentionem. Doctrina enim vltimate supponit inuentionem & non econuerso, ergo, &c. Quod autem magis deseruiat inuentioni probatur ex Arist. in tex. cum dicit causa autem est, quia hic maximè sensum nos cognoscere facit, super quem tex. B. Tho. fundat duas præeminentias visus. Prima est, quòd obiectum suum certius cognoscit, propter suam maiorem spiritualitatem, ergo magis deseruit scientiæ quæ importat certitudinem cognitionis Secunda est, quia per ipsum plures rerum differẽtias cognoscimus, nisi enim fuisset visus, de cœlestibus & metaphysicalibus nullam habuissemus notitiam: vnde & Plato in Timæo inquit rerum sublimium notitiam hi oculi nobis attulerunt.

Quantũ ad tertium aduerte q̃ sic distinguendũ est. Homo dupliciter consideratur, primo vt animal, secũdo vt homo: vt animal magis diligit tactum & gustum, his enim seruatur vita ex 2. de anima, & animal est animal primo propter tactum vnde homo appetẽs seruari in vita, præeligit excæcari quàm comburi, combustio enim tactum destruit. Vt homo autem magis diligit visum, quoniam vt homo intellectiuus est, & scire desiderat, & quoniam visus magis deseruit scientiæ, vt probauimus, ideo homo vt homo magis diligit ipsum, & in hoc proposito philosophus adduxit illam propositionem ipsum videre præ aliis eligimus. Præposuerat enim quòd omnes homines vt homines natura scire desiderant, ex quo bene sequitur, quòd homo vt appetens scire, magis diligit visum, eo quòd per ipsum certius & plura quam per alios sensus cognoscit, vt declaratum est.

Quantum ad quartum aduerte duo dubia, primum est circa illud, quòd visus facit magis scire: nam videtur aliquibus, quòd tactus faciat magis scire eo quòd videtur esse magis cognoscitiuus quàm visus intensiuè & extensiuè: intensiuè quidem quoniam sensus certissimus est perfectissimè cognoscitiuus. Sed vt dicit philosophus in 2. de anima tex. 34. hunc sensum tactus certissimum habemus ergo, &c. Præterea sensus tactus in nobis maximè deseruit intellectui nam dicit philosophus in 2. de anima tex. 34. In genere hominum secundum tactum ingeniosos esse & non ingeniosos iudicamus. Duri enim carne inepti mente. Molles autem bene apti, ergo videtur esse magis cognoscitiuus: extensiuè autem, quoniam per tactum plures contrarietates cognoscimus, scilicet calidi & frigidi, humidi & sicci, duri & mollis, &c. Visus autem est tantum vnius primæ contrarietatis sib colore ergo per tactum plura cognoscimus.

Respondeo, nego tactum esse magis cognoscitiuum intensiuè, quoniam comparando ipsum ad alios sensus in homine, non est certissimus, sed visus est certissimus ex sua maiori immaterialitate. Ad dictum philosophi, dico quòd non comparat tactum ad alios sensus in homine sed tactum hominis ad tactum aliorum animalium sicut in eodem tex. comparauit odoratum hominis, ad odoratum aliorum animalium. Item nego quòd tactus magis deseruiat actui intellectus ex actu tãgendi vel ex obiecto tangibili. Ad dictum philosophi dico quòd non debet intelligi homo ingeniosius vel nõ ingeniosius ex tactu nisi pro quanto bonitas tactus arguit nobiliorem complexionem, & nobiliorem naturã sensitiuam, quæ perfectius confert animæ intellectiuæ pro hoc statu, in quo sine phantasmate nihil intelligit, visus autem dicitur esse deseruiẽs magis intellectui, pro quãto cognitio natura intellectiua pendet à cognitione sensitiua, & maxime ab ea quæ est per visum. Similiter nego quòd tactus sit magis cognoscitiuus extensiuè, nam licet per tactum cognoscamus plures contrarietates sui obiecti. Suũ tamen obiectũ est minus vniuersale. quoniam qualitas tangibilis inuenitur solum in generabilibus, obiectum autem visus inuenitur etiã in ingenerabilibus, propter quod constat visum esse vniuersaliorem & communiorem sensum ex obiecto.

Secundum dubium est contra illud quòd visum magis diligimus, & probatur quòd magis diligimus tactum. Magis odimus oppositum tactus, id est destructionem tactus, quam oppositum visus, ergo magis diligimus tactũ quàm visum: consequentia probatur per regulam Arist. in 2. lib. priorum vbi dicitur magis eligendo magis fugiendum opponitur. Antecedens vero patet, quoniam cum opposito visus stat vita, non autem cum opposito tactus.

Respondeo dupliciter. Primo quòd argumentum cõcludit considerando hominẽ vt animal est, non autem considerãdo hominẽ vt homo est, id est, vt cognoscitiuus est vt diximus in corpore quæstionis. Secundo dico regulam illam non esse veram, nisi quando vnum bonum eligendum non includit alterum, verbi gratia quia fama non includit diuitias, si proponatur, quid est magis eligendum & quid magis diligimus naturaliter an famam an diuitias: Respondetur quòd famam quoniam magis odimus oppositum famæ, quàm oppositum diuitiarum: si autem vnum includit alterum regula nõ valet: verbi gratia si proponatur, Quid est magis eligendum, an sanè viuere, an absolutè viuere. Respõdetur q̃ sane viuere, quoniam viuere commune est sane viuere & infirmiter viuere, & tamen non est verum quòd magis odiamus oppositum bene viuere, quàm oppositum viuere, quoniam cum opposito bene viuere, id est cũ male aut infirmiter viuere stat viuere: non autem cum opposito viuere quod est mori. stat cum viuere, & quoniam in proposito visus includit tactum, vbi enim est visus, ibi est tactus, & non econuerso non sequitur quod & si magis diligimus visum quàm tactũ, quod magis odiamus oppositum visus, quàm oppositum tactus, quoniam cum opposito visus stat tactus & vita, nõ autem cum opposito tactus stat visus & vita. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Si in brutis est prudentia.

Et propter hoc alia quidem prudentia sunt, alia vero disciplinabiliora. In prologo.

Circa hanc quæstionẽ duo inuenio, in vno omnes concordant, in alio discordare videtur Anto. And. à B. Tho. Illud in quo omnes cõcordant est quod in brutis datur prudentia, non quidẽ proprie dicta quoniã illa ex 6. libr. Ethico. est cum discursu & est bene consiliatiua, consilium autem est quædam inquisitio de contingentibus agendis. Hæc autem non possunt esse in bruto quoniã caret rõne: est autẽ in bruto prudẽtia metaphoricè dicta quæ dicitur esse naturalis extimatio, de cõuenientibus prosequẽdis & nociuis vitandis. Illud autẽ in quo discordare videtur B. Tho. & Ant. And. est an talis prudentia sit circa ea, ad quæ bruta naturaliter & determinatè inclinantur, puta an dicatur formica prudens, quia in æstate cõgregat grana pro hyeme, & apes mellificãt, & ouis fugit lupũ & lactat agnũ. Ad huiusmodi enim naturaliter inclinatur & agũt sine errore. Vel an sit circa ea respectu quorũ bruta possunt aliter se habere. Puta, licet formica naturaliter inclinetur ad congregãdũ grana potest tamẽ ea asportare ex paruo vel ex magno cumulo, & licet hirũdo naturaliter inclineur ad formandũ nidum, potest tamen eũ locare in loco vbi sit facilis vel difficilis accessus. Quod si locat ipsum in loco difficilis accessus, dicimus ipsum esse prudẽtẽ propter maiorẽ natorũ tutelam, & primã quidẽ viã videtur tenere B. Tho. in expositione tex. vbi exẽplificat tantũ de his ad quæ naturaliter & determinatè inclinatur brutũ vt agnus sequitur matrẽ & fugit lupum, secundã autem viam tenet Ant. And. in q. 3. primi lib. vbi inquit prudentia metaphorica non dicitur esse in brutis respectu illorũ ad quæ naturaliter inclinãtur sed respectu cõtingẽtiũ ad quæ sic se possunt habere vel aliter. Puta q̃ formica reponat grana in hoc vel in illo loco, q̃ assumat ex hoc vel illo cumulo, quòd aranea faciat telam vbi est maior copia muscarum. Hæc est opinio Ant. And. quam tamẽ aliter nõ probat. Sed contra sententiam B. Tho. arguit dupliciter, verũ antequam soluam argumenta sua, aduerte duo.

Primum est: si Ant. And. considerasset quòd sicut bruta naturaliter & determinatè in fines suos inclinantur & tendunt in illos sic naturaliter inclinantur ad media quibus cõsequuntur tales fines, nec respectu mediorũ sicut nec respectu finiũ, est in brutis aliter & aliter se habere, (nam hirundo semper facit nidum vbi naturali instinctu cognoscit esse maiorem natorum tutelam, & aranea semper facit telam, vbi extimat crebriorem & faciliorem capturam muscarum, & tales prudentias ponimus naturales, eo quòd consequuntur naturam

naturam, prudentiam vero propriè dictam ponimus ex libro sexto Ethico. esse habitum acquisitum circa agibilia bene disponenda) non laborasset arguere contra Bea. Tho. nam licet Beat. Th. hic exponens non exemplificet nisi de finibus, tamen intelligit etiam de mediis, vt potest haberi ex secunda secundæ quæstione quadragesima septima, artic. decimo quinto, ad tertium quod erat tale, prudentia magis conuenit naturæ humanæ quàm naturæ brutorum. Sed bruta animalia habent quasdam prudentias naturales vt patet per Philosophum in octauo de historiis animalium, ergo prudentia est naturalis, sequitur responsio, Ad tertium dicendum, quod etiam in brutis sunt determinatæ viæ perueniendi ad finem, vnde videmus quod omnia animalia eiusdem speciei, similiter operantur sed hoc non potest esse in homine propter rationem, quæ cum sit cognoscitiua vniuersalium ad infinita singularia se extendit. Hæc Beat. Thom. ex quibus elicitur quod in brutis ponit prudentiam respectu viarum determinatarum, quæ non possunt intelligi nisi vt media: patet igitur, quod secundum mentem Beati Thomæ, ponitur prudentia in brutis & circa finem & circa media ad finem.

Secundum est quod in prudentia Metaphorica non est necesse istas conditiones realiter & formaliter seruari, scilicet memorari præterita, prouidere de futuro & ex his procedere ad operandum. Hęc enim sunt propria ratiocinantis, sed sufficit quod saluentur imitatiuè in hoc sensu, quod quædam animalia ita procedunt in operationibus suis ac si memorarentur de præteritis, & præuiderent futura, & quoniam operantur sicut homo prudens, dicitur esse prudentia.

His præmissis intendo soluere argumenta Anton. Andre.

Primum est. Prudentia est prouidentia de futuris ex memoria præteritorum. Sed formica generata in æstate non recordatur hyemis, quia nunquam vidit hyemem, & tamẽ colligit grana, ergo prudentia non est in bruto respectu eorum ad quæ habet naturalem instinctum.

Respondeo. Maior non verificatur de prudentia Metaphorica nisi imitatiuè, vt exposui, & id consonat Beat. Tho. qui in tertio de anima exponens textũ 156. dicit formicæ congregantes in futurum prouidentes, non præuident futurum, sed imaginantur actus præsentes qui ordinantur ad sustentationem suam magis ex naturali inclinatione quàm apprehensione futuri. Præterea dico quod si argumentum aliquid valet, cõcludit quod prudentia in bruto est respectu mediorum, quod nos non negamus, sed negamus quod sit tantũ respectu mediorũ.

Secundum est, prudentia ex sexto Ethicorum est habitus consiliatiuus, consilium autem non est de fine sed de his quæ sunt ad finem, quæ possunt aliter & aliter se habere: ergo prudentia in brutis ponenda est circa talia quæ possunt sic & aliter agere, & non circa ea ad quæ naturaliter inclinantur, quia huiusmodi nõ sunt cõtingentia sed necessario se habẽt ad illa.

Respondeo. Antecedens non seruatur nisi in prudentia propriè dicta. In Metaphorica autem non seruatur nisi imitatiuè in hoc sensu. Sicut prudens se habet intelligendis mediis optimis ad consequendum finem, quæ tamen possunt aliter se habere, sic formica se habet circa media sibi tamẽ determinata à natura quibus cõsequitur finẽ suum. & sic cõcedo q̃ prudentia in bruto est circa media ad finẽ, quæ tamen non sunt eiusdem rationis cum mediis humanis vt diximus. Sed ex hoc nõ sequitur quin etiam sit circa ea ad quæ naturaliter inclinatur brutũ, vnde negatur hęc cõsequẽtia, ea ad quæ brutũ naturaliter inclinatur non sunt cõtingentia. sed necessario se habet ad illa. ergo circa illa non est prudentia hæc inquam consequentia non valet nisi in prudentia propriè dicta quoniã est habitus cõsiliatiuus, & aduerte q̃ Ant. And. respõdens ad tertium in oppositum ponit prudentiã in bruto circa ea ad quæ naturaliter inclinatur vnde videtur sibimet cõtrarius. sic enim inquit ouis videẽs lupũ statim apprehẽdit inimicitiã lupi. & hoc modo potest habere actũ prudẽtię circa talia, scilicet fugiendo vel, pſequẽdo. hęc ille. Hęc pro pręsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si & quomodo ex experimento fit ars, & scientia.

Hominibus autem ars & scientia per experimentum euenit. In prologo.

Circa hanc q. quinque agenda sunt. Primo ponentur aliquæ distinctiones. Secundo aliquæ conclusiones. Tertio declarabitur in quo discordant Thomistæ & Scotistæ. Quarto declarabitur ad mentem Philosophi quo modo ex experimento generatur ars & scientia. Quinto soluũ quædã dubia.

Quantum ad primum aduerte tres distinctiones.

Prima cum in arte & sciẽtia cõsideretur principia & cõclusiones, quæ deducũtur ex principiis, propositio Philosophi põt versari circa vtrunque, vt quæratur an experimẽto generetur notitia principiorum & conclusionis, an alterius tantum. *dem essentialiter sed originatiuè, & dispositiuè.*

Secunda cum in principiis & conclusionibus seruetur notitia terminorum incomplexa, & notitia propositionũ complexa potest quæri an dictum Philosophi verificetur de vtraque notitia.

Tertia causa cognitionis est duplex quædam principalis in qua fundatur notitia scientifica, quædam dispositiua & iuuatiua quam quidam dicunt occasionalem vel instrumẽtalem.

Quantum ad secundũ pronuntiẽ & probantur 4. conclusiones. Prima, Omnis cognitio sensitiua interior, & omnis intellectiua ortũ habet à sensu exteriori. Prima pars manifestata est à nobis in 3. de Anima. vbi declaratũ est sensum interiorẽ non immutari nisi prius immutato sensu exteriori. nã sensus communis est terminus sensationũ exteriorum, & phantasia seruat species sensatas. & cogitatiua vel extimatiua elicit ex sensato non sensatũ. & memoria seruat speciẽ non sensatã. & propterea dicuntur sensus interiores quia supponũt exteriores in actibus suis. Secunda aũt pars sic declaratur. Omnis cognitio intellectiua vel est per inuentionẽ vel per doctrinã. Si per inuentionem necesse est rem intelligibilẽ mouere intellectum, non potest mouere nisi per suam speciẽ aut alterius. non potest esse huiusmodi species sine phãtasmate. quoniã ab eo abstrahitur per intellectum agentem vt declarauimus in 3. de Anima. non potest esse phantasma sine sensatione exteriori. & enim secundũ Arist. phantasia est motus factus à sensu exteriori secundũ actum, ergo non potest esse notitia intellectiua per inuentionẽ sine sensu exteriori. Et de hac propriè verificatur illud. Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu. Quod quidem multam habet latitudinem, quoniã sufficit q̃ fuerit in sensu vel per se vt color per suam propriam speciem, vel per partes vt mons aureus, vel in aliquo simili vt antichristus, vel in suo effectu vt intelligentia, quæ cognoscitur per motum, vel in suo opposito vt priuatio quæ cognoscitur per habitum, vt quando per rectum cognosco obliquum, & per lucem tenebrã, & per bonũ malum, & per compositum simplicia. Si per doctrinã, probatur idẽ. Nã impossibile est addiscentem doceri nisi per aliquẽ sensum, & præcipuè per auditũ apprehendat sibi proposita signa à docẽte quæ instituta sunt ad docendũ & ad res significandas, vnde cęcus non potest doceri de coloribus, nec surdus de sono, propterea dicit philosophus in prologo, Addiscũt autem quæcunque cum memoria habent sensum, scilicet auditum.

Secunda. Tam in scientia quàm in arte necessaria est notitia sensitiua ad habendam notitiam incomplexam de terminis ex quibus componuntur principia & conclusiones, vtrum autem hęc notitia sensitiua sit experimentalis dicemus infrà. Veritas huius conclusionis pendet ex præcedenti, si enim omnis cognitio intellectiua pendet à sensitiua ergo & ista. Præterea, si intellectus debet cõcipere per notitiam incõplexam quid totum, quid pars, quid homo, quid risibile, est necesse ipsum actuari & moueri ab aliqua specie intelligibili, quæ nõ potest fieri sine phantasmate, & hoc non potest fieri sine sensu exteriori: ergo, &c. Præterea philosophus in 1. post. cap. 3. docens quomodo non omnia sunt demonstrabilia, ponit statum in primis principiis de quibus dicit. Ipsa quidẽ cognoscimus inquantum terminos cognoscimus, &c. Sed prima terminorũ cognitio, non est ab intellectu, quoniã si nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu ergo hæc cognitio terminorum incomplexa prius fuit in sensu quàm in intellectu.

Tertia, vt habeatur notitia complexa tam de principiis quam de conclusionibus vtilis, & coadiuuans est frequentata cognitio sensitiua, & experimentalis de eodẽ complexo. Hãc conclusionẽ vt sonat omnes cõmuniter concedunt, quoniã ex perimur, q̃ quãdo cognoscimus in singularibus extra animã terminos coniungi vel disiungi, sicut sæpe videmus, citius & firmius intellectus illi cõplexo assentit: verbi gratia, quia sensu experimur totalitatẽ & maioritatẽ respectu partiũ semper cõiungi. statim assentimus huic cõplexo. Omne totũ est maius sua parte. & quia experimur lapidẽ & motũ deorsum coniungi, ideo intellectus huic conclusioni assentit, lapis naturaliter mouetur deorsum. Inde prouenit q̃ intellectus cũ difficultate assentit his quæ parũ sensibilia sunt eo q̃ nõ adiuuatur nec solidatur suo naturali principio q̃d est experimentalis cognitio.

Quarta, cognitio experimentalis non est principalis causa sciẽtiæ & artis, sed deductio cõclusionis ex principiis suis per demonstrationẽ. Prima pars sic manifestatur. quoniam cõclusio scibilis ex 1. post. est vniuersalis & demõstrabilis, & non habetur scientia de ea nisi deducatur per demonstrationẽ. Demonstratio autem non est ex singularibus sensatis, sed ex

primis veris,&c.vnde sequitur quòd de hac cõclusione, Rhabarbarum purgat choleram,non habetur scientia nisi deducatur à principiis intrinsecis,& cognoscatur virtus à qua talis effectus procedit,& sic patet prima & secunda pars huius conclusionis.Inde prouenit quòd nescientes deducere conclusiones,& reducere ad sua principia sed solo sensui insistunt,non scientes sed experimẽtatores dicendi sunt. Dicemus ergo experimentum non esse generatiuum scientiæ sed inductiuum & confirmatiuum,& in hoc sensu accipiendũ est dictum Philosophi cum dicit,Hominibus autem scientia & ars per experimentum euenit,scilicet inductiuè & confirmatiuè sed non principaliter, quoniã scientia non à sensu sed ab intellectu est principaliter,vnde aliqui sic exponũt dictum Philosophi,hominibus sit scientia per experimentum, id est,post experimentum.quoniam prius habitum experimentum confirmat intellectũ in assensu,& tu aduerte quòd in his conclusionibus communiter concordant commentistæ & Scotistæ & Thomistæ.

Quantum ad tertium aduerte quòd in secunda & tertia conclusione Scotistæ & Thomistæ concordant in eo sensu in quo positæ sunt. Mouent tamen dubia contra eas & primo contra secundam. Quæritur si illa cognitio sensitiua necessaria pro habenda cognitione intellectiua complexa terminorum debeat appellari experimentalis.

Quantum ad hoc,Scotistæ vt patet in q.4. Anto. And.in sua prima conclusione, ponunt indifferenter talem cognitionem necessariam,esse sensitiuam seu experimentalem,ita quòd sit per hoc non faciunt vim. Thomistæ autẽ non admittunt illic propriè seruari experimẽtum, quoniam vt dicemus in dubio sequenti,experimentum propriè dicit cognitionem complexam,scilicet cõferendo vnũ alteri puta rhabarbarũ choleræ. Terminus verò incomplexus vt incomplexum cognoscitur cognitione incomplexa sicut complexus complexa, ergo ibi non cadit experimentum propriè dictum.& propterea dicũt Thomistæ quòd illic requiritur multiplicata apprehensio termini incomplexi in parte sensitiua , & illa videtur sufficere, quoniam cognitio incomplexa terminorum requisita ad cognoscendum principia complexa , non est notitia perfecta quid rei terminorum,sed est notitia confusa parum excedens cognitionem quid nominis. Ad talem autem notitiam habẽdam,oportet frequentem cognitionem sensitiuam præcedere.Quia verò huiusmodi cognitio est cõfusa,ideo non est necesse cõcurrere experimentũ, quod cõplexionem terminorũ includit vt declarabitur. Hæc est mens Thomistarũ circa suprapositam conclusionem secundam.Contra tertiam conclusionem mouent dubium , vtrum illa cognitio experimẽtalis requiratur solũ vt vtilis & adiuuans,an etiam vt necessaria.

Anto. And. in q.4. in conclusione 2. & 4. dicit quòd licet sit vtilis non tamen necessaria,Thomistæ autem tenent quòd est vtilis& necessaria. sic ergo procedam. Prius firmabo viam nostram deinde soluam rationem Ant. And.

Quantum spectat ad viam nostram , aduerte primo quòd experimentum est cognitio sensitiua cõplexa eo quòd est collatio multorũ particularium. Nam dicit Philosophus in textu quòd experimentũ est cognoscere hanc herbã curasse Socratem & Caliam, & multos singulares,ergo manifestè patet,q̃ experimentũ est notitia sensitiua cõplexa. & per consequens deseruit notitię intellectiuè cõplexę tam principiorum quàm cõclusionum.Quod autẽ huiusmodi notitia non solùm sit vtilis sed& necessaria probatur.Nam oportet assignare aliquod motiuum & determinatiuum intellectus,ad formandã hanc vniuersalem propositionẽ.Rhabarbarum purgat cholerã,vel hanc si ab æqualibus æqualia demas quę remanẽt sunt æqualia.Hoc autem motiuum & determinatiuum non potest esse sola notitia terminorum incõplexa,quoniam vt incomplexa non magis determinat intellectum ad hanc complexionem quam ad illam. Nam experimur quòd habẽtes notitiam terminorum nisi cognoscamus sensu tales terminos coniungi in re,nescimus formare principium complexum.nam stat quòd sciam quid æquale,quid demere , quid remanere. & tamen nisi per experientiam cognoscam , quòd si ab his lineis bicubitis demo cubitum remanet cubitum, & similiter ab aliis æqualibus ,nesciam formare hoc principium si ab æqualibus æqualia demas, &c. Patet ergo hanc notitiam experimentalem , non solùm vtilem esse sed & necessariam.

Præterea,Cum particularia extra animam incomplexa & vniuersale intellectu cõplexum sint duo extrema, & ad alterum non peruenietur nisi per medium vt declarat Commẽt. in libro de sensu & sensato,hoc mediũ non potest inueniri nisi ipsa cognitio sensitiua complexa, quæ frequẽtata dicitur experimentalis,nam incõplexa cognitio sensitiua terminorum, nimis distat ab vniuersali complexo , eo quòd non determinat intellectũ, magis ad hoc complexum quã ad illud. Igitur necessaria est & non solùm vtilis cognitio experimentalis,vt intellectus habeat notitiam de principiis & conclusionibus.

Nunc super est soluere rationem Anto. Andr. Arguit enim sic.Intellectus conceptis modo præexposito terminis simplicibus potest virtute propria ipsos componere vel diuidere, ita quòd conceptus tales complexi si sint primorum principiorum cognoscuntur esse veri lumine naturali intellectus, quia principia cognoscimus , inquantum terminos cognoscimus ex primo poster. ergo cognitio sensitiua experimentalis non est necessaria simpliciter pro tali notitia complexa principiorum habenda.

Respondeo nego quòd intellectus sit sufficiens sua propria virtute conceptis terminis simplicibus ad cõponendum vel diuidendũ hoc vel illud determinatum cõplexum;licet enim sit verum quòd potest absolutè cõponere vel diuidere non tamen determinatè hoc ita q̃ constet sibi de veritate eius, nisi fuerit adiutus & determinatus cognitione sensitiua cõplexa frequentata quæ dicitur experimentũ.dictũ aũt Philosophi in 1.poste.sic debet intelligi.Principia cognoscimus inquantum terminos sic coniunctos in re vel diuisos sensu cognoscimus, Vnde aduerte q̃ Philosophus non intẽdit excludere sensitiuã complexionem terminorum,sed resolutionẽ ad aliud principium vniuersale vt in hoc distinguãtur principia demõstrationis & cõclusio demõstrabilis. quoniã conclusio per medium prius cognoscitur hæc autem per solam cognitionem sensitiuam experimentalem & lumine naturali intellectus agentis.

Quantum ad quartum aduerte quòd Philosophus arbitratur ex sensatione aliquius fieri memoriã. ex multis memoriis eiusdem rei fieri experimẽtum. ex multis experimentis fieri vniuersale : nam se habet vniuersalis propositio ad multa experimenta sicut conclusio inductionis ad inductionem,verbi gratia,prius video hoc rhabarbarum purgare choleram.2.video quòd in multis infirmis idem operatur. Tertio ex his concludo quòd est choleræ purgatiuum.4.ex multis experimẽtis facio in intellectu hanc vniuersalẽ,omne rhabarbarum purgat cholerã & hic incipit scientia & ars:verùm quia non contentatur intellectus deducere conclusionem solùm ex singularibus,sed conatur reducere eam in causam intrinsecam ex qua prouenit talis effectus (purgat enim choleram ex sua natura li proprietate) ideo ars& sciẽtia propriè & principaliter acquiritur ex tali reductione in causam & sic patet quòd inchoatiuè & inquisitiuè ars& scientia fiunt experimento,essentialiter autem ex resolutione in causam rei scitę.Confirmatiuè iterum per editionem ad sensum. Experimur enim quòd postquam conclusio ex causis propriis deducta fuerit confirmamus eam exẽplo sensibili vt suffragante sensu intellectus facilius & firmius conclusioni deductæ assentiat : patet ergo quòd initium artis & scientiæ est sensus principale verò productiuum est intellectus inquirens causas rei scitæ, Confirmatiuum autem iterum est sensus. Vnde videmus quosdam qui propter veras & subtiles rationes non inclinantur ad assensum conclusionis,& tamen sensibili exemplo adducto,facile illi acquiescunt. Quod tamen in eis prouenit propter debilitatem ingenij. De quibus inquit Philosophus in secundo libro Metaphysicæ textu decimo quinto. Alij vero, si non exemplariter eis proponatur non acquiescunt.

Quantum ad quintum aduerte,quòd contra determinationem factam tria insurgunt dubia.

Primum est , quia non videtur verum artem & scientiam generari ab experimẽto, quoniã incertum & fallax non potest generare id de cuius ratione est certitudo,sed experimentum est incertum & fallax propter variationem & diuersitatem singularium. Ars autem & scientia dicunt certitudinem, quoniam in hoc distinguuntur ab opinione: ergo, &c.

Respondeo licet incertum non generet essentialiter certum, quoniam causa esset ignobilior suo effectu, tamẽ potest generare inchoatiuè& inquisitiuè vt declarauimus.Dat enim experimentũ viam intellectui inquirẽdi causam & principiũ necessariũ à quo principaliter generatur ars & sciẽtia , & aduerte,quòd omnia argumẽta,quibus solet probari experimentum non generare artem & scientiã ex eo quòd experimentum dicit quia.& ars dicit propter quid,sed quia non manifestat quid aliter minor cognitio causaret perfectiorem, & ex eo, quòd causa productiua esset imperfectior suo effectu,& ex eo quòd ex multis non potest inferri omne aliter cõmitteretur fallacia continẽtis. Omnia inquã hæc argumenta concludunt,quòd experimẽtum non est causa essentialis & principalis artis & scientiæ, non autem quin sit causa initiatiua & occasionalis

occasionalis. Vnde nego quin ipsum quia manifestet initiatiuè ipsum quid:& eodem modo causa imperfectior occasionaliter & instrumentaliter potest producere effectum perfectũ, & ex multis probabiliter potest inferri omne , quando non datur manifesta instantia , non autem potest inferri necessario & essentialiter,vnde quando ex multis experientiis infertur vniuersalis cõclusio, est illatio probabilis & occasionalis.

Secundum est. Dubitatur in propositione Philosophi,qua dicit,hominibus autem scientia & ars per experientiam,intelligenda est vniuersaliter an indefinitè , & videtur quod non debeat intelligi vniuersaliter. Nam si non posset acquiri aliqua ars & scientia sine experimento,sequitur quod omnis artifex & sciens esset expertus,quod est contra Philosophum in litera , qui dicit , expertos magis proficere videmus, sine experientia rationem habentibus : consequentia autem patet, quoniam in quocunque præcedit experientia , ille est expertus,sed per te in quolibet artifice & sciente præcedit experientia generatiua vniuersaliter artis & scientiæ:ergo,&c.

Respondeo,solet distingui de arte & sciẽtia,quia aut habentur per inuentionem, aut per doctrinam, si per inuentionem conceditur quod vniuersaliter generantur experimento , cuius fundamentum positum est in corpore quæsiti in conclusione secunda,& tertia,si per doctrinam, solet distingui, quoniam in habitu acquisito per doctrinã possunt esse aliquæ conclusiones, quæ possunt esse addiscẽti certæ per solam doctrinam , qua addiscit reducere tales conclusiones in sua propria principia,etiam remota experientia : verbi gratia,In scientia medicinæ, Istæ cõclusiones possunt esse certæ addiscenti per solum doctorem assignantem causam , æstas calida & sicca proficit phlegmaticis.Hyems frigida & humida proficit cholericis;& causa quidem primæ est, quoniam caliditas & siccitas æstatis temperat humidum frigidum phlegmatici.Causa autẽ secundæ est, quoniam frigiditas & humiditas hyemis temperat calidum siccum in cholerico. Quædam autem sunt conclusiones in prædicto habitu , quæ per solum doctorem assignantem causam,nõ possunt fieri certæ addiscenti,nisi firmentur experientia : verbi gratia , In scientia medicinæ habetur quòd piper nigrum sumptum in magna quantitate constipat, in parua quantitate laxat ventrem. De hac quidem conclusione,&multis aliis similibus,nũquam certus est addiscẽs,quantumcunque audiat vel legat in libro causam huius ; nisi accedat experientia. Dico igitur ad dubium quod propositio Philosophi intelligitur vniuersaliter quo ad scientiam & artem habitam per inuentionem, nõ autẽ quo ad acquisitam per doctrinam nisi respectu conclusionum, quæ non possunt certificari addiscenti nisi superueniẽte experientia. Ad argumentum autem fundatum super dictum illud Philosophi , expertos magis proficere videmus , &c. dico quod verificatur illud dictum de arte & scientia per doctrinam,& respectu conclusionũ quarũ certitudo nõ habetur nisi accedente experientia.

Tertium est,si quando ars & scientia acquiruntur per inuentionem,necesse est vt semper acquirantur per experimẽtum: & videtur quod non , nam si quis semel tantum viderit, quomodo triangulus habet tres æquales duobus rectis , vel quomodo contingit super lineam datam,triangulum constituere æquilaterum , per certitudinem cognoscet semper sic esse: ex consequenti de hac cõclusione, triangulus habet tres, &c. habebit scientiã,&non per experimentũ,quoniã non fit experimentum per vnam sensationem vel per vnam memoriam tãtum,sed per multas, vt dicit Philosophus in textu: ergo,&c.

Respondeo, dico quòd semper requiritur experimentum. Sed aduerte quòd est duplex,scilicet formale & virtuale,formale est quod fit ex pluribus sensationibus eiusdem rei, & multis memoriis eiusdem. virtuale autem est, quod fit vnica sensatione & vnica memoria, quæ licet in se sit vna tantum, æquiualet tamen multis.nam sunt quædam res adeo stabiles, quòd semel vidisse quomodo se habent, est semper vidisse , sicut & motus diurnus completur vigintiquatuor horis, quòd dies æstatis sunt longiores,quòd hyemis breuiores.Quædam autem sunt adeo variabiles, quòd nisi multiplicentur earum sensationes respectu eiusdem effectus parua aut nulla potest haberi de eis certitudo. & tales sunt rerum inferiorum naturæ. In primis sufficit experimentum virtuale. In secundis autem requiritur formale.& quoniam in gradu primo reponuntur Mathematica, ideo in eis sufficit experimentum virtuale. In naturalibus autem requiritur formale.& per hoc patet quid dicendum sit ad argumẽtum, Tu igitur tene quòd in omni arte & scientia per inuentionem , necessarium est experimentum aut virtuale , aut formale. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si omnis actio est circa singulare

Actus autem & generationes omnes circa singularia sunt. In prologo.

Conclusio. Actiones transeuntes sũt circa singularia subiectiuè & obiectiuè: actiones autẽ immanentes nõ omnes sunt circa singulare obiectiuè.

Circa hanc quæstionem tria agenda sunt. Primo ponuntur aliquæ distinctiones. Secundo aliquæ conclusiones. Tertio soluentur quædam dubia.

Quantũ ad primũ aduerte duas distinctiones.Prima est,actio potest dupliciter cõsiderari. Primo vt respicit agẽs,à quo egreditur.Secundo vt respicit obiectũ circa quod est. & quidẽ propositio Philosophi vẽtilanda est de actione,vt respicit obiectum.nam quo ad agens sine distinctione & absolutè constat,q̃ omnis actio est ab agente singulari.vnũquodque enim agens est agens inquantũ est actu.In tantum est actu inquantum habet esse , esse autem est primo & per se rei singularis. nam vniuersale,vt declaratur in libro septimo,contra Platonem,non existit nisi in singulari;secunda distinctio est hæc,actio est duplex,scilicet immanens, vt actio intellectus & voluntatis & actio sensus & appetitus sensitiui, & actio trãsiens, & de hac distinctione acturi sumus in libro nono.

Quantum ad secundum,considerando actionem respectu obiecti , pono tres conclusiones.

Prima cõclusio. Actio prima & directa intellectus non est circa singulare. nam obiectũ intellectus est ipsa natura vniuersalis abstracta à conditionibus indiuidualibus, siue ipsum quod quid est. vt manifestauimus in 3. de Anima,& non est circa singulare nisi secundario & reflexè, vt manifestabimus in 7.lib.huius scientiæ,quando quæremus vtrum singulare sit intelligibile. De actione autem voluntatis patet, quòd cum sequatur apprehensionem intellectus , est circa bonum simpliciter,vt declarauimus in tractatu de potentia appetitiua in 3. de anima,& quoniam de hac conclusione non est dubium apud Thomistas , ideo pertranseo.

Secunda conclusio. Actio sensus non est circa hoc vel illud singulare,vt circa suum primum & per se obiectum,nam obiectum visus est color vniuersaliter sumptus,& sonus est obiectum auditus,vt declarabitur in q. sequenti.in qua manifestabitur quomodo natura communis est obiectum tam in sensu quã in intellectu,licet alia & alia ratione,& alio modo sensus attingat vniuersale quàm intellectus. Hanc igitur conclusionem videbis resolutam in q. sequẽti,ideo sustine. De actione appetitus sensitiui est idem iudicium,quoniã sequitur apprehensionem sensus.Determinatio igitur , quæ fiet in q. sequenti,de actione sensus,extendetur ad actionẽ appetitus sensitiui.

Tertia conclusio. Actio transiens , de qua propriè intendit hic philosophus , est per se circa singulare , nec verificatur de vniuersali , nisi mediante singulari . in quo habet esse natura vniuersalis. & hæc conclusio sic probatur, nullum singulare existit vt in subiecto,nisi in aliquo singulari. nullũ enim vniuersale est subiectum accidentis, nisi ratione alicuius singularis.sed omnis actio trãsiẽs est singularis,vt hæc ædificatio,hæc sanatio.ergo vt in subiecto non existit nec recipitur nisi in aliquo singulari,recipitur autem in eo , circa quod est, vt sanatio in sanabili,motus in mobili.3.physic. ergo est semper circa singulare.sumendo ly circa subiectiuè,& non tantum obiectiuè quod ideo dico.quoniam licet intellectio sit circa vniuersale obiectiuè,est tamen in intellectu subiectiuè,prout intellectus singularis est.

Quantum ad tertium aduerte quòd contra hanc 3.conclusionem sunt quædam argumenta satis apparentia, quæ soluere debemus.

Primum est Arist.in 2. physic. c. de causis, docet reducere effectum singularem in causam singularem, & effectum vniuersalem in causam vniuersalẽ , & exemplificat in actionibus transeuntibus.ergo est aliqua actio singularis,&aliqua vniuersalis , puta generatio sortis , & generatio hominis. Sed sicut actio singularis est circa singulare , sic actio vniuersalis circa vniuersale,non ergo omnis actio est circa singulare.

Respondeo , & dico q̃ philosophus per causas vniuersales potest intelligere vniuersales,in causando,sicut est Deus & intelligẽtiæ, & cœlum,& per effectum vniuersalem ipsum esse: quod supponitur cuilibet superadditæ perfectioni.

Item potest intelligere vniuersales in prædicamentis similiter effectum:& id est magis ad mentem suam. Sicut enim hic ædificator agit hoc ædificiũ. sic ædificator agit ædificium. Sed aduerte , quòd hæc vniuersalitas non est realis,sed rationis attributa per intellectũ ædificatori,& ædificio in cõmuni. vnde non datur actio illius causæ vniuersalis nisi respectu causæ particularis & effectus particularis. nõ enim hoc est vera, ædificator ædificat,nisi qa hic ædificator hoc ædificiũ ædificat.

Dico

Dico ergo q̃ Philosophus docuit reducere effectũ vniuersalẽ secundũ prædicationẽ in causam vniuersalẽ secundũ prædicationẽ, & nõ effectũ vniuersalẽ secundũ rẽ in causam vniuersalem secundũ rem, & in hoc sensu determinatũ est actiones omnes transeũtes, non esse circa vniuersale, sed circa singulare.

Secundum est dicit Auic. in 1. lib. sufficientiæ quòd natura intendit producere speciem, ergo productio terminatur ad vniuersale: species enim dicit naturam.

Respondeo. Dictũ Auic. sic debet intelligi, natura intendit producere speciẽ non quidẽ per se subsistentẽ, sic enim argumentum cõcluderet, sed intendit, mediante indiuiduo producto. ita tamen quòd non producitur indiuiduum nisi vt saluetur species, vnde si species rei corruptibilis, posset perpetuo saluari in vno indiuiduo, non producerentur plura indiuidua. In productione ergo indiuidui, natura pro tanto intẽdit speciem, quia ratio producẽdi indiuiduum non est ipsum indiuiduum, sed natura specifica in indiuiduo. Patet autẽ quòd hæc consequentia non valet, natura in productione indiuidui intendit speciẽ, ergo species est primus & per se terminus productionis, licet enim sit primum intentum in productione, non tamen est necesse quòd sit primo productum.

Tertium est logicum sic, fortes per se sanatur, fortes per se est homo, ergo homo per se sanatur, ergo non per accidens, quod est contra Philosophum in textu, qui dicit quòd medicus non sanat hominem nisi per accidens.

Respondeo. Ant. And. dat plures responsiones, quæ an valeant non curo, ego autem ad mentẽ B. Tho. respondeo dupliciter, primo quòd argumentũ non valet, eo quòd ly per se nõ tenetur vniformiter in maiori & in minori, nam in ma. tenetur subiectiuè, fortes enim per se sanatur, quia per se, inquantũ hoc sanabile recipit sanitatẽ, in minori autẽ stat prædicatiuè & essentialiter, quoniã hæc est in primo modo per se, fortes est homo, & in cõclusione fit transitus à per se prædicatiuè, ad per se subiectiuè. Ideo argumentũ non valet. Dico secundo, quòd admisso argumento, Minor est falsa, nam licet fortes vt fortes per se sit homo, tamen vt sanatur non per se est homo. Accidit enim sanato esse hominem, & id videtur esse ad mentem Philosophi, nam dicit in textu. Sed Caliam aut Socratem aut aliquem dictorum, cui accidit esse hominem, cui scilicet vt sanatur accidit esse hominem. nam, vt inquit B. Tho. exponens, licet hæc sit per se, Socrates est homo, hæc tamen est per accidens, curatus, vel sanatus est homo.

Quartum est, si duo sunt eadem realiter, quæcũque passio realis conuenit vni per se conuenit & alteri, quia passio fluit ex propriis principiis subiecti, ex 1. poster. & quorumcunque sunt eadem principia per cõsequens sunt eædẽ passiones. Sed vniuersale & singulare sunt eadem realiter, vt conceditur ab omnibus. & corruptio ac generatio per se competit singulari secũdum Arist. hic ergo & vniuersali. ergo generatio ita est per se circa vniuersale sicut circa singulare.

Respondeo, dico ad maiorem ly per se potest sumi dupliciter, primo pro secundo modo per se, secundo vt distinguitur contra per aliud. si sumitur ly per se in maiori pro secundo modo per se, cõcedo eam: nam in hoc sensu, vtraq; istarum est per se, fortes est risibilis homo est risibilis: & concedo totũ argumentum, nec est contra nos. Concedimus enim q̃ vtraque istarũ est per se, fortes est generabilis, Homo est generabilis, si sumitur ly per se in ma. vt distinguitur contra per aliud nego maiorem, & præcipuè in his quæ non sunt idem conuertibiliter, sicut contingit in proposito, licet enim singulare & vniuersale sint idem realiter, non tamen conuertibiliter, vt patet. & ideo non inconuenit, quòd eadem passio conueniat vni per se, id est, non per aliud & alteri non per se, sed per aliud, sicut homo per se, id est, non per aliud est risibilis. Sortes autem non per se, sed quia participat hominem est risibilis. Sic est in proposito, nam fortes per se, id est, non mediante alio generatur, quia singulari propriè competit esse. Homo autem non per se, sed per aliud, id est, mediante indiuiduo generatur, quia homini non conuenit existere nisi in indiuiduis. & propterea dicit Arist. in textu, quòd medicus sanat hominem per accidẽs, id est, per aliud, quia mediãte Calia aut Socra, qui sanatur per seipsum. Patet ergo, quòd argumentũ non cõcludit, quoniam ly per se vt distinguitur contra per aliud in eo quod est generari ita conuenit singulari, quòd non conuenit vniuersali.

Et aduertequòd Ioan. Iandu. in primo Metaphysic. in quæstione decima sexta, adeo extimat hoc argumentum, quòd concedit vniuersale esse primo & per se generabile & corruptibile. Ad quod non fuisset astrictus, si considerasset distinctionem de ly per se, sicut nos expositimus.

Iteruim aduerte, quòd Iandu. ad id deductus est, quia non considerauit, quomodo stat quòd aliquid sit per se intentum, & tamen non per se generatur, & aliquid per se generatur, quod tamen non est per se intentum. nam primum verificatur de specie, & secundum de indiuiduis. Iandu. autem existimauit, omne per se intentum, per se generari, & omne non per se intentum non per se generari, quod tamen est falsum, vt declarauimus. nam natura in generatione intẽdit speciem, & tamen non per se, sed mediante indiuiduo genito, generat speciem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Si obiectum sensus est vniuersale, an singulare.

Amplius autem sensuum, neque vnum sapientiam ponimus. cum his singulorum, id est, singularium cognitiones maximè propriæ sint. In prologo.

Circa hanc quæstionem tria agenda sunt. Primo probabitur quòd obiectum primũ tam in sensu quàm in intellectu est vniuersale. Secũdo declarabitur in quo stat distinctio inter obiectum intellectus & obiectum sensus, licet vtrius obiectum sit vniuersale. Tertio soluentur quædam dubia.

Quantum ad primũ probatur multipliciter vniuersale esse obiectum sensus, nam quo ad intellectum cõmuniter concedit. Arguo igitur primo auctoritate Philosophi, deinde ratione. Dicit Philosophus in 2. poste. sensus est vniuersalis, sentire autem singulare. & in 2. de Anima tex. 63. visus non decipitur circa colorẽ quoniam color, neque auditus circa sonum quoniam sonus: sed circa coloratum. ex quo videtur intendere, quòd sensus visus versatur non solùm circa hunc vel illum colorem, sed circa colorem communiter & vniuersaliter sumptum, similiter auditus circa sonum.

Ratione autem sic, si singulare est primum obiectum sensus, cum prima obiecta diuerificent potentias & idem sensus feratur in multa singularia, puta visus in hunc & illum colorem. ergo vel erunt multæ potentiæ visiuæ. sicut sunt multa singularia visa, vel videbit tantum vnum singulare, quorumcunque vtrunque est falsum, vt patet. Præterea si singulare est obiectum sensus. ergo vel singulare inquantũ hoc singulare, & hoc non. quoniã tantum hoc singulare sentiretur. vel singulare inquantum abstrahit ab hoc & ab illo singulari, si sic, cum illa singularitas sit quædã communitas habetur intentum, ex hoc enim sequitur q̃ singulare vt singulare non est obiectũ sensus.

Quantum ad secũdum declarandũ est, in quo sensu vniuersale est obiectũ intellectus. & in quo est obiectũ sensus, vt feruetur distinctio inter obiectũ formale intellectus, & obiectũ formale sensus. Aduerte igitur q̃ stat distinctio in duobus. Primo in duplici acceptione ipsius naturæ vniuersalis. Secũdo in diuerso modo attingẽdi & ferẽdi in ipsam naturã vniuersalẽ.

Pro euidẽtia primi aduerte q̃ B. Tho. in prima secundæ q. 29. art. 6. format hanc distinctionẽ. De vniuersali cõtingit loqui dupliciter: vno modo secundũ q̃ subest intentioni vniuersalitatis, alio modo dicitur de natura, cui talis intentio attribuitur. alia est enim cõsideratio hominis vniuersalis, & alia hominis in eo q̃ homo. Si igitur vniuersale sumatur primo modo, sic nulla potẽtia sensitiuę partis, nec apprehẽsiua, nec appetitiua põt in vniuersale. quia hoc vniuersale fit per abstractionem à materia indiuiduali, in qua radicatur omnis potentia sensitiua, potest tamen aliqua potẽtia sensitiua, tam apprehensiua quàm appetitiua ferri in aliquod vniuersaliter, sicut dicimus in obiectũ visus est color secundũ genus, nõ quia visus cognoscat colorẽ vniuersalẽ, sed quia q̃ color sit cognoscibilis à visu nõ cõuenit colori inquantũ est hic color, sed inquantũ est color simpliciter. Hæc B. Tho. ex quibus elicitur q̃ licet tam sensus quàm intellectus pro obiecto habeat vniuersale, diuersa tamẽ ratione: quoniã obiectum intellectus est vniuersale formale, obiectũ autẽ sensus est vniuersale, id est, natura communis cõmuniter & vniuersaliter cõsiderata, & nõ singulariter, quã naturã cõmunẽ vt sic nõ dicim̃ vniuersale actu: hoc enim fit per intellectũ, sed proxima aptitudine. est enim talis natura, cui põt intellect̃ intẽtionẽ vniuersalitatis attribuere.

Pro euidentia secundi, aduerte quòd licet vniuersale sit obiectum in sensu & in intellectu, tamen alia ratione attingitur ab intellectu & alia à sensu, intellectus enim attingit vniuersale, sub ratiõe vniuersalitatis, sensus aũt nõ, sed ratione singularitatis. ita q̃ singularitas est ratio sine qua nõ. & hęc diuersitas attingentiæ prouenit ex diuersitate speciei intelligibilis, & speciei sensibilis. Nã quia species intelligibilis est abstracta à phãtasmatibus, & repræsentat rem sine cõditionibus indiuiduãtibus, ideo intellectus actuatus tali specie, fertur super naturã vniuersalẽ, vt vniuersalis est, id est, vt abstracta à singularibus. & qm̃ species sensibilis remanet cõiuncta cõditionibus indiuid

indiuiduantibus, ideo non repræsentat vniuersale nisi contractum ad hoc vel illud singulare, & quia sensus non fertur in obiectum nisi actuatus specie sensibili, inde est quod sensus nõ cognoscit naturã vniuersalẽ, nisi mediãte singularitate. Hinc patet quod licet sonus secundum genus sit obiectum auditus, tamen nõ audit sonum nisi mediante hoc vel illo sono, & gratia huius dixit Philosophus in secundo posterio. sensus est vniuersalis, scilicet obiecti, sentire autem est singulare, quasi dicat, Tam intellectus quàm intelligere est circa vniuersale, vt vniuersale est, sensus autem licet habeat vniuersale pro obiecto, tamen per actum sentiendi non attingit vniuersale, nisi mediante singularitate.

Quantum ad tertium aduerte, quòd contra hanc determinationem sic declaratam non inuenies argumenta difficilia, quoniam licet apud Philosophum, & Bea. Thomam, & Commentat. inuenias quod sensus est tantum singularium, vel quod tantum singularia cognoscit, vel quod cognitiones singularium inter maximè proprie sensuum, ex his non concluditur aliud, nisi quod non fertur in vniuersale vt vniuersale, sed mediante singularitate: vel potes dicere, quod obiectum quidem sensus est vniuersale, quantũ autem ad attingentiã est singulare, eo quod vniuersale non attingitur à sensu, nisi quia aliquod singulare sub vniuersali contentũ attingitur: non enim color videtur nisi quia hic, vel ille color videtur: & tamẽ color, vt color, intelligitur, dato quod nullus singularis color intelligatur.

Tu tamen aduerte quod illud argumentum solitum fundarisuper dictum Philosophi in libro de Somno & vigilia, cuius est actus eius est potentia: sed sentire est singulare ex primo posteriorum, ergo sensus est singularis, scilicet quo ad obiectum. Hoc inquam argumentum non est difficile. Nam dictum Philosophi in li. de Somno & vi. intelligitur quo ad subiectum, vt sit sensus, in eodem subiecto est actus, & potentia, à qua est actus: verbi gratia sicut intellectus est tantũ in anima, & non in coniuncto, quia est potentia non organica, sic intelligere est subiectiuè tantum in anima, & econuerso. In proposito non potest concludi aliud nisi quod in quo recipitur sentire in eodem recipitur sensus scilicet in coniuncto, & non in sola anima.

Aduerte etiam, quod si dictum Philosophi exponeretur quo ad obiectum, vt sit sensus, actus & potentia à qua est actus sunt eiusdẽ obiecti, nullum sequitur inconueniens. Tenemus enim quod obiectum sensus & sensationis est vniuersale, nec intendit Philosophus cum dicit, sentire est singulare, quod obiectũ sensationis sit singulare, sed quod sensus, cuius obiectũ est vniuersale, non exit in actũ sentiẽdi nisi mediante aliquo singulari, contento sub illo vniuersali, vt in hoc distingua atur actus sentiendi ab actu intelligẽdi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Si Metaphysicus considerat omnes quidditates tantum in vniuersali vel etiam in particulari.

Sapientem scire omnia vt decet accipimus. &c. In prologo.

Circa hanc quæstionem intendo declarare quid senserit Commentat. & Beat. Thom. & Scotus dimissis friuolis quorundam modernorum. Sic ergo procedendum est. Primò præponentur aliqua pro declaratione tituli. Secũdò ponentur conclusiones decisiuæ. Tertio declarabitur differentia inter Metaphysicam & alias particulares scientias in considerando easdem quidditates. Quarto soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum pro notitia tituli aduerte quinque.

Primo aduerte, quòd duplex est quidditas: quædam in materia, vt entia corporea tam simplicia, qualia sunt elementa, quàm composita vt elementata. Quædam separata à materia, vt Deus & intelligentiæ.

Secũdo aduerte q̃ de quidditate separata à materia secundum esse potest haberi quadruplex cõceptus. Primus est transcendens, vt Deus est ens, vnum, verum, bonũ, &c. Secũdus est generalissimus, vt Deus est substãtia & intelligẽtia est substantia. Tertius est subalternus, vt Deus est substantia incorporea. Quartus est veluti specificus in quo natura abstracta sub propria & formali sua differentia concipitur, puta si concipiatur Deus sub ratione deitatis, sicut quãdo cõcipitur homo sub sua specifica differentia. Sed aduerte, quòd pro nunc non est discutiendum, an Deus contineatur sub generalissimo & subalterno: nam mihi sufficit pro nunc, quòd ea quæ prædicantur de Deo, vt substantia incorporea, vel sunt genera, vel se habent ad modum generum. ex his conceptibus tres possunt à nobis haberi naturaliter & ex sensatis, vt manifestabimus in libro secundo, quartus autem pro hac vita est nobis impossibilis. Tunc enim cognosceremus pro præsenti statu abstracta quiditatiuè, quod manifestabimus esse impossibile in 2. libro.

Tertio aduerte, q̃ quatuor genera causarũ pertractantur à Metaphysico & à Physi. vt patet in 5. Metaph. & in 2. Physic. sed diuersa ratione, nam pertractantur à Physico vt concernunt motũ, vnde non cõsiderat de efficiẽte. nisi vt agit per motum: nec de materia, nisi vt est subiectum transmutationis, & vt est receptiua formæ introducendæ per motũ: nec de forma, nisi vt est terminus transmutationis, vel vt est principiũ formale actionis physicæ: nec de fine cõsiderat nisi vt est acquisitus per motum. Metaphysicus autem considerat efficiens, vt producens, & non vt trãsmutans physicẽ. Datur enim actio sine motu, vnde inquit Comment. in lib. 9. cõmen. 1. potentia & actus dicuntur in pluribus quàm in rebus trãsmutabilibus. materiã verò considerat inquantũ est ens & potentia, & pars quidditatis, formam verò inquantũ est ens & actus & quidditas, vel pars quidditatis. finem autẽ inquantum est bonũ & perfectio naturæ, ad quod rei natura ordinatur. Vnde dato quòd nulla res attingeret finem suum nisi per motum, prior tamen est ratio ordinis in re secundum esse, quã secundum operationem. Sed dices, si Metaphysicus quatuor causas pertractat, quare dicit Comment. in primo Physic. comment. 1. Metaphysicum tantum tres causas considerare? excludit enim materiam.

Respondeo pro tanto excludit materiã, quia magis concernit motum & transmutationem, quàm aliæ causæ. vnde per motum & transmutationem cognita est, vt patet in primo Physic. & in octauo Metaph. cum hoc tamen stat, quòd potest considerari, vt ens, vt potentia, vt pars quidditatis.

Quarto aduerte q̃ ly cõsiderare quidditates in vniuersali, vel in particulari intelligitur quo ad prædicata vniuersalia, vel specifica, puta considerare lapidem, vt est substantia, vt corpus, vt vnus, vt compositus ex materia & forma, est considerare quidditatem lapidis in vniuersali, eo quòd in illis prædicatis plura alia conueniunt. Considerare verò lapidem vt sic mixtum, vt grauem, vt aptum descendere ad centrum, est considerare quidditatem eius in particulari, eo quòd talia prædicata ducunt nos in cognitionem distinctam de lapide.

Quinto aduerte, quòd ly considerare quidditates rerum in particulari potest intelligi dupliciter. primo absolutè, scilicet vltimate sistendo in tali consideratione: vt si considerem quidditatem hominis, vt est quidditas hominis, secundo resolutiuè, id est reducendo talem considerationem ad ens, & ad principia entis vel proprietates entis: vt si considero quidditatem hominis, vt ens, vt actus, vt res, &c. His prænotatis deueniendum est ad conclusiones.

Quantum igitur ad secundum ponuntur tres conclusiones responsiuæ.

Prima conclusio, Metaphysicus considerat omnes rerum quidditates in vniuersali: probatur sic, scientia considerans subiectum communissimum & passiones communissimas, quæ saltim disiunctim cõueniunt omnibus rerum quidditatibus, considerat omnes quidditates secundum illas rationes communes. Hæc patet ex ratione subiecti adæquati & communissimi: nam de ratione eius est, vt omnia, de quibus ipsum & passiones suæ prædicantur considerentur in scientia, aliter non esset adæquatio inter subiectum & scientiam. Sed ens & passiones entis conueniunt saltem disiunctim omnibus quidditatibus. Omnis enim quidditas est ens, & vnum vel multa, est simplex vel composita, est necessaria vel contingens, est finita, &c, ergo omnes quidditates sub hac consideratione vniuersali considerantur à Metaphysico.

Secunda conclusio. Metaphysicus non considerat omnes rerũ quidditates in particulari, id est quo ad prædicata propria & specifica. Probatur, in particularem & distinctam notitiam omnium quidditatum non potest nos deducere ratio entis, nec ratio proprietatum entis, eo quòd omnibus entibus conueniunt, saltem disiunctim: ergo per habitum metaphysicum non potest haberi de omnibus quidditatibus particularis & distincta notitia. Antecedens patet. Consequentia verò probatur, quia formalis ratio obiecti est illa, per quam attingitur quicquid est attingibile per potentiam, siue per scientiam. vt patet in obiecto visus, nam vnumquodque intantum est visibile, inquantum participat naturam & rationem coloris, aut lucis: cum ergo per rationem entis & proprietatum eius, nihil sit cognoscibile, nisi inquantum ei conuenit ens & proprietates eius & non vltra, manifestum est, quòd per habitum metaphy. non potest haberi particularis notitia omnium quidditatum.

Tertia conclusio, licet Metaphysicus consideret omnes quidditates in vniuersali & non omnes in particulari, tamen quiddi

quidditates separatas considerat in vniuersali & in particulari, saltem secundum conceptus aggregatos illis tantum conueniẽtes. Quod consideret in vniuersali patet per primã conclusionem. Quod autem in particulari per conceptus aggregatos, probatur, nam substantia separata cognoscitur sub hoc conceptu, quod est substantia æterna, immaterialis, actus, intellectualis, sine magnitudine, immutabilis, inalterabilis, infinitæ virtutis: & iste cõceptus quo ad omnes partes simul iunctas conuenit soli Deo, & si remoueatur illud infinitæ virtutis, competit aliis intelligentiis & nulli alteri. Sed hunc conceptum non format aliusnisi Metaphysicus, vt manifestum erit in lib. 12. eò quòd trahitur ex conceptu entis & substantiæ & necessarij, & simplicitatis, & independentiæ, & actus, quæ omnia sunt de consideratione Metaphysici: ergo quidditates separatæ considerantur à Metaphysico, non solùm in vniuersali, sed etiam in particulari, signanter autem dixi, quo ad conceptum aggregatum, quoniam conceptum simplicem quidditatium à priori de separatis haberenon possumus. & ideo licet ad Metaphysicam secundum se dictam id pertineret, non tamen ad Metaphysicam, quam habet Philosophus, nec vt viator potest habere, sed id relinquitur alteri statui.

Quantum ad tertium declarandum est resolutè quomodo differant Metaphysica & aliæ scientiæ in cõsideratione quidditatum. Aduerte igitur, quòd Metaphysicus considerat hominem vt est ens, vt substantia, vt compositus ex materia & forma, Physicus autem considerat, vt est ens mobile secundũ generationem & corruptionẽ propter principia sua intrinseca, scilicet propter materiã annexam priuationi, propter qualitates actiuas & passiuas, propter formam non perficientem totaliter potentialitatem materiæ, & quòd est mobile motu vegetationis, inquantum est corpus animatum. Item Metaphysicus considerat lineam, quòd est accidens, quòd est quãtitas, quòd est totum cõpositum homogeneum. Geometra autem considerat quòd causatur à puncto, quòd est sola longitudo, q̃ est recta, vel obliqua, quòd est principium omnis figuræ. Et quoniã impossibile est concipere rem quo ad prædicata propria nisi prius concipiatur quo ad prædicata vniuersalia, eò quòd illa prius cadunt in nostro intellectu, ideo Metaphysica fundat & firmat omnes specificos conceptus, ita quòd meretur dici, ipsam solam considerare quod quid est, vt dicet Philosophus in sexto libro, verùm quomodo sit verum dictum Philosophi, declarabimus in libro sexto.

Totum determinationẽ huius quæsiti reputamus de mente Commen. qui dicit in 6. lib. comm. 1. Ista scientia habet considerare de omnibus speciebus entium inquãtum sunt entia & de mente B. Tho. qui dicit in 4. lib. exponens textum secũdum, in quo dicit Philosophus. Quapropter & entis inquãtum ens est, quascunque speculari species vnius sciẽtiæ est. Super quem inquam textum inquit Bat. Tho. Hoc autem dicit, quia non oportet quòd vna scientia consideret de omnibus speciebus vnius generis secũdum proprias rationes singularũ specierũ, sed secundum q̃ quòd conueniunt in genere. Secundum autem proprias rationes pertinent ad scientias speciales, sicut est in proposito, nam omnes substantiæ inquantũ sunt entia, vel substantiæ pertinent ad considerationem huius scientiæ, inquantum autem sunt talis aut talis substantia, vt leo, vel bos pertinent ad scientias speciales, &c. Et etiam est de mẽte Scoti, qui in 1. sent. in q. 1. prologi in 3. argumẽto contra Philosophos inquit, Hoc est quod dicit Philosophus in 1. Metaph. q̃ oportet sapientẽ omnia cognoscere aliqualiter, id est, in vniuersali & nõ in particulari: & subdit, qui enim nouit vniuersalia, nouit aliqualiter omnia subiecta, &c. ecce q̃ per ly in vniuersali, & nõ in particulari, patet quod cõcordat cũ determinatione facta.

Quantum ad quartum aduerte quòd contra determinationem factam plura insurgunt dubia.

Primum est propter quid est, quòd Metaphysicus considerat substantias abstractas in vniuersali & in particulari quantum potest, materiales autem tantum in vniuersali, cum videatur eadem ratio. nam quidditas materialis vt quidditas, ita abstrahit à motu, sicut quidditas immaterialis.

Respondeo non est eadem ratio, quoniam cum sit proprium Metaphysici considerare abstracta à motu & à materia, maximè debet considerare ea, quæ sunt abstracta secundum esse & secundum rationem: talia autem sunt entia separata, quæ dicuntur entia diuina, entia verò materialia, licet vt sunt quidditates abstrahant à motu secundum consideratione m, tamen vt sunt in rerum natura & in particulari vt leo, lapis, &c. concernunt motum & etiam materiam, vt est subiectum transmutationis, & ideo non est eadem ratio.

Potest etiam dici, quòd Metaphysica est duplex, scilicet communis & applicata. Communis est illa, quæ traditur in libris præcedentibus lib. 12. Quoniam in illis agitur de ente, de communibus diuisionibus entis, & proprietatibus eius. Applicata est in lib. 12. in quo agitur de ente separato à materia secundum esse. Dico igitur quòd licet non pertineat ad Metaphysicam communem considerare de quidditate abstracta in particulari, sicut nec de quidditate materiali, tamen id pertinet ad applicatam, quo propriè versatur circa abstracta, vt manifestabitur in libro duodecimo.

Secundum est stante determinatione facta videtur Metaphysica esse imperfectior Physica. nam cognoscere in vniuersali est cognoscere confusè, & vt sic imperfectè, cognoscere autem in particulari, est cognoscere distinctè, & vt sic perfectè. Sed secũdum determinationẽ factam, Metaph. cognoscit quidditates in vniuersali & Physica in particulari: ergo, &c.

Respondeo, dignitas Metaphysicæ debet attendi penes modum considerandi ens, & quæ enti per se insunt & cognoscendi substantias separatas. & quoniam ista sunt difficillima cognitu, & maximè perficiũt intellectũ, ideo est perfectior aliis scientiis. nam & aliæ sciẽtiæ præsupponunt cognitionẽ entis, & eorum, quæ enti per se insunt. cum autem comparatur Metaphysica Physicæ quo ad cognitionem quidditatum in particulari, illa comparatio est per accidens, & ideo non inconuenit vt sic quòd sit imperfectior Physica, sed hoc est secundum quid. nam cognitio entis, & proprietatũ eius, & cognitio substantiarum separatarum præponderat huic imperfectioni. Quare concedimus, quòd Metaphysica respectu Physicæ est perfectior simpliciter, & imperfectior secundum quid.

Tertium est, Quia videtur quòd Metaphysica habeat considerare hominem non solùm in vniuersali, sed inquantum homo est: & similiter alia naturalia. nã vt quidditates sunt præcedunt motum, & omnem mutationem. comparantur enim ad motum & mobilitatem, sicut comparatur substantia ad accidens. Constat autem ex septimo libro, quòd substantia est prior accidente & tempore & cognitione, in libro ergo priori cognoscibilis est, & non à Physico: quia in illo priori abstrahit à motu, ergo à Metaphysico.

Respondeo. Hoc argumentum est tantę efficacię apud Scotum, vt negauerit ens mobile esse subiectum in Physica, eò quòd credidit ly mobile esse passionẽ, & sic cõstituit vnũ per accidens, cum dicitur ens mobile. Sed apud Thomistas est facilis solutionis, nam ly mobile vel mobilitas dupliciter accipitur, primo vt est formalis & quidditatiua ratio entis mobilis, sicut rationale vel rationalitas in homine, & vt sic præcedit omnẽ demonstrationẽ naturalẽ, & præsupponitur ei, sicut in scientia quæ habetur de homine præsupponitur animalitas rationale, vt principiũ demonstrandi passionẽ de homine. alio modo sumitur mobilitas, prout est passio entis mobilis, quæ non est nisi aptitudo ad motum, sicut risibilitas est aptitudo ad risum, & in hoc sensu non præsupponitur. sed demonstratur de ente mobili, sicut passio de subiecto. Cognitio ergo humanitatis & aliarum quidditatum naturalium, in illo priori pertinet ad Physicum, quoniam licet abstrahat à mobilitate, vt est passio, non tamen vt est ratio formalis sui proprij & adæquati subiecti. Hæc pro præsenti quæsito sufficiant.

QVAESTIO X.

Si maximè vniuersalia sunt difficillima ad cognoscendum.

Ferè autem & difficillima sunt ad cognoscendum quæ maximè sunt vniuersalia.

In Prologo.

Circa hanc q. aduerte q̃ sua difficultas stat in diuersis dictis Arist. in quibus videtur sibi contrarius, nam in 1. Phys. tex. 2. dicit quòd magis vniuersalia sunt nobis prius nota, ergo facillima cognitu: non enim à difficilioribus inchoandum est vt patet. Hic autem dicit ea difficillima cognitu. Pro resolutione igitur huius apparentis contrarietatis tria agenda sunt, primo ponentur quædam distinctiones, secundo conclusiones resolutiuæ, tertio soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quòd aliqua possunt dici maximè vniuersalia dupliciter, scilicet secundũ causalitatem & secundum prædicationẽ, iuxta primũ membrum, Deus & intelligentiæ sunt maximè vniuersalia, quoniam sunt prima & vniuersalissima principia entium, vt manifestabitur in lib. 12. iuxta secundum membrum, ens & reliqua transcendentia & actus & potentia, &c. sunt maximè vniuersalia, quoniam de omnibus prædicantur simpliciter vel disiunctim.

Iterum aduerte quòd maximè vniuersalia secundũ prædicationem dupliciter cõsiderari possunt. Primo quo ad cognitionem confusam. Secundo quo ad cognitionem distinctam, quarum

quarum vtraque quid sit considerando vniuersale inquãtum totum diffinibile & inquantum totum contentiuum suorum inferiorum videbis in tractatu nostro de transcendentibus in primo capite, vbi inuestigamus primum cognitum.

Quantum ad secundum ponuntur tres conclusiones respondentes. Prima. Maximè vniuersalia secundum causalitatem sunt difficillima ad cognoscendum probatur, cum omnis nostra cognitio ortum habeat à sensu, quę maximè sunt remota à sensu difficillima sunt cognitu. Sed maximè vniuersalia in causando vt declarabitur in libro duodecimo, cum sint immaterialia, nullam habentia magnitudinem, sunt maximè remota à sensu: ergo, &c. Confirmatur dicto Philosophi in secundo Metaph. vbi comparat intellectum nostrum in intellectione huiusmodi vniuersalium ad oculum noctuæ in visione luminis solaris, & aduerte quod de talibus vniuersalibus intendit propriè Philosophus in prologo cum dicit, Sed ferè autem & difficillima ea sunt hominibus ad cognoscendum quæ maximè sunt vniuersalia. Nam à sensibus sunt remotissima, verum quia & de maximè vniuersalibus in prædicando potest dictum Philosophi intelligi quoniam cum sensus sit tãtum singularium, & licet eius obiectum sit vniuersale vt declarauimus suprà, tamen non attingit vniuersale nisi mediante singulari, maximè vniuersalia videntur esse remotissima à cognitione sensuum, ex consequenti videntur esse difficillima cognitu, ideo ponuntur conclusiones sequentes.

Secunda. Maximè vniuersalia in prædicando, quo ad cognitionem confusam, non sunt difficillima nobis ad cognoscendum, imò faciliora: probatur à maximè vniuersalibus innata est nobis via procedendi, nam de vnoquoq; primo apprehendimus quod est ens, quod est vnum vel multa, quod est substantia vel accidens, quod est in potentia vel in actu, quod est simplex vel compositum, &c. Sed via huiusmodi processus necesse est vt sit à notioribus nobis ex cõsequenti à facilioribus cognitu aliter esset via inutilis, quoniam ex ignoto non notificatur nobis alterum ignotum, necesse est ergo vt prima apprehensione, quę est apprehensio confusa vt declarauimus in tractat. de transcendentibus, maximè vniuersalia non sint nobis difficillima cognitu, & de hac cognitione confusa intendit in primo posteriorum, tex. tertio, cum dicit, sunt autem primum nobis manifesta & certa confusa magis, vnde ex vniuersalibus ad singularia oportet procedere, &c. Quod autem magis confusa, id est magis vniuersalia sint primo manifesta nobis probat Aristo. tripli ci signo quod nunc prætermittimus quoniã id satis declarauimus, in epitome nostra super libros Physi.

Tertia. Maximè vniuersalia in prædicando quo ad cognitionem distinctam vt habent rationem totius plura sub se continentis explicitè, sunt difficillima ad cognoscẽdum, probatur, si maximè vniuersalia, quo ad explicitam continentiam suorum inferiorum debent distinctè cognosci, est necesse vt cognoscantur omnes gradus entium & naturarum quæ sub ipsis continentur, & quibus differentiis singula à seinuicem, differunt, præcipuè autem difficillima est continentia entis distincta ad intelligendum quoniam inter purum actum & puram potentiam difficillimum est omnes gradus medios distinctè apprehendere. Quos si quis apprehenderit secundum Auic. in libro nono suæ Metaphys. reputabitur felix, & iuxta hanc distinctam cognitionem dixit Arist. in prologo Metaphys. quod maximè vniuersalia sunt difficillima ad cognoscendũ. Tu igitur aduerte ex his cõclusionibus Philosophũ non esse sibi contrarium quoniã in primo Phy. loquitur secundũ secũdam conclusionem, in prologo autẽ huius sciẽtiæ loquitur iuxta primã conclusionem, & potest interpretari iuxta tertiam, quare, &c.

Quantum ad tertium aduerte tria argumenta quibus videtur posse concludi, quod maximè vniuersale nulla cognitione sit notius aut prius notum, minus vniuersali, ex cõsequenti siue confusè siue distinctè cognoscatur, nunquam erit facilè ad cognoscendum, quod est contra secundam conclusionem.

Primò igitur arguitur sic. Quæ sunt priora secundum naturam sunt posterius nobis nota, secundum Philosophum in primo posteriorum. Sed maximè vniuersalia sunt priora secundum naturam. Prius est enim secundum naturãm, à quo non conuertitur consequentia subsistendi, patet autem quod licet à minus vniuersali ad maximè vniuersale valeat consequentia subsistendi, non tamen econuerso, nam bene sequitur, homo est, ergo ens est, non tamen sequitur, ens est, ergo homo est. Patet igitur quod minus vniuersale est posterius secundum naturam, ex consequenti prius notum, & facilius notum, siue confusè siue distinctè apprehendatur.

Respondeo. Ad maiorem, ly secundum naturam potest habere duplicem sensum. Primò secundum naturam, id est secundum perfectionem naturæ. Secundò secundum naturam id est secundum processum naturæ, qui est ab imperfecto ad perfectum, vt patet in generatione viuentium, si sumatur ly priora secundum naturam in primo sensu, conceditur maior sed negatur minor. Ad probationem eius dico quod illa propositio, prius est enim, &c. intelligenda est de prioritate naturæ secundum processum naturæ, & non de prioritate secundũ perfectionem naturæ, si autem sumatur in secundo sensu, nego maiorem. Ad probationem eius dico quod Aristot. intendit de priori secũdum naturam iuxta primum sensum in quo concessa maiore negauimus minorem. Et quoniã in processu naturæ magis vniuersale est prius, prius enim generatur animatũ quã sensitiuũ & sensitiuũ quã intellectiuũ, ideo prius cognoscimus & facilius magis vniuersale quã minus vniuersale.

Secundo. Composita prius & facilius cognoscuntur quàm simplicia, quoniam magis cadunt sub sensu. Sed minus vniuersalia se habent ad maximè vniuersalia, sicut composita ad simplicia addunt enim super ea, vt substantia addit super ens & corpus super subiectum, & sic descendendo: ergo, &c.

Respondeo. Maximè vniuersale potest considerari inquantum diffinibile, & inquantum est contentiuum suorum inferiorum. In textu Philosophi, cum dicit. Difficillima sunt homini ad cognoscendum, quæ maximè sunt vniuersalia, considerantur vniuersalia, vt sunt contentiua suorum inferiorum, in quo sensu nego minorem, imò est oppositum, quoniam magis vniuersale est totum, & minus vniuersale est pars subiectiuã.

Probatio autem minoris respicit maximè vniuersale, vt est quoddam diffinibile de quo nunc non est considerandum. Quòd quidem an prius cognoscatur cognitione confusa in concipiendo ipsum, iam declarauimus in tracta. de transcendentibus in capi, primo, vbi determinauimus contra Scotum.

Tertio causæ & principia sunt posteriora cognitione quo ad nos, quoniam per effectus deuenimus in cognitionem causarum & principiorum, eo quod sunt manifestiora sensui. Sed maximè vniuersalia sunt causæ & principia: ergo, &c.

Respondeo, primo potest, negari minor de maximè vniuersali in prædicando, & de facto eam negauit Arist. contra Platonem in libro decimo in textu sexto, secundo potest negari minor, licet enim multoties cognoscamus causas per effectus, non tamen est vniuersaliter verum, vt patet in Mathematicis in quibus sunt demonstrationes à priori, quæ procedunt ex primis veris notioribus & causis conclusionis, & in proposito à magis vniuersali deuenimus in cognitionem minus vniuersalis, ita quod in tali processu, cognitio magis vniuersalis est causa & principium cognitionis minus vniuersalis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quia verò non actiua palam ex primis philosophantibus. In prologo.

Sver hunc textũ quærendum esset, si hæc scientia est practica an speculatiua, verum quia in libro sexto quæremus de numero scientiarum speculatiuarum, inter quas Arist. numerat hanc scientiam sub nomine Theologiæ, cõsiderabimus etiam de praxi & speculatione, & vnde sumatur scientia practica & speculatiua, an ex obiecto, an ex fine. Ideo sustinè vsque ad librum sextum ne fiat eiusdem inutilis repetitio.

Et quoniam in toto primo libro, immoratur circa sententias antiquorum de principiis & causis primis entium, nec cadunt dubia circa huiusmodi alicuius momenti. Ideo sufficiat pertractasse quæstiones principaliores fundatas in procemio huius primi lib. nunc igitur ad quæsita secũdi li. trãseundũ est.

Quæstionum super primum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

QVAESTIONES SVPER SECUNDUM LIBRUM METAPHYSICES.

1 Si prima principia sunt naturaliter cognita,
2 Si tota difficultas in uenienda veritatis est ex parte intellectus nostri.
3 Si possumus cognoscere quidditatiuè entia abstracta.
4 Si ex textu quarto possumus elicere esse plura principia improducta,
5 Si est processus in infinitum in causis efficientibus.
6 Si est processus in infinitum in causis materialibus.
7 Si est processus in infinitum in causis formalibus.

QVAESTIO I.

Si prima principia sunt naturaliter cognita.

Quare sic videtur habere, vt prouerbialiter dicitur, In ianuis quis delinquet textu primo, vbi commentator inquit. & ista sunt principia cognita naturaliter habita à nobis in quolibet genere cuium. Et B. Tho. exponens inquit. Huiusmodi autem sunt primæ principia naturaliter cognita: vt non est simul affirmare & negare de eodem, &c.

Conclusio. Prima principia sunt nobis naturaliter cognita nõ quidem secũdum actũ perfectũ sed imperfectũ, vel secundum potẽtiam propinquam.

Circa hanc quæstionem sic procedemus. Primo ponemus distinctionem de naturaliter cognito. Secundo recitabimus duas opiniones, ex quibus secunda est peripatetica, & illam sustinemus. Tertio soluentur quædam dubia, quæ insurgent contra determinationem.

Quantum ad primum aduerte, quod aliquid potest dici naturaliter cognitum dupliciter. Primo secundum actũ perfectum: & hoc esset quando semper & à principio nostri esse & necessario illud cognosceremus. & hoc modo dicũtur intelligentiæ cognoscere seipsas naturaliter, eo quòd semper sibi ipsis præsentes sunt secundum esse intelligibile. secundo non secundum actum perfectum, sed secundum potẽtiam propinquam & hoc est quando in nobis est sufficiens principium talis cognitionis absque expectatione principij extrinseci dato quòd talis cognitio non super actu & à principio nostri esse sit in nobis. Nam sicut dicimus motum lapidis deorsum esse naturalem lapidi, non quia semper actu moueturdeorsum, sed quia in se habet sufficiẽs principium huius motus, scilicet grauitatem sine expectatione alicuius impetus causati ab extrinseco, qualis requiritur in motu violento aut in proiectis, sic dicimus illud nobis naturaliter cognitum respectu cuius habemus intrinsecum principium & sufficiens cognitionis sine priori cognitione intellectiua, & sine expectatione alicuius discursus. quod quomodo fiat declarabimus statim.

Quantũ ad secundum aduerte quòd Plato in Phædro tenet primum membrum distinctionis positæ non solum quo ad principia prima sed etiam quo ad habitus scientificos. eo quòd secundum ipsum anima creatur cum habitibus scientificis, sed quod eorũ obliuiscatur, aut non possit vti, nõ est defectus ex parte animæ: sed ex eo quòd anima includitur in hoc corpore corruptibili, sicut in carcere. Sed cõtra hãc opinio. nunc non est disputãdum, locus enim est in fine 2. poste. vbi inuestigat Aristot. vnde prouenit nobis cognitio primorum principiorum.

Aristot. autem & omnes veri peripatetici tenent secũdum membrum distinctionis reprobantes primum, cuius reprobatio stat in hoc.

Quod est cognitum naturaliter primo modo, est semper & necessario cognitum, & quã primũ cognoscẽs existit in rerũ natura. sicut exẽplificauimus de intelligẽtia intelligente se naturaliter. Sed prima principia, nõ sunt sic à nobis cognita, nã in sui principio, intellectus possibilis est merè potẽtialis in genere intelligibiliũ, vnde videmus quòd infans non cognoscit ea. Præterea, cognitio primorum principiorum est intellectiua, nã circa ea ponitur habitus intellectus in 6. Ethico. Omnis autem cognitio intellectiua præceditur à sensitiua ex 1. post. ergo non est nobis naturalis primo modo. Quod autem sit naturalis secundo modo manifestatur sic. Quando obiectum mouet sensum, puta hæc magnitudo, & sensus phantasiam, & phantasmata conseruatum in phantasia illustratum lumine intellectus agentis mouet intellectum possibilem ad cognitionem incomplexi puta totius deinde partis, idem intellectus facit hoc complexum, totum est minus sua parte, & huic complexo assentit statim per principium sufficiens intrinsecum, quod est lumen naturale intellectus agentis quo fit sibi euidentissimum prædictum complexum, sine suppositione alicuius prioris noti apud intellectum, & expectatione alicuius discursus, & hoc est cognoscere naturaliter secundo modo, & ex hoc potest tibi esse manifestum, quare cognitio conclusionum non est naturalis hoc modo, nam posita tota virtute intellectus agentis non fiet conclusio euidens intellectui nisi deducatur ex aliquo prius noto apud intellectum & sic cognitio conclusionis non potest esse prima apud intellectũ, sed supponit aliam scilicet cognitionem principij à quo deducitur ex consequenti non potest dici naturaliter cognita sed ratiocinatiuè, ex his igitur patet in quo sensu prima principia sunt naturaliter cognita, & in quo non.

Quantum ad tertium aduerte quòd contra hanc determinationem, quædam insurgunt dubia.

Primm est. An eodem actu apprehendamus principium & assentiamus illi.

Respondeo dico quòd non, quoniam assensus supponit apprehensionem. Sed idem non supponit seipsum. Præterea, stat quòd eodem actu intellectus apprehendam duo contradictoria, & tamen eis non possum simul assentire aliter reputarem, vtrunque esse verum, quod est impossibile vt declarauit in 4. lib. Quod si inueneris Auic. pro eodem accipientem scire & assentire, interpretandus est. quòd sunt idem subiectõ eiusdem intellectus est scire & assentire non tamen ex hoc sequitur quòd sint vnus actus realiter.

Secũdum est. An assensus principiorum sit actus intellectus agentis vel possibilis.

Respondeo hic est duplex opinio, quidam dicunt quòd vel actus intellectus agentis: nam arbitrantur quòd intellectus agens faciat prima intellecta, quæ dicuntur prima principia & ad eorum cognitionem intellectus possibilis se habet merè receptiue, & secundum eos apprehẽdere prima principia est actus intellectus agentis sed assentire illis est actus intellectus possibilis, & fundãt se super dictũ Commenta. in 3. de anima commen. 36. dicentis, necesse est vt intellecta habita à nobis naturaliter, sint ab aliquo, quod est in se liberatũ à materia, & est intellectus agens. Hæc Commen.

Sed hæc opinio falsa est, eo quòd etiam de mente Commen. in 3. de anima, commen. 19. Intelligentia agens nihil intelligit eorum quæ sunt hic: & secundũ beatum Tho. non est subiectum alicuius habitus. Ad dictum Commen. respondetur quod verificatur in hoc sensu, quòd prima principia sunt intellecta non formaliter, sed virtualiter ab intellectu agente pro quanto sola virtute luminis eius fiunt euidentia intellectui possibili, & non virtute priorum principiorum, ex quibus deducantur sicut deducuntur conclusiones.

Alij ergo melius dicunt quòd apprehensio & assensus primorum principiorum, est elicitiuè ab intellectu possibili eo quòd ipsius actio propria est intelligere. Apprehendit autem ea adiutus lumine intellectus agentis, quo sibi manifestatur veritas primorum principiorum & eodem lumine adeo perficitur, quòd statim non expectato alio discursu eis assentit & id confirmatur per D. Alber. in 3. de anima dicentem, nihil est manifestius in natura quàm fons & origo omnis cognitionis, quod est lumen intellectus agentis: per illud enim lumen certificatur quicquid scitur & tunc iudicatur sciri quandoilli conueniens reperitur.

Tertium est, an idem sit principium formale, id est sit eadẽ euidentia, qua assentimus principiis & conclusioni.

Hic sunt duo modi respondendi, primus est Pauli Soncinatis in 4. metaph. q. vltima, qui arbitratur quòd euidentia nec vna nec plures est principiũ formale huius assensus, & ratio sua est, quia euidentia est relatio: dicitur enim euidentia alicui euidentia sed nulla relatio est principium formale actionis sicut nec motus ex 5. physicorum: ergo, &c.

Sed decipitur, quoniam euidentia est qualitas originatiue producta ab intellectu agente nec est verum quod dicit eam esse relationem, quia dicitur ad alterum sic enim scientia esset relatio erit igitur euidentia relatiuum secũdum dici quod non inconuenit esse principium actionis sicut scientia est principium considerandi.

Secũdus est melior, quẽ sequor, & dico q; potest teneri esse vnã & esse plures, nã si loquamur de principio formali proximo, quo assentimus principio & proximo quo assentimus cõclusioni si sunt plures, nã euidentia causata præcisè lumine intellectus agẽtis, assentimus principio & euidẽtia causata ex discursu fundato in principio per se noto, assentimus conclusioni, patet autẽ istas euidẽtias esse distinctas, quoniã vna supponit aliã, & quoniã sunt à distinctis causis quales sunt hymẽ intellectus agẽtis. & discursus, si vero loquamur de principio formali remoto quo assentimus cõclusioni, sic est idem cũ eo quo assentimus principio per se noto, nam eadẽ euidẽtia qua assentimus principio virtualiter assentimus cõclusioni, eo quòd euidẽtia causata lumine intellectus agentis prout seruatur in principio ex quo deducimus conclusionem, est causa quòd assentiamus cõclusioni & sic potest dici quòd eadẽ euidẽtia primo assentimus principio, secũdario autẽ conclusioni verum quia ibi loquimur de principio formali proximo tenendum est quòd istæ euidentiæ sunt plures.

Quartum est, si prima principia sunt naturaliter nobis cognita, vnde est quòd nõ omnes assentiũt eis nã dicit Cõmen. in 2. lib. metaph. in cõmẽ. 14. quòd aliqui homines sunt, qui nõ possunt recipere primas propositiones propter tres causas scilicet. propter consuetudinem quia sunt nutriti à iuuentute in falsis & propter malã dispositionem individualẽ & propter pau-

paucitatem exercitij in logica. Non ergo videntur esse hominі naturaliter cognita. Quod enim naturaliter conuenit homini conuenit omni homini sicut esse risibile.

Respondeo prima principia sunt duplicia, quædam sunt primo prima, quæ dicuntur dignitates quas Ari. defensat in quarto libro, contra proteruientes, super quas omnis scientia fundatur, quædam sunt secundaria, quæ innotescunt ex primo primis vt quod naturaliter ex nihilo nihil fit. Quod omnis forma recipitur in propria materia, &c. Quantum ad primo prima, dico quod omnes potentes vti ratione, vt excludantur pueri & insensati eis assentiunt de necessitate. Quantum ad secundaria dico quod si sunt bene dispositi & recti iudicij eis assentiunt, verum quia multi sunt mali iudicij, vel debilissimi ingenij, vel malè assueti, ideo non est necesse quod omnes potentes vti ratione, eis assentiant, & de his principiis secundariis intelligendum est dictum Comm. Aduerte tamen quod etiam si inuenirentur aliqui, qui negarent principia primo prima, propter hoc non sequitur quin sint naturaliter cognita: nam quod est naturaliter cognitũ non est necesse quod verificetur pro quolibet in diuiduo, nisi sit naturaliter cognitum in primo sensũ vt distinximus in quæstione. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Si tota difficultas intelligendi est ex parte nostri intellectus vel ex parte rei.

Forsan autem & difficultate duobus modis existente. Textu primo.

IN hac quæstione intendo primo pertractare opinionem Beati Thomæ, & Commentat. qui in hoc concordant. Deinde opinionem Scoti & Anton. Andre.

Sententia Beat. Thom. & Comment. stat in duobus, primo quia intelligere stat in quadam habitudine inter intellectum & obiectum intelligibile sicut comburere dicit habitudinem inter comburens & combustibile, in talibus potest prouenire difficultas ex parte vtriusque, nam si comburens sit debile, & combustibile sit ex se dispositum ad combustionem vt stipula ficca, difficultas combustionis erit ex parte comburentis, si autem comburens sit potens, & combustibile sit indispositum puta lignum viride, erit difficultas ex parte combustibilis. Quod si comburens est debile & combustibile indispositum, erit difficultas ex parte vtriusque simul, sic in proposito applicandum est circa difficultatem cognoscendæ veritatis.

Secundo quia cognoscibilitas non consequitur ens vt ens est, sed ens in actu, ex nono libro huius scientiæ, textu vigesimo, vbi inquit Philosophus palam quia potentia entia ad actum reducta inueniuntur, id est cognoscuntur sequitur quod cum sint multa entia, quæ minimum habent de actu, vt materia, motus, tempus, infinitũ, priuationes, negationes, &c. quod sint parum cognoscibilia quod ex consequenti difficultas cognoscendi sit ex parte rei. Cùm etiam sint aliqua entia quæ ex natura sua sunt perfectissima & maximè actu vt entia diuina, & nobis sint difficillima ad cognoscendum manifestum est id prouenire ex debilitate nostri intellectus, qui se habet ad illa vt oculus noctuæ ad solem. & hæc est intentio Commẽtator. in hoc secundo libro, in commento primo, vbi inquit. Cùm difficultas comprehensionis est duobus modis rectum est vt difficultas in rebus, quæ sunt in fine veritatis, scilicet in primo principio & in principiis abstractis à materia sit, scilicet ex defectu ex nobis & non ex illis quoniam cum sint abstracta sunt ex se intellecta naturaliter, & non intellecta quia nos facimus ea intellecta, sicut formæ materiales. Difficultas enim in istis, magis est ex se quàm ex nobis, &c.

Sententia autem Scoti & Anton. Andr. opposita est Beato Thomæ, & Commẽtatori. circa quam duo agenda sunt. Primo ponentur eorum fundamenta. Secundo soluentur eorum rationes quas formant contra Beatum Thomam, & Comm.

Quantum ad primum aduerte quod sententia Scoti & Ant. Andr. in hoc secundo libro quæstio. secunda, stat in hoc quod tota difficultas cognoscendi est ex parte nostri intellectus, respectu cuiuscunq; rei tam materialis quam immaterialis, & quia quo ad immaterialia cum eo cõuenimus, ideo idem manifestare conatur de re materiali, & facit hoc fundamentum cognoscibilitas sequitur rei entitatem, eo quod vt inquit Philosophus in hoc secundo libro, res sicut se habet ad esse, ita ad cognosci, ex hoc autẽ fundamento deducit, quod æquè perfectè proportionaliter res materiales potentiales, quantũ fit ex ex parte earũ sunt cognoscibiles ab intellectu nostro sicut res immateriales, licet non æquè perfectè simpliciter, & probat sic. Quia æquè perfectè proportionaliter motiuæ sunt nostri intellectus sicut res immateriales, vnumquodq; enim mouet intellectũ secundum gradũ entitãtis suæ. Et confirmat exemplo. Paruus ignis æquè perfectè proportionaliter comburit paruũ combustibile, sicut magnus ignis magnum combustibile, & æquè faciliter proportionaliter, licet non æquè perfectè simpliciter, eo quod magnus ignis citius & intensius ãget.

Hæc est sententia Scoti, quæ peccat in duobus, primo in fundamento adducto, non enim cognoscibilitas sequitur entitatem vt entitas est, sed vt est actu vel ordinabilis ad actum vt adduximus in nono Metaphy. & ideo dicit Philosophus in hoc secundo libro textu quarto, vnumquodque sicut se habet vt fit, ita & ad veritatem: & tu aduerte quod non dicit ad entitatem, sed vt fit, esse autem dicit actum, & bene exponit Commenta. illic dicens, quanto magis fuerit perfectum in esse, tanto magis erit perfectum in essendo verum, ex quibus elicio quod sicut actus adiuuat cognoscibilitatem, sic potentialitas impedit & difficultat, sicut in exemplo Scoti siccitas adiuuat combustionem, & humiditas impedit & difficultat ita quod difficultas est ex parte combustibilis humidi, & non ex parte ignis etiam parui, secundo peccat in deductione. Cùm enim res materiales sint sub conditione opposita intelligibilitati, quæ conditio est ipsa materialitas siue potentialitas, non sunt æquè perfectè proportionaliter motiuæ intellectus sicut immateriales, nec suum exemplum iuuat: non enim exemplum est verum, nisi in paruo combustibili inueniantur dispositiones facientes pro combustione puta siccitas & caliditas, sicut supponuntur esse in magno combustibili. Vnde si in paruo combustibili sit intensa humiditas adeo impediet paruum ignem, quod non aget in ipsum, exemplum ergo non valet nisi supposita vniformitate dispositionum ex parte vtriusque combustibilis. Sic in proposito, si res materiales non essent sub opposito cognoscibilitatis, æquè perfectè proportionaliter cognoscerentur sicut res immateriales, non tamen æquè perfectè simpliciter, quoniam cum in abstractis dentur gradus actualitatum quanto superiora tãto magis intelligibilia sunt, vnde Deus est in supremo intelligibilitatis. Sic dico in rebus materialibus cum sint diuersorum graduum dato casu quod non essent sub opposito intelligibilitatis adhuc non sequitur quod essent æquè perfectè intelligibiles.

Nunc igitur soluendæ sunt rationes Scoti, pro quanto militant contra Beatum Thomam, & Commentatorem.

Prima est talis, si res materiales sunt secundum se difficiles ad intelligendum ergo ad quemcunque intellectum comparentur erunt difficiles quod est falsum, vt patet comparatę intellectui diuino, probatur consequentia. Quod secundum se est tale, cuicunque comparetur est tale, vt patet de risibili in homine, qui ad quodcunque comparatus est risibilis.

Hæc ratio nihil valet, nam admittatur primo quod si Deus acciperet scientiam à rebus, vel eas per suas proprias naturas cognosceret, concedimus quod cum difficultate res materiales potentiales cognosceret. Sed quia scientia sua est æquinoca scientiæ nostræ, ratio nihil concludit. Dico secundo quod consequentia non valet. Ad probationem dico quod illa maxima verificatur solum in prædicatis absolutis. In respectiuis autem non valet, quale est esse cognoscibile, esse visibile, &c. Patet enim quod hæc est vera. Sol est secundum se cum difficultate visibilis propter abundantiam suæ lucis, & tamen non sequitur quod comparatus cuilibet oculo sit talis vt patet in oculo aquilæ.

Confirmant autem Scotus & Antoni. Andreas opinionem suam per ipsummet Aristotelẽ, qui loquitur dubitatiuè cum dicit, forsan autem & difficultate duobus modis existente. Deinde determinando se subdit, Non in rebus sed in nobis est eius causa: ergo, &c.

Sed huic respondetur quod licet translatio nostra habeat ly forsan tamen ea quæ est ex arabico est absoluta. Sic enim dicit & cum difficultas eius sit duobus modis, &c. nec est verum quod Philosophus determinet se ad nos tantum in omni genere rerum. Determinat autem se ad nos quo ad immaterialia, cum enim dixisset, non in rebus sed in nobis est eius causa, statim subdit. Sicut enim nicticoracum oculi ad lucem diei, sic & animæ nostræ intellectus ad ea quæ sunt omnium naturæ manifestissima. Patet igitur sententiam Beati Thomæ, & Commentat. esse magis consonam menti Aristot.

Aliam rationem in defensionem Scoti adducit quidam modernus Scotista, & est talis, Intellectus habet difficultatem in cognoscendo quando est improportionatus obiecto. Sed hæc improportio est aut propter excedentem & perfectam entitatem obiecti vt in abstractis, aut propter minimam entitatem vt in rebus materialibus. Sed vtraque harum improportionum est ex defectu nostri intellectus, & de prima quidem

dem concessum est ab omnibus. De secunda autem sic probatur. Dicit Arist. in lib. de sensu & sensato, quod si visibile decrescit in minus in infinitũ, necesse est visum crescere in maius in infinitũ, si debet tale visibile videre ergo ad cognitionem minimi cognoscibilis, necesse est potentiam cognoscitiuã esse perfectiorem. Quod ergo intellectus noster non possit cognoscere minima intelligibilia qualia sunt materialia potentialia est ex imperfectione eius. Omnis ergo difficultas intelligendi est ex parte intellectus, & non ex parte rerum, siue materialium siue immaterialium.

Respondetur. Hæc ratio peccat in duobus, primo non est eadem ratio de visu & de intellectu, nam cũ visus sit potentia organica potest debilitari & confortari ex diuersa dispositione organi, & similiter visio potest reddi facilis & difficilis ex tali dispositione & nõ solũ ex parte visibilis sic vel sic distantis, aut tantę, vel tantę quantitatis: intellectus autem inorganicus est, & ideo nõ variatur facilitas aut difficultas intelligẽdi rem materialem ex parte intellectus, sed ex parte rei potẽtialis parũ motinę intellectus nostri. Dico 2. quòd non cõcludit intentum, licet enim paruum visibile cum difficultate videatur propter defectum visus, nõ tamen solum propter hoc sed propter defectũ parui visibilis, eo quòd non est sufficiens motiuũ visus. Idẽ dicendum esset secundum suũ argumentum de intellectu & re materiali. Propter quod vel nihil cõcludit vel concludit quòd difficultas non solum est ex defectu intellectus sed etiam ex defectu obiecti parum cognoscibilis ex consequenti ex parte rei quod est contra Scotum.

Alia dubia quæ sint difficilia pro præsenti quæsito non occurrunt, nisi illud quod solet adduci ad probandũ quòd videtur intellectui nostro esse minus difficile intelligere immaterialia quàm materialia, eo quod cum sit immaterialis maiorem conformitatem habet cum immaterialibus, &c. Sed id non est difficile ad soluendum, quoniam licet quo ad substãtiam sit conformis immaterialibus, tamẽ quo ad modũ intelligẽdi magis declinat pro hoc statu ad materialia, nihil enim intelligit sine phãtasmate & sua intellectio originatur à sensu, & ideo quo ad modum operandi elongatur à substantiis immaterialibus, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sunt.

QVAESTIO III.

Si possumus quidditatiuè intelligere substantias separatas.

Sicut enim nictticoracum oculi ad lucem diei sese habent, &c. Textu primo.

Conclusio. Impossibile est homine pro hac vita quidditatiuè cognoscere substãtias separatas.

IN hac quæstione tria agenda sunt. Primo, Quæ fuerit mẽs B. Tho. Secundo quæ fuerit mens Scoti. Tertio quæ fuerit mens Commentatoris.

Quantum ad mentẽ B. Tho. aduerte quòd stat in hac conclusione negatiua non possumus pro hac vita intelligere separata quidditatiue, & id clarum est in expositione sua supra præmissum tex. & in 1. parte. q. 12. arti. 12. verum antequã præ dictam conclusionem deducam, declaro quæ sit quidditatiua cognitio in via B. Tho. Aduerte igitur, quòd quidditatiua & perfecta idem sunt. Perfecta autem habetur tribus modis. Primo quando res cognoscibilis vnitur per essentiã cognoscenti, sicut quãdo intelligẽtia est intelligens seipsam per suã essentiam apud philosophum. Secundo quando in cognoscenre est species intelligibilis sufficienter repræsentatiua essentiæ rei cognoscibilis, vt si per speciem hominis intelligerem hominem. Tertio quando cognoscitur effectus adæquans virtutem suæ causæ, & per ipsum cognosco causam, vt si cognoscerem effectum adæquantem virtutem solis, perfectè cognoscerem solem & quidditatiuè.

Ex his deduco conclusionẽ præmissam, primo quia nullũ separatorũ, potest nobis vniri per essentiã suã quoniã secundũ doctrinã Aristo. in 3. de anima, intellectus possibilis, qui est omnia fieri, nullã formam recipit, nisi quam facit intellectus agẽs qui est omnia facere: constat autẽ quòd nõ facit essentiã rei separatæ actu intelligibilẽ, quoniam cum sit immaterialis est ex se intelligibilis, secũdo intellectus possibilis nullam speciẽ recipit nisi abstractam à phantasmate virtute intellectus agẽtis, nulla autẽ talis est sufficienter repræsentatiua substantiæ separatæ, quoniam cum sit sufficienter repræsentatiua obiecti materialis, à quo est sumpta, non potest exprimere naturam perfectioris substantiæ, qualis est substantia separata cum sint diuersorum ordinum, tertio nullus effectus sensibilis cognoscitur à nobis posse adæquare virtutem substantiæ separatæ, præcipuè virtutem primi principij quam in lib. 12. sustinebimus de mente philosophi esse infinitam omnis autẽ effectus sensibilis limitatus est. ergo non possumus quidditatiuè siue perfectè cognoscere separata,

Hoc est vniuersale fundamentũ B. Tho. vbiciq; loquitur de hac materia, quod & Scotus & Ant. And. nescierunt infringere, vide Anto. And. in 2. metaph. q. 3. in solutione rationũ, quæ factæ fuerant pro opinione B. Tho. soluens illam de effectu inadęquato sic dicit, non plus concludit nisi quòd effectus substantiæ separatæ, non ducit nos in cognitionem perfectã suæ causæ, cum hoc tamen stat quòd ducit nos in aliquam cognitionẽ imperfectam. Hæc ille. Sed cum nos teneamus cognitionem quidditatiuam esse perfectam, & econuerso, patet quòd Scotistæ non possunt sustinere intentum suum contra B. Tho. loquendo de cognitione verè quidditatiua.

Quantum ad opinionem Scoti faciemus quatuor. Primo declaratur modus positionis suæ. Secundo ostendetur, quòd non dissentit à B. Tho. nisi in terminis. Tertio declarabitur in quo fuit deceptus Scotus. Quarto ostendetur quòd rationes suæ non tangunt sensum B. Tho.

Circa primum aduerte quòd Ant. And. in 2. metaphys. q. 3. per distinctionem seximembrem declarat mentem suam & Scoti. Quæ quidem distinctio talis est. Cognitionis intellectiuæ sex sunt gradus. Prima est intuitiua, quæ dicitur notitia visionis, quæ est de obiecto præsenti, vt præsens est in sua existẽtia, qualis est cognitio beatorum in patria. Secunda est abstractiua, quæ est obiecti præsentis in sua specie genita ab obiecto, quod potest esse absens in sua existentia: vt cum intelligo rosam absentem per speciem rosæ. Tertia est cognitio obiecti oppositi obiecto primi modi, vt cum intelligo aliquod oppositum contrariè, vel priuatiuè obiecto intuitiuè viso: vt cum intelligo iniustitiam existentem in tyranno, vt opponitur iusticiæ existenti in rege vero. Quarta est cognitio obiecti oppositi obiecto secundi modi, vt cum intelligo obliquum per speciem recti. Quinta est cognitio alicuius ex conceptibus aggregatis, vt cum intelligo aliquod esse ens infinitum necessarium sempiternum. Sexta est per accidens, quando aliquid cognoscitur per speciem illius, quod sibi accidit, vt quando cognoscitur substantia per speciem accidentis. Posita hac distinctione dicit Anto. And. quòd quidditas substantiarũ separatarum non intelligitur primo, nec secundo modo, nec tertio, nec quarto. sed quinto, & aliqualiter sexto scilicet per effectus suos, cognoscuntur enim per hoc, quòd multa apprehensa simul concipiuntur, quæ omnia simul nulli alij conueniunt, & iste est conceptus aggregatus, puta de Deo, quod est ens infinitum, necessarium primum &c, quæ omnia simul accepta nulli conueniunt nisi Deo, & sic de aliis intelligentiis. Hæc est mens Scoti & Anto. And.

Circa secundũ aduerte, quòd cũ Scotus & Ant. And. teneãt substantiã separatã non cognosci nisi 5. & 6. modo, & in doctrina B. Tho. concedatur idem, & primo de conceptu aggregato, vt declarauimus in 1. lib. in q. 9. secundo de effectibus inadęquatis, vt manifestabitur in lib. 12. vbi ex motu æterno inuestigatur substantia mouens æterna, cõstat quòd non est dissensio nisi in terminis. eo quòd Scotus vult cognitionem quinti & sextl modi esse quidditatiuam, B. autem Tho. non vult nisi sit primo, aut secundo modo.

Circa tertiũ aduerte quòd Scotus fuit deceptus in eo q̃ nõ distinguit inter cognoscere quidditatiue, & cognoscere quiditates, & tamen multum refert. Nam cognoscere quiditates est per aliquem conceptum, vel effectum attingere quiditates quod contingit per quintum & sextum modum assignatum ab Anto. And. cognoscere autem quidditatiue, est tantũ illis tribus modis, quos assignauimus in principio quæstionis. Vnde bene concludit Scotus, quòd cognoscimus quiditates substantiarum separatarum. non tamen quidditatiue, vel quantum ad quod quid est. Propterea bene concludit B. Tho. exponens præsentem tex. dicit enim, Impossibile est vt anima humana vnita huic corpori apprehendat substantias separatas, cognoscendo de eis quod quid est: hæc ille. Quod si inueneris B. Tho. dicentem, quòd anima vnita corpori per hęc materialia non potest tantum elenari quòd cognoscat quiditates substantiarum immaterialium, intelliges per cognitionem quidditatum, cognitionem quidditatiuam.

Circa quartum aduerte, quòd Anto. And. in 2. metaphy. q. 3. arguit multipliciter nitens probare quòd cognoscimus separata quidditatiue, quæ nolo hic recitare nec soluere, quoniã si bene aduertes, cognosces quòd concludunt nos cognoscere eorum quidditates, non autem quidditatiue, nec quantum ad quod quid est. Si tamen vis sigillatim eorum solutiones videre claras & Thomisticas quære cap. in 1. dist. 2. q. 1. cõtra sextam conclusionem. Illic recitat omnia sub nomine Scoti in 2. Metaphysicæ.

Quantũ ad mentẽ Commenta. clarum est ex 3. de anima. commen.

comment. trigesimo sexto, quod arbitratus est nos posse intelligere ea quidditatiuè, & per seipsa & modum imaginatum ab ipso habes in dicto comm. quem nolo hic replicare, quoniam spectat ad quæstiones tertij libri de anima, & nos id pertractauimus in lectu. nostra super tractatum de anima in prima parte Beat. Thom. in quæstione octuagesima octaua, articulo primo, vbi declarauimus imaginationem Comment. & sustinuimus rationes B. Th. contra Iandu. de sensantem Comment. & soluimus rationes factas in fauorẽ Commentatoris.

Nunc intẽdimus pro negotio Metaphysico reprobare Comment. quo ad expositionem præsentis textus. Aduerte igitur quod in hoc secundo lib. in textu primo, vbi dicit Ari. sicut nicticoracum oculi, &c. commentans Auerr. inquit, & quia dispositio intellectus de re intelligibili, est sicut dispositio sensus de re sensibili, assimilauit virtutem intellectus in comprehendendo intellecta abstracta à materia modo debilissimo visus in sentiendo, scilicet vespertilionis in non comprehendendo maximum sensibilium, scilicet solem. Sed hoc non demonstrat res abstractas intelligere esse impossibile nobis, sicut inspicere solem est impossibile vespertilioni: quoniam si ita esset, tunc otiosè egisset, quia fecit illud quod est in se naturaliter intellectum non intellectum ab alio, sicut si fecisset solem non comprehensum ab aliquo visu. hæc Commenta. Contra quem dupliciter arguit Bea. Thom, exponens, vt videre potes. Primo quia cognitio nostri intellectus non est finis substantiarum separatarum, aliter finis esset ignobilior his, quæ sunt ad finem: non ergo sequitur quod sint frustra, si non cognoscantur à nobis. Secundo, quia & si non cognoscuntur à nobis cognoscuntur tamen ab aliis intellectibus separatis: sicut licet Sol non videatur à vespertilione, videtur tamen ab alio oculo. Quare, &c. & aduerte, quod eandem improbationem approbat Antonius Andreas, in secundo Metaphysicæ, quæstione tertia, in responsione ad primum argumentum.

Auerroistæ verò & præcipuè Iandu. in secundo Metaphysi. quæstione quarta, nitentes defendere Comment. dicunt nec Beat. Thom. nec Scotum intellexisse virtutem rationis Comment. laborans autem Iandu. declarare & deducere eam inquit, Comment. non intendit intellectum nostrum esse finem substantiarum separatarum, sed supponit duo, primo quod potentia actiua respicit passiuam, eo quod non potest esse sine passiua ex quinto Metaphysi. secundo quod intelligentiæ naturaliter sunt aptæ intelligi ab intellectu nostro, eo quod continentur sub obiecto intellectus, quod est ens: ex quo trahitur quod intelligentiæ comparantur ad intellectum nostrum sicut motiuum ad passiuum, & per consequens vt potentia actiua ad passiuam, & nisi potentia passiua intellectus nostri reduceretur ad actum recipiens cognitionem substantiarum separatarum esset frustra. Ex his sic deducit rationem Comm. substantiæ separatæ sunt de se intelligibiles ab intellectu nostro: intellectus noster debet habere potentiam receptiuam huius cognitionis, quæ potentia esset frustra, si non reciperet dictam cognitionem ex prius suppositis, ergo potest intelligere & de facto intelligit substantias separatas. Sic deducit, & dicit, quod cum Commen. dicit tunc otiosè egisset, &c. ly otiosè non debet exponi ex parte intelligentiarum, quasi quod fuissent factæ otiosè, si non intelliguntur à nobis, sed debet exponi ex parte nostri intellectus, quasi quod potentia nostri intellectus receptiua cognitionis substantiarum separatarum esset otiosa si non posset reduci ad actum.

Sed hæc defensio nulla est, primo quia falsum est quod substantiæ separatæ sint aptæ mouere intellectum nostrum coniunctum, nec est verum quod contineantur sub obiecto proportionato. Illud enim non est ens, sed quidditas rei materialis: & sic patet, quod omnia sequentia sunt falsa, non enim separata comparantur ad intellectum nostrum vt motiuum ad passiuum, nec econuerso, nec intellectus noster coniunctus est aptus recipere cognitionem quidditatiuam substantiæ separatæ. De hac enim nunc loquimur. Dico secundo ad deductionem, quod primum antecedens est falsum, assumit enim quod debet probare loquendo de intellectu coniuncto. Dico tertio quod non sequitur, si potentia passiua nostri intellectus nõ potest recipere cognitionem quidditatiuam separatorum pro isto statu, quod sit frustra: quoniam sufficit quod possit actuari pro isto statu modo cognitionis sibi proportionatæ, scilicet imperfectè & quantum ad quia est. In alio autem statu, quantum ad quid est. Dico quarto quod extorquet sensum Commentat. exponendo ly otiosè. Patet enim ex verbis eius, quod ly otiosè, se tenet ex parte intellecti, & non ex parte intelligentis. Dicit enim sic, quoniam fecisset illud quod est in se naturaliter intellectum non intellectum ab alio, &c.

Et aduerte quod Iandu. in eadem quæstione format plurima argumenta, quæ vanum esset adducere & soluere, quoniam & si concludant aliqualem cognitionem separatorum esse nobis possibilem pro hoc statu, non tamen quidditatiuam & perfectam, vt intendebat Commentator. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Si ex textu Philosophi possimus habere esse plura principia improducta.

Quapropter semper existentium principia esse verissima necesse est, non enim quandoq; vera, quandoque non vera nec illis causa aliqua est vt sint, sed illa aliis. Textu 4.

Conclusio. Non colligitur ex textu esse plura principia improducta.

CIrca hoc quæsitum aduerte, quod hic non intendimus absolutè quærere, vtrum omnia pendeant à primo non solum in genere causæ finalis, sed etiam in genere causæ efficientis & verè productiuę: de hoc enim formabimus particulare quæstum in lib. duodecimo. Sed quia tenentes viam oppositam, vt communiter Com. qualis est Iand. in secundo Meta. tex. quadragesimo quinto, & Greg. de Ari. in secundo. sen. di. prima, quæst. prima, inter cætera dicta Philosophi fundant se super præsentẽ tex. ideo intendo declarare, quod ex hoc text. nõ possunt concludere intentũ suum. Tria igitur agenda sunt. Primò argumentandũ est, quod hic tex. nõ fauet illis. Secundo exponẽdus est, tex. vera expositione, ne sit alicui causa erroris. Tertiò soluetur dubiũ quod potest oriri ex expositione B. Th.

Quantum ad primum sic arguitur, si apud Arist. dantur plura principia, quæ non habent causam efficientem, neque productiuam secundum esse, sequitur contradictio in eodem contextu Philosophi, nam immediatè præmiserat dicens: vnumquodque vero maximè ipsum dicitur aliorum, &c. quod exponens Commentat. de prima causa inquit, Omnia enim entia non acquirunt esse & veritatem nisi ab ista causa, est igitur ens per se, & verum per se, & omnia alia sunt entia & vera per esse & veritatem eius, nec valet glossa Gregorij de Arimino in secundo sent. distinctio. prima, quæstio. prima, qui dicit quod Commentat. intelligit acquirere esse in genere causæ finalis: non enim Philosophus fecerat illic mentionem de causa finali, sed de efficiente, alioquin exemplum de primo calido non fuisset conuenienter introductum ab Aristote. Tunc sic. Hæc duo repugnant, quod omnia capiant esse ab vno primo & quod sint aliqua plura, quibus non sit aliqua causa vt sint, sed illa aliis. Cùm ergo non sit admittendum Philosophum in eodem contextu sibiipsi contradicere, debemus exponere textum tali modo, quod contradictio non sequatur.

Quantum ad secundum, aduerte quod tripliciter potest exponi. Primo sic. Principia semper existẽtium cum sint semper non habent aliquam causam vt sint aliquo tempore, & aliquo non, sed illa sunt causa aliis, id est his inferioribus per motum cœli, quæ cum sint generabilia, aliquando sunt, aliquando nõ sunt. Cùm hoc tamen stat, quod recipiunt esse sempiternum à primo. Secundo sic. Principia semper existentium, id est intelligentiæ, quæ sunt principia motiua corporum cœlestium, nõ habent causam vt sint, scilicet mobilia, vel quod moueantur, sed sunt causa aliis, scilicet corpori cœlesti & his naturalibus, quod moueãtur. Tertio sic, licet Philosophus loquatur in plurali, tamẽ intelligit pro singulari, quasi dicat cum principium primũ semper existentiũ quales sunt intelligentiæ & corpora cœlestia, sit primũ & maximũ ens, nõ habet causam vt sit, id est à nullo pẽdet, sed est causa aliis, quoniã dicet in li. 12. quod ab hoc principio pẽdet cœlũ & natura, & hæc tertia expositio videtur magis cõsona cõsuetudini Ari. Cõsueuit enim dũ loquitur de separatis sæpe trãsferre se à plurali ad singulare & ecõuerso, vt patet in li. 12. in tex. 29. & 30. vbi loquitur de substãtia separata in singulari, probãs quod datur substãtia æterna sẽper mouẽs, in text. vero eodem transfert se ad plurale, probãs omnes tales substantias esse sine materia. Deinde in tex. 35. reuertitur ad singulare, & hoc ideo agebat, quoniam secundum Dominum Herueum in secũdo sen. di. 15. loquebatur Philosophus de omnibus separatis tanquã de vno genere, parum distinguẽs inter ea propter maximam elongationem à sensatis.

Quantum ad tertium aduerte quod contra hanc terciam expositionem, quam reputamus meliorem, videtur esse expositio Beati Thomæ. Nam si Philosophus sumit plurale pro singulari, quare Beatus Thomas exponit in plurali.

Respon. Beat. Thom. vt literalis expositor, noluit immutare textum Philosophi, præcipuè aduertens quod plurale potest saluari non repugnanter: non enim repugnat in genere separatorum, inueniri aliquod, quod sit causa vt sint alia, ipsum tamen non habet causam vt sit. Repugnat autẽ id inueniri in genere

nere materialium vnde patet quòd aliqua propositio formata ex terminis in numero plurali est vera simpliciter, vt animalia sunt sensitiua, est enim vera pro omnibus, aliqua autē est vera non repugnanter, vt animalia sunt volantia: nam sub genere animalium non repugnat inueniri aliquod volatile. Sic est in proposito. Quare, &c. Hæc pro præsenti quæsito dicta sint. Abundantius autem dicturi sumus in lib. 12.

QVAESTIO V.

Si est processus in infinitum in causis efficientibus.

At vero, quòd sit principium quoddam, & non infinitæ causæ existentium. Textu 5.

Conclusio, In efficiētibus essentialiter ordinatis, non est processus in infinitum neque in accidentaliter ordinatis simul existentibus, sed accidētaliter ordinatis sibiinuicem succedentibus.

CIrca hanc quæstionem tria agenda sunt. Primo præponentur quædā distinctiones. Secundo respondebitur per conclusiones. Tertio soluentur quædam dubia.

Quantum ad primū aduerte duas distinctiones. Prima est. Multitudo causarum efficientium est duplex, quædam est in quā vna causa essentialiter depēdet ab alia in ratione causandi, quædā autem est in qua vna non pēdet ab alia in causando. primæ dicuntur essentialiter subordinatæ, secundæ autē accidentaliter. Inter quas triplex assignatur differentia. Prima est, quòd in essentialiter ordinatis, inferior supponit superiorē in esse, à qua, vt causat recipit virtutem causandi, ita quòd nisi superior influeret in ea, nullo modo causare posset, hoc modo se habet baliuus ad regem in politicis: & in naturalibus, Deus, intelligentia, coelū, homo generās. In accidentaliter autē ordinatis nō est necessaria talis suppositio. Nam licet vna possit depēdere ab alia quo ad esse, quia, scilicet, vna est producta ab alia, puta sortes à Platone, tamē non est necesse q̄ pendeat, quo ad causalitatem: potest enim sortes generare remoto Platone. Secūda est, quòd omnes causæ subordinatæ essentialiter sunt diuersarum naturarū, quoniam vna est essentialiter perfectior altera, vt intelligentia, coelū, homo. Quæ autem sunt accidētaliter ordinatæ, possunt esse eiusdem naturæ, & perfectionis specificę, vt omnes homines generātes: Omnes mallei inquātū percutientes. tertia est, Omnes causæ subordinatę simul cōcurrunt, & cooperantur ad effectum, aliter non seruaretur cōnexus causalitatis inter eas. Causæ autē accidentaliter subordinatę non necessario simul cōcurrunt, nam vna remota, alia potest causare, vt artifex destructo vno malleo, potest operari cū alio. Hæc est cōmunis sentētia omniū sapientū.

Tu tamen aduerte, quòd Iandu. in 2. metaphy. q. 6. arbitratur non esse necesse in causis essentialiter subordinatis, quòd omnes simul cooperentur ad effectum, sed sufficit quòd vna præsupponat aliam simul operantem, vel iam operatam fuisse: & exemplificat de sensu, & intellectu. Intellectus enim necessario supponit sensum, quoniam sua cognitio ortum habet à sensu, non tamen est necesse quòd quotiens intellectus intelligit sensus operetur, sed sufficit quòd iam in actu fuerit: sicut patet quòd possum intelligere rosam in hyeme, quam tunc nullus sensus sentit.

Sed decipitur Iandu. quoniam aliud est vnam causam supponere aliam in opere, vel in præsenti, vel in præterito, & vnā essentialiter subordinari alteri, nam respectu primi stat quòd causa prior siue quæ supponitur sit imperfectior, nec dat virtutem posteriori, sed materiam subministrat, vt patet de nutritiua, & generatiua, de arte subseruiente & architectonica, de sensu præparante obiectum intellectui. Respectu autem secundi, semper causa prior est perfectior, & præstat virtutem posteriori, ita quòd est velut instrumentū prioris. Instrumentum autē nō mouet nec operatur nisi vt mouetur à principali agēte, & propterea necesse est in causis essentialiter subordinatis hęc duo esse vera, causa prior influit in posteriorem, & causa prior cooperatur posteriori. Nec valet exemplum de sensu, & intellectu, quoniam non subordinantur essentialiter cum sensus sit imperfectior, nec influit virtutem intelligēdi, imo est instrumentum intellectus. Relinquatur igitur imaginatio Ianduni, quam nec ratione probat.

Secunda distinctio, causæ accidentaliter ordinatæ possunt esse duobus modis. Primo quòd omnes sint simul in rerū natura. Secundo quòd non existant nisi continua, & successiua generatione, quæ tamen tendit in infinitum.

Quantum ad secundum aduerte tres conclusiones.

Prima est. In causis essentialiter ordinatis necessario est status. Huic omnes adhærēt, & licet multiplices adducant rationes, tamē euidētior est talis, si non est status omnes causę sunt mediæ, quia vnaquæque habet causam ante se, à qua accipit virtutē causandi. Si omnes sunt mediæ, tollitur omnis causa, & causalitas, quia media nō causat à se, sed vt recipit à prima, vel immediate, vel tandem reductiue. Omnis ergo causalitas pendet à prima. Sed si omnes sunt mediæ non datur prima, ergo remouetur omnis causalitas, quod est manifeste falsum. Et aduerte, quòd Auic. in lib. 8. suæ metaph. cap. 1. tenet eandem conclusionem, quam probat sicut & Aristot. hic, Huic rationi potes addere aliam sic. In causis essentialiter subordinatis vna est prior alia, & perfectior alia, scilicet, quæ dat virtutem causandi, sed in nulla multitudine datur prius, & perfectius nisi in ordine ad vnum primum, & perfectissimū: ergo, si debet seruari multitudo causarum essentialiter subordinatarum, necesse est inter eas assignari primam, & perfectissimā, & sic erit status.

Secunda conclusio. In causis accidentaliter ordinatis simul existentibus, non est processus in infinitum: probatur, cum ex 3. physic. impossibile sit dari infinitum in actu necesse est omnem multitudinem causarum simul existētium esse finitam, ex consequenti in ea dari duo extrema, inter quæ repugnat posse dari processum in infinitum.

Tertia conclusio. In his accidentaliter ordinatis quarū vna succedit alteri, si generatio est æterna, est processus in infinitū, probatur. Si generatio est ęterna infiniti homines geniti sunt, ergo & infiniti generantes fuerunt: ergo non tot quin plures, ergo non est deuenire ad primum, ergo non est in illis status, præterea si generatio est æterna, infinitæ reuolutiones coeli fuerunt, quæ sunt causæ horum generabilium, ex consequenti non est assignabilis prima: ergo, &c.

Quantū ad tertium aduerte quòd omnia argumenta, quæ videntur habere aliquam apparentiam contra determinata, nihil concludunt contra primā conclusionem, & præcipuè diuisio continui, quæ tendit in infinitum, & multiplicatio in numeris. Nā necesse est omnes causas essentialiter subordinatas esse actu simul, & posteriorem accipere virtutem à priori, Istæ autem conditiones non seruantur in diuisione continui & in multiplicatione numerorum, vt patet. Et propterea, hęc consequentia non valet, Est processus in infinitum in diuisione continui, & in multiplicatione numerorum, ergo & in causis efficientibus essentialiter subordinatis.

Tu inter omnia aduerte argumentū, quod solet fieri cōtra secundā cōclusionem. Nam si generatio est æterna, & anima humana est perpetua, & est forma hominis secundum esse, & plurificata, vt plurificantur homines, videtur impossibile euadere, quin sit processus in infinitum in causis accidentaliter ordinatis simul existentibus, & si non secundum totum, tamen secundum nobiliorē partem, quæ est anima, & quæ fuit principium operandi in quolibet homine genito.

Responde. Hoc argumentū de infinitate animarum pertractabitur à nobis in lib. 12. quando inuestigabitur si mūdus est vel potuit esse ęternus. Pro nūc cōcedo stāte generatione ęterna, quòd secundū Aristote. animæ sunt infinitæ, ex parte vnius extremi, ex cōsequēti est processus in infinitū in causis accidētaliter ordinatis simul existētibus immaterialibus, & carētibus situ, nec id est, cōtra secundā conclusionē, quoniā illa debet intelligi de causis corporeis habētibus sitū. Nec in 3. phy. probauit Arist. esse impossibile dari infinitū actu nisi in infinito quātitatiuo, vt sustinebimus in lib. 12. Et auerte quòd hic loquor de mente Arist. & non de mente B. Tho. quoniam in 1. parte. q. 7. art. 4. negat absolutè contra Auicen. posse dari multitudinem infinitam actu. Quid autem responderet ad argumentum de infinitate animarum, declarabitur in libro 12. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si est processus in infinitum in causis materialibus.

Vtroque autem modo impossibile est in infinitum ire. Textu 7.

CIrca hāc q. aduerte, quòd cùm in generatione substātiali materia prima sit subiectum, quæ secundum se est vna, & sola quātitate diuiditur, clarū est non esse processum in infinitū in causa materiali prima: verùm, quia in omni generatione, vt manifestatur in lib. 9. vltra primā materiā assignatur materia proxima, ex qua res fit, vt ignis ex aëre, aër ex aqua, &c. & similiter in mixtis, eo quòd ex 2. de anima vniuscuiusque actus fit in propria materia, ideo potest esse dubiū, si est processus in infinitum in causis materialibus proximis, & quidem philosophus in præsenti textu cito se expedit, concludēs, & probās pro parte negatiua, verum: quia idem iudicium est esse processum in infinitum in causis materialibus proximis, & generationem tendere in infinitum, ideo vt præsens quæsitum plene resoluatur, videndum est, si generationes rerum corruptibilium tendunt in infinitum, vel non.

Pro cuius resolutione tria agenda sunt. Primo præponentur quædam distinctiones. Secundo conclusiones responsiuæ. Tertio soluentur quædam dubia.

Quantūm ad primū sit hæc prima distinctio. Generatio potest dici tendere in infinitum dupliciter. Primò secundum speciem, vt scilicet post vnam speciem generetur alia, & post illam alia, & sic in infinitum. Secundò secundum indiuidua eiusdem speciei, puta in specie humana post Sortem generatur Plato, & post illum alius, & sic in infinitum. Secunda sit hæc, Generatio siue secundum speciem, siue secundū indiuiduum potest imaginari fieri dupliciter. Primò secundum rectum, id est quod post vnum generetur aliud in infinitum, & nūquam fiat reuersio ad prius genitum iterum generandum. Secundò secūdum circuitum, id est quod post vnum generetur aliud in infinitum, ita tamen quod fiat reuersio ad speciem prius genitam iterum generandam per consimilia indiuidua, vel ad indiuiduum prius genitum & corruptum de nouo generādum.

[illegible] est processus in infinitum circulariter, sed in recto: In causis vero materialibus proximis secundū æternam indiuiduorum generationē sub eadem specie est infinitum rectum: sed in propriis materialibus causis secundum generationem speciei nō est infinitū.

Quantū ad secundū aduerte quatuor cōclusiones respōsiuas.

Prima conclusio, stante generatione æterna. In generatione secundum speciem nō est processus in infinitum secundum rectum, sed secundum circulum. Prima pars sic probatur, si esset processus in infinitum secundum rectum, species rerum generabilium non essent in numero certo, ex consequenti non daretur prima & vltima: quod est falsum: consequentia patet, quoniā si daretur prima & vltima esset status in rectum postquam genita esset vltima, cum post vltimam non detur vlterior generanda: falsitas autem consequentis probatur: quoniam, si in huiusmodi naturis specificis non datur prima & vltima, cum vna sit perfectior altera essentialiter, quæcunque assignetur, puta formica, habet supra se infinitas perfectiones specificas, cum secundum te non sit deuenire ad primam: hoc autem est impossibile, quoniam cum tota multitudo specierum generabilium sub determinatis generibus contineatur, necesse est, vt dicat limitatam perfectionem: ergo, &c.

Secunda pars euidens est, supposito quod sit generatio æterna, nam dato casu quod hodie sit genita infinita species, puta in elementis sit terra, si debet continuari generatio inter elementa, cum post terram non sit aliud inferius elementum necesse est fieri regressum ad generationem alterius elementi, puta quod ex terra generetur aër.

Secunda cōclusio. In generatione indiuiduorum sub eadem specie, si generatio est æterna non est processus in infinitū secundum circulum, sed secundum rectum. Prima pars probatur, si esset processus secundum circulum, ergo idem numero prius corruptum, iterum generaretur, quod est impossibile, vt habetur in secundo libro de generatione, in textu vltimo, & id esse penitus impossibile agenti naturali, nos manifestauimus in eodem libro in quæstione vltima. Secunda pars euidens est, quoniam hæc duo repugnant, Generatio hominis est æterna, & generatur vltimum indiuiduum sub specie humana, vltra quod non generatur aliud.

Tertia conclusio. In causis materialibus proximis secundum generationem æternam indiuiduorū sub eadem specie in rectū est processus in infinitū. Probatur, si generatio indiuiduorum eiusdem speciei est æterna, est processus in infinitū in formis indiuidualibus, quoniā quęlibet signata generatio terminatur ad singularē formā: si est processus in infinitū in formis indiuidualibus est etiā processus in proximis & propriis materiis, quoniā ex secūdo de Anima tex. 27. vniuscuiusque actus in propria materia aptus est fieri, ex hoc tamen nullum sequitur inconueniens, sicut nec ex processu in infinitum causarum efficientium accidentaliter ordinatarum non simul existentium. Nam sicut indiuidua eiusdem speciei tendentia in infinitum si mundus est æternus non sunt omnia simul actu, sic nec eorum formæ, nec eorum propriæ materiæ, sed successiuè ponuntur, sicut successiuè generantur indiuidua.

Quarta conclusio, In causis materialibus propriis secundum generationem speciei, non est processus in infinitum. Probatur cum species generabilium vt dictum est in prima conclusione sint in numero determinato, datur prima & vltima, ergo datur prima materia proxima primæ speciei, puta ignis, & vltima materia proxima vltimæ speciei puta terræ. Sed prima & vltima repugnat processui in infinitū. ergo, &c. & aduerte quòd intentio Philosophi negantis processum in infinitum in causis materialibus, est loqui ad sensum huius quartæ conclusionis, sicut & manifestè innuit in textu septimo, vbi pro fundamento habet, quòd inter generabilia & corruptibilia sit reflexio, nam ex igne generatur aër, ex aëre aqua, & econuerso: & hoc iuxta secundum modum illic assignatum ab Aristotele, quo vnum fit ex alio, vt declarauimus in nostra epitome in secundo libro Metaphysicæ.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta, quæ videntur habere aliqualem apparentiam contra determinata.

Primum est, non datur materia proxima alicuius speciei, nec alicuius indiuidui, sine quantitate continua, aliter esset indistincta à materia cuiuscunque alterius speciei siue indiuidui: sed in quantitate continua est processus secundum diuisionem in infinitum, cum sit diuisibilis in infinitum. ergo & in materia est processus secundum diuisionem in infinitum.

Respondeo, Hoc argumentum primo peccat in minori: licet enim quantitas continua vt continua sit diuisibilis in infinitum, non tamē vt est in materia proxima naturali, quoniam, vt probauimus in primo Physic. datur maximum & minimum naturalibus. Secundo dico, quòd concludit pro tertia conclusione, si quid concludit, nec ex hoc sequitur aliquod inconueniens, quoniam huiusmodi processus in infinitum secundum diuisionē non ponit omnes partes simul existētes actu.

Secundum est, In quolibet infinito est processus in infinitum, quoniam infinitum est, in quo est accipere partem post partem in infinitum ex 3. Physic. Sed materia est infinita secundum Philosophū in hoc 2. lib. in tex. 12. ergo in materia & per consequens in causa materiali est processus in infinitum.

Respondeo, Maior non est vera, nisi de infinito quantitatiuo, vel perfectionali. vt si esset corpus infinitum, vel calor infinitus, & quoniam materia non est infinita quantitatiuè nec perfectionaliter, sed tantum negatiuè ad hunc sensum, quòd ex se non habet aliquod esse determinatum, cùm non habeat aliquam determinatam formam, ideo argumentum nihil concludit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si est processus in infinitum in causis formalibus.

Sed nec quod quid erat esse, conuenit reduci ad aliquam diffinitionem multiplicantem rationem. Tex. 10.

Conclusio. In formis ordinatis secundum magis, & minus cōmune, nō est processus in infinitum sed est deueni re ad vnā primā in quouis genere, & ordine.

CIrca hanc quæstionem aduerte, quòd solet sub duplici titulo tractari. Primo si est processus in infinitum in causis formalibus, id est, in formis, & naturis specificis, ita quòd vltra quamcunque speciem productam produci possunt aliæ sine fine, & meo iudicio non est hic locus talis quæsiti, sed potius in 3. Physic. vbi quærendum est, an detur infinitum secundum multitudinem, & apud Theologum in primo sen. di. 43. quæri solet si Deus producere potest species rerum in infinitum. Secūdo solet moueri sub tali titulo, si est processus in infinitū in causis formalibus ascendendo à minus cōmuni ad magis cōmune, sine fine in linea prædicamētali, quæ solent esse partes diffinitionis, & hæc videtur esse mēs Philosophi in præsenti loco, vt patet in tex. 11. qui iudicat idē esse iudicium de processu prędicatorū essentialiū in infinitū, & de processu causarū formaliū. Ponens autem statum in prædicatis essentialibus ponit statū in causis formalibus, vnde Commenta. in commen. 10. inquit, si apparuerit quòd natura diffinitionum sit finita, id est, quòd constet ex finitis prædicatis quidditatiuis, necessariū erit vt ita sit in formis. Pro determinatione igitur præsentis quæsiti duo agenda sunt. Primo probandum est, quòd sit status in prædicatis quidditatiuis in linea prædicamentali ascēdendo, & descendendo, ex consequenti in causis formalibus, vnumquodque enim prædicatum essentiale ab aliqua forma sumitur. Secundo soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quòd Philosophus in textu probat propositum quatuor rationibus, quas iam formauimus in nostra epito. in 2. metaph. & ne fiat inutilis repetitio, vide tu illic.

Quantum ad secundum aduerte tria dubia, quæ videntur pugnare contra determinationem præsentem.

Primum est, si idem est procedere in infinitum in prædicatis essentialibus. & in formis, ergo videtur quòd in eodē multiplicantur formæ, sicut multiplicantur prædicata essentialia, ex consequenti in homine tot sunt formæ, quot prædicata generica, & differentiæ verificantur de eo, quod tamen in via nostra non est concedendum, quoniam tenemus tantum vnā formam in vno composito.

Respōdeo, Iandunus in 2. metaph. q. 9. credit hoc argumentum cōcludere, & dicit, quòd si formæ genericæ puta corporeū, animatum, sensitiuum, & forma differētiæ, puta rationale non differrēt realiter, demōstratio Aristo. non valeret, probat enim finitatem in diuersis formis per finitatem in diuersis prædicatis diffinitiuis. Et cōfirmat propositum suum per Cōmentato. & Linconiensem. Dicit enim Commen. in 2. physi. commen. 28. quòd genus dicit formam magis generalem, & differētia formā magis specialem, & Linconiensis dicit in 1. poster. quòd genus est forma materialis, vel materia formalis. Sed si text. philosophi bene consideretur non potest Iandunus ex eo concludere intentū suū. Vnde aduerte, quòd dupliciter exponitur, primo à B. Tho. exponente. & intendit quòd

est verum diuersa prædicata quidditatiua sumi à diuersis formis nõ quæ sunt in eodem diffinito, cum vna forma posit largiri multos gradus essendi eidem cõposito, vt patet de anima humana, quæ dat esse corporeum, vegetabile, sensitiuũ intellectuale, sed quæ inueniũtur separatim in rerũ natura, est enim aliqua forma, quæ non est forma corporis, vt intelligentia, vel intellectus, & ab ea sumitur hoc prædicatum incorporeũ: & est alia forma, quæ est forma corporis, sed non animati: & ab ea sumitur hoc prædicatum corporeum: & est alia forma, quæ est forma corporis animati, sed non sensitiui, & ab ea sumitur animatum, siue vegetatiuum, & sic descende vsque ad specialissima.

Secũdo exponitur à Gregorio de Arimino in 2. sen. dist. 16. & 17. q. 2. ad quartum, qui vult dictum Philosophi debere intelligi sub hac cõditionali, si est procedere in infinitum in formis, est etiam procedere in infinitum in prędicatis quidditatiuis & diffinitiuis, eo quòd à qualibet forma sumitur aliquod prædicatum quidditatiuũ. Sed non est processus in infinitum, in prædicatis quidditatiuis, aliter non compleretur diffinitio & omnis sciẽtia destrueretur, vt probat Philosophus in textu. Cum hoc tamen stat, quòd non multiplicãtur formæ in eodẽ secundum multiplicationẽ prædicatorum quidditatiuorum, eo quòd ab eadẽ forma possunt sumi multa huiusmodi prædicata prout dat diuersos gradus essendi, sicut patet de anima intellectiua, à qua sumũtur animatũ, sensitiuum, rationale, & hanc expositionẽ per conditionalẽ videtur innuere Cõment. in hoc 2. lib. comment. 10. cum dicit, Quod si apparuerit quòd natura diffinitionũ sit finita, necessario erit vt ita sit de formis. Ex his patet consequentiam factam à Ianduno nihil valere, stat enim quòd per finitatem prędicatorum quidditatiuorum demonstret Philosophus finitatem in formis, & quòd diuersa prædicata sumantur à diuersis formis, non tamen quodlibet prædicatum à distincta forma, præcipuè quando vna forma dat eidem multos gradus essendi. Ad dictum Commen. in 2. Phys. dico quòd sic debet intelligi, genus dicit formam generalem, id est, sumitur à forma vt dat gradũ essendi magis communem. Differentia autem dicit formam magis specialem, id est, sumitur ab illa forma, vt dat gradũ essendi minus communem, puta ab anima humana vt dat esse sensitiuum sumitur animal, vt dat esse intellectiuum sumitur rationale. Ad dictum Linconien. dico quòd per formam materialem intendit formam vt dat esse genericum, vt quoddã imperfectum & potentiale, sicut enim materia perficitur per formam, sic esse genericũ perficitur & determinatur per esse specificum, & tamen vtrunque esse est ab eadem forma. Quare, &c.

Secundum dubium est, quia stante finitate prædicatorum diffinitiuorũ, adhuc potest probari processus in infinitũ in formis, nã sumpta specie humana, & supposito quòd generatio sit æterna, constat quod in diuidua humana procedunt in infinitum, ergo & materia sua propria & forma sua, quæ est anima humana, quæ secundũ viam nostram est forma dans esse.

Respondeo, Non est intentio Philosophi in hoc loco negare processum in infinitum in formis indiuidualibus, sicut nec negare processum in infinitum in causis efficiẽtibus eiusdem speciei stante generatione æterna, sed intendit de formis, quarum vna est superior ad alteram, sicut forma corporis, anima vegetatiua, anima sensitiua, &c. nam huiusmodi formæ videntur esse per se ordinatæ secundum magis commune, ex consequenti necesse est deuenire ad primam. Argumentum igitur nihil concludit contra determinationem factam.

Tertium dubium est, Quia in numeris est processus in infinitum per appositionem sicut in continuo per diuisionem siue subtractionem ex tertio Physic. textu trigesimoquarto, sed numeri sunt formæ vt communiter tenetur. ergo, &c.

Respon. Iandunus in 2. Metaphys. q. 9. vt solueret hoc argumentũ dixit omnes numeros esse eiusdẽ speciei specialissimæ, & distingui solo numero abinuicem sicut linea maior & linea minor distinguitur solo numero & sicut est processus in infinitum in formis indiuidualibus eiusdem speciei stante generatione æterna, ita non incõuenit in numeris esse processum in infinitum. Quod asit omnes numeri sint eiusdẽ speciei, Iandunus declarat per Commen. in 8. lib. Metaphy. commen. 10. vbi Commen. dicit. Quemadmodũ quando alicui numero additur vnum, aut ab eo diminuitur vnũ transfertur ad aliã naturam numeri, &c. Sed si Iandunus rectè cõsiderasset, hoc dictũ est contra seipsum, nam si numerus aliquo addito puta duo, transfertur ad aliam naturã puta ad tria, necesse est duo & tria esse distincta speciemam quæ sunt eiusdẽ speciei. sunt eiusdem naturæ & non alterius & alterius. Dicũtur enim duo indiuidua distingui materia, cum tamen sint eiusdẽ naturæ formaliter, & præterea in lib. 8. quando quæretur de forma numeri manifestabitur distinctio specifica inter numeros. Respondeo ergo aliter & cõcedo numeros esse formas, & differre specie, & in eis esse processum in infinitum. Sed nego hanc cõsequentiã. ergo in causis formalibus quarũ vna est superior ad alteram, & à quibus sumuntur prædicata quidditatiua diffinita est processus in infinitum. Nam vt diximus in quęstione, in hoc sensu propriè loquitur Arist. & si dicas, quod in per se ordinatis non est processus in infinitũ, numeri autem videtur per se ordinati quoniam consequenter se habent ergo, &c. Dico quòd per se ordinata sunt in triplici differẽtia. Quædam sunt per se ordinata secundum causalitatẽ de quibus pertractauimus in quinta quæstione huius libri. Quædam sunt per se ordinata secundũ perfectionẽ eo quòd non sunt reparabilia duo æqualis perfectionis formaliter sed sequens excedit præcedens in aliquo gradu perfectionis essentialis quo modo se habent species vniuersi. Quædã sunt per se ordinata secũdum prius & posterius, vt patet in numeris, & in figuris & in partibus temporis. Modo dico quod illa propositio, In per se ordinatis non est processus in infinitũ. nõ verificatur vniuersaliter nisi in primo sensu. nam non est negandus omnibus modis processus in infinitũ, in numeris nec in figuris nec in partibus temporis. In istis enim non est ordo secundũ magis & minus commune in linea prædicamẽtali secundum quem suprà negauimus ad mentem Philosophi processum in infinitum in causis formalibus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Non est asit necesse quærere. Si sit processus in infinitum in causis finalibus: quoniã cum finis habeat rationẽ vltimi, quicunque concedunt causam finalem coacti sunt statim negare processum in infinitum. Vltimum enim repugnat infinito.

Quæstionum super secundum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII QVAESTIONES SVPER tertium librum Metaphysices.

Voniam tertius liber est disputatius, & nos in nostro epitomate formauimus dubia illic mota ab Arist. & argumẽtati sumus ad partes in quolibet dubio per rationes Philosophi, & determinauimus quid tenendum in via Arist. & solimus rationes adductas, quæ soluendæ erant. Nunc tantum tria supersunt dubia, quæ in præsenti discutienda sunt.

1 Si in Mathematicis est causa efficiens & finalis.
2 Si genus prædicatur de sua differentia prędicatione per se.
3 Si propositio per se, conuertitur in propositionem per se.

QVAESTIO I.

Si in Mathematicis est causa efficiens & finalis.

Vnde in Mathematicis per hanc nihil ostenditur causam scilicet efficientem & finalem. Textu 3.

Circa hanc quæstionem aduerte, quòd Ant. And. in tertio libro Metaphysicæ, quæstione prima, pertractans hoc quæsitum præponit plures distinctiones, ex quibus multas eliicit conclusiones, ac si propositio Philosophi multis indigeret limitationibus vt possit verificari. Sed considerata intentione Philosophi, propositio sua vnica distinctione fiet euidens, vt igitur quæsitũ resoluatur tria agemus, primo ponitur vnica distinctio. secundo duæ conclusiones. 3. soluẽtur quædã dubia.

Quantum ad primum aduerte, quòd Mathematica dupliciter considerari possunt, primo vt res sunt, siue separatæ secundum esse à materia sensibili more Pythagoricorũ, siue ponantur existentes in rebus naturalibus. vt termini earũ, secundo vt sunt subiectum scientiæ Mathematicæ, in qua considerantur secundum suam rationem formalem, vt linea inquantum est longitudo sine latitudine, & circulus est figura in qua principium & finis idem sunt, &c.

Quantum ad secundum aduerte duas conclusiones, prima est, Mathematica iuxta primum membrum distinctionis habent efficiens & bonum & finem, efficiens quidem, quoniam producens lapidẽ, producit cõsequenter figuram superficiem corporeitatem vt vnitatẽ quantitatiuam lapidis, bonum autem quoniam vt sic sunt entia realia actu perfectiua rei naturalis ergo bona finẽ verò quoniã producuntur vt distinguant, & terminent & compleant res naturales quibus sunt. Sed aduerte quod in hoc sensu non considerantur hic à Philosopho. Talis enim consideratio est Physici. vnde Arist. dixit in secundo Physic. quod Physicus considerat Mathematica vt terminos rerum naturalium. Secunda conclusio in Mathematicis consideratis iuxta secundum membrum distinctionis non est efficiens nec bonum, nec finis. Quoniam cum abstrahant vt sic à materia sensibili secundum rationẽ, & per consequens à motu Physico, abstrahunt etiam ab efficiente Physico, quod est principium vnde motus ex secundo Physi. Dixi notanter à motu Physico, vt non excludam motum discursiuum intellectus à principiis ad conclusionem. Hoc enim vtuntur omnes scientiæ, & principium Mathematicum est causa efficiens notitiæ conclusionis. Quod autem in eis sic consideratis non sit bonum, nec finis, patet ex hoc quod abstrahũt à motu. Quodlibet enim bonum Physicum similiter & finis acquiruntur per motum, vnde habent rationem termini motus, vbi ergo non est motus non est efficiens Physicum nec bonum Physicum, nec finis Physicus: sed in Mathematicis vt consideranturà Mathematico, non est motus: ergo, &c. & aduerte quod sub hac intentione consideranturhic à Philosopho. Quod patet ex eo quod inquit, vnde in Mathematicis, per hanc nihil ostenditur causam, per ly ostendit intendit prout considerantur à Mathematico nõ enim cõsiderat si triãgulus est melior quadrato nec in qua materia, nec à quo nec propter quid sit triangulus, sed cõsiderat solam rationẽ eius formalẽ per quã demõstrat passiones eius secundum esse quidditatiuũ & non alia ratione.

Quantum ad tertium aduerte duo dubia contra prædictam determinationem. Primum est, quia dicit Philosophus in immobilibus non esse motum nec principium motus, id est moueus siue efficiens nec boni naturam, hęc autem videtur esse falsa, quoniam apud Philosophum in intelligẽtiis & in prima causa, quę dicuntur entia immobilia est motus, quoniam mouent corpora cœlestia, & est finis, quoniam non per accidens sed ex intentione mouent, aliter non essent prima mouentia & per consequens in eis est bonum, quoniam finis & appetibile & bonum idem esse videntur. Quod autem in eis sit efficiens patet quoniam sunt prima agentia, & prima productiua rerum inferiorum per motum cœli: ergo, &c.

Respondeo dupliciter. Primo quod Philosophus hic non loquitur absolutè & vniuersaliter de immobilibus, sed de immobilibus Mathematicis, vt patet per Commen. ibidem in comment. tertio, vbi sic inquit, In rebus immobilibus non debet quis quærere causam mouentem & intendebat Mathematica, quoniam licet sint in re mota tamen non mouentur nisi accidentaliter. hæc ille. Dico secundo quod etiam extendendo immobilia ad Metaphysicalia propositio Philosophi potest esse vera in hoc sensu, quod non est in eis motus subiectiuè nec terminatiuè sed tantum causatiuè. Item non est in eis bonum nec finis, qui scilicet sit productus per motum, sicut producitur sanitas per sanationem. Huiusmodi enim diuina entia vt declarabitur in libro duodecimo, intransmutabilia inalterabilia & impassibilia sunt & de tali bono ac fine intendit hic Philosophus. Dicit enim finis autem & cuius causa, actus cuiusdam est finis. Sed actus omnis cum motu &c. Cum hoc tamen stat q̃ intelligẽtiæ suo motu attingãt finem iam præexistentem, id est, primam causam. vt declarabitur in lib. 12. similiter non potest dici q̃ intelligentię habeant propriè efficiẽs. quoniam efficiens propriè est illud quod extrahit aliquid de potentia ad actum. & id propriè reperitur in naturalibus corruptibilibus quæ ex esse in potentia prodeunt per trãsmutationem physicam in esse actu, cum hoc tamen stat vt declarabitur in lib. 12. quod habeant verum agẽs & verum producẽs à quo sine motu acquirunt esse incorruptibile.

Secundũ dubium est, quoniã dicit Philosophus hic, q̃ in immobilibus, scilicet mathematicis sicut nõ cõtingit esse principium motus sic nec aliquid esse autoagaton, id est, ipsiũ bonũ. Hoc autẽ videtur falsum, quoniã in eis sunt proportiones & cõmẽsurationes & ordo, & figuræ & hæc omnia videtur esse bona, vnde & in lib. 12. Aristo. constituet bonum intrinsecum vniuersi in ordine, sicut in exercitu: ergo, &c.

Respõdeo, ibi cõmittitur fallacia accidẽtis, sic arguendo, sciẽtia mathematica cõsiderat proportiones cõmẽsurationes & ordines figurarũ ac numerorũ & hæc sunt bona. ergo considerat bona. Hoc inquam non sequitur, quoniã licet in se sint bona, non tamẽ cõsideratur in mathematica sub ratione boni, sed sub ratione entis & inquãtum sũt proprietates quãtitatis cõtinuę aut discretę, vnde Aristoteles in hoc 3. lib. in text. 3. inquit Mathematicas verò nullam de bonis aut malis rationẽ facere. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Si genus prædicatur de sua differentia prædicatione per se.

Impossibile, autem prædicari aut species generis de propriis differentiis aut genus sine suis speciebus. Textu 10.

Circa hanc quæstionẽ tria agenda sunt. Primo pertractabitur opinio beati Thomæ, cui cõcordat Ant. And. Secũdo pertractãbitur opinio Ianduni, qui tenet oppositum. Tertio soluentur quædam dubia.

Conclusio. Genus nõ prædicatur per se de differẽtia.

Quantum ad primũ aduerte quod beatus Thomas exponens textum præsentẽ, tenet partẽ negatiuã, & adducit vnicã rationem quæ stat in hoc, Genus non prædicatur de differentia primo modo per se, nec secundo modo. ergo non prædicatur per se. Constat enim quod non tertio nec quarto modo. Antecedens probatur. Genus non ponitur in diffinitione differentiæ, quoniam ex quarto topicorum differẽtia non participat genus. ergo non prædicatur de differẽtia in primo modo per se, nec differentia ponitur in diffinitione generis, aliter in quocunque reperiretur genus inueniretur & differentia: quod patet esse falsum. non enim in quocunque est animal, in eo est rationale. ergo genus non prędicatur in secũdo modo per se de differentia. Est enim secundus modus per se, quãdo subiectum est de ratione prędicati. beatus Thomas cõcordat Anton. And. in 3. metaphy. q. 2. vbi inquit. Genus non prædicatur per se de differentia, quod patet per Auicen. in 5. metaphy. dicẽtem quod licet genus & differentia prædicẽtur de toto, id est, de specie, non tamen significat totum per se, sed genus significat materiale, differentia autem formale, vtrunque autem significat partem speciei per modũ totius, & sicut materiale est extra formale, sic conceptus generis est extra conceptum differentiæ, patet ergo quòd non prædicatur per se primo modo de differentia. Quod autem non prædicetur per se secundo modo videtur omnibus clarum: constat enim genus non esse proprietatem nec habere nomen proprietatis respectu differentiæ.

Tu tamẽ aduerte, q̃ Aristo. in vj. Topicorum, adducit aliã rationem, & stat in hoc, si animal genus prædicatur per se de differentia, ergo vnum animal puta homo esset plura animalia, quod est falsum, consequentia probatur. Animal quod secundum te includitur in conceptu rationalis, aut est idem cum eo, quod includitur in conceptu speciei, aut non est idẽ: si idem, ergo est nugatio dicendo homo est animal rationale, nam si idẽ animal, quod prædicatur vt genus de homine, includitur diffinitiuè in rationali, idem bis inutiliter repetitur, si non est idem habetur intentum, nam homo est animal, & est illud animal, quod includitur in rationali, & hoc non est idem cum primo, ergo idem homo erit multa animalia.

Quantũ ad secũdum aduerte quòd Iandunus in 3. metaph. q. 12. tenet partẽ affirmatiuã, & licet multipliciter arguat hęc tamẽ est principalis ratio sua. Quod est animal per formam suam, est per se animal. Hæc est de mente philosophi in lib. 5. cap. de per se, vbi ponit primum modum per se esse quando aliquid est tale per suam formam. Sed rationale est animal per formam suam: non enim est animal per materiam suam sed quia habet talem formam, puta animam sensitiuam ad quam sequitur esse animal ergo rationale per se est animal & sic genus per se prædicatur de differentia.

Sed quoniã philosophus in 3. metaph. & in 6. topi. tenet oppositum ideo ne videatur negare philosophum, dicit quòd in 3. metaphy. procedit mere disputatiue, & non determinatiue, ideo rationes suæ non sunt conclusiuę, & hoc innuit Cõment. in 3. Metaph. comment. 1. vbi inquit, intendit in hoc tractatu inducere sermones disputatiuos, qui affirmant & destruunt idem in omnibus quæstionibus difficilibus huius scientiæ, hęc ille. Quod autem in topicis disputatiue procedat patet quoniam ex probabilibus, quæ non inferunt necessario alteram partem. Hæc est opinio Ianduni.

Sed vt rudis laborat in æquiuoco de ly, per se. Est enim duplex. s. entitatiuum, & prædicatiuum, alij dicunt logicum, & metaphysicum, eo quòd logicus prædicationes obseruat, metaphysicus autem quidditates, per se quidem prædicatiuum est, quando prædicatum est de ratione subiecti, vel subiectum de ratione prædicati, per se autem entitatiuum est, quando res de se & secundum suam naturam talis est sicut Sol per se est lucidus, Luna autem non, sed per alterum, & Deus per se bonus est, creata autem non per se sed per alterum, vnde ly, per se videtur coincidere cum secundum se, & per essentiam. Sed non inconuenit aliquid esse per se tale entitatiue, & non prædicatiue, vt hic Deus est per se pater, eo quòd paternitas diuina est essentia diuina,

uina, non tamen prædicatiuè vel formaliter est per se pater, quoniã prædicatum non est de ratione subiecti, nec econuerso cum se habeant vt absolutum & respectiuum, sic in proposito. Hæc est per se entitatiuè, rationale est animal non tamen prædicatiuè propter rationem adductam à B.Tho. Iandunus autem, non distinguit inter per se entitatiuè & per se prædicatiuè, credit enim omnem prædicationem sumptam à forma, esse per se prædicatiuè. Quod non est verum, nisi ly forma sumatur pro quod quid est vel diffinitione, in quo sensu loquitur Philosophus in libro quinto, in capite de per se. inquit enim, vno quidem enim modo, secundum se quod quid erat esse vnicuique vt calias & quod quid erat esse caliam, id est calias, & diffinitio caliæ sunt idem per se.

Tenemus ergo ꝙ licet hæc sit idẽtica, rationale est animal tamen non est per se formaliter & prædicatiuè. & quantũ ad hoc dicimus ꝙ Philosophus nõ disputat in 3. Metaph. sed determinatè concludit, nec obstat dictum Comment. licet enim vt in pluribus disputet, tamen non incõuenit ꝙ respectu alicuius cõclusionis determinet & assumat aliquas propositiones simpliciter veras sicut in quæstione præcedenti visum est, quòd in mathematicis non est efficiens nec bonum, nec finis, &c.

Pro ratione autem adducta ex 6. topicorum quam conatur Iandunus declarare quòd non valeat, aliter per eandem rationẽ concluderetur quòd animatũ non prædicatur de homine, nam cum prædicetur de animali, si prædicatur de homine, homo erit vnũ animatum & animal aliud animatũ si ratio Philosophi cõcludit. Hoc autẽ est falsum. ergo ratio Philosophi non cõcludit. Pro hac inquã ratione dicere possumus duo. Primo quòd cõclusio sit de mẽte Philosophi, scilicet, Genus non prædicatur per se de differẽtia, & ad hanc quæstionẽ aliqua ratio simpliciter vera adducitur, scilicet illa quã hic B. T. adduxit. Aliqua aũt tantũ probabilis & apparens est. vt ista quæ adducta est ex 6. topicorũ. Non enim est necesse omnẽ rationẽ pro cõclusione adductã, simpliciter cõcludere. Dico. 2. quòd potest sustineri rationem illã simpliciter concludere. & quãdo instat Iandunus, quòd eadẽ ratione animatũ non prædicaretur de homine, aliter homo esset multa animata, dico quod quãdo prædicatur animal de homine, non prædicatur formaliter animatũ de homine, vanũ enim est dicere, homo est animatũ animal, vel animal animatum, eo quòd in ly animal includitur animatum. Instantia ergo Ianduni nulla est.

Quantum ad tertium aduerte quòd quædam sunt argumenta satis apparentia contra determinationem factam.

Primum est, Rationale per se est homo. homo per se est animal ergo rationale per se est animal. Tenet argumentum per regulam, Quando alterũ de altero prædicatur, &c. Quod minor sit vera patet quoniam prędicatum est de ratione subiecti. Quod autẽ maior sit per se probatur. Hæc est per se homo est rationalis vt patet. ergo hęc est per se. Rationale est homo. Tenet consequentia, quoniam sicut propositio necessaria conuertitur in necessariã, præcipuè in terminis cõuertibilibus sic propositio per se conuertitur in propositionem per se.

Respondeo, hic sunt duo modi respondendi, prior est Ant. And. in tertio Metaph. quęstione secunda ad primũ, ipse negat hanc similitudinẽ. Sicut necessaria conuertitur in necessariã, sic per se in per se, & ratio est, quoniam ad propositionem necessariã sufficit necessaria cõnexio terminorũ, dato quòd vnũ extremũ non sit de ratione alterius. Ad per se autem prędicatum & in primo modo, de quo loquimur quando quærimus si genus prædicatur per se de differentia duo requiruntur, scilicet necessaria cõnexio terminorũ & quòd prædicatum sit de ratione subiecti. Constat autẽ quòd dum hæc, homo est rationalis, conuertitur in istam, rationale est homo secunda non est per se primo modo, & ideo per se non conuertitur in per se, saltem respectu eiusdem modi. vtrum autem respectu diuersorum modorum dicemus in quæstione sequenti.

Secundus modus respondendi clarior est iste. Qua ratione rationale per se est homo, eadem ratione, rationale per se est animal, Prima autem est per se entitatiuè siue Metaphysicè vt declarauimus suprà, & non est per se prædicatiuè primo modo, de quo hic intendimus, sic ista, rationale est animal, est per se eodem modo. Sed nihil concluditur, contra determinationem, in qua intendimus de per se primo modo prædicatiuè.

Secundum est tale, Homo per se est animal. Homo per se est rationalis, ergo rationale per se est animal.

Respondeo negatur argumentũ. quoniam ly per se in præmissis tenetur prædicatiuè, in conclusione tenetur entitatiuè: & quoniam non tenetur vniformiter in præmissis & in conclusione, ideo negatur similis modus arguendi & si dicas. ꝙ in conclusione etiam tenetur prædicatiuè. nego quoniã non est necesse extrema cõparata ad medium, habere eandem habitudinem quam habent, quando comparantur adinuicem & econuerso, vt patet hic. Homo necessario est animal. Homo necessario est substantia. ergo substantia necessario est animal non sequitur, quoniam potest esse substantia remoto quocunque animali.

Tertium est tale si genus non prædicatur per se de differentia. ergo per accidens, quoniam non datur medium, sicut non datur medium inter ens per se, & ens per accidens. Tunc vltra, ergo rationale & animal faciunt vnum per accidẽs, quod est falsum, constituunt enim speciem quæ est vnum per se: contra verò probatur, quoniam ex septimo Metaphys. prædicatio per accidens fit, quando accidens prædicatur de subiecto, aut econuerso aut accidens de accidente. sed in his omnibus fit vnum per accidens. ergo, &c.

Respõdeo hic est duplex respõsio. primo dicitur ꝙ prædicatio accidẽtalis fit duobus modis primo quãdo alterũ est verè accidẽs. & tũc semper fit vnũ per accidẽs, secũdo quando alterum non est verè accidẽs sed est extra rationẽ alterius vt motus est actio & tũc non fit vnũ per accidens. & talis prædicatio est, quãdo prędicatũ licet sit eiusdẽ prędicamẽti cum subiecto & sit idem re, tamen non est diffinitiũ subiecti. & hic modus prædicationis seruatur inter genus & differẽtiam. & aduerte quòd ibi semper loquimur de primo modo per se. & de modo accidentalis prædicationis opposito primo modo per se.

Secũdo dicitur & breuius, quãdo prædicatio est accidẽtalis Metaphysica quæ requirit ꝙ extrema sint diuersorũ prædicamentorũ, sicut homo & mũsica fit vnũ per accidẽs: quãdo aũt prædicatio est per se Metaph. quæ est quãdo prædicatũ & subiectum sunt eiusdẽ prædicamenti licet sit prædicatio accidentalis logica non fit vnũ per accidens, sic est in proposito, quoniam genus prędicatur per se Metaph. de differẽtia non sequitur ꝙ ex eis fiat vnũ per accidens. & aduerte ꝙ hæc responsio est magis resoluta, & per eam solues multa argumenta, si tu noueris bene applicare. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Si propositio per se conuertitur in propositionem per se.

CIrca hanc quęstionem aduerte quòd proponitur propter Quæstionis. Diximus enim ꝙ licet hæc sit per se entitatiuè & prædicatiuè, homo est rationalis. hæc tamẽ nõ est per se prædicatiuè, rationale est homo. Hæc responsio facit dubium & videtur quòd tam conuersa quàm conuertens sint per se secundũ doctrinã Philosophi in 1. poste. Illic enim vult Philosophus quòd quãdo prędicatũ est de ratione subiectũ, sit primus modus per se. quando autẽ subiectũ est de ratione prædicati, sit secundus modus per se. Sed in ista, homo est rationalis prædicatũ est de ratione subiecti & in ista rationale est homo subiectum est de ratione prædicati. ergo prima est in primo modo per se, & secunda in secundo ex consequenti per se conuertitur in per se.

Hic inuenio duas opiniones, vnam affirmatiuam quorundam Thomistarum, Isti dicunt ꝙ licet conuertens & conuersa non sint per se respectu eiusdem modi, ne detur circulus in diffinitionibus. tamen non incõuenit respectu diuersorum modorum scilicet primi & secundi. & suum principale fundamentum stat in ratione adducta ex doctrina philosophi in 1. poste. limitant tamẽ se dicẽtes ꝙ tunc solũ cõuertitur per se in per se, quãdo subiectũ & prædicatũ sunt termini cõuertibiles vnde tenẽt ꝙ hæc non est per se, animal est homo, hæc autem est per se animal rationale est homo. & cõfirmant opinionẽ suam ex hoc ꝙ philosophi & præcipui doctores demõstrãdo vtũtur indifferenter cõuersa & conuertẽte vt propositionibus per se. Assumũt enim istã, omne intellectiuum est liberum. & suam conuertẽtem, scilicet omne liberũ est intellectiuum. & istam, omne necessarium est æternum & econuerso. & illã omne generabile est corruptibile & econuerso. ergo signũ est ꝙ & cõuersa & cõuertens sunt per se, & sic patet propositiõ ẽ per se conuerti in propositionẽ per se. licet id non sit verum in omnibus. & ab hac sentẽtia nõ videtur dissentire Ant. And. in 3. metaph. q. 2. ad primũ, dicit enim in fine respõsionis, propositio ergo per se, non necessario cõuertitur in per se. Quasi dicat licet cõtingat aliquam conuerti, non tamen necessarium est in omnibus. vt quando termini non sunt conuertibiles.

Alia opinio est quorundam Scotistarum præcipue Antonij Trombetæ in suis quæstionibus metaphysicalibus. Hic tenet partem negatiuam absolutè, ita quod secundum ipsum nulla propositio per se conuertitur in per se, & fundat se super hoc, quòd omnis propositio per se est illa, cuius prædicatum habet rationem formalem intrinsecam inhærentiæ in subiecto. Quæcunque autem non dicit talem rationem formalem

formalem est propositio per accidens, & intendit dicere quòd omnis propositio per se habet causam intrinsecam in subiecto, per quam prædicatum inest subiecto, & hoc fundamentum dicit esse de mente Scoti in tertio sent. di. septima, nec aliter probat. Tunc arguit sic, Cuiuscunque propositionis prædicatum dependet à subiecto, quãtum ad rationem formalem inhærentiæ intrinsecam in subiecto, subiectum ipsius non potest consimili dependentia dependere à prædicato. Hæc videtur manifesta, quoniam non datur circulus in dependentia in eodem genere causę. Patet enim quod forma dependet à materia in genere causæ materialis, materia vero non dependet à forma in eodem genere, sed in genere causæ formalis. Sed prædicatum propositionis per se dependet à subiecto secundum rationem formalem inhærentiæ intrinsecam in subiecto, quoniam hæc est ratio propositionis per se, ergo econuerso subiectum non potest dependere consimili dependentia à prædicato, ergo per se non conuertitur in per se.

Sed hæc sua ratio non est efficax, eo quod suum fundamentum non est verum, nec positum ab Ari. Non enim est necesse arctare nos, ad dependentiam in genere causæ formalis tantum, sed sufficit prædicatum dependere à subiecto, vel in genere causæ formalis, vt in primo modo, vel in genere causæ materialis, siue effectiuæ, vt in secũdo modo, subiectum enim causa est pasionis suæ vt materialis, & vt efficiens, vt dicemus aliãs: negamus igitur illam esse rationem siue descriptionem propositionis per se quæ dicitur esse Scoti, & dicimus cum Aristotel. quod ad propositionem per se, sufficit prædicatum esse de ratione subiecti, vel econuerso.

Tenendum est ergo cum opinione prima in terminis conuertibilibus tantum, & quoniam genus & differentia non sunt conuertibilia ideo hæc non est per se, animal est rationale, imò nec necessaria, stat enim animal esse, & tamen rationale non esse, similiter hæc non est per se, rationale est animal quo niam vt probauimus in quæstio. præcedenti, nec prædicatum est de ratione subiecti nec subiectum est de ratione prędicati.

Tu tamen aduerte, quod aliqui vt videantur quid noui excogitasse, concedunt secundum modum per se conuerti in primum modum, vt ibi. Homo est risibilis, risibile est homo, prima est in secundo modo, secunda autem est in primo modo, quoniam prædicatum est de ratione subiecti: nolunt autem concedere, primum modum posse conuerti in secundum eo quod prædicatum secundi modi, vel est pasio, vel quid habẽs modum pasionis. Sed constat quod diffinitum non est pasio nec induit modum pasionis, cum non prædicetur in quale, & propterea dicunt, quod hæc non est in secundo modo per se, animal rationale est homo, eo quod prædicatũ non denominat nec qualificat subiectũ, & hæc opinio non videtur irrationabilis, verum quia hæc animal rationale est homo, est necessaria ex connexione terminorum, & in via Thomistica, omnis necessaria videtur esse per se licet non apud Scotistas vt visum est in quæst. præcedenti in responsione ad primum, possumus dicere, propositiones secundi modi per se, esse in duplici differentia. Quædam sunt in quibus subiectum est de ratione prædicati, & prædicatum denominat subiectum quale, vt ibi, homo est risibilis. & istæ sunt propriæ. Quædam autẽ sunt in quibus licet subiectũ sit de ratione prædicati, tamẽ prædicatum non denominat subiectũ quale. vt ibi animal rationale est homo. & istæ sunt impropriæ. Dicemus ergo ꝙ secundus modus cõuertitur in primũ proprié. & primus in secũdũ saltẽ improprié. & hoc sufficit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum super tertium librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII QVAESTIONES SVPER quartum librum Metaphysices.

1 Si ens est vniuocum vel analogum.
2 Si ens habet veras & proprias pasiones.
3 Si pasiones entis, sunt idem cum ente.
4 Si pasiones entis, sunt conuertibiles cum ente.
5 Si ens prædicatur quidditatiuè de pasionibus suis, & de vltimis differentiis.
6 Quomodo ordinandæ sunt pasiones entis, secundum prius & posterius.
7 Si vnum transcendens, quod est pasio entis, est idem cum vno quod est principium numeri.
8 Si ratio vnius transcendẽtis, & vnius numeralis est formaliter positiua.
9 Quod sit principium complexum simpliciter primum.
10 Si tale principium est cognoscibile per demõstrationem, vel cognitione sensitiua.

QVAESTIO I.

Si ens est vniuocum, vel analogum.

Ens multis modis dicitur, sed ad vnum, &c. Text. 2.

CIrca hãc quæst. aduerte primo, ꝙ Comm. in hoc 4. lib. in cõm. 2. expressè tenet ipsum nõ esse vniuocũ, nec æquiuocũ sed medium, ex consequẽti analogũ, sic enim in quit, vult declarare ꝙ hoc nomẽ ens, nõ est æquiuocum, si enim esset æquiuocum, non consideraret de eo vna ars, neq; dicitur vniuoce, vt animal de homine & de asino, sed est de nominibus, quæ dicuntur de rebus attributis eidẽ, & sunt media inter vniuoca & æquiuoca. hęc ille. Quare quid de hoc senserit Commen. non est laborandum, nam & Commentistæ præcipuè Iandun. in 4. lib. Metaphysicæ tenẽt de mente Commẽt. ipsum non esse vniuocum sed analogum, similiter ꝙ Scotus posuerit ipsum vniuocum, & quomodo, sci licet Metaphysicũ & non Physicũ, patet per Ant. And. in 4. lib. Metaphys. q. 1. vbi declarat quid sit vniuocatio Physica & Logica & Metaphys. similiter manifestum est, quod B. Tho. tenet ipsum esse analogum analogia, quæ est vnius ad alterum, & non analogia quæ est plurium ad vnum, qualis est analogia huius nominis sanum: & hoc videre poteris in Capreolo in 1. dist. 2. q. 1. in probatione nonæ conclusionis. & in respõsionibus argumentorũ contra eandẽ cõclusionẽ. & in Paulo Soncinate in 4. metaphy. q. 4. & in Thoma Caietano super de ente & essentia. Sed in his quæ prædicti scripserũt nolo referẽdo immorari, vide tu ad placitũ, volo autẽ pro huius quæsiti euidẽtia agere quinque, primo quid requiratur ad vniuocũ reale, secundo quid ad vniuocum logicum, tertio ponentur aliquæ conclusiones responsiuæ. quarto ostendam quòd opinio Scoti non discordat in re ab opinione B. Tho. quinto soluentur argumenta Scoti, & maximè quæ videbuntur repugnare cõtra determinationem quam facturi sumus.

Conclusio. Ens non vniuocũ, nec æquiuocum sed analogũ est.

Quantũ ad primũ aduerte, quòd æquiuocũ reale requirit 4. cõditiones. Primo quòd dicat vnũ conceptũ. vt comparatur ad sua cõtenta & prædicatur de eis. Quod quidẽ dico quoniã si aliquod cõmune dicat vnũ conceptũ quidditatiuum, vt in se præcise cõsideratur, vt sic nõ erit vniuocũ formaliter, eo ꝙ vt possumus elicere ex philosopho in anteprædicamẽtis, vniuocũ vniuocata respicit. Quod & declaratur per Simplicũ super prædicamenta, qui inquit, eiusmodi nomẽ scilicet, vniuocum quidẽ de rebus principaliter prædicatur, & cõmune, & propriũ, vniuocè autẽ prædicari, nõ inest principaliter, sed per talem, vel talẽ cõmunicatam rationẽ. Quare quãdo participãtibus nõ solũ nomẽ, sed & natura cõmunis est, talis est vniuocus participationis modus. Ex his elicio ꝙ si consideretur animal prçcise in se, vt dicit vnũ cõceptũ antequã cõparetur ad sua inferiora, nõ est vniuocũ nec æquiuocũ nec analogũ. Idẽ dico de ente, si in se præcise cõsideretur, vt dicit vnũ conceptũ, puta, ens est cui debetur esse & non comparetur ad substantiam & accidens, ad Deum & creaturam, in illa prima & absoluta consideratione, non erit vniuocum nec analogum, &c.

Sed dices, licet genus & species possint in seipsis considerari non respiciendo contenta non tamen ens, quoniam secundum Commentatorem in 10. metaph. commen. 8. ens significat x. prædicamenta immediatè significato reali.

Sed cõtra. De quolibet possumus cõsiderare prius ꝙ sit ens, quã ꝙ sit tale ens, puta substãtia vel accidẽs, ergo in illo priori ens dicit vnũ conceptum antequã cõparetur ad sua cõtenta.

Præterea conceptus absolutus prior est conceptu relatiuo. Sed conceptus entis in se est absolutus, cum autem comparatur suis contentis, fit relatiuus, respicit enim inferiora, de quibus prædicatur, ergo potest haberi de ente vnus conceptus, antequam comparetur suis inferioribus.

Præterea, si primum quod cadit in nostro intellectu est ens, patet quòd antequã sciam de aliquo quòd sit substãtia vel accidens, prius scio quòd est ens, nescirem autem ipsum esse ens, nisi in illo priori haberem conceptum entis.

Ad argumentũ ergo dico, ꝙ hoc non est cõtra Commẽ. stat enim ꝙ ens significet immediate significato reali x. prædicamẽta. & ꝙ antequã cõparẽ ipsum x. prædicamentis, habeã de ipso vnũ cõceptũ cõmunissimũ, quẽ pono saluari in quolibet prædicamẽto. ex hoc autem nolo inferre, quod ille cõceptus sit quid reale prius omni realitate prædicamentali. Sed quòd iste est ordo in intellectu, vt prius, concipiat ens commune in se quàm comparet ipsum suis contentis, & in illo priori, vt dixi,

vt dixi, non habet rationẽ vniuoci, nec analogi, eo quòd consideratio in illo priori est absoluta, consideratio autem vniuoci vel analogi est respectiua: concernũtur enim inferiora, quibus nomen & ratio superioris communis attribuitur.

Secundo requiritur, ꝙ vniuocum participetur à suis contentis secundum vnam rationem, ita quòd ratio illius communis in se considerati antequam comparetur suis contentis, quando attribuitur eis seruetur eadem in omnibus suis contentis, & per hoc differt vniuocum ab æquiuoco, quod respicit contenta secundum diuersas rationes.

Tertio requiritur, quòd illa ratio æquè repræsentet omnia contenta, & sine ordine, puta quòd ratio animalis quantum sit ex se, æquè cõueniat homini & leoni, ita ꝙ in ratione animalis vnum non sit prius, nec perfectius altero, licet adinuicem comparata non incõueniat vnum esse prius, vel perfectius altero, vt patet in speciebus numerorũ. Sed hoc nõ impedit vniuocationem, aliter numerus non esset vniuocum dictũ de speciebus, nec animal dictum de homine & asino, constat enim hominẽ esse quid perfectius asino. Itẽ quòd repræsentet omnia, de quibus dicitur sine ordine, puta ꝙ non repræsentet vnũ vt tale respicit alterum. Hæc enim est propria ratio analogi.

Quarto requiritur, quòd illa ratio æquè conueniat cõtentis vt res sunt, & hoc dico quoniã in vniuoco logico, hæc cõditio non requiritur, vt dicemus infrà. Declaro autẽ hanc conditionem sic. Ratio animalitatis conuenit homini & leoni, vt res sunt, quoniã vterque vere naturã sensitiuam habet: æquè autem cõuenit, quoniã si Deus annihilaret naturã sensitiuam in homine, non annihilaretur tota ratio animalitatis, adhuc enim saluaretur in leone, & ecõuerso, & ideo animal est vniuocum. Si autem annihilato homine, tota ratio animalitatis destrueretur in leone & in aliis animalibus, non esset animal vniuocum, sed analogum.

Ex his ergo formo talẽ diffinitionẽ de propriissimo & reali vniuoco. Vniuocũ reale est illud, quod vt cõparatur suis vniuocatis inquantũ res sunt participatur ab illis secundũ eandẽ rationem æquè repræsentantẽ vnumquodque eorum, & sine ordine vnius ad alterum vt comparantur suo vniuoco.

Quantum ad secundũ dico, quòd ad vniuocũ logicũ requiritur prima & secũda & tertia conditio, non autẽ 4. Nam remota omni cõuenientia reali, & seruato eodẽ modo prædicãdi, adhuc stat vniuocatio logica, eo quòd Logicus non cõsiderat res quo ad suas realitates, sed vt stant sub intentionibus secundis & quo ad modos prædicãdi. Sic enim prædicabilia & res prædicamentales cõsiderat. Et quòd seruetur vniuocatio logica, sine conuenientia reali probatur, nam differẽtia prædicatur vniuoce de duabus differẽtiis specificis & tamen cum sint primo diuersæ in nullo reali conueniunt ex lib. 10. Metaphys. Prætereà, Qualitas prædicatur vniuoce de prima & tertia specie qualitatis, & tamen in nullo reali conueniunt, eo quòd in prima locantur qualitates spirituales, in tertia autem sensibiles, quæ non cõmunicant cum illis. Prætereà, Quantitas prædicatur vniuoce de continua & discreta, & tamen in nullo reali cõueniunt. Patet ergo, quòd 4. conditio non requiritur. Requiritur tamẽ tertia, scilicet quòd vniuocũ Logicum dicat vnum conceptũ conuenientem æqualiter suis cõtentis, non tamen differentiis, quibus sua contenta abinuicem differunt. Nam cõceptus animalis conuenit homini & leoni in primo modo per se, non autem rationali & irrationali. quoniã, vt determinauimus in 3. lib. nec genus, nec conceptus generis prędicatur per se primo modo de differẽtiis. & proptereà Philosophus in 3. lib. conclusit ens non esse genus, & patet, quòd ibi loquitur logicè: quoniam totum illum processum prosequitur modo logico, scilicet per prædicationem & modum prædicandi. Ex his igitur manifestum sit, quomodo differunt vniuocum reale, & vniuocum logicum.

Quantum ad tertium, stantibus prædictis, aduerte quatuor conclusiones responsiuas.

Prima est, ens in se præcisè & absolutè consideratum, dato quòd haberet vnum conceptum, qui possit conuenire omnibus suis contentis, non est vniuocum, nec æquiuocum, nec analogum: nam vniuocum non est, nec æquiuocum, nec analogum nisi vt comparatur suis contentis, secũdum vnum aut plures conceptus vt diximus suprà: hæc enim est prima conditio. Sed ens sic consideratum in illo priori non comparatur suis contentis. prius enim considero ens vt ens, quàm ens, vt substantia, vel accidens. ergo vt sic non est vniuocum, nec æquiuocum, nec analogum.

Secũda est, ens cõparatum substãtiæ & accidenti vt res sunt non est vniuocũ reale: nam conceptus entis, licet conueniat substãtiæ & accidẽti, vt res sunt, non tamẽ æquè & sine ordine conuenit eis, sed gradatim descendit in eis. ergo non est vniuocum reale. Consequentia patet ex conditionibus suprapositis de vniuoco reali. Antecedens probatur, annihilata tota entitate substantiæ totum ens annihilatur, eo quòd accidentia non sunt nisi entis ex septimo Metaphys. & in prædicamentis dicitur, quòd destructis primis substantiis impossibile est aliquid remanere: si vero annihilatur tota entitas accidentium non repugnat quin remaneat substantia, eo quòd est ens simpliciter & est prior accidente. ergo conceptus entis non æquè conuenit substantiæ & accidenti, sed primo gradu descendit in substantia, secundo gradu in generibus accidentium, in quibus etiam gradualiter descendit, quoniam primo in quantitate, secũdo in qualitate, tertio in ad aliquid, &c. Cum ergo ista gradualitas non stet cum vniuocatis, vt respiciunt commune vniuocum, sequitur quòd ens non est vniuocum reale.

Nec valet dictum Ant. And. in quarto Metaphys. quæstione prima, ad primum & vltimum. inquit enim quòd cum vnitate vniuocationis stat vnitas analogiæ, vel attributionis, eo quòd Philosophus in decimo Metaphys. ponit essentialem ordinem inter species vnius generis, & tamen ex hoc non tollitur vniuocatio. Patet enim numerum esse genus, & tamen inter species numeri est essentialis ordo prioris & posterioris, sic inquit in proposito in ratione entis, in qua est vnitas attributionis ipsa attributa, scilicet substantia & accidens habent vnitatem vniuocationis.

Hoc inquam non valet, quoniã aliud est ponere ordinem inter aliqua vt adinuicem comparantur, & vt comparantur ad aliquod commune, cuius rationem participant, primum non impedit vniuocationem, quoniam stat cum tali ordine ꝙ aliqua participent æqualiter rationem sui communis, vt ad ipsum comparantur, aliter propositio non esset genus ad affirmatiuam & negatiuam. est enim affirmatiua prior, nec animal ad hominem & brutũ est enim homo perfectior. secundum verò impedit eo quòd ratio superioris descenderet gradatim in inferioribus. Aduerte igitur, quòd licet Philosophus ponat ordinem essentialem inter species vnius generis, vt adinuicem comparantur, non tamen vt comparantur generi prout participant rationem illius generis, in proposito autem patet quòd substantia & accidens siue inter se comparentur siue ad ens, semper retinent ordinem. quoniam ens prius dicitur de substantia & per substantiam verificatur de accidente & substantia comparata accidenti, prior est, vt declarabitur in libro septimo, stat ergo ratio nostra in robore suo.

Tertia cõclusio est, ens non est vniuocũ logicum. nam vniuocum logicũ non prædicatur formaliter & in primo modo per se de differentiis, vel modis, quibus vniuocata adinuicem distinguũtur. Hanc declarauimus in lib. 3. secundũ Philosophũ in q. vlti. Sed ens formaliter prædicatur de omnibus differentiis & modis, quibus sua inferiora distinguuntur. Quod enim est, ens est. & si non est ens, est nihil. Non enim datur medium inter ens sumptum in sua maxima communitate, & ipsum nihil. ergo non est vniuocum logicum, & hæc ratio sumpta est ex tertio Metaphysic. textu decimo.

Et aduerte quòd Ant. And. in quarto Metaphys. quæstione prima, in responsione argumentorum, nesciuit aliter fugere hanc rationem, nisi negando quòd ens prædicetur formaliter de differentiis vltimis, & passionibus suis. Sed quòd hoc sit contra Philosophũ, & sit falsum in se, manifestabitur in quæstione quinta huius libri, & soluentur argumenta Scotistarum.

Quarta conclusio, ens est analogum reale. nam ens dicit vnum conceptum, gradualiter & quodam ordine participatum à substantia & accidente, ita quòd primo conuenit substantiæ, & per substantiã conuenit accidenti, nam substantia non pendet ab accidente, sed ecõuerso. ergo, &c. patet consequentia, quoniã vt declarauimus in prima parte quæstionis, istæ sunt cõditiones analogi, vt distinguitur cõtra vniuocum.

Quod autem non sit æquiuocum, est communiter ab omnibus concessum. & si Porphyrius vel Philosophus alicubi dicat, ens esse æquiuocum, sumunt æquiuocum pro analogo, eo quòd analogũ magis propinquat æquiuoco quàm vniuoco.

Quantũ ad quartũ declarandũ est, ꝙ Scotus non discordat à via nostra, nisi in nomine. Aduerte igitur ꝙ in 1. sent. di. 3. q. 1. intendẽs manifestare quomodo potest cõcipi Deus cõceptu vniuoco sibi & creaturæ, declarat prius quid intẽdat per cõceptum vniuocũ: & dicit, & ne fiat cõtentio de nomine æquiuocationis, conceptum vniuocum dico, qui ita est vnus quòd eius vnitas sufficit ad contradictionem affirmando & negando ipsum de eodem, sufficit etiam pro medio syllogistico, vt extrema vnita in medio sic vno sine fallacia æquiuocationis concludantur inter se vnum. Hæc Scotus. Ex quibus patet ꝙ Scotus

Scotus contentatur ponere tantam vnitatem in ente quanta sufficiat ad contradictionem ponendam, & vt sit medium efficax in syllogismo. Sed non solum vniuocum sufficit ad hoc imò & analogum, illo quidem modo analogiæ, in quo ponimus ens. Quod ergo Scotus dicit vniuocum, Beatus Thomas dicit analogum. Declaro autem modos analogiæ, vt sciamus in quo reponitur ens, & secundum quem fit contradictio, & potest esse medium in syllogismo.

Aduerte igitur, secundum doctrinam Thomisticam, vt patet per Beat. Thom. in primo sentent. distinctio. decimanona, quæstione quinta, articulo secundo, ad idem, quod triplex est analogia: prima est quando analogum dicit plures rationes, & eius significatum solum in primo analogato reperitur. Sicut sanum, quod alia ratione prædicatur de animali, & alia de medicina, & alia de dieta, suum autem significatum tantum in animali saluatur, stat tamen analogia, quoniam cõseruatiuum causatiuum indicatiuum sanitatis respiciũt animal sanum, & hoc modo dictum analogum est propinquissimũ æquiuoco, ideo facit propositionem multiplicem, & aufert contradictionem, quoniam vtraq; harũ est vera, animal est sanum, medicina nõ est sana, scilicet sanitate quæ subiectiuè est in animali.

Secunda est, quando analogum dicit vnam rationem & tamen diuersum esse & difforme habet in analogatis. Sicut corpus dum prædicatur de cœlesti, & de inferiori, licet enim conueniant in ratione corporeitatis, tamen non conueniunt in esse, cum esse cœli sit incorruptibile, esse autem corporis inferioris est corruptibile, & hic modus non aufert, imò ponit contradictionem. Nam hæc est semper vera, elementum est corpus: & hæc semper est falsa, cœlum non est corpus, eo quod ratio corporis vtrique conuenit, licet non conueniant in esse. Tertia est, quando analogum dicit tantum vnam rationem, in qua nõ parificantur analogata, nec in esse importato per illam rationem, eo quod in vno analogato reperitur illa ratio, & illius esse, vt connexionem habet cum alio analogato. Sicut accidens est ens, vt habet connexionem ad substantiam & non econuerso, & creatura est ens non ex se, sed vt participat esse à Deo, cui primo & per se competit esse, & hoc tertio modo ens est analogum, & hic tertius modus ponit cõtradictionem & est mediũ efficax in syllogismo: si enim ponatur hæc cõclusio, calidum & frigi. non sunt in eodem, & probatur sic nulla entia opposita sunt in eodem: calidum & frigid. sunt opposita: ergo, &c. patet quod illa maior est absolutè vera, & potest sub ea fieri descensus distributiuè tam in substantiis, quam in accidentibus. Ex his igitur patet, quod opinio Scoti quo ad rem non discordat à Beat. Tho. nam quod dicit Scotus ens esse vniuocum dicit Bea. Tho. esse analogum tertio modo.

Quantum ad quintum, aduerte quod Anto. And. in quarto Metaphysi. quæstio. prima, multis argumentis probat ens esse vniuocum, quæ recitantur & clare soluuntur à Capreolo in prima distinctio. secunda quęstio. prima, cõtra nonam conclusionem. Vide tu eum. Scotus autem in prima distinctio. tertia quæstio. prima. Postquam declarauit quid intendat per vniuocum probat tripliciter talem vniuocationem. Primo sic. Omnis intellectus certus de vno conceptu & dubius de alio, habet conceptum de quo est certus, alium à conceptu de quo est dubius. Hæc est manifesta, quoniam idem intellectus non potest esse dubius & certus de eodem conceptu, aliter sequitur contradictio, quod scilicet certus & non certus respectu eiusdem. Sed intellectus viatoris potest esse certus de aliquo quod sit ens, & dubius an sit ens finitum vel infinitum, vel an sit substantia vel accidens, ergo conceptus entis de aliquo est alius à conceptu isto vel illo, ergo vniuocus.

Respon. Scotus deceptus fuit in hac consequentia, ens dicit vnum conceptum alium à conceptibus suorum cõtentorum, ergo est vniuocum, negatur consequentia: quoniam vt diximus in corpore quæstionis ad vniuocum non sufficit vnitas conceptus, sed requiritur, quòd illud commune habeat vnum conceptum, non solum in se consideratum, sed vt respicit inferiora, & quòd ille conceptus æqualiter participetur à suis inferioribus. Quorum secundũ deficit in ente, quoniam conceptus eius non conuenit accidenti nisi in ordine ad substantiam, nec enti creato nisi in ordine ad ens increatum. Vnde ad formam argumenti, cõcessa maiore & minore, dico quod non potest concludere quod sit vniuocum, sed quod sit analogum tertio modo analogiæ.

Secundo sic, si est alius conceptus entis vt dicitur de ente creato, & alius analogus, vt dicitur de ente increato, sequitur quod per ens creatum non possemus aliquid cognoscere de ente increato, quod est falsum, vt patet in libro duodecimo, consequentia probatur, quoniam sicut ens creatum non continet increatum, cum sit posterius eo, sic conceptus entis creati non continet virtualiter conceptum entis increati, si sint alius & alius. Sed per nullum conceptum proprium alicuius obiecti, cognoscitur aliud obiectum, nisi talis conceptus contineat virtualiter conceptum alterius obiecti: ergo, &c.

Respon. Hoc argumentum supponit falsum, scilicet quod ens dicat plures conceptus, sicut analogum primo modo. Hoc enim dato, argumentum haberet aliquam apparentiam. Sed nos dicimus quod ens vt est commune creato & increato, dicit vnum conceptum, inæqualiter tamen participatum, quo constituitur analogum tertij modi, & tunc nego consequentiam, cuius probatio nulla est, quoniam supponitur quod conceptus entis, vt dicitur de increato, sit alius, vt dicitur de creato, & pręterea negari posset, quod ens creatum non contineat increatum in ratione cognoscitiua, quoniam effectus ducit in cognitionem causæ, & breuiter si bene aduertis, percipies quod Sco. non considerauit nisi naturam analogiæ primi modi, quæ dicit plures conceptus, vt sanum, & secundum hoc semper laborauit ad declarandum ens non esse analogum primo modo analogiæ.

Tertio sic. Omnis inquisitio de Deo Metaphysic. procedit sic, scilicet considerando rationem formalem alicuius, puta sapientiæ & auferendo à tali ratione imperfectionem quam habet in creatura, & attribuendo sibi omnino summam perfectionem & sic attribuendo illud Deo, ergo omnis inquisitio de Deo, supponit intellectum habere conceptum eundem vniuocum, quem accipit à creaturis, quem remota omni imperfectione attribuit Deo.

Respon. nego consequentiam, quantum ad habere conceptum vniuocum. Sed sufficit illum cõceptum esse analogum, & res de qua dicitur, puta sapientia, est analoga tertij modi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Si habet ens veras & proprias passiones.

Si igitur ens & vnum idem, &c. Textu 3.

Conclusio. Ens habet veras de se demõstrabiles passiones, non autem reales realiter distinctas.

Circa hanc quęstionem aduerte, quod Scotistæ & Thomistæ in vno conueniunt, in alio discordant. Conueniunt quidem in hoc, quod ens habet proprias passiones, quæ dicuntur per se accidentia entis, vt ens est: & id quidem expresse dicit Philosophus. Nam in principio libri quarti inquit, est autem quædam scientia, quæ scrutatur ens inquantum ens, & quæ huic insunt secundum se, & in tex. quinto inquit, Quemadmodum enim numerus secundum quod numerus, habet accidentia propria, scilicet par & impar, æquale & inæquale, sic etiã ens habet accidentia propria, de quibus Philosophum oportet perscrutari, hæc ille. Discordant autem in alio, scilicet an istæ passiones sint verè passiones, sicut par & impar sunt verè passiones numeri, & quidem Thomistæ sic distinguunt. Vera passio est duplex. Quædã demonstrabilis, sed non realis. Quædã realis & demonstrabilis, & partes huius distinctionis sic differunt. Vera passio demonstrabilis, sed nõ realis duo tantũ requirit, primo quod ratio subiecti sit prior conceptibiliter ratione passionis, & hoc ideo, quia subiectum ingreditur diffinitionem passionis: ergo necesse est prius concipere subiectum. Secundo quod ipsa passio consequatur per se rationem formalem sui subiecti, passio autem realis demonstrabilis vltra illa duo requirit alia duo secundum viam nostram, primo quod distinguatur realiter à suo subiecto, secundo quod subiectum ingrediatur diffinitionem passionis vt additum, & non vt essentiale & intrinsecum, & hoc secundum sequitur ex primo, quoniam si subiectum distinguitur realiter à passione diffinitio passionis erit per additamentũ. Dicunt igitur Thomistæ & Scotistæ, ens habere veras & proprias passiones demõstrabiles. Discordãt autem in alio, quoniam dicunt Thomistæ ens nõ habere passiones reales, eo quod non distinguitur realiter ab eis, vt probabitur in quęstione sequen. Scotistæ autem tenent oppositum, quoniam opinantur omnem passionem esse idem cum suo subiecto.

Vt igitur præsens quæsitum resoluatur secundum viam nostram, tria agenda sunt. Primò probabitur quod ens habet veras passiones demonstrabiles. Secundò quod non habet veras passiones reales. Tertiò soluentur principalia argumenta Scotistarum.

Quantum ad primum probatur duplici ratione, primo sic, suppono Metaphysicam esse verè scientiam siue sapientiam: De hoc non curo, quoniam vtraque est habitus per demonstrationẽ acquisitus, licet vna procedat per causas altissimas, alia per causas inferiores. Tunc arguo sic, si ens non habet veras passiones demonstrabiles, ergo in Metaphysica nulla est demon

demonstratio,quod falsum, cum sit verè scientia, vel sapientia. Consequentia probatur, nam ex doctrina Philosophi in 1. poster.cap.10. In omni demonstratione necessario includitur primus,& secundus modus per se eo quòd conclusio demonstrationis est in 2. modo per se. Concluditur enim passio de subiecto per diffinitionem subiecti, vel passionis, si ergo ens non habet passiones, de ente non formabitur conclusio demonstrabilis,& per consequens in metaphysica non fieret aliqua vera demonstratio.

Secundo sic. Quod est cõmune omni subiecto scibili, nõ est negãdum à subiecto Metaphysicæ, cum sit subiectum nobilissimæ scientiæ: sed habere passiones demonstrabiles est commune omni subiecto scibili, vt vult Philosophus in 1. poster. capi.22. sic enim inquit, vna autem scientia est, quæ est vnius generis, id est, vnius subiecti, cuius sunt principia partes, & passiones. Pro hac conclusione nolo plures rationes adducere, quoniam communiter est concessa.

Quantũ ad secundum arguitur sic, omnis passio vera realis distinguitur realiter à suo subiecto: sed passiones entis, vt probabitur in quæstio.seq. non distinguuntur realiter ab ente: ergo non habet passiones veras reales. Minor quidem probabitur in q.seq. Maior autem tripliciter probatur.

Primo sic, causa productiua realis,& effectus eius realis distinguũtur realiter. Hęc est manifesta, quoniam nihil seipsum producit,& quoniã inter causam, & effectũ est relatio realis ex 5.metap.c.de ad aliquid, & est in 2. modo relatiuorũ, ergo distinctio realis, nam eiusdem ad seipsum est relatio rationis, quoniã idẽ non distinguitur realiter à seipso: sed subiectum est causa productiua realis suæ passionis: ergo, &c. Minorem quidem tenet,& probat Anto. And. in 9. metaphysi.q.1. sua ratio talis est, omnis potentia pure passiua, est potẽtia contradictionis, vt dicitur in 9.metaph. Sed subiectum non est in potentia contradictionis ad passionem, aliter inesset ei contingenter, & per consequens non esset scibilis per demonstrationẽ. Habet ergo subiectum aliquam potentiam intrinsecam actiuã respectu suæ passionis. Hæc Anto. Andr. ad literam,& auerte, quòd hæc ratio procedit ex concessis ab aduersario: nec Ant. Trõbeta in suis quæstionibus metaphysicalibus sciuit euadere hanc rationem nostram, nisi per distinctionem agẽtis metaphysici,& remoti, physici,& propinqui. Dicit enim quòd nõ est necesse agens metaphysicum,& remotum distingui realiter à suo effectu, quoniam non est necesse ipsum existere ad hoc quòd agat. De propinquo autem,& physico bene est necesse ꝙ realiter distinguatur eo ꝙ est necesse ipsum existere ad hoc quòd agat ex hac distinctione, dicit ad rationem nostram, quòd maior est falsa de agente remoto,& metaphysico, & in proposito dicit subiectum esse agens remotum,& metaphysicum suæ passionis, ex consequenti non est necesse, quod distinguantur realiter.

Sed hæc sunt ita irrationabiliter dicta, vt non mereantur improbari. Quod enim dicit non esse necesse agens remotũ distingui realiter à suo effectu, est contra doctrinã Philosophi in 5.lib.metaphy. cap.de ad aliquid, tenet enim ꝙ inter omne actiuũ,& passiuũ est relatio realis, ergo distinguũtur realiter. Patet consequentia etiã in doctrina Scoti, qui tenet quòd relatio realis requirit extrema distincta realiter, & quæ sint actu. Quod etiã dicit nõ esse necesse agẽs remotũ, siue metaphysicũ existere dũ agit, est penitus absurdum, quoniam apud Philosophũ in procemio 1.libri metaph. actiones sunt singulariũ,& rationẽ assignat Ant. And. quoniã vniuersalia non existũt nisi in singularibus, quibus cõpetit primo,& per se existere: ergo actio requirit existentiã in quocunq; agente, siue propinquo, siue remoto. Præterea: Quod ponat distinctionẽ inter agens propinquum, siue physicum,& agens remotum, siue metaphysicum, ex eo quòd non est necesse metaphysicum existere, sed physicum, est voluntarie dictum, nec est ad mentem Philosophi. Ipse enim ponit differentiam hanc inter ea, quoniam metaphysicum sine motu, physicum autem cum motu agit:& id innuit in principio lib.9.metaphy. vbi loquens de potentia,& actu dicit. In plus enim est potentia, & actus eorum, quæ dicuntur secundum motum solum.

Forte ꝙ Scotistæ dicent subiectũ non esse realiter actiuum suæ passionis, sed tantum secũdum modũ intelligendi & ideo si causalitas non est realis, non requiritur distinctio realis.

Sed hoc est contra doctrinam suam vt patet in Ant. And. in lib. 9.quæst.1. cuius rationem adduximus in præcedẽtibus: nam ex eo quòd dicit si subiectum esset solum in potentia passiua respectu suæ passionis, passio contingenter inesset subiecto, patet quod intendit de potentia actiua reali, & non solum ex modo intelligendi.

Secundo sic. Passio realiter multiplicatur,& non subiectum ergo distinguuntur realiter: consequentia patet. quoniã si duo sunt finitæ entitatis,& sunt idem realiter, implicat vnum multiplicari & non alterum. Dico finitæ entitatis, vt secludam diuinam substantiam & relationes personales, de quibus hic nõ est sermo. Antecedens verò sic probatur. In igne A est leuitas & caliditas in tanto gradu, quæ sub tali gradu sunt passiones ignis, de quibus constat quòd distinguuntur realiter: quoniã leuitas est principium motus localis, caliditas autem est principium motus alterationis,& tamen ignis A, cui insunt, non multiplicatur: suppono enim quòd remaneat vnus numero, ergo subiectum & passio distinguuntur realiter.

Tertio sic, quæ sunt eadem vni tertio, ea vnitate, qua sunt eadẽ in tertio, sunt eadẽ inter se: sed risibile & flebile sunt eadem homini secũdũ te: ergo sunt eadẽ realiter inter se. Quod est manifeste falsum. quoniam sunt principia contrariorum actuum, scilicet ridendi & flendi, nam licet ex 2.physi. idem sit causa contrariorũ, vnius quidẽ per se, alterius autem per accidens, non tamen vtriusque per se.& præcipuè in potẽtiis naturalibus, vt dicetur in lib.9. Metaph. quales sunt potentia ridendi,& potentia flendi. Ex his igitur constat, passionem realem & subiectũ distingui realiter.& quoniã passiones entis nõ distinguuntur realiter ab ente, vt probabitur in q.seq. concludimus quòd ens non habet veras passiones reales.

Quantum ad tertium aduerte, quòd duo sunt extimata argumenta fortiora à Scotistis, quibus arbitrantur se probare non distingui realiter pas. à subiecto.

Primum est, quæ realiter distinguuntur, sunt abinuicem separabilia: sed subiectum & passio non sunt abinuicem separabilia, aliter inesset contingenter subiecto & non esset demonstrabilis de subiecto: ergo,&c. Maiorem probat Anton. And. in 4. libr. q. 3. sic, sicut ex separatione aliquorum concluditur distinctio realis inter ea, alioquin contingeret eidem simul esse & non esse, ita ex inseparabilitate aliquorum concluditur indistinctio realis.

Respondeo, negatur maior, nec sua probatio valet, quoniã non ex sola separabilitate concluditur distinctio realis inter aliqua, sed quia remoto omni opere intellectus, vnum non est alterũ, eo quòd sunt diuersarum entitatum, puta vnũ potentia alterum actus, vnum substantia alterum accidens, vt in proposito subiectum est substantia, pass. est accidens.

Et si quæras propter quid non omnia distincta realiter sunt separabilia.

Respondeo, non potest assignari vnica causa. Aliquando enim est, quoniam vnum est pura potentia, cui repugnat per se existere & ideo materia est inseparabilis à forma, aliquando est propter naturalem cõnexionem, vt relatio non potest separari stante fundamento & extremis relatiuis. vnde non posset Deus facere duo alba, inter quæ non esset similitudo: aliquando est propter naturalem sequelam vnius ad alterũ, vt ad ignem naturaliter sequitur calor, & ideo non potest separari ab igne. Idem accidit de subiecto & passione, quæ naturaliter fluit à principiis subiecti.

Secũda ratio est, si passio distinguitur realiter à subiecto, ergo est processus in infinitum in passionibus, quod est impossibile, consequẽtia autem sic probatur, sumo hominem præscindẽdo ab omni accidẽte & qualitate,& quæro in illo priori aut est aptus recipere risibilitatem, aut non: si non, ergo ei repugnat, quod est absurdum, si sic, aut est aptus aptitudine media, aut seipso, si seipso ergo est aliqua aptitudo in homine, quæ est ipse homo, & per consequens eadem ratione potest dici, quòd homo est ipsa risibilitas, quæ est aptitudo ridendi: si aptitudine media, quæro, vt prius, aut homo est aptus recipere aptitudinem mediam per aliam aptitudinem, aut seipso, vt prius, ergo non est necesse pass. distingui realiter à subiecto.

Respondeo, Scotistæ magnificant hanc rationem suam, sed apud Thomistas est parui ponderis. Aduerte igitur, quòd dupliciter sumitur aptitudo, primo pro principio formali positiuo & proximo alicuius actus, sic semper est accidens,& qualitas in agẽtibus creatis, eo ꝙ in via nostra, nulla substantia creata est proximũ principiũ agendi, licet possit esse principiũ primum, sicut anima est principiũ primũ, nõ tamen proximum, quo sentimus & intelligimus: secundo sumitur pro non repugnantia ad recipiendum illã aptitudinem positiuam & sic nõ est accidẽs, nec propriè substãtia, cũ sit negatio, nec distinguitur realiter à rei substãtia, sed est ipsa cõsiderata, quòd est talis naturæ, cui non repugnat tale principium proximum, nec actus egrediens à tali principio. Tunc dico ad argumentum, quòd homo in illo priori est aptus recipere risibilitatem non aptitu

dine positiua, sed aptitudine non repugnantiæ, eo quod est talis naturæ, cui non repugnat risibilitas,& quando tu quęris, aut aptitudine media, aut seipso. Respon. seipso,& quando tu dicis, ergo est aliqua aptitudo in homine, quæ est ipse homo, concedo de aptitudine non repugnantiæ, & quando tu dicis, ergo eadem ratione, risibilitas est idem cum homine, nego. quoniam tu transis ab aptitudine non repugnantiæ, ad aptitudinem positiuam, quæ est proximum principium agendi, & aduerte quod ex hac solutione soluitur argumentum Scoti, quo arguit quod intellectus non distinguitur ab essentia animæ, eo quod anima ex se est apta intelligere, ergo illa aptitudo, quæ est ipse intellectus, non distinguitur ab anima. Patet autem ex distinctione data quod anima ex se non est apta intelligere aptitudine positiua, sed aptitudine non repugnantiæ, eo quod est talis naturæ, scilicet intellectualis. Similiter soluitur argumentum de corpore naturali, quo probatur quod est ex se mobile & non per mobilitatem sibi intrinsecam. Probatur autem sic, corpus naturale includit materiam, quæ cum sit natura est principium motus, ergo mobilitas non est passio distincta realiter à corpore mobili. Dico quod non est ex se mobile nisi non repugnanter, eo quod materia non potest esse principium motus proximum, tale enim principium sunt qualitates alteratiuæ, aut motiuæ. Hæc pro nunc sufficiant de præsenti quæsito, nec expedit alias rationes Scotistarum referre, quoniam debiliores sunt prædictis.

Tu igitur aduerte, quod si quæratur an sit necesse omne subiectum scibile habere proprias passiones, respondendum est quod debet habere passiones demonstrabiles, eo quod aliter de eo nõ posset haberi scientia, nõ autẽ est necesse habere passiones reales, sed accidit ei inquãtũ est scibile, aliter de ente & de Deo non haberetur scientia. Hæc est resolutio Thomistica.

QVAESTIO III.

Si passiones entis sunt idem cum ente.

Conclusio. Ens & vnum trãscẽdẽs sũt idem realiter, distinguuntur tamen ratione. Ens & verum materialiter sunt idem re & ratione distincta. Similiter Ens et bonum transcẽdens idem realiter, formaliter autem distincta sunt.

Circa hanc quæstionem aduerte, quod passiones entis sunt hæc transcendentia: vnum, verum, bonum, aliquid, res: & quidem istæ duæ, aliquid, & res non videntur habere difficultatem quin sint idem cum ente. Nam non videntur addere aliquid positiuum super ens, quoniam omne ens dicitur aliquid, quasi aliud quid, eo quod comparatum alteri enti est distinctum ab eo. Dicitur autem res à ratus rata, eo quod omne ens reale est certæ & firmæ entitatis præter opus animæ. Difficultas igitur est de vno, de vero, de bono, quoniam non videtur manifestum, quodlibet ens esse vnum & verum & bonum seipso & non aliquo superaddito. Pro resolutione igitur huius quæsiti quatuor agenda sunt. Primò probabitur quod vnum transcendens est idem realiter cum ente. Secundò idem probandum est de vero. Tertio idem probandum est de bono. Quartò soluenda sunt quædam argumenta.

Quantum ad primum ponitur hic conclusio, ens & vnum transcendens sunt idẽ realiter, sed distinguuntur formaliter.

Prima pars probatur à Philosopho in hoc quarto libro textu tertio, duplici ratione,& Beatus Thomas, exponens & Commentat. conformiter adducunt eas. Quarum prima talis est. Quæ simul generantur & corrumpuntur sunt idem: sed ens & vnum sic se habent, quia dum generatur ens, generatur vnum, nam cum generatur homo, generatur ens homo, & vnus homo, ergo sunt idem.

Sed dicet aliquis, maior non videtur vera apud Thomistas: nam subiectum & passio simul generantur & corrumpuntur, de necessitate enim passio inest subiecto,& tamẽ nõ sunt idẽ.

Respon. propositio Philosophi debet intelligi de simultate nõ solum temporis, sed etiam naturæ: modo dico, quod licet subiectũ & passio sint simul tempore, non tamen natura, quoniã cum subiectũ sit causa suæ passionis, omnis causa est prior natura suo effectu, nõ tamen necesse est quod sit prior tẽpore, vt patet in effectu coæuo. Sic igitur intellecta propositione Philosophi sequitur cõclusio, quod ens & vnũ sunt idem realiter.

Secunda ratio, quam format Bea. Thom. exponens & Commenta. in commen. tertio. Quælibet res est vna per essentiam suam,& non per aliquod additum reale super essentiam: ergo ens & vnum sunt idem realiter. Antecedens probatur, si res est vna aliquo addito, quæro de illo addito, quoniam cum sit ens est vnum: sunt enim conuertibilia ens & vnum: aut igitur est vnum seipso, aut aliquo addito: si seipso, ergo simili modo standum erat in primo: si per aliquod additum, iterum quæritur de illo,& sic erit processus in infinitum.

Aduerte quod Ant. And. reprobat hanc rationem in quarto Meta. quæst. tertia,& dicit in ea esse fallaciam figuræ dictionis, quoniam mutatur quo in quod. Cum enim dicitur. Quæro de illo addito,&c. dicendum est quod non est id, quod est vnum, sed quo res est vna, sicut patet cum dicitur, Homo est albus, vel seipso, vel albedine. Si albedine, quæro quo albedo est alba. Certũ est quod nõ sequitur, quoniã mutatur quo in quod.

Sed non considerauit quod alia ratio est de prædicatis transcendentibus, quæ de omnibus, siue sint quo, siue quod prædicantur, & de formis specialibus, quæ sic denominant sua subiecta quod ipsę non denominantur. Dico igitur quod non mutatur quo in quod, quoniam in hoc loco, quod est quo, est etiã quod, vnde licet illud additum esset quo res est vna, esset etiã quod est vnum, quoniam esset ens, vnum autem & ens sunt conuertibilia. Nec valet instantia de homine albo: quoniam, vt dixi, alia est ratio de transcendentibus, alia de formis specialibus. Quicquid enim est, ens est: ergo indiuisum in se & diuisum à quolibet alio, ergo est vnum. De formis autem specialibus non est necesse quod de quolibet prædicentur, vel sua opposita, vnde licet albedo sit ens vel non ens, vna vel nõ vna, non tamen est alba, sed quo aliquid est album. Deceptus est autem Ant. And. quoniam tenet ens non prædicari quidditatiuè de passionibus suis, ideo apud ipsum non valet. Illud additum est ens, ergo est vnum, quoniam non concedit antecedens secundum prædicationem quidditatiuam, sed tantum virtualem, verum quod sua imaginatio sit falsa, manifestabimus in quęst. quinta, huius li. vbi probabitur ens prædicari quidditatiuè,& formaliter de passionibus suis, & de vltimis differentiis.

Secunda pars, scilicet quod ens & vnum distinguantur ratione, est admissa ab omnibus. Primò quia subiectum & passio non sunt idem formaliter. Secundò quia vnum addit super ens, saltem indiuisionem. Tertiò quia prius concipimus ens quàm vnum. Est enim primum impressum in anima.

Quantum ad secundum ponitur hæc conclusio, ens & verum sunt idem re, sed distinguuntur ratione. Pro euidentia primæ partis aduerte quod verum sumitur dupliciter, primo formaliter, secundo materialiter, verum formaliter dicit adæquationem, vel conformitatem rei ad intellectum, quæ quidem est relatio aliquando realis, aliquando rationis, vt declarauimus in tractat. de transcendentibus. Verum materialiter dicit rei naturam, vt habet ordinem ad intellectum, qui ordo manifestatur per ly intelligibilitas, vel cognoscibilitas. Vnde verũ materialiter est rei natura, vt intelligibilis vel cognoscibilis ab intellectu. Posita hac distinctione aduerte, quod conclusio debet intelligi de vero materialiter,& non formaliter sumpto. Nam cum verum formaliter sit relatio, quæ abstrahit à relatione reali, & relatione rationis patet quod non identificatur enti reali de quo hic intendimus, quoniam intentio nostra est loqui de ente quod est subiectum in hac scientia & de passionibus eius, declarauimus autem in primo libro, quod ens reale est subiectum in ea,& non ens commune enti reali & enti rationis. Quòd igitur ens reale & verum materialiter sumptum sint idem re, sic probatur. Quodlibet ens est intelligibile seipso, ergo est verum seipso, ergo nullo addito reali super ens ergo sunt idem ens & verum. Prima consequentia patet, quoniam esse verum materialiter & esse intelligibile sunt idem, ergo si quodlibet ens est materialiter verum seipso, est intelligibile seipso. Antecedens autem sic probatur, vnumquodque est intelligibile per suam entitatem, cuius signum est quod res quæ sunt maioris entitatis sunt ex sui natura magis intelligibiles, vt declaratum est in libro secundo. Quæ autem sunt minoris entitatis minus, & quæ nullius, nullo modo, vnde in primo posteriorum dicitur, Quod nõ est non cõtingit scire ergo vnumquodque est intelligibile seipso, quoniam non distinguitur res & entitas rei, & sic patet quod ens & verum materialiter sumptum sunt idem re. Imaginandum est enim quod sicut ad entitatem coloris sequitur visibilitas, ita ad entitatem cuiuscunque rei sequitur intelligibilitas, eo quod est apta conformari intellectui, cum anima sit quodammodo omnia, ex tertio de anima, nec de hoc est assignanda alia causa, nisi entitas rei. Aduerte tamen quod per ly visibilitas vel intelligibilitas non intelligo veras & reales passiones, quæ secundum viam nostrã, distinguuntur realiter à subiectis suis, sic enim intelligibilitas adderet aliquid reale super ens, quod non admittitur in via nostra. Sed per visibilitatem & intelligibilitatem intelligo aptitudinem, quæ non distinguitur realiter à re cuius est, & de qua locutus sum in quæstione præcedenti, pro solutione secundæ rationis Scotistarum.

Secunda autem pars conclusionis, scilicet quod distinguantur ratione patet, quoniam dicendo ens verum, non committitur nugatio. Præterea conceptus entis est absolutus, conceptus autem veri, est respectiuus. Præterea ens & verum se habent vt subiectum & passio, ergo manifestum est quod distinguuntur ratione.

Quantum ad tertium ponitur hæc conclusio, ens & bonum sunt idem re, sed distinguuntur ratione. Pro euidentia primæ partis, aduerte quòd bonum dupliciter sumitur, scilicet simpliciter & secundum quod bonum simpliciter est illud, quod est perfectum suis perfectionibus vltimis, quę sunt qualitates sibi debitæ, vt pomum est bonum simpliciter, cum ad maturitatem peruenerit & homo est bonus simpliciter, cum ad sibi debitam perfectionem per habitus intellectuales & morales peruenerit bonum secundum quid est illud, in quo iam reperitur prima perfectio quæ omni alij perfectioni supponitur, & hoc est ipsum esse siue existere. vnde quæcũque habent esse, dicuntur bona secundum quid. Aduerte igitur cp prima pars conclusionis intelligenda est de bono secundũ quid. Non autem de bono simpliciter, quoniam tale multa addit super ens puta debitas qualitates, debitas operationes, debitum finem. Quod autem addit aliquod reale super ens contrahit ens, vnde bonum simpliciter videtur contrahere ens ad prædicamẽtum qualitatis. & per consequens non est idem re cum ente, intelligendo de identitate conuertibili, qualem ponimus inter ens, & alia transcendentia. conclusio igitur intellecta de bono secundum quid sic probatur, Quælibet res in tantum est bona, inquantum est appetibilis, nam bonum ex 1. ethi. per appetibile diffinitur, intantum est appetibilis inquantum perfectiua appetitus, nam vnum quodque appetit, vt ex suo appetibili perficiatur, non enim potest esse appetitus ad sui destructionem, intantum est perfectiua, inquantum habet esse quoniam esse est prima actualitas & prima perfectio, intantum habet esse inquãtũ est ens, est enim ens cui debetur esse, vnde materia prima & Deus sunt duo extrema in latitudine entis, quoniam materia prima nullum habet esse nisi potentiale. & ideo est propinqua nihil, Deus autem ex se habet perfectissimum esse, ideo est maximè ens, ergo à primo ad vltimũ, res intantum bona, inquantum est ens ex consequenti ens & bonum sunt idem re, intelligendo de bono secundum quid.

Secunda autem pars conclusionis videtur manifesta, quoniam conceptus entis est prior cum sit simplicior, & est conceptus absolutus & ens est subiectum, conceptus autem boni est posterior & respectiuus: nam sicut verum addit super ens, ordinem ad intellectum, sic bonum addit ordinem ad appetitum, & bonum est passio entis demonstratur enim de ente sicut vnum & verum, patet igitur quòd licet sint idem re, tamen distinguuntur ratione.

Quãtum ad quartũ aduerte aliqua argumenta, quæ videntur facere aliquam apparentiã contra determinationẽ factã.

Primum est de ente & vno, & arguitur quòd non sint idem nam vnum & multa diuidunt ens ergo contrahunt ens. ergo addunt super ens ergo non sunt idem re identitate conuertibili, de qua facta est determinatio.

Respondeo, licet ens diuidatur per vnum & multa, tamen vnum est conuertibile cum ente. quoniam quæcunque sunt multa, sunt aliquo modo vnum vt quæ sunt multa partibus, sunt vnum toto: & quæ sunt multa numero sunt vnum specie, &c. Non tamen est necesse quòd quæcunque sunt vnum sint aliquo modo multa quoniam est deuenire ad simplicissimum simplex. Diuisio igitur entis per vnum & multa non est diuisio ex æquo, sed in vnum simpliciter & in multa secundum quid. Nam & multitudo non contineretur sub ente nisi contineretur in aliquo modo sub vno. Ad argumentum igitur nego primam consequentiam. Ad hoc enim quòd contraherent ens esset necesse vt multitudo nullo modo contineretur sub vno. vt accidens nullo modo continetur sub substantia. quoniam nullo modo accidens est substantia.

Secundo sic. Quæ sunt idem re, diuidantur eisdem modis siue eisdem differentiis. Sed ens & vnum non diuiduntur eisdem modis, vt patet in 5. lib. nam ens diuiditur in x. prædicamenta, vnum autem in idem similе & æquale.

Respondeo, Quæ sunt idem inquantum sunt idẽ re, eisdem modis diuiduntur & vt sic dico quòd vnum diuiditur in x. prędicamenta sicut ens cum hoc tamen stat quòd inquantum distinguitur ratione, possunt diuidi diuersis modis sic est in proposito, quoniam ens dicitur ab esse: ideo secundum diuersos modos essendi, diuiditur in x. prædicamenta: nam modi prædicandi sumuntur à modis essendi vt dicetur in lib. 5. & quoniam vnum dicitur ab indiuisione. ideo secundum diuersos modos indiuisionis diuiditur in idem similе æquale. Nam quæ sunt indiuisa in substantia, sunt idem quæ in qualitate sunt similia; quæ in quantitate sunt æqualia.

Quod autem ens & verum non sint idem arguitur sic, verum verificatur tam de ente quàm de non ente. Quod enim est, verum est esse. & quod non est verum est non esse. ens attem non verificatur nisi de ente. hæc enim est falsa, non ens est ens. ergo, &c.

Respõdeo nego maiorem ad probationem dico quòd hæc non posset formari ab intellectu. Quod non est, verum est nõ esse. nisi non ens esset comprehensum ab intellectu & vt sic, non ens est aliquo modo ens. Quoniam non ens apprehensum est ens rationis. Et hæc videtur responsio B. Tho. in 1. parte quæst. 16. art. 3. ad secundum.

Potest etiam dici, quòd verum materialiter, est idem cum ente non autem verum formaliter. quoniam illud habet esse in intellectu. & negatur quòd verum materialiter verificetur de non ente & quãdo probatur. quoniam hæc est vera, Quod non est, verum est non esse. dico quòd probatio tendit ad verum formaliter, quod præcipuè consistit in compositione & diuisione vt declarabitur in lib. 6. & aduerte quòd in quæst. sequenti id magis ventilabitur.

Quod ens & bonum non sint idem re, probatur. Quoniam ens est obiectum intellectus, bonum autem voluntatis. Sed intellectus & voluntas distinguuntur realiter, cum sint potentiæ distinctę genere, ergo, &c. Probatur consequentia quoniã ex 2. de anima, potentiæ distinguuntur per obiecta. Si igitur obiectum intellectus & obiectum voluntatis non distinguuntur realiter, sed tantum ratione. ergo minor distinctio est causa maioris distinctionis quod est falsum. patet consequentia quoniam intellectus & voluntas distinguuntur realiter.

Respondeo, Dico quòd distinctio realis inter intellectum & voluntatem non causatur præcise ex distinctione rationis siue formali suorum obiectorum, sed ex ordine reali quem habent inter se. Nam voluntas supponit intellectum, & subsequitur actum eius. nihil autem supponit seipsum, aliter idem esset prius & posterius.

Tu tamen aduerte. quòd plenam resolutionem de distinctione potentiarũ ex obiectis fecimus in quæstionibus nostris super 2. de anima. Hæc de præsenti quæsito dicta fuerint.

QVAESTIO IIII.

Si passiones entis sunt conuertibiles cum ente.

IN hac quæstione sic procedemus. Primo assignabitur triplex conuertibilitas & dicemus de qua intendimus loqui hic. Secundo mouebitur difficultas circa singulas passiones quæ sunt hæc transcẽdentia, vnum, verum, bonũ, res, aliquid. Tertio determinabitur difficultas circa vnam quãque earum.

Quantum ad primum aduerte triplicẽ conuertibilitatem, scilicet secundũ rem, secundũ conceptũ, secundũ prędicationẽ. factã.

Conuertibilitas secundum rem est, quando duo dicunt eãdem naturam adęquatè, vt homo & rationale. V nde licet species & genus dicant eandem naturam non tamen conuertibiliter, quia in plus est genus quàm species.

Conuertibilitas secundum conceptum est quando duo habent eundem conceptum omnino. ita quòd sunt idem re & ratione vt duo synonyma. vnde quæcunque non sunt synonyma, non sunt conuertibilia secundum conceptum.

Conuertibilitas secundum prædicationem est quando duo adæquantur in suppositis, ita quòd de quibuscunque prædicatur vnum, prædicatur & reliquum vt homo & risibile, par vel impar & numerus.

Aduerte igitur quòd hic non intendimus loqui de conuertibilitate secundum rem quoniam probatum est in quæstio. præcedenti quòd dicunt eandem rem adęquate, eo quòd nulla passio entis addit aliquod reale supra ens. Nec de conuertibilitate secundum conceptum quoniam probatum est in quæstio. præcedenti, quòd ens & passiones suæ licet sint idem re, tamen distinguuntur per diuersas rationes. Intendimus ergo loqui de tertia conuertibilitate, & inuestigare si de quocũque prædicatur ens, prædicatur vnum & econuerso. & idem intellige de vero, bono, re, aliquo, &c.

Quantum ad secundum aduerte quòd primo ca dit difficultas super vnum, quoniam cum ens diuidatur per vnum & multa vt per opposita, alterum diuidentium nunquam adæquatur secundum prædicationem ipsi diuiso, ergo vnum non conuertitur secundum prædicationem cum ente sed vnum vel multa sicut par vel impar adęquatur numero.

Secundo cadit difficultas super verum, quoniam priuationes & entia rationis sunt intelligibilia, ergo sunt vera. & tamen vt patet non sunt ens reale, de quo nunc loquimur vt est subiectum metaphysice. ergo verum non adæquatur enti secundum prædicationem.

Tertio cadit difficultas super bonum, quoniam non esse, & via ad non esse, aliquando sunt appetibilia. vt patet de homine se occidente, ergo sunt bona: bonum enim & appetibile conuertuntur & tamen non sunt entia realia vt patet, ergo ens & bonum non adæquantur secundum prædicationem. Prætereà Mathematica sunt entia, & tamen vt patet in tertio Metaphysi. textu tertio, in illis non est bonum: ergo, &c.

Quartò cadit difficultas super rem, quoniam secũdum Porphyrium in vniuersalibus, prædicatur de quinque vniuersalibus. Inquit enim. Harum rerum, id est quinque vniuersalium compẽdiosam traditionem faciens, &c. Constat autem quod vniuersalia de quibus agit Porphyrius cum sint intentiones secundę, non sunt entia realia, ergo in plus est res quam ens reale de quo hic intendimus.

Quintò cadit difficultas super aliquid. Nam aliquid importat distinctionem vnius entis ab alio ente. Est enim aliquid, quasi aliud quid. Sed ita distinguuntur abinuicem duo entia rationis, sicut duo entia realia, puta dexteritas in columna distinguitur ab identitate ejusdem ad seipsum, ergo hæc est vera dexteritas in columna est aliquid sicut lapis est aliquid, ergo aliquid nõ conuertitur secundũ prædicationẽ cum ente reali.

Quantum ad tertium pro resolutione difficultatis cadentis super vnum, aduerte quod in vno sensu est passio conuertibilis cum ente, in alio autem est passio disiuncta, nam vnum aliquando consideratur communiter & absolutè, aliquando strictè siue contractè, vnum communiter dicitur quod importat aliquam indiuisionem & vt sic cõuertitur cum ente quoniam nulla sunt adeo diuisa quæ non sint aliquo modo vnum vnde adducitur illud magni Dionysij de diuinis nominibus, non est multitudo non participans vno, sed quæ non sunt multa partibus, sunt vnum toto & quæ sunt multa accidentibus sunt vnum subiecto, & quæ sunt multa numero sunt vnum specie & quæ sunt multa speciebus, sunt vnum genere & quæ sunt multa processibus, sunt vnum principio. hæc ille. sic ergo consideratum vnum, de quolibet ente verificatur & vt sic, omnis multitudo est aliquo modo vnum, strictè autem siue contractè sumitur, prout opponitur multitudini, sicut indiuisum diuiso, & vt sic non conuertitur cum ente, sed est passio disiuncta. Hæc enim est falsa, omne ens habet esse indiuisum & hæc est falsa omne ens habet esse diuisum. Hæc autem est vera, omne ens habet esse indiuisum vt simplicia, vel diuisum aut diuisibile vt composita & ideo signanter diuisit Philosophus ens per vnum & multa vt sunt opposita & non prout multa sunt aliquo modo vnum. Tunc enim diuisio nulla esset quoniam vnum membrum prædicaretur de altero, nam hæc est vera ex prædictis omnia multa sunt vnum aliquo modo.

Aduerte vlterius quod diuisio entis per vnum & multa est magis per oppositas rationes quam per oppositas res nullum enim ens ea ratione est vnũ qua est multa cum vnius & multitudinis sint oppositæ rationes. Quodlibet tamen ens secundum rem est vnũ cum & multa sint aliquo modo vnũ & tamẽ nõ omne ens est multa secundũ rem quoniã datur simplicissimus actus vt Deus & simplicissima porẽtia vt materia prima.

Ad argumentum ergo dico quod diuisio illa est magis per oppositas rationes, quàm per oppositas res: & quando diuisio non est per oppositas res non inconuenit alterum diuidentium conuerti secundum rem cum diuiso: exemplum habemus de motu qui diuiditur per actionem & passionem, vt per oppositas rationes & non per oppositas res, cum idem motus sit actio & passio vnde secundum rem vtraque istarum est vera, omnis motus est actio & omnis motus est passio diuersa tamen ratione, vt declaratum est in tertio Physicorum.

Pro resolutione difficultatis cadentis super verum. Dico quod verum conuertitur cum ente reali. Sed aduerte quod sicut sunt plures gradus entis realis, sic & veri. Quędam sunt entia realia perfecta per se existentia, vt substantiæ abstractæ & composita siue incorruptibilia vt cœlum, siue corruptibilia vt elementa & elementata & ista sunt vera per se, quoniam sunt cognoscibilia per se. Quædam sunt entia realia habentia esse non per se, sed in alio vel supposito vt materia & forma, vel subiecto vt accidentia & ista sunt vera per alterum, quoniam sicut habent esse per alterum, sic sunt cognoscibilia per alterum. Quædam sunt entia realia non essentialiter sed suppositiuè vel fundamentaliter, sicut priuatio, quæ fundatur in subiecto, & entia rationis, quæ fundantur mediate in ente reali, quoniam consequuntur rem vt est obiectiuè in intellectu, sicut declarauimus in tractatu de transcendentibus, puta prędicari de pluribus consequitur naturam communem, vt obiicitur intellectui per speciem intelligibilem abstractam à conditionibus indiuiduantibus & non vt habet esse in singularibus, quoniam vt sic est singularis, & ista sunt vera per alterum sicut & cognoscibilia, nam priuatio cognoscitur per habitum, & negatio per affirmationem, & entia rationis supponunt apprehensionem naturæ realis obiectæ intellectui, quoniam secundæ intentiones fundantur in primis.

Ex his dico ad argumentum quod licet verum consideratum tantum secundum vnum modum, puta verum per se, non conuertatur cum ente reali, considerato secundum omnes gradus suos tamen verum consideratum in sua latitudine, conuertitur cum ente reali considerato in tota sua latitudine, faciendo correspondere consimiles gradus adinuicem, ita quod hæc regula non fallit. Vnumquodque sicut se habet ad ens, ita ad verum & sic dico quod entia rationis, sunt vera per alterum, & similiter priuationes sicut sunt entia realia non per se & essentialiter sed fundamentaliter vt declarauimus.

Pro resolutione difficultatis cadentis super bonum dico, quod bonum non conuertitur cum ente reali absolutè sumpto, sed cum ente reali in actu, vnde sicut vnum quodque est ens reale actu, ita est bonum. Quæ autem nondum sunt, aut amplius non sunt non dicuntur bona, vt rosa generanda, vel quæ iam præteriit, nec sunt appetibilia nisi extendatur appetitus ad illud tempus, pro quo fuit vel erit præsens similiter materia prima nõ est bona nisi vt respicit formam per quam fit actu. Quomodo autem in Mathematicis non sit bonum, satis diximus in libro tertio, in quæstio. prima. Dico ergo quod cum primum appetibile sit ipsum esse quod est prima perfectio & prima actualitas, ens reale actu conuertitur cum bono, ex quo sequitur, quod maior est amplitudo conuertibilitatis inter ens & verum, quàm inter ens & bonum.

Ad argumentum igitur cum dicitur quod non esse est bonum quoniam est appetibile vt patet de homine se occidente. Respondeo quod aliquod est bonum tripliciter, primo aliquod est bonum per se eo quod ex natura sua est appetibile vt sanitas, scientia, aurum. secundo aliquod est bonum per alterum, & est illud, quod licet ex se non sit appetibile, tamen quia ordinatur ad aliquod per se bonum dicitur bonum, vt medicina amara ordinata ad sanitatem. tertio aliquod est bonum non quia sit per se bonum nec quia ordinatur ad per se bonum, sed quia est ratio siue via fugiendi non appetibile. Hoc modo mors est bona interficienti seipsum, quoniam est via qua effugiat infamiam aut inopiam, aut seruitutem, quæ non sunt appetibiles ex hac distinctione dico ad argumentum quod bonum primo & secundo modo quoniam dicit aliquod esse reale, conuertitur cum ente reali, non autem tertio modo quoniam vt sic non dicit aliquod esse, nec meretur dici bonum nisi quia fuga mali sumitur sub ratione boni.

Pro difficultate cadente super rem, dico quod absolutè conuertitur cum ente reali, eo quod res dicitur ens habens aliquam quidditatem. Quodlibet autem ens reale, eo modo quo est ens reale dicit aliquam quidditatem, & quoniam entia rationis non dicunt aliquam quidditatem, cum habeant esse tantum obiectiuè in intellectu, ideo non propriè dicuntur res. Ad argumentum dico quod Porphyrius extendit hunc terminum res ad entia rationis, non vt deriuatur à ratus rata. Sic enim verificatur tantum de ente reali, sed vt deriuatur à reor reris, quod signat actum animæ, & vt sic potest attribui enti rationis.

Pro difficultate cadente super aliquid, dico sicut dictum est de re, nam aliquid propriè est illud, quod comparatum alteri dicit aliam quidditatem ab eo, & sic verificatur absolutè tantum de ente reali, communi tamen necessitate loquendi, extenditur etiam ad entia rationis verum quia sicut non sunt entia simpliciter, sed secundum quid sic non sunt aliquid simpliciter sed secundum quid.

Tu tamen aduerte, quod licet omnia transcendentia propriè consequantur ens reale, tamen extenso termino & impropriè, & secundum vsum loquendi solent applicari enti & non enti, enti reali & enti rationis, nam dicimus vnum lapidem, vnam negationem, vnam priuationem. Idem dico de vero quod applicatur enti reali & enti rationis & priuationi. Idem dico de Bono, nam solemus dicere, hæc nox est bona. Hæc est bona febris. &c. Idem intellige de re & de aliquo, vt exemplificaui. Sed de his applicationibus impropriis Metaphysicus non curat, sufficit enim sibi si seruat proprium significatum & propriam applicationem termini. Hęc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Si ens prædicatur quidditatiuè de passionibus suis & de vltimis differentiis.

CIrca hanc quæstionem aduerte quod Thomistæ penitus dissentiunt à Scotistis. Pertractabitur igitur. Primò opinio Thomistica. Secundò opinio Scotistica. Tertiò soluentur rationes eorum. *Conclusio. Ens essentialiter quidditatiuè*

tiuè & per se primo modo prædicatur de suis passionibus & vltimis differentiis.

Quantum ad primum pono hanc conclusionem, ens prædicatur quidditatiuè, id est in primo modo per se de differentiis vltimis & de suis passionibus. Hanc solent Thomistæ probare variis rationibus, nunc adducentur tres, quæ reputantur firmiores.

Prima sumpta est ex 3. lib. metaph. tex. 10. philosophus illic probat ens non esse genus eo ꝙ non prædicatur genus de differentiis suis. Sed ens prædicatur de differentiis suis, eo ꝙ nihil subterfugit prædicationem entis. ergo ens non est genus. Modo probatur maior quòd sit vera. Nam si intelligatur de prædicatione idētica est falsa, quoniam cum genus vt animal sint idē realiter, hæc est vera identice. Rationale est animal, & econuerso: si autem intelligatur de prædicatione quidditatiua & formali sic est vera, vt declarauimus in lib. 3. in q. secunda. ergo in eodē sensu debet subsumi minor, scilicet ens prædicatur formaliter de differentiis, aliter ratio philosophi non concluderet, sed esset ex quatuor terminis, eo ꝙ in maiore staret pro prædicatione formali, in minore autē pro idētica, quā Scotistæ appellant realem vel essentialem. Et hanc rationem reputamus euidentem stante auctoritate philosophi.

Secunda ratio. Omne superius prædicatur de suis inferioribus in quid, ergo formaliter, nam etiam apud Scotistas prædicatio quidditatiua & formalis idem sunt. Sed ens est superius ad vltimas differentias, quia est vniuersalissimum prædicatum, ergo prædicatur de illis quidditatiue.

Huic rationi respondent Scotistæ, & dicunt ens non esse superius ad omnia formaliter, sed tantum ad ens creatū & increatum. & ad 10. prædicamenta & ad partes essentiales, quæ sunt genera & species eo ꝙ de omnibus his prædicatur quidditatiue quantum autem ad differentias vltimas & ad passiones suas dicunt quòd est superius tantum virtualiter eo quòd continentur in his de quibus prædicatur formaliter, puta passiones entis reperiuntur in ente creato & increato. & differentiæ continentur in speciebus.

Sed contra. Tam passiones entis quam differentiæ vltimæ sunt diffinibiles vel saltem descriptibiles, ergo diffiniuntur vel describuntur formaliter per ens vel per nihil quoniam non datur medium inter ens communissimum & nihil non est dicendum quòd per nihil. ergo per ens prædicatur ergo ens quidditatiue de differentiis vltimis & de passionibus suis quoniam omne diffiniens siue describens saltem intrinsecum prædicatur in primo modo per se.

Tertia ratio quæ probat particulariter de passionibus entis vnum in suo conceptu dicit indiuisionem ex 10. metaphy. Quæro ergo aut dicit indiuisionem tantum, aut vltra indiuisionem dicit in suo conceptu aliquod positiuum. nō primum. quoniam sola negatio non potest esse passio entis ergo secundum. Sed illud positiuum non est nisi ens, quoniā nihil est commune omni enti nisi ens. Cum igitur vnum & reliquę passiones entis conueniant omni enti, sequitur quòd ens sit de formali conceptu earū ex consequenti prædicaretur de eis quidditatiue. Ad hanc rationem dicunt Scotistæ, quòd licet ens poneretur in conceptu vnius, adhuc non prædicatur de eo quidditatiue, id est in primo modo per se quoniā passio diffinitur per subiectum, vt per additamentum ex 7. metaph. Huiusmodi autem diffinientia non prædicantur per se primo modo, sed solum diffinientia intrinseca & essentialia.

Sed hæc responsio nō est ad mentem philosophi, quoniam in 1. post. cap. de modis per se. Non ponit in primo modo solū diffinientia intrinseca essentialia, sed dicit vniuersaliter. & quæcunque insunt in ratione dicente quid est. & dat exemplum de puncto, qui licet sit terminus lineæ, non tamen est de essentia eius, sicut nec instans est de essentia temporis.

Præterea non recte fundant se super philosophū in 7. meta. Non enim ponit diffinitionem additamentum nisi in accidentibus. & pro rei veritate non vtimur diffinitione per additamentum nisi in accidentibus vel in substantiis, quæ habent rationem partis. vt quando diffinimus animam per corpus sicut diximus in nostro epitomate super 7. metaph. Constat autem quòd passiones entis non sunt accidentia, nec habent rationē partis. ergo nō diffiniuntur per additamentum. Tenendum est ergo in via Thomistica quòd ens essentialiter quidditatiue, & in primo modo per se prædicatur de passionibus suis & vltimis differentiis.

Quantum ad secundum aduerte quòd Anto. And. in lib. 4. metaph. q. 3. concordans cum Scoto in 1. sent. di. 3. q. 3. tenet partem negatiuam, vult tamen quòd prædicetur de eis essentialiter siue realiter. Appellat autem Scotus prædicationem quidditatiuam, eam quæ est in primo modo per se quæ apud ipsum dicitur formalis secundū quam sola diffinientia essentialia prædicantur de diffinito. Appellat prædicationem essentialem prędicationem identicam, quando prædicatū est idem cum subiecto non tamen est diffinitiuū subiecti vt hæc est prædicatio essentialis. Motus est actio. vult ergo Scotus quod ens non ingrediatur formaliter conceptum vnius, nec conceptū vltimæ differentiæ & quando prædicatur de passionibus suis & de differentia vltima sit prædicatio identica. & non quidditatiua. Et quo ad vltimas differentias probat Ant. And. in 4. metaphy. q. 3. duplici ratione.

Prima ratio sint duæ differentiæ A & B, tunc vel A & B includunt ens quidditatiue vel non si non habetur propositum, si sic, cum non sint omnino idem inter se habent quo conueniunt & quo differunt. ergo A & B non erunt primo diuersa nec erunt vltimæ differentiæ sed differentes. ergo differunt aliis differentiis. Sint illæ aliæ C & D, tunc arguitur de istis sicut de prioribus, quia vel includunt ens quidditatiue vel non & sic procedendo vel erit ire in infinitū in differentiis, vel stabitur ad aliquas non includentes omnino ens quidditatiue quod est propositum quia solæ illæ erunt vltimæ.

Secunda ratio. Sicut est in compositione reali ita est in cōpositione conceptuum. quia sicut ens componitur ex actu & potentia in re, ita conceptus compositus per se vnus componitur ex conceptu potentiali & actuali, seu determinabili & determināte. Sicut ergo resolutio entis compositi stat vltimo ad simpliciter simplicia, scilicet ad actum vltimū & potentiā vltimam quę sunt primo diuersa, ita quòd nihil vnius includit aliquid alterius alioquin nec hoc esset primo actus nec illud primo potentia: nam quod includit aliquid potentialitatis nō est primo actus nec econuerso. Similiter oportet etiam in cōceptibus, quòd omnis conceptus compositus per se vnus resoluatur in conceptum determinabilem & determinantem ita quòd illa resolutio stet ad conceptus simpliciter simplices, scilicet ad conceptum determinabilem tantum qui nihil determinans includit. & ad cōceptum determinantem tantum qui nihil determinabile includit, conceptus ille determinabilis est conceptus entis: conceptus autem determinans est conceptus vltimæ differentiæ. Isti ergo conceptus erunt primo diuersi. ita quòd vnus nihil includit alterius. & sic ens non poterit prædicari in quid de vltimis differentiis.

Quantum autem ad passiones probatur propositum tribus rationibus.

Prima ratio subiectum ponitur in diffinitione passionis vt additum ex 7. metaph. ergo non prædicatur in primo modo per se, quia talis prædicatio est per intrinseca & quidditatiua prædicata, quæ sunt de rei essentia. Sed ens comparatur ad vnum sicut subiectum ad passionem: ergo, &c.

Secūda ratio, ens diuiditur sufficienter in ens creatū & ens increatū & in 10. prædicamenta & in partes essentiales & de his omnibus quidditatiue prædicatur, cum ergo passiones entis non contineantur sub aliquo diuidentium sequitur ꝙ ens non prædicatur quidditatiue de eis. Quod autem non contineantur sub aliquo vno diuidentium probatur. nam si vnum contineretur sub ente increato. ergo omne vnum esset increatum & si sub ente creato ergo omne vnum esset creatum & cum vnum conueniat Deo, sequitur Deum esse creatum & quod dico de vno intelligēdum est de aliis passionibus entis. Quare & cætera.

Tertia ratio. si vnum quidditatiue includit ens quæro aut includit ens præcise, aut aliquid vltra: nō primum quia idem esset dicere, ens est vnum. & ens est ens. Si secundum quæro illud vltra aut includit ens, aut non: si includit, ergo vnum bis includit ens. si non ergo illud erit passio entis & sic quicquid dicatur esse passio entis non includet ens quidditatiue.

Quantum ad tertium soluendæ sunt rationes præmissę. Ad primam, de differentiis dico quòd A & B includunt ens quidditatiue & ꝙ conueniunt in ente & ꝙ distinctæ sunt. Sed nego quòd differant & quin sint primo diuersæ. Ad hoc enim quod sint primo diuersæ, non est necesse ꝙ in nullo conueniunt aliter decē prædicamenta non essent primo diuersa quia conueniunt in ente & in passionibus entis sed sufficit ꝙ non conueniant in aliquo vniuoco, nego ergo illam consequētiam: ergo A & B non erunt primo diuersæ nec vltimæ differētiæ sed differentes, imò non erunt differentes, sed sunt quibus aliqua differunt & sic non oportet assignare alias differentias quibus differant A & B & per consequens non est procedere in infinitum. Tu tamen aduerte quòd in via Scoti tenentis ens vniuocum hæc ratio esset difficilis ad soluendum. quoniā nō posset sustineri quòd essent primo diuersæ, apud nos autem conuenientia in analogo non repugnat primo diuersis.

Ad secundam, nego similitudinem ad probationem nego illam

illam consequentiam quæ stat in hoc sicut resoluitur vltimate ens compositum in simpliciter simplicia, sic oportet conceptum compositum vltimate resolui in conceptus simpliciter simplices, ita quod vnus nihil includat alterius. Hoc inquam non sequitur, quoniam licet nō repugnet dari in entibus duo simpliciter simplicia tamen repugnat in conceptibus, quoniā omnis conceptus resoluitur in conceptum entis qui ingreditur quemcunque alium conceptum. Sicut omnis veritas complexa, ad veritatem primi principij complexi resoluitur. Negatur igitur quod possint dari duo conceptus simpliciter simplices ita quod vnus nihil includat alterius: & si dicas, ergo nō dabuntur duo conceptus primo diuersi nego consequentiam, quoniam conuenientia in ente non impedit primo diuersa cum non sit vniuoca sed analoga cōuenientia, alioquin Deus & creatura, non essent duo primo diuersa.

Ad primam rationem de passionibus, nego consequentiam quoniam in primo modo per se ponuntur omnia diffinientia siue intrinseca, siue addita, quoniam dato quod sint extra essentiam diffiniti, vt subiectum extra essentiam accidentis non tamen sunt extra rationem quidditatiuam eo quod ex natura sua sic sunt diffinibilia. Prætereà potest negari antecedens quoniam non est verum nisi de passionibus determinati generis & quæ realiter distinguuntur à subiecto vt risibile in homine. In passionibus transcendentibus quæ distinguuntur tantum ratione ab ente, antecedens non est verum.

Ad secundam nego antecedens diuiditur enim ens per vnum & multa & priusquam per creatum & increatum & per decem prædicamenta, vt dicemus infrá. Vnde sicut ens prius diuiditur in transcendentia sic prius quidditatiuè prædicatur de transcendentibus.

Ad tertiam Dico quod includit aliquid vltra, scilicet indiuisionem & cum quæritur si illud additum includit ens, dico quod non quia est negatio, & cum infertur, ergo illud additum est passio entis nego consequentiam, quoniam passio entis non est indiuisio, sed ens vt stat sub indiuisione. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Quomodo ordinandæ sint passiones entis, quæ sunt transcendentia secundum prius & posterius.

Conclusio. Nullus est ordo in tis passionibus secundū rē acceptis, vt intellectu autem apprehensis vnum omnes præcedit, quod sequitur aliquid, deinde res, verum tamen conceptus præcedit bonum.

IN hac quæstione duæ viæ pertractandæ sunt, prima est via Beat. Thom. secunda est via Scoti. Prius igitur pertractabitur via Beati Thomæ pro cuius resolutione duo principaliter agenda sunt. Primò ponitur quædam distinctio. Secundò ponentur responsiuę conclusiones, cum probationibus suis.

Quantum ad primum aduerte quod ordo in transcendentibus, potest dupliciter considerari. Primò quantum ad res significatas. Secundò quantum ad rationes formales, sub hoc sensu. Cuius transcendentis ratio prius apprehendatur ab intellectu procedente ordinatè à cōceptu entis ad conceptus aliorum transcendentium illud est prius quo ad rationem formalem, & quidem quantum ad res significatas nullus est ordo inter ea, quoniam huiusmodi ordo supponeret distinctionem realem cum sit relatio realis, quæ requirit extrema distincta realiter vt dicemus in libro quinto. Sed transcendentia non distinguuntur realiter ab ente, vt suprà diximus, nec realiter inter se, eo quòd si sunt idem in ente, sunt idem inter se. ergo quoad res significatas nullus est ordo inter ea. Quantum autem ad rationes formales, non inconuenit esse ordinem inter ea: nam cùm primum quod cōcipimus sit ens, meritò dubitari potest, si post ens immediatè concipimus vnum vel verum, vel bonum. In hoc igitur sensu quærimus, quomodo ordinantur passiones entis secundum prius & posterius.

Quantum ad secundum aduerte, quòd ex hac distinctione manifestabuntur quatuor conclusiones.

Prima conclusio, Vnum secundum rationem formalem est prius aliis passionibus transcendentibus, & probatur sic, vnum est primum positiuum, quod concipimus immediatè post ens, ergo, &c. Probatur assumptum, nam primum quod cōcipimus est ens, ex communi sententia, secundum est non ens, quia ex opposito cognoscitur oppositū, ergo ex ente proceditur in non ens: tertium est diuisio, nam cognito quòd ens non est non ens, statim apprehendimus distinctionem inter ens & non ens, cùm sint opposita: quartum est indiuisio, quoniam omne ens in seipso indiuisum est indiuisum aliquo modo indiuisionis: vnde dicit Philosophus in decimo Metap. tex. 7. quod non est vnum, non est ens, cuintum est conceptus vnius: cùm enim omne ens sit diuisum à non ente, & indiuisum in seipso, sequitur quòd post ens, concipimus vnum. Notanter dixi, Primum positiuum quod concipimus immediatè post ens, quoniam ante vnum apprehenditur diuisio entis à non ente, & indiuisio in seipso. Sed hæc non dicunt aliquod positiuum, vt patet, quoniam diuisio dicit negationem vnius de altero. & indiuisio dicit negationem negationis.

Secunda conclusio, Post vnum statim apprehendimus aliquid. nam declaratum est quòd apprehēdimus vnum ex eo quòd apprehendimus ens indiuisum ex seipso: ergo ex consequenti & immediatè apprehendimus ipsum diuisum à quolibet alio. Sed in hoc stat ratio ipsius aliquid. Dicitur enim aliquid, quasi aliud quid. vnde si duo essent idem realiter, vnum non posset dici aliquid comparatum alteri, sicut si compararetur homo rationali, non est aliquid.

Tertia conclusio, Post ly aliquid, immediatè concipitur res, quoniam dicitur res à sua propria quidditate vel essentia: vnumquodque autem propriam essentiam habet, inquantum eam habet, vt indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: alioquin sua essentia non esset sibi propria, sed communis: ergo post aliquid concipitur res.

Quarta conclusio, Conceptus veri est prior conceptu boni: nam qualis est ordo inter intellectum & voluntatem, talis est inter eorum obiecta: sed intellectus est prior voluntate, cùm sequatur apprehēsionem intellectus: ergo verum, quod respicit intellectum, est prius cōceptum, quàm bonum, quod respicit volūtatē. Pręterea vniuersaliora sunt priora in apprehensione nostra ex primo Physi. tex. 3. sed verū est vniuersalius bono, eo quòd consequitur ens absolutè: bonum autem consequitur ens actu, vt dictum est suprà. ergo bonum est posterius vero secundum conceptum, & sic patet secundum viam Thomi. qualis sit ordo non realis, sed secundum ordinatam apprehensionem intellectus, inter ens & passiones suas. & inter eas adinuicem comparatas.

Posita via Thomi. inuestigandum est, quid circa hoc sentiāt Scotistæ, aduerte igitur, quòd ipsi sequentes viam Scoti in 1. di. 8. q. 3. & in quolibet quæstione quinta prius diuidunt ens per quantum & non quantum, quam per vnum & multa. & pro euidentia huius opinionis tria agenda sunt. Primo declarabitur talis opinio, & adducentur præcipuæ rationes suæ. Tertio arguetur contra hanc opinionem, & soluentur rationes suæ.

Quantum ad primum aduerte, quòd Scotus vbi supra diuidit ens reale vniuersalissimū prima diuisione per quantum & non quantum. Deinde ens quātum per finitum & infinitum. Deinde per vnum & multa, ita quòd apud eum diuisio per vnum & multa est in tertio loco, & apud B. Tho. est in primo loco. Declarat autem Scotus, quomodo sumat ly quantum, & intendit per quantum quantitatem virtualem, quæ est rei perfectio, & non quantitatem dimensiuam. & per infinitum intendit ens infinitæ perfectionis, qualis est Deus, & per finitum intendit ens finitæ perfectionis, qualis est homo & lapis. Intendit ergo Scotus, quòd ens reale diuidatur per quantum & non quantum, quoniam entium quoddam dicit aliquam perfectionem formaliter, vt substantia, qualitas, &c. Quoddam nullam perfectionem dicit formaliter, sed identice tantum, vt relatio: nam si relatio diceret formaliter aliquam perfectionem, in diuinis aliqua perfectio esset in patre, quæ non esset in filio, dicit tamen relatio in Deo aliquam perfectionem prout idem est cum essentia. & vt sic est in filio: ens autem quantum perfectionaliter, aut dicit perfectionem infinitam, aut finitam. Posita hac declaratione adduco rationes Scotistarum principaliores ad hoc propositum.

Prima ratio, ens prius diuiditur in ea quæ sunt cuilibet enti magis intima. Sed finitas & infinitas virtualis sunt magis intima cuilibet enti, quam vnitas & multitudo, ergo prius diuiditur per finitum & infinitum, quam per vnū & multa. Maior est euidens. Ideo enim prius diuiditur genus per differentias essentiales eo ꝙ intimiores sunt & priores, quam per proprietates, quæ consequuntur differentias. Minor autem probatur, finitas & infinitas conueniunt rei in esse quidditatiuo, & in primo modo per se, eo quòd duæ entitates vel quidditates præcise sumptæ, & adinuicem comparatæ, vna est perfectior altera, se habent enim rerum quidditates, sicut numerorum species ex octauo metaph. & prætereà constat, quòd humanitas præcise sumpta est nobilior equinitate, ergo finitas & infinitas conueniunt rei in esse quidditatiuo. Vnitas autem & multitudo conueniunt in secundo modo per se, cum sint passiones entis. ergo intimius insunt enti, ex consequenti prius diuiditur ens in finitum & infinitum, quàm in vnum & multa.

Secunda ratio, finitas & infinitas perfectionis supponuntur vnitati & multitudini, ergo prius diuidunt ens quam vnum & multa. Antecedens probatur. perfectius est esse vnum

quàm multa, aliter in prima causa potius poneretur multitudo quàm vnitas, cùm in illa ponatur summa perfectio. ergo vnum supponit perfectionem, & per consequens posterius sequitur ad ens quàm finitum & infinitum secundũ perfectionẽ.

Quantum ad tertium, arguitur cõtra hanc propositionem sic, Vnum quodque est finitum, vel infinitum perfectionaliter, inquantũ est perfectum: ibi enim agitur de quantitate perfectionali, vnum quodque intantum perfectum inquantum bonum; ratio enim perfectiui est ratio boni, vnum quodque intantum bonũ inquãtum habet esse, nam prima perfectio est esse. quæ enim nullum habent esse, sunt in pura potentia, & per consequens omnino imperfecta: ergo finitum & infinitum supponunt esse, ex consequenti posterius consequuntur ens quàm vnum & multa, eo quòd vnum consequitur ens simpliciter: finitum autem & infinitum, sicut & bonum, consequuntur ens actu.

Ad primam igitur rationem respondeo, & nego minorem. Ad probationem, nego quòd finitas & infinitas conueniant rei in esse quidditatiuo præscindendo ab omni esse actuali, & comprobatur, quoniam duæ quidditates præcisè sumptæ vna est perfectior altera nego, imò vt sic nulla est perfectior altera, & cum dicitur, quoniã quidditates rerum se habẽt vt numeri, &c. ex hoc non habetur quòd vna sit perfectior altera formaliter & ex se, nisi fortè fundamentaliter prout vna, puta humanitas, est apta recipere nobilius esse quàm equinitas. propter quod cõcludo, quòd cum prima perfectio sit ipsum esse, per quod res est primo bona, & finitum & infinitũ conueniunt enti post conceptũ boni est enim necesse prius concipere rem bonã, quàm bonam finitè vel infinitè. Hoc enim est ex additione ad bonum absolutè sumptum.

Ad secundam, nego antecedens, ad probationem nego quòd vnum præcisè sumptum, vt abstrahit à quolibet esse, sit perfectius quàm multa. & comprobatur quoniã aliter multitudo potius quàm vnum poneretur in prima causa, hæc probatio nihil valet. quoniam non ideo vnitas ponitur in prima causa, quia præcisè sumpta sit perfectior. sed quia perfectius est habere esse indiuisum, quàm diuisum siue partitum. & sic patet quòd vnitas sumit perfectionem ab esse. Vnde ex se non est perfectior, nisi fundamentaliter, vt dixi de quidditate præcisè sumpta.

Alias rationes solent adducere Scotistæ, quæ parum valent in via nostra, puta quòd essentialis perfectio rei est idem cum re realiter & formaliter, eo quòd cõuenit rei in suo esse quidditatiuo, vtunque horum est falsum in via nostra. quoniam esse rei est sua perfectio essentialis. & esse in omni creato distinguitur realiter & formaliter ab eo cuius est esse: similiter falsum est, vt diximus, ad primam rationem, quòd perfectio conueniat rei in suo esse præcisè quidditatiuo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si vnum transcendens, & vnum, quod est principium numeri sunt idem.

Conclusio. Vnum trãscendẽs distinguitur realiter ab vno quod est principium numeri.

Circa hanc quæstionem quatuor agenda sunt. Primò ponetur quædam distinctio. Secundò recitabitur opinio Auicennæ. Tertiò arguetur contra eum. Quartò recitabuntur rationes Auicennæ, & soluentur.

Quãtum ad primum aduerte, quòd aliqua possunt esse distincta dupliciter: primò, quia sunt duæ res, & vna non est altera, nec prædicatur de ea, vt duæ species, duo individua eiusdem speciei. & hoc modo clarum est quòd vnum transcendens, & vnum quod est principium numeri non distinguuntur: quoniam licet vnum numerale non prædicetur, saltem directè, de vno transcendenti, tamen vnum transcendẽs prædicatur directè de vno numerali: nam vnum numerale est ens. ergo est vnum transcendenter. Probatum est enim suprà quòd ens & vnum sunt conuertibilia secundum prædicationem. Secundò aliqua distinguuntur, quia comparata tertio ita se habent, quòd vnum nihil reale addit super tertium, alterum autem aliquid reale addit. vt si homo & sensitiuum comparentur animali, potest dici quòd homo distinguitur à sensitiuo, quoniam sensitiuum nihil reale addit super animal: homo autem addit rationale. & hoc modo inuestigandum est, si vnum transcendens & vnum numerale distinguuntur, vel sunt idem. nam si vnum numerale nihil reale addit super ens, sicut non addit vnum transcendẽs, profecto essent idem. Si autem addit, nõ sunt idem. Quid verò addat ens numerale dicemus in quæstione sequenti.

Quantum ad opinionem Auicennæ aduerte, quòd non inuenies eam eo modo, quo allegatur à Commenta. in hoc quarto libro comment. 3. vbi inquit, & etiam quia existimauit quòd vnum dictum de omnibus prædicamentis est illud vnum, quod est principium numerorum. Numerus autem est accidens: vnde existimauit quòd hoc nomen vnum significat accidens in entibus. Commentatori concordat beatus Thomas, exponens textum tertium: ego autem in tota Metaphysica Auicen, duo tantùm dicta inuenio, quæ videntur aliquatenus tangere propositum, licet imperfectè. Primum dictum est in tertio libro suæ Metaphysi. cap. 2. vbi sic dicit, Dico igitur quòd vnitas dicitur de accidentibus, vel de substantia: cùm dicitur de accidentibus, non est substantia, & hoc non est dubium. cùm verò dicitur de substantiis, non dicitur de eis sicut genus, nec sicut differentia. Non enim recipitur in certificatione quidditatis alicuius substantiarum, sed est quoddam comitans substantiam, sicut iam nosti. Non ergo dicitur de eis sicut genus, nec sicut differentia, sed sicut accidẽs: vnde vnũ est substantia, vnitas verò est intẽtio, quæ est accidẽs. In libro autem septimo, in cap. 1. sic dicit, Scias autem quòd vnum & ens parificantur in prædicatione sui de rebus. ita & de quocũque dixeris quòd est ens vno respectu, est vnum alio respectu: nam quicquid est vnum est, & ideo fortè putatur, quia id quod intelligitur de vtroque, sit vnum & idem. Sed non est ita, sunt autem vnum subiecto, scilicet quia in quocunque est hoc, est & illud. hæc ille, nec aliud inuenio.

Quia tamen credere debemus, quòd Comment. & b. Thom. verè & fideliter adducant sententiam Auicennę, siue ex extraxerint ex sua Metaph. siue ex alio loco & optimè cognouerint fundamenta, quibus mouebatur ipse Auicennas, ideo arguendum est contra ipsum.

Primò igitur arguitur sic, Quod est determinati generis, non est passio entis transcendentis, nam passio est conuertibilis cum subiecto, eo quòd fluit à principijs subiecti. Sed vnũ numerale est determinati generis reductiuè: est enim in genere quantitatis, sicut numerus quantitatiuus. ergo non est passio entis transcendentis: sed vnum transcendens est passio entis, vt declaratum est suprà: & præcipuè quia est æquale enti secundum prędicationem. ergo vnum transcendens & vnum numerale non sunt idem.

Secundò. Quod est vnius prædicamenti, non reperitur in omni prædicamento, aliter prædicamenta non essent impermixta: sed vnum numerale est vnius prædicamẽti, scilicet quãtitatis, sicut & numerus: vnum autẽ transcendens inuenitur in omni prędicamẽto, cùm sit æqualis ambitus cũ ente. ergo, &c.

Tertiò, Ante omnem quantitatem, res potest intelligi vna, ergo non omnis vnitas est de genere quantitatis. Consequentia nota. Antecedens probatur. Quælibet res per essentiam suam est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio. ergo circunscripta omni quãtitate, potest intelligi vna. Præterea, Intelligentia solis est vna, & non vnitate quantitatiua, cùm sit penitus inextensa. ergo, &c.

Nunc superest adducere rationes Auicennæ, & soluere. Tu igitur aduerte, quod tam ex tertio suæ Metaphysicæ, quam ex Commenta. hìc in quarto commen. 3. & beato Thoma exponente, reducuntur ad tres.

Prima, vnum non est genus, nec differentia entis, nec ponitur in diffinitione quidditatiua alicuius substantiæ. ergo est accidens.

Respondetur, Accidens est duplex, scilicet prædicamentale & prædicatiuum: prædicamentale est illud quod ponitur in aliquo nouem generum accidentium. & sic nego consequentiam: prædicatiuum est omne illud, quod non prædicatur de re in primo modo per se. & dicitur prædicatum extraneum, id est, quod nõ ingreditur formalẽ rationẽ rei. & sic cõcedo consequentiã. quoniam vnum nõ prædicatur de ente, nec de aliis in primo modo per se, ideo potest dici accidẽs prędicatiuum, nec est necesse huiusmodi accidẽs addere aliquid reale super naturã rei, cuius est accidens: addit autem aliquid reale accidens prædicamentale. & in hoc deceptus fuit Auic. qui credidit, vt inquit Comment. hìc in commen. 3. quòd ens & vnum dicant dispositiones additas essentię rei, ita quòd dicant aliquid distinctũ ab essentia rei, quod est falsum, & præcipuè de vno transcendenti: quod, vt declarauimus suprà, nihil addit super ens, nisi indiuisionem.

Secunda, si est idem aliquid esse ens & vnum, ergo est nugatio dicere ens vnum. quoniam per ly vnum non dicitur nisi ens secundũ te, idẽ ergo est dicere ens vnũ, & dicere ens ens.

Respondetur, Ad hoc dicit Commenta. in commento tertio, quòd non sequitur nugatio, quoniam licet significent eandem essentiam, modis tamen diuersis, id est, diuersa ratione, ideo nõ cõmittitur nugatio, Decipitur autem Auic. quoniam non videtur facere differentiam inter nomina significantia idem

idem secundum rem, & secundum eandem rationem, & nomina significantia idem, sed diuersa ratione.

Tertia, vnum numerale & vnum transcendens, per multiplicationem constituunt numerum, qui est accidens, ergo significant accidens. Antecedens probetur, sicut bis vnum numerale constituunt binarium, ita bis vnum transcendens.

Respondetur, licet vtrunque sit constitutiuum numeri non tamen eiusdem generis, nam sicut duplex est vnum, & distinguuntur sicut accidens & non accidens, sic duplex est numerus transcendens, qui dicitur formalis, vel essentiarum, & hic constituitur ex vnitatibus transcendentibus, & non est accidens, sed abstrahit à substantia & accidente, sicut ens, & numerus quantitatibus, qui constituitur ex vnitatibus quantitatiuis, & est accidens de prædicamento quantitatis, & non inuenitur nisi in rebus quantis, eo quod causatur ex diuisione continui, ex tertio Physicorum. Decipitur ergo Auicenna, quoniam opinatur omnem numerum esse accidens, ex consequenti omnem vnitatem esse accidens, & hoc est, quod dicit Commentator in commento tertio, vbi inquit, & etiam decipitur, quia existimauit quod illud vnum, quod de omnibus prædicamentis dicitur, esset illud vnum, quod est principium numerorum, numerus autem est accidens, vnde opinatus est iste, quod vnum significat accidens. hæc Commentator.

Alias rationes pro Auic. solent aliqui adducere vt Iandun. in quarto Metaphy. quæstione quinta, quæ nullius sunt apparentiæ, ideo eas pertranseo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Si ratio vnius transcendentis & numeralis est formaliter positiua vel negatiua.

Conclusio. Ratio vnius transcendentis materialiter sumpti est positiua, sed formaliter est negatiua: vnius autem numeralis ratio positiua formaliter est, scilicet esse indiuisum quantitatiuum.

Circa hãc quæstionem aduerte quod difficultas stat in hoc, cum ratio vnius distinguatur à ratione entis, sicut ratio subiecti à ratione passionis quæritur quid addat vnum super ens. Nam si illud additum est positiuum, cum per ipsum distinguatur vnum formaliter ab ente, sua ratio erit positiua formaliter. Si autem additum est negatio, ratio vnius est negatiua formaliter, non quod sit tota negatiua, aliter vnum esset mera negatio, sed quia formale, quo distinguitur vnum ab ente, est negatio. Igitur pertractabimus primo de vno transcendenti, secundo de vno numerali.

Circa rationem vnius transcendentis inuenio duas opiniones. Prima est Thomistica, secunda est Scotistica.

Quantum ad opinionem Thomist. præpono vnam distinctionem. Deinde conclusionem responsiuam.

Distinctio est hæc. Ratio vnius duo includit scilicet materiale, per quod non distinguitur ab aliis transcendentibus, tale enim se habet vt genus & commune prædicamentum, in quo omnia transcendentia conueniunt, & formale, per quod distinguitur ab aliis transcendentibus, & se habet vt differentia.

Ex hac distinctione ponam hanc conclusionem responsiuã. Ratio vnius transcendentis, quo ad materiale est positiua, quo ad formale est negatiua. Prima pars probatur, ens est de ratione vnius, quoniam est illud, in quod omnes conceptus resoluuntur, & quod de omnibus quidditatiuè prædicatur, vt probatum est suprà contra Scotum, & non est formale in ratione vnius, quoniam per ens non distinguitur ab aliis transcendentibus, tale est materiale. Sed ens, de quo intendimus hìc, est positiuum. Intendimus enim de ente reali, quod est subiectum suarum pasionum. & est de quo Metaphysic. considerat: ergo ratio vnius, quo ad materiale est positiua. secunda pars sic probatur, formale inclusum in ratione vnius, aut est positiuum, aut negatio, non positiuum, quoniam cùm omne positiuum sit ens, erit etiam vnum: ens enim & vnum sunt conuertibilia secundum prædicationem, vt dictum est suprà. Quæro ergo de illo vno, aut est vnum formaliter per positiuum, aut per negationem: si per negationem, eadem ratione standum erat in primo: si per positiuum, iterum quæro, cùm tale positiuum sit ens, erit etiam vnum. & sic vel procedetur in infinitum: vel dicendum est, quòd formale in vno est negatio, ex consequenti ratio vnius transcendentis, quoad formale est negatiua. & aduerte quòd hæc ratio est b. Tho. in 1. parte. q. 11. art. 1. ad primum, quam traxit à Cõmenta. in 4. Metaphysic. comment. 2. quoniam Ant. And. in 4. Metaphysic. q. 3. conatur hanc determinationem improbare, ideo adducam hìc rationem suam principalem, & soluam. Sic igitur arguit.

Nulla negatio est idem realiter alicui positiuo, quoniam idem esset realiter positiuum, & realiter negatiuum, quod implicat contradictionem. Sed vnum est idem realiter enti, quod est positiuum. ergo vnum non est formaliter negatio.

Respõdetur. Deceptus fuit Ant. And. in ly formaliter, accipit enim ipsum pro tota ratione formali vnius, & nõ pro eo solo, quod complet rationem vnius. Nam sic argumentum concluderet. Sed nos accipimus solum pro eo quod complet stante materiali positiuo: ideo ratio sua nihil valet cõtra nos. Imaginatur enim quòd dicamus vnitatem esse puram indiuisionem. Sed decipitur, quoniam apud nos, vnitas est entitas, vt stat sub indiuisione, & in hac falsa imaginatione peccant aliæ rationes suæ, ideo eas prætermitto. Deinde conatur soluere rationem, per quam probauimus secundam partem cõclusionis, quam diximus esse Commentat. & b. Thom. Sed tu illam defende, sicut nos defendimus in hoc quarto libro, in quæstione tertia, vbi eandem rationem adduximus ad probandum hanc conclusionem, ens & vnum transcendens sunt idem realiter, sed distinguuntur formaliter.

Quãtum ad opinionem Scotisticam aduerte, & dicũt duo: primo dicunt, quòd vnum transcendens est formaliter positiuum, id est, non dicit puram negationem. Quod probant multipliciter. Primò, quia vnitas est perfectio simpliciter, aliter non poneretur in primo ente. Secundò, quia priuationes & negationes non reducuntur ad vnum summum, sed omnes vnitates reducuntur ad summam vnitatem. Tertiò, quia negationes non suscipiunt magis & minus, sed vnum suscipit magis & minus. Quod enim est actu, vnum est magis vnum, quàm quod est potentia vnum. Quartò, quia numerus, cùm sit quid positiuum, non potest componi ex partibus, quæ sint negationes, ergo vnum non est formaliter negatio. Dicunt secundò, quòd formale importatum per vnum est positiuum. Quòd sic probant, vnum est passio entis. ergo vel ratione fundamenti, vel ratione additi: non ratione fundamenti, quoniam, cum fundamentum sit ens, idem esset passio sui ipsius. ergo ratione additi: ergo additum non est negatio, quoniam cum negatio sit non ens, non potest esse passio entis. ergo additum est positiuum: & sic patet, quòd formale in vno est positiuum.

Sed si aduertis, Scotistæ in primo dicto non attingunt sensum nostrum. Nos enim non tenemus per ly formaliter negatiuum, quòd vnum sit pura priuatio, vel negatio, sed quòd de ratione vnius est priuatio, siue negatio, ita tamen quòd materiale siue fundamentum est passiuum, & illud est ens, formale autem, quo distinguitur ratione ab ente, est negatio. Cum igitur non attingant sensum nostrum nõ sunt eorum rationes soluendæ. Verè enim concludunt quòd vnum non potest esse mera negatio, secũdum autem dictum eorum est falsum, quoniam secundum viam nostram, id quod est formale in ratione vnius, est negatio, & dicitur indiuisio. & ideo respondendo rationi suæ negatur diuisio tanquam insufficiens. Datur enim tertiùm, scilicet ens vt stat sub illo addito, quæ est indiuisio, est passio entis. vnde non ens solum, nec indiuisio sola, sed ens. vt stat sub indiuisione, est vnum transcendenter.

Circa rationem vnius numeralis, aduerte quòd communi sentẽtia, dicitur positiua formaliter, eo quòd addit super ens aliquod positiuum reale, quod est accidens, de quo inquit Comment. in quarto lib. in comment. 3. & in libro decimo, comment. 5. licet vnum, quod est synonymum enti, sit significans substantiam rei, tamen vnum, quod est principium numeri, dicit accidens.

Quid vero sit illud accidens est dissensio inter Thomistas: nam quidam tenent quòd sit illud esse, quod dat quantitas continua rei quantæ. Puta si quæratur quare lapis sit vnus numeraliter dicitur, quia habet esse quãtitatiuum indiuisum fluens à quantitate continua lapidis, ita quòd tandiu lapis erit vnus quandiu est indiuisus. si enim quantitas lapidis diuidatur fit alterum & alterum esse quantitatiuum, ex consequenti sunt duo lapides. Hanc sententiam videtur tenere B. Tho. in 1. sent. in di. 24. vbi refert opinionem de vno positam ab Auicen. & licet improbet ipsum quantum ad hoc, quòd vnum numerale non distinguitur ab vno transcendenti, non tamen quantum ad hoc quòd vnitas numeralis est esse quantitatis continuæ.

Quidam autem dicunt vt Paulus Soncinas, vt patet in quæstionibus suis in libro decimo metaphy. in quæstione decimatertia quòd vnum numerale est accidens, sed illud accidens non est esse quantitatis continuæ, sed est ipsa quantitas continua, puta vnitas lapidis est quantitas continua lapidis. & probat hoc duplici ratione.

Primo, quantitate continua, res est indiuisa in se. & diuisa à quolibet alio, ergo quantitas continua est vnitas rei quantæ. Consequentia patet à diffinitione ad diffinitum. Antecedens probatur. Diuisibilitas primo conuenit quantitati cõtinuæ, vt alias probatum est. ergo per quantitatem continuã res quãta est in

est indiuisa in se,& diuisa à quolibet alio.

Secundò, per solum quantitatem continuam, quocunque alio circumscripto, res quanta facit numerum cum alia. Posito enim lapide A,& sua quantitate continua, similiter posito lapide B, constituunt binarium: ergo sola quantitas continua est ipsa vnitas numeralis.

Verùm, quia credendũ est mentem b. Tho. fuisse, quòd ipsa vnitas sit esse indiuisum quantitatis continuæ, studebimus arguere cõtra hanc positionem, deinde soluemus rationes suas.

Arguitur ergo sic, nullum ex natura sua diuisibile, & cui repugnat indiuisibilitas, potest habere rationem vnitatis ex diffinitione sua. est enim vnum quod non diuiditur. Sed quantitas continua est diuisibilis etiam in infinitum, ita quod repugnat deuenire ad indiuisibilia, ex 3. Physico. ergo non potest habere rationem vnitatis.

Fortè respondetur, quantitatem continuam dupliciter cõsiderari posse. Primò vt habet partem extra partem, & vt sic est extensa & diuisibilis, nec vt sic potest habere rationem vnitatis. Secundò, vt est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio, & sic habet rationem vnitatis.

Sed contrà, & probatur quòd nec secundo modo habet rationem vnitatis: nam quod conuenit alicui ex sua ratione formali, & in suo esse quidditatiuo, quocunque modo cõsideretur, semper conuenit ei: prædicata enim quidditatiua sunt inseparabilia, & secundum esse, & secundum cognitionem. Sed habere partem extra partem, & esse diuisibilem conuenit quantitati continuæ ex sua ratione formali & quidditatiua, vt patet in 6. Physic. text. 3. vbi Philosophus diffiniens continuum dicit, Continuum est, quod est diuisibile in semper continua, & nullum continuorum est diuisibile in impartibilia: ergo quantitas continua quocunque modo consideretur, non potest habere rationem vnitatis.

Ad primam autem rationem, negatur antecedens. & probatio sua nihil valet, imò potius sequitur oppositum. Nam ex hoc quod diuisibilitas primò conuenit quantitati continuæ, sequitur quòd indiuisibilitas constituens vnitatem non conuenit ei, cùm sint opposita.

Ad secundam negatur antecedens. & probatio non valet. dico enim quòd secluso esse indiuiso dato rei quantæ à quantitate continua duo lapides non constituunt binarium, quoniam neuter eorum esset vnus. Tenendum est ergo secundum mẽtem b. Tho. vnum numerale addere quid positiuum. & illud est esse indiuisum quantitatiuum, quod dat quantitas continua rei quantæ. Et aduerte quod eiusdem sententiæ est Capreo. in 1. sen. di. 24. q. 1. arti. 1. in probatione primę cõclusionis.

Sed contra hanc determinationem duo insurgunt dubia: primum est, quia dicit b. Tho. in 4. Metaph. lectione secunda improbans Auicen. vnum, quod est principium numeri, addit super substantiam rationem mensuræ, quæ est propria passio quantitatis, quæ primò inuenitur in vnitate, & dicitur per priuationem & negationem diuisionis secundum quantitatem continuam. Hæc b. Tho. non ergo illud quod addit vnum numerale, est esse indiuisum, &c.

Respondetur, non est inconueniens quod addat vtrunque diuersa ratione: nã addit esse indiuisum quantitatis continuæ, vt prædicatum essentiale de vno numerali. Addit autem mensuram, vt proprietatem cõsequentem & fluentem à prædicato essentiali. nam ex hoc quod dicit esse indiuisum, dicit cõsequenter rationẽ mensuræ quoniã ex 10. Metaph. text. 3. necesse est mensuram esse indiuisibilem, aut à natura, aut ex proposito siue decreto humano. & ideo primò conuenit vni.

Secundum est, si indiuisio est de ratione formali, tam vnius numeralis, quàm vnius transcendentis: ergo cùm indiuisio sit negatio, & non quid positiuum, ita ratio vnius numeralis erit formaliter negatiua, sicut ratio vnius transcendentis, cuius oppositum determinatum est.

Respondetur. Ratio vnius numeralis non dicitur positiua formaliter, quasi non includat negationem. hoc enim falsum est, cùm de ratione sua sit indiuisio. Nam quod non est indiuisum, non est vnum. Sed ideo positiua formaliter, quoniam id quod addit super rei substantiam, est verè positiuum, quale est, esse indiuisum quantitatis continuæ. Id autem, quòd addit vnum transcendens, est sola indiuisio: propterea possumus verè dicere rationem vnius transcendentis esse formaliter negatiuam: rationem autem vnius numeralis esse formaliter positiuam, quoniam additum est positiuum, licet concipiatur cum negatione. Apprehendimus enim simplicia per negationem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. Et hic terminatur consideratio nostra de passionibus entis.

QVAESTIO IX.

Quod sit primum principium complexum, simpliciter primum.

CIrca hanc quæstionem duo pertractanda sunt. Primò, Quod est principium primum. Secundò, Quod est principium primo primum.

Circa primum inuenio duas opiniones: prima dicit quòd principium primum complexum est hoc, De quolibet est affirmatio vel negatio vera. & id manifestare conatur dupliciter. primò, Commenta. in 4. Metaph. comment. 9. dicit, manifestum est quòd affirmatio & negatio non congreganturimul, & loquitur de primo principio. Secundò, vel est hoc, quod dictum est, vel est illud. Impossibile est idem simul esse, & non esse. Sed non est illud, quoniam necesse est primum principiũ esse propositionẽ affirmatiuam. nam omni negatiua est aliqua affirmatiua prior. Sed hæc, impossibile est, &c. est negatiua, vt patet exponendo: ergo non est primum principium, sed illud, De quolibet, &c.

Secunda autem opinio dicit quòd est hoc, Impossibile est idem simul esse, & non esse, & probat ex eo quod Philosophus in 4. Metaphy. pertractans de primis principiis non dicit aliud esse primum & firmissimum nisi hoc, & quòd ad ipsum reducuntur omnia alia, vnde dicit in tex. 9. Quapropter omnes demonstrantes, in hanc reducunt vltimam opinionem: natura nanque principium & aliarum dignitatum hæc omnium. vbi & Commenta. dicit, & ideo hæc dignitas est prior omnibus dignitatibus, & communis naturaliter omnibus. Impossibile enim est, vt disputatio aut ratiocinatio fiat sine ea.

Et quoniam hæc secunda opinio videtur magis ad mẽtem Philosophi, ideo sustinemus eam, licet pro veritate nõ discordet à prima in sensu, sed tantùm in verbis. Pro quo aduerte, quòd idem principiũ designatur per has duas propositiones, De quolibet est affirmatio, &c. Impossibile est, &c. sed diuersa cõsideratione. Nam quia primum principium complexum consideratur à Logico & à Metaphysico, quorum alter considerat res per secundas intentiones, alter per primas: ideo Logicus enunciat primum principium per intentiones secũdas, vt per affirmationem & negationem, Metaphysicus autem enunciat per primas, vt per esse & non esse. Vnde patet has opiniones diffentire verbis, & non sensu. Nam ex parte rei bene sequitur, Impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo de quolibet est affirmatio vel negatio vera.

Quod autem prima opinio dicit hanc esse negatiuam, Impossibile est, &c. non est verum, quoniam secundum sensum ę quipolet isti, necesse est, idem non simul esse, & nõ esse, quæ quidem est affirmatiua de modo, ex consequenti non est necesse quòd habeat aliquam priorem, aut notiorem.

Circa secundum aduerte duas opiniones: vna est Thomistarum. Ipsi tenent, quòd principium primo primum complexum est hoc, Impossibile est idem simul esse, & non esse: & fundamentum eorum est, quoniam tres conditiones assignatæ à Philosopho in 4. Metaph. tex. 8. quarum prima est, quòd circa principium primo primum non contingit deceptio propter sui euidentiam: secunda est, quòd eius veritas est absoluta, & non conditionata: ita quòd si omnis alia propositio esset falsa, adhuc principium primo primum esset verum: tertia est, quòd non cognoscatur per demonstrationem, eo quòd principio primo primo, non potest esse aliquid notius, ex quo deducatur. Istæ, inquam, tres conditiones nõ attribuuntur ab Arist. vt patet in 4. Metaph. tex. 9. nisi huic complexo, Impossibile est idem, &c. Ergo vel non datur principium primo primum, & sic tolletur omnis demonstratio, vel est hoc complexum. Impossibile est, &c. Et confirmatur dicto Comment. dicentis in commen. 9. Ista dignitas est prior omnibus dignitatibus, ergo est primo prima.

Alia opinio est Scotistarũ, vt patet per Arist. And. in 4. Metaph. q. 5. Ista opinio dicit duo: primò, ꝙ principiũ primo primum si datur est hoc cõplexum, ens est ens: secundò quòd non est hoc, Impossibile est idem simul esse, & nõ esse. Primum dictum sic probat. De ratione principij primo primi est ꝙ habeat terminos, ex quibus cõponitur, primo primos, & nõ resolubiles in priores. Sed istę cõditiones cõueniunt huic cõplexo, ens est ens. quoniam ens est terminus primo primus, & non resoluitur in priores, vt patet: ergo hoc cõplexum est principium primo primum. secundũ autem dictum sic probat. Hoc cõplexum, Impossibile est idem, &c. habet terminos resolubiles in priores conceptus. Nam ly idem est resolubile in cõceptum relatiuum. est enim idẽtitate idem quæ est relatio, & in conceptum absolutũ, id est conceptum entis: quoniam idem includit ens, ergo non est principium primo primum. Præterea, omni propositione modali prior est aliqua de in esse, cum possit resolui in eã, quæ est de in esse. Sed impossibile est idem, &c. est propositio modalis, ergo habet priorem, ex consequenti non potest esse principiũ complexum primo primũ.

Sed si bene consideras ista opinio non attingit mentem Aristote. Multum enim differt, esse complexum primo primum, & esse principium primo primum. Nam complexum primo primum requirit quod componatur ex terminis primo primis, & qui non sint resolubiles in priores conceptus, & sit propositio de in esse & affirmatiua. Principium autem primo primum non requirit de necessitate ista, sed solum tres conditiones suprà assignatas secundum Aristote. & præcipuè, quod sit illud, per quod firmatur veritas cuiuscunque alterius complexi, si de eo dubitare contingit, & sit illud, ad quod resoluitur quodcunque aliud complexum resolubile.

Ex his respondeo ad rationes Anto. And. & dico quod omnes soluuntur hoc verbo, ly ens est ens est complexum primo primum, sed non est principium primo primum, quoniam nõ deducitur ex eo omnis alia propositio, nec ad ipsum est status in demonstrationibus, imò hoc complexum ens est ens potest sustineri per hoc principium. Impossibile est idem simul esse & non esse, nam omne ens vel est ens, vel non ens, vel ens & non ens: non secundum, quoniam oppositum non prædicatur de opposito: non tertium, quia impossibile est idem simul esse & non esse: ergo primum, ly autem impossibile est idem, &c. est principium primo primum. Sed non est complexum primo primum, eo quod termini componentes non sunt primo primi, &c. & sic patet, quod Anton. Andre. in hoc decipitur, quia non ponit differentiam inter complexum primo primum, & principium complexum primo primum.

Ad illam de modali dico similiter, quod licet non possit esse complexum primo primum, non tamen inconuenit quod sit principium primo primum, nec obstat quod sit resolubilis in vnam de in esse. Hoc enim licet tollat rationem primi complexi, non tamen rationem primi principij complexi.

Sed aduerte, quod contra hanc determinationem insurgunt duo apparentia argumẽta, quorum vno probatur quod hoc complexum non sit verissimum, altero quod non sit principium primo primum.

Primo igitur arguitur sic, possibile est idem simul esse & non esse: ergo hoc complexum, Impossibile est idem, &c. non est verissimum. Consequentia nota. Antecedens probatur. Aliquod est generabile, quod nunquam generabitur, aliter omnia euenirent de necessitate, quod tamen improbatur in libro sexto, & præterea concedit Aristo. in secundo de generatione tex. nonagesimo quarto, quod futurus quis incedere nõ incedet, ergo possibile est idem simul esse & non esse. Consequentia probatur, sit A generabile, ergo in aliquo instanti potest esse. Sit illud instans B, ergo in B potest esse: ponatur quod nunquam generetur, ergo in B non habet esse, si non habet esse in B, potest non esse in B, ergo pro eodem instanti possibile est idem esse & non esse, si pro eodem instanti, ergo simul.

Respondetur ly simul potest se tenere ex parte possibilis, vel potentiæ, vt sit sensus, idem per eandem potentiam potest esse & non esse, puta Sortes per voluntatem potest sedere & non sedere, & potest se tenere ex parte esse & non esse, vt sit sensus, possibile est vt idem quando habet esse habeat non esse, ita quòd hæc erit vera. Idem est & non est. In primo sensu. Hoc complexũ, possibile est idem, &c. est verum vt dicetur in libro nono, quando agemus de potentia rationali, & vt sic non opponitur principio primo. In secundo sensu est falsum, nec potest esse verum, & vt sic opponitur principio primo. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam in secundo sensu dato de ly simul. Ad probationem dico, quòd nihil aliud concluditur nisi quòd A generabile habet potentiam qua potest habere esse in B & pro eodem potest habere non esse diuisim, sed non coniunctim. & hoc est quòd dicunt aliqui, quòd ista propositio, A potest esse & non esse in B, est vera in sensu diuiso & falsa in sensu composito, & in sensu composito tantum opponitur principio primo. Et aduerte quòd huic argumento nesciunt aliter respondere Iandu. in 4. Metaph. q. 7. nisi sequendo viam eorum, qui dicunt quòd impossibile est secundum doctrinam Arist. aliquid esse generabile, quin generetur. Sed de positione istorum, discutiemus in libro nono, quærendo si aliquid est possibile, quod tamen nunquam fuit nec erit.

Secundo arguitur sic, Arist. in 4. Metaph. tex. 8. docet nos & probat hoc complexum. Impossibile est idem, &c. esse primum principium. ergo hoc complexum non est euidentissimum, vanum enim est docere & probare propositionem euidentissimam, ergo non est principium primo primum.

Respondetur, Arist. non docet nos nec probat hoc complexũ esse verũ in dicto text. quoniã eius veritas manifestissima est homini sanè mentis. sed docet & declarat quòd conditiones conuenientes primo principio contenuunt huic cõplexo. Impossibile est, &c. Et id non præiudicat quin sit primũ principium, imò magis corroborat. Secus autem esset, si probare conaretur eius veritatẽ & si dicas imò probat eius veritatem contra negantes. Respondeo, non probat nisi elenchicè, vt declarabitur in quæstione sequẽti. Sed hic modus probationis, non præiudicat dignitati, & firmitati primi principij.

Vltimo aduerte, quoniã diximus suprà non esse idem primum principium & primum complexum, vt id manifestius appareat, quòd intellectus hoc ordine procedit primo concipit primos terminos incomplexos qui sunt ens & nõ ens, deinde format ex eis, tres propositiones affirmatiuas, quibus correspondent tres negatiuę. Primo format hanc, ens est ens, cui correspondet hæc nega. ens non est ens. Secundo hanc vniuersalem, Omne ens est ens, cui correspondet hæc nega. nullum ens est non ens. Tertio hanc, omne ens est vel non est, cui correspondet hæc, nihil est, & non est. Tunc quarto loco intellectus inspicit hoc principium esse verissimum. Impossibile est idem simul esse & non esse. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Si principium primum est cognoscibile cognitione sensitiua vel demonstratiua.

PRo resolutione huius quæsiti pono tres conclusiones. Deinde soluam quædam dubia.

Conclusio. Primum principiũ complexũ non potest demõstrari absolute, sed ad hominem redarguitiue, & ad illius notitiã necessaria est cognitio sensitiua nõ solum interior, sed exterior vt ratio sine qua non.

Prima conclusio sit ista, pro notitia primi principij necessario requiritur cognitio sensitiua non solum interior, sed etiam exterior. Pro qua aduerte, quòd requisitum ad alterum est triplex. Quoddam propter causalitatem in aliquo genere causæ, vt ferrum requiritur ad productionem gladij, eo ꝙ est materia sua: & anima requiritur ad productionẽ animati, eo ꝙ est causa sua formalis. Quoddã, quia est ratio, sine qua non, vt approximatio requiritur inter agens & patiens eo quòd nisi approximentur non sequitur actio. Quoddam propter necessariam connexionem duorum, ita quòd se mutuo ponunt, & se mutuo remouent, & sic vnum relatiuum requirit aliud correlatiuum.

His prænotatis, dico quòd cognitio sensitiua requiritur in proposito, vt ratio sine qua non: nam nisi apprehendantur termini per sensum, nunquam apprehenderetur complexio illa, qua constituitur primum principium complexum. & huius ratio est, quia apud philosophũ in 3. de anima tex. 30. pro hoc statu nihil intelligit anima sine phantasmate, est ergo necesse vt phantasia habeat operationem suam ad hoc quòd intellectus exeat in actũ suum, phantasia autem non habet operationem suam sine sensu exteriori, eo quòd sensus interior supponit immutationem factã in sensu exteriori, vt declarauimus in 3. de anima, vnde Arist. diffiniens phantasiã inquit eam esse motum factum à sensu exteriori, qui est vel fuit in actu, est ergo necesse quòd apprehensio sensitiua terminorum incõplexorum præcedat apprehensionem intellectiuam primi principij, vnde cõmuni sentẽtia dicitur quòd primum principium apprehenditur lumine naturali, ex euidentia terminorũ. Tamen aduerte ꝙ illa cognitio sensitiua, nullã causalitatem dicit super apprehensionem primi principij. Tunc enim illa cognitio sensitiua esset sicut principium à quo deduceretur primum principium vt conclusio. & sic cognitio primi principij esset acquisita per discursum. quod est impossibile. quoniam non esset naturaliter cognitum, nec super ipsum fundaretur omnis deductio & disputatio, cuius oppositũ dicit philosophus & Cõment. in hoc 4. lib. tex. & cõmen. 9. Patet igitur quòd apprehensionem primi principij requiritur cognitio sensitiua, non vt causa, sed ratio sine qua non.

Secunda conclusio. Primum principium non potest demõstrari absolute. Aduerte quòd circa hanc conclusionem non est immorandum, constat enim quòd demonstratio absoluta ex 1. poste. est ex prioribus & notioribus, nihil autem est prius & notius hoc primo principio. aliter posset contingere deceptio circa ipsum & sic non esset firmissimum, nec primum principium, ergo est impossibile quòd demonstretur absolute, vnde benedixit philosophus in 4. metaphy. tex. 9. Qui volunt hoc principium demõstrare, ostendunt ineruditionem suam, nesciunt enim quorum sit, & quorum non sit demonstratio. & Commenta. in commento nono dicit, Quidam existimant possibile esse demonstrare hanc propositionem dicens

dicentem, quòd duo contradictoria non congregantur. & hoc contingit eis, quia non fuerunt instructi in dialectica.

Tertia conclusio, Primum principiũ potest demõstrari redarguitiué. Aduerte quòd demõstratio absoluta differt à redarguitiua in hoc quòd absoluta est ex notioribus simpliciter. Redarguitiua autẽ est ex concessis ab aduersario, minus quidẽ notis simpliciter, magis autẽ ipsi aduersario. Ex his sic probo conclusionẽ. Qui negat hoc principiũ, impossibile est idẽ, &c. potest deduci ad aliquod incõueniens sibi magis notum, quã primum principiũ ergo potest demõstrari redarguitiué. Consequentia nota. Antecedens probatur, Potest deduci ad hoc, quòd contrariæ opiniones erunt in eodem intellectu. Quod quidem reputatur manifestius incõueniens apud negantem primum principiũ. Nam quilibet potest aduertere quòd si cõtrarias formas esse in eodem subiecto simul & in actu perfecto repugnat sensui, eo quòd vna corrumpit alterã, multo magis repugnat intellectui habere in seipso opiniones cõtrarias simul de eadem re. Quod aũt negãs primum principiũ, possit deduci ad hoc inconueniens declaratum est in lib. 2. Periher. vbi manifestat Arist. quòd opiniones contradictoriorum sunt contrariæ, ergo si quis opinetur duo contradictoria esse simul vera, habet in suo intellectu duas opiniones contrarias simul, non solùm aũt ad hoc inconueniens deducit Arist. negantem primum principiũ sed ad plura alia vt manifestauimus in nostro epitomate in 4. Metaphy. in tract. 2. in cap. 1. vbi sex rationibus arguitur contra negantem primum principium.

Positis & probatis his tribus conclusionibus, soluenda sunt duo dubia, primum est contra conclusionem secundam, & secundum est contra tertiam.

Dictum est in secunda conclusione, quòd primũ principiũ non est demonstrabile absoluté. Contra propter quod vnumquodque & illud magis, sed propter primũ principiũ ad quod reducuntur cõclusiones, ipsę cõclusiones sunt demõstrabiles. ergo multo magis primum principium est demonstrabile.

Respondetur, Illa regula propter quod, &c. non valet nisi prædicatũ in quo fit comparatio conueniat & verificetur de vtroque comparatorum, quòd si tantum vni conuenit, argumẽtum non valet, verbi gratia, si arguatur sic, propter quod vnumquodque, & illud magis, sed propter ignem aqua est calida, ergo ignis est magis calidus, argumẽtum valet quoniam vtraque istarum est vera. Ignis est calidus, & aqua est calida, si autem arguatur sic, propter quod, &c. sed propter albedinem paries est albus, ergo albedo est magis alba. Argumentum non valet, quoniam hæc est falsa, albedo est alba. Sic in proposito argumentum non valet, quoniam licet hæc sit vera. Conclusio est demonstrabilis. Hæc tamen est falsa, primum principium est demonstrabile.

Dictum est in tertia conclusione, quòd est demõstrabile redarguitiuè, quia negans potest deduci ad hoc inconueniens, quòd cõtraria essent simul in eodẽ. Sed hæc ratio non videtur efficax, quoniam videtur petitio. Nam omnis ratio deducens ad impossibile, cuius conclusio non est manifestior in falsitate quam præmissa interimenda, est petitio. Sed consequens rationis Arist. non est magis inconueniens, quam antecedens. Nam qui concedit contradictoria esse simul vera, multo magis concedet contraria posse simul esse in eodem.

Respondetur, Ant. And. in 4. q. 4. dicit quòd Philosophus non inducit hanc rationem ad negantes, sed ad recipientes primum principium probando quòd sit firmissimum.

Sed hæc responsio non est ad mẽtem Philosophi, quoniam Comment. introducit hanc rationem contra negantes. Vnde inquit in comment. nono. Contingit enim dicenti hoc, scilicet quòd contradictoria sunt simul vera opinari quòd duo contraria existant simul in eodem in actu.

Et ideo aliter respõdeo, & dico ꝙ negans primũ principiũ, existimat maius incõueniẽs duo contraria esse simul, eo quòd hoc repugnat ad sensum, videmus enim quòd vnũ expellit alterum, non autem repugnat sensui nisi quia contraria in actu perfecto, habent repugnantiam adinuicem, ergo in quocunque inueniãtur, siue in materia, siue in sensu, siue in intellectu erunt repugnantia & per consequens notius erit neganti primum principium contraria non posse esse simul in eodem quam quòd contradictoria non sint simul vera. Nam duo contradictoria non cadũt sub sensu, cum alterum sit non ens, quod non cadit sub obiecto alicuius sensus. sed bene duo contraria vt patet de duabus qualitatibus sensibilibus contrariis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum super quartum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

QVAESTIONES SVPER quintum librum Metaphysices.

1 Si principium & causa sunt idem conuertibiliter.
2 In quo consistat causalitas siue ratio causæ materialis.
3 In quo consistat causalitas formæ.
4 In quo consistat causalitas efficientis.
5 In quo consistat causalitas finis.
6 Si finis est causa vt habet esse in anima vel extra.
7 Si idem perfectus numero, potest produci à pluribus causis perfectis & eiusdem ordi[...]s.
8 Si causæ sunt sibiinuicem causæ.
9 Si causa in actu, & effectus in actu, simul sunt & non sunt.
10 Si materia prima est propriè elementum.
11 Si Philosophus sufficiẽter numerauit oẽs modos naturæ.
12 Si necessaria habent causam efficientem.
13 Si diuisio secunda vnius est logica.
14 Si hæc propositio, vnum numero sunt quorum est materia vna, est vera vniuersaliter, vel tantum particulariter.
15 Si materia signata vel hecheitas est principium indiuiduationis in rebus materialibus.
16 Si prædicamenta distinguuntur secundum diuersos modos prædicandi.
17 Quæ substãtia sit genus generalissimũ, & quæ sit ratio sua.
18 Si plura accidẽtia eiusdem speciei possunt esse in eodem.
19 Si cuilibet potentiæ actiuæ, correspõdet potentia passiua.
20 Si diuisibilitas est propria ratio quantitatis.
21 Si modi relatiuorum sunt bene assignati à Philosopho.
22 Si relatio distinguitur realiter à fundamento.
23 Si vltima prædicamenta, dicunt absolutũ vel respectum.

QVAESTIO I.

Si principium & causa sunt idem conuertibiliter.

Omnes enim causæ principia. Tex. 1.

CIrca hanc quæstionem aduerte, quòd difficultas cõsurgit ex eo quòd Philosophus dixit in 4. Metaph. tex. 3. quòd ens & vnum se adinuicem consequuntur vt principiũ & causa, &c. Igitur pro resolutione quæsiti, quatuor agenda sunt. Primo declarabitur ratio principij & causæ, loquendo absolutè & Metaphysic. Secundo declarabitur mens Philosophi circa hoc propositum. Tertio ponentur duæ conclusiones responsiuæ. Quarto soluetur quoddam dubium.

Conclusio. Principium & causa non sunt idem conuertibiliter, sed causa addit supra principium, prioritatem, & distinctionem essentialem. [margin note, partly illegible]

Quantum ad primum aduerte quòd principium vt principium importat processum vnius ab altero, inter quæ est distinctio realis vnde quocunque modo processus ille ponatur, siue secundum ordinẽ, vt dies procedit à mane, siue secundum doctrinam, vt scientia procedit à suis principiis, & conclusio à præmissis, siue secundum efficientiam, vt calor in aqua procedit ab igne, in quolibet talium modorum id quod procedit, dicitur principiatum, id à quo procedit dicitur principiũ. Abstrahit autem à prioritate, & efficientia, & distinctione essentiali. A prioritate quidem, quoniam non est necesse in omni natura principiũ esse prius principiato, sicut tenẽt Theologi patrem esse principium filij, non tamen priorem filio. Ab efficientia verò, quoniam non est necesse omne principiatum esse à suo principio effectiué. Constat enim quòd dies principiatur à mane, & motus à termino à quo, & tamẽ dies est effectiuè à sole moto, & motus à mouente. A distinctione essentiali verò, quia stat principiatũ distingui sola relatione à principio, & non essentialiter vt tenent Theologi de personis diuinis. Dicemus ergo quòd absolutè principium est illud à quo alterum quocunque modo procedit, sine specificatione prioritatis aut efficientiæ, aut distinctionis essentialis.

Causa verò, vt causa absolutè dicit dependentiam vnius ab altero, cum prioritate & distinctione essentiali. Dico dependentiam, quoniam causa est illud ad cuius esse sequitur aliud, & quod influit super causatum. Dico cum prioritate, quoniam necesse est causam præcedere effectum saltem prioritate naturæ. Dico cum distinctione essentiali, quoniam nihil seipsum causat, ideo inter causam & causatum necessaria est distinctio realis & essentialis, & per consequens causatum est posterius

posterius causa, quoniam nihil seipsum communicat alteri distincto essentialiter nisi supponatur esse, & per consequens est prius natura. Constat igitur quod causa duo addit super rationem principij, scilicet prioritatẽ & distinctionem essentialẽ.

Quantum ad secundum, scilicet quid circa hoc senserit Philosophus, aduerte quod Philosophus de ratione principij tria cognouit. Primo quod est communius quam causa. Cognouit enim punctum esse principium lineæ, nõ tamen causam quoniam maximè esset causa materialis, puta pars componens lineam, sed hoc est falsum, quoniam ex sexto Physicorum, nullum continuum componitur ex indiuisibilibus. Cognouit mane esse principium diei, non tamen causam vt patet. Et ideo dicit Commentator in quinto libro Metaphysic. commento quarto. Principium autem est quasi vniuersalius causa, cum dicatur de principiis transmutationis, & de quatuor causis. Cognouit secundo quod inter principium & principiatum est necessaria distinctio realis, cum inter ea sit relatio realis. Cognouit tertio quod principiũ est prius principiato, eo quod apud ipsum non fuit notum, quomodo sit possibile principium & principiatũ esse idem essentialiter. Hoc enim verificatur apud Theologum solum de diuinis personis, & propterea apud Philosophum principium productiuum & effectiuum non distinguitur à causa productiua & effectiua, sed sunt idem conuertibiliter, quoniam nõ cognouit aliam productionem nisi per distinctionem essentialem inter producens & productum, vnde apud ipsum omne principium productiuum est causa productiua & econuerso, & sic patet quod licet apud ipsum, principium in sua vniuersalitate sit communius quam causa, tamen principium in specie, puta principium productiuum non est communius quam causa productiua, non enim potuit altius ascendere ex sensatis.

Quantum ad tertiũ ponuntur duæ conclusiones responsiuę. Prima conclusio. Principium vt principium non conuertitur cum causa. Quoniam causa contrahit rationem principij, addit enim prioritatem & distinctionem realem essentialem, vt declarauimus: ergo, &c. Præterea, principium prædicatur de his quæ non sunt causa, vt punctus est principium lineæ, & instans temporis, & terminus à quo, motus, ergo non conuertitur cum causa.

Secunda conclusio. Principium productiuum secundum Philosophum non tamen secundum veritatem conuertitur cum causa productiua, nam Philosophus non potuit deprehendere ex sensatis, quo producens sit eiusdem essentiæ cum producto, ergo secundum ipsum omne principium productiuum est causa productiua & econuerso. Dixi non tamen secundum veritatem, quoniam fides tenet oppositum, cui non subest falsum. Sed id considerare est altioris negotij.

Quantum ad quartum aduerte quod dubium insurgit contra primam conclusionem. Quod est tale, stante prima conclusione videtur Philosophus sibi cõtradicere in libro quarto in textu tertio, vbi inquit, ens & vnum sibiinuicem consequuntur vt principium & causa, vnum autem & ens sunt idem conuertibiliter, vt probatum est in quarto lib. ergo similiter principium & causa, ergo principium non est communius causa.

Respondetur. Dicunt aliqui, quod Philosophus posuit illud gratia exempli, non quod ita sit. Sed melius est dicere, quod Philosophus illic accipit principium, non in sua vniuersalitate, sed secundum suam famosiorem acceptionem: famosior autem acceptio est de causis extrinsecis, qualis est causa efficiens. vt dicit Commentator in li. 5. commento quarto. Sumptum ergo pro principio productiuo dico quod secundũ Philosophum vt declaraui, est idem conuertibiliter, cũ causa productiua, volo enim quod sicut accipit principium contractè, sic accipiat causam contractè, & sic patet quod nulla est contradictio in Philosopho. Nam hæc duo nõ contradicunt, principium vt principium & causa vt causa non sunt idem conuertibiliter, principium contractum ad principium productiuũ, & causa contracta ad causam productiuam sunt idem conuertibiliter. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

In quo consistat causalitas, siue ratio causæ materialis.

Causa verò, vno modo dicitur, ex quo fit aliquid, vt in existente, vt æs statuæ. Textu 2.

Conclusio. Materiæ causalitas consistit in recipere formã & sustinere eam secundum suam capacitatẽ vel dispositionẽ.

IN hac quæstione tria agenda sunt. Primò videndum est in quo essentialiter consistat causalitas causæ materialis. Secundò in quo consistat modus huiusmodi causalitatis. Tertiò soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quod in eo consistit essentialiter causalitas materiæ, sumendo materiam pro quolibet receptiuo formæ tam substantialis quam accidentalis, per quod est causa condistincta contra causam efficientem formalem & finalem. Hoc autem est recipere & conseruare formam siue sustinere ita quod materiam causare, non est aliud quam recipere & sustinere formam. Quod sic declaratur. Materia est causa, vel quia producit formam, & hoc non, quia hoc spectat ad agens, vt declarabitur in libro septimo, producens enim totum siue compositum per accidẽs producit formam eius, vel quia dat esse formaliter ipsi formæ & hoc non, quia hoc spectat ad actum. Dicemus enim infrà ideo forma dat esse quia est actus, materia autem est potentia & non actus. Vel quia ad ipsam ordinatur forma, & hoc non quia id ad quod aliud ordinatur perfectius est eo constat autem materiam esse imperfectiorem forma. Vnde forma verius dicitur finis materiæ quam econuerso. Vel quia recipit & sustentat formam, & hoc est verum à sufficienti diuisione. Præterea, cum materia sit potentia passiua in eo consistit sua causalitas quod conuenit potentiæ passiuę ex natura sua. Potentiæ autem passiuæ conuenit recipere: ergo, &c.

Quantum ad secundum dico quod modus causalitatis materiæ consistit in limitare & restringere amplitudinem formę quam recipit, pro quo aduerte, quod si daretur forma receptibilis in materia extra materiam haberet omnem perfectionem & omnem gradum debitum naturæ suæ, vt si esset calor separatus, esset perfectissimus calor ex hoc autem quod recipitur in materia, necesse est vt proportionetur capacitati materiæ, ex consequenti quod non recipiatur secundum omne esse debitum sibi ex natura sua, sed secũdum dispositionem materiæ. Hinc est, quod formæ separatæ à materia, dicuntur habere quandam infinitatem quia nullo modo terminantur nec arctãtur ex materia ex opposito formæ materiales dicuntur finitæ quia restringuntur ex diuersa capacitate. Dicimus igitur quod materia ideo est causa quia recipit & sustinet formam. Ex hoc autem quod recipit formam, ad ipsam consequitur talis modus, qui est limitare formam & per ly limitare, non intelligas quod materia aliquid det formæ, nec influat, nec perficiat formam sed limitare formam est recipere eam proportionaliter capacitati suæ, & non secundum totum esse debitum naturæ talis formæ. Et in his stat causalitas & modus causalitatis ipsius causæ materialis prout distinguitur contra alia genera causarum. Et aduerte quod in hac determinatione secutus sum doctrinam Capreoli in primo senten. distinct. quadragesimatertia, quæstio. prima, articulo primo, ad argumenta facta contra tertiam cõclusionem in primo loco.

Quantum ad tertium aduerte tria dubia quæ consurgunt contra determinationem factam.

Primò videtur quod materia nullo modo sit causa, quoniam materia vt materia potentialitatem dicit, potentialitati autem repugnat causalitas, quoniam causare supponit esse actu. Cùm igitur materia vt materia non habeat esse actu, nullo modo est causa.

Respondetur, potentialitas significat esse in potentia, quod non repugnat nisi causalitati agentis, eo quod vnumquodque est agens, inquantum est actu ex libro nono Metaphysi. Agere enim supponit esse, & causalitati formæ, eo quod forma est actus & dat esse actu. Non autem repugnat causalitati materiæ, eo quod materia est causa inquantum est receptiua formæ, esse autem receptiuum, dicit potentiam passiuam & esse potentiale, nec repugnat causalitati causæ finalis, vt declarabimus infra agentes de causalitate finis.

Secundò non videtur quod sustentare formam sit de causalitate materiæ, nam si esset de causalitate eius ergo omnem formam in se receptam sustentaret, hoc autem est falsum respectu animæ intellectiuę, quæ non pendet à materia propter sui incorruptibilitatem.

Respondetur, licet sustentare formam conueniat materiæ vt est receptiua formę, non tamen eadem ratione nec eodem modo respectu cuiuscunque formæ. Nam quo ad formas eductas de potentia materiæ, sustentat eas, quo ad esse, & quo ad actum informandi, quoniam si separantur à materia desinunt esse, & desinunt informare. Quantum autem ad animam intellectiuam, non sustenstat eam quo ad esse, supposito enim quod sit incorruptibilis, separata à materia adhuc stat in esse; vtrum vero sit incorruptibilis manifestauimus in libro de anima & iterum manifestabitur in libro duodecimo Metaphysicæ ad mentem Aristotelis: sustentat autem eam quo ad actum informandi, eò quod separata non est actu forma corporis. Dicemus ergo quod causalitas materiæ consistit in receptione formæ, & sustentatione eiusdem quo ad esse, vel quo ad actum informandi.

Tertiò, nõ videtur quòd materia habeat limitare formam, omne enim quod ex sui natura habet esse limitatum non indiget aliquo extrinseco limitante. Sed omnis forma creata, siue materialis, siue immaterialis, cum sit finitæ & determinatæ naturæ ex sui natura limitatum esse habet: ergo, &c.

Respondetur, esse limitatum sumitur dupliciter, primo vt opponitur illimitato simpliciter, quod est absolute infinitum. & sic conceditur omnem formam creatam habere esse limitatum nec indigere aliquo intrinseco limitante, quasi quòd ipsa sit simpliciter & secundum se illimitata. secundo vt opponitur illimitato secundum quid, puta albedo vt tria opponitur summæ albedini, sicut limitatum illimitato secundũ quid. & sic nego omnem formam creatam habere esse limitatum ex sui natura, imò ex se habet esse illimitatũ secũdum quid, quoniam si existeret non recepta in materia haberet omnem gradum perfectionis conuenientis sibi ex natura sua. Ad hoc ergo quod limitetur ad certum gradum indiget materia, quæ non recipit nisi secundum quòd est capax formæ, verum est ergo materiam limitare formam. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

In quo consistat causalitas formæ.

Alio vero species & exemplum. Tex. 2.

Conclusio Formæ causalitas est facere rem existere actu quæ talis erat in potentia, arctando potentialitatem materiæ.

IN hac quæstione tria agẽda sunt. Primo in quo cõsistat causalitas formæ, siue causæ formalis. Secundo in quo consistat modus siue proprietas huius causalitatis. Tertio soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum, dico quòd consistit in hoc quòd est facere rem existere actu, quæ prius erat talis in potentia. Pro quo aduerte, quòd vt dicit Arist. in 2. physi. tex. 11. tam in artificialibus quàm in naturalibus nihil est actu tale in specie sua ante aduẽtum formæ in subiecto vel in materia: nullus enim dicet lignum esse scannum nisi receperit formam scanni neq; carnem esse actu carnem, nisi habeat formam carnis. Idem intellige in accidentalibus. Non enim aqua est actu calida, nisi per actualem receptionem caloris ex hoc ergo quòd nos videmus artificiata & naturalia cõposita siue substãtialia vt lapis, homo, lignũ: siue accidẽtalia, vt homo albus, aqua calida, &c. non prius transire ab esse potentiali ad esse actuale quam habeant in se actu formam suam, deprehẽdimus formam ideo esse causam quia facit rem esse actu, quæ prius erat in potentia: facit autem rem esse actu, quia dat sibi esse tale. Ex hoc autem quod facit rem esse actu, est constitutiua rei in sua propria & determinata specie & ab eadem sumitur differentia completiua diffinitionis. Dicemus ergo quòd causalitas formæ complectitur hæc omnia. Dare esse rei, facere rem existere actu quæ prius erat in potentia. Constituere rem in propria specie, ex eo quòd ab ipsa sumitur differentia specifica.

Quantum ad secundum aduerte quòd sicut modus causalitatis materiæ stat in hoc quòd est limitare amplitudinem formæ, vt declarauimus in quæstione præcedenti sic modus causalitatis formæ stat in hoc quòd est arctare materiam, siue potentialitatem suam. Pro quo aduerte secundum doctrinam B. Tho. in 1. parte q. 7. art. 1. quòd ex receptione actuali formæ in materia, materia arctatur pro quãto ante aduentum huius formæ erat in potentia ad varias formas post quam autem hanc recepit, quandiu est sub ista, non potest aliam recipere, aliter opposita disparata se compaterentur in eodem. & id intellige non solum de materia prima in naturalibus. sed & de materia artificiati. & de subiecto accidentis. nam postquam lignum est sub forma arcæ non potest aliam formam recipere quandiu est sub illa. & postquam paries recepit albedinem non potest alium colorem recipere quandiu sub albedine steterit.

Arctare ergo materiam est proprietas consequens causalitatem formæ.

Quantum ad tertium aduerte duo dubia. primum est contra causalitatem formæ. secundũ est contra modũ causalitatis.

Contra determinationem causalitatis arguitur sic facere rem esse actu, siue dare esse conuenit causæ efficienti. Nam homo generans hominem, facit hominem esse actu qui prius erat in potentia. Cum igitur debeant esse distinctæ causalitates formæ & efficientis, videtur fuisse male assignata causalitas formæ.

Respondetur vtrũque dat esse sed diuersa ratione, nam forma dat esse formaliter. id est seipsa & non per actionem, nam esse naturali sequela fluit à forma efficiẽs aũt dat esse effectiue per actionẽ quæ erigitur ab efficiẽte. vel sic, forma dat esse vt quo, efficiens autem vt quod: vel sic forma dat esse vt principium intrinsecum, efficiens autem dat esse vt principium extrinsecum.

Contra modum siue proprietatem causalitatis, arguitur sic, si est proprietas formæ arctare materiã, ergo arctabit omnem materiam in qua recipitur, quod tamen est falsum, quoniam non potest forma cœli arctare materiam cœli, complet enim & omnino perficit ipsam, ita quod tantum perficit, quàm perfectibilis est.

Respondetur, & dico quòd hæc proprietas conuenit formæ particulari, quales sunt formæ inferiores, quæ non adæquant totam potentialitatem materiæ, forma autem cœli est forma vniuersalis continet enim virtualiter omnes formas inferiores materiales, & ex sua vniuersalitate terminat omnem potentialitatem materiæ cœli. Potest etiam aliter dici quòd hæc proprietas verificatur respectu cuiuscunque materiæ capacis plurium formarum successiuè, quod non conuenit materiæ cœli supposito quòd sit alterius rationis à materia inferiorum. De hoc autem loquemur in lib. 8. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

In quo constat causalitas causæ efficientis.

Amplius, vnde principium permutationis primum aut quietis. Textu. 2.

Conclusio Agentis causalitas est efficere, siue producere siue secundum totam substantiam siue secundum partem.

IN hac quæstione tria agẽda sunt. Primo pertractabitur quædam opinio quam non credo veram. Secundo pertractabitur opinio quam credo esse de mente B. Tho. Tertio soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte quòd causalitas agentis secundum omnes in eo consistit, quo posito est causa condistincta contra alia genera causarum, & quo remoto, nulla alia ratione est causa. Quid autem sit illud est vna opinio, quam recitat Herueus in 4. quolibet q. 8. Hæc dicit quod actio est causalitas agentis, quia agens actione agit. Item denominatur agens ab actione. Item quia actione posita, ponitur agens, & ea remota remouetur, ergo, &c.

Sed hæc opinio non est vera, quoniam causalitas agentis, non est effectus agentis, sed actio est effectus agentis cum sit realiter idem cum re facta, vt probabitur in lib. 9. ergo, &c. Maior autem sic probatur, causalitas agentis est ratio ipsi agẽti vt sit causa. Sed ratio rei præcedit omnem effectum suum vt patet: ergo, &c. Præterea, remota actione, adhuc stat causa agens & efficiens, nam de rana genita, adhuc est verum dicere quòd pendet à sole vt ab efficiente, ergo in actione non stat causalitas agentis. Et ad rationes huius opinionis, respondetur vnico verbo, quòd concludunt actionem siue in præterito siue in præsenti, siue possibilem in futuro esse necessario requisitam in causa efficiente, non tamen concludunt quòd sit primum præstans causalitatem efficienti, sicut non datur mouens sine motu, tamen non dicitur primo mouens propter motum sed propter potẽtiam motiuam, nec est verum, quod remota actione actuali, remoueatur causa agẽs, vt diximus de rana genita, sufficit enim quod actio sit vel fuerit vel possit esse.

Quantum ad secũdum aduerte quòd apud Thomistas causalitas agentis consistit in hoc quod est efficere vel producere rẽ siue secundũ totam substãtiã siue secundum partem, siue secundum accidens. Primo dicitur efficere vel producere rem, quoniam in hoc distinguitur à materia, cuius causalitatem diximus consistere in recipere formam. & distinguitur à forma cuius causalitatem diximus consistere in hoc quod est dare esse formaliter ei cuius est forma. & distinguitur à fine, cuius causalitas vt dicemus consistit in hoc quòd est esse id gratia cuius, &c. Et aduerte quod hæc tria videntur esse idem, dare esse rei productiuæ & non formaliter, deducere rem ad esse, efficere rem. & per vnumquodque istorum solemus manifestare causalitatem agentis, vt distinguitur ab aliis generibus causarum. Dicitur secundo siue secundum totam substantiam quoniam agentium quoddam producit totam rem, vt agens primum. Quoddam producit partem puta formam vt agens naturale quod materiam supponit in generatione substantiali. Quoddã producit tantũ accidens, vt ignis calefaciens aquã in generatione accidẽtali. Item aduerte quòd ly efficere rem multipliciter cõtingit, scilicet cũ nouitate essendi vt si mũdus est productus in tẽpore: vel sine nouitate, vt si mundus est productus ab æterno per simplicẽ emanationẽ quæ est propria actio Dei vel per motum & mutationem instantaneam, quæ conueniunt agenti naturali per generationem substantialem: vel per solũ motum, vt quãdo agens supponit rei substantiam causans in re quantitatem vel qualitatem, &c. Et aduerte quod in hac determinatione secutus sum doctrinam Heruei in 2. quolibet, q. 1. vbi inuestigat causalitatem causæ efficientis & finalis, & hanc viam puto esse ad mentem B. Tho, vt patet in quinto Metaphysic. in expositione textus secundi, ibi, & adinuicem causæ, vbi exponens inquit, efficiens est causa finis, finis autem est causa efficientis, efficiens est causa finis quantum ad esse quidem, quia mouendo producit efficiẽs ad hoc quod sit finis, finis autem est causa efficientis, non quantum ad esse sed quantum ad rationem causalitatis. Nam efficiens est causa inquantum agit, non autem agit nisi causa finis, &c. & intendit per agere, rem efficere, vel ad esse producere vel tribuere esse effectiuè & non formaliter.

Quantum ad tertium aduerte duo dubia quæ insurgunt contra determinata.

Primò videtur quod secunda opinio coincidat cum prima, nam hæc videntur esse idem. Actio, agere efficere rem, dare esse effectiuè, causare effectiuè, sed per secundam opinionem, causalitas agentis consistit in agere siue efficere rem, ergo consimiliter consistit in actione.

Respondetur cum actio & agere siue efficere se habeant vt abstractum & concretum, dico quod differunt quantum ad modum significandi, actio enim significat formam quæ est actio, agere autẽ significat habere actionem, & efficere rem significat habere efficientiam super rem. Ad argumentum ergo nego quod sint idem quantum ad modum significandi & ideo non inconuenit quod in concreto dicant causalitatem agentis, non autem in abstracto.

Secundò videtur, quod efficere siue agere rem non dicat causalitatem agentis, nam causalitas agentis, verificari debet de quolibet agente sed efficere rem non verificatur de quolibet agente, dicemus enim in libro nono, quod sunt quædam agentia quorum finis non est aliquod operatum sed ipsa operatio, vt citharizare, videre, audire, appetere. De his ergo non est verum quod efficiant rem cum nihil præter operationem efficiant, nec alicui effecto siue producto dant esse: ergo, &c.

Respondetur efficere rem, principaliter verificatur de agente aliquid producente vltra actionem, quale est agens primum & agentia naturalia: secundario autem verificatur de agente nihil producente vltra actionem, quale est agens actione immanenti, nam actio immanens æquipollet rei productę, & est verus effectus agentis in quo & subiectiuè recipitur. Ad argumentum nego minorem. Ad probationem dico, quod respectu agentium, quorum finis est ipsa operatio, res effecta, & cui agens dat esse, est ipsa operatio, cum sit effectus agentis, & sic patet, quod causalitas assignata agenti, verificatur de quolibet agente. Vtrum autem per actionem immanentem aliquid vltra actionem producatur, manifestabitur in libro nono. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

In quo consistat causalitas causæ finalis.

Amplius vt finis hoc autem est quod est cuius causa. Textu 2.

Conclusio. Finis causalitas respectu agẽtis est ipsũ [illegible] amore & desiderio [illegible] agat: [illegible] est [illegible] [illegible] ipsũ [illegible].

IN hac quæstione tria agenda sunt. Primò præponitur quædam distinctio, Secundò ponuntur duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primũ aduerte, quod finis potest ad duo comparari. Primò ad agens intendens & operans propter finem. Secundò ad media ordinata ad consecutionem finis, puta sanitas potest comparari ad medicum, & ad medicinam.

Quantum ad secundum, sit hæc prima conclusio. Comparando finem ad causam agentem propter finem causalitas eius est esse illud, cuius amore, vel desiderio, vel delectatione aliquid agitur ab alio. Hanc conclusionem primo declaro, deinde probabitur. Aduerte igitur, quod de natura finis est imprimere sui amorem & inclinationem in ipso agente, quibus trahitur ad operandum & id patet ad sensum, nisi enim finis alliceret agentem agens non ageret, & propterea consuetum est dici, quod finis mouet agentem. Aduerte insuper quod ly agitur ab alio non sumitur solum pro fieri, vt distinguitur ab esse, sed etiam pro eo quod est esse effectiuè ab alio, quod competit rei creatæ secundum totam suam durationem in esse respectu primi agentis. Hanc conclusionem sic probo, causalitas finis secundum Philosophum vbicunque loquitur de fine est esse id, gratia cuius aliquid fit: sed esse id, gratia cuius, non est aliud, quam esse illud, cuius amore aliquid agitur ab alio, & effectiuè habet esse ab alio: nam esse id gratia cuius est esse amatum ab agente, esse amatum ab agẽte infert quod ex amore agitur ab agente: ergo, &c.

Secunda conclusio est. Comparando finem ad media ad finem eius causalitas consistit in hoc quod est dare rei ordinatæ in finem quandã bonitatem & amabilitatem ex hoc quod ordinatur in finem pręter eam, quã habet ex natura sua. Hanc sic declaro, sanitas desiderata ab infirmo, dat medicinæ dulci quandam bonitatem, & amabilitatem inquantum ordinatur ad causandam sanitatem, ita quod etiam si non sit dulcis, imò abominabilis & fœtida, amatur & desideratur in ordine ad sanitatem, sublato autem hoc ordine, reiicitur vt quid horrendum. Idem experimur in quibuscunque aliis mediis arduis & difficilibus, quę in ordine ad finem desideratum minuunt difficultatem suam. Hęc conclusio adeo est manifesta omni videnti ratione, quod non indiget alia probatione.

Quantum ad tertium aduerte tria argumenta contra determinationem factam satis apparentia.

Primò agere amore alicuius, conuenit agenti per intellectum & voluntatem. Sed non omne agens est agens per intellectum & voluntatem, vt patet de agente naturali, & irrationali, ergo non omnis finis correspondens agenti est illud amore cuius aliquid agitur,

Respondetur, cum dicimus finem esse illud, cuius amore, &c. non sumitur ly amore pro actu appetitus sequente cognitionem, sed pro appetitu naturali impresso in omnibus agentibus & mouẽtibus effectus suos in determinatũ finem præstitutum sibi ab agẽte primo, quod est agẽs per intellectũ & voluntatẽ.

Secundò imprimere amorem & inclinationem in agente, dicit causalitatem causę effectiuę, sic enim imprimere, est rem puta amorẽ efficere, ergo causalitas finis coincidet cum causalitate agẽtis, quod est falsum, cũ sint distincta genera causarũ.

Respondetur, imprimere amorem in agente dicit causalitatem effectiuam Metaphoricè, sed non propriè. Metaphoricè dico, quoniam finis trahit agentem, ac si esset causa efficiẽs, non repugnant autem causalitas finalis, & causalitas effectiua Metaphorica, vel potest dici, quod non inconuenit idem habere causalitatem effectiuam & finalem diuersa tamen ratione, sicut non inconuenit idem habere causalitatem formalem, & effectiuam diuersa ratione. Nam calor in igne, dat igni esse calidum formaliter, & dat aquæ esse calidum effectiuè. Sic sanitas, inquantum imprimit sui amorem in infirmo, habet causalitatem effectiuam, inquantum est perfectiua infirmi, & propter ipsam suscipit medicinam, quam facit esse amabilem, habet causalitatem finis.

Tertiò mouere supponit esse. Sed finis vt causa non semper est, quoniam plerunque actione agentis producitur, vt dicemus in quęstione sequenti, ergo non est verum vniuersaliter, quod finis moueat agentem.

Respondetur. Ad motionem Metaphoricam sufficit esse potentiale cum apprehensione, ad motionem realem requiritur existentia finis & si non proximi, saltem præcedentis: verbi gratia, Sortes infirmus desiderat sanitatem & hanc propter conseruationem sui in esse, & hanc propter filios paruulos, licet autem sanitas non sit, ipse tamen est, & filij sunt. Ad argumentum ergo dico ad minorem, quod licet finis proximus non semper sit, aliquis tamen præcedens est, & sufficit, & dato quod finis proximus nõ sit in actu, est tamen in potentia cum apprehensione quod est possibilis acquiri, & hoc sufficit. Aduerte tamen quod id magis clarum erit ex quæstione sequenti. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si finis est causa vt habet esse in anima, vel extra animam.

Amplius autem quemadmodum finis. Textu 2.

Conclusio. Finis extra animã productus mouet agens, esse autem apprehẽsum est cõditio sine qua non.

IN hac quæstione pertractandæ sunt opiniones, & secundum tertiam determinabitur quæsitum, deinde soluentur quædam argumenta.

Prima opinio est Auicennæ in libro sexto suæ Metaphysicæ, capite decimoquinto, qui tenet, quod est causa vt habet esse in anima, & probat duplici ratione.

Primò finis vt habet esse actu extra animam est causatus, quoniam est effectus agentis propter finem, vt sanitas causata in infirmo, ergo non est causa.

Secundò ideo finis est causa, quia est causa quod aliæ causæ causent. Nam propter finem intentum agens agit, & forma dat esse, & materia recipit formam: sed postquam productus est finis non est causa, quod aliæ causent, quoniam iam causarunt: ergo, &c. Hanc opinionem communiter sequuntur moderni Thomistæ vnde & Paulus Soncinas in quinto Metaphysic. quæstione tertia, idem probat quatuor rationibus, quę coincidunt cum rationibus Auicennæ, verum quid veritatis contineat hæc opinio declarabitur in tertia opinione.

Secunda opinio est cuiusdam moderni, qui dicit duas esse conditiones finis, scilicet mouere agentem ad operandum, vt consequatur finem, & quietare desiderium agentis: quantum ad primam conditionem, dicit quod finis mouet non vt productus ad extra, sed vt habet esse in anima per apprehensionem, & probat vt probauit Auicen. Quantum ad secundam

dicit, quòd necesse est ipsum esse actu, & acquisitum ab agente. Nam donec producibilis aut acquisibilis est non quietat, vt pater de mercatore non quiescente, donec lucrum fecerit.

Sed hæc nihil sunt ad rem. Non enim finis vt causa habet quietare, sed mouere agens, & facere media amabilia. Quietare autem cõsequitur sui productionem, siue acquisitionem. Non differt ergo hæc opinio à prima quantum ad id, in quo consistit formaliter ratio causalitatis finis.

Tertia opinio, quam reputo veram & resolutam ad mentem B. Tho. & Comment. dicit, quòd finis complectitur duo. Primo, id per quod est causa. Et est illud, per quod mouet agens. Secundo illud, sine quo non moueret agens, & dicitur conditio necessario requisita. Causa finalis habet primum ab esse reali ad extra producibili, vel acquisibili. Puta, sanitas possibilis realiter causari in infirmo, est id quod mouet medicũ. Ideo enim medetur, vt sanitatem potentialem reducat ad actum, & athleta pugnat, vt acquirat brauium propositum, secundum autem habet ab esse in anima. Nam, si medicus non apprehenderet sanitatem vt possibilem causari in Socrate non moueretur ad medendum, & athleta nisi apprehenderet se posse consequi brauium, non decertaret. Et hanc opinionem reputo magis resolutam nec realiter discordat à prima, sed eam magis explicat. Sensus enim primæ opinionis non est, quòd finis sit causa solum quo ad esse in anima, sed intendit quòd finis possibilis produci vel acquiri. ita tamẽ q̃ sit apprehensus possibilis produci habet rationẽ causæ.

Et aduerte q̃ sequendo hanc determinationem, clare exponitur & verificatur dictum Comment. in 12. metaphy. cõmen. 36. vbi inquit forma Balnei ad extra, mouet vt finis, & vt est in intellectu agit desiderium. Sic exponitur, forma Balnei producibilis ad extra, vel attingibilis aliqua actione nostra, mouet vt finis, id est habet rationẽ causæ finalis, cuius est mouere agens. Vt autem est in intellectu agit desiderium, id est & quo niam non potest causare desiderium in agente nisi apprehendatur, ideo vt habet esse in intellectu agit desiderium. Ex esse ergo potentiali producibili vel attingibili ad extra, habet quòd sit finis, ex apprehensione autẽ habet quòd actu appetatur, propterea dicitur apprehensio conditio necessario requisita.

Quantum ad vltimum, aduerte quòd contra hanc determinationem sunt tria argumenta apparentia.

Primo sic, causa realis realiter refertur ad effectum suum, finis est causa realis, quia realiter causat. ergo inter finem vt est causa & effectum suum, est relatio realis. Sed relatio realis, requirit extrema realia actu, vt dicemus infrà, ergo finis vt est causa, debet esse actu ad extra, & non solum in potẽtia.

Respondetur ad hoc quòd inter causam finalem, & suum effectum sit relatio realis, nõ sufficit solum esse potentiale ad extra, nec solum esse actu apprehensum, sed esse potentiale ad extra, vt stat sub actuali apprehẽsione: & dico q̃ vt est producibilis & actualiter apprehensus est sufficiens ad fundandum relationem realem. Ad argumentum ergo nego illam consequentiam, ergo finis vt est causa debet esse actu ad extra. Hoc inquam non est necesse, sed sufficit quòd habeat esse potentiale cum actuali apprehensione. Ex his enim duobus simul iunctis tantam habet actualitatem, quanta sufficit ad relationem realem.

Secundo sic, causa non causat nisi inquantũ est ens, eo q̃ causare supponit esse, ergo si finis debet esse causa est necesse quòd sit. Sed antequam producatur non est, ergo antequam producatur non potest esse causa.

Respondetur licet hic inueniantur plures responsiones melior videtur esse ista, non tanta entitas requiritur in causa materiali & finali, quanta in causa formali & effectiua. quoniam in his requiritur esse actu, eo quòd forma, quæ non est, non potest dare esse; similiter vnumquodque agit inquantum est actu. In materiali autem sufficit esse potẽtiale eo quòd materia est causa inquantum recipit formam. Recipit autem inquantum est in potentia: similiter finis est causa inquantum mouet agens ad sui productionem, vel acquisitionem: ad hoc autem sufficit quòd sit apprehensus possibilis produci, & cum productus fuerit sit bonum perfectiuum ipsius appetentis.

Tertio sic ex 2. physi. tex. 31. finis vt est causa habet rationem optimi. Sed antequam producatur non habet rationem optimi, cum tantum habeat esse potentiale, ergo antequam producatur non est causa.

Respondetur. Non dicit Arist. quòd habet rationem optimi, sed quòd inter causas est optima causa, eo quòd dat quodammodo causalitatem aliis causis. vnde dicitur esse causa causarum; stat autem quòd habeat optimam causalitatem, & tamen non habeat optimum esse, nisi post productionem, aut acquisitionem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si idem effectus numero potest produci à pluribus causis perfectis eiusdem ordinis.

Contingit autem multas eiusdem causas esse non secundum accidens. Tex. 2.

Circa hanc quæstionem aduerte quòd potest sub duplici sensu pertractari. Primo sic, vtrum idem effectus numero possit produci à pluribus causis perfectis, & totalibus eiusdem generis & eiusdem ordinis, puta quòd tres ignes quorum quilibet est sufficiens ad producendum ignem B, possit producere ipsum B. Secundo sic, vtrum effectus, qui est productus ab A, si esset productus ab alia causa, an esset idem numero. Vtroque sensu intendo eam pertractare.

Quantum ad primum sensum duo agenda sunt. Primo declarandus est titulus quæsiti. Secundo ponetur conclusio responsiua.

Quantum ad titulũ aduerte, quòd per ly perfectis & totalibus, intendo causas, quarum vnaquæque est sufficiens ad producendum effectum, ita quòd non indiget alia causa concausante. nã si indigeret alia, non totalis, sed partialis esset. vt duo trahentes nauem: per ly eiusdem generis intẽdo quòd omnes sint efficientes, vel omnes formales, &c. Nã si vna sit efficiens alia formalis iam non sunt eiusdem generis. Per ly eiusdẽ ordinis, intendo quòd omnes sint immediatæ, & non subordinatæ, vt duo homines generantes. Nam si vna sit vniuersalis, vt sol, & alia particularis vt homo non est vtraque immediata, nec sunt eiusdem ordinis.

Quantum ad secundum ponitur hæc conclusio responsiua, licet eiusdem effectus numero possint esse multæ causæ non totales non eiusdem generis, non eiusdem ordinis, non tamen multæ totales eiusdem generis & eiusdẽ ordinis. Prima pars clara est & ad sensum concessa. nam eiusdem tractus nauis contingit esse multos trahentes. eiusdem statuæ est æs causa materialis, figura causa formalis, artifex causa efficiens: eiusdem hominis geniti causæ sunt Deus, sol & homo. Secũda autem pars sic probatur cõmuniter ab omnibus & præcipuè ab Ant. And. in 5. metaph. q. 1. quem ad literam sequitur Paulus Soncinas in 5. metaph. q. 6. Si eiusdem effectus, &c. ergo effectus à nulla talium causarum dependeret essentialiter consequẽs est falsum, quoniam de ratione determinati effectus est vt essentialiter & per se à suis propriis causis dependeat, quoniam effectus alicuius causæ est effectus. Consequentia autem sic deducitur, sint A & B totales & eiusdem generis ac ordinis ipsius C. Tunc sic, C non dependet ab A, quoniam cum sufficienter habeat esse à B totali causa sua, potest esse sine A: nec dependet à B, quoniam, cum sufficienter habeat esse ab A totali causa sua potest esse sine B: ergo C non dependet ab A, nec à B essentialiter. Et aduerte, quòd hæc ratio non valeret si A & B essent diuersorum ordinum, vt quæ sunt essentialiter subordinatæ, vt sol & homo: quoniam, vt determinauimus in 2. lib. omnes simul requiruntur in productione effectus, aliter non seruaretur connexio causalitatis inter eas.

Quantum ad secundum sensum proponitur quædam distinctio, deinde conclusio responsiua.

Distinctio est hæc, agens respectu alicuius effectus potest esse duplex, scilicet agens per se & agens per accidens: agens per se est illud, quod ex sua virtute causalitatem influit in effectum, vt ignis A per suam formam influit in igne B ab ipso producto deducens: ipsum ad esse, agens autem per accidens, est illud quod nihil influit in effectum, vt musicus inquãtum musicus ædificans nihil influit in ædificato.

Conclusio responsiua sit hæc, licet effectus A qui est à B agente per accidens possit idem numero produci à C agente per accidens non tamen id verificatur respectu duorum agentium per se. Prima pars est communiter concessa & ad sensum patet. nam idem leo, qui occisus est à Platone, potuit occidi à Socrate. ex consequenti eadem numero forma cadaueris causata à B potuit causari à C: quia dispositio materialis, quæ est in materia bouis & virtute cuius generatur forma cadaueris, est eadem numero à quocunque bos interficeretur propter quod oportet q̃ forma cadaueris eius virtute genita etiam sit eadem: similiter Sortes componens ligna per accidens generat ignem A: & si Plato esset componens eadem ligna generaret per accidens A, secunda autem pars sic probatur à Capreolo in 2. di. 20. q. 1. ad tertium Scoti factum contra tertiam conclusionem, causa & effectus sibi proportionaliter correspondent, ergo sicut calidum est à calido, sic hoc calidum est ab hoc calido præcise, & hic homo, ab hoc homine

homine præcise, aliter inter causam efficientem & suum proprium effectum non esset ordo per se, sed à casu, nec effectus determinatus haberet causam determinatam, sed indifferentem ex quo potest esse ab hoc agente & ab alio. Alias probationes adducit Capreolus in eodem loco, quas omnes formalizat Paulus Soncinas in quinto Metaphysi. quæstione sexta, & tu vide eas ad placitum, ne tempus conteram. Et aduerte, quod hæc conclusio consonat Philosopho, in octauo libro Metaphysic. textu duodecimo, vbi tenet quod diuersitas effectuum prouenit propter diuersitatẽ materiæ proximę, & propter diuersitatem agentis proprij. Distincta ergo agentia non possunt eundem numero effectum producere. Prętereà distincta agentia habent distinctas actiones, distinctæ actiones terminantur ad distinctos terminos, qui sunt effectus ipsarum actionum, ergo distincta agentia necessario producunt distinctos effectus, intelligendo de agentibus non partialibus, nec subordinatis, sicut hic intelligimus. Et aduerte, quod in epitomate in secundo de generatione in fine tenui oppositum, nunc autem melius considerans determinaui pro parte negatiua.

Sed contra hanc determinationem sunt aliqua argumenta apparentia: & quidem contra primum sensum sic communiter arguitur, sit minima materia combustibilis summè disposita, & applicentur tres ignes, quorum quilibet sit sufficiens ad generandum ignem A, ex dicta materia. Tunc arguo sic, A ignis aut generabitur ex distincta materia, aut non: si non, ergo agente naturali debitè approximato & materia debitè disposita non sequitur actio, quod est manifestè falsum, vt probabitur in libro nono. Si sic, cum non possit assignari ratio quare sit magis ab vno igne quàm ab alio, sequitur quod à tribus generabitur, quorum quilibet ponitur sufficiens.

Ad hoc argumentum & Paulus Sonci, vbi suprà ac Capreolus vbi suprà quasi eodem modo multipliciter respondent, & omnes concedunt, quod illa materia igniretur, ego autem dico quod non, & causa huius non esset quod dicti ignes non essent debitè approximati, nec quod materia esset indisposita, sed quia implicaretur contradictio, scilicet quia daretur effectus, qui à nulla causarum suarum dependeret, supposito, vt supponitur, quod quælibet earum esset totalis & sufficiens.

Contra secundum sensum arguitur sic, idem effectus numero est corruptibilis ab hoc agente, & ab alio, vt patet quod idem ignis potest extingui ab hac aqua, & ab alia, ergo potest generari ab hoc agente, & ab alio, tenet consequentia, quia non videtur maior ratio hic quàm ibi.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem dico, quod est maior ratio hic quam ibi. Nam quod res desinat esse, contingit pluribus modis, quod autem producatur, contingit tantum vno modo, vnde videmus solum ædificatorem ædificare domum, quam contingit pluribus modis destrui. Prætereà, si omnes causæ corruptiuæ essent generatiuæ: sequitur equum posse generari ab igne & ab aqua, & à ligno, quoniam ab his omnibus potest corrumpi.

Item arguitur sic, si idem effectus numero, puta Sortes genitus à Platone, non potuisset produci ab alio homine, ergo inter indiuidua eiusdem speciei, esset ordo per se & essentialis, cuius oppositũ probatũ est in secundo li. quoniã in per se & essentialiter ordinatis non est processus in infinitũ, in indiuiduis autem eiusdem speciei est processus in infinitum, quare, &c.

Ad hoc respondetur, concedo quod inter indiuidua eiusdem speciei, est ordo per se causalitatis in hoc sensu, quod A ita est à B, quod non potest esse nisi à B, & B ita est à C quod non potest esse nisi à C, &c. non tamen concedo quod inter ea sit essentialis ordo, quoniam vt diximus in secundo lib. causæ essentialiter subordinatæ, sunt diuersarum naturarum & vna est formaliter perfectior altera, negatur ergo hæc consequentia A est per se à B, ergo A essentialiter subordinatur B.

Plura alia argumenta solent adduci, quæ videbis in quæstionibus Marsilij super librum primum de generatione in quæstione octaua. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Si causæ sunt sibiinuicem causæ.

Et adinuicem causæ sunt. Textu 2.

Circa hanc quæstionẽ aduerte quod difficultas stat in quibusdam inconuenientibus, quæ videntur sequi ex hoc textu, & sunt tria. Primò, si causæ sunt sibiinuicem causæ, ergo idẽ respectu eiusdem est causa & effectus, puta finis apprehensus possibilis produci mouet agentem & vt sic respectu agentis est causa, inquantum autem producitur in esse est effectus agẽtis, ergo finis est causa agentis & est effectus eiusdem. Hoc autem videtur inconueniens, quoniam cum causa sit prior effectu, sequitur quod idem respectu eiusdem sit prius & posterius, puta finis comparatus agenti, vt est causa agẽtis, est prior agente, vt autem est effectus agentis, est posterior agente, & augetur difficultas ex eo, quod causa est naturaliter prior effectu, & effectus naturaliter posterior, ex quo sequitur quod si idem respectu eiusdem est causa & effectus, ergo idem erit prius & posterius natura seipso, quod videtur penitus impossibile.

Secũdò sequitur, quod cum effectus possit demonstrari per causam, si causæ sunt sibiinuicem causæ, quod efficiens potest demonstrari per finem, inquantum finis est causa efficientis, & finis per efficientem, inquantum efficiens est causa finis. Hoc autem est inconueniens, quoniam tunc demonstratio esset circularis, quæ non admittitur ex primo posteriorum.

Tertiò sequitur, quod idem sit causa sui ipsius, nam finis est causa agentis, & finis causatur in esse ab agente, ergo finis causat seipsum. Tenet consequentia ex illa maxima, Quicquid est causa causæ, est causa causati à causa. Repugnat autem ex natura rei, idem esse causam sui ipsius: ergo, &c.

Respondetur. Ad primum concedo, quod idem est causa & effectus, sed non in eodem genere causæ, vnde finis est causa agentis vt finalis, & finis est effectus agentis, vt effectus causæ productiuæ, & concedo, quod idem est prius & posterius respectu eiusdem, sed non eodem modo, nec eadem ratione. Nam finis est prior agente secundum intentionem & desiderium. Prius enim agens intẽdit & desiderat finem, quam agat, est autem posterior quo ad esse actu, producitur enim vel attingitur actione agentis, nec augetur difficultas ex eo quod idem erit prius & posterius natura seipso. Nam prius natura dicitur multipliciter, & pro nunc duo modi sufficiant. Primò aliquid est prius natura, quia est illud, quod natura in sua actione supponit. Sic materia est prior natura quàm forma, & forma est posterior, & finis est posterior natura quàm agens, quoniam agens supponit finem, aliter non induceretur ad agendum. Secũdò aliquid dicitur prius natura, quia est illud, quod natura prius intendit, vt perfectius. Sic forma est prior natura, ordinat enim materiam ad formam, & non econuerso, & agens est prius natura, quàm finis, vt mouet agens enim vt agens est actu, finis autem vt mouet est in potentia producibilis vel acquisibilis, perfectius est autem esse actu, quàm esse in potentia. Dico ergo non esse inconueniens idem esse prius & posterius seipso natura, dummodo sumatur prius & posterius natura distinctis modis, vnde finis vt supponitur agenti, est prior natura primo modo assignato, vt autem est producibilis ab agente, est posterior natura secũdo modo assignato.

Ad secundum concedo consequentiam, & nego quod sit inconueniens, ad probationem nego quod esset demonstratio circularis talis, qualem reprobat Philosophus in primo posteriorum. Nam illic reprobat demonstrationem circularem in eodem genere causæ, puta si demonstrarem A per B, & B per A in genere causæ effectiuæ, si autem demonstratur A per B vt per causam finalem, & B per A vt per causam effectiuam, non est inutilis demonstratio, nec talẽ reprobat Philosophus.

Ad tertium, negatur consequentia. Ad probationem dico, quod illa maxima non verificatur nisi in eodem genere causæ, puta quia ignis est causa effectiua caloris in aqua, & calor in aqua est causa effectiua caloris manus, verè dicitur, quod ignis est causa caloris manus. In proposito autem, licet finis sit causa agentis, & agens causa finis, non tamen in eodem genere causæ, vt patet per prædicta, ideo non sequitur quod idem sit causa sui ipsius. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Si causa in actu, & effectus in actu simul sunt & non sint.

Differunt autem intantum, quod agentia quidem singularia simul sunt & non sunt cum his, quorum sunt causæ.

Textu 3.

Circa hanc quæstionem aduerte, quod licet multa dicant, tamen habito sensu Philosophi, non est magna difficultas. tria igitur agenda sunt Primò declarabitur sensus Philosophi, ex quo apparebit quomodo hæc conclusio est vera, causa in actu & effectus in actu simul sunt & non sunt. Secundò declarabitur, quomodo ex dicta conclusione verificantur istæ duæ maximæ, posita causa ponitur effectus. Remota causa, remouetur effectus. Tertiò soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quod sensus Philosophi est iste, causa in actu eo modo, quo est causans, & effectus in actu eo modo quo causatur à causa, simul sunt & non sunt: nam quædam est causa effectus in fieri & in esse & in conseruari &

respectu talis causæ, clara est propositio philosophi: nam bene sequitur. Sol actu illuminat aërem, ergo aër actu illuminatur & econuerso, similiter valet, si arguatur negatiue. Quædam autem est causa solum in fieri, sicut ædificator respectu domus & omnia agentia naturalia inferiora & respectu talis causæ vera est propositio philosophi, solum in fieri, vel in causari. Nam bene valet. Hic ædificator ædificat hanc domum, ergo hæc domus ædificatur, similiter valet negatiue. Non autem valet quo ad esse, non enim sequitur. Sortes genitor Platonis est, ergo Plato est, nec econuerso. Stat enim genitorem esse & genitum non amplius esse, & econuerso. Id autem non contingit in causa effectiua & conseruatiua, quoniam ipsa remota desinit effectus omnino. Hoc modo se habent inferiora respectu motus coeli, quoniam illo cessante destrueretur omnis generatio & esse rerum compositarum corruptibiliũ vt manifestabimus in libro 12.

Quantum ad secundum aduerte, quòd ex dicta declaratione patet veritas huius maximæ. Posita causa ponitur effectus. Hæc est vera in hoc sensu, posita causa eo modo quo est causa ponitur effectus. Nam si est causa in potentia id est potens causare, ponitur effectus in potentia, id est potest causari. Si est causa in actu, vel quo ad fieri, vel quo ad esse, vel quo ad cõseruari ponitur consimiliter effectus in actu, similiter verificatur ista. Remota causa remouetur effectus. Nam eo modo, quo est causa siue in potentia, siue in actu quo ad fieri, vel quo ad esse, si remouetur, remouetur & effectus. Et aduerte, quòd multæ eueniunt circa hoc deceptiones ex eo quòd non sumũtur causa & effectus quo ad causalitatem, sed quo ad entitatem, sicut aliqui arguunt. Sol est actu, ergo aër noster illuminatur. Constat quòd hæc consequentia non valet. quoniam licet sol quo ad substantiam suam actu existat, tamen non semper actu causat lumen in nostro aëre, vt quando est in opposito hemisphærio, negatur ergo hæc cõsequẽtia sol est actu, ergo est actu causa.

Quantum ad tertium aduerte tria argumenta apparentia. Primum est, stat causam esse in actu & tamen effectum nunquam esse actu, puta ignis actu calefacit lignum, vt generet ignem dum calefacit superfunditur aqua extinguens ignem, quo casu posito, patet causam esse in actu & tamen effectus non est actu.

Respondetur, licet non sit effectus in facto esse, est tamen in fieri, nam illa calefactio vt ordinatur ad ignem generandum potest dici factio, siue generatio ignis, sumendo generationem pro alteratione præcedenti. vnde dico, quòd hęc consequentia est bona, causa est in actu, ergo effectus vel quo ad fieri, vel quo ad factum esse est actu, sufficit autem huius disiuncti alteram partem esse veram.

Secundo, omnis causa est prior suo causato, vt dictum est in 1. q. huius libri, ergo repugnat causam esse simul non esse cum suo causato. Simultas enim & prioritas opponuntur.

Respondetur, causa dupliciter sumitur, vel quo ad entitatem suam, vel quo ad relationem, vt refertur ad effectum. Quo ad entitatem est prior, quo ad relationem est simul. In 5. quidem metaphy. in quæstione prima, locuti sumus quo ad entitatem, hic autem loquimur quo ad causam, vt stat sub relatione ad effectum.

Tertio si posita causa in actu ponitur effectus in actu vel quo ad fieri, vel quo ad factum esse, ergo omne quod fit fieret ex necessitate, quod est falsum, quoniam nulla esset productio contingens, ex consequenti omne productum esset necessarium, cuius oppositum probabitur in lib. 6. Probatur consequentia, si hæc est vera posita causa in actu, ponitur effectus in actu, ergo est necessaria illatio, quoniam omnis illatio vera est necessaria, ergo illatum est necessarium, illatum autem est effectus, vel quo ad fieri, vel quo ad factum esse: ergo, &c.

Respondetur, hoc argumentum, si quid concludit probat quòd posita causa in actu, de necessitate ponitur necessitate consequentiæ effectus in fieri, vel in facto esse, ex hoc tamen non sequitur omne fieri vel factum esse necessarium absolute, quoniam necessitas consequentiæ non infert necessitatem consequentis, vtrum autem à causa agente necessario possit prouenire effectus contingens, determinabitur in lib. 6. vbi quæremus, si prima causa ageret de necessitate naturæ, an omnia euenirent de necessitate. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Si materia prima est proprie elementum.

Elementum dicitur illud, ex quo componitur res primo, & est in ea existenter, indiuisibili specie in aliam speciem. Textu 4.

Conclusio. Materia prima non est propriè elementum, cum non habeat speciem.

Circa hanc q. tria agenda sunt. Primo, Quid sentiat Comment. Secundo, Quid sentiat B. Tho. Tertio si B. Tho. realiter dissentit à Commentatore.

Quantum ad primum aduerte, quòd Commen. tenet partem affirmatiuam. Nam in fine commen. 4. sic dicit, Manifestum est quòd verum elementum est commune omnibus compositis, quod est primum, ex quo componuntur omnia, & est existens in vnoquoque eorum & in quod dissoluuntur omnia. & istud elementum debet esse causa aliorum elementorum. & hoc, quod dixit, est materia prima. Hæc Comment. & aduerte fundamentum Comment. fuit quòd arbitratus est de ratione veri & proprij elementi esse tantum tria. primo quòd sit illud, ex quo res primo componitur. Secundo quòd remaneat in composito. Tertio quòd non diuidatur in priorem speciem: & quoniam hæc tria propriissime seruantur in materia prima, ideo credidit ipsam esse vere & proprie elementum, quatuor autem corpora simplicia esse elementa secundum famositatem, & præcipuè quoniam antiqui credebant ipsa esse prima componentia simpliciter: non enim peruenerunt ad cognitionem materiæ primæ, vt patet ex 1. lib. huius scientiæ.

Quantum ad secundum aduerte, quòd B. Tho. in expositione huius tex. tenet partem negatiuam, & fundamẽtum suum fuit, quoniam vltra tres conditiones assignatas in opinione Comment. arbitratur elementum includere quartam, scilicet quòd habeat aliquam speciem, ita quòd sit corpus, sed non sit resolubile in priora corpora, quæ sint distinctarum specierum, siue naturarũ: & quia materia prima præcise sumpta non habet aliquam speciem, nec est corpus ideo licet non sit resolubilis in priora, tamen nõ est verè elementum. & sensus quidem B. Tho. videtur magis conformis literæ. Dicit enim philosophus, indiuisibili specie in aliam speciẽ, ly aliam videtur præsupponere, quòd habeat propriam speciem. & ideo tenendum est diffinitionem elementi datam ab Arist. non proprie conuenire materiæ primæ, sed 4. corporibus simplicibus.

Quantum ad tertium aduertè quòd Paulus Soncinas in 5. metaph. in expositione huius tex. arbitratur B. Tho. non dissentire à Comment. & adducit dictum B. Tho. in 1. de cœlo, lect. 18. vbi dicit quòd materia prima est elementum & quoniam hic exponens præsentem tex. dicit oppositum. (Sic enim inquit. Quartum est vt dicat aliquam speciem quæ non diuidatur in species diuersas in quo differt elementum à materia prima quæ nullam habet speciem) ideo Paulus conatur exponere hoc dictum & dicit quòd B. Tho. accipit elementum secundum communem vsum loquendi, secundum quem consueuimus appellare elemẽta, quatuor corpora simplicia. Quę dicuntur simplicia, non quòd sint omnino simplicia componuntur enim ex materia & forma sed quia non componuntur ex prioribus corporibus.

Sed quòd pro vtroque dicto non habeat mentem B. Tho. declaro & primo ab auctoritate B. Tho. in 1. de cœlo, dico quòd B. Tho. illic accipit elementum similitudinarie. Nam in tex. 91. philosophus dicit, tribus enim entibus elementis corporalibus, quæ sunt cœlum terra & intermedia, &c. Constat autem quòd cœlum non est proprie elementum, cum non veniat in verã compositionẽ alicuius, nisi ipsius vniuersi. Quod quidem non est totum ex compositione, sed ex ordine. Sicut ergo Arist. impropriè dixit cœlum esse elementum, sic B. Th. dicit materiam primam esse elementum. Præterea dicit illic B. Tho. quòd Philosophus accipit elementum pro quocunque corpore simplici, & dicitur elementum corporale ad differentiam materiæ primæ quæ est elementum, sed non corporale prout consideratur absque omni forma: hæc ille. Accipit ergo omne simplex ex quo res componitur posse dici elementum. Sed hoc est accipere elementum large vt etiam illic dicit B. Tho. cùm ergo hic in quinto metaphy. scrutetur elementum secundum propriissimam rationem & in primo cœli in tex. nonagesimoprimo, loquatur de elemento large dicto non debemus facere fundamentum super dictum in 1. cœli, sed super dictum hic in quinto metaphysices, constat autem quòd hic negat materiam esse elementum. Quare, &c.

Quod etiã expositio, quam dat dicto B. Tho. in quinto metaphy. non valeat, sic declaratur: philosophus & B. Tho. diffiniunt elementum in suo propriissimo significato, ergo falsum est quòd sumat elementũ secundum cõmunem vsum loquendi, & confirmatur, quoniã philosophus illic exẽplificat de propriissimis elemẽtis in diuersis generibus vt in vocibus & syllabis, & in descriptionibus geometricis & in demõstrationibus. Tenẽdum est ergo quòd B. Th. dissentiat à Cõm. quia, scilicet non concedit materiam primam dici elemẽtum, nisi vt quoddam simplex & primum componens. Sed verum elementum vltra hoc requirit quod habeat propriam speciem, quod non verificatur de materia prima secundum se considerata.

Et aduerte quod Iandu. in quinto Metaphysicæ, quæstione quinta, pro defensione Commentator. sic arguit, Quando aliquod prædicatum vniuocum conuenit causæ & causato prius conuenit causæ quàm causato. Sed esse elementum, & substare conuenit mixtis, & simplicibus, & materiæ primæ & omnibus aliis conuenit per materiam primam, quoniam est primum subiectum ergo materia prima prius & magis propriè est elementum quàm corpora simplicia.

Respondetur non est idem esse elementum & substare, nam substare conuenit alicui inquantum est in potentia passiua, & quia materia prima, est propriè potentia passiua, ideo prius conuenit ei, & si conuenit aliis conuenit inquantum participant potentiam passiuam. Sed esse elementum, conuenit rei simplici habenti aliquam determinatam speciem, non diuisibili in diuersas species, & quoniam materia prima nullam habet determinatam speciem ex se, prima autem, corpora componibilia adinuicem habent determinatam speciem, & sint indiuisibilia in diuersas species, ideo illa sunt propriè elementa, materia autem prima impropriè, ad argumentum ergo concedo quod substare primo conuenit materiæ primæ, & si inferatur, ergo & esse elementum, nego cõsequentiam, quam non probat deceptus est autem Iandun. quoniam arbitratur cui primo conuenit substare eidem primo conueniat esse elementum, quod est falsum vt declarauimus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Si Philosophus sufficienter enumerauit omnes modos naturæ.

Natura quidem dicitur vno modo nascentium generatio. Textu 5.

Conclusio. Philosophus enumerauit eos tantum naturæ modos qui satis fuerãt Metaphysico.

Circa considerationem de natura satis immorati sumus in secundo Phy. superest nunc declarare quod pluribus modis dicitur quam hic dicitur à Philosopho, nec tamen propter hoc fuit diminutus, quoniam non assumpsit prouinciam declarãdi omnimodam multiplicitatem terminorum communium qui cadunt sub consideratione Metaphysici, sed solum vt expedit Metaphysico, cuius signum est quod agens de modis entis non enumerauit omnes: non enim distinxit per respectiuum & absolutum, per finitum & infinitum & agens de substantia non posuit expresse modum vt dicitur de materia, pro vniuersali igitur doctrina numerabimus omnes modos quibus solet dici natura, & in summa sunt decem.

Primò natura dicitur generatio viuentium, quasi nascitura vel à natiuitate dicta & hic modus satis patet in textu.

Secundò natura dicitur illud quod est intrinsecum principium motus primo & per se in re naturali, siue hoc sit materia siue forma & sic considerata est & diffinita in secundo Physic.

Tertiò natura sumitur pro quacunque essentia vel quidditate, vt cum dicimus alia est natura substantiæ alia quantitatis alia qualitatis, &c.

Quarto natura sumitur pro quacunque differentia specifica essentialiter distinguente, vt cum dicimus, natura hominis est esse rationalem, equi verò esse hinnibilem.

Quinto natura sumitur pro quacunque proprietate consequente rem inseparabiliter, sicut dicimus homo natura, id est, naturali inclinatione scire desiderat, natura lapidis est descendere, ignis autem ascendere.

Sexto natura sumitur pro causis motiuis vniuersalibus ipsius vniuersi, tam intellectualibus quàm corporalibus, sicut cum dicimus tota natura comparatur Deo, vt instrumentum principali agenti. Item cum dicimus, conseruatio speciei est per se intenta à natura. Item cum dicimus, corruptio & mors sunt intentæ à natura vniuersali, non autem particulari.

Septimo natura sumitur pro essentiali rerum ordine concurrentium per se, & principaliter ad perfectionem vniuersi, ita quòd talis ordo est firmatus & immutabilis, vt cum dicimus solem stare est contra naturam. Mortuum resurgere est contra naturam, Dari vacuum est contra naturam.

Octauo natura sumitur pro Deo non in se considerato, sed prout est dirigens omnes causas secũdas in actionibus suis naturalibus & inquantũ est omniũ motuũ primum principium iuxta ordinẽ rebus institutum firmum & stabilem, vt cum dicimus natura instituit solem declinare ab æquinoctiali propter alternam generationem & corruptionem in inferioribus, vnde aduerte quòd in actionibus miraculosis Deus non debet dici natura, sed naturæ dominator.

Nono natura sumitur à medicis pro cõplexione, vt cum dicitur Rhabarbarũ est calidę naturæ. Aliquãdo pro virtute formatiua quæ deseruit generatiuæ vt diximus in 2. de Anima, vt cum dicimus, natura in generatione animalis incipit à formatione cordis, aliquando sumitur pro collo matricis.

Decimo natura sumitur apud Philosophum moralem pro consuetudine, vt cum dicimus, natura veri regis est seruare subditos, tyranni autem natura est opprimere. Et aduerte, quòd hic modus concordat cum quinto. Hæc de præsenti quæsito dicta sint, nec occurrunt apparentia argumenta, quæ indigeant solutione.

QVAESTIO XII.

Si necessaria habent causam efficientem.

Horum quidem altera causa essendi necessaria, horum autem nulla. Tex. 6.

Conclusio. Complexũ necessariũ constãs ex terminis, quibus nõ correspondet aliquod esse, causam efficientem nõ habet, nec illa cõplexa, quę significãt ens diuinum: Sed complexa necessaria significantia ens productũ quo ad esse reale actu, nõ autem ex habitudine terminorũ, habent causam effectiuam.

Circa hanc q. pro declaratione tituli præpono duas distinctiones. Prima est, Necessariũ est duplex, scilicet incomplexum & complexum, incomplexum vt Deus & entia incorruptibilia, & de his vtrum habeant causam effectiuam dicemus in libro duodecimo, quando quæremus si omnia præter primũ habent esse effectiuè à primo. Aliud est complexum & præcipuè in primo modo per se, vt hominem esse animal, & de tali necessario quæritur hic: & est sensus, vtrum sit aliqua causa effectiua quæ facit hominem esse animal. Secunda distinctio est de causa. nam complexi necessarij saltem in secundo modo per se potest assignari causa formalis, puta quòd homo sit risibilis causa formalis est, quia est rationalis. Sed dubium est de causa effectiua, licet enim clarum sit, quòd risibilitas causatur in homine à producente hominẽ, tamen adhuc dubitatur, vtrum hoc totum enunciabile, necessarium, hominem esse risibilem, habeat causam efficientem. Pro resolutione igitur huius dubij tria agenda sunt. Primo quia intendo sequi Herueum in quodlibet 1. q. 10. cuius sensum in hoc dubio reputo esse Thomisticum, præpono aliquas distinctiones. Secundo respondebitur per conclusiones. Tertio soluentur rationes Pauli Soncinatis qui in 5. metaph. qõ. 10. tenet contra Herueum.

Quantum ad primum præpono quatuor distinctiones.

Prima est. Complexa necessaria affirmatima sunt triplicia. Quædam componuntur ex terminis quibus nullum correspõdet esse, vt chimæra est chimæra. Quædam ex terminis diuinis intrinsecis vt Deus est infinitus, omnipotens, summũ bonum. Quædam ex terminis significãtibus ens productum vt homo est animal.

Secunda est complexa necessaria, 3. modo dicta dupliciter considerantur, scilicet quo ad habitudinem terminorum & quo ad esse reale actu, puta hoc complexum homo est animal potest considerari prout prædicatum ex natura sua est aptum conuenire subiecto siue homo & animal existant siue non, eo quòd animal est de ratione hominis: potest etiam considerari prout homo & animal sunt actu & non potest esse homo actu quin sit animal actu: & hæc connexio significatur per copulam, vnde hoc complexum, Actu homo est actu animal, est cõplexum reale actu ex parte significati.

Tertia est, necessitas complexorum potest esse duplex, scilicet absoluta & connexionis siue comparationis. Illud est necessarium absolute quòd secundum se impossibile est aliter se habere vt Deus est infinitus. illud autem est necessarium connexione quod non potest esse sine aliquo alio ad quod comparatur, in se tamen potest non esse. Sicut non potest esse cursus sine motu nec homo sine animali nec subiectum sine propria passione: & hæc non dicuntur necessaria absolutè eo quòd homo & cursus & similia in se considerata possunt non esse.

Quarta est subiectum complexi necessarij puta huius homo est animal potest considerari in sensu diuiso vt considerãdo hominem vt hominem præcise & in sensu composito vt considerando hominem vt actu existentem: ita quòd sicut album potest accipi pro subiecto albedinis & album vt stat sub albedine, sic potest considerari homo vt homo & homo vt existens.

Quantum ad secundum ex his distinctionibus ponuntur quatuor conclusiones.

Prima conclusio. Complexum necessarium constans ex terminis quibus nullum esse correspondet neque actuale neque potentiale non habet causam efficientem: probatur omnis causa effectiua est respectu alicuius producti vel producibilis. sed complexum constans, &c. non est productum nec producibile vt patet: ergo, &c.

Secunda conclusio. Complexa necessaria composita ex

terminis significantibus ens diuinum nullam habent causam effectiuam, probatur, quod Deus sit nulla est causa eo quòd est penitus independens cum sit ens à se: ergo quòd Deus sit Deus & bonus & sapiens,&c. nulla est causa effectiua, quoniam sua perfectio est sua substantia quæ non pendet ab alio.

Tertia conclusio, Complexa necessaria significãtia ens productum vt homo est animal si consideretur in habitudine terminorum nullã habent causam effectiuã, probatur talis habitudo est relatio rationis vt declarabitur in lib. 6. cum disputabitur de ente vero, sed relatio rationis cum sit ens rationis nullam habet causam effectiuam, declarabitur enim in libro sexto, quòd ens rationis vt distinguitur contra ens reale à nullo est effectiuè & in nullo est subiectiuè: ergo, &c.

Quarta conclusio, Complexa necessaria significantia ens productum si considerentur quo ad esse reale actuale habent causam effectiuam, probatur, esse reale actuale huius cõplexi homo est animal, homine existẽte & animali existente, est ens reale actu vt patet. ergo vel est ens increatum vel creatum; non increatum quoniam esset Deus, ergo creatum: sed omne creatum habet causam effectiuam vt patet. ergo, &c.

Huic rationi conatur respondere Paulus Soncinas & dicit, quando dicitur homo est animal ly est non signat aliquod ens reale, sed ens rationis per opus intellectus componentis quod quidem competit homini & animali etiam si non essent in rerum natura.

Sed constat quòd non respondet ad propositum quoniam sumere hoc complexũ homo est animal in habitudine terminorum est iuxta sensum tertiæ conclusionis. Hic autem loquimur iuxta sensum quartæ conclusionis quæ requirit actuale esse reale quod necesse est esse creatum vel increatum, laborat ergo Paulus in æquiuoco quoniam non attingit sensum Heruei pro quarta conclusione.

Sed dices, quæ est causa effectiua huius complexi homo est animal quo ad esse reale actuale.

Respon. eadem causa quæ dat homini & animali existentiã dat homini existere animal & probatur sic. Quod cõuenit alicui secundũ id quod est eodẽ modo habet causam sicut illud cui cõuenit. Sed ista cõplexa considerata secundũ esse actuale reale cõueniunt rebus secundũ illud quod sunt, Cõuenit enim homini existere animal secundũ quòd homo existit quia non potest aliter existere. Repugnat enim quòd homo existat, & non existat animal, ergo hoc totum homo est animal eodem modo habet causam, sicut homo existens & animal existens. Constat autem quòd homo existens & animal existens habent causam effectiuam quia non existunt à se: ergo, &c.

Et aduerte ꝙ huic rationi, quæ est Heruei nescit Paulus aliter respõdere nisi negãdo maiorẽ. Dicit enim, Ad tertiũ negatur maior si id quod alteri cõuenit sit ens rationis. Sed iterum deuiat à sensu Heruei. Nõ enim cõsiderat Herueus in hac quarta cõclusione necessaria complexa nec sua componentia quo ad habitudinem terminorum. Sed quo ad esse reale actuale, & sic patet ꝙ maior non infringitur ad sensum Heruei. Patet enim quòd complexa necessaria significantia ens productũ, considerata quo ad esse reale actuale, non sunt ens rationis.

Quantũ ad tertiũ aduerte, quòd Paulus contra Herueum format sex rationes ex quibus nõnullæ formaliter soluuntur ab Herueo. Omnes autẽ virtualiter ex distinctionibus datis.

Prima, omne habens causam agentem habet causam finalem quoniam omne agens per se intendit finẽ propter quem agit. Sed hoc complexum homo est homo non habet causam finalem. Dicit enim Philosophus in septimo Metaphys. textu quinquagesimonono. Quærere propter quid homo est homo nihil est quærere, ergo hoc complexum non habet causam agentem.

Respondetur, Philosophus in septimo Metaphysices, considerat hoc complexum in habitudine terminorũ, & vt sic per conclusionem tertiam positam suprà non habet causam efficientem nec finalem. Dici etiam potest quòd Aristot. in illo textu, non sumit ly propter quid pro causa finali, sed pro q. propter quid in ratione demonstrandi prædicatum de subiecto, nam in secundo poster. enumerans quæstiones quibus vtimur in demonstratione dicit. Quærimus quatuor, quia est, propter quid est, si est, quid est, vnde ly propter quid potest dicere causam formalem vt propter quid homo est risibilis quia est rationalis.

Secunda identitas quæ est inter hominẽ & animal non habet causam efficientẽ, ergo hoc complexũ homo est animal nullã habet causam efficientẽ. Cõsequẽtia patet, probatur antecedẽs. Talis idẽtitas est relatio rationis eo ꝙ est eiusdem ad seipsum: relatio rationis est ens rationis, ens rationis non habet causam efficientem, eo quòd causalitas efficientis est causalitas realis. ergo debet terminari ad aliquod reale, aliter terminus esset minoris entitatis quàm ipsa productio.

Respondetur, Herueus virtualiter soluit hãc rationẽ. nam loquens de cõplexo necessario significante aliquod possibile esse vt rosam possibile est esse rosam dicit ꝙ possibilitas non habet causam efficientẽ sed fundamentũ possibilitatis quod est res possibilis produci habet causam non quidẽ actu agentem, sed potentẽ agere. Sic dico in proposito. Illa identitas vt relatio non habet causam efficientem, fundamentum tamen identitatis, quod est hominem existentem esse animal existens habet causam efficientem, eam scilicet quæ est causa extremorum. Nam quodcunque agens facit quòd homo existat & quòd animal existat facit etiã ꝙ homo existat animal.

Tertia si per impossibile Deus non esset nec aliqua creatura esset adhuc esset verũ quòd homo est animal, eo quòd propositio per se secundum Linconiensem est perpetuæ veritatis: ergo talia complexa non habent causam efficientem.

Respondetur, Antecedens est falsum sumẽdo ipsum complexum quo ad esse reale actu, in quo sensu loquitur Herueus, ad dictum Linconiensis, concedo quòd est perpetuæ veritatis solùm ex habitudine terminorum, & cõcedo quòd vt sic non habet causam efficientem. Sed non est ad propositum.

Quarta, Deum esse Deum non habet causam efficientem. ergo hominem esse animal non habet causam efficientem. Antecedens patet & consequentia probatur sunt æquè necessaria eo quòd sua opposita sunt quæ impossibilia. Implicant enim contradictionem, scilicet Deum non esse Deum & hominem non esse animal.

Ad istam respondet Herueus & dicit quòd non sunt æquè necessaria nec sua opposita sunt æquè impossibilia, nam ista, Deus non est Deus est impossibilis in sensu diuiso & in sensu composito. Diuiso quidem, quoniam Deus vt Deus non potest non esse, composito autem, quoniam Deus vt existens non potest non existere. Hæc autem, homo non est animal non est impossibilis in sensu diuiso, homo enim vt homo potest non existere, & per consequens non existere animal, est autem impossibilis in sensu composito. Impossibile est enim quòd homo vt existens non existat animal.

Sed aduerte, quòd Paulus conatur hanc responsionem infringere dicens. Hoc complexum, Homo est animal non potest exponi per sensum compositum & diuisum. Primo quia ibi non est aliquis terminus exponibilis per sensum diuisum & compositum. Secundo quia secundum beatum Thomam, sensus diuisus, & compositus non possunt inueniri nisi in his quæ sunt abinuicem separabilia secundum rem vel secundum intellectum. Sed animal cum sit de ratione hominis non est separabile ab homine re nec intellectu. ergo responsio Heruei nulla est.

Sed hæc non infringunt propositum. nam ad primum dico quòd ly homo est exponibilis per sensum diuisum & compositum eo quòd potest considerari vt homo præcisè & vt homo existens, idem dico de ly animal. Nam & ista lapis est immaterialis est similiter exponibilis, quoniam potest considerari vt lapis & vt lapis intellectus, vnde dicitur esse falsa in sensu diuiso & vera in sensu composito. Ad secundum dico quòd licet homo & animal præcisè considerata sint inseparabilia tamen animal existens potest separari ab homine præcisè sumpto, licet enim homo vt homo sit animal, non tamen homo vt homo existit animal. quoniam homo vt homo potest non existere. Hæc tamen est impossibilis, homo existens non existit animal.

Quinta, Quod est commune possibilibus, & impossibilibus non habet causam efficientem, quoniam impossibilia non possunt fieri. Sed complexa necessaria sunt communia possibilibus & impossibilibus, quoniam ita est necessaria ista, Chimæra est chimæra, Sicut ista, homo est homo. ergo, &c.

Ad hoc respondet Herueus & concedit non omne complexum necessarium habere causam efficientem, vt patet in conclusione prima & secunda suprà positis, non tamen ex hoc sequitur, quòd nullũ complexum necessariũ habeat causam efficientẽ, vnde mirum de hoc homine, qui non aduertit se impugnare Herueum rationibus solutis ab Herueo.

Sexta, Hoc complexum, Antequam rosa generetur possibile est rosam esse rosam est necessarium, & tamen non habet causam agẽtem, quia non dicit aliquod reale. Quod probatur quoniam si dicit aliquod reale productum vel est ipsa rosa & esse rosæ, vel ista oratio, rosa est rosa. nõ primum, quia per casum rosa non est: non secundum, quia enunciabile distinguitur ab enunciatione.

Ad hoc

Ad hoc respondet Herueus & dicit quod sicut rosa antequam generetur est ens possibile produci ita habet causam agentem in potentia: similiter hoc complexum possibile est rosam esse rosam consideratum secundum suum esse reale potentiale habet causam agentem in potentia: & quando dicit Paulus quod hoc complexum non dicit aliquod reale si intendit reale actu concedo quia sumitur rosa antequam generetur, si reale potentiale, nego: & sua probatio non valet: non enim dicimus quod sit quid reale productum, sed producibile. Et sic patet quod opinio Heruei nullum continet inconueniens nec declinat à via Thomistica in eo sensu in quo illam pertractauimus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Si diuisio secunda vnius est logica.

Amplius autem alia secundum numerum sunt vnum, textu duodecimo, vbi inquit Beatus Thomas, ponit aliam diuisionem quæ est magis logica, & suprà exponens Beatus Thomas, textu octauo dixerat. Primò distinguit modos vnius realiter, id est secundum conditiones in rebus inuentas. Secundò verò logicè, id est secundum intentiones logicales.

Conclusio. Prima diuisio vni' est realis, secũda vero est logica.

Circa hãc quæstionem aduerte, quod difficultas stat in declaratione, quam facit Philosophus circa modos vnius tam in prima, quam in secunda diuisione, nam in prima diuisione quæ tenetur realis declarat tertiũ & quartũ modum per terminos logicos: vnde declarans tertium inquit dicuntur autem vnum quorum genus vnum differens oppositis differentiis. Hæc quidem videtur declaratio logica, cum genus & differentia dicant intentiones secundas: similiter declarans quartum inquit, vnum dicuntur quorumcunq; ratio indiuisibilis, id est quæ habent vnam diffinitionem, huiusmodi autem termini ad logicum spectant. In secunda autem diuisione exponit primum & quartũ modum nõ logicè sed realiter. Primum quidem cum dicit vnum numero sunt quorum est vna materia, quartum autẽ cum dicit proportione & quæcunq; vnum proportione. Constat autem quod remoto quocunque opere intellectus aliqua sunt vnum proportione puta 4. & 2. 6. & 3. sunt vnum proportione quoniam cõueniunt in proportione dupla. Pro resolutione igitur huius dubij tria agenda sunt. Primò declarabitur quomodo prima diuisio est realis. Secundò quomodo secũda est logica. Tertio soluetur quoddam dubiũ.

Quantum ad primum dico duo, primo quod non inconuenit primam dici realem, sed non purè realem, secundam dici logicam sed non purè logicam, quia tamen prima est magis realis quam logica ideo dicitur realis & quia secunda est magis logica quã realis ideo dicitur logica & vt Philosophus insinuaret primam non esse merè realem ideo in declaratione modorum inserit aliquos terminos logicales sicut sunt genus differentia diffinitio ratio. Idem dico de secunda quam vt declaret non esse merè logicã inserit aliqua realia sicut sunt materia proportio: & id quidẽ artificiosè fecit, quoniam Philosophus primus & logicus in subiecto & in omnium consideratione conueniunt vt dicit in libro quarto, & reputo hanc meliorem rationem quæ possit assignari in præsenti proposito.

Dico secundo, quod aliquo modo potest saluari primam diuisionem esse mere realem & secundã mere rationis, siue logicam, eo quòd prima datur per res primæ intentionis quæ ponuntur remoto omni actu intellectus, secunda autẽ datur per secundas intentiones. & quidẽ ꝙ prima detur per res primæ intentionis sic declaratur, primus modus est vnitas continuitatis, quam constat esse in linea, & in motu etiam remoto omni actu intellectus, secũdus modus est vnitas formæ præcipuæ in homogeneis, quam constat esse realem omnis enim pars aquæ est aqua, & omnis pars ligni est lignũ, tertius modus est vnitas generis quæ quidẽ potest esse realis si sumatur natura generis non vt stat sub intentione vniuersalitatis, sed vt habet esse in re, puta animal vt habet esse in homine & leone, patet enim quòd remoto omni opere intellectus adhuc habet esse in eis & licet non habeat aliquã indiuisibilitatem in speciebus potest tamen fundare hunc modũ vnitatis eo ꝙ est apta ex se obiici intellectui indistinctè & sine differẽtiis, si verò sumatur pro intentione vniuersalitatis sic est vnitas rationis in natura generica, & iuxta talem intentionẽ assignabitur particularis modus in secũda diuisione. Hæc dicta sint disputatiuè, determinatiuè autem melius est dicere iuxta primũ modum respondendi primã diuisionẽ non esse mere realem. & per consequẽs tertius modus erit magis logicus quam realis. Difficile enim est videre apud Thomistas, quomodo natura generica, quę nullã habet vnitatẽ realem in suis inferioribus, potest fundare modũ realem vnius. Quartus modus est vnitas diffinitionis. Hic potest esse realis si consideretur diffinitio vt dicit naturam & quidditatẽ diffiniti, est autem logicus, si consideretur vt constat ex genere & differentia. Quintus modus est indiuisibilitas in substantia, ita quòd maximè sunt vnum quorũ substãtia non cõponitur cum aliis, nec ex aliis, sicut est dispositio primi entis, in quo nulla est pluralitas realis absoluta. Constat autẽ quòd hic modus est realissimus, quoniã simplicitas substantiæ incõpositæ non pendet ex actu nostri intellectus: patet igitur quomodo prima diuisio vnius est realis.

Quomodo autem secũda diuisio sit logica, declaro sic. De 2. & 3. modo constat, quoniam genus & species sunt termini secundæ intentionis. De 1. autem & 4. est difficilè videre stante tex. Philosophi quoniã quando exponit primum modum, non exponit per terminos secundæ sed primæ intentionis. Hoc enim quod est habere vnam materiam pertinet ad considerationem realem & non logicam. Aduerte igitur quòd si Philosophus exposuisset ly vnum numero per hoc quod est esse singulare vel indiuiduũ sua expositio manifestè fuisset per secundas intentiones, verũ quia considerauit Philosophus expositionem debere dari per manifestiora, datur autem per manifestiora si datur per principia sua, principium autem vnius numero est materia, ad quam vt ad causam sequitur singulare & indiuiduum, ideo potius exposuit per terminum primæ intentionis ad quem sequitur ly singulare. Dico igitur quòd primus modus est logicus, licet expositio non sit formaliter logica, sufficit autem quòd sit logica consecutiuè, similiter difficilè est saluare quomodo quartus modus sit logicus stante tex. Philosophi, dicit enim vnum proportione quæcunque se habent vt aliud ad aliud. Constat autẽ ꝙ talis cõparatio conuenit rebus vt res sunt, & non solum vt cadunt sub nostra apprehensione, nam ex parte rerum, qualis est habitudo inter 4. & 2. talis est inter 6. & 3. Dico igitur cum Anto. And. ꝙ hic modus potest esse realis, si considerentur proportionalia vt res & potest esse logicus, si cõsideratur modus prædicandi qui seruatur inter ea. modus enim prædicãdi non est sine opere intellectus quoniã prædicari est per actum intellectus attribuentis aliquid alicui vel remouentis aliquid ab aliquo, & sic dico ꝙ philosophus accipit vnitatem proportionis iuxta modũ prædicandi: vnde est modus vnius logicus secũdũ hunc sensum, patet igitur, quomodo secũda diuisio est logica.

Quantum ad tertium aduerte quòd circa secundã diuisionem insurgit dubium: nam videtur insufficiens quoniam non solum aliqua sunt vnum numero, & aliqua specie, & aliqua genere, & aliqua proportione, sed etiam differẽtia, vt omnes homines sunt vnum in rationali: & proprio, vt omnes asini sunt vnum in rudibili: & in accidente, vt omnes corui sunt vnum in nigredine. & tamen isti modi non assignantur à philosopho in secunda diuisione, ergo est insufficiens.

Respondetur & dicitur quòd omnes isti modi assignati sunt virtualiter in illis quatuor: nam omnis differentia vel est indiuidualis, & sic quæcunque conueniunt in ea, sunt vnum numero, vel specifica, & sic conuenientia in ea sunt vnum specie, vel generica, & ab ea prouenit vnitas generica: vel analogica, & ab ea prouenit vnitas proportionis. Idem intelligendum est de proprio & accidente, quare, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIIII.

Si hæc propositio vnum numero sunt quorum est materia vna est vera vniuersaliter, vel tantum particulariter.

Vnum numero sunt, quorum est materia vna. Tex. 12.

Conclusio. Vnum numero ea esse, quorũ est vna materia, verificatur tantum particulariter in materialibus.

Circa hanc quæstionem aduerte quòd difficultas stat in hoc si est vniuersaliter vera, cum intelligentia Saturni sit vna numero (est enim singularis, aliter non moueret) ergo habet materiam, quod tamen est contra philosophum in lib. 12. qui tex. 29. dicit, oportet autem tales substantias esse sine materia, ergo non est vniuersaliter vera: si autem est vera particulariter tantum, ergo philosophus nõ sufficienter notificat quid sit esse vnum numero nam cum sumpserit prouinciam diuidendi vnum in modos suos absolute & metaphi. debuit etiam dare descriptionem & notificationem de eo quod est vnum numero in omni genere entium in quo inuenitur vnitas numeralis. Vt igitur præsens quæsitum resoluatur intendo pertractare tres opiniones, scilicet Commentator. & B. Thom. & Scoti.

Quantum ad viam Commenta. aduerte quòd Comment. in 5. lib. & in comment. 12. ibi & vnum numero dicitur, &c. intendit ꝙ dictum philosophi sit verũ vniuersaliter, non enim concederet Cõm. ꝙ in abstractis sit vnum numero, sed principium numeri, vnde dicit in eodem comment. & differentia inter illud & vnum quod est principium numerorum,

est quia

est quia hoc vnum est in materia & vnum quod est principium numeri, non est in materia, hæc Comment. & debet sic intelligi, per ly vnum numero intendit vnum quidditatiuum, quod inuenitur in solis materialibus. & est principium numeri quantitatiui vel materialis, cum autem dicit vnum principium numerorum accipit vnum transcendens quod est principium numeri transcendentis, qui dicitur numerus formalis vel quidditatum. & hic inuenitur in abstractis quæ propriè dicuntur vnitates, & quidditates, & actus propter sui perfectionem, & simplicitatem. Dico igitur quòd apud Comment. esse vnum numero modo exposito, & habere materiã vnam conuertuntur, ita quòd in quocunque genere inuenitur vnum numero, ibi est materia vna & econuerso, & negandum est secundum Commenta. quòd in abstractis inueniatur vnum numero. in eis enim singulare dicitur vnitas propter substantiæ simplicitatem.

Sed contra Comment. dupliciter arguit Ant. And. in 5. Metaphys. q. 6. & 1. contra illud dictum Comment. vnum quod est principium numeri, non est in materia, nam hoc dictum vel æquipollet vniuersali negatiuæ, vel particulari negatiuæ, si primo modo, ergo nullũ vnum principiũ numerorum erit in materia, quod est falsum: quia si nullum vnũ prin. numerorum est in materia nullus numerus est in materia quod est falsum. nam numerus causatus ex diuisione continui ex tertio Physic. est in materia, si æquipollet particulari negatiuæ ita ꝙ loquatur de vno transcendenti, contra, illud vnum non tantum propriè est in rebus immaterialibus, sed etiam in materialibus: nam cum vnum transcendens conuertatur cum ente verum est dicere de lapide, quòd sicut est ens ita est vnus transcendenter. secundo sic, in immaterialibus est aliqua vnitas maior vnitate specifica, sed nulla alia est maior quam vnitas numeralis, ergo vnum numero est in rebus immaterialibus, maior patet quia aliquis angulus ita est vnus, quòd non prædicatur de pluribus, ergo est magis vnus, quàm vnus specie.

Respondetur, Ad primum possumus respondere dupliciter: Primo quòd æquipollet particulari negatiuæ, ad probationem diceret Commen. quòd licet lapis sit vnus etiã transcendenter, tamen non denominatur vnus propriè & vsitatè, nisi vnitate quantitatiua, oppositum autem cõtingit in abstractis, quæ verè & propriè dicuntur vnum vel plura transcẽdenter. Secundo dicitur, & fortè melius, quòd dictum Comment. non æquipollet vniuersali negatiuæ nec particulari negatiuæ, sed est destructiuum cuiusdam quod prædixerat, nam dixerat ante, quòd vnum numero, id est, vnum quantitatiuum est in materia, ita quòd non reperitur extra materiam. Destruẽs autem hoc, de vno transcendenti dicit. Vnum principium numerorum non est in materia, id est, nõ arctatur ad materiam, sed reperitur in non habente materiam. Et est simile, sicut si diceretur, sensitiuum est in materia quoniam arctatur ad materiam. Intellectiuum non est in materia, quoniam non arctatur ad materiam, reperitur enim extra materiã sicut in intelligentiis, cum hoc tamen stat quòd reperiatur in materia, sicut patet de anima intellectiua quæ est forma materiæ.

Ad secundam dicitur, quòd vnitas numeralis potest dupliciter accipi. Primo vt distinguitur cõtra vnitatem specificam, & sic conceditur esse in abstractis, & similiter cõceditur quòd in eis est vnum numero, prout distinguitur contra vnum specie, nec vnquam negasset in hoc sensu Commenta. vnum numero ab abstractis. Secundo sumitur vnitas numeralis pro hac vnitate quantitatiua, & sic Commen. negat eam, & vnum numero, esse in abstractis. Ad argumentum igitur dico quod concludit vnitatem numeralem & vnum numero in primo sensu esse in abstractis, non autem secundo modo in quo sensu loquebatur Comment. Hæc pro opinione Commen. dicta sint, quæ vt declarata sunt, non discordant à via Thomistica, vt magis patebit in immediatè sequentibus.

Quantum ad viam B. T. aduerte, quòd arbitratur dictum Philosophi esse verũ particulariter tantũ, scilicet in solis materialibus, eo ꝙ vt ipse dicit exponẽs dictũ Philosophi, materia prima vt stat sub dimensionibus signatis est principium indiuiduationis formæ, & propter hoc singulare habet ex materia, quòd sit vnum numero, hęc ille. Cum autem singulare reperiatur in abstractis in quibus nõ est materia, cõstat dictum Philosophi non esse vniuersaliter, sed particulariter verũ. Et cum arguitur ꝙ Philosophus non sufficiẽter notificasset quid sit vnum numero, respõdetur ꝙ sufficit philosopho notificasse per exemplũ manifestũ in his materialibus, non enim describit ibi quid sit vnũ numero. Tũc enim esset necesse, si id, quod est vnum numero haberet vnam materiam, ex descriptio. ꝙ habere vnam materiam conuertatur cum eo quod est vnum numero. Exemplum autem non est necesse esse conuertibile cum eo quod notificat. Si autem quæras, quæ sit descriptio eius quod est vnum numero vniuersaliter. Dico quòd est esse singulare siue incommunicabile, siue hoc aliquid.

Sed aduerte, quòd Ant. And. in 5. Metaph. q. 6. conatur instare contra hanc determinationem B. Tho. & sic arguit. In rebus immaterialibus, etiam secundum ipsum scilicet B. Tho. est vnum numero, & tamen ibi non est materia sub dimensionibus signatis ergo non bene saluat dictum Philosophi.

Respondetur Ant. And. decipitur in hoc quòd credit Philosoph. & B. Th. per ly habere vnam materiam, describi vnum numero, quod si esset verum, vtique sua instantia cõcluderet, quoniam necesse est descriptionem conuerti cum descripto. Dico igitur quòd est exemplificatio quã non est necesse conuerti cum exẽplificato. Sicut si dicerẽ, fortes sunt, qui pugnant pro patria, & tamen pugnare pro patria non cõuertitur cum esse fortem, potest enim esse fortis, qui aduersam fortunã bene tolerat, qui pro virtute, pro amico, pericula aggreditur.

Quantũ ad opinionẽ Scoti, aduerte ꝙ Ant. And. in 5. Metap. q. 5. & 6. tenet dictũ Philosophi esse verũ vniuersaliter, & ꝙ ly habere vnam materiam est descriptio conuertibilis, cum ly esse vnum numero. & fundamentum suum est, quod materia non sumitur hic à Philosopho, vt est pars compositi, sed vt est differentia indiuidualis, quam appellat materiam totius, imaginatur enim, quòd sicut est duplex forma, scilicet partis & totius, quæ dicitur quidditas, ita sit duplex materia, scilicet partis quæ est pars compositi, & ens in pura potentia, & materia totius quæ opponitur quidditati, eo quòd est extra rationem quidditatis specificæ. & hanc vocat proprietatem indiuidualem. & ponit eam principium indiuiduationis tam in materialibus, quàm immaterialibus. & dicit quòd de tali materia loquitur hic Philosophus, vnde sic exponit dictũ Philosophi, vnum numero sunt quorũ est materia vna, id est, vna differentia indiuidualis sed hanc imaginationẽ suam non aliter probat esse de mẽte Philosophi, & ideo est nostrũ inuestigare, si ex doctrina Philosophi, debet admitti materia sub tali sensu.

Aduerte igitur, quòd mens Philosophi fuit loqui de materia quæ est pars compositi, quod manifestatur duplici via.

Primo sic, Illa materia quæ ex pluralitate sua causat pluralitatem numeralem ex sua vnitate causat vnitatem numeralem. Sed materia quæ est pars compositi ex sua pluralitate causat pluralitatem numeralem, ergo ex sua vnitate causat vnitatem numeralem. Maior patet quia eodem principio, quo res plurificatur ipso plurificato, remanet vna ipso non plurificato. Minor est Philosophi in septimo Metaphysices, textu vigesimooctauo, vbi loquens contra Platonem de ideis dicit, quòd generans est sufficiens causare in materia. & loquitur de materia receptiua formæ, quam constat esse partem compositi. & subiungit, omnis verò talis species in his carnibus & ossibus, Callias & Socrates, diuersi quidem propter materiam, diuersa nanque, scilicet est eorum materia, super quem tex. dicit Comm. in comm. 28. causa in multiplicatione generabiliũ ab vno generante est multiplicatio materiarũ in quas agit. Patet ergo, quòd Philosophus illic loquitur de materia partis, eodem modo intelligendũ est quod loquatur hic in quinto libro, aliter non sufficienter declararet distinctionem & vnitatem numeralem, si vteretur materia æquiuocè.

Secundo sic. Materia in eo sensu est causa vnitatis & pluralitatis numeralis apud Philosophum, quam assignat pro causa propter quam primum principium non plurificatur, vt patet in libro duodecimo, textu quadragesimonono, Sed illic loquitur de materia partis, loquitur enim de illa materia, quam in eodem libro textu trigesimo negauerat esse in mouentibus æternis, illam autem constat esse materiam partis. Dicit enim, Tales substãtias, oportet esse sine materia. Quod si dicas ly sine materia sumitur pro hæcheitate. Hoc est contra ipsum Ant. And. qui in intelligentiis concedit hæcheitatem, & quidem quòd illic loquatur de materia partis, apertè monstrat Comment. qui in. comment. quadragesimonono dicit, & iam declaratum est quòd in primo non est materia, non fuit autem declaratum nisi in tex. 30. in quo expressè loquebatur de materia partis, quã remouet ab intelligẽtiis, &c. patet igitur ꝙ positio de materia totius quã Scotus ponit principium indiuiduationis, fuit inuẽtio sua, sed non peripatetici.

Sed remanet dubium, nam si quæ habent vnam materiam sunt vnum numero, ergo generatũ & corruptum sunt vnum numero & duo contraria erunt idem numero. quoniam contraria habent fieri circa idem & ex primo de generatione eadem est materia geniti & corrupti.

Respondetur secũdum viam Thomisticam non est eadem materia prout est principium indiuiduationis nisi remaneat sub eisdem dimensionibus: & quia apud Beat. Thom. non remanent eædem dimensiones in genito & corrupto, ideo non sunt idem numero. Ad illud de contrariis dico ad hoc quòd sint vnum numero requiruntur duo, primo eadem materia cum eisdem dimensionibus, secundo simultas temporis, ita quod eadem generatione generentur: & quoniam non simul tempore generantur, nec recipiuntur in materia, sed successiuè, ideo non sequitur quod sint vnum numero.

Sed Ant. And. instat quod non requiratur simultas temporis, nam si talis simultas requiritur, sequitur quod Mathematica, quæ abstrahunt à tempore & à motu ex libro tertio, non possent esse distincta numero: quod est falsum, quoniam duæ lineæ rectæ sunt eiusdem speciei, & distinctæ solo numero.

Hæc instantia nulla est, quoniam Mathematica secundum esse naturale non abstrahunt à tempore, nec à motu, cum ponatur motus ad quãtitatem: quando autem dicit Philosophus in tertio libro, quod abstrahunt à tempore & à motu accipit Mathematica vt cadunt sub cõsideratione Mathematici, sicut declarauimus in tertio libro, in quæstione prima. Hic autem loquimur de vnitate numerali & distinctione, quæ rei competit secundum esse suum reale, & non vt cadunt sub apprehensione nostra. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Si materia signata, vel hæcheitas est principium indiuiduationis in rebus materialibus.

Vnum verò numero sunt, quorum est materia vna numero. Textu 12.

[Conclusio. Non materia præcisè, sed materia signata, & indiuidua differentia intellecta est principium indiuiduationis.]

IN hac quæstione Thomistæ & Scotistæ, diffusè scribunt, resolutiuè autem procedendo, tangenda sunt fundamenta & rationes vtriusque opinionis sustinendo Thomisticas & soluendo oppositas, igitur agenda sunt quatuor. Primò declarabitur titulus quæsiti. Secundò pertractabitur opinio Beati Thomæ, Tertiò opinio Scoti. Quartò soluetur quoddam dubium.

Quãtum ad primum aduerte, quòd indiuiduum materiale dupliciter considerari potest. Primò vt res est, secundo vt reponitur in prędicamento sub specie specialissima, sicut species reponitur sub genere, in primo sensu est consideratio realis, in secundo est consideratio logica, & secundum vtrunque sensum hic procedemus. Aduerte etiam quod cum indiuiduum duo includat, scilicet incommunicabilitatem, & distinctionẽ ab alio, idem est quærere de principio indiuidui ac si quæratur, propter quod natura specifica, quæ est ex se communicabilis, fit incõmunicabilis in Socrate, & per consequens fit hęc. deinde propter quid Socrates habens hanc naturam incommunicabilem, distinguitur à quolibet alio homine, distinctione substantiali, & non solum accidentali. Cùm enim sortes sit hæc substantia, & reponatur in prædicamẽto substantiæ, sicut ens per se, nõ specificè, sed numeraliter sumptum, quærendum est propter quid sortes, vt hæc substantia est, vt antecedens saltem natura omne suum accidens, distinguatur à quolibet alio substantialiter. Non potest autem dici quod hoc distinctiuum sit quantitas, quoniam cum sit accidens posterior est substantia sortis. Nec potest dici quod sit substantia sortis cum quantitate, quoniam ex his duobus non fit vnum nisi per accidens. Supponitur autem indiuiduum esse vnũ per se, & hęc consideratio erit realis. Quantũ autem ad cõsiderationem logicam, quærendũ est, propter quid contrahitur species ad indiuiduũ vt reponitur in prædicamẽto, ita ꝙ principiũ contractiuum dicat totam naturam indiuidui, & de eo prædicetur in recto.

Quantum ad opinionem B. Tho. quatuor agenda sunt. Primo præponetur intentio sua. Secundo declarabitur. Tertio probabitur. Quarto soluentur quædam dubia.

Circa primum aduerte quòd B. Tho. considerans duo conuenire indiuiduo materiali, scilicet incõmunicabilitatem oppositã cõmunicabilitati, qua cõmunicatur superius inferiori, & distinctionẽ à quolibet alio, posuit materiã & quantitatem esse principiũ indiuiduationis, vt habeat incõmunicabilitatem ex materia, & distinctionẽ ex quantitate. Inuenimus autem in dictis eius aliquando quod materia vt stat sub dimensionibus signatis est principiũ indiuiduationis, vt patet in expositione illius tex. 12. in quinto Metaphys. vnum vero numero sunt, &c. Aliquando quòd materia in ordine ad hanc vel illam quantitatem, vt patet in tract. de principio indiuiduationis. Aliquando quòd materia vt sub certis dimẽsionibus consideratur. In omnibus aũt his dictis non intendit aliud, nisi exponere quid intelligat per materiã signatã, vnde dicit in lib. de ente & essentia. Materia nõ quomodolibet accepta est principium indiuiduationis, sed solũ materia signata, & dico materiam signatam, quæ sub certis dimensionibus consideratur.

Circa secundum aduerte, quòd in declarando positionem B. T. non concordant Thomistæ, nam licet per materiã signatam omnes apprehendant materiã & quantitatẽ, non tamen eodem modo. Quoniã aliqui dicunt, ꝙ per materiã signatam B. T. intendit materiã cum quãtitate, quasi vnum aggregatũ. Sed hoc non potest esse, quoniã entis & vnius per se non est assignandum principiũ, quod sit vnum per accidẽs, sed aggregatum ex materia & quantitate est vnum per accidens, cum sint res diuersorum generũ & prædicamentorũ: ergo, &c. Alij dicunt, quòd materia signata importat materiam actu stantem sub quantitate, ita quòd oportet materiam iam habere quãtitatem, si debet esse principiũ distinctiuũ indiuidui à quolibet alio. Distinctio enim numeralis in his materialibus primo & per se fit per quantitatẽ. Sed nec istud est verum. Quoniam in via B. Tho. in qua tenemus nullũ accidens præcedere formam in materia, sequitur quòd in primo instanti, in quo sortes per generationem habet primũ sui esse, terminat generationem vt compositũ singulare in genere substantiæ, & tamen in illo priori nulla quantitas actu est in materia, nam quantitas pro forma corrũpenda in illo priori non est, eo ꝙ forma corrũpenda tunc habet primũ sui non esse, ad cuius definitionẽ & quantitas sua, & alia sua accidentia desinunt esse, similiter quantitas pro forma introducenda tunc non est, eo quòd subsequitur formã substantialẽ. ergo in illo priori nulla quantitas actu est in materia. & tamen in illo priori terminatur generatio præcisè vt substantialis, cuius terminus est substantia singularis, eo quòd actiones sunt singulariũ ex primo Metaphysi. ergo singulare materiale est singulare ante omnẽ quantitatem receptam & permanentem in materia: non est ergo necesse, quòd materia signata includat actu quantitatem. Alij dicunt, quòd materia signata dicit materiam cum potentia receptiua ita huius quantitatis quòd non alterius: quæ quidem potentia & ordo determinatur sibi ab agente particulari, disponente materiam ad talem, vel talem formam, exigentem tantam, vel tantam quantitatem in materia pro sui dispositione conseruatiua: & sic ly signata non addit aliquid reale super materiam in recto, sed ordinem ad talem quantitatem: sicut potentia materiæ non addit aliquid super materiam distinctum realiter, sed tantum ordinem, vel respectum ad talem vel talem formam. Qui respectus non distinguitur realiter à materia, vt dicemus agentes de relatione & fundamento. Sic dico in proposito. & materiam signatam sic intellectam dicunt esse principium indiuidui, quoniam si indiuiduum diffiniretur poneretur in eius diffinitione materia, vt receptiua huius quantitatis & non alterius. & hic sensus meo iudicio verior est eo quòd ante omne accidens assignari potest principium distinctiuum indiuidui vt substantia est, & per hunc sensum soluentur multa argumenta aduersantium vt patebit infrà.

Circa tertium aduerte, quòd positio sic declarata potest sic probari. Materiæ signatæ, id est vt habet potentiam ad hanc quantitatem & non ad aliam repugnat primo communicari pluribus: ergo ex se primo incommunicabilis est. Sed quod est ex se primo tale est causa & principiũ quòd aliquod aliud sit tale, in quo reperitur. Sed materia signata est in quolibet indiuiduo, cui conuenit esse incommunicabile, ergo per materiam signatam vt per principium intrinsecum indiuiduum est incommunicabile & per consequens indiuiduum est indiuiduum. Quod materiæ signatæ, id est vt respicit hanc quantitatem repugnet communicari, probatur. quoniam vt sic, fit propria huius indiuidui, & exit rationem materiæ communis. Proprio autem condistincto contra commune repugnat communicari, sicut huic albedini. Quod autem hæc incommunicabilitas conueniat ex primo probatur. Quoniam quocunque alio circunscripto ab indiuiduo materiali adhuc remanet substantia incommunicabilis. Si autem auferatur materia signata loquendo realiter & non logice non potest assignari ratio, quare indiuiduum fiat incommunicabile: nam ex forma non habet, quoniam formæ secundum se competit cõmunicabilitas: ex materia secundum se nõ habet, quoniã materia secundũ se cõmunis est omni indiuiduo materiali, ex nullo autẽ cõmuni redditur res incõicabilis: ex quantitate & aliis accidẽtibus nõ habet, quoniã, vt diximus suprà, saltem natura subsequũtur substantiã indiuidui, ergo hoc solum habet ex materia signata & per cõsequens ei primo repugnat cõmunicari.

Sed dices, quòd hæc ratio non probat totale principium indiuidui: solum enim probat principium incommunicabilitatis vel indistinctionis in seipso: sed vltra hoc requiritur quòd assignetur principium distinctionis à quolibet alio.

Respondetur. Materia vt signata est principium sufficiens vtriusque

vtriusque:ex hoc enim quòd ponitur capax tãtùm huius quãtitatis fit incommunicabilis & indiuisibilis:ex hoc autẽ quòd per agens disponens respicit talem quantitatem,& nõ aliam, signatur distinctio à quacunque alia materia respiciente quãcunque aliam quantitatẽ. & per talem distinctionem signatam in materia,distinguitur indiuiduum à quocunque alio.

Circa quartum aduerte,quòd contra prædicta quædam insurgunt dubia. & primò contra dicta immediatè, & arguitur sic, Cùm hæc signatio in materia secundum te causetur, prout materia respicit hanc quantitatẽ,quæro aut hæc quantitas supponitur esse actu in materia, aut non: si sic, oppositum dictum est suprà: si non, ergo effectus præcedit causam. Hæc enim signatio ponitur in illo priori,& tamen secundum te non ponitur quantitas,quæ est eius causa.

Ad hoc respondens quidam Thomista, dicit quòd in illo priori indiuiduum non est distinctum à quolibet alio distinctione numerali,sed transcendenti.& intendit per distinctionem numeralem,distinctionem quantitatiuam: & per transcendentem distinctionem essentialem.Sed contrà,secundum viam Thomisti.in quolibet materiali ponitur vnitas transcendens,& vnitas numeralis: sed in illo priori hoc indiuiduum, puta sortes,est quid materiale: componitur enim ex materia & forma: ergo &c. Præterea materia in se nullam habet distinctionem,cùm sit pura potentia, & actus est qui distinguit: si ergo materia A debet distingui à materia B,hoc erit vel per formam,vel per quantitatem:nõ per formam,quoniam forma particularis non recipitur,nisi in materia distincta,aliter omnem aut nullam materiam informaret:ergo distinguitur per quantitatem, & per consequens indiuiduum in quo est materia distincta,distinguitur ab aliis,distinctione non solùm transcendenti,sed etiam numerali. Præterea non esset maior distinctio in illo priori inter sortem & hunc lapidem, quàm inter duo entia immaterialia, in quibus apud Thomistas est sola distinctio transcendens,& numerus transcendens, quod tamen est falsum ex se.& propterea teneo, quòd in illo priori est distinctio quantitatiua indiuiduo materiali comparato ad quodcũque aliud indiuiduum, & cum arguitur, quod in illo priori quantitas non est,ergo non potest causare illam distinctionem. Dico quòd in illo priori quantitas non est in genere causæ materialis, quoniã nondum est inhæsiuè in indiuiduo, sed vt sic non est causa signationis materiæ,imò ecõuerso materia signata est causa materialis quantitatis, eo quòd est receptiua eius. Dico autem quòd in illo priori quantitas est in genere causæ formalis,& vt sic est causa signationis materiæ, & est prior materia signata,sicut patet in simili de forma substantiali receptibili in materia vt est in potentia ad ipsam,forma enim in genere causæ materialis est posterior quã potentia materiæ,prius enim saltẽ natura,materia habet potentiam receptiuam formæ quã recipiatur forma,in genere tamen causæ formalis,forma est prior quam potentia materiæ,eo q̃ talis potentia est in materia in ordine ad formam. ergo vt sic forma est prior.Sic in proposito.Quia talis signatio nõ esset in materia si non respiceret hanc quantitatẽ & non aliam, ideo vt sic hæc quantitas est prior. Si autẽ inferas si vt sic est prior, ergo hæc quãtitas in illo priori est simpliciter, & cum non sit extra materiam, ergo est in materia, negatur consequentia, quoniam tu transis à causa formali ad causam materialem.

Sed iterum instatur, quoniam effectus in actu requirit causam in actu,signatio materiæ in illo priori est actu in materia & est effectus causatus à quantitate: ergo in illo priori quantitas est,quod est contra te.

Ad hoc dico,quòd sufficit effectum in actu habere causam formalem existentẽ non in se,sed in radice sua,nam illa quantitas & si non sit actu in se, est tamen in materia vt in radice prout sit capax huius quantitatis & non alterius actione agentis,& tu aduerte, quòd illa quantitas existens vt in radice in materia non debet dici forma talis signationis, sed ratio formalis, sine qua non esset talis signatio, & ideo concesso q̃ sit necesse omnem verè formã esse actu, si effectus eius est actu, non tamen id à quo sumitur ratio formalis, necesse est esse actu sicut patet in potentiis actiuis, quarũ rationes formales sumuntur ab actibus, vt declaratum est, in secundo de Anima,& tamen sunt priores, saltem natura suis actibus.

Sed iterum est dubium contra prædicta. Dictum est enim quòd per materiam signatam intelligitur materia cum potentia receptiua huius quantitatis.nam ex hoc sequitur materiam signatam dicere aggregatum ex substantia & accidente, cuius contrarium dictum est suprà. Consequentia probatur, quoniam potentia ad hanc quantitatem est in eodem prædicamento cum quantitate, nam ex duodecimo libro Metaphysic. potentia ad rem alicuius prædicamenti est in eodem prædicamento, & dicit Commenta.in tertio Physic.potentia ad vnumquodque prædicamentum est in illo genere prædicamenti, quod est actu. Sed quantitas est in prædicamento accidentis. ergo & potẽtia receptiua quantitatis,cum ergo materia sit substantia & potentia receptiua quantitatis sit accidens, sequitur quòd materia signata dicat aggregatum ex substantia & accidente.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem dico quòd illa propositio,potentia est in eodem genere cum actu,cuius est receptiua, non est vera nisi respectu illius actus,quem primo & per se respicit, non autem quem secundario respicit,aliter sequeretur quòd anima vt receptiua suarum potentiarum, quæ comparantur ad animam sicut actus ad potẽtiam, esset in prædicamento qualitatis, sicut potentiæ suæ.Dico igitur quòd potentia materiæ,quę est receptiua huius quantitatis, est substãtia, & est idem re cum materia,quoniam primo & per se respicit formam hãc, vel illam substantiale, sed quia non potest recipere talem formã nisi sit receptiua talis quantitatis, ideo secundario respicit hanc vel illam quantitatem. Sed, vt diximus propter actum secundario respectu non est necesse potentiam esse in eodem genere cum tali actu,& si hanc distinctionẽ de actu primo & secundario respectu considerasset Tho. Caietanus, Super primam partem B. Tho. q. 29.art.2.non retractasset id quod dixerat de materia signata in suo commẽto super librũ de ente & essentia,capite secũdo.

Hæc dicta sint de principio indiuidui ad mentem B.Tho.secundum considerationẽ realem,nunc autem quid dicendum sit,secũdum considerationem logicam inuestigãdum est. Aduerte igitur quòd principium indiuidui secundum considerationem logicam est illud, per quod indiuiduum vt est vnum numero reponitur in prædicamento sub specie specialissima. Illud autem est gradus indiuidualis à quo sumitur differentia indiuidualis, contrahens speciem ad indiuiduum. Imaginandum est enim quòd sicut gradus specificus,à quo sumitur differentia specifica contrahit genus ad speciem,sic gradus indiuidualis cõtrahit speciem ad indiuiduum. Qui gradus differt à materia signata,quoniam illa est pars indiuidui,iste autem gradus dicit totam substantiam indiuidui, à quo gradu sumitur differentia indiuidualis,quæ prædicatur in recto de indiuiduo, sicut differentia specifica prædicatur in recto de specie.

Sed dices, si tu ponis differentias indiuiduales, ergo coincidis cum opinione Scoti, quod est contra communem opinionem Thomistarum.

Respondetur,licet concedamus differentias indiuiduales, tamen non conuenimus cum Scoto quantum ad principia vnde sumuntur. nam Scotus imaginatur quòd differentia indiuidualis sumatur ex parte formæ, credit enim quòd sicut differentia specifica contrahit naturam genericam, ita differentia indiuidualis contrahit naturam specificam, etiam si non esset materia signata,& propterea tales differentias indiuiduales ponit etiam in separatis, vnde tenet quòd in eis possunt esse plura distincta numero sub eadem specie,nos autem dicimus quòd assignantur ex parte materię signatę,quoniam remota materia signata non possumus assignare modum, quo natura specifica sit plurificabilis in plura numero, cum non sit distinguibilis per differentias formales, sicut est distinguibilis natura generica, vnde sicut nesciremus contrahere animal ad hominem & leonem nisi essent formæ partium, puta anima intellectiua, & anima leonis,à quibus sumuntur differentiæ specificæ, sic nesciremus contrahere naturam hominis ad hunc vel illum hominem nisi essent materiæ signatæ, à quibus sumuntur diuersæ differentiæ indiuiduales,quibus vnumquodque indiuiduum constituitur in prædicamento sub specie sua, & à quolibet alio distinguitur, est enim natura differentiæ apud Porphyrium constituere & distinguere id,cuius est differentia.

Quod autem secundum considerationem logicam sit necesse ponere principium indiuidui talem differentiam indiuidualem sic probatur, Sortes vt est ens per se substantialiter, id est,ante omne suum accidens ponitur in prædicamento substantiæ, quoniam si consideratur substantia Sortis cum accidentibus suis non est vnum per se & per consequens vt sic non est in prædicamento,ens enim diuisum in decem prædicamenta est ens per se, ex sexto Metaphysic.ergo est necesse vt in Sorte sit aliquod contractiuum naturæ communis ad indiuiduum. Sed hoc non est quantitas, cùm enim sit accidens,est posterior Sorte sumpto substantialiter. nec est materia signata, quoniam contractiuum alicuius in linea recta prædicamentali contenti dicit totum & prædicatur in recto sicut

sicut patet de sensitiuo contrahente animatum ad animal, & de rationali contrahente animal ad hominem. Sed materia signata cùm sit pars non prædicatur in recto, prædicatur autem in recto differentia indiuidualis, eo quod differentia totum dicit: ergo à sufficienti diuisione necesse est ponere differentiam indiuidualem principium indiuidui.

Sed aduerte,quod sicut ignoramus differentias specificas & propterea non possumus eas nominare nisi imperfectè, ita ignoramus differentias indiuiduales indiuidualiter, ideo nescimus eas nominare nisi per hæcheitates sumptas ex diuersa signatione materiæ, vt in hoc distinguatur via nostra à via Scoti.Hæc de opinione Thomistica dicta sint.

Quantum ad opinionem Scoti,duo agenda sunt.Primò ponetur mens sua & declarabitur. Secundò ponentur fortiores rationes suæ & soluentur.

Circa primum aduerte,quod Scotus in secundo sen.distinct. tertia,quæstione sexta,tenet indiuiduum fieri indiuiduum, vel naturam specificam trahi ad indiuiduum per aliquam entitatem positiuam incommunicabilem simpliciter, quæ dicitur hæcheitas,quam non ponit esse materiam,nec formam, nec compositum,sed est modus omnium, quasi modificans ea, & est vltima realitas eorum,non tamen distincta realiter ab eis. Hæc est mens Scoti, quam intendo declarare aliquibus conclusionibus sicut declarant sequentes viam Scoti.

Prima conclusio, natura specifica contrahitur ad esse indiuiduale per aliquid positiuum:probatur, duo indiuidua sub eadem specie conueniunt in natura speciei & differunt abinuicem:si differunt differentiis differunt, sed differentia est aliquod positiuum tum etiam sit passio entis ex libro decimo Metaphysicæ; ergo, &c. Præterea negatio vt negatio non est contractiua entis realis, cum igitur indiuiduum sit illud ad quod contrahitur natura communis, sequitur quod non potest contrahi per negationem,sed per aliquod positiuum.Præterea constitutiuum speciei est positiuum, scilicet differentia specifica, ergo cõstitutiuum indiuidui est aliquod positiuum: probatur consequentia, vnitas numeralis maior est vnitate specifica, ergo si species redditur vna & indiuisibilis per aliquod positiuum multo magis indiuiduum.

Secunda conclusio.Illud positiuum constituens indiuiduum est de se hoc,& indiuisibile, & incommunicabile. Probatur, constituens communicabile non constituit incommunicabile,aliter constitueret sibi oppositum.Sed indiuiduum est constitutum incommunicabile;ergo positiuum constituens est incommunicabile,& per cõsequens est de se hoc & indiuisibile.

Tertia conclusio, differentia indiuidualis in aliquibus conuenit & in aliquibus differt à differentia specifica, Probatur, conuenit quidem in hoc,quod sicut differentia specifica comparatur ad genus sicut actus ad potentiam,eo quod genus determinatur & contrahitur per ipsam, sic differentia indiuidualis comparatur ad naturam specificam,vt actus ad potentiam & contrahit ipsam, differt autem in hoc quod differentia specifica non remouet omnem diuisibilitatem à natura specifica: licet enim remoueat diuisibilitatem in vlteriores species,non tamen impedit,quin possit diuidi in plura numero, differentia autem indiuidualis remouet omnem diuisibilitatem, eo quod constituit hoc, cui repugnat diuidi in plura. Item conueniunt in hoc quod sicut differentia specifica sumitur à forma, vel realitate formæ, sic & differentia indiuidualis,sed differunt in hoc,quoniam differentia specifica aliquando sumitur à forma distincta realiter à forma, à qua sumitur genus, vt rationale sumitur ab anima intellectiua & corpus, vt genus à corporeitate: quæ secundum Scotum sunt formæ distinctæ etiam in eodem composito,aliquando autem sumitur ab eadem forma, à qua sumitur genus, sed ab alia & alia realitate formæ eiusdem vel alio & alio conceptu formali, sicut supposito quod anima intellectiua non distinguatur in homine ab anima sensitiua, ab eadem vt dat esse sensitiuum sumitur genus animal ab eadem vt dat esse intellectiuum rationale differentia, differentia autem indiuidualis semper sumitur ab vltima realitate formæ, & habet conceptum simpliciter simplicẽ,&est primo diuersa ab omni alia differentia.

Item differunt in hoc quod differentia specifica est de esse quidditatiuo,&de ratione ac intellectu formali ipsius speciei, & ideo dicitur forma, differentia autem indiuidualis non est de esse quidditatiuo,nec de intellectu speciei,potest enim homo vt homo intelligi sine omni differentia indiuiduali, sicut potest intelligi genus sine differentiis specificis,vnde differentia indiuidualis, respectu speciei dicitur materia, quia est extra rationem speciei & de hac materia intelligit Philosophus in quinto Metaphysicæ,textu duodecimo, cùm dicit, vnum numero sunt quorum est materia vna numero.

Hæc fuit imaginatio Scoti de principio indiuidui, quæ potius est narratiua, quam probatiua, quoniam hæc declaratio supponit illas differentias indiuiduales sumptas ab vltima realitate formæ, quod Thomista negat vt diximus declarantes mentem Beati Thomæ.

Circa secundum aduerte, quod Scotus format aliquas rationes propositione diffentiarum indiuidualium, quas ponit principia indiuiduorum,& format aliquas rationes ad destruendum positionem Beati Thomæ,quibus conatur probare quod materia cum quantitate non est principium indiuidui, Propositione differentiarum indiuidualium formantur duæ rationes.

Prima ratio. Ad differentiam indiuidualem sequitur primo vnitas numeralis, ergo est primum principium vnitatis numeralis,& per consequens indiuidui. Consequentia est de se manifesta, antecedens probatur: vnitas numeralis non sequitur ad quidditatem,quoniam de se non est hæc:nec ad differentiam specificam, quoniam non est princip. nisi vnitatis specificæ,quæ est minor vnitate numerali:nec ad aliquod accidens,etiam si illud sit hæc determinata quantitas: quoniam sicut entitas substantialis indiuidui præcedit natura omne suum accidens,sic vnitas substantialis numeralis:ergo,&c.

Respondetur nego antecedens,ad probationem dico quod diuisio est insufficiens, non enim est propter aliquam ex causis assignatis,sed propter materiam signatam,quæ,vt diximus supra,est primum principium constitutiuum indiuidui materialis & distinctiuum eiusdem à quolibet alio.

Secunda ratio,duo indiuidua propriè differunt,ergo eorum differentia reducenda est ad aliqua primo diuersa, Sed hæc non possunt esse nisi suæ hæcheitates,ergo sunt principia, quibus constituuntur & differunt indiuidua. Quod autem primo diuersa non possint esse alia, quam suæ hæcheitates,probatur: non est natura specifica, quoniam in illa conueniunt, non est materia prima in hoc& in illo, quoniam illa est eiusdem rationis in vtroque,non est quantitas in hoc &in illo,quoniam, si istæ duæ quantitates essent primo diuersæ,aut seipsis, & hoc non, quia distinguerentur specie,aut sitibus, & hoc non, quia vel situ,quod est prædicamentum,& hoc non, quia consequitur quantitatem,sicut relatiuum consequitur absolutum, vel situ, qui est differentia quantitatis, & hoc non, quia illi situs aut distinguuntur seipsis,aut aliquo alio,non seipsis,quia ex seipsis non sunt hi,si aliquo alio, quæro de illo alio, & sic in infinitum.

Respondetur quod duo indiuidua differunt numeraliter per suas quantitates, vt per principia prima distinctiua, quantitates autem differunt suis sitibus prout situs dicit ordinem partium in toto, situs autem differunt ordinibus partium, ordines autem distinguuntur seipsis, eo quod de ratione ordinis est distinctio,& hic est status.

Contra autem viam Beati Thomæ,de principio indiuidutionis Scotus & sequentes ipsum multipliciter arguunt: & quoniam vt in pluribus eorum argumenta concludunt quod nec materia est principium indiuiduationis, nec quantitas, quod concedimus sumendo materiam præcisè & quantitatem præcisè, ideo talia argumenta transeant: non enim militant contra nos qui tenemus non materiam præcisè, sed materiam vt respicit hanc quantitatem modo quo supra declarauimus, quam solemus nominare materiam signatam esse huiusmodi principium. Tu tamen si vis videre & Scoti & Aureoli & Durandi argumenta, quibus suadent sibi impugnare mentem Beati Thomæ,quamuis nec sensum attingant,lege in Capreolo in secundo lib,distinctio.tertia,quæstio.prima contra secundam conclusionem, & quoniam non assumpsi onus rectandi,sed resoluendi,quam resolutionem pro hac materia arbitror sufficienter contineri in prædictis, ideo pertranseo.

Sed tu aduerte adhuc vnum remanere dubium,quod consurgit ex dictis Beati Thomæ, in quibus videtur repugnantia. Nam quoniam Beat. Thom. concedit quantitatem esse principium indiuidui eo modo, quo supra exposuimus, quæritur vtrum ipse intelligat de quantitate interminata vel terminata.Non primo,quoniam in hoc aduersatur Commentat. nolens concedere aliquam quantitatem præcedere formam in materia.Non secundo,quia sequitur quod Sortes puer,& Sortes vir non sit idem indiuiduum: nam quantitas terminata, puta cubitalis, quæ est in Sorte puero, non remanet in Sorte viro,sit enim bicubita, variato autem principio formali indiuidui variatur ipsum indiuiduum. Videtur ergo quod in via Beati Thomæ, non possit sustineri, quantitatem vllo modo esse principium indiuidui.

Respondetur. Quantitas terminata potest sumi dupliciter: primo pro quantitate, quæ est sub certo termino, nec potest fieri major, aut minor per rarefactionem, vel condensationem, sicut est quantitas cœli: secundo pro quantitate vt est sub certo gradu, vel termino, potest tamen fieri maior aut minor, vt quantitas bicubita huius aquæ. Quantitas interminata potest dici tripliciter: Primo quia sit actu infinita, secundo quia nullius sit certi termini, licet non sit actu infinita, puta quia non est cubitalis, nec bicubitalis, nec ab aliquo alio numero potest denominari: tertio quia licet sit semper in rerum natura sub aliquo termino, tamen consideratur vt non sub hoc, vel illo termino, sed secundum quandam latitudinem, vt declarabitur. Ex his dico ad argumentum, quòd quantitas interminata non primo, nec secundo, sed tertio sensu est principium indiuidui; nam est imaginandum, quòd licet quantitas qua redditur materia Sortis diuisa à quacunque alia materia sit semper sub certo termino, quia in principio est puta vnius digiti, deinde vnius palmi, deinde vnius cubiti, &c. tota tamen hæc quantitas considerata secundum totam latitudinem, quæ est inter maximum & minimum, sub quibus potest seruari natura talis speciei in tali indiuiduo est principium indiuidui. Dico insuper, quòd quantitas terminata vt opponitur interminatæ primo & secundo modo, est principiũ indiuidui, eo quod omnium naturalium est terminata magnitudo: ex his concordantur dicta Bea. Thom. Quando dicit super Boëtium de tri. quòd quantitas terminata non est principium indiuidui accipit terminatam, vt opponitur interminatæ in tertio sensu: nam quantitas sic terminata est quæ est sub certo termino, & consideratur præcisè vt est sub tali termino: & verum est, quòd vt sic non est principium indiuidui, quoniam cum illa varietur & accipiat alium terminum non remaneret idem indiuiduum. Quando autem dicit in opusculo de principio indiuiduationis, quòd quantitas terminata est principium indiuidui, accipit terminatam vt opponitur interminatæ primo & secundo sensu & specialiter vt contradicit Comment. non enim Bea. Thom. concedit dimensiones interminatas, vt præcedunt formam, & ideo cum neget eas, negat etiam in eodem sensu quòd sint principia indiuidui: patet ergo quomodo potest saluari in via Beat. Thom. quòd quantitas terminata & interminata sunt principia indiuidui. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVI.

Si prædicamenta distinguuntur secundum diuersos modos prædicandi.

Et dicuntur entia per se quæcunque significant
figuræ prædicamentorum: sunt enim
secundum numerum eorum
quæ dicuntur. Tex. 14.

Conclusio. Prædicamenta pro rebus prædicamentalibus præcisè sumptaõ distinguũtur nisi se ipsis: sed vt subiecta secundis intentionibus ex modis prædicandi distinguuntur fundatis super prædicamentalẽ: resolutione autem & vltimate per varios esseẽdi modos, vel actu distinctos ex modo correspondendi.

IN hac quæstione aduerte, quòd tres inuenio opiniones. Prima est Scotistarum, vt patet in Ant. And. in 5. metaph. q. 7. qui tenet quòd non distinguuntur per diuersos modos prædicandi, sed per diuersos modos essendi, non quidem distinctos realiter, sed ex natura rei: cuius probationes soluam infrà. Secunda est Heruei, qui in quolibet 1. q. 9. innuit quòd prædicamenta non necessario distinguuntur realiter, sed per operationem intellectus speculatiui possibilis, quæ operatio est intellectio, vnde per diuersos modos intelligendi eandem rem formari possunt diuersa prædicamẽta, sicut dicemus infrà de relatione & fundamento, non autem concedit quod distinguantur per diuersos modos essendi, imò contra hoc arguit in quolibet 2. q. 7. cuius argumenta adducemus infrà & soluemus. Tertia opinio est B. Tho. qui tenet quòd distinguuntur per diuisos modos prædicandi & intelligendi & essendi. Circa igitur mentem B. Tho. immorantes tria agemus. Primo præponentur quædam distinctiones. Secundo quædam conclusiones responsiuæ. Tertio soluemus argumenta Ant. And. & Heruei.

Quantum ad primum aduerte quatuor distinctiones in hoc proposito.

Prima, prædicamentum sumitur tripliciter, primo pro intentione quæ dicitur prædicamentalitas, quæ est ordo vel relatio inter genera & species secundum diuersum modũ prædicandi secundum sub & suprà, & hoc modo non intendimus hic loqui de prædicamento, quoniam vt sic est secunda intẽtio, & est de mera consideratione logici: secundo sumitur pro rebus prædicamentalibus, vt res sunt, vt substantia, quantitas, qualitas, &c. nec sic etiã loquimur, quia vt sic non sunt prædicamenta formaliter, sed entitates, 3. sumitur pro rebus vt stant sub intentione prædicamentalitatis, & sic intendimus loqui hic, puta pro re quæ est substantia vt fundat intentionem generalissimi & subalterni & specialissimi, & hoc tertio modo est complectens ens reale & ens rationis: nam primo modo est ens rationis, secundo modo est ens reale, tertio modo est complectens vtrunque.

Secunda, modi prædicandi sunt in duplici differentia. Quidam sunt cõstituti siue excogitati per opus intellectus discursiui non fundati in aliquo reali correspondente, & dicuntur excogitati, vel fictitij, vt chimæra est animal, Saturnus est Deus. Quidam sunt fundati super rem diuersimode correspõdentem ex sui natura istis modis prædicandi, vt esse principium, & esse finem prædicatur de puncto, eo quòd super naturam puncti vterque modus prædicandi verè fundatur.

Tertia, modi essendi in re sunt in duplici differentia, quidam sunt distincti actu, sicut esse album & esse dulce in pomo: sumuntur enim à distinctis qualitatibus dantibus distincta esse: quidam sunt distincti non actu, sed ex modo correspondendi distinctis conceptibus, & hoc est quando eadem res habet quidem vnum modum realem & essentialem essendi, tamen vt cadit sub intellectu potest fundare plures conceptus, & vt fundat vnum conceptum distinguitur ratione à seipsa prout fundat alium conceptum: & hæc fundamenta distincta ratione dicuntur distincti modi essendi, non actu, sed correspondenter.

Quarta, principia distinctiua aliquorum sunt duplicia. Quædam proxima, quædam vltimata, & hæc sunt illa, in quibus fundantur principia proxima, sicut in elementis principia distinctiua proxima sunt qualitates contrariæ, vltimata autem sunt formæ substantiales eorum.

Quantum ad secundum aduerte tres conclusiones responsiuas.

Prima prædicamenta sumpta præcisè pro rebus prædicamentalibus non distinguuntur nisi seipsis: probatur quoniam sunt primo diuersa: in nullo enim vniuoco conueniunt, & quoniam propositio in qua vnum prædicamentum negatur de alio, est immediata ex primo posteriorum.

Secunda, prædicamenta sumpta pro rebus prædicamentalibus vt stant sub intentionibus secundis proximè & immediatè distinguuntur per modos prædicandi fundatos super rem prædicamentalem.

Probatur quo ad primam partem, nam prædicamenta sumuntur formaliter à prædicatione, ergo secundum diuersas prædicationes habent distingui: vnde & categoriæ dicuntur. Quantum ad secundam partem probatur: nam si non fundarentur super rei naturam, ita posset reponi ens fictitium & ens rationis in prædicamento, sicut ens reale, quod tamen est falsum, quoniam ex 6. metaphy. ens diuisum in x. genera est ens extra animam.

Tertia, prædicamenta distinguuntur resolutiue & vltimate per diuersos modos essendi, vel actu distinctos, vel distinctos ex modo correspondendi, vt declarauimus in 3. distinctione: probatur, nã modi prædicãdi fundantur super modos intelligendi, sicut enim intelligimus sic prædicamus & enunciamus, modi autem intelligendi fundantur super modos essendi quoniam conceptus fundatur in re nisi sit vanus, ergo distincti modi prædicandi & distincti conceptus non vari fundantur super distinctas res, vel super eandem rem diuersimode ex sui natura conceptibilem. Dixi autem vel distinctos ex modo correspondendi, quoniam non est necesse omnia prædicamẽta distingui realiter, sicut declarabitur infra de relatione & fundamento, & de actione & passione.

Ex his ergo patet quòd non fuit mens B. Tho. prædicamenta distingui tantum per modos prædicandi vel tantum per modos intelligendi vel tantum per modos essendi, sed per hæc omnia, diuersa tamen ratione vt docuimus in secunda & tertia conclusione.

Quantum ad tertium aduerte quòd Ant. And. non penetrauit mentem & sensum B. Tho. & ideo satis leuiter arguit contra eum, similiter Heruei, soluemus igitur eorum argumenta.

Primo sic arguit Ant. And. modi prædicandi sunt tantũ duo scilicet in quid & in quale, & tantum 4. prædicata ex 1. topicorum: ergo tantum sex erunt prædicamenta.

Respondetur negatur antecedens sumendo modos prædicandi non simpliciter, sed vt fundatos super modos essendi. Dico enim quòd illi sunt x. & non tantum 6. vnde æquiuocat de modis prædicandi, nec argumentum suum tendit ad sensum nostrum de modis prædicandi distinctiuis prædicamentorum.

Secundo sequitur quòd in omni prædicatione de tertio adia

diacente sit nugatio: nam cum dicitur homo est substantia per copulam intelligitur esse & ly substantia dicit esse: nam secundum te modus prædicandi substantiam de homine, fundatur in modo essendi substantiam, ergo bis dicitur esse.

Respondetur esse signatum per copulam est ens rationis, vt declarabitur in libro sexto, quando loquemur de ente vero, esse autem vel modus essendi, in quo fundatur prædicatum, est ens reale, & ideo non committitur nugatio.

Tertiò, res primæ intentionis non distinguuntur per res secundæ intentionis, sed prædicamenta sunt res primæ intentionis & modi prædicandi ac modi essendi sunt res secundæ intentionis: nam esse quãdam compositionem significat, quam nõ est intelligere sine extremis ex primo Perih. sed illa compositio causatur ab intellectu, ergo & esse: quod autem causatur ab intellectu est ens secundæ intentionis: ergo, &c.

Respondetur, nego quod illi modi essendi sint res secundæ intentionis. Ad probationẽ nego quod esse in quo fundantur prædicamẽta de prima substantia significet compositionẽ factam ab intellectu: & ad dictũ Philosophi in primo Periher. dico quod non loquitur nisi de esse signato per copulam verbalem, quod est ens rationis: quod non est intelligere sine extremis, quoniam cum sit ens verum consistit in compositione vel diuisione, quæ non possunt intelligi sine extremis.

Quartò sequitur quod in omni prædicamento sunt duo prædicamenta, nam in quolibet prædicamento sunt duo modi prædicandi, scilicet abstractiuè, vt albedo est color, & concretiuè vt Sortes est coloratus: ergo, &c.

Respondetur, prædicamenta non distinguuntur per quoscunque modos prædicandi, sed per modos prædicandi de prima substantia, nego autem quod res aliquius prædicamenti prædicetur de prima substantia in abstracto. Hæc enim est falsa, Sortes est albedo.

Quintò sequitur ex responsione ad quartum quod accidentia sumpta in concreto sint prædicamenta, puta quantum & non quantitas: sic enim prædicantur de prima substantia, & tamen hoc est falsum, & est contra Auicen. in tertio suæ Metaphysic. capite secundo, vbi probat quod si aliquod est genus est inquantum prædicatur in quid: ergo si quantitas siue qualitas est genus est inquantum prædicatur in abstracto & in quid de suis inferioribus, & non inquantum prædicatur in concreto de prima substantia.

Respondetur in prædicamento sunt duo, primo est modus prædicandi de prima substantia, secundo est modus prædicandi de suis inferioribus: nam qualitas prædicatur de forte & de habitu & de naturali potentia, &c. A modo primo sumitur ratio distincti prædicamenti, nisi enim alio modo prædicaretur qualitas de prima substantia, alio modo quantitas, alio modo relatio, non posset assignari ratio quare sint distincta prædicamenta. A modo secundo sumitur ipsum prædicamentum intrinsecè, nam si in qualitate nõ esset assignare generalissimum subalternum & specialissimum nõ esset prædicamentum. Dico ergo ad argumentum quod consequentia est falsa, ad probationem dico, quod non est necesse quod eo modo sint prædicamenta, quæ prædicantur de substantia prima, sed quod à tali prædicatione sumatur ratio distincti prædicamenti, est autem prædicamentum vt in tali natura fundatur generalissimum subalternum, & specialissimum, & sic patet quod opinio nostra non est contra Auicen. imò saluamus eum.

Sextò, si distinguuntur per diuersos modos prædicandi aut illi modi sufficiunt ad causandam distinctionem prædicamentorum, aut vltra illos requiritur diuersitas rerum, à quibus illi modi sumuntur: non primum, quoniam magis distinguerentur homo & asinus, cùm distinguantur realiter, quam duo prædicamenta quæ secundũ te non necessario distinguuntur realiter, sed per solos modos prædicandi: non secundum, quoniam sequitur quod distinctio prædicamentorum secundum diuersos modos prædicandi non erit prima, quod est contra te, & hæc consequentia probatur, quoniam res quæ prædicatur est prior quam modus prædicandi, ergo aliquid distinguit prædicamenta, priusquam modus prædicandi.

Respondetur diuisio est insufficiens, quoniam non sufficit præcisa distinctio secundum modos prædicandi, sumptos absolutè, nec requiritur de necessitate diuersitas in rebus in quibus fundantur distincta prædicamenta, sed requiritur distinctio secundum modos prædicandi sumptos à modis essendi, qui modi sint distincti aut actu aut correspondẽter, sicut iam declarauimus: vnde argumentum suum non tangit nos: sed dices, saltem sequitur quod sortes & asinus magis distinguantur quàm aliqua duo prædicamenta. Respon. conceditur quo ad distinctionem realem, non autem quo ad formalem, quæ est maxima inter prædicamenta, cuius signum est quod quando negatur prædicamentum à prædicamento, est propositio immediata ex primo posteriorum, non autem quando negatur species à specie, quoniam conueniunt in genere, nec quando negatur genus subalternum ab alio genere, quoniam conueniunt in generalissimo: sed dices, ergo distinctio entis per se in decem prædicamenta non erit distinctio in entia diuersa realiter, quod videtur esse contra Philosophum in sexto Metaphysicæ. Respondetur dicemus infra de hoc, quando quæremus quomodo distinguuntur sex vltima prædicamẽta à quatuor primis & quomodo inter se.

Et quoniam Anto. Andr. vltimo probat quod distinguuntur per diuersos modos essendi. Quod & Bea. Thom. concedit in quæstionibus de veritate quæstione prima, articulo primo quod sic debet intelligi, sicut diximus supra, scilicet non immediate & formaliter, sed vltimate siue resolutiuè, eo quod modi prædicandi reducuntur ad modos intelligendi, & modi intelligendi ad modos essendi, ideo argumentum illud non est à nobis soluendum, licet deducat ad probandum quod primo & immediatè distinguuntur per modos essendi: hoc quidem negamus & concedimus in sensu prædicto, scilicet vltimate & resolutiue.

Herueus autem in quolibeto secundo in quæstione septima, arguit quatuor mediis quod non distinguuntur per diuersos modos essendi.

Primò, quæro aut in ratione istorum modorum includitur ens cõmune, aut non: si sic, contra, contractum non est de ratione contrahentis, aliter genus esset de ratione differentiæ, cuius oppositum tenet Philosophus in tertio Metaphysicæ, si non, ergo isti modi sunt diuersi ab ente communi, ergo sunt non ens, ergo prædicamenta distinguuntur per non ens, quod est absurdum.

Respondetur, dico quod includitur, & cum probatur quod non, dico quod illa propositio, contractum non est de ratione contrahentis non est vera, nisi in differentiis propriè dictis, quales non sunt isti modi, & iam determinauimus in libro quarto, quæstione quinta, quod ens ingreditur rationem cuiuscunq; conceptibilis, dico ergo quod ad hoc quod isti modi contrahant ens, sufficit quod dicant aliquid formaliter, quod non explicatur per conceptum entis communis, sicut etiam diximus in libro quarto loquentes de transcendentibus.

Secundò, quando dicitur substantia est ens per se, quæro ly per se aut tenetur positiuè, aut negatiuè, nõ positiuè, quoniam dicere quod hoc sit ens per se positiuè, idem est ac si diceretur quod est causa sui ipsius: quod est impossibile in quolibet genere causæ, non negatiuè quia ens contraheretur ad substantiam per aliquod negatiuum, & sic tale esset de ratione substantiæ, quod est falsum.

Respondetur, potest teneri positiuè & negatiuè: & quando probatur quod non positiuè, dico quod ly per se non dicit causalitatem, sed modum proprium essendi substantiæ, quo distinguitur ab accidente: nam esse ens per se & esse ens in alio sunt modi oppositi, & quando probatur quod non tenetur negatiuè, dico quod non inconuenit aliquid negatiuum esse de ratione substantiæ vt cadit sub nostro intellectu: nam prima genera & simplicia sicut & abstracta per negationem apprehendimus.

Tertiò quando dicitur, accidens est ens in alio, ly in alio dicit habitudinem quæro de illa habitudine aut dicit relationẽ realem, aut relationem rationis: non rationis, quia ens rationis non contrahit ens reale, nec est de ratione eius, nõ realem, quia aut contrahit ens absolutum, aut relatum, non relatum quia nihil seipsum contrahit: non absolutum, quia cum relatio & absolutum ad diuersa genera pertineant, vnum genus non contrahit alterum genus: ergo, &c.

Respondetur illa habitudo est realis, non quidem ad, sed in: & dico quod contrahit ens reale commune vt abstrahit ab absoluto & relatiuo, & quando dicit quod relatio & absolutum ad diuersa genera spectant, non est verum nisi de relatione & absoluto prædicamentali, habitudo autem designata per ly in alio, est relatio transcendens, ideo argumentum non sequitur.

Quartò, isti modi essendi, aut sunt de intranea formalitate contentorum, aut non: si sic, ergo esse in alio est ita de ratione formali quãtitatis, sicut rationale de ratione hominis: sed hoc est falsum, vt patet in sacramẽto: si nõ, ergo nõ essentialiter cõtrahunt eos ad prædicamẽta, nec essentialiter distinguunt ea.

Respondetur, loquendo Metaphysicè, secluſa via fidei apud Philosop. esse in alio actu & non solum aptitudine est inseparabile à quantitate, ita quod non potest dari quantitas actu,

nisi actu sit in alio, vnde isti modi essentialiter distinguunt & contrahunt ens, sed de hac inhærentia quæstio fiet in lib. 7. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVII.

Quæ substantia sit genus generalissimum & quæ sit ratio sua.

Dicuntur autem hæc omnia substantia quia non de subiecto dicuntur. Tex. 15.

Conclusio. Substantia quæ genus generalissimũ est, est ens per se alia sustentãs finitæ entitatis & perfectionis.

CIrca hanc quæstionem aduerte, quòd apud philosophum in prædicamentis, & in hoc quinto lib. non est expressus modus substantiæ, quo sit genus generalissimum. nam substãtia diuisa in prædicamentis per primam & secundam non est generalissimum genus. est enim vt sic diuisa dicta à substare, quod quidem primo & principaliter conuenit substantiæ primæ, secundæ autem conuenit per primam in qua est, ergo substantia vt sic diuisa est quid analogum, & per consequens non est generalissimum, quoniam omne genus quoddam vniuocum est secundum logicum. Præterea, omne generalissimum prima diuisione diuiditur in genera subalterna, quorũ quodlibet vniuersale est: constat autem primam substantiam non esse quid vniuersale: ergo, &c. similiter inspicienti hic in 5. lib. constat quòd nullus modus assignatus à philosopho, est genus generalissimum. Vt igitur propositum resoluatur primo inuestigabimus per diuisiones genus generalissimum substantiæ, secundo quæ sit sua forma aïs ratio.

Quantum ad primum aduerte quòd substantia dupliciter sumitur: primo pro qualibet rei essentia, etiam si sit accidens, & sic eam sumit Arist. in anteprædicamentis diffiniens vniuoca & æquiuoca: secundo sumitur pro re subsistente in se, & sustentante alia, quæ sunt accidentia: & in hac diuisione substantia est terminus æquiuocus. ergo non est genus generalissimum.

Substantia secundo modo dicta prima diuisione diuiditur in primam & secundam, prout dicitur substantia à subsistando, & vt sic est quid analogum, quoniam secunda non subsistat nisi per primam in qua est: secunda diuisione diuiditur per finitam & infinitam secundum perfectionem & etiam vt sic est quid analogum, eo quòd prius dicitur de infinita, quæ quoniam continet perfectiones omnium generum non determinatur ad vnum genus entium. Relicta infinita quæ non potest in plura diuidi, aduerte quòd finita diuiditur per corporeã & incorpoream, & sub incorporea continentur omnes intelligentiæ præter primam causam, sustinendo illam esse virtutis infinitæ, corporea autem diuiditur per animatum, & inanimatum: & animatum diuiditur per sensitiuum & non sensitiuum, & sensitiuum diuiditur per rationale & irrationale, &c. Ex his diuisionibus elicio quòd substantia vt est genus generalissimum est ens per se, alia sustentans diuisa per corpoream & incorpoream finitæ entitatis & perfectionis: dico finitæ entitatis. quoniam licet incorporea infinita non determinetur ad aliquod prædicamentum propter vniuersalissimam continentiã perfectionum omnium generũ, tamen si daretur substantia corporea infinita dimẽsiue, finita tamen secundum entitatem adhuc esset in prædicamento: vnde Auic. in lib. 2. suæ metaphy. c. 2. sic dicit finito accidentale est corpori & concomitans. & ideo ad imaginandum corpus non est necesse imaginari ipsum finitum, qui autem imaginatur corpus infinitum non imaginatur corpus non corpus, hæc ille.

Quantum ad secundum aduerte quòd vt substantiæ prædicamentum distinguatur à prædicamentis accidentium debet de eo formari talis ratio, substantia est ens non in subiecto inhærenter existens in esse participato, dico non in subiecto inhærenter, quoniam & forma substantialis est in materia vt in subiecto, non tamen inhærenter, & ideo propter hoc non desinit esse substantia, accidens autem quia est in subiecto & inhærenter, ideo non est substantia. Dico in esse participato, vt excludatur à prædicamento prima causa quæ est ens per essentiam & est sua essentia, omne autem contentum in prædicamento habet quidem essentiam & quidditatem, sed non est sua essentia, nec sua quidditas.

Aduerte tamen quòd hæc ratio non cõuenit primo & per se nisi substantiæ completæ in specie sua, quales sunt intelligentiæ & substantiæ compositæ, illis autem, quæ habent rationem partium siue essentialium, vt formæ & materiæ, siue integralium vt capiti & pedi conuenit secundario & secundum quid, eo quòd non sunt in prædicamento nisi reductiue.

Hæc de præsenti quæsito dicta sint, nec maior difficultas occurrit circa prædicamentum substantiæ, nisi defensare quòd substantia incorporea infinita, qualis est Deus Benedictus nõ continetur in prædicamento substãtiæ: & id quidẽ defensauimus scribentes super primam partem B. Tho. in quæstione tertia, art. quinto. Quare vide illic ne idem in diuersis locis pertractemus.

QVAESTIO XVIII.

Si plura accidentia quæ sunt eiusdem speciei possunt esse simul in eodem.

Et quæcunque in eadem substantia entia, differentiam habent. Tex. 15. Super quem tex. dicit B. Tho. Quintus modus differendi specie est, quando aliqua accidentia sunt in eodem subiecto, & tamen differunt adinuicem, eo quòd impossibile est plura accidentia vnius speciei esse in eodem subiecto.

CIrca hãc quæstionem aduerte quòd varietas opinionum reddit ipsam difficilem: nam Scotistæ tenent dictum philosophi non esse vniuersaliter verum. Aliqui Thomistę vt Paulus Soncinas in 7. lib. metap. q. 4. tenet ipsum esse vniuersaliter verum. Aliqui alij Thomistæ vt Cap. in 2. di. 3. q. 2. in responsione ad argumenta facta contra nonam conclusionem tenet quòd in aliquo sensu concedi potest duo accidentia eiusdem speciei esse simul in eodem & in aliquo non. Vt igitur dicam quòd videtur mihi tenendum secundum doctrinam B. Tho. sic procedam. Primo, declarabitur quæ sit mens B. Tho. in hoc quæsito. Secundo, Quæ sit mens Scotistarum & si quæ rationes eorum sunt contra mentem B. Tho. soluentur. Tertio, Quæ sit mens Ianduni, sequentis viam Commen.

Quantum ad mentem B. Tho. aduerte quòd in diuersis locis videtur diuersimodè loqui: nam in 5. metap. exponens textum præmissum huic quæsito, videtur tenere absolute & sine aliqua distinctione partem negatiuam. & in prima parte quæst. 85. arti. 4. tenet absolute, quòd formæ eiusdem generis siue sint oppositæ, siue non, non possunt esse simul in eodem subiecto, ergo multo minus plures formæ eiusdem speciei & distinctæ solo numero: probatur consequentia, quoniam maior est distinctio specifica, quàm sola distinctio numeralis. Si igitur formæ distinctæ specie non possunt esse simul in eodem, multo minus formæ distinctæ solo numero, quæ omnem distinctionem videntur trahere à distinctione subiecti. In libro autem de sensu & sensato exponens textum qui incipit, vel quem admodum in rebus ipsis contingit, &c. videtur concedere quòd plures formæ eiusdem generis secundum esse intentionale possunt esse simul tam in sensiquàm in intellectu, vt species albi & species nigri, vnde sic inquit: Corpus naturale recipit formas secundum esse naturale & materiale secundum quod habent in se contrarietatem. & ideo non potest idem corpus simul recipere albedinem & nigredinem Sed sensus & intellectus recipiunt formas rerum spiritualiter & immateriaiter secundum esse quoddam intentionale prout non habent contrarietatem, vnde sensus & intellectus simul potest recipere species sensibilium contrariorum: cuius simile potest videri in diaphano, quod in vna & eadem sui parte immutatur ab albo & nigro, quia immutatio non est materialis secundum esse naturale vt dictum est: hæc ille. ex quibus patet quòd videtur esse contrarius his, quæ dixit in prima parte, vbi absolute negat formas eiusdem generis siue oppositas, siue non, non possi simul esse in eodem subiecto.

Vt igitur auferatur omnis apparens contrarietas ex doctrina Bea. Tho. aduerte quòd in quæstionibus de veritate, quæstione octaua, articulo decimoquarto, declarans mentem suam proponit hanc distinctionem: formæ eiusdem generis possunt tripliciter considerari. Primo vt sunt in potentia, & sic possunt simul esse quia vna potentia est contrariorum & diuersarum formarum vnius generis. Secundo prout sunt in actu imperfecto, vt quando sunt in fieri, & sic etiam possunt simul esse vt in motu dealbationis albedo est in eodem, vt in fieri & nigredo vt in corrumpi. & vt dicit in eodem artic. in responsione ad octauum, duæ formæ intentionales sunt in eodem puncto medij non absolute, & perfecte, sed vt in deferente, ex consequenti in actu imperfecto. Tertio prout sunt in actu completo & perfecto, vt quando albedo est in fine dealbationis & quando forma intentionalis actuat perfecte sensum, aut intellectum vt exeat in actũ sentiendi vel intelligendi, & vt sic non possunt simul esse in eodem subiecto, quia oporteret eandem potentiam ad diuersos actus terminari, quod est impossibile, sicut vnam lineam ex vna parte ad diuersa puncta terminari. Hæc est determinatio Bea. Tho. pro cuius notitia aduerte quòd secundum doctrinam Bea. Thom. causa sufficiens huius incompossibilitatis secundum actum perfectum non est sola oppositio, vel repugnantia secundũ esse, quæ reperitur in speciebus colorũ & saporũ in suo esse reali, vel diuersitas situs in partibus, quæ reperitur in speciebus figuræ, sed etiam vnigeneitas formarum, id est quæ sunt vnius generis proximi: nam in subiecto respectu talium formarum seruatur vnitas potẽtiæ receptiuæ, licet enim formæ diuersorum generum recipiantur in subiecto secundum diuersam potentiam, vt color propter diaphaneitatem & sapor propter humiditatem, propter quod simul stant in eodem secundum actum perfectum, tamen formæ vnius generis proximi respiciunt subiectum secundum vnam potentiam receptiuam, vt omnes species colorum respiciunt corpus secundum diaphaneitatem: & quoniam sicut potentia respicit actum ita vna potentia vnum actum, & plures potentiæ plures actus, ideo est impossibile vt vna potentia simul plures actus recipiat, nam si plures reciperet, iam non esset vna. Impossibile est igitur, quod duæ formæ eiusdem generis siue sint contrarię siue non siue secundum esse reale, siue intentionale sub actu perfecto, se compatiantur in eodem subiecto & multo minus possibile est de duabus formis distinctis solo numero, quæ ex sui natura minorem secum distinctionem ferunt. Et ex hac determinatione aufertur omnis contrarietas, quæ videtur esse in dictis Beat. Thom. nam in expositione textus præmissi in principio huius quæsiti, loquitur de accidentibus eiusdem speciei secundum esse perfectum, siue illud esse sit intentionale, siue reale, in eodem sensu loquitur in prima parte de formis eiusdem generis, in lib. autem de sensu & sensato loquitur de formis intentionalibus secundum esse imperfectum, non enim species intentionales sunt in actu perfecto in sensu & in intellectu, nisi dum actu mouent sensum ad sentiendum, vel intellectum ad intelligendum, ita quod quandiu sunt in actu perfecto, tandiu sensus vel intellectus sunt cõiuncti actui secundo, & quando cessant ab actu secundo, istæ formæ intentionales non remanent nisi in habitu, quod est esse in actu imperfecto: & simile acceptum ex diaphano non aliud concludit nisi quod in eodem puncto aëris sunt plures species intentionales sub actu imperfecto, quoniam non sunt nisi vt in medio deferente, vt dicit Bea. Thom. in quęstione de veritate, quæstione octaua, artic. decimoquarto, ad octauum.

Quantum ad secundum aduerte quod Ant. Andr. in quinto Metap. quęst. octaua, tenet dictum Philosophi non esse verum nisi de accidentibus realibus absolutis, eductis de potentia materiæ, generatis per motum, vt duo calores distincti solo numero, & ad intentum suum peruenit quinq; conclusionibus.

Prima. Duo accidentia distincta solo numero intentionalia, vt duę species duarum albedinũ possunt esse in eodem, puta in eodem puncto aëris in pupilla oculi, in imaginatiua, &c. Hanc probat vt videre poteris, & nos quidem concedimus hanc conclusionem & omnes probationes suas quo ad esse in actu imperfecto. Quod si intendit de actu perfecto, negantur conclusio, & omnes probationes suæ, nam quando probat quod sunt in eodem puncto aëris, concedo vt in medio deferente, & si arguis, ergo in actu perfecto, nego cõsequentiam: & quando probat quod sunt simul in eadem parte pupillæ & & in imaginatiua, concedo in habitu, non autem in actu perfecto, quoniam tantum tunc sunt in actu perfecto, quando visus exit in actum & imaginatiua imaginatur. Non potest autem eadem visio terminari ad duo obiecta, vnde quando visus videt albedinem A, species A est in actu perfecto in oculo, species autem albedinis B est in habitu, & quando videt albedinem B species sua est in actu perfecto in oculo, & species A remanere potest solum in habitu. Idem intellige ex parte imaginatiuæ. De responsionibus, quas illic adducit Antonius Andreas, & suis improbationibus non curamus, quia non sunt secundum doctrinam Beati Thomæ.

Secunda, duo accidentia respectiua distincta solo numero vt duæ paternitates sunt in eodem, puta in eo qui genuit duos filios. Hanc sic probat, pater dicitur quia genuit, ergo si multis actibus genuit est pater multis paternitatibus. Hanc conclusionem non tenemus, nec probatio valet, supponit enim relationem realiter multiplicari ex actibus, vel ex terminis nos autem tenemus non multiplicari nisi ex fundamento, & quia Sortes eadem potẽtia generatiua generat multos filios, ideo vna paternitate reali, refertur ad plures filios. De responsionibus autem, quas ipse adducit & improbationibus pro nunc non curamus, quoniam infra quæremus, vnde relatio habet vnitatem & pluralitatem.

Tertia, duo accidentia distincta solo numero realia & absoluta non educta de potentia materiæ per motum possunt esse simul in eodem, & exemplificat de multis memoris generantibus experimentum, quæ sunt plures cognitiones eiusdem speciei, quoniam sunt multorum singularium eiusdem speciei, aliter non generarent experimentum, & exemplificat de multis speciebus insensatis retentis in memoria causatis à singularibus eiusdem speciei, &c. Et nos quidem hanc conclusionem & probationes suas acceptamus in eodem sensu in quo acceptamus primam, & non aliter, & concedimus huiusmodi memorias & species memoratas seruari simul in habitu, non autem in actu perfecto.

Quarta, duo accidentia realia absoluta producta sine alteratione distincta solo numero, vt duo lumina, possunt esse in eodem. Probatur, ponantur duæ candelæ, vna hic & alia ibi, ponatur etiam corpus medium densum, fient duæ vmbræ, si ergo amoueatur illud corpus densum lumen vtriusque candelæ incedet incessu directo ad locum vbi erat corpus densum, & ita in eadem parte aëris erunt duo lumina: nam vmbra est priuatio luminis, ergo amoto obstaculo lumen vtriusque candelæ erit vbi vmbra præfuit, quia habitus & priuatio fiunt circa idem. Hanc conclusionem non concedimus, ad probationem dicimus quod posito illo casu lumen causatum ab vtraque candela in vna & eadem parte erit vnum lumen, magis tamen intensum quam si causaretur ab vna candela tantum, & vtraque candela se habet vt causa partialis, vnde non acceptamus illam responsionem, quam illic adducit, & contra quam arguit, scilicet quod sunt duo lumina per comparationem ad candelas, à quibus sunt effectiuè & sunt vnum per comparationem ad medium, in quo recipiuntur. Hanc inquam responsionem non acceptamus, quoniam à duabus causis partialibus non sunt duo effectus per comparationem ad ipsas causas, cum habeant vim vnius causæ. Cum igitur hoc lumen intensum non posit produci vt supponimus ab altera candela, sequitur quod vtraque habeat vim vnius causæ, & producant tantum lumen vnum, sicut duo ignes applicati aquæ producunt vnum calorem.

Quinta, duo accidentia realia absoluta producta per motum distincta solo numero, vt duo calores, duę albedines, &c. non possunt esse in eodem. Hanc probat diffusè, & quoniam hanc conclusionem acceptamus & similiter probationes suas ideo non est hic immorandum, vtrum autem duo contraria, in esse remisso se compatiantur, vt tenet illic Antonius Andr. determinabimus in libro decimo.

Quantum ad tertium aduerte quod Iandunus in quinto Metaphysic. quæstione trigesima sexta, tenet dictum Philosophi verificari tantum de accidentibus naturalibus & intrinsecis, quæ insęparabiliter rei conueniunt, vt lux in sole, risibilitas in Sorte. De his enim tenet quod non possunt plura eiusdem speciei & distincta solo numero esse in eodem, quoniam cum vnum sufficiat, alterum superflueret. De accidentibus autem aduentitiis, qualia sunt plura lumina in eadem parte medij, & plures species intentionales in eodem puncto medij, & plures relationes eiusdẽ speciei, vt plures paternitates, cõcedit quod possunt esse simul: & quoniã probat intentũ suum in his omnibus, sicut probauit An. And. ideo nõ adduco eius probationes.

Solum aduerte duas rationes, quas adducit, vltra eas, quæ adducuntur ab Antonio Andrea.

Prima. Quando calor aquæ calefactione agentis intenditur, additur gradus gradui, qui sunt, vt patet, eiusdem speciei, & quando subsequens gradus introducitur, præcedens non corrumpitur, aliter idem esset generans & corrumpens, respectu eiusdem, ergo duo calores distincti solo numero sunt in eodẽ.

Respondetur. Hæc ratio apud nos nullam habet apparentiam, quoniam negamus intẽsionem formæ per additionem gradus ad gradum, sed per eductionem eiusdem formæ de imperfecto ad perfectum, vt aliàs dicemus, & posito quod fieret per additionem gradus ad gradum, dico quod adeuiente subsequenti, præcedens corrumpitur, nec inconuenit idem respectu eiusdem esse generans & corrumpens, sed dico quod est generans per se & corrumpens per accidens, quia est intendens producere sequentem gradum, cum quo non potest stare præcedens, cum sint eiusdem speciei.

Secunda. Duæ formæ substantiales stant simul in eodem, vt in Sorte est forma per quam est homo, & alia per quam est animal, &c. ergo multo magis duo accidentia eiusdem speciei stant simul in eodem. Consequentia videtur manifesta, quoniam si distinctæ formæ substantiales, quæ dant distincta esse simpliciter, stant in eodem, multo magis duo accidentia eiusdem speciei, quæ dant esse secundum quid, antecedens autem probatur, quoniam si esset tantum vna forma in homine, per quam est homo, & per quam est animal, quicquid conuenit homini inquantum est homo, conueniret homini inquantum est animal, & sic risibile conueniret homini inquantum est animal, quod est falsum, quoniam omne animal esset risibile.

Respondetur negando antecedens, ad probationem, negatur

tur consequentia, quoniam, vt diximus in 2. lib. in q. 7. contra Iandunum multiplicantem formas substantiales in eodem iuxta numerum prædicatorum quidditatiuorum, licet vna tantum forma sit in homine, ipsa tamen largitur ei multos gradus essendi, vt esse intellectiuum, esse sensitiuum, esse animatum, & hinc est, quòd non est necesse omne quod conuenit homini inquantum est homo conuenire eidem inquantum est animal. Quod enim conuenit homini inquantum est homo, conuenit ei secundum gradum intellectiuum, vt esse docibile, esse risibile, quod autem conuenit ei inquantum est animal conuenit secũdum gradum sensitiuum, vt mouere seipsum, vterque tamen gradus fundatur in essentia eiusdem formæ, patet igitur quòd stante vna forma in homine largiente diuersos gradus non sequitur, quòd si risibile conuenit homini inquantum est homo, conueniat ei inquantum est animal. Relicta igitur opinione Ant. And. & Ianduni stãdum est determinationi quam fecimus secundum mentem B. Th. Qui optimè soluit dictum philosophi. & non est audiendus Iandunus qui in 5. lib. q. 36. dicit quòd licet hoc nomen diuersum specie significet aliqua diuersa in specie in eodem subiecto nõ tamen est necesse quòd ita sit in rei veritate quòd semper accidentia in eodem subiecto sint diuersa specie, imò possunt esse eiusdem speciei & diuersa numero, nec inconuenit quòd aliquod nomen significet aliquid, quod tamen in rei veritate non est in rerum natura, vt substantia significat ideam, quæ tamen in rei veritate non est. Hæc Iandu.

Sed non considerauit Iandunus quòd in c. de diuerso, philosophus assignat omnes modos secundum propriam intentionem ex consequenti doctrinaliter & verè, & non facit mẽtionem de opinionibus antiquorum, sicut fecit quando assignauit modos substantiæ, & ideo non oportebat Iandunum fundare super hoc nomen substantia, quod licet dicatur de idea non tamen secundum mentem philosophi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Si cuilibet potentiæ actiuæ correspondet aliqua potentia passiua.

Principium permutationis, aut motus dicitur potestas in diuerso inquantum diuersum. Tex. 17.

Conclusio. Potentiæ actiuæ naturali correspondet potentia passiua naturalis & econtra: At non omnis potẽtia actiua metaphysicæ correspondet potentia passiua proprè dicta.

IN hac quæstione, vt resolute procedamus quatuor agenda sunt. Primo quid sit potentia actiua vniuersalissimè sumpta, & similiter quid sit potentia passiua. Secundo quotuplex est potentia actiua & potentia pas. Tertio ponentur conclusiones responsiuæ. Quarto soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte, ne idem sæpe pertractemus quòd in epitome nostra in 5. metaph. in cap. de potestate declarauimus ad mentem Arist. quid sit potentia actiua & passiua similiter in principio noni libri, ideo vide illic.

Quantum ad secundum *aduerte*, quòd vt innuit Arist. in 9. lib. tex. 1. potentia actiua est duplex, quædam physica & hæc est quæ est in rebus mobilibus, quæ agunt per motum & trãsmutationem physicam, sicut corpora cœlestia & elementa & elementata, & in corpore cœlesti includo intelligentiam non inquantum intelligentia, sed inquantum mouens, ita q̃ ex intelligẽtia & cœlo fiat vnum agens, vnũ mouens, quod Arist. in 8. physic. appellat primum mouens seipsum. Quædam metaphysica, quæ est in substantiis separatis, quæ vt intellectuales abstrahunt à materia & à motu physico, & possunt agere sine motu physico, vt intelligere velle, delectari: verum autẽ possint ad extra aliquid operari sine motu, & sine materia, in quam agant, determinabimus in sequentibus.

Potentia passiua similiter est duplex. Quædam naturalis & hæc est potentia receptiua materiæ siue subiecti quam suppo nit tam generans quàm alterans naturale. nam ignis agens in aquam vt ex ea generet ignem supponit in materia quæ est sub forma aquæ potentiam passiuam ad formam ignis & calidũ agens in frigidum supponit in substantia frigidi, potentiam passiuam ad calorem. Quædam est metaph. & hæc est in omni ente, quod non est sua perfectio, sed aptum est perfici aliquo distincto ab ipso realiter, ad quod comparatur vt potentia ad actum, & hæc maximè inuenitur in abstractis, excepta prima causa. Dicemus enim in lib. 12. quod in solo primo, actio sua est substãtia sua. In aliis autem & in anima intellectiua, substãtia sua comparatur ad id quod est sua perfectio, sicut potentia passiua ad actum, vnde intellectus comparatur ad intelligere, quod in se recipit, vt potẽtia passiua ad actum.

Propterea Arist. in 3. de anima, tex. 17. ponit intellectum pessibilem sicut materiam, quoniam est in potentia passiua ad omnia intelligibilia, sicut materia prima ad omnes formas naturales. Et quod dico de intellectu, idem est de sensu respectu sensibilium & de appetitu respectu appetibilium, & de substantia animæ respectu potentiarum suarum.

Quantum ad tertium pono duas conclusiones de mente philosophi.

Prima est. Cuilibet potentiæ actiuæ naturali correspondet aliqua potentia passiua naturalis, & econuerso. Hæc sic probatur per seinuicem diffiniuntur, ergo sibiinuicem correspondent: consequentia patet, antecedens probatur, nam secundum philosophum in hoc 5. tex. 17. & in 9. tex. 2. potentia actiua est principium transmutandi actiuè aliud inquatũ aliud, potentia autem passiua est principium transmutandi passiuè ab alio inquantum aliud. & intelligitur ly transmutandi in quolibet genere motus vel mutationis physicæ. Præterea idem manifestatur inductiuè, videmus enim q̃ omne agens naturale aut agit generando, & sic supponit generabile: aut corrumpendo, & sic supponit corruptibile: aut mouendo localiter, & sic supponit mobile localiter, aut agendo, vel diminuendo & sic supponit augmentabile, vel diminuibile, aut alterando & sic supponit alterabile, & pluribus modis non potest agere agens naturale, cum agat per motum & non sint plura genera mutationis & motus physici, ergo, &c. Et aduerte quòd in hac conclusione, omnes conueniunt, tam Thomistæ quàm Scotistæ, & Commentistæ.

Secunda cõclusio est. Non cuilibet potentiæ actiuæ metap. correspondet aliqua potentia proprè dicta passiua. Hæc conclusio acceptatur ab his, qui tenent Deum esse potentiæ & virtutis infinitæ & esse causam producẽtium totius entis per creationem. Constat enim omnem potentiam passiuam proprè dictam esse potentiam materiæ, vel subiectiin productione autem totius entis per creationem nec materia, nec subiectum supponitur. quoniam creatio est productio nullo supposito, ergo non correspondet potentiæ actiuæ Dei aliqua potẽtia passiua proprè dicta. Dico autem proprè dicta, quoniam si sumatur potẽtia passiua pro potentia logica, quæ est non repugnantia terminorum, prout omne non implicans contradictionem dicitur possibile esse, vel fieri, sic potentiæ actiuæ Dei correspondet potentia passiua, sumpta pro omni eo quod non implicat contradictionem. Quod enim contradictionem implicat, est ex se impossibile. quod est ex se impossibile per nullam potentiam actiuam est factibile, vnde Deus non potest facere quòd paralellæ concurrant. quòd homo sit asinus, &c. Et hoc est quod solet dici, licet diuinæ potentiæ actiuæ non correspõdeat adæquatè possibile naturale, correspondet tamen possibile logicum, quod prædicatur de possibili naturali & de omni non implicante contradictionem.

Qui autem tenẽt Deum esse virtutis finitæ, & negant creationem, non acceptant hanc conclusionem secundum viam peripateticam, sicut sunt Cõmentistæ. Inter quos est Iandu. quiin 5. metaphy. q. 37. dicit, licet secundum fidem & veritatem, alicui potentiæ actiuæ, vt potentiæ primi principij quæ totum ens producit, non correspondeat aliqua potentia passiua, tamen hoc negaret Arist. quia ad hoc ponendum, non potuit conuinci ex sensatis, verum quia in lib. 12. sustinebimus ad mentem Arist. Deum esse virtutis infinitæ, & concessisse creationem, ideo sustine donec simus in 12. lib. Et aduerte quòd Iandu. vbi suprà satis debili ratione probat intentum suum. Sic enim arguit, omne quod producitur, aut potuit esse aut non potuit esse: si non potuit esse est impossibile, impossibile autem nulli potentiæ actiuæ subest, si potuit esse, ergo prius fuit aliquid, in quo fuit potentia passiua.

Respondetur. Concedo quòd potuit esse, sed nego hanc consequentiam, ergo prius fuit, &c. nam sufficit quòd potuit esse potentia logica eo modo, quo expositum est.

Quantum ad quartum aduerte, quòd sunt aliqui doctores, qui licet concedant secundam conclusionem respectu creationis & productionis abstractorum à materia, tamen negant eam quo ad materiam in hoc sensu quo negant in materia esse potentiam passiuam ad aliquam formam, cui non correspondeat aliquod agens naturale potens sua potentia actiua naturali talem formam imprimere, & nituntur propositum suum probare.

Primo sic, impossibile est vt ignobilior differentia sic in natura quin sit nobilior, nam extrema opposita debent esse infra eundem ordinem. Sed actus & potentia opponuntur. & pura potentia quæ est potentia materiæ disponibilis per omnem actum & formam sibi vnibilem est in rerum natura ergo,

ergo alterum oppositum, scilicet actus siue agens potens imprimere omnes formas ad quas materia est in potentia debet esse in rerum natura: nec valet si dicatur quod talis actus siue agens est ipse Deus, qui opponitur materiæ primæ, sicut purus actus puræ potentiæ, nam extrema opposita debent esse eiusdem ordinis, Deus autem est extra ordinem naturæ, materia autem prima non, ergo infra ordinem naturæ debet sibi assignari aliquod agens carens omni potentia passiua, & illud est corpus cœli, quod non est in potentia passiua nisi ad vbi, & est virtualiter actu omnes formæ receptibiles in materia, siue ad quas materia est in potentia.

Secundò, materia prima non est receptiua nisi formarum simplicium elementarium & mixtarum, quæ prouenient ex elementaribus, & animarum non subsistentium & accidentalium corporearum, quæ consequuntur formas substantiales. Sed omnes istæ formæ possunt produci in materia per agens naturale vniuersale, quale est corpus cœli immediatè vel mediatè, puta coagente sibi generante vniuoco particulari, præcipuè in his quæ fiunt per propagationem, ergo materia non est in potentia ad aliquam formam, quæ sibi non possit imprimiab aliquo agente naturali.

Tertiò, si materia esset in potentia ad aliquam formam, quã agens naturale nõ posset inducere, hoc maximè esset propter formas eductas per miraculum, & propter animam rationalem, quæ à solo Deo creatur. Sed neutrum istorum cogit: non primum, quoniam formæ eductæ per miraculum, sunt educibiles per agens naturale ordine quodam, nam quando ex mortuo fit viuum immediatè subuertitur ordo naturę, quem tangit Commentat. in octauo Metaphysi. comment. de cimo-octauo, vbi inquit. Quando ex mortuo fit viuum, non fit nisi reuertatur in quatuor elemẽta, deinde formæ quæ sunt inter quatuor elementa & vitam generabuntur, & sic vita necessario generabitur: hæc ille: non igitur inducitur in materia aliqua forma quæ non fit naturaliter producibilis, quamuis alio & alio ordine, nec secundum, quoniam anima rationalis sola inter formas est per se subsistens, ideo non est extrahibilis de potentia materiæ, nec vnitur ad modum aliarum formarum, sed quodã altiori modo, quoniã non solũ est perfectio materiæ, vt aliæ formę, sed res in se manens sine materia: ergo, &c.

Pro responsione istorum præmitto quod in materia potest assignari duplex potentia scilicet passiua naturalis, & passiua siue receptiua obedientialis. Prima dicit substantiam materiæ cum habitudine ad formam sibi vnibilem per potentiam actiuam agentis naturalis. Secunda dicit substantiam materiæ cum habitudine ad formã sibi vnibilem per solum agens diuinum modo non naturali.

Ex hac distinctione, dico quod primum argumentum concludit de potentia passiua naturali tantum, non autem de obedientiali, nam sufficit quod illi correspondeat potentia actiua diuina. Ad secundum dico similiter. Respectu autem potentiæ obedientialis, nego quod materia sit in potentia solum ad formas elementares & mixtas, &c. Ad quas autem sit in potentia obedientiali est officium Theologi considerare. Ad tertium dico, quod non est propter animam intellectiuam, quoniam licet non sit extrahibilis ex materia, est tamen naturaliter vnibilis actione agentis naturalis inducentis in materia dispositiones pro introductione animæ in materia & conseruatione in eadem. Concedo autem quòd est propter formas miraculosas, siue miraculosè introductas, licet enim materia sit in potentia naturali ad eandem formam in specie, & per multas generationes. non tamen ad eandem numero, quam prius habuit & immediatè, sed respectu illius est solùm in potentia obedientiali, & vt sic respicit solùm agens diuinum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XX.

Si diuisibilitas est formalis ratio quantitatis.

Quantum verò dicitur, quod est diuisibile in eis, quæ insunt, quorum vnumquodque, &c. Text. 18.

Conclusio. Diuisibilitas est formalis ratio quantitatis.

IN hac quæstione quatuor agenda sunt, primo declarandus est titulus, secundo pertractabitur opinio B. Tho. tertio opinio Scotistarum, quarto soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quòd per formalem rationem intelligo conceptum quidditatiuum datum per prædicamenta per se in primo modo, vt sit sensus, vtrum diuisibilitas in partes eiusdem rationis prædicetur de quantitate in primo modo per se & non in secundo, ita quòd se habeat proportionaliter ad quantitatem sicut differentia, & non sicut propria passio.

Quantum ad secundum aduerte, quòd res conceptibilis, aliquando concipitur per prædicamenta quidditatiua, aliquando per proprietates, quando sunt nobis notiores quàm prædicamenta quidditatiua, aliquãdo per proprias operationes, quãdo sensu manifestiores sunt quàm propriæ passiones, aliquando per respectum ad aliquod extrinsecum, sicut manifestatur locus vt respicit locatum. Hinc prouenit quòd B. Tho. ad mentem Arist. diuersimodè concipit quantitatem: nam aliquando sub ratione mensuræ, puta quòd quantitas est mensura substantiæ, aliquando sub ratione diuisibilitatis, puta quòd quãtitas est ens primo & per se diuisibile, & quòd substantia est diuisibilis per quantitatẽ. Quę autem sit ratio quidditatiua eius, an ea, quæ datur per mẽsuram, an ea, quæ datur per diuisibilitatem, perscrutandum est. Vnde aduerte, quòd cum Metaphys. consideret vnumquodque secundum sui naturam & entitatem, & non tantum per respectum ad alterum, rationabile est, vt illa sit quidditatiua ratio quantitatis, quam sibi Metaph. attribuit. Constat autem in præsenti tex. quòd sibi attribuitur ratio sumpta à diuisibilitate, & non à mẽsura. Hęc ergo erit quidditatiua ratio quantitatis, cuius signũ est, quòd B. Tho. incipiens exponere in 5. Metaphy. cap. de quanto dicit. primo ponit rationem quantitatis dicens, quòd quantum est, quod est diuisibile in ea quæ insunt. Præterea, esse diuisibile in partes eiusdem rationis, conuenit quantitati primo & per se, & immediatè. id est, non per aliquid prius, ergo conuenit ei quidditatiuè, *sicut esse rationale conuenit homini*. consequentia nota, antecedens probatur. Esse diuisibile in partes eiusdẽ rationis, aut cõuenit primo & per se substantiæ materiali, aut quantitati, non substantiæ materiali. quoniã secundũ Comm. in de substantia orbis, c. 1. materia est secundum se indiuisibilis, similiter forma, & diuidi siue habere partes non conuenit eis nisi per quantitatem. ergo conuenit primo & per se quantitati, & quòd cõueniat ei, nõ per aliquid prius declaratur sic, quantitati quatuor conueniunt, scilicet esse diuisibile, esse finitum vel infinitum, esse æquale vel inæquale, esse, mẽsuram: & hæc sic ordinantur, quartum supponit tertium, necesse est enim omnem mensuram esse æqualem vel inæqualem mensurato. & tertium supponit secundum, quoniam omne æquale, vel inæquale est finitum vel infinitum. Et secundum supponit primum, quoniam omne finitum vel infinitum quantitatium necessario habet partes, ergo est diuisibile, non est autem assignabile aliquid prius, per quod esse diuisibile conueniat quantitati, sed ei conuenit ex sui natura, vnde sicut ista est immediata & indemonstrabilis, homo est rationalis, ita ista quantitas est diuisibilis in partes eiusdem rationis. Tenendum est ergo, quòd diuisibilitas est formalis ratio quantitatis considerata quantitate consideratione metaph. quod dico, quoniam si consideretur consideratione logica, vt consideraturit eam Arist. in prædicamentis, non inconuenit rationem quantitatis sumi à mensura, & propterea distinxit Arist. in prædicamentis superficiem à loco, licet non distinguantur realiter vt diximus in epitome nostra in 5. metaphys. Vnde si alicubi inueneris B. Tho. dicentem, mensuram esse rationem quantitatis, intellige consideratione logica, & non metaphy. Et sic nulla discrepantia est in dictis B. Tho.

Quantum ad secundum aduerte, quòd Ant. And. in 5. meta. q. x. tenet nullam rationem assignatam à philosopho esse rationem quidditatiuam quantitatis, siue sumatur à diuisibilitate, siue à finito vel infinito, siue ab æquali vel inæquali, siue à mensura, tenet enim quòd ista quatuor sint quatuor passiones quantitatis, & prædicãtur de ea in 2. modo per se, inter quas concedit diuisibilitatem esse primam, & quidem quòd diuisibilitas in partes eiusdem rationis nõ sit essentialis ratio quãtitatis, ita quòd prædicetur in primo modo per se de quantitate sic probat, nullus respectus formaliter est essentialis ratio alicuius absoluti: Sed diuisibilitas est formaliter respectus, dicit enim aptitudinem ad diuisionem, & quantitas est quid absolutum, ergo, &c. maior patet ex quarto metap. vbi philosophus deducit ponentes omnia apparentia esse vera ad hoc inconueniens, quòd omnia essent formaliter ad aliquid. Præterea potentia & actus sunt eiusdem generis & eiusdem essentiæ, quia diuidunt omne ens, sed actu diuidi non est essentiale quantitati, quia omnis quantitas esset actu diuisa. ergo nec potentia ad diuidi, quod significatur per ly diuisibile, est de essentia quantitatis.

Hæc est intentio Ant. And. & quidẽ cõuenimus cum eo, q̃ ratio quantitatis sumpta à mensura, siue ab æquali vel inæquali, & sumpta à finito vel infinito, non est quidditatiua, q̃m illæ sunt passiones cõsequentes naturã quantitatis: negamus autẽ q̃ ratio sumpta à diuisibilitate non sit essentialis, & q̃ distinctio

quantitatis in species suas, sumpta à diuersa diuisibilitate, non sit distinctio essentialis, & propterea dicitur ad primum quòd licet nullus respectus sit totalis ratio alicuius absoluti, tamen non inconuenit ipsum ingredi rationem alicuius absoluti. Sunt enim quædam, quæ non possunt concipi nisi conceptu relatiuo, & tamen non dicunt respectum, sed absolutum, sicut bonum non potest concipi nisi per respectum ad appetitum, & intelligibile ad intellectum, & potentia ad actum, & quantitas ad partes, & tamen constat quòd ista quo ad naturam suam sunt absoluta. Dico igitur quòd ratio quidditatiua quantitatis sumitur à diuisibilitate, non quòd quantitas sit sola diuisibilitas, vt est aptitudo, sed quia natura quantitatis non potest concipi quidditatiuè sine diuisibilitate, sicut non potest concipi bonum sine appetibilitate. Ad secundum dico, quòd maior potest habere duplicem sensum. Primo potentia & actus sunt eiusdem generis & essentiæ, id est, eiusdem prædicamenti & sic concedo eam, vt substantia in potentia, & substantia in actu sunt eiusdem prædicamenti, & potentia ad qualitatem, & qualitas sunt eiusdem prædicamenti. Similiter in proposito, posse diuidi in partes & actu diuidi primo & per se, sunt eiusdem prædicamenti, quia vtrunque conuenit quantitati, & nulli alteri nisi per quantitatem. Secundo potentia & actus sunt eiusdem generis, id est, eiusdem rationis, quo ad ingredi rationem quidditatiuam alicuius, & sic nego eam, nam esse mobile est de essentia entis naturalis non tamen esse motum vel actu moueri, hoc enim separabile est ab ente naturali. Sic in proposito esse actu diuisum est separabile à quantitate, vt patet, non autem esse diuisibile. Omnis enim quantitas diuisibilis est, non autem omnis est actu diuisa. patet igitur quòd rationes Ant. And. non concludunt contra viam nostram.

Quantum ad quartum aduerte, quòd tria faciunt difficultatem contra determinationem positam. Primo, esse diuisibile non solùm simpliciter, sed etiam in infinitum demõstratur de quantitate continua in sexto Physicorum. ergo esse diuisibile non est ratio formalis & quidditatiua quantitatis, antecedens manifestum est ex diffinitione continui, consequentia patet, quoniã cùm ratio quidditatiua sit mediũ demonstrandi passionem de subiecto, ipsa est indemonstrabilis, vnde cum prædicatur de eo cuius est ratio, efficitur propositio immediata ex primo posteriorum.

Respondetur, aliud est quantitatem esse diuisibilem, & esse diuisibilem in infinitum. Primum enim primo & per se, & non per aliquid prius conuenit quantitati, ideo esse diuisibile primo & per se est indemonstrabile de quantitate, secundum autem conuenit quantitati, non absolutè, sed ratione continuitatis, ideo demonstrari potest, ex eo enim quòd continuum non potest componi ex indiuisibilibus prouenit continuum esse diuisibile in infinitum.

Secundo ratio formalis alicuius generis vniformiter conuenit speciebus illius generis, vt patet pro quanto conueniunt in genere, sed esse diuisibile non vniformiter conuenit speciebus quantitatis, puta discretæ & continuæ. Quantitas enim discreta habet partes actu diuisas, vt binarius lapidum, continua autem habet partes non diuisas abinuicem, sed diuisibiles, cuius signum est, quod copulantur ad vnum terminum communem.

Respondetur, licet partes quantitatis discretæ non copulentur ad vnum terminum communem, tamẽ vt partes sunt & actu constituunt vnum totum, puta ternarium, non sunt actu abinuicem diuisæ, alioquin numerus non esset vnum per se, cuius oppositum manifestabimus infrà, nego igitur quin esse diuisibile conueniat vniformiter quantitati continuæ & discretæ, vt sunt quoddam totum.

Tertio videtur, quòd esse diuisibile primo & per se conueniat quantitati, nam ante omnem quantitatem secundum viam nostram recipitur forma substantialis in materia. ergo ante omnem quantitatem materia est diuisa, vel diuisibilis, alioquin determinata forma substantialis, aut in nulla, aut in omni materia reciperetur.

Respondetur, dico iuxta determinationem quam fecimus in quæstione, de principio indiuiduationis suprà in hoc quinto libro, licet forma substantialis præcedat natura omne accidens in materia, non tamen reciperetur in ea nisi esset signata, ex consequenti distincta à qualibet alia materia, quam distinctionem non habet à se, sed ex ordine ad hanc determinatam quantitatem. Dico igitur, quòd esse diuisibile, primo & per se conuenit quantitati, quoniam nihil quantitatiuè diuisibile est nisi sit quantitas, vel sub quantitate, vel ordinem habeat ad quantitatem.

De loco & motu & tempore an sint quantitates per se iam determinauimus in nostra epitome, in capite de quanto in quinto libro Metaph. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXI.

Si modi relatiuorum sunt sufficienter assignati.

Ad aliquid dicuntur alia per se, vt duplum ad dimidium. Textu 20.

PRo resolutione quæsiti, licet de relatione iam locuti sumus in tractatu de transcendentibus, ad præsens pertractanda sunt septem. Primo si relatio est ens reale. Secundo, si relatio realis sufficienter diuiditur per mutuam & non mutuam. Tertio quid requiritur ad mutuam & non mutuam. Quarto quotuplex sit fundamentum relationis realis. Quinto, si prædicamentum ad aliquid continet in se omnem relationem realem. Sexto ponetur conclusio responsiua quæsito. Septimo soluentur quædam argumenta.

Conclusio. Omnium modi relatiuorum sufficiens assignatio.

Quantum ad primum aduerte, quòd vt recitat Auicen. in tertio libro suæ Metaphysic. capite decimo, quidam dixerunt quòd non est relationum certitudo nisi in anima, cum intelligit res. & in hanc opinionem conuenerunt quidam posteriores, vt Petrus Aureoli, qui dixit illud quod est in re de relatione non est *nisi fundamentum & termini*, habitudo verò inter illa est solùm obiectiuè in anima cognoscente. & hanc suam imaginationem conatur sic declarare. Relatio realis non dicitur eo quòd est actu in re, sed eo quod est in re secundum potentiam propinquam, ita quòd cogitur intellectus illam reducere in actu non ab extrinseco, sed ex intimis fundamenti, sicut per oppositum, relatio dextri in columna, est relatio rationis, eo quòd nihil in columna ponitur, quod cogat intellectum ad concipiendum relationem dexteritatis circa ipsam, dicuntur ergo reales quia sunt propinquissimæ rei, *intantum quòd intellectus necessitatur à re ad concipiendum eas*, quasi in re essent repertæ, sicut per oppositum dicuntur relationes rationis, eo quòd intellectus non necessitatur à re ad eas concipiendum, imò eas fabricat per se. Et quidem quòd nulla relatio sit in re, sed in anima probat in omni modo relatiuorum.

Primo probatur de relatione primi modi sic, identitas, similitudo, æqualitas & aliæ relationes modo numeri, nõ sunt aliud quàm quædam vnitates quæ vnitas non est aliud nisi quædã indiuisio & indistinctio. Sed huiusmodi indiuisio & indistinctio *non possunt fundari in aliqua re cõmuni à natura*, quia talis non est, nec in duabus rebus indiuidualibus, quia sic vna res esset in duobus subiectis, ergo huiusmodi relationes non sunt in re sed in intellectu.

Secundo probat de relatione secundi modi sic, paternitas & filiatio non fundantur nisi in actu qui transit. Sed actus qui transit nihil fundat in re, quia non est. ergo paternitas & filiatio non sunt in re, sed in intellectu. Præterea paternitas à quo produceretur? non à patre quia sequitur absurdum, scilicet quòd aliquid actione transeunte agat in seipso, nec à filio, quia *recipit & non imprimit in patrem, non ab actione* profluente à patre quia illa recipitur in filio & sic quicquid derelinquitur est in filio & non in patre, cum igitur paternitati non possit asignari principium productiuum, patet quòd non est in re sed in intellectu.

Tertio probat de relatione tertij modi sic, impossibile est rem realiter dependere à non re, quia dependeret à nihilo. Sed hoc sequeretur in tertio modo relatiuorum, si relatio esset res, stat enim scientia etiam destructo scibili. ergo inter scientiam & scibile non est relatio in re, sed in intellectu. Vltimo probat *propositum generaliter sic. illud non est res* extra intellectum, quod fit sine omni agente reali, sed albo existente in oriente, si fiat aliud album in occidente, intelligitur similitudo per intellectum inter ea, & non fit per aliud reale agens, imò secundum Philosophum in quinto Physicorum, textu decimo, contingit aliquid de nouo relatiuè dici ad alterum, altero mutato, ipso tamen non mutato.

Hæc fuit phantasia Petri Aureo. cui contradicitur de mente Arist. & Cõment. & Auicen. nam Arist. in 12. lib. Metaphys. textu 19. quærens, vtrum substantiarum & aliorum prædica*mentorũ sint eadem principia inter prædicamenta* connumerat ad aliquid, imò de eo solo mẽtionem expressam facit, inquit enim, vtrum altera, aut eadẽ sunt principia & elementa substantiarũ & eorũ, quæ sunt ad aliquid, &c. Constat autem quòd in 6. lib. tex. 4. diuisit ens in ens verum, quod est ens in anima, & in ens distinctum in prædicamenta, quod necesse est esse ens extra animam, alioquin membra diuisionis non essent opposita. Cum igitur connumeraret ad aliquid inter prædicamenta, patet suam intentionem fuisse, quòd sit ens reale Comment.

Com. autem in duodecimo lib. exponens textũ decimumnonum, & reddens rationem quare Philosophus quærẽs, vtrum sint eadem principia substantiarum & aliorum prædicamentorum, ex aliis prædicamẽtis nullum nominat nisi ad aliquid, dicit sic, & dicit propriè relationẽ, quia est debilioris esse aliis prædicamentis, ita quod quidam reputauerunt eam esse ex secundis intellectis: hæc ille. *Quasi dicat, ideo nominat solum* ad aliquid, vt manifestet quod est ens reale, de quo posset esse maius dubium propter debilitatem sui esse. Auic. vero in tertio libro suæ Metaph. capite decimo, manifestè sentit aliquam relationem esse realem & habere esse, nullo intellectu cogitãte, sic enim inquit, Nos scimus quod hæc res *in* esse est pater illius, & ille filius illius, siue intelligatur siue non, & scimus quod planta accipit nutrimẽtum sic, quod ibi est agens & patiens, & scimus quod cœlum est super terram, & terra est inferior eo, siue hæc intelligantur siue non, & illud quod asignamus est simile in aliis relatiuis. Vltra *expressam mentem* Aristo. & Commenta. & Auicen. est manifesta ratio ad propositum, quam adduximus in tractatu de transcendentibus, quod ordo, qui est relatio, est de perfectione vniuersi. Specialiter autem arguitur sic contra imaginationem Aureoli. quando intellectus cogitur ad intelligẽdum dominum in habitudine ad seruum aut præcessit ex natura rei, & in actu primo talis habitudo, aut non: si sic, ergo est ens reale, quoniam secundum te præcedit actum intellectus: si non, ergo quantum sit ex parte rei potest intellectus intelligere dominum sine habitudine ad seruum, quia secundum te non præcedit *actum intellectus*, ex consequenti non cogitur intellectus ad intelligendum huiusmodi habitudinem, quando vult intelligere dominum, quod tamen est cõtra ipsum Aureolum, vt patet ex prædictis.

Nũc igitur respondendũ est argumẽtis suis, iuxta viã nostrã.

Ad primum nego minorẽ, nam sicut inter duo alba est vnitas rationis in qualitate, sic & illa vnitas potest fundari in natura specifica albedinis, quæ est communis secundum rationem, & si dicas, ergo relatio realis qualis ponitur similitudo, fundabitur super vnitatem rationis quod videtur impossibile cum relatio trahat realitatẽ à fundamento. Respon. non fundatur præcisè super vnitatem rationis naturæ communis, sed inquantum talis vnitas adiuuatur diuersitate reali suppositorum. Posset etiam dici, quod fundamentum similitudinis non est vnitas naturæ communis, sed res singulares non absolutè, sed vt sunt vnum specie. Ad primum inductum contra secundum modum nego maiorem, nam fundamentum est potentia generandi vt fuit sub actu, & ille actus permanet in virtute, & hoc sufficit. Ad secundum contra eundem modum dico, quod producitur à patre & à filio, non quidem directè, sed per quandam resultantiam, nam ex hoc quod pater generat & filius generatur resultat in patre paternitas, & in filio filiatio. Et aduerte, quod hæc responsio non placet Paulo Soncinati in quinto Metaphysi. quæstione vigesimaquinta, & quod filius non producat paternitatẽ in patre probatur tripliciter, primo si filius producit paternitatem in patre, sequitur quod eam producat in primo instanti sui esse. Sed hoc est falsum. Tum quia nullum agens naturale producit in instanti formã accidentalem. Tum quia nullum tale agit in principio sui esse, licet incipiat agere. Probatur autem illa prima consequen*tia, quoniã in primo instanti, in quo filius est, in eo filiatio est*. ergo & paternitas, quoniam relatiua sunt simul natura. secundo vel filius producit paternitatẽ eadem actione, qua pater, vel alia, non eadem, quoniam à duobus agentibus non egreditur eadem actio, si alia. ergo datur aliqua productio, quæ per se terminatur ad relationem, scilicet illa, qua filius producit paternitatem in patre, tertio, agere præsupponit esse. ergo filius prius natura est, quam causet paternitatẽ, sed in illo prio ri, filius habet relationem producti. ergo relatio producti siue filiationis est prior natura relatione paternitatis, quod est falsum. Quod etiam pater non producat in se paternitatem, sic arguitur, quælibet productio prius natura terminatur ad terminum rectum, siue sit per se, siue sit per accidens, quàm ad terminum reflexum. ergo pater prius natura causaret filiationem quàm paternitatẽ in se reflexè, quod est absurdum. Verum quia responsionẽ datam teneo esse veram, ideo soluendæ sunt prædictæ instantiæ. Ad primam nego falsitatem consequentis. Ad probationes dico, quòd non concludunt nisi de agente actione propriè dicta, non autem de agente per modum resultantiæ, quomodo agendi, filius causat paternitatem in patre, & de tali modo agendi nego antecedens siue assumptum vtriusque probationis.

Ad secundum dico quòd eadem actione, & quòd pater & filius possunt dici suo modo duæ causæ partiales paternitatis, & nego quin eadem actio posit esse à duabus causis partialibus nec propositio quam assumit est vera, nisi in agentibus totalibus & disparatis.

Ad tertium dico, quòd antecedens potest dupliciter intelligi, primo agens supponit esse, id est, prius est esse agentis quàm suum agere, & hoc non est necessarium, aliter non daretur effectus coæuus causæ suæ. secundo agens supponit esse in consequentia, nam bene sequitur hoc agit, ergo est & in hoc sensu antecedens est verum & necessarium, & non in alio sensu: & sic intellecto antecedente, nego consequentiam, vnde nihil concludit.

Ad illud, quo probat patrem non producere in se paternitatem, dico quòd assumptum non est verum nisi in agere propriè dicto, & non in agente per *modum resultantiæ*. Item verificatur de agente absoluto, vt ignis prius calefacit, quàm rarefaciat. In agente autem relatiuo, eo modo, quo potest esse agens, assumptum non est verum. quare, &c.

Ad illud quod inducitur contra tertium modum, dico quòd maior potest habere duplicem sensum, primo quòd non dependeat à non re in actu, quę tamen est res in potentia. secundo quòd non dependeat à non re in actu, quæ nec est res in potentia, in primo sensu negatur maior præcipuè in respectiuis. nam quæ sunt ad finem, pendent à fine, qui non est in actu, sed producibilis, sic est in proposito, licet scibile destruatur actu, remanet tamen in potentia, vt rosa in hyeme. vnde non inconuenit scientiam ab eo dependere. & negatur illa consequentia. ergo depẽderet à nihilo, potest etiã dici, quòd quandiu scibile est actu, inter scientiam & scibile est relatio realis actu, destructo autem scibili, quod tamen remanet in potentia, est relatio realis potentialis. & de hac non inconuenit dicere, quòd dependet à non re, non tamen à nihilo.

Ad illud quod generaliter inducitur, nego minorem, teneo enim, vt manifestabitur infrà, quòd relatio non distinguitur realiter à *fundamento*. vnde producens album in oriente producit similitudinem quo ad suam realitatem, quando autem fit album in occidente, similitudo non recipit nisi suum formale, scilicet dici ad alterum, ad quod sufficit productio alterius albi in occidente. Hoc enim posito, naturali sequela sequitur album in oriente asimilari formaliter albo existenti in occidente. Hæc de primo dicta sint.

Quantum ad secundũ dico, quòd sufficienter diuiditur per mutuam & non mutuam, nam cum omnis relatio realis sit inter extrema realia, & trahat realitatem à fundamento, vt *dicemus* infrà, vel in vtroque extremo est fundamentum reale, vel in altero tantum. Si in vtroque, erit relatio mutua, quales sunt relationes primi modi, vt identitas duorum indiuiduorum in specie nam sicut ex natura rei substantia Socratis continetur sub homine, sic substantia Platonis. Similiter sicut ex natura rei duplum respicit dimidium, sic & econuerso; & sicut ex natura rei album asimilatur albo b. ita & econuerso. Tales etiam sunt relationes secundi modi, vt dominium & seruitus, sicut enim in domino est potentia actiua regendi, ita est in seruo potentia pasiua, qua regitur. idem intellige de omni actiuo & pasiuo naturali, &c. Dico naturali, vt excludam agens diuinum & pasiuum naturale, quoniam inter ea non seruatur relatio realis mutua; & ratio huius asignabitur infrà. Si in altero tantum: erit non mutua, quales sunt relationes tertij modi: nam licet vnum extremum dependeat ab altero, non tamen econuerso. vt scientia nostra dependet à scibili, & non econuerso. & sentire à sensibili, non econuerso, & mensuratum à mensura non econuerso. propterea inquit Arist. in quinto metaph. cap. ad aliquid. Mensurabile vero & scibile & intellectuale, eo quòd aliud dicitur ad ipsum, ad aliquid dicuntur, Sed non quòd illa ad aliud, &c. Et si quæras quomodo differunt, mutua, & non mutua vel quot requirãtur ad mutuã. Respõ. tria requiruntur, quæ iam expresi in tract. de transcendentibus. in secunda diuisione entis realis & illic inuenies, quare inter primam causam & effectum suum non sit relatio mutua cum in vtroque extremo sit fundamentum reale. Quot autem requirantur ad non mutuam, dico quòd requiruntur extrema actu distincta, & quòd fundamentum sit saltem in vno extremo, vel si sit in vtroque extremo non tamen habeant mutuam dependentiam nec mutuo se perficiant. Et per hoc patet quid dicendum sit ad tertium propositum.

Quantum ad quartũ aduerte, quòd de fundamẽto possumus loqui dupliciter. primo quo ad modũ, secundo quo ad entitatem, Si primo modo, sic sunt tantum duo modi præcipuè in relatione mutua, scilicet modus quantitatis, qui cõstituit primum modum relatiuorum, & modus potentiæ siue actionis, qui

qui constituit secundũ modum. Si vero loquimur de entitate fundamenti sic dico, quòd non solùm quantitas & potentia siue actio fundat, sed etiam substantia sicut in creatione, & in distinctione numerali & specifica substantiali. Similiter quantitas fundat, vt in æqualitate: & qualitas, vt in similitudine: & actio & passio, vt patet in relatione quæ est inter agens & patiens, & in potentia actiua & passiua, vt inter calefactiuum & calefactibile. & de his omnibus magis loquemur infrá.

Quantum ad quintum aduerte, quòd aliqui Thomistæ non audent determinatè tenere partem affirmatiuam, sed tu sine dubio tene eam, & ratio tua erit hæc, quia ens finitum sufficienter continetur in decem prædicamentis. Omnis autem relatio in creatura, est quoddam finitum, saltem ratione fundamenti, quod dico, quoniam relatio vt relatio non est quid finitum, nec infinitum entitatiué. ergo sufficienter continetur in prædicamento ad aliquid. Nec contra hanc resolutionem inuenies obiectionem difficilem, nisi quia sic tenueris relationem identificari fundamento sequitur substantiam esse in prædicamento accidentis, puta si relatio distinctionis specifice substantialis, est in prædicamento ad aliquid, & si est idem cum substantia rei quæ est fundamentum huius distinctionis sequitur manifestè substãtiam esse in ad aliquid, quod est prædicamentum accidentis. sed quod hoc non obstet declarabitur cum agemus de identitate relationis & fundamenti. Et aduerte quòd ratio fortior eorum, qui tenent oppositum est hæc. Relatio contenta in prædicamento ad aliquid fundatur in accidente. ergo quæ fundatur in substantia, erit transcendens. Sed hæc ratio non cogit, quia non est necesse relationem prædicamentalem fundari in re quę sit accidens, sed sufficit quòd habeat modum accidentis, puta quantitatis vel actionis, &c. Sic substantia potest fundare relationem vt induit modum vnitatis vel potentiæ actiuę vel passiuę, vt manifestum erit quando agemus de relatione & fundamento.

Quantum ad sextum, ponitur hæc cõclusio responsiua. Modi relatiuorum sunt sufficienter assignati. & huius conclusionis duplex ratio potest assignari. Primo tot sunt modi relatiuorum, quot modis contingit vnam rem ordinari ad aliam, quoniam relatio dicit ordinem. Contingit autem vnam rem ordinari ad aliam tribus modis. Primo secundum esse, prout esse vnius dependet ab alia, vel essentialiter, vel mensuratiuè, & maximè mensura perfectionali, & sic est tertius modus, dico essentialiter, vt ideatum ab idea, scientia à scibili, sensus à sensibili. Dico mensuratiuè, vt omnes colores ab albedine, omnis substantia à prima & nobilissima substantia. Secundo secundum virtutem actiuam vel passiuam, prout vna res patitur ab alia, & illa aliquid sibi confert, & sic est secundus modus, qualis est inter generans & genitum, inter docentem & addiscentem, ædificantem & ædificatum. Tertio secundum quantitatem, prout quantitas vnius, potest mensurari per quantitatem alterius, & sic est primus modus. ad quem reducuntur relationes fundatę super vnitatem, quæ est principium quantitatis, vnde identitas fundata in vnitate substantiæ, & similitudo fundata in vnitate qualitatis continentur sub primo modo.

Secunda ratio, Quoniam relatio trahit suam realitatem à fundamento, tot sunt modi relatiuorum, quot sunt fundamenta quo ad modum fundandi. Hæc autem sunt tantum tria in genere, scilicet quantitas, actio, mensura perfectionalis. si quantitas, sic est primus modus, sumendo quantitatem pro vera quantitate, vel pro habente modum quantitatis pro vera quantitate, vt omnes proportiones numerales fundantur super eam, pro habente modum quantitatis, vt substantia considerata vt vna fundat identitatem, vt plures fundat distinctionem, qualitas vt vna in specie fundat similitudinem: vt plures, dissimilitudinem, si actio, sic est secundus modus, sumendo actionem vniuersaliter, vt se extendit ad omnem motum & productionem, & quoniam passio est supponens actionem, ideo relationes fundatæ super passionem in hoc secundo modo continentur, vt seruitus & filiatio. Similiter relationes fundatæ super principia actiua & passiua in eodem modo continentur, siue huiusmodi principia sint substantiæ, siue qualitates, siue mensura perfectionalis, sic est tertius modus, sumendo mensuram perfectionalem, pro omni eo quod in quocunque genere est mensura aliorum, & quoniam omne scibile est mensura scientiæ secundum veritatem & perfectionem, ideo omnis relatio inter scientiam & scibile in hoc tertio modo continetur. Patet igitur quòd isti tres modi generici sufficienter diuidunt relationem realem, quoniam nulla potest inueniri quæ non contineatur sub aliquo istorum modorum vt declaratum est.

Quantum ad septimum aduerte, quòd non videtur primus modus bene assignatus, nam de quolibet ente comparato alteri, verum est dicere, quòd est idem cum eo, vel diuersum, & hoc tam in substantia quàm in quãtitate, & qualitate, &c. Ergo non bene dixit Arist. eadem sunt, quorum vna est substantia. Præterea, Omne ens comparatum cuilibet enti, vel est simile, vel dissimile illi. Et secundum perfectionem, vel est æquale, vel inæquale illi. ergo similitudo non solùm potest fundari in qualitate, & æqualitas non solùm in quantitate, sed in quolibet genere entis absoluti.

Respondetur, Quando dicit Arist. quòd eadem sunt quorum vna est substantia, non sumit substantiam vt distinguitur contra accidens, sed vt verificatur de qualibet essentia, prout intellectualiter illud vniuoca sunt quorum ratio substantiæ est eadem, nec quando dicit similia sunt quorum qualitas est vna, sumit qualitatẽ vt distinguitur contra alia prædicamenta, sed pro omni habente modum qualitatis. & quoniam formæ substantiales & differentiæ & actiones & passiones qualificant rem, ideo iuxta hæc omnia, potest attendi similitudo & dissimilitudo. Nec quando dicit, æqualia sunt quorum quantitas est vna, sumit quantitatem vt distinguitur contra alia prædicamenta, sed pro omni habente modum quãtitatis, vt albedo, sex graduum, & albedo, decem graduum, & quoniam omnis forma intensibilis & remissibilis potest induere modum quantitatis, ideo iuxta eas vt sic potest attendi æqualitas, & per hoc patet quid dicendum sit ad argumentum.

Aduerte etiam, quia non videtur secundus modus bene assignatus. nam secundum Philosophum potentia actiua refertur ad passiuam, vt calefactiuum ad calefactibile & refertur ad actum suum, vt ad calefacere & visus ad videre. Sed id videtur falsum, quoniam vni relatiuo corresponderent plura correlatiua in eodem genere relationis. quod non potest esse, aliter sequitur quòd idem relatiuum esset & non esset, verbi gratia, si a refertur ad b, & ad c, remoueatur b, & remaneat c, dum remouetur b, remouetur a, & dum remanet c, remanet a, per regulam, Relatiua posita se ponunt, & perempta se perimunt. ergo, &c.

Respondetur, & concedo, quòd vni relatiuo possunt correspondere plura relatiua partialia, vt vni patri plures filij, vni magistro plures discipuli, vni continenti plura contenta, non tamen plura totalia, quoniam vt argumentum probat idem simul esset, & non esset. Item possunt correspondere plura, non tamen æquè primo, sed vnum primo & per se, alterum autem per se, sed non primo, vt species refertur per se primo ad genus, & ad indiuidua per se non primo. Et cum arguitur, quòd idem esset & non esset, negatur consequentia, quæ tamen valeret si idem diceretur ad plura æquè primo. nam relatiuum respicit primo & per se suum primum & totale correlatiuum. Vnde si remoueatur secundarium correlatiuum, non desinit esse relatiuum, nisi respectu illius ordinis, quem habet ad secundarium correlatiuum. In proposito igitur dico, quòd non inconuenit potentiam actiuam dici ad passiuam & ad agere, sed ad vnum per se primo, ad aliud autem per se, sed non primo.

Præterea, Aduerte quòd tertius modus, non videtur bene assignatus. Nam assignatur iuxta rationem mensuræ & mensurabilis, sed id videtur pertinere ad primum modum. nam duplum est mensura dimidij, & omnes duæ quantitates inuicem habentes proportionem adinuicem, ita se habent, quòd vna potest esse mensura, & alia mensurata, pro quanto vna est maior vel minor, vel æqualis alteri, non videtur ergo tertius distinguì à primo. Præterea, Relatio inter scientiam & scibile ponitur in hoc tertio modo, & tamen est in secundo modo, quoniam scientia causatur à scibili, vnde scibile se habet vt factiuum, & scientia vt factum. ergo non distinguitur tertius à secundo.

Respõdetur, & dicitur, quòd non omnis relatio inter mẽsuram & mensurabile est in primo modo, sed tantum illa, quæ est mutua, & est illa, quæ fundatur super quantitatem continuam vel discretam. Illa autem, quæ non est mutua, sed vnum extremum pendet ab altero, & non econuerso, constituit tertium modum. Ad secundum dico, quòd relatio inter scientiam & scibile, aliquando est in secundo modo, aliquando est in tertio, nam scibile potest cõparari ad scientiam sicut causa ad causatum in scientia speculatiua, vel sicut causatum ad causam in scientia practica, & tunc est relatio secundi modi, & potest comparari vt obiectum terminatiuum scientiæ & mensuratiuum, non quidem quantitatiuè, sed quo ad veritatem, & sic relatio erit tertij modi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAEST

QVAESTIO XXII.

Si relationes distinguuntur realiter à fundamẽto.

Conclusio. Relatio non distinguitur realiter à suo fundamẽto.

PRo completa consideratione relationis quantum spectat ad Metaphysicum, intendo inuestigare de relatione & suo fundamento si sint idem vel nõ, & præcipuè quæ fuerit mens Philosophi & Com. & B.Th. circa hoc, sic igitur procedam primo propono de hoc varias opiniones, secundo intendo sequi Heruetum, & declarabo determinationem suam esse ad mentem Philosophi & Commen. & Bea.Tho. tertio soluam rationes, quæ sunt contra determinationem Heruei, quam reputo esse ad mentem Beat.Tho. & exponam quædam dicta Philosophi & Bea.Tho. in quibus fundant se tenentes oppositum.

Quantum ad primum aduerte, quod circa hoc sunt tres famosæ opiniones. Duæ quidem extremæ, & vna media, prima extrema est Ioan. Capreo. in primo sent. distinctio. trigesima, quæst. prima, & Thomæ Caieta, exponentis in prima parte, B. Tho. in quæst. vigesima octaua, in arti. secundo, isti tenent omnem relationem realem distingui realiter à suo fundamento, & hanc esse mentem Bea.Tho. Secunda extrema est Heruei in primo sen. dist. trigesima, quæst. prima, arti. primo, & Greg. de Arim. in primo sen. dist. vigesima octaua, quæst. secunda, isti tenent omnem relationẽ realem identificari suo fundamento. Tertia, quæ est media, attribuitur Scoto, qui in secundo sen. distinct. prima, quæst. quinta, & in quolibetis, quæst. tertia, tenet omnem respectum extrinsecum distingui à suo fundamento, intrinsecum autem identificari, sed hanc Scoti opinionem pro nunc relinquimus, quoniam controuersia versatur circa Thomistas, & ideo videndum est, si prima extrema, vel secunda est ad mentem Beat. Thom. Sic enim loquitur in diuersis locis, vt difficile sit videre, quid de hoc determinate sentiat.

Quantum ad secundum, quoniam intendo sequi Heruetum, quem ex timo loqui ad mentem B. Tho. in hoc, ideo præponam distinctionem, ex qua eliciam duas conclusiones & defensabo. Aduerte igitur quod vt notat Heruetus in primo sent. dist. trigesima, quęst. prima, art. primo. Relatio dupliciter considerari potest, primo quantum ad id quod dicit in recto & intrinsecè, secundo quantum ad id quod dicit in obliquo ex connotato, quod est terminus. Et quidem quantum ad secundum sensum manifestum est, quod distinguitur realiter à suo fundamento, quoniam fundamentum cum sit quid absolutum, non includit terminum, relatio autem cum sit ad alterũ ipsum includit. Constat autem quod fundamentum & terminus distinguuntur realiter: quare, &c. Quantum autem ad primum sensum, de quo propriè intẽdimus, probo quod relatio & fundamentum sint idem realiter, ita quod hæc est identica. Albedo est similitudo, non autem formaliter, quoniam fundamentum est ad se, relatio autem ad alterum. Et pro hac conclusione sic arguo, vult Arist. in quinto Phy. tex. decimo, relationem realem aduenire subiecto sine mutatione subiecti, ex quo sic arguitur, impossibile est, & omnino non intelligibile aliquid de nouo aduenire alicui subiecto, diuersum realiter ab omni eo, quod prius inerat eidem subiecto, & quod subiectum non sit mutatum secundum tale sibi de nouo aduenens, nam tale subiectum recipiens rem nouam quam prius nõ habebat, vel se habet eodem modo quo prius, vel aliter, si eodem modo, ergo nihil noui & distincti realiter recepit: si aliter, ergo mutatum est, mutari enim est rem aliter se habere quàm prius, sed relatio aduenit de nouo alicui subiecto secundũ Arist. sine mutatione subiecti, vt patet si hodie sit tantũ vnum album in mundo, & cras fiat aliud album, verũ erit dicere cras hoc album est simile illi, & tamẽ hodie non est verũ cum nondum sit positum suum correlatiuum. ergo similitudo de nouo aduenit priori albo, non facta mutatione in priori albo, sed ex sola productione alterius coalbi, ex quibus manifestè sequitur quòd relatio non est quid realiter distinctum à fundamento quod prius inerat subiecto, vnde posito vno solo albo in mundo, ponitur tota realitas similitudinis, sed non formalitas, donec alterum coalbum producatur.

Et aduerte, q̃ Th. Caiet. vbi suprà conatur hanc rationem soluere & dicit, q̃ posito fundamẽto, ponitur relatio incõplete, & quòd cõpletur sola positione termini. & ideo potest aduenire de nouo sine mutatione eius in quo est, & adducit exemplum de actione, quæ ponitur ex sola positione passi.

Sed contra, Si completur sola positione termini, vel completur quo ad suum formale præcisè, vel quo ad suam realitatem: si primo modo. ergo tota realitas similitudinis inerat subiecto ante positionem termini, in subiecto autem non erat nisi fundamentum, puta albedo. ergo est eadem realitas albedinis & similitudinis, si secundo modo, non est intelligibile q̃ posito termino compleatur, nisi quia realitas relationis, quæ erat in potentia posito fundamento, fiat actu in subiecto ex positione termini. sed hoc est impossibile sine mutatione subiecti. Quod enim transit ab esse in potentia ad esse in actu, necessario se habet aliter quam prius. ergo stat ratio inducta pro conclusione. Exemplum autem de actione non iuuat: nam ideo posito passo sequitur actio, quia est productiuè ab agente, & recipitur in passo. sed relatio vt patet non est productiuè realiter à subiecto, & recepta in termino. ergo, &c.

Quod autem hæc determinatio sit ad mentem Philosophi & Commentatoris, & beati Thomæ ostendo sic, Philosophus in quinto Physicorum, textu decimo, tenet quòd ad relationẽ non est motus, quia potest aduenire alicui, altero solo mutato sed si relatio esset res diuersa à fundamento, oporteret quòd aliqua mutatio accideret ei, cui aduenit, & non solùm in altero extremo quod de nouo producitur, aliter Philosophus in hac sua ratione peteret principium. Si enim supponit quòd relatio sit alia res à fundamento, & cum hoc velit probare, quòd ad eam non est motus per hoc medium quòd aduenit vni extremo altero solo mutato, patet quòd principium petit. Restat enim probandum, quòd noua relatio possit alicui aduenire, per solam mutationem factam in altero extremo. Præterea, Philosophus in septimo Physic. textu decimoseptimo, probans non esse alterationem ad primam speciem qualitatis, sic arguit, in ad aliquid non est alteratio, sicut nec motus, sed habitus est ad aliquid. ergo, &c. Patet autem quòd si relatio fundata super habitum, esset alia res ab habitu, ratio Philosophi non valeret. non enim sequitur in ad aliquid non est motus. ergo in habitu non est motus, nisi in virtute istius medij. Habitus & sua relatio sunt eadem res, & ad relationem non est motus. ergo ad habitum non est motus. Præterea quòd sit de mente Comment. ostendo sic, Dicit Comment. in libro de substantia orbis, quòd potentia materiæ est ipsa substantia materiæ & in primo physic. tex. 70. vult quòd potentia differat à materia, quia potentia est de prædicamento ad aliquid. Si igitur dictum primum debet concordare cum secundo, necesse est dicere, quòd relatio & fundamentum sint idem re. licet differant ratione, siue prædicamentaliter. Præterea, quòd sit de mente B.Tho. patet *intuenti verba sua in quinto physic. in expositione tex. x.* vbi sic arguit in illis, in quibus relatio inuenitur realiter in vtroque extremorũ videtur difficile, q̃ aliquid relatiuè dicatur de vno per mutationem alterius, absque mutatione sui, cum nihil de nouo aduenìat alicui, absque mutatione eius cui aduenit. Respondẽs autem dicit quòd si aliquis per sui mutationem efficiatur mihi æqualis me non mutato, ista æqualitas primo erat in me quodam modo, sicut in sua radice, ex qua habetur esse reale: ex hoc enim quòd habeo talem quantitatem, competit mihi quòd sim æqualis omnibus illis, qui eandem quantitatem habent. Cum ergo aliquis de nouo accipit illam quantitatem, ista communis radix æqualitatis determinatur ad istum. Et ideo nihil aduenit mihi de nouo per hoc quòd incipio alteri esse æqualis per eius mutationẽ, hæc ille. Ex quibus sic arguo, si dictum vltimum est verum, scilicet & ideo nihil aduenit mihi. &c. vel verificatur de subiecto æqualitatis secundum esse reale æqualitatis: vel secundum esse formale. non secundum esse formale, quoniã quando ego solus habeo talem quantitatem, nõ dicor formaliter æqualis, posita autem eadem quantitate in alio, statim dicor formaliter æqualis illi: æqualitas ergo quo ad esse formale de nouo aduenit mihi. Si igitur dictum B. Tho. est verum, necesse est vt verificetur de esse reali. q. d. Statim quòd habeo talem quantitatem habeo æqualitatem quo ad esse reale. & ideo quando incipio esse æqualis alteri, id est dici formaliter æqualis, nihil de nouo quo ad esse reale aduenit mihi, ex consequenti relatio æqualitatis non differt realiter à quantitate, super quam fundatur. Patet igitur hanc esse mentem philosophi & Comment. & B.Tho.

Quantum ad tertium aduerte, quòd tres sunt fortiores rationes tenentium oppositum, quas intendo soluere. Prima est hæc. Relatio & fundamentum sunt in distinctis prædicamentis. ergo sunt duæ res. antecedens patet. consequentia probatur. nam ex sexto metaphysic. distinctio entis in decem prædicamenta, est distinctio entis realis. ergo quodlibet prædicamentum est ens reale. ergo sunt decem res ergo relatio & fundamentum sunt duæ res, cum sint in prædicamentis distinctis.

Respondetur, dico q̃ non est necesse prædicamenta vt res sunt distingui realiter, aliter actio & passio non essent duo prædicamenta, cum sint vnus motus numero ex 3. physi. Vt aũt prędicamẽta sunt, id est vt stant sub rõne formali, necesse est vt

est vt distinguantur formaliter, ita quòd sub eadem ratione formali, vna res non potest locari in prædicamētis distinctis. Ad argumentum igitur nego consequentiam. Ad probationem concedo totum vsque ad illud quod dicitur. ergo sunt decem res. nam hoc potest habere duplicem sensum. Primus est, sunt decem res, quia omne prædicamentum signatum est res, & est verus sensus, sed nego vltimā consequētiam. Secundus sensus est, sunt decem res, quia omne prædicamentum signatum comparatum alteri est res & res distincta. Et hic sensus est falsus, quoniam si illum concederem, necessario concedenda est vltima consequentia. Exēplum habemus in diuinis perfectionibus, de quibus loquemur in lib. 12. nam de qualibet verum est dicere quòd est res, non tamen sunt distinctæ res, sed sufficit quòd distinguātur suis rationibus formalibus.

Secunda, substantia & accidens non sunt eadem res, sed fundamentum alicuius relationis est substantia, vt distinctio numeralis Sortis & Platonis fundatur super vtriusque substantiam, & tamen omnis relatio realis est accidēs, quoniam secundum te continetur in prædicamento ad aliquid: quod est vnum ex prædicamentis accidentium.

Respondetur accidens sumitur dupliciter. Primo, vt inhærens & superadditum substantiæ, quales sunt quantitates & qualitates, Secundo, vt id quod est extra rationem rei, & sine quo res potest intelligi secundum suam propriam rationem formalē, sicut locus potest dici hoc modo esse accidens superficiei, quia non est de ratione superficiei esse locum, sed econuerso, Ad argumentū igitur dico ad maiorem, quòd licet substantia & accidens primo modo non sint eadē res, stat tamen quòd substantia & accidens secundo modo sint eadem res, & quando dicitur in minori, quòd fundamentum alicuius relationis est substantia, concedo, & quòd omnis relatio est accidens, concedo primo vel secundo modo. Nam relatio fundata in quantitate vel qualitate est accidens primo modo, quia non distinguitur à fundamento, & est accidens secundo modo, quia non est de ratione sui fundamēti. potest enim intelligi quāritas sine æqualitate, Relatio autē fundata in substantia, vt creatio passiua, est accidens tātum secundo modo, cum non addat aliquod reale super fundamētum. & si dicas, cum omnis relatio realis cōtineatur in prædicamēto ad aliquid, & aliqua relatio sit substantia, ergo substātia erit in prædicamento accidētis: quod videtur absurdū. Respon. imò hoc est necesse cōcedere; nam cum motus & terminus motus sint idē reali ter, generatio passiua, & substātia genita erunt idem. Constat autem q generatio passiua est in prædicamēto passionis. ergo substantia est in prædicamento accidentis, non ergo inconuenit id, quod est substantia, esse in prædicamento accidentis, non tamen ratione substantiæ: quoniam prædicamenta formaliter sunt impermixta.

Tertia ratio fundatur in dicto B. Tho. in 1. parte q. 28. artic. secundo, ad secundum, vbi ponens differentiam inter relationes in creaturis, & relationes in diuinis inquit. Id quod inuenitur in creatura præter id quod continetur sub significatione nominis relatiui est alia res, ex quibus sic arguo, in creaturis constat quòd fundamentum non continetur sub significatione nominis relatiui, ergo fundamentum est alia res distincta ab ea, quæ significatur nomine relatiuo.

Respondetur B. Th. in illo loco non comparat relationem ad fundamētum, sed ad subiectū, quod signatur nomine relatiuo, & cōcedo quòd cōparata subiecto, est alia res à subiecto, dummodo sit fundata in accidente, puta in potentia actiua vel passiua, vel in actione aut passione. Quod ideo dico, quoniam fundata in substātia vt supra dixi non distinguitur à subiecto, nec à fundamēto, Vnde aduerte quòd B. T. in loco præalleg. & in primo sent. dist. 33. q. 1. artic. 1. non intendit loqui de relationibus creaturarū vniuersaliter, sed de fundatis super actionem & passionē creaturę, constat autē quòd actio & passio in creatura sunt accidentia, & vt sic distinguūtur à suo subiecto quod est substātia, & ex consequenti relationes fundatæ super huiusmodi actionē & passionem sunt accidentia, & distinguuntur à suo subiecto, quod est substantia, non tamen à fundamento suo, Et quòd fuerit mens B. Th. loqui de relationibus creaturarum fundatis in actione & passione, patet ex hoc quòd proportionaliter loquitur de relationibus diuinis non absolutè, sed fundatis super communicationem diuinæ naturæ signatam per generare & generari.

Quarta ratio fundatur super dictum B. Tho. in q. de potentia Dei q. 8. artic. 2. ad primum, vbi habetur quòd nulla substantia in genere potest esse idem realiter quod relatio, Constat autem quòd aliqua relatio fundatur in substantia, vt distinctio substantialis inter duo indiuidua eiusdem speciei, ergo saltem in relationibus fundatis in substantia est distinctio realis à suis fundamentis.

Respondetur, non dicit B. Tho. in illo loco, quòd nulla substantia in genere potest esse idē realiter quòd relatio, sed dicit quòd nulla substantia in genere est relatio: quæ propositio intelligenda est secundum prædicationem formalem, nam argumentum erat tale, nulla substantia est relatio, hæc enim est immediata, sicut ista, nulla substantia est quantitas, sed diuina essentia est substantia, &c. Patet autē quòd quando prædicamentum negatur à prędicamento, intelligendū est de prædicatione formali & non idētica, aliter ista non esset vera, & identica, actio est passio quæ tamen de prædicatione formali non est vera. Sed hæc est vera, nulla actio est passio. Cum igitur dicat beatus Thomas quòd hæc propositio est immediata, nulla substantia est relatio, intelligenda est secundum distinctionem formalem & non vltra.

Quinta ratio fundatur super dictū Philisophi in 12. Metap. tex. 19. vbi vult quòd diuersorum generum, id est prędicamentorum diuersa sunt principia & elemēta, sed relatio est aliud genus à quantitate & qualitate & actione, & passione quæ sunt fundamēta relationis, ergo relationis & fundamēti sunt alia & alia principia, ex consequenti distinguuntur realiter.

Respondetur Aristot. in dicto loco & præcipuè in textu 21. declarans mentem suam dicit quòd per principia & elementa intendit formam, & priuationem, & materiam, quæ licet proportionaliter inueniantur in omni genere, tamē sunt alia aliorum generum, vt in genere colorum, forma est albedo, priuatio, nigredo, materia superficies, in distinctione temporum, forma est lumen, tenebra priuatio, aēr materia, siue subiectum. Ex quibus elicere possumus, quòd relatio si debet habere alia & alia elementa, non est cōparāda fundamēto, sed materię, vel subiecto, in quo recipitur, quādo suum fundamētum est accidens, & tunc cōcedo quòd relatio vt includit fundamentum, quod est accidens, est alia res à suo subiecto, puta similitudo quæ idētice è est albedo, est alia res à corpore albo. Ad argumentum dico, quòd supponit falsum, credit enim secundum Arist. in dicto loco relationem comparandam fundamento quo ad diuersitatem elementorum, & tamen est comparanda subiecto, respectu cuius concedo quod realiter distinguitur ab eo, quando fundatur in accidente.

Plura alia argumenta possent adduci & solui, verum quia ab aliis soluuntur & præcipuè à Paulo Socin. in quinto Metaphysices, quæstione vigesima octaua, ideo pertranseo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIII.

Si vltima prædicamenta dicunt rem absolutam, vel respectum.

IN hoc quæsito difficilis est resolutio ad mentem Philosophi & Commenta. & beati Thomæ: nam Philosophus parum de eis locutus est, & vt patet in prædicamentis consideratione suam terminauit in quatuor primis, & in tota Metaphysica, quoties diuidit ens in prædicamenta pro maiori parte exemplificat de quatuor primis, & si vltra procedit nunquam peruenit ad 10, nam in quinto Metaphys. cap. de ente, exemplificat vsque ad prædicamentum quando, & non vltra, & posito quòd omnia numeraret, Quod tamen vltima dicant non habemus ab eo expressum, & propterea multi putantes se sequi viam Arist. variè locuti sunt, non intendo autem recitare singulas opiniones, præcipuè Scoti, & Heruei, & Cap. in his enim satis immoratus est Paulus Soncinas in quinto Metaph. Mea intentio est inuestigare quid ad hoc diceret B. Tho. pro cuius resolutione tria agenda sunt, Primo ostendetur, quam *fel.* variè super id locutus est. Secundo quid tenendum est. Tertio soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte tria dicta à beato Thoma, nam in quinto Metaph. in capite ad aliquid, postquam assignauit sufficientiam trium modorum relatiuorum, loquens de vltimis prędicamentis inquit, alia vero genera magis relationem consequuntur, quàm possint relationem causare. nam quando consistit in aliquali relatione ad tempus, vbi verò ad locum, positio autem ordinem partium importat, habitus autem relationem habentis ad habitum: hæc ille, ex quibus constat quòd videtur sentire illa dicere respectū & non rem absolutam. In tertio autem Physicorum, in tex. 22. assignans sufficientiam prædicamentorum & in libro decimo Metaph. videtur sentire quòd dicant absolutum vt tamen denominant aliud denominatione extrinseca, id est, vt denominant illud in quo non sunt subiectiuè puta tempus vt denominat rem temporalem, ad quam non comparatur vt accidens ad subiectum, sed vt mensura ad mensuratum, constituit prædicamentum

mentum quando, locus autem vt denominat locatum in quo non est subiectiuè constituit prædicamentum vbi. Vestis autem vt denominat habētem puta vestitum, in quo non est subiectiuè, sed solum circundatiuè, constituit prædicamentum habitus. In quinto autem Metaphysic. in capite de habere, exponens primum modum vbi dicit Philosophus (& vestimentum induti) videtur sentire specialiter de habitu, quod dicat absolutum & respectiuū, puta quod esse vestitum dicat vestem non absolutè, sed vt coapratur & configuratur vestito, coaptatio autem respectum dicit, & quod dicit de habitu præsumendum est quod diceret de aliis, vt de quando & vbi & situ. Propter hanc ergo diuersitatem loquendi difficile est videre, quæ fuerit mens Beati Thomæ.

Quantum ad secundum aduerte quod illud tenendum est, quod tamen non repugnet doctrinæ Philosophi & Beat. Tho. & vt resoluamus quæsitum, pono quinque conclusiones.

Prima prædicamenta vltima non dicunt purum respectum, quoniam cum motus localis sit in prædicamento vbi, si vbi dicit solum respectum, motus esset primo & per se ad relationem, quod repugnat Philosopho in quinto Physicorum textu decimo, illic Philosophus non concedit motum in ad aliquid nisi per accidens, puta quando aliquis per se dealbatur per accidens fit similis alteri. Accidit enim quod Sorte dealbato, fit aliud album cui fiat similis.

Secunda, non dicunt absolutum simpliciter, id est nullo addito. quoniam non distinguerentur à tribus primis prædicamentis, si enim quando dicit tempus simpliciter & vbi & situs dicunt locum simpliciter & habitus dicit indumentum simpliciter, cum tempus & locus sint in prædicamento quantitatis, & indumentum in prædicamento substantiæ, constat quod non constituerent prædicamenta distincta à tribus primis.

Tertia, non dicunt absolutum cum respectu, quia cum omne ens absolutum sit substantia, vel quantitas, vel qualitas & omnis respectus realis sit in prædicamento ad aliquid, vt declaratum est supra: si dicunt absolutum cum respectu, non dicunt nisi aggregatum ex duobus prædicamentis, hoc autem repugnat simpliciter prædicamentali, & præterea diceremus vnum per accidens, quoniam vt declaratum est in quarto lib. res diuersorum prædicamentorum, apud Metaphysicum constituunt vnum per accidens. Nullum autē vnum per accidens est prædicamentū, nec reponitur in prædicamento: ergo, &c.

Quarta, dicunt absolutum cum denominatione extrinseca, pro cuius euidentia aduerte vt notat Heruęus in primo quolibeto, quæstione nona, quod denominatio potest fieri tribus modis, primo ab aliquo absoluto intrinseco ipsi denominato, quod scilicet est intrinsecum ipsi denominato, vel per identitatem, vt Sortes est substantia, Sortes est rationalis, vel per inhærentiam, vt Sortes est quantus, est qualis, & secundo ab aliquo intrinseco ipsi denominato, importante tamen aliquod extrinsecum vt terminum, ad quod denominatum se habet relatiuè, vt Sortes est pater, tertio ab aliquo extrinseco, quod non est idem cum denominato, nec est subiectiuè in denominato, vt Sortes est locatus, constat enim locum non esse subiectiuè in locato, sed in locante: prima denominatio fit per prædicamentum substantiæ & quantitatis & qualitatis, secunda per prædicamentum ad aliquid, tertia per vltima prædicamenta, & aduerte quod hanc denominationem extrinsecam fieri ab vltimis prædicamentis est de intentione expressa Beati Thomæ in tertio libro Physicorum, super textu vigesimo secundo, vbi inquit, Tertius modus prædicandi est, quando aliquod extrinsecum de aliquo prædicatur per modum alicuius denominationis & exemplificat de agere & pati, de quando & vbi & situ & habitu. Ex quibus sequitur corollariē, quod vltima prædicamenta, licet nō differant à tribus primis quantum ad rem denominantem, differunt tamen quantum ad modum denominandi & prædicandi, quoniam à tribus primis fit prędicatio & denominatio ab intrinseco absoluto, & ab istis fit ab extrinseco absoluto, & ista diuersitas sufficit ad distinctionē formalē prædicamentorū, non enim est necesse omnia prædicamenta distingui realiter, vt declaratū est suprá.

Quinta. Licet vltima prædicamenta dicant absolutum cum denominatione extrinseca, ad talem denominationem consequuntur quidam respectus inter denominans & denominatum; quos tamen non significant hæc vltima prædicamenta, & quidem quod tales respectus consequantur patet, quoniam non dicitur denominans nisi quia aliquid denominat, nec dicitur denominatum nisi quia ab aliquo denominatur. Quod autem non significentur per vltima prædicamenta, patet, quoniam cum significent absolutum, si significant etiam respectum, significarent aliquod vnum per accidens, vt dictum est in tertia conclusione. Tenendum est ergo, quod significant purum absolutum cum denominatione extrinseca, ad quam consequuntur quidam respectus, & si tenueris hāc viam, optimè saluabis motum in vbi, & simplicitatem & perfeitatem & formalem distinctionem prædicamentorum.

Quantum ad tertium aduerte, quod tria videntur obstare prædictæ determinationi, primo authoritas Beati Thomæ, nam vt patet in quinto Metaphysicæ, in capite, ad aliquid, vt adductum est in principio quęstionis, videtur sentire quod dicant respectum, & confirmatur quoniam in libro vndecimo Metaphysicæ in lectione duodecima, inquit, Habitus importat habitudinē indumēti ad indutum, & quod dicit de habitu, est rationabile vt intelligat de aliis. Secundo obsistunt diffinitiones datæ ab authore sex principiorum, ex quibus cōstat quod dicunt non absolutum, sed respectum, vt patet de quando, inquit enim, Quando est quod ex adiacentia temporis relinquitur, vbi autem est circunscriptio corporis, ex loci circunscriptione procedēs, tertio obsistit tractatus de relatione cum positus à Beato Thoma, in quo determinat quod dicunt respectum fundatum non super absolutum, sed super respectum.

Respondetur cum habeamus clare ex doctrina Aristotelis, quod non est motus ad respectum, & in libro vndecimo Metaphysicæ, in textu, qui incipit, Si igitur prædicamenta diuisa sunt, dicit necesse esse tres motus, qualis quanti & loci manifestum est cum ponat motum ad locum, non distingui realiter locum ab vbi, ex consequenti vbi non dicit respectum. Similiter cùm Beatus Thomas, ex proposito assignans sufficientiam & distinctionem prædicamentorum, declaret ea distingui ex denominatione extrinseca, quod & manifestauit in libro vndecimo Metaphysicæ, in lect. nona, vbi inquit, Prędicamenta diuersificantur secundum diuersos modos prædicandi. Vnde idem secundum quod diuersimodè de diuersis prædicatur, ad diuersa prædicamenta pertinet. Locus enim secundum quod de locante prædicatur, ad prædicatum quantitatis pertinet. Secundum autem quod denominatiuè de locato prædicatur constituit prædicamentum vbi. Similiter motus secundum quod prædicatur de subiecto, in quo est constituit prædicamentum passionis, secundum autem quod prædicatur de eo à quo est, constituit prædicamentum actionis, hæc ille, stando est in determinatione facta. Et ad primum dictum Bea. Tho. dicendum est quod non verificatur nisi connotatiuè vel cōsecutiuè, ex eo enim quod denominant denominatione extrinseca cōsurgit respectus inter denominans & denominatū, qui tamen respectus non significatur ab huiusmodi prædicamentis, aliud est enim significare, & aliud connotare, sicut accidens concretū connotat subiectum, sed non significat ipsum.

Ad authoritatem Authoris sex principiorum, dico, quod non est acceptanda in hoc, quoniam non posset saluari, quia esset motus primo & per se ad relationem.

Ad instantiam fundatam super tractatum de relatione, dico quod ille tracta. non est Bea. Thom. Nam si difficile est saluare relationem realem fundatam in re absoluta, vt declaraūimus in quæstione vigesima secunda huius libri, multo minus posset saluari ea, quę fundaretur super aliam relationem, & propterea illa positio nō est sustinenda à vero Thomista. Et confirmatur, quoniam Beat. Thom. in duodecimo Metaphysi. exponens textū decimum nonum, in quo Ari. exemplificat de substantia & de ad aliquid dicit, Ea quæ sunt ad aliquid, remotiora videntur esse à substātia quam alia genera, eo quod sunt debilioris esse. Vnde & substantiæ inhærent mediantibus aliis generibus, scilicet absolutis, si inhærent substātiæ mediantibus aliis generibus absolutis, signum est quod non fundantur nisi in generibus absolutis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum super quintum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

QVAESTIONES SVPER sextum librum Metaphysices.

1 Si ens inquantum ens habet principia & causas.
2 Si solus Metaphysicus considerat quod quid est subiectorum scientiarum particularium.
3 Si textus secundum translationem Arabicam potest saluari, in quo sic habetur, & ipsa scilicet Physica speculatur de

ente, quod impossibile est moueri.
4 Si aliquis actus intellectus potest dici praxis.
5 Si scientia practica, est practica ex obiecto vel ex fine.
6 Si omnis scientia est practica vel speculatiua.
7 Si tantum tres sunt scientiæ speculatiuæ.
8 Si omnes speculatiuæ, sunt nobiliores omnibus practicis.
9 Si de ente per accidens potest esse scientia.
10 Si de modo inferiori datur aliquis effectus contingens.
11 Si à causa proxima, effectus contingẽs habet contingẽtiã.
12 Si effectus contingens, dum est sit contingens.
13 Si ens verum excluditur à metaphysico.

QVAESTIO I.

Si ens inquantum ens habet principia & causa.

Principia & causæ quæruntur entium, palam autem quia inquantum entia. Tex. 1.

Conclusio. Ens inquantum ens, cum sit subiectum in hac scientia, habet principia & causas ex quibus procedit ad quippiam demõstrãdũ de eo.

IN hac quæstione quatuor agenda sunt. Primo declarandum est, quid intẽdit philosophus per principia & causas. Secundo declarãdum est in quo sensu, ens inquantum ens, habet principia & causas. Tertio ponetur conclusio responsiua. Quarto soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quòd Arist. per principia & causas intẽdit omne, quod potest esse verè medium ad demõstrandum aliquam passionem de subiecto, omne autem tale habet rationem principij formalis, saltem secũdum nostrum modum cognoscendi: quod ideo dico, quoniam si est medium à priori habet rationem principij formalis ex natura rei, vt quando per quod quid est triangulũ demonstro ipsum habere tres angulos æquales duobus rectis: si autem est medium à posteriori, vt quando in naturalibus demonstro causam per effectum habet rationem principij formalis secundum nostrum modum cognoscendi: necesse est enim omnem conclusionem ex aliquo principio deducere, à quo licet non semper pendeat secundum esse, pendet tamen secundum cognitionẽ, cum omnis demonstratio procedat à notiori ei cui fit demonstratio, ex quibus sequitur, quòd cum demonstro in naturalibus aliquid de causa per suum effectum, effectus vt sic est causa formalis secundum rationem suæ causæ in demõstrando, & id consonat doctrinæ B. Tho. exponentis præpositum tex. in 6. metaph. vbi inquit, omnis scientia intellectualis, siue sit solum circa intelligibilia, vt scientia diuina, siue circa imaginabilia, vt mathematica, siue circa sensibilia, vt naturalis, siue etiam ex vniuersalibus principiis ad particularia procedat, in quibus est operatio, vt sunt scientiæ practicæ semper oportet quòd talis scientia sit circa principia & causas, quæ quidem principia aut sunt certiora quo ad nos, sicut in naturalibus, quæ sunt propinquiora sensibus aut simpliciora & priora secundum naturam, vt in mathematicis: hæc ille, ex quibus constat, quòd in omni scientia illa, ex quibus procedimus ad conclusiones, sunt principia & causæ in illa scientia, constat autem quòd in naturalibus ex effectibus procedimus: effectus igitur habent rationem principij, & causæ in demonstrando causas suas.

Quantum ad secundum aduerte, quòd ens inquantum ens & sumptum in illa vniuersalitate, qua est subiectum metaphysicæ. De qua vniuersalitate iam pertractauimus in primo lib. in q. 1. non habet principium effectiuũ, nec materiale nec formale proprie sumptum, nec finale, ad quod vt ad quid melius ordinetur, aliter quodlibet contentum sub ente vt est subiectum metaphy. haberet huiusmodi principia per illud principium, Quod conuenit alicui tali inquantum tale, conuenit omni tali. constat autem consequẽs esse falsum, quoniam, vt diximus in 1. lib. Prima causa continetur sub ente vt est subiectum in metaphysica: & tamen illi non est assignabile principium effectiuum, cum sit primum ens & causa omnis entis, nec principium materiale vel formale cum sit omnino simplex, nec principium finale, ad quod ordinetur, cum ad ipsam ordinentur omnia vt declarabimus in lib. 12. Cum ergo dicit philosophus quòd principia & causæ quæruntur entium inquantum entia per causas & principia entis quod est subiectum in metaphysica intendit media quibus probantur proprietates entis de ente, quæ vt sic possunt dici causæ & principia formalia in cognoscendo.

His prænotatis ponitur conclusio responsiua, ens inquantum ens habet principia & causas: probatur cuiuscunque scientiæ subiectum habet principia & causas, vt declarauit Arist. in 1. poster. ex quibus demonstrantur quæ demonstranda sunt de subiecto & modo conuenienti vnicuique scientiæ, scilicet vel à priori vel à posteriori. Sed ens inquantum ens vt stabilitum est in 4. lib. metaphy. est subiectum in ea, ergo habet principia & causas. Præterea Philosophus in 1. tex. huius sexti probat inductiuè, omnẽ scientiam particularem considerare principia & causas sui subiecti, quod ergo commune est omni scientiæ non est negandum à metaphysica. Habet igitur ens in quantum ens causas & principia modo quo declarauimus.

Ex hac conclusione sequitur corollariè primam causam vt cadit sub consideratione metaphysici habere causas & principia formalia apud intellectum nostrum, quæ sunt vel conceptus, vel effectus primæ causæ, ex quibus aliqua de ea demonstramus, vt magis manifestabitur in lib. 12.

Quantum ad vltimum propositum, aduerte quòd duo videntur obstare prædictæ determinationi factæ.

Primo quia videtur repugnare perfectioni vniuersali primæ causæ quod habeat principia. Repugnat enim primo principio habere principium vt patet.

Respondetur, licet primo principio totius entis repugnet habere principium in genere entis, quoniam vt sic esset aliquid prius eo, tamen comparando ipsum ad intellectum nostrum in ratione cognoscendi, non inconuenit assignare sibi principium, & est illud à quo incipit nostra cognitio de prima causa, quod quidem secundum rem est posterius, vtpote effectus illius, secundum cognitionem autem nostram est prius, quoniam prius cadit in nostro intellectu quam cognitio primæ causæ

Sed contra. Si primæ causæ competit principium secundum rationem, licet non secundum rem. ergo non erit omnibus modis primum, plus est enim esse primum secundum rem & secundum rationem quàm tantum secũdum rem. ergo, &c.

Respondetur. nego consequentiam ad probationem dico quod esse primum secundum rem & secundum rationem ex parte rei intelligibilis, plus est quam secundum esse primum solum secundum rem. sed esse primum secundum rem & secundum rationem ex parte rei intelligibilis, non autem ex parte nostri intellectus qui plerunque accipit cognitionem à posteriori non minuit omnimodam primitatem conuenientem primæ causæ, quoniam prioritas rationis sumpta ex parte intellectus nostri, prouenit ex debilitate ipsius intellectus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Si solus metaphysicus considerat quod quid est subiectorum scientiarum specialium.

Nec de ipso quodquid est, vllam faciunt mentionem. Tex. 1.

PRo resolutione huius quæsiti quinque agenda sunt. Primo declarabitur titulus. Secundo ponetur distinctio de prædicamentis, quæ ingrediuntur ipsum quod quid est. Tertio ponentur conclusiones responsiuæ. Quarto extrahetur quoddã corollarium. Quinto soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte primo quid significet ly quodquid est, secundo ly scientiarum specialium.

Quodquid est vt declarauimus in nostra epito. in 7. metap. capite tertio, apud logicum est idem quod rei diffinitio, apud metaphy. est significatum diffinitionis. Huiusmodi autem significatum est rei essentia siue quidditas sumpta in concreto, sumpta quodquid est hominis est esse animal rationale. nam esse animal rationale est id quod est homo. Dico autem in concreto, quoniam si sumatur quidditas hominis in abstracto puta humanitas non prædicatur in recto de homine, sed habet rationem principij formalis. Quodquid est autem prædicatur in recto de eo cuius est, quoniam est id quod respondemus ad interrogationem factam per quid. Et propterea quidditas sumpta in abstracto non est ipsum quodquid est. In titulo igitur quæsiti sumitur quodquid est tam pro diffinitione quàm pro significato diffinitionis vtroque enim modo pertractatur à metaphysi. Nam vt diximus in epitome in 7. meta. consideratur in libro septimo modo logico, & in libro octauo modo reali. Scientiæ speciales non dicuntur quasi distinctæ specie, sed quia specialiter considerant de ente, & non vniuersaliter. Considerare autem specialiter de ente, est considerare tantum de vna parte entis subiectiua, puta de ente mobili, de quantitate continua, de quantitate discreta, &c. Iuxta quam cõsiderationẽ distinguuntur physica, geometria, arithmetica. Considerare autem de ente vniuersaliter est considerare de ente inquantũ ens, ex consequenti de omni ente inquantum ens, & de primis passionibus entis, quæ de omni ente verificantur, saltem disiunctim. iuxta quam considerationem distinguuntur metaphysica & logica ab omnibus aliis. In titulo igitur

igitur sumitur ly specialium, pro scientiis considerantibus partem entis, quæ solent appellari ab Aristote. vt patet in quarto Metaphysi. textu primo scientiæ in parte, id est particulares.

Quantum ad secundum aduerte, quod sumendo quodquid est pro diffinitione, cum diffinitio constet ex multis prædicatis, vt declaratur in septimo Metaphysi. huiusmodi prædicata sunt duplicia, quædam communissima, ad quæ vnum quodque tandem resoluitur, sicut omnia complexa ad primum principium complexũ. Communissima autem sunt ipsa transcendentia, actus & potentia, necessarium & contingens, finitum & infinitum, substantia & accidens, materiale & immateriale, &c. Quædam autem sunt propria & particularia, quæ complent ipsam diffinitionem, faciũtq; eam conuertibilem cum diffinito, sicut est propriũ genus cum propria differentia,

Quantum ad tertiũ ponuntur tres conclusiones responsiuæ.

Prima. Scientię speciales non considerant quodquid est suorum subiectorum quo ad prædicata communissima, quæ sumuntur in quodquid est, vt prima genera, probatur, eiusdem scientiæ est considerare quodquid est quo ad prædicata communissima, & considerare ipsa prædicata communissima vt patet, sed nullius scientiæ specialis est considerare prædicata communissima, quoniam cum consequantur ipsum ens, sicut transcendentia, & actus & potentia, &c. est illius scientiæ considerare hæc communissima, quæ considerat ens inquantum ens. Hæc autem est sola Metaphysica, vt dictum est in libro quarto textu primo: ergo, &c.

Secunda. Scientiæ speciales considerant quodquid est suorum subiectorum, quo ad prædicata propria & particularia, quæ sunt proprium genus & propria differentia, vel aliquid loco eius, probatur. Hoc non pertinet ad scientiam Metaphysicæ, ergo ad scientias speciales, cõsequentia nota, antecedens probatur, si Metaphysica consideraret propria genera & propria differentias quibus cõstituuntur & distinguuntur rerum quidditates, ergo consideraret quidditates rerum in particulari, cuius oppositum manifestum est in primo libro, nam cũ Metaphysica consideret prima prædicata, si cõsideraret etiam propria, tunc aliæ scientiæ essent superfluæ,

Tertia, licet scientiæ speciales considerent prædicata propria ingredientia ipsum quodquid est suorum subiectorum, tamen dictum Philosophi dicentis, de ipso quodquid est nullam mentionem faciunt adhuc verificatur, nam ad prędicatorum propriorum cognitionem procedere non possumus, nisi ex cognitione primorum & maximè vniuersalium, in quibus vrtualiter totum quodquid est continetur, sicut continetur tota scientia virtualiter in primis principiis complexis, cum igitur solus Metaphysicus consideret communissima prædicata, in quibus totum quodquid est continetur virtualiter, verum est dictum Philosophi non absolutè, sed in sensu dicto.

Quantum ad quartum aduerte, quod per Bea. Thom. in expositione huius primi textus, clare habere possumus quod medium in demonstratione non est quid nominis vt quidam Thomistæ minus cõsiderantes, & in hoc ad viam Aegidij declinantes posuerunt, sed illud est quid rei, nam ex Bea. Thom. exponẽte habemus quod illud quid, quod à Metaphysico consideratur, est medium in demonstratione, sed quid rei & non solum quid nominis consideratur à Metaphysico, cum sit considerans rerũ quidditates: ergo, &c. Et illud idẽ quid præsupponitur in qualibet scientia speciali de suo subiecto, sicut & quia.

Quantum ad quintum aduerte duo argumenta apparentia contra determinationem hujus quæsiti.

Primò, quælibet scientia habet considerare principia & causas sui subiecti, vt per eas demonstret passiones proprias de subiecto, sed principia & causæ per quas passiones demonstrantur sunt ipsum quod quid est, ergo quælibet scientia considerat quod quidest sui subiecti, & non solus Metaphysicus, maior est Philosophi in hoc sexto libro, in textu primo, minor est nota ex primo posteriorum.

Respondetur, aliud est considerare quod quidest, & aliud est quærere ipsum, nam considerare propriè est venari aliquo ex illis modis quibus venari potest, siue compositione, siue diuisione, quærere autem est conari vt habeatur siue inuestigatum in eadem scientia, siue in alia. Ad argumẽtum dico quod licet quælibet scientia indigeat quodquid est sui subiecti vt per illud demonstret passiones de subiecto, non tamen est necesse quod venetur ipsum, sed quod habeat venatum in alia scientia puta in Metaphysica, vnde dicit Philosophus in primo textu huius sexti libri, quod scientiæ speciales, aut accipiunt quodquid est manifestatum sensu, aut supponunt ipsum scilicet venatum in alia scientia. Nego ergo quamlibet scientiam considerare, id est inuestigare quodquid est sui subiecti nec hoc dicit Philosophus, sed sufficit quod eo vtatur.

Secundò, Physicus inuestigat quid est anima, & natura & motus, & Mathematicus, quid sit linea, quid superficies & figura, &c. ergo nõ solus Metaphysicus cõsiderat quodquid est.

Respondetur dupliciter, primo quando dicit Philosophus quod scientiæ speciales nullam faciunt mentionem de quod quid est, intelligendum est de suo primo & adæquato subiecto, De illo enim ex primo posteriorum, supponitur quid & quia, de aliis autem contentis sub adæquato subiecto, non inconuenit inuestigare quid, Constat autem quod natura & motus & anima non sunt adæquatum subiectum in Physica.

Dicitur secundo, quod non inconuenit in scientia speciali inuestigare quod quid est subiecti adæquati, quo ad prædicata propria, quantum autem ad prædicata communissima, accipit à Metaphysico. Vnde diffinitio de anima inuestigatur habitu Metaphysico inquantum est actus primus, & habitu Physico, inquantum est corporis Physici, &c. Idem dico de natura inquantum est principium, & de motu inquantum est actus, &c. Aliam etiam responsionem dedi in quæstionibus nostris super libros de anima, in quæstione qua quæritur, si anima est subiectum in libro de anima, vide eam. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Si textus secundum translationem Arabicam potest saluari, in quo sic habetur, & ipsa scilicet Physica speculatur de ente, quod impossibile est moueri, textu primo. Textus autem noster sic habet, Physica Theorica quædam est, sed Theorica circa tale ens quod est possibile moueri.

CONCLVSIO.

Vtroque modo legi potest text. iste.

CIrca repugnantiam horum textuum aduerte quod si ly tale ens, sumatur pro subiecto adæquato Physicæ, non potest saluari textus Arabicus. Illud enim est ens mobile vt etiam dicit Commentator in quarto Metaphysicæ, commento primo. Sed de ente mobili falsum est dicere, quod est impossibile moueri, si autem ly tale ens, non sumatur vt est subiectum, sed pro aliquo ente, de quo tractat Physicus, puta de primo motore, de forma, de anima, quæ licet sint principia motus, non tamen sunt per se & essentialiter mobilia, sic potest saluari textus Arabicus, & in hoc sensu Comment. saluat textum Arabicum, nam cõmentans inquit, Et intendit per hoc quod dixit, formam & animam, sunt enim immobiles per se & essentialiter. Tu tamen aduerte, quod ipse Commentator super hunc textũ dubitauit, an deberet sic legi, quod non est impossibile moueri, vel sic quod est impossibile moueri, nam si legatur primo modo, comprehenduntur omnia quæ considerat scientia naturalis. Si autem legatur secundo modo, exponitur de forma & anima, quæ licet sint vt diximus principia entis mobilis, tamen sunt secundum se immobiles & essentialiter, verba autem Commen. sunt ista, Et si fuerit lectus iste locus sic, & de substantia quæ impossibile est moueri, addito illo aduerbio non, tunc poterimus intelligere ex eo, omnia de quibus considerat scientia naturalis, sed in libris à quibus correximus istum librũ quem glossamus, inuenimus siue non, hæc ille, Pro præsenti quæsito difficultas alia non occurrit.

QVAESTIO IIII.

Si aliquis actus intellectus potest dici praxis.

Quare tres erunt Philosophiæ Theoricæ: Mathematica, Physica, Theologia.

Textu 2.

CONCLVSIO.

Nullus actus intellectus specificatiuè est praxis, sed quo ad exercitium non inconuenit aliquem actum eius esse secundum quid praxim.

ANtequam assignemus numerum scientiarum speculatiuarum, vt distinguuntur à practicis, quædã præcedentia consideranda sunt, & primo si aliquis actus intellectus potest dici praxis. Pro cuius euidentia tria agenda sunt, primo declarandum est quid sit praxis propriè dicta, & speculatio, secundo, respondebitur quęsito secundum viam nostram, tertio defensabitur via nostra contra impugnantes.

Quantum ad primum aduerte, quod praxis propriè est operatio regulabilis & dirigibilis per habitum practicum. Talis autem operatio in via Beat. Tho. est actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus conformiter elici intellectui recto, vt sit actus rectus, primo dicitur quod est actus alterius potentiæ ab intellectu, quoniam ex tertio de anima, intellectus extẽsione fit practicus, sed stando præcisè in actibus intellectus, non extenditur intellectus,

quoniam extendere est extra se tendere, necesse est igitur ad hoc quòd intellectus sit practicus, respiciat actum alterius potentiæ regulabilē per ipsum intellectum, & ille actus propriè est praxis: ex quo sequitur, q̃ cum voluntas moueatur ab intellectu finaliter & directiue, praxis propriè erit actus voluntatis elicitus, aut imperatus: secundo dicitur naturaliter posterior intellectione. Hæc conditio sequitur ex prima, nam si praxis est actus voluntatis regulabilis ab intellectu comparatur ad intellectionem sicut regulatum ad regulam suam. Regulatum autem supponit regulam, ergo est naturaliter posterius ea. tertio dicitur natus conformiter elici, &c. Hæc conditio sequitur ad secundam, quoniam regulatum est aptum conformari regulæ suæ, vt sit rectum.

Speculatio autem, vt distinguitur contra praxim propriè dictam, est actus solius intellectus non ordinatus ad aliquam operationem alterius potentiæ ab intellectu regulandam, sed est gratia ipsius scire. dicitur actus solius intellectus. quia ipse solus est potentia speculatiua. ergo solius est intellectus speculatio sicut solius visus est videre. quia solus est potentia, visua. Dicitur non ordinatus ad aliquam operationem alterius potentiæ regulandam. nam dato quòd ordinaretur ad regulandum aliam operationem intellectus, propter hoc non perdit quin sit speculatio, licet remissè. Vnde licet syllogizare sit ordinatum ad regulandum intellectum in acquirendis scientiis, tamen non est extra genus speculationis omnino.

Quantum ad secundum aduerte, quòd in via Thomistica talis sit distinctio. Actus intellectus dupliciter considerator. Primo quo ad specificationem quam trahit ab obiecto. Secundo quo ad exercitium, & vt sic subiicitur imperio voluntatis. Mouet enim voluntas intellectum ad intellectionem. Et ipsa intellectio, licet sit elicitiue ab intellectu, tamen vt imperata à voluntate, potest dici actus voluntatis quo ad imperium. Ex hac distinctione eliciuntur duæ conclusiones. Prima nullus actus intellectus, quo ad specificationem, est praxis. quoniam vt sic est intrinsecus intellectui, omnis autem praxis vt sic est alterius potentiæ ab intellectu. ergo, &c, Secunda non inconuenit actum intellectus quo ad exercitium esse praxim secundum quid, quoniam vt sic est imperatus à voluntate. & vt imperatus potest dici actus voluntatis. ergo vt sic est alterius potentiæ ab intellectu, & eum omnis actus voluntatis siue elicitus, siue imperatus sit regulabilis per ipsum intellectum, sequitur quòd non inconuenit actum intellectus quo ad exercitium esse praxim secundum quid. Dico secundum quid, quoniam ad praxim simpliciter requiritur quòd sit actus elicitus à voluntate, aptus conformari rationi rectæ pro quanto est regulabilis ab intellectu, ex quo sequitur, quòd nullus actus imperatus à voluntate, siue sit actus intellectus, siue alterius cognoscitiuæ potentiæ tam exterioris quàm interioris potest dici prima praxis. Ad quæsitum igitur absolute respondendo, dicendum est in via nostra, quòd nullus actus intellectus, etiam si sit regulabilis per alium actum ipsius intellectus potest dici praxis essentialiter, sed tantum secundum quid, id est quo ad exercitium & prout subest potestati voluntatis. quoniam non sit intellectus practicus essentialiter, nisi inquantum est regulatiuus alicuius actus, ad quem extrà se extenditur, non autem se extendit extra se respectu actus ipsiusmet intellectus, quare, &c.

Quantum ad tertium aduerte quòd Io. Bac. in 1. sent, q. 4. prologi. art. secundo. tenet omnino oppositum huius determinationis. Dicit enim duo. primo quòd praxis quid dicatiue & essentialiter est operatio intellectus, qua dictat aliquid agendum, vel fugiendum. secundo quòd nullus actus voluntatis siue elicitus siue imperatus, pertinet essentialiter ad praxim, sed antecedenter, aut consequenter. Et primum quidem sic declarat, sicut habitus practicus distinguitur contra speculatiuum per hoc quòd generaliter est circa scibile operabile, speculatiuus autem circa scibile præcise, ita porportionaliter operatio practica, quæ vocatur praxis, accipitur pro omni operatione intellectus, qua considerat scibilia vt operabilia, & quia in intellectu sunt multi huiusmodi actus, vt considerare quomodo debemus consulere, præcipere, vitare tale periculum, quomodo ædificare, quomodo scribere, &c, ideo sunt propriè essentialiter praxes. Et hanc suam opinionem sic probat: Arist. in 6. Ethi. enumerans habitus intellectuales, vnicuique attribuit propriam operationem intellectualem, aliter habitus huiusmodi nihil nobis conferrent, ergo sicut habitui speculatiuo conuenit speculatio sic habitui practico conuenit operatio intellectualis practica, puta prudentiæ conuenit bene consiliari, & bene præcipere, & arti dirigere circa factibilia, sed operatio practica est ipsa praxis. ergo praxis essentialiter est operatio intellectus. Et confirmatur quoniam in 3. de anima dicit Arist. practicus intellectus differt à speculatiuo fine, quoniam practicus ratiocinatur quid fugibile & quid prosequibile. Speculatiuus autem nihil dicit de fugibili & prosequibili sed ratiocinari de fugibili & prosequibili est intellectualis operatio practica, ergo est praxis, quoniam pro eodem sumitur operatio practica & praxis.

Secundum autem sic declarat, quando voluntas imperat intellectui vt consideret & dictet de aliquo, an sit agendum, & quomodo & quando vel sit fugiendum, & quomodo & quando & quo fine, &c. Illa operatio intellectus, quæ est praxis essentialiter, dicitur esse antecedenter volũtatis. quoniam nisi voluntas imperaret, non poneretur in esse, & hoc est pertinere praxim ad voluntatem antecedenter, & dispositiue & generatiue, non autem essentialiter. Quando autem voluntas acceptat & eligit id quod est dictatum & conclusum per intellectum de agendo vel fugiendo, dicitur illa operatio intellectualis practica, pertinere consequenter ad voluntatem, prout iam dictatum acceptat. sed ex his non potest concludi quòd praxis essentialiter ad voluntatem pertineat. nam sicut multa ad actum intelligendi cõcurrunt, puta sensus exterior, & interior & phantasma & species, quæ tamen non sunt essentialiter ipsa intellectio. sic accidit in proposito. & quòd ad praxim proprie dictam non pertineat essentialiter aliqua operatio voluntatis, neque elicita neque imperata, sic probat. quod est præter actum voluntatis, habet quidditatem suam exclusso omni actu voluntatis. Sed sic est de praxi. ergo, &c. maior patet. minor autem sic ostenditur. nam Cõm. in 2. Metaph. comment. 3. loquens de habitu practico vt distinguitur à speculatiuo dicit, Scientia enim operatiua quamuis vtatur ratiocinatione & speculetur de causis, tamen non est digna vocari speculatiua, quia non perscrutatur de causis rerum nisi vt scientes eas agant & non vt sciant. sicut est in scientiis speculatiuis. Ecce hic loquitur de operatione practica, quæ est praxis, & vocat eam ratiocinationem, & tamen nullam facit mentionem de voluntate, ergo datur praxis quidditatiue, exclusso actu voluntatis.

Sed hæc imaginatio Ioan. Bac. fundatur in falso. quoniam credit operationem practicam & praxim propriè dictam esse idem conuertibiliter. quod non est verum. nam operatio practica duplex est: primo ea, quæ est ab habitu practico, & comparatur ad ipsum sicut actus ad habitum. vt considerare ad scientiam. & dicitur intellectio, vel consideratio practica. & denominatur ab habitu practico. sicut calefacere à calore. secundo ea, quæ regulatur ab habitu practico mediante consideratione vel ratiocinatione practica. verbi gratia. Actus voluntatis in principe, quibus mouet quem libet subditum ad operandum iuxta propriam virtutem regulantur notitia & scientia politica existẽte in intellectu principis mediante intellectione. qua intellectus considerat quomodo & quales debent esse actus motiui subditorum in voluntate principis. Primo modo non dicitur operatio practica quia sit praxis sed quia est à scientia practica, & denominatur ab ea, sicut effectus à causa. Secundo modo cõcedo quòd sint idem. nam secundo modo dicitur operatio practica, quæ est regulata per scientiam practicam, mediante consideratione practica, & hæc est vera praxis, & est actus voluntatis, vt dixi mus suprà. Ex his patet, quòd rationes Ioan. Bac. non concludunt nisi de operatione practica sumpta primo modo, quam nego esse praxim, vt declaraui. Vnde ad primam rationem concessa maiori, nego minorem, qua dicit, sed operatio practica est ipsa praxis. Et ad confirmationem, concesso quòd ratiocinatio de prosequibili & fugibili sit intellectualis operatio practica, non tamen conceditur quòd sit praxis, quia non est practica nisi primo modo. Ad secundam nego minorem. Ad probationem ex dicto Commen. dico quòd non aliud concluditur nisi quòd ratiocinatio, quæ fit per scientiam practicam, est operatio practica primo modo, quam nego esse praxim propriè dictam. De suis declarationibus tam proprijs quàm pro secundo dicto, nõ curamus. dicimus enim primam esse veram, sed ex ea non potest concludi vera praxis ex distinctione quam dedimus. Secundam autem recusamus: nam admisso quòd intellectio practica antecedenter pertineat ad voluntatem vt imperatur. & consequenter vt acceptatur ex hoc tamen non habetur quod vt est operatio intellectus practici sit essentialiter praxis, imò est praxis solum quo ad exercitium. vera autem praxis est aliquis actus voluntatis elicitus regulatus

regulatus vel regulabilis per habitum practicum mediante consideratione practica. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Si scientia est practica ex obiecto vel ex fine.

CONCLVSIO.

Scientia quòd habitu sit practica, vel speculatiua ex solo obiecto habet, ex modo tamen & proposito operandi habet quòd sit actiua & completiuè practica.

Postquã inquisiuimus si aliquis actus intellectus potest esse vera praxis, inquirendũ est, vnde habet sciẽtia quod sit practica, an ex obiecto, an ex fine. Pro relatione quęsiti tria agẽda sunt. Primò præponetur quędã distinctio. Secũdò ponẽtur duę cõclusiones respõsiuę. Tertiò defẽsabitur determinatio nostra.

Quantum ad primum, aduerte quod scientia potest esse practica dupliciter, primò in habitu, siue virtualiter, secundo in actu simpliciter & cõpletiuè tamen. Practica in habitu dicitur, quæ licet non actu ordinetur ad opus, nec ex proposito, tamẽ ordinabilis est, sicut ille qui addiscit scientiã medẽdi, nõ tamẽ intendẽs mederi: dicitur practica actu & cõpletiuè, quę ex modo cõsiderãdi & ex proposito ordinatur ad opus, sicut ille qui addiscit scientiam politicam intendens gubernare ciuitatem.

Quantum ad secundũ sit prima conclusio, scientia habet ex obiecto solo, quod sit practica habitu, probatur, Omnis scientia ex sexto Metaphy. textu primo, aut practica, aut speculatiua. Speculatiua secũdum Philosophum ibidem exemplificans de Physica est circa rem, cuius principium motus est sibi intrinsecum. Naturalia enim, circa quæ est Physica, habent in se principium motus. Actiua autem & factiua, quarum vtraque dicitur practica, id est operatiua, est circa rem, cuius principii est in ipso operãte, siue tale principium sit intellectus, siue ars, siue aliqua alia potentia, ergo secundum Philosophum in dicto textu, practica distinguitur à speculatiua ex obiecto, sed ab eodem res habet esse & distinctionem, ergo sicut distinguitur à speculatiua ex obiecto, sic habet quod sit practica habitu ex obiecto. Prætereà, scientia practica distinguitur à speculatiua, quia per practicam potest attingi vel acquiri vel produci obiectum, circa quod est, per speculatiuam autẽ solum cognosci: ergo sicut speculatiua habet ex obiecto, quod sit speculatiua, sic practica habet ex obiecto quod sit habitu practica.

Secunda conclusio. Scientia non est practica actu simpliciter & completiuè ex solo obiecto, sed ex modo considerandi & ex proposito operandi. Pro cuius euidentia aduerte quod obiectum scientiæ practicæ tripliciter potest considerari. Primò quo ad prædicata diffinitiua & suas proprietates, vt quando considero quid est virtus moralis, & in qua parte animæ est subiectiuè & quomodo diuiditur in species. Secundò quomodo acquisibile aut producibile sit, vt quando cõsidero quibus actibus acquiritur iustitia, & quomodo expellit suum oppositum & quomodo perficit habentem, & opus suum: ergo quando proponimus in animo & deliberamus applicare huiusmodi notitiam ad operationem, vt ad finem, ad quem ordinatur notitia practica. His propositis dico quod non ex prima consideratione, sed ex secunda & tertia simul iunctis est actu & completiuè practica: & quidem quod nõ ex prima patet, quoniam ex eo quod est commune scientiæ practicæ & speculatiuæ non sortitur practica quod sit practica actu & completiuè, sed potius quod sit speculatiua ex modo considerandi speculatiuo, licet non ex obiecto. Sed considerare obiectum quo ad prædicata diffinitiua & suas proprietates est commune speculatiuæ & practicæ: ergo, &c. Quod autem ex secunda & tertia simul, probatur: nam Arist. vbicunque ponit differentiam inter habitum practicum & speculatiuum, assignat differentiam non solum per obiectum, sed vltimate per finem, quę est operatio. Vnde in secundo Metap. textu tertio inquit. Nam Theoricæ finis est veritas & practicæ opus, vbi inquit Comm. practica non perscrutatur de causis & diffinitionibus rerum, nisi vt scientes eas agant, & in secundo Ethic. volens probare moralem Philosophiam esse practicam, inquit, Morale negotium non est contemplationis gratia, non enim perscrutamur quid sit virtus, vt sciamus, sed vt boni efficiamur, vbi & Commenta. inquit, Non est intentio nostra in hoc libro, perscrutari quid sit virtus, vt sciamus, sed vt operemur eam, & simus boni. Et in tertio de anima, textu quadragesimo nono, non assignat differentiam inter intellectum practicum & speculatiuum ex obiecto, sed ex fine, inquit enim, Intellectus, qui practicus est, differt à speculatiuo secundum finem, vbi dicit Commentat. Finis speculatiui est scire tantum, operatiui est operari. Ex quibus omnibus patet, quod completa differentia inter practicum habitum, & speculatiuum non stat in obiecto solo, sed in modo considerandi, vt operemur, & in proposito operandi. Dico in proposito operandi, quoniam non est necesse vt quis actu operetur, aliter quoties sciens cessaret ab opere, non persisteret scientia sua simpliciter practica, & quoties iterũ operaretur, toties fieret simpliciter practica, quod est vanum opinari. Tenendum est ergo quod duo complent habitum practicum, scilicet obiectũ operabile, & intentio operandi, ita quod nullum horum per se sufficit. Hæc est determinatio nostra.

Quantum ad tertium aduerte, quod duo inter cæteros conantur impugnare determinationẽ nostram. Primus est Io. Baco. qui in quæstio. quarta prologi. in primo sent. in articulo primo, duo dicit, & in primo discordat à nobis, in secundo autem videtur cõcordare. Primo dicit, quod ista quæstio, vtrum habitus practicus distinguatur à speculatiuo ex obiecto, vel ex fine nulla est, licet multi ponderent eam, quoniam in practicis eadem est ratio finis, & ratio obiecti, nam formalis ratio finis, est ratio boni, & hæc eadẽ est ratio obiecti in practicis, dicit enim Philosophus in secundo Ethic. cap. 2. quod scientia moralis nõ est vt sciamus, sed vt boni efficiamur, & apud Cõmen. obiectum sciẽtiæ moralis est melioratio totius hominis.

Secundò dicit, quod ad scientiam simpliciter practicam ista quatuor requiruntur per ordinem, primo quod habitus practicus sit notitia & ratiocinatio de causis rei operabilis, ita tamen quod huiusmodi ratiocinatio sit præcisè propter ipsum agere & non propter scire. Vnde Commen. in secundo Metaphysi. comment. tertio, dicit quod scientia operatiua non ratiocinatur de causis & diffinitionibus rerum, nisi vt eas agant. Secundò quod sit actualis dictatio intellectus de re agenda siue fugienda. Tertiò quod voluntas eligat quod ab intellectu dictatum est. Quartò quod voluntas imperet prosequi vel fugere dictatum. Ex his autem quatuor dicit primum & secundum pertinere ad quidditatiuam rationem habitus practici, reliqua autem consequuntur siue complent.

Sed relictis his, quæ dicit requiri ad scientiã simpliciter practicam, quoniam non aduersantur aperte determinationi nostræ, respondendum est ad primum dictum suum. Aduerte igitur quod obiectum scientiæ dupliciter accipi potest, primo pro eo circa quod versatur scientia, vt in Physica obiectum est ens mobile, in Metaphysica ens vt ens, in Medicina corpus sanabile, secundo pro eo quod est principaliter intentũ à scientẽ, & ad quod dirigit totum studium suum, vt Physicus intendit scire causas & proprietates entis naturalis, Metaphysicus autem entis vt ens est, & quando sciens ad hoc peruenerit, quiescit desiderium suum. Quando igitur dicit Baco. quod eadem est ratio finis & obiecti, nego si sumatur obiectum primo modo, concedo autem si sumatur secundo modo, & probationes suæ ex dicto Philosophi & Comment. procedunt de obiecto secundo modo, & non primo modo. Vnde quęstio nostra non est vana, sed ponderanda. Quærimus enim si scientia practica est practica ex obiecto primo modo, vel ex fine, id est ex eo quod vltimo intendit sciens practicus, quod est operatio, qua attingit obiectum dictum primo modo, quod quidem vltimo intentum est obiectum secundo modo.

Secundus est Ant. Andr. qui in sexto Metap. quæst. prima tenet quod practica est practica ex obiecto, & nõ ex fine. Et aduerte antequam adducam sua argumenta quod non propriè vadit contra sensum nostrum. Credit enim nos tenere scientiam practicam nullo modo esse practicã ex obiecto, sed tantum ex fine, quod tamen nõ dicimus vt patet in prædictis, imò quod radicaliter & primo est practica ex obiecto, completiue autem ex fine, ita quod esse practicum ex fine, supponit esse practicum ex obiecto, sicut posterius supponit suum primũ. ex his videbis quod argumenta sua nihil concludunt contra nos: arguit igitur dupliciter, primo si scientia dicitur practica propter extensionem ad finem quæro aut propter extensionem actualem, aut aptitudinalem, nõ primo modo, quoniam eadem scientia, etiam vna die esset modo practica, puta quando sciens actu operatur & modo speculatiua, puta quãdo cessat operari, hoc autem videtur absurdum, ergo erit practica secundo modo: tunc sic, nunquam aptitudo conuenit vni naturæ nisi propter aliquod absolutum intrinsecum tali naturæ, quia enim natura est talis, conuenit ei talis aptitudo: ergo presupponitur in sciẽtia aliqua conditio intrinseca propter quam conuenit ei talis aptitudo, Hæc autem conditio scientiæ, est ab aliqua eius causa prior, Causę autem priores eius, sunt intellectus & obiectum, ergo esse practicum conuenit scientiæ ex intellectu & ex obiecto, non ergo ex fine.

Respondetur, dico quod est practica completiuè propter extensionem ad finem, qui est in proposito & intensione scientis practici, dato quod actu nõ operetur, & ad bonum sensum potest finis intentus dici finis aptitudinalis, & cum arguitur,

nunquam aptitudo,&c.concedo,& cum infertur, ergo præsupponitur in scientia,&c.concedo totum vsque ibi,ergo non ex fine.Hoc vltimum nego, quoniam stat quòd ista aptitudo siue intentio finis fundetur in obiecto nisi enim obiectũ esset operabile,non posset intendi operatio qua assequimur ipsum obiectum, & tamen q scientia practica quæ radicaliter est practica ex obiecto vt ex causa priori,fiat simpliciter practica ex fine intento,non ergo ex solo obiecto, sed ex obiecto & ex fine,habet scientia quòd sit simpliciter practica.

Secundo si finis facit scientiam esse practicam, quæro aut finis iam habitus, aut cognitus, aut intentus,non primo modo,quia vt sic est effectus scientiæ & posterior ea,effectus autem non distinguit nec specificat suam causam. si secundo modo habetur propositũ, quia finis vt cognitus habet rationem obiecti,non tertio modo,quoniam iam per argumentum præcedens improbatum est,dictum est enim quòd antequam finis intendatur,iam scientia talis est.

Respondetur,dico quòd est finis tertio modo acceptus, ad improbationem dico,quòd licet antequã finis intendatur, sit radicaliter practica ex obiecto,non tamẽ est simpliciter practica,nisi post intentionem finis.Et hoc idem videtur sentire ipse in eadem quæstione, nam respondens ad primam rationem sic dicit Arist.ponit tres gradus intellectus, quorum primus est,considerare tantum speculabilia. secundus est, considerare agibilia in vniuersali,non dictando prosequi vel fugere, tertius est,iam prosequi vel fugere,vel dictare prosecutionem vel fugam in particulari. Intellectus ergo existens in secundo gradu, in quo imperfectè est practicus, extendit se ad tertium,& fit perfectè practicus. Dicendo se velle prosequi vel fugere, ita quòd illa extensio est intellectus imperfectè practici,ad considerationem perfectè practicam, puta ab apprehensione agibilium ad dictamen completum,de ei præcipiendo prosecutionẽ vel fugam,hæc ille. Ex quibus cõstat q & ipse sentit, ex sola cognitione obiecti agibilis habitum esse practicum imperfectè, ex dictamine autem & volitione prosecutionis vel fugę circa tale obiectum fieri perfectè practicum, & hoc est quod nos dicimus ex fine fieri completiuè practicum.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si omnis scientia est practica, vel speculatiua.

Conclusio. Omnis humana sciẽtia est practica, vel speculatiua.

IN hac quæstione tria agenda sunt. primo si practicum & speculatiuum sunt differentiæ essentiales habitus scientifici in communi.secundo respondendum est ad quæsitum. tertio soluenda sunt quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte q practicũ & speculatiuum possunt sumi ex fine, & ex obiecto,si sumantur ex fine. practicum dicit respectum ad opus. Speculatiuum autem dicit negationem talis respectus. si sumantur ex obiecto practicum dicit condicionem intrinsecam ex natura rei ipsi obiecto, ex eo quòd est operabile,& super quam fundatur talis respectus ex eo enim quòd obiectum scientiæ practicæ est operabile,sequitur quòd est attingibile per operationem agentis practici. Speculatiuum autem dicit conditionem intrinsecam ipsi obiecto ex natura rei ex eo quòd non est operabile,& super quã fundatur priuatio talis respectus ad opus,ita quòd sicut habitudo ad opus, consequitur obiectum inquantum operabile, ita priuatio huius habitudinis,consequitur obiectum inquantum non est operabile sed tantum cognoscibile.

Posita hac distinctione, dico quòd practicum & speculatiuum primo modo non sunt differentiæ essentiales habitus scientifici in communi, quia relatio vel respectus non est differentia essentialis entis absoluti.Diuersorum enim generum diuersæ sunt species & differentiæ, sed habitus scientificus est ens absolutum,cum sit in prædicamento qualitatis.sed practicum sumptum ex fine, dicit respectum vt declarauimus, ergo,&c. Similiter speculatiuum sumptum ex fine, dicit priuationem siue negationem talis respectus. nulla autem negatio vel priuatio potest esse differentia essentialis entis absoluti.vt patet.ergo,&c.

Practicum autẽ & speculatiuum secundo modo,id est vt sumuntur ex obiecto,sunt differentiæ essentiales habitus scientifici in cõmuni:quoniã quæ diuidunt aliquod cõmune,& sub quo essentialiter constituuntur species illius cõmunis,sunt differentiæ essentiales non enim per differentiã essentialem possumus intelligere nisi diuisiuum essentialiter alicuius cõmunis,& constitutiuũ essentialiter aliquorum sub illo cõmuni ex doctrina Prophyrij in vniuersalibus sed practicũ & speculatiuum sumpta secundo modo diuidunt essentialiter habitum scientificum in communi & constituunt, &c. Omnis enim scientia vel est de obiecto operabili,& sic est practica ex obiecto vel non operabili, & sic est speculatiua ex obiecto, ergo, &c. Et aduerte quòd ibi loquimur de habitu scientifico inuento lumine naturali,vt non intromittamus nos de scientia diuinitus reuelata quæ vna existens ponitur in via nostra practica & speculatiua.

Quantũ ad secũdum aduerte quòd ex immediate dictis cõstat omnem sciẽtiã humanã esse practicam vel speculatiuam, quia vt diximus vel est de re operabili vel non operabili.ergo saltẽ ex obiecto,oĩs est practica vel speculatiua.Præterea, Distinctio intellectus per practicũ & specu. sumitur ex scientia practica & specu. Dicitur.n.practicus intellectus,vt habet notitiã ordinabilem ad opus.Speculatiuus aũt opposito modo.Cũ igitur ex doctrina Arist.in 3. de anima. Oĩs intellectus sciens sit practicus aut speculatiuus, sic dicendum est etiã de scientia humana. Et propterea Auic.in principio suæ meta. ponit sciẽtias primo diuidi per practicas & speculatiuas,& assignãs earum differentias inquit, Speculatiuæ sunt illæ,in quibus finis est certitudo scientiæ & opinionis. Practicæ vero sunt illæ,in quibus primum quærit perfici virtus animæ speculatiua, per adeptionem scientiæ imaginatiuæ & creditiuæ, de rebus quæ sunt nostra opera.

Quantum ad tertium aduerte duo argumẽta, quorum primo probatur nullam scientiã esse practicã.secũdo autem probatur non inconuenire vnam & eandem esse practicam et speculatiuam.

Primo igitur sic arguitur,finis speculatiuę, & cuiuscunque scientiæ est scire.Desideramus.n.scientiã vt sciamus,& in omni scientia demonstratione vtimur, vt sciamus. est enim scire demonstrationis effectus.ergo omnis scientia est speculatiua antecedens patet, consequentia probatur, quoniam speculatiua in via philosophi dicitur cuius finis est scire,practica autem cuius finis est opus.Si igitur omnis scientiæ, finis est scire, omnis scientia est speculatiua.

Respondetur. non distinguitur speculatiua à practica per scire & non scire,sed per scire tantum,& per scire ordinatum ad opus.vnde ad argumentum nego consequentiam.Ad probationem dico quod finis speculatiuæ est scire tantum, finis autem practicæ est scire ordinatũ ad opus. & quoniam multæ sunt huiusmodi scientiæ,vt ædificatiua,politica, œconomica,&c.ideo non omnes sunt speculatiuæ.

Secundo arguitur sic.Possibile est inuenire in habitibus intellectualibus humanitus inuentis, vnum habitum continentem in se duos habitus intellectuales omnino distinctos, ita quod non est pręcisè iste,nec pręcisè ille,est tamẽ specie distinctus ab vtroque eorum, sicut distinguitur idem medius color ab extremis.ergo eadem ratione possibile est inuenire habitum vnum,qui contineat habitum practicum & habitum speculatiuum.ita quod non est præcisè specu. nec præcisè practicus,& sit specie distinctus ab vtroque eorum. antecedens quidẽ patet in 6.Ethi.vbi philosophus ponit sapiẽtiam habitum specie distinctum ab aliis habitibus intellectualibus,& tamen in se continentem habitum principiorum & scientiam. vnde inquit Arist.Oportet ergo sapientem non solum quæ ex principiis scire, sed & circa principia verum dicere.Quare vtique erit sapientia intellectus & scientia. ergo, &c.

Respondetur vbicunque Arist.ponit vnũ habitum cõtinentem duos habitus specie distinctos, loquitur de habitibus eiusdẽ rationis,puta quia vterque est speculatiuus. vt si dicamus metaphysicã continere scientiam de substãtia & scientiam de accidente. vel quia vterque est practicus, puta si dicamus sapientiam cõtinere habitum principiorum practicabilium,& scientiam conclusionum practicabilium. Est autem maior ratio, quod inueniatur vnus habitus continens duos habitus eiusdem rationis, quam duos diuersarum & oppositarum rationum. Constat autem practicum & speculatiuum esse diuersarum & oppositarum rationum. Vnde ad argumentum concesso antecedente neganda est consequentia de scientiis humanis vt excipiam diuinam reuelatam de qua non est præsentis negocij pertractare. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si sunt tantum tres scientiæ speculatiuæ.

Quare tres erunt philosophiæ theoricæ, mathematica, Physica & theologia.

Con[illegible] Tres [illegible] tiæ [illegible] propri[illegible] rab inuẽtæ: Mathematica, Physica, & Diuina.

IN hac quæstione tria agenda sunt. primo ponentur quædam distinctiones. secundo ponetur conclusio responsiua. tertio soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio. Scientia speculatiua quædam realis & est illa quæ versatur circa ens reale. vt physica circa ens naturale, & mathematica circa quantitatem continuam vel discretam, quædam rationalis,

& est illa quæ versatur circa ens rationis vt logica sumpta in sua vniuersalitate, quæ in via nostra continetur sub scientia speculatiua, quoniam licet ordinetur ad opus, puta ad syllogizandum & discurrendum in aliis scientiis ad quas comparatur sicut regula & modus sciendi, tamen quia non ordinatur ad regulandum opus alterius potentiæ ab intellectu, ideo non est locanda inter practicas, sicut etiam diximus in quarta quæstione huius sexti libri.

Secunda distinctio, scientiarum speculatiuarum realium, quædam est speculatiua verè & propriè, & est illa quæ ex natura sui,& ex parte sui obiecti, ordinatur ad scire tantum, eo quod circa obiectum suum non possumus nisi speculari.Quædam autem est speculatiua,non propriè, sed potius ex vsu loquentium,& est illa quæ ex natura sui & ex parte obiecti non ordinatur solum ad scire, sed ad operandum circa obiectum suum. Et hoc modo medicina quæ est de regulis vniuersalibus solet dici speculatiua.Quæ autem applicata est ad curam, solet dici practica, licet ex obiecto quod est corpus sanabile, vtraque possit dici practica.

Tertia distinctio,scientiarum speculatiuarum propriè & realium,quædam est inuenta via sensus & lumine naturali, quædam autem ex diuina reuelatione.

Quarta distinctio, pluralitas scientiarum speculatiuarum propriarum & realium, potest assignari secundum distinctionem genericam, & secundum distinctionem specificam. Et quidem si consideretur secundum distinctionẽ specificam patet quod non sunt tantum tres,nam Mathematica sub se continet Geometriam & Arithmeticã,vt duos habitus distinctos specie.Similiter Physica sub se continet sciẽtiam de mobili ad vbi,& scientiam de mobili ad formam,& sciẽtiam de animalibus,&c.vt huius partiales distinctos specie.Si autem considerentur secũdum distinctionẽ genericam, sic dictũ Philosophi erit verum,vt statim apparebit per conclusionem responsiuã.

Quantum ad secundum aduerte, quod intentio Philosophi est loqui de scientiis speculatiuis realibus, vt excludamus logicam & propriis, vt excludamus Theoricam medicinæ, & inuentis via naturali, vt excludamus diuinam reuelatam, & de pluralitate earum secundum genus, & non secundum speciem.Vnde ponitur hæc conclusio responsiua.

Sunt tantum tria genera scientiarum speculatiuarum realium propriarum,inuentarum lumine naturali.

Hanc conclusionem,aliter probant Thomistæ,aliter Scoti.Thomistæ quidem fundantes se super scientiam Bea.Tho.in procemio primi Physi.sic probant,cum distinctio scientiæ sumatur ex distinctione formali ipsius obiecti, quot sunt obiecta formalia generica scientiarum speculatiuarum tot sunt & ipsæ scientiæ speculatiuæ. Obiecta autem earum sunt tantum tria, quoniam obiectum est ens aliquo modo abstrahibile à materia.Materia enim obstat intelligibilitati, vnde ista sensibilia non sunt intelligibilia nisi in potentia propter suam materialitatem,& ad hoc quod fiant intelligibilia in actu, necesse est vt fiant immaterialia per intellectum agentem vt alias declarabitur, secundum igitur quod ens diuersimodè abstrahit à materia, ad diuersas scientias pertinebit. Aduerte igitur quòd aliquod ens abstrahit à materia secundũ esse & secundũ rationẽ,qualia sunt entia separata, quæ nunquã sunt in materia,& sic est substantia & actus & potentia,quæ non sunt vniuersaliter in materia,vt declarabitur in lib.12.De ente autem sic abstracto est Metaphysica, vnde Philosophus in 6. Metap. tex.2.ponens differentiã Metaphy.à Physica & Mathema.inquit.prima vero,id est, Metaph. circa separabilia & immobilia,vbi inquit Comm.necesse est vt prima sciẽtia in esse sit scientia rerũ abstractarũ. Et est aliud ens quod licet non sit extra materiã,tamen in sui diffinitione non recipit materiã sensibilem,vnde dicitur abstractũ non secundũ esse sed secundum rationẽ,& tale ens est quãtitas siue continua siue discreta,non enim linea aut superficies diffinitur per materiã sensibilem, neque par neque impar,neque rectũ, neque curuum vt dicitur in 2. Physi.tex.19. Et de huiusmodi ente est Mathem. vnde inquit Arist.in lib.6.Metap.& Mathem.quidẽ circa immobilia sed inseparabilia,scilicet secundũ esse,quia non habent esse nisi in materia, vbi inquit Comm. Mathematica est de rebus abstractis secundum diffinitionem,sed non secundum esse.Et est aliud ens,quod vt scibile licet possit abstrahere à materia indiuiduali, non tamen à materia cõmuni quoniã non potest esse nisi in materia,& non potest diffiniri sine materia cõmuni,& huiusmodi sunt entia naturalia. nam licet homo possit diffiniri sine hac carne & hoc osse,nõ tamẽ sine carne, & sine osse, & de hoc ente est Physica, vnde inquit Philosophus in 6. Metap.Physica nãque circa inseparabilia,scilicet à materia & secundum esse & secũdum rationem.Cùm igitur non possint esse plures modi abstrahendi à materia,patet quòd non sunt nisi tria obiecta speculabilia generica distincta formaliter ex diuerso modo abstrahendi à materia, ex consequenti non sunt nisi tria genera scientiarum speculatiuarum realium,&c.

Scotistæ aũt vt patet per Ant.And.in 6. Metap. q. 3. alia viã procedunt in assignando tria obiecta speculabilia generica, iuxta quæ concludunt tria genera scientiarũ speculatiuarum realium & propriarũ.Aduerte igitur q apud eos dantur hæc tria obiecta,ens,substãtia corporea,cui absolutè consideratæ inest primo quãtitas continua,deinde discreta:substantia corporea considerata inquantũ habens formã,quæ est principiũ determinatæ operationis & motus & quietis.Circa ens vt habet passiones demõstrabiles de ipso ex principiis cognitis via sensus ponitur Metaphys. circa substantiam corpoream vt sibi inest quantitas ponitur mathemat. circa substantiam corpoream vt habet formam,quæ est principium motus,&c.ponitur Physica.Et præter has non potest dari alia,quæ non contineatur sub istis,vel sub aliqua illarum.Et si dicas,Quare non potest dari vna scientia speculatiua de substantia incorporea, sicut datur de substantia corporea,& vna de quantitate, sicut datur de substantia corporea vt sibi inest quantitas? Respondent quòd licet substantia incorporea habeat passiones sibi primo inhærentes, non tamen scibiles à nobis via sensus,sed sic sunt notæ nobis de ipsa solæ passiones entis. Vnde verum est quòd illa substantia est subiectum alicuius scientiæ speculatiuæ possibilis intellectui potenti cognoscere eam sub propria ratione, sed non nobis. Ad illud de quantitate dicunt, quòd nullum genus accidentium potest esse primum subiectum in aliqua scientia, quoniam quodlibet genus accidentiũ & quælibet species cuiuslibet eorum continetur in aliqua specie substantiæ virtualiter mediate vel immediate. Oportet ergo diuidere substantiam pręcisè, vt habeatur primum subiectum alterius scientiæ à metaphysica,&c.

Sed hic modus dicendi non videtur conueniens intentioni Aristo.nam ipse assignans determinatum numerum scientiarum speculatiuarum, semper fundauit se super ens vt diuersimode abstrahibile à materia.Vnde in 2.phy. ostendens differẽtiã inter phy.& metaph.à tex.16.vsque ad tex.18. processit hac via,& in 6.metap.vt etiam declarauimus eadem via processit. Assignatio autem trium subiectorum adducta ab Ant. and. est potius voluntaria quàm fundata in doctrina Aristo. imò quantum ad illud, quod dicit substãtiam incorpoream non posse esse subiectum alicuius scientiæ speculatiuæ possibilis nobis,videtur sibi contradicere. Determinauit enim in 2. lib.meta. q.3. q substantias abstractas cognosci quidditatiue ab intellectu viatoris nõ est impossibile.Præterea Philosophus in libro 12.deuenit ad multas proprietates primi principij, quæ non explicantur per passiones entis, puta quod est purus actus, quod est maxime intelligibile. quod intellectio sua est substãtia sua,quæ maxime in seipso delectatur quod est vita sua,quod est totius naturæ bonum quod omnia ordinata sunt ad ipsum: falsum est ergo, quod de substãtia incorporea non possumus cognoscere via sensus nisi solas passiones entis, & quod non potest esse subiectum alicuius scientiæ speculatiuæ possibilis nobis,quod autem dicit de quantitate, nullam apparentiam habet. Aliud est enim quodcunque genus accidentis contineri in substãtia quo ad esse, & aliud quo ad intelligibilitatem, licet enim primum sit verum:quoniam accidentis esse est in esse, non tamen secundum, quoniam potest habere propriam speciem intelligibilem, per quam primo & per se potest intelligi. vnde in doctrina Scoti vt declarabimus in 7. libro non cognoscitur à nobis substantia nisi per speciem accidentis: licet ergo repugnet accidenti esse primum subiectum inhęsionis, non tamen sibi repugnat esse primum subiectum, circa quod versatur aliqua scientia speculatiua.

Quantum ad tertium aduerte, quod pro maiori parte argumenta quæ solent fieri in hoc quæsito soluuntur per distinctiones quas præposuimus in principio quæsiti. Tu tamen aduerte illud argumentum quo solet sic argui, Diuisio prima cuiuslibet generis debet esse solũ per duas differentias ex cõsequenti bimembris. Nam ex 10. metaphy.in vnoquoque genere est vna prima contrarietas,quę est per duas primas differentias, sed scientia speculatiua est quoddam genus continetur enim in predicamẽto qualitatis & in primo genere. s.in habitu: ergo vel vt genus, vel vt species.non vt species, aliter physica & mathematica differrent solum numero. ergo prima

diuisio scientiæ speculatiuæ non debuit esse trimembris.

Respondetur, aliqui tenent scientiā speculatiuam esse analogum ad diuinam & naturalem, & mathematicam, eo quòd per prius dicitur de diuina, tanquam de nobiliori, vnde solet ab Arist. dici prima Philosophia, sicut animal primum sanum. Diuisio autem analogi prima, non oportet esse bimēbris. Sed hęc opinio non videtur vera, quoniam quod in vno solo prędicamento continetur, non potest esse analogum sicut nec æquiuocū, coordinatio enim vnius prædicamenti constituitur ex generalissimo & specialissimo, & subalternis generibus, ac differentiis essentialibus, secundū doctrinam Porphyrij. Constat autē quòd scientia & inferiora sua, vt practica & speculatiua, & partes speculatiuæ continentur in prędicamento qualitatis & in primo genere. ergo non est analogū, nec valet obiectio, quoniam licet vt adinuicem cōparantur vna sit prior altera, puta diuina, tamen cōparatæ generi suo, æqualiter participant rationē speculatiui. Dicendū est ergo quòd est genus, cuius prima diuisio debet esse bimēbris vel reducibilis ad bimembrē. In proposito dico, licet Philosophus assignet trimēbrem, vt breuius & clarius manifestaret differentiā inter sciētiam diuinā & physicam & mathematicā, tamen sic potest reduci ad bimēbrem. Omnis sciētia speculatiua, vel est de omnino abstractis à materia. & hæc est metaphysica, vel de abstractis non omnino. Et hoc dupliciter, quia de abstractis à materia sensibili tam vniuersali quā particulari, & hæc est mathematica, vel de abstractis solùm à materia sensibili singulari, & hæc est physica. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Vtrum speculatiuæ sint nobiliores practicis.

Ergo theoricæ aliis scientiis desiderabiliores sunt. Tex.2.

CONCLVSIO.

Scientiæ speculatiuæ sunt simpliciter nobiliores practicis.

IN hac quæstione tria agenda sunt. Primo ponitur quædam distinctio, secundo quædam conclusiones responsiuæ, tertio soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quòd speculatiuæ possunt in nobilitate cōparari practicis ratione obiectorū, vel ratione finium. Ratione quidem obiectorū, vt scilicet illę sint nobiliores, quæ sunt de nobiliori obiecto, & ex parte finium illæ sint nobiliores, quæ ad nobiliorē finem ordinantur. finis autem potest esse cōmunis & proprius. Cōmunis quidem vt si dicamus speculatiuas ordinari ad scire tantū, practicas autem ad operari, siue ad vsum nostrū. Proprius verò vt si dicamus hāc speculatiuam, puta metaphysicā, ordinari ad tale scire, quale est scire diuina, hanc autem practicā, puta moralem, ordinari ad tale operari, quale est operari secundum virtutem.

Quantum ad secundum aduerte, quòd si speculatiuæ comparantur practicis quo ad finem cōmunem nobiliores sunt, quoniam finis speculatiuarum est scire, practicarum autem est nostrum operari, sed scire nobilius est nostro operari, quoniam per ipsum scire conuenimus cum nobilissimis substantiis intellectualibus, non autem per nostrum operari, vt patet quòd nostra artificia non cōueniunt eis, ergo &c. Si autē comparentur quo ad sermones proprios, puta quo ad tale scire & tale operari, aliqua speculatiua est nobilior aliqua practica. & aliqua practica est nobilior aliqua speculatiua, quoniam scire alicuius speculatiuæ, vt notitia de cœlo, de anima, de homine, excedit in nobilitate vsum siue operari alicuius practicæ, puta scientiæ frænefactiuæ. Et operari alicuius practicæ, puta scientiæ moralis, vt bene regulare subditos, & operari secundum virtutē excedit in nobilitate aliquod scire, puta scire triāgulū habere tres. & scire formicā, vnde dixit Philosophus in lib.12. Metaph. tex.51. quòd inconueniens est de quibusdam meditari & dignius est quędā nō videre quā videre, ergo, &c. Si autē speculatiuæ cōparentur absolutè & simpliciter practicis, dico quòd speculatiuæ sunt nobiliores, quoniā in genere speculatiuarū inuenitur aliquā, puta diuina, excedens in nobilitate omnes practicas. Versatur enim circa ens diuinū, quod est nobilissimum, & in tali scire stat humana felicitas ex 10. Ethicorum. nulla autē practica est nobilior toto genere speculatiuarum, nec ex parte obiecti, quoniam nullū obiectum cuiuscunque practicæ est nobilius ente diuino, nec ex parte finis, quoniam actiones nostræ practicæ, etiam morales, sunt media ad felicitatem, & non sunt ipsa felicitas.

Quantum ad tertiū aduerte, quòd hæc determinatio non videtur saluare dictum Philosophi, quo dicit, ergo theoricæ aliis scientiis desiderabiliores sunt. nam quoniam comparat theoricas aliis, & nullam excipit, videtur hęc comparatio esse vniuersalis, vt sit sensus, ergo omnes theoricæ sunt desiderabiliores, ex consequenti nobiliores aliis scientiis, scilicet practicis, non ergo oportebat tot distinctiones & conclusiones ponere, sed probare quòd omnes theoricæ sunt nobiliores practicis, aliter non saluatur dictum Philosophi.

Respondetur Paulo Sonci. in 6. Metaph. q. 6. propter hoc argumentū dicit, quòd Philosophus non cōparat theoricas practicis in nobilitate, sed comparat theoricas, quas enumerauerat inter se dicens, quòd Metaph. est dignior mathematica & naturali, & dictum suum manifestat per tex. comment. & per Comment. in fine 2. comment. Verum si intendebat vt Thomista non deuiare à mente B. Tho. non potuit sic respondere, quoniam B. Thom. exponens dictum Philosophi manifestè comparat theoricas practicis, & non solùm theoricas inter se, sic enim inquit, Ergo cum hæc scientia, scilicet Metaphys. sit honorabilissima inter omnes. quia est honorabilior theoricis, vt prius ostensum est, quæ quidem sunt honorabiliores practicis vt in primo libro habitum est. hæc ille.

Propterea tenendo quòd comparet theoricas practicis dicendum est, quòd non intendit concludere omnes & singulas speculatiuas esse nobiliores omnibus practicis, nisi quo ad finem communem vt declarauimus, sed quòd absolutè & simpliciter loquēdo speculatiuæ sunt nobiliores practicis in hoc sensu, quoniam aliqua speculatiua ratione obiecti, & ratione proprij finis est nobilior omni practica. Nulla autem practica est nobilior omni speculatiua. & sic nulla est difficultas in dicto Philosophi, nec repugnat determinationi factæ.

Alia argumenta, nec difficilia sunt, & ab aliis soluuntur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Si de ente per accidens est scientia.

Nulla scientia studiosa est de eo, nec practica, nec theorica, non enim faciens domum, &c. Tex.4.

CONCLVSIO.

De ente per accidens secundum inhærentiam, & causalitatem, formaliter tamen sumpto, siue quoad rationem communem potest esse scientia, non autem de ente pro re substracta accepto.

IN hac quęstione cito expediemus nos quoniam in epitome nostra super sexto libro Metaphysices, satis de hoc locuti sumus. Pro vniuersali tamen resolutione hic duo agemus. primo præponentur duæ distinctiones. secundo duæ conclusiones responsiuæ.

Quantum ad primum aduerte aliquos formare talem distinctionem, ens per accidens potest esse quadrupliciter. Primo accidentalitate prædicationis, vt quando prædicatum dicitur de subiecto, sed non in aliquo modorum per se assignatorum in primo posteriorum. Secundo, accidentalitate rei, sed non prædicationis, & hoc reperitur quando prædicatum est passio subiecti, licet enim risibile prædicetur per se de homine, est tamen accidens in homine secundum viam nostram. Tertio quia sunt distinctæ res, quarum vna accidit alteri, vt homo albus, musicum album. Quarto dicitur ens per accidens accidentalitate causalitatis, vt album ædificat, fodiens sepulcrum inuenit thesaurum, sub cane pluit. Et huius quidem distinctionis primum membrum non est alicuius momenti in proposito nostro nec secundum habet difficultatem, nullus enim dubitat quin ista, homo est risibilis, sit conclusio scibilis & demonstrabilis, & homo vt de eo propria passio prædicatur est subiectum scibile: tertium autem & quartum membrum deseruiūt proposito nostro, quoniam de tali ente per accidens & non alio modo intendit Philosophus cum dicit de eo non esse scientiam.

Secunda distinctio quam innuit B. Tho. exponens textum 5. in hoc 6. lib. & quam communiter adducunt expositores sit hæc, ens per accidens tertio & quarto modo, dupliciter considerari potest, primo formaliter, siue pro conceptu, quem per se importat hoc quod est ens per accidens, secundo materialiter siue pro re substracta, cui inest & de qua prædicatur denominatiuè. Alij ponunt eandem distinctionem sub his verbis, ens per accidens sumitur dupliciter, primo secundum rationem cōmunē quam importat hoc nomē cōmune, ens per accidens, secūdo secundū rationē specialē & determinatā, inquantū importatur per speciale nomen, vt fodiēs sepulcrum inuenit thesaurum, musicum ædificat, sub cane pluit, &c.

Ex his distinct. pono duas conclusiones responsiuas.

Prima, de ente per accidēs tertio & quarto modo formaliter sumpto, siue quo ad rationem suam communem, potest haberi & habetur scientia, vel saltem certa notitia. nam Aris. in textu quinto, inuestigat quæ sit eius natura, & quæ eius causa sicut diffusè pertractauimus in epitome nostra: ergo de eo formaliter sumpto habetur certa notitia.

Secunda

Secunda de ente per accidens tertio & quarto modo sumpto pro re substracta non potest haberi scientia, nec certa notitia, nam ex primo posteriorum. Quicquid scitur aut est semper, aut frequenter, & habet determinatam causam. Quod autem est ens per accidens tertio modo & quarto modo, nullam harum conditionum habet, imò oppositas, vt patet de fortuito & casuali: ergo, &c. Et aduerte quod in secundo Physicorum tex. com. quinquagesimoquinto, agēs de fortuna, tangit idem, dicit enim fortunam dicere esse extra rationem rectè est. Ratio enim id est ratiocinatio per quam acquirimus certam notitiam, aut est eorum, quæ semper sunt, aut eorum, quæ sunt frequenter, sed fortuna, siue effectus fortuitus nec est semper nec frequenter, imò vt in paucioribus: ergo, &c.

Contra hanc determinationem solent fieri duo argumenta alicuius apparentiæ.

Primò quod est causa determinata agente vt in pluribus videtur scibile, hæc est manifesta, sed ens per accidens præcipuè quarto modo est huiusmodi, dicit enim Philosophus in textu quinto. Quod est secundum magis, id est vt in pluribus, hoc principium & hæc causa eius quod est accidens esse: ergo, &c.

Respon. Aristot. non dicit quod causa agens vt in pluribus, inquantū agit vt in pluribus, sit causa entis per accidens quarto modo, sed inquantum deficit aliquando, nam inquantum agit vt in pluribus agit ex intentione, & effectum proprium ac per se, inquantum autem aliquando deficit, agit præter intentionem & effectum per accidens, nego ergo minorem & ad dictum Philosophi, patet quid dicendum.

Secundò quod est à causa necessaria & immutabili videtur esse necessarium & immutabile, sicut quod est à causa contingente est contingens, & à mutabili est mutabile, sed ens per accidens quarto modo est à causa necessaria & immutabili, quoniam est à causa prima, quæ est necessaria & immutabilis. Omnis enim effectus positiuus, est à causa prima mediatè vel immediatè ergo est necessarius & immutabilis ex consequenti scibilis quoniam huiusmodi non contingit aliter se habere.

Respondetur negatur maior, de causa remota, & conceditur de causa proxima, necessitas enim & contingentia effectus attenditur penes causam proximam vt dicemus infra & quoniam ens per accidens quarto modo, non est proximè & immediatè à causa prima immutabili, ideo nihil concluditur, vtrum autem si prima causa ageret de necessitate naturæ, causæ secundæ de necessitate agerent, ex consequenti nullus esset effectus contingens, discutiemus infrá. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Si secundum doctrinam Aristote. potest saluari ens per accidens quarto modo. quod est effectus contingens per respectum ad causam suam proximam.

Conclusio. Quæcunque eueniūt à proximis causis, aut necessario, aut cōtingenter eueniunt.

CIrca hanc quæstionem aduerte, quod idem est ac si quæratur, an omnes effectus sint necessarij vel aliqui necessarij & aliqui contingentes. Hanc quæstionem multi pertractant sed non resoluunt. Tu igitur sic procedes, effectus contingens dupliciter considerari potest primo quantum ad esse suum, quod est esse corruptibile & desinibile, & sic patet ad sensum, quòd effectus voluntarij & causarum inferiorū sunt contingentes quoniam pro aliquo tempore habent esse & pro aliquo nō esse: & de hoc fuit dubium apud Philosophum. nec Commen. vt patet in hoc libro sexto comm. septimo. Secundo quantum ad causalitatem & sensus huius est. vtrum dentur aliquæ causę contingenter causantes, vel omnes necessario causent. Et in hoc sensu stat tota difficultas quæsiti, & totum pendet ex modo causandi quo prima causa causat, nam si ad mentem Philosophi prima causa causat & agit liberè, facile erit secundum Philosophum saluare contingentiam effectus per respectum ad causam proximam, si autem causat & agit de necessitate naturæ, difficilius erit, vt igitur ad quæsiti resolutionem deueniamus, tria agenda sunt. Primo, si est tenendum ad mentem Philosophi, primam causam agere de necessitate naturæ. secundo supposito quòd sic, vtrum cum hoc sustinere possimus non omnia euenire de necessitate, sed seruari contingentiam effectus per respectum ad causam proximam. tertio soluetur ratio Scotistarum tenentium oppositum determinationis quam facturi sumus.

Quantum ad primum aduerte, quòd Deum agere de necessitate naturæ dupliciter potest intelligi. Primo quia agit per naturam vt præueniens intelligere & velle, ita quòd non agit per intelligere & velle, sed per aliquod antecedēs ad ista, sicut homo de necessitate naturæ digerit cibum & ignis calefacit, & sol illuminat, & hoc modo nullus Philosophus, qui veram de Deo cognitionem habuit, posuit Deum agere de necessitate naturæ, cognouerunt enim veri Philosophi, quòd omne agens aut agit à casu, aut propter finem, constat autem quòd Deus non agit à casū, quia agens à casu est causa per accidens, Deus autem cum sit prima causa, non potest esse causa per accidens, est enim causa per accidens posterior causa per se, igitur Deus est causa agens propter finem, omne autem huiusmodi agens, aut prostituit sibi finem, aut prostituitur sibi finis ab alio, Deo non potest prostitui finis ab alio, quoniam non esset primum agens simpliciter & nobilissimum, prostituens enim finem alteri prius & nobilius est, vtpote regulans & dirigens. igitur Deus prostituit sibi finem ergo est agens per intellectum & voluntatem non enim posset sibi finem prostituere nisi intelligeret & vellet finem, quicquid ergo Deus agit per extra agit ad intellectum & voluntatē, ita quòd productum est intellectum & volitum, & per consequēs non agit de necessitate naturæ prout natura præintelligitur actui intelligendi & volendi. Secundo potest intelligi, quòd agat de necessitate naturæ, non prout natura præintelligitur actui intelligendi & volendi, sed prout voluntas vult necessario quædam volita, sicut primum vult necessario bonitatem suam, & homo vult necessario felicitatem, ita quòd hæc necessitas sit quædam habitudo necessaria voluntatis ad aliqua, vt volita, & sic Deum agere de necessitate naturæ est ipsum volendo necessario bonitatem suam, velle etiam necessario omnia reducibilia in bonitatem suam, secundum quòd sunt reducibilia in ipsam, & velle necessario cuilibet communicare bonitatem suam, quantum vnumquodque est capax, ad quod velle sequitur de necessitate effectus, & in hoc sensu tenendum est philosophum putasse Deum agere de necessitate naturæ. nam in 8. physi. probauit motum cœli esse æternum de necessitate, ergo motorem primum de necessitate mouere, & in 2. de generatione probauit generationem inferiorum de necessitate esse æternam, & hanc causari ex motu diurno & motu erraticorum, ergo primum de necessitate producit inferiora mediante motu, & 12. metap. vbi idem ex proposito pertractabitur, probat, philosphus in motore æterno non esse potentiam sed actū, & facit hanc consequentiā, si in eius substantia est potentia, cōtinget non esse motū quod enim est in potentia potest non esse. & huius quidem consequentiæ ita reputat falsitatem consequentis esse manifestam, quòd nō immoratur circa eum reputauit ergo motum cœli, & productionem rerum esse necessariam & sempiternam ex consequenti primum de necessitate naturæ mouere & producere. Quod autem Comment. eiusdem fuerit sententiæ, manifestabimus in libro 12.

Quantum ad secuudum aduerte, quòd cum Deum agere de necessitate naturæ secundo modo, idem sit quòd voluntatem suam habere necessariam habitudinem ad ea, quæ vult facere ita quòd non potest non velle ea facere. hoc potest habere duplicem sensum: primo sic, Deus vult necessario hoc, scilicet cœlum producere, & cœlum necessario habere, id est quòd habeat esse necessarium & immutabile, & quòd cœlum habeat causalitatem, id est virtutem causandi necessariam, quo ad ea, quæ potest causare, & sicut dico de cœlo, intellige de quocunque alio, quod Deus vult producere. Secundo sic. Deus vult necessario aliqua producere, quæ habeant esse necessarium & virtutem causandi necessariam, & vult necessario aliqua producere quæ tamen habeant esse non necessariū nec virtutem causandi necessariam, sed contingentem. iuxta primum sensum, si Deus agit de necessitate naturæ, omnia de necessitate eueniunt: nec potest saluari contingentia effectus per respectum ad causam propriam & proximam. quia iuxta primum sensum, tam causa prima, quàm omnes causæ secundæ haberent causalitatem necessariam, cum qua non stat contingentia effectus, ideo enim effectus habet contingentiam, quia causa contingenter causat. si ergo omnes causæ de necessitate causant, omnes effectus de necessitate eueniunt. iuxta secundum sensum potest saluari quòd non de necessitate omnia eueniunt, quia licet Deus quicquid vult producere, necessario velit producere, non tamen vult quicquid producit habere necessariam causalitatem super effectum suum: sed aliquod necessariam, & aliquod contingentem. ex consequenti stat, quòd cum voluntate primæ causæ volente necessario contingentiam causæ proximæ in causando, quòd causa contingenter causat. & quòd effectus contingēter causatur, & non necessario. & iuxta hunc secundum sensum, tenendum est, q philosophus opinatus fuerit Deum agere de necessitate naturæ, & tamen non omnia euenire de necessitate, & quidem quòd teneat Deum agere de necessitate naturæ iam

proba

probauimus, quòd autem arbitratus sit, non omnia de necessitate euenire, patet hic in libro sexto, in textu septimo.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Scotistæ tenent hanc consequentiam, esse simpliciter veram, si quicquid agit Deus agit de necessitate, omnia eueniũt de necessitate. vnde si Aris. admittit antecedens, de necessitate admittit consequens, ex consequenti sibi contradicit in eo quòd vult saluare cõtingentiam in causatis stante antecedente. Ratio autem eorum est hæc, si prima causa necessario causat a, necessario mouet a, scilicet ad causandum, si a est necessario motum ad causandum, necessario mouet b, similiter b, necessario motum, necessario mouet c, & sic vsque ad proximam causam, quoniam posterior nunquam mouet, nisi mota à priori. Si ergo prima causa necessario causat & mouet, sequitur quòd omnes aliæ necessario causabunt & mouebunt, ex consequenti omnia necessario eueniunt à proximis suis causis,

Respondeo, & dico ex determinatione facta quòd prima consequẽtia potest dupliciter intelligi, primo sic, si prima causa necessario causat a, necessario mouet a, scilicet ad causandũ necessario, & sic nego eam, quia non est necesse, quòd eo modo quo prima causa causat a, moueat a, ad causandum, quoniam causalitas necessario impressa à prima causa in a, recipitur & modificatur in a, secundũ quod conuenit naturæ ipsius a, secundo sic, si prima causa, &c. necessario mouet a, ad causandũ necessario vel contingenter, & sic cõcedam eam, quoniam si natura ipsius a, est talis, quod ei cõpetat causalitas necessaria, prima causa necessario mouebit a, ad causandũ necessario: si aũt cõpetit ei mouere cõtingenter, prima causa necessario mouebit ipsam ad causandũ cõtingenter, & sic nihil cõcluditur, nisi quòd omnia eueniunt à proximis causis necessario vel contingenter. Et aduerte, quòd causa erroris in Scotistis fuit, quia opinati sunt, omnẽ causam secundã causare, eo modo quo causatur & mouetur à prima, quod non est verũ quia vt diximus causalitas actiua, non recipitur in secunda, nisi vt cõpetit naturæ suæ. Patet ergo, quomodo hæc duo possumus sustinere, Deus agit de necessitate naturæ, & tamen non omnia eueniunt de necessitate. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Si effectus contingens habet contingentiam à causa prima, vel à causa proxima.

Conclusio. Tales effectus non modo à secundis & proximis causis eueniunt sed etiam à prima.

IN hac questione sic procedemus. primo ponetur distinctio de effectu contingente. secundo de effectu contingente, in primo sensu, probabitur quòd habet contingentiam à causa proxima. tertio de effectu contingente in secundo sensu pertractabitur opinio B. Tho. & Scoti, & determinabimus secundum mentem B. Tho. & soluemus rationes Scoti.

Quantum ad primũ aduerte, quòd effectus potest dici contingẽs dupliciter. primo quia casualis, siue fortuitus, & est ille qui producitur à causa præter intentionem, & vt in paucioribus, & propriè dicitur ens per accidens, de quo suprà locuti sumus ad mentem Philosophi, quòd de eo non habetur scientia. secundo dicitur contingẽs, non solùm quia habet esse defectibile, sed quia est à causa, quæ potest causare & non causare, & vt sic opponitur effectui necessario, qui est à causa, quæ non potest non causare, in quo sensu dicemus productionem rosæ esse contingentem, & motum Solis esse necessarium,

Quantũ ad secundum pono hanc conclusionẽ, effectus contingens in primo sensu non habet contingentiã à prima causa. Hæc est de mente Philosophi in hoc lib. 6. in tex. 5. vbi inuestigans principium & causam entis per accidens, id est effectus fortuiti, dicit quòd causa necessaria, id est, quæ non contingit aliter se habere, & quæ est vt semper, id est, infallibilis non est principium & causa entis per accidens, sed quæ secũdum magis, id est quæ vt in pluribus producit effectum, & aliquando deficit, sed secũdum doctrinã Arist. prima causa vt docuimus in q. præcedenti, est causa necessaria de necessitate agens, & infallibilis. ergo ab ea effectus cõtingens in primo sensu non habet contingentiam. Prætereà, effectus contingens in primo sensu habet contingentiam à causa agente præter intentionem, sed vt videbimus in libro duodecimo, prima causa nihil potest agere præter intentionem. ergo, &c. Patet ergo quòd contingentia, id est, casualitas effectus contingentis in primo sensu, reducenda est in causam proximam potentem deficere, sicut monstrum reducitur in deficientem virtutem formatiuam generantis.

Quantum ad tertium aduerte, quòd ibi non habemus inuestigare quid in hoc sentiant B. Tho. & Scotus inquantum theologi, sed inquantum innituntur doctrinæ & fundamẽtis Arist. puta si B. Tho. & Scotus teneant Arist sensisse Deum esse causam necessariam, & necessario agentem quæcunque agit, & necessario mouentem quæcunque mouet, vtrum effectus contingens sit contingens propter primam causam, an propter causam proximam. Ad huius igitur resolutionem aduerte, quòd mens B. Tho, fuit vt patet in prima parte, quæstione decimaquarta, articulo decimotertio, in responsione ad primum, quòd licet prima causa sit necessaria, tamẽ effectus potest esse contingens propter causam proximã contingentem, & exemplificat de germinatione plantæ, quæ est contingens propter causam proximã contingentem, licet motus solis qui est causa prima sit necessarius, causa autem proxima est radix plãtæ. Similiter quę sunt scita à Deo, sunt cõtingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima, sit necessaria, & huius quidem ratio est quoniã naturaliter effectus assimilatur causę suę propriæ, quę est eius causa proxima, consequẽs ergo est vt effectus cõtingẽs reducatur in causam proximã contingentẽ, & effectus necessarius in causam proximã necessariã. Mens aũt Scoti fuit, quod secundũ doctrinã Arist. necessitas & cõtingentia effectus principalier reducendæ sint in causam primã. Arbitratur enim vt patet in 1. sen. dis. 2. q. 2. quod si causa prima necessario agit & mouet causas secũdas, omnẽ effectũ esse necessariũ, & causam secundã nõ posse dare contingentiam effectui suo, si aũt causa prima cõtingẽter siue libere agit & mouet causas secundas, seruari poterit cõtingentia in effectu causæ secũdæ, ita quod necessitas & cõtingẽtia rerũ pendent ex modo agẽdi causæ primæ. Vnde tenet Arist. inaduertenter posuisse contradictoria scilicet quòd prima causa agat & moueat de necessitate naturæ, ad quod sequitur quòd omnia eueniant de necessitate, & tamen in sexto Metaph. tenet, quòd non omnia eueniunt de necessitate. Hanc autem imaginationem suam, conatur Scotus probare duplici medio.

Primo, causa, quæ mouet inquãtum mouetur, si necessario mouetur, necessario mouet, sed omnis causa secunda mouet & agit inquantum mouetur à prima, ergo si causa prima necessario mouet secundam, ipsa quoque necessario mouet & agit, ex consequenti nulla remanet causa contingens, nec effectus contingens.

Respondetur, iam diximus in q. præcedẽti, hoc argumentũ non concludere, & de nouo formaliter respondendo negatur maior, quoniam licet causa secunda non moueat nisi inquantum mouetur à prima, non tamen est necesse quòd in se recipiat virtutem motiuã eo modo, quo est in prima, sed vt proportionatur naturæ suæ, sicut aër recipit lumen à sole, & luna similiter recipit virtutem illuminatiuam à sole, non tamen eo modo quo est in sole, sed modo competenti naturę lunari. Vnumquodque enim recipitur in aliquo, non per modũ quo est in dante, sed per modum conuenientem recipienti.

Secundo, causa prior prius naturaliter & simpliciter respicit effectum quàm causa posterior. ergo in illo priori causa prima, si de necessitate agit & mouet, dabit effectui necessitatem. ergo in secundo instanti naturæ, causa proxima non potest eidem effectui dare cõtingentiam, necessitas ergo & contingentia in effectu causæ proximæ pendet à causa prima.

Respondetur, si antecedens sic intelligatur, causa prior prius naturaliter, &c. id est, pro aliquo instanti respicit effectũ pro quo nondum attingitur à causa secunda, nego ipsum, quoniam simul & pro eodem instanti ab vtraque attingitur. Si autem sic intelligatur, causa prior prius, &c. id est, à se & propria virtute, causa autem secunda posterius, id est, virtute sibi impressa à priori, ita quòd prius & posterius non respiciunt durationis ordinem, sed ordinem causalitatis, sic conceditur, sed nego vtranque consequentiam, quoniam ex quo effectus simul attingitur à causa prima & secunda, ab vtraque simul habet contingentiam. Posito enim quòd causa prima agat de necessitate quæcunque immediatè agit, tamen non coagit causæ secundæ nisi modo competenti causæ secundæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Si effectus contingens, dum est, est contingens.

Conclusio. Effectus contingens ex natura sua contingens dum est, contingens non inconuenit tamen pro tali tempore necessarium.

IN ista quæstione aduerte, quòd non est difficultas de contingenti antequam producatur, quia potest causari & non causari à causa sua impedibili, nec etiam postquam est productum dubitatur quin sit contingens pro tempore futuro, potest enim deficere ab esse, cum habeat esse transmutabile. Difficultas ergo solùm est, pro isto instãti, pro quo est actu vtrum posit esse & non esse, videtur enim pro tunc esse necessarium, quoniam res dum est, necesse est esse.

Pro resolutione huius, pono duas conclusiones, deinde soluam quoddam dubium.

Prima

Prima conclusio. effectus contingens qui ex natura sua est contingens, puta quia ex natura sua & intrinsecè potest esse & non esse, etiam dum est, est contingens, probatur. Quod ex natura sua est tale, & à principio sibi intrinseco, puta ex materia subiecta priuationi, vel ex compositione contrariorum, ad quodcunque comparetur, & ad quamcunque differentiam temporis, semper est tale, prædicamenta enim per se inseparabilia sunt, sed effectus contingens, qui ex natura sua est contingens, est tale, quod scilicet ex se potest esse & non esse. Hęc est enim diffinitio contingentis, vt patebit in libro nono, ergo ad quodcunque, & quamcunque differentiam temporis comparetur, semper est tale, ergo dum est adhuc contingens est. Prætereà, necessitas & contingentia sunt generales modi entis quorum alterum necesse est de vnoquoque ex sui natura verificari, nam cum ens sit cui dentur esse, vel ex natura sua non potest non esse, & sic est ens necessarium, vel potest esse & non esse, & sic est contingens sed de contingenti dum est, non potest ex natura sui verificari necessitas, quoniam contingens ex natura sui potest esse & non esse: ergo, &c. Dico autem ex natura sui, quoniam licet natura contingentis nunquam transmutetur in necessariam absolutè tamen nõ inconuenit quod fiat necessaria ex aliqua conditione, & per comparationem ad alterum, quæ tamen in se, semper remanet contingens, & hoc declarabitur in conclusione sequenti.

Secunda conclusio. effectus contingens, licet ex natura sua semper sit contingens, siue sit, siue non sit, tamen non inconuenit quod pro tali mensura temporis, pro qua est sit necesse esse. Pro cuius euidentia aduerte quod res contingens potest dupliciter considerari, primo secundũ se & absolutè, id est quantum non est determinata, ad aliquam differentiam temporis, secundo inquantum iam est determinata ad tale tempus, puta inquantum iam extitit in tali tempore præterito, vel inquantum exiitit in tẽpore præsenti. Et quidem si primo modo consideretur semper est contingens, quoniam & in se, & per respectum ad causam suam, potest esse & non esse. Si autem secundo modo, dico quod est contingens & necessaria, contingens quidem quo ad naturam suam, necessaria autem propter respectum præsentialitatis, & sic probatur, sicut se habet res contingens præterita ad tempus præteritum, sic res contingens præsens ad tempus præsens, sed illa non potest non fuisse, ex respectu præteritionis, ergo ista non potest non esse, ex respectu præsentialitatis, ergo pro tali mensura temporis, pro qua est necesse est esse. Prætereà, si res contingens, quæ vt præsens est, potest non esse, ponatur in esse ergo simul erit & non erit quod implicat, erit ergo & contingens & necessaria. Contingens quidem ex se, necessaria autem per respectum ad alterum, nec id est inconueniens, quoniam licet contingens absolutè, & necessarium absolutè repugnent eidem, non tamen necessarium ex conditione, & contingens absolutè.

Sed contra determinationem hanc videtur esse dubium, quoniam si contingens quando est, est contingens, ergo quando est potest esse & non esse, ex diffinitione contingentis, sed hoc est falsum, quoniam quando est non potest esse quin sit, aliter contradictoria verificarentur de eodem ergo necessarium est, ergo non est contingens, propterea dixit Aristot. in primo periherm. res dum est, necesse est esse.

Respondetur, non inconuenit, quod aliquid verificetur de re considerata sub vna ratione. quod tamen non verificatur, si cõsideratur sub alia ratione, verbi gratia, si cõsideratur lapis, vt habet esse in intellectu per speciẽ intelligibilẽ, est immaterialis, si autẽ consideratur, vt habet esse ad extra est materialis & non immaterialis, sic in proposito si contingens quãdo est consideretur vt contingens, id est, ratione qua contingens, sic potest esse & non esse, quoniã hæc est natura sua, quæ immutabiliter manet, si autem consideretur vt existens, vel vt præsens, sic non potest non esse, & vt sic est necesse esse, ex hoc tamen non desinit esse cõtingens ex sui natura sicut licet lapis vt intellectus sit immaterialis, propter hoc tamẽ non desinit ex natura sua esse materialis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Si ens verum excluditur à Metaphysico.

Et quod vt verum ens, prætermittendum. Tex. 8. vbi inquit Commẽt. ens quod est veridicans non habet causam, nisi animam: & ideo vtrunque, scilicet ens per accidens, & ens veridicans numerantur in genere entis diminuti, & ideo perscrutandum est, scilicet à Metaphysico, de ente perfecto, quod est ens extra animam.

Conclusio. Veritas fundamentalis, & quæ repræsentatiuè dicitur nõ excluduntur à Metaphysico, sed veritas formaliter, quæ est in intellectu enunciatiuo excluditur à Metaphysico.

IN hac q. sic procedemus, Primo assignabimus tres modos veritatis. Secundo relictis duobus modis, prosequemur tertium, de quo propriè Philosophus intendit, quando dicit ens verum prætermittendum. Tertio pro decisione quæsiti, ponemus tres conclusiones responsiuas. Quarto soluemus quędam argumenta.

Quantum ad primũ aduerte, quòd iuxta doctrinã Heruei in 3. quolibeto, q. 1. veritas dicitur de tribus, primo de rei entitate, sicut dicimus hoc est de veritate humana, quod ad entitatem & quidditatẽ hominis pertinet, vt anima intellectiua est de veritate hominis. secundo de actu cognoscẽdi complexo, siue de voce significatiua complexa. tertio de obiecto intellectus enunciatiui, signato per cõplexum infinitum. sicut cum dicimus, hominẽ esse risibilẽ est verũ, veritas quidẽ dicta de entitate rei, est veritas materialiter, siue fundamẽtaliter, non aũt formaliter, quod sic patet, si esset veritas formaliter, ergo voces incomplexę significantes rerum entitates significarent verum, vel falsum, quod est contra Philosophũ in 6. Metaphy. textu 8. vbi inquit circa vero simplicia, id est, terminos simplices, non est veritas, & in 3. de Anima tex. 21. inquit, indiuisibilium intelligentia in his est, circa quæ non est verum neque falsum, in quibus autem verum & falsum, compositio quædam est, veritas aũt secundo modo dicitur veritas repræsentatiuè vel significatiuè, voces enim complexæ significant conceptus cõplexos, conceptus autem cõplexi significat rem sic esse vel non sic esse, vnde dicitur propositio siue in mente, siue in voce significare verum vel falsum, veritas tertio modo dicitur veritas formaliter, quod sic patet, quod correspondet vero repræsentatiuè est verum formaliter, sicut quod correspondet sano repræsentatiuè puta vrinæ est sanũ formaliter, sed obiectum intellectus enunciatiui puta hominem esse risibilem in sui natura correspondet huic propositioni, quam diximus esse veram repræsentatiuè, homo est risibilis, ergo in obiecto intellectus enunciatiui stat formaliter veritas.

Quantum ad secundum relicto primo & secundo modo, inuestigandum est de 3. de quo propriè intendit philosophus hic in lib. 6. tex. 8. cum dicit, quod autem vt verum ens, & non ens vt falsum, quoniam secundum compositionem, & diuisionem, &c. ex quibus innuit, quòd non intendit nisi de veritate signata per enũciationem, quàm diximus esse veritatem formaliter. De hac igitur inuestigandum est, quid sit, & quoniam communiter tenetur quòd est ens rationis, ideo prius perscrutandum esset, quid sit ens rationis, vt distinguitur contra ens reale; verum quia de hoc satis locuti sumus in tractatu de transcendentibus: ideo resolue te illic.

Postquam cognoueris quid sit propriissimum ens rationis quod phylosophus hic in 6. appellat ens verum & distinguit contra ens reale, erit tibi via ad sciendum quid sit veritas formaliter. Tu igitur aduerte quòd de ea sunt duæ opiniones, prima dicit, quòd est conformitas siue adæquatio, quæ est relatio realis, inter actum intelligendi complexum & rem intellectam, secundum quòd est obiectum intellectus enunciatiui, puta adæquatio quæ est inter hoc enunciabile ex parte rei hominem esse animal & complexum actum intelligendi, quo intellectus componens intelligit sic esse, sicut intelligit, dicitur veritas formaliter. & hanc opinionem recitat Herueus in 3. quoli. quæstione prima, articulo secundo, in principio & multipliciter improbat verum, quia hæc opinio contradicit philosopho in sexto metaph. tex. 8. & Commenta. quòd ens verum distinguitur contra ens reale, relatio autem realis non distinguitur contra ens reale. ideo relinques hanc opinionẽ, quæ nõ potest fortius improbari quam per dictum philosophi, secunda opinio dicit quòd est relatio rationis & in hoc conueniunt B. Thom. & Herueus, sed dissentiunt in hoc quòd Bea. Thomas in 6. metaph. exponens text. 8. vult quòd huiusmodi veritas consistat in ordine siue in comparatione duorum conceptorum ab intellectu, siue illa duo concepta sint idem secundum rem, siue diuersa, nam intellectus conceptionem formans vtitur aliquando vno vt duobus, vt cum dicitur homo est homo, ex quo patet inquit B. Tho. quòd talis compositio est solum in intellectu, ideo illud, quod est ita ens, sicut in tali comparatione consistens est alterum ab his, quæ propriè sunt entia extra animam, ergo est mere ens rationis. Herueus autem in tertio quoli. quæstione prima art. secundo, tenet quòd huiusmodi veritas est conformitas rei quæ est ad extra ad seipsam, vt est in intellectu enunciatiuo secundum esse cognitum & suam quidem opinionem prius declaro. deinde probo huiusmodi veritatem esse mere ens rationis.

Tu igitur nota entitatem rei dupliciter considerari posse: Primo vt est habens esse extra intellectum, & in rerum natura. secundo vt obiicitur intellectui per speciem intelligibi

ligibilem. Quando igitur intellectus per speciem intelligibilem repræsentantem prædicata rei obiectæ, apprehendit aliquod ex suis prædicatis, & format conceptum de natura obiecta, deinde enunciat talem cõceptum vel prædicatum de re, puta dicendo homo est animal inter rẽ ad extra, & ipsammet vt est sic apprehẽsa vel concepta, consurgit quædam conformitas, quæ repræsentatur per hãc copulam est, per oppositum autem consurgit disformicas si aliter apprehendatur vel concipiatur quàm sit cõueniens rei. Hanc igitur conformitatem Herueus vocat veritatem formaliter, Disformitatem verò, falsitatem. Quæ quidẽ sunt respectus non reales, sed rationis consequentes operationẽ secũdam intellectus. nam remoto intellectu res non conciperetur cõformiter, nec disformiter, ex consequenti tales respectus non consurgerent. Præterea ejusdem ad seipsum est respectus rationis cum non sint extrema realia realiter distincta: sed hæc conformitas est respectus eiusdem ad seipsum, est enim eiusdem rei vt habet esse ad extra ad seipsam, vt est apprehensa ab intellectu: ergo, &c.

Posita declaratione sic probo propositum, quod distinguitur contra ens reale est ens rationis, quoniam non datur medium inter ens reale & ens rationis, sed ens verum; quod consistit in compositione & diuisione, & de quo intendit Philosophus, distinguitur contra ens reale ex sexto Metaph. tex. octauo. ergo, &c. Tunc vltra omne ens rationis vel est respectus, vel est negatio, vt declarauimus in tractatu de transcendentibus, cõstat autem ens verũ sine veritatem formaliter non esse negationẽ, ergo est respectus & ab omnibus cõmuniter conceditur quòd est conformitas siue adæquatio, siue conuenientia iuxta famosam diffinitionẽ, qua dicitur, Veritas est adæquatio rei & intellectus. ergo veritas formaliter est cõformitas, quæ est respectus rationis inter rem, vt habet esse ad extra, & ipsammet vt habet esse cognitum in intellectu enunciatiuo.

Et aduerte, quòd Her. non loquitur dẽ veritate vniuersaliter, sed solùm de veritate complexa, quæ significatur per propositionem. & de qua sola loquitur Philosophus in 1. periher. & in 6. Metaph. & id dico, quoniam non omnibus modis, quibus dicitur est ens rationis, sed abstrahit ab ente reali & ab ente rationis, vt videre poteris in tra. de transcendentibus in capite de vero, vbi pertractauimus mentem beati Thomæ.

Quantum ad tertium ponuntur tres conclusiones responsiuæ præsenti quæsito.

Prima, veritas fundamentalis non excluditur à Metaphys. probatur, vt declaratum est in 1. lib. Metaph. considerat omnium rerum quidditates in vniuersali. ergo omnium rerum veritates fundamentales, consequentia patet, quoniã vt prædiximus ipsa veritas fundamentalis est rei quidditas siue entitas. Præterea verum fundamentale est conuertibile cum ente reali, cum vtrunque sit transcendens, nec addit super ens reale nisi ordinem ad intellectum. Dicitur enim verum id, quòd ex sui natura est manifestatiuum sui cuicunque intellectui potenti cognoscere ipsum: sed ens reale consideratur à Metaphys. vt probatum est in primo libro, in quæstione de subiecto huius scientiæ. ergo, &c.

Secunda, veritas repræsentatiuè non excluditur à metaph. probatur. Talis veritas dicitur de actu intelligendi complexo, quæ est secunda operatio intellectus, & de propositione, sed tam actus intelligendi, quam propositio formata sunt entia realia, cum sint effectiuè ab intellectu, & subiectiuè in eodem. Omne autem ens reale inquantum ens reale, est de consideratione metaphys. quoniam continetur sub obiecto suo. Tu tamen aduerte, quòd quo ad rationes proprias considerari debent in libro de Anima, quoniam eiusdem est considerare potentiam animæ, & propriam eius operationem.

Tertia, veritas formaliter, quæ propriè est in intellectu enunciatiuo, excluditur à Metaph. probatur. Talis veritas quã Philosophus appellat ens verum & Comment. ens veridicans est ens diminutum & contractum ad ens logicum, quod est ens rationis, quod propriè conuenit secundis intentionibus, considerare autem ens rationis & secundas intentiones ad logicum & non ad Metaph. spectat. cum Metaphys. sit dignissima & realissima scientia. ergo, &c.

Quantum ad quartum aduerte, quòd argumẽta, quæ communiter fiunt contra hanc determinationem, procedunt de veritate fundamentali, sicut est illud, quod est commune cuilibet enti. est de consideratione Metaphys. sed esse verum, est commune cuilibet enti, quoniam omne ens est intelligibile. ergo, &c. Præterea, verum conuertitur cum ente, ergo si verum excluditur à metaphy. & ens quod est falsum. Præterea, Metaphys. est scientia veritatis ex secundo libro, ergo est cõsideratiua de veritate. Præterea, hæc scientia versatur circa prima principia & primas causas, quas necesse est esse verissimas, ergo, &c. Patet autẽ quòd hęc & his similia, concludunt de veritate fundamẽtali, nam veritas complexa, quæ sola excluditur à Metaph. non est communis cuilibet enti, quædam enim intelliguntur simplici intelligentia, nec conuertitur cum ente, cum sit ens rationis, & Metaphysica non dicitur scientia veritatis, nisi quia est speculatiua & versatur circa maximè intelligibilia, quæ vt sic dicuntur verissima fundamentaliter. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum super sextum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

QVAESTIONES SVPER septimum librum Metaphysices.

1 Si inhærentia est de essentia accidentis.
2 Si accidentia in abstracto sunt entia vel non.
3 Si substantia est prior tempore accidente & diffinitione & natura & cognitione.
4 Si forma est prior & magis ens, quàm materia & quàm compositum.
5 Si materia est ens, quod est substantia: ita tamen, quòd est ens quod est pura potentia.
6 Si sola prædicata essentialia constituunt quodquidest substantiæ compositæ, ita quòd excludantur omnia prædicata accidentalia, tam propria quàm communia.
7 Si dicendo nasus simus committitur nugatio.
8 Si quodquidest est idem cum eo cuius est.
9 Si materia est pars quidditatis substantiæ compositæ.
10 Si genita ex putrefactione possunt dici genita à casu.
11 Si omnia producta cum semine, possunt produci sine semine, & si producta sine semine sunt eiusdem speciei cum productis ex semine.
12 Si vnumquodque generatur à suo simili.
13 Si forma generanda præexistit in materia, vel aliqua pars eius, vt cooperetur agenti extrinseco ad productionem eius.
14 Si agens naturale solùm disponit materiam, & agens separatum producit formam, vel si ad vtrumque sufficit agens naturale.
15 Si omnis diffinitio habet partes, quæ correspondeant partibus diffiniti.
16 Si singulare est diffinibile, & per se intelligibile.
17 Si solis substantiis separatis, quodquidest identificatur ei, cuius est.
18 Si ex genere & differentia fit vnum per se.
19 Si in animali plurificantur formæ secundum partes organicas.
20 Si totum distinguitur à partibus simul sumptis.

QVAESTIO I.

Si inhærentia est de essentia accidentis.

Alia vero dicuntur entia, eo quòd totaliter entis. Textu 2.

IN hac quæstione sic procedemus. Primo præponentur quædam distinctiones. Secundo tractabuntur tres opiniones famosæ, & rationabiliter. Tertio sustentabitur, & secundum illam determinabimus quæsitum.

Quantum ad primum aduerte tres distinctiones. Prima est, Cum inhærentia sit formaliter respectus, hic respectus est duplex, scilicet actualis & aptitudinalis. Actualis est qui consurgit ex eo quòd accidens actu receptus est in subiecto, & durat quandiu remanet accidens in subiecto. Aptitudinalis est, qui ex natura accidentis conuenit accidenti, posito per possibile vel impossibile, quod non esset actu in subiecto, nam si daretur albedo separata, adhuc ex natura sua respicit subiectum. & in hoc distinguitur aptitudinalis ab actuali, quoniam aptitudinalis semper verificatur de accidenti, siue actu insit subiecto, siue non, nam actu esse, supponit aptitudinem. Actualis autem non verificatur, nisi accidens actu insit.

Secunda

Secunda est. Aliquid potest esse de essentia alicuius dupliciter: primo quia est idem essentialiter cum eo, non tamen est de suo conceptu quidditatiuo, sicut verum & bonum & alia transcendentia sunt idem essentialiter cum ente, sed non sunt de ratione formali ipsius, cum se habeant ad ipsum sicut propriæ passiones, vt declarauimus in quarto libro. secundo, quia est de conceptu quidditatiuo, non sicut additum, sed quod est idem re cum eo, sicut animal est de essentia hominis hoc secundo sensu. Dico non sicut additum, vt excludamus diffinitiones per additamentum: nam licet subiectum sit de conceptu quidditatiuo accidentis, tamen nõ potest dici hoc secundo sensu de essentia accidẽtis, quia nõ est idem re cum accidẽte.

Tertia est, aliud est pertractare hoc quæsitum ad mentem Philosophi & aliud secundum veritatem, nam secundum Philosophum pertractandum est, vt potest conuinci ex sensatis, & non aliter, secundum veritatem autem vt habemus ex fide, cui non subest falsum, & quoniam ex sensatis non potest conuinci quod possit dari accidens sine actuali inhærentia, ideo vel vtraque inhærentia est de essentia accidentis in primo, vel in secundo sensu, secundum Philosophum, vel neutra. Quoniam autem ex fide tenemus actualem esse separabilem, aptitudinalem autem inseparabilem, ideo cõstat secundum veritatem, actualem non esse de essentia accidentis nec primo nec secundo modo, de aptitudinali autem inuestigandum est.

Quantum ad secundum aduerte quod circa hoc quæsitum sunt tres opiniones. Prima est Ant. And. in libro septimo, quæstione prima. Iste tenet duas conclusiones, prima est neutra inhærentia est de essentia accidentis in secundo sensu, & probat tripliciter, primo respectus non est de essentia in secundo sensu absoluti, inhærentia est respectus & accidens est quid absolutum, puta quantitas & qualitas, aliter nullum accidens diceret perfectionem formaliter: ergo, &c. secundo respectus non est de ratione formali sui fundamenti, quoniam est posterior eo, inhærentia est respectus, & fundatur super naturam accidentis: ergo, &c. tertio, quia cum inhærentia sit quid commune quantitati & qualitati si est de ratione sua formali, ergo est genus ad quantitatem & qualitatem, ex consequenti quantitas & qualitas non essent genera generalissima.

Et aduerte quod Paulus Soncinas concordat in hoc cum Anto. And. vt videbis in septimo libro, quæstione prima, & est sua conclusio secunda, quam dupliciter probat. Primò impossibile est aliquid concipi, absque his quæ ingrediuntur formalem conceptum eius: sed accidens potest concipi absque inhærentia: ergo, &c. Maior patet, minor dupliciter probatur. Primò quantitas est accidens & tamen consideratur à Mathematico per abstractionem ab omni subiecto: ergo, &c. Secundò quia ante demonstrationem habetur conceptus passionis, nam diffinitio passionis est medium saltem in aliqua demonstratione potissima vt dicitur in secundo posteriorum, sed tunc non habetur conceptus inhærentiæ passionis ad subiectum, quia hoc demonstratur: ergo, &c.

Secundò, si inhærentia est de formali ratione albedinis & cuiuslibet alterius accidentis, ergo omne accidens est formaliter respectiuum. Sed hoc aperte est falsum: ergo, &c. consequentia patet quia illud est formaliter respectiuum, quod in sua ratione formali includit respectum.

Verum quia intendo determinare oppositum, saltem quo ad inhærentiam aptitudinalem, ideo volo soluere rationes Anton. Andre. & Pauli Soncinatis.

Ad primam Anto. Andr. dico, quod absolutum est duplex. Quoddam est absolutum omnino, ita quod non dicit respectum ad terminum, nec ad subiectum. Quoddam est non omnino absolutum, quoniam & si non respicit terminum, respicit tamen subiectum, in quo est, vel est aptum esse. Ad argumentum ergo nego maiorem de absoluto secundo modo dicto: & quoniam accidens est absolutum secundo modo, ideo nihil concludit: & cum dicit, quod aliter nullum accidens diceret perfectionem formaliter, negatur, quoniam ad hoc quod aliquid dicat perfectionem formaliter, sufficit esse absolutum primo vel secundo modo.

Ad secundam dico quod maior non habet veritatem nisi de respectu ad terminum, inhærentia autem dicit respectum ad subiectum & nego huiusmodi respectum esse posteriorem natura accidentis, quoniam & realiter est idem cum accidente, & est de ratione formali eiusdem.

Ad tertiam nego consequentiam, quoniam ad hoc quod aliquid sit genus non sufficit quod sit commune his, de quibus dicitur & prædicetur in quid & vniuocè, sed quod dicat determinatam naturam, puta substantiam, vel quantitatem, vel qualitatem, &c. Constat autem quod inhærentia in communi non dicit determinatam naturam, quoniam inhærentia quantitatis est quãtitas, & qualitatis est qualitas, &c. vndẽ sicut absolutũ quòd prædicatur de substãtia & quãtitate & qualitate, non est genus ad ea, cum sint generalissima sic nec inhærẽtia.

Ad primam rationem Pauli Soncin. nego minorem sic concipiatur vt accidens. Ad primam probationem dico, quòd Mathematicus non abstrahit nisi à subiecto sensibili, quod dicitur materia sensibilis, non autem à subiecto siue materia intelligibili, vt patet in octauo Metaphysicæ, in textu decimoquinto, & hoc sufficit Mathematico: considerare enim accidens vt respicit materiam sensibilem siue naturalem ad Physicum spectat. Ad secundã probationẽ nego quod antecedẽs & resolutam demonstrationem habeatur conceptus passionis, vt est accidens, ad probationem nego solam diffinitionem passionis esse medium in demonstratione aliqua potissima: nam secundum doctrinam Bea. Thomi secundo posterior necesse est demonstrare diffinitionem passionis per diffinitionẽ subiecti, vnde vltimate inhærẽtia passionis demonstratur per diffinitionẽ subiecti, & nõ per diffinitionẽ passionis quare nõ est necesse eã simpliciter præcognoscere ante demõstrationem.

Ad secundam concessa consequentia, nego falsitatem consequentis, quoniam licet accidens non includat respectum ad terminum, includit tamen respectum ad subiectum.

Secunda opinio est Commentistarum, & præcipuè Ioann. Baco. in primo sentent. distinctione vigẽsimaoctaua, quæstione prima, articulo tertio. Isti tenent quòd ad mentem Philosophi vtraque aptitudo est idem cum accidente, & est de sua ratione formali, ita quod est formali differentia, qua distinguitur accidens à substantia. Et quidem quod sic: vt differentia formalis sic arguitur, Philosophus in prædicamentis distinguit essentialiter & formaliter substantiam ab accidente, per non esse in subiecto, & esse in subiecto, ergo sicut est de ratione formali substãtiæ nõ esse in subiecto, sic est de ratione formali accidentis, esse in subiecto, quod æquipollet cum inhærere subiecto. Quod autem sit de essentia primo modo, arguitur sic, si hæc inhærentia est aliud ab accidente, aut est substantia aut accidens: non substantia, quia vanum est dicere, accidens inhærere substantiæ per substantiam, si est accidẽs: cum accidentis sit inhærere, ergo illa inhærentia inhæret subiecto, & tunc quæro de illa vel est idem cum accidente, vel aliud: si idem, ergo eadẽ ratione, prima inhærentia erat idem, si aliud, quæro vt prius, & sic vel ibitur in infinitum, vel confitendum est quod est idem cum accidente, secundo arguitur sic per inhærentiam formaliter accidens est ens, & non est alia ratio quare sit ens, sed per nullum extrinsecum ab essentia rei: res est ens formaliter: licet enim aliquid possit esse tale effectiuè per extrinsecum, non tamen formaliter: ergo, &c. Maior quidem est Philosophi in hoc septimo, in textu secundo: alia quidem dicuntur entia, eo quod totaliter entis; id est quia respiciunt substantiam vt subiectum.

Et quoniam intendo determinare quæsitum secundum tertiam opinionem, quæ, vt videbis, quo ad inhærentiam aptitudinalem non discordat ab ista secunda, ideo volo sustinere supradictas rationes adductas pro secunda opinione. Tu igitur aduerte quod rationi fundatæ super Philosophũ in prædicamentis, qua arguitur quod inhærentia sit de ratione formali accidentis nec Ant. And. nec Pau. Sonci. respondent. duas autem probantes quod sit idem cũ accidente conantur soluere.

Ad primum dicit Ant. Andr. quod inhærentia illa differens ab accidente vtique inhæret, non quidem alia inhærentia, sed eadem sibi realiter, quia est idem cum fundamẽto suo, quod est prima inhærentia, & sic non est processus in infinitum, sed hæc solutio non valet, quia cum vtraque inhærentia sit relatio, oportebit eum concedere quod relatio fundatur in relatione, quod est contra Philosophum in libro quinto, in capite de ad aliquid, qui in omni modo relatiuo ita assignat aliquod absolutũ pro fundamẽto, & ipsemet An. An. illic idem tenuit.

Secundam rationem aliter soluit Anton. And. & aliter Paulus, nam Anton. Andr. sic exponit dictum Philosophi. Alia dicuntur entia eo quod taliter entis, id est accidens est ens in eo, quod est taliter entis, id est talis causæ & in tali ordine causandi, quasi dicat accidens est ens, quia causatur à substantia, ex hoc autem nõ habetur, quod ly ex eo, quod dicat rationem vel principium formale. Sed hæc expositio non valet, quoniam mens Philosophi est quod sint entia, eo quod accidunt enti per se, quod est substantia, & sic exponit Comm. in commen. secundo. Accidentalitas ergo vel inhærentia est ratio formalis quod sint entia & non quia causantur à substantia.

Pau. autem Soncin. dicit quod ly eo quod taliter entis non intelligitur in ratione principij formalis, sed efficiẽtis vel subiectiui

jectiui, sed hæc sua expositio: contradicit expositioni B. Tho. nam B. Tho. exponens dictum tex. inquit, eo quòd sunt talis entis, id est, eo quòd habent aliquam habitudinem ad substantiam, &c. ergo talis habitudo est ratio formalis quòd sint entia. Sed huiusmodi habitudo, est ipsa inhærentia vel accidentalitas vt declarauit Commentator. Quare, &c.

Tertia opinio est B. Tho. & Capreo. & Heruei. Isti tenent secundum veritatem quòd inhærentia actualis, nec est idem cum accidente, nec est de sua ratione formali, quoniam tenent quòd diuina virtute potest dari accidens non actu inhærens subiecto, aptitudinalem autem esse idem & de ratione formali. vnde Bea. Thom. in 4. sent. dist. 12. quæstione prima articulo primo, quæstiuncula prima ad secũdum sic dicit, Diffinitio substantiæ est res habens quidditatem, cui debetur esse non in alio, & similiter esse in subiecto non est diffinitio accidentis sed res cui debetur esse in alio. & hoc nunquam separatur ab aliquo accidente, nec separari potest, quia illi rei quæ est accidens, secundum rationem suæ quidditatis semper debetur esse in alio; hæc ille. & aduerte quòd Cap. in 4. sent. di. 42. quæstione prima ad primum factum contra 5. & 6. conclusionem, conuenit cum B. Tho. Herueus autem in quoli. 4. quæstione nona quærens si accidens diuina virtute potest retinere terminos propriæ essentiæ sine subiecto determinans quæsitum circa finem sic inquit, Rationi illius de cuius ratione est habere habitudinem ad esse in subiecto non repugnat esse in actu sine subiecto, quia ista duo non repugnant quòd vnum & idem non sit actu tale, & sit aptitudine tale. Sed hoc videtur sufficere ad rationem accidẽtis, scilicet quòd aptum natum sit in esse, &c. hæc ille. ex quibus omnibus constat, q̃ concedunt inhærentiam aptitudinalem esse de ratione formali accidentis. Quod negauerunt Ant. And. & Pau. Sõc. & quoniam hanc tenemus esse mentem B. Tho. ideo determinamus quæsitum secundum hanc tertiam opinionem. & licet B. Tho. & Herue, non adducant nouas rationes, quoniã in locis præallegatis sunt respondentes, tu tamen probare poteris rationibus adductis pro secunda opinione, quas sustinuimus contra Ant. And. & Paulum Sonci. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Si accidentia in abstracto sunt entia, vel non entia.

Vnde & vtique dubitabit aliquis vtrum videre & sanare & sedere, vnum quod que eorum sit ens aut non ens. Tex. 3.

CONCLVSIO.

Accidentia in abstracto non sunt sic entia quòd per se subsistant, sed sunt entia in alio quia inherent suis subiectis.

IN hac quæstione sic procedemus. Primo declarabitur in quo differunt accidens in concreto & accidens in abstracto. Secundo ponetur vnica distinctio de ente. Tertio duæ conclusiones responsiuæ.

Quantum ad primum, aduerte q̃ in hoc aliter sensit Auic. aliter Cõm. cui concordat B. Tho. nam Auic. vt recitat Cõm. in 5. meta. in ca. de ente tenuit quòd accidens in concreto pura album significat substantiam in qua est accidens, ita quòd res significata per accidens in concreto principaliter est subiectum, secundario autem est natura accidentis. Accidens autem in abstracto signat solam naturam accidẽtis. Sed contra Auic. sic arguitur, si accidens in concreto significat principaliter subiectum, ergo album significaret ens per accidẽs, id est quid aggregatum ex substantia & accidente ex consequenti accidens in concreto non locaretur in aliquo prædicamento quod contradicit Aristoteli qui in prædicamẽtis dixit album ideo esse in prædicamento, quia puram qualitatem significat. Præterea Arist. in 5. meta. in c. de ente ponens diuisionem entis in prædicamenta exemplificat de accidentibus in concreto dicit enim alia quid est significat, alia quale, alia quantum, alia ad aliud.

Cõmen. igitur & B. Tho. in eodem loco contra Auic. tenẽt quòd quantum ad rem significatam non differunt quoniam tam in concreto quam in abstracto significant puram naturam accidentis, vnde sicut albedo puram qualitatem significat sic & album. quantum autem ad modum significandi differunt, quoniam concretum significat naturam accidentis per modum inhærentis ex consequenti connotat subiectum non autem abstractum, verum aduerte quòd hic modus prædicãdi est per opus intellectus, & nõ præcise ex natura rei significatæ, intellectuis autem potest ea quæ sunt coniuncta in re, intelligere separatim, vnde licet accidens non detur nisi inhæreat subiecto, potest tamen intelligi per modum inhærentis & per modum non inhærentis, ex hoc tamen non falsè intellectus intelligit, non enim intelligit accidens esse & non inhærere, sed accidens per modum non inhærentis licet realiter inhæreat.

Quantum ad secundũ aduerte, quòd cum quæritur, vtrum accidens in abstracto sit ens vel non ens, id potest habere duplicem sensum; primo quod sit ens per se subsistens: sicut si imaginaretur calor existens separatus ab omni subiecto, sicut ponitur idea hominis separata ab omni materia ad mentem Plato, secundo quòd sit ens in alio vel inhærens alij. licet non significetur per modum inhærentis, sed potius per modum per se existentis.

Quantum ad tertium ex hac distinctione ponuntur duæ conclusiones responsiuæ.

Prima conclusio. Accidens in abstracto non est ens primo modo: probatur, si haberet esse & esset ens primo modo, oppositum diffinitionis conueniret diffinito. nam diffinitio accidentis est quòd habeat esse in alio. sed si ergo esset ens primo modo non haberet esse in alio vt patet ergo, &c. præterea inquit Arist. in tex. 2. quòd alia sunt entia quia sunt totaliter entis. & per ly alia intendit accidentia & per ly entis intendit substantiam vel subiectum ergo ratio existentiæ accidentis sumendo accidens condistinctum contra substantiam, siue in concreto siue in abstracto sumitur ab inhærentia subiectii: impossibile est ergo loquendo mere ad mentem philosophi, vt etiam locuti sumus in quæstione præcedenti accidens abstractum habere esse vel quòd sit ens primo modo.

Secunda conclusio. Accidens in abstracto est ens secundo modo, probatur est ens, cum significetur nomine generis vt color & speciei vt albedo, nam ratio generis & speciei non verificatur de non ente. sed non est ens primo modo per conclusionem præcedentem. ergo secundo modo.

Nec obstat, quòd in abstracto non videtur importare inhærentiam sed potius per se existentiam, quoniam vt diximus, hoc est ex parte mõdi significandi quæ sic per intellectum, qui potest coniuncta separatim intelligere, & non est ex parte rei significatæ. quoniam natura accidentis quo ad suam realitatem non potest separari ab habitudine ad subiectum. In hoc quęsito non cadunt difficilia argumenta. Ideo dicta sufficiãt.

QVAESTIO III.

Si substantia est prior tempore accidente.

Substantia omnium primum est tempore, ratione natura & notitia. Tex. 4.

CONCLVSIO.

Substantia est prior accidente tempore, diffinitione, natura & cognitione.

IN hac quæstione. Primo inuestigandum est quomodo substantia est prior accidente tempore. Secundo quomodo diffinitione. Tertio quomodo natura. Quarto quomodo cognitione.

Quantum ad prioritatem temporis, aduerte quòd si Arist. non posuisset mundum æternum, facile esset saluare huiusmodi prioritatem: nam cum esse prius tẽpore vt habetur in postprædicamẽtis, sit esse antiquius, id est esse pro aliqua duratione pro qua nondum est aliud. vt patet de patre & filio, de sene & iuuene. si mundus non est æternus patet quòd aliqua substantia, puta prima causa quæ est æterna vt probabitur in 11. lib. est prior tempore siue duratione quocunque accidente, quoniã omnis substantia & omne accidens est effectiue à prima causa, vt probabitur in lib. 12. & nullum eorum est æternum, si mũdus non est æternus, ergo &c. verũ quia Arist. posuit mundum æternum, non est assignare aliquod instãs nec tempus in quo prima causa fuerit & accidens non fuerit, ideo difficile est saluare dictum philosophi. Vt igitur videamus quam veritatem continet pertractabimus opinionem Comment. & Scoti, & B. Tho.

Quantum ad Comment. aduerte quòd cum quædam sint substantiæ æternæ & incorruptibiles, vt astra & cœlum: & quædam sint temporales ac corruptibiles vt elementa & elementata, & quædam sint accidentia æterna, vt accidentia cœli, & quædam de nouo genita. vt accidentia substantiarum inferiorum ex quibus aliqua sunt congenita vt propriæ passiones. & accidentia inseparabilia vt albedo in nine, nigredo in æthiope. Quædam autem accedunt & recedunt vt accidentia communia separabilia, arbitratur Comment. propositionem philosophi, alio modo verificari de substantia comparata accidẽtibus communibus separabilibus. & alio modo comparata accidentibus propriis & inseparabilibus. nam respectu primi tenet substantiam compositam secundum se esse priorem tempore, quoniam stat quòd pro aliquo tempore sit rei substantia pura aqua. & tamen non sit in ea accidens separabile cõmune puta calor & quod dicitur de aqua, intelligendum est de qualibet substantia inferiori comparata accidenti communi. Respectu autem secundi tenet substantiam compositam non ratione totius, sed ratione materiæ primæ, quæ est ingenita & æterna, esse priorem tempore, quoniam licet fortes non sit prior tempore sua proprietate, nec nix albedine, tamen materia fortis, quæ fuit ante fortem, & materia niuis, quæ fuit ante niuem, est prior tempore accidente proprio fortis & accidente inseparabili à niue: nam materia fortis præcedit tempore formam substantialem fortis, cum illa sit æterna & hæc de nouo producta, ergo & accidentia propria fortis. Hæc enim consequuntur formam substantialem, idem intellige de niue.

Sed hæc sententia Commenta. non videtur consona textui Philosophi: nam Philosophus dum comparat substantiam accidenti secundum prioritatem temporis. Comparat substantiam secundum se, non accidenti communi, vel proprio vel inseparabili, sed omnibus categoriis accidentium, ita quod considerata natura substantiæ vt est ens simpliciter, & ens primum, & considerata natura accidentis, vt est ens in habitudine ad substantiam intendit Philosophus quod substãtia vt substantia est prior accidente vt accidens est. Præterea licet Comment. posset aliquo modo saluare positionem suam quo ad accidens proprii & inseparabile in substantiis inferioribus quoniam saltem ex parte materię sunt priores tempore, id tamen non saluabit in corpore cœli, quoniam ab eo remouet materiam quæ est ens in potentia & pars compositi, vt declarabitur in octauo libro. Præterea, sicut Philosophus ponit substantiam esse priorem tempore ipso accidente, ponit etiam esse priorem diffinitione & perfectione & cognitione, sed falsum est substantiam ratione materiæ esse perfectiorem & prius ac magis cognoscibilem accidente cum sit ens in pura potentia accidens autem sit forma & actus quidam. Quare, &c.

Quantum ad Sco. aduerte vt patet per Ant. And. in septimo libro quæstione secunda, quod arbitratur dictum Philosophi alio modo esse verum, quo ad accidentia communia, & alio modo quo ad accidentia propria: nam respectu primi dicit esse verum, quia substantia non pendet ab accidente communi, ideo non repugnat quantum sit ex se posse esse sine tali accidente vt patet de aqua respectu caloris. Item quia substãtia non est causa accidentis communis non enim fluit à principiis substantiæ: sed est penitus à causa effectiua extrinseca. Respectu autem secundi dicit esse verum, quia substantia non pendet à proprio accidente sed potius econuerso, vnde verificatur quo ad causalitatem, quoniam substantia est verè causa intrinseca productiua sui proprij accidentis.

Sed si bene aduertis Scotus ex hac declaratione non seruat nisi prioritatem naturæ, illud enim dicitur propriè prius secundum naturam, quod comparatum alteri nõ pendet ab eo, sed econuerso, dato, quod vnum non præcedat alterum duratione quę prioritas seruatur inter subiectum & proprietatem suam, inter causam & effectum suum coæuum. Præterea si ex hoc quod vnum non dependet ab alio, seruatur prioritas temporis ergo possemus dicere motorem primum esse priorem tempore cœlo secundum Philosophum, quoniam dicit Philosophus in li. duodecimo, text. 15. quod ab hoc princi. cœlum & natura pendet quod tamen est falsum, quoniam cum cœlum sit æternum nihil est prius eo duratione, ergo nec tempore.

Quantum ad Beat. Thom. aduerte, quod vt patet in expositione textus, intendit dictum Philosophi pro tãto esse verum quia in tota latitudine accidentium non inuenitur accidens sine substantia, sed in latitudine substantiarum, inuenitur substantia vt Deus, sine accidente, vnde Deus respectu accidentium quæ nullo modo possunt esse in eo ex consequenti nullo tempore dicitur prior tempore siue duratione accidẽte: nam verum est dicere, Deus nunc est, & nunc nullum accidens est in eo, ergo est prior tempore accidente sumendo tempus vt se extendit ad quamcunque dura.

Sed contra hanc determinationem tripliciter arguit Anton. Andre. primo sic non sequitur si prima substantia quæ est Deus est prior accidente, quod substantia posterior puta producta, sit prior accidente tempore.

Ad hoc dicitur quod argumentum supponit falsum, scilicet quod si substantia vt substantia est prior tempore accidente quod omnis substantia sit prior tempore accidente. Hoc non dicit Philosophus sed ad veritatem propositionis suæ, sufficit quod detur aliqua substantia quæ sit prior tempore omni accidente, & non econuerso, sicut & ipse An. An. in primo Meta. quæst. sua vlti. quando declarauit text. tertiũ, in sexto Meta. vbi inquit Philosophus, Theoricæ aliis scientiis sunt desiderabiliores, dicit An. An. ad veritatem huius dicti non est necesse omnem speculatiuam esse nobiliorem omni practica, sed sufficit quod detur aliqua speculatiua puta Metaphysica quæ sit nobilior omni practica & nõ econuerso sic dico in proposito, &c.

Secundo sic, Deus non est in aliquo genere ergo ex hoc quod Deus est prior tempore omni accidente non potest concludi substantiam quæ est primum genus comparatum generibus accidentium esse priorem tempore accidente.

Ad hoc dicitur quod quando Philosophus dicit substantiam priorem tempore accidente n on accipit substantiam vt est genus sed vt est analogum, sub quo continetur Deus, nam nec accidens est genus sed analogum, alioquin prædicamenta accidentium, non essent generalissima.

Tertiò sic Deus non præcedit tempus tempore quoniam non mensuratur tempore vt patet cum sit extra omnem mutabilitatem, ergo non est prior tempore omni accidente patet consequentia quoniam tempus est accidens, &c.

Ad hoc dicitur quod sufficit Deum esse priorem omni accidente & ipso tempore aliqua duratione quæ largo modo potest dici tempus nec Philosophus dum dicit substantiã priorem tempore accidente, accipit tempus propriè dictum, vt & ipse Anto. Andr. dicit in fine quæstionis suæ, vbi inquit non accipitur hic tempus propriè vt est numerus motus substantia ergo præcedit tempus propriè dictum, tempore impropriè dicto. Hæc ille. Hæc de prioritate temporis dicta sint.

Quantum ad prioritatem diffinitionis aduerte, quod dictum Philosophi potest dupliciter pertractari, primo si est verum vt iacet, secundo si ita est verum quod sit necesse absolutè & secundum se accidens diffiniri per substantiam, & non econuerso, siue sumatur accidẽs in cõcreto, siue in abstracto.

Quantum ad primum sensum ponitur conclusio affirmatiua substantia est prior accidente diffinitione probatur substantia ponitur in diffinitione accidentis de necessitate & non econuerso ergo est prior diffinitione, consequentia patet quoniam esse prius diffinitione alio est cadere in diffinitione eius & nõ econuerso. antecedens autem probatur quoniam illud ponitur in diffinitione accidentis per quod accidẽs est ens, sed per substantiam est ens cum non sit ens nisi quia est entis, substantia autẽ non est ens per ipsum accidens, vt patet: ergo, &c.

Quantum ad secundum ponitur hæc conclusio si debet haberi perfecta cognitio de accidente necesse est vt diffiniatur per substantiam: probatur, diffinitio causatiua perfectè cognitionis habet sufficienter explicare naturam diffiniti, sed non potest sufficienter explicare naturam accidentis, nisi in ea includatur inhærentia ad substantiam, diximus enim supra inhærentiam esse de ratione formali accidentis, ergo necessario in diffinitione qua debet accidens perfectè cognosci, & quæ habet quietare intellectum, cadit substantia & propterea Philosophus infra declarabit quod accidentia non habent simpliciter quod quid est nisi ex additione, eo quod sicut ens, sic habent diffiniri, cum igitur non sint ens nisi per substantiam non possunt perfectè diffiniri nisi per substantiam.

Sed aduerte quod contra hanc determinationem formantur tria argumenta apparentia.

Primò sic arguitur, accidens habet proprium genus & propriam differentiam ergo potest diffiniri sine substantia, consequentia patet quoniam vt dicit Philosophus in hoc septimo, diffinitio constat ex proprio genere & propria differentia, ergo si accidens habet proprium genus & propriam differentiã potest per seipsum habere propriam diffinitionem antecedẽs autem probatur & quidem quod habeat proprium genus patet, quoniam in prędicamentis accidentium datur species specialissima vt in qualitate albedo: species autem est quæ ponitur sub assignato, id est determinato & proprio genere vt albedo sub colore, quod autem detur propria differentia probatur quoniam diuersorũ generum & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species & differentiæ, ergo albedo non solum habet proprium genus colorem, sed & propriam differentiam diuisiuam coloris, & constitutiuam albedinis.

Ad hoc, negatur consequentia quoniam non sufficit diffinitionem constare ex proprio genere & propria differentia, sed habet manifestare modum & qualitatem diffiniti quo ad naturam; hoc autem non potest fieri in proposito, nisi assumatur substantia in diffinitione accidentis, quoniam ex habitudine ad substantiam scimus naturam accidentis.

Secundò sic, ratio quam significat nomen est diffinitio, sed nomen accidentis non significat substantiam, ergo ratio accidentis non debet includere substantiam.

Ad hoc, licet nomen accidentis non significet substantiam tamen in concreto connotat substantiam, & in abstracto non

absoluitur ab habitudine ad substantiam quoniam accidens vt accidens, licet non dicat respectum ad alterum dicit tamẽ respectum in alio, & ideo non potest diffiniri sine substantia.

Tertio sic, accidens potest produci à causa prima sine subiecto, ergo potest diffiniri sine subiecto, consequentia nota quia non est alia ratio quare diffiniatur accidens per subiectũ quia secundũ philosophũ non potest esse ens sine subiecto. Antecedens autem probatur. quoniam quicquid potest causa prima cum secunda potest per seipsam, aliter non esset omnino perfecta, & penitus independens, ergo sicut causat accidens mediante subiecto, potest causare sine subiecto.

Ad hoc, licet argumentum concludat secũdum veritatem, tamen Arist. vt diximus in q. 1. huius lib. non admitteret antecedens. Ad probationẽ, negaret antecedens & diceret, quòd hoc non est ex imperfectione primæ causæ sed ex natura accidentis, quæ non seruaretur sine subiecto quoniam inhærentia est de ratione formali eiusdẽ vt declarauimus in quæst. 1. huius lib. Tu etiam aduerte q̃ ista propositio, quicqu id potest causa prima cum secunda, &c. non tenet in causa formali & in causa materiali, vnde posito quòd posset producere calorẽ sine igne non tamen posset producere, ita q̃ nulli inhæreret, loquendo ad mentem philosophi, subiectum enim licet possit esse causa productiua sui proprij accidentis tamen est semper causa materialis cuius vicem non potest habere causa prima. Hæc de prioritate diffinitionis dicta sint.

Quantum ad prioritatẽ naturæ, quæ dicitur prioritas perfectionis nõ est difficultas, quoniam cum substãtia sit ens primum & absolute & non per respectum ad accidens. & sit sustinens accidentia. & sit causa accidentis & non econuerso, constat quod est perfectior accidente. Quare in hoc non est immorandum.

Quantum ad prioritatem cognitionis, multæ insurgũt difficultates & vt resoluantur sic procedemus, primo ponemus aliquas distinctiones, secundo aliquas conclusiones responsiuas tertio soluẽtur quædam dubia.

Prima distinctio, cognitio substantiæ est duplex prima est conceptiua, qua scilicet apprehenditur quid est substãtia vel qua formatur conceptus substantiæ, secũda est discursiua, qua scilicet cõcluditur aliquid de substãtia vt cũ probatur esse susceptiuam contrariorum vel non recipere magis & minus.

Secunda, cognitio substantiæ conceptiuam est duplex quædam quo ad conceptum confusum, quædam quo ad conceptum distinctum, conceptus confusus est quo apprehenduntur prædicata vniuersaliora vt quando apprehendo de homine quòd est ens vnum substantia corpus: Distinctus autem est quando apprehendo prædicata proxima & propria, vt cum de homine apprehendo quòd est animal rationale.

Tertia cum hic intendamus de prioritate cognitionis quo ad cognitionem conceptiuam, aduerte quòd prioritas cognitionis substantiæ respectu cognitionis accidẽtis potest attendi secundum ordinem perfectionis vel secundum ordinem generationis: primo quidem modo dicitur cognitio prior, quæ magis perficit intellectum & quæ est de perfectiori ente, secundo autem modo dicitur cognitio prior, quæ est obiecti prius apprehẽsi ab intellectu. vnde si substantia prius cadit in nostro intellectu quam accidens est prior cognitione secũdum generationẽ si autẽ prius cadit accidens, erit posterior.

Ex his distinctionibus ponitur conclusio quo ad prioritatẽ cognitionis secundũ perfectionẽ substantia est prior cognitione accidente, probatur, obiecti perfectioris perfectior est cognitio: trahit enim cognitio nobilitatem à nobilitate obiecti ex 2. de anima, sed vt confessum est ab omnibus substãtia cum sit primum & absolute ens perfectior est accidente. ergo. &c. præterea, cuius perfectius est quicquid est, eius cognitio est perfectior quoniam cognitio quidditatiua est cognitio perfecta sed substantiæ est perfectius quodquidest. Dicet enim infrà philosophus quòd sola substantia habet quodquidest primo & per se accidentia autem aut non habent aut secundario quoniam vnũquodque eo modo quo est ens habet quodquid est & aduerte quòd philosophus comparans substantiam accidẽti quo ad prioritatem cognitionis in tex. 4. videtur sem per loqui de prioritate perfectionis sic enim arguit. quando cognoscimus rem secundum substantiã magis cognoscimus quàm quando cognoscimus quo ad accidẽtia puta qualis aut quanta sit. ergo substantia prior est cognitione quam accidẽs, constat autem hanc rationem non concludere nisi quo ad prioritatem perfectionis quod & manifeste apparet per Commentat. exponentem prædictum text. dicit enim scire indiduum substantiæ per sua vniuersalia prædicata substantialia perfectius est scire quam scire illud per vniuersalia accidentium & in hac conclusione omnes conueniunt,

Quantum autem ad prioritatem cognitionis conceptiuę secundum generationem est varia opinio: nam Heruęus in 3. quolib. q. 12. & Ant. And. in hoc 7. in q. 4. & Iandunus in hoc 7. in q. 3. tenẽt quòd prius apprehendimus accidens quàm substantiam & prius cadit in intellectu nostro conceptus accidẽtis quàm conceptus substantiæ, sed B. Tho. & veri Thomistæ tenent oppositum. Vt igitur resoluatur propositum pertractabimus primo viam Thomisticam, deinde soluemus rationes tenentium oppositum.

Igitur pro via nostra pono duas conclusiones, prima est substantia quæ ad prædicata communia à quibus trahitur cognitio confusa prius apprehenditur ab intellectu nostro quàm accidens probatur conceptus substantiæ necessario supponitur conceptui accidentis ergo. &c. consequentia nota & probatur antecedẽs, secundũ philosophum in hoc 7. in tex. 4. necesse est in diffinitione accidentis esse diffinitionem substantiæ & Commen. inquit exponens necesse est vt substantia accipiatur in diffinitione accidentis & in diffinitione substantiæ non accipitur illud quod est extra naturam suam, ex his habemus quòd diffinitio accidentis supponit diffinitionem substantiæ, ergo necesse est conceptum accidentis supponere in intellectu nostro conceptum substantiæ ex consequenti prius cognitione conceptiua sa lem quo ad prædicata cõmunia apprehenditur substantia quàm accidens præterea in scientia cuius subiectum est substantia necesse est ante omnia præcognoscere de subiecto quid vt in lib. de anima & in lib. de cęlo ergo ante apprehensionem cuiuscunque accidentis conuenientis animæ aut cœlo, necesse est præcõcipere substantiam animæ & cœli saltem quo ad prædicata communia consequẽtia nota & antecedens. quoniam ex 1. poster. De subiecto præcognoscitur quid. Et confirmatur propositum per Commen. in 1. physi. commen. 3. dicit enim, illa quæ sunt nota apud nos primo de rebus naturalibus sunt composita causata ex elementis. & aduerte quòd ex dicto Cõm. excluditur declaratio quã dat hic tex. Arist. cum dicit sunt autem prius nota nobis confusa magis dicit Heruęus in 3. quoli. q. 12. quòd per ly confusa magis intendit accidentia sumpta in magis vniuersali quæ prius ab intellectu apprehenduntur quàm in particulari, & quàm substantia patet autem ex intentione Comment. quòd Arist. loquitur de substantiis & nõ de accidentibus, quoniam accidentia non sunt composita causata ex elementis.

Secunda conclusio substantia quo ad cõceptum distinctum quo apprehendimus eius proprium genus & differentiam, cognoscitur posterius accidente, probatur, non innotescunt nobis præcipuè in naturalibus genera rerum & differentiæ, nisi ex effectibus & propriis qualitatibus ita quòd iste est ordo intelligendi in nostro intellectu. primo quando virtute intellectus agentis formata est species intelligibilis repræsentatiua substãtiæ per talem speciem cognosco repræsentatam substantiam quo ad prædicata confusa essentialia. secundo quia nostra cognitio distincta incipit à sensu qui est cognoscitiuus accidentium per viam sensus procedo ad cognoscendum accidentia propria substantiæ prius apprehensæ in cõfuso, puta qualitates ignis. tertio ex his accidentibus iam notis deuenio in cognitionem specificam & distinctam ipsius substantiæ, & sic patet quòd cognitio accidentium est in 2. gradu & in 3. est distincta cognitio substantiæ & hanc conclusionem non negat Heruęus vbi suprà, sed solum discrepat in prima: vult enim in primo gradu esse cognitionem confusam non substantiæ sed accidentis apprehensi in confuso, in secundo esse cognitionem accidentis distinctam in 3. esse cognitionem distinctam substantiæ.

Posita hac determinatione soluendæ sunt rationes Anto. And. & Ianduni & Heruei. aduerte igitur quod Ant. And. & Iandunus vbi suprà duas rationes formant eiusdem sententiæ & sunt tales.

Substantia notificatur per accidens ergo est posterior cognitione consequentia patet. quoniam notificans est prius cognitum notificato. Antecedens probatur quoniam ex cognitione accidentium propriorum & essentialium innotescit nobis substantia vnde Comment. inquit in 6. metap. cõmen. 1. in scientiis naturalibus non cognoscuntur substãtiæ rerum nisi ex posterioribus, scilicet accidentibus. Præterea inquit philosophus in procemio 1. de anima, Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quodquidest, id est quidditatem substantiæ. ergo accidentia præcognoscuntur. His rationibus non oportet aliud respondere nisi quòd concludunt de distincta & propria conceptiua cognitione substantiæ, quantum autem ad cognitionem confusam, quam posuimus esse in primo

in primo gradu, negatur antecedens primæ rationis. Ad probationem dico dictum Commen. verificari de cognitione distincta, & non de confusa, similiter dico dictum Philosophi in procemio primi de anima, debere intelligi de quodquidest propriè & distinctè apprehenso, & nõ aliter. Rationes autem Heruei vbi supra sunt tres, prima est intellectus cuius cognitio pendet à sensu, & ortum habet à sensu, occurrit primo illud quod est per se sensibile, non enim alia ratione nostra cognitio incipit à sensu nisi quia. 1. intelligimus quod est apprehensum sensu, sed intellectus noster est ille ex primo posterior. cuius cognitio pendet à sensu, ergo illi primo occurrit quod est per se sensibile. Hoc autem vt patet est accidens quoniam sensus propriè est cognoscitiuus accidentium: ergo, &c. Ad hoc negatur maior ad probationem, dico quod illa non est ratio, sed est quia necesse est intelligentem phantasmata speculari, phantasma autem pendet à sensu non tamen est necesse quod intellectus illud primo intelligat, quod est primo causatiuum phantasmatis, sed quod primo sibi præsentatur per speciem intelligibilem abstractã à phantasmate. Hoc autem vt dicemus infra non est accidens, sed natura substantiæ. Deceptus est autem Heruęus quia credidit ex eo quod nostra cognitio habet ortum à sensu primo sensatum sit primo intellectum & qualis est ordo in sensu talis sit in intellectu, quod nos non admittimus vt declarauimus infra pertractantes quomodo à phantasmate abstrahitur species repræsentatiua substantiæ.

Secunda ratio imago alicuius sensibilis non prius mouet ad cognitionem alterius quàm illius cuius est imago, cum igitur sit imago obiecti per se sensibilis quod est accidens prius mouet ad cognitionem accidentis quàm substantiæ.

Ad hoc dico quod talis imago vel comparatur ad sensum quem actuat, vel ad intellectum: si ad sensum concedo quod prius mouet sensum ad cognitionem accidentis à quo causata est quam ad cognitionem substantiæ, quoniam sensus primo & per se cognoscit accidens & tantum per accidens cognoscit substantiam præcipuè sensus exterior vt præseruetur cogitatiua: si ad intellectum nego assumptum, quoniam imago siue species sensibilis non potest actuare nec mouere intellectum cum sit materialis, & ideo non potest mouere intellectũ prius ad cognitionem accidentis quam substantiæ & si tu advertis supponit Heruęus à phantasmate prius abstrahi speciẽ intelligibilẽ repręsentatiuã accidentis quam speciẽ repræsentatiuã substantiæ quod nos nõ concedimus vt dicemus infrá.

Tertia ratio circa illud quod primo occurrit intellectui non potest esse dubium vel error de existentia eius sed multi dubitant de existentia substantiæ, &c.

Ad hoc negatur maior & ratio est quia species repræsentatiua substantiæ cũ sit denudata ab omnibus conditionibus indiuiduantibus abstrahit ab existentia & nõ existentia. Ideo, &c.

Sed contra prædicta dubiũ insurgit scilicet vtrum substantia cognoscatur per propriam speciem an per speciem accidẽtis.

Pro cuius resolutione aduerte duas opiniones, vna est eorum, qui tenent accidens prius cognosci quam substantia, isti dicunt speciem substantiæ vel nullo modo causari in nostro intellectu, sed per solam speciem accidentis substantiam cognosci, quæ quidem species est repræsentatiua primo accidentis, secundario autem substantiæ, vel speciem accidentis primo causari in intellectu, eo quod est primo phãtasiata, deinde causari speciem substantiæ. Arbitrantur enim intellectũ agentem sua illustratione, extrahere à phantasmate speciem substantiæ inuolutam cum specie accidentis. Et quoniam Heruęus vbi supra tenet accidens prius cognosci quam substantia, ideo declinat ad hanc opinionem quod substãtia non cognoscitur nisi per speciem accidentis & id elicio ex quolib. tertio quæstione duodecima, ad octauũ, vbi tenet phantasma quod est accidens non imprimere in intellectu substantiæ speciem, sed sufficere quod suam imprimat, & per ipsam cognoscatur accidens & substantia. Ant. And. in septimo Metaph. quæstione quarta, videtur circa hoc indeterminatus, & tandem respondens vltimo argumento dicit, quod substantia est perfectius cognoscibile simpliciter, cum hoc tamen stat quod perfectius intellectus noster cognoscat accidens, eo quod est ei magis proportionatum, nec videtur negare speciem substantiæ, nec speciem accidentis vt patet de exemplo quod adducit de albo intenso & albo remisso, & constat quod vtrunque videtur per propriam speciem, non enim album intensum potest videri per speciem albi remissi cum species illa naturaliter repræsentet, ex consequenti vno modo. Alia opinio, quæ est Thomistica tenet, quod substantia cognoscitur quo ad conceptum confusum prius accidente, & per propriam speciem & hanc abstrahi à phantasmate priusquam species accidentis, & hoc in virtute substantiæ à qua causatum est ipsum phantasma, & in virtute intellectus agentis illustrantis phantasma, cuius lumine separatur species substantiæ à specie accidentis, quarum vtraque latebat vt ita dicam in phantasmate & quidem quod sit necesse intelligere substantiam per propriam speciem & non solum per speciem accidentis probatur sic, si cognoscitur solum per speciem accidentis, nulla substantia cognoscitur perfectè & quidditatiuè quod est inconueniens maximè de substantiis materialibus proportionatis intellectui nostro, consequentia autem patet, quoniam perfecta & quidditatiua cognitio non habetur nisi ex eo quod obiectum vnitur intellectui vel per essentiam vel per propriam speciẽ. Præterea species entis inferioris gradus non est sufficienter repræsentatiua entis superioris gradus. Cùm enim sit repræsentatiuum naturale, non repræsentat supra speciem suam: sed species accidentis respectu substantiæ est species entis inferioris gradus, vt patet, ergo per ipsam non potest haberi cognitio perfecta & quidditatiua substantiæ. Tenendum est ergo substantiam quo ad conceptum confusum, prius cognosci quam accidens, & per propriam speciem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint, argumenta autem tenentium, quod substantia non cognoscitur per propriam speciem soluuntur à Paulo Soncin. in septimo libro Metaphysicæ, quæstione decima quarta, videtu ad placitum.

QVAESTIO IIII.

Si forma est prior & magis ens quàm materia & compositum.

Quare si species materia est prior, & magis ens, & ipso quod ex vtrisque prior erit.

Textu 7.

CONCLVSIO.

Forma vt actus, est prior natura, & tempore & magis ens quàm compositum, quod tamen est ipsa forma perfectius ens.

IN hac quæstione vt plenè resoluatur, conclusiones tres responsiuas ponemus, deinde soluemus quædam dubia.

Prima conclusio. Forma inquantum actus, est prior natura & tempore & est magis ens quàm materia inquantum potentia. Hæc manifestabitur in libro nono, in textu decimo tertio, vsque ad tex. vigesimum primũ, vbi probabitur actũ esse priorem potẽtia tempore, natura, diffinitione, & perfectione, pro nunc autem sic probatur, nullum potentiale reducitur ad actum, nisi per aliquod prius existens actu, generatur enim hõmo in potentia ab homine præexistente actu, ergo forma vt actus prior est materia vt potentia. Quod autem sit magis ens patet, quoniam forma est perfectio materiæ, & facit eam esse actu & non econuerso, nisi occasionaliter, prout forma educta de potentia materiæ non potest habere esse nisi in materia, sed hoc est potius sustentare quam perficere formam.

Secunda conclusio. Forma est prior composito, probatur: principium & causa vt sic est prior causato & principiato, & pars est prior toto, sed forma est principium & causa formalis, & pars essentialis respectu compositi: ergo, &c.

Tertia conclusio. Licet forma sit prior composito, non tamen est magis ens, nec perfectior, probatur. Cum esse sit prima perfectio, & perfectius conueniat composito quam formæ, vt forma est, quoniam compositum est quod est, forma autem quo est, vnde dicet infrà Philosophus, quod non forma, sed compositum est quod per se generatur, sequitur quod forma non est magis ens nec perfectior composito,

Sed contra prædicta, duo dubia insurgunt, primo, quia tertia conclusio videtur repugnare textui Philosophi: dicit enim formam esse priorem eo, quod est ex vtrisque, id est composito propter eandem rationem, id est eo modo quo est prior materia: sed dixit formam esse priorem & magis ens quam materia, ergo forma est prior & magis ens quam compositũ.

Ad hoc dicit Ant. And. quod dictum Philosophi non est verum nisi ratione independentiæ, vt dicatur forma magis ens quam compositum non quia habet perfectius esse, sed quia cum sit principium compositi & non econuerso, verum est formam in ratione principij non dependere à composito, sed econuerso, & vt sic perfectiorem esse, & non aliter; ego autem dico, quod vt fic perfectiorem esse, & non aliter; ego autem dico, quod vt potius sustentare quam perficere formam, formam composito nisi secundum prioritatem, & non quod sit magis ens, cuius signum est, quod comparans formam materiæ dixit eam esse priorem & magis ens, comparans autem formam composito dicit eam esse priorem, sed nõ dicit quod sit magis ens, vnde non habuit An. And. causam laborandi in hoc. Tu tamen aduerte quod Commen. in commen. septimo,

videtur tenere formam esse priorem &.magis ens quàm compositum. Dicit enim & intendebat quòd cum forma sit prior composito ex materia & forma & compositum est subtiātia, sequitur quòd forma sit magis substantia quàm compositum: hæc ille. verùm hoc dictum Comment. non potest expresse fundari in tex. philosophi vnde nec B.Tho. exponens comparat formam composito nisi secundum prioritatem, si tamen vis saluare Comment. dices ipsum esse verum solum ratione independentiæ, vt dixit Ant. And.

Secundo dubitatur de prima conclusione, nam cum prius non dependeat à posteriori, sed econuerso, sequitur q̃ prius potest esse sine posteriori, & non econuerso: si igitur forma est prior materia forma poterit esse sine materia, quod est falsum, quoniam sola anima intellectiua, vtpote non educta de potentia materiæ, potest esse sine materia.

Ad hoc, dico ad primam consequentiam, quòd non valet, nisi quando priori & posteriori debetur esse actu per se & distinctum vt duobus suppositis, puta quia elemẽtum est prius elementato, & vtrique debetur esse per se actu, nõ inconuenit esse elementum dato quòd nullum esset elementatum, si autem prius & posterius non habent esse actu per se, sed prius sustentatur in posteriori, & posterius non est actu, nisi per prius prima consequentia non valet: sic est in proposito de forma & materia, quare argumentum non concludit. Vtrum autem saltem materia possit esse sine forma discutiemus in lib. 8. Hæc de præsenti quæsito sufficiant.

QVAESTIO V.

Si materia est ens, quod est substantia, ita tamen quòd sit ens in pura potentia.

Et adhuc materia substantia sit (& infrà) dico autem materiam, quæ est secundum se nullatenus, neque quid, neque quantitas, neque aliud eorum dicitur, quibus est ens determinatum. Tex. 8.

CONCLVSIO.

Materia est ens reale de genere substantiæ.

IN hac quæstione, vt resolute videamus quæ sit natura materiæ, ponemus aliquas conclusiones responsuas, deinde soluemus aliqua dubia.

Prima conclusio, materia est ens. in probatione huius non est immorandum, quoniam omnes rectè sentientes de materia, tenent esse subiectum, ex quo aliquid fit, & quod subiicitur omni transmutationi, subiectum autem non est non ens. Præterea, si materia esset non ens, cum diceretur aliquid fieri ex materia, fieret ex non ente & sic productio naturalis esset ex nihilo, sumo enim nõ ens vt distinguitur absolute cõtra ens.

Secunda conclusio, materia est ens reale, quod est substantia prima pars probatur, quoniã est pars substātiæ sensibilis, vt probabitur in lib. 8. & est subiectum omnis transmutationis physicæ, vt probatum est in 1. phy. & est primum receptiuum formarum: constat autem quòd hæc non possunt conuenire nisi enti reali apud recte sentientes: ergo, &c. secunda autem pars sic probatur, materiæ cum sit primum subiectum, repugnat esse in subiecto, ergo repugnat sibi esse accidens: ergo est substantia: patet consequentia, quoniam ens reale sufficienter diuiditur per substantiam & accidens. & aduerte quòd apud antiquos hæc conclusio ita erat euidens, vt patet ex 1. de generatione & ex 1. phy. & in 7. meta. tex. 8. quòd arbitrabantur solam materiam esse substantiam, formas autem etiam quas dicimus substantiales esse accidentia. vnde & Commen. in cõm. 8. dicit, Materia videtur esse magis substātia quàm alia.

Tertia conclusio, materia ita est substantia, quòd tamen est in pura potentia: hanc conclusionem, vt sonat, omnes videntur concedere, quoniam apud Arist. & Comment. non aliud dicitur de materia, nisi quod est ens in potentia, vnde in hoc 7. in textu 8. postquam negauit omnia prædicamenta à materia, quia, scilicet non est aliquod eorum actu conclusit, quòd est vnumquodque eorum in potentia, & in 8. lib. in tex. 15. dissoluens dubium, quomodo sit possibile ex materia & forma fieri vnum per se, dixit huius causam esse, quia materia est potentia & forma est actus, &c. verum quia Sco. & Greg. de Arimi. tenent materiam esse quid actu, ne videantur tenere contra philosophum: Sco. inuenit vnam distinctionem de potentia & aliam inuenit Greg. Sco. quidem vt patet per Ant. And. in 7. meta. q. 6. distinguit potentiam per obiectiuam & subiectiuam, & correspondẽter distinguit actum per formalem & obiectiuum & dicit philosophum intelligere materiam esse substantiam in potentia subiectiua, non autem obiectiua, imo est in actu obiectiuo, verum quia tota vis Scoti est in positione potentiæ obiectiuæ quam impugnabimus in lib. 9. Ideo pro nunc differo arguere contra eum, si enim probabimus quòd ad mentem philosophi non datur potentia nisi actiua & passiua, & quòd non datur actus nisi formalis constabit quòd materia ita est ens in pura potentia secundum philosophum, quòd nullo modo est actus, nec actu ex seipsa, sed omnem actualitatem habet à forma. Quid intendat Sco. per potentiam obiectiuam & per actum obiectiuum, declarabimus in libro nono.

Prætermissa igitur pro nunc opinione Scoti aduerte quòd Greg. in 2. sent. dist. 12. q. 1. art. 1. tenet quòd materia prima est actu existens ex seipsa, ita quòd est in actu existentiæ, & non solum in actu obiectiuo, vt tenet Scotus: & tamen ne videatur contradicere philosopho & Comment. tenet quòd est ens in pura potentia ad omnem formam & ad sui declarationem ponit distinctionem de actu & de potentia, quæ stat in hoc. Aliquid est actu dupliciter, primo vt de illo verificatur propositio de in esse de secundo adiacente in præsenti, vt lignum est per oppositum dicitur aliquid in potentia de quo verificatur propositio de possibili tantum, vt Antichristus est possibilis: hæc autem est falsa, Antichristus est: secũdo aliquid dicitur actu quod est perfectum in specie, simplex vel compositum, vel est perfectio quæ cum alio constituit rem actu in specie determinata, sic omnes substantiæ compositæ & abstractæ, & formæ substantiales, dicuntur esse actu. Per oppositum illud est in potentia hoc secundo modo, quod non est perfectum in specie, sed est quasi essentia quædam partialis perfectibilis per aliam, sicut lignum licet sit actu primo modo, quia verum est dicere, lignum est, tamen in genere artificiatorum est in pura potentia secundo modo, quoniam ex se nullam habet formam artificiati, sed est in potentia vt perficiatur per hanc vel per illam: sic intendit Greg. quòd licet materia sit actu in genere existentium naturalium, eo quòd hæc est vera, materia est, tamen est in pura potentia in genere informabilium, eo quòd ex se nullam habet formam determinatæ speciei, sicut diximus de ligno respectu formarum artificialium, & hanc suam imaginationem conatur asserere duplici conclusione: prima est quòd materia est ens in actu primo modo, quo expositum est: secunda est quòd materia non est ens actu secundo modo, sed ens in potentia tantum: ex quibus conclusionibus nos concedimus secundam in hoc sensu, quòd materia ex se nullam formam habet, sed est in potentia ad omnem formam, quoniam si aliquam ex se haberet non reciperet aliam. Receptiuum tantum debet esse denudatum à natura recepti, sed primam conclusionem per quam attribuit materiæ ex se actualem existentiam negamus & intendimus nunc soluere rationes suas.

Dupliciter igitur arguit ad propositum suum sic, substantia corporalis per se subsistens naturaliter genita est & existit, vt patet de forte, qui nunc est & de planta, quæ nunc est, & de lapide, &c. ergo materia est & per consequens est actu primo modo. Antecedens ad sensum patet & consequentia probatur. Omnis substantia naturaliter genita habet aliquam partem essentialem, quæ præfuit suæ generationi, & hæc non est forma: quoniam illa non est terminus generationis, ergo non præfuit: ergo talis pars est materia si præfuit ergo fuit verum dicere. Materia est. Assumptum probatur si nulla pars præfuit ergo totum totaliter genitum est, ergo omnis pars eius simul genita est, ergo ex penitus non ente genitum est, ergo non naturaliter genitum, sed potius creatum, quoniam physice ex puro non ente nihil fit.

Secundo sic, philosophus ponit materiam ingenerabilem & incorruptibilem ergo materia est. Antecedens patet ex 1. phy. consequentia probatur, si materia non est & tamen non potest esse, ergo est generabilis, illud enim est generabile quod non habet esse, & tamen potest habere esse, consequens autem est falsum secundum philosophum, ergo & antecedens, ergo materia est, & confirmatur, quoniam Commen. in 4. meta. commen. 15. dicit. quod non est actu, est non ens sed materia non est non ens, ergo est actu primo modo.

Ad primam negatur consequentia. Ad probationem dico quòd assumptum potest habere duplicem sensum: primo q̃ aliqua pars præfuerit, ita quòd ex se haberet esse actu, vel ex se existeret, & sic nego assumptum, secundo quòd aliqua pars præfuerit, non quidem ex se existens actu, sed per formam præcedentem, à qua actuabatur, & post generationem per formam rei genitæ, & sic concedo assumptum, sed

sed nego illam consequentiam, si præfuit, ergo verum est dicere, Materia est. Hæc enim consequentia non valet, nisi concedatur assumptũ in primo sensu, in quo nos negamus ipsum, & si arguatur quod totum est, puta ignis genitus, ergo partes suæ sunt, inter quas est materia, ergo materia est. Respondetur cõcedo consequentiã, sed nego quod partes sint eo modo quo est totũ, nam totũ est quod est, & est per se existens, partes autẽ non sunt simpliciter, sed sunt in toto. Et propterea nego hanc, materia est, & concedo istã, materia est in toto, & non aliter.

Ad secundam nego consequentiam, ad probationem nego consequentiam, quoniam ad hoc quod aliquid sit generabile, oportet quod possit esse per se existens, vnde Aristoteles dicit quod forma & materia non generantur, sed compositum, quoniam de eo propriè verificatur propositio de in esse de secundo adiacente nullo addito vel subintellecto. De materia autem & forma verificatur in hoc sensu. Materia est scilicet in composito, idem dico de forma.

Ad confirmationem dico Commentat. sic intelligere contra antiquos, quod non est actu, est non ens, id est non est ens determinatum, cum hoc tamen stat, quod sit ens interminatum, quia est in potentia ad terminum, id est ad formam quæ terminat id cuius est forma, & tale ens est materia. Tenẽdum est igitur materiã ita esse in potẽtia, quod nullo modo est actu ex se, neq; in genere existentiũ, neq; in genere informabiliũ.

Sed contra prædicta insurgunt duo dubia, primo si materia est ens in pura potentia, excludens omnem actum tam obiectiuum quàm existentiæ, videtur quod non distinguatur actu à forma. Omnis enim distinctio videtur fieri per aliquem actum, quoniam vt dicet infra Philosophus, actus est qui distinguit & separat. quare, &c.

Pro solutione huius dubij, aduerte secundum doctrinam Gregor. in secundo sentent. distinctio. duodecima, quæstione prima, articulo primo, quod aliqua duo possunt dici distincta actu dupliciter primo quia mutuo se negant, ita quod vnum non est alterum & econuerso, secundo quia vtrumque est separatum & discretum, ita quod vtrunque habet primum esse, nec cõstituunt aliquod vnum, sicut sunt duo supposita. Ex hac distinctione dico materiam distingui actu à forma, non quidem secundo modo, sed primo. Nam si secundo modo ex materia & forma non fieret vnum per se, quoniam vt sic tam materia quam forma essent completa entia in actu, nec haberẽt rationem entium particularium, sed vt duo supposita, ex his autem impossibile est fieri vnum per se, vt dicetur infra, vbi Philosophus cõcludet ideo ex forma & materia fit vnum per se, quoniam alterum est actus, & alterum est potentia. Quod autem primo modo sint actu distincta, probatur sic, sumo substantiam compositam, cuius materia sit a. & forma sit b. constat a. & b. esse aliquas entitates, quoniam non entia non possunt esse partes componentes, & a. non est b. Aliter substantia composita non esset cõposita, sed simplex. Omne enim compositum aliqua includit, quorum vnum nõ est alterum. Tunc vltra a. non est b. ergo est aliud à b. ergo diuersum, ergo distinctum, omnes consequentiæ patent, quoniam ex decimo Metaphysicæ textu vndecimo, omne comparatum ad omne, aut idem, aut diuersum.

Ad argumentum igitur dico omnem distinctionem fieri per actum sumẽdo distinctionem actualem secundo modo, non autem primo modo, vt nunc loquimur. Potest etiam dici quòd in proposito sit per actum, non quòd materia dicat actum, sed quia ordinatur ad actum.

Secundo dubitatur, quoniam si materia est ens in pura potentia, quæro de potentia materiæ, aut distinguitur à materia, aut non, si non ergo cum remaneat eadem materia sub forma generanda, quæ fuit sub forma corrumpenda, sequitur materiam adhuc esse in potentia ad formam abiectam à materia, quod est falsum, quoniam per agens naturale idem numero corruptum posset regenerari, si sic, ergo materia comparatur ad potentiam suam, vt subiectum ad formam, ex consequenti non est ens in pura potentia, sed quid aggregatum ex substantia materiæ & potentia sua.

Ad hoc dubium respondebitur in libro octauo, vbi ex proposito inuestigabimus, quomodo se habet potentia ad materiam, an sit substantia vel accidens, an distinguatur vel non, an dicat respectum vel absolutum. Hæc pro præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si prædicamenta tantum essentialia, constituunt quodquidest substantiæ compositæ, ita quòd excludantur omnia prædicata accidentalia, tam communia quàm propriæ.

Et primo dicemus quædam de eo logicé. Tex. 11.

CONCLVSIO.

Prædicata essentialia tantum, & quæ in primo modo per se sunt, pertinent ad diffinitionem quidditatiuam, non autem prædicata communia vel propria.

IN hac q. sic procedemus. Primo declarabimus quid Philosophus intendat per quodquidest, secundo ponemus conclusionem responsuã, tertio soluemus quædam argumenta.

Quantũ ad primũ aduerte, q̃ vno modo sumitur à logico, alio modo à Metaphy. nam à logico sumitur pro diffinitione indicante rei naturã, data per genus & differentiã propriam, qualis est hæc, homo est animal rationale. A Metaph. autẽ sumitur pro significato diffinitionis, quod est ipsa quidditas, siue essentia rei sumpta in concreto, puta id quod ex parte rei correspõdet diffinitioni hominis, est quodquidest hominis metaphysicũ. Dico autẽ, sumpta in cõcreto, quoniã quodquidest prædicatur in recto de eo, cuius est, quidditas autẽ in abstracto non prædicatur in recto de eo, cuius est, non enim homo est humanitas, nam est id quo & non quod est homo, & quoniam Arist. proponit in textu vndecimo, loqui de quodquidest logicè, ideo constat quòd sumit ipsum pro diffinitione, pertractans quæ prædicata ingrediantur ipsum quodquidest.

Quantũ ad secundũ pono vnicã conclusionẽ responsuam, nullũ prædicatũ quod sit accidens cõmune, nec propriũ ingreditur quodquidest substātię sensibilis cõpositæ probatur, sicut quodquidest substantiæ sensibilis prædicatur essentialiter & quidditatiuè de ea. sic & quælibet pars eius, quoniã quodquid est indicat essentiã. Sed nullum accidẽs siue cõmune siue proprium, prædicatur essentialiter de substantia sensibili, quoniam quodcunque accidens dicit aliam essentiam ab essentia accidentis, ergo, &c. Præterea à fine prædicatis ingredientibus quodquidest, non potest intelligi id cuius est. Sed fine prædicato sumpto ab accidente, siue communi siue proprio, potest intelligi id cuius est, quoniam substantia est prior accidente ratione & cognitione saltem confusa, vt determinatum est suprà, ergo, &c. Præterea, sicut quodquidest prædicatur in quid de eo cuius est, ita & quæ ingreditur in quodquidest. Sed nullum prædicatum sumptum ab accidente siue communi siue proprio prædicatur in quid de substantia sensibili, sed potius in quale, vt cum quæritur qualis est homo, respondetur quòd est albus, quòd est risibilis. Patet ergo, quòd si quodquidest substantiæ sensibilis, vere & propriè assignatum fuerit, nullum accidentale prædicatum est ingrediens quodquidest, sed sola prædicata primi modi per se, quæ dicuntur quidditatiua. Ex quo sequitur corollariè, quòd diffinitiones datæ per propria accidentia, siue per proprias operationes, non sunt verè quodquidest, nisi vtamur huiusmodi loco propriæ differentiæ.

Quantum ad tertium aduerte, quòd hæc determinatio videtur repugnare doctrinæ philosophi, nam ipse in 2. r hy. tex. 19. assignans differentiam inter physi. & mathema. dicit quòd mathematicus diffinit sine materia sensibili, physicus autem in diffinitione assumit materiam sensibilem, quam constat esse subiectam qualitatibus, vt caro, os, nerius: ergo in quodquidest physico ingrediuntur accidentia.

Præterea, si accidentia propria non ingrediuntur ipsum quodquidest, non magnam partem conferunt ad cognoscendum quodquidest, id est, rei quidditatem, quod est contra phylosophum in procœmio primi de anima.

Ad primum conceditur totum, vsque ad vltimam consequentiam. Aliud est enim materiam subiectam qualitatibus ingredi quodquidest & qualitates siue accidentia ingredi: primum enim est verum non ratione qualitatum, sed ratione materiæ non abstrahentis à qualitatibus, secundum autem est falsum, quoniam non posset verificari nisi ratione qualitatum, quæ non sunt de essentia substantiæ physicæ. Materia autem subiecta qualitatibus est de essentia eius, ideo non est par ratio.

Ad secundum nego consequentiam; nam ideo conferunt, non quia ingrediuntur quodquidest, sed quia physi. cognoscit rem naturalem à posteriori, & vt sic vtitur propriis operationibus ac propriis accidentibus loco differentiarum. & propter hoc physicus quasi nullam format veram diffinitionem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si dicendo nasus simus committitur negatio.

Est autem & alia dubitatio de eis. Tex. 16.

CONCLVSIO.

Nulla professa negatio committitur dicendo nasus simus, cùm nasus sit extrinsecum à simo.

IN hac quæstione aduerte in primis, quòd Philosophus inuestigans si accidentia propria, quæ vocat accidentia copulata, habent quodquidest, arguit quòd non, quia cum huiusmodi accidentia non possint intelligi sine proprio subiecto semper committetur nugatio, vt dicendo nasus simus, nam in simo intelligitur nasus, est enim simus nasus concauus. Dicendo ergo nasus simus est ac si diceretur nasus, nasus concauus. Ad euidentiam igitur propositi dubij, sic procedemus. Primo probabitur quòd non committitur nugatio. Secundo assignabitur ratio, quare non committitur. Tertio soluemus quoddam argumentum.

Quantum ad primum sic probatur intentum, si hic committitur nugatio, hoc ideo est quia non potest intelligi simus sine naso, sed nec non est sufficiens ratio, aliter sequeretur quod cum non possit intelligi relatiuum sine suo correlatiuo quòd committeretur nugatio dicendo, Dominus serui, pater filij: nam in domino intelligitur seruus, & tamen nullus rectè sentiens dicit nugationem in huiusmodi relatiuis committi, ergo nec in proposito.

Quantum ad secundum aduerte, quòd duplici ratione non committitur nugatio, dicendo nasus simus dato quòd nasus sit de intellectu simi, Primo si in ratione simi ingrederetur nasus vt quid essentiale & sibi intrinsecum, sicut animal ingreditur rationem hominis, non esset via effugiendi nugationem, sed quia ly nasus est quid extrinsecũ à simo, dicit enim nasus substantiam, & simum accidens, & ingreditur rationem simi sicut subiectum rationẽ accidentis, quod tamen est extrinsecũ ab accidente: ideo dum dicitur simus non oportet replicare nasum, sunt enim essentialiter & intrinsece idem simitas & concauitas, & non differunt nisi vt contractũ & non contractum, dicemus ergo quòd nasus simus est nasus curuus, quia ly simo non intelligitur nasus vt quid intrinsecũ, sed vt extrinsecum & si dicas quòd subiectũ est de diffinitione proprij accidentis, ergo est sibi intrinsecũ, negatur consequentia, quia accidens propriũ non diffinitur nisi per additamentũ, & ideo non inconuenit quòd per extrinsecũ diffiniatur, secus esset de diffinitione substantiæ, quæ est diffinibilis per prædicata essentialia. Secundo dicitur, quòd ideo non committitur nugatio, dicendo nasus simus, quia ly simum non significat essentialiter & primariè nasum, sed essentialiter curuitatem, connotando nasum: per solum autem connotatum non committitur nugatio sicut committitur per significatum essentiale, vt dicendo homo animal. Patet igitur quòd sicut non committitur nugatio dicẽdo homo risibilis, sic nec dicẽdo nasus simus.

Quantum ad tertium aduerte, quòd inter omnia argumenta, quæ solent fieri contra determinata, hoc est præcipuum: sumo diffinitionem simi, quæ est hæc, simus est nasus cõcauus, tunc sic, loco simi sumatur diffinitio eius, & applicetur naso, & nasus cum diffinitione simi prædicetur de Sorte tunc manifesta erit nugatio. Dicetur enim sic, Sortes habet nasum, nasum concauum, ergo, &c.

Ad hoc, Dico q̃ loco simi non potest sumi diffinitio eius, nec illa propositio est vniuersaliter vera, qua dicitur q̃ semper loco nominis, potest poni diffinitio. Hoc in quam non est verum nisi de diffinitionibus datis per essentialia & intrinseca, aliter esset impossibile dare diffinitionem proprij accidentis sine nugatione. Quando ergo quẽritur quid est nasus simus, respondendum est, quòd est nasus concauus, & non debet replicari nasus, quia non significatur, sed cõnotatur per simum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Si quodquidest est idem cum eo cuius est.

Singulum enim non aliud videtur esse, & à suimet substantia. Textu 20.

CONCLVSIO.

In latitudinem entium per se contingit inuenirientia, in quibus quodquidest identificatur ipsis quorũ sunt.

IN hac quæstione aduerte in primis, quòd Philosophus comparat hic quodquidest ad id cuius est absolutè & non descendens ad aliquod genus entium, dummodo sit ens per se. & id dico, quoniam infrà textu 41. excipiet à determinatione quam facit non solùm entia per accidens, sed etiam omnes substantias materiales, & concludet quod in solis separatis est idem penitus quodquid est cum eo cuius est. Et quoniam id non aduerterunt Tandunus, & Ant. Andr. ideo præsentem quæstionem confuderunt volentes comparare quodquidest & id cuius est non absolutè, sed in particulari secundum diuersa genera entium. Nos autem id faciemus infrà in textu quadragesimoprimo, vbi comparabimus ea secũdum viam beati Thomæ, secundum diuersa genera substantiarum. Hic autem quæremus absolutè in entibus per se, & sic procedemus. Primo ponemus tres distinctiones. Secundo aliquas conclusiones. Tertio soluemus duo argumenta.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio, entium quoddam per se, quoddam per accidens, ens per se est quodcunque genus & species & indiuiduum cuiuscunque prædicamenti, siue sit simplex, siue compositum, ens per accidens est aggregatum ex rebus diuersorum prædicamentorum, vt homo albus, superficies colorata.

Secunda distinctio aliqua sunt idem realiter tantum & distincta ratione, vt genus & differentia, aliqua sunt idem re & ratione, vt homo & animal rationale.

Tertia distinctio, aliqua sunt idem ratione ex parte rei tantum & non ex parte intellectus, & sunt illa, quæ dicunt eandem præcisè naturam, super quam fundat intellectus vnicum conceptum, & vt sic dicuntur esse idem ratione metaphysicali. Cum hoc tamen stat quòd intellectus negocians circa illa potest diuersimode concipere & nominare illa, puta licet homo & animal rationale sint idem ratione metaphysicali, tamen intellectus potest concipere hominem inquantum est species, & inquantum est diffinitum, & animal rationale inquantum est diffinitio, & vt sic, inquantum est prius cognitione ipso homine, & vt sic apprehenduntur ab intellectu dicuntur distincta ratione non ex parte rei, sed ex parte intellectus conferentis vnum ad alterum aliqua sunt idem ratione ex parte rei & ex parte intellectus, vt omnino synonyma, vt tunica & vestis, Marcus Cicero.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio. In ente per accidens, puta in homine albo, quodquidest non est idem cum eo cuius est. Hæc patet, quoniam ens per accidens vt sic non potest diffiniri, omnis enim vera diffinitio significat vnum per se, cum consset ex genere & differentia, quæ dicunt vnam naturam, vt declarauimus in tertio libro. Sed ens per accidens, vt sic non dicit vnam naturam, imò plures, cum sit aggregatum ex rebus diuersorum prædicamentorum, ergo, &c. Præterea cum quælibet natura, quæ est ens per se, habeat suum proprium quodquidest, necesse est vt quodquid est hominis sit aliud à quodquidest albedinis, ergo impossibile est assignare vnum quodquidest, quod sit idem cum homine albo.

Secunda conclusio, in ente per se, Quodquidest, est idem realiter cum eo cuius est. Ad probationem huius prætermissa ratione, quam adducit Philosophus in textu, quam & fortiuimus in epitome nostra, assumo rationem Philosophi ex quarto libro, textu tertio, vbi intendens probare ens & vnum esse idem realiter sic arguit, Quæcunque prædicantur de aliquo & nullam diuersitatem faciunt in eo, sunt idem realiter. Hæc est euidens, quoniam hæc duo non stant simul, nullam diuersitatem faciunt & sunt distincta realiter, si enim nullam diuersitatem faciunt non sunt diuersa, nec distincta. Sed in ente per se, quodquidest, & id cuius est prædicantur de aliquo puta homo & animal rationale prædicantur de Sorte & nullam diuersitatem faciunt in eo. Nam sicut homo prædicatur in quid de Sorte, sic & animal rationale, ex quo sequitur quod sicut homo & animal rationale sunt idem re in Sorte, sunt etiam idem re inter se.

Tertia conclusio, Quodquidest & id cuius est sunt idem ratione ex parte rei. licet non semper ex parte intellectus. Prima pars sic probatur, eadem præcisè natura & secundum eundem modũ obiectiuè correspondet intellectui per ipsum quodquidest, & per illud cuius est, vt patet de homine. & de animali rationali. Nam illud præcisè, quod cõcipit intellectus de homine, concipit de animali rationali. ergo quantum sit ex parte rei sunt idem ratione metaphysica, quodquidest & id cuius est, secunda autem pars manifesta est, quoniam intellectus enunciat aliquid de eo cuius est, quod non verificatur formaliter de quodquidest. Nam hæc est vera, Id cuius est, est species vel genus, & tamen quodquidest non est genus nec species, sed quid compositum ex genere & differentia, ergo, & cætera.

Quantum ad tertium aduerte duo argumẽta inter cætera quæ solent fieri contra determinata. Primo dicit Philosophus in 3. de Anima tex. 9. & aliud est magnitudo & magnitudinis esse, & aliud est aqua, & esse aquæ. Sed per esse magnitudinis & per esse aquę secundũ omnes expositores intelligitur quod quidest magnitudinis & aquæ, ergo in his, quæ sunt entia per se, non est verum vniuersaliter quòd quodquidest & id cuius est sint idem. Nam & magnitudo & aqua sunt entia per se.

Ad hoc, relictis aliorum responsionibus dico secundum B. Tho. exponentem dictum textum, quòd in tex. 41. huius septimi

septimi libri, purgabit determinationem factam hic, & declarabit quod in omnibus habentibus formam in materia, qualia sunt naturalia & Mathematica, non est idem, quodquidest & id cuius est propter principia indiuiduantia & accidentia, quę non excluduntur à re, cuius est quodquidest, vnde concedo quod non est idem aqua & quodquidest aquæ & similiter in magnitudine, & cum infertur, ergo in his quę sunt entia per se non est verum vniuersaliter, concedo consequentiam, quoniam non intendit hic Philosophus probare quod in omni ente per se, est idem quodquidest, & id cuius est. Sed intẽdit absolutè, id est quod in his quæ sunt per se nõ repugnat inuenire idẽtitatem inter quodquidest, & id cuius. Repugnat autem in his quæ sunt entia per accidens, quoniam in nullo genere siue modo entium per accidẽs sunt idem, in aliquo autem genere entium per se, puta in immaterialibus sunt idem.

Secundò si quodquidest, & id cuius est sunt idem est processus in infinitum in quidditatibus, cuius oppositum probatum est in libro secundo, consequentia probatur vt probat Commenta. secundum opinionem quorundam sophistarum in commen. vigesimoprimo, sumo hominem, & quidditatem hominis, & arguo sic, sicut homo habet quidditatem, & quidditas hominis habet quidditatem: si enim aliqua duo sunt idem, sicut vnum habet quidditatem & reliquum: sed per te homo & quidditas hominis sunt idem: ergo, &c.

Tunc quæro de quidditate hominis, aut est idem cum sua quidditate, aut non: si non, ergo pari ratione homo & quidditas sua non sunt idem: si sic, sumo quidditatem quidditatis hominis, cum & ipsa habeat quidditatem eadem ratione qua quidditas hominis habet quidditatem, & quæro vt prius aut est idem cum sua quidditate, aut non: si non, pari ratione dicendum erat in principio: si sic, iterum quæro vt supra & sic procedam in infinitum.

Ad hoc facilè respondetur secundum viam nostram & nego consequentiam, ad probationem, nego quidditatem hominis habere quidditatem, & vt loquamur in proposito sumo quidditatem pro quodquidest logicè, quod est ipsa diffinitio: nam diffinitionis non est diffinitio, & cum probatur si aliqua duo sunt idem, &c. dico hanc propositionem non esse vniuersaliter veram, aliter sequeretur quod sicut genus habet differentias, ita differentia haberet differentias, nam genus & differentia sunt idem essentialiter, & tamen hoc est falsum, vt patet. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Si materia est pars quidditatis substantiæ compositæ.

Quidditas hominis est homo vno modo, & non est homo alio modo: est homo, id est forma hominis, & non est homo, qui est congregatus ex materia & forma. Hæc Commentat. in commento vigesimoprimo.

CONCLVSIO.

Materia, quæ pars potentialis est in substantiæ composita absolutè accepta, & non contracta ad materiam indiuidualem, pertinet ad quidditatem specificam substantiæ cõpositæ.

IN hac quæstione duas inuenio sententias extremas: vna est Comment. & Commentist. alia est B. Tho. & Scoti. & vt ordinatè procedamus, primo pertractabitur opinio Commen. Secundo opinio B. Tho. & Scoti. Tertio soluemus rationes & fundamenta Comment. & sequentium eum.

Quantum ad primum aduerte, quòd vt patet in Comm. 21. Comment. soluens rationem sophistarum, qua probatur quòd si quodquidest, est idem cum eo cuius est erit processus in infinitum in quidditatibus, dicit, quòd quidditas hominis est homo vno modo, &c. vt allegatum est, & sic intendit Commentator quòd si quidditas hominis esset idem quod homo aggregatus ex materia & forma tunc quidditas haberet quidditatem, & sic in infinitum. Sed quia quidditas hominis est homo secundum formam tantum, & forma non habet quidditatem, cum sit ipsa quidditas, sed ipsum compositum: ex eo enim quòd habet formam habet quidditatem, ideo non proceditur in infinitum, & sic Comment. determinat quòd sola forma est tota quidditas substantię compositæ. & dicunt Commentistę vt Iandu. in 7. quæst. 12. quòd licet secundum Comment. materia non sit pars quidditatis, est tamen pars substantiæ compositæ: & si quæras, quomodo materia se habet ad quidditatem, si non est pars, respondent quod est deferens quidditatem, quæ est solà forma, eo quòd talis quidditas nõ esset nisi sustentaretur à materia, in qua recipitur, & sic secundum Commentat. quodquidest quod est significatum diffinitionis importat solam formam, quæ est forma partis. Hæc fuit sententia Comment. cuius fundamenta adducemus & soluemus in fine quæstionis.

Quantum ad secundũ aduerte, q̃ sententia B. Tho. & Scoti est quod in substãtia cõposita sint duæ formæ realiter distinctæ, scilicet forma partis vnibilis materiæ, & quæ est perfectio materiæ, puta in homine est anima, quæ est actus corporis: & est forma totius, quæ resultat ex vnione formæ partis cum materia, ita quòd in sui ratione includit formam & materiam & differt à forma partis sicut compositum à simplici, puta in homine forma totius est humanitas, quæ non est sola anima, sed quid resultans ex materia & forma hominis, & hanc formã totius dicunt quidditatẽ, siue essentiam, quæ licet significet per modum partis, tamen in rei veritate non est pars, aliter esset forma simplex, ex consequenti essent in homine duæ formæ partis, quod non admittitur in via nostra. Et quidem quod hæc sit mens B. Tho. patet in 4. contra gentes in cap. 81. vbi sic inquit, dicunt quidam, quòd forma partis eadem est cum forma totius, sed dicitur forma partis secũdum quòd facit materiam esse in actu, forma verò totius dicitur secũdum quod complet rationem speciei, & secundũ istos humanitas non est aliud quàm anima rationalis. Sed quia humanitas est essentia hominis, essentia autem rei est quã significat diffinitio, Diffinitio autem rei naturalis non significat solam formam, sed formam & materiã, necesse est q̃ humanitas significet aliquid cõpositum ex materia & forma, sicut homo. Differenter tamen, nam humanitas significat principia speciei essentialia tam materialia quã formalia cum præcisione principiorum indiuidualium Dicitur enim humanitas secundum quam aliquis est homo: homo autẽ nõ est aliquis ex hoc q̃ habet principia indiuidualia, sed ex hoc q̃ habet principia essentialia speciei. Humanitas igitur significat sola principia essentialia speciei. Vnde significat per modum partis. Homo autẽ significat quidẽ principia essentialia speciei, sed non excludit principia indiuiduantia à sui significatione: homo enim dicitur qui habet humanitatem, ex quo non excluditur quin alia habere possit: & propter hoc homo significat per modum totius. Hæc ille, ex quibus constat essentiã siue quidditatẽ rei cõpositæ naturalis, non esse nec significare solam formã, sed formã & materiam. Declarata igitur positione B. Tho. à qua non discordat Scotus vt patet per Ant. And. in hoc lib. 7. q. 12. pono hanc conclusionẽ. Materia, quæ est pars potentialis in substantia cõposita, accepta absolute & non contracta ad materiam indiuidualem pertinet ad quidditatẽ specificã. & probo sic. Quod est essentia & quidditas alicuius, illud est sufficiens ratio intrinseca essendi illi cuius est essentia, circunscripta quacunque alia re realiter differente ab eo, sed secundum te forma sola hominis, puta anima, est tota essentia & quidditas hominis, ergo sola anima est ratio sufficiens intrinseca homini essendi hominem, ergo homo est homo sine materia, quod est absurdum. Minor quidem est positio tua. Maior autem patet, quoniam albedo est sufficiens ratio superficiei essendi album, ergo multo magis quidditas & essentia est ratio sufficiens essendi tale ens ei, cuius est essentia.

Præterea. Cuius essentia non pendet nec causatur à materia in genere causę materialis, nec illud cuius est essentia pendet à materia nec causatur ab ea in genere causæ materialis. Sed parte essentia, & quidditas substantiæ compositæ naturalis non pendent nec causantur à materia in genere causæ materialis, quoniam secundum te materiam non ingreditur quidditatem illius, ergo nec substantia naturalis composita causatur à materia in genere causæ materialis quod est falsum quoniam materia non esset causa nec pars substantiæ naturalis compositæ, cuius oppositum tenet hæc positio vt diximus suprà. Minor quidem est positio tua. Maior autem patet ex eo q̃ secũdũ philosophũ quidditas est idẽ cum eo cuius est quidditas, ergo si vnum est in causatũ à materia & reliquum.

Quantum ad tertium aduerte, quòd fundamẽta opinionis Cõm. & sequentium eum stant in duobus, primo quia si substantia composita haberet quidditatem constantem ex materia & forma esset processus in infinitum in quidditatibus quod reprobatum est in 2. lib. metaphy. Contrariam autem probant vt nos probauimus in q. præcedenti.

Sed q̃ hæc ratio nihil valeat in via nostra iam manifestauimus in q. præcedenti, vbi soluimus eam vt videre poteris.

Secundo fundant se super dicta philosophi, qui in diuersis locis loquens de forma appellat eam quodquidest & quodquiderateste. vnde in hoc libro septimo, in tex. x. inquit, Quoniam autem in principio diuisimus quot modis determinauimus substantiam, & horum quidem vnum videtur esse quodquiderateste speculandum est de ipso, & per quodquiderat esse

esse intendit formam, ergo forma est ipsa quidditas, & in tex. 11. inquit, Quod autem vt species & forma, quodquiderateſſe & in secundo de Anima tex. 8. dicit, q̃ anima quã constat esse forma est quod quiderateſſe corporis, & ita in omnibus locis vbicunque loquitur de forma vt est causa distincta in aliis generibus causarum, appellat eam quodquiderateſſe. Quod vtique non faceret nisi pro constanti haberet quòd forma est tota quidditas in substantiis compositis.

Sed nec ex his auctoritatibus Cõmentistæ possunt concludere intentum, quoniam Philosophus cum dicit formam esse quodquiderateſſe non aliud intendit nisi quòd cum à forma sumatur propria differentia quæ est principalior pars diffinitionis, & cõpletiua eiusdẽ potest dici appropriatè sed non simpliciter quòd est quodquid est siue quidditas sicut & aliquando apud Philosophum anima dicitur homo, quia est principalior pars in eo. Nam quod est principalius in aliquo dicitur esse illud. Hæc de præsenti quæsito dicta sufficiant.

QVAESTIO X.

Si genita ex putrefactione possunt dici genita à casu.

Horum autem quædã fiunt & à casu & à fortuna, similiter vt in factis à natura. Textu 22.

CONCLVSIO.

Animalia ex putri materia genita si agenti particulari & proximæ materiæ comparentur à casu sunt, virtuti verò cœlesti collata, per se generata esse dicuntur.

IN hac quæstione inuenio duas opiniones. Prima est B. Tho. exponentis præpositum tex. Secunda est Iandu. in hoc 7. in quæstione decima tertia, procedemus igitur sic. Primo pertractabimus opinionem B. Tho. Secundo opinionem Iandu. & soluemus rationes suas. Tertio declarabimus quomodo vanè & extortè exponit præpositum textum Philosophi.

Quantum ad primum aduerte, quòd mẽs B. Tho. est quòd generata ex putrefactione comparata ad diuersa possunt dici genita per se, & genita à casu. nam sicut se habet sanitas causata per confricationem, ita animalia genita per putrefactionem: sed sanitas causata per confricationẽ est casualis & per se causata, nam respectu confricantis est casualis, non enim principaliter intẽdit sanitatem, sed depellere pruritum, si autem comparetur ad virtutem regitiuam animalis sic fit per se à virtute regitiua, quoniam cõfricatio excitat calorem, & calor est pars sanitatis. Sic dicendum est de animali genito ex putrefactione, quoniam si comparatur ad calorem putredinalem fit à casu, quoniam calor ille extrahendo humidum, non intendit generationem animalis, si autem cõparetur ad virtutem cœli, quæ est regitiua totius vniuersi, sic producitur per se, quia virtus cœlestis intẽdit producere omnes formas, quæ sunt in potentia materiæ: & ideo illas formas, quas potest per se solam producere, producit per se, sed quia materiæ quorundam vt animalium perfectorum maiori indigent dispositione quam virtus cœlestis possit facere, ideo non immediatè producit omnes formas puta animalium perfectorum. Hæc est intentio beati Thomæ.

Quantum ad secundum aduerte, quòd Iandu. in hoc septimo, in quæstione decima tertia, tenet quòd animalia generata ex putrefactione non possunt dici genita à casu, & dicit hanc fuisse mentem Aristot. & Commen. Nam Commen. in commento vigesimo secundo dicit quòd nulla species fit à casu, cõstat autem quòd animalia generata ex putrefactione sunt species, vt musca, rana, mus, ergo, &c. Corroborat autem intentum suum ratione sic. Quod fit in tempore determinato, & à causa determinata non fit à casu, quoniam istæ conditiones repugnant casui, ex secundo Phys. Sed animal generatum ex putrefactione fit in tempore determinato, vt quando generans appropinquat materiæ disponendo eam, & educendo formam de potentia eius, & sic à causa determinata vt à constellatione determinata, quæ agit per calorem putrefacientem, vt per instrumentum, ergo, &c.

Præterea, Quod producitur vt in pluribus non est à casu, vt patet in secundo Physicorum. Sed animalia generata ex putrefactione producuntur ex putrefactione, vt in pluribus, vt patet de vermibus & de muscis, ergo. &c. Præterea, Quod potest agens minoris virtutis potest etiam agens maioris virtutis, dummodo habeat causalitatem & proportionem super essectum. Sed agens particulare, puta mus generans potest per se producere murem, ergo & cœlum, quod est agens vniuersale & maioris virtutis, potest per se producere. ergo non erit à casu. Dixi dummodo habeat, &c. propter animalia perfecta, super quorum generationem cœlum non habet plenam causalitatem & proportionem, nisi concurrente agente particulari, quoniam non solus sol, sed cum homine generat hominem.

Hæc est positio Iandun. & quoniam intendo sustinere mentem B. Tho. ideo volo soluere quæ adducta sunt, & primo ad dictum Comment. licet possem ipsum negare prout contrariari videtur menti B. Tho. tamen sic declaro ipsum, Comment. intelligit nullam speciem fieri à casu secundum se totam, cum hoc tamen stat, aliqua illius indiuidua fieri à casu, & dato quòd omnia illius indiuidua fierent à casu, non tamen simpliciter à casu, quoniam comparata cœlo vt diximus suprà, non fiunt à casu, sed per se, nec oppositum huius dicit Commentator.

Ad primam rationem nego minorem respectu caloris putredinalis, concedo autem eam respectu virtutis cœlestis regitiuæ omnium quæ fiunt in hoc mũdo inferiori. Vnde si hæc ratio aliquid concludit, concludit huiusmodi animalia, habere tẽpus & causam determinatam respectu cœli, & respectu illius non fieri à casu, cuius contrarium non tenet beatus Thomas, vt patet suprà.

Ad secundam dico eodem modo. Ad tertium patet quòd concludit respectu cœli, cum hoc tamen stat quòd sint à casu respectu caloris putredinalis, quid habet rationem agentis particularis.

Quantum ad tertium aduerte quòd Iandu. exponens textum Philosophi prepositum questioni, sic dicit. Arist. non vult dicere in litera, quàm pro se allegant quòd sicut aliqua possunt generari ab arte & à casu vt sanitas, sic aliqua animalia possunt fieri à natura & à casu. Sed tantum vult dicere, quòd sicut contingit diuersitas in illis quòd aliqua sanitas fit ab arte, & aliqua à casu, sic etiam diuersitas contingit in factis à natura, quia aliqua animalia fiunt per putrefactionem, & alqua per propagationem.

Sed hæc expositio penitus extorta est, quoniam cum dicit Philosophus similiter vt in factis à natura, ly similiter refert id quod prædixerat, scilicet à casu & à fortuna, & non refert diuersitatem productionis ex semine, & sine semine. Nam de huiusmodi diuersitate nondum mentionem fecerat, sed incipiet de ea agere in textu vigesimo tertio. Et aduerte quòd causa erroris Iandu. fuit, quia secutus est expositionem Comm. in fine comment. vigesimi secundi, quæ expositio videtur parum valere, quoniam textus arabicus non concordat cum græco. Nam in arabico non ponitur aliqua similitudo, nec ponit hunc terminum similiter, ideo expositio beati Thomæ est propriè ad mentem Philosophi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Si omnia producta ex semine possunt produci sine semine & si producta sine semine sunt eiusdem speciei, cum productis ex semine.

Quædam enim & illic eadem & ex spermate & sine. Textu vigesimotertio.

CONCLVSIO.

Non omnia producta ex semine produci sine semine, quia non animalia perfecta: & producta ex semine sunt eadem specie productis sine semine.

IN hac q. primo pertractabitur 1. pars, deinde 2. ad euidentiam 1. partis, Primo pertractabitur opinio Auic. Secundo opinio contraria Auic. Tertio opinio Philosophi & Comm. quam sequitur B. Tho. in hoc septimo libro, in tex. præposito.

Quantum ad opinionẽ Auic. aduerte, quòd vt sibi imponit Commen. in 8. Phys. comm. 46. & quem videtur sequi Albertus in 3. lib. Meteo. opinatus est omnia animalia tam perfecta quàm imperfecta posse generari non solũ ex semine, sed etiã sine semine, vnde vt recitat Commen. in 8. Phys. commen. 46. opinatus est homines post diluuiũ genitos fuisse ex terra per virtutem & determinatum aspectum stellarum, & qui sequuntur Auicen. conantur probare intentum suum sic, Quod potest virtus inferior potest virtus superior, & etiam amplius. Sed agens particulare vt homo licet sit virtutis inferioris, potest generare hominem. & equus equum, ergo multo magis cœlum, quod est superioris virtutis. Præterea, corpora cœlestia secundum varios & determinatos aspectus producunt inferiora, ergo secundum quòd aspectus est magis aut minus nobilis, sic produci poterit animal magis, aut minus nobile, ergo sicut secundum aspectum parum nobilem producitur à cœlo animal imperfectum vt rana, sic secundum aspectum magis nobilem produci potest animal perfectũ puta leo, & secundum aspectum nobilissimum, animal perfectissimũ, vt homo. Hęc est positio Auic. & sequentium eum, contra quam arguemus pertractantes mentẽ Arist. & Commen. & B. Tho. & sol

& soluemus rationes adductas pro opinione Auicennæ.

Quantum ad opinionem contrariam Auic. aduerte, quod aliqui tenent, non solum animalia perfecta, sed nec imperfecta posse produci sine semine, eo quod arbitrantur vnumquodque de necessitate in naturalibus produci à sibi simili, sicut videtur etiam dicere Aristotel. in hoc septimo libro. Sed hæc positio repugnat sensui, videmus enim ex cadauere generari diuersa animalia, fatuum autem esset dicere animalia generantia, ex quibus decisum fuisset semen, præextitisse in cadauere. Repugnat etiam Philosopho in hoc septimo libro, in textu vigesimo tertio, qui expressè dicit quædam illic, id est in naturalibus eadem & ex spermate & sine.

Quantum ad opinionem Philosophi & Commen. & Beat. Tho. aduerte quod est opinio media inter Auic. & contrariam Auicen: Tenent enim quædam generari cum semine, ita quod non possunt generari sine semine, vt animalia perfecta. Quædam autem cum semine, & etiam sine semine, vt animalia imperfecta, & quidem, secunda pars non indiget probatione, quoniam vt diximus ad sensum patet, sicut de rana in æstate dum post multum cauma & longam siccitatẽ, videmus cum pluuia, aut parum post, ranas penè infinitas saltantes in via & mures genitos in naui, & formicas genitas ex vino, & muscas egredientes ex sepulcris. Prima igitur pars probatur rationibus sumptis ex Commen. qui in octauo Physi. commen. quadragesimo sexto, arguens contra Auic. innuit tres rationes, quarum primam relinquimus, quæ stat in hac consequentia, si homo posset generari ex semine & sine, puta ex terra, ergo homo genitus ex terra, nõ esset eiusdem speciei cum homine genito ex semine. Hanc autem consequentiam negaret B. Tho. vt manifestabitur in parte secunda huius quæstionis, & ideo primam rationem Comm. relinquimus. Secunda ratio, si homo potest generari ex terra, aut erit necessarium aut contingens: non necessarium, quia non posset aliter esse, nec fieri, ex consequenti non posset generari homo ab homine, cuius contrarium videmus: consequentia patet, quoniam necessarium est quod nõ potest aliter se habere: si contingens, aut vt in pluribus, aut vt in paucioribus: non vt in pluribus, quoniam videmus oppositum, regulariter enim homo est ab homine: non vt in paucioribus, quoniam quæ in naturalibus vt in paucioribus fiunt non naturaliter fiunt, sed potius monstruosè, præcipuè in animalibus, igitur homo genitus ex terra non naturalis, sed potius monstruosus homo dicendus esset.

Tertia ratio si homo & alia animalia perfecta possunt produci sine semine nõ essent necessariæ propriæ & dispositæ materiæ correspondentes propriis formis, quod est falsum, quoniam naturaliter proprius actus recipitur in propria & determinata materia. Consequentia autem patet, quoniam si forma, puta equi, potest actuare materiam aliam, puta terream, & non solum dispositam ex semine equi, manifestum est propriam materiam non esse necessariam, ex consequenti auferitur naturalis ordo in generationibus Physicis. Tenendum est igitur animalia perfecta non posse produci sine semine, quia cum sint nobiliora animalibus imperfectis plura requiruntur ad eorum productionem, & ideo licet cœlum cum calore putrescente sufficiat ad imperfectorum generationem, non tamen ad generationem perfectorum.

Respondẽtes igitur ad rationes inductas pro opinione Auicen. ad primã dicimus, q̃ maior nõ est vera nisi quãdo virtus inferior & superior sunt virtutes totales & disparatæ potẽtes habere causalitatẽ super eundẽm effectũ. Verbi gratia, Quicquid potest comburere ignis, vt decẽ potest comburere ignis vt viginti. Constat aũt quòd agẽs particulare, vt homo, & vniuersale, vt cœlum non se habent in generatione hominis vt duæ virtutes totales, sed partiales, & ideo nihil concluditur.

Ad secundam, si antecedens intelligatur quòd corpora cœlestia secundum varios aspectus producunt vel producere possunt per seipsa omnia inferiora negamus ipsum, si autem intelligatur quòd mediantibus agentibus secũdis secundum varios aspectus producunt inferiora, totum cõcedimus, quia nihil aliud concluditur nisi quòd in eadem specie, puta humana cœlum secundum nobilem aspectum concurrente homine generante potest producere nobilem hominem & secundum nobiliorem, nobiliorem, & secundum nobilissimum nobilissimũ, semper tamen concurrente generante particulari.

Ad euidentiam secundæ partis aduerte q̃ Commen. tenet partem neg. & B. T. ac Scotus partem affir. primo igitur pertractabitur opinio Comment. secundo opinio B. Tho. & Scoti, tertio mouebo dubium in doctrina B. Tho. & soluam.

Quantum ad primum aduerte, quòd Commen. in 8. Physi. in commen. 46. arguens contra Auicennam vt visum est in q. præcedenti tenet quòd si daretur homo genitus ex terra, vt dicebat Auicen. & homo genitus ex semine, de vtroque diceretur homo æquiuocè, & non essent eiusdem speciei specialissimę, quod sic probat. Materia propria distincta specie ab alia materia propria requirit formam distinctam specie ab alia forma, quoniam propriæ formæ proprias materias requirũt. Sed constat quòd semen & materia putrefacta, sunt materiæ propriæ distinctæ specie, ergo forma hominis quæ introducetur in materia putrefacta distinguetur specie à forma hominis, quæ introducetur in materia seminali, ex consequenti hic & ille homo distinguentur specie. Sed quòd hæc ratio non concludat manifestabimus infrà & solue eam.

Quantum ad secundum aduerte, quòd B. Tho. in hoc lib. 7. in expositione tex. 23. & Scotus vt pertractat Ant. And. in 7. in q. 8. tenent partem affirmatiuam quam sic probare conantur. Quæ generantur ex semine & sine semine sunt eiusdem figuræ, habent eundem motum, & consimiles operationes, & consimiles proprietates, vt patet de rana genita ex putrefactione, quæ est eiusdem figuræ, & format vocem & mouetur localiter, & producit ranam, sicut rana producta ex semine. Idem patet in plantis, ergo sunt eiusdem speciei specialissimæ. Consequentia probatur, quoniam in naturalibus venamur vnitatem, vel distinctionem specificam ex propriis accidentibus, & propriis operationibus, & propriis effectibus, & qui negat hoc, negat viam studendi in scientia naturali. & Iandunus in septimo metaph. in quæstione decima quinta, nitens soluere rationem inductam, negat ea, quæ ad sensum patent, negat enim quòd animal generatum sine semine, puta, mus, vel rana habeat eundem motum localem specificum cum mure generato ex semine, quod est contra sensum: nam manifeste videmus quòd eodem modo graditur, saltat, ascendit & descendit parieti inhærens: negat etiam quòd eundem effectum specificum producat, & tamẽ videmus eum eodem modo rodere, & consimilem penitus murem generare. Quare Iandu. in hoc, non vt philosophus, sed vt astrictus ratione Commentat. ad hoc ponendum deductus est.

Sed ratio illa non cogit: nam negatur consequentia, ad probationem nego minorem, quoniam in materia putrefacta est calor putredinalis, qui adiutus virtute cœli, ita disponit materiam putrefactam ad formam muris, sicut disponit calor seminis materiam menstrualem ad eandem formam ex consequenti istæ duæ materiæ sunt eiusdem rationis specificæ, vt respiciunt formam vnam specie.

Quantum ad tertium aduerte, quòd B. Tho. in 1. senten. di. 10. q. 1. artic. 5. videtur tenere oppositum & concordare cum Comment. inquit enim vna res habet tantum vnum modum quo oritur ex alio: non enim idem in specie est à natura & ab arte, nec per putrefactionem & seminationem, & ideo erit vna persona, quæ est ab alio per generationem & hic est filius. & alia, quæ est ab alio per spirationem, & hic est spiritus sanctus.

Pro resolutione huius dubij, aduerte quòd contingit aliqua duo produci ab vno agente particulari, vel à duobus agentibus disparatis: vnum quidem per propagationem, & alterum per putrefactionem: puta Sortes producit Platonem per propagationem, & vermem per putrefactionem. Contingit etiam duo produci ab agente vniuersali & particulari subordinato, vnum quidem ab agente vniuersali tantum per putrefactionem, vt rana ex luto, alterum ab agente particulari concurrente agente vniuersali, vt rana ex rana per propagationem: ex hac distinctione dico, quòd in primo sensu duo producta vnum per putrefactionem, & alterum per propagationem, non possunt esse eiusdem speciei: & in hoc sensu loquitur in primo sentent. cuius signum est, quòd dicit idem specie non posse produci à natura & ab arte. Constat autem quòd agens à natura, & agens ab arte sunt vt duo agentia disparata, & non vt subordinata. In secundo autem sensu, non inconuenit quòd sint eiusdem speciei. quoniam ibi non sunt propriè duo agentia condistincta, imò particulare est sicut instrumentum respectu vniuersalis & in hoc sensu loquitur in lib. 7. metaphysices. vt patet: nulla ergo est repugnantia in doctrina B. Tho. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Si vnumquodque generatur à suo simili.

Palam vero ex dictis quia modo quodam omnia fiunt ex vnicoco, id est, à suo simili. Tex. 30.

CONCLVSIO.

Quæcunque generantur secundum speciem perfecta fiunt à sibi simili in specie.

In hæc

IN hac quæstione sic procedemus. Primo ponentur quædam distinctiones. Secundo conclusiones responsiuæ. Tertio soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum sic hæc prima distinctio; aliqua sunt similia dupliciter, primo formaliter, secundo virtualiter, primo modo illa sunt similia, quæ habent eandem formam specificam, vt duo calida, duo alba, homo generans, & homo genitus, conueniunt enim in anima intellectiua: secundo modo illa sunt similia, quando in vno est forma formaliter, in alio autem est virtualiter, vt quando sol calefacit medium, calor est tantum virtualiter in sole, & formaliter in medio.

Secunda distinctio similia formaliter possunt esse duobus modis, primo secũdum formam specificam, vt leo generans, & leo genitus, secundo secundum formam communiorem, vt animal generans & animal genitum, equus generans & mulus genitus, conueniunt enim in forma animalis & in forma iumenti. Idem modus seruatur etiam in prædicatis vniuersalioribus, vt corpus generat corpus & substantia substantiam, & ens ens, & bonum bonum, & res rem, &c.

Tertia distinctio similia formaliter secũdum formam specificam possunt esse duobus modis. Primo secũdum formam specificam & secundum esse reale formæ, vt in naturalibus homo generans & homo genitus, vterque enim habet animam & secundum esse reale. Secundo secundum formã specificam, sed non secundum modum essendi reale, quoniam in vno forma habet esse reale, in alio esse intentionale. vt quando ædificator ædificat, forma domus est realiter in ædificato, in ædificantis autem mente tantum intentionaliter.

Et aduerte, quòd omnes isti gradus similitudinis ordinantur sic secundum perfectionem & imperfectionem. Primus perfectissimus est ille; quando in vtroque simili est eadem forma specifica, & secundum eundem modum realem essendi. Imperfectissimus autem est, quando in vno est forma formaliter, in alio autem solum virtualiter.

Inter hos duos mediant alij duo, vnus quando in vtroque est eadem forma, non tamen secundum eundem modum essendi, & hic magis propinquat modo perfectissimo. Alter est quando in vtroque est eadem forma communis signata per terminum genericum, vt iumentum, animal, corpus, substantia, ens, & hic magis propinquat imperfectissimo, sic ergo ordinentur conuenientia in forma specifica formaliter, & secundum eundem modum essendi sunt in primo gradu perfectissimo. Conuenientia in forma specifica, sed non secundum eundem modum essendi sunt in secundo gradu. Conuenientia in forma communi signata per terminum genericum sunt in tertio gradu. Conuenientia in forma, ita quod in vno est formaliter & in alio virtualiter sunt in quarto gradu, qui est imperfectissimus.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio. substantiæ naturales, qualia sunt animalia perfecta, generantur à sibi simili secundum primum gradum similium. Probatur, quia non producuntur nisi per propagationem, vt patet ex præcedentibus quæstionibus, ergo, &c.

Secunda conclusio, non omnia quæ generãtur tam in substantiis quàm in accidentibus generantur à sibi simili secundum primum gradum, probatur quia videmus genita per putrefactionem, & mulum, & ignem excussum à lapide, & calorem causatum radiis solaribus non generari à sibi simili secundum primum gradum, ergo, &c.

Tertia conclusio, Quæcunque generantur tam in substantiis quàm in accidentibus, generantur à sibi simili secundum aliquẽ ex quatuor gradibus prænotatis. Hęc de se patet cuilibet exercitato in philosophia, & propterea Philosophus in textu præposito, non dixit simpliciter omnia fieri ex vniuoco, sed dixit modo quodam omnia fieri ex vniuoco, quasi dicat, sufficit saluari aliquem ex prænotatis gradibus, simpliciter autem saluatur dictũ Philosophi vt inquit Comment. in hoc 7. in commento 30. in his quæ generantur ex patre & matre.

Quantum ad tertium aduerte quòd argumenta, quæ communiter fieri solent in hoc quæsito, soluuntur per distinctiones suprà notatas, & quoniam recitantur ac soluuntur à Paulo Soncinate in libro duodecimo, quæstione decimaquarta, nec alia difficultas occurrit, ideo pertranseo.

QVAESTIO XIII.

Si forma generanda vel aliqua pars eius præexistit in materia, vt cooperentur agenti ad productionem eius.

Causa verò est quia horum quidem est materia (& paucis interiectis) in qua existit aliqua rei pars. Tex. 29.

CONCLVSIO.

Impossibile est in materia præexistere formam generandam, vel eius partem vt cooperentur agenti ad productionem nisi in potentia.

IN hac quæstione sic procedemus. Primo ponetur quædam opinio, quam non admitteret Commenta. nec B. Tho. nec Scotus. Secundo pertractabitur opinio Comment. & B. Tho. Tertio declarabitur in quo sensu debeat intelligi textus Philosophi præpositus. Quarto soluentur quædam argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quæ est vna opinio, quæ attribuitur D. Alberto & potest elici ex his, quæ dicit in primo Physic. in tract. 3. in cap. 3. vbi tenet, principia naturalia esse verè contraria, & mutationem naturalẽ semper fieri de forma contraria in formam cõtrariam, arbitratur enim quod sicut in genere sunt differentiæ in habitu confuso, & esse indistincto, sic in materia sunt formæ contrariæ secundum esse confusum. Quæ quidem formæ sic consideratæ sunt principia transmutationis Physicæ, & quoniam tales formæ sub esse confuso habent aptitudinem ad esse perfectum, ideo forma considerata sub tali esse confuso, vt est aptæ esse sub esse perfecto comparatur vt priuatio ad formam, est tamen eadem secundum essentiam sub vtroque esse, & hanc formam sub esse confuso cum aptitudine ad esse perfectum, arbitratur esse priuationem, quam Philosophus ponit vnum ex principiis naturalibus, ita quòd secundũ Albertum priuatio non dicit negationem formæ in materia cum aptitudine, sed dicit formam cum negatione esse perfecti & aptitudine ad esse perfectum. Hanc igitur formam secundum esse imperfectum, solent aliqui nominare inchoationem formæ, & dicunt hanc esse partem rei præexistentem in materia & coadiuuantem agens extrinsecum ad productionem rei, sicut tepiditas cõfert igni, vt citius & facilius deducat aquã tepidam ad ebullitionem, & aduerte quòd qui hanc opinionem sequuntur, videntur moti duplici fundamento. Primo quia secundum eos non videtur aliter posse saluari motus siue mutatio naturalis, credunt enim necessario exigi principium intrinsecum non solùm passiuum, quod est materia, sed etiam principium actiuum, quod putant esse formam inchoatam modo quo diximus, secundo putant si forma non præexisteret inchoata, siue in esse confuso in materia, non possent vitare, quin forma crearetur. Verum quòd huiusmodi inconuenientia non sequantur, etiam quòd non præexistat forma inchoata in materia manifestabimus postquam pertractauerimus sententiam Comment. & B. Tho. à qua non discordat Scotus, vt pertractat Ant. And. in hoc septimo, in quæstione vndecima.

Quantum ad secundum aduerte, quòd Arist. nec Comment. nec beatus Thomas negarent quin omnes formæ naturaliter receptibiles in materia præexistant in ipsa materia in potentia mere passiua, quia in ipsa est aptitudo & potentia essentialis ad formas recipiendas, nec negarent, quin in materia proxima, id est, iam disposita præexistat forma recipienda, non quidem secundum essentiam suam, sed ratione dispositionum, in quibus possumus dicere quòd forma virtualiter existit, nec negarent quin in materia, ex qua generatur res animata, puta in semine præexistat aliqua virtus actiua, quę operetur intrinsecè ad productionem rei animatæ, quam tamen vim actiuam, negarent esse formam, vel partem formæ generandæ. Negarant autem quòd in materia, in qua introducenda est per generationem substantialem forma substantialis siue rei animatæ, siue inanimatæ præexistat ipsa forma actu secundum esse imperfectum, nec secundum se totam, nec secundum partem, quæ cooperetur agenti, vt producatur secundum esse perfectum. Et hanc quidem conclusionem sic probare possimus, si ipsa forma præexistit actu, sed imperfectè secundum se totam, ergo generatio rei naturalis, puta hominis non erit substantialis, sed potius accidentalis, nam ex 5. Physic. textu 7. dicit Philosophus ponens differentiam inter generationem simpliciter & generationem secundum quid. Quæ verò ex non ente simpliciter in substantiam est generatio simpliciter, ex quo habetur quòd in generatione simpliciter, quę dicitur in substantiam siue substantialis terminus à quo est non ens simpliciter, id est, nullo modò ens actu, neque imperfectè, neque perfectè: nam si esset actu imperfectè non esset non ens simpliciter. Si igitur tu ponis formam generandam præexistere secundum se totam in materia secundum esse imperfectum, non potes saluare generationem huiusmodi esse ex non ente simpliciter, ex consequenti negas generationem substantialem, si dicis quòd non tota forma, sed pars præexistit. Contrà omnis forma substantialis, vt dicemus in 8. lib. consistit in indiuisibili, & secundum sui naturam

naturam simplex est, est enim forma simplici & inuariabili essentia consistens, ergo in ea non est assignabilis pars & pars. Præterea, si in materia præexistit vna pars formæ, vt cooperetur agenti ad productionem eius, quæro aut cooperatur ad productionem ipsius partis præexistentis, aut alterius, si præexistentis, ponis contradictionem, quoniam vt cooperatur præexistit per te, vt producitur non præexistit, ergo præexistit & *non* præexistit: si alterius, ergo dum res generatur non tota sua forma producitur, quod est absurdum: si dicis, quod tota generatur, quia tota educitur de esse actu imperfecto, ad esse actu perfectum. Contra, ergo forma substantialis habet intensionem & remissionem, quod est falsum, quoniam in substantia non datur magis & minus, & id contradicit Philosopho in li. 8. in text. 10. Consequentia autem probatur, quoniam formam intendi nõ est aliud quam ipsam iam existentem aliquo modo actu, educi de esse imperfecto ad esse imperfectũ.

Quantum ad tertium aduerte quod quando dicit Philosophus partem rei præexistere nõ est intelligendum quod pars rei fiendæ, nec eius inchoatio præexistat, sed quod aliqua virtus actiua intrinseca materiæ, per quam res fit præexistat, vnde aduerte quod vt inquit Comment. in hoc septimo, in comment. vigesimonono, est in generabilibus sicut in mobilibus localiter, in motu autem locali videmus quod aliqua mouentur naturaliter à mouente extrinseco, vt grauia & leuia à generante, aliqua à mouente intrinseco, vt animata, quæ dicuntur mouere seipsa ex octauo Physicorum, textu trigesimo. Sic & in generatione rerum naturalium, nam inanimata generantur ab agente extrinseco, vt ignis: vnde Philosophus comparat materiam ignis, materiæ domus, in hoc quod vtraque mouetur ad formam ab agente extrinseco, animata autem generantur ab agente intrinseco materiæ, pro quanto virtus formatiua quæ est in semine mouet materiam ad formam, sicut in augmento virtus augmentatiua animæ intrinseca ipsi quanto mouet ipsum ad maiorem quantitatem, & in alteratione puta in sanatione, est aliqua virtus in corde, quæ mouet cæteras partes, & totum animal, ad sanitatem, quæ potest dici pars sanitatis non formaliter, sed virtualiter, sicut Philosophus dicit calorem esse partem sanitatis, & vt breuiter te resoluas dic quod Philosophus in textu præposito non loquitur vniuersaliter de rebus generabilibus, sed tantum de animatis, in quibus dicit aliquam partem præexistere pro quanto aliqua virtus actiua intrinseca materiæ præexistit, vt in semine, quæ mouet ad formam, quam non formaliter sed virtualiter appellat partem, modo quo diximus.

Quantum ad quartum aduerte quod ponentes partem formę siue formam inchoatam in materia vt cooperetur agenti, ideo posuerunt, quia videbatur eis non posse saluari differentiam inter generationem naturalem, & generationem artificialem, nec differẽtiam inter motum naturalem & motũ violentum, nec differentiam inter creationem & generationem Physicam, nisi ponatur huiusmodi forma inchoata in materia.

Sed quod sufficiens differentia saluetur inter prædicta absque positione huiusmodi formæ inchoatæ, sufficienter declaratum habes à Paulo Soncinate in septima quæstione, vigesimaseptima, in responsione ad argumenta, & à Tanduno in quæstione decima octaua, & ab An. And. in quæstione vndecima, & à Scoto in secundo sent. distinct. decimaoctaua, quæstione prima. Nam omnes formant eadem argumenta, & quasi concorditer soluunt & sufficienter, ideo nolo immorari in recitatione & solutione eorum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIIII.

Si agens naturale solum disponit materiam, & agens separatum inducit formam, vel si ad hoc sufficit solum agens naturale.

Similiter itaque his, & quæ sunt natura constituta se habent, nam sperma facit sicut quæ ab arte, habet enim potentiale speciem. Textu 31.

CONCLVSIO.

Agens naturale non tãtum disponit materiam, sed formam educit de potentia materiæ.

IN hac quæstione aduerte primo, quod Paulus Soncinas in libro septimo, quæstione vigesimanona, format idem quæsitum, vbi recitat opinionem Auicennæ, quæ habetur in libro nono suæ Metaphysicæ, capite quarto. Deinde ponit opinionẽ Aristote. cum rationibus probatiuis, postremo soluit rationes inductas pro Aristote. & defendit Auicennam, & sic quæstio remanet interminata pro Aristotele, nos autem arbitrantes viam Philosophi, quam tenet Commen. & Bea. Tho. esse viam veritatis, sic procedemus. Primò dimissis opinionibus antiquorum circa hoc quęsitum, quæ recitantur à Commentatore in hoc septimo lib. in comm. 31. & in lib. 12. in comm. 18. quæ fuerunt Plato, & Auic, & Themistij, vt ad plenum & diffusè videre poteris in Landu. in libr. 7. in quæstio. 19. intendimus pertractare viam Scoti, cum rationibus suis, secundo pertractabimus viam Comment. & Bea. Tho. Tertio soluemus rationes Scoti.

Quantum ad primum aduerte quòd ex doctrina Scoti in 2. sent. dist. 18. q. 1. & Ant. And. in hoc 7. in quęst. 11. tria eliciuntur, primo quid sit semen siue sperma, secundo ad quid ponitur semen, tertio à quo producitur forma geniti ex spermate. Quãtum ad primum dicit, quòd semen est corpus imperfectum productum à generante, cuius forma non est intenta à natura propter se, sed propter alterum, vt ex ipso generetur aliquod simile generanti, nam in processu generatiuo natura incipit à semine, sed ibi non sistit: sed mediante semine, vlterius procedit ad formam specificam vltimo intentam, puta asini aut equi, & ibi quiescit intentio naturæ, vnde patet, quòd semen ideo à generante producitur, vt sit via ascendendi ad formam vltimò intẽtam & perfectam secundum speciem suam. Dico vltimò intentam, quoniã per semen proceditur aliquando ad plures formas medias, vt ad formam sanguinis, deinde embryonis, deinde animalis, puta equi, & ibi est status, & completur actio siue operatio virtutis, quæ est in semine. Et aduerte quòd vsque huc non dissentit à via Commentat. nec B. Tho.

Quantũ ad secundũ aduerte, q̃ duo possunt attribui semini, primo q̃ sit actiuũ dispositionũ, quibus disponitur materia ad receptionẽ formæ geniti, puta q̃ sit formatiuũ mẽbrorũ & figuræ talis animalis, qualẽ habet ipsum generans, secundo q̃ sit productiuum formæ specificæ ipsius geniti, puta q̃ semẽ equi decisi ab equo generante producat animam equi generandi.

Quantum ad primum, tenent Scot. & Anto. And. vbi suprà, quod agit quidem vt concausa, sed non vt sufficiens actiuum, & ratio eorũ talis est, virtus actiua agentis vniformis, non potest causare effectum difformem in passo vniformi. Sed virtus seminis est vniformis, vt patet, & materia in quã agit, est vniformis similiter: ergo virtus seminis non potest causare tantam difformitatem, quãtam videmus in organis animalium. Maior patet, quoniam difformitas in effectu prouenit ex difformitate agentis vel passi. Hæc est ratio eorum, & si quæras ab eis, Quæ sit virtus agens tantam difformitatem organorum in animali, respondent quòd est agens difforme, & illud est actio difformis influentiæ, siue caloris cœlestis, quæ quantum ad hoc, est consona virtuti diuinæ.

Quantum ad secundum tenent, quod semen non est principium actiuum, ita quòd attingat formam geniti, & id probant dupliciter: primò, quod non est, non est principium productiuum substantiæ, quoniam agere præsupponit esse: sed semen in instanti generationis non est, quoniam generatio huius est corruptio alterius. Dices forte, quòd est principium dum est. Contrà, quia semen est aliquid de proximo conuertibile in illud, quod debet generari, sed omne tale habet magis rationem passiui, quàm actiui: ergo, &c.

Secundò sic. Nullũ imperfectũ est principiũ efficiens producendi perfectius. Sed semen est quid imperfectius re generanda: vt patet: ergo, &c. Maior patet: quia omne principium productiuum, vel est æquè perfectũ vel æquiuocũ. Quicquid datur, vel est æquè perfectũ vel perfectius producto, & nullo modo imperfectius: ergo, &c. Dices fortè, quòd semen agit non virtute propria, sed virtute eius à quo deciditur: & sic potest producere formã geniti. Contra, in virtute non entis eo modo quo nõ est, nihil agit. Sed decidens cum non sit in rerum natura, puta quia mortuus est pater, vel etiam si viuit, tamen quia non est præsens corpori, in quo debet semen agere, ideo vt sic, est sicut non ens, ergo semen in virtute illius non agit: si ergo agit, vel agit virtute propria, vel virtute alicuius substantiæ coexistentis. Confirmatur, quia in causis accidentaliter subordinatis nõ oportet omnes simul concurrere ad effectũ, vt ostensum est in secundo huius. Sed decidens & semen sunt accidentaliter subordinata: ergo, &c. Semen ergo non agit in virtute decidentis.

Quantum ad tertium tenet Ant. And. vbi suprà, quòd forma specifica animalis perfecti, quod gignitur per propagationem immediatè producitur à Deo, nam probatum est, inquit, quòd non producitur à semine, nec à patre, quia ei mortuo potest filius generari: nec à virtute cœli, nec à forma cœli, quia est imperfectior quàm forma animati. Viuens enim præstantius est non viuente: nec producitur ab intelligentia, quia secundũ communẽ scholã nõ potest inducere per se, nec educere formã de potẽtia materiæ, quia nõ agit nisi mediãte motu cœli, si ergo cœlũ non potest, nec intelligentia mediante motu cœli poterit: si ergo nec semẽ, nec decidẽs, nec cœlũ nec intelligentia per se, nec mediãte motu cœli possunt producere formam

ſpecificam animalis perfecti, relinquitur, q̃ ſolus Deus, producit. Hæc fuit opinio Scoti & Ant. And. vbi ſuprà, quæ quòd non ſit vera, manifeſtabitur in vltima parte quæſtionis.

Quantũ ad viam Cõm. & B.Tho. aduerte q̃ ſententia eorũ eſt, q̃ ſemen non ſolum diſponit materiam ad formã, ſed etiã producit formam animati educibilem de potentia materiæ, concurrente tamẽ influxu cœli, vt cauſa vniuerſali. Ratio aũt propter quam ſemen producit formã animati ſecundũ Cõm. in lib. 7. metaph. cõm. 31, eſt hæc, in ſemine eſt virtus cõmunicata à generante à quo deciditur, perquã vt per inſtrumentũ generans producit ſibi ſimile, ſicut formæ ſubſtantiales elementorũ, agunt per qualitates actiuas, vt per inſtrumenta, & calor naturalis generat ex cibo carnem, vt eſt inſtrumentum animæ vegetatiuæ. Hæc autem virtus ideo diſponit materiã ſecundũ formationẽ diuerſorũ organorũ, & producit formã animati, quia virtualiter eſt ipſum generans, & ſe habet vt ars, vel vt forma artificiati in mẽte artificis, à qua, & per quã artifex diſponit materiã artificiati, & introducit formã artificialẽ in materia. eadẽ enim arte fabricator idoli diſponit metallũ, & figurat omnia mẽbra idoli, ſimul cõpaginat: & tamen ars in mente fabricatoris, cùm ſit quid ſpeciale, nullã habet diuerſitatem nec difformitatẽ partium: & q̃m hæc virtus quæ eſt in ſemine, eſt à Deo mirabilis in formatione membrorũ, & figurarũ, cum tamen in ſe nullã difformitatẽ formaliter cõtineat (eſt enim vt homogeneũ) ideo apud Ariſt. & Cõm. dicitur virtus diuina, & virtus agẽs per modũ intellectus, virtus quidem diuina per ſimilitudinẽ dicitur: quoniã ſicut diuina virtus eſt occulta, & cõducit rem ad finẽ & ſuum cõplementũ, ſic virtus in ſemine occultẽ, & ſuper omnem ſenſum operatur & deducit animatũ generandũ ad cõplementũ: virtus autẽ agens per modũ intellectus dicitur per ſimilitudinẽ, quoniã ſicut intellectus per nullũ organũ corporeũ operatur ex 3. de anima, ſic virtus ſeminis per nullum determinatũ organum agit difformitatem membrorũ: & producit formam animati, q̃m cum ſperma ſit quid vniforme & cõfuſum, quẽlibet pars ſpermatis eſt ſperma, & per quẽlibet partẽ virtus ipſa operatur, & in hoc diſtinguitur virtus ſpermatis à cæteris virtutibus animæ: videmus enim auditũ operari per aurem, viſum per oculos, guſtũ per linguã, &c. virtus autẽ ſeminis, vt pote vniuerſalis, virtualiter non operatur per determinatam partẽ, ſed vt in ſe continens omnia mẽbra generantis, & formam generãtis nõ actu, ſed potẽtia productiua. Hęc quidẽ eſt intẽtio ſummaria Cõm. à quo non diſſentit B.Tho. in expoſitione tex. 31. vnde nõ oportet propter productionẽ formarũ ſubſtantialium, eorũ quæ generantur ex ſemine recurrere ad ideas, nec ad datorem formarum, nec ad Deum, vt Sco. recurrit quantum ad generationem naturalem, & quantum ad formas educibiles de potentia materiæ, vt ſecludamus primam rerum productionẽ. quæ fuit immediatè à Deo, vt ſuſtinebimus in lib. 12. & animã rationalem, quam tenemus non educi de potentia materiæ, ſed à ſolo Deo creari, & hanc opinionẽ poſſumus ſic probare: Si formæ ſubſtantiales generatorum ex ſemine, non educuntur de potentia materiæ per virtutem ſeminis agentis loco generantis, ſed à Deo producuntur: ergo creantur: quod eſt falſum. quoniam generatio naturalis condiſtinguitur contra creationem. Probatur conſequentia: nam nulla alia ratione dicitur anima intellectiua creari, niſi quia licet agens naturale diſponat materiã ſuſceptiuã, non tamen attingit ipſam, nec educit eam de potentia materiæ, ſed à ſolo Deo producitur in materia diſpoſita, ergo in propoſito, ſi agens naturale non attingit animã generati ex ſemine, puta animã aſini, ſed tantum diſponit materiã, & Deus eam producit, ſequitur q̃ creatur ſicut anima intellectiua, vel quòd magis non creatur anima intellectiua, quàm anima bruti. Poſſent adduci ad hoc propoſitum plures rationes, ex quibus aliquas format Iandu. vbi ſuprà de mente Comment. & aliquas Paulus Sonc. vbi ſuprà. ſed quia de facili ſolubiles ſunt, vt videre poteris, ideo pertranſeo.

Vltimo reſtat ſoluere rationes ſuprà inductas pro opinione Scoti, & Ant. And. Ad primam, qua probant virtutem ſeminis non eſſe ſufficiens actiuum tantæ difformitatis, quantã videmus in organis animalium. negatur minor, quam nec probãt, nam virtus ſeminis & ſi non formaliter, virtualiter tamen eſt multiformis, ita quòd, cùm ſit ipſum generans, virtualiter poteſt cauſare conſimilem multiformalitatem in organis geniti qualem videmus in generante, vnde ſe habet vt lux ſolis, quæ licet ſit vniformis, diſformes tamen, & aliquando contrarios effectus cauſat, vt mollificat gummatica, & indurat lutum.

Ad primam, qua probant, ſemen non producere formam, ſubſtantialem animalis geniti ex ſemine, negatur minor. Ad probationem dico, quòd & ſi corrumpitur actu, quo ad ſubſtantiam, remanet tamen in virtute in materia geniti, ſicut remanent elementa in mixto, & virtus ſeminis grani corrupti, remanet in herba.

Ad ſecundam nego minorem, licet enim ſemen pro quãto eſt ſecundũ ſubſtantiã animatum in potẽtia, ſit quid imperfectius animali genito, eo quòd eſt animatum actu: tamen virtualiter eſt æquè perfectum, quoniã virtualiter eſt ipſum generans vniuocum, quod eſt æqualis perfectionis cum genito.

Ad illã, qua probãt ex ſufficienti diuiſione, formã animalis generãdi ex ſemine produci à Deo, negatur q̃ licet nõ producatur ex ſemine concurrente, tamẽ cœlo moto, vt vniuerſali & primo agente in his inferioribus, & hæc reſponſio eſt ſententialiter ipſius philoſ. Dicit enim in tex. 31. Nam ſperma facit ſicut quæ ab arte: habet enim poteſtate ſpeciem, & à quo ſperma eſt aliqualiter vniuocũ. Vbi inquit Cõm. forma enim generati in ſemine in potentia, quemadmodum forma artificiati eſt in artifice in potentia. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO XV.

Si omnis diffinitio habet partes, quæ correſpondeant partibus rei diffinitæ.

Vt autem ratio ad rem, & pars rationis ad partẽ rei. Tex. 33.

CONCLVSIO.

Quum omnis diffinitio ſit ratio, inueſtigetúrque diuiſione & compoſitione quæ non dantur ſine partibus, eam habere partes neceſſe eſt: quarum quælibet in ſubſtantiis ſeparatis dicit totam naturam diffiniti: in ſubſtantiis verò compoſitis dubium maius eſt, explicabitúrque octauo libro.

IN hac q. duo principaliter perquirẽda ſunt. Primo ſi eſt neceſſe omnem diffinitionem conſtare ex partibus. Secundo ſi quælibet pars diffinitionis totam naturam diffiniti ſignificat vel ſi pars partem.

Quantum ad primum non inuenio diſcrepãtiam. Omnes enim rectè ſcientes concordant in parte affirmatiua, quæ nõ ſolum manifeſtatur dicto philoſophi in hoc 7. in tex. 33. Inquit enim, Omnis diffinitio eſt ratio, & omnis ratio habet partes: ſed etiam probatur ratione ſic, Diffinitio ex 2. poſte. inuefligatur diuiſione & compoſitione. Diuiſione quidẽ generis in differentias, compoſitione autem generis cum altera differẽtia. Sed cõpoſitio & diuiſio non dantur ſine partibus, vt patet, ergo diffinitio formata compoſitione generis & differentiæ, habet neceſſariò partes. Præterea per diffinitionem notificatur eſſentia diffiniti, omnibus illis modis quibus poteſt notificari. Sed poteſt notificari nobis primo confuſe, deinde diſtinctè & cõpletè, ſed per vnum ſolum terminum, non poteſt nobis notificari confuſè & diſtinctè, vt patet: ergo neceſſe eſt ipſam cõſtare ex termino magis cõmuni, quo notificatur diffinitũ confuſè: & termino conuertibili, quo notificatur diſtinctè, ex conſequenti neceſſe eſt diffinitionem habere partes.

Quantum ad ſecundum, aduerte quòd ſi loquamur in ſubſtantiis ſeparatis, quæ ſunt ſimplices actus, & in quibus non eſt cõpoſitio formæ & materiæ ab omnibus conceditur, q̃ quælibet pars diffinitionis dicit totam naturã diffiniti, licet diuerſimode, puta genus dicit naturam ſeparatam in vniuerſali, & differentia dicit eandem ſub gradu diſtincto. Totum ergo dubium eſt de ſubſtantiis cõpoſitis, de quibus duas inuenio opiniones, quæ pendent ab vna radice, ſcilicet ab vnitate vel pluralitate formæ in compoſito. Nam qui tenẽt quod in eodem plurificantur formæ, vt plurificantur prædicata quidditatiua, dicunt, quòd genus ſignificat formam vniuerſalem, puta animal ſignificat formam, quæ eſt anima ſenſitiua, & differentia ſignificat formã ſpecificam, & nihil plus, & ex his opinantibus eſt Iandu. in 2. lib. huius ſcientiæ in q. 9. Cuius rationes nos ſolnimus in eodem libro in noſtra q. 7. Qui verò tenent tantum vnam formam in compoſito, dicunt quod & genus & differẽtia habent totam naturam diffiniti, quia prædicãtur in recto de diffinito & diuiſim & coniunctim. Eſt tamen verum, quòd genus ſumitur à natura, vt habet modũ determinabilis, & materiæ, non quòd ſignificet ſolam materiam, & differentia ſumitur ab eadem natura, vt habet modũ determinantis. Et hãc ſententiam tenet B.Tho. in hoc 7. in lect. 9. vt videre poteris. Quia ergo tota reſolutio pẽdet ab vnitate vel pluralitate formæ in ſubſtantia cõpoſita, ideo protrahemus determinationem preſentis dubij vſque ad li. 8. vbi de vtroq; inquiremus.

Pro nunc tamen intendo defenſare rationem B.Tho. quam ponit in expoſitione tex. vbi ſic inquit, partes diffinitionis prædicantur ſcilicet in recto de diffinito. ſicut de homine animal rationale, nulla autem pars integralis nec eſſentialis prædicatur de toto, ſcilicet in recto, ergo partes diffinitionis non ſignificant partem diffiniti, ſed totam naturam.

Huic rationi dat Iandu. in ſecundo lib. Metap. in quæſt. decima, in fine, duas rationes, quarum prima eſt, quod negat tam genus quàm differentiam prædicari in recto de diffinito: & ſi inſtatur, Quia communiter iſta prædicatio acceptatur, bono eſt animal, homo eſt rationalis: dicit ipſe, quòd iſta non acceptatur ex natura rei, ſed ex famoſitate, quam introduxerunt, tenentes vnitatem formæ in compoſito, vnde ſicut conſueuimus, ſic dignamur dici. Et ſic ſecundum ipſum hæc eſt vera, Ex natura rei homo eſt quid conſtans ex animali & rationali. Hæc autẽ reputatur vera ex conſuetudine loquentium, homo eſt animal: & hæc, homo eſt rationalis. Dicit ſecundò, quòd genus poteſt ſumi dupliciter: Primò, vt dicit formam generalẽ, quæ eſt in potentia, & ordinatur ad aliam formam, puta formam ſpeciei, & ſic eſt pars ſpeciei & non prædicatur in recto, ſed in obliquo de ſpecie. Idẽ intelligas de differentia. Alio modo genus dicit cõpoſitum ex materia & forma ſpeciei, & formis præcedentibus formã ſpeciei, & ſic dicit totã eſſentiã ſpeciei, & prędicatur in recto, ſicut dicunt tenẽtes vnitatẽ formę.

Sed neutra harum reſponſionum valet. Nam prima eſt contra doctrinam Philoſophi, qui in libro 5. in capi. de ſecundum quod, vtitur tali prædicatione in recto, & dicit, quòd eſt prædicatio ſecũdum ſe, & in primo modo per ſe, quæ eſt prædicatio quidditatiua & ex natura rei. Dicit enim: Alia verò quæ in eo quod quid eſt exiſtunt quæcunq; vt animal Callias ſecundũ ſe, nã in ratione ineſt animal. Animal enim quoddã eſt Callias: ex quibus patet, q̃ ſi iſta eſt, quidditatiua, Callias eſt animal, & hęc eſt quidditatiua, homo eſt animal, quoniam Callias eſt homo.

Secunda autem reſponſio, contradicit ipſi Iandu. quoniam ſi in ſecundo ſenſu dicit totum, & prædicatur in recto, concordat nobiſcum, & contradicit ſibiipſi.

Quare vt inconſtans relinquendus eſt. Hæc pro præſenti quæſito dicta ſint. Reliqua dicemus in libro octauo.

QVAESTIO XVI.

Si ſingulare eſt diffinibile & per ſe intelligibile.

Horum autem non eſt diffinitio, ſed cum intelligentia, &c. Vſque ibi. Sed ſemper dicuntur & cognoſcuntur vniuerſalis ratione. Textu 7.

CONCLVSIO.

Singulare, ſiue corruptibile, ſiue incorruptibile non eſt propriè diffinibile. Singulare verò vt ſingulare eſt intelligibile per ſe: ſecus verò vt materiale. At præcipuè materiale non poteſt cognoſci ab intellectu coniuncto directè, ſed ſolum reflexè.

CIrca text. præpoſitum aduerte quòd intentio Philoſophi eſt declarare, quòd non datur diffinitio niſi de vniuerſali, ſingularia verò non diffiniuntur, ſed cognoſcuntur ſenſu exteriori, ſi ſunt ſenſibilia, vel imaginatiua, ſi ſunt Mathematicæ: ſi autem dicantur intelligi, hoc erit quia continentur in ſuo vniuerſali, nam ſi intelligo hominem, intelligo implicitè Sortem. Eandem ſententiam tenent Philoſophus & Com. infrà in tex. 53. vbi tenent contra Platonem, nullum ſingulare, nec ideam poſſe diffiniri. Vt igitur ſciamus quid veritatis continet ſententia Philoſophi in hac quæſtione duo ventilanda ſunt. Primò ſi ſingulare poteſt diffiniri. Secundò ſi eſt per ſe intelligibile.

Quantum ad primum aduerte, quòd ſatis conſtat ſingulare corruptibile, non poſſe propriè diffiniri, quoniam quod poteſt diffiniri de eo, poteſt eſſe demonſtratio, cùm diffinitio ſit medium in demonſtratione. Sed ex primo poſte. non eſt demonſtratio de corruptibilibus: ergo, &c. Præterea inquit Comm. in hoc ſeptimo lib. in comm. 53. Cùm diffinitio ſit permanentium, id eſt, quæ non poſſunt aliter ſe habere, neceſſe eſſet ſingulare corruptibile fieri, & eſſe incorruptibile. Hoc autem eſt impoſsibile, vt patet: ergo, &c. Magis autem dubitatur de ſingulari incorruptibili, quoniã ratio aſsignata de ſingulari corruptibili, nõ habet locum hic, & ideo pono hanc concluſionẽ, ſingulare etiam quod eſſet incorruptibile, nõ poteſt diffiniri, nam talis diffinitio aut conſtabit vnico nomine, aut pluribus: non vnico, quoniam iam probatum eſt ſuprà, quòd neceſſe eſt diffinitionem habere partes, ergo pluribus nominibus; ſi pluribus, aut illa ſunt communia: & hoc non, quia diffinitio non conueniret ſoli diffinito: aut ſingularia ſiue propria: & hoc nõ, quia eſſent ſicut ſynonyma, quæ non ſufficienter notificant naturam diffiniti, aut vnum eſſet cõmune & alterum proprium: & hoc non, quia cum ſpecies ſpecialiſsima non diuidatur per differentias, illud proprium eſſet accidens indiuiduale, ſed prędicata accidẽtalia ſiue cõmunia ſiue propria nõ ingrediuntur diffinitionẽ, ſed tantũ quidditatiua, vt dictũ eſt ſuprà: ergo, &c.

Quantum ad ſecundum aduerte, quòd multam difficultatem continet, propter varietatem opinionum, & diuerſimodè exponuntur à diuerſis dicta Bea. Thom. Tu tamen vt te reſoluas ſic procedes. Primò inueſtigandum eſt, quomodo intelligibilitas conuenit ſingulari ex ſui natura, & hoc eſt loqui Metaphyſicè, ſiue ratione ſuæ entitatis. Secundò quomodo intelligibilitas ei conuenit de facto re ſpectu intellectus noſtri pro hac vita: & hoc eſt loqui Phyſicè, vel vt dicunt alij animaſticè, id eſt conſiderata conditione intellectus coniuncti.

Ad euidentiam primi, præpono aliquas diſtinctiones, deinde aliquas concluſiones reſponſiuas.

Prima diſtinctio. Singulare ſumitur dupliciter. Primò, vt ſingulare præciſè. Secundò, vt ſingulare materiale. Et aduerte, quòd ſingulare materiale, comparatur ad ſingulare, vt ſpecies ad genus. Prædicatur enim ſingulare de ſingulari materiali, & immateriali. Et ſingulare materiale de hoc & de illo ſingulari materiali. Idem intellige de ſingulari immateriali.

Secunda diſtinctio, per ſe intelligibile, ſumitur dupliciter. Primò, vt idem eſt quòd ex ſe, ſiue ex natura ſua eſt intelligibile. Secundò, vt idem eſt quod quocunque alio rem oto vel non mediante alio, & vt ſic eſt idem quod primo. Iſti duo modi nõ conuertuntur. Nam accidens eſt per ſe intelligibile iuxta primum modum: ſed non iuxta ſecundum: quoniam, vt diximus ſuprà, ſubſtantia eſt prior accidente cognitione. Ex his diſtinctionibus ponuntur & probantur tres concluſiones.

Prima concluſio, ſingulare vt ſingulare, eſt intelligibile per ſe, id eſt, ex natura ſua, probatur. Singulare vt ſingulare, eſt ens per ſe, ergo eſt intelligibile per ſe, cõſequentia patet, quoniam vnumquodq; in tantum eſt intelligibile inquantũ eſt ens, cùm ens ſit obiectũ intellectus, ergo quod eſt ens per ſe, eſt intelligibile per ſe. Accidẽs autem probatur, quoniam ſingulare includit entitatem omnium ſuperiorum in linea prædicamentali, & non addit niſi proprietatem indiuidualem. Sed ex hoc non ſit vnũ per accidens, aliter dum dico homo riſibilis eſſet vnum per accidens, quod patet eſſe falſum, cùm ſit quid demonſtrabile: ergo, &c. Præterea ſi ſingulari vt ſingulare repugnaret eſſe per ſe intelligibile, ergo intelligẽtia nõ ſe ipſam per ſe, nec Deus ſeipſum per ſe intelligeret, q̃ omnia ſunt abſurda.

Secunda concluſio. Singulare vt materiale, in neutro modo diſtinctionis datæ eſt per ſe intelligibile, probatur, vnũquodque inantum eſt intelligibile inquantum eſt aut fit immateriale. Hac enim de cauſa ponitur ab Ariſtot. intellectus agens vt denudet quidditatem materialem à conditionibus materialibus, aliter non eſſet intelligibilis actu. Sed ſingulare vt materiale, nullo modo eſt nec fit immateriale, non enim abſtrahit à materia communi, cùm illa ſit de ratione ſubſtantiæ materialis, vt diximus ſuprà, nec à materia indiuiduali, cùm ſit conſtitutiua indiuidui materialis, vt diximus ſuprà: ergo, &c.

Tertia concluſio, ſingulare vt ſingulare, non eſt intelligibile per ſe, id eſt primò, ſine non mediante alio prius intellectu. Antequam probetur aduerte, quòd eſt contra Scotum, & Anto. And. eſt quidem contra, ſi ſumatur, ly primò, reſpectu ſpeciei intelligibilis quo ad repræſentatiuitatem, vult enim Scotus & Anton. Andr. & Gregori. quòd fit primo repræſentatiua ſingularis, quia ſumitur à phantaſmate ſingulari. Sed Bea. Tho. vult ipſam eſſe primo repræſentatiuam naturæ vniuerſalis, ſecundariò autem ſingularis, probatur igitur concluſio ſic, Illud eſt primo intelligibile ab intellectu, quo primo diſtinguitur intellectus à ſenſu, quoniam diſtinguuntur, potentiæ per obiecta propria, ſed in hoc diſtinguitur in via Philoſophi intellectus à ſenſu, quod ſenſus, primo apprehendit ſingulare, ergo intellectus non eſt aptus primò intelligere ſingulare, ſed vniuerſale. Præterea, ſi ſingulare eſt primò intelligibile ab intellectu, ergo ſpecies ſenſibilis poſſet actuare intellectum, cùm ſit naturaliter repræſentatiua ſingularis: hoc autem falſum eſt, quoniam non eſſet neceſſe ponere intellectum agentem. Non igitur ſingulare vt ſingulare eſt primo intelligibile ab intellectu, ſed primo ſenſibile. Et aduerte quod apud nos, idẽ eſt ſingulare eſſe primò intelligibile, & eſſe intelligibile propria ſpecie primo repræſentatiua ſingularis.

Ad euidentiam ſecundi, proponitur diſtinctio de cognitione. Deinde quædam concluſiones reſponſiuæ, poſtremo ſoluentur quædam argumenta.

Diſtinctio eſt hæc, Cognitio eſt duplex, ſcilicet directa & reflexa, directa eſt, quæ terminatur primo ad aliquod obiectum ſua ſpecie repræſentatum, vt quãdo video albedinẽ per ſpeciẽ propriam albedinis, & intelligo lapidem per ſpeciem lapidis. Reflexa eſt, vt quando intelligo aliquid vel video in aliquo prius cognito, vt quando video directè imaginem in ſpeculo, & reflexè per talem imaginem video faciẽ meã vel alterius.

Ex hac diſtinctione ponuntur duæ concluſiones reſponſiuæ.

Prima concluſio. Singulare præcipuè materiale non poteſt cognoſci ab intellectu coniuncto directè, ſed ſolùm reflexè:

probatur,singulare materiale non potest abstrahi à materia indiuiduali, quæ directè repugnat intelligibilitati, quoniam cùm intellectus sit immateriale vel factum immateriale, ergo non potest directè attingi ab intellectu coniuncto. Dixi autem præcipuè materiale,quoniam de immaterialibus secus est nam cùm sit abstractum ab omni materia, nihil sibi inest, quod repugnet intelligibilitati.

Secunda conclusio,Singulare materiale cognoscitur ab intellectu reflexè,à sensu autem directè,& quidem q̃ à sensu cognoscatur directè, patet,quoniã cognoscitur per speciẽ sensibilem causatã in sensu à singulari materiali, quæ repræsentat obiectum,vt hic & nunc,ex consequenti vt existens,ergo directè.Quomodo autẽ & quo ordine cognoscatur ab intellectu reflexè,aduerte,q̃ in doctrina B.Tho.hæc se habẽt per ordinem intellectus per speciem intelligibilem repræsentatiuã primo naturæ vniuersalis,directè intelligit naturam vniuersalem,vt suum proprium obiectũ.Deinde redit ad cognoscendũ actum suum intelligendi,& aduertit q̃ hic actus causatus est à specie intelligibili simul cum ipso intellectu. Deinde redit ad cognoscendum speciem intelligibilem,& aduertit illã fuisse extractam à phantasmate. Deinde redit ad considerandũ phantasma,& aduertit fuisse causatũ à singulari & repræsentatiuũ eiusdem.Tunc cognoscit in hoc vltimo gradu reflexionis substantiam singularem concurrente etiam cogitatiua, quæ dicitur ratio particularis.eo q̃ substantiam particularem apprehẽdit.Hæc est mens B.Tho.in quæstionibus de veritate, q. 2. art. 10. à qua dissentit Ant. And.in 7. in q. 13. Sed ratio sua non valet:supponit enim falsum.scilicet quòd singulare possit obiici intellectui sine conditionibus indiuiduantibus,quæ sunt differentia temporis,& situs,& figuræ.Id nos nõ admittimus, ideo ratio sua nulla est. Aduerte etiam: q̃ & ipsæ in tertia sua conclusione ponit singulare signatum cognosci reflexè, sed nõ ad sensum nostrum.Tenet enim indiuiduum, vagum primo cognosci per speciem intelligibilem, secundo cognosci per naturam specificam,tertiò per reflexionem ad indiuiduum vagum cognosci indiuiduum signatum. Sed hunc ordinem nos non admittimus,vt patet suprã. Quia primum cognitum per speciem intelligibilem est natura communis primo repræsentata per ipsam speciem, ideo stam conclusionẽ in suo sensu non acceptabis,nec similitudo quã adducit, est valida, licet enim natura non intendat producere vniuersale,quoniam actio est ad esse huius entis, tamen species intelligibilis potest primò repræsentare vniuersale, vt deputata à conditionibus materialibus & indiuiduantibus.

Vltimo loco soluenda sunt quædam argumenta, quibus probant aliqui etiam ex fundamentis B.Tho.intellectum directè intelligere singularia.

Primò igitur sic arguunt secundum doctrinam B. Tho. Intellectus antequàm intelligat vniuersale, necessario conuertit se ad phantasmata, quæ sunt singularia & repræsentatiua singularium.Sed hæc conuersio non est aliud quàm intuitus siue intellectio phantasmatum, ergo non prius intelligit vniuersale,sed singulare ergo directè intelligit ipsum.

Ad hoc respondetur,secundum doctrinam B.Tho.negatur minor,quoniam intellectum conuerti ad phantasmata, non est nisi accipere speciem à phantasmate, in qua specie directè intuetur vniuersale,reflexè autem singulare.

Secundo sic, necesse est intelligentem phantasmata speculari,ex 3. de anima, sed speculari non est nisi intelligere, ergo cum phantasmata sint singularia & repræsentatiua singularium, intelligens necessario intelligit singularia,ergo directè, quoniam intellectio reflexa non est necessaria.

Ad hoc negatur minor,nam speculari cõmuniter attribuit imaginatiuæ, & cogitatiuæ. & intellectui, vnde quando dicit philosophus intelligentem necesse est,&c.intendit q̃ si homo debet intelligere,necesse est vt speculetur, id est imaginetur, vel phantasietur phantasmata à quibus accipiat speciem intelligibilem vt principium intelligendi,& aduerte quòd non dicit philosophus,necesse est intellectum,sed intelligentem,qui est homo,phantasmata speculari,

Tertio,formare syllogismum expositorium est actus intellectus,discurrere enim videtur esse solius rationis, sed mediũ in tali syllogismo est singulare, ergo prius & directè intelligit singulare, cum ex singulari medio concludat vniuersale.

Ad hoc dicitur quod cùm cogitatiua sit propinquissima intellectui,intantum quod dicitur ratio particularis,nõ inconuenit illam formare syllogismum expositorium,vnde dico q̃ cogitatiua format maiorem & minorẽ syllogismi expositorij: intellectus autem iam adiutus cogitatiua facit cõclusionem, ex consequenti argumentũ nõ concludit aliud, nisi q̃ formãs syllogismum expositorium cognoscit directè singulare, hic autem formans non est intellectus, sed ratio particularis.

Quarto intellectus per inductionem procedit, à singularibus ad vniuersale, ergo prius & directè cognoscit singulare.

Ad hoc dicitur,quod intellectus per se solum nõ facit inductionẽ,sed vt diximus adiutus cogitatiua,quæ numerat singularia vt conuenientia in aliquo prædicato,ideo nihil cõcludit.

Quinto,intellectus cognoscit hanc propositionem esse veram, Sortes est homo, ergo cognoscit Sortem & hominem, quæ sunt extrema, ergo singulare,sicut & vniuersale.

Ad hoc dicitur,admisso quòd hanc propositionem cognoscat &extrema,non est necesse,quòd vtrunque extremum cognoscatur directè,& posito quod cognoscatur directè,non est necesse,ab eadem potentia:vnde potest dici quod Sortes directè cognoscitur à cogitatiua, & homo ab intellectu.

Sexto, sensus directè cognoscit singulare, ergo & intellectus probatur consequentia, quoniam quicquid potest virtus inferior, potest virtus superior.

Ad hoc negatur consequentia,ad probationem dico quod quicquid potest virtus inferior potest virtus superior, sed non eodem modo,vnde ibi est fallacia, q̃m mutatur quid in quale,

Septimo,intellectus ponit differentiam inter singulare & vniuersale,ergo cognoscit vtrunque directè.

Ad hoc negatur consequẽtia,sufficit enim ad cognoscendi talem differentiam,quod vtrũque cognoscatur ab intellectu, sed non est necesse quod eodẽ modo potest dici, quod cognoscit talem differẽtiam,quia cogitatiua cognoscit singulare, & intellectus vniuersale, nec est necesse potentiam cognoscentem differentiam inter duo extrema cognoscere illa duo extrema, nisi quando non sunt apta cognosci, nisi cognitione vnius generis,puta sola cognitione sensitiua,vt hoc album,& hoc nigrum, vel sola cognitione intellectiua, vt duæ species specialissimæ,& quoniam singulare est aptum cognosci à cogitatiua,& vniuersale ab intellectu, & cogitatiua habet continuitatem & maximã propinquitatem cum intellectu. ideo potest intellectus ponere differentiam inter vniuersale & singulare,dato q̃ non intelligeretur nisi à cogitatiua, & propter hoc non infingitur ratio philosophi in 3. de anima,qua venatur sensum cõmunem,fundata super hoc principium, necesse est potentiam cognoscentem differentiam duorum extremorum esse vnam,& vtrunque cognoscere. Hoc inquã principiũ intelligitur, quando vtrunque extremũ est aptũ intelligi cognitione vnius rationis,puta vtrunque sensitiua, vel vtrũque intellectiua.& non aliter. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVII.

Si in solis substantiis separatis quodquidest est idem cum eo cuius est.

Et quodquiderat esse, & vnumquodque in quibusdã idem vt in primis substantiis(& infrà) omnia autem quæ sunt sicut materia,aut sicut congregata ex materia,non sunt idem, neque secundum accidens vnum & Sor. & musicum. Tex. 41.

CONCLVSIO.

In solo principio,id est, in Deo, sunt omnia idem quodquidest, & id cuius est.

Circa hanc q. antequã deueniamus ad decisionem aduerte, quod philosop. in hoc 7. in text. 20. determinauit absolutè,quòd in omni substantia quæ est ens. Per se,sunt idẽ quod quidest,& id cuius est,& solum excepit ea quæ sunt vnum per accidens. Hic autẽ quasi se corrigens,excipit substantias compositas de quarum diffinitione est materia, & excipit ens per accidens, & vult quòd in simplicibus, vt in separatis sint idem, in aliis autem nõ. Vt igitur resoluamus propositũ secundum doctrinam B. Tho.sic procedemus. Primo,ponitur hæc conclusio,In solo primo principio,id est, in Deo sunt omnino idẽ quodquidest,& id cuius est. Secundò declarabitur in quo sensu tam substantiæ separatæ quàm materiales, non sunt idem cum suo quodquid est,Tertiò soluentur quædam argumenta opinantium,quod absolutè omnis substantia siue materialis siue immaterialis, est idem cum suo quodquidest.

Conclusio quidẽ proposita sic manifestatur,substantia cõposita specifica,puta homo,licet non explicitè includat hanc materiam & hanc formam & alia accidentia indiuidualia, tamen non excludit ea,quia cum in homine includantur implicite Sortes& Plato,etiam includuntur & continentur implicite principia indiuidualia.In quodquidest autem substãtiæ cõpositæ, cõtinentur solùm prædicata per se primo modo, scilicet materia & forma in cõmuni,& excludit omnia alia prædicata,etiam prædicata secundi modi per se,vt dixit suprã philosophus:ergo quodquidest substantiæ compositæ specificæ & id cuius est,non sunt idem,cũ quòdquidest præscindat omnia

prædicata indiuidualia,& id cuius est,non præscindat illa. Ex quo patet, quòd solùm quo ad prædicata quidditatiua sunt idem :substantiæ verò separatæ præter primam, licet non includant hanc materiam, quia nõ indiuiduantur per materiã, tamen includunt existentiam implicitè, quæ est extra rationem formalem ipsarũ,& includunt suas proprietates, & proprias actiones, quæ sunt accidentia,quoniam in solo Deo proprietates,& actio sunt substantia sua.Quodquidest verò earũ, includit sola prædicata quidditatiua,& omnia alia præscindit, scilicet existentiam, proprietates, & actiones, ergo non sunt idem,cum id cuius est,magis includat quàm ipsum quodquidest, in solo autem Deo nihil est quod non sit essentia sua, ibi enim esse est sua essentia, & proprietates, & actio est sua substantia,nullum ergo prædicatum extraneum includit id quod est Deus, sed tantum prædicata quidditatiua, quæ sola etiam includuntur in suo quodquidest,ergo in solo Deo penitus sunt idem.Et aduerte quòd hæc conclusio supponit quòd de mente Philosophi,cęteræ substantiæ separatæ non sint purus actus, nec infinitæ virtutis,nec actio sua sit substantia, quæ an sint,de mente sua,disputabitur in libro duodecimo.

Quantum ad secundum aduerte,quòd aliqua dicuntur differre & non esse idem duobus modis.Primò,quia sunt distinctæ naturæ,ita quod vnum non includit aliud, & sic differunt duæ species,duo indiuidua,tam in genere substantiæ,quàm in genere accidentium.Secundò,quia licet sint quidditatiuæ,siue quo ad essentialia intrinseca, vna res, tamen quia vnum connotat aliquid reale & extraneum, quod non connotat aliud, vel quia vnum præscindit à quolibet extraneo,à quo non præscindit aliud, ideo dicuntur differre, sicut Sortes, & Sortes albus:licet enim sint essentialiter idem,non tamen ex connotato siue ex prædicato extraneo.Sortes enim vt Sortes non connotat album,sicut connotat Sortes albus. In proposito dico, quòd in abstractis citra primũ & in substantiis materialibus, Quodquidest & id cuius est,non differunt primo modo.Nam homo est essentialiter idem cum animali irrationali.Sed differunt secundo modo, quoniam homo connotat implicitè aliqua, quæ sunt extranea à sua quidditate, vt esse & accidentia, siue propria, siue communia, & omnino præscinduntur à sua quidditate,& si bene aduertes,videbis quòd ex hac distinctione soluuntur penè omnia argumenta tenentium oppositum.

Quantum ad tertium aduerte,quòd tenentes contra determinationem factam,arguunt multipliciter, & primo sic, si in omnibus habentibus quodquidest, non est idem cum eo cuius est,ergo falsum est,quod dicit Philosophus in septimo Metaphysicæ, scilicet quòd singulum non est aliud à sui substantia,id est,à sua quidditate,siue suo quodquidest.

Ad hoc patet quid dicendum sit,ex his quæ diximus in principio quæstionis,nam in textu vigesimo,qui est text. allegatus ab arguente,determinauit absolutè & in genere.Sed infrà in textu quadragesimoprimo,considerans materiam substantę compositæ,& naturam substantiæ abstractæ, excepit substantias cõpositas:ideo nulla est contradictio in dictis Philosophi.

Secundò sic.Si in aliquo ente per se,non est idem quodquidest cum eo cuius est, illud non posset esse formaliter scitum, neque ens,quod est manifestè falsum,quoniam tunc de nulla substantia composita haberemus scientiã,nec esset ens. Consequentia autem probatur, quoniam vnumquodque est scitum & est ens per intrinsecum sibi,& hoc est suum quodquidest,ergo non est intrinsecum nec distinctum ab eo cuius est.

Tertiò si sic, ergo idem esset seipsum & non seipsum, quod implicat,consequentia probatur, quia vnumquodque est bonum per naturam sue quidditatem boni, sicut homo est homo per humanitatem.Sed si natura boni,siue quidditas est separata,iam non est illud:ergo,&c.

Quartò,quia esset processus in infinitum.Quæreretur enim de illo quodquidest separato, vtrum habeat quodquidest vel nõ, & tenet argumentum si ponitur alia res,

Ad hæc tria simul respondetur,quòd fundantur in falsa imaginatione.Opinatur enim arguens,quòd teneamus in substantiis compositis quodquidest distingui ab eo cuius est,iuxta primum sensum distinctionis positæ in quæstione, quod nos non dicimus, sic enim esset incidere in opinionem Platonis, contra quam militant dicta argumenta, & virtualiter sunt rationes Philosophi disputantis contra Platonem.Sed nos dicimus ea distingui, quia licet quo ad prædicata per se primi modi, sint idem, non tamen quo ad prædicata secundi modi, & alia accidentalia, & quo ad esse, quoniam hæc præscinduntur à quodquid est, sed non ab eo cuius est, vt declarauimus suprã.

Quintò,si sic est, hoc ideo est,quia id cuius est,includit esse, quod non includitur in suo quodquidest, hoc autem est falsum, consequentia patet, quia est ratio sic tenentium, falsitas autem consequentis probatur.Quia possumus loqui & disputare de rosa & de aliis concretis, & similiter de quolibet supposito angelico & materiali,ignorando vtrum sint,& per con sequens sub indifferentia ad esse & ad non esse, ergo nec concretum,nec suppositũ angelicum, nec materiale includit esse.

Ad hoc dicitur,quòd arguens imaginatur nos tenere,quòd esse includatur in ratione, siue in conceptu concreti, aut suppositi immaterialis vel materialis, & excludi à quodquidest.Id nos non tenemus, Sed dicimus, quòd licet non includat esse explicitè,includit tamen implicitè, inquantum significat vt habens & vt totum, excluditur autem explicitè & implicitè à quodquidest,quoniã constat ex solis prædicatis quidditatiuis, excludens quodcunque extraneum, & quoniam in via nostra in quolibet circa primam causam, esse est extraneum & distinctum à quidditate, ideo omnino excluditur à quodquidest.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVIII.

Si ex genere & differentia fit vnum per se.

Propter quod quidem vnum est, cuius rationem diffinitionem esse dicimus. Textu 42.

CONCLVSIO.

Quum genus & differentia non distinguantur realiter, ex eis fit vnum per se:quum verò subiectum & accidens distinguantur realiter, & neutrum eorum sit ens in pura potentia,ex eis non fit vnum per se.

Circa hanc quęstionem antequam deueniamus ad decisionem aduerte,quòd Philosophus in tex.præsenti intendit declarare,quomodo diffinitio significat vnũ per se, cum constet ex genere & differentia,quæ videtur significare plura,vnde sicut ex subiecto & accidente non constituitur vnum per se,sic nec ex genere & differentia videtur posse cõstitui vnum per se.Pro resolutione igitur huius dubij sic procedemus. Primò,declarabitur secundum B.Th.quæ est ratio quod ex genere & differentia fit vnum per se,non autem ex subiecto & accidente. Secundò examinabitur ratio, quam ad idem adducit Iand.in septimo Met.q.23.Tertiò soluentur quædã argumẽta.

Quantum ad primum aduerte,quod ratio B.Th.stat in hoc. Quando differentia additur generi,non additur vt forma,vel natura distincta realiter à natura generis, sed vt determinatum indeterminato,ita tamen quòd eadem natura concepta indeterminatè fundat conceptum generis, concepta autem determinatè,fundat conceptum differentiæ.Sed non sic est in subiecto & accidente, quoniam accidens siue proprium siue commune,est quid extraneum & distinctum realiter à subiecto,& tam accidens quàm subiectum sunt in actu,ideo ex eis non fit vnum per se.Nam dicemus infrà, quòd ex duobus entibus in actu distinctis realiter nõ fit vnũ per se.Sed necesse est alterum esse ens in potẽtia. Hac enim de causa ex materia & forma fit vnũ per se,vt patebit infrã.Quia igitur genus & differentia non distinguuntur realiter non inconuenit quòd ex eis fiat vnũ per se,& quoniam subiectũ & accidens distinguuntur realiter,& neutrũ eorũ est ens in pura potentia,ideo ex eis nõ fit vnũ per se.Hæc est ratio B.Th. Et aduerte,quòd cum teneamus genus & differẽtias medias & vltimam esse vnum essentialiter, nõ possumus dicere,ex genere & differentia fieri vnũ per se compositione reali, quoniam compositio realis requirit extrema distincta realiter.Sed verius dicitur,quod fit vnum per se compositione rationis, quoniam genus & differentia distinguuntur solùm ratione,& vnum prędicatur de alio identice,licet non formaliter, vt diximus in tertio libro.

Quantum ad secundum aduerte quod Iandu.in septimo libro,in quæstio.vigesimatertia,sequens imaginationem suam, quòd scilicet in substantia composita multiplicentur formæ, vt multiplicantur prædicata quidditatiua, tenet ideo ex differentia & genere,præcipuè ex differentia finali, & genere proximo, fieri vnum per se, quoniam genus dicit formam generalem,puta animal animam sensitiuam, & differentia finalis dicit formam specificam, puta rationale animam intellectiuam, & tenet quod differentia finalis sumpta à forma specifica comparatur ad genus proximum sumptum à forma generali,sicut actus perfectus & completus ad actum imperfectum, qui vt imperfectus, est vt ens in potentia ad actum, & tunc arguit sic,Ex illis fit vnum per se,quorum vnum addit super aliud actum perfectum & substantiam perfectam, quia actus completus cum ente in potentia facit vnam naturam per se.Sed hoc est in partibus diffinitionis, nam quando diffinitio constat ex genere remoto & omnibus differentiis, vltima differentia addit super alias actum completum : quando autem constat ex genere proximo & differentia vltima,idem

ſequitur, quoniam genus importat formam generalem & potentialem, differentia autem vltima, formam ſpecificam vt actum vltimum & completum, vnde ſicut ex forma & materia fit vnum perſe, alterum, actus alterum potentia, ſic in propoſito quia genus eſt potentia, & differẽtia vltima actus.

Sed hæc poſitio partim deſtructa eſt in lib. 2. Metaphyſ. vbi quæſiuimus ſi eſt proceſſus in infinitũ in cauſis formalibus, & partim deſtruetur in li. 8. vbi determinabimus vnitatẽ formæ ſubſtantialis in cõpoſito. Et infrà, in hoc 7. ſuper tex. 56. quæremus, ſi dãtur diuerſæ formæ ſubſtantiales in animali ſecũdum diuerſa organa. Pro nũc ſufficit reſpõdere rationi factæ à Iãd. negatur igitur maior, niſi illud cui additur actus perfectus, ſit ens in pura potẽtia, qualis eſt materia prima: conſtat autẽ q̃ genus nec differentiæ mediæ dicunt ens in pura potentia. Negatur etiã minor, ad probationẽ, nego q̃ genus dicat formam generalẽ, diſtinctã realiter, vt ſupponit arguẽs à forma ſpecifica, nego ſimiliter q̃ differẽtia vltima addat ſup differẽtias medias, actum perfectũ, ita q̃ vt ſupponit arguens, differẽtiæ mediæ dicant actum ſiue formam imperfectam, diſtinctam realiter à forma importata per differentiam vltimã. Et aduerte q̃ Ant. And. in 7. lib. in q. 14. videtur declinare ad mẽtem Iãd. nam in fine quæſtionis concedit, q̃ genus poteſt ſumi ab vna forma, & differentia ab alia, & exẽplificat de homine in quo ſecũdum ipſum ſunt plures formæ, verũ cùm quælibet forma ſit actus, & faciat eſſe actu id cuius eſt forma, ſequitur quòd genus & differentia in homine ſumãtur à duobus actibus. Sed ex duobus actibus aut ex duobus entibus in actu nõ fit vnum perſe, vt declarabitur infrà: ergo ſtante poſitione Iandini & Ant. And. non poterit aſsignari ratio, quare ex genere & differẽtia fiat vnum per ſe. Melius eſt ergo tenere ſententiã B. Tho. à quo nec Cõmen. diſcordat, nam in hoc 7. in cõmen. 42. Declarans, quare homo albus nõ ſignificat vnum per ſe, ſicut animal bipes, quæ ponitur diffinitio hominis, inquit. Dicere verò quare homo albus non ſignificat vnum, quoniã alterũ iſtorũ non eſt reliquum eſſentialiter, ex quibus innuit, quod ideo genus & differentia conſtituunt vnum per ſe, quia ſunt idem eſſentialiter, & quoniam in ſubiecto & accidente non eſt identas eſſentialis, ideo ex eis non fit vnum per ſe, ſi ſint idem eſſentialiter ergo non ſumuntur ab alia & alia forma, vt patet. Sed ab eadem diuerſimode concepta, vt diximus ſuprà.

Quantum ad tertium aduerte, quòd omnia argumẽta quę ſolent fieri contra determinationem factam ſupponũt in eodem plures formas ſubſtantiales. & quoniam hoc quæſitum differimus vſque ad octauum lib. ideo ne multories eadem argumenta & ſolutiones replicemus, non eſt hic immorandum. Hæc de præſenti quæſito dicta fuerint.

QVAESTIO XIX.

Si in animali plurificantur formæ ſubſtantiales ſecundum partes organicas.

Maximè autem aliquis animatorum partes ſuſpicabitur, &c. vſque ibi, eo quòd principia motus habeant ab aliquo in iuncturis. Tex. 56.

CONCLVSIO.

Non ſunt plures formæ ſubſtantiales in eodem animali partium heterogenearum, nec diuerſorum organorum: ſed ſolùm eſt vna forma totius animalis & quarumcunque partium donec vniantur in toto.

Circa hanc q. antequam veniamus ad reſolutionẽ aduerte quòd Philo, in tex. propoſito intẽdit declarare, quomodo ſubſtantia compoſita cõponatur ex partibus, & dicit q̃ non cõponitur ex partibus exiſtentibus in actu, ſed in potentia, eo quòd partes non ſunt actu exiſtentes ex ſeipſis dum cõponunt totum, ſed exiſtunt per eſſe totius, & id quidem clarum eſt in rebus inanimatis, in quibus non ſunt diuerſæ partes organicæ ordinatæ ad diuerſas operationes, ſed in animalibus videtur dubiũ, nã ex quo diuerſæ partes habẽt diſtinctas operationes, vt cor, ſtomachus, cerebrũ, videntur exiſtere actu non ſolũ per formã totius animalis quæ eſt anima, ſed per formã propriã, ita quòd alia ſit forma ſubſtantialis cordis, alia ſtomachi, alia cerebri, alia carnis, alia oſſis. Item aduerte, quòd hic nõ intendimus quærere, vtrũ in vno cõpoſito ſint plures formæ totius cõpoſiti, puta q̃ in homine ſit corporeitas, anima veg. ſenſi, intellectiua, quarũ quælibet totam cõpoſita materiam informet. De hoc enim quæremus in li. 8. vt diximus ſuprà. Sed hic intendimus quærere ſolũ vtrum in animali perfecto in quo ſunt varia membra diſtinctarũ operationum, ſint plures formæ partiales ſubſtantiales, vt in corde, in ſtomacho, &c.

Pro reſolutione igitur præſentis quæſiti, in quo inuenio opiniones duas extremas, ſcilicet B. Tho. & Ant. And. cum Scoto, ſic procedetur.

Primo pertractabitur opinio B. Tho. & eorum qui concordant cum eo. Secundò pertractabitur opinio oppoſita, & ſoluentur rationes ſuæ.

Quantũ ad primum aduerte quod mens B. Tho. eſt, vt patet in 1. parte q. 76. art. 4. cui concordat Greg. in 2. ſen. diſt. 17. q. 2. & Her. in q. magna de pluralitate formarũ, quòd non ſint plures formæ ſubſtantiales in eodem animali partium heterogenearum, nec diuerſorũ organorũ, imò eſt tantum vna forma totius animalis, & quarũcunq; partiũ, donec vniuntur in toto. Hãc cõcluſionẽ ſic probare poſſumus. Organizatio corporis, & diſtinctio partiũ heterogenearũ præuenit aliquo modo productionem animæ. Eſt enim anima actus corporis, non qualiſcunque, ſed phyſica organici. Igitur ſi huiuſmodi partes habẽt proprias formas ſubſtantiales, ſequitur quòd præueniunt tales formæ ipſam animam, & tunc quæro, aut in aduentu animæ corrumpuntur, aut permanent, ſi corrumpũtur, aut aliæ ſimiles inducuntur, aut non. ſi primo modo, ergo fruſtra corrumpuntur, ex quo illæ ſufficiebant, ſicut ſuę cõſimiles: ſi ſecũdo modo, habetur propoſitũ, quoniã poſt aduentũ animę, erit verum dicere, quòd eſt tantũ vna forma totius animati, & omnium organorũ & omniũ partiũ heterogenearũ, ſi permanẽt, ſequitur quòd erit vera generatio ſubſtantialis alicuius, abſq; cuiuſquã ſubſtãtiali corruptione. quod repugnat philoſophiæ Ariſt. Quod & confirmatur per Cõm. in 1. Phy. cõmen. 69. vbi inquit, ſi materia haberet propriã formã, nullam aliam reciperet ipſa permanente. Sed ſtatim corrũperetur, quã cito alia forma generaretur, præterea, ſi manent, ſequitur quòd productio illa non erit vera generatio ſimpliciter, ſed alteratio tantum, quoniã ſubiectũ differens trãſmutationem, retinebit ſub vtroque termino idem nomẽ, & eandẽ diffinitionẽ, cum quælibet forma ſubſtantialis conſtituat in eſſe ſpecifico. Ne refert quantũ ad hoc, vtrũ illa forma ſit perfecta vel imperfecta, ga quælibet conſtituit hoc aliquid vnum ſecundũ ſpeciem, & per conſequens manente eadem forma, ipſum erit idem nõ varia tum ſecundũ ſubſtãtiam ſuã, ac per hoc quælibet trãſmutatio ſuperueniens erit ſolũ accidentalis, & hoc ipſum confirmatur per Commen. qui in 1. phyſic. cõmen. 69. per hoc probat, quòd materia non eſt aliquid exiſtens actu habẽs propriã formam ſubſtantialẽ, quoniã tũc generatio in ſubſtãtia eſſet alteratio, & formæ receptę eſſent accidẽtia. Vt igitur nõ ſequãtur huiuſmodi inconuenientia, tenendũ eſt, quòd nõ ſunt plures formæ ſubſtantiales in animali ſecundũ pluralitatẽ organorum, &c.

Quantum ad ſecundum aduerte, quòd Ant. And. in 7. li. in q. 17. tenet partẽ affirmatiuam. Dicit enim quòd in quolibet viuo præter formam animati, quæ eſt anima, eſt alia forma totius, quæ eſt forma corporis & forma mixti, & præter has quę ſunt communes toti animali ſiue viuo, ſunt aliæ partiales ſpecificè diſtinctæ, & ſunt tot, quot organa diſtincta, & hanc ſuam opinionem conatur probare tribus rationibus.

Prima eſt, pars aliqua animalis poteſt ſeparari ab animali, vt ſi pars oſsis abſtrahatur ab animali, & remanet actu poſt ſeparationem, vt patet. & non remanet actu per formam totius, cùm ſit extra totum, nec remanet per formam de nouo genitã, quia tam ſubito, ſicut poteſt eſſe illa diuiſio ſi ſit in inſtanti, non poteſt ab agente naturali noua forma introduci ſine alteratione præcedente, ergo remanet per formam propriam, quam prius habebat, dum eſſet vnita in toto.

Ad hoc conceditur totum, vſque ibi, nec remanet per formam de nouo genitã, hoc negatur, ad probationẽ dico, quòd quocũque paruo tempore fiat diuiſio, ſit cum alteratione, quæ vt præuia, ſufficit pro generatione nouæ formæ ab agente naturali in parte diuiſa, nã forma illa eſt forma cadaueris, quæ eſt forma vilis, & vt via in reſolutionem ad 4. elementa. Ad cuius generationem propter vilitatem ſuam, nec multum temporis, nec multæ diſpoſitiones, nec ordinata alteratio requiritur. Sicut oppoſito modo contingit, quando debet generari animal propter nobilitatem animæ, quæ comparatur ad formas inferiores ea, vt perfectum ad imperfectum.

Secunda. Vna forma mixti non videtur poſſe informare materiam diſpoſitam contrariis, & repugnantibus mixtionibus. Sed in corpore animalis ſunt tales mixtiones ex 1. de anima, & patet, quia cerebrum eſt frigidum, & cor calidum.

Ad hoc reſpondent Her. & Greg. vbi ſuprà, & negant maiorem. Dicunt enim illam non habere veritatem, niſi in forma, quæ ita eſt vna, quòd non eſt multiplex virtute, vt forma elementi, modo forma mixti animati eſt multiplex virtute, æquipollet enim formis 4. elemẽtorum, & ideo ſicut forma ignis eſt principiũ calefaciẽdi, & aquæ infrigidãdi, ſic forma mixti in diuerſis partibus mixti, ad exercendũ diuerſas & cõtrarias operationes prout conuenit, mixto animato, & præcipuè

animali perfecto. Et aduerte quòd conſimiliter ſoluitur argumentũ, quo Ant. And. arguit in prin. illius quæſtionis. Sic enim arguit: Actiones ſpecie diſtinctæ, ſunt à formis ſpecie diſtinctis, quoniam cùm forma det eſſe & agere, actio notificat formam. Sed in partibus animalis ſunt actiones ſpecie diſtinctæ, vt patet, quod cor calefacit, & cerebrum infrigidat: ergo, &c.

Hoc inquam ſoluitur vt præcedens, quoniã maior non habet veritatem, niſi in hoc diſtuncto. Actiones ſpecie diſtinctę ſunt à formis ſpecie diſtinctis, vel à forma æquipollẽte formis ſpecie diſtinctis. Et 2. pars verificatur in caſu propoſito, quare, &c.

Tertia ſecundum Ariſtot. in libro de animalibus, Cor prius etiã tempore generatur, quàm aliæ partes animalis, & ſic eſt aſsignare multas mutationes completas, vnam ante aliam in generatione animalis terminatas ad plures formas: ergo, &c.

Ad hoc concorditer reſpõdetur à tenentibus vnitatem formæ in compoſito, quòd Philoſophus per generationem cordis ante alias partes intendit figurationem eius, non tamen eſt verè & eſſentialiter cordis, niſi in eo inſtanti in quo introducitur forma animãti, quæ eſt anima, quæ informat totum & ſingulas eius partes.

Vltimò aduerte quòd Ant. And. volens ſeruare pluralitatem formarum partialium ſecundum partes organicas, ne videatur tenere contra Philoſophum, qui vult quòd manus mortua non ſit manus, niſi æquiuocè. Quod vtique non verum, ſi manus habet propriam formam, diſtinctam à forma totius animati, nam hoc conceſſo, manus ſiue coniuncta ſiue ſeparata retinebit ſuam propriam formã, & ſic erit eadem manus vniuocè & viua & mortua ex quo ſtat eadem forma propria manus. Vt igitur Ant. And. nõ videtur tenere contra Philoſophũ, ſic diſtinguit: Manus poteſt dupliciter conſiderari. Primò, manus vt manus. Secundò manus vt organũ officioſum ad exercendum opus vitæ, ſicut eſt de oculo & aliis ſimilibus, ſi primo modo, ſic eſt manus vniuocè, quandiu manet ſub propria forma manus, ſic ſecundo modo, ſic eſt manus æquiuocè, quia ſine anima non poteſt exercere opus vitæ, & in ſecundo ſenſu intendit Philoſophus, cùm dicit, manum mortuam ſicut & oculum mortuum, eſſe manum, æquiuocè.

Sed bene conſideranti patet, quòd ſtante ſua diſtinctione nõ ſeruatur propria & vera æquiuocatio inter manum viuam & mortuam, & ſimiliter inter oculum viuum & mortuum, nam æquiuoca propriè dicuntur, quorum ſolum nomẽ eſt cõmune & ratio ſubſtantiæ eſt diuerſa, ſed ſecundũ te ſtat eadem ratio ſubſtãtialis, quia ſtat eadẽ propria forma. Cõſtat autem quod Philoſophus in 2. de anima in tex. 9. intẽdit de propria æquiuocatione. Dicit enim quòd ſi oculus eſſet animal, anima eius eſſet viſus, quo deficiente non eſſet adhuc oculus, niſi æquiuocè, ſicut lapideus & depictus. Si igitur oculus mortuus eſt ita æquiuocè oculus, ſicut lapideus, patet quòd nullã formam ſubſtantialem retinet, quam habuit in corpore animato, ſed tantum figuram, vt inquit Comm. in comm. eiuſdem textus. Nõ igitur valet diſtinctio Anto. And. Hæc de præſenti quæſito dicta ſint.

QVAESTIO XX.

Si totum diſtinguitur à partibus ſimul ſumptis.

Quoniam verò ex aliquo compoſitum ſit vſque ibi, Sed & alterum ſit. Textu 60.

CONCLVSIO.

Totum differt realiter ab omnibus ſuis partibus vnitis & ſimul ſumptis.

In hac quæſtione aduerte, quod ſolet pertractari hic, & in 1. Phyſic. in tex. 17. vbi inquit Philoſophus, Vtrum vnum aut plura pars & totum. Et inuenio duas opiniones extremas. Prima tenet partem affirmatiuam, & eſt B. To. vt patet in expoſitione, quam ſequitur Herueus in 2. quoli. libro q. 14. Alteram tenent pro maiori parte Commentiſtæ, eo quòd Comment. in primo Phyſic. commen. 17. dicit vna quæque partium dicitur eſſe aliud à toto, ſed omnes inſimul non poſſunt dici eſſe aliud à toto. Primo igitur pertractabitur opinio B. Tho. & Heruei. Secundo opinio Comment. & ſoluentur rationes, quæ induci ſolent pro eo.

Quantum ad primum aduerte reſolutionem opinionis noſtræ ſtare in hoc. Totum differt realiter ab omnibus ſuis partibus vnitis & ſimul ſumptis, non per aliquam partem, quoniam implicat dari partem in toto, præter omnes eius partes, nec per aliquam paſsionem totius, quoniam paſsio eſt natura poſterior, & ſupponit totum conſtitutum ex partibus, nihil autem diſtinguitur eſſentialiter ab alio per ſuum poſterius. ſicut enim diffinitiuum non eſt poſterius diſtincto, nec per ipſam vnionẽ partis cum parte, quoniam, cùm vnio dicat priuationem diuiſionis, ſiue habitudinem, ſequitur quòd totum dicat formaliter talem priuationẽ, vel habitudinẽ, quod eſt falſum, hæc enim conſequuntur naturã totius. Totum aũt dicit forma aliter compoſitum ex his. Sed differt ſeipſo toto, id eſt, ex ſui natura, nam ſicut natura partiũ eſt, quòd cõponant hoc. Sic natura totius eſt, quòd ſit cõpoſitum ex his, licet autem differat ſeipſo à partibus, non tamen differt quolibet ſui, id eſt, quolibet incluſo in toto, qui a cum totũ includat partes, differret à partibus per partes, quod eſt impoſsibile, ſed differt ſeipſo, quia eſt talis naturæ, quia ſcilicet eſt cõpoſitum & non cõponẽs. Et ſi quæras, vtrum totũ differens realiter à partibus addat aliquid ſupra partes, vel ſit aliquid præter partes. Dico quod neutrũ eſt concedendũ propriè loquendo: non primũ, quia illud propriè eſt præter alterũ, quo non eſt ipſum, nec ipſum eſt aliquid eius, ſicut diximus, quod in ſubſtãtia cõpoſita, præter materiã datur forma, quoniã materia non eſt forma, nec forma eſt aliquid materiæ. Conſtat autẽ quòd licet totũ non ſit aliqua pars, tamen pars eſt aliquid totius, & ideo nõ poteſt propriè dici eſſe aliquid præter partes. Non ſecundũ, quia illud propriè addit ſuper alterũ, quod includit ipſum, deinde dicit aliquid ſui ſupra illud, ſicut homo albus addit ſupra hominẽ. Sed, vt dictũ eſt, Totum, quod eſt ex his, non addit aliquid quod ſit ſui, ſupra omnes partes, quia non partẽ, non paſsionẽ, non vnionem, ergo, &c. Et ſi quæras quid ergo dicit totũ, per quod non ſit ſuæ partes ſimul ſumptæ. Dico, quòd dicit naturam ſui ipſius, quæ non eſt partes, ſed ex partibus, facta hac declaratione reſolutiua ponitur hæc cõcluſio. Totum cõpoſitum ex partibus ſiue integralibus ſiue eſſentialibus, quod eſt vnum per ſe (de hoc enim toto hic, propriè quærimus,) non eſt ſuæ partes ſimul ſumptæ. Probatur primo ſic, ſi huiuſmodi totũ eſt ſuæ partes, ergo nõ differt à toto vniuerſali, quod eſt manifeſte falſum, qnoniã partes totius vniuerſalis non ſunt integrales nec eſſentiales, ſunt autem ſubiectiuæ, ergo totũ integrale & eſſentiale differunt à toto vniuerſali. Conſequentia autem ſic probatur: Totum vniuerſale eſt ſuæ partes, & non eſt ex partibus, non enim genus componitur ex ſpeciebus. Totum autem integrale & eſſentiale ſunt ex partibus, quoniam verè componuntur ex partibus, ergo ſi totum integrale & eſſentiale ſunt ex partibus, ergo ſi totum integrale & eſſentiale ſunt ſuæ partes, non differunt à toto vniuerſali.

Secundo, ſi huiuſmodi totum eſt ſuæ partes ſimul ſumptæ, nõ eſt vnum ſimpliciter, ſed tantũ ſecundum quid, vt acervus lapidum, quod eſt manifeſte falſum, probatur conſequentia. Quod eſt plura non eſt vnum ſimpliciter, licet enim vnum ſimpliciter poſsit eſſe ex pluribus, non tamen plura. Sed ſecundum te, omne totum integrale & eſſentiale eſt plura, quia eſt ſuæ partes, quæ vnitæ & non vniræ ſunt plura, ergo, &c.

Tertio, ſequitur quòd non poterit aſsignari terminus per ſe generationis ſubſtantialis nec corruptionis, nam apud Philoſophum materia non per ſe generatur, cùm ſit ingenita, nec forma, ſed tantum per accidens, ſcilicet ad generationẽ compoſiti, vt docuit Philoſophus in hoc 7. lib. tex. 26. nec vnio, ſiue compoſitio, ſiue aggregatio partium poteſt eſſe terminus, cum dicant reſpectum. Si ergo non datur tertia entitas conſurgens ex partibus vnitis, non poterit aſsignari terminus per ſe generationis ſubſtantialis. Idem patet rectè intelligenti ex parte corruptionis, quare, &c.

Quantum ad viam Cõmen. aduerte, quòd licet Commen. videatur clarè tenere partẽ negatiuã, vt patet in 1. phy. commen. 17. vbi inquit, totum eſt aggregatio partium, & in 4. Phy. commen. 43. Totum nihil aliud eſt, quàm partes eius, tamen Commentiſtæ non concordant, quoniam aliqui ex eis, vt Burleus in 1. Phy. poſt expoſitionem tex. 17. tex. tenet, quod diſtinguitur, aliqui vero vt Iand. in 1. Phy. q. 10. tenet, quòd nõ diſtinguitur, aliqui tenent vtranque viam, vt Petrus Pomponac. & Paulus Sonc. in 7. metap. q. vltima. Tamen quia communiter via negatiua attribuitur Comment. ideo volo principales rationes ſolitas induci pro hac opinione formare & ſoluere.

Aduerte igitur, quòd principales rationes ſuæ ſunt iſtę, Si totum diſtinguitur à partibus inſimul ſumptis, includit aliquid vltra partes, vel dicit aliquid præter partes, vel addit aliquid ſupra partes. Non enim eſt imaginabile duo diſtingui abinuicem, niſi vnum includat aliquid quod non includit aliud, vel addat ſuper aliud, vel dicat aliquid præter aliud. Sed nõ poteſt aſsignari quid includat totũ vltra partes, niſi aut vnionẽ quæ eſt relatio, & ſequitur totum conſtitutum, nec quid dicat præter partes, nec quid addat, niſi ipſam vnionem, quæ vt dictum eſt, ſubſequitur, ex conſequenti non eſt, de ratione formali totius, cùm relatio non ſit de ratione formali rei abſoluté.

Ad hoc iam patet reſponſio, per declarationem poſitam in quæſtione, & negandæ ſunt omnes conſequentiæ, & dicendum,

dum,quòd totum ideo distinguitur à partibus,quia ex natura
sua est alia entitas ab enticate partium,est enim tertia entitas
resultans ex partibus,partes autem non resultant ex partibus.
Prætereà arguitur argumento recitato à Comm, in 1.Phys.
commen.17. Hæc pars est aliud à toto,& hæc,& hæc,& sic de
singulis,ergo omnes sunt aliud à toto.Valet cõsequentia à sin
gularibus sufficienter numeratis ad vniuersalẽ. Quod autem
consequens sit falsum patet,quia si omnes sunt aliud à toto,er
go totũ est aliud seipso:quoniã totum est cõgregatio partium.
Huic respondens Cõmen.dicit, quòd peccat per fallaciam
compositionis & diuisionis, eo quòd & si omnes partes simul
sumptæ sunt idem cum toto ,non tamen diuisim sumptæ. Et
ideo cũ arguitur,Hæc & hęc,& sic de singulis est aliud à toto,
ergo oẽs sunt aliud à toto, negatur cõsequẽtia, quia fit transi
tus à diuisim ad coniunctim , vel à distributiua ad collectiuã.
Sed Thomistæ aliter respondent , quòd omnes partes tam
diuisim quàm coniunctim sumptæ , sunt aliud à toto , & cùm
infertur, ergo totum est aliud à seipso , negatur consequentia:
& quando probatur,quoniam totum non est aliud quàm con
gregatio partium, hoc negatur in via nostra. Nam totũ apud
nos est quid resultans ex congregatione partium, & dicit ter
tiam entitatem.Ideo hoc argu.apud nos habet paruam appa
rentiam, licet Commentistæ ipsum magnificant.
Prætereà,arguitur per Philosophum in secundo de Anima,
textu decimo,vbi inquit,Et sicut oculus est pupilla & visus,&
ibi anima & corpus animal , si ergo hæc est vera ,animal est
corpus & anima, cum animal sit totum , & illæ partes essen
tiales, ergo totum est suæ partes.
Ad hoc respõdetur, quòd licet Philosophus vtatur prædica
tione in recto, tamen debet intelligi eius veritas prædicatio-
ne in obliquo,vt sic exponatur:Sicut oculus cõponitur ex pu
pilla & visu,sic animal ex corpore & anima.Sic exponit B.Th.
& Comment,in comment.10.innuit idem inquit enim,Sicut
hoc nomen oculus dicitur de illo membro, quod est compo
situm,& de virtute visibili,quæ est in eo, sic animal dicitur de
corpore & anima. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum super septimum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII QVAESTIONES SVPER octauum librum Metaphysices.

IN octauo libro , in quo Philosophus pertractat
de substantia composita modo reali,& de parti
bus eius,quæ sunt materia & forma,resoluenda
sunt dubia infrà notata.Sed aduerte, quòd mul
tas quæstiones formabimus de materia & for
ma, ad plenam notitiam metaphysicalem de eis habendam,
quæ non sunt expressè fundatæ in textu Philosophi, ideo sin
gulis non præponetur textus.Cùm autem expedita fuerit hęc
consideratio pertractabimus quæstiones textuales huius 8.li.
Hunc verò ordinẽ seruare volumus,ne cõfundantur quæsita.
Agentes igitur prius de materia, primo considerabimus si
est separabilis à forma secũdum esse,& secũdum cognitionẽ.

1 Si materia potest esse actu & cognosci sine forma.
2 Si materia prius recipit quantitatem, vel habet eam inse
parabiliter,antequam recipiat qualitates,vt dispositiones
ad formam substantialem.
3 Si aliqua qualitas quæ sit dispositio ad formã introducen
dam,præcedit formam,ita quod non corrumpitur in adu
entu formæ,
4 Si materia potest simul informari pluribus formis sub
stantialibus,
5 Si forma est separabilis à materia secundum esse vel se
cundum conceptum.
6 Si intentio & remissio ita conuenit formæ accidentali,
quòd repugnat substantiali,
7 Si ex materia & forma fit vnum per se, & propter quid,
& an immediatè.
8 Si nomen speciei significat solam formam , & dato quòd
non,si prius significat formam, quàm compositum
9 Si numerus habet esse reale extra intellectum,& si est
vnum per se & entitas distincta à numeratis.
10 Si vltima vnitas est forma numeri.
11 Si numerus quantitatiuus inuenitur solùm in rebus ma-
terialibus, an etiam in abstractis.
12 Si materia quæ est pars compositi est in cœlo.
13 Si materia cœli & horum inferiorũ sunt eiusdẽ rationis.
14 Si forma cœli vnitetur materiæ horum inferiorum,
vtrum cœlum esset incorruptibile.
15 Si materia omnium corporum cœlestium est eiusdem ra
tionis, sicut materia omnium inferiorum.
16 Si accidentia componuntur ex materia & forma.
17 Si materia concurrit actiuè ad generationem.

QVAESTIO I.

Si materia potest esse actu , & cognosci sine forma.

CONCLVSIO.

Materia non potest esse actu, & cognosci sine forma.

IN hac quęstione inuenio tres opiniones famosas:prima est
B.Tho. Secunda Scoti,& Ant.And.Tertia Gregorij. Prima
est merè negatiua,Secunda & tertia sunt affirmatiuæ,& quo
niam intendo sustinere primam, sic procedendum est.
Actus tripliciter sumitur. Primò actus formalis, & est idẽ
quod esse datum à forma. Secundò actus existentiæ , & est
ipsum existere signatum per ly est in propositione de 2. adia
cente.Tertio actus entitatiuus,de quo quid sit , dicetur infrà.
Quantum ad esse actu in primo sensu, omnes concordant,
quòd materia non est,nec potest esse sine forma, sed pura po
tentia, vt patet per Philosophum in hoc octauo libro,in tex
tu tertio,materiam dico,quæ non hoc aliquid ens actu, pote
state autem est hoc aliquid, imò est contradictio ponere op
positum.Nam esset actu primo modo per te,& non esset actu,
quia esse actu primo modo, est tantũ à forma,& per te in ca
su,est sine omni forma, ergo non esset actu primo modo, &
ideo in hoc sensu loquens Commenta. in libro de substantia
orbis dixit , materia nunquam denudatur ab omnibus for
mis,sed semper stat sub aliqua. Quãtum ad esse actu in secũ
do sensu concordant in negatiua B. Tho. & Scotus, quoniam
omnem existentiam materiæ tenent esse à forma. Grego
rius autem tenet partem affirmatiuam, quoniam distinguit
inter existentiam & existentiam formalem,verum quia hanc
suam imaginationem posuimus in libro septimo,in quęstione
quinta,& soluimus rationes eius,ideo non est hic repetenda.
Quantum ad esse actu tertio modo,discordat B. Th. tenens
partem negatiuam à Scoto tenente partẽ affirmatiuam.nam
considerans B. Tho. quod secundum Philosophum & Com
ment. esse actu in naturalibus non est nisi à forma , ideo non
concederet positionem Gregorij nec Scoti.
Restat ergo vt videamus quid veritatis habet opinio Sco
ti , & in quo differt ab opinione nostra. Pro notitia ergo hu
ius, declarabitur opinio Scoti, de potentia obiectiua & subie
ctiua,de actu obiectiuo & formali, deinde videbitur differen
tia inter opinionem suam & nostram.
Tu igitur aduerte ex his quæ dicit Ant. And. in 7. lib. in q.6.
apud Scotum, potentia obiectiua est omne illud quod nondũ
est, potest tamen ab aliqua potẽtia productiua poni in esse,vt
rana generãda est in potentia obiectiua cœli,& rosa generan
da est in potentia obiectiua radicis.Et breuiter ,obiectum cu
iuscunque potentiæ productiuæ,antequam producatur,est in
potentia obiectiua.Huic potentiæ correspõdet actus obiecti
uus,& est illa res,quæ erat in potẽtia obiectiua. Nã post
quam producta est, dicitur esse in actu obiectiuo, quia quod
poterat produci & habere esse,productũ est, & habet esse ex
tra causam suam productiuã.Dicitur etiam actus entitatiuus,
quia postquam producta res est,iam est extra nihil, ex conse
quenti est in genere entiũ. Potentia autẽ subiectiua est omne
illud per quod aliquid recipitur in altero,vt in subiecto,& sic
quicquid est receptiuum formæ,siue substãtialis, siue acciden
talis,dicitur esse in potentia subiectiua, vnde quia substantia
recipit colorem mediante superficie , dicitur esse in potentia
subiectiua. Huic potẽtiæ correspondet actus formalis, qui est
ipsa forma,siue substantialis siue accidentalis, recepta vel re
ceptibilis in aliquo mediante potentia subiectiua , stante hac
declaratione intẽdit Scotus,quòd materia præcisè sumpta, &
denudata ab omni forma,quæ ante sui productionẽ ab agen
te primo erat in potentia obiectiua , post sui productionẽ est
in actu obiectiuo siue entitatiuo.eo quòd post sui productio
nem est extra nihil,& extra causam suã productiuã,& iam est
in genere entium.Non tamẽ est,nec potest esse in actu forma
lt,nisi vt stat sub aliqua forma,quoniam actum formalem re
cipit à forma sicut substantia corporea non potest esse actu
alba,nisi subsit albedini. Si igitur ponatur materia sine omni
forma,erit quidẽ in actu entitatiuo& in potentia subiectiua,
sed non in actu formali. Hæc suit imaginatio Scoti,quæ tota
fundatur super potentiam obiectiuam,qua reprobata totum
fundament

fundamentum Scoti ruet.& quoniam in libro nono, disputa
bimus,si apud Philosophum & Commentato. admittenda sit
huiusmodi potentia, ideo sustine vsque ad librum nonum , ne
iterum repetamus idem.
Pro nunc sufficiet tibi , si declarauimus differentiam inter
viam Scoti & nostrã. Aduerte igitur quòd quo ad sensum par
uam inuenimus differentiam siue repugnantiam, nam Scoti-
stæ tenent triplicem potentiam , scilicet actiuam & passiuam
quam vocant subiectiuam,& obiectiuam,& Thomistæ tenẽt,
similiter tres, scilicet passiuam & actiuam ex parte agentis,
qua , scilicet agens potest aliquid producere vel ex parte pro
ducibilis, qua , scilicet producibile potest ab agente produci,
nam alio modo rosa generanda in vere est in potentia actiua
agentis naturalis , & alio modo intelligentia producibilis ab
agẽte primo,sic enim rosa est in potẽtia agẽtis naturalis,quod
sibi correspondet passiua,scilicet potentia materiæ,qua potest
recipere formam rosæ,intelligentia autem est in mera poten
tia actiua primi agentis,quoniam ei non correspondet poten
tia materiæ ex qua producatur, vnde in via nostra dicitur ro-
sa generanda esse in potentia passiua materiæ , & in potentia
actiua agentis, intelligentia autem est tantum in potentia a-
ctiua agentis, ideo autem aliquid est in potentia actiua agen
tis,quia est obiectum producibile ab eo,ex quo patet,quòd il-
lud quod Scot.dicit esse in potẽtia obiectiua,nos dicimus esse
in potentia actiua agentis. Quod etiam patet per conditiones
quas attribuit Sco.potentiæ obiectiuę,sic enim verificantur de
potentia actiua,sicut de potentia obiectiua. Sunt autem istæ,
primò per potentiam obiectiuam res ponitur posse esse, licet
non fit,idem verificatur de potentia actiua agẽtis.Quod enim
est in potentia actiua agentis, licet non sit productum, potest
tamen produci.Secundò , potentia obiectiua non est vna plu-
riũ,alia est enim potentia qua rosa est producibilis,& alia qua
homo,& alia qua leo,&c.Idem secundum nos attribuitur po
tentię actiuæ proximæ,quoniam distinẽti effectus sunt à distin
ctis agentibus, qui agunt distinctis potentiis actiuis. Dico au-
tem proximo quoniam non inconuenit ab vna potentia actiu-
a superioris & remotiagentis,vt ab vna potentia solis,plures
effectus in his inferioribus produci.Cùm ergo ea quę attribuit
Scot. potentiæ obiectiuæ , possint saluari per potentiam actiu-
am, qua res producibilis est ab agẽte,non est necesse ponere
huiusmodi potentiam:vnde via nostra vt magis declarabitur
in libro nono,est consona Philosophiæ Aristote.& Commen.
Quantum ad secũdam partem quæstionis,scilicet vtrum sit
cognoscibilis sine forma,id est, vtrum possit concipi sine hoc
quod apprehẽdatur forma, aduerte quòd tota difficultas pen
det ex præcedentibus,nam qui tenẽt materiam esse in actu si-
ne forma,vt Sco.& Greg. tenent ex consequenti eam esse co-
gnoscibilem sine forma, eo quod ens actu potest mouere in-
tellectum ad sui cognitionẽ. Qui verò tenent eam nullo mo-
do esse actu, dicunt eam non cognoscibilẽ nisi per respectum
ad formã.Et quia Thomistæ negant omnẽ actum à materia,
ideo negant eam esse cognoscibilem nisi per formam , & pro
hac conclusione sic arguitur:Quocunq; conceptu cõcipiatur
materia,non erit proprius materiæ,nisi concipiatur vt poten-
tia,vbiq; enim Philosophus&Comm.dicũt esse potentiã.Sed
potentia non potest concipi nec apprehendi nisi in ordine ad
actum, cum respiciat actum,vt videbitur in lib.9. Actus autẽ
materiæ est ipsa forma,ergo est impossibile cognoscerẽ mate
riam nisi per formã.Quod cõfirmatur per Cõmen.in 1.Phys.
comm.69. Sic enim inquit:Materia quæ est sibiecta subsltãtiæ,
non potest intelligi per se,cum non sit aliquid in actu habens
quidditatẽ,sed intelligitur secundũ comparationẽ propter la-
tentiã suæ substãtiæ,& ideo cũ voluerimus dare substãtiã eius,
dicemus ipsam esse id , cuius proportio ad substantiã est, sicut
proportio cupri ad idolum. Quomodo aũt intellectus veniat
in cognitionẽ materiæ,iam declarauimus in epist. nostra in 8.
lib. Metaph.& Comm.in lib.de substãtia orbis in c.1.idẽ per-
trac.& eius sentẽtia stat in hoc.Trãsmutatio in substãtia fecit
cognoscere materiã primã,sicut trãsmutatio secundũ locum,
fecit scire materiã localẽ, vnde per abiectionẽ & receptionẽ
formarum substantialiũ, deuenimus in notitiã eius,nam co-
gnouimus quòd oportet aliquid subiici in transmutatione &
permanere,& cõtrariis subesse successiuẽ.Ex prædictis igitur
patet,quod materia non potest esse,nec cognosci sine forma.
Postremò aduerte aliqua argumenta apparentia , quibus
arguitur quòd possit esse sine forma.
Primo sic, vnũquodque potest separari ab eo quod non est
sibi essentiale nec propriũ,quoniam ex 1. poster. quæ sunt pri-
mi & secundi modi per se,sunt inseparabilia,sed nulla forma
est essentialis nec propria materiæ,cũ ex sui natura sit indiffe-
rens ad omnẽ formam, nec aliquam sibi ex natura determi-
nat.ergo potest separari & per cõsequẽs esse actu sine forma.
Ad hoc dicitur, quòd licẽt nulla forma signata sit essentia-
lis & propria materiæ,& per consequens possit esse sine hac
& illa,& illa,&c. non tamen sine omni, & sic arguere, est ar-
guere à diuisim ad coniunctim, quod non tenet in hoc pro-
posito , vnde dico quod licet non sit essentiale &. proprium
materiæ,esse sub aliqua vna forma signata,est tamen propriũ
materiæ esse semper sub aliqua:ita,quod, vt dicit Comment.
in lib.de substantia orbis, nunquam denudatur ab omnibus
formis simul, sed semper stat sub aliqua.
Secundò , quod accidit materiæ est separabile ab ea per
diffinitionem accidentis , sed forma accidit materiæ , cùm
non sit de essentia materiæ, ergo. &c.
Ad hoc dicitur, quòd maior est falsa, nam & risibilitas ac-
cidit homini , & tamen non potest esse sine ea , potest etiam
negari minor , quia licet forma sit extra essentiam materiæ,
tamen quo ad esse pendet à forma.
Tertiò, Si omnis forma separaretur à materia, aut materia
remaneret,aut nõsi sic, habetur intẽtũ, quoniã esset sine om-
ni forma,si nõ,ergo corrũperetur,quod est cõtra Philosophũ,
quiponit eam ingenitam & incorruptibilẽ in 1.Physic.tex.82.
Ad hoc dicitur,quòd si poneretur antecedens,materia non
remaneret, aliter sequeretur cõtradictio, vt dictum est suprà,
Et cum dicitur, quòd hoc est contra Philosophum ponentem
materiam ingenitam & incorruptibilem:Respondetur,quòd
Philosophus intendit materiam ingenitam & incorruptibi-
lem considerata natura sua, cum hoc tamen stat quòd posito
antecedente impossibili,sequatur consequens impossibile, vt
stat sub illo antecedente. sicut licet ponatur cœlum incorru-
ptibile,hæc tamen conditionalis est vera, si cœlum esset alte-
rabile,esset corruptibile. Sic in proposito:Si materia denuda-
tur omni forma, definit esse : verùm quia est impossibile,
vt denudetur omni forma , sic est impossibile vt desinat esse.
Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

*Si materia prius recipit quantitatem, vel habet eam inseparabili-
ter antequam recipiat qualitates vt dispositiones
ad formam substantialem.*

CONCLVSIO.

*Materia prius admittit quantitatem, vel eam habet insepara-
biliter, priusquam recipiat qualitates veluti dispositiones ad formam substantialem.*

CIrca hanc q.aduerte ,quòd difficilis est propter solennes
defensores Cõm.inter quos est Greg.in 2.sent.dist.11.q.2.
art.1.vbi ponit tres cõclusiones.Prima,Quantitas materiæ dũ
rarefit aut condensatur non corrumpitur.Secunda, Cùm ali-
qua res corrumpitur,quantitas nõ corrũpitur.Tertia, Quan-
do aliqua res augetur,nulla quãtitas noua acquiritur,nec præ
cedens augetur.Prima cõclusio non contrariatur doctrinæ B.
Tho.vt sustinebimus infrà,quando quæremus,vtrũ quantitas
possit intendi & remitti:aliæ duæ sunt contra B.Tho.ideo om
nes rationes Gregorij soluendæ sunt quibus conatur defensa-
re viam Commen. Tu igitur vt defendas viam B.Tho.sic pro-
cedendum est.Primo declaranda est via Cõmen.cum funda-
mentis suis.Secundo ponetur cõclusio Thomistica contra Cõ
men.& probabitur rationibus B.Tho. Tertio recitabuntur ra
tiones Gregorij in fauorem Commentatoris,& soluentur.
Quantum ad primũ aduerte q; vt ponit Greg.in 2.sen.di.12.
q.2.opinio Commen.fuit & multorũ sequentium eum, quòd
licet nulla forma sit inseparabilis à materia , nec aliqua quali-
tas,quoniam modo est sub vna forma,modo sub alia , idẽ dico
de qualitate,tamen quantitas materiæ sibi coæuæ insepara
biliter adhæret,ita q; in materia nunquam quantitas quãtita
ti succedit,& hæc videtur expressa intentio Commen.in lib.de
substantia orbis,cap.1.qui inquit,Materia prima nunquam de
nudatur à dimensionibus interminatis.Item inquit, Dimẽsio
nes simplices,quæ appellantur corpus simplex, nõ denudãtur
à prima materia,fundamentum autem Cõmen.fuit , vt patet
in eodem libro,quia credidit q; si in corruptione rei corrum-
pitur quantitas,quòd corpus generãdum fieret ex nõ corpo-
re,dimensio ex non dimẽsione,& materia A,remaneret indi-
uisa & indiffincta quantitatiuè à materia B.Item non potest
imaginari Comment. à quo possit corrumpi quantitas lapi-
dis dum corrumpitur lapis , quoniam vel corrumpitur à suo
contrario& hoc non, quia quãtitati nihil est contrarium, vel
concomitanter,puta quia corrumpitur forma lapidis.ex con-
sequenti corrumpatur quantitas,& hoc non est necesse , quia
licet non possit introduci alia forma in materia,nisi præcedẽ
ti remota,tamen quãtitas non obest quin alia forma introdu
catur

catur,imò confert,vt recipiatur forma in materia,à distincta à quacunque alia materia, sicut quando generatur ignis ex aëre,non est necesse qualitatem symbolicam corrumpi ex 1. de generatione. Hæc est sententia Comment.& sequentium eum, inter quos præcipuus est Greg.vbi suprà,cuius principaliores rationes adducemus & soluemus infrà.

Quantũ ad secundũ aduerte,q̃ mens B.T.est in generatione substãtiali formam recipi immediatè in materia,ita quòd nulla quãtitas nec qualitas rei generandæ præcedit formam substantialẽ, quoniã subiectũ formæ substãtialis est ens in pura potentia,quale est materia prima, similiter in corruptione substãtiali,ad corruptionem formæ corrũpuntur omnia accidẽtia,inter quę est quantitas,quoniã cuiuscunq; accidentis secundũ viam Peripat. subiectũ est ens actu, remota aũt forma substãtiali,non remanet ens actu, quoniã sola dat esse actu similiter ipsi materiæ, & ideo corrupta siue separata à materia forma substãtiali desinunt esse omnia eius accidentia.Ex hac doctrina B. T. ponitur cõclusio contra Cõmen.Nulla quantitas est cœtna & inseparabiliter inhærẽs materiæ.Sed cùm res generatur,noua quantitas recipitur in materia, & præcedens corrumpitur,& hanc quidẽ conclusionẽ conabimur probare ex fundamẽtis Arist.& primo sic, Si quantitas immediatè inhæret materiæ, ergo accidẽs ad quod est motus pro subiecto habet ens in potentia & non ens in actu: quod est falsum secundum doctrinã Philosophi,consequẽtia nota,falsitas consequentis declaratur.Nam philosophus in 5.Physic.in tex.8.ponens differentiam inter mutationẽ substãtialẽ & mutationem, assignat pro differẽtia, quoniam illa est ex non subiecto in subiectum,vel econuerso, & per non subiectum intẽdit non ens actu,ens autẽ in potentia. Motus autem est ex subiecto in subiectum & per subiectum intẽdit ens actu. Cum igitur motus & terminus motus non distinguantur realiter, necesse est si subiectum motus est ens actu, & subiectum termini motus esse ens actu.Constat autem ad quantitatem esse motum: ergo quantitati repugnat pro subiecto, habere ens in potentia, quale est materia prima, sicut formæ substantiali repugnat apud Philosophum habere pro subiecto ens actu.

Secundò sic;Cùm quãtitas sit accidẽs, & forma substãtialis sit substãtia,ergo quãtitas est ens secundũ quid,& forma substãtialis est ens simpliciter,secundũ doctrinã Arist.in 7.Meta. tex.3.& cùm ex accidente & subiecto fiat vnũ,& ens per accidens ex 5.lib.Metaphy.cap.de ente,ergo ex quantitate & materia fit vnum & ens per accidens.Tunc vltra,Si quantitas immediatè inhæret materiæ,ita quòd præcedat formam substantialem,sequitur ens secundũ quod præcedere ens simpliciter, & ens per accidẽs esse prius ente per se,quæ omnia sunt manifestè falsa, quoniam ens secundũ quod non est ens nisi in ordine ad ens simpliciter.& omne per accidens supponit per se.

Tertio sequitur quòd potẽtia materiæ intimius & essentialius respiciat accidens,quàm formã substantialẽ & maiorem colligationẽ habeat ad accidẽs quàm ad substantiã, quæ omnia sunt falsa.Cõsequẽtia probatur,quoniã secundũ hanc viã, materia respicit quantitatẽ inseparabiliter,formã autem substantialẽ separabiliter, falsitas aũt consequentis sic probatur: quoniam materia essentialius & intimius respicit actum sui generis,quã actum alterius generis,maiorẽ enim affinitatem habet cũ illo, quàm cum isto. Sed forma substãtialis est actus eiusdem generis cum materia,cõueniunt enim in substantia, quantitas autem, cùm sit accidens, est actus alterius generis, quia non conueniunt in generalissimo, vt patet, ergo, &c.

Plures rationes ad hanc conclusionem adducere possem, quas & alij adducere consueuerunt.Sed has puto sufficere.

Quantum ad tertiũ aduerte, quòd licet multæ fiant rationes à Greg. & aliis Cõmentistis in fauorẽ Comm. quas recitat & soluit Capr.in 2.sent.dist.18.q.1.contra sextam cõclusionem,tamen rationes super quas expressè fundauit se Comm. loquens cõtra Auic. sunt istæ, quas etiam tetigimus in hac q. declarantes mentem Comment.& eas intendimus soluere.

Prima est,Diuersæ formæ substãtiales recipiuntur in diuersis & distinctis partibus materiæ.sed non est assignare in materia distinctas partes, nisi per quantitatem, ergo necesse est quantitatem præcedere formam substantialem in materia, aliter quælibet forma substantialis totam materiam informaret, ex consequenti simul essent formæ contrariæ, vel tota materia vnicam formam haberet. ergo,&c.

Quoniã hæc ratio videtur totum fundamentũ Cõment. & pro rei veritate est difficilis ad soluendũ, ideo intendo declarare,quod optimè seruatur distinctio in partibus materiæ per quantitatẽ:ita q̃ non datur Instãs, in quo materia non sit quanta,dato quòd omnis quantitas, quæ erat in materia cũ forma corrumpenda,corrũpatur eodem instanti, in quo cõpositum corrumpitur,& dato quòd quantitas non sit coæterna materiæ,imò nec præcedat formã substantialẽ,vt ergo id manifestetur,adduco declarationẽ Heruei in q.de pluralitate forma rum,cuius relatio stat in hoc, suppono quòd in permanẽtibus ex parte corruptionis,quæ est rei diffinitio,non datur vltimũ sui esse,sed primũ sui non esse: ex parte verò generationis datur primũ sui esse,sed non datur vltimũ sui non esse,& hęc iam cognoscere potuisti in tract.de primo & vltimo instãti, suppono insuper,quòd in eodẽ instanti,in quo desinit esse substãtiale rei, ex cõsequenti & per naturalẽ sequelam desinit omne esse accidentale eius,quoniã esse accidẽtis supponit esse substãtiæ, sicut accidens supponit substantiã,similiter in eodẽ instanti in quo incipit esse rei substantiale,incipit & omne esse eius accidentale,naturaliter sequẽs esse substãtiale, sicut risibile rationale sequitur. His suppositis dico,q̃ cùm in aliqua parte materiæ est introducenda forma substantialis,toto tẽpore præcedente instans introductionis, materia est quanta quantitate quę est cum forma abiicienda,in vltimo aũt instanti illius temporis,quod est instans introductionis,est quãta quãtitate concomitãte formã generandã.Nam in eodẽmet instãti, forma corrũpenda & sua quantitas habẽt primũ sui non esse, forma verò generãda & sua quatitas habẽt primũ sui esse ex primo supposito. Cùm igitur inter tẽpus & instans non detur tẽpus nec instans medium,& idem instans sit in quo materia desinit esse quanta quantitate formæ corrũpendæ per negationẽ de præsenti,& positionẽ de præterito& in eodẽmet instanti,materia incipit esse quanta quantitate formæ generandæ per positionem de præsenti,& negationem de præterito,ex his ergo consta, quod ad seruandam distinctionem quantitatiuam in partibus materiæ,non cogimur ponere quantitatem inseparabilem à materia,nec eandem remanere in genito & corrupto. Ad argumentum ergo concessa propositione prima & secunda,nego consequentiam,ad probationem nego quòd aliquod eorum sequatur:quia non datur instans in quo materia non sit diuisa in partes quantitatiuas modo suprà exposito.

Sed hic solet fieri instantia dupliciter,primò,quia cùm substantia sit prior natura accidente ex 7.Metaph.tex.4.ergo forma substantialis generãda prior est natura in materia,quam quantitas sua. Quæro ergo in illo priori naturæ, si materia est quanta,vel non,si non,ergo non semper materia remanet diuisa,& sic non recipiet hanc formam in hac parte & illam in illa,si sic, contra,quia non quantitate formæ corruptæ, quoniam in illo instanti introductionis nõ est amplius, nec quantitate sequente formam generandam, quoniam est prior natura sua quantitate. ergo si non ponis quantitatem inseparabilem à materia, non potes seruare indefectibiliter distinctionem quantitatiuam in partibus materiæ.

Secundò sequitur ex hac positione,quòd duæ formæ disparatæ & specificæ, & duæ quãtitates eiusdem speciei,sint simul pro eodem instanti in materia. nam dicis quòd in eodem instanti forma præcedens & quantitas sua corrumpitur. Quod autem corrumpitur est, quia non est corruptio nisi entis existentis, & dicis quod in eodem instanti forma sequẽs & quantitas sua generantur:ergo in illo instanti sunt,quoniam secundum te in permanentibus in primo instanti generationis dat primum sui esse. Hæc autem sunt manifestè falsa, ergo,&c.

Ad primam dicitur, quòd in illo priori naturæ,materia est diuisa,nõ tamẽ est quãta quãtitate formæ corruptæ,nec quãtitate formæ generandæ,sed est diuisa quãtitate extrinseca ab hac materia, quæ scilicet est in alia materia ad hunc sensum, Hæc materia est indiuisa in se, & diuisa ab alia materia, quia illa habet quantitatem, quã non habet hæc materia,ita quòd talis diuisio in illo priori erit per habere & non habere,in instanti autem introductionis erit diuisio per habere, in hoc sensu. Hæc materia in hoc instanti habet hanc quantitatem concomitantem hanc formam substãtialem, & alia materia habet aliam, ergo sunt diuisæ abinuicem, & sunt quantæ.

Ad secundam nego consequentiã,ad probationem cùm dicitur, quòd corrũpitur est, dico quòd hæc propositio propriè verificatur, sumendo corruptionẽ pro alteratione præuia ad non esse,si autẽ sumatur pro definitione rei in vltimo instanti terminãte alterationẽ,sic est falsa.& sua opposita est vera.Sic enim exponitur, Res permanẽs corrũpitur, ergo desinit esse, ergo nunc non est & ante hoc,nũc fuit, ergo, &c. Patet ergo quòd non sequitur duas formas disparatas,& duas quãtitates esse simul pro eodem instanti in materia, fundatur enim in hoc falso,Rei permanentis corrũpendæ datur vltimũ sui esse.

Secunda ratio Commen.fuit,quia si quantitas & dimẽsiones non præcedunt in materia formam substantialem, puta formam ignis, qui est substantia corporea, fieret corpus ex non corpore,&dimensio ex non dimensione,fieret enim ignis secundum te, ex materia non quanta, & forma non quanta, hoc autem est inconueniens:ergo,&c.

Ad hoc dicitur dupliciter,primo negatur consequentia:quoniam, vt patet ex dictis, quando generatur ignis, in nullo instanti,materia est sine quantitate.Secundò dico,quòd non est inconueniens corpus fieri ex non corpore in actu,corpore autem in potentia, sicut calidum in actu, fit ex calido non in actu,sed in potentia, in proposito dico, quòd non inconuenit corpus, puta lapis fieri ex materia, quæ non corpus actu, sed corpus in potentia, inquantum est receptiua formæ corporeitatis & quantitatis, eadem enim potentia materiæ est primò ad formam substantialem,secundariò est ad formam accidentalem,scilicet ad quantitatem & qualitatem.

Vltra rationes Commenta.adhuc sunt duæ rationes tractæ ex doctrina B.Th.quibus videtur materiam esse immediatum subiectum quantitatis,& primò sic secundum B.Tho.vbicunque ponit sufficientiam prædicatorum vt in tertio Physi. & in quinto Meta.in ca.de ente,quantitas consequitur materiam & qualitas formam, si consequitur materiam,ergo non concomitatur formam in generatione rei,sed præcedit eam in materia. Præterea supposito, quòd in homine non sit alia forma distincta ab anima intellectiua,quęritur,Aut quantitas consequitur animam intellectiuã:& hoc non, quia fieret extensa & quanta per accidens,ex cõsequenti esset corruptibilis. Aut cõsequitur compositum:& hoc nõ,quia quod consequitur aliud posterius est eo, quantitas autem non est posterior homine, cum de ratione hominis sit esse corpoream substantiam,ergo consequitur solam materiam, ex cõsequenti præcedit formã.

Ad hoc dicitur,quòd consequitur solam materiam,sed negatur illa consequentia,ergo præcedit formam: nam nõ consequitur materiã vt suum subiectũ,sed vt rationẽ receptiuã, vnde auctore secundũ doctrinã Heruei in 2. quol.q.10.esse subiectũ quantitatis,est habere quantitatẽ sibi inhærentem qua fit quantũ primò & per se,& vt quod:& sic subiectum quãtitatis est corpus,quod est substantia corporea,esse rationẽ susceptiuam quantitatis est esse illud,quo quantũ est quantũ subiectiuè,&hoc est materia,quoniã remota materia non posset assignari,saltem in substantiis inferioribus principium essentiale quo substantia cõposita sit subiectũ quantitatis,& præcipuè in homine,aliter,vt argumentũ probat,si in eo principium & ratio recipiendi quãtitatem esset anima intellectiua,esset quanta per accidens, ex consequenti educta de potentia materiæ.

Secundò sic,B.Tho.in quarto lib.contra gentes 81.tenet expressè,quòd remanet materia sub eisdẽ dimensionibus in mortuo & in viuo.Dicit enim sic,nullũ principiorũ essentialiũ hominis per mortẽ omnino cedit in nihilũ, nam anima rationalis manet post mortem,materia etiã quæ tali formæ fuit subiecta,manet sub eisdem dimensionibus, ex quibus habebat vt esset materia indiuidualis,hæc ille,ex quibus patet,quòd concedit quantitatẽ immediatè inhærere materię. Nec potest responderi,vt aliqui Thomistæ respondent,quod licet B.Tho.in primis operibus suis,vt in sententiis si tenuerit, tamen melius considerans in vltimis operibus,vt in prima parte,tenuit oppositum,& standũ est vltimæ determinationi suæ.Hoc inquã non valet, quoniam summa contra gentes computatur inter vltima & præcipua opera sua, tenetur pro testamento suo.

Alij dicunt,quòd in illo loco tenet cum Cõment.non quòd sic sentiat, sed quia scribit contra gentes negãtes resurrectionem,voluit vti cõcessis ab eis ad declarandũ resurrectionem esse possibilem.Sed nec id videtur valere,quoniam in eodem cap. soluens eandem rationem inductam postquam distinxit de duplici corporeitate,loquens de corporeitate quæ non est aliud quàm tres dimensiones,dicit sic,& si hæc corporeitas in nihilum redit corpore humano corrupto, tamen idem homo resurget: quia corporeitas primo modo dicta,id est, quæ est forma substãtialis,& idem est cum anima intellectiua,manet, hæc ille.& aduerte quod ly,& si, non stat cõditionaliter, sed pro quamuis, vt patet, quoniam subinfert, tamen idem homo,&c.Quare videtur in eodẽ cõtextu sibi contradicere.

Ad hoc igitur dico quod fuit intentio B.Th.easdem dimensiones non remanere actu: cum hoc tamen stat, quòd non omnino reddant in nihilum,quoniam stant in materia vt in radice. Nam ex eo quòd remanet forma corporeitatis vnibilis materiæ,vnde quãdo B.T. dixit,quòd materia etiã quæ tali formæ subiecta fuit,manet sub eisdem dimensionibus, intelligẽdum est non actu,sed radicaliter, sicut vegetatiuum remanet radicaliter in anima separata. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Si aliqua qualitas, quæ sit dispositio ad formam introducendam, præcedit formam, ita quod non corrumpatur in aduentu formæ.

CONCLVSIO.

Nulla qualitas dispositiua præcedit formam in materia, ita vt remaneat in aduentu formæ.

POstquã quęsiuimus quomodo materia se habeat ad quãtitatem, nunc quæritur quomodo se habeat ad qualitates disponẽtes materiam ad formam recipiendam, & quæritur an recipiantur immediatè in materia, & maneãt in aduentu formæ. Aduerte igitur,quòd hæc quæstio trahit difficultatem ex eo quòd necesse est materiã disponi ante aduẽtum formæ, quoniã actus recipitur in patiẽte disposito, & si in aduẽtu formæ dispositiones corrũpuntur,ita q̃ remaneat materia nuda, videtur esse indisposita sicut ante, ex quo nullæ dispositiones remanent. Hoc est præcipuum fundamentũ tenẽtium oppositum. Sed hoc non te moueat, verum vt verus Thomista sic procedes.Primo pones cõclusionẽ pro parte negatiua.Secundo declarabis quomodo stat materia dispositè, posito q̃ cẽs dispositiones corrumpantur in aduentu formæ.Tertiò solues quædam, quæ insurgent contra determinationem fiendam.

Quantũ ad primũ,ponitur hæc cõclusio, nulla qualitas dispositiua præcedit formam in materia, ita quod remaneat in aduentu formę.Pro notitia huius aduerte,quod cũ ex aliquo debet generari aliquid, puta ex ligno ignis, necesse est materiam stantẽ sub forma ligni,disponi per agẽs calidũ cũ introductione caliditatis & siccitatis ad formã ignis, & cum tanta siccitas & caliditas receptæ fuerint in ligno, q̃ cũ eis in quinto gradu,nõ stat forma ligni,sed sunt pro forma ignis, corrũpitur lignum,remouetur forma ligni à materia, & comitanter corrũpuntur caliditas & siccitas introductæ pro expulsione formæ ligni,& pro receptione formæ ignis, & eo instanti quo obiicitur forma ligni cũ omnibus dispositionibus, introducitur forma ignis in materia nuda, quæ est in mera potẽtia, & accipit esse actu à forma substantiali introducta, & non ab aliquo accidente præuio.Hanc conclusionẽ sic declaratã probo tali ratione.Suppono primo q̃ forma substantialis dat esse simpliciter,ita quod quãprimum est recepta in materia,verũ est dicere,talis res est absolutè & simpliciter, forma autẽ accidentalis dat esse nõ simpliciter sed tale, puta calidũ,sũũ, &c. Et ratio huius suppositi est, quoniã sicut substantia est ens simpliciter,& accidens est ens secũdum quid,ex 7.metap.sic proportionaliter forma quæ est substantia, dat esse simpliciter & forma quæ est accidens,dat esse secundũ quid,suppono secũdo q̃ in accidentalibus propositio de tertio adiacẽte supponit veritatem propositionis de secũdo adiacente. Nam hæc ideo est vera,Homo est albus,qa homo est, ita q̃ esse album supponit esse substantiale hominis.Ex his arguitur sic,Si accidentia dispositiua præcedunt formã introducendã in materia, & remanent,dant esse actu ipsi materię,omnis enim forma dat esse ei in quo recipitur,& tunc quæro,aut dant esse actu materiæ simpliciter, vel secundum quid:non simpliciter,quoniam ex primo supposito hoc conuenit formæ substantiali, cùm sit substantia,quæ est ens simpliciter: non secundum quid,quoniam ex secundo supposito esse accidentale, quod est esse secundũ quid,supponit esse simpliciter cuius signum est,quod in accidentalibus propositio de tertio adiacẽte supponit propositionem de secũdo,ergo si materia debet esse calida vel sicca, &c. necesse est vt prius sit sub forma substantiali, per quam primo trahitur extra potentialitatem,& fit actu simpliciter. Impossibile est ergo in aduentu formæ præsupponi aliquas dispositiones,quæ non corrumpantur,& hæc est vera via Peripatetica. Consideranti enim quòd materia quodã ordine respicit formas,statim apparet rationabile,quòd suscipiat prius eam, per quam fit actu simpliciter,quàm eam,per quam fit actu secundum quid.

Quantum ad secundum aduerte,quòd si illæ dispositiones non causarentur,quandiu res corrumpẽda alteratur,& materia disponitur ad remotionem formæ quam habet,& ad receptionẽ formæ quam non habet.Et si consimiles dispositiones non concomitarentur formam introducendam, quales fuerunt causatæ ante instans introductionis formę.Materia vtiq; remaneret indisposita:verùm quia materia iam fuit sub præcedentibus,& erit sub consimilibus concomitantibus. ex tali ordine ad præcedentes,& ad subsequẽtes,remanet sufficiẽter disposita,quoniam est ac si eas haberet,cõsiderato quod de facto haberet,si non deficeret subiectũ susceptiuum,quod vt dictũ est,debet esse ens actu & quoniã remota forma corrũpenda nõ remanet materia actu,sed fit actu per formã generãdã, hinc

hinc est quod non remanent actu dispositiones præcedentes. Cum hoc tamẽ stat, vt dictum est, quòd materia remanet disposita & designata ad talem formam, pro cuius receptione præcesserunt dispositiones. Et si dicas, ergo si corrumpuntur in instanti introductionis, vanè fuerunt introductæ pro receptione formæ generandæ, nego consequentiam, quoniam sic requirit ordo corruptionis & generationis naturalis, & si dicas si materia remanet disposita ex ordine ad dispositiones præcedentes, vanè concomitantur consimiles ad formam generandam, nego consequentiam quoniam consimiles concomitantur non pro introductione, sed pro conseruatione formæ in materia.

Quantum ad tertium aduerte, quòd contra determinationem factam, videtur esse Philos. in 2. de generatione, in textu 25. vbi assignãs rationem facilioris transmutationis inter elementa symbolica dicit, quia facilius est vnum quam multa transmutare, vbi Comment. inquit, ignis fit aër corrupta siccitate tantum, & remanente caliditate, ergo secundum Philosoph. non corrumpuntur omnia accidentia in aduentu formæ, sed quædam remanent quę prius fuerunt in re corrupta, illa scilicet quæ faciunt pro forma generanda.

Pro solutione huius dubij aduerte, q̃ qui sequuntur Commen. vt Marsilius in 2. de generatione q. 10. & Albertus Saxo. in q. 8. tenent quòd qualitas symbolica remanet eadẽ numero in generato & corrupto, quia existimant non aliter posse saluari faciliorem transitum inter elementa symbolica. Nam si vtraque qualitas corrumpitur, vt in elemento non symbolico, non videtur ratio facilioris transitus, cùm tot corrumpantur in generatione elementi symbolici, sicut non symbolici, & præterea. Quomodo saluabitur dictum Philosophi dicentis, Facilius est vnum quàm multa transmutare.

Sed contra hanc viam est B. T. & omnes qui tenent determinationẽ factã. Isti dicũt, quòd qualitas symbolica corrumpitur sicut nõ symbolica, aliter eadẽ qualitas numero migraret de subiecto in subiectũ. nam quãdo ex igne generatur aër, si caliditas non corrũpitur, sicut prius inerat igni, sic deinde inherit aëri, nec valet dicere (vt Marsilius in 2. de generatione q. 10.) qui tenet, q̃ qualitas symbolica est tantũ in vno subiecto, id est, in materia prima, quæ remanet eadẽ in elemento corrupto & ingenito, duorũ autẽ est tantũ denominatiuè, sicut enim caliditas aëris denominabat aërem calidũ, antequã conuerteretur in ignẽ: sic eadẽ numero denominat ignẽ calidum generatũ ex aëre. Hæc inquã responsio non euadit argumentum, quoniã caliditas sicut dabat formaliter esse calidũ aëri, ita si remanet eadẽ in igne genito ex aëre dat igni formaliter esse calidũ. Sed non potest dare sibi formaliter esse tale, nisi realiter insit illi. ergo non solùm denominatiuè est duorũ, sed formaliter & realiter: & sic migrat realiter de subiecto in subiectum, quod apud omnes est impossibile. Hæc est mens B. Tho. in 2. de generatione in expositione tex. 25. cõtra quam in statur dupliciter. Primò, quia, vt tactum est, si tot corrũpuntur sicut in elemento symbolico, non poterit assignari ratio facilioris transitus. Secundò non poterit saluari dictũ Philosophi dicentis, Facilius est vnum quàm multa transmutare.

Ad primũ inuenio duas responsiones rationabiles, vna est Aegidij in 2. de generatione in expositione tex. 25. & intendit, quòd licet tot corrũpantur, quot in non symbolico: tamen est facilior trãsitus, quia in non symbolico vtraque qualitas corrumpitur per se & à suo contrario: in symbolico aũt vna tantum per se & à suo contrario, altera verò tantũ per accidens, quia ad corruptionẽ sui subiecti quod est ipsum cõpositum ex materia & forma substãtiali. Alia responsio est B. T. in eodem loco & intendit, quòd ideo est facilior transitus, licet vtraque qualitas corrumpatur, quia qualitates non symbolicæ corrũpuntur cum resistentia, eo quod vt contrariæ resistunt corrũpentibus suis contrariis, & regũt quantũ possunt, qualitas autem symbolica sine aliqua resistentia & reactione corrumpitur, non enim caliditas aëris corrũpendi resistit aut reagit in caliditatẽ ignis generandi, cum simile non agat in sũ simile, nec ei resistat. Quia igitur in generatione symbolici est resistentia solùm per vnã qualitatem, in non symbolico autẽ per duas, ideo generatio huius facilior est, illius autẽ difficilior.

Sed contra hanc responsionem instatur argumento Marsilij vbi suprà, in non symbolicis duo agunt, & duo resistunt, in symbolicis vnum agit, & vnum resistit, sed talis est proportio vnius ad vnum, qualis est duorũ ad duo cæteris paribus, ergo æquẽ velox erit transitus inter symbolica, vbi vnũ agit & vnũ resistit, & inter non symbolica vbi duo agunt & duo resistunt.

Ad hoc dicitur, quòd cætera non sunt paria, nam in duobus symbolicis minus resistit suæ cõtrariæ qualitas nõ symbolica, quàm in non symbolicis duæ non symbolicæ suis contrariis. Puta minus resistit humiditas aëris siccitati ignis, quã humiditas & frigiditas aquæ siccitati & caliditati ignis, & ratio est hæc, quoniã caliditas ignis coadiuuat siccitatẽ ad corrũpendum humiditatẽ aëris: siccum enim adiunctũ calido fortius excitat. Quando aũt siccitas ignis corrumpit humiditatem aquæ, nõ ita coadiuuatus à caliditate, quoniã frigiditas aquæ, retardat caliditatẽ ignis, est & alia ratio euidentior, quoniam caliditas aëris coniuncta caliditati ignis adiuuat siccitatem ignis ad corrumpendum humiditatem aëris, non quidem per se, quoniã vt sic est naturalis aëri, sed per accidens, id est, quia fit innaturalis aëri ex coniunctione ad caliditatem ignis, & tunc facta innaturalis, id est, excedens proportionẽ debitam aëri, destruit humiditatem aëris. Id autem non contingit in non symbolicis, non enim frigiditas aquæ adiuuat calorem ignis ad corrumpendum humiditatem aquæ, nec humiditas aquæ adiuuat siccitatem ignis ad corrumpendum frigiditatem aquæ, quoniam non symbola & contraria potius se mutuo corrumpunt, quàm adiuuent, aut se mutuo conseruent. Patet ergo quòd non seruatur talis proportio vnius ad vnum in corrumpendo, qualis est duorum ad duo, ad quod resistentia non est æqualis, vt declaraui.

Ad secundum autem dicitur, quod dictum Philosophi sic habet intelligi, Facilius est vnum quàm multa transmutare, quoniam licet pro veritate tot corrumpantur in generatione symbolica quot in non symbolica: tamen est ac si vnum tantum corrumperetur, quoniam symbolica qualitas sine resistantia corrumpitur, in non symbolicis autem multa per se & cum resistentia corrumpuntur: propterea verum est dicere, quod facilius est vnum cum resistentia, quàm multa cum resistentia transmutare.

Aduerte, quòd contra determinationem factam multa formantur & soluuntur argumenta, recitata à Capr. in 2. distinctione 15. quæstione prima, & ex eis magis apparentia adducit Paul. Sonci. in libro octauo Metaphysices, quęstione nona. Sed in his nolo immorari, quoniam & Capre. & Paul. Soncin. tibi sufficient. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Si materia potest simul informari pluribus formis substantialibus.

CONCLVSIO.

Quum nullo modo plurificentur formæ in homine, neque ex consequenti in quocunque alio composito, materia non potest informari à pluribus substantialibus.

IAm expediuimus quomodo materia respicit formas accidentales, nunc autem considerabimus quomodo respicit substantiales. & quoniam suprà probauimus, quòd materia prima immediatè recipit formam substantialem, restat considerãdum, si potest simul informari pluribus formis. Ex hoc enim manifestum erit, si in eodem composito possunt esse plures formæ vel non. & quoniam hæc quæstio prolixam discussionẽ requirit propter multiplices opiniones circa pluralitatem formarum in eodem, ne fiat confusio, cùm sit eadem ratio de vno cõposito, & præcipuè de animato, sicut de aliis, assumo illud compositum in quo videtur maior ratio plurificandi formas propter multiplicitatẽ suarum operationum, & hic est homo, secundum omnes, si ergo constabit, quod in homine est tantum vna forma, de aliis compositis non erit dubium, Pono igitur hanc diuisionem, & de quolibet diuisionis membro erit consideratio particularis.

Si in homine sunt plures formæ, vel est forma corporeitatis coæterna & inseparabilis à materia secundum Auicen. & anima qua homo constituitur in specie, vel est forma corporeitatis, quæ & forma mixti dicitur, separabilis tamen à materia, & anima qua homo constituitur in specie, vel istæ plures formæ sunt formæ elementorum, vel sunt secundũ prædicata quidditatiua, vel secundũ numerum operationũ vitalium, puta quia differũt vegetare, sentire, intelligere, ita differunt realiter anima vegetatiua, sensitiua, intellectiua, vel secũdum numerũ & diuersitatẽ partium organicarum. Sed nullo istorum modorũ plurificantur formæ in homine, nec ex consequenti in quocunq; alio cõposito, vt apparebit infrà, ponendo pro singulis membris diuisionis conclusiones negatiuas.

Quantum ad primum membrum diuisionis aduerte quod Auic. in 1. lib. sufficientiæ in cap. 2. distinguẽs de corpore, vt est in genere substantiæ, & vt est in genere quantitatis, quod non est aliud quàm trina dimensio. extimat quod forma corporeitatis, quæ est substantia:, ita inest materiæ quòd non mutatur nec separatur ab illa: dimensiones aũt permutantur, ita quòd materia existens inseparabiliter sub corporeitate, recipit alias & alias

& alias dimensiones secundum quod exigunt formæ specificæ, quas materia successiuè recipit, & exemplificat de cera, dicens, Quia cera aut pars aquæ aliquando habet dimensiones in effectu. scilicet longitudinem, latitudinem, profunditatem definitas suis terminis. Sed quando commutatur figura ceræ, corrumpuntur vna quæque illarum dimensionum assignatarum, & succedunt loco illarum aliæ dimensiones, & corpus remanet in sua corporeitate, nec permutatum nec corruptũ: forma enim, quam assignauimus, scilicet, quòd ipsum est eiusmodi, in quo possibile est intelligi has dimensiones, nec est permutata nec corrupta. Ratio autem quæ mouit Auicennam, extimatur esse, quia cognouit necesse esse partes materiæ distingui quantitatiuè, vt sit secundum diuersas partes receptiua diuersarum formarum: extimauit autem corporeitatem de genere quantitatis non posse inesse materiæ, nisi prius insit corporeitas de genere substantiæ, eo quòd accidens supponit subiectum in actu, in quo recipitur, & in hoc differt opinio Auicennæ de corporeitate, ab opinione Commentatoris, de dimensionibus. Quia enim extimauit Commentator dimensiones posse inesse materiæ, immediatè posuit eas coæuas & inseparabiles à materia, & negauit corporeitatem positam ab Auicenna. Sed imaginationem Commentatoris reprobauimus suprà, nunc autem reprobabimus Auicennæ sub hac conclusione, Corporeitas non est coæterna nec inseparabilis à materia, imò nec secum compatitur aliam formam substantialem in homine, nec in alio composito. Pro prima parte arguitur sic, Si corporeitas est coæterna & inseparabilis à materia, quærò, aut illa corporeitas est vniuersalis vel singularis: non vniuersalis, quia vniuersalia non dant esse, nec habent esse, nisi per singularia, aliter coincides cum Platone, & multo minus informant materiam. Non singularis, aliter sequitur, quòd idem indiuiduum locatur sub duplici specie in genere substantiæ: nam accepto Socrate, verum est dicere, quòd est in specie hominis propter animam rationalem: & probo, quòd si corporeitas inest materiæ Socratis in aduentu animæ, Socrates est in alia determinata specie, & arguo sic, Omnis forma substantialis singularis & indiuidua coniuncta materiæ constituit hoc aliquid & compositum determinatæ speciei: sed corporeitas existens inseparabilis à materia Socratis est forma, &c. ergo, &c. Nec valet dicere, quòd maior non est vera, nisi de forma perfecta: corporeitas autem velut fundamentum superuenientium formarum est imperfecta. Hoc, inquam, non valet, quoniam licet forma imperfecta nõ constituat hoc aliquid ita perfectum, sicut facit forma perfecta, tamen verum est dicere, quòd proportionaliter constituit hoc aliquid ita perfectum in genere suo, sicut forma perfecta in genere suo: sicut forma terræ ita constituit terram perfectam perfectione debita terræ, sicut forma ignis ignem perfectione debita igni. Et aduerte, vt exerceas te in sustinendo hoc principium: Quælibet forma substantialis quantumcunque imperfecta, facit hoc aliquid, & constituit in specie determinata, ex hoc enim corruit tota vis ponentium pluralitatem formarum.

Secundam partem conclusionis sic manifesto, Si secum compatitur aliam formam, quæro aut forma superueniens trahit materiam extra potentialitatem, aut non: si non trahit eam, ergo corporeitas non dat materiam esse actu, ex consequenti ita est ens in potentia existens sub corporeitate sicut ante, quod est contra Auicennam: & præterea, frustra poneretur in materia, si trahit eam, ergo materia iam est actu per corporeitatem, ex consequenti forma superueniens aduenit enti in actu, ergo secundum illam non est generatio substantialis: quoniam Philosophus in quinto Physicorum, textu octauo, ponens differentiam inter motum & mutationem substantialem, assignat pro subiecto motus ens actu, & pro subiecto mutationis substantialis ens in potentia, ponere ergo aliam formam aduenire materiæ actuatæ per corporeitatem, non est aliud, quàm destruere generationem substantialem.

Aduerte quòd contra hanc determinationem fiunt multa argumenta in fauorem Auicennæ, quæ soluemus post resolutionem secundi membri diuisionis, quoniam vtrique deseruiunt, vt declarabitur.

Quantum ad secundum membrum diuisionis aduerte, quòd Scotus vt patet in quarto sententiarum, distinctione vndecima, & Antonius Andreas in libro septimo Metaphysices, quæstione decimaseptima, licet non concordent cum Auicenna quo ad modum ponendi formam corporeitatis distinctam à forma vltimata, & propria, qua constituitur compositum in sua propria specie, concordant tamen in positione: vnde aduerte, quòd in vno conueniunt cum Auicenna, & in tribus discordant, conueniunt quidem in hoc, quòd sicut Auicennas ponit distinctionem realem inter formam corporeitatis, & formam specificam in eodem, sic Scotus in aliquibus compositis tenet eandem distinctionem, & maximè in rebus animatis. Discordant autem in duobus, primò quia Auicennas, in omni composito tam in elemento quàm in elementato, tam in animato quàm non animato, posuit formam corporeitatis distinctam à forma specifica, & ratio sua fuit, quia cùm extimauerit, vt dictum est suprà, formam corporeitatis esse inseparabilem à materia, si esset idem cum formis specificis substantiarum inferiorum, non posset reddere rationem, quare tam elementa quàm elementata substantialiter corrũpuntur, non enim est corruptio substantialis, nisi quia forma dans esse substãtiale remouetur à materia, si ergo formæ specificæ horum inferiorum non distinguerentur à corporeitate, iuxta positionem Auicennæ, non essent substantiæ corruptibiles: Scotus autem in solo viuente ponit formam corporeitatis distinctam realiter à forma specifica quæ est anima. & ratio quidem Scoti fuit, quia anima quæ videtur esse forma inextensa, non potest causare in viuente ea quæ causantur à forma corporeitatis. Hæc autem sunt facere rem quantam & extensam. Non enim videtur possibile, quòd forma inextensa, qualis est anima, det esse extensum & quantum, & ideo cum videamus viuentia inferiora habere esse extensum, cùm sint corporea, credidit Scotus necesse esse ponere in viuente vltra animam formam corporeitatis, quam appellat formam mixti, eò quòd consurgit ex mixtione elementorum: in elementis autem & elementatis inanimatis, vt in lapidibus, non posuit formam mixti distinctam à forma specifica: quoniam, cùm forma elementi & elementati inanimati, non sit nullo modo immaterialis nec spiritualis, potest dare esse specificum, & esse corporeum, quod est esse extensum & quantum. ita quòd virtualiter potest quicquid potest forma corporeitatis: ex consequenti nõ est necesse quòd distinguatur à corporeitate, vnde apud Scotum est hoc vt principium, Cuicunque debentur plura esse, si illa possunt causari ab vnica forma, nõ plurificantur in eo formæ: si autem non possunt causari ab vna, necesse est formas in eo plurificari. Discordat secundò, quia Auicennas posuit eam coæternam & inseparabilem à materia, Scotus autem non: nam secundum ipsum, quãdo generatur Sortes, per additionẽ agentis naturalis ante formam specificam & vltimatam, introducitur in materia forma corporeitatis, qua Sortes habet esse corporeum, quam tenet remanere in Sorte mortuo, donec paulatim resoluitur in elementa, tunc enim soluitur forma mixti, & quoniam post separationem animæ adhuc secundum Scotum stat forma mixti, ideo secundum ipsum, corpus viuum & corpus mortuum est idem numero corpus. Hæc fuit imaginatio Scoti, & rationes ad eam formabimus in vltimo huius partis, & soluemus.

Nunc autem reprobanda est positio sua, quo ad duo: primo, quantum ad illud quod dicit, formam specificam in viuentibus, quæ est anima, non posse causare in viuente ea quæ causat forma corporeitatis, scilicet esse extensum & quantum, quoniam anima est inextensa. Contra hoc quidem arguitur, quoniam licet de anima intellectiua verum sit, quòd est penitus inextensa: tamen id vniuersaliter sustinere non potest Scotus de anima vegetatiua & sensitiua. nam anima, cuius omnes potentiæ sunt organicæ, & actus organici, videtur esse extensa & quanta per accidens. Hac enim ratione tenemus animam intellectiuam vt intellectiuam, esse penitus inextensam, quoniam potentiæ intellectiuæ & actus intelligendi sunt non organici, sed constat quod potentiæ & actus animæ vegetatiuæ & sensitiuæ sunt organici: ergo, &c.

Præterea, posito quod Scotus posset saluare dictum suum, quo ad animam sensitiuam animalis perfecti: non tamen quo ad vegetatiuam in plantis, nec quo ad sensitiuam in imperfectis, vt in animali anuloso: & arguo sic, Anima, quæ indifferenter animat partem in toto, & separata à toto, est extensa per accidens: quia nisi diuideretur ad diuisionem partis, non animaret partem extra totum. Hac enim ratione multi tenent sensitiuam animalis perfecti esse inextensam omnino, quia non animat partem extra totum. Sed constat quòd vegetatiua in planta, animat partem extra totum, aliter ramus decisus & plantatus non viueret similiter sensitiua in animali anuloso, vt in lacerta animat partem extra totum ergo, &c. & hoc confirmatur per Philosophum in secundo de anima textu decimonono, vbi sic inquit, Sicut enim in plantis quædam videntur diuisa viuentia, & separata abinuicem, tanquam existente in his anima, actu quidem vna in vnaquæque planta, potentia autem pluribus sic videmus, & circa alteras animæ differen-

tias accidere vt in entomis decisis, &c. Ex quibus constat quòd si in planta, & in entomo, est anima vna actu, & plures potentia, quòd est quanta per accidens, aliter non diuide retur, nec fieret actu plures ad diuisionem partium à toto.

Secundò arguitur contra Sco. quantum ad hoc, quòd tenet in homine formam specificam quæ est anima intellectiua & formam corporeitatis distinguit realiter, & formam corporeitatis præcedere tempore animam intellectiuam & remanere in aduẽtu animæ, ita quòd anima aduenit materiæ iam existenti, & aduenit composito iam extenso per formam corporeitatis & per trinam dimensionem commutantem formam corporeitatis. Contra hoc igitur sic arguitur, Anima quæ recipitur in subiecto existenti actu, & iam extenso inquantum extenso de necessitate fit extensa per accidens. Hæc patet quoniam non alia ratione albedo recepta in subiecto quanto fit extensa per accidens, nisi quia recipitur in extenso per superficiem inquantum extenso. Sed secundum Sco. anima intellectiua distincta realiter à corporeitate, recipitur in subiecto iam existenti actu & extenso, inquantum extenso, quoniam secũdum ipsum recipitur in composito ex materia, & forma corporeitatis: ergo de necessitate fit extensa per accidens, quod est contra ipsum Sco. & contra veritatem, quoniam communiter tenetur, formam extensam educi de potentia materiæ, non ergo tenendum est formam corporeitatis distingui realiter ab anima intellectiua.

Vltimò soluendæ sunt rationes principaliores quæ solent induci pro opinione Scoti, & sequentium viam suam.

Prima, Homo verè est corpus, & est prædicatio in primo modo per se, ergo essentialis ergo per aliquam formã est corpus, & non per animam intellectiuam: ergo per formam corporeitatis distinctam ab anima intellectiua.

Ad hoc potest dupliciter responderi, primo concesso, quod homo verè & essentialiter & in primo modo per se sit corpus, nego hanc consequentiam, ergo per aliquam formam, nam aliqua prædicata essentiam sumunt à materia, quæ est pars essentiæ in substantia composita, sicut ibi homo est corruptibilis, non per formam quæ est anima intellectiua, sed propter materiam subiectam priuationi. Sic in proposito, homo est corpus propter materiam quæ licet nõ sit subiectũ trium dimensionum, est tamen ratio receptiua earum in homine & non forma hominis, vt diximus in quæstione secunda, huius octaui. Secundò, concesso quod homo sit corpus per aliquam formam, nego quin per animam intellectiuam. nec constat quia est spiritualis: nam licet inquantum intellectiua sit mere spiritualis: tamen quia secundum substantiam æquipollet formæ corporeitatis & vegetatiuæ, non incõuenit quòd per ipsam homo habeat esse corporeum & sit corpus, nec est necesse ad hoc quod anima det esse corporeũ, sic formaliter corporea, id est extensa siue quanta per se vel per accidens, sed quòd sit pars quanti per se, & quoniam substantia animæ intellectiuæ est pars quanti per se, id est hominis, qui est quantus per se propter materiam, quam diximus esse rationem recipiendi in homine quantitatem, ideo per ipsam homo est corpus. Quòd si anima esset spiritualis vt substantia separata non posset per ipsam homo esse corpus, quia substantia separata non est apta esse pars essentialis rei quantæ.

Secundò, Homo componitur ex corpore & anima, igitur aut corpus est materia sola: & hoc non: quia possemus dicere elementum esse compositum ex corpore & forma sua, quod nullus dicit. Aut est materia cum aliquo accidente, puta cum quantitate: & hoc non, quia nullũ accidens est de essentia hominis, sed esse corpus est essentiale homini. Aut est materia cũ anima intellectiua, & hoc non, quia cum dicitur, est compositus ex corpore & anima intellectiua, ly anima condistinguitur vt pars contra ly corpus, ergo est materia cum forma corporeitatis, quæ est alia forma ab anima intellectiua.

Ad hoc dicitur, quòd est anima intellectiua cum materia, nõ pro gradu intellectiuo, sed vt dat esse corporeum. Nec est verum quòd anima & corpus sint duæ partes ita cõdistinctæ, quòd corpus non includat animam: imò dico, quòd ly corpus est quoddam totum compositum ex materia & anima intellectiua secundum substantiam suam, licet non secundum intellectiuam, nec concedendum est hominem componi ex corpore & anima, vt duabus partibus, quarum vna non includit aliam, licet apud vulgus videatur sic esse: sed potius dicendum est quòd corpus est quoddam totum, & anima pars.

Tertiò, Quando animal moritur, materia pro nullo instanti est sine forma corporeitatis, quæro ergo, Aut est eadem numero quæ fuit in materia, dum animal viueret, aut noua introducta, nõ noua introducta, quoniam nullus effectus vnus secundum speciem producitur indifferenter à quouis agente vno, vel pluribus secundum speciem, nec etiam indifferenter secundum quamlibet mutationem, præuiam, sed à determinato agente, & per determinatam mutationem præuiam. Sed videmus quòd si animal moritur gladio vel fuste, vel suffocatur, vel morbo intrinseco, vel quocunque alio modo semper cadauer eius est eiusdem rationis, ergo non tunc de nouo producitur illa forma corporeitatis, sed præerat in viuente, producta à determinato agente.

Ad hoc dicitur, quòd est producta de nouo, ad improbationem nego maiorem, quando effectus est via ad definitionem rei. Talis enim effectus ordinatur ad formam cadaueris, quæ est forma vilis, & cum sit vilis non incõuenit, quòd à diuersis agẽtibus, & diuersis modis siue mutationibus producatur, præcipuè quia conueniunt in hoc, quod licet diuersimodè agant, tamen semper causant alterationem, qua disponitur materia ad remotionem animæ & receptionẽ formæ cadaueris, quæ ex vilitate sua de facili producitur, & veluti naturali sequela sequitur obiectionem animæ.

Quartò, Mortuo animali, remanent eadem accidentia, vt quantitas, figura, color, &c. ergo remanet eadem forma corporeitatis, per quam insunt.

Ad hoc negatur antecedens, licet enim similia introducantur concomitantia formam cadaueris, non tamen sunt eadem, licet sensus aliter iudicet: sicut non sunt eadem accidentia præcedentia & concomitantia formam generandam seu similia, vt diximus suprà.

Alia argumenta recitat Paulus Sonci. in 8. metap. q. 1. & soluit ea contra Scotum ac sequentes eum, quæ videbis ad placitum. Mihi sufficit fotuisse ea, in quibus principaliter se fundat opinio Scotistarum.

Quantum ad tertium mẽbrum diuisionis aduerte quod & Auic. & Comment. ponunt in elemento vltra formam specificam, remanere formas elementorum actu. Sed differenter, quoniam Auic. voluit eas remanere integras. Cogitauit enim quod cùm sint substantiæ non recipiunt magis & minus, vnde consistant in indiuisibili, necesse est in mixto dum generatur aut eas corrumpi aut remanere integras. Sed non est dicendum quòd corrumpantur, quoniam hæc esset falsa, elementatum componitur ex elementis, partes enim componentes necesse est saluari in composito, remanent igitur integrè, verùm quia aduertit, quòd si formæ elementorum remanent integrè in mixto, & si qualitates eorum remanerent in suis excellentiis intensè, non posset fieri in mixto (necesse est enim mixta iuxta naturam suam esse temperata, pro quanto vnum declinat magis ad siccitatem, alterum ad oppositum, vnum ad caliditatem, alterum ad oppositum) ideo voluit Auic. qualitates elementorum corrumpi per alterationem adinuicem, & ex eis constari qualitatem vnam, quam dicebat complexionalem continentem in se virtualiter omnes quatuor qualitates, non tamen æquali gradu, sed pro diuersa complexione, aliquando declinat ad calidum, aliquando ad oppositum. Hæc fuit imaginatio Auic. contra quam arguemus infrà, & soluemus rationes suas.

Auerroes autem licet in primo de generatione comment. vltimo videatur tenere cum Auic. tamen in tertio lib. de cœlo cõment. 67. penitus recedit à via Auic. Et dicunt Commentistæ id non esse mirum, quoniam in iuuentute composuit super lib. de generatione, in senectute autem super lib. de cœlo. Igitur vt suslineret mixtionẽ non esse corruptionẽ, posuit elementa & formas eorum saluari actu in mixto. Credidit enim quod si non saluatur actu, mixtũ non esset mixtum, quæ enim miscentur non corrumpuntur. Nam dicit Philosophus in primo de generatione, textu 84. Quæ miscentur, neque corrumpuntur, neque vnum neque ambo, vt autem sustineret mixtionem non solum secundum sensum, sed veram mixtionem, in qua secundum doctrinam Philosophi in primo de generatione, textu octuagesimoquinto & octuagesimosexto, nulla pars distinguitur situ ab alia, sed fit mixtio secundum totum, ita quòd miscibilia conueniunt in vnam formam compositi quod fit vnum per se. & aduertens hoc esse impossibile, si formæ elementorum remanerent actu integrè in mixto, vt magis declarabitur quando arguemus contra Auic. posuit ipsas remanere refractas siue remissas. Dicit enim quòd suscipiunt magis & minus, & sunt contrariæ, & sunt mediæ inter formas substantiales & accidentales propter suam imperfectionẽ, cùm sint propinquissimę materiæ primæ, & ideo non est mirum si vt accedunt ad naturã formarum accidentalium possunt intendi & remitti. Hæc fuit imaginatio Cõm, contra quem arguemus, & soluemus fundamentum suum.

Contra

Contra Auicennam arguitur duabus rationibus, quas tangit Beatus Thomas, in primo de generatione in expositione textus octogesimiquarti, & subsliinebo eas.

Prima est, Si elementa sunt actu in mixto in esse integro vel non, saluatur vera mixtio, vel plura corporea sunt in eodem situ, quorum vtrunq; est falsum & reprobatum ab omnibus, consequentia probatur. Quæro de formis elementorum existentium actu in mixto, aut sunt informantes eandem partem materiæ, aut diuersas, non, eãdem, quoniam licet apud multos eadem materia posit informari simul pluribus formis, quarum vna est ordinata ad aliam, vt corporeitas ad animam & forma generis ad formam speciei, tamen nullus ponit eam posse informari simul pluribus formis specificis, quarum vna nõ ordinatur ad aliam, constat autem formas elementorum esse formas specificas: quare, &c. Si informant diuersas, ergo constituuntur distincta corpora, quoniam non diuiditur materia nisi per quantitatem. Sed ex forma substantiali & materia quanta constituitur corpus. Cùm igitur sint distinctæ materiæ & distinctæ formæ, erunt distincta corpora. Tunc vltra aut ista distincta sunt in distincto situ, & sic non erit vera mixtio, sed distinctorum iuxta positionem, quam Philosop. in 2. de generatione, dicit esse mixtionem ad sensum, aut sunt in eodẽ situ, & tunc sequitur multa corpora esse simul, quod apud omnes tenetur impossibile, vt probatur in quarto Physicorum.

Secunda est, Si Auic. debet saluare veram mixtionem, necesse est vt ponat quatuor formas elementorum informare eandem materiam, aliter vt deduximus in prima ratione non esset mixtio secundum totum, sed per iuxta positionem. Sed si informat eandem materiam, cùm quælibet forma requirat proprias dispositiones, id est, tantam quantitatem & tales qualitates, & in tanto gradu & formæ elementorum requirant vnam qualitatem contrariam qualitati alterius elementi vel vtraque sequitur, quod in eodem subiecto erunt contraria intensa, vt pro forma ignis calidum & siccum, & pro forma aquæ humidum & frigidum.

Rationes autem Auicennæ, vt tangit Beatus Thomas, in primo de generatione super textu octogesimoquarto, fuerũt duæ, quas intendo simul soluere.

Prima est, Si elementa non remanent actu in mixto, ergo corrumpuntur: si corrumpuntur, ergo non miscentur: ergo mixtio non erit mixtio, sed corruptio, & hæc ratio videtur fundata in doctrina Philosophi in secundo de generatione, in textu octogesimo secundo, vbi inquit Philosophus, Altero autem corrupto non mixta esse, sed hoc quidem esse, hoc autem non esse, mixtionem autem similiter hãbentium esse.

Secunda est, Si elementa non manent actu in mixto, amittunt rationem elementi, & falsum erit dicere mixtum compositum esse ex elementis, nam diffinitio elementi est hæc, elementum est ex quo aliquid primò fit cùm insit, & est indiuisibile in diuersas species, vt declaratum est in quinto Metaphy.

Ad vtranque simul respondendo, negatur consequentia, stat enim quod actu non remaneant, & tamen non simpliciter corrũpantur, & quod ex eis fiat mixtio, dicit enim Philosophus in primo de generatione, textu octogesimoquarto, neque manent actu, vt corpus & album: neque corrumpuntur, neque alterum, neque ambo. saluatur enim virtus eorum, ex quibus habetur quod saluantur virtute in mixto, & propterea nõ dicuntur corrumpi, nam illud propriè corrumpitur quod simpliciter definit esse scilicet actu & virtute. Qualiter autem saluantur virtute, declaro secundum doctrinam nostram, quã sequitur Gregor. in secundo sententiarum, distinctione decimaquinta, quæstione prima, & Herueus in quæstione de pluralitate formarum, & resolutio stat in hoc: Mixtio sumitur tripliciter, primò pro congregatione elementorum abinuicem, quæ vt sic nec est generatio nec corruptio elementorum: secundò pro elementorum alteratorum vnione, quæ nec sic est corruptio, sed alteratio tantum: tertiò pro generatione mixti consequente duos modos prædictos mixtionis, & in ea necesse est elementa desinere actu & saluari virtute. Quod qualiter fiat, aduerte, quod elementa simul congregata, alterant seinuicem, ita quod corrumpuntur quo ad formas substantiales & qualitates suas. Quibus corruptis resultat virtute alicuius agentis alterius, ab elementis per se intendentis generationem alicuius mixti, siue illud agens sit aliqua virtus existens in continente, vel aliquis calor, vel secundum Bea. Thom. virtus corporis cœlestis resultãt (inquam) aliquod mixtum & aliqua qualitas media inter extrema differens ab eis. Quæ quidem secundum Herueum est simplex secundum essentiam suam, continens in virtute omnes qualitates elementorum, sicut mollities continet in virtute humiditatem & siccitatem, secundum autem aliquos Thomistas illa qualitas media, est composita, ita quod formaliter continet aliquid de caliditate & frigidit. & sicci. & humid. & ratione huius qualitatis mediæ dicuntur qualitates elemẽtorum remanere in mixto remissè, quia continentur formaliter in gradu remisso in illa qualitate media, cuius sunt partes, & quandoque vna pars remittitur & alia intenditur, & secundum hoc, mixtum magis appropinquat huic elemento quàm illi, sicut cùm calor dominatur, propinquat igni: quando frigiditas, aquæ. Vtrum autem in qualitate media seruentur extremæ formaliter, quæ sunt cõtrariæ, determinabimus in lib. decimo, & pro nunc teneo cum Herueo, scilicet quòd talis qualitas media non est composita ex pluribus partibus secundum rem, sed tantum virtualiter, quia habet aliquid inquantum conuenit cum vno extremo, & aliquid inquantum conuenit cum alio, & hæc media qualitas est dispositio ad formam mixti, & diuersificatur in diuersis mixtis, & in ea seruantur virtualiter qualitates elementares, quæ agunt in mixto in virtute formarum substantialium elementorum, ita quòd virtualiter sunt elementa, sicut calor naturalis generans carnem est virtualiter anima, & virtus formatiua seminis est virtualiter generans, & ratione huius qualitatis mediæ sapientis naturam qualitatum elementarium, quæ continent virtutem formarum substantialium elementorum, dicuntur elementa manere in mixto virtualiter, quia sunt & operantur ac fi essent realiter in eo: & hac de causa licet in mixtione vera contingat elementorum corruptio, tamen non propriè dicitur corruptio. Quia corruptio, propriè est quando fit transitus ab vno extremo ad aliud totaliter. Hic autẽ non fit talis transitus, quia generatur medium continens virtute extrema, nec obstat quod dicit Philosophus. Mixtio est miscibilium alteratorum vnio, intendit enim de mixtione 2. modo, & non 3. modo in quo nos nunc loquimur. Patet igitur quòd neutra ratio concludit, & ad hoc quòd ratio elementi saluetur in elementato, sufficit ipsum inesse actu vel virtute.

Contra Commentat. arguitur rationibus Beat. Thom. primo de generatione in expositione textus octogesimiquarti, & sunt tres quas intendo defensare contra Commentistas.

Prima est, Si forma substantialis elementorum est media inter substantiam & accidens, ergo datur medium inter affirmationem & negationem, quod est impossibile, vt probatum est in quarto libro. Consequentia probatur: nam omne ens præcipuè reale & absolutum est substantia vel accidens, sed accidens est non substantia, & secundum Commenta. forma elementi est media inter substantiam & accidens, ergo est media inter substantiam & non substantiam.

Ad hoc respondent quidam Commentistæ, præcipuè Aug. Suessa, quod Commenta. intendit medium secundum conditiones, vel secundum assimilationem, sicut si mia est media inter brutum & hominem, & non intendit medium per participationem, quasi quod forma elementi participet de substantia & de accidente secundum naturam & esse suum.

Sed hæc responsio non est ad mentem Comm. nam si videbis Commenta. in tertio cœli, commen. sexagesimoseptimo, ibi si igitur aliquis dixerit, &c. illic inuenies quod apud Commenta. esse formæ elementaris est medium inter formas, scilicet substantiales compositorum & accidentia. Tunc sic, si esse formæ elementaris est medium inter substatiam & accidens, etiam natura talis formæ erit media, quia natura rei & esse eius sunt eiusdem generis. Intendit ergo Commeat. quòd sint mediæ secundum esse, & non tantum per assimilationem.

Secunda est, Medium est inter extrema eiusdem generis, sed substantia & accidens, vt patet, non sunt eiusdem generis, ergo vanum est dicere formam elementi esse mediam, inter substantiam & accidens.

Ad hoc dicit Suessa, quod maior non est vera nisi de medio per participationem & non de medio per assimilationem, & quoniam tenet quod forma elementi est media per assimilationem: ideo dicit quòd ratio Beati Thomæ non concludit.

Sed hæc responsio peccat vt prima. Dictum est enim ex verbis Commentator. quod arbitratur eam esse mediam secundum participationem & non solum per assimilationem, dicit enim vbi supra quod habent esse medium, & cum sint formæ diminutæ admiscentur adinuicem, & fit ex eis forma compositi sicut cum admiscentur albedo & nigredo fiunt multi colores, hæc Commentator, ex quibus clare constat, quod loquitur de medio per participationem, aliter similitudo de coloribus ei non deseruiret.

Tertia est si forma elementi intenditur & remittitur, ergo successiuè acquiritur, quia erit partibilis gradualiter, si successiuè acquiritur, ergo per motum, ergo generatio & corruptio

 substan

substantiæ erit motus propriè dictus,& sic concedis motum in prædicamento substantiæ contra Philosophum in 5. phys.

Ad hanc Suessa. respondens,& nolens concedere generationē esse motum propriè dictum,declinauit ad hoc inconueniens,q̃ de ratione motus non est vt sit successiuus, quod tamen videtur esse contra philosophū & Cōm. in 4.phys.in.c.de vacuo.& in lib.6.probat,q̃ omne quod mouetur, mouetur in tēpore, ergo de ratione motus est successio. Præterea, motus sicut & tempus est de genere successiuorum, ergo repugnat motui non esse successiuum:stando ergo in principiis Philosophi,non potest Suessa. subterfugere quin ponat motum propriè dictum in substantia.& sic ratio B.Tho. stat insoluta.

Rationes autem Cōm.quæ stant in hoc q̃ si non remanerēt actu,nō fieret mixtio sed corruptio,& si remanerent integrè, non fieret vera mixtio,ergo remanent refractè,soluuntur clarè ex solutione data rationibus Auicennæ, vt videre poteris.

Et aduerte q̃ cum via nostra concordat Scotus in 2. dist. 15.q.1.& Gre.in 2.dist.15.q.1.&Heruеus in 2.dist.15.q.1.&Capr. in 3.dist.15.q.1.conclusione secunda,quos videre poteris.

Quantum ad quartum mēbrum diuisionis aduerte, quòd non inuento opinionem solennem pro parte affir. solus Iandunus apparuit qui in 1. de anima q.8.&in 2. metap.in quæst. 10. id tenet de mente Comment. cum tamen Comment. in nullo loco id expressè dicat, suum fundamentum accipit à Comment.in 1. metaphys. cōmen. 17. vbi dicit quod materia primo accipit formas vniuersales, & mediantibus illis formas vsque ad indiuiduales, ergo videtur Commentator distinguere inter formam genericam & specificam, cùm nihil sit medium recipiendi seipsum.

Sed ex hoc dicto Comment.nihil potest concludere cōtra pluralitatem formarum simul in materia:nam quorūcūq; modo intelligat,Comm.illas formas vniuersales, nō dicit Cōm. illas formas esse simul in materia,sed quod vnam recipit mediātè alia,quia prius vnam,puta in generatione hominis formam vegetatiuam,deinde aliam,quia facta dispositione pro sensitiua,abiicitur vegetatiua,& recipitur sensitiua continens vegetatiuam,& sic producendo vsque ad indiuiduale,scilicet specificam, quam dicit indiuidualem,quia est indiuisibilis per gradus formales. Aliud fundamentū facit Iaud.in 1.de anima q.8.& est quod forma generica est vt potentia siue potentialis respectu formæ specificæ,eo quòd genus est vt materia,potentia autem & actus distinguuntur realiter, sed nec id cogit, quoniam vt aliàs dicemus,potentialitas illa non debet intelligi realiter sed conceptibiliter, qui tamen conceptus habet correspondentiam ex parte rei.Tu igitur.vt te resoluas, pone conclusionem negatiuam,quam sufficienter probat Greg.in 2.di. 16. & 17.q.2. & quoniam Paulus Soncinas in lib.8.metap. q.12.quasi ad literam probat conclusionem,&soluit argumēta in oppositum,vt Grego. ideo nolo immorari in hoc, vide quem volueris, quoniam vterque determinat Thomisti. nec aliquid noui dicendum occurrit.Tu tamen aduerte quòd in 2. meraphy.in q. 7.soluimus principalem rationem Ianduni conantis probare huiusmodi pluralitatem formarum secūdum prædicata quidditatiua.

Quantum ad sextum membrum diuisionisiam resoluimus in libro 7. in q.19. ideo reuide illic. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Si forma est separabilis à materia secundum esse,vel secundum conceptum.

CONCLVSIO.

Nulla forma naturalis materialis est separabilis à materia nec secundum esse nec secundum conceptum. At anima intellectiua, quæ forma est naturalis immaterialis est separabilis à materia secundum esse.

EXpeditis quæstionibus quæ motæ fuerunt circa materiam, transeundum est ad dubia quæ accidunt circa formam.Diuidentes autem præsentem considerationem in tres partes: primò considerandum esset, quid sit forma, & quæ sit causalitas sua.Sed id iam expediuimus in libro quinto. Secundò an sit separabilis à materia secundum esse vel saltem secundum conceptum. Tertiò an esse intensibilem & remissibilem ita conueniat formæ accidentali quod repugnat formæ substantiali.

Nunc igitur quærentes an sit separabilis à materia secundum esse vel saltem secundum conceptum sic procedemus. Primò ponitur distinctio de formis: Secundò tres conclusiones responsuæ.Tertiò soluetur dubium.

Quantum ad primum aduerte,quòd formarum vnibilium materiæ de quibus in hoc octauo propriè intendimus vt præseruemus nos à formis abstractis de quibus considerabimus in lib.12. quædam est immaterialis,id est quæ licet sit vnibilis materiæ, tamen secundum esse non pendet à materia nec educitur de potentia materiæ,& hæc est sola anima intellectiua, de cuius immaterialitate & incorruptibilitate determinauimus in tertio de anima. Quædam est materialis, id est cuius esse pendet à materia & educitur de potentia materiæ,& istæ sunt omnes formæ, substantiarum inferiorum,tam viuētium quàm non viuentium excepto homine, verum quia euidentia huius distinctionis pendet ex eo quòd sciatur quid sit formam educi de potentia materiæ, ideo id declarandum est, antequam ponantur conclusiones responsuæ.

Tu igitur aduerte quòd hæc propositio,Forma educitur de potentia materiæ, potest habere triplicem sensum, Primò, quia est in materia secundum esse inchoatum & imperfectum & quasi potentiale,de illo esse educitur per agens naturale ad esse perfectum secundum quod perfecte actuat materiam,& hic sensus est falsus,quoniam in libro septimo reprobauimus formam generandam imperfectam secundum partem vel secundum totum præexistere in materia. Secundo, quia producitur ab aliquo principio actiuo materiali & corporali indito rei materiali, quomodo diceretur forma grani educi de potentia materiæ, quia producitur à virtute actiua quæ est in semine, & secundum hunc modum facile esset ostendere quæ formæ educuntur de potentia materiæ,& quæ non,vt dicantur illæ educi quæ producuntur ab agente vel à virtute corporali,& illæ non educuntur, quæ sic non producuntur.Tertiò & propriè educi de potentia materiæ est, quia in potētia passiua materiæ est, siue in ipsa materia passiuè est, quòd talis forma tendat ad esse & non aliter,ita quòd sicut dicimus quòd in sole est illuminare actiuè,quia ab eo actiuè dependet lumen:sic etiam dicimus quòd in potentia materiæ est forma, quia in potentia passiua illius est, vt deducat ad esse, siue à potentia passiua illius dependet quòd forma pertingat ad esse,& hic est verus modus quem clarius sic manifestare potes, vt Greg. in 2. dist. 16. &17.q.1.art. ad sextum educi formam de potentia materiæ non est eam recipi actu in materia,quæ prius erat receptibilis, sed est per naturales transmutationes materiæ,& per agens naturale exire ad actum,& in hoc distinguitur anima intellectiua ab aliis formis, quoniā illæ exeunt in actum, id est deducuntur ad esse & recipiuntur in materia, id est informant materiam per transmutationes naturales & per agens naturale. Anima verò intellectiua non deducitur ad esse nec exit in actum per huiusmodi transmutationes, nec per agens naturale.licet per tales transmutationes & per agens naturale disponens recipiatur in materia& informet eam.

Quantum ad secundum pono tres conclusiones responsiuas quæsito. Prima est, Nulla forma naturalis materialis est separabilis à materia secundum esse. Probatur, quia innititur materiæ,& educitur de potētia materiæ tertio modo suprà posito, ergo repugnat quod possit esse sine materia.

Præterea esset incorruptibilis & per se existens, si adhuc posset esse separata à materia. Præterea, secundum Commenta. in octauo Physicorum commento septuagesimonono,& in libro de substantia orbis, cap. primo. Omnis forma materialis est constituta in esse per materiam, ergo est inseparabilis à materia.

Præterea,nullam habet operationem eleuatam omnino super materiam, cum nec id comperat animæ sensitiuæ,in cuius omni sua operatione communicat corpus,vt declaratum est in libro de anima: ergo, &c. Patet consequentia, quia Philosophus in primo de anima, textu decimotertio, non ex alio venatur separabilitatem animæ intellectiuæ, nisi ex hoc, quòd si est animæ aliqua operatio propria in qua non communicat corpus, contingit eam separari.Si autem non est aliqua operatio propria, non contingit eam separari. Cum igitur non possit assignari aliqua operatio propria formæ naturalis, materialis, non erit separabilis à materia secundum esse.

Secūda est,Forma naturalis immaterialis qualis est anima intellectiua est separabilis à materia secūdum esse.Probatur quia non educitur de potentia materiæ tertio modo suprà exposito,& non constituitur in esse per materiā & esse incorruptibilis,& habet operationem propriam,quæ est intelligere,ergo,&c.Sed aduerte q̃ hoc antecedens nō potes firmare nisi

nisi per resolutionem quā fecimus in tertio de anima in quæstio.qua determinauimus incorruptibilitatem animæ ad mentem Philosophi. Constat tantum quod si est incorruptibilis, est separabilis à materia secundum esse.

Tertia est, Nulla forma naturalis siue immaterialis est separabilis sà materia secundum conceptum. Probatur, non diffinitur diffinitione Physica sine materia,vnde Philosophus in septimo Metaphysicæ, textu trigesimoquarto, ponens differentiam inter formas naturales qualis est simitas, & formas Mathematicas, qualis est concauitas siue curuitas, dicit quòd naturales concernunt materiam in diffinitione sua, illæ autem abstrahunt secundum rationem, licet non secundum esse.Et confirmatur 1, quia si aliqua forma naturalis abstrahit à materia secundum rationem, maximè esset anima quæ videtur eleuata supra materiam, formæ autem corporales totaliter sunt immersæ in materia,& tamen Philosoph. in secundo de anima textu septimo,formans diffinitionem animæ, diffinit eam per esse actum corporis Physici.Patet ergo quòd nulla forma naturalis nec etiam immaterialis abstrahit à materia, secundum conceptum. Et si quæras, cùm forma sit actus quare non potest concipi absque omni quod non est de essentia eius:dico id esse, quoniam licet sit actus, tamen non est ens completum in specie,sed solùm cōpositum:& ideo necesse est, vt in conceptu suo, concernat propriā materiā,sicut accidens quodlet ens diminutum respectu substātiæ,cōcernit subiectū.

Quantum ad tertium aduerte,quòd contra determinationem factum videtur esse Philosophus,qui in hoc octauo in textu tertio loquens de forma inquit, Aliter verò & forma & ratio,quia aliquidens ratione separabile est:ergo falsum est formam non esse separabilem à materia secundum rationem.

Ad hoc dico, quòd si sumatur materia, pro materia indiuiduali, forma specificè sumpta est separabilis ab ea secundum rationem,quia non diffinitur per illā,similiter si sumatur materia sensibilis etiam communis forma Mathe. est separabilis ab ea secundum rationem,& in vtroque sensu potest intelligi dictum Philosophi. Hic autem determinauimus de forma vt forma,& de materia vt materia: & sic diximus, quòd non separatur à materia vt materia secundum rationem, quoniam licet forma specifica naturalis abstrahat à materia sensibili indiuiduali,non tamen à materia communi sensibili. Et licet forma Mathematica abstrahat ab omni materia sensibili,non tamen ab intelligibili.Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si intensio & remissio ita conueniat formæ accidentali, quòd repugnat substantiali.

CONCLVSIO.

Nulla forma substantialis est extensiua intensione propria. Intensione verò communiter dicta, non inconuenit formam substantialem intendi,& remitti.

PRo resolutione huius quæsiti quatuor agenda sunt.Primò inuestigabitur, vnde habet forma quòd possit intendi & remitti:& per oppositum quòd non possit intendi & remitti. Secundò, per quem modum forma intenditur & remittitur. Tertiò ponetur conclusio responsiua.Quartò, posito quòd repugnet formæ substantiali intendi & remitti,inuestigabitur si repugnat duabus formis substantialibus quæ sunt eiusdem speciei,in æqualitas essentialis perfectionis.

Quantum ad primum aduerte quòd secundum doctrinam Thomisticam,radix intensionis & remissionis in formis est indeterminatio vel indifferentia formæ,pro qua sciendū, quòd forma accidentalis potest imaginari sub triplici indeterminatione. Primò, quòd sit indeterminata ad extendendum in diuersis substantiis:& hæc non facit eam intensibilem & remissibi.sed dat eiquòd sit accidens commune,&oppositum dat ei quòd sit accidens proprium.Secundò,quòd sit indeterminata ad esse & ab esse à subiecto: & hæc non facit eam intensibi.& remissibi.sed quòd sit accidens separabile,& oppositum facit eam esse accidens inseparabile. Tertiò,quod sit indeterminata, vt participetur à subiecto magis perfectè & minus perfectè,& sit acquisibilis per motum in subiecto, & ex hac indeterminatione habet forma originem intensionis & remissio. nam formam intendi & remitti propriè est esse talis naturæ quòd est apta diuersimodè siue diuisibiliter per motum recipi in subiecto,ex consequenti actuare ipsum secundum magis & minus,& educi actione agentis de imperfecto ad perfectum stante vnitate non solùm specifica, sed numerali ipsius formæ,vt declarabimus infrā.Ex opposito autem forma redditur non intensibilis nec remissibilis,vnde cuicunque formæ repugnat acquiri per motum,& diuersimodè participari in subiecto,&c.repugnat intendi & remitti, & breuiter quæcunque consistunt in esse indiuisibili, vt numeri, & quantitates denominatæ à numero,& quæ largiuntur esse substantiale,non possunt intendi nec remitti,quoniam stant sub opposito indeterminationis tertio modo dictæ.

Quantum ad secundum aduerte quòd licet omnes conueniant in hoc, quòd forma ideo intenditur, quia diuersimodè actuat subiectum & magis perfectè participatur à subiecto, non tamen conueniunt in modo:nam aliqui,vt recitat Heru. in primo distinctione decimaseptima, quæstione quarta, articulo secundo,& Gregor.in primo distinctione decimaseptima, quæstione quarta, articulo primo, dicunt quòd intensio fit per additionem gradus ad gradum in esse formæ, pro quo aduerte,quòd isti dicunt dum intenditur calor,non additur calor calori, quia in essentia caloris non dantur gradus, sed additur esse perfectius calidum,esse minus perfectè calido, quæ diuersa esse dantur formaliter à calore subiecto receptiuo,secundum quod est magis vel minus dispositum, & per consequens magis vel minus participat ipsum,& hanc suam opinionem conantur sic probare. Intensio & remissio aut fit secundum gradus in essentia formæ,aut in esse formæ,quia non est imaginabile quòd fiat alio modo:non in essentia, vt probabitur,ergo in esse. Quòd gradus non sint in essentia, probatur quadrupliciter,primò,Si forma intēsa est maior & perfectior secundum gradus in essentia quàm qualitas remissa, hoc est quia forma remissa virtute continetur in intensa,sicut sensitiuum in intellectiuo,aut quia gradui præexistenti additur alius gradus: non primo modo, quia gradus essentiales, quorum vnus continetur in alio, differunt specie, vt patet in exemplo dato de sensitiuo, & intellectiuo. Sed forma intensa & remissa sunt eiusdem speciei secundum omnes:ergo,&c.

Secundò, forma diffinitur quòd est simplici & inuariabili essentia consistens,ergo non habet gradus in essentia,repugnat enim quòd habeat gradus in essentia, & sit simplex & inuariabilis secundum essentiam.

Tertiò,ex nono Metaph.textu decimo,formæ rerum sunt sicut numeri,sed in essentia numeri nō dantur gradus:ergo,&c.

Quartò,Res per formam habet certitudinem,& est determinatæ naturæ:ergo est indiuisibilis secundum essentiam,probatur consequentia,quoniam secundum Philosophum in decimo Met.id à quo res habet certitudinē debet esse minimum & indiuisibile, vt patet de mensura certificante mensuratum.

Sed hæc opinio,vt sonat, videtur irrationabilis, & arguitur sic, Subiectum quòd fit magis tale per aliquam formā, transmutatur secūdum illam,aliter nō magis haberet illam quàm prius. Si transmutatur, aut transmutatur ab illa, aut ad illam, patet consequentia, quoniam in transmutatione omnis terminus est vel à quo vel ad quem: non ab illa, quia non fieret magis tale per illam sed minus, supponimus autem quòd fiat magis tale: ergo ad illam, ergo in termino intensionis habet magis illam. Sed non potest imaginari quomodo subiectum habeat magis illam, vel participet illa, vel illa magis actuet aut inhæreat subiecto,aut magis radicetur in eo,aut quòd ipsa det subiecto perfectius esse formaliter, nisi ipsa facta sit perfectior,quoniam nobilitas effectus formalis pendet à nobilitate causæ formalis.Si ergo tu concedis gradus in esse, concedes gradus in essentia formæ intensibilis.

Præterea,Latitudo proprietatis maximè intimæ rei consequitur latitudinem,quæ est in re quam consequitur, videmus enim quòd in similitudine non datur latitudo,nisi quia in fundamēto,puta in qualitate datur latitudo. Sed esse est proprietas maximè intima formæ, quia est immediatus eius effectus formalis,ergo non datur in esse nisi quia datur in forma.Nec valet dicere,vt quidam dicunt, quòd non est eadem ratio de esse formæ accidentalis,& de ipsa forma,quoniam esse respicit subiectum, est enim esse accidentis in esse subiecto, forma autem non respicit subiectum, cùm igitur non detur intensio & remissio,nisi quia subiectum magis & minus participat esse formæ, ideo datur latitudo in esse, & non in forma. Hoc inquam non valet,quoniam cùm esse fluat naturaliter à forma, qualis est forma, tale dabit esse ei cui inest, ergo si forma est indiuisibilis nullam habens latitudinem,dabit ei cui inest esse vno modo:ergo non secundum magis & minus.

Respondendo autem rationibus factis pro hac opinione, aduerte quòd omnes soluuntur hac distinctione,forma intēsibilis,puta albedo, dupliciter consideratur, primò vt est forma specifica condistincta contra aliam speciem, & constituta per differentiam suam essentialem:secundò vt est forma indiuidualis,puta hic,albedo apta actuare manum. Primo modo est non intensibilis, quoniam vt species stat indiuisibilis non enim posset diuidi,nisi per gradus formales,qui nō stant cum

vnitate specifica, vnde vt species, habet esse indiuisibile, & est sicut numerus. vt ponit philosophus 8. metaph. tex. x. Secundo modo est intensibilis, quoniam vt respicit subiectum perfectibile potest magis & minus perficere illud secũdum quod & ipsa per actionem agentis educitur de potentia ad actum, & quæ prius fuit imperfecta, postea fit magis perfecta, & vt sic dat subiecto esse imperfectum, deinde perfectius, ipsa facta magis perfecta non secundum se & specificè considerata, sed vt recipitur diuersimodè in subiecto.

Ad primam igitur dico, quòd forma vt remissa continetur virtute in seipsa intensa, quia quamcunque perfectionem habet vt remissa, habet vt intensa, & plus non: tamen continetur vt sensitiuum in intellectiuo, quoniam illa differunt & specie & genere, forma autem remissa est eiusdem speciei cum intensa, negatur autem quòd vniuersaliter gradus essentiales quorum vnus cõtinetur in alio, differant specie, hoc enim non est verum nisi sumantur ex parte formæ secundum se, quando autem sumantur ex parte formæ vt respicit materiam quam actuat, non est verum, vt magis declarabitur infrà, & quoniam forma nõ intenditur nisi vt respicit subiectum, ideo magis & minus non differunt specie.

Ad secundam dico, quòd illa diffinitio datur de forma secundum se & in suo esse specifico, & nõ vt diuersimodè actuat subiectum, ideo non concludit.

Ad tertiam dico, vt ad secundam.

Ad quartam dico quòd assumptum non est verum, nisi de forma substantiali, per quam res locatur in specie determinata.

Remota hac opinione, aduerte quòd alij dicunt intensionem & remissio. fieri per additionem gradus: qui sunt in essentia formæ, non quidem vt est specifica, sed vt indiuidualis, quoniam secundum rationem specificam est vt numerus ex octauo metaph. textu decimo. secundum autem quòd est indiuidua ponunt in ea quandam latitudinem graduum, ex hoc quòd si non haberet vt indiuidua latitudinem graduum, non posset esse simul in diuersis subiectis secundum aliam & aliam rationem, videmus autem in niue & in pariete albedinem secundum aliam & aliam rationem, ergo, &c. Et hæc est opinio Scoti & Ant. And. in 8. Metaph. quæstio. 6. Quæ quantum ad hoc quòd forma vt specifica, non habet latitudinem: stat cum B. Tho. & quòd vt indiuidua habet latitudinem, pro quãto actuat hoc vel illud subiectum magis vel minus, stat cum B. Tho. Quòd autem hæc intensio fiat per additionem graduum. ita quòd isti gradus distinguantur realiter & signatè, & quòd secundus adueniat primo distincto actu à secundo, & ex illis constituatur forma vna per se, est contra B. Tho. & intendo arguere contra hanc viam, deinde soluam rationes suas.

Arguo igitur sic, Si intenditur calor in aqua per additionem gradus caloris ad gradum caloris, qui sunt distincti & signabiles, puta quia primus est tantus calor, & secundus est tantus, ergo in aqua erunt duo calores graduales, de quibus quæro, aut differunt specie, aut numero, non primo, quia non fieret intensio sit enim intensio per suum simile: quæ autem differunt specie, non sunt similia, taliter quòd vnum augeat alterum, vnde sicut per dulcedinem non augetur amaritudo sic nec ibi si est distinctio specifica, non secundo, quia duo accidentia eiusdem speciei acquisibilia per motum secundum Sco. necessario distinguntur subiecto. Constat autem quod idem subiectum & eadem pars subiecti potest intendi secundum calorem: ergo impossibile est duos calores distinctos numero inesse eidem. Et aduerte quòd Sco. & Ant. And. videntur nõ posse saluare hanc realem distinctionem graduum, quin sibi contradicant. Nam Ant. And. in quinto metaphys. quæstione octaua tenet quòd est impossibile duo accidentia absoluta educta de potentia materiæ per motum differentia solo numero esse in eodem subiecto quia termini motus sunt incompossibiles. Constat autem quòd si intensio fiat per additionem gradus ad gradum, qui sint realiter distincti, & vnus non corrumpatur adueniente alio, vt tenet Sco. duo accidentia realia absoluta quæ sunt differentia solo numero, & acquisibilia per motum, erunt in eodem subiecto, ergo sibi contradicunt.

Rationes pro hac opinione recitat Capr. in 1. dist. 17 quæst. secunda contra septimam conclusionem, & Her. in 1. dist. 17. quæstione quinta, & recitantur pro secunda opinione. Paulus autem Sonc. in octauo metaph. quæstione 21. resolutè format in princi. quæstionis, & solutè conformiter Capr. & Her. & quoniam responsiones sunt Thomisticæ, ideo vide eas in Paulo ne tempus conteramus, ex quo nihil noui superaddendum occurrit.

Alij vt Burl. dicunt quòd intensio fit per successionem graduum, ita tamen quòd adueniente posteriori, prior corrumpitur. Sed contra hanc opinionem arguit subtiliter & calculatorie Greg. in 1. di. 17. q. 4. art. 2. per totum, vbi & soluit rationes eius, verùm hæc opinio iam periit, ideo nolo immorari contra eam, sed vide tu Gregorium.

Relictis his opinionibus, inuestigandum est quæ fuerit mens Bea. Thom. vnde aduerte quòd ex tota doctrina sua elicio tria.

Primò, Forma non intenditur per additionem partis formæ vel gradus ad perexistendum formam, quoniam secundum Philos. & Commen. in 4. physic. tex. 84. calidum fit magis calidum absque eo. quòd in eo efficiatur aliquid calidum, quod ante non erat calidum: vbi & Commen. inquit, materia veniet ex hac caliditate demonstrata ad maiorem caliditatem, nullis partibus calidis in actu aduenientibus, sed transfertur in maiorem caliditatem ex intensione caliditatis, & similiter materia transfertur de minori quantitate ad maiorem, nulla quantitate in actu adueniente. Ex quibus constat quòd mens philosophi & Cõment. fuit quòd dum intenditur forma, nihil noui aduenit subiecto, distinctum realiter à præcedenti forma.

Secundò, forma non intenditur præcisè ex hoc quòd magis radicatur in subiecto, ita quòd non augetur essentialiter. Hęc enim duo implicant contradictionem: nulla enim forma potest intelligi magis radicari in subiecto, nisi quia habet maiorem victoriam super subiectum. maior autem victoria indicat maiorem virtutem: maior autem virtus est à perfectiori essentia, quoniam cùm distinguatur ab essentia: oportet quòd commensuretur essentiæ, sicut effectus causæ proximæ. Cùm igitur formam magis radicari subiecto, inferat maiorem perfectionem in essentia formæ, hæc duo contradicunt, forma magis radicatur, & non efficitur perfectior in essentia sua, non ergo tali modo intenditur.

Tertio, Forma intenditur ex eo quòd educitur de imperfecto ad perfectum, quod intelligas & secundum essentiam & secundum esse quod stat subiecto. pro cuius euidentia aduerte secundum doctrinam B. Tho. in primo sent. dist. 17. q. 2. art. 2. q. qualitates secundæ intenduntur secundũ intentionẽ primarum, sicut sapor & odor. & aliæ intenduntur ad proportionatã intensionẽ caliditatis & fri. & sicci, & humi. Qualitates aũt simplices siue primæ intenduntur ex causis suis, vt ex agente & recipiente. Nã agens intendit reducere patiens de potẽtia ad actũ suæ similitudinis quantum potest, vnde non cõtentatur calidum inducere in calefactibili calorẽ imperfectissimum, quem possumus dicere primum gradum, sed postquam reduxit calidum omnino in potẽtia ad calorem imperfectissimũ. iterũ conatur de imperfectissimo ad perfectiorẽ reducere nõ addendo calorẽ calori, sed magis educẽdo de potẽtia ad actum. nam sicut per actionẽ calidi efficitur de non calido calidũ, ita efficitur de calido imperfecto perfectius calidum: & sic ordinatè vsque ad summum calidum, in quo ordine, calor præcedens comparatur ad sequentem, vt potẽtia ad actũ, quodlibet enim imperfectũ respectu perfectioris est vt potẽtia. Calor igitur intẽditur ex eo quòd actione calidi educitur calor, qui erat in subiecto, vt imperfectus actus ad maiorem perfectionẽ: & sic calor factus est perfectior, quia magis actu, & facit subiectũ perfectius calidum, quod est dare perfectius esse calidũ. Ex quibus sequuntur tria. primò, quòd formam intendi per eductionẽ de potẽtia ad actum, idem est quod eam magis radicari in subiecto, & eam magis participari à subiecto, & eam educi de imperfecto ad perfectum, & eam magis actuare, siue dare magis esse subiecto. nam hæc omnia in doctrina B. Tho quo ad sensum æquipollent. secundò, sequitur q̃ in via nostra non dãtur gradus distincti realiter, sed apud nos gradus dicũtur ipsa forma, vt diuersimodè educitur de minus perfecta ad magis perfectam vsque ad summum, non per additionem sed per nouos modos habendi ipsam formã, puta quando subiectum educitur de potentia calidum ad actu calidum quãtumcunque imperfectum dicitur habere primũ gradum caloris, & quando adhuc calefit & recipit perfectiorem calorem, habet secundum gradum, ita quòd primus calor qui est terminus à quo, non distinguitur realiter à secundo qui est terminus ad quem, nisi ex nouo modo & perfectiori. tertiò sequitur, quòd omnes rationes probantes formam intensam distingui à remissa per additionem partis aut gradus aut nouæ realitatis, alioquin per motum intensionis nihil acquireretur, nec intensum & remissum possunt esse termini motus, &c. soluuntur ex hoc quòd licet nulla pars nec gradus nec noua realitas

realitas acquiratur, acquiritur tamen eadem forma nouis & perfectioribus modis. In his puto consistere modum intensionis & remissionis, secundum doctrinam Beati Thomæ.

Quantum ad tertium aduerte quod alio modo respondendum esset quæsito secundum Comment. & alio modo secundum Scotum, & alio modo secundum Beat. Tho. Nam secundum Commentato. ponenda esset conclusio hæc. Non solùm forma accidentalis sed & substantialis simplex, qualis est forma elementi, est intensibilis & remissibilis. Verùm quia hanc opinionem pertractauimus in quæstio. præcedenti, & reprobauimus eam: ideo non est immorandum in ea. Scotus autem & Anton. Andr. vt pater in vndecimo Metaphysicæ, quæstione prima, tenent quòd indifferenter omnis forma substantialis, præter animam intellectiuam intenditur & remittitur, eo quòd forma generanda secundum eos successiuè introducitur & corrumpenda successiuè abiicitur, & quoniam hæc opinio directè est contra viam nostram, ideo immorandum est contra eam, & sic procedemus. Primò ponentur fundamenta sua. Secundò rationes suæ. Tertiò arguetur contra fundamenta sua. Quartò soluentur rationes suæ. Vltimò ponemus conclusionem responsiuam in via Beati Thomæ.

Quantum ad primum aduerte quòd suum primum fundamentum est hoc. Tenent quòd forma substantialis licet quo ad esse specificum non intendatur nec remittatur, tamen secundum quod est indiuidua intenditur & remittitur, eo quòd intrinsece continet plures gradus indiuiduales, quibus diuersimodè & successiuè potest informare materiam, & dicunt id esse de mente Philosophi in octauo Metaphysicæ, textu decimo, vbi inquit, Et quemadmodum nec numerus habet magis vel minus, nec quæ secundum speciem substantia, id est forma substantialis vt specifica. Sed si quidem cum materia, id est inquantum indiuidua, secundum est hoc. Tenet quòd generatio est motus, & est successiua vt generatio est, ita quòd non distinguitur à motu in quinto Physicorum, ex eo quòd generatio sit instantanea, & motus successiuus, sed ex termino & ex subiecto, nam generatio propriè est ad substantiam, motus autem ad accidens, & subiectum generationis est ens in potẽtia, subiectum autẽ motus est ens actu. Hæc sunt fundamẽta eorum.

Quantum ad secundum, aduerte quòd Anton. Andre. vndecimo Metaphysicæ, quæstione prima, ponit hanc conclusionem, Forma substantialis habet gradus intrinsecos essentiales secundum quos suscipit magis & minus, & intrinsecam diuisionem. Hanc probat quatuor rationibus.

Prima est, Calidum intenditur in igne, ergo & forma ignis. Antecedens patet de igne generato ex quercu, & generato ex palea, siue ex alia materia rara. Consequẽtia autem probatur, si effectus naturalis dissimiliter se habet & causa naturalis dissimiliter se habet: quia omnis causa naturalis agit quantum potest. Sed calor ignis, qui est effectus naturalis formæ ignis dissimiliter se habet, vt dictum est in antecedente, ergo & forma ignis quæ est causa naturalis dissimiliter, se habet, ex consequenti potest esse minus & magis perfecta.

Secunda est, In alteratione præcedente corruptionem aquæ in ignem introducitur calor, ergo & forma ignis non intensa, ergo remissa. Antecedens patet ad sensum. Prima autẽ consequentia probatur, Nullum propriũ accidẽs est sine forma sui proprij subiecti, quoniam consequitur ipsam, vel est ad ipsam. Sed calor est proprium accidens ignis, ergo. &c. secunda autem consequentia probatur, quoniã impossibile est formas specificas repugnantes, esse simul in eadem materia secundum esse intensum, sed forma aquæ & forma ignis sunt repugnantes, vt patet ex suis contrariis dispositionibus, ergo cùm in alteratione præcedente, &c. introducatur forma ignis & adhuc sit in materia forma aquæ, necesse est, vtranque esse remissam. vel saltem formam ignis esse remissam.

Tertia est, Omne quod mutatur, ex 6. Physic. est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem: tunc quæro, ly partim & partim, aut accipitur pro diuisibilitate formæ secundum quam est motus, aut pro diuisibilitate subiecti, quod mouetur: non secundo. quia ex octauo Physicor. contingit aliquod totum simul alterari, ergo primo modo, ergo forma substantialis est diuisibilis, & sic habetur propositum.

Quarta est, Omnis perfectio quæ potest numerari in pluribus, maiorem perfectionem dicit in pluribus, quàm in vno, sed forma ignis est numerabilis in pluribus indiuiduis, vt patet. Si igitur duo ignes iungantur & fiat vnus: non est dubium, quin ille ignis perfectiorem & intensiorem formam habeat, quàm duo ex quibus componitur, seorsum sumpti. nam duo perfecta simul iuncta, perfectius aliquid ponũt, quàm vnum tantum cæteris paribus.

Quantum ad tertium sic arguitur contra primum fundamentum, Forma secundum quam aliquid constituitur sub specie, est indiuisibilis, quoniam secundum Philosophum in octauo Metaphysic. textu decimo, se habeat vt vnitas ad numerum, quæ licet sit minima & indiuisibilis addita vel subtracta variat speciem numeri. Sed per formam substãtialem indiuidualem, indiuiduum constituitur sub specie, quoniam aut constituitur sub specie per formam specificam, aut per indiuidualem: non per specificam, quoniam specifica constituitur species, non potest autem eodem constitui species & indiuiduum, cùm se habeant vt totum & pars subiectiua, si est indiuisibilis, ergo non habet gradus intrinsecos essentiales, nec suscipit magis & minus, quoniam in doctrina Scoti intensio fit per additionem gradus, & dictum Philosophi in octauo Metaphysices, textu decimo, vbi inquit, Sed si quidem cum materia, &c. non fauet ei, nam sensus Philosophi est, quòd forma substantialis siue specifica siue indiuidua non habet magis & minus in essentia sua. Sed si quidem cum materia, id est, si consideretur cum dispositionibus quæ tenent rationem & modum materiæ, quia sunt ratio recipiendi formam, potest dici recipere magis & minus, non quidem secundum se, sed ratione dispositionum, quæ sunt qualitates intensibiles. Sed quia Commentator in octauo Metaphysices textum prædictum exponens videtur fauere viæ Scoti. Dicit enim ita, forma substantialis non recipit magis & minus, non enim est homo maioris humanitatis quàm alius homo secundum formam. Sed si fuerit, erit secundum quod forma est in eo in materia, ideo declarandum est quòd pro veritate non fauet ei. Aduerte igitur quòd Comment. intelligendus est, sicut intendit Philosoph. Philos. autem loquitur de formis contra Platonem qui dicebat formas esse numeros & esse separatas, & licet secundum Phil. non sint numeri, tamen assimilantur numeris in quatuor proprietatibus, quæ patent in eodem tex. & 4. similitudo est, quòd sicut numeri non recipiunt magis & minus, sic nec forma secundum speciem: quoniam vt species non habet principium intrinsecum, nec gradum quo diuersificetur. Sed si habet magis & minus, est cum materia, id est, Quoniam materia est principium diuersificandi formam specificam, ratio maioris apparentiæ suscipiendi magis & minus est ipsa materia, quàm sumpta vt species vel vt separatio, sicut accipiebat Plato. Tamen ex hac conditionali non sequitur quod Philosophus aut Cõmentator concedant eam suscipere magis aut minus, nec posse suscipere, sed solum sequitur, quòd habeat minorem repugnantiam ex materia quæ ex se, si susciperet magis aut minus, non incõuenit autem conditionalem esse veram, cuius antecedens & consequens sunt impossibilia. Constat autem quòd philosophus dum dicit, Sed si quidem loquitur conditionaliter, & non vi vnius termini, de Comment. autem constat quòd format conditionalem, vt patet intuenti dictum suum suprà positum: non ergo super dictum philosophi possunt Scotus & Ant. And. ponere fundamentum opinionis suæ.

Contra secundum fundamentum arguitur sic, Motus vt distinguitur contra mutationem propriè dictam, quæ est generatio & corruptio simpliciter, nullo modo est in substantia: generatio autem & corruptio est in substantia, ergo generatio non potest dici motus propriè dictus. Minor patet, quoniam generatio est via ad substantiam. Maior probatur, vbi est motus propriè dictus ibi est contrarietas, ex quinto physico. textu decimo, sed in substantia non est contrarietas, vt patet in prædicamentis & in quinto Phys. textu decimo, ergo, &c. fortè dices, licet philosophus neget contrarietatem propriè dictam in substantia, non tamen communiter dictam, & hæc sufficit ad motum. Contrà. hoc est expresè contra Cõmen. in quinto Physic. comment. decimo, qui tenet quòd ad motum requiritur contrarietas propriè dicta, & ait, & intendit Arist. hic per contraria, &c. vsque ibi, & quomodocunque concedatur quod in substantia est contrarietas destruetur signum Philosophi, &c. Patet ergo quòd si in substantia non est motus propriè dictus, quod ibi non est introductio formæ successiua, & per consequens non est ibi intensio nec remissio.

Quantum ad quartum soluendæ sunt rationes eorũ, quas suprà recitauimus. Ad primam negatur consequentia, ad probationem dico ad minorem, quòd calor qui est intensior in igne genito ex materia magis solida, puta ex quercu, non est effectus solidus formæ ignis: sed prouenit ex materia solida in qua magis vigoratur. Vnde dico quòd ex parte formæ non est intensior, ex consequenti dissimiliter quòd caloris in diuersis ignibus generatis ex diuersa materia, non

arguit magis & minus intrinsecè in forma ignis.

Ad secundam nego primam consequentiam, ad probationem dico ad min. quòd calor non pro quolibet gradu est proprium accidens ignis, sed calor pro tanto gradu sub quo non potest stare nisi forma ignis, vnde in casu proposito dico quòd calor in alteratione productus pro generatione ignis & corruptione aquæ est subiectiuè in aqua, mediante forma aquę, quę non repugnat ipsi calori nisi pro tali gradu, sub quo non posset saluari forma aquæ: & pro tunc non est in materia nisi forma aquæ, & nullo modo forma ignis, & ideo de secunda consequentia non curamus. Et aduerte, quòd eos decepit hæc consequentia, Forma aquæ repugnat calori pro tanto gradu, ergo pro omni gradu, patet quòd non valet.

Ad tertiam dico secundum doctrinam B.Th. quòd dictum Philos. non verificatur eodem modo in omni mutatione. Sed primo & propriè verificatur in mutatione locali, & in alteratione quæ est inter contraria mediata, vt quod mutatur de albo in nigrum prius peruenit ad fuscum, quod participat de albo & nigro: in illis verò mutationibus, inter quorum terminos non est aliquod medium, dictum philos. non saluatur respectu principalis termini, sed respectu alicuius adiuncti, vt dum mutatur materia de forma aquæ ad formam ignis, est quidem toto tempore alterationis vsque ad vltimum instans exclusiuè sub forma aquæ, & nullo modo sub forma ignis secundum ipsam formam, potest tamē dici esse partim sub forma ignis non secundū seipsam, sed ratione dispositionum quæ sunt pro forma ignis introducenda & pro forma aquæ remouenda. Ad argu. igitur nego diuisionem quoniam non est partim & partim ratione formæ substantialis, nec ratione subiecti, sed ratione dispositionum in generatione substantiali.

Si dices, quòd Commen. vult dictū Philo. verificari in quatuor generibus mutationum, ergo in mutatione substantiali.

Respondeo, Si Comment. intendit quòd verificatur in mutatione substantiali modo quo dictum est, scilicet ratione dispositionum, acceptatur: si autem intendit ratione formæ substantialis, negatur auctoritas sua, quam nec B.Tho. tenet in sexto Physi. exponens textū nonagesimūsecundū, & approbat dictum Alexandri, quòd omnis mutatio est diuisibilis, scilicet vel secundum seipsam, vel secundum motum ei adiunctum.

Ad quartam dico quòd non concludit formam substantialem intendi & remitti, sed quòd vna est perfectior altera, licet sint vnius speciei, quod & nos concedimus ad sensum quē dicemus infrà in hacmet q. Ratio autem quare non intenditur, ponetur in probatione conclusionis sequentis.

Quantum ad quintum ponitur hæc conclusio responsiua in via beati Thomæ, Nulla forma substantialis extensibilis intensione propriè dicta, nam in via beati Thomæ ad veram intensionem tria requiruntur. Primo quod à tali forma res non sortiatur speciem.

Secundò, quòd illamet forma numero sit apta diuersimodè actuare suum subiectum, scilicet modo imperfecto, deinde perfectiori & perfectiori secundum quòd ab agente magis & magis educitur de potentia ad actum. Tertiò, quòd sit diuisibiliter acquisibilis per motum, sed vt probauimus contra Scotum & Ant. Andr, quælibet forma substantialis constituit id cuius est forma in propria specie, nec est apta diuersimodè actuare materiam, cum non habeat gradus intrinsecos essentiales, vt probauimus contra Scotum, nec est acquisibilis per motum sed per instantaneam transmutationē substantialem, quam probauimus contra Scotum, non esse motum, ergo, &c, Dixi autem intentione propriè dicta quoniam sumendo intentionem communiter dictam quæ ponitur in duabus formis eiusdem speciei, & informantibus distincta substantia non inconuenit formam substantialem intendi & remitti prout vna est perfectior & alia imperfectior, vt declarabimus in parte sequenti.

Sed contra hanc determinationem videtur esse Arist. qui in quinto Physicorum textu tertio, antequam diuidat motum communiter dictum in suas species, scilicet in mutationem propriè dictam, & in motum propriè dictum dicit, quòd in omni motu est tempus, ergo successio. Sed generatio est motus communiter dictus, ergo in generatione est tempus, ergo successio, ergo forma substantialis est successiuè acquisibilis, ergo intensibilis.

Ad hoc respondetur per Commen. in 5. Physic. commen. 3. vbi inquit omnem motum esse in tempore, declarabitur etiam perfectè in libro sexto, constat autem quòd in libro sexto, dicet Physic. omnem motum esse in tempore tam motum propriè dictum, quàm mutationem, in substantia, non quidem ratione instantaneæ introductionis formæ substantialis, sed ratione præuiæ alterationis, ideo dicet, omne quod generatur, prius generabatur. Quare, &c.

Quantum ad quartum principale scilicet posito quòd repugnet formæ substātiali intendi & remitti, vtrum repugnat duabus formis substantialibus eiusdem speciei inæqualitas perfectionis substantialis, aduerte quòd inter Thomistas est discrepantia, nam Capr. in secundo distinct. 32. quæst. 1. tenet hanc conclusionem in animabus intellectiuis, licet omnes sint eiusdem speciei, sunt diuersi gradus essentiales. Hanc probat de mente B.Tho. in 1. sent. distinct. 8. q. 5. artic. 2. & intendit talem rationem formæ naturaliter proportionatæ suis subiectis secundum inæqualitatem suorum susceptiuorum habet inæqualitatem inter se, sed animæ vniuntur corporibus vt formæ proportionatæ, cum actus recipiatur in materia secundū dispositionem materiæ, cōstat autem quòd corpora non sunt æqualiter disposita propter inæqualitatem virtutis generantium & complexionum, ergo ex inæqualitate essentiali corporum, potest concludi inæqualitas essentialis animarum. Tu tamē aduerte quòd hæc inæqualitas non competit animæ ex se, quoniam induceret distinctionem specificam. Sed competit huic animæ & illi, prout hæc respicit hoc corpus & illa illud, & ideo licet hæc distinctio possit dici formarum, non tamen formalis, sed potius materialis: non enim conuenit animæ ex se, quæ tamen est forma, sed ratione materiæ quam respicit. Et hæc est mens Capr. vbi suprà, quam sequuntur excellentiores Thomistæ. Sed Paul. Sonci. non placet, vt patet in 8. Metaphysices q. 26. vbi in fine declarat, quòd vnam animam esse perfectiorem alia, non est secūdum essentiam nec secundum esse substantiale, sed secundum nobiliores dispositiones conseruātes eam in materia, sed nos dicimus declarationem suam esse veram, sed non sufficiētem. Admittimus, enim perfectionem accidentalem inęqualem inter animas, quam nullus habet negare, sed vltra illam tenemus inęqualitatem perfectionis essentialis, eo quòd vnaquæque anima in suo proprio susceptiuo habet esse determinatum secundum mensuram perfectionalem corporis quod informat, & hæc est expressa sciētia beati Thomæ, in primo sententiarū distinctione octaua, quæstione quinta, articulo secundo, ad sextum. Constat autem quod corpora humana non habent æqualē nobilitatē, & ideo vna anima quæ creatur vt vnibilis huius corpori digniori, sortitur à Deo nobilius esse, & illa opposito modo.

Quoniam igitur tenemus partem affirmatiuam, soluendæ sunt rationes quæ inducuntur à Paulo Soncinate, vbi suprà, & sunt tres.

Prima, Anima intellectiua prius natura habet esse quàm vniatur materiæ, ergo vna non dat nobilius esse quàm alia. Antecedens patet, quia anima cōmunicat suum & proprium esse materiæ, prius autem est rem habere perfectionem in se, quàm communicare eam alteri. Consequētia autem sic probatur: Si vna anima dat nobilius esse quā alia, vt hoc est, quia *entitas vnius animæ est* perfectior entitate alterius, & hoc etiam tu negas, aut est propter dispositiones, vt tu dicis, & hoc non, quia sequitur quòd anima ex sui vnione ad materiā consequeretur imperfectionem in suo esse, quod est falsum, quia forma non vnitur materiæ, nisi propter bonum formæ.

Ad hoc dico quòd peccat ex fundamento falso, quoniam imaginatur quòd Deus creat animam, & det illi esse, non respiciendo materiam sic vel sic dispositam, quam debet informare. Hoc quidem est falsum, nam Deus dum creat hanc animam, respicit hoc corpus & proportionaliter terminat eam ad talem gradum essendi, & ex hoc patet, quòd sua cōsequentia non valet: & ad probationem dico, quòd est propter primum, sed illa perfectior entitas non conuenit animæ vt anima, sed vt huic, est autem hæc vt respicit hanc materiam, & has dispositiones. Et cum dicit ergo anima ex sui vnione ad materiam consequitur imperfectionem, negatur consequentia, quæ vtique valeret, si anima haberet esse ante vnionem & produceretur à Deo, non respiciendo ad hanc materiam, imò dico quòd ex vnione perficitur, eo quòd non haberet aliquod esse nisi vniretur, quoniam ratio occasionalis creandi hanc animam, est vt vniatur huic corpori,

Secunda, Producat Deus animam vnam separatam à materia, deinde vniat eam materiæ optimè dispositæ. Tunc quæro, Si esse illius animæ est factum perfectius ex vnione, vel non: si sic, ergo illud esse est intensum, quia ad intensionem in via Thomistica sufficit quod actus deducatur de imperfecto ad perfectum, si non, ergo illæ summæ & optimæ dispositiones non faciunt, quòd vna anima det perfectius esse quàm alia.

Ad hoc dicitur quòd peccat eodem fundamēto vt præcedens.

Dico igitur quòd Deus non crearet vnam animam ante informationem, nisi respiciendo dispositiones materiæ, quæ sunt vel futuræ sunt in tali materia, & iuxta illas terminat hanc animam ad tale esse sibi inuariabile, siue sit vnita materiæ, siue non. Et si daretur casus quòd Deus crearet vnam animam sine habitudine ad materiam determinatam, dico quòd illa non esset anima nisi æquiuocé. Nam de ratione animæ est esse actum corporis, ergo de ratione huius animæ, est esse actum huius corporis.

Tertia, sequitur, quòd forma substantialis possit intendi & remitti, quod est contra doctrinam Thomist. Consequentia probatur, sequitur quod forma substantialis possit habere perfectius esse quàm haberet, ergo potest intendi & remitti. Consequentia est clara in via Bea. Thom. vt patet ex prædictis in hac quæstio. Antecedens probatur, esse forma substantialis, secundum te est tanto perfectius quanto disponens pro forma introducenda, & quæ simul introducuntur cum forma, sunt perfectiores, sed istæ possunt intendi postquam forma est introducta, & effici perfectiores, ergo forma poterit habere perfectius esse, quàm prius, ex consequenti fieri intensior.

Ad hoc dico quod, vt recitat Carp. vbi suprà, fuit argu. Durandi, & est quintum in ordine, & Capr. soluens inquit, negatur consequentia, ad probationem, non oportet quod si secundum diuersitatem dispositionum præcedentium formam in materia, vel simul omni forma incipientium sit inæqualitas formarum substantialium, quod à simili secundum diuersitatem dispositionum sequētium formam, forma ipsa intendatur vel remittatur, posito quod post introductionem formæ fiant perfectiores vel imperfectiores, & ratio huius est, quia dispositiones præcedentes, vel simul incipientes cum forma, habent aliquem modum causalitatis respectu formæ substantialis, nō autem posteriores, ideo ad variationem sequentium non variatur forma nec esse eius, sed bene accidentaliter variatur ipsum compositum, modò in melius, modò in peius.

De responsione quam dat Paul. & contra quam arguit, non curamus, quoniam non est ad viam nostram. Diximus enim, quod ad intensionem propriè dictam requiritur, quòd forma sit acquisibilis per motum, & per eam non constituatur res in specie, & quod eadem numero sit apta plus & minus actuare subiectum, & non indiuisibiliter, & quòd actione agentis magis & magis educatur de imperfecto ad perfectum, quæ omnia repugnant formæ substantiali, vt patet in supradictis. Tenemus igitur inæqualitatem substantialem duarum formarum substantialium eiusdem speciei, non tamen intensionem & remisionem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si ex materia & forma fit vnum per se, & propter quid & an immediatè.

CONCLVSIO.

Ex materia & forma fit vnum per se, & propter quid, (cuius tamen nulla est causa intrinseca, nisi quòd materia est potentia & forma est actus) & immediatè. Ex subiecto verò & accidente communi non fit vnum per se.

Expeditis quæstionibus euenientibus circa materiam & formam, resoluenda est nunc quæstio, quæ accidit circa naturam compositi, & est hęc, vtrum ex materia & forma fiat vnum per se, & propter quid, & an immediatè. Pro resolutione tria agenda sunt. Primò declarandum est, quid sit fieri vnum per se. Secundò ponentur duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò assignabitur ratio, quare ex subiecto & accidente communi non fit vnum per se.

Quantum ad primum aduerte, quòd aliud est esse vnum per se, & fieri vnum per se, nam esse vnum per se, est esse indiuisibile ex sui natura, & hoc modo res simplex est vna per se, sicut punctus: sicut intelligentia, & in supremo gradu est prima causa, fieri vnum per se est ex pluribus adunatis resultare vnam naturam, quæ reponitur in determinato genere & determinata specie, vnde aduerte, quòd ad fieri vnum per se non sufficit ex pluribus adunatis resultare quid vnum, aliter aceruus lapidum & homo albus possent dici facta vnū per se. Sed requiritur quòd ipsum totum constitutum reponatur in genere & specie determinatis, vt numeri, & quantitates continuæ, & figuræ, & substantiæ compositæ, &c.

Quantum ad secundum ponuntur duæ conclusiones, prima est, Ex materia & forma fit vnum per se, Probatur, Sicut substantia simplex seipsa est vna per se, quia non habet principia intrinseca ex quibus fiat vna. Sic per oppositum substantia composita fit vna per se, quia habet principia intrinseca, ex quibus fit vna per se. Hæc autē principia non sunt nisi materia & forma, quæ solæ sunt causæ intrinsecæ, ergo, &c.

Secunda conclusio, propter quid ex materia & forma fit vnum per se, nulla est causa intrinseca, nisi quia materia est potentia, & forma est actus. Hæc conclusio non potest demonstrari aliter, nisi quia de natura potentiæ & actus est, vt ex eis cōiunctis consurgat vnum per se. Sed materia & forma sunt actus, ergo, &c.

Quòd si quis negat ex potentia & actu fieri vnum per se, non est disputandum cum eo, sicut nec cum negante principia per se nota, dico autem causā intrinseca, ad differentiam causæ agentis, quæ ideo necessaria est, quia educit materiam de potentia ad actum, & sua actione disponit materiam ad receptionem formæ.

Ex hac autem determinatione eliciuntur duo corollaria, primum est, quod ex subiecto & accidente communi non fit vnum per se. Dico ex accidente communi, quoniam ex subiecto & accidente proprio, siue ex propria passione, licet non fiat vnum per se entitatiuè, vt declarauimus in quarto libro, tamen fit vnum per se prædicatiuè, quod non contingit, non in accidente per acidens, siue communi. Ratio autem propter quam non fit vnum per se, secundum Anton. Andr. non est alia, nisi quia subiectum & accidens commune sunt tales naturæ, quòd ex se non constituunt vnum per se, sicut ex opposito materia & forma sunt tales naturæ, quòd constituunt vnum per se. Sed hoc nihil est dictu, imò causa est, quia ex actu & pura potentia, aptum est fieri vnum per se, non autem ex duobus, quorum vnum est actu, & alterum est actus, siue quia vtrumque est actu. Et hanc causam assignauit Philosophus cōtra Plato. in libro septimo tex. 49. vbi inquit, Duo nanque sic actu, nunquam sunt vnum actu, actus enim separat. Secundum est, quòd ex materia & forma fit vnum per se immediatè, id est, nullo interposito medio, & ratio quidem *huius est quoniam vt inquit* philosophus in hoc octauo libro tex. vlt. postquam reprehendit antiquos, qui diuersimodē assignabant medium, quo ex materia & forma fit vnum per se, nullum est assignandum medium, eo quòd forma adueniens materiæ, sicut seipsa dat esse & constituit ens, dummodo agens moueat potentiam ad actum, scilicet disponendo materiam ad actum, sic seipsa adueniēs materiæ facit vnum, & confirmatur, quoniam cum ens & vnum sint idem, vt determinatum est libro quarto eodem res fit ens & fit vna. cùm igitur forma, seipsa det esse, seipsa faciet vnum, & non per medium.

Sed contra prædicta sunt tria dubia, primo dubitatur quomodo sit possibile, quòd ex materia & forma fiat vnum per se, cùm maximè distent, quoniam sunt vt potentia & actus, quæ sunt extremè distantia, quæ autem sunt conformia, videntur magis vnibilia, ex consequenti magis facere vnum.

Ad hoc dicitur, quod aliud est aliqua fieri vnum, & aliud est ex aliquibus fieri vnum. Item ex aliquibus fieri vnum, contingit dupliciter. Primò, quòd illud vnum sit eiusdem rationis, cum his ex quibus fit, sicut est totum homogeneum. Secundò, quòd illud vnum sit alterius rationis ab his, ex quibus fit, vt est totum heterogeneum, stātibus his distinctionibus, dico quod si poneremus actum & potentiam fieri vnum, similiter si ex potentia & actu fieret vnum eiusdem rationis, sicut ex duabus aquis fit vna aqua, argumentum procederet, quoniam quæ minus distant, & sunt magis conformia, sunt magis apta fieri vnum, & ex eis resultat totum, quod est eiusdem naturæ cum his ex quibus resultat, vt patet quando duę lineæ coniunguntur, duæ aquæ, duo ignes, &c. Sed nos ponimus ex materia & forma fieri vnum quod est alterius rationis, & non illa fieri vnum. Ad hoc autem constituendum dico, quòd quæ magis distant, sunt magis apta, dummodo vnum sit vt perfectibile, & alterum vt perfectiuum, & quoniam forma vt actus, & materia vt potentia sic se habent, ideo non inconuenit ex eis fieri vnum per se.

Secundò dubitatur, Si hæc est vniuersaliter vera, quando ex aliquibus fit vnum per se, necesse est vnum esse potentiam & alterum esse actum, nam videtur habere instantiam in toto quantitatiuo vt in linea bicubitali, quæ constituitur ex cubitali & quæ cum sint eiusdem rationis, non videntur se sic habere, quòd vna sit actus, & altera sit potentia, sed vel vtraque est actus, vel vtraque est potentia, & tamen constituunt vnum per se, scilicet lineam bicubitalem.

Ad hoc dicitur quòd illa propositio, Quando ex aliquibus, &c. non est vniuersaliter vera, nisi in constitutione vnius per se, quod est alterius naturæ à suis principiis componentibus.

tibus. Instantia autem procedit de vno per se, quod est eiusdem naturę cum suis componentibus. nam tunc sufficit, quòd omnia cõponentia sint vt potentia: vnde quãdo A, & B. cõponunt C, sicut duæ lineæ tertiã, dico q̃ A, & B, sunt partes potentiales. Quando aũt ex elementis cõponitur elementatũ, dico quòd elementa sunt vt potentia, & forma mixti est actus. Vt igitur fiat principium quod teneat in omnibus, formetur fic, Quando ex aliquibus fit vnum per se, necesse est vel illa esse potentialia, vel vnum esse potentiam & alterum esse actum.

Tertio dubitatur quomodo sit possibile, quòd ex materia & forma fiat vnum sine medio, cùm videamus ea quæ multum distant non vniri sine medio: vnde & duo extrema contraria non vniuntur nisi in medio, vt calidum & frigidum, in tepido, constat autem quòd materia & forma multum distant, ergo, &c.

Ad hoc dicimus, quòd si sint duo multum distantia, quorum vtrunque habeat esse separatim, sicut duo corpora, illa non vniuntur sine medio colligante, vt patet in ædificatione domus: si autem illa duo non habeant esse seorsum, sed vnum actuat alterum, & nullum habet esse, nisi per illud, non est necesse, quòd vniantur per medium, & quoniam materia nullum habet esse, scilicet actuale: sed ipsum accipit à forma, nec forma habet aliud esse, nisi illud quod communicat materiæ, ideo non inconuenit, quòd vniantur sine medio. Argumentum autem procedit, ac si materia & forma haberent distincta esse, sicut duo extrema contraria habent distincta inesse. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Si nomen speciei in substantiis compositis, significat solam formam, & dato quòd non, si prius significat formam, quàm compositum.

Oportet autem non ignorare, &c. Textu 7.

CONCLVSIO.

In substantiis compositis nomen speciei non significat formam solùm, priùsque compositum quàm formam declarat.

IAm expeditis quæstionibus, quæ emergebant circa considerationem materiæ & formæ & compositi, nunc superest discutere quæstiones aliquas supra textum Philosophi: & primò supra textum septimum, Oportet autem non ignorare, &c. in quo Philosophus intendit determinare, quòd in substantiis compositis nomen speciei non significat formam solam, sed formam in materia, cuius rationem principalem assignat in textu octauo, vbi inquit, Nam quodquiderat esse, &c. & intendit talem rationem, si nomen speciei in substantiis compositis significat solam formam, ergo in eis idem erunt res & quodquid est rei: quod est falsum, quoniam vt dicit Philosophus in textu octauo, anima & esse animæ idem, hominis verò esse & homo non idem, nisi & anima homo dicatur. Quæritur igitur, Si nomen speciei in substantiis compositis significat solam formam, & posito quod non, vtrum significet prius formam quàm compositum.

In hac quæstione sic procedendum est. Primo probandum est, quòd nomen speciei in substantia composita vt homo, non significat solam formam sed compositum. Secundò ad declarandum quod prius significat compositum quàm formam, ponentur aliquæ distinctiones. Tertiò respondebitur quæsito, scilicet an prius significet formam quàm compositum. Quartò soluetur ratio tenentium oppositum.

Quãtum ad primum sic probatur propositum: Quod prædicatur in recto de indiuiduo, significatur nomine speciei, quoniã species de indiuiduo prædicatur. Sed non sola forma prædicatur in recto de indiuiduo, sed in obliquo: cõpositum autem prædicatur in recto de indiuiduo. Hæc enim est vera: Sortes est quid compositum ex corpore & anima, ergo compositum, & non sola forma significatur nomine speciei. Præterea, significatum per nomen speciei, & significatum per diffinitionem sunt idem, quoniã species est quæ diffinitur, & ratio quam significat nomen est diffinitio. Sed significatum per diffinitionem non includit solam formam, imò & formam, & materiam, quoniam substantia composita naturalis diffinitur per formam & materiam ex septimo huius, textu trigesimo tertio, ergo, &c.

Quantum ad secundum aduerte, quòd aliqui sic solent distinguere, forma est duplex, scilicet forma totius vt humanitas, quæ includit formam & materiam: & forma partis, vt anima. Item sic distinguunt, nomen potest considerari quantum ad id quod significat, vel quantum ad id quod est ratio significandi: vel breuius, in nomine potest considerari quod, & quo, vt homo potest significare id quod est homo, & id quo homo est homo. Item alij sic distinguunt, nomen potest considerari quantum ad id cui nomen imponitur, & quantum ad id à quo nomen imponitur.

Quantum ad tertium aduerte, quòd sequentes Commentatorem tenentem solam formam esse totam essentiam substantiæ compositæ, vt visum est in libro septimo, dicunt, quòd nomen speciei primò significat formam partis, quę dicitur esse ratio significandi, & id à quo nomen imponitur, secundario autem significat compositum, quod est id quod est, & cui nomen imponitur: & inter istos est Ianduns in octauo libro, in quæstione tertia. Et probat intentum suum sic: Quando duo sic se habent, quòd vnum est causa alterius, & aliquod nomen debetur eis, principalius & dignius debetur causæ, quàm causato. Sed forma est causa compositi, & nomen speciei debetur vtrique, ergo principalius & dignius significat formam, quàm cõpositum. Maior nota, & minor, quo ad primam partem. Quo ad secundam partem probat per Commentatorem, qui in hoc octauo libro, in commento septimo, inquit, Hoc nomen animal dicitur principaliter per formam, & dicitur de congregato ex materia & forma secundario, scilicet quia dicitur de forma, nomen enim non significat rem, nisi secundum quod est in actu, & causa actus, in composito est forma, & cùm duo fuerint, quorum alterum est causa alterius, illud quod est causa dignius habebit nomen. Illud enim nomen est secundi propter primum, verbi gratia. Res calidæ, quoniam non habent nomen caloris, nisi propter calorem ignis, qui est in fine, & ideo cum fuerint plura, quæ non habent idem nomen nisi propter aliud, illud aliud est dignius habere illud nomen, & erit causa illorum, hæc Comment. Patet igitur quòd fuit intentio Philosophi & Comment. nomen speciei prius significare formam quàm compositum, nos autem, qui sequimur B. Tho. tenentem, vt declarauimus in libro septimo, materiam & formam esse partes quidditatis in substantia composita, sustinemus nomen speciei prius & dignius significare compositum, quàm formam: nam nomen impositum ad significandum essentiam & quidditatem rei, prius & dignius significat totam quidditatem quàm partem. Sed nomen speciei impositum est, &c. significat homo id quod est homo, ergo prius & dignius significat totam quidditatem quàm partem, tota autem quidditas non est forma (vt probatum est in septimo libro,) sed quid resultans ex materia & forma, quod signatur per compositum, ergo nomen speciei prius & dignius significat compositum quàm formam, & aduerte, quòd tota vis in hoc est, vt sustineas quòd forma non est tota quidditas, & nos conati sumus sustinere in libro septimo, in quæstione nona.

Quantum ad quartum soluẽda est ratio Ianduni. Ad quam B. Tho. responderet, quòd minor pro secunda parte est falsa, scilicet quòd nomen speciei conueniat in recto formæ & composito, nam hæc est falsa, Anima est homo, nisi anima esset tota quidditas, quod nos negamus. Ad probationẽ quæ est sententia Commen. B. T. qui in hoc tenet contra Comm, diceret, quòd illa propositio, Cùm duo fuerint, quorũ vnum est causa reliqui, &c. non est vera, nisi inter causam effectiuã vniuocam & effectum suum, puta quia hoc nomen calidum dicitur de igne, & de aqua calefacta, principalius & dignius dicitur de igne, quàm de aqua, & nõ dicitur de aqua nisi propter ignem, non autem verificatur de causa formali: non enim sequitur quòd si homo est homo propter animam rationalem, quòd anima sit principalius & dignius homo, & si tu aduertis, Commen. non notificat propositionem suam nisi in causa effectiua vniuoca. Constat autem quòd forma non est causa compositi in genere causæ efficientis, igitur ratio Ianduni nulla est. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Si numerus habet esse reale extra intellectum, & si est vnum per se & entitas distincta à rebus numeratis.

Et quemadmodum nec à numero aliquo addito aut ablato. Textu decimo.

CONCLVSIO.

Numerus secundo modo sumptus non habet esse reale nisi in anima: secus de numero primo modo accepto. Est que numerus vnum simpliciter & non solùm secundum quid, & est etiam vnum per se, & non solùm per accidens, & entitas distincta à rebus numeratis.

PHilosophus in hoc loco comparat quidditates rerum significatas per diffinitiones, & præsertim per differentias specificas numeris, secundũ quatuor proprietates, quę patent in exposit

in expositione Beati Thomæ, & quòniam Philosophus in tota sua Metaphysica de numero parum pertractat, nisi in præsenti textu, & in libro decimo, vbi agit de vno & suo opposito in vniuersali, ideo expedients est, hic discutere quæstiones, quæ communiter pertractantur circa naturam numeri, & primò pertractabitur si numerus habet esse reale extra animam, & si est quid vnum per se, & si est entitas distincta à rebus numeratis. Secundò quæretur de forma numeri. Tertiò, si numerus de prædicamento quantitatis inuenitur in abstractis.

Quantum ad primum quæsitum, considerabitur quo ad singulas partes & quo ad primam partem, scilicet si numerus habet esse reale extra intellectum, sic proceditur. Primò ponitur opinio tenens partẽ negatiuam. Secundò determinabitur contra eã. Tertiò ponentur rationes illius opinionis & soluentur.

Quantum ad primum aduerte, quod vt recitat Greg. in primo sent. dist. vigesima quarta, quæst. 2. in 1. artic. Opinio Petri Aureoli fuit, quòd quamuis multæ vnitates rerum sint extra animam, quoniam ad sensum patet esse in rerum natura hunc vnum lapidem & illum vnum, & illum vnum, tamen istæ vnitates non sunt, nec faciunt numerum in rerum natura extra animam, quoniam illæ vnitates sunt tantum materia numeri, quantitas autem siue summa siue cõclusio est forma numeri. Hęc autem summa, siue conclusio, non est nisi ab anima summante & cõcludente dictam multitudinẽ vnitatum, ita quòd secundum prædictam opinionẽ nullus numerus quo ad formale suum, habet esse extra animã, sed solum quo ad materiã.

Quantum ad secundum, ponitur conclusio opposita. Non omnis numerus etiam quo ad suum formale est per solam apprehensionem animæ, probatur, & accipio rationem Gregorij vbi suprà. Aliquæ res esto quòd nõ apprehendantur ab anima sunt tot & tot finitæ, puta quatuor, vel sex, & sic de aliis, ergo aliquæ res esto quòd nõ apprehendantur ab anima, sunt numerus, ex consequenti non omnis numerus habet esse tantum per apprehensionem animæ. Vtraq; consequentia est nota, & probatur antecedens. Non plus dependet ab anima multitudo rerum in esse tot & tot, quàm dependeat magnitudo in esse tãta vel tanta, puta cubitalis vel bicubitalis, &c. Sed cõstat quòd magnitudo in hoc nõ dependet ab anima: ergo, &c.

Alias rationes adducit Paulus in libro decimo, quæstione octaua, quas vide ad placitum.

Quantum ad tertium aduerte quod Petrus Aureoli multipliciter conatur probare intentum suum, cuius rationes recitat & soluit Greg. vbi suprà. Sed solutiones suæ vsq; ad sextam non sunt Thomisticæ, ideo vide eas in ca. in 1. dist. 24. q. 1. contra primam conclusionem quarto loco, quas & Paulus recitat ac soluit, vt cap. in libro 10. quæstio. 8. vide Paulum & sufficit tibi, quoniam non possunt aliter solui, stando in via Thomistica.

Tu tamen aduerte quòd Paulus non recitat nec soluit rationem sextam Petri Aureoli, quæ videtur apparens, quia fundatur in dicto Philosophi & Commentator. Hanc igitur formabimus & soluemus.

Sic ergo arguit, Dicit Philosop. in quarto Physic. text. 131. secundum translationem Comm. Dicamus verbi gratia, quòd cùm numerans non fuerit, numerare non erit, ergo manifestum est etiam quòd numerus non erit. & cùm nihil aliud aptum natum sit numerare quàm anima, & animæ intellectus, impossibile est vt sit numerus cùm anima non fuerit. Hæc verba adeo clara sunt, inquit Aureolus, vt non indigeant expositione, ergo ponere numerum quo ad suum formale habere esse extra animam, est contra Philosophum.

Idem confirmatur per Commentator. in eodem libro in commento centesimotrigesimoprimo, qui ait, Numerus non est nisi actio numerantis in numerato, & manifestum est, quòd cùm numerans non fuerit, actio eius non erit. Impossibile est autem aliquod aliud numerare præter animam & animæ intellectum, ergo manifestum est, quòd cùm anima non fuerit, non erit numerus, (& infrà) esse verò numeri in anima non est esse omnibus modis, quoniam esset fictum, sicut chimæra. Sed esse eius extra mentem est in potentia, propter subiectum proprium, esse verò eius in anima est in actu, quando scilicet anima egerit actionem, quæ dicitur numerus in subiecto præparato ad recipiendum illam, ex quibus patet, quòd numerus non est actu absque apprehensione animæ.

Pro resolutione huius præmitto duas distinctiones, quarum prima est, Numerus est duplex, quidam est multitudo vnitatum non continuarum seu discretarum in rerum natura, vt duo homines, duo lapides, de quibus constat, quòd adinuicem non continuantur, quidam est multitudo vnitatum, quæ in rerum natura sunt continuæ, sed fiunt non continuæ seu discretæ, per signationem seu diuisionem animæ, sicut multitudo partium quantitatis continuæ seorsum & diuisim signatarum, per designationem animæ notantis illam & illam partem, sine diuisione actuali & reali abinuicem.

Secunda est, Numerare quod est actio animæ, dupliciter sumitur, pro vt idem est quod aliquam multitudinem discretam per replicationem vnitatis mensurare, & eius quantitatem cognoscere, & hoc modo dicitur in decimo Metaphysices, textu octauo, quod numerus mensuretur & numeretur per vnum, secundò videtur esse, quod aliquod vnum diuidere & multiplicare quasi quod idem sit numerare, quod de vno numerum facere. Vnde Commentat. in quarto Physicorum, commento centesimoquarto, vbi Philosophus vult, quòd instans multiplicetur secundum esse, dicit quòd numeratio eius scilicet instantis est ex hoc quod translatum numeretur, id est, multiplicatur, ecce quòd exponit numerare per multiplicare.

Ex his distinctionibus dico ad argumentum & confirmationem simul. quod non est intentio Philosophi & Commentatoris de quolibet numero, nec de numero primo modo sumpto, sed secundo modo sumpto, qualis numerus est tempus, de quo concedimus, quòd quo ad suum formale pendet ab anima, id est, quo ad numerare secundo modo sumpto, quia tempus non est nisi prius & posterius motus continui diuisa & numerata seu multiplicata per animam numerantem, vnde Comment. in comment. 131. inquit, Tempus nihil aliud est, quàm prius & posterius in motu secundo, quòd sunt numerata & diuisa siue discreta, & ideo indiget in hoc, quòd sit actu anima, scilicet secundum quod est prius & posterius numerata, hæc Commentator.

Ex his autem patet, quòd non sequitur omnem numerum habere esse per solam apprehensionem animæ, nam numerus primo modo sumptus, qui simpliciter & verè est numerus propriè dictus habet esse perfectum extra animam, eo quòd aggregatur ex rebus non continuis, vt duo lapides, &c. quorum quilibet est vnus, & simul sumpti remota omni operatione animæ sunt tot & tot, patet igitur quòd aliquis numerus habet esse per apprehensionem animæ, vt numerus quo numeramus, de quo inquit Auic. in 3. suæ metap. cap. 5. verum est, quod numerus expoliatus, id est, non applicatus rebus signatis, non habet esse nisi in anima, & numerus applicatus rei continuæ & maximè rei successiuæ, quale est tempus & numerus instantis, materiale enim solum est in re, formale autem quod est numeratio, est per animam, aliquis autem habet esse extra animam, quo ad materiale, & formale: vt numerus rerum permanentium, non continuarum adinuicem. Hæc de prima parte quæsiti dicta sint.

Quantum ad secundam partem, scilicet si numerus est vnũ per se, an tantum per accidens, vt acerius lapidum, inuenio duas sententias, prima est B. Th. quam defendit Capr. in 1. sent. dist. 24. q. 1. & est conclusio 5. & stat in hoc, quòd numerus est vnum simpliciter & non solum secundum quid, & est vnum per se & non solum per accidens, vt acerius lapidum, & fundamentum suum, vt patet in 8. metaphys. in expositione tex. 8. & stat in hoc, Si numerus esset vnum secundum quid & per accidens, non esset genus, nec aliquis numerus esset species entis, quod est falsum, quoniam reponitur per se in prædicamento, continetur enim sub quantitate discreta, quicquid autem reponitur per se in prædicamento est genus, aut species, aut differentia, consequentia probatur, quoniam tam genus quàm species dicit certam & determinatam naturam, ergo vnũ per se, præterea sicut de ente per accidens nõ potest esse scientia, sic nec de vno per accidens, ergo de numero nõ esset scientia, sic nec demõstratio, nec assignabiles proprietates, & sic destrueretur Arithmetica, & aduerte quòd licet Commẽt. teneat numerum, sicut & alia composita, non esse quid resultans ex partibus, sed esse suas partes simul iunctas, tamen non negaret quin sit vnum per se, prout ly per se opponitur per accidens, eo quòd componitur ex potentia & actu, siue ex materia & forma. Quomodo autem, quilibet numerus componatur ex materia & forma, declarabimus, agentes de forma numeri.

Secunda sententia est Greg. qui in 1. sent. dist. 24. q. 2. art. 2. tenet, quòd nullus numerus propriè loquendo, est aliqua entitas per se vna, sed plures, ita quòd sicut nulla res per se vna est populus vel exercitus, sic nulla res vna in quantum huiusmodi est numerus, & sententiam suam conatur probare dictis philos. & Comment. nam in 10. metaph. in text. 4. dicit philosophus, quòd numerus est pluralitas vnitatum, id est, plures vnitates, vt illa sit constructio intransitiua, & in

& in tertio Physic.textu secundum nouam translationem dicit, quod numerus est plures vnitates, vbi Comment. dicit, quod numerus est coaceruus vnitatum, & in 10. Metaphysic. comment. 11. dicit, quòd numerus est multitudo composita ex vnitatibus, & in 4. Physic. commen. 132. dicit, quòd quia vnum est mensura homogenea numero, numerus est plures vnitates, constat autem quod plures vnitates, nec coaceruus vnitatum est aliquod vnum per se, ergo nec numerus.

Ab aliquibus autem sic probatur propositum. Omnes vnitates componentes numerum realem, id est, applicatum rebus, vt decem canes videntur esse actu, & vnaquæque hoc aliquid, & separatim existens, sed ex septimo Metaphysices, textu quadragesimonono, ex entibus huiusmodi in actu non fit vnum per se, ergo numerus 10. canum, non est vnum per se.

Pro resolutione istorum præmitto distinctionem, quam tangit B. Tho. in 7. Metaphysic. exponens textũ 60. & est talis, Composita quæ sunt vnum per se, sunt in triplici differentia, quædam sunt quæ fortiuntur speciem ab altera parte, qua comparata alteri parti est forma eius, & hoc modo quecunque componuntur ex materia & forma, & elementa, & elementata, & animata, sunt vnum per se, quædam sunt quæ fortiuntur speciem ab ipsa compositione, vt quæ continuantur adinuicem, sicut linea tricubitalis in qua tres cubitales componuntur, ita quòd cõtinuantur, quædam sunt quæ fortiuntur speciem non à continuatione, sed ab ordine partium, & sunt illa quorum partes sunt discontinuæ, sed tamen sunt ordinatæ, ita quòd tandiu stat totum, quandiu seruatur ordo inter partes, & hoc modo exercitus, oratio, syllaba, numerus sunt vnum per se, quæcunque autem constituuntur ex multis partibus discontinuis non habẽtibus ordinem adinuicem, dicuntur vnum secundum quid & per accidens, vt turba inordinata, cumulus lapidum, multitudo arenæ in littore maris.

Ex hac distinctione dico, quòd Gregorius deceptus fuit ex hoc, quòd credidit nullum compositum esse vnum per se, nisi compositum ex forma & materia, quod nos non admittimus, vt patet ex distinctione data ad dictum, ergo ex decimo Metaphysic. dico, quòd sic debet exponi, numerus est pluralitas vnitatum, id est, pluralitas consurgens ex ordinatis vnitatibus, & nego quòd illa constructio sit intransitiua, ad illud de tertio Physic. dico quòd sic debet intelligi, Numerus est plures vnitates quo ad materiam, sicut domus est multi lapides quo ad materiam. negatur autem hæc consequentia, Numerus est plures vnitates materialiter, ergo est plures vnitates formaliter, imò est quid resultans ex pluribus vnitatibus ordinatis, ad dictum Commentat. in tertio Physic. dico quòd per aceruum vnitum, intendit vnitates ordinatas adunatas, quia vt declarauimus in libro septimo, tenet Comment. quòd totum non est aliud quàm partes simul sumptæ, idem dico ad dictum eiusdem in quarto Physic. ex hoc autem quòd tenet Commenta. compositum esse partes suas, & numerum esse vnitates, non sequitur, quod negaret numerum esse vnum per se: nam tenet compositum ex materia & forma esse vnum per se, & tamen est partes suæ secundum ipsum.

Ad rationem autem diceret B. Tho. falsum esse, vnitates vt componũt numerum applicatum, puta decem lapidum esse actu & hoc aliquid, imò vt sic habent rationẽ partium, quandiu stant sub tali ordine, & omnes vnitates componentes comparare ad vltimam se habent vt materia ad formam, vt dicemus infrá. Et si dicas, quòd lapis A, est hoc aliquid, & lapis B, &c. ergo vt componunt numerum sunt hoc aliquid: negatur consequentia, nam licet in se sit hoc aliquid & perfectum in specie, tamen vt componit est pars & est quid imperfectum, ex consequenti vt componens non est hoc aliquid. Hæc de secunda parte dicta sint.

Quantum ad tertiam partem, aduerte quòd non quæritur de numero transcendenti, sed tantum de numero quantitatiuo, an sit entitas realiter distincta à rebus numeratis, in hoc igitur inuenio duas sententias, vna est Gregor, in 1. sent. dist. 24. q. 2. artic. 2. qui tenet partem negatiuam, altera est B. Th. quam prosequitur & defendit Capr. in 1. sent. distinctione 24. q. 1. in prima conclusione & est pro parte affirmatiua, & aduerte, quòd vtraque opinio pendet ab vna radice, scilicet à natura vnius quod est principium numeri, nam quia Grego. tenet, Vnum quod est principium numeri, nihil superaddere rei quæ est vna, nec secundum ipsum est accidens de prædicamento quantitatis, consequenter tenet, quòd numerus quantitatiuus qui secundum ipsum non est aliud quàm plures vnitates, vt patuit suprà, nihil addit, nec distinguitur à rebus numeratis, & quia B. Tho. de vno quod est princip. numeri. sentit oppositum, vt declarauimus in 4. lib. consequenter tenet oppositum de numero quantitatiuo, ita quòd sicut vnitas quantitatiua huius lapidis est accidens, & lapis est substantia, sic binarius quantitatiuus lapidum est accidens, vt pote quantitas discreta, lapides autem sunt substantia. & aduerte quòd in via beati Thomæ, hæc conclusio, numerus quantitatiuus addit aliquid reale super res numeratas, & distinguitur realiter ab eis, non potest alia via efficaciter probari, nisi sustinendo, quòd vnum principium numeri distinguitur realiter ab vno transcendente, & addit aliquid reale supra ens. nam bene sequitur, quòd si vnitas quantitatiua quæ est componens numerum quantitatiuum, addit quid reale super substantiam rei, quæ est vna quantitatiuè, etiam numerus constans ex huiusmodi vnitatibus, addit quid reale super res numeratas, & distinguitur realiter ab eis. Quòd autem vnum principium numeri distinguatur, &c. determinauimus in 4. lib. in q. 7. Nec facies fundamentum in rationibus, quibus conatur Paulus Soncin. in lib. 10. quæst. 11. probare dictam conclusionem: quoniam Greg. vbi suprà format eas contra se ad literam, & soluit ex suis principiis, quibus tenet non omnem quantitatem distingui realiter à substantia.

Relinquitur ergo vt soluamus rationes Gregor. quas format vbi supra, & sunt duæ.

Prima est, Quæcunque sunt tot & tot, sunt seipsis, & non per aliquam entitatem superadditam eis inhærentem tot & tot. ergo nullus numerus addit entitatem rebus numeratis. Consequentia nota, probatur antecedens, vnum quodque eorum, quę sunt tot & tot, est vnum seipso, & non per entitatem sibi superadditam, vt probatum est aliàs. ergo vnum quodque eorum, & quodlibet aliud, puta A, & B, sunt duo seipsis, & non per entitatem superadditam, idem dico de quolibet alio numero quantitatiuo, ergo, &c.

Confirmatur, quia si aliqua essent tot, puta duó per entitatem superadditam, accipio vnum illorum duorum & ipsam dualitatem, tunc sic illud vnum & dualitas sunt duę entitates, quæro, aut sunt duæ seipsis, aut entitate superaddita, si seipsis, ergo eadem ratione prima duo & quælibet alia duo sunt seipsis duo. si entitate superaddita, ergo similiter illa, & illud primo sumptum sunt duæ entitates per aliam entitatem superadditam, & sic in infinitum.

Pro solutione huius aduerte, quòd Gregor. in hoc decipitur, quod credit, sicut vnum transcendens & numerus transcendens, nihil addunt reale super rem vnam & res numeratas, sic nec vnum principium numeri quantitatiui, nec ipse numerus, propterea ad arg. nego antecedens, ad probationem nego antecedens, quoniam vnum principium numeri addit super substãtiam rei accidens, quid autem sit illud accidens, determinauimus in quarto libro, in quæstione octaua.

Ad confirmationem dico, quòd illud vnum & dualitas sunt duæ entitates seipsis, sumendo illud vnum vnitate transcendenti, nam in quolibet quanto est vnitas transcendens, & vnitas quantitatiua, & nego illam consequentiam, si seipsis, ergo eadem ratione prima duo, quoniam vnum quodque primorum duorum est quantum, & vnum quantitatiuè, dualitas autem non est vna quantitatiuè, sed transcendenter.

Secunda est, Si numerus dicit entitatem distinctam realiter à rebus numeratis, quæro aut est entitas omnino simplex & indiuisibilis, aut est composita & diuisa in partes: non primum, quia numerus non esset quantitas discreta, cum omnis quantitas sit diuisibilis: non secundum, quia vel illæ partes sunt adinuicem continuæ, & hoc non, quia numerus esset quantitas continua, vel sunt non continuæ: & hoc non, quia vel sunt numeri vel vnitates, non sunt numeri, quia omnis numerus diuideretur in numeros, quod est falsum, vt patet in binario, non sunt vnitates, quia de illis quæretur, aut sunt seipsis numerus, aut per aliquod eis additum, si per additum quærendum est, vtrum sit simplex vel compositum, vt prius, si seipsis, illæ vnitates sunt numerus, cum vnitates numerales non sint res superadditæ rebus numeratis, sed quælibet talium rerum sit vna seipsa, sequitur quòd numerus non dicat rem superadditam rebus numeratis.

Ad hoc dicitur, quòd illa entitas superaddita est composita, & diuisibilis in partes, & quòd partes non sunt continuæ, sed discretæ, & quòd sunt vnitates, quoniam numerus est multitudo aggregata ex vnitatibus, & quando arguitur quòd vel sunt seipsis numerus, vel per aliquod additum, dico quòd non sunt numerus, sed ex eis est numerus, & quod addunt entitatem distinctam de genere quantitatis super res numeratas, vt diximus in libro quarto, & falsum est. rem quantam esse vnam vnitate quæ est in principio numeri quantitatiui per seipsam, hoc enim tantum verum est de re vna vnitate transcend

transcendenti. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Si vltima vnitas est forma numeri.

CONCLVSIO.

Vltima vnitas non est in numero forma totius: est tamen forma partis in numero.

IN principio huius quæstionis aduerte, quòd in via nostra præcipui mouentes hanc quæstionem, sunt Ioan. Capreolus in 1. distinctione vigesima quarta, quæstione prima, in quinta conclusione, & Paulus Soncinas in libro decimo, quæstione nona: fundãt autem se super Beatum Thomam in octauo Metaphysices, vbi exponẽs textum decimum inquit, Est enim per se vnum numerus, inquantum vltima vnitas dat numero speciem & vnitatem, sicut etiam in rebus compositis ex materia & forma, per formam est aliquid vnum, & ab ea vnitatem & speciem sortitur, hæc ille.

In hac autem quæstione sic procedemus. Primò ponetur distinctio de forma. Secundò duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur quædam argumenta, quibus videtur posse probari oppositum.

Quantum ad primum aduerte, vt notat Capreolus vbi suprà in probatione quintæ conclusionis, quòd si vt est duplex forma hominis, scilicet forma partis, & hæc est anima, quæ materia actuat, & est forma totius, & hæc est humanitas resultans ex anima & ex forma sua, sic in numero apprehendere possumus duplicem formam partis quæ verè est pars numeri, & non est totus numerus, sed ab ea numerus sortitur speciem, sicut homo ab anima, & formam totius quæ resultat, ex eo quod d'est forma partis in numero, & ex illis vnitatibus, ex quibus vt ex materia aggregatur numerus.

Quantum ad secundum ponuntur duæ conclusiones, prima, vltima vnitas, non est in numero forma totius, hanc licet omnes concedant, declaro sic, forma totius in via nostra in quam nũc loquimur est tertia entitas distincta ab omnibus partibus diuisim & simul sumptis, vt diximus in li. septimo. Sed vltima vnitas nõ est distincta ab omnibus vnitatibus componentibus numerũ, aliter distingueretur à seipsa, quia & ipsa componit.

Secunda conclusio, Vltima vnitas est forma partis in numero. Hanc probo esse de mente Philosophi & Commentat. in octauo libro Metaphysices, in textu decimo: & arguo sic, Numerus sortitur speciem ab vltima vnitate, ergo est forma numeri non totius, vt probatum est, ergo partis, consequentia patet, quoniam vnum quodque sortitur speciem sicut & esse à propria forma. Antecedens autem est de mente Philosophi & Commentator. in eodem loco, nam secundum Philosophum per aduentum vltimæ vnitatis constituitur talis species numeri, puta ternarius, & si subtrahitur mutatur species, sicut in rebus per aduentum & subtractionem vltimæ differentiæ, mutatur species, vnde dicit illic Commentator, & quemadmodum quando alicui numero additur vnum, aut ab eo diminuitur vnum, transfertur ad aliam naturam numeri, similiter diffinitionis compositæ ex 1. genere, & pluribus differentiis, quando ab eis diminuitur aliqua differentia, transfertur diffinitio ad diffinitionem alterius naturæ: & similiter cùm additur eis aliqua differentia: verbi gratia, quoniam cum dixerimus in diffinitione animalis, quod est corpus nutribile sensibile, si diminuerimus vltimam differentiam, remanebit diffinitio vegetabilium: & si additur alia differentia, puta rationale, fiet diffinito homine, & similiter quatuor cùm eis additur vnum, fiẽt quinque & cùm ab eis diminuitur vnum, fiunt tria, hæc Commentator, ex quibus constat, quod sicut vltima differentia dat speciem rei, & ea mutata, mutatur species, sic vltima vnitas dat speciem numero, & ea subtracta, fit alia species numeri, ex consequenti est forma partis in numero.

Sed hîc remanent duo declaranda, Primum est: Si vltima vnitas non est forma totius in numero, videndum est, quæ sit forma totius. Secundũ est: Cùm vltima vnitas sit pars cõponẽs numerũ sicut aliæ, quare est magis forma numeri, quã aliæ.

Quantum ad primum aduerte, quòd secundum Auicẽnam in tertio suæ Metaphysices, capite quinto, forma totius in numero, id est, quod significatur nomine abstracto illius numeri, puta forma ternarij est ternitas, & quaternarij quaternitas, sicut in naturalibus forma lapidis lapideitas, forma hominis humanitas: & si quæras quid importat ternitas & quaternitas, dico quod non importat solùm multitudinem consurgentem ex tribus vnitatibus, nec solùm ordinem & discretionem triũ vnitatum. Sed multitudinem trium vnitatum discretarum & ordinatarũ adinuicem, vel multitudinem trium vnitatum, vt stant sub discretione & ordine.

Quantum ad secundum aduerte, quòd vltima vnitas non est forma numeri, vt vnitas, sed vt vltima, id est, vt habet ordinem ad præcedentes tanquam terminus & conclusio numeri, & vt stat sub tali ordine, & sub ratione, & sub ratione termini comparatur ad alias vnitates, vt formale ad materiale. Quòd enim rem terminat & complet est formale in re, & ex hac declaratione videbis quàm facilè soluentur argumenta Petri Aureoli tenentis oppositum.

Quantum ad tertium principale, aduerte, quòd, vt recitat Capreolus in 1. distinctione vigesima quarta, quæstione prima, contra quintam conclusionem, Petrus Aureolus arguit quatuor rationibus, quòd vltima vnitas non sit forma numeri, ex quibus Paulus Soncinas accipit ad probationem sui intenti, 4. 5. & 6. rationes, quas format in libro decimo, quæstione nona. Verùm quia Capreolus soluit eas, & Paulus contra solutiones non instat, ideo sibi nihil proficiunt. Prima ratio, nulla forma entis realis quam tu ponis numerum, est incerta & voluntaria, sed determinata ex natura rei. Sed vltima vnitas quam tu ponis esse terminum & concludere numerum est incerta & voluntaria, nam quæcunque ponatur vnitas terminans, potest numerans incipere ab ea, & sic quæ erat vltima, fiet prima: ergo, &c.

Ad hoc respondetur, & negatur minor, ad probationem dico quod ante opus animæ numerantis in numero applicato est aliqua vnitas vltima secundum relationem, &c. ordinem realem ad alias vnitates, si autem numerans incipiat numerare ab vltima vnitate, non seruato reali ordine, quem habent vnitates inter se, non ideo vltima fiet prima, nec econuerso, loquendo de numero applicato; de numero autem, quem facit anima, secus est, quia ille non est numerus de genere quantitatis, sed habet esse per apprehensionem animæ, non autem est necesse quod sic sit in re, sicut apprehendimus.

Secunda ratio, Omnis forma alicuius totius est in eo vbi est suum totum, patet enim quod vbi est homo, ibi est anima hominis, sed vltima vnitas non est in eo, vbi est numerus, est enim numerus in omnibus vnitatibus simul sumptis. Sed vltima vnitas, vt patet, non est in omnibus præcedentibus vnitatibus: ergo, &c.

Respondetur: Maior non est vera nisi de forma intrinseca naturali, non autem de forma extrinseca, vnitas autem vltima est forma numeri extrinseca, non enim est forma, quia verè actuat præcedentes vnitates, sed quia habet rationẽ termini & concludentis. Non autem est necesse terminum esse intrinsecum rei quam terminat, vt patet de loco & locato.

Tertia ratio, Si vltima vnitas est forma numeri, vel in quantum vnitas, vel ipsa distantia, siue ordo ad præcedentes vnitates fundatus in ipsa vnitate, vel vnitas cum tali distantia, non primum, quia in quantum vnitas est æquè materialis, sicut & aliæ: non secundum, quia distantia siue ordo est relatio, numerus autem est ens absolutum, cùm sit de prædicamento absoluto, relatio autem non potest esse forma absoluti, non tertium, quia tale aggregatum cum sit ens aggregatum ex rebus diuersorum prædicamentorum, esset ens per accidens, secundum Metaphysic. quod non potest esse forma entis per se, numerus autem est ens per se, cùm sit in prædicamento quantitatis: ergo, &c.

Respondetur, negatur diuisio, nam datur quartum, scilicet vnitas, vt stat sub tali distantia vel ordine ad præcedentes, & vt sic est forma numeri, vnde si remoueatur talis ordo per aduentum alterius vnitatis, definit esse forma. Ratio enim quòd sit forma, non sumitur ab ipsa vnitate simpliciter, sed vt stat sub tali ordine, & si arguas quòd id quod est forma, semper & cuicunque comparata est forma, dico quòd hoc non est verum, nisi de forma intrinseca, quales sunt formæ rerum naturalium.

Quarta ratio, Inter vnitates componentes numerum non seruatur aliquis ordo, ergo vltima vnitas non est forma numeri, vt stat sub tali ordine vel distantia. Consequentia nota, antecedens probatur, vnus numerus, puta quaternarius, non respicit vnitates in quibus consistit secundum prius, & posterius, sed simul & sine ordine: qui enim intelligit trinitatem, non concipit vnam vnitatem præcedere aliam, sed absolutè apprehendit vnitatem in tribus, ergo vltima vnitas non est forma numeri quaternarij, cùm ibi non sit vnitas vltima, nec prima, nec aliquis ordo.

Respondetur, negatur antecedens ad probationem, nego assumptum, ad probationem dico, quòd licet apprehendens ternarium, non intelligat ordinem vnitatum; puta primam, secundam, & vltimam, tamen supponit talem ordinem, sine quo non esset ternarius, sicut qui intelligit hominem, non intelligit vnionem animæ & corporis, licet supponat illam, quia nisi

nisi anima vniretur corpori, non intelligeretur natura hominis. Sic in proposito. Patet igitur quòd rationes Petri Aureoli non concludunt contra viam nostram, & scias me in hac determinatione, secutum fuisse doctrinam Capreoli, ne forte credas me determinasse ex propria imaginatione. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Si numerus quantitatiuus reperitur solum in rebus corporeis, an etiam in abstractis.

CONCLVSIO.

Numerus quantitatiuus aggregatus ex vnitatibus numeralibus, non inuenitur nisi in rebus quantis & corporeis.

IN hac q. inuenio duas opiniones. Prima est B. Th. cuius mês est, quòd sicut vnum, quod est principium numeri quantitatiui, non inuenitur, nisi in re quanta, quoniam tale vnum, vt declaraui in tract. de transcendentibus, vel est continuitas rei quantæ, vel est esse quantitatis continuæ, quo res corporea est indiuisa in se, & diuisa ab alio, sic numerus quantitatiuus aggregatus ex vnitatibus numeralibus, non inuenitur, nisi in rebus quantis & corporeis. Et fundamentum B. Tho. est, quia philosophus in 3. Phy. docuit quantitatem discretam causari ex diuisione continui, vbi ergo non est ratio causatiua numeri quantitatiui, non est talis numerus. Constat autem quòd in separatis non est continuitas, ergo &c. Et si quæras, Cùm de separatis verificentur vnum, & termini numerales, vt vna intelligentia, duæ, tres, &c. qualis numerus, & quæ vnitas est in illis? Responderet B. Tho. quòd est vnum transcendens & multitudo transcendens. & de hoc locuti sumus in libro quarto.

Secunda opinio est Greg. in primo dist. 24. quæst. secunda, articulo tertio, qui tenet partem affirm. Pro cuius resolutione tria agenda sunt. Primò declarabitur mens sua. Secundò soluentur rationes suæ, pro quanto sunt contra B. Tho. Tertiò sustinebimus fundamentum B. Tho. sumptum ex 3. Physic. quod Greg. conatur destruere.

Quantum ad primum aduerte, quòd Grego. tria intendit. Primò intendit quòd numerus simpliciter verificatur solum in abstractis. Dicit autem numerum simpliciter esse vnitates simpliciter, vnitas verò simpliciter, secundum ipsum, verificatur solum de re in qua nulla est compositio, quales sunt substantiæ abstractæ secundum philosophos, & propterea negat Gregor. quodcunque totum vel compositum posse dici vnum simpliciter, sed tantum cum aliquo addito, puta quòd Sortes est vnus, non absolutè, sed vnus homo, & sic patet, secundum principia sua, quòd cum numerus sit ipsæ vnitates, talis numerus simpliciter reperitur solùm in abstractis. Hoc suum dictum, licet ipsum non concederet B. Thom. quoniam cùm compositum sit tertia entitas, potest dici vnum per se & simpliciter. vt declaraui in septimo libro quæstione vltima, tamen ad propositum huius quæstionis nihil refert. secundò intendit, quòd numerus secundum quid est tantum in rebus corporeis, vocat autem numerum secundum quid vnitates secundum quid, quæ sunt vnitates compositorum, & quoniam tenet, quòd omne compositum est vnum solum secundũ quid & plura simpliciter, quoniam secundum ipsum est suæ partes, ideo ex consequenti, vbi est compositio, ibi seruatur numerus secundum quid. Sed nec id concederet B. Tho. sicut nec prius dictum ex eadem causa. verùm pertranseo, quoniam ad præsentem quæstionem nihil refert. Tertiò intendit, ꝙ numerus qui est species quãtitatis discretæ, inuenietur in abstractis. vnde inquit, vbi suprà. Ex his patet quàm irrationabiliter loquũtur, qui dicunt, quod numerus non inuenitur, nisi in rebus materialibus & corporeis. cùm multo verius inueniatur in spiritualibus vt probatum est, nec valet si dicatur, quòd numerus rerum spiritualium non est species quantitatis discretæ, sed tantum numerus corporum. Ipsi verò loquuntur de numero, qui est quantitas discreta, non valet inquiam, quoniam illud dictum est tantum ad placitum, & sine ratione, & conatur probare in tantum duplici ratione, quas statim formabimus & soluemus.

Quantum ad secundum aduerte, quòd ratio prima Greg. est talis, interroganti de aliqua multitudine abstractorum, quot sunt, ita bene respondetur, quòd sunt 3. aut 6. sicut interroganti de lapidibus, respondetur quod sunt 3. vel 6. ergo sicut de lapidibus verificatur numerus, qui est species quantitatis discretæ, sic verificatur de abstractis.

Secunda est, æquè bene passio quælibet ternarij vel senarij. aut cuiuslibet alterius numeri verificatur de talibus terminis supponentibus pro substantiis immaterialibus, sicut cum pro corporalibus, ita enim ternarius abstractorum est numerus impar vtrobique primus, & senarius est numerus perfectus, sicut lapidum & lignorum, & vniuersaliter quæcunque per se conueniunt numero, ita verificantur in abstractis, sicut in corporeis, ergo, &c.

Ad primam sequendo principia B. Th. dicitur, quod si quot & tot propriè sumantur, scilicet secundum quod sunt interrogatiua de prædicamento quantitatis, negatur antecedens: quoniam talia interrogatiua non excludunt ambitum sui generis scilicet quantitatis non reperibilis in immaterialibus, cùm sit dispositio materia, si autem sumãtur generaliter, prout interrogant de quacunque multitudine, siue illa sit de genere quantitatis, siue non, conceditur antecedens, sed negatur consequentia.

Ad secundam negatur antecedens, quoniã tales passiones, prout important relationem fundatam in quãtitate, non verificantur de abstractis, vel si verificantur de eis, non conueniunt ternario, & senario, vt sunt species numeri quantitatiui, sed vt sunt species multitudinis transcendentis, sicut passiones istæ, imparitas, primitas, &c. & tunc negatur consequentia.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Greg. vbi suprà conatur destruere fundamentum B. Th. sumptum ex 3. phy. in tex. 68. scilicet quòd numerus quantitatiuus causatur ex diuisione continui. ergo reperitur solum in his, in quibus est continuitas, hæc autem sunt sola corporea, quare, &c. ad hoc dicit Greg. quòd non fuit intentio philosophi, dicere omnem numerum quantitatiuum causari ex diuisione continui, sed aliquem, puta, dum diuiditur lignum, fit numerus partium ligni: & corroborat, quia certum est corpora cœlestia esse in aliquo numero quantitatiuo, & tamen non constituitur ex diuisione continui, cùm nulla diuisio posit fieri in cœlo propter incorruptibilitatem suam.

Sed contra Greg. sic arguitur: Cùm Philosophus in 3. Physi. quærat de infinito, vt attribuitur magnitudini & numero, quod quidem infinitum secũdum Philosophum in 1. Phy. tex. 15. clarum est esse proprium quantitatis, ea ratione qua quærit de magnitudine quãtum ad infinitatem, inuestigat etiam de numero. Constat autem quòd ibi disputat de magnitudine absolutè & vniuersaliter, quomodo procedit in infinitũ secundum diuisionem, & non solùm de hac vel illa magnitudine, vnde & ait in tex. 69. In magnitudinibus autem contrarium est. &c. ergo & de numero absolutè considerat, quomodo secundum additionem tendit in infinitum. A ddicionem autem dicit fieri in numero, ex diuisione cõtinui, vnde & Cõm. inquit super eãdem text. Dispositio in additione numerorum est, sicut dispositio in diminutione mensuræ, ergo & à dimensione magnitudinis numerus quantitatiuus vniuersaliter causatur, ab eodem enim est esse rei & sua proprietas. si ergo à magnitudine causatur finitas & infinitas in numero quãtitatiuo, absolutè ab eadem causatur esse eiusdem numeri, falsum est ergo dicere, quòd Philosophus in tertio Phy. non intendit omnem numerum quantitatiuum causari ex diuisione continui.

Quando autem dat instantiam de numero corporum cœlestium, dico quòd & ille numerus causatur ex diuisione continui, non quidem de nouo facta nec factibili, sed ex diuisione materiæ, vt stat sub hac quantitate continua, nam quia forma lunæ stat sub hac materia quanta, & forma solis sub illa materia quanta, ideo constituitur binarius de genere quantitatis, decipitur autem Greg. quia credit B. Tho. tenere numerum quantitatiuum causari solũ ex diuisione facta de nouo in aliquo continuo, quasi si non diuidatur actu, & de nouo, quòd non fiat numerus, id non sonniauit B. Tho. nec veri Thomistę. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

De materia cœli.

In naturalibus quidẽ & sempiternis, alia ratio. Forsan enim quædam non habent materiam, aut non talem, &c. tex. 12. Philosophus hic declarat quomodo materia est in cœlo. & dicit, ꝙ forsan cœlum non habet materiam, vel si habet, non talem qualem habent hæc inferiora, vide tu expositionem Commẽ. & aduerte quòd B. Tho. exponens, videtur in hoc loco concordare cum Cõment. vtitur enim termino Commenta. scilicet quòd materia cœli dignius est nominari subiectum quàm materia: & si non sumatur pro subiecto, quod est corpus cœli actu, prout est subiectum motus, non est in cœlo materia.

Circa igitur hunc tex. quatuor inuestiganda sunt, primò si materia quæ est pars cõpositi est in cœlo. Secũdò supposito ꝙ sic, si materia cœli & horũ inferiorum sunt eiusdem rationis. Tertiò, si forma cœli vniretur materiæ inferioti, verũ possemus sustinere ipsum esse incorruptibile. Quartò, vtrum materia vnius cœli sit eiusdem rationis cum materia alterius cœli.

QVAE

QVAESTIO XII.

Si materia quæ est pars compositi est in cœlo.

CONCLVSIO.

Materia quæ est pars compositi est verè in cœlo.

IN hac quæstione inuenio differentiam inter Beat. Thom. & alios expositores Aristote. nam Bea. Thom. attribuit Commentato. quòd negauerit materiam in cœlo, vt est pars compositi, & quòd secundum ipsum, materia cœli est corpus cœli actu, vt est subiectum motus, & vt potentia ad diuersa vbi, id autem sibi attribuit in primo cœli, lectio. sexta, & in octauo Physicor. lect. vigesima prima, & in prima parte. quæstione sexagesima sexta, articulo secundo, & dato quòd Beat. Thom. id non diceret, patet hanc fuisse mentem Commenta. in octauo libro Metaphysic. in comment. duodecimo, vbi inquit, Materia enim in rei veritate cuius esse est in potentia, non inuenitur nisi in subsstãtiis generabilibus & corruptibilibus, subsstantiæ verò æternę, quia in eis non est potentia ad corruptionem, non est in eis materia, sed materia eorum est aliquid existens actu, scilicet corpus, ideo dignius habent hoc nomen subiectũ, quàm hoc nomen materia. Et infrà, & cùm narrauit quòd istę subsstantiæ cœlestes non habent materiam, scilicet quia non sunt compositæ ex materia & forma, sed ex corpore & forma animata intelligibili (& infrà) & ideo dixit The mistius, quòd Sol, & Luna, & stella aut sunt formæ sine materiis, aut habet materias per æquiuocationem, sicut est dispositio in materia intellectus, hæc Commentator. licet autem Bea. Thom. id attribuat Commentat. non tamen Aristoteli, vnde tenet Commentat. in hoc deuiare à via Aristo. & nos idem sustinebimus.

Alij verò expositores credentes mentem Commentat. esse mentem Arist. dicunt, quòd secundum Philosophum & Comment. non est materia in cœlo, vt est pars compositi, quoniam credunt hoc esse vt verissimum principium apud Aristote. & Commenta. omnis materia quæ est pars compositi, est principium corruptionis in cœlo autem nõ est corruptio: ergo, &c. Inter expositores qui hanc viam sequuntur, inuenio Ant. And. in octauo libro Metaphysic. quæstione quarta, qui id simpliciter attribuit Philosopho, cuius rationes soluam infrà. Inuenio & Lindunum in octauo Metaphy. quæstione septima, qui nullam rationem adducit, nisi eam quæ communiter solet fieri, scilicet quia cœlum esset corruptibile. Sed & hanc soluam infrà. Vt igitur resoluatur propositum relinquendo prolixitates, sic procedemus. Primò probatur quòd secũdum Philosophum & veritatem, materia quæ est pars compositi est verè in cœlo. Secundò soluentur rationes tenentium oppositum. Tertiò declarabuntur quædam dicta Philosophi, quæ videntur fauere tenentibus oppositum. De Commentat. autem, vt sis verus Thomista, teneas pro certo, quòd negauit materiam partem compositi esse in cœlo, & noli imitari in hoc Paulum Soncin. qui in libro duodecimo, quæstio. septima, tenet propter quædam dicta Commenta. Commen. concessisse verè materiam in cœlo, & sic facit Bea. Thom. ignorasse sensum Comm, quòd Thomistæ, vt blasphemiam, deuitant, verum tamen infrà declarabimus, quem sensum habuerit Commenta. in dictis illis.

Quantum ad primum, probo propositum duplici ratione, & primò sic arguo, vt arguit Bea. Tho. in octauo Physico. lect. vigesima prima, contra Commentat. Corpus cœleste est aliquid actu, alioquin non moueretur, subiectum enim motus non est ens tantum in potentia, vt declaratum est in quinto & sexto libro Physicorũ. Sed omne quod est actu, vel est forma subsistens vt subsstantiæ separatæ, vel habet formam in alio, quod se habet ad formam sicut materia, & sicut potentia ad actum, non potest dici quòd corpus cœli sit forma subsistens, quoniam esset intellectuale, & intellectum in actu, non cadens sub sensu, nec sub quantitate, sicut & subsstantia separata, ergo est habens formam in materia.

Huic rationi respondet Iand. in li. octauo Met. quęst. septima, & dicit quòd cœlum est actus, & tamen non sequitur quòd sit intelligens & intellectum actu, & non cadens sub sensu, quia hoc non est verum, nisi de actu separato à magnitudine & incorporeo. Sed cœlũ est actus corporeus, quia extẽditur & sentitur propter accidẽtia sensibilia, quę habet, & nõ est intelligẽs.

Sed contra, Si cœlum non esset compositum ex materia & forma, non posset esse extensum nec dimensionatum, quod est falsum, vt patet ad sensum. Consequẽtia autem probatur, quoniam per Commen. in primo capite de subsstantia orbis, si forma præcederet dimensionem in materia, tunc nõ esset extensa omnino, sed indiuisibilis, quia forma non extenditur nisi extensione materiæ, ergo si cœlũ esset sine omni materia corporali, esset inextensum, nec haberet partem extra partem.

Huic instantiæ respondens Iandunus vbi suprà dicit, quod Commentator in illo loco intendit de forma generabili & materiali, quæ non est nata extendi, nisi per materiam subiectam quantitati: forma autem ingenerabilis, quale est ipsum cœlum, non est nata extendi per materiam corpoream, sed per quantitatem, quæ inest sibi, vt subiecto simplici.

Sed contrà, Comment. in eodem primo capite, de subsstantia orbis sic dicit, Inuenit scilicet Aristot. quòd subsstantia omnium accidentium sunt indiuidua subsstantiæ, quę sunt actu, de quibus declaratum fuit ab eo esse composita ex formis, & subiecto, quod est in potentia, & accipit signum ex hoc, quòd hoc subiectum recipit accidentia contingentia, in eo quòd non est simplex, quoniam si esset simplex actu, non posset recipere accidentia, pati enim contrarium est actui. hæc ille. in his dictis patet, quòd loquitur de subiecto accidentium sensibilium absolutè, & non solùm in natura rerum corruptibilium. Tunc ex vltimis verbis suis sic arguo, nullum simplex quod est actus, recipit accidentia sensibilia, quia recipere est pati: pati autem, vt dicit Comment. est contrarium actui. Cùm ergo videamus accidens quòd est quantitas recipi in cœlo, cœlum non est simplex actus, sed compositum ex actu & materia, qua mediante recipit quantitatem, & sic patet, quòd ex dictis Comment. concludimus contra Commentat. & Commentistas.

Secundò sic arguo, Qualitates sensibiles, vt patet, sunt in cœlo, ergo materia quæ est pars compositi, patet consequentia, quia qualitates sensibiles in sua diffinitione concernunt materiã sensibilẽ, sicut simitas, & in hoc distinguũtur à quãtitatibus, ex modo diffiniendi, vt patet in sexto Metaphysi. tex. secundo.

Sed aduerte, quòd Iandunus vbi suprà, respondens secundæ rationi Aegidij dicit, quod accidentia sensibilia in cœlo, vt rarita & densitas, non consequuntur materiam, sicut in inferioribus, & dicit quòd rarum & densum est quasi æquiuocum in superioribus & inferioribus. Tota ergo vis est, vt sustineas primam rationem, scilicet quòd quantitas absolutè consequitur materiam, quoniam si id non sustinueris, nihil concludes contra Commentistas, in defensionibus & rationibus Pauli Soncinatis in libro duodecimo, quæstione septima, præcipuè in ratione sumpta ex diffinitione rari & densi non confidas. Dicit enim Iandunus vbi suprà, quòd raritas & densitas licet in inferioribus accipiantur penes plus & minus habere de materia, non tamen in superioribus, quoniam illic sumuntur penes terminare & non terminare visum, quia illa pars cœli est densa, quæ si interponatur inter visum nostrum & partem superiorem prohibet partem superiorem videri, vt quando luna interponitur inter visum nostrum & solem, prohibet solem videri. Illa autem est rara, quæ non impedit videri partem superiorem. Vnde raritas secundum ipsum est diaphaneitas, quæ potest recipi species in profundo, non impediens videre partem vlteriorem. Densitas autem est spissitudo, qua prohibetur species recipi in profundo, & visio partis vlterioris. Cùm igitur neget diffinitionem rari & densi, datam per plus & minus habere de materia, verificari in superioribus, patet quòd eneruat rationem Pauli, quæ etiam fuit Aegidij: & miror quòd Iandunum non viderit, vt se defenserat.

Quantum ad secundum, aduerte, quòd Capreo. in secundo distinctione duodecima, quæstio. prima, contra primam conclusionem adducit multa argumenta tenentium oppositum, in quibus continentur argumenta Anto. And. & Iand. & quædam fundantur super dicta Comment. Quædam super dicta Philosophi. Quædam inniituntur propriæ imaginationi. Quæ fundantur super dicta Commenta. nolo adducere, nec soluere, quoniam secundum mentem B. Tho. quam debemus sustinere, declinauit Comm. in hoc à via Ari. Quæ autem fundantur in dictis Philos. apparebunt soluta infrà, quando exponam talia dicta. Nunc igitur adducam argumenta, quæ innituntur propriæ imaginationi, & reducuntur ad duo principaliter.

Primò supponitur secundum doctrinam Philosophi, quòd materia propriè dicta, quæ est pars compositi, sit ens in pura potentia ad esse simpliciter, nisi ex sui natura actualitatis includens. Tunc arguitur sic, si in cœlo est materia pars compositi, ergo cœlum est generabile & corruptibile secundũ naturam, quod est falsum, vt conceditur ab omni peripatetico. Consequentia sic deducitur, Quòd includit ens in pura potentia ad esse simpliciter, nisi ex sui natura actualitatis includens, est in potentia ad esse, & ad non esse; quoniam illud ens in pura potentia ad esse simpliciter, est indifferens quantum sit ex se, ad esse & ad non esse. Sed secundum te, cœlum includit ens in pura potentia ad esse simpliciter: cùm includat materiam partem compositi, ergo potest esse & non esse: & sic est generabile & corruptibile.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem, dico ad ma-

iorem, quòd ens in pura potentia ad esse simpliciter potest esse duobus modis. Primò, quòd sit in potentia, coniuncta tamẽ ipsi esse, siue vt iam habet esse, eo modo quo materia habens formam comparatur ad eam, vt potẽtia ad actum, quem iam habet. Secundò, quòd sit in potentia ad esse simpliciter, quòd est esse substantiale nondum habitum, sicut materia existens sub forma aquæ, est in potentia ad formam, ignis vel vt dicũt aliqui, potentia ad esse est duplex, quædam ad esse coniũctum, quædam ad esse remotum, ex hac distinctione dico, quòd maior non est vera, nisi de ente in potentia secundo modo. Tale autem ens in potentia non ponimus in cœlo, sed ens in potentia primo modo: & ideo non sequitur, quòd cœlum possit esse & non esse substantialiter.

Sed cõtrà, Si tua distinctio valet, hoc ideo est, quia materia cœli, licet sit ens in pura potentia: tamen determinat sibi talem formam, per quam semper est coniuncta ipsi esse, sed hoc est falsum, quia quod est in pura potentia, impossibile est quòd includat habitudinem ad determinatam formam, imò est indifferẽs ad omnem formam, sed materia cœli si est pars compositi, est ens in pura potentia, quia hæc est diffinitio materiæ primæ vniuersaliter sumptæ, ergo non potest determinare sibi talem formam, &c.

Ad hoc dicitur, quòd aliud est sumere materiam simpliciter, & aliud materiam cœli. quia si dico materiã simpliciter, id est in generatione, dico potentiam puram absolutè: sicut cùm dico animal, dico habens animam sensitiuam absolutè, si autem dico materiam cœli, dico potentiã puram, nõ ad omnem formam, sed ad formam cœli: sicut cùm dico animal, quod est homo, dico habẽs animam sensitiuam, quæ est etiam rationalis. Tunc dico ad argumentum, ꝙ maior non est vera, nisi de ente quod est pura potentia absolutè, quale ens est materia prima sumpta simpliciter. Applicando autem ad minorem, nego quòd materia cœli sit pura potentia absolutè, quoniam est pura potentia ad formam cœli, & non aliter, & ideo potest includere habitudinem ad determinatam formam.

Et si quæras, Quid appropriat materiam hanc huic formę, ita quòd non includit habitudinem ad aliam. Dico quòd hoc est ex exigentia formæ, quæ requirit materiam talis naturæ, cùm materia sit propter talem formam.

Secũdò si materia propriè dicta est in cœlo, vel est propter corporeitatem cœli, vel propter quantitatẽ, vel propter qualitates sensibiles, vel quia formas absolutas à materia necesse est esse intellectuales, vel quia cœlũ esset nobilius anima, quæ materiæ vnitur, vel propter motũ localẽ. aut propter alterationem, siue varietatem lucis, prout videmus lunam modò lucidam, modò obscuram. Sed nullum horum cogit, ergo vanum est ponere materiam propriè dictam in cœlo.

Primò corporeitas non cogit, quoniam forma dat esse corporeum, & non materia.

Ad hoc dicitur, quòd licet materia nõ det esse corporeum, tamen nulla forma dat esse corporeum, nisi composito, & ratio dandi huiusmodi esse composito est materia, quòd ideo vbi non est materia, non seruatur ratio dandi esse corporeum à forma, nisi dicatur quòd forma dat sibi ipsi esse corporeum: quod est vanum dicere.

Secundò, quantitas non cogit, quoniam licet quantitas interminata insit ratione materiæ, non tamen quantitas terminata, hæc enim inest ratione formæ, in cœlo autem est tantum quantitas terminata.

Ad hoc dicitur, quòd imò quantitas siue terminata siue interminata necessariò requirit materiam, vt patet in 7. metap. text. 8. vbi & Cõment. ipsa veritate coactus, tenet quòd materia non auferetur per ablationem trium dimensionum. Sed bene auferuntur illæ per ablationem materiæ, & loquitur de dimensionibus absolutè, ergo necessariò requirunt materiam vt subiectum, vel vt rationem recipiendi eas.

Tertio, qualitas sensibilis non cogit, quoniam sola qualitas secundum quam immutatur substantia rei, quæ dicitur qualitas alteratiua, vt calidi tas, frig. humid, &c. requirit materiam. Talis autem qualitas non est in cœlo, cùm cœlum sit inalterabile, motus autem localis diaphaneitas, raritas, dẽsitas, & lux, non sunt alteratiuæ, ideo possunt esse in cœlo ratione formæ, & non ratione materiæ.

Ad hoc dicitur, quòd imò qualitas omnis sensibilis, siue alteratiua siue non, requirit materiam: quoniam, vt dictum est, mens philosophi fuit in 7. metaph. text. 8. & Commen. illic, ꝙ materia sit subiectum decem prædicamentorum, & quòd esse suum est aliud ab esse cuiuslibet istorum, prædicamenta enim accidentium dicuntur de prædicamento substantiæ, & prædicamentum substantiæ dicitur de hoc quod est materia.

Quartò, non cogit formam absolutam à materia esse intellectualem, quia habitus intellectus sunt absoluti à materia, & tamen non sunt intellectuales, id est, potentes intelligere. Præterea ad hoc quòd forma absolutè à materia sit intellectualis necesse est vt sit remota à quantitate, ex consequenti sit incorporea: operatio enim intellectualis nobilior est actione substantiæ corporeæ, licet autem forma cœli sit absoluta à materia, non tamen à quantitate, ideo non sequitur cœlum esse intellectuale.

Ad hoc dicitur, quòd ad hoc quòd forma absoluta à materia sit intellectualis vel intellectiua, oportet vt sit substantia: ideo instantia de habitibus intellectus non valet, cùm sint qualitates, nec valet secunda instãtia de quantitate, quoniam iam dictum est etiam per Commentat. in 7. metaphysic. comment. 8. quod si aufertur materia, auferuntur dimensiones, vnde bene sequitur, quòd si forma cœli est absoluta à materia, est absoluta & à quantitate, ex consequenti remanet incorporea & intellectualis.

Quintò, non cogit, quòd cœlum esset nobilius anima, quia vnitur materiæ: non enim inconuenit, id quod est simpliciter nobilius, altero esse ignobilius, secundum aliquam conditionem. Sic enim cœlum est nobilius verme propter sui incorruptibilitatem, & tamen ignobilius eo, prout vermis est anima tus, sic cœlum est nobilius anima, quia est absolutum à materia, & quia est perfectum in specie. Anima autem, præcipuè intellectiua, est nobilior cœlo, propter operationem intellectualem.

Ad hoc dicitur, quòd imò cœlum est nobilius simpliciter & secundum omnem conditionem, quàm anima, si cœlum est absolutum à materia. Quia si in cœlo nõ est materia, non pendet à materia ex qua, nec in qua, nec per informationem, & habet operationes penitus abstractas à materia, & non cõmunicabiles materiæ. Cuius oppositum est anima, quæ nec integram speciem habet, quæ concernit materiam in qua per informationem, cuius operationes exercentur per organum, præter intelligere, quare, &c.

Sextò, non cogit motus ad vbi, quia talis motus non inest ratione materiæ absolutæ, sed ratione corporeitatis. Natura igitur corporea absque hoc quòd habeat materiam, potest esse in loco. ergo moueri ad locum, & talis natura, quę est corporeitas, habebit potentiam ad vbi, sed nullo modò ad formam substantialem.

Ad hoc dicitur, admisso quòd talis motus insit ratione corporeitatis, negatur posse dari corporeitatem naturalem, qualis est corporeitas cœli sine materia, quoniam remota materia remouentur tres dimensiones, vt dictum est suprà ex 7. metaphy. Præterea motus cœli localis est motus naturalis, cuius principium est natura: natura autem ex 2. Phys. aut est materia aut forma in materia. ergo cœlum vt moueatur naturaliter ad locum requirit materiam.

Septimò non cogit variatio secundum illuminositatem, vt videmus in luna. Hæc enim variatio non transmutat intrinsecè substantiam lunæ, nec abiecit ab ea aliquid positiuum, sed tantum priuationem lucis, ergo non est necesse propter huiusmodi variationem, ponere materiam in cœlo.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam non solùm qualitates secundum quas fit alteratio obiiciens à substantia rei requirunt materiam, sed etiam omnis qualitas sensibilis, vt dictum est suprà. Patet igitur quòd propter omnes causas allegatas in argumento, necesse est, ponere materiam propriè dictam in cœlo.

Quantum ad dicta philoso. quibus videtur posse concludi, nõ esse materiam propriè dictam in cœlo. aduerte quòd sunt tria. primum est in 1. lib. de cœlo text. 20. vbi probans cœlum non esse corruptibile, probat ex hoc quòd non habet contrarium, ergo non habet materiã: quoniam ex 1. phy. text. 69. materia est subiectum contrariorum, secundum est in 1. phy. text. & in 7. metap. tex. Dico autem materiam per quam res potest esse & non esse. Sed cœlum cùm sit æternum, non potest esse & non esse, ergo &c. Tertium est in 9. metap. tex. 17. Omnis potentia passiua est potentia cõtradictionis, sed in cœlo cùm sit sempiternum, non est potentia passiua, ergo nec materia: quoniam materia dicit potentiam passiuam.

Ad primam dico quòd licet philo. probet cœlum non habere contrarium, ex eo quòd motus circularis non habet motum contrarium, tamen non negat quin habeat materiam, & cum arguitur, quoniam materia est subiectum contrariorum, dico, quòd non verificatur substantialiter, nisi de materia inferiorum, quæ est annexa priuationi. Absolutè autem sumendo materiam, sufficit quòd verificetur hæc diuũctiua, Materia est sub

est subiectum contrariorum substantialiter, vel saltem accidentaliter, & secunda pars verificatur de materia cœli, quæ est in potentia ad contraria vbi.

Ad secundum dico, quòd per materiã res potest esse & non esse simpliciter vel, secundum quid, ideo conceditur quod cœlum pro quanto habet materiam, est in potentia ad aliquod esse accidentale, & ad aliquod non esse accidẽtale, secundum quod acquirit vnum vbi, & perdit aliud, non autẽ oportet omne habens materiam esse in potentia ad nõ esse simpliciter.

Ad tertium respondebitur in lib. nono, quando quæremus, si omne habens potentiam passiuam est corruptibile. Patet igitur quòd nec ratione nec ex dictis Philosoph. debemus negare materiam, quæ est pars compositi, esse in cœlo.

Vltimò aduerte quod quoniam Paulus Soncin. adducit in libro duodecimo Metaphysicæ, quæstione septima, multa dicta Commentator. quibus tenet Commentato. sensisse materiam esse in cœlo, & in hoc contradicit Beat. Thom. ideo volo declarare, quem sensum habuerit, quandoque dicit materiam esse in cœlo, ne videatur Beat. Thom. falsò imputasse Commen. quod negauerit materiam propriè dictam esse in cœlo.

Aduerte igitur quod materia in doctrina Commentat. tripliciter solet accipi. primò pro hyle, siue pro materia quæ est potentia contradictionis, & quæ propriè est subiectum formę substantialis, de qua locutus est Philosophus in primo Physic. ponens eam vnum ex principiis naturalibus. Secundò accipitur pro natura illa, qua aliquid constituitur in esse mobili, & hæc est natura corporea, quoniam ex sexto Physic. omne mobile est corpus. Tertiò accipitur pro eo quod habet quodammodo proprietatem materiæ, quæ est esse subiectum receptiuum formæ. Ex hac distinctione dico, quod nullum dictum Comm. potest intelligi in primo sensu: quoniam apud ipsum fuit vt princip. materiam in primo sensu in quocunque inueniatur esse causam essendi & non essendi substantialiter, vnde in primo cœli comment. quinto dixit, quod si corpus cœleste sit compositum ex materia & forma, continget vt sit generabile & corruptibile, & dicit infrà in eodem comm. quod iste locus est fortior omnium locorum facientium errare, quod corpus cœli sit compositum extra materiam & formam. In secundo autem sensu & tertio debent intelligi, sicut illud duodecimi Meta. comment. decimo, Omnia quæ transmutantur habent materiam, id est sunt naturæ corporeæ, propter quam sunt in potentia ad oppositos terminos, & illud in nono Meta. commen. decimo septimo, cœlum semper habere potentiam in vbi, nõ prohibet vt sit materiã, sed bene prohibet ipsum esse formam, sic debet intelligi apud Comm. quòd cœlum est materia localis, & subiectum simplex & non est forma generabilis & corruptibilis, est tamen forma inquantum est per se existens, &c. Et illud in primo cœli. comm. Cœlum est sensibile, impossibile est autem aliquid esse sensibile per formam, per formam enim aliquid est intelligibile, igitur sensibile per materiam. Hoc inquam sic habet intelligi secundum Commen. Omne sensibile est sensibile per materiam, accipiendo materiam in secundo sensu, id est naturam subiectam quantitati, & qualitati sensibili, & per quantitatem, & quoniam forma quæ est ipsum cœlum est subiectum quantitatis & raritatis, & densitatis, & lucis, ideo dicitur sensibile per materiam secundum quod imaginatur Commentator. licet imaginatio sua sit falsa (vt diximus suprà.) Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Si materia cœli & horum inferiorum sunt eiusdem rationis.

CONCLVSIO.

Materia cœli & horum inferiorum sunt diuersarum rationum.

IN hac quæstione stat discordia inter Beat. Thom. & Aegidium quem sequuntur Duran. & Petr. Aureo. Nam Beatus Thomas, vt patet in prima parte, quæstione sexagesima sexta, articu. secundo tenet, quòd sunt diuersarum rationum. Aegid. autem, licet concordet cum Beat. Tho. quòd materia propriè dicta, quæ est pars compositi sit in cœlo, tamen tenet quòd illa & ista sunt eiusdem rationis, & tamẽ cum hoc tenet cœlum esse incorruptibile. Vt igitur soluamus propositum, sic procedemus. Primò declarabitur quid importat materiam cœli & horum inferiorum esse eiusdem vel diuersarum rationum. Secundò ponemus mentem B.T. cum fundamentis suis, vbi manifestabimus quomodo istæ materiæ distinguuntur intrinsecè & non solùm extrinsecè, id est per habitudinẽ ad formas. Tertiò ponemus mentem Aegidij cum declaratione sua. Quartò ponẽtur rationes, Aegidij, & Durandi, & Aureoli, & soluẽtur.

Quantum ad, primum aduerte quòd materiam cœli & inferiorum esse eiusdem rationis apud Metaphysic. est esse eiusdem speciei, & distingui tantùm numero nõ ex se, sed ex quantitatibus & formis sub quibus sunt prout diuersæ formæ diuersas materiæ partes informant, esse diuersarum rationum est esse diuersarum specierum ab intrinseco, & secundum essentiam, ita quòd alia natura formaliter est materia cœli, & alia inferiorum: & cùm materia prima absolutè sit ens, quod est pura potentia, in genere substantiæ sunt duæ primæ potentiæ distinctæ realiter & formaliter; vtrum autem distinguantur seipsis, vel per aliud, dicemus infrà, Aegid. vt patebit infrà, tenet quòd sunt eiusdem rationis, iuxta declarationem factam, ita quod si abstrahatur quantitas ac forma cœli à materia cœli, erit vna materia numero, & penitus indistincta. Sed Beat. Thom. tenet secundum declarationem factam, quòd sunt diuersarum rationum, ita quod expoliatę per impossibile omni quantitate & propriis formis, adhuc distinguuntur realiter & formaliter, quæ distinctio non esset quantitatiua, sed essentialis, ita quòd essent plures pluralitate transcendenti.

Quantum ad secundum aduerte, quòd mens Beat. Thom. stat in duobus, primò quòd cœlum est alia natura à natura quatuor elementorum, quod declarat Philosophus in primo Cœli, ex motu proprio cœli, qui non est naturalis alicui elemento, ex quo sequitur, cœlum esse incorruptibile, vt pote carens contrario, & formam cœli esse alterius naturæ quàm forma elementaris, & materiam cœli distingui à materia inferiorum: & quidem quòd cœlum sit alia natura ab elementis, & quòd sit incorruptibile, & formam cœli non esse de natura formæ elementaris Aegid. & sequentes eum concèdunt, negant autem de materia, & ideo in via Beati Thomæ sic arguitur, Si materia cœli, & materia lapidis sunt eiusdem rationis, & diſtinctæ solùm numero cum materia, vt materia sit ens in pura potentia ad formam, sequitur quòd ad quamcunque formam est in potentia materia lapidis, ad eandem sit in potentia materia cœli. Sed materia lapidis est in potentia ad formas inferiores, quas non habet, & ideo est subiecta priuationi, & lapis est ex natura sua corruptibilis, ergo materia cœli est in potentia ad formas inferiores quas non habet, & sic est subiecta priuationi, & cœlum non est ex natura sua incorruptibile, quod est contra Philosophum.

Nec valet si dicatur, quòd licet materia cœli secundum se considerata sit in potentia ad formas quas non habet, tamen inquantum est sub forma cœli, tota eius potentia est terminata: ita quod vt sic non remanet in ea potentia ad aliam formam, eo quòd forma cœli ex sua perfectione complet totam potentialitatem materiæ.

Hoc inquam non valet, quoniam potentia passiua non terminatur nisi per adeptionem formæ quam non habet, quantumcunque sit sub forma perfecta, aliter illa potentia ad formam, quam non habet, esset frustra, ergo cum materia cœli si est eiusdem rationis cum materia inferiorum, sit in potentia ad formas inferiores, sequitur quòd non terminatur eius potentia, nisi per adeptionem formarum quas non habet, quantumcunque sit sub perfecta forma, quæ est forma cœli.

Præterea, tu non potes subterfugere, quin materia lapidis si est eiusdem rationis cum materia cœli, sit in potentia passiua naturali ad formam cœli: & cùm omni potentiæ passiuæ naturali correspondeat potentia actiua naturalis, sequitur quòd aliquid agens naturale, posset introducere formam cœli in materia lapidis, & sic cœlum esset generabile, quod reprobatũ est in primo Cœli. Et propterea tenendum est, quòd materia cœli est alterius rationis, & quòd non est in potentia, nisi ad formam, quam habet, & dicitur esse in potentia coniuncta actui.

Secundò aduerte, quòd istæ duæ materiæ apud Beat. Thom. non distinguuntur præcisè per habitudinem ad formam, puta, quia materia cœli perficitur per formam non habentem contrarium, & sine dispositionibus contrariis, materia autem inferiorum opposito modo. Hæc enim fuit oppositio Aegidij. Sed distinguuntur essentialiter, & per principium intrinsecum distinctiuum, ita quòd materia cœli habet propriam differentiam intrinsecam essentialem, similiter materia inferiorum, quæ quidem principia intrinseca sumuntur ab extrinseco, eo quòd materia vt est potentia, est ens respectiuum. Potentia enim vt potentia dicitur ad actum. In hoc autem distinguuntur absoluta à respectiuis, quoniam in absolutis sumitur distinctio per principium intrinsecum sumptum ab intrinseco, vt homo distinguitur à bruto per rationale, quod sumitur ab anima homini intrinseca, in respectiuis autem sumitur distinctio per principium intrinsecum, id est, per differentiam propriam, quæ tamen sumitur ab extrinseco, vt potentiæ sensitiuæ sumunt differentias essentiales ab obiectis. Sic in proposito dico, quod materia cœli & inferiorum distinguuntur

essentialiter, per differentias sibi intrinsecas, quæ sunt duæ primæ potentiæ passiuæ, nihil ex se actualitatis habentes, quæ tamen sumuntur ab extrinseco, id est, ex habitudine ad formas. Et hæc est determinatio Beati Thomæ, in primo Cœli, lectione sexta, vt videre poteris.

Quantum ad tertium aduerte, quòd mens Aegidij, vt patet in tract. quem edidit de materia cœli, & in 2. sen. dist. 12. stat in tribus, primò tenet, quòd cœlum etiam secluso intelligentia est verè compositum ex materia prima & forma perficiente materiam secundum esse. Quod quidem probat rationibus conformibus viæ nostræ, quas posuimus in q. præcedenti contra Cõm. & sequaces suos, & in hoc concordat cum B. Tho. Secundo tenet, quòd materia cœli est eiusdem rationis cum materia inferiorum quantum sit ex se & intrinsecè, quod conatur probare multipliciter, vt patebit infrá. Tertiò tenet quòd licet materia cœli quantum sit ex se & intrinsecè, sit eiusdem rationis & naturæ cum materia inferiorũ, tamen differt quo ad formam, siue per principium extrinsecum, quod quidem sic manifestat. Forma cœli non habet contrarium, ideo non relinquit in materia potentiam & appetitum ad aliam formam. Materia enim stans sub vna forma, non habet appetitum ad aliam, nisi illa forma habeat cõtrarium, & alia possit sibi succedere: & quidem quòd forma cœli non habeat contrarium patet ex eo quòd motus eius circularis non habet cõtrarium ex 1. Cœli, ex quo sequuntur duo corollaria secundũ Aegid. primò quòd cœlum est ingenerabile & incorruptibile, quia generatio & corruptio est de contrario in contrariũ, sed forma cœli non habet formam contrariam, ergo, &c. Secundò, Materia cœli non est sub priuatione, quia non est subiecta formæ habenti contrariũ, ergo, &c. vnde Aegid. in quoli. q. 12. inquit, non est cœlum incorruptibile per aliquod principium passiuum præseruans ipsum à corruptione, sed per remotionem principij corruptiui, vt quia ibi non est priuatio respectu formæ, & quia ibi non est contrarietas, quæ est causa corruptionis. Ex quibus omnibus patet, quòd Aegid. tenet, cœlum esse incorruptibile, non ex principio passiuo intrinseco, sed defectu agentis contrarij potentis ipsum corrumpere, & aduerte quòd ad hanc viam videtur declinare Sco. in 2. di. 14. q. 1. vbi inquit, secundum theologos ponetur materia secundum se, & quantum est ex se eiusdem rationis in quocunque. & ita habentur ipsi discordare à philosopho in hac propositione, Cœlum est necessãriũ & incorruptibile, quantum enim est ex natura sua, esset simpliciter corruptibile, quia sibi esset illa potentia ad contrarium, quia tamen forma cœli non habet contrarium potens vincere istam formam, ideo non potest corrumpi ab agente naturali, hæc ille.

Quãtum ad quartum aduerte, quòd rationes Aegidij principales sunt tres, in quibus virtualiter includuntur rationes Duran. & Pet. Aur.

Prima est, In pura potentia nulla potest esse distinctio. Sed materia cœli & materia inferiorum sunt in pura potentia, ergo in eis non potest esse aliqua distinctio, ergo quantum sit ex se, sunt eiusdem rationis. Minor nota est ex diffinitione materiæ primæ. Maior probatur, quoniam 7. meta. actus est qui distinguit, sed pura potentia nullum dicit actum, ergo in pura potentia quantum sit ex se & intrinsecè, nulla potest esse distinctio. Si igitur datur aliqua distinctio inter eas, erit per extrinsecum, id est, per formas, prout materia cœli est sub forma non habente contrarium, materia autem inferiorum opposito modo.

Ad hoc dicitur quòd maior potest habere duplicẽ sensum: primus est, in pura potentia nulla potest esse distinctio, ita q̃ distinctiuum sit intrinsecum, & sumptum ab intrinseco, & sic concedimus eam, nec dicimus oppositũ. Secundus est, in pura potentia, nulla potest esse distinctio, ita quòd distinctiuum sit intrinsecum, sumptum tamẽ ab intrinseco, & sic negamus ea, quoniam tenemus, quòd licet istæ materiæ nullum dicãt actũ, tamen quia ordinantur ad diuersas formas, quæ nõ solùm sunt diuersæ essentialiter, sed diuerso modo actuãt materiam, puta vna cum priuatione, alia sine priuatione, ideo intrinsecè distinguuntur, ita quòd ex ordinatione ad diuersas formas sũmuntur duæ differentiæ, quæ sunt duæ primæ potentiæ passiuæ, quibus intrinsecè & essentialiter distinguũtur istæ duæ materiæ, quæ tamen differentiæ sũmuntur ab extrinseco, id est, per comparationem ad formas diuersas modo exposito. Cùm enim materia sit propter formam secundum exigentiam formarum debẽt diuersificari materiæ.

Ad argumentũ igitur nego maiorẽ in duplici sensu. Ad probationem dico q̃ concludit in primo sensu & non in secundo licet enim istæ duæ materiæ nullum dicant actum intrinsecè, ordinantur tamen ad diuersos actus à quibus sumitur prin. distinctiuum earum, & est eis intrinsecum. & in hoc distingũtur positio nostra, à positione Aegidij, vt diximus suprà declarantes mentem B. Tho. & mentem Aegidij.

Secunda est, Si materia cœli & horum inferiorum sunt diuersarum rationum, id est, diuersarum specierum vel generũ, ergo vna magis distat à puro actu quàm alia. sed hoc est falsum, probatur consequentia, quia cùm species & naturæ sint sicut numeri, ex 8. metaph. sicut impossibile est duas species numerorum æquè distare ab vno, sic impossibile est duas materias primas distinctarum rationũ æquè distare à puro actu. ergo necesse erit vnam magis distare, quàm alia. falsitas autem consequentis sic probatur, sicut in supremo ente non possunt assignari gradus, sic nec in infimo simpliciter, sed materia prima vniuersaliter & in tota sua latitudine accepta est infimum ens, inter hæc enim duo extrema. scilicet inter supremum ens qui est Deus, & materiam primam concluditur tota vniuersitas entium, ergo sicut in Deo non sunt assignabiles gradus, nec in materia prima.

Ad hoc negatur falsitas consequentis, ad probationem negatur similitudo, quoniam supremum ens non ordinatur ad aliud, & ideo nec ab intrinseco, nec per comparationem ad extrinsecum possunt in eo esse gradus. Sed materia prima licet non possit habere gradus per actum, quem dicat intrinsecè, cùm sit pura potentia: tamen potest habere per comparationem ad extrinsecum, vt scilicet dicatur materia cœli minus distare à primo & puro actu, quia ordinatur ad perfectiorem formam, quæ minus distat à puro actu quàm imperfectior forma. materia autem inferiorum magis distat, non quia dicat minorem actum, sed quia ordinatur ad formam imperfectiorem, quæ magis distat à puro actu: vnde qualis est ordo, vel gradus distantiæ inter formam cœli & formas horum inferiorum à puro actu, talis est inter has materias correspondentes.

Tertia Quæcunque conueniunt in eadem differentia substantiali, sunt eiusdem rationis. Sed materia cœli & inferiorum conueniunt in eadem differentia substantiali, nam sicut differentia substantialis hominis est rationale, sic materia est pura potentia. ergo, &c.

Ad hoc dico ad maiorem, si conueniunt in differentia substantiali specifica, concedo eam, sed nego quòd pura potentia in qua conueniunt materia cœli & inferiorum, sit specifica, si conueniunt in differentia substantiali generica, nego eam: & quoniam teneo quòd potentia pura in qua conueniunt materia cœli & inferiorum, est generica. sub qua accipiuntur duæ differentiæ speciales, scilicet potentia pura ad formam complentem potentialitatem materiæ, ita quòd non relinquitur in ea priuatio, & potentia pura ad formam non complentem, &c. ideo distinguũtur essentialiter istæ duæ materiæ, & sic patet, quòd argumentum non concludit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIIII.

Verum si forma cœli vniretur materiæ horum inferiorum, cœlum esset incorruptibile.

CONCLVSIO.

Si forma cœli vniretur materiæ rerum inferiorum cœlum non esset incorruptibile ex se, nec ex sui natura, sed per alterum.

IN hac quæstione sic procedes. Primo pones distinctionem de incorruptibili. Secundò duas conclusiones. Tertiò solues quoddam argumentum contra primam conclusionem.

Quãtum ad primum aduerte, quòd aliquod potest esse incorruptibile dupliciter. Primò ex natura sua, vel ex suis principiis intrinsecis, sicut intelligentiæ, quæ sunt actus simplices, & carent omni materia. Secundò per alterum: & hoc dupliciter, primò quia non habet agens contrarium corrumpens, vel si habet, non propinquat sibi, puta si pugillus ignis poneretur super cœlum, nam licet ignis in quocunque situ ponatur, sit ex natura sua corruptibilis ab agente habente qualitates cõtrarias, vel saltẽ vnam ex ipsis qualitatibus ignis, sicut est aqua vel aër, tamen quia super cœlum huiusmodi agentia non dantur, ideo in casu dato, ignis esset incorruptibilis per alterum.

Quantum ad secundum pono duas conclusiones: primà est, Si forma cœli vniretur materiæ inferiori, cœlum non esset incorruptibile ex se, nec ex sui natura, probatur. Quia haberet principium passiuum intrinsecum, quo res potest substantialiter esse & non esse, scilicet materiam inferiorum, ergo, &c.

Ad hoc dicit Aegidius, quòd materia inferiorũ nõ est causa corru

corruptionis, nisi quia remanet vnita priuationi. Ideo autem remanet sub priuatione, quia nulla forma rei inferioris terminat potentialitatem materiæ, nec complet capacitatem eius, & ideo quando est sub vna forma est priuata alia, & vt sic in potentia ad aliam, & quia forma cœli terminat potentialitatem, vt faciat appetitum materiæ suæ, ideo licet sit eiusdem rationis cum materia inferiorum, non remanet sub priuatione, ex consequenti non est causa corruptionis in cœlo.

Sed contra. Nulla forma terminat potentialitatẽ, nec complet appetitum suæ materiæ respectu alterius formæ, nisi quia dat actum oppositum priuationi illius formæ, puta ignis, aut lapidis. Sed forma cœli non dat actum oppositum priuationi formæ cœli ignis, aliter hæc esset vera, cœlum est ignis: ergo, &c. Minor patet, maior probatur. Quia si materia cœli est eiusdem rationis cum materia inferiori, puta cum materia ignis, ita est ex se in potentia ad formam ignis, sicut materia ignis, ergo nulla forma complet appetitum suum, nisi det actum oppositum priuationi illius formæ.

Præterea. Nulla forma complet appetitum suæ materiæ, nisi contineat in se formaliter vel virtualiter omnes formas, ad quas sua materia in se considerata est in potentia. Hæc patet de se. Sed forma cœli non continet formaliter nec virtualiter omnes formas inferiores, ad quas materia cœli secundum se considerata, si est eiusdem rationis cum materia inferiorum est in potentia: ergo, &c. Minor probatur. Quòd nõ contineat formaliter, patet, aliter cœlum esset formaliter ignis, lapis, asinus, &c. Quòd non virtualiter, probatur, non continet virtualiter animam intellectiuam, quia non est cœlum productiuum animæ intellectiuæ, cũ sit de formis, & præterea anima intellectiua est perfectissima inter formas, cùm sit substantiæ intellectualis, ergo non continetur à forma cœli, nisi quo ad vnionem cum corpore, ratione dispositionum: ergo, &c.

Secunda conclusio, Si forma cœli vniretur materiæ inferiori, esset incorruptibile per alterum. Probatur, non haberet contrarium agens, corrumpens, potens vincere formam suã, quoniam & forma cœli, quæ non est elementaris, non habet formam, cuius signum est motus eius, cui non est motus contrarius, vt probatur in primo Cœli.

Aduerte, quòd aliqui assignant aliam rationem, & dicunt quòd forma cœli posset vniri materiæ inferiori sine qualitatibus contrariis actiuis & passiuis, quæ sunt causa corruptionis in his inferioribus, quo concesso, forma cœli esset inseparabilis à materia.

Sed Philosophus hoc non concederet, nam quia tenet quòd Deus agit de necessitate naturæ, vt etiam declarabimus in libro duodecimo diceret secundum ordinem, qui apparet in rebus naturalibus, quòd huiusmodi qualitates contrariæ, quæ sunt principia generationis & corruptionis in inferioribus, naturaliter sequuntur materiam annexam priuationi, de qua nunc loquimur.

Propter quod sequitur, secundum Philosophum. Si Deus produceret cœlum compositum ex materia inferiori & forma sua, de necessitate inessent qualitates contrariæ, ex his omnibus patet, quòd non potest seruari naturalis & essentialis incorruptibilitas cœli, nisi ponatur materia cœli, esse alterius rationis à materia inferiorum.

Quantum ad tertium aduerte, quòd contra primam conclusionem potest sic argui: Dato quòd forma cœli vniretur materiæ inferiori, non relinqueret priuationem in ea, nec potentiam ad aliam formam, ergo cœlum esset ex natura sua incorruptibile. Consequentia patet, & antecedens probatur. Ratio propter quam priuatio remanet in materia est, quia forma actuans materiam habet formam contrariam, quæ est apta succedere in materia, sed forma cœli non habet contrarium, vt declaratum est suprà, & tenet Philosophus in primo cœli, ergo non relinquit priuationem in materia, nec potentiam ad aliam formam.

Ad hoc negatur antecedens, ad probationem dico ad maiorem, quòd habere formam contrariam, non est totalis ratio, quòd priuatio remaneat in materia, sed solùm partialis. Nam pro totali ratione duo assignãda sunt. Primò, quòd materiæ naturaliter conueniat subici priuationi. Secundò, quòd forma inhærens habeat contrarium. Et per oppositum, ad hoc quòd priuatio non remaneat in materia, duo requiruntur: primò, quòd materiæ naturaliter repugnet subiici priuationi, secundò, quòd forma inhærens non habeat contrarium. Modò dico, quòd materia rerum inferiorum naturaliter subiicitur priuationi; vnde dato quòd reciperet formam non habentem contrarium, quælis est forma cœli, non potest sãluari compositum esse incorruptibile ex natura sua: vnde tenendum est, materiam cœli esse alterius naturæ à materia inferiorum, aliter non saluabitur naturalis incorruptibilitas cœli. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Si materia omnium corporum cœlestium est eiusdem rationis, sicut materia omnium inferiorum.

CONCLVSIO.

Materia omnium corporum cœlestium est eiusdem, sicut omnium inferiorum.

IN hac quæstione aduerte, quòd difficultas stat in hoc, si sunt eiusdem rationis, ergo materia lunæ, si est eiusdem rationis cum materia solis, & non habet formam solis, est in potentia ad formam solis, & econuerso, & sic cœlum lunæ est corruptibile. Materia enim subiecta priuationi est causa priuationis, si sunt diuersarum rationum, ergo tot erunt materiæ primæ in cœlo, quot sunt sphæræ, & astra: quod non conceditur, quoniam quæ differunt materia, differunt genere. Sed cœli non differunt genere. Concludit enim Philosophus in secundo cœli, textu quinquagesimonono, quòd si vna stella est sphærica, omnes sunt sphæricæ, & dicit illic Commentator, quòd hæc consequentia fundatur super hoc, quòd omnia corpora cœlestia sunt eiusdem speciei. Quod licet sit falsum secundum B. Thom. vt dicemus, tamen hæc consequentia fundatur super eandem naturam genericam, vt tenet illic beatus Thomas exponens textum quinquagesimumnonum, non ergo differunt genere, ex consequenti nec materia.

Pro resolutione huius quæstionis, in qua intendo sequi intentionem Capr. in secundo distin. 12. q. 1. ad primum Durandi contra secundam conclusionem sic procedam. Primò videndum est quid diceret Cõmen. si poneret materiam in cœlo. secundò quid dicendum secundum B. Tho. deinde soluemus argumentum in oppositum cum replica.

Quantum ad primum dico, quod si Commen. teneret materiam esse in cœlo, quæ est pars compositi, diceret materiam omnium corporum cœlestium esse eiusdem rationis, quia secundum ipsum nõ plus differunt duo cœli & duo astra, quàm Sortes & Plato, cùm sint eiusdem speciei secundum ipsum in 2. cœli, in comment. 59. sed quæ sunt eiusdem speciei, si habent materiam, habent eiusdem rationis, vt ab omnibus conceditur. ergo, &c.

Verùm quia Bea. Thom. in secundo cœli, in expositione tex. 59. arguit contra Cõm. & soluit rationes suas, ostendẽs esse falsum, omnia corpora cœlestia esse eiusdem speciei, ideo videndum est secundum Beatum Thom. stante distinctione specifica corporum cœlestium, si materia illa est eiusdem rationis, vel non.

Quantum igitur ad secundum dico, quòd Bea. Thom. tenet partem affirmatiuam, cuius ratio in doctrina sua stat in hoc, Sicut communis ratio materiæ, vt potentia est, sumitur ex eo quòd potest actuari forma, quoniam secundum se nihil actualitatis habet: ita distincta ratio sumitur ex eo, quòd diuersimodè actuatur à forma, & vna ratio sumitur ex eo, q̃ vno modo actuatur à forma, sed omnes formæ corporum cœlestium vno modo actuant materiam suam, scilicet totaliter replendo capacitatem suam, non relinquendo priuationem in ea, nec potentialitatem ad aliam formam, ergo materia corporum cœlestium, licet actuetur formis distinctis specie, est eiusdem rationis ex eodem modo actuandi. Et quia omnes formæ inferiores quantumcũque diuersæ vno modo actuant materiam suam, scilicet non replendo capacitatem eius & relinquentes in ea priuationem, ideo materia omnium inferiorum est eiusdem rationis. Quia autem isti duo modi actuandi sunt diuersarum rationum, ideo materia superiorũ & inferiorum sunt diuersarum rationum, ita q̃ non sumitur diuersitas materiæ, ex sola diuersitate formarũ, aliter materia lapidis & materia asini essent diuersarum rationum sed ex diuerso modo informandi, vt declaratum est. Stante igitur hac determinatione, dicendum est ad argumentum positum in principio, quæstionis, quòd sunt eiusdem rationis: & cùm arguitur contra, negatur consequentia, quoniam licet materia lunæ sit eiusdem rationis cùm materia solis: tamen ex modo actuandi forma lunæ non relinquit in materia sua priuationem, nec potentialitatem ad formam solis, nec ad aliam formam, idem dico de materia solis.

Sed contrà, Quæ conueniunt in materia, sunt adinuicem transmutabilia, ex 2. de generatione, vt patet de elementis, ergo si cœli conueniunt in materia, eiusdem rationis sunt adinuicem transmutabilia, & sic erunt corruptibilia.

Respondetur, negatur antecedens, nisi materia sit subiecta priuationi, vnde licet elementa conueniant in materia, nisi

eorum materia esset subiecta priuationi, non essent ad inuicem transmutabilia, & quoniam forma cœli ex modo actuandi non relinquit in materia priuationem, ideo non sequitur, quòd possint transmutari adinuicem. Ex quo sequitur, quòd Aegidius non potest fugere, quin concedat materiam inferiorum, quæ secundum ipsum, est eiusdem rationis cum materia cœli, & est subiecta priuationi, respectu formę quam non habet, sit in potentia ad formam cœli, & cùm nullum agens naturale possit eam actuare forma cœli, cogitur concedere dari potentiam naturalem passiuam, cui non correspondet actiua naturalis. Quod Philosophus vt ociosum & vanum negat, vt declarauimus in libro quinto. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVI.

Si accidentia componuntur ex materia & forma.

Nec quæcunque ita naturà quidem, non substantia verò non est his materia. Tex. 12.

Philosophus in hoc tex. declarat, quòd in accidentibus quæ licet sint naturalia, non tamen sunt substantia, non est quærenda materia ex qua fiant, sed eorum materia est subiectum in quo. Quæritur ergo, Si in accidentibus est compositio formæ & materiæ intrinsecè & essentialiter.

CONCLVSIO.

Accidens est forma simplex simplicitate opposita, primæ compositioni non autem secundæ.

IN hac quæstione aduerte, quòd eam format Iandun. in 8. Metaphysices quæstione octaua. Sed determinatio sua pro secunda conclusione, quæ est hæc, accidentia habent aliquid ex quo componuntur sicut ex materiali, quod est simile materiæ, est contra doctrinam B. Tho. Tenet enim quòd in forma intensa, sunt gradus distincti reales integrantes eam, sicut plures partes materiales, & quòd genus & differentia dicunt distinctas formas, & quòd media qualitas componitur realiter ex extremis, quæ omnia præter vltimum, de quo disputabimus in libro decimo, sunt contra viam nostram, ideo dimittes eum. Vt autem fiat resolutio secundum doctrinam B. Th. sic procedes. Primò pones distinctionem de compositione. Secundò duas conclusiones. Tertiò solues duo argumenta.

Quantum ad primum aduerte, quòd cōpositio in accidente potest esse dupliciter. Primò, Compositio rei & rei, quæ dicitur compositio realis. Secundò, Compositio secundum diuersas rationes, quibus correspondet natura rei, vt diuersimodè concipitur & dicitur in via nostra compositio rationis ex parte rei, compositio rei & rei est illa, quæ est ex aliquibus distinctis, remoto omni opere intellectus, dato quòd non essent abinuicem separabilia. Nam forma & materia faciunt compositionem realem, & tamen secundum viam nostram, materia est inseparabilis à forma. Idem dico de subiecto, & proprio accidente. Compositio rationis ex parte rei est ex aliquibus, quæ licet sint idem realiter, distinguuntur tamen formaliter: quoniam vnum non includit aliud in primo modo per se, & possunt esse distincta obiecta formalia, & distincta conceptibilia terminantia actum intellectus, & talis compositio est, quæ est ex genere & differentia, quæ licet sint idem realiter, non tamen formaliter, vt declarauimus in libro tertio, quæstione secunda.

Quantum ad secundum ponō duas cōclusiones. Prima est, Accidēs est forma simplex simplicitate opposita primæ compositioni, probatur, Si accidens cōponeretur cōpositione primo modo dicta, ergo vna pars esset materia prima, alia esset forma, aliter non esset vnum per se, nisi vna pars esset potentia, & altera actus, vt visum est suprà, sed hoc est falsum: primò, quia forma accidentis reciperetur in materia prima, quod est contra Commentat. secundo de Anima commento quarto, differunt enim secundum ipsum, formæ accidentales & substantiales, quia substantiales sunt in ente in potentia, accidentales autem in ente in actu. Secundò quia sicut ex aqua fit ignis propter materiam susceptiuam formæ aquæ & formæ ignis, sic ex caliditate naturæ frigiditas, sic caliditas & frigiditas habent materiam ex qua, quod est contra Philosophum in primo Physicorum. Tertiò, aliquod accidens, puta calor est immediatum principium, quo primo agens agit, ergo tale accidens est tantum actus. Antecedens patet, vt de calore quo primo ignis calefacit, consequentia autem probatur, quia non esset quo primo agens agit, sed ageret per eam partem, quæ calore est actus.

Secunda conclusio, Accidens non est forma simplex simplicitate opposita secundæ compositioni, probatur, accidens est verè diffinibile, licet non primo, vt dictū est in libro septimo, ergo componitur ex genere & differentia. Omnis enim diffinitio constat ex genere & differentia (vt declaratum est in septimo.) Sed genus & differentia, licet non distinguantur realiter, distinguuntur tamen ratione, cum fundamento correspondente ex parte rei (vt dictum est in libro tertio.) ergo antecedens componitur compositione rationis ex parte rei, ergo non est forma simplex simplicitate, &c. Et quoniam genus se habet vt materia, licet non sit verè materia, quia prædicatur in recto de re: & differentia se habet vt forma, licet non sit verè forma, quia prædicatur in recto de re, ideo possumus dicere, quòd accidens componitur non ex materia & forma, sed ex genere & differentia, vt ex forma & materia, vtrum autem accidens componatur ex vero potentiali & vero actu, determinabimus in libro duodecimo, super textu 16. vbi inquit Philosophus. Principia eadem potentia & actus, &c.

Quantum ad tertium, soluenda sunt duo argumenta, quæ videntur facere difficultatem, contra determinationem factam, & primum est. Dicit Philosophus in libro 12. in textu 21. quòd omnium generum sunt eadem principia intrinseca, vt species, priuatio, & materia, ergo sicut sunt principia componentia, materia & forma in genere substantiæ, sic sunt in genere accidentium.

Ad hoc dicitur, quòd non est intentio Philosophi, omnium generum esse eadē principia intrinseca vniuocè, sed per quandam proportionem & similitudinem: vnde exemplificat in genere accidentium, calidum vt formam, frigidum vt priuationem, subiectum vt materiam, constat autem nec calidum esse verè formam, quæ est pars compositi, nec subiectum esse materiam ex qua, nec frigidum esse verè priuationem, quare argumentum non concludit.

Secundum est, Si accidens non est compositum intrinsecè ex materia & forma, sed sit forma simplex, ergo est perfectius substantia composita, quod constat esse falsum. Consequentia probatur, quoniam simplicitas est perfectio simpliciter, aliter non esset formaliter in primo ente, quod est perfectissimum, ergo in quocunque inuenitur, reddit ipsum perfectius composito.

Ad hoc dicitur, quòd nec compositio nec simplicitas absolutè sumptæ sint perfectio simpliciter, aliter forma esset nobilior composito, & elementum elemēto. Sed ad hoc quòd sit perfectio simpliciter, est necesse, quòd sit in re subsistente, & in natura, cuius tota perfectio sit apta stare indiuisa, id est, non resultare ex partibus integralibus, nec essentialibus, propter primam conditionem excluduntur formæ materiales, & materia, & accidentia quæ non sunt apta per se existere nec subsistere, propter secundam excluduntur omnes naturæ corporeæ, à cœlo vsque ad elementum, vt aliàs declarauimus. Ad argumentum igitur negatur consequentia. Ad probationem nego, quòd simplicitas sit perfectio simpliciter, nisi cum conditionibus prædictis, quarum prima non seruatur in accidente. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVII.

Si mater concurrit actiuè ad generationem.

Vt omnis quæ causa vt materia, equidem menstrua, quid autem vt mouens, equidem sperma. Tex. 12.

CONCLVSIO.

Mater non concurrit actiuè ad generationem sed passiuè.

IN hac quæstione discordant Scot. & Ant. And. à B. Tho. quoniam Scot. in tertio sent. dist. 4. q. 1. quem imitatur Ant. And. in octauo Metaphys. q. 2. sequens viam Galeni, tenet partem affirmatiuam, Sed B. Tho. vt patet in tertia parte, q. 3. sequens viam Auic. tenet partem negatiuam. Vt igitur defendamus viam quam sequitur B. Tho. sic procedemus. Primò ponetur opinio Arist. Secundò opinio Galeni. Tertiò soluentur rationes Galeni & Scoti, quas etiam adducit Anton. Andr.

Quantum ad primum aduerte, quòd Arist. in lib. 15. de animalibus quem sequitur Auer. & Auic. & Alber. in lib. 15. de animalibus ca. vlt. tenet quòd solus pater habet virtutem actiuam, & mater tantum passiuè concurrit, eo quòd ipsa solam materiam prolis ministrat, & in solo semine patris est vis actiua, vnde Aristot. in lib. 15. de animalibus comparat arti virtutem seminis in patre, & comparat ligno de quo artifex facit statum materiæ ministratæ à matre, & fundamētum quidem eorum est, q̄ fœmina non habet sperma, nisi quasi æquiuocè. Vnde humiditas illa quā vocant sperma mulieris, non differt à mēstruo, nisi sicut magis digestum & magis purum à minus digesto & minus puro, & vtrūque est materia in formatione prolis, sed sperma mulieris est materia munda, mēstruum autem immunda. & licet sperma mulieris non sit necessarium ad generationem, cōfert tamen, quoniam virtus actiua seminis virilis agens in sperma mulieris & in menstruum, format conceptum

conceptum pulchriorem & nobiliorem, & quod sperma fœminæ non sit necessarium, accipit Auic. signum ex hoc, quod aliquæ fœminæ concipiunt sine delectatione, & quædam contra voluntatem coeuntes conceperunt, & mulier quædam concepit in balneo matrice attrahente sperma spermatatum in aqua, in qua praui homines balneantes spermatizauerant.

Quantum ad secundum aduerte, quod Hippocrates & Galenus cum Aliabba, qui fuit fidelior imitator Galeni, dicunt, quòd fœmina habet sperma proprium & vniuocum spermati virili, remissioris tamen virtutis & vigoris, & dicunt quòd ingreditur actiuè formationem prolis, causam huius dicunt esse, vt ex vtroque semine simul mixto fiat conueniens temperamentum in formando fœtu: sperma enim virile est grossum & calidum, muliebre autem est subtile & frigidum, & sic ex vtroque conflatur vna causa totalis conuenienter formatiua prolis. Ad probandum autem, quòd fœmina habeat verum sperma arguunt, quia fœmina habet testes ab intrinseco, qui vtique essent frustra. Dati sunt enim à natura ad attrahendum sperma, ad vasa seminalia, & dicunt hoc sperma esse necessarium in conceptu, ita quòd sine eo non potest fieri conceptus, & est necesse, vt emittatur, quando emittitur sperma viri, aliter non grauidatur fœmina, & quod habet virtutem formatiuam fœtus, remissiorem tamen quam sperma virile, eo quod fœmina in virtutibus naturalibus est debilior viro, propter quod frigiditate constringente sunt in ea strictiores venæ & caro magis humida, & plerunque corpora minora quàm corpora virorum. Hac de causa contingit in eis superfluitas multa indigesta, &c.

Quantum ad tertium aduerte quod Auic. euacuat signum sumptum ex testibus intrinsecis in fœmina, & dicit quòd non sunt dati ad attrahēdum semen in fœmina, sed ad causandum desiderium in matrice ad recipiendum semen virile, similiter negat sperma fœminēū esse necessariū vt contemperet grossitiem & caliditatem seminis virilis, quoniā non est adeò grossum, vt indigeat subtiliante: nec adeo calidum vt indigeat infrigidante, & sic patet quod fundamenta Galeni non valent.

Scot. autem & Anto. Andr. in fauorem Galeni arguunt tripliciter, primò, formam ejusdem speciei consequitur potentia naturalis eiusdem speciei. Sed mascul. & fœmina habent formam eiusdem speciei ex decimo Metaph. & potentia naturalis vegetatiua consequitur formam maris, ergo & formā fœminæ, ergo fœmina non tantum concurrit passiuè sed actiuē.

Ad hoc dicitur quod Sco. supponit falsum, scilicet quòd Bea. Thomas teneat matrem in omni requisito ad generationem concurrere tantum passiuè: hoc non tenet, imò cùm in generatione tria requirantur, scilicet præparatio materiæ, formatio fœtus, maturatio fœtus: respectu primi & tertij potentia vegetatiua fœminę est actiua, respectu autem secundi est merè passiua: nec tamen ex hoc sequitur quin habeat potentiam vegetatiuam eiusdem rationis cum viro, licet imperfectiorē, vt pote nō potens attingere ad formationem. Hoc enim non conuenit fœminæ, cùm sit quid imperfectum in specie humana respectu viri. Vnde ad argu. concedo totum: & si inferat, si actiuè concurrit, ergo quo ad formationem prolis, nego consequentiam, nam se habet mater in generatione sicut ars deseruiens in ædificatione arti architectonicæ: verum est enim quòd deseruiens concurrit actiuè in ædificio, quia præparat materiam, non tamen quo ad formationem, quia hoc ad architectonicam spectat, sic est in proposito.

Secundò, pater diligit filium vt opus suum, & mater magis diligit filium quàm pater, ex octauo Ethic. ergo filius est opus matris, ergo concurrit actiuē.

Ad hoc dico, quòd filius est opus matris actiuè. quo ad præparationem materiæ, sicut ædificium est opus artis deseruientis, nec tamen sequitur, quòd sit opus eius quo ad formationē. Nec potest concludi, ex eo quòd magis diligit filium. Illud enim prouenit, quia est magis certa, quòd sit filius eius, quàm pater, & quia ex nutritione causatur maior & certior amor.

Tertiò, filius aliquando magis assimilatur matri quā patri, ergo in matre est aliqua virtus in generatione actiua. Tenet consequentia. Quia agens intendit assimilare sibi effectum.

Ad hoc dicitur, quòd causa similitudinis geniti potest esse triplex. prima dicitur esse virtus cœlestis, præcipuè secūdum signa Zodiaci, vnde secundum Ptolemæum, si nascatur homo in primo puncto Arietis, aliquando habebit caput porci, vel aliud monstrum generabitur, secunda est intensa imaginatio maris, aut fœminæ dum generat, vnde secundū Auic. mulier concipiens imaginans, siue intense intuēs figuram Aethiopis, peperit fœtum nigrum, tertia est virtus informatiua in semine patris. Quæ si est conuenienter fortis, producet in genito accidentia patris, vnde aliquando caluus caluum, podagrosus podagrosum, stultus stultum generat. si autem debilis est, ibi possunt assignari plures gradus: quia secundum aliqualē debilitatem causantur accidentia matris, secundum maiorem accidentia aui, & secundum maiorem accidentia alicuius magis remoti, & aliquando tantum debilitatur, quod non producitur nisi monstrum. Ad arg. ergo, nego consequentiam.

Ad probationem dico quòd agens intendens assimilare sibi effectum, est virtus informatiua maris, quæ si est fortis assimilat genitum mari, si debilis assimilat propinquiori, quæ est mater, vel alteri de cognatione, secundum gradum debilitatis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum super octauum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

QVAESTIONES SVPER nonum librum Metaphysices.

1 Si diuisio entis per potentiam & actum est realis.
2 Si potentia sufficienter diuiditur in actiuam & passiuam.
3 Si potentia actiua & passiua requirunt distincta subiecta.
4 Quot sunt potentiæ rationales & liberæ.
5 Si potentię rationales possunt in opposita, non autem irrationales.
6 Si potentiæ rationales sunt actiuæ vel merè passiuæ.
7 Si potentia rationalis producit actum suum in instanti vel in tempore.
8 Si potentia actiua præcedit actum suum.
9 Si diffinitio possibilis est bene assignata à Philo. sumendo possibile vt distinguitur præcisè contra impossibile.
10 Si aliquod est possibile, quod tamē nūquam fuit, nec erit.
11 Si consequentia possibilium vel impossibilium, Antecedens & consequens debent esse similia.
12 Si actus est prior potentia ratione & cognitione.
13 Si actus est prior tempore potentia.
14 Si in potentiis quæ acquiruntur exercitio, actus est prior tempore potentia etiam respectu eiusdem potentiæ secundum numerum.
15 Si actio transiens est subiectiuè in passo.
16 Si actio immanens est subiectiuè in agente, & in quibus differt à transeunte.
17 Si omne quod habet potentiam passiuā, est corruptibile.
18 Si materia prima est principalior causa corruptionis.
19 Si ad hoc quòd de aliquo habeatur scientia, necesse est vt fit actu, vel reducatur de potentia ad actum.
20 Si compositioni & diuisioni intellectus correspondet compositio & diuisio realis in re.
21 Si contingit deceptio circa quodquidest, & circa substantias incompositas siue abstractas.

QVAESTIO I.

Si diuisio entis in potentiam & actum est realis.

Aliud secundum potentiam & actum & secundum opus. Tex. 1.

Philosophus in hoc 1. text. resumit diuisiones entis, de quibus suprà tract. scilicet de diuisione in prædicamenta, & subiungit q̄ in lib. 9. agendum est de ente vt diuiditur per potentiam & actum metaphy. & non solum vt applicantur motui physico, nā sic considerare de potentia & actu est officiū phys. Quæritur ergo si hæc diuisio est in re aliter distincta, ita quòd sit impossibile illud idem omnino quod est potentia, sit actus.

CONCLVSIO.

Quum potentia & actus non possint esse idem, diuisio entis in potentiam & actum est diuisio realis, hoc est, in res distinctas quocunque modo accipiatur potentia & actus.

IN hac quæstione aduerte, quòd ex hoc tex. traditur illa propositio allegata cōmuniter: Actus & potentia diuidunt quodlibet genus entis, & habetur in lib. 12. tex. 26. Aduerte iterum quòd omnes Comment. & Thomi. sunt concordes in decisione huius quæsiti, eo quòd non acceptant aliam distinctio

stinctionem entis in potentiam & actum, nisi potentiam actiuam & passiuam; & quoniam constat quòd actiuum vt sic, opponitur passiuo, ideo non dubitant, quin hæc sit diuisio realis & indistincta realiter. Solus autem Scot, in 2. sen. dist. 6. inuenit potentiam obiectiuam & actum obiectiuum, & dicit quòd dictum philosophi, scilicet, ens diuiditur per potentiam & actum, vel potentia & actus sunt in eodem genere, non est intelligendum de potentia actiua & actu suo, nec de potentia passiua & actu suo, quem recipit, sed de potētia obiectiua & actu obiectiuo, puta quòd rosa generāda & rosa genita sunt in eodem genere substantiæ, imò quòd sunt idem realiter.

Tu igitur vt resoluas te in via nostra, sic procedes: primò de clarabis imaginationem Scoti. Secundò pones cōclusionem contra Sco. Tertiò solues rationes Scotistarū. Quartò declarabis, in quo sensu hæc est vera: Actus & potentia sunt in eodē genere, qua declaratione facta, solues omnes instātias Scoti.

Quantum ad primum aduerte, quòd Scotus in subiecto receptiuo formę, siue sit materia prima respectu formæ substantialis materialis, siue sit subiectum respectu formæ accidentalis, imaginatur duo. Primò ipsum subiectum inquantum potest moueri siue trāsmutari ab agente ad recipiēdam formam, ad quam comparatur vt potentia passiua ad actum formalem, & hanc potentiam passiuam dicit esse ipsam met materiam, siue ipsum subiectum, & de hac concedit, quòd distinguitur realiter ab actu formali, quoniam nihil actuat nec perficit seipsum nec recipitur in seipso, nec facit compositionem cum seipso. Constat autem quòd formalis actus siue ipsa forma actuat & perficit materiā, recipitur in ea, & ex forma ac materia fit substantia composita. Secundò imaginatur q̄ in materia siue in subiecto est potentia formæ, pro quāto forma potest esse in materia, & per actionē agentis potest educi de potentia ad actum, & dicit quòd hūc potentia est ipsamet forma, producenda ab agente, & constat quòd non est potentia passiua, siue receptiua formæ, sed obiectiua, quia forma producenda est obiectum, quòd potest produci à potentia actiua agentis, & distinguitur à potentia passiua in hoc quòd potentia passiua est subiectū motus, siue transmutationis, obiectiua autē est terminus à quo, nam ex rosa in potētia fit rosa actu, & hæc distinctio est realis, quoniam ex primo Physicorum subiectum manet, terminus autem à quo non manet, & dicit quòd hic potentia obiectiua non distinguitur realiter ab actu sibi correspondente, qui dicitur actus obiectiuus, qui est terminus ad quem, puta rosa antequā producatur est potentia obiectiua, postquam est producta est actus obiectiuus, & quòd non distinguatur realiter ab actu obiectiuo, probant Scotistæ rationibus, quas recitabimus infrà, & soluemus.

Quantum ad secundum pones conclusionem contra Scotum, Idem non potest esse potentia & actus, imò diuisio entis in potentiam & actum est diuisio in res distinctas, quocunque modo sumatur potentia & actus.

Ista conclusio conceditur à Scoto de potentia passiua & actu formali, vt patet ex prædictis: negatur autem de potentia obiectiua & actu obiectiuo. cōtra quem arguitur sic, Termini per se motus & transmutationis non sunt idem realiter cùm sint oppositi, ex primo Physicorū textu. Sed potentia obiectiua quam imaginatur Scotus, & actus obiectiuus sunt secundum ipsum termini motus & transmutationis, potentia enim obiecta est terminus à quo, & actus obiectiuus est terminus ad quem, ergo non sunt idem realiter. Præterea non est imaginabile aliqua duo esse idem realiter, & vno transeunte realiter, aliud remanere realiter. Constat autē, quòd potentia obiectiua, quæ est terminus à quo, dum res generata est trāsit, & actus obiectiuus permanet, ergo, &c. Præterea, Quæcunque sunt idem realiter, quādo ponitur vnū, ponitur alterum, quia oppositum huius implicat contradictionem. Constat autem quòd quando ponitur potentia obiectiua, non ponitur obiectiuus actus, aliter rosa generāda poneretur antequā generaretur. Impossibile est ergo potentiā & actum quocunque modo sumantur esse idē realiter. Et confirmatur, quia Commen. in 1. de Anima comment. 6. dicit. Potentia & actus sunt differentiæ, quæ contingunt omnibus prædicamētis, & sunt valde oppositæ: ergo potentia & actus quæ diuidunt omne prædicamentum, non sunt idem numero, sic quòd illa potentia quandoque fit actus, cùm dicat Cōmen. quòd sunt differentiæ valde oppositæ. Et constat quòd ad mentē Scoti dictum Comm. est intelligendum de potentia obiectiua, & de actu obiectiuo, quoniam de his solùm concedit, quòd diuidunt ens, & quòd sunt in eodem genere, vtrum autem detur talis potentia obiectiua & actus obiectiuus declarabitur in quæst. sequenti.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Scotistæ conātur probare multipliciter, quòd potentia obiectiua sit idem cū actu obiectiuo. Sed vt videbis, semper procedunt ex fundamento falso. Credunt enim, quòd in materia siue in subiecto, sint duę potentię distinctæ realiter: vna, quę est susceptiua formæ: alia, quæ est ipsa forma in esse potentiali, quę per actionem agentis educitur de esse potentiali ad esse actuale, & recipitur in materia. Hoc inquam fundamentum est falsum, quoniam in materia non est nisi potentia passiua, & non est aliud formam esse in potentia, siue potētialiter in materia, quàm posse recipi in materia, sicut non est aliud formam esse in potentia agentis, quàm posse produci ab agente.

Primò igitur sic arguunt, In materia siue in subiecto est potentia, qua potest moueri ab agente, vt recipiat formam, & est potentia ad esse formæ, id est, ipsa forma vt habet esse potentiale, quæ distinguuntur realiter. Sed potentia materiæ, qua potest moueri siue transmutari ab agente, est ipsa materia: & potentia ad esse formæ. est ipsa forma, quæ est actus, ergo potentia obiectiua & actus obiectiuus sunt idem. Quòd autem illæ duæ potentiæ distinguantur realiter, probatur, Quod potest esse forma deinde est forma, est idem cum forma. Quod autem potest moueri ad formam, non est forma, quia receptiuum non est ipsum receptum, ergo istæ duæ potentiæ distinguuntur realiter.

Ad hoc nego maiorem, quia in materia non est nisi potentia, qua potest transmutari ab agente, quæ dicitur potētia passiua; & forma non est alio modo in materia, nisi in potentia passiua: vnde nego quòd in materia sit potentia, quæ est ipsa forma, quoniam omnis potentia materiæ est ipsa materia, & sic non concedo duas potentias distinctas realiter in materia. Ad probationem dico, quòd procedit ex fundamento falso, scilicet quòd in materia sit potentia formæ, quę postea est forma, quod nego, quia forma non alio modo est potentialiter in materia, quàm per potentiam passiuam. quare, &c.

Secundò sic. Si idem est potentia passiua materiæ & potentia formæ in materia, ergo est idem formā esse receptibilem in materia, & formam educi de potentia materiæ. sed hoc est falsum, quia anima intellectiua educeretur de potentia materiæ, cùm sit receptibilis in materia: ergo, & primum.

Ad hoc nego consequentiam, quia educi de potentia materiæ non est hoc solum, quòd potentia formæ sit in materia, nam per potētiam formæ in materia non intelligimus aliud quàm quòd potest forma recipi in materia & actuare eam, sed per educi de potentia materiæ intelligimus formam per naturales transmutationes materiæ, & per agens naturale exire in actum, ita quòd agens naturale non solùm disponit materiā ad receptionem formæ, sed etiam attingit ipsam formam productiuè. & in hoc distinguitur anima intellectiua ab aliis formis, quoniam illę educuntur in actum, & recipiuntur in materia per transmutationes naturales & per agens naturale. Anima verò intellectiua non deducitur ad esse per huiusmodi transmutationes nec per agens naturale, sed per agens diuinum, licet per tales transmutationes disponatur materia ad receptionem animæ intellectiuæ.

Tertiò, dicit Philosophus in 8. Metaphys. tex. 15. quòd illud quod est in potentia, fit in actu, super quē tex. inquit Comm. est igitur hic aliquid vnum, quod primo est in potentia, & post transfertur ad actū, & ne quis credat, quod id quod erat in potētia fit aliud ab eo quod postea fit actu, subiungit Comment. Translatio enim eius non largitur ei multitudinem, sed perfectionē in esse, quasi dicat, Quod erat in potentia & postea fit actu, non sunt duo, sunt vnum. ergo potentia est actus.

Ad hoc Philosophus & Commen. intendit in illo tex. reddere causam, quare ex materia & forma fit vnum per se, quod est ipsum compositum, puta ænea sphæra, & reddens causam dicit, quia hoc, id est, materia, puta æs, est potentia: & hoc, id est, forma, puta sphæra, est actus, quæ adinuicem coniuncta faciunt vnum per se, quæ est ænea sphæra, quæ quidem non est duo, sed vnum reductum de potentia ad actum, nam ænea sphæra quæ poterat produci ab agente per vnionem æris & sphæræ, fit actu ænea sphæra per actionem agentis, ex quibus patet, quòd textus ille & dictum Comment, extorquetur. Quia non intēditur illic de potētia formæ, & de forma actu, sed de compositō, quod prius est in potentia agentis potentis vnire formam cum materia, illud idem fit in actu ex vnione formæ cum materia per actionem agentis, non ergo ex prædicto textu, nec ex Commentat. potest concludi identitas potentiæ obiectiuæ & actus obiectiui.

Quantum ad quartum aduerte, quòd cùm potētia recipiat actum, ille actus propriè correspondet potētiæ, quem primo & per se respicit, vnde aduerte, quòd sicut potentiæ potest assignari

assignari duplex obiectum, scilicet primum & secundarium, & à primo sumit vnitatem siue distinctionem non à secundario, vt patet de visu, qui accipit speciem & vnitatem à colore vt primo obiecto & non ab albedine vel nigredine. Sic potentia potest assignari duplex actus, scilicet actus quem primo & per se respicit, & actus quem secundario & consecutiuè respicit, vt anima, primò, & per se respicit animare, secundariò operari opera vitæ. Ex his dico, quòd illa propositio, Actus & potentia sunt in eodem genere, vera est de potentia passiua & actu formali, quem primò & per se respicit, non autem quem secundariò respicit. Idem dico de potentia operatiua & actu suo. Verbi gratia, Quia materia prima primò respicit formā substantialem, secundariò autem formam accidētalem: ideo est in eodem genere cum forma substantiali, quia vtraque est substantia, non autem est in eodem genere cum forma accidētali: & quia visus primò & per se respicit videre, ideo vtrunque est in eodem genere, quia visus & videre sunt in prædicamento qualitatis.

Ex hac declaratione videbis solutas instantias Scoti, quibus intendit probare illam propositionem, Actus & potentia sunt in eodem, non posse verificari de potentia passiua, qualis est potentia materiæ, & potentia subiecti, sed solùm de potentia obiectiua. Arguit igitur sic, substantia est in potentia passiua quantitatis, puta materia, & substantia materialis est in potentia passiua accidentium, & superficies est in potentia passiua coloris, & anima est in potentia passiua suarum potentiarum, & tamen cōstat, quòd materia non est in eodem genere cum quantitate, nec substantia materialis cum suis accidentibus, nec superficies cum colore, nec anima secundum viam Thomisticam cum potentiis suis: ergo, &c.

Ad hæc patet quid dicendum sit ex declaratione facta, Nam in his instantiis non comparatur potentia passiua siue receptiua ad actum, quem primò & per se respicit, sed quem secundariò. Nam materia prima primò respicit formam substantialem, & substantia materialis primò respicit esse substantiale, & superficies non primò respicit colorem. Sed diaphanum primò respicit colorem, est enim color actus diaphani, diaphanum autem & color sunt in prædicamento qualitatis, & anima non primò respicit potentias suas, sed esse: comparatur enim essentia animæ ad esse, sicut potentia ad actum propriū. Patet ergo, quòd per nullam instantiam cogimur concedere illam propositionem, Actus & potentia sunt in eodem genere, debere intelligi de potentia obiectiua & actu obiectiuo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Si potentia sufficeret diuiditur in actiuam & passiuam.

Quòd est principium transmutationis in alio.

Textu 2.

Philosophus in hoc textu declarat, quot modis dicitur potentia, tam propriè quàm similitudinariè, & innuit, q̄ propriè non dicitur nisi de actiua & passiua, non quidem ex æquo, sed primò de actiua, deinde de passiua, quoniam passiua respicit ex sua ratione actiuam, sicut motus includit mouens. Quæritur ergo, Si hæc diuisio, quamuis non sit vniuoca, sed potius analoga, sit sufficiens, ita quòd non sit necesse dare tertiam distinctam realiter ab actiua & passiua.

CONCLVSIO.

Verum est potentiam rectè diuidi in actiuam & passiuam.

IN hac quæstione aduerte, quòd omnes expositores Philosophi & Commentistæ concordant in parte affirm. solus Scotus, cui videtur Henricus fauere, imaginatus est potentiam obiectiuam distinctam realiter ab actiua & passiua. Verùm quia intentio nostra est in his quæstionibus loqui ad mentem Arist. & determinare ex doctrina Aristot. ideo non multum curamus imaginationes aliorum. Vt igitur fiat resolutio ad mentem Arist. sic procedendum est. Primò declarandum est quid sit potentia obiectiua ad imaginationem Scoti, & id videbis iam manifestatum à nobis in 8. lib. in q. 1. Secundò declarandum est, quòd nulla est necessitas ponendi talem potentiam distinctam realiter ab actiua & passiua, & id iam manifestauimus in 8. libro in q. 1. vbi declarauimus quòd omnes conditiones quas attribuit Scotus potentiæ obiectiuæ, ita verificantur de potentia actiua, sicut de obiectiua: vnde vanum est multiplicare distinctionem potētiarum sine necessitate. Tertiò declarandum est, quòd Arist. in tota sua doctrina, nullam fecit mentionem de tali potentia. Quòd optime declarat Cap. in 1. distin. 3. q. 3. artic. 2. respondens primæ instantiæ Scoti, factæ contra primam rationem B. Tho. in probatione primæ conclusionis. Cuius intentionem summauit Paulus Soc. in lib. 9. Metaphysic. q. 1. & est 4. & 5. ratio sua, & quoniam nihil intendo addere ad hoc, ideo nolo immorari in recitando. Tu igitur vide quem volueris, siue Capr. siue Paul. Quartò soluenda sunt motiua Scot. quibus videtur posuisse potentiam obiectiuam distinctam ab actiua & passiua.

Primùm fuit hoc, Potentia & actus sunt in eodem genere: sed hoc non potest verificari de potentia actiua & passiua, aliter anima, quæ est principium actiuum operationum vitalium, esset in eodem genere cum actibus & operationibus suis: quod est falsum, cùm anima sit substantia, & actus sint accidentia, & superficies est in potentia passiua ad colorem, & tamen non est in eodem genere cum colore, vt patet. ergo præter actiuam & passiuam datur tertia, scilicet obiectiua, de qua dicta propositio verificatur.

Hoc iam solutum estin quæstione præcedenti, nec replicandum est.

Secundum est, Sumo niuem generandam in hyeme futura, de qua verum est dicere, antequam producatur, est in potentia ad esse aliter non posse produci, quicquid enim producitur exit de potentia ad actum, & postquam est producta est in potentia passiua ad albedinem, licet sit potentia coniuncta actui. Quæro igitur, aut est eadē potentia albedinis antequā producatur & postquam producta est, aut alia, & alia, nō eadem, aliter esset subiectum albedinis ante sui productionem, sicut post, ergo alia & alia, sed antequam producatur, non est in potentia passiua, aliter posset esse subiectum accidentis antequam produceretur: quod est impossibile, quoniā esse subiectum supponit esse. ergo est in potentia obiectiua: ergo præter actiuam & passiuam datur obiectiua.

Ad hoc dicitur, quòd est alia & alia, & cum arguitur, quòd ante sui productionem non est in potentia passiua vel subiectiua, concedo: & cùm infertur ergo est in potentia obiectiua, nego consequentiam: & dico quòd debet inferri, ergo est in potentia actiua agentis, potentis producere niuem, vnde non est necesse concedere potentiā aliam ab actiua & passiua, potest etiam dici, quòd est eadem potentia in genere, ita quòd ante productionem est in potentia passiua materiæ ex qua generanda est nix, & post productionem est in potentia passiua, quam propriè dicimus receptiuam siue subiectiuam respectu accidentis, quæ tamen reducitur ad passiuam.

Tertium est subiectum transmutationis, quod est materia, dicit potentiam, & terminus à quo dicit potentiam. Quòd enim fit procedit à potentia ad actum: sed potentia materiæ, quæ est potentia passiua, non est potentia termini à quo, quia materia manet, terminus autem à quo nō manet. ergo potentia termini à quo nō est potētia passiua, nec actiua vt patet. ergo obiectiua.

Ad hoc dicitur, vt habemus in 1. Physic. tex. 78. quòd terminus à quo est duplex, scilicet per se & per accidens: terminus à quo vel ex quo per se, est ipsa materia, quæ intrat substantiā rei & permanet in re facta. Terminus à quo vel ex quo per accidens, est ipsa forma præcedēs quæ abiicitur, vel priuatio rei generandæ adiuncta materiæ, ex hoc enim quòd materia est sub forma aquæ, est priuata forma ignis. Tunc ad argumētū, concedo quòd materia dicit potētiam, & terminus à quo per se dicit potētiam, quæ est ipsa materia: & cùm probatur quòd non, quia materia manet & terminus à quo non manet, concedo de termino à quo per accidens, nō autem de termino à quo per se, quoniam ille secundum philosophum est ipsa materia, ex qua per se aliquid fit & permanet in re facta. Sed nego, quòd terminus à quo per accidens dicat potentiam, quoniam aut est forma abiiciēda aut priuatio, quorum neutrum est potentia, cùm forma dicat actum & priuatio negationem. Et si dicas, Quomodo ergo hæc est vera, In generatione substantiali ex ente in potentia fit ens actu. Respondeo, est vera in hoc sensu. ex materia quæ est ens in potentia, vt recipit formam per actionem agentis, quæ erat in potentia passiua materiæ, fit ens actu, quod est ipsum compositum.

Patet igitur, quòd non cogimur ex doctrina Philosophi ponere potentiam obiectiuam distinctam realiter ab actiua & passiua. Ad quam autem reducatur potentia resistitiua, dico quòd ad actiuam quamuis distinguatur ratione ab actiua, nam eadem potentia dicitur actiua inquantum corrumpit, vel remittit contrarium. Sed dicitur resistitiua, inquantum retardat actionem agentis contrarij. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Si potentia actiua & passiua requirunt distincta subiecta.

Palàm igitur, quia est quidem vt vna potentia faciendi & patiendi, nam possibile est & habere ipsum potentiam patiendi, & eo quod aliquid pati potest ab ipso. Text.2. vbi & Commentator inquit, & intendit, quòd nõ est necesse vt hoc principium sit in subiecto diuerso à subiecto in quo est potentia passionis in loco.

CONCLVSIO.

Quamuis potentia actiua & passiua possint esse in eodem, & respectu eiusdem partis: non tamen eodem modo, nec formaliter, id est, nec secundum eãdem rationem.

IN hac quæstione sic procedes. Primò declarabis quantam distinctionem requirunt potentia actiua & passiua in his, in quibus sunt. Secundò pones conclusionem responsuam. Tertiò solues quædam argumenta, & declarabis quædam dicta philosophi.

Quantum ad primum aduerte, quòd non est necesse ea in quibus sunt potentia actiua & passiua distingui suppósito, potest enim idem suppositum agere in seipso, prout in vna eius parte est in potentia actiua, & in alia potentia passiua, & hoc modo animatum distinguitur in partem mouentẽ & in partem motam, & manus percutit pectus, & cerebrum infrigidat stomachum: nec est necesse quòd sint distinctæ partes quæ distinguantur situ, siue subiecto, potest enim idẽ respectu eiusdem partis agere in seipso, vt oculus causat visionem & recipit eam in seipso, & intellectus causat actum intelligendi, & recipit eum in seipso. Sunt enim actiones immanentes, quæ sunt substantiæ in agente, vt dicemus infrà: est autem necesse quòd vel sint in distinctis suppositis vel distinctis subiectis, vel si sunt in eodem, necesse est vt est actiuum distinguatur realiter à seipso, vt est passiuum siue receptiuum. Nam licet oculus causet & recipiat visionem in seipso, non tamen causat eam, nisi vt actuatus specie obiecti vt visibilis, recipit autẽ vt oculus est. Sed distinguitur realiter oculus præcisè, & oculus actuatus specie, sicut minus & magis includẽs, sicut Sortes & Sortes albus. Idẽ dico de intellectu intelligẽte seipsum: intelligit enim se vt actuatus, & recipit intellectionẽ in seipso præcisè.

Quantum ad secundum pono hanc conclusionem, Licet in eodem & respectu eiusdem partis possit esse potẽtia actiua & passiua, nõ tamen eodem modo, nec formaliter, id est, nec secundum eandem rationem. Hæc cõclusio quo ad illas partes in eodem & respectu eiusdem, declarata est & concessa ab omnibus. Quo ad partes sequentes scilicet nõ eodem modo nec formaliter, concessa est etiam cõmuniter. Nam licet Ant. And. in lib.9.q.1. chimẽtizet, quòd in eodem potest esse potentia actiua virtualis & potẽtia passiua formalis, vt quando forma ignis producit in igne genito leuitatem secundum ipsum, & quando aqua calefacta infrigidat seipsam: tamen non concedit posse esse in eodẽ respectu eiusdem potentiam actiuam formaliter, & potẽtiam passiuam formaliter, quoniam vt probabitur, sequeretur contradictio.

Hanc igitur conclusionem sic probo, Sicut se habet agens ad patiens, sic potentia actiua ad passiuam: est enim agens quia ei inest potentia actiua, & est patiens, quia ei inest potentia passiua, sed idem secundum idem & eodem modo, & formaliter esse agens & patiens est contradictio, ex diffinitione contradictionis. sequitur enim quòd idem, &c. sit agens & non agens, patiens & non patiens: ergo in eodem, &c. esse potentiam actiuam & passiuam est contradictio.

Præterea si in eodem, &c. ergo idem secundum idem & eodẽ modo & formaliter est similiter in potentia & in actu, quod est impossibile, cùm potentia & actus sint opposita, quę non se compatiuntur vniformiter in eodem propter sequelam contradictionis, contra patet, quoniam secundum quod aliquid habet potentiam passiuam, est in potentia, & secundum quod habet actiuam est in actu, vnde vnumquodque agit inquantum est actu, & patitur inquãtum est in potentia.

Præterea, Si, &c. sequitur, quòd in eodem se compatiuntur actu duo accidentia absoluta distincta solo numero, acquisibilia per alterationem, quod est impossibile, vt probauimus in libro 5. in q.18. Consequentia sic probabitur. Sit A, infrigidabile, quod secundum te in frigidat seipsum, necesse est vt infrigidet se inquantum habet potẽtiam actiuam infrigidandi, quæ formaliter non est nisi frigiditas, & infrigidetur à seipso inquantum à seipso recipit frigiditatem, & sic in eodem erit principium & terminus infrigidationis per acta infrigidatione. Tunc quæro, frigiditas quæ est principium infrigidandi, & frigiditas quæ est terminus infrigidationis, aut sunt eædem, aut distinctæ: non primum, quia nihil seipsum causat, ergo secundum, & sunt eiusdem speciei, vt patet, quoniam semper intelligo de frigiditate formali, ergo in A, erunt similiter duo accidentia absoluta eiusdem speciei, &c. Huic conclusioni non inuenio Comment. nec sequaces eius contradicere. Nam licet Comment. teneat in tertio cœli, cõment. 28. & in 4. cœli, comment. 22. quod graue mouet seipsum, non tamen eodem modo sumptum, tenet enim quòd forma grauis est mouens, & vt sic non est mota, vt autem est forma existens in materia est mota.

Quantum ad tertium aduerte, quòd fortiora argumenta quæ fiunt contra hanc determinationem, sunt ea, quę format Antoniùs Andreas in libro 9.q.1. ex quibus conatur probare, quod ea in quibus est potentia actiua & passiua, non est necesse distingui realiter, sed sufficit distinctio formalis. Verùm quia huiusmodi argumẽta recitat Paulus Sonc. & soluit Thomisticè, declarans quomodo in omni exemplo & omni casu adducto ab Anto. Andr. feruatur distinctio realis inter agens & patiens, ideo nolo hîc immorari: vide tu Paulum. Tantum aduerte quædam dicta philosophi quæ videntur repugnare determinationi factæ.

Primum est in libro 9. Metaphysic. text.2. vbi inquit. Quapropter inquantum simul natum est, nihil patitur ipsum à seipso. & in 1. de generatione. text.48. facit hanc cõsequentiam, Si simile à simili pati possibile est, & ipsum à seipso: patet autẽ quod reputauit consequens impossibile, aliter ratio sua nihil valeret, & in 5. Metaph. diffiniens potentiam actiuam & passiuam dixit, potestas dicitur alia quidẽ principium motus aut mutationis in diuerso inquantum diuersum, vt ædificatiua potestas, quæ non existit in ædificato. Alia, scilicet passiua à diuerso inquantum diuersum, ex quibus patet, quòd repugnat doctrinę Arist. idem esse actiuum & passiuum. ex consequenti necesse est illud in quo est potentia actiua distingui & esse aliud ab eo, in quo est potentia passiua.

Ad hæc dico, quod philosophus in 9. Metaph. & in 1. de generatione intendit, quòd ipsum inquantum ipsum, id est, nullo modo diuersificatum, sed penitus eodem modo se habens non patitur à seipso. Quod nos concedimus, vt patet in probatione conclusionis responsuæ.

In diffinitione autem potentiæ actiuæ & passiuæ, non sumit diuersum, siue aliud pro distincto essentialiter, sed pro distincto realiter.

Quæ distinctio realis potest esse inter duo supposita, inter partem & totum, inter magis includens & minus includens, & dummodo seruetur aliquis horum modorum inter agens & patiens verificatur diffinitio potentiæ actiuæ & passiuæ, quia ly diuersum siue aliud, stat pro distincto realiter aliquo modo distinctionis realis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Quot sunt potentiæ rationales ac liberæ.

Palàm quia & potentiarum aliæ erunt irrationales, aliæ cum ratione. Text.3.

Philosophus hîc distinguit potentiam actiuam in rationalem, quæ & libera dicitur, & in irrationalem, quæ & naturalis dicitur, & quoniam in 3. de anima & in 9. Metaph. de potentiis rationibus perfunctariè tractat, ideo vt plenior habeatur de eis intelligentia, pertractabimus quæsita, vt infrà, & primò quærendum est de numero potentiarum rationalium.

CONCLVSIO.

Duæ sunt potentiæ, rationales & liberæ, intellectus scilicet & voluntas.

IN hac quæstione aduerte quòd de numero harum potentiarum parum habemus determinatum à philosoph. nam in 3. de anima, & in 9. Metaphys. videtur indistinctè loqui de potentiis liberis, parum distinguens inter voluntatem & intellectum practicum sed quasi in genere loquitur, quòd potentia rationalis est oppositorum, licet autem à philosoph. non habeamus expressum numerum potentiarum rationalium, tamen omnes expositores eliciunt ex doctrina philosoph. quòd sunt duæ, scilicet intellectus & voluntas. Ratio, enim libertatis est immaterialitas: & cùm vtraque potentia sit immaterialis, quia non organica, ergo vtraque est rationalis & libera. Præterea, Intellectus est ex se indeterminatus ad intelligendum A, & B, vt declarabitur infrà, ergo est liber, cùm posit in vtrunque, licet autem concordent in hoc quòd tam intellectus quàm voluntas sunt potentiæ rationales & liberæ, tamen discordant in modo libertatis, nam aliqui tenent, quòd intellectus est liber solùm radicaliter & originatiuè, voluntas autem formaliter, aliqui tenent æqualitatem libertatis tam in intellectu quã in voluntate, aliqui tenent, intellectum esse magis liberum quàm voluntas.

Vt ergo resoluamus præsens quæsitum secundum viam Beat. Thom. sic procedemus. Primò declarabimus, quòd libertas radicaliter & originatiuè est in intellectu. Secundò, quòd formaliter & completè non est in intellectu, sed in voluntate. Tertiò, quòd licet tam intellectus quàm voluntas sint potentiæ rationales & liberæ, tamen voluntas est liberior intellectu. Quartò soluemus rationes eorum, qui tenent contra determinationem nostram.

Quantum ad primum aduerte, quòd mens Beat. Thom. est vt patet in prima parte, quæstione octogesima tertia, articulo primo, quod radix libertatis in homine, qua potest in opposita, proueniat ex ratione, id est ex intellectu ratiocinante, inquantum est indeterminatus & indifferens ad posse concludere de aliquo agibili, si debet fieri vel non, si hoc vel illo modo, si hac vel illa causa, si in hoc vel illo tempore, possunt enim intellectui præsentari diuersa, & secundum vnum iudicabit fiendum, secundum aliud non, vt patet in his de quibus quærimus consilium, & quoniam actus voluntatis subsequitur iudicium & determinationem factam ab intellectu, ideo ab intellectu, vt à prima radice prouenit tam necessitas quàm libertas in voluntate, nam si intellectus concludit hoc simpliciter & absolutè fiendum, puta quòd Sortes cadens in manu volentis ipsum occidere, debet conari ad occisionem illius vt seipsum liberet, voluntas determinatur & specificatur ad illud: si autem diuersa iudicia facit propter diuersas circunstantias, voluntas liberè rẽdit in hoc vel illud vel in suum oppositum, & propter hoc rationabiliter ponimus radicem libertatis esse ex indifferentia vel diuersitate iudicij, quam facit intellectus de agendis contingentibus, & hoc insinuat Beatus Thomas, in prima parte, quæstione octogesima tertia, articulo primo, vbi inquit, quia ratio circa contingentia habet viam ad opposita, vt patet in dialecticis syllogismis, & rhetoricis persuasionibus, particularia autem operabilia sunt quædam contingentia, ideo circa ea iudicium rationis ad diuersa se habet & non est determinatum ad vnum, & pro tanto necesse est, quòd homo sit liberi arbitrij, ex hoc ipso quòd est rationalis, id est discursiuus in agendis.

Quantum ad secundum aduerte, quòd completa potentia rationalis & libera libertate contradictionis, de qua hic propriè intendimus, prout scilicet potest in opposita contrariè vel contradictoriè, quatuor conditiones requirit. Primò, quòd non posit cogi, liberum enim posse cogi, est liberum non esse liberum.

Secundò, quod non necessitetur absoluta necessitate, vnde voluntas respectu summi boni non est potentia libera libertate in opposita, intellectus respectu primorum principiorum. Tertiò, quòd non habeat causam mouentem intrinsecam in genere causæ efficientis necessitatem ipsum ad agendam. Quartò, quòd sit motiua omnium aliarum potentiarum & sui ipsius ad agendum.

Ex his quatuor conditionibus, prima & secunda conueniunt intellectui, quo ad considerationem, circa agibilia contingentia, quæ non habent necessariam connexionem ad finem consequendum, tertia autem & quarta, non conueniunt intellectui, sed voluntati. Nam licet intellectus sit motiuus voluntatis in genere causæ finalis prout præsens obiectum sic vel sic volibile, puta contingenter vel necessariò: tamen voluntas est motiua effectiuè intellectus, & aliarum potentiarum, & sui ipsius, ad agendum.

Ex quibus habetur, quòd licet intellectus per primam & secundam conditionem sit prius liber voluntate, quia, per notitiam intellectus regulatur voluntas; tamen completè & formaliter voluntas sola est libera, quoniam ratio libertatis non completur, nisi per esse motiuum effectiuum sui & aliarum potentiarum, quod conuenit soli voluntati, licet igitur radicaliter & originatiuè intellectus sit liber, non tamen completè & formaliter, sed id conuenit soli voluntati.

Quantum ad tertium aduerte, quòd patet ex 2. nam cùm ex quatuor conditionibus prædictis integretur completa & formalis libertas agendi in opposita, & omnes conueniant voluntati, & tantum duæ primæ intellectui, constat quòd licet radicaliter intellectus sit prius liber, non tamen magis, vnde si quæratur quæ potentia sit absolutè libera & formaliter, respondetur, quòd est sola voluntas, quæ se habet vt regina in toto regno animæ.

Quantum ad quartum aduerte, quod tria determinauimus. Primò, quòd intellectus radicaliter est liber etiam præcisè sumptus, & non solùm vt connexus voluntati: Secundò, quòd intellectus licet sit prius radicaliter liber, non tamen prius formaliter, sed id conuenit soli voluntati: Tertiò, quòd voluntas est liberior intellectu.

Contra primum videtur esse Anton. Andre. in nono Metaphysic. quæstione secunda, qui de mente Scoti tenet, quòd intellectus in se consideratus & respectu proprij actus, qui est intelligere, est potentia irrationalis, id est naturalis, eo quòd est de se determinatus ad intelligendum, & non habet in potentia sua intelligere & non intelligere, assentire & non assentire proposito obiecto, & sic in doctrina Scoti intellectus in se consideratus non est potentia rationalis nec libera radicaliter ne formaliter & ratio huius secundum Sco. est hæc, Quicquid intellectus intelligit ante actum voluntatis, id est ante electionem naturaliter intelligit, ergo ante actum voluntatis nulla est libertas in intellectu.

Respondetur in actu intelligendi qui est circa agibilia, quæ non habent necessariam cõnexionem ad finem vniuersalem, quod est, est summum bonum, & respectu quorum ponimus libertatem radicalem, in intellectu tria possunt considerari. Primò, obiectum præsens motiuum intellectus: & hoc est naturale, quia est motiuum naturaliter ipsius intellectus ad intellectionem, sicut obiectum visibile præsens visui, mouet naturaliter visum ad videndum. Secundò, productio ipsius actus intelligendi, & hæc etiam est naturalis. Tertiò, iudicium ipsius intellectus super tale obiectum agibile de fiendo, vel non de sic fiendo, vel non de fiendo in tali tempore, vel non, & sic de aliis circunstantiis, & hoc non est naturale, id est determinatum, quoniam intellectus circa huiusmodi agibilia, potest diuersimodè concludere affirmatiuè & negatiuè.

Nam de medicina tali sumenda ab infirmo secundum vnã circunstantiam concludet affirmatiuè, secundum aliam negatiuè. Ex his patet, quòd ratio Scoti non concludit, quoniã concesso quòd quo ad primum & secundum, actus intelligendi sit naturalis, & respectu primi ac secundi nulla sit libertas in intellectu, tamen negatur antecedens, quo ad tertium, respectu cuius ponitur libertas radicaliter in intellectu ante actum voluntatis. Contra secundum arguunt quidam conantes ostendere, quòd aliquis actus intellectus est prius & principalius liber, quàm aliquis actus voluntatis, ex consequenti intendunt inferre, quòd intellectus est formaliter liber, & prius quàm volitas. Sic igitur arguunt: Per duos actus sumus domini aliorum actuum in nobis. Primus est cognitio intellectus de non necessaria connexione aliquorum in particulari volibilium in ordine ad finem. Secundus est, actus voluntatis, quæ non necessariò vult hoc aut illud cognitum ab intellectu non habere necessariam connexionem ad finem.

Sed per primum regulatur voluntas, & non econuerso: quoniam si intellectus concludit, quòd hoc, puta medicina rhabarbari est necessaria ad consequendum sanitatem, & concludat iudicio completo & vltimato, voluntas necessariò tendit in illud. Si autẽ concludit quod non est necessaria voluntas, liberè tendit in illud: ergo primus actus formaliter liber, est actus intellectus, qui dicitur iudicium de agibili, vel conclusio consilij.

Respondeo & dico, quòd arg. non concludit intellectum esse prius formaliter liberum, sed prius radicaliter, nam vt diximus suprà, non stat libertas formaliter in aliqua potentia, ex eo quòd regulat & dirigit voluntatem: sed ex eo quòd est motiua effectiuè aliarum potentiarum, & quia id cõuenit soli voluntati, ideo sola est formaliter libera. Ad argu. igitur, si intendit concludere prioritatem libertatis radicalis in intellectu, conceditur totum, quia non idem tenemus, si autem intendit de prioritate libertatis formalis, negatur consequentia.

Contra tertium quidam conantur probare, voluntatem nõ esse magis liberam intellectu, & arguunt sic, conditiones sufficientes ad hoc quòd potentia sit perfectè libera, sunt tres. Primò, quòd sit potentia immaterialis: & hæc conceditur ab omnibus. Secundò, quòd habeat obiectũ vniuersale, & hæc similiter cõceditur. Tertiò, quòd indifferẽter se habeat ad cõtẽta particularia sub illo obiecto vniuersali, & hæc similiter cõceditur.

Sed istæ conditiones ita & æquè perfectè conueniunt intellectui, sicut voluntati, nam vtraque est potentia immaterialis non alligata organo, & vtriusque obiectum est vniuersale, obiectum enim intellectus est ens siue verum: voluntatis autem est bonum, & sicut intellectus licet necessariò tendat in verum, tamen non necessariò assentit huic conclusioni vel illi, nisi deducatur euidenter ex primis veris, sic licet voluntas necessario tendat in bonum, quia quicquid vult, vult sub ratione boni, tamen non necessariò adhæret huic vel illi bono, nisi constet quod habet necessariam connexionem ad vltimum finem. Cùm igitur istæ conditiones æquè perfectè conueniant intellectui & voluntati, erunt potentiæ æquè liberæ.

Respondetur, Isti decipiuntur in sufficientia conditionum potentiæ perfectè liberæ: nam vltra tres assignatas, duæ aliæ requiruntur, primò quòd talis potentia non possit necessitari, vt exeat in actum. Secùdò, quòd sit motiua effectiuè aliarum potentiarum, & has duas habet voluntas supra intellectum, & non econuerso; nec valet dicere, quòd sicut voluntas mouet intellectum, sic & econuerso, quoniam nõ sunt motiones eiusdem rationis, nam intellectus mouet voluntatem in genere causæ finalis, proponendo obiectum: voluntas autem mouet intellectum in genere causæ efficientis imperando, vt intelligat, & in hac motione effectiua perficitur libertas. Præterea, intellectus quo ad agibilia non habentia necessariam connexionem ad finem concludendum est indeterminatus ex parte obiecti, quia potest concludere hoc vel illud fiendum, vel non: voluntas autem circa huiusmodi est indeterminata ex parte obiecti & subiecti, obiecti quidem, quia potest velle hoc & velle illud: & non hoc, subiecti verò, quia non potest necessitari ab intellectu, vt exeat in actum, ipsa autem potest necessitare intellectum ad considerandum, vnde patet, quod est magis libera, & si dicas, Concludat intellectus quòd nunc est amandum A, & quòd necesse est ipsum nunc amare, & hoc sit completum & vltimatum iudicium intellectus, ergo voluntas necessitabitur ab intellectu, vt exeat in actum amandi ipsum A.

Respondeo & dico, quòd casus non conceditur nisi intellectus ostendat volitati ipsum A, vt summum bonum euidentia clarissima, quod non potest fieri in hac vita.

Et si dicas pono quòd intellectus faciat iudicium falsum, tamen apparens sibi verum, scilicet quòd in A, puta in tyrannide est summa fœlicitas: ergo voluntas necessitabitur ad actum volendi & desiderandi tyrannidem.

Respondeo & dico, quòd posito illo casu, non necessitatur ab intellectu, sed à seipsa interpretatiuè, quoniam non repressit intellectum, ne tale iudicium faceret, nunc autem loquimur de motione intellectus præcisè, quam potest habere pro hac vita supra voluntatem. Nam potest volitas moueri multipliciter: aliquando enim ab appetitu inferiori, aliquando à seipsa præstante occasionem intellectui vel potentiæ extimatiuæ, quod sic vel sic proponant obiectum, ad quorum propositionem seipsam indirectè necessitat ad actum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Si potentiæ rationales possunt in opposita, irrationales verò non.

CONCLVSIO

Potentiæ rationales possunt in opposita contrariè vel contradictoriè respectu eiusdem subiecti: & pro eodem instanti, licet diuisim præsentatóque & proximato suo obiecto, possunt agere vel non agere in ipsum: atque possunt in opposita agere per se, licet non æquè primò, in vno scilicet prius, in altero verò posterius: sententiæ verò irrationales non possunt in opposita nisi respectu diuersorum, nec pro eodem instanti: præsentatóque & debitè approximato suo obiecto nõ possunt non agere in ipsum, deducto omni impedimento: neque etiam prius & posterius possunt per se in opposita: sed si possunt, possunt in vnum per se, in alterum per accidens.

IN hac quæstione aduerte, quòd difficultas non stat in probando, quòd potentiæ rationales possunt in opposita, hoc enim euidens est, & concessum ab omnibus vt pote clarum in textu tertio huius libri, vbi inquit Philosophus, Et quę quidem cum ratione omnes contrariorum sunt eædem, & quæ irrationales vna vnius, vt calidum calefaciendi solum, medicatiua autem sanitatis & infirmitatis. Sed difficultas stat in assignando modum proprium agendi in opposita, quo distinguuntur potentiæ rationales actiuæ à potentiis irrationalibus id est, naturalibus actiuis, nam posse in opposita, videtur etiam competere potentiæ naturali, videmus enim solem indurare lutum & mollificare ceram, & scammoneam calefacere & corpus infrigidare, nec valet si dicatur, quòd potentia rationalis potest in opposita per se, naturalis autem in vnũ per se, & in suum oppositum per accidens. Hoc inquam, non videtur valere, quia Philosophus in tex. 3. declarans modum, quo potentia rationalis est contrariorum, inquit, Quare necesse & tales scientias esse quidem contrariorum, scilicet factiuas, esse verò huius quidem secundum se, illius verò non secundum se, & enim ratio huius quidem secundum se, illius verò quodam modo & secundum accidens, hæc philosophus. ergo potentiæ rationales non distinguuntur à naturalibus, ex hoc quod possunt in opposita per se. Vt igitur inueniamus veram differentiam inter eas, sic procedes. Primò declarandum est vnde sumitur vera differentia inter potentiam rationalem & irrationalem. Secundò, declarandum est, vnde habent potentiæ rationales, quòd possint in opposita modis quibus dicemus, naturales autem non, sed sunt determinatæ ad vnum. Tertiò si possunt in opposita pro eodem instanti. Quarto, à quo determinatur potentia rationalis ad alterum oppositorum. Quintò soluetur dubium.

Quantum ad primum aduerte, quòd sufficiens differentia inter has potentias notificatur ex quatuor. Primò, potentia rationalis potest in opposita contrariè vel contradictoriè, respectu eiusdem subiecti, nam medicus arte medicinæ potest sanare Sortem, & facere ipsum ægrotare, & tu potes amare & non amare Platonem, potentia autem naturalis nõ potest in opposita, nisi respectu diuersorum: nam sol non potest indurare & mollificare lutum, nec potest sui præsentia illuminare & non illuminare aërem. Secundò, potentia rationalis pro eodem instanti licet diuisim, vt dicemus infrà, potest in opposita. Hoc autem non potest potentia irrationalis, quia principium actionis suæ est qualitas naturalis, quæ sicut quædam natura est determinata ad vnum. Principium autem actionis in potentia rationali est scientia sive cognitio, qua sicut cognoscuntur opposita, sic possunt agi. Tertiò, potentia rationalis præsentato & proximato suo obiecto & remoto omni impedimento, potest agere & non agere in ipsum, vt Sortes præsentato cibo & non impeditus, & famelicus potest velle comedere & nolle, & non velle, potentia autem irrationalis præsentato obiecto & debitè approximato, non potest non agere in ipsum deducto omni impedimento. Quartò, potentia rationalis potest in opposita per se, licet non æquè primò. Sed in vno prius & in alio posterius, vt medicus arte medicinæ potest prima intentione sanare Sortem, & secundaria facere ipsum ægrotare. Nam sicut ars medicinæ est per prius cognoscitiua sanitatis, quæ se habet vt habitus, per posterius autem infirmitatis, quæ se habet vt priuatio, sic per prius est factiua sanitatis, & per posterius oppositi, potentia autem irrationalis nec prius nec posterius potest per se in opposita: sed si potest, potest in vnum per se, in alterum per accidens, vt ignis tantùm per se calefacit, per accidens autem ex operatione pororum frigefacit, nec obstat quòd dicit Philosophus in textu tertio, tales quidem scientias esse contrariorum, esse verò huius secundum se, illius verò non secundum se. per ly secundum se intendit per prius siue de prima intentione, & per ly non secundum se intendit per posterius, siue de secunda intentione, & quòd sit hæc mens sua patet, ex eo quòd subiungit, & enim ratio huius quidem secundum se, illius verò quodam modo & secundum accidens: vnde aduerte, quòd per accidens dupliciter sumitur, primo vt idem est quod non secundum primam intentionem, & sic verificatur in potentia rationali, quòd potest in alterum oppositum, quod habet rationem priuationis. & rationem huius iam diximus esse, quia sicut diffinitio sanitatis primò facit cognoscere sanitatem, secundariò ægritudinem, sic ars medicinæ primò est factiua sanitatis, secundariò ægritudinis: & ly secundariò explicat Philosophus, per non secundum se, & per ly per accidens, & Bea. Thom. loco ly non secundum se, exponit per posterius. secundò sumitur ly per accidens, id est, præter naturam rei, sed aliquo alio facto sequitur talis effectus, & sic verificatur de potentia irrationali, nam ignis vt calidus, neque prima neque secunda intentione potest frigefacere, & tamen aliquo alio facto per se ab igne, puta facta calefactione & apertione pororum sequitur frigefactio, quæ est effectus purè per accidens, respectu ignis calidi. Patet igitur ex his vera differentia inter potentias rationales & irrationales.

Quantum ad secundum dico, quòd non alunde habent nisi ex natura sua, & non est quærenda alia causa intrinseca, vnde sicut ista est per se in secundo vel quarto modo, calidum calefacit, sic hæc est per se potentia rationalis potest in opposita: potentia irrationalis est tantùm ad vnum oppositorum. Sic enim exigit natura earum. Tu tamen aduerte, quòd si quæratur particulariter de potentia perfectè libera, quam diximus esse voluntatem in via Bea. Thom. respondere possumus, ideo esse liberam quia sequitur cognitionem intellectus, qui non determinatur nec arctatur ad vnum genus intelligibilium, sicut arctatur sensus ad vnum genus sensibilium, sed indifferenter se habet ad diuersa genera intelligibilium, ita quòd potest intelligere hoc & illud, ideo in quæstione præcedenti posuimus radicem libertatis ex parte intellectus, Si autem quæras quo formaliter voluntas est libera,

libera, dico quòd se ipsa, id est, secundum essentiam suam, ita quòd libertas sua non dicit aliquid additum voluntati, nec actum nec habitum nec proprium accidens, sed sunt idem realiter, ita quòd eadem potentia quæ vt vult finem dicitur voluntas, vt vult media ad finem, quæ potest diuersimodè velle, dicitur potentia libera, nam respectu mediorum potest velle hoc & velle illud, & non velle, stante volitione finis. Sicut infirmus potest velle hanc medicinam & non velle, vel velle oppositam, stante volitione sanitatis. Et quidem quòd voluntas seipsa sit libera manifestat Beatus Thomas, in prima parte, quæstione octogesimatertia, articulo quarto, nam sicut in parte animæ cognoscitiuæ se habet intellectus ad esse ratiocinatiuum, sic in parte appetitiua se habet voluntas ad esse liberum. Constat autem quòd intellectus noster ex sui natura est ratiocinatiuus & non ex aliquo superaddito, & sic voluntas ex sui natura est libera: & sicut inter intellectum & rationem non est distinctio nisi rationis, pro quanto dicitur intellectus, vt simpliciter fertur in obiectum, & dicitur ratio vt discursu tẽdit in obiectum, sic nec inter voluntatem & liberum arbitrium est distinctio, nisi rationis. Dicitur enim voluntas vt vult finem. Dicitur liberum arbitrium vt est electiua mediorum ad finem. Patet igitur quòd potentia rationalis non aliunde habet, nisi ex natura sua, quòd posit in opposita. Similiter quòd potentia irrationalis sit determinata ad vnum, non habet ex aliquo sibi superaddito, sed ex natura sua.

Quantum ad tertium aduerte, quòd licet omnes concedant, præcipuè Anton. Andre. in libro nono, quæstione secunda, & Herueus in secundo quolibe, quæstione prima, quòd potentia rationalis potest in opposita pro eodem instanti, cuius ratio est, quia ex natura sui est indeterminata, pro quocunque instanti, & antequam determinetur ita, potest in hoc oppositum sicut in illud, & postquam est determinata & agit alterum oppositorum, licet non possit simul determinari & agere alterum oppositum, tamen semper dicitur posse in opposita pro eodem instanti, quia est talis naturæ, quòd pro eo instanti pro quo fuit determinata ad A, potuit determinari ad B, quod nõ datur in potentia irrationali, nam ignis ita est determinatus ad calefaciendum, quòd non potest determinari ad oppositum, tamen difficile est saluare hanc conclusionem, nam si pro eodem instanti potest in opposita, cùm in eodem instanti non detur prius & posterius, sed simultas, videtur necessariò sequi, quòd possit simul in opposita, quod est falsum, vt patet, aliter contradictoria possent simul esse vera, puta quòd Sortes sedet & non sedet, vel contraria possent esse simul in eodem, puta quòd Sortes amat & odit Platonem, ergo & antecedens est falsum. Consequentia probatur, quia habens potentiam, potest in illud cuius est illa potentia: ergo habens pro hoc instanti potentiam ad opposita, potest pro hoc instanti in opposita, sed in hoc instanti non datur prius & posterius, ergo potest simul in opposita.

Sed aduerte, quòd Aristotel. in libro nono in textu decimo, respondet huic difficultati & dicit, non enim ita simul habent ipsorum, scilicet cõtrariorum potentiam, nec est simul faciendi potentia, quasi dicat potentia rationalis non est oppositorum simul agendorum, sed est quia potest determinari, tam ad hoc, quàm ad illud, & in hoc distinguitur à potentia irrationali, quæ quando exit in actum, exit determinatè in hoc, ita quòd non potest determinari in oppositum.

Sed adhuc instatur, sumo potentiam rationalem determinatam in hoc instanti ad A, & quæro, si pro hoc instanti potest in B, aut non, si sic, ergo potest simul in A, & in B, si non, ergo non pro quolibet instanti potest in opposita.

Respondetur & dico, quòd potest in b. & ad consequentiam dico, quod ly simul potest dupliciter accipi. Primò vt determinat actum: & sic nego consequentiam, impossibile est enim contrarios actus esse simul in eodem. Secundò, vt determinat potentiam: & sic concedo consequentiam, sensus enim est, quòd eadem potentia simul, id est, pro eodem instanti, potest in opposita, non in sensu composito, sed diuiso. Quod est dictum, licet potentia rationalis vt est sub A, non possit esse sub B, quod est oppositum ipsi A, quia res dum est, necesse est esse: tamen potentia considerata in natura sua potest in A, & in B, quoniam cùm ex natura sua semper sit libera, non repugnat sibi posse in opposita. Et aduerte quòd distinctionem quam fecimus de simul, innuit Commentator in primo Cœli, commento centesimodecimonono, vbi inquit, Duplex est simultas, scilicet simultas potentiæ, quæ est vera, quam & Philosophus concedit in nono libro Metaphysic, textu decimonono. Dicit enim, posse quidem contraria simul esse & potentia simultatis, & hæc est impossibilis, quoniam respicit actus in eorum possibiles contrarios, & hanc etiam negat Philosophus in nono Metaphys. eodem textu, vbi inquit, Contraria verò impossibile simul existere. Patet igitur quomodo potentia rationalis potest in opposita pro eodem instanti, & quomodo non.

Quantum ad quartum aduerte, quòd de potentia rationali loqui possumus, vel de intellectu, quẽ diximus suprà, esse potentiam liberam radicaliter. Vel de voluntate, quæ est completè & formaliter libera. Si loquimur de intellectu, est sententia Philosophi, quod determinatur à voluntate, seu ab electione, quæ est actus voluntatis. Vnde, inquit in textu decimo, necesse ergo alterum aliquid esse quod proprium est. Dico autem hoc appetitum aut prohæresim. Vbi Comm. sic exponit: Ergo necesse est, vt in illis sit principium, prius potentiis mouentibus, quę sit causa in hoc, quod agunt, alterum contrariorum quandoque, & alterum quandoque, & vniuersaliter necesse est, vt aliquid sit, quod faciat magis agere alterum contrarium, quàm alterum, & hoc est verum principium, & hoc est appetitus & voluntas, quæ est ab intellectu, id est, electio, appetitus enim cùm fuerit alterius contrariorum, tunc actio agentis pendet ex illo contrario, & similiter à voluntate. Istæ enim potentiæ non agunt de contrariis, nisi illud quod magis appetunt, aut appetitu intellectus, aut appetitu imaginationis, hæc Commenta. & confirmatur propositum ratione. A causa indeterminata non procedit determinatus effectus, nisi ab aliquo determinetur, hæc patet ex se, vnde videmus, quòd causa vniuersalis & indeterminata non producit determinatum effectum, nisi per causam proximam & determinatam determinetur, puta Sol qui est causa vniuersalis horũ inferiorum, non producit effectum talis vel talis specici, nisi determinetur per generantia particularia, vt Sol & homo generant hominem. Sed intellectus qui est potentia rationalis, est causa indeterminata ad intelligendum hoc vel illud, ergo necesse est vt determinetur ab aliquo, vt determinatè intelligat hoc vel illud, vel magis hoc quàm illud. Hoc autem determinans non est nisi voluntas & electio, quoniam vt diximus suprà, voluntas est motiua intellectus & aliarum potẽtiarum ad actum suum in genere causæ efficientis. Si motiua ad actum, ergo determinatiua, quare, &c. Si loquimur de voluntate, aduerte quòd in hoc est discrepantia inter viam Scoti & viam Beat. Thom. Nam Anton. Andr. de mente Scoti vt patet in libro nono Metaphysic. quæstione secunda, tenet nullum extrinsecum determinare voluntatem, sed ipsa seipsam determinat, quod declarat assignans duplicem indeterminationem, vna quidem est ex insufficientia, quæ est ex potentia litate & defectu actualitatis. Sicut materia non habens formam est indeterminata ad actum formæ. Alia est ex superabundanti sufficientia, quæ est ex illimitatione actualitatis, vel simpliciter vel quodammodo, primo modo indeterminatum non reducitur ad actum, nisi prius determinetur per formam ab alio, secundo modo indeterminatũ potest seipsum determinare, alioquin Deus qui est summè indeterminatus ad quamcunque actionem; indeterminatione illimitationis non posset aliquid agere, quod est falsum. Indeterminatio autem quæ ponitur in voluntate, nec est materialis, nec imperfectionis, in quantum ipsa est actiua, sed est excellentis perfectionis & potentiæ aliqualiter illimitatæ non alligatæ ad determinatum actum, & ideo potest seipsam determinare. Hæc est opinio in via Scoti, cui contradicit via nostra, quam intendo declarare & probare, deinde soluere fundamenta Ant. Andr. quibus motus est ad ponendum voluntatem determinare seipsam ad alterum oppositum.

Tu igitur aduerte secundum doctrinam Beat. Thom. in prima parte, quæstione octogesima secunda, articu. quarto, quòd voluntas respectu mediorum, quæ non habent necessariam connexionem ad finem volitum, determinatur ab intellectu ratiocinante & concludente hoc esse agendum & non suum oppositum, vel magis hoc quàm illud, cuius ratio est, quia, cùm voluntas sit potentia appetitiua, & nullo modo cognoscitiua, indiget dirigi & regulari in hoc vel illo obiecto appetendo, ab intellectu apprehendente obiectum sub ratione boni vel mali, vel sub ratione maioris aut minoris boni, aliter ita appeteret minus bonum, sicut maius, necesse est ergo, vt determinetur ab intellectu iudicante & proponente voluntati, quid eligendum sit vel non. Aduerte tamen quòd hanc determinationem intellectus supra voluntatem ponimus quo ad specificationem actus, & non quo ad exercitium. Quòd sic intelligas, intellectus non determinat voluntatem, ita quòd moueat eam effectiuè ad eliciendum actum affirmatiuũ, qui est velle: vel actum negatiuum, qui est nolle, circa tale obiectum præsentatum sibi ab intellectu. Ipsa enim respectu sui actus semper est libera, & potest illum suspendere, vt aliàs dicemus. Sed

determinat quo ad specificationem actus, id est, si voluntas vult elicere actum circa obiectum præsentatum, vel erit velle respectu boni vel erit nolle respectu mali, ita quòd non potest respectu boni habere nolle per se, nisi respectu alicuius adiuncti per accidens, puta propter difficultatem, aut propter maius inconueniens vitandum, nec respectu mali potest habere velle, nisi præsentetur, vt apparens bonum.

Verùm, quia inconueniens videtur, quòd si duæ potentiæ sunt ex se indeterminatæ, se mutuo determinent, ideo aduerte quòd licet hoc sit inconueniens in eodem genere causæ, non tamen in diuerso genere. Sic cõtingit in proposito. Quoniam intellectus determinat & mouet voluntatem in genere causæ finalis, proponit enim voluntati obiectum cognitum sub ratione boni, ad quod inclinatur voluntas. Sed aduerte quòd respectu eorum quæ sunt ad finem, necesse est vt proponat sub ratione maioris & minoris boni, nam si proponeret duo penitus æqualia in omni circunstantia vt æquè bona, remaneret voluntas indeterminata, & ad neutrum se inclinaret, voluntas autem determinat intellectum in genere causæ efficientis, puta imperando, vt hoc intelligat nunc & non illud, vel hoc intensius quàm illud. Hinc patet quòd fundamenta Ant. And. nihil sunt. Dicit enim quòd indeterminatio voluntatis non est ex defectu actualitatis, qualis est indeterminatio materiæ primæ, sed est ex superabundanti sufficientia, &c. Hoc, inquam, non valet, quoniam voluntas præcisè sumpta non est sufficiens principium agendi nec eliciendi actũ suum nisi actuetur bono cognito apprehenso per intellectum, ergo hæc indeterminatio non arguit superabundantem sufficientiam voluntatis quocunque alio remoto. Et quando probat intentum suum ex illa consequentia. Alioquin Deus, &c. negatur consequẽtia, quoniã non est eadem comparatio voluntatis diuinæ ad actum & obiectum suum, & voluntatis creatæ ad actum & obiectum suum. nam in Deo voluntas & actus eius idem sunt, ideo non est necesse eam ab alio determinari, nec voluntas Dei perficitur aliquo volito extra Deum, & ideo illa indeterminatio in Deo arguit omnimodam sufficientiam, vtraque autem conditio, vt patet, deficit in voluntate creata, & ideo meritò negatur consequentia.

Quantum ad quintum aduertè, quòd ex determinatis, videtur sequi processus in infinitum in intelligere & velle, ita quòd non erit status in aliquo primo intelligere, nec primo velle, nam ex determinatis quodcunque velle præcedit aliquod intelligere, quia volitas non fertur in incognitum, ergo primũ velle præcedit aliquod intelligere, & quodcunque intelligere præcedit aliquod velle, quia intellectus non exit in actum, nisi moueatur effectiuè à voluntate, voluntas autem mouet per velle: ergo primum intelligere præcedit aliquod velle. ergo ante primum velle datur prius velle. Et non datur hoc prius velle nisi per aliquod intelligere, ergo ante primum intelligere datur prius intelligere. Et sic patet quòd si voluntas determinat & mouet intellectum, & intellectus determinat ac mouet voluntatem, erit processus in infinitum in volitionibus & intellectionibus, quod est impossibile.

Pro solutione huius dubij aduerte, quòd in doctrina Beati Thom. vt vitemus processũm in infinitum, necesse est vt reducamus primam apprehensionem intellectus practici, quæ est de vltimo fine non in voluntatem, sed in primum mouens exterius, qui est Deus, & id manifestè dicit in prima parte, quæstione octogesima secunda, articulo quarto, ad tertium, similiter primam volitionem quæ est de vltimo fine reducimus, non in intellectum simpliciter, sed in Deum, sicut & primam apprehensionem, & id clarè dicit in prima secundæ, quæstione nona, articulo quarto. Vt igitur patcat talis reductio. Primò declarabimus de prima apprehensione. Secundò de prima volitione.

Quantum ad primam apprehensionem, dico cum Arist. in lib. de bona fortuna, ibi, Aut est aliquod principium, cuius non est aliud extra ipsum; &c. quòd causa huius reductionis est ordo inter mouentia & mota, siue inter ipsos motus. videmus enim omnes motus corporeos reduci ad primum, & omnia mota corporea ad primum mouens, ergo proportionaliter omnes motus intellectuales ad primum, qui est diuina intellectio, & omnem intellectum secundum, ad intellectum primum, & propterea Arist. illic reducit intelligere & consiliari in Deum, vt in primum, quod & probat triplici ratione. Primò, quia Deus semper actu intelligit, ergo potest mouere intellectum nostrum, vt nunc intelligat, & intelligat hoc, & deinde illud, & incipiat ab hoc, puta ab vniuersali bono, & potest facere impetum in anima nostra, vt sic consiliemur, & sic eligamus. Secundo, quia sicut Deus est motor vniuersalis in mundo, quo ad motus corporeos, sic conuenit vt sit motor vniuersalis in animis & in mundo intellectuali, qui est creatura intellectualis, vnde inquit, Mouet enim aliquo modo omnia. Tertiò, quia principium rationis non est ratio nec scientiæ scientia, nec consilij consilium, nam esset processus in infinitum, ergo aliquid melius ratione, hoc autem Deus, inquit Arist. vnde concludit illic, quod intellectus se habet ad Deum sicut organum ad primum agens, ergo sicut omnis virtus & actio organi pendet à principali agente, sic omnis virtus & actio intellectus pendet à Deo. Connexio igitur & ordo seruandus inter motus duxit Arist. ad positionem huis reductionis, quam B. Tho. acceptat in 1. parte vbi suprà, & per ipsam saluat non esse processũm in infinitum in intellectionibus nostris, sed est deuenire ad primam, cuius causa motiua intellectus non est voluntas, sed Deus, vt primus intellectus.

Quantum ad primam volitionem, quę est volitio vltimi finis, dico ex doctrina B. Tho. in Prima secundæ quæstione nona, articulo quarto, quòd eadem ratione qua prima apprehẽsio reducitur in Deum secundum Aristo. in libro de bona fortuna, reducatur & prima volitio, quia scilicet omne agens aliquando in potentia aliquando in actu, indiget moueri ab agẽte primo, quod semper est actu. Sed intellectus & voluntas, nostra aliquando sunt in potentia, aliquãdo in actu, ergo, &c. Reductio autem primæ volitionis in Deum, potest imaginari fieri duobus modis. Primò, quòd reducatur mediante prima apprehensione, ita quòd Deus moueat quo ad exercitium ipsum intellectum ad apprehensionem summi boni, & intellectus apprehendens summum bonum & primum appetibile offerat illud voluntati, & voluntas inclinet se ad illud per actum suum, qui est volitio, & hoc modo tam prima apprehẽsio quàm prima volitio reducuntur in Deum. Sed prima apprehensio immediatè, prima autem volitio mediante prima apprehensione. Aliæ verò apprehensiones & volitiones non reducuntur in Deum, nisi vt in causam agentem vniuersalem coagentem cuilibet causæ secundum modum naturæ suæ, nam in aliis apprehensionibus mouetur intellectus per imperium voluntatis, iam actuatæ prima volitione, qua vult vltimum finem, & voluntas in aliis volitionibus mouetur ab intellectu offerente sibi hoc vel illud medium, quod est bonum ad finem, quod intellectus apprehendit imperante sibi voluntate.

Secundò potest imaginari fieri hæc reductio in Deum immediatè, sed alia & alia ratione, nam in prima apprehensione mouet Deus intellectum in genere causæ efficientis, quia impellit & excitat ipsum ad primum actum intelligendi practicum, puta ad considerandum summum bonum, & sic prima apprehensio est illicitiuè ab intellectu, & impulsiuè siue excitatiuè à Deo. In prima autem volitione Deus mouet voluntatem in genere causæ finalis, id est, eo modo quo intellectus scilicet proponendo sibi bonum summum & in tali motione ac propositione, Deus supplet vicem intellectus, & talis propositio obiecti, constituit voluntatem in actu primo, & sic constituta producit in se volitionem primam, ex his duobus modis reputo primum esse magis consonum doctrinæ B. Tho. nam per primũ modũ saluatur subordinatio voluntatis ad intellectum, vt suum ordinarium motiuum in genere causæ finalis, & sic saluatur, quòd omnis volitio etiam prima reducitur ad apprehensionem præcedentem, sed non econuerso, quia prima apprehensio non reducitur ad velle præcedens, sed ad Deum, vt diximus, & hæc est doctrina B. Tho. in prima parte, quæst. 28. articulo 4. ad tertium, vbi inquit, Non oportet procedere in infinitum, sed statur in intellectu, vt in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est quòd præcedat apprehensio. Sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis. Sed principium consiliandi & intelligendi est aliquod intellectiuum principium altius intellectu nostro, quod est Deus, vt etiam dicit Arist. in libro de bona fortuna.

Ex his respondetur ad argumentum, & negatur consequentia, ad propositionem concedo, quòd omne velle præceditur ab aliquo intelligere, & etiam primum velle, quia repugnat voluntati ferri in penitus incognitum. Sed nego q̃ omne intelligere præcedatur ab aliquo velle, quod sit voluntatis nostræ, quoniam primum intelligere nostrum reducitur in Deum, vt in primum intellectũ, & cum arguitur, quia ex determinatis intellectus non exit in actum, nisi moueatur effectiuè à voluntate, voluntas autem non mouet, nisi per velle, ergo omne intelligere præceditur ab aliquo velle. Respondetur, q̃ antecedens non verificatur nisi in intellectionibus secũdis, & quãdo non determinauimus, voluntatem determinare ac mouere intellectum, intelligimus quo ad apprehensiones sequentes apprehensionem primam, quæ sunt circa media considerandа, quibus consequamur summum bonum apprehensum prima apprehensione, & volitum prima volitione. Patet igitur quòd non est necesse procedere in infinitum in apprehensionibus & volitionibus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si potentiæ rationales sunt actiuæ, vel merè passiuæ.

CONCLVSIO.

Potentia rationalis respectu actus sui non est merè passiua, sed etiam actiua: nec ex se ipsa sola est sufficiens principium productiuum sui actus.

IN hac quæstione aduerte, quòd ex varietate opinionum difficilis est ad resoluẽdum, ne autem ex multiplicitate opinionum confundaris, sic procedes, sequendo viam, in qua concordant Bea. Thom. & Scot. & reputatur esse ad mentem Philosophi & Commentator. pones primò duas conclusiones. Secundò, postquam probaueris, quòd licet voluntas sit actiua volitionis, non tamen ipsa sola sufficit, sed requiritur notitia obiecti, declarabis propter quid huiusmodi notitia requiritur. Tertiò solues quoddam dubium.

Quantum ad primum sit hæc prima conclusio, Potentia rationalis respectu actus sui non est merè passiua, sed etiam actiua. Probatur, Si est merè passiua, ergo actus eius est effectiuè à solo obiecto, quod est falsum, consequentia patet, falsitas consequentis probatur, nullum agens, per se elicit actionem, quæ transcendit speciem suam, quia effectus non transcendit causam suam. Sed intellectio & volitio sunt operationes vitales, transcendentes operationem cuiuslibet agentis non viui. Constat autem quòd obiectum intelligibile & volibile abstrahit à viuo & non viuo, ergo impossibile est huiusmodi obiectum esse causam actiuam actus potentiæ rationalis.

Præterea, actus immanens, vt dicetur infrà, secundum Philosophum, est subiectiuè in suo agente. Sed non est subiectiuè in suo subiecto, sed circa obiectum: ergo est subiectiuè in potentia rationali, ex consequenti est effectiuè & actiuè ab ea.

Præterea si solùm obiectum esset causa productiua actus potentię rationalis, sequitur, quòd non potest generari aliquis habitus voluntarius, quoniam si solum obiectum sit agens, mouebit modo naturæ: si mouet modo naturæ, agit actum merè naturalem, sed ex actibus naturalibus non potest generari, nisi habitus naturalis, & tunc destruetur maior pars scientiæ moralis. Tenendum est ergo, quòd licet potentia rationalis sit passiua, id est receptiua sui actus, est etiam actiua eiusdem, & hoc est quod dicunt aliqui, potentiam rationalem esse essentialiter actiuam, concomitanter passiuam.

Secunda conclusio, Potentia rationalis ex seipsa sola non est sufficiens principium productiuum actus sui. Hanc concedunt omnes, tenentes potentiam rationalem esse actiuam, & non merè passiuam, vt sunt Beat. Thom. Scot. Heru. Capreo. & ratio præcipua eorum est hæc, si potentia rationalis sola est sufficiens principium productiuum actus sui sequitur quòd animal vel semper intelligat, vel intelligat quoties, & quandocunque voluerit, quod est falsum, vt experimur. Consequentia probatur, Cùm non sint nisi quatuor genera causarum, oportet quòd in quocunque priori ponitur causa naturalis effectiua, & materialis disposita & approximata sequatur actio, vel saltem possit sequi, si est causa voluntaria, quia cùm causa formalis & finalis in quantum huiusmodi sequãtur productionem, ipsæ necessariò præsupponunt actum.

Cùm igitur per te intellectus solus sit actiuus & sufficiens principium productiuum actus intelligendi, & ipse intellectus secundum se semper sit vltimatè subiectum receptiuum actus sui dispositum & approximatum sibi ipsi, sequitur, quòd semper intelligat vel saltem quoties, & quandocunque homo voluerit. Quòd cùm sit falsum, vt experimur, necesse est vt concurrat obiectum per speciem intelligibilem, actuantem intellectum, & repræsentantẽ obiectum intelligibile, quòd concurrat notitia obiecti cum volitate ad productionem volitionis.

Quantum ad secundum aduerte, quòd licet Scot. & omnes Thomistæ teneant, quòd ad volitionem necessaria est notitia obiecti: quia sicut appetitus sensitiuus sequitur notitiam sensitiuam de obiecto suo, sic appetitus intellectiuus sequitur notitiam intellectiuam de obiecto suo, discordant tamen in modo positionis. Nam Capreo. in secundo, distinctione vigesima quarta q. prima in responsione ad argumenta contra quintã conclusionem tenet, quòd notitia obiecti non concurrit cum voluntate vt causa partialis productiua volitionis, sed locum vt ratio agendi, id est non qua formaliter voluntas agit, sicut ignis formaliter agit calore, sed quia voluntas specificatur, vel actus voluntas recipit specificationem, vt dictum est in quæstione præcedenti, vbi declarauimus intellectum determinare voluntatem, quo ad specificationem, & non quo ad exercitium. Hetue. quòque in secundo, distinctione vigẽsima quarta, quæstione prima, videtur declinare ad hãc viam. Paul. autem Sonc. in nono lib. quæstione decimatertia, licet quòd concurrit vt causa partialis effectiua, minus tamen partialiter quàm voluntas, ita quod ex voluntate & notitia obiecti constituitur vna sufficiens causa volitionis, & intentionem suam manifestat dicto Bea. Thom. & pluribus dictis Commen. verum quia dicta illa possunt interpretari, tam de causa partiali effectiua, quàm de ratione agendi, ideo tenere potes, quam partem volueris: si fuit in ere volueris, quòd notitia obiecti non est causa partialis, sed ratio agendi, dices quòd sicut se habet species intelligibilis ad intellectionem, sic notitia obiecti ad volitionẽ. Sed species non cooperatur ad substantiam intellectionis, sed ad determinationem, vt tenet Capreol. in primo, distinctione trigesima quinta, quæstione prima, ad argumenta in secundo loco contra primam cõclusionem, vbi inquit, Species non est princ. eliciuium actus, sed determinatiuum, nam cùm obiectum intellectus sit intelligibile vniuersale, non magis hoc quàm illud intelligere, nisi determinaretur à specie, sic repræsentante hoc, quod non illud. A simili, tota substantia volitionis est à voluntate, determinatio autem à notitia obiecti, nam cùm obiectum voluntatis sit bonũ vniuersale, non magis hoc quàm illud vellet, nisi determinata esset ab obiecto cognito sub ratione boni pro tali vel tali gradu, & si dicas, quod omnis forma intentionalis ideo ponitur, vt sit principium alicuius actionis, non enim alia ratione ponitur species sensibilis, nisi vt sit principium sentiendi, nec alia ratione species sensatæ referuantur in phantasia, nisi vt sint principium phantasiandi & memorandi, vt declaratum est in libris de anima. Respondeo & dico, quod forma intentionalis est propter operationem, quę elicitur à solo subiecto, in quo recipitur talis forma, vt species visibilis recipitur in oculo, nõ vt ipsa partialiter, nec secundum totum eliciet visionem, sed vt oculus videat. Qui tamen cum respiciat colorem in communi pro obiecto, nõ exiret in actũ, nisi determinaretur hac specie repræsentatiua tãtum huius coloris, & illa illius. Idem intellige de specie intelligibili respectu intellectus, & de notitia obiecti respectu voluntatis. Concedo igitur omnem formam intentionalem esse principium actionis, non tamen eliciuium, sed sufficit esse determinatiuum.

Quantum ad tertium aduerte, quòd contra primã conclusionem, fiunt multa argumenta ab his, qui tenent potentiam rationalem esse merè passiuam, quæ formantur & soluuntur à Capreo. in secundo, distinctione vigesima quarta, quæstione prima, contra quintã conclusionem, ea in parte format Paulus Sonc. in libro nono, quæstione decima, & soluit, vide quem volueris. Contra secundam conclusionem solet fieri arg. apparens, quo probatur, ad actum voluntatis, non semper requiri notitiam obiecti: & arguitur sic, Volitio aliquando præcedit notitiam obiecti: & cognitio defidero addiscere, & tunc voluntas imperat intellectui vt incumbat & addiscat. contrà, sumo primam volitionem, & quæro, aut causatur ab obiecto cognito saltem confusè, aut non, si non, habetur intentum, si sic, ergo ante primam volitionem datur volitio, quod implicat. Consequentia probatur, quia intellectus nihil intelligit nisi moueatur effectiuè à voluntate, vt visum est suprà, ergo si prima volitio causatur à notitia obiecti saltem confusa, necesse est ante primam volitionem dari priorem, eam, scilicet qua voluntas imperat intellectui, vt distinctius, cognoscat obiectum cognitum, solum in confuso.

Ad hoc argumen. licet iam responsum fuerit in quæstione præcedenti, iterum volo respondere, non recedendo à responsione data, sed addendo. Aduerte igitur, quòd si tenueris primam volitionem causari à Deo modo quo in quæstio, præcedenti declarauimus, videbis, quòd prima volitio reducitur immediatè in primam apprehensionem, & prima apprehensio non reducitur in priorem volitionem, sed in Deum, & illic est status, Si autem tenueris primam volitionem causari ab intrinseco, id est ab aliqua potentia animæ cognoscitiua, dices quòd causatur à notitia obiecti, sed hæc notitia non est imperata à voluntate, quoniam licet ordinarium mouens effectiuè intellectum sit ipsa voluntas, tamen aliquando excitatur ad intel-

ligendum à sensu interiori, puta cogitatiua, nam cùm habeat maximam propinquitatem ad intellectum, ita quòd dicitur ratio particularis apprehendit rationem, boni particularis, & bonum particulare cognitum offert appetitui sensitiuo, & appetitus sensitiuus inclinat voluntatem, vt illud accepet & quærat.

Tunc voluntas imperat intellectui, vt circa illud consideret quo diligentius & vniuersalius considerato ab intellectu, intellectus efficacius mouet voluntatem, ostendens ei bonum sub perfectiori cognitione quàm fuerit ostensum à cogitatiua, & in tali ordine, patet quòd prima notitia obiecti intellectiua causatur à prima volitione, & prima volitio non à priori notitia intellectiua, sed à sensitiua, quæ est à cogitatiua, & illic est status, manifestum est ergo, quòd in omni volitione necessaria est præcedens, saltem aliqualis notitia obiecti, quæ sit notitia habita per intellectum, vel saltem per sensum interiorem mouentem appetitum sensitiuum, & ille moueat voluntatem, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si potentia rationalis producit actum suum in instanti vel in tempore.

CONCLVSIO.

Cùm actus potentiæ rationalis sit in prædicamento qualitatis, necesse est eum fieri in instanti.

IN hac qastione, aduerte, antequam deueniamus ad decisionem, quòd sua difficultas pendet ex natura actionis immanentis. Nam qui tenêt actionem immanentem esse in prædicamento actionis dicunt eam esse verè motum, ex consequenti successiuam, & sic de necessitate fieri in tempore.

Qui verò tenent eam esse in prædicamento qualitatis, negant quòd sit verè motus, nisi sumendo motum metaph. scilicet pro qualiber actione perfecta, vel quæ dicitur actus perfecti, cuius naturam manifestabimus in parte vltima huius quæsti, & illi tenent, quod fit in instanti, & non in tempore, & quoniam B. Tho. tenet eam esse in prædicamento qualitatis, tenet ex consequenti, quod fit in instanti. Tu igitur vt defendas viam Thomisticam, sic procede: primò ponitur conclusio, quod actio potentiæ rationalis est in prædicamento qualitatis, secundo ponitur conclusio, quod fit in instanti, tertio declarandum est, quare tantum laboramus & multum temporis expendimus in speculatione, si fit in instanti, quarto soluenius argumenta eorum, qui tenent, quod non ponitur in prædicamento qualitatis, sed in prædicamento actionis.

Quantum ad primum ponitur hæc cõclusio. Actus potentiæ rationalis est in prædicamẽto qualitatis, probatur. Huiusmodi actus est actio immanens, vt patet infra in text. 16. Sed actio immanens est in prædicamento qualitatis, ergo, &c. probatur minor, & quoniam eadem ratio, est de vna sicut de omnibus, sumo delectationem de qua pertractat philosop. in 10. Ethi. & arguo sic, vel delectatio est in prædicamento actionis vel qualitatis, quoniam constat, quòd non est substantia, nec quantitas, nec relatio, nec res de quatuor vltimis prædicamentis, sed non est in prædicamento actionis, quod sic probatur, Actio prædicamentalis est motus physi. secundum philosophum in 3. phy. text. 19. sed delectatio non est motus physicus, vt tenet expresè philosophus in 10. Ethic. in cap. 4. vbi inquit, propter quod neque motus est, scilicet delectatio.

Quod etiam sic probat, Motus est de genere imperfectorum, cùm sit actus imperfecti, id est existentis in potentia, & est via ad perfectionem, & non est motus perfectus in omni parte temporis mensurantis motum, sed in vltimo. Sed delectatio est de genere perfectorum, quoniam in omni parte tẽporis in quo est, habet complementum suæ speciei, ergo delectatio non est motus physicus, ex consequenti, nõ est actio physica. Vnde philosophus illic concludens contra tenentes delectationem esse motum, dicit, ex his autem manifestum, quoniam non bene dicunt delectationem esse motum vel generationem, quoniam ratio motus & generationis non potest cuilibet attribui, sed solum diuisibilibus, quæ non sunt tota, id est, quæ non statim habent suum complementum. Non enim potest dici quòd generatio attribuatur visioni, ita, scilicet quòd successiuè compleatur, sicut etiam non potest attribui puncto, nec vnitati. Hæc enim non generantur, sed consequuntur quorundam generationem: vnde cùm delectatio sit quoddam totum, id est, in diuisibili habens perfectionem suam, non potest dici quòd sit motus nec generatio. Cùm igitur delectatio secundum philosophum non sit motus physicus, & actio prædicamentalis sit motus, patet quòd non est in prædicamento actionis: ergo à sufficienti diuisione, est in prædicamento qualitatis.

Quantum ad secundum poni tur hæc cõclusio. Actus potentiæ rationalis fit in instanti. Hæc conclusio est de mente philosophi in 10. Ethic. vbi agens de delectatione, sic arguit, visio fit in instanti, ergo & delectatio, consequentia est manifesta; quoniam sicut visio est actio immanens, sic delectatio. Antecedens autem sic manifestat. Quæcunque fiunt in tempore, ideo fiunt quia non statim habent perfectionem suam, sed acquirunt eam terminato tempore, mensurãte motu productionem, sed visio secundum quòdcunque tempus perfecta est, non enim indiget aliquo posterius adueniente, quod perficiat eam, sed in instanti completur eius productio, ergo non fit in tempore, sed in instanti; & quod probauit de visione applicans ad delectationem, inquit: Tale autem videtur & delectatio, totum enim quoddam est, id est, est quid completum & perfectum in primo instanti, in quo incipit esse.

Præterea philosophus illic probans delectationem nõ esse motum, assumit hanc propositionem: Omnis motus est in tempore sub qua necesse est hanc subsumere. Delectatio non fit in tempore, & concludere ergo non est motus.

Præterea, parum infrà sic inquit, Non contingit moueri in non tempore. Delectari autem contingit in non tẽpore, quoniam & in ipso nunc est quoddam totum, id est, in instanti habet complementum suum. Manifestum est igitur, quòd mens philosophi fuit, actionem immanentem fieri in instanti, cùm igitur actus potentiæ rationalis fit actio immanens, sequitur quòd fiat in instanti, & si quæras, licet posit fieri in instanti, nũquid est apta fieri etiam in tempore. Respondeo quòd non, & ratio huius est: Actio immanens est actus perfecti, id est agentis actuati, sicut visio est actus oculi actuati specie visibili, & intellectio est actus intellectus actuati specie intelligibili, ergo non est apta fieri in tempore. Antecedens patet, quoniam actio immanens est motus metaph. qui est actus perfecti, vt declarabitur infrà, consequentia autem probatur. Omnis actus qui fit in tempore est actus imperfecti, id est, existentis in potentia ad perfectionem, sicut enim in tempore sunt partes successiuè, ita actus factus in tempore successiuè perficitur, & successiuè perficit suum receptiuum, vt patet in calefactione & sanatione: sed actio immanens non est actus imperfecti, aliter esset motus physicus, cuius oppositum probatum est de mente philosophi: ergo non fit, nec apta est fieri in tempore.

Et si quæras dato quòd fiat in instanti & non sit apta fieri in tempore, vtrum possit conseruari in tempore. Respondeo quòd sic, quoniam sicut illuminatio fit in instanti, & tamen conseruatur in toto tempore, in quo stat præsentia luminosi super illuminabile, remoto impedimento, sic visio qua video Sortem, licet fiat in instanti, potest tandiu conseruari quandiu stat species visibilis in oculo, à stante obiecto ad extra debitè proximato, remoto omni impedimento. Idem dico de intellectione & delectatione, & trifidia. Tẽporis autem longitudo & breuitas in conseruatione huiusmodi pendet quidem per se ex imperio voluntatis, per accidens autem à multis causis, puta à positione vel remotione impedimenti extrinseci vel intrinseci, à bona vel mala dispositione corporali videntis vel speculantis, vel delectantis, &c.

Quantum ad tertium aduerte, quòd si nostrum intelligere esset sine phantasia administrante phantasmata, & nõ essemus perturbati, nec distracti à speculatione propter passiones appetitus sensitiui trahens nos ad sensibilia & delectabilia secundum sensum, nullus inesset nobis labor in speculãdo, ita quòd in instanti, & sine difficultate præuia elicerémus actum intelligẽdi, & possemus in eo perseuerare ad libitum nostrum, ita quòd intelligere nostrum esset sicut intelligere substantiæ separatæ. Cùm igitur intelligamus cum phantasmate & necesse est ordinare phantasmata, vt deseruiant intellectui, sicq; phãtasia potentia organica, similiter appetitus sensitiuus necesse est vt laboremus in phãtasiando, & in sedãdo passiones, & hic multum expendamus temporis, in phantasiando quidem, vt præparemus ordinata phantasmata deseruientia intellectui, in sedãdo verò passiones, vt remoueamus impedimẽta, vnde aduertè, quòd intellectio in nobis se habet, vt illuminatio, quæ licet fiat in instanti, tamen necesse est præcedere motum localem, solis, donec cõtingat punctum horizontis nostri, qui motus fit in tempore, vt patet, & postquã attingit horizõtem nostrum, necesse est remouere impedimenta, si qua sunt, puta caligo, siue nubes, aliter radius solis non apparebit, & hæc remotio necesse est vt fiat in tempore, puta per ventum spirantem aut per consumptionem vaporum sole calefaciente, sicut igitur aër pro quolibet instanti est aptus illuminari peracta appropinquatione solis ad pũctum nostri horizontis, & remoto impedimento caliginis, aut nubis, sic intellectus noster est aptus pro quolibet instanti recipere speciem intelligibilem elicere intellectionem facta ordinata præparatione phantasmatum quietata perturbatione passionum: patet igitur qua de causa tantum laboramus & tantum temporis expendimus in speculatione, cùm tamen actus intelligendi essentialiter fiat in instanti, & non sit aptus fieri nisi in instanti.

Quantum ad quartum aduerte, quòd qui tenent actum potentiæ rationalis esse in prædicamento actionis, faciunt conatum in argumentis.

Primò, Si non est in prædicamento actionis, hoc ideo est, quia de ratione actionis prædicamentalis videtur esse, quod per ipsam aliquid fiat, sicut patet de ædificatione, calefactione, sanatione, &c. Sed hæc conditio non est necessaria, quoniam licet Philosophus in libro nono Metaphysic. textu decimosexto, videatur distinguere actionem transeuntem ab immanente, ex eo quod immanens est finis, Transiens autem non: sed aliquid operatum per eam, tamen Philosophus in primo Ethic. distinguit actiones transeuntes, assignans, quomodo in aliquibus ipsa operatio est finis, in aliquibus autem finis est aliquod operatum, exemplum primi, vt citharizare, & cantare: exemplum secundi, vt ædificare.

Ad hoc dicitur, quòd illa non est ratio, sed est illa, quam assignauimus in probatione primæ conclusionis, quia scilicet est motus Physicus, vt declarauimus de mente Philosophi, in quibus autem & in quot differant actio transiens & actio immanens, manifestabimus infrà, quando quæremus si actio immanens est subiectiuè in agente.

Secundò, Si non est in prædicamento actionis, hoc ideo est, quia actio potentiæ rationalis, quæ est actio immanens, est motus, qui est actus perfecti, actio autem prædicamentalis est motus, qui est actus imperfecti, ex tertio Physicor. textu. Sed falsum est, actionem immanentem esse actum perfecti, imò est actus imperfecti. Nam est perfectio agentis, vt declarabimus infrà, ergo agens comparatur ad ipsam, vt perfectibile ad suum perfectiuum, non ergo vt perfectum, sed vt imperfectum, omne enim perfectibile vt sic imperfectum est.

Ad hoc conceditur, quòd illa est ratio, & negatur quin actio immanens sit actus perfecti. Ad improbationem dico, quòd non dicitur actus perfecti, quia agens à quo est & in quo recipitur sit perfectum, imò, vt dicitur in argumento, perficitur tali actione, sed dicitur actus perfecti, quia talis actio est perfecta, & est complementum & perfectio, vt diximus de mente Philosophi de visione & delectatione, quæ in vno instanti in quo producuntur, habent omnem perfectionem suæ speciei, & in hoc distinguitur ab actione transeunte, quæ dicitur actus imperfecti, quia non est perfectio, sed via ad perfectionem per corruptionem contrarij, sicut calefactio est via ad calorem per corruptionem frigiditatis. Et hæc actio est motus Physicus, quem dixit Philosophus in tertio Physicor. quòd est actus existentis in potentia ad vlteriorem perfectionem, & quoniam omne existens in potentia vt sic, est imperfectum, ideo dicitur actus imperfecti.

Tertiò, Non est in prædicamẽto qualitatis, ergo est in prædicamento actionis, patet consequentia, quoniam non apparet ratio, quare debeat esse in aliquo alio prædicamento, antecedens autem est Philosophi in 10. Eth. ca. tertio, vbi inquit, neque enim virtutis operationes qualitates sunt, neque felicitas. Constat autem quod operationes virtutis & felicitas apud Philosophum sunt actiones potentiæ rationalis, aut essentialiter, aut participatiuè, si non sunt qualitates, non sunt in prædicamento qualitatis.

Ad hoc dicitur, quòd illam propositionem adduxit Philosophus, non determinatiuè, sed potius afferendo instantiam apparentem contra eos, qui argumentati fuerant, delectationem non esse bonum, quia non est qualitas, quasi quod bonum non inueniatur nisi in qualitate. Cui argumento respondens Philosophus inquit, non tamen si delectatio non est qualitas, propter hoc non sequitur, quòd non sit bonum, quasi dicat, stat quòd non sit qualitas, & tamen sit bonum, & dat instantiam, quia operationes virtutis & felicitas non videtur esse qualitas, & tamen sunt bonum, & quod non sit loquutus determinatiuè, patet: quia infrà in capite quarto probat, operationem immanentem, vt visio & delectatio, non esse motum physicum, quia ille fit in tempore, &c. & si non est motus, non est actio, vt declarauimus in prima conclusione, ergo non est de mente Philosophi in prædicamento actionis, ergo est in prædicamento qualitatis, quia constat quod non est substantia nec quantitas, nec potest esse relatio, aliter non esset perfectio. De aliis quatuor vltimis constat, quoniam in eis non continentur nisi corporalia. Dico ergo, quòd secundum doctrinam Philosophi, quantum ad rem significatam, quòd sunt qualitas, licet quantum ad modum significandi habeat modum actionis.

Quartò, Si sunt in prædicamento qualitatis, non possunt esse nisi in prima specie, quæ dicitur habitus & dispositio, quod est falsum, consequentia patet, quia non sunt in secunda: huiusmodi enim non sunt naturalis potentia nec in potentia, nec in secundo, quia non sunt passio vel passibilis qualitas, huiusmodi enim qualitates sunt secundum quas fit alteratio sensibilis, constat autem quòd secundum actus potentiæ rationalis non fit alteratio sensibilis, multo minus sunt in quarta specie, vt de se patet, ergo si sunt, sunt in prima vel in nulla. falsitas autem consequentis probatur, intelligere, & omnis actio immanens sunt actus secundi, quia quo scimus vt actu primo est scientia, actu autem secundo est scire siue considerare. Sed quæ sunt in prima specie qualitatis, sunt actus primi & non secundi, ergo intelligere nec alia actio immanens sunt in prima specie qualitatis. Minor probatur, nam si ea quæ sunt in prima specie qualitatis essent actus secundi, superflue Philosophus in septimo Physic. textu decimoseptimo, probasset speciali processu, quod ad ea quæ sunt in prima specie qualitatis non est motus, cum speciali processu iam probasset in quinto Physic. textu 10. quod ad actum secundum, scilicet ad actionem non est motus, sed vna esset probatio vtriusque,

Ad hoc conceditur consequentia, & negatur falsitas consequentis, ad probationem nego minorem, quoniam sunt in ea actus primi, qui sunt habitus, & actus secundi, qui sunt dispositiones ad habitum, & qui etiam possunt esse ex habitu. Ad probationem minoris, nego consequentiam, quoniam alia via processit in 7. phys. & alia in 5. nam in 5. vt patet à tex. 12. vsque ad 17. probat de prædicamento actionis & passionis, quod in eis non est motus, quoniam cùm actio & passio sint motus esset motus in motu, & mutatio in mutatione in infinitum. In 7. autem aduertens, quòd probatio facta in 5. non concludebat de his quæ sunt in prima specie qualitatis, quoniam actus siue primi siue secundi illic repositi non sunt actio vel passio physica. ex consequenti non sunt motus, præcesit alia via puta vel quia sunt ad aliquid, vel quia consequuntur alterationem, vt virtutes & actus morales, vel quia acquiruntur quiete & residentia passionum, vt habitus intellectuales, & eorum actus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Si potentia actiua præcedit actum suum.

Sunt autem quidam qui dicunt, vt Megarici, quando operatur solum posse. Tex. 5.

Philosophus hic improbat opinionem dicentium, nullum agens habere potentiam actiuam, nec posse agere, nisi dum actu agit. Determinat autem Philosophus, quòd nihil prohibet potentiam actiuam præcedere actum suum. Circa quod quæritur, an & quomodo sit verum.

CONCLVSIO.

Potentia actiua, non natura solùm sed etiam tempore actum suum præcedere potest.

IN hac quæstione non inuenio diuersitatem opinionum in via peripatetica, nec euidentem & magnam difficultatem. Tu igitur sic te resolue. Primò pones vnam distinctionem de præcedentia. Secundò conclusionem responsiuam cum probatione sua. Tertiò solues duo argumenta, quæ videntur habere aliqualem apparentiam.

Quantum ad primum aduerte, quòd hæc propositio philosophi, potentia actiua præcedit actum suum, est vera sub hac distinctione, natura vel tempore. Nam datur aliqua potentia actiua semper coniuncta actui, vt potentia illuminatiua solis, & potentia motiua intelligentiæ quæ ab æterno & in æternum continuè mouet actu suum mobile, & in his sufficit, vt potentia actiua præcedat actum suum natura sicut & causa, vt causa est prior effectu saltem natura, vt diximus in libro quinto in quæstione prima vbi assignauimus distinctionem inter principium & causam. Datur insuper aliqua potentia actiua, quæ necessariò præcedit tempore effectum suum, vt in corruptibilibus & in artificiatis, & prius tempore animal habet visum quàm videat, & potentiam gradiendi quàm gradiatur.

Quantum ad secundum, ponitur hæc conclusio, Potentia actiua, non solùm natura, sed & tempore potest præcedere actum suum. Prima pars probatur, nisi cõmunicat seipsum alteri distincto essentialiter, nisi supponatur esse, sed agens per potẽtiam actiuam cõmunicat se alteri distincto essentialiter,

quia effectui suo. ergo agens supponitur esse cum potentia actiua effectui suo, actio autem siue actus est effectus agentis. ergo supponitur esse. quod autem supponitur, prius est saltem natura. ergo, &c.

Secunda autem pars probatur à Philosopho per totum textum quintum 4, rationibus quas videbis in epitome nostra in 9. lib. Metaphysic, trac. t. vnico, cap. 2. Illic resolutè formauimus eas, nec expedit hûc inutiliter repetere. Ibidem videbis rationes motiuas opinantium Megaricorum, qui negant, potentiam actiuam præcedere actum, quas & illic soluimus.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta contra determinationem factam.

Primum est, Si potentia actiua præcedit actum, aut est sufficiens aut non, si sufficiens, ergo sicut postea producit actum, eadem ratione & nunc, quocunque enim instanti ponitur causa sufficiens, ponitur effectus, aliter non esset sufficiens. Si non est sufficiens, ergo ad hoc, quòd fiat sufficiens transmutabitur, vt scilicet aliter se habeat quàm prius. Si transmutabitur, ergo fiet passiua, quia omne circa quod est transmutatio, est passiuum; & sic potentia actiua erit passiua, quod est impossibile, cùm sint opposita.

Ad hoc dicitur, quòd aliquando est sufficiens, aliquando insufficiens, sicut potentia generatiua in viro, & generatiua in puero, & quando est sufficiens, nego illam consequentiam, ergo sicut postea, &c. quoniam vltra sufficientiam virtutis in causa, requiritur debita approximatio & debita dispositio in passo, quæ non pro quolibet tempore adsunt, sed aliquando sic, aliquando non, & inde est, quòd non quocunque instant, ponitur causa sufficiens, ponitur effectus, quia non quolibet instanti ponuntur circunstantiæ requisitæ ad actionem, & quando est insufficiens concedo, quòd necesse est, vt transmutetur, sumendo transmutationem pro quocunque modo alio se habere, puta quòd vniatur cum alia potentia actiua, vt in tractu nauis, in quo potentia vnius non sufficit, vel quòd intendatur, puta calor vt tria, non est sufficiens ad calefaciendum aquam, & intensus vt 6. erit sufficiens, & cum arguitur, ergo actiua fiet passiua, respondetur quòd non est inconueniens, diuersâ ratione, vt declaratum est suprà de agente actione immanenti, quod est actiuum, & passiuum, respectu suæ actionis.

Secundum est, Si potentia præcedit actum, ergo vt exeat in actum, necesse est vt determinetur ab alio, sed hoc est falsum, quia omne determinans aliud, habet potentiam actiuam. Tunc quæritur, si illa potentia præcedit actum, vel non, si sic, ergo vt prius, necesse est vt determinetur ab alio, & sic erit processus in infinitum, si non, ergo eadem ratione standum erat in primo, prima autem consequentia sic probatur, quia omnis potentia præcedens actum oportet determinari ad illum actum per aliud.

Ad hoc dicitur, quòd cùm potentia actiua distinguatur in naturalem & rationalem, si argumentum intendit de naturali, nego primam consequentiam, ad propositionem dico, q̃ illa propositio, Omnis potentia præcedens actum, &c. non est vera de potentia naturali, quoniam vt dictum est suprà, est tantum vnius oppositi, ex consequenti ex natura sua est determinata, ad illud, & semper exit in actum, stantibus circunstantiis requisitis ad actionem, vt debita approximatione & dispositione in passo, &c. Si intendit de potẽtia rationali, conceditur prima consequentia, & negatur falsitas consequentis. Diximus enim suprà, quòd potentia rationalis cognoscitiua vt intellectus determinatur ab appetitu intellectiuo, quæ est voluntas in genere causæ efficientis, voluntas autem determinatur ab intellectu in genere causæ finalis, & sic non est, processus in infinitum. Quomodo etiam non sit processus in infinitum in intellectionibus & volitionibus, vide in quæstione quinta huius libri. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

Si diffinitio possibilis est bene assignata à Philosopho, sumendo possibile vt distinguitur præcisè contra impossibile.

Est autem possibile hoc cui si extiterit actus cuius dicitur habere potentiam, nihil erit impossibile. Text. 7.

Philosophus in hoc tex. diffinit possibile quod solet sic diffiniri, Possibile est illud, ad quod non sequitur impossibile. Item sic possibile, est illud, quod qui ponatur in actu, nullum fit impossibile. Circa quod quæritur, si est verum.

CONCLVSIO.

Possibile est illud ad quod si eo modo ad actum reducitur, & non alio nihil impossibile sequi potest.

In hac quæstione sic procedetur. Primò ponẽtur duæ distinctiones. Secundò, conclusio responsiua cum probatione sua. Tertiò soluentur duo argumenta.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio, Possibile est duplex. Quoddam in sensu diuiso tantum, quoddam absolutè, exemplum primi, album possibile est esse nigrũ, quod tamen est falsum in sensu composito, nam si poneretur in actu, sequeretur impossibile, scilicet album est nigrum, exemplum secundi, possibile est Sortem esse regem, nam absolutè loquendo, ad istam, Sortes est rex, nihil sequitur impossibile.

Distinctio secunda, Possibile iterum est duplex. Quoddam quod secundum se totum est reducibile ad actum, vt ens positiuum permanens finitum. Quoddam cui secundum naturam suam repugnat secũdum se totum reduci ad actum, quoniam ex sui natura competit sibi actus admixtus potentiæ, vt enti successiuo, quale est tempus, & motus, & enti infinito secũdum magnitudinem & multitudinem. Et aduerte, quòd hæc distinctio tracta est ex tertio libro Physicorum textu quinquagesimoseptimo, vbi Philosophus declarat, quomodo infinitum in potentia est reducibile ad actum.

Quantum ad secundum ex distinctionibus datis, ponitur hæc conclusio, Possibile est illud, ad quod si eo modo quo est possibile, reducitur ad actum, & non aliter, nihil sequitur impossibile. Hæc conclusio, quomodo sit intelligenda, patet ex distinctionibus prædictis, nam si id quod est possibile in sensu diuiso tantum, ponitur in actu pro sensu diuiso, nullum sequitur impossibile, nam licet sit impossibile album vt album esse nigrum, tamen nihil prohibet, subiectum quod est album amota albedine esse nigrum, similiter si id quod est possibile in ente successiuo & in ente infinito quanto ponatur in actu non quidem secundum se totum, sed cum admixtione potentiæ, nullum sequitur impossibile. Sic ergo intellecta, conclusio probatur. Possibile vt possibile respicit actum. Dicitur enim possibile, aliqua potentia possibile, omnis autem potentia respicit actum, aliter esset frustra. Tunc vltra, Si omnis potentia respicit actum, & secundum te, ex hoc quod ponitur actu, sequitur impossibile, ergo potentia respicit impossibile, sed hoc est absurdum. Dicere enim potentiam respicere impossibile, est negare potentiam, quia respectu impossibilium nulla est potentia, vnde Philosophus in tertio Physic. textu sexagesimonono manifestans, quomodo potentia respicit actum, inquit, quantum enim potentia contingit esse, & actu contingit tantum esse.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta contra diffinitionem de possibili, per quem probatur, quod in aliquo casu, si possibile ponitur in actu, sequitur impossibile.

Primum est, Hæc est de possibili, Possibile est omne corruptibile corrumpi, & tamen si ponitur in actu, sequitur impossibile, nam posito quòd omne corruptibile de facto sit corruptum, sequitur, quòd materia remanebit sine omni forma, quod est impossibile, vt probatum est suprà: ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd hæc propositio, Possibile est omne corruptibile corrumpi, est vera diuisiuè. Signato enim quocunque corruptibili potest corrumpi: & si ponatur in actu, non sequitur impossibile, quoniam si illud corrumpitur, aliud generatur, ex consequenti non remanet materia sine forma, non autem est vera collectiuè, siue simultaneè, sensus enim esset, quòd pro aliquo instanti, omnia corruptibilia simul sumpta, simul possent corrumpi, quod non admittitur, quoniam tunc argumentum procederet. Patet igitur, quod possibile eo modo quo est possibile non sequitur impossibile.

Secundum est, Dictum est suprà, quod potentia rationalis pro eodem instanti potest in opposita, ex quo arguitur sic, possibile est voluntatem Sortis in hoc instanti velle stare, & velle sedere. Sed si ponatur in actu, sequitur impossibile, scilicet quòd in hoc instanti stabit, & sedebit, ergo, &c.

Ad hoc responsum est suprà in quæstione quinta huius libri, vbi declarauimus, in quo sensu sit verum, potentiam rationalem posse similiter in opposita, & tamen quòd de facto non sint similiter opposita, vide tu ne fiat inutilis repetitio. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Si aliquod est possibile, quod tamen nunquam fuit nec erit.

Nihil prohibet possibile aliquod ens esse aut fieri, non esse verò, aut non futurum esse. Text. 8.

Philosophus in hoc textu, destruit opinionem eorum, qui tenent omnia esse possibilia, licet nunquam fierent aut essent, vnde ponebant costam commensurabilem diametro, licet id nunquam fieret, contra quos, dicit Philosophus, licet aliqua

aliqua sint possibilia quæ tamen nunquam erunt, non tamen omnia quæ nunquam erunt, sunt possibilia. Quoniam aliqua nunquam erunt, quia eis repugnat esse, & hæc dicuntur & sunt impossibilia, vt diametrum commensurari costæ. Aliqua autem nunquam erunt, licet eis non repugnet esse, quoniam aut eorum causa est libera, quæ etiam omnibus dispositis, potest agere & non agere: aut si est naturalis, potest impediri, vt dicemus infrà. Quæritur ergo, si aliquod est possibile, quod tamen nunquam erit.

CONCLVSIO.

Quoddam inueniri potest possibile quod nunquam fuit, vel erit.

In hac quæstione in qua intendo loqui merè Metaphysic. & non vt Theologus, inuenio duas opiniones, quarum vna tenet partem negatiuam, alia affirmatiuam. Prima est Comm. quam conatur defensare Iandun. in libro nono Metap. quæst. quinta, secunda est Bea. Tho. Tu igitur sic procedes. Primò declarabis quomodo Com. tenet partem negatiuam, & formabis rationes Ianduni in defensionem Comm. Secundò declarabis quomodo Beat. Tho. tenet partem affirmatiuam, quam probabis dictis Philosophi, & rationibus fundatis in doctrina Philosophi, quas sustinebis contra solutiones Iandun. Tertiò solues rationes Iandu. formandas in defensionem Commen.

Quantum ad primum aduerte, quòd Commentat. in libro nono Metaphys. in commento octauo, in principio sic inquit, Manifestum est, quoniam impossibile est vt aliquod possibile nunquam exeat in actum, & in Commento nono inquit, alio verò modo vtimur hac propositione, quam intendit declarare in hoc capite, in hoc quòd nihil habet potentiam ad corruptionem, quin corrumpatur, & nihil habet potentiam ad generationem quin generetur: ergo secundum Comm. omne possibile non esse, aliquando non erit, & omne possibile esse, aliquando erit. Et hanc sententiam Comm. conatur Iandu. in libro nono Meta. quæstione quinta, tribus rationibus firmare.

Prima est, Si aliquod possibile nunquam erit, aliquod possibile est, semper non ens, quod autem est semper non ens, est impossibile, quia sicut necessarium est semper ens, ita impossibile sibi oppositum, est semper non ens, ergo aliquod possibile est impossibile, quod implicat contradictionem.

Secunda est, Semper ens & semper non ens, sunt opposita, & similiter necessarium & impossibile sunt opposita, ex primo Cœli, textu centesimovigesimoseptimo, ex hoc sic arguitur, Omne semper ens est necessarium, ergo omne semper non ens est impossibile. Antecedens patet ex primo Cœli, vt suprà, consequentia etiam patet, quia sicut propositum in proposito, sic oppositum in opposito.

Tertia est secundum Philosophum, In hoc distinguitur possibile ab impossibili & à necessario, quia necessarium semper est, & impossibile semper non est, possibile autem non semper non est, ergo aliquo tempore est, & aliquo non est, ergo si ponis aliquod possibile nunquam esse, destruis rationem possibilis. Istæ sunt præcipuæ rationes pro defensione Commentator, quas soluemus infrà.

Quantum ad secũdum aduerte, quòd B. Tho. exponens tex. Philosophi, manifestè tenet partem affirmatiuã. Nam in 9. li. Metaphys. exponens tex. 8. inquit, sunt ẽnim aliqua de quibus nihil prohibet dicere, quòd sint possibilia esse, aut fieri, cùm tamen nunquam sint futura, nec vnquam fiant. Et in lib. 2. de generatione exponẽs tex. 64. inquit. Aliquid tamen futurum esse non habens causam determinatam, nihil prohibet contingere non esse. Verbi gratia, verum est nunc dicere de aliquo, quod est futurus incedere, potest tamen impediri propòsitum eius, & ita nõ inceder, & ratio huius est, quia talis incessus possibilis fieri, procedit ex voluntate libera, quæ etiã disposita & determinata ad iter, potest recipere impedimentum. Hæc est mens B. Th. quæ fundatur etiam in dictis Philosophi, nãm in 2. de generatione text. 64. tenet quòd aliquod est generabile, quod tamen nunquam generabitur, ergo est aliquod possibile, quod nunquam erit, generabile enim dicit possibile generari. Item inquit futurus quis incedere, non incedat. Et hæc sententia firmatur ratione sic.

Si non est aliquod possibile quin erit, ergo omnia eueniunt de necessitate, quod est falsum, vt probatum est in primo Periher. Et Comment. dicit in 2. Physic. commento 48. Sermo dicens omnia euenire de necessitate, est vanus, &c. consequentia patet, quia si omne possibile de necessitate erit, ergo omne futurum ex necessitate eueniet.

Et aduerte, quòd Iandun. in nono Metaphys. quæst. quinta, respondens huic rationi, distinguit, de necessitate, sic, Duplex est necessitas, scilicet continua & discontinua, quæ solet dici intercisa. Continua est secundum quam aliquid habet esse in quolibet tempore, ita quòd in omni tempore & omni instanti verum est dicere, quòd est in rerũ natura, vt homo secundum speciẽ habet necessitatẽ continuam, quia secundum successionem semper est homo. Discontinua est secundum quam res non habet esse in quolibet tẽpore, sed in aliquo, sic, aliquo non, vt rosa tẽpore veris tantum & glacies tempore hyemis tantum. Sed discontinua est duplex, quædam est determinata secundum naturam, & secundũ cognitionem nostrã, vt eclipsis solis & lunæ, de quibus sunt determinatæ causæ in tempore determinato & tanta duratione, quæ omnia cognoscuntur à nobis certissimè per scientiam Astronomiæ.

Quædam autem est determinata secundum naturam, sed non quo ad nos. Certum quidem est naturaliter quo & quanto tempore res erit, & quo & quanto non erit, sed nobis est incertum, quia non possumus naturaliter cognoscere tempus illud, nec duratione eius, & talem necessitatẽ habet inuentio thesauri in fossione, quia non est certum nobis, quo tempore hoc incipiet, & hoc propter raritatẽ, propter quam experiri non possumus determinationem illius temporis. Ex his dicit ad rationem adductam, quòd consequentia valet, quoniam nihil euenit, nisi ex necessitate vel continua vel discontinua, determinata secundum naturam & quo ad nos, vel saltem secundum naturam, licet non quo ad nos. Et cum arguitur, quòd hoc est falsum secundũ Philosophũ in secundo Periher, & Commen. dicit Iandu. quòd Philosophus non reputat hoc esse falsum, nisi sumendo necessitatẽ discontinuam determinatam secundũ naturam & quo ad nos quasi dicat, quòd omnia eueniunt ex necessitate ex parte rei & causarum eius, licet nos non cognoscamus talem necessitatem. Sed Iandu. non aduertit quòd philosophus in 6. meta. vt patet in text. 6. loquitur de positione & ordine causarum secundum naturam suam, & non quo ad nos: illic enim videtur concludere, quòd si cuiuslibet effectus iam sunt positæ omnes causæ per se, de necessitate erit secundum naturam suam; consequens autẽ esse falsum, iam docuerat in fine primi Periher. Præterea quomodo Metaphysica consideraret connexionem causarum vt metaph. si tantum respectu nostri id accideret. Tenendum est ergo philosophum sensisse, quòd nullo modo necessitatis omnia futura de necessitate eueniunt; sed quædam merè contingenter & liberè.

Præterea ad propositum arguitur sic, si nihil est possibile quin erit, ergo nulla est potentia rationalis & libera, quod est contra philosophum in 9. metaphys. tex. 3. consequentia probatur. Liberum est quod potest agere & non agere contrariè vel contradictoriè, sed si nihil est possibile quin erit. Omne agens de necessitate aget, quicquid potest agere, ergo nullum erit agens liberum.

Huic rationi respondens Iandu. deducit se ad hoc, quod agens liberum non dicitur liberum, quia possit in opposita, sed quia agit secundum rationem & gratia sui, dato quòd non habeat potentiam non agendi, vt Deus dicitur liberè mouerè, secundum Aristotel. qui est primum mouens, quia eligit & vult mouere gratia sui, & non quòd etiam eligat non mouere, quia non potest non mouere, secundum Arist.

Sed non aduertit Iandu. quod sic dicens saluat solum libertatem oppositam coactioni siue violentiæ, non autem libertatem cõtradictionis, qua potest agens in opposita pro eodem instanti, licet non coniunctim, sed diuisim; vt declarauimus suprà: quam libertatem expressè posuit Philo. in 9. meta. tex. x. vbi assignans differentiam inter potentias cùm ratione, & sine ratione inquit: Tales quidem potentias, scilicet sine ratione, necesse est, quando, vt possunt, actiuum & passiuum propinquant, hoc quidem agere, illud verò pati; illas verò, scilicet cum ratione non necesse. Quem tex. declarans Commen. inquit, Aliæ verò potentiæ, scilicet quæ sunt cum ratione, non est necesse; quando propinquant suis agendis vt agant, quoniam vna quæque illarum, scilicet quæ sunt sine ratione agit alterum contrariorum tantum, quæ autem sunt cum ratione agunt duo contraria, quod tu intelligas diuisim, & non coniunctim. Patet ergo quòd apud philosophum non dicitur potentia libera solum, quia agat gratia sui, sed quia potest in opposita: vnde Iandu. sic respondens contradicit philo. Quomodo autem Deus moueat & agat secundum philosophum an liberè, an ex necessitate naturæ, declarabitur in libro 12.

Quantum ad tertium soluendæ sunt rationes suprà inductæ quæ fuerunt Iandu. in fauorem Commen. & quidem prima, ac secunda simul soluuntur hac distinctione, semper non ens, est duplex, quoddam est quod nunquam habet esse, & sibi repugnat esse, vt diametrum commensurari costæ, & omne tale est impossibile. Quoddam est, quod licet nunquam

nunquàm sit habiturum esse, aut ex defectu causæ suæ impeditæ, aut ex causa libera indeterminata, tamen sibi non repugnat esse principem, & sic nego, quod tale semper non ens sit impossibile, sed tantum primo modo, & quando dicit Philosophus quòd necessarium est semper ens, & impossibile semper non ens, sumit ly semper non ens, primo modo, sicut enim necessarium dicitur semper ens, quia non potest esse, sic impossibile dicitur semper non ens, quia nunquam est, nec potest esse, eo quod sibi repugnat esse.

Ad tertiam dicitur, quòd illa diffinitio possibilis, qua dicitur, possibile est quod non semper non est, est vera de possibili in se & secundum se considerato: nam ex quo aliquid est possibile, non inconuenit quantum sit ex se, quòd aliquo tempore fit, & aliquo non. Quod autem nunquam ponatur actu, hoc non est ex natura possibilis, sed aliunde, puta ex impedimento causæ agentis, vel ex concursu causarum contrariarum quarum vna impedit aliam, vel ex indispositione materiæ, vel ex libertate agentis, quòd potest in opposita, nec subiicitur actioni, aut impressioni alicuius corporis, vt hic omnia declarat beatus Thomas in sexto Metaphysices, exponens textum octauum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Si in consequentia possibilium vel impossibilium antecedens & consequens debent esse similia.

Simul autem palàm quia si A, ente necesse B, esse & possibili ente A, & B, necesse est esse possibile. Text. 9.

Circa hunc textum quæritur, quomodo se habent antecedens & consequens in consequentia vera, in materia possibilium & impossibilium scilicet vtrum possint esse dissimilia, vel de necessitate similia.

CONCLVSIO.

Si antecedens alicuius consequentiæ sit possibile altum & consequens est possibile in eodem sensu: sed si alicuius consequentiæ veræ consequens sit impossibile, necesse est quoque antecedens esse impossibile: Antecedente verò existente impossibili, non est necesse consequens esse impossibile.

IN hac quæstione vt breuiter te resoluas, sic procede. Primo pones distinctionem de possibili, quam tangit beatus Thomas exponens text. 9. Secundo, pones tres conclusiones. Tertio solues dubium.

Quantum ad primum aduerte, quòd possibile dupliciter sumitur. Primo pro omni eo quod potest esse & non esse, & vt sic est idem quod contingens, & opponitur necessario & impossibili, quoniam necessarium non potest non esse, & impossibile non potest esse. Secundò pro omni quod potest esse, & vt sic nõ opponitur necessario, imò sequitur ad ipsum, nam bene sequitur A, non potest non esse, ergo potest esse, opponitur autem tantum impossibili, & dicitur possibile altum, quod prædicatur de possibili contingenti, & de necessario. Philosophus in præsenti textu intendit comparare antecedens ad consequens in consequentia vera in materia possibilium, sumendo possibile secundo modo, & non primo modo, quoniam vt diximus, in secundo modo opponitur præcisè impossibili.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Si alicuius consequentiæ veræ antecedẽs est possibile, sumendo possibile altum, & consequens est possibile in eodem sensu. Dico autem possibile altum, quoniã si in antecedente ponitur possibile contingens, non est necesse, quòd consequens sit possibile contingens, imò potest esse consequẽs necessarium, stante antecedente contingenti, vt hic, si Sortes est res, Sortes est homo, & hic, si Sortes disputat, Sortes est homo. Hæc conclusio sic probatur ad mentem Philosophi, si antecedens est possibile, & consequens sit impossibile, ergo ad possibile sequitur impossibile quod est contra diffinitionem supra positam de possibili. Dictum est enim, possibile est ad quod nihil sequitur impossibile.

Secunda conclusio, Si alicuius consequentiæ veræ consequens est impossibile, necesse est antecedens esse impossibile, probatur, stante consequente impossibili, si antecedens est possibile ergo ad possibile sequitur impossibile, quod repugnat diffinitioni datæ de possibili.

Tertia conclusio, Si antecedens est impossibile, non est necesse consequẽs esse impossibile, imò potest esse possibile contingens & necessarium, & possibile altum, exemplum primi, si homo est lapis, homo est grauis vel figuratus vel albus, &c. exemplũ secundi, si homo est lapis, homo est substantia, & est corpus. Quòd autẽ possit esse possibile altum patet, quia possibile altũ prædicatur de possibili, contingenti & de necessario.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Philosophus in text. videtur dicere oppositum huius tertiæ conclusionis, nam inquit sed erat primum impossibile, ergo & secundum, &c. Manifestum est autem quòd in consequentia primũ sumitur pro antecedente, & secundum pro consequente, intendit ergo, quòd si antecedens est impossibile, consequens est impossibile, cuius oppositum dicit tertia conclusio.

Respondetur, in tex. Comment. non cadit hæc difficultas, quia non habetur ly primum nec secũdum. Sed & B, & A, ita quòd sic intelligitur. sed B, est impossibile, id est, consequens, ergo & A, id est, antecedens, & hæc fuit secunda conclusio, si tamen inspicias tex. quem B. Tho. exponit, videbis quòd ly primum sumit pro B, & ly secũdum sumit pro A, & format hanc consequentiam, si B, quod est consequens est impossibile, A, quod est antecedens est impossibile, & tunc patet, quòd B, est primum, & A, est secundum in consequentia prædicta. Ad argumentum ergo concedo, quòd primum stat pro antecedente, quoniam in prædicta consequentia, ponitur consequens, quod est B, in antecedente, & secundum stat pro consequente, quoniam in prædicta consequentia ponitur antecedens, quod est A, in consequente, sic enim arguit, si B, consequens est impossibile, A, antecedens est impossibile. Ex quibus patet, quòd Philosophus non facit expressam mentionem nisi de prima & secunda cõclusione, tertiam autem licet hic non ponat, non tamẽ eam negaret, propter quod non potest prædictus textus vbi dicitur primum, ergo secundum applicari, nisi secundæ conclusioni. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Si actus est prior potentia ratione & cognitione.

Omni itaque tali prior actus ratione. Tex. 13.

CONCLVSIO.

Actus est prior diffinitione in cognitione secundum naturam suam & simpliciter: & cognitione, non solùm secundum naturam suam, verumetiam quo ad nos, quàm potentia

IN resolutione huius tex. quæritur, Si actus est prior potentia ratione & cognitione, sumendo actum vt actus, & potentiam vt potentia Metaphysic. Pro euidentia igitur huius quæsiti, ponuntur duæ conclusiones responsiuæ, cum probationibus suis. Deinde soluentur dubia insurgentia contra determinationem.

Prima conclusio, Actus est prior diffinitione & cognitione secundùm naturam suam & simpliciter quàm potẽtia. Quod diffinitione, probatur: quia vt patet, per Philosoph. in hoc lib. nono, textu decimotertio, id per quod aliquid diffinitur, est prius eo diffinitione. Sed per actum diffinitur potentia, sicut declarat Philosophus in eodem textu, vnde inquit, nam per contingere actu esse possibile, est quòd primo possibile, puta, dico ædificatorẽ potentẽ ædificare, & visibile potẽtes videri.

Quod autem cognitione, id est, quòd sit aptus natus prius & perfectius cognosci quàm potentia, probatur. Cùm obiectum intellectus sit ens, quod magis participat de entitate, magis & prius participat de cognitione secundum naturam suam, vnde dixit Philosophus in secundo Metaph. tex. 4. quòd sicut res se habet ad esse ita ad cognosci. Sed actus magis participat de entitate, nam vt inquit Commentator in libro nono Metaphysices, commento decimotertio, potentia est sicut non esse, actus autẽ est esse, ergo necesse est, vt actus præcedat potentiã cognitione secundũ naturam suam, & simpliciter.

Secunda conclusio, Actus est prior cognitione, quàm potentia non solùm secundum naturam suam, sed etiam quo ad nos, & sumo potentiam vt se extendit ad potentiam actiuam & passiuam & quodcunque principium motus, probatur sic. Quod prius mouet intellectum nostrum, est prius cognitione quo ad nos hæc est manifesta, quia ex eo quod intelligibile mouet intellectum, intelligitur: ergo si prius mouet prius intelligitur. Sed actus prius mouet intellectum quàm potentia. Nam vt dicet infrà Arist. in tex. 20. Quæ sunt in potentia non inuenuntur, id est, non cognoscuntur à nobis, nisi reducantur ad actum, quod quomodo sit verum, inuestigabimus in quæstione particulari. Præterea dicit Philosophus in tertio Physicorum, textu decimoseptimo, quòd semper extimabitur aliqua species mouens, & speciem sumit pro actu, ergo actus est prior cognitione quo ad nos quàm potentia.

Sed contra hanc determinationem insurgunt duo dubia. Primum est contra primam conclusionem, secundum contra secundam.

Primum probat, quod actus non est prior potentia diffinitione, & arguitur sic, Actus & potentia sunt relatiuè opposita, per Commentat. in libro nono Metaphysic. Commento vndecimo

vndecimo, & per se inuicem diffiniuntur, vnde inquit illic Commen. Actus & potentia sunt relatiua contraria, & vtrumque relatiuorum accipitur in diffinitione alterius, & non accidit inde malum, tunc sequitur, quòd quando potentia diffinitur per actum, actus sit prior diffinitione, & quando actus diffinitur per potentiam, actus sit posterior, & potentia prior; ergo actus ex natura sua & simpliciter non est prior potentia diffinitione, sed prior & posterior, prout potest esse diffiniens potentiam, & diffinitus per potentiam.

Et respondens Ant. And. in nono Metaphysi. quæstione tertia dicit, quòd illa propositio, Relatiua per se inuicem diffiniuntur, non est vera, nisi in relatiuis mutuis, qualia sunt relatiua primi & secundi modi. Dicit autem quòd potentia & actu nõ sunt relatiua mutua quia ponit ea in tertio modo relatiuorum, ex consequenti negat actum diffiniri per potentiam, & sic non oportet quòd sit posterior diffinitione, sed semper & simpliciter prior ipsa potentia.

Sed hæc responsio quantum ad hoc, quòd ponit potentiam & actum esse relatiua in tertio modo relatiuorum, est contra Philosophum in quinto Metaphysicæ, in capite ad aliquid, vbi assignans fundamentum secundi modi, ponit actiua & passiua secundum potentiam actiuam & passiuam, & earum actiones, & ipse Anton. Andre. in quinto Metaphysices, quæstione decima quinta, in qua pertractat de relatiuis secundi modi, respondens argumento secundo, concedit, quòd potentia actiua refertur ad actionem suam, & ad potentiam passiuam, vt calefactiuum ad calefacere & ad calefactibile, ergo etiam secundum ipsum, potentia & actus sunt relatiua secundi modi, & non tertij, non igitur valet responsio sua.

Iandunus autem in nono Meta. quæst. 8. tenẽs cum Com. vt allegatum est in argumento, quòd actus & potentia sunt relatiua contraria, & quòd per se inuicem habent diffiniri, vt soluat argumentum factum, distinguit de diffinitione sic: Diffinitionum alia perfecta alia imperfecta, quando diffinitur potentia per actum est perfecta, quoniam actus simpliciter prior est, quàm potentia, vt dicemus infrà, & declarat sufficienter naturam potentiæ, quando autem diffinitur actus per potentiã, est imperfecta, quasi magis proportionata intellectui nostro, qui procedit de potẽtia ad actũ, id est, de imperfecto ad perfectũ, vnde talis diffinitio nõ meretur dici diffinitio sed notificatio.

Hæc responsio non discordat à mente Bea. Thom. qui in nono Metaph. exponens textũ decimũtertiũ, vbi inquit Philosophus, quare necesse rationem præexistere, & notitiam notitia, dicit Bea. Tho. & propter hoc Arist. superius manifestauit potentiam, diffiniendo per actum, actum autem non potuit per aliquod aliud diffinire, sed solum inductiuè manifestauit, hæc ille, ex quibus elicio, quòd quia sunt relatiua, ideo per se inuicem manifestantur, sed diuersimodè, nam potentia manifestatur per actum, per veram diffinitionem & perfectam, eo quòd actus ex se est prior potentia, vt dicemus infrà. Actus autem manifestatur per potentiam, non per veram diffinitionẽ, sed per inductionem, vel proportionem, vt fecit Philosophus in nono libro textu vndecimo. Ibi, palàm autem ex singularibus inductiuè, &c. Ex his dico ad argumentum, concesso quòd actus & potentia sint relatiua opposita, & quòd per se inuicem manifestentur, non sequitur, quòd quando notificatur actus per potentiam, sic potentia simpliciter prior actu, quoniam talis notificatio, non est vera, nec perfecta diffinitio, sicut quando notificatur potentia per actum, vnde nego illam consequentiam, ergo actus ex natura sua & simpliciter non prior est potentia.

Secũdum probat, quòd actus non sit prior cognitione quo ad nos, nã cùm sempiterna sint nobilissimi actus, aut in actu, vt substantiæ abstractæ & corpora cœlestia, sequeretur quòd essent nobis prius nota, quàm hęc inferiora corruptibilia, quę vt dicemus infrà, se habent ad illa vt potentia ad actum, cum sint imperfectiora, & quandoque sunt, quandoque non sunt, illa autẽ semper sunt. Hoc autẽ est falsum, quoniam vt probatum est in secũdo libro, non ascẽdimus ad illa, nisi ex sẽsatis.

Ad hoc dicimus, quòd conclusio secunda sic habet intelligi, Actus comparatus potentiæ in eodem genere, est prior cognitione, quo ad nos: puta si per intentionem volumus habere scientiã de rosa, necesse est vt per rosam in actu cognoscamus rosam in potentia, vnde Philosophus infra in textu vigesimo docebit, quomodo geometra cognoscit triangulum habere tres, ex actuali protractione lineæ, qua constituitur angulus extrinsecus, &c. Argumentum autem procedit de potentia & actu in diuerso genere, quoniam corruptibilia & incorruptibilia distinguuntur genere, vt manifestabitur in libro decimo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Si actus est prior tempore potentia.

Tempore verò prius specie idem agens, sed numero non. Text. 13.

CONCLVSIO.

Comparato actu vt actu potentiæ vt potentiæ, non ita se habent potentia & actus, vt actus sit prior tempore quàm potentia, nec conuerso. Actu verò secundum speciem comparato potentia secundum speciem, actus non est prior tempore potentia. sed si actus secundum speciem comparetur potentiæ secundum individuum, est prior tempore potentia. verum etiam erit si actus secundum individuum comparetur potentiæ secundum individuum.

IN hac quæstione inuestigandum est, quomodo actus sit prior tempore potentia. Et vt te resoluas, Primò declarabis, quot modis potest comparari actus ad potentiam, & econuerso. Secundo, pones quatuor conclusiones responsiuas. Tertio, solues dubium.

Quantum ad primum aduerte, quòd hæc comparatio potest fieri quatuor modis. Primò comparatur actus vt actus potentiæ vt potentiæ. Secundò comparatur actus secundum speciem, potentiæ secundum speciem. Tertiò comparatur actus secundum speciem, potentiæ secundum individuum. Quarto modo comparatur actus secundum individuum, potentiæ secundum individuum, & omnes istæ comparationes declarabuntur in conclusionibus sequentibus.

Quantum ad secũdum sit hæc prima conclusio, (& aduerte, quòd intẽdo procedere in his conclusionibus iuxta doctrinam philosophi. ponentis mundum & motum & generationem æternam.) Actus & potentia primo modo comparationis non ita se habent. quòd actus sit prior tempore potentia, nec econuerso probatur. Actus & potentia secundum philosophum sunt æterna, ergo vnum non est prius tempore alio, consequentia nota, quoniam actus simpliciter prior est, quàm potentia, vt dicemus infrà, & declarat sufficienter naturam potentiæ, quando autem diffinitur actus per potentiã, est imperfecta, quasi magis proportionata intellectui nostro, qui procedit de potẽtia ad actũ, id est, de imperfecto ad perfectũ, vnde talis diffinitio nõ meretur dici diffinitio sed notificatio.

Hæc responsio non discordat à mente Bea. Thom. qui in nono Metaph. exponens textũ decimũtertiũ, vbi inquit Philosophus, quare necesse rationem præexistere, & notitiam notitia, dicit Bea. Tho. & propter hoc Arist. superius manifestauit potentiam, diffiniendo per actum, actum autem non potuit per aliquod aliud diffinire, sed solum inductiuè manifestauit, hæc ille, ex quibus elicio, quòd quia sunt relatiua, ideo per se inuicem manifestantur, sed diuersimodè, nam potentia manifestatur per actum, per veram diffinitionem & perfectam, eo quòd actus ex se est prior potentia, vt dicemus infrà. Actus autem manifestatur per potentiam, non per veram diffinitionẽ, sed per inductionem, vel proportionem, vt fecit Philosophus in nono libro textu vndecimo. Ibi, palàm autem ex singularibus inductiuè, &c. Ex his dico ad argumentum, concesso quòd actus & potentia sint relatiua opposita, & quòd per se inuicem manifestentur, non sequitur, quòd quando notificatur actus per potentiam, sic potentia simpliciter prior actu, quoniam talis notificatio, non est vera, nec perfecta diffinitio, sicut quando notificatur potentia per actum, vnde nego illam consequentiam, ergo actus ex natura sua & simpliciter non prior est potentia.

Secũdum probat, quòd actus non sit prior cognitione quo ad nos, nã cùm sempiterna sint nobilissimi actus, aut in actu, vt substantiæ abstractæ & corpora cœlestia, sequeretur quòd essent nobis prius nota, quàm hęc inferiora corruptibilia, quę vt dicemus infrà, se habent ad illa vt potentia ad actum, cum sint imperfectiora, & quandoque sunt, quandoque non sunt, illa autẽ semper sunt. Hoc autẽ est falsum, quoniam vt probatum est in secũdo libro, non ascẽdimus ad illa, nisi ex sẽsatis.

Ad hoc dicimus, quòd conclusio secunda sic habet intelligi, Actus comparatus potentiæ in eodem genere, est prior cognitione, quo ad nos: puta si per intentionem volumus habere scientiã de rosa, necesse est vt per rosam in actu cognoscamus rosam in potentia, vnde Philosophus infra in textu vigesimo docebit, quomodo geometra cognoscit triangulum habere tres, ex actuali protractione lineæ, qua constituitur angulus extrinsecus, &c. Argumentum autem procedit de potentia & actu in diuerso genere, quoniam corruptibilia & incorruptibilia distinguuntur genere, vt manifestabitur in libro decimo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Ad

Ad hoc dicitur, quòd potentia & actus non sunt puri respectus, quoniam purus respectus non est principium agendi nec patiẽdi, nec dicit perfectionem. Sed sunt entia absoluta includentia respectum, sicut scientia & actio, & mensura. Tunc dico quòd vt res sunt, non inconuenit vnã præcedere aliam, & subsequi, sicut & homo generans præcedit tempore hominẽ genitum, & causa agens per motum, præcedit tẽpore effectum suum, vt autem includunt respectum, vel vt cõcipiuntur conceptu relatiuo, vnum non præcedit alterũ, quia concipiuntur in ordine vnius ad alterum. Quando comparauimus actum potentiæ in tertia & quarta cõclusione, fecimus comparationem vt res sunt, & non vt includunt respectum, & ideo argumentũ non concludit, aliter causa non esset prior suo effectu.

Et aduerte, quòd in hac quæstione semper intendimus de actu, vt comparatur potentiæ passiuæ, siue receptiuæ ipsius actus, vel comparando agens passo, aut producibili, sicut comparando formam materiæ, aut hominem actu, homini producibili. Sed in quæstione sequenti loquemur de actu comparato potentiæ actiuæ, à qua egreditur vt ædificare potẽtiæ, id est, arti ædificatiuæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIIII.

Si in potentiis actiuis, quæ acquiruntur exercitio, actus, id est, operatio, est prior tempore potentia, etiam respectu eiusdem potentiæ secundum numerum.

Quapropter & videtur impossibile ædificatorem esse, qui non ædificauerit. Text. 14.

Philosophus in hoc textu comparat actum, id est, operationem potentiis suis actiuis, non quidem naturalibus, quoniam de eis determinatum est suprà, in quæstione octaua, quòd semper præcedunt actum aut natura, vt potentia illuminatiua solis illuminationem. Aut tempore, vt prius tempore quis habet potentiam actiuam gradiendi, quàm gradiatur. Sed comparat potentiis actiuis, quę acquiritur aut disciplina, sicut artes & scientia, aut consuetudine, sicut habitus morales, & dicit manifestum esse in his etiam respectu eiusdem suppositi, quod actus, id est, operatio præcedit potentiã actiuam, id est, habitum acquirendum, quoniam nisi quis frequenter citharizauerit, non fiet citharœdus. Quæritur ergo, Si possibile est in his potentiis actum præcedere tempore ipsam potentiam.

CONCLVSIO.

In potentiis, quæ acquiruntur exercitio, cuiusmodi sunt artes & habitus morales, actus est prior tempore quàm potentia.

IN hac quæstione non cadit difficultas, nisi in hoc, quod videtur difficile posse saluare, quomodo isti actus, vt ædificare, & citharizare sint effectus artis ædificandi & citharizandi, & tamen præcedant istas artes tanquam causæ, quibus multiplicatis tales artes addiscimus, ex his enim sequitur, quòd idẽ respectu eiusdem sit causa & effectus, prius & posterius, quod patet esse impossibile. Et aduerte, quòd hæc est ambiguitas Platonis in Mennone, quam replicat Philosophus in 1. poster. tex. 4. & hãc replicat ac soluit in tex. 14. Vt igitur in præsenti quæsito te resoluas, sic procedes. Primò ponetur conclusio responsiua. Secũdò formabitur difficultas, quam Plato inducit, ad probandum, quòd nostrum addiscere non est nisi reminisci. Tertiò soluetur ipsa difficultas. Quartò mouebitur dubium contra solutionem dictæ difficultatis & soluetur.

Quantum ad primum sit hæc conclusio responsiua, In potentiis actiuis, quæ acquiruntur exercitio, quales sunt artes & habitus morales, actus præcedit tempore ipsam potentiam. Hanc notificat Philosophus certissima experientia. nam quilibet experitur quòd non potest acquirere artem, nisi ex prius frequentatis actibus, vnde Comment. inquit in comment. 14. Qui addiscit citharizare, citharizat vt addiscat, & sic acquirit artẽ citharizandi, & similiter in aliis artificiis, quæ acquiruntur exercitio, ergo, &c. & aduerte, quòd qui negat hanc conclusionem, negat id quod ad sensum patet.

Quantum ad secũdum aduerte, quòd vt dicit Comment. in commen. 13. ex hoc quòd actus præcedit potentiam, id est, habitum, qui acquiritur exercitio, fuit causa quæstionis sophisticorum famosæ attributæ Mennoni, per quam quærebat probare, quòd nihil addiscimus de nouo, sed quòd habemus scientiam & artes nobis innatas, & arguit sic, si quis addiscit scientiam vel artem aliquam, aut addiscit sine actione scientiæ, vel artis addiscendæ, aut per aliquam actionem. Si sine actione, non erit addiscere omnino, qui enim non citharizat nunquam fiet citharœdus, si per actionem illius scientiæ vel artis addiscendæ, ergo addiscens erit sciens, & non indigebit addiscere, verbi gratia, si non addiscit citharizare, nisi qui citharizat, & non citharizat, nisi qui scit citharizare, ergo impossibile est addiscere citharizare, sequitur enim, ex hac quæstione vt qui nescit citharizare, agat citharistæ actionem, ex consequenti addiscens est sciens, quod implicat contradictionem, nam si addiscit non est sciens, & si scit, non est addiscens, se habent enim addiscere & scire, sicut via & terminus.

Quãtum ad tertium aduerte, quod solutio stat in hoc, licet in anima nostra non sint scientiæ & artes congenitæ, sunt tamen quædam principia naturalia, & naturales inclinationes in diuersis ad diuersas scientias & artes, ita quòd qui inclinatur ad musicam de facili proficit in ea, & sic de aliis habitibus, qui autem non inclinatur, nec habet in se aliqua principia, velut semina non proficit, vnde dicit Comment. in commento decimotertio, asinus non addiscit citharizare, neque homo qui non est innatus citharizare. Tunc dico ad argumentum, quòd addiscens addiscit per actionem, quæ non est scientiæ addiscendæ eo modo quo est addiscenda, id est, perfectè, sed est scientiæ quæ imperfectè est in suis principiis, velut in seminibus, quę vt sic, non addiscitur, sed in est, sicut prima principia naturalia complexa, ad improbationem, nego hanc consequentiam, ergo addiscens est sciens, nisi in feras sic, ergo addiscens est sciens imperfectè & potentialiter, quod concedo, quoniam habitus continetur virtualiter & potentialiter in principiis suis, & nego quòd implicet contradictionem, ad probationem dico, hanc conditionalem posse esse veram & falsam: veram in hoc sensu, si est addiscens non est sciens completè & perfectè, falsam in hoc sensu, si est addiscens non est sciens imperfectè, similiter ista est vera, & falsa, vera sic, si est sciens completè, non est addiscens, falsa sic, si est sciens incompletè, non est addiscens. Et quia incipiens citharizare non producit hos actus ex arte perfecta, sed tantum ex primis principiis, velut ex seminibus, in quibus non actu & completè, sed virtualiter continetur ars: ideo stat, quòd ante artem citharizet aliquantulum, & citharizando melius paulatim addiscat artem. Decipitur autem Mennon, quoniam credit non habentem artem, nullo modo posse habere actionem artis, quod vtique esset verum, nisi haberet innata principia artis.

Quantum ad quartum aduerte, quòd contra conclusionem determinatam insurgit tale dubium, si actus præcedit potentiam, quæ acquiritur exercitio, ergo necesse est vt reducatur in aliquam causam, à qua producatur. Quæro ergo, aut reducitur in habitum aut in potentiam naturalem, quæ nondum habet habitum, puta actus citharizandi præcedens artem, aut reducitur in artem, aut intellectum, nondum habituatum arte, si primum, ergo falsum est, actum præcedere potentiam, id est, habitum, quia effectus non præcedit, sed subsequitur causam, si secundum, ergo actus præcedens habitum, & actus producẽtus ex habitu non sunt eiusdem rationis, cum vnus producatur à potentia naturali nondum habituata, id est, ab intellectu nondum acquisita arte, & alius à potentia habituata, & sic sequitur, quòd illi actus præcedentes, cùm sint quasi æquiuoci, non generabunt habitum, à quo poitea eliciuntur consimiles actus, & aduerte, quòd hic accipio potentiam naturalem, vt distinguitur contra artificialem, non vt distinguitur contra rationalem, hoc modo potest dici intellectus, qui est subiectum habitus scientifici & artis quod est potentia naturalis.

Ad hoc dicitur, quòd actus præcedens potentiam acquirendam exercitio, reducitur in potentiam naturalem, nondum habituatam, sed vt in se habet principia & inclinationem ad habitum, & tunc nego illam consequentiam, ergo actus præcedens habitum & actus productus, &c. ad probationem dico, quòd actus præcedens & subsequens licet non sint à potentia eodem modo se habente, tamen non distinguuntur formaliter & specificè, sed vt minus & magis perfectum, quæ non diuersificant speciem, ex consequenti sunt vniuoci, & nego quin sint generatiui artis, quoniam producuntur à potentia naturali, in qua sunt prima principia artis, velut semina, in quibus causaliter ars addiscenda continetur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Si actio transiens est subiectiuè in passo.

Quorum verò aliquid alterum est, quod fit per vsum, horum actus in facto est, vt ædificatio in ædificato. Text. 26.

CONCLVSIO.

Actio transiens sumpta pro respectu agentis ad passum est subiectiuè tantùm in agente: Actio verò secundo modo sumpta non est subiectiuè in agente, sed in passo. At si aliquod sit agens actione transeunte non in alterum sed in seipsum, Actio est subiectiuè in agente.

Quoniam

QVoniam Philosophus in hoc textu videtur expressè dicere, quòd actio transiens est in patiente, siue in eo quod fit, ideo id inuestigandum est, & præcipuè, quia aliqui tenent actionem esse subiectiuè in agente, quorum rationes formabimus infrà, & soluemus. Tu igitur sic procedes, Primò ponetur distinctio de agente, & distinctio de actione transeunte. Secundò ponentur tres conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur fortiora argumenta tenentium oppositum.

Quantum ad primum aduerte, quòd agens est duplex: quoddam est agens in alterum, & nullo modo in seipso, vt ignis comburens lignum, Sortes portans lapidem. Quoddam est agens in seipsum, ita quod est idem supposito agens & patiens, vt Sortes mouens seipsum, percutiens seipsum, sanans seipsum. Actio transiens sumitur dupliciter. Primò pro respectu reali, quem habet agens ad passum, sicut & passio potest accipi pro respectu reali passi ad agens. Secundò pro re siue forma causata ab agente, & acquisita à passo, sicut calefactio actiuè sumpta, est ipse calor realiter vt causatur ab agente in passo, puta in aqua.

Quantum ad secundum sit hæc prima cõclusio, Actio transiens sumpta pro respectu agẽtis ad passum, est subiectiuè tantum in agente, probatur, in quocunque est fundamentum respectus, in eodem subiectiuè est respectus, quoniam vt probauimus in libro quinto, relatio & fundamentum sunt idem, vel si teneatur quod non sunt idem, saltem vnum nititur alteri, ex consequenti, vbi est vnum subiectiuè, erit & alterum. Sed respectus agentis ad passum est fundatus in potentia actiua agentis, quæ est subiectiuè in agente, vt patet, ergo actio pro respectu, est subiectiuè in agente.

Præterea, Respectus agentis ad passum, & passi ad agens sunt respectus oppositi, ergo non sunt in eodem subiectiuè, sed respectus sibi oppositus non est in passo, sed in agente.

Secunda conclusio. Actio secundo modo sumpta, non est subiectiuè in agente, sed in passo, probatur. Si est subiectiuè in agente præter respectum agentis ad passum, quem iam probauimus esse in agente, quæro quid ponit in agente, & non potes imaginari quid ponat, nisi aut potentiam actiuam, aut aliquem actum absolutum acquisitum in agente, non potes dicere primum, quoniam potentia actiua agentis non est actio, aliter cum potentia actiua continuè sit in agente: sequitur agens continuè agere, & sic ignis continuè calefaceret, quod est manifestè falsum, & ædificator continuè ædificaret, nec potes dicere secundum, quia omne illud in quo aliquid fit & acquiritur, in eo quod tale, se habet in ratione acti vel facti, & non in ratione agentis & facientis. Sed si aliquis actus absolutus acquiritur in agente, dum agit, tunc agens in eo quod agens, se habebit vt in quo actus acquiritur, ergo agens in eo quod agẽs est actum & factum, saltem subiectiuè, quod implicat contradictionem, quoniam agens vt agens opponitur acto, sicut mouens vt mouens opponitur moto. Præterea, in quocunque est mutatio vel motus, in eo quod huiusmodi mutatur vel mouetur. Sed si aliquis actus absolutus acquiritur in agente de nouo, dum agit, oportet quod aliqua mutatio vel motus sit in agente, ergo si agenti in eo quod agens acquiritur aliquis actus absolutus de nouo, in eo subiectiuè receptus, sequitur quòd agens in eo quòd agens mutetur vel moueatur, quod est impossibile. Cùm igitur actio secundo modo sumpta non sit in agente, restat quòd sit subiectiuè in patiente, Et aduerte, quòd hæc est sententia Philosophi in tertio Physicorum textu vigesimo, vbi inquit, Aut neque actum alterius in altero esse, inconueniens est, est enim doctio actus docẽdi, in quodam enim, &c. quem textum, sic declarat Commentator in commento vigesimo. Non est inopinabile, quòd actio agentis sit in alio, est enim manifestum per se, quòd doctrina est actio docentis, & est in addiscente. Hæc igitur sit determinatio de subiecto actionis transeuntis: in qua sequutus sum Herueum, in quarto quo lib. quæstione quarta, quem non puto deuiare in hoc à via Thomisti. imò mentem Beati Thomæ resoluere.

Tertia conclusio, Si aliquod sit agens actione transeunte non in alterum, sed in seipsum, Actio est subiectiuè in agente. Hæc est manifesta per se, vt quando animatum mouet seipsum, & medicus sanat seipsum, Tu tamen aduerte, quòd in tali casu, licet actio sit in agente non tamen inquantum, nec in eo quod agens, sed in eo quod patiens, ex consequenti nunquam est concedendum, actionem transeuntem esse subiectiuè, id est, vt in quo in agente, sed causatiuè, id est, vt à quo, &c.

Quantum ad tertium aduerte, quòd fortiora argumenta tenentium actionem esse subiectiuè in agente sunt ista.

Primò, vbi est effectus formalis, ibi est forma, quia sunt inseparabiles, sed in agente est effectus formalis actionis, dicitur enim agens & est agens actione, ergo actio est subiectiuè in agente,

Ad hoc dicitur, quòd effectus formalis est duplex, quidam secundum rem, & denominationem, vt paries est albus albedine realiter & denominatiuè, & de hoc conceditur maior, quidam est secundum denominationem, & de hoc negatur maior quia denominatio potest fieri ab aliquo extrinseco, sicut locatum denominatur à loco, qui non est subiectiuè in locato sed in locante, sic dico in proposito, quia actio denominat agens denominatione extrinseca, ideo maior negatur, quia ista propositio, actio est agentis, non verificatur pro subiecto, sed pro principio à quo egreditur.

Secundò, Omnis perfectio est formaliter in eo cuius est perfectio, nihil enim perficitur formaliter, nisi aliquo sibi intrinseco. Sed actio est perfectio agentis, tunc enim agens est in sua vltima perfectione cum agit, ergo actio est subiectiuè in agente.

Ad hoc dicitur, quòd loquendo de agente, quod tantum est agens, minor est falsa, sumendo ly agentis pro subiecto, licet sit vera, sumendo ly agentis pro principio, vt illuminatio est solis, id est, à sole. Ad probationem dico, quòd concludit, actionem esse signum vltimæ perfectionis in agente, nam ex eo quod agit, arguitur vltima perfectio in eo, perfectius est enim esse actuale principio actionis, quàm potentiale. Dixi quòd tantum est agens, quoniam si sit agens & patiens, vt cùm quis sanat seipsum, actio est perfectio sua, & est in eo subiectiuè, non vt agens sed vt patiens.

Tertiò, cuius est potentia, eius est actus, ex libro de somno & vigilia. Sed potentia actiua est agentis & in agente, ergo & actus, id est actio,

Ad hoc conceditur, quòd & potentia actiua & actio sunt agentis, sed non est necesse, quòd sint vniformiter, nam potentia actiua est in agente subiectiuè, actio autem vt in principio à quo egreditur, & non vt in quo recipitur, nisi sit simul agens & patiens.

Quartò, tenet Philosophus in octauo Physicorum, textu decimoquinto, quòd si Deus de nouo inciperet agere, mutaretur, hoc autem non contingeret, nisi de nouo aliquid in se reciperet, non apparet autem quid sit illud, nisi noua actio, igitur illa esset in eo, & per consequens de facto omnis actio est in agente.

Ad hoc dicitur, quòd vtique Deus mutaretur secundum opinionem Philosophi, prout mutari communiter est aliter se habere quàm prius, sed hoc non esset secundum Philosophum, quia in se reciperet nouam actionem, sed nouam dispositionem vel nouam volitionem quam haberet ad agendum, cùm prius non ageret, vt imaginatur Commentator illic in commento decimoquinto, licet pro veritate, sua imaginatio esset falsa, vt in libro duodecimo ostendemus.

Quintò, Si vnus ignis calefacit duo, aut erit vna actio, aut duæ, non duæ, quia vnius agentis est vnica actio, ergo vna, & si vna, aut illa est in passo aut in agente: non in passo, quia qua ratione est in vno est in vtroque, & sic idem accidens esset in duobus subiectis: quod est impossibile: ergo est in agente.

Ad hoc dicitur, quòd ex parte principij à quo egreditur, est vna actio, sed ex parte termini & subiecti receptiui, sunt duæ, nec inconuenit, quòd plures lineæ, quæ sunt vnum in centro, plurificentur, ex eo quod terminatur ad distinctas partes circumferentiæ.

Sextò, pater & filius non se compatiuntur in eodem respectu eiusdem, cùm sint respectus oppositi, ergo generatio actiua & generatio passiua non sunt in eodem, cùm sint fundamenta illorum respectuum.

Ad hoc negatur consequentia. ad probationem, nego, quòd illi sint fundamenta talium respectuum, cùm non maneant, sed dico, quod fundamentum paternitatis, est potentia generatiua, vt ab ea egressus est actus generandi, & fundamentum filiationis est potentia passiua, vt fuit sub actu generandi passiuè. Actus autem generandi actiuè & passiuè receptus, est in genito, vnde aduerte, quòd ratio propter quam idem non potest esse pater & filius, non est, quia generatio actio, & generatio passio non sint in eodem subiectiuè, sed quia non potest esse idem à quo est generatio, & qui generatur.

Septimò, actio denominat agens, quæro aut denominatione intrinseca, aut extrinseca: non extrinseca, quia denominans aliquid extrinsecè denominat aliud intrinsecè, sicut visio denominans lapidem visum extrinsecè, denominat oculum intrinsecè, est enim oculus videns visione, quæ est ab eo, & in eo, sed

eo, sed si actio denominat agens denominatione extrinseca, non potest asignari quid denominet intrinsecè. non enim denominat passum, dicitur enim passum passione & non actione: restat ergo, vt denominet agens extrinsecè, ex consequenti sit in eo.

Ad hoc dicitur, quòd res quæ est actio, denominat agens & patiens, agens quidem extrinsecè, patiens intrinsecè, sed non eodem nomine, sed vnamet res vt est ab agente nomine actionis denominat agens, vt est recepta in passo, nomine passionis, denominat patiens, nec est inconueniens idem distinctis nominibus denominare plura, sicut vnamet actio sub nomine doctrinæ denominat docens, & sub nomine disciplinæ denominat discens. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVI.

Si actio immanens est subiectiuè in agente: & in quibus differt à transiunte.

Quorum verò non est aliquod aliud opus
præter actionem in ipsis existit
actio. Tex. 16.

Circa hunc textum aduerte, quòd philosophus videtur ponere differentiam inter actionem transeuntem & immanentem, ex hoc quòd transiens est in acto siue in facto, vt determinatum est in quæstione præcedenti, immanens autem videtur esse in agente, verùm vt habeatur sufficiens differentia inter eas, intendo quærere in quot differunt.

CONCLVSIO.

Actio immanens est subiectiuè in agente à quo producitur. Actio verò transiens, est subiectiuè in facto vel passo. Deinde, per actionem immanentem, ex natura sui nullo modo immutatur obiectum circa quod est: per actionem autem transeuntem semper immutatur subiectum, & aliquid de nouo acquirit vel deperdit: Postremò, per actionem transeuntem vniuersaliter & semper producitur aliquid distinctum ab operatione. Per actionē autem immanentem nec vniuersaliter nec semper producitur aliquid distinctum ab operatione.

IN hac quæstione sic procedetur. Primò pertractabitur triplex opinio, & determinabitur iuxta tertiam. Secundò solluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quòd vna opinio quæ est Heruei, in quol. 2. in quæstione octaua dicit, quòd differentia sufficiens stat in hoc, quòd actio transiens est actio causæ efficientis, quoniam efficiens vt efficiens non agit in seipso, nisi per accidens, vt medicus sanans seipsum: vnde arbitratur, quòd omnis actio causæ efficientis sit actio transiens. Actionem autem causæ materialis quæ propriè dicitur recipere, & actionem formæ, quæ potest dici agere formaliter, vt albedo facit album, arbitratur esse actionem immanentem, & quoniam aduertit, quòd actio sic sumpa esset æquiuocè dicta de immanente & transeunte, ideo id non habet pro inconueniente, nam sic dicit in fine determinationis suæ, si autem inuenitur actio manens & actio transiens, oportet accipere actionem æquiuocè, sicut facere dicitur æquiuocè, quando pictor facit parietem album, scilicet effectiuè, & albedo facit ipsum album scilicet formaliter, hæc ille.

Sed si aduertis, hæc differentia apud omnes expositores philosophi est impropria, nec est ad mentem philosophi, cuius signum est, quòd Heruei in tota sua determinatione non facit mentionem de textu philosophi in 9. metaph. qui est tex. 16. Manifestum est enim ex dicto tex. & ex Comment. quòd non differt actio immanens à transeunte, quia illa non est ab efficiente, hæc autem est ab efficiente, imò exemplificat philosophus pro actione immanente, de visione in vidente, & speculatione in speculante. patet autem quòd videns & speculans si in genere causæ continentur, hoc erit in genere causæ efficientis. Cùm igitur hæc opinio sit impropria, ideo relinquenda est. Hic enim intendimus loqui ad mentem philosophi.

Est alia opinio, quæ tenet, quòd differentia stat in hoc: Actio transiens est in passo subiectiuè, actio autem immanēs est in agente, non quòd recipiatur in agente vt in subiecto, sed est in eo vt in agente, & sua imaginatio stat in hoc. Dicit hæc opinio, verum est quòd actio immanens est in agente, quia ex quo accidens est, oportet quòd sit in aliquo, & tamen non sequitur, quòd si est in agente, sit in eo per modum recepti passiuè. Nam licet esse in, sit commune nouem generibus accidentium, diuersimodè tamen, quoniam illis generibus accidentium quorum esse est in quodā informari, conuenit esse in, vt in subiecto receptiuè, quorum autem esse est in quodam facere, illis conuenit esse in, vt in agente & non vt in subiecto & de talibus entibus est actio immanens, & quòd licet sit in agente, non sit in eo subiectiuè, probatur sic: Omnis actus receptus subiectiuè in potentia receptiua, denominat talem potentiam siue subiectum suum passiuè, quia enim aër recipit subiectiuè illuminationem à sole, dicitur illuminatus, & quia aqua recipit calefactionem subiectiuè ab igne, dicitur calefacta. Sed actio immanens quæ est in agente, non denominat ipsum passiuè. Hæc enim est falsa, voluntas in qua est volitio, est volita. Intellectus in quo est intellectio, est intellectus, ergo', &c.

Præterea, Omnis actus receptus subiectiuè in potentia passiua est actus imperfecti, quia omnis potentia passiua vt passiua est perfectibilis, & per consequens actus receptus in ea, est actus imperfecti: & econtrario, omnis actus, quiest in aliquo vt actus perfecti, est in eo vt in eo agente, & non vt in subiecto. Sed actio immanens est actus perfecti, etiam secundum Comment. in 3. de anima comment. 41. & communiter tenetur, ergo licet sit in agente, non tamen subiectiuè.

Sed quòd hæc opinio repugnet philosopho, & doctrinæ suæ, sic ostenditur: Actio voluntatis elicita actiuè à voluntate differt realiter à voluntate, ergo si est in voluntate est recepta in ea subiectiuè. Antecedens patet, quia stat voluntatem esse in dormiente & tamen nullam actionem habere. Consequentia probatur, si est in voluntate, quæro aut est subsistens, aut inexistens: non primo, quia esset substantia: ergo secūdo, ergo cùm sit accidens, est informans voluntatem: ergo est in ea vt in subiecto. Præterea, cùm communissima ratio accidentis apud philosophum sit esse in subiecto, & secundum omnes, actus immanens si accidens præterquam in separatis, vt declarabitur in 12. lib. ad mentem philosophi, necesse est vt sit in agente subiectiuè. Præterea, philosophus in 9. lib. metaph. tex. 16. ponens differentiam inter actionem transeuntem & immanentem, nullam asignat differentiam, quo ad esse in, sed tantum ex diuersitate termini & diuersitate subiecti, prout terminus transeuntis est quid operatum præter operationem, quod non contingit regulariter in actione immanenti, & subiectum transeuntis est factum siue passum, subiectum autem immanentis est agens, vnde exemplificās dicit vniformiter, quòd speculatio est in speculante, & ædificatio in ædificato, ex quibus patet, quòd intentio philo. fuit, quòd sicut actio transiens est subiectiuè in facto, sic immanens est subiectiuè in faciente, siue in agente.

Rationes autem adductæ pro hac opinione facilè soluuntur: nam ad primam dicitur, quòd maior non est vera, nisi in actione transeunte, quæ est perfectio passi, ideo denominat ipsum passiuè. In actione autem immanenti, quoniam est perfectio agentis, sufficit quòd denominet actiuè, vt dicatur voluntas volitione volens, & intellectus intellectione intelligens.

Ad secundam dicitur, vt iam diximus suprà in quæstione septima, huius libri vbi declarauimus, quare actio immanens est actus perfecti, vide illic, & inuenies, quòd dicitur actus perfecti, non quia non sit perficiens id in quo est, sed quia est perfectio & complementum, & non est viā ad perfectionem, vt actio transiens, qui est verè motus physicus.

Est autem tertia opinio, secundum quam intendo determinare præsens quæsitum. Hæc dicit, quòd sufficiens differentia vtriusque actionis stat in tribus. Loquendo purè metaphy. & secūdum doctrinam philosophi, vt præseruem me à via Theologi, quam videtur amplecti Paulus Sonci. in lib. metaphy. quæstione 20.

Prima igitur differentia est, quòd actio immanens est subiectiuè in agente à quo producitur, nam perfectio est subiectiuè in eo cuius est perfectio. Sed actio immanens est perfectio agentis, vt speculatio speculantis, & felicitas felicis. Nec valet instantia, quam adducit Paulus Sonci. quòd Deus posset causare in intellectu Socratis intellectionem de lapide, quæ est actio immanens, & illo casu constat, quòd non esset subiectiuè in agente, nam licet Theologus id concedat, tamen Arist. negaret. Diceret enim Deum non posse causare huiusmodi intellectionem nisi concurrente intellectu Socr, vt causa proxima. Actio verò transiens est subiectiuè in facto vel passo, & hæc differentia est manifesta in text. 16. huius lib. & in comm. Commen, eiusdem textus.

Secunda differentia est, quòd per actionem immanentem ex natura sui, nullo modo immutatur obiectum, circa quod est, vt

est, vt patet, quòd ex eo quòd intelligo vel desidero, vel video lapidem, non immutatur lapis, per actionem autem transeuntem semper immutatur subiectum: & aliquid de nouo acquirit, vel deperdit, vel qualitatem, vel quantitatem, vel locum, vel formam substantialem.

Tertia differentia est, quòd per actionem transeuntem, vniuersaliter & semper producitur aliquid distinctum ab operatione. Quòd contingit dupliciter, quoniā aliquando tale operatum remanet post operationem, vt domus post ædificationem aliquando non remanet, nisi quandiu est operatio, vt sonus causatus in aëre ex citharizatione. Per actionem autem immanentem non vniuersaliter nec semper producitur aliquid distinctum ab operatione, sed ab vtroque abstrahit, nam per aliquam aliquod distinctum producitur, vt per actum intelligendi producitur conceptus, per frequentatos actus speculandi producitur habitus speculatiuus, & per frequentatos actus morales, producitur habitus moralis. Per aliquam autem ex se nihil producitur, vt per videre præcisè, vt imaginari, aut velle, aut desiderare, &c. In his tribus consistit sufficiens differentia inter actionem transeuntem & immanentem.

Quantum ad secundum aduerte, quòd contra determinationem factam, & maximè contra tertiam differentiam, duo dubia insurgunt. Primum est, Dicit Philosophus in primo Ethicorum, capite primo, quòd in quibusdam artibus operationes sunt fines, & non aliquod operatum, & exemplificat illic Commentator in commento primo, de arte saltandi & citharizandi, ergo non per omnem operationem transeuntem producitur aliquod operatum distinctum ab operatione.

Ad hoc dicitur, vt bene exponit Herueus in secundo quoli. quęstione octaua, quòd Philosophus intendit per aliquam artem nihil produci distinctum ab operatione, non absolutè, sed quòd remaneat post operationem, & quia post saltationem & citharizationem nihil remanet productum per huiusmodi actiones, ideo apud vulgum & rudes, iudicatur nihil produci, & tamen secundum rectè considerantes aliquid causatur, nam citharizans percutiens chordas per motum localem chordarum causat sonum, qui est qualitas, & saltans mouens se localiter, causat in se calorem, & in animo delectationem.

Secundum est, quia Philosophus in nono Metaphysicæ, textu decimosexto, & Beat. Thom. exponens, & Commentator in commento decimosexto, videntur asignare differentiam quasi vniuersalem, inter actionem immanentem & transeuntem, quod per actionem immanentem nihil est operatum præter actionem, per actionem autem transeuntem aliquod est operatum præter actionem, ex quibus videtur Philosophus vniuersaliter negare, quòd ab actione immanenti aliquid producatur præter actionem, & non solum ab aliqua vt dictum est in asignatione tertiæ differentiæ.

Ad hoc dicitur, quòd non est intentio Philosophi negare vniuersaliter operatum per actionem immanentem, aliter sibi contradiceret, nam in textu decimoquarto, iam determinauerat, quòd quædam potentiæ, id est, habitus vt scientia, & habitus moralis acquiruntur exercitio, id est, frequentatis actibus. Idem tenet in Ethicis: constat autem, quòd actus morales sunt actiones immanentes: quare, &c. Sed intentio sua fuit negare aliquod operatum produci per actionem immanentem, quod, sit finis & perfectio & vltimum talis actionis, sicut est in actione transeunte, pro cuius notitia aduerte, quòd omnis operatio transiens habet aliquod operatum, ad quod ordinatur, vt ad finem & vltimum complementum, quod est melius ipsa operatione, vt patet comparando ædificationem domui, sanationem sanitati. Operatio autem immanens vel non, habet aliquod operatum, vt patet in actu sentiendi, vel si habet illud, non est finis, nec complementum talis operationis, imò tale operatum ordinatur ad consimilem actionem immanentem, & perfectiorem eliciendam, vt patet in habitu morali generato ex actibus immanentibus, qui ordinantur ad consimiles actus eliciendos, puta iustitia ad actus iustitiæ, logica ad syllogizandum, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVII.

Si omne quod habet potentiam passiuam, est incorruptibile.

Omnis potentia simul contradictionis est.
Text. 17.

Philosophus in hoc textu declarat, quòd nullum sempiternum est in potentia passiua, quia vt sic esset corruptibile: nam omnis potentia passiua respicit esse & non esse, vt dicit hic Philosophus, ideo quæritur si hoc est verum.

CONCLVSIO.

Omne quod habet potentiam passiuā ad esse substantiale nondum habitum vel remotum est simpliciter corruptibile: quod verò est in potentia passiua ad esse accidentale, siue absolutum, siue respectiuum est corruptibile, secundum quid. Vnde sequitur, cœlum quod est incorruptibile simpliciter, posse esse corruptibile secundum quid: & quòd substantiæ separatæ mouentes corpora cœlestia, nullo modo sunt corruptibiles.

IN hac quæstione sic te resolues, passiua potentia est duplex. Quædam est ad esse substantiale, sicut potentia materiæ primæ, quædam ad esse accidentale, sicut potentia subiecti ad accidens, vt potentia aquæ ad calorem. Omne quod est in potentia ad esse substantiale nondum habitum vel remotum, est simpliciter corruptibile, quia sicut simpliciter erit per esse substantiale, ita simpliciter desinet esse per subtractionem talis esse: vnde omnia inferiora quorum materia est in potentia passiua ad formam, quam non habet, ex consequenti ad esse substantiale largiendum sibi à tali forma, sunt simpliciter corruptibilia. Dixi autem ad esse substantiale nondum habitum, vt præseruem me à cœlesti corpore, de quo determinaui in libro octauo, in quæstione duodecima, quòd licet sit habens veram materiam, tamen non est corruptibile simpliciter, quia materia sua non est in potentia ad formam quam non habet, nec nisi ad esse quod habet, vide tu illic, ne inutilis fiat repetitio. Quod autem est in potentia passiua ad esse accidentale, siue absolutum, siue respectiuum, est corruptibile secundum quid, nam sicut per receptionem talis accidentis habet esse secundum quid, sic per remotionem desinit esse secūdum quid, ex quibus sequuntur duo corollaria.

Primum est, Nihil prohibet cœlum quod est incorruptibile simpliciter esse corruptibile secundum quid, nam licet non sit in potentia passiua ad formam quam non habet, est tamen in potentia ad accidens, quod non semper habet, nam est in potentia ad diuersa vbi, puta Sol existens in Oriente, est in potentia ad Occidens, & Luna est in potentia ad lucem, diuersimodè recipiendam à sole secundum recessum & accessum ad ipsum.

Secundum est, quòd substantiæ separatæ mouentes corpora cœlestia, nullo modo sunt corruptibiles, quia non sunt in potentia passiua, vt dicit Philosophus in libro duodecimo, in textu trigesimo. Quòd quidem licet sit verum propriè de causa prima, in qua actio est substantia, in qua nullum est accidens, nec perficitur aliquo extrinseco, tamen videtur Philosophus id attribuere indifferenter omnibus, quoniam illic videtur loqui de omnibus separatis, vt de vno genere, parum distinguendo inter ea: quod tamen ad plenum inuestigabitur in libro duodecimo, vbi ventilabimus sententiam Commentator. & Beat. Thom. super hoc.

Ex his aduerte, quòd si propositio Philosophi sic intelligatur, vnumquodque eo modo quo est in potentia passiua, est corruptibile, nam si est in potentia passiua substantialiter, modo quo dictum est, est corruptibile simpliciter, id est, secundum substantiam: si autem est in potentia passiua accidentaliter, est corruptibile secundum quid: & hæc expositio est ad mentem Commentator. & Bea. Thom. vnde non est vera opinio Scotistarum, qui intelligunt eam sic, Omnis potentia passiua est potentia contradictionis, id est, ad esse & non esse simpliciter. Hoc modo accepit eam Anton. Andre. in libro octauo, in quæstione quarta, vbi determinat, quòd secundum Aristotel. non est materia in cœlo, aliter cœlum est corruptibile secundum substantiam, & fundat se super hāc propositionem. Omnis potentia passiua, &c. patet autem, quòd Commentator in libro nono, in commento decimoseptimo, concedit aliquem modum potentiæ passiuæ in cœlo, sic enim inquit, Sed est possibile, vt in quibusdam æternis sit potentia aliquo modo modorum potentiæ, scilicet passiuæ, verbi gratia, vt partes eorum sint in potentia in aliquo loco & in aliqua qualitate. Hoc enim non est prohibitum, quasi dicat, ex hoc enim non sequitur, quòd sint corruptibilia secundum substantiam, & istę qualitates quæ possunt esse & non esse in corporibus cœlestibus, sunt aliæ ab eis, quæ attribuuntur alterationi, vt obscuritas lunæ, & illuminatio, & similia, hæc Commentator. concedit igitur potentiam passiuam in cœlo, & non concedit potentiam ad esse & non esse simpliciter, ergo non vbicunque est potentia passiua, est potentia contradictionis, scilicet ad esse & non esse secundum substantiam: sed sufficit vel secundum substantiam vel secundum accidens, & sic patet, quòd falsa est expositio Anton. Andre. super quam fundauit rationem suam, qua credidit concludere, quòd si materia est in cœlo, secundum Philosophum, cœlum est corruptibile secundum

dum substantiam. In hoc quæsito non cadit alia difficultas, ideo hæc dicta sufficiant.

QVAESTIO XVIII.

Si materia prima est principalior causa corruptionis.

Nam substantia materia & potentia non actu causa huius. Tex. 17.

Philosophus in hoc text. concludit quòd in cœlo non est corruptio, nec fatigatio in motu, quoniam non est in eis potentia passiua ad esse & nõ esse, nec ad moueri & non moueri, sicut est in rebus corruptibilibus, cuius causa est materia, sup. subiecta priuationi, quæ non est in cœlo, vt determinauimus in lib. 8. Quæritur ergo si sola materia est causa corruptionis vel saltem causa principalior.

CONCLVSIO.

Materia adiuncta priuationi est causa intrinseca primo prima vniuersalissima corruptionis in omni composito corruptibili: in quolibet verò composito inferiori forma est causa secundaria corruptionis.

IN hac quæstione non inuenio multam diuersitatem. Tu tamen aduertè, quòd potest pertractari physi. & metaphysicè. quidem, assignando causam proximam intrinsecam corruptionis in diuerso genere corruptibilium, vt in mixtis inanimatis & animatis: & hoc modo consideraui causam corruptionis philosophus in libro de causa mortis & vitæ in rebus animatis, & nos idem consideraui mus in nostro tract. de causa mortis & vitæ, vbi assignauimus causam corruptionis esse frigidum siccum, sicut causam vitæ esse humidum calidum. Consideraui etiam philosophus in libro secundo de generatione, de causa proxima corruptionis in mixtis inanimatis. Hanc diximus in epit. nostra super lib. de generatione esse qualitatem complexionalem continentem virtualiter 4. elementa, & eorum qualitates. Sicut enim illa qualitas est causa, quòd elementa constituant mixtum, ita est causa quòd per actionem contrarij agentis mixtum resoluatur in elementa. De hac qualitate complexionali satis diximus in nostra epitome super lib. de generatione. Metap. autem cõsideratur, quando inuestigatur præcisa prima causa corruptionis in omni re corruptibili. Considerare enim naturam aëris vt potest esse & non esse, & primam ad vniuersalem huius causam, est officium metaphysici.

Et quoniam intendimus resoluere præsens quæsitum mere metap. ideo sic procedetur. Primò ponetur vna distinctio. Secundò duæ conclusiones. Tertiò soluetur dubium.

Quantum ad primum aduerte, quòd causa intrinseca corruptionis in omni composito corruptibili potest esse duplex. scilicet primò prima vniuersalissima, & secundaria. Primò prima vniuersalissima est illa, quæ in omni re corruptibili inuenitur, nulla facta exceptione, & ad quam sic suprema resolutio in assignatione causarum corruptionis, puta si lapis corrumpatur propter A B C, & A, reducatur in B, & B, in C, C, erit primò prima vniuersalis causa. Secundaria est illa, quæ non ex se, sed quia reducitur in primo primam vniuersalem causam.

Quantum ad secundum sit prima conclusio: Causa intrinseca primò prima vniuersalissima corruptionis in omni composito corruptibili est materia adiuncta priuationi. Probatur: Materia adiuncta priuationi est principium primum & vniuersalissimum essendi & non essendi, vt visum est in libro septimo & declarauit philosophus in primo phys. tex. 81. quòd priuatio machinatur ad maleficium, quia scilicet ex quo est in materia substantia alicui formæ non complenti potentialitatem materiæ, est causa, quòd materia expoliatur illa forma, & recipit aliam qua priuata erat. Et in primo de generatione tex. 17, reducit perpetuitatem generationis & corruptionis in materiam subiectam priuationi, vt in principium primo primum, & vniuersale essendi & non essendi; ergo, &c. Præterea, determinatum est suprà in libro octauo quòd si forma coeli vniretur materiæ rerum inferiorum, coelum esset ex natura sua corruptibile. Quod vtique contingeret, non propter formam cœli, quæ cùm non sit elementaris, non habet contrarium: ergo propter materiam coniunctam priuationi, qualis est materia rerum inferiorum, de qua loquutisumus in libro octauo quæstione decimaquarta. Præterea, causa primo prima vniuersalis intrinseca corruptionis substantialis necesse est reduci in aliquod principium intrinsecum substantiale. Tale autem principium non est nisi forma & materia, ex primo physic loquendo de principio per se. Sed forma non potest esse huiusmodi causa primò prima vniuersalis, quoniã cùm forma sit actus. ei conuenit esse principium essendi, & non oppositi. vnde philosophus in primo physic. text. 81. dicit propter hoc formam esse quoddam diuinum, econtrario autem est de priuatione, ergo tale principium erit materia adiuncta priuationi. Dico autem adiuncta priuationi, quoniam materia ex se præcisè non est causa huius, vt determinauimus in octauo in quæstione duodecima

Secunda conclusio, causa secundaria corruptionis in quolibet composito inferiori est forma. probatur: Ideo vnumquodque compositum inferius corrumpitur, quia forma separatur à materia: ideo separatur, quia non terminat potentialitatem materiæ: ideo non terminat, quia non dat omnem modum essendi, quem dant aliæ formæ receptibiles in materia, quibus existit priuata, & sic est status in materia sub priuatione, ergo forma est causa secundaria, &c. consequentia patet ex declaratione data de causa secundaria. Sed aduerte, quòd esse causam secundariam corruptionis, non conuenit omni formæ vniformiter, nam quædam est forma subsistens, quæ non pendet à materia secundum esse, vt anima nostra, de qua determinauimus in tertio de anima esse indesinibilem, etiam ad mentem philos. & hæc est causa corruptionis hominis, ex eo solo quòd separatur à materia per actionem contrarij agentis debilitantis & corrumpentis dispositiones, quibus seruabatur in materia. Quædam est forma non subsistens, dependens à materia secundum esse, eo quòd est educta de potentia materiæ, quales sunt omnes formæ rerum inferiorum, excepta anima intellectiua, & istæ sunt causa secundaria corruptionis, non solùm quia separantur à materia, sed quia ex separatione desinunt esse.

Quantum ad tertium aduerte, quòd aliquibus videtur formam non solùm secundariam, sed & principalem causam esse corruptionis, quoniã cùm generatio & corruptio sint oppositæ, quòd est Principalis causa generationis, per sui acquisitionem, est principalis causa corruptionis per sui deperditionem. constat autem quòd forma est principalis causa generationis, quoniam dat esse rei, & generatio est progressus à non esse: ergo etiam est principalis causa corruptionis, quoniam ex eo quòd remouetur forma à materia, est progressus ab esse ad non esse, quæ est ratio corruptionis.

Ad hoc. negatur maior, quia non est eadem ratio de generatione & corruptione, nam præcisa causa intrinseca & prima, qua res producibilis trahitur de potentia ad actum, vel de esse in potẽtia ad esse in actu, est forma, quoniam est actus: ideo est principalis causa generationis, ita quòd non est reducibilis in aliam. Quòd autem res genita desinat esse, non est causa prima ipsa forma, vt separatur à materia, sed est ipsa materia, vt subiecta priuationi, nam si materia non esset subiecta priuationi formæ quam non habet, nunquam denudaretur forma quam habet, sicut diximus suprà de materia coeli: & propterea deperditio formæ, non est principalis, sed secundaria causa corruptionis. Reducitur enim in materiam adiunctam priuationi: vt si quæratur, quare lapis corrumpitur? respondetur, quia definit esse. Quare definit esse? quia separatur forma à materia. Quare separatur? quia est in materia coniuncta priuationi alterius formæ, & hic est status. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIX.

Si ad hoc quòd de aliquo habeatur scientia necesse est vt sit actu, vel reducatur de potentia ad actum,

Quare palàm, quia potentia entia ad actum reducta inueniuntur, causa verò, quia intelligentia actus. Tex. 120.

Circa hunc text. in quo philosophus comparat actum potentiæ quo ad intelligentiam, quæritur, si vnumquodque ad hoc quòd intelligatur, sit necesse vt sit actu, vel reducatur de potentia ad actum ita quòd antequam sit actu non potest cognosci.

CONCLVSIO.

Cuiuscunque sit scientia realis, & licet acquiratur per inuentionem, necesse est illud esse in actu existentiæ, siue habeat esse à se siue ab alio. Si verò scientia realis sumatur quo ad vsum eius, vel vt acquiritur per doctrinam, non est necesse rem scitam, esse in actu existentiæ: sed sufficit tam esse in actu quidditatiuè, vel non repugnanter.

IN hac q. sic procedes. Primò pones aliquas distinctiones. Secundò conclusiones responsiuas. Tertiò solues duo dubia.

Quantum ad primum, sit hæc prima distinctio, Scientia potest

potest dupliciter considerari. Primò, quo ad acquisitionem. Secundò quo ad vsum post acquisitionem.

Secunda, Scientia potest esse de ente reali, & dicitur scientia realis & de ente rationis, & dicitur sciẽtia rationalis, vt logica.

Tertia, Scientia potest acquiri per inuentionem, vt acquisierunt primi autores: & per doctrinam, vt acquirunt discipuli ex doctore & studio.

Quarta, Rem esse actu, potest intelligi tripliciter. Primò, quòd sit in actu existentiæ, & hoc tripliciter, vel semper, vt incorruptibilia: vel successione continuata indiuiduorum, vt homo, leo, equus, &c. Vel successione discontinuata indiuiduorum, quæ tamen non deficiunt in tempore congruo, vt rosa: quæ licet non sit omni tempore, tamen regulariter non deficit in vere. Secundò, quòd sit in actu quidditatiuè, & est illud in actu hoc modo, de quo semper verificãtur prædicata sua quidditatiua, etiam remota actuali existentia, vt homo est animal. Nam etiam si nullus homo existeret, hæc est vera, homo est animal, vt aliàs probabitur. Tertiò, quòd sit in actu non repugnanter, & illud est in actu hoc modo, quòd licet non existat actu, tamen non repugnat sibi actu existere. Per oppositum autem, cuicunque repugnat actu existere, dicitur hoc modo non esse actu, vt diametrum esse assymmetrum.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, De quocunq; habetur scientia realis & acquiritur per inuentionem, necesse est illud esse in actu existentiæ, siue habeat esse à se, siue ab alio. Dico, Primò scientia realis, quoniam de quo habetur scientia rationalis, vt de ente rationis, non est aptum existere actu nec per se nec inhærenter, vt declarauimus in libro sexto, in quæstione vltima, sed sufficit quòd sit in intellectu in esse obiectiuo, id est, cognito. Dico, Secundò & acquiritur per inuẽtionem, vt excludam eam, quæ acquiritur per doctrinam, & excludam vsum scientiæ, siue acquiratur per inuentionem siue per doctrinam. De his enim ponam conclusionẽ sequentem. Hanc igitur cõclusionem sic declaratam probo: De quocunque ente reali acquiritur scientia realis per inuentionem est tale, quod mouet actu intellectum ad sui cognitionem. Sed mouere actu non est nisi existentis actu, quia actio & motus supponit esse agentis & mouentis: ergo, &c. Præterea, De quocunque habetur scientia per inuentionem, aut habetur à priori, aut à posteriori, si à priori, ergo per propriam speciem impressam in intellectu, & extractã à phantasmate: sed phantasma nõ accipitur nisi à sensu exteriori, aut secundum totum, aut secundum partem, vt determinauimus in tertio de anima. Nam & phantasia est motus factus à sensu in actu. Sed sensus exterior non mouetur nisi ab obiecto existente actu, vt experimur: ergo, &c. Si à posteriori, ergo habetur scientia de re per cognitionẽ sui effectus. Sed effectus existens demonstrat causam existere, aut semper, aut temporibus congruis, ergo, de tali causa non habetur scientia per inuentionem, nisi actu effectus existat semper, vel determinatis temporibus, & hanc conclusionem esse de mente Philosophi, patet, ex eo quod dicit in lib. nono Meta. tex. vigesimo, quòd Geometræ non inueniunt per scientiam diagrammata, nisi actu diuidant, vt quòd triangulus habeat tres æquales duobus rectis, &c. Ad huius cõfirmationẽ dicit Philosophus in primo Phy. quòd omnis scientia supponit de subiecto, quia est, vbi Comm. loquens de scientia per inuentionem inquit, vt Geometra præponat triangulũ & sciet quid significet nomen eius, & quòd ipsa res est inuenta, constat autẽ quòd rem esse inuentam, est rem depressam existere. Dixit enim Philosop. in primo poste. quòd deficiente nobis aliquo sensu, &c. Constat autẽ quòd illic loquitur de scientia per inuentionem, quoniam pro ratione assignat, quòd non cognoscimus vniuersalia, nisi per inductionem, inductio autẽ nõ habetur nisi de singularibus, singularia verò nõ cognoscuntur nisi sensu, sensus autem non sentit, nisi existens: quare, &c.

Secunda conclusio, Si sumatur scientia realis, quo ad vsum eius, vel vt acquiritur per doctrinam, non est necesse rem scitam esse actu existentiæ, sed sufficit quòd sit in actu quidditatiuè, vel non repugnanter. Hanc sic declaro, Quando quis de aliquo obiecto, puta de rosa inuenit scientiam, tunc iam habet intellectu suo speciem intelligibilem rosæ, quę remanet in intellectu etiam non existente rosa in rerum natura, nam species sensibilis siue sensata rosæ conseruatur in phantasia, remota rosa, ergo multo magis remanet species intelligibilis intellectu, cum sit immaterialior. Tunc ergo potest intellectus actuatus specie intelligibili rosæ, considerare de rosa, etiam quòd non sit rosa, & vt sic vti scientia inuenta de rosa, & demonstrare proprietates eius per rationem suam quidditatiuam, quoniam prædicata quidditatiua semper verificantur de rosa. Præterea, Discipulus ex auditu potest in phantasia sua formare phantasma alicuius rei, quam nunquam vidit: ex phantasmate autem potest extrahi species intelligibilis repræsentatiua rei non visæ, & fortè pro illo tempore non existentis, & tunc discipulus actuatus tali specie, potest ex doctrina docentis acquirere scientiam rei non existentis, dummodo sit actu quidditatiuè, vel non repugnanter, modo quo suprà expositum est. Patet ergo, quòd quo ad vsum scientiæ inuentæ, & quo ad acquisitionem scientiæ ex doctrina, non est necesse rem scitam esse in actu existentiæ, &c.

Quantum ad tertium aduerte, quòd ex determinatione facta oriuntur duo dubia, primum est, quia dicit Philosophus in primo posteriorum, loquens de scientia vniuersaliter, quocunque modo acquiratur quòd de subiecto supponitur quia est, ergo in omni scientia supponitur subiectũ esse: ergo non solum in scientia habita per inuentionem, vt videtur determinatum.

Ad hoc dicitur, quòd in omni scientia quocunque modo acquiratur, supponitur, quia est de subiecto, sed diuersimodè, nam si acquiritur per inuentionem supponitur existere, modo quo determinatum est in prima conclusione: si autem acquiritur per doctrinam, vel si consideretur quo ad vsum postquam inuenta est scientia, supponitur ac si existeret, ex quo sibi non repugnat esse, & sic diuerso modo est exponendus textus Philosophi, sicut diuerso modo acquiritur scientia.

Secundum est, quia ex distinctione data de triplici essendi actu, videtur sequi, quia etiam natura rei non existente, propositiones primi & secundi modi per se sint verę, quod videtur repugnare Philosopho, apud quem fuit hoc principium, Ab eo quod res est vel non est, dicitur oratio vera vel falsa.

Pro responsione ad hoc, aduerte, quòd realistæ & terministæ ab antiquo in præsenti dubio discordãt. Nam realistæ cum quibus concordant antiqui & veri Philosophi, tenent, quòd omnis propositio categorica simpliciter necessaria & affirmatiua est semper vera, etiam re non existente: vel, vt alij dicunt, sine consistentia subiecti, fundamentum eorum est, quia tenent quòd sit per accidens rem, vt scibilem existere, eo quod species intelligibilis non repræsentat existentiam, imò abstrahit ab existentia & non existentia: sed repræsentat prædicata per se, ex quo sequitur secundum eos, quòd in tali propositione copula verbalis non dicit de necessitate existentiam, sed habitudinem, vel ordinem, aut naturalem conuenientiam prędicati ad subiectum, prout prædicatum ex natura sua semper est aptum verificari de subiecto. Terministę autem tenent oppositum, & fundamẽtum eorum est, quia opinantur copulam verbalem semper significare actum essendi, id est existentiam dummodo propositio sit affirmatiua, & de terminis positiuis. De propositione autem negatiua, & de terminis negatiuis aut priuatiuis secus est. Quoniam in his copula verbalis potius negat quàm ponat existentiam. Nam in hoc, Cæcitas est in oculo, sensus est, visus non est in oculo apto habere visum, & intentionem suam fundant super dictum Philosophi in prędicamentis, Ab eo quòd res est vel non est dicitur oratio vera vel falsa, & quoniam Bea. Tho. vt diffusè declarat Capreolus in 1. distinctione octaua, quæstione prima, vbi defendit primam rationem Bea. Tho. probantis in quo Bea. Tho. haberet distingui esse ab essentia, tenet cum realistis: ideo volo soluere fundamentum terministarum contentum in argumento facto.

Tu igitur aduerte, quòd textus Philosophi potest dupliciter intelligi, prout Iy est dupliciter exponi. Nam primò potest exponi pro existentia rei, vt sit sensus, Ab eo quòd res est vel non est, id est, ab eo quòd res existit, vel non existit, &c. & hic sensus negatur à realistis: & dicunt Philosophum non locutum esse in tali sensu, super quem tamen se fundant terministæ, secundò pro esse essentiæ, non quidem ad sensum aliquorum, qui ponunt esse rei quidditatiuum extra causas suas, sed secundum verificationem prædicatorum per se de essentia rei. Quæ quidem verificatio competit essentiæ rei, etiam re non existente, nam rei essentia est talis naturæ, quòd prædicata sua essentialia, semper respiciunt ipsam. Quoties enim præsentatur lapis intellectui, vt quoddam intelligibile, statim sibi occurrit vt ens, vt substantia, vt corpus, etiam dato quòd lapis non existat, & in hoc sensu est intelligendus textus Philosophi, vt dicatur sic, Ab eo quòd res est, id est, ex eo quòd res est talis naturæ, quòd ex se verificantur talia vel talia prædicamenta de ipsa re, dicitur oratio vera. Nam quia ex natura hominis verificatur risibile de homine, ideo hæc est vera, homo est risibilis, & quia ex natura hominis non verificatur rudibile de homine, ideo hæc est falsa, homo est rudibilis: & sic patet quòd argumentum nihil concludit, quoniam procedit secundum sensum primum, quem non admittimus.

Hic quærunt aliqui, & præcipuè Paul. Sonci. vtrum res ante

sui productionem habeant esse quidditatiuum, & quoniam Paulus sufficiens est in hoc, & complectitur totam mentem Cap. in r. dist. 8. q. 1. conclusione 1. ideo nolo in hoc me occupare, sufficiant tibi illi pro defensione viæ Thom. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XX.

Si compositionis & diuisioni intellectus correspondent compositio & diuisio realis in re.

Quoniam autem ens dicitur & non ens, &c. vsque ibi, Hoc autem in rebus est componi & diuidi. Tex. 22.

Circa hunc tex. quæritur, si dictum philosophi est verum, & in quo sensu, & an in omnibus rebus vniuersaliter.

CONCLVSIO.

Compositio & diuisio intellectus in rebus compositis & materialibus circa quas est verum: & verum & falsum per se fundantur super compositionem & diuisionem quæ sunt in re. At compositioni & diuisioni intellectus negotiantis circa substantias simplices, & immateriales non correspondet compositio & diuisio realis in re.

IN hac q. sic procedes, primo aduerte, quòd cùm philosophus dicit in tex. præposito, Hoc autem maximè propriè, aut verum aut falsum, &c. intendit de vero & falso solùm, vt est in secunda operatione intellectus: nam declarans mentem suam paucis interpositis, inquit, vnde verus est diuisum, putans diuidi & compositum, componi. & id præpono, quoniam, non oportet in præsenti quæsito inuestigare, si dictũ philosophi verificatur etiã in prima operatione intellectus, vt faciunt aliqui quæstionantes. Determinatum est enim in libro 6. quòd veritas & falsitas per se non sunt, nisi in secunda operatione intellectus: in prima autem per accidens.

Secundò pro decisione quæsiti pones duas conclusiones responsiuas.

Prima est, in rebus compositis & materialibus compositio & diuisio intellectus, circa quas est verũ & falsum per se fundãtur super compositionem & diuisionem, quæ est in re: probatur, Compositio & diuisio intellectus negotiantis circa res compositas & materiales causatur ex reali compositione & diuisione, quæ est in re, ergo fundatur super compositionem & diuisionem rei. Consequentia patet: Antecedens autem est, Arist. in præsenti tex. inquit enim, Intellectus est verus putans compositum esse compositum in re, vt homo est albus, & diuisum ab alio esse diuisum, vt homo non est asinus, econtrario autem mentem intellectus componens non compositum in re, vt homo est lapis, & diuidens non diuisum, vt homo nõ est animal. Quoniam igitur ab eo q̃ res est vel nõ est, causatur veritas vel falsitas in oratione, si res est cõposita, oratio affirmatiua est vera, & negatiua est falsa: si diuisa ab alio, oratio negatiua est vera, & affirmatiua est falsa, & si quæras in particulari, quomodo compositio intellectus compositioni rei respondet. & diuisio diuisioni. Respondeo non recedens ab intellectu B. Tho. quòd in rebus compositis, compositio formæ & materiæ vel eorum quæ se habent vt forma & materia. vel compositio subiecti & accidentis, se habent vt fundamentum & causa veritatis in compositione, quam in se format intellectus & voce exprimit. Verbi gratia, veritas huius cõpositionis, Sortes est homo, causatur ex cõpositione huius animæ humanæ, ad hanc materiam indiuidualem, qua Sortes est hic homo: & huius, homo est albus, causa veritatis est compositio subiecti & accidentis: in diuisione autem, Diuisio rei à re est causa veritatis, vt hæc est vera, homo non est lapis, quia distinguitur homo à lapide, ita quòd non possunt simul esse, &c. hoc dico quia licet forma & materia subiectum & accidens distinguantur realiter, sunt tamen vnibilia quod non contingit in distinctis supposito.

Secunda est, Compositioni & diuisioni intellectus negotiantis circa substantias simplices & immateriales, non correspondet compositio, & diuisio realis in re, probatur, In re simplici & immateriali nulla est compositio realis, aliter non esset simplex, quoniam compositio & simplicitas respectu eiusdem sunt oppositæ, ergo compositioni intellectus in talibus non correspondet, &c. ex quo sequitur, quòd non eodem modo est veritas in simplicibus & compositis: nam sicut esse, non est vniforme in eis, sic nec veritas. Constat autem quòd esse rei compositæ consurgit ex componentibus: esse autem rei simplicis competit ei absque compositione, sed ex simplici natura sua, idem dicendum est de veritate, quoniam sicut res se habet ad esse, ita ad veritatem, vt dictum est in secundo libro tex. 4.

Tu tamen aduerte, quòd pro veritate non datur substantia omnino simplex, nisi prima causa, in qua quando aliqua perfectio prædicatur de ea, tali compositioni intellectus nulla correspondet compositio in re vt in hac, Deus est iustus, Deus est sapiens, id est, re signatur per prædicatum & subiectum, vnde Commen. dicit in 12. in commen. 39. quòd in Deo idem & dispositum id est, prædicatum & subiectum, &c. Quantum igitur ad alias substantias abstractas, nihil prohibet compositioni intellectus correspondere compositionẽ in re, saltem ex subiecto & accidente. verum quia Arist. & Commen. & B. Tho. in hoc loco loquuntur de omnibus, vt de vno genere, ideo pro nunc supponatur esse eadem ratio de omnibus, donec simus in lib. 12. vbi assignabimus differentias inter primam causam, & alia separata.

Vltimò aduerte, quòd quidam dant instantias contra primam conclusionem, dicentes quòd in hac compositione, non ens est non ens, non correspondet compositio in re, quoniam compositio est proprietas entis, ergo non conuenit non enti. Item quando prædicatur idem compositum de seipso, vt homo est homo, non correspondet compositio in re, quia nihil componit cum seipso. Item nullo homine existente, hæc est vera, Sortes est homo: & tamen nulla compositio correspondet in re, si per casum nec Sortes nec homo existit. Sed inspecto sensu philosophi, instantiæ nullæ sunt. Intendit enim philosophus de compositione & diuisione intellectus in rebus compositis, quæ constant ex terminis positiuis significantibus rem extra animam, & non ex terminis negatiuis aut priuatiuis: & ideo instantia prima nihil valet. Item instantia secunda nihil valet, quia quando idem prædicatur de seipso, est idem iudicium, sicut de re simplici, de qua formata est secunda conclusio negatiua. Ad tertiam dico, quòd licet de facto non correspondet cõpositio in re posito illo casu, tamen aptitudinaliter correspondet, quæ saluatur etiam re non existente. Nam dum dico, Sortes est homo, ly est, non dicit actualem existentiam subiecti, sed habitudinem prædicati ad subiectum quòd ex natura rei semper est natum conuenire subiecto, & verificari de eo. & aduerte, quòd aliqui realistæ, inter quos est Iandunus, quia nesciuerunt saluare, quomodo huic compositioni, Sortes est homo, correspondeat compositio in re, posito quòd Sortes non sit, dixerunt hanc esse falsam, Sortes est homo, similiter istam, homo est animal, posito quòd homo non sit, & nõ aduerterunt quòd ad veritatem talium sufficit correspondentia compositionis in re actualis, vel aptitudinalis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXI.

Si contingit deceptio circa quodquid est, & circa substantias incompositas, siue abstractas.

Decipi enim circa quodquid est non est, sed aut secundum accidens, similiter autem circa substantias incompositas non enim est decipi. Tex. 22.

CONCLVSIO.

Circa quodquid est siue circa diffinitionem deceptio non contingit per se in intellectu: contingit verò per accidens in intellectu circa quodquid est: at circa substantias incompositas abstractas, deceptio in intellectu non contingit, sed ignorantia.

IN hac quæstione sic procedes. Primò declarabis quid sit decipi, & in quo differt ab ignorare. Secundò, pones conclusiones responsiuas. Tertiò, quoniam determinabitur quod circa substantias incompositas siue abstractas non contingit nobis deceptio, sed ignorantia, declarabis qualis est hæc ignorantia, & quomodo potest concordari tex. Comment. cum tex. quem exponit B. Tho.

Quantum ad primum aduerte, quòd ignorare propriè est nullo modo intellectu attingere obiectum scibile, siue sit simplex siue compositum: sicut merus idiota, nihil penitus sciens de eclipsi, nec de anima, nec de intelligentiis, dicitur propriè ignorans. Decipi autem vel deceptio propriè est habitus erroneus, quo aliquid scimus de re, & aliquid nescimus, siue ignoramus, non solum ignorantia simplicis negationis, sed malæ dispositionis: sicut qui scit hominem esse animatum & animal, sed nescit animam humanam esse immortalem, imò tenet oppositum. Differunt autem, quoniam ignorantia propriè est tantum circa simplicia, quoniam si attingimus ea, scimus: si non attingimus, ignoramus. Deceptio autem propriè est circa composita, quoniam possumus de eis aliquid scire, puta genus & nescire differentiam.

Quantum ad secundum ponuntur tres conclusiones responsiuæ quæsito.

Prima est, Deceptio non contingit per se in intellectu circa quodquid est siue circa diffinitionem. Probatur, Nulla potentia cognoscitiua decipitur per se circa proprium obiectum, dummodo remoueatur omnis indispositio ex parte potentiæ & ex parte obiecti. Sed intellectus est potentia cognoscitiua, vt ab omnibus conceditur, & suum proprium obiectum, est ipsum quodquid est ex tertio de anima, textu vigesimosexto: ergo, &c. Maior est Philosophi in tertio de anima in eodem textu, vbi loquens de vero & falso vult, quòd intellectus, qui est ipsius quodquidest, semper est verus, & non secundum quod intelligit quid est res, semper sit verus, & non secundum quod intelligit aliquid de aliquo, id est componit aut diuidit, vnde sicut visus, inquit Philosophus, non decipitur in proprio obiecto, sic nec intellectus in cognoscendo quodquidest: sicut autem decipitur visus in iudicando de coniunctis proprio obiecto, puta si coloratum est homo, vel aliud, sic decipitur intellectus in componendo & prædicando aliquid de aliquo, puta quod cœlũ est immobile.

Secunda est, Deceptio contingit per accidens in intellectu, circa quodquidest. Probatur, Deceptio contingit per accidens in sensu circa proprium sensibile: ergo & in intellectu circa proprium intelligibile, quod est ipsum quodquidest. Consequentia patet, quoniam secundum Philosophum vbi suprà, sicut se habet sensus ad proprium sensibile, sic intellectus ad proprium intelligibile. Antecedens autem patet ad sensum, quoniam si organum sit indispositũ, sicut lingua febricitantis, iudicat dulce amarum, idem contingit visui ex medio indisposito, sicut aëre existente nubiloso, vel repleto vaporibus calidis, iudicat nubem albam esse rubeam, idem contingit ex indebita distantia sensibilis ad sensum, vt qui iudicat de magnitudine rei, à valde remotis. Eodem modo contingit deceptio per accidens in intellectu, circa quodquidest.

Quod quidem contingere potest duobus modis, primo malè ordinando, & componendo partes diffinitionis, vt si quis componeret animal rationale cum immortali, & diceret, quòd homo est animal rationale immortale, deciperetur ex eo quòd partes incompossibiles adinuicem componeret: non enim stant simul animal rationale & immortale, sed mortale secundo, malè applicando diffinitionem diffinito. Stat enim quòd partes diffinitionis sint bene ordinatæ, & tamen aliquando applicatur diffinitio alteri, cui non conuenit, vt si quis diffinitionem trianguli applicaret quadrato, deciperetur per accidens, quia non inquantum diffiniens, sed inquantum malè ordinat vel malè applicat, decipitur: nam si diffiniens bene ordinat partes diffinitionis, & bene applicat, semper est verus, & nulla deceptio.

Tertia est, Circa substantias incompositas abstractas, non contingit deceptio in intellectu, sed ignorantia. Antequam probemus hanc conclusionem aduerte, quod quando Philosophus dicit, circa substantias incompositas non est decipi, supponit quòd intelligant secundum naturam suam & non ex sensibilibus effectibus, nam si sic, intelligentur more rerum compositarum, & formabimus conceptus compositos ex genere & differentia, vel aliquo loco differentiæ, & dato quod non verè componantur ex genere & differentia, non inconueniet, quod cognoscamus substantiam incompositam & simplicem, quo ad prædicatum genericũ, & non quo ad prædicatum differentiale. & tunc poterit esse deceptio in intellectu, quia vt sic cognoscet incomposita per compositionẽ & diuisionem, sicut intelligit composita, si autem intelligerentur secundum naturã suam, intelligerentur simplici intuitu, absque compositione & diuisione & discursu. Aduerte etiam, q̃ vt dictum est in quæst. præcedenti, licet pro veritate non detur substantia incomposita & omnino simplex, nisi prima causa, tamen quia Arist. Comm. & B. Tho. hic loquuntur de omnibus, vt de vno genere: ideo probabitur absoluè, quòd in abstractis non contingit deceptio, sed ignorantia, & arguitur sic, Circa ea est deceptio, in quibus contingit aliquid scire, & aliquid nescire. Dictum est enim quòd deceptio est habitus erroneus, quo contingit aliquid scire & aliquid ignorare. Sed in substantiis incompositis abstractis non contingit aliquid scire & aliquid ignorare, quoniam cum sint simplices & indiuisibiles, vel simpliciter scimus eas, vel simpliciter ignoramus, supposito vt dictum est, quòd intellectus rendat in cognitionem earum secundum naturam suam, & non more substantiarum compositarum.

Quantum ad tertium aduerte, quòd tex. Philosophi, quem exponit B. Th. est negatiuus, sic enim inquit, falsum verò non est nec deceptio, sed ignorantia non qualis cæcitas. Cæcitas enim est vt vtique si intellectiuũ omnino non habeat aliquis. Tex. autem Comm. partim est negatiuus, partim affirmatiuus, sic enim inquit, Et hoc nõ est falsum, neque deceptio, sed ignorantia: non sicut cæcitas, ista enim ignorantia est sicut cæcitas intellectus, cùm nullus eorum habuerit intellectum omnino, & aduerte, quòd sicut non videntur concordare text. sic nec concordat expositio B. Tho. cum expositione Comm. nam dicit B. Tho. quòd illa ignorantia non est talis priuatio, qualis est cæcitas, quę est priuatio potentiæ visuæ, esset autem illa ignorantia similis cæcitati, si quis non haberet vim intellectiuam ad attingendum substantias separatas, vnde asinus habet ignorantiam substantiarum separatarum, sicut oculus cæcus ignorantiam colorum, nam sicut oculus cæcus non videt nec videre potest colores, quia est non habens potentiam visiuam, sic asinus nec cognoscit nec cognoscere potest abstracta, quia non habet intellectum. Homo autem quia intellectum habet, potest cognoscere potentia remota, vnde se habet homo ad cognoscendum separata, sicut oculus non cæcus, sed conclusus aut velatus ad videndum colores. Comment. autem exponit affirmatiuè & dicit, Et cùm dicimus, quòd apud nos non est verum de substantiis simplicibus, non intendimus, quòd accidit nobis error, qui est ignorantia secundum habitum: sed accidit priuatio veritatis, quæ est ignorantia tantum, & hæc in virtute rationali, id est, in intellectu, sicut cæcitas in oculo, & innuit per hoc, quòd non intelligere res separatas per intellectum humanum est in intellectu in primo, id est, in princip. quando est sicut tabula rasa, simile cæcitati in oculo, antequam perficiatur intellectus, eo scilicet modo quem imaginatus est ipse Comment. in tertio de Anima, commen. 35. Hæc fuit expositio Comm̃t. ex qua constat, quòd licet arbitretur hominẽ antequam perficiatur per scientias speculatiuas, non posse intelligere abstracta quidditatiuè: sicut nec oculus cæcus colores, tamen in vltimo statu si intellectus agens vnietur intellectui possibili vt forma, potest intelligere, & de facto intelliget. Mens autem B. Tho. in tota doctrina sua fuit, quòd homo pro hac vita, non potest ad cognitionem talem peruenire, & ideo non est quærenda aliqua concordia inter B. Tho. & Commen. in hoc, sicut determinauimus in lib. 2. contra Scotum & Comment.

Sed contra hoc videtur esse corollarium, quod facit B. Th. post expositionem tex. Dicit enim sic, Ex quo patet, quòd secundum sententiam Arist. humanus intellectus potest pertingere ad intelligendum substantias simplices. Quod videtur sub dubio reliquisse in 3. de anima. Nec valet dicere, vt quidam dicunt, quòd B. Tho. intendit sententiam Aristo. fuisse, quòd intellectus humanus potest in hac vita intelligere substantias simplices, non quidditatiuè, sed quantum ad quia est, siue ab effectu. Hoc inquam non valet, quoniam cùm dicit philosophus in tex. quòd circa substantias incompositas non est deceptio, sed ignorantia, supponit quòd intelligantur secundum naturam suam, & non ex sensibilibus effectibus, aliter intelligerentur per compositionem & diuisionem, more rerum compositarum, & sic circa eas posset esse deceptio, vt declarauimus in tertia conclusione huius quæstionis.

Nec etiam valet dicere, quòd B. Tho. intendit non pro hac vita sed postquam erit intellectus separatus à corpore. Hoc inquam non valet, quoniam dicit B. Tho. Quod videtur, scilicet philosophus, sub dubio reliquisse in 3. de anima. Constat autem quòd in tertio de anima in tex. 36. mouet dubium; & non soluit, vtrum intellectus existens non separatus à magnitudine, id est, à corpore, intelligat aliquod separatorum, ergo videtur B. Tho. in hoc loco concordare cum Comment. quòd scilicet intellectus humanus potest existens coniunctus intelligere quidditatiuè entia simplicia, id est, abstracta.

Respondeo. Hoc argumentum semper reputaui difficile in via nostra, & quoniam teneo quòd philosophus in hoc 9. in tex. 22. intendit de cognitione quidditatiua substãtiarum, incompositarum, & pro hac vita, non quòd de facto Intelligantur, sed si intelligerentur, non caderet circa eas deceptio, ideo ad argumentum dico, quòd illud corollarium non fuit Beati Tho. sed alicuius glossantis in margine, deinde reductum fuit in expositione. & motiuum meum est, quoniam si est B. Tho. profectò sibi ipsi contradicit: vult enim hic quod philosophus determinet id quod sub dubio reliquit in 3. de anima. & in 3. de anima exponens tex. 36. dicit, Hæc quæstio, scilicet, vtrum intellectus existens nõ separatus intelligat aliquod separatorum, pertinet ad metaphysi. non tamen inuenitur ab Arist. soluta. hæc ille. Patet autem, quòd hæc duo non stant simul, scilicet, quòd determinet hoc quæsitum relictum sub dubio in 3. de anima, & quòd non inueniatur solutum ab Arist. Sic mihi dicendum occurrit vt liberem B. Tho. à contradictione, si quis tamen melius inuenerit: sapientiori cedo. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

Quæstionum super Nonum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII.

QVAESTIONES SVPER decimum librum Metaphysices.

In libro decimo in quo Philosophus pertractat de ente, vt diuiditur per vnum & multa, & de his quæ consequuntur vnum & multa, discutienda sunt infrà scripta quæsita.

1 Si ratio vnius est positiua vel negatiua.
2 Si ratio mensuræ primò cõuenit vni, quod est principium numeri, & per quid conuenit ei.
3 Si quid est mensura in aliquo genere est primum & causa omnium quæ sunt illius generis.
4 Si prima substantia, id est, prima causa est mensura omnis substantiæ.
5 Si vnum & multa opponuntur, & in quo genere oppositionis.
6 Si multitudo est prior vno.
7 Si identitas absoluta & relatiua sunt eadem identitas vel distinctæ realiter.
8 Si inter idem & diuersum datur medium.
9 In quo differt oppositio relatiua ab aliis oppositionibus.
10 Quomodo se habet priuatio ad cognoscibilitatem, & ad esse extra animam.
11 Si oppositio contradictoria est prima & maxima, & si potest habere medium.
12 Si contrarietas est maxima distantia vel differentia.
13 Si contraria habent fieri circa idem, ita quòd se compatiantur in eodem saltem in gradibus remissis.
14 Si tantum vnum vni est contrarium.
15 Si multitudo est genus ad numerum, ita quòd sit quid magis commune quàm numerus.
16 Si omnia media sunt eiusdem generis cum extremis.
17 Si media contrariorum componuntur ex extremis virtualiter & formaliter.
18 Si inter species cuiuscunque generis est vera contrarietas, præcipuè in prædicamento substantiæ, & similiter inter differentias.
19 Si genus & species generis sunt eadem, aut diuersa genere, vel eadem aut diuersa specie.
20 Si omnis contrarietas facit diuersitatem in specie.
21 Si corruptibile & incorruptibile differunt genere.
22 Si materia est principium distinctionis secundum genus.

QVAESTIO I.

Si ratio vnius est positiua vel negatiua.

Propter quod vni esse, indiuisibile est esse. Tex. 1.

CONCLVSIO.

De conclusione huius quæstionis, vide quæstionem octauam libri quarti.

IN hac quæstione aduerte, quòd eam iam pertractauimus & determinauimus in libro quarto, in quæstione octaua, & defendimus viam nostram contra Ant. And. & quoniam extimamus determinationẽ illic factam non solùm esse ad mentem B. Tho. sed & Comm. Ideo intendimus hic non repetere quæ dicta sunt in libro quarto in quęst. octaua, sed soluere rationes Ioan. Bac. Anglici, qui conatur probare, quòd formale in ratione vnius, non est quid negatiuum, puta indiuisio, sed quid positiuum. Sic igitur procedemus. Primò ponetur positio sua. Secundò soluentur rationes suæ, quas apparenter fundat in Arist. & Comment.

Quantum ad primum aduerte, quòd in 1. sent. distin. 33. q. 1. art. 2. dicit, quòd formale in vno est duplex, scilicet primum & secundum, primum est positiuũ, secundum est negatiuum, primum positiuum est simplicitas, vnum enim ex natura sua est simplex, secundum negatiuum est indiuisio, quæ sequitur ad simplicitatem, quoniam simplex vt simplex indiuisum est, & quoniam Philosophus & Commen. in 5. & in 10. Metaphy. videtur declarare vnum non per esse simplex, sed per esse indiuisum, vt patet in lib. 10. text. 1. vbi inquit, Omnia enim hæc vnum per indiuisibile esse. & in text. 5. propter quod diuisibile est, quòd vnum aut simpliciter, aut secundum quod vnum, dicit iste autor, quod Philosophus in 5. Metaphysic. distinguit nomina, & notificat non secundum naturã rei, sed secundum acceptiones famosas, & quoniam cõmuniter iudicatur vnum quod apparet indiuisum, ideo quantum ad communem impositionem nominis ad quam communiter attenditur, Philosophus declarauit vnum per esse indiuisum, cum tamen ex natura sua primo conueniat sibi esse simplex quàm esse indiuisum, quoniam hoc sequitur ad illud, & hanc suam opinionem conatur firmare, ex eo quòd Philosophus in 10. Metaphysic. in illo cap. vbi strictè quærit contra Pythagoram & Platonem quid sit vnum, an scilicet idea, vel quid separatum determinat quòd vnum in vnoquoque genere est natura simplex. Constat autem quòd natura simplex dicit positionem: ergo vnum pro primo formali dicit quid positiuum.

Hanc suam positionem probat quatuordecim rationibus.

Prima est, Cuius modi vel species in quas aliquod cõmune diuiditur, sunt positiui, & ipsum commune est positiuum. Sed modi vel species assignatæ de vno ab Arist. in quinto Metaphysices sunt positiuæ, patet enim quòd vnum continuitate, vnum genere, vnum specie, vnum in substantia, vnum in quantitate, vnum in qualitate, dicunt quid positiuum: ergo vnum est formaliter quid positiuum, & quòd vnum in continuitate, in substantia, in quantitate dicant positionem, probatur, quia sua opposita, scilicet discontinuum, diuersum, inæquale, dissimile dicunt priuationem, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd concludit, modos & species vnius esse positiuos, non pro suo formali præcisè, sed pro suo fundamento, vt stat sub formali, fundamentum autem cum suo formali, est entitas rei vt indiuisa, & in hoc sensu diuidit Philosophus vnum in quinto Metaphysices, & quando autor probat, ex eo quòd sua opposita dicunt priuationem, nego hoc, imò dico, quòd idem dicit formaliter indiuisionem, quæ est vt priuatio, diuersum autem dicit diuisionem, quæ est vt habitus. Idem intelligo de simili & dissimili, de æquali & inæquali, & propterea vnum & multa non opponuntur, sicut positiuum & priuatiuum, vt ipse credit, sed vt indiuisum & diuisum, sicut infrà declarabimus.

Secunda est Philosophus in decimo Metaphysices textu 21. ponit oppositionem relatiuam inter vnum & multa, vt inter mensuram & mensuratum. sed mensura dicit formaliter aliquod positiuum, ergo & vnum cui attribuitur ratio mensuræ.

Ad hoc dico, quòd vt patet in 10. Metaphysi. textu 9. prima oppositio quam assignat Philosophus inter vnum & multa, non est relatiua, sed est sicut indiuisibile & diuisibile. Quæ enim diuisa aut diuisibilia sunt, multa sunt, & quòd indiuisum aut indiuisibile est vnum, inquit illic Philosophus & quoniam de ratione mensuræ est esse indiuisibile, vt dicemus infrà, ideo esse mensuram est proprietas consequens naturã vnius. Modo ad argumentum dico, quòd probat formale in vno non primum sed secundarium quod est proprietas esse positiuum, cum autem dicimus formale in vno esse negatiuum, intendimus de primo, quod est indiuisio. nam ad hoc reducitur ratio mensuræ, & hoc non reducitur in aliquod prius.

Tertia est. Si vnum dicit formaliter priuationem, ergo cùm relatio similitudinis & æqualitatis fundetur super vnum, sequitur quòd non erunt relationes reales positiuæ, sed negationes relationum, & sic non sunt per se in genere relationis, sed reductiuè, quod est contra Philosophum in quinto Metap.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam non fundatur super vnum quo ad suum formale præcisè, sed super materiale, vt stat sub formali, quod est ens indiuisum, vt similitudo fundatur super qualitatem indiuisam specie. Constat autem qualitatem indiuisam esse fundamentum reale, propter quod argumentum nihil concludit.

Quarta, Si vnum dicit formaliter indiuisionem, ergo responsiones datæ à Commentat. contra Auicen. non valent, & probatur consequentia. Primo Commentator recitat in quarto Metaphysices, commento tertio, & in decimo Metaphysi. comment. octauo, quod Auic. intendens probare, quòd vnum addit aliquid super ens, sic arguit, si vnum non addit supra ens, ergo est nugatio dicendo ens vnum. Cui respondens Comment. inquit, Hoc non sequitur, nisi diceremus quòd dicere de aliquo quod est ens, & vnum quod significat eadem intentione & eodem modo, nos autem dicimus quòd significant eandem intentionem, sed modis diuersis. Tunc arguo sic, Si vnum diceret formaliter indiuisonem, Auic. arguisset sine omni apparentia, quòd si est idem enti, erit nugatio dicendo, ens vnum. Sicut enim non est nugatio dicendo, homo cæcus, nec etiam dicendo ens indiuisum. Deinde non oportuisset Commentat. respondere, quòd significat eandem essentiam modis diuersis, sed planius respondisset dicendo, quòd non est nugatio, quia licet significent eandem essentiam, tamen ens significat eam positiuè, & vnum priuatiuè, & tunc nulla dubitatio

dubitatio fuisset in responsione Commentator. Modò autem dubitari potest, quia dixit diuersis modis. Hoc enim potest intelligi de modis positiuis, & priuatiuis. Si igitur Auicen. apparenter arguit, & Commentat. rationabiliter, respondit, sequitur quòd vnum non dicit formaliter indiuisionem.

Secundò, Commentat. dicit contra Auicen. in quarto Metaphysicæ, commento tertio, quòd ens & vnum differunt non essentialiter, sed intentionaliter: & declarans ly intentionaliter dicit, diuersis modis. Tunc arguo sic, Differre intentionaliter secundum Commentat. est differre diuersis modis, ergo positiuè, quia modus non est negatio, sed vnum differt ab ente diuersis modis: ergo positiuè, ergo vnum non dicit formaliter priuationem, sed positiuum.

Tertiò, Commentator in quarto Metaphysicæ, commento tertio, reprehendit Auicen. qui extimauit hoc nomen vnum, significare carentiam diuisibilitatis, & quòd illa intentio, scilicet carentia diuisibilitatis est alia ab intentione, quæ est natura illius rei. Tunc arguo sic: Aut Commenta. arguit Auicen. de ista consequentia, Si vnum dicit carentiam diuisibilitatis, ergo dicit rem additam essentiæ rei diuisibilis, & hoc planè est falsum, sciuit enim Commentator Auicen. non fuisse ita rudem quòd diceret priuationem addere aliquod positiuum super subiectum suum, aut reprehendit eum de hac copulatiua, vnũ dicit carentiam diuisibilitatis, & addit rem super essentiam rei, & tunc habetur propositum quod scilicet Commentator extimauit vtrunque esse falsum, ergo secundum Commenta. vnum non dicit formaliter priuationem scilicet carentiam diuisibilitatis quæ est indiuisibilitas.

Ad hæc respondetur, & negatur prima consequentia. Ad primam probationem dico, quod Auicen. opinabatur alio modo committi nugationem in scientia reali qualis est Metaph. & alio modo in logica, nam in scientia reali credebat committi nugationem per identitatem realem duorum, & auferri per additionem alicuius realis. In logica autem credebat auferri per distinctas rationes formales, etiam stante identitate duorum reali. Sed Comment. voluit innuere, quod etiam in Metaphysic. tollitur nugatio inter ens & vnum per distinctas rationes formales, etiam stante inter ea identitate reali. Apparenter ergo Auicen. arguit, & Commenta. bene respondit, & sua responsio non habet dubitationem apud peritum in doctrina Commentator. quoniam vbique declarat vnum per esse indiuisum, ita quod ly indiuisum est suum formale, quo distinguitur ab ente, & id totum patet in decimo Metaphysicæ, commento primo.

Ad secundam probationem, nego consequentiam, stat enim aliquid differre ab alio intentionaliter, id est, diuerso modo, & tamen illum modum non esse positiuum sed priuatiuum, non enim omnes modi quos addunt trãscendentia super ens, sunt positiui, sed aliqui positiui vt modus veri, & boni, aliquis autem negatiuus, vt modus vnius, & nego quin aliquis modus sit negatio, sumendo negationem pro priuatione, nam si dico oculum cæcum, ly cæcum modificat & restringit oculum, sicut homo albus, ly albus modificat hominem.

Ad tertiam dico, quòd Commenta. illic recitat omnia quæ Auic. attribuebat vni & primo, quòd dicit rem additam enti, tertio, quod non distinguitur ab vno quod est principium numeri ex his tribus, secundum & tertium sunt falsa, & quantum ad hæc reprehendit eum Comment. non autem quo ad primum. Dico ergo quòd Comment. reprehendit Auic. in illa copulatiua, sed nego quòd habeatur propositum, & quòd Commen. eximauerit vtranque partem copulatiuè esse falsam, stat enim copulatiuam esse falsam, cuius vna pars tantum est falsa, vnde dico, quòd Comment. extimauit tantum secundam partem esse falsam, & concessit primam, & sic probatio sua non concludit.

Et aduerte, quòd illa distinctio quam posuit de primo formali, quod secundum ipsum est esse simplex, & de 2. formali, quod est esse indiuisum, & quòd Arist. manifestans vnum per esse indiuisum non loquitur secundum naturam rei, sed secundum famositatem, & secundum communem nominis acceptionem est mera imaginatio sua, nec fundamentum habet in Arist. nam simplicitas dicit carentiam partium, vnde propriè opponitur compositioni, ita quòd sicut vnum opponitur multo, ita simplex opponitur composito, nec est verum, quòd Philosoph. in decimo Metaphysices, loquens contra Pythagoram & Plato. determinet, quòd in vno quoque genere vnum est natura simplex, nec facit mentionem de hoc termino simplex, sed vt patet in textu septimo, determinat contra illos, quòd vnum non est quid separatum, sed quòd in omni generatione vnum est natura quædam, puta vnus color, vna linea, vnus homo, &c. patet autem colorem dici vnum, quia est indiuisus specie vel numero, sic de linea, sic de homine. Non igitur sequenda est imaginatio Ioan. Bacho. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Si ratio mensuræ conuenit in primo vni quod est principium numeri, & per quid competit ei.

Maximè verò in eo quod metrum est esse primum vniuscuiusque generis. Text. 2.

CONCLVSIO.

Esse mensuram quantitatiuam conuenit primo vni, quod est principium numeri, & est reductiuè in prædicamento quantitatis: Ratio autem mensuræ derriuatur ab vno ad alias mensuras.

IN hac q. sic procedes. Primò assignanda est ratio mensuræ vniuersalissimè sumptæ, siue sit mensura intrinseca siue extrinseca, siue quãtitatiua, siue perfectionalis, siue homogenea siue heterogenea. Secundo, quot cõditiones requirit mensura quantitatiua, de qua hic propriè intẽdimus probare, quòd est primo competens vni, quod est principium numeri. Tertiò declarandum est per quid cõpetit vni esse, mensuram scilicet, an quia simplex, an quia indiuisibile. Quartò ponentur conclusiones responsiuæ. Quintò soluentur quædam dubia.

Quantum ad primũ aduerte, quòd ratio mensuræ vt mensura est, consistit in hoc, quòd est certificare & notam facere determinatè apud intellectum nostrum quantitatem rei, siue sit quantitas dimensiua, siue quãtitas perfectionalis, ita quòd apud intellectum nostrum, illud est primò mensura quantitatis dimensiuæ, quo primo cognoscimus ipsam quantitatem & illud est primo mensura quantitatis perfectionalis, quo primo cognoscimus perfectionem & determinatos gradus perfectionis rei in suo genere, & vt declarabimus infrà, tale est primum in vnoquoque genere, nunc autem quoniam intendimus de mensura quantitatis dimensiuæ, sufficit tibi scire, quòd illud est primò mensura, per quod primo quantitas rei cognoscitur, & hæc est ratio mensuræ assignata à philos. in tex. 2. vbi dicit Cõmen. Diffinitio mensuræ est illud, per quod mensuratur, id est cognoscitur quantitas rei, vnde mensurare non est nisi notificare quanta sit res, vel quota, & omne notificatiuum quantitatis habet rationem mensuratiui. Quantum ad secundum aduerte quòd mensuræ quantitatiuæ tres debent esse conditiones: primò quòd sit certissima, nam per incertum non possumus de aliquo certificari, sicut ex principio incognito non possumus deduci in notitia conclusionis. Cùm igitur per mensuram debeat intellectus certificari de mensurato, ex diffinitione data de mensura, necesse est ipsam esse certissimam.

Secundò, quòd sit indiuisibilis, & minima in illo genere in quo est mensura. Indiuisibilis quidem, quoniam vt dicit Commentator in cõment. 12. res primò & essentialiter non mensuratur, nisi per primum, quod est indiuisibile in eis. Minima autem, quoniam, vt dicit philosophus in tex. ad hoc quòd mensura certificetur de quantitate mensurati, debet esse talis, quòd nihil possit sibi addi vel minui, aliter non esset eadem mensura, sicut patet in ponderibus, puta in vncia in libra. Tu tamen aduerte, quòd ly indiuisibilis & minima stat vel simpliciter, vel secundum institutionem humanam, vt vult philosophus in tex. simpliciter quidem vt vnitas, quæ est indiuisibilis omnino, & qua mensuramus omnem numerum, vt probabitur infrà, secundum institutionem autem humanam, vt mensura qua vtimur in continuis, sicut pes, & vlna, & brachium: quæ licet sint in se quantitates continuæ, ex consequenti semper diuisibiles, tamen ex statuto humano accepta pro mensuris, stant in indiuisibili, ita quòd non licet sibi addi neque minui, vt seruetur iustitia in ciuilibus. Aduerte etiam, quòd hæc conditio minima, verificatur propriè in mensura quantitatiua, vt præseruetur mensura perfectionalis, de qua dicemus infrà, quòd maximum in vnoquoque genere est mensura aliorum.

Tertia, quòd sit vnigenea, id est, in eodem genere cum mensurato, quòd tu intelligis per se vel reductiuè: per se quidem, vt quando mensuramus continuum continuo, granitatem granitate, motum motu, &c. Reductiuè autem quando mensuramus numerum vnitate, licet enim vnitas non sit per se in prædicamento quantitatis, est tamen reductiuè sicut principium reducitur ad genus principiati, & aduerte, quòd semper loquor de mensura quantitatiua. nam de perfectionali non est verum vniuersaliter, quòd debeat esse vnigenea, vt dicemus infrà de prima substantia, quæ est mensura omnis substantiæ.

Quan

Quantum ad tertium aduerte, quòd Ioan. Bacho. in 1. dist. 33. q. 1. art. 2. tenet, quòd propter quam vnl competit mensura, est duplex. Quædam prima, & hæc secundum eum est simplicitas, imaginatur enim primâ rationē vnius esse naturam simplicem. Quædam secunda, & hæc secundum eum, est indiuisibilitas, quæ secundum eum est posterior secundum naturam, sed prior quo ad nos: quia vnum occurrit nostro intellectui prius sub ratione indiuisibilitatis, quàm sub ratione simplicitatis, simplicia enim negatione & priuatione cognoscimus, vt punctus est, cuius pars non est, & hanc suam imaginationem quo ad vtranque partem sic probat, & primò quod prima ratio mensuræ non sit indiuisibilitas, sed simplicitas, sic arguit inter mensuram & mensuratum est oppositio relatiua. Sed indiuisibilitas nec pertinet ad oppositionē relatiuam, sed ad priuatiuam: ergo indiuisibilitas non est prima ratio mensuræ, sed simplicitas. Quod autem indiuisibilitas sit prima ratio, quo ad intellectum nostrum, arguit sic: Quæ de difficili intelliguntur à nobis, primò intelliguntur sub ratione priuationis & negationis, vnde materia primò cognoscitur negatiuè, scilicet, quòd non est quid, nec quale, nec quantum, & punctus est cuius partes non sunt. Sed vnitas, sicut quælibet natura simplex, est difficilis nobis ad intelligendum: ergo prius occurrit intellectui nostro sub ratione indiuisibilitatis, quàm sub ratione simplicitatis.

Sed vt determinatum est in quæstione præcedenti, & in libro quarto, quæstione octaua, primum formale in vno non est positiuum, sed negatiuum, quòd est ipsa indiuisio, quia distinguitur intentionaliter ab ente, ideo positio Ioan. Bacho. vt diximus in quæstione præcedenti, nullum fundamentum habet in Philosopho, nec in Commentat, & soluimus rationes suas, vnde tenemus rationem mensuræ conuenire vni, inquantum est indiuisibile, non solùm respectu intellectus nostri, sed etiam secundum naturam suam.

Ad primam igitur rationem suam dicitur, quòd licet indiuisibilitas vt sic non pertineat ad oppositionem relatiuam, tamen res vt stat sub indiuisibilitate, pro quāto per eam quantitas alterius certificatur, reducitur ad oppositionem relatiuam, quoniam vt sic habet rationem mensuræ.

Ad secundam totum conceditur, solùm enim probat, quòd indiuisibilitas est prima ratio mensuræ, quo ad intellectū nostrum, & quòd intellectus noster primo apprehendit vni conuenire rationem mensuræ, inquantum est indiuisibile, & nos id totum concedimus, & vltra hoc tenemus, quòd indiuisibilitas est prima ratio secundum naturam suam, ita quòd non habet reduci in simplicitatem, imò simplicitas est reducenda in indiuisibilitatem, est enim simplex, quod est indiuisibile in partes, sicut per oppositum, compositum est quod est diuisibile in partes, vnde & Philosophus in fine octaui libri Physic. manifestauit simplicitatem primi motoris per esse indiuisibile & impartibile, quare, &c.

Quantum ad quartum, ponuntur duæ cōclusiones responsiuæ ad mentem Philosophi, Prima est, Esse mensuram quantitatiuam conuenit primo vni, quod est principium numeri, & est reductiuè in prædicamēto quantitatis. Probatur, Vnum quod est principium numeri, est quid indiuisibile, & minimū, ex consequenti certissimum, quoniam indiuisibili, & minimo stante sui natura, non potest aliquid addi, nec minui, & est reductiuè in eodem prædicamento, cum quantitate continua & discreta: ergo, &c. Antecedens patet, & consequentia est manifesta, ex conditionibus quas attribuimus mensuræ.

Præterea, Mensuramus quantitatem continuam per vnitatem vel numerum, vt cùm dicimus, vnam vlnam panni, vel duas vel tres, mensuramus autem quemlibet numerum vnitate replicata, vnitatem verò per nihil prius mensurare possumus: ergo vnitati conuenit primo esse mensuram.

Secunda est, Ratio mensuræ deriuatur ab vno ad alias mensuras. Probatur, Conditiones mensuræ conueniunt primo vni, quoniam est simpliciter indiuisibile & minimum, cuius signum est, quòd omnis numerus resoluitur in vnitatem & ipsa non resoluitur in aliquid prius. ergo, &c. probatur consequentia: Quando aliqua proprietas conuenit alicui primo & per se, si conuenit alteri, cōuenit inquantum ab ipso deriuatur talis proprietas. Sed esse mensuram, conuenit primo vni, per præcedentem conclusionem: ergo si conuenit alteri, conuenit inquantum deriuatur ab vno, & illud alterum induit rationem vnius, propter quod Philosophus vult in textu, quòd omnis mensura sit indiuisibilis, aut simpliciter, aut secundum institutum humanum, ita quòd licet in se sit diuisibilis, tamen ex humano instituto, induit rationem vnius, ita quòd omnis prima mensura in suo genere est mensura, quia est vna, vnde apud Philosophum in textu, mensuramus omnem grauitatem, vna prima grauitate, omnem longitudinem vna prima longitudine, omnem motum vno primo motu, &c.

Quantum ad quintum aduerte, quòd contra prædicta insurgunt duo dubia. Dictum est enim, quòd vna ex conditionibus mensuræ est, vt sit minima, & determinatum est per primam conclusionem, quòd mensura quantitatiua conuenit primo vni numerali.

Contra primum arguitur sic, Dicit Philosophus in hoc decimo in textu quarto, quòd mensuramus motum, motu simplici & velocissimo, qui est motus diurnus primi mobilis.

Sed ille non est minimus, imò maximus, quoniam diuiditur motus ex sexto Physic. ad diuisionem sui mobilis, constat autem quòd primum mobile est maximum corporum: ergo & motus eius est maximus inter motus. ergo vel non est necesse mensuram esse minimam, vel primus motus non est mensura omnis motus, quod est contra Philosophum.

Ad hoc dico, quòd exemplum adductum à Philosopho de primo motu, quo vult mensurari omnem motum, verificatur de mensura quantitatiua, & de mensura perfectionali, de qua loquemur infrà.

Vt verificatur de mensura quantitatiua, dico quòd habet rationem minimi non respectu sui mobilis, quoniam vt argumen. probat, vt sic habet rationem maximi motus, sed respectu temporis, quo est mensura primi motus, ex quarto Physi. nam cùm sit velocissimus, mensuratur, vt ita dicam minimo tempore, & vt sic habet rationem minimi, verificatur etiam de mensura perfectionali, pro quanto est motus nobilissimi corporis: & est certissimus, quia simplex, vniformis, purè latissimus: primum enim mobile vnico motu mouetur, reliqui autem orbes & inferiora corpora pluribus.

Contra secundum arguitur sic, Ex prima conclusione sequitur, vnum numerale esse mensuram multitudinis quantitatiuæ, sed hoc non potest esse.

Nam cùm mensura sit per quam cognoscimus mensuratum, necesse esset prius esse cognitū à nobis vnum, quàm multitudo, sed hoc est falsum, quoniam cùm vnum comparetur ad multitudinem, vt indiuisum diuiso, se habet vt priuatio ad habitum, sed non cognoscitur priuatio, nisi per habitum, ergo vnum non est prius cognitum multitudine, ex consequenti non potest esse mensura multitudinis.

Ad hoc conceditur prima consequentia, & nego quin hoc possit esse. Ad probationem concedo consequentiam, in hoc sensu, quòd necesse est prius cognoscere quòd conditiones mensuræ conueniunt vni, quàm cognoscam multitudinem esse mensuratam per vnum, non enim cognoscitur mensuratum nisi applicatione mensuræ: & cùm probatur falsitas, quoniam cùm vnum comparetur, &c. dico quòd probatio non est ad propositum. Aliud est enim cognoscere vnum secundum naturam suam, & cognoscere in quantum mensura.

Nam si consideretur secundum naturam suam, inquantum comparatur ad multa, vt indiuisum diuiso, & sicut priuatio ad habitum, concedo quòd ratione diuisionis & indiuisionis multitudo est prior in cognitione nostra quàm vnum, vt declarabimus infrà: si autem comparentur adinuicem, vt mensura & mensuratum, dico quòd prius cognosco vnum habere conditiones mensuræ, nam postquam cognoui per diuisionem inclusam in multitudine, indiuisionem inclusam in vno, sicut per habitum priuationem, aduertit intellectus, quòd vni conuenit ratio mensuræ, quoniam de ratione mensuræ est esse indiuisibile, & minimum, quæ conditiones conueniunt vni. Aduertit etiam quod multitudini cōueniunt conditiones oppositæ, & tunc concludit intellectus, quòd conuenienter vnum est mensura, & multitudo est mēsurata. Concludit igitur argumentum quòd vnum secundum naturam suam, inquantum includit indiuisionem, non est prius cognitum multitudine, vt includit diuisionem. Nos autem nunc loquimur de vno, vt sibi conueniunt conditiones mensuræ: & sic dico, quòd non est posterius, cognitum, imò per applicationem cognosco multitudinem quota sit, & quantitatem cōtinuam quanta sit. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Si quod est mensura aliquo genere, est primum & causa omnium quæ sunt illius generis.

Maximè verò in eo quòd metrum esse primum vniuscuiusque generis. Tex. 2.

CONCLVSIO.

Mensura extrinseca, quæ cognosci debet perfectio alicuius, est illud primum, id est, perfectissimum illius generis, illudque primum

primum est causa essendi vel cognoscendi omnia illius generis: Mensura verò intrinseca, est id quod est intrinsecum & primum in re secundum naturam, atque illud idem est causa essendi & cognoscendi rem ipsam, estque illud forma rei & quantitas sua.

IN hac quæstione sic procedes. Primò declarandi & distinguendi sunt hi termini positi in titulo quæsiti: Mensura, primum, & causa. Secundò ponentur conclusiones responsiuæ cum probationibus suis.

Quantum ad primum aduerte, cùm mensura sit illud, quo innotescit nobis quantitas, siue dimensiua siue perfectionalis alterius, ideo est duplex, scilicet intrinseca & extrinseca.

Nam si per aliquod intrinsecum rei cognosco quanta sit perfectio eius, vel quanta sit ipsa res quantitate dimensiua, dicitur mensura intrinseca. Verbi gratia, quia per formam substantialem hominis cognosco perfectionem suam in gradibus entium, ipsa forma est mensura intrinseca hominis: & quia per quantitatem dimensiuam existentem in Sorte, cognosco quantus sit Sortes, ipsa quantitas est mensura intrinseca, si autem per aliquod extrinsecum cognosco perfectionem vel quantitatem rei, pro quanto comparatur ad illud extrinsecum, vel applicatur, dicitur mensura extrinseca. Verbi gratia, quia pannus applicatur vlnæ, extrinsecè à panno cognosco quantus sit pannus. De mensura perfectionali extrinseca ponam exempla in serius.

Circa ly primum aduerte, quòd potest intelligi dupliciter: Primò quòd sit primum primitate perfectionis, in quo sensu dicimus aurum, primum metallum, Aristote. primum Philosophum. Secundò, quòd sit primum primitate naturæ, vel durationis, quo sensu dicimus dualitatem primum numerum: Motum cœli primum motum. In præsenti quæsito intendimus præcipuè de primo, in primo sensu: licet possit extendi ad secundum sensum, in quo vnitas comparata ad numerum est prima, est enim vnitas prior natura numero, cùm non conuertatur subsistendi consequentia.

Circa ly causa aduerte, quòd dupliciter potest intelligi. Primò, quòd sit causa in essendo & cognoscendo, & hoc modo forma est causa rei, quoniam & à forma habet esse actu & per ipsam cognoscitur. Secundò, quòd sit causa in cognoscendo tantum, & hoc modo habitus est causa priuationis, & in scientia naturali effectus sunt causæ causarum suarum, quoniā ex cognitione effectus deuenimus in cognitionem causæ.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Si loquamur de mensura extrinseca, qua cognosci debet perfectio alicuius, dico quod mensura est illud primum, id est perfectissimum illius generis, & illud primum est causa essendi vel cognoscendi omnia illius generis. Probatur quo ad singulas partes: & primo, quòd illud primum, id est, primum sit mensura aliorum, probatur sic, Per comparationem ad ipsum cognoscimus gradum perfectionis aliorum, secundum quòd magis vel minus propinquant illi, vt in genere animalium, homo est metrum aliorum, quoniam secūdum quod alia animalia magis vel minus propinquant homini sunt in tali vel tanto gradu perfectionis, & hac de causa ponitur homo perfectissimum animalium: ergo, &c. Antecedens patet ad sensum, & consequentia est manifesta, ex declaratione data de mensura extrinseca.

Quòd autem illud primum sit causa essendi omnibus illius generis, patet ex 2. Metaphys. tex. 4. vbi vult Philosophus, primum calidū esse causam essendi omni calido, & primum ens omni enti, & sic de aliis. Quòd si est causa essendi, sit etiā causa cognoscendi, patet ex 2. Metaphys. tex. 4. quoniam eadem sunt principia essendi & cognoscendi. Dixi notanter disiunctiuè, causa essendi vel cognoscendi, quonia duplex est mensura extrinseca, quædam primò prima, vt primum calidum, primum ens, primum bonum, primum verum: & hæc est causa essendi & cognoscendi omnium aliorum. Quædam proxima, puta quæ est nobilior species illius generis, vt albedo in genere colorum, est mensura proxima omnium specierum colorum, pro quanto magis participat de luce, quod est formale in colore, & homo est mensura proxima omnium animalium, & hanc non est necesse esse causam essendi omnibus aliis speciebus illius generis. Sed sufficit esse causam cognoscendi, quoniam secundum maiorem aut minorem appropinquationem ad illam nobiliorem speciem, discimus graduare perfectionem aliarum specierum eiusdem generis, & sic albedo est mensura proxima omnium specierum colorum. Dulcedo omnium saporum, homo omnium animalium, aurum omnium metallorum, iustitia omnium virtutum moralium.

Secunda conclusio. Si loquamur de mensura intrinseca, dico quòd est id quod est intrinsecum & primum in re, secundum naturam, & illud idem est causa essendi & cognoscendi rem ipsam, & illud est forma rei, & quantitas sua. Hęc conclusio patet ex declaratione de mensura intrinseca. Nam per formam rei dantem esse, cognoscimus gradum perfectionis, cuius enim forma est nobilior vel ignobilior, & ipsum est nobilius vel ignobilius, similiter per quantitatem Socratis, cognoscimus quantus sit Socrates. Quòd autem forma sit causa essendi ei cuius est forma, & quantitas det esse quantum, non est necesse probare, nec quod sint causa cognoscendi, quoniam vt dictum est, ex secundo Metaphysic. textu quarto. Principia essendi maximè quæ dicunt actum, vt forma substantialis & accidentalis, vt pro nunc reseruetur materia, sunt etiam principia cognoscendi.

Contra hanc determinationem non sunt aliqua argumenta difficilia, quæ non soluantur ex declaratis, & nota quòd præcipuum argumentum contra prima m conclusionem, est illud de albedine, quæ dicitur esse primus & perfectissimus color, & mensura colorum, & tamen non est causa essendi aliis coloribus, quia si esset causa essendi, cùm sit extrinseca (nam prima conclusio loquitur de mensura extrinseca) esset causa efficiens aut finis, constat autem quòd alij colores non sunt effectiuè ab albedine nec propter albedinem, quare, &c.

Ad hoc argumentum patet quid sit dicendum, nam quòd mensura extrinseca sit causa essendi, non verificatur, nisi de mensura prima. De proxima autem sufficit, quòd sit causa cognoscendi. Albedo autem non est mensura prima, sed proxima colorum, quare, &c. & aduerte quòd hæc non est solum imaginatio nostra, sed doctrina B. Tho. in quæstionibus de potentia Dei, quam defensat Capr. in 1. di. 3. q. 1. defendens secundam rationem B. Tho. contra Aureolum, vt videre poteris. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Si prima substantia, id est prima causa est mensura omnis substantiæ.

Quòd quidem in omni genere vnum, &c. vsque ibi, sic in substantia, substantiam vnam. Tex. 7.

CONCLVSIO.

Prima causa est mensura perfectionalis extrinseca, excedens omnis substantia: prima autem intelligentia producta est mensura proportionata extrinseca perfectionalis omnis substantiæ.

IN hac q. aduerte antequam deueniamus ad decisionem, quòd Cōmen. in hoc 10. in commen. 7. apertè sentit, quòd sicut albedo est mensura omnium colorum, sic prima causa, quam appellat primum motorem, est mensura omnis substantiæ, & ideo quæritur, quomodo hoc sit verum.

Aduerte insuper, quòd aliud est loqui, quid veritas habeat in hoc, & quid senserit philosophus in tex. præposito. Nam si loquamur secundum veritatem, non est dubium, quin prima causa sit mensura extrinseca perfectionalis omnis substantiæ & totius entis producti, tam substantiæ quàm accidentis, quoniam est simplicissima omnino indiuisibilis & impartibilis, vt probabitur in lib. 12. & est causa essendi omnium effectiua & finalis, vt probabitur in 12. & est causa cognoscendi omnia, quo ad gradus perfectionales: scimus enim quamlibet naturam esse tantæ vel tantæ perfectionis, secundum quod magis vel minus distat à prima causa vniuersalissimè perfecta. Cùm igitur istæ sint conditiones mensuræ, vt declaratum est suprà, sequitur Deum esse nobilissimam omnis substantiæ mensuram.

Si autem loquamur de sensu quem intendit philosophus in tex. præposito, est diuersitas opinionum, nam Commen. tenet expressè in commen. 7. mentem philosophi fuisse, q; in quolibet genere detur vnum primum, quòd sit metrum aliorum, vt patet in coloribus, in sonis, & similiter in genere substantiæ detur ea quæ est vna & prima, vt sit metrum omnis substantiæ. Constat autem, quòd prima causa est prima substantia, & est vna tantum, vt declarabitur in lib. 12. ergo philosophus intendit in sensu præposito primam causam, quæ est vna substantia & prima, esse mensuram omnis substatiæ. Sed Ant. And. in 10. in q. 1. tenet contra Cōmen. quòd mens philosophi non intenderit de prima causa. Sed de vna prima substātia contenta in genere substantiæ, quæ non est prima causa, cùm illa propter sui infinitatem sit extra omne genus, sed est prima intelligentia producta, quæ cùm sit finita cōtinetur in genere substātiæ. Illa igitur vtpote prima primitate perfectionis est mensura omnis

omnis substantiæ productæ, sicut albedo in genere coloris, & Aurum in genere metalli, & intētum suum probat Ant. And. duabus rationibus, quas formabimus infrà, & soluemus, pro quanto non concordant viæ beati Thomæ.

Mens autem beati Thomæ, est media inter Comment. & Anto. Andr. secundum quam intendo determinare præsens quæsitum, & sic procedendum est. Primò ponetur distinctio de mensura perfectionali extrinseca. Secundò ponentur conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur rationes Anton. Andr. pro quanto disconueniunt à via nostra.

Quantum ad primum aduerte, quòd mensura perfectionalis extrinseca est duplex. Quædam est excedens & extra omne genus sui mensurati: ita tamen, quòd est principium eminentissimum omnis generis sui mensurati. Quædam proportionata & contenta in genere sui mensurati, exemplum primi, bonitas diuina respectu omnis bonitatis creatæ, exemplum secundi. Homo respectu aliorum animalium.

Quantum ad secundum sit hæc prima cōclusio, Prima causa est mensura perfectionalis extrinseca excedens omnis substantiæ. Quòd sit mensura, &c. probatur, in tota amplitudine & cōmunicate substantię, prima causa est simplicissima omnino impartibilis, perfectissima, & primum intelligibile, ergo est mensura. &c. Antecedēs manifestum erit, quo ad singulas partes in lib. 12. consequentia patet. ex prædictis in quæstione præcedenti. Quòd autem sit excedens, patet, supponendo id quod probabitur in lib. 12. scilicet quòd est infinita intensiuè & quodcunque extra ipsam est limitatum intensiuè. Tu igitur sustine, dōnec determinauerimus in libr. 12. de infinitate & simplicitate & vnitate primæ causæ.

Secunda conclusio, Prima intelligentia producta est mensura proportionata extrinseca perfectionalis omnis substantiæ. Probatur: Quia est simplicior in natura sua, vtpote propinquior primo simplicissimo, & prior secundum perfectionem, vt determinabimus in lib. 12. vbi venabimur nobilitatem intelligentiarum, ex nobilitate suorum mobilium. Ex consequenti est causa cognoscendi graduationem omnis perfectionis inuentæ in aliis substantiis, quantum sit ex se. Nam si ordine naturæ intelligeremus species substantiarum, primò intelligeremus primam intelligentiam, eo quòd existens magis ens respectu aliarum esset prius & magis intelligibilis. Deinde intelligeremus secundam. Deinde tertiam, & sic descendendo vsque ad elementa, & sciremus quamlibet speciem, tanto magis vel minus esse perfectam, quanto magis vel minus primæ intelligentiæ propinquat, ergo est mensura extrinseca, &c. Antecedens declaratum est, quo ad singulas partes, consequentia patet ex dictis in quæstione præcedenti de mensura extrinseca.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Anton. Andr. probat primam conclusionem non esse de mente Philosophi, & in textu præposito non intendisse nisi secundam conclusionem. Arguit autem.

Primo sic, Arist. vt patet in textu septimo, quærit, an in substantiis sit aliquod vnum quod est mēsura aliorum, & an hoc sit ipsum vnum, & probat ex intentione contra Plato. quòd non sit ipsum vnum. Sed si primus motor ponatur mensura generis substantiæ. hoc ipsum vnum poneretur mensura, quia primus motor propter sui simplicitatem multo verius esset hoc ipsum vnum, quam idea Platonis.

Ad hoc, negatur minor, in hoc sensu, scilicet quòd ipsum vnum Platonicum esset mensura. Ad probationem, concedo quòd primus motor propter sui simplicitatem est maximè vnum, id est, natura omnino indiuisibilis, cùm sit purus actus. Sed non est vnum vt idea Plato. Illud enim vt sibi imponit Arist. erat penitus abstractum, ita quòd sibi non suberat aliqua certa natura, sed vnum vt vnum, primus autem motor, ita est vnus quòd est certæ naturæ, puta vna substātia æterna, immaterialis, independens, &c. Dico ergo, quòd non fuit intentio Philosophi, negare vnum esse mensuram, sed vnū imaginatum à Platone. Sicut ergo concedit vnum primum colorem esse mensuram aliorum, qui est albedo, sic in hoc communi, quod est substantia, habet concedere vnam primam substantiam esse mensuram aliarum, quæ primus motor est.

Secundò sic, Si sic, ergo sicut in aliis generibus primum est aliquid sui generis, ita primus motor esset aliquid de genere substantiæ, quod est erroneum, quia Deus non cadit in genere propter sui infinitatem.

Ad hoc Comment. negaret falsitatem consequentis, cùm enim teneat primum motorem esse finiti vigoris, vt declarabimus in libro duodecimo, concederet ipsum esse in genere. Sed beatus Thomas negaret cōsequentiam, sumendo genus substantiæ pro prædicamento: non est autem necesse genus substantiæ sumi propriè, sed sufficit quòd sumatur pro analogo, sicut & ens vt est commune Deo & creatori, & vt sic Deus continetur sub substantia sumpta analogicè, nec est erroneum, nec est contra infinitatem suam, vnde concludo, quòd licet mensura proportionata debeat esse in eodem genere propriè sumpto, cum suo mensurato, hoc non est necesse in mensura excedēte: sufficit autem quòd sit in analogo, quod prædicatur de mensura excedente, & de mensurato. Hæc dicta sunt pro præsenti quæsito.

QVAESTIO V.

Si vnum & multa opponuntur, & in quo genere oppositionis.

Opponuntur autem vnum & multa, &c. Tex. 9.

CONCLVSIO.

Vnum, vt habet propriam formam siue rationem formalem condistinctam contra quamcunque aliam formam, opponitur multitudini. Secus verò vt potest esse pars alterius & includi in altero. Non opponuntur autem vnum & multa contradictoriè. Vnum etiam ex suo primo formali non opponitur relatiuè multitudini, sed priuatiuè, non autem purè priuatiuè, sed contrariè. Sed si vnum & multa considerentur quantum ad id quod consequitur suum primum formale, opponuntur relatiuè.

IN hac quæstione sicut proponuntur duo, ita diuidemus eam in duas partes. Primò videndum est, si opponuntur. Secundò, quo genere oppositionis.

Pro euidentia primæ partis sic procedes. Primò pones vnā distinctionem. Secundò duas conclusiones responsiuas.

Distinctio est hæc, Vnum potest dupliciter considerari, sicut quælibet species numeri. Primò, vt habet propriam formam siue rationem formalem condistinctam, contra quamcunque aliam formam, sicut potest considerari corpus, secundum propriam formam, quæ est præcisa corporeitas, condistincta contra formam animati. Secundò potest considerari, non secundum propriam formam, sed vt potest esse pars alterius & includi in altero; sicut & corpus potest considerari non secundum propriam formam præcisè. sed vt est in potentia ad vlteriorem formam, puta ad formam animati, & vt sic potest esse pars animati, & est vt materia, & aduerte quòd in hac distinctione conueniunt Ant. Andr. in 10. lib. q. 2. & Iand. in 10. lib. q. 6. cum B. Thom. in primo sent. dist. 24. vbi tenet, quòd vnum potest sumi cum præcisione & sine præcisione, & quem sensum habeat B. Tho. declaraui in tractatu de transcendentibus in tertia diuisione entis.

Prima conclusio, Vnum sumptum primo modo, opponitur multitudini. Probatur, Vnum sumptum primo modo, & multitudo habēt rationes formales oppositas, ergo vt sic opponuntur. Consequētia patet. Antecedēs probatur. Ratio formalis vnius est esse ens indiuisibile. Multitudinis autem est esse ens diuisibile. constat autem quòd indiuisibile & diuisibile opponuntur, ergo, &c.

Secunda conclusio, Vnum sumptum secundo modo, non opponitur multitudini; quoniam vt sic includitur in multitudine, est enim multitudo vel ipsæ vnitates, vel quid constitutum, aut aggregatū ex vnitatibus. Sed nullum oppositum includitur in suo opposito, nec constituit ipsum, ergo, &c. Et aduerte quòd in hac parte conueniunt omnes rectè sentientes.

Pro euidentia secundæ partis, sic procedes. Primò ponitur distinctio. Secundò quinque conclusiones responsiuæ.

Distinctio est hæc, Vnum sumitur dupliciter. Primò quantum ad suum primum formale, quod suprà diximus esse indiuisionem, & multitudo dicit diuisionē, non quòd vnum sit ipsa indiuisio, nec multitudo ipsa diuisio, sed quia vnū est ens, vt stat sub indiuisione, multitudo aut est ens, vt stat sub diuisione. Secundò, quantum ad id quod cōsequitur suum formale; & hoc est mensura. Dictum est enim suprà, quòd de ratione mensurę est indiuisibilitas, & ideo proprietas vnius est esse mensuram, ex parte autē multitudinis, proprietas est esse mensuratum.

Prima conclusio, Vnum & multa non opponuntur contradictoriè. Probatur, Vnum contradictoriorum verificatur, tam de ente quàm de non ente, sed nec vnum nec multa verificantur de ente & de non ente, sed tantum de ente, quoniam tam in vno quàm in multitudine materiale est ens, vt declaratum est suprà.

Secunda conclusio, Vnum ex suo primo formali non opponitur relatiuè multitudini, quoniam vnum non refert multitudinem. Hæc enim est falsa, Vnum est multitudinis vnum, præterea, relatiuè opposita sunt simul natura. Sed vnum non est simul, imò, prius natura multitudine, quoniam hæc consequentia non valet, vnum est, ergo multitudo est: sed bene

econuerso: ergo, &c. Dixi ex suo primo formali, quòd est indiuisio, vt præseruem secundum formale, quod est mensura, quoniam de eo ponemus vltimam conclusionem.

Tertia conclusio, Opponuntur priuatiuè ex suo primo formali, quoniam primum formale in vno est indiuisio, & in multitudine est diuisio. Constat autem, quòd indiuisio & diuisio se habent vt priuatio & habitus: ergo, &c.

Quarta conclusio, Non opponuntur purè priuatiuè, sed contrariè, Probatur. Quæ opponuntur purè priuatiuè, vnum est mera priuatio, quæ est negatio, vt tenebra & cæcitas, sed vnū non est mera priuatio, non enim est indiuisio, sed ens indiuisum: ergo, &c. Opponuntur autem contrariè duplici sensu, primò quia cùm vtrunque sit ens, & vnum se habeat vt priuatio alterum vt habitus, participant conditiones contrariorum, quæ ita se habent, quod vtrunque est ens, & alterum est vt priuatio respectu alterius sicut nigrum respectu albi, & amarum respectu dulcis, & hæc fuit mens Commentat. in decimo libro commento nono, vbi sic inquit, Multum igitur & vnum sunt contraria ea contrarietate, secundum quam sunt contraria priuatio & habitus, & vocauit, scilicet Aristot. priuationem & habitum contraria, quia contraria vera ad hoc genus reducuntur, hæc Commentat. Secundò opponuntur contrariè, si vnum sumatur cum præcisione, id est, inquantum est sicut si esset species condistincta contra multa, vt vnitas condistincta contra dualitatem, probatur, oppositio inter duas species est oppositio disparata: ergo contraria, quoniam est per differentias contrarias, sed sumendo vnum cum præcisione, se habet ad multa vt species condistincta, vt dicendum est in prima parte quæstionis: ergo, &c. & hæc est mens Beat. Thom. in 1. sent. distinct. vigesima quarta, quęst. prima, art. quarto, ad quartum.

Quinta conclusio, Vnum & multa si considerentur quantum ad id quod consequitur suum primum formale, id est, vt vnum habet rationem mensuræ, & multa rationem mensurati, opponuntur relatiuè. Hæc conclusio patet ex dictis in libro quinto, in capite, ad aliquid, vbi in tertio modo relatiuorum ponuntur ea, quæ se habent vt mensura & mensuratum. Dubia quæ oriuntur ex ea quòd vnum ponitur vt priuatio, soluentur in quæstio. sequenti, & erunt duo, primum, si vnum est prius multitudine, secundum, si est circulus in diffinitionibus eorum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si multitudo est prior vno.

Quare ratione prior multitudo indiuisibili propter sensum. Text. 9.

CONCLVSIO.

Vnum est prius multitudine respectu prioritatis naturæ: ratione verò cognitionis nostræ, multitudo est prior cognitione, vnum verò posterius.

IN hac quæstione antequam deuenias ad resolutionem, aduerte, quòd omnes tenentes vnum comparari ad multitudinem, vt priuatio ad habitum, ex quibus est Comm. & Beat. Tho. & Scot. dicunt multitudinem esse priorem vno, non quidem natura, sed nostra cognitione. Qui verò tenent quòd vnū est omnino positiuum vt habitus, multitudo verò vt priuatio, tenent oppositum. Tu igitur sequens Bea. Thom. & Commentator. sic ad resolutionem procedes. Primò pones duas conclusiones responsiuas, Secundò declarabis quòd licet vnum diffiniatur per multitudinem, & multitudo per vnum: tamen non committitur circulus in diffiniendo. Tertiò solues omnes rationes Ioā. Bacho. quibus conatur probare, quod vnum secundum rei veritatem est vt habitus, & multitudo, vt priuatio, est enim ex illis, qui tenent vnum esse omnino positiuum, & suum formale esse positiuum, cuius positionem declarauimus, & reprobauimus in quæstione prima huius libri.

Quantum ad primum sit hæc prima conclusio, Si loquamur de prioritate naturæ, vnum est prius multitudine. Probatur, licet valeat consequentia, multitudo est, ergo vnum est: tamen non conuertitur, stat enim, vnum esse, & duo non esse: sicut stat, duo esse, & tria non esse: ergo, &c. patet consequentia, ex diffinitione prioris natura, posita in post prædicamentis. Præterea, pars est prior toto, & constituens prius constituto, & mensura prior mensurato. Sed vnum est pars multitudinis, quia est aggregata ex vnitatibus, & constituit eam sumptum sine præcisione, & est mensura eius, vt diximus in prima parte huius quæstionis: ergo, &c,

Secunda conclusio, Si loquamur quo ad cognitionem nostram, multitudo est prior cognitione, vnum verò posterius. Probatur, Cùm nostra cognitio ortum habeat à sensu ex 1. posterio. quod est magis sensibile, prius est in cognitione nostra. Sed multitudo est magis sensibilis, sicut compositum simplici, vnde sicut non cognoscimus simplicia nisi per composita, sic non cognoscimus vnum nisi per multitudinem.

Præterea, Omnis habitus prior est in nostra cognitione quàm priuatio. Ratio enim cognoscendi priuationem est habitus. Sed, vt declaratum est suprà, multitudo inquantum dicit diuisionem est habitus: & vnum, vt dicit indiuisionem, est priuatio eius; ergo, &c. Et aduerte quòd hæc secunda conclusio explicat mentem Philosophi in textu præposito, cùm dicit, Quare ratione, &c. nam sic immediatè præmiserat & ostendit ur ipsum vnum ex diuisibili indiuisibile, propter magis sensibilem multitudinem esse, & diuisibile quod in diuisibile, vbi & Commentator in quit, & causa in hoc, scilicet quare prius cognoscimus multitudinem est, quia diuisibile est multum, est manifestius singulari, & etiam diuisibile est maius indiuisibili, & maius est manifestius minori, &c. Constat ergo, quòd cùm Philosophus dicit multitudinem priorem, intendit non secundum naturam, sed secundum nostram cognitionem, quæ multoties incipit à posteriori, sicut quando per effectum cognoscimus causam.

Sed dices, hæc secunda conclusio destruit rationem mensuræ respectu multitudinis conuenire vni. necesse est enim mensuram præcognosci mensurato: aliter non manifestaret quantitatem mensurati, ergo si vnum est mensura multitudinis, est prius in nostra cognitione.

Respondetur: Hoc argumentum solutum est in quæst. 2. huius li. ibi, Ad hoc conceditur prima consequentia, vide tu illic.

Quantum ad secundum aduerte, quòd multitudo diffinitur per vnum, quoniam est quid aggregatum ex vnitatibus, secundum viam nostram: vel est plures vnitates, secundum viam Comm. Constat etiam quòd si vnum comparatur ad multitudinem, sicut priuatio ad habitum, vnum diffinitur per multitudinem, quoniam priuatio diffinitur per habitum, ex quibus videntur sequi duo inconuenientia: primò quòd vnum secundum naturam suam sit prius & posterius multitudine, quòd implicat contradictionem: similiter quòd multitudo secundū naturam suam sit prior & posterior vno, & quòd hoc sequatur, declaro sic, vnum est diffiniens multitudinem, ergo est prius, quia diffinitio datur per priora: & est diffinitum per multitudinem, ergo est posterius, quia diffinitum est posterius diffiniente. Idem patet de multitudine, quoniam vt est diffinita per vnum, est posterior, vt autem diffinit vnum tanquam habitus priuationem, est prior. Secundum est, quòd videtur manifestè committi circulus in diffinitionibus.

Vt igitur scias defendere, quòd non sequuntur hæc inconuenientia, duo declaranda sunt: primò, quem ordinem teneat intellectus in concipiendo vnum & multitudinem, secundò declarandum est, ex hoc primo sequi, nullum esse inconueniens, si vnum est prius & posterius multitudine. Idem dico de multitudine respectu vnius, ex consequenti nullum committi circulum in eorum diffinitionibus.

Quantum ad primum aduerte, quòd, vt declarauimus in tractat. de transcendentibus, intellectus venando conceptum vnius & multitudinis, sic ordinatè procedit. Quando vult inuestigare si res sibi proposita est vna, vel plures, sic procedit. Primò apprehendit de re, quòd est ens, quoniam est primum quod cadit in nostro intellectu, vt testatur Auic. in 1. suæ Metaphysi. Secundò apprehendit quòd non est non ens: quoniam ex opposito cognoscit oppositum, opponuntur autem ens & non ens. Tertiò apprehendit diuisionem eius à non ente. Cognito enim quid ens & quid non ens, statim apprehendit intellectus diuisionem & distinctionem vnius ab altero. Quartò apprehendit indiuisionem rei in seipsa: quoniam omne ens in seipso indiuisum est, & in quarto signo format conceptum vnius dicens, quòd illud est ens vnum, quod est in seipso indiuisum. Conceptum autem multitudinis siue pluralitatis format in quinto signo. Nam sumpto A_1 & B_1 & cognito quòd A_1 est indiuisum in se & diuisum à B_1 & B_1 est indiuisum in se, & diuisum ab A_1 comprehendit, quod A_1 & B_1 constituunt pluralitatem, quam tamen non constituerent, nisi A_1 esset iam apprehensum vt vnum, & B_1 vt vnum, ex his clarè videre potes, quòd in istis ordinatis apprehensionibus diuisio quæ est vt habitus apprehenditur in tertio loco, & indiuisio quæ est vt priuatio, apprehenditur in quarto loco, & vnum vt vnum apprehenditur in quarto loco, & multitudo vt multitudo apprehenditur in quinto loco. Quantum ad secundum aduerte, quod ex declaratione præmissa constare tibi poterit, non esse inconueniens, vnum esse prius & posterius multitudine, & multitudinem esse priorem & posteriorem vno. Nam vnum considerat ur dupliciter, primo vt constituit multitudinem, & est pars eius & mensura, & sic est prius multitudine, & multitudo est

posterior. Secundo consideratur quo ad indiuisionem, quam dicit in sua ratione formali, & sic est posterius multitudine, prout includit diuisionem. Dictum est enim in declaratione præmissa, quòd diuisio apprehenditur tertio loco, indiuisio autem 4. loco, ergo vnum ratione indiuisionis est posterius multitudine ratione diuisionis ex parte multitudinis, idem declaratur. Nam multitudo vt multitudo, id est, vt constituta ex vnitatibus est posterior vno. Ratione autem diuisionis quam includit est prior vno, eadem ratione, dico non esse inconueniens quod multitudo vt multitudo diffiniatur per vnum vt vnum, quoniam vt multitudo, est semper posterior vno, & vnum vt vnum, est semper prius. Item non est inconueniens, quòd vnum vt includit indiuisionem diffiniatur per multitudinem vt dicit diuisionem, nam vt sic vnum est posterius multitudine, ex his dico ad probationem primi inconuenientis, quòd non inconuenit idem esse prius & posterius respectu diuersorum: nec sequitur contradictio, nisi respectu eiusdem, similiter non committitur circulus in diffinitionibus, nisi quando idem est diffiniens & diffinitum, respectu eiusdem considerati sub eadem ratione. Constat autem ex prædictis, quòd qua ratione multitudo est diffiniens vnum, non diffinitur per vnum, nec qua ratione vnum est diffiniens multitudinem, diffinitur per eam, quare, &c.

Quantum ad tertium aduerte, quod Ioan. Bacho. in 1. dist. 33. quæstione prima articulo secundo tenet, quòd licet vnum secundum famositatem nominis dicit priuationem, & multitudo habitum: tamen secundum rei veritatem, est oppositum, ita quòd secundum eum, vnum est vt habitus & multitudo est vt priuatio. conatur autem probare imaginationem suam, & rationibus, & ex dictis philosophi.

Primò sic arguit, Differentia imperfectior alicuius diuisi habet rationem priuationis, perfectior autem habet rationem habitus, dato quòd nominetur nomine priuatiuo, vt patet, de corporeo & incorporeo, quæ diuidunt substantiam, nam corporeum imperfectius est, ideo secundum veritatem habet modum priuationis, id est, defectus respectu incorporei: licet nominetur corporeum nomine positiuo, & incorporeum nomine priuatiuo. Sed vnum & multa diuidunt ens, & ratio vnius est perfectior secundum veritatem, quàm ratio multitudinis, sicut simplex est perfectius composito. ergo vnum secundum veritatem est vt habitus, & multitudo vt priuatio.

Ad hoc nego, quòd ratio vnius sit perfectior ratione multitudinis: & cùm probatur, quia ratio vnius est ratio simplicis, quæ est perfectior, quàm ratio compositi. Dico quòd supponit duo falsa, primò tacitè supponit rationem vnius siue vnitatis, esse rationem simplicitatis, quod iam improbauimus in q. 1. huius 10. secùdò supponit, quòd simplex vt simplex sit nobilius composito, quòd est manifeste falsum, nam tunc elementum esset nobilius elementato: quare, &c.

Secundò sic arguit, Quòd est forma & actus alicuius est nobilius eo, & per consequens est vt habitus. Sed vnum est actus multitudinis. Nam dat esse & speciem multitudini, ergo est habitus respectu multitudinis.

Ad hoc negatur minor. Ad probationem dico, quòd vnum siue vnitas est materia multitudinis pro quàto componitur ex vnitatibus, nec dat speciem multitudini, nec est forma eius vt vnum, sed vt vnitas vltima, id est, vt stat sub vltimitate, quæ vltimitas dicit ordinem ad præcedẽtes vnitates, vt diximus in lib. octauo, quærentes si vltima vnitas dat speciem numero.

Tertiò arguit sic, Dicit philosoph. in 10. metaph. tex. 10. quòd sicut ad vnum sequitur idem, simile, & æquale, sic ad multa diuersum, dissimile, inæquale. sed hæc secundum veritatem dicunt priuationem, quia dicunt negationem vnitatis in substantia, in qualitate, in quantitate, ergo vnum & multa dicunt priuationem.

Ad hoc dicitur, quòd diuersum, inæquale, dissimile, dicunt diuisionem, vel distinctionem in substantia, & quantitate & qualitate, nego ergo, quòd dicant priuationem, & cùm probatur, quia dicunt negationem vnitatis, ergo priuationem, nego consequentiam. Nam eadem ratione visus diceretur priuatio cæcitatis, quia negat cæcitatem: quod tamẽ est falsum, nisi sumendo priuationem pro quacunque negatione, quod est valde improprium.

Quartò sic. Dicit philosoph. in 10. metaph. tex. 9. quod multum est prius ratione, quàm vnum, quia magis sensibile, ex quo sic arguitur, Quod est magis sensibile est habitus solum secundum famositatem, & est priuatio secundum veritatem, vt patet de corporeo, quòd est magis sensibile quàm incorporeum. Sed multum est magis sensibile quàm vnum, ergo, &c.

Ad hoc negatur maior, quæ non solum est vera, sed necaliquam habet apparentiam. Nam eadem ratione, ignis qui est sensibilior aëre, esset priuatio respectu aëris, quod nullus rectè sentiens diceret, negatur etiam, quòd corporeum dicat priuationem respectu incorporei, nisi sumendo priuationem pro negatione tanta perfectionis, quanta est in re incorporea, sed hoc est abuti nomine priuationis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VII.

Si identitas absoluta, & relatiua sunt eadem identitas, an distinctæ realiter.

Est autem vnius quidem sicut', &c. Tex. 10.

CONCLVSIO.

Identitas absoluta & relatiua non sunt distinctæ identitates realiter.

IN hac quæstione aduerte, quòd licet non tangat textum directè, tamen quia Scotus imaginatus est duplicem identitatem, quas nominat absolutam & relatiuam, & putat esse distinctas realiter, quod non tenet via Thomistica, nec Hereuus in 4. quol. quæstione secunda, ideo intendo defensare viam nostram, & soluere fundamenta ac rationes Scoti. Et aduerte quòd cùm Heruetus hoc propositum pertractet, & subtiliter resoluat non recedes à via Thomistica in 4. quol. quæstione secunda & Paulus Sonc. in 10. lib. in q. 5. idem pertractat in omnibus, quasi ad verbum sequens Heruetum, non formarem præsentem quæstionem, sed tibi prælegati sufficerent, nisi decreuissem paucis clarum sensum & resolutionem facere, ne obscuritate ex prolixitate Heruei inuoluaris. Tu igitur sic procedes. Primò declarandum est quid Scotus intendat per identitatem absolutam, & relatiuam. Secundò pones fundamenta & rationes Scoti. Tertiò pones conclusionem contra Scotum. Quartò solues rationes Scoti.

Quantum ad primum aduerte, quòd vt declarat Heruetus vbi suprà secundum Scotum identitas absoluta est indistinctio rei à seipsa, puta identitas qua Sortes est indistinctus in seipso, & est idem sibiipsi, dicitur absoluta, quia non comparatur ad aliud, sed ad seipsum. Identitas autem relatiua est indistinctio rei, qua tollitur distinctio eius à quacunque re, quæ non est diuersa nec alia res ab illa puta identitas qua Sortes est idem cum homine, & homo cum animali, & secundum Scotum, passio cum subiecto: & dicitur relatiua, quia implicat duo extrema, vt Sortes & homo, homo & risibile.

Quantum ad secundum aduerte, quòd rationes Scoti principales sunt istæ. Primò. omne prius realiter distinguitur à posteriori, quoniam remoto posteriori, potest remanere prius: non enim dependet prius à posteriori, sed econuerso. Sed identitas absoluta prior est identitate relatiua, prius enim vnum quodque est indistinctum in seipso, quàm indistinctum ab alio, eo quòd secundum supponit primum, ergo, &c.

Secundò, subiectum puta homo est idem sibiipsi identitate absoluta, & est idem suæ passioni identitate relatiua, & hæc non est illa, quia in prima idem prædicatur de seipso, nam homo est homo. in secunda autem subiectum non prædicatur de passione, tenet enim Scotus, quòd licet sit eadem essentia subiecti & passionis, tamen secundum ipsum hæc est falsa, passio est subiectum, ergo, &c. Quòd autem passio & subiectum sint idem identitate relatiua, sic probat. Quod nec esse, nec intelligi potest: nec diffiniri sine alio, est idem cum eo. Sed essentia passionis nec esse, nec intelligi, nec diffiniri potest sine subiecto, vt patet per philosophum in septimo Metaphysices loquentem de similitate, ergo, &c.

Tertiò identitas conuertibilis, & identitas inconuertibilis non sunt eadem identitas. cùm sint oppositæ. Sed identitas absoluta est conuertibilis, idem enim prædicatur de seipso conuertibiliter, vt patet, relatiua autem non est conuertibilis, vt patet, comparando speciem generi, nam genus in plus est quàm species, ergo, &c.

Quantum ad tertium ponitur hæc conclusio contra Scotum, Identitas absoluta & identitas relatiua, sumendo eas iuxta declarationem factam ad mentem Scoti, non sunt distinctæ identitates realiter, probatur: Si identitas absoluta puta qua homo est idem sibiipsi, & identitas relatiua puta, qua homo est idem animali, & secundum Scotum, subiectum est idem suæ passioni sunt distinctæ identitates realiter. ergo sub stracta istarum identitatum, quæ sunt, homo comparatus sibiipsi: & homo comparatus animali, siue suæ passioni distinguuntur realiter. Sed hoc est falsum, & quidem de homine

& animali constat, quoniã sicut genus non distinguitur realiter à differentia, sic nec à specie, vt satis pertractauimus in tertio li. & in septimo. De subiecto autem & sua passione cõcedit Scotus. Consequentia autem sic probatur. Priuationes non habent distinctionem, nisi penes subtractam: non enim cæcitas & surditas distinguuntur, nisi quia substantia & habitus distinguuntur. Sed idẽtitas absoluta & relatiua sunt vt priuationes, est enim identitas indiuisio in substantia: ergo cùm subtracta non distinguantur realiter, nec ipsæ identitates distinguuntur.

Quantum ad quartum, respondendum est rationibus Scoti, & ad primam nego maiorem, ad probationem, nego omne prius posse absolui à posteriori secundum esse reale, non enim effectus potest absolui à relatione ad causam efficientem, nec subiectum potest absolui secundum esse reale à propria passione, similiter nego quin aliquod prius dependeat à posteriori quo ad existentiam. Certum est enim, quòd materia & forma naturalis, priores sunt ipso composito, vt determinatum est in septimo libro, & tamen quo ad existentiam dependent à composito. Potest etiam negari minor, quoniam licet prius apprehendatur res indistincta in se, quàm distincta ab alio, tamen ex parte rei, quando cunque est indistincta in se, est distincta à quolibet alio, quoniam ab eodem habet quòd sit indistincta in se, & distincta à quolibet alio.

Ad secundum, nego quòd subiectum sit idem cum sua passione, imò distinguuntur realiter, vt determinauimus in libro quarto. Ad probationem nego maiorem, statenim aliqua duo esse distincta realiter: & tamen vnum non potest esse sine altero, sicut effectus dependens à causa in esse & in conseruari: stat etiam quod vnum non possit diffiniri sine altero, vt duo correlatiua, nec possit intelligi sine altero, vel accidens, quod non potest intelligi sine substantia modo quo determinauimus in libro septimo, quæstione tertia, & tamen constat quòd causa & effectus, & duo correlatiua & accidens & substantia distinguuntur realiter: quare, &c.

Ad tertium nego maiorem, ad probationem nego has identitates esse oppositas realiter. Concedo autem formaliter: quoniam alium coceptum format intellectus de identitate conuertibili, & alium de inconuertibili, est enim conuertibilis inter extrema æqualis ambitus, inconuertibilis autem inter extrema inæqualis ambitus. Patet igitur, quòd ex nulla ratione Scoti, cogimur ponere distinctionem realem inter identitatem absolutam & relatiuum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Si inter idem & diuersum datur medium.

Diuersum quidem igitur aut idem propter hoc omne ad omne dicitur. Text. 11.

CONCLVSIO.

Medium constituitur inter idem & diuersum.

IN hac quæstione sic procedendum est. Primò declarandum est, quomodo sumitur ly diuersum. Secundò, quid dicendum esset ad quæsitum secundum viam Scoti. Tertiò, quid dicendum secundum veritatem. Quartò ostendetur quòd via Scoti non est ad mentem Philosophi. Quintò soluetur quoddam dubium.

Quantum ad primum aduerte, quòd ly diuersum non sumitur stricto significato, prout distinguitur contra differens: sed vt est commune ad differens: & ad diuersum propriè dictum, alioquin conclusio responsiua quam tenemus, & probare intendimus, esset falsa. Constat enim quòd inter idem & diuersum propriè dictum media differens, nam homo comparatus asino, nec est idem, nec diuersus propriè, sed differens, vnde breuiter ly diuersum stat pro alio, vt sit sensus. Vtrum inter esse idem, & esse aliud, detur medium.

Quantum ad secundum aduerte, quòd stante secundum Scotum distinctione identitatis absolutè ab identitate relatiua, iuxta modum positionis suæ, quem declarauimus in quæstione præcedenti, sequitur de necessitate, q̃ concedit medium inter idem & diuersum. Nam secundum ipsum, ea quæ sunt eadem identitate relatiua, vt passio & subiectum, homo & animal, nõ sunt diuersa realiter, vt patuit in quæstione præcedenti, vbi formauimus rationes Scoti, nec sunt idem identitate absoluta, illa enim est, qua aliquid est indistinctum in seipso, & à seipso, ergo secundum Scotum, subiectum comparatum passioni, nec est idem identitate absoluta, nec est diuersum realiter, sed datur medium, quod est esse idem identitate relatiua, & sic patet, quòd inter idem & diuersum ponit medium, verum quòd id non sit verum, nec ad mentem Philosophi dicemus infrà.

Quantum ad tertium ponitur hæc conclusio: Quodcunque ens comparatum cuicunque enti est idem cum eo, vel diuersum ab illo. Antequam probetur, sic declaratur. Dicitur quod cunque ens comparatum, &c. quoniam si ens comparatur nõ enti non seruatur diuersitas vel identitas, sed identitas vel non identitas, vnde homo comparatus chimæræ, nec est idem illi, nec diuersus: sed non idem. Dicitur etiam comparatum cuicunque enti, quia si aliqua res comparatur sibiipsi, vana esset quæstio, quærendo si est eadem vel diuersa à seipsa, nam manifestum est, quòd prima pars est vera, & secunda impossibilis, sensus igitur conclusionis est iste. Quæcunque res indifferenter comparata cuicunque rei, necesse est vt sit eadem illi identitate conuertibili cum ente, aut diuersa ab illa, ita quòd huiusmodi idem & diuersum non habet medium. Probatur sic, Omne quod est, se habet necessariò ad omne ad quod comparatur, sicut ad illud quod est idem sibi identitate conuertibili cum ente: vel quod est, aliud eo, ita quod vt sic non est idem secum, sed distinctum. Sed omne aliud diuersum est ab eo respectu cuius est aliud, ergo omne quod est, cuiuscunque enti comparatum, vel est idem cum eo, vel diuersum ab eo, ita quòd non datur medium.

Quantum ad quartum, aduerte, quòd mens Philosophi fuit idem quod est passio vnius transcendentis, & diuersum quod est passio multitudinis siue pluralitatis transcendentis, se habere ad ens, sicut vnum & multa, sed vt patet in quarto Metaphysi. textu quarto, vnum & multa sufficienter diuidunt ens, ita quòd quicquid est, aut vnum aut multa est: ergo similiter intentio Philosophi fuit, quòd idem & diuersum sufficienter diuidunt ens, sed inter membra sufficiẽter diuidentia aliquod commune implicat contradictionem dare medium, ergo Scotus in hoc non sequitur mentem Philosophi, nec obstat quòd dicit Scotus, quòd licet inter idem identitate se extendente ad absolutam & relatiuam, & diuersum non detur medium, tamen inter idem identitate absoluta, & diuersum datur medium, illud, scilicet quod est idem identitate relatiua, & non est idem identitate absoluta, nec diuersum, sicut inquit Scotus de passione & subiecto. Hoc non valet, quoniam vt determinatum est in quæstio. præcedenti, illæ duæ identitates non distinguuntur nisi ratione, & cùm sint vna realiter, non potest dari medium, inter idem, & diuersum.

Quantum ad quintum aduerte, quòd contra determinationem factam insurgit dubium. Nam sumo Sortem & Platonem, de quibus constat, quòd sunt diuersi, cùm sint distincti realiter. Tunc sic: Sortes est diuersitate diuersus à Platone, & Plato est diuersitate diuersus à Sorte, quæro de istis diuersitatibus, aut sunt eadem diuersitas, aut diuersæ, non eadem, quia sicut vnum quodque est ens & vnum entitate & vnitate sibi intrinseca sic est diuersum & distinctum ab alio diuersitate & distinctione sibi intrinseca, ergo Sortes est diuersus à Platone diuersitate sua propria, & similiter Plato, non ergo sunt eadem diuersitas, non sunt diuersæ, quia si sunt diuersæ, ergo diuersitatibus sunt diuersæ, quæro de illis diuersitatibus, sicut de primis, aut sunt eadem diuersitas aut diuersæ, non eadem, ea ratione qua suprà non diuersæ, quia diuersitatibus essent diuersæ, & quæram de illis, sicut de præcedentibus, ex consequenti esset processus in infinitum quòd non admittitur ex secundo libro Metaphysicæ, ergo falsum est, quod omne comparatum omni, sit idem aut diuersum.

Ad hoc dicitur, quòd omne ens comparatum enti vel est idem cum eo, vel diuersum ab eo, vel est id quo aliquid est idem vel quo est diuersum. Ad argumen. ergo, dico quòd diuersitas Sortis non est diuersitas Platonis, nec sunt diuersæ, ne procedamus in infinitum, sed sunt quo Sortes est diuersus à Platone, & quo Plato est diuersus à Sorte, & hoc est quod alij dicunt, scilicet ad saluandum determinationem factam, quòd omne comparatum omni sit idem aut diuersum, aut sit identitas aut diuersitas, & sic non cogimur ponere medium. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IX.

In quo differt oppositio relatiua ab aliis oppositionibus.

Quoniam autem differre contingit abinuicem. Text. 13.

Philosophus in hoc lib. decimo, tangit de generibus oppositionum, vt patet, præcipuè in textu decimoquinto, & ideo ad pleniorem notitiam considerabimus principia quæsita, quæ solent facere difficultatem in omni genere oppositionũ.

CONCLVSIO.

Oppositio relatiua in hoc primùm differt à ceteris oppositionibus, quòd oppositione priuatiua, cõtraria vel contradictoria, vnum

remouetur & aliud destruitur: per oppositionem verò relatiuam vnum ponit reliquum, vnúmque sequitur ad alterum. Deinde in oppositione priuatiua, contraria vel contradictoria vnũ est perfectum, alterum imperfectum respectu ad alterum: quæ verò opponuntur relatiuè, non inconuenit esse æquè perfecta.

IN hac quæst. aduerte quòd tota eius resolutio stat in doctrina quam tradit B. Tho. in quæstione de potentia Dei. q.7. art. 8. ad quartum, & resolutio stat in hoc, oppositio relatiua in vno conuenit cum aliis generibus oppositionum, & differt in duobus. Conuenit quidem in eo quòd vnum correlatiuum includit negationem alterius respectu eiusdem, & ideo non se compatiuntur simul in eodem, respectu eiusdem, vt quoniam in ratione dominij includitur negatio seruitutis: ideo respectu eiusdem non se compatiuntur, seruus & dominus, nec pater & filius, nec causa & effectus, nec magister & discipulus. & hæc conditio est communis omni generi oppositionis. Quodlibet enim oppositum includit negationem alterius oppositi, vt magis constabit, quando agemus de oppositione contradictoria, & hac de causa in nullo genere oppositionum duo opposita se compatiuntur respectu eiusdem.

Primum autem in quo differt, est hoc: Quæcunque opposita priuatiuè contrariè vel contradictoriè ita se habent, quòd vnum remouet & destruit reliquũ, vt patet. Quæ autem sunt opposita relatiuè, ita se habent quòd vnum ponit reliquum, & vnum sequitur ad alterum. Nam posita se ponunt, & perempta se perimunt. Secundum est hoc: Quæ opponuntur priuatiuè contrariè vel contradictoriè, ita se habent, quòd vnum est perfectum, alterum imperfectum, in respectu ad alterum, & id pater in oppositione priuatiua, in qua habitus est quid perfectum, & priuatio quid imperfectum. Idem patet in contrarietate, in qua vnum contrarium est vt priuatio alterius, vt ignorantia respectu scientiæ, & amaritudo respectu dulcedinis. In contradictione clarum est quoniam alterum extremũ, vt declarabitur infrà, verificatur etiam de non ente. Quæ autem opponuntur relatiuè, non inconuenit esse æquè perfecta, vt duo similia in gradibus æqualibus. Causa vniuoca & effectus vniuocus, Generans & genitum in eadem natura. Ex quibus sequitur corellariè, quòd in prima causa nulla potest esse oppositio, nisi relatiua, quæ secum non trahit aliquam perfectionem. Hic non cadit alia difficultas. Ideo hæc sufficiant pro præsenti quæsito. Nam quæ circa relationem & modos relatiuorum consideranda sunt, iam resoluimus in libro 5.

QVAESTIO X.

Quomodo se habet priuatio ad cognoscibilitatem & ad esse extra animam.

CONCLVSIO.

Intellectus non cognoscit priuationem per propriam speciem sed per habitus speciem.

IN hac q. aduerte, quòd intentio nostra est inuestigare. Primò, si priuatio est cognoscibilis per propriam speciem: vel tantum per speciem habitus, & quoniam priuatio est negatio, ideo determinationem quam faciemus de priuatione, tu etiã intelliges de negatione. Deinde inuestigabimus, si priuatio habet esse extra animam, vel solum per opus intellectus.

Quantum ad primam partem tria agenda sunt. Primò ponetur conclusio responsiua. Secũdò declarabitur modus, quo intellectus per speciem habitus cognoscit priuationem. Tertiò declarabitur, si intellectus eodem vel distincto actu cognoscit habitum & priuationem.

Quantum ad primum sit hæc conclusio respõsiua. Intellectus non cognoscit priuationem per propriam speciem, sed per speciem habitus, probatur. Quòd est cognoscibile per speciem propriam, est primò & per se motiuum intellectus, quoniam species constituit intellectum in actu primo. Sed priuatio non est motiua primò & per se intellectus, quoniam cum sit non ens vt probabitur infrà, non potest habere rationem motiui primò & per se. Sicut enim esse mobile supponit esse, sic esse motiuum, quod & dignitas Est supponit aliquo modo esse. Cùm igitur intellectus apprehendat & concipiat priuationem, & non per speciem propriam, sequitur quòd per speciem sui oppositi, qui est habitus. Nam vnumquodque est cognoscibile secundum quod est. Sed priuatio est negatio habitus, ergo est cognoscibilis per habitum. vnde per speciem soni cognoscimus silentium, per speciem lucis cognoscimus tenebras, per speciem recti cognoscimus obliquum.

Quantum ad secundum aduerte, quòd sicut intellectus per ens cognoscit non ens, & distinctionem à nõ ente, vt inquit B. Tho. in hoc 10. in lec. 4. & hoc quidem quodam discursu, sic arguendo. Hoc est ens, ergo non est non ens, sic per speciem habitus habita cognitione de habitu, quodam discursu procedit ad cognitionem priuationis: verbi gratia, Intellectus per speciem boni intelligit bonum, & concipit, q̃ est appetibile & perfectiuum appetentis: & tunc facit hanc consequentiam, ergo quod non est appetibile & imperficit illud cui inest, est malum. Et sic patet, quòd eadem species est principium cognoscendi habitum & priuationem, sed differenter, nam respectu habitus est principium primo repræsentatiuum, respectu autem priuationis est principium non repræsentatiuũ, sed illatiuum, si autem quæras, an hoc proueniat ex sola specie habitus, vel ex solo intellectu. Dico, quòd partim est ex vtroque. Ex specie quidem, quia hoc est commune cuilibet opposito, vt per illud quod habet rationem perfectioris cognoscatur reliquũ imperfectius, sicut ex sano cognoscimus infirmum ex sciente ignorantem, ex intellectu verò, quia cum intellectus noster non solùm apprehendat simpliciter, sed etiam discurrat ex vno affirmato potest inferre negationem alterius, vt cognito quòd homo est videns, infert, ergo non est cæcus. Patet ergo, quòd intellectus per speciem habitus cognoscit priuationem, & quomodo.

Quantum ad tertium præpono distinctionem de habitu & de priuatione. Aduerte igitur, quòd habitus potest dupliciter considerari, primò vt habitus est, secundò vt ponitur in diffinitione priuationis: similiter priuatio potest considerari vt priuatio, secundò vt diffinitur per habitum. si considerentur primo modo: sic dico, quòd intelligi possunt distincto actu, nam possum concipere quid sit lux, & quid bonum, & quid rectum nihil apprehendendo de priuationibus oppositis, vt vnusquisque in se experiri potest. Si considerentur secundo modo, dico q̃ vno actu apprehẽduntur, quoniam impossibile est, vt apprehendam priuationem diffiniri per habitum, & non apprehendam habitum, vt diffinientem, ergo sub ratione diffiniti & diffinientis vno actu apprehenduntur. Contra hanc determinationem, non formantur argumenta alicuius difficultatis, ideo pertranseo.

Quantum ad secundam partem quæstionis tria considerandà sunt. Primo, si priuatio habet esse reale extra animam. Secundò, posito quòd non, quomodo distinguitur à subiecto. Deinde soluentur duo dubia.

Quantum ad primum inuenio duas vias, prima attribuitur Alberto, qui videtur tenere, quòd priuatio est forma generanda præexistens in materia sub esse imperfecto coagens generanti ad generationem rei, & quidem secundum hanc viam patet, quòd priuatio esset ens reale, omnis enim forma naturalis sub quocunque esse existens, est ens extra animam, verùm hanc viam iam recitauimus & reprobauimus in septimo libro in quæst. 13. vt videre poteris, quoniam deuiat à doctrina B. Tho. & Comment. ideo relinquimus eam, vt autem te resoluas in via B. Tho. & Comment. quam ponimus pro secunda, sic procedendum est, priuatio dupliciter sumitur, primò quantum ad id quod est, secundò quantum ad id per quod distinguitur à simplici negatione, si primo modo, sic non est ens actu extra animam nec ens reale: quoniam priuatio formaliter non est nisi negatio, vt patet per philosophum & Cõment. in 5. metaph. ca. de priuatione, vbi declarat omnes modos priuationis, per non habere id quod natum est haberi. Cõstat autem quòd negatio nullum esse dicit, imò negat esse: ergo, &c. Si secundo modo sic dicit aliquod reale, nam in sui ratione, vt distinguatur à simplici negatione includit aptitudinem subiecti ad formam, quam non habet. Constat autem, quòd sicut subiectum habet potentiam realem ad recipiendum formam sibi vnibilem, sic habet aptitudinem ad eandem formam. Verum quia huiusmodi aptitudo non est de quidditate priuationis ideo essentialiter loquendo, & non ex connotato, priuatio nullum esse reale importat.

Quantum ad secundum, constat per Arist. in 1. physi. tex. 60. quòd distinguitur à subiecto, quòd in generatione substantiali est materia prima, in generatione autem accidentali est ens actu: & ratio philosophi est, quia materia siue subiectum est principium per se, ex quo res fit, priuatio autẽ est principium per accidens, & subiectum permanet in re producta, priuatio autem non permanet, aliter forma introducta in subiecto, simul esset cum sui priuatione in eodem, quòd implicat contradictionem. Manifestum est ergo, quòd distinguitur à subiecto. Modus autem quo distinguitur, est iste: Non distinguitur sicut substantia à substantia, nec sicut accidens ab accidente: nec sicut accidens à subiecto, quoniam in omnibus his modis, vtrunque extremum distinctionis est ens reale.

Con

Conclusum est autem, priuationem sumptam essentialiter, siue quo ad suum formale, non esse ens reale. Sed distinguitur distinctione qua distinguitur ens à non ente. Quod enim non est non ens, est distinctum à non ente, cum igitur subiectum sit ens, & priuatio non ens, distinguitur ab ea vt ens à non ente, & aduerte, quòd hæc distinctio non est propriè relatio, sed potius negatio, nam quando distinctio est relatio, requiritur quòd vtrunque extremum sit ens, & hoc non sit illud, quando autẽ est negatio, sufficit hanc esse veram, hoc non est illud, siue hoc sit ens, & illud non ens, vt Sortes non est chimæra, siue vtrunq; sit non ens, vt cæcitas non est surditas. Patet igitur, quòd priuatio distinguitur à subiecto, & modus quo distinguitur. Aduerte & quòd licet priuatio sit distincta à subiecto: non tamen potest dici diuersa à subiecto, sed nõ eadem, siue non idem, cuius declarationem videre poteris in quæstione octaua huius libri.

Vltimò aduerte, quòd contra determinationem factam insurgunt duo dubia. Primum est contra determinationem factam de natura priuationis, qua dictum est, quòd non est ens reale, quo ad suum formale, contra quod sic arguitur. Nullo intellectu considerante, verè negatio visus est in oculo, ergo non est priuatio ens rationis, quia ens rationis est illud, quod habet esse per opus intellectus, ergo vel est ens reale, vel nullo modo est ens, sed nõ potes dicere, quòd nullo, modo sit ens, quoniam Philosophus in quarto libro Metaphy. text. secundo, connumerat corruptiones & priuationes inter modos, quibus dicitur ens: ergo videtur esse ens reale à sufficienti diuisione.

Ad hoc dicitur secundum doctrinam Bea. Thom. quòd priuatio cùm sit negatio, non est ens, nisi in ratione, id est, nisi in apprehensione rationis, siue intellectus: vnde Beat. Thom. exponens textum secundum in quarto Metap. inquit, est quoddam ens tantum in ratione, scilicet negatio & priuatio, quam dicimus in ratione esse, quia ratio de his negociatur, quasi de quibusdam entibus dum de eis aliquid affirmat vel negat, hæc ille, ex quibus elicitur, quod licet priuatio sit non ens, prout ly non ens opponitur enti reali, tamen quia de priuatione intellectus format hanc propositionem affirmatiuam, cæcitas est in oculo, silentiũ est in camera, apprehendit eam veluti quoddam ens, quæ tamen non est verè ens, quoniam talis propositio affirmatiua æquipollet huic negatiuæ, visus non est in oculo apto habere visum. Ad argumentum ergo dico, quòd est ens rationis, nec est necesse omne ens rationis fabricatum esse ab intellectu, hoc enim propriè verificatur de intentionibus secundis, qualis est intentio speciei & generis, &c. Sed sufficit hanc disiunctiuam esse veram, Omne quod est ens rationis, vel est fabricatum per opus intellectus, vel quia non alio modo est ens, nisi quia apprehenditur ab intellectu, & circa ipsum negociatur. Nec valet dicere, quòd est ens reale, quia nullo intellectu considerante, negatio visus est in oculo, ista enim propositio æquipollet negatiuæ, vt dictum est, ideo subiectum nullum esse reale ponit, sed negat.

Secundum dubium insurgit contra dictum de priuatione quod distinguitur à subiecto siue à materia. Contra hoc videtur esse Philosoph. in primo Physicorum, textu sexagesimo, illic tenet, subiectam materiam esse vnum numero cum priuatione, patet autem, quòd ea quæ sunt vnum numero, non distinguuntur abinuicem: ergo, &c.

Ad hoc dicitur quod Philosophus in primo Physicor. textu septuagesimonono, contra Plato. tenet materiam & priuationem distingui. Inquit enim, nos quidem enim materiam & priuationem alteram dicimus, eo quòd materia est non ens per accidens, priuatio autem est non ens per se, & materia est de substantia rei, priuatio autem nequaquam. Ne autem videatur Philosophus sibi contradicere, aduerte quòd in illis verbis subiectum est vnum numero cum priuatione, sic debet exponi, subiectum non ponit in numero cum priuatione, quæ enim ponunt in numero vtrunque est ens: cum hoc tamen stat, quòd distinguantur, vt diximus suprà, sicut distinguitur ens à non ente, quia verum est dicere, ens non est non ens. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Si oppositio contradictoria est prima & maxima, & si potest habere medium.

Horum autem primum contradictio. Contradictionis autem non est medium. Text. 15.

CONCLVSIO.

Contradictio est prima maximáque oppositio: habétque medium secundæ intentionis, non autem primæ neque secundum formam, neque secundum subiectum, neque positiuè, neque negatiuè.

IN hac q. Primò pertractabitur, quòd oppositio cõtradictoria sit prima & maxima. Secundò, quod nõ habet medium.

Quantum ad primum pono duas conclusiones. Deinde soluam quoddam dubium.

Prima conclusio, Contradictio est prima oppositio, probatur. Quod est causa eorum quæ sunt vniùs generis, est primũ in tali genere. Hæc manifestata est suprà, vbi locuti sumus de mensura, & in secundo libro, textu quarto. Sed oppositio contradictoria est causa aliorum oppositionum, scilicet priuatiuæ, contrariæ, & relatiuæ, quæ cõtinentur in hoc genere, quod est oppositio, ergo est prima. Minor probatur: Quęcunque opponuntur, ideo opponuntur, quia non possunt simul existere. Ideo non possunt simul existere, quia vnum oppositum includit negationem alterius. Nam videns & cæcus opponuntur, quia cæcus est non videns, dulce & amarum opponuntur, quia amarum est non dulce, pater & filius opponuntur, quia filius est non pater. Reliqua igitur opposita ideo sunt opposita, quia includunt affirmationem & negationem. Sed contradictio est affirmatio, &c. ergo quòd sint opposita, habent à contradictione, quam includunt, patet ergo, quod est causa aliarum oppositionum, ex consequenti est prima.

Secunda conclusio, Contradictoria oppositio est maxima, Probatur, De ratione oppositionis est repugnantia, vbi ergo est maxima repugnantia, ibi est maxima oppositio, sed inter duo contradictoria est maxima repugnantia, quoniam in nullo possunt conuenire, cùm non possint habere medium, vt probauimus infrà. Item diuidunt ens vniuersaliter, quoniam vt probatum est in quarto, de quolibet ente est affirmatio vel negatio vera. Item non conueniunt in veritate nec in falsitate, sicut enim non possunt esse simul vera, sic non possunt esse simul falsa. Item maximè distãt, quoniam alterum est vt ens, alterum vt non ens, non potest autem imaginari maior distantia, quàm ea quæ est inter ens & non ens. Huiusmodi autem conditiones non verificantur de aliis oppositionibus, nam priuatiuè opposita possunt habere medium, vt lapis nec cæcus nec videns, similiter contraria, vt lapis nec sanus nec æger, similiter relatiuè opposita, vt lapis nec pater nec filius, & quoniam possunt habere medium non diuidunt ens vniuersaliter, nec diuidunt verum & falsum. Nam de lapide vtraq; harum est falsa lapis est videns, lapis est cæcus, & vtraq; istarum lapis est sanus, lapis est æger, & vtraque istarum lapis est pater, lapis est filius. Patet ergo, quòd contradictio est maxima oppositio.

Sed contra illud quod dictum est, quòd contradictoria maximè distant, arguit sic Anton. Andr. in quarto libro, quæstione vltima. Quantumcunque aliqua parum distent potest esse contradictio inter ea, quia de quolibet est verum, alterum contradictoriorum, ergo non requiritur nec est necessaria maxima distantia, sed minima sufficit, & maxima permittitur, ita quòd contradictio seruatur in quacunque extremorum distantia, siue magna siue parua.

Ad hoc dicitur, quòd oppositio contradictoria potest sumi dupliciter. Primò quo ad subtracta, de quibus formantur duæ propositiones contradictoriæ, & sic concedit, quòd inter illa subtracta nõ requiritur maxima distantia: imò minima sufficit, quoniam de quolibet, comparatum cuilibet, siue multũ siue parum distanti ab eo, verificatur alterum contradictoriorum. Non sumpto motu comparato ad mouens, verum est dicere, quod est actio, & falsum est dicere, quòd non est actio, eadem autem comparatio ad mobile, verum est dicere, quòd est passio, & falsum est dicere, quòd non est passio, & tamen est idem motus. Patet ergo, quòd quantum ad subtracta minima distantia sufficit, quoniam in via nostra sufficit distinctio rationis ex parte rei, quam Sco. appellat distinctionem ex natura rei. Secundò potest sumi quantum ad illud, quod importatur per affirmatiuam & negatiuam contradictorias, & sic dico, quòd significat maximam distantiam. Nam affirmatiua significat esse, negatiua significat non esse, patet autem, quòd magis distant esse & non esse, quàm quæcunq; duo esse. Nam quęcunque duo esse in aliquo conueniunt, saltem in ente, esse autem & non esse in nullo conueniunt, & quoniam in aliis oppositionibus vtraque propositio est affirmatiua, vt hic Sortes est videns, Sortes est cęcus, Sortes est albus, Sortes est niger, Sortes est pater, Sortes est filius: ideo dicitur, quòd in eis non requiritur tanta distantia quanta in cõtradictione. Ad argumentum ergo dico, quòd concludit quo ad subtracta, quod & nos concedimus: sed non quo ad importatum per affirmatiuam & negatiuam contradictorias, in quo sensu nos loquimur.

Quantum ad secundum principale, tria agenda sunt, Primò ponuntur quædam distinctiones de medio. Secundò ponẽtur duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò soluẽtur quædam dubia.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio. Medium inter aliqua potest esse dupliciter. Primò secũdum formam, est autem huiusmodi medium, quando inter duas formas datur media forma, quæ neutra est earum, sed sapit naturam earum, vt tepiditas est medium secundum formam inter calorem & frigiditatem, & tale mediũ est inter omnia contraria mediata de quo loquemur in frã, quando quæremus si media contrariorum componũtur ex extremis contrariis. Secundò secundum subiectum, & est illud de quo neutrum prædicatum oppositum verificatur. Verbi gratia, quia de lapide non verificantur priuatiuè opposita, vt cæcus & videns, lapis dicitur esse medium secundum subiectum in priuatiuè oppositis.

Secunda distinctio, Medium potest esse inter aliqua dupliciter. Primò positiuè, & est illud, quod est eiusdẽ generis cũ extremis vt signetur linea diuisa in tres partes A, B, C, D, pars B, C, est medium positiuè, & est eiusdem generis cum A, B, & cũ C, D. Sic medij colores, sunt mediũ positiuè inter extremos colores. Secundò negatiuè, & est illud quod accipitur per abnegationem vtriusque extremi, vt quod nec est sanum nec ægrum, sed est corpus neutrum secundum medicos, qui inter sanitatem & ægritudinem ponunt neutralitatẽ, vtpote dispositionem quæ nec est sanitas nec ægritudo.

Tertia distinctio, Medium in quo aliqua conueniunt, potest signari termino secundæ intentionis, & termino primæ intentionis. Verbi gratia si dicatur quòd homo & asinus, conueniunt in genere, ly genus est medium secundæ intentionis: si autem dicatur, quòd conueniunt in gradu sensitiuo, erit medium primæ intentionis.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Contradictoria habent medium secundæ intentionis. Probatur quoniam vt contradictoria conueniunt in genere oppositionis, nam oppositio est genus, cuius partes subiectiuè sunt oppositio contradictoria priuatiua contraria relatiua, & quoniam oppositio est relatio possunt dici, quòd conueniunt in genere ralationis, & quoniam contradictoria diffiniunt, possunt dici quòd conueniunt in esse diffinibili, &c. & de hac conclusione nullus dubitat.

Secunda conclusio, Contradictoria nõ possunt habere medium primæ intentionis, neque secundum formam, neque secũdum subiectum, neque positiuè, neque negatiuè. Probatur. Inter esse & non esse, nullum potest esse huiusmodi medium, quia nihil est commune reali enti & non enti in quo conueniant. Sed omnia verè & formaliter contradictoria significãt esse & non esse respectu eiusdem, &c. Præterea, Ideo in aliis oppositionibus datur medium, in aliquibus secundum formã, vt in contrariis mediatis: in aliquibus secundũ subiectum, vt in priuatiuè & relatiuè oppositis: in aliquibus positiuè, vt in contrariis mediatis, in aliquibus negatiuè: vt in aliquibus contrariis immediatis, vt exemplauimus de sanitate & ægritudine, & neutralitate, quia non quolibet ente verificatur alterum oppositorum, vt patet. Sed omnia contradictoriè opposita, ita se habent quòd de quolibet ente, nulla exceptione facta, alterum verificatur, ergo, &c. Maior nota. Minor probatur: quoniam, vt defensauimus contra antiquos in quarto libro, De quolibet ente est vera affirmatio vel negatio.

Præterea, Quod conuenit alicui per se & secundũ se, eius oppositum nullo modo potest ei cõuenire nec per se nec per accidens: nam quia habere tres per se & secundum se conuenit trigono, eius oppositum nullo modo ei conuenire potest, imò si conuenit alteri, inquantum participat ipsum, & habere tres, conuenit iscocheli, quia in eo seruatur natura trianguli. Sed non habere medium secundum formam, nec secundum subiectum, nec positiuè, nec negatiuè conuenit per se, & secundũ se cõtradictoriis: ergo, &c. Maior nota, minor autẽ est philosoph. in 1. poste. vbi inquit, Contradictio est oppositio, cuius non est dare medium secundum se. Et si dicas, quòd ista diffinitio conuenit oppositioni contrariæ respectu contrariorum immediatorum, ergo non solum contradictoriis: respondetur quòd ly non est dare medium secundum se intelligitur de medio nullo modo: & sic conuenit solis contradictoriis. Nam licet contraria immediata non habeant medium secundum formam & positiuè, habent tamen medium secundum subiectum & negatiuè, vt declarauimus suprà.

Quantum ad tertium aduerte, quòd multa dubia insurgũt contra determinationem factam, quæ facilè soluentur in assignatione conditionum, quæ requiruntur ad veram contradictionem. Tu igitur aduerte, quòd prima conditio est, vt contradictio sit inter esse & non esse, sicut contrarietas est inter formas contrarias, sumendo ly esse in tota sua latitudine, id est pro eo quod quocũque modo est ens, & ly non esse, proeo quòd nullo modo est ens, & per hanc conditionem euacuatur argumentum, quo solet sic argui, esse & non esse sunt contradictoria. Sed inter esse & non esse mediat generatio, quoniam est processus à nõ esse ad esse, ergo datur medium inter contradictoria. Nam minor est falsa, quoniam generatio nõ mediat inter esse & non esse, modo exposito, sed inter esse in potentia, quod dicitur non esse, prout materia stat sub priuatione, & esse actu, & sic debet intelligi diffinitio de generatione, qua dicitur, generatio est processus à non esse actu, quod tamen est esse in potentia, ad esse actu. & si quæras, si generatio non mediat inter esse vniuersaliter sumptum, & non esse sub quo extremo continetur. Dico quòd sub esse, nãm philosophus in 4. metaph. in textu 2. ponit generationem & corruptionem sub ente in quantum sunt viæ, &c.

Secunda conditio, quòd cuilibet insit alterum extremum: & propter hanc conditionem euacuatur argumentum de cõtrariis immediatis, quæ cùm sint immediata: non possunt habere medium, & sic non videtur esse proprium contradictionis non habere medium. Ad quod dicitur, quòd licet sint immediata secundum formam, non tamen secũdum subiectum, quoniam non est necesse alterum eorum verificari de quolibet ente, sicut est necesse in contradictoriis.

Tertia conditio, quòd duo contradictoria sumantur secundum idem & propter hoc non contradicunt istæ duę, punctus in medio lineæ est finis, respectu A, punctus in medio lineæ non est finis respectu B, & ex hoc soluitur argumentum de scuto, cuius vna medietas est alba, & alia est nigra. Nam de hoc est verum dicere, quòd est album, & quod nõ est album. Ad quod dicitur, quòd licet sit verum dicere est album, & non album, non tamen secundum eandem partem.

Quarta conditiò, quòd sumantur respectũ eiusdem, secundum numerum, & hac de causã duæ propositiones vniuersales affirmatiuæ formatæ de prædicatis contradictoriis, non opponuntur contradictoriè, vt hic omnis homo est albus, omnis homo est non albus, quia ly albus, & non albus, possunt sumi pro distinctis suppositis & vni inerit album, & alteri non album, ideo non contradicunt.

Aduerte vltimo, quòd licet alterum contradictoriorum verificetur de quolibet ente, non tamen cum reduplicatione: nam si sumatur cum reduplicatione continget quòd vtraque propositio sit falsa, vt hic, omnis homo inquantum homo est albus, omnis homo inquantum homo est non albus, & quidem quòd vtraque sit falsa, patet, quoniam de necessitate omnis homo esset albus, vel nullus homo esset albus, quod enim conuenit alicui tali inquantum tale conuenit omni tali, & quod negatur ab aliquo inquantum tale, negatur ab omni tali. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Si contrarietas est maxima differentia vel distantia.

Qui verò maxima est differentia, palàm ex inductione. Tex. 13.

Postquam discussa sunt quæsita circa oppositionem relatiuam & priuatiuam & contradictoriam, iminorandum est circa contrariam, de qua multa mouentur dubia, vt patebit infrà, & primò quæritur, quomodo contrarietas est maxima distantia.

CONCLVSIO.

Inter contraria est maxima distantia, non absolutè quidem, sed sub eodem genere.

IN hac q. si attenditur sensus philosophi, non est magna difficultas. Tu igitur sic procedes. Primò prępones duo notabilia. Secundò conclusionem responsuam. Tertiò solues quædam argumenta, quæ videntur habere aliquam apparentiam.

Quantum ad primum, notabile primum sit hoc: Maxima distantia potest sumi dupliciter. Primò absolutè. Secundò cõparabiliter. Absolutè quidem est inter ea quæ maximè distãt secundum essentiam suam, vt Deus & creatura substãtia & accidens, Actus purus & pura potentia. Comparabiliter autem est inter ea tantum, quæ sunt adinuicem comparabilia. Huiusmodi verò sunt, quæ sunt eiusdem generis: nam quæ sunt diuersorum generum non sunt adinuicem comparabilia, vt declaratum est in 7. phys. Quando ergo quæritur, si contrarietas est maxima distantia, intelligendum est comparabiliter & nõ absolutè. Constat enim quòd absolutè magis distant quantitas & qualitas, quæ in nullo genere conueniunt, quàm duæ qualitates contrariæ, quæ non solùm in genere generalissimo, sed & subalterno conueniunt, vt dulce & amarum sub sapore.

Secundum notabile sit hoc: Contraria ideo sunt eiusdem generis, quoniam adinuicem transmutantur, ex 1. & 5. physic.

Inter

Inter ea autem quæ sunt diuersorum generum, non est transmutatio per se, nõ enim transmutatur calidum in coloratum, sed in frigidum, & propterea in quit Philosoph. in 1. Physicor. textu quadragesimotertio, accipiendum est igitur primum, quòd omnium quæ sunt nihil neque facere aptum natum est, neque pati contingens & contingenti, neque fit quodlibet ex quolibet, nisi aliquis accipiat secundum accidens, Qualiter enim fiet album ex musico, nisi accidens sit albo, &c.

Quantum ad secundum sit hæc conclusio responsua. Inter contraria est maxima distantia non absolutè, sed sub eodem genere. Prima pars patet ex primo notabili. Secunda autem sic deducitur ad mentem Philosophi in textu præposito. Transmutatio est inter contraria vltima, quoniam dato quòd sit inter media, vt inter croceum & rubeum, vel inter medium & extremum, quod dicitur vltimum, vt inter croceum & nigrũ. Adhuc est progressus ad extremum. Cùm autem fuerit inter extrema, non potest vlterius procedere, ergo contraria extrema quæ sunt vnius generis, & inter quæ est vltimata transmutatio, maximè distant. Antecedens manifestum est, consequentia verò probatur: quoniam magis distant extrema contraria adinuicem, quàm media adinuicem, & quàm medium & extremum, & non potest imaginari maior sub eodem genere, quàm distantia duorum extremorum: ergo illa est maxima.

Quantum ad tertium aduerte duo argumenta contra determinationem factam. Primum est, contrarietas est differentia in eodem genere, quoniam contraria sunt eiusdem generis, vt patet in hoc decimo, in textu decimotertio. Sed maxima distantia non est in eodem genere, quoniam magis distant, quæ sunt diuersorum generum: ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd mens Philosophi est contrarietatem esse maximam distantiam comparabiliter & non absolutè. Argumentum autem procedit de maxima distantia absolutè sumpta, &c.

Secundum est, inter album & nigrum est contrarietas, & tamen inter ea non est maxima distantia, quod probatur, quia magis distat albius & nigrius, quàm album & nigrum, ergo albissimum & nigerrimum maximè distant, non ergo album & nigrum, quæ tamen sunt verè contraria secundum Philosophum.

Ad hoc dicitur, quòd maxima distantia sub eodem genere, quæ requiritur ad contrarietatem debet attendi, quo ad naturam contrariorum, & non quo ad excessum. Argument. autem procedit quo ad excessum & ideo non est contra determinationem factam. Sufficit enim, quòd inter species coloris album & nigrum, ex natura sui maximè distent. Sed nec albissimum & nigerrimum habent ex natura sui, quod sint contraria, nisi quia includunt album & nigrum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Si contraria habent fieri circa idem subiectum, & ita quòd se compatiantur in eodem in gradibus saltem remissis.

Et in eodem susceptiuo plurimum differentia. Tex. 14.

CONCLVSIO.

Contrariis inest fieri circa idem subiectum: quod licet idem sit receptiuum contrariorum successiuè, tamen necesse est alio atque alio modo esse dispositiũ secundũ quod diuersa contraria recipit.

IN hac quæstione aduerte, quòd prima pars non multam continet difficultatem, secunda autem admodum difficilis est propter solennes opiniones oppositas. Primam resolues duabus conclusionibus.

Prima conclusio, Contraria habent fieri circa idem subiectum. Probatur, quæ transmutantur adinuicem, requiunt idem subiectum, in quo quando vnum expellitur, alterum introducitur, aliter non transmutarentur adinuicem, nisi per successionem vnius ad alterum in eodem. Sed cõtraria transmutantur adinuicem, omnis enim transmutatio est inter terminos, aut priuatiuè aut contrariè oppositos, ex quinto Physicorum textu septimo, ergo habent fieri circa idem. Et hoc intellige quantum sit ex natura contrariorum. Quod dico propter contrarium, quod naturaliter & inseparabiliter alicui inest, vt calor in igne, nigredo in coruo.

Nam quòd alterum contrarium non possit successiuè inesse, non est ex natura contrarij, sed ex subiecto determinante sibi à natura, alterum contrarium.

Secunda conclusio, Licet sit idem subiectum receptiuum contrariorum successiuè, tamen necesse est aliter & aliter esse dispositum, secundum quod diuersa contraria recipit. Probatur, ex secundo de Anima, textu vigesimosexto, vniusquisque actus aptus est fieri in propria & determinata materia, quod quidem licet principaliter intelligatur de forma substantiali: tamen verificatur etiam de accidentali. Nam vt declarauimus in secundo de Anima & in libro de sensu & sensato, ad hoc quòd recipiatur dulcedo, necesse est prædominari humiditas, cum calido temperatè decoquente, respectu autem amaritudinis, prædominari siccitas, cum calido adurente, ergo, &c.

Et aduerte, quòd ista conclusio, plenè tibi certificata erit, postquã in lib. 12. determinauerimus, quòd in subiecto est aliqua potentia, qua est receptiuum talis vel talis accidentis: ita quòd sicut multiplicantur & diuersificantur accidentia receptibilia, sic multiplicantur & diuersificantur huiusmodi potentiæ, quæ non sunt partes accidentium, sed dispositiones agentes ad receptionem eorum.

Quantum ad secundam partem aduerte quòd difficilis est ad resoluendum, propter solennes opiniones oppositas. nam Gregor. in primo sent. distinct. 17. q. 3. artic. 2. tenet quòd nec pro gradibus intensis, nec pro gradibus remissis, vllo modo se compatiuntur. Capr. autem in primo sentent. dist. 17. q. 2. ad argumenta contra secundam conclusionem tenet partem affirmatiuam pro gradibus remissis, & arbitratur se loqui ad mentem B. Tho. Quid autem circa hoc senserit Commentator, non constat, quoniam pro vtraque parte allegantur eius dicta, sed quilibet ad sensum suum trahit.

Tu igitur aduerte, quòd si eligis tenere partem negatiuam, vt tenet Greg. fundamentum tuum erit hoc, quòd contraria non possunt simul esse ex natura sua, eo quòd ex sui natura habent repugnantiam simul essendi, & non solùm pro tanto vel tanto gradu. Sed accinge te ad defensandũ rationes Greg. Nã omnes soluit Capr. in primo sent. dist. 17. q. 2. ad argumenta in primo loco inducta contra secundam conclusionem, sed nec Paulus Sonc. in 10. libro quæstione 22. qui tenet partem negatiuam cum Greg. eas defensat, sed nouas format, non satis firmas & efficaces, quas ego soluam infrà. Si autem eleges sequi partem affirma. vt Cap. fidissimus defensor viæ Thomisticæ, fundamentum tuum erit hoc, quòd contraria non repugnant similiter existere, nisi pro tanto gradũ. Nec ex positione duorũ cõtrariorum in eodem subiecto sequitur contradictoria de eodem verificari, eo quòd contraria non denominant subiectum, nisi sint vltra medietatem graduum, verùm non habebis rationes efficaces contra Grego. fortiores enim ipsemet format contra se & soluit: ego autem, vt deferam Cap. quem intendo sequi, volo sustinere partem affirmatiuam, & sicut ipse Cap. soluit rationes Gregor. vbi fit prà, ita ego intendo soluere rationes Pau. Soncina. ex quibus septem sunt ad probandum conclusionem negatiuam. & tres format contra Capreolum.

Prima ratio, si contraria sunt simul in eodem pro quocunque gradu, contradictoria sunt simul vera, consequens est impossibile, vt probatum est in 4. metaph. consequentia probatur, si idem est album & nigrum, ergo est album & non album, quia cum in nigro sit priuatio albi, ergo est non album, & confirmatur, quia omnis oppositio alia à contradictione includit contradictionem, vt dicitur in primo priorum. ergo si contraria verificãtur simul de eodem, sequitur quòd etiam contradictoria verificantur.

Ad hoc dicitur, quòd fundat se in falso: supponit enim quòd contraria remissa, puta album vt 5. & nigrum vt 5. denominent subiectum simul album & nigrum: & cùm nigrum sit non album, denominet ipsum subiectum album & non album. Sed id non concedit Capr. quoniam tenet, quòd contraria non denominant nisi vltra medietatem graduum. Ad argu. ergo negatur consequentia, ad probationem dico, quòd subiectum non erit album & nigrum, ex consequenti non erit album & non album. ad confirmationem dicitur eodem modo: & aduerte, quòd si album sit vt 8. & nigrum vt 3. subiectum denominabitur album, & non denominabitur nigrum, & ideo non verificabuntur contradictoria de eodem.

Secũda ratio. Moueatur corpus calidum summa caliditate quæ est vt 10. ad caliditatem vt 9. & cum qua stat frigiditas, vt vnum, quæ non stat cum maiori. Tunc sic, certum est, quòd in vno instanti est sub caliditate vt 10. & in alio instanti sub caliditate vt 9. & cùm inter hęc duo instantia sit tempus medium, quero in hoc tempore intermedio, aut est sub caliditate vt 10. vel non, non vt 10. quia sic dum moueretur, adhuc esset in termino à quo: si non, ergo in tempore intermedio est sub caliditate remissa, & non est vt 9. quia non nisi in instanti terminãte tempus medium est sub caliditate vt 9. ergo est sub maiori quàm sit 9. Sed sub maiori nullus stat gradus frigiditatis, ergo datur caliditas remissa cum qua nullus stat gradus frigiditatis ex consequenti, datur vnus contrarium remissum,

cui pro

cui pro nullo gradu admiscetur alterum contrarium.

Ad hoc dicitur, quòd in tempore intermedio est sub caliditate, vt 10. & cum instatur, quia esset adhuc in termino à quo negatur consequentia. Licet enim in tempore intermedio sit sub eodem gradu, sub quo erat in primo instanti, non tamen est omnino in eadem dispositione, imò sub dispositione, qua disponitur pro instanti sequenti, ad calidum vt 9. & frigidum vnum, vnde aduerte, ad hoc quòd aliquid actu moueatur, non est necesse, quòd essentialiter recesserit à termino, & participet essentialiter de termino ad quem, sed sufficit, quòd recesserit & participet dispositiuè præterquàm in motu locali propter continuitatem spatij.

Tertia ratio, Rubedo & viriditas non possunt simul esse in eodem in gradu intenso: ergo nec albedo & nigredo in gradibus remissis. Antecedens communiter conceditur: consequentia probatur. Albedo & nigredo remissè plus repugnãt, quàm mediæ intensè, quia primæ sunt perfectè contrariæ, eo quòd maximè distant sub eodem genere, mediæ autem non: ergo si mediæ se non compatiuntur, nec primæ.

Ad hoc dicitur, quòd mediæ minus sint contrariæ, eo quòd non maximè distant sub eodem genere; & quia continent extrema saltem virtualiter, tamen quo ad existentiam pro gradu intenso, magis, repugnant quàm albedo & nigredo pro gradu remisso. Nam vtraque qualitas media cum gradu intenso denominaret subiectum. & sic verificarentur contradictoria, quod non fiunt extrema pro gradibus remissis, vt diximus ad primam.

Quarta ratio, Si formæ contrariæ se compatiuntur, aut hoc est in gradibus æqualibus, aut inæqualibus, non primum: quia si aliquid habet albedinem, vt 6. & nigredinem vt 6. sequitur, esse & album & nigrum, vel nec album nec nigrum, quæ sunt impossibilia, quoniam sequuntur contradictoria, si est album, & nigrum, aut nullo est colore coloratum, cùm ibi non sit nisi albedo & nigredo per casum datum. Non secundum: quia si albedo vt 6. non compatitur nigredinem vt 6. multo magis albedo intẽsior quàm vt 6. expellet nigredinem vt 6. quia albedo intensior est fortior, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd se compati possunt in gradibus æqualibus citra mediam latitudinem. & vt sic cõponunt colorem vnum medium, puta pallidum, quo denominatur subiectum coloratum, ita quòd non denominatur album, nec nigrũ, nec est album nisi secundum quid, nec nigrũ nisi secundum quid vltra mediam latitudinem se compati possunt gradibus inæqualibus, puta calor vt 8. frigidum vt duo, & subiectum denominabitur simpliciter à calido, & non à frigido, quia vt diximus suprà, qualitas intensibilis non denominat nisi vltra mediam latitudinem, & quando probatur, quòd si albedo vt sex, non compatitur nigredinem vt sex, multo magis, &c. negatur consequentia; quoniam quantum ad coexistentiã magis repugnant vt sex, vtraque enim denominaret subiectũ, & sic sequerentur contradictoria, quàm si vna sit vt 8. altera vt duo, nec valet quòd sit intensior, quoniam non agit in contrariam, nisi pro gradu pro quo non compatitur eam, vnde si calor vt 8. debet expellere frigidum vt duo, necesse est vt calor intendatur, puta fiat vt 9. & tunc erit frigidum & vnum, si autem intendatur vsque ad 10. frigidum totaliter corrumpitur.

Quinta ratio, Si formæ contrariæ possunt esse similiter, ergo & motus contrarij, quod est falsum. Consequentia probatur, quoniam ex 5. Physic. non est contrarietas in motibus, nisi propter contrarietatẽ formarum & terminorum, ad quos sunt, ergo si formæ contrariæ se cõpatiuntur, possibile etiam erit, quòd idem moueatur contrariis motibus, puta quòd calefiat & frigefiat, ex quo calidum & frigidum, se compatiuntur. Falsitas autem consequentis probatur, quoniam non est minor contrarietas inter duos motus contrarios, quàm inter motum & quietem, sed impossibile est idem simul moueri ad formam & quiescere sub illa: ergo multo minus possibile est, idem similiter moueri motibus contrariis.

Ad hoc dicitur, quòd motus contrarij possunt esse duobus modis. Primò, quòd vterque sit acquisitiuus, puta quòd per vnum acquiratur caliditas & per alterum frigiditas; & concedo falsitatem cõsequẽtis. Secundò, quòd vnus sit acquisitiuus, & alter deperditiuus, puta dum calor intenditur in aqua, deperditur frigiditas, & vt sic nego falsitatem consequentis, & concedo consequentiam. Argument. autem procedit de motibus contrariis primo modo, nos autem tenemus, quòd dum vnum contrarium intenditur & alterum remittitur, sint motus contrarij secundo modo: quod non est inconueniens.

Sexta ratio. Hoc est de mente Commen. qui in quarto Metaphys. simul cum Philosopho in tex. & commen. 27. concludit, quòd impossibile est, vt contraria sint simul in eodem, sed quandoque hoc, & quandoque hoc. Item in 1. Phys. comm. 56. dicit quòd qualitates mediæ inter contrarias sunt alio modo in potentia ad eas quàm subiectum: quia subiectũ est in pura potentia ad vtrunque extremum, mediæ autem non sunt in pura potẽtia ad extremas, hæc Commen. Quæro igitur quomodo subiectum est in pura potẽtia ad vtrunque extremum, aut enim hoc est quia subiectum non est vtiusque extremum, sed potest esse: & hoc est falsum, quoniam impossibile est lapidem fieri albedinem, aut hoc est, quia subiectum nunquam habet vtrunque extremum simul, sed modò hoc modò illud, medium autem habet aliquo modo vtrunque extremum simul, scilicet virtualiter, & hic est verus sensus.

Ad hoc dicitur, quòd Commet. intendit subiectum esse in pura potẽtia ad vtrunque extremum, quoniam & natura sua neutrum habet, loquendo de formis, quæ contingenter insunt, vt albedo & nigredo in pariete, &c. medium autem non est in pura potentia, quoniam medium vt medium ex ratione sua continet vtrunque extremum, non solùm virtualiter, sed & formaliter, vt determinabitur infrà, non ergo ex dicto Comment. potest concludere propositum suum, & cùm adducit Philosophum & Comment. in quarto Metaphysices dico, vt etiam tenet Capr. quòd semper intendit de contrariis pro tanto gradu, pro quanto sunt denominantia subiectum. Sic enim sunt incompossibilia, & non aliter.

Septima ratio, Hoc est de mente B. Tho, qui in tertio sententiarum, distinctione decimaquarta dicit, in minus albo non est aliqua nigredo, sed albedo minus intensa: ergo albedo quę non est summa, non habet aliquem gradum nigredinis

Ad hoc dicitur, quòd beatus Thomas intendit in minus albo, non esse aliquam nigredinem, quæ scilicet denominet subiectum nigrum.

Octaua ratio, & hanc format contra Capr. Sit corpus habens minimũ frigus, & approximetur ei corpus calidum, potens ipsum vltra infrigidare. Quero vtrum sit possibile in hoc corpore successiuè acquiri calorem, dato quòd frigus non intendatur, si dicis quòd non, ergo agens naturale debitè approximatum passo, & non impeditũ, non aget in ipsum, quod est manifestè falsum: si sic, ergo cum prius acquirantur omnes gradus caloris, citra nonum, quàm ipse nonus, sequitur quòd illa minima frigiditas potest stare non solùm cum calore vt nouem, sed etiam cum calore vt 4. vt 5. vt 6. & sic de omnibus aliis citra nouem. Cuius oppositum dicit ipse Capreolus.

Ad hoc negatur casus, quòd scilicet possit dari corpus habens minimum frigus cum remotione omnis gradus caloris. Nam sicut ipse reputat inconueniens, quòd detur corpus non coloratum, sic reputo inconueniens, quòd detur corpus habens frigiditatem vt vnum. & nullam caliditatem, tunc enim nec calidum nec frigidum esset, nec tepidum, quoniam in tepido est admixtus calor, ipse autem supponit, quòd nullum gradum caloris habeat. Ratio igitur sua fundata super casum inconcessum, nihil concludit.

Nona ratio, & est contra Capr. Suppono, quòd forma non potest esse sine effectu formali, nec econtra: suppono etiã, quòd esse frigidum est effectus formalis frigoris, tunc sic: In calido vt 9. est frigidum vt vnum, ergo dat ei esse frigidum, ergo illud corpus recipit esse frigidum & vltra, ergo est frigidum. Patet prima consequentia, quia cuilibet danti correspondet aliquod recipiens, secunda etiam consequentia patet, quia idem sunt habere esse frigidum, & esse frigidum, ergo in calido vt 9. est esse calidum & esse frigidum, ex consequenti est calidum & frigidum, quod est impossibile, aliter sequuntur contradictoria, vt argumentatum est suprà.

Ad hoc dicitur, quòd primum suppositum est falsum, loquẽdo absolutè, nam esse album vel denominari album, non consequitur albedinem absolutè, sed pro tanto gradu, puta vltra medietatem latitudinis graduũ, & ideo non inconuenit dari formam sub gradu adeo remisso, quod non habebit effectum suum formalem. Ad argumentum ergo, nego primam consequentiam quæ fuit hæc, In calido vt 9. est frigidum vt vnum, ergo dat ei esse frigidum, & sic non sequitur, quòd illud corpus sit simul calidum & frigidum.

Decima ratio, & est contra Capr. In hoc distinguuntur res permanentes à successiuis, quod successiua non sunt, nisi dum fiunt, permanẽtia verò non sunt quandiu fiunt, sed postquam facta sunt. Tunc sic, In toto dealbationis tempore, albedo est in fieri, ergo albedo non est. Patet consequentia, quoniam albedo est respermanens, ergo in dealbatione non est albedo admixta nigredini.

Ad hoc dicitur, quòd rerum permanentium, quædam sunt accidere

accidentia, vt esse album: quædam substantiæ, vt esse hominem. Quæ sunt substantiæ, in hoc differunt à successiuis, quod dum fiunt, nullo modo sunt actu, nec secundum partem, nec secundum totum, nec secundum esse imperfectum, nec secundum esse perfectum, eo quòd eorum generatio est indiuisibilis. Quæ autem sunt accidentia recipientia magis & minus, in hoc differunt à successiuis, quod successiua habet totum suum esse sibi debitum dum fiunt, & non aliter, ita quod terminato fieri definit totaliter eorum esse. Hæc autem dum fiunt, puta dum intenditur calor, aut corpus dealbatur, habent quidem esse sed imperfectè, completo verò fieri habent esse perfectũ, nihil ergo prohibet, quod in toto dealbationis tẽpore in quo albedo est in fieri, habeat esse, non quidem perfectum, & vt sic potest secum compati nigredinem remissam. Ad arg. ergo, nego consequentiam, ad probationem dico, quod licet albedo sit respermanens, tamen suum esse non stat in indiuisibili: quare, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. De quo scito esse problema neutrum apud Philosoph. & Commentator. & Bea. Thom. ideo, vtraque pars sustentabilis est. Ego autem vlui defensare partem affirmatiuam pro reuerentia Capreoli.

QVAESTIO XIIII.

Si tantum vnum vni est contrarium.

His enim entibus palàm, quòd non contingit vni plura contraria esse. Text. 14.

CONCLVSIO.

Contrarietate perfectæ tantum vnum vni est contrarium: Imperfectæ verò contrarietate, non est inconueniens plura contrariari vni, reciproco.

IN hac quæstione aduerte, quod si sensus Philosophi attendatur, parua consurgit difficultas. Nam propositum textus inducit corollariè, ex eo quod dixerat contrarietatem esse maximam & perfectam distantiam duorum sub eodem genere, & sic patet, quòd ibi loquitur de perfectissima contrarietate extremorum. De mediis autem nondum mentionem fecerat. Loquendo ergo de hac perfecta contrarietate, constat, quòd tantum vnum vni est contrarium. Cuius ratio est, quoniã maxima distantia sub vno genere, non potest esse nisi inter duas species. Non enim possunt duæ species eiusdem generis esse æqualis gradus, cùm se habeant vt numeri, vt visum est in octauo libro. Verùm quia solet fieri instantia, quòd plura media contrariantur extremis, vt omnes medij colores extremis coloribus, & plura extrema vni medio, vt in moralibus prodigalitas & auaritia liberalitati, ideo ad vniuersalem resolutionem propositi quæsiti sic procedes. Primò ponetur distinctio de contrarietate. Secundò ponentur duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò ponetur quoddam notabile.

Quantum ad primum aduerte, quòd contrarietas est duplex, scilicet perfecta & imperfecta. Perfecta dicit maximam distãtiam inter duas formas in eodem genere, inter quas est motus per se, & sunt successiuè acquisibiles. Imperfecta non requirit maximam distantiã, sed quòd sint duæ formæ sub eodẽ genere inter quas sit motus, & sint successiuè acquisibiles.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Secundum contrarietatem perfectam, tãtum vnum vni est contrarium. Probatur ratione Philosophi in præposito textu quæ stat in hoc. Perfecta contrarietas dicit maximam distantiam formarum in eodem genere. Hæc enim est ratio perfectæ contrarietatis. Sed maxima distantia in eodem genere non potest esse nisi inter duo extrema & vltima, quia vltimo non est aliquid vlterius. ergo contrarietate perfecta, tantum vnum vni est contrarium.

Secunda conclusio, Secundum contrarietatem imperfectam, possunt plura contrariari vni, & econuerso. Probatur, Ea inter quæ est motus per se sunt contraria ex primo & quinto Physicorum. Sed inter media & extremum, est motus per se. Patet enim quòd aliquid potest moueri ab albo ad rubeũ, & croceum & alurgum, & viride, sicut ab albo ad nigrum, ergo inter album & omnes medios colores est contrarietas, non quidem perfecta, cum non seruetur inter eos maxima distantia. ergo non inconuenit, contrarietate imperfecta plura contrariari vni, & econuerso.

Quantum ad tertium aduerte, quòd si vis sustinere vniuersaliter, quòd tantum vnum vni est contrarium, fundabis te in hoc, quòd media non contrariantur extremo, nisi vt gerunt vicem alterius extremi, puta rubeum, videre, &c. gerunt vicẽ nigri: similiter in moralibus, duo extrema non contrariantur vni medio, nisi in quantum duo extrema conueniunt in ratione mali aut vitij, & illud medium in ratione virtutis, & sic prodigalitas & auaritia inquantum sunt vitium, contrariantur liberalitati, inquantum est virtus, similiter maius & minus contrariantur æquali: inquantum conueniunt in ratione inæqualis, & sic patet, quòd vniuersaliter potest sustineri tantum vnum vni esse contrarium, quia vel vnum, vel plura reducta ad vnum. Tu tamen aduerte, quòd inter æquale & magnum & paruum magis seruatur oppositio priuatiua quàm contraria, vt patet in hoc libro, in textu decimoseptimo.

Pro hac quæstione non laborabis in pluribus inuestigandis: quoniam nec alij quid egregium dicunt, nec Paulus Soncinas, nisi quòd immoratur ad assignandum, quomodo genus immediatè diuiditur duabus differentiis constitutiuis duarum specierum specialissimarum, vel subalternarum, vel quarum vna est subalterna, & altera est specialissima, vide tu eum ad placitum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XV.

Si multitudo est genus ad numerum, ita quòd sit quid magis commune quàm numerus.

Multitudo autem quasi genus numeri. Tex. 21.

CONCLVSIO.

Numerus vniuersalissimè sumptus non in minus est quàm multitudo: imò verò est conuertibilis cum multitudine. Sumptus autem pro numero quantitatiuo est in minus quàm multitudo quæ est quasi genus numeri.

IN hac quæstione sic procedes. Primò distinguetur de numero. Secundò ponentur conclusiones responsiuæ. Tertiò soluetur quoddam dubium, in quo videtur Iandun. insurgere contra Beat. Thom.

Quantum ad primum aduerte, quòd numerus dupliciter considerari potest. Primò vniuersalissimè sumptus, vt prædicatur de numero formali siue essentiali, qui reperitur tam in abstractis quàm in rebus materialibus, nam sicut duæ intelligentiæ conueniunt in numero binario essentiali, sic duæ quidditates materiales, vt humanitas & equinitas constituunt binarium essentialem. Secundò potest sumi pro numero quantitatiuo, qui causatur ex diuisione continui, & reperitur secundum viam nostram. in solis materialibus, vt determinauimus in libro octauo contra Gregorium.

Quantum ad secundum sit prima conclusio, Numerus primo modo sumptus non est in minus quàm multitudo, imò est conuertibilis cum multitudine, probatur. Cùm non detur multitudo infinita actu, sicut numerus vniuersalissimè sumptus, mensuratur vnitate, & constituitur aggregatione vnitatum, sic etiam omnis multitudo siue transcendens siue numeralis, vnde vt docuimus in libro octauo quæstione 11. proprietates numerales vt peritas imperitas, esse tot, & tot, ita attribui possunt multitudini transcendenti, & numero essentiali sicut multitudini & numero quantitatiuo, & hoc non negaret philosoph. & quando dixit multitudinem esse quasi genus numeri, non intellexit de multitudine, & numero transcendenti, quem appellamus numerum essentialem.

Secunda conclusio. Numerus secũdo modo sumptus est in minus quàm multitudo, & ipsa est quasi genus numeri, probatur, Sicut se habet vnum trascendens ad vnum numerale, sic multitudo transcendens ad numerum quantitatiuum, quòniam sicut principium ad principium, sic principiatum ad principiatum. Sed constat quòd vnum transcendens, est in plus & magis commune quàm vnum numerale, illud enim conuertitur cum ente, & circundat omne prædicamentum, & verificatur de qualibet essentia tam abstracta quàm materiali: vnum verò numerale arctatur reductiuè ad prædicamentum quantitatis, ergo & multitudo transcendens, est in plus quàm numerus quantitatiuus. Illa enim sicut vnum transcendens circundat omne prædicamentum, & verificatur in abstractis, & materialibus. Numerus verò quantitatiuus restringitur ad prædicamentum quantitatis, cùm sit quantitas discreta, & non verificatur nisi de rebus quantis. Quoniam igitur est in plus in sensu dicto, ideo Philos. dicit, quòd est quasi genus numeri, omne enim magis commune, potest dici largo modo esse genus, & notanter dixit quasi genus, quoniam sicut ens non est genus, vt declaratum est in libro tertio, sic nec vnum transcendens, nec multitudo transcendens, aliter prima causa esset in genere.

Quantum ad tertium aduerte, q̃ B. Tho. in x. lib. in lect. 8. declarãs quomodo multitudo est quasi genus numeri, inquit, Sciendum verò est, quòd pluralitas siue multitudo absoluta, quæ opponitur vni, quod conuertitur cum ente est quasi genus numeri, quia numerus nihil aliud est quàm pluralitas & multitudo mensurabilis vno. Sic igitur vnum secundum quod simpliciter dicitur ens indiuisibile, conuertitur cum

ente,

ente, secundum autem quod accipit rationem mensuræ, sic determinatur ad aliquod genus quantitatis, in qua propriè inuenitur ratio mensuræ, & similiter pluralitas vel multitudo, secundum quod signat entia diuisa, non determinatur ad aliquod genus, secundum autem quod signat aliquod mensuratũ, determinatur ad aliquod genus quantitatis, cuius species est numerus. Hæc B. Thom.

Tu igitur aduerte, quòd Iand. in lib. decimo, in q. 15. reprobat dictum B. Tho. in hoc loco, pro quanto dicit, quòd vnum vt accipit rationem mensuræ, & multitudo vt signat mensuratum, determinãtur ad genus quantitatis. Contra hoc igitur sic arguit: Vnum & multa, vt habent rationem mensuræ & mensurati, sunt in prædicamento relationis. ergo non determinantur vt sic ad genus quantitatis, consequentia patet, quoniam cum prædicamenta sunt impermixta, idem sub eadem ratione non potest esse in duobus prædicamentis. Antecedens verò probatur: Quia differentia relationis non trahit aliquid, cui adiungitur extra prædicamentum relationis, nam differentia est in eodem prædicamento cum eo cui adiungitur, sicut rationale & animal determinatum per rationale, sunt in prædicamento substantiæ. Sed mensura & mensuratum sunt differentiæ relationis. Constituũt enim tertium modum relatiuorum, vt visum est in quinto libro: ergo vnum & multa vt stant sub ratione mensuræ & mensurati, non determinantur ad aliud genus, quàm ad genus relationis.

Ad hoc dicitur, quòd Iand. non penetrauit sensum B. Tho. Patet enim in tota doctrina sua, vbicunque inuestigat de oppositione inter vnum & multa, quod tenet vnũ vt mẽsuram, multa vt mensurata opponi relatiuè, ex consequenti vt sic sunt in prædicamento relationis, prout scilicet stant sub tali respectu, & quòd hæc sit mens sua, patet in 1. sent. dist. 24. q. 1. artic. 3. ad quartum, vt videre poteris. Si igitur B. Tho. hic intenderet, quòd vnum vt stat formaliter sub respectu mensuræ, & multa sub respectu mensurati, non essent in prædicamento relationis sed quãtitatis, sibi contradiceret, quod non est credendum à vero Thomist. Dico igitur, quod dictum B. Tho. contra quod Iand. arguit, intelligendum est quo ad fundamẽtum, & non quo ad suum formale. Nam illud quod est vnum cui attribuitur ratio mensuræ, est res de genere quantitatis: similiter illud quod est multa, cui attribuitur ratio mẽsurati, est res de genere quantitatis, cum quo tamen stat quòd in respectu mẽsuræ & mensurati sunt in genere relationis. Sicut pater & filius, quantum ad id quod sunt, sunt in genere substantiæ. In respectu autem paternitatis & filiationis sunt in genere secundo relatiuorum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVI.

Si omnia media sunt eiusdem generis cum extremis.

Omnia nanque media in eodem genere sunt cum extremis. Tex. 22.

CONCLVSIO.

Medium vel purè negatiuè, vel priuatiuè, vel entitatiuè sumptum, non est eiusdem generis, cum extremis: Sumptum verò moraliter, vel formaliter, est in eodem genere cum extremis.

IN hac quæstione sic procedes. Primò ponetur distinctio de medio. Secundò conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum aduerte, quòd medium inter aliqua extrema, potest esse multipliciter. Primò, purè negatiuè, vt inter habitum & priuationem datur negatio, vt inter viuum & mortuum datur non viuum. Secundò, priuatiuè, licet hoc sit difficile inuenire. Tertiò, entitatiuè, vt inter ens à actu, & nullo modo ens, datur ens in potentia, vt materia prima. Quartò, moraliter vt inter timores & audacias datur fortitudo. Quintò, formaliter sine secundum formam, vt inter album & nigrum datur pallidum, inter calidum & frigidum datur tepidum. Et hoc est propriissimè medium, quia continet in se naturam extremorum participatiuè, vtrum autem virtualiter & formaliter, dicemus infrà, & quoniam necesse est prius ad ipsum esse transmutatio quàm ad extremum. Impossibile est enim frigidum calefieri, nisi prius fiat tepidum.

Quantum ad secundum, sit hæc prima conclusio, Medium primo, secundo, tertio, modo, non est eiusdem generis cum extremis. Quod primo modo patet, quia negatio est purum non ens, habitus est ens, priuatio licet quo ad formale sit non ens, tamen ratione connotati, quod est subiectum potest dici aliquo modo ens, constat autem quòd purum non ens, non est in eodem genere, cum ente, & aliquo modo ente. Nullo enim modo participat altero, nec vtroque extremo. Quod 2. modo patet; quoniam si priuatio esset medium inter duo extrema positiua, cùm sit formaliter non ens se haberet ad extrema sicut non ens ad ens. Constat autem, quòd ens & non ens non sunt eiusdem generis. Quod 3. modo patet, quoniam si ens in potentia vt materia prima sit medium inter ens actu, & nullo modo ens, patet quòd comparatum enti actu, non est in eodem genere cum eo, actus enim & potentia distinguũtur genere. Magis autem constat, quòd ens in potentia & nullo modo ens, non sunt eiusdem generis.

Secunda conclusio, medium 4. & 5. modo est in eodem genere cum extremis. Quòd quarto modo patet, quoniam tam passiones quam virtus circa tales passiones sunt in prædicamento qualitatis, & secundũ aliquos in primo genere. Quòd autem 5. modo, probatur. Illud ad quos prius peruenitur in permutatione, quæ est ab extremo ad extremum antequam perueniatur ad alterum extremũ, est in eodem genere cum extremis. Hęc patet, quoniam inquit Philosophus in hoc 10. in text. 22. permutari non est ab vno genere in aliud genus, nisi per accidẽs, vt à colore ad figuram. Sed constat, quòd quando quid permutatur ab vna forma ad aliam, inter quas est medium 5. modo, prius & per se, & de necessitate peruenit ad medium quàm ad extremum, vt quod debet calefieri, prius tepidatur, & quod dealbatur, prius subalbatur, ergo, &c.

Et aduerte, quòd licet ad maiorem doctrinam posuerimus de medio distinctionẽ quintim embrem, tamen intentio Philosophi fuit in hoc 10. loqui de medio solùm quinto modo, quod verè & simpliciter est medium.

Quantum ad tertium aduerte dubium, quod insurgit contra secundum modum primæ conclusionis. Dictum est enim quòd medium priuatiuè, non est in eodem genere cum extremis. Contra, secundum Philosophum in 10. tex. 19. æquale est medium inter magnum & paruum, sumendo magnum cum excessu, & paruum cum defectu, prout idem sunt quod maius & minus, & in eodem tex. determinat Philosophus, quod opponitur eis priuatiuè, æquale est enim quod non est maius nec minus, & tamen aptum natum est esse, ergo æquale est medium priuatiuè, & tamen est in eodem genere scilicet quantitatis cum magno & paruo, ergo falsum est, quod medium priuatiuè non sit in eodem genere cum extremis.

Ad hoc dicitur, quòd secundus modus primæ conclusionis debet intelligi de medio, quæ sit mera priuatio, vt cæcitas. Non autem de medio, quod est quid positiuum reale, includens tamen negationem extremorũ. Aliter cùm medij colores posint dici hoc modo priuatiua media respectu extremorum, non essent in eodem genere cum extremis. Ad argumentum ergo, concedo quòd æquale est medium priuatiuè secundo modo, sed non primo modo, de quo solo intelligi debet secundus modus primæ conclusionis.

Alia dubia non insurgunt, quæ sint alicuius difficultatis, quæ non possint solui, per probationes primæ conclusionis, ideo nolo immorari. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVII.

Si media contrariorum componuntur ex extremis virtualiter vel formaliter.

Si verò sunt in eodem genere media vt ostensum est & media contrariorum, necesse est componi ex extremis contrariis. Tex. 23.

CONCLVSIO.

Media contrariorum componuntur ex extremis, non solùm virtualiter, sed etiam formaliter, ita tamen vt extremæ sint actu & formaliter in medio, non quidem secundum excellentias suas, sed vt remittuntur.

IN hac quæstione aduerte, quòd pendet ex quæstione decimatertia huius 10. de gradibus, quibus se compatiuntur contraria in eodem, & quoniam, vt dixi in eadem quæstione, vtraque pars sustentabilis est, licet sustinuerim partem affirmatiuam propter Capr. si tamen elegeris sustinere partem negatiuam, quam sustinet Gregorius, & Paulus Soncin. pro prælenti quæsito, negabis compositionem realem & formalem mediorum ex extremis, & tenebis solam cõpositionem virtualem. & quoniam Philosophus in textu 23. & Comment. & Beat. Thom. videntur absolutè tenere, quòd media componantur ex extremis, dices sicut Anton. Andr. in 10. q. 5. quòd Philosophus accipit compositionem pro conuenientia, eo quòd medium comparatum vni extremo retinet virtualiter naturam illius extremi, & magis conuenit cum eo, quàm cum altero extremo, sicut tepidum magis sapit naturam frigidi, quàm naturam calidi. Eodem modo exponit Paul. Sonc. omnia dicta Commẽt. & Philosophi. vt patet in libro decimo q. 21. respondens ad secundum. Gregor. autem in 1. dist. 17. q. 5. artic. 2. post responsionem ad x. dicit, quòd Philosophus & Comment.

Comment. loquuntur de compositione mediorum secũdum apparentiam & non secundum veritatem, & aduerte quòd totum fundamentum eorum est, quoniam timent, si concedunt extrema contraria actu & formaliter in gradibus quibuscunque in mediis, quòd sint contra Philosophum in quarto Metatextu vigesimoseptimo, & ex consequenti, quòd sint coacti concedere contradictoria verificari de eodem. Sed ad id iam responsum est in quæstio. decimatertia, huius ad primum Paul. de mente Capr. Item timent, ne concedant duas species constituere tertiam, & quòd media contrariorum sint composita ex duobus entibus in actu. Sed ad hoc respondebimus infrà.

Et quoniam in quæstione decimatertia, tenui partem affirmatiuam cum Capreol. intendo & nunc decidere præsens quæstum pro parte affirmatiua, & sic procedam. Primò ponetur conclusio affirmatiua, & probabitur. Secundò soluam rationes Paul. & Ant. And. qui tenent partem negatiuam. Tertiò mouebo dubium contra conclusionem in se, & soluam.

Quantum ad primum, sit hæc conclusio responsiua, Media contrariorum, vt tepidum & pallidum, componuntur non solùm virtualiter, sed etiam formaliter ex extremis, ita quòd extrema sunt actu & formaliter in medio, non quidem secundum excellentias suas, sed vt remittuntur. Secunda pars huius conclusionis iam patet per determinationem quæstionis decimatertiæ huius libri, vbi determinauimus, quòd contraria secundum gradus intensos non se compatiuntur, aliter ineuitabiliter contradictoria verificarentur de eodem.

Prima autem pars sic probatur. Quod comparatur ad duo extrema, & respectu vnius est vt magis, respectu alterius est vt minus, componitur realiter & formaliter ex illis, nam magis & minus inesse, supponit inesse, sed medium ita se habet, quod comparatum vni extremo, se habet vt magis, & respectu alterius vt minus, tepidum enim est magis frigidum & minus calidum: ergo, &c. Præterea, In quolibet genere prima & simplicia sunt compositiua aliorũ eiusdem generis, quæ comparantur ad illa, vt composita & posteriora. Sed extrema ad media, se habent vt simplicia & priora, ad composita & posteriora, vt patet de tepido cõparato calido & frigido: ergo, &c.

Quantum ad secundum aduerte, quòd Paulus Soncin. in decimo, quæstione vigesimaprima, conatur defensare partem negatiuam dictis Commentatoris & B. Th. deinde rationibus. Allegat tria dicta Commentator. primo dicit in quarto Metaphysic. commento vigesimoseptimo, Duo contraria habentia medium sunt in medio in potentia, sicut albedo & nigredo inueniuntur in pallore, sed non in actu, & in decimo Metaphysicæ, commento septimo, inquit. Non debet aliquis dicere, quòd colores componantur ex duobus, scilicet albo & nigro, & in commento vigesimotertio, in composito inuenitur ex altero contrariorum magis, & ex altero minus, non simpliciter sed aliquo modo, id est, in potentia.

Ad hæc respondetur simul, quòd Commentat. intendit per potentiam, non potentiam puram, sed potentiam admixtam actui imperfecto, & prout omnis forma existens sub gradu imperfecto, est velut potentia comparata formæ in gradu perfectiori, & quòd hæc fuerit mens sua, patet in 1. Physico. in comment. 56. vbi formaliter sic dicit. Medium est extremum vtrunque non pura potentia, sed aliqua potentia, in medio enim est vtrunque extremum in actu, sed tamẽ non in vltima perfectione. Est igitur in potentia vtrunque extremum quodam modo, & in actu alio modo. hæc Commen. ex quibus patet, quòd declarat se, quomodo sumat potentiã, quando dicit, sed aliquo modo, id est, in potentia, & quando dicit in 4. Metaphyl. sed non in actu, id est non in vltima perfectione.

Allegat dictum B. Tho. in tertio sentent. quod iam declarauimus in q. 13. huius libri.

Prima ratio Pauli est hæc, Tertia species non potest constitui ex duabus naturis specie distinctis, vnde Philosophus in 5. Metaphys. dicit, quòd quinque non sunt duo & tria, quia tres & duo sunt numeri specie distincti. Sed medius color, & extremi colores communiter tenentur specie distincti. ergo, &c. Et aduerte, quòd hæc ratio fuit etiam præcipua apud Greg. cuius opinionem adduximus in q. 13. huius libri.

Ad hoc respõdetur, quòd maior non est vera, nisi de speciebus quarum esse stat in indiuisibili, sicut sunt species numeri, & species figurarum, & species substantiæ perfectæ. Potest etiam dici (sicut dictum est suprà) de vno constituente multitudinem, quòd sumptũ cum præcisione non cõstituit eam, sed opponitur disparatè, sicut species condistincta: sumptum autem sine præcisione, non habet rationẽ speciei, sed rationem materiæ & vt sic non opponitur multitudini, sed etiam constituit. Sic in proposito, extrema contraria sumpta cum præcisione sunt species distinctæ contra medium, & oppositæ disparatè, & vt sic non componunt medium, sumpta autem sine præcisione, sunt vt materia ex qua componitur medium, & non vt species condistinctæ, & huic responsioni adhæreo, ex qua patet, quòd argumentum non concludit.

Secunda ratio Pauli est hæc, Formæ oppositæ inquantum sunt oppositæ, non possunt simul cõcurrere in eadem natura, quia de ratione oppositorum inquantũ sunt opposita est, quòd simul stare non possunt. Sed formæ cõtrariæ sunt etiam contrariæ in gradibus remissis, cuius ratio est, quia Philosophus in 10. Metaph. tex. 13. & 14. dicit, quòd contrarietas est oppositio secundum formam, natura autem albedinis & nigredinis saluatur in gradibus remissis, ergo vt sic sunt cõtrariæ, ex consequenti non se compatiuntur in medio.

Hanc rationem iam soluimus in q. 13. huius, vbi de mente Capr. diximus, quòd repugnãtia simultatis existendi in eodem non consequitur contraria præcisè ex natura sua, sed ex natura sua pro tanto gradu, pro quo denominant & actuant subiectum, puta vltra medium latitudinis. Ad arg. ergo, nego maiorem. Ad probationem, nego similiter, quòd sit de ratione oppositorum præcisè inquantum opposita, quòd non possint stare simul, nisi adiungatur pro tanto vel tanto gradu, &c.

Tertia ratio Pauli, Philosophus dicit in 4. de cœlo, quòd aër est grauis & leuis, aut ergo intelligit, quòd in aëre sint duæ qualitates distinctę in actu perfecto, quæ sunt contrariæ, scilicet grauitas & leuitas: & hoc non, quia formæ contrariæ & maximè in actu perfecto non se compatiũtur in eodem. Aut quòd est tantum vna qualitas composita ex grauitate & leuitate: & hoc non, quia in elementis non sunt qualitates compositæ, sed tantum qualitates primæ. Aut est vna continens virtualiter vtranque, & sic habetur propositum.

Ad hoc dicitur, quòd qualitas illa est vna, sed non est propriè media, quia non componitur intrinsecè ex leuitate & grauitate, sicut componitur tepidum ex calido & frigido. Potest autem dici media extrinsecè, id est, comparatiuè, quoniam per comparationem ad aquam est principium ascẽsus, & per comparationem ad ignem est principium descensus. Ad argu. ergo dico, quòd philoso. intelligit aërem esse grauem & leuem, non per duas qualitates non per vnam compositam formaliter, nec virtualiter, sed per vnam simplicẽ, quæ respectu diuersorum est principium contrariorum mõtuum, ideo per eam respectiuè & non intrinsecè dicitur aër grauis & leuis. Paulus autem decipitur in hoc, quòd extimat illam qualitatem esse verè mediam, sicut est medius color.

Quarta ratio Pauli Cõment. dicit in 1. phys. cõment. 56. q̃ colores extremi sunt in colore medio, nõ in actu puro, nec in potentia pura. sed medio modo inter potẽtiam & actum. Sed albedo remissa est actu albedo, similiter nigredo remissa, aliter nullum corpus esset actu album vel nigrum, nisi esset albedo vel nigredo in summo, quod est manifestè falsum: ergo albedo remissa similiter nigredo non est actu in medio colore, sed tantum virtualiter.

Ad hoc dicitur, quòd non adducit dictum Commẽt. vt stat; nam Comment. in illo loco expressè dicit, quòd in medio est vtrunque extremum in actu, sed tamen non in vltima perfectione. ex quibus verbis constat, quòd intendit extrema esse in medio, in actu tamen remisso, nam idem est extremum esse in medio actu. non secundum vltimam perfectionem, id est non intensè, & esse in actu remisso.

Ant. And. in 10. metap. q. 5. tenet quòd formæ mediæ non sunt verè compositæ ex extremis, ita quòd extrema non concurrunt partialiter ad compositionem eius, & arguit sic, Omne compositum compositione partiali, vel est quantitas vel habens quantitatem: sed formæ mediæ non sunt huiusmodi, quia quantitati nihil est contrarium, ergo formæ mediæ non componuntur quacunque compositione partiali.

Ad hoc dicitur, quòd maior nõ habet veritatem, nisi quando componentia partialia sunt quantitates, vel per se quanta: constat autem, quòd qualitates extremæ contrariæ non sunt quantitates nec per se quantæ, vnde illa compositio magis debet dici essentialis, quam quantitatiua, quoniam extremum componens prædominans, se habet ad extremum aliud, vt actus ad potentiam, puta in tepido frigidum est vt actus, & calidum vt potentia. Cuius signum est, quòd si debet denominari tepidum à calido vel à frigido, dicetur frigidum, ergo frigidum est vt forma respectu calidi.

Quantum ad tertium aduerte, q̃ si medium cõponitur formaliter ex extremis, difficile erit seruare quomodo hęc qualitas media sit vnum per se. Nam omne compositũ per se vnum est ex partibus, quarum vtraque est in potentia, vt linea

bicubita ex duabus medietatibus, vel vna est in potentia altera est actus, vt materia prima & forma substãtialis, non potest autem vtraque esse actu, ex 7. Metaphysi. textu 49. Sed secundum determinationem factam, duo extrema non sunt in medio solùm in potentia, nec vnum in potentia, alterum in actu, quoniam cum vtrunque sit in medio in gradu remisso, non est maior ratio de vno, quàm de alio, ergo vtrunque est actu, sed ex duobus entibus in actu non fit vnum per se, ex septimo Metaphysices textu quadragesimonono, ex consequenti, medium non erit vnum per se, sed per accidens.

Ad hoc dicitur, quòd vnum extremum est vt potentia alterum vt actus: nam illud quod seruatur in medio cum pluribus gradibus, habet rationem actus. reliquum autem quod est sub minori gradu, habet rationem potentiæ. Et dato casu, quòd esset imperfectius secundum naturam suam, puta frigidum respectu calidi: tamen inquantum magis inexistit, vt sic reputatur perfectius, ex consequenti vt actus. Ad argument. ergo nego quin vnum sit in potentia alterum in actu. Ad probationem dico, quòd est maior ratio de vno quòd sit actus, quia est cum pluribus gradibus, & de alio quòd sit potentia, quia est in minori gradu. Et aduerte, quòd hoc consonat Comen. in 10. Metaphysi. commen. 23. vbi inquit, Impossibile est quod in composito ex contrariis sint duæ partes æquales, sed altera debet esse denominãs, cui attribuitur forma, hæc Comment. ex quibus sequitur, quòd si contrario denominãti attribuitur forma, alteri denominato attribuitur materia & potentia. Hæc de præsenti quæsito dicta sint. Quod tamen reputo problema neutrum, sicut & q. 13. huius 10. sed volui sustinere partem affirmatiuam in fauorem Capreoli. Tu verò exerce ingenium vt placuerit. nam & ego aliquando declinaui ad partem negatiuam, vt patet in epitomate in secundo de generatione, in tractatu secundo, in capite tertio.

QVAESTIO XVIII.

Si inter species cuiuscunque generis est vera contrarietas, præcipuè in prædicamento substantiæ, similiter differentias.

Dico enim differentiam generis diuersitatem, quæ diuersum facit hoc ipsum. Contrarietas igitur erit hæc. Tex. 24.

CONCLVSIO.

Species & differentiæ generis non opponuntur nisi contrario modo, contrarietate quidem imperfecta, non autem perfecta.

IN hac quæstione sic procedes. Primò ponetur distinctio de contrarietate. Secundò, duæ conclusiones responsiuæ. Tertiò, soluetur quoddam dubium.

Quantum ad primum aduerte, quòd iuxta doctrinam Bea. Tho. in 5. Phys. super tex. 10. contrarietas est duplex, quædam imperfecta, & est inter quæ seruatur communis radix contrarietatis. Hæc autem radix dicitur excellentia & defectus, nam quæcunque contraria ita se habẽt quòd vnum est perfectius altero, quod autem est perfectius excellentius est, alterum autem deficiens. Quædam autem perfecta, & hæc vltra communem radicem contrarietatis requirit duas conditiones. Primò, quòd sint duæ formæ maximè distantes sub eodem genere, inter quas cadunt omnia quę sunt illius generis. Secundò, quòd sint acquisibiles per motum aptæ inesse successiuè eidem subiecto existenti in actu. Aliqui addunt, quòd sint actiuæ & passiuæ adinuicem, ita quòd se mutuò expellãt: sed hæc cõditio nõ verificatur simpliciter, nisi in 4. primis qualitatib. quæ dicuntur actiuæ & passiuæ, vt declarauimus in epitomate nostro, super libros de generatione & corruptione.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Species & differentiæ generis substantiæ non opponuntur nisi contrariè: & probatur, primò quòd opponantur, quoniam sunt diuisiuæ generis, omnis autẽ diuisio est per opposita, hæc est enim prima conditio primę diuisionis. Quòd autem opponantur contrariè, sic probatur ad mentem Philosophi. Non opponuntur contradictoriè, quoniã alterum contradictoriorum verificatur, tam de ente, quàm de non ente. Non ens autẽ nullius est differentia, nec species, nec genus. Nec purè priuatiuè, quoniam priuatio cùm sit negatio, est formaliter non ens, differẽtiæ autem & species generis substantiæ & cuiuscunque alterius generis non sunt non ens. Nec relatiuè, quoniã sunt multa genera absoluta tam animata quàm inanimata, tam simplicia vt elementa, quàm elementata, quæ non diuiduntur per relatiua, ergo à sufficienti diuisione opponuntur contrariè.

Secunda conclusio, Licet opponãtur contrariè, non tamen contrarietate perfecta, sed imperfecta, quòd imperfecta, patet, quoniam communis radix contrarietatis seruatur in eis nam quæcunque duę differentiæ diuisiuę vnius generis & duæ species, præcipuè in prædicamento substantiæ se habent vt excellens & deficiens, sicut patet de corporea & incorporea, animata inanimata, sensitiua non sensitiua, rationalis non rationalis. Quòd autem non perfecta, patet ex defectu conditionum, quas assignauimus in contrarietate perfecta, nam posito quòd in prædicamento substantiæ essent assignabiles duæ species maximè distantes, puta suprema intelligentia producta & elementum terræ, inter quas gradualiter continentur naturæ rerum intermediæ: tamen non sunt acquisibiles per motum, nec intensibiles & remissibiles, vt determinatum est in 8. libr. ergo, &c.

Præterea differentiæ & formæ substantiales non habent pro subiecto ens actu, sed materiam primam: quoniam cùm producantur generatione substantiali, vt determinatum est in 5. Phys. eius subiectum est tantum ens in potentia, aliter generatio esset motus, quod negat Philosophus in 5. Phys. tex. 8. Patet ergo, quòd inter differentias & species generis substantiæ non datur perfecta contrarietas. Et aduerte quòd eandem conclusionem tenet Ant. Andr. in 10. Metaphys. quæstione penult. vbi determinat, quòd inter formas substantiales non est contrarietas strictè, sed largo modo accepta.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Aristot. in diuersis locis videtur sibi contrarius, in hoc proposito, nam in prædicamentis manifestè ponit, quòd substantiæ nihil est contrarium, & in quinto Physicorum textu 10. dicit. Secundum substantiam, nullus est motus propter nullum entium substantiæ esse contrarium. In primo autem Physicorum, textu quinquagesimosexto dicit, quòd in genere substantiæ datur vna prima contrarietas, ad quam omnes aliæ reducuntur. Et in secundo de generatione text. 49. dicit, quòd aër & ignis contraria sunt aquæ & terræ. Terra quidem aëri, igni verò aqua contraria est. Et in hoc 10. in text. 24. probat, differentiam secundum speciem esse differentiam contrarietatis. Quapropter videtur Philosophus in hoc semper fuisse dubius, & modò tenuisse partem negatiuam, modò partem affirmatiuam.

Ad hoc dubium secundum viam Commentat. quam habes, expressam in 1. Physic. comment. 52. & confirmatam per Alex. dicendum esset, quòd Philosoph. negat contrarietatem in substantia secundum subiectum sue materiam, non autem secundum formam. nam accidentia cùm sint entia simplicia, si contrariantur, secundum totam suam entitatem contrariantur: substantiæ autem sensibiles & præcipuè corruptiles, cùm non sint entia simplicia, componuntur enim ex materia & forma, non contrariantur secundum totam suam entitatem, sed solùm secundum formam, nam materia cùm sit receptiua contrariorum, nulli contrariatur, secundum igitur Comment. Philosophus negans in prædicamentis & in quinto Physic. contrarietatem in substantia, non negauit absolutè, aliter sibi contradiceret in locis aliis allegatis, sed negauit, quòd sit talis, qualis inuenitur in accidentibus, scilicet secundum totum, & non tantum secundum formam. Item dicit Comment. in 1. Physic. comment. 52. quòd quando Philosophus negat contrarietatem à substantia, intendit solùm de substantiis compositis, non autem de elementis, aliter sibi contradiceret in secundo de generatione text. 49. Et id pro tanto tenet, quia existimat formas elementorum esse intensibiles & remissibiles, ex consequenti contrarias & actiuas ac passiuas adinuicem. Sed, vt Thomista, non sequeris hanc viam, quam reprobauimus, in libr. 8. pertractantes, si plures formæ substantiales se compatiuntur in eodem.

Igitur secundum viam beati Thomæ, respondendum est, Philosophum non esse sibi contrarium, quoniam vbi negat contrarietatem in substantia, intendit secundum sensum secundæ conclusionis: vbi autem concedit, intendit secundum primam conclusionem, & secundum primam partem secundæ conclusionis. Cuius signum est, quòd in secundo de generatione textu quadragesimonono, postquam dixerat, Igni verò aqua contraria est, statim subiungit, Vt contingit substantiam substantiæ contrariam esse, quasi dicat, licet substantia non contrarietur substantiæ, vt substantia, tamen potest contrariari ratione qualitatum contrariarum, & hoc modo contrariantur elementa adinuicem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIX.

Si genus & species generis sunt eadem aut diuersa genere, vel eadem aut diuersa specie.

Quare palàm quia ad id quod vocatur genus nec idem nec diuersum specie. Text. 24.

CONCL

CONCLVSIO.

Genus comparatum suæ formæ, non est idem nec diuersum specie: Genus quoque collatum speciei, non est idem genere cum specie, nec diuersum genere ab specie.

IN hac quæstione sic procedendum est. Primò ponentur duæ conclusiones responsiuæ cum probationibus suis. Secundò soluentur duo dubia.

Quantum ad primum sit hæc prima conclusio, Genus comparatum suæ speciei, vt animal homini, nõ est idem specie nec diuersum specie ab homine. Probatur, quòd non est idem. Ea sunt idem specie quæ conueniunt in vna differentia constitutiua, sicut Plato & Sortes sunt idem specie, quia conueniunt in rationali, vt constitutiuo hominis. Sed genus & species nõ conueniunt in aliqua vna differentia constitutiua vtriusque, aliter genus esset species, nec genus esset magis commune quàm species. Probatur autem quod non sunt diuersa specie: Quæ sunt diuersa specie habent oppositas differentias quibus constituuntur, sed differentia à qua cõstituitur genus puta sensitiuum, & qua constituitur species, nõ opponuntur, nam rationales idem ticè est sensitiuum, sicut & homo est animal. Præterea, Quæ distinguuntur specie, vnum non prædicatur de altero, cùm habeant oppositionem disparatam adinuicem. Constat autem, quòd genus prędicatur de specie, ergo non sunt diuersa specie.

Secunda conclusio, Genus comparatum speciei nõ est idem genere cum specie, nec diuersum genere à specie. Quod nõ sit idem, patet, ea sunt idem genere, quæ sunt duæ species conuenientes in genere, vt homo & leo in animali. Sed genus & species sua non sunt duæ species, quoniam genus vt genus non est species: ergo, &c. Quòd non sint diuersa genere, patet, quoniam quæ sunt diuersa genere, ita se habent, quòd vtrunque est genus, sicut de animato & inanimato, vt planta & lapide. Constat autem, quòd species vt species non est genus: ergo, &c. Et aduerte, quòd intentio Philosophi est loqui de specie specialissima, comparata suo generi, sumendo genus in suo proprio significato, prout est vnum ex quinque vniuersalibus.

Quantum ad secundum aduerte duo dubia, quæ insurgunt contra determinationem factam. Primum probat, quòd genus & species sunt idem specie, sic, Quæ dicunt eandem essentiam & eandem formam sunt idem specie. Sed genus & species dicunt eandem essentiam & formam, vt determinatum est in libro octauo, in quæstione quarta, vbi determinauimus, quòd non multiplicantur formæ in eodem secundum prædicata quidditatiua, ergo sunt idem specie.

Pro solutione huius aduerte, quòd Iand. in decimo libro, in quæstione vigesima, concedit, quòd si genus & species dicunt eandem essentiam & formam: ineuitabiliter sequitur, quòd sint idem specie. Nescit autem aliter soluere argumentum, nisi negando minorem, quoniam tenet genus dicere formam generalem, & speciem formam specificam, vt distinctas realiter. Sed id iam reprobauimus in secundo libro, & in octauo. Respondẽdo ergo secundum viam nostram quæ tenet vnitatẽ formæ in cõposito, negatur maior. Nam quòd aliqua sint idẽ specie, non sufficit identitas essentiæ & formæ, sed quod conueniant in vna differẽtia formaliter. Quamuis autem forma, siue natura generis & speciei sit vna realiter, ab ea tamen possunt sumi distinctæ differentiæ, quarum vna sit generica, prout dat esse genericum, alia sit specifica, prout dat esse specificum. Sicut ab anima intellectiua, vt dat esse sensitiuum, sumitur differentia generica, & genus quod est animal, & prout dat esse intellectiuum, sumitur differentia specifica, vt rationale, & species vt homo, & sic patet, quòd inter genus & speciẽ sufficit distinctio rationis ex parte rei, vel ex natura rei, vt placet Scoto.

Secundum dubium insurgit directè contra determinationem factam & arguitur sic, Dicit Philosophus in hoc decimo, in textu vndecimo, & duodecimo, quòd omne ens comparatum alteri enti, est idem vel diuersum ab eo, ergo genus comparatum suæ speciei, vel est idem vel diuersum ab ea.

Ad hoc dico, quòd aliud est dicere, Genus est idem vel diuersum à sua specie, & dicere, Genus est idem vel diuersum specie à sua specie. Nam in ratione entitatis suæ, concedo quòd sunt idem, quoniam dicunt eandem naturam distinctam solùm ratione ex parte rei. In ratione autem generis aut speciei, dico quòd non sunt idem nec diuersa specie: ea enim sunt idem specie in ratione formali ipsius speciei, quę cõueniunt in vna differentia formali specifica, & differunt solùm numero, vt duo indiuidua, similiter ea sunt diuersa specie formaliter, quæ distinguuntur differentiis specificis formalibus oppositis, quarum vna non prædicatur de alia. Modò ex determinatione facta, constat quòd istæ conditiones non seruantur inter genus & speciem. Ad argumentum ergo dico, quod sensus Philosophi est iste, Omne ens comparatum alteri enti est idem vel diuersum; est verum quo ad entitatem suam: non tamen est verum, quo ad intentiones secundas, vt est genus & species. Vnde hæc consequentia non valet, Genus comparatum speciei, quo ad entitatem suã est idem vel diuersum ab ea, ergo comparatum quo ad intentionem generis vel speciei, est idem vel diuersum specie ab ea. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XX.

Si omnis contrarietas facit diuersitatem in specie.

Dubitabit vtique aliquis, quare fœmina à viro non specie differt. Text. 25.

CONCLVSIO.

Contrarietas sumpta ex formis substantialibus ostendit diuersitatem in specie inter illas formas & inter ea quibus illius solo diformæ insunt. Sumpta verò ex diuersa dispositione materiæ & ex formis accidentalibus, non facit differre specie ea quibus insunt. Quæ quidem formæ accidentales ad seinuicem comparatæ & ad genus quod diuidunt, differunt specie.

IN hac quæstione sic procedendum est. Primò ponentur distinctiones de contrarietate. Secundò, conclusiones responsiuæ. Tertiò soluentur quædam dubia.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio, Contrarietas est duplex, quædam ex forma, quædam ex materia: non quidẽ ex materia vt materia, quoniam materia præcisè considerata est indifferẽs ad omnes formas, sed ex diuersa dispositione materiæ, propter quam respicit cõtrarias conditiones indiuiduorum, vt masculinũ & fœmininum, sicut declarabimus infrá.

Secunda distinctio, Contrarietas ex forma est duplex, quædam est ex formis substantialibus disparatis, sicut contrarietas inter ignem & aquam, de qua diximus in q. 18. huius lib. quòd licet nõ sit perfecta, est tamen contrarietas, & illic est assignata causa. Quædam est ex formis accidentalibus, sicut Socrates albus, & Plato niger sunt contrarij, ex qualitatibus contrariis.

Tertia distinctio, Contrarietas ex formis accidentalibus ad duo potest comparari. Primò ad ipsas formas accidentales, vt sunt diuisiuæ sui generis, puta comparando albedinem & nigredinem ad colorem, masculum & fœminam ad sexum quem diuidunt. Secundò, ad subiecta quibus insunt, vt albedo ad Sortem, nigredo ad Platonem, similiter masculum & fœminam ad animalia quibus insunt.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio responsiua, Contrarietas sumpta ex formis substãtialibus demonstrat distinctionem & diuersitatem in specie inter illas formas, & inter ea quibus tales formæ insunt. Probatur, Tales formæ substantiales inter quas est cõtrarietas saltem imperfecta, vt declarauimus in q. 18. huius li. puta forma equi, & forma leonis dicunt ex natura sua distinctas quidditates, & ab eis sumuntur distinctę differentiæ specificæ, ergo differũt specie, & ea quibus insunt, antecedens patet, & consequentia probatur, quia distinctæ quidditates faciunt distinctionem in specie, propter distinctas differẽtias sumptas ab eis & constitutiuas distinctarũ specierũ. Si igitur tales formæ, & ea quibus insunt differũt specie, ergo contrarietas inter eas demonstrat diuersitatẽ specificam.

Secunda conclusio, Contrarietas sumpta ex diuersa dispositione materiæ & ex formis accidentalibus, non facit differre specie ea quibus insunt. Secũda pars manifesta est: nullus enim dicit, quòd albedo quæ inest Sorti, & nigredo quæ inest Platoni faciant differre specie Sortem & Platonem, & ratio apud Porphyrium est, quia istæ sunt differentiæ accidentales, quæ faciunt tantum alterum, & non aliud. Prima pars verò sic probatur, Si contrarietas sumpta ex diuersa dispositione materię, facit differre specie, ergo idem agens specificum producit distinctas specie: quod est impossibile, quoniam nullum agens vniuocum, de quo hic intendimus, agit vltra speciem suam, alioquin potentia naturalis non esset determinata ad vnum cum per te possit in opposita, distincta specie. Consequentia probatur: quoniam videmus idem sperma & mẽstruum specificum fieri, modo masculum modo fœminam, secundum quod diuersimodè agit in ipsum calor & virtus formatiua, nam si calor fortis est ad expellendum dispositiones, quæ sunt pro fœmina, producetur masculus, si autem sit debilis, adeò quòd virtus formatiua non sufficit pro masculo, fit fœmina. Constat ergo, quòd idem agens specificum producit fœminam & masculum. Si igitur masculus & fœmina quæ sunt contraria ex diuersa dispositione materiæ differunt: specie, idem agens specificum producit diuersa specie.

Tertia conclusio, Licet formæ accidentales contrariæ non faciant distinctionem specificam inter ea, quibus insunt, vt declaratum est in conclusione præcedenti, tamen ad seinuicem comparatæ, & ad genus, quod diuidunt, differunt specie. Hæc

conclusio clara est sumptis duabus formis accidẽtalibus, quæ contingenter insunt duobus indiuiduis eiusdem speciei, Verbi gratia, sit albedo in Sorte. & nigredo in Platone. probatur, quòd albedo & nigredo ad se inuicem comparatæ, & inquantum diuidunt colorem differunt specie, nam maximè distant sub colore & constituuntur differentiis formalibus diuisiuis generis coloris, scilicet congregatiuo & disgregatiuo, quæ & si non sint differentiæ essentiales, sumuntur tamen loco differentiarum, ergo, &c. Et aduerte, quòd hæc est mens philosophi in lib. x. in tex. 23. vbi inquit, differentiæ priores contrariæ erunt facientes species contrarias, vt generis, ex genere enim & differentiis species, vt ii album & nigrum cõtraria, est autẽ hic quidem disgregatiuus, ille verò congregatiuus color. Hæc philosophus, vbi Comment. expressè ponit album & nigrum species contrarias constitutas ex genere & differentiis contrariis: ergo sunt distinctæ species.

Quantum ad tertium aduerte, quòd aliqui fundantes se super quædam verba Commen. in x. lib. in cõment. 23. tenent, quòd extrema contraria, vt album & nigrũ adinuicem comparata non differunt specie, sed secundum magis & minus, aut secundum intensum & remissum, puta quòd nigredo est remissima albedo. Verba autem Comment. sunt hæc, Transmutatio ergo de contrario erit ad illud, quod est medium, antequam veniat ad secundum contrarium: & si essent alterius naturæ, tunc transmutatio de contraria in contrarium mediãtibus illis esset per accidens. Hæc Comment. ex quibus patet, quòd secundum ipsum, & extrema contraria & media sunt vniusnaturæ: si vnius naturæ, ergo non differunt specie.

Sed nonnihil concludit, quoniam ad hoc quòd inter aliqua sit motus per se, sufficit vnitas naturæ genericæ, in diuersis autem genere, non est motus, nisi per accidens, vnde inquit philosophus in x. tex. 22. Permutari verò ex alio genere in aliud genus, non est nisi secundum accidens, vt ex colore in figuram. Necesse est ergo media & quorum sunt media in eodem genere esse. Dico ergo, quòd Commentator intendit extrema & media esse vnius naturæ genericæ, aliter non concordaret cum philosopho. Cum vnitate autem generica stat diuersitas specifica. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Si corruptibile & incorruptibile differunt genere.

Necesse esse diuersum genere corruptibile & incorruptibile. Tex. 26.

CONCLVSIO.

Corruptibile & incorruptibile differunt genere physico, non autem logico.

IN hac quæstione sunt duæ opiniones, quæ licet concordent, quòd corruptibile & incorruptibile differunt genere: discordant tamen de genere, Quoniam vna opinio tenet, quòd philosophus intendit de genere physico, & non logico: alia intendit de genere logico, & non physico, & quoniam B. Tho. & Ant. And. tenent primam viam. Iandu. autem secundam, ideo sic procedes. Primò declarandum est, quid sit conuenire aut differre genere physico. & genere logico. Secundò ponentur conclusiones responsuæ. Tertiò soluentur rationes Iand. tenentis sententiam contra B. Tho.

Quantum ad primum aduerte, quòd apud physicum, genus sumitur pro materia siue subiecto receptiuo formarum naturalium, ita quòd, quæcunque possunt adinuicem transmutari, conueniunt in genere physico, vt omnia elementa quæ ex se inuicem generantur & corrumpuntur, ex secundo de generatione, & omnia elementata, quæ ex illis constant & in illa resoluuntur.

Quæcunque autem non sunt transmutabilia adinuicem, differunt genere physico, quia non habent materiam vnam communem. Apud logicum autem sumitur genus, iuxta doctrinam Porphyrij, pro eo quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: ita quòd, ea conueniunt in genere logico, quæ conueniunt in aliquo communi prædicabili de pluribus, &c. vt in eo quòd corpus, quòd planta, quòd lapis, quòd animal. Quæ autem non conueniunt in tali communi, distinguuntur genere, vt albedo, & dulcedo. Et aduerte, quòd quæcunque conueniunt in genere physico, conueniunt in aliquo genere logico. Reperibile est enim aliquod commune prædicatum de eis, vt differunt specie in quid. Puta omnia elementa & elementata conueniunt in hoc, quòd corpus, quòd compositum, quòd corruptibile, quòd mobile, &c. Non tamen sequitur econuerso. Nam stat, quòd intelligentia & homo conueniant in substantia, & in hoc quod est esse intellectuale, & felicitabile; & tamen non conueniunt in genere physico, cum sit intelligentia immaterialis.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Corruptibile & incorruptibile differunt genere physico. Probatur ex prænotatis sic. Non habent cõmunem materiã, secundũ quã possint adinuicem transmutari, ergo, &c. Consequentia patet ex declaratione facta de genere physico, & conuenientia in eodem. Antecedens autem probatur, corruptibilia habent materiam subiectam priuationi. Incorruptibilia vel non habent materiã, vt abstracta, vel non habent quæ sit subiecta priuationi: sed est alterius rationis, vt determinauimus in lib. 8, qualia sunt corpora cœlestia. Et aduerte, quòd Aegidius tenẽs materiam superiorum & inferiorum esse eiusdem naturæ, nõ potest saluare, quin cœlum sit corruptibile ex principio intrinseco, vt declarauimus in lib. 8. in q. 13. ex consequenti, nõ potest subterfugere quin corruptibile & incorruptibile conueniãt in genere physico & logico: quod est cõtra philosophũ.

Secunda conclusio, Corruptibile & incorruptibile nõ differunt genere logico. probatur, Conueniunt in aliquo cõmuni prædicabili de eis inquit, ergo, &c. consequentia nota ex supra declaratis. Antecedens patet: quoniam substantia, corpus cõpositum, prædicantur de inferioribus & cœlestibus naturis, & aduerte, quòd hic intendimus de corruptibili & incorruptibili limitatæ naturæ, vt excludam primam causam, quæ ex sua infinitate perfectionali non concluditur genere.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Iandunus in 10. lib. in q. vltima, dicit philosophum intelligere, quòd differunt genere logico: & id probat ex duobus. Primò, quia si philosophus intelligeret de genere naturali, ratio sua nihil concluderet cõtra Platonem. Nam Plato concederet, quòd idea hominis & homo singularis differunt genere naturali: quia secundũ Platonem per se homo non habet materiam, & homo singularis habet materiã. Vnde in hoc nõ debuit laborare philosophus ad probandum. Concesso autem à Platone quòd differant genere physico. Non sequitur in via Platonis, quòd differant specie nec plusquam specie. Diceret enim Plato, quòd hæc duo stant simul, idea hominis & hic homo differunt genere physico, & tamen sunt eiusdem speciei logicæ. Et ideo vt ratio philosophi concludat contra Platonem, sic est formanda, Corruptibile & incorruptibile differunt genere logico: ergo specie & plusquam specie logica, quoniam distinctio generica est plusquam specifica. Sed idea hominis secundum Plato. est incorruptibilis, & hic homo corruptibilis. ergo differunt specie logica & plusquam specie, cuius oppositum dicebat Plato.

Ad hoc dicitur quòd Iandunus supponit falsum, scilicet Platonem concedere: quòd idea hominis, & hic homo differant genere naturali: imò vult, quòd sint eiusdem generis & eiusdem speciei naturalis, & hoc expressè dicit Comment. in 10. libro in comment. 26. vbi inquit, Formæ separatæ ponuntur eædem cum singularibus in natura: ita quòd nomen homo dicatur de separato & sensibili vniuocè & non æquiuocè, & dixit hoc, quia iste sermo est ponentium formas. hæc Comment. in quibus nota, quòd dicit apud Platonem, forma separata & singulare sunt eædem in natura, & non dicit, eædem ratione vel diffinitione. Nam si in natura sunt eædem, sunt eiusdem generis & speciei naturalis: si autem intenderet de genere logico & specie, non diceret in natura, sed in ratione, diffinitione, aut in modo prædicandi. Et contra hunc sensum Platonis procedit ratio philosophi, quæ sic formanda est, Quę in vna natura omnino non conueniunt, distãt genere sumpto à natura, quod est genus physicum. Sed corruptibile & incorruptibile in vna natura omnino non conueniunt, ergo distant genere sumpto à natura. Cum ergo per se homo sit incorruptibilis, & hic homo corruptibilis, nõ solum sunt eiusdem speciei naturalis, sed nec generis, cuius oppositum dicebat Plato.

Secundò dicit Iand. hanc esse mentem Commẽt. quoniam secundum ipsum, in genere non reponitur nisi substantia corruptibilis, vt patet in 2. cœli in comment. 59. & in 10. metaph. comment. vlt. dicit, quòd cùm corruptibile & incorruptibile sint duæ differentiæ contrariæ, illud quod congregat illa, est nomen æquiuocum, vnde corpus quod dicitur de illis, est æquiuocum.

Ad hoc dicitur, quòd illa fuit mens Cõmen. negatur à vero Thomista, quoniam in via nostra omne ens reale per se finitum est in prædicamento, & non eximitur nisi prima causa ex sua infinitate. Ad dictum autem eiusdem in 10. metaphy. respondetur, quòd si accipit æquiuocum physicum conceditur, quoniã hoc cõfirmat propositum nostrum, quo tenemus corruptibile & incorruptibile distingui genere physico. Si autem accipit æquiuocum logicum, negatur dictum suum, quoniam est contra secundam cõclusionem nostram. Hæc de præsenti quæsito dicta sint, & aduerte quòd in dicta quæstione Iandunus pertractat de mente Commentat. contra Aucen. quòd omnia corpora cœlestia sunt eiusdem speciei: verùm quia B. T. in secundo Cœli exponẽs textum quadragesimum nonum, est contra Commentat. & illic formaui quæstionem, ac determinaui contra Comment. ideo nolo hic illud propositum inuoluere, sed tu videbis in quæstionibus nostris in secundo Cœli.

QVAESTIO XXII.

Si materia est principium distinctionis secundum genus.

CONCLVSIO.

Distinctio generica iuxta generalissimam est formaliter & immediatè à diuersis modis prædicandi de prima substantia: in prædicamento verò substantiæ quantum ad genera subalterna, sumitur à materia considerata vt respicit formas secundum eundem vel diuersum modum actuandi ipsam materiam: Distinctio autem generica generum subalternorum in prædicamentis accidentium, non sumitur à materia prima, sed à primo susceptiuo: Inter corruptibile verò & incorruptibile sumitur à materia prima, propter diuersum modum actuandi.

IN hac quæstione aduerte, quòd si loquimur de distinctione secundum genus non vniuersaliter, sed penes corruptibile & incorruptibile, constat quòd materia est principium talis distinctionis, ex determinatione facta in quæstione præcedenti: si autem volueris habere resolutionem vniuersalem de causa & principio distinctionis genericæ, sic procedendum est. Primò ponentur quædam distinctiones, de distinctione generica & de materia. Secundò ponentur conclusiones responsuæ.

Quantum ad primum sit hæc prima distinctio, Distinctio generica potest considerari dupliciter, Primò, in prædicamento substantiæ, vt quærere causam, quare homo & lapis, distinguuntur genere. Secundò, in prædicamento accidentiũ, vt quare color & sapor distinguuntur genere.

Secunda, Distinctio generica, vel attenditur penes genera generalissima, vel penes genera subalterna & subordinata.

Tertia, Materia sumitur dupliciter, vel pro materia prima, vel pro quolibet potentiali, primo susceptiuo, quod habet modum materiæ: sicut dicimus, quòd humidum est materia saporis, & superficies materia coloris.

Quarta, Materia prima dupliciter consideratur: Primò, secundum se & præcisè: Secundò, vt respicit formas secundum eundem vel diuersum modum actuandi ipsam materiam, & prout vna forma comparata alteri formæ sequenti se habet ad sequentem, sicut potentiale ad actuale, iuxta quem modum vegetatiuum comparatum sensitiuo, dicitur materia sensitiui, eo quod sensitiuum fundatur in vegetatiuo, & addit gradum perfectionis super vegetati.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Distinctio generica iuxta generalissimam, est formaliter & immediatè à diuersis modis prædicãdi de prima substantia. Hanc iam determinauimus in quinto libro, in quæstione decimasexta, vbi defendimus B. Th. contra Ant. And. & Herueum, vide tu illic.

Secunda conclusio. Distinctio generica in prædicamento substantiæ quãtum ad genera subalterna, vt inter corporeum & vegetatiuum & sensitiuum, sumitur à materia considerata iuxta secundum modum quartæ distinctionis præpositæ. Probatur sic, Talis distinctio vel sumitur à materia prima secundũ se considerata, vel vt respicit ordinatè diuersas formas, quarum præcedens comparatur ad sequentem, vt potentiale ad actuale, ita quòd materia vt stat sub forma præcedenti habet rationem perfectibilis, vt autem stat sub forma subsequenti, habet rationem perfecti, non potest dici primo modo, quoniam cum materia præcisè sumpta sit eiusdem rationis in omnibus inferioribus: non potest ab ea sumi, vt sit aliqua distinctio, ergo secundo modo, & ideo rationabiliter distinguuntur genere elementa & elementata, prout materia primò respicit formam elementi, deinde formam elementati: & forma elementi longè imperfectior est, quàm forma elementati, idem considera de materia vt respicit formam corporeitatis, deinde formam animati, deinde formam sensitiui. Et hæc est doctrina beati Thomæ, in septimo Metaphysicæ super textu trigesimotertio, vbi declarans, quomodo genus sumitur à materia dicit, Animal est, quod habet naturam sensitiuam: natura autem sensitiua est, vt materia respectu naturæ sequentis.

Tertia conclusio, Distinctio generica generum subalternorum in prædicamentis accidentium non sumitur à materia prima, sed à primo susceptiuo. Probatur prima pars, quia accidentia non componuntur intrinsecè ex materia, nec inhærent immediatè materiæ primæ, vt determinatum est in libro octauo, vbi docuimus, nullam formam accidentalem prius actuare materiam, quàm formam substantialem, ergo à materia prima non recipiunt distinctionem. Secunda pars sic probatur, Accidentia habent esse à subiecto, ergo & distinctionem. Idem enim est principiũ essendi & distinguendi, si habent esse à subiecto, ergo maximè à primo, ergo & primam distinctionem. Sed prima distinctio est generica, ergo distinguũtur genere per primum subiectum, quod est primum susceptiuum. Hac de causa distinguitur genere sapor à colore, quoniam primum susceptiuum coloris est superficies: saporis autem est humor, siue humidũ, vt declarauimus in libro de sensu & sensato.

Quarta conclusio, Distinctio generica inter corruptibile & incorruptibile sumitur à materia prima propter diuersum modum actuandi, quo actuatur à forma rei corruptibilis, & à forma rei incorruptibilis, nam quia res incorruptibilis corporea de qua nunc propriè intendimus, vt cœlum habet materiam omnino perfectam ex forma cœli, ita quòd non remanet in ea potentia ad aliam formam. Corruptibilia autem inferiora habent materiam, quæ per nullam formam quam recipit omnino perficitur, ideo corruptibile & incorruptibile distinguuntur genere Physico, vt conclusimus etiam in quæstione præcedenti. Hæc de præsenti quæsito dicta sint, in quo fateor animum meum non quiescere. Ideo & tu exerce ingeniũ tuũ.

Quæstionum super decimum librum Metaphysices finis.

CHRYSOSTOMI IAVELLI CANAPICII

QVAESTIONES SVPER duodecimum librum Metaphysices.

In libro duodecimo determinabuntur infrà scripta quæsita.

1 Si Metaphysicus habet considerare de substantia.
2 Quomodo Philosophus intendit ens inquantum ens esse quoddam totum.
3 Si ad Metaphysicum spectat considerare de abstractis, an ad Physicum.
4 Si omnes substantiæ separatæ sunt penitus immobiles.
5 Si datur creatio secundum Philosophũ & Commentatorẽ.
6 Si ex textu decimosexto, potest concludi animam intellectiuam esse formam dantem esse homini, & esse incorruptibilem.
7 Si omnium rerum sunt eadem principia.
8 Si omne repositum in prædicamento, siue sit substantia siue accidens, est compositum intrinsecè ex propria potentia, & proprio actu, tanquam duobus essentialibus.
9 Si est necesse dare aliquam substantiam æternam secundum Philosophum & secundum veritatem.
10 Si substantia æterna est semper actu mouens, & de necessitate naturæ.
11 Si substantia æterna mouens, ita est actu quòd nullo modo est in potentia.
12 Si substantiæ mouentes abstractæ sunt sine materia.
13 Si cœlum agit in hæc inferiora, & quomodo.
14 Si Aristote. demonstrauit mundum esse æternum.
15 Si primum mouens mouet cœlum vt finis amatus,
16 Si cœlum est animatum & quomodo.
17 Si intelligentia mouens cœlum, potest esse forma vera dans esse cœlo.
18 Si in primo principio est delectatio & vita modo excellentissimo.
19 Si dispositiones Dei, quas dicimus perfectiones diuinas, distinguuntur realiter vel solùm ratione.
20 Si primũ principiũ est vigoris infiniti, & entitatis infinitæ.
21 Si Philosophus opinatus est omnes intelligentias esse vigoris infiniti.
22 Si in intelligentiis est ordo nobilitatis iuxta ordinem suorum mobilium secundum situm.
23 Si est necesse ponere eccentritos & epicyclos.
24 Si in separatis possunt esse plura indiuidua sub eadẽ specie.
25 Si Deus de mente Philosophi intelligit tantum seipsum, an aliquid extra. & quid in hoc sentiat Commentator.
26 Si in abstractis sunt idem intellectus, intellectio & res intellecta.
27 Si omnia sunt ordinata & prouisa à primo principio.
28 Si primum principium est causa effectiua omnium entiũ.

29 Si est tantum vnus Deus, ita quòd non possunt esse plures.
30 Si solum primum principium est ens necessarium, ita quòd omne ens productum sit ens contingens.

QVAESTIO I.

Si metaphysicus habet considerare de substantia.

De substantia quidem Theoria est, nam substantiarum principia & causæ quæruntur. Tex. 1.

CONCLVSIO.

Metaphysici est considerare de substantia & maximè de cuius principiis & causis est etiam illi considerandum.

IN hac quæstione in qua non inuenio magnam difficultatem, te resolues duplici conclusione, & vno notabili.

Prima conclusio, Metaphysicus habet considerare de substantia, & maximé. Hanc conclusionem probabis eisdem rationibus, quas formauimus in epitomate nostro in 7. metaphy. trac. vnico, cap. 1. & in 10. metaph. tract. vnico, cap. 1. In his duobus locis inuenies resolutè probationem propositæ conclusionis, quæ non est hic inutiliter repetenda.

Secunda conclusio, Metaphysicus considerans substantiam debet considerare principia & causas substantiæ. Probatur. Omnis scientia considerat principia & causas sui subiecti: substantia licet non sit subiectum adæquatũ huius scientiæ, est tamen principale subiectum, ergo, &c. Maiorem huius inuenies formaliter & resolutè probatam in epitomate nostro in 6. lib. metaph. cap. 1. Minorem inuenies probatam in epitomate in lib. 7. cap. 1. Quare, &c.

Quantum ad secundum notandum est, quòd cum diximus metaphysicum debere considerare principia & causas substãtiæ, non intendimus per principia, & causas, causam materiale: quoniam substantia vt substantia non habet materiam, nec potentiam passiuam, aliter omnis substantia haberet materiam & potentiam passiuam, cuius oppositum declarabitur infrà, agentes de substantiis abstractis. Nec intendimus causam efficientem nec finalem, quoniam non omnis substãtia est producta, nec ordinatur ad alteram, vt probabimus infrà de prima causa. Sed intendimus de principio & causa formali, non quòd omnis substantia habet formam: sed quia de omni substantia consideranda à metaph. quærendus est proprius conceptus, qui apud nos habet rationem principij formalis, eo quòd per talem conceptum probantur propriætates substantiæ de substantia, & id conuenit omni substantiæ vt substantia est, etiam includendo primam causam vt cadit sub cognitione nostra, & aduerte, quòd hanc declarationem diffusius inuenies in prima quæstione libri sexti. Vide tu ad placitum. & quoniam hic non cadit maior difficultas, ideo pro præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO II.

Quomodo philosoph. intendit ens inquantum ens esse quoddam totum.

Et enim si totum quoddam omne, substantia est prima pars. Tex. 2.

CONCLVSIO.

Substantia est prima pars entis.

IN hac quæstione aduerte antequam deueniamus ad dicisionem, quæ mota est propter B. Tho. & Auer. nam B. Tho. in tex. præposito exponit ly totum sicut Themistius: cuius expositionem recitat Cõment. in 12. lib. in cõmen. 2. Ibi, Themistius autem exponit sic dicendo, &c. Cõment. autem exponit sicut Alex. licet non acceptet eius expositionem secundum se totam. Deinde Cõm. vt patet in eodem cõm. arguit contra Themistium, & quoniam B. Tho. sequitur Themi. ex consequenti Cõmen. arguit contra B. Tho. & tamen B. Tho. in expositione non respõdet Cõm. & per consequens non defendẽs seipsum, nec Themistium defendit. Tu ergo vt defendas B. Tho. & Themistium, sic procede. Primò declarandum est triplex totum, in quo inuenitur vna pars prima, & aliæ subsequentes. Secundò ponetur conclusio philoso. & formabitur ratio pro ea ad mentem B. Tho. & Themistij. Tertiò ponetur expositio Cõm. Quartò ponentur obiectiones Comment. contra B. Tho. & Themist. & soluentur.

Quãtum ad primum aduerte, quòd totum, in quo vna pars est prima, & aliæ subsequuntur, est triplex, vt videre poteris apud Cõmen. in lib. 12. in cõmen. 2. & est distinctio Themistij. Primum est in quo partes adunantur per continuationem, vt in corpore humano, in quo prima pars est cor vel caput, & in planta, in qua prima pars est radix. Secundum est, in quo partes adunantur non per continuationem, sed per contactum, vt in domo, cuius pars prima est fundamentum, & in naui cuius pars prima est carina. Tertium est, in quo partes non adunantur per continuationẽ nec per contactũ, sed secundũ ordinẽ consequenter se habentes: ita q̃ sunt omnes segregatæ abinuicem, sunt tamen omnes ordinatæ, sicut numerus, & ciuitas, & exercitus in quibus omnes partes respiciunt vnã primam, vt in numero vnũ, deinde duo deinde tria in figuris triangulis, deinde quadratũ, deinde pentagonũ. In ciuitate rectores, deinde nobiles, deinde ciues. In exercitu egtes, deinde pedites, &c.

Quantum ad secundum ponitur hæc conclusio, Substantia est prima pars entis. & formatur sic ratio philosophi ad mentem B. Tho. & Themistij. Si ens est quoddam totum per continuationem partium, vel per contactum partium, vel per ordinem partium, eius erit vna prima pars, quæ est substantia, quoniam in omnibus prædictis modis (vt declaratum est) datur pars prior & posterior.

Sed ens est sicut quoddam totum, vel per continuationem vel per contactum partiũ, & si hoc non est verum, quia partes entis subiectiuè non continuantur, nec se tangunt, saltem est sicut totum per ordinem partium, quæ consequenter se habent, & hoc est verum, quoniam ens est analogum, in quo datur prius & posterius, ergo siue assimiletur toti primo modo, siue secundo siue tertio modo, datur prima pars entis, quæ est substantia, deinde quantitas, deinde qualitas, &c. Hæc fuit ratio philoso. ad mentem B. Tho. & Themistij, quam intendo sustinere, soluendo obiectiones Comment.

Quantũ ad tertiũ aduerte, q̃ Cõmen. intendit probare cõclusionem præpositam hoc modo, si totũ, id est ens cõmune in quantum in se concludit omnes gradus entis, puta substantiã & accidentia, esset quasi vniuersum, id est genus, & si esset consequenter, id est de numero eorum quæ dicuntur secundum prius & posterius, qualis est natura analogi, substantia est prima pars entis, Sed constat, quòd ens commune est genus vel analogum, & hæc secunda pars est vera, ergo substantia est prima pars entis. Hæc quidem expositio nõ reprobatur à B. Tho. vt falsa, sed quia videtur declinare à plano sensu literæ. Potes ergo vtranque sustinere esse veram, sed eam quæ est B. Thom. & Themistij esse magis propriam.

Quãtum ad quartũ aduerte, q̃ Cõm. reprobat expositionẽ B. Tho. quæ fuit etiam Themistij vt falsam duabus rationibus.

Prima ratio, Nullus existimat, nec in mente eius potest cadere, quòd partes subiectiuæ entis quæ sunt 10. prædicamenta, sint continuæ nec se tangunt, nec separantur loco, vt partes exercitus, ergo malè exponens ens esse quoddam totum continuum, vel per contactum, vel secundum ordinem partium.

Ad hoc dicitur, quòd nec Themist. nec B. Thomas dicunt ens commune esse quoddam totum continuum, &c. Sed loquuntur per similitudinem, & cõditionaliter sic, si ens est sicut totum cõtinuum vel per cõtactum. vel per ordinem partium substantia est prima pars entis; & ideo bene stat, quòd ens nõ sit realiter totum continuũ, nec per contactum, nec per ordinem partium separatarum loco. vt in exercitu, & tamẽ quòd assimiletur illis totis in hoc, quod est habere partem primam deinde secundam, deinde tertiam, &c.

Secunda ratio, Prioritas in numeris & in figuris sunt in eodem genere, nam binarius qui est prior ternario est in eodem genere cum ternario: & trigonum quod est prius quadrato, est in eodem genere cum quadrato, sed prioritas substantiæ comparatæ aliis prædicamẽtis, non est in eodem genere cum prædicamento, non enim conueniunt in genere, sed est sicut prioritas rei ad res, quæ attribuuntur ei, id est, prioritas primi analogati ad alia analogata, quæ dicuntur per ordinem ad ipsum. ergo ens non est aliquod totum, cuius partes consequenter se habent, vt in exercitu, in numeris, in figuris.

Ad hoc dicitur, quod ens comparatum toti sumpto tertio modo, cuius forma est ordo, in numero, & exercitu, est simile & dissimile. Dissimile quidem, quia tale totum est verè genus, & partes suæ subiectiuæ sunt in eodem genere, quod non verificatur de ente, nec de partibus eius subiectiuis, quæ sunt 10. prædicamenta, simile autem est in hoc, quòd in tali toto datur prioritas & posteriorita in partibus, & quãtum ad hãc conditionem tantum intendit Themistius & B. Tho. de mente philosophi assimilare ens prædicto toti, & non quantum ad hoc, quòd ens sit verè genus, & partes sint in eodem genere. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO III.

Si ad metaphysicum spectat probare substantias separatas esse, an ad physicum.

Sempiterna autem, cuius principia & elementa necesse est accipere. Tex. 5.

Super

Super hunc textum dicit Beatus Thomas, Hoc inquiret, considerando de substantiis separatis, quæ sunt principia mouentia & fines corporum cœlestium. Videtur ergo secundum Beatum Thomam, ad Metaphysicum spectare, quòd quærat & probet substantias separatas esse.

CONCLVSIO.

Solius Physici est probare substantias separatas in genere quo ad hoc prædicatum, quod est existere, sed Metaphysici solius est probare substantiam separatam in specie, puta primam causam, vel primo primam mouens penitus immobile existere. Ad quem etiam solum spectat probare de substantiis abstractis tam in genere quàm in specie, prædicata intrinseca essentialia, puta quòd sint actus simplices immateriales & intellectuales.

IN hac quæstione inuenio tres vias, duas extremas, & tertiam mediam. Primam extremam tenet Commentat. & quisequuntur eum. Hic tenet, quòd ad solum Physicum spectat probare substantias separatas esse, vt patet in primo Physicorũ, in commẽ. vltimo, loquens contra Auicen. & libro duodecimo Metap. commen. quinto, loquens contra Alex. & totum suum fundamentum est. Quia ad probandum abstractas substantias manu ducimur sufficienter ex motu, vt patet in octauo, Phy. & omnis alia via insufficiens est, imò non cõcludit ex necessitate: vnde in li. duodecimo Meta. in comm. quinto, sic ait, & ideo impossibile est declarare aliquod abstractorum. esse, nisi ex motu, & omnes aliæ viæ quæ reputantur esse ducentes ad motorem primum esse præter viam motus, qualiter sunt sufficientes: quasi dicat, non sunt sufficientes. Secundam extremam tenet Auic. quæ est opposita viæ Commen. & cum eo tenet Alex. & D. Alber. Et Sco. in 1. sen. respondens ad secundum argumentum secundæ quæstionis prologi declinat ad sententiam Aui. fundat autem se Sco. super hoc, Quoniam cùm principalior pars Metap. sit de separatis, si Metaphysicus sumeret à Physico probationem existentiæ substantiarum: ergo Metaphysica quo ad nobiliorem partẽ suam subalternaretur Physicę, & sic non Metaphysica, sed Physica esset nobilior, quod est contra Philosophum in procemio primi lib. Et aduerte, quòd omnes qui tenent hanc viam, mouentur contra Commentat. vt seruent dignitatem Metaph. & ne supponant eam Physicæ.

Tertiam viam quæ est media, tenet Bea. Thom. qui in aliquibus concordat cum Commen. & in aliquibus discordat, & similiter facit cum Auic. ad cuius euidentiam, & pro resolutione præsentis quæsiti secundum viã Tho. sic procedendum est. Primò præponentur quædam distinctiones. Secundò, conclusiones responsiuæ. Tertiò declarabitur quomodo B. Tho. concordat cum Comment. & quomodo non, similiter cum Auic. Quartò soluetur ratio Scoti, inquãtum discordat à via nostra.

Prima distinctio, De separatis loqui possumus dupliciter. Primò, in genere, id est, indistinctè, prout omnia separata in hoc conueniunt, quod est esse ens abstractum. Secundò, in specie, id est, pro tali substantia separata, puta pro primo principio, quod dicitur Deus, vel pro aliis intelligentiis applicatis orbibus, secluso primo principio.

Secunda distinctio, Separata tam in genere, quàm in specie possunt considerari, vel quo ad hoc prædicatum, quod est existere. Prout hæc est vera, Substantia separata est existens in rerum natura: & non solùm habet esse per apprehẽsionem intellectus. Vel quo ad prædicata intrinseca essentialia & quiditatiua, puta, substantia separata est æterna immaterialis, sine potẽtia passiua, actus simplex intellectualis perfectissima, &c.

Ex his distinctionibus pono tres conclusiones ad mentem Bea. Tho. Prima, Probare substantias separatas in genere quo ad hoc prædicatum, quod est existere, est officium solius Physici. Probatur, Quòd existant in rerum natura, non est deprehensum nisi motu, vt patet in octauo Physic. & eodem medio processit Philosophus in duodecimo Metaphysic. textu vigesimonono, vbi ex motu æterno concludit mouens æternum. Cõstat autem quòd via motus est via solius Physici: ergo, &c.

Secunda, Probare substantiam separatam in specie, puta primam causam vel primò primum mouens penitus immobile existere, non est officium Physici, sed Meta. Hæc conclusio est de mente B. T. qui in primo contra gent. cap. decimotertio, tenet, quòd Philosophus in octauo Phy. non deuenit nisi ad primum mouens seipsum, quod distinguitur in partem mouentẽ & in partem motam, quod est aggregatum ex cœlo & intelligentia applicata, & sententia B. T. ibidem est talis formaliter. Sed quia Deus nõ est pars alicuius mouentis seipsum, vlterius Arist. in sua Metap. inuestigat ex hoc motore, qui est pars mouentis seipsum alium motorem separatum omnino, qui est Deus. Cùm enim omne mouens seipsum, moueatur per appetitum, oportet quòd motor qui est pars mouẽtis seipsum, moueat propter appetitum alicuius appetibilis, quod est eo superius in mouendo. Nam appetens est quodammodo mouens motum: appetibile autem est mouens omnino non motum. Oportet igitur esse primum motorem separatum omnino immobilem, qui Deus est. Hæc B. Th. & quòd hoc sit ad mentem Philosophi declarabitur infrà in text. trigesimosexto, vbi non per motum Phy. sed Met. qui est intelligere, & appetere, probat primum mouens omnino immobile, & si dicis, quòd Philosophus in octauo Phy. probauit motorẽ infiniti vigoris existere in rerũ natura ex motu infinito, hunc autẽ cõstat esse primũ motorẽ omnino immobilẽ: ergo Physicus probat existentiã primi motoris. Ad hoc dubiũ respõdebitur in fine quæstio.

Tertia conclusio, Spectat ad Metaphysicum & non ad Phy. probare de substantiis abstractis, tam in genere quàm in specie, prædicata intrinseca essentialia, puta quòd sunt actus simplices, quòd immateriales, quòd intellectuales. Quòd primũ est prima forma, primus finis, primum agens, quòd sunt plures, quòd primum est tantum vnum ad quod ordinantur omnia. Hæc contra est expresè de mente Philosophi, qui in hoc libro duodecimo, incipiens à tex. trigesimo, vsque ad quadragesimũ, plura prædicata intrinseca inuestigat, vt quòd sunt actus, & intellectuales & sine materia, & quòd primum est primum, intelligibile & primum appetibile, ex consequenti optimum, vt videre poteris in epitoma nostro in lib. duodecimo, eadem conclusio est ad mentem Com. qui in hoc non discordat à B. T. nam in lib. duodecimo, in comm. quinto dicit, quòd Ari. considerauit de abstractis consideratione propria, id est, Metaphysicali, & non Physica, Verbi gratia, quòd est substantia prima & forma, & quòd est principium & finis. Deinde considerat de hac substantia immobili, vtrum sit vna aut plures: & si plures, vtrum reducantur ad vnum, & quomodo ordinantur ab eo. Sic igitur intelligenda est communicatio istarũ duarum scientiarum, scilicet Physicæ, & Metap. in consideratione de principiis substantiæ. Hæc Cõmentator. Et etiam hæc conclusio probari potest, ratione sic, scientia in qua substãtiæ abstractæ, licet non sint adæquatum subiectum, sunt tamen principale consideratũ, habet probare prædicata intrinseca earũ. Sed Metaphysica est talis scientia, vt declaratum est in procemio primi li. & in li. sexto, vbi in text. secundo Philosophus nominat eam Theologiam: ergo, &c. Maior est de intẽtione Philosophi in primo posterio. vbi vult, quòd in scientia probandæ sunt passiones de subiecto: & si eius non sint propriè passiones, saltem prædicata, quæ habẽt modum passionum, aliter de primo nulla haberetur scientia, & quod dicitur de subiecto, intelligendum est etiam de principali considerato, quod est principale subiectum, nam sicut Physicus habet probare propria prædicata de ente mobili, sic de cœlo & de elementis, &c.

Positis & probatis his conclusionibus declarandum est, quomodo concordat vel discordat Bea. Thom. cum Comment. & Auic. & aliis sequentibus Auicen. Aduerte igitur, quòd si Bea. Thom. concederet de mente Philosophi, primum mouens, id est, Deum, mouere cœlum immediatè, vt applicatum cœlo, sicut intelligentia Saturni mouet orbem suum, in nullo discordaret ab eo. Cõcederet enim quòd solus Physicus habet viam sufficientem, probandi existentiam separatorum, tam in genere, quàm in specie, quæ via est solus motus Physicus.

Sed quoniam vt determinabimus infrà, quando quæremus, quomodo primum mouens mouet cœlum, secundum Beat. Tho. Deus non applicatur cœlo nec mouet per se ipsum, sed per intelligentiam mediam, ideo Beat. Thom. tenet, quòd solus Metaphysicus probat Deum esse, & in hoc discordat à Commentatore, scilicet in secunda conclusione. In prima autem & in tertia concordat cum eo, & discordat ab Auicen. & ab Alexand. in prima & etiam à Scoto, quoniam concedunt non esse officium Physici probare existentiam abstractarum substantiarum, nec in genere, nec in specie.

Nunc autem soluendum est argumentum Scoti pro quanto declinat à via B. Th. Dico igitur, quòd non sequitur Metaphysicam subalternari Physicæ, eo quòd non subiicitur Physicæ, vt nobiliori, sed vtitur Physica vt sibi deseruienti, quoniam versatur circa motum, quæ est vnica via ad probandum ex sensatis existentiam separatorum in genere, & est fundamentum ad probandum. Deum esse, quoniam ex motu Physico ascendimus ad motum Meta. vt patet in hoc duodecimo, in tex. trigesimosexto, & ex motu Metaphysico concludimus Deũ esse, vt manifestabimus infrà, quando quæremus qua via procedendũ est ad probandum Deum esse. Et aduerte quòd Paulus Sonci. soluit argumentum Scoti in lib. 12. in quæstione prima.

Sed non tenebis eius solutionem, quoniam concedit esse officium solius Physici, probare Deum esse, & sic negat secũdam

conclusionem, quam docuimus esse ad mentem B.Tho. in primo contra gent. si autem solutio sua applicetur ad separata in genere, & non plus, bona erit, & tu fuistinebis eam, quoniam deseruit primæ conclusioni.

Ad dubium motum de 8. physi. contra secundam conclusionem, dico quòd philosophus illic posuit tantum fundamentum inuestigandi infinitatem primi motoris, quod quidem fundamentum est motus æternus siue mouere tempore infinito, quis autem sit hic primus motor non explicauit, nec vltimatè conclusit, nisi in metaph. Conclusit autem motu metaphysico, vnde aduerte quòd philosophus in 8. phy. posuit hanc maiorem. In rerum natura datur motor virtutis infinitę, quoniam mouet tempore infinito. In metaphy. autem ponit hãc minorem, Motor virtutis infinitæ est Deus, qui est primus motor penitus immobilis motu physico & motu metaphysico.

Nec obstat, quòd B.Thom. in 8. physi. terminans expositionem suam dicit, Et sic terminat, &c. Et infrà, Qui est Deus benedictus in secula. Nam hoc subiunxit non vt explicatum in physica, sed in metaph. sic mihi occurrit dicendum: si quis autem melius inuenerit, libẽtissimè cedam. Et aduerte, quòd focius meus Reuerendus magister Franciscus Ferrariensis exponens cap. 13. in primo contra gen. soluit hoc dubium alia via, quam videre poteris, & comparare solutioni nostræ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO IIII.

Si omnes substantiæ separatæ sunt penitus immobiles.

Alia verò immobilis, hanc dicunt quidam separabilem. Tex. 5.

CONCLVSIO.

Intelligentiæ non mouentur nec secundum esse substantiale nec motu localis intrinsecè, nec per se, neque per accidens, imò neque per aliquam qualitatem quam de nouo recipiant, vel deperdant, nec secundum aliquam actionem, nec transeunt ab vna ad aliam.

IN hac quæstione sic procedendum est. Primò inuestigandum est, quid circa hoc senserit philosophus & Comment. Secundò, quid veritas habeat. Quantum ad mentem philosophi & Cõment aduerte, quod nõ formatur præsens quæstio de prima causa, quoniam de eius omnimoda immobilitate quęremus infrà, sed ad præsens quærimus de subiectis abstractis tanquam de vno genere. Vt ergo id resoluatur iuxta ea quæ inuenimus in doctrina philosop. & Comment. præponetur quædam distinctio, iuxta quam formabuntur conclusiones responsiuæ cum probationibus suis.

Distinctio est hæc. Aliquid potest esse mobile siue mutabile dupliciter. Primò, secundum esse substantiale: sicut omne generabile & corruptibile, quod tendit à nõ esse ad esse, & econuerso. Secundò secundum esse accidẽtale: & hoc quidem multipliciter, primò secũdum locum, eo quòd motu locali acquiritur nouum vbi; secundò, secũdum qualitatem sensibilem, vt aqua mutatur à calido ad frigidum, & econuerso: aut secundũ qualitatem immaterialem, quam de nouo recipit, vt intellectus acquirens nouam speciem, nouum habitum, &c. Tertiò, secundum actionem, eo quòd potest mutari à potentia agens ad actu agens, vel desinere ab vna actione & incipere aliam, vt intellectus desinens intelligere A, & incipere intelligere B.

Prima conclusio, Secundum philosophum & Cõment. intelligentiæ non sunt mutabiles secundum esse substantiale, quoniam omne sic mutabile habet materiam, quæ est principium generationis & corruptionis: & non solùm habet materiam, sed etiam annexam priuationi, vt determinatum est in lib. 9. Sed intelligentiæ sunt immateriales, vt patet in lib. 12. in text. 30. vbi inquit philosophus, tales oportet esse substantias, sine materia, sempiternas enim oportet esse. Poteris etiam hanc conclusionem probare eisdem rationibus, quibus probauit cœlũ esse incorruptibile, quas videbis resolutas in epitomate nostro super libros de cœlo.

Secunda conclusio, Secundum philosophum & Comment. intelligentiæ non sunt mobiles motu localii intrinsecè, nec per se, nec per accidens. Hæc probatur ex principiis philosophi in octauo physi. nam quòd non sint mobiles per se, patet ex 6. physi. vbi probatur quòd omne per se mobile est diuisibile, & quantum, sed intelligentiæ indiuisibiles sunt, & sine magnitudine secundũ philosoph. in 12. in tex. 43. vbi inquit, palam itaque, quòd tot substantias esse necesse est natura sempiternas & immobiles, secundum se, & sine magnitudine. Quòd autem non moueantur localiter per accidens intrinsecè, fundamentum probationis habemus in octauo physic. in text. 52. vbi philosophus assignat differentiam motus per accidens in intelligentiis planetarum, & in anima quæ dat esse animali, nam de intelligentiis verum est dicere, quòd mouentur per accidens extrinsecè, id est ratione sui orbis, qui rapitur à primo mobili, non autem ratione sui, quia non est vt forma sui orbis. Anima autem est forma animalis & vnita secundum esse, & ideo mouetur per accidens localiter intrinsecè, id est, ratione sui ad motum animalis. Arguitur igitur sic, si intelligentiæ mouerentur localiter intrinsecè per accidens, hoc ideo esset, quia vniuntur vt formæ suis mobilibus, quod est falsum, consequentia patet, quoniam non alia ratione anima mouetur localiter intrinsecè per accidens, nisi quia vnitur animali vt forma, cum igitur hæc ratio esset in intelligentiis, sequitur quòd non mouentur, &c. Falsitas autem consequentis apparebit infrà, quando quæremus si intelligentia potest esse forma cœli dans esse.

Tertia conclusio, secundum philosophum & Cõment. intelligentiæ non mouentur secũdum aliquam qualitatem, quam de nouo recipiant vel deperdant, nec secundum aliquã actionem, nec transeunt ab vna ad aliam. Antequam probetur hęc conclusio, aduerte, quòd philosop. in lib. 12. videtur pro maiori parte loqui de separatis tanquam de vno genere, parũ discernens inter ea, & hæc prædicata quæ venatur de eis, puta quòd sint sine potentia, & sua substantia sic actus, & sine materia, & sine magnitudine, & quòd in eis sint idem intelligere, intellectus & res intellecta, ex consequenti, quòd actio sua quę est intelligere & velle, sit substantia sua, videtur attribuere omnibus, tanquam vno generi, & quidem quod esse sine potentia scilicet passiua, esse simplicem actum & sine materia, attribuat omnibus patet ex tex. 29. & 30. & sua ratio est, quia contingeret motum non esse continuum & æternum. Cum ergo secundum philosophum omnes intelligentiæ moueant motu continuo & æterno, sequitur, quòd illa prædicata omnibus sint communia. Quòd autem identitatem intellectus & rei intellectæ, & ipsius intelligere attribuat omnibus, patet ex tex. 51. vbi dicitur, non altero igitur existente eo quod intelligitur & intellectu quæcunque non materiam habent, &c. Vbi & B.Tho. sic exponit, Cùm igitur intellectus in actu & intellectum non sit alterum in his, quæ materiam non habent. Comment. autem expressè sic ait, super prædictum textum. In eis autem quæ sunt non in materia contingit vt intellectum, & intellectus, & actio intellectus, sint idem, stantibus his sic probatur conclusio, Si aliqua qualitas de nouo inesset vel desineret in intelligentiis in genere, similiter & actio, cùm in eis non sit actio nisi intelligere & velle. (Nam dicemus infrà, quòd suo velle mouent cœlum) sequitur substantiam suam esse mutabilem secundum esse substantiale, quod non stat, cum incorruptibilitate. consequẽtia quidem sic probatur, nam ex præmissis & adductis de mente philosophi & Comment. intelligentiæ in genere sunt actio sua, & per substantiam suam operantur & non per qualitates, aut potentias medias, aliter non essent simplices actus, quod est contra philosophum in libro duodecimo in tex. 30. ergo si mutantur secundum qualitatẽ aut actionẽ, mutantur secundum substantiam suam, & ne credas me in hac tertia conclusione confusum fuisse in propria imaginatione, scito quòd Herue. in 1. sentent. in distinct. 14. quæstione prima art. 3. est eiusdem opinionis, & sic attribuit philosopho, vt videre poteris.

Quantum ad secundum principale, scilicet quid tenendum secundum veritatem, dico tria. Primò, quòd omnes intelligentiæ quo ad substantiam sunt immutabiles per potentiam intrinsecam, quoniam carent materia, quæ est principium generationis & corruptionis intrinsecum, vt determinatum est in libro octauo. Cum hoc tamen stat, quòd possunt mutari per potentiam extrinsecam primi agentis. Annihilabiles enim sunt, vt pote si non manu tenerentur à primo, Cui videtur Comment. assentire in libro destructionum contra Algazelem, disput. quarta, vbi tenet, quòd secundũ philosophos mundus habet agens, cuius actio si per momentum cessaret, totus mundus destrueretur, quoniam est agens & conseruãs. Dico secundò, quòd mutabiles sunt secundum locum, non quòd occupent locum, cùm sint sine magnitudine, sed quia virtutẽ suam diuersis locis applicare possunt: verum quia hic motus non est physicus, ideo non est præsentis negocij, sed relinquitur Theologo. Dico 3. quòd sunt mutabiles secundum qualitatẽ immaterialem, & secũdum actiones intellectuales, eo quòd excepto primo actio sua non est substantia sua, aliter essent purissimi actus. ex consequenti illimitati omnino, & infiniti secundũ perfectionem. Repugnat autẽ dari plura infinita secundum virtutem. Sed & hoc relinquitur Theologo, nunc enim solùm intẽdimus manifestare, quid possemus dicere in præsenti

præsenti quęsito secundum ea quæ inuenimus in doctrina Aristote. & Commentatoris. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO V.

Si datur creatio secundum Philosophum & Commentatorem.

Dubitabit autem aliquis, ex quali non ente fit aliquid. Text. 11.

CONCLVSIO.

Creatio datur, secundum Philosophum sine nouitate essendi: concedit tamen Aristoteles etiam creationem cum nouitate essendi.

IN hac quęstione antequam deueniamus ad decisionem aduerte, quòd tota difficultas pendet ex hoc, An Philosophus & Commentatores concedant Deum esse causam non solùm finalem, sed & productiuam omnium entium absolutè. Nam si sic, tunc est causa productiua intelligentiarum & cœli, & cùm intelligentiæ non sint producibiles ex materia, quoniam sunt immateriales, vt tenet Philosoph. in libro duodecimo, in textu trigesimo, sequitur quòd producantur ex nullo supposito, quod est creare, suppones ergo pro nunc saltem secundum Aristo. quòd Deus est causa productiua omnium. Nam infrà formabitur de hoc particularis quæstio, & determinabitur secundum Philosophum pro parte affirmatiua, in præsenti ergo quæsito, sic procedes. Primò pones distinctionem de creatione. Secundò, conclusiones responsiuas ad mentem Philosophi. Tertiò considerabitur in hoc via Commẽtatoris. Nam verus Thomista in hoc habet tenere, quòd nõ concordat via Cõmentatoris cum via Philosophi. Quartò soluentur duo dubia.

Quantum ad primum aduerte, quòd cùm creatio sit productio rei ex nihilo, ly ex, potest dicere ordinem ad nihil dupliciter. Primò, positiuè, vt sit sensus, Res producitur ex nihilo, vt ex materia, ita ly nihil subiicitur productioni, sicut in factione domus lapides subiiciuntur ædificationi. Secundò, negatiuè, vt sit sensus, Res producitur ex nihilo, id est, nullo sui præsupposito. In primo sensu nullus dicit dari creationem, quia repugnat ly nihil esse materiam, vt patet, in secundo sensu non apparet aliqua repugnantia ex parte rei, modò detur agens, in cuius virtute sit producere totam rei producibilis entitatem. Sed aduerte, quòd in secundo sensu ly ex, iterum potest accipi dupliciter. Primò, quòd ita res producatur ex nihilo, quod prius duratione habuit non esse, & tunc dicitur, creatio cum nouitate essendi, qualem ponunt dicentes mundum creatum in tempore. Secundò, quòd ita res producatur ex nihilo, quòd solùm prius natura & non duratione habuit non esse: & dicitur creatio sine nouitate essendi, qualem ponunt dicentes mundum creatum ab æterno, vt Auicenna.

Quantum ad secundum sit hæc prima conclusio, Arist. ponit creationem secundo modo, id est, sine nouitate essendi. Probatio huius conclusionis pendet ex hoc, quòd Arist. ponat primum produxisse cœlum & intelligentias ab æterno: de quo formabimus infrà talem quæstionem, vtrum Deus sit causa productiua omnium, & determinabimus ex doctrina Aristo. pro parte affirmatiua. Et ex determinatione illa constabit tibi probatio huius conclusionis. Nam conclusio, quòd Deus produxerit intelligentiam, bene sequitur, ergo creauit, quoniam cùm sit sine materia, producta est nullo sui præsupposito, & cùm sic æterna, vt probauit in 12. Metaphysices in textu 29. sequitur, quòd sit creata sine nouitate essendi.

Secunda conclusio, Arist. concedit creationem, primo modo, id est, cum nouitate essendi. Hæc conclusio supponit duas determinationes in doctrina Ari. Primò, quòd anima intellectiua sit in corruptibilis, & hoc determinauimus in quæstionibus nostris in tertio de Anima. Secundò, quòd sit forma hominis secundum esse & dans esse homini formaliter. & hoc determinabimus infrà de mente Philosophi, mouentes quæstionem super text. 16. qui incipit, Mouentes quidem, &c. Stantibus his determinationibus probatur sic conclusio, Anima humana de nouo producitur, puta anima Socratis, quoniam cùm sit forma dans esse Socrati, non procedit id cuius est forma, ex text. 16. huius 11. & non producitur de potentia materiæ, quoniam omnis forma educta de potentia materiæ pendet secundum esse à materia, ex consequenti est corruptibilis. Sed anima humana non est corruptibilis, vt determinauimus in libro tertio de anima in quæst. nostris, ergo creatur de nouo: & sic secundum Philosophum datur creatio sine nouitate, & cum nouitate essendi.

Quãtum ad tertium aduerte, quòd magna est ambiguitas inter doctores, quid in hoc sentiat Commen. & maximè circa primam conclusionẽ. Nam de secunda constare potest ex doctrina sua, quòd negaret eam, quoniam non cõcedit animam intellectiuam esse formam informantem materiam. De prima autem sunt oppositæ opiniones. Nam qui tenent Comm. negare entia incorruptibilia, vt cœlũ & intelligentias habere causam productiuam, dicunt Comm. negare creationem absolutè & vniuersaliter, inter hos est Greg. de Arim. in 2. sen. dist. 1. Cuius imaginationẽ dicemus in q. 1. in qua quæremus, si primum est causa productiua omnium. Iandunus etiam idem arbitratur in 2. Metaphys. 4. q. Qui verò tenent Commen. concedere Deum esse causam productiuã omnium, dicunt Comment. cõcedere primam conclusionẽ, inter quos est Herueus in 4. quol. q. 9. & Paulus Soncinas in 12. Metaphy. q. 15. & Ioan. Capr. in 1 sent. dist. 3. q. 1. Sed isti non concordant cum B.Tho. Nam in 8. Phys. lect. 2. recitat ex proposito opinionẽ Comm. qui in 8. Phys. in commen. 4. tenet, impossibile esse aliquid fieri ex nullo præsupposito, quoniam omnis mutatio subiectum supponit & deridet vulgum, credens creationem, & B. Tho. illic arguit contra eum, vtpote negantem absolutè creationem nulla facta distinctione cum nouitate, vel sine nouitate essendi. Dico igitur inhærens doctrinæ B.Tho. quòd Auerroes non admittit conclusionem primam. & quoniam Paulus Soncinas tenet oppositum, ideo in hoc declinat à via Thomistica. Quòd autem Comment. non concedat secundam conclusionem, nulli est dubium exercitato in doctrina sua.

Quantum ad quartum aduerte, quòd contra determinationem factam insurgunt duo dubia, primum est contra primam conclusionem: nam Philosophus in tota doctrina sua non est locutus de creatione, nec potest trahi ex principiis *suis. nam in* 1. *Physi. & in* 8. *Metaphysi. & vbique supponit materiam*, ideo negauit materiam posse generari, quia non habet materiam ex qua, & in 7. metaphy. & in 12. in tex. 12. negauit formam generari per se, quia nõ habet materiam ex qua: ergo hæc conclusio non est ad mentem Arist.

Respondeo, licet hæc conclusio non sit expressa ab Arist. potest tamen trahi ex sua philosophia, & præcipuè ex 1. phy. tex. 76. ibi, si autem aliquid debet fieri animal non secundum accidens ex non animali erit. vbi inquit Cõmen. si generatio esset possibilis animalis simpliciter. tunc esset necesse, vt ex nõ animali simpliciter generaretur: ex quo sequitur proportionaliter, quòd si fieret ens simpliciter, fieret ex non ente simpliciter, & sic ex nihilo, quia non ens simpliciter, & nihil, idem sunt. Sed vt probabimus infrà, philosophus concedit fieri ens simpliciter, prout totum quod est ens producitur à Deo, & producitur secundum se totum, id est secundum totam essentiam suam, & non solùm quo ad formam, sicut producit agens naturale, ergo philosophus nõ negaret creationem, quæ est productio ex non ente simpliciter, & hoc fundamentum tractum ex 1. phy. adducit B. Tho. in 8. phys. in lect. 2. probans Auerroem dicentẽ contra id quod tenemus de creatione, vbi & nominat Saracenos tenentes legem Mahumeth, qui in hoc non discrepãt ab Hebræis, nec à Christianis, nam istæ tres leges conueniunt in creatione mundi à Deo.

Secundum dubium est contra secundam conclusionem. Nam vt manifestabimus infrà, Deus secundũ Arist. quicquid producit, de necesitate naturæ producit: ergo ab æterno producit: quia quocunque instanti intelligit rem producibilem, & vult eam producere, statim producit, aliter à volitione antiqua produceretur effectus nouus, sine mutatione ipsius agẽtis, quod non concederet philosophus ex 8. phys. à tex. 6. vsque ad tex. 13. si ergo Deus creat animam, sequitur quòd ab æterno creat & non de nouo, quod est contra secundam conclusionem, vanum autem est dicere, quòd creat eam ab æterno, quoniam non esset forma hominis secundum esse, nam vt manifestabimus infrà in tex. 16. forma non præcedit id cuius est forma, & sic tu cades in errorem Comment.

Respondetur, Admisso quòd Deus agat secundum philosop. de necesitate naturæ, adhuc nõ est necesse, quòd creet, animã ab æterno. nam quædam producuntur à Deo immediatè, non cooperante causa secunda, & talia secundum philosophũ producũtur ab æterno, vt intelligentiæ, cœlum, & elementa, hæc enim sunt principales partes mundi, ex primo cœli, vnde si Arist. ponit mundum æternum, ex consequenti ponit prædicta æterna, quædam autem sunt à Deo secũdum substantiam immediate, cooperante tamen causa secunda, & non aliter.

Non quòd causa secunda ex actione sua attingat substantiã illius producti, sed quia est illud, sine quo Deus talem naturã nõ produceret. quia non producitur gratia sui, sed vt aliud integrum producatur, & talis est anima intellectiua, quæ licet à solo Deo producatur, tamen non produceretur sine naturali agente cooperante ad vnionem animæ cum materia siue cum corpore. Nam cũ anima sit forma nõ producitur nisi in habitudine ad suum informabile, & talia producta nõ est necesse

esse æterna, quia nec à Deo sunt volita producibilia ab æterno sed eo tempore quo agens naturale cooperabitur, sic igitur respondendum est de mente B. Th. & omnium quitenent viam suam. Comment. autem, quia tenet quòd non est forma dans esse, concederet quod si est producta, producta est ab æterno. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VI.

Si ex text. 16. potest concludi animam intellectiuam esse formam dantem esse homini, & esse incorruptibilem.

Mouentes quidem igitur causæ veluti prius existentes. Text. 16.

CONCLVSIO.

Concluditur absolutè ex hoc textu animam intellectiuam esse verè formam dantem esse homini, vt partem eius substantialem: si verò sit incorruptibilis, ex hoc textu concludi non potest.

IN hac quæst. aduerte, quòd tria potes pertractare. Primò, si ex hoc tex. potest concludi Philosophũ sensisse animam nostram esse verè formam dantem esse homini. Secundò, si ex hoc potest concludi animã nostrã esse incorruptibilẽ, etiam quòd sit forma dans esse. Tertiò, si posito q̃ sit forma & incorruptibilis, possimus sustinere, quod homo generat hominem.

Quantum ad primum dico, quòd absolutè potest concludi contra Comm. ex hoc text. animam intellectiuam esse verè formã dantẽ esse homini, nam Philosophus in text. 16. ponens differentiam inter causam agentẽ & causam formalem, dicit quòd causa agens præcedit id, cuius est causa. nulla autẽ causa formalis præcedit id cuius est causa formalis, sed est simul cũ eo, nam vt inquit Philosophus, quando sanatur homo, tunc est eius sanitas & nõ antè, & figura æreæ sphæræ est simul & non ante cum ærea sphæra, & Commen. etiam illic exponẽdo inquit, Causa agens differt à formali, quia agens & mouẽs præcedit illud quod agitur & mouetur ab eo: formalis autem est simul cum generatione. Postquam autẽ Philos. posuit differentiam inter causam agentẽ & formalem quo ad præcedentiã, mouet dubium de causa formali, quo ad remanẽtiam post illud cuius est causa formalis, vtrũ scilicet sit necesse omnem causam formalẽ definere esse, ac definitionem eius, cuius est causa formalis: vel si potest remanere, & respõdens Philos. inquit, Si autẽ posterius aliquid manet, perscrutandũ est. In quibusdã enim nihil prohibet, vt si est anima tale, scilicet remanens post definitionem compositi. Non omnis, sed intellectus, omne nanque impossibile forsan. Ex his igitur patet, quòd Philosophus sensit animã intellectiuã esse causam formalem hominis, aliter non esset dubius, vt rùm aliqua causa formalis remaneat pòst. Nam si teneret animam non esse causam formalem, determinaret vniuersaliter, quòd sicut nulla causa formalis præcedit suum compositũ: sic nec remanet post, ex hoc autem quòd ponit animam esse causam formalem, conuenienter dubitat considerata natura animæ de remanentia pòst. Primo enim aspectu videtur supergredi materiã, ex consequenti videtur posse remanere pòst. Si autẽ est causa formalis, ergo est forma dans esse homini. Hic enim accipit Philosophus causam formalem pro vera forma dante esse: vnde exemplificat de sanitate, quæ dat esse sano: & de figura, quæ dat esse æreæ sphęræ, & confirmatur ex positione Commen. in dicto tex. Inquit enim, Causæ autẽ per quas res sit ens & vnum, sunt cum eo, quod per eas fit totum in simul, cùm talem dispositionem habeant in cõgregato, sicut partes in toto. Et aduerte, quòd hunc tex. Philo. non possunt Comm. euadere, nisi destruẽdo tex. imò Iand. in lib. 12. Metaph. in q. 4. in principio responsionis dicit, quòd ex hoc tex. capiuntur duæ veritates. Prima, quòd anima intellectiua est forma substantialis corporis humani, licet hoc non dicat Comm. Secunda veritas est, quòd anima intellectiua manet corrupto corpore. Hæc Iandun.

Quantum ad secundum dico, quòd cùm non esset hic locus pertractandi de incorruptibilitate animæ: id enim spectat ad librũ de Anima, ideo Philosophus non curauit hîc determinare simpliciter de remanẽtia post cõpositum, sed per terminum dubitatiuũ, & per conditionalem locutus est, sufficit autem, quòd determinauit in 3. de Anima, in tex. 20. & nostram quęstionem determinatiuam super hoc videre poteris in 3. de anima. Concludo igitur, quòd ex tex. præsenti non potest haberi determinata intentio Philosophi de remanentia animæ nostræ post compositum, sed solùm negatio præcedentiæ, & quòd est forma dans esse homini, vt pars sua substantialis.

Quantum ad tertium aduerte, quòd ex quo in via Thomistica tenemus tantũ vnam formã in homine, quæ non est nisi anima intellectiua, & hęc non educitur de potentia materiæ, cum sit incorruptibilis, vt determinauimus de mente Philos. in tertio de Anima, difficile est, saluare, quòd homo generet hominẽ, cum terminus formalis generationis sit forma substantialis acquisibilis per generationem. Et quidem si teneremus errorem Comment. de intellectu, nulla esset in hoc difficultas. Dicitur enim homo generare hominem, quia de potentia materiæ educit animam sensitiuam, cuius nobilior potentia est cogitatiua: & hæc anima secundum Comment. est forma specifica dans esse homini. Sed corrumpitur ad corruptionem compositi, cum sit organica. Nos autẽ tenemus, animam intellectiuam esse verè formam hominis, & nullam aliam formam substantialem esse in homine, vt determinauimus in libro octauo Metaphysic. & tamen hoc non obstante, tenemus hanc esse veram, homo generat hominem, licet homo generans non producat, nec sit causa effectiua substantiæ animæ intellectiuæ, nec producat aliam formam quæ simul remaneat in homine genito, cum anima intellectiua, & hoc quidem propositum, sic probare possumus, Si homo non generat hominem, sequitur quòd sit inferioris conditionis ex se quo ad actum generandi & continuandi suam speciẽ, quàm cætera animalia perfecta: quod est irrationabile, quia in rebus perfectis, natura non deficit in necessariis. & quia ex secundo de Anima, tex. 45. nutritiua in homine est nobilior, quã in aliis animalibus, ergo & potentia generatiua est nobilior. Constat autem quòd cætera animalia producunt sibi simile in specie, vt determinauimus suprà in lib. 7. ergo multo magis homo, aliter vt dictum est, esset homo in nobiliori sua actione naturali imperfectior cæteris animalib. Verùm quia homo non producit generando animam intellectiuam, quæ est sola forma in homine genito, & terminus generationis est forma substantialis, ideo videtur Impossibile saluare, quòd homo generet hominem. Tu igitur aduerte quòd Gregor. in secunda distinctio. 16. & 17. quæstione secunda, ad sextum factum contra secundam conclusionem, respondens huic dubio dicit, ideo homo generat hominem, quia producit animam sensitiuam, quæ non remanet in aduentu animæ intellectiuæ, facta vlteriori dispositione ab homine generante ad animam intellectiuam. Ita quòd secundum ipsum, homo generat hominem, quia licet non producat substantiam animæ intellectiuæ, tamen causat in materia sufficientes dispositiones pro anima intellectiua. Sed hoc non videtur sufficere, quia cum tales dispositiones sint accidẽtia, generatio hominis actiua terminaretur ad accidẽtia, & sic non esset generatio substantialis. Dicendum est ergo, ideo hominem generare hominẽ, quia licet homo generans non attingat productiuè animã intellectiuam, quo ad substantiam suam tamen sua actione deducit hominem genitũ ad consequendã formam similẽ formæ hominis generantis: & hoc est quod dicũt aliqui, Ideo homo generat hominem: quia licet non attingat animã intellectiuam secundum substantiam, attingit tamen secũdum vnionem. & hoc sufficit ad saluandum generationẽ vniuocam substantialem, quia de ratione generãtis in viuentibus non est, quòd generans producat formam geniti, sed actione sua agere, quòd genitum participet formam generantis, & si non eandem numero, eandem saltem in specie, siue sit producta à generante, siue à primo agente. Hæc de præsenti quæsito dicta sint Quòd si plura videre volueris in hoc proposito, inuenies in Capr. in 2. distinct. 15. q. 1. in replicis factis contra solutionem sexti argumenti facti contra primam conclusionem.

QVAESTIO VII.

Si omnium rerum sunt eadem principia.

Causæ autem & principia alia aliorum. Tex. 19.

CONCLVSIO.

Principia intrinseca proxima non sunt eadem simpliciter omnium rerum, sed sunt diuersa genere, specie & numero: sunt tamen eadem secundum proportionem. Sed si principia extrinseca remota sint, eadẽ erunt simpliciter omnium prædicamẽto rum: non autem si principia sint extrinseca proxima, imò nec in prædicamẽto substãtiæ, sunt tamẽ eadem proportionaliter.

IN hac q. ne te cõfundas ex obscuritate textuum Arist. à tex. 19. vsque ad text. 29. exclusiuè sic procedes. Primò pones duas distinctiones. Secundò quinque cõclusiones responsiuas.

Quantum ad primũ sit hæc prima distinctio. Principia rerum sunt duplicia, quędã intrinseca, vt forma & materia, quædam extrinseca, vt efficiens & finis: & hæc omnia iterum sunt duplicia, scilicet proxima & remota. Vt materia proxima statuæ lignũ & forma proxima figura Mercurij. Materia remota statuæ terra, forma remota figura, quæ est vt forma generalis, licet non distincta realiter à forma specifica, vt opinatur Iand. cuius positionẽ reprobauimus in lib. 8. similiter efficientium & finiũ, quidã proximus, vt hominis efficiens proximus, homo

homo generãs remotus autem est sol, & finis proximus est intelligere, remotus autem est felicitas, siue perfectio vniuersi.

Secunda distinctio, Identitas est duplex, quædam simpliciter, quædam secundum quid: simpliciter est cõuenientia in aliquo vno vniuoco genere vel specie, vel numero, secundùm quid est conuenientia secundum proportionem vel analogiã. Sicut omnia prædicamenta sunt idem in ente identitate analogiæ secundùm viam nostram. Tu tamen aduerte, quòd hæc proportio siue analogia potest esse duplex, vna est similis habitudo diuersorum ad diuersa, vt serenitas in aëre, & tranquillitas in mari habent similem habitudinem, quia & serenitas & tranquillitas signant quietem. Alia est habitudo diuersorum ad vnum. Vt nouem prædicamenta accidentium habent diuersam habitudinem & substantiam.

Quantũ ad secundum sit hæc prima conclusio, Principia intrinseca proxima non sunt eadem simpliciter omnium prædicamẽtorum, sed sunt diuersa genere, & specie, & numero, probatur in prædicamẽto substantiæ, principia intrinseca sunt vera materia & vera forma, in aliis autẽ prædicamentis non est vera materia nec vera forma: quoniã accidentia non componũtur ex vera materia & vera forma, sed in eis potest assignari aliquid loco materiæ, & aliquid loco formæ, locũ materiæ habet suũ receptiuum, & locũ formæ sua differentia: ergo, &c.

Secunda conclusio, Licet principia intrinseca non sint eadem simpliciter omnium prædicamentorum, sunt tamen eadem secundum proportionem. Ad declarationem secundæ partis huius conclusionis aduerte, quòd hęc identitas proportionis attenditur penes numerum, & penes modum actuandi, penes numerum quidem, quoniã sicut in prædicamento substantię sunt tria principia intrinseca, scilicet materia, forma, & priuatio, sic proportionaliter in prædicamento accidentium, puta in qualitate sunt tria, quæ se habent vt materia, forma, & priuatio, nam materia est illud quod est immediatum receptiuum qualitatis, puta superficies est materia coloris, forma sicut albedo, priuatio sicut nigredo, quæ comparata nigredini imperfectior est, penes autem modum actuandi, nam sicut in prædicamento substantiæ forma actuat & perficit materiam, priuatio verò imperficit, ita in prædicamento accidentium, forma puta albedo modo suo actuat subiectum, & nigredo respectu albedinis imperficit subiectum: ergo, &c.

Tertia conclusio. Principia extrinseca remota sunt eadem simpliciter omnium prædicamẽtorum. Probatur, sunt eadem numero, ergo simpliciter. Consequentia patet ex secunda distinctione posita suprã. Antecedens probatur. Deus est principium extrinsecum remotum, habens vniuersalem causalitatem super omnia entia in ratione efficientis & finis, vt manifestabitur infrà, similiter corpora cœlestia respectu inferiorum habent vniuersalem causalitatem in ratione efficientis super ea, vt determinabimus infrà, quando quæremus, si cœlũ agit in hæc inferiora. Patet autem quòd Deus & cœlum semper permanẽt eadem numero, cùm sint incorruptibilia: ergo, &c.

Quarta conclusio, Principia extrinseca proxima non sunt eadem simpliciter omnium prædicamẽtorum, sed nec in prędicamento substantiæ. Prima pars probatur, principia proxima substantiæ sunt in prædicamento substantiæ, vt homo hominem, ignis ignem generat. Proxima autem principia accidentium non de necessitate sunt substantia, nam qualitas qualitatem producit, vt lux solis lucem in aëre, calor ignis calorem in aqua, ergo, &c.

Quòd nec etiam in prædicamento substantiæ, patet, quoniam cum vnumquodque, maximè in viuentibus perfectis, generetur à sibi simili in specie, aliud est principiũ proximum intrinsecum hominis, & equi, & leonis. ergo, &c. sunt & distincti fines specie, sicut & distinctæ naturæ. Cuiusque enim naturæ finis proximus est propria operatio, ergo secundum distinctionem naturarum sunt distincti fines. ergo, &c.

Quinta conclusio, Principia proxima extrinseca omnium prædicamentorum licet non sint eadem simpliciter, per conclusionem præcedentem, sunt tamẽ eadem proportionaliter. Hæc potest probari, sicut conclusio secunda. Declaratur etiã sic, sicut in prædicamento substantiæ efficiens dat esse suo effectui, ita in prędicamento accidentium accidens productiuum dat esse suo effectui producto, eo tamen modo, quo accidens potest dare esse accidenti, scilicet in virtute substantiæ. Item sicut in prædicamento substantiæ efficiens ordinat effectum suum in finem proprium, ita in prædicamento accidentium accidens productiuum ordinat accidẽs productum in finem suum, puta in propriam operationem, vt calor ignis causat calorem in aqua, non solùm vt aqua sit calida, sed vt calefaciat, ordinat, dico modo conuenienti ipsi accidenti, ergo, &c.

Hic non cadit dubium nec argumentum, quod non soluatur ex distinctionibus datis & ex declaratione prædictarum conclusionum. Quare non est hîc immorandum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO VIII.

Si omne repositum in prædicamento, siue sit substantia, siue accidens, est compositum intrinsecè ex propria potentia & proprio actu, tanquam duabus partibus essentialibus.

Amplius alio modo proportionaliter, principia eadem potentia & actus. Tex. 26.

CONCLVSIO.

Actus & potentia sunt principia omnium prædicamentorum, si intelligantur vt partes essentiales solùm in prædicamento substantiæ, & respectu solius substantiæ corporeæ quæ componitur ex materia & forma, vt potentia & actu: in aliis autem seruantur potentia & actus, non vt componentia, sed potentia vt ratio recipiendi, & actus, vt id quod recipitur.

IN hac quæstione aduerte in primis, antequam deueniamus ad decisionem, quòd quoniam dicit Philosophus in textu proposito, potentiam & actum esse communes omnibus prædicamentis, credunt multi, quòd sicut in prædicamento substantiæ, omne per se repositum in prædicamento, si est substantia generabilis verè componi ex materia & forma, vt vera potentia, & vero actu, vt partibus suis essentialibus realiter distinctis: ita omnem quantitatem, & qualitatem, intrinsecè componi ex propria potentia & proprio actu, quorum vtrunque est reductiuè in eodem prædicamẽto cum suo composito. Verùm quia in lib. 8. in quæstione 16. iam probauimus, quòd accidens est ens simplex constans ex sola compositionis ratione, scilicet ex genere & differentia, quæ non distinguuntur realiter, vt manifestauimus in lib. 7. ideo aliter ex ponemus præsentem tex. philosophi. & dicemus duo pro resolutione quæsiti. Primò, quòd in substantia receptiua alicuius accidentis absoluti est aliqua potentia, qua mediante recipit illud accidens, quæ non est ipsa substantia, nec est materia prima, sed est reductiuè in eodem prædicamento, in quo est accidens receptibile, puta in substantia corporea, est aliqua potentia, qua est receptiua qualitatis sensibilis, quæ potentia est reductiuè in prædicamento qualitatis. idem dico respectu quantitatis. Secundò quòd licet talis potentia sic in eodem prædicamento cum accidente receptibilis, non tamen est pars intrinseca compositiua accidentis.

Primum quidem fundatum est super doctrinam Cõment. in 5. physi. commen. 9. vbi intendit talem rationem, sicut se habet potentia & via ad substantiam, sic potentia & via ad quantitatem & qualitatem, sed potentia & via ad substantiam est in eodem genere cum substantia, ergo potentia & via ad quãtitatem, &c. vnde inquit, potentia ad vnumquodque prædicamentum est in illo genere prædicamẽti, quod est in actu & similiter via de potentia ad actum, scilicet potentia ad substantiam est quoquomodo in prædicamento substantiæ, & similiter via ad generationem substantiæ, & similiter potentia ad quantum, & ad alia prædi. hæc Commen.

Secundum autem fundatur super determinationem quam fecimus in libro octauo in quæstione 16. in 1. conclusione quam reuidere poteris.

Et si dicas, Quare talis potentia non est pars accidentis, cũ sit reductiuè in eodem prædicamento: Respõdetur, quòd hoc ideo est, quia huiusmodi potentia est tantum ratio siue causa, sine qua non reciperetur accidens in substantia, puta sine diaphaneitate non reciperetur lux siue lumen: & tamen diaphaneitas non est pars lucis licet sit in eodem prædicamento cum luce. Et species visibilis est in eodem prædicamento cum qualitate visibili, & tamen non est pars eius. Quando ergo dicit philosophus, quòd actus & potentia sunt principia omnium prædicamentorum, si intelligantur vt partes essentiales, est verum, solum in prædicamento substantiæ, & respectu solius substantiæ corporeæ, quæ componitur ex materia & forma, vt potentia & actu: in aliis autem seruantur potentia & actus non vt componentia, sed potentia vt ratio recipiendi, & actus vt id quod recipitur. Et hoc loquendo de tribus primis prædicamentis, scilicet substantia, quantitate, qualitate. De aliis autem, quoniam sunt respectiua, & distinguuntur solùm formaliter à tribus primis, vel per denominationem extrinsecam, vt diximus in libro quinto, iudicatur vt de primis inquantum res sunt. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAE

QVAESTIO IX.

Si est necesse dare aliquam substantiam æternam secundum Philosophum & secundum veritatem.

Necesse est esse aliquam substantiam sempiternam immobilem. Tex. 29.

CONCLVSIO.

Datur aliqua substantia æterna.

IN hac quæstione tria discutienda sunt. Primò, si est necesse dare aliquam substantiam æternã secundum Philosophum & veritatem. Secundò, supposito quòd sic, si Arist. in tex. 29. intendit solùm de prima substantia abstracta quam dicimus Deum, an de omnibus in genere. Tertiò, supposito quòd de omnibus in genere intendat, inuestigandum est, qua via procedendum est ad probandum Deum esse.

Quantum ad primũ principale aduerte, quòd hæc conclusio, Datur aliqua substantia æterna, est vera, & cõfessa ab omnibus rectè sentientibus. Sed accidit, quòd aliquãdo probatur conclusio vera ex medio falso, licet sit magis deductio quàm probatio, nam ex falsis contingit syllogizari verum ex primo poster. Et sic fecit hic Arist. & Comment. & omnes tenentes mundum æternũ. Probant enim dari substãtiam æternã, quia credunt motum & tempus esse æterna. Motus enim de necessitate requirit mouẽs, & cùm mouẽs sit substantia, cõcludunt quòd de necessitate datur substantia æterna, mouens ex motu æterno. Patet autem, quòd secundum veritatem mundus non est æternus, quoniam fidei non subest falsum, ergo medium sumptum ab Arist. ad cõclusionem præpositam est falsum, licet medium sumptum à Philosopho sit falsum: tamen non deficit nobis medium verum ad probandũ propositum. Tu igitur sic procedes. Primò probabis cõclusionem, vt probat philosophus, cuius probationẽ videbis formatã in epitome nostra super 12. Metaph. in cap. 4. Et aduerte, quòd cùm hæc probatio aduersetur veritati, soluemus eam infrà, quãdo quæremus, an Philosophus crediderit se demõstrasse mundum esse æternum. Secundò, probabis eandem conclusionẽ medio vero sic, Aut mũdus est æternus, aut non. si sic, ergo datur substãtia æterna, quia si est æternus, est motus æternus, & generatio æterna. Sed motus æternus requirit mouens æternum, & generatio æterna generans æternum. ergo, &c. si non, eodem modo datur substantia æterna. nam omne non æternum, cùm non semper fuerit, ab aliquo productum est, non à se ipso, quia prius fuisset quàm fuisset, ergo ab alio. Quæro de illo, aut non fuit productum ab alio, aut sic, si non, ergo est æternum, quoniam omne improductum habens esse, semper habet esse, si sic, quæro de illo alio, vt suprà, & cùm non sit processus in infinitum, vt probatum est in secundo lib. necesse est deuenire ad primum efficiẽs improductum, quod est substantia æterna. Vnde si aduertis efficacius probatur dari substantia æterna ex nouitate mundi, quàm ex æternitate.

Quantum ad secundũ principale aduerte, quòd quia Arist. philosophatur & ascendit ad separata ex sensatis, quasi in caligine palpitans ambulat in assignatione distinctionum & proprietatum in substãtiis abstractis: vnde dico, quòd indistinctè probauit, substãtiam æternã existere, & non in particulari de prima causa. Cuius est, quòd probauit substantiã æternam ex motu æterno. Sed omnes intelligẽtię apud Arist. mouẽt motu æterno, vnde & infrà ex pluralitate motuum æternorũ concludet numerum intelligẽtiarum. non ergo magis probat de prima quàm de omnibus. Præterea, id confirmatur dicto Philosophi in text. 30. vbi postquã ex motu æterno probauit substantiam æternam transferens se à singulari ad plurale, inquit, Igitur tales oportet esse substantias, sine materia, vbi Commen. ait. Quia istæ substantiæ sunt mouentes sine aliqua potentia, necesse est vt sint sine aliqua materia, cùm necesse est vt sint æternæ. Sic quidem censendum est secundum Philosophum & Comment. secũdum autem veritatem est tantum vna substantia æterna, à qua sunt omnes intelligentiæ motrices temporaliter productæ, quæ licet non moueant motu æterno à parte antè, possunt tamen mouere in æternum à parte post, eo quòd sunt inalterabiles, nec sunt formæ materiam informantes. Sed id non est præsentis negocij.

Quantum ad tertium principale aduerte quoniam dictum est paulò antè, quòd ex hoc quod est esse mouens æternũ, non probat Philosophus particulariter Deum esse, sed communiter de omnibus intelligentiis, ideo hic inuestigandum est, qua via efficaci secundum doctrinam Philosophi possumus probare Deum esse, ita quòd quæramus ex sensatis mediũ quo tandem & resolutiuè cõcludamus Deum esse. Quod quidem medium ita Deo conueniat, quòd de nulla alia substantia abstracta verificetur, & quoniã ad probandum Deum esse, à multis rationes multæ solent adduci, vt patet apud Scotum in 1. sent. dist. 2. q. 2. qui conatur probare, quòd in rerum natura datur vnum simpliciter primum secundum efficientiam, secundum finem, & secundum eminentiam perfectionis, & apud B. Tho. in 1. parte q. 2. art. 3. & in primo contra gentes, cap. 13. ideo relictis illis rationibus, vt iacent in robore suo, intẽdo declarare, quo processu deuenit Arist. ad concludẽdum propositum. Tu igitur aduerte, quòd Arist. in 8. Phys. tex. 33. posuit & multiplicè probatione conclusit hoc fundamentum, omne quod mouetur, ab aliquo mouetur, & in textu 34. conclusit, quod non est procedere in infinitum in mouentibus & motis per se subordinatis, à text. 34. vsque ad text. 40. probat ex his duobus fundamentis, quod est deuenire ad vnum primũ mouens, quod vel est mouens se ipsum prout distinguitur in partem mouentem & in partem motam, vel est penitus immobile, & in tex. 49. conclusit, quòd vltra primum mouens se ipsum est deuenire ad aliquod mouẽs primum immobile per se & per accidens. Quod quidem mouens primum immobile est intelligentia applicata primo cœlo, quæ eo motu quo mouet cœlũ, scilicet motu locali, est omnino immobilis, & per se, & per accidens ad differentiã intelligentiarũ aliarum, orbiũ scilicet planetarum. Istæ enim mouentur per accidens, vt declarat Philosophus in 8. Physi. tex. 52. Verùm quia hoc primum mouens immobile localiter, mouet orbem suum, & ad motum sui orbis mouet orbes planetarũ motu diurno, mouet inquam per intellectum & voluntatem secundum Philosophũ in 12. Metaphysic. tex. 38. & omne tale mouens mouetur, siue trahitur ad mouendum ab obiecto cognito & desiderato, quod ex motu sui consequi desiderat: ideo Philosophus in lib. 12. Metaphysi. tex. 36. ex hoc quòd mouens primum immobile localiter applicatũ primo cœlo, mouet intelligens & appetens consequi nobilius obiectum, concludit quòd datur primum mouens omnino immobile & secundum motum localẽ, & secundum motũ causæ finalis, ita quòd non mouetur ab aliquo digniori se, ad quod ordinetur vt ad finem. Sed intelligentia prima applicata & aliæ subsequentes ordinantur ad ipsum, vt nobilissimum in tota natura, & hic est Deus. Ex quo processu patet, q. probatio propositi est inchoata ab Arist. in 8. Physic. sed completa in 12. Metaphy. sic quidem tenendũ est secundũ viam nostram, ne deuiemus à doctrina B. Tho. quã tradidit in 1. contra gentes, cap. 13. Sed secundum viam Comment. completa & inchoata fuit in 8. Physi. quoniam extimat Deum esse applicatum primo cœlo, & mouere vt efficiens & finis sicut manifestabimus infrà, quando quæremus si primum principium mouet primũ cœlum immediatè, vt applicatũ. Patet etiam, quòd rationes sumptę à primo efficiente, & primo mouente, & primo alterante, nisi aliud addatur, non concludunt Deum esse, sed deducunt vsque ad primum cœlum, sumẽdo primum cœlum pro aggregato ex primo corpore cœlesti, & prima intelligentia applicata, quæ solet dici anima primi cœli.

Et aduerte, quòd Arist. ad propositã conclusionẽ non facit ex intentione aliam rationem, licet ex principiis doctrinæ suæ B. Tho. alias applicet, sicut illam fundatam super maximè verum, cuius fundamentum trahitur ex 2. Metaphysic. tex. 4. Et illam fundatam super maximè bonum, cuius fundamentum trahitur ex 10. Metaphysi. tex. 12. vbi Philosophus habet, quod vbi datur magis & minus differre, datur & maximum, ex quo trahitur, quòd in quocunque genere, datur & magis & minus, datur maximum: constat autem, quòd in rerum natura datur magis & minus ens, & verum, & bonum, & perfectum, ergo datur maximè ens & verum, & optimum, & perfectissimum. Hoc autem apud omnes rectè sapientes est Deus. ergo, &c. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO X.

Si substantia æterna est semper actu mouens & de necessitate naturæ.

At verò si fuerit motuum, aut effectuum non operans autem. Text. 30.

CONCLVSIO.

Substantia æterna est semper actu mouens, respectu totius temporis quo durat rerum inferiorum generatio: agitque Deus de necessitate naturæ merè & liberè: aliæ verò intelligentiæ agunt & mouent per motum in his inferioribus ex necessitate naturæ, propter perfectionem suam accidentalem, siue secundariam acquirendam.

IN hac quæstione erunt duæ considerationes. Prima, si substantia æterna est semper actu mouens. Secunda, si mouet & agit de necessitate naturæ.

Quantum

Quantum ad primam consideratione aduerte, quòd esse mouens semper actu, est conditio secundum Aristotelem, nõ solum conueniens primo principio, sed & omnibus intelligentiis in genere. Nam infrà Philosophus concludet necessitatem generationis æternæ, quam dicet causari non solùm ex motu diurno primi cœli, sed etiam ex motu planetarum sub circulo obliquo. Planetarum autem orbes non mouentur ab vna solùm intelligẽtia, sed à pluribus, vt manifestabitur infrà, quãdo inuestigabimus numerum intelligentiarum. Hoc ergo prænotato ponitur conclusio responsiua, substantia æterna est semper actu mouens, quę sic probatur, ex fundamentis positis ab Aristot. substantia æterna non potest esse mouens in potentia, ergo est semper mouens actu, consequentia patet, quoniam cum habeat virtutem mouendi, aut est mouens actu, aut mouens in potentia. Antecedens autem sic probatur, si potest esse mouens in potentia, potest non esse motus, non enim datur motus actu, nisi per mouens actu. Sed motus non potest non esse, vt credidit Philosophus se probasse in octauo Phy. à text. septimo, vsque ad textum decimũtertiũ, eo quòd daretur motus siue mutatio prior prima, & quia posset non esse tempus, quę omnia reputat illic Ari. impossibilia, ergo substantia æterna semper mouet actu, ita quòd motus orbium semper fuit & semper erit, & quòd hæc fuerit mens Aristo. declarat Comm. in commen. eiusdem textu trigesimo, vbi inquit, Cùm motus æternus sit, & omnis motus habeat motorem, vt determinatum est, necesse est vt iste motus habeat motorẽ, qui est actio pura siue aliqua potentia, id est, quę in nulla hora est motor in potentia, si enim non fuerit actio pura, sed cum potentia aliqua hora erit in qua non erit motio ab eo, quia omnis motor cuius substantiæ admiscetur potentia, possibile est vt in aliqua hora non moueat, non enim mouet, nisi per alium motorem extrahentem ipsum ex potentia in actum, hæc Commentat.

Et tu aduerte, quòd prædicta conclusio si consideretur, non solùm ad mentem Philosophi, sed secundum veritatem, potest esse vera, & falsa: vera quidem erit, si ly semper, exponatur non pro omni tempore absolutè, sed pro omni tempore quo durat rerum inferiorum generatio, substantiæ enim cœlorum motrices actu semper, id est, incessanter & sine quiete media mouent donec stat rerum inferiorum generatio. Dicemus enim infrà, omnem motum mundi inferioris causari à motu cœlorum. Si autem ly semper exponatur pro omni differentia temporis absolutè, id est, ab æterno & in æternum, falsa est: quoniam cœlum est productum non ab æterno, ex consequenti, intelligentia non mouet ab æterno, supponit enim motus mouens & mobile, & id tenemus ex fide, licet Philosophus sentiat oppositum, cuius rationes soluemus infrà, nam de hoc faciemus particulare quæsitum contra Tandunum.

Quantum ad secundam considerationem inuestigabimus. Primò quid dicẽdum secundum Philosophum. Secundò quid secundum veritatem.

Pro notitia positionis Philosophi præpono distinctionem de modis agendi ex necessitate naturæ, deinde pertractabitur quædam opinio, & reprobabitur, postremò declarabitur quæ fuerit mens Philosophi in hoc.

Distinctio sit hæc, Aliquid potest mouere & agere de necessitate naturæ dupliciter. Primò, quia agit per naturã sic, quòd præuenit intelligere, & velle, & est illud, quod non agit ex eo quòd intelligit sic mouendum, vel sic agendum, sed agit per aliquã virtutem naturalẽ, eo modo quo dicimus, ignem per calorem calefacere de necessitate naturæ calefactibile sibi approximatũ, & homo per calorẽ naturalem digerit cibum, & Sol existẽs super horizontẽ illuminat aërem nostrum. Secundò, quòd agat de necessitate naturæ, quia licet intelligat quid agendũ & quid volendum, tamen non potest non agere quod intelligit, & vult agere, ita quòd voluntas est adeo determinata ad agẽdum, quod non potest in oppositum, & statim intellectus intelligit id quod agẽdum, & voluntas vult, sequitur ex necessitate actio. Verbi gratia, Homo intelligit quid est felicitas, & vult felicitatem, si darentur sibi media sufficientia ad felicitatem, statim & de necessitate naturæ ageret pro assequenda felicitate: quia voluntas habet determinatam & necessariam habitudinem ad felicitatem intellectã & volitam. Quod substantia æterna mouens cœlum, mouet de necessitate naturæ, & agat primo modo, nullus sapiens dicit. Cum enim sit substantia merè intellectualis, quicquid agit, agit & mouet, vt intellectum & volitum, ergo non agit de necessitate naturæ primo modo.

Præterea, Ille modus agendi est proprius potentię irrationalis, à qua remoto impedimento, necessario sequitur actio. Tales autẽ potentiæ, non sunt in natura merè intellectuali. Verũ autem moueat & agat de necessitate naturæ secundo modo secundum Philosophũ, est varia opinio. Quidam, vt Scotus in 1. distin. 8. q. 4. tenent absolutè, quòd Arist. fuit huius opinionis, ita quòd sicut substantia æterna & præcipuè prima, quæ est Deus, intelligit bonitatẽ suam, & de necessitate naturæ vult eam & amat, ita intelligit cœlum mouendum, & vult illud mouere, & de necessitate mouet, ita q. non potest in oppositũ. Et quòd hæc fuerit mens Philosophi, probabitur in reprobatione sequentis opinionis. Igitur quidã alij dicunt, quòd si substantia æterna mouens cœlũ & præcipuè prima esset virtus in magnitudine, id est, agens corporeũ, vt Sol illuminans, & ignis comburens, moueret, & ageret de necessitate naturæ. Sed quia secundũ Philosophũ omnes substantiæ motrices cœlorũ æternæ sunt immateriales omnino, ideo mouent per modum intellectus & volũtatis, id est, tanta velocitate quantam apprehendunt esse conuenientẽ, & tanto tempore. Et sic volunt mouere & non per modum naturæ.

Sed si rectè consideras, aduertes hanc opinionẽ concludere, quòd substantia æterna non agit secundum Philosophũ de necessitate naturæ primo modo distinctionis positæ. Quòd si intendit etiam secundo modo, est apertè cõtra Philosophum. Nam vt dictum est in prima parte huius quæstionis, extimauit Philosophus esse impossibile, quin sit motus, & super hoc fundauit hanc conclusionem, substantia æterna mouens est actus: quoniam si ei admiscetur potẽtia, poterit non mouere, possibile est enim, vt illud quod est in potentia, non agat, ex consequẽti poterit non esse motus, quod extimat impossibile vt habetur in 8. Physic. text. 7. Sed siue sit in magnitudine, siue extra, est actus, ergo non potest non mouere, & nõ potest non agere, & cùm sit substãtia intellectualis, mouet, & agit per intellectum & volũtatem, ergo mouet & agit de necessitate naturæ secundo modo distinctionis positæ. Et quòd hæc fuerit mens philosophi, patet in 12. libro in tex. 38. vbi tenet, quòd primus motus est necessarius, non ex violentia, sed ex fine. Si necessarius, ergo substantia æterna à qua est talis motus de necessitate naturæ mouet, quia scilicet voluntas sua ita est determinata ad mouendum, quòd nõ potest in oppositum, nec obstat quòd dicit B. Tho. exponens prædictum tex. 38. necessitatem primi motus subiacere volũtati Dei. quoniam B. Tho. non intendit aliud, quàm excludere necessitatem absolutam à motu cœli, & concludere necessitatem finis, quæ pendet à voluntate Dei, determinata tamen immutabiliter ad mouendum, sicut est determinata immutabiliter ad volendum bonitatem suam, & voluntas creata est determinata immutabiliter ad volendum felicitatem.

Sic quidem extimo tenendum secundum philosophum, vt etiam sentit Scotus & Herueus, vt suprà dictum est, nec id negaret B. Tho. modo quo expositum est: nec obstat, quòd in 2. contra gentes, cap. 23. multiplici ratione probat, Deum non agere ex necessitate naturæ. Non enim illic procedit secundum mentem philosophi, sed secundum veritatem, cuius signũ est, quòd in fine cap. dicit patere errorem quorũdam philosophorum, qui posuerunt Deum agere per necessitatem naturæ, inter quos & Arist. numerandus est. licet ipsum non expresserit B. Tho. Dico insuper, quòd in illo cap. B. Tho. format rationes, quæ pro maiori parte concludant Deum non agere de necessitate naturæ primo modo distinctionis positæ, quod conceditur etiam ab Arist. qui cognouit Deum agere per intellectum & voluntatem.

Nunc autem inuestigandum est, quid tenendum sit secundum veritatem, pro cuius euidentia aduerte, quod aliud sentiendum est de Deo, aliud de aliis intelligentiis.

Quantum ad Deũ, sit hæc firma conclusio, Deus nec mouet nec aliud agit extra se de necessitate naturæ secũdo modo distinctionis positę, sed mere liberè, probatur, Quicũque vult de necessitate naturæ aliquem finem: non est necesse quòd velit, nec agat ea, sine quibus potest assẽqui & possidere finẽ necessariò volitum: sed si vult & agit, hoc erit merè liberè, nam fatuum est dicere, infirmum volẽtem immutabiliter sanitatem, velle immutabiliter medicinam, quam scit non causatiuam nec iuuatiuam, nec citius auxiliaturam in consequenda sanitate immutabiliter volita: sed si vult & procurat eam, hoc erit merè liberè. Sed Deus de necessitate naturæ vult bonitatem suam vt finem, & nulla creatura est necessaria Deo, vt habeat bonitatem suam: nec vt melius, nec vt citius habeat. aliter diuina perfectio penderet ab esse creaturæ, quod & Arist. & omnis rectè sentiens de Deo negat. Nam in 7. Politic. dixit Philosophus, quòd Deus seipso solo beatus est, ergo Deus tantum bonitatem suam vult de necessitate naturæ, quæcunque autem extra se non necessariò, sed merè liberè vult & agit.

Quan

Quantum autem ad alias intelligentias mouentes orbes ponitur hæc conclusio, Licet non moueant nec agant in his inferioribus de necessitate naturæ propter perfectionē suam essentialem & naturalem acquirendam, tamen non est inconueniens, quòd moueant & agant per motum in his inferioribus ex necessitate naturæ propter perfectionem suam accidentalem, siue secundariam acquirendam. Pro intellectu huius conclusionis aduerte, quòd naturalis perfectio intelligentiæ consistit intelligendo primum motorem, ex cuius intellectione sunt intelligentiæ mouentes in optima dispositione, vt dicemus, quando quæremus si in primo principio est delectatio excellentissimo modo. Consistit etiam intellectione suæ propriæ substantiæ & aliarum intelligentiarum: & quo ad hanc perfectionem assequendam non inuatur motu orbium, quoniam intelligunt primum motorem per essentiam primi motoris, & seipsas per seipsas, & vna aliam, aut per essentiam intelligentiæ intelligentis, aut per essentiam intelligentiæ intellectæ, aut per speciem innatam, repræsentatiuam intelligentiæ intellectæ.

Ex his autem modis quis verior sit, manifestabimus infrà, quando quæremus si in abstractis est idem intellectus, res intellecta, & intellectio. Accidentalis autem perfectio earum videtur causari, ex eo quòd mouent orbes, nam per huiusmodi motum producuntur inferiora & sic assimilantur primo motori, qui vt dicemus infrà, continet in se virtualiter omnia producibilia, & intelligentiæ deducunt ea ad actum per motum orbium, vt declarabimus infrà, quando quæremus, si primus motor mouet cœlum, vt finis amatus.

Quoniam ergo omnes causæ secundę agentes perficiuntur sua actione, ideo vt intelligentiæ assequantur suam accidentalem perfectionem, de necessitate naturæ mouent orbes, & non possunt velle oppositum, donec sua accidentalis perfectio completa fuerit. Et huic intentioni videtur fauere Commentat. licet loquatur de omnibus substantiis abstractis, includendo primum motorem, & quo ad suam perfectionem simpliciter. Tu verò accipe dictum suum de omnibus intelligentiis mouentibus, excluso primo motore, & quo ad secundariam perfectionem.

Sic igitur inquit in hoc 12. in comment. 48. Cùm enim posuerimus, quòd nulla substantia abstracta est, quæ non moueat, quia tũc inueniretur in dispositione diminuta, id est, non completa in sua perfectione. Et cũ posuerimus, quòd omnis orbis est propter stellam, & si non esset ociosum, manifestum est, quòd via numerandi istas substantias abstractas, est via numerandi motum stellarũ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XI.

Si substantia æterna mouens, ita est actus, quòd nullo modo sit in potentia.

Oportet igitur esse principium tale, cuius substantia est actus. Tex. 30.

CONCLVSIO.

Omnis substantia abstracta iuxta mentem Philosophi, est purus actus secundum potentiam, nullóque modo est in potentia.

IN hac quæstione aduerte vnum, antequam resoluamus propositum, Arist. textu præposito, adhuc intendit loqui de substantiis æternis mouentibus in genere, & non solum de primo principio, licet dicat, oportet igitur esse principium tale, &c. Quod patet ex duobus.

Primò, ex eo quod immediatè subiungit dicens, Amplius igitur tales oportet esse substantias sine materia: ex quo sequitur, quòd illas substantias quas probauerat esse sine potentia, sed esse actus, esse etiam sine natura.

Secundò patet idem ex Comment. qui exponens præpositum tex. in commen. 30. inquit, Quia istæ substantiæ sunt mouentes sine aliqua potentia, necesse est vt sint sine aliqua materia, cùm necesse est, vt sint æternæ. omne enim æternum est actio pura: & omne quod est actio pura non habet potẽtiam, ex quibus patet, quòd apud Philosophum & Comment. carere potentia in substantia sua, esse substantiam quæ sit actus esse sine materia, esse æternum, est conueniens omni substantiæ abstractæ, & non tantùm primo principio, Hoc prænotato, sic procedemus in resolutione quæsiti. Primò videbis quid dicendum sit ad mentem Philosophi & Comm. prout verba sua sonare videntur. Secundò quid dicendum secundũ veritatem.

Quantum ad primum duo agenda sunt. Primò ponitur conclusio responsiua iuxta illud quod sonãt verba Philisophi, & Comment. Dico iuxta illud, &c. quoniam infrà, quando quæremus, si primum principium secundum Arist. est productiuum omnium extra se, ad menten B. Tho. dandus est alius sensus Arist. quàm verba sua hic sonẽt. Determinabitur enim quòd si intelligentiæ sunt productæ, non sunt purus actus, sed hæc est proprietas primi principij.

Secundo inuestigabitur quãtum valeat secũda ratio Philos. quam formabimus in probatione proponendę conclusionis.

Conclusio sit hæc, Omnis substantia abstracta secundum Philosophũ est purus actus secundum substantiã, & in ea nullo modo est potẽtia. Hęc cõclusio sic potest extrahi ex tex. Philosophi. Sic enim arguit in præsenti textu, Omnis substantia æterna semper actu mouens, est talis, quòd eius substantia est actus & non potentia. Sed omnis substantia abstracta est substantia æterna semper actu mouens, ergo est talis, quòd eius substantia est actus & non potentia. Maiorem sic probat, quia si in eius substantia esset potentia, contingeret non mouere, contingit enim potentia agens non agere, & sic posset non esse motus omnino, quod Philosophus reputat impossibile ex octauo Physicorum textu decimosẽptimo.

Minor autẽ habetur infrà in tex. 43. in fine, vbi Philosophus cõcludit numerũ substantiarum separatarũ secundum numerum motuũ, & Comm. inquit in comm. 44. Et ideo dicit Arist. quòd si aliquæ substãtiæ essent non mouẽtes, essent ociosæ, secundo sic arguit in eodem tex. 30. Mouens in cuius substantia est potentia, contingit non esse: & sic est corruptibile, sed nulla substantia abstracta potest non esse, quia est æterna secundum Philosophum & nullum æternum potest non esse, ergo in nulla substãtia abstracta est potentia, ex consequenti eius substantia est actus, & quod hæc conclusio sit etiam de mente Comment. patet in commento tex. 30. vbi inquit, Omne æternum est actio pura, & omne quod est actio pura, non habet potentiam. patet autem, quòd omnis substantia abstracta secundum Philosophum & Comment. est æterna, ergo non solum primũ principium, sed & omnis substantia abstracta est actus purus secundum substantiam, & nullo modo ei admiscetur potentia, vnde Comment. in eodem commento, inquit, Necesse est, vt illi motori, scilicet æterno non admisceatur potentia omnino, neque in substantia, neque in loco, neque in alio modorum potentiæ.

Posita probatione conclusionis, videndum est quantum valeat secunda ratio adducta, nam primo aspectu propositio maior quæ fuit ista, Mouens in cuius substantia est potentia, contingit non esse, & sic est corruptibile. Hæc inquam non videtur vera, etiam ad mentem Philosophi & Comment. nam secundum eos, & veritas est intellectus possibilis est in pura potentia passiua ad speciem intelligibilem, eo quòd nullam ex sui natura ex se habent, propterea potentialis siue possibilis vocatus est intertio de Anima textu quinto & in textu tertio dicitur susceptiuus speciei & potẽtia huiusmodi, & tamen est incorruptibilis secundum Comment. & secundum Philos. vt determinatum est in tertio de Anima, ergo, &c. Præterea, Cœlum, dato etiam quòd haberet materiã, vt opinatur Comment. est in potentia ad diuersa, vt ibi patet; & tamen non potest desinere esse, ergo maior secundæ rationis est falsa.

Hanc obiectionem videbis solutam in libro nono, in quæstione decimaseptima, vbi declaraui, quomodo hæc propositio est intelligenda, Omnis potentia passiua est potentia contradictionis, & illic inuenies, quomodo vnumquodque eo modo quo est in potentia est corruptibile, & quomodo secundum Comment. non inconuenit in aliquibus æternis inueniri aliquem modum potentiæ passiuæ.

Quantum ad secundum principale, scilicet quid tenẽdum sit secundum veritatem, duo agenda sunt. Primò præponetur distinctio de potentia. Secundò conclusiones responsiuæ.

Distinctio sit hæc, Potentia duplex, scilicet actiua & passiua, quid sint, & quomodo distinguantur, iam declaratum habes in epit. nostra Metaphys. super lib. 5. in capite de potestate, vide illic, potentia actiua & passiua, iterum sic distinguuntur, quædam coniuncta actui, vt ignis actu calefaciens, & aqua actu calefacta, quædam separata ab actu, vt ædificator potens ædificare, & domus ædificabilis.

Prima conclusio, In primo principio non est potentia passiua vllo modo, quia nec coniuncta actui, nec separata ab actu, probatur, potentia passiua etiam coniuncta actui, denotat imperfectionem vel diminutionem perfectionis in eo in quo est ergo non est in primo principio, consequentia nota, quoniam conditio primi principij est esse vniuersaliter perfectum, vt patet in quinto Metaphysices, in capite de perfecto. Antecedens autem sic probatur, si potentia passiua est separata ab actu, qui est perfectio sua, signat carentiam perfectionis, ergo illud in quo est talis potentia est imperfectum, si est coniuncta actui, signat defectum & diminutionẽ perfectionis in eo

in eo in quo est, quoniam indiget perfici alio à se: ergo, quocunque modo suscipiatur, denotat imperfectionem vel diminutionem perfectionis in eo in quo est.

Cùm igitur hæc repugnant primo principio nullo modo est sibi attribuenda potentia passiua.

Secunda conclusio, In primo princip. est excellentissimè potẽtia actiua: probatur, potẽtia actiua importat simpliciter perfectionem & excellentiam in esse actu, & in entitate, ergo est excellentissimè in primo princi. consequentia nota, quoniam cùm primum princi. habeat rationem optimi absolutè etiam secundum Aristo. in hoc duodecimo, in textu trigesimonono, vbi appellat Deum viuens sue animal sempiternum & optimum, quicquid perfectionis est, aut potest dari, est in eo formaliter vel eminenter. Antecedens autem sic probatur, vnicuique conuenit agere secundum quod est in actu, vt declaratum est in libro nono, & quanto magis est perfectum in actu, tanto magis est natum agere & excellentius: vnde qui habet perfectiori modo artem citharizandi excellentius citharizat: sed potentia actiua est illud, secundum quod competit alicui agere, ergo importat perfectionem simpliciter. Cùm igitur primum princip. sit maximè & excellentissimè actu, sequitur quod est aptum excellentissimè agere, & per consequens est eo excellentissimè potentia actiua, vtrum autem potentia actiua primi principij respectu rerum ad extra semper, sit coniuncta actui secundum veritatẽ, manifestabimus infrà, quando quæremus, quid tenendum sit de duratione mundi. Dixi autem respectu rerum ad extra, quoniam secundum actionẽ immanentem puta vt primũ principium intelligit se, & amat, & delectatur seipso, semper est coniuncta actui, etiam secundum Philosophum in hoc duodecimo, in text. 39. & in text. 50.

Tertia conclusio, In omnibus intelligentiis præterquàm in primo principio est potentia passiua. Hæc probabitur in quæstione sequenti, in qua quæremus si in aliquo sensu est materia in intelligentiis.

Quarta conclusio, In omnibus intelligentiis datur potentia actiua: probatur, intelligẽtiæ mouent corpora cœlestia, ergo habent potentiam motiuam: si motiuã: ergo actiuam, est enim motiua principium, quo mouens mouet & transmutat aliud: ergo, &c. Sed dices, Hæc probatio non concludit de omnibus intelligentiis, sed tantũ de his quæ mouẽt orbes. Sed vltra illas dantur aliæ secundum veritatẽ, quæ nõ sunt mouentes orbes.

Respondetur, probatio facta concludit in via Philosophi, quia non dantur plures secundum ipsum, vt declarabitur infrà. Quia tamen secundum veritatem dantur aliæ, ideo probatur vniuersaliter de omnibus sic. Quælibet natura est propter operationem propriam quantumcunque vilis sit, aliter ociosa esset in vniuerso, quod non admittitur, ergo habet in seipsa principium, quo potest in operationem propriam, aliter Deus & natura deficeret in necessariis. Tale autem principium est potentia actiua: ergo, &c.

Et aduerte, quòd talis potẽtia respectu aliquorum obiectorum est semper coniuncta actui, vt intelligentia semper intelligit primum princ. etiam secundum Philosophum, vt patet in hoc 12. tex. 39. & semper intelligit se. Respectu autem aliorum obiectorum, non est necesse, quòd semper sit coniuncta actui. Potest enim pro hac hora intelligere hominem, & pro alia lapidem. Sed de his pertractare ad Theologum spectat, ideo non est hic immorandum. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XII.

Si substantiæ mouentes abstractæ sunt sine materia.

Amplius igitur oportet tales esse substantias sine materia. Text. 30.

CONCLVSIO.

Verè & iuxta mentem Philosophi nec in primo principio nec in aliis intelligentiis est materia vera & propriè dicta, neque etiam in primo principio est ea materia quæ pro subiecto perfectibili sumitur. At intelligentiæ licet secundum Philosophum non habeant materiam vt subiectum perfectibile, verè tamen eam habent.

IN hac quæstione sic procedes. Primò ponitur distinctio de materia. Secundò, conclusiones responsiuæ, quarum aliquæ erunt secundum Philosophum & Com. prout verba Philosophi sonare videntur, quædam autem secundum veritatẽ.

Distinctio est hæc, Materia dupliciter sumitur. Primò pro vera materia & propriè dicta, quæ est ens in pura potentia & pars compositi. Secundò pro omni subiecto perfectibili: siue pro omni potentia receptiua cuiuscunque suæ perfectionis, in quo sensu apud Philosophum in tertio de anima, intellectus possibilis dicitur materia in genere intelligibilium: quoniam est perfectibilis per speciem intelligibilem, & habitum scientiæ, sicut materia perficitur forma naturali, & breuiter omne habens potentiam passiuam siue receptiuam alicuius sui perfectiui, potest dici materia.

Prima conclusio, quæ est vera & secundum Philosophum & secundum Commenta. & secundum veritatem: Nec in primo principio nec in aliis intelligentiis est materia primo modo sumpta. Aduerte, quòd Philosophus eam sic probat, nullum sempiternum habet materiam primo modo sumptam. Primum principium & aliæ intelligentiæ sunt substantiæ sempiternæ, quoniam mouent motu sempiterno: ergo, &c.

Maior sic probatur, vbi est materia primo modo sumpta, ibi est potentia, scilicet passiua, quoniam materia dicit ens in pura potentia. Sed nullum sempiternum habet potentiam passiuam: vt dictum est de mente Philosophi in quæstione præcedenti: ergo, &c.

Aduerte, quòd licet conclusio posita sit vera in se, tamen ratio adducta à Philosopho non est vera in se. Nam quo ad intelligentias minor est falsa, cùm secũdum veritatem nullum extra Deum sit æternum. Maior etiam est falsa, si sumatur materia primo modo, siue subiecta priuationi, siue non subiecta. Nam si volumus sustinere B. Thom. qui tenet de mente Philosophi, cœlum esse æternum, & in cœlo esse materiam, quæ est pars compositi, licet alterius rationis à materia inferiorum, vt hæc omnia determinauimus in libro octauo, quæstione duodecima, de mente Bea. Thom. contra Commen. constat, quòd maior est falsa, cœlum enim est æternum, & habet materiam primo modo sumptam secundum Philosophum, vt sibi attribuit Bea. Thom. si autem sequeremur viam Commentat. Maior esset concedenda, quoniam, vt declarauimus in lib. octauo, in quæstione duodecima, apud ipsum est sicut principium: quod vbi est materia pars compositi, illic est generatio & corruptio, vt clarè videre poteris in octauo libro Metap. in commen. duodecimo. Vt igitur sustineamus B. Tho. locutum fuisse de materia cœli ad mentem Philosophi non possimus sustine re maiorem rationis inductæ esse veram. Cùm ergo conclusio præposita sit vera, & secundum veritatẽ, & secundum Philosophum, quærenda est ratio, quæ propositum verè cõcludat.

Aduerte igitur, quòd Philosophus in hoc libro duodecimo, in textu quadragesimoprimo, vtitur alia ratione, qua possumus concludere propositum sic, Omne carens magnitudine, id est, quantitate dimensiua, est immateriale: quia non datur materia sine quantitate, sed primum principium & intelligentiæ carent magnitudine, cum sint impartibiles & indiuisibiles, vt probatum est in octauo Physicorum: ergo, &c.

Præterea, Docuit Philosophus in tertio de anima, in textu quinto, & in tex. duodecimo, quod necesse est intellectum esse immateriale, & hac de causa, nullum materiale intelligit, nisi denudetur à cõditionibus material. ex quo sic arguitur, Quælibet substantia intellectualis eo modo quo intellectualis est, est immaterialis, vnde quia homo est intellectualis secundum animam intellectiuam, secundum illam est immaterialis, ergo substantia secundum se totam intellectualis est secundum se totam immaterialis, sed primum principium & intelligentiæ secundum omnes rectè sentientes, sunt substantiæ secundum se totas intellectuales, vnde & mentes dicuntur, ergo secundum totam suam substantiam sunt sine materia. Istæ sunt rationes quæ videntur magis concludere propositum.

Iandu. autem in libro duodecimo, in quæstione nona, adducit tres rationes, quarum prima est nullum æternum habet materiam, quia dicit Commentator in secundo cœli, commento quadragesimonono, abscisio à materia est causa perpetuitatis. Sed prima substantia est æterna: ergo, &c.

Hæc ratio, vt diximus, non concludit, nisi in via Comment. & tu in via Beat. Thom. vt te docui habes negare maiorem.

Secunda est, In prima substantia nulla cadit priuatio, nec imperfectio: ergo in ea non est materia, consequentia probatur, quia priuatio & imperfectio est annexa materiæ, vt proprium accidens. Antecedens autem patet, quoniam in quinto Metaph. de perfecto. Prima substãtia est perfecta per hyperbolem.

Hæc ratio non concludit, nisi de primo princi. Nam esse perfectum per hyperbolem est conditio propria primi princi. vt dicit Commenta. veritate coactus in quinto Metaphysi. super ca. de perfecto. Præterea, consequentia sua non valet, nec probatio. Nam falsum est quòd priuatio & imperfectio sint annexa materiæ, sumptæ primo modo, vt proprium accidens. Nam inueniuntur in intellectu possibili, ex tertio de anima, textu quinto, & in corpore cœlesti, vt patet de Luna patiente eclipsim, & tamen in cœlo secundum Commentator, quem sequitur Iand. non est materia sumpta primo modo: ergo, &c.

Tertia ratio, Si prima substantia haberet materiam, non

esset prima substantia, quia omne compositum est posterius suis componentibus.

Hęc ratio concludit solùm de primo principio, quod solùm est prima substantia, sicut est primum ens, prima causa, intentio autem philosophi est, negare materiam primo modo sumptam ab omni substantia abstracta: vnde rationes adductæ à Iandun. parum deseruiunt conclusioni præpositæ.

Secunda conclusio, quæ est vera secundum philosophum & secundum se, in primo princ. non est materia secundo modo sumpta probatur, in eo non est potentia passiua per quęstionē præcedentem, & secundū philosophū in 5. lib. c. de perfecto, habet enim in se omniū generum perfectiones, ergo non est perfectibile aliquo alio. ergo nō est in eo materia secundo modo dicta. consequentia patet, quoniā materia secūdo modo dicta est subiectū receptiuū cuiuscunque perfectionis ab extrinseco.

Tertia conclusio, Intelligentiæ licet pro quanto sonant verba philosophi non habeant materiam secundo modo dictam, habent tamen secundum veritatem. Prima pars patet per quæstionem præcedentem. Nam huiusmodi materia est potentia passiua, quam probauimus secundum philosophum, non esse intelligentias, prout eius verba sonant: ergo, &c.

Secundam autem partem probo sic, Actio intelligentię nō est substantia sua, sed accidens, ergo substantia sua comparatur ad actionem, vt subiectum perfectibile ad perfectionem suam. Sed subiectum perfectibile dicitur materia secundo modo, ergo, &c. consequentia nota. Antecedens autem probabitur, quando determinatum fuerit infrà, intelligentias esse effectiuè à Deo. Nam si sunt productæ, sicut non habent esse à se, sic nec perfectionem suam, vnde comparantur ad perfectionem suam, vt potentia passiua ad actum. Tu igitur sustine, & expecta probationem illius antecedentis, donec probatum fuerit primum prin. esse productiuum omnium. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIII.

Si cœlum agit in hæc inferiora, & quomodo.

Si igitur idem est semper & circulariter, necesse est vt agat sic per se & sic per alterum. Tex. 33. Vbi inquit Cōment. Quæ autem faciunt actiones diuersas sunt quæ mouentur orbibus decliuibus, & maximus eorum est sol, &c.

CONCLVSIO.

Cœlum agit in hoc mundo inferiori, tam in elementis quàm in elementatis, idque dupliciter primo respectu multorum effectuum vt causa particularis sufficiens sine concursu alterius agentis specialis. Secundo respectu omnium quæ fiunt ab agentibus particularibus in hæc inferiora vt causa vniuersalis.

IN hac quæstione aduerte, quòd est vnum confessum ab omnibus, eo quòd sensui patet, scilicet cœlum agit in hoc mundo inferiori, tam in elementis quàm in elementatis: vnde philosophus in princ. primi meteororum dixit, mundū inferiorem gubernari lationibus superioribus, & in princ. 8. lib. phy. ponit motum cœli vt vitam, omnibus natura subsistentibus. Supposito igitur vt concesso ab omnibus, cœlum agere in hæc inferiora, tria in hac quæstione agenda sunt. Primò, quot modis agit in hæc inferiora. Secundo quo medio. Tertio adducentur quædam dubia & soluemus.

Quantum ad primum dico, quòd regulariter duobus modis agit in his inferioribus, primò respectu multorū effectuū quos videmus, agit vt causa particularis sufficiens sine cōcursu alterius agentis specialis, & hoc declaratur in elementis, & deinde in elementatis, nam in elementis videmus illuminationes fieri, vt in aëre, & in aqua, ad solam præsentiam solis, & aliarum stellarum, remoto quocunque alio luminoso. & videmus elementa tria calefieri à sole & stellis, omni alio calefactiuo remoto, ergo, &c. & aduerte q̄ non solùm in elementis videmus aliquos effectus causari, tantum à cœlo, sed & supra elementa, vt illa impressio dicta galaxia, id est, lactea, de qua satis locuti sumus in epitome nostra in primo meteoro, in tra. 2. in ca. 1. vbi declarauimus quid sit, à quo effectiuè sit, & in quo subiectiuè sit. Illic videbis, quod causatur à solis stellis minutis existentibus in orbe stellarum fixarum, & in eodem orbe subiectiuè recipitur. Idem intellige de illuminatione lunæ & solis, in elementatis autē id videmus in multis vegetabilibus & animalibus, quorum generatio nō est à sibi simili in specie, vt quæcunque generātur ex putrefactione. Certum est enim quòd cum generationes sint singularium, oportet illis designare causam particularem, quam non possumus assignare, nisi corpus cœleste. quod agit in huiusmodi generatis vice seminis, vt iam docuimus in lib. 7. metaph. q. 10. & 11. & ad hoc apertam habemus mentem Comment. in 7. metaph. cōment. 33, vbi loquens contra Auic. extimantem omnem formam substantialem causari in materia ab intelligentia agente, inquit, Apparebit quod semina sunt illa, quæ dant formas rerū generatarum à seminibus per formas, quas dederunt semina generantia, in generabilibus autem non ex se, id est, à casu apparebit, quod corpora cœlestia sunt illa quæ dant istis aliquid loco seminis, & virtutum quæ sunt in semina, &c.

Secundo, Respectu omnium quæ fiunt ab agentibus particularibus, in his inferioribus agit cœlum, vt causa vniuersalis cui subordinantur omnia agentia particularia, ita quòd & cœlum & agens singulare sint duæ causæ partiales, quæ simul iunctæ constituunt vnum totale. Et quidem sic manifestatur, Agentia inferiora siue sint elementa siue elementata, nullam habent actionem realem physicam cum transmutatione materiæ, siue transmutatio sit ad formam substantialem siue accidentalem, nisi concurrente cœlo, ergo se habet vt primū & vniuersale agens, consequentia nota, & probatur antecedens omne quod naturaliter fit in his generabilibus & corruptibilibus necesse esse est reduci in aliquam causam naturalē ingenerabilem & incorruptibilem. Sed hæc causa non est, nisi corpus cœleste. ergo, &c. Probatur maior, sicut omne mobile oportet tandem reduci ad aliquod immobile, quod est causa omnis motus, eo quòd in mouentibus & mobilibus non est procedere in infinitum, vt iam probauimus in 2. lib. etiam de mente philosophi, sic necesse est reducere omne generabile, & omnem generationem naturalem in aliquod ingenerabile & incorruptibile, quod sit causa vniuersalis omnium, quæ generantur in his inferioribus. Hoc autem non est primum principium, quia non disponit immediatè per se ipsum hæc inferiora sed per causas medias. Hic autem intendimus de causa, quæ immediatè concurrit ad generationem, & omnem transmutationem rerum inferiorum. Nec est aliqua ex intelligentiis, quoniam secundum veram philosophiam, non mouent per se ipsas materiam ad formam, patet autem quod in omni transmutatione, cuius terminus est forma, mouetur ab agēte materia ad formā, necesse est ergo, vt vniuersale agens ad quod immediatè reducitur omnis transmutatio inferiorum, sit agens corporeū ingenerabile, & incorruptibile, quod sit aptum naturaliter agere & mouere materiā ad formam. Hoc autem agens corporeum non potest esse, nisi cœlum, solum enim inter agentia naturalia est ingenerabile & incorruptibile, cum non sit de natura quatuor elementorum vt probatur in primo cœli.

Præterea, illud videtur vniuersale, agens in his inferioribus, quod agit ad vitam omnium viuentium. Hoc autem est cœlum, vnde Cōment. in 2. cœli cōm. 63. Principium vitæ quod est in orbe, est causa omnis vitæ, & in 12. metaphysi. cōmen. 18. Sol, stellæ, & aliquæ sunt principium cuiuslibet viui in natura.

Quantū ad secūdum, scilicet quo medio agit, aduerte, quod non est assignandum vnicum medium, quoniam cum cœlū & astra inducant in his inferioribus non solum calorem, sed & alias qualitates, vt manifestabimus, ideo alio medio causant calorem, alio siccitatem, alio humiditatem, &c. Ad manifestationem igitur propositi ponemus duas conclusiones.

Prima conclusio. Cœlū & astra causant in his inferioribus calorem lumine & motu, probatur, lumine quidem, quoniam lumen ex natura sui est calefactiuum in materia receptiua caloris, qualia sunt tria elementa inferiora, cuius signum est, vt notat Cōmentator in 2. cœli comment. 42. quod videmus loca vmbræ esse frigida. Cum igitur posuerimus corpus tersum à quo radij luminosi reflectuntur ad locum in quo radij non erant antè, videmus illum locū calefieri, & antè erat frigidus, & si illud corpus auferamus, auferetur reflexio. & refrigidabitur locus. Igitur ex hoc apparet, quòd radij calefaciunt per se, id est, ex sui natura. Quòd etiam motu causetur calor, declarat philosophus in 2. cœli, tex. 42. vbi inquit, Natus est enim motus ignire, & lapides, & ligna, & ferrum, vbi inquit Commen. Diximus quod partes orbis in quibus sunt stellæ, calefaciunt aërem per motum, quia ipse motus calefacit ferrum, & lapidem, & cùm motus calefacit ferrum, & lapidem, quamuis sint multum remota à natura ignis, dignior est calefacere aërem, qui est propinquissimus naturæ ignis. hæc Comment. & aduerte, quòd hæc probatio est ex sola experientia, per quā scimus, quia sic est, si autem quæras, propter quid motus cœli & lux sint causatiua caloris, diximus iam in epitomate nostro in secundo cœli in tracta. secundo, in cap. 1. Vide tu illic ne inutiliter fiat repetitio.

Et iterum si quæras, vtrum lux astri causet calorē sine motu, dico, quòd non, vt etiam magis manifestabitur infrà, sed coniunctim, ita quòd lumen cùm motu, nam licet lumen ex natura sui sit productiuum caloris: tamen non exit in actum, nisi per

nisi per motum, ita quòd est quasi vehiculum, & conditio requisita in huiusmodi calefactione. Motus autem non est causatiuus caloris, nisi in materia disposita ad receptionem caloris, & hæc de causa sphæræ intermediæ inter solem & elementa non calefiunt motu solis, quoniam non sunt corpora calefactibilia, licet illuminabilia, quoniam sunt diaphana. Et quòd calor causetur à cœlo, lumine, & motu simul, cōfirmatur per Com. in secūdo cœli, com. quadragesimosecundo, vbi inquit, lumen est calefaciens per se motu & lumine. Ex his sequitur corollariè, quòd motus secundum quod vnitur distinctis qualitatibus, quæ sunt in mobili, est causatiuus diuersarum qualitatum, verbi gratia, Motus locati Saturni, quoniam vnitur qualitati virtualiter frigidæ existenti in Saturno, ideo Saturnus per motū suū inferiora infrigidat, Mars exiccat, Luna humectat.

Secunda conclusio, Astra non solùm causant calorem in his inferioribus, sed etiam frigiditatem, siccitatem, & humiditatem. Hæc conclusio magis constat nobis experientia, quàm ratione. Experimur enim, quòd post longum & intensum calorem, quasi momentaneè causatur in aëre, longa & intensa frigiditas, non solum in hyeme, sed in vere, in æstate, in autumno, stante etiam quasi eadem propinquitate, & elongatione solis à nobis. Vnde solent appellari huiusmodi tempora irregularia, experimur & vno anno in eodem climate, & in eodem parallelo, hyemem duram & rigidam, in alio anno hyemem mitem & remissam, experimur aliquibus annis longissimam siccitatem, in aliquibus oppositum, vnde non est dicendum id prouenire ex sola elongatione vel propinquatione solis ad nos, sed ex qualitatibus virtualibus existentibus in astris vltra lucem suam. Ex quibus sequitur corollariè, quòd vt astra causent in inferioribus, non solùm calorem, sed & alias primas qualitates, necesse est vt habeant vltra lumen alias virtuosas qualitates. Nam per lumen, quod ex natura sua est productiuum caloris, omnia astra vt luminosa calefaciunt & illuminant. Si ergo Saturnus infrigidat, Luna humectat, Mars exiccat, Iupiter viuificat, necesse est, vt hæc proueniant ab astris, non ex lumine, sed aliis virtutibus sibi propriis.

Sed contra hanc conclusionem videtur esse Commentator, qui in secundo de cœlo, commento quadragesimosecundo, sic inquit, & ideo considerantes operationem stellarum in aliquo tempore, attribuunt quibusdam earum calorem, & siccitatem, vt Soli, & quibusdam frigiditatem, & humiditatem, vt Lunæ: quibusdam frigiditatem & siccitatem, vt Saturno: & quibusdam masculinitatem, vt Saturno: quibusdam fœminitatem, cum in rei veritate non agunt frigiditates, sed calores similes vnicuique elementorum. Sed hoc manifestum est in Luna, quæ operatur in aquis manifestè. Et non extimo quòd Auicenna dicit, quòd faciunt frigiditatem & calefactionem.

Et hoc est remotum & extra fundamentum: sed si fuerit, erit per comparationem: hæc Commentator. In quibus intendit, quòd stellæ agunt tantum calorem: & si dicantur aliquæ stellæ infrigidare, hoc non est nisi comparatiuè, id est, quia minus calefaciunt: ergo secunda conclusio est falsa.

Ad hoc respondetur dupliciter. Primò, si volumus, vt Thomistam decet, tenere sensum B. Th. negandus est Commentator in hoc, quoniam Comm. vult omnes stellas esse eiusdem speciei specialissimæ, vt patet in secundo cœli in comm. quadragesimonono, & per consequens, non habent virtutes varias & distinctas specie, nec productiuas effectuum distinctorum specie, quales sunt calefacere, & infrigidare. Sed B. Tho. sentit oppositum, & impugnat Commentator. in secundo cœli, in lect. decima sexta. Præterea B. Th. defendit Auic. cuius dictum non extimauit Commentator, & arguit contra Comm. vt videre poteris in secundo cœli, lect. decima, & hæc omnia resolutè retigimus in epitomate nostro in secundo cœl. in tra. secundo, in ca. quarto. Quæ nō sunt hic repetenda. Sed vide tu.

Dicitur secundo, quòd Cōmentator in hoc dissentit ab astronomis modernis, id est, qui fuerūt post Calipum & Eudoxum, vt Ptolemæus, & alij post eum, qui posuerunt eccentricos & epicyclos, & varias virtutes in planetis, vltra lucem. Et conatus semper fuit Commentator destruere eorū radices, vt patet in duodecimo Met. in com. quadragesimoquinto. Sed non præualuit, vnde in eodem commēto inquit, In iuuentute mea sperauī, vt hæc perscrutatio complereturper me, in senectute autem iam despero, & omnia argumenta quæ format contra Ptolemæum, nos soluemus infrà: quando quæremus, si est necesse dare eccentricos & epicyclos, & quoniam positionem suam qua negat in 1. cœli, commento 42. stellas infrigidare & exiccare, non probat, sed vult acceptari ex sua mera autoritate, ideo vt sequētes sensum modernæ astronomiæ, & quoniam experientia docuit nos oppositum, negamus dictum suum.

Quantum ad tertium principale, mouenda sunt quædam dubia contra determinationē factam. Et primò circa efficientiā cœli in inferioribus. Secūdò, circa motum. Tertiò, circa lumē.

Quantum ad efficientiam cœli aduerte, quòd quidam tenent cœlum non agere in his inferioribus efficienter, & producēdo per virtutem influxam, sed tātum determinādo agentia particularia ad effectus suos, & dicunt, quòd si cœlum quiesceret, & nihil influeret per motum suum in hoc mundo inferiori, licet elementa & formæ eorum substantiales & accidentales non sufficerent ad generandum mixtum sine virtute cœli influxa per modum determinantis, nec vnum mixtum esset sufficiens ad generandum aliud mixtum, sufficerent tamen elementa secundum formas suas substantiales & accidētales, ad generationem suam, vt quòd ignis generaret ignē, & calor calorem. Et ratio positionis suæ est, quia extimant quòd causæ superiores respectu effectuum causarum inferiorum non habent aliquam causalitatem in eliciendo, vel compproducendo, sed tantum determinant agentia inferiora ad effectus suos, Cùm igitur elementa per suas formas substantiales sint determinata per se ad suos proprios effectus, & calor sit determinatus per se ad calefaciendum, posito quòd cœlum quiesceret, adhuc producerent effectus suos. Mixtum autem nō est ex se determinatum ad proprium effectum, sed per qualitates naturales actiu as & passiuas. Nec etiam istæ qualitates sunt omnino ex se determinatæ, quoniam cùm sint communes omnibus mixtis, in nullo determinatæ sunt, quin possint aliter & aliter disponere: ergo indigent determinari per motum cœli pro generando mixto. Hanc suam imaginationem dicunt esse de mente Commen. in septimo Meta. commentigesimoprimo. Qui loquens contra Auicennam, de intelligentia dante formas dicit, quòd in his quæ generantur sine semine, cùm considerata fuerit demonstratio Aristotelis, apparebit hic, quòd corpora cœlestia sunt illa, quæ dāt istis aliquid loco seminum & virtutum, quæ sunt in seminibus, ex hoc dicto, sic arguunt, si corpora cœlestia in non habentibus semen sunt agentia loco seminum: ergo in habentibus semen non agunt: si ergo concurrunt, cōcurrunt solum in determinando agens particulare. Præterea, Commentator laudās virtutem formatiuam quæ est in semine dicit in septimo Meta. com. trigesimoprimo, quòd est virtus diuina, & quòd agit modo intellectus operatiui, & non agit per instrumentum corporale, nec determinat sibi membrum proprium, quod enim agat per calorem, qui est in semine, hoc non est ita, quòd sit forma in talibus seminibus, sicut anima est forma in corpore naturali, sed ita est inclusa in eis sicut anima, id est, intelligentia in corporibus cœlestibus. Ex quo dicto sic arguunt Comm. ponit, quòd agentia generationem sunt calor in semine & virtus formatiua, vt diuina, quæ est quædam virtus non in semine, sed in principali generante & assistens semini, sicut intelligentia cœlo. Si igitur Comm. se extimat ponere sufficientia agentia generationis in his quæ generantur ex semine, ponendo agens coniunctum, vt calorem in semine, & agens assistens, id est, virtutem formatiuam, non est necesse ponere cœlum concurrere vt efficiens, sed vt determinans & regens generationem. Non ergo cœlum habet efficientiam, sed determinationem in generatione inferiorum, & aduerte, quòd hæc imaginatio attribuitur Henrico quolibe. decimo quarto, quæstione prima.

Sed hæc opinio ideo decipitur, quia non considerat ordinem & nexum, qui est inter agentia naturalia inferiora & superiora, qualia sunt corpora cœlestia, nam si consideraret, quòd inter ea est ordo essentialis, & secundum veram Philosophiam, ista agentia inferiora se habent ad corpora cœlestia, vt causa secunda ad causam primam, quæ non agit nisi agente prima, non incidissent in hanc imaginationem. Aduerte igitur, quòd sicut omnia entia supponunt ens primum, quod est Deus, quo non influente omnia cederent in non ens, sic omnes motus & actiones mouentium & agentium inferiorum supponunt motum primum, qui est motus localis cœli, quo remoto, remouentur, sicut remota causalitate causæ primę, remouetur causalitas omnis causæ secundæ. Hac de causa dixit Philosophus in octauo Physi. tex. primo, quòd motus primus est vita, id est, fons & vniuersale principium in natura existentibus, se habet enim vniuersum, vt animal in quo videmus à motu cordis pēdere motus aliarum partium, & eo sublato aliæ partes immobilitantur, sic in vniuerso, à motu cœli pendet omnis motus rerum naturalium, ita quòd eo remoto immobilitantur omnia, quocunque genere motus & mutationis naturalis, vt motus localis, alteratio, augmentum, & decrementum, & generatio, & corruptio. Vt ergo conserues ordinem essentialem, & nexum inter agentia inferiora & superiora, tenebis, quòd

cœlum motum non solùm determinat agentia inferiora ad proprios effectus,sed agit & influit in quocunque effectu inferiori, sicut causa prima influit in omnem effectum causæ secundæ sibi subordinatæ.

Quòd si tenueris imaginationem prædictam,declinabis in defectum eorum,quos reprehendit philosophus in 12. metaphy. in tex. vlt. qui auferentes ordinem à partibus vniuersi faciunt inconnexam ipsius vniuersi substantiam.

Ratio autem adducta à sic imaginantibus non est aliquius roboris, falsum est enim, causas superiores non habere aliquam causalitatem super causas inferiores, quo ad effectus earum. Nam talem causalitatem habet, qualem causa prima super effectum causæ secundæ, in quam magis influit quàm causa secunda, non enim secunda influit, nisi quia prima influit, vnde homo generat, quia Sol suo motu influit in homine. Et dato quòd elementa & mixta per virtutes suas actiuas essent determinata ad proprios effectus, non possunt exire de potentia ad actum, nisi concausante & coagente cœlo per motum, quoniam ille est ordo inter motus naturales, quod secundarij quales sunt motus agentium inferiorum, supponunt primũ, vnde licet ignis remoto motu cœli, esset generatiuus ignis & calefactiuus, non tamen exiret de potentia ad actum, quoniam requirit ordo vniuersi.

Nec dictum primum Comment. sibi suffragatur, non enim aliud intendit, nisi quòd in generatis sine semine corpora cœlestia sufficiunt, quoniam gerunt vicem agentis particularis, vltra hoc quòd sunt agens vniuersale.

Tunc ad argumen. dico, quod consequentia solum valet in hoc sensu, ergo in habentibus semen, non agunt vt gerentia vicem agentis particularis: quod conceditur. si autem intendunt consequentiam valere absolutè neganda est, similiter dictum secundum Cõment. non prodest eis. Posito enim quòd Cõmen. intendat virtutem formatiuam & calorem seminalem esse sufficientia agentia particularia generationis in his quæ generantur seminaliter, adhuc necesse est ponere cœlum motum vt agẽs vniuersale, & prima causa, in hoc genere quæ influit, & reducit ad actum agẽtia particularia, non solùm determinando, sed coagendo in effectum agentis particularis.

Quãtum ad motum aduerte, quòd est opinio famosa attributa Durando, qui tenet motum localem cœli nõ posse esse medium, nec rationem agendi, nec necessariò requisitum ad hoc quòd cœlum agit in hæc inferiora, sed tantum requiritur ad nouitatem actionis, vel ad alterationem actionum, quod sic declarat. Ad actionem requiritur approximatio agentis & passi, qua posita, remoto impediente, necessariò sequitur actio in naturalibus.

Si igitur aliqua actio fit de nouo, oportet de nouo approximari actiuum passiuo, hæc autem approximatio fit per motum localem: & ideo ipse motus præexigitur nouæ actioni.

Item ad alterationem actionũ requiritur, nam quia idem manens idem est aptum semper facere idem, ex 1. de generatione: ideo si cœlum & astra non mouerentur, semper eodem modo se haberent ad determinatas partes terræ: & sic semper facerent idem.

Nec esset in eadem parte alternatio diei & noctis, caloris & frigoris, æstatis & hyemis, sed semper vnum ex his. Vt igitur sit in eadem parte terræ horũ alternatio: requiritur quòd cœlum & astra per motum suum sint aliquando præsentia, aliquando absentia, aliquando propinqua, aliquando remota respectu eiusdem regionis, vt innuit philosophus in 2. de generatione dicens, quòd motus circuli obliqui est causa alternationis, generationis, & corruptionis: ex his concludit, quòd motus cœli non est ratio agendi in his inferioribus simpliciter, quia cœlum potest agere sine motu, sed tantum est necessarius modo quo dictum est.

Duran. autem conatur sic probare intentum suum, si cœlũ non potest agere in hæc inferiora sine motu, hoc est, vel quia motus est principium formale, quo cœlũ agit, sicut calor est principium formale, quo ignis calefacit, vel quia est ipsa actio cœli per quã agit, sicut ignis calefacit per calefactionẽ, quæ est actio ignis, vel quia est conditio necessariò requisita sine qua cœlum non agit, sicut motio securis à secante est necessario requisita in sectione, nõ enim securis nisi mota, secat.

Non primò: quia principium formale aliquid absolutum ponit in agente, actuat enim ipsum, sed motus localis nullum absolutum ponit in mouente: non enim potest ponere nisi locum, nam si poneret formam substantialem vel accidentalẽ iam nõ esset motus localis, sed generatio, vel alteratio, vel motus in quantitate, locum autem non potest ponere quia nõ est in locato sed in locante ex 4. phys. Non secundò: quia actio nõ est in agente, sed in passo, motus autem cœli est in cœlo, quia omnis motus est in mobili, ex 3. phy. ergo motus cœli non est actio cœli per quam cœlum agat in alterum. Nõ tertio quia motus localis non est necessario requisitus in corpore generabili vt agat, vt patet de magnete, qui quiescens attrahit ferrum ergo multo minus in corpore ingenerabili, vt est cœlũ.

Ad hoc dicitur, quòd motus localis requiritur in cœlo vt agat in inferioribus actione naturali, non quia sit principium formale, vt argum. probat, nec actio cœli, sed vt necessario requisitum, est enim conditio sine qua non.

Quoniam ab agente non prouenit actio, nisi agens proportionetur passo. Corpus autem vt agẽs nõ proportionatur corpori patienti nisi per motum, quia corpus non est mouens nisi moueatur, & hęc est natura corporis actiui & mouentis, & cũ probatur, quia magnes trahit ferrum quiescens, dicitur quòd ferrum magis & verius trahitur ad magnetem quàm à magnete, vnde secundum dictum Comment. in 7. phy. commen. 10. est attractio æquiuocè dicta, quoniam attractio in qua attrahens est quiescens, & attractum est motum, non est attractio in rei veritate, ex consequenti est magis ad magnetem, vt ad finem, sicut lapis mouetur ad centrum, quàm effectiuè, à magnete, sicut nec lapis mouetur effectiuè à centro, cœlum autem motum agit inferiora effectiuè, & non vt finis, ideo non est, simile de cœlo & de magnete.

Sed quod motus non sit necessarius ad hoc ꝙ cœlum agat in inferioribus actione naturali, arguitur sic à Paul. Son. in 12. metap. q. 13. qui videtur declinare ad opinionem Duran. si cœlum staret, adhuc illuminaret Sol partem terræ, super quam existeret. ergo eam calefaceret. calefactio autem est actio naturalis: ergo, &c. Prima consequentia est cõcessa ab omnibus: secunda autẽ sic probatur, Quod conuenit alicui secundum se non potest ab eo naturaliter auferri. Sed lux secundum se & ex natura sua est actiua caloris, ergo, &c.

Ad hoc dicitur quòd licet lux ex natura sua sit actiua caloris, non tamen in se & ex se habet omnem conditionem requisitam ad hoc quòd exeat in actũ, sicut licet gladius in se habeat virtutem incisiuam, quia durus & acutus, tamen non exit in actum, nisi per motum, conditio autem requisita est motus, ita quod si luci non adiungitur motus, non calefaciet, vt etiã diximus suprà: vnde licet à luce non posit auferri quod sit actiua caloris, potest tamen impediri ne exeat in actum, ex remotione motus à corpore luminoso.

Quantum ad lumen, de quo dictum est, quòd est actiuũ caloris dubitatur, quia non videtur verum, nã si est calefactiuũ, vel hoc habet à natura sua, vel à motu, quia scilicet motus est calefactiuus, sed neutro modo, & primo ꝙ non ex natura sua, quia lumen nõ est ex natura sua qualitas actiua. ergo nõ est calefactiuum. Consequẽtia nota. Antecedẽs sic probatur, si esset qualitas actiua, haberet oppositum contrarium, & non solùm priuatiuum. Consequentia patet, quia videmus quòd aliæ qualitates actiuæ habent contraria, vt calidum habet frigidum, humidum habet siccum, graue habet leue. Sed lumini opponitur tantùm tenebra, quæ est priuatio. ergo, &c.

Ad hoc dicitur dupliciter. Primò negatur consequentia, quoniam non est vera, nisi in qualitatibus actiuis elementaribus quæ productione vniuoca sunt principia producendi sibi simile, vt calor calorem, &c.

Secundo potest negari falsitas consequẽtis, quoniam licet lumen vt lumen non habeat oppositum contrariũ, sed tãtùm tenebram, tamen, vt est productiuum caloris, habet aliquam qualitatem virtualem contrariam productiuam frigiditatis, puta quæ est in Saturno, & hæc erit sibi contraria virtualiter propter effectum contrarium, & hoc sufficit.

Secundò arguitur ad idem, si lumen est qualitas actiua, ergo est species qualitatis, sicut frigiditas. Sed species qualitatis, distinguuntur per differentias contrarias & positiuas præcisè de tertia specie qualitatis, igitur si lumen sit qualitas actiua, habet contrarium, & non solùm priuatiuum.

Ad hoc dicitur, vt ad præcedens, quòd vt species qualitatis actiua caloris distinguitur differentia contraria ab alia qualitate productiua virtualiter frigiditatis, & quoniam tales differentiæ contrariæ constitutiuæ huiusmodi qualitatum sunt nobis incognitæ, ideo notificantur nobis per contrarios effectus, & cum dicitur, quod oppositum luminis est tantum tenebra, ergo nõ oppositum contrarium. Respondetur, quòd licet lumen vt lumen habeat, solum tenebram sibi oppositam non tamen vt est actiuum caloris.

Tertiò arguitur ad idem, quòd scilicet lumen non sit actiuũ caloris, si est effectiuum caloris, ergo sicut illuminatio est in instanti, calefactio erit in instanti, quod est falsum, quoniam

cum calefactio sit motus, motus esset in instanti. Consequentia autem probatur, quoniam causa in actu & effectus in actu sunt simul, sed secundum te, illuminatio est causa calefactionis, ergo quandocunque ponitur vnum, ponitur aliud, sed illuminatio fit in instanti: ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd supponit falsum, scilicet lumen seipso solo causare calorem, hoc non est verum, quoniam secundum Philosophum & Commentat. in secundo cœli commen. quadragesimo secundo, vltra lumen requiruntur propinquitas luminosi, & directio radiorum, & multiplicatio, & reflexio.

Dico ergo, quòd licet illuminatio fiat in instanti, non tamen calefactio, & quando dicitur, quòd posita causa in actu ponitur effectus in actu, concedo, si ponitur causa in actu, cum conditionibus requisitis, in proposito autem dico, quòd vltra illuminationẽ requiruntur intrinsecatio radiorũ, & multiplicatio, & reflexio facta à corpore, ad quod determinãtur radij, & aliqualis mora illuminantis super illuminabile reflexiuũ. Et quoniam hæc fiunt in instanti, ideo calefactio non fit in instanti.

Quod autem nec motu causetur calor, arguitur duplici experimento, Aqua calefacta fiagitetur baculo, frigescit, quod non esset, si motus calefaceret. Item aqua stans, vt experimur, in lacuna, magis calescit, quàm fluens, ergo quies est magis calefactiua, quàm motus.

Ad hæc dicitur, quòd licet motus causet calorem, non tamen vniformiter & semper, sed gratia materiæ in qua fit, causat frigiditatem vt in experimentis adductis. Nam quando aqua calefacta agitatur baculo, segregantur partes aquæ, ad talem segregationem exhalãtur aqua partes subtiles, in quibus vigebat calor, & ita remouetur calor. Aqua autem stans ideo calescit magis, quia aqua stante incorporatur magis calor in partibus aquæ subtilibus, quando autem fluit ex segregatione partium prohibetur huiusmodi incorporatio: ideo minus calescit. Aliæ causæ possent allegari, sed istæ sufficiant. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIIII.

Si Aristotel. demonstrauit mundum esse æternum.

Et est aliquid semper motum motu incessabili. Tex. 34.

CONCLVSIO.

Existimauit Aristoteles constanti animo, se veris demonstrationibus probasse mundum esse æternum.

IN hac quæst. vt plenè resoluatur, tria inuestiganda sunt. Primò si Philosophus putauit se demonstrasse æternitatẽ mundi. Secundò, si verè demonstrauit. Tertiò, posito quòd nõ, si possumus saltẽ probare, quòd mundus potuit produci ab æterno.

Quantum ad primum, quoniam in tota determinatione intendo loqui ad mentem Beati Thomæ, pono hanc conclusionem. Philosophus firmiter opinatus est, se demonstrasse mundum æternũ, probatur, Philosophus firmiter opinatus est motum & tempus esse æterna: ergo & mundum, consequentia nota. Antecedens est B.T. in duodecimo Metap. super tex. trigesimo, & assignans rationem inquit, Aliter non fundasset super hoc inquisitionem substantiarum immaterialium, quasi dicat, Si extimasset Philosophus motum posse esse non æternum, non deduxisset hanc conclusionem, quæ est præcipua in Metaphysic. Datur aliqua substantia æterna, cuius substantia est actus, & est immaterialis, ex æternitate motus. Probare enim conclusionem veram ex medio falso, & necessariam ex medio contingenti, non est dignum Philosopho.

Tunc vltra, extimauit firmiter mundum esse æternum, ergo putauit se demonstrasse mundi æternitatem, probatur consequentia. Ad probandam æternitatem motus & temporis & consequenter mundi induxit in octauo Physicor. duas rationes, vnam in textu septimo, de motu, quam credidit ita concludere, quòd tenere oppositum, scilicet motum incœpisse, cùm prius nullo modo esset, implicat contradictionem, vnde inquit, Quare ante mutationem primam erit mutatio prior, & idem replicat in text. nono. Alteram in text. vndecimo, quam & replicat in duodecimo Metaph. tex. vigesimonono, qua putat ita probare ęternitatem temporis, quòd tenere oppositum implicat contradictionem. Tenet enim quòd si tempus incœpit, datur prius ante tempus: ergo ante tempus fuit tempus, quia non datur prius sine tempore, ponere autem tempus antequam tempus esset, implicat contradictionem. Sed rationes ad hoc deducentes, quòd tenere oppositum implicat contradictionem, sunt demonstratiuæ apud intellectum probantis. Cùm ergo Philosophus tales rationes ad propositum induxerit, patet quòd putauit se demonstrasse intentum.

Quantum ad secundum pono duas conclusiones, prima est, Si non esset alius modus quo ponerentur & mundus & motus incœpisse, quàm ille qui ponebatur ab antiquis, vt ab Anaxa. ab Empe. à Democ. demonstraret verè Philosophus mundum & motum non incœpisse. Probatur, Iti ponebant, vt patet in octauo Phy. in tex. secundo, mundum incœpisse per mutationem naturalem & motu naturali, vt Anax. per segregationem partium ab illo confuso. Emped. per motum litis & amicitiæ. Democ. per concursum atomorum: sed impossibile est mundum sic incœpisse, & sic desinere esse, quoniam ineuitabiliter sequitur, vt deducit Philosophus in octauo Physi. tex. septimo, quòd datur motus prior motu primo, vt videre poteris illic, & quoniam illi antiqui non cognouerunt alium modum productionis, nec incœptionis, nisi Physicæ, per quẽ modum est impossibile mundum incœpisse, ideo contra talem modum arguit, & demonstrat Philosophus. Quasi sic arguat contra eos, si mundus non est ęternus, ergo incœpit secundum vos modo Physi. Sed hoc est impossibile, quia daretur mutatio prior mutatione prima, consequentia conceditur ab eis, quia nesciunt alium modum producendi, falsitas autem consequentis implicat contradictionem. Cùm ergo nõ incœperit modo Physico, & nõ sit alius modus secundum vos: sequitur, quòd estis coacti ponere mundum, & motum, & tempus æterna. Hæc fuit via Philosophi contra antiquos, qua supposita patet, quòd verè demonstrauit contra eos, nec mundum nec motum incœpisse.

Secunda conclusio, Philosophus non demonstrauit simpliciter mundum esse æternum, nec intendebat demonstrare. Prima pars huius conclusionis probatur. Qui demonstrat simpliciter, format rationes veras simpliciter, quæ constant ex præmissis veris & necessariis simpliciter, ita quòd non indigent distinctione. Sed rationes Philosophi in hoc proposito, non constant ex veris simpliciter, & vniuersaliter, vt videre poteris solutiones Bea. Tho. in octauo Phy. super tex. decimotertio, & in duodecimo Meta. text. trigesimo, quas non est opus hic adducere. Verùm quia Iand. in duodecimo Met. in quæstione sexta, tenet rationem formatam à Philosopho ad probandam æternitatem temporis esse veram simpliciter, nec posse naturaliter, id est, remota fide condici. Et reprobat solutionem B.Th. in qua, vt videbis in duodecimo Meta. super tex. trigesimo, sic inquit, Manifestum est, quòd ratio quam hic posuit ad probandum sempiternitatẽ motus, non est demonstratiua, non enim si ponimus tẽpus quandoq; incœpisse, oportet ponere prius, nisi quid imaginatum, sicut cùm dicimus extra cœlum non est corpus, ly extra, non est nisi quid imaginatum. Sicut igitur extra cœlum non oportet ponere locum, licet extra, videatur locum significare, ita nõ est necessarium, quod tempus sit priusquam incœperit vel postquam desinet, hæc B. T. in quibus intendit, quòd prius & posterius ante incœptionẽ temporis non sunt differentiæ essentiales temporis, sed tantũ secundum imaginationem: ideo volo defensare solutionem B. T. cõtra Iand. Contrà, dicit Iand. Hoc dictum est falsum, scilicet quòd prius & posterius dicãt differẽtias temporis imaginatas, imò dicunt differentias essentiales, & impossibile est, naturaliter loquendo, quòd prius & poste, sint sine tempore, Sed Iand. dictum suũ non probat, ideo nihil concludit contra B.T. Nos autem dicimus, sicut tempus sumitur dupliciter, ita prius vel ante, nam datur tempus reale, quod est mensura primi motus, vt declaratum est in quarto Phy. & in tali tempore, prius & poste, sunt realia, & correspondent priori & poste. parti motus, vt mensura realis mensurato reali, vtrum autem tempus & motus, similiter partes temporis & partes motus distinguãtur realiter, pro nunc non determinatur, spectat enim hoc li. quarto Phy. vbi dixi intentionem meam in particulari quæstione. Vltra tempus reale, datur tempus aliud, quod dicitur imaginatum. Nam dato per impossibile apud Philosophum, quòd cœlum non moueretur, adhuc possem apprehendere aliquam successionem in actu imaginandi, prout possem imaginari montem aureũ, deinde lapideum, deinde æneum. Et hæc successio mensuraretur imaginariè per prius & poster. non quidem realia, quoniam si per casum cœlum non moueretur, non esset tempus reale, nec pars prior & poster. temporis realis: ergo esset tempus secundum imaginationem, & prius ac poster. temporis imaginati. Et in tali tempore, prius ac poste, non sunt differentiæ reales, cùm nec tempus sit reale. Et quoniam B.Th. declarat mentem suam per similitudinem sumptam ab extrà, dicens, sicut quando dicimus quòd extra cœlum nõ est corpus, ly extra, nõ est differentia realis loci realis, sed differentia imaginaria loci imaginati, nam extra cœlum non possumus, non imaginare spatium; sic in proposito & æterna. Sed dicit Iand. quòd non est similis ratio, quoniam ly extra, aliquando potest accipi priuatiuè, siue per priuationem corporis circunscribentis: & sic non est differentia loci essentialis, sed prius & poster. sunt differentiæ essentiales temporis, & nunquam possunt accipi

cipi per priuationem temporis mensurantis. Sed si Iand.B. Tho.vidisset in 8. physi.super tex.13.id fortè non dixisset, nam illic declarat q̃ ly sicut extra, aliquando tenetur affirmatiuè, aliquando negatiuè, ita ly prius & antè, & quando tenentur affirmatiuè sunt differentia temporis realis, vt dicimus. Ante iuuentutem nihil est iuuentutis, quando autem tenetur negatiuè, est differentia solum imaginariè, vt hic. Ante tempus nõ est tempus, patet ergo, quòd est par ratio de ly prius, & ly extra, vnde Iandun. loquitur potius affectu, quàm veritate rei. Non ergo ratio de æternitate temporis inducta à philosopho est demonstratiua simpliciter.

Aduerte etiam, quòd ratio quam solent aliqui formare fundata super æternitate actionis Dei non est demonstratiua. Nã sic arguit, Cuius actio est æterna, eius effectus est æternus. Sed actio Dei est æterna, cùm sit substantia sua, vt patet etiam per philosophum in lib.12.metaph.tex.39.& mundus est eius effectus, ergo mundus est æternus. Maior autem est vera & necessaria. Repugnat enim ponere actionem, & non ponere effectum, saltem in fieri, vt si pono calefactionẽ, pono calefactũ, vel aliquid quod calefit, si dicatur quòd actio Dei vt actio non est æterna, sed vt res, quoniã vt res est substantia Dei, quæ est æterna. Sed nõ sequitur, quòd effectus sit æternus, nisi ponatur actio vt actio æterna. Contra, Si vt actio non est æterna, sed in tempore, ergo sequitur quòd Deus prius fuit ages in potentia, quàm in actu: & sic exiuit de potentia ad actum, quod etiã repugnat philosopho in 12.metaphy.tex.51. consequentia probatur. Actio Dei vt actio, non æterna. ergo Deus non est agẽs, vt agens actu æternum, & in tempore incœpit esse agẽs actu, ergo transiuit à non agente actu, ad agens actu, & sic ab agẽte in potentia ad agens actu.

Ad hoc dicitur, quòd actio vt actio non est in Deo æterna: quoniã ineuitabiliter sequeretur effectus æternus, nisi ponamus actionem Dei frustratoriam, quod est profanum opinari. Vt res autem, qui est ipse Deus, est æterna. Et cùm arguitur, ergo transiuit à potentia ad actum, negatur cõsequẽtia. Nam ad hoc quòd agens transeat à potentia ad actum, necesse est vt actio sua sit accidens perfectiuum agentis. Deus autem se ipso perfectus est. vt diximus suprà. Potest etiam dici & forte melius, quòd actio vt actio quantum ad totum illud quod ponit in agente, est in Deo æterna, ponit autem in Deo potentiam actiuam, quam constat esse æternam.

Quantum autem ad connoratum, scilicet inferre passionẽ & productionem effectus, non est æterna, non tamen propter hoc Deus mutatur de potentia ad actum, quoniam ex actione sua nulla sibi aduenit perfectio noua, sed tantum effectus eius perficitur acquirendo esse, quod ex se non habet. Patet igitur, quòd philosophus non demonstrauit simpliciter mundi æternitatem, sed ad hominem, vt declarauimus in prima conclusione.

Secunda autem pars conclusionis, scilicet quòd non intendebat demõstrare simpliciter, sed ad hominem, manifestatur ex modo suo procedendi. Nam vt notat B. Thom. in 1. parte quæst.46.artic.1. Aristoteles in 1. de cœlo, & in 8. physic. præmittit quasdam opiniones eorum, qui ponunt mundum incœpisse, vt Anaxa.& Empedoc. & contra eos rationes contradictorias inducit.

Præterea vbicunque de materia loquitur, inducit testimonia antiquorum, quod non est demonstratoris, sed probabiliter persuadentis.

Præterea, dicit expressè in primo Topicorum, quòd sunt quædam problemata dialectica, de quibus rationes non habemus, vt vtrum mundus sit æternus, ex his igitur constat, quòd philosophus non intendebat simpliciter demonstrare æternitatem mundi, & hæc est doctrina B.Thom. vt dixi in 1.parte q.46.artic.1. quam Paulus Sõcinas non studuit sustinere, nam in 12.metaphysi.q.10.in responsione argumentorum, quæ fouerat in principio quæstionis, ex quibus primum est ratio B. Thomæ, tertia hic posita, & quartum est ratio secunda beati Thomæ similiter hic posita, soluit vtranque, & ad eam quæ est tertia, beati Thomæ dicit, quòd Aristotelis consuetudo fuit, materias quas nondum determinauerat, pertractare solùm vt probabiles, si aliquando de eis sermo incidebat, & quoniam nondum determinauerat, an mundus sit æternus, ideo in libro Topicorum, dicit esse problema, Dicit etiã, quòd philosophus in libris logicalibus sæpe vtitur exemplis aliorum, ita fecit in proposito, nam aliqui, vt Plato dixerunt mundum non esse æternum.

Ad eam autem, quæ est secunda B.Thõ. dicit. quòd demonstrator non adducit aliorum dicta, vt per ea demonstret, & cogat, intellectum: sed postquam demõstrauerit, potest ea adducere ad maiorem confirmationem. Sic fecit philosophus in proposito.

Sed patet intuenti textum philosophi in primo Topicorum & est in cap.8.illic non pertractat de æternitate mundi probabiliter, nec determinatiuè, nec incidebat sermo de eo, nisi gratia exempli, tractat autem de natura problematis dialectici, dicens, Sunt autem problemata &'de quibus tunt cõtrarij syllogismi. Dubitationem enim habet, vtrum sic se habeat, vel nõ, eo quòd in vtrisque sunt rationes verisimiles, & de quibus rationem, scilicet certam & necessariam nõ habemus, difficile arbitrãtes esse vnum quare assignare, id est, determinatam causam assignare, vt vtrum mundus sit æternus, vel non. Ex quibus patet quòd hoc quæsitum vtrum mundus sit æternus ex propria sententia cõnumerat inter problemata, de quibus dicit, quòd pro vtraque parte sunt rationes verisimiles, & de quibus rationem non habemus, & in hoc quod dicit non habemus, connumerat seipsum, cum antiquis.

Nam si intenderet tantum de antiquis, non diceret non habemus, sed non habent, vel non habuerunt.

Ex hoc patet, quòd exemplum de æternitate mundi, non est adductum in persona antiquorum, sed de intentione philosophi. Propterea stat ratio Beati Thomæ, & solutio Pauli inefficax est.

Quod autem dicit, quòd philosophus non adducit aliorum dicta, nisi ad confirmationem, hoc falsum est. Nam in secundo cœli, textu secundo adducit testimonium patrum, quòd cœlum est mobile velocissimum, æternum. Incorruptibile, cuius motus non habet principium neque finem, sed est æternus in tempore infinito.

Et id quidem adducit in confirmationem determinationis quam fecerat de æternitate cœli. In tex. autem primo elusidẽ ly, comparat rationes & sermones suos rationibus eorum, qui ponebant cœlum factum & non æternum, & nõ extimat demonstrationes cogentes intellectum, sed magis efficaces & generatiuas maioris fidei, & ad quas non sequuntur aliqua impossibilia, sicut sequuntur ad positionem cõtradicentium. Vbi & Commentator inquit, Cùm aliquis intuebitur sermonem Aristotelis & aduersariorum eius in hac quæstione, & inuenerit sermonem aliorum, sequi plura impossibilia, & inuenerit sermonem Aristotelis non sequi aliquod impossibile, acquiret fidem malorem, quàm habuerit prius ex ratione, & ideo dicit Alexander, Nos autem non sumus sustentati super sententiam huius hominis, scilicet Aristote. inter omnes alios, nisi quia videmus ipsum minoris ambiguitatis, & remotiorem à contradictione. Hæc Commentator. Ex quibus patet, quòd rationes & positio Arist. de æternitate non sunt nisi magis persuasiuæ, quàm rationes aduersariorum. Ex consequenti non demõstrauit simpliciter. nec arbitrabatur demõstrare, sed se habere vt magis persuadens: vnde siue vratur dictis antiquorum ad confirmationem, siue comparatiuè, nõ se habet vt demonstrator, secundum quod dicit Beatus Thomas, sed vt persuadens. Propterea facile erat Paulo sustinere mentem, & rationem Beati Thomæ.

Sed dices, Si philosophus non suadebat sibi posse simpliciter demonstrare æternitatem mundi, sed tantum ad hominẽ, quare eam firmiter credidit, vt sibi attribuit B. Tho. in 12. metaph. super tex.30.& super hanc credentiam fundauit inquisitionem substantiæ abstractæ æternæ.

Respondetur, non inconuenit quòd Arist. aliqua pro certo tenuerit, ad quæ tamen rationem cogentem non habuit. Vt mundus est æternus, & generatio inferiorum perpetua, & primum agit de necessitate naturæ, & anima intellectiua est immortalis. Nam licet ad prædicta rationem cogentem non haberet, tamen aduertes, quòd ex sensatis melius potest suaderi mundum esse æternum, eo quòd ordo & dispositio quam videmus in substantia corporis cœlestis, in motibus eius, in locatione elementorum, in generatione, similis à suo simili suo modo vniformi perseuerat.

Nec in præteritis seculis aliter fuisse cognoscere possumus, ideo ad hãc partem omnino declinauit. Aduertit etiam, quòd ponentes incœptionem mundi, ad multa inconuenientia deducebantur, nesientes alium modum quàm incœptionem physicam, ad positionem autem suam nullum videbat sequi impossibile, ideo ad partem affirmatiuam declinauit de mundi æternitate.

Et nos nisi essemus illuminati fide, idem sentiremus ex his quæ cognoscimus à sensatis, & quòd non tantum ratione, sed etiam ex fide, quam habebat in patribus antiquis, tenuerit mundum æternum, & cœlum & motum cœli, patet in secundo cœli, textu secundo, vbi inquit, bene se habet persuasibile seipsum

seipsum præbere antiquis, & maximè patrum nostrorum, veros credere esse sermones, vt sit immortale, aliquid, & diuinum habentium quidem motum, habentium autem talem vt nullus sit finis ipsius, & cætera.

Quantum ad tertium principale aduerte, quòd aliqui potius aduersantes Philosophis tenẽtibus æternitatem mundi, quàm veritate ducti, tenent mundum non potuisse produci ab æterno, eo quòd implicant contradictionem, & multa impossibilia sequuntur ad talem positionem. Contra quos nunc intendimus procedere. Pro cuius euidentia, ponemus quatuor conclusiones, deinde soluẽtur rationes fortiores contradicentiũ.

Prima conclusio, Ea quæ à solo Deo per simplicem emanationem produci possunt, vt cœlum & intelligentiæ & elementa, secundum se tota potuerunt produci ab æterno. Hanc sic probo vnica ratione, & supponitur quòd simplex emanatio sit instantanea, & indiuisibilis, eo quòd non est motus, nec requirit alterationem dispositiuam, cum ei non supponatur materia, aut subiectum disponibile, sed est simplex deductio rei à penitus nõ esse ad esse. Suppono etiam, quòd Philosophus non negaret hanc simplicem emanationem, quæ dicitur creatio, vt iam determinauimus suprà, & iterum dicemus infrà quærentes, Si Deus apud Aristote. est causa omnium effectiua. His suppositis arguitur sic, Effectus potens habere esse à causa per fieri indiuisibile, potest esse statim quod est causa sua, ita quòd si causa sua est æterna, potest esse æternus.

Sed ea quæ à solo Deo per simplicem emanationem produci possunt, possunt habere esse à sua causa per fieri indiuisibile, ergo possunt esse & fieri statim, quod Deus est, ipse autem est æternus, & ab æterno: ergo, &c.

Minor quidem patet, quoniam ex supposito, simplex emanatio est fieri indiuisibile. Maior autem probatur, si effectus non potest esse statim cum sua causa, hoc est, quia effectus est posterior duratione ipso fieri, vel quia agere vel saltem perfectè agere est posterius duratione ipso agente.

Sed neutrum horum est necessarium, quando fieri est indiuisibile, quoniam tunc fieri & factum esse sunt simul, aliter fieri non esset indiuisibile. Sed effectus & factum esse sunt simul: ergo quando fieri indiuisibile, effectus non est posterior duratione, ipso fieri, similiter non est necesse ipsum agere vel perfectè agere, esse posterius duratione ipso agẽte, quia statim cum causa est in suo perfecto esse, potest incipere agere quantum sit ex se, vt statim quod Sol est, potest quantum sit ex se illuminare, & eadem ratio est de aliis causis perfectis. Sed quando fieri est indiuisibile, facere, vt patet, est indiuisibile, quando facere est indiuisibile, simul sunt incipere agere, agere, & perfectè agere, quia omnia hæc sunt indiuisibilia: ergo quando fieri est indiuisibile, non est necesse ipsum agere, & perficere esse posterius duratione ipso agente. Cùm igitur creari & creatum esse & creare stent in indiuisibili, & causa creans semper sit in suo perfecto esse, patet, quòd ea quæ possunt produci per simplicem emanationem possunt esse statim quòd causa sua est, & cùm causa sit æterna, possunt produci ab æterno.

Et aduerte, quòd Paulus Son. in duodecimo Metaphy. quæstione trigesimaprima, respondens tertiæ rationi formatæ, ad probandum possibilitatem æternitatis mundi, deuenit ad hoc, vt diceret, quòd ratio quare mundus non potest esse æternus, nõ est, quia oportet vniuersaliter causam præcedere effectum duratione, sed est, quia cùm effectui conueniat prius non esse prioritate naturæ, quàm esse, necesse est dari aliquã durationem, in qua non esse eius præcesserit esse eius.

Patet autem ex dictis, quòd hæc solutio nulla est, nisi quando effectus procedit à non esse ad esse per fieri diuisibile, tunc enim in toto tempore mensurante ipsum fieri, effectus habet non esse prius duratione quàm esse. Sed in proposito, fieri est indiuisibile, ergo non est necesse non esse, effectus præcedere duratione ipsum esse. & hæc doctrina B. Tho. in secundo sent. distin.1.quæst.1.artic.5. ad secundum factum contra æternitatem mundi, vbi inquit, Non esse quod ex se habet res creata, naturaliter est prius quàm esse, quod ab alio habet: & si non duratione: quare, &c.

Secunda conclusio, Motus cœli potuit esse ab æterno. Probatur, si non, hoc fuit, vel propter defectum motoris, vel propter defectũ mobilis, vel quia in spatio in quo est motus cœli, oportet vti aliquo signo in actu, à quo necesse est incipere motum cœli, non propter primũ. quoniã motor cœli vel est Deus, vel intelligentia producta: si est Deus. est æternus, quia habet esse à se. ergo semper habuit & habet esse. Si est intelligentia, potuit produci ab æterno per conclusionẽ præcedentem. ergo, &c. Non propter secundum: quoniam per conclusionem præcedẽtem potuit cœlum mobile produci ab æterno. Non propter tertium: quoniam cœlum est mobile sphæricum, & solo motu sphærico, in quo non est assignare aliquod signũ actu, à quo incipiat motus sphæricus, & aliud ad quod terminetur sicut contingit in motu recto, qui est inter terminos oppositos, sphæricus autem est ab eodem ad idem. Aliqui dicunt, quod est propter quartum, scilicet quia fuissent infiniti dies pertransiti. Implicat autem contradictionem infinita pertransiri, consequentia nota, quia si non fuissent pertransiti, nunquam ad diem hodiernum peruentum fuisset, sed quòd hæc obiectio non impediat rationem nostram, declarabitur in solutione rationum aduersantium.

Tertia conclusio, Prima causa potuit ab æterno producere quodcunque ens distinctum ab ea, & sic non solùm cœlum & intelligentiæ, sed & elementa, & species elementatorum potuerũt produci ab æterno. Probatur, Supponitur, quòd omne producibile à prima causa cõparatur ad eam, vt effectus eius, tunc sic. Non minoris potentiæ est causa prima, quàm aliqua causa secunda. Sed aliqua causa secunda potest producere effectum sibi coæuum, puta Sol lumen in aëre: ergo & prima causa. Sed omne distinctum ab ea, comparatur ad ipsam vt effectus producibilis: ergo omne tale potest esse coæuum primæ causæ, ex consequenti produci ab æterno.

Aduerte quòd hanc rationem soluit Paulus vbi suprà, & dicit, quòd hoc non est ex defectu primæ causæ, sed quia si esset effectus sibi coæuus, non esset non præcessisset esse. Posito autem quòd effectus secundæ causæ sit ei coæuus, adhuc non esse præcessit esse eius. Si enim nunc de nouo producatur corpus luminosum in aëre obscuro, causabit in eo lumen in primo instanti productionis suæ, & tamen prius nec illud corpus nec lumen productum habuit esse.

Sed quòd hæc solutio non valeat, patet ex duobus. Primò, quia declaratum est suprà, etiam ex doctrina B.Tho. quòd non est necesse in re creabili non esse præcedere esse duratione, sed natura. Secũdò reduco rationem nostram ad formam hypotheticam, quam constat concludere siue categoricæ sint possibiles, siue impossibiles. Nam ita est vera hypothetica ista, si tu es lapis, tu es inanimatus, sicut ista, si tu es homo, tu es rationalis. Arguitur igitur sic, Non minus posset Deus creare ab æterno, quàm Sol illuminare aërem ab æterno, si Sol & aër fuissent ab æterno: quia sicut Sol si fuisset ab æterno non indigeret aliquid expectare in posterum ad illuminandum, ita nec Deus, imò minus, cùm sit perfectioris virtutis actiuæ in infinitum. Sed si Sol fuisset ab æterno, & aër, illuminasset aërem ab æterno, cùm haberet virtutem perfectam illuminandi sibi congenitam. Patet autem hanc minorem, quæ est hypothetica, esse veram, quicquid sit de categoricis. ergo ex duabus istis hypotheticis manifestè sequitur, quòd Deus potuit omne in creaturam creatam in tempore creare ab æterno.

Quarta conclusio, Potuit ab æterno esse generatio & corruptio rerum inferiorum. Probatur per præcedentes conclusiones. Potuerunt esse ab æterno omnes causæ requisitæ ad huiusmodi generationem & corruptionem. Nam potuit esse cœlum motum ab æterno, vt causa vniuersalis, & agentia naturalia, vt causæ particulares, & elementa, vt causæ materiales, & formæ naturales potuerunt actione cœli, & agentium particularium educi de potentia materiæ, ergo, &c.

Quantum ad rationes contradicentium & negantium possibilitatem creaturæ ab æterno & ipsius mundi, aduerte quòd multæ sunt, & à multis recitantur & soluuntur, vt à B. Tho. in 2. dist.1.q.1.artic.5.& à Cap.in 2.dist.1.q.1.cõtra secundam conclusionem, & ab Herueo in 2.dist.1.q.1.& à Paulo Sonc. in 12. metaphysic. quæstio.31. Tu ergo vide quem volueris. Nunc autem sufficiet recitare quas arbitramur fortiores, & famosiores. Aduerte igitur tres, & earum solutiones.

Prima est, si mundus & cœlum, & motus cœli potuerũt esse ab æterno, potuerunt esse pertransiti infiniti dies, aliter non fuisset possibile peruenire ad præsentem diem. Hoc autem est impossibile, quia repugnat infinito pertransiri.

Ad hoc negatur consequentia, quoniam pertransire est per motum de extremo ad extremum rem attingere. Quando ergo dicitur, quòd si mundus potuit produci ab æterno, Infiniti dies potuerunt esse pertransiti, idem est ac si dicatur, Infiniti dies potuerunt esse attacti ab extremo ad extremũ: quòd implicat contradictoria, scilicet quòd potuerunt esse infiniti dies, & quòd inter eos potuerunt dari duo extrema. Concedi tur autem ex illo antecedente sequi, quòd potuerunt præfuisse infiniti dies ante diem hodiernum, qui ex parte ante non potuissent pertransiri, quia non potuisset esse inchoatio ab aliquo extremo. Sed à parte post, vbi fuisset in eis vltimum nunc,

potuissent secundum quid esse pertransiti: & sic non sequitur infinitum ea parte qua infinitum potuisse pertransiri. Ad probationem autem consequentiæ.

Secunda ratio, Si mundus potuit produci ab æterno, & potuit esse generatio æterna. ergo potuerunt generari infiniti homines: & cùm animæ numerentur secundum corpora, & sint incorruptibiles, possent nunc esse animæ infinitæ actu, impossibile est autem dari infinitum actu. ergo, &c.

Hæc ratio, vt inquit B. Tho. in secundo dist. 1. q. 1. artic. 5. inter alias est fortior in hoc proposito. Ad quam responsiones multę inueniuntur, & omnibus omissis adduco duas tantum. Prima est Heruei in secundo dist. 1. quæst. 1. & stat in hoc, si est impossibile dari infinitum actu, tam in quantis, quàm in immaterialibus, tam in ordinatisper accides, quàm in ordinatis propter se, posito quod generatio humana esset æterna, Deus talem ordinem posuisset, & legem in animabus, quod non essent infinitæ, & lex quidem potuisset esse, quod vna anima plura corpora successiuè viuificasset, vel animæ in morte deficerent per subtractionem diuinæ influentiæ, & eo casu Deus remuneraſſet hominem pro hac via secundum dispositionem diuinæ sapientiæ.

Et si dicis, id non decuisset diuinam bonitatem: Respondeo, magis decuisset, quàm facere impossibile, scilicet quòd animæ essent infinitæ.

Secunda responsio est B. Th. in 2. contra gent. cap. 81. & stat in hoc: Philosophus nõ probauit in 3. Physi. & in 1. cœli nõ posse dari infinitum actu, nisi in rebus corporalibus, & in causis per se ordinatis, vt patet in 2. Metaphys. ideo non inconuenit dari infinitas animas, cùm sint incorporeæ & per accidens ordinatæ. Sed contrà: Dicit Philosophus in tertio Phys. tex. 36. separatum quidẽ igitur esse infinitũ à sensibilibus impossibile est, sed animæ post mortem sunt separatæ à sensibilibus: ergo non possunt esse infinitæ. Respondeo, Philosophus illic intẽdit de infinito Pythagorico separato, quòd Pythagoras ponebat esse principium, & hoc quidem infinitum secundum Pythagoram est quantum, separatum ab omni materia sensibili, sicut si imaginaremur spatium infinitum extra mundum.

Nos autem intendimus de infinito separato intellectualis naturæ, qualis est anima humana, in qua natura, vtrum possit dari infinitum, dicit Philosophus in tertio libro Physic. tex. 39. sed fortasis est vniuersalior quæstio, si contingat in mathematicis & in intelligibilibus & in nullam habentibus magnitudinem, infinitum esse, nos autem nunc intendimus de sensibilibus. hæc ilie.

Ex quibus constat, quòd si hæc quæstio est vniuersalior, id est, excedens consideratione Physici, spectat ergo ad Metaphysicum, & tamen in Metaphysica non determinauit oppositum. Sed dices, imò determinauit, nam in libro vndecimo Metaphysic. lect. 11. secundum signationem B. Tho. probat & concludit, non dari infinitum in actu in sensibilibus, nec in separatis. Respondeo, loquitur in eodem sensu, in quo locutus est in tertio Physic. contra Pythagoram, nam est quasi idem text. & est repetitio eorum, quæ dixit in tertio Physic.

Sed contrà, Ratio Philosophi, qua probat in 3. Phys. text. 37. non dari infinitum in corporibus, includit etiam vniuersaliter in separatis intellectualibus. Sic enim Philosophus arguit, si datur corpus infinitum, dantur duo corpora infinita, quoniam in infinito sunt infinities infinita, sed non possunt esse duo corpora infinita, quoniam vnum infinitum corpus occupat omnia, sed eadem ratio concludit de abstractis. si enim datur infinitum abstractum, erunt duo infinita. quoniam in infinito sunt infinities infinita. sed non possunt esse duo infinita abstracta, quoniam vnum infinitum omnia continet.

Respondeo, licet eadẽ ratio concludat de infinito separato posito à Pythagora, quod est quãtum siue magnitudo separata, quoniam infinitum quãtum, siue sensibile, siue separatum, vt quantum, occupat omnia, & omnem locum, & continet omnem quantitatem: tamen non est eadem ratio in abstractis intellectualibus nõ quãtis, quæ non habẽt virtutẽ occupandi.

Et si tu aduertes, inuenies, quod Arist. in ratione illa arguẽs contra Pythag. semper supponit quantitatem, sic enim concludit in fine text. 37. Sed impossibile est esse actu infinitum, quantitatem enim aliquam esse necesse est. Patet igitur, quòd secundum Philosophum non inconuenit posse dari infinitum actu in immaterialibus, quæ non habent inter se ordinem essentialem, & idem expressẽ tenet Algazel. in sua Metaphys. Vtrum autem secundum doctrinam B. Tho. id sit possibile, determinaui in lect. primæ part. q. 7. artic. 4.

Tertia ratio, supponitur quòd creatura ideo creatur, quia accipit esse post non esse. Tunc sic. Aut habet esse post non esse duratione, aut tantum ordine naturæ. Si primo modo, ergo si est necesse, quòd prius duratione habeat non esse, non potest esse æterna, vt patet. Si secundo modo, ergo habebit esse & non esse simul, quod implicat contradictoria. Consequentia autem probatur, quoniam quæ solùm habent ordinem prioris & posterioris, secundum naturam sunt simul duratione, vt subiectum & propria passio. ergo, &c.

Respondetur, Dico quòd secundo modo. Ad improbationem nego consequentiam, nam non esse, sumitur dupliciter. Primò pro non esse simpliciter, & sine aliqua limitatione.

Secundò, non esse cum aliqua determinatione, puta non esse secundum se, vel habere aptitudinem ad non esse. Ex his dico ad consequentiam, quòd sumendo non esse primo modo, nego eam, & concedo falsitatem consequentis: sumendo autem non esse. secundo modo, concedo consequentiam, & nego falsitatem consequentis. licet enim repugnet esse actu, & non esse simpliciter simul: tamen non repugnat esse simul duratione, esse actu & non esse à se, sicut nõ repugnat aquam esse calidam, & non esse calidam à se.

Hæc de præsenti quæsito dicta sint, in quo conatus sum sequi & sustinere viam Thomisticam.

QVAESTIO XV.

Si primum mouens mouet cœlum, vt finis amatus.

Mouet autem sicut appetibile. Text. 36.

CONCLVSIO.

Mouens primum non mouet cœlum vt corpus cœli: Cœlum verò vt aggregatum ex corpore cœli & intelligentia applicata mouetur à primo mouente, vt fini amato, sicut ab illo ex quo & per quod conseruatur ipsi cœlo sufficiens perfectio acquisibilis à cœlo: non autem vt acquisibili per motum.

IN hac quæstione aduerte in primis, quòd Philosophus in textu præmisso non amplius loquitur de abstractis in genere, sed in specie, de primo motore simpliciter primo, quem appellabit Deum. Vt igitur præsens quæsitum plenè resoluatur, tria discutienda sunt.

Primò, si primum mouens mouet cœlum vt finis amatus, & intellectu apprehensus.

Secundò, si mouet cœlum solùm in genere causæ finalis, an etiam in genere causæ efficientis.

Tertiò, supposito quòd etiam in genere causæ efficientis, vtrum sit applicatus primo mobili vt motor eius appropriatus.

Quantum ad primum tria agenda sunt. Primò assignabitur duplex distinctio. Secundò, quatuor conclusiones responsiuæ. Tertiò, ponetur quoddam notabile, in quo apparebit concordia & discordia inter beatum Thomam, & Commentatorem. Prima distinctio, Cœlum sumitur dupliciter, primò pro corpore cœli, quod apud Comment. vt dictum est, in libro octauo, est materia in actu. Secundò, pro aggregato ex corpore cœli & intelligentia applicata, quæ pro nunc supponatur, quod dicitur anima cœli: nam de hoc quæremus infrà, Vtrum cœlum sit animatum.

Secunda distinctio, finis est duplex, aliquis præexistens motui, sicut centrum mundi, ad quod mouetur graue, vt perficiatur & conseruetur. Aliquis acquisitus per motum siue Physicum, vt sanitas acquisita alteratione: siue Metaphysicum, vt scientia acquiritur actu intelligendi.

Prima conclusio, Mouẽs primum non mouet cœlum sumptũ primo modo vt finis amatus, probatur, dicit Philosophus in text. 36. quia appetitus princ. intelligentia, id est, princ. desiderandi & amandi primum mouens est intelligentia, id est, apprehensio intellectus. vnde Comment. in comment. 36. inquit, & omnia ista dicit Arist. ad declarandum, quòd corpora cœlestia habent appetitum propter intellectum.

Tunc sic, cœlum primo modo sumptum, cum sit substantia merè corporea. non habet virtutem intellectiuam, ergo non intelligit primum mouens, ergo non desiderat ipsum. Probatur consequentia, quoniam dicit Philosophus, quòd illic principium appetitus est, intelligentia. patet ergo, quòd primum mouens non mouet cœlum primo modo sumptum, vt finis amatus.

Secunda conclusio, Mouens primum mouet cœlum secundo modo sumptum, vt finis amatus & appetibilis. Probatur, Illud ad quod omnia ordinantur, mouet cœlum secundo modo sumptum, vt finis amatus & appetibilis; quoniam perficitur ex eo, vt declarabimus infrà. Sed ad primum mouens omnia ordinantur ex 12. Metaph. text. 52. ergo, &c.

Præterea, Quòd habet rationẽ optimi, & à quo pendet perfectio cœli secundo modo sumpti, mouet ipsum cœlũ, vt finis amatus. Sed primum mouens est huiusmodi ex 11. Metaphys. tex. tri

text. trigesimo septimo, & magis declarabitur infrà: ergo, &c.

Tertia conclusio, Mouens primum non est finis amatus & desideratus à cœlo secundo modo sumpto, vt acquisibilis per motum. Hæc de se patet, quoniã cum primum mouens sit ens independens habens esse à se repugnat ei, vt acquiratur per motum. Tunc enim haberet rationem producti, quod est falsum apud omnes rectè sentiẽtes. Erit ergo finis amatus, vt preexistens & attingibilis aliqua operatione cœli secundo modo sumpti, vt attingitur centrum à graui de sensu ipsius grauis.

Quarta conclusio, Mouens primum est finis amatus & desideratus à cœlo secũdo modo sumpto, sicut illud ex quo & per quod conseruatur ipsi cœlo sufficiens perfectio acquisibilis à cœlo. Hæc probatur ex intensione Commentator. in duodecimo Metaphysic. commento trigesimosexto, vbi inquit, Dicamus igitur, quòd non mouentur, scilicet cœli secundo modo sumpti, nisi quia intelligunt ex se, quòd perfectio & substantia eorum stat in motu & conseruatur, sicut illud facit, quod mouetur ad conseruandam suam sanitatem, quia scit quòd sua sanitas non conseruatur, nisi motu, id est exercitio.

Et intendit Comment. talem rationem, Cœli secundo modo sumpti non habent suam perfectionem nisi ex motu, ergo mouentur vt perficiantur & conseruentur in sua perfectione.

Sed ex motu nõ perficiuntur nisi assequantur finem, ad quem vel propter quem mouentur. Sicut infirmus non perficeretur sanatione, nisi consequeretur sanitatem, ad quam ordinatur sanatio. Motus enim accipiet perfectionem, à termino ad quẽ.

Sed finis motus eorum est, vt attingant primum mouens modo quo declarabimus in immediatè sequentibus, ergo primum mouens est finis amatus & desideratus à cœlo secundo modo sumpto, sicut illud ex quo & per quod, &c.

Positis & probatis conclusionibus responsiuis, notandum est secundum Commentat. in commento trigesimosexto, & Beatum Thomam in lectura sexta, quòd finis propter quem cœlum secundo modo sumptum mouetur est duplex, scilicet primus & per se intentus, & alius secundã intentione intentus.

Primus & per se intentus est vt assimiletur primo mouenti, secundus & secundario intentus est, vt in caulando explicet in actu, quod continetur in virtute in primo mouente, & hæc est sententia Bea. Tho. in duodecimo Meta. in lectura sexta Com. autem com. trigesimosexto, magis diffusè id pertractat dicẽs, Dicamus ergo, quòd non mouentur, nisi quia intelligunt ex se, quòd perfectio & substantia eorum stat in motu, sicut facit illud, quod mouetur ad conseruandam suam sanitatẽ quia scit quòd sua sanitas non conseruatur nisi motu, & etiã intelligunt quòd motus eorũ est causa exitus eius, quòd est in potentia in illis formis abstractis ad actũ, scilicet ad formas materiales.

Istæ enim formæ fortè videntur habere duplex esse, scilicet in actu, scilicet materiale esse quod habent, & esse in potentia, scilicet esse quod habent in ista forma, & dico potentiam, quemadmodum dicimus quòd formæ artificiales habent esse in actu in materia, & in potentia in anima artificis: vnde hæ formæ videntur habere duplex esse, abstractum & materiale, & hoc quidem est quod facientes formas, id est, Platonici volunt dicere, sed non peruenient ad ipsum.

Sed tamen motus eorum non est propter exitum istarum formarum à potentia in actum: non ita quòd illud est perfectio prima eorum, sed ita quòd illud est consequens primam perfectionem eorum. Verbi gratia, qui exercitatur ad conseruandam sanitatem per operationem alicuius artis.

Primò intendit ad conseruandum sanitatem suam. Secundò autem intendit illam operationem, hæc Commentator. Et aduerte, quòd quando dicit quòd motus eorum est causa exitus eius, quod est in potentia, per esse in potentia intelligit esse spirituale, quod habet res producibiles in intellectu agentis, & dicitur esse immateriale vel ideale, & per esse actu, intelligit esse rei productæ, vt iam ad extra producta est. Comment. ergo intendit, quod ideo cœlum mouetur, vt producat in actu formas, id est, naturas rerum inferiorum, quæ continentur in potentiam secundum esse ideale in forma abstracta, id est, in motore primo: vnde cœlum, secundo modo sumptum, in hoc se habet ad motorem primum, in cuius intellectu sunt omnes rerum inferiorum naturæ, sicut minister ad primum artificem, qui operatur artificiata, prout ei proponuntur ab architecto, in cuius intellectu est idea, vel species artificiati. Et aduerte sensum verborum Comment. quoniam profundus est, & inueniesquòd B. Th. & Commen. concordant in fine primo & secundario intento. Nam B. Tho. dicit in expositione, in lect. 6. finem primò intentum esse, vt assimiletur primo motori. Idem tenet Auic. in libro nono suæ Metaphysic. cap. tertio. Idem tenet Comment. in comment. 37. vbi inquit, Primum enim cœlum mouetur ab isto motore secundum desiderium, vt assimiletur ei secundum suum posse. Item concordant in fine secundario intento, & est illud per quod consequuntur finem primò intentum. Hoc autem est exitus siue productio formarum inferiorum ad extra, quæ productio est per motum cœli: vnde aduerte, quòd sicut se habet cursus, & exercitium, & sanitas in intentione infirmi, sic motus cœli & productio inferiorum, & assimilatio ad primum motorem in intentione cœli secundo modo sumpti. Constat autem quòd infirmus intendit cursum, vt exercitetur: & intendit exercitari vt sanetur, & sic primum intentum est sanari, cursus autem & exercitium non intenduntur nisi in ordine ad sanari. Sic in proposito, cœlum secundo modo sumptũ est in motu, vt producantur & exeant in actum per motum formæ rerum inferiorum, & intẽdit productionem hanc, non vt primo intentum, sed eam ordinat ad assimilationem sui, cum primo motore, & hic est vltimus finis in executione, & primus in intentione.

Sed dices in quo consistit illa assimilatio.

Respondeo, Difficile est hoc inuenire, dicam tamen quod occurrit. Vt probabitur infrà, primũ mouẽs est causa productiua & regitiua prima & vniuersalis à se totius entis creati, tam superioris mundi, quàm inferioris. Et mundum quidem superiorẽ regit ac cõseruat, sine aliqua generatione & corruptione, quoniam entia illa indefectibilia & immortalia sunt. Mundum autem inferiorẽ administrat per intelligentias, vt per rectores secundos, quibus virtutem indidit producendi & disponendi inferiora, non quidem immediatè, quoniam hæc est dignitas primi princ. sed per motum cœli. Assimilatio ergo stat in hoc, quòd sicut primum princ. est causa vniuersalis disponens & largiens esse vnicuique naturæ, vt illi cõuenit: sic cœlum secundo modo sumptum per motum, & non per se ipsum disponit mundum inferiorem, deducẽs ad esse naturas generabiles & corruptibiles, quæ sunt in intellectu primi secundum esse ideale. Cœlum ergo mouetur, vt assimiletur primo motori, id est, vt sit agens, & disponens, & seruans mundũ inferiorem, sicut primum principium est agens & disponens totum vniuersum, & propterea dixit Commentator in 12. lib. metaphy. commen. 37. cœlum mouetur vt primo motori assimiletur secundum suum posse. q. d. non adæquatè, sed imitatiuè & particulariter. Sicut gubernator vnius ciuitatis assimilatur regi, non adæquatè, sed in hoc, quòd sicut se habet rex ad totum regnũ, sic gubernator ad vnam ciuitatem. Et propter hanc assimilationem in regimine & dispositione mundi inferioris, dicuntur intelligentiæ mouentes cœlos mentes diuinæ, virtutes diuinæ, Dij secundi, Domini mundi inferiores.

Quantum ad secundum, scilicet vtrum primum mouens mouet cœlum solum in genere causæ finalis, an etiam in genere causæ efficientis, aduerte, quòd non est intentio nostra hic quærere, vtrum mouet effectiuè immediatè, ita quòd sit applicatum cœlo, sed simpliciter siue mediatè, siue immediatẽ, an vtrum sit applicatum, inuestigabimus in sequentibus. Tu igitur sic procedes. Primò ponetur opinio Auic. Secundò opinio Comment. quæ trahitur etiam ex philosopho. Tertiò opinio Beati Thomæ.

Quantum ad primum aduerte quòd Auic. in lib. 9. suæ metaphys. dicit tria spectantia ad hoc propositum. Primò, quòd cœlum est animatum propriè, & quòd anima cœli mouet ipsum effectiuè circulariter, sicut anima mouet animal motu progressiuo, vnde dicit in lib. 9. suæ metaphys. Cœlum mouetur per animã, & anima est principium propinquum sui motus, & in illa renouatur imaginatio & volũtas, & ipsa extimat se habere apprehẽsionem rerum variabilium, & voluntatem essendi ipsas res particulares, & ipsa est perfectio corporis cœli & eius forma. Dicit secundò, quòd quælibet sphæra habet motorem separatum, id est, intelligentiam, qui est motor appropriatus illi sphæræ, & mouet illam sphæram, siue illud cœlum animatum, sicut amatum mouet amantem & desideratem, eo quòd cœlum animatum desiderat assimilari suo motori separato appropriato, ita quòd iste motor separatus appropriatus mouet cœlum vt finis amatus, & non effectiuè, sicut cibus apprehensus sub ratione vtilis & delectabilis mouet animal localiter in genere causæ finalis tantum.

Anima autẽ mouet effectiuè. Dicit tertiò, quòd quodlibet cœlum vt animatum non solùm desiderat ex motu suo assimilari suo motori separato appropriato, sed etiam primo & vniuersali motori. non appropriato alicui cœlo, & hic est Deus vniuersalis finis omnium quem desiderant omnia vt optimum, intẽdit ergo, quòd & primus vniuersalis motor separatus, & motor separatus appropriatus moueãt cœlũ finaliter & non

non effectiuè, quoniam effectiuè mouet anima cœli, & quòd hic fuerit intentio sua tam in secundo, quàm in tertio dicto, patet ex libro nono suæ Metaphysicæ, capitulo tertio, vbi inquit, Restat igitur vt sit vnicuique cœlorum desiderium assimilandi substanciæ intelligibili separatæ, quæ est ei propria. Diuersitas autem motuum & suarum dispositionum quam habet cœli, est propter hoc, quamuis nos nesciamus qualiter hoc debeat esse, & quandiu.

Sed causa prima est desideratum vniuersitatis communiter. Et hæc est intentio de hoc quod dixerunt antiqui, quòd vniuersitas habet motorem vnum amabilem. Sed vnaquæque sphæra habet motorem suum, qui est ei proprius: & amatum, quod est ei proprium. Igitur vnicuique cœlo est anima mouens, quæ intelligit bonitatem, & propter corpus habet imaginationem, scilicet formare particularia, & habet voluntatem particularium.

Sed id quod intelligit de primo, & quod intelligit de principio, quod est sibi proprium & propinquum, est principium sui desiderij motionis. Hæc Auic. cuius opinio non tenetur secundum viam nostrã de animatione cœli, nec de duplici motore separato mouente, vt finis amatus, & quoniam totũ fundamentum suum stat in animatione cœli, ideo differo reprobationem eius, vsque ad quæstionẽ sequentẽ, vbi determinabitur, quòd nulla ratione cogimur ponere cœlũ animatum propriè, & destruemus causas & rationes, propter quas Auic. ponit animam in cœlo, & duplicẽ motorem separatum appropriatum & vniuersalem, mouentes solùm in ratione finis.

Quantum ad opinionem Comment. aduerte, quòd non est difficile videre in doctrina sua, quòd primũ mouens moueat cœlum effectiuè & finaliter, quoniam secũdum ipsum, vt declarabimus infrà, & vt sibi attribuit beatus Thomas, primum mouens est proprium mouens primi cœli, & sibi applicatum, sicut intelligentia Saturni est applicata cœlo Saturni, & quòd hæc fuerit intentio sua patet in libro 12. comment. 44. vbi reprehendens Modernos, inter quos præcipuè intendit de Auicenna, inquit:

Quod autem Moderni dicunt substantiam primã esse priorem motorem totius, falsum est, id est, Primum principium quod vocat primam substantiam esse priorem motorem totius, id est, intelligentia, vel anima mouente totum, id est, primum cœlum, quod est causa omnis motus, saltem diurni, in planetis falsum est, & subsequitur Commentator.

Quælibet enim substantia istarum est principium substantiæ sensibilis secundum motorem & secũdum finem, & ideo dicit Aristoteles, quod si aliquæ substantiæ essent non mouentes, essent ociosæ: hæc Commentator, ex quibus patet, quod intendit omnem substantiam abstractam mouere effectiuè nulla excepta, aliter esset ociosa, ociosum autem est quod propria actione caret.

Igitur primum mouens secundum ipsum est primum agens motum, & primus finis, ergo mouent vt efficiens & vt finis, & confirmatur, nam in libro duodecimo, commento quadragesimo inquit, Primum principium entium est aliquod immobile omnino, & facit primum motum æternum vnum continuum. Constat autem quod facere motum, importat efficere motum.

Quantum ad opinionem beati Thomę dico, quod mente Philosophi & secundum veritatem tenet primum mouens mouere vt finis, & de hoc nullus dubitat, & iam probatum est suprà, & est textus Philosophi in hoc libro, textu trigesimo sexto. Mouet autem sicut appetibile & intelligibile. Vltra hoc tenet, quod mouet effectiuè, quoniam omnia mouentia accipiunt virtutem mouendi à prima.

Præterea, omnes causæ secundæ per se subordinantur primæ. Sed in per se subordinatis, vt dictum est in 2. Metaphysic. talis est ordo, quod omnes similiter concurrunt & cooperantur ad effectum, aliter non seruaretur connexus causalitatis inter eas, ergo primum mouẽs cõcurrit actiuè cum mouente proximo ad motum cœli, & præterea b. Tho. in 2. Metaph. exponens tex. 44. loquens de motoribus corporũ cœlestium effectiuè, & non in genere causæ finalis tantum, dicit sic, Necesse est quod supra sphæram nullum fixarum sit alia circundans totum, quæ reuoluit totum cœlum motu diurno, & hoc est primum mobile, quod mouetur à primo motore secundum Aristotelem, &c.

Quantum ad tertium principale inuenio multam difficultatem, quoniam tam B. Tho. quàm Comment. arbitrantur se loqui secundum mentem Philosophi, & tamen non concordãt. Nam Commentator tenet hanc affirmatiuam, primum principium mouet primum cœlum vt agens motu immediatè & vt finis, & hoc de mente Philosophi. Sed beatus Thomas tenet hanc negatiuam de mente Philosophi, primũ principium non mouet cœlum immediatè, sed per intelligẽtiam mediam, ad quam primum principium, comparatur vt obiectum amatum & intellectum, gratia cuius mouet. Tu igitur vt valeas defensare beatũ Thomam, & Scotum & Ant. And. qui in hoc concordant, sic procedes. Primò declarabis Commentat. tenuisse partem negatiuam contra Ianduum, cuius rationes solues ex doctrina Comment. Secundò pertractabis opinionem beati Thomę, in qua arguetur contra positionem Comment. Tertiò solues quædam dubia insurgentia contra determinationem quam facimus pro via Thomistica.

Quantum ad opinionem Commen. quòd tenuerit partem affirmatiuam, probo, primò ex dicto B. Tho. deinde ex dictis ipsius Commen. B. Tho. in quæstionibus de spiritualibus creaturis artic. 6. ad 10. argumẽtum sic ait. Auerroes inuenitur in hoc variè locutus in lib. de substantia orbis dixit, quòd idem est, quod mouet corpora cœlestia vt agens & vt finis. Quod quidem est valde erroneum, sic enim sequitur, quòd Deus sit anima primi cœli, secũdum quod substantia quæ mouet primum cœlum vt agens, dicitur anima ejus, & ratio qua hoc dixit, est valde insufficiens. Quia enim in substantiis separatis à materia est idem intellectus & intellectum, extimauit quòd etiam sit idem desiderans & desideratum. Quod non est simile. Nam cognitio cuiuslibet rei fit secundum quod cognitum est in cognoscente. Desiderium autem fit secundum conuersionem desiderantis ad rem desideratam, si autem bonum desideratum inesset desiderantí ex seipso, non competeret ei, quod moueret ad consequendum bonum desideratum, vnde oportet dicere quòd bonum desideratum, quod mouet vt finis, est aliud à desiderante, quod mouet vt efficiens.

Hæc beatus Thomas, Si ergo volumus sicut debemus, sustinere beatum Thomam, quòd intellexerit Comment. cogimur tenere, quòd Comment. senserit vt diximus.

Præterea, De hoc habemus expressam eius sententiam in multis comment. in 12. Metaphysic. & omnibus prætermissis, aduerte quæ dicit in commento quadragesimoquarto, Inquit enim, Quemadmodum primus princeps in ciuitatibus necesse est vt habeat actionem propriam, quę est nobilissima actionum, & si non esset ociosus, quam actionem intendunt per suam actionem omnes qui sunt sub primo principe, sic est intelligendum de istis corporibus, cum suis formis à quibus mouentur, & de istis formis adinuicem.

Ex quibus patet, quòd Comment. vult, quòd primus princeps vniuersi, qui est Deus, habet propriã actionem quam intendunt, qui ei deseruiunt motores inferiores. Talis autem actio est motus diurnus, sicut patet per verba quæ præmittit, inquit enim quòd omnes intendunt hunc motum diurnum, qui est primi motoris actio & principium aliarum actionum.

Præterea, habemus à Commentatore in 11. Metaphysices in commento 48. quòd quælibet substantia abstracta mouet aliquod corpus cœleste, alioquin esset superflua in vniuerso & ociosa & diminuta in dispositione, id est, imperfecta: & quia hoc secundum Commentatorem, esset maximum inconueniens in prima substantia, id est, in primo principio, quod est omnium nobilissimum, sequitur quòd opinatus fuerit ipsum mouere effectiuè, immediatè primum cœlum.

Verùm, quia Ianduus in libro 12. in quæst. 17. tenet oppositum, & dicit esse de mente Comment. quòd primum principium non mouet cœlum effectiuè immediatè, sed mediante motore coniuncto desiderante & amante primum principium, ideo intendo soluere rationes suas.

Primo sic arguit: Præter mouens solum vt amatum & desideratum, debet esse aliud mouens vt amans & desiderans, quia mouens solùm vt amatum mouet tantùm vt finis, sed finis non mouet effectiuè immediatè, sed est cuius gratia fit motus. Sed primum principium mouet tantum vt amatum & desideratum secundum Philosophum & Commentatorem in duodecimo Metaphysices, textu & comment. 36. ergo necesse est ponere aliud mouens vt amans & desiderans, ergo primum principium non mouet cœlum immediatè.

Ad hoc dicitur, quòd Comm. negaret minorem, illa enim est ad mentem Auic. quem Commẽtator reprehendit in hoc duodecimo in cõmento 44. & licet Philosophus & Commen. dicant, quòd primum mouet vt amatum & desideratum, non tamen dicunt, quòd solùm, imò tenet Comment. quòd agens motum est finis motus. Præterea, potest negari prima propositio ad mentem Commen. quoniam inter desiderans & desideratum sufficit distinctio rationis, non enim incõuenit idem amare & desiderare seipsum: vnde diceret Comment. quòd primum vt amans & desiderans seipsum mouet effectiuè, vt amatum & desideratum mouet vt finis.

Secundò sic, Omne quod agit motum, agit propter nobilius se, per Aristote. in secundo cœli textu sexagesimoquarto, vbi dicit, Actio consilit in duabus semper, scilicet cuius gratia, & quòd huius gratia, id est, fine & agente propter finem. Sed primum non potest habere nobilius se cùm sit optimum in natura, ergo non agit motum cœli immediatè.

Ad hoc dicitur vt ad præcedens, quòd licet omne agens agat propter nobilius, non tamen est necesse inter ipsum & illud nobilius esse distinctionem realem, sed sufficit distinctio formalis in ratione causalitatis, in qua datur maior & minor nobilitas. Nam causalitas finis nobilior est causalitate efficientis, vt declaratum est in libro quinto. Ad argumentum, dico, ad minorem, quòd licet primum non habeat nobilius distinctum realiter, tamen primum vt mouens effectiuè habet se ipsum, vt mouet vt finis, sic responderet Commentat.

Tertiò sic, si primum moueret cœlum immediatè, ergo moueret in non tempore, quod implicat. Consequentia probatur, supponatur primò, quòd virtus maior mouet in minori tempore, vt probatum est in octauo Physicorum. Tunc sic, virtus finita quanto maior, tanto in minori tempore mouet, ergo si virtus infinita immediatè mouet, mouebit in non tempore, quoniam inter ipsam & quamcunque aliam, nulla est proportio in maioritate virtutis: ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd arguens supponit falsum, scilicet primum motorem esse virtutis infinitæ, quod Commentator non concederet, vt declarabitur in quæstione de infinitate primi motoris, supponendo ergo, quòd sit finitæ virtutis, consequentia nullam habet apparentiam, quoniam inter primum motorem & alios inferiores datur proportio virtutis, si omnes sunt finiti, vnde sequitur, quòd omnes mouebunt in tempore, licet primus in minori tempore quàm omnes alij, propter maioritatem virtutis.

Quartò sic: Comm. vult in octauo Physic. comm. septuagesimonono, & in duodecimo Meta. comm. quadragesimoprimo, quòd primus motus sit à duplici motore, quorum vnus est finitæ motionis, & est anima existens in eo: alter verò infinitæ motionis, & est motor nõ in materia, & ab illo motore est perpetuitas motionis, ergo non est immediatè à primo principio.

Ad hoc dicitur, quòd illi duo motores non sunt duo distincti realiter, sed sunt vnus tantum, qui tamen propter duplicem motum mouendi, potest dici duo formaliter, nam vt mouet effectiuè, potest dici formaliter vnus, & mouens vt finis, dicitur alter, & aduerte, quòd si Commenta. intenderet, quòd essent duo distincti realiter, sibi ipsi contradiceret, nam in primo capite, de substantia orbis sic ait: Non est dicendum, quòd formæ quibus mouentur corpora cœlestia, sint aliæ ab eis, ad quas mouentur, ecce quod expresè dicit, non esse ponendos tales motores distinctos scilicet vnum à quo mouentur effectiuè, & alium ad quem vt ad finem mouentur, quoniam ex doctrina sua omnis intelligentia agens motum est etiam finis motus. Vt ergo liberetur Commentat. à contradictione, tenendum est in via sua, illos duos motores esse vnum realiter, & duos formaliter, vt declarauimus. Hæc dixi, non vt velleps sequi viam Comment. quam reputo contra B. Tho. vt declarabitur, sed vt manifesteetur, quod Ianduus qui se commentistam profitetur, in hoc deuiat à Comment.

Quantum ad opinionem B. Tho. dico, quòd in tota sua doctrina tenet hanc conclusionẽ. Deus qui apud Philosophum dicitur mouens primum, non mouet cœlum immediatè, vt motor coniunctus & appropriatus, & hanc tenet non solùm secundum veritatem, sed etiam de mente Philosophi, contra Comment. hæc igitur probatur triplici ratione.

Prima sumitur ex 1. libro contra gentes. cap. 13. & arguitur sic, si Deus mouet primum cœlum immediatè, ergo est pars alicuius mouentis seipsum, quod est falsum, cõsequentia probatur, quoniam nõ est maior ratio, quòd ex cœlo Saturni, & ex sua intelligentia applicata constituatur vnum mouens seipsum, ex 8. Phys. quàm ex 1. cœlo, & primo principio sic ita applicatur & appropriatur primo cœlo, vt eius motor immediatus, sicut intelligentia Saturni cœlo Saturni, omne aũt mouens seipsum distinguitur in partẽ mouentẽ & in partem motam, ex 9. Phys. ergo Deus erit pars alicuius mouẽtis seipsum, falsitas autẽ consequentis probatur, si Deus esset pars alicuius mouentis seipsum, ergo esset mouens particulare, quia applicatum mobili particulari est mouens particulare: constat autem quòd primũ cœlum est mobile particulare, cùm sit hoc cœlum, ergo primum principium esset mouens particulare,

Hoc autem est contra Philosophum, quoniam apud ipsum est motor vniuersalis, à quo pendet cœlum & natura, vt patet in duodecimo Metaphys. text. 38. Et intendit per cœlum & naturam mundum superiorem & inferiorem.

Idem apud Philosophum, vt patet in duodecimo Metaph. text. 52. est illud bonum vniuersale, ad quod respiciunt & ordinantur omnes partes vniuersi: ergo apud Philosophum & veritatem non est mouens particulare adiectum alicui cœlo, sicut aliæ intelligentiæ, sed absolutum, vt primum & vniuersale regens, ad quod vt ad nobilius cæteræ intelligentiæ respiciunt, sicut visus est dicere Comment. ipsa veritate deductus, & fortè præter intentionem suam in cap. 4. de substantia orbis, vbi inquit, & cùm consideraui Arist. in virtutibus appetitiuis cœlestibus, inuenit eas moueri ad appetibile nobilius ipsis, hæc ille, si ergo virtutes appetitiuæ cœlestis quas constat esse intelligentias, mouentur ad aliquod nobilius ipsis, constat quòd illud nobilius non est mouens particulare, nec coniunctum alicui determinato orbi.

Secunda sumitur ex quæstionibus disputatis, de spiritualibus creaturis, quam adduximus in hac eadem quęstione, pertractantes opinionem Commentatoris, vbi probat beatus Tho. quòd licet intellectus & intellectum possint esse idem, non tamen desiderans & desideratum, cùm igitur primum principium moueat vt desideratum, non potest esse ille motor, qui mouet vt desiderans: ergo non immediatè mouet primum cœlum.

Tertia ratio sumitur in expositione beati Thomæ in duodecimo Metaphysicæ, in expositione textus trigesimi sexti, vbi sic inquit, Dicitur autem primum mouens mouere vt appetibile, quia motus cœli est propter ipsum, sicut propter finem causatus ab aliquo proximo mouente, quod mouet propter primũ mouens immobile, vt assimilet se ei. Tunc sic: Constat quòd nihil assimilatur sibi ipsi, quoniam importat relationem realem, quæ requirit extra distincta realiter, vt pertractatum est in libro quinto.

Sed motor cœli ideo mouet, vt assimiletur mouẽti per modum appetibilis, ergo distinguitur realiter à mouẽti tali, ergo primum principium quod mouet vt appetibile, non est mouens immediatum applicatum, sed mediante intelligentia, vnde solet dici, quòd mouet immediatè immediatione virtutis, sed non immediatione suppositi.

Et aduerte, quòd hanc determinationẽ sequitur Ant. And. in 12. metaphysic. q. 2. Sed aduerte, quòd hanc determinationem tenet etiam de mente Comment. Sed in hoc nõ sequeris eum, quoniam suprà determinauimus oppositum ex doctrina Comment. & soluimus rationes Ianduni.

Nunc vltimò soluenda sunt quædam dubia, quæ insurgunt contra determinationem factam ad mentem Beati Thomæ. Sed aduerte, quòd quædam fundantur in dictis Commentat. de quibus non curamus, quoniam cùm determinauerimus Bea. Thomam in hoc non concordare cum Comment. omnia dicta eius quibus tenet primum principium mouere cœlum immediatè sunt neganda à Thomista. & quoniam Paulus Soncinas in duodecimo metaphysic. quæstione trigesima secunda, tenet opinionem Commentatoris in hoc esse opinionem Aristote. ideo tenet de mente philosophi & Commentator. primum principium mouere cœlum immediatè effectiuè, & vt finis, & quoniam Beatus Thomas tenet oppositum, etiam de mente Philosophi, aliter non reprobasset Cõment. in quæstione de spiritualibus creaturis vt suprà allegauimus, ideo Paulus in hoc non defensat viam Thomisticam. Reliquum igitur est soluere dubia, quæ oriuntur ex dictis philosophi & ex ratione, quam formabimus.

Aduerte igitur duo dicta philosophi, primum est in tex. 38. vbi inquit: latio enim prima mutationũ huius autem quæ circulo, hac autẽ scilicet latione circulari mouet hoc, id est, primum mouens, quod præmiserat mouere vt amatũ, ergo secũdũ ipsum mouet, & effectiuè, & vt finis, secundũ est in tex. 43. vbi inquit, videmus autem præter vniuersi lationem simplicẽ quam mouere dicimus potentiam hic existentem substantiã & immobilem, vbi B. Th. exponens inquit, & hoc est primum mobile, quod mouetur à primo motore secundum Aristotel. Sed Auic. posuit, &c. vsque ibi, esse ab eo, in quo dictum habetur expresse oppositum determinationis. etiam per expositionem B. Tho. vtide videtur sibi contradicere,

Respondetur, scio quòd hoc est difficillimum argumentũ contra B. Tho. tamẽ conabor soluere, ne sibiipsi sit contrarius. Dico igitur, quòd Auic. & Arist. in hoc concordant, quòd vter que posuit motorem primum, mouere primum cœlum, vt amatum & desideratum, & sic vt finis. Discordant autem in hoc, quòd Auic. noluit concedere primum motorem mouere aliquo

aliquo modo effectiuè; nec mediatè nec immediatè. Aristot. autem vult, quod etiam effectiuè moueat, mediante tamen intelligentia desiderante.

Sed dices, ergo ita potest dici primus motor mouere omnes cœlos, sicut primum, & causare omnem motum cœlorum, sicut motum diurnum, quoniam dat virtutem mouendi omnibus intelligentiis, & coagit illis vt causa prima, quod tamen est contra Arist. & B. Thom. qui particulariter attribuunt motum diurnum primo motori.

Ad hoc negatur consequentia, licet enim moueat omnes cœlos effectiuè, vt causa prima coagens intelligentiis mouentibus, tamen excellentiori modo & absolutè denominatur motor primi cœli, quoniam in motu diurno magis declaratur virtus sua. & quoniam vniuersalius & perfectius influit in intelligentia applicata primo mobili, eo quòd nobilior est inter cæteras, vt dicemus.

Ratione autem sic arguitur, si primus motor non est applicatus cœlo, ergo Philosophus non sufficienter numerauit, nec inuestigauit numerum substantiarum separatarum, quoniam cùm inuestiget talem numerum ex numero motuum orbium, & secundum te, primus motor non mouet immediatè vt applicatus, ergo Philosophus non conduxit discursum & inuestigationem suam vsque ad primum principium, ex consequenti, non conclusit sufficienter numerum entium separatorum.

Ad hoc respondet Ant. And. in 12. quæstione 2. dicens, quòd quando Philosophus inuestigauit numerum substantiarum separatarum, non distinxit, inter motorem coniunctum & motorem separatum. & sic videtur in comparatione prætermisisse motorem primum separatum.

Sed hæc responsio nõ dignificat Philosophum, ideo dico secundum principia b. Tho. quę posui suprà in q. 3. huius 12. quòd Philosophus per motum Phys. non inuestigat, nisi intelligentias applicatas. & numerum earum, per motum autem Metaphys. qui est motus desiderij inuestigat primum motorem vt finem vniuersalem & optimum desideratum, nego ergo hanc consequentiam, Philosophus non inuestigauit primum motorem per motum Phys. ergo non inuestigauit sufficienter numerum substantiarum separatarum, quoniam illa inuestigatio facta secundum pluralitatem motuum est solùm de motoribus coniunctis in quorum ordinè non continetur motor primus, sed supponitur, vt caput ordinis, sicut dux non continetur in ordine exercitus, sed est princeps, præsidens, & caput in exercitu.

Hæc de præsenti quæsito dicta sint. in quo dixi vt occurrere mihi potuit, & dedi saltem viam exercendi ingenij.

QVAESTIO XVI.

Si cœlum est animatum & quomodo.

Et ex hoc quidem apparet bene, hæc corpora esse animata, & quòd non habent de virtutibus animæ, nisi intellectum & virtutem desideratiuam, quæ mouet in loco. Comment. in comment. 36. & B. Thom. in expositione text. 39. inquit, & hoc quidem verum est secundum opinionem Aristotelis, inquantum cœlum ponitur animatum anima intelligente & desiderante.

CONCLVSIO.

Cœlum est animatum si sumatur vt corpus cœli & motor eius quæ est intelligentia.

IN hac quæstione quatuor agenda sunt. Primò quid dicendum de animatione cœli secundum Philosophum sequendo viam Comment. Secundò quid dicendum de eodem sequendo viam beati Thomæ. Tertiò, quid dicendum de eodem, sequendo viam Auicen. Quartò, quid dicendum secundum veritatem.

Quantum ad viam Comment. præpono duas distinctiones, deinde conclusiones responsiuas. Deinde soluentur quædam dubia insurgentia contra Comment.

Prima distinctio, Cœlum sumitur dupliciter. Primò pro corpore cœli, circunscripto motore suo. Secundò, pro corpore cœli & motore suo, quæ est intelligẽtia ex quibus fit vnum aggregatum modo suo.

Secundà distinctio, Animatum dicitur dupliciter.

Primò, animatum anima inexistente & informante, sicut vera forma informat materiam, quales sunt animæ animatorum inferiorum.

Secundò, animatum anima non informante, sed appropriata & dante motum, coniungitur enim secundum motum, eo quòd est principium immediatum & determinatum motus.

Prima conclusio, Cœlum circunscripto motore, non est animatum primo modo. Hæc probatur sic, Secundum doctrinam Comment. Animatum primo modo componitur ex vera materia, quæ est pars compositi, & vera forma, anima enim in animato primo modo est actus corporis, & tale animatum est corpus organicum, quod ponitur in diffinitione animæ.

Sed cœlum non componitur in via Comment. ex materia & forma, vt declarauimus in lib. septimo, nec est corpus organicum ex secundo cœli, comment. 42. nulla enim diuersitas partium est in cœlo nisi secundum rarum & densum, organicum autem importat diuersitatem partium secundum compositionem & complexionem, ergo cœlum circunscripto motore, non est animatum primo modo.

Secunda conclusio, Cœlum sumptum pro aggregato ex corpore cœli & in proprio motore, non est animatum primo modo, probatur sic, In via Comment. animatum primo modo est generabile & corruptibile, cœlum non est generabile & corruptibile, ex primo cœli: ergo, &c.

Maior probatur ex principiis suis, licet falsis, quoniam tenet, quòd in quolibet animato primo modo anima est educta de potentia materiæ, ex consequenti animatum est genitum, cuius generatio est terminus alterationis. Hac de causa tenet animam humanam non esse formam informantem & dantem esse vt declaratum est in 3. de Anima. Quare, &c.

Tertia conclusio, Cœlum sumptum secundo modo, est animatum secundo modo in via Comment. sic probatur, Secundum Philosophum in secundo cœli, textu septimo, sex differentiæ positionis sunt in cœlo, ergo est animatum, probatur consequentia, quia istæ positiones sunt propriæ animatorum, ergo, &c.

Præterea, Quod habet intellectum & appetitum, est animatum, quoniam ista sunt propria naturæ viuæ, sed secundum Philosophum in libro duodecimo Metaphysices, textu trigesimosexto, in cœlo quod mouetur à primo motore vt ab appetibili, oportet ponere intellectum & appetitum, quod enim mouetur ab appetibili, appetens est, & illic dicit Philosophus quòd principium appetitus, est intelligentia. ergo in cœlo sumpto secundo modo est appetitus, & intellectus, ex consequenti est animatum, non primo modo, vt probatum est, ergo secundo modo.

Sed contra hanc tertiam conclusionem insurgunt duo dubia in via Comment. Primum est, si cœlum non est animatum anima informante, sed tantum appropriata, ita quòd intelligentia dicatur anima eius, ergo intelligentia mouens non intelligit motum cœli, & per consequens non mouet per intellectum & appetitum, nec appetit mouere vt assimiletur primo motori, quæ omnia sunt contra ipsum Comment. in hoc 12. in commento 36. vbi inquit, & quòd non habet de virtutibus animæ nisi intellectum & virtutem desideratiuam, quæ mouet in loco, & infrà inquit, Quapropter hoc mouens est intellectus. Consequentia autem probatur, quoniam apud Comment. nulla substantia separata intelligit indiuiduum, sed motus causatus ab intelligentia puta Saturni, & cœlum eius sunt quædam indiuidua, est enim hic motus, & hoc cœlum, ergo, &c.

Quòd autem apud Comment. nulla substantia abstracta intelligat indiuiduum, habetur expressè in libro suo de somno & vigilia, vbi sic inquit, Et declaratum est in prima Philosoph. quòd istæ intelligentiæ abstractæ intelligunt naturas vniuersales, & non dant nisi simile eius, quod habent, impossibile est vt dent intentionem indiuidualem omnino, cum non habent naturam comprehendendi intentionem particularem, & illæ formæ vniuersales non indiuiduantur, nisi propter materiam, & si intelligentiæ abstractæ comprehenderent indiuiduum, tunc necessario essent materiales, hæc Comment. ex quibus patet, substantiam abstractam secundum opinionem suam non intelligere singulare.

Ad hoc dicunt Comment. quòd licet intelligentia non cognoscat motũ cœli, quem causat in particulari, cognoscit tamen in vniuersali, & ex consequenti reuolutiones particulares, secundum quod includuntur in motu primo accepto secundum suum ambitum.

Sed mihi videtur quòd illa cognitio in vniuersali non sufficiat, ad hoc quòd causet motum æternum per intellectum & appetitum, nam appetens finem determinatum & particularem necesse est, vt cognoscat determinatum medium, quo assequatur finem, aliter non magis hoc quàm illud eligeret medium. Cum igitur intelligentia appetat assimilari primo motori, vt in particulari cognito, necesse est vt cognoscat in particul

particulari. motum suum vt medium ordinatum ad finem suum desideratum.

Et ideo videtur dicendum in via Commentatoris, quòd intelligentia cognoscit motum, quem causat, vt est hic motus, non quidem per speciem motus, sed in essentia sua.

Nam intelligentia cognoscens essentiam suam, perfectè cognoscit, ex consequenti omnes proprios effectus, quorum essentia sua est causa: & cum sit causa effectiua motus æterni, cognoscit ipsum vt effectum suum. Inde gradatim cognoscit cœlum receptiuum sui motus. Inde cognoscit res inferiores per motum suum producibiles, tanquam effectus mediatos, & quando arguitur quòd Commentator negat intelligentiam abstractam cognoscere indiuiduum, dico quòd intendit intelligentiam non comprehendere indiuiduum per speciem propriam, species enim primò repræsentatiua indiuidui sumitur sensu & imaginatione, quæ non sunt in intelligentia, cum sit extra magnitudinem.

Et ratio quam adducit Commentator in libro suo de somno & vigilia, declarat hanc fuisse mentem suam. Dicit enim cum non habent naturam apprehendentem intentionem particularem, constat autem apud Philosophum & Commentator. naturam apprehensuam particularis intentionis esse sensum, quæ est potentia materialis: & ideo Commentator ibidem sic infert, si intelligentiæ abstractæ comprehenderent indiuiduum, tunc necessario essent materiales.

Secundum dubium. Quoniam si cœlum circunscripto motore non est animatum, ergo est ignobilius formica, quoniam omne inanimatum est ignobilius animato, ex secundo cœli commento sexagesimoprimo. Hoc autem videtur repugnare cœlo, quoniam perpetuum nobilius est corruptibili.

Ad hoc Commentator variè respondet. Mihi autem videtur dicendum, quòd aliquod corpus potest esse nobilius alio dupliciter

Primò, quo ad gradum essendi: & sic concedo formicam esse nobiliorem cœlo, quoniam habet esse & viuere, qui sunt duo gradus essendi.

Secundò, quo ad modum essendi, qui modi sunt esse contingens, esse necessarium, esse corruptibile, esse perpetuum, & sic dico cœlum esse nobilius quocunque inferiori simplici, vel composito animato, vel inanimato, nam omnia inferiora corruptibilia sunt: cœlum autem habet esse necessarium perpetuum, vnde dicitur diuinum corpus, ex secundo cœli text. primo. Hæc dicta sint quo ad mentem Commentatoris de animatione corporum cœlestium.

Quantum ad mentem Beati Thomæ, loquendo secundum Aristotel. inuenio diuersum modum loquendi, nam in quæstionibus disputatis de spiritualibus creaturis articulo sexto, & in prima parte quæstione septuagesima, articulo tertio, tenet expressè cum Auerro. & dicit, non esse concedendum secundum Aristote. cœlum esse animatum, nisi secundo modo, verum in secundo contra gent. capi. septuagesimo, probans contra Auerro. quòd anima intellectiua sit forma corporis, expressè per totum illud caput conatur declarare ex rationibus Aristotel. cœlum esse animatum primo modo, & hanc fuisse mentem Aristotel. Vt igitur liberes Beatum Thomam à contradictione, sequere determinationem quam fecit in quæstione de spiritualibus creaturis, & in prima parte, & dices, quòd quando aliter conclusit in summa contra gentes, hoc non dixit quasi de facto sic sit, sed quòd non repugnaret principiis Aristote. quin posset talis sensus elici ex dictis suis. Et id congruentissimè fecit.

Quoniam Commentator. credit repugnare principiis Aristotel. substantiam intellectualem informare materiam. Et Beatus Thomas, quasi exaggeratus voluit declarare id non repugnare, quasi sic arguens, non repugnat in via Aristot. substantiam intellectiuam informare corpus cœli, ergo pari ratione non repugnat animam intellectiuam informare corpus humanum.

Si hanc responsionem sequeris, liberabis Beatum Thomam à contradictione, & non dissentient Beat. Thom. & Commentator in facto de animatione cœli, licet dissentiant in hoc, quod est non repugnare.

Quantum ad opinionem Auicen. nota, quòd vt potest haberi ex doctrina sua in nono libro suæ Metaphysicæ, capite secũdo, opinatus est cœlum animatum primo modo, ita quòd negauit intelligentiam, quæ est virtus intelligibilis pura, id est extra magnitudinem & materiam omnino posse esse principium propinquum motus in cœlo, vnde sic inquit: Dico etiam quòd principium sui motus propinquum, non potest esse virtus intelligibilis pura, quæ non variatur, nec imagina-

tur particularia: cum negauerit intelligẽtiam posse esse principium propinquũ motus, coactus fuit ponere animam intellectiuam informantem vt principium proximum, quod se habet ad cœlum, sicut anima nostra ad nos: vnde sic inquit. Anima verò quæ mouet cœlum est, sicut iam notum est tibi, corporalis, conuertibilis, variabilis, nec est spoliata à materia, cuius comparatio ad cœlum, est sicut comparatio nostræ animæ ad nos.

Ratio autem motiua apud Auicen. fuit, quia arbitratus est, quòd intelligentia non cognoscit singularia, cùm sit libera ab omni magnitudine à materia indiuiduante, sicut etiam dixit Commentator in libro suo de somno & vigilia, vt suprà allegauimus, etiam quoniam necesse est motorem propinquum cœli intelligere motum, quem causat, & cœlum quod mouet, quæ sunt quædam singularia materialia, aliter non moueret, quoniam principium motionis in cœlo, est cognitio & appetitus, ideo credidit oportere cœlum habere animam, in qua sit intellectus cognoscitiuus vniuersalium, & imaginatiua cognoscitiua singularium.

Sed hæc opinio nullum habet fundamentum veritatis, nec ex sensu, nam falsum est intelligentiam non posse intelligere singularia, licet non per propriam speciem, vt diximus soluentes primum dubium motum contra Commentat. Item non potest conuinci ex sensatis cœlum esse animatum, nisi ex motu. Sed motus non cogit ponere animatum primo modo, sed sufficit secundo modo, vt declarabitur infrá.

Item posito, quòd anima informans esset in cœlo, adhuc non cognosceret singulare per imaginatiuam, quoniam est potentia sensitiua, cuius organum est corpus elementatum, quod repugnat naturæ cœlesti, cognosceret ergo intellectu, sed propter actum intelligendi non est necesse, quod vniatur cœlo vt forma, vt declarabitur, ergo opinio Auicennæ nullam habet euidentiam, sed est mera imaginatio.

Quid autem tenendum sit secundum veritatem, dico quòd non est ponendum animatum, nisi secundo modo, quoniam modus animationis manifestatur nobis ex operatione animati. Nulla autem operatio apparet in cœlo, propter quam simus conuicti, ponere ipsum animatum primo modo. Nam ibi non sunt operationes vegetatiuæ, nec sensitiuæ, quoniam vt declaratum est in secundo de anima, requirunt organum consurgens ex mixtione elementorum, cœlum autem est corpus quintum vt probatum est in primo de cœlo, nec est appetitus sensitiuus, quia sequitur apprehensionem sensitiuam, quæ remota à cœlo, ex consequenti remouetur talis appetitus. Propter autem intelligere non est necesse esse animatum primo modo, quoniam intelligere est operatio non organica, nec indiget corpore, nisi ratione phantasmatum deseruientium ipsi intelligere, phantasmata autem ad partem sensitiuam pertinent, quæ non potest esse in cœlo, vt diximus, ergo intelligere cœli non conuincit ipsum animatum primo modo. Nec motus localis, quoniam ex septimo Physicorum, & octauo, sufficit mouens & motum esse simul, ita quòd inter ea sit tactus naturalis aut Metaphoricus, de quibus loquitur Philosophus in primo de generatione textu quadragesimoquarto & quadragesimoquinto. Naturalis quidem est inter duo corpora, actiua & passiua adinuicem, sicut inter elementa in suis extremitatibus, vel adinuicem approximata. Metaphoricus autem est inter mouens non quantum, & corpus mobile, prout mouens applicat virtutem suam, & imprimit in mobili, sed non econuerso, & hoc modo contristans tangit nos, similiter lætificans, & intelligentia tangit cœlum, non ergo ex motu locali conuincimur ponere cœlum animatum primo modo: Nec ex causalitate cœli super animata, quæ producuntur ex motu cœli in mundo inferiori. Nam talis causalitas non est vniuoca sed æquiuoca, in qua non est necesse causam esse formaliter, sed virtualiter talem, qualis est effectus: & sic dico, quòd sufficit cœlum vnitum intelligentiæ esse virtualiter viuum, ad hoc quod producat per se, aut comproducat viua, quam virtutem trahit ab intelligentia viua. Sicut calor naturalis trahit ab anima virtutem generandi carnem viuam per digestionem alimenti, & vt sic potest dici calor virtualiter viuus, quia est instrumentum animæ, quod non verificatur de calore ignis. Cùm igitur nulla ratione efficaci sulciatur positio de animatione cœli primo modo, non est hoc tenendum secundum Aristotelem, nec secundum veritatem. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVII.

Si intelligentia mouens cœlum, potest esse forma vera diuns esse cœlo.

CONCLVSIO.

Cùm ex intelligentia & cœlo non possit fieri vnũ per informationem, sed tantum per applicationem mouentis ad mobile & secundum veritatem repugnet intelligentiæ informare corpus, aut materiam, dans esse ei quod informaret, intelligentia mouens cœlum non potest esse forma vera dans esse cœlo.

IN hac quæstione aduerte, quòd licet omnes Commentistæ concorditer defendant Comment. contra Auic. quòd nõ sit vera anima in cœlo, quæ sit forma cœli, sicut anima animalis est forma eius: tamen aliqui tenent, quòd intelligentia applicata cœlo, potest esse verè forma dans esse cœlo, ita quòd sit, ac si esset anima eius, & quoniam reputo id esse purum errorem, & secundum philosophum, & secundum veritatem: ideo sic procedendum est. Primò ponentur duæ conclusiones responsiuæ. Secundò soluentur quædam dubia.

Prima conclusio, Ex intelligentia & cœlo non potest fieri, vnum per informationem, sed tantum per applicationem mouentis ad mobile.

Hæc conclusio apud Cõmen. videtur manifesta, quoniam apud ipsum repugnat naturam intellectualem informare materiam, vnde negauit animam humanam esse formam dantem esse, aliter (vt ipse opinatur) licet falsè, esset generabilis & corruptibilis, & extensa ad extensionem materiæ, quia reciperetur in quanto, & tantum indiuidualiter apprehenderet: quia sicut opinatur formam abstractam intelligere tantum vniuersale, sic formam informantem materiam apprehendere tantum indiuidualiter.

Cùm igitur Commen. negauerit intellectiuum principium quo intelligimus posse informare materiam, multo magis intelligentiam, quæ & æterna, & impartibilis, & immaterialis, & abstracta est ex sui natura.

Prætereà, cùm apud Cõment. in 2. cœli, comment. 3. omnis forma dans esse ei quod informat fatigetur in omnibus, sequitur intelligentiam non posse mouere motum æternum regularem & vniformem: quod est contra philosophum in octauo physic.

Prætereà. Cum apud Cõment. vt declaratũ est suprà: Deus moueat primum cœlum immediatè, sequitur quòd posset informare primum cœlum, ex consequenti non esset primum mouens omnino immobile, quoniam omne in formas secundum esse mobile est, aut per se, aut per accidẽs, nec esset purus actus, quoniam puro actui repugnat compositio, cum his & ex his, hæc enim includunt potentialitatem & imperfectionem.

De mente autem philosophi sic probatur, nulla virtus mouens tempore infinito est in magnitudine, ex 8. phy. tex. 39. sed omnis intelligentia secundum philosophum in 12. metaphysi. tex. 43. mouet tempore infinito, ergo non potest esse in magnitudine per informationem, sed tantum per applicationem.

Prætereà, omne informans magnitudinem est mobile, saltem per accidens secundum substantiam, quoniam si totum mouetur, necesse est & partes moueri ad motum totius. Sed apud philosophum intelligentiæ sunt omnino immobiles secundum substantiam suam, quoniam si mouerentur, saltem per accidens, impossibile esset vt motum continuum æternum mouerent, ex octauo physicorum, tex. 52.

Dixi secundum substantiam, quoniam non inconuenit intelligẽtias planetarum moueri non secundum se, sed ratione orbis sui, qui mouetur motu raptus ad motum primi mobilis.

Secunda conclusio, secundũ veritatem repugnat intelligẽtiæ informare corpus aut materiã dans esse ei, quòd informaret, probatur, nulla substantia integra, id est, quæ continet integritatem naturæ debitæ suæ speciei est informatiua corporis aut materiæ, quoniam omne sic informatiuũ est pars constitutiua alicuius tertij, ex consequẽti non est natura integra sed partialis, Constat autem apud rectè sentiẽtes, quòd intelligẽtiæ sunt substantiæ integræ & cõpletæ in specie sua, ergo, &c.

Prætereà, Omnes intelligentiæ supergrediuntur ordinem totius naturæ corporeæ, vnde dicuntur diuinæ substãtiæ, & diuinæ mẽtes, ergo nõ sunt informatiuæ corporũ aut materiæ.

Prætereà, Illa vnio & informatio esset frustra, quoniã non est necessaria propter motum, vt declaratũ est suprà: nec propter intelligere, vt etiam declaratũ est in q. præced. ergo, &c.

Prætereà, hoc nõ est dignificare illas diuinas substãtias, sed potius vilificare: quod tamen nõ est simile de anima humana, qm cũ sit forma est ex natura sua vnibilis materiæ. Quare, &c.

Sed contra primã conclusionem insurgunt dubia ex dictis Commẽt. nam in 2. cap. de substantia orbis dicit, q̃ cœlũ indiget mouẽte ipsũ in loco, & virtute quę nõ sit corpus, nec virtus in corpore, ad largiẽdũ sibi permanentiã æternã & motũ æternũ. Sed permanentia cœli est esse cœli, ergo illa virtus quę est ipsa intelligẽtia dat esse cœlo, ex consequenti est forma cœli.

Ad hoc dicitur, quòd dare permanentiam, potest intelligi dupliciter, primò formaliter, secundò conseruatiuè. Cõmentator intendit secundo modo & non primo, tenet enim quòd corpora cœlestia habent causam conseruantem, id est, virtutẽ primi principij, à quo pendent in genere causæ finalis, vtrum autem ab eo sint effectiuè secundum Comment. quæremus infrà, quando quæremus si primum est causa productiua omnium. Dare autem permanentiam, & esse conseruatiuè non conuenit formæ, sed potius agenti, vel causæ quæ habet modum agentis. Non ergo ex dicto Comment. potest concludi, intelligentiam esse informantem cœlum, sed potius conseruantem, quòd tamen potius verificatur de virtute primi principij, quàm de alia intelligentia.

Secundò philosophus & Comment. in 12. metaph. tex. & cõmen. 46. attribuunt cœlo intelligere & velle, qui sunt effectus formales intelligentiæ, ergo intelligẽtia est forma cœli.

Ad hoc dicitur, quòd cœlum illic sumitur (vt dictum est suprà) pro congregato ex cœlesti corpore & intelligentia, & dictum philosophi non verificatur ratione congregati, sicut dicimus, quòd sentire est actus, non solius animæ, sed coniuncti, sed ratione intelligentiæ sibi vnitæ & appropriatæ.

Tertiò dicit Comment. in 2. cœli, commen. 3. quòd ex intelligentia & orbe fit verius vnum, quàm ex materia & forma, hoc autem non esset, nisi quia intelligentia est nobilior forma cœli, quàm forma recepta in materia, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd dictum Commentator. sic habet intelligi, ex intelligentia & orbe fit magis, id est, nobilius vnum, quàm ex materia & forma, non quia fiat magis vnum per se, sed quia fit aggregatũ incorruptibile: quod non fit ex materia & forma. Arbitratur enim omne compositum ex materia & forma esse corruptibile vt declarauimus in octauo libro & ideo negauit materiã, quę est ensin pura potẽtia, esse in cœlo.

Quartò, si intelligentia non est forma, ergo hæc est falsa, corpora cœlestia mouentur, quia intelligunt: quam tamen concedit philosophus & Commentator, in duodecimo metaphysicæ, textu & commento trigesimo sexto.

Consequentia probatur, quia nullum ex absistentibus aggregatum denominatur operari operatione conuenienti alteri absistentium, stultum enim esset dicere, discipulum intelligere quia magister sibi absistit: sed ideo intelligit, quia inest sibi anima intellectiua, qua intelligit. Si igitur intelligentia non est forma cœli, sed tantum absistẽs: falsum est dicere, cœlum intelligit, quia intelligentia absistens intelligit.

Ad hoc dicitur in via Commentator. quòd consequentia est falsa. Ad probationem. Commentator negaret assumptũ. Nam in via sua erronea dicitur, Sortes intelligere, quia intellectus qui est vnus omnium hominum, & non est forma dans esse, sed copulata intelligit.

Contra secundam conclusionem arguitur sic, si intelligentiæ repugnat esse forma corporis, aut materię, hoc est, vel quia est natura intellectualis, vel quia subsistens, vel quia differens specie ab anima, vel quia est quid completum in specie: ideo non potest esse pars speciei.

Sed primum non obstat, aliter intellectiua non posset esse forma corporis. Non secundum, aliter anima separata non esset natura vnibilis materiæ. Non tertium, quia anima equidifferet specie ab anima hominis, & tamen est forma materiæ. Non quartum, quia posito quod intelligentia esset forma corporis puta cœli, adhuc non esset pars alicuius speciei, quia non resultaret ex intelligentia & cœlo aliqua tertia natura per se vna & perfecta in specie, cuius pars formalis esset intelligentia. Nam esse partem speciei non conuenit nisi formę, quæ est complementum materiæ & terminus generationis: forma autem quæ est largiens vltimas perfectiones, id est, operationes ei cuius est forma, & non est finis generationis, non est necesse, quòd sit pars speciei, sed potest esse quid completum in speciei. Talis autem esset intelligentia, posito quòd sit forma corporis.

Ad hoc dicitur, quòd est propter quartum. Ad improbationem dico, quòd loquendo de forma propriè informatiua & vera informatione, & vera materia informabili, est ininteligibile quin sit pars, & quin ex ea & materia consurgat noua species: nec valet distinctio de forma data, quoniam in vera philosophia, forma est quæ dat esse aut substantiale, si est substãtialis, aut accidẽtale, si est accidentalis, ex cõsequenti est terminus generationis. Sumere autẽ aliquid, vt dat vltimas perfectiones, non est esse propriè formam informantem, sed æquiuocè & impropriè: non enim est loqui ad intentionem conclusionis nostræ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XVIII.

Si in primo principio est delectatio & vita excellentissimo modo.

CONCLVSIO.

Primum principium in seipso habet maximam & admirabilem delectationem, vitámque nobilissimam & felicissimam.

IN hac quæstione non cadit multa difficultas. Totum est scire declarare causas, vnde prouenit delectatio, & scire radicem ac gradus vitæ.

Tu igitur primò declarabis causas delectationis, deinde ponES conclusiones responsiuas. Secundò inuestigabis radicem primam, qua dicitur aliquid viuere, & iuxta illam assignabis gradus vitæ, secundum excellentiam minorem & maiorem, deinde pones conclusionem responsiuam de excellentia vitæ in primo principio.

Quantum ad causas delectationis aduerte, secundum doctrinam Aui. in libro octauo, suæ Metaph. capi. septimo, quod sunt duæ partiales, ita quòd neutra sufficit, sed necesse est vt vtraque concurrat, ita quòd cõiunctæ faciunt vnam sufficientem.

Prima est coniunctio alicuius conuenientis, sicut quando dulcis cantus peruenit ad auditum, proportionata lux ad oculum, suauis cibus ad gustum. Ex opposito, causa tristitiæ est, vnio disconuenientis, vt caliditas vel frigiditas intemperata vnita tactui, Cibus amarus gustui. Secunda est apprehensio & cognitio talis conuenientis. Nam si animal dormit, dato quòd sibi vniatur res conueniens, nisi illud agnoscat, & vt cõueniens & vt vnitum, vel positum in facultate sua, & in suo placito, nõ delectatur, propterea dicit Philosophus in duodecimo Metap. text. trigesimonono, quòd voluptas est actio, vbi inquit Com. comm. trigesimonono, Causa voluptatis est comprehensio.

Ex opposito apprehensio disconuenientis vniti ipsi animali, est causa tristitiæ. Ex quibus corollariè sequitur, quòd gradus, delectationis sumuntur penes gradus bonitatis, & perfectionis, & pulchritudinis, & vnionis, & apprehensionis, in obiecto delectabili & conuenienti, ita quòd si parua sit bonitas & perfectio obiecti, & parua vnio, & parua apprehensio saltem extimatiua parua est delectatio. Secundum autem quod illa maiorantur, & delectatio similiter. Si autem sint in maximo gradu, & delectatio erit maxima. Vnde inquit Auic. in libro sexto suæ Metaphysic. capite septimo. Cuius perfectio est nobilior, & maior, & diuturnior, & vicinior & præparatior, & cuius actio est perfectior, & apprehensio est in se fortior, illius delectatio erit excellentior & gloriosior.

Sed aduerte, quòd licet delectatio secundum famositatem sit nobis manifesta magis & prius secundum sensum, tamen non in solo sensu stat delectatio, imò nobiliori modo est in bono immateriali & in apprehensione intellectiua, simul cum virtute intellectuali desideratiua, quoniam bonitas, & perfectio rei immaterialis maior est & coniunctior intimior, & apprehensio intellectiua nobilior, & voluntas est appetitus excellentior, quàm appetitus sensitiuus, vnde inquit Auic. vbi suprà, O portet vt scias, quòd apprehensio qua intelligens apprehendit intellectum fortior est, quàm apprehensio, qua sentiens apprehendit sensatum, quia est intellectus, qui intelligit, quòd apprehendit quicquid potest spoliari ab aliquo, & mutari cum eo, & apprehendit illud inquantum est ipsum, & non id quod apparet de eo. Non est autem sic sensus sensato. Igitur delectatio quæ est nobis de hoc, quòd intelligimus, conueniens magis est, quàm ea qua sentimus conueniens, ita quòd non est comparatio inter illas.

Prima conclusio, Intelligentiæ mouentes cœlos intelligentes & desiderantes, siue amantes primum principium, maximè & incessanter delectantur. Probatur.

Primum principium quod est nobilissimum & optimum & maximè perfectiuum, eis intimè coniungitur intellectu, aliter eo quod intelligunt ipsum intellectione clarissima & certissima, quia nõ per speciem mediam, sed per essentiam suam coniungitur illis, & continuè, quia sicut continuè mouent, sic continuè intelligunt primum principium: ergo maximè & incessanter delectantur in eo. Consequentia patet ex causis adductis, quibus oritur delectatio.

Et eadem conclusio confirmatur per Auicen. in libro nono suæ Metaphysi. capite sexto, vbi inquit, Prudens homo non putet, quòd omnis delectatio est sicut delectatio asini, & quòd prima principia intelligentiæ quæ sunt proxima, id est, vnita domino seculorum careant omni delectatione & gaudio, & quòd propria pulchritudo Domini seculorum, quæ est ei in regno suo, & sua virtus, quæ est infinita, non sit ei, in vltimo nobilitatis & excellentiæ, & suauitatis, sed extollendo eum vocamus hæc, delectationem impropriè. Sed quæ comparatio potest esse superiorum ad hæc villia, &c.

Secunda conclusio, Primum principium in seipso maximè ac mirabilissimè delectatur, amátque seipsum inenarrabiliter. Probatur.

Primum principium est bonitas, & perfectio, & pulchritudo infinita, & infinitè se intelligit & non solùm vnitur suæ bonitati, sed est sua infinita bonitas, ergo delectatio sua est infinita, & amor sui inenarrabilis. Consequentia patet ex causis generantibus delectationem & amorem. Et hæc conclusio confirmatur per Auicen. in octauo libro suæ Metaphysicæ, capite septimo. Sic enim inquit, Quoniam delectatio non est nisi apprehensio conuenientis, secundum quod est conueniens: vnde sensibilis delectatio est sensibilitas conuenientis, & intelligibilis est, vt intelligat conueniens, igitur primus est excellentior apprehensor, cum excellentiore apprehensione excellentioris apprehensi: & ideo est excellentior delectator, cum excellentiori delectatione in excellentiori delectato, & hoc est in quo nihil potest ei comparari, hæc Auicenna.

Quantum ad vitam, vtrum sit in primo principio, felicissimè, inuestigandum est primo, quid sit vita, vel viuere, & vnde habent aliqua, quòd dicantur viuere. Aduerte igitur, vt notauimus in epitome nostra, super libro, de morte & vita in paruis naturalibus, quòd vita dupliciter considerari potest, primò vt inuenitur in viuentibus inferioribus, quæ propriè dicitur vita naturalis corruptibilis, & sic diffinitur ab Aristotel. in libro, de morte & vita, vita est mansio nutritiuæ animæ cum calido sibi proportionali. Quæ diffinitio quomodo intelligenda sit, iam declarauimus in epitome nostra, in libro, de morte & vita, tractatu vnico, capite primo, vide tu secundo, consideratur vita absolutè, & tunc vita est existentia, vel operatio naturę mouentis seipsam in operationem, sumendo motum non solùm Physicè, sed etiam Metaphysicè, prout intelligere, velle, apperere, dicuntur motus, qui est actus perfecti. Nam viuentia primò distinguuntur à non viuentibus, quia in non viuentibus non apparet principium actiuum sui motus, sed potius mouentur ab extrinseco principio: in viuentibus autem principium actiuum sui motus est intrinsecum, ideo dicuntur viuentia mouere seipsa aliqua specie motus, siue Physici, siue Metaphysici. Cùm igitur vnumquodque dicatur viuens, inquantum mouet seipsum, sequitur quòd prima radix vitæ sit mouere seipsum, & vbi motus suiipsius minus pendet ab extrinseco, & talis motus sit nobilior, vita quoque erit nobilior, & quoniam motus Metaphysicus, eo quòd est actus perfecti, nobilior est motu Physico, qui est actus imperfecti: ideo sequitur, quòd entia Metaphysicalia, id est, diuina, quales sunt intelligentiæ & primum principium, in quibus sunt motus Metaphysici, & mouent se tali motu, longè nobiliorem vitam habeant, quàm viuentia naturalia, vnde inquit Philosophus in secundo de cœlo, tex. centesimo. Vita est illic semper permanẽs, perpetua secundum perpetuitatem seculi seculorum, quòd non finitur, neque destruitur, & est vita nobilissima. Ex his ergo ponitur conclusio responsiua:

Licet intelligentiæ habeant vitam nobilissimam & sibi sufficientissimam, tamen primum principium incomparabiliter felicissimam habet vitam.

Quòd intelligentiæ habeant vitam nobilissimam, patet, quoniam eorum vita est esse immateriale, intellectuale, perpetuum, inalterabile, & est earum intellectio qua intelligunt se, & primum principium, & amant, & desiderant, habéntque primum principium, vt bonum, optimum, sibi intimè vnitum, qua vnione vnitur res intellecta intellectui, & amata amanti, quæ vtique non est vnio per contactum, sed per penetrationem modo nobis indicibili. Cùm igitur esse earum sit nobilissimum, & earum intellectio, & dilectio & vnio cum primo principio sit nobilissima, sequitur eorum vitam esse nobilissimam, sufficientissimam autem habent, quoniam continua, perpetua, intransmutabilis, non indigens aliquo corporeo, ex possessione perfectissimi boni, cui immutabiliter inhærent.

Quòd autem primum principium incomparabiliter felicissimam vitam habeat, probatur, ex eo quòd vita sua non pendet ex alio, sed inest sibi à se, sicut & esse, in quolibet autem creato vita sua sicut, & esse indiget conseruari à primo princip.

Item primum principium est sua vita, in quolibet autem alio, actio sua vitalis non est substantia sua.

Item sicut esse primi principij, est infinitè perfectum, sic & sua vita, in quolibet autem alio viuente, sicut esse est limitatæ perfectionis, sic & vita, solum ergo primum principium habet vitam sufficientissimam incomparabiliter. Propterea conclusit Philosophus in li. duodecimo, tex. trigesimonono, quòd Deus habet vitam optimam absolutè, & Com. dicit quòd habet vitã in fine nobilitatis. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XIX.

Si dispositiones Dei, quas dicimus perfectiones diuinas, distinguuntur realiter, vel solùm ratione.

Est igitur vnus Deus sapiens, & hoc putauerunt antiqui, &c. Commentator in commento 39.

CONCLVSIO.

Dispositio, proprietas, Designatio, & attributum Dei, quæ dicuntur perfectiones diuinæ, significant perfectionem in Deo simpliciter.

IN hac quæstione antequam veniamus ad resolutionem aduerte, quòd apud theologos est famosa, & dicitur quæstio de distinctione diuinorum attributorum.

Quantum ergo spectat ad metaphysicum, qui tenet omnimodam simplicitatem in Deo, cùm sit purissimus actus, & tamen omnes has propositiones recipiet, vt verissimas, Deus est viuens, Deus est intelligens, Deus est sapiens, Deus est primum principium, declarandum est, si hæc plura prædicata sunt omnino idem in Deo, vel distinguantur, & quomodo. Tu igitur sic procedes.

Primò declarandum est, quòd hæc quatuor, Dispositio, secundum Commentatorum, Proprietas, secundum Auicennam, Designatio, secundum Algazel. Attributum, secundum Theologum significant in Deo perfectionem simpliciter, ita quòd non solùm voces & conceptus attribuuntur Deo, sed & eorum significata sunt perfectissimè in Deo.

Secundò manifestandum est, si secundum viam Commenta. & Beati Thomæ inter has diuinas perfectiones aliqua distinctio seruari potest.

Tertiò pertractanda est via Scoti, in quo concordat vel discordat à via nostra.

Quartò soluetur dubium insurgens contra determinationem, quam acturi sumus.

Quantum ad primum aduerte, quòd si intellectus noster quando componens format hanc propositionem de Deo, Deus est sapiens, intenderet attribuere sibi solum nomen, vel conceptum, & non rem quæ est sapientia, ergo non omnes perfectiones existentes in latitudine & possibiles esse, essent in Deo. Hoc autem repugnat veræ philosophiæ, quoniam Deus non esset quid optimum absolutè nec perfectus per hyperbolem, cuius oppositum sensit philosophus in quinto metaphysicæ, cap. de perfecto, vbi & Commentator dicit, hanc esse dispositionem, id est, proprietatem primi principij, quòd nihil imperfectum inueniatur in eo, & nihil nobilitatis extra in vnoquoque genere deficiat ei, ergo quæcunque perfectio importatur per hæc nomina, sapientia, bonitas, iustitia, intellectus, voluntas, &c. inuenitur in Deo, vnde falsum est dicere, Deum nõ alia ratione dici bonũ, nisi quia est causa bonitatis in creatura, similiter sapientem, iustum, &c. imò quia bonus est, bonitatem suam communicat creaturę, idem dico de aliis perfectionibus.

Quantum ad secundum, pono duas conclusiones quæ sunt ad mentem philosophi & Comment. & Beati Tho. & Auic. in octauo libro suæ metaphysicæ.

Prima conclusio, Istę dispositiones non distinguuntur realiter ab essentia primi principij, nec inter se, imò identicè vna est altera, probatur, Vbi sunt plura entia realia absoluta distincta realiter, ibi est compositio realis, quia non est intelligibile quod plura conueniant in vno absoluta, & distincta realiter, ab eo in quo sunt, & inter se, quin sit ibi compositio, aut ex eis, aut cùm his.

Sed primo princ. repugnat omnis compositio realis, quoniam iam non esset primum ens, omne enim compositum posterius est suis componentibus. Hæc conclusio est ad literã de mente Comment. in 12. in comment. 39. vbi sæpe replicat, quòd in abstractis dispositio & dispositum, id est perfectio & res cui inest perfectio, sunt idem, & in fine comment. inquit, Multiplicitas igitur in Deo non est, nisi in intellectu differentia & non inesse, id est diuinæ dispositiones in Deo non differunt secundum rem, sed secundũ intellectum, vt dicemus infrà, eandem tenet Auic. in octauo suæ metaph. cap. septimo, vbi inquit, Nulla harum scilicet dispositionum facit in essentia primi debere esse multitudinem vllo modo, nec variationem. Et in hac conclusione omnes rectè sentientes de Deo, conueniunt.

Secunda conclusio, licet sint idem realiter cum substantia primi principij, & inter se, tamen distinguuntur formaliter & ratione.

Hanc sic intelligo, distinguuntur ratione, quoniam intellectus aliam rationem format de sapientia Dei, aliam de bonitate, aliam de iustitia: vnde non se inuicem includunt in primo modo per se. Probatur, cùm sint idem realiter, etiam si sunt idem ratione, ergo sunt synonyma, ergo est nugatio dicere, Deus iustus, sapiens, potens.

Nullus autem rectè sentiens concedit hanc nugationem, ergo distinguuntur formaliter & ratione. Hæc conclusio est de mente Comment. in 12. in comment. 39. vbi inquit, in eis quæ sunt formæ, non in materia, dispositio & dispositum reducuntur ad vnum inesse, id est sunt idem secundum rem, & duo in consideratione id est, apud intellectum considerantem, (& infrà.) Dispositio & dispositum vnum erunt in prædicatione, quia, scilicet vnum prædicatur de altero identicè: & duo in intentione, & iam præmiserat in eodem comment. quod non significat idem omnibus modis, sicut nomina synonyma, ergo secundum ipsum, distinguuntur ratione modo præexposito.

Sed dicet aliquis cùm sint idem realiter, quæ est necessitas formandi distinctas rationes de illis. Item dicit, An ista diuersitas rationum, prouenit solùm ex parte nostri intellectus, vel ex parte diuinæ substantiæ.

Item posito quòd etiam ex parte diuinæ substantiæ, quære si diuina substantia fundans vnam rationem, puta rationem sapientiæ distinguitur à seipsa, vt fundat rationem iustitiæ.

Respondeo ad primum, & dico, quòd necessitas illa prouenit ex perfectione omnimoda & vniuersali diuinæ essentiæ, quoniam cùm sit perfectissima, est sufficientissima ad fundandum distinctas rationes, & illis correspondere.

Prouenit etiam, ex limitatione & debilitate nostri intellectus, eo quòd non potest vnico conceptu sufficienter explicare perfectionem diuinam, nisi quodammodo particularizando eam per distinctas rationes.

Respondeo ad secundum, & dico, quòd pluralitas rationum quæ formantur de eadem re, prouenit aliquando ex parte intellectus tantum, vt quando comparat idem sibiipsi dicens, Sortes est Sortes, nam Sortes vt subiectum distinguitur ratione solum, per opus intellectus collatiui, à Sorte vt est prædicatum, aliquando autem res ipsa est fundamentum distinctarum rationum prout diuersimode considerata diuersis rationibus correspondet. Sicut idem punctus diuersimode consideratus fundat rationem principij & finis. Et hęc dicitur distinctio rationis ex parte rei, quam Scotistæ videntur appellare distinctionem ex natura rei.

Ad propositum dico, quòd pluralitas rationum quæ formantur de perfectionibus diuinis prouenit non solùm ex parte nostri intellectus, sed etiam ex parte rei, quoniam diuina considerata vt principiũm intelligendi fundat conceptum intellectus & considerata vt principium volendi, fundat conceptum voluntatis. Idem intellige de aliis perfectionibus.

Respõdeo ad tertium, & dico, quòd nulla distinctio actualis ponitur in diuina essentia, quantumcunque correspõdeat distinctis conceptibus formatis ab intellectu nostro de diuinis perfectionibus. quoniam cum tali distinctione absolutorum non possumus saluare omnimodam simplicitatem diuinæ essentiæ.

Potest autem dici, distinguì à seipsa fundamentaliter & correspondenter. Sicut etiam diximus in lib. 5. agentes de distinctione prædicamentorum, quòd sumuntur à distinctis medis essendi, non quidem qui sint actualiter in eadem re, sed correspondenter, prout vna res correspondens vni conceptui, dicitur habere vnum modum essendi, prout autem correspondet alteri conceptui, habet alium modum, & dedimus exemplum de motu, vt fundat conceptum actionis & passionis.

In his stat summa opinionis Thomistlicæ, & Comment. de distinctione diuinarum perfectionum, cum qua, an concordet via Scoti, videbimus in sequentibus.

Quantum ad tertium, vt resolutè habeatur via Scoti, tria sunt agenda.

Primò, ponẽtur omnia genera distinctionum, quæ solent esse famosæ apud Scotistas.

Secundò, ex eis manifestabimus concordiam vel discordiam inter Beatum Thom. & Scotum.

Tertiò, vnico verbo soluentur quædam præcipua argumẽta Scoti.

Circa genera distinctionum Scotistarum aduerte q̃ vt extraxi ex tracta. formalitatum Stephani Burlifer. sunt septem.

Prima dicitur distinctio rationis, & est illa, quæ fit per intellectum collatiuum præcisè, vt Sortes est Sortes. Nam Sortes in prędicato differt ratione à seipso posito in subiecto. Dico autem

autem præcisè, quoniam ibi non accipitur distinctio rationis, quæ prouenit ex parte rei ratiocinabilis, sed quæ est solum ex parte intellectus ratiocinantis. Nam distinctio rationis ex parte rei idem est, quod distinctio ex natura rei. Hæc Stephan.

Secunda dicitur distinctio ex natura rei, & est inter duo extrema, de quibus prædicata contradictoria possunt verificari præter omne opus intellectus, sic distinguuntur totum & partes. Nam totum est constitutum, partes non sunt constitutæ. Partes sunt constituentes, & totum non est constituens. Sic distinguuntur genus & differentia, quoniam genus diuiditur differentiis, differentiæ autem non diuiduntur differentiis, ergo de eis verificantur prędicata contradictoria, ex consequenti distinguuntur ex natura rei.

Tertia dicitur distinctio formalis, & est quando aliqua duo non se mutuo includunt in primo modo per se, vt passio, & subiectum, actio, & passio, genus & differentia.

Quarta dicitur distinctio realis, quæ est inter quæcunque, quorum vnum potest ab altero separari, vt materia & forma, ad mentem Scoti: subiectum & accidens commune.

Quinta dicitur distinctio essentialis, quæ est inter duas essentias, quæ per aliquam potentiam possunt abinuicem separari, vt Sortes & albedo, & nota quod licet in creatis quæcunque distinguuntur realiter: non tamen essentialiter, quoniam distinctio essentialis est absoluta, quæ non cadit in Deo, cùm sit omnino simplex.

Sexta dicitur distinctio se totis subiectiuæ, & est quando duo extrema sunt distincta realiter, & actu existunt, & tamen non possunt conuenire in vno aliquo subiecto, vt duo indiuidua eiusdem speciei, & quæcunque oppositionem habent adinuicem, ita quod non possunt eidem simul inesse. Hæc tamen distinctio est alia à distinctione reali, quia in illa non requiritur separatio actualis, sed sufficit potentialis, in hac verò requiritur separatio actualis, vnde anima & corpus non distinguuntur hac distinctione, quia conueniunt in vno composito distinguuntur tamen realiter, quia sunt abinuicem separabilia.

Septima dicitur se totis obiectiuæ, & est quando duo extrema non conueniunt in aliquo vno conceptu reali quidditatiuè, vt duæ vltimæ differentiæ, quæ sunt primo diuersa, ens & non ens, & secundum viam Thomist. Deus & creatura, substantia & accidens, quæ in nullo conceptu reali vniuoco conueniunt. Hæc est summa distinctionũ secundum mentem Scoti.

Quantum ad concordiam vel discordiam inter Sco. & Bea. Tho. aduerte, quòd potius stat in terminis quàm in sensu, nam arbitratur Scotus perfectiones diuinas, non distingui realiter, quoniam sunt abinuicem & à Dei substantia inseparabiles, essentialiter nec aliis distinctionibus sequentibus, quoniam supponunt distinctionem realem.

Sed distinguuntur ratione ex parte intellectus, quæ est prima species distinctionis. Quia intellectus de vnaquaque potest formare proprium conceptum, sed non tantum ratione ex parte intellectus, imò & ex natura rei, quæ est species secunda distinctionis, nam sumptis duabus perfectionibus diuinis puta intellectu & voluntate, de eis verificantur prædicata contradictoria, nam de intellectu verum est dicere, quòd intelligit & de voluntate, verum est dicere, quòd non intelligit, ergo, distinguuntur ex natura rei, & distinguuntur distinctione formali, quæ est tertia species distinctionis, quoniam vna perfectio non prædicatur de alia in primo modo per se formaliter, sed identicè, vnde nec intellectus est voluntas formaliter econuerso.

Hæc est summa opinionis Scoti, Cum qua concordat in sensu via Beat. Thom. Nam quando dicit Bea. Thom. quòd distinguuntur ratione ex parte intellectus & ex parte rei, comprehendit sub primo distinctionem rationis secundum Scotum, & sub secundo distinctionem ex natura rei, & propterea dixit Stephan. quòd distinctio rationis ex parte rei rationabilis, est eadem cum distinctione ex natura rei. Patet ergo, quòd non differunt in sensu.

Quantum ad solutionem argumentorum Scoti non laborabis, quoniam sicut concludunt quòd perfectiones diuinæ distinguuntur plus quàm ratione ex parte intellectus, sic & nos concedimus, & quando concludunt quòd distinguuntur ex natura rei, non concedimus quòd distinguuntur ratione ex parte rei, quæ æquipollere videtur secundum Scotistas, distinctioni ex natura rei, & sicut tenet Scot. quòd distinctio ex natura sufficit ad verificandum duo contradictoria prædicata de eodem, sic nos tenemus sufficere distinctionem ex parte rei, vnde non alio modo solues ea.

Nec cures si Capreo. in primo distinctione octauua, quæstione quarta, contra primam conclusionem prolixè immoratur in eorum responsionibus, quoniam prædicto verbo transeunt omnia.

Verùm quia videtur dubium, quomodo sit possibile, quod sola distinctio rationis sufficiat ad tollendam contradictionem, ideo pro notitia huius tria dicemus.

Primò repetenda est distinctio data de distinctione rationis. Secundò ponentur duæ conclusiones. Tertiò soluetur principale argumentum solitum fieri in hoc proposito.

Quantum ad distinctionem rationis aduerte, quòd est duplex. Quædam ex parte intellectus nostri præcisè absque correspondentia rei, vt quando intellectus idem comparat sibiipsi formando propositionem eiusdem de seipso.

Quædam autem est ex parte intellectus & ex parte rei, quæ est talis naturæ, quòd est apta nata correspondere distinctis, & aliquando oppositis rationibus, & licet ante actum intellectus hæc distinctio rationis non ponatur in actu, ponitur tamen in fundamento, scilicet in ipsa re conceptibili, vnde possumus dicere, quòd hæc distinctio rationis est inchoata in re, completa autem & facta in actu per opus intellectus, & sicut patet de puncto, de quo intellectus format duas rationes, scilicet principij, & finis, & licet hæ rationes non sint actu, nisi per intellectum conciplentem, tamen sunt inchoatæ in natura puncti, eo quòd est apta correspondere vtrique rationi. Ex hac distinctione pono duas conclusiones.

Prima conclusio, Sola distinctio rationis primi modi non est sufficiens ad tollendam contradictionem prædicatorum realium, probatur. Prædicata contradictoria realia si de aliquo verificantur: verificantur ex natura rei, ergo requirunt aliquam distinctionem in tali re ex natura sua, saltem inchoatam, & hanc consequentiam sic probo, quoniam si nulla penitus esset distinctio in tali re, tunc esset affirmatio & negatio eiusdem de eodem omnino, & sic esset formaliter contradictio, & non ablatio contradictionis. Tunc vltra, si talia prædicata realia contradictoria requirunt aliquam distinctionem in tali re ex natura sua, ergo non sufficit distinctio rationis præcisè primo modo. Dixi prædicata contradictoria realia, quoniam quo ad prædicata contradictoria intentionalia, sufficit distinctio rationis primo modo. Nam de Sorte vt prædicatur de seipso verum est dicere, quòd Sortes est subiectum, & est prædicatum, ergo est subiectum, & non subiectum, quia prædicatum est non subiectum. Item de tunica & indumẽto, quæ distinguuntur ratione solum primo modo, verum est dicere, Tunica est generis fœminini, indumentum non est generis fœminini. Hæc autem sunt prædicata contradictoria intentionalia. Quare, &c.

Secunda conclusio, Distinctio rationis, secundo modo sufficit ad tollendam contradictionem prædicatorum realium contradictoriorum, & maximè in diuinis perfectionibus. Probatur sic, si dantur duo entia rationis quorum primum est ens rationis, & secundum se, & quo ad fundamentum suum. Alterum autem licet sit ens rationis, tamen suum fundamentum est ens realissimum, & perfectissimum, secundum potest esse causa primi, eo quod est maioris entitatis ratione sui fundamenti. Sed remotio siue ablatio contradictionis & distinctio rationis secundo modo sunt entia rationis, & ablatio contradictionis est debilius ens rationis, eo quòd secundum se est ens rationis, quoniam huiusmodi ablatio contradictionis est negatio contradictionis, negatio autem est ens rationis, ex quarto Metaphysicæ, & contradictio in qua talis ablatio fundatur, est etiam ens rationis, quoniam cõtradictio est oppositio, quia est relatio, quæ est inter ens, & non ens, quæ non potest esse realis, vt determinauimus quinto Metaphysicæ. Distinctio autem rationis secundo modo licet sit ens rationis secundum se: tamen in diuinis fundatur super ens reale perfectissimum, vt in plenitudine infinitæ perfectionis diuinæ substantiæ, vt declaratum est in præcedentibus: ergo distinctio rationis secundo modo, est sufficienter causa remotionis contradictionis. Et aduerte, quod hanc rationem intendebat Capreol. in primo distinctione secunda, quæstione tertia, articulo tertio, ad primum Aur. vbi dicit, quòd distinctio rationis virtualis sufficienter aufert contradictionem, eo quòd hæc distinctio est magis actu quàm ablatio contradictionis, quæ est purum nihil, negatio enim siue remotio contradictionis est fundata in affirmatione & negatione, quæ constituunt contradictionem, negatio autem fundata super negationem debilius fundamentum habet quàm distinctio rationis fundata in plenitudine diuinæ perfectionis. Hæc ille. Sed dices, quòd hæc ratio in minori continet falsum. Dicit enim negationem contra-

dictionis fundari in contradictione, hoc non est verum, quoniam oppositum non fundatur in suo opposito, sed negatio contradictionis & contradictio sunt opposita, vt patet. Se habent enim licut non contradicere & contradicere, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quòd non intelligimus ly fundari propriè, sicut dicimus accidẽs fundari in subiecto, quia trahit firmitatem ab eo. Sic enim intelligẽdo argumentum concluderet. Sed intelligitur ly fundari vt idem est, quod circa aliquid poni, sicut cæcitas ponitur circa visum, & surditas circa auditum. Sic in proposito intelligatur, quòd negatio contradictionis fundatur in contradictione, id est, ponitur circa contradictionem. Quando autem diximus distinctionem rationis fundari in plenitudine diuinæ substantiæ verificatur vtroque modo. Sed sufficit quod similitudo teneat in secundo modo. Sic dicendo, sicut negatio contradictionis est circa contradictionem, sic distinctio rationis est circa plenitudinem diuinæ substantiæ.

Verùm quia illa distinctio rationis fundata in plenitudine diuinæ perfectionis non est actus in re, sed virtualiter tantum, ideo aliqui probant, quòd illa distinctio rationis fundamẽtalis siue virtualis, non est causa sufficiens alterius contradictionis. Sic igitur arguunt ex 2. phy. & 5. metap. c. de causis, effectus in actu requirit causam in actu, sicut effectus in potentia, causam in potentia. Sed causa quod affirmatio & negatio de aliquo non contradicunt, est distinctio, vel non identitas, existens in illo ex diffinitione elenchi, ergo si actu aufertur contradictio, oportet quòd actu & non solùm virtualiter sit in tali re distinctio, vel non identitas. Sed actu nullo intellectu considerante, istæ duæ sunt verè in Deo, intellectus intelligit, voluntas non intelligit, ergo inter diuinas perfectiones necesse est dare distinctionem rationis ex parte rei, non solùm virtualiter, sed actu, aliter non assignatur sufficiens causa, propter quam actu aufertur contradictio, cum illa distinctio secundum te non sit actu in Dei substantia.

Ad hoc dicitur, quòd concesso, prædicata contradictoria verificari actu de perfectionibus diuinis, causa huius sufficiẽs est distinctio rationis fundamentalis, vel virtualis, quæ radicatur in diuina essentia, & quando arguitur, quòd effectus in actu requirit causam in actu, hoc est verum, quando effectus est realis positiuus, si autem effectus sit negatio, sicut est in proposito, quoniam auferre contradictionem est negare contradictionem, dico quòd sufficit pro causa illa distinctio virtualis, quæ sufficienter est in actu pro tali effectu, qui est negatio. Et maximè quia æquipollet distinctioni actuali reperæ in perfectionibus creatis, vnde sicut in nobis ista duo non contradicunt: intellectus intelligit, voluntas non intelligit, quia est distinctio actualis, & non identitas, inter intellectum creatum, & voluntatem, sic in Deo ista duo non contradicunt, intellectus intelligit, voluntas non intelligit, quia inter ea stat distinctio virtualis, æquipollens illi actuali. Hæc de præsenti quæsito dicta fuerint.

QVAESTIO XX.

Si primum principium est vigoris infiniti & entitatis infinitæ secundum philosophum.

Ostensum est autem quia non contingit hanc substantiam habere magnitudinem vllam. Tex. 41.

CONCLVSIO.

Ab Aristotele primo principio attribuitur infinitas non modo durationis, sed & vigoris.

IN hac quæstione inuestigandum est, si aliqua ratione sumpta à sensatis probari efficaciter potest, primũ principium esse vigoris infiniti, vel entitatis infinitæ, & sic procedendum est. Primò declarabitur quid importatur per vigorem infinitum & entitatem infinitam. Secundò, quid super hoc senserit Comment. Tertiò, quid super hoc senserit Aristoteles. Quartò, dato quòd Arist. intenderet attribuere primo princip. infinitatem, non solùm durationis, sed etiam vigoris, vtrum suæ rationes efficaciter id probent.

Quantum ad primum aduerte, quòd apud philosophum infinitus vigor importat virtutem actiuam immediatè causatiuam motus, aut actionis, quæ non est limitata ad determinatam velocitatem, sed quacunque data potest in maiorem, & apud Commentatorẽ in hoc libro duodecimo cõmento quadragesimo primo, dicitur infinitum in qualitate actionis, id est in modo mouendi & agendi, vigor autẽ finitus importat virtutem actiuam limitatam ad certam velocitatem, ita quòd non potest in maiorem & ad determinatum modum agendi sicut quilibet motor appropriatus orbi, habet determinatam virtutem ad mouendum tanta velocitate, & non maiori. Entitas autem infinita dicit perfectionem intrinsecam ad nullũ gradum essendi limitatam, sicut diceremus esse infinitum illud, quod in se continet omnem gradum essendi, & sapientia infinita, & bonitas infinita, quæ in se complectitur omnem gradum sapientiæ, bonitatis, quæ est & possibilis est esse, non tamen respicit formaliter motum aut actionem, vt principium immediatum, ad differentiam vigoris infiniti.

Quantum ad secundum aduerte, quòd apud Commentistas communiter tenetur Comment. tenuisse, non esse in primo principio infinitum vigorem, sed infinitatem durationis, eo quod est æternum, & incorruptibile: & posito quòd inter Commentat. esset aliqua controuersia super hoc, tamen Thomista debet tenere determinatè hanc fuisse mentem Commẽtatoris, quoniam Beatus Thomas, in octauo physicæ, in expositione text. 79. id sibi attribuit, & allegat comment. 79. in octauo physicæ, vbi sic inquit Commentator, si posuerimus actionem propriam esse corporis, sequitur quòd insit ei potentia infinita.

Si autem posuerimus alicuius non corporis, tunc potentia illius non potest dici finita aut infinita, finitum enim & infinitum solùm de corporibus dici possunt: hæc Commentator. & quoniam primum principium est non corpus, ideo secundum Commentatorem, non potest dici potentiæ aut vigoris infiniti. Expresiorem autem eius sententiam in hoc habemus in secundo cœli, cõmen. 63. vbi inquit, & hoc quod dicimus, in hoc est manifestũ ex rebus quas scripsimus de primo motore, iam enim declarauimus illic, quòd addicio potentiæ motoris super potentiam moti, non est infinita, nisi in tempore & in æternitate motionis, hæc ille, ex quibus habetur, quod non aliam infinitatem ponit in primo motore, nisi quia mouet continuè æternaliter, & quoniam Iand. in 12. metaphysi. quæst. 15. conatur rationibus defensare opinionem Comment. ideo in fine huius quæstionis formabo eas & soluam.

Quantum ad tertium aduerte, quòd Beatus Thomas in expositione tex. 79. in octauo physicæ, & Scotus in septimo quolibet. & Albertus in octauo physico. tracta. vlti. tenent philosophum intẽdisse probare dari in primo motore vigorem infinitum, quia non potest esse nisi in eo, qui sit entitatis & perfectionis infinitæ, & tenent Auer. deuiasse in hoc à mente philosophi, sicut & in positione animæ intellectiuæ: & quoniam intendo sequi mentem beati Thomæ, adducam principaliores rationes sumptas ex doctrina philosophi, & defensabo eas, contra Commentistas.

Quantum ad quartum dico quòd rationes probãtes secundum philosophum infinitum vigorẽ in primo principio, sunt efficaces, ex quibus prima sit ista causa effectiua motus infiniti est infinita secundum vigorem. Sed Deus est causa motus infiniti, quia est causa motus cœli, qui est infinitus, cùm sit continuus & æternus, secundum philosophum, ergo Deus est infinitus secundum vigorem.

Huic rationi respondetur à quibusdam, quòd motus potest esse infinitus dupliciter.

Primò per se, & est respectu mobilis infiniti, in quo si daretur, essent partes signabiles infinitæ, quæ si deberent transire aliquod signum signatum in spatio in quo esset motus, transirent tempore infinito, quoniam partes infinitæ nunquam terminarent transitum suum, & sic conceditur, quòd si daretur tale mobile infinitum actu, non posset moueri, nisi à motore infinito secundum vigorem, quoniam cùm mobile infinitum actu habere virtutem infinitam resistendi, esset necesse dare virtutem motiuam, infinitam quæ superaret resistentiam infinitam mobilis infiniti. Constat enim quòd virtus motiua finita non potest super resistentiam infinitam, sed quoniam in rerum natura non datur mobile infinitum actu, ideo non est necesse dari motorem infiniti vigoris.

Secundò dicitur motus infinitus per accidens, & est respectu alicuius mobilis finiti, quod per reiterationem super aliquod spatium, vel circa centrũ mouetur tẽpore infinito. Talis est motus cœli quoniam cùm cœlum sit finitum, vt probatum est in primo cœli, motus ipsius non potest esse infinitus per se, verùm cùm sit continuus, perpetuus secundum philosophum, circa centrum, & à puncto orientis iterum ad eundem sine quiete media erit infinitus per accidens, id est, per aliud, scilicet per reiterationem partium mobilis finiti, vt el cœlum. Et ad causandum talem motum, non requiritur infinitus vigor in motore, sed sufficit motor incorruptibilis infinitus, secundum durationem.

Vnde negatur maior rationis factæ de motu infinito per accidens, vt est motus cœli: esset autem vera de motu infinito per se: sed non datur nec potest dari, quoniam repugnat dari corpus mobile infinitum actu, ex tertio Physic. & primo cœli.

Sed hæc solutio nulla est: quoniam ex motu infinito per accidens adhuc ascendimus ad motorem infinitum secundum vigorem, & ad huius probationem præmitto duo.

Primò, Deus secundum Philosophum est causa prima infinitatis motus: ergo est causa per se: quoniam hæc duo non stant simul, quòd sit causa per accidens, & sic causa prima, nam omnis causa per accidens habet causam per se superiorem ex secundo Physicorum.

Secundò, Cuilibet causæ per se non repugnat assignabilem esse effectum per se, quantum sit ex parte causæ per se: quòd si causæ per se assignetur tantum effectus per accidens, non erit assignatio conueniens, quoniam docuit Philosophus in secundo Physic. in cap. de causis, causæ per se assignandum effectum per se, & causæ per accidens, effectum per accidens, ergo posito quòd causę per se assignetur effectus per accidens, adhuc est assignabilis per se, ne frustretur causalitas per se, vt inuenienti thesaurum assignatur inuentio thesauri, vt effectus per accidens, & fossio sepulcri propter defunctum, vt effectus per se.

Ex his arguo sic: Deo qui est prima & per se causa infinitatis motus, ex primo supposito, assignatur motus infinitus per reiterationem, qui est infinitus per accidens: ergo Deo quantum sit ex parte sui, est assignabilis motus infinitus per se. Sed motus infinitus per se requirit motorem infinitum secundum vigorẽ, vt concessisti, ergo ex motu infinito per accidens, ascendimus ad probandum motorem infinitum, secundum vigorẽ.

Antecedens pro vtraque parte conceditur ab omnibus, qui tenent Deum applicatum primo mobili, vt sunt commentistæ, præter Iandunum, quem suprà reprobauimus soluendo rationes suas in quæstione decimaquinta huius libri. Consequentia autem patet ex secundo supposito, quoniam cuilibet causæ per se vltra effectum per accidens est assignabilis, quantum sit ex parte causæ effectus per se: aliter vana esset causa per se.

Sed dices, quòd ratio hæc non concludit, quoniam tunc tantum causæ per se est assignabilis effectus per se, quando talis effectus esset possibilis, & quia motus infinitus per se est impossibilis, ideo sufficit assignabilem esse Deo motum infinitum per accidens, ex quo præcisè non concluditur, nisi motor infinitus secundum durationem.

Sed hoc non debilitat rationem nostram, quoniam licet non posit esse motus infinitus per se, tamen hæc conditionalis est vera, si Deus est causa prima & per se infinitatis motus, ergo quantum sit ex parte Dei, est ei assignabilis motus infinitus per se. Quòd autem non assignetur, non est ex defectu primæ causæ, sed ex defectu mobilis infiniti actu, cui repugnat esse, vt probatum est primo cœli.

Sed iterum dices, quòd prædicta ratio non concludit, quoniam motus infinitus per accidens dupliciter consideratur.

Primò, vt motus infinitus, sic est per accidens, vt ly per accidens determinat infinitum.

Secundò consideratur vt effectus primi motoris: & sic dico quòd est eius effectus per se. Nam hæc consequentia non valet, hic motus est infinitus per accidens, ergo est effectus per accidens: quoniam ly per accidens, potest determinare ly infinitum, & non ly effectus. Concedo ergo, quòd causæ primæ, & per se assignatur effectus per se, sed iste effectus per se, est motus cœli infinitus per accidens.

Sed hoc non militat quoniam per primum suppositum, Deus ponitur causa prima & per se infinitatis motus, ergo sibi debet correspondere quantum sit ex se effectus per se in ratione infinitatis, sed motus infinitus per accidens non est effectus per se in ratione infinitatis, vt patet, ergo vltra motum infinitum per accidens, assignabilis est motus infinitus per se quantum sit ex parte mouentis primi. Hoc pro sustentatione primæ rationis dicta sint.

Secunda ratio est Philosophi in 8. Physicæ textu 79. vbi sic arguit, nulla virtus infinita est in magnitudine, virtus primi motoris est infinita, ergo non est in magnitudine. Sed minor non potest intelligi de virtute infinita solũ duratione. quonlã maior quæ est vniuersalis, esset falsa, nam cœlũ habet virtutẽ infinitam in duratione, cùm sit incorruptibile, & potest infinito tempore agere in inferiora, & tamen virtus cœli est in magnitudine, cùm sit corpus, ergo si maior & minor debent esse veræ, oportet intelligere minorẽ de virtute intensiuè infinita.

Huic rationi datur à Commẽtistis duplex responsio. Prima est Iand. in 12. Metaphys. in quæstione 15. Qui dicit, quòd minor intelligenda est de virtute infinita in duratione, & non intensiuè. Ad improbationem dicit, quòd licet cœlum habeat potentiam infinitam agendi secundum durationem, non tamen habet à se, sed à motore suo, Philosophus autem sic intendit, nulla virtus infinita ex se est in magnitudine, sed virtus primi motoris est infinita ex se, ergo non est in magnitudine, & sic patet, quòd obiectio de cœlo nihil valet.

Sed Iandunus conatur defensare Comment. per doctrinam contrariam Commen. Nam secundum ipsum in hoc 12. in comment. 41. in cœlo sunt substantia cœli, esse cœli, potentia agendi, & motus, & omnia ista sunt infinita secundum durationem, ex quibus admittit, solum motum esse æternum & infinitum secundum durationem, ex alio, id est, à motore æterno, quoniam motus est à mouente, & implicat dare motum sine mouente, substantiam autem cœli vult esse à se, vnde inquit, permanentia igitur motus est ex alio, substantia autem, scilicet cœli est à se, & ideo impossibile est inuenire substantiam possibilem ex se, & necessariam ex alio, quòd est possibile ex motu, hæc ille, ex quibus sic arguitur, secundum Commentat. substantia cœli est à se, ergo & esse, & potentia agendi, quoniam consequuntur substantiam cœli, sicut esse ignis & potentia calefaciendi consequitur substantiam ignis, & à quocunque est ignis, ab eo est esse & potentia eius agendi, ita quòd si ignis esset à se & non ab alio productus, esse & potentia agendi se haberent similiter.

Cùm igitur esse cœli & potentia agendi, sicut & substantia cœli, sint infinita secundum durationem, patet quòd potentia siue virtus agendi cœli infinita secundum durationẽ quæ est in magnitudine, non est ex alio, licet motus eius sit ex alio, nec valet hæc cõsequẽtia, motus infinitus duratione est ex motore, ergo virtus actiua cœli est ex motore: sed bene sequitur, quòd virtus actiua cœli non exit in actũ, nisi ex motore, quoniam cœlum non agit vt determinauimus suprà nisi per motum. Patet igitur, quòd responsio Ianduni est contra Cõmẽt.

Secunda responsio est eorum, qui dicunt, quòd non fuit intentio philos. probare absolutè & vniuersaliter nullam virtutem infinitam in duratione posse esse in magnitudine, sed solùm in magnitudine, in qua sit materia, eo quòd talis est corruptibilis secundum Commentatorem. & quia secundum Comment. vt visum est in libro octauo metaphysic. non est materia in cœlo, ideo nihil prohibet in cœlo esse virtutem & potentiam agendi infinitam in duratione, & hæc responsio fundatur super illud, quod dicit Commentator in libro duodecimo, in comment. 41. Sic enim inquit:

Existimatum est enim, quòd cùm diximus, omnis potentia in corpore est finita, nõ est verum, nisi in corporibus materialibus, generabilibus & corruptibilibus.

Sed hæc responsio etiam quòd esset ad mentem Commen. non est ad mentem philosophi, nam ex quo in libro duodecimo, in tex. trigesimo, probauerat mouens æternum esse immateriale, sufficienter constabat ipsum non posse esse in magnitudine materiali.

Præterea in 8. physi. in tex. vltimo, postquam probauit nullam virtutem infinitã posse esse in magnitudine finita, neque infinita, concludit de primo motore sic: Principium autẽ mouens perpetuum mouet motum. & infinito tempore. Manifestum itaque quòd indiuisibile est & impartibile, & nullam habens magnitudinem. Ex quibus constat, quòd ex quo excludit à primo motore omnem diuisibilitatẽ & partibilitatem, sua intentio erat negare & excludere ab eo vniuersaliter omnem magnitudinem. Nam non sequitur, virtus infinita non potest esse in magnitudine materiali, ergo est indiuisibilis, quoniam potest responderi, quòd si non potest esse in magnitudine materiali, potest tamen esse in ea in qua non est materia, ex consequenti potest esse diuisibilis & partibilis. Patet igitur, quòd nec prima, nec secũda responsio valet. & sic stat ratio nostra.

Aliam responsionem allegat Paulus Sonc. in 12. libro, hi quæstione 41. & contra eam arguit. Sed vide ad placitum, quoniam nolo in hoc immorari.

Tertia ratio, philosophus in 8. physic. in tex. sic arguit, Si virtus infinita esset in magnitudine, moueret in instãti, cõsequẽs est impossibile, ergo, &c. Antecedens. Tũc quero quomodo in antecedẽte, accipit virtutem infinitam, nam si dicis durationẽ tantùm, ergo cum virtus agendi in hæc inferiora, sit in cœlo infinita duratione, aget in instanti, & sic calefaciet aërem in instanti, producet animalia imperfecta in instanti, quod tamẽ ad sensum videmus esse falsum, si dicis secundũ vigorem, habeo intẽtum, quoniam cùm attribuat virtutem infinitam, quę non potest esse in magnitudine, quia moueret in instanti, attribuat inquam motori primo, manifestum est, quòd intẽdit de virtute infinita secundum vigorem.

Ad hanc rationem dicunt aliqui cõmentistæ, quòd vtique in an

in antecedente quæ est vna conditionalis, intendit de virtute infinita secundum vigorem, & tamen non sequitur, quòd illa de facto sit, in primo motore, qui est extra magnitudinem, & ratio diuersitatis est. Quia si virtus motiua infinita extensiuè esset in magnitudine, necessariò esset infinitum vigore, aliter non posset continuare motum perpetuum, quia nisi esset infinita in vigore, defatigaretur & laxaretur, ex consequenti non posset continuè & regulariter & perpetuò mouere, si autem est extra magnitudinem, sufficit quòd sit virtus infinita extensiuè, quia ex quo est extra magnitudinẽ non fatigatus, ex consequenti potest perpetuare continuum regularem. Cùm igitur primus motor sit extra magnitudinem, sufficit sibi virtus infinita extensiuè ad causandum motum perpetuum.

Sed hæc responsio non est ad mentẽ Arist. nam licet in doctrina sua inueniamus, quòd necesse est motorem, quo ad virtutem motiuam proportionali potentiæ passiuæ ipsius mobilis proportione maioris inæqualitatis, vnde dixit in secundo cœli, q̃ si plures stellæ essent in primo cœlo, aut tardius aut omnino non mouerentur, propter defectũ proportionis, qui esset inter motorem & motum. Motor enim non mouet, nisi quia potentia eius est maior potentia moti. Tamen non inuenimus causam fatigationis positam ab Arist. nisi quia motor vnitur corpori alterabili, & quia in eo quòd mouetur, est principium motus contrarium motui animæ, puta grauitas. Primam causam posuit in 8. Phys. assignans rationem, quare anima non mouet animal motu cõtinuo & regulari. Secundam posuit in secundo de cœlo, tex. 3. vbi assignans rationem, quare cœlum dum mouetur, non est in labore & fatigatione, dicit hoc ideo esse, quia non habet alium motum, nisi suum naturalem, qui est circularis, causatus à motore suo æterno, quasi dicat, si cœlum esset mobile alio motu, contrario ei, quo mouetur naturaliter à motore suo æterno, accideret cœlo fatigatio, sicut animali, dum mouetur ab anima sursum, quia est mobile deorsum ex alio principio. Cùm igitur vtraque causa deficiat in cœlo, patet quòd non esset necesse ponere in magnitudine cœli virtutem infinitam in vigore, vt posset continuare motum perpetuum regularem.

Sed iterum instatur, probando, quòd etiam fatigabitur si ponitur in magnitudine inalterabili, nisi sit virtus infinita in vigore, & arguitur sic, si virtus infinita in duratione esset in magnitudine, moueretur per accidens, sicut mouetur anima per accidens ad motum corporis, si mouetur per accidens, non potest continuare motum: vtraque consequentia ponitur à Philosopho in octauo Physicæ, textu quinquagesimo secundo. Tunc vltra, si non potest continuare motum, ergo fatigatur, dato quòd esset in magnitudine etiam inalterabili.

Ad hoc negatur vltima consequentia, nam bene stat, quòd non posit perpetuare motum, si motor mouetur per accidens, non quia fatigatur & laxatur, quoniam hæc propriè sumpta sunt via ad corruptionem, quæ non potest esse in cœlo, sed quia non esset debita proportio inter motorem & motum, vel quia intrinsecè aliter & aliter se haberet ex motu suo per accidens, sicut & anima in animali, quicquid autem aliter & aliter se habet, non potest perpetuare ex se motum, stat igitur ratio tertia in robore suo.

Quarta ratio probat Deum esse entitatis & perfectionis infinitæ, & hoc de mente Philosophi, nam Philosophus, vt patet in quinto Metaphysices, in capitulo de perfecto, cognouit Deum esse vniuersalissimè & absolutè perfectum, ergo habere in se omnium perfectiones. Sed istæ sunt infinitæ, ergo est entitatis & perfectionis infinitæ.

Ad hanc rationem dicunt aliqui, quòd ex tex. Philosophi in quinto Metaphys. de perfecto, non potest concludi, in primo principio esse infinitatẽ perfectionis simpliciter. Sic enim stat textus Philosophi, alia omnino, secundum quòd omnino non habẽt hyperbolem in vnoquoque genere, nec aliquid est extra, hæc Philosophus, ex quibus constat, quòd loquitur de perfectionibus existẽtibus in vnoquoque genere, quas dicit esse in primo & vniuersali perfecto, quem dicimus primum motorem, & nulla datur perfectio, quæ non sit in eo: sed perfectiones omnium generũ quæ actu sunt, non sunt infinitæ, imò finitæ, quoniam rerum species finitæ sunt secundum Philosophum & veritatem. non potest ergo ex Philosopho concludi in Deo alia perfectio, nisi quia eminenter continet perfectiones omnium generum, quæ actu sunt. Constat autem, quòd sunt infinitæ, quoniam & totum vniuersum finitum est: ergo ex hoc non concluditur perfectio diuina infinita simpliciter.

Sed quod hæc solutio nõ valeat, arguitur sic, Ad hoc quod aliqua perfectio sit in aliquo genere, non solùm verum est de ea existente, sed etiam de possibili esse, nam & albedo vt existit, & vt possibilis, est in prædicamento qualitatis, nam est in genere ratione suæ quidditatis, quidditas autem abstrahit ab existentia, & non existentia, ergo philisophus loquens de vniuersali perfecto, & dicens omnes perfectiones omnium generum esse in illo, & nullam extra ipsum intendit, quòd in eo eminenter continẽtur perfectiones omnium generum, tam existentes, quàm possibiles. ergo illa solutio non valet, sed de nouo sic formatur ratio.

Quod est tota entitas eminenter subsistens, tota entitas dico entis possibilis, & entis actu, siue creata, siue increata est secundum perfectionem simpliciter infinitum. sed primũ prin. est tale, secundum philosophum in 5. metaph. ca. de perfecto, modo quo exposuimus, ergo &c.

Maior quidẽ patet, quoniam si est tota entitas actu & possibilis. ergo tota entitas creata & creabilis est in eo eminenter & tota entitas increata est in eo, sed creata & creabilis & increata sunt quid infinitum simpliciter. quoniam increata non habet à quo terminetur, & creata ac creabilis vt est eminenter in eo identificatur increatæ, ergo est infinitum simpliciter secundum perfectionem.

Alias rationes solent adducere doctores ad idem: sed quoniam non quæritur hic quid veritas habeat, sed quid in hoc senserit philosophus, ideo sufficit adduxisse rationes fundatas in doctrina Aristotelis.

Nunc superest soluere rationes Ianduni, quas inducit in lib. 12. q. 15. pro defensione Commen. & sunt tres.

Prima est, Si Deus est infiniti vigoris, mouet in instanti, quod est contra naturam motus, vt probatum est in 6. phy. & maximè de motu locali, de quo hic intendimus. Consequentia patet, quia vel mouet in non tempore, & sic habetur propositum, vel mouet in tempore & tunc cum proportio temporis motus ad tempus sit secundum proportionem virtutis ad virtutem. si mouet in tẽpore quantumcunque paruo, tempus illud haberet proportionem ad tempus, in quo virtus finita mouet, & per consequens esset proportio inter virtutem finitam & infinitam, quod est impossibile. & hæc est ratio Arist. in primo cœli, in tex. 51. probantis, quod non potest esse grauitas infinita nec leuitas.

Secunda est, Si primum est vigoris infiniti, tunc virtus finita & infinita possent mouere æquali tempore, quod est falsum: quoniam, vt declaratum est in 7. Phys. virtus maior intensiuè producit æqualem effectum in minori tẽpore, vel maiorem, & perfectiorem in tempore æquali. Consequentia autem sic deducitur, cùm virtus infiniti vigoris non possit mouere in non tempore, moueat ergo in tempore A, id est, in 24. horis, in quo reuoluit totum primum mobile ab eodem puncto ad idem. Accipiatur virtus finita intensiuè, quæ moueat in maiori tempore, puta in 50. horis, & ei addatur alia virtus, ita q̃ ex ipsa & ex addita fiat maior virtus, ergo mouebit in minori tempore, quàm in 50. horis. Moueat ergo in 40. horis, addatur alia virtus, ergo mouebit adhuc minori, & sint horæ 30. Addatur iterum alia, ergo mouebit adhuc in minori, & iterum alia, ergo adhuc in minori, ergo non solùm in tempore æquali. sed in minori mouebit virtus finita. nam virtus resultans ex talibus additionibus est finita, quoniam ex multis finitis non resultat nisi finitum.

Tertia est, Nihil debet poni in Philosophia secundum Comment. in octauo Physic. in commen. 22. nisi quod potest conuinci ex sensatis: sed primum princip. esse infiniti vigoris, non potest conuinci ex sensatis, quod sic manifestatur, non potest conuinci ex substantia sua, quia illa non cadit sub sensu, nec ex aliquo suo effectu sensibili, nam si ex aliquo eius effectu, maximè ex motu, & tempore, sed ex his non potest conuinci, nam motus & tempus sunt limitata secundum velocitatem. & motus fit successiuè, ad hoc autem quod fiat successiuè non requiritur virtus infiniti vigoris, imò si esset ab infinito vigore, fieret in instanti, nulla ergo ratione ponendum est à Philosopho primum esse vigoris infiniti.

Ad primã & secundã simul respondemus: & negamus primam consequentiã vtriusque, ad probationes dico, quòd supponit falsum, & iam reprobatum est suprà, in hoc 12. scilicet quod primũ mouens moueat vt applicatũ primo cœlo, imò dicimus quòd nec in tempore, nec in instãti mouet immediatè aliquem orbem, & ideo nõ potest comparari ad virtutem finitam mouentem applicatã alicui orbi: & posito casu quòd moueret, dico quòd moueret in tempore, & non est inconueniens quòd æquali tempore moueat quo mouet virtus finita, quia non tota virtute mouet: Philosophus autem reputat inconueniẽs, supponendo quòd vtraque tota potentia moueat, & si primum moueret tota potentia, dico quòd ex se potest mouere

mouere etiam in instanti, sed quòd non moueat, est ex repugnantia rei, quia scilicet est contra rationem motus, potentia autem finita non potest mouere in instanti, posito etiam quòd non esset repugnantia ex parte motus, & in hoc stat vera differentia, inter virtutem infiniti vigoris, & virtutem finitam.

Ad tertiam dico, quòd conuincimur ex effectu sensato, qui est motus infinitus duratione ad mẽtem Philosophi, quoniam nulla virtus finita potest ex se, & propria virtute perpetuare motum, nisi in virtute primi conseruantis & influentis, vnde vt determinabimus infrà, secundum mentem Philosophi, sicut intelligẽtia solis habet esse à primo, ita & virtutem motiuam, & mouet, quia primum cooperatur ei ad motum, licet ergo non conuincamur ex determinata velocitate, quam videmus in primo motu, qui est motus diurnus, ponere infinitum vigorem in primo princip. conuincimur tamen ex infinitate primi motus secundum durationem actu secundum Philosophum & possibiliter secundum veritatem.

Alia argumenta adducit Paul. Sonci. in fauorem Commentat. quæ & soluit, quæ etiam adduntur à Capreo. & soluuntur consimiliter, & sunt Aureo. vt videre potes in Capreol. in primo distinctione quadragesimatertia, quæstione prima, articulo primo, contra sextam conclusionem.

Hæc de infinitate primi dicta sint in quibus saltem dedi occasionem inuestigandi mentem Philosophi in hoc, nam apud peritos hoc quæsitum est extremæ difficultatis. Dixi autem inuestigandi mentem Philosophi in hoc, quoniam hic non quærimus, quæ sit veritas in hoc, nam id iam determinauimus propter affirmatiua in scientia diuina reuelata.

QVAESTIO XXI.

Si Philosophus opinatus est omnes intelligentias esse vigoris infiniti.

CONCLVSIO.

Nulla intelligentia est vigoris & entitatis infinitæ.

IN hac quẽstio, quo ad Comm. nulla est difficultas, quoniam vt dictum est in quæstio, præcedenti, negat vigorem infinitũ, etiam in primo princip, quanto magis in aliis intelligentiis.

Quantum autem ad mentem Philosophi, qui secundum Beat. Thom. & Scot. vt patet, in quæstione præcedenti, & per rationes fundatas in doctrina sua, ponit in primo principio vigorem infinitum, est magna dubitatio propter dicta Philosophi in hoc duodecimo libro.

Nam cùm in tex. vigesimonono, remouerit ab intelligentiis omnino potentiam passiuam, & posuerit eas simplices actus & immateriales, videtur quòd qua ratione primus motor est vigoris infiniti, sint & illæ, vel in nullo sit vigor infinitus.

Præterea, postquàm in text. quadragesimoprimo, probauit mouens æternum, non esse in magnitudine, eo quòd virtus infinita non est in magnitudine, subsequitur in textu quadragesimosecundo, vtrum autem vnam ponendum est talem substantiam, aut plures, & quot sunt, &c. ly talem refert qualem suprà dixerat, scilicet potentiæ infinitæ inalterabilem, impassibilem, &c. & concludit, quòd tot sunt, quot motus cœlestes, ergo esse virtutis infinitæ, attribuit non solùm primo princip. sed etiam aliis motoribus æternis, aliter textus Philosophi non videtur bene continuari.

Præterea, infrà in tex. 43. in fine sic inquit, Palam itaque, q̃ tot substantias esse, necesse est natura sempiternas, & immobiles secundum se, & sine magnitudine propter prædictam causam. Vbi beatus Thomas exponens inquit, & sine magnitudine propter causam assignatam suprà, quia scilicet mouent tempore infinito, & sic per consequens virtute infinita.

Hæc B. Thom. Ecce quod B. Tho. dicit ad mentem Philosophi, omnes intelligentias esse sine magnitudine, quoniam mouent virtute infinita, ergo videntur esse secundum Philosophum virtutis infinitæ.

Hæc sunt quæ causant difficultatem, tamen quia non est imputandum Philosopho posuisse impossibilia, & sibi contradicentia, ideo intendo declarare, quod Philosophus non fuit huius sententiæ, quod aliæ intelligentiæ sint virtutis infinitæ, sed hæc est proprietas primi princi. & sic procedendum est.

Primò ponetur distinctio de infinito perfectionali. Secundò, conclusiones responsuæ. Tertiò, declarabitur, quæ fuerit mens, & qui sensus Philosophi in prædictis textibus, qui videntur causare difficultatem in hoc proposito.

Distinctio sit hæc, infinitum secundum perfectionem potest intelligi dupliciter. Primò, quòd sit infinitum vniuersaliter, vt pote continens absolutè omnem perfectionem actu existentem, & possibilem esse. Sicut dicitur vniuersaliter infinitum secundum quantitatem, quod continet in se omnem quantitatem, secundum omnem dimensionem, vt corpus infinitum, quod in se contineret longitudinem infinitam, latitudinem infinitam, profunditatem infinitam.

Secundò, quòd sit infinitum partialiter, & esset illud quod secundum vnam perfectionẽ esset infinitum, vt continens in se infinitos gradus illius perfectionis si darẽtur. Verbi gratia, calor ignis si contineret in se infinitos gradus caloris, diceretur infinitus partialiter, quoniam licet cõtineret infinitos gradus caloris, non tamen aliarum qualitatum, sicut linea infinita diceretur infinita partialiter, quia licet contineret in se omnes partes longitudinis, non tamen aliarum dimensionum, corpus autem si esset infinitum, diceretur infinitum vniuersaliter, quia contineret omnem dimensionem infinitæ.

Prima conclusio, Nulla est repugnantia, quin possint dari plura infinita partialia modo quo expositum est. Probatur, Philosophus in 8. Physic. textu 37. habet pro impossibili, quod sint plura corpora infinita, & ratio secundum Comment. est, quia corpus infinitum extenderetur in infinitum secundum omnes dimensiones, ita quod haberet dimensiones infinitas in omnibus partibus, & sic occuparet omnem locum, & talia plura infinita dari reputat impossibile. ergo à contrario sensu, si ponantur duo infinita, quorum neutrum est infinitum in omnibus partibus: sed vtrunque est infinitum in altera tantum, puta linea in longitudine, superficies in latitudine non est impossibile talia plura infinita esse, saltem secundum intellectum. A simili, si sapientia ponitur infinita propria ratione, qua est sapientia, & bonitas infinita propria ratione, qua est bonitas, ita quòd neutra sit infinita secũdum omnes rationes perfectionales, nunquam ex illa infinitate partiali sequitur impossibilitas existendi talia plura infinita partialia.

Secunda conclusio, Repugnat posse dari plura infinita primo modo: probatur, De ratione infiniti primo modo, si est quantitatiuum, est quod contineat omnem dimẽsionem possibilem dari, ergo non compatitur aliquam dimẽsionem extra se, ergo repugnat dari aliud infinitum quantitatiuum primo modo. si autem est infinitum secundum perfectionem, de ratione sua est, quod contineat omnes perfectiones datas, & dabiles, & omnes gradus earum, ergo repugnat posse dari aliud infinitum secundum perfectionem.

Ex hac ergo conclusione sequitur corollariè, nullam intelligentiam esse vigoris & entitatis infinitæ. nam probatum est in quæstione præcedenti, primum princ. esse tale, & nunc probatum est non posse esse plura talia infinita, ergo non conuenit nisi primo principio.

Præterea, cùm de ratione infiniti perfectionalis primo modo sit continere omnes perfectiones, & excludere omnes imperfectiones, si intelligentiæ essent infinitæ perfectionaliter, non essent subordinatæ primæ causæ, nec ordinarẽtur ad eã, nec penderent ab ea, nec mouerent vt assimilentur digniori, quæ tamen omnia sunt contra philosophum vt magis patebit infrà, quando loquemur de causalitate primi. & quomodo est optimum in vniuerso, ad quod ordinantur omnia, &c. consequentia autem manifesta est, quoniam subordinari, ordinari, & pendere, & mouere, propter dignius consequendum, dicunt aut imperfectionem, aut saltem minorem perfectionem, respectu primi, cui, ad quod, à quo, propter quod, &c.

Nunc respondendum est argumentis adductis ex tex. philosophi. Ad primum, quando dicitur, quòd philosophus remouit omnem potentiam passiuam ab intelligentiis, & possit eas actus simplices, conceditur: & cùm infertur, ergo sunt virtutis infinitæ, negatur consequentia, & si probatur sic, vt aliqui probant.

Quòd est actus purus non recipiens vt subiectum nec receptum vt in materia, vel in subiecto, est infinitæ perfectionis, sed intelligentiæ secundum philosophum sunt actus purus, non recipiens, quia non habent potentiam passiuam secundum philosophum, vt declaratum est suprà in quæst. 11. nec receptus, quia sunt sine magnitudine, ex 12. metaphys. text. 43. & quia non possunt esse formæ informantes vt probatum est suprà: ergo sunt infinitæ perfectionis, & maior sic probatur.

Quòd aliquid componat cum alio, sicut recipiens illud vel sicut receptum in eo, hoc prouenit, quia in ipso vt in vno simplici non est quicquid perfectionis est sui generis, & cuiuslibet alterius, ergo ex opposito, quòd aliquid sit actus purus & nullo modo componibile cum alio, vt recipiẽs, nec vt receptum, hoc prouenit, quia in se habet omnem perfectionem sui generis & cuiuslibet alterius, & sic est infinitæ perfectionis.

Ad hoc dicitur, quòd illæ conditiones, scilicet non esse cõponibile cum alio vt recipiens, nec vt receptum, non cõplent rationem infiniti perfectionalis, sed vltra hoc requiritur, quòd non pendeat ab alio, nec ordinetur ad aliud, nec desideret nobilius,

nobilius,& quoniam ista non verificantur de intelligentiis,vt dictum est; ideo non sequitur quòd sint infinitæ perfectionis.

Ad secundum dicitur,quòd ly talem refert qualé suprà quo ad omnes conditiones possibiles conuenire intelligentiis,scilicet mouere semper actu, esse æternas immateriales, sine magnitudine inalterabiles impassibiles: & quoniam esse infinitas perfectionaliter repugnat intelligentiis, ideo non est necesse, quod referat illam conditionem.

Ad tertium, quoniam tota difficultas stat in expositione beati Thomæ, ideo dico, quòd ly virtute infinita, potest intelligi dupliciter.

Primò sic,intelligentiæ mouent virtute infinita sibi intrinseca,&hoc est falsum,quia hęc est proprietas primi principij.

Secundò sic,mouent virtute infinita extrinseca,quæ est primo mouente, cuius virtute mouent, non enim intelligentiæ mouent motu æterno ex se, sed quia recipiunt virtutem, sicut & esse à primo principio, vt manifestabitur infrá. Sic igitur exponendo & distinguendo potest saluari dictum Philosophi & expositio beati Thomæ. Aliter non video, quomodo effugias, quin secundum Philosophum & secundum sensum sibi attributum apparenter à beato Thoma,omnes intelligentiæ sint virtutis infinitæ. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXII.

Si in intelligentiis est ordo nobilitatis iuxta ordinem suorum mobilium secundum situm.

Quòd quidem igitur sint substantiæ, & harum quæ prima & secunda secundum ordinem eundem. Text. 44.

CONCLVSIO.

Intelligentiæ quo superiori orbi applicantur eo creduntur nobiliores.

IN hac quæstione procedendum est.Primò ponetur conclusio responsiua secundum Philosophum. Secundò declarabitur, quomodo nobilitatis gradus inter intelligentias potest considerari in duplici ordine. Tertiò mouebuntur & resoluentur duo dubia.

Quantum ad primum sit hæc conclusio responsiua, Intelligentia quanto superiori orbi applicatur, tanto nobilior est. Hæc non potest demõstrari ab intellectu nostro à priori,quoniam non cognoscimus separata,nisi ex effectu & motu,vnde Philosophus ex numero motuum concludit numerum separatorum, probatur ergo sic, nobiliori & virtuosiori instrumento, nobilius mouens applicandum est, sicut & nobiliori corpori nobilior forma,& nobiliori regno perfectior regẽs.

Sed corpora cœlestia sunt instrumenta intelligentiarum mouentium, quòd corpora quanto superiora sunt, tanto & nobiliora,vt patet etiam in elementis,quoniam continens est vt actus, & conseruans, respectu contenti, ergo vt inter mobile proprium & suum mouens seruetur debita proportio, conueniens est, vt qualis est ordo secundum superius & inferius situaliter inter corpora cœlestia, talis sit ordo nobilitatis inter intelligentias applicatas, ita quòd quanto superiori orbi applicatur, tanto sit nobilis.

Hæc conclusio confirmatur per Comment. in duodecimo libro in commento quadragesimoquarto, vbi sic inquit, Declaratum est ex hoc sermone, substantias æternas esse plures vna,& quòd in eis est prima, scilicet quæ omnia mouet,& secunda,& tertia secundum ordinem orbium manifestum est, quod autem illa quæ omnia mouet,præcedit omnes,manifestum est valde.omnes enim istum motum maximum intendunt,quapropter prior est omnibus naturaliter, & etiam secundum locum, & secundum magnitudinem, scilicet quòd ista substantia videtur esse prior propter prioritatem eius, quod mouetur ab ea secundum locum & magnitudinem in multitudine stellarum & velocitate motus, & omnia ista faciunt eam priorem mobilitate & substantia. Quoniam verò ordinatio istorum mouentium à primo motore, oportet vt sit secũdum ordinem stellarum orbium in loco, manifestum est, Prioritas enim illorum in loco & in magnitudine facit eos priores in nobilitate.

Quantum ad secundum aduerte,quòd nobilitas intelligentiarum potest considerari in duplici ordine. Primò,vt omnes respiciunt primum motorem. Secundò,vt vna respicit aliam, puta intelligentia Martis respicit eam,quæ est Saturni. Primò, ordinatio dicitur à Commen.in eodem commen.44.præcisa, secũda dicitur non præcisa. Quid autem per præcisam & non præcisam intelligat,eximetur sic accipiendum,ordinatio intelligentiarum, prout respiciunt motorem primum, dicitur præcisa, scilicet essentialis & adæquata causa ordinis perfectionalis inter eas, eo quòd sumitur per propinquitatem maiorem aut minorem ad primum principiũ. Nam cùm ipsum sit perfectissimum & optimum; ad quod omnia ordinantur, vt dicet Philosophus infrà,illa erit præcisè nobilior, quæ primo principio est propinquior: quanto autem superior, tanto propinquior.ordinatio verò intelligentiarum,prout vna respicit aliam,puta suam superiorem,non est præcisa,id est, non est essentialis & necessaria, quoniam nulla intelligentiarum est mensura alterius simpliciter, & ideo sequens non potest dici perfecta & nobilis pro tanto gradu, vt respicit superiorem præcisè,sed prout est in tanta propinquitate, ad primum & summum motorem, nam sicut formæ intentio, sic perfectio maior & nobilitas aliquod summum respicit.

Quantum ad tertium aduerte, quòd contra prædicta, duo famosa dubia insurgunt.Primum est de Solis intelligentia,& est tale,si secundum nobilitatem mobilium,est ordo nobilitatis in motoribus:ergo cùm sphæra Solis & ipsum astrum videatur nobilius,& magnitudine,& lumine,& effectu,in inferioribus eo quod est pater & fons omnis generationis, in inferioribus sibi erit applicata nobilior intelligentia,quàm planetis superioribus,non ergo secundum situm & ordinem mobilium est ordo in intelligẽtiis secundum nobilitatem,& aduerte quòd hoc dubium tangit Comment. in hoc 12. in comment.44.& B.Tho.exponens text.44. & in 2.cœli,in lect.28.

Ad hoc dubium secundum Comment.difficile est respondere. nam in libro duodecimo in commento quadragesimoquarto respondens inquit, ordinatio quidẽ earum adinuicem secundum nobilitatem possibile est scire ex dictis ab antiquis, habentibus curam de actionibus earum in entibus. Verbi gratia, Quoniam dant Soli vitam,& Saturno res fixas,ordinatio igitur earum à primo est præcisa,ordinatio verò earum adinuicem non est præcisa,& forte melius est illud,quod intendebat Aristot. scilicet quòd ordo earum sit secundum ordinem eorum,id est,suorum mobilium in loco. Hæc Comment. ex quibus possumus hoc tantum elicere, quòd vt comparantur ad primum motorem, quanto superiores, tanto nobiliores, quia illi propinquiores, vt autem comparantur adinuicem diuersa ratione possunt reputari nobiliores, & minus nobiles.Verbi gratia: Quia Saturno attribuitur stabilitas,& fixio rei in esse, Soli autem viuificatio, Saturnus ratione fixionis erit nobilior. Sol autem ratione viuificationis. Tu tamen aduerte,quòd Commẽt.in libro secundo de cœlo,in commen. quinquagesimooctauo tenens,quòd Sol sit supra Mercurium & Venerem, attribuit ei proprium motum velociorẽ quàm Mercurio, & Veneri, & hoc propter maiorem abundantiam potentiæ & virtutis. Hic autem in 12.loquitur secũdum situm assignatum à Philosopho,vt quòd sit immediatè supra lunam.

Ad idem dubium secundum doctrinam beati Thomæ in hoc duodecimo,in expositione textus quadragesimiquarti,& in secundo de cœlo, lect.18.respondere possumus duplici via.

Primò,supponendo secundum Arist. quòd Sol sit supra lunam immediatè,dicitur quòd planeta quanto superior,tanto nobilior, quia vniuersaliorem effectum habet, vt videre poteris in expositione beati Thomæ, vbi suprá. vnde licet Sol habeat effectum super inferiora magis manifestum, non tamen vniuersaliorem, ideo non est nobilior planetis superioribus, & per consequens nec intelligentia illi applicata,

Secundò,supponẽdo quòd Sol in 4.cœli,lect.18.quòd Sol optimè ordinatus est in medio planetarum habens tres supra se, Saturnum,Iouem, Martem:& tres infra se, Venerem,Mercurium Lunam, cuius ratio est, quia sicut sphæra ex sua magnitudine & multiplicitate stellarum deputatur super permanentiam,& vniuersaliores effectus causandos in his inferioribus, & hac de causa deseruiunt octauæ sphæræ tres superiores planetę,ita ad causandum vniuersalem transmutationem rerum generabilium,& corruptibilium,ordinatur Sol propter suam magnitudinem & luminositatem, ideo proportionaliter sibi deseruiunt tres inferiores planetæ.Tu tamẽ aduerte,quòd ex hac secunda assignatione non habetur, quòd Sol sit nobilior omnibus planetis simpliciter,sed tantum tribus inferioribus: ideo concedit,quòd planetæ quanto superiores,tanto nobiliores,iuxta primam assignationem,& per cõsequens intelligentiæ eius applicatæ, licet aliqua ratione & diuersa possint dici magis & minus nobiles, vt declarauí secundum Comm,

Hæc dicta sint secundum Philosophum:Verùm apud astronomos, nobilissimus inter planetas creditur Sol, ex maxima potentia, quam declarat in mundo inferiori, per accessum & recessum, vnde dicitur pater hominum, & sic non videntur concordare Philosophi & astronomi, in assignanda gradualitate nobilitatis, inter planetas & eorum intelligentias.

Tu verò

Tu verò si aliqualem concordantiam desideras, vide in commento Theoricæ planetarum composito per Franciscum Capuanum,in commento Theoricæ Solis, in quæstione, qua disputat de eccentricis contra Commentatorem,respondens ad sextum argumentum Auerrois,vbi incipit sic,Sed quæ harum opinionum verior sit,&c.

Secundum dubium est de applicatione intelligentiæ,quam habet cum suo orbe:nam quia conclusum est, quòd intelligentię se habent in nobilitate gradualiter secundum ordinem situalem suorum mobilium,eo quòd eis vt propriis instrumentis applicantur, ideo merito dubitatur de tali applicatione, & si cum ea potest seruari immobilitas intelligentiæ intrinseca, & secundum substantiam, ita quòd non sit necesse eam moueri substantialiter per se,nec per accidens, ad motum sui orbis.Vt igitur hoc dubium resoluatur,dicẽdum est primò, quid sit hæc applicatio, secundò declarabitur, quomodo cum illa saluatur immobilitas intelligentiæ.

Quantum ad primum aduerte,quòd hæc applicatio importat contractum virtualem, quo intelligentia vnitur orbi virtualiter,& quo continet orbem virtualiter vigorando ipsum, & influendo in illum, pro quo aduerte, quòd ex assistentia intelligentia mouentis cum orbe proprio confortatur, & fit vigorosus,vt valeat agere & influere in hæc inferiora.

Hæc autem confortatio prouenit ex eo quòd orbis recipit virtutem sibi impressam & influxam à sua intelligentia sibi copulata virtualiter,& non situaliter,cùm sit non quanta.

Sed aduerte,quòd huiusmodi virtus quæ est vt quædam forma actiua, qua cœlum redditur potens ad agendum in hæc inferiora,vltra suas virtutes connaturales, potest dupliciter considerari.

Primò,quòd recipiatur ab intelligentia influente in ipso cœlo, secundum esse fixum & permanens, modo quo recipitur virtus attractiua in magnete.

Secundò, in esse quasi transeunte & in fieri,modo quo causatur lumen in aëre,quod non permanet subtracto luminoso.

Primo modo non potest causari prædicta virtus ab intelligentia mouente in orbe suo: quoniam apud Philosophum, vt declaratum est in septimo libro Metaphysicæ, contra Platonem, forma abstracta non inducit per seipsam aliquam formam, aut qualitatem in corpore, sub intellige secundum esse fixum & permanens.

Secundo autem modo bene potest causari,quoniam quandiu cœlum est sub motu, se habet vt instrumentum motum à principali agente, quod transeunter recipit virtutem ab agente:vnde sequitur secundũ Philosophum, quòd si cœlum quiesceret, nihil reciperet ab intelligentia, nec seruaretur copula virtualis inter intelligentiam & orbem, & aduerte quòd nescientes hãc distinctionem de receptione formæ per modum permanentis,&per modum fieri,negauerunt cœlum motum aliquid virtutis recipere immediatè ab intelligentia, quorum argumenta soluam infrá.

Quantum ad secundum aduerte, quòd hæc copula virtualis potest imaginari fieri tribus modis.

Primò, quòd applicetur virtualiter omnibus partibus cœli æquè primo influendo & causando motum in omnibus partibus immediatè.

Secundo,quòd applicetur vni soli parti determinatè quam nunquam deserat, & per eam primo motam moueat totum cœlum eo quòd omnes partes cœli sunt continuæ & solidæ, & vna mota omnes mouentur.Continuum enim solidum est, quod ad motum vnius partis totum mouetur. Tertio, quòd nulli determinari parti semper stat applicatè, sed omnibus successiuè se applicet: ita quòd, sicut figulus tangit successiuè omnes partes suæ rotæ, & per successiuum contactum continuat motum rotæ stans extra rotam, & ab aliquo situ, puta à dextris incipiens mouere, eodem modo intellige præcisè de intelligentia respectu sui orbis.

Primus modus non admittitur,quoniam non possemus assignare à qua parte incipit motus cœli, & sic non possemus seruare differentias locales esse realiter in cœlo,quod est contra Philosophum in secundo cœli, vbi assignat dextrum in illa parte, à qua incipit motus.

Secundus etiam modus non admittitur, quoniam si applicatur tantùm vni parti, & eam nunquam deserit, ergo rotatur simul cum illa, & sic mouetur per accidens ad motum sui orbis, quod non est consonum doctrinæ Aristotel.Nam licet in octauo Physicor.in textu quinquagesimosecundo teneat, quòd motores planetarum mouentur per accidens, non tamen intrinsecè secundum suam substantiam,vt mouetur anima ad motum animalis,sed extrinsece,id est, quia orbes planetarum mouentur ad motum primi mobilis motu raptus.

Tertius modus videtur conuenientior, & admittitur: quoniam per ipsum seruamus immobilitatem intrinsecam intelligentiæ,& per se & per accidens,& seruamus differentias locales realiter esse in cœlo, vt diffusè tractauimus in quæstionibus nostris in 2.de cœlo.Tenendum est ergo,hanc applicationem fieri tertio modo,quoniam ad hunc modũ nullum sequitur inconueniens, & est conuenientior in via Philosophi, qui non concedit intelligentiam copulari suo orbi merè voluntariè, sed quasi naturaliter,eo quòd arbitratur perfectionem eius pendere ex motu,vt suprà declarauimus,& ideo sic debent copulari cœlo,quòd possint continuare & perpetuare motum. Non possent autem,si secundum substãtiam suam mouerentur per accidens, vt patet in 8.Physic. textu 32. ergo non applicant se vni parti præcisè,quam nunquam deserant, sed aliis & aliis successiuè existentes extra cœlum quantum ad situm, quoniam cùm sint incorporeæ,non determinantur situ tangentes tamen actu virtuali cœli partes successiuè, & à parte orientali tantum incipit earum tactus, & influxus,& motus vt patet in octauo Physic. text.84. Sic nunc occurrit dicendum. Veruntamen hanc materiam iudico perdifficilem, quoniam multum elongatur à sensatis.

Nunc superest soluere argumenta quorundam negãtium intelligentiam imprimere virtutem in cœlo, secundum esse transiens, & arguunt primo. sic, si illa virtus imprimitur in cœlo per modum transeuntis. ergo videtur in cœlo habere solum esse intentionale.Sed hoc est falsum, quoniam non esset qualitas actiua in cœlo. Intentiones enim cum sint entia rationes non sunt principia agendi.

Ad hoc dicitur,quòd intẽtionale sumi potest tribus modis.

Primò vt est ens rationis, sicut intentio generis & speciei, & hoc modo illa qualitas non est intentionalis.

Secundo pro specie causata ab obiecto, vt species coloris recepta in medio,& in oculo,&dicitur intentio,quia non denominat, nec habet esse naturale in eo in quo recipitur. Nec hoc modo qualitas illa impressa ab intelligentia in cœlo intentionalis, quoniam secundum suum esse reale, prout sibi competit, recipitur in cœlo, & non est inconueniens, quòd denominet cœlum, saltem eo modo quo rubor ex verecundia denominat subiectum, licet denominationem sicut & qualitatem non apprehendamus,nisi in confuso.

Tertio,omnis forma recepta per modum transeuntis potest dici intentio,ad differẽtiam formæ receptæ per modum permanentis,vt virtus impressa lapidi à proiiciente,quæ non permanet in lapide,nisi quandiu est in motu,dicitur intentio: & hoc tertio modo illa qualitas potest dici intentio, & ad argumentum nego quin possit esse qualitas actiua.probatio autem procedit de intentione primo modo.

Secundò sic,si est qualitas actiua, ergo habet contrarium, quoniam actiua respicit passiuam, vt sibi oppositam, sed in cœlo non sunt qualitates contrariæ,ex 1.cœli,ergo,&c.

Ad hoc dicitur non esse verum vniuersaliter,quòd qualitas actiua habeat contrariam,sed tantum verificatur in qualitatibus elementaribus, quæ sunt principia alterationum, concedo tamen, quòd vt actiua respicit passiuum subiectum receptiuum. & sic dico, quòd hæc qualitas respicit cœlum vt receptiuum sui, & motus causati ab intelligentia, mediante hac qualitate impressa.

Tertio sic,si datur talis qualitas, ergo continetur in aliquo genere qualitatis,quod non potest assignari; nam cõstat quòd non est in quarto genere.cum non sit forma,aut figura,circa qualitatem, nec est in tertio genere, quoniam non est passio nec passibilis qualitas:nam in tertio genere non ponũtur nisi qualitates subiectæ sensui.aut quæ inferunt passionem sensui. Nec in secundo,quoniam naturalis potentia est.inseparabilis, hæc autem cùm secũdum te recipiatur per modum transeuntis,separabilis est. Nec in primo genere, quoniam in eo videntur poni solum qualitates, quæ sunt principia actionum immanentium, vt in prædicamentis exemplificat philosophus.

Ad hoc dicitur quòd est in primo genere,& continetur sub dispositione,quoniam per eam disponitur& actuatur cœlum ad agendum per motum in hæc inferiora.

Ad probationem nego, quòd in eo ponantur tantum, quæ sunt principia actionum immanentium, imò dico quòd omnis qualitas vt disponens suum subiectum ad agendum,siue actione immanẽte,siue transeunte, vt sic potest dici dispositio.

Vnde philosophus in prædicamẽto qualitatis exemplificat in primo genere de calore & sanitate ex quo sequitur, quòd non inconuenit eandem qualitatem sub diuersa ratione poni in primo & in tertio genere,sicut calor, vt est disponens & actuans

actuans subiectum ad calèfaciendum, est in primo genere, vt autem infert p.sionem sensui, est in tertio genere. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIII.

Si est necesse ponere eccentricos & epicyclos.

Eudoxus quidem igitur Solem & Lunam. Tex.45.

CONCLVSIO.

Constitui necesse est eccentricos & epicyclos circulos.

IN hac quęstione aduerte, quòd difficultas cadit ex hoc, quia sensu deprehendimus planetas motos sub zodiaco aliquando esse velociores, aliquando tardiores, & videntur declinare aliquando ad septentrionem, aliquando ad meridiem, & videntur aliquando distantiores à terra, aliquando proximiores, & quoniam huiusmodi irregularitates videntur non posse stare cum motu vniformi, quia attribuitur cœlo: ideo astronomi laborauerunt in assignâdis causis harum irregularitatum, & tandem moderni, & Hipparchus & Ptolemæus determinarunt huiusmodi difficultatem per expositionem eccentrici & epicycli. Vt igitur de hoc habeatur aliqualis resolutio, sic procedendum est.

Primò declarandum quid sit eccentricus & epicyclus.

Secundò, quid circa hoc senserit beat. Thom. & Commen.

Tertiò, determinabitur quæsitum secundum mentem Ptolemæi.

Quartò. soluentur præcipuæ rationes quæ solent induci à destruentibus eccentricos & epicyclos.

Quantum ad primum aduerte, quòd apud astronomum circulus eccentricus notificatur per concentricum suum oppositum, sicut obliquum notificatur per rectum, est autem concentricus circulus, qui diuidens cœlum & terram in duas partes æquales, habet centrum suum cum centro terræ. eccentricus autem est, qui licet diuidat terram in duas partes, tamen habet centrum suum extra centrum terræ. epicyclus est circulus paruus in circunferentia differentis, per cuius circunferentiam defertur corpus planetæ, & centrum epicycli semper defertur in circunferentia deferentis. Hæc quidem iam tibi nota sunt, vt principia, in vltimo capite, in tractatu de sphæra, ideo vide per teipsum.

Quantum ad secũdum quo ad beatum Thomam aduerte, quòd in secundo cœli, lect.17. recitat opinionem de concentricis, quę fuit Calipi & Eudoxi, & opinionem de eccentricis, quæ prius videtur fuisse Pythagoræ, nunc autem est communiter modernorum, sed in illis neutram reprobat, ideo videtur purus medius, in libro autem duodecimo Metaph. lect.7. *super text.46.* videtur tenere contra modernos, & arguit, vt videre poteris, quòd tenere eccentricos & epicyclos, contradicit his, quę sunt demonstrata per Philosoph. in scientia naturali, & maximè in lib. de cœlo. Non enim omnis motus naturalis erit à medio, vel ad medium, vel circa medium, &c. vt declarabitur, quando formabimus rationes Comment. contra Ptholemæum, nam virtualiter rationes beati Thomæ, contra modernos sunt etiam rationes Comment.

Quantum ad Comment. patet mens sua in duodecimo libro Metaphysices comment. 45. vbi intendens impugnare Ptolemæum, antequam incipiat arguere contra eum, inquit, Eccentricum enim & epicyclum dicere est extra naturam. Epicyclus autem impossibile est, vt sit omnino. Deinde incipit arguere, vt apparebit in parte vltima quæstionis.

Quantum ad tertium, intendo determinare quæsitum secundum viam Ptolemæi, quoniam per ipsum rationabilius saluantur apparentes irregulariter suprà nominatæ. Nec in hoc reprobamus directè Aristot. quoniam vt patet in duodecimo Metaphysices in textu quadragesimo quinto non loquitur de his, secundum propriam perscrutationem, sed remittit se ad mathematicos, & dicit illam sectam sequendam, quę rationabilius loquitur. vnde inquit, Illa verò persuaderi à quærentibus, si quid videatur præter modo dicta. Amare qui dem vtrosque, persuaderi verò à certioribus. Si igitur declarabimus opinionem Ptolemæi esse rationabiliorẽ, non erimus contra mentem Philosophi. Quòd autem ipse recitat opinionem Calipi, & Eudoxi, & iuxta eam assignat numerum intelligentiarum, ideo fuit, quoniam tempore suo nondum celebrata & firmata fuerat opinio de eccentricis. Intendens igitur determinare quæsitum iuxta viam Ptolemæi, probo duplici ratione dari eccentricos & epicyclos.

Prima ratio sumitur à Ptolemęo in quinta distinctione Almagesti, cap. 14. si non dantur eccentrici, ergo planetæ semper apparebunt æquè distantes à terra, & eorum diametri visibiles semper eruht eiusdem quantitatis; sed hoc est falsum, quoniam ad sensum deprehenditur planeta quandoque remotior, quandoque propinquior terræ, & hoc communiter conceditur. Consequentia autem probatur, quoniam omnes circuli concentrici ex quo non habent centrum extra centrum terræ, secundum omnes partes æquè distant à terra, ergo si differens corpus planetæ est concentricus, erit planeta semper æquè distans & æquè propinquans terræ.

Vt ergo seruemus maiorem & minorem distantiam à terra in stellis erraticis, & præcipuè in Sole, & Luna, ponendi sunt eccentrici.

Secunda ratio sumitur à Ptolemęo in distinctione tertia Almagesti, ca. tertio. Planetæ & omne corpus cœleste regulariter mouentur, vt probatum est in octauo Physicorum. Tunc sic deprehenditur quòd Sol in medietate zodiaci ab ariete ad finem virginis longiori tempore moratur, quàm in alia medietate, à principio libræ ad finem piscium, ergo in prima medietate zodiaci, minor portio de suo orbe intercipitur, quàm in reliqua medietate, ergo linea secans zodiacum in duas medietates, ex consequenti transiens per centrum mundi, secabit circulum Solis differentem in partes inæquales, quare centrum differentis Solis de necessitate est aliud à centro mundi, & sic differens Solis est eccentricus.

Quãtum ad quartum aduerte, quòd præcipuæ rationes destruentium eccentricos, & maximè Comment. sunt quinque.

Prima, dicatur eccentricus, cœlum non mouetur solum circa medium, sed à medio ad medium, quod est contra Philosophum in primo cœli, textu quinto. Probatur cõsequentia: quoniam eccentricus secundum vnam partem magis recedit à centro mũdi, ergo planeta pro illa parte mouetur à medio, & secundum aliam partẽ minus recedit, imò propinquat centro mundi, ergo pro illa parte planeta mouetur ad medium.

Ad hoc dicitur quòd non est contra Philosophum, ponere cœlum moueri à medio ad medium, dummodo totum moueatur circa medium, & ratione eccentrici non mouetur à medio ad medium per lineam rectam, hoc enim est proprũ corpori graui & leui: quando autẽ mouetur per eccentricum differentem per eleuationem & depressionem respectu centri mundi non mouetur per lineam rectam, sed circularem, ideo non est contra intentionem Aristot.

Secunda, si datur eccentricus, cœlũ non est perfectè sphæricum, quod est contra Philosophum in primo cœli, text.32. consequentia patet, quoniam eccentricus secundum vnam partem est magis grossus, siue magis spissus, & secundum aliã est minus, ergo eccentricus non est perfectè sphæricus.

Ad hoc dicitur, quòd perfecta sphæricitas sumitur ex æqua distantia centri à tota circunferentia, & quoniam talis distantia seruatur in eccentrico, respectu proprij centri, ideo vt sic est perfectè sphæricus, quod autem non sit æquè grossus per totum, non derogat perfectæ sphæricitati, vnde negatur vltima consequentia.

Tertia, si datur eccentricus, datur vacuum, aut corporum penetratio, quod est contra Philosophum in quarto Physic. Consequentia probatur.

Cùm in eccentrico sit pars grossa, & pars tenuis, sequitur quòd quando pars grossa peruenerit suo motu ad locum partis tenuis, aut subintrabit sphæram circundantem, aut locus in quo erat pars tenuis, non replebatur ab ea & sic iuxta primum dabitur corporum penetratio, & iuxta secundum dabitur vacuum. Ad hoc dicitur, quòd supponit falsum. imaginatur enim quòd pars grossa præcisè habeat occupare locum partis subtilis, & pars subtilis præcisè habeat occupare locum partis grossæ, si enim sic esset, profectò sequerentur inconuenientia dicta.

Sed non sic est, imò pars grossa supremi ita mouetur proportionaliter, quòd nunquam separatur à parte subtili infimi, & pars grossa infimi nunquam separatur à subtili supremi, & ideo non sequuntur dicta inconuenientia.

Quarta, idem est locus totius & partis ex quarto Physic. Sed centrum mundi est locus totius cœli, quoniam ex quarto Physic. non locatur nisi per centrum, cum extra cœlum totum, id est, vltimam sphæram non sit corpus circundans, ergo centrum mundi est locus eccentrici, qui est pars cœli. Sed repugnat centrum eccentrici esse centrum mundi, ergo repugnat dari eccentricum.

Ad hoc dicitur, quòd in via nostra hæc ratio nullam habet apparentiam: *nam beatus Thomas negaret minorem*, & nos in quarto Physicor. determinauimus contra Commentator. de locatione vltimæ sphæræ, vbi sustinemus, quòd est in loco non per centrum, sed per partes.

Quinta, si datur eccentricus, datur alia terra, ex consequenti alius mundus, quod repugnat Philosopho in primo cœli, text.

textu septuagesimosexto, & in duodecimo Metaphysicæ, textu quadragesimonono. Consequentia sic deducitur, Omnis sphæra cœlestis vertitur circa centrum: quæro, aut vertitur circa centrum mundi, quod est centrum huius terræ nostræ, aut circa aliud centrum, non primo, quia repugnat eccentrico habere centrum cum centro mundi, tunc enim eccentricum esset concentricum, quod implicat: ergo secundo. Sed non datur aliud centrum, nisi detur alia terra circundans centrum, circa quod gyrat sphæra cœlestis eccentrica.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem conceditur, quòd omnis sphæra cœlestis vertitur circa centrum, concentrica quidem circa centrum mundi, eccentrica autem circa aliud centrum, non quòd sit alterius terræ, sed signabile in terra nostra, respectu cuius vna pars eccentrici magis distat à circunferentia terræ, alia pars magis propinquat, respectu autem cõcentrici seruatur per totum æqua distantia: & cùm arguitur, quòd non datur aliud centrum, nisi detur alia terra, hęc negando est. Istæ sunt præcipuæ rationes destruentium eccentricos.

Et tu aduerte, quòd hæc quæstio requirit hominem erudium in theorica planetarum, aliter non intelliget sensum Calipi, nec Eudoxi, nec Commentatoris, nec Ptolemæi. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXIIII.

Si res separatis possunt esse plura indiuidua sub eadem specie.

Quęcunque verò sunt numero multa, habent materiam, textu quadragesimonono. Vbi inquit Commentator, Et iam declaratum est, quod principium cœli non habet materiam.

CONCLVSIO.

Iuxta Aristotelis principia, in substantiis separatis non possunt esse plura indiuidua sub eadem specie.

IN hac quæstione duo pertractanda sunt. Primò, si in abstractis de mente Philosophi potest saluari pluralitas indiuiduorum eiusdem speciei specialissimæ.

Secundò, posito quòd non, inuestigandum est, cùm intelligentiæ sint quædam indiuidua, eo quòd mouent & operantur, & intelligunt, tales autem actiones sunt singulariorum, quoniam ex doctrina Philosophi, actiones sunt suppositorum, ex procemio primi Metaphysic. per quid indiuiduantur, ex quo non habent materiam in qua, nec ex qua, nec quantitatem, cum sint extra magnitudinem.

Quantum ad primum aduerte, quòd est antiqua discrepantia in hoc inter Beat. Thom. & Scot. & quoniam hoc dubium ventilatum est apud Theologum in 2. sentent. distinctione tertia, ne confundantur scientiæ, intendo hîc procedere purè Metaphysicè, & ex principiis Philosophi. Sic ergo procedetur.

Primò ponetur conclusio negatiua, & probabitur defendendo contra Scot. Secundò soluentur præcipua argumenta tenentium partem affirmatiuam.

Tertiò incidenter declarabitur si Beat. Thom. in aliquo sensu concederet partem affirmatiuam.

Conclusio sit hæc, Secundum principia Philosophi, non possunt esse plura distincta solo numero sub eadem specie in entibus abstractis. Hanc sic manifesto ad mentem Philosophi.

Nam in libro duodecimo, in textu quadragesimonono, intendens probare, quòd est tantum vnum cœlum, id est vnus mundus sic arguit, si plures sunt mundi, quilibet habet suum primum principium, id est primum motorem: sed non possunt esse plures primi motores, quoniam essent specie vnum & distincti numero, sed hoc est impossibile, quoniam quæ sunt numero multa, & vnum specie, habent materiam.

Sed primus motor non habet materiam, est enim endelechia, ergo nõ possunt esse plures primi motores. Hæc est ratio Philosophi, ex qua sequitur, quòd cùm in entibus abstractis non sit materia, nõ possunt esse plura numero in eadẽ specie.

Hanc rationem conatur Anton. Andr. in quinto Metaphysic. quæstione quinta, soluere per distinctionem materiæ, cuius imaginationem adduximus in quinto libro, in quæstione decimaquarta, & illic videbis clarè, quòd credit principium distinctionis numeralis sub eadem specie, non esse materiam partem compositi, sed differentiam indiuidualem, quam vocat materiam totius, & dicit, quòd Philosophus de hac materia intendit in quinto Metaphysic. textu duodecimo, cùm dicit, vnum numero sunt quorum est materia vna, & in libro duodecimo, in textu quadragesimonono, cùm dicit quæcunque sunt numero multa, habent materiam: & quoniam primus motor non habet materiam, id est talem differentiam indiuidualem, ideo concludit non posse esse plures primos motores, & quia intelligentiæ cùm non sint entitatis, nec perfectionis infinitæ, sunt in genere & in specie, habent suas differentias indiuiduales quas Philosophus vocat materiam: ideo non inconuenit intelligentias plures esse eiusdem speciei.

Hæc est solutio Anton. Andre. sed quòd Philosophus intendat de materia quæ est pars compositi, & non alio modo, iam declaratum inuenies in libro quinto, in quæstione decimaquarta, vide tu illic, ne idem inutiliter replicemus.

Tu tamen aduerte, quòd Scot. in secundo, distinctione tertia, quæstione octaua, ad primum, considerans Philosophum in hoc libro duodecimo, in textu quadragesimonono, non posse interpretari, nisi de materia, quæ est pars compositi, tandem negat Philosophum, & dicit ipsum non tenendum à Theologo, nec à vero Philosopho, & sic inquit: Rationabilius est ergo Theologo discordanti à Philosopho in princip. propter quod tenet aliquam conclusionem, consequenter discordare in conclusione, quàm errare cum eo. Hæc ille.

Quia ergo non acceptat principium Philosophi ad hanc conclusionem, quod est hoc: Quæcunque sunt plura numero, habent materiam, ideo Metaphysic. loquendo non est disputandum cum eo, sed relinquendus est à Peripateticis in hoc.

Alias rationes adducunt Thomist. ad hanc conclusionem, & præcipuè Pau. Son. in libro duodecimo, quæstione quinquagesima prima, quas videre poteris: ego autem ex timo, quòd stando pręcisè in principiis Ari. si ratio, quam adduximus, non concludit, aliæ non concludunt, ideo nolo multiplicare rationes.

Quantum ad secundum aduerte, quòd tenentes partem affirmatiuam, multipliciter arguunt. Sed eorum fortiora argumenta sunt quatuor.

Primò, omnis quidditas quantum sit ex se, est communicabilis quidditas intelligentiæ: siue quidditas abstracta, est quidditas, ergo est communicabilis, tunc vltra, vel est communicabilis in plura supposita tantum, stante identitate quidditatis, vel in plura numero, cum distinctione quidditatis, non primo, quia hoc est proprium quidditatis infinitæ secundum Theologum, ergo secundo modo, ergo quidditas abstracta potest multiplicari numeraliter, stante identitate specifica. Minor quidem nota est.

Maior autem sic probatur, si quidditati vt quidditas est, repugnat communicari, vel hoc est ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis: non primò, quia quidditas infinita, quæ est quidditas diuina, cùm sit perfectissima, non esset communicabilis, non secundò, quia quidditas rerum generabilium, cùm sit imperfecta, non esset communicabilis.

Ad hoc dicitur, quòd stando in terminis Meta. maior est falsa accepta in sensu Metaphysico, qui est, quòd omnis quidditas vniuersalis siue specifica, sit cõmunicabilis pluribus distinctis numero, siue pluribus indiuiduis, in quæ diuiditur illa natura specifica: ita quod multiplicatur realiter in suis indiuiduis.

Ad probationem dico, quòd si aliqua natura specifica est incommunicabilis in plura indiuidua, est propter perfectionem suam, & quia caret princip. quo multiplicantur indiuidua, id est materia, & cum arguitur de quidditate infinita, dico quod illa communicabilitas non est in plura indiuidua, & de ea sola hîc intendimus.

Præterea Metaphysicus negaret communicabilitatem quidditatis diuinæ in plura supposita.

Præterea, negaret quidditatem diuinam esse naturam vniuersalem siue specificam, vnde patet, quòd dicta ratio apud Metaphysicum non solùm non concludit, sed nec paruam habet apparentiam.

Secundò sic, si non possunt esse plures intelligentiæ in eadem specie, hoc est, quia cùm intelligentia sit forma, id est, actus, necesse est quòd inter eas sit distinctio formalis, quæ est distinctio specifica. Sed hæc ratio non valet, quia non omnis distinctio inter duas formas est formalis: sed sufficit, quòd sit formalis vel formarum, & quidem licet quando est formalis sit specifica, non tamen quando est formarum, vnde inter albedinem niuis, & albedinem parietis, est distinctio formarum, sed non formalis, ideo non distinguuntur specie, sic in proposito, duæ intelligentiæ eiusdem speciei distinguerentur distinctione formarum, sed non formali.

Ad hoc dicitur, quòd illa est ratio. & in abstractis non datur distinctio formarum, nisi sit formalis, & in materialibus non datur distinctio formarum sine distinctione formali, nisi ratione materiæ, aut subiecti, aut quantitatis, & quia in abstractis non datur aliquod istorum, ideo quæcunque distinctio est in eis, est formalis, ex consequenti specifica.

Tertiò sic, Quod potest intelligi sub ratione vniuersali, est plurificabile in plura. Sed omnis natura specifica siue abstracta siue materialis est intelligibilis sub ratione vniuersali: ergo, &c. Maior patet, quia de ratione naturæ specificæ non est

singularitas, aliàs species non esset species: sed singulare vel indiuiduum. Maior autem probatur ex ratione vniuersali: nam vniuersale est, quod potest esse in multis, & dici de multis.

Ad hoc dicitur, quòd maior non est vera, quando intelligitur sub ratione vniuersali solum ex parte nostri intellectus, & non ex se, & ad minorem dico, quod nõ est vera de natura specifica abstracta, nisi respectu intellectus nostri, qui intelligit abstracta modo materialium. Nam natura intelligentiæ A intelligitur ab intelligentia B, intelligitur vt de se hæc, & non sub ratione vniuersali. Ad probationem minoris dico, quòd licet de ratione speciei vt species est, non sit singularitas, tamen non inconuenit, quod aliquam naturam specificam qualis est natura abstracta, consequatur ex se singularitas, ita quòd ex se sit hæc, quia caret principio intrinseco multiplicatiuo.

Quarto Porphyrius diffiniuit speciem per esse prædicabilem de multis, ergo plurificabilis est in multa. Cùm igitur diffinitio conueniat omni diffinito, verificabitur etiam in separatis.

Ad hoc dico, vt Herue. in secundo distinctione tertia: quæstione secunda, ad primum, quòd diffinitio Porphyrij non datur de specie absolutè, vt se extendit ad separata & sensibilia, sed vt est in sensibilibus, quæ sunt nobis magis nota, quoniam in illis inuenimus principium materiale, quo possunt multiplicari in diuiduia stante vnitate specifica.

Quantum ad tertium, scilicet vtrum B. Tho. concederet in aliquo sensu partem affirmatiuam: Respondetur, quod non stando præcisè in doctrina Arist. loquendo autem absolutè, & secundum veritatem, dico quòd non concederet partem affirmantem hoc ordine, quem nunc videmus in rebus, ex quo agnoscimus principium plurificandi indiuiduaa sub eadem specie, esse materiam, vel subiectum receptiuum, verùm quia secundum veritatem, licet id negaret Aristo. posset Deus alium ordinem statuere in rebus; ideo dico, quòd non implicat contradictionem, abstracta multiplicari in eadem specie, & si tu inueneris B. Tho. dicentem, quòd non est hoc possibile, nec à Deo factibile intelliges non absolutè, sed stante hoc ordine vniuersi, ita quòd apud ipsum non implicat contradictionem.

Patet autem hanc fuisse mentem suam in tract. de vnitate intellectus contra Auerro. nam format Auerro, talem rationem: Omne quod multiplicatur sub eadem specie est materiale, sed intellectus secundum Arist. non est materialis, sed separatus, ex tertio de anima, ergo non potest multiplicari, ergo est vnus omnium hominum, & dicunt quod Deus non potest facere distinctos intellectus eiusdem speciei in distinctis hominibus, quia implicat contradictionem, nam habere materiam qua multiplicentur intellectus, & eos esse formas separatas, implicat contradictionem.

Huic autem rationi respondens B. Tho. inquit, valde ruditer argumentantur, ad ostendendum Deum non posse multiplicare intellectus eiusdem speciei, credẽtes id implicare cõtradictionem. Dato enim quòd non esset de natura intellectus, quòd multiplicaretur, non propter hoc oporteret quòd intellectum multiplicari, implicaret contradictionem, nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod tamen habet illud ex alia causa, nunc graue non habet ex sua natura, quòd sit sursum: tamen graue esse sursum non implicat contradictionem, sic ergo si intellectus naturaliter esset vnus omnium, quia non haberet causam naturalem suæ multiplicationis, posset tamẽ fortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis.

Hæc B. Tho. ex quibus patet, quòd non reputat contradictionem, separatam à materia posse multiplicari in eadem specie, & quando tenet partem negatiuam, intendit impossibilitatem ex defectu causæ naturalis stãtum, quæ est materia.

Quantum ad secundam partem quæsiti, procedendo via Tho. quæ negat hæcheitates, & ponit principium indiuiduationis materiam, & quantitatem, modo quo determinauimus in lib. 7. constat, quòd intelligentiæ quæ sunt immateriales & extra omnem magnitudinem, non indiuiduantur per materiam, nec per quantitatem: inuestigandum est ergo, per quid indiuiduantur, Pro cuius notitia dico tria.

Primò dico quòd quantum ad nostrum modum intelligendi, quo intelligimus simplicia & abstracta, potius negatiuè quã affirmatiuè, sicut patet de puncto, quem apprehendimus negatione partis, & de vnitate quam apprehendimus negatione diuisionis, non propter quam intelligentia est indiuidua, est duplex negatio, scilicet non esse diuisam in seipsa, nec multiplicabilem secundum seipsam, vt diximus in prima parte huius quæsti; & esse diuisam à qualibet alia, in hoc autem quod dico diuisam, includitur negatio.

Quod enim est diuisum ab aliquo, nõ est illud: & quòd hæc sit ratio indiuiduandi secundum nostrum modum intelligendi, probatur sic, eodem secundum nostrum intellectum est aliquid vnum numero & indiuiduũ, quoniam esse idem numero & esse indiuiduum conuertuntur in genere substantiæ, sed duplici negatione apprehenditur aliquid esse vnum numero, scilicet per esse indiuisum in se, & diuisum ab alio, ergo duplici negatione apprehendimus intelligentiam esse indiuiduam.

Secundò dico, quòd hæc duplex negatio non potest esse prima ratio indiuiduationis in intelligentia ex parte rei, probatur. Pura negatio non potest esse primum distinctiuum inter duo positiua: licet enim posit esse primum distinctiuũ inter duo negatiua, vt inter duas priuationes vel inter negatiuum & positiuum, vt inter priuationem & habitum, non tamen inter positiuum & positiuum, imò negatio qua negatur vnum positiuum ab alio, oportet fundari super aliquod positiuum, per quod distinguitur ab alio positiuo, vt ideo Sortes non est lapis, quia est homo, & quod dico de distinctiuo intellige de principio constitutiuo, eodem enim res constituitur & ab alio distinguitur, ergo pura negatio non potest esse primũ constitutiuum & distinctiuũ indiuiduale vnius intelligẽtiæ ab alia.

Tertio dico, quòd prima ratio indiuiduationis conuenit intelligentiæ ex seipsa, ita quòd per seipsam & non per aliquod contrahens est hæc. Hanc sententiam esse de mente Beati Thomæ manifestabitur, deinde ratione probabitur.

Quòd sit de mente B. Tho. patet sic, nam in 1. par. q. 3. art. 3. sic ait, In his igitur quæ non sunt composita ex materia & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam hanc indiuidualem, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet q̃ ipsæ formæ sint suppositа subsistentia. Item in quæst. 13. artic. 9. sic inquit, formæ quæ non indiuiduantur per aliud suppositum, sed per seipsas, quia scilicet sunt formæ subsistentes, id est, non in alio receptæ, si intelligerentur secundum quod sunt in seipsis, non possent communicari, nec re nec ratione. Item in 2. sent. dist. 3. quæstione prima, art. 2. sic dicit, incommunicabilitas quæ est idem cum indiuiduatione, est in homine, ex hoc quod natura sua est recepta in fundamento materiæ, & per materiam determinatur, sed in intelligentia ex se vel in se determinata est ex hoc, quòd in aliquo sicut forma determinabilis recipi non potest, & ex hoc ipso satis incommunicabilis est. Hæc Beatus Thomas.

Ratione autem ab aliquibus probatur sic, intelligentia eo est formaliter incommunicabilis & indiuidua, quo est formaliter immaterialis & incorporea, sed seipsa est immaterialis & incorporea, quia esse immateriale & incorporeum inconueniunt ei in primo modo, deinde per se, ergo est seipsa incommunicabilis & indiuidua.

Sed aduerte, quòd hæc ratio non concludit, nisi sustinueris vt nos in quinto determinauimus, quòd principia indiuidualia apud metaphysicũ, est sola materia & quantitas, & non hæcheitas. nam Scotus negaret maiorem huius rationis, dicens quòd intelligentia ex alio est incorporea, quia scilicet est extra omnem magnitudinem; & ex alio est immaterialis, quia scilicet non componitur ex materia & forma: & ex alio est indiuidua, quia scilicet habet in se talem differentiam indiuidualem, quam dicunt Scotistæ hæcheitatem.

Probatur igitur propositũ ratione sumpta ex Aristotele, in octauo libro metaphysicæ, textu decimosexto, & arguitur sic, ex eo intelligentia est indiuidua, quo est ens aliquod & vnum aliquod, sed statim seipsa nullo alio expectato est ens aliquod & vnum aliquod: ergo seipsa & nullo alio expectato est indiuidua, maior patet, quoniam esse indiuiduum, & esse, ens aliquod, & vnum aliquod, id est, signatum idem sunt, minor autem est philosophi in octauo metaphysicæ, textu decimosexto vbi ponẽs differẽtiam inter materialia & immaterialia quomodo fiant vnum, dicit, Quæcunque non habent materiam nec intellectualem nec sensibilem, statim quidem vnum aliquid est vnum quodque (& paucis interpositis inquit). Quapropter non est aliqua causa alia, vnum essendi vlli eorum, neque essendi ens aliquid, statim enim vnum quodque ens aliquid & vnum aliquid. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXV.

Si Deus de mente philosophi intelligit tantum seipsum, an aliquid extra, & quid in hoc sentiat Comment.

Amplius autem siue intellectus sit suã substantia, siue intelligentia, quid intelligit, aut enim seipsum, aut alterum aliquid. Tex. 51.

CONC

CONCLVSIO.

Secundum Aristotelem, Deus tantum intelligit seipsum in seipso, alia verò in seipsis, sed vt contenta & repræsentata in essentia.

IN hac quæstione aduerte, quòd Gregorius tenet vnã viam extremam, & Beatus Thomas aliam circa mentem Philosophi, & similiter circa mentem Commentatoris, Beatus Thomas attribuit sibi vnum & Ioannes Bacho, aliud, & quoniam intendo sustinere Beatum Thomam, ad sensum, quem attribuit Philosopho, & quem attribuit Commentatori: ideo sic procedemus. Primò ponitur opinio Gregorij. Secundò opinio Beati Thomæ. Tertiò, opinio Ioannis Bachon, pro sensu Commentatoris. Quartò opinio Beati Thomæ, & sustentabitur.

Quantum ad opinionem Greg. circa sensum Philosophi aduerte, quòd in primo sentent. distinctione trigesimaquinta, & trigesima sexta, quæstione prima, articulo primo, in principio ponit tres conclusiones, quas dicit esse de mente Philosophi. Quarum tertia est talis, Deus nihil extra se intelligit omnino, & nulla facta distinctione neque primariè neque secundariè, probat eam sex rationibus sumptis ex textu Philosophi, quas per te ipsum videre poteris. Deinde infrà in eodem loco, probans oppositum contra Philosophum deducit ipsum ad contradictione, adducẽs eius dictũ in li. de bona fortuna, vbi Philosophus attribuit Deo notitiã eius quod est, & quod fuit, postremò soluit omnes rationes quas formauerat ex dictis Philosophi.

Verùm quia nõ decet ita viliter sentire de Philosopho, quòd in hac nobili quæstione ita tripliciter sibi ipsi contradicat, ideo sequendam puto viam Beat. Thom. in hoc. Tu igitur aduerte, quòd in hoc libro duodecimo, in expositione textus quinquagesimi secundi. Ibi, considerandum est autem quòd Philosophus, &c. Beat. Thom. interpretatur mentem Philosophi cum tali distinctione. Aliquid potest intelligi dupliciter. Primò in seipso, id est, per propriam speciem, vel per propriam suam essentiam. Sicut quando intelligo lapidem per propriam speciẽ lapidis, & intelligentia intelligit seipsam per propriam essentiam. Secundò aliquid intelligitur in altero intellecto, vt quando intelligo effectum in causa intellecta, & intelligo partem in toto intellecto, sicut quando video Socratem in speculo viso. Intentio Beati Thomæ est attribuere Philosopho, quòd, loquendo de intelligere primo modo, arbitratur Philosophus, & verè, quòd Deus tantum seipsum in seipso, id est, per suam essentiam intelligit, nam si aliud intelligeret per seipsum, id est, per propriam speciem vel essentiam obiecti cogniti, sua intellectio dependeret à specie, vel essentia rei cognitæ, & sic perficeretur ex alio, & in hoc sensu concludunt omnes rationes Philosophi, quibus probat, quòd nihil extra se cognoscit: loquendo autem de intelligere secundo modo, Deus intelligit alia à se, non in se ipsis, sed vt contenta & repræsentata in essentia, & conueniens est sentire, quòd Philosophus fuerit huius opinionis. Quod sic manifestatur, Philosophus concedit, quòd Deus se ipsum perfectissimè intelligit: ergo intelligit omne contentum in se ipso, aliter non se perfectissimè intelligeret.

Sed in Deo continentur perfectiones omnium rerum, saltem quæ sunt, ex quinto Metaphysic. capite, de perfecto, ergo intelligit perfectiones omnium rerum existentium. Si perfectiones omnium rerum, ergo & res, quoniam perfectio includit habitudinem ad id cuius est perfectio, ergo si intelligit perfectionem, quæ est in homine, ex eo, quod eminenter est in Deo, intelligit ipsum hominem, & sic de aliis.

Tu ergo sustinebis per distinctionem datam Philosophum contra Greg. & rationes Philosophi non militant contra hanc determinationem. Nam quando dicit Philosophus, quòd intellectio est perfectio intelligentis, non est verum, nisi quando res in seipsa intelligitur, & est principale obiectum intelligentis, & quando dicit Philosophus, quòd Deus vilesceret, non est verum, nisi intelligeret vile per seipsum: si autem vt repræsentatur in alio, puta in principali obiecto, ex hoc non vilescit. Patet igitur quomodo secundum philosophum, Deus intelligit tantum seipsum, & non tantum seipsum diuersa ratione, & sic nulla sequitur contradictio in doctrinam Philosophi.

Pro opinione Commentator. aduerte, quòd vnum clarum est apud ipsum, scilicet quòd Deus non solùm scit seipsum, sed & alia à se, vt patet in hoc duodecimo, in commento quinquagesimo secundo, vbi sic habetur, & veritas est, quod primum scit omnia secundum quod scit se tantum sciẽtia in esse, quod est causa eorum esse, verbi gratia, Qui scit calorem ignis tantum, non dicitur nescire naturam caloris existentis in reliquis calidis, sed est ille qui scit naturam caloris secundum quod est calor, & similiter prius scit naturam entis in eo quod est ens simpliciter, quod est ipsum, hæc Commentator.

Aliud autem est dubium, scilicet vtrum secũdum Commentatorem, Deus intelligat alia à se quo ad prædicata vniuersalia tantum, puta in quantum sunt entia substantia, vel accidens, &c. an etiam quo, ad prædicata specifica, & indiuidualia, quibus res specificè & indiuidualiter diuiduantur, & circa hoc dubium inuenio duas vias respondendi, vna est quam sequitur Ioann. Bacho. Alteram, sequitur Beatus Thomas.

Aduerte igitur, quòd Ioann. Bacho. in primo sententiarum in distinctione trigesimanona, in quæstione prima, examinans commentum quinquagesimum primum huius duodecimi libri, attribuit Commentatori.

Primò, quòd Deus nihil intelligit extra se immediatè, scilicet acquirendo scientiam ab eo; & hoc clarum est, quia dicimus intellectus vilesceret, & perficeretur aliquo extrinseco.

Secundò, quòd Deus intelligit in seipso omnia quæ habent esse extra Deum, secundum quod sunt in essentia Dei vnitiuè, & non sunt aliud ab essentia sua, & hoc sic manifestatur, si omnia intellecta nostra essent idem cum intellectu nostro, intelligẽs se intelligeret omnia illa, sed intellectus diuinus intelligit se essentialiter, & alia entia secundũ quod sunt eminenter & perfectionaliter in Deo, nõ sunt aliud ab intellectu diuino, ergo intelligendo se intelligit omnia, vt sunt vnitiuè in Deo.

Tertiò, quòd Deus non cognoscit alia à se, transeũdo à cognitione suiipsius ad cognitionem aliorum, vt sunt in seipsis, vt credit Themistius, sed ex hoc, quòd cognoscit seipsum in seipso; & cognoscit se continere alia, & quòd est causa esse eorum, nam Commentator intendit quòd Deus nihil intelligit extra se tanquam obiectum terminans actum intelligendi, & tanquam obiectum speculatum & intellectum, vt videtur dicere Themistius, sed quòd intelligit omnia in seipso, ita quòd intelligendo se comprehensiuè intelligit alia.

Quartò, quòd Deus cognoscens alia in seipso, non solùm cognoscit ea, quo ad esse quod habent in Deo, sed quo ad esse quod habent in propriis naturis, ex consequenti cognoscit ea distinctè & omnibus modis quibus cognoscibilia sunt. Quod sic manifestatur. Dicit Commentator; qui scit calorem ignis tantum, non dicitur nescire naturam caloris existentis in reliquis calidis, sed iste est qui scit naturam caloris secundum quod est calor.

Tunc arguo sic, si aliquis sciret calorem per essentiam, scilicet ignis tantum, id est, si aliquis sciret calorem, ex eo quòd scit naturam ignis tantum, id est, & non alio modo, perfecta tamen comprehensione, sciret omnia calida omnibus modis quibus sunt calida, quia ad oppositum, non comprehenderet perfectè calorem,

Igitur à simili, si primum ens scit se tantum, quòd est ens per essentiam, & comprehensiuè omne ens, sequitur quòd scit omnia entia omnibus modis, quibus sunt entia, sed cognoscere omnia entia omnibus modis quibus sunt entia, est cognoscere ea distinctè & secundum sua esse propria: ergo Deus intelligendo se tantum, comprehensiuè, excluso omni alio obiecto terminante eius cognitionem, cognoscit omnia distinctè, vt sunt in seipsis, & in proposito iudicandum est de diuino intellectu, sicut si intellectus noster comprehenderet perfectissimè prima principia, & semper indefectibiliter staret ea speculando, & non transferret se à speculatione principiorum, ad speculandum conclusiones in seipsis, tunc clarum est, quòd perfectissimè comprehendendo prima principia etiam perfectissimè adunatè & simplicj apprehensione comprehenderet omnes conclusiones contentas in primis principiis, sic dicendum est per omnia de diuino intellectu.

Hæc fuit imaginatio Ioann. Bacho. quam credit attribuendam Commentatori. & quidem in primo & in secundo & in tertio dicto, non manifestè discordat à Beato Thoma, sed in quarto, nam beatus Thomas in prima parte quæstione decimaquarta, articulo sexto, & in primo sententiarum, distinctione trigesimaquinta, quæstione prima, articulo secundo attribuit Commentatori, quòd posuerit Deum non cognoscere alia à se, nisi in communi, scilicet inquantum sunt entia, Ioan. Bachon. autem vult, quòd cognoscat secundum Commentator. alia à se distinctè, & omnibus modis quibus cognoscibilia sunt, & sic patet, quòd non concordant in quarto dicto, & quidem licet gratia exercitij sustineri posset imaginatio Ioann. Bachon. tamen plurimum extorquet sensum & verba Commentator. & si attendamus ad exemplum adductum à Commentat. videtur Beatus Thomas rectius sentire, nam exemplum de calore multum cogit, sic enim videtur velle Commentat. arguere, sicut se habet cognoscens primum calidum, ad cognitionem reliquorum calidorum, sic cognoscens primum ens, ad cognitionem aliorum entium. Sed cognoscens primum calidum cognoscit omnia calida, sub ratione qua

sunt calida, ergo cognoscens primum ens, cognoscit omnia entia, sub ratione qua sunt entia.

Hæc fuit similitudo Cõment. Tunc sic: Sed cognoscens omnia calida, vt calida, non necessario cognoscit ea, quo ad prædicata propria, & specifica, & indiuidualia, puta an tale calidum sit homo vel lapis, vel hæc aqua: accidit enim calido esse lapidem, vel aquam, ergo cognoscens omnia entia vt entia non necessario cognoscit ea, vt talia entia, puta vt homo vel capra, accidit enim enti quòd sit homo, vel capra, ergo ex hoc quòd Deus cognoscit se primum ens, & per se ipsum omnia entia, vt entia, non sequitur, quòd cognoscat ea distinctè & omnibus modis vt cognoscibilia sunt, ergo sensus quem attribuit Beatus Thomas Commentatori, videtur magis consonans, quàm sensus Ioannis Bachonis.

Hic discutiendum esset, si Deus intelligit alia à se solum eminenter, & an etiam terminatiuè, verum quia est quæsitum magis Theologicum, quàm metaphysicum, & id iam determinaui in lectura primi tractatus primæ partis Beati Thomæ, ideo non est hic immorandum. Hæc de præsenti quæsitò dicta sint.

QVAESTIO XXVI.

Si in abstractis sunt idem intellectus, intellectio, & res intellecta.

Aliè in quibusdam scientia res est (& infrà) non altero igitur existente intellecto & intellectu quæcunque non materiam habent. Tex. 51.

CONCLVSIO.

In abstractis non est idem suum intelligere & eius intellectus, sine ipsa substantia intelligentiæ.

IN hac quæstione antequam deueniamus ad decisionem, ad uerte, quòd philosophus in toto textu quinquagesimo primo, vsque in finem libri non amplius loquitur de abstractis in genere, sed de primo principio, de quo constat, quòd cùm sua intellectio: sit sua substantia, & tantũ seipsum per seipsum intelligat, primò sequitur, quòd in eo intellectus & intellectio, & res primò intellecta sunt idem, nec est instantia de intellectis extra se, quæ diximus in quæstione præcedenti esse consecutiuè, & secundariò intellecta, quoniam non intelligit ea per seipsa sed in essentia sua, prout adunata & sine compositione continentur in eaideo verè possumus dicere, quòd essentia diuina, est suum totum intelligibile diuinum, quoniam omne intelligibile à Deo, vel est essentia Dei, vel contentum in eius essentia, sicut in vniuersalissimo perfecto continentur particulares perfectiones, verùm quia philosophus assumit ad probandum, quòd in primo principio idem sunt intellectus, res intellecta & intelligentia, id est, actus intelligendi, hanc vniuersalem: non altero igitur existente eo quod intelligitur & intellectu quæcunque non materiam habent, ideo merito dubitatur, si in omnibus intelligentiis tria prædicta sunt idem.

Ad euidentiam igitur huius, duo principaliter agenda sunt.

Primò, quid in hoc senserit philosophus & Commentat.

Secundò, quid tenendum secundum veritatem.

Quantum ad mentem philosophi & Commentat. quatuor considerandа sunt.

Primò, si tenendũ est intelligentiam esse suum intellectum.

Secundò, si est sua intellectio.

Tertiò, si est suum obiectum intellectum, ita quòd primò seipsam intelligat.

Quartò, quando intelligit seipsam, an intelligat se per essentiam suam, an per speciem mediam repræsentantem sufficienter ipsius naturam.

Quantum ad primum, & secundum, & tertium, respondendo simul, & non recedendo à determinatione, quam fecimus suprà in quæstione vndecima huius libri dico, quòd vt verba philosophi sonant, tenendum est, quòd sint idem.

Nam si secundum philosophum distinguerentur realiter, facerent compositionem in intelligentia, quo admisso sequitur, quod in ea esset potentia passiua, & aliquid loco materiæ quoniam in omni composito realiter dantur plura, quorum vnum est vt potentia receptiua, alterum vt forma, vt patet tam in compositione ex his quàm in compositione cum his, & maximè in genere substãtiæ, vt præseruem me à compositione qua componitur linea ex partibus suis.

Cùm igitur philosophus in hoc 12. in tex. 29. & 30. negauerit vniuersaliter potentiam passiuam ab intelligentiis, vt declarauimus, suprà in quæstione vndecima, negat ex consequẽti distinctionem realem horum trium.

Quòd autem Cõmentator id expresè teneat, patet in hoc 12. in commento 51. vbi ponens differentiam inter intellectũ nostrum & intellectum abstractum, sic inquit, essentia intellectus non est eadem cum intelligere, quod est actio intellectus in nobis, & intellectum in nobis, non est idem quod intelligere omnibus modis, & causa in hoc est, quia intellectum in nobis est aliud ab intelligentia, in eis autem quæ sunt non in materia, contingit vt intellectum, & intellectus, & actio intellectus, sint idem.

Quantum ad quartum, scilicet an intelligentia intelligat se per seipsam, an per speciem mediam. Dico secundum principia philosophi, quæ consideranda sunt in 3. de anima, circa intellectum & actum intelligendi, necesse est, quòd intelligat se per substãtiam suam, ita quòd substantia sua semper sit præsens intellectui, vt obiectum suum primò intelligibile & sit ei vt forma intelligibilis, & ratio intelligendi.

Et ratio quidem huius est, quia iam determinatum est in intelligentia secundum philosophum, nullam esse compositionem realem. Constat autem, quòd species media faceret compositionem, & actuaret intellectum intelligentiæ.

Præterea in tota doctrina philosophi non inuenimus necessitatem ponendi speciem, nisi quando obiectum est intelligibile in potentia, & est natura materialis, & necesse est vt hæc intelligibile actu per intellectum agentem. Hæc autem non habent locum intelligentia, vt patet. Quare, &c.

Sed dices: Admisso, quòd philosophus teneat quamlibet intelligentiam intelligere seipsam per suam propriam substantiam, quæritur, quid teneat, quando vna intelligentia intelligit aliam.

An per speciem, an per substantiam intelligentis, an per substantiam intellectæ.

Respondetur, in eo quod vna intelligentia intelligat aliam potest fieri duplex comparatio.

Primo comparando inferiorem superiori, vt intelligentiam lunæ intelligentiæ solis.

Secundo comparando superiorem inferiori, ex his aduerte tria, primò loquendo secũdum principia philosophi, qui nõ concedit species intelligibiles, nisi pro intellectione rerum materialium, eo quòd non sunt intelligibilia actu, nec intelligentia superior cognoscit inferiorem, nec econuerso per species intelligibilem mediam. Dico secundò quòd intelligentia inferior cognoscit superiorem per essentiam superioris, quæ copulatur intellectui intelligentiæ inferioris, vt forma intelligibilis actu, & hoc potest sic declarari, intelligentia inferior intelligit superiorem, aut per essentiam propriam, aut per essentiam superioris.

Non per essentiam propriam, quoniam cùm conueniant tantum in genere, & differant specie, species inferior non est sufficienter repræsentatiua speciei superioris, sicut equus non sufficienter repræsentat leonem, ergo essentia intelligentiæ inferioris non est sufficiens forma repræsentatiua intelligentiæ superioris, ex quo sequitur, quòd si Intelligentia superior cognosceretur per essentiam inferioris, illa cognitio esset tantum quo ad prædicata communia, in quibus conueniunt, & non quo ad prædicata specifica, & sic sua cognitio esset confusa, & imperfecta.

Dico tertio quòd descendendo superior cognoscit inferiorem per essentiam superioris: nam illa sufficienter repræsentat inferiorem, sicut actus perfectior imperfectum: vnde sicut per calorem, vt 10. cognosco calorem vt octauo, & per rationale cognosco sensitiuum, & non econuerso, quoniam rationale cõtinet omnem perfectionem, quæ est in sensitiuo, & plus, & non econuerso, ita dicendum est de intelligentia superiori respectu inferioris, cùm differant specie, & contineat inferiorem & adhuc amplius, nam se habent rerum species, vt numeri, ex octauo metaph. sic dicendum est quo ad doctrinam philosophi.

Quantum ad secũdum principale, scilicet quid dicendum secundum veritatem, iuxta illa quatuor præposita, aduertè, quòd veritas est, omnes intelligentias esse productas, & in nullo ente producto, actio sua est substantia sua, vt dictum est in quæstione 11. huius libri, ideo constat, quòd intelligentiis non est idem suum intelligere, & eius intellectus, siue ipsa substantia intelligentiæ, vtrum autem intelligentia sit sua potentia intellectiua, relinquo discutiendum in 3. de anima, est enim antiqua discrepantia circa hoc inter B. Tho. & Scotum.

Quantum autem ad obiectum, an sit idem cum intelligentia, dico quòd quantum ad obiectum partiale proximum, est idem.

Hoc enim est sua essentia, quantum autem ad obiectum adæquatum, non est idem, quoniam illud est ens inquantum ens, constat autem quod non est idem conuertibiliter cum intelligentia, quoniam intelligentia esset omne ens.

Quantum verò ad modum quo intelligunt seipsas, & vna intelligit aliam, dico quòd suas proprias essentias intelligunt per seipsas, vna autem intelligit aliam per speciem intelligibilem, non quidem causatam ab essentia intelligentiæ, sed consequentialem & comproductam in intellectu eius à primo principio, sicut comproducitur calor, quãdo producitur ignis.

Sed in his non immoror, quoniam magis ad Theologum quàm ad Metaphysicum spectant, & præcipuè, quoniam de speciebus intelligibilibus discutiendum est in tertio de anima, plures enim famosi doctores huiusmodi species negant. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXVII.

Si omnia sunt ordinata & prouisa à primo principio.

Omnia verò coordinata sunt aliqualiter, sed non similiter. Text. 52.

CONCLVSIO.

Verè Deus prouidet omnibus superioribus & inferioribus vniuersaliter & singillatim: imò & quascunque indiuiduorum actiones & ordinat & curat.

IN hac quæstione tria consideranda sunt. Primò, quid circa hoc senserunt Philosophi primi. Secundò quid senserit Philosophus & Com. Tertiò, quid tenẽdum secundum veritatem.

Quantum ad primum aduerte, quòd Democritus & Zeno, & plures antiqui negabant omnem ordinem rerum in finem, negabant enim causam finalem, quos improbat Philosophus in secundo Phy. tex. septuagesimo septimo, vsq; ad tex. octuagesimũ septimũ, ex hoc autẽ quod negant finem, negant ex consequenti ordinem rerum in finem: ergo & prouidentiam, siue curam & solicitudinem auferunt omnino à primo principio.

Nam, vt declarabimus infrà, prouidentia & solicitudo includit ordinem rerum in finem per determinata media, & hanc opinionem antiquorum remoratur, & improbat Philosophus in duodecimo Metaphysic. textu vltimo, quasi in fine, cùm dicit, Alij inconnexam ipsius vniuersi substantiam faciunt, nihil enim alia alij confert aut ens, aut non ens, & principia multa, entia verò nolunt malè disponi.

Et intendit Philosophus quòd hęc opinio facit naturam vniuersi, sine ordine intrinseco & extrinseco, intrinseco quidem, quia ponit vnam partem non conferre alteri, siue existat siue non: extrinseco autem ponit plura prima principia, ex consequenti aufert ordinem rerum ad vnum primum principium, & quoniã entia nolunt malè disponi, ideo hæc opinio falsa est.

Quantum ad secundum aduerte, quòd Aristotel. & Commentator in hoc proposito breuissimè se expediunt, nec est facilè videre, quid intendatur.

Tu tamen aduerte, quo ad Philosophum duo excipiuntur ex textu quinquagesimo secundo huius libri.

Primum est, quòd omnia ordinata sunt ad vnum primum, sicut ordinantur partes exercitus ad primum ducem. Sic enim inquit, Ad vnum quidem omnia coordinata sunt.

Secundum est, quòd non omnia sunt æqualiter & similiter ordinata & curata ab illo primo principio, quia sicut in vna familia sunt instituti diuersi ordines à domino domus, sic & in vniuerso diuersimodè curantur partes vniuersi à primo principio: nam dominus domus, ita curat filios, quòd omnes eorum actiones ordinat sub lege, ita quòd non licet eis viuere vt volunt, sed vt ordinatum est à patre.

Seruos autem ita curat, & bestias, quòd de paucis actionibus eorum videtur habere solicitudinem, & dummodo seruiant domui, de reliquis non curat, sed agunt vt contingit. Applicans autem similitudinem familiæ, ad partes vniuersi, videtur velle comparare substantias separatas & corpora cœlestia filiis domini, quoniam vt inquit Commentator interpretans dictum Philosophi, actiones corporum cœlestium in communicatione eorum adinuicem in constitutione mundi sunt sicut actiones liberorum in constitutione domus.

Quemadmodum enim liberi non licentiantur ad faciendum omnia quæ appetunt de actionibus.

Sed omnes actiones eorum sunt propter suuamentum eorum adinuicem, ita est de corporibus cœlestibus, ea autem quæ sunt in hoc mundo inferiori comparat seruis & bestiis, quorum non omnes actiones intentæ & curatæ sunt à domino domus, sed solum illæ quæ vtiles sunt bonæ familiæ, puta quòd famulus bene & fideliter ministret in domo quòd equus bene deferat, quòd canis bene custodiat,

Quod autem famulus sit lusor, vel blasphemus, est præter intentionem domini domus, nec de hoc non curat. Sic opinatur Aristotel. de qualibet specie huius mundi inferioris, ex consequenti opinatur primum non curare omnes humanos actus, eo quòd in hoc non considerauit hominum excellentiam supra bestias. Sed in hoc non est audiendus, quoniam & sacrificia, & diuinus cultus nihil proficeret homini, & ideo Aristotel. quasi hoc impium aduertens, aliter sentire visus est in decimo Ethicorum, capite decimo, vbi inquit. Qui secundum mentem operatur, & eam colit, & optimè dispositus est, amicissimus Diis videtur esse. Nam si Dij curam aliquando habent humanarum rerum, vt existimatur & creditur, rationabile est eos gaudere optimo & cognatissimo, tale huiusmodi verò mens est, & amantibus illam maximè honorantibúsque fauere, tanquam rerum sibi charissimarum curatoribus, & rectè ac bene agentibus.

Quòd autem hæc omnia sapienti maximè competant, non est obscurum. Amicissimum ergo deorum eundemque felicissimum esse decens est, itaque & hoc modo sapiens vtique erit maximè felix, hæc Philosophus.

A Commentatore autem habemus duo. Primum est, quòd omnia entia habent ordinem inter se, & ordinata sunt ad vnum, id est ad primum principem, sed non similiter & æqualiter, sicut videtur etiam in ordine familiæ ad dominum domus: vnde in commento quinquagesimo secundo huius libri sic habetur, Bonum existit in hoc toto id est in vniuerso vtroque modo scilicet propter ordinem, & propter illud propter quod est ordo, scilicet primum princip, & omnia quæ sunt sub primo princi, non æqualiter habent ordinem. Hæc enim quidem perfectum habent ordinem, ita quòd nihil admiscetur eis per accidens, sicut est de corporibus cœlestibus.

Hæc autem ita quòd inuenitur in eis priuatio ordinis per accidens, & sunt ea quæ sunt sub corporibus cœlestibus, & hoc valde simile est ei, quod continetur in vna domo continente seruos & liberos, &c.

Secundum est, quòd Deus habet solicitudinem de quolibet indiuiduo, sed non quantum ad omnes actiones, quæ sunt propriæ indiuiduo, sed quantum ad illas, in quibus communicat cum aliis indiuiduis suæ speciei, puta solicitudinem habet de hoc equo, & de hoc homine, inquantum generent sibi simile, quoniam per hanc actionem conseruantur species rerum inferiorum, & quòd hæc fuerit opinio sua, patet in commento trigesimo septimo huius libri, vbi sic inquit, Ex hoc videtur Deum habere curam circa omnia entia.

Dicentes autem, quòd Deus solicitus est circa vnum quodque indiuiduum aliqualiter verum est, & aliqualiter non: quia nullum indiuiduum habet dispositionem propriam, nisi illa dispositio inueniatur in aliquo modo illius speciei.

Et hoc igitur modo verum est Deum solicitari circa indiuidua, solicitudo autem circa indiuiduum tali modo, quòd nullus habeat communicationem cum eo, hoc non est fas bonitati diuinæ.

Tu tamen aduerte, quòd ipse Commentator verius loquitur de hac solicitudine circa genus humanum propter excellentiam suam in libro decimo Ethicorum, super capite decimo, vbi sic inquit, & si quidem cura sit Deo de hominibus, vt creditur, & vt debitum est, & sit quidem Deus gaudens de eo, qui est melior, tunc gaudet de eo, qui nititur ei assimilari valde, & hic est intellectus.

Dignum est ergo, vt benefaciat eis, qui amant ipsum plus, & vt honorificet eos, & visitet ipsos, sicut est dispositio amici cum amico suo, & eo quod actio eorum est actio nobilis sana.

Hæc & non plura possumus habere ex doctrina Philosophi & Commentator, in hoc proposito, quæ quantum deficientia sint, examinanda sunt à Theologo, & nos iam compleuimus hoc in lectura primi tracta. primæ partis Bea. Th. Quæ hic inferenda non sunt, ne confundamus negocium Metaphysicum.

Quantum ad tertium, scilicet quid dicendum & tenendum secundum veritatem, ac veram Philosophiam, aduerte primò quid dicat solicitudo quam solemus appellare prouidentiam, & applicate quid dicat prouidentia Dei, deinde vnica ratione probabitur, quòd secundum veritatem, Deus prouidet omnibus superioribus & inferioribus in vniuersali & in singulari, ita quod curat quascunque indiuiduorum actiones.

Vt igitur scias quid sit prouidentia, aduerte, quòd in principe instituente ciuitatem & rempubli. hæc quatuor ordinatè inueniuntur.

Primò, inest sibi voluntas, qua vult, & determinat instituere ciuitatem.

Secundò, inest sibi excogitatio, quales partes debeant esse integrantes ciuitatem, puta quòd sint nobiles, & doctores, & iudices, & mercatores, & milites, & agricolæ, quæ partes concurrunt ad perficiendum bonum ciuitatis, & hæc excogitatio dicitur

dicitur dispositio vnde & ordo partium in toto dicitur dispositio,& architector excogitans ac ordinans partes proportionaliter in ædificio dicitur sapiens dispositor.

Tertio inest sibi excogitatio & ordinatio, quæ media opportuna cuilibet parti ciuitatis conferenda sint, vt per ipsa operentur opera sibi debita,& consequantur finem,ad quem vnaquæque pars ordinata est,puta quòd doctores habeãt modum studendi,milites arma,mercatores merces,agricolæ iumenta, & hæc excogitatio ac ordinatio mediorum dicitur prouidentia, vnde & quibus incumbit hæc in ciuitate ministrare,dicuntur prouisores.

Quartò inest sibi actualis collatio mediorum,& motio partium, sic ordinatarum in proprium finem, iuxta media vnicuique parti collata,& hæc dicitur gubernatio.

Ex quibus patet,quod prouidentia supponit volitionem finis,& dispositionem partium ordinatarum ad finem, & quòd ipse propriè est circa media conferenda cuilibet parti, vt consequatur finem. Prouidentia igitur absolutè sumpta,est excogitatio intellectus de mediis conferendis naturæ ordinatæ in finem,vt finem consequatur, in Deo autem prouidentia, est excogitatio diuini intellectus,de mediis conferendis vnicuique naturæ,quibus finem suum consequatur.

Declarato quid sit prouidentia, probatur vnica ratione q inest Deo,quo ad omnia entia in vniuersali & in singulari singulariter,& arguitur sic: Deus est primum & vniuersalissimũ agens,ergo sua causalitas se extendit ad omne ens producibile,ita quòd non potest existere,nisi per ipsum,& est agens per intellectum & voluntatem, ergo in quolibet ente producto intendit finem ad quem producitur. Si in quolibet ente intendit finem, ergo media ad finem,aliter vanè intenderet finem.

Sed Deus est causa omnis entis, non solùm in vniuersali & secundum speciem, sed etiam secundum indiuidua, vt magis declarabitur in quæstione sequenti, ergo respectu cuiuscunque entis,etiam singularis, & singulariter, intendit media ad finem & per consequens prouidet omni enti in singulari.

Antecedens primæ consequentiæ probabitur in quæstione sequenti. consequentia autem patet, quoniam primum ens quod est,& primum agens est causa omnis entis, vt declaratum est etiam in secundo metaphysicæ.

Antecedens secundæ consequentiæ iam declaratum est supra in quæstione decima huius libri, consequentia autem patet, quoniam si non intenderet finem, non ageret secundum intellectum & voluntatem.

Agens enim per intellectum & voluntatem agit à proposito,agens autem à proposito intendit finem, ex secundo physi.

Hæc multa argumenta soluenda essent, quæ potius spectãt ad theologum,quàm ad metaphysicum,ideo non est in his immorandum,ne scientiæ confundantur. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXVIII.

Si primum principium est causa effectiua omnium entium.

Vnus ergo princeps. Tex. vltimo.

CONCLVSIO.

Deus est causa effectiua & productiua omnium rerum, quoquomodo se habeant.

PRo vltima consideratione de primo principio, quantum spectat ad metaphysicum, tria de eo restant discutienda. Primò, causalitas sua. Secundò, vnitas. Tertiò, necessitas inesse,& de his tribus formabimus tres vltimas quæstiones metaphysicas.

Circa causalitatem primi principij aduerte, quòd omnes rectè cogitãtes de Deo,negant sibi causalitatem materiæ, propter potentialitatem eius, Deus autem est purissimus actus excludens omnem potentiam passiuam, negat & causalitatem formæ informantis, eo quòd illa est pars ex consequenti imperfecta,& incompleta in natura sua, & si dicatur prima forma,exponendum est metaphysicè,id est,primus actus, cum nullo tamen faciens compositionem. Attribuunt autem sibi causalitatem finis excellentissimo modo, quoniam omnia modo suo desiderant ipsum,& gratia illius agunt quæcunque agunt, vnde philosophus in textu trigesimosexto huius duodecimi, dixit, quòd mouet vt amatum & desideratum, quod est proprium finis. De causalitate autem effectiua respectu cuiuscunque entis non est concordia vniuersalis, & ideo in hac quæstione intendo immorari circa hoc, & tria consideranda sunt,Primò,quid dicendum secundum Aristot. Secundò, quid secundum Comment. Tertiò, quid secundum veritatem.

Quantum ad Arist. aduerte secundum B.Tho. vt declarabitur infrà sensus philosophi non est sensus Comment. ideo de mente philosophi & Commenta. separatim agendum est, alij autem vt Sco.& Her.& Ioan.Bacho.& Greg.tenẽt philosophum & Comment.concordes,ita,quòd qui tenent philosophum concedere Deum esse verè causam productiuam omnium,tenent idem de Commenta.similiter dicunt qui tenent partem negatiuam.

Nos igitur sequentes viam B.Thom.ponimus hanc conclusionem de mente philopsophi,sed non de mente Cõment.cuius opinionem erroneam manifestabimus infrà. Arist. tenet, Deum esse causam productiuam omniũ. Hanc sic manifestamus. Aristot.tenet,Deum esse causam productiuam omnium corruptibilium & incorruptibilium, ergo,&c. consequentia nota quia omne ens corruptibile, vel incorruptibile.

Antecedens pro prima parte probatur, entia corruptibilia non semper habent esse,ergo per aliquam causam tendunt ad esse. Hanc autem causam posuit philosophus in tex. 33. huius lib. esse primum cœlum motum motu diurno,& planetas motu sub obliquo circulo. Sed Deus mouet primum cœlum immediatè secundum Comment. vel mediatè secundum B.Tho. vt visum est suprà, in q.15.& motu primi cœli mouentur alia corporea cœlestia, ergo Deus est causa prima & vniuersalis productiua per motum cœli omnium inferiorum corruptibilium. Pro secunda autem parte,id est, quo ad incorruptibilia est maior difficultas,& ideo probandum particulariter ex doctrina philosophi, & sustinenda sunt dicta sua.

Tu igitur aduerte, quòd in doctrina philosophi inueniuntur præcipuè tria loca, ex quibus concludemus propositum.

Primum est in 8.phy.in tex.15.vbi reprehendit & Empe.& Democri. qui putabant nulli rei sempiternæ assignandã esse causam,sed tantum his, quæ de nouo incipiunt esse, sic ait contra eos: Quod autem in omnibus non rectè,& enim trigonum semper habet duobus rectis æquales angulos,sed tamen est perpetuitatis huiusmodi altera causa. Hæc philosophus ex quibus patet, vt inquit B. Tho. exponens quòd intentio philosophi fuit, esse aliqua semper entia vt corpora cœlestia & substantias separatas,& tamen haberent causam sui esse,quæ non potest assignari nisi primum principium.

Sed aduerte, quòd Greg.in 2.dist.1.q.1.art.1. dat huic dicto duplicem responsionem, primò dicit, quòd philosophus intendit de complexis, quæ sunt sempiternæ veritatis, & sunt conclusiones demonstrabiles, & ideo exemplificat de hoc complexo demonstrabili: Triangulus habet tres, Hîc autem quærimus de incomplexis æternis & incorruptibilibus, vt de cœlo & de intelligentiis.

Sed hæc responsio est contra intentionem philosophi, nam illic intendit arguere contra Emped. qui non assignabat causam quare lis & amicitia semper causãt motum alternatim æqualibus temporibus,& dicit philosophus, quòd non potest Empedo. excusari in hoc, quasi id quod est semper non habeat causam, & licet exemplificet de complexo: tamen intendit etiam de incomplexo, vt de motu æterno, aliter ratio philosophi contra Emped. nulla esset. Posset enim negare hanc consequentiam: Complexum æternum habet causam, ergo & incomplexum.

Secundo respondet Greg. Dato quòd philosophus intenderet etiam de incomplexo, hæc consequentia non valet. Hoc incomplexum habet causam, ergo habet causam effectiuam, sufficit enim quòd habeat causam finalem, & sic philosophus concedit entia incorruptibilia habere primum principium pro causa finali.

Sed hæc responsio est etiam contra mentem philosophi in dicto textu, nam licet dicta consequentia non sit formalis, valet tamen in præsenti materia. Mam si complexum quod est conclusio demonstrationis, vt Trigonum habet tres, habet causam, habet causam effectiuam, quoniam præmissæ ex quibus deducitur conclusio, sunt causæ efficientes conclusionis, ex secundo physicæ.

Item, si loquamur de incomplexo, vt de motu æterno non continuo, sed per interpositionem quietis, vt dicebat Emped. adhuc patet, quòd philosophus intendit de causa efficiente, petens quæ causa mouebat litem & amicitiam ad causandum motum æternum interpolatum. Patet igitur, quòd philosophus intendebat de causa effectiua rei incomplexæ, & non tantum complexæ.

Sed fortè dices, quòd æternum est duplex, scilicet successiuum vt motus cœli secundum philosophum, & permanens vt intelligentia, & cœlum.

Motus quidem cœli habet causam efficientem æternum, quoniam est à mouẽte æterno, eo quòd motus de necessitate includit

includit mouens, vt dicit Commentator, in hoc libro duodecimo, in commento quadragesimoprimo, æternum verò permanens non habet causam effectiuam, quoniam si æternum est, semper est, Si semper est, non indiget causa deducente illud ad esse. Philosophus autem in octauo Physic. in textu prædicto intendit de æterno successiuo, qualis est motus æternus, siue continuus, siue interpolatus de quo conceditur, quòd habet causam effectiuam secundum Philosophum, scilicet intelligentiam æternam mouentem.

Sed hæc instantia non concludit, quoniam licet Philosophus intendat scire causam effectiuam de motu æterno per interpolationem, tamen ad improbandum Empedoc. & Democr. assumit hanc vniuersalem. Omnino enim existimare principium hoc esse sufficiens, quod semper aut est sic, aut fit, non rectè se habet opinari, id est, non est recta opinio existimare aliquod esse principium, & causa, & non habere causam, quia semper est aut semper fit. Quod quidem dictum potest applicari ad æternum, permanens, & successiuum, cùm loquatur vniuersaliter, cuius signum est, quòd Philosophus applicat ad triangulum habentem tres, quem constat computari inter permanentia & non inter successiua.

Secundum dictum est in secundo Metaphysic. textu quarto, vbi sic habetur, vnumquodque verò maximè ipsum aliorum dicitur, secundum quod & in aliis est vniuocatio, puta ignis calidissimus & enim est causa aliis hic caloris, quare & verissimum, quod posterioribus est causa vt sint vera, &c.

Concessum est autem Deum esse maximè ens & maximè verum: ergo est causa omnium aliorum, quòd sint entia, & sint vera.

Ad hoc respondet Gregor. vbi suprà conceditur, quòd Deus vt est maximum ens, est causa omnium entium, sed negatur hæc consequentia: ergo est causa effectiua.

Hæc responsio non est ad mentem Philosophi. Nam comparat primum ens primo calido in vniuersali causalitate. Sed constat, quòd primum calidum est causa effectiua omnis caloris, ergo primum & maximè ens est causa effectiua omnis entis, aliter comparatio nulla esset. Præterea, non potest dici, vt dicunt Commentistæ, quòd Philosophus intendit primum ens esse causam finalem, & conseruatiuam omnium entium, quia in illo textu nulla est mentio de causa finali: & præterea, si Deus est causa conseruatiua, est etiam causa effectiua, & hanc consequentiam probabo infrà, quando pertractabitur, quid tenendum sit secundum veritatem.

Tertium dictum est in quinto Metaphysic. capite de necessario, vbi sic habetur, Horum quidem itaque altera causa essendi necessaria, horum autem nulla, sed propter hæc alia sunt ex necessitate. Tunc sic, nullum est ens necessarium, nisi ens incorruptibile, ergo si secundum Philosophum aliqua entia necessaria habent causam, illa sunt entia incorruptibilia, vt cœlum & intelligentia, nulla autem causa potest sibi assignari nisi Deus: ergo, &c.

Ad hoc respondet Gregor. vbi suprà, quòd Philosophus loquitur de necessariis complexis, quę sunt conclusiones demonstrabiles, quarum causæ sunt principia complexa, vt causa huius, homo est risibilis, est hæc, homo est rationalis, & quòd Philosophus intendat de necessariis complexis demonstrabilibus, patet in eodem cap. nam ante dictum allegatum præmiserat. Amplius demonstratio necessariorum est, &c.

Sed quòd hęc responsio non valeat, declaro sic, Licet Philosophus in illo cap. mentionem facit de necessariis complexis, non tamen sistit solùm in illis, quoniam intendit etiam de incomplexis, quòd quædam habeant causam & quædam non. Nam postquam dixit, quòd horũ quidem, itaque altera causa, &c. statim subsequitur. Quare primũ & propriè necessariũ quidem simplex est, hæc ille. Quod vniuersaliter exponitur de prima causa quæ est Deus, quoniam esse primum necesse esse, & absolutè simplex, sunt proprietates suæ.

Cùm ergo Philosophus post dictum nostrũ allegatum faciat mentionem de necessario incomplexo, signum est mentem suam fuisse, quando assignat causam necessariorũ, quod vult intelligere de complexo & incomplexo necessario.

Nec valet si dicatur, quòd Philosophus intẽdit per simplex primum, simplex quod est causa, & est illud in quod resoluitur primum principium complexum scilicet, Impossibile est idem simul esse & non esse, resoluitur in hoc primum complexum, ens est ens, vt omnes dicunt, & maximè Antonius Andreas in quarto Metaphysices, quæstione quinta.

Et hoc etiam videtur innuere Comment. in quinto Metap. commen.6. Dicit enim quòd aliquãdo terminus medius erit causa rei, scilicet conclusionis, & tunc res erit necessaria vel possibilis per aliud, id est, per terminum medium. Aliquando autem terminus medius non erit causa rei, & tũc res erit per se necessaria vel possibilis. Ex quibus verbis apparet, quòd Philosophus & Comment. intellexerunt de complexis.

Hoc inquam non valet, quia est contra Philosophum & Comment. ibidem. Dicit enim Philosophus, quòd si primum per se necessarium non esset simplex contingeret aliter se habere, quia esset compositum, & tunc tale contingit aliter se habere, & per consequens non esset necessarium, & non dicit, quòd resolueretur in aliquod primum composito: vt arguens imaginatur, & Comment. ibi declarat, quòd si tale primum necessarium per se non esset simplex, esset compositum ex materia & forma, & per consequens substantia sua mutaretur diuersis modis.

Ex quibus patet, quòd tam Philosophus quàm Comment. intelligunt de principio primo incomplexo, id est, de Deo, & non de primo complexo, in quod resoluitur primum principium complexum.

Sed dicit Greg. vbi suprà, Concesso, quòd Philosophus intendit de necessario complexo & incomplexo, non valet hæc consequentia, necessarium incomplexum habet causam, ergo habet causam effectiuam.

Contrà, probo consequentiam valere in hoc proposito. Certum est enim secundum Philosophum, quòd intelligentiæ non habent causam materialem, cùm sint sine omni materia ex textu trigesimo huius libri, nec formalem, cum sint simplices formæ, nec formæ est forma, ergo superest, quod habeant finalem & effectiuam, vel finalem tantum. Si primo modo, habetur intentum: si secundo modo, adhuc habetur intentum: quoniam infrà probabitur, quòd omne habens causam finalem, habet causam efficientem.

Quantum ad sensum Comment. dico, quòd fuit in hoc errore nullo modo dari creationem, neque cum nouitate essendi, neque sine nouitate, vt declarat Gregorius in 2. dist. prima, quæstione prima, articulo primo.

Etiam manifestauimus id suprà in quæstione 5. huius libri. Cùm ergo constat, quòd entia incorruptibilia vt cœlum & intelligentiæ nõ sunt producibilia productione physica, quoniã secundum Commẽt. vt declaratum est in octauo libro huius scientiæ, materia quę supponitur productioni physicę, non est in cœlo, nec secundum veritatem est in intelligentiis, si non conceditur dari creationem, patet q secundum eum sunt improducta, & sic Deus nõ est causa effectiua incorruptibilium. Ad confirmationem huius, vide in hoc duodecimo libro in cõment.41. vbi arguens contra Alex. dicit, impossibile est enim, vt idem sit possibile inesse ex substãtia sua, & recipiat ex alio necessarium esse, nisi esset possibile, quod natura eius transmutaretur. Motum autem possibile est vt sit necessarius ex alio & possibilis ex se, & causa in hoc est, quòd habet esse à motore. Si igitur motus iste fuerit æternus, necesse est vt fiat à motore, nõ moto omnino, neque essentialiter, neque accidẽtaliter.

Permanentia igitur motus est ex alio, substantia autẽ scilicet cœli & motoris ex se, & ideo impossibile est inuenire substantiam possibilem ex se, necessariam ex alio, quod est possibile in motu. Hæc Commen. ex quibus constat, quòd nõ vult concedere, aliquod ens pręter motum posse habere esse necessarium ex alio, ita quòd omne ens permanens habens esse ab alio, est ens possibile, id est, potens esse & non esse. Accipit enim ly possibile, pro contingenti, & non pro possibili altero. Nam vt determinauimus in libro 9. possibile alterum non opponitur necessario, imò de eo prædicatur, vt declarauimus illic. Teneo igitur Comment. fuisse huius erroneæ sententiæ. Nec in hoc sequeris Scot. nec Capr. nec Heru, nec Paulum Sonc. qui arbitrantur Comment. sentire oppositum, fundantes se supra quædam dicta eius, quæ de facili exponẽtur infrá.

Quid autem B. Tho. sentiat de Comment. dico, quod arbitratur ipsum sibiipsi contradicere. Nam, vt refert B. Thomas in octauo physicæ, lectura 21. in libro duodecimo metaphysic. in comment.41, tenet contra Alex. quòd cœlum nõ habet esse perpetuum ab altero, licet motus eius sit perpetuus ex altero, in libro autem de substantia orbis tenet oppositum, nam beatus Thomas in 8. physic. lect. 21. arguens contra Commentato. sic dicit, vnde & ipse Commentat. in libro de substantia orbis confitetur, quòd Deus est causa cœli, non solùm quantum ad motum eius, sed etiam quantum ad substantiam ipsius, quod non est nisi quia ab eo habet esse, non autem habet esse ab eo, nisi perpetuum. Hæc Bea. Tho. Cùm igitur sibi contradicat, vt ei B.Tho. imponit, relinquendus est, vt incertus, & potius tenens partem negatiuam, quàm affirmatiuam.

Nec obstat, quòd quædam dicta Cõment. videntur sonare

oppositum, inter quæ recitantur.

Primum est in libro de substantia orbis, vbi inquit, & cum ignorauerunt quidam hoc esse de opinionibus Aristot. dixerunt, ipsum scilicet Arist. non dicere causam agentem totum, sed tantum causam mouentem, & illud fuit valde absurdum, & non est dubium in hoc, quod agens ipsum est mouens ipsum, hæc Comment.

Ad hoc dicunt cõmentistæ, quòd agens sumitur dupliciter. Primò, propriè, & est illud, quod deducit rem ad esse, & est principium vnde motus, & vt sic, est causa distincta contra alia tria genera, & dicitur propriè causa efficiens.

Secundò, impropriè & similitudinariè: & sic verificatur de materia, & forma, & fine. Nam ferrum agit gladium durum, quoniam per ipsum gladius est durus, & anima facit animatum, & lucrum facit mercatorem.

Nam animatum est per animam, & mercator est propter lucrum, in proposito Commentator accipit agens, secundo modo, & non primo modo, quod patet ex eo quod dicit in quarto cœli, comment. primo. Dicit enim quòd res æternæ non habent agens, nisi secundum similitudinem, & si habuerint aliquod quod est agens, non erit, nisi in quantum est forma illa & conseruans ipsum.

Secundum est in secundo Metaphysic. comment. quarto. vbi inquit Comment. omnia entia non acquirunt esse & veritatem nisi à prima causa.

Ad hoc dicunt commentistæ, sensum fuisse Commen. quod cùm prima causa continuet motum primi cœli, est enim secundum Commen. applicata primo cœlo, vt declaratum est suprà, cõseruat primum cœlum in esse: quia, vt inquit in libro de substantia orbis, si motus cœli destrueretur, cœlum ipsum destrueretur, & si destrueretur motus primi cœli, destrueretur motus inferiorũ orbium, ex consequenti mundus, ex quo verificatur, quòd dator continuationis motus cœli, dat esse aliis entibus, quia est causa quòd perseuerent in esse, & vt sic dicuntur acquirere esse omnia entia à prima causa, non productiuè, sed conseruatiuè, eo quòd nisi continuaret motum cœli, omnia entia desinerent esse, & totaliter vniuersum destrueretur secundum opinionem Commentatoris, licet falsam, non ergo ex dicto allegato potest concludi Comment. tenere, Deum esse causam vere productiuam omniũ entium.

Alia solent dicta eius allegari in hoc proposito, quæ non sunt multum euidentia, ideo pertransео.

Quantum ad rei veritatem inuestigandum est, si aliqua ratione naturali efficaci potest probari, Deum esse causam productiuam omnium entium quocunque modo habeant esse, & hic inuenio duas sententias.

Prima est beati Thomæ, cui concordat Scotus & Herue. isti tenent partem affirmatiuam. Alia est, Gregorij, qui in secundo senten. distinctio. prima, quæstio. secunda, artic. secundò tenet partem negatiuam, intendens igitur sequi partem affirmatiuam formabo aliquas rationes & defensabo contra Gregori. Deinde soluam quædam argumenta, quæ videntur fauere parti negatiuæ.

Prima ratio, omne ens extra primum, dependet essentialiter à primo. Sed non dependeret à primo, nisi causaretur ab eo. Sed non causaretur à primo, nisi produceretur ab eo. Ergo omne ens extra primum producitur à primo.

Prima propositio sic probatur, si aliquid aliud à primo non dependeret essentialiter ab eo, non esset pertinens ad vniuersum, quia vnitas vniuersi stat in hoc, quòd omnia alia à primo habent ordinem ad primum, ex duodecimo Metaphysices, textu quinquagesimoprimo, quicquid autem habet ordinem essentialem ad primum, dependet ab eo, ergo omne ens extra primum dependet essentialiter à primo.

Secunda autem propositio sic probatur, si non causaretur ab eo, à se & ex se esset necesse esse, ergo sibi non repugnaret esse quocunque alio circunscripto, etiam si circunscriberetur primum: & tunc sequitur, quòd non penderet essentialiter à primo, quod contradicit primæ propositioni. Quòd autem sequatur, patet, quia non repugnat rem esse, sine omni eo quod non est causa sua.

Huic rationi respondens Gregorius vbi suprà, concedit primam & secundam propositionem, sed negat tertiam, scilicet sed non causaretur ab eo, nisi produceretur.

Hanc negat & dicit, quòd sufficit vt causetur ab eo, vt à fine, quod magis propriè dicitur esse ad primum, vel propter primum, quàm à primo.

Sed contrà, concedit Gregorius omne ens esse dependens essentialiter à primo, & non esse necesse ex se, tunc sic, ergo est necesse esse ex alio, scilicet ex quo pẽdet, ergo non potest non esse ex alio, ergo in se consideratũ potest non esse, & hanc vltimam consequentiam sic probo. Quia in se consideratum circunscripto quocunque alio à quo pendet, vel potest non esse, vel non potest non esse. Patet diuisio, quoniã est per prædicata contradictoria, ergo necesse est vnam partem esse veram. Si conceditur prima pars, ergo est possibile non esse, & de omni tali concedit Greg. quod habet causam productiuã. Si conceditur secunda, ergo est necesse esse ex se, quod Gregorius negat, & est falsum, quoniam vt probabitur infrà, est tantum vnum necesse esse ex se, consequentia autem patet, quoniam idem est, non posse non esse, circunscripto quocunque à quo depẽdet, & non posse non esse ex se, sed necesse esse ex se, & non posse non esse ex se æquipollent, ergo Gregorius non potest sustinere, Omne ens extra primum, dependere essentialiter à primo, & non causari effectiuè ab eo.

Secunda ratio, quæ sumitur ab Herueo in secundo quolibeto, in quæstione prima formatur sic: Omne quod sibi derelictum est non ens, est effectiuè productum.

Sed omnia præter primum principium & quod est vltimus finis omnium sibi derelicta, sunt non ens, ergo sunt effectiuè producta à primo.

Maior patet, quia si ex se est non ens, indiget causa qua ducatur ad esse, duci autem ad esse est produci.

Minor autem probatur. Quia si per impossibile remoueatur vltimus finis, aut aliqua remanent entia, aut non, non potest dici primum, quia non dependerent essentialiter ab vltimo fine cuius oppositum probatum est in ratione precedenti, ergo secundũ, & per consequens sibi derelicta sunt non entia.

Huic rationi respondet Gregorius dicens, maiorem non esse veram æquipolleat isti. Omne ens quod si aliud non esset ipsum non esset, est effectiuè productum. Dicit quod hæc est vera, si illud aliud sit possibile non esse.

Nunc autem ipsum primum ad cuius non esse, quodlibet aliud non esset, non est possibile non esse, si verò illud aliud non sit possibile non esse, maior non habet euidentiam.

Sed Gregor. non considerauit totum sensum & processum Heruei, nam Herueus vbi suprà, adducit hanc responsionem Greg. & declarat nullam esse ex veritate conditionalis, secundum quam procedere intendit Herueus in hac ratione.

Intendit enim quòd dato quòd sit impossibile, Deum non esse, & sit impossibile cœlum & intelligentiam non esse, hæc tamen est vera, Si Deus non esset, cœlum non esset, ex qua illatione manifestatur, quòd si per impossibile, cœlum relinqueretur sibi, esset nõ ens, ergo signum est, quod acquirit esse effectiuè ab alio, vnde dicit Herueus & bene, quòd responsio data à Gregor. videtur procedere ex ignorantia logicæ.

Tertia ratio, quę etiam est Heruei, Omne quod habet causam finalem, habet causam efficientẽ, quia causalitas finis est id, cuius gratia aliquid fit. Sed omne ens præter primũ habet causam finalẽ, ex duodecimo Metaphysicæ textu 51. ergo, &c. Si igitur entia plura essent improducta, non omnia haberent causam finalem, quod repugnat Philosopho & veritati.

Huic rationi respondet Gregor. quòd habet minorem efficaciam, quàm præcedens, eo quòd maior est falsa, & quod additur de causalitate causæ finalis, scilicet quod est id cuius gratia aliquid fit, est falsum.

Sed hæc responsio, est voluntaria & contra Philosophum. Constat enim quòd in quinto Metaphys. in capitulo de causa, designauit causam finalem ex hoc, quòd est illud gratia cuius aliquid fit, ergo male dicit Greg. id esse falsum, secundum Philosophum. Tunc sic: Omne quod habet causam finalem, habet id cuius gratia factum est. Sed cœlum & intelligentiæ secundum te habent causam finalem, non solùm quo ad motum, sed etiam quo ad esse ipsarum, quoniam dicit Gregor. quòd conceditur eas esse dependentes secundum esse à prima causa, vt à fine, ergo cœlum & intelligentiæ habent illud cuius gratia factæ sunt, & sic includunt causam productiuam ex eo, quòd habent causam finalem.

Vltimò aduerte, quòd licet contra hanc determinationem fiant plura argumenta, quæ videre poteris in Herueo in quol. 2. in quæstione prima, quæ videntur fundari in doctrina Philosophi, tamen nullum videtur difficilius, quàm illud quod fundatur in secundo Metaphysic. in textu quarto, vbi inquit Philosophus, Quare semper existentium principia esse verissima, necesse est, non enim quandoque vera, quandoque non vera, nec illis, causa aliqua vt sint, sed illa aliis, ex his vltimis verbis habetur, quòd principia corporum cœlestium, quæ sunt intelligentiæ, non habent causam aliquam vt sint, ergo non sunt producta à prima causa.

Ad hoc dicunt aliqui præcipuè Ioan. Bach. in 2. distinct. 1. quæst.

quæstione secunda, articulo quarto, quod Philosophus non intendit negare, quòd intelligentiæ acquirant esse ab alio, & quòd habeant causam vt sint, sed quòd illa causa non potest dici efficiens propriè. Arbitratur enim quòd efficiens propriè fit illud, quod extrahit aliquid de potentia subiectiua vel materiæ ad actum, quoniam prima causa non abstrahit intelligentias de tali potentia, eo quòd non habent materiam, ideo non propriè dicitur efficiens respectu earum: si autem sumatur potentia pro non repugnantia ad esse, potest dici largè efficiens, eo quòd ex se non habent esse, sed trahuntur ad esse à prima causa, & vt sic non negaret Philosophus, quin habeant causam vt sint, quoniam iam præmiserat, quòd maximè ens, est causa omnis entis.

Sed si aduertis, isti decipiuntur in hoc, quòd credunt apud Philosophum omnem efficientiam esse Physicam, quæ profectò requirit potentiam subiectiuam, verùm apud Philosophum & secundum veritatem datur etiam efficientia Metaphysica, quæ non est per motum nec mutationem Physicam, cuius signum est, quòd Philosophus in nono Metaphysic. textu primo, dicit, quòd potentia & actus sunt in plus, quàm eorum, quæ dicuntur secundum motum solum, si quid ergo concludunt sic dicentes, hoc tantum concludunt, quòd prima causa non est efficiens Physicum, sed Metaphysicum. Melius est ergo, vt exponas dictum Philosophi, vt iam exposuimus in secundo libro Metaphysicæ, quæstione quarta, vbi adduximus tres responsiones. Hæc dictã sint pro præsenti quæsito.

QVAESTIO XXIX.

Si est tantum vnus Deus, ita quòd non possint esse plures.

Vnus ergo princeps. Textu vltimo.

CONCLVSIO.

Cùm Deus sit id quo maius dari nec cogitari potest, in eoque sit infinitæ vigoris, vnus tantùm est, ita vt plures esse non possint.

IN hac quæstione pro suprema resolutione aduerte, quòd hęc conclusio, est tantum vnus Deus, vno modo est demonstrata, in alio non. Nam si supponatur & acceptetur, quòd ly Deus significat ens eminentissimum, quo maius nec dari potest, quod est entitatis perfectionis & vigoris infiniti, quod est vniuersalis causa productiua omnium, finisque vniuersalis ad quem omnia ordinantur, vt inter ea sit ordo & connexio, proculdubio acceptatis his eminẽtiis pluribus rationibus demonstratur vnitas Dei, implicat enim dari plura entia absolutè optima, quæ sint infinita intensiuè, & primæ causæ vniuersales omnium entium totales & eiusdem ordinis, vnde & rationes B.T. in prima parte, quæst. vndecima, art. tertio, & Scoti in primo dist. secunda, quęst. tertia, quas adducit Ant. And. in li. duodecimo Metaph. quæst. vlt. apud intellectum rectè dispositum efficaciter concludunt intentum, admissis prædictis eminentiis, si autem tales eminentiæ non acceptantur, vt sufficienter probatur in quæstionibus superioribus, vbi actum est de infinitate primi, & de sua vniuersali causalitate effectiua respectu omnium entium, non video, quomodo prædicta conclusio sit demonstrata, nec posit demonstrari. Non enim implicat dari duo prima, quæ sint æquè perfecta, finitæ perfectionis, & eiusdem speciei, præcipuè si non sustinueris, quòd sola materia est ratio multiplicandi indiuidua sub eadem specie, & quòd sint illa duo prima, vt duæ primæ causæ partiales concordes ex natura sua ad productionem cuiuscunque effectus, & ideo quia Comment. negat infinitum vigorem, & vniuersalem causalitatem productiuam omnium entium conuenire primo principio, truncauit viam ex sua nequitia probãdi vnum verum Deum. Nec obstat, quòd ille ponit tantum vnum primum motorem amatum & desideratum totius vniuersi, bonum ad quem ordinantur omnia, quoniam ille motor, remotis prædictis eminentiis, non est verè Deus. Omnes enim rectè sentientes de Deo, concipiunt, quòd Deus est id quo maius dari nec cogitari potest. Constat autem, quòd quocunque finito secundum entitatem, & potentiam, & intellectum, & voluntatem, maius cogitari potest. Quare, &c.

Et quoniam Ioan. Bach. in 1. dist. 21. quæst. 1. tenet supradictas eminentias, non esse demonstratas de Deo, ideo declinans ad errorem Auer. soluit omnes rationes Philosophorũ & Scot. quæ partim sunt B. Tho. Tu igitur si vis efficaciter probare Dei vnitatem, sustinebis in Deo infinitatẽ vigoris, vt suprà in q. 20. & efficientiã vniuersalẽ respectu omniũ entium, vt in q. præcedenti, & tunc aduertes solutiones Ioan. Bach. nullas esse. Scito tamen, quòd effectus inordinatus quo ferunt commentistæ pro Commen. obstruit hanc viam veritatis.

Aduerte vltimò, quòd ipse Ioan. Bach. vbi suprà, postquam soluit rationes probãtes Dei vnitatem, sumptas ex Scot. & ex B. Th. suadens sibi quòd sit altioris ingenij, quàm prænominati, format vnicam rationem, ad probandum Dei vnitatẽ, quæ talis est: Quod est tota entitas eminenter subsistens, tota entitas, dico, ens & possibilis actu, siue creata, siue increata, est numero tantum vnum. Primum est huiusmodi, ergo est tantum vnum numero. Maior patet: Quia si est tota entitas ens & possibilis, quocunque modo, tunc nihil quoquomodo potest esse extra ipsum, & sic erit infinitum; quia infinitum simpliciter est extra quod nihil est, neque de facto, neque de possibili; vt omnes antiqui diffiniebant in tertio Physic. textu 62.

Sed non potest esse, nisi vnum, quod sit simpliciter infinitum, vt sæpe concessum est. Minorem autem sic probat, quò ad creata, quia quà ratione est eminenter hæc entitas creata, ens, & demonstrata possibilis, eadem ratione & quælibet alia. Sed certum est etiam secundum Philosophos, quòd primum est eminenter quælibet signata entitas creata, tam ens quàm possibilis fore, ergo est quælibet.

Quo ad increata sic probat, certum est enim quòd si imaginentur plura entia increata numero plura, non ita possunt imaginari, quòd quædam sint actu, quædam possibilia esse; quoniam in perpetuis non differt esse & posse tertio Physico, textu trigesimosecundo. Igitur si vnum primum inter increata non sit tota entitas eminenter subsistens omniũ increatorum imaginatorũ, oportet quòd iam sit de facto, quod est falsum & impossibile, quoniã si illud non sit tota entitas eminenter aliorum, oportet, quòd quodlibet tale sit ens per seipsum, & tamen talia sint plura, quæ differãt realiter ab aliis entibus absolutis, saltem realitatibus suis, sicut dicitur de duobus animalibus intellectiuis, quia aliter esset compositio cum eis.

Sed si sunt plura entia differentia seipsis, & realitatibus suis, illa erunt in inuicem independentia, & sic non seruabitur ordo omnium entium ad vnum, quod tota natura abhorret, vt patet in 12. libro metaphy. text. vlti. vbi dicit Aristot. quòd entia nolunt malè disponi, & pluralitas principum inordinatorum mala, vnus ergo princeps, & loquitur philosophus de vnitate numerali, quia principatus ad personam, & non ad speciem pertinet.

Hæc fuit ratio præcipua sua, quam dicit esse demonstrationem philosophi. Sed si aduertis, non concludit, nisi in virtute huius, quòd primum sit infinitum entitatiuè simpliciter, & ad huius probationem assumit quod est concessum apud philosophos, quòd primum principium est eminenter omnis entitas signata, tam ens quàm possibilis fore. Sed hoc secundum ipsum non est clarum, imò & ipse hoc negauit, respondens Aureolo in eadem quæstione ad tertium.

Præterea, in sui probatione, vt vides, allegauit diffinitionem datam ab antiquis de infinito, quam philosophus reprobat in eodem loco, scilicet in 3. phys. in tex. 62. vbi inquit, Accidit contrarium esse infinitum, quàm sicut dicunt, scilicet antiqui, non enim cujus nihil est extra, sed cujus semper est aliquid extra, hoc infinitum est, ergo nec ratio sua est fortior aliis, & ideo vt vanus, & quasi negans diuinas eminentias, quarum cognitio est nobis veluti inferior à natura, est relinquendus. Hæc de præsenti quæsito dicta sint.

QVAESTIO XXX.

Si solum primum principium est ens necessarium, ita quòd omne ens productum sit ens contingens.

Vnus ergo princeps. Tex. vltimo.

CONCLVSIO.

Deum esse ens necessarium, ita vt omne ens productum sit ens contingens, vno in sensu verum, in altero minimè, quod ex distinctionibus quæ circa hoc proponentur patebit.

IN hac quæstione agendum est de necessitate primi, quem dicimus Deum, & Auic. appellat ipsum necesse, aduerte igitur antequam deueniamus ad resolutionem, quòd supponimus omne ens aliud à Deo esse productiuè à Deo. ita quòd est verè effectus eius, & tunc quæritur, si enti quod habet esse ab alio repugnat necessitas essendi. Sic igitur procedendum est. Primò declarabitur quid Auicen. & Comment. senserint in hoc. Secundò quomodo B. Tho. in aliquo tenet cum Cõment. & in aliquo non. Tertiò, quomodo via Beat. Thom. continet veritatem. Quartò, quomodo Scotus & sequentes eum nihil concludunt contra B. Tho. Qui Scotus sequitur viam Auicen.

Circa mentem Auicen. aduerte quòd diuidit ens vt ens, in necessarium & possibile, necessarium ponit tantũ vnum, quod appellat necesse esse, quod est primum principiũ, eo quòd nullam causam habet, & est omnino independens, habẽs ex se esse, & nullo modo nõ esse. & de hoc vno necesse esse pertractat in 2. lib. suæ metaph. cap. 2. & 3. Possibile autem extimat omne ens prod

ens productum, eo quòd habet esse ab alio, & sibi derelictum quocunque alio circunscripto non habet esse, ex consequenti est non ens ex se. ergo possibile vt dicatur possibile, quod ex se non habet esse, & potest esse per aliud, & quia intelligentiæ & cœli, & animæ eorum sunt productæ, vt tenet ipse in libro nono suæ Metaphysicæ, capite quarto, ideo locat ea inter possibilia, & breuiter secùdum ipsum non datur ens productum siue materiale, siue immateriale, quod sit necesse esse, ex consequenti, solum primum principium est necesse esse.

Circa mentem Auer. aduerte, quòd vt videre poteris in libro duodecimo Metaphysices commento quadragesimoprimo, de quo plenam fecimus mentionem in quæstione vigesimaoctaua huius libri; tenet necessarium esse duplex quoddam ex se quoddam ex alio. De eo quod est ex alio ponit exemplum de motu cœli, quem dicit esse necessarium, & tamen est ex alio, id est, à motore, eo quòd motui contrariatur quies, & ideo motus in se est possibilis non esse per quietem oppositam. Si ergo debet esse necessarius, habebit hoc ab altero, id est, à motore æterno omnino immobili, & sine discontinuatione mouēte. Necessarium ex se ponit ens permanens, & substantiam incorruptibilem, vt intelligētiam & cœlum, ita quòd secundum ipsum repugnat, substantiam aliquam esse possibilem ex se, & necessariam ex alio. Arbitratur enim in prædicto comment. quòd natura possibilis & transmutaretur in naturam necessarij, quod est falsum & impossibile: quoniam repugnat vnum oppositum transmutari in aliud oppositum, sed potius destruitur, non enim calidum transit in frigidum, sed corrupto calido fit frigidum, & quòd hæc fuerit opinio sua, vide in commento quadragesimoprimo huius libri ab eo loco vbi incipit, Et ideo non est verum aliquid possibile esse ex se, vsque ibi, Omnis igitur potentia mouens, &c.

Quantum ad secundum, scilicet quomodo beatus Thomas concordat cum Comment. aduerte, quòd concordat in conclusione, scilicet quòd aliquod productum ab alio est necessarium, sicut exemplificat de motu cœli. Non tamen concordat in extensione conclusionis, quoniam Commentat. tenet eam verificari solùm de ente successiuo, vt de motu cœli & tempore. Sed beatus Thomas tenet eam verificari & in ente successiuo & in ente permanenti incorruptibili, vt in cœlo & intelligentia, ita quòd licet habent esse ab alio, & non habeant esse ex se, tamen possunt dici necessaria, quod non concedit Auicen. si autem Commentat. teneret cœlum & intelligentiam esse effectiuè à primo principio, cùm secundum Peripateticos sint entia necessaria, eo quòd sunt incorruptibilia & æterna, tunc beatus Thomas & Commentat. concordarent in conclusione, & in extensione conclusionis. Sed iam suprà in quæstione vigesimaoctaua huius libri manifestauimus, quòd Comment. non concedit causam productiuam omnium entium, ideo beatus Thomas non in toto concordat cum illo, licet magis laudet opinionem Commentatoris, quàm Auicennæ, in quæstione de potentia Dei, quæstione sexta, articulo tertio, vbi vtranque pertractat.

Quantum ad tertium scilicet quomodo opinio beati Thomæ contineat veritatem, & sic Peripatetica, magis quàm opinio Scoti aduerte, quòd in vno sensu vera est, in alio non. Ideo vt videatur rei veritas, propono quatuor distinctiones, deinde formabo conclusiones respōsiuas cum probationibus suis absolutè & succinctè.

Prima distinctio est de possibili, possibile dicitur dupliciter.

Primò aliquid est possibile per potentiam intrinsecam actiuam, vel passiuam. Actiuam, vt possibile est homini ambulare, ex eo quòd habet potentiam progressiuam: passiuam, vt possibile est hominem mori, ex eo quòd habet materiam subiectam priuationi.

Secundò, aliquid dicitur possibile, non per potentiam intrinsecam, sed per non repugnantiam, vel ad quod non sequitur impossibile, vel quod non implicat contradictionem: vt possibile est esse duos soles, vel duas lunas, eo quòd si ponantur, nulla sequitur repugnantia. Primum dicitur possibile reale. Secundum possibile logicum.

Secunda distinctio est de impossibili, impossibile dicitur dupliciter. Primò, per carentiam vel defectum potentiæ actiuæ vel passiuæ: Actiuæ, vt impossibile est talpam videre passiuæ, vt impossibile est cœlum vel intelligentiam corrumpi. Secundò, aliquid dicitur impossibile propter repugnantiam terminorum, tunc enim sequitur contradictio: vt impossibile est hominem esse asinum, esset enim rationale & non rationale.

Tertia distinctio est de necesse: necesse est duplex, scilicet absolutè & conditionatè, necesse absolutè sumitur à causa intrinseca, vt à forma vel materia. A forma, vt necesse est hominem esse rationalem. A materia, vt necesse est elementatum esse corruptibile. Conditionatè sumitur ab efficiente vel à fine. Ab efficiente, vt necesse est lapidem sursum proiectum ascendere. A fine, vt necesse est hominem volentem viuere, respirare. Sed necessitatem conditionatam dimittamus, quoniam non deseruit nobis.

Quarta distinctio, necesse absolutè est duplex, quoddam per causam intrinsecam tantum, vt cœlum esse incorruptibile, eo quòd non habet principium intrinsecum, quo possit non esse. Quoddam per causam intrinsecam, scilicet per essentiam suam, & per habitudinem terminorum, ita quòd, si non esset, sequeretur conditio, & est illud cuius esse non dependet ab alio, imò suum esse est de ratione sua, & hoc modo solum primum principium est necesse esse, quoniam dum dico Deus est, ly est, est de ratione sua, quoniam nullum extraneum est in Deo: vnde si dico, Deus non est, est implicatio contradictionis, quoniam esse & non esse attribuuntur Deo. Nam in subiecto implicatur esse, cùm Deus sit suum esse, & ex prædicato negato attribuitur non esse, vnde sicut ista, homo est animal, est necessaria ex habitudine terminorum, ita & ista, Deus est.

Prima conclusio, Intelligentiam desinere esse vel non esse, est possibile secundo modo, sed non primo modo. Dico secundo modo, quoniam non sequitur contradictio, si ponatur desinere esse. Potest enim non conseruari à Deo, quo non conseruante desinet esse. Dico, sed non primo modo, quoniam cum sint simplices formæ, non habent potentiam passiuam intrinsecam, nec materiam, qua possint desinere esse, ergo illas desinere non est possibile primo modo.

Secunda conclusio, Intelligentias desinere esse, est impossibile primo modo, sed non secundo modo. Dico primo modo, quoniam non habent principium intrinsecum suæ diffinitionis, cùm careant materia ex qua, & in qua. Dico sed non secundo modo, quoniam si desinant esse, non sequitur contradictio, vt prius dictum est. ergo eas desinere esse, non est impossibile secundo modo.

Tertia conclusio, Intelligentias esse, est necesse absolutè primo modo quia non possunt non esse per causam intrinsecam, nec per naturam suam, quæ caret omni principio intrinseco corruptionis, cùm sint simplices actus.

Quarta conclusio, Intelligentias esse, non est necesse absolutè secundo modo, id est, ex habitudine terminorum, quoniam si ponantur non esse, vel non conseruari, nulla sequitur contradictio.

Quinta conclusio, Deum esse, est necesse esse primo & secundo modo: patet primo modo, quoniam est actus purus, ergo non habet principium intrinsecum corruptionis: patet secundo modo, quoniam esse, est de ratione Dei: vnde vt diximus, sicut ista, homo est animal, est necessaria, ex habitudine terminorum, ita & ista, Deus est.

Sexta conclusio, Solus Deus est necesse esse absolutè secundo modo, loquendo de incomplexis, quoniam solus habet esse ex se, & est penitus independens, ergo per nullam causam intrinsecam, nec extrinsecam potest non esse, & hoc est illud necesse esse, quod probat esse tantum vnum, & non posse plurificari.

Quantum ad quartum, scilicet ad opinionem Scoti, aduerte, quòd in primo sententiarum distinctione octaua, quæstione quarta in ratione, ad secundum argumentum in fine quæstionis, tenet cum Auicen. quòd ens productum non potest diuidi in necessarium & possibile, imò quod omne productum est ens possibile & contingens, quia ex se non habet esse, & potest desinere esse, si sibi relinquatur, sequentes autem Scot. conantur pluribus modis arguere contra determinationem factam pro via beati Thomæ. Præcipuè aut sic arguunt: Quod in se est impossibile, nulli potentiæ est possibile, alioquin impossibile fieret possibile. Sed si substantiæ abstractæ non sunt possibiles, non esse in se, sequitur, quòd sint impossibiles non esse in se. æquipollent enim non possibile & impossibile, per nullam ergo potentiam poterunt non esse, siue intrinsecam siue extrinsecam, quod est falsum, & repugnans determinationi factæ.

Ad hoc patet tibi solutio, si scieris applicare distinctiones suprapositas, probat enim solum, quòd substantiæ abstractæ sunt possibiles secundo modo, & non primo modo, cum quo stat, quòd sunt necesse esse absolutè primo modo, iuxta tertiam conclusionem suprapositam: vnde quando arguitur, Quod in se est impossibile, nulli potentiæ est possibile, hæc non est

non est vera, nisi de impossibili secundo modo, & quando arguitur, quòd possibile fieret impossibile negatur: sed bene conceditur, quòd possibile secundo modo, est impossibile primo modo, quæ non repugnant, quoniam non sunt respectu eiusdem modi. Omnia alia argumenta transeunt eisdem distinctionibus, ideo nolo immorari.

Sed dices, Quare Beatus Thomas, non concedit substantias abstractas si sunt productæ à primo, quòd sunt entia possibilia, & non necessaria, ex quo concedit, quòd sunt possibiles non esse, secundo modo.

Respondetur, apud Peripateticum, res productæ sortiuntur modum necessarium vel contingentem essendi, non à causa prima & remota, sed à causa proxima, siue extrinseca: & ideo res quarum principia intrinseca sunt incorruptibilia, vt cœlum, vel quarum natura est simplex, & immaterialis, vt intelligentiæ, meritò dicuntur entia necessaria in se absolutè primo modo. Res autem quarum principia intrinseca sunt opposito modo, vt puta quia habent materiam cum priuatione, siue sit materia prima, vt in compositis substantialibus inferioribus, siue sit materia secunda, quæ dicitur subiectum, vt in compositis accidentalibus, meritò dicuntur entia non necessaria, sed possibilia.

Concludimus ergo, quòd licet sint multa entia necessaria in se, quia tamen sunt possibilia per potentiam extrinsecam, ideo solum primum principium est omnino, & excellentissimè necesse esse, & nullo modo possibile, à quo, in quo, ad quod, propter quod, est quicquid est, quod honoramus, & extollimus sub nomine Dei maximi & gloriosi per æternum, Amen.

Feliciter absolutæ ac perfectæ sunt quæstiones metaphysicales ordinatæ per Reuerendum magistrum Chrysostomum Iauel. Canapicium, Ord. Præd. philosophiæ ac diuinæ scientiæ doctorem, scriptæ manu propria, & per eundem reuisæ Cremonæ 1532. die 20. Ianuarij: ac postremò opera Hæredum Iacobi Iuntæ castigatissimæ factæ, conclusionibúsque omnium quæstionum decisionem pancis perstringentibus ornatæ atque illustratæ, 1564.

Series chartarum.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t v x y z, aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo pp qq rr ss tt vv xx yy zz, A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z, AA BB CC DD EE FF GG, Omnes sunt terniones.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA BOLOGNA

Lugduni,
EXCVDEBAT
Iacobus Faurus.